✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 37.

~~Entrada~~
~~Ano 6º~~
~~Mod 4º~~

Entrada 30
Fab 1ª
no 12



THOMÆ

STAPLETONI ANGLI, SACRAE THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET PROFESSORIS REGII.

Duaci primò, deinde Louanij,

Operum,

TOMVS QVARTVS.

ELENCHVS AVTEM LIBRORVM PAGINA prima post Epistolam habetur.



LVTETIÆ PARISIORVM.

M. D C X X.

CVM PRIVILEGIO CHRISTIANISSIMI REGIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

PERILLVSTRI VIRO

ERRICO MEMMIO IRVALLIO, EQVITI,

Regio ſanctioris Conſiſtorij Conſiliario,

PROPRÆTORI PARISIENSI,

Ac ſupremo Ædilium, Decurionum ac Mercatorum

PRÆFECTO.

DIſcorum animis innata hæc erat conſuetudo, (vir Nobiliſsime) vt quod æternum cunctiſque venerandum eſſe putabant, numini cuipiam dedicarent, id quod à Templis paulatim demigrauit ad ſtudia; ita vt ſi quid noui operis editioni paretur, pręſtantiſsimis viris, & lucidiſsimis virtutibus præditis, deuoueatur. Cũ igitur præſens hocce clariſsimum opus in lucem emittere ſtatuęremus, de Patrono (quo auſpice tutius exiret) quęri apud nos cœptum eſt: Tu vero, ſpes chariſsima patris, & patrię decus, quem animi corporiſq; dotes, & innumera vitæ ornamenta ad hoc dignitatis faſtigium euexerunt, vnus vnicè multorum occurriſti, qui, publico omnium prędonio egregiam cum pari pietate virtutem copulaſſe, iacentes litteras non erexiſſe ſolum, verumetiam ampliſsimo fauore proſequi, huiuſque palęſtrę litterarię iura tueri, & benignitate haud vulgari, excitare prædicaris, vnde te virum omni ex parte egregium, & forenſis duelli moderatorem, & huiuſce

nauis Pariſiacæ patronum, plebiſque tutorem prudentiſsimum nacti: inter eos, quorum fortunæ, familiarũque ſalus tua peruigili cura conquieſcunt, nos & publicæ & priuatę fęlicitatis non inſcij, quam tuo nobis ſtudio peperiſti, imo pro reſtaurata, nec diu ſatis conſeruanda re litteraria, non ingratos animos teſtari volentes, naſcenti huic operi, celebratiſsimi tui nominis facem pręlucere non abſonum iudicauimus; tibique, licet ampliora pro merito, hanc, laboris certè eximij fœturam, iucundioris aliquando edendi pręuiam conſecrare: Quem, ſi ſolito illo quo es prędítus candore, & gratanti animo ſanè & liberali exceperis, ad has Stapletoni viri alias clariſsimi euangelicas exercitationes, perlucidæ veritatis propugnatores, conniuebunt. Itaque per luculentiſsimas maiorum tuorum Imagines, per omnia illa quibus emicas virtutũ inſignia, per noſtram, patriæque expectationem, obteſtamur, vt hanc grati noſtri animi ſignificationem ſereno ac hilari vultu ſuſcipias, noſque inter eos aſcribas, qui toto tibi ſunt pectore

ADDICTISSIMI,

ROBERTVS FOVET,

NICOLAVS BVON,

SEBASTIANVS CRAMOISY.

Index Tomi quarti.

Promptuarium Morale in Euangelia Dominicalia. { *Pars Hyemalis,* *folio* 1. / *Pars Æstiualis.* 289.

Promptuarium Catholicum in Euangelia Dominicalia totius anni. *fol.* 543.

Promptuarium Catholicum super Euangelia Ferialia totius Quadrag. *fol.* 681.

Promptuarium Catholicum super Euangelia in Festis Sanctorum totius anni folio 817.

Tres Thomæ, seu Res gestæ S. Thomæ Apostoli, S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris, & Thomæ Mori Angliæ quondam Cancellarij. folio 931.

INDEX TEXTVVM
EVANGELICORVM.

EX QVIBVS LOCA MORALIA IN PROMPTVARIO DOMINICALI ERVVNTVR, CVM NOTA CVIVSQVE Dominicæ, in qua tractantur, iuxta ordinem quatuor Euangeliorum, & Capitum cuiuſque.

Dominica 5. poſt Pentecoſten.

Matth. 5.
1. NISI *abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*
2. *Ego autem dico vobis: qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.*
3. *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ.*
4. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.*

Dominica 14. poſt Pentecoſten.

Matth. 6
1. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*
2. *Aut enim vnũ odio habebit, & alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit, & alterum contẽnet.*
3. *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.*
4. *Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.*
5. *Hæc omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis.*
6. *Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.*

Dominica 7. poſt Pentecoſten.

Matth. 7
1. *Attendite vobis à falſis prophetis, qui veniunt ad vos.*
2. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.*
3. *Omnis arbor bona bonos fructus facit, & non poteſt arbor bona malos fructus facere.*
4. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*
5. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.*

Dominica 18. poſt Pentecoſten.

Matth. 9
1. *Ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.*
2. *Videns Ieſus fidem illorum dixit paralytico.* 3. *Confide fili.*
4. *Remittuntur tibi peccata tua.* 5. *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?*
6. *Glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.*

Dominica 23. poſt Pentecoſten.

7. *Princeps vnus acceſſit ad Jeſum, & adorabat eum.* 8. *Filia mea modo defuncta eſt.*
9. *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.*
10. *Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero.*
11. *Et deridebant illum.* 12. *Et exijt fama hæc in vniuerſam terram illam.*

Dominica

Index Textuum Euangelicorum.

Dominica 21. post Pentecosten.

1. *Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.*
2. *Iussit eum dominus eius venundari, & vxorẽ eius, & filios, & omnia quæ habebat & reddi.* Matth. 18
3. *Procidens autem seruus ille, rogabat eũ, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*
4. *Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.*
5. *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, &c.*
6. *Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & narrauerunt domino suo quæ facta sunt.*
7. *Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum.*
8. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.*

Dominica 17. post Pentecosten.

1. *Interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum.* Matt. 22
2. *Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua.*
3. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*
4. *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.*

Dominica 19. post Pentecosten.

5. *Qui fecit nuptias filio suo.*
6. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire.*
7. *Iterum misit alios seruos, dicens: Omnia parata sunt.*
8. *Illi autem neglexerunt, & abierunt.*
9. *Alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam.*
10. *Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.*
11. *Rex autem, cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit.*
12. *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?*
13. *Ligatis manib. & pedib. eius, mittite eũ in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentiũ.*
14. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.*

Dominica 22. post Pentecosten.

15. *Consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone.*
16. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.*
17. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.*
18. *Viam Dei in veritate doces.* 19. *Non enim respicis personam hominum.*
20. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* 21. *Et quæ sunt Dei, Deo.*

Dominica. 24. post Pentecosten.

1. *Tunc qui in Iudea sunt, fugiant ad montes.* Mat. 24
2. *Orate vt fuga vestra non fiat in hieme, vel in sabbato.*
3. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.*
4. *Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita, vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.*
5. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.*
6. *Et tunc parebit signum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.*
7. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate.*

Dominica 11. post Pentecosten.

1. *Adducunt ei surdum & mutum; & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* Marc. 7.
2. *Surdum & mutum.*
3. *Et apprehendens eum de turba seorsum.*
4. *Misit digitos suos in auriculas eius.* 5. *Et expuens tetigit linguam eius.*
6. *Et suspiciens in cælum, ingemuit.* 7. *Et præcepit illis ne cui dicerent.*
8. *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur.*

Index Textuum Euangelicorum.

Dominica 6. post Pentecosten.

Marc. 8. 1. *Cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, ait: Misereor super turbam.*
2. *Quia ecce iam triduo sustinent me.*
3. *Si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via.*
4. *Vnde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?*
5. *Et sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas.*

Dominica 4. post Pentecosten.

Lucæ 5. 1. *Cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei.*
2. *Rogauit eum à terra reducere pusillum.*
3. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* 4. *Sed in verbo tuo laxabo rete.*
5. *Procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ego sum, Domine.*

Dominica 1. post Pentecosten.

Lucæ 6. 1. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*
2. *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.*
3. *Dimittite, & dimittemini.* 4. *Date & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertã, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*
5. *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.*

Dominica 15. post Pentecosten.

Lucæ 7. 1. *Ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa.*
2. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matri suæ.*
3. *Et hæc vidua erat.* 4. *Et turba multa ciuitatis cum illa.*
5. *Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam dixit: Noli flere.*
6. *Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt.*
7. *Adolescens tibi dico, surge.*

Dominica 12. post Pentecosten.

Luc. 10. 1. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*
2. *Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens.*
3. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.*
4. *Et proximum tuum sicut teipsum.* 5. *Ille autem volens seipsum iustificare, dixit:*
6. *Videns eum, misericordia motus est, &c.* 7. *Vade, & tu fac similiter.*

Dominica 2. post Pentecosten.

Luc. 14. 1. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.*
2. *Dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia.*
3. *Et cœperunt omnes simul excusare.* 4. *Villam emi: & necesse habeo exire, & videre illã.*
5. *Iuga boum emi quinq; & eo probare illa.* 6. *Vxorem duxi: & ideo non possum venire.*
7. *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.*

Dominica 16. post Pentecosten.

8. *Cùm intraret in domum cuiusdam Pharisæi manducare panem.*
9. *Et ipsi (Pharisæi) obseruabant eum.*
10. *Et respondens Iesus, dixit ad Legisperitos & Pharisæos.*
11. *Si licet Sabbato curare?*
12. *Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit.*
13. *Intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicit ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.*
14. *Cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco.*

Dominica 3. post Pentecosten.

Luc. 15. 1. *Erant appropinquantes ad Jesum publicani & peccatores, vt audirent illum.*
2. *Murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* 3. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*
4. *Vadit ad ouem quæ perierat, donec inueniat illam; & cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.*

5. *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.*

Dominica 8. poſt Pentecoſten.

1. *Redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16.
2. *Filij huius ſæculi prudentiores ſunt in generatione ſua, quàm filij lucis.*
3. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt, quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Dominica. 13. poſt Pentecoſten.

1. *Occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè.* Luc. 17.
2. *Et leuauerunt vocem ſuam.* 3. *Ieſu præceptor, miſerere noſtri.*
4. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.*
5. *Regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes Ieſu, gratias agens.*
6. *Nónne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt?*
7. *Niſi hic alienigena. Et hic erat Samaritanus.*

Dominica 10. poſt Pentecoſten.

1. *Dixit ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti.* Et illud: *Non ſum ſicut cæteri homi-* Luc. 18.
num.
2. *Et aſpernabantur cæteros.* Et illud: *Velut etiam hic publicanus.*
3. *Ieiuno bis in Sabbato: Decimas do omnium quæ poſſideo.*
4. *Publicanus à longè ſtans.* 5. *Nolebat oculos ad cælum leuare.*
6. *Percutiebat pectus ſuum.* 7. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.*
8. *Et omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Dominica 9. poſt Pentecoſten.

1. *Videns ciuitatem* (Ieruſalem) *fleuit ſuper illam.* Luc. 19.
2. *Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.*
3. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique.*
4. *Eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.*
5. *Ingreſſus in templum, cæpit eijcere vendentes in illo, & ementes.*
6. *Domus mea, domus Orationis vocabitur.*

Dominica 20. poſt Pentecoſten.

1. *Cuius filius infirmabatur.* Ioan. 4.
2. *Cùm audiſſet quia Ieſus venit in Galilæam, abijt ad eum.*
3. *Rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius.*
4. *Incipiebat enim mori.*
5. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.*
6. *Domine, deſcende, priuſquam moriatur filius meus.*
7. *Credidit homo ſermoni quem dixit ei Ieſus, & abijt.*
8. *Et credidit ipſe, & domus eius tota.*

INDEX TEXTVVM

EVANGELICORVM,

Ex quibus loca moralia in Promptuario Dominicali eruuntur, cum nota cuiuſque Dominicæ, in qua tractantur, iuxta ordinem quatuor Euangeliorum, & Capitum cuiuſque.

Dominica prima Quadrageſimæ.

Matth. 4 1. *DVCTVS eſt Ieſus à Spiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo.*
2. *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*
3. *Accedens tentator, dixit ad eum.*
4. *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.*
5. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*
6. *Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Angelis enim ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.*
7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*
8. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* 9. *Vade Satana.*
10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

Dominica 3. poſt Epiphaniam.

Matth. 8 1. *Leproſus veniens, adorabat eum.* 2. *Domine, ſi vis, potes me mundare.*
3. *Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris.* 4. *Sed vade, oſtende te Sacerdoti.*
5. *Et offer munus quod præcepit Moyſes.* 6. *In teſtimonium illis.*
7. *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.*
8. *Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.*
9. *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores.*
10. *Illic erit fletus, & ſtridor dentium.*

Dominica 4. poſt Epiphaniam.

11. *Motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.*
12. *Ipſe autem dormiebat.*
13. *Et ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.*
14. *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?*
15. *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna.*

Dominica 2. Aduentus.

Matt. 11. 1. *Ioannes in vinculis.* 2. *Mittens duos ex diſcipulis ſuis ad Ieſum, ait.*
3. *Euntes, renuntiate Ioanni.* 4. *Quæ audiſtis & vidiſtis.*
5. *Pauperes euangelizantur.* 6. *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.*
7. *Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere de Ioanne.* 8. *Quid exiſtis in deſertum videre?*
9. *Arundinem vento agitatam?* 10. *Hominem mollibus veſtitum?*

Dominica

Index Textuum Euangelicorum.

Dominica 5. post Epiphaniam.

1. *Qui seminauit bonum semen in agro suo.* *Matth. 13*
2. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo.*
3. *Venit inimicus eius, & superseminauit zizania.*
4. *Unde ergo habet zizania?* 5. *Inimicus homo hoc fecit.*
6. *Serui autem dixerunt, Vis imus, & colligimus ea?*
7. *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis & triticum.*
8. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.*
9. *Colligite zizania, & colligate ea in fasciculos, ad comburendum.*

Dominica 6 post Epiphaniam.

10. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.*
11. *Cùm autem creuerit, maius fit omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli habitent in ramis eius.*
12. *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum.*

Dominica 2. Quadragesimæ.

1. *Duxit eos in montem excelsum seorsum.* *Matt. 17.*
2. *Et transfiguratus est ante illos.* 3. *Bonum est nos hic esse.*
4. *Faciamus hic tria tabernacula.* 5. *Ipsum audite.*

Dominica Septuagesimæ.

1. *Exijt primo mane, hora tertia, sexta, nona, & circa vndecimam.* *Matt. 20*
2. *Conducere operarios in vineam suam.*
3. *Misit eos in vineam suam.* 4. *Illi autem abierunt.*
5. *Quid hic statis tota die otiosi?* 6. *Quia nemo nos conduxit.*
7. *Voca operarios, & redde illis mercedem suam.* 8. *Multi vocati, pauci electi.*

Dominica in ramis Palmarum.

1. *Dicite, quia Dominus his opus habet.* 2. *Venit Rex tuus tibi mansuetus.* *Matt. 21.*
3. *Sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.*
4. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.*
5. *Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid.*
6. *Hosanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Dominica Paschæ.

1. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome.* *Marc. 16*
2. *Emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.*
3. *Et valdè manè, vna sabbatorum, veniunt ad monumentum.*
4. *Dixerunt ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem.*
5. *Surrexit, non est hic.* 6. *Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro.*

Dominica infra Octauam Natalis Domini.

1. *Mirantes super his quæ dicebantur de illo.* *Luc. 2.*
2. *Ecce hic positus est in ruinam multorum in Israël.*
3. *Et in resurrectionem multorum in Israël.* 4. *Et in signum cui contradicetur.*
5. *Quæ non discedebat de templo, seruiens die ac nocte.*
6. *In ieiunijs & obsecrationibus seruiens.*

Dominica prima post Epiphaniam.

7. *Ascendentibus illis Hierosolymam.* 8. *Secundùm consuetudinem diei festi.*
9. *Remansit puer Iesus in Ierusalem.*
10. *Et non cognouerunt parentes eius.*
11. *Descendit cum eis, & erat subditus illis.*
12. *Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.*

Index Textuum Euangelicorum.

Dominica quarta Aduentus.

Luc. 3. 1. *Anno quinto-decimo Imperij Tiberij Cæsaris.*
2. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.*
3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*
4. *Rectas facite semitas eius.* 5. *Omnis vallis implebitur.*
6. *Omnis mons & collis humiliabitur.*
7. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas.*

Dominica Sexagesimæ.

Luc. 8. 1. *Cùm turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum.*
2. *Clamabat, dicens: Qui habet aures audiendi, audiat.* 3. *Semen est verbum Dei.*
4. *Quod secus viam hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum.*
5. *Qui supra petram, qui, cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*
6. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur.*
7. *Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent.* 8. *Et fructum afferunt cum patientia.*

Dominica tertia Quadragesimæ.

Luc. 11. 1. *Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum.*
2. *Quidam ex eis dixerunt: In Beelzebub, principe dæmoniorum, eijcit dæmonia.*
3. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.*
4. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.*
5. *Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat.*
6. *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.*
7. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

Dominica Quinquagesimæ.

Luc. 18. 1. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*
2. *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur.*
3. *Ipse verò multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.*
4. *Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se.*
5. *Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam.*

Dominica prima Aduentus.

Luc. 21. 1. *Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, &c.*
2. *His fieri incipientibus, respicite. Scitote quia propè est regnum Dei.*
3. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Dominica tertia Aduentus.

Ioan. 1. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es?*
2. *Confessus est, quia non negauit: & confessus est, quia non sum ego Christus.*
3. *Ego vox clamantis in deserto.* 4. *Dirigite viam Domini.*
5. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?*
6. 7. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.* 8. *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere.*

Dominica 2. post Epiphaniam.

Ioan. 2. 1. *Vocatus est Iesus & discipuli eius ad nuptias.*
2. *Dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent.*

3. *Dicit*

3. *Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier?*
4. *Quodcunque dixerit vobis, facite.*
5. *Implete hydrias aqua. Et impleuerunt vsque ad summum.*
6. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & postea deterius: tu autem seruasti optimum vinum vsque adhuc.*

Dominica 4. Quadragesimæ.

1. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6.
2. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, vt vnusquisque modicum quid accipiat.*
3. *Cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus.*
4. *Colligite quæ superaueruni fragmenta ne pereant.*
5. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.*
6. *Cùm cognouisset quòd venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

Dominica Passionis.

1. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8.
2. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*
3. *Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo.*
4. *Ego gloriam meam non quæro: est qui quærat, & iudicet.*
5. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.*
6. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes, &c.*
7. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.*
8. *Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.*

Dominica secunda post Pascha.

1. *Ego sum pastor bonus.* Ioan. 10.
2. *Bonus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis.*
3. *Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quia mercenarius est, &c.*
4. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas.* 5. *Et oues meæ cognoscunt me.*
6. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.*

Dominica Pentecostes.

1. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Ioan. 14.
2. *Et Pater meus diliget eum.*
3. *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*
4. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*
5. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.*
6. *Non turbetur cor vestrum neque formidet.*
7. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.*

Dominica tertia post Pascha.

1. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos.* Ioan. 16.
2. *Mundus autem gaudebit.*
3. *Tristitia vestra vertetur in gaudium: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Dominica quarta post Pascha.

4. *Quia hæc loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.*
5. *Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*
6. *De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.*
7. *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.*

Dominica quinta post Pascha.

8. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Index Textuum Euangelicorum.

9. *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.*
10. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.*

Dominica sexta post Pascha.

11. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.*
12. *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.*
13. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.*

Dominica in Albis.

Ioan.20. 1. *Cùm esset serò die illa.*
2. *Stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis.*
3. *Cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.*
4. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*
5. *Thomas, vnus de duodecim, non erat cum eis quando venit Iesus.*

INDEX

INDEX
SCRIPTVRARVM
QVÆ IN PRIMA
Parte huius Promptuarij Moralis aliquo modo elucidantur.

4. Reg. 3 PATER mi, currus & auriga Israël 129
Iob 24. Sicut summitates spicarum conterentur 307
Iob 30. Frater fui draconum, & socius struthionum 211
Psal. 9. Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. 317
10. Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum 92
In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? 165
118. Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore: auferuntur iudicia tua à facie eius 5
23. Qui non accepit in vanum animam suam 98
44. Sagittę tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis 236
68. Eripe me de luto, vt non infigar: libera me de profondis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum 147
72. Si dicebam, Narrabo sic: nationem filiorum tuorum reprobraui. Existimabam vt cognoscerem: hoc labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei 91
Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges 254.
76. Sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota 3
90. Vt custodiant te in omnibus vijs tuis 146
Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem 268
Cum ipso sum in tribulatione 210
93. Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in prȩcepto? 39
118. Confige timore tuo carnes meas 5
Latum mandatum tuum nimis 283
126. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris 219. 308
136. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? 206
Beatus qui allidit paruulos tuos ad petram 135
Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens, &c. via impiorum tenebrosa 44
6. Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quę cùm non habeat ducem, neque præceptorem, neque principem, parat in æstate cibum sibi, &c. 171
Veniet tibi pauperies quasi vir armatus 171
Septimum odit anima eius, eum qui seminat inter fratres discordias 227
12. Cogitationes iustorum iudicia, consilia impiorum fraudulenta 239

21. *Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum: qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam.* 114
Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit ibidem
23. *Quando ſederis cum principe, diligenter attende quæ ſunt poſita ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam* 219
24. *Per agrum hominis pigri tranſiui, & ecce totum repleuerant vrticæ* 43
Eccleſ. 9. Nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas. 68
11. *Neſcis quid magis oriatur, hoc aut illud: & ſi vtrumque ſimul, melius erit* ibidem
Cant. 1. Nolite conſiderare quòd fuſca ſum, quia decolorauit me ſol 39
3. *Aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit* 216
8. *Valida eſt ſicut mors dilectio* 48
Eccli. 3. Qui amat periculum, peribit in illo 201. 211
5. *Non ventiles te in omnem ventum: eſto firmus in via Domini* 397
14. *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & qui in ſenſu ſuo cogitabit circumſpectionem Dei, &c.* 56. 115.
18. *Ante orationem præpara animam tuam, ne ſias ſicut is qui tentat Deum* 334
21. *Via impiorum complanata eſt lapidibus* 27
24. *Ego quaſi therebintus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ* 122
34. *Hoc ſecundùm hoc viſio ſomniorum* 306
Qui non eſt tentatus, quid ſcit? 202
40. *Subſtantiæ iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt.* 282
Eſaiæ 1. Erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtupę, & opus veſtrum quaſi ſcintilla 139
5. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei, & ſepiui eam, & lapides elegi ex illa: plantaui vineam electam, ædificaui turrim in medio eius, torcular extruxi in ea* 103
28. *Manda remanda, expecta reexpecta: modicum ibi, modicum ibi* 201
40. *Dirigite viam Domini* 27
55. *Non ſunt viæ veſtræ viæ meę* 27
58. *Quaſi tuba exalta vocem tuam* 206
63. *Torcular calcaui ſolus, & non erat de gentibus vir mecum* 193
Ierem. 13. Nec vos poteſtis benefacere, quum didiceritis malum 219
Ezech. 3. Venter tuus comedet, & viſcera tua implebuntur volumine iſto 158
Adhęrere faciam linguam tuam palato tuo, & eris mutus 195
13. *Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis* 253
Oſeę 4. Peccata populi mei comedent 113
Zachar. 11. Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti: quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quęret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat, non enutriet, &c. O paſtor & idolum, derelinquens gregem. Gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dexterum eius 306
Matth. 4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei 200
Mitte te deorſum. 166. *Statuit eum ſuper pinnaculum Templi* 176
7. *Nolite proiicere ſancta canibus, &c:* 9
Qui audit & non facit, ſimilis eſt ſtulto qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, &c. vſque ad finem parabolæ 51
8. *Domine, ſi vis, potes me mundare* 63
Ibi erit fletus & ſtridor dentium 96
11. *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque adhuc* 7
Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos 39
Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue 34
13. *Habenti dabitur, & abundabit. Non habenti autem, etiam quod habet, auferetur ab eo* 99
Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis 116
Quòd cùm creuerit, maius fit omnibus oleribus 123
vt volucres cæli habitent in ramis eius 129

Simile

Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, dõ-
nec fermentatum est totum. 133
20. *Qui exijt primo manè conducere operarios in vineam suam.* 239
21. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteretur.* 93
23. *Alligant onera grauia, & imponunt ea humeris aliorum.* 8
25. *Date nobis de oleo vestro. Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* 136
Intra in gaudium Domini tui. 175
Marci 9. Habete sal in vobis, & pacem habete. 36
Lucę 1. *Daturum se nobis, vt sine timore inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sancti-*
tate, &c. 43
3. *Regnabit in domo Jacob in æternum.* 244
Facite fructus dignos pœnitentię. 30
Omnis vallis implebitur. 43
8. *Qui habet aures audiendi, audiat.* 190
9. *Qui vult venire post me, tollat crucem suam quotidie, &c.* 38
11. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem:*
& non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, &c. quę sequuntur. 116
Inuenit eam scopis mundatam & ornatam. 104. 223.
12. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs.* 109
Faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis. 184
Dico vobis amici mei. 6
Ignem veni mittere in terram. 99
13. *Contendite intrare per angustam portam.* 14
23. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* 4
Ioan. 1. *Ego vox clamantis in deserto.* 27
4. *Videte regiones quia albæ sunt ad messem; & qui metit, mercedem accipit, & congregat*
fructum in vitam æternam: vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est
verbum verũ: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos
non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. 113
10. *Pastor qui intrat per ostium, proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & ante eas va-*
dit. 274. *Ego cognosco oues meas.* 288. *& seq.*
Et cognoscunt me meæ. 292. *& seq.* 11. *Ego sum resurrectio & vita.* 60
12. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* 201
16. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* 306. *& seq.*
De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. 310. *& seq.*
De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. 333
17. *Sed & pro eis qui per verbum eorum credituri sunt in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater*
in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint. 348
Rom. 1. Qui veritatem in iniustitia detinent. 319
3. *Legem ergo euacuamus per fidem? absit.* 48
6. *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: hoc scien-*
tes, quia vetus noster homo simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. 57
8. *Quid oremus sicut oportet, nescimus.* 149
Quod impossibile erat Legi in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in simi-
litudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne. 88
Creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei. 166
13. *Nunc propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.* 120
1. Cor. 1. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibns: & quod infirmum est Dei, fortius est*
hominibus. 275
Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius Iesu Christi Domini nostri. 328
2. *Ego me nihil arbitror scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* 258
6. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* 350

8. Qui existimat se aliquid scire, nondum cognouit quomodo oporteat eum scire 47.253
2.Cor. 1. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu 204
4. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes 38
Vt vita Iesu manifestetur in corporibus nostris 45
5. Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt 190. 303
6. Omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos 200
9. Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis, &c. 434
Galat. 6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo 93
Ephes. 3. Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum 282
6. Sumentes scutum fidei, &c. 109
State succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis 117
Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. 202. 203
4. Gaudete in Domino semper 310
Coloss 2. Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso 319
3. Mortificate ergo membra vestra quę sunt super terram 207
1. Tim. 1. Soli Deo honor & gloria 63. 257
5. Qui domesticorum suorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. 101. *ibid.*
6. Radix omnium malorum cupiditas 179
Hebr. 3. Videte ne forte sit in aliquo vestrûm cor malum incredulit. 143
Si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmiter retineamus 96
Donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati 137
6. Crucifigit sibimetipsi Filium Dei. & ostentui habet 174
12. Contemplantes ne quid desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat 114
13. Vt cum gaudio hoc faciant, non gementes: hoc enim non expedit vobis 96
Iacobi 1. Postulet in fide nihil hæsitans 84
Patientia perfectum opus habet 155
5. Plorate, & vlulate in miserijs vestris, &c. quia vestimenta vestra à tineis comesta sunt. 20
1. Petri 1. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore simplici, ex corde inuicem diligite attentiùs, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum 101
4. Tempus est vt iudicium incipiat de domo Dei, & si iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi parebunt? 298
Charitas operit multitudinem peccatorum 70
2. Pet. 2. Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri Iesu Christi 52
1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo est 107
Apocal. 3. Cœnabo cum illo, & ipse mecum 139
Vtinam esses, aut frigidus aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo 112
Nescies qua hora veniam ad te *ibidem.*

INDEX
SCRIPTVRARVM
QVÆ IN SECVNDA
Parte huius Promptuarij Moralis aliquo modo elucidantur.

Geneſ. 3 *Uper pectus tuum gradieris,& terram comedes.* 265
6. *Dolore cordis tactus intrinſecus.* 120
Leuit. 19: *Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine: veſte quæ ex duabus texta eſt non indueris.* 12
1. Reg. 2 *Deus ſcientiarum Dominus eſt,& ipſi prępărantur cogitationes.* 110
2. Reg. 9 *Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum illo miſericordiam Dei?* 277
3. Reg. 10. *Non glorietur accinctus æquè vt diſcinctus.* 109
Iob. 14. *Qui quaſi flos egreditur,& fugit velut vmbra.* 230
Ibid. Et *nunquam in eodem ſtatu permanet.* 130
31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. 27
Pſalm. 1. *Dabit fructum ſuum in tempore ſuo.* 88
4. Iraſcimini & nolite peccare. 53
9. Sub lingua eius labor & dolor. 126
10. Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. 60
13. Sepulchrum patens eſt guttur eorum. 60
18. Venenum aſpidum ſub labijs eorum. *ibid.*
31. Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. 119
Veruntamen in diluuio aquarum multarum non approximabunt tibi. 90
36. Noli æmulari vt maligneris. 49
68. Quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. 183
73. Repleti ſunt qui obſcurati ſunt terrę domibus iniquitatum. 145
77. Filij Ephraim intendentes,& mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. 90
111. Jucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio. 89. 92
118. Adiutor meus & ſuſceptor meus es tu,& in verbum tuum ſuperſperaui. 27
Lucerna pedibus meis verbum tuum,& lumen ſemitis meis. 44
124. Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. 240
138. Perfecto odio oderam illos. 57
145. Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus, &c. 266

Index Scripturarum.

Prouerb. 5. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui deriuentur foras. 140
9. Relinquite infantiam, & viuite. 20
11. Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit ventos. 209
15. Os fatuorum ebullit ſtultitiam. 267
19. Pigredo immittet ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. 130
Eccleſ. 10. Cor ſapientis in dextera eius : cor ſtulti in ſiniſtra illius. 243
12. Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam, & reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, &c. 201
Cant. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, &c. 49
8. Valida eſt ſicut mors dilectio. 49
Eccli. 2. Væ duplici corde, & peccatori ingredienti duabus vijs. 54
3. Qui diligit Dominum, exorabit Dominum pro peccatis, & continebit ſe ab illis. 270
Quoniam magna eſt potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur. 119
4. Non exaſperes pauperem in inopia ſua: cor inopis ne afflixeris: declina pauperi aurem tuam ſine triſtitia, & redde debitum tuum, & redde illi pacificè in manſuetudine. 140
6. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus. 191
7. Ne preces in multitudine ciuitatis, nec immittas te in populum. 197
Non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum. 111
27. Quaſi in percuſſura cribri remanebit puluis, &c. 132
31. Beatus vir qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. 67
Quis eſt hic & laudabimus eum? 169
34. Vir pauper, calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames. 14
40. In vita ſua proiecit intima ſua. 18
Eſaiæ 1. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. 199
5. Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plaſtri peccatum. 90. 118.
6. Ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. 203
9. Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinas vorabit, & ſuccendetur in denſitatem ſaltus, &c. 226
10. In illa die auferetur iugum tuum, & computreſcet iugum à facie olei. 78
11. Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas : & delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli manum ſuam mittet. 244
42. Tacui, ſilui, patiens fui: ſicut parturiens loquar. 270
Calamum quaſſatum non confringet, & linum fumigans non exſtinguet. 34
55. Omnes, ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite, emite abſque argento. 213
57. Redundant fluctus eius in conculcationem. 193
Ierem. 2. Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam : filij quoque Mempheos & Taphneos conſtupr auerunt te vſque ad verticem. Nunquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam? 102
8. Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. 183
11. Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? 99
Ezech. 5. Sume gladium acutum, & capillos tibi rade, & aſſumes ſtateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis, tertiam gladio concides, tertiam verò aliam diſperges in ventum. 119
29. Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluuiorum tuorum & dicis: Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum. Et ponam frenum in maxillis tuis, &c. 239
31. Aquæ nutrierunt illum, & abyſſus exaltauit illum. 213
46. Princeps erit in medio aliorum, cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur. 208.

Oseæ 6. Propter hoc dolaui in Prophetis meis 203
7. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente* 216
9. *Profundè peccauerunt sicut in diebus Gabaa* 130
10. *Ephraim vitula docta diligere trituram* 118
12. *Canaan, in manu eius statera dolosa* 219
14. *Assur non saluabit nos: super equum non ascendemus; nec dicemus vltrà, dij nostri opera manuum nostrarum* 146
Reddemus vitulos labiorum nostrorum 111
Amos 5. Qui conuertitis in absynthium iudicium 217
Mich. 2. In luce matutina faciunt illud 209
6. *Vt cognosceres iustitiam Domini* 275
Abacuc 1. Immolabit sagenæ, & sacrificabit reti suo 176
Sophon. 3. Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam, ad Deum non appropinquauit. Principes eius quasi leones rugientes, &c. 220
Zach. 12. In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem: & erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid, & sicut Angelus Domini in conspectu eius 237
14. *In die illa erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari* *ibid.*
Matth. 5. Qui irascitur fratri suo sine causa 50
Reus est iudicio *ibid.*
Diligite inimicos vestros 51
Qui dixerit fratri suo, fatue 53
6. *Ne soliciti sitis animę vestræ quid manducetis* 206
Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis 177
7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur* 80
Noli tuba canere ante te 104
9. *Tetigit fimbriam vestimenti eius* 239
16. *Generatio mala & adultera signum quærit* 302
18. *Iussit eũ dominus eius venundari, & vxorẽ, & liberos, & omnia quæ habebat, & reddi* 211
Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli 201
22. *Hoc est maximum mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* 136. & seqq. 187
Et proximum tuum sicut teipsum 90. 137
Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos 213
Ligatis manibus & pedibus eius, &c. 221. 222
Ibi erit fletus & stridor dentium *ibid.*
24. *Et tunc plangent omnes tribus terræ* 264
25. *Ite maledicti in ignem æternum* 270
Lucæ 6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum 7
Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui 15. 16
9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei* 152
15. *Vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* 85
17. *Venient dies, quando desiderabitis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis* 98
21. *Qui sedent super faciem terræ.* 119
Ioan. 7. Nolite iudicare secundum faciem 3
Act. 1. In omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus 177
20. *Beatius est dare quàm accipere* 200
Ro. 9. Optabã anathema esse à Christo pro fratrib. meis, qui sunt cognati mei secundũ carnẽ 118
Quia non ex fide, sed quasi ex operibus 157
10. *Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, Legi Dei non sunt subiecti* 133
Finis Legis Christus ad iustitiam omni credenti 133

12. *Necessitatibus sanctorum communicantes* 202
13. *Qui diligit proximum, legem impleuit* 196
Induimini Dominum nostrum Iesum Christum 127
14. *Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum* 5
1.Cor.6. *Fugite fornicationem* 20.24
7. *Qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtentes* 21
13. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* vsque ad illud: *Charitas nunquam excidit* 110
14. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* 5
2.Cor.5. *Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus* 257
7. *Hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam* 109
10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed spiritualia* 221
Ephes.2. Deus qui dives est in misericordia 257
Philip.1. Qui incepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Iesu Christi 152
2. *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium, si qua societas Spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum* 120
Colos.3. Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ 160
1.*Thess.4. Non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem* 138
1.*Tim.1. Finis præcepti charitas* 167.200
6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum* 132
2.*Tim.2. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus* 213
Heb.3. Videte ne forte sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis 223
6. *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem* 99.100
9. *Agnus occisus ab origine mundi* 212
12. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat* 239
Iacob 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus 201
4. *Qui iudicat fratrem, iudicat legem* 5
1.*Ioan.2. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est* 144
3. *Si cor nostrum nos non reprehendat, &c.* 218
Apoc.1. Plangent se super eum omnes tribus terræ 221
3. *Vtinam esses aut frigidus, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* 108
9. *Potestas equorum in ore, & in caudis eorum erat* 219

INDEX

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DIVINA illa Apostoli ad Romanos verba, *Non erubesco Euangelium: virtus enim Dei est, in salutem omni credenti*, si quantam in se vim habent, tantam in Christianis pectoribus ἐνέργειαν & efficaciam haberent; si quantum sonant, tantum intelligerentur; si quantum docent tantum caperentur: nec sub titulo doctrinæ Euangelicæ, qui se hodie Euangelicos vocant, & hæretici sunt, carnis causam agerent, nec alioqui Catholici & Orthodoxi, ab Euangelica doctrina sic vita & moribus discreparent. Nam hæretici quidem sic Euangelium esse Dei virtutem ad salutem omni credenti existimant & docent, vt per dulcissimas gratiæ & remissionis peccatorum promissiones in Euangelio comprehensas & prædicatas, fidéque speciali vnicuique applicatas, se omnem salutem certò & infallibiliter consequi, errore grauissimo, sibi persuadeant. Sic enim aiunt Euangelium esse virtutem Dei, id est, Deum per Euangelium prædicatum operari in cordibus credentium omnem salutem: ita quidem, vt qui audit per Euangelii prædicationem Filium Dei pro humano genere incarnatum, & acerbissimè passum, redemptionem nostram operatum esse, *factum esse propitiatorem pro peccatis nostris, factum esse nobis iustitiam, sanctificationem, redemptionem*, & hæc audiens credit, fidéque has promissiones apprehendit, ille per hanc suam fidem indubitanter saluus fiat. In hunc finem Euangelium illi toto anno per certas partes, in Dominicis maximè diebus (Festorum enim nec eadem apud illos omnes, nec magna ratio habetur) legunt & exponunt. Hic apud illos totius Euangelicæ prædicationis finis est. Catholici vero & orthodoxi Euangelium alia quidem fide audiunt, & ad salutem in Christo consequendam non gratiæ tantùm promissiones, quas Euangelium adfert, sed & præcepta bene viuendi, quæ Christus in Euangelio passim tradit, necessario pertinere, certissimè credunt; quæ tamen illa vitæ ac morum præcepta sunt, quæ Euangelium tradit; quanta illorum vis, qui modus, quæ ratio, quæ & quanta sit vitæ Christianæ iuxta Euangelium instituendæ innocentia, sanctimonia, perfectio, plerique, proh dolor! aut ignorant, & in sua ignorantia pereunt, (*qui enim ignorat, ignorabitur*) aut parum aduertunt, minusque opere præstant: & per hoc *scientes voluntatem Domini, & non facientes illam, multis plagis vapulabunt*. Atqui Apostolus Paulus tam contra fiduciarios hæreticos & Euangelii corruptores, quam contra molles & ignauos Catholicos, vitæ Euangelicæ desertores, disertè profitetur *Non erubesco Euangelium: virtus enim Dei est, ad salutem omni credenti*. Scripsit hoc ad Romanos: qui populus, *vt omnibus tunc pene dominabatur gentibus, sic omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi assumpsisse videbatur religionem, quia nullam respuerat falsitatem*: qui etiam sub imperatore tunc flagitiosissimo Nerone, in summa fortuna, summa vitæ licentia perfruebantur, non secus omni vitiorum genere contaminati, quam innumeris erroribus seducti. Ait igitur, & quidem sermonis sui exordium hoc facit: *Non erubesco Euangelium*,

Rom. 1.

Rom. 3. 1. Cor. 1.

2. Cor. 14.

Luc. 12.

Leo sermo. 1. Nat. Apo. Petri & Pauli

Euangelicæ prædicationis non me pudet. Non erubesco prædicare Christũ Iesum, & hunc crucifixum. Non erubesco doctrinam Euang. mortificatione plenã, doctrinam
1.Cor.1. Crucis. *Iudæi quidem signa petunt, & Græci sapientiam quærunt*: vos Romani vtrunque desideratis, quia & incredulitate Iudæos, & fastu Græcos facilè adæquatis. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum*, potentem aliquem Messiam & thaumaturgon expectantibus, *Gentibus autem stultitiam*, doctrinam subtilem & elegantem, politicam atque placentem desiderantibus, *ipsis autem vocatis*, (id est, credentibus) *Iudæis atque Græcis, Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Est enim Euang. vtcunque de
Euang. quo modo virtus Dei ad salutem. Christo crucifixo, quem imitari, cui conformari, post quem crucem suã vnumquemque tollere necesse est, *virtus Dei ad salutem*, id est, potẽter & diuinè salutifera *omni credenti*,
Rom.1. est doctrina salutem æternam adferens. Ea complectitur Euang. prædicatio, per quæ opere completa, Deus salutem nostram, quotquot credimus, operatur. *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem*. Iustitia & totius vitæ rectitudo, nõ humana, non qualem Numa, Lycurgus, Solon, Socrates, Plato, aut vlla seu lex, seu sapiẽtia humana tradidit, sed diuina: *Iustitia Dei*, quæ ex Deo est, quam Deus docet, & suæ gratiæ adiutorio in cordibus operatur, in hoc Euang. in hac Euangelica doctrina reuelatur, perspicuè & manifestè proponitur: *ex fide* tamen, id est, illis quorum *corda fides purificauit*;
Act.15. non simpliciter credente quod audit, sed studiosè exequente quod credit, & de virtute in virtutem ambulante. Hoc est enim, *ex fide in fidem*, ex fide incipientium, in fidem
In com. ibi. proficientium, vt exponit Chrysost. Est ergo *Euangelium virtus Dei, ad salutem omni credenti*: non quia solum credendo saluamur, nec quia salutis nuncium tantum credentibus adfert: sed quia *Iustitia Dei*, tota vitæ innocentia, integritas, rectitudo, quã Deus à nobis credẽtibus postulat, quam Deus per filium suum nobis patefieri voluit, quam Dei gratia per Spiritum eius nobis datum, in nobis operatur, in hoc Euang. nobis reuelatur & manifestatur vt nullus iam excusationi locus relinquatur: nullus sanè, vel ignorantię quid Deus fieri velit, vel infirmitati, vt id fiat quod Deus fieri voluit.

Euang. impijs irã adfert. Rom.1. Quid, quòd in Euangelio iustitia Dei, iustitia bonorum operum, ex Dei adiuuante gratia sic reuelatur, vt hanc iustitiam qui negligunt, sempiternas illis pœnas Euang. comminetur? Ideo statim subiũxit Apostolus: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo* (haud dubiè in ipso Euangelio) *super omnem impietatem & iniustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, id est verum cognoscentes, & virtutis ac iustitiæ viam profitentes, per impietatẽ & iniustitiam quã exercent, veritatẽ mendacii arguũt, & arguẽdo detinent atq; impediũt, ne liberè à quibusuis exerceatur. Qui.n. Euang. profitentur, totius virtutis ac pietatis magistrum, nec iuxta Euãg. vitã instituunt, perinde
Matt.22. faciũt ac si aliter sentirent quã dicerent, ideoque quantũ alios verbo hortantur, tantũ toto vitæ instituto deterrent. In hos iram de cœlo Euang. reuelat. A non ira de cœlo est? *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*, quod ei dictum est, qui in
Mat.25. nuptiis Filiis Dei discubuit, non habens vestem nuptialem, primæ charitatis stolam.
Mat.18. A non ira Dei de cœlo est, *Seruum inutilem eĳcite in tenebras exteriores*: quod ei dictum est, qui donis gratiæ, fide, charitate, scientia, ad suum & aliorum profectum vsus non
Luc.14. est? Annõ ira Dei de cœlo est: *Tradidit eum tortoribus, quoad redderet vniuersum debitum*: quod ei dictum est, qui legem charitatis fraternæ, post acceptam peccatorum remissionem, violare ausus est? Annon ira Dei de cœlo est: *Amen dico vobis, nemo illorum virorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*: quod de illis dictum est, qui partim ambitione, partim auaritia, partim carnis cura præpediti, doctrinæ Euang. institutum non amplectuntur? Sic ergo Euangelium quod Apostoli prędicarunt, nobis est *virtus Dei ad salutem*, est potenter & mirabiliter ex Dei gratia salutiferum, si iustitiam Dei in eo reuelatam studiosè tenemus, & iram de cœlo in eo patefactam (omnem impietatem contra Deum, & omnem iustitiam contra proximum abdicando) religiosè & piè cauemus. Hoc totum nos docet Euangelium Redemptoris nostri Iesu Christi. Docet quid ad salutem amplecti, quid fugere oporteat. Docet quæ virtuti præmia, quæ sceleri & maleficio pœnæ debeantur. Docet vitæ rationem & institutum non molle,

otiosum,

otioſum,contaminatum,ſed aſperum,operoſum, magnáq; puritate plenum. Docet denique id totum,propter quod *apparuerit omnibus hominibus gratia Saluatoris noſtri, Dei*,videlicet,*vt abnegantes omnem impietatem,& ſecularia deſideria,ſobriè,iuſtè,& piè viuamus in hoc ſeculo,expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Tit.2.

Euangelium ſanè hoc docet,ſed ſuccinctè,breuiter, quaſique in ſuis principiis & fontibus. Quicquid enim tota reliqua Scriptura ſeu legalis,ſeu prophetica, ſeu hagiographa,& propriè moralis,ſeu Apoſtolica,vel in figuris & myſteriis,vel in plenis concionibus,vel in præceptis & inſtitutis moralibus, vel in diuinis exhortationibus latius complectitur, hoc totum in Chriſti Saluatoris noſtri doctrina (*in quo omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ reconditi erant*) tanquam in fontibus & principiis ſuis continetur. Ille enim *quæcumque audiuit à Patre ſuo,nota fecit nobis.* Ille paucis verbis multa loquutus eſt. Breues conciones,parabolas ſuccinctas, tot præcepta quot ſententias, ſed infinita ſapientia plenas,tradidit. Hoc vt in toto paſſim Euangelio fit,ita maximè in illis Euangelii partibus,quas vt ad noſtrum vſum maximè accommodatas, Eccleſia & ſponſa Chriſti conſiliorum eius maximè conſcia, per ſingulas Dominicas, & præcipua Chriſti ac Sanctorum feſta,populo prælegendas ſelegit. Coloſſ.2. Ioan.15.

Ego igitur ſcopo & fine Euangelii,quem ex Apoſtolo iam explicui,mihi ante oculos poſito,& altiùs conſiderato, peccati quoque regno (quod nunc non ſecus apud credentes,quam apud incredulos obtinet) perſpecto, operæpretium me facturũ putaui,remque & Deo meo,cui deſeruio,gratam,& tum multis aliis,tum mihi ipſi valde ſalutarem,ſi in ſingulis per annum Euangeliis loca moralia,quæ propriè ad pietatem & virtutem faciunt,quæ propriè docent *iuſtitiam Dei ex fide,& iram de cælo reuelant*,quæ propriè *erudiunt omnem impietatem & ſecularia deſideria abnegare,piéque,iuſtè, ac ſobriè viuere*,annotarem,iuxta illos Euangelii textus & particulas,quæ propriè ad mores facere videbantur. Nec annotarem modò,(quod ipſum per ſe non eſt nullũ Concionatorì adiumentum) ſed qua potui diligentia,varia ſuppellectile vndequaq; conquiſita,locupletarem. Primum quidem diſperſos illos per reliquam ſacrã Scripturam riuulos ad hos fontes Euangelicos reducendo,& locorum membra ſuis capitibus atque principiis adaptando:ſiue per veterum legalium typum aliquem, aut allegoriam, ſiue per Propheticas conciones,ſiue per Hagiographorum ſententias morales, ſiue per hiſtoriæ veteris exempla,ſiue deniq; per Apoſtolicas exhortationes,locus Euangelicus annotatus illuſtrari & confirmari poſſet. Quo ſanè toto in genere,vt primam, ita maximam operam impendimus. His adiunximus SS. Patrum non ſimplices aſſertiones (quæ in doctrina purè morali non mihi tantum pondus habere ſunt viſæ (ſed vel expoſitiones loci Euangelici,vel tractationes neruoſas,in quibus aut exemplum, aut argumentum,aut collatio,aut typus,aut allegoria contineretur. Nec his contentus,corraſi vndecunque potui,ad ſingula loca illuſtranda, Similia ex rerum naturis petita,eáque appoſitiſſima & maximè genuina. His addidi,quantum vel inuenire, vel meminiſſe valui, varia Sanctorum exempla eáque non niſi ex probatis & authenticis authoribus deſumpta quos ſemper ad marginem noto. Ex prophanis denique authoribus tum Exempla,tum Apophthegmata ſtudioſè collegi. Illa enim ſi nũc nos non confundunt, in extremo iudicio condemnabunt;ſicuti de publicanis, & meretricibus,& Niniuitis,Iudæorum reſpectu, Chriſtus in Euangelio dicit. *Operis ratio.* *Operis intentio.* *Mat.11. Lucæ 11. Similium collectio.*

Porrò in Similibus & Exemplis vndequaque colligendis tanto diligentior fui, quanto mihi perſuaſi magis, vix quicquã eſſe ad permouendos auditores his duobus aptius & accommodatius. Quod enim apud doctos facit demonſtratio & argumentatio ex neceſſariis concludens, hoc apud populum facit appoſita ſimilitudo ex rerum naturis & vulgari vſu petita. Sicut autem doctrina per præcepta eſt via longa & difficilis;ſic via breuis & efficax eſt quæ per exempla traditur. Et nihil magis intellectum conuincit, remque ad oculum perſpicuam facit, quàm quum quod ſuadere voles, in re ſimili, eáque vulgari, aut in exemplis aliorum ſic ſe habere

demonſtras. Scriptores autem & collectores Similitudinum hac ætate plurimi fuerunt. Quorum primi eas diſtribuerunt ſecundùm authores diuerſos, ex quibus ea collegerunt, vt Lycoſthenes & Eraſmus, nulla loci aut argumenti habita ratione, & hi collectores omnium minimè vtiles fuerunt. Alii ordinem rerum, vnde Similitudines ſumuntur, ſequebantur; idque dupliciter: vel res ipſas iuxta naturas ſuas in claſſes diſtribuendo, poſteaque illis moralem Similitudinem ſubnectendo, vt fecit frater Petrus Berchorius in ſuo *Reductorio morali*, & Pierius Valerianus in ſuis Hieroglyphicis; quę etiam tradendi ratio parum vtilis fuit, quia iuuentuti difficilis: vel materias ipſas morales ordine quidem alphabetico, ſed iuxta rerum quoque ſingulas claſſes diſponendo, vt fecit copiosè Ioannes à ſancto Geminiano in ſua *Summa de exemplis ac ſimilitudinibus rerum*. Cui ſimile, ſed multo inferiùs: multóque ſteriliùs opuſculum ſcripſit Otho. VVerdmillerus, à Geſnero editum; cui titulum dedit, *Similitudinum ab omni animalium genere, lib. 6.* & horum labor cæteris multo vtilior fuit. Alii tamen magis ad rem accedentes, ordinem locorum ſequuti ſunt, vt primum *Alardus*: ſed multo poſt vberiùs *Ioannes Dadræus*, qui tamen vterque non niſi ex Patribus, aut authoribus Chriſtianis, ſua Similia decerpſerunt. Porrò magnam Similium copiam, etiam iuxta locorum ordinem, ex Seneca & Plutarcho conſarcinauit *Ludouicus Granatenſis*, vir de pietate & morali doctrina optimè hoc ſeculo meritus, in ſuis *Collectaneis philoſophiæ moralis*, & in Sylua; quę tamen Collectanea, non Similia ſeorſim poſita, ſed integros illorum authorum textus atque diſcurſus Similibus paſſim refertos, tradunt. Fuerunt denique hoc tempore qui tam Concionibus, quam aliis de re Theologica ſcriptis, Similia elegantiſſima magno ſtudio inſperſerunt. Quo ſanè in genere, etſi Ludouicus Granatenſis in ſuis Concionibus, aliiſque opuſculis planè diuinis, magnam copiam ſuppeditauit (quanquam vt multa ſcripſit, ita eadem Similia multis in locis iterum atque iterum repetiit) tamen meo iudicio palmam hactenus tulit Philippus Diez in ſuis concionibus, eíque proximus accedit Didacus Stella in ſuis in D. Lucam Commentariis longè doctrina morali inſtructiſſimis: atque in libello ſuo aureo, De contemptu mundi. Hector quoque Pintus, ſcriptor eruditus, elegans admodum & pius, in commentariis in Eſaiam, Ezechielem, Danielem, Amos, & Threnos: ſed potiſſimùm in Ezechielem: atque item in Dialogis ſuis. De imagine vitæ humanæ, qui ex Luſitano idiomate in Gallicum verſi ſunt, Similia habet exquiſitiſſima. Sed & D. Bonauentura in ſua *Dieta ſalutis*, tum multa, tum egregia protulit ad mores Similia. Nos ex his omnibus, & ex ipſis SS. Patribus, maximè D. Chryſoſtomo, & D. Baſilio, Similia vndequaque collecta, nec niſi magis ſelecta, propria, & ingenua, ſuis quæque locis, iuxta omnia per annum Euangelia repoſuimus: vt ita quæ ad eandem rem pertinent ſimul poſita, in vſum vnicuique parata, quaſique in proxima potentia ad actum eſſent.

Lycoſthenes. *Berchorius* *Pierius Valerian.* *Ioan. à S. Geminiano* *VVerd.* *Alardus.* *Dadræus.* *Lud. Granatenſis.* *Philip. Diez.* *Didac. Stella.* *Hector Pintus.* *S. Bonau.*

Exemplorũ collectio

Exempla ſacra, primum S. ipſæ Scripturæ, tum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii, Theodoreti, Socratis, Sozomeni, Euagrii, Zonaræ, Nicetæ, Nicephori Gregoræ, Nicephori Calliſtę, Pauli Diaconi, Vitæ Sanctorum in ſeptem tomis Laurentii Surii, Pratum Spirituale liber egregius & authenticus, vt pote in Concilio Niceno 2. citatus. Caſſianus, & interdum M. Marulus, ſuppeditarunt. Exempla prophana & apophthegmata, Plutarchi vitæ, eiuſque Moralia, Senecę opera, decem illi authores qui imperatorum vitas ſcripſerunt, quos in vnum volumen ante annos 40. Robertus Stephanus redactos, elegantibus typis edidit, Ammianus Marcellinus, Diogenes Laërtius de vitis Philoſophorum, Ælianus de varia hiſtoria, Valerius Maximus, ac poſtremò recentiores pauci, Baptiſta Fulgoſius, Domitius Bruſonius, Raphaël Volaterranus, ſubminiſtrarunt.

An. 1544. Pariſiis.

Operis vſus.

Sed in his omnibus tàm Exemplis quàm Similibus, eum modum ac rationem prudens concionator tenebit, vt nec omnia vnius Euangelii loca in vna cõcione tractet, ſed vnum atque alterum, aut ad ſummũ tria; nec quæ in vno quoque loco inueniet vberiùs interdum collecta, omnia proferat, aut quam plurima poſſit proferre con-

tendat;

tendat; ne odiosa multitudine auditores obruat; nec etiam quæuis & sine delectu accipiat, sed iuxta auditorum captum illis vtatur. Non enim idcirco in vnoquoque Euangelio varia annotauimus loca, & in quolibet vt plurimum loco (maximè quando recurrit, quod certè in plerisque accidit, nosque diligenter ad lectoris vsum in singulis annotauimus) tam multa & varia attulimus, vt in vna concione quanta fieri possit copia & multitudo proferretur (quo ego nihil arbitror fore vanius, nisi fortè in doctorum & magnorum virorum corona, qui solidioris & plurimi cibi capaciores sunt, & ex vno verbo multa capiunt, quia verbum sapienti sat est) sed vt cum delecta & iudicio assumpta, dexteréque & copiosè amplificata ac dilatata, pluribus formandis concionibus subseruiant. Satius enim fuerit, duo aut tria in vno aut altero loco Exempla, totidémque paulo plura Similia, cum certis S. Scripturarum sententiis (quæ copiosius afferri possunt) Patrúmque vno aut altero loco, egregiè explicare, dilatare, amplificare, premere, vrgere, suis omnibus circunstantiis exornare, penéque palpanda Auditori præbere (quod diuus Chrys. facere solet, eúmque imitatus Ludouicus Granatensis) quàm, veluti ad variæ lectionis & memoriæ ostentationem, multa concisè dicere, & multam quasi farraginem auditori deuorandam ingerere; quæ admirationem momentaneam excitet, sed affectum & cor non penetret. Nam neque cibus confertim ingestus nutrit, sed onerat, nec densa pluuia terram irrigat, sed inundat; nec aceruus, sed dispositio lapidum, ædificium facit. Denique non clauorum numerus asseri leuiter insertus, sed vnus aut alter clauus fortiter impactus, crebríque ictibus incussus, fabricæ compingendæ accommodatus est. Hæc dixerim, ne nostra qualiscunque copia illis ad superfluum luxum vertatur, quibus ad honestam & frugalem instructionem collecta fuit.

Non est autem opus, vt diuini verbi tractatores, patres ac fratres meos, ego omnium minimus, & peccator maximus, admoneam, quasique sus Mineruam doceam, aut hinnulus leonem ad prædas capiendas informem: illud in primis & ante omnia vt curent, ne vita verbo dissentanea sit; ne quod aliorum humeris imponunt, ipsi digito nō attingant; ne, quod in templo verbo ædificant, domi suæ & quotidiana conuersatione destruant. Iam in hunc finē quædam huius argumenti loca in hoc Promptuario Dominicali, ex proposito, quoties textus aliquis Euangelicus occasionem dabat, tractaui; idque maximo, vt potui, cum apparatu. Dignentur tam illi, quàm omnes literati & docti, qui ferè communem cum illis in hac parte causam habent, ea loca percurrere. Fortè vel torporem, si quo laborant, excutere: vel currentibus calcar addere illa lectio poterit.

Concionatoris vitā verbo respondeat.

Domin. 2. Aduen. 3. Do. 2. post Pascha, tex. 2 & 3. Dom. 3. post Pent. tex. 1. 12. post Pent. tex. 2. 17. post Pent. tex. 1.

Ad loca porrò moralia eruenda, Christi Saluatoris non solum sententias & verba, sed & facta quoque ipsa adhibui: nec Christi modò, sed & eorum quibus Christus benefecit, facta & dicta locis moralibus eruendis seruierunt. Christi sanè, quia quum *imagini eius conformes nos fieri* oporteat, vt Paulus docet; *eiusque imitatores esse*, qualem se Paulus fuisse profitetur, & *qui in Christo manere se dicunt, debent, sicut ille ambulauit, & ipsi ambulare*, vt D. Ioannes monet: nec necessariò sequitur, quod omnis Christi actio, nostra est instructio. Aliorum verò, quia quorum facta & verba seu fidei, seu humilitatis, seu cuiuscunque alterius officii signa & argumenta Christus laudauit vel remunerauit, ad imitationem & formandos mores merito trahi debent: sicuti etiam si qua in aliis vituperauit, aut vituperatione digna aliquo signo ostendit, ea quoque ad vitii fugam documento nobis esse possunt. Et verò fortasse in quodlibet Euangelium loca moralia alius quispiam me oculatior, facilè deprehenderit; & annotata atque tractata fuisse optauerit. De hoc quidem non est dubium, quia plus vident oculi quam oculus: nec totam Scripturæ Euangelicæ fœcunditatem moralem ego me assecutum vllo modo profitebor. Sed parcior fui, quia nec vim literæ Euangelicæ facere volui, sed ea solum loca annotare, quę proprie & genuine ex ea quasi sponte promanarunt: nec à re proposita ad materias prorsus ab Euangelio præsenti alienas digredi: quod aliqui hac ætate fecerunt, & quidem non raro in suo (quem

Locorum fontes.

Rom. 9. Philip. 3. 1. Ioan. 2.

vocat) concionatorum Thesauro Thomas à Trugillo. Etsi enim nihil sanè pro concione importunè dicitur, quod piè & salubriter dicitur, tamen aliud est Euangelium diei ex professo tractare, & ex eius textu dicendi materiam haurire: aliud de re quauis ex alio quouis sacræ Scripturæ libro apud populum differere. Quod posterius qui facit, vt profectò piè eum & rectè facere nemo negauerit: ita hoc dum facit, Euangelium diei se populo explicare si profitetur, vanus & ridiculus fuerit.

Loca à Christo sæpius inculcata.

Iam verò, quum quædam sint loca moralia, quæ Christus Redemptor sæpius inculcauit, & vehementiùs docuit, ea nos frequentiùs tractare oportuit, ita accuratiùs & vberiùs tractari conati fuimus. Concionatores verò ea apud populum frequentius proponere, iisque diutius immorari par erit. Ea loca sunt: Dilectio Dei & proximi, cum operibus misericordiæ: humilitas, & contra superbiam: Contemptus mundi, & contra auaritiam. Fiducia in Deum, & contra diffidentiam; ac postremo, de tolerandis malis. Quæ sane loca ter quatérve aut quinquies vt minimum, aliqua verò decies, alia sæpiùs tractata & explicata sunt.

Operis mediocritas.

Nemo tamen existimet, siue in illis, siue in aliis (etsi multas paginas in quibusdam locis consumpsimus, planéque larga manu sparsimus) etiam à nobis rerum copiam suppeditatam hîc esse, vt de suo quisq; addere, vel facilè nequeat, vel superuacaneum iudicet: imò verò nos nostram infantiam & tenuitatem prodidimus. Et quæ ad mores ac pietatem faciunt, in Sacra pagina, & apud SS. Doctores sine numero sunt. Sed animus fuit quod penes nos erat in commune conferre. Id Deo, id cuiuis pio & candido Lectori gratum fore arbitror. Nemo tamen propter hæc nostra, omni aut disponendi sua aut quærendi plura, labore liberatum se opinetur. Poterit enim quisque, tum à se iam ad mores collecta, his in locis, quasi in propriis cellulis, reponere: tum quæ postea priuata lectione & obseruatione inuenturus est, ad hæc loca referre, & suum in dies Promptuarium augere. Non diffitebor, Concionum Philippi Diez quadruplicium, aut certè duplicium Thesauri Thomæ à Trugillo, (quamquam omnium ille pauciſſima dedit) commentariorum quoque Didaci Stellæ (ex quo vno Thomas à Trugillo optimam suarum collectionum partem accepit, nunquam ferè nominato authore) & Pauli à Palatio in Euangelia ex D. Luca & D. Matthęo desumpta, quasi medullam & substantiam vniuersam hic contineri. Nam Granatęsem non nisi in decem postremis post Pentecosten Dominicis inspexi; exceptis Similibus, quę ex omnibus eius concionibus mihi olim collegeram. Sanè ex vno Philippo Diez, & Stellæ commentariis in Lucam, plura deprompsimus, quàm ex omnibus simul aliis.

Similium authores cur aliquãdo prætermiſimus.

Similia à nobis collecta, rarò certò authori tribuimus, nisi fortè ex SS. Patribus desumpta: primum quia eadem apud diuersos authores inueniuntur, vt quis propriè author & inuentor fuerit, deprehendere nequiuerim: deinde, quia parum interest quis ex modernis author dicatur, quum dubitari vix debeat, ex priscis authoribus (vt ego in multis aduerti) ea fuisse desumpta: postremò, ac maximè, quia omnino admodum non refert quis eorum author fuerit scire. Similitudo enim authoritate minimè eget: sed seipsam commendat, si apta est; commendari ab authore non debet, si inepta est. Satis est, à me omnia collecta, nulla inuenta fuisse. Alias huius Operis rationes in ipso proœmio videre licet.

Ac decreueram sanè omnia Euangelia, tam in Dominicis quàm in Festis Christi & Sanctorum legi solita, quod ad loca moralia, vno tractu explicare, quemadmodum in Promptuario Catholico, quoad doctrinam hodie controuersam, feci: sed quia hæc explicatio locorum circa solas dominicas ad opus exspectatione maius excreuit, & nostram curtam suppellectilem vehementer exhausit: sed & hic loca moralia complura tractata haud dubiè sunt, quæ in Euangeliis Festorum vsui esse possunt: propterea has partes Dominicales in lucem dare satis esse duxi; reliquam operis intentionem in aliud tempus reiiciens, vbi illud Deus dabit.

Operis vtilitas.

Illud vnum addam, etsi Concionatorum instructioni hoc opus potissimum nostrá-

qu

que intentio ſubſeruiant: tamen id nunc tale eſſe perſpicio, vt cuiuis Chriſtiano Lectori vberrimum fructum adferre, & in primis ſalutaris eſſe eius lectio poſſit; ſiue ad peccati cuiuſcunque fugam & cautelam, ſiue ad quamlibet ferè virtutem capeſſendam, ſiue ad Dei amorem, mundique contemptum animo inſtillandum, aut etiam roborandum: ſine quibus ſaluus fit nemo. Doctos verò, & politioris literaturæ amantes, huius Operis varietas in hoc genere maxima plurimum oblectabit. Id vnum in toto opere quilibet lector inueniet, præter bonam materiam parum verborum eſſe. Quare quot hic virtutum & vitiorum loca tractantur, tot ſunt ad pietatem exhortationes, ne dicam conciones. Deum enixius precor, vt illum fructum hæc noſtra collectio adferat, quem ego vnicum in colligendo ſpectaui, Dei gloriam & proximorum ædificationem. Chriſtiane Lector, bene vale, & ex huius operis lectione ſi quis fortè virtutis ſtimulus, aut peccati horror, aut Dei amor, aut mundi contemptus, animo tuo ſolito altiùs inſederit, pro omni laboris noſtri mercede, me peccatorem tuis apud Deum piis precibus interdum iuua. *Oremus pro inuicem, vt ſaluemur.*

Duaci apud S. Amatum, 7. Septemb. 1589.

PROMPTVARIVM MORALE SVPER *Euangelia Dominicalia totius anni.*

PROOEMIVM.

Paris. apud Sonnium, 1589.

QVOD nuper, fauente & propitio Christo, ad reuincendos pro concione nostri temporis hæreticos, *Promptuarium Catholicum* super omnia totius anni Euangelia, tam de Dominicis, quàm de Festis Christi & Sanctorum eius in lucem emisi, in quoad veritatem orthodoxam vel stabiliendam vel defendendam, Concionatores verbi aliqua bona supellectile instruere conatus sum: fuit illud non mihi fortè adeò difficile & arduum: vel quia longa in hoc doctrinæ genere exercitatio mea, & controuersiarum professio plus quàm decennalis, tum ad inueniendum, tum ad disponendum quæ eò pertinebant omnia, magnam mihi facultatem adferre potuit, vel quia doctrina fidei etiam à quolibet Doctore, naturæ dotibus ac præsidiis ornato, satisque diligenti & industrio, facilè perspici & inueniri, commodè quoque tradi & doceri poterit. Nunc vero Opus aggredior (fauente & annuente Christo) non mihi tantùm multo difficilius, vt in hoc genere minùs exercitato (quum in scholastica palæstra, quam per omnem ferè ætatem triui, veritatis magis intelligendæ, quàm virtutis capessendæ causa agatur) verùm etiam per se omnino difficillimum & ad quod non tam naturæ quàm gratiæ & Spiritus diuini singularia præsidia requiruntur: vt ad mores formandos, ad pietatem animis auditorum instillandâ, ad virtutes inserendas, extirpanda vitia, Concionatorem verbi ex textu Euangelico similiter instruam, & egregiam illi atque selectam supellectilem submini-

Difficultas Operis.

strem. Animus nempe est & ad hoc iam dudum vehementer exarsi; adeoque in altero Promptuario concinnando, cogitare cœpi nausea quadam, & fastidio contra hæreticos semper rixandi mihi inter scribendum oborto) Promptuarium Morale super omnia totius anni Euangelia, tam Dominicalia quàm de Festis, ad instructionem Concionatorum, contra huius temporis, vel omnium potiùs temporum peccata emittere; & pietatem, atque omnes virtutes, maximè mundi contemptum, ac cœlestium rerum desiderium, fidelium animis instillare per huius Promptuarii supellectilem, sicuti per alterius ipsam fidem & sanam doctrinam corroborare volui. Sed hoc mihi Opus eò difficilius esse præsentio, & ante primas Operis lineas auctas fore auguror, quo ab ea pietate & animi puritate me longiùs abesse, heu, nimis verè agnosco, quę ad huiusmodi Opus perficiendum necessaria esse videtur. Etsi enim docere non vera tantùm, sed & bona homo improbus, & impuræ vitæ potest (vnde Pharisęos ipsos homines ita impuros, vt *sepulchris dealbatis* eos verè Christus comparauerit, ita nihilominus iussit audiri, vt ea quæ dicerent, *seruare & facere* suos doceret: *seruare quæ ad doctrinam*, *facere quæ ad mores pertinebant*) tamen sic bona docere, sic pietatem & solidas virtutes explicare, vt textus ipsius Euangelici loca singula perspicias, & perspecta ex aliis cognatis locis illustres, in quibus Spiritus sanctus vel talem virtutem docet, vel tale vitium taxat, & vtriusque aut media aut remedia suggerit, id est, vt fontes ipsos puritatis & pietatis vel inuenias ipse, vel ab aliis inuentos obserues, & cum delectu sequaris, ipsósque seu inuentos, seu delectos, in suos riuulos, & lata camporum spatia deducas, quasique in intimam cum Deo familiaritatem receptus, ipsa adyta recludas, & cellaria ac thesauros ipsos diuinæ sapientiæ aperias: istud profectò solis, vt puto, spiritualibus viris, & qui puro ac defecato pectore Deum colunt, saltem qui peccatum ipsi non secus quàm à facie colubri fugiunt, & veri virtutis amatores atque cultores sunt, concedi solet. Hoc autem nobis in hoc Opere propositum est, ipsa loca textus Euangelici diligenter notare, ex quibus vel ad virtu-

Matt. 23.

Authoris intentio.

tem

tem hortari, vel à vitio deterrere auditorem Concionator poterit: eadémque loca ex Scripturis ſanctis,ſanctorum Patrum documentis,rerum geſtarum exemplis,tam ſacris (veteris Inſtrumenti allegorias & typos conquirendo) quam etiam prophanis (hominum huius mundi ſapientum apophthegmata, ſapienter dicta aut facta conſectando) ac denique variis à rerum natura & conſuetudine petitis Similibus aut confirmare aut illuſtrare. Hæc enim omnia ad perſuadendum accommodata ſunt, magnamque vim habent. Vehementer igitur & merito formido,quoad primi generis ſupellectilem magis pretioſam,ne, vitam ipſe ſatis impuram & valde terrenam agens,ad hoc tantum opus perficiendum minimè omnium idoneus inueniar. Cæterum Dei miſericordia & Chriſti gratia fretus, quæ & meis criminibus, vti ſpero, ignoſcet,& meas tenebras ſua diuina luce colluſtrabit, tentabo interea quid humeri valeant,quid ferre recuſent. Dabit fortaſſe operari & perficere qui dedit velle. Quòd ſi deſiderio vires non reſpondeant,& voluntati non ſuccedat effectus,id ſaltem conſequar, vt nec bonas horas malè collocem,nec de abſcondito talento à Domino meo redarguar:& demum aliquam mihi atque aliis, etſi non quæ publicè ſufficiat,priuatam tamen ſupellectilem colligam. Non ſum autem neſcius, varias hac noſtra ætate & doctiſſimas Euangeliorum explicationes,& Conciones egregiè morales prodiiſſe quales ſunt Iſidori Clari, Ioannis Pipini, Ludouici Granatenſis, Philippi Diez, & aliorum quorundam. Sed aliud fuit horum inſtitutum, aliud noſtrum. Illi integras Conciones,quoad populum habuerunt, & in quibus tum doctrinæ capita, tum ea quæ ad mores tractabant, poſtea ſcripſerunt, veteres Patres imitati, quæ haud dubiè multa egregia ſupellectile Concionatorem iuuant. Sed ſingula textus Euangelici loca, vnde variam materiam ad mores pertinentem depromat Concionator,nec annotarunt illi, neque tractarunt:imo aliqua Euangelii particula pro themate propoſita, ſiue ad doctrinam, ſiue ad mores faceret, tum reliquas partes ſæpe non tractant, tum in aliam ſcripturam digreſſi, nihil interdum minus quàm Euangelium dici exponunt. Deinde eſt illa ſuper vnumquodque Euangelium vnica Concio, vel, vt habent aliqui, duplex,aut ad ſummum,& in quibuſdam tantum Euangeliis quadruplex. At Euangelici textus loca,quę quidem & ad mores faciunt (hoc enim maximè noſtra referre, & hanc partem maximè ad ſalutem facere cogitaui: poteſtque & debet hæc pars multum amplificari, vrgeri,dilatari, premi,& illuſtrari, cùm doctrinæ veritas paucis explicetur, niſi fortè in dubium vocata; cui parti in altero Promptuario ſatisfacere conati ſumus) ſic ego ſingula annotare,& annotata tractare propoſui,vt ex vna explicatione noſtra, ſuper quodlibet Euangelium plurimæ Conciones formari non difficulter queant. Rurſum illi quorum integræ Conciones exſtant, verbis ſæpenumero magis quam materia abundant, & amplificationem potius, certámque interdum diſpoſitionem,quàm inuentionem iuuant. At ego Concionatores: in diſpoſitione verò, atque ipſa amplificatione, ſuum quemque iudicium & agendi morem,quaſique genium ſequi debere. Satis enim ridiculum & abſurdum eſt,diuini verbi tractatorem: qui debet ex ſpiritu loqui, & pro re nata propria quadam actione vti, ſuo tempore & loco monere,hortari,docere, blandiri, terrere, fouere,pungere: totum ſuum ſermonem ex alienis verbis formare, in alieno ſemper veſtigio pedem ponere,quaſi magiſtri dictata repetere,& ad vocem alterius ſaltare. Quare nullum aut minimum illi fructum reportant, qui in Doctoris cathedra ſic ſemper diſcipulos agunt,vt aliena non tantum inuentione,ſed etiam diſpoſitione vtantur. Nam vt illud laudabile eſt,ac multis propemodum neceſſarium, certè tutiſſimum ſi bonos & probos Authores ſequuntur (nam ex ſolo ſpiritu, more Apoſtolico, concionari perpaucorum hodie eſt) ſic iſtud non indignum modo, verum etiam abſurdum valde,& quod totam concionem inſulſam & inſipidam atque inutilem reddat. Quare illi mihi multo & præſtantius & vberius de officio Eccleſiaſtæ mereri,& in publicum conſuluiſſe videntur,qui variam Concionatoribus ſupellectilem & materiam, eámque textui Euangelico appoſitam & accommodatam,

Sermonaris noſtri temporis.

ſuppeditarunt,vt non extra metas currat oratio, quam qui integras ſuas conciones hac ætate ediderunt.

Quo in genere bonam certè nauauit operam Ægidius Topiarius, qui iuxta Villa-vincentii tabulas,per omnia totius anni Euangelia atque Epiſtolas certa loca annotauit,in quibus quid à Concionatore tractari commodè poſſet,doceretur. Quem vt videtur,imitatus Thomas Beaux amis ſuper omnia quę per Quadrageſimam leguntur Euangelia, vberiùs id pręſtitit:in ſingulis docens quæ ad doctrinam, quæque ad mores facerent. Sed omnium copioſiſſimè id præſtare voluit Thomas à Trugillo, in ſuo quem vocat Theſauro concionatorum, vbi ad pleraque Euangelii loca, ex Scripturis & Patribus variam materiam coaceruat. Qui liber ſi ſuo titulo reſponderet,noſter certè hac in parte vel alterius cuiuſquã labor ſuperuacaneus fuiſſet. Cęterum ille nec ea ſemper loca annotauit,quæ nos annotanda duximus, nec circa loca ipſa ab eo annotata,obſeruauit,quæ nobis obſeruanda videntur,nec denique verba ipſa textus Euangelici tractat aut premit, ſenſuſque diuinos elicit (quod nos facere conati ſumus) ſed ex veteribus & nouis Scriptoribus multa ad verbum tranſtulit, & magnam dicendi materiam ſtudioſè collegit. Verùm quid propriè ex vnoquoque loco morali depromi ſalubriter queat, minimè ſibi quærendum propoſuit. Sed nec illum delectum ac iudicium in veteribus proferendis,ſacriſque Scripturis applicandis adhibuit,quin facilè plura ac meliora depromere volentibus locum reliquerit: & ſæpe admodum (id enim moneri lectorem expedit:vt alieno damno cautus fiat) ad Patres remittit, vbi vel nihil tale inuenias, vel quod parum ad rem faciat, vt in quàm multis aliena fide vſus fuiſſe videatur. Ego verò ea demum apud Chriſtianum auditorem maximam vim & pondus habitura ſemper iudicaui, tam ad doctrinam ſtabiliendam,quàm ad mores formandos, quæ ex ipſorum Chriſti verborum proprietate,circunſtantiis,vi,& energia, Chriſtum Dominum dicere ac docere voluiſſe, demonſtrari poſſet:ſiue id primario ac principaliter dicendum ſenſerit,quæ iuxta ſolemnem ſacrarum Scripturarum fœcunditatem,ex ipſo ſuo ſermone intelligi,& neceſſario conſequi voluerit.

Thomas Beauxamis

Thomas à Trugillo.

Operis intentio.

Hoc ergo nobis in hoc Promptuario Morali propoſitum eſt,in ſingulis per annum Euangeliis, tam de Dominicis quam de Feſtis,ſi vita, valetudo, & negotia cætera permittent, loca ſeu textus ſingulos obſeruare & annotare,vnde aliquid ad bonos mores,& pietatis ſtudium promouendum depromi documentum queat : moxque documentum inde depromptum, & locum inuentum, materia & ſupellectile morali, quantum poſſumus copioſa, ex aliis Scripturis ad eam rem facientibus, ex ſanctis Patribus, & optimis quibuſque Authoribus petita,locupletare:& Exemplis ac Similibus crebro exornare : non ſanè aut verbis ſuperfluis rem eandem dicendo, aut ſermone accurato quicquam amplificando;ſed res ipſas ſimpliciter proferendo, & accumulando (non tamen abſque certo ordine ac methodo, vbi partitio loci id feret) & materiam vberem ſubminiſtrando (in qua tamen delectum magis quam copiam affectauimus) planéque præter materiam nihil : quam poſtea Concionator quiſque,prout volet diſponet, exornabit, amplificabit, atque etiam locupletabit. Rem ergo nunc ipſam propitio Chriſto aggrediamur.

PROMPTVARII

MORALIS SVPER

B # EVANGELIA DOMINICALIA,

PARS HYEMALIS.

EVANGELIVM DOMINICÆ I.

Aduentus.

C ERVNT ſigna in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et dixit illis ſimilitudinem. Videte ficulneam & omnes arbores. Quum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas. Ita & vos, quum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt. *Luc. 21.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, &c.* De extremi iudicij terrore.

2. *His fieri incipientibus, reſpicite, &c. Scitote quoniam prope eſt regnum Dei.* Cur hora iudicij incerta.

3. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Certa & neceſſaria & aſſidua iudicij diuini expectatio.

A

I. *Erunt signa in Sole & Luna & Stellis: & in terris pressura gentium, prò confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.*

Iudicij extremi terror.

LOcus moralis de extremi iudicij terrore, quem vt semper ante oculos haberemus, Christus his verbis expressit. Quos enim Dei amor, cœlestium bonorum desiderium, virtutis studium à peccatis non auocant, illos extremi saltem iudicij tremendi expectatio deterrebit. Hoc igitur medium proponit Christus: Idcirco sermonem his verbis concluſit. *Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, &* Luc. 21. *stare ante Filium hominis*, & apud Matthæum: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester* Matth. 24. *venturus sit.*

Loci partitio.

Ad hunc locum explicandum tria tractari possunt. Primùm quantus est huius extremi iudicij terror. Secundò, quare nescitur dies eius. Tertiò, ad quid eius expectatio & memoria est vtilis, quæ omnia in hoc Euangelio insinuantur.

Prima pars Terror diuini iudicij Matth. 24. Ioel. 3. Aggæi 2.

Terrorem describit Dominus in verbis citatis, quia cœlum & terra patientur. *Signa in Sole* B *& Luna & Stellis* illa erunt, quod lumen omnia amittent. Sic Matthæus: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum*, quod & Ioël de hoc die prædixit: *Sol & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum.* In terris quoque & in mari repentinæ & horrendæ erunt mutationes, de quibus & Aggæus. *Ego commouebo cœlum & terram, mare, & aridum.* Hæc ideo fient, vt terreantur peccatores: *arescent homines præ timore*: & vt Iudicis irascentis aduentus terribilis significetur, de quo Dauid: *Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius: Ignis ante ipsum* Psal. 96. *præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, id est, peccatores. Docent hæc Christi verba quòd omnia tunc elementa, ipsaque corpora cœlestia tum in seipsis dira patientur ad terrorem impiorum, tum in ipsos quoque impios agent, varios illis cruciatus, non animi tantum, sed & corporis inferendo: iuxta illud Sapientiæ: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad* Sapient. 5. *vltionem inimicorum. Acuet diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Huius diei terrorem omnes Prophetæ diligenter prædixerunt, quia eius præscientia, & recordatio in omni semper ætate, statu, ac tempore fidelium necessaria est. De hoc die Esaias: *Ecce* Esa. 13. *dies Domini veniet crudelis & indignatione plenus, & iræ furorisque, ad ponendum terram in solicitudinem, & peccatores conterrendos in ea.* De hoc die Ezechiel: *Finis venit, venit finis, euigilauit aduer-* Ezech. 7. *sum te: ecce venit. Immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor, sed vias tuas ponam super te, &* C *scies, quia ego Dominus percutiens.* Vrgendum & premendum hoc insolens Dei Epitheton. Qui enim solet semper alioqui *misericors & miserator Dominus, bonus & benignus, & faciens misericordias* Exod. 20. *super millia* nuncupari: hodie erit *Dominus percutiens.* Sic de hoc die Dauid: *Cognoscetur Domi-* Psal. 85. *nus iudicia faciens. In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Et iterum: *Dominus ma-* 10. 2. 110. *nifeste veniet, Deus noster, & non silebit. In conspectu eius exardescet ignis, & in circuitu eius tem-* 111. 144. *pestas valida. Aduocauit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.* Denique huius diei Psal. 6. terror quantus sit, graphicè describit Sophonias: *Dies illa, dies iræ, dies tribulationis, & angu-* Psal. 46. *stiæ, calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris su-* Sophon. 1. *per ciuitates munitas, & super Angelos excelsos*, id est, superbos peccatores terræ. Quibus omni- Roman. 2. bus Prophetis conformiter Apostolus contra impœnitentes impios proclamat: *Tu secundùm impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Diem iræ vocat, quia dies misericordiæ præteriit.

Duplex Christi aduentus. Esaiæ 11. *Allegoria.*

Hic est secundus CHRISTI aduentus, non iam humilis, mansuetus, misericors, sed in maiestate sua terribilis, iracundus. Primò venerat vt noster, vt *paruulus qui datus est nobis*, pro nobis iudicandus. Secundò veniet vt suus, *in maiestate sua*, iudicaturus orbem. In primo aduentu tanquam paruulus Dauid contra Goliath inermis pugnauit, Diabolum in infirmitate vicit. In secundo contra ingratum Nabal, armatus Dauid, & iratus descendit, di- D 1. Reg. 25. cens: *Verè frustra seruaui omnia quæ huius erant in deserto*, verè frustra tot humano generi beneficia contuli, tot misericordias feci, carnem pro hominibus assumpsi, mortem pertuli, viua voce docui, Apostolos misi, Spiritum Sanctum dedi, Sacramenta gratiæ reliqui, toties peccantibus peperci, tot & iã naturę & terræ bona impartiui: *& non periit quicquam* (quantum in me erat) *de cunctis quæ ad hominem pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono.* Ingrati & stulti homines, huic Nabal stulto similes, meis acceptis beneficijs, Diabolo tamen & carni seruierunt, nec missis à me pueris, pauperibus, & minimis meis, pauxillum panis esurientibus dare, aut nudos eos vestire, aut in carcere positos visitare voluerunt. *Hæc faciat Dominus inimicus Da-* Psal. 74. *uid, & hoc addat, si reliquero de omnibus quæ ad eum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem.* Talis est secundus Christi aduentus. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Liquefacta est terra,*

&

A *& omnes qui habitant in ea. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Nulla hic occurret irato Dauidi Abigail, quæ pro Nabal intercedat. Nullus in die iudicij interceſſionis locus: quod ex Scripturis pulchrè oſtendit Chryſoſt. *Vide* (inquit) *non indutum veſte nuptiali exſponſali domo expulſum,& neminem pro illo intercedentem. Vide talentum habentem creditum, & non negotiatum, & quomodo pro illo intercedit nemo. Reſpice mihi quinque virgines excluſas,& æquales pro ipſis non deprecatas.* Eſt ergo huius diei terror inexplicabilis, vbi veniet Iudex inexorabilis. *Heb.10. Iudex inexorabilis. Hom.22. ad pop. Antioch.*

Qui noluit in hac vita videre virgam vigilantem, & temporali Dei caſtigatione, vel voluntaria corrigi, videbit in extremo iudicio ollam ſuccenſam, vt ex viſione Ieremiæ notauit Chryſoſt. loco citato: vidit enim Propheta primùm *virgam vigilantem*, poſtea *ollam ſuccenſam.* qui noluit amplecti manus Filij Dei in cruce expenſas pro nobis mortui, horrendè incidet in manus Dei viuentis, & in ſua maieſtate venientis. Qui noluit ſeruare duas tabulas mandatorum ſentiet virgam Aaronis non iam clauſam in Arca, ſed prolatam ad vindictam. *Tunc enim parebit ſignum filij hominis*: Crux Chriſti, *virga directionis & iuſtitiæ*, olim dirigens, nec percutiens. *Ecce venit, & quis ſuſtinebit aduentum eius?* ait alius Propheta. Quanto enim magis antea miſericors fuit, tanto nunc crudelior erit. Patientia læſa fit furor,& adamantem ferunt omnium lapidum duriſſimum, vbi ſemel diſſoluitur, in minutiſſimas ſic diſſipari partes, vt cerni vix queat. *Hierem. 1. Matt. 24. Pſal. 44. Matt.c.3. Plinius natur. hiſt. lib.17.c.4.*

B Deinde & illud ad maiorem huius diei terrorem expende quòd huius iudicij ſententia pœnam adfert, non temporalem, ſed æternam: ſimulque conſidera quàm acerbum eſt momentaneas quaſi huius vitæ pœnas ſuſtinere. Quæ conſiderans Gregorius, *Quomodo* (inquit) *toleranda eſt pœna quæ reprobat, ſi ferri non poteſt ira quæ purgat? Cogita* (ait Chryſoſt.) *quod trium dierum febrē hic non toleramus. Si iudicum pœnas cernentes obruimur, & hoc vix quinquaginta annis damnationi obnoxijs, quale eſt Chriſti tribunal: non tantùm in quinquaginta annos, ſed in infinita protendens ſæcula pœnam!* HOC nempe eſt quod Dauid dixit: *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Sagittæ Dei ſunt plagę huius vitæ temporales, de quibus per Moyſen dixit: *Congregabo ſuper eos mala: complebo ſagittas meas in eis. Conſumentur fame, &c.* Sed vox tonitrui Dei, quæ in die iudicij datur, ideóque à Propheta *dies tubæ & clangoris* nuncupatur, in rota eſt, id eſt, exitum habet in modum rotæ. *Iudicij ſententia. Moral.lib. 21.cap. 16. Loco citato Pſal. 76. Deut. 31.*

Poſtremò huius iudicij terrorem, ſtrictiſſimum iudicis examen oſtendit. Quid enim minutius in genere peccati verbo otioſo? Et tamen dicit Chriſtus: *Omne otioſum verbum quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die iudicij.* Sed & intima cogitationum ſecreta ſcrutabuntur. *Tunc enim illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Tunc dicetur (ait Chryſoſt. loco citato, & poſt eum S. Hieronymus.) *Ecce homo & opera eius.* Cogitet autem vnuſquiſque, ſi vel in hoc auditorum conſeſſu occultum eius crimen publicaretur, quantam hoc ei confuſionem pareret! Hoc eſt videlicet *ſcrutari Hieruſalem in lucernis, & fodere parietem, & videre abominabilia quæ facit populus.* Tunc ſingulis impiis impœnitentibus fiet quod Dauidi minatus eſt C Nathan Propheta: *Tu feciſti in abſcondito, ego autem faciam hoc in conſpectu ſolis*, id eſt, toto ſpectante mundo. Nunc certè peccata impiorum ita occultantur, quaſi in libro Dei, non attramento perlucido, ſed citri ſucco ſcriberentur, cuius ſcripturæ nullum apparet veſtigium. Atqui quæ citri ſucco ſcribuntur, vbi igni admota fuerint, clarè leguntur: in igne iudicij extremi (iudicabit enim ſeculū per ignē) ſingula peccata legentur. Quod proſpiciens Dauid, dicit: *Intellexiſti cogitationes meas de longe: funiculum meum, & ſemitam meam inueſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti.* Similiter & ſanctus Iob: *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, & greſſus meos dinumeraſti.* Quæ omnia ſi in temporali hac vita Deus facit, in extremo iudicio multò faciet exactius: ſi in iuſtis hoc facit, qualis Iob & Dauid erant, quanto magis faciet in impijs! Vnde D. Bernardus: *Quid in Babylone tutum, ſit in Hieruſalem manet ſcrutinium? Si iuſtus vix ſaluabitur, peccator vbi parebit? Quid facient tabulæ quando tremunt columnæ?* ait B. Gregorius. quid virgula deſerti, quando cedrus percutitur? *Si in viridi ligno* (in hac præſenti iuſtitia Dei, quæ miſericordia non caret, tantum iudicium exercetur, *in arido quid fiet?* vbi nullus miſericordiæ locus erit. Denique de exactiſſimo tunc futuro actionum noſtrarum ſcrutinio proferendum quod ſcribit S. Baſilius. *Non confusè, aut ſummatim, aut indigeſtè peccata noſtra cernentur, ſed ſingula per partes, vt ſeſe habent, velut in pictura noſcentur. Exempli cauſa: quomodo ad patrandum quiſque adulterium properans è lecto ſurrexit, quibus paſſibus incedens vſus eſt, quo motu corporis lentiore ac concitatiore, quem habitum dum procederetur aſſumpſit, & qua ex parte irrūpens, vxorem alienam violauit, quo item ordine huic mulier ad nefarium opus ſe ſubſtrauit. Hæc, inquam, omnia velut in tabula, per partes diligenter expreſſa, cernentur. Nec opus tantum externum, ſed & intimæ cogitationes.* Hæc ille iuxta Chriſti doctrinam dicentis: *Nihil eſt opertum quod non reuelabitur.* quæ ſingularum turpitudinum & impietatum reuelatio, quia in hac vita vel non fit, vel rariſſimè fit, idque ex parte tantùm, in extremo iudicio exactiſſimè & pleniſſimè fiet. Ex his ergo vel omnibus, vel aliquibus explicare, tractare, & amplificare concionator poterit, prout tempori & loco conuenire videbit, & pro illa quam habet dicendi facultate, diuini & extremi iudicij terrorem, *Iudicij examen. Matt.12. 1.Cor.4. In Zachar. cap. 1. Ezech.8. 2.Reg.12. Simile. Pſal.138. Iob. 14. Serm.55.in Cant. Moraliū in Iob.lib.17. Luc. 23. In lib. de vera virginitate. Matth.10.*

A

2. *His fieri incipientibus, respicite, &c. Scitote quoniam prope est regnum Dei.*

Iudicij hora incerta. LOcus moralis de extremi iudicij hora incerta, & omnibus incognita. Hoc enim in isto Euangelio Christus apertè docuit. Rogantibus enim Discipulis, *Quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* Christus non quando, sed qualis eius aduentus erit, respondet. *Lucæ 21.* Modum patefacit, tempus celare voluit. Ideo signa ostendit non prognostica, & longè præ- *Lucæ 2.* cedentia, sed coniuncta & proximè præcedentia. Huc enim tendit huius Euangelij scopus. *His fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra: quia appropinquat redemptio vestra. Videte ficulneam, & omnes arbores: quum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos quum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei:* vel, vt Matthæus scribit. *Quia pro-* *Matth. 24* *pè est in ianuis:* & Marcus, *In proximo est in ostijs.* Signa ergo illa terribilia in Sole & Lu- *Marci 13.* na, & Stellis, & Mari, & Terra, & repentinum CHRISTI aduentum atque iudicium ostendunt, sicut fructus iam enati, æstiualem maturitatem in proximo designant.

Quare Christus adhuc expressius adiunxit in hoc Euangelio: *Attendite ne superueniat in* *Luc. 21.* *vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* La- *Simile.* queo enim assimilat iudicij tempus. Sicut enim auis aut fera nihil minus quàm laqueum suspi- B catur, sed per campos illa liberrimè volitat, per syluas ista intrepidè discurrit, prædam quærens, hominum tamen arte & industria, bestiis istis prorsus incognita, in laqueos repentè incidunt morti destinatæ: sic omnino terrenis hominibus, bonis terrenis tanquam prædæ perpetuò inhiantibus, Dei prouidentia, hominibus huiusmodi incognita, iudicij diem derepente in- *Matth. 24.* ducit, & ad certam damnationem irretitos tenet. Apud Matthæum furi assimilatur. *Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, nec sineret perfodi domum suam. Ideò & vos* *2. Pet. 3.* *estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est.* Sic à Christo edoctus Petrus: *Aduenier* *1. Thess. 5.* *dies Domini sicut fur.* Sic & Paulus. *Ipsi diligenter scitis*, id est, accuratè didicistis, & firmissimè creditis, & ob oculos semper habetis, *quod dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Rursum hunc *Matth. 24* repentinum aduentum suum Christus Dominus clarissimo exemplo diluuij orbis terrarum expressit: *Sicut in diebus Noë, ita erit aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec veniret diluuium, & tulit omnes, ita erit & aduentus Filij hominis.* Tribus ergo modis docet Christus repentinum fore hoc iudicium, sicut est laqueus, sicut fur, sicut diluuium.

Iudicium Dei cur incertum. Causam quoque repentini aduentus adiunxit, vt attendamus, vt semper parati simus. Si præsciret auis, aut fera laqueos, quàm diligenter euitaret! Nam & ideò si for- C *Simile.* tè ex laqueo euasit, in eundem locum vix vnquam postea redit. Contra fures extruuntur domus bene munitæ, clauduntur ostia, seræ, pessuli, vigiles canes adhibentur, ciuitates totæ mœnibus clauduntur. Si par esset animæ cura & æternæ salutis ratio, qualis est vitæ tempo- *Matt. 24.* ralis, & bonorum terrenorum custodia, non minus ad diem iudicij vnusquisque paratus sem- *Marc. 13.* per esset. Hanc causam repentini iudicij Christus euidenter expressit, apud Matthæum: *Ideò* *Luc. 21.* *& vos estote parati.* Apud Marcum: *Videte, vigilate, & orate. Nescitis enim quando tempus sit.* A- pud Lucam in hoc Euangelio: *Vigilate itaque omni tempore orantes: vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis*, stare, non concidere; subsistere, non pe- rire; diligere aduentum Domini, non odisse: sicut casta coniux non intrepidè tantùm, sed e- *Simile.* tiam cupidè expectat reditum mariti sui, seruusque fidelis reditum Domini sui. Hæc repenti- ni iudicij ratio tollit & resecat prorsus omnem vitæ bene gerendę dilationem. *Non tardes con-* *Eccl. 15.* *uerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ dis-* *Simile.* *perdet te.* Si Rex vnam ciuitatem tibi dono daret, ea conditione, vt infra vnam horam literas donationis expedires, & diploma regium apponi curares, qua diligentia per te & tuos vte- reris, ne illa tibi hora elaberetur! At hæc vita quasi vna hora (neque enim adhuc vnam horam certò tibi superesse scire potes) tibi à Deo concessa est, vt cœlestem hæreditatem acquiras, in Euangelio promissam, *Vigilantibus, & orantibus.* Cur ergo vigilare contra peccatum, & D *Marc. 13.* orare pro Dei gratia, atque misericordia, vel ad momentum cessas? At fortè quia vides mul- *Luc. 21.* tos longæuos esse, longam quoque tibi vitam promittis. Sed nonne vides æquè multos in flo- *Simile.* renti ætate, atque adeò derepente abripi? Planè nemini iam mors repentina videri debet, quæ quotidie ante oculos nostros tot ex hac vita rapit. Quis à furioso non sibi bene caueret, quem *Simile.* videt omnes prætereuntes ferire? Mors instar furiosi nemini parcit, rarò præmonuit. Verùm porcis in hac parte similes sumus. Porci enim conspecta nece socij, & audito grunnitu, quem ingentem illud ferè solum animal occidendum edit, accurrunt omnes, grunniunt & ipsi, ac tumultuantur valde: vbi autem semel occisus porcus vociferari desierit, statim ad lutũ, & ster- cora redeunt, nihil amplius curantes. Sic homines terreni, carnales, voluptuarij interim dũ mo- *Simile.* ritur notus quispiã, interim dũ funus effertur, mouentur, terrentur, perturbãtur: factis exequiis

citò

A citò obliuiſcũtur,ad ſordes voluptatum & vetera peccata redeuntes. Periculi plena eſt emendationis dilatio,& peccatorum reiteratio. Nauis etſi multa onera capiat, tamen tandiu onerari poteſt,vt ſubmergatur. Contra peccatores in peccato perſeuerantes,vox Dei illa eſt. *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem?* Caſtigare eos in hac vita deſinit Dominus, qui peccatis ſuis modum non ponunt,qui emendationem differunt, qui omni tempore non vigilant,non orant,vt ſic in æternum eos puniat. Qui audit tonitrua,metuit fulgura. Hoc Euang. tonitruum eſt futuri iudicij. Metuamus fulgura iuſtitiæ diuinæ. Quanto diutius viximus, quanto plura ſupplicia peccatis noſtris debita euaſimus, tantò certius & citius venturum iudicium expectemus. Theramenes ciuis Atheniẽſis quum domus ruinam (quæ ſtatim, illo egreſſo, cecidit) euaſiſſet, exclamauit, O Iupiter, cuinam me tempori reſeruas? Nec multo poſt, à triginta tyrannis cicutam bibere coactus, interijt. Idem peccatori ſtatuendum, qui poſt peccatum perpetratum impœnitens manens, Dei manum non ſenſit: iuxta illud: *Ne dixeris peccaui & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus eſt patiens redditor.*

Eſai. 1.

Simile.

Ælianus de var. hiſt. l. 9. Apophthegma.

Eccl. 5.

Porrò hæc perpetua extremi iudicij memoria,timor, expectatio ad plurima conducit. Primùm, frænum quoddam peccati eſt. Vnde S. Baſilius: *Si quando te ſenſeris ad aliquod prouocari peccatum, ad mentem reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Chriſti iudicium, & hoc quaſi fræno animam cohibe.* Nempe ſicut Sol omnes Stellas ſuo fulgore obſcurat, ſic ſolius iudicij memo-
B ria ſuo terrore omnes animæ concupiſcentias extinguit, vt eſt apud D. Clementem. Vnde & Dauid docet obliuionem iudicij cauſam eſſe peccatorum. Quum enim dixiſſet, *Inquinatæ ſunt viæ eius in omni tempore*, ſubiunxit, rationem reddens, *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Contra verò, memoriam iudicij à peccato cuſtodire idem docuit, *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Qui clauo confixus eſt, nec in hanc, nec in illam partem mouere audet: nec ad dexteram declinat, nec ad ſiniſtram. Talis clauus timor iudicij eſt. Deinde qui timet iudicium, effugiet illud. Niſi timuiſſent Niniuitæ, ſubuerſi fuiſſent. Generi Loth, quia non timebant, nec credebant monenti futurum mox iudicium Dei, perierunt cum Sodoma. Qui Noë prædicantem audire noluerunt, perierunt in diluuio. Filij Iacob in prima profectione in Ægyptum, quum nihil timerent, in magna mala inciderunt, à Ioſeph vexati, in ſuſpitionem vocati, in vincula coniecti. In ſecunda autem profectione, vbi cum maximo timore acceſſerunt, omnia eis proſperè ſucceſſerunt. Maxima virtutum cuſtodia timor eſt. Sicut fortiſſimo milite domum cuſtodiente, domus illa à latronibus nocturnis tuta eſt: ita timor futuri & furtiui iudicij reddit nos ab eius periculis tutos. Exemplum illuſtre vide apud Sanctum Chryſoſtomum, vbi oſtendit Antiochenos, qui propter deiectas eius, & vxoris ſtatuas, repentino quodam & populari tumultu, Imperatoris iuſtam iram atque vindictam vehementiſſimè timentes, ſic ad Deum reuocandum, & pietatis opera facienda conuerſi ſunt, vt o-
C pulentiſſima illa ciuitas magis tunc videretur religioſorum cœnobium, quàm congregatio ciuium. Et profectò quemadmodum qui cauſam aliquam grauem coram iudice pendentem habet, de illa ſua cauſa ſemper ſollicitus cogitat, loquitur, tractat: & qui Imperatorem aliquem cum ingenti exercitu ad ciuitatem ſuam aduentare audiret, cauſamque aduentus in bonumne aut in malum neſciret, de illo ſolo aduentu cogitaret: ſic ſi cauſa ſalutis noſtræ cordi nobis eſſet, de illo tremendo iudicio in quo omnes nos aſtare oportet, reddentes rationem eorum omnium quæ geſſimus, & in quo qualis nobis Chriſtus aduenier neſcimus, memoriam nunquam deponeremus, perpetuò cogitaremus. Vnde eleganter Climacus: *Sicut qui eſurit recordatur panis, ſic qui ſaluari cupit non poteſt non recordari extremum iudicium.* Et, vt ſapienter ſcripſit Euſebius Emiſſenus, *Magna iam eſt pœna peccati, metum atque memoriam futuri perdidiſſe iudicij.* Mundani videlicet, & voluptatum ſectatores ſimiles ſunt hominibus ruſticis, qui ſecurè agunt, nec vnquam de palatio regio, aut de regis ipſius vel iuſtitia erga malefactores, vel liberalitate erga bonos cogitãt. At pij, fideles, & timentes Dei iudicia, ſimiles ijs ſunt qui in aula regia verſantes compoſitè ſe gerunt, ſemper ad reſpondendum parati. Talis quum S. Hieron. eſſet, hanc vocem ſæpè vſurpauit, alióſque ad eam vſurpandam hortatus eſt: *Siue comedam, ſiue bibam, ſiue aliquid agam, ſemper*
D *inſonat auribus meis vox illa horrifica: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Denique ſola infidelitas hũc iudicij metum animis mortalium eximit, vnde S. Ambroſius. *Si mente cernerent homines peccatores quale iudicium imminet mundo, ſenſus humanus non diſpergeretur vanitate ſeculari, ſi non infidelitate grauaretur.*

Tertia pars Timor iudicij vtilis. 1.

Hom. in Pſal. 33. Simile. Recog. l. 9.

Pſal. 10.

Pſal. 118. Simile. 2.

Chryſ. ho. 2 in 2. Theſſ. Exempla. Geneſ. 43. Simile. Ho. 15. ad pop. Antioch.

Simile.

De diſcret. grad. 20. Ho. de latron. Simile.

In Reg. mon. c. 30.

Ad ver. la. pſam c. 8.

3. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

LOcvs moralis explicandi & premendi certiſſimam, & neceſſariam, & aſſiduam extremi iudicij expectationem: ideóq; ab illis malis mediis omni ſtudio cauendi, quæ eius perpetuam expectationem animis noſtris eximunt, & penitus paulatim delent. Idcirco enim hanc illuſtrem aſſeuerationem Chriſtus hoc loco adiecit, quam alias in hoc loco adieciſſe, non legitur. Docet nempè verba hæc ſua quibus aduentum ſuum glorioſum in extremo iudicio deſcripſerat, magis firma, certa, ſolida, & ſtabilia eſſe, quàm ipſum cœlum & terram, quæ mortalium

Iudicij extremi expectatio certa.

iudicijs prorsus immutabilia & firmissima esse videntur. Cætera enim in ipsa terra nasci & interire quotidie videmus. Orbium quoque & siderum cœlestium motum ratione, & sensu comprehendimus. Atqui, nec terram ipsam nec cœlum moueri vnquam cernimus, aut mouēda esse, vel immutanda vel destruenda, certa & euidenti ratione intelligimus. Et tamen tanta est futuri iudicij firmitas & certitudo, vt cœlo ipso ac terra firmiora sint. Nam ipsa quidem transibunt, & vt ait Ioannes, *mutabuntur in cœlum nouum, & terram nouam*: & vt ait Petrus, *Cœli magno impetu transibunt, & elementa calore soluentur, terra quoque & quæ in ipsa sunt opera exurentur*, & vt Esaias prædixit, *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*: ac denique vt Dauid cecinit, *Opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent*: sed verba hæc mea de futuro certissimè hoc extremo iudicio non transibunt, non mutabuntur, sed opere complebuntur. Debetis ergo illa certissimè & firmissimè credere, credendo expectare, expectanda cauere.

Apoc. 21. *1. Pet. 3.* *Esai. 51.* *Psal. 101.*

A

EVANGELIVM DOMINICÆ II.

Aduentus.

B

Matt. 11. CVM audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? & respondens IESVS, ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis, Ceci vident, claudi ambulant, leprosi mūdantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit IESVS dicere ad turbas de Ioāne. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

C

1. *Ioannes in vinculis.* De persecutione & varia tribulatione iustorum in hac vita.
2. *Mittens duos ex discipulis suis ad Iesum*, ait. De cura, & charitate pastorum & patrum erga oues & liberos suos.
3. *Euntes renuntiate Ioanni.* De modestia seruanda in sui ipsius commendatione.
4. *Quæ audistis & vidistis.* De officio boni pastoris, in doctrina & operibus.
5. *Pauperes euangelizantur.* De paupertate spiritus, humilitate & mansuetudine ad cælestia capienda.
6. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* De vero Christianismo.
7. *Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere de Ioanne.* Contra adulatores, & de nemine coram laudando.
8. *Quid existis in desertum videre?* De laude & gloria iustorum etiam in hac vita.
9. *Arundinem vento agitatam?* De fortitudine animi, libertate spiritus, & constantia seruanda.
10. *Hominem mollibus vestitum?* Contra mollitiem, luxum, & omnem vestimentorum excessum.

D

1. *Ioannes in vinculis.*

De tribulatione iustorum in hac vita. LOcus moralis de tribulatione, persecutione, varia tentatione iustorum in hac vita. Ioannes Baptista, quo non surrexit maior inter natos mulierum, & natiuitate celebris, & vitæ sanctitate illustris, & officio ac vocatione excellens in vincula coniicitur, in carcere detinetur, infami supplicio tollitur: sublatus, hosti capitali deridendus proponitur, capite in disco allato, conuiuij tempore præciso, ad omnem contumeliam expositio, ac deniq; mulierculæ viliſſimæ libidini dato: Herode interim incestis nuptijs potito, in regno, in epulis, in voluptate, saltante

A saltante Herodiade,& matris fœdissimum præceptum exequente. Hæc videlicet est sors iustorum,multa temporaliter mala perpeti, vt cælestibus bonis in æternum fruantur. Sic suis Christus prædixit. *Mundus gaudebit,vos autem contristabimini.* Quare Apostoli & primi Christiani tribulationes huius vitæ, vt rem Christianismo propriam, expectarunt. Sic Paulus: *Nemo moueatur in tribulationibus nostris. Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus*, id est, ad hoc destinati & vocati sumus. Sic idem cum Barnaba,*confirmantes animas discipulorum, exhortantesque vt permanerent in fide*,addiderunt: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hæc est Christianorum vocatio,hæc sors iustorum;de qua Christus apertissimè: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam & sequatur me*,id est,tribulationes & tentationes,quæ illi obueniunt, ferat patienter,sicut ego tuli. Hanc generalem sortem iustorum Paulus quoque expressissimè tradidit.*Omnes* (inquit) *qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Si causas huius conditionis & sortis iustorum explicare libeat hoc loco,eas breuiter exponemus. Primum omnis tribulatio est fidei & charitatis verè Christianæ probatio:iuxta illud Apostoli: *Tribulatio patientiam,patientia probationem operatur.* Vnde & illud Sapientis:*Tanquam aurum in fornace probauit illos, & inuenit eos dignos se.* Quomodo autem tribulatio sit vera probatio, pulchrè explicat S. Aug. *Voluntas Dei est aliquando vt sanus sis:aliquando vt ægrotes.Si quando sanus es,dulcis est voluntas Dei:quando autem ægrotas, amara:non es recto corde:quia non vis voluntatem tuam ad Dei dirigere voluntatem, sed è contra.* Probauit te ergo tribulatio an Deum toto corde dilexeris. In hoc sensu Apostolus dixit. B *Si extra disciplinam estis,ergo adulteri estis,non filij.* Paternam quippe castigationē verus filius æquanimiter feret. Sic etiam fidem probat,vnde Augustinus:*Surgent procellæ stagni huius,vides malos florere,bonos laborare,Tentatio est,fluctus est. Et dicit anima tua:O Deus,Deus,ipsa est iustitia tua, vt mali floreant,boni laborent. Dicis Deo, Hæccine est iustitia tua?Et Deus tibi respondet. Hæccine est fides tua? hæccine tibi promisi,aut ad hoc Christianus factus es,vt in sæculo floreres?* Hæc ille. Nempe quum *ex fide viuat iustus,fides autem sit rerum sperandarum substantia*,basis & fundamentum, verè fidelis ille est qui bona futura expectat,non qui præsentibus bonis gaudere vult. In quo ergo fides firma & recta est,adeo rebus aduersis non perturbatur,vt omnia prospera suspecta habeat:metuens ne præsentibus affluens bonis,æternis excidat. Ad fidei ergo probationem tribulantur in hac vita iusti. Alia causa tribulationis iustorum in hac vita,est ipsa Dei erga illos dilectio, & fauor singularis.Quod ne cui paradoxum videatur,ex Scripturis, adeoque euidenti ratione breuiter ostēdatur. Tobiæ viro iusto graui cæcitate percusso,dicit Angelus Raphaël: *Quia acceptus eras Deo, necesse erat vt probatio tentaret te.* Sic Christus in Euangelio:*Dico vobis amici mei,Nolite timere eos qui corpus occidunt,&c.* Amicos vocat,quos ad sanguinis pro iustitia effusionem inuitat. Ideo autem amicos appellat: quia maximum amicitiæ & charitatis argumentum tales præbent. Quemadmodum enim amicitiæ humanæ officium postulat,non solum vt alter pro altero amicus liben- C ter laboret, & laborando patiatur,sed etiam vt alter ab altero officia laboriosa exigat,atque audacter & familiariter laborandi ac patiendi materiam alter alteri præbeat,sic inter Deum & iustos fit:quorum est arctissima,omnem humanam superans dilectio. Nec inter amicos tantum, sed & inter superiores ac subditos hanc dilectionem cernimus. Subditus, pro Rege quem diligit,filius pro patre quem amat:ciuis,pro Magistratu quem reueretur,nihil ferè arduum recusabit. Imo dilectionis argumentum interpretabitur,si quid ei arduum imperetur. Pulchrè Seneca:*Nihil eo infelicius,cui nihil euenit aduersi. Argumentum est à Deo illum contemni, vt imbellem & ignauum. Ignominiam indicat gladiator cum imbelle componi. Scit enim sine gloria vinci qui sine periculo vincitur. Idem facit Dei prouidentia. Fortissimum quemque aggreditur, aduersus quem suam vim intendat. Ignem experiebatur in Mucio, paupertatem in Fabricio,exilium in Rutilio,tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone.* Hæc ille ethnicus. Sed in his omnibus totus finis,tota merces erat vana gloria iuxta illud Poëtæ,

Vicit amor patriæ, laudisque immensa cupido.

At multo felicius & fortius in seruis suis experitur Deus suorum fortitudinem, fidem,dilectionem. Sic expertus est ignem in Laurentio, paupertatem in Francisco, exilium in D Athanasio, tormenta in Vincentio,silentium in Arsenio, lachrymas in Ephremio, labores in Pachomio,ieiunia in Euagrio,solitudinem in Honorio, nuditatem in Antonio, cæcitatem in Tobia, vlcera in Iobo,patientiam in Moyse, persecutionem in Dauide, lapides in Stephano, crucem in Petro, gladium in Paulo,vincula & carceres in Ioanne Baptista:denique in illis innumeris seu Martyribus,seu Confessoribus,innumera vel tormentorum, vel aliarum afflictionum genera. Hos omnes Deus arctissimè dilexit:& hos omnes Deus variè in hac vita affligi voluit. Alia causa est ipsa virtutis perfectio in hac vita,& consequenter glorioſa merces in altera. *Beati estis* (ait Christus) *quum persequuti vos fuerint homines, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me.Gaudete & exultate,quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Sic & D. Iacobus:*Omne gaudium existimate fratres, quum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat, vt sitis perfecti & integri, & in nullo deficientes.* Nempe hæc est perfectio Christiana, non solum *declinare à malo, & facere bonum*, sed

Ioan.16. *1.Thess.3.* *Act.14.* *Lucæ 9.* *2.Tim.3.* *Tribulatio fidei & charitatis probatio.* *Rom.5.* *Sap.3.* *Enarr.in Psal.35.* *Hebr.13.* *Prescr.in Euar.2.in psal.25.* *Fidelis quis.* *Hebr.11.* *Tribulatio, amoris diuini signum.* *Tobiæ 12.* *Luc.12.* *Similia.* *In lib.de Prouidentia Dei.* *Tribulatio virtutis perfectio.* *Matt.5.* *Iacob.1.*

Psal.36. Luc.18. etiam tolerare mala,pati aduersa. *In patientia enim nostra possidemus animas nostras,& à diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc*,qui ferè primus arduum vitæ genus exercuit, & in carcere decollatur, *regnum cælorum vim patitur,& violenti rapiunt illud*:quod totum non ad Dei rigorem,sed ad nostrã A
Matt.13. glorificationem pertinet. Vnde Chrysostomus:*Volens Deus hominem glorificare,tentat illum,non vt*
In Matt. *cum iudicio* (id est,seuerè) *hoc faciat,sed ne sine causa glorificet*, nempe, vt nostræ glorificationis nos
Homil.14. quoque cooperatores essemus, quo nihil humanæ naturæ glorioſius conferri potuit. Nempe
operis imperfecti. Deus paternum gerit in nos affectum,non maternum. Pater filium labori mancipat, vel opifi-
Similia. cio addicit, vel ad militiam mittit,vel negotiationi tradit,vel ad studia & literas collocat, vt sic ad honores vel opes acquirendas perueniat. Mater vero filium suum domi in officina residere perpetuo vellet,quietamque & tranquillam semper apud se vitam agere. Rursum in castris non nisi fortissimis & charissimis suis militibus periculosa Dux imperat. Lectissimos, & quos promouere cupit,emittit,qui nocturnis insidiis hostes aggrediantur,qui iter hostium explorent atque intercipiant,qui præsidium aliquod loco deijciant,denique qui robur ipsum exercitus hostilis inuadant. Nemo eorum qui sic exeunt,dicit,Malè de me Imperator meruit,aut malè mihi voluit,nisi ignauus fortè aut imbellis quispiam:sed contra,si strenuus miles est,& militis nomine dignus,sic dicit: Bene de me iudicauit Imperator, bonam de me opinionem se habere
Iob.7. ostendit:bene mihi voluit & honori meo consulere. Sic se res habet inter nos & Deum. *Militia enim est vita hominis super terram*. Et,*omnes currimus in agone*. Certare igitur, contendere, & B
1.Corint.9 contra omnia aduersa,Dei prouidentia nobis immissa,pugnare debemus. *Nemo enim coronabi-*
2.Tim.1. *tur, nisi qui legitimè certauerit*. Plura de hac materia in aliis Euang.vbi magis proprius erit dicendi locus.

2. *Mittens duos ex discipulis suis ad Iesum, ait.*

Pastorum & patrum cura. LOcus moralis de cura & charitate seu pastorum erga oues, seu patrum erga filios suos. Ioannes enim non propter se illos ad Christum misit,nec propter se quęsiuit an ille Messias esset. Non enim potuit eum ignorare,quem antea digito demonstrauit,dicens: *Ecce Agnus*
Ioan.1. *Dei,&c.* quem apud aquas confessus erat dicens: *Ego debeo à te baptizari,&c.* quem etiam apud Sa-
Matt.3. Ioan.1. cerdotes & Scribas ad eum missos ingenuè prædicabat,dicens: *Non sum dignus soluere corrigiam*
Ad Algasiam qu. 1. *calceamenti eius. Sed* (ait Hieronymus) *sibi quærens suis discipulis dicere voluit*. Sic Elizeus mittit
4.Reg.1. filios Prophetarum per montes & ardua vt quærerent tribus diebus Eliam,quem ipse ascẽden- C
rem viderat. Quum enim tot sua testimonia suis adhuc discipulis non satisfacere Ioannes videret,hac arte elicere voluit luculentam probationem, quod Iesus esset Christus, ne ex solâ humilitate alteri hunc honorem detulisse suis discipulis,præceptorem suum nimis amantibus,
Simile. videretur. Ioannes ergo iam in carcere & morti proximus,non sui, sed suorum discipulorum curam habet. Non mittit ad Herodem vt liberetur,sed suos ad Christum vt instruantur. Tanquam si prouidus pater moriens,filios suos consignet fideli tutori,& cupiens eos bene instruExemplũ. ctos relinquere,sic suos mittit ad Christum,ab eo docendos,& in fide confirmandos. Sic Paulus in ipsis vinculis curam Ecclesiæ gerit,ad Philippenses,ad Ephesios,& ad Philemonẽ in car-
Simile. cere Romano scribens. Sic etiam ad Colossenses in Epheso comprehensus scripsit. Quemadmodum candela accensa,etiã in carcere concluſa,per rimulas tamen lumen emittit:sic Ioan-
Ioan.5. nes,qui *erat lucerna ardens & lucens*,charitatis suæ ardorem foras emisit. Concludi charitas non potest. Quanto magis plena libertate gaudentes,& summa potestate ac facultate bene rem ge-
Canon.36. rendi præditos Episcopos & Pastores,perpetuam ouium suarum curam habere oportet! Canõ
Parentum cura erga liberos. Apostolicus iubet,vt si Episcopus electus non admittatur à populo loci (non sua culpa, sed populi refractarij vitio) clerici illius ciuitatis excommunicentur,qui non fuerunt correctores populi inobedientis. Eadem debet esse cura parentum erga liberos. Diogenes patrem percus-
Laert.in Diog. sit cuius filium insolentem vidit. Lacedæmonij,quum duo fratres inter se dissiderent,mulctam D
Exemplum dixere patri,quod eius negligentia, orta inter eos simultas esset. Aliud Ioannes suo exemplo
Plutarch. docuit, qui etiam vt discipulos formaret, ignorantiam ipsemet prætexebat: sicut magi-
in Lacon. stri chori tonum aliquando excedunt, vt alij cantores congruum tonum accipiant.
Simile.

3. *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis.*

Modestia seruanda. LOcus moralis de modestia seruanda in sui ipsius existimatione & commendatione. Christus rogatus de re maxima, & de summa ab orbe condito dignitate,an esset Messias & Saluator mundi,non respondet se illum esse;sed ex doctrina & operibus iudicandum reliquit, an sit verus Messias,nec ne: Superbi semetipsos & sua facta prædicant. Nabuchodonosor in sua
Exemplum Dan.4. superbia sic loquitur: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni,in robore fortitudinis meæ,& in gloria decoris mei?* At Christus de seipso nihil affirmat, sed duo certissima argumenta profert,quibus irrogato satisfaciat,doctrinam & opera. Sic docet nos humilitatem & modestiam, vt non verbis, sed operibus commendari velimus. Ideo non dicit, cæcos illumino,

A mino, mortuos resuscito; *cæci vident, mortui resurgunt, &c.* In bonis operibus non est dicendum, ego hoc feci; sed, Deus fecit. S. Hugo dicere solebat: *Mala mea purè mala sunt, & mea sunt: bona autem mea nec purè bona sunt, nec mea sunt.* Dionys. Carth. in c. 18. Eccl.

4. *Quæ audistis & vidistis.*

Locus moralis, circa officium Pastoris seu Præpositi cuiusuis Ecclesiastici, qui ex duplici hoc capite, doctrina & operibus commendari debet, sicuti Christus per ea innotescere voluit, cuius illi in terris vicem gerunt. Sic Paulus Christi imitator: *Quæ audistis & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* Sic suo Timotheo præscripsit: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione.* Doctrinam verbi cum bona conuersatione coniungit. qui enim dicit & non facit, similis est illi qui numismate ad nihil aliud vtitur, nisi ad numerandum: quod de Græcis dixit Anacharsis Scytha, qui verbo tenus magni erant Philosophi, sed vita & moribus leuissimi. Vnde illud Solonis ad Græcos apud Platonem in Timæo: *Vos semper pueri estis, senex autem Græcorum nemo.* Moribus nempe pueri erant. Cuius rei tale exemplum narrat Plutarchus. Senex quidam in ludis Olympicis diu multumque inter Græcos perambulans, nec locum inueniens, ad Lacædemonios tandem peruenit, vbi non solum pueri omnes illi assurrexerunt, verũ etiam
B viri multi locum dederunt. Id factum quum cæteri Græci, quotquot aderant, magno applausu approbassent, exclamat senex: *Heu miseriam! Omnes Græci norunt quid sit honestum, sed eo soli vtuntur Lacædemonij.* Monendi hoc loco Pastores, ne fortè omnes illi norint optimè quid sit honestum, sed eo soli vtantur laici. Rectè monuit Seneca: *Eum elige Doctorem, quem magis admireris quum videris, quàm quum audieris*, videlicet qui ex vitæ sanctitate magis commendetur quàm ex doctrina. Sicuti monstrosum est vt homo maiorem habeat linguam quàm manum, sic cuius maiora sunt verba quàm opera præter naturam facit. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Christus magistris Ecclesiarum dixit: *Vos estis sal terræ*, propter sanam doctrinam qua condiendi erant populi, vt recta saperent. *Vos estis lux mundi*, propter exempla virtutum: *vt luceat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Ad eos vero qui dicunt & non faciunt, clamat Apostolus: *Qui alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis?* Nempe huiusmodi prædicando optima, & faciendo pessima, nihil aliud quàm suum ipsi processum contra seipsos egregiè formant, vt iudex tandem toto viso processu, doctrinæ optimæ, & vitæ contrariæ sententiam pronunciet. *Ex ore tuo te iudico serue nequam.* Sanè, *si quis scit voluntatem domini & non facit eam, vapulabit plagis multis*: is qui & scit & docet, vapulabit plurimis, si non facit eam. Pulchrè
C Seneca: *Nullos peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui philosophiam* (multo magis Euangelicam doctrinam) *velut aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter viuunt quàm viuendum esse præcipiunt. Non magis potest talis prodesse præceptor, quàm gubernator in tempestate nauseabundus. Non est loquendum sed gubernandum.* Et alio in loco: *Nihil proderit dare præcepta, nisi prius amoueris obstantia præceptis. Non magis quàm proderit Duci arma in conspectu militum posuisse, propiusque admouisse, quæ ipse nunquam exercuerit, vt ad præcepta quæ damus possit animus ire, soluendum est.* Planè iuxta illud Christi, *Alligant onera grauia, & imponunt ea humeris aliorum, & digito suo nolunt ea mouere.* Alligatur enim & graue fit onus subdito, quod qui imperat non ipse præstat. Putat enim subditus ferri non posse, aut certè parum interesse an feratur; quod à præcipiente superiore ferri non videt. Si enim aut ferri posset aut necessario ferri deberet, ipse magister ante omnes hoc faceret. Qui docet igitur & non facit, duplex onus imponit, vnum præcepti, alterum mali exempli. Nam vt omne præceptum per se graue est, nisi charitas accedat per quã sit leue: ita adhuc grauius est quum illud non ferunt, qui ad ferendum valentiores videntur. Sicuti enim leue fit quando exemplo præcurrit magister (facilius enim est imitari facientem, quàm obedire iubenti) sic graue fit quãdo onus deponit. Christus ergo bonus magister, vt se Messiam, vt se magistrum omnium iustorum ostendat (*vnus est enim magister vester, Christus*) iubet discipulos Ioannis renuntiare ea quæ audiuerant & viderant. Iubet doctrinam & opera eius attendi. Neque vero obstat quod
D opera miraculosa Christus hic intelligat. Nam vt illa tunc necessaria erant ad fidem hominum animis ingenerandam: *miraculis enim* (ait Augustinus) *conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem*) sic postea bona opera prædicatorum necessaria sunt ad fidei opera producenda. Noua planta dum adhuc tenera est, sæpe irrigatur, vbi autem in arborem adoleuit, sole magis caret quam frequenti pluuia. Fides miraculis irrigari debuit, vt cresceret; sed vbi creuit, luce bonorum operum, luce exemplorum magis indiget, quam miraculorum frequentia. *Qui mundo credente non credit* (ait Augustinus) *magnum est ipse prodigium.* Proximum est quod monet Iacobus: *Tu mihi ex operibus ostende fidem tuam.* Tales enim fructus hæc arbor profert. Est nunc igitur doctrina cum bonis operibus in magistris animarum ita necessaria, sicut doctrina sana cum miraculis in primis illis plantatoribus, Apostolis & Apostolicis viris, maximéque in Christo omnium magistro necessaria fuit.

Pastoris officium. Philip. 4. 1. Tim. 4. Simile. Plutarch. in li. de profectu morum. Apophthegma. Exemplum In Lacon. Epist. 34. Simile. Matt. 5. Rom. 2. Doctor malus suũ processum facit. Luc. 19. Luc. 12. Epist. 109. Similia. Epist. 95. Matt. 23. Malus magister dupliciter onerat. Matt. 23. De vtilita. cred. c. 14. Simile. Greg. homil. 29. in Euang. De ciuit. Dei li. 22. c. 1. Iacobi 2.

5. *Pauperes euangelizantur.*

A

De paupertate spir. LOcus moralis de paupertate spiritus, de humilitate cordis, de animi mansuetudine & submissione, solo & proprio doctrinæ cælestis capiendæ medio. Christus hoc inter miracula enumerat, quod non sublimes spiritus, nec superba ingenia, nec subtiles & acuti homines Euãgelium suscipiunt, sed humiles, mansueti, paruuli. Hactenus Philosophi & sapientes huius mundi alios auditores & sectatores non habuerunt, quàm ingenia selectissima, acutos & subtiles homines, superbos & gloriæ cupidos. Tales Platonis Academia, tales Zenonis Stoa admisit: tales cum Aristotele deambulabant. Plato neminem, nisi prius geometram, id est, in mathematicis principiis acutè & subtiliter versatum in suam Academiam recepit, & tamẽ erat eius doctrina tota penè moralis. Nouum itaque erat ad Euangelicam doctrinam suscipiendam non nisi pauperes, id est, humiles, mites, atque mansuetos à Christo vocati. Prædixit hoc Esaias, & in se completum Christus asseruit: *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me*; quod apud Esaiam sic legimus: *Annunciare mansuetis misit me, vt mederer cõtritis corde.* Sic alibi idem Propheta: *Super quem requiescet Spiritus meus? super humilem & trementem sermones meos.* Euangelica nimirum & cælestis doctrina, quia non arte & ingenio acquiritur, sed Dei gratia & dono impartitur, ideo non nisi ab humilibus capi potest. *Deus enim humilibus dat gratiam, superbis autem resistit.* Ideo sapienter Augustinus: *Nisi pietas & pax quædam mentis accedat, de fide nihil intelligi potest.* Sicut ergo vas se demittit in puteum, & incuruat se vt aquam hauriat; sic animus humanus demittere se debet, vt cælestem doctrinam capiat. Quę sublimia sunt, & supra captum nostrum, inuadi, aut vi capi non possunt: vel arte, vel precibus vtendum, vt eo perueniatur. Sed quia in cælestibus arti locus non est, precibus, & humili spiritu agendum. Videmus formicas propter exiguum corpusculum, arborem quantumuis excelsam, inuadere, ad summum vsque fastigium conscendere, per quælibet minutissima folia tuto discurrere. Sic humilibus solis datum est altissima fidei mysteria penetrare. Plura diximus de hac materia in altero Promptuario nostro Catholico contra hæreticos. Nam vt acetum acre non fit nisi ex optimo vino, sed corrupto; sic maximi hæretici ex maximis ingeniis per superbiam corruptis. Talibus Christus suæ sapientiæ thesauros non committit. Hoc enim esset *proijcere sancta canibus, & margaritas porcis.* Sunt enim superbi omnes, ferocitate canes, & ruditate porci, qui res pretiosissimas non nisi carnaliter capiunt, & ex affectibus humanis iudicantes, quasi pedibus conculcant. Sed contra, vt prudens mercator, non otiosis aut curiosis, sed iis quos emere velle putat (quia talibus indigent, suamque indigentiam agnoscunt) merces suas ostendit: sic Deus, non superbis, qui per se satis sibi sapere, & omnia mysteria intelligere videntur; sed humilibus, qui suam ignorantiam agnoscentes, auidè diuinos magistros audiunt, sua cælestia mysteria communicat. Sic Christus coram Herode nulla voluit facere miracula, ac ne loqui quidem aliquid. Rursus quemadmodum parentes tunc demum thesauros suos filiis patefaciunt, opesque & substantiam paternam eos scire permittunt, quum eos iam adultos viderint, & puerilis lasciuiæ vitia respuisse, essèque morigeros & obsequentes, ita anima humana, donec humilis & Deo deuota atque obediens fiat, ad cælestium rerum cognitionem à Deo non admittitur. Certè vt vas repleri non potest nisi prius euacuetur; sic anima humana, nisi per valde modicam sui reputationẽ, id est, vacuam se reputando, cognitione rerum diuinarum repleri non potest. Ideo prophani Philosophi, *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Nihil ergo mirum si solis pauperibus euangelizat Christus. Hoc est quod dicit Apostolus: *Elegit Deus infirma mũdi; vt quæ sunt fortia confundat.* Doctrina enim humilium, confusio superborum. Sed & in hoc maior est Dei gloria. Nam vt ille demũ summus artifex est, qui ex vilissima quaque materia excellens tamen artis suæ opus producere potest: sic Christus se magistrum peritissimum ostendit, qui pauperes maximè, simplices, idiotas, *ipsa quasi peripsemata ac purgamenta mundi,* (vt Apostolus loquitur) cælestium mysteriorum discipulos idoneos atque adeo magistros fecit. Magnæ artis esse videtur, ex ipsis corticibus pomorum saccaro & melle conditis, delicatissima bellaria conficere. Maius est homines rudes, & mundi iudicio stultos, Euangelicæ doctrinæ luce sic collustrare, vt sint ipsi postea lux mundi, & sal terræ. Pauperes ergo euangelizantur, vel quia sic Euangelicæ doctrinæ ratio postulat, vel quia cælestem magistrum sic decet, vel quia ad Dei gloriam hoc in primis pertinet.

Luc. 4. *Esai. 61.* *Ibid. 66.* *Iacobi 4.* *De vtilitate cred. c. 18.* *Simile.* *Simile.* *In die S. Matth.* *Simile.* *Matt. 7.* *Simile.* *Chrys. li. 3 de compunct. cordis.* *Similia.* *Rom. 2.* *1. Cor. 1.* *Simile.* *1. Cor. 4.*

B C D

6. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.*

Rom. Scandalizari in Christo quid. LOcus moralis de vero Christianismo. Christianus enim ille verus est, qui non scandalizatur in Christo, *qui non erubescit Euangelium*, qui nihil à se alienum putat quod Christi est. Veri hominis illa vox erat, & maximo cum applausu accepta: *Homo sum, humani nihil à me alienum existimo.* Scandalizantur in Christo non solum omnes infideles & increduli, de quibus Paulus: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*, propter ipsam doctrinam de Christo, sed etiam omnes impij, tam increduli quàm credentes, propter Christi

2. Cor. 1.

virtutes

A virtutes in eo ſcandalizantur. In India Orientali,& regnis Iaponicis, multi Reges etſi fidem Chriſti,quoad doctrinam,amplecti parati eſſent,tamen propter vitæ innocentiam,quam Chriſtiana religio præcipit,amplecti noluerunt. Multi Philoſophi quia faſtum & gloriam huius ſeculi quaſi pro ſummo bono habebãt,quam Chriſtus condemnat,& humilitatem docet, dicens: *Diſcite à me,quia mitis ſum & humilis corde*,à Chriſtiana religione exhorruerunt. Vnde ſic Platonicos alloquitur Auguſtinus: *Quia Chriſtus humiliter venit,& vos ſuperbi eſtis, ideo Platonici quã Chriſtiani eſſe maluiſtis*. Omnia vitia in Chriſti virtutibus ſcandalizantur. Superbus in Chriſto humili, & omnes contumelias atque opprobria vſque ad crucem ſuſtinente. Auarus in Chriſto paupere, & *non habente vbi reclinet caput ſuum*. Quem Chriſtus ad perfectionem hortabatur, *receſſit triſtis,quia dives erat*,id eſt,amator diuitiarum,& auarus. Guloſus in Chriſti ſobrietate,qui multum & ſæpe ieiunauit,ſuiſque *ieiunandum* prædixit, *quando ſponſus auferetur ab eis*. Multi hodie Catholicam deſerunt, & ad hæreticos tranſeunt, quia ieiunare ſe non poſſe aiunt. Tales ſcandalizantur in Chriſto:& *in corpore eius,quod eſt Eccleſia*, præſcribente ieiunia. Libidinoſus in Chriſti puritate,qui naſci voluit de virgine,& docet *quoſdam caſtrare ſe propter regnum cælorum*,& per Apoſtolum ſuum Paulum hortatur omnes ad virginitatem, & prohibet ipſe mœchiam omnem, etiam mentalem. Multi ex clero ex hac Chriſti doctrina hodie ſcandalizati abierunt retro,& in hæreſes apoſtarunt. Deſidioſus & ignauus,atque acedia laborans, ſcandalizatur in Chriſti frequentiſſima oratione, in qua pernoctabat, ad quam ſine intermiſſione fa-

B ciendam hortabatur. De omnibus his verum illud eſt quod in Euangelio dicitur:*Lux venit in mundum,& dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera*. Nam vt luſci ſolem non vident,& noctuæ oculus luce offenditur;ſanus autem oculus lucis ſplendore etiam delectatur:ſic omnes impij quorum corda ſunt tenebræ,& non niſi opera tenebrarum faciunt, Chriſti luce omniumque virtutum ſplendore offenduntur & ſcandalizantur. Horum omnium voces deſcribit Sapiens:*Circumueniamus iuſtum,quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris,& improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ*. Tale ſcandalum Iudæos ad Chriſtum occidendum impulit. Tale ſcandalum hodie hæreticos ad perſequendos Catholicos, maximè de clero,& monachos impellit. Michol ſuperba deridet ſaltantem & tripudiantem Dauid coram Arca Dei. Populus alienigena,Iudæos templum reædificantes primum deridebant,poſtea quibus poterant modis impediebant. Impiorum vox de vita iuſtorum eſt:*Nos vitam eorum reputabamus inſaniam*. De Chriſto prædicante & ad omne virtutis genus hortante,dixerunt Iudæi. *Dæmonium habet & inſanit:vt quid eum auditis?* Quum Sacramenti ſui myſterium aperiret de corpore manducando,& de ſanguine bibendo,ſcandalizati,dixerunt:*Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt audire eum?* Ad hanc doctrinam etiam hodie ſcandalizati multi hæretici, *abierunt retro,Chriſto relicto*,quia corpus eius,quod eſt Eccleſia,deſeruerunt. Quibuſcumque do-

C ctrina Chriſti vel Eccleſiæ eius inſana,ſtulta,ſuperflua,dura,ſuperſtitioſa videtur, illi omnes in Chriſto ſcandalizantur. Hæretici hodie,quia toti carnales ſunt,primo ſuo magiſtro Luthero ſimiles,ſcandalizantur in Chriſto propter doctrinam de neceſſitate bonorum operum. Lutherus, lectis illis Pauli verbis:*Iuſtitia Dei in eo*,(ſcilicet Euangelio) *reuelatur*,tale ſcandalum paſſus eſt,vt ſic ſcribat:*Oderam iſtud vocabulum, Iuſtitia Dei,quod vſu & conſuetudine omnium doctorum doctus eram philoſophice intelligere de iuſtitia formali & actiua,qua Deus eſt iuſtus, & peccatores iniuſtoſque punit. Ego autem non amabam, imo odiebam iuſtum & punientem peccatores Deum, tacitaque ſi non blaſphemia, certè ingenti murmuratione indignabar, Deo dicens: Quaſi vero non ſatis ſit miſeros peccatores, & æternaliter perditos, peccato originali, omni genere calamitatis oppreſſos eſſe per legem Decalogi, niſi Deus per Euãgelium dolorem dolori adderet,& etiam per Euangelium nobis iuſtitiam & iram ſuam intentaret.*

Hæc ille ad verbum. Hoc itaque ſcandalum paſſus,fingit iuſtitiam Dei in Euangelio nullam aliam eſſe quàm iuſtitiam fidei iuxta ſenſum ſuum, id eſt,qua ſumus iuſti per fidem, credendo ſolum in Chriſtum, & eius iuſtitiam nobis imputatam apprehendendo per fidẽ. Quod totum eius ſcandalum, atque inſaniam huius ſcandali,alio in loco refutatum dedimus. Similiter Flaccus Illyricus ſcandalizatus,affirmat illa Chriſti verba in Euangelio, *Si vis ad vitam ingredi,ſerua mandata*, non eſſe vocem Euangelij,ſed legis, id eſt,ad veterem legem pertinere,& hodie non obligare. Quod etiam eodem in libro refutauimus. Hoc iſtorum nebulonum ſcandalum ſequuti hodie innumeri,atque ita ſcandalizati,& ipſi Chriſtum deſeruerunt. Sed

D beati Catholici qui in hac Chriſti doctrina non ſunt ſcandalizati. Beati plenius iuſti & pij Catholici qui nulla Chriſti doctrina ſcandalizantur. Qui voluntatem ſuam in omnibus Chriſti voluntati conformat,ille demum non ſcandalizatur in Chriſto, ille beatus eſt. Quemadmodum enim ferrum frigidum, etſi millies malleo contundatur,formam tamen nouam non accipit, niſi igne calefiat:ſic anima, etſi intellectum optimè inſtructum habeat, fidéque ſana imbutum, nouitatem tamen vitæ non induet,vt ſit Chriſto conformis,niſi igne charitatis voluntas accendatur, vt Chriſtum verè amando,omnem eius voluntatem libenter exequatur, & in nullo contra eius voluntatem ſcandalizetur. Scandalizantur in Chriſto,qui propter perſecutiones contra Eccleſiam exortas turbantur in fide,de quibus Chriſtus dixit: *Tunc tradent vos in tribulationem,& occident vos & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent,& odio habebunt inuicem*. Quod hodie in perſecutione Anglicana ad literam locum habet, vbi tradunt ſe inuicem Chriſtiani,filius patrem de audita Miſſa accu-

2. *Epiſtolæ Indicæ & Iaponicæ.*
3. *Matt.11.*
De ciu.Dei li.10.c.29.
4.
5. *Luc.9.*
Luc.18.
6. *Matt.9.*
Epheſ.4.
7. *Matt.19.*
1.Cor.7.
Matt.5.
8. *Ioan.3.*
Sapient.2.
9.
10.
2.Reg.6.
Allegoria.
1.Eſdr.4.
Sapient. 5.
Ioan.10.
Ioan.6.
11.
12. *Hæreticorum hodie ſcãdalum.*
Rom.1.
In 1.præf. operum Lutheri.
Lutheri ſcandalũ.
Dei iuſtificat.li.5. & 7.
In Claue par.2.
Non ſcandalizari in Chriſto quid. Simile.
13. *Matt.24.*
Anglicana perſecutio.

sat, vt hæreditatem viuo patre consequatur; frater fratrem, vxor maritum, maritus vxorem, seruus dominum religionis Catholicæ accusat, vel in fauorem hæresis, vel vt principi gratificetur, vt bolum aliquem emungat. Hæc illi scandala patiuntur propter persecutionem publicam & A
14. acerbissimam quam illic vident. Scandalizatur in Christo infirmus, videns laborare & vexari
15. bonos, florere & triumphare malos: de quo scandalo superius diximus ad illud: *Ioannes in vinculis*. Scandalizantur multi etiam boni & satis alioqui firmi in Christo, propter tardam malorum vindictam, retributionem bonorum. Dicunt sæpe multi: Toties oraui, & non fui exauditus, tot pauperibus eleemosynas erogaui, & nunc ipse egeo: tot periculis pro fide & iustitia me exposui, & adhuc laboro. Sed omnes isti obliti sunt, quod *in patientia* malorum *possidebunt animas suas*, non in præsenti retributione bonorum: quod *iustus ex fide viuit, quæ est substantia rerũ sperandarum, & argumentum non apparentium*: quod Christus *veniet, & non tardabit*. Latissimè patet hic
Luc. 18. *Hebr.* 11. locus. Nos fontes tantum ostendimus, & capita rerum notamus, quæ diligens concionator amplificabit.

7. *Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere de Ioanne.*

Contra adulatores Hom. 27. *operis imperfecti in Math.* LOcus moralis, neminem laudandi vel coram, vel apud intimos eius amicos & familiares, qui B
omnia illi postea referent. Christus laudaturus Ioannem, non id facit nisi post discipulorum eius discessum. Notauit hoc S. Chrysostomus his verbis: *Quàm bene, recedentibus discipulis, cœpit laudare Ioannem! non sicut quidam blanditores homines, qui libenter hominem in facie laudant, aut quando vident amicos eius fideles adesse, aut domesticos, quos credunt nunciaturos illi quicquid audierint. Insipiens gaudet laudari in facie: vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde.* Nullo ergo modo hominem in facie laudare debes. Si enim sapientem eum putas, molestiam illi exhibes. Si insipiẽtem existimas eius insipientiam laudibus tuis foues & auges. Hoc ergo laudis genere nihil
Prou. 18. *Psal.* 69. pernitiosius, nihil etiam in communi conuersatione vulgarius. Adulatores huiusmodi sunt, de quibus ait Scriptura: *Verba bilinguis quasi simplicia: ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.* Et rursum. *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, Euge.* In quæ verba Augustinus; *Duo sunt genera persecutorum, vituperantium & adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.* Quare D. Gregorius *linguam adulantis locustæ comparat quæ vastauit Aegyptios:* & alibi, *canibus Lazari vulnera lingentibus.* Lingunt enim adulatores ambitiosa hominum corda, & latentia vi-
Enarr. ibi. Moral. li. 30. *c.* 20. *Homil.* 40 *in Euang. Hom.* 11. *in Ezech.* tia non sanant, sed ad tempus refrigerant & alleuiant. Vnde alibi exponens verba Psalmi supra citata ait, *Adulatio si ad tempus patienter suscipitur, augetur, & paulisper demulcet animum, vt à rigore* C
suæ rectitudinis mollescat in delectatione sermonis. Hoc autem vbi adulatio effecerit, & molliores reddiderit atque pigriores, qui prius in pietate feruebant, postea magis palpando, etiam planè
Epist. ad Celantiam Hom. 89. *in Matt.* desides & ignauos reddendo, penitus occidit. Vnde D. Hieronymus: *Adulatorum noxia blandimenta, velut pestes animæ fuge. Nihil enim est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & tam molli vulnere animam feriat.* Quo autem mollius hoc vulnus est, eo cauendum magis. Vnde Diuus Chrysostomus salubriter monet, *vt adulatores magis quàm contumeliosos vitemus.*
Prou. 27. *Guadalup. in Oseæ, c.* 10. *Simile.* *Maior enim non attendentibus ex adulatione pestis, quàm ex vituperatione oriri solet.* Nempe vt Salomon scripsit: *Meliora sunt vulnera diligentis quàm fraudulenta oscula odientis.* Cuius rei veram causam hæc similitudo docere nos potest. Sicut enim venator leni sibilo feram allicit vt gradum figat, quo certius sagittam in eam dirigat (quamprimum enim ceruus venatoris audit sibilum, sistit gradum) in eundem modum diabolus animarum venator robustus, per linguam adulatorum,
Phili. Diez. con. 1. *in Domi.* 22. *post Pentecost. Similia.* qui sunt diaboli sibilus hominem sistit à cursu virtutis, & ad vanam sui ipsius considerationem attractum, sibique iam placentem firmat, vt ita cessantem iam, & sibi placentem venenatis
1. sagitis superbiæ, acediæ, & aliorum peccatorum transfigat. Hanc etiam ob causam adulatio
2. in Scripturis oleo peccatoris comparatur. *Corripiet me iustus in misericordia. Oleum autem peccatoris non impinguabit cor meum.* Nostra enim natura hac in parte velut natura cicadæ est, quæ si D
Senec. epist. 123. oleo aspergatur, moritur: si autem aceto, reuiuiscit. Sic enim nos adulatio per superbiam occidit, castigatio per humilitatem conseruat. Adulator ergo tibicini comparari potest. Si-
3. cut enim ille etsi manu neminem in bello interficit, tuba tamen sua alios ad interficiendum incitat, ideoque etiam ab hostibus occiditur tanquam iustus aduersarius, sic adulator tuba
In lib. de vitiosa verecundia. vanæ laudis fratrem interficiens, homicida spiritualis est. Quemadmodum enim qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam quę cogitationes impe-
4. dit, nec ad seria patitur intendi, sic adulatorum sermo diutius hæret quàm auditur, nec fa-
5. cile est dulcem sonum animo excutere, & prosequitur & durat, & interuallo recurrit. Qua-
6. re, vt eleganter scripsit Plutarchus, qui præbent aures palponibus, nihil differunt ab iis qui
Anton. par. de reb. gest. Alphons. li. 3. *Stob. ser.* 12. *Apophth.* crura prębent supplantantibus. Afficiuntur quoque vt sues, quæ dum fricantur & titillantur, facilè se deijci patiuntur, vt de illis facias quodlibet. Denique similes sunt amphoris, quæ auribus facilè circumferuntur. Ipsi autem adulatores (vt solebat dicere Alphonsus Aragonum rex sapientissimus) sunt similes lupis, qui titillando & palpando, asinos vorare solẽt. Nam & verè deuorant quos infatuant, & non nisi fatuos & prurientes auribus deuorant. Vnde adulatorem peiorem esse coruo, Antisthenes dixisse fertur. Nam coruus hominibus mortuis

adulator

A adulator autem viuis oculos euellit,illos adulatione excæcans. Tanta enim vis est laudum,adeoque homines illarum desiderio capiuntur, vt ab eis penitus excæcentur. Christus in Euangelio quum maledicentes sustinuisset adulantes acerrimè increpauit. quum enim Iudæi *Samaritanum illum & dæmoniacum* vocarent,simpliciter negans,respondit,*Ego dæmonium non habeo,&c.* Et rursum quum mendacij arguunt,dicentes,*Tu testimonium perhibes de te ipso,testimonium tuum nõ est verum*,mitissime respondet,*Si ego testimonium perhibeo de meipso, &c.* At vero quũ adularentur, dicentes,*Magister volumus à te signum videre*,respondit,*Quid me tentatis hypocritæ?* Rursum quum dicerent,*Magister, scimus quia verax es & veritatem doces*,asperè respondit, *Generatio praua & adultera.* Ladislaus Poloniæ Rex adulantes sibi colaphizabat. Rogatus cur id faceret. Quia (inquit) percutientes repercutio. Hoc spiritu Christiano præditi esse debemus,vt vel coram laudantes, vel alienas de nobis laudes,nobis præsentibus,commemorantes, aut verbo aspero aut saltem tristi vultu,repellamus. Adulator enim cuius beatitudo est placere,si displicere se videat, denuo non loquetur. Christus igitur, cuius omnis actio nostra est instructio, laudare Ioannem volens vera laude dignissimum,non solum eo absente id facit,sed etiam absentibus & recedentibus discipulis eius, qui totum ei renunciaturi haud dubiè erant.

B

8. *Quid existis in desertum videre?*

LOcus moralis de laude & gloria iustorum etiam in hac vita. Etsi enim neque laudis causa virtus capessenda est,sed propter Dei amorem,neque coram laudare tutum aut decorum est,laudando vero adulari turpe est,tamen tum virtus ipsa laudem meretur maximam,tum eam suo loco ac tempore,absque adulationis vitio laudare (quod Christus hic fecit) in primis laudabile est, vtile quoque & fructuosum,interdum etiam necessarium. Quæ singula hoc loco tractari possunt. Sanè virtutem laus,vt vmbra corpus sequitur,& fugientem quidem sequitur,appetentem & accurrentem fugit. Et quemadmodum medici,quum vident ægrotos salutares cibos fastidire,noxios appetere:salutares noxiis adiungunt, vt dum auidè sumunt quod noxium est,sumant etiam quod illis salutare futurum est:sic eodem planè consilio Deus, vt homines à vitiorum turpitudine ad honestatem traduceret,in illis dedecus & ignominiam, in hac decus & gloriam,quam homines naturaliter appetunt,collocauit. Sicut etiã in aruo quod segeti proscissum est,aliqui flores internascuntur;non tamen huic herbulæ quamuis delectet oculos tantum operis insumptum est,aliud fuit serenti propositum,hoc superuenit:sic honor,laus & gloria non est vel causa,vel propria,& sola merces virtutum;accessio tamen est quasi naturalis, & cum ipsa virtute accrescens;quod & Christus satis expressit quum diceret, quum bona opera luci splendenti comparat. *Sic luceat lux vestra coram hominibus,vt videant opera vestra bona,& glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*:à quo videlicet *est omne datum optimum & omne donum perfectum*, Certè ethnici vt honorem,virtutis comitem,indiuiduum esse docerent, Honoris templo Virtutis templum ita coniunxerunt, vt non nisi per Virtutis templum ad illud Honoris introire cuiquam liceret. S. Ioan. Baptista sic omnem laudem humanam fugit,vt desertum peteret, ab omni humana conuersatione remotus,& laude alienus. At sic laudatur,vt nemo vnquam mortalium magis. Si enim Alexand. Magnus Achillis statuam coronans exclamabat: O te felicem, cui mortuo talis contigerit præco! Homerum significans,qui eum defunctum tota Illiade celebrauit;quanto felicior D. Ioannes,cui etiam viuenti Christus præco fuit! Amplificari istud insigniter poterit.

Virtus laudanda.

Similia.

Laus virtutis comes.

Simile.

Senec. in li. de beata vita c. 19.

Matt. 6.

C

Iacob. 1.

Panormit. li. 1. de reb. gest. Alphonsi.

Cicer. pro Arch.

Apophth.

Circa aliorum laudes,vbi nulla adulationis species est,versari laudabile est, quia charitatis hoc magnum argumentum est. Christus hic laudans Ioannis sanctitatem, & illum publicè prædicans,docet nos, vt quum de proximo agitur, si volumus rectè & secundum Euangelium agere, bona de eo loquamur, non mala, quum vix quisquam adeò malus sit, de quo aliquid boni dici nequeat. Quo ingenere detractorem Memmium egregiè taxauit Cicero in Senatu. Illo enim in Senatu dicente, totas noctes Catonem ebrium esse (quia tunc genio indulgebat) respondit Cicero: *At illud non addis,eum totos dies ad aleas ludere*, quod videlicet tẽpus Reip. negotiis impendit. Eleganter Chrysostomus, *Dic*, inquit *proximo detrahenti: Habes quem laudes? aures aperio vt vnguenta suscipiam. Si verò malum velis dicere, obture aures. Non enim stercus & cænum accipere sustineo*: Pulchrè etiam Ambrosius: *Hæc* (inquit) *lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, vt altera alteri, tanquam vnius partes corporis inuicem deferamus.* Hanc legem Apostolus docuit quum diceret charitatis hoc proprium esse, *vt non gaudeat super iniquitate, congaudeat autem bonitati.* Sic Apostolus Paulus, charitate plenus, in omnibus ferè epistolis suis, suorum virtutes laudat,Romanorum obedientiam & fidem sic prædicat,vt de vtraque dicat, *eam in vniuerso mũdo prædicari & annuntiari.* Corinthijs scribit: *Laudo vos fratres,quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* De Philippensibus dicit: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis,cum gaudio deprecationem faciens,super communicatione vestra in Euangelio Christi*, id est, super communi afflictione pro Euangelio Christi; *confidens hoc ipsum,quod qui capit in vobis opus bonũ,perficiet vsq; in diẽ Christi.* i. diẽ extremi iudicij. Ad Coloss. scribit: *Gratias agimus Deo,&c. audientes fidem vestram in Christo, & dilectionem quam habetis*

Plutar. in Cat. Vticẽsi Apoph.

Hom. 3. ad pop. Ant.

Offi. l. 3. c. 3

1. Cor. 13. Rom. 1. & 16.

1. Cor. 11

Philip. 1.

Coloss. 1.

1.Theſſ.1. *in ſanctos omnes*,id eſt,fideles. Theſſalonicenſes egregiè laudat,dicens:*Et vos imitatores noſtri facti eſtis,& Domini excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio ſancti Spiritus,ita vt factiſitis forma omnibus credentibus in Achaia & Macedonia. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in Macedonia & Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra quæ eſt ad Deum profecta eſt:ita vt non ſit nobis neceſſe quicquam loqui.* Et in altera epiſtola:*Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis,fratres,ita vt dignum eſt,quoniam ſupercreſcit fides veſtra,& abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem:ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur,in Eccleſiis Dei propatientia veſtra & fide, &c.* Magnæ & egregiæ hæ laudes ſunt, ſtudioſè ab Apoſtolo commemoratæ,quia laudari virtutis ergo,idque à laudato viro, in primis laudabile eſt. Ac ne in genere tantum ſuo laudare velle,ſed à particulari cuiuſquam laude abſtinere videatur,etiam Timotheum ſuum non mediocriter laudat,quum ſcribit. *Nocte ac die deſiderans te videre,memor lachrymarum tuarum,vt gaudio implear recordationem accipiens eius fidei quæ eſt in te non ficta.* A

2.Tim.1.

Laudari virtutem, vtile eſt.

Fructuoſum porro & vtile hoc eſſe tum Chriſtus hac oratione docuit, qui coram turbis Ioannis virtutes prędicauit vt eas illi imitarentur, vel ſaltem vt earum nomine doctrinam & prædicationem eius tanto libentius amplecterentur,tum res ipſa per ſe docet. *Sicut enim pictoginem in ſeipſo exprimere vult,Sanctorum vitas,dicta & facta diligenter inſpiciat oportet.* Notum eſt illud,Miltiadis trophæa Themiſtoclem dormire non ſunt paſſa. Maximus ad rem bene gerēdam ſtimulus eſt,quum quod arduum videtur,ab alio fieri cernimus. Qui febribus laborant, & appetitum plane deiectum habent, quum alios coram ſe auidè comedere eoſdem cibos vident, quos illi faſtidioſè reſpuunt,excitantur ſæpenumero ad comedendum. Sic deſidioſi ad virtutum opera,aliorum rectè factis ſic interdum commouentur, vt abiecta ignauia, & ipſi operari gnauiter contendant. Sunt quippe virtutes quaſi optima quædam odoramenta: vnde Apoſt. ſuas pro Chriſto paſſiones,eſſe *odorem vitæ in vitam* ſcripſit. *Quemadmodum ſuauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aërem continentem ſpirant,quibus præſentes recreantur;ita vir bonus toti ſibi commorantium contubernio ſalutaris & iucundus eſt.* Sed vt ipſa aromata tunc maximè ſpirant, quum vel confricantur,vel conteruntur:ſic virtutum opera tunc maximè mouent, quum laudantis oratione explicantur,vt hic Chriſtus Ioannis virtutes etiam oratoriè tractat,interrogationibus acutis auditores excitans. Porro facit propoſita alterius virtus,vt qui ea caret,vel in ea deficit, ſui defectus conſcius fiat;& penuriam ſuam ac nuditatem agnoſcens,erubeſcat,ac melior euadere conetur. Quemadmodum enim pauperes,vel mediocri fortuna vtentes, quum diuitum theſauros,& exquiſitam ſupellectilem vident,ſuam vel paupertatem vel mediocritatem clarius perſpiciunt,& euidentius cognoſcunt:ſic peccatores,vel communem & ſatis neglectam vitam agentes,quum Sanctorum admirabiles virtutes,patientiam, mortificationem audiunt, vehementer & confunduntur de propriis defectibus,& compunguntur ad emendationem faciendam. B

2.Cor.2.
Baſil.ho.in Gor. matr.
Simile.

Pintus dial.1.c.3.
Simile.

Laudari virtutem neceſſario.

Neceſſarium porro eſſe, vt aliorum virtutes & rectè facta ſubinde proponantur ac publicè laudentur,vel hinc oſtendi poteſt:quod ſic à natura comparatum ſit,vt qualia in aliis vel audimus,vel cernimus,talia ferè imitari & facere ſoleamus. Quemadmodum enim oues Iacob intuentes virgas miraculoſas & varias,ſimiles agnos pariebant, ſic iuxta exempla quæ cernimus, ſeu bona ſeu mala,impetus animi operantur. Quod quum propemodum naturale ſit,magna eſt interdum neceſſitas Sanctorum & fortium virorum præclaras virtutes ſtudioſè laudari. Eodem quippe ferè labore bonis atque malis operibus aſſueſcimus. Quemadmodum enim ſi quis viginti annos ſcribendo inſumat,negligat autem emendare ſcribendi curam,ideoque deformes ſemper characteres effingat, is planè tam lōgo ſcribendi vſu nihilo dexterior in ſcribendo euadet,ſed qualis ab initio fuit,talis etiam in fine erit:at ſi biennio ſaltē propoſito eleganti exemplari accuratè ſcribat,& ſeipſum quotidie ſuperare contendat, non dubium quin elegantiſs. ſcriptor euadat;quod etiam in quauis alia corporis exercitatione vſum habet:ſic omnino in virtute capeſſenda,ſi vel neglectæ vitæ homines,vel mediocriter bonos in viuendi ratione imitamur,nunquam ad virtutis apicem perueniemus:ſed etiamſi tota vita contendimus, inter infimos aut mediocres ſemper ſubſiſtemus;at vero ſi exactam pietatis curam habentes,& optimos bene viuendi magiſtros imitamur,ſi præclaris & celeberrimis virtutum operibus audiendis atque cernendis aſſueſcimus,nihil dubium,quin breui tempore in viros cōſummatos euadamus. Hanc itaque ob cauſam pręclariſſimæ & perfectiſſimæ virtutes Chriſti Saluatoris exemplo, ſubinde proponendæ ſunt. Sic Eſaias concionatur. *Attendite ad Abraham patrem veſtrum.* Sic Apoſt. *Mementote præpoſitorum veſtrorum,quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini & fidem.* Sic ſuos filios Mach. hortatur ad fortiter pro legibus Dei pugnandum, exemplo Phinees proposito. Sic & Iudith,veterum exemplorum memor, fiduciam accipit occidendi Holophernis. C D

Simile.

Eſa.51.
Heb.13.

4.Mac.2.
Iudith.8.

A

8. *Quid existis in desertum videre?*

LOcus alius moralis,de pia ac deuota sanctorum virorum visitatione,eorum maximè qui à mundo segregati,solitariam atque heremiticam,vel certè cæteris perfectiorem vitã agunt, exemplo piorum Iudæorum,qui Ioan. Bapt.videndi causa in desertum exierunt. Sed hunc locum in alio Promptuario contra hæreticos horum temporum, super hoc ipso Euangelio tractauimus.

9. *Arundinem vento agitatam.*

LOcus moralis de fortitudine animi, libertate spiritus, & constantia seruanda in rebus tristibus,in veritatis defensione,in recto & honesto tenendo Christus enim his verbis has D. Ioannis virtutes celebrare voluit, eo quod & liberè Herodem officij sui monuerit,dicens, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*;& tempori non cesserit ad Regis libidinem se conformans : & denique quod liberè & fortiter fecit,constanter etiam in carcere tenuerit. Arundo enim vento agitata,homines significat vitiis contrariis laborantes,hominibus placentes,tempori seruiē- Ho.6.super
B tes,ad omnem tentationis pulsum herbam porrigentes,& animum mutantes. *Quid per arundinem* (ait Gregorius) *nisi carnalis animus designatur, qui mox vt fauore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur? Arundo igitur vento agitata,Ioannes non erat, quem à status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.* Hæc ille:quæ & ipsa vocabuli proprietas docet, quam sic exponit Chrysostomus:*Calamus est vacuus, & nullam habet virtutem; & ideo quocumque flante vento, huc illuc impellitur. Sic homo carnalis, in quo nulla est fidei medulla,nec virtus veritatis,qualiscumque tentatio subierit,inflectitur*. D. Ioannes nec Herodis potentiam timet,nec Iudæorum assentationi cedit. Illius improbat incestas nuptias:his tentantibus an Christum se profiteri vellet,*confessus est,& non negauit,quia non sum ego Christus.* Arundo vento agitata,fuit primus parens Adam,qui ad primam vxoris vocem,& Eua,quæ ad primum serpentis sibilum recessit à Deo,& consensit peccato. Omnes frequenter recidiuantes in peccata,vel labentes, sunt arundines vento agitatæ. Ioannes talis arundo non erat,qui nulli peccato cessisse legitur.Hoc etiam in eo Christus commendare voluit:totius videlicet vitæ innocentiam. Vt à Christo laudem & gloriam consequamur,debemus esse vt arbores fixæ & bene radicatæ,non vt arundines leues. Vnde Apostolus: *Sicut Christum accepistis,ita ambulate in eo,radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide*. Et rursum:*Christum habitare per fidem in cordibus vestris,in charitate radicati & fundati.* Ad hanc animi fortitudinem & constantiam in bono sæpe hortantur scripturæ. *Non te ventiles* (ait Sapiens) *in om-*
C *nem ventum:& esto firmus in via Domini,& in veritate sensus tui.* Et iterum:*Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol:stultus sicut Luna mutatur.* Et de huiusmodi Proph. dicit:*Neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum. Repente ventus flauit in eos,& aruerunt,& turbo quasi stipulam auferet eos.* Huiusmodi etiam arundines notat Dauid, dicens: *Non sic impij non sic : sed tanquam puluis,quem proycit ventus à facie terræ.* Leuitatis huius & mutabilitatis causæ sunt, vacuitas gratiæ, latens intus peccatum, & quia soli stamus ; non innixi Christo. Singula docet scriptura. De primo ait Apostolus:*Optimum est gratia stabilire cor.* De secundo ait Ieremias. *Peccatum peccauit Ierusalem, ideo instabilis facta est*:De tertio Dauid dicit:*Mihi adhærere Deo bonum est.* Nam vt arundo columnæ alligata, nullo vento concutitur, sic homo fragilis Christo adhærens nulla tentatione commouetur, hoc est *ædificare domum nostram supra firmam petram.* De hoc dicit Ecclesiasticus:*Et firmabitur in illo,& non flectetur:& continebit illum,& non confundetur.* Tales in scriptura laudantur.Dauidi dicitur:*Sic est Dominus meus Rex sicut Angelus* Domini, *qui nec maledictione nec benedictione mutatur.* Illis beatitudinem decernit Christus, *qui perseuerauerint vsque in finem.* Et Apostolis suis dicit:*Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:ideo dispono vobis regnum, &c.* Sicut aurum in aquam coniectum,non amittit colorem nec pretium:in ignem vero coniectum etiam purius redditur, & splendidius, sic vir iustus & sapiens in aqua prosperitatis non amittit virtutem,in igne tribulationis fit illustrior. Contra impius est similis luto, qui in aqua dissoluitur,& in igne induratur. Nam in secundis luxuriatur,in aduersis fit obstinatus in malo. Rursum iustus est sicut figura quadrata,quæ in quamcumque partem voluitur,sui similis,& sibi constans est. Impius sicut Chamæleon est,qui ad omnem rerum speciem,quibus admouetur,mutat colorem,excepto quod album non recipiat,sicuti impius nulli se virtuti addicit,quũ ad omnia vitia pronus feratur. Commendatur hic ergo à Christo,præter constantiam in bono etiam fortitudo spiritus contra malum, contra falsum,contra durum & aduersum. De quibus singulis dicendi hic locus esse potest.

Fortitudo spiritus contra peccatum,tam est in hac vita virtus necessaria,quàm est viatoribus baculus, non arundineus, sed inflexibilis. Hanc necessitatem Christus docuit, dicens: *Contendite intrare per angustam portam.* In quæ verba Gregorius : *Dicturus angustæ portæ introitum, præmisit.Contendite:quia nisi mentis contentio feruerat,vnda mundi non vincitur, per quem animus semper ad ima reuocatur.* Nempe sic cogitandum : Quoties ad meliora nitimur quasi contra ictum fluminis conamur. Vnde sanctus Hieronymus.*Si paululum se quis remiserit, quomodo qui aduerso*

Marc. 6.

Ho.27.in Matt.operis imperfi.

Ioan.1.

Paulus à palatio in Matt.c.11.

Coloss.2. Ephes.5. Eccl.5.

Eccl.27. Esa.41.

Inconstantiæ in bono causæ.

Heb.3. Thren.3. Psal.72. Simile. Matt.7. Eccl.15.

2.Reg.14.

Matt.10. Luc.22. Simile.

Simile. De fortitudine spiritus contra peccatum. Bonauen. in Diæta salutis c.30

Luc.13. Moral.l. 12.c.28. Li.3.contra Pelag.

Simile. *flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retro labitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur, sic humana conditio, si paululum se remiserit discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit.* Porro A Ioan. quomodo in hoc genere contenderit, tota vitæ eius solitudo, asperitas, sanctitas, etiam ipsis Iudæis & hostibus eius loquebatur. Nam & Herodes ipse inuitus & tristis eum occidit: *quia*
Marc. 6. *metuebat eum sciens esse virum iustum & sanctum, & audito eo multa faciebat.*

Altera fortitudo in defendenda veritate, & contra falsum, non minus in S. Ioanne excelluit. De hac paulo vberius, his saltem temporibus, dicendi locus est. Infinitas enim hodie
Fortitudo spiritus contra falsum. arundines passa est Ecclesia, quæ quouis doctrinæ vento se circumferri sinentes, relicto Christo, retrorsum abierunt. Contra hanc fœdam leuitatem veterum Christianorum, ferrea fortitudo ob oculos poni potest, aliquot exemplis magis illustribus in medium prolatis, maximè eorum qui Principum vel minis, vel blanditiis nihil cesserunt, sicut Ioannes Baptista Herodis potentiam nihil veritus, libidini eius se fortiter opposuit. In Concilio Ariminensi scriptum erat decretum contra Arianos. Illud decretum cæteri Episcopi Eusebio
Exempla. Theod. hist. Eccl. l. 2. c. 35. Samosateno Episcopo custodiendum dederunt. Constantius Imperator Arianus, hoc cognito, mittit ad Eusebium, vt decretum ad eum transmittat. Negat id se facturum Episcopus, nec depositum apud se alienaturum sine patrum consensu, qui deposuerant. Iratus Imperator, iterum mittit, minitans dextram ei præscindere, ni reddat. Episcopus, lecta epistola, porrigit nuncio vtramque manum, dicens: Vtramque potius præscinde. Neque enim
Theod. l. 4. c. 34. decretum hoc, quod tam illustre est impietatis Arianæ testimonium, reddam Augusto. Et laudauit Imperator Episcopi constantiam. Valenti Ariano Imperatori ad bellum contra B Gothos proficiscenti Isaacius eremita occurrit, & frænum equi tenens. quo pergis, inquit, qui contra Deum rebellasti, & à Deo desertus es? Hos enim barbaros contra te excitauit, sicut tu contra Ecclesiam Catholicam hæreticorum linguas acuisti. Cessa ergo, &
3. Reg. 22. Theod. ibi. Zonaras. Catholicis Ecclesias redde, vel ex prælio nunquam viuus reuerteris. Quod & sic accidit. Erat hic Isaacius alter Michæas contra Achab. Britannio quoque Scytopolis Episcopus
Ambr. ep. 29. & 32. eundem Imperatorem in faciem coarguit de persecutione fidelium Catholicorum: & vterque hoc nomine vincula sustinuit. Excelluit in hoc fortitudinis genere sanctus Ambrosius, qui Theodosium Imperatorem, propter iniustam cædem Thessalonicensium excommunicauit, & à templi ingressu prohibuit: qui eundem, post reconciliationem, chori cancellos ingredi volentem, exire per Diaconum iussit: qui eundem iterum acriter reprehendit circa Iu-
In vita eius per Pallad. dæorum Synagogam, Constantinopoli ab eius præfecto ethnico ædificari permissam, à Christianis incendio absumptam, & ab Imperatore reædificari iussam, effecitque vt contrario mandato nullam Iudæis Synagogam permitteret. Idem Valentiniano iuniori Imperatori Ecclesiam pro Arianis constantissimè negauit. Excelluit quoque in eodem genere Sanctus
Vide Apo. nostram in 3. Tomo. In vita Sanctorum apud. Sur. Chrysostomus, qui Eudoxiam Imperatricem, eo quod viduæ Gallitropæ vineam iniustè ablatam reddere admonita noluit, ab Ecclesiæ ingressu prohibuit: & Gainæ Gothorum præfecto Ariano Ecclesiam Constantinopoli concedere, Arcadium Imperatorem non permisit. Sic S. C Thomas Cantuarienſis Archiepiscopus Henrici II. iniustis legibus vsque ad mortem se opposuit. Sic Ioannes Roffensis, & Thomas Morus, aliique innumeri, Henrici VIII. procaci libidini vsque ad sanguinem restiterunt. Sic Sanctus Dunstanus, Archiepiscopus Cantuarienſis, Egdarum Angliæ Regem adulterantem publicè coercuit. Sic Sanctus Lambertus Pipinum Austriæ Ducem cum Alpaide pellice ius coniugale violantem, & Sanctus Stanislaus Cracouienſis Episcopus Boleslaum Poloniæ Regem, simili scelere adulterantem, vsque
Constantia fidei cõtra iussa Principum. Theod. l. 5. c. 39. Nicep. l. 14 c. 20. ad sanguinis effusionem redarguerunt. Omnes isti Sancti Ioannis Baptistæ partes egerunt, & non erant arundines vento agitatæ, sed arbores in Christi charitate radicatæ, & benè fundatæ super firmam petram. Sed circa fidei confessionem, contra iussa Principum & Regum, fortitudinis & constantiæ exempla nunc quædam illustria proferamus, propter nostri temporis arundines, qui Regum & Principum voluntati religionem suam conformarunt. Persarum Rex, Hormisdam virum nobilem, quia Christum negare noluit omnibus exutum, & laceris indutum, camelorum custodem fecit. Longo post tempore eum in hoc squalore videns Rex, pristinæ fortunæ recordatus, & commiseratus in palatium reduci, & nobiliter vestiri iubet, moxque vt Christum neget hortatur. Cui ille, byssinas suas vestes statim conscindens, Si propter istas, inquit, me fidem abnegaturum putas, eas denuo accipe. Atque ita cum ignominia rursum electus, fidem suam fortiter seruauit. Sames vir nobilis, & qui mille seruos D
Tripar. hi. li. 10. c. 32. aluit, à Rege Persarum omnibus bonis exutus, coactus est vni ex seruis suis omnium abiectissimis seruire, cui & vxorem eius rex desponsat, vt hac ratione eũ à fide reuocaret: qui nihil his cõmotus aut mutatus, fidẽ nihilominus integram semper seruauit, omnem hanc iniuriam &
Tripar. hi. li. 9. c. 20. indignitatem libenter pro Christo passus. Iustina Valentiniani iunioris mater, Ariana, vocato Beneuolo Quæstore, iubet vt velociter proponat legem contra Catholicos. Recusantem hoc facere, maioribus eum cingulis, id est, maioribus propositis honoribus, inuitauit. Beneuolus autem discingens se, balteum ante pedes Augustæ proiecit, dicens, nec il-
Victor. l. 1. pers. Vãd. lum honorem, neque maiorem se velle habere pro impietatis mercede. Hunericus Vandalorum Rex Arianus, Saturnum procuratorem domus suæ, virum honoratum, quia hæresim Arianam profiteri noluit, omnibus spoliatum, vt mendicum è domo eijcit, vxore quoque eius

camelario

A camelario in coniugium tradita. Sed & fortis illa erat confessio fidei quã fecit Terentius Dux Valenti Ariano Imperatori. Reuersus ille ex Armenia cum magna victoria, quum eum Imperator petere quam vellet mercedem iuberet, id tantum petiit, vt vna Antiochię Ecclesia Catholicis daretur. Iratus Imperator, petitionis schedulam lacerauit, & vt aliud aliquid peteret, iussit. Terentius fragmenta schedulæ recolligit: Et hoc, inquit, de tua Maiestate totius mercedis loco accipiam, nec aliud petam. Barbarè quidem Valens iste, sed magis barbarè Elizabetha Angliæ Regina hæretica, quæ Sebastianum Londinensem ludimagistrum, quum insignem comœdiam Reginæ exhibuisset, quæ illi egregiè placuerat, & mercedem quam vellet petere iussisset, illéque nihil aliud quàm suæ conscientiæ libertatem peteret, vt sine vlla vexatione Catholico more viuere permitteretur, indignata muliercula, astantibus nobilibus dixit: Videte, obsecro, bonus iste vir conscientiam habet, sed in carcerem abeat, donec inanes hos conscientiæ scrupulos deponere discat: moxque pro omni mercede carcerem reportat. Non Christianam, etsi hæreticam, sed ethnicam aliquam, aut atheam te audire existimes. Eadem Elizabetha apud D. Geffordum nobilem Catholicum Anglum splendidè excepta, post omnes easdemque maximas impensas, captiuum illum secum, sola religionis causa, abduxit. Sed & Richardum Sheileium, virum nobilem hac sola causa, quod Catholicorum nobilium nomine libellum supplicem pro aliqua religionis Catholicæ toleratione, & barbari cuiusdam statuti mitigatio-
B ne, Reginæ porrigere ausus esset, immanissimis primum contumeliis exceptum in carcerem retrusit, vbi non multo post squalore confectus interiit. Sed vt ad vetera redeamus, non minus fortiter quàm Terentius Dux, alius Dux eiusdem Imperatoris Traianus fecit qui à Gothis semel profligatus, ideoque magnis ignominiis ab Imperatore affectus, & ignauiæ ac timiditatis accusatus, liberè respondit: Non ego à Gothis victus sum, sed tu, ô Imperator, qui contra Deũ bellum gerere non cessas. Denique quot ferè vel martyres, vel nobiles fidei confessores in Ecclesia fuerunt, tot huius fortitudinis in facie Principum exempla fuerunt, sed alia aliis magis illustria. Leuitatem vero illam arundineam, in causa fidei quouis vento fauoris Principũ agitatam, etiam ipsi Reges ac Principes orbis exosam non raro habuerunt. Constantius, Constantini Magni pater (vt narrat in vita Constantini Eusebius Pamphili) initio Imperii sui vocatis omnibus domesticis suis, ait, eos qui sacrificare diis vellent, apud se mansuros loco & honore pristino, qui id recusarent, vt recederẽt, gratiasque agerent quod eos grauius persequi nollet. Quibusdam ergo Christianis sacrificantibus, aliis vero aulam potius quàm fidem deserentibus, hos apud se retinuit, magnoque in honore habuit Imperator, alios vero aula sua expulit: dicens, eos Regi suo nunquam fideles fore. qui Deo infideles extitissent. Theoricus Arianus in Affrica Rex, ministrum quendam Catholicum habuit, valde sibi charum & in deliciis. Hic, vt magis Domino suo placeret, Arianus fieri voluit. Quo cognito, capitis eũ supplicio affecit Rex,
C ei dicens: Si Deo tuo fidem non seruasti, quomodo mihi, qui homo sum, seruabis? Hac pœna si horum temporum arundines plecterentur, lenius apud eum iudicem postea fortè punirentur, qui dixit: *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam eum coram Patre meo?* De tertio fortitudinis genere in rebus aduersis constanter ferendis, magis proprius erit in aliis quibusdam Euang. dicendi locus.

Theod. li. 4. c. 32. hi. Eccl.

Elizab. Angl. Reginæ barbara crudelitas.

Theod. l. cit. c. 33.

Li. 1. c. 14. & Sozom. l. 2. c. 6. hist. Eccl.

Theod. Lecticum l. 2. Collectaneorum.

Luc. 9.

Domin. 4. post Epiphan. text. 1. Dom. 5. post Epiph. text. 8. Dom. Sexag. text. 8. Dom. Quinqua. text. 3. Dom. 1. Quadr. text. 1. Dom. 3. post Pasch text. 1. Dom. Pentec. text. 5.

10. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum.*

LOcus moralis contra mollitiem, luxum, omnemque excessum vestimentorum. Christus Ioannem laudaturus, etiam ab hac parte eum laudat, quod vestitus sobrietate, imo & asperitate vsus sit, vestitus pilis camelorum, & zona pellicea. Hæc enim ad asperum vestiendi genus, non ad ciuile aliquod pertinuisse, in altero Promptuario contra hæreticos demonstrauimus. Sed nunc vt illa asperitas vestitus singularis virtus est, etsi non necessaria; sic mollities omnis vestimentorum & luxus, prorsus peccatum est, Deoque displicet, & multorum malorum vel causa, vel effectus & argumentum est, quæ hoc loco omnia tractari possunt; imo & debent, propter horum temporum in hoc peccati genere summam deprauationem. Appositè Gregorius, *Nemo*, inquit, *existimet in luxu & studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Dominus Ioannem de vestimenti ipsius asperitate laudasset. Si hoc culpa nõ esset, nequaquam Apostolus feminas à pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: Non in veste pretiosa.* Nempe sic ad Timotheum scribit: *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se: non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Rursum, vt sapienter alibi idem notauit Greg. *Si cultus subtilium & pretiosarum vestiũ culpa non esset, nequaquam sermo Dei tã vigilãter exprimeret, quod diues qui torquebatur apud inferos,*

De Luxu vestimentorum.

Hom. 6. super Euang.

1. Tim. 2.

Hom. vlt. sup. Euãg.

Esa. 57. *byſſo & purpura indutus fuiſſet.* Sanè Esaias inter reliqua peccata Ieruſalem, etiam hoc enumerat. *Et ornaſti* (inquit) *te regio vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua.* Et rurſum: *In illa die auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & arcus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra.* Obſeruandum hic, quam ſtudiosè Propheta totam illam curioſitatis muliebris farraginem, ad maiorem eius infamiam & turpitudinem oſtendendam, enumerat: docens ſingula apud Deum numerata eſſe, & ab eo ſingula auferenda, vt quæ eum grauiter offendant. Huius generis luxum & D. Petrus di- A

Esa. 3.

1. Pet. 3. ſertè prohibet, de mulieribus dicens: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Nempe à Chriſto hunc luxum prohiberi, ſobrietatem in hoc genere commendari, non ſecus quàm in cibo & potu, optimè intellexerant. Superfluitatem om-

Matt. 6. nem tunc Chriſtus ſuſtulit, quando ſollicitudinem prohibuit: *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Nimiam autem hanc anxietatem, curam, ſollicitudinem, vnde naſcitur luxus & ſuperfluitas, & ex variis capitibus Chriſtus reprobat & refutat. Primum ex Dei prouidentia quæ ſi omnibus patet, maximè fidelibus. *De veſtimento,* inquit, *quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt. Non laborant neque nent. Si autem fœnum agri Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei?* Rurſum, quia Gentile hoc, non Chriſtianum eſt: hoc eſt, infidelitatis & diffidentiæ in Deum argumentum eſt. Vnde vocat eos *modicæ fidei*: & addit, *Hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Tertio, quia ordinem rerum perturbant, dum huius rei curam Dei cultui & ſeruitio anteponunt. Ideo adiecit: *Primum quærite regnum Dei, &c.* Quarto, B

Vide infra Dom. 24. poſt Pent. tex. 4. quia Deum purè colentibus, iſta non deerunt: ideo ſubiunxit: *Et hæc omnia adijcientur.* quod ſi ſollicitudo circa ipſa neceſſaria ſic Deo diſplicet, quanto magis curioſitas circa ſuperflua! Hoc diligenter amplificabit concionator. Rurſum Chriſtus docet Apoſtolos vnica tunica contentos eſſe, & ipſe niſi vnicam tota vita geſtauit. Laudat Apoſtolus veteres iuſtos inter cætera,

Matt. 10. Hebr. 11. etiam hoc aſperitatis in veſtitu nomine: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Talis erat S. Ioannes Baptiſta, & hoc eum nomine Chriſtus hic laudat, vt intelligamus, luxum veſtimentorum Deo grauiter diſplicere, auſteritatem & ſimplicitatem vehementer placere.

Esaiæ 3. Sic porro luxus iſte & mollities Deo diſplicet, vt ab illo grauiter puniatur: quod per Esaiam expreſſit, dicens, *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calui-*

Apoc. 18. *tium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Nempe iuxta illud Apocalypſis: *Quantum ſe glorificauit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Delicias autem illas poſtea commemorans quales eſſent, addit: *Negotiatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius: merces auri & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci:* quæ omnia ad luxum veſtimentorum pertinent. Hanc futuram Dei vltionem diuitibus huius ſeculi exprobrat diuus Iacobus: *Agite nunc diuites, plorate & vlulate in miſeriis veſtris quæ aduenient vobis. Diui-*

Iacobi 5. *tiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta à tineis comeſta ſunt,* id eſt, tantam veſtimentorum ſuperfluitatem habuiſtis vt ea non vlli vſui applicata, ſed *à tineis comeſta,* & planè conſumpta, non corro- C

In vita Pauli eremitæ. ſa tantum aut vitiata fuerint, ideo plorate & vlulate, non propter veſtimentorum iacturam, ſed *in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis* propter veſtimentorum luxum. Sic & D. Hieronymus ex Scripturis edoctus, grauem Dei vindictam contra hoc luxus genus deſcribit, diuites hunc in modum alloquens, vt diuus fecit Iacobus: *Vos in tunicis aurum texitis: ille* (Paulus eremita) *ne viliſſimum quidem veſtimentum habuit municipij veſtri. Sed è contrario illi quidem pauperculo paradiſus pa-*

Epi. ad Lætã. Exẽpla. Hiſt. Ecc. gent. Ang. li. 4. c. 19. *tet: vos auratos gehenna ſuſcipiet. Ille veſtem Chriſti, nudus licet, tamen ſeruauit: vos veſtiti ſericis, indumentum Chriſti perdidiſtis.* Idem ad Lætam de inſtitutione filiæ, *Nec* inquit, *collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris,* quos videlicet vel in hac vita, vel in altera pati neceſſe eſt. Exemplum refert V. Beda in hiſtoria gentis noſtræ. Edildrida Regis filia, & duorum Regum vxor, virgo tamen, quum in vltima ætate iam virginum Abbatiſſa facta, *ingenti quodam tumore ac dolore maxillæ ſiue colli premeretur* (ex quo etiam dolore mortua eſt) *multum delectata fuit in hoc genere infirmitatis, ac ſolita dicere: Scio certiſſimè, quia merito in collo pondus languoris porto, in quo iuuenculam me memini ſuperuacua monilium pondera geſtaſſe: & cre-*

In Epi. ad Lætam de inſtit. filiæ In ſer. 5. de lapſis. *do quod ideo me ſuperna pietas dolore colli voluit grauari, vt ſic abſoluat à reatu ſuperuacuæ leuitatis, dum mihi nunc pro auro & margaritis, de collo rubor tumoris, ardorque promineat.* Hæc ibi. Refert quoque D. Hieronymus exemplũ ſanè terribile, de Prætextata nobiliſſima matrona, quæ quum Euſtochij virginis neptis ſuæ caput gemmis ornaſſet, & neglectum crinem mundano more pexuiſſet, acce- D

Sophon. 1. pta viſione, manus paſſa eſt protinus arefactas, & quinto poſt menſe (vt viſio prædixit) interiit. Moxque concludit D. Hieronymus: *Sic gemmas & pretioſiſſima ornamenta Chriſtus defendit.* Dicẽ-

Cauſæ cur luxus veſtimentorũ Deo diſpliceat. dum in hac cauſa, quod in alia quadam ſcripſit S. Cyprianus: *Tormenta paucorum, exempla ſunt omnium.* Huc pertinet quod Scriptura dicit: *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.*

Sed nunc cauſas explicabimus, propter quas mollities iſta & luxus veſtimentorum (quod vix hodie peccatum videtur, imo ad neceſſariam quandam honeſtatem pertinere putatur) res ſit adeo Deo ingrata, & quæ tam grauiter diſpliceat. Primum, quia cultus iſte corporis exte-

1. De conſiderat. li. 3. rior nimius: mollities & luxus, certum eſt indicium & argumentum animi prorſus neglecti. Sic D. Bernardus: *Veſtium curioſitas, deformitatis mentium & morum indicium eſt.* Et iterum: *quanto*

amplius

A *ampliùs corpus foris propter vanam gloriam componitur atque ornatur, tanto interius anima fœdatur & sordidatur.* Rursum alio in loco: *Exterior superfluitas interioris hominis indicium est.* Sic S. Hieronymus Paulam non minùs sanctam, quam nobilem matronam dicere solitam scribit: *Si vidisset aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultus tristitia arguebat errantem dicens, munditiam corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam.* Idem censuit D. Ambrosius, quum scriberet: *Neglecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum quod nos non ornamus ornatus est.* Sic de Cyprianus: *Serico & purpura indutæ, Christum sincerè induere non possunt: auro & margaritis adornatæ & monilibus, ornamenta mentis & corporis perdiderunt.* Ex scripturis verò hoc totum sanctæ istæ personæ didicerunt. Sic enim legimus: *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, enuntiant de eo.* Quam ob causam Apostolus, quum vestes pretiosas mulieribus interdixisset, subiungit: *Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Nempe mulier sobriè vestita promittit aspicientibus castitatem: compta verò & superflua curiositate ornata, promittit impudicitiam meretriciam. Hoc sanè & ipsi ethnici iudicare poterant. Philippus Macedonum Rex quendam ex Antipatri amicis in numerum iudicum ascripserat: verùm post, vbi cognouit illum tingere barbam & capillos, submouit eũ, dicens, qui in capillis fidus non esset, eum in rebus gerendis videri non dignum cui fideretur. Celebre est hac in re Augusti Cæsaris dictum: *Vestitus, insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidúsque luxuriæ.* Ostendit videlicet animi superbiam, & fouet luxuriam. Vnde & ipse simplici amictu vtebatur, & in suis qui secus facerent, ægrè ferebat. *Quum Iulia eius filia licentiori quàm par erat vestitu ædes eius ingressa, eum grauiter offendisset, postero die, mutato vestitu, iterum Augustum salutauit, quam vbi vidisset, ait: Quànto probabilior est hic cultus tam honestus in filia Augusti? Cui respondit: Hodie me parentis, heri verò mariti mei ornaui oculis.* Et ista quidem acutulè inuenit excusationem in peccato: sed grauius erat tanti Imperatoris iudiciũ, qui personã nobilem luxum maximè dedecere sapienter iudicauit, quam iuuenis mariti affectio, qui ad libidinem & voluptatem superfluè ornari vxorem voluit. Et huius quidem libidinem plurimi mali Christiani sectantur, Augusti grauitatem pauci. Porrò mollem cultum corporis, animi effeminati in viro potissimũ indicium esse, falsè sed sapienter Diogenes docuit. Cum enim adolescens quidam comptior, ei quæstiunculam proposuisset: *Non tibi priùs* (inquit) *respondebo, quàm sublatis vestibus ostenderis vtrum masculus sis an femina.* Ex cultu parum virili notauit animi mollitiem. Idem indoctos & ineptos homines splendidè vestitos χρυσομήλους, id est, oues aureo vellere vocauit. Laudat meritò Clemens Alexandrinus Lacedæmoniorum institutũ, qui solis meretricibus floridas vestes, & aurum mundum gestare permiserunt: quia probas mulieres huiusmodi superfluum cultum minimè decere iudicabant. Sic Lisander & Archidamus Lacedæmonum Principes ea recusarunt indumenta pretiosissima, quæ ad eorum filias Dionysius Sicilię tyrannus miserat, timentes maximè, ne hisce deformiores animis fierent. Ob quam etiam causam, & vt tantorum Principum filiæ corrumperentur, hostis Dionysius amicitiæ specie miserat. Idem quippe Dionysius adeò exosam habuit in vestitu luxuriam, vt malefactoribus, qui supplicijs afficiendi erant, ignosceret, si pretiosarum vestium fures essent: quo faciliùs Syracusani ab huiusmodi luxurijs abstinerent. Flauio Vespasiano quum adolescens quidam gratias ageret pro impetrata Præfectura, quoniam vnguento fragrabat, & nutu contemptus est, & grauiter increpatus: Mallem, inquit Imperator, alium oluisses. Mox & literas concessas reuocauit. Omnes hi iudicarunt, animo molli, effeminato, & ignauo illos omnes esse, qui vestimentorum mollitiem consectarentur. Quod in Christianis maximè, quàm absurdum & turpe sit, D. Chrysostomus his verbis exponit. *Si quis domum tuam aureis velit dependentis ornare, te verò nudum in cilicijs sedere cogeret, an æquo animo id ferre posses? Nunc verò non alius, sed tu ipse domicilium animæ tuæ (corpus dico) & gemmis exornas, animam verò in turpitudine cilicij sedentem negligis.* Imperator Seuerus humili vestitu contentus, sic factum suum defendit: *Imperatoria Maiestas virtute constat, non corporis cultu.* Multo magis Christiana & Ecclesiastica dignitas virtute constat, non corporis cultu. Vnde Sanctus Augustinus: *Verus ornatus Christianorum, non tantum nullus fucus mendax est, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni.* Præclarè quoque Diuus Cyprianus: *Ornamentorum & vestium insignia, & lenocinia fucorum non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt. Et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est.* Hanc igitur ob causam grauiter Deo displicet & exosus est vestimentorum luxus, quia animi planè neglecti, dissoluti, effeminati, corrupti, totus ille apparatus certum indicium est.

Ser. super Missus est. In apolog. In Epitaphio Paulæ Lib. 1. de Virginit. Lib. de habitu Virginum. Eccles. 19. 1. Tim. 1. Erasm. l. 4 Apophteg. Suetonius in August. c. 73. Macrob. l. 2. c. 5. Satur. Laërt. li. 6. de vitis Phi. Apophthegma. Pædagogi 2. cap. 10. Steph. Bellegardus in votu. sent. ad verbum Vestimentum & Vestitus. Suetonius in vita Vespas. Homil. 70 in Matth. Brusontus lib. 3. c. 13. Apophth. Epist. 73. ad Possidium. De habitu virginum.

Huc accedit quòd omnis vestimentorum luxus, non indicium tantum, quasique effectus est animi corrupti, sicut fumus ignis indicium est, & pallor morbi, vt notauit Clemens Alexãdrinus: verùm etiam idem causa quoque & origo est multorum malorum, ipsúmque animum corrumpit. Vnde Diuus Bernardus: *Mollia dicuntur vestimenta, quia mollem faciunt animum.* Et alibi: *Quæritur ad induendum, non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat.* Et paulò pòst. *Quando vestem empturus lustras vrbes, fora circuis, percurris nundinas, domos scrutaris, negotiatorum cunctam euertis singulorum supellectilem, ingentes explicas cumulos pannorum, attrectas digitis, admoues oculis: solis opponis radio: quicquid grossum, quicquid pallidum occurrit respuis, si quid autem sui nitore, ac puritate placuerit, illud mox quantolibet pretio satagis tibi retinere, rogo te, ex corde facis hæc, an simpliciter? Cùm studiosissime quæris quod quia rarius inuenitur, pretiosius emitur, ignorans facis hæc, an ex industria? Ex cordis thezauro sine dubio procedit quicquid foris apparet vitiosum. Vanũ*

2. Causa. *Pædag. l. 3. Cap. 1. Serm. 9. ad sororem. In Apolog. ad Guil. Ab.*

cor vanitatis notam ingerit corpori. Non tanto curaretur corporis cultu, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Hæc ille, hominum in hac parte vanitatem graphicè describens, etsi de quibusdã tantùm sui temporis monachis hæc scripserat. Nempe quemadmodum ex putrido ligno vermes enascuntur, qui enati, lignum ipsum magis corrodunt, sic ex superbia, animi vanitate, & concupiscentia oculorum, nascitur omnis cultus superfluus, & vestimentorum luxus, idémq; postea luxus superbiam magis fouet, auget, consummat. Vnde Clemens Alexandrinus in suo Pædagogo. *Ea quæ à feminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ detrahendæ sunt, vt quæ instabilem superbiam ac mollitiem, inanésque voluptates procreent, quibus excitatæ, & quodammodo alatæ, sæpè à matrimonio resiliunt. Quocirca fœminæ honestè ornandæ & pudico pudore astringendæ sunt, ne à veritate propter mollitiem difluant.* Hinc videlicet illa lex Lacedæmoniorum superius citata, quãm ita strictè observarunt, vt quemadmodum narrat Ælianus, Ephori, id est, supremi eorum Magistratus, quotidie inspectiones obirent vestimentorum, si quid in illis fortè à decenti iustóque ornatu alienum inueniretur. Similiter & ob eandem causam apud Syracusanos cautum erat, ne mulieres auro ornarentur, neque floridas vestes gestarent, neque purpureos habentes contextus, nisi si qua se publicam meretricem esse fateretur. Alia quoque fuit lex, ne quis vir se auro ornaret, superuacaneisque vestibus vteretur differentibus, nisi se mœchum esse fateretur aut cinœdum. Huc pertinet quod grauissimè scribit Tertullianus, luculenter ostendens quantũ reatum secum adferat hic vestimentorum luxus. *Diuino* (inquit) *operi Satanæ ingenia superinducere quã scelestum est. Serui nostri ab inimicis nostris nihil mutuantur. Milites ab hoste Imperatoris sui nihil concupiscunt. De aduersario enim eius in cuius manu sit, aliquid vsui postulare transgressio est. Christianus à malo ille* (sic diabolum vocat) *adiuuatur? Nescio an hoc nomen* (Christiani) *ei perseueret. Quantum autem à vestris disciplinis & professionibus alienæ sunt, quam indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur? effigiem mentiri, quibus lingua non licet? appetere quod datum non sit* (id est, formæ pulchritudinem quam natura negauit) *quibus alienum abstinendum? speciem exercere, quibus studium pudicitiæ est? Credite, benedictæ, quomodo præcepta Dei custodietis lineamenta vestra non custodientes?* Hæc ille, docens veram quodãmodo Christianitatẽ hoc inani & vanissimo luxu amitti. In eodẽ libro paulò pòst: quomodo etiã proximis malũ inferat idem luxus, docet: *Quid alteri periculo sumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? Nescio an impunè abeat, qui alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma, si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit: & facta es tu gladius illi. Certè vt culpa vaces, ab inuidia non liberaberis: vt dũ in alicuius agro latrocinium gestum est crimen quidem Dominum non constringit, dum res tamen eius ignominia notatur, ipse quoque infamia aspergitur.* Hæc ille. D. Antoninus Archiepiscopus Florẽtinus feminas omnes impudico & meretricio habitu vestitas, quasi instrumenta dæmonum ad perdendas animas, ex templis omnibus suæ ciuitatis expulit. Nec dissimiliter Tertulliano D. Chrysostomus: *Quid enim ornaris, dic quæso? vt viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hic verò contrarium fit,* domi rudior, foris comptissima procedis. *Si autem proprio vis viro placere, alijs ne cura vt placeas. Si verò alijs placere vis, non potes placere tuo.* Hæc ille. Ibidem docet, vt modo Tertul. quantum professioni Christianæ repugnet hoc genus vanissimi luxus. *Dic mihi si quis tibi regalem dedisset vestem, tu vero supra illam seruile quoddam nacta indumentum superindueres, an non, præterquam quod dedecus committeres pœnas quoque meritò dares? Tu verò cœli, & Angelorum Dominum* per baptismum *induta es, dicente Apostolo: Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis, & terrenis adhuc immoraris;* luxuriæ vestem indueris? *Hæc ideo dixi, quod magnũ quidem in seipso malum est studium illud ornandi, etiamsi nullum malum ex eo nasceretur, sed liceret tuto, & citra periculum habere.* Hæc rursum ille. His etiam conformiter docet Cyprian. quantã Deo Creatori iniuriam faciunt quæ se extreno ornatu nimium curiosè adornant mulieres. *Si quis* (inquit) *pingendi artifex vultum alicuius, & speciem, & corporis qualitatem multo colore signasset, & signato iã consummatóque simulacro, manus alicuius afferret, vt iam formata, iam picta, quæsi peritior reformaret grauis prioris artificis iniuria & iusta indignatio videretur; tu te existimas impunè laturum tantæ temeritatis audaciam? Dei artificis offensam? Etsi enim impudica circa homines, & mœcha fucis lenocinantibus non sis, corruptis tamen violatisque quæ Dei sunt, peior adultera detineris.* Hæc ille. Horum ergo omnium malorum ineptissimus hic vestimentorum luxus causa est. Animum mollem & delicatum facit. Superbiam & fastum generat ac fouet. Satanę vestem, Christi vestimento superinducit. Alienam concupiscentiam excitat. Naturæ authori iniuriam facit.

Simile.

Lib. 3. c. 11.

Variar. hist. lib. 14.

Atheneus l. 12. c. 6. ex Phylarchi lib. 25. hist.

Lib. de cultu femin.

Lib. de cultu femin.

Invita eius apud Sur. tom. 3.

Hom. 10. in ep. ad Col.

Vide etiam hom. 18. in Epist. 22.

Ibid.

Simile.

Li. de habitu Virg.

A

B

C

D

3. *Temporis dispendiũ.*

Sed inter alia adhuc mala, quorum causa est, non infimum etiam hoc est, quòd mollitiem hanc qui sectantur, maximum in eo cultu temporis sui dispendium faciunt. Si enim nullo malo fine curiositas illa adhiberetur, saltem multum in ea temporis male perdunt, iuxta illud Comici, *Dum moliantur, dum comuntur, annus est.* quod ex alio poëta Græco, qui similiter hanc inanem curiositatem, & temporis iacturam descripsit, citat Clemens Alexandrinus in suo Pædagogo: *Venit ipsa, transit, accedit? Non transit, venit, adest, abest, tergitur, accedit, smegmate sæponeve purgatur, pectitur, cierit, teritur, lauatur, se contemplatur, componitur, vnguentis perfũditur, ornatur, vngitur, & si quid non habeat, mercatur. Ter enim, non semel, dignæ sunt quæ pereant, quæ Crocodilorum excrementis vtuntur, quæ spuma sepiarum vnguntur, quæ supercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt. Quæ ergo, vel Pœtis Ethnicis erant odio propter mores, quanto magis à veritate reijcienda sunt!* Hæc Clemens. Luxuria tamen Anglicana, regnante illic altera Cleopatra, omnem hanc insanam curiositatem superat, vbi Leceſtrij Comitis hominis infamis, & nostri sæculi (vno excepto diademate) Sardanapali,

Lib. 3. c. 1.

In vitæ S. Pelagiæ apud Sur. 8. Octob.

A pali, putatitia vxor lacte se totam abluere consueuit vt procaciſſimæ viri libidini satisfaceret. S. Nonnus Episcopus Heliopolitanus, videns Pelagiam meretricem Antiochenam fortè in platea transeuntem, vsque adeò comptam & ornatam, vt nihil in eius vestibus cerneretur præter aurum, margaritas, & gemmas; diu illam aspiciens & considerans, postea ad astantes dixit: Quot putatis horas expendit hæc mulier, dum in cubiculo suo se lauat & componit, omnem diligentiam impendens, ne quid possit in ea decoris ac pulchritudinis desiderari, vt placeat omnium oculis? Similiter Pambus Eremita Alexandriam ex eremo descendens, rogante Athanasio Episcopo, quum vidisset ibi mulierem in pompa sumptuosius exquisitiusque ornatam, quo homines ad se spectandam inuitaret, lachrymas profudit. Rogantibus cur lachrymaret, respondit se duabus causis fuisse commotum: vna, quòd videret mulierem sibi exitium parere: altera, quod ipse non tanta cura ac studio ad placendum Deo, quanta illa ad hominibus flagitiosis blandiendum, incumberet. Nempe de huiusmodi verissimum est, quod non minus facetè quàm sapienter dicere solebat Thomas Morus, pietate & eruditione clarissimus vir, *Quamplurimos in hac vita eo labore infernum mercari, cuius vel dimidio cœlum lucrati fuissent.* Vnde idem vir Sanctus domicellę cuidam, quæ multo cum labore, atque etiam dolore crines complicabat, vt frons lata esset, tunicamque constringebat, vt gracili corpore videretur, *Nisi Deus tibi pro hoc tuo tanto labore infernum reddat, magnam tibi profectò iniuriam faciet.*

Soc. hist. Eccl. l. 4. cap. 18.

In vita Tho. Morî cap. 12. Exemplũ.

Apophth.

Iam verò huius generis luxus hoc maximum malum est, quòd totus ad vanam gloriam
B destinatur: nec vllum alium, aut fructum quærit, aut finem respicit: quàm vt hominum oculis placendo, inanem aliquam laudem & existimationem reportet. qua vna re vt nihil in se ineptius, ita nihil Dei legibus & Christianæ vocationi repugnantius. Rectè monuit Sapiens: *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.* Qui enim in superfluo cultu gloriatur, perinde facit ac si de panniculis & fasciis, quibus vulnera obuoluuntur & alligantur, gloriaretur. Nihil enim aliud sunt speciosa vestimenta, quàm ægri & malè affecti animi quædam quasi medicamenta, sine quibus perpetuò cruciaretur, nec in publicum prodire auderet. *Quemadmodum enim cui est impositum cataplasma, & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem, ita fuci, tinctura,* & affectatus ornatus, *animam intrinsecus ægrotare significant*, ait Clemens. Vnde D. Gregorius: *Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur res ipsa testatur: quam nemo velit ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri.* Diues quoque domi cum vxore, & familiaribus cibum capiens, supellectilem pretiosam non ostentat: vocatis conuiuis, omnia exponit, docens hoc ipso, quòd non propter se, sed propter opinionem aliorum, illa pretiosa apud se habet. Hæc autem est omnium vanitatum maxima vanitas, velle ex ornatu vestium aliquid apud homines existimationis quærere. Pulchrè Seneca. *Quemadmodum stultus est qui equum emptur[us], non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frena: sic stultissimus est qui hominum aut ex veste, aut ex cõditione quæ vestis: modo nobis circundata est, æstimat.* Eleganter Apelles, quum vidisset quendam ex
C suis discipulis pinxisse Helenam multo auro ornatam, O *adolescens*, ait, *quũ non possès pingere pulchram, pinxisti diuitem.* Tales sunt qui ex ornatu externo pulchritudinem quærunt, & existimationem venantur. Sapienter Innocentius Papa: *Quid aliud est pretiosior ornatus, quam sepulchrum foris dealbatum, intus spurcitia?* Quod certe eleganti similitudine Clemens Alexandrinus expressit. *Apud Ægyptios* (inquit) *templa, porticus, vestibula, ac laci magnificè instructi, & atria multis columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis, & artificiosè depictis resplendent, ita vt nihil desit. Ædes autem auro, argento, & electro collucent, & ex India, ac Æthiopia varijs fulgentibus lapillis: adyta verò intextis auro adumbrantur peplis. Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad eius, quod præstantius est, spectaculum properans, imaginem, quæ templum habitat quæsieris, non inuenietur Deus qui quærebatur & expectabatur sub tanto apparatu, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua eiusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro, speluncæ, ac cœno magis congruit. Ita mihi videntur fœminæ quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & ingenis vngendis, oculisque pingendis, & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem arte improba persequuntur, carnalem ambitum ornantes, & verè Ægyptios imitãtes, infelices amatores attrahere. Sed si quis velum templi aperuerit, vitam, inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, & quæ eis intrita & incrustata sunt, tanquam illic veram inuenturus pulchritudinem, rectè scio eũ esse abominaturum. Neque enim Dei imaginem intus inueniet inhabitantem, sed loco eius fornicatrix & adultera, animæ aditum occupant, & vera esse bestia conuincetur, & fuco incrustata simia, & seductor ille serpens*
D *per gloriæ cupiditatem, pro spelunca habet animum qui mulieres in meretrices transformat, fungens lenonis officio.* Hæc ille. Laudat igitur alio in loco idem Clemens scriptor Apostolicus, Cœum sophistam, qui virtutis & improbitatis aptas descripsit imagines. *Virtutem enim fecit simpliciter stantem, candida veste indutam & puram, sola verecundia ornatam. Improbitatem verò, superflua & varia veste indutam, alieno colore exultantem.* Hac igitur vana gloria nihil vanius, quæ ex ornatu externo quæritur. Sapienter idem Clemens alibi: *Si quis auro se ornari existimet, is auro est inferior: qui autem auro inferior, non est eius Dominus.* Et eleganter Solon Crœsi regis vanitatem hac in parte repressit. Crœsus Rex Lydiæ, quum se exquisitissimo omnium ornamentorum genere composuisset, sublimique in solio sederet, interrogauit Solonem, *an pulchrius vnquam spectaculum vidisset*: qui respondit, *gallos gallinaceos, fasianos, atque pauones.* Hanc vanitatem apud suos Vtopienses optimè perfectam, ideoque ex ea beata insula penitus ablegatam fuisse scribit Morus: *Mirantur* (inquit) *quempiam esse mortalium, quem exiguæ gemmulæ, aut lapilli dubius oblectet fulgor, cui quidem stellam*

4. *Luxus ad vanam gloriam destinatur.*

Ecc. 11. Similia.

Pædag. l. 3. cap. 2.

Hom. vlt. super Euang.

Lib. 2. ep. 47.

Clemens Alexand. Pædag. l. 2. cap. 12.

Apophth.

Lib. de vil. conditionis humanæ.

Pædag. l. 3. cap. 2. Simile.

Pædag. l. 2. cap. 10.

Pædag. li. 3. cap. 21.

Laërt. li. 1. c. 2. de vitis Philosoph. Apophth. Vtopiali. 2.

aliquid, atque ipsum denique solem liceat intueri: aut quenquam tam insanum esse, vt nobilior sibi ob tenuioris lanæ filum videatur: siquidem hanc ipsam, quamuis tenui filo sit, ouis olim gestauit, nec aliud tamen interim quàm ouis fuit. Et paulò pòst. *In hoc adulterinæ voluptatis genere eos collocant, qui quo meliorem* A *togam habent, eo sibi meliores ipsi videntur. Qua vna in re bis errant. Neque enim minùs falsi sunt, quòd meliorem putant togam suam, quam quod se. Cur enim si vestis vsum spectes, tenuioris fili lana præstat crassiori? At illi tamen tanquam natura, non honore præcellerent, attollunt cristas, & sibimet quoque pretij credunt inde nonnihil accedere; eoque honorem quem vilius vestiti spectare non essent ausi, elegantiori togæ veluti suo iure e-*

Exemplum *xigunt, & prætermissi negligentiùs indignantur.* Hanc vulgarem ferè omnium vanitatem illa optimè instituta Respub. prorsus irridet. Sed ad hanc vanitatem ciuis quidam Londinensis primarius non minus lepidè, quàm etiam sapienter refutauit. Moris est Londini, vt primarij ciues, maximè decurionum officio defuncti, diebus certis celebrioribus apud Prætorem vrbis, prandeant etiam non inuitati. Venit hic bonus ciuis ad Prætoris domum hora prandij, honestè, sed mediocriter indutus. Repellitur à ianitore, vt eo cœtu indignus. Ille causam erroris agnoscens, domum redit, & nobiliori veste se confestim induit. Hac indutus, accedens intromittitur, accumbit, prandet: Prandio finito, quum de more singuli Prætori gratias agerent, ille togam exutam mensæ imponit, & magna cum reuerentia togæ suæ de hoc prandio gratias agit. Quod factum cæteris in viro tam graui mirantibus, causam quum dixisset, communis erroris & opinionis vanitatem singuli agnoscebant. Sed ad Vtopiensium sententiam præallegatã, B

Maximus ser. 34. Apophthegma. Pædagog. l.2.c.10. maximus Philosophus Aristoteles accessit: qui quum animaduertisset adolescentem propter chlamidis magnificentiam se iactantem, & gloriantem, *Non desines, adolescens* (inquit) *propter ouis gloriari virtutem?* Certè Clemens Alexandrinus idololatriam quandam esse docuit, hãc, quæ ex cultu & ornatu externo quæritur gloriam. *Qui* (inquit) *pulchri simulacrum, nimium scilicet ornatus studium, non autem ipsum pulchrum & honestum attendant, spetioso nomine simulacrorum cultum rursus inducentes à veritate longè sunt relegendi, quum ex opinione, non scientia, pulchri naturã somnient.* Hæc

Orat. 53. tom. 1. ille. Et sanè homo improbus vel fatuus splendidè ornatus, idolum quoddam est: quem si propterea colas & honores, nonne idololatriam quandam committis? Cæterùm huius vanitatis, & mollitiei quanta sit dementia apta similitudine expressit Isidorus Clarius, concionator facundissimus. Miror (inquit vehementer obtusos fœminarum sensus, quę cum pleræque omnes summum bonum speciem corporis arbitrentur, ad illam, quæ in Euangelio promittitur, com-

Simile. parandam non inflammentur. Sic enim cogitare deberent. Si quis mulieri cuipiam polliceretur fore, vt si vno anno fucum omnem, & corporis ornatum negligeret, centum postea annis omnium mulierum, quę vnquam essent, pulcherrima appareret, profectò conditionem accipe- C ret libentissimè. Rursus si diceretur ei, permitti quidem illi vt vno anno omnibus fucis, omnique ornamentorum genere vteretur, verùm eo peracto, reliqua tota vita omnium mulierum esset turpissima: nihil dubitandum est eam mulierem omnem oblatum illius anni ornatum recusaturam, metu secuturæ deformitatis. At hæc omnia vsu ventura sunt, eáque tanto maioris ponderis, quantum æternitas tempori antecellit, & tanta in re tam oscitanter tamen se habent. Futurum enim est, vt quæ in hac vita modestè & sine fucis ac superuacuis ornamentis vixerint, corpora sint habituræ claritatem solis æquantia, idque in sempiternum: quæ vero hic conspicuæ apparere voluerint, æternam deformitatem cum diabolo & angelis eius sint consecuturæ. Hæc ille. Maxima sanè eius stupiditas est, qui hac vera & solida consideratione non mouetur. Sed hæc est huius vanæ gloriæ fallacia, quæ eo fulgore oculos perstringit, vt malint mortales, ad momentum esse fucati, quàm in sempiternum splendidi ac beati.

3. Caret modo tuxus. Pædag. l.3. cap. 2. Ad hæc omnia mala aliud accedit huic penè proprium, quod huius mollitiei, luxus, & vanitatis, nullus propemodum modus est, nullus terminus aut finis: Quod præclarè docuit Clemens Alexandrinus. *Ebriosum* (inquit) *esse, & vinosum, etsi sunt magna vitia, non tamen tanta, quantum est nimium sui ornandi studium. Mensa plena, & frequentes calices satis sunt ad implendam ingluuiem. At qui auri, purpuræ, & gemmarum nimio studio tenentur, ijs nec quod super terram, nec quod sub terra est, aurum sufficerit. Dum ergo cupiditatis limites sibi non constituunt, in impudentiam impingunt. Eis enim opus* D *est & theatro & pompa & spectatorum multitudine, & errore in sacris, & diuturna mora in triuijs, vt sint manifesti omnibus.* Hæc ille ibi. Arguit porro & illud infinitam propemodum huius vanitatis varietatem, quòd ad corpus ornandum, vbi modum semel excessimus, nulla vnquam sufficiunt vestimentorum genera, indumentorum formis varijs, & quotidie nouis, nullus est finis. Recitat autem ex Aristophane Poëta comico Clemens Alexandrinus muliebris ornatus ingentem supellectilem, quæ hodie penè tota ad viros transijt. *Adducam* (inquit Clemens) *ipsa verba Comici, quæ importunum vestræ insolentiæ fastum apertè arguunt. Mitræ, redimicula, nitrum & acus, pumex,*

Li.2.c.12. *strophium, quæ post locatur funda, & posterius operculum, focus, torques, componendorum oculorum instrumenta, subtilis vestis linea, vitta, zona, instita, prætexta, militia, cython, barathrum, encyclon, tunica. Quæ sunt autem horum non dixi maxima: inaures, gemmæ, plastra, botrylidon, fibulæ, amphileæ: monilia, pedicæ,*

Exempla Suetonius in eius vita Alexand. ab Alex. lib.5.c.18. *sigilla, catenæ, annuli, cataplasmata, ampullæ, capitis ligamina, obeliſci, sardia, ventilabra, clinteres. Ego quidem defessus sum & indignor dicendo tot earum ornamentorum multitudinem, & mihi mirabile sit quod non enecentur, quum tantum onus baiulent.* Hæc ille. Huc videlicet se effundit modestiæ victrix audacia: & in hoc luxus genere excessus penè incredibiles leguntur. Caius Cæsar Augustus rarò humanis vestimentis indui voluit, quippe qui luxurians sæpenumero conspectus fuit deorum habitu,

habitu, nunc aurea barba, nunc Veneris habitu, Nero nullam veſtem bis induit. Heliogabalus gemmas ab optimis ſculptas artificibus in calceamētis ferebat, quæ numquam iterabat. Sed & hodie in Anglia Gualterus Raiolæus Reginæ Elizabethæ amaſius, viſus eſt in aula crepidas geſtare ita gemmis onuſtas, vt ad 6600. aureos, & amplius æſtimarentur: homo alioqui obſcurus, & ante amores regios ſortis abiectiſſimæ. Denique eò nunc luxus iſte in Anglia excreuit, vt qui Henrici ſeptimi, cui octauus ſucceſſit huius Elizabethæ pater, veſtitus fuit, vix nunc nobilem mediocrem deceat, & quo olim primarij nobiles, Duces, Marchiones, Comites vſi fuerunt, eo nunc inferior nobilitas veſtitus ſplendore vtatur: nobilitatis verò inferioris amictu veteri, vix mechanici & villici agrorum iam contenti ſint, vt quod Chriſtus hic dixit, *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, iam multo latius pateat, & in quibuſuis nobilium ciuium, villicorum domibus, mollibus veſtiantur, tam viri quàm feminæ: vtque ad multos iam in Anglia, Gallia, & alibi viros molliſſimè comptos & cultos, illud Diogenis iterum dici debeat. Ille enim quum vidiſſet generoſum quendam adoleſcentem muliebriter veſtitum, *Non te pudet* (inquit) *qui peius tibi velis quàm ipſa natura voluit? Illa ſiquidem te virum eſſe voluit, tu verò teipſum ex veſtitu mulierem facis*. Lege de hoc luxu muliebri D. Chryſoſtomum homil. 90. in Matthæum prolixè differentem. Fecit nimirum prodigioſiſſima horum temporum mollities, & luxus in hoc genere effuſiſſimus; vt hunc vnum locum copioſiùs tractauerim: eo etiam magis, quòd vix in alio Euangelio per Eccleſias legi ſolito mollities iſta & luxus reprehendatur. Deligat ex tanta varietate concionator ea quę ex his omnibus, præſenti loco, tempori, perſonis magis conuenire, magiſque fructuoſa fore iudicabit. Quare vt hunc locum concludamus, molles iſti, & papiliones depicti, illud Amos Prophetæ auſcultent: *Væ vobis Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël*. Quid enim hodie diceret, ſi videret, non Optimates tantùm, ſed de vulgo ipſo & media plebe, quanta pompa, quo apparatu & ſplendore templa Dei ingrediuntur? Deum ſuppliciter oraturi, quanto maximo poſſunt cum faſtu & ſplendore domum eius ingrediuntur, quo nihil abſurdius.

Laert. lib. 6 Apophth.

Amos.

EVANGELIVM DOMINICÆ III.

Aduentus.

MISERVNT Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioānem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit; Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt reſponſum demus his qui miſerunt nos? Quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua. Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti eius. Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

Ioan. 1.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem vt interrogarent eum. Tu quis es?* De vano & temerario mundi iudicio.

2. *Confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* De vana exiſtimatione fugienda.

3. *Ego vox clamantis in deſerto.* De vero officio prædicatorum verbi ſaluti auditorum neceſſario.

4. *Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta.* De neceſſaria præparatione ex parte noſtra ad Chriſti gratiam.

5. *Quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus neque Elias neque Propheta?* De leuitate & inconſtantia fauoris & exiſtimationis humanæ.

6. *Medius vestrum stetit quem vos nescitis.* Contra ambitionem.
7. *Quem vos nescitis.* De fidei virtute & inferiori oculo.
8. *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere.* De humilitatis præstantissima virtute. A

1. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, &c.*

Mundanæ existimationis vanitas

LOcus moralis de mundi huius vano & temerario iudicio. Ad Ioannem mittunt Iudæi legationem honorificam (nam isti Sacerdotes missi ex Pharisæis erant, qui scientiæ & sanctitatis opinione cæteris tunc omnibus præcellebant) vt illum pro Messia, quem tunc omnes expectabant, si se eum profiteri vellet, reciperent. In illa enim interrogatione, *Tu quis es?* an Messias esset, interrogabant, sicuti ex Ioannis responsione euidenter patet, dicentis, *Non sum ego Christus.* Alioqui ad interrogatum non respondisset nisi hoc illi vel apertis verbis, quæ breuitatis causa Euangelista prætermisit, vel tacita intentione & voluntate eum interrogassent. Nam & simpliciter, quis esset Ioannes ignorare non poterant, cuius & genus & vitam & doctrinam tot annis exploratam habuissent. Interrogant igitur Ioannem Iudæi, & quidem solemni atque honorifica missa à Metropoli sua ciuitate legatione, an sit Christus: & hunc illi maximum honorem deferunt. At Christo nunquam eum honorem detulerunt. Nunquam ad illum legatos miserunt. Nunquam nisi captiosè, an Christus esset, interrogant. At cur istud obsecro? Maiora fuerunt Christi opera quàm Ioannis. Imo Ioannes ideo nullum miraculum fecit, vt tanto esset illustrior Christi gloria, tantóque facilius eum Iudæi pro vero Messia reciperent. Excelsior & diuinior fuit eius doctrina. Sic enim docebat, non vt Pharisæi & alij legis doctores, sed *tanquam potestatem habens.* Denique vt se Messiam ostendat, dixit discipulis Ioannis: *Renuntiate Ioanni ea quæ audistis & vidistis.* Ipsi quoque Iudæi confessi sunt: *Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic homo loquitur:* Et alius ex Principibus Iudæorum dixit: *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo.* Quæ ergo causa, quòd Christo ita præterito & neglecto, ad Ioannem proficiscuntur, & hanc nobilissimam legationem de re tanta instituunt? An quia Christus asperè eorum vitia taxabat? At asperius Ioanne non fecit, qui sic ipsos Pharisæos alloquutus est. *Genimina viperarum, quis vos docuit à ventura fugere ira?* Sed profecto nihil aliud in causa fuisse videtur, quàm quòd Christum vilem putabant, *fabri filium* reputantes: Ioannẽ verò magnatem, & magnatis filium, Zacharia Sacerdote patre natum, & ciuitate Iuda oriundũ: quum Christum ex Nazareth Galileæ, humillima & contempta ciuitatula (vnde ipse Nathanaël, vir iustus per contemptum tamen dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?*) natum existimarent. Nobilitatem itaque externam mundi more respiciebant Iudæi, malebantque Ioannẽ, honestissimo loco natum, pro Messia agnoscere, quam Christum humillime natum, seu natiuitatis, seu educationis locum, seu matris, seu patris putatitij statum & fortunam spectent. Quũ filius aliquis Isai vngendus esset à Samuele in Regem, Samuel ipse videns Eliab primogenitum, fortem & egregium adolescentem, dixit statim mundano affectu & iudicio. *Num coram Domino est Christus eius? Et dicit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominum ego iudico. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Nempe homini carnali tota ratio iudicandi est consuetudo cernendi, & in rebus ac negotijs humanis perspiciendis, tractandis, iudicandis oculatissimi sunt homines mundani, in rebus spiritualibus cœci & ignari. *Quemadmodum noctuæ aspectus noctu quidẽ valet, sole autem illucescente non mediocriter offuscatur & hebescit: sic secularium hominum & huius mundi sapientum mens acutissima quidem ad vanas res perspiciendas esse videtur, hebetissima verò, caligineque referta, ad ipsam lucem veram percipiendam euasit.* Nempe rebus terrenis, & honore ac splendore mundano affecti atque correpti, de cœlestibus & diuinis rectum iudicium ferre nequeunt. Quemadmodum luna ex parte sua superiori plena, soli propinqua est, sed terram versus nihil tunc habet luminis, contrà verò quum terram versus plena & splendida collucet, à sole est remotissima, & à parte globi superiori, tota tenebrosa est: sic quo magis ad Deum accedimus in pietate & vitæ puritate ab illo quidem magis illuminamur, & apud illum illustriores sumus, mundo autem ignobiles, & ad res mundanas tractandas minùs idonei, contra vero, quo magis à Deo recedimus, vitæ totius vanitate, & terrenis desiderijs affecti, eo magis mundo placemus, eo nobiliores & illustriores mundo apparemus, simulque ad res mundanas percipiendas atque tractandas acutiores. Deus non apparuit Moysi adhuc in Ægypto agenti, sed vbi inde recesserat. Sic ijs qui in sæculi tenebris versantur, diligúntque tenebras magis quam lucem, vmbras bonorum magis quam vera bona, diuinæ gratiæ lux non affulget. Pharisæi toti mundani & superbi, Christum nec honorant, nec agnoscunt. Ioannes & in deserto eum agnoscit; & in carcere eum missa suorum discipulorum legatione honorauit. Hoc est quod alius Ioannes dixit: *In mundo erat & mundus eum non cognouit.* Idem de suis futurum Christus prædixit: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat diligeret. Quia verò de mundo,*

Chrysost. hom. 14. in Matt.
Matth. 7.
Matth. 11.
Ioan. 7.
Ioan. 3.
Matth. 3.
Matth. 13.
Marc. 6.
Ioan. 1.
Exemplum
2. Reg. 6.
Simile.
Basil. hom. 8. Hexameron.
Allegoria.
Exod. 2.
Matth. 11.
Ioan. 1.
Ioan. 15.
B
C
D

de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Hic ergo ad suam consolatio-
A nem pij obseruent, æquanimiter ferendum, si se & bonis omnibus interdum præteritis, mali in mundo & à mundo honorentur, postquam Christo præterito Pharisæi Ioan. potius pro Messia agnoscere parati erant. Hanc quoque cautionem contra vana mundi iudicia discãt, vt illa prorsus contemnant, quia semper in ijs quæ ad Deum pertinent, cęca sunt. Si famulo tuo in furto a- *Similia.*
liquo aut mendacio deprehenso, nihil fidere, nihil vel iuranti etiam credere soles: quid iudiciũ mundi magni facis, qui tot iniquas sententias contra tot SS. protulit? Si causam bonam in iudi- *Simile.*
cio pendentem haberes, & in prima quidem instantia coram iudice vel ignaro, vel temerario, vel iniquo, parum curares si causa caderes, modò alium iudicem haberes doctum, diligentem, & iustum, ad quem à prima sententia appellares. Sic mundi prẹsens iudicium prorsus contemnendum est, quia Deum habemus iudicem, qui æquissimè iudicaturus est.

2. *Confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus.*

LOcus moralis de vana existimatione fugienda, Ioannes de maxima, & suprema apud *Vana sui existimatio fugienda.*
Iudæos dignitate rogatus, cuius iam specimen maximum totius vitæ austeritate, diui-
B na prædicatione, & noui baptismi administratione dedisse videbatur, non frigidè & cunctanter, quasi sibi quidem arrogare nolens, videri tamen volens (vt multi existimationes honorificas verecundia composita fugientes, eas ambiunt & quærunt magis) sed rotundè & constanter negat se illum esse, quem illi arbitrantur. Nempè veri discipuli Christi magis sollicitè curant, ne etiam de veris virtutibus glorientur, quam vani huius seculi homines de gloria & laude quauis occasione captanda contendunt. Paulus & Barnabas, quum diuinos illis honores Listrenses exhibere vellent propter sanatum claudum, *conscissis tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes, Viri quid hæc facitis?* Petrus quoque & Ioannes, accurrente populo propter simile miraculũ, dixerunt; *Viri Israëlitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Sic Daniel vocatus à Nabuchodonosor, & sapientiæ nomine cõmendatus, vt somnium eius interpretaretur, respondit, omnem à se sapientię opinionem, & laudem remouens: *Est Deus in cœlo reuelans mysteria. Mihi quoque non in sapientia quæ est in me plus quam in cunctis viuentibus Sacramentum hoc reuelatum est, sed vt interpretatio regis manifesta fieret.* Sic & S. Ioseph Pharaoni: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Horum exempla secutus, & Sanctus Bernardus, quum multa signa & miracula per varias Galliæ partes faceret, ne sibi a- *Gen. 41.*
liquid propterea plus cæteris videretur, anxietate maxima prospiciens, in hæc verba prorupit: *Ex Scripturis didici, signa fieri vel per perfectos, vel per fictos. Ego nec perfectionis mihi sum conscius, nec fictionis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis quàm vitæ nouerim*
C *exhiberi: nec ad meam fieri commendationem, sed ad cõmonitionem potiùs, ad fructum autem aliorum, & ad fouendam bonam de me opinionem.* Sic videlicet in hoc sancto viro vincebat sublimitatem nominis, humilitas cordis. Nec tantum poterat vniuersus mundus eum erigere, quantum se ipse deiicere solus. Pulchra scilicet ratiocinatione, & magno studio inuenta, sanctitatis de se opinionem à mente sua remouit: Nec minus laborauit ne sanctulus videretur, quum esset sanctissimus, quàm alij laborant, vt sanctissimi, & doctissimi, & fortissimi, & prudentissimi videantur, quum nihil minus sint quàm sancti, docti, fortes, prudentes. Idem stu- *6.*
dium in alijs sanctis fuit. Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus (quum multa per eum Deum miracula facere videret) reliquias semper sanctorum collo circumferebat, eo fine, vt quoties diuina virtus aliquid per eum gessisset, non suis meritis, sed virtuti reliquiarum, quas circumferebat, tribueretur. Sed in hoc genere excelluit sanctus Eligius, Nouiomensis Episcopus, vir nobilitate, eruditione, pietate celeberrimus. Mendicus quidem cæcus à sancto Eligio, adhuc lai- *7.*
co nobili, sed, vulgi opinione, viro sancto, eleemosynam accepturus: manum subtraxit, orans vt oculis potiùs eius crucis signum imprimat, visúmque illi præbeat. Cui ille dissimulans, ac subridens: Tu (inquit) amice necdum nosti te signare? Docebo te. Móxque signum crucis imprimens, illius oculos aperuit: totúmq; hominis fidei tribuendum asseruit. Idem quum paupe- *8.*
rem aridam manum habentem & eleemosynam petentem arrepta arida manu, similiter sanasset, vt miraculum à se factum occultaret, Ego (inquit) putaui ideo illum fingere, vt à me facilius eleemosynam possit petere. Idem vir sanctus quum quendam in publica via transiens suspensum cerneret, eúmque, vt sepulturæ corpus daret, per suos deposuisset, alijs fossam parantibus, cœpit, tacitè orans, illud ab imis vsque ad summa palpare. Vbi autem sensit adesse animam, mira arte à se virtutem facti repellens, O quam grande, inquit, scelus, nisi Dominus adiuuisset, perpetrare poteramus, si corpus hoc humo texissemus, quum anima eius in ipso sit! Hæc dicẽs, mi- *9.*
rantibus famulis, iussit eum vestimentis indui, & quiescere, paululũ: quo surgente, & ita recreato, quasi nullam passus esset molestiam, discessit vir sanctus cum suis, ac si nullum virtutis signũ feciisset. Rara sunt hæc, sed pulcherrima veræ humilitatis exempla, quando sic vana gloria fu- *10.*
gitur, vt ne quidem in veris virtutibus, veráq; laude dignis, vllo modo admittatur. Vnum igitur adhuc aliud subijciam. S. Anno, Archiepiscopus Colonienſis, accedentem ad se cæcum quẽdã, qui inuisione accepisse se dixerat fore vt visũ reciperet, si aqua, qua manus suas ad altare lauisset,

Exempla. 1. Act. 14. 2. Act. 3. 3. Dan. 4. 4. Gen. 41. 5. In vit. eius l. 3. c. 6. In vit. eius apud Sur. tom. 6. Li. 1. c. 20. vide apud Sur. to. 6. Ibid. c. 24. Ibid. c. 32. In vit. eius apud. Sur. to. 6. l. 2. c. 8

ſuos oculos ablueret, ideóque ab eo iam ad ſacrum faciendum ſe præparante, hanc gratiam petiiſſet. Epiſcopus multum commotus, cum acribus verbis reiecit, fallacem & impoſtorem vocans. Cæcus nihilominus in fide perſiſtens, obtinuit clanculum à clerico, qui celebranti Epiſcopo miniſtrauerat, aquam prædictam: moxque oculos ea abluens, viſum recepit. Quum autem finito ſacro ad Epiſcopi pedes ſe prouoluẽs; accepti beneficij gratias agere vellet, Epiſcopus, re intellecta, eum vehementer iterum obiurgauit, quòd ita Deum tẽtare auſus fuiſſet: clerico verò leuiter alapam dedit, quod huiuſmodi facto vanam de ſe apud populum opinionem concitare vellet. Vtrique autem ſub graui anathemate iniunxit, vt ſe viuo nemini hoc propalaret, ſed ſoli Deo acceptum referret, eique ſoli gratias ageret. Rurſum quum alia quædam femina ei à ſacro prodeunti, ſupplex aduolueretur, ſimilem vt ſupra viſionem ſe accepiſſe referens, & ſimilem gratiam poſtulans, ille, vt ſemper virtutem celaret, & iactantiam fugeret, ſe commotum ſimulans, vt cuſtodiæ traderetur mox imperauit, ſuſpicionem aſtantibus relinquens, vt durè acciperetur. Poſt prandium autem; ea ad ſe vocata, coram duobus clericis, & vno cubiculario puero, non oculos, ſed pedes eius poplite flexo lauit, & cibo illi appoſito, ac deguſtare iuſſa, vix edulio palatum imbuerat, quũ perfectè viſum recipit. Mox ei eleemoſynam bonam in manum dat, vehementer obteſtatus ne ingratam ſibi de ſeipſo opinionem circumferret. Sed & parum ei fidens, (vt eſt feminarum natura loquax) abeuntem ad propria, donec villa egrederetur, ab vno clerico comite deducendam curauit. Simile fuit D. Nicolai factũ, qui ad pauperis filias matrimonio locandas, argentum clanculum per feneſtram iniecit: & tertiò hoc faciens conſpectus, fuga ſe celerrimè recepit, ne agnoſceretur. Hæc videlicet Sanctorum virorum ingens cura & ſollicitudo maxima fuit, vt non leuiter & oſcitanter, ſed acriter & conſtanter laudis & excellentiæ opinionem: ſeu veram, ſeu falſam, à ſe longiſſimè repellerent, ſicut hic Ioannes Bapt. fecit. Eſt tamen hic communis omnium mortalium, adeoq; (proh pudor!) fidelium Chriſtianorum morbus, vt non ſolum videri nolint quod ſunt, ſola apud Deũ gloria cõtenti, ſed etiam (quod multo & turpius & flagitioſius eſt) videri etiã velint eſſe quod nõ ſunt. Quem morbum humanum pulchrè Socrates expreſſit. Si quis (inquit) in theatro iuberet coriarios omnes ſurgere, illi ſoli ſurgerent, ſimiliter ſi fabros ferrarios, textores, aut alios generatim: ſi verò prudentes aut iuſtos iubeat ſurgere, hic omnes illicò conſurgent, quia omnes tales videri volunt. Thales Mileſius iam ſenex, admirandam quandam rationem de cœlo commentus, eandem Mandritæ Philoſopho Sirenenſi communicauit: qui quum hoc nomine magnas gratias ageret, rogarétque quam mercedem pro tanto documento vellet, ſatis, (inquit Thales) mihi fuerit ô Mandrita, ſi id quod à me didiciſti, quum proferre volueris, tibi non aſcripſeris, ſed me eius repertorem prædicaueris. Quanto magis hoc ſummo iure Deus à nobis flagitat, vt omnem virtutem, ſcientiam, prudentiam, fortitudinem, ſi quam habemus, non nobis, ſed illi acceptam referamus, quoties ea vtimur! Quanto magis ſumma ratio docet, & Theologos, ac Chriſtianos decet, vt omnes ingenuè agnoſcant per quos profecerint? Pulchrè Sapiens magiſtri & diſcipuli officium vno quaſi verbo docuit: *Hæc eſt Sapientiæ quam ſine ſimulatione didici, & ſine inuidia communicaui.* Certè hypocrita qui id videri vult quod non eſt, aut ex ſe eſſe quod non niſi ex Deo eſt, vel per ſe inueniſſe quod ab aliis accepit & didicit, ſimilis eſt miluo, qui altè quidem aſcendit & volitat, ſed ſemper humum ſpectat, vt prædam rapiat, ille quidem carnem mortuam, iſte verò laudem inanem. Plura de hac materia in alijs Euang. dabitur dicendi locus.

11. *Ibid. c. 4.*

Stob ſer. 21 Apophth. Lud. Granat. to. 1. de tem. p. 539. Apophth.

Sapient. 7. Simile.

3. *Ego vox clamantis in deſerto.*

Prædicatoris officiũ. LOcus moralis de vero officio prædicatorum verbi, ſaluti auditorum neceſſario. Omnis enim prædicator qui ad Chriſtum ſeu fide credendum (quod fecit Ioan.) ſeu operibus imitandum, homines vel incredulos, vel peccatores adducit, eſt verè vox clamantis in deſerto, eſt vox clamantis, adhortantis, comminantis, & obiurgantis, non molliter palpantis, loquentis placentia, & auribus hominum ſubſeruientis. Clamare neceſſe eſt ad eos qui vel procul abſunt, vel difficulter audiunt. Tales ſunt omnes peccatores. Peccatum elongat nos à Deo. *Simile.* *Peccata veſtra diuiſerunt inter me & vos.* Deus ante peccatum dixit, & facta ſunt: & loquebatur Adæ, molliter ac familiariter, *Benedixit illis Deus & ait, Creſcite & multiplicamini.* Rurſum *dixit Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* Iterum præcepit ei, dicens: *Ex omni ligno Paradiſi comedes, &c.* At poſt peccatum commiſſum ita clamauit Deus, *vt audiret Adam vocem Dei deambulantis in Paradiſo* moxque: *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Deus autem clamat poſt nos, per eos quos mittit ad prædicandum: & per tribulationes quas nobis immittit, vt à ſumno peccati excitemur: Nos per peccata noſtra quodammodo perſequimur Deum, *iterum crucifigentes nobiſmetipſis Filium Dei, & ſanguinem Teſtamenti pollutum ducentes*: Sicut Saul impius perſecutus eſt Dauid iuſtum. Sed perſequendo Deum, in ſpeluncis peccatorum abſcondimur, quaſi à Deo non videremur, quia illum ipſi non videmus & altum dormimus, ſicuti de vindicta & iuſtitia Dei. At ille primũ ſicut Dauid occupato in ſpelunca Sauli *oram chlamydis præſcidit*, ſic aliquid nobis ex bonis tẽporalibus aufert, quaſique expoſtulat nobiſcum de iniuſta perſecutione,

Gen. 1. *Gen. 2.* *Gen. 3.* *Allegoria.* *2. Reg. 24.*

A tione, ſicut Dauid expoſtulauit cum Saule, dicens: *Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te?* Quare audis verba hominum, aut etiam dæmonum, tentantium te ad malum, & dicentium, Deus quærit malum aduerſum te; vel quia mandata eius nimis grauia & ardua ſunt: vel quia ſua gratia non te adiuuat: vel quia ſeuerus Iudex eſt, nec peccanti ignoſcet, vt idcirco vel ad benefaciendum animum deſpondeas, vel ad te reconciliandum deſperes? *Ecce iam vides quod te occidere potuiſſem*, qui tamen leui detrimento te affeci. Sed verum eſt prouerbium: *Ab impijs egreditur impietas.* Sui quiſque peccati author eſt. Atque hic interdum remordet conſcientia, & ploramus in corde, & ſtatuimus iterum non peccare: ſicut hic Saul gratias agit Dauidi, quaſi eum ampliùs non perſecuturus. Sed rurſum promiſſionis obliti, ad iniurias redimus, & nouis flagitijs Deum irritamus: qui iterum in ſomno peccati dormientibus nobis, *haſtam aufert, robur* ac fortitudinem, morbos immittens, aut etiam *vias aquæ aufert*, id eſt, vxorem, fratrem, aut amicum coniunctiſſimum, vt Sauli dormienti in caſtris, vtrámque abſtulit Dauid, quum occidere eum facillimè potuiſſet. Sic Deus clamat poſt nos, vt à ſomno peccati excitet, interim *ſua benignitate & longanimitate ad pœnitentiam nos adducens.* Atqui Deo tacente & diſſimulante, nec aliquid nobis auferente, ſed vt omnibus rebus affluamus permittente ſaltem prædicator omnis vox clamantis eſſe debet. Prædicatores verbi in Euangelio piſcatores vocantur. Piſcator vero quum vnum aliquem piſcem capere vult arundine vtitur & magno ſi-
B lentio. Qui priuatim aliquem admonet aut corripit, patienter & manſuetè id agere debet. Sed quum multos ſimul piſces capere piſcator vult, reti vtitur, ac ſagena miſſa in mare: & tũc ſtrepunt ex propoſito piſcatores, aquas verberant, ac piſces deterrent, vt vndiq; excitati confluãt. Sic prædicator pro concione minis ac reprehenſionibus ſtrepere debet: quæ cùm communes omnibus ſint, nemo conqueri poteſt. Rurſum clamare debet concionator contra peccatores, quia difficulter audiunt. qui foris pulſat, intus non auditur, quum omnia domi ſtrepitu & clamore ſunt plena. Deus fortis pulſans, aut prædicator ſonans non auditur niſi fortiter clamãdo, quàm diu in corde auditoris vel variæ cupiditates obſtrepunt, vel peccata ipſa clamant vindictã à Deo. Hic ergo clamandum neceſſario, vt ad aures cordis perueniat vox prædicatoris. Sic Ioãnes clamauit fortiter. *Agite pœnitentiam. Iam ad radicem arboris poſita ſecuris eſt. Appropinquat regnum cœlorum*, & ſimilia. Ideo etiam dicitur *vox clamantis*, ſeu vehementer clamans (vt vas electionis, vas ſingulariter electum, virga æquitatis, virga æquiſſima, terra promiſſionis, terra excellenter promiſſa) *In deſerto*. Eſt enim omnis peccatoris, quaſi quoddam deſertum, in quo omnia ſunt ſterilia & arida, nec niſi vel vepres ibi creſcunt, vel ſerpentes graſſantur. Rurſum *in deſerto*, quia hominibus à Deo deſertis, & poſt voluptatum deuia & errores aberrantibus, prædicator loquens, eos ad Deum reuocare clamando debet.

Rurſum Ioannes erat vox clamans, quia non ſolum vocem habebat bene clamantem, be-
C ne ſonantem (vt plerique concionatores) ſed etiam vox erat. Quicquid enim in Ioanne erat, victus, veſtitus, habitatio, tota vita vox erat, clamabat pœnitentiam, mortificationem, ſanctitatem. Alij concionatores, quorum vita verbis non reſpondet, vocem quidem habent, eamque inanem, *vt æs ſonans, vel cymbalum tinniens*, ſed non ſunt vox: Sunt ſimiles aurificibus crucem efformantibus, ſed eam non contemplantibus: ſicut vaſa ad continendum ſalem, quum ipſa ſint omni ſale deſtituta: ſicut puteus cuius aqua abluuntur immunda vaſa, quũ ipſe ſit luto & ſpurcitia repletus: denique ſicut campana, quæ omnes ad templum vocat, ſed ipſa non ingreditur. Sicut quædam peccata clamant in cœlo, ſic quædam virtutes clamant in terra. *Sanguis Abel adhuc loquitur.* Vita Ioannis talis vox erat, vt de tota Iudæa exirent in deſertum ad eum videndum. *Quid exiſtis in deſertum videre?* non ſolùm ad eum audiendum. Imo priùs clamauit vita quã prædicatio, ſicut *Ieſus priùs cœpit facere quam docere.* Hunc ordinem concionator ſeruare debet, vt priùs ſit vox, poſtea vocem exerat.

Rom. 2. — Phil. Diez Con. 2. de D. Thom. — Simile. — Stella de contemptu mundi, pa. 2. cap. 1. — Simile. — Matth. 3. — Hector Pintus in Iſa. cap. 40. — 1. Cor. 13. — Similia. — Heb. 12. — Matth. 11. — Act. 1.

4. *Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta.*

LOcus moralis de neceſſaria præparatione ex parte noſtra ad Chriſti gratiam & redẽptionis beneficium recipiendum. Hoc enim clamauit illa vox in deſerto, hoc clamant omnes verbi Dei præcones ad ſuorum temporum peccatores: *Dirigite viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Hoc enim apud Eſaiam ſequitur, ad quem locum Ioannes hic remittit, & quæ Eſaiæ verba cæteri Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus, & Lucas expreſsè addiderunt. Dirigere hanc viam Domini, præparare ſe ad Chriſti gratiam (quod quando cum Scriptura dicimus, ſemper præueniens & cooperans Dei ſpeciale auxilium, cum Scriptura intelligimus) eſt diſponere ſe ad iuſtitiã per pœnitentiã, quã vt Ioan. Bapt. ſpecialiter prædicauit Iudæis, ita poſtea Petrus, omnéſque à Chriſto dati Doctores & Paſtores, prædicare debent. Sicut Iudæos oportebat dimittere antiquam & carnalẽ conuerſationẽ; & (vt ait Cyril.) *Sicut hactenus viã Moyſi ambularunt ita nunc viam Chriſti ſuſcipere:* ſic oportet vel adhuc incredulos vel poſt fidẽ peccatores, vt Deo per Chriſtum reconcilientur vetuſtatẽ deponere, & in nouitate vitæ ambulare. *Si quid* (inquit Ambroſius) *in via mentis* (*quam Deus inambulat, & in qua habitat*) *vel moribus aſperũ, vel crudelitate durum, vel conuerſatione pollutum fuerit, iubemur id mundare, componere, coæquare.* Amouendi

Matth. 3. — Marc. 1. — Luc. 3. — Actor. 2. — Epheſ. 4. — In Ioan. l. 1. cap. 24. — Serm. 65. — 2. Cor. 6.

Esaiæ 40. Eccles. 21. sunt igitur peccatorum scopuli, voluntas & affectus peccandi penitùs deponenda, vt via pa- A retur Domino. Hoc Esaias his verbis expressit statim subiungens loco citato: *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Via impiorũ est complanata lapidibus.* Omnia illi sunt lapides offensionis, etiam ipsæ virtutes. Via peccatorum multas habet sordes voluptatum, colles vanitatum, montes superbiæ & fastus, scopulos & saxa inuidiæ, iracundiæ, maleuolentiæ. Hæc omnia & singula prorsus remouenda sunt, vt via cordis à sordibus mundetur, vanitate sublata solidetur, superbia deposita humilietur, saxis eiectis complanetur, vt sic eã Christus inhabitet. Rex vrbem ingrediens, habet præcursores & prouisores, qui viarum sordes amoueant, difficultates tollant. Sed & ante medici aduentum docetur ægrotus, vt agnoscens morbum suum, medicum venientem reuerenter accipiat, seseque illi per omnia morigerum & obedientem præbeat. Christus Rex noster & medicus animarũ nostrarum est. Sicut ante Ioseph ibat præco, clamans nomine Regis, vt omnes ei genua flecterẽt: sic ante Christi quidem personam ibat vox clamantis Ioannes Baptista, sed & semper ante eius gratiam & redemptionis beneficium clamat Ecclesia (ordinarie loquendo) vt qui peccatores reconciliari volunt, genua Christo flectant, eius Sacramenta accipiant, mandata seruent, fidẽ teneant. Hæc est via Domini quam dirigere seu parare debemus. Clamat per Esaiam Deus. *Non sunt cogitationes vestræ, cogitationes meæ; nec viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à* B *terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris.* Viæ nostræ sunt peccata nostra, in quibus ambulamus, imò currimus. De hac via dicunt damnati: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus,* de qua etiam Salomon: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* At verò via Domini est via mandatorum eius, quam omnes iusti ambulant, *euntes de virtute in virtutem. Non enim qui operantur impietatem, in vijs eius ambulauerunt.* Sed hæc via paranda est, id est, ad hanc viam perueniendum est, per præcedentem pœnitentiam, per peccatorum odium & detestationem, per cordis contritionem, per confessionem & satisfactionem. Hoc enim totum docuit Ioannes quùm hanc viam Domini pararet: *Pœnitentiã agite, appropinquat enim regnum cœlorum.* Rursum, venientes ad Ioannem, *baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua.* Deinde clamauit, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, id est, *Tanto maiora quærite bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora vobis intulistis damna per culpam*, ait Gregorius.

Esaiæ 15. Sapient. 5. Prouerb. 4. Psal. 93. Psal. 118. Matth. 3. Luc. 3. Hom. 20. in Euang.

3. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?*

Mundi fauoris incõstantia. Theoph. in com. in hũc locum. Exempla. Matth. 1. 1. Reg. 14. Actor. 14. Hecto. Pintus dial. par. 5. dial. 3. cap. 18. Simile. Stella de contemptu mundi par. 2. cap. 3. In historia de Barlaã & Iosaphat. c. 13. Parabola.

LOcus moralis de leuitate & inconstantia fauoris & existimationis humanæ. Prius enim C ambulando vel blandiendo nihil proficientes, nunc obiurgando & reprehendendo molesti sunt. Vbi pellis vulpina non profecit, induitur leonina. Sic Herodes primùm palpauit. *Vt ego* (inquit) *veniens adorem eum.* Postea iratus quod hac via res non successit, *occidit omnes pueros in Bethlehem à bimatu, & infra.* Sic Absalon, quum per literas à Ioab nihil impetraret, vt eum patri reconciliaret, segetem eius succendit. Sic Lystrenses in Actis Apostolicis, quum primò Paulo, *tanquam Mercurio sacrificare vellent*, paulò pòst ijdem persuasi à quibusdam superuenientibus ex Antiochia Iudæis, *lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem existimantes eum mortuum esse.* Hæc est hominum maleuolorum, & seipsos tantùm quærentium, leuitas animi & inconstantia. Mundus nempe in omni sua actione & distributione bonorum, in iudicio suo & existimatione, appendit sine trutina; numerat absque calculo, metitur absque regula & mensura. Trutina, calculus & regula illi est, sui ipsius & suorum amor cæcus. Hanc ob causam quouis momento huc illucque impellitur. Argentum viuum, vtcunque auro commisceatur, vbi primum ignem attigerit, ab auro separatur. Sic amicitia, blandimenta, existimatio mundana, vbi primum offenditur, vel aduersi aliquid patitur, faciem auertit. Huius rei egregiam hypotyposim scripsit Damascenus. Homo quidam tres amicos habuit, ex quibus duos ingenti affectu colebat, tertio exiguam beneuolentiam præstabat. Idem in discrimen capitis & fortunarum vocatus, primũ adit D vt eum iuuare velit: qui aliqua tantùm illi vestimenta porrigit, quibus in via ad iudiciũ vtatur, aliud adiumenti nihil. Secundum accedens, ab eo hoc vnum solatium accepit, vt aliquousque in via ad tribunal eum deduceret. Tertium igitur amicum, necessitate adactus, etsi non absque rubore quũ adiisset, opémq; eius flagitasset, ille solus præter expectationẽ omnẽ, illi suam operam pollicitus, ipsum iudicem pro amico adit, causámque eius diligenter agit. Ex his tribus amicis, primus est diuitiarũ amor; ex quibus morientes, & ad Dei tribunal vocandi, nihil nisi duos fortè panniculos, quibus corpus obuoluitur, reportamus. Secundus amicus est vxor, liberi, cognati, amici carnales: qui ad sepulchrum vsque duntaxat cadauer conducunt, & funus honestant, postea omnem memoriam deponunt. Tertius amicus, cuius paruam in hac vita rationem habemus, sed maximè post hanc vitam nos apud Deum iuuat atque commendat, virtus est, & bonorum operum chorus. Illa ergo est amicitiæ mundanæ & carnalis constantia & certitudo.

Hom. 15. in Ioannẽ. Ioan. 5. Pharisæi & Scribæ, qui Ioannem summo honore afficere voluerant, citò ad eum reprehendendum conuertuntur, minima vel nulla potius data occasione. *Promptissimo animo* (ait Chrysost.) *ad Ioannem Pharisæi primo venerunt, licet postmodum mutati sunt. Quæ ambo Christus his verbis significauit:*

Ille

A *Ille erat lucerna ardens & lucens, & vos voluistis ad horam exultare in eius luce.* Re vera mundi fauor, existimatio, honor, blanditiæ exultant ad horam tantùm, & breue momẽtum, nihilque eis mutabilius. Nam & ideo Principes Iudæorum, qui hac honorifica legatione summam se de Ioanne opinionem habere ostendebant, adeo vt suo solius de se ipso testimonio credere parati essent, dicebant enim: *Quid dicis de teipso* (quòd maximæ apud eos authoritatis Ioannem fuisse, ostendit Chrysostomus) postea tamen eum penitus contempserunt, & vt hominem dæmoniacum despexerunt, iuxta illud Christi: *Venit Ioannes neque manducans neque bibens, & dicitis Dæmonium habet.* Negligendus ergo fauor humanus, vel certè non magnum in eo momentum ponendum, sic tamen vt nostra vel ignauia, vel culpa nemo offendatur, nullius boni viri fauor & æstimatio bona depereat. Alioqui si te rectè agente, ille haberi non potest, sicut qui in stadio currunt, parui faciunt astantium spectatorum iudicium, modò solus agonotheta eos laudet, & brauium illis consignet, sic cogita satis tibi esse, *quòd placent Deo opera tua.* Altare in templo veteri idcirco ex lapidibus impolitis factum fuit, Deo sic iubente, vt intelligeremus bona opera non sic studiosè ornanda & polienda deforis, vt hominibus appareant & placeant, sed sufficere, vt sua soliditate Deo probentur. Si merces operum bonorum, & gloria vitæ alterius: ab hominum existimatione penderet, & in die retributionis, hominum testimonia & suffragia peterentur, esset sanè hominum fauor, & existimatio in primis quærenda, & hoc maximè agendum, vt
B in hac vita omnes te pro Sancto haberent. Nunc autem quia hæc ibi locum non habent, ea minus curare oportet.

Ioan. 1. Loco iam citato.

Matt. 11.

Simile.

Eccles. 9. Allegoria. Exod. 20. Deut. 25. Iacob. Stella, de contemp. mundi part. 1. c. 7. & 8.

6. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.*

Contra ambitionem.

LOcus moralis contra ambitionem, siue de humili ac mediocri statu æquanimiter ferendo, & de non aspirando intempestiuè ad altiora. Docet enim Ioannes (vt notauit Chrysostomus) *Christum commixtum fuisse populo, vt vnum multorum, vt se per omnia humilem ostenderet.* Nemini certè longum videri debet, si diu exaltationem expectat, postquàm Christus tum ante manifestationem suam totis triginta annis, vt fabri filius obscurissimè egit, tum facta iam manifestatione, in communi conuersatione sic vixit *manducans ac bibens*, id est, vitam communem agens, vt Pharisæi dicerent: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorũ amicus.* Sic medius Iudæorum stetit, sic in turba hominum vixit: sic vt vnus de populo in victu, & vestitu apparuit. Ioseph seruit in Ægypto, in carcere obscurus agit, & postea exaltatur. Daniel in vulgo captiuorum satis diu nutritur, antequam vt diuinus vates agnosceretur. Dauid inter fratres minimus oues pascit, & domi manet, cæteris ad militiam proficiscentibus, ad-
C eóque vnctus in Regem, in syluis & speluncis latitat, quasique ex raptu victitat, antequam Regni gubernacula acciperet. Moyses oues soceri sui pascit in deserto ad multam ætatem, indéque vt Dux esset populi à Deo vocatur. Ambitionis æstum & impetum feruentem hęc exempla vtcumque comprimere deberent. *Ambitiosus* (ait pulchrè Seneca) *instar turbinis est, qui rapta conuoluit, sed ipse antea voluitur: & hoc maiore impetu incurrit, quia nullum illi sui regimen est*, nullo satis honore contentus est. Vnde alibi: *Nemo eorum qui in Repub. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur, aspicit: & illis non tam iucundum est multos post se videre, quàm graue aliquem ante se.* Vtinam idem in Ecclesia, quod tunc in Repub. hodie locum non haberet. Ad honores, ad dignitates festinatur, quocunque periculo, quocunque detrimento, & intemperantia illa penè incredibilis Agrippinæ matris Neronis, in multis renouatur. Quum enim illi à Genethliacis prędictum esset imperaturum quidem filium, sed matrem in imperio occisurum: *Occidat* (inquit illa) *modo imperet*, vtrumq; autem contigit. Caueat apud se statuãt: Pereã, modò vel in Eccl. vel in Repub. honoratus viuã. Magna stultitia, magna temeritas, maxima impietas hic affectus est. Stultitia eius planè puerilis est. Sicut enim pueri equos baculinos, & pupas magis amant quã veros equos, & veras imagines rerum, sic ambitiosi vmbraticos & falsos honores veris ex virtute honoribus anteponunt. Neque enim verè magnus est, qui ex solo honore, aut dignitate quam obtinet, magnus est, quod sic docet Seneca: *Nemo iustorum, quos diuitiæ & honores in alto fastigio ponunt, magnus est, sed ideo magnus videtur, quia illum cum basi sua metiris. Pumilio magnus non est, licet in monte constiterit. Colossus magnitudinem suam seruabit, etiam si steterit in puteo. Sic nobis imponitur, quòd neminem æstimamus eo quod est, sed adjicimus illi ea quibus ornatus est.* Hæc ille. Quare quod Archidamus Lacedæmõ superbienti Philippo Macedonũ Regi, propter victoriã adeptã, & per litteras insultanti respondit, *Si metiaris vmbram tuam, haud quaquam reperies illam maiorem factam quàm erat ante victoriam*: idem prorsus respondere licet illis omnibus, qui ad aliquem euecti honorem, hoc se propterea cæteris maiores putant. Sanè sicuti ægroti quidam, & maximè mulieres grauidæ, terram auidissimè comedunt, eóque cibo delectantur: sic ex magna iudicij corruptione procedit, vt quispiam famulorum comitatu, & domesticorum parietum ornatu, cęterisque similibus adeò oblectetur, vt propter hæc paranda atque tuenda, diuina & humana iura violare non dubitet.

Hom. 15. in Ioan. Ambitionis vitium Matth. 11. Exempla. Ioseph. Daniel. Dauid. Moyses.

Epist. 95. Epist. 74.

Suetonius in Nerone.

Ambitionis stultitia De contẽp. mundi par. 1. cap. 16. Similia. Epist. 76. Apophth. Plutarc. in Laconicis.

Sed & magna temeritas ambitionis affectus est quum non aduertant ambitiosi, eum qui per

Ambitionis temeritas. tectorum culmina ambulare vult, forti admodum & firmo cerebro esse debere, alioqui certo se præcipitij & promptæ necis periculo obiicere. Sic enim qui honorũ fastigia conscendunt, nisi A valde cordati & firmi in amore Dei persistant, certo se, æterni barathri præcipitio per superbiam exponunt. Sed nec hoc aduertunt, quod maiores pisces, piscatorum retia ingressi, capiuntur, minores autem per foramina sæpè elabũtur. Vnde & Sapiens: *Grauissimum iudicium fiet his qui præsunt.* Sic Nabuchodonosor iudicia Dei in Israël exercens, magnates omnes captiuos secum in Babylonem abduxit, populum autem in terra patria reliquit. Denique non aduertunt quod *ambitio est quædam simia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus. Charitas omnia sustinet pro veritate, ambitio pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo.* In hęc se videlicet: discrimina temerè coniiciunt, qui nolunt cum Christo stare vt medij inter homines, sed ambiunt conscendere excelsi suprà homines. Postremò maxima impietas hic animi morbus est, de quo sic Diuus Bernardus: *Quoties hominibus præesse desidero toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non sapio quæ Dei sunt.* Et alio in loco: *Radix iniquitatis ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem.* Christus Dominus ex suorum animis hanc pestem penitus volens eximere dixit suis: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Nam quod ad honoris & prælationis desiderium ac studium attinet, paganum & gentile esse docuit, suisque, id est Christianis indignum, *Reges* (inquit) *gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici* B *vocantur: vos autem non sic.* Omnem igitur aufert prælationis affectum. Quod & vetus Scriptura nos docuit: *Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem. Plura in alijs Dominicis.*

De contẽp. mundi par. 1. cap. 27.
Sapient. 6.
Exempla.
4. Reg. 24.
Ambitio simia charitatis.
Petrus Rauen. in Ser. Ambition.
Impietas.
Infer. 1. super Missus est.
In Psal. Qui habitat.
Lucæ 27.
Eccl. 11.

7. *Quem vos nescitis.*

Ignoratur Christus in medio Christianorum. LOcus moralis de fidei virtute, & interiori oculo, Christus intèr Iudæos nascitur, conuersatur, docet, operatur, & tamen eum nesciunt. Cur ita? Quia oculo tantùm carnali illum videbant, vel quod deterius erat, inuidiæ ac maleuolentiæ, de qua Christus di-
Ioan. 15. xit: *Si ad eos non venissem, &c. peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrẽ*
Ioan. 1. *meum.* Hanc illis incredulitatem & maleuolentiam tacitè Ioannes exprobrat: *Quem vos nesci-*
Ioan. 3. *tis*, id est, scire & agnoscere non vultis, quia videlicet nec fidei lumen; nec amoris scintilla vla in vobis est. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et rursum: *Hoc est iudiciũ mũdi, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Hinc iudicabitur, & condemnabitur non Iudæus tantùm, sed & mundus totus incredulus & impius: quia Christo C veniente, & medio omnium stante, eum tamen nescierunt, diligendo magis veteres peccatores & ignorantiæ tenebras, quàm nouam veritatis & puritatis Euangelicæ lucem. Quod autem de Christi persona, respectu Iudæorum, Ioannes dicit, hoc de Christi corpore, quod est Ecclesia, respectu omnium mortalium, intelligendum est. Stat Christus medius nostrum omniũ, &
Quomodo Christus hodie nescitur. eum nescimus. Sed lucet per fenestras nostras nobis etiam dormientibus. Christi gratia omni-
1. bus patet. Clamat enim. *Venite ad me omnes qui laboratis, & oneratis estis, & ego reficiam vos.* Et
Matth. 11. quàm multi manẽt in peccatis, quasi vel nullus esset Christus, vel nulla amplius auxiliatrix e-
2. ius gratia! Christi doctrina per omnes Ecclesias sonat. Dicit enim sui verbi prædicatoribus:
Lucę 16. *Qui vos audit me audit.* Et tamen quàm multi nesciunt illam, & ex veri ignoratione pereunt!
1. Cor. 14. *Qui enim ignorat, ignorabitur.* Christi Sacramenta omnibus exposita sunt, de quibus Scriptura di-
3. cit: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, &*
Prouerb. 9 *proposuit mensam suam. Misit ancillas* (verbi præcones) *vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis* (quæ est Ecclesia:) *Si quis est paruulus, veniat ad me. Et incipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Et tamen quam multi hodie vel hæretici hunc panem nesciunt, & negant impiè, vel mali Catholici fastidiunt, & *obliuiscũtur comedere panem suum!*
Psal. 141. Christus quotidie in suis paruulis, sou minimis potiùs videtur, de quibus dixit: *Quod vni ex his*
4. *fratribus meis minimis feciſtis mihi feciſtis*, & tamen nescitur. Opera charitatis & misericordiæ, D
Matth. 23. Christo præsenti in suis fratribus negantur. Christus maximè in pijs omnibus, iustis ac timenti-
5. bus Deum, cernitur de quibus dixit: *Qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, hic mater mea,*
Matth. 12. *& frater meus: & soror est*: & tamen ita prorsus nescitur, vt etiam contemnatur à multis, ac peni-
6. tus despectui habeatur. Christus denique in suæ potestatis vicariis, in Ecclesiarum magistris, Episcopis, Pastoribus, Doctoribus, & videtur, & loquitur, & tractat quotidie nobiscum, de qui-
Matth. 10. bus dixit: *Qui vos recipit, me recipit: & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*: & tamen à quàm paucis vel agnoscitur, vel honoratur, atque recipitur, vt par erat? Omnibus his modis, & adhuc aliis, *Christus medius nostrum stat, & nescimus eum.* Non credimus, non amamus, non colimus eũ. Ratio est, quia sicut Iudæi habuerũt, sic & nos habemus oculos tantũ carnales & exteriores, nõ autẽ spirituales & interiores. Quod ex hac cõparatione, quã ponit.

Augu-

A Augustinus,intelligi potest: *Dicturus es mihi, Christum non video. Quomodo sum amaturus quem non video? Ergo nihil amas quod non vides: Ecce amas amicum. Quid in illo amas? Fortè amicus iste tuus, vt alia omittam, senex homo est. Quid amas in sene? Incuruum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? Si corpus quod vides nihil deformius præsenectute. Et tamen aliquid in illo amas. Si quæram à te quare amas? respondurus es mihi, Homo es fidelis. Si fidem amas: quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Christus.* Hos igitur interiores oculos afferre debemus, vt Christum nobis præsentem videamus Sicut amicitia, ita & scientia triplex est, vt Augustinus eodem in loco docet: *consuetudinis*, qua familiares nouimus & diligimus, *rationis*, qua virtutis ergo eos amamus, quos nunquã vidimus, *fidei & charitatis diuinæ*, qua Deum Christum, & ea quæ Christi sunt, credimus, amamus, reueremur. Hic interior oculus necessarius est, vt Christum in medio nostrum stantẽ cognoscamus. Christus Ecclesiæ suæ dixit, Ecclesiæ inquam magistris & Prælatis, quibus euangelizandi & baptizandi curam ac potestatem dedit: *Ecce ego vobiscum* (scilicet Euangelium prædicantibus & baptizantibus) *sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Et tamen hæretici hodie fide & charitate vacui, nec credentes, nec amantes Ecclesiam, non vident Christum in Ecclesia præsentem, non vident Ecclesiam Christi visibilem. Sacramenta administrantem, & verbum Dei prædicantem. Negant externam Ecclesiæ Catholicæ faciem, & eam è mundo ante aliquot secula periisse, impiè affirmant, inuisibili quadam impiorum & electorum relicta in orbe Ecclesia, quam nemo nouit, nemo vidit, nec ipsi ostendere possunt, sed fingere non pudet.

B In horum medio Christus stat, & eum nesciunt. Isti (ait Augustinus) *palpant in meridie, quasi in media nocte, (quod & omnium hæreticorum est) qui rem manifestissimam in luce omnium gentium positam Ecclesiam Catholicam toto orbe diffusam, videre non possunt.* Isti Iudæis peiores sunt, qui miracula quidem & opera Christi viderunt, sed tot seculorum, & tot gentium consensum non viderunt, imo tanto grauius quàm Iudæi, peccant in hoc genere hæretici, quanto clarius & illustrius (vt docet Augustinus) Scripturæ sacræ Ecclesiam nobis descripserunt & manifestarunt, quàm Christum ipsum, vt alio in loco nos ostendimus.

Hom. 38. ex hom. 50

7. Matt. vlt. Locus contra hæreticos.

Cõtra Var. li. 2. c. 3.

Enar. in psal. 30. conc. 2.

De princ. fidei li. 2.

8. *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere.*

LOcus moralis de humilitatis præstantissima virtute. D. Ioannes Baptista, vir tantus & talis; quem *totus populus pro Propheta habebat*; quem ipse Herodes Rex ab eo reprehensus, sciens esse virum iustum & sanctum, metuebat, & ideo contristatur in occasione eius; quem Principes Iudæorum, an Christus ipse esset, ambigebant, & pro Christo Dominus magnificè prædicauit, & de quo dixit, *Inter natos mulierum non est maior Ioanne Baptista*: tantus ac talis tamen non exi-

C stimat se dignum qui vel minimum obsequium Christo præbeat. Hoc enim infimum plane obsequij genus est corrigiam calceamenti cuiquam soluere. Quanta ergo eorum hodie vanitas & cæcitas, qui putant se dignos sacerdotio, dignos Episcopatu, dignos Prelatura Ecclesiastica, dignos qui Christi Vicarij sint, & personam gerant, & non tam illi seruiant, quam quibus eius nomine ab aliis seruiatur? Sed tu Christiane & Ecclesiastice attẽtè hic considera: Quanto se quisque humiliat magis tanto exaltatur magis. Ioannes dicens se non esse dignum qui calceamentum Christi soluat, dignus fuit qui capiti eius manum suam imponeret, eum in Iordane baptizans. Et vt dignum eum hoc ministerio fuisse intelligas, Christus, eo primum recusante, & dicente, *Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me?* respondit ei, *Sine modo. Sic decet nos adimplere omnẽ iustitiam.* Iustum quippe fuit, vt tantus Baptista etiam Christum ipsum baptizaret. Propter hãc insignem humilitatem Ioannes Baptista Luciferi supremi Angeli locum in cælo (qui per superbiam inde decidit) tenere creditur. Petrus quum ex summa humilitate, & sui ipsius deiectione diceret Christo, *Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum*, audiuit statim à Christo, *Ex hoc eris homines capiens*, fitque postea Princeps pastorum, petra & fundamentum Ecclesiæ, clauiger regni cælorum. Paulus dixit: *Non sum dignus vocari Apostolus.* Et hodie per agnominationem, quum Paulum dicere volumus, Apostolum dicimus. Centurio dicens Christo, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*, audiuit à Christo, *Non inueni tantam fidem in Israel.* Iacob tot & tantis à

D Deo beneficiis acceptis, fratri seniori prælatus, duodecim tribuum pater effectus, maximis diuitiis locupletatus, humiliter Deo dicit: *Omnibus miserationibus tuis minor sum.* Dauid in regnum totius Israelis sublimatus, *Quis*, inquit, *sum ego, aut quæ domus patris mei?* Beatissima Virgo, accepto nuncio incarnandi de ea Filij Dei, respondit: *Ecce ancilla Domini.* Et postea: *Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.* Elizabetha, Ioannis Baptistæ mater, salutante eam B. Virgine ait: *Vnde hoc mihi, vt veniat ad me mater Domini?* Omnes planè quos Deus exaltauit, humilitate semper excelluerũt & omni sese exaltatione indignos semper iudicarunt. An vero isti omnes aut stulti fuerunt aut ignaui, vt vel nescirent quid esset honore dignum, vel scientes, eum abiecto animo dispicerent? Imo vero solus humilis verè sapiens est, solus humilis verè magnanimus est. Vtrumque ostendemus. Ad prius quod attinet, disertè id explicat Chrysostomus: *Sicut quanto acutius videmus, tanto magis percipimus quàm longè à cæli regione distamus, sic etiam quanto altius per spiritualem profectum ad virtutis culmen conscendimus, & mentis oculum perpurgamus magis, tanto amplius docemur quàm sit inter Deum & nos grande discrimen, tanto clarius cernimus, quàm adhuc humili & abiecto loco iacemus.* Hoc

Humilitatis virtus. Marc. 14. Ioan. 1. Matt. 12.

Humilis exaltatur. Exempla. 1. Matt. 3.

Stella in Luc. c. 5. 2. Luc. 5. Matt. 16. 3. 1. Cor. 15. 4. Matt. 8. 5. Genes. 32. 6. 2. Reg. 7. 7. Luc. 1. Luc. 2.

Humilis sapiens. Chrys. ho. 9. in Matt. 2. Simile.

1.Cor.8. nempe est quod Apostolus dixit: *Qui existimat se aliquid scire, nondum nouit quo modo oporteat scire.* id est, nescit quantum sua qualiscumque scientia, à perfecta & diuina scientia absit, cuius hæc sua particula, est quasi riuulus à fonte deriuatus, aut quasi ramusculus ab arbore scientiæ de- A
In lib. de sancta virginitate c. 47. & seq. pendens, aut quasi radiolus à luce inaccessibili porrectus. Hoc enim modo si se scire cognosceret, profecto se aliquid scire non putaret, sed considerata illa Dei scientia, se nihil scire existimaret. Deinde vt docet pulchrè S. Augustinus, rationes explicans propter quas in vera & so-
1.Cor.10. lida humilitate quisque se continere debet, si sapiens quisquam est, ignorare non potest primũ,
1.Cor.4. etsi in aliquo excellat aliũ, tamen in multis aliis se deficere: deinde, etsi in aliquo excellat, alium tamen, quem ipse nescit, in eo etiam genere eum superare: tertio, alios multa præstare posse, &
Apophth. In vita eius per S. Bonau. c. 5. Apophth. Ibid. c. 6. in multis excellere, in quibus ipse nihil sciat: quarto quod in aliqua graui tentatione fortè succumbet, iuxta illud, *qui se existimat stare, videat ne cadat:* quinto quod quicquid habet, est alienus thesaurus apud eum depositus, iuxta illud, *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hæc autem omnia considerare & scire sapientis est: ideoque solus humilis, qui ista considerans humilitatem seruat, verè sapiens est. Sapienter solebat dicere S. Franciscus: *quantum homo est in oculis Dei, tantum est, & non plus.* Stultum proinde iudicans de mundanis extolli honoribus, malebat de se vituperium audire: quàm laudem: sciens sapienter, quod hoc ad emendandum induceret, illa ad cadendum impelleret. Et vide, quæso, quàm sapienter humilitatem seruauerit. *Rogatus quid de se sentiret, Videor,* inquit, *mihi maximus peccatorum. Cui cũ* B
In vita eius apud Surium. to. 7. *frater diceret ex aduerso quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit: Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè quod multo, quam ego, gratior esset.* Nec dissimili sapientia respondit frater Aegydius, vnus ex quatuor primis comitibus S. Francisci, vir quidem illiteratus & idiota, sed diuina sapientia plenus. *Rogabat eum frater quidam, quid faceret? Ille respondit se malè facere. Fratre porro dicente. Et quidnam tu malè facis, quum sis Minorita? Aegydius alteri astanti fratri ait: Vter paratior est, Deus ne ad dandam, an homo percipiendam Dei gratiã? Illo asserente propensius Deum largiri suam gratiam, quàm nos recipere, Aegydius dixit: Recténe igitur nos facimus? imo vero, inquit ille, malè facimus. Tum Aegydius ad alterum, Vides me verum tibi respondisse, me malè facere, vt qui eius gratiam non semper recipiam, nec in ea, prout par erat, ambulem.* Quæ certè sapientissima & verissima consideratio facit, vt qui optimus est, veraciter se putare possit pessimum: quam esse veri humilis definitionem, idem dixit Aegydius. Hæ igitur considerationes perspicuè docent, humilem esse sapientem, & humilitatem cum magna sapientia coniunctam esse.
Humilis magnanimus. Quod autẽ vir humilis, & humiliter de seipso sentiẽs, quũ verè magnus sit, sit vir magnanimus, hac ratione docet S. Chrys. *Ille,* inquit, *magnanimus est qui verè humilis est, nullius adulator, nullius* C
contemptor. Alterum enim magnanimitatis, alterum stultitiæ argumentum est. Sit quispiam qui lutum, lutum esse arbitretur, & tanquam lutum contemnat, alter lutum tanquam aurum admiretur, & plurimi faciat. Vter magnanimus est? nunquid qui lutum nulla admiratione prosequitur? Vter abiectus? nonne qui id admiratur? Eadem ratione hoc in loco considera, quod qui se lutum ac puluerem existimat magni animi est: quod ex humilitate proficiscitur. Qui autem neque terram se, neque cinerem intelligit, sed intumescit, & maximam de se opinionem concepit, nonne hic omnium vilissimus est, quum minima magna sibi esse persuadeat? Hæc ille. Nempe magnanimitas est rerum abiectarum contemptus, excelsarum appetitus. Humilis igitur magnanimus est, qui omnem humanam gloriam despicit, ea sola contentus, quam in Dei
In vita eius apud Sur. l. 2. c. 2 oculis habet, & vberius post hanc vitam habiturus est. Sic Sancta Maria Oegniacensis, rogata num ex laudibus humanis, vel diuinis reuelationibus, vana gloria vel leuiter se titillari sentiret, ita respondit. *Comparatione veræ gloriæ, quam ego expecto, nihil prorsus est, vel existimari potest omnis humana gloria & prædicatio.* Hac sapientia & magnanimitate præditus S. Ioannes Baptista, non se putauit dignum qui corrigiam calceamenti solueret. De hac præstantissima virtute in aliis Euangeliis plura dicentur.

D

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ IV.

Aduentus.

ANNO quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galileæ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Itureæ & Traconidis regionis, & Lysaniæ Abilinæ tetrarcha, sub Principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prędicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite B semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei. *Luc. 3.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris.* Contra adolescentes & iuuenes prædicatores verbi.

2. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* De bono solitudinis, Deo specialiter seruientibus necessario.

3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* De prædicatione pœnitentiæ necessaria.

4. *Rectas facite semitas eius.* De viis iustorum rectis, per quas ambulandum est.

5. *Omnis vallis implebitur.* Contra pusillanimitatem, seu imaginariam difficultatem circa vias Domini rectas.

C 6. *Omnis mons & collis humiliabitur.* Contra superbiam, & de necessitate humilitatis.

7. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* De via virtutis per Christum facili & expedita.

1. *Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris.*

LOcus moralis de verbi Dei præcone & concionatore ante iustam ætatem non audiendo. S. Euangelista non absque causa annum ipsum notauit, quo D. Ioannes Baptista prædicare cœpit, qui fuit ætatis eius trigesimus. Quum enim Augustus Cæsar annis 57. imperauerit, & anno imperij eius 40. D. Ioannes natus est, eodem scilicet quo Christus, vt idem Lucas narrat. Augusto autem Tiberio proximè succedente, eius imperij anno decimoquinto prædicare cœperit; manifestum est, triginta annos ætatis Ioannem ante prædicationem compleuisse, quindecim sub Augusto, & quindecim sub Tiberio. Et tamen tantæ virtutis D. Ioannes erat, à prima ætate sanctissimè in deserto vitam agens, vt etiam ante annum ætatis vigesimum, idoneus ad prædicandum videri potuerit. Nunc autem non ante annum trigesimum, *Factum est verbum Domini super eum, vt veniens in omnem regionem circa Iordanem prædicaret.* Sic Christus ipse eum annum expectauit, antequam se mundo manifestaret. Sic Ioseph, quando stetit coram Pharaone, D vt esset Dominus Aegypti, triginta annos compleuerat. In hac quoque ætate Dauid regnare incepit. In eadem ætate vidit Ezechiel mirabiles visiones, & vaticinari ac prædicare cœpit. Condemnant hæc exempla ambitionem & præsumptionem adolescentum nostri temporis, tam Catholicorum, qui degustata parum Theologia, statim prædicationis Euangelicę munus suscipiunt, quàm maximè hæreticorum, qui non minus indocti quàm imberbes cathedras prædicatorum verbi inuadunt, more veterum omnium hæreticorum, de quibus eleganter Tertullianus. *Nusquam citius proficitur quàm in castris rebellium, vbi ipsum illic esse, promereri est. Nunc neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt.* Certè ætatis & diuturnæ conuersationis rationem habendam esse, illud Apostoli in ordinando Episcopo, id est quouis animarum pastore & verbi Dei prædicatore, interdictum docet, quo dicit: *Non neophytum ne in superbiam elatus, incidat in iudicium diaboli.* Ostendit ipsi prædicatori adolescenti periculosum hoc munus esse, ne insolescat. Vt poma immatura, quæ ab arboribus

Prædicatores adolescentuli.

Exempla. Genes. 41. 2. Reg. 5. Hieron. in proœm. in Ezech.

In præscr. con. hæret. cap. 41.

2. Tim. 3.

Simile. Stel. in Luc. 3.

vento deiiciuntur, nec ſuauitatem habent, nec ſtomacho proſunt: quæ vero ſunt matura, hæc grata & ſuauia ſunt: ſic concionatores iuuenes, qui vento vanæ gloriæ impulſi, ſtudia & ſtationem deſerunt, nec dulcedinem habent ſpiritualem, nec vtilitatem mentibus auditorum afferunt; ſed quę ſunt tempore maturo è ſacris literis collecta, & morum ac iudicij grauitate digeſta, illa demum & ſalubria ſunt & iucunda. Non difficulter delectabit iuuenis concionator magis ornatus ſermone quàm ſolidus, magis elegans quàm inſtructus, ſed difficillimè, vt oportet docebit ac monebit. *Habet vnguentum fragrantia, habet & pharmacum: ſed hoc intereſt, quod illud ad delectationem tantummodo paratur, iſtud præterquam quod obiter bene olet, purgat etiam, ſanat, carne vulnus obducit. Pictores quoque colores iucundos ac tincturas miſcent: ſunt quoque medicorum pharmaca nonnulla aſpectu iucunda. Sed illa ſolum delectant, hæc etiam iuuant.* Sic bonus verbi Dei prædicator non delectare tantum, aut etiam affectus mouere, ſed maximè ſalutaria & ſolida grauiter & neruosè docere debet: ad quod ætas, iudicium, multa lectio, multa experientia requiritur. Alioqui qui loquendo placentia, aut certè, inania, & minus ſolida, auditorum moribus & affectibus vel corrumpendis, vel certè falſo guſtu afficiendis, & aſſuefaciendis ſubſeruiunt, illi ſimiles ſunt malis diſpenſatoribus, qui non de aceruo in horreo repoſito, ſed ſemine in terram iacto, frumenta capiunt. Inficiunt enim iſti ſeminarium actionum, qui affectus eſt, & ipſum habitum animi corrumpunt. Deinde in verbi prædicatione, maxima, ſi qua vſquam, prudentia requiritur. Non omnibus idem cibus conuenit. Aliis *opus eſt lacte*, alij *ſolido cibo* paſcendi ſunt. Ille *prudens paterfamilias* cenſetur, *qui nouit dare cibum in tempore*, & alius Euangeliſta addit, *tritici menſuram*. Itaque nec omnibus eadem, nec quouis tempore idem, nec ſingulis in eadem menſura verbum Dei prædicandum. D. Ioannes docuit Phariſæos aſperè, populum placidè, milites moderatè. Verbi prædicator debet eſſe (vt Paulum deſcribit Chryſoſtomus) *varius ac multiplex: non vtique diſſimulatione mutabilis, ſed faciens omnia quæ prædicationis ſalutiſque neceſſitas poſcebat.* Sic nempe de ſe- ipſo Paulus dicit: *Factus ſum omnia omnibus, vt omnes lucrifacerem.* Et quidem magni ſtudij ac laboris eſt, *vt exhortandis ſingulis, ſeruiatur ad ſingula, & vnicuique propria quæ conueniunt diſpenſentur. Longè autem laborioſius eſt auditores innumeros, ac diuerſis paſſionibus laborantes, vno eodemque tempore, voce vnius & communis exhortationis admonere, vt more gladij bicipitis tumores cogitationum carnalium ex diuerſo latere incidat, & paleſtritarum more in omnes ſe pares feriendo vertat.* Nam, vt idem Gregor. alibi dicit, *Herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt, & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat. Et medicamentum quod hunc morbum minuit, alteri vires auget.* Neque enim (vt alius Greg. Nazianzenus ſcripſit) *ſicut virtuti accidit & malitiæ, vt illa ſit ſemper optima & vtiliſſima, & hæc peſſima, & noxia, ſic noſtræ accidit medicinæ, vt vnum aliquid & idem ſemper ſit eiſdem vel ſaluberrimum vel pernicioſiſſimum.* Quam ob cauſam *multa opus eſt paſtori prudentia* (vt ſcripſit Chryſoſtomus) *& ſexcentis, vt ita dicam, oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumſpicere poſſit.* Vt videlicet ſciat quando molliter & blandè, quando fortiter & aſperè agendum eſt. Dicit Apoſtolus: *Increpa illos in omni patientia & doctrina.* Dicit idem alibi. *Increpa illos durè, vt ſint ſani in fide.* Quæ non ſunt contradictoria, ſed varietati perſonarum, temporum, locorum ſubſeruiunt. Quam veritatem multum laborauit S. Gregorius vt explicaret: nec tamen, tantus paſtor quum eſſet, ei argumento ſatisfecit. Deinde alia difficultas eſt, ne imprudens concionator, *quod infirmum eſt, non conſolidet, quod ægrotum eſt, non ſanet, quod confractum eſt, non alliget, & quod abiectum eſt, non reducat*: ſed contra, *vel lignum fumigans prorſus extinguat, vel arundinem quaſſatam* penitus *confringat.* Vnde Chriſtus primis prædicatoribus dixit: *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos.* Quod ſic exponit S. Greg. *Sic ſapienter loquatur paſtor, vt eloquio ſapientiæ, vnitatem audientium non confundat.* Et ad hæc omnia adoleſcentulus prę̃ſtanda idoneus erit? Scilicet vt in Eccleſia fiat, quod in Republ. Græcorum cum eius pernicie accidit: *Prodierunt oratores, adoleſcentuli, noui.* Vnde grauiter & ſapienter S. Gregorius: *Admonendi ſunt quod ab officio prædicationis imperfectio & ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, quod pulli auium ſi ante pennarum perfectionem volare appetunt, vnde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur, quodque ſtructuris recentibus, necdum ſolidatis, ſi tignorum pondus ſuſtumulos replent.* Sed legant tales, vt ſui muneris magnitudinem magis intelligant, Chryſoſt. libro de ſacerdotio, Gregorium Magnum de cura paſtorali, Gregor. Nazianz. Apolog. Auguſtinum lib. de paſtoribus, & inter modernos Lud. Granatenſem de ratione concionandi.

Simile. Plutarch. li. de diſcr. adul. & amici.

Simile.

Heb. 5. 1. Cor. 5. Matt. 24. Luc. 12.

Hom. 5. de Laud. Paul.

1. Cor. 9.

Greg. cura paſt. p. 1. c. 2.

Ibid. in prolog. p. 3.

In Apolog.

Li. de ſacerdotio.

1. Tim. 4. Tit. 3.

Cura paſt. p. 3.

Ezech. 34.

Marc. 9.

Cura paſt. p. 2. c. 4.

Cura paſt. p. 3. c. 26.

2. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.*

Reg. 5. Oſeæ 2. 2. Tim. 2.

LOcus moralis de ſolitudinis bono, ei neceſſario qui Deo ſpecialius ſeruire, vel arctius frui vult. Conuerſatio enim, vel ſaltem affectio mundana, cum Dei ſpeciali ſeruitio & fauore conſiſtere non poteſt. Nunquam Dominus permiſit vt in eodem altari arca teſtamenti, & idolum Dagon ſimul eſſent. Deus animæ ſanctæ reuelare ſua ſecreta voluit, dixit per Oſeam:

Exempla. Exod. 3. & 19.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Neque aliud eſt quod per Apoſtolum dixit: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.* Sicut Ioannem ad prædicationem

A tionem sic Moysen ad principatum populi sui Deus vocauit in deserto : & volens loqui familiariter Moysi, tollit eum seorsum in monte Sinai. Angelus consolatur Agar in solitudine deserti. Elias extra vrbem & in spelunca erat, quando ei familiariter loquitur Dominus. Quando Dominus cor nostrum solum inuenit, ab omni vana cupiditate vacuum, à cura, solicitudine, perturbatione liberum, tunc cœnaturus nobiscum sedet. *Qui enim ad ostium nostrum stat pulsans, non intrabit & cœnabit nisi aperiamus ei.* Non autem aperitur cor Deo, nisi claudatur mundo: quia *nemo potest duobus Dominis seruire: sed aut vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Hæc est solitudo quam Deus diligit, ei soli adhærere, soli seruire, soli vacare. Hanc mirabiliter adiuuat solitudo externa, cõuersationis & familiaritatis humanæ fuga quam tot sanctissimi viri in desertis & solitudinibus victitãdo sectati sunt: quos in numero sapientum iustorum Apostolus ponens, ait: *In solitudinibus errantes in speluncis & cauernis terræ quibus dignus non erat mundus.* Ad hos proximè accedunt qui à communi hominum vita segregati, claustrisque concluſi, cœnobiticam, & monasticam vitam agunt. Quod genus hominum dum hæretici horum temporum nec in suis sectis vllo modo admittunt, atque in Catholica superbè irrident, ideoque & D. Ioannis desertum praua & ridicula interpretatione peruertere studeant, ostendunt manifestè, nec vllum diuini Spiritus gustum se habere, nec hoc Euangelium intelligere, vel certè intelligere velle: sicuti in altero nostro Promptuario docuimus, Sed hãc solitudinem omnibus affectandam, vt quantum fieri possit, & quantum communis vitæ necessitates con-

B cedunt, à conuictu, conuersatione, & familiaritate nimia hominum (nisi fortè bonorum, quorum exemplis & consuetudine proficias) se subducere, quàm sit virtuti & pietati res necessaria, pulchrè docet Seneca: *Quid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris? Turbam. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli fero. Aliquid ex eo quod composui, turbatur, aliquid ex his quæ fugaui, redit. Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Subducendus populo est tener animus, & parum tenax recti, facilè transitur ad plures. Vnum exemplum luxuriæ aut auaritiæ multum mali facit. Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatem irritat. Malignus comes, quamuis candido & simplici rubiginem suam affricuit. Quid tu accidere moribus credis in quos publicè factus est impetus? Necesse est aut imiteris, aut oderis. Vtrumque autem deuitandum est: ne vel similis malis fias, qui multi sunt, vel inimicus multis, quia dissimiles sunt.* Epist. 7. Hæc ille non minus sapienter quàm eleganter. Et rursum alibi. *Sicut per frequentia vrbis loca properanti, in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi, ita in hoc vitæ actu dissipato & vago multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. Alius spem nostram fefellit, alius distulit, alius intercepit. Non ex destinato proposita fluxerunt.* De ira. l. 3. c. 6. Ita videlicet multas animi perturbationes affert, variè & multum à Deo distrahit illa vita communis quæ negotiorum curis plena, quæ cupiditatum spinis & aculeis vndique obsessa est: quam tamen ferè omnes insano appetitu affectant. Propter hanc

C seu insaniam, seu seruitutem voluntariam, tam multa peccamus, vt ob eam solam (si alia non essent) quotidianam pœnitentiam agendam esse doceat S. Aug. *Non solum* (inquit) *propter vitæ humanæ mutabilitatem & ignorantiam, & propter diei malitiam, quæ vtinam sufficeret, sed etiam propter ipsum puluerem mundi huius, qui per itinera consulendi, consulentium pedibus adhæresit, & damna quæ in ipsa negotiosissima dispensationis actione contingunt, quotidianam debemus agere pœnitentiam. Sed si hoc dispensatores verbi Dei, & ministri sacramentorum eius, milites Christi, quanto magis cætera stipendiaria multitudo, & quædam prouincia magni Regis! quanto magis Ecclesiæ prouinciales secularibus negotiis obligati, qui quamuis ab omnibus flagitiis, & facinoribus immunes esse debeant, tamen propter administrationem rerum familiariam & coniugiorum arctissima vincula tam multa peccant, vt non tam de istius mundi puluere aspergi, quàm luto obliniri videantur.* Hom. 50. in hom. 50. c. 6. & 7. Istæ & aliæ considerationes, totas Ægypti & Thebaidis solitudines à tempore S. Antonij, vsque ad infaustam Occidentis & Orientis diuisionem, sub Constantino quarto, eiusque successoribus Iconomachis per annos ferè quadragintos, eremitis sanctissimis viris repleuit: qui postea per Italiam, Germaniam, Galliam, totumque Occidentem passim floruerunt, donec cœnobiorum & collegiorum claustra omnes solitudinis huius diuinæ amantes in suum sinum receperunt. Huius porro solitudinis quanto amore affecti, quãta cura & sollicitudine eius retinendæ præditi fuerint sancti & optimi quique viri, multorum exempla ostendunt. S. Elizeus ita humanas familiaritates fugiebat, vt etiam hospitis suæ, quę multoties domi suæ eum receperat, nomẽ ignoraret, & iubẽs eam per Giezi ad se vocari, *Voca,*

D inquit, *Sunamitidem illam.* Pius monachus, paterna domo relicta, sic solitudinem adamauit, vt aliquot post annis à sorore visitatus, non nisi clausis oculis eam alloqui voluerit. D. Bernardus per annum integrum in vna cella agens, eam exiens, nesciebat vtrum adhuc desuper celata, vel testudineata domus esset. Virginem quandam, quæ se ab omnium virorum oculis remouerat, transiens per locum S. Martinus Episcopus locum inuisere volebat, at illa per alteram mulierem se excusans, nec ab eo videri voluit: quod ille & æquo animo tulit, & vehementer laudauit. S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, quum per annos quinquaginta populum rexisset, nullam vnquam feminam sic aspexit, vt si accurreret, ex consideratione vultus posset agnoscere. Sed & dicebat idem viros ipsos non nimium vel attentè vt frequenter contuendos: per communionem quippe humanæ mutabilitatis atque compassionis fieri, vt affectiones aspecti ad memoriam aspicientis frequenter recurrant, & de conspecto irato iratus, de tristi tristis, de lasciuiente lasciuus fiat: quas passiones satis est (inquiebat) habere vnumquemque

Gen. 21. 3. Reg. 19. Apoc. 3. Matt. 6. Heb. 11. Locus contra hæreticos. Epist. 7. Exempla. 4. Reg. 4. Niceph. l. 12. c. 37. In vit. eius l. 1. c. 4. Seu. Sulp. dial. l. 2. c. 13. In vit. eius apud Sur. 1. Aprilis.

proprias: non in se conscribere opus est alienas. Sed in hoc genere maximè excelluit magnus ille Arsenius, primum Arcadij & Honorij Imperatorum pædagogus, postea eremita, qui etiam ipsorum monachorum, & verè spiritualium virorum consuetudinem fugiebat. Cuius rei causam rogatus, quum ab huiusmodi non læderetur, illis vero etiam ipse prodesse posset, respondit: Ego quidem à charitate vestra multum pendeo. Sed quid agam? Non possum me diuidere Deo & hominibus. Est enim facilius ei placere quàm istis. Angelorum millibus & decies mille millibus vnus est scopus, & vna voluntas, vt Deum laudent, illiusque mandatis seruiant. Hominibus autem aliis aliæ sunt voluntates scopique, & instituta diuersa: & ideo est eis, vt dixi, difficilius placere quàm Deo. Porrò si sapientis esse putatur, tempestates marinas fugere, vt portum teneas: de rimosa & patula naui tempestiue exire, ne naufragium facias: è domo ruinosa se subducere, ne casu obruaris: quanto magis conuersatio mundana, cum tot periculis & corruptelis coniuncta, homini sapienti cauenda est! Mare turbulentum, vita hęc mortalis est. Vocatio cuiusque nauis est, in qua ad alterius vitæ portum nauigat, vt in naui seu mercator seu vector tranquillitatem quærit, sic in suo quisque vitæ genere. Iam vero *quemadmodum Neptunoplas debere se iudicat, ex his qui eadem tranquilitate vsi sunt, qui plura & pretiosiora illo mari vexit, & animosius à mercatore quam à vectore nauta soluitur, sic huius pacis beneficium altius ad eos peruenit, qui illa bene vtuntur.* Vitam autem solitariam, illam nauem esse, vitam inquam à curis & cupiditatibus mundi remotam docere possunt communis & negotiosæ vitæ pericula, quæ sic paucis D. Basilius cōplectitur, *Meditatio & oratio* (actio ad salutem in primis necessaria) *inter frequentes distractiones & mundanas occupationes integra seruari non potest. In sęculo qui plurimorum peccata videt, in comparatione deteriorum se optimè vitam agere existimat*: sic de propriis peccatis non conteritur. Deinde *rerum terrenarum memoria obrutus, non solum non deliciatur in Deo*, & sic lucrum cessans patitur, *sed etiam ad diuinorum iudiciorum obliuionem & contemptum paulatim inducitur*, in quo maximum damnum emergens incurrit. De hac materia in aliis Euangeliis plura.

In vit. eius apud Sur. tom. 6. A

Pintus p. 1 dial. 5. c. 3.

Sen. ep. 74.

In quæst. fusè disp. resp. ad q. 6 Vid. Do. 11 post pent. t. 3. & alias ibi annot. B

3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

Pœnitētiæ prædicatio necessaria.

LOcus moralis de prædicatione pœnitentiæ necessaria. Nam de ipsa pœnitentiæ qualitate & necessitate ad remissionē peccatorum per Christum consequendam, in altero Promptuario contra hæreticos diximus. De eius quoque virtute & efficacia circa pœnitentiam Magdalenæ eodem in libro disputauimus. Nunc de ipsa prædicatione pœnitentiæ necessaria, quædam ad mores pertinentia proferemus. D. Ioannes populo multis & magnis flagitiis onerato pœnitentiam, & nihil quàm pœnitentiam prædicabat, hodie quum *totus mundus in maligno positus sit*, pauci eam prædicant. Quod Oseas de suo tempore scripsit, hodie verissimum est: *Non est veritas, non est misericordia, non scientia Dei in terra, maledictum: & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quod Esayas quoque dixit, *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*: de hac deploratissima tempestate nostra nimis verum est. Hæreses enim hodiernæ, dum superstitionib. mederi volunt, vniuersum Dei cultum pessundederunt: &, vt non minus verè quàm eleganter dicebat Thomas Morus, *Sustulerunt hypocrisim, & impudentiam substituerunt, vt qui ante religionem simulabant, nunc in impietate glorientur.* Certè in Anglia hæretica, vna carnis libido non impunita tantum, sed & inculpata, nec inculpata modo, sed & collaudata, nec collaudata tantum, sed & publicè remunerata, atque adeo honorata, prorsus dominatur, vt in ea nunc hæretica gente vsu euenerit quod aliquando euenire posse metuebat Augustinus: scribens in hæc verba: *Tanta est peruersitas generis humani; vt aliquando metuendum sit, ne castus erubescat inter impudicos.* Non enim in aula tantum regia (vbi qui non fornicatur, vel non amicus Principis, vel non aula dignus, vel etiam Papista reputatur) sed per totum ferè regnum despectui habetur qui coniugalem castitatem religiosè seruat, honoratur vero & pro indubitato Protestante ad Reip. administrationem vocatur, qui egregiè libidinatur. Hoc vnum autem crimen quàm multa alia vel præcedant, vel subsequantur, vel pari gressu comitentur, gula, ebrietas, luxus, mendacia, rapinæ, Dei obliuio, proximi contemptus: tum criminis natura docet, tum experientia & euidentia facti demonstrat. Et tamen in eo quidem regno nunquam (sola fides enim saluificans contradicit) aliis autem in locis vbi similia peccata, etsi non tanto impetu, nec sic sine fronte grassantur, rarissimè prædicatur pœnitentia in remissionem peccatorum, sed aliud potius quodcumque tractatur argumentum. *Loquuntur placentia* verbi prædicatores plerique, *& consuunt pulvillos sub vnoquoque cubito: dicunt, Pax, pax, vbi non est pax.* Quos ignauos & molles animarum curatores satis apta hypotyposi describit Thomas Morus. *Sicut*, inquit, *astuta mater tenerum paruulum, qui nimium diu in lecto stertuit, & iturus ad scholam plorat virgam metuens blandis verbis & promissis emittit, omnia illi salua pollicens, vel quia tam serum non est, vel quia præceptor hac vice indulgebit, nec quam pœnam in schola luat, pensi habet, modo hilari vultu cum suo butyraceo eum à se dimittat: sic multi animarum curatores diuitibus & voluptuariis placentia loquuntur: ad mortem properantes, & à pœnis infernalibus sibi metuentes, vana spe lactant, omniaque salua pollicentur: vel quia non ita grauiter Deum offenderant, vel quia misericors Deus facilè indulgebit, ne quas postea in inferno pœnas luant, quicquam curant, modo eos in hac vita non contristent,*

I. Ioan. 5. C

Osc. 4.

Esa. 1.

In vita eius c. 12.

Anglię hæret. depranatio. Li. de decē chordis c. 9

D

Esa. 30.

Ezech. 13.

In vit. eius c. 12.

Similia.

Simile.

A *ſtent, ſed beneficos & liberales erga ſe dimittant.* Et tales quidem illi, ſicut ignaui paſtores, qui ouiculas ſuas potius ad ſyluas ſuauiter pergere ſinant vbi à lupis deuorantur, quàm vel baculo vel ſibilo, vel telluris iactu à via, quam ceperunt, deflectere, aut hanc vel illis, vel ſibi quaſi moleſtiam faceſſere velint. Aliter maximus ille & peritiſſimus Eccleſiaſtes Ioannes Chryſoſtomus: qui, quo primum die in Pontificali Cathedra Patriarchatus Conſtantinopolitani, præſente Imperatore Arcadio, multiſque Epiſcopis ſummo cum honore collocatus fuit, ſic ſuum ad eos ſermonem exorſus eſt: *Nos qui ineffabilibus Dei rationibus ideo ad vos venimus, vt voluntatem eius teſtificemur hoc primum verbum à Chriſto & diuino eius præcurſore accipientes, vobis annunciamus & ſuademus: Pœnitentiam agite, propè eſt enim regnum cælorum. Hæc autem non dubitabo vobis aſſiduè reuocare in memoriam: Hæc neminem reuerentes, neque dies timentes, ad vos loquemur.* Hæc prima eius prædicatio fuit, quum illi ciuitati & populo præeſſe inciperet, in quo vitia & flagitia plurimum abundabant. Sed Prophetarum & Apoſtolorum exempla magis mouere debent. Eſaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Oſeæ, Amos, Ioel, Ionæ, & omniũ ferè Prophetarum verba nihil ſunt aliud, quàm acerrimæ contra peccata conciones, & quæ ad pœnitentiam hortantur. Petrus Simonem Magum, Paulus fornicarium Corinthium, inſenſatos Galatas, ac denique ipſum Petrum non ambulantem ſecundum veritatem Euangelij, ad pœnitentiam reuocat, acriter increpat, & in faB ciem arguit. Porro quum duæ ſint prædicatoris partes, cantare & lamentari, de quibus Chriſtus in Euangelio dicit: *Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentauimus vobis, & non planxiſtis*, multi hodie prædicatores cantant ſuis auditoribus, vt ſaltent, ſed pauci lamentantur, vt plangant. At poſterius iſtud primo fieri oportuit, & ante omnia. *Quemadmodum enim medici primum imponunt cataplaſmata magis efficacia, & deinde rupto vulnere, ea quæ leniunt: ſicut patres filios ſuos videntes incompoſitis moribus, prius verberibus corripiunt, poſtea admonent & conſolantur: ita & concionator poſt increpationem conſoletur auditores.* Agricola prius terram fodit, aratro vertit, glebas frangit, vepres & ſpinas radicitus euellit, poſtea optima grana terræ mandat: ſic concionator prius vitia euellere, pœnitẽtiam prædicare, gehennæ metum incutere debet: poſtea Chriſti promiſſiones, Dei miſericordiam, cæli gaudia proponere. Pictores non prius nouos colores appingunt, quàm veteres abraſerint. Sic Chriſtus, ſic Ioannes, ſic Prophetæ, ſic Apoſtoli, primo pœnitentiam cum fide, poſtea primarias virtutes, & Dei beneficia docuerunt. Poſtremo tales maximè concionatores laudant ſancti Patres, qui ad compunctionem mouent, & pœnitentiam inculcant. *Docente in Eccleſia*, ait S. Hier. *non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitentur. Lachrymæ auditorum, laudes tuæ ſint.* Rurſum alio in loco: *Ille eſt doctor Eccleſiaſticus, qui lachrymas, non riſum mouet.* Hæretici ſanè veteres, ſicut noſtri hodie in Anglia, plauſus & acclamationes auditorum ſtudioſiſſimè affectabant. De PauC lo Samoſateno ſic ſcribit Euſebius: *Ab auditoribus non fauorem, neque plauſum ſperare ſolum: ſed theatrali more oraria moueri ſibi ſpectabat, & vocem tanquam de caueis dari.* Similem applauſum quum Catholici ſuis doctoribus redderent, grauiter id SS. Patres tulerunt, vt videre eſt apud Chryſoſtomum & Auguſtinum. Quum in quadam concione acclamarent auditores, ſic ad eos Chryſoſt. *Tacete qui hæc auditis. Multo maiorem vobis habeo gratiam pro ſilentio, quam pro plauſibus: propterea quod plauſus quidem ac laudes me faciunt glorioſiorem, ſilentium vero vos reddit compoſitiores.* Nec multum diſſimiliter S. Auguſtinus: *Laudes iſtæ veſtræ grauant nos potius, & in periculum mittunt. Toleramus illas & tremimus inter illas. Tamen, fratres mei, iſtæ laudes veſtræ folia ſunt arborum: fructus quæritur.* Certè de Lutheranorum primis concionibus, quum nouum hoc cacangelium orbi propinaretur, vt calix Babylonius, ſcribit Eraſmus, auditores Lutheranos ſic ab illis domum rediiſſe, feros, & arrogantes, & audaces, ac ſi non ab Eccleſia Chriſtiani, ſed à prælio milites reuerterentur. Iam ſi turpe eſt in cauſis ciuilibus ad gratiam loqui, & aſſentatorem agere, quanto magis in cauſa ſalutis æternæ, eos qui magiſtrorum locum tenent, ſuorum affectibus ſubſeruire, quaſi nihil inter oratorem forenſem, & prædicatorem Eccleſiaſticum intereſſet! quo in genere falsè Demoſthenem taxauit Diogenes. Is quodam tempore prandium in caupona ſumebat, quumque videret prætereuntem Demoſthenem, eum inuitabat. qui cum renueret, *Putas*, inquit, *ô Demoſthenes hoc eſſe tibi dedecori, ſi in cauponam ingrediaris, quum nulla dies prætereat quin Dominus tuus intro* D *veniat? populum intelligens, & de plebe ſingulos: quoniam concionatores & oratores multitudinis quodammodo ſerui exiſtunt.* Hęc ille. Quod ſi illa eſt libertas Chriſtiana omnibus communis, vt nullius affectibus ſeruiant, iuxta illud Apoſt. *Empti eſtis pretio magno, nolite fieri ſerui hominum*: quanto magis illa eſt libertas Euangelica verbi prædicatoribus propria, vt in tanto munere non placentia, ſed ſalutaria loquantur, nec prurientibus auribus, ſed animis auditorum conſulant, iuxta illud etiam Apoſtoli: *Si adhuc hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem.* Mouere hæ conſiderationes debent verbi tractatores, vt à pœnitentiæ prædicatione, in tanta vitiorum colluuie & exundantia prorſus neceſſaria, non abſtineant: quas etiam populo proponere poterunt, vt id prædicationis & doctrinę genus æquanimius ferant.

Exempla.

Inuita eius apud Sur. per Simeõ. Metaph. 27. Ian.

Actor. 8.

Luc. 7.

Simile. Chry. ho. 2 in Geneſ. Similia.

Ad Nepot.

In con. in Eſ. c. 3. Hiſt. Eccl. li. 7. c. 26.

Con. 3. de Lazaro.

Ser. 5. de ve. Dom.

In epi. ad frat. infer. Germ.

Aelian. var. hi. l. 9. Apophth.

1. Cor. 7.

Gal. 2.

A

4. *Rectas facite semitas eius.*

Virtutis via laboriosa.

LOcus moralis de viis iustorum rectis, per quas in hac vita ambulandum est. Rectæ enim semitæ iustorum, Dei vocantur: quia secundum Deum sunt, quia Deum authorem habẽt, quia ad Deum ambulantem perducunt. De hoc dicit Scriptura: *Iustum deduxit Dominus per vias*
Sap.10. *rectas & ostendit illi regnum Dei.* Et ne quis ambigat quæ sint hæ viæ rectæ, statim subiungit: *Honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.* Via ergo laboriosa, quæ via virtutis, via pœnitentiæ, via crucis Christi est, semita recta est, per quam suos iustos deduxit Dominus. De hac
Luc.9. ipse Dominus dicit: *Qui vult venire post me* (hoc est, qui vult ambulare vias meas, & rectas facere illas, non aberrando neque ad dextram, neque ad siniſtram) *tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Sed quæ est illa crux nostra? Explicat paucis verbis Basilius: *Præparatio ad mortem pro Christo, mortificatio membrorum super terram, ad omne periculum pro Christi nomine suscipiendum sedato animo*
In reg. bre. resp. ad q.6 *accedere & erga hanc præsentem vitam affectum non esse: hoc est suam crucem post Christum tollere.* Hanc ob causam dixit Propheta Regius: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*, vt videl. fie-
Psal.16. ret quod sequitur: *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.* Hanc quoque viã B
2.Cor.4. se tenuisse Apostolus docet, dicens: *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Nempe vita Christi erat ærumnis plena, quæ pauperiem, quæ famem, quæ sitim pertulit, *non enim habuit vbi reclinaret caput suum, esuriit in deserto, & sitiuit ad puteum Iacob:*) quæ verbera, quæ spinas, quæ alapas sustinuit, quæ denique crucẽ,
Luc.6. Matt.4. & in cruce clauos ac lanceam tulit, in ipsis corporibus nostris (ait Paulus) manifestetur, non in
Ioan.4. sola præparatione animi, non in nuda gratiarum actione, vt somniant delicati hæretici, sed in liuore, macie, pœna, acerbitate corporea, conspicua & illustris appareat. Hoc est Christum sequendo, ad quem Ioannes manuduxit, *rectas facite semitas eius.* Ad hanc viam hortatur Paulus:
Coloss.3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Et quemadmodum Christus de seipso dixit, *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, sic de nobis Paulus dicit: *Oportet nos per multas*
Luc.14. Act.24. *tribulationes intrare in regnum Dei.* Qua de re superius plura diximus. De his semitis iustorum rectis dicit scriptura, *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant.* Vtrumque explicabitur, nam humano ingenio vtrum-
Prou.4. que contrario se modo habere videtur, via voluptatum, honorum, diuitiarum, splendida & lucida, via patientię, paupertatis, mortificationis, obscura & tenebrosa. Sed ad viam impiorum
Simile. quod attinet, qui per agros niue coopertos aliquandiu ambularunt, (quorum via pulcherrima apparet) quum hospitium ingrediuntur, nihil vident oculis diuturno illo & nimio fulgore per- C
strictis: ideoque periculosum tunc est, in transitum aliquem difficilem circa hospitii ingressum incidere; certissimè quippe corruent, nihil videntes, eodem modo qui per prospera mundi (quæ niuis instar speciosa videntur, sed falsa tantum specie oculos perstringunt) tota vita aut diutius ambulauerunt, quum per mortis ianuam in alterius vitæ diuersorium veniunt, incredibiliter attoniti de repentina illa mutatione, & noua rerum facie, nihil vident quid de ipsis fiet. Si diuitiis, honoribus, & toto splendore illo moderatè, iustè, humiliter vsi non fuerint, sed intemperanter, iniquè, arroganter, difficillimos animarum transitus, à dæmonibus vndique obsessos,
Prou.14. superare nullo modo potuerunt. Sic impiorum via verè tenebrosa est, quia tenebras & caliginem animo, nisi cordatissimo, offundit, & nesciunt vbi corruant. Quare de illa dicitur: *Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius ducunt ad infernum.* Contra, iustorum semita vt
Prou.3. lux splendet, & de sapientia quæ via iustorum est, scriptura iterum dicit: *Viæ eius pulchræ, & om-*
Prou.28. *nes semitæ illius pacificæ.* Non pulchræ tantum, sed & pacificæ seu faciles dicuntur, & in nostro Euangelio *semitæ rectæ. Rectas facite semitas*, id est, sic ambulate, vt non nisi per semitas rectas ambuletis. Vnde Sapiens: *Qui ambulat simpliciter* (hoc est rectè) *saluus erit: qui peruersis gradi-*
Psal.118. *tur viis* (id est, per obliqua & deuia peccatorum) *concidet semel.* Sunt autem viæ iustorum viæ rectæ, faciles pacificæ, viæ pulchræ, perspicuæ & planæ, denique etiam iucundæ & delectabiles, iuxta illud: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis*: sed spiritui, nõ car- D
Rom.5. ni, animo, non corpori, interiori homini, non exteriori, denique nouo homini, non veteri. Per
Psal.118. has quippe vias carni, corpori, exteriori & veteri homini asperas, difficiles, iucundas, ani-
Esaig 40. mus iusti manet rectus, hilaris, & perpetua veraque voluptate affluens: idque propter solam *charitatem Dei diffusam in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*: quia dilatatus corde Propheta dixit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum.* Et alius Propheta similiter: *Qui sperant in Domino* (id est, amando sperant, non enim sperare ab aliquo bonum possumus, de cuius erga nos amore dubitamus, vel quem ipsi non amamus) *mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquila, current, & non laborabunt: ambula-*
Rom.8. *bunt, & non deficient.* Sic Paulus, multis enumeratis difficultatibus, & maximis. *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Quare describit ipse in se has iustorum vias foris ob-
2.Cor.4. scuras, intus pulchras: foris duras, intus pacificas. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angu-*
2.Cor.6. *stiamur, opprimimur, sed non destituimur, humiliamur, sed non confundimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deijcimur, sed non perimus.* Et paulo post iterum: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos*

A *metipſos ſicut Dei miniſtros,in multa patientia,in tribulationibus,in neceſsitatibus,in anguſtiis, in plagis, in carceribus,in laboribus,in vigiliis,in ieiuniis.* Hæ ſunt viæ foris aſperæ & obſcuræ, corporis mala. Sed vide nunc animi bona,& vias pulchras atque pacificas. Sequitur: *In caſtitate,in ſcientia, in longanimitate:in ſuauitate,in Spiritu ſancto,in charitate non ficta,in verbo veritatis,in virtute Dei.* Denique ſtatim vtrumque pulcherrima contentione connectit: *Per arma iuſtitiæ à dextris,& à ſiniſtris per gloriam:& ignobilitatem,per infamiam,& bonam famam,vt ſeductores,& veraces:ſicut qui ignoti,& ecce cogniti,vt caſtigati,& non mortificati:quaſi triſtes,ſemper autem gaudentes,ſicut egentes,multos autem locupletantes,tanquam nihil habentes,& omnia poſſidentes,tanquam morientes,& ecce viuimus.* Hæc eſt via iuſtorum,intus pulchra,foris horrida:hæ ſemitæ rectæ,foris obſcuræ, intus pacificæ & lucidæ. Hinc aliæ Scripturæ de ſponſa Dei,quæ anima iuſti eſt: *Omnis gloria filiæ regis ab intus eſt. Nigra ſum, ſed formoſa. Nolite conſiderare quod fuſca ſum,quia decolorauit me ſol*, id eſt, ardens charitas hæc mihi omnia imperauit,& à me extorſit. Pulchrè D. Bernardus: *Quid laborioſa quæque & humilia conuerſationis noſtræ tam ſedulo numeratis? Saga cilicia ſunt,& pelles arietum rubricatæ,quibus interna tegitur gloria,vt illæſa à pluueris & imbris iniuria conſeruetur. Nolite mirari. Neque enim triſtitiæ aut neceſsitatis eſt exterioriſte neglectus,ſed occulti ſplendoris, & exultationis internæ.* Huc etiam pertinet quod Pſalmiſta dixit. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis,qui fingis laborem in præcepto?* An non fictus in

B præcepto labor eſt onus Chriſti leue,iugum ſuaue,crux inuncta? vident enim homines carnales iuſtorum cruces,ſed non vident quæ illis coniuncta ſunt ſpiritualis lætitiæ vnguẽta,de quibus ibidem Dauid: *Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Rurſum, vt via veliter rectum ſit,opus eſt vt medium extremis conforme ſit. Qui vellet Pariſiis Romam tendere,magnum faceret diſpendium ſi per Neapolim tranſiret. Rectam igitur facimus viam,ſi vt vltima primis,ſic media vtriſque conueniunt. Exordium vitæ noſtræ ploratus & gemitus. Finis vitę noſtræ labor & dolor,quia mortis anguſtiis nihil triſtius,adeo vt ipſe Apoſtolus dixerit: *Cupimus ſuperueſtiri, ſed non expoliari.* Haud dubiè vita reliqua conformis eſſe debet,vt recta ſit,ſibique ſimilis. Ideo Chriſtus: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quumque diues purpuratus,& Lazarus vlceroſus,diuerſas vias ambulaſſent,ille *recipiens bona in vita ſua*,cruciatur in altera;hic autem mala accipiens,in ſinu Abrahæ quieſcit.S.Iob ex hac cõſideratione,de principio & fine vitæ ſuæ dixit: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* De medio curſu dixit: *Dimitte me Domine* (in hac videlicet vita:) *vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebroſam,&c.* Hæc via recta iuſtorum, cuius medium totum cum extremis conforme eſt. Contra vero, *in circuitu ambulant impij*,rectum curſum non tenent. Sicut iumenta ad molas alligata,cum continenter in orbem ambulant, eodem tamen

C ſemper in ſpatio reperiuntur:& fracta laboribus corporis,ipſa tamen vltra exigui loci fines progreſſa non ſunt:ſic voluptuarij & impij,quum aſſiduè in corporis libidinibus,mundiq; vanitatibus intricentur hiſque depreſſi inhæreſcant, ad ſpiritus faſtigium nunquam euadunt, ad cæleſtia nunquam aſpirant,ad viam virtutis carpendam nunquam ſe attollunt, denique rectas Dei ſemitas nunquam faciunt,ſed inexhauſto curſu in orbem perpetuo incitati feruntur, & eodem vnde mouerant,perpetuo referuntur,quaſi qui ab iniqua ſeruitute, in qua detinentur, liberari nequeant. Totam ergo vitæ noſtræ reformationem hæc verba ſignificant: *Rectas facite ſemitas Dei noſtri.*

Pſal.36. Cant.1. In Declamat.de bonis deſerendis. Pſal.93. Pſal.93. Stella in Luc. 3. 2.Cor.5. Matt.6. Luc.16. Iob 2. Iob. 10. Pſal.11. Baſil.Cõſt. monaſt.c.3. Simile.

5. *Omnis vallis implebitur.*

LOcus moralis de puſillanimitate,ſeu imaginaria difficultate circa vias Domini rectas tollenda. Vt enim rectæ viæ fiant & difficultates tollantur,loca depreſſiora replenda ſunt,& reliquæ viæ coæquandæ. Locus depreſſus in corde,eſt quædam animi ignauia,& vecordia,& timiditas inanis,quæ vtilitatem & progreſſum ſpiritualem in viis Domini tenendis,hoc eſt, in mandatis eius cuſtodiendis,impedit ac remoratur. Hic defectus (nam de defectu circa vias

D Dei,non de virtute aliqua, qualis humilitas in primis eſt, loquitur hic Propheta Eſaias) ante omnia tollendus eſt. Hic defectus,hęc puſillanimitas,hæc cordis ignauia,& inanis trepidatio mentis in cauſa fuit, cur filij Iſrael mirarentur magnitudinem gigantum terræ promiſſionis, & murmurarent,dicentes: *Nequaquam ad hunc populum poſſumus aſcẽdere,quia fortior nobis eſt.* Hæc ignauia fecit vt in exercitu Gedeonis,viginti duo millia virorum, qui form idoloſi & timidi erant,reuerterentur,ſolis decem millibus relictis, ex quibus etiam ſoli trecenti remanſerant, reliquis dimiſſis. Sed illos Deus grauiſſimè puniuit, & terra promiſſionis priuauit: per hos victoriam nobilem adipiſci voluit. Sicut autem qui flumen tranſmittunt, monendi ſunt, ne aquas rapido impetu currentes aſpiciant, ſed oculos alio deflectant: ita qui vias Dei ambulare volunt, non naturæ ſuæ imbecillitatem,ſed Dei gratiam intueri:nec ſuis,ſed gratię viribus,quæ in virtute ardua videntur, metiri debent. Vnde D. Ambr. *Nemo dura putet eſſe, quæ iuſta ſunt. Non enim ex infirmitate noſtra vis æſtimanda iuſtitiæ eſt:qui durum putamus eſſe,quicquid per imbecillitatem animi ferre non poſſumus.* Contra hanc animi mollitiem & ignauiam dicit apertè Scriptura. *Mãdata eius nõ ſunt grauia.* Et Chriſtus,vt has valles impleret,timiditatẽ & animi ignauiã auferret, clara voce profitetur: *Venite ad me omnes qui laboratis* (laborat autẽ propriè qui oneri ſuccũbit & cui

Puſillanimitatis vitium. *Exempla.* Num.13. Iud.7. *Simile.* Ser. 14. in Pſal.118. 1.Ioan.4.

Matt. 11. grauia & dura omnia videntur quæ præcipiuntur) *& onerati estis*! id est, onera grauia vos ferre A
Rom. 8. putatis, *& ego reficiam vos*, id est, *Spiritus vitæ*, quem ego dabo, *liberabit vos à lege peccati*, ab onere,
Rom. 6. à iugo, à tyrannide eius, *Peccatum non dominabitur vobis, quia non estis sub lege, sed sub gratia*. Idcir-
Matt. 11. co apud Matthæum, addit: *Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est, & onus leue*.
De contẽp. mũdi par. 1. ca. 12. Lex sancta iugum vocatur, quia iugum à duobus iunctis animalibus portatur. Qui se iugo Chri-
sti voluntariè submittit, non solus laborat, sed Christus cum illo coniunctus, iugum pariter por-
1. Cor. 3. tat. Sic Paulus quum dixisset, *Plus omnibus laboraui*, adiecit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*.
Rursum onus Christi est leue: quia sicut auis, alis quas portat, non grauatur, sed ad volandum
aptior redditur, sic mandata Christi non addunt pondus, sed alleuiant: quia sic iubet facere, vt
det quod iubet. Ideo enim lex mandatorum *non euacuatur per fidem Christi, sed statuitur per fidem*,
Rom. 3. vt Apostolus dixit, quia *fides impetrat gratiam qua lex impleatur*, vt exponit Augustinus. Fides au-
De Spir. & lit. c. 3. tem impetrat gratiam, quia credentibus, & non nisi credentibus datur hæc gratia Spiritus san-
Rom. 5. cti, quæ est *Charitas diffusa in cordibus*, cuius tanta vis est, *vt sit valida sicut mors*. Vnde alibi Augu-
Cant. 5. stinus. *Cui mandata Dei videntur grauia, nondum accepit charitatis donum, vnde fiant leuia*. Sic ergo val-
De perf. iustitiæ. les implentur per Christum, vt rectæ fiant semitæ eius, quia naturalem illã bene operandi im-
becillitatem & pusillanimitatem, eius gratia sustulit, nouis adiectis viribus, & facta noua crea-
Exemp. li. 2. epist. 2. tura. Quam nouitatem & vallis repletionem pulchrè in seipso describit B. Cyprianus. *Postquam*, B
inquit, *cælitus Spiritu hausto, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus*
confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facilitatẽ dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod
Prouer. 18. *impossibile putabatur, vt esset agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium fuis-*
Prouer. 12. *set*. Hæc ille. Vides quam multæ valles, & depressa loca noua baptismatis gratia impleta fue-
Matt. 25. rint. Vide simile exemplum in conuersione S. Augustini, infra Dom. 6. post Pent. tex. 3. Non igi-
tur mandatorum difficultati, sed nostræ ignauiæ deputandum est, si in via illorum quasi in sabu-
Prouer. 24 lo hæremus, & pusillanimitate deiecti succumbimus. *Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, fra-*
Eccl. 33. *ter est sua opera dissipantis*. Rursum, *Dicit piger: Leo est foris: in medio platearam occidendus sum*. Iterum
S. Bonau. in diæta salutis c. 7. dicit ignauus: *Sciebam quia homo durus es, ideo timens abij, & abscondi talentum meum*. Sed hunc seruũ
Simile. inutilem cum suo timore eijcit Dominus in tenebras exteriores. Et de pigro illo addit Scri-
ptura: *Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ*: id est, totus otio & desidiæ va-
cabat. *Otiositas autem multam malitiam docuit*. Vrtica quippe rectè figurat acediam. Nã habet mol-
le folium, sed in folio aculeum pungentem. Tũc autem pungit, quum molliter & obiter attin-
gis: si autem fortiter stringas, non pungit. Sic acedia in mollitie remissionis aculeum pungen-
tem habet, & multas tentationes adfert, sed actione feruenti compressa, pungere desinit. Ad
Ioan. 16. hanc pigritiam, ignauiam, pusillanimitatem, & inanem difficultatum opinionem, ac metum
Ioan. 4. suorum animis eximendum, Christus Dominus sæpius suos hortatur: docens se illi malo reme- C
Matt. 10. dium attulisse: *Confidite, ego vici mundum*, & iterum: *Qui in vobis est, maior est quàm qui in mundo est*: &
Luc. 21. rursum. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Ego dabo vobis os & sa-*
Matt. 28. *pientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri*: & demum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus die-*
Ioan. 14. *bus, vsque ad consummationem seculi*, & postremo. *Rogabo Patrem, & alium Paracletum* consolatorem
Philip. 2. in omnibus aduersis & arduis, *dabit vobis, Spiritum sanctum, qui maneat vobiscum in æternum*. Sic val-
2. Cor. 12. les implentur per Christum. Propter hoc dixit Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat*, &
Lud. Granat. conc. 1 in die Pas. rursum à Domino audiuit: *Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur*, id est, in maxima
nostra infirmitate, maxima Dei virtus elucescit. Quemadmodum enim cum paruulo filio iter
faciens pater, vbi via plana & facilis est, ambulare, & suis vti pedibus paruulum permittit, vbi
Simile. autem ad flumen aliquod, vel difficilem locum transeundum venitur, humeris suis eum impo-
nit, quo fit vt paruulus plana suis, aspera alienis pedibus transiens, plus in plana quàm in aspera
Galat. 4. via laboret: sic Deus Pater *per Spiritum Filij sui, quem misit in corda nostra, & in quo clamamus Abba*
Rom. 8. *Pater*, in via virtutis, vbi fossæ & valles profundæ occurrunt, ad omnia magis ardua, & naturæ
corruptæ difficilia peragenda, suam specialem gratiam tribuit, in facilioribus nos nobis in-
terdum relinquit. Atque hinc sanè fieri videmus, vt tam in fide quàm in moribus, qui ma-
iora crediderunt, & difficiliora præstiterunt, à Deo adiuti, in minoribus hæreant, & ad facilio- D
ra impingant, sibi ipsis relicti. Credimus quod scriptum est, *Verbum caro factum est*, & dubitamus
de eo quod etiam scriptum est, *Hoc est corpus meum*. Ex decem mandatis nouem seruamus, &
Ioan. 1. Luc. 22. in vno, eoque minimo titubamus.

5. *Omnis*

A

6. *Omnis mons & collis humiliabitur.*

LOcus moralis contra ſuperbiam, quatenus alterum eſt, idemque maximum impedimentum, quo minus rectas Domini vias faciamus. qui enim *humilibus dat gratiam ſuperbis reſiſtit*, id eſt prorſus negat, qui *ſapientiam dat paruulis, euangelizat pauperibus, reuelat ſua myſteria humilibus*, idem *perdit ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobat. Qui humilia reſpicit* de propinquo, *alta à longè cognoſcit. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, id eſt, altior illo, & ſublimior erit. Nempe ſicut omnia alia peccata, quaſi per tertiam perſonam à Deo hominem ſeparant, nimirum aut propter vtile, vt auaritia, furta, rapinę, aut propter iucundum aliquid quod prætendunt, vt omnia peccata carnis, ſola autem ſuperbia per ſeipſam hominem in vniuerſum à Deo ſeparat, quaſique bellum contra Deum gerit: ſic è diuerſo cætera peccata Deus aliis mediis punit, tollendo ea quæ delectant & commodum afferunt, ſed ſuperbiam punit per ſeipſum, quaſi pugnando contra illam. *Deus ſuperbis reſiſtit. Odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia.* Vnde docet Chryſoſtomus, ſuperbiam magis hominem polluere, quàm fornicationem & adulte-

B rium. *Quia* (inquit) *fornicatio, etſi indigna venia ſit, poteſt tamen quiſpiam concupiſcentiam in excuſationem adducere: ſuperbia autem ne minimam habet excuſationem, propter quam vel vmbram ſaltem vanam conſequatur, ſed nihil aliud eſt quàm deprauatio animi, & morbus grauiſsimus, non aliunde quàm ex inſanta ertum ducens. Nihil enim ſuperbo homine inſanius quamuis ditiſsimus ſit, quamuis multa hac exteriori ſapientia præditus, quamuis potens, quamuis omnia quæ homini exoptanda videntur, in illum congerantur. Si enim in verbis bonis ſuperbit,* ingratus eſt, & *omnium mercedem amittit: ſi in falſis & vmbraticis bonis ſuperbit, ſtultus eſt non tantum impius.* Quare cætera peccata diuidunt quidem à Deo, ſed ſuperbia elongat. Humiliari igitur debet, vt vias Domini rectas inambulet. Iudæi & Philoſophi propter ſuperbiam credere in Chriſtum non potuerunt. De Iudæis Chriſtus eis in os dixit: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* quum Phariſæi Chriſtum docentem deriderent, dixit Chriſtus cauſam irriſionis ſuperbiam notans. *Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus. Deus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* De Gentilium Philoſophis Apoſtolus dicit: *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: qui cum cognouiſſent Deum, non glorificauerunt eum, & euanuerunt in cogitationibus ſuis.* Iſti montes & colles erant, nec humiliari voluerunt, ideoque rectas Dei ſemitas facere non poterant. De hoc puncto in altero Promptuario multa diximus ſuper illa verba: *Confiteor tibi pater,*

C *& c. quia reuelaſti ea paruulis*: quod ad fidei rationem attinet, quæ à ſuperbis capi non poteſt. Sed nunc totius gratiæ omniumque virtutum incapaces ſuperbos eſſe hic locus oſtendit, humilitatem autem viam eſſe ad virtutem prorſus neceſſariam. *Quemadmodum in aqua fit, vt tanto altius aſcendat, quanto illam quiſquam ad ima deduxerit: & in iaculando, quantum quis ex interuallo iaculatus fuerit, tanto ponitur, ſic quo animus humilior, eo altius atque ſublimius operatur.* Nonne aries, retro quum cedit, fortius vrget? qui ex arcu ſagittant, quãto magis chordam retrahunt, tanto fortius ſagittam emittunt. Cælum quidem altum & ſublime eſt, ſed porta per quam intratur, anguſta eſt: In porta anguſta dimittere ſe oportet, qui intrare contendit. Arbores non prius fructificant, quàm radices altas & profundas egerint. Excelſo ædificio opus eſt fundamento profundo: ſic vt cælum conſcendas, iaciendum humilitatis fundamentum valde profundum. Omnes ferè rerum naturæ humilitatis neceſſitatem docent. *Sicut de fonte terreno, & de corporali fluuio* (ait Cæſarius) *non poteſt aliquis bibere, niſi voluerit ſe inclinare, ita & de viuo fonte Chriſto, & ſancti ſpiritus fluuio nemo aquam viuam haurire poterit, niſi ſe humiliter inclinare voluerit.* Hoc ille quod adeo verum eſt, vt nec per ſitulam haurire aquam valeas, niſi ea penitus in aquam demiſſa. Et hanc ob cauſam Chriſtus in Euangelio & ſeipſum fonti comparat, dicens, *Si quis ſitit veniat ad me*: & gratiam, quam ſuis daturus erat, aquæ aſſimilat, dicens, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Facit autem humilitas ad diuinam gratiam recipiendam capa-

D ces triplici arte, ait Sanctus Bonauentura. Primo, incuruando ſe per orationis ſtudium, ſicut hydria ſe incuruat, vt aquam accipiat. Secundo, euacuando ſe per modicam ſui reputationem, ſicut etiam vas quod aquam vult recipere, vacuum eſſe debet. Tertio dilatando ſe per animi gratitudinem, ſicut aperiri vas debet, quod aquam accipit. Sicut ſpecula depreſſa, quæ ignita vocantur, radiis ſolaribus oppoſita, ignem concipiunt, quod alia ſpecula non faciunt, quæ conuexa ſunt & tumeſcentia: ſic cor humile & depreſſum, diuini Spiritus ignem ſtatim concipit, quod inflata & tumida corda non faciunt, ſed huius ſeculi amore magis oblectantur, in quo omnia ſibi deberi exiſtimant. Magna igitur humilitatis vis, virtus, & efficacia, quam acutè frater Aegydius, de quo ſupra diximus, hoc ſimili explicauit & expreſsit. *Humilitas*, inquit, *mihi fulminis inſtar eſſe videtur, quod ferit terribiliter, nec vlla eius extant veſtigia. Sic enim humilitas omne peccatum odit & diſsipat, & tamen efficit vt homo ſeſe nihili pendat.* Alij magneti humilitatem comparant, quæ quidem non coniuncta ferro, ſed ab eo diuulſa, illud ad ſe trahit. Sic enim humilis ſe à diuinis muneribus longè abeſſe credens, eadem ad ſe maximè trahit. Sed S. Bonauenturæ comparatiorẽ acu tangit, quam propterea breuiter explicabimus. Reuera enim omnis humilis quia deeſſe ſibi multa, imo omnem perfectionem atque virtutem

Contra ſuperbiam. Iacob. 4. Pſal. 18. Luc. 4. 1. Cor. 1. Pſal. 137. Pſal. 163. De contẽp. mũdi par. 2. c. 34. Simile. Superbia cur grauiſsimum peccatum. Iacob. 4. Eccl. 10. Ho. 30. in Ioan. Ioan. 5. Luc. 16. Rom. 1. In feſto S. Matthæi. Simile. Chryſ. ho. 11. ad Eph. Similia. Aug. de verb. Dom. ſer. 10. Hom. 30. Cur humiles capaces gratiæ. Ioan. 7. Ioan. 4. In diæta ſalutis c. 26. Hector Pintus dial. par. 2. dial. 1. c. 25 Similia. In vita eius apud Surii, to. 7. Granat. ſer. de tẽp. to. 2. p. 701 Humiles quomodo maximè capaces gratiæ. 1. Luc. 18.

2. putat, propterea per orationem se incuruat, & incessanter Dei gratiam & dona implorat: contra superbus quia sibi nihil deesse arbitratur, quia se satis iustum esse, se non in adeo multis peccare, se cæteris meliorem aut certe æque bonum, sapientem, fortem putat, propterea non se incuruat ad orationē, sed cum superbo Pharisæo *gratias Deo agit, quod non est sicut cæteri homines.* A

Luc.1. Rursum omnis humilis vere se euacuat, & vacuum se existimans, esurit & sitit iustitiam:
Luc.5. quum superbus se plenum & diuitem iudicans, nihil amplius sitit, aut esurit, sed de sua sa-
3. turitate sibi placens, alios pręse contemnit. Sed Deus vtrumque respiciens, *esurientes impleuit bonis, & diuites* (ij qui sibi sic videntur) *dimisit inanes. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Tertio, omnis humilis verè dilatat & aperit cor suum Deo, quia vacuum se iudicans, desiderat impleri: & tunc fit quod Scriptura dicit: *Dilata os tuum, & ego implebo illud.* Quod totum aliis verbis Christus dixit: *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Hæc omnia humilis facit: Petit, se incuruando, quærit, quia vacuum
Moral.in Iob li.10. ca.13. se videt, pulsat desiderando, quorum omnium nihil superbus facit. Necesse est igitur montes & colles humiliari, vt rectas faciant semitas Dei sui. *Cum enim* (ait Gregorius) *hominem tumere Deus conspicit: se sibi illum ostendendo relinquit, vt eius mens derelicta quid sit inueniat, quæ male in se secura gaudebat.* Imo tanta est humilitatis necessitas, vt ad eam seruandam, atque superbiam longissimè arcendam, graues tentationes Deus suis electis immittat, adeoque in alia B
Humilitatis necessitas. quædam peccata incidere permittat. Apostolo Paulo *ne magnitudo reuelationum eum extolleret,*
2.Cor.11. *datus est stimulus carnis, Angelus satanæ, qui eum colaphizaret.* Qua in re exclamat Augustinus.
De verbis Apo. ser.3 O *venenum quod non curatur nisi veneno! Caput cædebatur, ne caput extolleretur.* Vides grauissimam tentationem, eamque vehementer vrgentem (nam *ter Dominum rogauit vt auferretur*) & in vase electionis, ne qui iam humilis erat, mons aut collis fieret. Nunc de peccato vide. *Vti-*
De summo bono, li.2. c.28. *lius est arroganti* (ait Isidorus) *in quodcunque vitium labi, & humilem post casum Dei fieri, quàm per elationem, superbiæ grauiorem ruinam & damnationem subire.* Sic & August. idque præter morem
De ciu. Dei, li.14. c.13. suum, magna cum confidentia. *Audeo* (inquit) *dicere superbis esse vtile cadere in aliquod peccatum apertum manifestumque vnde sibi displiceant qui iam sibi placendo ceciderunt. Salubrius sibi Petrus displicuit quando fleuit, quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Ratio autem huius rei est, quia quum cætera pec-
Psal.82. *Galat.5.* cata sint manifesta, iuxta illud Apostoli, *Manifesta sunt opera carnis*, inter quæ superbiam non
Li.1. epi.3. numerat vt facilè videntur & agnoscuntur, ita tanto facilius corriguntur (*primus enim ad indulgentiam gradus est, agnoscere delictum*, ait Cypr.) sola autem superbia incorrigibilis est, ni-
Superbia dęmonum vexatione curanda. si humilietur, quia hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus. Hac de causa Sancti viri, vbi periculum superbiæ, vel in se, vel in aliis viderent, dæmonum vexationem & possessionem vel sibi precabantur, vel aliis procurabant. Vtriusque exemplum profe- C
Dial.1. Exempla. ram: Refert Seuerus Sulpitius in vita Sancti Martini, eremitam quēdam, magnis virtutibus
In vit.eius apud Sur. to.1.p.158 signisque mirabilem, ad expellendam de corde suo iactantiæ vanitatem, quam incurrerat,
In vit.eius apud Sur. tom.4. pa. 256. exorasse, vt, permissa in se mensibus quinque diaboli potestate, similis his fieret, quos ipse
Simile. curauerat. Correptus itaque & tentus in vinculis, quinto mense curatus est non tantum à dæmone, sed & ab elationis vanitate. Hic S. vir in semetipso hanc pestem hoc nouo remedij genere curauit. At S. Seuerinus Archiepiscopus Colonienſis hoc fecit in aliis. Quum enim tres monachos haberet superbiæ spiritu inflatos, & incorrigibiles, Deum orans, impetrauit vt à dæmone omnes correpti vexarentur. Sic ergo per 40. dies obsessos, arduis abstinentiæ remediis mancipauit, Quibus expletis, data super eos oratione, à potestate dæmonis, & à fastu mentis liberauit. Dicebat Sanctus Arsenius superbos omnem sibi viam ad cælorum aditum præcludere, non secus quàm qui equo insidentes, & maximum aliquod lignum transuersum inferentes, templi ianuas ingredi vellent. Hoc enim ne quidem in maximo templo possunt, quia lignum ferunt obliquè, & nolunt illud demittere, vt sic ingrediantur, lignumque suum pariter introducant. Et vero quis nescit omnes inferiores Ma-
Apoc.4. gistratus fasces suos & sceptra quæcumque coram suo Principe demittere? Sic omnia seu naturæ seu gratiæ dona Dei conspectu semper demittere oportet, & (quod in Apocalypsi legitur) *mittere coronas nostras* omnes (si quas habemus) *ante thronum Dei viuentis, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Si in cælo beati hoc faciunt, quanto magis in terra miseros nos facere oportebit! Sed de humilitatis virtute in se, eiusque præmiis in aliis Euan-
Epist.56. geliis plura. Hic necessitatem eius tantum ostendere voluimus, quæ in hoc Euangelio docetur, & quam omnes concionatores diligentissimè tradere, & frequentissimè inculcare deberent. Est enim *propria* quidem *disciplina Christianorum*, vt scribit Augustinus, sed certè rarissima. D

A

7. Erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

LOcus moralis de via virtutis per Christum facili & expedita Gratia Christi, ad quam Ioannes suos auditores præparabat, & cuius aduentum hoc tempore Ecclesia celebrat, hanc in animis hominum admirabilem nouitatem faciat, vt non solùm quæ praua & obliqua, & cõtra regulam rationis atque virtutis fiebant, nunc directa fiant, & in via virtutis recta ambuletur (de quo supra dictum est) sed etiam, vt quæ priùs aspera, difficilia, penéque impossibilia, corruptæ videlicet naturæ erant, nunc plana & facilia, sanatæ per Christum naturæ fiant. De hoc Apostolus: *Quod impossibile erat Legi in quo infirmabatur per carnem*, id est, quod per solum Legis mandatum carnalis infirmitas præstare non potuit, *Deus filium suum mittens in similitudinẽ carnis peccati*, id est, incarnato filio Dei, & facto homine per omnia infirmo, excepto peccato: *de peccato damnauit peccatum in carne*, id est, per hostiam peccati in carne sua, damnauit peccatũ hominum carnalium, *damnauit* autem, id est, redemit, non solùm pœnas peccatorum nostrorum in corpore suo persoluendo, quod est vna redemptionis pars, soluto pretio pro captiuo redimendo: sed etiam liberando nos à seruitute peccati, & plena libertate nos donando, quæ est altera pars redempti captiui. Eramus enim captiui non solùm pœnæ peccati obligati, sed etiam
B ipsi peccato, cui per concupiscentias seruiebamus. Christus per hostiam peccati, id est, carnẽ suam, crucifixam, ab vtroque nos redemit, & vtrumque damnauit, seu sustulit, *tollens chirographum quod contra nos erat, & affigens illud Cruci*. De hac posteriori redemptione subiungit statim Apostolus loco inchoato: *Vt iustificatio Legis impleretur in nobis, qui* (scilicet) *non secundum carnem ambulamus: sed secundum spiritum*. De hac Petrus: *Redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis pretioso sanguine Filij Dei*. De hac iterum Paulus: *Dedit semetipsum pro nobis, vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, & iterum: *Tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt eam sanctificaret*, & rursum: *Reconciliauit vos in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos, &c.* Denique quod sanguis hircorum & vitulorum præstare non potuit in lege Mosayca, quæ erant omnia *iustitiæ carnis*: hoc præstitit Christi sanguis *emundans conscientiam nostram ab operibus mortuis*, id est, peccatis. De quo & Ioannes. *Sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato*. Christi autem passio redimit nos à seruitute peccati, id est, *vt non seruiamus peccato, sed seruiamus iustitiæ*, & pari facilitate opera iustitiæ per eum regenerati faciamus, quâ opera iniustitiæ de carne nati faciebamus, duobus modis. Vno modo per modum meriti, altero per modũ exempli. Eius enim passio merebatur nobis gratiam Spiritus sancti, cuius beneficio & perpetuo adiutorio in via mandatorũ Dei curreremus. Hoc docuit Ioannes, quũ Christi verba, quibus
C dixit, *Aqua quam ego dabo, erit ei qui bibit fons aquæ salientis in vitam æternam*, exponeret, dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu* (gratiæ) *quem accepturi erant credentes. Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondum fuit clarificatus*. Clarificatio ergo Christi, quæ fuit per passionem, de qua dixit, *Pater iam venit hora: clarifica filium tuum*, fuit causa (haud dubiè meritoria) dati nobis Spiritus S. Hoc alijs verbis profitetur Zacharias in nouitate filij sui Ioannis: *Memorari testamenti sui sancti, iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis*, quod totum factum est Christo incarnato, *vt sine timore inimicorum nostrorum*, (id est, sine seruili subiectione passionum, & pessimarum affectionum nostrarum. *Inimici enim hominis, domestici eius*) *liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris*. Per modum exempli, quia (vt scripsit Petrus) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Christo enim pro omnibus moriente omnes in eum credentes, timorem mortis abiecerunt: *Charitas Christi vrget nos: quia si vnus pro omnibus mortuus est, igitur & omnes mortui sunt*. Et Augustinus, *Hoc egit mors Domini, ne mors amplius timeretur*. Hæc est propria gratia noui Testamenti, vt non solùm cætera virtutis opera, sed nec mors ipsa pro fide, pro iustitia, pro Deo suscipienda, ardua aut dura veris Christianis videatur, quod totum etiam contra hæreticos nostri temporis diligenter notãdum est, qui hanc propriè gratiam noui Testamenti, quæ facit vt *non regnet peccatum in mortali corpore nostro*, sed *gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, & vt soluti à lege mortis in qua detinebamur* (quæ fuit seruitus peccati, & difficultas rectè operandi) *seruiamus in nouitate spiritus*, hanc inquam penitus sustulerunt, &
D pro ea imputatiuam suam iustitiam, Scripturis & Ecclesiæ hactenus inauditam, substituerunt qua sola Christi iustitia in nobis imputetur, vt simus coram Deo iusti, quia (aiunt & mentiũtur illi) obseruatio mandatorum est impossibilis, & in omni opere nostro peccamus. Sic per illos falsum est quod Propheta Esaias de Christi gratia tanto tempore prædixit, & in hoc Euangelio repetitum est: *Erunt praua in directa & aspera in vias planas*: quia secundũ illos omnia adhuc sunt aspera, nihil planum: omnia adhuc praua, nihil rectum. Sed illis relictis, quæ ad mores magis faciunt prosequamur. Per Christi gratiam tanta est facilitas virtutis & bonorum operum, sic aspera fiunt plana, vt Dauid dixerit, *Labores manuum tuarum manducabis*. Non dicit, fructum laborum: sed, ipsos labores manducabis. Iusti quippe non tantum fructum laborum suorum in altera vita comedẽt, sed etiã ipsos labores in hac vita comedunt, id est, pro cibo suauissimo exequuntur, sicut Christus caput nostrum dixit: *Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*. Sic cibus iustorum est, orare, opera misericordiæ facere, ieiunare, atque adeò ipsum lachrymari:

De *Christi gratia, & mandatorũ facilitate.*

Rom 8.

Redemptionis nostræ partes duę.

Coloss. 1.

Rom. 2. 1. Pet. 1.

Tit. 2. Ephes. 5.

Coloss. 1. Hebr. 9.

1. Ioan. 1.

Rom. 6.

Christi passio redimit à seruitute peccati duplici citer.

Ioan. 4. Ioan. 12.

Luc. 1. Matth. 10.

1. Pet. 2.

1. Cor. 15.

In expositione quarundã propositi. in ep. ad Ro.

Locus cõtra hæreticos.

Rom. 5. Rom. 6.

Esaiæ 42.

Psal. 17.

Mandatorum Dei suauis executio.

Ioan. 4.

Psal.41. Vnde Propheta in persona iustorum dixit, *Lachrymæ meæ panes mei die ac nocte*:& Augustinus,qui
Enar. in hunc gustum bene sensérat, *Dulciores* (inquit) *sunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum.* Quã
Psal. 127. suauis sit gustus operum spiritualium atque virtutis carnales nesciunt, quia hanc viam manda- A
Similia. torum ambulare cœperunt tantùm, non multum porrexerunt. Ingressus itineris durus semper & asper est. Quo magis progrederis eo leuior semper itineris labor videbitur. Vt iudices an aspera sit via, ex illis interrogandum est, qui eam totam, aut certè maiori ex parte ambulauerũt: quales sunt iusti & sancti maiores nostri in via mandatorum. Porrò difficile est ambulare sine
Sophon.1. lumine. Atqui de malis Scriptura dicit: *Ambulant vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Ideo omnia il-
Prou. 4. lis sunt difficilia. *Iustorum autem semita est quasi lux splendens*: & *Qui sequitur me* (ait Christus) *non*
Ioan.8. *ambulat in tenebris.* Ideò meliùs videntes viam expeditius ambulant: Deinde impij, *nec gustauerunt*
Heb.6. *donum cœleste*, nec *participes sunt Spiritus sancti.* Ideo non fecerunt quod monet Scriptura:
Psal. 33. *Gustate & videte quam suauis est Dominus*: nec velut filij Dei amant Deum, vt ex amore operẽtur,
vt possint dicere cum Ioanne dilecto: *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, de*
1.Ioan.4. *Spiritu suo quem dedit nobis.* Si filios Israël in deserto peregrinantes Arca Dei semper præcessit,vt eam continuò sequerentur: illa stante, quiescerent, illa eleuata, castra mouerent: sed & colũna nubis per diem æstum temperaret, & columna ignis per noctem lucem daret: quanto magis in hac peregrinatione nostra Christus dux viæ nos semper præcedit, exemplo, mandato, doctrina, gratia sua, & per diem quidem, ac in iis quæ faciliora sunt, columna Ecclesiæ nos manu B
ducat, & singularitatis feruorem, ac superstitionis æstum sua authoritate tollat, per noctem verò, & in rebus vel obscurioribus, vel difficilioribus, ignis Spiritus sancti affulgeat, *Paracletus*
Ioan. 14. *noster, qui nos ducat in omnem veritatem*, & quo spiritu agimur, & facta carnis mortificamus. Sic
Rom. 8. enim, *Dominus custodit nos ab omni malo, vt per diem sol non vrat nos, neque luna per noctem.* Referunt
Psal.120. qui naturæ historiam scribunt esse quendam fluuium cuius epota aqua, potantes reddit abste-
Gran.to.2. mios. Talis est aqua Christi, & spirituales eius deliciæ, vt earum gustus omnes alias mundi de-
Ser.de tẽp. licias fastidire faciat. Hinc apud Esaiam legimus Sabbata delicata. *Si vocaueris* (inquit) *Sabbatũ*
pag. 220. *delicatum, & glorificaueris Deum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, tunc delectaberis super Domino.* De hoc sabbato delicato sic Basilius: *Quisquis à solitudinibus mundanæ vitæ desci-*
Esaiæ 58.
In com. in
c.1. Esaiæ. *uit, & qui nulla peccati sarcina prægrauatur, reuera talis tranquilla per otia transigit sabbatum.* Nempe
Simile. Christi gratia facit sabbata nostra delicata, id est, vniuersum Dei cultum periucundum & de-
Pintus dia. lectabilem. Quemadmodum enim globi plumbei, qui suapte natura deorsum celerrimè ten-
par.2.dial. dunt, vi tamen ignis tormentarij eiaculati, altissimè volant: sic opera nostra, etsi, quatenus na-
8.cap.18. tura ea producit, non nisi terrena respiciunt, & *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*, tamen
Sapient.6. quatenus à gratia producuntur, & diuinæ charitatis igne accensa proferuntur, ipsum cœlum, C
Simile. & qui super omnes cœlos est, Deum petunt, ad eius honorem, cultum, obsequium maximo
Grana.to.3 cum impetu & feruore diriguntur. Et sicut aqua igni admota, non modo ignis calorem, sed &
Serm. de
tem. p.147 motum atque agilitatem participat, celerrimè bulliens: sic homo diuino spiritu hausto, non modò nouo amore rerum diuinarum incalescit, sed etiam maximo cum feruore, & facilitate
Simile. ac voluptate opera pietatis, opera spiritualia producit. Sic aspera fiunt in vias planas. Porrò si-
Idem to. 2. cut viride lignum in igne positum, simul lachrymatur & ardet, sic homo iustus in virtutum o-
de temp.p.
439. peribus simul laborat & gaudet. Et vt in ligno humor naturalis lachrymas elicit, sed ignis adueniens, calorem inducit: sic in homine iusto naturalis infirmitas & corruptio aspera & laborioſa facit pietatis opera, sed ignis diuini Spiritus piorum corda inhabitans, feruorem & facilitatem apportat. Denique ex eo quod diuini Spiritus gratia, quæ charitas est diffusa in cordib.
Lucæ 12. nostris, igni à Christo comparatur, dicente *ignem veni mittere in terram*, ideoque & in specie ig-
Actor.1. nis Spiritus sanctus descendit, facilè elucescit, quomodo vi diuinæ gratiæ aspera fiunt in vias
S. Bonau. planas. Nam vt ignis carbonem extinctum accendit, sic gratia Spiritus cor mortuum viuificat.
in Diæta Vitæ autem principium motus & actus est. Rursum, vt ignis vsque ad cineres consumit, sic
salut.c.24. gratia in cinerem mortificationis hominem redigit. Ignis sursum tendit rapidissimo motu, sic
Similia. charitas superna petit vehementissimo impetu. Ignis aufert rubiginem à ferro, & humanis vsi- D
1. bus aptum reddit. Charitas aufert torporem à corde, & diuinis actionibus idoneum facit. Ig-
2. nis scintillas frequenter emittit; sic charitas cœlestium rerum pia desideria eiaculatur. Deni-
3. que charitas igne naturali actuosior est: nam quum ignem quælibet aqua extinguat, de chari-
4. tate dicitur, quòd *Multæ aquæ non potuerunt extinguere illam.* Postremò dicitur *valida sicut mors*:quia
5. vt mors perimit carnem, ita charitas carnalitatem: & sicut mors aufert sensum mortuo, sic
6. charitas facit hominem insensibilem mundo. Illa enim fecit Paulum dicere: *Mihi mundus cruci-*
Cant. 3. *fixus est, & ego mundo*, id est, quia ego illa in me habeo quæ mundus horret tanquam crucem,vt orare, ieiunare, eleemosynas dare, corpus mortificare, humiliter de meipso sentire, & alia quę-uis veræ virtutis & pietatis opera, propterea mundo sum crucifixus, id est ita despectui habitus, atque si in patibulo, vt malefactor, fixus penderem. Mihi quoque mundus crucifixus est: quia quicquid ille amat, suspicit & ambit, vt sunt honores, voluptates, diuitiæ, ego illa despicio vt res viliſſimas, & cruce dignas. Hunc affectum, qui sic aspera facit plana, Dei gratia pro-
Galat.1. ducit. Eadem vis tantam vim habet, & sic nouam creaturam facit, vt Paulus ea plenus, rursum
Simile. dixerit: *Iam non viuo ego, sed viuit in me Christus.* Transformatus scilicet in alium virum sic fuit, vt quæcunque mundo asperrima videbantur, illi viderentur iucundissima, modo, in illis Chri-

stum

A ſtum inueniret, aut eius gloriam atque obſequium. Sanè ſicut patri & matri vehementiſſimum prolis amorem Deus ingenerauit, propter quem labores in ea educanda maximos, etiam cum voluptate, aſſumunt: ſic ſui amoris ignem piorum pectoribus ita inſeuit, vt pro cœleſtibus acquirendis, omnis eis labor voluptas videatur. *Lud. Granat. tom. 5. de temp. pag. 135.*

EVANGELIVM DOMINICÆ

Infra octauas Natiuitatis Domini.

B ERANT Ioſeph, & Maria mater IESV mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſraël: & in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetiſſa filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël. Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in illo. *Lucæ 3.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

C
1. *Mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.* De meditatione operum, & beneficiorum Dei.
2. *Ecce hic poſitus in ruinam multorum in Iſraël.* De profectu noſtro in profeſſione Chriſtiana examinando.
3. *Et in reſurrectionem multorum in Iſraël.* De vera per Chriſtum reſurrectione, & regeneratione noſtra.
4. *Et in ſignum cui contradicetur.* De imitatione CHRISTI, Chriſtianis omnibus neceſſaria.
5. *Quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens Deo nocte ac die.* De orandi & templa frequentandi aſſiduitate.
6. *In ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens.* De ieiunio cum oratione coniungendo.

1. *Mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.*

D LOcus moralis de operum & beneficiorum Dei meditatione & contemplatione. Ioſeph enim & Maria mater Chriſti non mirabantur ſuper his quæ dicebantur de paruulo Ieſu, primùm à paſtoribus, poſtea à Magis, nunc à Simeone ſene, iuſto & timorato, ex ignorantia, aut quaſi neſcientes ipſum eſſe Dei Filium, mundi Saluatorem, lumen Gentium, & gloriam Iſraël (nam ex Angeli Annunciatione, totaque Chriſti natiuitate, & maxime diuino docente Spiritu, hæc omnia priùs exactiſſimè nouerant) ſed mirabantur ex ampliori notitia, & attentiore conſideratione eorum omniũ quæ dicebantur. Opera enim & beneficia Dei, quanto ampliùs cognoſcuntur, tanto admirabiliùs mentem ſuſpendunt. Tanto autem amplius cognoſcuntur, quanto attentiùs conſiderantur, & per meditationem frequentem expenduntur. Hæc enim duo ſeſe inuicem iuuant & excitant, meditatio & cognitio. Meditatio enim parit notitiã maiorem: maior notitia prouocat ad frequentem meditationem. Vtraque autem generat admirationem, admiratio verò tum ad humilitatem circa ſapientiam Dei, tum ad perpetuã gratiarum actionem circa bonitatem Dei, mentem excitat. Vnde Dauid: *Mirabilia opera tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea.* Ignorantia, ingratitudo, tepor, & torpor hodie Chriſtianorum ex eo *Meditatio operum & beneficiorũ Dei.* *Pſal. 118.*

Similia. maximè oriuntur, quòd Dei opera, & beneficia, & maximè hanc admirabilem filij Dei, pro humano genere asserendo, incarnationem non meditantur, non admirantur, non expendunt exemplo Sanctæ Mariæ matris Dei, & Ioseph viri eius. Tota fides nostra Catholica, absque earum rerum consideratione quas credimus, est quasi Epistola obsignata, sigilloque munita, in qua licet maxima mœroris & lætitiæ nuncia referantur, nihil tamen eorum mouet, quia non leguntur illa, nec examinantur, quæ Epistola habet. Nihil certè est igne calidius, aut actuosius: sed si obiter tantùm digito attingas, vix vllum calorem aut alterationem sentis. Nihil Dei beneficijs erga nos, & maximè incarnatione Filij Dei, ad accendenda corda fidelium potentius, sed quia obiter tantùm, & vix leui cogitatione ea contigimus, ideò nihil illa nos mouent, at si ad hunc ignem accedas, iam calescès plus satis. Hoc expertus Propheta, dixit: *Psal. 3.* *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Nec mouet tantùm & quasi torpentem mẽtem excitat meditatio ista, verùm etiam alit & confortat ad vberrimos inde bonorum operum fructus producendos. Quemadmodum enim aqua humore suo vitali arborem educat & confirmat, illámque lætissimorum copia fructuum exornat: ita piorum animus meditatione rerum *Psal. 1.* diuinarum alitur ad æternitatem, ampliſſimósque virtutum fructus edit. Hinc Propheta, postquam dixisset, *In lege eius meditabitur die ac nocte,* subiunxit, *Et erit tanquum lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Meditatio quippe assidua operum *Simile.* & beneficiorum Dei, est sicut decursus aquarum: quia sicut vita corporea corporeo indiget alimento, ne naturalis calor consumatur, sic vita spiritualis indiget spirituali alimento, quod in ipsa meditatione abundè suppeditatur, ne charitatis diuinæ calor per peccatum aut mundi curas, & terrenarum rerum amorem penitus vel extinguatur, vel suffocetur. Sanè quod vel lectio *Medit. effectus.* Scripturarum, vel auditus verbi Dei facit inquirere, hoc meditatio facit inuenire: vt illa cibũ ori apponit, ita ista masticat & frangit: atque vt ista quidem sine illa est erronea, sic illa sine meditatione est arida atque infructuosa. Quid enim iuuat cibos degustasse, nisi in stomachum demittas? In veteri lege animalia quæ non ruminabant, immunda iudicabantur, & non licebat ea comedere, vel in vsum sacrificiorum adhibere. Pectus Christiani quod Christi beneficia non ruminat, non meditatur, non masticat, non expendit, non imis sensibus reponit, immundum *Prou. 11.* est coram Deo, & nec homines ædificat aliquo bono opere, nec Deo sacrificium offert vllo spirituali officio. Vnde sancta Scriptura: *Exempla.* *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus deglutit illum,* nempè nihil amplius cogitando, vel ruminando. Contrà, diligens & frequens meditatio operum & beneficiorum Dei, admirabiles fructus in eorum animis fecit, qui *Invita eius c. 5. apud Sur. to. 5.* ea vsi sunt. S. Maria Oegniacensis, quum semel maxima compunctione cordis passionẽ Christi considerasset, & cum tanta vbertate lachrymarum, vt per totum corpus vsque ad talos illæ defluerent, ab eo tempore nec crucis imaginem intueri, nec vel ipsa loqui, vel alios loquentes *Invita eius apud Sur. to n. 7.* audire potuit, quin præ cordis defectu ecstasim pateretur. Frater Ægydius Minorita tam sæpè, & tam ardenter de Deo meditatus fuerat, déque eius operibus & beneficijs, vt non potuerit postea de Deo cogitare sine ecstasi: ideóque fratres, quum eius colloquio frui vellẽt, diligentissimè cauebant, ne de Deo, vel de Trinitate vllam mentionem iniicerent. De Sancto *Invita eius c. 10.* Francisco scribit S. Bonauentura, quod quum Psalmos legendo, nomen *Domini* in eis occurreret, præ suauitatis dulcedine, labia sua lingere videbatur. Nomen autem *IESV* quum expri- *Invita eius c. 30. apud Sur. to. 5.* meret, vel audiret, iubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus, ipsius immutasset auditum. Hoc S. Bonauentura. Quum ad S. Elzearium Comitem diutiùs absentem, vxor eius famulum mitteret, vt sciret quid ageret, respondit per literas: Sanus corpore sum & sospes. Quòd si verò videre me cupis, quære me in vulnere lateris Christi. Illic enim habito, & ibi me poteris inuenire, frustra alibi quæsitura.

Medit. vis in corpus redundat. Iam verò non in animo tantùm hos mirabiles effectus meditatio beneficiorum Christi produxit, sed etiam in corpora Sanctorum ita redundauit, vt quidam ipsa Christi Saluatoris vul- *In vita eius cap. 13.* nera carni suæ impressa, ex vi & fetuore meditationis huius, habuerint. Quod in primis de S. Francisco celeberrimum est, cuius manibus & pedibus, itémque lateri, quinque stigmata impressa fuisse, quum in monte Aluerno intentius meditaretur è cruce seraphica, quæ illi in aëre apparuit, mirabiliter emissa, grauissimus author S. Bonauentura copiosè scribit. S. quo- *Apud Sur. in vitis ipsarum.* que Catharina Senensis, Coleta Ordinis S. Claræ reformatrix sanctissima, Lydvvina, virgines, eadem Christi vulnera corporibus suis impressa sustinuerunt, ex vi & frequentia meditationis nata. quare sanctissimum & saluberrimum est illud hodie Societatis IESV institutũ, quæ *Societatis Iesu Meditationes quotidianę Li. 5. Concord. fol. 14.* meditatione huiusmodi suos quotidie per horam integram exercet eámque matutinam, vt minimè mirandum sit, si vel hoc solo nomine & exercitio quotidiano tam excellenti, verum de illa Societate sit, quod ante quadringentos annos de ea scripsisse videtur Ioachimus Abbas his verbis: *Insurget vna noua Religio sanctissima, quæ erit libera & spiritualis, in qua Romani Pontifices, potiti pace Ecclesiæ, se continebunt. Quam religionem & ordinem Deus super omnes alias diliget, quia perfectio illius vincet omnes alias aliorum ordinum.* Hæc ille. Harum meditationum gustum saluberrimum *Meditat. matutinæ virtus.* præbuit Franciscus Costerus, Societatis Doctor Theologus, emissis in lucem duobus libellis Meditationum, vno in Passionem Domini, altero in B. Virginem. Certè meditatio ista matutina alicuius vel operis, vel beneficij diuini, vel alicuius virtutis & gratiæ, vel contra aliquod vi-

tium

A tium & peccatum est fornax quædam, quæ ita animum accendit, sicut ignis ollam, in qua vi ignis sordes omnes ad summum ascendunt, vt facilè videantur & abstergantur. Sic enim meditando, & mentaliter orando, vel lecta ruminando, diuina Maiestas, sapientia, bonitas sic ob oculos meditationis vi & feruore ponitur, vt nostrarum imperfectionum sordes statim nobis appareant, nosque ad eas abolendas & corrigendas incitemur. Et vt olla semel bene accensa, modicus postmodum ignis ad calorem illum fouendum sufficiet, sic matutina meditatione si bene inardescat animus modico deuotionis studio toto reliquo die adhibito, ad pietatis opera peragenda, & ad Deo inhærendum, satis incitati erimus. Sanè sicut odia & simultates in corde fouemus, quia aliquam nobis factam iniuriam sæpe animo voluimus ac reuoluimus, omnésq; eius circunstantias expendimus, trutinamus, aggrauamus, nec eius vnquam obliuiscimur: ita profectò Dei amorem animo altissimè impressum gereremus, si in eius beneficijs memoria tenendis, expendendis, trutinandis, eandem operam & curam poneremus. Hinc sanè Propheta Regius, vir in hoc genere exercitatissimus, more veterum Patriarcharum, vt de Isaac legimus, quòd inclinata iam die egrediebatur ad meditandum in agro, sic scripsit: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus*: & iterum. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua*: & rursum: *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Scopa enim quædam cordis est, attenta, frequens, & assidua rerum diuinarum meditatio. Vnde ibidem adhuc sequitur: *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mira-*
B *bilium tuorum: & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis*, vel vt Chaldæa lectio habet, in causis miraculorum tuorum *exercebor*. Sic mirabantur Christum natum Ioseph & Maria mater eius, nempe vt de B. Maria paulò pòst dicitur: *Obseruantes, & conferentes omnia in corde suo.*

Gen. 24. *Psal. 62.* *Psal. 118.* *Psal. 76.* *Luc. 2.*

Age ergo, miremur paulisper & nos cum parentibus Christi, obseruemus & conferamus in corde nostro, quæ hoc tempore gesta sunt. Amplectamur amoris brachijs cum Simeone iusto puerum Iesum, confiteamur illum cum Anna vidua: inspiciamus illum siue in præsepio reclinatum, & panniculis inuolutum, siue in maternis brachiis, matris vbera, paruulorum more, auidè apprehendentem, atque sugentem, Simeonem deinde senem, & Annam viduam propè astantes, complectentes, laudantes, præ gaudio lachrymantes. Quid? Hoc te spectaculum non mouet? imò omnia tua viscera non commouet? Nescis quis ille puer est? Scio, inquis, & credo firmissimè Filium esse Dei: *Deum de Deo, lumen de lumine, genitum non factum, consubstãtialem Patri*. Scis quare hanc paruuli formam accepit? Scio (inquis) *quod propter nos homines, &*
C *propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est.* Scis quæ & quanta pro te faciet, loquetur, patietur? Scio, inquis, quia Magister, Mediator, & Redemptor futurus venit. Scis hæc omnia, credis hæc omnia, tenes firmissimè, & necdum totus incalescis? necdum amoris eius flamma corriperis? necdum tibi pectus, & viscera concutiuntur? Sicut in aduentu diaboli omnib. gentibus planctus indictus est, clamante Angelo de cœlo, *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Sic contrà in Aduentu Christi canunt Angeli, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Clamat Propheta Regius: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, &c.* Sed propius accede, & humanarum affectionum calceis depositis, veni & vide, non visionem hanc magnam, sed rem gestam longè maximam. Aromata, quantumuis odorifera in apothecis clausa non sentiuntur, at illis apertis, tota domus suauissimo odore completur. Aulæa pulcherrimis figuris contexta, complicata quum sint, nihil à cæteris pannis differunt: expansa verò, & extenta, suam pulchritudinem ostendunt. Age ergo, insiste hic aliquantum, attende diligenter, cogita, aduerte, perpende huius tantæ rei nouitatem, huius miraculi excellentiam, huius beneficij magnitudinem. De nouitate dixit Ieremias: *Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circundabit virum*, Quod quale sit, Augustinus exponit: *Portans omnia verbo virtutis suæ, ab infirmitate portatur. Qui terra, mari, cælóque non capitur, intra vnius corpusculi membra suscipitur. De creatura sua creator omnium procreatur, & de riuulo suo fons magnus exoritur. Radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur.* Hæc ille. Rursum tres tantum ab orbe condito nouę nascendi species, præter vsitatum humanæ conceptionis morem, leguntur: quarum hæc tertia est, & sua nouitate maximè stupenda. *Prima natiuitas erat quòd Adam ex limo terræ creatus est.*
D *Secunda, quòd mulier formata est de masculo. Tertia quæ sola cœlestis & diuina est, quod Christus processit ex virgine.* Sic apparet quàm verum sit quòd quotidie Ecclesia repetit: *Deus qui humanam substantiam mirabiliter condidisti, & mirabilius reparasti, &c.* Vnde S. Leo: *Multum est origini humanæ datum quòd fecit nos Deus ad imaginem suam: sed reparationi nostræ longè amplius est tributum, quasi ipse Deus factus est ad imaginem nostram, & seruili formæ ipse se Dominus aptauit.* Nouitatem huius rei hæc satis docent.

Meditatiuncula de incarnato filio Dei. *In Symbolo Nycæno.* *Apoc. 12.* *Luc. 2.* *Psal. 46.* *Vide Arnobium super Psal. 46. Similia.* *Ierem. 31.* *Ser. 9. de temp. Incarnationis Dominicæ ad. miranda nouitas.* *Aug. ser. 11. de temp. In Missa Cathol. Ser. 3. de Nat. Dom. Incarnat. Dom. miraculum triplex.*

Miraculi excellentia triplex notari potest. Primùm de admirabili ratione medicinæ, per hanc incarnationem factæ generi humano, respectu & ex parte ipsius hominis. Nam in incarnato filio Dei, medicus ipse, vt nos sanaret, ipsam se medicinam fecit, imò & æger fieri voluit. *Mirabile plane* (ait Augustinus) *& incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare, & ægrotos ipsos, quibus salutis remedium procurauit, sua decreuit infirmitate curare. Quemadmodum igitur scorpionum carnes oleo coctæ, percussionibus medentur scorpionum: & theriaca de serpentis carne confecta, morsi-*

1. *Ex parte medicinæ. Ser. 19. de Sanctis.*

bus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumptas expellit: sic carnem nostram à serpente
Basil. ho. 25. Ambros. in Psal. 37. Li. 6. de curat. Græc. affectionũ. *percussam, sua carne medicus noster sanauit.* Hæc Augustinus. Idem docet D. Basilius, & post eum D. Ambrosius. Rursum ex hac consideratione sic scripsit Theodoretus: *Medicos eos maximè laudare solemus, non qui nos quidem suis ministris curandos committunt: sed qui pallium deponunt, interulámque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vlcusque, si sit opus, incidunt, neque fœtore vlceris auersantur, imò autem profluentem saniem excipiunt, spongiáque inspergunt, & vnguenta compingunt, aliaque remedia multa conficiunt, quæ adhiberi medicinæ lex iubet.* At sic Christus nos sanare voluit, vt non Angelis, non alijs hominibus sanandos committeret, sed in propria persona, exinaniens seipsum, & humilians vsque ad mortem, mortem autem crucis, sic salutem nostram operatus sit in terris. Mirabile hoc & inauditum medicinæ genus: mirabile bonitatis argumentum. A

2. Ex parte iustitiæ. Ser. 1. de Natiuit. Secunda miraculi excellentia circa iustitiam quam in nostra redemptione exercuit, diabolum scilicet, à quo captiui tenebamur, non potentia, sed iustitia superans, nec per potentiã, sed per iustitiam ex eius nos faucibus eripiens. Vnde S. Leo: *Magno & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste non in sua Maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, vt inuentor mortis diabolus per ipsam quam vicerat carnem vinceretur.* De hac Dei iustitia in tanto hoste superando prædixit Iob: *An extrahere poteris Leuiathan hamo? & fune ligabis linguam eius?*
Iob. 40. Chrysost. 5. ex varijs in Matt. locis Rupertus l. 1. in Mat. Quod sic exponit Chrysostomus, & post eum Rupertus: *Sicut in hamo escæ præda posita, pisces illudimus, qui auiditate prædæ hamo capiuntur: sic & diabolo contigit dum tantum corpus hominis in Filio Dei considerat, & Deum in corpore non agnoscit, quasi ad præparatam sibi prædam solita rapina festinat,* tentat, vexat, persequitur, occidendum procurat. *Sed dum vult auidius prædam rapere, ipse Leuiathan, ipse draco, vt piscis adductus in hamo, præda Domini captus efficitur.* Hæc ille. *Tunc enim* (ait Augustinus) *sanguis ille, quoniam eius erat qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum: vt, quia eos diabolus meritò tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum meritò dimitteret, quem nullius peccati reum immeritò pœna mortis affecit. Hac iustitia victus, & hoc vinculo vinctus est fortis, vt vasa eius eriperentur quæ fuerunt vasa iræ, & in vasa misericordiæ conuerterentur.* Hæc ille. Hæc fuit admirabilis incarnati Filij Dei bonitas, vt non potentia, sed iustitia diabolum vinceret, nósque redimeret. B
De Trinit. l. 13. c. 15.

3. Ex parte conuenientiæ. Ex Aug. de ciu. Dei l. 9. c. 15. Tertia huius miraculi in incarnato Filio Dei excellentia est, quòd hac demum ratione reconciliatio generis humani cum Deo non solùm efficaciter, sed & modo conuenientissimo facta fuit. Quum enim diabolus tanquam medius malus separauit amicos, Deum & hominem, ab initio, Filius Dei homo factus est, vt tanquam medius bonus reconciliaret inimicos, Deum & hominem, post peccatum. Ac diabolus quidem immortalis & miser, cum Deo immortalis, cum homine lapso miser, medium quoddam inter vtrumq; fuit, sed pessimum, id est, disiunctiuum, & ad separationem factum: ideóq; hoc semper contendens, vt ad suam miseram immortalitatem, miseros mortales perducat. Deus igitur beatus, factus pro nobis mortalis, oppositum planè medium est inter Deum & nos. Nam aduersus diaboli immortalitatem & miseriam mortalis esse ad tempus voluit, qui beatus in sua æternitate semper perstitit: vt sic factus Mediator optimus, id est, coniunctiuus, & faciens vtraque vnum, nos miseros mortales ad suam beatitudinem immortalem pertraheret: *soluens inimicitias in carne sua, &c.* Hæc fuit admirabilis conuenientia saluandi generis humani per incarnatum Dei Filium. C
Eccles. 2.

Incarnat. Domini beneficium triplex. Luc. 3. 1. Fidei humilis doctrina. Sed nunc beneficij huius amplissimi magnitudinem triplicem quoque considera. Nam quum contra triplicem humanæ naturæ morbum, 1. ignorantiam intellectus cum superbia cõiunctam (de qua Præcursoris doctrina clamabat, *Omnis mons & collis humiliabitur*) 2. difficultatem agendi desperatione plenam (de qua eadem doctrina clamabat, *Erunt aspera in vias planas*) 3. infirmitatem voluntatis, & pusillanimitatem (de qua rursum eadem doctrina dixit, *Omnis vallis implebitur*: quæ tria in præcedenti Dominica explicauimus) opus erat tribus gratiæ remediis, fide humili, spe bona, & charitate in Deum inflammata, hæc tria remedia, has tres virtutes (sine quibus redemptionis participes esse non poteramus) hoc triplex incomparabile beneficium Verbi Dei Incarnatio nobis procurauit, homo enim factus, idémque pauper & humilis homo, omnem sæculi superbiam, & falsæ sapientiæ inanitatem euacuauit, ostendens, *quod infirmum est Dei fortius esse hominibus. Deus Dei Filius* (ait Augustinus) *homine assumpto, constituit atque fundauit fidem, vt via homini ad Deum esset homo Deus.* Rursum via homini ad Deum est homo Deus, quia Deus homo factus, & veritas in carne apparens, quid credendum sit docuit. Via homini ad Deum est homo Deus, quia via ad fidem in Deum est humilitas, quam Filij Dei incarnatio, & humiliatio luculenter docuit: quam tot illa loca in præcedentibus Euangelijs explicata, & à matre Ecclesia idcirco Aduentus tempore in Ecclesijs lecta, vt Incarnationis & Aduentus huius Dominici beneficio melius explicarentur, explicata intelligerentur, intellecta ad pietatem hortarentur, manifestè tradiderunt. Hæc videlicet: *Paupercs euangelizantur. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis mons & collis humiliabitur.* Quid enim? Descendit optimus maximus ad statum paupertatis & patientię, & tu pessimus ac minimus, vis ascendere & ambulare in magnis & mirabilibus super te? Ille descendit de cœlo ad terram; & tu apponis te magnificare super terram? Magnum certè miraculum est, Deus propter hominem humiliatus: sed maius esse videtur portentum, quòd homo propter Deum humiliari D
1. Cor. 5. De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 29. Ioan. 1. Matth. 11. Luc. 3. Humilitatis documentum.

A humiliari recusat. Cùm Dauid Absalonem fugiens nudis pedibus, operto capite, per cliuum montis oliuarum ascenderet; omnis quoque familia, quæ eum sequebatur, operto similiter capite ascendebat, plorans: & Christus verus Dauid tantopere, idque pro nobis, humiliatus, nullum nobis humilitatis documentum erit? Iam verò ad spem erigendam, maximam vim habet verbi Dei incarnatio. *Si enim natura Dei filius* (ait S. Augustinus) *propter filios hominum, gratia Dei factus est filius hominis: quanto credibilius, natura filios hominis, gratia Dei, filios Dei fieri! Propter hoc persuadendum, Dei Filius particeps nostræ mortalitatis effectus est.* Et paulò pòst: *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentésque mortalium, conditione ipsius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quàm vt demonstraretur nobis, quanti nos faceret Deus: quantumque diligeret.* 1. *Reg.* 15. 2. *Ad spem erigẽdam.* De Trinit. l. 13. c. 9. Cap. 10.

Ad charitatis flammas in nobis mirabiliter excitandas nihil accommodatius fieri potuit. *Etenim quia naturale est* (ait sapienter sanctus Augustinus) *vt homines diligentes se diligant, hac humilitate, & charitate incarnati Filij Dei liquefacta est duritia mundi, vt agnosceret saltem beneficium suæ reparationis, quæ non agnouerat excellentiam suæ conditionis.* Sic & Saluianus Episcopus Massilienſis: *Sicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt* (magnetem scilicet) *quæ ferro propius admotæ durissimum licet chalybem, effectu quasi spirante suspendunt: ita Christus omni gemma pretiosior, hoc voluit, vt dum se licet durissimis nobis, descendens de cælo, propiùs adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui manibus admoueret: vt agnoscentes vtique dona sua ac beneficia, intelligeremus quid nos pro Domino tam bono facere cõueniret, quum ille pro malis seruis tanta feciſſe comperiretur.* Hæc ille. Huc accedit, quòd per hanc incarnationem sic inimicos suos dilexit, vt eos à se toto impetu fugientes non persequeretur: sed sequeretur: nec vt caperet, sed vt caperetur, à malis quidem per scelus ad mortem temporalem subeundam, à bonis verò per gratiam ad vitam æternam consequendam. *Sic semen Abrahæ apprehendit,* quasique fugiens comprehendit. Denique charitatis Filij Dei incarnati immensitas, ex hoc maximè eluceſcit, quòd hac in re Deus insuperabilis semetipsum superauit, quod sic eleganter explicat Greg. Nyssenus: *Magnum & excelsum aliquid operari, in Deo non miraculum, sed naturæ eius consentaneum est. At in humilem & abiectum statum descendere, qui omnium supremus est, hoc omnem admirationem superat. Si flamma sursum petens vastum incendium facit, nihil est mirandum. At si flamma deorsum sua sponte descenderet, & ima loca teneret, illud verò stupendum videatur.* Quare hac in re Deum seipsum quodammodo viciſſe, notauit Sanctus Augustinus: *Deus* (inquit) *omnipotentem se in hoc maximè incarnationis Sacramento monstrauit, quo illud potestati suæ subiecit, quod ab omni subiectione liberum permanebat.* Quemadmodum enim nihil difficilius quàm seipsum vincere, (quid enim homini charius, aut pretiosius seipso? ea autẽ quæ amamus, difficillimè deprimimus) B C ita nulla in Deo admirabilior victoria, & per consequens nulla maior amoris significatio, quàm ea quâ humanã infirmitatem pro salute humana induens, seipsum sibi subiecit, & homo factus est, *obedientiam dicit,* (vt loquitur Apostolus) qui solus omnibus imperauit. Hæc incomparabilis charitas, hæc tanta dilectio corda plus quam adamantina, ad mutuam dilectionem flectere & emollire debebat. Hæc est ergo admiranda nouitas, hoc nouum miraculum, hoc incomparabile beneficium, hæc immensa Filij Dei bonitas, sapientia, iustitia, qua pro nobis homo fieri voluit: quam meritò parentes Iesu mirabantur, *obseruantes & conferentes in corde suo hæc omnia,* multóque plura. Sic videlicet mirabantur, sic nos mirari decet incarnationis Dominicæ ineffabile mysterium! non sicut illi, qui idiotæ quum sint, pulcherrimam aliquam scripturam contẽplati, scriptoris quidem artem & characteres pariles ac decoras suspiciunt, & extollunt, nihil autem in illis legere possunt, sed sicut illi qui docti quum sint, & scriptoris artem laudant, & literas ipsas legunt, legendóque intelligunt. Sic autem vt Christi beneficia legamus & intelligamus, meditatione & contemplatione nobis opus est, vel nostra opera & industria, mediante ad Deum humili prece ac oratione, vel aliena, & SS. Patrum (sicut hic fecimus propter defectum in nobis ipsis) qui vitæ totius pietate & puritate, accedente industria & labore, sic à Deo illuminati sunt, vt mysterium hoc tantum nobis legendum & intelligendum exposuerint. De hac materia vide plura in alia Dominica. 3. *Ad charitatem inflammandam.* Ser. 19. de Sanctis. De prouident. Dei, lib. 4. Hebr. 1. *In dial. cantech. c.* 24. Simile. Ser. 12. de temp. Simile. Heb. 5. Luc. 7. *Aug. tract* 24. *in Ioan.* Dõ. 5. *post Epiph. text* 2.

D

2. *Ecce hic positus est in ruinam multorum in Israel.*

LOcus moralis de profectu nostro in professione Christiana diligentius examinando. Sola professio aut fides Christiana ad salutem non sufficit. Christus est in ruinam multis in Israël, id est, vocatis ipsis ad fidem, sicut totus Israël erat populus vocatus. Videndũ igitur, ne hoc ipsum Christianum esse, sit nobis in ruinam, id est, in maiorem condemnationem. *Melius fuisset non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Si enim refugientes coinquinationes mundi* (id est, si ex professo abdicantes vanitates & impietates eius, superbiam, ambitionem, inuidiam, luxum, libidinem, auaritiam, & consimilia) *in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi* (id est, in professione Christianismi) *his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* Sic positus est in ruinam. Ideo in eadem Epistola Petrus iterum, post enumerationem multarum virtutum ad quas hortatur. *Cui* (inquit) *præsto non sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblitionem accipiens purgationis* *Professionis Christianæ profectus necessarius.* 2. Pet. 2. Cap. 1.

veterum ſuorum delictorum, Quapropter fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Nempe vocatio ad fidem Chriſti ſine bonis operibus certa non eſt, ſed magis ad ruinam. Sic in Euangelio Chriſtus ipſe ſanato paralytico dixit: *Ecce iam ſanus factus es. Noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: id eſt, ne meum beneficium tibi in ruinam ſit. De omnibus illis qui ex fiducia vel præſumptione potiùs miſericordiæ Dei in peccata frequenter relabuntur, vehementer metuendum eſt, ne Chriſtus ſit illis in ruinam. Malè ſanatur à medico, qui hauſta potione ſic eam euomit, vt nihil in ventriculo remaneat. Malè ille Deo per Chriſtum reconciliatur, qui reconciliatus, nihilo ſit melior. Negligens ille nauclerus, & dignus naufragio eſt, qui vbi ad ſcopulum nauem ſemel fregit, eò tamen denuo nauem impellit. Stupidus ille viator eſt, qui poſtquam in lapidem ſemel impegit & cecidit, ad eundem rurſus impingit caditque. Huiuſmodi arenoſis littoribus comparantur, qui pluuiam gratiæ è cœlo accipiunt, ſed nihil eius retinere poſſunt. Quod etiam illa in Euangelio parabola nos docet, qua Chriſtus dicit, *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam*, id eſt, non ſuper terram Chriſti, non ſuper Dei amorem, ſed ſuper caduca & fluxa huius mundi bona, omnes ſuas actiones ad illa vt finem referens, & illa bona pro fundamento omnium ſuarum actionum habens: *& deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & fluxerũt venti*, id eſt, tentationes ad peccatum, tribulationes in corpore & bonis, perſecutiones fidei venerunt: *& irruerunt domum illam & cecidit: & fuit ruina illius magna.* Magna certè ruina eſt hominis Chriſtiani in peccatum mortale prolapſi, vel per peccatum in gehennam cadentis: quia in tali ruina *non manet lapis ſuper lapidem.* Nullum vel gratiæ, vel naturæ beneficium manet: omnia vel auferuntur, vel loco ſuo mota non niſi impietati deſeruiunt, vt ad oculum videre eſt in impijs Chriſtianis, maximè hæreticis & Apoſtatis, qui quoſuis infideles impietate ſuperant. Rurſum de huiuſmodi etiam illa parabola intelligitur, qua dicitur: *Quis ex vobis volens turrim ædificare non prius ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt ad perficiendũ, poſtea ne quum poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere.* Omnes Chriſtiani turrim ędificant, qua cœlum conſcendunt. Huc enim ſpectat illa profeſſio. Videndum igitur cuique, an dona gratiæ habeat, ad hoc ædificium neceſſaria: ne fortè, poſito fidei fundamento in Chriſtum, nec de cæteris gratiæ donis, de charitate, humilitate, patientia, caſtitate, temperantia, & huiuſmodi curans, vel non orans Deum pro illis vel illis, acceptis in vacuum abutens, non poſſit perficere, vt ſic omnes Angeli, tam boni quam mali, imò & mundus ipſe infidelium huiuſmodi infelicibus Chriſtianis miſerè illudant. Nos enim *Chriſtiani ſpectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus.* Videndum ergo ne reuera ridiculum ſpectaculum ſimus, vt ſimia illa purpurata, de qua ſcribit Gregorius Nyſſenus: *Aiunt quendam in vrbe Alexandrina circulatorem docuiſſe ſimiam, vt agilitate quadam in habitum ſaltatricis ſe componeret, eique ſaltatricis appoſuiſſe perſonam, ac veſtem circumdediſſe conuenientem, & quum chorum ei adhibuiſſet, placuiſſe, ac celebratum hominum ſermone in pretio fuiſſe propter ſimiam, quæ ad cantilenæ modos ſe flecteret, ac per omnia naturam occultaret. Cùm autem capti eſſent rei nouitate ſpectatores, quendam aſtutiorem cæteris ibi fuiſſe qui ludo quodam inhiantibus ſpectaculo oſtenderit ſimiam eſſe ſimiam. Acclamantibus enim cunctis, projeciſſe eum aiunt in orcheſtra ex bellarijs ea quæ talium beſtiarum ingluuiem attrahunt: illam verò vt viderat ante chorum diſperſa amygdala, oblitam & ſaltationis & plauſuum, & veſtis, & ornamentorum, accurriſſe ad ea, & manuum palmis collegiſſe, & ne impedimento eſſet, perſonam ori detraxiſſe celeriter atque vnguibus ſuis ſimulatam formam corrupiſſe, atque ita pro laudibus riſum mouiſſe ſpectantibus. Quemadmodum igitur illi non ſatis fuit falſa aſcitaque forma ad hoc vt homo existimaretur, deprehenſa per ingluuiem bellariorum natura: ita qui non vere ipſam naturam ſuam fide formauerint, facilè per diaboli eſcam & ingluuiem conuincentur quòd aliud ſint, quàm præ ſe ferant, ac profiteantur. Pro caricis enim, aut amygdalis, vana gloria, ambitio, lucri voluptatiſque ſtudium (mala Diaboli annona) loco bellariorum hominibus corruptis propoſita, ſimiarum ſimiles animas facilè prodit, qui per fictam imitationem Chriſtianiſmum ſimulant.* Hæc Nyſſenus. Sed huius fabulæ exitus riſus erat: Chriſtianus ſimulatus non riſus tantùm erit alijs, ſed *fletus, & ſtridor dentium* ſibi: dicente illis Chriſto in extremo iudicio, *Neſcio vos, Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Et rurſum, *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Ille autem obmutuit. Qui autem inuitauit, dixit Miniſtris: Accipite eum, & ligatis pedibus, ac manibus proijcite eum in tenebras exteriores.* Hæc eſt ruina magna eorum qui nomine tenus tantùm Chriſtiani ſunt. Sic Chriſtus eſt poſitus in ruinam multorum, &, vt Eſaias prædixit, *In lapidem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël, in laqueum & in ruinam habitantibus Ieruſalem*, id eſt, futuris nomine tenus fidelibus. Illis enim Chriſti nomen profitentibus, ſed Chriſti legem non ſeruantibus, multo maior ruina, laqueus acerbior, & ſcandalum grauius erat lapis iſte ac petra Chriſtus, quam ijs qui in eum non crediderunt. Quod apud Matthæum Chriſtus in his verbis expreſſit: *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteretur.* Cadunt enim & offendunt in lapidem Chriſtum, quaſi titubantes in via, & cadentes, qui non credunt in nomine eius: Sic Paulus de Iudæis incredulis, quum dixiſſet: *Iſrael ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus*, id eſt, quia gratiam fidei credentes non acceperunt, ſed ſolis operibus, ſeu ex doctrina legis, ſeu ex naturæ viribus profectus, ſe iuſtificandos præſum-

Ioan. 5.

Recidiua peccati frequens. Similia.

Matth. 7.

Christian. impius magna ruina.

Luca 14.

1. Cor. 4.

In ſerm. de perfecta Christiani hominis forma.

Simia erit ſimia, etiã ſi purpura induatur.

Matth. 22.

Matth. 12.

Iſaiæ 18.

Matth. 11.

Rom. 9.

A præsumpserunt: statim adiecit, *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, &c.* mòxque addit: *Et omnis qui credit in eum non confundetur*: Igitur non credendo offenderunt, & ceciderunt super lapidem Christum, & in eius iudicium. Nam sicut qui cadit super lapidem, in eius duritiem cadit, sensurus mox rigorem eius, & quantum lædere cadentem valeat: sic qui offenduntin lapidem Christum, non credendo in eum, sed scandalizati de eo, cadunt in eum, sentiendo quod verus sit iudex viuorum & mortuorum, & experiendo quod Paulus dixit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*. Sic & Diuus Petrus exponit. *Vobis* (inquit) *credentibus honor, non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli: hic est lapis offensionis, & petra scandali, &c.* Sed quum addit Christus, *Super quem vero ceciderit hic lapis, conteretur*: Notat grauiorem pœnam eorum super quos Christus cadit, id est, *super quos venit ira Dei*, & iusti Iudicis Christi. Nam sicut ille grauius læditur atque conteritur, adeóque in frusta sæpè comminuitur, super quem ingens saxum de alto cadit, vel proiectum percussit, quàm qui super saxum ignorans ceciderit: sic illi grauius puniuntur, atque horrendis pœnis acerbissimè torquentur & conteruntur, super quos irati iudicis Christi vindicta cadet, quàm qui ignorantes fidem, & non credentes, super eam ceciderunt. Quanta sit futura Christi iudicis ira contra impios, id est, contra malos

B Christianos, qui soli in iudicio per modum examinis damnabuntur (*Qui enim non credit, iam iudicatus est*) in prima Dominica Aduentus exposuimus. Super quos autem illa ira cadet, tum ex eo, quod iam diximus, manifestum est (impios videlicet Christianos, illos fore (tum apertè Diuus Paulus docet, dicens: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius: ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione* (id est, superbè & ambitiosè viuunt) *& qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati* (id est, veræ pietatis doctrinæ non obediunt, sed iniquitatis præcepta sequuntur) *ira, & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Sic videlicet conteretur, super quem cadit irati Iudicis ira. *Sic positus est* Christus *in ruinam multorum in Israël.* De quibus adhuc loco citato addit Esaias: *Et offendent ex eis plurimi, & cadent* (non credendo) *& conterentur* (malè viuendo) *& irretientur & capientur*, id est, non euadēt vltionem iusti Iudicis. Hoc totum cum Propheta prædixit hic Simeon iustus. Hoc totum nos vocatos Iesu Christi plurimum mouere debet, vt vitam Christiano homine dignam traducamus. Sicut enim ex eodem flore apes mel, aranea venenum colligit: sic Christus flos campi excellentissimus, alijs est in sanctificationem & resurrectionem vitæ, alijs in ruinam, & petram scandali non suo aliquo, sed malè colli-

C gentium vitio. Sic Apostolus de sua prędicatione: *Christi bonus odor sumus Deo in ijs qui salui fiūt, & in ijs qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam*: Hanc etiam differentiam tùm ex parte euentus, tum ex parte causæ notauit Propheta, dicens: *Perditio tua ex te Israël, saluatio autem tua ex me.* Nam vt feras quasdam videmus quæ absque claue clauduntur, sed absq; claue aperiri non possunt: sic absq; claue vel ope aliena claudimus nobis cœlum nostra propria culpa, & motu proprio; sed absq; claue regni cœlorum, quam Christus à Patre accepit, & Ecclesiæ suæ reliquit; aperire nobis regnum cœlorum non possumus. Valet etiam vniuersa hæc doctrina contra hæreticorum hodie solam fidem, & inanem fiduciam: quia credentibus in Christum, & non iuxta Christi leges viuentibus, positus est Christus in ruinam, non in resurrectionem, quod etiam in sequentibus magis adhuc elucescet.

Simile. Hebr. 10. 1. Pet. 2. Matth. 21. Ephes. 5. Simile. Rom. 2. Ioan. 2. Esaiæ 8. Simile. 2. Cor. 2. Osee 13. Simile. Locus cont. hæreticos.

3. *Et in resurrectionem multorum in Israel.*

D LOcus moralis de vera per Christum resurrectione, seu regeneratione nostra, & de gratia noui Testamenti. Resurrectionem enim hic Simeon dicit, non corporum, sed animarum, nec postremam illam & generalem, sed præsentem & particularem credentium in Christum: Deniq; per resurrectionem, salutem & saluationem significat, quæ opponitur ruinæ. Resurrectio nostra per Christum quæ sit, Apostolus his verbis describit: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius*, id est (si vt ille corpore in cruce, sic nos peccato in Baptismo mortui sumus) *simul & resurrectionis erimus*, id est, simul cum Christo resurgemus: nos quidem ad totius vitæ nouitatem, ille verò ad totius corporis gloriam. *Hoc scientes, quia vetus homo noster* (id est, inueterata consuetudo peccandi, vel vetus inclinatio ad peccatum ex Adamo contracta) *simul crucifixus est* (cum Christo) *vt destruatur corpus peccati* (id est peccatum ipsum) *vt vltra non seruiamus peccato.* Hæc est per Christi gratiam, & Sacramenta resurrectio, id est, in melius mutatio, & renouatio totius vitæ nostræ, de qua sic ad Colossenses scribit iterum Paulus: *Si consurrexistis cum Christo*, videlicet in nouitate vitæ, destructo peccato: *quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ergo quærere cœlestia, non terrena, sapere cœlestia non terrena, delectari in Deo, & in via mā-

Gratia noui Testam. Rom. 6. *Resurrect. nostra per Christum quæ.* Coloss. 3.

datorum eius, non in terra, & voluptatibus eius: ſapere ſecundum Deum, non ſecundum carnem: hæc eſt reſurrectio noſtra per Chriſtum: & propter quam nobis conferendam Chriſtus venit. Hæc ſpiritualis reſurrectio ad vitæ nouitatem, alteram corporalem ad glorię æternitatem, quaſi via ad terminum, quaſi ad præmium, quaſi meritum ad coronam præcedit. Vnde Auguſtinus: *Per fidem credimus, quod Deus à mortuis excitet, interim ſpiritu, vt in nouitate eius gratiæ temperanter, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, poſt etiam carne noſtra ad immortalitatem reſurrecturа quod meritum ipſius ſpiritus eſt, qui eam in reſurrectione ſibi congrua, hoc eſt, in iuſtificatione præcedit.* Hæc ille. Reſurrectionem hanc ſpiritualem, quæ fit in nouitate vitæ, & eſt iuſtificatio noſtra in Chriſto, vocat alteri reſurrectioni corporali ad gloriam congruam, & reſpondentem: quia vna non eſt, ſi altera non eſt: & hæc illam præcedere debet. Hæc reſurrectio eſt tota noſtra iuſtificatio, adeóque totum Euangelium Chriſti. Vnde S. Baſilius: *Si quis definiens, dicat Euangelium eſſe formam vitæ quæ eſt ex reſurrectione, mihi nequaquam videretur à vero aberrare.* Quod etiam obiter contra noſtri temporis hęreticos valet, qui Euangelium & iuſtificationem noſtram per fidem in Chriſtum, nihil eſſe aliud volunt, quàm gratuitam remiſſionem peccatorum per Chriſtum. At docent hæc verba Simeonis, docent verba Apoſtoli citata, docent Patres allegati, reſurrectionem ſpiritualem, qua in vitæ totius nouitatem & ſanctitatem reſurgimus, eſſe noſtram in Chriſto iuſtificationem, ipſumque gratiæ Euangelium. Sed hæc reſurrectio noſtra, per Chriſtum fit, & per gratiam eius, *non ex nobis, ne quis glorietur: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, antequam per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritum ſuum ſanctum effunderet in nos abunde: ſed per bona opera*, quibus iam renouati & vocati *certam facimus vocationem noſtram & electionem*, vt Petrus ait: per opera charitatis, *quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*, vt Paulus docet, *per mortificationem membrorũ noſtrorum ſuper terram*, quam Dei Spiritus operatur in nobis, iuxta illud: *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.* Hoc ſenſu Chriſtus eſt *Reſurrectio & vita*, vt apud Ioannem dixit: quia ſpiritus eius quem nobis regeneratis & baptizatis dedit, reſurgendi à peccatis, & viuendi in mandatis & lege Domini, facultatem dat. Rurſum omnibus peccatoribus Chriſtus reſurrectio eſt, quia omnes per eum reſurgere poſſunt, iuxta illud Apoſtoli: *Surge qui dormis & illuminabit te Chriſtus.* Non eſt reſurrectio niſi præceſſerit ruina. Nemo ergo iacens deſperet. Sicut odor vineæ florentis, iuxta naturam ſuam dulcis eſt hominibus, ſed intollerabilis eſt ſerpentibus; ſic Chriſtus Dominus, qui *non venit in mundum vt iudicet eum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*, hominibus & humana docilitate præditis (nam nemo adeò ferus eſt qui non miteſcere poſſit, ſi modò culturæ patientem accommodet aurem) eſt ex ſua naturali bonitate & clementia odor vitæ, ſalus & reſurrectio: at ſerpentina & ferina ſeu pertinacia, ſeu libidine infectis atque corruptis, qui ſe ſanari & duci non patiuntur, eſt odor mortis, petra ſcandali, & ruina. Hæc docent, ſibi quemque imputare debere, ſi pereat: poſſe autem facillimè quemque ſaluari ſi velit, quum Chriſtus non alia de cauſa in mundum venerit. *Ego* (inquit) *veni vt vitam habeant & abundantius habeant.* Et Apoſtolus Chriſtum cum Adamo comparans: *Si in vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.*

De Spir. & lit. cap. 29.

De Spir. S. cap. 15.

Locus cont. hæreticos.

Epheſ. 2. Tit. 3.

1. Petr. 1. Rom. 5. Coloſſ. 3. Rom. 8. Ioan. 11.

Epheſ. 5. Simile.

Ioan. 5.

Ioan. 10.

Rom. 5.

A

B

C

4. *Et in ſignum cui contradicetur.*

Imitatio Chriſti Chriſtianis neceſſaria. Eſaiæ 11.

LOcus moralis de imitatione Chriſti, omnibus Chriſtianis, & ſaluos fieri cupientibus neceſſaria. Chriſtus enim, vt erat ſignum tam Iudæis, quàm Gentibus omnibus, quoad fidem, de quo Eſaias, *Radix Ieſſe ſtat in ſignum populorum, ipſum deprecabuntur omnes gentes*: & in Euangelio Chriſtus, *Hæc eſt voluntas Patris, vt credatis in eum, quẽ miſit ille*: Et ſic præterea, quoad charitatem & exemplum imitationis poſitus eſt in ſignum Chriſtus, vt per ipſum curſum noſtrum dirigamus. Quare Chriſtus non ſemel ſeipſum nobis imitandum proponit: *Diſcite à me quia humilis ſum, & mitis corde. Hoc eſt mandatum nouum, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos. Si mundus vos odio habet, me priorem odio habuit. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Sic humilitatem, dilectionem fraternam, patientiam malorum, ſuo nos exemplo, vt ſignum quoddam propoſitum, docet. Nempe hic aduentus Chriſti ſcopus fuit, à cæleſti Patre ab æterno intentus, vt *conformes fieremus imagini Filij ſui*, ſicut Paulus diſertè de electis affirmat. Et ipſe Paulus ſic ſuos Epheſ. adhortatur: *Eſtote imitatores mei ſicut ego Chriſti.* Sic & Diuus Ioannes: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ambulauit & ipſe ambulare.* Denique quum omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, poſitus ille nobis eſt in ſignum humilitatis in præſepio: in ſignum paupertatis, quum *non haberet, vbi caput reclinaret*: in ſignum charitatis, in tota prædicatione *pertranſeundo & benefaciendo, & omnes à languoribus ſanando*: in ſignum patientiæ, in tota acerbiſſima paſſione: in ſignum denique quod omnes aſpicere debent ad ſalutem, ſicut *ſerpentem exaltatum à Moyſe in deſerto, exaltatus in crucem*: in qua tale ſignum fuit, vt omnia ad ſe pertraheret. Atqui quum tot modis, & adhuc alijs, in ſignum illuſtriſſimum nobis datus ſit, in omnibus iſtis modis fere ab hominibus huic ſigno contradicitur. Nam & nunc verum eſt de peſſimis Chriſtianis quod de corruptiſſimis Iudæis vetus Scriptura cõmemorat: *A maximo vſque ad minimum omnes auaritiæ ſtudent. Dicũt impij inter ſe,*

Matth. 11.

Rom. 9.

Epheſ. 5. 1. Ioan. 2.

Ioan. 3.

Ierem. 6. Sapient. 2.

D

Ventiet

A *Venite perfruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura. Hinnit vnusquisque aduersus vxorem proximi sui.* Denique talis est hodie vita Christianorum vt vix deterior vnquam fuerit paganorum. Omnes hi contradicunt Christo, & toti œconomiæ eius. Quod enim Paulus de gulosis dixit, *Multi ambulant inimici crucis Christi, quorum Deus, venter est*, idem de quocunque peccati genere dici potest. Crux enim Christi ad omnia abolenda peccata assumpta est. Ideo Paulus de quibusuis relapsis dicit, *eos iterum Christum crucifigere*. Quare vt Petro reuocanti Christum à sua passione dixit acerrimè Christus, *Vade retro post me Satana: scandalum mihi es, & non sapis ea quæ Dei sunt*: sic omnibus Christianis sua impietate Christi passionem, quantum in se est, euacuantibus, & *sanguinem testamenti pollutum ducentibus*, verè dicitur: Scandalum Christo estis, & eius morti contradicitis, cuius fructum sic vilipenditis. Hac consideratione dixit Apostolus: *Empti estis pretio magno: glorificate Deum in corpore vestro*. Nam à contrario, qui hoc non faciunt, sed Deum inhonorant in corpore suo & *blasphemari faciunt nomen Dei apud Gentes*, isti omnes magnum pretiũ quo empti sunt, despectui habent, eique contradicunt. Nam contradicere, est non solum illud verbis negare, vt infideles vel hæretici quidam faciunt, sed etiã factis negare. De quibus Apostolus dicit, *Confitentur se nouisse Deum, factis autem negant, cum sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*. Isti omnes similes illis sunt, qui numismate ad nihil aliud vtuntur, quàm ad numerandũ:

B quod de Græcis optimè loquentibus, & contraria facientibus, dicere solebat Anacharsis. Christianam enim professionem verbo tenus tenent, sed vsum eius non habent. Imò potius similes illis sunt, qui pro bona valetudine sacrificant, & in ipso sacro epulis se ingurgitant, quæ bonæ valetudini sunt contrariæ, quod de quibusdam Philosophis dixit Diogenes, quorũ præceptis vita erat contraria. Sic omnibus malis Christianis in signum Christus est, cui contradicitur. Huic loco affine illud est, quod Christus ipse dixit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, quem locum in alio Euangelio tractauimus. Hunc etiam locum in altero Promptuario contra hæreticos, ratione fidei in Christum crucifixum explicuimus.

Philip. 3. *Matth. 16.* *Hebr. 10.* *1. Cor. 6.* *Rom. 3.* *Tit. 1.* *Plut. l. de profect. morum.* *Similia.* *Laërt. l. 1.* *Matt. 11.*

5. *Quæ non discedebat de Templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens Deo nocte ac die.*

LOcus moralis de assiduitate orandi, & Templa, quæ orationis loca sunt, piè frequentandi. Huius enim nobilissimæ virtutis nomine singulariter ab Euangelista hæc vidua Anna laudatur. Huius virtutis nomine sola ex omnibus in Hierusalem mulieribus digna fuit,

C quæ Christum adhuc paruulum agnosceret, & videret. Huius virtutis nomine tantam spiritus fortitudinem accepit, vt non sit verita Aduentum Christi in mundum publicè confiteri, & *loqui de eo omnibus expectantibus redemptionem Israël*, Hanc virtutem Christus Dominus in sua benedicta persona exercuit. *pernoctans in oratione Dei*, & eandem orationem ter repetens, *prostratus in faciem*: de quo etiam Paulus dicit, quod *in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum qui posit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulit*. Qua in re quid nos multo magis facere tum oporteat, tum deceat, suo beatissimo exemplo luculenter docuit. Sed & verbo quoque hanc nobis virtutem singulariter commendauit: *Oportet semper orare & non deficere*, quod statim parabola iniqui iudicis, qui assiduas viduæ preces, saltem ad vitandam molestiam, exaudiuit, rem confirmat. Rursum alibi: *petite & accipietis: quærite & inuenietis, & pulsate, & aperietur vobis*. Vbi familiari exemplo allato de patre naturali, qui filij preces non reiicit infert, *Quanto magis Pater vester dabit bona petentibus se*! Et rursum apud Ioannem. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Ac postremò omnibus indicit: *Vigilantes omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis*. In quibus omnibus verbis docet Christus Dominus & necessitatem & vtilitatem, & perseuerantiam atque assiduitatem orationis. Sed de vtilitate ac necessitate in alijs Euangelijs dicetur. Nunc de sola assiduitate, quæ in Anna vidua hic commendatur, quædam proferemus. Hanc assiduitatem Apostolus commendat:

D *Sine intermissione orate* & de se ipso scribit ad Romanos: *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis*. Et ad Ephesios: *Non cesso gratias agens pro vobis: memoriam vestri faciens in orationibus meis*. Sic ad Philippenses & Thessalonicenses, suumque Timothæum, ac Titum. Diuus quoque Iacobus, *Multum* (inquit) *valet deprecatio iusti assidua*. Cuius rei exemplum ipse Diuus Iacobus esse potest: qui Episcopus Hierosolymorum quum esset, & apud ipsos Iudæos sanctitatis opinione celebris, Templum Hierosolymitanum liberè frequentabat, atque in ipsa Sancta Sanctorum ingredi permissus est, vbi tam assiduus in oratione fuit, vt genua eius callum obduxerint, & instar camelorum pellis obduruerit. In Prato spirituali legimus, quum in cellula senis cuiusdam monachi tabula quædam substrata esset (in qua genua flectẽs orabat) locus ipse vbi genua figebat & manus, ex vsu perpetuo orandi, concauus erat, plus quam digitorum quatuor. Sed & hodie (quod enim vidimus, testamur) in spelunca Sancti Benedicti, in rupe altissima iuxta Sublacum oppidum, quadraginta milliaribus ab vrbe Roma distans, quum angustus adeò sit locus, vt nec erecto corpore stare, nec in genua se quis posset, in longum tamen sit porrectus, quantum humani corporis longitudo requirit: Locus ipse vbi Sanctus Benedictus oratione continua se prostrauit, triennium ibi agens,

De assiduitate orandi *Luc. 2.* *Luc. 6.* *Luc. 22.* *Heb. 5.* *Luc. 18.* *Matth. 7.* *Ioan. 16.* *Luc. 21.* *1. Thess. 5.* *Rom. 1.* *Ephes. 1.* *Iacobi 5.* *Exempla. Hiero. in Catalogo.* *Cap. 184.*

politissimus est, & præ nimia æqualitate lubricus, quum tota reliqua speluncæ pars, tam intus A
Li.2. de orando Deum. quàm extra saxum sit longè asperrimum. Certè nullum pietatis genus viri sancti, & qui Deo placere studuerunt, magis assiduè exercuerunt, quàm orandi studium. *Cùm videro quempiam* (ait Chrysostomus) *non amantem orandi studium, nec huius rei feruida vehementique cura teneri continuò mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis in animo habere. Rursus vbi quem conspexero insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continuè orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse meditatorem, ac Dei Templum. Etenim si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dentium declarat qualis sit, multo magis deprecatio signum est totius iustitiæ, virtutis, pietatis.* Est quippe orationis assiduitas & perseuerantia, non solùm laudabile quid, sed planè
Simile. Lud. Granat. tom.1. Serm. de temp. pag. 5.52. In vita eius apud Sur. tom.7. necessarium. Sicut illa gallina pullos nunquam educet suos, quæ vbi primùm ouis incubare cœperit, illa deserit: sic ex oratione fructum non percipiet, qui ex ariditate vel languore citò ab ea desistit. Frater Ægydius Minorita eum qui propter distractiones ab orationis perseuerantia desistit, similem esse dicebat fugienti è prælio. In oratione quippe pugnamus contra hostes nostros, carnem, mundum, maximè Satanam, qui propterea orantes maximè perturbat. Idem vir Sanctus, & mirabiliter Deo illuminatus, dicente quodam fratre molestissimum videri posse, si is qui orat, nullam percipere queat deuotionem, aut consolationem, aut
alium quempiam orationis suæ fructum, respondit: *Si parum vini haberes in vase, cui fæces adiunctæ essent, num tu propterea vas confringeres, vinumque cum fæcibus commisceres? Absurdum id fuerit.* B
Cogitabis te indignum qui vllam consolationem accipias, ea interim contentus quam in præsenti habes, quæque te orandum Deum exstimulat. Quod si quis à mundi exordio tot quotidie lachrymas funderet: quot capere possit paropsis, nec sic tamen diuinam semper mereatur consolationem. Idem dicebat: Sicut qui absque vllo merito in Republica peteret à Rege magnam pecuniæ vim, mirari non deberet, si repulsam pateretur: sic minimè mirandum est, si singulares gratias à Deo petendo repulsam sæpè patimur, sed id potiùs satagendum, vt de nostra indignitate humiliter sentientes, per bonorum operum studium, & orandi assiduitatem, aliquid tandem accipere mereamur. Dicebat rursum: *Si gratiam in precibus sentis, ora vt augeatur. Si non sentis, non cesses propterea à precibus. Gratos enim habuit Deus etiam caprarum ptilos, qui ei iuxta præceptum legis offerebantur.* Denique ad orationis
Exod. 15. Simile. assiduitatem persuadendam, hoc simili vtebatur. *Cùm primùm est plantata arbor, non illico grandescit: & quamuis producat flores, non statim etiam fructus affert, neque fructus ipsi si quos edat, confestim matureſcunt, atque etiam ij qui maturi sunt, non omnes eduntur ab hominibus, sed partim eos porci deuorant, partim computrescunt. Eodem modo quis ad me fructus inde redire queat, si vel centum annis rogem pro cœlesti regno, nec perseuero in precibus vsque in finem?* Hęc ille. Nempe anima Deo reconciliata, & à peccatis liberata, quasi nouella arbor plantata, non statim est in deuotione fortis: nec si est, statim bona desideria producit: nec si producit, statim per bona opera fructificat: C
nec si fructificat, statim perfecta sunt illa opera in modo agendi, nec si sint perfecta, statim alios ædificant ad Dei gloriam: sed vel vitio aliorum à porcis deuorantur, contemptui habita, & à prauis affectibus conculcata, vel vitio proprio (vt per vanam gloriam, aut etiam desidiam ac cessationem) computrescunt, vel meritum suum amittendo, vel certè profectum & incremẽtum. Perseuerandum igitur in oratione, vt fructus tandem, quem optamus, consequatur: Sanè vt omnis boni operis, sic maximè orationis virtus est perseuerantia. Sicut enim semina in terram iacta, quo diutiùs gelu premente, iuxta eius viscera delitescunt, eo deinceps proceriora, & vberiora surgunt, quia altius radices egerunt: sic diutius multiplicatæ preces, maio-
Granat. t.1 Ser. de tẽp. p.245. ribus à Deo muneribus afficiuntur. Abraham vsque ad annum centesimum prolem ex sua Sara expectauit, sed natus est ei Isaac filius promissionis, in cuius semine omnes gentes benedicentur. Isaac similiter etiam recepta promissione prolis, tamen diu & multum deprecabatur
Simile. Exempla. Deo pro sterili vxore sua Rebecca: quæ tandem gemellos peperit, & duas gentes ex vtero protulit. Anna mater Samuelis quanto tempore sterilis fuit? sed tandem precibus filium impetrauit, Prophetam sanctissimum. Elizabeth Zachariæ vxor in vltimam vsque senectutem ste-
Matt.11. Luc.2. rilis mansit: sed Ioannem Baptistam peperit, *quo non surrexit maior inter natos mulierum.* Sed & Anna hæc vidua, *octoginta annis vidua permansit, non discedens de templo in ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte ac die*, vt ita tandem Messiam natum videre, complecti, confiteri mereretur. Nos D
Consti. monast. c.2. autem ideò nihil magnum à Deo impetrare possumus, quia in oratione perseuerare, indignum ducimus. Quem grauem errorem sic redarguit Diuus Basilius: *Sæpè petiui* (inquis) *neque impetraui tamen. Prorsus quia non rectè petiuisti, videlicet aut dubitabundus aut aliud agens, aut quæ tibi vtilia non erant, aut postremò perseuerantiam non adhibuisti. (Qui Abrahæ promisit multiplicaturum se semen illius, nec tamen nisi post multorum annorum decursum id fecit) idem promisit daturum se nobis quicquid ab eo petierimus, etsi post multos aliquando annos non det quod petimus. Perseuerandum igitur in spe & oratione, vt Abraham fecit.* Et paulò pòst: *Deus, qui daturus est, idcò differt dare, vt hoc modo magis nos*
Ho. 50. ex hom. 50. *ad assiduitatem orandi vocet, & vt id intelligamus, quod sit donum Dei, & vt datum diligenter custodiamus. Quod enim difficulter acquiritur, diligenter asseruatur. Salomon donum sapientiæ citò impetrauit, ideoque negligenter illud custodiendo, citò amisit.* Hæc ille. Aptè quoque & accommodatè hac de re scripsit Sanctus Augustinus. *Fac* (inquit) *incertum esse, vtrum concedat Deus quod petis. Quid perdis quum supplicas Deo, qui salutem perdere non dubitasti, cùm offenderes Deum? Quis enim certus est quod imperator etiam ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur, penè*

vt

A *vt mors vitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini. Sine dubitatione fiunt ista, quũ sit dubium quo fine proueniant, & tamen certiora sunt promissa Christi, quàm corda Regum.* Hæc ille. Et haud dubiè si tam esset cordi animæ salus, quàm corporis, si ita Deum, vt hunc mundum, amaremus: si virtutum profectus perinde nos delectaret, quàm diuitiarum copia, si sic spirituales deliciæ nos afficerent, ac terrenæ, non minor esset, imo multo maior nostra orandi assiduitas, perseuerantia, feruor, cuius beneficio animæ salutem procuramus. Deo familiares sumus, in virtute vehementer proficimus, abundantiam gratiæ consequimur: quàm in terrenis illis consequendis labor & industria, feruor & vigilantia nostra esse solet. Nunc autem omne tempus orationi impensum periisse, nobis videtur, aut certè multum ac sæpè eandem rem oratione à Deo expetere, fastidium ingens, & nauseam parit. Cuius rei absurditas hoc simili elucescet. Si- *Simile.*
cut castrum Regium tenens, si obsidetur ab inimicis, reputatur infidelis & proditor, læsæ- *S. Bona. in*
que Maiestatis reus, si non statim Regi indicet, ac subsidium petat, nisi etiam, post quam petie- *dæta salu-*
rit, expectet à Rege auxilium, multo autem adhuc magis, si post acceptum auxilium castrum *tis. c. 14.*
hostibus prodat, sic omnino quum hostes seu visibiles (vt mundus, caro, & earum illecebræ) siue inuisibiles (vt maligni spiritus) animam variis tentationibus obsident (quã à Deo acceptam & variis eius gratiis, ac muneribus beneficio Sacramentorum eius, doctrinæque Ecclesiasticæ benè munitam & instructam, ad Dei obsequium & gloriam custodire debemus, simulque nos ipsos cum ea, vt qui castrum custodit, semetipsum cum eo custodit) debemus statim Regi re-
B gum, Deo nostro nuncium orationis mittere, & obsidionem denunciare. Sicut Dauid facit di- *Psal. 25.*
cens: *Consilium malignantium obsedit me.* Quod etsi Deus differat auxilium statim mittere, non *1. Cor. 10.*
propterea debemus ab oratione desistere, sed credere dicenti, *Fidelis Deus est, qui non patietur nos* *Psal. 26.*
tentari supra id quod possumus. Itemque illud. *Expectans Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum.*
Postremo cauendum, ne accepta gratia abutamur, & nostra iterum ignauia, id est, cessando ab
oratione quæ ad conseruationem gratiæ necessaria est, animam hostibus prodamus. Certè ora- *Simile.*
tio est cursoris & nuntij instar, qui nostra desideria ad Deum profert. Cursor autẽ, prẹterquam quod diligens & velox esse debet ideoque alia seponit negotia, & deponit onera, dexter quoque in negotio suo procurando, elegans in sua legatione exponenda, &c. debet quoque, quamuis repulsam aliquoties passus, importunè tamen vrgere, & omnem lapidem mouere, donec negotium expediat. Sic oratio, præterquam quod debeat esse velox, ideoque à curis terrenis libera, prudenter concepta, humiliter pronunciata, debet quoque iterum atque iterum esse repetita: nec prius ab orando cessare, donec exaudiatur. Grauiter & iustè sacerdotes culpauerat S. *Iudith. 8.*
Iudith, qui nisi intra quinque dies auxilium à Deo recepissent, locum hostibus tradere decreuerant. *Qui*, inquit, *estis vos qui tentatis Dominum? posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbi-* *Lucæ 11.*
trium vestrum diem constituistis ei? Sic faciunt, qui nisi cito exaudiantur, orare desinũt. Atqui quã-
C dam orandi importunitatem Christus nos in Euangelio docet, sub parabola *amici venientis de nocte, vt tres panes commodato acciperet*, & iniqui iudicis, vt supra annotatum est. Sic Iacob in illa lucta cum Angelo, quæ nihil erat aliud quàm feruens ad Deum oratio, vt à fratre Esau libera- *Gen. 32.*
retur, iurauit quod *non dimitteret eum, donec benediceret ei. Et benedixit ei Angelus eodem in loco.* Nem- *In Hom. de*
pe *quemadmodum Patres* (ait Chrys.) *filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud se detineant quos* *profectu*
desides vident, dedita opera morantur aliquid daturi, & interdum minus dant quam petitur, vt sæpius *Euang.*
petendo recurrant: *sic si differt aliquando Dominus exaudire, non odio facit, neque te auersatur, sed diffe-* *Similia.*
rendo diutius, te secum seruare vult, vel minus dando quàm petisti, causam dare sæpius per oratio- *Laur. Iust.*
nem recurrendi. Deinde hanc assiduitatem & perseuerantiam orationis rerum natura nos *in ligno vi-*
docet. *Sicut enim certaminis brauium non assequitur, qui, antequam ad metas attingat, deficit, sic orationis* *tæ, c. 9. de*
fructa priuatur, quisquis in illa non extiterit importunus. Et quemadmodum ignis, quanto magis in *oratione.*
vnum colligitur, tanto amplius nutritur & flammas euaporans, rursus impetuosius erumpit: ita *Simile.*
& mens quum diutius intra se commorata fuerit in oratione perseuerans, & ardẽtius per amoris incendium vrit in se, & sublimius per desiderium eleuatur in Deum. Auget ergo orandi assi- *Moral. in*
duitas orationis feruorem. Porro eo tardius suos etiam amicos audit Deus, quo magis eos vult *Iob. l. 20.*
orando mereri. Vnde B. Greg. *Eo magis sancti exaudiuntur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad* *c. 25.*
votum. Ex dilatione enim crescit desiderium. Sic & Aug. *Cum aliquid aliquando tardius dat Deus, commen-* *De verbis*
dat sua dona, non negat. Desiderata diu dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Paulus ipse contra *Dom. ser. 1*
D stimulum carnis, *ter Dominum rogans*, id est, sæpius obsecrans, *vt auferretur ab eo*, non est exaudi- *2. Cor. 18.*
tus, sed responsum accepit, *Sufficit tibi gratia mea.* Si Paulus pulsans perseuerare debuit nec adhuc apertum est, ei iuxta votum suum, qui sumus nos, vt nisi mox exaudiamur ab oratione cessemus? D. Hier. de sua orandi assiduitate sic scribit: *Memini me clamantem diem crebro iunxisse cum* *Exempla.*
nocte, nec prius à pectoris cessare verberibus, quàm rediret, Domino imperante, tranquillitas. Sic S. Anto- *In epist. ad*
nius, quum diu multumque inter vexationes dæmonum orasset, ac longo tandem post tempo- *Lam.*
re liberatus ab illis fuisset, clamabat: *Vbi eras bone Iesu, vbi eras? Quare non à principio affuisti, vt sa-* *In vita*
nares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens: *Antoni, hic eram: sed expectabam videre certamen* *eius per S.*
tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi. Idem ferè de S. Catha- *Athan.*
rina Senensi legitur, in vita eius apud Surium. Illustre porro est necessariæ huius perseueran- *apud Sur.*
tiæ in oratione exemplum in Prato spirituali. Conon Presbyter ad ministerium baptismi de- *to. 1.*
putatus, quum in fœminarum baptismo se tentari videret, nec diu multumque orans ab illa

Tom.2.pa. 926.c.3. tentatione liberari posset,recedere voluit. Cum autem iam locum exiisset,occurrit ei S.Ioannes Baptista,& signans eum in vmbilico ter signo crucis,ait illi: Crede mihi Presbyter Conon, A
volebam te pro hac pugna mercede donari. Sed quia non vis,ecce abstuli à te hoc bellum: nec
Grana.in Silua. vllus mulieris aspectus te amplius turbabit. Mercede autem huius operis carebis. Hæc ibi. Atqui qui excutere è silice ignem vult,non contentus semel percussisse,iterum atque iterum per-
Simile. cutit donec tandem scintillam excutiat. Ita quisquis Dominum precatur,etiam si illico ad votum non exauditur,perseueret tamen:quoniam si perseuerauerit pulsans,voti tandem compos
Psal.6. fiet. Quare ex eo quod Psalmista dicit, *Benedictus Deus,qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me*, perspicuè sequitur,quod quamdiu Deus non tollit à te orationem tuam, non amouebit à te misericordiam suam. Argumentum futuræ misericordiæ Dei, est perseue-
Similia. ratio orationis nostræ,& contra. Postremo,assiduitatem orandi necessariam ipsa infirmitas & ægritudo nostra, perpetua luce clarius euincit. Nam quemadmodum ægrotus,qui vix pedibus consistere valet assiduo eget alimento, quo nutantia membra sustentet: vt cæcus qui per
1. iter difficile graditur,continuo eget ductore,qui eum in via dirigat: vt arbor in arido plantata
2. solo,frequentibus eget aquis quibus irrigetur, vt fructum proferat: sicut locus sordidus ex se
3. fœtores noxios exhalans bonis odoribus implendus est,ne noceat:sicut denique vlcus ardore
4. suo finitimam carnem incendens,frigidis assiduè liquoribus refrigerandus est:ad eundem mo-
5. dum nos per naturæ conditionem infirmi,per cupiditates cæci,in arido huius mundi solo plantati,fomitem peccati fœtidum circumgestantes,vlcere multorum peccatorum fœtati,assiduis B
1. orationibus & precibus ad Deum,tanquam omnium malorum optimo & præsentissimo medi-
2. camento,opus habemus. Est ergo assiduitas orandi,vel ex Christi exemplo & mandato,vel ex
3. 4. sanctorum doctrina & pietate;vel ex ipsa orationis virtute,vel ex Dei sic nos exercentis volũ-
5. 6. tate,vel ex varia nostra infirmitate,vel ad maius nostrum bonum ac meritum,prorsus vnicuique nostrum necessaria,non laudabilis tantum & fructuosa, & in has omnes partes huius loci partitio fieri poterit. De orationibus in templo faciendis, in altero Prompt.diximus, propter nostri temporis hæreticos.

6. *In ieiuniis & obsecrationibus seruiens.*

Ieiunium cum oratione. LOcus moralis de ieiunio cum oratione iungendo. Sic hęc sancta vidua fecit. Sic Esdras reducturus populum ex captiuitate in terram suam, *Ieiunauimus*,inquit,*& rogauimus Dominum pro hoc,& euenit nobis prospere.* Filij Israel primo & secundo à filiis Beniamin percussi sunt C
Exempla. etiam in optima causa pugnantes,postea orantes fleuerunt coram Domino & ieiunauerunt die
1.Esdr.8. illo,& sic præualuerunt in illos. Iosaphat Rex Iuda,videns se à Moabitis & Ammonitis numero-
Iudic.20. sissimo collecto exercitu premi, *contulit se adrogandum Dominum,& prædicauit ieiunium*, & amplissima potitus est victoria.Rogaturus Nehemias Artaxerxem Regem pro ciuitate sancta, vt
2.Para.20. muri eius possent reparari, dicit de seipso: *Ieiunabam & orabam ante faciem Dei cæli.* Daniel ro-
Nehem.3. gans, & *deprecans Dominum in ieiuniis, sacco & cinere*, percepit specialem reuelationem de incar-
Dan.10. natione & passione Christi.Sic Christi discipuli fecerunt: *Ministrantibus illi Domino, & ieiunanti-*
Act.13. *bus,dixit illis Spiritus sanctus:Segregate mihi Paulum & Barnabam*:moxque *ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus.* Rursum iidem cum constituissent in diuersis ciuitatibus, per singulas Eccle-
Act.14. sias Presbyteros,*& orassent cum ieiunationibus,commẽdauerũt eos Domino.*Hinc dicit S.Scriptura:*Tob.12.* *Bona est oratio cum ieiunio*:Sicut enim sine cibo & potu non est plena refectio corporis, sic sine ieiu-
Simile. nio & oratione coniunctis non est plena animi refectio:& vt cibus robur adfert, potus cibum temperat,sic ieiunium animum roborat (nam dum *qui foris noster homo est,corrumpitur, is qui intus est,renouatur*)& oratio ieiunium temperat,dulceque reddit.Rursus,*sicut nec miles sine armis est aliquis,nec arma sine milite* (ait Chrys.) *sic nec oratio sine ieiunio,nec ieiunium sine oratione.* Pugnat enim
2.Cor.4. certè oratio contra dæmonẽ,& omnia peccata,sed absque ieiunio debilis & inermis est. Vnde
Simile. alibi idem Chrys.*qui orat ieiunans,binas possidet alas,quibus ventos ipsos volando præteruehitur: nõ enim* D
Ho.15.in Mat.operis imperf. *oscitat,nec extenditur,nec torpet orãdo, sed igne ardentior,& terra superior,terribilis hostibus redditur.*Quod
Ho.71.ad pop.Ant. & hoc familiari exemplo magis poterit elucescere. Si in ignem ouum sanum, vel castaneæ absque vlla fractione mittantur agente in iis igne dehiscunt,franguntur,& extra ignem saliunt,
Stellain Luc.2. si vero ante calefactionem paululum frangantur, non item: similiter de homine ad Christum per orationem accedere cupiente,dicendum est:Si talis fuerit corpore integer,& nihil fractus
Simile. ieiunio,cito deficiet,& ab oratione discedet:si vero fractus & ieiunio armatus orauerit, minime recedet,imo promptè & delectabiliter orans, perseuerabit. Tres pueri Babylonici, quia
Exemp. Dan.1.& 3 multis ieiuniis fracti erant,(nec enim cibos mensæ regalis contingebant,sed legumina tantum) quasi castaneæ missi sunt in fornacem ignis,& illæsi egressi.

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ I.

Post Epiphaniam.

CVM factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Luc.2. Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem. Stupebant autem omnes qui
B eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes, admirati sunt. Et dixit mater eius ad eum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos. Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi.* De deuotione circa Dei cultum, tam debita, quam voluntaria.
2. *Secundum consuetudinem diei festi.* Pias & laudabiles Ecclesię consuetudines esse seruandas.
C 3. *Remansit puer Iesus in Hierusalem.* De parentum officio circa curam liberorum.
4. *Et cognouerunt parentes eius.* De cultu & honore Dei parentum honori præferendo.
5. *Descendit cum eis, & erat subditus illis.* De obedientia Superioribus præstanda, absque respectu personarum.
6. *Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* De meditatione operum & beneficiorum Dei.

1. *Ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi.*

LOcus moralis de deuotione circa Dei cultum, tam debita, quàm voluntaria. Nam Ioseph quidem iuxta legis præceptum (quæ iubet, *vt ter in anno omne masculinum in templo præsentetur coram Domino*, quorum trium temporum præcipuum erat Pascha) ascendebat ad festum Hierosolymam, & debitam hac in parte deuotionem ostendit. Sed quum nec mulieres, nec paruuli hac lege tenerentur voluntaria fuit B. Virginis deuotio quod ascenderit, puerumque duodennem Iesum secum duxerit. Ac de debita hac in parte deuotione, in al- Exod.34.
D tero Promptuario egimus contra hæreticos, qui festorum celebrationem nullam debitam, aut ex obligatione & mandato Ecclesiæ institutam agnoscere volunt. Nunc de voluntaria deuotione pauca dicemus. Nunc enim plerique Christiani, circa templum frequentandum, & Dei cultum, anxiè quærunt & inuestigant, teneanturne quotidie sacrum audire, aut sæpius in anno quàm semel confiteri, & similia, quasi magnum aliquod detrimentum accepturi, aut iugum aliquod iniquum subituri essent, si aliquod Deo obsequium, supra id quod prorsus necessarium est, præstarent. At vero vt hic B. Virgo non ex debito & obligatione legis, sed ex propria deuotione ex Galilæa Hierosolymam, via satis longa, oratura perrexit: sic nos Christianos facere decet, nec ad ea quæ per se pia, sancta, & salutaria sunt, præceptum, obligationem, censuram, aut excommunicationis periculum expectare. Seruile hoc est, & ad veteris Testamenti filium pertinet, non noui. Nunc enim *liberè seruimus iustitiæ*. Nunc *iusto lex non est posita*. Nunc *Spiritum adoptionis filiorum Dei accepimus, in quo clamamus, Abba Pater*. Filius non expectat vt seuerè

De voluntaria deuotione.

Ro.6.& 8.

Simile.

ei à patre aut matre aliquid præcipiatur,sed cognita pia parentum voluntate, omne præceptum anteuertit. Sed etsi serui tantum essemus Dei,non etiam filij , nemo Dominus eos libenter famulos aleret qui nihil nisi iussi facerent. Molestũ & fastidiosum est eos seruos habere , à quibus nihil nisi strictè præcipiendo,nihil absque minis,flagris aut tormentis , seruitij extorqueas. *Ephes.2.* *Matt.18. ver.10.* Idem existimet Christianus quisque iam non seruus sed filius,*non hospes & aduena,sed ciuis & domesticus Dei*,imo amicus adeoque frater (sic enim suos Christus vocare dignatus est) intolerabilem se & fastidiosum Deo esse,si nihil boni faciat,nisi mortis æternæ,aut tormentorum gehennæ metu:si in omnibus præceptum,obligationem,damnationis periculum expectet. Non acceperat Dauid præceptum vt ædificaret templum Domino,vt Arcam Dei in domum suam inferret,vt ante illam saltaret;fecit tamen magna cum laude hæc omnia,tantumque in hac sollicitudine ineubuit,vt diceret: *2.Reg.7.* *Psal.131.* *Si dedero somnum oculis meis,& palpebris meis dormitationem , donec inueniam locum Domino,tabernaculum Deo Iacob.* Plura huius spontaneæ deuotionis exempla , Deo longè gratissima,in altero Promptuario contra hæreticos produximus , qui tantum impietate malos Christianos superant,quantum mali bonos. Deinde quare illud Christi non perpetuo recordamur: *In Dom. Palm.* *Qua mensura mensi fueritis,remetietur & vobis*,& illud Pauli: *Qui parce seminat , parce & metet:qui seminat in benedictione,de benedictionibus & metet.* Qua enim fronte Deum rogamus, *Luc.6.* *ne intret in iudicium cum seruo suo*,ne ex rigore legis nos iudicet, quando nos volumus ex rigore legis Deum metiri,nec alia bona facere,quam quæ lege præcipiuntur? Quod si tu in hãc phrenesim incidas,vt dicas,Nolo confiteri nisi in quadragesima,nolo communicare nisi in Paschate,nolo audire sacrum nisi in Dominicis & festis diebus;quare non metuis , ne quum primum in aliquod mortale peccatum incideris,statim Deus dicat,Volo vt terra dehiscat , & hunc impium deuoret? *2.Cor.9.* *Psal.142.* *Iudicium enim sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam.* Et quod te mortaliter peccantem Deus adhuc viuere sustinet,ineffabilis misericordiæ est. *Iacob.2.* *Misericordia enim Domini, quod non sumus consumpti.* Sed illud Petri meminisse oportuit: *Thren.3.* *Charitas operit multitudinem peccatorũ*,id est,multa peccata Deus misericorditer cõdonat ei , qui multa alia bona opera liberaliter, & ex sola Dei ac proximi charitate facit,non ex præcepto tantum,aut legis obligatione. Quare sic scriptura nos hortatur: *1.Pet.4.* *Quodcumque potest facere manus tua instanter operare*: nempe , vt pœnam peccatis tuis debitam deuites. Sequitur enim: *Eccl.9.* *Quia nec opus nec ratio, nec sapientia,nec scientia erunt apud inferos,quo tu properas*,id est,post hanc vitam nihil poteris operari : nulla te iuuabit sapientia aut scientia,vt aliquid opereris,vnde pœnas tuas apud inferos,quo tu properas,alleuies,aut misericordiam illic inuenias. Rursus alia scriptura, *Eccl.11.* *Mane semina semen tuum;& vespere ne cesset manus tua:quia nescis quid magis oriatur,hoc aut illud,& si vtrumque simul,melius erit.* Monet à bono opere etiam in debito non cessandum,sed omnia tentanda , in quibus vel Deo seruire , vel proximo prodesse possumus,quia nescimus in quo genere opera nostra magis Deo placeant: quod si in *2.Cor. 6.* vtroque,tanto melius,tanto vberiorem laboris fructum recipiemus. Et quid est aliud , *in vacuum Dei gratiam accipere*,quam continuas Dei ad bonum inspirationes reijcere,nisi fortè aliquid suggerant quod sub præcepto cadit ? Seruus quoque ille malus & piger cur in tenebras exteriores eijcitur? Non quia impius erat,sed quia inutilis. *Matt.25.* *Inutilem seruum proijcite in tenebras exteriores.* Inutilis autem vocatur,quia *accepta talenta abscondit*,id est,Dei dona ad bonum vsum non conuertit: Dei gratias,Dei bonas inspirationes abiecit,dicens: *Luc. 2.* *Philip.6.* *Esaię 58.* *Sciebam quia durus es,& ideo timẽs abscondi*,id est,sciebam te rigidum exactorem legis esse & opera nostra seuerè à te examinari: ideo solam legem implere studui,alia opera bona aggredi non sum ausus , ne minus rectè illa præstando, magis offenderem,quam placerem. Sic enim multi à sacro quotidie audiendo , à confessione & sacra synaxi frequentanda,aliisque multis piis laboribus abstinent,timentes scilicet ne minus perfectè ea exequentes offendant. Præposterus hic timor est. Deus enim non operum perfectionem , sed nostram faciendi voluntatem attendit, *Pax hominibus bonæ voluntatis.* *Qui cœpit in vobis bonum opus,perficiet.* *Adhuc loquente te,ecce adsum.* Alios non timor retundit,sed inertia & pigritia dissoluit: contra quos illa produci possunt quę superius attulimus ad illa Euangelij verba, *Dom.4.* *Adu.tex.5* *Exod.16.* *Omnis vallis implebitur.* Certè contra vtrosque illud Hebræorum prouerbium valet , *qui pridie sabbathi non colligit, in sabbatho non comedet.* Lex nempe Mosaica iussit,vt in die sexta populus duo gomor, id est, duas mensuras mannæ per singula capita colligeret , eo quod in ipso sabbatho non inueniebatur manna in agro. Qui ergo hanc duplicẽ mensuram pro sabbatho non collegisset, in ipso sabbatho quod comederet non habebat. Atqui prosabbathum nostrum hæc vita præsens est, *2.Cor. 5.* *Heb. 4.* *in qua peregrinamur à Domino* Sabbathum nostrum est alterius vitæ requies,de qua Paulus ait: *Relinquitur sabbathismus populo Dei*,vnde *festinare* nos monet, *vt ingrediamur in illam requiem.* Nisi hic duplicem mensuram collegerimus , eam videlicet quæ & præsenti iustitiæ sufficiat,mandata omnia seruando,& futuris pœnis alleuiandis , ac præmiis percipiendis conueniat,multa alia bona opera iuxta datam nobis gratiam & facultatem faciẽdo, in illo sabbathismo populi Dei requiem non inueniemus. Nisi *aptemus & ornemus lampades nostras,ne desit oleum in illis* (id est,opera bona,misericordiæ & charitatis pinguedine plena,lucentia ante Deum & homines) veniente sponso excludemur, etiamsi virgines simus, etiamsi *Matt.21.* castitatis præceptum seruemus. Nisi *operemur dum lucem habemus*,nox illa tristis superueniet, & *Ioan.12.* *tenebræ nos comprehendent.* Non ergo id solum bono Christiano considerandum est,quid Deus strictè præcipiat sub pœna damnationis æternæ,quid Ecclesia præcisè iubeat sub pœna cẽsurarum

A rum aut excommunicationis; sed sic *reformari* debemus, *in nouitate sensus nostri* (vt Paulus docet) *vt probemus quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*: probemus, id est, in vsum deducamus. Sic alibi iterum, *De cætero fratres, quæcumque sunt verà, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum*, id est Deum placatũ & benignum patrem sentietis, non durum & seuerum iudicem, qui clauso ostio respondeat, *Nescio vos*. Certè in vestimentis, in cibis, in loco habitationis non spectamus necessitatem tantum, sed honestatem, ciuilitatem, commoditatem. Et in solo Dei cultu atque obsequio necessariis contenti erimus? Sic rebus omnibus Deum postponimus.

Rom.12.
Philip.4.
Matt.25.
Simile.

2. *Secundum consuetudinem diei festi.*

L Ocus moralis docendi populum, pias & laudabiles sanctæ Ecclesiæ consuetudines piè ac religiosè obseruandas esse. B. Virgo mater Christi, cum Ioseph sponso eius, Synagogæ consuetudines exactè seruabant. Antea, *secundum consuetudinem legis*, obtulerunt pro puero Iesu oblationes: nunc, *secundum consuetudinem diei festi*, ascendunt Hierosolymam cum puero. Iesus ipse, *secundum consuetudinem, ibat in montem oliuarum* orandi causa. Apostolus consuetudi-
B nem allegat mulierum, dum in Ecclesiam orandi causa conueniunt, Pilatus pro libertate innocentis Iesu, consuetudinem adducit Iudæorum. Festus tribunus affert consuetudinem Romanorum contra Iudæos, Apostolo necem molientes neminem inauditum damnari debere. Zacharias, secundum consuetudinem sacerdotij, fortè exiuit, vt poneret incensum coram Domino. Denique Apostolus hac sola consuetudinis Ecclesiasticæ voce hæreticos & contentiosos retundi voluit. *Si quis* (inquit) *vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Vnde Coxo Commissario Regio hæretico in Anglia sub Edoardo puero, quum Oxonij appositis in mensa die ieiunij carnibus, Treshamum Doctorem Theologum & Catholicum, porrecta illi assati capi ala, interrogaret, Quam scripturam habes, Domine Doctor, contra hunc cibum hodie non comedendum? respondit confestim ex Apostolo: *Nos talem consuetudinem nõ habemus, neque Ecclesia Dei*, quo audito, obmutuit Commissarius, homo alioqui procacissimus. Sic olim veteres Doctores & sancti Patres fecerunt: *Consuetudo est, traditio est, nihil amplius quæras*, ait Chrysostomus. *Si consuetudines* (ait Basilius) *quæ scripto proditæ non sunt, reijcere conamur, ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* In causa illa grauissima de rebaptizandis hæreticis, *Consuetudinis robore*, ait Augustinus, *tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem.* De Origene notat Basilius, quod etsi non omnino sanas haberet
C in omnibus de Spiritu Sancto opiniones: *nihilominus* (ait) *& hic reueritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu.* Tertullianus huius rei causam assignat. *Consuetudo* (inquit) *sine dubio de traditione Apostolica manauit. Quo modo enim vsurpari potest quod traditum prius non est?* Vniuersaliter scilicet. Vnde sic Augustinus: *Multa non inueniuntur in literis Apostolorum neque in Conciliis posterorum: & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Vnde iterum Augustinus: *In his rebus, vbi nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Hæc veteris Ecclesiæ pietas fuit. Hæc SS. Patrum grauissima iudicia extiterunt. Hoc Euangelista diserte notare voluit, ascendisse parentes Christi, *Iuxta consuetudinem diei festi.* Hic locus etiam contra nostri tempotis hæreticos valet.

Consuetudines Eccl. piè seruãdæ
Matt.26.
1. Cor.11.
Matt. 27.
Act.25.
Luc.1.
2.Cor.15.
Hom.4. in 2.ad Thess.
De Spir. S.cap.27.
De Bapt. cont. Don. li.2.c.9.
De Spir. S.ca.29.
In li.de corona militis.
De Bapt. cont. Don. li.2.c.7.
Epi.86.ad Casulanũ.
Locus contra hæreticos.

3. *Remansit puer Iesus in Hierusalem.*

L Ocus moralis de parentum officio circa curam liberorum: cuius illa pars maxima est, vt eos in diuino cultu instituant, & à teneris annis Dei templa frequentare doceant, exemplo parentum Christi adhuc pueri in hoc Euangelio. Quo enim semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu. Vnde Sapiens: *Filij tibi sunt? erudi eos, & cura illos à pueritia eorum.* Abraham ideo Deo sic charus, vt ei secreta sua iudicia reuelaret; quia, quod à Deo didicerat, filios
D suos posteà docturus erat. Dixit enim Deus, ad perdendam Sodomam suos Angelos missurus: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam*, id est, quum plurimorum liberorum ac nepotum pater futurus sit: *Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Præclarum exemplum boni patris, & Deo propterea gratissimi. Terribile exemplum negligentiæ paternæ. Heli sacerdos fuit, sic de eo ad Samuelem loquente Deo: *Prædixi ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem, eo quod nouerit indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Nunc ego incipiam, & complebo.* Quod & factum paulo post fuit, quum vno & eodem die duo eius filii in castris occiderentur, Arca Dei caperetur, & ille sedens in sella sua, cadens retrorsum fractis ceruicibus interiret. Sed & ipsi ethnici hac in parte docere nos possunt. Eleganter Plutarchus: *Parentes* (inquit) *qui filiis ditandis omnem curam impendunt, eorum autem mores negligunt* (quanto magis salutem) *similes sunt iis qui magnam calceorum curam habent, & interim pedem ipsum parui*

Parentum officium circa curã liberorum.
Eccl.7.
Gen.18.
Exempla.
1. Reg.4.
1.Reg.5.
Li.deliber. educandis.

pendunt. Vnde ille merito ab Aristippo derisus est, qui rogans quantam instruendi gratia filij mercedem postularet, illo mille drachmas postulante, intulit: Atqui seruum mille drachmis comparare possum. Cui Aristippus: A
Apophth. Laert. li. 2. c. 8. *Duos itaque seruos habebis, illum quem mercaberis, & filium.* Nihil enim à seruo filius rusticè educatus differt. Vnde idem Philosophus cuidam percontanti, quare melior esset euasurus filius, si eum
Apophth. curaret literis erudiendum? *Vt nihil aliud*, inquit, *certè in theatro non sedebit lapis super lapidem.* Homo idiota in hoc magno mundi theatro quasi lapis super lapidem sedet. Acutè Diogenes di-
Aelianus de varia hist. li. 11. cebat, se *Megarensis alicuius arietem esse malle, quàm filium*: significans, Megarenses pecorum maiorem curam habere, quàm liberorum. At hodie si viueret, de multis Christianis (proh pudor!)
Apophth. diceret, malle se canem aut equum multorum esse quam filium, adeo horum maxima, liberorum nulla cura habetur: nulla, inquam, quoad animæ salutem, quoad Dei cultum à prima ætate addiscendum. Nam ad alia quod attinet, ad huius mundi ciuilitatem, prudentiam, vel astutiam potius & calliditatem, ad ipsas quoque bonas literas ediscendas, hac iam ætate magna satis cura adhibetur. Sed regnat hodie ille fœdus error, de quo suo tempore conquestus est
De disciplina Christiana c. 2. Augustinus in hæc verba: *Quare iuisti in scholam, & vapulasti? quare tanta mala in puericia pertuliſti? Vt disceres. Quid disceres? Literas. Quare? Vt haberetur pecunia, aut vt compararetur honor, & teneretur sublimitas dignitatis. Vide quia perituru es propter perituram rem.* Et paulo post. *Parentes nostri quando nos in scholam mittebant, non hoc nobis dicebant. Discite literas, vt habeatis vnde legere possitis codices* B
Dominicos: nec ipsi Christiani filiis suis hoc dicunt: sed, Disce literas, vt sis homo. Quid enim? Modo pecus sum? Quod dico vt sis homo, hoc est, vt sis eminens inter homines. Hęc ille. Hic autem error quantus sit, recte describit alter nostri temporis Seneca, si moralem tantum virtutem & eruditionem spectes: sed veræ virtutis & religionis nomine, Seneca & omnib. Philosophis maior & felicior, Thomas
In vita D. Thomæ Mori, c. 10 Morus martyr Christi celebris, in quadam ad scholæ suæ domesticæ præceptorem epistola, his verbis: *Ego quo difficilius video superbiæ pestem excutere, eo magis enitendum censeo, vt id quisque statim meditetur ab infantia. Neque aliam causam puto cur hoc malum tam ineluctabile pectoribus nostris inhæreat, quam quod propè simulac nati sumus, mollibus animulis puerorum à nutricibus inseritur, fouetur à magistris, à parentibus alitur atque perficitur: dum nemo quicquam ne bonum quidem docet, à quo non laudem iubeat protinus expectare, velut hostimentum pretiumque virtutis. Inde laudes diu sueti magnificere, tandem eo venitur, vt dum pluribus, hoc est, peioribus placere studet, bonos esse pudescat.* Hæc ille.

Atque hæc quidem eo pertinent, ne praua parentum educatione vitiis assuescant pueri.
Eccl. 16. Sed pietas Christiana plus postulat, vt in Dei cultu, timore, obsequio suos liberos parentes instituant. Quod eos monet non semel Scriptura: *Melior est vnus timens Deum, quã mille filij impij: &*
Eccl. 11. *vtilius est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios.* Et iterum: *Lacta filium, & pauere te faciet. Lude* C
Eccl. 41. *cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, non des illi potestatem in iuuentute.* Denique & illud: *De*
Ephes. 6. *patre impio quæruntur filij, quia propter ipsum sunt in opprobrio.* Quare Apostolus quum dixisset, *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros*, id est, ad maledicendum vobis, quum ex mala educatione perire se vident, adiecit: *Sed educate illos in disciplina & correptione Domini*, Nempe vt Deum co-
Plutarch. in li. de liberis educandis. Similia. gnoscere, amare, timere, colere discant. Ipsa profecto rerum natura hanc diligentiam & curam parentes docet. Perdices pullos fugientes se occultare, ac supinos iacentes se gleba terræ pedibus apprehensa cooperire docent. Ciconiarum pullis parentes in tectis adsunt, vt periti inexpertis præsto adsint ad volandum. Luscinię vero pullos suos cantare prædocent, ac, si qui capiantur adhuc rudes, & hominum manibus nutriantur, peius canunt, vt qui ante legitimum tempus à Doctore subtracti sint. quanto magis parentes Christiani, quæ ad filiorum salutem pertinent, omni studio perdocere debebant, ne, mala consuetudine capti, tota vita peius canant!

4. *Et non cognouerunt parentes eius.*

Parentum honori. Dei cultus præferendus. LOcus moralis de Dei cultu & honore, parentum carnalium obedientiæ & honori præferendo. D Parentes quidem pueri Iesu eum ad festum & templum secum adduxerunt, eaque in re communis pietatis bonum exemplum dederunt, de quo iam diximus, sed vltra publici festi tempus, eum in templo remanere non concesserant. At puer Iesus volens aliquid extra ordinem facere, singulare Deo obsequium præstare supra communem & vulgarem pietatem, volens Patris sui cælestis imperio parere, & aliquod suæ diuinitatis specimen dare, insciis parentibus hoc facit, diserte docens in iis, quæ singulariter ad diuinum obsequium spectant, parentum consensum neque obsecrandum, neque expectandum esse, nullam denique carnalium parentum, aut amicorum eo in negotio curam aut rationem habendam, etiamsi tales alioqui sint, quos nihil sancto proposito obfuturos esse constet: quales haud dubiè parentes pueri Iesu erant, faciléque permissuri, vt in tanta causa, de qua posteà illis dixit, *Oportebat me in iis quæ Patris mei sunt esse*, finito festo, in ciuitate & templo remaneret. Eos tamen huius rei conscios non facit, exemplum suis daturus, ne illi simili in casu id faciant, qualescumque demum parentes habeant: non vt boni parentes contemnantur, sed vt mali, vel certè minus boni caueantur, quorum maximus numerus est. Vt enim leges, sic exempla sancta id spectant quod communiter fieri solet. Hoc autem quod Christus exemplo docuit, tum antea per seruũ suum Moysen,

tum

A tum postea viuæ vocis suæ oraculo expressit. Moyses dixit: *Qui dixerit patri suo, aut matri suæ, nescio vos: & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua o Iacob, & legem tuam ô Israel.* Hæc est benedictio tribus Leuiticæ in figura sacerdotij noui Testamenti, & maximè status monastici, qui in causa cultus diuini nesciunt parentes suos. Hoc Christus docuit, quum diceret: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* In quem locum Chrysostomus: *In omnibus obtemperandum parentibus est; præterquam in iis quæ pietati officiunt.* Sic Augustinus: *Sicut parentes honorare debemus, ita eos propter annuntiationem regni Dei nulla impietate contemnimus.* Fortius adhuc D. Hieronymus: *Licet passo crine & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola.* Rationem assignat D. Ambrosius: *Naturæ pignora Dei beneficia sunt. Nec quisquam debet plus amare beneficium, quàm benefactorem.* Aliam assignat Augustinus: *Virtus nihil aliud est, quam rectus ordo amoris.* Ordo autem amoris hoc habet, vt diligendus sit proximus in ordine ad Deum; ideoque proximi cuiuscumque dilectio; est gradus ad diligendum Deum. In hoc igitur gradu sic subsistendum, vt superior ordo propter eum nõ violetur. Aliam causam adfert D. Chrysostomus: *Hæc doctrina Saluatoris:* (Qui amat patrem plus quàm me, &c.) & *credentes filios maioris animi fecit; & patres remissiores ac leniores, ne ab amore Christi*
B *liberos dimouerent, videntes tantas esse ipsius vires, vt facilè posset à parentibus filios eripere.* Hæc ille. Huius vero heroicæ pietatis tot ferè exempla sunt, quot boni sacerdotes & monachi, carnales & mundanos parentes habuerunt. Vnum aut alterum illustrius subiiciam. S. Franciscus in primis suæ conuersionis initiis, quũ à patre iuberetur coram Episcopo bonis paternis cedere, eo quod omnia per eleemosynas dissiparet, libenter id fecit etiam tota veste exuta, moxque dixit: Nunc liberius & verius dicere possum, *Pater noster qui es in cælis.* D. Thomas Aquinas, habitu Dominicanorum sumpto, quum in via ad studia proficiscendo, à duobus germanis fratribus armata manu raperetur, & ad castrum matris, nobilissimę feminæ duceretur; nec à matre, nec à sororibus, nec à fratribus, nec vlla denique humana arte aut industria, à sancto proposito reuocari posset; tandem, conniuente matre, per fenestram dimittitur, & sui Ordinis Patribus restituitur. Diuus Bernardus à suis fratribus vehementer pulsatus vt religionis propositum mutaret: eloquentior ipsis ac felicior, eos ipsos, aliosque multos in suam sententiam pertraxit. Sic isti manserunt in templo, non insciis tantum, sed & inuitis parentibus.

Deut. 33. Typus.

Matt. 10. Ho. 36. in Matth.

Contra Adimant. c. 6.

Epist. ad Heliodorũ

In Lucam li. 7. ca. 12.

De ciuit. Dei, li. 15. c. 82.

Hom. 36. in Matt. Exempla.

In Breu. Rom.

In vita eius apud Surium 7. Martii. In Breu. Rom. Obedientia sine respectu personarum.

5. *Descendit cum eis, & erat subditus illis.*

C

LOcus moralis de obedientia superioribus præstanda, absque vllo respectu personarũ. Maior Christo esse non potes; nec minori obedire, quàm erat Ioseph faber, idemque pauper. *Sapientia Dei* (ait Cyrillus) *tanto sumus inferiores, quanto natura minores.* Hæc autem sapientia Dei fuit, non solum vt homo fieret, sed etiam subditus; idque patri putatitio, non vero. Ioseph cum dominaretur in tota Aegypto, tamen patrem senem, & rerum necessariarum penuria afflictum, omnibus modis honorat. In agnitione fratrum, prima vox eius erat: *Ego sum Ioseph, adhuc viuit pater meus?* Amoris hoc argumentum fuit verè filialis. Vocat ex terra Chanaan patrem suũ. *Habitabis in terra Gessen, erisque iuxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, ibi te pascam, &c.* Aliud honoris genus hoc fuit parentibus à filiis debitum, vt eorum necessitatibus subueniant. Venienti in Aegyptum patri, *iuncto Ioseph curru suo, ascendit obuiam ei.* Hæc erat reuerentia filialis, etiam à magno Principe pauperi patri præstita. Denique *introduxit Ioseph patrem suum ad Regem, & statuit eum coram eo.* Hic honor fuit specialis patri exhibitus. Postremo morituri patris clausit oculos; & *audito quod ægrotaret pater suus, sponte ad eum perrexit, cum duobus filiis suis. Festinabat quippe* (ait Ambrosius) *sumere benedictionem paternam. Pater enim, etsi pauper sit, nec diuitiarum copias habeat, quas relinquat filiis suis, habet tamen vltimæ benedictionis hæreditatem, qua sanctificationis opes successoribus largiatur.* Hæc Ambrosius. Sic & Salomon Rex, cum ingrederetur ad eum Bersabee mater eius,
D *surrexit in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum: positusque est thronus matri eius, quæ sedit ad dexteram eius.* Nempe in omni obedientiæ genere, quam diuina lex vel Ecclesia præcipit aut commendat, nulla personarum ratio, cui obeditur, habenda est, sed voluntatis & ordinationis diuinæ, quæ eos nobis præposuit, & patres dedit, seu naturales, seu spirituales, seu etiã ciuiles. Sic enim *soli Deo datur honor & gloria*, quum alios præter Deum, non nisi propter Deum honoramus, id est, quia Deus eum nobis patrem aut præpositum dedit. Si enim alio quocumque respectu id facimus, vt prudentiæ, potentiæ, aut etiam virtutis causa, non iam vt patrem aut præpositum, sed vt prudentem, potentem, bonum, honoramus: qui honor, etsi legitimus sit, tamen non est propriè honor parentum aut superiorum, quem Scriptura præcipit. Quum enim *omnis potestas à Deo sit, quæ autẽ à Deo sunt, ordinata sunt*: omni potestati propter Deum, qui sic ordinauit, obedire & subiacere debemus absque personarum respectu, in quibus aliquid semper quod displiceat inuenire facillimum est, & nihil quod offendat inuenire difficillimum. Amasius ex plebeio Rex Aegypti factus, quibusdam ex antiqua nobilitate obsequium detrectantibus & eam subiectionem ægrè ferentibus curauit ex pelui quadam, in qua ipse & domestici eius pedes lauare solebant, certum idolum fieri simile

Li. 9. in Iulianum. Exempla.

Gen. 45.

Gen. 46.

Gen. 48. Li. de benedict. Patriarch. c. 1

3. Reg. 2.

1. Tim. 1.

Rom. 13.

Exempla. Herodot. li.2.hist. circa finem

illi,quod ab Aegyptiis præcipuè adorabatur,moxque solemniter in templo collocatum,ab omnibus adorari. Quo facto ostendit idolum ex qua materia factum fuisset,'quæ vtcumque esset vilissima,honore tamen dignum ab eis existimatum propter sublimem honoris locum in quem erecta fuisset:quare & idem de eo iudicarent,qui vtcumque loco obscuro ortus esset, tamen, Deo ita disponente,ad regalem thronum peruenisset. Sapienti commento , id quod res erat, ostendebat, in omni præpositura diuinitus ordinata,non materiam,sed formam,nō personam, sed vocationem spectandam esse. S. Francisco super asellum equitante,socius eius cæpit dicere intra se:Non de pari ludebant parentes eius & mei.En ipse equitat,& ego pedester eius asinum duco. Hoc illo cogitante,protinus descendit de asino vir sanctus, & ait : Non conuenit, frater,vt ego equitem,tu venias pedes,quia nobilior & potentior in seculo tu me fuisti. Obstupuit frater,& rubore effusus,veniam cum lachrymis petiit, culpam confessus. Nempe in omni obedientia religionis & fidei,& maximè in cura conscientię,nobilitas,opes,& alia terrena quæ in seculo valent,& magni pretij habentur,nullum pretium aut valorem habere debent. Sunt enim illa quasi mundi numismata,& in mundo omnique statu mundano valent vt publica moneta.Sed in causa fidei,& in statu religionis, quasi extra Dominum suum monetæ vim non habent,sed tantum valent quantum sunt,id est,nihil.Omnis enim huiusmodi rerum valor ex hominum æstimatione procedit:Dei dona nulla vel pecunia vel nobilitate emuntur. Quare in causa fidei & conscientiæ æqualis debet esse Regis & mendici obedientia.Hoc nos puer Iesus docere voluit,subditus patri putatitio, & matri pauperculæ. Aurū & argentum *habent inscriptionem & imaginem Regis*. Regi ergo & regno debentur. *At omnis paternitas* (ait Apost.) *in cælo & in terra ex Deo Patre nominatur.Omnis potestas* (vt idem ait) *ex Deo est*. Reddenda ergo *quæ Dei sunt Deo,quæ Cæsaris Cæsari*. Obedientia fidei, obedientia spiritualis , non magis respicere debet aurum & argentū, nobilitatem & potentiam mundanam, quam ligna & lapides. Hoc mundo paradoxum puer Iesus,sed ita sapiens,vt cum Doctoribus in templo cum omnium stupore & admiratione disputaret. Docuit subditus parentibus suis. Certè tota vita Christi obedientia fuit. Venit in mundum ex obedientia. *In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Tunc dixi,Ecce venio*. Et rursum. *Descendi de cælo,non vt faciam voluntatem meam , sed eius qui misit me, Patris*. In mundo manens,puer subditur parentibus:subditur Legi circuncisus: subditur Cæsari,tributum *soluens pro se,& pro Petro*.Subditur Patri, *obediens vsque ad mortem*. Sic nos obedientiam docere voluit.Est autem hæc virtus maximè necessaria,vt credamus ea quæ sunt credenda,sic Apostolus vocat *obedientiam fidei*,de qua in altero Promptuario diximus: vt faciamus mandata Dei in omnibus,vt legibus & præceptis matris Ecclesiæ obsequamur, de qua re Apostolus:*Obedite præpositis vestris,& subiacete illis*. Denique vt potestati etiam seculari subiiciamur,iuxta Apostoli verba citata. *Optimus ille minister tuus est* (ait Deo August.) *qui non intuetur hoc à te magis audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod à te audierit*.Inobedientes contra, Deus & cælo & terra & mari & ipso in aere puniuit. Luciferum cum suis rebellantem,de cælo deturbauit. Chore, Dathan,& Abiron,Moysi inobedientes,terra viuos absorpsit.Ionam fugientem in Tharsis,& Dei præcepto inobedientem,nec aqua potuit ferre,nec aer,nec nauis,sed proiici in profundum maris debuit. *Inobedientiæ crimen* (ait D.Bernardus) *in quo,& quantum sit,apud Samuelem aduertite. Quasi*,inquit,*peccatum hariolandi est repugnare,& quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.Non ait non acquiescere, sed nolle acquiescere,vt non iussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contemplatio, scelus idololatriæ reputetur. Non enim est id ipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis:illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ*. Hæc ille. Porro vt quædam idololatria est inobedientia, sicuti Sauli Samuel dixit: (seipsum enim colit,suamque voluntatem adorat omnis inobediens, id est, obedire nolens) sic supremus & præstantissimus Dei cultus,obedientia est. *Omnia alia etiam rectissimè facta* (vt sapienter scripsit Theodorus Stelites) *obedientiæ tamen studio comparanda non sunt. Per illam enim anima illuminatur,& propriæ voluntatis affectus extinguitur,perfectaque eius qui per spiritum nascitur in eum à quo gignitur,adoptio efficitur*. Tria bona obedientiæ dicit:Lumen animę,quia *hominibus Deus dat gratiam*:philautiæ extinctionem,quæ omnium peccatorum radix est,& animę pestis : veram in Christum adoptionem. Verus enim filius est,qui patrem maximè & forma & moribus refert. Adoptio autem spiritualis in Dei filium tunc perfecta est quando Christi obedientiæ , aliisque virtutibus conformes efficimur.Sed mirari licet,hanc tantam virtutem etiam ethnicis Philosophis incognitam non fuisse. quum enim Hesiodus,magna cum sapientiæ opinione & laude, primas partes tribuisset sapienti per se,secundas ei qui recta monenti parebat : hanc eius sententiam correxit Zeno Citticus:& primas partes ei tribuit qui rectè monenti obtemperat : secundas ei qui per se sapit. *Quia* (inquit) *hic nihil habet præter intelligentiam , ille etiam habet affectu*. Sanè enim qui optimè intelligunt , & ex se sapiunt , rarissimè id præstant quod sciunt. Sed & præterea , qui rectè monenti obtemperat,maximè in authoritate constituto , idque ex Dei ordinatione,præter operis effectum,habet obedientiæ meritum , habet Saluatoris sui imitationem & conformitatem,habet omnium aliarum virtutum custodiam humilitatem: quæ omnia ille Philosophus videre quum non posset, tamen ex vno solo capite obedientiam sapientiæ prætulit:quanto magis nos Christiani eam præferre debemus?De hac virtute in aliis Euangeliis plura.

In vita eius per S. Bonau.c.11

Similia.

Matt.21. Ephes.5. Rom.16. Matt.22. Heb.10. Psal.39. Ioan.6. Luc.2.

Matt.27. Phil.3.

Rom. 2.

Heb.15.

Conf.li.10 cap.26.

Inobedientiū pœna. Num.16. Ionę 1.

In tract. de præcepto & dispensat.

1.Reg.15.

In vita S. Platonis, apud Sur. to.6.p.920

Iacob.4.

Simile.

Laer.li.7. c.1.de vitis Phil. Apophth.

A

B

C

D

1. 2. 3. 4.

6. *Et*

A

6. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.

LOcus moralis de meditatione, & frequenti recordatione verborum, operum & beneficiorum Dei. De qua virtute vt in alia Dominica quædam diximus, ita hic plura adiiciemus, loco non minus proprio. Notat Euangelista quod Beata Virgo, pro sua sapientia & pietate, omnia Christi verba, atque etiam facta (nam verba hoc loco res significant phrasi Hebraica) conseruaret ac retineret in corde suo, vtique meditando ea, ac diligenter & frequenter ruminando. Sic nos facere oportet, audita verbi Dei prædicatione aut lectione: ne de nobis id dicatur quod apud Ezechielem de improbis Iudæis Deus dixit: *Factus es eis quasi carmen musicum. Audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Atqui qui vel concionem audit, vel Scripturas legit, nec ad theatrum, nec ad cantationem, sed ad Christi scholam accessit: vt discat, vt conseruet in corde suo, vt retineat ac meditetur, ne illud Propheticum de nobis dicatur: *Qui merces congreganit, misit* B *eas in sacculum pertusum.* Hi videntur habitare in terra obliuionis, de quibus Psalmista: *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: aut iustitia tua in terra obliuionis?* Hic est infernus. Sed adhuc dum viuitur, in luce ambulamus. *Operamini igitur dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* De istis obliuiosis & sacculis pertusis dicit Scriptura. *Non est Deus in conspectu eius. Inquinatæ sunt viæ illius omni tempore.* Hic est fructus talis obliuionis. Contra hanc negligentiam iterum loquitur Scriptura: *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opere manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos.* Nempe quis te ferat in tonstrina surgentem, mox assistere speculo, & contactu capitis cæsariem intueri, num probè sis tonsus: ex Ecclesia vero aut schola Christi regressum, non protinus te ipsum contemplari, & ex animo tuo rationem accipere, quid ad fidem roborandam vel illustrandam, quid ad mores in melius formandos didiceris? Otiosi aliqui interdum ignem ex silice ferro excutiunt, tantum vt videant quomodo scintillæ euolant, sed escam non admouent, vt ignem accendant. Tales sunt auditores obliuiosi & magis curiosi quàm attenti. Notant pulchrè, ingeniosè, eleganter dicta, & aiunt: Plus volat hic prædicator quàm ille, &c. sed escam boni affectus non applicant, vt ignem deuotionis arripiant. Atqui quod veterem populum Deus admonuit, hoc multo magis nos Christianos facere oportet, quando C videlicet maiora beneficia accepimus. *Ne obliuiscaris* (inquit) *verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ*, & infra: *Recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis.* Et iterum paulo post: *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*, id est vesperi & manè. *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ*, id est, siue egrediens, siue ingrediens domum tuam, in quocumque negotio seculari, horum verborum, quæ erant de liberatione ex captiuitate Aegyptiaca, de introductione in terram promissionis, & de præceptis ac ceremoniis legalibus, perpetuo memor eris. Quanto magis Christianum Baptismi sui, & regenerationis in Christo, beneficiorum & operum Dei, repromissæ beatitudinis perpetuo memorem esse par est! Sic monuit Ecclesiasticus: *Cogitatum tuum habe in præceptis Altissimi, & in mandatis eius assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.* Rursum paulo post: *Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei.* Moratur autem in Dei sapientia, qui Dei opera & beneficia frequenter cogitat & ruminat in corde suo, nec ea facilè dilabi patitur. Hoc & Salomon monuit: *Conserua fili mi præcepta patris* D *tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga eam in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo.*

Iam vero maximam huius meditationis assiduæ vtilitatem paucis verbis Dauid expressit: *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* Et rursum. *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea*, id est, in afflictione, tentatione, & paupertate mea, quum exularem per Saul. Docet diuinæ legis meditationem armaturam esse fortissimam contra omnes siue à dæmone & carne tentationes, siue à mundo & fortuna aduersitates. Vnde in hæc verba Ambrosius: *Athleta, nisi exercitio palæstræ prius fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Vngamus igitur oleo lectionis mentis nostræ lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitij vsus in quadam cælestium scripturarum palæstra, vt quum aduersarius assistere cœperit, & puluere nos suæ tentationis asperserit, stemus intrepidi.* Et paulo post: *Exerceamur indefesso meditationis vsu, exerceamur ante certamen, vt simus certamini semper parati.* Mox variis exemplis Sancti Iob, sanctorum Martyrum Christi, sancti Ioseph, qui acerbissima passi, & variè tentati fuerunt, ostendit eos absque meditatione præuia magna atque assidua operum, beneficiorum, & promissionum Dei, tanta & tam varia tentationum certamina nunquam sustinere, & superare potuisse: moxque concludit: *Si athletitiis epulis pastam animam nostram aduersarius noster potuerit inuenire, si sit Euangelicus succus in*

De meditatione operum & beneficiorum Dei.
Ezec.33.
Aggæi 1.
Psal.87.
Ioan.12.
Psal.6.
Psal.27.
Plut.li.de offi. audit.
Simile.
Simile.
Deut.4.
Deut.6. & 11.
Eccl.6.
Eccl.14.
Prouer.2.
Psal.118.
Ser.12. in Psal.118.
Simile.

nobis, si Apostolicis escis maturitas nostræ mentis thoros, animæque robusta solidauerit, si frequenti A
meditatione memoria tenax præceptorum cælestium parata ad tempus exempla deprompserit, nulla ten-
tationum poterit nos perturbare congressio. Hæc Ambrosius. Sic & Chrysostomus: *Videmus*
plane corporis oculos, quum in fumo remorantur, lachrymas effundere; si vero potiantur aere purgato, &
florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amæna fluentibus, & saniores esse, multoque
Hom.2. in Matt. operis imp. Simile. *maiori aciei fulgore rutilare. Talis profecto est, & mentis oculus. Si in pratis spiritualis pascatur elo-*
quij, erit totus sine dubio purus atque lucidus, & acutius cuncta perlustrans. Si vero in fumum secula-
rium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur. Hæc ille. Atqui hæc
de vtilitate ex parte nostra. Nunc & ex parte Dei quam sit hæc meditatio & conseruatio verborum Christi in corde necessaria, paucis ostenditur. Pulchrè & sapienter Hugo de Sancto Victore. *Sicut* (inquit) *nullum est momentum quo homo non vtatur vel fruatur Dei*
Li.1.de Glaustro animæ. *bonitate & misericordia, sic nullum debet esse momentum quo eum præsentem non habeat in memoria.*
Hæc ille. Et certè si quis hoc tecum pactum iniret, vt, quàm diu ipse te beneficiis prosequeretur, tu illius memorem animum gereres, an non libenter hanc conditionem acciperes? At Deus perpetuo tibi benefacit, quum te in esse conseruat, & necessaria vitæ
In ora. de cura pauperum. Similia. 1. submministrat. Cur ergo non semper illum in mente habeas? Hinc optimè sanctus Gregorius Nazianzenus, *Non tam sæpè*, inquit, *respirare oportet quàm Dei meminisse.* Profecto B
quo temporis momento à nobis oculos Deus diuelleret, eo momento in nihilum redigeremur. Sicut enim hominis imago qui faciem suam in speculo conspicit, protinus aboletur, vbi is sese à speculo auertit: ita si Deus, ad cuius imaginem facti sumus, ideoque quasi in speculo nos sui imaginem contuetur, à nobis oculos deflexerit, ad nihilum rediremus. Rursum sicut calor in aqua, non ab aquæ natura, sed vel à sole, vel ab igne est,
2. à quibus separata calere desinit: sic deuotio & amor Dei ex rerum diuinarum meditatione & contemplatione procedit, quibus sublatis, feruor ille deuotionis paulatim tepescit.
Quare qui feruorem hunc perpetuum esse cupit, à Deo qui ignis consumens est, recedere non debet. Aristoteles in Meteoris mundum hunc inferiorem superiori coniun-
3. ctum esse oportere testatur, quo videlicet cœlestes influxus, astrorumque virtutes, huic inferiori communicari possint. Ad eundem modum spiritus noster spiritui diuino per continuam recordationem & meditationem coniunctus esse debet, vt spiritualis influxus, diuinæque lucis radij ad eum hoc modo pertingant. Denique vt corpus animæ, rami ar-
4. boris trunco, & solares radij Soli vniti esse debent, vt ab illis virtutem, motum, & vitam trahant: sic per actualem eleuationem mentis in Deum (quæ maximè est meditatio operum & beneficiorum eius) vniti semper Deo esse debemus, vt virtutum gratias ab eo capiamus. Sic Propheta: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur,* C
Psal.33. id est, à Deo illuminati, omnia ab eo facilè impetrabitis.

EVAN-

EVANGELIVM DOMINICÆ II.

Post Epiphaniam.

NVPTIÆ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus,& discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum. Vinum non habent, & dicit ei Iesus:Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum; capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete B hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus,& dicit ei: omnis homo primum bonum vinum ponit:& cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est:tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam:& crediderunt in eum discipuli eius. *Ioan. 2.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Vocatus est Iesus & discipuli eius ad nuptias.* De sobrietate seruanda in conuiuiis.
2. *Dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent.* De inuocando Christo in necessitatibus fratrum nostrorum.
3. *Dicit ei Iesus:Quid mihi & tibi est, mulier?* Carnalis propinquitatis in bonis spiritualibus dis- C pensandis non esse habendam rationem.
4. *Quæcumque dixerit vobis, facite.* De obedientiæ integritate Dei mandatis præstanda.
5. *Implete hydrias aqua. Et impleuerunt vsque ad summum.* De necessaria cooperatione nostra ad Dei beneficia obtinenda.
6. *Omnis homo primum bonum vinum ponit,& postea deterius; tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* De perseuerantia in bono.

1. *Vocatus est Iesus & discipuli eius ad nuptias.*

LOcus moralis de sobrietate seruanda in conuiuiis. quæ enim nuptiæ, quæ conuiuia præsente Iesu & discipulis eius celebrantur,illa omni sobrietate & modestia carere nequeũt. In omnibus conuiuiis & nuptiis,luxus,ebrietas,& lasciuia exercentur,ad illas diabolus inuitatur cum satellitibus suis:ibi ille tripudiat, & choreas ducit. De talibus dicit Petrus:*Voluptatem existimantes dici delitias,in conuiuiis suis luxuriantes,oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti.* At in istis nuptiis tanta sobrietas erat, vt conuiuantibus vinum defuerit. Nisi enim ad honestatem & sobrietatem seruandam defuisset,nec B. Virgo diceret,*Vinum non habent*, sed vtcumque toto vino consumpto, tacuisset,quia vinum nimiũ habuissent,nec Christus aquam in D vinum mutasset. Sed fuerunt istæ nuptiæ tales,quales iuniorís Tobiæ, & amicorum eius.*Cum timore Domini conuiuium nuptiarum exercebant.* Fuit hoc conuiuium tale, quale post Holophernem à Iudith occisum populus celebrabat, de quo dicitur:*Erat populus iucundus secundum faciem sanctorum*, id est,sicut populo sancto,& verum Deum colenti conueniebat. Quare S. Iob, vir ditissimus,cuius *filij fecerunt conuiuia per domos, vnusquisque in die suo, quum in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad illos Iob, & sanctificabat illos* (id est, precibus suis mundabat) *consurgensque diluculo, offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim:Ne forte peccauerint filij mei, & maledixerint Deo in cordibus suis*,id est,ex affluenti voluntate, aliqua contra Deum blasphema cogitatione vsi fuerint. Sic veteres iusti sobrietatem in conuiuiis exercuerunt. Acutè S. Basilius, eos qui hospites splendidè & lautè excipiunt, *illo apparatu contumeliam illis infligere, nimirum ventris illis libidinem obijcere*, scripsit. Sic nempe suos hospites tractant sicut eos tractari vellè existimant. Quare sapienter quidam ex Philosophis inuitatus ad cœnam hospiti dixit:*Vide sic me tractes, vt bonam de me opinionem te habere ostendas.* Aquo non abhorret illud Socratis dictum, qui rogatus cur multis inuitatis, admodum tenuem fecisset apparatum,respondit:*Si boni sunt*,id est,sobrij,*satis erit; sin minus plus, satis.*

Conuiuiorum sobrietas.

2.Pet.1.

Exempla. Tob.9.

Iudith.16. Iob.1.

Olimpiad. in Catena. In reg.fus. disp.resp. qu.20. Apophth. Laert.in vita eius. Apophth. Inser.sup. illo: Carnis concupisc. ne sect.

De conuiuiis Christianorum sapienter dixit Chrysostomus : *Non omnino negem conuenien-* A
dum inter nos esse nonnunquam & concænandum, sed inhonesta & turpia conuiuia interdici velim: & luxum in cibum conuerti, qui dolore, temulentia & lasciuia careat, vt vel Gentes intelligant Christianos nosse modum deliciis facere, id est, modestè & temperanter his vti. Exultate in Domino in tremore, ait Propheta.
Hom. 57. ad popu. Anthio. *Qualis erit illa exultatio? Hymnos scilicet pronuntiare, sermones honestos conferre, orare, & Psalmos pro seruilibus illis cantionibus inducere. Hoc pacto Christus mentæ aderit, & dapes benedictione complebit: cum preces ad eum fuderis, cum spiritu decantabis, cum egenos ad victus communionem conuocaueris, conui-*
Exempla. *uiisque modum & temperantiam exhibebis.* Hæc ibi ille. At de conuiuiis luxu plenis sic alibi ait: *Vbi ebrietas ibi diabolus, vbi turpia verba, vbi saturitas, illic dæmones choreas agunt.* Certè Philosophorum & Ethnicorum in hac parte temperantia nos cum rubore & confusione doceat. Dux
Aelian. l. 2 de var. hi. Athenienſium vocatus à Platone ad conuiuium, quum frugaliter tractatus esset, postridie
Stobæus. conueniens Platonem dixit: *Vos, ô Plato, melius cœnatis sequenti die quam præsenti.* Conuiuia quippe immoderata, postridie stomachum grauant, moderata acuunt. Democritus alius Philosophus dicebat: *Cœnas lautas & sumptuosas suppeditare potest fortuna: at faciles & quæ sufficiant necessitati, suppeditat temperantia.* Nemini autem dubium, præstantius id esse, quod à virtute, quã quod
Psal. 67. à fortuna confertur. Sed solidius nos docet Scriptura diuina: *Iusti epulentur & exultent in con-*
Exod. 18. *spectu Dei: & delectentur in lætitia:* Non prohibentur epulæ & exultatio, sed fieri iubentur *in con-* B
Quæst. 66. sup. Exod. *spectu Dei:* id est, sicut decet eos qui Deo præsente epularentur: Sic cum Iethro, ad videndum generum suum Moysen accessit in desertum, Aaron senioresque Israel conuenisse dicuntur, *vt comederent panem cum eo coram Domino*, id est, in honorem Dei, vt exponit Augustinus cum omni videlicet modestia. Neque enim vel tabernaculum adhuc erectum fuit, vel arca testamenti, vt coram illis facto conuiuio, coram Domino fieri diceretur. Sed & huius modestiæ seruandæ causa diserte in lege præcepit Deus, vt ad omne conuiuium Leuita aliquis vocaretur, cuius præsentia temperantiæ seruandæ frænum illis esset. *Comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua, & Leuita qui intra portas tuas est. Caue ne derelinquas eum.* Sic Iesus vocatur
Ser. 14. de temp. ad nuptias cum discipulis suis, tanquam grauitatis Leuiticæ & sanctitatis ac modestiæ exempla: & ne quid in nuptiis leue aut indecorum fieret. Docet quippe suo exemplo Christus honesta conuiuia non esse etiam à viris sanctis refugienda. *Non dedignatus est Dominus* (ait S. Augustinus) *conuersationem hominum, qui vsum carnis acceperat, nec secularia instituta contempsit, qui ad hæc venerat corrigenda.* Imo nusquam modestia & temperantia, vel Ecclesiasticorum, vel alioqui bonorum virorum magis eluceſcit, quàm in externa conuersatione & conuictu. Sic Christus pu-
Eccl. 4. blicanorum mensas, & Pharisæorum conuiuia non est aspernatus: sed cælestis suæ doctrinæ fructum etiam inter medias epulas eructauit. Hoc est ad literam, quod Sapientia de seipso prædicat: *In plateis sicut cynamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.* Iusti quippe quia à sa- C
Similia. Plutarch. in Polit. pientia gubernantur, in locis etiam prophanioribus, & vbi plures sunt peccandi occasiones, illic suauissimum præbent boni exempli ac pietatis odorem. Nempe sicut Soli subiecta corpora splendorem, quem inde accipiunt, viciſſim reddunt, sic boni suam bonitatem aliis conuersatione mutua impartiũt. Et sicut mutæ literæ ex commixtione vocalium in articulata erumpunt verba, sic rudes ex sapientum conuictu sapere incipiunt. Denique sicut hedera nascentis arboris stipitem vndique amplexa, vna consurgit & adolescit; cum arbore grandi futura
Stob. ser. 2 de imprud. Apophth. grandis, sic bonis qui adhærent & conuersantur, in bonitate facilè crescunt. De ipsis autem bonis & sapientibus, qui à ciuili & honesta conuersatione & conuictu abhorrent, sapienter Socrates dicere solebat: *Neque vinum austerum aptum esse potioni, neque mores agrestes hominum conuersationi.* Vbi ergo ædificationis locus aut spes est, conuiuiis adesse vir bonus non detrectabit. De gula ipsa & intemperantia, in aliis Euangeliis plura.

1. *Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.*

LOcus moralis de inuocanda B. Virgine in omnibus defectibus nostris, vt pro nobis apud Filium intercedat, dicens: *Vinum non habent*, panem non habent, fidem, charitatem, castitatem, & cæteras virtutes non habent. Hunc locum tractandi in altero Promptuario satis multa supellex subministratur, tum super hoc Euangelium, & hæc huius Euangelij verba, tum in festis B. Virginis, maximè in festo Natiuitatis eius, vbi ostendimus eam esse matrem fidelium, & patronam maximam, contra nostri temporis hæreticos. D

2. *Dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.*

Oradum pro fratribus. LOcus moralis Christum Iesum fiducialiter inuocandi & audiendi non solum in nostris, sed & in fratrum nostrorum necessitatibus, exemplo beatissimæ Virginis, quæ non pro sua, sed pro conuiuantium vel necessitate, vel honesta consolatione interceſſit. Etsi enim tanta nullius sit apud Deum gratia & authoritas, quanta fuit & est beatissimæ matris eius, tamen multæ & magnę sunt causæ cur hoc faciamus. Primum quia ad omnes in se credentes

Christus

A Christus dixit: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Quorum verborum quanta sit vis, in alio Euangelio dicemus. Deinde quia & nos, si Dei voluntatem facimus, Christi quodammodo matres sumus, iuxta ipsius verba, *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse frater meus, & soror mea, & mater est*: id est, à me diligetur sicut frater, soror, & mater, vera dilectione, non æquali, vt sæpè scriptura loquitur: *Estote perfecti sicut pater vester, &c. Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est. Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Quæ omnia non æqualitatem, sed similitudinem & veritatem significant, quod obiter contra hæreticos hodie dictum sit, qui propter illa Christi verba (Matthæi 12.) non verentur meretriculas suas Euangelicas Beatissimæ Matri Dei adæquare. Tertio, quia præceptum charitatis hoc nos iubet, quo dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Orare igitur pro proximo debemus, sicut pro nobis ipsis. Quartò, quia disertè Scriptura hoc præcipit. Sic enim Diuus Iacobus: *Orate pro inuicem, vt saluemini*: Et causam subiungit, *Multum enim valet deprecatio iusti assidua*: Nempe non pro se tantùm, sed & pro alio. Quod exemplum Eliæ à Iacobo subiunctum docet, qui orans, ne plueret propter peccata populi, & rursum orans, vt plueret propter populi resipiscentiam, vtrobique exauditus est. Quinto & vltimo, propter exempla Apostolorum, & aliorum Sanctorum. Diuus Paulus non solum orat sine intermissione pro Romanis, pro Corinthijs, pro Philippensibus, & alijs ad quos scribit, vt supra citatum est, verùm etiam enixè alios petit, vt
B pro ipso orent. *In quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus vobis in oratione pro nobis, vt ex multarum personis facierum, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Hieremias Propheta etiam ex hac vita sublatus hoc nomine commendatur: *Hic est amator fratrum, hic est qui multum orat pro populo Dei.* Proferam hoc loco illustria quædam exempla de efficacia orationum, quas viri sancti & iusti in hac vita pro fratrum salute & necessitate fuderunt, vt sic magis excitet suos auditores concionator quo bonorum virorum precibus se enixius commendent, ipsique pro alijs feruentius orent: quæ vtráque pietas hodie propemodum neglecta iacet, nisi apud illos demum qui hoc subsidij genere minùs indigent. Sanctus Dominicus, quum cuidam Priori Cistercienſi declarasset, hanc à Deo gratiam singularem se hactenus percepisse: vt nunquam quicquam à Domino postulauerit, quod non pro voto impetrarit, rogatur statim ab eodem, vt pro conuersione M. Conradi rogare Deum vellet. Cui ille. Rem (inquit) frater difficilem petis, at tamen si velim hac nocte Dominum deprecari, de solita eius benignitate nihil ambigo, quin sit nostras admissurus preces. Eadem nocte, præsente illo Priore, Deum orat. Proximo manè Conradus ille, vir egregius & doctus, qui hactenus à vita monastica totus abhorruerat, sic ad Deum conuertitur, vt habitum monasticum instanter peteret, & obtineret. Sancta Catharina Senensis, rogata à Patre suo spirituali Raimundo, contritionem peccatorum ei vehementissimam, qualem tota vita priùs non senserat,
C impetrauit. Eadem duobus maleficis ad mortem condemnatis sed nulla pœnitentia ductis, pœnitentiæ gratiam suis precibus impetrauit. Idem à Deo impetrauit duobus alijs impœnitentibus damnatis, recitato Psalmo, *Miserere mei Deus*, sancta Virgo Coleta, Ordinis sanctæ Claræ mirifica reformatrix. Sed elegans & admirabilis est hac in parte de precibus sanctæ Elizabethæ Regis Hungarorum filiæ, historia. Adolescens quidam multum dissolutus ab illa grauiter admonitus, vt in melius mores mutaret, rogauit illam, vt pro eo Deum precari hoc vellet. Mox illa: Seriò petis vt pro te Deum rogem? Peto ait ille, seriò intiméque. Statim illa, Oportet te (inquit) idem facere, precésque meas tuis iuuare. Quo persuaso, itum est ac vtrimque oratum loco congruenti. Nonnihil moræ interceſſerat, cum ecce adolescens clamare cœpit, Iamiam ô domina precari desiste: incendor enim ita tuarum feruore precum, vt ferre vix queam. Tùm illa vehementiùs orationi instare. At ille se intentius inflammari sentiens, viribúsque paulatim destitui, toto iam corpore in sudorem eunte, clamat altiori voce, disiectis præ lassitudine brachijs: Cessa ô domina, cessa, quia supplicationis tuæ incendio præcordia mea depascuntur. Deficientem ita iuuenem duæ ex eius pediſſequis sustentant, feruorem eius intentissimum, & perfusa sudore membra, vix tactu manuum pati valentes. Tandem nihilo segnius orare perseuerante illa, anhelans iuuenis quàm potuit altissima voce sæpius inclamat, dicens: Oro te per Iesum, vt à cœpto supersedeas, ne me tuis precibus infaustè mori cogas. Con-
D festim igitur vt Elizabetha orandi studium remisit, remisso pariter calore, iuuenis est velocissimè refrigeratus, assumpturum se maturius S. Francisci institutum pollicitus: quod non multo post tempore assumpsit, assumptum coluit, cultum viriliter consummauit. Certè in scripturis orante Iob pro amicis suis, Deus placatur, & dum pro aliis orat, ipsemet sanatur. Abraham quoque orauit pro Abimelech, quia Propheta erat, & à Deo percussus non est.

1. *Ioan. 16.* Do. 5. *post Pascha.*
2. *Matth. 12.* *Matth. 7.* *1. Ioan. 3.* *Ioan. 18.* *1. Ioan. 2.* *Locus cont. hæreticos.*
3. *Lucæ 10.*
4. *Iacob. 5.* *Exempla.*
5. *2. Cor. 1.*
2. *2. Mac. 15.*
3. *Invita eius lib. 4. c. 6.*
2. *Invita eius apud Sur. t. 2. p. 924. & 939.*
3.
4. *Invita eius apud Sur. to. 7. p. 165.*
5. *Invita eius apud Sur. to. 6. p. 468*

A

3. *Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier?*

Eccl. bona consanguineis non deferenda.

LOcus moralis de consanguinitatis & affinitatis carnalis nulla habenda ratione in bonis Ecclesiæ dispensandis, vel gratijs impertiendis. Nam inter varias causas, quas sancti Patres assignant, cur sic aspere Christus beatissimæ matri suæ respondeat (quas omnes in altero Promptuario hoc in loco protulimus) vna hæc fuit, quòd docere Christus voluit, in sacris rebus dispensandis, & operibus diuinis exhibendis, nihil se cum matre habere commune.

Tract. 9. in Ioã. Alleg. in Ioan. l. 2.

Sic Augustinus: *Miraculum exigebat mater. At ille tanquam non agnoscit viscera humana, operatus facta diuina.* Sic Theophilus Alexandrinus: *Quia Deus erat faciens miracula, & homo per matrem humana tractans, mysterium operaturus nihil se cum matre commune habere ostendit.* Eandem causam reddit Euthymius. D. quoque Bernardus eodem ferè modo: *Docet vt ad Dominum semel conuersi, de carnali propinquitate minùs simus solliciti.* Hæc igitur responsio Christi etiam ipsi veræ matri, & beatissimæ Virgini facta, grauissima esse debet instructio eorum omnium qui in terris Christi vicem gerunt, Episcoporum, Prælatorum, Sacerdotum, vt in gratijs & bonis Ecclesiæ seu spiritualibus, seu temporalibus dispensandis (gratia enim quam B. Virgo à filio suo Iesu petierat, ratione miraculi spiritualis erat; ratione vini, quod pro conuiuis petebat, temporalis fuit) carnaliũ parentum & propinquorum, quatenus talium, nullam plane rationem habeant, nisi videlicet alia subsit causa largitionis, vt virtus, paupertas, aut aliud meriti genus. Clemens quartus summus Pontifex, vir ante Sacerdotium coniugatus, & Bononiæ legum doctor, atque professor, quum duæ eius filiæ adhuc innuptæ dotem ab illo peterent præsenti dignitati paternæ conuenientem: respondit, Papam non habere filias; sufficere illis debere patrimonium totum illis relictum. Atque ita inanes rato, sed illustri, exemplo dimisit. S. Laurentius Iustinianus, Patriarcha Venetus rogatus à consanguineo quodam suo non ita paupere, vt pecunia eum iuuaret in filiæ dotem, non minus sapienter quàm piè respondit: Considera quæso, frater, Si parum dedero, non est quo opus habes: si multum, defraudauero multos, vt vni satisfaciam: & præterea quicquid illud est quòd est ad cibos potiùs pauperum, quàm ad intortos crines, aut margaritas ab Ecclesia traditum est. Hæc ille, petitioni prorsus abnuens. Certè huius iniquę dispensationis terribile Prælatis omnibus exemplum esse potest cruenta cædes & miseranda S. Enghelberti Colonienſis Archiepiscopi, in via publica facta à Comite Frederico, duobus eius fratribus cædis authoribus, quos ille feudis Ecclesiasticis ditauerat: sed quia in omnibus eis gratificari noluit, per quem ex tenuibus opulenti facti, in superbiam elati sunt, eum è medio sustulerunt. Sed isti Ecclesiastici Prælati, qui de bonis Ecclesiæ carnales suos propinquos iniquè ditant, de numero cæcorum sunt, qui in mundo ambulant, à mundi vanitatibus, & falso fulgore decepti. Sunt enim tria genera cæcorum, vel tribus modis cæci in via ducuntur: alij baculo viam tentant, alij canẽ colligatum sequuntur, alij à puero, aut filio, aut nepotulo, manu ducuntur. Cæci qui baculo vtuntur homines sunt in sæculari dignitate constituti, qui vt baculo dignitatis fruuntur, omnia pertentant, per fas nefásque contendunt. Ambitionis studio in omnibus actionibus suis cæci ducuntur: & nihil vident, nihil intuentur aliud, quàm honorẽ quò aspirant, vel quem tenent. Cæci quos canis ducit, sunt miseri litigatores, & contentiosi homines, qui diuitiarum cupiditate excæcati, pro re quauis litigant. Hos famelici aduocati, & procuratores, solis lucris intenti, ducunt quo volunt: litem protrahunt, & visa aliqua offa (id est, ingenti spe commodi, aut vtilitate præsenti) cæcos suos clientes in fossam pertrahunt, & causa cadere permittunt, qui se recta ad iustitiæ viam, & ad victoriam obtinendam, duci existimabant. Tertium genus cæcorum magis quidem ciuile & honestum est, sed omnium maximè periculosum, qui à puero, filio videlicet aut nepotulo, ducuntur: Hi sunt Ecclesiastici viri, & Ecclesiarum Prælati, qui vt puerum suum, vt nepotem aut fratrem ditare, & in sæculo illustrem facere possint, cæco planè affectu, vel beneficia illi vndequaque conquirunt, vel bonis Ecclesiæ suæ temporalibus supra omnem modum & mensuram ditant. Isti enim dum suos pueros & propinquos carnales cęci sequuntur, & ab eorum affectibus & commodis se duci patiuntur, in mille pericula incidunt, ipsámque damnationem æternam propter eorum peccata quos ditarunt: & quos ditando, ad multa peccata induxerunt, sæpenumero incurrunt, sicuti qui à paruulo cæcus ducitur lasciuiente in via paruulo, & ad obiectas voluptates diuagante, multum & sæpè de recta via deflectere, & aliquando in lutum & saxa cadere cogitur. S. Vdalricus Episcopus Augustanus, vir alioqui sanctissimus, tamen per purgatorium ignem transire debuit, hoc solo nomine, quòd Adalberonem, nepotem suum, sibi adhuc viuenti successorem in Episcopatu constituerat.

Exempla.
1. *Bapt. Fulgos. l. 4. c. 3.*
2. *Invita eius apud Sur. to. 1. p. 178.*
3. *Invita eius apud Sur. tom. 6.*
Exemplũ.
Invita eius apud Sur. t. 4. p. 90.

Turpe fuit Themistocli Athenienſium duci, quòd de seipso fatebatur, temeritatem tandem suam agnoscens. *Meam* (inquit) *vxorem puer meus regit, vxor me, ego Athenas. Sic Athenas regit puer meus.* Turpius est, & coram Deo sacrilegium, Prælatum Ecclesiasticum à propinquitate carnali duci, id est, in eorum gratiam & commodum omnia facere, aut multa facere, aut denique aliquid inhonestum facere, maximè res spirituales, aut spiritualibus annexas, vt beneficia & Ecclesiæ bona, quæ pauperum sunt, conferre. Quemadmodum princeps, qui filium suũ

Plutarc. in vita eius Apophth. Phil. Diez infest. Pur. B. V. cõc. 1. Simile.

nutrici

A nutrici alendum exponens, ideóque cibos optimos largiter suppeditans, si macilentum nihilominus filium videat, eo quod nutrix ipsa filios & nepotes habet, quibus Principis alimenta distribuit, & filium eius negligit, haud dubiè filium suum à nutrice auferet, eámque in sua pristina paupertate relinquet: sic Deus, qui Ecclesiæ multa bona temporalia concessit vt Prælati nutrices pauperum essent, quum videt pauperes à Prælatis negligi, & cognatos ditari, iusto iudicio bona temporalia ab Ecclesiasticis aufert, vel per hæreses, vel per auaritiam Principum, vel alio modo. Rursum delinquens, quandiu in loco sacro moratur, à ministris iustitię non apprehenditur: vbi locum sacrum egressus inuenitur, statim à potestate seculari comprehenditur. Bona Ecclesiæ sunt bona peccatorum, ab ipsis Deo oblata in remissionem peccatorum suorum. Hæc bona sacris & pijs vsibus applicata, intra Ecclesiam tuto manent. At vbi prophanari incipiunt, data consanguineis, impensa prophanis vsibus, excitat Deus dominos temporales, qui vel ex necessitate, vel ex auaritia ea diripiunt, vident enim ea locum sacrum egressa.

Simile. Gerson. in l. de vita contemplat.

4. *Quodcunque dixerit vobis, facite.*

B LOcus moralis de perfecta & omnibus modis integra obedientia Christi verbis præstanda, maximè quoties aliquam ab eo gratiam singularem expectamus. Beata Virgo facta petitione sua de vino conuiuis suppeditando & Christi filij sui responsionem vtcumque verbis aduersam sic intelligens, vt non repulsa, sed dilatio fuerit, ne quid ex ea responsione ministri domestici diffidentię aut dubitationis conciperent, ne animum desponderent, iubet illos nihilominus ad omnia paratos esse, quæcunque illis Christus facienda diceret. En illustris & nobilissima doctrina à beatissima Dei matre profecta, vt quoties, in rebus arduis, in magnis defectibus nostris, in quibusuis necessitatibus, seu publicis seu priuatis, singulare aliquod à Deo per Christum auxilium, subsidium, patrocinium expectamus, tametsi aliquandiu misericordia eius dilata fuerit, nósque repulsam passi videamur, nihilominus ita speremus in Domino, vt interim omnia eius mandata faciamus; interim in statu gratiæ, & extra peccatum mortale nos ipsos conseruemus; interim ad omnia illa media pertentanda parati simus, quæcunque sua diuina prouidentia nobis subministrabit, ad id quod optamus cõsequendum. Hoc totum dicere voluit B. Virgo: Vtcunque mihi filius meus ita responderit, vt bis me reiecisse videatur, vel quia hic vicini defectus, aut huius defectus remedium maximè miraculosum ad me non pertineat, vel quia nondum venit hora eius, vos tamen ministri domestici, estote semper parati ad id faciendum quod ille iusserit, quicquidid demum sit. Quod etiam ministri diligenter fecerunt. Iussit quippe impleri hydrias aqua, *impleuerunt vsque ad summum*. Talem obedientiam promptam, hilarem, integram, atque perfectam, respectu mandatorum Christi, locus iste Euangelicus nobis commendat. Sanè eadem doctrina est, quam Christus postea penè solam suis Apostolicis in mundum mittendis in mandatis dedit, & qua totam penè legationem Apostolicam terminauit: *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis*. Omnimodam præscribit nobis Christus mandatorum suorum obedientiam, quam certè vel solum eius exemplũ docere nos deberet. Omnia quippe quæ in mundo fecit, ex obedientia fecit. *Non veni vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris*. Rursum, *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: surgite, eamus hinc*. Moxque ad passionem suam pergit. Sic Apostolus: *Factus est obediens Patri vsque ad mortem*. Iam verò ait Ioannes: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare*. At tota Christi vita, doctrina, passio, mors, obedientia fuit. Nostra igitur quoque talis esse debet. Sed in hoc Euangelio promptitudo & integritas huius virtutis ostendendæ sunt, alia alias. Propter primum Christus laudauit Centurionis fidem, qua dixit: *Ego homo sum sub potestate constitutus, & dico huic, Vade & vadit: seruo meo, Fac hoc, & facit*. Nam vt Centurio ex hac sua, & suorum obedientia facilè collegit omnia Deo obedire, ideóque solo verbo Christum sanare posse: sic Christus hãc collectionem mirificè probans, ideóque fidem eius commendans, eadem opera ipsam quoque collectionem, & assumptam propositionem laudat, & docet omnia reuera debere sic Deo & Christi verbo obedire, sicut in seculari potestate, Principis verbo omnia obediunt. Quæ sanè obedientia secularis nostram erga Deum maximè deberet incitare, sicut illam deficientem maximè coarguit, atque confundit. Scipio Maior suos in Sicilia milites ostendens, dixit: Nullus horũ est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si iussero. Cuius etiam gestæ obedientiæ exemplũ commemorat Baptista Fulgosius. Assasinorum in Syria Princeps, Vetus dictus, præsente Henrico Campaniæ Comite, qui ad eum Legatus venerat, vt suorum subditorũ obedientia quanta esset, ostenderet, monstratis in altę turris summitate aliquot hominibus, vnum nominatim euocauit, & is nulla mora facta in ipsorũ conspectu è turri se demisit, qui ex casu detritus, vitam statim finiuit. Et cùm alios etiam vocare vellet, Comitis precibus, ne id faceret, vix retentus fuit, sed & non minorem obedientiæ erga Deum promptitudinem (qui ea abuti non potest, vt mundi Principes) Scrip. nos docẽt. quod enim scribit Ezechiel, *Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*, celeritatem obedientiæ iustorum significat: quia diuinis

Obedientia prompta & plena.

B. Virginis documentum.

Matth. 28.

Ioan. 4. 5. 6 Ioan. 14. Philip. 3. 1. Ioan. 2.

Matth. 8.

Exempla. Plutarc. in Rom. Apopthegmá Li. 1. c. 1. rerum memorab.

Ezech. 1.

præceptis, & omnibus etiam internis motibus, velociſſimi fulguris inſtar obediunt. Hanc prõptiſſimam & celerem obedientiam Abraham præſtitit, pater credentium, & cuius æquè obedientiam atque fidem ſequi debemus quando ſicut hanc Paulus, ita illam Iacobus, vt neceſſariam commendat. Ait enim: *Et ex operibus fides eius conſummata eſt*: id eſt, ad ſalutem perfecta, & efficax, futura alioqui inutilis, & vt Iacobus ibi loquitur, *mortua*. Atqui Abraham iuſſus ſe circuncidere, *eadẽ die & ſe, & Iſmaelem filium ſuum, & omnes ſuos vernaculos circuncidit*. Iuſſus Iſaac filium ſuũ immolare, filium vnicum, filium quem diligebat, idque in monte quem poſtea oſtenderet loco incerto, ſtatim ipſa nocte, inconſulta vxore, nemini re communicata, filium excitat, ignem accipit, ligna filij humeris imponit. Rurſum quum tres Angelos hoſpitio excipe-ret, *feſtinauit ad tabernaculum Saræ*, vt panem pararet: *cucurrit ad armentum, vt vitulum tenerrimum acciperet*. Puer quoque, eo ſic iubente, *feſtinus coxit illum*. Hæc fuit eius celerrima, & promptiſſima, & ad omne parata obedientia, omnibus fidelibus, *Qui ſequuntur veſtigia Patris ſui Abrahæ*, reſpectu mandatorum Chriſti, neceſſariò imitanda. Sic idem Abraham, dicente Deo, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi*, egreſſus eſt ſtatim, ſicut præceperat ei Dominus: &, vt ait Paulus, *Obediuit in locum exire, quem acceperus erat in hæreditatem, & exijt, neſciens quò iret*. Talem promptam, ſimplicem, quaſique cæcam obedientiam Deo præſtandam, Scriptura docet. Hanc ob cauſam Chriſtus in Euangelio ſuos fideles perpetuò oues vocat: *Ego ſum Paſtor bonus. Oues meæ audiunt vocem meam, & ſequuntur me. Quemadmodum igitur Paſtori ſuo* (ait ſanctus Baſilius) *oues obtemperant, & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur, ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis* (qui à Chriſto videlicet poteſtatem acceperunt, eiúſque in terris Vicarij ſunt) *obſequi debent, nihil omnino illorum iuſſa curioſiùs perſcrutantes* (*quando libera ſunt à peccato*) *contráque ea ſumma animi alacritate ſummóque ſtudio conficere*. Certè ſicut famuli qui ad fores palatij Regum excubant, ſic ad vocantis Domini vocem attenti ſunt, vt cùm primùm illa inſonuerit, ſine vlla mora occurrant, & ſermonem quem cum amicis magna cum voluptate conferebant, maiori cum iucunditate intermittant: ſic fideles Chriſti ſerui ad Domini ſui non modò vocem, ſed etiam nutum, rebus omnibus poſthabitis, parati & expediti eſſe debent. Verè quippe obediens eſt inſtar ſphærici corporis in plano conſtituti, quod leuiſſimo tactu, atque adeò ſolo flatu, quocunque volueris, mouetur. Refractarius contrà, eſt inſtar onuſtæ nauis, quæ, niſi vehementiſſimis flatibus concuſſa fuerit, immota manet. Denique quemadmodum in militaribus equis ea facilitas, qua fræno aptiſſimè parent, potiſſimum laudari ſolet, vt ſeſe ad Domini voluntatem huc atque illuc facillimè verſent: ita in veris fidelibus & militibus Chriſti nulla virtus magis commendatur, quam obedientiæ promptitudo. Sanè ſicut membra iudicantur paralytica quæ non mouentur ad imperium capitis, ſic illi Chriſtiani verè paralytici ſunt, qui ad imperium Chriſti Capitis non mouentur: at vt ſana membra facillimè mouentur quò capitis ſenſus & ratio dirigit: ſic ſani & veri fideles paratiſſimi ſunt omnia facere quæcunque præceperit Chriſtus. Et vt omne humidum malè terminatur proprio termino (quia natura fluidum eſt) ſed bene terminatur alieno, abſque quo ſemper flueret, nec in quo ſubſiſteret, haberet: ſic natura mortalium humida, & fluens in hæc aſpectabilia mundi huius, peſſimè & periculosè termino voluntatis propriæ terminatur, eóque perpetuo cupiditatum fluxu agitatur, at alieno termino, & ad alterius voluntatem ſaluberrimè ſiſtitur, Dei videlicet, *ad cuius ſimilitudinem creata eſt*, id eſt, vt ei aſſimilaretur, creata eſt. Eſt ergo obedientia voluntatis diuinæ vt neceſſaria, & Chriſtiano digna, ſic etiam ſaluberrima. Nam ſicut faber lecticam faciens, niſi ſemper in animo ferat eum à quo opus faciendum accepit, vt iuxta præſcriptam ab illo latitudinem, longitudinem, reliquámque figuram, eam conficiat, ſed ſi aliquid obliuiſcitur, aut etiam recordans contemnit, neceſſario errat in opere; ita prorſus Dei voluntas, ad cuius normam omnes noſtræ actiones dirigi debent, perpetuò à nobis eſt & memoria tenenda per vigilantiam, & opere exequenda per obedientiam. Adeò ex multis cauſis, faciendum eſt quod Beata Virgo miniſtris dixit: *Quodcunque dixerit vobis, facite*. Hanc obedientiam ſtatim in puncto primæ ſuæ conuerſionis Paulus habuit, clamans ad Chriſtum: *Domine, quid me vis facere?* paratus videlicet ad omnia. Sic Petrus ad Chriſtum: *Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire*. quæ etſi confidentius dixit quàm fortiùs, oſtendit tamen quæ debeat eſſe Diſcipuli Chriſti promptitudo: de qua ad Timotheum Paulus loquens, oſtendit veros electos, ſcilicet vaſa in honorem ſanctificata, & Domino vtilia, *eſſe ad omne opus bonum parata*. Quòd ſi enim idẽ Apoſtolus vult omnes fideles principibus & poteſtatibus ſic ſubditos eſſe, vt *dicto obediant, ad omne opus bonum parati*, quanto magis eadem Chriſto obedientia præſtanda? Quàm verò abſurdum eſt, vt Chriſto *imperante ventis & mari, facta eſt ſtatim tranquillitas magna*, ſolus homo, idémque per Chriſtum regeneratus, imperanti Chriſto non obediat! Sic veterem populum redarguit Ieremias: *Audi populeſtulte, qui non habes cor. Me ergo non timebitis, ait Dominus, qui poſui arenã terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit? & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud. Populo autem huic factum eſt cor incredulum & exaſperans.* Hominum adeóque credentium inobedientiam ipſa inſenſibilis creaturæ obedientia condemnabit. Hanc porrò obedientiam Deo debitam prorſus integram & in omnibus eſſe oportere, vt B. Virgo hic loquitur, *Quodcunque dixerit vobis, facite*, multa ex Scripturis argumenta docẽt.

Iacob.2. *Abrahæ obedientia promptiſſima.* *Geneſ.17.* *Geneſ.22.* *Geneſ.18.* *Roman.4.* *Geneſ.11.* *Hebr.12.* *Ioan.10.* *Simile.* *Conſtitut. monaſt. cap.23.* *Similia.* 1. *Granat. in feſto Viſit. B. Mariæ, conc.2.* 2. 3. 4. *S. Bonau. in Diæta ſalut.c.20.* 5. *Geneſ.2.* 6. *Baſil. in Reg. fuſ. diſp. reſp. ad q.5.* *Exemplũ. Actor.8.* *Lucæ 22.* *2.Tim.2.* *Tit.3.* *Matth.8.* *Ierem.5.* *Obedientia integra.*

A B C D

A *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus.* Sic Acham, propter solum sacrilegium, & vnam so- *Iacobi 2. Exempla.*
lam inobedientiam de non tangendis hostium spolijs, lapidatus est. Maria soror Moysis, pro- *Iosue 2.*
pter vnam contumeliam in fratrem, lepra percutitur. Ipse Moyses, vir tantus ac talis, tamen *Num. 12.*
propter vnam inobedientiam apud aquas contradictionis, quia non statim Deo obediuit; pe- *Num. 21.*
tram percutiens, sed priùs populum obiurgauit, ab ingressu terræ promissionis exclusus est. I- *Exod. 4.*
mò idem Moyses descendens ex terra Madian in Ægyptum, iuxta Dei præceptum, tamen in
via ab Angelo in diuersorio occisus fuisset, nisi confestim filios ex Sephora genitos circunci- *2. Reg. 2.*
disset, Deo illi irato propter omissam suorum circuncisionem. Heli Sacerdos, alioqui vir iu-
stus, tamen propter solam inobedientiam circa filiorum correptionem, morte violenta, & re- *Actor. 4.*
pentina interiit, cadens retrorsum de sella in qua sedit. Ananiam & Saphiram, propter vnum
mendacium contra Spiritum sanctum, subita morte Petrus extinxit. Idem Petrus parum ino- *Ioan. 18.*
bediens Christo, & tantùm lauari suos pedes ab eo recusans, & quidem ex reuerentia audit sta-
tim: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum.* Denique in postremo iudicio damnantur, qui vnum *Ioan. 13.*
aut alterum opus misericordiæ facere neglexerunt. Adeò videlicet necessarium est facere,
quodcunque dixerit nobis Christus. Quare D. Basilius eos qui cæteris Dei mandatis seruatis, *Hom. indiuites anaros.*
in vno solo impingunt, apta comparatione vsus, similes esse ait illi, qui iter faciens ciuitatis ali-
cuius spectandæ studio, & toto emenso itinere, ad portas vsque ciuitatis perueniens, reperto *Similia.*
ante portas diuersorio, ibi quiescit, modicúmque quod restat viæ, vel ob pigritiam ire detre- 1.
B ctans, vel ob vanam aliquam in diuersorio voluptatem ire vlteriùs nolens, simul & toleratum
itineris laborem inanem reddit, & spectaculo bonorum, quæ in vrbe sunt, priuatur. Sic enim à
cœlestis ciuitatis ingressu excluditur, vtcunque per viam multorum mandatorum multum cu-
currit, qui vnum aliquod facere contempserit. Sanctus quoque Pachomius, multorum mona- 2.
chorum celeberrimus Pater, & Tabennesiotarum princeps, satis idonea similitudine hanc rem *In vita S. Pachomij apud Sur. to. 3. p. 280.*
expressit. Dicebat enim: Si sit domus ampla, habens centum mansiones, pertinens ad vnum
patrem-familias; emat autem alius ab eo interiorem mansionem, nonne prohibetur à suo ha-
bitaculo? Ita fidelis, si in multorum mandatorum obseruatione mansiones multas Deo faciat
in anima sua, insidijs tamen diaboli vnum graue peccatum in cor intromittat, & diabolo hac in
parte cor suum vendat, puta vanam gloriam, aut auaritiam, aut libidinem aliquam; certum est 3.
Spiritum sanctum hoc vno diaboli ingressu suo habitaculo excedere. Præterea, sicut auis in la- *Granat. t. 2. ser. de temp. pag. 319.*
queum cadens, si vel vngue solùm vinciatur, non minùs vincta & capta manet, quàm si toto
corpore vinciretur; sicut & mus in muscipulam veniens, sola cauda tenetur: sic vna inobedi- 4.
entia alicuius mandati in diaboli potestate animam captiuam tenet. Nempe modicum absynthiũ 5.
pleno vasi mellis infusum, amaritudinem suam toti vasi impartit; sed mel duplo maius absyn-
thio dulcedinem non infundit. Vno etiam aliquando lapide sublato, vel domus corruit, vel flu-
minis repagulum soluitur. Idem in anima facit vna formalis inobedientia mandatorum Dei.
C Hinc nempe pro iustis in Scripturis laudantur, qui omnia Dei mandata custodiunt. *Tunc non confundar, quum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Rursum: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt* *Psal. 118.*
custodiam mandata tua. Quare huic sancto viro perhibet testimonium Scriptura: *Inueni Dauid fi-* *Actor. 13.*
lium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. De Zacharia, & Elizabeth, *Lucæ 1.*
Sancti Ioannis parentibus, dicit Euangelium: *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus*
mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Sic Sanctus Iob de seipso veraciter, non mendaci- *Iob. 27.*
ter: *In omni vita mea non reprehendit me cor meum.* Hæc est obedientia iustorum; ad quam si
cæteri peccatores non perueniunt, tamen eò vt perueniant omnes contendere debent; & *Retract. lib. 1. c. 19. Lib. 3. c. 7. cont. 2. ep. Pelag. Locus cont. hæreticos.*
vbi in aliquo defecerint, ad pœnitentiæ remedium, quod Christus in Ecclesia reliquit, con-
fugere oportet. *Tunc enim* (vt sapienter scribit Sanctus Augustinus) *omnia mandata facta de-*
putantur, quando quicquid non fit ignoscitur. Et sic ad ipsa implenda mandata pertinet oratio
Dominica, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, &c.* vt idem sapientissimus Doctor docet. Sed
de hac materia vide opusculum nostrum. De iustificatione, libro sexto, capite octauo. Valet
autem locus contra hæreticos, qui mandatorum obseruationem ad salutem necessariam es-
se, impiè negant.

D

5. *Implete hydrias aqua. Et impleuerunt vsque ad summum.*

Cooperatio nostra in Dei beneficijs.

LOcus moralis de necessaria cooperatione nostra ad Dei beneficia, gratias, & auxilia ob-
tinenda. Potuisset sanè Christus vel absque vlla aqua vinum ex nihilo creasse, & vacuas
hydrias vino implesse, vel absque ministrorum opera aquam in hydriis creasse, sicut in
deserto *eduxit aquas de petra, & mel de saxo durissimo*, quam postea in vinum verteret: sed voluit, *Deut. 32.*
vt ministri domestici cooperarentur, & facerent quod in se erat. Ideóque Euangelista, vt ostẽ-
deret eos Christi intentioni & voluntati optimè satisfeciisse, adiecit: *Et impleuerunt vsque ad sum-*
mum. Docet ergo Christus debere vnumquemque, quantum in se est, facere & cooperari ad
suam salutem, ad proximos iuuandos, ad quodcunque opus pium & arduum perficiendum.

Exempla. Docet non debere nos omnia sic à Deo expectare, vt ipsi interim nihil agamus, aut in puteo
1. iacentes, manum erigenti porrigere negligamus. Naaman quidem Syrus, superborum, & A
4. Reg. 5. ignauorum typus, sic ab Elizeo de sua lepra curari voluit. Dicente enim illi Elizeo, *Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua* (in quibus verbis eum suæ recuperandæ sanitati cooperari voluit) ille *iratus recedebat dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum leprę, & curaret me.* Voluit ergo delicatus æger sic diuinitus sanari, vt omnia Propheta faceret, ipse nihil: & nisi meliori accepto consilio
2. fecisset quod Propheta iussit, leprosus demum rediisset. Sic in Euangelio Christus, vt cæcum
Ioan. 9. à natiuitate sanaret, dicit illi: *Vade, & laua in natatoria Siloë. Abijt ergo cæcus, & lauit, & venit videns.*
3. Quum vellet Deus per Moysen educere filios Israël ex Ægypto, & aliquo miraculo eius missionem confirmare, quia Moyses de simplici missione dubitabat an ei crederetur, dicit ei: *Quid est*
Exod. 4. 7. 8. 14. 17. *quod tenes in manu tua? Respondit: Virga.* Hac igitur virga Moyses serpentes fecit, aquam in sanguinem conuertit, cyniphes excitauit percusso terræ puluere, mare rubrum diuisit, aquas è petra eduxit: in omnibus istis Dei operibus sua virga vsus. Quum mulier vidua magno ære alieno ob-
4. 4. Reg. 4. stricta, clamaret ad Elizeum pro auxilio, dixit ei Propheta, *Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua?* Móxque modicum olei, quod habebat, ita multiplicauit, vt haberet vnde tum
5. creditoribus solueret, tum de reliquo ipsa & filij eius viuerent. Quum Christus ad preces Ma- B
Ioan. 11. riæ & Marthæ Lazarum resuscitare vellet, iam in sepulchro positum, dixit circunstantibus: *Tollite lapidem*, quúmque Martha excusationes necteret, dicens, *Domine, iam quatriduanus est, fœtet;* intulit Christus: *Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* Iuxta hæc sanctarum Scripturarum exempla debemus nos, vt aqua nostra in vinum, tepor in feruorem conuertatur, implere hydrias nostras aqua, idque ad summum; orationes & preces quales possumus, vtcunque frigidas, Deo offerre, idque indesinenter, & quanto studio possumus. Debemus, vt à lepra peccatorum nostrorum sanemur, non sic esse delicati, vt totum Deo & Ecclesiæ relinquamus; vt vel omnia in Christi passionem referamus (vt hodie hęretici) quasi eius sola satisfactio, sine vlla pœnitentia & satisfactione nostra, nostra peccata sanaret, vel ad solius Ecclesiæ publicas preces attendamus, vt in deuoti Catholici, qui satis esse putant, si Sacerdotes, si monachi pro ipsis orent & sacrificent; sed Sacramenta accipere, nostris proprijs lachrymis, quasi *in Iordane septies*, id est, iterum atque iterum nos lauare, vt sic mundemur. Debemus videre & circumspicere *quid tenemus in manu nostra*, id est, quam facultatem ipsi habemus, vel orandi, vel laborandi in vinea Domini; item *quid habemus in domo nostra*; an aliquod oleum charitatis, quo per aliquas eleemosynas iuuare proximum possimus, iuxta facultatum nostrarum modulum; vt sic vel a- C
lios ex Ægypto & diaboli seruitute, aut alia aliqua calamitate liberemus, vel nostra ipsorum peccata & debita persoluamus. Debemus denique, vt noster Lazarus vtcunque quatriduanus & fœtens resuscitetur, id est, vt nostra peccandi consuetudo quantumcunque inueterata ex-
Exemplũ. cutiatur, *lapidem tollere*, impedimenta gratiæ remouere, occasiones peccati, conuersatio-
1. Reg. 9. nes noxias, & huiusmodi derelinquere, denique fidem & obedientiam adferre. Quum Saul, quærens asinas patris sui, moneretur à comite suo, vt post multum laboris inaniter transactum, Samuelem Prophetam adiret, eúmque consuleret; *Ecce* (inquit Saul) *ibimus; sed quid feremus homini Dei?* Respondit alter: *Inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti: demus homini Dei, vt*
Lucæ 21. *indicet nobis viam nostram.* Minimum certè quid hoc fuit; sed ita Deo grata fuit hæc Saulis pietas, vt statim à Samuele in Regem vngeretur. Christus in Euangelio *viduæ* pauperculæ *duo minuta*
Psal. 15. sic laudauit, vt diceret eam plus obtulisse in gazophylacium, quàm cæteros diuites, non Deus
Prouer. 23. respicit quid aut quantum; sed quo animo, quo feruore facimus. Neque enim ille *bonorum nostrorum indiget*, sed affectum & cor nostrum desiderat. *Da mihi* (inquit) *cor tuum.* Vbi autem cordis affectus est, actio & opus non deerit. *Probatio enim dilectionis, est exhibitio operis.* Quod
Ælianus de var. histor. lib. 1. quantulumcunque sit, Deus non respuit. Apud Persas lex erat, vt Regi foras exeunti, omnes & singuli aliquid muneris donarent, iuxta facultatis cuiusque modum. Sineta Persa inciderat
Exemplũ. in via procul à domo sua in Regem Artaxerxem: quumque cæteri Persæ omnes certatim do- D
na Regi ac munera deferrent, ille contristatus & anxius, quia nihil quod donaret habebat, ad proximum fluuium celerrimè accurrit, & aquam vtráque vola haustam Regi offert, suam præsentem inopiam deplorans. Artaxerxes facto delectatus, collaudato multis verbis offerentis animo, mandat spadonibus, vt in auream phialam aquam de manibus rustici acciperent; & quũ ad diuersorium suum peruenisset, misit rustico stolam Persicam, phialam auream, & mille Daricos pro mercede. Et quis fidelis dubitabit, Regem nostrum, & Saluatorem Christum, paruos suorum labores, & conatus plena manu remuneraturum; & quum secundò venerit in die retributionis, stolã immortalitatis & gloriæ sempiternæ donaturum? Hoc nempe est quod
Matth. 13. in Euangelio dicit: *Habenti dabitur, & abundabit, non habenti autem, etiam quod habet, auferetur ab eo*, id est, rectè vtenti vel naturæ, vel gratiæ donis ac muneribus, quæ à Deo accepit, incrementum gratiæ dabitur, & bonis operibus abundabit, *ambulans de virtute in virtutem*: sed non habenti, id est, perinde oscitanti ac dormienti, ac si nihil haberet, ac si nullum in eo vel naturæ vel gratiæ donum esset (quo tamen nemo caret) etiam ea dona quæ habet, auferentur; &
Exemplũ. alijs habentibus, hoc est, rectè vtentibus donis acceptis, dabuntur. Nempe vult Deus vt in hac militia nostra manum operi admoueamus, & in pugna spirituali, viribus naturæ & gratię, quæ

accepimus,

A accepimus, vtamur. Theodosio Abbati, celeberrimo monachorum Patri, quum adhuc noui- *Invita eius cap.66.*
uitius esset dæmon in personaÆthiopis ingentis magnitudinis apparuit. Ad cuius aspectum territo illi alius apparuit in specie humana fulgidissima, dicens: Cum hoc Æthiope te luctari omnino oportet. Illo autem se excusante, ait iterum: Aggredere illum cum alacritate. Mox enim vt tu illum adorsus fueris, ego adiutor adero, tibique victoriæ coronam reponam. Atque ita factum est. Hoc verò illud est quod Petrus scripsit: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Mox *2.Pet.5.*
enim vt resistere incipimus, fortes in fide, Deus nos adiuuat. Est huius cooperationis nostræ vtcunque modicæ, semper tamen in rebus difficilibus necessariæ, illustre exemplum, & histo- *Illustre exemplum.*
ria admirabilis (quam hic in pauca contraham) apud Sanctum Paulinum Nolanum Episco- *Epist.34. ad Macarium in appendice Bibliot.sacræ.*
pum, auctorem fide dignissimum, tum eruditionis, tum sanctitatis, tum antiquitatis nomine. Senex quidam Catechumenus, nomine Valgius, solus à cæteris nautis in sentina relictus quum illi tempestate orta, scaphis conscensis, nauem deseruissent, in mari Adriatico totis viginti tribus diebus ingenti tempestate agitatus, ac primùm ex Sardinia (vnde primùm soluerat) ad Romani portus Pharum abreptus, inde Campaniam longis tractibus legens, in Africæ littora delatus, ac deinde rursus Siciliam totam transcurrens, in Lucanis demum littoribus appulit; toto eo tempore à Christo visibiliter illi apparente (quem amaris precibus implorauerat) ad-
B iutus quidem fuit; sed ita, vt quum vel antemone armari nauem oporteret, vel sentinam depleri necesse erat, vel arbor ipsa nauis excindi debuit, vel saburra exoneranda, vel carbasa deponenda, vel transtra & iuga loco mouenda fuerant, vel rudentes & podia aut laxari, aut constringi opus erat, vel aliud denique officium faciendum, quod marina illa iactatio, & nualis instructio postulabat, in singulis istis, & ad singula opera vocatus à Domino, porrigere tantùm specie agendi manum iubebatur. Vel enim leuissimè adnitens senex, à primo statim conatu suo manibus Angelicis res effectas vidit, stupens laborem sibi sine labore præcerpi. Et *Exempla.*
certè quid aut quantum illud erat quod Gedeon cum suis fecit; vacuas lagunculas collidens, *Iud.7.*
& lampades accensas ferens, quum de Madianitis amplissimam victoriam reportaret? Et tamen illud minimum facere, illum conatum adhibere, & ridiculo propemodum illo terrore hostes fugare debuit. Sic *Christus ex quinque panibus pauit quinque millia hominum.* Perinde hoc fuit *Ioan.6.*
ac nihil. Sed voluit nostros paruos conatus, & nostram perpetuam cooperationem, qualemcunque tandem illam, his exemplis confirmare. Hac etiam de causa in hoc Euangelio non prius Dominus suum vinum bibendum dare voluit, quàm totum sponsi vinum exhaustum fuisset. Vult enim primùm, vt nos præstemus quæ nostra sunt. At verò deficientibus nostris, ipse sua munera concedit, nostros defectus supplet, & à nobis inchoatum sua bonitate perfi-
C cit: etsi tam in principio, quàm in consummatione, nec nos sine gratia Dei, nec gratia Dei sine nobis operetur; sed in consummatione & perfectione ardui operis magis elucet Dei gratia, & magis abundat. Qui autem secundas causas, & suam cooperationem negligeret, quasi miraculum à Deo perpetuò expeteret, Deúmque tentaret. Valet autem hic locus etiam contra nostri temporis hæreticos, qui nostras cooperationes in ratione boni operis, quod Deo *Locus contra hæreticos.*
gratum sit, nobisque fructuosum, reiiciunt: & arbitrij libertatem non minùs insulsè quàm impiè negant.

6. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & postea deterius: tu autem seruasti optimum vinum vsque adhuc.*

LOcus moralis hic esse potest ex mystico sensu de perseuerantia in bono. Christi enim vinum optimum est etiam vsque in finem, & vltimum haustum. Hominum vina in principio valent & feruent, sed postea flacceseunt, vbi videlicet inebriati iam fuerint. Nempè
D in humanis disciplinis, in Reipublicæ gubernaculis, in negotiis domesticis, atque adeò in ipso Dei cultu, post aliquam ex statu peccati conuersionem, initia feruent, disciplina viget, & nouæ scopæ (vt dici solet) optimè purgant. Postea doctrinæ opinionem nacti homines literati, auctoritatem adepti, & potestate confirmata, viri principes, ac magistratus conuersus aliquantulum emendatus, studij impetum remittunt, sibi ipsis indulgent; ex feruidis, tepidi; ex tepidis, frigidi fiunt. At verus Christianus, & vino gratiæ Christi verè repletus, quo videlicet re- *Perseuerãdũ in bono.*
pleti Apostoli, musto madere & ebrij esse putabantur; feruorem retinet, & semper bonus est. Cæteri inebriati, id est, vel mundi delicijs ac voluptatibus incrassati ac dilatati, Deum obliuiscuntur; vel in Christo luxuriantes, ad ingenium redeunt, & pro vino gratię aquis lutulentis & turbatis potantur. Sed vino gratiæ quo quis magis inebriatur, eo magis feruet. *Qui bibunt me,* *Eccl.24.*
adhuc sitient: siti videlicet non indigentiæ, sed voluptatis, id est, quo magis Deo seruierunt hactenus, eo feruentiùs postea seruiẽt Hoc est quod Apostolus dicit: *Ea quæ sunt retrò, obliuiscens; ad ea autem quæ ante me sunt, extendens.* Nec ineleganter Diogenes, qui rogatus cur in vltima sene- *Philip.3.*
ctute dolium suũ adhuc volueret, nec adhuc philosophari desineret, respondit. Si in stadio cur- *Simile.*
rerem, vtrum iam metæ vicinũ cursum remittere, an magis intendere oporteret? ne videlicet *Laërt. l. 6. Exemplũ.*

in tam propinqua victoria alius brauium auferat. Sed S. Franciſcus multo ſanctius: qui poſt ſtigmata Dominicæ Crucis in corpore accepta, poſt multorum annorum labores maximos, paulò ante mortem dicebat fratribus: *Incipiamus, fratres, ſeruire Domino Deo noſtro, quia vſque nunc profecimus.* Flagrabat deſiderio magno, ad humilitatis redire primordia, vt leproſis, ſicut à principio, miniſtraret. Hic ſeruauit vinum optimum vſque in nouiſſimum. Nempe Deus non artis, ſed naturæ ordinem ſequitur in ſalute hominum operanda: ab imperfecto ad perfectius progreditur. Sicut in toto genere, poſt Legis litteram & ceremonialia, Legem gratiæ, & Spiritum noui Teſtamenti dedit, ſeruans bonum vinum vſque ad nouiſſimum; ſic in vnoquoque particulari, ex paruæ gratiæ bono vſu ad maioris gratiæ collationem præcedit. Sicut natura ex modica planta vel ſemine facit arborem miræ celſitudinis continuè operando; & ſicut aquæ gutta cauat lapidẽ, non vi, ſed ſæpè cadendo; & ſicut ignis conſeruatur, continuè ſubminiſtrando ligna: ſic Deus per ſuam gratiam, velut ſemen quoddam, ſed continuè influendo, mirabilia virtutum opera in ſuis electis producit, & poſtrema ſunt ſemper optima. Veſtis Aaronica ex præſcripto Dei deorſum ad pedes habuit in circuitu quaſi mala punica, & tintinnabula aurea. Mala punica, inter omnes alios fructus, ſola coronæ cuiuſdam ſpeciem habent. Illa corona eſt virtutũ perfectio & conſummatio. Finis enim coronat opus. Hanc idcirco coronam Deus nec in principio, nec in medio, ſed ad pedes poſuit tunicæ ſacerdotalis. Deinque *non priùs quod ſpirituale, ſed quod animale eſt*, vt poſtea ſpirituale fiat. Sic in typo allegorico, Cain, Iſmael, Eſau, omnes maiores natu reprobantur: Abel, Iſaac, Iacob, fratres eorum ſecundò geniti, vt filii promiſſionis eliguntur. De quo vide Auguſtinum.

Invitacius cap. 14.

Similia.

Allegoria.

1. Cor. 15.

De Bapt. cont. Don. lib 1. cap. 15

EVANGELIVM DOMINICÆ III.

Poſt Epiphaniam.

Matth. 8.

CVM deſcendiſſet IESVS de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens manum IESVS, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi IESVS: Vide nemini dixeris; ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Cùm autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi IESVS: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, Vade, & vadit, & ſeruo meo, Fac & hoc, facit. Audiens autem IESVS, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum: Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

PERICOPE

A

PERICOPE *moralis huius Euangelij.*

1. *Leprosus veniens adorabat eum.* De externa corporis reuerentia, quando Deo supplicamus.
2. *Domine, si vis, potes me mundare.* De duabus orationis partibus, fide & obedientia.
3. *Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris.* De vana ostentatione boni operis fugienda.
4. *Sed vade, ostende te Sacerdoti.* De debito honore ac reuerentia ordini Sacerdotali exhibenda.
5. *Et offer munus quod præcepit Moyses.* De gratitudine animi erga Dei beneficia.
6. *In testimonium illis.* De grauiori iudicio eorum, qui maiora à Deo virtutis documenta & adiumenta acceperunt.
7. *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* De cura & officio dominorum erga seruos.
8. *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum.* De humili sui ipsius consideratione.
9. *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores.* Vocationem & professionem externam non sufficere ad pietatem.

B

10. *Illic erit fletus, & stridor dentium.* De pœnis inferni.

1. *Leprosus veniens, adorabat eum.*

LOcus moralis de externa corporis reuerentia, quando ad Deum supplicaturi accedimus. Hic enim leprosus, sanitatem à Christo petiturus, adorat eum, & (vt addit Marcus) *genu flexo*, imò etiam (vt Lucas scribit) *procidens in faciem suam.* Sic Paulus orauit: *Flecto* (inquit) *genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, vt det vobis, &c.* Sic Christus ipse procidens in faciem suam, & genibus flexis orauit Patrem. De hac externa reuerẽtia in altero Promptuario contra hæreticos aliqua dicta sunt: sed hic pauca adiiciemus, magis ad mores pertinentia. Ac primum Christi exemplum quem non moueat? De quo sic Cæsarius Arelatensis: *Prostratus in terra orat medicus, & non inclinatur ægrotus?* Quare sic suum filium spiritualem hortatur Basilius: *Tu, fili, cùm accesseris ad precandum Dominum, prosterne te humiliter in conspectu eius.* Leonis natura hoc habet, vt neminem prostratum lædat, sed adblandiatur potiùs. Sic Deo placet corporis

C reuerentia. Vnde sic in Scriptura loquitur: *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* At humiliatio eius externa magna fuit. *Cilicio indutus ambulauit demisso capite.* Quum enim humilitas cordis prorsus ad orationem necessaria sit, huic internæ externa debet respondere. *Hoc enim est adorare in Spiritu & veritate*: ne, si vel mente humili & corpore superbo, vel mente inflata & corpore humili oretur, mendacium id sit, non veritas. Hinc Paulus modò iubet *viros orare non velato capite*, modò docet leuare manus inter orandum. *Leuantes*, inquit, *puras manus, sine ira & disceptatione: vt videlicet* (ait Augustinus) *dum leuas manus ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Nam & ideo Propheta dicit: In nomine tuo leuabo manus meas.* Hæc externa humilitas Deum ad misericordiam prouocat. Vnde & de huius leprosi adoratione sequitur apud Marcum: *Iesus autem misertus eius, extendit manum suam, & tangens eum, ait illi, &c.* Hic enim præter sanitatem datam, tria alia amotis signa Christus ostendit. 1. quòd misertus illi fuit, & ex misericordia eum sanauerit. 2. quòd quasi in signum beneuolentiæ extendit illi manum, quod in aliis sanandis nusquam Christus fecisse legitur. 3. quòd lepram eius tangere voluit, rem lege prohibitam, & per se satis ingratam. Adeò placuit Christo leprosi huius externa veneratio & humilitas. Si nos Catholici Manichæi essemus, qui solam animam se à Deo accepisse credebant, minùs mirum esset, si sola anima ac mente Deum coleremus. Nunc autem quum vtrumque, & corpus & animam, à bono & solo Deo nos acce-

D pisse fateamur, vtroque illum colere & adorare oportet. Moyses atque Aron *ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante contra omnes ira tua desæuiet?* Vide quanta corporis & verborum reuerentia vsi sunt. Dauid, quum oraret pro paruulo ægroto, *tacuit super terram*, Rex quum esset. Et ad hunc orandi modum nos inuitat: *Venite adoremus & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos* Diligenter notant Euangelistæ, non solùm de hoc leproso, sed de omnibus ferè qui aliquod à Christo beneficium petierunt, vel eum adorasse, vel ad pedes eius cecidisse. Princeps qui pro filia defuncta Christum rogauit *accedens adorabat eum.* Chananæa veniens ad Christum, *adorauit eum dicens: Domine adiua me.* Mater filiorum Zebedæi accessit ad Christum, *adorans, & petens aliquid ab eo.* Marcus de illo Principe dicit, quòd videns Iesum, *procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum.* Mulier Syrophœnissa, *cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes Christi.* Mulier fluxum patiens, sanata, *cecidit ante pedes Christi*, confessa acceptum beneficium. Leprosus Samaritanus à Christo sanatus, *cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens.* Maria pro Lazaro defuncto rogatura, *cecidit ad pedes Christi.* Si CHRISTVM adhuc mortalem pro sanitate corporis obtinenda, sic omnes adorauerunt, cadentes in terram, & hoc officium

De reuerẽtia externa.
Marc 1.
Lucæ 5.
Ephes. 3.
Lucæ. 22.
Dom. 10. & 23. *post* Pentec.
Homil. 29.
Admouit. ad fil. spiri.
Simile.
3. *Reg.* 21.
Exemplũ.
Ioan. 4.
1. *Cor.* 11.
1. *Tim.* 2.
Enara. in Psal. 62.
Marc. 1.
Exempla.
Num. 16.
2. *Reg.* 12.
Psalm. 94.
Matth. 9.
Matth. 15.
Matth. 20.
Marc. 5.
Marc. 7.
Luc. 8.
Lucæ 17.
Ioan. 11.

singuli Euangelistæ tam diligenter annotarunt; multo magis non docet tantùm, sed & oportet nos Christum glorificatum orantes adorare, cadentes in terram, pro animæ salute impetranda, & hoc officium præpositi Ecclesiarum meritò à singulis exigunt. Sanè quod Paulus dixit, *cum metu & tremore salutem vestram operamini*, vt metum animi, sic corporis tremorem & reuerentiam in Dei cultu docet. Sic mulier de fluxu sanguinis sanata, *timens & tremens cadit ad pedes Christi*, fassa beneficium. Tremor ille corporis fuit, timor animi. Sic de tribus Marijs, quæ fugerunt de monumento Christi sepulti, dicit Scriptura: *Inuaserat enim eas tremor & pauor*. Sic Paulus de equo deiectus, *tremens ac stupens clamauit*. Cum hoc tremore supplicantes Deo accedere vult Apostolus, & sic salutem suam operati.

Phil. 2. Marci 5. Luc. 8. Marci 16. Act. 9.

A

2. *Domine, si vis, potes me mundare.*

Orationis partes, fides & obedientia.

LOcus moralis de duabus orationis partibus, fide & obedientia. Leprosus enim iste, præter humilitatem quam externa corporis reuerentia præ se tulit, ostendit se & fidem fortissimam, & obedientiam perfectam habuisse. In eo fidem ostendit, quòd potentiam agnouit, *Potes me mundare*. Obedientiam suam, qua se diuinæ voluntati totum conformat, his verbis ostendit: *Si vis*. Non enim hoc dicens, de Christi voluntate simpliciter dubitauit, an ille tam bonus & misericors esset, vt, quod posset, id vellet; sed de sua indignitate metuens, an Christi voluntas erga ipsum talis esset, dubitauit; ideóque eius voluntati se totum submittit. Neque enim quicquid Deus potest, hoc etiam aut vult; sic enim omnes peccatores statim perderet: aut velle tenetur; sic enim nullum peccatorem puniret. Talis igitur omnium fidelium debet esse oratio, plena fide & obedientia. Fidei necessitatem omnia ferè à Christo beneficia in Euangelio collata ostendunt, quæ omnia, & qualis illa fides esse debeat, in altero Promptuario contra hæreticos ostendimus. De hoc Iacobus: *Postulet in fide, nihil hæsitans*, de Dei videlicet vel potestate vel voluntate in genere, & quoad Deum ipsum. Nam nobis quid vel expediat in rebus temporalibus, vel quid Deus concedere velit, seruato ordine vniuersalis iustitiæ in spiritualibus, & salute animæ, certa fide intelligere & credere non possumus, etsi optimè sperare liceat. Et hoc sensu Apostolus dixit: *Quid oremus sicut oportet, nescimus*. Nam, & sic ipse etiam in causa salutis nesciebat quid oraret, sicut oportebat, quando pro stimulo carnis auferendo, ter Dominum rogauit, neque exauditus est tamen. Sed *ipse Spiritus Dei adiuuat infirmitatem nostram, & interpellat pro nobis*: id est, docet nos interpellare, vt Augustinus exponit. Oratio igitur nostra sic fidelis esse debet, vt etiam sit obediens, & diuinæ voluntati conformis. Nec confidentia obedientiam excludere debet præsumendo, sed cum Dauide dicendum: *Si exurgat aduersum me prælium* tentationis aut tribulationis, *in hoc ego sperabo*, id est, acquiescam diuinæ prouidentiæ: nec obedientia confidentiam debet tollere, animum despondendo, sed cum S. Iob dicendum: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo: veruntamen vias meas in conspectu eius arguam*, id est, quicquid mihi Deus calamitatis inferat, non despondebo animum; sed meam indignitatem profitebor, eiúsq; iustitiam collaudabo. Sic leprosus iste: *Si vis, potes me mundare*. Tanta est tua potentia, quanta voluntas. Potentiam credo, voluntatem spero; quia de mea indignitate dubito. In hoc sensu tres pueri responderunt Nabuchodonosor Regi: *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino: quòd si noluerit, noueris quòd statuam tuam non adoramus*. Hæc est vera rectè orantis fides, & vera confidentia. Vnde S. Chrys. *Magna ad Deum confidentia accedes, si te arbitraris merito carere vnde confidas. Contrà summum decus, summa condemnatio, si te arbitreris posse fidenter agere. Quanquam enim multa præclarè feceris, quanquã nullius tibi conscius sis mali, modò putes agere te posse fidenter ac liberè, omni gradu orationis continuo deijceris ac decidis. Contra, si onera conscientiæ innumerabilia sustines, & peccatis summis grauaris, modò illud vnum persuasum sit tibi, te omnium esse minimum, mirificè tibi animus fidendi, audendique apud Deum præstabitur*. Hæc ille. Sic & D. Basilius filiũ suum spiritualem docet: *Ne postules* (inquit) *quicquam, quasi ex gratia meritorum: & si est tibi conscientia aliqua boni operis, cela illam, vt, te silente, à Deo multiplicetur. Deus enim euulgauit omnia opera humilis, qui animæ suæ virtutes celare festinet*. Hoc est quod Scriptura dicit: *Oratio humiliantis se, penetrat nubes*. Humiliatio autem orantis illa est, quæ totum à pura Dei misericordia expetit. Sic Dauid se leprosum sentiens, id est, grauissimè peccasse, vide quàm humiliter loquitur: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*. Primum non dicit, miserere Dauid; sicut alibi, quum in statu gratiæ esset, dixit, *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*. Deinde non audet dicere, Miserere mei Deus meus: sicut quum in statu gratiæ dixit, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, sed dicit, *Miserere mei Deus*. Vix enim suum audet dicere, quem peccato fecerat non suum. Sic leptosus iste, *Domine*, dicit: non, Domine meus. Postremo non dicit, Miserere mei secundùm misericordiam meã: sed, *secundũ misericordiam tuam, & secundum multitudinẽ miserationum tuarum*. Hoc est quod leprosus hic dixit: *Domine, si vis*: si infinitæ tuæ misericordiæ hoc placet. Quemadmodum & terra fructus, & mare pisces, & cælũ lumen mortalibus suppeditant, non pro hominum sola indigentia (quum infinita supersint) sed pro Dei creatoris magnificentia: &, vt Alexander semel dixit, magnam mercedem pauperi tribuens, *se non dare quod alter mereretur, sed quod Alexandro dignũ erat*: sic peccatoribus Deus misericordiã præstat, nõ quia illi

indigent

De incomprehensib. Dei nat. hom. 5.

In admonit. ad fil. spirit.

Iacobi 1.

Rom. 8. 2. Cor. 12. Epist. 121.

Psal. 26.

Daniel. 3.

Eccl. 35.

Psal. 50. Psal. 131.

Psal. 62.

Simile.

Apophth.

B

C

D

A indigent, aut quanta solùm indigent, sed quia ille misericors est, & *seipsum negare non potest, & omnia potest facere superabundanter quam petimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis.* 2. Tim. 2. Ephes. 3.

3. *Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris.*

LOcus moralis de vana ostentatione boni operis studiosè fugienda. *Ideo enim nulli dicere iubet*, ait Chrysostomus, *docèns non diligere ostentationem & honorem. Nam quod alio in loco sanatum à se Christus iubet beneficium publicare, nõ diuulgare seipsum iussit, sed dari gloriam Deo. Narra* (inquit) *quanta tibi fecit Deus. Per hunc ergo leprosum instruit nos, non esse vanè glorioſos; per illum autem, non esse ingratos, sed omnia ad Dei laudẽ referre.* Virtus boni operis occultari debet, aut certè non affectatè publicari, tum quia alioqui mercede apud Deum carebit; tum quia non crescit ampliùs, sed flaccescet virtus; tum quia populari laude nihil fucatius, aut mendacius; tum denique quia vanum hoc per seipsum est, & superbiæ species. De primo dicit Christus: *Receperunt mercedẽ suã.* In quem locum Chrysostomus: *Quid enim à Deo accipies, qui nihil Deo dedisti? Nam quod propter Deũ fit, Deo datur, & ab eo accipitur: quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quid enim est aliud hominum laus, quàm ventorum transeuntium sonus? Quæ est autem sapientia res dare, & verba vacua comparare? Rursum quæ sapientia est, mercedem Dei contemnere in perpetuum manentem in cælis, & fugientes hominũ sermones eligere? Deinde melius est non facere, quã propter homines facere. Qui enim non facit, etsi in cælo nihil inuenit, saltem in terra nihil perdit, puta labores, pecuniam; & alia. Qui autẽ propter homines facit, & in terra perdit, & in cælo non inuenit. Præterea vel illũ aspice, à quo laudem expectas, quid sentis de te? Ideo te laudat, quia propter Deum te facere putat. Si autem intelligeret quia propter eum facis, non te laudaret, sed vituperaret magis. Quid ergo illi placere festinas, qui, si te aliquandò intellexerit, irridebit? Postremò sic est homo qui propter homines facit bonũ, sicut mercenarius malus, qui intra tempus locationis suæ comedit omnes mercedes suas; quũ autem tempore completo recesserit, nudus egreditur. Sic enim vacuus vadit ad Deum, qui mercedem omniũ bonorum suorum accipere desideranit in sæculo.* Hæc ille. Sapienter quoque D. Bernardus: *Si tanto studio vitia nostra abscondimus, ne humanam gloriam amittamus; quanto maiori cura dissimulandæ virtutes sunt ne cælestis gloriæ iacturam faciamus!* Est ratio fortissima, & luculenter populo explicanda. Hoc nempe studiosè agit diabolus, vt per vanæ gloriæ studium omni nos bonorum operũ mercede spoliet. Est enim similis pauoni, qui oua gallinæ suæ quærit, vt frangat & comedat, vt sic liberius libidini vacet; quod etiam cuniculi faciunt, teneros in nido inuentos comedentes: sed gallina & cunicula oua & tenellos suos sagaciter abscundunt & seruant. Sic diabolus quærit nostra bona opera, vt ea nobis auferat, ipsèq; per vanitatem euulgata comedat. Ezechias Rex, quia suos thesauros omnes ostentauit Assyrijs, grauiter à Propheta increpitus, grauiùs in filio suo punitur, à quo Assyrij omnia in Babylonem abstulerunt. Assyrij illi Babylonici diabolum figurant, cui ostentantur bona opera, quoties humana laus ex illis captatur. Manna die Sabbati seruatum integrum mansit & purum: alio quocunque die septimanæ seruatum putruit, & vermes generauit. Sic bona opera quæ in præsenti vita laudantur, putrescunt; quæ in sabbati cælestis gloriam laudanda reseruantur, vigebunt. Basiliscus, animal venenatum, & hominis hostis capitalis, si primus te videt, interficit certissimè: si à te priùs conspicitur, facilè superatur: sic vana gloria, si à te primũ expenditur, nullo negotio repellitur; si incautum te occupet, opprimit. Quod qualiter faciat, sapienter describit S. Basil. *Inanis gloria, spiritualium opum est latro, blandus animarum hostis, tinea virtutum, sub mellis illitis fraudis suæ venena propinat, & poculũ mortiferum porrigit. Quos captiuos tenet, eos ad omne nefas facilè impellit, vt id faciant quod admirationi esse animaduertunt, quantumcunque id turpe & inhonestum sit. Sic non modò honestas omnes actiones subuertit, sed & ad improbas iter facit.* Hæc ille. Refert Plinius, quòd aquilæ pullis (quæ in alto semper nidificat) serpens qui vocatur parias insidiatur; qui videns se propter altitudinem accedere non posse, trahit ad se ventum & venenum emittit, vt aër infectus, per venenum ad pullos deductus, illos occidat. Sed aquila ex instinctu naturali, vt huic malo occurrat, nido suo inædificat lapidem qui vocatur gagates, & semper in illa parte, D quæ est contra ventum, ponit. Iste autem lapis venenum expellit, ne ad pullos accedat. Simili industria & cautela debemus nos pullos nostros, id est, bona opera, quæ per Dei gratiam in sublimi virtutum exercitio operamur, ne à vento superbiæ diaboli arte excitato pereant & dissoluantur, Christum lapidem, seu Dei gloriam, inter opera nostra, & ventum vanæ gloriæ ponere. Eleganter dicebat sanctus Arsenius: *Qui bona quidem opera facit, sed vt studeat hominibus placere, similis est perpetuò haurienti aquam, & in canalem perforatum perpetuo infundenti.* Et certè, sicut dementissimum esset, pretiosis gemmis atque lapillis, ruinosi alicuius parietis rimulas implere atque fulcire; sic pro virtute humanos fauores desiderare, & rem cælo dignam, vili pretio venalem exponere. Porrò sicut ineptus ille mercator esset, qui merces optimas paruo præsenti pretio venderet, certò sciens, si ad aliquot dies expectaret, centuplo plus se accepturum; sic inepti illi operatores sunt, qui bonas operationes præsenti hominum laude, eáque leui & momentanea vendunt, quum certò sciant post hanc vitam futurum, vt ampliſſimam mercedem accipiant, si tantisper expectent. Et quum vix vsquam tam ineptus mercator inueniatur, ineptos istos operatores vbique locorum inuenias. Sed diaboli hoc esse artificium, viri secundum Deum prudentes facilè aduertunt, ideóq; (vt in alio Euang. ostendimus) non tam improbi homines studiosè

Contra vanam gloriã Hom. 26. in Matth. Lucæ 8. Causæ 4.

1. Causa, mercedis spoliatio. Matth. 6. Hom. 13. in Mat. operis imperf. 1. 2. 3. 4. 5.

Simile. Stella in Luc. 5.

Exemplũ. 4. Reg. 20.

Decontẽpt. mũdi par. 1 c. 9. & 10.

Allegoria.

Simile.

Constit. monast. cap. 11.

Natur. hist. l. 10. c. 3. & lib. 36. c. 19.

Simile.

Invitacius apud Sur. pag. 257.

Similia.

Dõ. 3. Aduent. ser. 3.

contendunt, vt ab alijs laudentur, quam illi cauent ne laudentur. Neque vllus vir vsqueadeo A
de vxoris suæ pudicitia conseruanda sollicitus est, ac sancti omnes sunt & fuerunt, ne vanæ gloriæ animum intenderent. Vnum hic aliud exemplum proferam. quum S. Marcellus Abbas
Exemplū. Invitacius apud Sur. t.6.p.1029
τῶν ἀκοιμήτων dęmones multis precibus coniuraret, vt ex possessis corporibus exirent; clamant illi: Iube nos exire, quoniam in nos accepisti potestatem. Ille perseuerat in oratione, donec virtute diuina expellerentur. Cùm autem causam rogarent, qui tunc aderant, cur dæmonibus se cessuros confitentibus, ab initio nihil præcepit; ille respondit: Quoniam dicentes me in eos accepisse potestatem, non aliud agebant, quàm quòd vanæ glorię laqueis me conabantur implicare.

2. Causa, virtutis detrimentum Matth. 13. Stella in Luc. cap. 5. Similia.
Sed nunc, vt per vanam gloriam virtus flaccescat, nec crescere queat ampliùs, ostendendum. *Simile est regnum cœlorum thezauro abscondito in agro; quem qui inuenit homo, abscondit.* Thesaurus bonorum operum occultè inuenitur, occultè emitur, & occultè foditur. Qui statim suam virtutem ostendunt, sunt tanquam amygdalus; quæ florem cito emittit, & flante vento celeriter amittit; qui autem occultant, morum imitantur, quæ quum serò emittat flores, nullo vnquam vento aut gelu offenduntur. Natura prouidit vt non esset in manu & potestate mulierum parere: nam si quando vellent, ipsæ parerent, multa mõstra vtique emitterent, & aliæ spatio vnius mensis, aliæ duorum & trium parerent. Sic opus est labore & manu Dei obstetricante, vt virtus, sicut fœtus in ventre, abscondatur, & laboret in hac vita, donec tempus pariendi adueniat. B
Ioan. 16.
De quo Christus dixit: *Mulier dum parit, tristitiam habet: quum autem peperit, non meminit pressuræ propter gaudium*, Sic *vos contristabimini*, in multa scilicet patientia bonum operantes; *sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quod si ante tempus prodire & parere virtus vult, & hic gloriam quærere, vt fœtus immaturus variis casibus extinguetur, vel superbia sua, vel inuidia, aut adulatione aliena. Animalia apud Ezechielem habebant quatuor alas, quarum duæ
Ezech. 1. Allegoria.
erant erectæ; illæ sunt opera virtutum sursum tendentia: *alijs duabus tegebant corpora sua*; istæ sunt timor & humilitas, quibus virtutum actus & substantiæ à vana laude teguntur. Qui iter longũ faciunt, solent secum duas crumenas ferre, quarum altera monetam auream ferunt, hanc semper ducunt absconditam; altera minoris valoris, & vulgarem concludunt: & hanc in hospitijs manifestant, hospitibus ex ea symbolum soluentes; alteram occultant, ne latronibus insidiandi ansam præbeãt. Sic abscondita debet esse virtus, vt, sicut Christus monuit, *nesciat sinistra manus quid faciat dextra*, id est, (vt exponit Chrysostomus) *nesciat voluntas carnis, quæ Deo semper est contraria, quid faciat voluntas animæ, & superioris rationis Deo subditæ.* Certè vt thesaurus absconditus
Matth. 6. Hom. 13. in Mat. operis imperf. Similia. 1. 2. 3. 4. 5.
tutior à latronibus est; & virgo domi clausa faciliùs castitatem seruat, quàm ea quæ vagatur: sic virtus occultata, à superbia & diaboli laqueis tutior est. Et quemadmodum fructus arborum quę iuxta viam publicam crescunt, rarissime matureścunt; quia à transeuntibus præposteră auiditate comedendi, ante maturitatem colliguntur; sic virtutum opera quæ in hominum C
conspectu fiunt, vel, vt ab hominibus spectentur, ostendantur, nunquam ad veram soliditatem perueniunt; quia statim humano fauore intumescere operantem faciunt, ideóque iam distentum ad progrediendum in virtute, vel ad alia virtutum opera capessenda, prorsus in idoneum reddunt. Postremò, sicut gallina quæ ouo posito, statim cantillat, causam præbet, cur statim collectis ouis, nunquam pullos pariat: sic qui suas virtutes statim prædicant, aut prædicari cupiunt; id agunt, ne vllos virtutum suarum fructus amplius producant. Sapienter Chrysosto-
Hom. 3. in Matth.
mus: *Sicut aurum vestémque pretiosam quum in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus; si verò ea recondamus atque occultemus, domi in tuto cuncta seruabimus: sic, si diuitias virtutum in memoria, quasi venales assiduè portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosum inuitamus ad furtum; sinverò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa consistũt.* Certus enim rectè
Philip. 2.
factorum thesaurus, obliuio. Vnde Apostolus: *Ea quæ sunt retrò, obliuiscẽs.* Memoria quippe præteritarum virtutum impedimentum est sequentium; dum ex præteritis ita sibi quisque inaniter placet, vt plus sibi ad cumulum addi, aut non necesse putet, aut negligat. Ita cum inani gloria crescere aut maturari virtus non potest. Verum quidem est quòd virtus laudata crescit, quando vera virtus, & solida est quæ laudatur, id est, quæ propter solum Deum susceptа fuit, & nõ propter laudem humanam. quemadmodum enim aurum, si verum & purum est, in fornace purgatum manet; si adulterinum, in fumum abit: sic virtus laudata, si vera & pura virtus est, crescit & D
Prou. 27.
solidatur; si falsa & fucata, euanescit. Vnde Salomon: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.*

3. Causa, laudis vanitas. Chrys. ho. 17. in epist. ad Rom. Similia. 1. 2.
Iam vero laude hac populari & humana nihil fucatius aut mendacius, vt eam in rectè factis consectari velle, dementia sit. *Nonne dementia est, cùm habeas theatrum in cœlo constitutum, spectatores tamẽ in terra tibi deligere? Athleta vbi certat, ibi & probari cupit. Tu cùm in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris. Videamus tamen, si placet, coronas. Illa quidem superbia constat, hæc autem inuidia; quædã ex ironia & adulatione, propter pecunias & alia; nonnulla etiam ex seruili ministerio. Quemadmodũ enim pueri ludentes ex fœno coronas alicui imponũt, coronatũ autem suũ post tergũ irrident; sic sæpè fit, vt qui te in faciẽ prædicant, apud seipsos clanulũ subsannent.* Deinde, nonne dementia, esset laruas & personas histrionũ, quas in scenis gestant, vehementer adamare aut appetere? Sunt tamen persæpe honestissimè, & exactissimè fabrefactæ. Attamen nemo tam demens, vt eas appetat aut amet; quia inanem tantũ & fictum esse illarum decorem norunt omnes, & aliud esse personam, aliud rem personatam.

Atqui

A Atqui laus in ore hominum, persona tantum & larua veræ laudis est, quum sæpissimè aliter sentiant quàm loquantur: & vt id non fiat, breuis temporis laus est, & facilè in contemptũ vertitur, ac denique, non nisi huius vitæ est, & valde caduca. *Gloria mea* (ait Apostolus) *hæc est, testimonium conscientiæ meæ.* Et iterum: *Mihi pro minimo est, ab hominibus iudicari, aut ab humano die*, id est, fauore & existimatione. Qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parui, modo nulli sunt. Sic *stultus vt luna mutatur.* Crescit & descrescit pro laudatorum arbitrio. Polycletus Statuarius duo simulachra fecit: vnum ad arbitrium plebis transponens & commutans, prout quisque accedens atque aspiciens, mutandum diceret, & cuiusque voluntati morem gerens, in publico opus suum effingens; alterum vero ex artis suæ peritia, domi fabricauit suæ. quum vtrumque in foro posuisset, & domesticum omnes admirationi haberent, publicum omnes deriderent, vtpote in quo vix vllum membrum alterius proportioni respondit; Atqui, inquit Polycletus, quod vituperatis, à vestra arte profectum est; quod vero suspicitis, ego mea facultate sum fabricatus. Hippomachus, pugillandi magister, quum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, & circunstans multitudo vniuersa acclamaret; percussit eum virga, inquiens: Sed tu perperam fecisti. Nam si quid artificiosum præstitisses, ignari isti non te collaudarent. Antisthenes Philosophus, dicenti sibi cuidam, *Multi te laudant*; *Quid enim, ait, mali feci?* Sic Phociõ, quum inter orandum eius sententiam vniuersa concio magno assensu accepisset, ad proximos conuersus, *Me miserum*, inquit: *vereor enim ne quod mihi stul-*
B *tum verbum exciderit.* Turpe est, Christianos, Sacerdotes, Theologos hoc non videre, quod isti ethnici viderunt. Acutè hoc in Diogene taxauit Plato. Stetit aliquando Diogenes gelidissimo tempore in aquis penè congelatis nudus. quum magna multitudo hoc spectans, commiseratione hominis tangeretur; superueniens Plato, multitudini dixit: *Si huic homini misereri vultis, eumque hac molestia liberare, discedite.* Huic affine est quod Macharius percontanti cuidam, cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in cœnobio hebdomadibus integris refectionem sæpè contemnens, non sensisset famem, respondit: Quia nullus hic est ieiunij tui testis, qui te suis laudibus nutriat; ibi autem te digitus hominum & cenodoxiæ refectio saginabat. Accedit ad hæc omnia, ex virtute laudem humanam aucupari velle, per se malum esse, & superbiæ speciẽ, ideoque Deo exosam: & (vt Chrysostomus loquitur) *Matrem gehennæ. Qui enim se exaltat*, id est, suas laudes prædicat, vel se laude dignum, & cæteris præferendum iudicat, *humiliabitur*, id est, ad barathrum detrudetur. Nam vt humilis exaltatio, de qua Christus illic loquitur, est cæ-
C lestis gloria; sic superbi humiliatio, est inferni pœna. *Vitia cætera in peccatis* (ait Augustinus) *superbia vero etiam in rectè factis timenda est; ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Quare hanc vanitatem pestiferam naufragium in portu esse docet Chrysostomus. *Sicut nauis*, inquit, *quæ multos fluctus transiit, multasque tempestates effugit, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit, iacturã totius in se reconditi thesauri facit; ita qui post multos labores ac virtutes linguam & mentem à cupiditate laudis non temperauit, in ipso portu naufragium fecit.* Hac de causa appositè Plato superbiam vocat *vltimam vestem quam anima deponit*, quasi in exuendo vetere homine, extremus sit superbiæ pannus. Quod aliis verbis Isidorus dixit: *Superbia est in peccato prima, & in conflictu postrema: quia, vt est omnium criminum origo, sic est omnium virtutum ruina.* S. Pachomius, vir admirabilis sanctitatis & prudentiæ, quum animaduertisset quẽdam ex suis duas paruas storeas vno die factas (quum cæteri fratres vnicam quisque faceret) sic ex aduerso loci, vbi vir ille sedebat, sub vesperam posuisse, vt ab illo viderentur, simulque vt à Pachomio laborantis industria prædicaretur, dixit adstantibus tristis: Frater iste à mane huc vsque laborans, totum suum laborem diabolo donauit, nihil sibi fructus ex opere relinquens; sed magis amans hominum gloriam, quàm Dei. Quare & acerrimè increpitum seuerè puniuit, vt hoc in eo vanitatis vitium sanaret. Docet ergo Christus in illis ad leprosum sanatum verbis, *Vide nemini dixeris*, cupiditatem inanis gloriæ etiam in veris virtutibus nullo modo affectandam, sed sedulo repellendam esse; siue quia affectus ille præposterus omni apud Deum mercede bonum opus spoliat, siue quia virtutis incrementum impedit, siue quia omnis humana laus fucata & falsa est, siue denique, quia vitiosus per se, & damnabilis hic affectus est.

1. Cor. 1.
1. Cor. 4.
Eccl. 27.
Aelia. var. hi. li. 14.
Exempla. 1.
Idem li. 2. 2.
3. Laert. li. 6. Apophth.
4. Plutarc. in Phocione.
Apophth. Laert. li. 6.
5. Apophth. Cass. coll. 5. c. 12.
4. Causa, superbiæ malum.
Ho. 17. in epi. ad Ro. Luc. 18.
Epist. 56. Simile.
Ho. de profectu Euã. In Timæo. De summo bono, li. 2. c. 28.
Exemplum. In vita eius apud Surium to. 3. p. 292.

D

4. *Sed vade, ostende te Sacerdoti.*

LOcus moralis de debito honore ac reuerentia Sacerdotali ordini exhibenda. quũ enim iuxta præscripta legis veteris, leprosus non censebatur mundus à lepra, nec in consortium hominum recipiebatur, nisi à Sacerdote mundus declararetur: Christus hoc loco, etsi nec legi subiectus, nec approbatione illa sacerdotali opus habens, leprosum tamen à se mundatum, & diuina potentia mundatum, & ita purè mundatum, vt nulla lepræ species, nulla emundationis dubitatio relicta esset; mittit ad Sacerdotes, vt se illis ostendat & exhibeat, eorumque declarationem & approbationem accipiat. Sic videlicet Christus vtcumque supra legem & extra ordinem sanans, Sacerdotium illud vetus honorare voluit; & ab iis, quos sanauerat, honorari iussit. Docet hoc facto Christus, multo fortius, multoque sincerius noui Testamenti Sacerdotium ab ipso institutum, honorandum esse. *Illis enim legis veteris Sacerdotibus* (ait Chryso-

Sacerdotalis reuerentia.
Lib. 3 de Sacerdotio

stomus) *corporis lepram purgare, seu, vt verius dicam, haud purgare, sed purgatos probare, datum fuit. At nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animi sordes; non dico purgatas probare, sed prorsus purgare concessum est.* Quanto igitur maior Sacerdotij nostri efficacia, potestas, virtus, tanto excelsior dignitas est, tanto maior ei honor & veneratio debetur. *Nam si ministratio damnationis in gloria est* (ait Apostolus) *multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.* De vtriusque Sacerdotij discrimine, & nostri dignitate, in altero Promptuario, ad hunc locum, & alterum ei similem, Dominica XIII. post Pentecost. diximus. Nunc de reuerentia Sacerdotibus noui Testamenti exhibenda, quatenus ad debitam populi pietatem hoc pertinet, pauca dicemus. Sacerdos quũ Christi personam gerat (*pro Christo enim legatione fungimur*: &, *Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi*, ait Apostolus) hoc primum nomine singulari honore ac veneratione affici debet. Dicit enim Christus: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Rursum alia Scriptura dicit de Samuele Sacerdote contempto: *Non te spreuerunt, sed me.* Ex hac consideratione dixit Gregorius: *Si Dauid, Regum iustissimus, in Saul, quem constabat à Domino iam reprobatum, manum mittere non præsumpsit, quia vnctus Domini erat; quanto magis cauendum est, ne manum detractionis, aut vituperationis siue indiscretionis, aut dehonorationis quidam mittant in vnctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Ecclesiæ: quia eorum vexatio siue detractio ad Christum pertinet, cuius vice in Ecclesia & legatione funguntur!* Similia scribit Chrysostomus: *An nescitis quod honor Sacerdoti collatus, ad Deum ipsum pertinet? Ne igitur respicias illum cui honor confertur. Non enim propter illum debes quod tuum est facere: sed propter eum cuius Sacerdos est, vt & ab illo mercedem accipias.* Rursum alio in loco: *An ignoras quid sit Sacerdos? Angelus vtique Domini est. Non ex seipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinauit. Si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem populi causa Deus loquutus est, multo magis loquitur per Sacerdotem plebis suæ gratia. Quid enim non agit Deus salutis nostræ causa? Per quem non loquitur? per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus est, si per Caypham, si per prophetas eos quibus dicturus est, Non noui vos; discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quanto magis per Sacerdotes diuino ministerio famulantes operatur!* Propterea igitur honorandi Sacerdotes; quia Dei, & Christi eius personam ex officio gerunt. Alia ratio huius debiti honoris est, quia nostri curam gerunt. De hac Paulus: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis: ipsi enim peruigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri apud Deum.* Quemadmodum ergo de medico Scriptura dicit: *Honora medicum propter necessitatem*: ita multo magis animarum medici, vel propter hanc summam necessitatem, mirificè honorandi sunt. Ex hac consideratione sic scribit S. Chrysostomus: *Dic oro, ipse tanto periculo tui gratia subditus est, & tu illi obtemperare detrectas in his quæ tibi vtilia sunt? Etsi enim ille sua omnia ritè disponat, quàm diu tu minus rectè vales, angoris vacuus esse non potest, quum duplex sit ab eo ratio exigenda. Iam vero considera quanti sit periculi per singulos subditorum discuti, rationemque pro omnibus reddere. Quantumuis illi honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis par referre poteris. Nam etsi animam ponas, ipse hoc pro te iugiter facit. Et si id minus in hac vita facit, quod persecutionis iam tempus non sit, eam tamen periculo æternæ mortis exponit. Tu contra neque ad verba vsque illi subijceris? Hoc nempe est malorum omnium causa, quod præpositorum vestrorum auctoritas perijt, nulla iis reuerentia habetur, nullus honor, nullus metus.* Hæc ille. Ex hoc sanè colligi potest, maiorem esse causam cur Sacerdotem populus amet ac reuereatur, quàm cur Sacerdos populum. Quanto enim maior est ratio vt nos ipsos, & bonum nostrum amemus, quàm alienũ; quia charitas à se ipso debet incipere in ratione secundæ tabulæ: tanto maior ratio est vt populus Pastorem diligat, qui ad suum bonum datus est; quàm vt Pastor populum, qui ad populi bonum & vtilitatem ordinatus est. Atque hinc emergit alia ratio reuerentiæ sacerdotalis; quia videlicet eorum studio & labore, maxima ad nos salutis nostræ adiumenta perferuntur. Quare quum Apostolus dixisset, *qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt*; adiecit, *Maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Hæc enim pars officij Sacerdotalis, qua verbum Dei populo administratur, & pro populo oratur, talis ac tanta est, vt nullo satis obsequio aut officio compensari queat. Vrget hoc Chrysostomus his verbis: *Reuerere Sacerdotem, quod tibi diebus singulis diuina ministrat, Scripturas religi facit, tui gratia exornat domum, propter te vigilat, tui causa preces exoluit, pro te apud Deum precaturus astat, propter te vota persoluit, pro te apud illum religio, cultusque & obsequium est, pro te ista omnia. Reuerere ergo atque cõsidera.* Hæc ille. Certè sicut nobilis pater, qui filij sui præceptorem, vt eum diligentius erudiat, magnis muneribus afficit, non modo præceptorem, sed ipsum quoque filium honorat: sic qui Dei ministros vel honore, vel muneribus afficit, vt eum apud Deum iuuet, vel quia eius consilio in causa pietatis vsus est, non solum ipsum Sacerdotem, sed & seipsum honorat, ac sui ipsius dilectionem veram ac religiosam se habere ostendit. Quare hac de re sic itetum Chrysostomus: *Insania manifestissima est tantum istum principatum, sine quo neque salutis, neque bonorum à Christo promissorum, participes fieri possumus, despicere. Nam si non potest introire in regnum cælorum, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto: si æterna vita priuatur, qui non manducat carnem Domini, & sanguinem bibit; omnia autem hæc haud aliter quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, Sacerdotum: qui fiet, vt citra illarum opem, aut gehennã euitare, aut cæli præmia consequi quis possit? Hoc certè nomine Sacerdotes merito, non modo plus vereri debemus, quã vel Principes vel Reges; sed etiã maiori honore quam parẽtes proprios honestare.* Hęc ille. Iã veto etiam propter ipsas oues, & populũ fidelẽ, necessaria est hæc reuerentia, hic honor Sacerdotib. pręstãdus, ipsiq; populo in primis est vtilis. Hinc Apost. postquã dixisset, *Obedite Præpositis vestris*; adiecit, *Vt cũ gaudio hoc faciant, non gementes. Hoc.n. non expedit*

A

B

C

D

2. Cor. 3.

1. Ratio, quia Christi personam gerit. Matt. 10. 1. Reg. 8. Epi. li. 11. epist. 31.

Hom. 65. in Genes.

Ho. 2. in 2. ad Tim.

2. Ratio. Heb. 13. Eccl. 30. Hom. 2. in 2. ad Tim.

3. Ratio.

1. Tim. 5.

Loco iam citato.

Simile. Gran. to. 3. ser. de tẽp. p. 418.

Lib. 3. de Sacerdotio

4. Ratio.

Heb. 13.

A *dit vobis*. Nempe non expedit populo, vt propter eius vel inobedientiam & contemptum, vel ingratitudinem & neglectum, cum tristitia & gemitu, suo munere fungantur Sacerdotes, idque multis de causis. Primo, quia graue est hoc in populo peccatum. Secundo, quia honor ille exhibitus, populo est vtilior quàm pastori. Tertio, quia alioqui difficilius curatur & docetur populus. Quarto, quia suos pastores lædunt, & pascendi prouinciam difficiliorem illis reddunt. Singula paucis ostendentur. De primo exemplum esse potest Dathan & Abiron cum suis, qui propter inobedientiam Sacerdotio exhibitam, descenderunt in infernum viuentes. *Meo quidem iudicio* (ait Chrysostomus) *qui nostros Sacerdotes despiciunt & contemnunt, multo sceleratiores, ac maiori supplicio digni sunt, quàm Dathan cum suis omnibus.* Aliud exemplum esse possunt Iudæi Samuelem reijcientes, & Regem postulantes. Sic enim graui iugo postea subijciebantur, vt latè illis futurum exposuit Samuel. Huc etiam pertinet quod de suis Sacerdotibus per Prophetam Deus dixit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Hinc D. Cyprianus: *Qui Christo non credit Sacerdotem facienti, postea credere incipiet Sacerdotem vindicanti.* De secundo sic scribit Chrysostomus: *Quid Præpositi de nostro honore lucrantur, nisi inquantum obtemperantes habebunt, idque pro vtilitate nostra? Hi enim, licet honorentur, nihil ex eo honore in futurum lucrantur; imo maiorem inde sæpè damnationem suscipiunt. Et si patiantur iniurias, nihil ex eis detrimenti in futurum acquirent; imo & meritorum illis accedit cumulus atque defensio. Nostri autem causa cuncta hæc fiunt. Nam siue honorantur à subditis,*
B *& hoc illis fieri iubet, sicuti dicebat ad Heli, Assumpsi te de domo patris tui: siue iniuriis afficiatur; hoc in se Deus ipse perpetitur, vt ad Samuelem ait: Non te spreuerunt, sed me. Itaque illis contumelia, lucrum; honor, onus est.* Tertium per se patet. Quemadmodum enim recalcitrantem ouem non facilè pastor curauerit; & qui reluctatur æger, difficilius medelam capit: ita subditi immorigeri & morosi, qui vel per contemptum pastorem non audiunt; vel auditum per superbiam contemnunt, difficillimè ab eo formantur. Multo autem hoc verius in animarum cura accidit, quàm in illis aliis. Curari enim anima non potest, nisi sponte & lubens se disciplinæ subijciat. *Volentium enim, non coactorum, salutis est mysterium*, ait Gregorius Nazianzenus: & *Christus eos æterna corona donat*, (ait Chrysostomus) *non qui coacti aut inuiti, qui certo animi proposito à peccato abstinent.* Quare D. Basilius verba Apostoli citata exponens, ait: *Quod hic dicitur, Hoc enim non expedit vobis, mea quidem sententia magni cuiusdam detrimenti, & quod ægrè admittat curationem, significationem habet. Res est enim omnium difficillima, seipsum cognoscere & curare. Naturaliter enim seipsum vnusquisque amat: ab alio autem cognosci & curari facile est.* Iam vero quod quarto dictum fuit, non expedire populo vt gementes ac dolentes Pastores officium faciant, quia sic Pastores suos lædunt, & difficiliorem illis prouinciam pascendi reddunt, ex eo patet, quod animi dolor ac tristitia, quæ ex subditorum peruicacia oritur, animi vires frangit, & ad munera pastoralia obeunda grauem atque in idoneum facit. *Mæstitia* (ait Chrysostomus) *itemque curæ ac sollicitudines perpetuæ, animi vim maximè possunt prosternere,*
C *eundemque ad summam etiam imbecillitatem perducere. Nam menti tenebras offundunt, neque sinunt eius fœtus puros sinceroque euadere.* Sic & D. Gregorius Magnus: *Loqui de Deo, quietæ valde & liberæ mentis est. Nec enim contusa aqua imaginem respicientis reddit; sed tunc in ea vultus intendentis aspicitur, quũ non mouetur.* Sic & D. Augustinus: *Ex ipsa tristitia sermo procedens, minus gratus est, quia de ariditate mœstitiæ minus exuberat: & profectò languidus & insuauis ille sermo erit, qui per venam cordis æstuantem fumantemque trajicitur.* Plurimum ergo sibiipsis detrimenti adferunt, qui sua peruicacia & irreuerentia id agunt, vt animarum curatores gementes ac dolentes officiũ faciant; quando ita constituti, nec cum spiritus libertate & charitate aliis consulere, nec salutis pabulum vbertim subministrare, nec laborantibus suis condolere & compati possunt. Vnde Apostolus: *Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi eos cõsolari qui in omni pressura sunt.* His igitur de causis tum ipsi populo, tum ex rei natura necessaria est Sacerdotum in Ecclesia Christi debita reuerentia: quam in his verbis commendare Christus voluit, cum à se sanatum leprosum mittit nihilominus ad Sacerdotes, vt illis se ostendat. Vnum exemplum subijciam. S. Martinus, Episcopus Turonensis, à Maximo Imperatore inuitatus, quum primum illi poculum iubente Imperatore porrigeretur, eo fine vt ipsi Imperatori Episcopus, honoris causa, ante omnes præbiberet; neglecto Imperatore, suo sacellano Presbytero propinauit. Quo viso, dixit Imperator, alios quidem Episcopos, etiam in templo, illi adulari; Martinum verò, nec in mensa Principis, sacerdotalis reuerentiæ aliquid imminuere velle.

1. 2. 3. 4. *Sacerdotẽ non reuereri, peccatum. Exempla. Num. 16. Li. 3. de Sacerdotio. 1 Reg. 8. Zachar. 2. Li. 4 epi. 9 Sacerdotẽ reuereri populo est vtile. Ho. 2. in 2. ad Tim. Sacerdotis reuerentia, facit populũ docilem Similia. In orat. quum à patre in consortiis assumptus esset. Li. 2. de Sacerd. Constit. monast. c. 23. Sacerdotibus negata reuerentia, facit eos minus vtiles. Li. 5. de Sacerd. Hom. 11. in Ezech. De catech. feud. c. 10 Exemplum 2. Cor. 1. Seuerus Sulpitius in vita S. Martini*

D

5. *Et offer munus quod præcepit Moyses.*

LOcus moralis de animi gratitudine in Dei beneficiis acceptis præstanda. Leprosus enim sanatus, iubetur in lege offerre duos passeres viuos, iuxta ritum in Leuitico præscriptum; quam oblationem Christus hic *Munus* vocat: id est, donum in gratiarum actionem pro mundicie accepta oblatum. Multum quippe Deo displicet hominis à peccato sanati (quod per lepram significari in altero Promptuario ostendimus) ingratitudo. Vnde pietas, quam Deo debemus, propriè in eo consistit (vt definit Augustinus) vt anima non sit ingrata Deo. *Cultus Dei*, inquit, *in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata: vnde in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur. Deus enim bonorum nostrorum non indiget*, ait Dauid; sed

Gratitudo animi. Leuit. 14. De Spir. & lit. c. 11. Psal. 15.

totum obsequium nostrum,quod Deo præstare possumus,illud est, ne eius beneficiis ingrati A
1.Thess. 5. simus. Vnde Apostolus: *In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei.* Ad hoc officium mul-
Psal. 102. tis verbis Propheta regius se excitauit,dicens: *Benedic anima mea Domino,& noli obliuiſci omnes re-*
tributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit
de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & in miserationibus. Præcepit Dominus per Eze-
Ezech. 46. chielem, vt qui templum ingrediebatur,per aliam portam egrederetur,ne Propitiatorio terga
Allegoria. verteret,cum à templo exiret. Qui enim eadem porta regrederetur,terga verteret Propitiato-
Stella in rio. Docuit iste ritus typicus,accepto aliquo à Deo propitiante beneficio,non esse illi per obli-
Lucam 5. nionem terga vertenda. Omnes qui aqua indigent,præcipites in fontem vadunt,in eum ocu-
Similia. los & animum dirigentes; sed iam bene potati reuertuntur,terga fonti animumque vertentes.
1. Sic multi in sua siti & tribulatione,diuinæ bonitatis fontem inclamant; liberati, obliuiscuntur.
Pint. Dial. Sed & situla,qua aquam è fonte haurimus,vt aquam intromittat,os inclinat; & immergit; vbi
par. 2. aquam receperit, fundum illi quasi tergum obuertit: sic faciunt ingrati. Et sicut mare aquas
Dial. 2. c. dulces è cælo accipit,sed easdem salsas reddit; sic multi,pro bonis à Deo acceptis,mala per in-
10. & 11. gratitudinem rependunt. Et sicut nubes virtute radij solaris è terra exhalatur & attollitur,su-
3. blata autem ipsum aerem obnubilat,& radios solares obscurat: sic homo ingratus, Dei fauore
4. exaltatus, Deum postea spernit,& mandata eius violat. De hoc conqueritur per Prophetam B
Esaig 1. Deus: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et rursus: *Bos cognouit possessorem*
suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit. Sponsa in Canti-
Cant. 4. cis, quæ est anima fidelis, quum laudatur à sponso, *vt tota pulchra*: prima pulchritudi-
Phil. Diez. nis pars, vnde sic laudatur, est: *Oculi tui sicut columbarum.* In quo eam gratitudinis nomi-
in hanc ne collaudat. Columba enim cum singula grana rostro deglutit, rostrum atque oculos in al-
Dom. cõc. 3 tum extollit. Accipit vnum granum,& oculos in altum eleuat: accipit alterum,& iterum ocu-
Similia. los erigit:& sic denique ad singula grana facit quæ deglutit. Talis est anima fidelis: ad singula
1. Dei beneficia oculos & corda sursum tollit, gratias agens Deo suo. Hanc virtutem in iustis
Psal. 39. commendat Psalmista: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.* Hoc est, nunquam ces-
2. sant Deum laudare. Laus autem Dei vocatur *vox exultationis*; quia ex gratitudine singulare
animi gaudium iustis oritur. Vocatur *vox salutis*; quia gratiarum actio non solum perseueran-
tiam in bono,sed & ampliora gratiæ beneficia à Deo impetrat. *Quemadmodum enim exiguũ phar-*
macum è magnis plerumque morbis hominem eripit; sic ob res paruas Deo gratias agere, ingentia bona conci-
3. *liat*: ait S. Damascenus in historia de Barlaam & Ioasaphat. Sicut enim omnia flumina currunt
in mare, vnde per exhalationes marinas orta sunt, vt eo reuertantur vnde iterum fluant, fiat- C
que hoc modo perpetuus aquarum cursus atque recursus, fluxus atque refluxus assiduè reci-
procus: sic omnia Dei dona,quæ ad nos descendunt à Patre luminum, ad Deum denuo per
Serm. 51. gratiarum actionem reportantur,vt sic rursum à Deo ad nos recurrant,sitque perpetuus gratia-
in Cant. rum eius & reciprocus recursus inter Deum & nos. *Ingratitudo vero* (ait D. Bernardus) *est quasi*
Simile. *ventus exiccans & vrens fontem pietatis,rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Si Rex quotannis mille
aureos tibi dari iuberet, tu vero illos omnes in emendo veneno, quo eum tolleres, vel in ar-
mis ad ei bellum inferendum, consumeres; nonne maximam iniquitatem te admisisse, & mille
mortes commeruisse omnes iudicarent? At sic faciunt qui Dei dona in occasionem peccati
vertunt,qui diuitiis,honoribus, scientia,accepta denique frequenti peccatorum remissione,ad
Exemplũ. luxum,ad superbiam,ad impietatem,ad faciliorem recidiuam abutuntur. Dedit Deus Hebræo-
Exod. 11. rum populo eam gratiam in oculis Aegyptiorum, vt eos omni auro atque argento, rebusque
Exod. 32. pretiosis spoliarent. At boni isti Hebræi ex his Aegyptiorum spoliis vitulum sibi aureum con-
flauerunt,quem,reiecto vero Deo,infandè colerent. An magis execrabilis potuit esse ingra-
titudo? At eandem committimus omnes,qui,quod modo dictum est,facimus. Hanc ingrati-
tudinem mirabili metaphora veteri populo Deus exprobrauit, quæ tanto maior est in
populo nouo,quanto maiora accepit beneficia Christi Ecclesia, quàm synagoga Iudaica. Sic
apud Ezechielem loquitur: *Iuraui tibi,& ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es* D
Ezech. 16. *mihi. Et laui te aqua,& emundaui sanguinẽ tuũ ex te,& vnxi te oleo.* Cõsidera hic Baptismũ, emunda-
tionem à peccatis, Sacramentũ Chrismatis. *Et vestiui te discoloribus; & calceaui te hyacintho, & cin-*
xi te byſſo, indui te subtilibus. Considera hic varias virtutes,pacem in affectibus,castitatem in lum-
bis,intellectum acutissimum in mente. *Et ornaui te ornamento; dedi armillas in manibus tuis, & tor-*
quem circa collum tuum,& dedi inaurem super os tuum,& circulos auribus tuis,& coronam decoris in capite
tuo. Considera hic ornamenta exteriora, bona opera manuum,abstinẽtiam gutturis, silentium
oris,custodiam auditus,& victoriam vitiorum. *Et ornata es auro & argento, & vestita es byſſo & po-*
lymito,& multis coloribus. Considera hic dona charitatis,& eloquentiæ, & omnis generis virtu-
tum. *Similam,& mel,& oleum comedisti,& decora facta es vehementer nimis.* Considera hic omnium
rerum abundantiam,etiam quoad victum corporis. *Et profecisti in regnum, & egressum est nomen*
tuum in gentibus propter speciem tuam,quia perfecta eras in decore meo,quem posueram super te,dicit Domi-
nus. Certè nomen Christianum,totum orbem occupauit, & post professionem Christianam
plurima regna maximè floruerunt. Sed & anima fidelis regnat in gratia, quàm diu non regnat
in ea peccatum. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua,fornicata es in nomine tuo,& expo suisti fornica-*
tionem tuam omni transeunti, vt eius fieres. Hęc est execrabilis ingratitudo, vt, vnde maiorem Deo

seruiendi

A feruiendi materiam anima acciperet, inde ansas & materias peccandi, Deumque offendendi, maiores caperet: *Incrassata quippe, impinguata, dilatata, recalcitrauit.* Renouata in Christo anima, & noua creatura facta, quasi iam satis pulchra atque perfecta, déque salute certa & secura (vt impij hodie hæretici blasphemant) Dei mandata negligit, omni se voluptati prostituit. Adhuc sequitur in Ezechiele: *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo & argento meo, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.* Talia idola nobis fabricamus de donis Dei nobis concessis, quotquot ad honores, ad voluptates, ad diuitias, ad odia & simultates exercendas, vel ingenij, vel corporis, vel fortunæ viribus abutimur. Concludit Propheta: *Væ, væ vobis, ait Dominus.* Notauit Seneca, ab humanis legibus nullam ingratitudini pœnam constitutam esse: quia tanta est eius iniquitas, vt sola Dei iustitiæ rigidissimæ relinquatur punienda. Sunt autem ingrati mulo similes, qui, quum saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem. Rogatus Diogenes, quid apud homines celeriùs senescceret; beneficium, respondit. Nam iniurias quidem acceptas marmori, beneficia pulueri inscribimus. Et sicut muscæ in tersissimis speculis reptantes dilabuntur, in asperis verò locis hærent facillimè; sic, quæ est nostra morositas, beneficiorum immemores, iniuriarum tenacissimi sumus. Sed & insanis ac furentibus similes ingrati sunt, qui in xenodochijs aluntur, & suos benefactores nunquam agnoscunt. Ad hanc ingratitudinem circa Dei beneficia diligentissimè cauendam, innumera gratitudinis exempla, barbaris & ethnicis exhibita, nos incitare debebant: quod fecit S. Saba, multorum monasteriorũ celeberri-
B mus pater. Quibusdam Agarenis per cellam eius transeuntibus, & famentibus, appositerat radices tantùm quasdam melagriorum, & arundinum cortices: neque enim alio cibo ipse vtebatur. Redierunt illi postea, afferentes ei caseos & dactylos. Quo viso, Hei mihi, inquit. Barbari isti, parui nostri beneficij memores, referre gratiam munificè studuerunt: nos autem, qui quotidie fruimur bonis Creatoris, nullam ei vicissim studemus referre gratiam per mandatorum obseruationem. Quæ de cætero excusatio, quæ venia dabitur? Hæc ille. Ideo Apostolus generale & perpetuum præceptum contra ingratitudinis vitium dat: *Omne quodcunque facitis aut verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Quemadmodum enim ingrato vniuersa inter manus euanescunt; sic illi qui pro omnibus Deo agere gratias nouit, omnia crescunt & multiplicantur. De hac materia in alijs Euangelijs plura.

Deut. 23.

Ælian. l. 4. Simile.

Apophthegma. Similia.

Exemplũ. In vita eius apud Surium, tom. 6. p. 759.

Coloss. 3.

6. *In testimonium illis.*

C LOCVS moralis de grauiori iudicio eorum, qui maiora à Deo virtutis documenta & adiumenta acceperunt. Nam vt idcirco hunc sanatum leprosum ad Sacerdotes mittit Christus, quo videntes miraculum Christi, nec tamen credentes in Christum, inexcusabiles fierent, hoc ipso miraculo testimonium incredulitatis contra illos perhibente: sic hodie inexcusabiles fiunt, qui videntes quotidie mirabilia Dei opera, audientes optimas conciones, habentes ante oculos tot exempla virtutum, manent tamen in peccatis suis. Illa enim omnia erunt illis in testimonium. Sic Christus de persecutione quam à Iudæis Apostoli passuri erant, dixit: *Continget autem hoc vobis in testimonium.* Hinc D. Augustinus: *Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exemplar. Tot conuincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus.* Quare sicut Christus de Iudæis dixit; *Si non veniissem, & opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum; peccatum eorum manet:* idem de nobis dicetur qui Christi operibus, beneficijs, promissionibus, visis, acceptis & intellectis, nihilo tamen meliores simus. Terrere nos debent Christi verba: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quàm vobis.* Consideret quisque, quas & quantas virtutes, naturæ, fortunæ, gratiæ Deus in ipso fecerit, videatque an adhuc pœnitentiam egerit, vitamque emendatiùs traduxerit. *Durissimum iudicium his qui præsunt: & potentes potenter tormenta patientur.* Quanto magis crescunt dona, tanto & cres-
D cunt rationes donorum, ait S. Gregorius. Hanc inconsiderationem exprobrat Propheta dicens: *Homo quum in honore esset, non intellexit. Comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* In honore homo est, qui magna Dei dona accepit, multas miserationes sensit. Hæc si non intelligit, erunt omnia *in testimonium illi*, & comparabitur iumentis insipientibus; quæ quum magnum à natura robur acceperint, à paruulo tamen puero minantur & reguntur. Quum non reciperetur Apostolorum prædicatio, *exeũtes illi excutiebant pulueren de pedibus suis.* Vbi nunc Apostolica prædicatio corda non immutat, sic anathema & maledictio erit Deo, vt nec minimum ab Ecclesiæ Sacramentis beneficium sit accepturus; sed etiam pro minutissimis peccatis pœnas graues luiturus. Bonorum fidelium, non solùm pulueres, sed & sordes Ecclesia portat, pro multis eorum peccatis apud Deum intercedens, adeoque ea comedens.

Luc. 21. Medit. cap. 4.

Ioan. 9.

Matth. 11.

Sap. 8.

Psal. 48.

Matth. 10.

Osee 4.

A

7. *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, &c.*

Dominorũ in seruos cura.

LOcus moralis de cura & officio dominorum erga seruos. Bonus hic enim Centurio pro seruo suo (vt disertè Lucas eum vocat) tum per se, vt hic apparet; tum per amicos suos, seniores Israel (vt est apud Lucam) apud Christum omni studio atque officio intercessit, vt à graui morbo sanaretur. Damnatur hoc exemplo illorum dominorum pessima consuetudo, qui ægrotos ministros statim domo expellunt, & ad hospitale publicum emittunt. Illis quippe maior equi aut mulæ, quàm seruorum, imo conseruorum, cura est. Apostolus quum seruis erga dominos omnem charitatem imperasset, subiungit: *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas.* Parem charitatem exigit à dominis erga seruos, quàm à seruis erga dominos. Et causam subiungit fortissimam: *Scientes quia & illorum & vester Dominus est in cælis; & personarum acceptio non est apud Deum.* Et rursum in alia epistola: *Domini, quod iustum est & æquum; seruis præstate.* At quid æquius & iustius, quàm domesticorum suorum curam habere? *Si quis enim suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior,* id est, grauius in hoc genere peccat, quàm ipsi infideles solent; & fidem negauit, id est, fidem Christi diffamauit, & graui ignominia affecit, ea faciens quæ fidei non conueniunt, imo quæ nec infidelis faceret; vt in isto Centurione homine gentili patet. Sic & Seneca, homo infidelis, sensit. *Libenter*, inquit, *ex his qui à te veniunt, cognoui familiariter te cum seruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt? imo homines. Serui sunt? imo contubernales. Serui sunt? imo humiles amici. Denique serui sunt? imo conserui, si cogitaueris tantundem in vtrosque licere fortunæ.* Hæc quidem ille. Sed multo magis conseruos æstimabimus, si cogitauerimus, eodem esse pretio emptos pretioso sanguinis Christi, & eundem nobiscum habere Patrem & Dominum. Sic Christus: *Non debuisti misereri conserui tui?* Crudelitatis dominorum in seruos vnum exemplum proferam. Memoria nostra (ait Franciscus Senensis, scriptor modernus) extitit ingenij pessimi seruus, cui etiam sæuissimus herus fuit, qui in eum verberibus sæuire non desinebat. Iratus seruus, quum dominum vlcisci nequiret, duos quos habebat dominus infantes, anniculum vnum, alterum bimulum corripuit; turrique edita conscensa, dominum vocauit, monens vt infantes suos gremio exciperet: quos quàm primum illisos parieti deiecit, seseque præcipitauit, ne viuus in potestatem domini veniret. Hoc animaduertant, qui omnia sibi in seruos licere arbitrantur, quorum nunquam tam destituta fortuna est, vt non interim nocere dominis possint.

Epheſ.6.

Coloſſ.4.
1.Tim.5.

B

Epiſt.47.

Matt.18.
Lib.4.de Repub.
Exemplum

C

8. *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum.*

Humiliatio sui.
Luc.7.
Centurionis humilitas.

LOcus moralis de humili consideratione sui ipsius; & vt de se quisque humiliter sentiat. Superbus omnia sibi deberi putat, humilis nihil. Erat hic Centurio vir nobilis, & Capharnaum, quæ Galilææ caput erat, Præfectus à Romanis constitutus, qui & gentem Iudaicam sic amauit, vt synagogam ipse eis ædificauerit, ideoque seniores Iudęorum pro eo apud Christum intercesserint, dicentes, *Dignus est vt hoc illi præstes*: qui etiam venienti Christo ad se, *amicos obuiam misit, dicens, Domine, noli vexari.* Hic tamen nec generis nobilitatem, nec officij sui dignitatem, nec merita in gentem Christi, nec pietatem & gratiam qua valebat, respiciens, omnino se indignum putat non solum beneficio quod petebat seruo suo, non sibi; sed etiam conspectu Christi. *Propter quod*, inquit, *me ipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te.* Obseruatione dignissima est huius ethnici hominis tam profunda humilitas. Reuera, quo quisque melior est, eo humilior est, eo se cæteris indigniorem iudicat. Ramus in quo pendet fructus, & spica plena grano declinat se in terram: sic anima humilis, onusta fructibus bonorum operum, respicit humi, propriam scilicet fragilitatem & conditionem terrenã, vnde sese humiliandi causam accipit. Ramus erectus & spica erecta vacua sunt. Vnusquisque nempe, non solum ex parte corporis (quod clarum est) sed etiam ex parte animæ, se puluerem & cinerem reputare debet, & sic se semper humiliare. Sicut enim cinis vilis est, sic anima ex culpa (delicta autem quis intelligit?) vilis, & abominabilis Deo est. Sicut cinis statim quouis vento dispergitur, sic homo per se non potest resistere modicæ tentationi, sed ad sibilum modici verbi sæpe cadit. Denique sicut cinis non potest redire ad statum suæ materię; sic peccator non potest redire ad statum gratiæ, nisi sola Dei virtute. Certè quicquid consideramus, siue ea quę extra nos sunt, siue quæ intra; siue quæ infra nos sunt, siue quæ supra; siue denique quæ contra nos: omnia nos humiliationem & abiectionem nostri ipsius docent. Propter ea quæ extra nos sunt, humiliare nos possumus, considerando proximorum virtutes. Propter ea quæ sunt intra nos ipsos, considerando proprias offensas, inclinationes prauas, defectus, vel etiam ipsas virtutes, si quæ sunt, à Deo esse, non à nobis. Propter ea quæ infra nos sunt, si quadrupedia consideras, vides ea fortiora; si volatilia, vides ea agiliora; si terræ nascentia, vides vel vtiliora, vt fructus; vel pulchriora, vt flores. Propter ea quæ supra nos sunt, considerando Deum, cuius vel potentiam euadere, vel sapientiam latere, vel iustitiam corrumpere, vel misericordiam tuis viribus promereri, & sine ea tamen

S. Bonau. in Dieta salut. c.36.

Similia.
1.
2.
Cineri homo assimilatur.
Humiliationis nostræ causæ.
1.
2.
3.
4.

D

A ea tamen esse non possumus. Propter ea quæ contra nos sunt, considerando hostium varietatem, importunitatem, crudelitatem, mundi varietatem, carnis importunitatem, dæmonum crudelitatem, vt dicere quisque debeat: *Misericordiæ Domini quod non sumus consumpti.* In hac tam varia consideratione quis ita demens, vt de se non humiliter sentiat? Sed hæc pauci considerant. At sicut muscus in locis fœtentibus recuperat odorem; sic humilitas fragrantior efficitur, quum quis propriam considerat vilitatem. Vnde D. Ambrosius, *Sicut apes*, inquit, *quum aeris motus suspectos habet, lapillis sæpè sublatis, per inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum: sic qui à vanæ gloriæ vento sibi timet, ne eius impulsu in transuersum rapiatur, suarum culparum & imperfectionum consideratione assumpta, mentis suæ cogitationes libret, vt, quantum vana laus attollere potuit, tantum alia deprimat.* Hæc ille. Sic diuus Chrysostomus: *Si vel vnius*, inquit, *diei peccata in memoriam reuoces; faciet illa recordatio, vt facilè crimen dimittas.* Vbi pauo superbus pedes suos cō-

B tuetur admodum turpes, caudam, vnde superbit, statim demittit. Sic indignum se quisque reputabit, quum fortè dignus sit, si suas imperfectiones & peccata considerat. Sicut, si quis vestem manu tenens, à iunctura manus vsque ad cubitum se tegat, reliquo toto corpore nudus, merito insanire iudicaretur; merito ab omnibus deridetur, si illam suam manicam semper ob oculos habens, propter illam se bene vestitum putat, & contra alios, eius nuditatem spectantes atque irridentes, offenditur: sic omnino qui propter vnam aut alteram virtutem, quum multis præterea vitiis scateat, sibi interim bene placet, & plaudit, merito deridendus ab hominibus, merito reprobatur à Deo, *Qui iacet in terra, non habet vnde cadat.* Qui humiliter de seipso sentit, vix in peccatum cadet; certè in temporalibus cadere non potest. Nam vt superbia quærit contentionem, id est, locum superiorem, pro quo omnes contendunt; ita humilitas semper habet pacem, quia quærit locum inferiorem, pro quo nemo contendit. Plura de hac virtute superius dicta sunt in præcedentibus Dominicis: in aliis quoque sequentibus plura dicentur.

5. *Thren.* 2.

Similia. 1.

Lib. 3. de Virginib. 2.

Hom. 20. *in Matt.* 3. 4.

5. *Dom.* 3. *Adu. tex.* 2. & 8.

Dom. 4. *Adu. text.* 6.

9. *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores.*

Vocationis nulla certitudo.

LOcus moralis de vocatione incerta, siue ad Christiani nominis, siue ad religionis cuiuspiam, aut status ecclesiastici professionem: neque satis esse Christum profiteri, religionis propositum suscipere, Sacerdotalis ordinis esse, nisi vocationi & professioni tota vita, & res ipsa respondeat. Nam vt Iudæis nihil profuit, Dei populum & peculium fuisse, filios promissionis, & semen Abrahæ secundum carnem extitisse, circuncisionem accepisse, verum Deum cogno-

C uisse, *credita illis eloquia Dei fuisse, adoptionem filiorum, & gloriam, & testamentum, & legislationem, & obsequium, & promissa accepisse, patres denique fuisse, ex quibus esset Christus secundum carnem*, quia in Christum credere noluerunt: sic nec nobis Christianis proderit, *nunc populum Dei esse, qui eramus non populus*; filios promissionis esse secundum fidem, Baptismo per Christū incorporatos esse, Scripturas sanctas nobis relictas habere, *adoptionem filiorum, in qua clamamus Abba Pater*, & gloriam, & testamentum, & nouam legislationem *in melioribus repromissionibus sancitam*, & cultum Sacramentorum, & amplissimas Christi promissiones accepisse, patres denique in Christo fuisse, ex quibus multi in Christo spirituales filij nascerentur, si fidem nostram bonis operibus non consummamus, vt Iacobus de fide Abrahæ loquitur (*fides eius operibus consummata est*) & *vocationem nostram per bona opera certam facere non satagimus*, vt Petrus monuit. Sumus per fidem filii regni, *ciues & domestici Dei*, vocatione sancti; sed nisi Centurionis humilitatem, & fidem operantem imitemur, in tenebras exteriores eijciemur. Orat Paulus pro Ephesiis, *vt det illis Deus spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione Christi; vt sciant quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.* Est enim certè maxima spes vocationis Christianæ, sed vide quid eisdē paulo post Paulus scribat: *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis: cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, &c.* Paulus ipse ait, se ea quę sunt retro obliuiscē-

D tem, *ad ea quæ sunt priora, extēdere seipsum, ad destinatū persequi, ad brauiū supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Magnū certè est vocationi nostræ brauium propositum; sed *eo contēdere vt in agone oportet*, nosque ipsos magis ac magis ad bona opera *extendere*, non per ignauiā & socordiam nos distendere, vt somnolenti faciunt. Orat rursum Paulus pro Thessalonicensibus, *vt dignetur eos* (id est, dignos faciat) *vocatione sua sancta Deus, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute.* Nā (vt in priori epistola dicit) *non vocauit nos Deus in immūditiam, sed in sanctificationē.* Ita semper beatissimus Apostolus vocationem nostram in Christo spe plenam quidem esse docet; sed omnino à rectè factis, & à bonis operib. ac sancta patientia, spei huius cōplementum pendere. *Hæredes sumus secundū spem vitæ æternæ*: sed sequitur; *Si tamen cōpatimur vt conglorificemur. Superindui cupimus* (gloria cælesti) *si tamen vestiti* (bonis operib.) *& non nudi inueniamur*, videlicet *sine veste nuptiali*; quā qui nō habuit, in tenebras exteriores eiectus est. Rursū, *Participes Christi sumus, & vocationis cælestis*, ait Paulus: sed addit; *si tamē initiū substātiæ eius vsq; ad finē firmum retineamus.* i. si renouationē in Baptismo factā, de qua Iacob. dixit, *Voluntariè nos genuit verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*, integrā seruamus. Rursum, *Domus Christi sumus nos*; sed, *si fiduciā & gloriā spei vsque ad finē firmiter teneamus.* Spes autē & fiducia, sine cōscientiæ bonitate & integritate, præsūptio est, nō spes; & audacia, nō fiducia. Omnes deniq; Dei & Christi promissiones ad filios regni factæ,

Rom. 3. & 9

Osea 1.

Rom. 8. *Hebr.* 9.

Iacobi 2. 1. *Pet.* 2. *Ephes.* 2.

Ephes. 1.

Ephes. 4. *Philip.* 3.

2. *Thess.* 1. 2. *Thess.* 4.

Rom. 8. 2. *Cor.* 5. *Matt.* 22. *Hebr.* 3.

Iacobi 1. *Hebr.* 3.

2. Tim. 2. Tit. 1. Ioan. 8. *Locus contra hæreticos.*

conditionales sunt. *Si commortui sumus, & conuiuemus. Si sustinebimus, & conregnabimus. Si negauerimus illum* (*factis autem negatur*, non verbo tantum) *& ille negabit nos*, denique, *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Adeo verum est, quod filij regni eijcientur foras, nisi, quod filios regni decet, pro regno obtinendo legitimè decertent. Valet autem hic locus contra pestilentes horum temporum hæreticos, qui ex doctrina solius fidei statuunt filios regni eijci de regno non posse, postquam semel per fidem adoptati in filios sunt: vt in altero Promptuario non semel ostendimus. A

10. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

De pœnis inferni.

LOcus moralis de pœnis inferni: quas per fletum & stridorem dentium Christus ex parte hoc loco describit, & per tenebras exteriores, id est, extremas, & quibus nihil est vlterius aut profundius. Fletus autem iste, etsi non sit fortè resolutio lachrymarum, quæ alterationem præsupponit, quæ cessante motu cæli, naturaliter fieri non potest; est tamen dolor aliquis fletui corporali respondens, vt commotio capitis, & turbatio cerebri acerbissima, quod ad corpus ipsum attinet: animæ vero summus mœror atque tristitia, qualem in hac vita lachrymæ solent exprimere. Nam fletus iste, atque stridor dentium, qui verè in damnatis corporibus erit, non ab igne, frigore, fumo, tenebris, aut aliqua causa extrinseca, sed à causa intrinseca, à tristitia & indignatione mentis procedent. Stridor autem dentium fiet ex concussione totius corporis, quàm tristitia & dolor incredibilis efficient. De his pœnis Esaias: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Vermis conscientiæ, animam; ignis comburens, corpus in æternum affliget. In his pœnis est perpetuus & intolerabilis fœtor: de quo Dauid: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum* (id est, turbulentæ tempestates seu strepitus ventosi) *pars calicis eorum*, id est, pars afflictionis damnatorum. Fœtor autem huiusmodi est, vt, si corpus damnati super terram ponerètur, vniuersum aerem suo fœtore inficere posse, à quibusdam existimetur. Ad has pœnas accedit alternum cum calore frigus; non ad recreationem, sed ne vllo pœnæ genere careat damnatus. Sic S. Iob: *Transeant ab aquis niuium ad calorem nimium, & vsque ad inferos peccatum eorum.* Fames quoque & sitis damnatos premet. *Serui mei comedent* (ait per Esaiam Deus, & addit Christus, *in Regno Patris mei*) *& vos esurietis. Sic diues in inferno guttam aquæ petijt à Lazaro.* Sed & torquebunt maligni spiritus, carnifices infernales. *Tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuersum debitum.* Denique horror erit illic perpetuus, confusio, strepitus; *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Atque hinc tartarus à verbo ταρασσω vocatur à D. Petro. Postremo (quod omnium est grauissimum) pœnarum æternitas: *Ite maledicti in ignem æternum.* Hæc de pœnis inferni Scriptura sancta nobis reuelauit. Ex his omnibus si sola æternitas consideretur, ad fugam & detestationem peccati vel sola posset sufficere. Considera Oceani magnitudinem, quàm immensa est aqua quam continet. Finge animo, centesimo millesimo quoque anno formicam ex eo bibere, quantum formica potest; dicere autem Deum damnatis, Confidite: nam quum exhaurietur à formica mare, tunc pœnarum vestrarum finis erit, magnã haud dubiè ex eo spem & consolationem conciperent damnati, quia saltem finis sic aliquis tormentorum esset. Nam hoc quantumcumque longissimum temporis spatium, tamen præ æternitate prorsus nihil est. Sed & de his pœnis sic alia Scriptura loquitur: *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua. In tempore consummationis effundent virtutem, & furorem eius, qui fecit illos, confundent. Ignis, grando, & fames, & mors; omnia hæc ad vindictam creata sunt: bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios.* Hæc autem descriptio pœnarum inferni, etiam ex voce *Gehennæ*, quam primus de loco & pœnis inferni Christus Dominus in Euangelio vsurpauit, colligi potest. Significat enim vox illa vallem quandam prope Ierusalem, quæ Gehenna, quod vallem filiorum Hinnon significat, vulgo vocabatur. In hac autem valle solebant idololatræ Iudæi filios suos per ignem diabolo immolare, & immolationis tempore, ne paruulorum lamentabilis clamor audiretur, tubis ac tympanis, aliisque instrumentis bene sonoris resonantibus aerem complere. Cessante autem idololatria, in tanti sceleris horrorem, in hanc vallem sordes omnes, stercora, cadauera exportabantur. Vt verisimile sit, Redemptorem nostrum hoc vocabulum ad tormentorum locum, & inferni pœnas significandas vsurpasse, eo quod in inferno ploratus & vlulatus, fletus, & stridor dentium, fœtores, scorpii, serpentes (qui huiusmodi in fimis enasci solent) vindictam in impios exercerent. Has pœnas singulis peccatis responsuras, iuxta illud, *Quantum se glorificauit in deliciis, tantum date illi tormentum & luctum*, sic apud Iob legimus: *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.* Sed de his inferni pœnis alias plura.

Esaiæ vlt. *Psal. 10.* *S. Bonau. in Diæta salut. c. 39.* *Iob 24.* *Esaiæ 65.* *Luc. 16.* *Matt. 18.* *Iob 9.* *2. Petr. 4.* *Æternitatis consideratio.* *Apoc. 18.* *Iob 20.* *Dom. 5. post Epiph. text. 9.* *Eccl. 39.* *Gehennæ vox.* *Hier. in c. 10. Matt.* B C D

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ IV.

Post Epiphaniam.

ASCENDENTE Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Matt.8.
Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. Et accesserunt discipuli eius, & suscitauerunt eum: dicentes: Domine, salua nos: perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis &
B mari: & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* De tribulationibus iustorum, ad patientiæ virtutem exercendam, ad arctiorem erga Deum amorem prouocandum, ad maiorem Dei erga nos amoris significationem.
2. *Ipse autem dormiebat.* De apparente Dei obliuione, sed vigili semper prouidentia.
3. *Et suscitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos: perimus.* De inuocando per orationem Christo in omni necessitate.
4. *Quid timidi estis modicæ fidei?* De fiducia in Deum nunquam deponenda.
5. *Tunc surgens, imperauit ventis & mari: & facta est tranquillitas magna.* De Dei clementia, qui
C post procellas serenitatem adfert.

1. *Motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.*

LOcus moralis de tribulationibus & aduersis, quæ Deus sua prouidentia, etiam ab eo maximè dilectis, immittit; vel ad maiorem suam gloriam in eorum postea liberatione ostendendam; vel vt ipsos electos suos liberatos à malis, ad maiorem gratitudinem, & Dei amorem excitet. Apostoli enim hic in mari tempestatem sentiunt, & quidem tantam, vt iam iam perituri viderentur; sed à qua Christus sic eos liberat, vt & suam gloriam magis manifestet, & suorum erga se fidem & dilectionem magis prouocet. Nam Christus quidem solo imperio tempestatem tollit; Apostoli vero, in seipsis miraculum experti, ad Christi amorem magis accenduntur, quàm in aliorum morbis & malis expellendis, quæ quotidie cernebant. Sic solet Deus in pericula quidem, eaque præsentia, suos coniicere, non vt pereant, sed vt exercitentur. Passus est Iacob reuertentem de Me-
D sopotamia videre fratrem suum Esau cum quadringentis viris ad se venientem, & ingenti metu concuti; sed vbi eum docuerat à quanto periculo liberandus erat, absque vllo damno liberauit. Voluit Deus vt filij Israel viderent Aegyptios à tergo suo cum curribus & equis in maxima multitudine eos prementes, & præsenti se periculo proximos cernerent; sed eos statim maximo miraculo liberauit: vt videlicet Dei potentiam, & erga eos misericordiam, tanto magis agnoscerent. Suauissima est hæc Dei prouidentia, ad patientiæ virtutem exercendam, ad arctiorem in nobis Dei amorem prouocandum, ad maiorem diuini erga nos amoris significationem. Quæ tria breuiter ostendentur. Sanè quum ad omne virtutis opus patientia non minus sit necessaria, quàm ad reliquos cibos panis (difficultates enim virtutum operationi naturaliter insitas patientia superat, sicuti reliquis cibis saporem & gustum panis adfert) hinc fit vt patientiæ virtus perpetuo nobis sit necessaria, quasi instrumentum quoddam, cuius ministerio reliquas virtutes operemur. At vero quemadmodum gladius ferruginosus, & qui diutissimè è vagina non extractus, æruginem contraxit, quum ad arma venitur, dominum suum sæpenumero adeo moratur, vt prius ab aduersario vulneretur, fortè & occidatur, quàm è vagina

De tribulationibus iustorum.

Deus suos exercet.
Gen.31.

Exod.14.

1.
2.
3.
Patientiæ operatur tribulatio.
Similia.
1.
Stella in Luc.c 8.
2.

educi possit: sic omnino patientia non exercitata adeo tarda est, vt sæpenumero locum diabo- A
lo concedat miseram vulnerandi animam, antequam se armare contra obortam difficultatem
aut tentationem possit. Hac de causa exercet suos Deus tribulationibus externis, vt fortiores
sint ad tentationes internas: exercet vbi non est peccati periculum iactura temporali, vt firmio-
res sint in tentatione ad peccatum, ad conseruandam salutem æternam. Sic Apostolos hic pa-
titur Christus in mare iactari & periclitari, vt eos ad patientiam exerceat, si quando vel à perse-
cutoribus fidei, vel ab internis animæ hostibus agitentur. Non est arbor solida nec fortis, nisi in
3. quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit: fra-
Seneca de prouidentia Dei. giles sunt quæ in aprica valle creuerunt. Sic ad ferenda aduersa delicati sunt, qui non fuerunt
prius exercitati vsu malorum. Ad suspicionem vulneris tyro pallescit. Audacter veteranus
cruorem suum spectat, qui scit se sæpè vicisse post sanguinem. Exercitia igitur fortem faciunt.
4. Videmus equos, quos ad cursum natura formauit, si diu in stabulo torpeant atque desideant,
5. claudos effici, & marcescere. Ferrum vsu splendescit, argenti instar: diu in terra iacens, rubigi-
Granat. to. 1. de Sãctis p. 86. nem contrahit, & tandem in terram vertitur. Sic virtus non exercitata arescit: & terrenus fit,
qui spiritualis erat, nullis aduersis excitatus. Quisquis igitur tentatur, tribulatur, vexatur, seu
6. à diabolo, seu ab hominibus malis, seu à Deo percutiente; si aurum est, expurgatur; si ferrum
est, rubiginem amittit. Et quia ferrum potius quàm aurum plerique sumus; ideo ad excutien- B
dam rubiginem, & ad exercendam patientiam, plerisque est necessaria tribulatio. Hinc illi
Deo chariores ostenduntur, quos, vt salutem eorum procuret, diligenter exercet. Iratus Deus
Esaiæ 5. In ca. 5. Esaiæ. Israelitis, dixit: *Dimittam vineam, & non putabitur neque fodietur.* In quæ verba Basilius: *Quemad-*
Simile. *modum qui vineam putant, astringunt eius vites, & internè continent, vt maiore cum temperamento procedat ad proferendos vtiles fructus: ad eundem modum contingit animæ, assiduitate afflictionum incuruatæ. Quodammodo in se contrahitur, seque humiliter demittit atque humiliat, atque ad sui diligentiorem custodiam retrahitur. Econtrario anima quæ indulgenter ac remissè viuere sinitur, perinde atque vinea quæpiam neglecta, luxuriat, & silvescit sarmentis, seque effundens circa incommoda, nec vllam afferentia frugem, natiuo succo exhauritur.* Christus ergo suos Apostolos in omni patientiæ genere exercuit. Cum illo
Apostolorum exercitia. famem & sitim in deserto, cum illo frigus & æstum in paupertate communi, cum illo labores &
peregrinationes, pertranseundo de ciuitate in ciuitatem prędicationis causa; cum illo in mari
tempestates & periculum extremum (vt in hoc Euangelio) cum illo denique Pharisæorum ac-
cusationes, & Iudæorum opprobria perpessi sunt. Quare illis dicit: *Vos estis qui permansistis me-*
Luc. 22. *cum in omnibus tentationibus meis.* Sic eos igitur ad omnia postea pro sancto eius nomine perfe-
renda exercuit & obdurauit; sic suos semper fideles & amicos in hac vita exercet, & patientiam
Chrys. ho. de Resurr. Simile. docet. *Sicut enim qui mare nauigarunt, & innumeras procellas tulerunt, multasque hyemes perpessi sunt, antequam merces referunt, non paruum peregrinationis suæ lucrum reportant, eo quod aliquanto fidentiores* C
sunt, ac pelagi sæuitiam minus horrent, adeoque intrepidè ac voluptate quadam transmarinas peregrinationes aggrediuntur: ita & qui in præsenti vita propter Christum multas fert afflictiones, etiam antequam regni cælorum magnam illam retributionem assequatur, magna hic potitur fiducia, animãque suã ita excelsam efficit, vt posthac grauia omnia quasi è sublimi derideat. Nempe sic fiunt (vt canit Ecclesia) *tunsionibus, pressuris expoliti lapides, qui suis coaptantur locis per manus artificis, vt disponantur permansuri sacris ædificiis.* De qua dispositione & præparatione Sanctorũ sic S. Aug. super illa Psalmi verba, *In tubis ductilibus, in voce tubæ corneæ: Ductiles tubæ æreæ sunt, quæ tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulãdo eritis tubæ ductiles in laudem Dei productæ. Sic cũ tribulamur, tribulatio, tunsio; profectus, productio est. Quomodo sonuit, & quã suauiter tuba ductilis, qui in tribulatione percussus gratias agit! Ecce, inquit, fabricator Deus. Illam tubam perficere volo. Non perficiam, nisi tundam. Malè sonabat antequam produceretur. Nunc productus & factus tuba ductilis, laudes Dei sonabit, qui antea blasphemias intonuit.* Nempe sicut aurum, quo ma-
Enarr. in Psal. 95. *Simile.* gis tunditur, eo magis extenditur, & in laminas tenuissimas producitur, adeoque in fila subti-
lissima; sic iusti, quo magis per varias tribulationes tunduntur, eo se in charitatẽ Dei magis dila-
tant, eo subtilius & excellentius operantur. Quare (quod secundo loco diximus) ad amorẽ no-
strum in Deũ magis accendendum valet tribulatio, de quo mox plura. Sed patientiæ & fortitu-
dinis robur ab afflictionibus nasci, ex eo adhuc demonstrari potest, quod quẽadmodum cocti
Pint. dial. par. 1. dial. 4. c. 3. Similia. lateres; nisi vehementi igne coquantur, mox vbi aquã biberint, dissoluuntur, & in minutissimas D
micas abeunt; igne autẽ, quo consumendi viderentur, & in cineres redigendi, ita roborantur &
obdurescunt, vt nulla aqua dissolui queant, fiantq; ad ædificia aptissimi: sic omnino iusti, quos
1. ingentes tribulationes frangere, & è statu mentis dimouere posse cuipiã videantur, ex eisdẽ ta-
men tantum animi robur, fortitudinem tantam concipiũt & acquirunt, vt nullis rerum aduer-
sarum fluctibus lædi queant, sed ad ædificium spirituale maximè idonei reddantur, qui viui &
2. electi lapides in eo fiant. Nempe sicut lana & linum, antequam illa pãnus bonus, hoc tela sub-
tilis fiat, tundi, neri, texi & pecti debet, variamque fortunam subire; sic, vt vasa in honorem fia-
3. mus, multa pati, variis ærumnis disponi & exerceri prius oportet. Arbor, vt melius crescat, ma-
4. gisque fructificet, varias patitur incisiones, & multa palmitum spolia ferre debet. Denique ipsa
aromata, nisi pistillo contusa, suauem odorem non spirant. Tot & tanta sunt in rerum natura,
Rom. 5. quæ necessariam hanc fidelium exercitationem docent, & ad oculum illud ostendunt quod
Paulus dixit: *Tribulatio patientiam, patientia probationem operatur.* Nunc de secundo puncto.

Nam quod tribulatio frequẽs ad maiorẽ Dei amorem excitat, & vt arctius Deo adhæreamus

facit,

A facit, vel ex hoc etiam Euangelio patet. Nam Apostoli, videntes se in mari periclitari, statim ad Christum accurrunt, dormientem excitant, & clamant: *Domine, salua nos: perimus.* Sic Dauid: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleranerunt.* Hinc D. Chrysostomus: *Deus tribulationes irruere permittit, vt ad ipsum frequentius confugiamus. Tale aliquid faciunt amantiores filiorum parentes, cum paruulos suos viderint à se quidem sæpè discedere, æquæuorum autem suorum lusibus detineri; præcipiunt famulis terribilia multa simulare, vt exagitati metu paruuli ad maternum sinum confugere festinent.* Sed & mater paruulum infantem laxius & negligentius in sinu suo hærentem, ex industria cadere in terram permittit, vt casu læsus, & matrem inclamans, in sinum post receptus, tenacius adhæreat, matrisque collum amantissimè stringat. Ita enim Deus non modo ab aliis tribulari & vexari nos sinit, sed nonnunquam etiam ipse plagam minatur, adeoque infert; vt nos ad se vagantes & lasciuientes adducat. *Sanè sicut pluuia in terram cadens, erigit semina* (ait idem Chrysostomus) *sic tribulatio animum ingressa, erigit desiderium. Nam sicut granum tritici inclusum in palea, foras non egreditur, nisi fuerit trituratum: sic & homo impedimentis mundialibus, & rebus carnalibus, quasi in palea inuolutus, difficilè egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus*, ait idem alio in loco Chrysostomus. Attentiorem quippe hominem facit, & in causa salutis vigilantiorem, inflicta tribulatio. Quemadmodũ enim viator magis tunc in via solicitus est, cautius & circunspectius ambulat, quando
B vel densæ syluæ, & loco latrociniis obnoxio appropinquat, vel semitam aliquam aut transitum difficiliorem inuenit; in campestribus autem planis ac spatiosis locis securus & negligẽter procedit: sic omnino tribulatione graui oborta; recolligimus nos ipsos attentius, & actionum nostrarum vestigia cautius ponimus; ideoque Dei voluntatem consideramus presius, & auxilium imploramus feruentius. Sic ad maiorem Dei amorem tribulatio excitat. Iam quod tertio loco diximus, immissas seu permissas à Deo tribulationes ipsius diuini erga nos amoris significationem esse, vel ex hoc etiam Euangelio liquere potest. Quid enim Christo suis Apostolis charius? quid rursum illis innocentius? imo quid sanctius, qui omnia reliquerunt, vt Christum sequerentur? Et tamen in mari illos iactari permittit, & ita iactari, *vt nauicula operiretur fluctibus*, iamque morti proximi essent: vt cum Dauide, à Saule agitato, dicere possent, *Vno tantum gradu nos morsque diuidimur.* Sed amoris hoc totum significatio fuit. Quum enim illos & probare & coronare vellet; via autem ad coronas, & modus probationis sit ipsa tribulatio; quo magis eos & amplius coronare desiderauit, eo magis & amplius eos tribulari necesse erat: iuxta illud Angeli ad Tobiam; *Quia acceptus eras Deo, necesse erat vt hæc tentatio te probaret.* De quare in alio Euangelio plura diximus. Sed hic pauca adiiciemus. *Potest enim certè Deus* (vt sapienter scripsit Chrysostomus) *omnia grauia hodie soluere: sed donec nos purgatos videat, & firmam atque inconcussam conuersionem,*
C *tribulationem non dissoluit. Etenim aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit. Nec citharœdus neruum intendere prius desinit, quàm harmoniæ concentum perfectum aduerterit. Sic Deus non abducit tribulationis nubem, donec nos penitus emendauerit.* Ergo vt aurifex aurum, & citharœdus concentum; sic Deus nostram salutem amat, desiderat, procurat. Innocentissimus inter filios Iacob erat Ioseph; cæteris tamen omnibus domi quietè & prosperè agentibus, solus tribulatur. In cisternam fame periturus mittitur. Inde extractus, Ismaëlitis in seruum & mancipium venditur. Ab illis in Aegyptum trahitur, vbi linguam, quam non nouerat, audiuit. In Aegypto seruitio mancipatur, denuo venditus. In seruitio ad adulterium grauissimè tentatur. Tentationi resistens, fidem Deo ac Domino suo castissimè seruans, falso tamen accusatur, condemnatur, in carcerem & in lacum mittitur; multis annis in eo custoditur. Ab ingrato pincerna decipitur. Sed quorsum tot annorum tam varia, tam grauis afflictio? Vt hac ratione à Pharaone exaltaretur, & totius Aegypti dominus fieret, patremque suum & totam cognationem, imo totum, qui tunc in terris erat, populum & peculium Dei à fame extrema liberaret. Nisi enim à fratribus in Aegyptum venditus, nisi in Aegypto in carcerem missus, nisi in carcere à pincerna deceptus fuisset; nec in Aegyptum venisset, nec Pharaoni per tardam licet pincernæ declarationem pro viro sapienti innotescere potuisset. Sed vt ipsemet fratribus suis dixit: *Non vestro*
D *consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, & Principem in omni terra Aegypti.* Sed quare? *Pro salute vestra, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis.* Denique pro annis quatuordecim quibus afflictus erat Ioseph, dominatus est in Aegypto annis octoginta. Nam anno ætatis decimosexto venditur à fratribus, & anno ætatis trigesimo venit in conspectum Pharaonis. Vixit autem annis centum & decem. Sed & vide quo modo pro singulis malis quæ patitur, singulas accipit mercedes. Pro odio fratrum, acquisiuit gratiam Regis & Principum eius. Pro contemptu fratrum & irrisione, dicentium, *Ecce somniator venit*, ab illis adoratur pronis in terram non semel, & muneribus honoratur. Pro exilio, exaltationem in terra aliena. Pro labore manuum in seruitio Putipharis, annulũ regium in gratia Pharaonis. Pro tunica polymita, qua fratres eum spoliauerant, stolam byssinam, qua Rex eum induit. Pro compedibus in carcere, torquem auream in honore. Pro eo quod vinctis in carcere ministrabat, Regi in summa dignitate ministrat. Pro carcere & lacu, sedet super currum regium. Pro eo quod ab omnibus contemptus fuit, vt extraneus, vt seruus, vt vinctus; ab omnibus honoratur genuflexione, sic iubente Pharaone. Pro nomine seruili, quod in Aegypto Ismaëlitæ illi indiderunt, nomen regiũ & magnificũ, vt vocaretur *Saluator mundi.* Pro contẽpta illicita adulterij voluptate, accipit

1. *Tribulatio ad maiorẽ Dei amorẽ excitat.* *Psal. 15.* *Hom. 10. in Matt.* *Similit.* 1. 2. 3. *Hom. 14. ex var. in Mat. locis.* 4. *Hom. 5. in Matt. operis imp.* *Pintus par. 2. dial. 2. ca. 10.* 5. 3. *Tribulationes, amoris Dei erga nos testimonia* 1. *Reg. 39.*

Domin. 2. Aduentus text. 1. *Hom. 4. ad pop. Ant.* *Similia.*

Ioſephi perſecutio. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Gen. 45.

Ioſephi mercedes. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

12. in vxorem legitimam feminam nobiliſſimam. Dènique,pro domo paterna amiſſa, dominatur A
in vniuerſa Aegypto. Sed exiſtimet hic fortè aliquis, hoc totum in perſona & figura Chriſti
contigiſſe,qui à Iudæis venditus,proditus,ſpoliatus, irriſus, & morti traditus eſt; atque hæc
Act.4. omnia *non eorum conſilio, ſed Dei voluntate paſſus*,vt viueremus nos omnes, & (vt ait Propheta) *in*
Thren.4. *vmbra ſua viueremus in gentibus*;quique poſtea *exaltatus à terra,omnia traxit ad ſeipſum*, & accepit
Ioan.12. à Patre nomen, *vt in nomine eius omne genu flecteretur;& omnis lingua confiteretur,quia ille ſedet in glo-*
Philip.3. *ria Patris*:ideoque ad noſtram neceſſariam tribulationem iſtud exemplum non pertinere. Quaſi vero qui ſcripſit, *Oportuit Chriſtum iſta pati,& ita intrare in gloriam ſuam*;non etiam ſcripſerit, *Opor-*
Luc.24. Act.14. *tet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei.* Aut quaſi non etiam ideo Chriſtus paſſus ſit,
1.Pet.5. *vt nobis relinqueret exemplum,vt & nos ſequamur veſtigia eius*. Sed tamẽ obſeruatione dignũ eſt, nõ
minus Ioſephi fratres (qui noſtri haud dubiè figura fuerũt) ab ipſo Ioſepho paſſos & tribulatos
fuiſſe,antequam eos pro fratribus ſuis recognoſcere vellet;quàm ipſe Ioſeph à Deo,antequam
Rom.8. dominus Aegypti fieret,vt propterea,ſicut Chriſtus à Patre,ſic nos à Chriſto multa pati neceſ-
Probatio fratrum Ioſeph. ſario debeamus,quatenus *Chriſto compatientes*, *Chriſto conglorificemur*. Vide ergo quanta à Ioſe-
pho paſſi fratres fuerunt,& quot modis eos probauit,id eſt,dilexit, & fauore atque gratia ſua
dignos fecit, antequam ſeipſum illis manifeſtauit. Quum primo ad eum venirent frumenti
1. emendi cauſa,probauit eos verè pœnituiſſe de eo,quod ipſum vendiderant. Quum enim illis B
Typus. prius in vincula coniectis,& grauiter accuſatis,quod exploratores terræ eſſent,ac tandem,cæ-
Gen.42. teris dimiſſis,vnus teneretur in vinculis, *Locuti ſunt ad inuicem: Merito hæc patimur; quia peccauimus*
in fratrem noſtrum,videntes angustias animæ illius quum deprecaretur nos,& non audiuimus. Idcirco venit
ſuper nos iſta tribulatio. E quibus vnus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum; &
2. *non audiſtis me? En ſanguis eius exquiritur.* Hanc eorum nobilem confeſsionem & pœnitentiam
Ibidem. audiuit Ioſeph. *Neſciebant autem quod intelligeret Ioſeph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* Sic
hac prima vexatione eorum pœnitentiam probauit. Secundo voluit eos probare,an in fratrem
3. ſuum vterinum Beniamin aliquid peccaſſent. Propterea ait illis: *Fratrem veſtrum minimum ad*
Gen.43. *me adducite,vt poſsim veſtros probare ſermones,& non moriamini.* Illo tandem adducto,tertio eos pro-
4. bauit,an fratri ſuo minimo inuiderent. Idcirco poſita menſa, vt ante eum omnes comederent,
Maior pars venit Beniamin,ita vt quinque partibus excederet. Quarto probare eos voluit, an ſic fra-
Gen.44. trem ſuum Beniamin diligerent,vt propter illum ſolum detentum, omnes è cœpto itinere re-
dirent. Propterea enim miſſo ſcypho argenteo in ſacco Beniamin,& ibi inuento, quum antea
compromiſiſſent, *vt apud quemcumque fuiſſet inuentus ſcyphus, moreretur*; cæteri omnes, *ſciſcis veſti-*
5. *bus, oneratiſque rurſum aſinis, reuerſi ſunt in oppidum*;& Iudas pro fratre Beniamin in captiuum ſe ſi-
ſtit. Quinto probat eos, an patrem ex animo diligerent;& an redire vellent, relicto in vincu-
Ibidem. lis Beniamin:qua vna re ſummam calamitatem eos patri allaturos ſciebat. Dicente enim Iu- C
da, *Omnes ſerui ſumus domini mei,& nos;& apud quem inuentus eſt ſcyphus*;dixit Ioſeph: *Abſit à me vt ſic*
Gen.45. *agam. Qui furatus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſeruus meus: vos autem abite liberi ad patrem veſtrum.* Sed quum
Iudas perſiſteret, & longa oratione habita, tandem cõcluderet, *Non poſſum redire ad patrem meum*
abſente puero;ne calamitatis, quæ oppreſſura eſt patrem meum, teſtis aſsiſtam, hac videlicet extrema pro-
Matt.28. batione facta, *Non ſe poterat vltra cohibere Ioſeph:& elevata voce, cum fletu, dixit fratribus ſuis; Ego ſum*
Ioan.14. *Ioſeph.* Sic, ſic Ioſeph noſter, Saluator noſter qui nos fratres ſuos vocare dignatus eſt, poſt va-
riam & legitimam cuiuſque probationem, manifeſtabit ſeipſum nobis, iuxta id quod in Euan-
gelio promittit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo;& ego diligam eum,& manifeſtabo ei meipſum*, hoc
eſt, Diligam eum, probando amorem & patientiam eius: & vbi probauero, manifeſtabo ei me
Matt.25. ipſum. Non vltra me continere potero. Dicam fratribus meis eleuata voce, ſic vt totus mun-
Gen.45. dus audiat, in extremo iudicio: Ego ſum Ieſus frater veſter: *Venite benedicti Patris mei, percipite*
regnum, &c. Nam vt vocem Ioſeph, quum fratribus ſuis ſe manifeſtaret, *audierunt Aegyptij, omniſ-*
Ioan.5. *que domus Pharaonis*;ſic vocem Chriſti in iudicio, quando manifeſtabit ſe fratribus ſuis, audiet
cælum & terra, audient omnes Angeli, audient etiam damnati, & tota domus inferni. *Illa enim*
hora eſt, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. Sed de hac materia, quatenus
Domin.2. Aduentus Epiſt.121. qui tribulantur, magis à Deo diliguntur;& quod ſignũ ſit dilectionis, à Deo vel propter Deum D
aduerſa pati; tum ſupra quædam diximus, tum in aliis adhuc Euãgeliis plura dicemus. Eſſe tri-
bulationes dilectionis diuinæ ſignum, vtilitates earum docent, quas his verbis Auguſtinus tra-
dit: *Moleſtiæ tribulationeſque temporales plerumque proſunt, vel ad ſanandum tumorem ſuperbiæ, vel ad pro-*
bandam patientiam,& exercendam, vel ad quæcumque flagellanda & abolenda peccata. Quinque vtilita-
tes poſuit;quæ ſingulæ amplificari poterunt,quia ſingulæ magnum pondus habent.

Prouidentia Dei nõ dormit.

2. *Ipſe autem dormiebat.*

LOcus moralis de Dei apparente & variâ rerum humanarum, ſed afflictionum & tribula-
tionum maximè,obliuione. Orta enim grauiſsima tempeſtate,nauicula iam fluctibus co-
operta, Apoſtolis in ſummo vitæ diſcrimine poſitis, dormit Chriſtus. Videtur Chriſtus
& ſuam, & vt homo; & Apoſtolorum ſuorum, & nautarum cæterorum, nauiſque ip-
ſius in qua nauigat,ſalutem negligere,curam non habere,penitus denique obliuiſci. Nunquid

ergo

A ergo falsum erit quod scriptum est: *Non dormiet, neque dormitabit qui custodit Israël?* aut quod alius Propheta dixit: *Nunquid potest mulier obliuisci infantem vteri sui? Sed etsi obliuiscatur illa, ego tui non obliuiscar. In manibus meis descripsi te. Muri tui coram oculis meis semper.* Quid cuique homini particulari præsentius manibus suis? Quid in ciuitate illustrius quàm muri eius? Sic ergo Deus vnumquemque semper in memoria habet, sicut suas quisque manus: sic totam Ecclesiam in oculis fert, sicut ciuitatem qui mœnia eius videt. Hinc Diuus Augustinus: *O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrûm tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos.* Hæc quum ita sint, tamen dormit Christus, dormit prouidentia Dei; sed dormiens vigilat. Vnde vox illa Sponsi in Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, id est, oculis clausis somnum præ me fero, sed verè non dormio. Videor exteriùs tantùm aspicientibus dormire: sed qui cor meum videt, vigilantem me videt; qui meam prouidentiam considerat, intelligit me nihil minus quàm dormire. Laborauit in hoc genere vnus Propheta & dicit: *Mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Et post pauca: *Et dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meum, &c. Si dicebam, Narrabo sic*, id est, si in ea sententia manerem, vt propter prosperitatem præsentem impiorum, meam mortificationem vanam & inanem esse putarem; *Nationem filiorum tuorum reprobaui*: id est, omnes electos damnaui stultitiæ quasi frustra iustitiæ studentes. *Existimabam vt cognoscerem: hoc labor est ante me.* Inueni rem laboriosam, huius rei causam cognoscere. *Donec intrem in sanctuarium Dei*, id est, in secretam Dei prouidentiã: *& intelli-*

B *gam in nouissimis eorum*; id est, considerem quis sit finis eorum, de quo Apost. *Quorum finis interitus.* Hinc ergo dormire videbatur Deus oculis clausis, quasi nõ videns facinora impiorum: sed tãdẽ, re meliùs introspecta, videt cor Dei vigilare, & prouidẽtiã nõ dormire. Laborauit in hoc genere & alius Propheta; & in persona populi in captiuitate Babylonica conquerentis, & cõtra Dei iustitiã & prouidentiam murmurantis, sic loquitur: *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies* (quasi dormientem in naui Christum inclamat) *vociferabor ad te, vim patiens, & non saluabis? Quare ostendis mihi iniquitatem* (persequentium nos) *& laborem? videre prædam, & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris* (vbi maiores etiam eiusdem generis deuorant minores) *& quasi reptilia, non habentia ducem?* Grauissima hæc cum Deo Prophetæ expostulatio est, sed in persona afflictorum, qui patientiam perdidisse videntur, quasique Dei prouidentiam negare, & dicere, non magis eum homines curare quàm bestias. Sed postquam respondit postea in persona Dei, totam illam afflictionem esse iustam pœnam peccatorum, etsi carnifex Chaldæus fuerit ipsis castigatis nequior, & maiori pœna dignus; tandem Canticum instituit, cui titulum fecit, *Pro ignoratione*, vel, *Pro ignorãtiis*: vbi orat veniã à Deo, quòd ignoranter contra Deũ murmurauerit: *Domine audiui auditionem tuam, & timui*: & quæ sequuntur. Laborant in hoc genere illi omnes, qui diuina prouidentia afflicti, vtcunq; innocenter viuant, dormire Deum, & eorum curam non habere existimant: & clamant cũ

C Propheta: *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertes faciem tuam à me? Quamdiu ponam consilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me?* Et adhuc alibi apertius: *Exaudi Deus deprecationem meam, & ne despexeris orationem meam, Intende mihi, & exaudi me.* Sed quam ob causam sic quasi dormientem excitat? Sequitur: *Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris*; per quam videlicet exercebatur, à malis hominibus vexatus. Et paulò pòst: *Expectaui eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.* In quem locum sanctus Augustinus: *Fortè nauis tua ideo turbatur, quia Christus in te dormit. Meritò fortè turbatur cor tuum, quia excidit tibi in quem credideris. Intolerabiliter pateris, quia non venit tibi in mentem quid pro te pertulerit Christus: si in mentem non venit tibi Christus dormit. Excita Christum, recole fidem. Tunc enim in te dormit Christus, si oblitus fueris passionis Christi. Tunc in te vigilat Christus, si memineris passionum Christi. Cùm autem pleno corde intuitus fueris quid ille fuerit passus, nonne æquo animo & tu tolerabis? Et fortassis gaudes quia inuentus es in aliqua similitudine passionum Regis tui. Cùm igitur ista cogitans, consolari & gaudere cœperis, ille surrexit, ille ventis imperauit. Ideo facta est tranquillitas.* Hæc sanctus Augustinus. Illis ergo dormit Christus, quorum fides in Christum dormit. Nam & ideo in hoc Euangelio Christus excitatus, & euigilans, primo statim verbo Apostolos obiurgat: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Nam vt illi præsente Christo adhuc timebant; sic multi, præsente in corde & in Ecclesia Christo timent, dubitant, diffidunt.

D Dixit Ecclesiæ suæ Christus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Et tamen ac si nobiscum non esset timemus omnia, & sæpenumero *trepidamus timore, vbi non est timor*. De Ioseph in carcere scribitur, *Et fuit Dominus cum eo*: quia fidem & spem in Deum Ioseph, nec in cisterna, nec in seruitio, nec in carcere amisit; quo tamen toto tempore ex iudicio humano longissimè abesse videbatur. *Descendit cum illo in foueam & in vinculis non dereliquit eum*, ait Sapiens de præsentia Dei cum Ioseph. Continuit enim manus fratrum ne eum occiderent: continuit irati Domini manum, ne eum de violata vxore suspectum interficeret. Sic dormiẽs, vigilabat cum Ioseph Deus. Sic & cum Iacob, etsi grauissima passo, semper fuit Deus. Fuit cum eo in itinere in Mesopotamiam, vt viam eius dirigeret. Fuit cum eo apud Laban, vt greges eius multiplicaret. Fuit cum eo in reditu, ne Laban iratus de fuga illum retraheret. Fuit cum eo in ingressu terræ natiuitatis suæ, ne ab Esau opprimeretur. Denique descendenti

Psal. 120. Esaiæ 49.
Confess. l. 3. cap. 11.
Cant. 5.
Psal. 72.
Philip. 3.
Abacuc 1.
Abacuc 3
Psal. 12.
Psal. 54.
Enarrat. in Psal. 54.
Quibus dormiat Christus.
Matth. 8.
Matth. 28
Genes. 39.
Sap. 20.

Genes. 46. in Ægyptum dixit: *Ego descendam tecum in Ægyptum: Ego inde reducam te.* Sanè totidem verbis A
Ioan. 14.15 & 16. nobis omnibus Christus dixit: *Confidite, ego vici mundum. Ego vado parare vobis locum. Ego veniens,*
Matth. 28. *assumam vos ad meipsum. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Inter tot promissiones adhuc dormit in nobis Christus? Excitanda fides de perpetua Dei prouidentia, & Christi assistentia, ne dormait. De priori Diuus

Hom. 4. de gratiarum actione. Simile. Basilius: *Sicuti rerum grauium pondera appendendo, librę momentis discernimus; vtque de auro, purum ne sit, & excoctum, an secus, experimur affrictu lapidis: sic memoria repetentes mensuram, modúmque rerum omnium nobis à diuina voluntate & prouidentia præscriptum, iuxta illam omnia mensurantes, nunquam ab animi moderatione & quiete excidere poterimus, quicquid demum aduersi nobis accidere videatur.* Hæc ille. De posteriori Sanctus Bonauentura: *Oculo dextero comparatur fides, quæ omnia, tam naturalia, quàm supernaturalia, videt: oculo siniſtro ratio comparatur, quæ solum de naturalibus iudicat.* Si-

In Dieta salutis cap. 26. Simile. cut ergo qui amisit oculum dexterum inutilis est ad pugnam manu conserendam, quia scutum operit oculum siniſtrum; sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Vn-

1. Reg. 11. de quod Naas dixit viris Iabes Galaad, *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros*; significat, Diabolum (nam Naas interpretatur serpens) hoc pactum cum suis fe-

Ephes. 6. Similia. rire, vt fidem illis eripiat: contra id quod Apostolus dixit, *In omnibus sumentes scutum fidei.* Nam sicut scutum ponitur ad siniſtram partem; sic fides præcipuè armat contra aduersitates, B
vt nunquam dormiat in nobis Christus. Et sicut scutum portatur à parte cordis, quod est in siniſtra parte hominis; sic fides est armatura mentis. Et sicut scuto repellimus hostiles ictus; sic fidem opponimus falsis diaboli suggestionibus, iuxta illud: *Cui resistite fortes in fide.* Denique

1. Pet. 5. Matth. 17. & hanc ob causam fides in Euangelio grano sinapis comparatur. Sicut enim granum sinapis, quo plus teritur, tanto fortiùs viget; sic fides in aduersitate magis inualescit. Vigilare ergo fides debet ne Christus dormiat. Sed hæc quæ de fide hic diximus, tanquam de trepidationis, & diffidentiæ circa præsens semper Dei in rebus arduis auxilium, remedio; ad alia magis huius Euangelij verba pertinent, quæ mox tractabimus: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Quare vide illic plura. Sed & de Dei prouidentia, quæ nunquam fallit, in alijs Euangelijs alius erit, & magis proprius, dicendi locus.

3. *Et suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos: perimus.*

Christus in necessitate inuocãdus. LOcus moralis de inuocando per orationem Christo in omni afflictione, & necessitate C
nostra. Hoc nobiscum pactum inijt, hanc legem misericordiæ plenam reliquit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos. Pulsate, & aperietur vobis. Inuoca me in die tri-*

Matth. 11. Psal. 80. Similia. *bulationis tuæ, & ego exaudiam te. Aperi os tuum, & ego implebo illud.* In apertione oris nostri, salus nostra est. Si perimus, nostra culpa perimus, qui os aperire nolumus. Excitatur quippe celerrimè ad vocem ouiculæ, Pastor; ad clamorem pulli, gallina; ad gemitum paruuli, ma-

1. Paral. 20 ter: quibus omnibus in Scriptura Deus comparatur. Sic Iosaphat Rex, ab hostibus vndique pressus: *Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, vt oculos nostros ad te di-*

1. Pet. 5. *rigamus.* Sic monet Petrus: *Omnem solicitudinem vestram proÿcite in eum, quoniam ipsi est cura de vo-*

Philip. 4. *bis.* Sic Paulus: *Nihil soliciti sitis; sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Rationem adfert Dauid: *Exaudi me Domine, quoniam benigna est mi-*

Psal. 68. Similia. *sericordia tua.* Sicut enim non grauat puerperam distenta lacte vbera gestantem infantulus qui ea fugit; sed potius alleuiat & delectat: sic diuinæ bonitati exuberantissimæ molestus non est, sed acceptissimus, quisquis ei miserendi materiam præbet. Et quemadmodum in naturalibus forma magis appetit materiam, quam materia formam; quia hæc necessitate naturali, illa bonitate naturali appetit: sic Dei amor est fortior & propensior erga nos, qui ex bonitate nascitur: quàm noster erga eum, qui ex necessitate oritur. Hanc paratissimam Dei inuocantibus eum misericordiam, modis omnibus Christus in Euangelio commendat. *Si vos, quum si-*

Matth. 6. *tis mali, nostis bona data dare filÿs vestris; quanto magis Pater vester qui in cælis est?* Quis vnquam de D
causa desperet, quis certissimam victoriam non expectabit, quando Iudex ipse partem litigantem, & ad supplicandum hortatur, & formam supplicandi docet, & facilem impetrationem spondet? At hæc omnia nobis præstitit Christus Iudex noster, vt omnes difficultates superaremus. Monet vt oremus, Docet orare. Promittit iterum atque iterum: *Petite, & accipietis,*

Matth. 7. &c. Sed nostrum est, Christum quasi dormientem suscitare, vt hic Apostoli fecerunt.

Exempla. Docet nos suo exemplo Dauid: *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, adiuua nos, & libera nos*

Psal. 43. 1. *propter nomen tuum.* Hanc operam nostram & industriam laudat Deus: *In tribulatione inuocasti me, & liberaui te: exaudiui te in abscondito tempestatis.* Negligentes nos hac in parte, & torpentes, ve-

Psal. 80. 2. hementer ipse excitat & inuitat, idque peccatores deploratæ nequitiæ. Sic apud Ieremiam:

Ierem. 3. 3. *Frons meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Nunquid irascetis in perpetuum, aut perseuerabis in finem?* Esaias, explicata impiorum

Esaiæ 33. nequitia, ad orationem confugit: *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? &c. Domine miserere nostri. Te enim expectauimus. Esto brachium nostrum in manè, & salus nostra in tempore tribulationis.*

Susanna

A Susanna castissima, in extremo vitæ & infamiæ periculo posita, ad orationem confugit: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me.* Móxque spiritum pueri Danielis Deus excitat, qui eam liberat. Israëlitæ etiam, repulsa semel accepta à Deo, quia toties eum dereliquerant, perseuerantes tamen clamauerunt: *Peccauimus. Redde tu nobis quicquid tibi placet. Tantùm nunc libera nos.* Exaudiuit eos Deus, &, Iephte Duce dato, liberauit eos à iugo filiorum Ammon. Rex Iosaphat ab equitatu Syriorum circundatus, & in summo discrimine positus, *Clamauit ad Dominum, & auxiliatus est ei, & auertit eos Dominus ab illo.* Ezechias Rex sua oratione in Templo facta, prostrauit Sennacherib cum exercitu 185000. hominum. Hæc & alia ex Scripturis exempla in hunc locum afferri possunt, vt doceatur populus exemplo Apostolorum in hoc Euangelio, perpetuò & semper, in omni quacunque necessitate, ad Deum oratione confugere. Medici pro morborum varietate, varia ægris medicamenta applicant: sed oratio medicamentum generale est, quod omnes tam animi, quam corporis morbos sanat. Orationis efficacia nunquam satis à Patribus laudari potuit. Sanctus Augustinus eam vocat *Clauem cæli*: & certè Elias aperuit cœlum precibus suis, eodem ferè tempore, & ignem ad sacrificia, & aquas ad terræ fructus è cœlo deducens. Paulinus vocat eam, *Tabulam naufragorum*, quæ in tot & tantis nos fluctibus mundanis tutos ad portum vehit. Sanctus Chrysostomus *Animæ solem* nuncupat: quia vt sol mundum, sic oratio mentem illuminat. Theodosius de suis hostibus decuplo fortiori-
B bus, pernoctans pridie pugnæ in oratione, amplissimam victoriam reportauit, non sine manifestis diuini auxilij indicijs, vt latè describit sanctus Augustinus. Heraclius Imperator frequentibus supplicationibus ieiunia atque orationes addens, Chosdroëm Persarum Regem, etsi viribus multo inferior, duobus maximis prœliis superauit. Maselcerus Africæ Comes, ad prœlium se, per orationes inter Eremitas, ac Sacerdotes medius orans, sic muniuit, vt cum quinque millibus hominum, Gildonem fratrem octoginta millia pugnatorum ducentem vicerit, ac deleuerit. Diuus Basilius suis, & suorum precibus clausas Niceæ Ecclesias reserauit, frustra hoc orantibus Arrianis; quum Valens Imperator illis Ecclesias decreuisset, ad quorum preces sua sponte patescerent. Sed illustre admodum huius rei exemplum commemorat Cedrenus apud Zonaram, cuius historiæ Cedreni additiones interseruntur, his verbis. *Castrum est in Persarum atque Iudæorum confinio, nomine Tzudader, in quo multum pecuniæ, margaritarum, & lapidum pretiosorum repositum, à dæmonibus asseruabatur. Cabades Rex Persarum, ea re percepta, castrum occupare est enixus. Cúmque ei à dæmonibus obsisteretur, omnibus & Magorum, & mox Iudæorum tentatis artibus, impos propositi fuit. Ergo quum ei persuasum esset, Christianorum ad Deum precibus eo se potiri posse: hoc à quodam Episcopo Christianorum in Perside agentium contendit. Is synaxi coacta, cum diuinis mysterijs communicasset, ad locum accedens, dæmonas ibi*
C *morantes exegit, castrumque Cabadæ nullo labore occupandum tradidit. Quo miraculo Cabades attonitus, primùm in confessu locum Episcopo ei tribuit, quem hactenus Manichæi & Iudæi tenuerant: liberam quoque potestatem fecit ijs qui baptizari vellent.* Hæc ibi. Est nempe oratio sicut vena auri inexhausta, in qua quoties fodis, toties auri massam inuenis. Alexander Patriarcha Alexandrinus, quo tempore regnauit Constantinus, primus Imperator Christianus, indicta Synodo omnium qui ei subiecti erant Episcoporum, volebat gentiles statuas, quæ in Ægypto adhuc multæ supererant, communibus precibus euertere. Itaque omnes Episcoporum communibus precibus deiectæ sunt, vna sola excepta, quæ sancti Spiridionis orationi reseruata fuit, Deo tunc sanctum illum virum sic honorare volente. Alia huiusmodi exempla de admirabili orationis efficacia vide in Collationibus sacris Tilmanni Bredenbachij; & apud Marcum Marulum in libro Exemplorum, qui plurima diligenter, & data opera collegit. Nos quæ apud illos non sunt, annotauimus.

4. Daniel 13. 5.

Iudic. 10. & 11. 6. 2. *Par.* 18. 7. 1. *Reg.* 17.

Simile.

Serm. 226. *De temp.* 3. *Reg.* 18. *Epist.* 31. *Lib.* 1. *de orando Deū* *Alia exēp. De Ciu. Dei lib.* 5. *c.* 26. *Baptista Fulgosius, lib.* 1. *cap.* 1. *Zonaras in Valente.*

Apud Zonaram tomo 3. *in Anastasio.*

In vita S. Spiridionis apud Sur. to. 6. *p.* 878

Lib. 1. *&* 4. *Lib.* 2. *ca.* 2.

4. *Quid timidi estis, modicæ fidei?*

D LOcus moralis de fiducia in Deum in medijs periculis, & malis nunquam deponenda. Apostoli enim non eò quòd orabant, dicentes, *Domine, salua nos*, à Christo reprehenduntur; sed eò quòd addiderunt, *Perimus.* Illa enim vox diffidentiæ erat, & modicæ fidei, maximè præsente Christo, quo nisi pereunte, perire non poterant, quum in eadem naui nauigarent, vt in altero Promptuario ostendimus. Docet ergo hic locus, tum in proprijs malis & difficultatibus, tum in publicis Ecclesiæ periculis & damnis, nunquam de Christi auxilio & præsentia dubitare, nunquam illam vocem vsurpare, *Perimus.* Actum est de Ecclesia per istas hæreses: actum est de nobis. Certè quod ad Ecclesiam attinet, in eadem naui nauigat cum illa Christus. Caput enim à corpore non seiungitur. Perire Ecclesia de hoc mundo non potest, nisi Christo quoque, vt homine, per passionem à Deo Patre glorificato pereunte; id est, nisi Christi gloria illa pereunte, de qua Paulus dixit, *Humiliauit seipsum, &c. vsque ad mortem. Propter quod Deus exaltauit illum; & dedit illi nomen, quod est super omne nomen;* & quæ sequuntur: *vt omnis lingua confiteatur quia IESVS est in gloria Patris.* Sed vt hanc Christi gloriam vsque ad seculi finem stabilem permanere, *donec tradiderit regnum Deo Patri*, nemo nisi infidelis negauerit;

De fiducia in Deum.

Ecclesia perire non potest.

Philip. 3.

1. *Cor.* 15.

In die S. Petri. sic Eccleſiam vel periiſſe de mundo per aliquot ſæcula (vt multi hodie hæretici ſuſtinent) vel in periculo eſſe ne pereat de mundo, non modicæ tantùm fidei, ſed & nullius. De hac materia in altero Promptuario plura. Ad priuata cuiuſque pericula, & difficultates quod attinet: vt timor filialis bonus eſt, ne propter peccata, quibus Patrem cœleſtem offendimus, ab eo deſeramur, ita fiducia neceſſaria eſt, vt ab eo nos non deſerendos bene ſemper ſperemus. Prima ferè Sapientis vox illa eſt: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Si enim etiam inter homines hoc ſæpè accidit, vt inimicus inimicum in aliquo periculo conſtitutum, ad ſe confugientem recipit, maximi hoc honoris loco ducens, & generoſi pectoris eſſe iudicans; quanto magis Deus abſque dubio humiliter & veraciter ad ſe confugientes recipiet! Retinenda igitur hæc fiducia ad extremum vſque periculum, tanquam anchora fortiſſima. *Confugiamus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis*, id eſt, in cœlum vſque, cuius typus erat ſancta ſanctorum. Et rurſum illis, qui rapinam bonorum pro Chriſto paſſi erant, dicit idem Apoſtolus: *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Certè viri ſancti in maximis periculis maximam fiduciam concipiunt. Sic Iob: *Etiamſi me occiderit, in eo ſperabo*, & Sancta Anna, Samuëlis mater: *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit*. Et iterum: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo?* & quæ toto ferè Pſalmo ſequuntur. Sanctus Martinus à latronibus captus, & librata in caput eius ſecuri, ſed altero latrone ictum retrahente ſeruatus, rogatus poſtea an tunc timeret, conſtantiſſimè profitebatur, nunquam ſe tam fuiſſe ſecurum, quia ſciret miſericordiam Domini maximè in tribulationibus affuturam. VVenceſlaus, Bohemiæ Rex, quum toto exercitu profligato, & viribus fractis, captiuus teneretur, rogatus quo animo eſſet, reſpondit: Nunquam meliori. Quum enim (inquit) omnibus humanis præſidiis vallatus eſſem, vix de Deo cogitandi ſpacium dabatur nunc illis omnibus exutus, Deum ſolum cogito, & in eo ſpem meam omnem colloco, qui me, ſat ſcio, non deſeret, ſed inuocantem exaudiet. Sanctus Hugo, Lincolnienſis in Anglia Epiſcopus, quum nocte quadam à grauibus curis, & ſolicitudinibus diſtractus & infeſtatus, eas excutere non valeret, ideóque perturbari animo cœpiſſet; mox ad ſe reuerſus, grauiter ingemuit, & primo manè confeſſarium accerſit, valde ſe peccaſſe pronuncians, quòd non ſic, vt decet hominem Chriſtianum, omnem curam ſuam jactaſſet in Dominum, ſed perinde ac ſi proprijs adinuentionibus fidendum illi eſſet, diſcruciari & angi inaniter cœpiſſet. Hanc autem in Deum fiduciam & confidentiam Ethnici ipſi ad noſtram confuſionem docere poſſunt. Marcus Antonius Pius Imperator, reprehendenti cuipiam eum, quòd in hoſtes mitis fuiſſet, & coniuratis quos vicerat, pepercisſet, ac dicenti, Quid ſi hoſtes te viciſſent? grauiter reſpondit: *Nos non ſic deos colimus, nec ſic viuimus, vt illi nos vincant*. quanto magis Chriſtianus, Chriſtum colens vt oportet, nihil aduerſum formidare debet, memor eius quod Propheta ſcripſit: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. Et rurſum: *Nunquam vidi iuſtum derelictum, & ſemen eius quærens panem*. Et iterum: *Renuit conſolari anima mea*: ſcilicet ex rebus terrenis, quas mihi omnes aduerſas vidi. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Memor bonitatis, memor promiſſionum, memor beneficiorum eius. Et Apoſtolus: *Si Deus nobiſcum, quis contra nos?* Illuſtre eſt exemplum veteris populi, quum Abias, Rex Iuda Ieroboam, & Iſraël maximo prœlio vinceret. Ait enim Scriptura: *Humiliati ſunt Filij Iſraël in tempore illo, & vehementiſsimè confortati filij Iuda, eo quòd ſperaſſent in Domino Deo patrum ſuorum*. Hæc ergo fides magna, & fiducia in Deum, ampliſſimæ victoriæ cauſa fuit: nam & Rex ipſe Abias ſic loquebatur ante pugnam initam, quum copiæ Iſraëlitarum duplo maiores eſſent, quàm filiorum Iuda: *In exercitu noſtro Dux Deus eſt, & Sacerdotes eius*. Hæc Dei præſentia, cultúſque verus, cauſa fiducia; hæc fiducia cauſa victoriæ fuit. Sic iterum Dauid: *Non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me* (ſola ſcilicet, vt ſolis humanis præſidijs nitar) *ſed in nomine tuo Domine ſpernemus inſurgentes in nobis*. Et iterum: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus*. Talis erat puſilli Dauid contra gigantem Goliath victoria: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël*. Tales erant Machabæorum victoriæ contra Antiochi Duces: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiet*. Hoc totum docere nos voluit CHRISTVS, dicens Apoſtolis ſuis, adhuc in ſchola eius nouitijs, & ad præſens periculum trepidantibus: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?*

Sapient. 1. Simile.

Heb. 5.

Heb. 10.

Iob. 13. 1. Reg. 2. Pſal. 26.

Exempla. Seuerus Sulpitius in vita eius Æneas Syluius in hiſt. Bohem.

Inuitaeius apud Sur. cap. 21.

Bruſonius l. 5. c. 26. Vulcat. Gallic. in Auidio Caſsio. Apophth.

Pſalm. 54. Pſalm. 36. Pſalm. 76. Rom. 4.

Exemplū. 2. Paral. 13

Ibidem

Pſalm. 43.

1. Reg. 17.

1. Malac. 3.

5. *Tunc*

A

5. *Tunc surgens, imperauit ventis & mari: & facta est tranquillitas magna.*

LOcus moralis de summa Dei clementia, qui post tribulationum procellas, serenitatis pacem adfert. Christus enim clamantes ad se Apostolos non solùm periculo exemit, aut modum tempestati imposuit, ac calamitatem mitigauit; sed tum potentiam suam ostendendo, *imperauit ventis & mari* (quod doctrinæ locus est) tum bonitatem admirabilem declarando, *tranquillitatem magnam fecit*. Has enim tribulationum, & tentationum nostrarum cataſtrophas, Dei clementia facit: *Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Sic apud Esaiam: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Et iterum Christus ipse: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Et addit Ioannes: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà*. Hæc est trãquillitas magna post calamitates præsentes. Sed & in hac vita quoque (nam illa retributio æterna alterius loci est) suos semper ita consolatur Deus, vt post tempestates succedat tranquil- B litas magna. Tobias post cæcitatem recuperat visum, vidétque filios filiorum suorum, & (vt ait Scriptura) *reliquum vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace*. Iob post plagas suas *accepit omnia duplicia, & post illas vixit annis centum quadraginta, & vidit filios filiorum suorum, vsque ad quartam generationem*. Sic Ioseph post exilium & carceres, sic Dauid post longam Saulis persecutionem, sic Iacob post longum de Ioseph perdito mœrorem, tranquillitatem maximam inuenerunt, in summa pace florentes. Audiens enim Iacob nuntiantes ei filios, & dicentes. *Ioseph viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti: quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. Cùm autem vidisset plaustra, & vniuersa quæ miserat Ioseph, reuixit spiritus eius*. Sic videlicet Tobias dixit Deo: *Tu flagellas, & saluas; tu deducis ad inferos, & reducis*. Hoc est quod Dauid dixit; *Secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*: Et quod Apostolus primùm de seipso dicit; *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & abũdat per Christum consolatio nostra*. Deinde nos docet, dicens: *Fidelis Deus, qui neminem tentat supra id quod potest: sed dat etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. Hoc est, dat post procellã tranquillitatem, subministrans gratiæ vires, quibus procella sustineri queat, donec finiatur, & (vt alia Scriptura dicit) *Donec transeat iniquitas. In vmbra* (inquit) *alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*. Nempe *sicut hi qui agonibus præsunt* (ait Origenes) *eos qui ad certamen veniunt, non vtcunque, neque fortuito inter se sinunt in-* C *ire certamina, sed diligenti examinatione, prout viderint corpora vel ætates, æquissima comparatione iungentes illum cum illo, vt pueros cum pueris, viros cum viris, &c. ita intelligendum est de Deo, quòd homines, qui in hos humanæ vitæ descendunt agones, iustissima ratione dispenset, secundùm rationem vnuscuiusque virtutis, quam ipse solus agnoscit; vt alius quidem pugnet aduersus carnem, talem & tanto tempore, alius verò non tãto; tum vt alius resistat aduersus inimicam potestatem hanc vel illam, alius aduersus duos vel tres simul*, & sic in alijs. Nimirum conflictus isti nostri contra carnem, contra diabolum, & contra mundi illecebras, sunt procellæ, & tempestates, & venti, quibus in hoc mari magno & spacioso huius mortalis vitæ periclitamur, & quidem mergi incipimus, si Christus in nobis dormiat, nisi feruenti oratione eum; id est, fidem & fiduciam in illum nostram excitemus, vt ille imperet ventis, fiátque tranquillitas. Hoc enim pietatis officium si præstamus, dicemus cũ Propheta: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Et cum alio Propheta: *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt, & ego dixi, Abiectus sum à facie oculorum tuorum. Veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum*. Hic enim Ionas non Christi tantùm, sed & omnium nostrum typus erat. In maximis periculis, nempe in profundo maris, bona spe plenus est. Philo Iudæorum legatus apud Caium Caligulam Imperatorem, nec repulsam tantùm passus, sed acerbissimè & contumeliosè reiectus, sapientissimè dixit: *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius: nunc enim Deus nobis contra illum aderit*. Quod ita factum fuisse, sequenti capite apud Iosephum mirabiliter narratur.

Tribulatio vertitur in gaudium.

Ioan. 16.

Esaiæ 54.

Matth. 5.

Apocal. 21

Tob. 14.

Iob vlt.

Genes. 45.

Tob. 13.

Psalm. 93.

1. Cor. 10.

2. Corint. 1.

Psal. 56.

Simile.

De princip. lib. 3. cap. 2.

Psalm. 17.

Ionæ 2.

Exemplũ.

Iosep. Antiq. Iudaic. lib. 18. c. 10

D

A

EVANGELIVM DOMINICÆ V.

Post Epiphaniam.

Matth.13. DIXIT IESVS discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui Patris-familias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. B

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Qui seminauit bonum semen in agro suo.* De bono semine legis, & gratiæ per Christum seminato.
2. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius.* De negligentia Christianorum post acceptam gratiam.
3. *Venit inimicus eius, & superseminauit zizania.* De mali otij fructibus pessimis, & de Diaboli vigilantia.
4. *Vnde ergo habet zizania?* Contra iniquitatis abundantiam, abundante Christi gratia. C
5. *Inimicus homo hoc fecit.* De pugna nostra necessaria contra Diabolum.
6. *Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea?* De zelo iustorum contra peccata.
7. *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis & triticum.* Tolerari malos, vt fiant boni.
8. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Tolerari in mundo malos propter bonos; & in medio malorum conseruari bonos.
9. *Colligite zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum.* De terribili impiorum iudicio in consummatione sæculi.

1. *Qui seminauit bonum semen in agro suo.*

De semine gratiæ. LOcus moralis de bono semine legis & gratiæ, quod in cordibus fidelium Christus seminauit. Etsi enim Christus ipse, hanc parabolam edisserens, *per bonum semen, filios regni, per agrum, mundum hunc* intelligi exponit: tamen quia filij regni non nisi per fidem, per legis obseruationem, & per gratiam sunt tales filij; & mundus, in quo Christus hoc seminauit, non est D
Ioan.15. mundus impiorum, de quo suis Apostolis dicit: *Ego elegi vos de mundo. Si de mundo essetis, mundus,*
Ioan.3. *quod suum esset, diligeret, &c.* Sed est mundus piorum, & vera Ecclesia Christi, de quo mundo dixit, *Filius hominis non venit vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: idcirco bonum semẽ in agro, est Dei gratia in corde pio. Christus ergo in agro Ecclesiæ suæ seminauit filios regni: verbo & prædicatione sua, exemplo & miraculis suis, gratia & Sacramentis suis, primò per seipsum, postea per eos quos misit in mundum, multa semina iecit, multos ad fidem traxit, doctrinam purè Euangelicam per omnes gentes dissẽminauit. De hoc Isaias: *Vinea facta est dilecto*
Esai. 5. *meo in cornu filio olei*, id est, in loco edito & excelso, eodémque frugifero, & oliuis consito. Ec-
Matth.5. clesia enim Christi, est *ciuitas supra montem posita.* In eam Christus *Spiritum sanctum effudit abundè,*
Tit. 3. *diffusa charitate* (quæ per oleum significatur) *in cordibus* fidelium. *Et sepiuit eam*, lege mandatorũ,
Rom.4. & Angelorum custodia. *Angelis enim suis mandauit de ea, vt custodiant eam in omnibus vijs suis.* Et
Psal.90. de lege Dei dicitur: *Ne dimittas eam, & custodiet te; dilige eam, & conseruabit te.* Nam vt sepes agros
Prouerb.4 à bestiarum incursu, sic leges Dei fidelium animas à vitiorum impetu & ingressu defendunt. Sequitur in Esaia: *Et lapides elegit ex illa*, id est, omnia impedimenta salutis abstulit, præterita pec-
Coloss.2. cata deleuit, *tollens chirographum quod contra nos erat, & affigens illud Cruci.* Idola, superstitiones, ignorantias,

A ignorantias, luce prædicationis Euangelicæ sustulit. Dura corda emolliuit. *Abstulit cor lapideum, & dedit cor carneum*, docile videlicet, & ad omne bonum flexile. Deinde *plantauit vineam electam*. Sublatis enim impedimentis, *mundauit Ecclesiam sanguine suo, in lauacro aquæ, & verbo vitæ, vt esset sine macula & ruga*: mundauit sibi *populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Porrò *ædificauit turrim in medio eius*. Dedit *Apostolos, Prophetas, Doctores, Pastores, in ædificationem corporis sui, in consummationem sanctorum*. Istis dicit: *Vos estis lux mundi. Vos estis ciuitas supra montem posita*. Hos dedit speculatores domui suæ, tanquam turrem in vinea, tanquam speculam in agro, vt regant Ecclesiam suam. Postremò, (vt nihil desit) *Torcular extruxit in ea*. Plurimam & glorioſam patientiæ materiã dedit, ad probationem sanctorum, & ad confirmandam spem gloriæ filiorum Dei. Nã vt in torculari vineæ fructus compressi & calcati, optimum vinum reddunt: sic in tribulatione, & afflictione fidelium, virtutes eorum optimum odorem spirant, fortius operantur, clarius elucent, copiosius concurrunt. Vnde Iacobus: *Omne gaudium existimate fratres, quùm in varias tentationes incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ* (hæc est torcular nostrum) *patientiam operatur: patiẽtia autem perfectum opus habeat, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes*. Hæc videlicet est perfectio filiorũ regni, non solum declinare à malo, & facere bonum; sed etiam *per multas tribulationes ingredi in regnum Dei: pati persecutiones in hoc seculo: & in patientia sua possidere animas suas*: denique *tollere vnumquemque crucem suam, & sequi Christum*. His ergo præmissis concludit Propheta: *Quid est quod debui*
B *vltra facere vineæ meæ, & non feci?* Sic seminauit Christus bonum semen in agro suo. Rursum torcular extruxit Christus in vinea Ecclesiæ suæ, quia reliquit in ea fructum passionis suæ. In ea enim *torcular calcauit solus, & non erat de gentibus vir cum eo*. Vel quia solus ab omnibus, etiam suis, adeóque à Deo Patre derelictus, Crucem pertulit, vel quia talem Crucem nemo sustinuit, & non erat *similis dolor, sicut dolor eius*; vel quia ratione personæ quæ patiebatur, talis alia passio, tale torcular non fuit. Ex hoc autem torculari fluxerunt Sacramenta salutis nostræ, ex hoc Spiritus gratiæ quem accepimus: *Nam Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat* (per mortem) *glorificatus*, ex hoc denique fons meritorum nostrorum deriuatur, & poculum immortalitatis nostræ bibitur. Sic ergo suam vineam excoluit: sic bonum semen seminauit.

De hoc suo seminandi labore, cuius fructus postea Apostoli & eorum successores collegerunt, sic ad eos Christus suauissimè loquitur: *Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem*. Dixit hoc Christus post Samaritanam illam conuersam, & Gentium conuersionem futuram in Spiritu præuidens atque prænuntians. *Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. (Qui enim elucidãt me*, dicit Sapientia, *vitam æternam habebunt: & qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt vt stellæ in perpetuas æternitates) vt & qui se-*
C *minat simul gaudeat & qui metit*. Ait enim postea suis: *Ego veniam, & assumã vos ad me ipsum*. Et Patri cœlesti dicit: *Volo Pater, vt, vbi ego sum, ibi sit & minister meus*. Tunc quippe congaudet Christus cum Apostolis, Pastoribus, Doctoribus, quos in Ecclesia posuit. Sequitur in verbis Christi: *In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos nõ laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introijstis*. Christus enim laborauit, in humilitate incarnationis suæ, *formam serui accipiens*; in doctrina & prædicatione sua, in Cruce & tota Passione sua. Nam propter hæc omnia datus est Spiritus gratiæ. Apostoli postea id docentes quod Christus docuerat, & sola manuum impositione Spiritum sanctum dantes, introierunt in labores Christi, id est, fructum eius collegerunt conuertendo populos. De hoc bono semine, quod bonus paterfamilias Christus pro sua diuina bonitate in agro cordis seminauit, dicit beatus Petrus: *Animas vestras castificantes, in obedientia charitatis*, (erga Ecclesiæ præpositos, seminatoris ministros) *in fraternitatis amore simplici, ex corde inuicem diligite attentius*. His enim duobus castificatur anima, ne fornicetur à Deo, cui desponsata est; si Ecclesiam obsequenter audimus; & fraternam charitatem retinemus. Nam & *qui diligit proximum, legem impleuit*, & ait de suis Præpositis Christus: *Qui vos audit, me audit*. Sed vnde hæc animæ castificatio & puritas? Sequitur apud Petrum: *Renati non ex semine corruptibili (quod enim de carne natum est, caro est*, & carnaliter affectum) *sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum*. Hoc verbum Dei viui, est tota prędi-
D catio Euangelica, quam à Christo seminante Apostoli acceperunt, nobisque tradiderunt. Hæc prædicatio est *semen incorruptibile*, purum, sincerum, non admixtum zizanijs, non caducũ, aut fluxum, sed firmum & stabile, &, vt Paulus ait, *ad salutem omni credenti*. Omnis humana doctrina, persuasio, philosophia, sapientia, vana est & inepta, multisque erroribus corrupta; fluxa quoque & fragilis, ac citò intermoritura. Vnde Petrus subiungit: *Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit; verbum autem Domini manet in æternum. Hoc est autem verbum quod euangelizatum est invobis*. Hoc ergo verbum euangelizatum, hæc tota prædicatio Euangelica, tota Christi cœlestis doctrina per Ecclesiæ ministerium nobis prædicata & tradita, est *semen incorruptibile*, quod bonus paterfamilias seminauit in agro suo. Rursũ interna Spiritus sancti dona, & gratiæ munera, *per quæ diuinæ naturæ consortes nos fecit* (vt idẽ Petrus loquitur) sunt hoc semen. De quo diuus Ioannes: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare quoniam ex Deo natus est*. Quod tantum valet atque illa Christi verba: *Non potest arbor bona malos fructus facere*, id est, volũtas bona non potest nisi actiones bonas proferre: quàm diu scilicet & quatenus bona est. Est autem voluntas, bona per gratiam, quam omnes renati in Christo accipiunt, tanquam semen nouæ vitæ. Hoc Apostolus

Ezech. 36. *Ephes. 5.* *Tit. 3.* *Ephes. 4.* *Matth. 5.* *Simile.* *Iacobi 1.* *Actor. 14.* *Lucæ 18.* *Lucæ 9.* *Esaiæ 5.* *Esaiæ 63.* *Ioan. 4.* *Ioan. 4.* *Eccles. 24.* *Danielis 3.* *Ioann. 15.* *Ioan. 4.* *1. Petr. 1.* *Rom. 12.* *Ioan. 3.* *Rom. 1.* *1. Pet. 1.* *Ibidem.* *1. Ioann. 3.* *Matth. 7.* *Rom. 6.*

Rom. 8. dixit: *Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia*: quod alijs verbis dixit: A
Non accepimus spiritum seruitutis in timore (lex enim iubendo, vetando, comminando, non nisi
terret, & seruiliter quasi sub iugo premit) *sed accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clama-*
Rom. 4. *mus, Abba Pater*, id est, spiritum dilectionis. Est autem dilectio, seu *charitas Dei diffusa in cordibus*
nostris, primum & præcipuum donum gratiæ per Spiritum sanctum. Hæc charitas Dei, hoc do-
num gratiæ, est semen nobis datum à Christo, quando illum per Baptismum induimus, vel
Lucæ 15. quando per veram pœnitentiam ei reconciliamur. Tunc enim reddidit nobis *stolam primã*. Hoc
semen qui habet, & in quo manet, ille non peccat, nec peccare potest, ad mortem scilicet, vel
sic, vt desinat esse filius Dei, vel, vt Ioannes loquitur, *natus ex Deo*, non potest (inquam) ex po-
Simile. tentia habitus gratiæ, etsi possit potentia naturæ. Hoc est bonum semen, quod, vt nascerentur
noui Filij Dei, filius hominis seminauit in agro suo. Nam vt ager habet potentiam ad produ-
cendum triticum, & alia grana (quam saxum non habet) sed illa potentia sine semine iacto nul-
la est: sic cor humanum possibilitatem ad bonum habet, post peccatum relictam; sed illa possi-
bilitas nulla esset, nisi semen diuinæ gratiæ cordi infunderetur. Et sicut semen iactum etiam
in terram bonam, tamen non germinat, nisi pluuia tempestiua rigetur: sic semen gratiæ cor-
di infusum, non germinat fructum boni operis, sine verbo fidei prædicato. *Quomodo enim credẽt*
Rom. 10. *sine prædicante?* De quo ministerio ait Apostolus: *Ego plantaui, Apollo rigauit*, & mox: *Qui au-* B
1. Cor. 3. *tem plantat, & qui rigat, vnum sunt*. Prædicatio enim verbi incipientes plantat, proficientes rigat.
Christus autem vtroque modo seminauit bonum semen, & plantauit, quum in terris doceret.
Sed nunc in gloria Patris seminat quotidie per seipsum, plantat & rigat per ministros suos. Hic
locus de bono semine, etsi magis ad doctrinam quàm ad mores facere videatur, tamen tra-
ctari hic debuit, & explicari, quia fundamentum est locorum omnium quę ad mores perti-
nentia, mox tractabuntur.

2. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius.*

Negligẽtia Christian. LOcus moralis de summa renatorum in Christo negligentia, qui, accepto bono se-
mine agriculturæ diuinæ, accepto verbo prædicationis Euangelicæ, accepto semine
incorruptibili regenerationis nouæ, habentes vineam & agrum cordis suis omnibus mo-
dis excultum (vt suprà ex Esaia ostendimus) nihilominus tamen tam altè dormierunt, vt po-
tuerit inimicus homo sua superseminare zizania. Somnus iste negligentiæ altus & profundus
Hebr. 6. fuit, quem sic exaggerat Paulus: *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum* C
cæleste, & participes facti sunt Spiritus *sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæ-*
culi venturi (id est, qui bonum semen acceperunt, vt in superioribus explicatũ est) *& prolapsi sunt*
rursus renouari, &c. Videbimus ergo primum, quid sit hoc loco *dormire*; postea, quàm graue hoc
Loci partitio. sit vel peccatum, vel detrimentum. *Dormiunt homines*, accepto bono semine in agro cordis sui,
Dormire quid sit. qui in vacuum Dei gratiam accipiunt. Vnde Apostolus sic suos excitat, ne dormiant: *Adiuuan-*
tes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te. Sic Propheta
2. Cor. 6. dixit: *Quis ascendet in montem Domini?* &c. *Qui non accepit in vanum animam suam.* In vanum aliquid
Psalm. 23. accipitur, quando in eum finem, cui destinatum erat, non applicatur. In vanum vestem tibi e-
Simile. misti, si eam nunquam indueris. In vanum accipis animam tuam, Dei gratiam, & bonum semen,
si ad desideria cælestium, & ad bonorum operum fructum, ad quæ obtinenda anima creata, &
cætera data fuere, ea diligenter & vigilanter non dirigas. Sed ad particularia veniendo, dor-
mitur in singulis diuinæ gratiæ, & boni seminis neglectibus & abusibus, dum non fit quod A-
Heb. 12. postolus monet: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei* (id est, ne abutatur bono semine, aut vsum
eius negligat) *ne qua radix amaritudinis*, id est, amara radix, praua & vitiosa, *sursum germinans*
impediat. Sicut enim ex agricolæ negligentia herbæ malæ succrescentes segetem impediunt; sic
operationem gratiæ, succrescentia vitia. Vnde Apostolus paulò antè ibidem: *Remissas manus,* D
& soluta genua erigite, id est torporem & negligentiam excutite. Dormit in causa fidei (quod est
præcipuum) & zizanijs hęresum in corde suo seminandis locum præbet, qui non facit quod A-
1. Cor. 16. postolus dicit: *Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini*, & rursum quod Christus monet:
Matt. 7. *Attendite vobis à falsis Prophetis*. Et rursum: *Probate spiritus an ex Deo sint*. Hæc enim omnia vigilan-
tiam, attentionem, & diligentiam notant, somno contrariam, vt in altero Promptuario osten-
Dom. 7 post Pentecost. sum est. Porrò quis ille somnus sit, propter quem hæresum zizania seminantur, & crescunt,
in eodem quoque Promptuario explicatũ est, in festo Sanctorũ Simonis & Iudæ. Dormit om-
nis, & pessimum somnum dormit, qui odio fratris laborat. *Qui enim odit fratrem, adhuc in tenebris*
1. Ioan. 2. *manet*, ait Diuus Ioannes. Tenebras autem affectat omnis qui dormit, adeò vt de die dormiens,
vel fenestras claudat, vel faciem cooperiat dormiturus. Dormit carnalis, & libidini dedi-
Ephes. 5. tus. Vnde Apostolus, quum dixisset; *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere*: adiecit; *Sur-*
ge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Dormit omnis auarus, & suauissimè (vt
Lucæ 12. sibi videtur) quiescit, dicẽs: *Requiesce nũc anima mea; habes multa bona reposita in annos multos*. Sed isto-
Psalm. 75. rũ somnũ deridet Script. dicens: *Dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenerunt*
in mani-

in manibus suis. Dormit gulosus, & ventri deditus, quem his verbis diuus Petrus stertentẽ ex- *1. Pet. 5.*
A citat: *Fratres, sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Dormit proprijssimè, & altissimè stertit omnis negligens, indeuotus, & salutis *Prou. 13. 19*
suæ curam non habens; de quo Sapiens: *Piger complicat manus suas: vult & non vult piger. Sicut cardo* *22.*
in ostio, sic piger in lecto suo vertitur. Dicit piger: Leo est in via; in media platea occidendus sum. Sic somno suo scilicet indulget. Omnia illi difficilia, omnia impossibilia videntur. Nullum adhuc ille tempus surgendi à peccato, nullum bene operandi tempus inuenit. At omnis Scriptura, nos, nos inquam, in Christo renatos, & bonum semen, & filios regni, ad vigilantiam hortatur, à somno deterret, ne dormiamus, & locum diabolo dormientes demus, creberrimè excitat. Christus clamat & repetit: *Vigilate: quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Rursum: *Si quis sciret qua hora fur veniret,* *Mar. 4.*
vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et iterum: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* *Lucæ 12.*
Sic Paulus vas electionis, *Vos fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Om-* *1. Thess. 5.*
nes enim vos filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri (Gentiles scilicet qui Christũ ignorant) *sed vigilemus, & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte*
dormiunt; & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem, qui diei sumus, sobrij sumus. Christus iterum iubet
nos esse *similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs.* Ad perpetuam vi- *Luc. 12.*
gilantiam excitandam, nihil significantius dici potuit. Nunquã enim maiori studio ministri do-
B minum suum exspectant, quàm, quãdo à solemnitate nuptiarum in templo peracta, ad conuiuiũ
nuptiale peragendum eum recipiunt: siue solicitudinem spectes rerum ad conuiuiũ necessariarum, siue promptitudinem, vt domino reuertenti, nouas nuptias gratulentur. Quare vt omnia
in huiusmodi debent esse negotio & charitate plena; sic in nobis Christianis, Christi nostri ad-
uentum glorioſum expectantibus.

Sed nunc, quàm sit damnabile non vigilare, quantum detrimentum dormire, paucis di- *Matth. 25.*
cetur. Non excluduntur à nuptijs sponsi, à gaudio cœlesti, nisi *qui veniente sponso*, absque oleo *Lucæ 12.*
in lampadibus suis, *dormitauerunt & dormierunt.* Si enim *beatus homo, quem, quũ venerit Dominus, in-*
uenerit vigilantem; profectò miser, quem inuenerit dormientẽ. Sic Apostolus, quũ dixisset, *Hora* *Rom. 13.*
est iam nos de somno surgere; addit causã: *Nunc enim propior est nostra salus* (vitæ æternæ) *quã quũ credidi-*
mus, id est, cum primò fidem Christi accepimus, aut primùm Christiani esse cœpimus. Quanto
enim professionem hanc Christianam diutius tenuimus, tanto in ea magis profecimus, aut certè profeciſſe debuimus; ne illud nobis exprobretur, quod suis Hebræis Paulus dixit: *Quũ debe-* *Hebr. 5.*
retis esse magistri propter tempus, rursum indigetis vt doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Somnum igitur propterea excutere debemus, qui iam dudum Christiani sumus, siue quoad to-
C tam Ecclesiam, siue quoad vnumquemque nostrum. Sic enim comminatur Scriptura: *Si non* *Apoc. 3.*
vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Videlicet vel per mortem tẽporalem, quod est iustitiæ; & sic *clausa erit ianua*: vel per pœnam temporalem, vt à somno excite- *Matth. 25.*
ris; quod est maximæ misericordiæ, quia sic *non obdormies in morte.* Quàm sit autem hic negligentiæ somnus Deo exosus, illis verbis explicat, quum dicit: *Vtinam aut frigidus esses aut calidus!* *Psalm. 12.*
sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Aperte, ait Ambrosius, *negligẽ-* *Apoc. 3.*
tiam grauiori damnat iudicio, quàm imprudentiam. Frigidus est enim qui fidem nescit; calidus qui Spiritus *In Psal. 118*
sancti feruore succensus est. Qui enim calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidem non accepisse, quàm *serm. 2.*
neglexisse. Hæc ille. Sic Diuus Gregorius: *Calidus est, qui bona studia arripit & consummat. Frigidus est,* *Cura Pastor*
qui consummanda nec inchoat: & sicut à frigore per teporem transitur ad calorem; ita à calore quoque per tepo- *par. 3. c. 35*
rem reditur ad frigus. Quisquis ergo amisso infidelitatis frigore, sed nequaquam tepore superato, exardescit vt
ferueat; proculdubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit vt frigescat. Hæc ille. Et paulò
superiùs eodem in loco: *In hoc mundo humana anima quasi more nauis est, contra ictum fluminis contẽ-* *Simile.*
dentis, quæ vno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Hinc per *Prouer. 18.*
Salomonem dicitur: Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis: quia videlicet qui *Simile.*
cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hæc ille. Nempe
vt auicula non capitur dum est in motu, sed vbi primùm subsistit, facilè attingitur; sic nisi o- *Prouerb. 1.*
D tiosos & dormientes aduersarius diabolus ferit. Hinc Salomon: *Frustra iacitur rete ante oculos pen-* *Similia.*
natorum, Vigilantium videlicet & attendentium, vt solet auicula aucupem attendere. Vt aquæ dulces in motu semper sunt; ita stagnantes aquæ nec dulces, nec salubres sunt, & non nisi venenata & noxia generant. In domo derelicta, vbi nemo habitat, animalia immunda multiplicantur, mures, sorices, araneæ, vermes. Animalia quæ diu iacent in terra, nec ambulant, vngulas amittunt. Aues quoque quæ morantur in nidis, plumas perdunt. Sed & vulgo dicitur: Nõ vtentes priuilegio, vel abutentes, perdunt illud. Sic bonis gratiæ collatis excidit, bono semine priuatur, zizania cupiditatum facilè admittit, qui dormit, & otio stertit. *Otiositas enim multam ma-* *Eccl. 33.*
litiam docuit. Tota die concupiscit & desiderat. Labore parua crescunt: ignauia & negligentia magna *Psal. 131.*
dilabuntur. Iustus protestatur: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiẽ* *Negligẽtiæ*
temporibus meis, donec inueniam locum Domino, id est, templum ei spirituale in cordè meo fabricauero, quod libenter inhabitet. *quot ex causis periculosa.*

Dormitatio porrò hæc, & salutis negligentia, quot ex causis periculosa & pernicioſa sit, breui enumeratione ex Sancto Bonauentura annotabimus. Cui longum iter faciendũ est, & breue *S. Bonau. in Diæta*
tempus suppetit, ad finem non perueniet, nisi continuò ambulet. Ad cælum nobis eundum est: *salutis, c. 1.*

Similium congeries.
1.
2.
3.

Dom. 2. post Pent.
4.

5.

6.

7.
8.

Rom. 13.

cuius via longa est, quia multæ tentationes superandæ, multa mandata seruanda, multa bona opera facienda, multa mala toleranda sunt, antequam eò perueniatur. Tempus nostrum hæc vita est, cuius breues dies sunt, & nec de crastino certi sumus. Vt quid ego hæsitamus in via, imò dormimus? Deinde quando quis à Domino suo expectatur, nónne æquum est vt properet? At nos expectant iusti & sancti omnes, ipséque Deus. Rursum qui inuitatur à maiori suo ad cœnam, & quidem ad cœnam magnam; nónne grauiter peccat, si, sero veniens, cæteris in mora est? nonne multum periclitatur, ne, tempestiuè non veniens, excludatur? At Christus nos omnes ad talem cœnã vocat, vt in alio Euangelio explicabitur. Quid enim maius gloria cœlesti, ad quam omnes inuitamur? Porrò quum multa sint impedimenta in via, vel quia difficilè inuenitur, vel quia latronum insidiæ timentur, vel quia transitus habet asperos; nonne necessarium est, vt tanto expeditius ambulare viator incipiat? At in via salutis, tentationes sunt multæ; insidiantur dæmones; multæ obiiciuntur difficultates. Nunquam igitur dormiendum, sed carpenda celeriter via est. Præterea quando in periculo sumus, ne præscribat aduersarius longam possessionem, nonne festinandum est in causa? At per habitus diuturnæ negligentiæ, in quibus dormimus, præscribit nobis diabolus. Excutiendi igitur tempestiuè sunt, ne præscriptio valeat. Iam verò quando media quotidie ab amico offeruntur, quibus te possis ab aliquo malo liberare; annon maximè amicum offendis, si illa media negligas? At Deus quotidie suam gratiam nobis offert, cuius medio à periculo perdendæ salutis certissimè liberamur. Sed & illud quoque, nonne maximè nostram negligentiam arguit, quòd in præsenti, & ter maximo periculo constituti, damnationis scilicet æternæ, pœnæque infernalis, adhuc stertimus? Postremò, qui proprium tempus aliquid comparandi prætermittit, nonne grauissimè culpatur? Solet dici: *Fronte capillata, post est occasio calua.* At tota hæc vita tempus nostrum est, nobis à Deo concessum. *Nunc enim est dies salutis, nunc tempus acceptabile.* Illud ergo quare patimur præterfluere? *Volat irreuocabilis hora.* Hæc singula amplificari poterunt, vt intelligant auditores, quantum hoc valeat, *Cum dormirent homines.* Sed & ex loco proximè sequenti ista magis elucescent.

A

B

3. *Venit inimicus eius, & superseminauit zizania.*

Diabolus otiosos opprimit.

2. *Tim. 2.*
Luc. 11.

Matth. 12.

Similium congeries.
1.
2.

3.

4.

5.

Chrys. ho. 4. de verbis Esaiæ.

Prouerb. 4
In ferm. de abdic. rerũ

Ephes. 4.

1. *Pet. 5.*

LOcus moralis de malis seminibus tentationum, vitiorum, errorum, quæ in anima negligenti, & dormienti, opera & studio Diaboli, citò seminantur, apparitura, & in opus exitura postea. Hoc est quod alibi Christus dixit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, id est, quum factus fuerit semen bonum, & filius regni, expulso dæmone, *à quo antè captiuus tenebatur ad voluntatem eius, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem*, id est, improbæ suæ voluntatis, qua hominum saluti inuidet, executionem: *Et non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui.* Nam propter veterem peccati consuetudinem tum domum suam vocat, tum spem reuertendi concipit. *Et quum venerit, inuenit eam vacantem*, id est, otiosam, & accepta reconciliatione securam, nullique bono operi intentam: *scopis mundatam*, id est, leuiter & superficie tenus purgatam; quia bonum semen tenaciter non inhæret, nec ex imo pectore conuersio ad Deum facta est. *Tunc assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Ista sunt zizania quę inimicus homo bono semini superseminat, quando homines dormiũt, id est, otiosè & negligenter agunt, accepto beneficio gratiæ. Qui fuit aliquandiu compedibus vinctus, quando compedes soluuntur, libérque dimittitur, nec rectè statim, nec expeditè, sed modicè & tortuosè ambulat. Quare talis nisi diligentissimè caueat, citò cadet, damnumque accipiet. Auicula quæ longo tempore in cauea detenta fuit, si qua fortè ratione exit, modicũ volat, & alicui statim, aut arbori aut tecto insidet: vnde non difficulter vel capi, vel occidi tũc possit, nisi magnam sibi vim faciat. qui ex graui morbo recenter conualuit, magnam diligentiã adhibet, ne recidiuet. Sic accepto bono semine, vel regenerationis primæ, vel reconciliationis & conuersionis secundæ, nisi diligens pietati opera adhibeatur, sua statim zizania debili adhuc & infirmæ animæ diabolus superseminat. Nempe vt hostis explorat præsidia infirma, & loca; & in ciuitatis obsidione prima eius cura est, vt locum maximè infirmum deprehendat: sic Diabolus adhuc infirmam & recenter conuersam animam maximè aggreditur. Præterea siue recẽter seminato bono semini, siue etiam iam radices agenti animo benè confirmato ac radicato in fide & charitate sua non desinit superseminare zizania dæmon. Imò *vt piratæ his potissimùm nauibus insidiantur, quas auro, & preciosis mercibus onustas esse intelligunt: ita dæmon his potissimum laqueos obtendit: quos, bono accepto semine, spiritualibus diuitijs abundare cognoscit.* Quare & hic dicitur, quod in medio tritici superseminauit zizania. Hanc ob causam monuit Sapiens: *Omni custodia custodi cor tuum. Siquidem* (ait Basil.) *ei perinde vt si aurũ esset, dies noctésque à dæmonibus insidiæ comparantur, & repentè tum, quum minimum expectas, minimèque intelligis, asportatur.* Vnde facilè colligitur, quàm non sit tutum, accepto bono semine dormire & dormitare. Hinc Apostolus monet: *Nolite locum dare diabolo.* Ille locum dat diabolo, qui nulli bono operi intentus dormit. Quod Petrus satis expressit, qui, vbi monuit nos sobrios esse & vigilare, adiecit hanc causam: *Quia aduersarius vester diabolus, tanquã leo rugiens, circuit quærens quẽ deuoret.* Si sẽper circuit, & iratus ac famelicus circuit; quid

C

D

A quid mirum, si, zizania & venena sua spargendo, bonum semen corrumpit? Filij Dan, de qua tribu Antichristus nasciturus creditur, occupauerunt ciuitatem Lais sine sanguine, totámque destruxerunt, quia & opulentam illam, & valde securam atque quietè agentem, absque vllo timore inuenerunt. Typus erat dæmonum, hominum animas bono semine ditatas, quando securè, & absque timore dormiunt, spoliantium & occidentium. Sauli dormienti vas aquæ, & hastam in medio exercitus fortissimi abstulit Dauid, & ense eum confodere potuerat, si voluisset. Dormienti Christiano, vtcunque in Catholica Ecclesia, & inter optimos viuat, instrumenta tamen militiæ spiritualis diabolus aufert, &, si Deus permittat, necem infert. Noluit Deus sic filios Israël in deserto pascere, & manna illis de cœlo pluere, vt vel pro toto anno, mense; aut hebdomada plueret; sed in singulos tantum dies, vt quotidie colligerent. Sic Deus nos quotidie vigilare, orare, animæ curam agere voluit, non semel bono semine dato in totam vitam alere. Et vt diabolus nunquam cessat, ne momento quidem temporis animæ nostræ insidiari, vt sua zizania superseminet; sic nos perpetuò contra eum aduigilare necesse est. Vix ab Adam Deus recesserat, dato præcepto de non comedendo ex ligno scientiæ boni & mali: quod mandatum optimum semen fuit; quum statim diabolus suum adfert zizanium, dicens, *Nequaquam morte moriemini.* Dauid quum esset vir secundum cor Dei, &
B multo bono semine opulenter excultus, tamen suum libidinis zizanium otio domi vacanti inseuit Diabolus, vt adulterium & homicidium vno ferè halitu perpetraret. Paulus in maximo feruore spiritus, & *audiens arcana Dei, quæ non licet homini loqui, colaphizatur tamen ab Angelo sathanæ stimulo carnis.* Nec enim inimicus iste homo vel vlli, vel vnquam parcit. Omni operanti bonum, & in omni operatione insidiatur, vt, iacto zizanio, bonum semen corrumpat. Vnde in Euangelio nostro dicitur, quod *superseminauit in medio tritici,* id est, vt docet sapienter sanctus Gregorius, aut intentionem, aut actionem, aut finem boni operis aliquo vitio contaminare studet. *Intentionem boni operis polluit: quia cùm facilia ad decipiendum corda hominum viderit* (qualia sunt quæ minus diligenter custodiuntur) *eorum desiderijs auram transitorij fauoris apponit. Intentionem viziare si nequit, actionem quasi in via corrumpit: vt vel laus humana obuians, quamuis quæsita non fuerit, tamẽ oblata delectet; vel zelus institiæ immoderatus mentem turbet,* quod cæteri non sic faciant; *vel tristitia obnubilet, vel denique immoderata lætitia ex bono opere percepta dissoluat. De qua varia hostis infestatione dixit Dauid: In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Cum verò antiquus hostis neque in exordio intentionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit: vt saltem per lassitudinem fractus, & tædio perseuerandi affectus, anteacti laboris meritum perdat.* Sic sua inimicus superseminat zizania. Nec tamen propterea bene operandi fastidium quemquam capiat, quoniam iste aut ille
C iam à diabolo captus est. Si in diuitijs custodiendis contra latronum insidias, contra superfluos sumptus, contra futuras necessitates, mille curas impendimus; si vasa vinaria & olearia, ne vinũ aut oleum vel diffluat, vel acescat, tam diligenter conficimus, obstruimus, collocamus; si vestes & reliquam supellectilem sedulò custodimus, ne à tinea lædantur, ne situ & puluere maculentur, ne humore corrumpantur: quàm est indignum, boni seminis, ad salutem & gloriam nostram æternam à Deo accepti, parem curam non habere, ne superseminato zizanio suffocetur! *Viæ diaboli* (ait Diuus Bernardus) *sunt circuitio & circumuentio. Circuit terram, & perambulat eam, vt nos circumueniat.* Nec, si interdum cessare videtur, propterea imparati esse debemus. Qui vere sanctur in bello, quando inducię dantur, tunc sese muniunt, & propugnacula reficiunt. Idem nobis faciendum in conscientiæ pace. Verum quidem est quòd *non dormit neque dormitat qui custodit Israël:* sed neque dormit nec dormitat qui impugnat Israël. *An ideo dissimulandum nobis, quia vndique subuenitur nobis?* Imò *propterea studiosius vigilandum. Neque enim tam magna pro nobis in cælo pariter & in terra solicitudo gereretur, si non magna nobis incumbere necessitas videretur. Non tam multiplex nobis custodia, nisi ob multiplices insidias, poneretur.* Hæc Diuus Bernardus. Tulit legem Solon, vt, qui sectatur otium, omnibus accusare volentibus obnoxius esset. Hanc legem Deus tulisse videtur, vt otio vacans, & circa salutem negligens, omnibus dæmonibus ad tentandum & accusandum obnoxius, & omnibus vitijs expositus sit.
D

Iud. 18.

Typus. Allegoria.

Exod. 16.

Diaboli vigilantia. Exempla.
1.
2.
3.
2. Cor. 12.

Moral. in Iob l. 1. c. 38

Psal. 141.

Similia.
1.
2.
3.

Sc. 12. sup. Psalm. 90.

4.

Ibid. ser. 11

Laert. l. 1. cap. 2.

4. *Vnde ergo habet zizania?*

LOcus moralis contra iniquitatis abundantiam, abundante gratia Christi. Boni quippe serui magni patris-familias, siue Angeli, siue Sancti in hac vita meritò demirantur, tot & tanta esse in agro Dominico zizania, quum non nisi bonum semen ille seminauerit. De bono semine seminato dicit Apostolus: *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia; vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christũ Dominum nostrũ.* Sed ne postea zizaniis amplius locus esset, subiungit: *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Superseminabimus zizania, vt superabundans gratia boni seminis magis eluceścat? *Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Móxque ostendit latè Apostolus, virtute baptismi nostri illam esse, huiusque boni seminis à Christo seminati vim & efficaciam talem, *vt, destructo corpore peccati, vltrà non seruiamus peccato.* Vnde ergo tot zizania in agro Dominico? Vnde tot peccata in hominib. Christianis? Sic demiratur Esaias Pro-

Iniquitatis abũdantia.

Rom. 5.

Rom. 6.

Esaiæ 5. pheta, postquam Dei bonitatem & diligentiam in vinea sua excolenda descripsisset, dicens: A
Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas? Sic apud Ieremiam: *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* Sic Christus in Euang. *Aut facite arborem bonã, & fructus eius bonos, aut facite arborem malam, & fructus eius malos. Omnis quippe arbor bona* (vt alibi dicit) *facit fructus bonos.* Vnde ergo habet zizania ager Dominicus bono semine seminatus? quomodo vitis profert labruscas? quomodo arbor bona fructus malos facit? Hoc est quod Angeli, quod Sancti, quod pij omnes non sine stomacho demirantur. Sic in alia Scriptura: *Laui pedes meos, & quomodo iterum coinquinabo illos?* Sic adhuc Paulus: *Tunc quidem ignorantes Deum, ijs qui natura non sunt dij, seruiebatis: nunc autem, quum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis ab illo; quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis?* Quæ vt ille de carnali obseruatione legaliũ dixit, ita multo fortiùs de carnali conuersatione, & peccatorum repetitione dici possunt. Nempe quid demũ causæ est cur bono semini superseminetur zizanium, cur, accepta gratia, seruiamus peccato? Si voluntas est bona, & in Christo renata semini incorruptibili; vt quid peccatum appetit, quod haud dubiè malum est? *Vsquequo claudicatis in vtramque partem? Si Dominus est Deus, sequimini illum; si Baal est Deus, sequimini illum.* Rursum si peccatũ est contra Deum, & contra intentionem seminatoris, qui non nisi bonum semen seminauit, cur eum offendimus à quo tot bona quotidie ac- B
cipimus? *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ; & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Bonum semen destruxerunt, & zizania superseminarunt; vel certè superseminata, libenter receperunt. Præterea, si peccatum est ipsi peccatori noxium, si zizanium agri bonitatẽ corrumpit, vnde habet zizania? *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et alia Scriptura: *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Et Ionas Propheta: *Qui custodiunt vanitates frustra misericordiam suam derelinquunt.* Nonne per peccatum mors, & per mortem omnes eius comites, adiuncta & agnata omnia, pœnæ, cruciatus, miserię huius vitæ omnes? Porrò peccatum nonne toti mundo detrimentum adfert, & in diaboli seruitutem eum redigit? Si enim omnia propter hominem creata sunt, & homini cuncta seruiunt; profectò quemadmodum quum Deo seruit homo, cætera omnia Deo seruiunt; ita quum seruit diabolo per peccatum, facit vt cætera omnia diabolo seruiant, eiúsque voluntatem faciant. Hinc apud Paulum *totus mundus ingemiscit, quia vanitati seruit;* & apud Petrum *igne cremandus est,* quia vanitatis instrumentum fuit, quia tot zizania protulit. Iam verò si peccatum nos inferno addicit, vt in pœnis æternis dæmonum socij simus, quæ dementia, quòd tot zizania sumus? Hoc est enim quod Paulus dicit: *Venundati sub peccato,* quia (vt Augustinus exponit) *Vnusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam precio dulcedine temporalis voluptatis.* Sic Chrysostomus peccatum *voluntarium quendam dæmonem & spontaneã* C
insaniam vocat. His accedit, quòd ipsi rationi & lumini naturali omne peccatum aduersatur. Omnia ingenia humana illud condemnant. Vnde ergo tot zizania? cur sic contra naturam ascendit impetus fluminis? Iam totum Euangelium, & tota professio Christiana quid aliud clamat, docet, profitetur, quàm contra peccatum? vt *non regnet amplius peccatum in mortali corpore nostro;* vt *sicut filij lucis ambulemus;* vt *expurgato veteri fermento, simus noua conspersio, sicut sumus azymi;* vt *exuentes veterem hominem, induamus nouum, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis;* vt, retento bono semine, fructificemus in vitam æternam. Vnde ergo habet zizania ager Dominicus? Postremò, cur incarnatus est Filius Dei, cur tanta docuit, fecit, passus est? Nonne *vt dissolueret opera diaboli,* quæ sunt peccata? Nonne *vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilẽ, sectatorem bonorum operum?* Nonne *vt iam non desiderijs hominũ, sed voluntati Dei, quod reliquũ est viuamus temporis?* Nonne nunc qui peccato seruiũt, *crucifigunt iterum in semetipsis Filium Dei, sanguinem testamenti pollutum ducunt, Spiritui gratiæ contumeliam faciunt?* vnde ergo zizania, vnde tanta iniquitatis abundantia? Adeò certè nunc corruptus est populus Christianus, vt quemadmodum tempore pestis non eos qui moriuntur, sed eos qui supersunt, admiramur; sic hodie non eos qui peccant & flagitiosè viuunt, sed honestos, pudicos, veraces, misericordes, deuotos, quasi miraculum aliquod, quòd tantæ corruptionis immunes fuerint, miramur. Arguit hic locus, & vehementissimè arguit hominum Christianorum negligentiam, ingratitudinem, extremam impietatem; & contra peccati turpitudinem iustè exaggerandam, plurimum valet. D

Ieremi. 2.

Matth. 12.
Matth. 7.

Cant. 5.
Galat. 4.

Peccati in Christiano absurditas

3. Reg. 18.

Ieremi. 2.

3.
Psalm. 10.
Eccles. 30.
Ionæ 2.

4.

Rom. 8.
2. Pet. 3.

5.
Rom. 7.
In exposit. eius loci.
Hõ. 28. in ep. ad Rom

6.

7.
Rom. 8.
Ephes. 6.
1. Cor. 5.
Ephes. 4.

Tit. 2.
1. Pet. 4.

Simile.

5. *Inimicus homo hoc fecit.*

Diabolus hostis capitalis.

LOcus moralis contra generis nostri, & salutis humanæ hostem capitalem, diabolum. Hic est inimicus ille homo; non quia homo, sed quia homini inimicus est. Inimicus homo vocatur, vel quia id facit quod inimicus homo homini facere consueuit, cum quo simultatem exercet; vel quia hominis inimicus & iuratus hostis est. Ille enim est, qui ad tantam absurditatem & ingratitudinem credentes in Christum adducit, vt nequicquã accepto bono semine, sua tamen zizania eos admittere persuadeat. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates; aduersus mundi rectores tenebrarum harũ; contra spiritualia nequitiæ in cælestib.* Quare ibi nos armat Apostolus contra inimicum hunc hominem, ne eius zizania

Ephes. 6.
Armatura contra hostẽ diabolũ

in

in corde nostro locum accipiant. *Induite*, inquit, *armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias*
A *diaboli*. Moxque hanc armaturam describit: *State succincti lumbos vestros in veritate*. Primum enim 1.
hostis vicinus superandus est, carnis luxuria castitatis studio comprimenda: non fictè nec simu- 2.
latè, sed sincerissimè. *Et induti loricam iustitiæ*. Vincendo illicitas cupiditates rerum tempora-
lium. Nam vt iustitia suum cuique tribuens, omnes quasi virtutes complectitur, sic lorica to-
tum corpus tegit. *Et calceati pedes in præparationem Euangelij pacis*: id est, vitiosis affectibus, & 3.
superflua cura rerum temporalium depositis: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela* 4. *Dom. 4.*
nequissimi ignea extinguere. Sic Petrus: *Cui resistite fortes in fide*: quod quale sit, supra explicuimus. *post Epiph.*
Et galeam salutis assumite; quæ est spes firma, tam de præsenti gratia ad auxilium, quàm de futura *tex. 2.*
gloria ad præmium: *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei*: exemplo Christi, qui sic diabolum in 5.
deserto prostrauit: *per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu*. Est enim ora- 6.
tio fortissima armatura, vt supra diximus: *Et in ipso vigilantes omni instantia*. Ne videlicet dor- 7.
mientes & negligentes nos opprimat, vt paulo superius dictum est satis. Habemus hic ergo 8.
octo armorum genera, quibus facilè diabolum superamus. Succinctos castitate lumbos; lori-
cam iustitiæ; calceatos pedes; scutum fidei; galeam spei; gladium Spiritus; orationem; & vigi-
lantiam. Non enim sua virtute, sed nostra ignauia inimicus homo superseminat zizania. Sic *Diabolus*
Iacobus. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*. Si quis ab aduersario in ius vocaretur cum discrimine *nostra ig-*
non fortunarum tantum, sed & capitis; qui tamen aduersarius nullas vires haberet, sed talis es- *nauia vin-*
B set, vt solum fortiter se illi opponendo, & litem contestando, quilibet vinceret: quis tã demens *cit.*
aut ignauus esset, vt sese non opponeret, litemque strenuè contestaretur, ad omnia se respon- *Iacobi 4.*
surum paratum ostendens? Quis tam ignauus, vt talem aduersarium timeat, vel ab eo se vinci *Simile.*
patiatur? At diabolus talis aduersarius est. Per suas suggestiones & tentationes, in discrimen
salutis æternæ nos vocat. Sed sola fide, id est, sola oratione fidei Deum inuocando, & hoc mo-
do ei resistendo, in fugam conijcimus. Nec oratione tantum fidei, sed & signo fidei, signo cru-
cis Dominicæ, adeoque sola nominis Iesu inuocatione fugatur. Sic D. Antonius, maximus il-
le & sanctissimus Eremita sæpius rem expertus, dicere, ac suos docere solitus erat, vt in vita eius
scribit auctor grauissimus S. Athanasius: *Ad primum*, inquit, *signum Crucis dæmones euanescunt. Ri-* *Diaboli*
dendi potius sunt, quàm timendi. Cùm enim sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt. Adueniente enim *victoria*
Christo, omne penitus diaboli robur elanguit, & calcaneo Christianorum substratus gemit. Hæc magnus ille *facilis.*
Antonius iuxta Scripturas. Quod enim in Euangelio Christus dixit, *Vidi Satanam sicut fulgur* *S. Anton.*
cadentem de cælo; & quod Ioannes in Apocalypsi dicit, *Satanam ad mille annos alligatum fuisse*, hæc *Luc. 10.*
Antonii verba confirmant. Sed multo apertius quod D. Ioannes scripsit: *Vos ex Deo estis filioli,* *Apoc. 20.*
& vicistis eum (Antichristum scilicet) *quia maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo*, id est: Maior *1. Ioan. 4.*
est Spiritus sanctus in cordibus fidelium, quàm Diabolus, princeps huius mundi. Nostra igi-
C tur ignauia vincit, & sua zizania sic superseminat, *vt, crescente herba, in medio tritici appareant*. De *In festo*
virtute nominis Iesu fideliter inuocati contra dæmones, in altero Promptuario quædam pro- *Circumci-*
tulimus. Propter orationem fidei, propter signum fidei, propter inuocationem nominis Iesu *sionis Do-*
in fide, dixit Petrus de diabolo quærente quem deuoret: *Cui resistite fortes in fide*. Neminem *mini.*
enim, nisi trepidantem, & de Dei auxilio parum fidentem, diabolus opprimit. Sic S. Anto- *1. Pet. 5.*
nius in hoc certaminis genere exercitatissimus, *Si quod*, inquit, *in pectoribus nostris malæ mentis &* *Athan. in*
pauoris semen inuenerint dæmones (quod per signa exteriora deprehendunt) *mox quasi latrones, qui* *vita sancti*
deserta obtinent loca, cæptos cumulant timores, & crudeliter imminentes infelicem vexant animum. Sin au- *Antonij.*
tem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum nos cupido succenderit, si semper omnia manibus Dei
committimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere. Hæc ille. Nostra igitur culpa, igna-
uia & timiditate nostra fit, vt sua in nobis zizania seminet diabolus. Mirabile est quod Petrus *Act. 5.*
Ananiæ dixit: *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri*? Non
enim dicit, Quomodo te à Satana superari passus es? sed, *Cur tentauit Satanas cor tuum*? hoc est,
quare illi ansam præbuisti, vt te tentaret, atque ita prosterneret? Ostendit nostra ignauia fieri,
non solum quod superamur, sed etiam quod tentamur à Satana. Etsi enim etiam optimos &
fortissimos tentat Satan, tamen plurimas à nobis victorias reportat, quia occasiones ei præbui-
mus. Sic Iudæos grauiter taxat Ieremias: *Quid dices quum visitauerit te?* scilicet hostis ab Aqui- *Ierem. 13.*
lone. *Tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti in caput tuum. Nunquid non dolores apprehendent te*
D *quasi mulierem parturientem*? Idem de plerisque hodie nostrum dici potest. Nosmetipsi diabo-
lum docemus, quanam nos via aggrediatur, quia somnolenti & negligentes, quia pauidi & diffi-
dentes, quia cupidi & carnales sumus. In Ezechiele dicitur de quatuor illis animalibus, *quod* *Ezech. 1.*
totum corpus oculis plenum; in circuitu ipsorum quatuor erat. In quo maxima vigilantia aduersus Sata- *Simile.*
næ importunitatem docetur. Sed fit in nobis quod in auiculis, quæ auidè in prædam dum cur- *Ierem. 2.*
runt, laqueo capiuntur, non videntes retia. Appositè Propheta: *Onager assuetus in solitudine, in*
desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus auertet eum. Sic enim currit ad feminæ vo-
cem, vbi eam rudentem audiuit, vt insequentium nec venabula, nec insidias vel attendat, vel
curet. Ita fit, vt nostræ cupiditates, diaboli insidiis nos exponant, & retibus illaqueent; qui
ad omnem rei bene gerendæ occasionem intentissimus est: vbi vero sobrios nos & circumspe-
ctos aduertit, aggredi non audet. Rectissimè monet Sapiens: *Si spiritus potestatem habentis* (id est, *Eccli. 10.*
diaboli) *ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*; id est, sta fortis in fide: *quia curatio faciet cessare*

peccata maxima; id est, tempestiua attentio principiis tentationum occurrens, seruabit te à grauissimis peccatis, quæ facilè incurres, si primis aduersarij suggestionibus aditum præbes. Vinci & fugari diabolum prompta & forti fide vno exemplo docebitur. Cum monachus quidam ex primis S. Norberti Præmonstratensium monachorum Patris sanctissimi discipulis, cui multum insidiabatur diabolus, se modicæ fidei tandem agnoscens, seque ipsum reprehendens, fiduciam sumpsisset, & solus pro singulari quadam necessitate claustrum exiisset, astitit dæmon coram eo terribilis valde, hominis effigie assumpta, & aspectu nigerrimo incedens, & quasi ipsum esset in aerem delaturus, minas intentans. Ille autem fidei collectis viribus, & vigore animi resumpto, intra se dicebat: Quàm diu hæc importunissimi inimici figmenta & phantasias patiar? Surgens igitur, apprehendere eum voluit, sed dæmon statim in fugam versus est; quem & ille insequitur donec dispareret. Hac animi virtute, serpentis illusione deuicta, nullum postea eius timorem passus est. Sicut in hac externa, sic in spirituali pugna fide fugatur inimicus homo. De quo in aliis Euangeliis plura dicendi locus dabitur.

Exemplũ. In vita sancti Norberti. c. 38. apud Surium, to 3. p. 537

In Dom. 1. Quadr. tex 3.

Domin. 3. Quadr. tex. 1.

A

6. *Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea?*

LOcus moralis de zelo iustorum contra peccata. Tam enim indignum videtur iustis, & sanctis, Deumque amantibus, in tanta gratiæ abundantia, à tali aduersario, tam sæpe, tam grauiter, vinci homines; tot zizania, tot scandala, tot peccata in agro Dominico, in Ecclesia militante conspici; vt propter Dei gloriam, propter zelum domus Dei, propter iustitiæ dilectionẽ, hæc omnia primo quoque tempore tolli cupiant, nec messem expectari; sed vbi primum enascuntur, vel enata appareant, statim eradicari & colligi velint: ad quod suum ministerium libentissimè offerunt atque promptissimè. Aiunt enim; *Vis imus?* non aiunt, ibimus, eo quod absque mora confestim tolli zizania desiderent. Hæc est enim in Scripturis vox iustorum: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.* Iniuriam quippe Deo factam, sibi ipsi fieri vir iustus existimat; imo multo magis de domo & honore Dei violatis torquetur, quàm de sua quacumque accepta iniuria. Sic in conseruum illum crudelem, qui, omnium debitorum accepta à domino remissione, suo conseruo remittere noluit, cæteri conserui videntes, *contristati valde, narrauerunt domino omnia quæ facta sunt.* Sic Dauid: *Vidi prænaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Talis erat maximus ille Elias, qui, quum propter zelum domus Dei, videns suo tempore omnia plena zizaniis, persecutionem passus, in speluncam fugeret, atque à Deo rogaretur, quid illic rerum ageret, respõdit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel*, &c. Talis erat Apostolus Paulus, sic ad Galatas scribens: *Qui conturbat vos portabit iudicium, quicumque est ille*, & paulo post: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant.* Sed ad Corinthios multo vehementius & verbo & opere hunc zelum ostendit. *Omnino*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Hæc ad delinquentem. Nunc ad tolerantes & dissimulantes: *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Reprehendit eos, quod nihil commoti, nullo dolore, nullo zelo tacti fuerint, vt è medio illorum tolleretur zizanium. Nunc ergo ad opus venit. *Ego absens corpore, præsens spiritu, iudicaui vt præsens, tradere huiusmodi hominem Satanæ*, &c. Moxque redit ad illorum negligentiam & teporem reprehendendum. *Non est bona gloriatio vestra: nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum*, &c. quasi dicens, quia pauca zizania totum triticum corrumpunt; eradicate zizania de medio tritici. Eodem zelo & diuus Petrus Ananiam & Saphiram, mentientes Spiritui sancto, è medio tollit: Simonem magum, sacrilegium perpetrantem, confestim excommunicat. *Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Hic zelus honoris Dei res est vt per se sanctissima, sic Deo gratissima. Et quamuis hanc seruorum voluntatem Deus exequi noluit, quia quasi generalem zizaniorum eradicationem expetebant, quam propter causas, quas mox dicemus, concedere noluit; tamen eorum zelum non reprehendit, sed suo tempore, quod cupiunt, futurum docet. Huiusmodi zelus si singulorum esset, non sic abundarent zizania, nam & ideo hodie innumeri zizania fiunt, quia vel in honore sunt peccata, vt ambitio, auaritia, calliditas; vel à nemine ferè reprehenduntur, vt cætera omnia. Sed sapienter Solon, *interrogatus quanam ratione nullum in vrbe scelus perpetraretur, respondit: Si tam indignarentur illi quibus non est facta iniuria, quàm quibus facta est.* Sic & Timon ille. μισάνθρωπος dictus, rogatus cur sic homines odisset, *Improbos*, inquit, *odi, quia improbi sunt: probos vero, quia improbos non oderunt.* Nec multo aliter Propheta tribui Iuda væ dicit, quod, ablatis in captiuitatem decem tribubus, fratrum suorum tam miserabili ruina, & horrendis sceleribus, quæ in causa erant, nihil tangebantur. *Væ*, inquit, *illis, qui nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Est quippe huiusmodi zelus & reuerentiæ erga Deum, & amoris erga proximum, & iusti odij contra peccatum, illustre argumentum.

Zelus iustorũ cõtra peccata.

Psal. 68.

Matt. 18.

Psal. 118.

Exempla.

3. Reg. 19.

Galat. 5.

1. Cor. 5.

Act. 5. & 7.

Apophth. Stob. ser. 41

Apophth. Maximus serm. 6.

Amos 6.

B

C

D

7. *Non:*

A

7. *Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis & triticum.*

LOcus moralis de admirabili Dei bonitate & longanimitate in tolerandis malis, vt fiant boni. Idcirco enim non vult bonus Dominus zizania colligi quàm primum apparent in agro, vt ipsis zizaniis tempus pœnitendi concedat, quo fiant triticum: *Ne forte*, inquit, *eradicetis & triticum*, id est, futuros triticum. Sic Paulus bonam terram, quæ triticum profert, à Deo statim benedici docet, malam vero serius maledici. *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam oportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo*; confestim scilicet, & in præsenti; *proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, ac maledicto proxima*; id est, non statim maledicitur, sed suo tempore maledicetur. Hanc Dei bonitatem mirificè exaggerat Paulus alio in loco; *Deus*, inquit, *sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum* (hæc sunt zizania in agro) *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Docet Deum sustinere vasa iræ formaliter talia & apta quidem in interitum, vt fiant vasa misericordiæ. Vnde alio in loco, quum dixisset, *quædam esse vasa in contumeliam*, addit: *Si quis autem se emundauerit ab istis* (scilicet vasis in contumeliam) *erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino.* Tolerat ergo vasa iræ, & zizania ad tempus talia, vt fiant triticum, & vasa misericordiæ in æternum. Quare &

B Timotheum Paulus, vt hanc Dei bonitatem imitetur, eodem in loco docet. *Seruum Domini*, inquit, *oportet cum modestia corripere eos qui resistunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad agnoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur.* Ecce ista erant zizania ab inimico homine semimata, & eius laqueis implicata: sed non eradicantur statim, vt tempus resipiscendi habeant. Hac de re tota sic sapienter scribit sanctus Augustinus: *Omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo vt per illum bonus exerceatur. Vtinam ergo, qui nos modo exercent, conuertantur, & nobiscum exerceantur. Tamen quàm diu ita sunt vt exerceant, non eos oderimus: quia in eo quod malus est quis eorum, vtrum in finem perseueraturus sit, ignoramus: & plerumque, quum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.* Dei ergo bonitatem imitari docemur, qui *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Sed hoc in loco admirabilis Dei bonitas, qua peccatores tam diu tolerat, altè consideranda est. Saulum persequentem si statim Deus eradicasset, Paulum prædicantem non haberemus. Propterea in seipso hanc admirabilem bonitatem sedulo prædicat: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consequutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in vitam æternam.*

Se dicit exemplum diuinæ patientiæ, qua non vult statim eradicari zizania, ad nostram informationem: vt & in nobis singuli similem Dei patientiam admiremur; &

C incessanter de hoc singulari beneficio gratias agamus, quod millies nos barathro proximos, viuere tamen, & pœnitentiæ tempus habere sustinuerit. *Hæ sunt diuitiæ bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis; quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit.* De hac re pulchrè Chrysostomus: *Nos homines multo tempore ædificamus, vno die destruimus. Deus contra. Cum struit, velociter struit; quum destruit, tardè destruit. Illud potentiæ, bonitatis istud; potentiæ excellentia velox, mulcta de bonitate tardus. Sex diebus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, creauit. Vt vnam vrbem Hiericho destrueret, septem diebus eam circuiuit.* Dauid peccantem, adulterium atque homicidium patrantem, multis diebus tolerauit; pœnitentem vno verbo restaurauit. De hac Dei patientia, quæ in peruersis Iudæis maximè enituit, Propheta: *Toto die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Et alibi: *Sabbata vestra facta sunt mihi molesta. Laboraui sustinens*, quia videlicet tam diu & frustra eos ad pœnitentiam expectauerat. In Euangelio quoque: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Paucos Deus punit, vt innumeros sanet. Tormenta paucorum, exempla sunt omnium. Sic parcit zizaniis, vt fiant bonum triticum.

Malorum toleratio, vt emendentur.

Hebr. 6.

Rom. 9.

2. Tim. 2.

Ibidem.

Enar. in Psal. 54.

Luc. 6.

Dei bonitas in malis tolerandis.

1. Tim. 1.

Rom. 2.

Hom. 5. de Pœnitẽtia.

Esaiæ 65.

Idem 1.

Lucæ 13.

8. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.*

D LOcus moralis de alia Dei benignitate, eaque duplici, qua & propter bonos sustinet in mundo malos, & in medio malorum conseruat bonos. Has enim duas ob causas vtraque simul crescunt, simul proueniunt, tam zizania, quàm bonum triticum. Nam quod ad prius attinet, iam dudum mala zizania de mundo eradicata fuissent, nisi vel propter bonos Deus illis parceret, vel ad vtilitatem bonorum eos in mundo esse permitteret. Si in Sodoma & Gomorrha decem fuissent iusti & innocentes, illis ciuitatibus ad Abrahæ preces pepercisset Deus. Quot ibi zizania stetissent, si vel manipulus tritici in agro creuisset? Nam & sic agricola, vbi parum aut nihil tritici est, sed omnia zizaniis plena sunt, omnia in fasciculos colligit & comburit. Sed & ciuitati Segor propter vnum Loth iustum pepercerunt Angeli. Hoc respectu bonus Rex Ioas, decumbente ad mortem Eliseo Propheta, flens dicebat: *Pater mi, pater mi, currus & auriga Israel.* Aurigam vocat, quia suo sancto exemplo atque doctrina totum Israelem ducebat. Currum vocat, quia virtute sua, crebrisque orationibus populum sustinebat, ne Deus illos propter

Mali toleratur propter bonos.

Gen. 18.

Gen. 19.

4. Reg. 13.

Osea 4. peccata ipsorum perderet. Hoc sensu in veteri Lege dicuntur *sacerdotes templi comedere peccata populi*: quia stante sacerdotio, & iugi sacrificio, Deus illi populo semper aderat, & vtcumque A
Simile. aliter peccantem tolerabat, suæque gratiæ beneficiis prosequebatur. Quemadmodum paterfamilias quum famuli eius aliquod scelus perpetrarint quod supplicio dignum sit, si quis fortè vir nobilis, cui reuerentia debeatur, superueniat, non eos punit, sed iubet gratias agere circunstantibus; prædicens tamen fore, vt, vbi eos solos comprehenderit absque patronis, tunc pœnas illi dabunt: eodem modo Deus in hoc seculo parcit malis, pœnam eorum differt, sinit ea crescere propter præsentiam iustorum quos diligit, & quorum preces pro malis audit; in futuro autem seculo pœnas dabunt, quando totum triticum in horreum fuerit congregatum, solaque remanserint zizania, nec vllæ iustorum preces iuuabunt, vt in alio quodam Euangelio ex Scri-
Domin. 1. Aduent. ex. 1 pturis ostendimus. Sic apud Ieremiam, *Circuite* (ait Dominus) *vias Ierusalem, & aspicite, & con-*
Ierem. 5. *siderate, & quærite in plateis eius, an inuenitis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius*
Ezech. 22. *ero ei*, id est, Ieruſalem ciuitati. Sic & apud Ezechielem: *Quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Sic videlicet & ante captiuitatem Babylonicam, vt ciuitatem Ieruſalem seruaret, & in ipsa captiuitate, vt terram populo
Exodi 32. suo redderet, quæsiuit Deus paucos iustos: quæsiuit triticum, vt seruaret zizania. Nonne totum populum in deserto, factum zizania, disperdere Deus voluit, nisi vnicum tritici granum Moyses obstitisset, suaque oratione Dei iram placasset? Tanti valet, vt vtraque sinantur crescere. Ex B
Peccantiũ multitudo aggrauat. quo loco & illud salubriter obseruare concionator poterit, quanto in errore illi versentur, qui propter multitudinem peccantium lenius se à Deo castigandos, vel etiam non castigandos putant, ideoque id maximè satagunt, vt, in quo illi peccant, in eo ab vniuersis peccetur, quasi peccatum quanto generalius, tanto leuius esset, & venia dignius. Contra enim se res habet: & si sic multitudo peccantium crescat, sic zizania multiplicentur, vt omnes mali fiant; absque vllo dubio celerrimè omnes sint perituri cum Sodoma, Gomorrha, & Hierusalem; quum nulli si-
Bonorũ cohabitatio malis vtilis mul boni crescant propter quos saluentur. Alius quoque populi error grauis ex hoc loco taxari potest; quo improbi homines, & licenter vitam agere cupientes, à suo consortio, domicilio, ciuitate, viros bonos & Deo gratos longissimè abarcere studeant. Contra enim si saperent, id maximè satagere deberent, vt, etsi improbi ipsi sint, nec virtutis callem carpere ipsis libeat, alios tamen apud se pios, religiosos, ac sanctos viros habeant, in quorum certè gratiam & fauorem loco & domicilio illorum parcat Deus, & temporales saltem has pœnas ab illorum capitibus depellat. Crescit quippe cum zizaniis triticum, vt propter triticum non eradicentur zizania, ne vna ambos pœna inuoluat.

Mali ad vtilitatem bonorum tolerantur. Enarr. in Psal. 54. Rursum crescunt vtraque simul, zizania cum tritico, etiam vsque ad messem, & consummationem seculi, ad bonum & vtilitatem ipsius tritici, & propter filios regni: idque partim vt C
exerceantur à malis, partim vt eorum numerus compleatur. *Omnis enim malus* (vt ex Augustino paulo supra ostendimus) *ideo viuit in mundo, vel vt corrigatur*, (de quo prius dictum est) *vel vt per eum bonus exerceatur*, quod huic loco proprium est. Nempe (vt ibidem adiecit Augustinus) *quum iubeat nos Dominus inimicos diligere, sublatis inimicis*, id est, malis hominibus, *quomodo in hoc præcepto exerceamur?* Sed & pleraque charitatis ac misericordiæ, omnia certè fortitudinis & patientiæ officia, sublatis è mundo malis, cessabunt. Dicit Deus de veteri populo: *Ego non de-*
Iudic. 2. *lebo Gentes quas dimisit Iosue, & mortuus est; vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea.* Sic in Ecclesia noui populi sinuntur zizania crescere, & multiplicari, & prosperare cum tritico, vt experiatur nos Deus in illis, vtrum custodiamus viam Domini. Impiorum enim maledicta, iniuriæ, rapinæ, probant & experiuntur patientiam bonorum; inuidia, odium, detractio, charitatem. Hoc quoque exercitium quod à malis hominibus patiuntur boni, acer-
Psal. 139. bius plerumque est, quàm quod à dæmonibus patiuntur. Vnde hæ iusti voces: *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.* Et causam subiungit: *qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia. Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.* Ad exercitium itaque & maiorem gloriam bonorum tolerantur mali. Nec ad maiorem gloriam tan- D
De contẽp. mundi, par. 2. c. 34 tum; sed & ad maximam & necessariam vtilitatem. Torpet enim absque certamine virtus, & peius vacat quàm occupatur. Quum cibus in stomachum descendit, calor naturalis quasi pugnam contra eum instituit, donec in suam substantiam eum conuerterit: sed hac pugna alitur
Simile. stomachus, totumque corpus. Vbi vero stomachus vacuus est, contra seipsum pugnat ille calor: planéque seipsum absumeret, nisi identidem nouo alimento subministrato exerceretur. Eodem prorsus modo externis tentationibus exercetur piorum animus, quasique alitur & impinguatur præclarissimis virtutibus: quibus si careat, sibi ipsi tentatio erit, suis seipsum cogitationibus affliget, & vel vanæ gloriæ, vel inuidiæ, vel etiam peruersæ libidinis iaculis otiosus
Simile. ferietur. Sed & extra tentationem à rebus externis, vel periculosa securitas, vel præsumptio bonos incautè inuadet. Nam sicut naues in mari pacato & sereno magis periclitantur, quàm orta tempestate; quia plura sunt contra tempestatem remedia hominum industria inuenta, quàm contra tranquillitatem & mollitiem maris, quæ solis ventis, qui in nostra potestate non sunt, curatur: sic omnino animus iusti & timentis Deum, tutior est in tentatione, quàm in alta & longa pace; quia contra tentationes multa sunt remedia, & diligenter à iusto adhibentur. Extra tentationem vero sine maxima vigilantia, & perpetuo flante diuini Spiritus aura, & assiduè

A duè periclitamur, ne vel torpor opprimat, vel securitas diabolo exponat, vel præsumptio præcipitet, vel inuidia pungat, vel vanitas dissipet. Propter maximam igitur bonorum vtilitatem & exercitium necessarium sinuntur vtraque simul crescere, mali cum bonis, zizania cum tritico. Porro vt numerus electorum compleatur, tolerari in agro Dominico zizania, & vt vtraque simul crescant permitti, illa Scriptura docet, vbi clamantibus ad Deum iustis, *Vsquequo Domine sanctus & verax non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* (hoc enim erat eradicare zizania ex agro Dominico huius militantis Ecclesiæ) *dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut illi.* Sic Paulus ab improbis & malis hominibus afflictus, se hoc respectu omnia libenti animo sustinere scribit. *In quo* (Euangelio) *laboro vsque ad vincula, quasi malè operans. Sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti.* Hoc est quod sanctus Hilarius scripsit, *Longam Dei patientiam in tolerandis impiis, in profectum humanæ salutis extendi.* Hoc denique finis parabolæ perspicuè docet, vbi dicit Saluator, se *messis tempore dicturum messoribus* (id est, Angelis, & diuinæ iustitiæ ministris) vt *zizania colligant in fasciculos, bonum autem triticum congregent in horreum suum.* In eum igitur finem crescere sinuntur, vt plenum sit triticum in horrea congregandum. Atque hæc de priori Dei benignitate admirabili, qua propter bonos sustinet in mundo malos, siue ex parte malorum, ne intereant; siue ex parte bonorum, vt vtilitatem inde capiant.

Mali tolerantur, vt compleantur electi. *Apoc.6.* *2.Tim.2.* *Can.26.in Matt.*

B Nunc de altera Dei benignitate, qua in medio malorum bonos conseruat, & sic finit vtraque crescere vsque ad messem, vt tamen crescẽtia zizania triticum suffocare aut exsiccare non valeant (quod boni illi serui, qui eradicare zizania cupiebant metuisse videntur) tribus verbis dicetur, si fortè hanc partem tractare Concionator desideret, ad maiorem Dei gloriam, & populi fidelis amorem in Deum accendendum. *Scimus* (ait Apostolus) *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Docet, sic Deum in medio malorum conseruare bonos, vt malorum commixtio etiam in bonum ipsis cooperetur; & quod in perniciem futurum videbatur, in salutem fiat. Sic Dauid Propheta: *Maledicent, & tu benedices. Qui insurgunt in me, confundantur; seruus autem tuus lætabitur.* Exemplum in Balaam homine impio, sed Propheta, à Rege Balac, hoste Iudæorum, ad maledicendum illis vocato. *Venit* (inquit Rex ad Balaam) *& maledic Iacob: propera, & detestare Israel.* Cui Balaam, *Quomodo maledicam, cui benedixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?* Quumq; statim verba benedictionis plena protulisset, ait illi Rex impius: *Vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis.* Exemplum in fratribus Ioseph, qui, vt frustrarent somnia eius, ex odio & inuidia vendiderunt eum Ismaelis in Aegyptum. Sed hoc totum in gloriam Ioseph, atque in ipsorum fratrum consolationem versum fuit. *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum* (ait illis Ioseph) *vt reseruemini super terram. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* De

Bonos in medio malorum conseruat Deus. *Rom.8.* *Psal.108.* *Exempla.* *1. Num.23.* *2. Gen.45.*

C hoc genere dixit Salomon: *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum* (vt noceat videlicet iusto) *qui autem rectus est, corrigit viam suam:* id est, correctionis & emendationis suæ causam ex illa impij peruicacia accipit. Et rationem subiungit: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli. Dominus autem salutem tribuit*, hoc est, frustra impij iustum perdere contendunt. Sicut equus in bello sessori suo, sic Dominus in tentatione iusto suo, cuius cor possidet, & quem inhabitat, certissimam salutem adfert. Hoc est quod Christus de suis quibus dixit, *Nemo rapiet eas de manu mea*: & quod Paulus confidentissimè dixit; *Si Deus nobiscum, quis contra nos?* Ex hac etiam consideratione sic Dauid profitetur: *Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmitati sunt & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo:* Hoc est dicere: Crescant zizania vsque ad messem, multiplicentur impij contra iustos (neque enim in sua tantum, sed & in omnium iustorum persona propheticè hoc dixit) nihil mihi ab illis timebo, quia *turris fortissima nomen Domini.* Nec per se tantum, & per sanctissimæ gratiæ suæ auxilia vberrima, sed etiam per Angelos suos, contra zizaniorum corruptionem incolumes suos seruat Deus; iuxta illud Psalmistæ: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Ingens pollicitatio: sed quo defensore tanta protectio? Sequitur: *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.*

Ioan.10. *Rom.5.* *Psal.26.* *Prou.18.* *Psal.90.*

D Si in omnibus, ergo nusquam cadendi periculum timeas. Addit tamen ad maiorem certitudinem: *In manibus suis portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Ad quæ omnia verba diligentius expensa exclamat diuus Bernardus: *O triticum inter zizania! ô granum inter paleas! ô lilium inter spinas! Gratias ei fratres gratias ei, & pro nobis pariter, & pro vobis agite. Pretiosum depositum nobis commiserat, fructum Crucis suæ, pretium sanguinis sui. Non est contentus custodia hac. Super muros tuos Hierusalem constituit custodes. Angelis suis mandauit de te. Mira dignatio. Quis enim, quibus, de quo, quid mandauit?* Deus, Angelis, de homine, custodiam exactissimam. *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam!* Hæc ille: & multo illic plura quæ vide. In hoc ergo prouidus paterfamilias, & gloriam suam, & dilectionem in nos longè maximam ostendit, quod sic sinat crescere zizania cum tritico vsque ad messem, vt ipse tamen conseruet triticum in messem, nec ei nocere valeant zizania.

Ser.12.in Psal.90.

A

9. *Colligite zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

Iudicium impiorum terribile. Moral. in Iob. li. 9. c. 47.

LOcus moralis de terribili impiorum iudicio in consummatione seculi. Dicturus est Deus Angelis suis, vt colligant impios, & in certos fasciculos alligent, & in ignem æternum proijciant. Quod de fasciculis dicitur, sic exponit S. Gregorius: *Si nullus in suppliciis ordo seruabitur, cur comburenda zizania in fasciculos colligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare, est, hos qui æternis ignibus tradendi sunt, pares paribus sociare; vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat;* & (vt alibi scribit) *superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari cum auaris; fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant.* Nempe docere Saluator vult, omnes quidem impios vnam manere ignis æterni pœnam, sed vt *in domo Patris eius multæ mansiones sunt* ad disparem iustorum gloriam, sic in domo inferni multa supplicia erunt ad varia impiorum tormenta.

Dial. li. 4. ca. 35.

Ioan. 14.

Vbi supra in Iob.

Nam sicut vno sole (ait sanctus Gregorius) *omnes tangimur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis, & vna est gehenna quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit; quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc ille exhibet dispar causa meritorum.* Hæc ille. In istis quippe fasciculis illam Angeli exequentur sententiam, qua

Apoc. 18.

B

dictum est: *Quantum se exaltauit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Item illud futurum est, quod Ezechiel de vltione per Angelos facta, in visione præuidit:

Ezech. 9.

Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua. Dictum terribile, & spectaculum terribilius, ab illis in extremo iudicio acerrimè puniri, quos in hac vita patronos & custodes salutis habuimus. Ab aliquo carnifice pœnas accipere, vt vulgare, ita minus graue est. Sed à proprio parente, aut veteri amico, publico supplicio per viam iustitiæ affici, quanto horrori, quàm crudele tormentum esset! Deinde societas ipsa simul in hac vita peccantium, qui simul puniendi colligabuntur, quantæ erit confusionis! Vsurarius cum vxore, liberis, ac famulis suis, quos ex vsura aluit, in vno fasciculo: Confessarius cum iis, quos malè absoluebat, in alio: iniquus iudex, fallax scriba, aduocatus fraudulentus, relator ac testis mendax, alium fasciculum conficient. Mox in alio medicus, chirurgus, pharmacopola, qui ægris malè ministrarunt, suum quoque fasciculum facient. Deinde meretrices, lenones, fornicarii, in alio colligati ferentur: & sic de cæteris; sicut enumerat sanctus Augustinus, hæc verba tractans. Porro ista colligatio in fasciculos, ostendit promiscuè omnes puniendos secundum delicta, non secundum statum quem in hoc seculo quisque tenebat. Nam vt in messe est vna spica grandis, alia parua atque humilis; sed cum messor omnes colligit ad alligandum, non apparet quæ grandior, quæ minor fuerit, nec fit delectus maiorum à minoribus, sed simul omnes paruæ & magnæ, quæ eiusdem generis sunt, colligantur: sic in illa

S. Aug. ser. 39. de Sanctis. Simile.

Apoc. 14. Simile.

C

messe postrema, quum id fiet quod Angelo in Apocalypsi præcipitur: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur*, parui cum magnis, potentes cum mendicis, pariter colligabuntur absque vllo discrimine. Rursum quemadmodum in scacchorum ludo, quàm diu certè ludus agitur, stant suo ordine Rex & Regina mitrati, Equites, Cataphracti, milites gregarii; at finito ludo, & mensa sublata, vbi omnes in sacculum conijciuntur, confusi iacent, & sine discrimine, Rex fortè in fundo, & miles gregarius in capite: sic omnino in huius quidem vitę theatro, personas suas splendidè agunt Reges, Prælati, Nobiles, & diuites huius seculi; sed ludo huius vitæ finito, & theatro vacuato, omnes mali simul in fasciculos colligati, in barathri faccum proiiciũtur. Sed parum est sic colligari, atque confundi. Illud quàm horrendum, *Colligari in fasciculos ad comburendum!* igne videlicet æterno. Zizania illa & paleæ inanes quomodo hunc ignem

Æternæ pœnæ grauitas.

sustinebunt? Si non homines, sed montes Pyrenæi, vel Alpes Cottię vel Armeniæ altissimi, vel Olympus essent, hanc flammam sempiternam & acerrimam sustinere nequirent. Hic est ille ignis de quo in Apocalypsi dicitur: *Cruciabuntur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & in conspectu Agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum.* Hic est ille ignis de quo

Apoc. 14.

Esaiæ 33. Psal. 20.

Esaias dicit: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Hic est ille ignis de quo Dauid prædicit: *Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui. Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Quomodo hunc talem, tantum, tam sempiternum ignem delicati peccatores sustinebunt, qui vel minimum capitis dolorem sine gemitu ferre non possunt? *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?* Sed

D

Ierem. 12. Simile.

quemadmodum ferrum, quanto fortius & diutius igni resistit vt calefiat, tanto iam calefactum acrius ardet, & iam ignitum, ipso igne feruentius vrit; lignum autem, quod facilè ignem concipit, non ita combustum vrit: sic delicati & voluptuosi in hac vita, quanto diutius & fortius omni mortificationi restiterunt, & nihil asperum, aut durum pati vel pro Christi amore, vel pro peccatis suis voluerunt, nec famem in ieiuniis, nec frigus in orationibus, nec æstum in laboribus, aut aliquid simile; tanto ab hoc igne infernali acrius corripientur, tanto & ardebunt vehementius, & flammam sentient subtilius: quia quanto plus & fortius aliquid suo contrario resistit, tanto violentius, vbi ab eo semel victum fuerit, in suum contrarium transit. Tunc quippe

Esaiæ 1.

fiet quod de pœnis impiorum prædixit Esaias: *Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguet.* Nihil tenuius, aut ad flammam concipiendam promptius quàm stupa; sed eius fauilla nihil siccius, nihil inanius: scintilla quo-

que

A que nihil leuius aut magis momentaneum. Tale quid tunc erit impiorum fortitudo, id est, gloria, robur, deliciæ. In nihilum totum redigetur, & igne tamen inextinguibili comburetur. Sic diuitis epulonis fortitudo, & tota gloria conuersa fuit in fauillam stupæ semper ardentem. Ignis autem seu flamma quam pertulit, quàm intolerabilis fuerit, ex eo liquet, quod nec eius restinctionem petijt, quam æternam sciebat; nec vas aquæ, quo totum corpus ablueret, rogauit; quod impetrari non posse sciebat; sed *guttam aquæ* tantum, eamque *extremo digito Lazari intinctam, qua refrigeret linguam suam*, implorauit. Mirabilis mutatio. Qui micas è mensa Lazaro negauit, vnam aquæ guttam ab extremo Lazari digito petit. Hic est ergo zizaniorum finis & exitus, quę alioqui vsque ad messem bonus paterfamilias finit crescere. *Luc. 16.*

Obserua autem, quod hoc totum Euangelium etiam hęreticis applicari potest, vt bonum semẽ sit sana doctrina; zizania, hæreses, quæ diabolus superseminauit, post traditã à Christo cælestem doctrinam: & illas tolerari non simpliciter, sed quatenus periculum est eradicandi triticum, si & illa extirparentur. Et ita in altero Promptuario hoc Euangelium tractauimus. Neque tamen aut hic aut ibi textui Euangelico vllam vim fecimus; tum quia eiusdem loci plures esse sensus possunt, etiam literales (vt in illis verbis, *Ego ero ei in Patrem, & ille mihi in Filium*, manifestissimũ est; quod tam de Salomone, quàm de Christo ad literam intelligitur) tum quia *filij*
B *nequam*, quos per zizania intelligi Christus exponit, vtrosque æquè propriè significat, hæreticos & malos Christianos: tum denique, quia vtroque modo hæc verba Patres exposuerunt.

EVANGELIVM DOMINICÆ VI

Post Epiphaniam.

DIXIT Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo, seminauit in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus. Cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis: Simile
C est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis; vt impleretur quod prædictum est per Prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita à constitutione mundi. *Matt. 13.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* De fidei virtute ita vt oportet exculta.
2. *Cum autem creuerit, maius fit omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt volucres cæli habitent in ramis eius.* De fidei excellentia, incremento, & effectibus.
3. *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* De virtute & efficacia vitæ exemplaris, & de ædificatione proximi.

D

1. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.*

LOcus moralis de fidei virtute ita vt oportet exculta. Quum enim Christus per regnum cælorum siue cæleste (iuxta Scripturæ phrasim) intelligat hoc loco Ecclesiam sanctam, in qua Christus regnat, quæ legibus cælestibus gubernatur, quæ non nisi cælestia appetit, cuius origo de cælo, cuius conuersatio in cælis, cuius finis est ad cælum tendere (propter quas causas regnum cælorum vocatur) hæc autem omnia non nisi per rectam fidem, ita vt oportet bonis operibus excultam, fiunt; propterea per granum sinapis illam & significare & describere voluit. Habet quippe illa omnes sinapis proprietates, ad morum ædificationem egregiè pertinentes. Primum enim, vt granum sinapis *in omnibus seminibus minimum est* (vt hic Christus dicit) ad oculum videlicet, & aspectui humano: sic fides Christiana quæ videlicet rationi absurda, cupiditatibus contraria, mundo abiectissima apparet. Quare vt pauci & obscuri (*non multi nobiles, non multi potentes*) eam ab initio amplexi sunt; sic pauci & obscuri (*infirma enim mundi, & contemptibilia elegit Deus, vt fortia confunderet*) eam, vt oportet, excolunt. De hac paucitate Christus: *Putasne, quum venerit Filius hominis, inueniet fidem in terra?* Viuam *De fide excolenda.* *1. Cor. 1.* *Luc. 18.*

scilicet, operantem, rectè & laudabiliter bonis operibus excultam, vt D. Hieronymus & Augustinus exponunt. Et iterum: *Nolite timere pusillus grex, quia complacitum est Patri vestro dare vobis regnum.* Non quia paucorum est Ecclesia; sed quia *multi vocati, pauci electi. Nec omnium est fides*: eorum scilicet, qui eam profitentur. Multi quippe verbis aiunt, factis negant. *Qui autem dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est.* Fides ergo granum sinapis est; quia plerisque contemptibilis est, & à paucis in pretio habetur. Rursum veri fideles & pij latitudinem terrenam fugiunt, profundam humilitatem amplectuntur. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Vt granum sinapis esse, vilitatem amare, vel certè non respuere, non aspernari à Deo immissam exterius, internè vero perpetuo tenere, excelsa non morari, non appetere oportet. Sed hoc granum sinapis in mentis horto consitum, & altè plantatum, firmis actis radicibus, crescit in arborem magnam: quia *omnis qui se humiliat, exaltabitur*: & radix gloriæ est humilitas; quod alias ostendimus. Præterea granum sinapis fides est, non solum quia è paruo fit magnum quid, quod etiam nuci aliisque seminibus conuenit; sed quia quum minimum quiddam sit, totam tamen suam virtutem & calorem, atque acrimoniam interius habet, qualem nulla alia habent semina ita crescentia. Sic fidei tota virtus interior est; hominem interiorem sanat, purificat, perficit. Vnde Petrus: *Fide purificans corda eorum.* Et Paulus ait, *Christum per fidem habitare in cordibus nostris*: nosque per fidem *ad interiora velamina tabernaculi Dei ingredi, & profunda scrutari.* Iam vero non purificat tantum cor fides: sed etiam sicut granum sinapis contritum calorem & acrimoniam confert; sic fides exercita laboribus, probata rebus arduis, persecutionibus agitata & compressa, fortius valet, nouos spiritus induit, & vim suam admirabilem exerit. Qua de re sic pulchrè D. Ambrosius, & post eum penè ad verbum S. Augustinus: *Sicut granum sinapis prima fronte specie sui est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suauitatem; at vbi teri cæperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit, in tam friuolis granis tantum ignem fuisse conclusum; cuius etiam seminis cibum homines, hyemis præcipuè tempore, magna pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant: sæpè etiam ex hoc capiti adhibent medicinam; vt, si quid inualidum, si quid ægrotum fuerit, sinapis igne curetur: ita & fides Christiana prima fronte videtur esse parua, vilis, & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans; at vbi diuersis tentationibus teri cæperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aspirat; & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa feruet, & participantẽ sibi ardere compellat. Et granum quidẽ sinapis membrorum viscera calefacit: fidei autem vigor, cordium peccata comburit. Illud asperum algorem frigoris remouet: hæc delictorum diabolicum frigus expellit, acediæ torporem discutit. Sinapis iniquos humores decoquit corporum: fides autem libidinum fluenta consumit. Per illud medicina capiti procuratur: per fidem spirituale caput nostrum, quod est Christus, in suis membris sæpe refouetur. Sed & fidei iuxta comparationem sinapis sancto odore perfruimur; dicente Apostolo, Christi bonus odor sumus.* Hæc illi. Porro sicut sinapis sic cibus est corpori conducens, vt tamen, quanto purior est, tanto maiori cum acerbitate comedatur; sic fides ita animæ cibus & alimentum est, vt, quanto viuacior illa est, tanto maiori quadam cum asperitate salutem adferat. De quare sic iidem duo Patres citati iterum scribunt: *Sicut cum sinapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lachrymas prouocamur, & ipsam salubritatem corporis nostri cum quodam fletu austeritatis accipimus; illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat; hinc calor ignei saporis accendit; & toto perturbati corpore, tunc magis sani efficimur, cum amplius deploramus: ita omnino, cum fidei Christianæ præcepta percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas prouocamur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore prosequimur. Inde enim ieiunia nos exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat, hinc patrimonij iactura perturbat; & toto contristati habitu, magis salutem consequimur, si amplius defleamus: secundum id quod ait Dominus, Vos plorabitis, mundus autem gaudebit.* Hæc illi. Sed & ita per omnia grano sinapis similis fides est, vt etiam in modo sanandi eadem sit fidei ratio respectu animæ, quę est sinapis respectu corporis, quam rem eodem in loco Patres citati his verbis explicant: *Sicut cum sinapi caput forte curandum est, iubemur abrasos capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere, vt nudo corpori perfectius medicina proueniat: ita & quum anima per fidem curanda est, præcipimur substantiam à nobis seculi auferre, impedimenta auri argentique deponere* (quoad eorum videlicet cupiditatem, non vsum, & animi præparationem) *vt nudæ & soli animæ congruentius spiritualis medicina proueniat. Quisquis enim rebus mundi & diuitiis seculi obuolutus est* (mentis suę cogitationes & desideria in illis infixa gerens) *huic fidei medicina non proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima.* Hæc rursum illi. Tanta & tam varia est fidei nostræ cum grano sinapis proportio & similitudo.

Luc.12. Matt.20. Rom.10. 1.Ioan.4. Matt.29. Luc.18. 3. Act.15. Ephes.3. Hebr.6. 1.Cor.2. 4. Ser.1. Ser.31.de Sanctis. Sinapis virtutes fidei applicatæ. Simile. 2.Cor.2. 5. Ambr.ser. 2. Aug.ser. 33.de Sanctis. Simile. 6. Simile.

2. Cum

A

2. *Cum autem creuerit, maius fit omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt volucres cæli habitent in ramis eius.*

LOcus moralis de incremento fidei, eiusque effectibus. Nam vt minimum sinapis granum sic crescit, vt sit maius cæteris oleribus, fiatque arbor, atque ea satis capax & ampla; sic secundum has tres proprietates, fides de corde puro sic in animo crescit, vt cæteras amoris intellectualis virtutes longissimè superet, vt fiat arbor bonorum operum egregiè fructifera, ac denique vt in tali fide rerum diuinarum admirabiles contemplationes & amores seraphici, veluti volucres in ramis, habitent & conquiescant. De quibus singulis aliquid dicetur. Quod ad primum attinet, fides Christiana & Euangelica, omnes humanas scientias ac disciplinas, dignitate & vtilitate, omnes virtutes intellectuales certitudine & amplitudine vincit: atque hinc fit vt in arborem crescat, quum cæteræ in nihilum euanescant. Docet hoc D. Hieronymus in hæc verba: *Confer doctrinam fidei dogmatibus philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum: & videbis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Euangelij. Sed illa cum creuerit, nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonstrat; sed totum flaccidum marcidumque & mollitum ebullit in olera,*
B *& in herbas quæ cito arescunt & corruunt. Hæc autem prædicatio, quum in anima credentis fata fuerit, crescit in arborem.* Hæc ille. Nempe omnia Socratica dogmata, & cætera philosophorum placita, scripta, præclara dicta, vt nihil diuini Spiritus habebant, ita nisi morales quasdam & ciuiles virtutes animo audientium & legentium inferebant, nullas solidas virtutes, & verè diuinas: non humilitatem, non purum mundi contemptum ob Dei amorem, non fortitudinem spiritualem, non excellentem virginitatem, non cultum & obsequium Dei purum, non orationis studium, non denique maximum charitatis charisma, quo Deum supra omnia, & proximum tanquam nosipsos in Deo diligimus. Rursum illa omnis humana philosophia nec Deo adhærere, quem nesciebat; nec beneficia mediatoris agnoscere, quem ignorabat; nec exemplis eius commoueri, quæ non audierat; nec naturę suæ corruptionem videre, de qua nihil legerat; nec eius remedium quærere, quod non curabat, vllo modo poterat. At fides hæc omnia docet; & docendo, ingentem diuinæ sapientiæ thesaurum animo credentium recondit. *Christi doctrina* (ait Ambrosius) *est granum frumenti, quia confirmat cor hominis; & est granum sinapis, quia cor hominis accendit. Granum tritici, quum de eius Resurrectione tractatur; quia Resurrectionis exemplum mentem alit, spem acuit, firmat affectum. Granum autem sinapis, eo quod amarior & acrior sit sermo de Domini Passione, amarior ad flendum, acrior ad commouendum. Itaque quum audimus & legimus ieiunasse Dominum, sitisse Dominum, lachrymasse Dominum, vapulasse Dominum, dicentem Dominum sub tempore Passionis, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, velat succo amarioris sermonis increpati, voluptatum corporalium suauitates iusto dulciores temperamus.* Hæc ille. Tale granum est fides nostra, seu frumenti ad pascendum, seu sinapis ad commouendum. Contra, omnis humana Philosophia, vel siliqua est inanis quoad doctrinam, nihil solidi nutrimenti adferens; vel cortex aridus & insipidus quoad mores, nihil acrimoniæ conferens. Tota Philosophorum theologia, physica & naturalis, quæ maxima erat apud eos doctrinæ sapientia, quia non opera hominum, vt saxa; aut poëtarum figmenta, vt falsos deos; sed opera Dei, vt cælum, mare, terram colebant; inanis erat siliqua, de qua sic Augustinus: *Hæc siliqua intra dulce tectorium sonantes lapillos quatit. Non est autem hominum, sed porcorum cibus. Tam enim mihi statua quælibet, quàm mare vniuersum non est Deus.* Omnia quoque morum præcepta, quasi ad externum ornatum hominis, vt vestis aliqua, potius pertinebant, quàm ad internam hominis reformationem. Talia etiam sunt eorum scripta, & documenta etiam Christianorum, qui philosophico magis quàm Christiano spiritu scribunt. Quo in genere illustre est quod de Erasmi scriptis moralibus, vt de Enchiridio militis Christiani, de Ecclesiaste eius, aliisque similibus libellis, vir sanctissimus, & nostri temporis lumen splendidissimum. Pater Ignatius Loyola, Societatis Iesu fundator nobilissimus, grauissimè iudicauit. Quum enim vir ille,
D Spiritu diuino plenus, Erasmi Enchiridion militis Christiani studiosè perlegere cœpisset; celeriter sensit, ea lectione Spiritus feruorem in se, quasi frigida superfusa, restingui: consultoque per preces Deo, ita librum illũ abiecit, vt neque in manus postea sumpserit ipse; & multo post, Generalis Societatis Præpositus creatus, omnia illius opera in Societate legi vetuerit. Quod eius grauissimum decretum, hodieque merito & salubriter obseruatur: adeoque à Sede nunc Apostolica confirmari audio. Iam vero quod fides omnes intellectuales virtutes, omnemque scientiam certitudine superat, inde manifestum fit, quod hæc sola sic perficit intellectum, vt faciat eum infallibiliter tendere in suum obiectum, quod est verum; ideoque caret imperfectione illa, non solum quæ est in fide humana, sed etiam quæ est in quatumque scientia acquisita: quæ tota, quia nititur rationi humanæ, non concludenti ex necessitate, fallere, & falli potest. Fidei autem falsum non solum non subest, sed nec subesse potest. Vnde longè superat fides omnem scientiam & certitudinem humanam simpliciter, id est, secundum causam suæ certitudinis. Quum enim nitatur diuinæ veritati reuelãti tanquam medio, reddit intellectum incredibiliter certiorem quàm vlla scientia, quantumcumque demonstratiua, reddere possit. Etsi enim non intelligit plenissimè, tamen assentitur firmissimè, & rei

Fidei incrementũ, & eius effectus.

Fides Euãgelica humanis omnibus disciplinis excellẽtior In com. in Matt. c. 13.

Philosophiæ humanæ defectus.

Lib. 7. in Lucæ c. 13.

De doctrina Christ. li. 3. c. 7.

Erasmi libri morales dãnati. In vita eius li. 1. cap. 16.

Fides omnes intellectuales virtutes superat.

creditæ adhæret tenaciſſimè fides. Huc accedit, quod etiam ex parte obiecti, ſeu eius quod creditur, omnem humanam ſcientiam vehementer ſuperat: quia ſupra captum & facultatem intellectus humani ſunt, quæ fide Chriſtiana creduntur; ideoque intellectus credentis, dono quodam ſupernaturali eleuatur vt credat: non ſic quidem, vt vel illo dono, vel voce Dei loquentis conuincatur intellectus, ac credere ex euidentia cogatur (quod certè nulla virtus eſſet) ſed ſic, vt ex illo dono libenter pareat voluntas, ſuumque intellectum in obedientiam fidei captiuet; atque ita credendo, excellentem virtutem exerceat, & opus diuinum faciat, iuxta illud Chriſti: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum.* Huc pertinet quod in Canticis dicitur, *Meliora ſunt vbera tua vino*, id eſt, lac fidei, quod ex vberibus ſponſæ Eccleſiæ Chriſti ſugitur, nec videtur, ſed hauritur, atque ſuauiter accipitur, vt lac matris paruulus haurit dulciter, ſed non videt, melius eſt omni vino ſcientiæ, cuius color & ſpecies per rationes & argumenta videtur. Sic fides, quum ſit ſicut granum ſinapis, ita tamen creſcit in animo credentis, vt cæteras omnes intellectuales virtutes, omnemque ſcientiam humanam, & dignitate atque vtilitate, & certitudine atque amplitudine longè ſuperet, ideoque verè maius fiat omnibus ſeminibus. A

Ioan. 6.
Cant. 1.

Fides operum bonorum ferax.

Nunc vt in arborem creſcat, bonorum operum atque admirabilium fertilem & feracem; vix opus eſt explicare; adeo tota paſſim Scriptura Euangelica & Apoſtolica hoc prædicat. Omnes veterum iuſtorum heroicas virtutes Paulus fidei tribuit, tanquam fructus arbori, aut certè radici. Chriſtus alio in loco ſuis dicit: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, Tollere, & iactare in mare: & fiet.* Nempe quum illud granum ſinapis in arborem creuit, (ideo enim præmiſerant Apoſtoli, *Domine, adauge nobis fidem*) quum illa fides fortis, & valida, & perfecta eſt. Vnde Apoſtolus: *Si omnem fidem habuero, ita vt montes transferam.* Qualis arbor hæc fides ſit, ex fructibus eius cognoſci poteſt. Fide diabolus ſuperatur. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Eadem mundus vincitur. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Hæc eſt vita, ſeu radix vitalis totius iuſtitiæ. *Iuſtus ex fide viuit.* Hæc orationes noſtras & preces perficit. *Poſtulet in fide, nihil hæſitans.* Hæc omnibus operibus bonis, vt verè bona ſint, cooperatur. Sic de obedientia Abrahę in immolando filio D. Iacobus: *Vides quod fides cooperabatur operibus illius: Sine hac*, tanquam neceſſaria omnium virtutum radice, *impoſsibile eſt placere Deo.* Hæc à Chriſto omnia ſanitatum beneficia impetrauit. *Fides tua te ſaluum fecit. Fiat tibi ſicut credidiſti. Si potes credere, omnia ſunt poſsibilia credenti:* & multa ſimilia. Deinde vide ex hac fidei arbore quanti fructus pendent. *Vos* (inquit Petrus) *curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiã, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem.* Ab ima radice ad ſummitatem arboris, à fundamento ad tecti culmen, à fide ad charitatem ſingula contexuit. In talem arborem creſcit fides, tot virtutes profert, tot fructus adfert, quando in arborẽ adoleuit. Nec enim vel infirmi in fide, vel modicæ fidei, vel mortuam fidem habentes, id eſt, bonis operibus vacuam, huiuſmodi fructus proferunt. Fides arbor eſt frugifera, ſed charitate formata, & quæ (vt Apoſtolus loquitur) *per dilectionẽ operatur*, quæ etiam per illam creſcit & adoleſcit. Vnde Apoſtolus, quum dixiſſet, *Quoniam ſupercreſcit fides veſtra*; ſubiunxit, *Et abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem*, id eſt, in charitate ſupercreſcit, ſine qua prorſus areſcit. Sed fides ita creſcens in arborem fructiferam, protulit nobis fortiſſimos Chriſti martyres, ſanctos confeſſores, ſacratas Deo virgines, ſeculi contemptores, monachos: omnes denique veros Chriſti milites. quo ſenſu ſapienter Serapion Sidonius, vir magnæ ſanctitatis, quum & pallio & tunica algentibus pauperibus datis, ipſe nudus in frigore ſederet, vlnis Euangelij codicem tenens, ac rogaretur quis eum ſic nudaſſet, reſpondit, *Hoc me nudauit*; Euangelium, quod tenebat, oſtendens. Propter fidem enim Euãgelij, in quo tam præclaræ promiſſiones eleemoſynis factæ leguntur, ita ſeſe expoliauit. Atqui, vt talis in nobis fides creſcat, diligenter & aſsiduè bonis operibus excolenda eſt. Hortorum certè cultores omnem operam ſuam in excolenda arborum radice ponunt. Hanc aquis irrigant, fimo iniecto fouent, terram, cui innixa eſt, mollem reddunt. Beneficium quippe in vnam radicem collatum, in omnes arboris ramos redundat. Idem ſtudium in fide omnium virtutum radice excolenda, fouenda, roboranda, & confirmanda, collocari debet. Sicut enim ſtomacho refecto, cætera corporis membra vigent; ita fide aucta, quæ fundamentum eſt, cæteræ virtutes incrementa capiunt. Quod ſi vero, neglecta hac cura, & nulla vel promiſsionum, vel comminationum diuinarũ ratione habita, (quas fides ante oculos ponit) liberas peccato habenas damus; quæ in arborem creuerat, vix aridæ radicis locum tenebit. Etſi enim fides abſque bonis operibus maneat, & vera fides ſit, tamen longa & multa impietate excuti poteſt, penituſque areſcere, & extingui. Quemadmodum enim arbores, abſciſſa coma quæ à radice vitalem ſuccum trahit, radicis beneficio rurſum reuireſcunt, & ſurculos emittunt nouos; quos etiam ſi euulſeris, alios item atque alios ſubinde propagant; verum ſi tu in hac contentione perſiſtas, vt propagines omnes ſuppullulare incipientes euellas, ipſa demum radix tam diu fruſtra nixa, omni vitali humore deſtituetur & areſcet: ſic omnino fides, quæ virtutum omnium radix eſt, & in magnam arborem per varios virtutum fructus excreſcit, ſi bonorum operum propagines, ſceleratè viuendo, pertinaciter & continuo abſcideris, areſcet tandem tota, & in hæreſis alicuius, aut etiam infidelitatis & atheiſmi crimen prolabetur. Vt ergo in arborem creſcat hoc granum ſinapis, omni virtutum genere fides noſtra excolenda eſt. B

Matt. 17.
1. Cor. 13.
1. Pet. 5.
1. Ioan. 5.
Rom. 1.
Iacobi 1.
Iacobi 2.
Hebr. 11.
Marci 5. & 10.
2. Pet. 1.

Simile.

Multa peccata fidem excutiunt.

Simile.

C

Galat. 5.
2. Theſſ. 1.

Exemplum In vita S. Ioannis eleemoſynarij apud Surium, to. 1 & in hiſtoria Palladij 116.

Simile.

D

Tertia

A Tertia huius grani sinapis proprietas, quam in hoc Euangelio Christus designat, hæc est: *Vt volucres cæli habitent in ramis eius*, id est, vt in fide quæ iam in arborem creuit, per diuinarum rerum varias & admirabiles contemplationes, quæ ex fidei radice diffunduntur, sublimia virtutum opera veluti volucres in ramis habitent. Rami enim huius arboris, qui fructus ex radice prouenientes portant, sunt beneficiorum & operum Dei, ac mysteriorum fidei nostræ frequentes meditationes, ex quibus proximè & immediatè multa virtutum opera crescunt & propagantur, vt in vno atque altero Euangelio iam explicatum est, sed & hic pauca adijcienda sunt. Certè in Ecclesiastico non breuiter tantum hoc perstringitur, sed copiosè explicatur: *Beatus vir qui in sapientia morabitur*; id est, in rerum diuinarum cognitione fixus hærebit, eas volueus atque reuoluens: *& qui in iustitia sua meditabitur*; id est, dum opus iustitiæ operatur, considerat quo demum modo maximè ad Dei gloriam illud operari valeat: *& qui in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei*, id est, qui in omni actione & cogitatione sua Deum sibi præsentem agnoscit: *qui excogitat vias illius* (id est, Dei mandata) *in corde suo*: *& in abscónditis suis intelligens* (id est, intimo intellectu capiens) *vadens post illam quasi inuestigato* (venatorum more omnia sapientiæ latibula perscrutans & indagans) *& in viis illius constitens*) non temerè præteriens) *qui respicit per fenestras illius*, id est, externa Dei opera in creatura mundi considerat: *& in iannis illius audiens*; id est, in Prophetis eius & magistris auscultans: *qui requiescit iuxta domum illius*; id est, non vagatur in vana, sed adhæret sapientiæ: *& in parietibus eius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius*; id est, qui in sapientiæ operibus considerandis intentionem figit, ille quoque in iisdem operibus per imitationem exequendis, statum vitæ suę constituet: *& requiescent in casula illius bona per æuum*; id est, status vitæ huiusmodi hominis, erit in æternum beatus: *& statuet filios suos sub tegmine illius*; id est, protegentur à sapientia omnes actiones eius, quæ sunt sanctę meditationis, & fidei bene exercitatæ proles seu fructus: *& sub ramis eius morabitur*; id est, qui fidem meditando exercet, sub sapientiæ cælestis ramis, & variis eius considerationibus, quasi in vmbra iucundissima requiescet, sicut volucres cæli requiescere in arborum ramis solent. *Protegetur sub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requiescet*, id est, qui sic in sapientia meditatur, qui sic fidem suam exercet, qui sic Dei opera, & in vnumquemque nostrum beneficia cogitat & recogitat, ille certè à feruore carnalis concupiscentiæ per istas sanctas cogitationes facilè protegetur, quasi qui sub tecto agit feruente sole, ille quoque in gloria huius sapientiæ, id est, in maxima voluptate spirituali, quam ex ea percipiet, prorsus requiescet, vanas seculi & carnis voluptates prorsus contemnendo. Vnde Dauid, quum dixisset, *Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam*; subiunxit per quod medium id fieret: *Quia lex tua meditatio mea est*. Vides quod verbis sub perpetua quaB dam parabola, præsentis Euangelij parabolæ non absimili, scriptor Ecclesiasticus fidei adultæ, & in arborem magnam excrescentis exercitationem atque meditationem diligentem describit & amplificat. Sed & alio in loco verbis amplissimis sapientiæ huius cælestis, quæ est rerum cæC lestium per fidem cognitio, virtutes admirabiles & encomia prosequendo, inter cætera ait: *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis*. Comparat sapientiam cælestem, id est, cognitionem Dei, rerumque diuinarum per fidem, terebintho arbori, quæ extendit ramos suos, pulchros admodum & egregios. Terebinthus quę in Syria & Palæstina crescit, excelsa admodum arbor est, quæ pyramidis in modum fastigio desinit, frondosa valde, & perpetuo viridis, & ita frondosa, vt pari ambitu ac latitudine frondes excrescant, nihilque inæquale cernatur: ideo rami eius honorifici & gratiosi vocantur, quia aspectum valde delectant. Tale quid est fides Christiana, quando per bonorum operum exercitium in arborem magnam excreuit. Pyramidis formam habet, & in fastigium excelsum atque acutum desinit, quia *quæ sursum sunt sapit, quæ sursum sunt quærit*, & in vnum Deum tota cogitatione & actione tendit: frondosa est, quia operosa est: frondes & ramos habet gratia & honore plenos, quia opera eius diuinæ gratiæ opera sunt, magni apud Deum meriti, magnæ apud homines existimationis & laudis. Sub his ramis, & bonorum operum fructibus ex fide factis, animę sanctæ requiescunt. Sub his ramis Deum contemD plantur, & post contemplationem laudant; sicut volucres cæli post volatum in arborum ramis quiescunt atque cantillant. Denique sub his ramis sapientiæ diuinæ, eandem sapientiam exercent: quia ex fide in fidem, quasi ex radice in frondem, ex fronde in florem, ex flore in fructum, ex modica fide in magnam, ex magna in maiorem, ex maiori fide in operum bonorum fructus progrediuntur. *Iustus enim ex fide viuit*: quia ex radice fidei opera vitæ æternæ producit; & iuxta fidei suæ præcepta, vitę suæ rationem dirigit atque gubernat; verborum flores per fidei professionem, operum fructus per fidei exercitium incessanter profert. Qui secus facit, nec ex fide viuit, sed mortuam fidem habet; nec fidem tenet grano sinapis similem, quæ in arborem excrescat; sed arido stipiti similem, quæ in ignem mittatur. Fides nostra est lucerna nostra (*Lucerna pedibus meis verbum tuum*: hoc est, verbum fidei) est fax accensa, non debet lucerna poni sub modio; non debet fax accensa abscondi. Si Rex tibi literas mitteret, in quibus te aliquid in sui ministerium facere iuberet; maximæ esset impudentiæ, lectis semel litteris, nihil amplius facere, sed sola lectione literarum contentum esse, quasi ea vna in re Regi tuo satis obsequutus esses. Tota nostra fides in Scripturis reuelata, & per Ecclesiam nobis tradita atque explicata, est quasi epistola literaria, à Deo ad nos missa, in

Meditatio beneficiorum Dei. Eccli. 14.

Psal. 118.

Eccli. 24.

Simile.

Colos. 3.

Hebr. 10.

Psal. 118.

Simile.

qua volũtatem ſuam nobis patefecit, quid in obſequium & cultum eius facere debeamus. Qui A
lecta hac epiſtola, lecta Scriptura, audita Eccleſia, credit quidem vera & bona eſſe quæ Scriptura dicit, quæ Eccleſia prædicat, & Dei voluntatem ſic ſe habere, ſed interim nihil eorum facit, ſola ſua fide illa inani & mortua contentus ; ille profecto toto cælo aberrat, totoque cælo excidet; ille impudentiſſimum ſe, & ineptiſſimum oſtendit. Docet ergo hæc parabola de grano ſinapis, talem Chriſtianorum fidem eſſe debere, vt acrimoniam & feruorem habeat, vt in arborem magnam creſcat, vt frequenti meditatione exerceatur, boniſque operibus aſſiduè excolatur. quare etiam contra noſtri temporis hæreticos, & contra eorum ſolam fidem, hic locus valere poteſt.

Locus contra hæreticos.

3. *Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.*

Vitę exẽplaris efficacia.

LOcus moralis de virtute & efficacia vitæ exemplaris, ſeu hominis Chriſtiani piè ac religioſè Deum colentis. Nam vt in grano ſinapis, fidem ac religionem Chriſtianam in ſe Chriſtus Dominus informare voluit: ſic in parabola fermenti eandem reſpectu proximi, & to- B
tius ſocietatis fidelium informat. Dicit ergo, fidem Euangelicam, & verum Numinis cultum, de quibus in iſtis parabolis nomine regni cælorum docet, eſſe fermento ſimilem, *quod mulier acceptum abſcondit in farinæ ſatis tribus,* ſiue in quacumque alia menſura (hanc enim menſuram nominat, quia in Palæſtina tunc, vt & in tota Syria moris erat, non priuatim in vnaquaque familia, aut apud diuerſos piſtores, panem pinſere, vt hodie vbique in hac mundi parte fieri ſolet, ſed in publico furno totius villæ, omnes eius villæ inquilinos pariter pinſere, ideoque in qualibet coctura panum, tria ſata, id eſt, tres modij farinæ fermentabantur, vt ex tanta maſſa panes fierent) donec tota maſſa fermentaretur : quia quemadmodum modicũ illud fermentum diſperſum in minutiſſimas partes, totique farinæ commixtum, totam maſſam per ſe inſipidam fermentat, ſuoque ſapore inficit ; ſic eodem planè modo fides Euangelica in vno iam aut altero fideli, opera diuini Spiritus, & Eccleſiæ miniſterio (quæ hic per mulierem ſignificari poteſt, quanquam in ſingulis ſui partibus parabolam rei ſignificatæ conuenire non eſt neceſſe) plantata, & (ſi reliquas parabolæ partes applicare libet) in abdito cordis & interioris hominis primum abſcondita, idque in farinæ ſatis tribus, id eſt, in renouatione totius hominis, quoad corpus, quoad animam, & quoad ſpiritum iuxta illud Pauli, vt *in die Domini integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſeruetur,* poſtea aliis farinis inſipidis, ſeu infidelibus ſeu Chriſtianis parum religioſis, vel communi conuerſatione, vel docendi officio, com- C
municata, & ſiue per doctrinam tradita, ſiue per pietatis exemplum commendata, & hoc modo veluti diſperſa atque commixta, ſuum illis ſaporem bonum impartit, & vel ad fidem conuertit, vel in moribus & vitæ inſtituto corrigit ac reformat, maſſamque efficiunt bene ſapidam, quæ igne diuini Spiritus poſtea concocta, & aqua ſalutari vel Baptiſmi in prima conuerſione, vel lachrymarum in vitæ emendatione conſtipata & ſolidata, purus panis efficiatur, menſæ Domini apponendus. Nam & panes propoſitionis, qui in veteri Teſtamento altari apponebantur coram Domino, idque calidi ſemper, nec niſi à ſacerdotibus comedi poterant, aut certè non niſi à mundis, veros noui Teſtamenti fideles & ſpirituales panes ſignificant; qui Domino quotidie ſiſtuntur, non vt comedantur, ſed vt hoſtia in odorem ſuauitatis accepta Deo, calore diuini Spiritus ſemper accenſi. Nempe quemadmodum *modicum fermentum*, ſi malum eſt, non ex bona maſſa relictum, ſed aliquo iniquo ſapore infectum, *totam maſſam corrumpit* (vt Apoſtolus docuit) ideoque *à fermento*, & corrupta doctrina *Phariſæorum*, cuius traditione & commixtione ſancta Dei mandata polluebant & corrumpebant, *cauere* ſuos Chriſtus monuit: & vt vna praua hæretica doctrina totam fidei orthodoxæ confeſſionem peruertit, vnaque ouis ſcabioſa totum gregem inficit, & *corrumpunt bonos mores colloquia praua*, ac denique *cum peruerſo peruerteris* : ſic è contra modicum fermentum bonum, & ex bona maſſa relictum, quales ſunt orthodoxi & pij fideles, Ca- D
tholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ germani filij, eiuſque puriſſimæ maſſæ, quam Chriſtus ipſe fermentauit, veræ particulæ, ſuo ſapore optimo alias farinas conſpergit, vt fiant noua conſperſio, & maſſa ſibi ſimilis: quia *inter electos electus eris*. Docet igitur Chriſtus Dominus, quod quemadmodum ipſe erat fermentum optimum, in ſacroſancta ſua paſſione (vt ſcribit ſanctus Ambroſius) *diuerſis paſsionibus confractus, laceratus, & diſſolutus, ſuccuſque eius ſanguinis pretioſi guttatim effuſus, vt admixtione ſui omne genus humanum ſolidaret, quod per diuerſa antra reſolutum iacebat, quaſi farinarum aridarũ & inſipidarum multitudo diſperſa*; vt ſic vigore paſſionis Chriſti in eius corpus redacti, ſuoque Spiritu in omnes diffuſo, cunctos Chriſtianos id eſſe faceret quod Chriſtus eſt, &, vt Petrus loquitur, *diuinæ conſortes naturæ*: ſic etiam & nos à Chriſto fermentati, iuxta ordinem & modulum noſtrũ, bonum fermentum eſſe debemus, ad alios fermentandos, & vel doctrinæ puritate, vel vitæ innocentia & integritate, aliis ad Chriſtum pertrahendis, vel in Chriſto reformandis, inſtrumenta eſſe & media. Et quemadmodum Petrus de Chriſto dicit, *Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquã lapides viui ſuperædificamini*, ſic etiã nos tales lapides viui eſſe debemus,

Chriſtus optimum fermentum Serm. 5.

Fermenta eſſe debemus aliis.

Simile.

1. Reg. 21.
1. Cor. 5.
Matt. 16.
1. Cor. 5.
Pſal. 17.
1. Pet. 1.
1. Pet. 2.

A debemus, vt, qui ad nos accedunt, nostrámque vel sanam doctrinam audiunt, vel sanctam conuersationem vident, in lapides viuos & ipsi ædificentur. Nam sic de bonis Christianis dixit Paulus: *Vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis praue & peruerse, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*, & rursum Petrus: *In quo admirantur impij, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemãtes.* Hoc sensu Christus Apostolis suis, & eorum in Ecclesia successoribus dixit: *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, vt glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* De alienis autem rectè factis Deum non glorificat, nisi qui vel imitatur quod laudat, vel ad imitandũ paratus est, vel certè, quod nõ imitatur; compungitur, suámque seu infirmitatem, seu negligentiam humiliter agnoscit atque deplorat. qui certè vnus est fermentationis & emendationis gradus. Rursum dicit: *Vos estis sal terræ*. Nam vt carnes, sale admixto, tum à putredine conseruamus, tum etiam nouo sapore condimus: sic *peccatorum condiendis & extinguendis putoribus, salem Apostolicum Dominus misit in mundũ*; ait S. Augustinus. Id autem fiebat tum doctrina salutari, tum exemplo vitæ. Vnde Paulus: *Christi bonus odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam*, id est, vt exponit D. Hieronymus, *prædicationis nostræ longè latéque spirat fragrantia*. Sed obseruandũ, quare tam bonus odor vitæ Paulus fuerit, & quare sic eius prædicationis fragrantia spirauerit. Sequitur: *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, corã Deo in Christo loquimur*, id est, non suam sed Christi gloriam in omnibus quærebat. Adulterat enim
B verbum Dei, qui non ex eo generationem quærit filiorum Dei, sed voluptatem tantũ suam in tractando spectat, vt adulteri carnales non proles quærunt, sed voluptati tantum vacant suæ. Quia ergo Paulus bonum fermentũ fuit, bonus odor, azymus sinceritatis; ideo sua doctrina tot populos fermentabat, vt verus sal terræ, & lux mundi. Interrogatus Franciscanus quidam, vir egregiè doctus, & celebris Ecclesiastes, quid causæ esset, cur non eam sermones eius ad populũ vim & energiam haberent, quam Bernardini eiusdem Ordinis viri, quem ipse & doctrina & eloquentia superaret; respondit, Ego comparari possum carboni calido, sed nõ ignito; qui si alij carbones apponantur, ignem non concipiunt. At Bernardinus similis est carboni ardenti, diuino inflammatus Spiritu; cui carboni si alij frigidi apponantur, ignem ab illo colligent & incalescent. Tales carbones ardentes sunt fermenta Euangelica, ad multas farinas fermentandas. Sed absque doctrina publica in priuata vita & conuersatione, talia quoq; fermenta sunt religionis Christianæ puri & veri cultores: adeò vt non conuersatio tantũ, sed & aspectus solus ad fermentationem & compunctionem aridarũ farinarum sæpenumerò valeat. De multis sanctis memoriæ proditum est, eos solo vultu atq; aspectu impiorum animos vel fregisse, & terruisse, vel ad meliorem frugem conuertisse. Reynerius Marchio, homo impudicus, & alioqui ferus, dicere solebat: *Non Imperator, non aliquis mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantũ me Romualdi*
C *Abbatis terret aspectus. Ante eius quippe vultum neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeã inuenio.* Sancta Coleta virgo, Ordinis S. Claræ reformatrix, homines impudicos, & animo lubrico ad se accedentes, solo aspectu ita commouit, vt eos castos ac pudicos ablegaret. Sic ad solum aspectum S. Mariæ Oegniacensis, clericus quidam Cameracensis, satis dissolutus, ita subitò mirabiliter mutatus fuit, vt magnam profuderit lachrymarum vim, multúmq; compunctus & ædificatus decesserit: sic de plenitudine cordis in faciem eius diuini Spiritus gratia redundabat. S. Malachias, Hiberniæ Episcopus (vt in eius vita scribit S. Bernardus) armatorum contra se multitudinem, & in caput eius conspirantium sola præsentia, & sermonis grauitate compescuit. Idẽ quoque fecit S. Norbertus, Præmonstratensium monachorum Pater, in sua ciuitate Episcopali Magdeburgi, quum populi aduersus eum acerrimus tumultus, & furore plenus, cõcitaretur. Quod & de S. Odone Abbate Cluniacensi, circa cuiusdam monasterij reformationem accidisse, in eius vita apud Surium scribitur. Sed illustre est in hoc genere exemplum, quod S. Greg. de S. Equitio Abbate commemorat. *Iulianus defensor à Romano Pontifice missus, vt hunc Abbatẽ Romam euocaret, quum ad monasterij locum peruenisset, & Abbatem in agro fœnum tunc secare intellexisset; superbum quendam valde & contumacem puerum, cui vix poterat vel ipse dominari quum haberet, per hũc Abbatem ad se vocat. Perrexit puer, & proteruo spiritu pratum velociter ingressus, omnésque illic intuens fœnum*
D *secantes, requisiuit quisnam esset Equitius. Móxque vt audiuit quis esset, eum adhuc longè positum aspexit, & immenso timore correptus, cæpit timore lassescere: qui tremens ad Dei hominem peruenit, atque vlnis humiliter submissis, eius genua deosculans strinxit, suúmque dominum ei occurrisse nunciauit. Cui re salutato Dei famulus præcepit, dicens: Leua fœnum viride, porta pabulum iumentis in quibus venistis: ecce ego, quia parum superest, opere expleto te subsequor. Iulianus autem quum post longiorem moram reuertentem tandem puerũ conspicit, atque in collo fœnum ex prato deferentem, vehementer iratus, cœpit clamare, dicens: Quid est hoc? Ego te misi hominem deducere, non fœnum portare. Cui puer respondit. Quem quæris, ecce subsequitur. Tum vir Dei clauatis calceatus caligis falcem fœnariam in collo deferens veniebat. Quem adhuc longè positum puer suo domino, quia ipse esset quem quæreret, indicauit. Idem verò Iulianus repentè vt vidit Dei famulum, ex ipso habitu despexit, eumque qualiter deberet alloqui proterua mente præparabat. Mox verò vt seruus Dei cominus affuit, eiusdem Iuliani animum intolerabilis pauor inuasit, ita vt tremeret, atque ad insinuandum hoc ipsum, pro quo venerat, vix sufficere lingua potuisset. Qui humiliato mox spiritu ad eius genua cucurrit, orationem pro se fieri petijt, & quia Pater eius Apostolicus eum videre vellet indicauit.* Hæc ibi. Tanta est virtutis vis, & pietatis energia. talem odorem spargit, sic fermentat farinas, quibus etiam per occasionem ad-

Philip. 2.
2. Pet. 4.
Matth. 6.
Matth. 5. Simile.
De ser. Do. in monte, lib. 1. c. 10.
2. Cor. 2.
Quæst. 11. ad Hedibiã tom. 3.
2. Cor. 2.
Exempla. In vita S. Bernard. apud Sur. to. 7. p. 432. 1.
2. In vita S. Romualdi to. 3. p. 721. apud Sur.
3. In vita eius tom. 7.
4. In vita eius lib. 1. ca. 13.
5. Tom. 6. p. 97.
6. Tom. 3. p. 544.
7. Tom. 6. p. 436.
8. Dial. lib. 1. cap. 4.

miſcetur. Si talia hodie fermenta nos Sacerdotes eſſemus, ſi tam bonus odor; profectò non ſecus & nos nobiſcum conuerſantes fermentaremus, *non fermento malitiæ & nequitiæ, ſed ſinceritatis & puritatis*, vt meliùs Deum ac diuina ſaperent. Tales olim fuiſſe in Eccleſia primitiua Anglicana Sacerdotes & Monachos ante annos iam ferè mille, ſcribit venerabilis Beda, auctor grauiſſimus & perantiquus. *Tota* (inquit) *tunc fuit ſolicitudo doctoribus illis Deo ſeruiendi, non ſeculo; tota cura cordis excolendi, non ventris. Vnde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita vt vbicunque clericus aliquis aut monachus aduenirет, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur. Et ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexa ceruice, vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatorijs diligenter auditum præbebant. Quod ſi quis Sacerdotum in vicũ fortè deueniret, mox congregati in vnum vicani, verbum vitæ ab illo expetere curabant.* Hæc venerabilis Beda. Talis tunc erat Sacerdotum Anglorum (quam gentem quomodo hæreſis hodie prorſus immutauit, & ex pia ac religioſa admodum, in omnem nunc luxum, libidinem, vitæque licentiam effuſam reddiderit, ſine lachrymis cogitare vix poſſumus) pietas & vitæ ſanctitas, tam bonus odor, tam forte fermentum, ideóque ſic populum paſſim quauis occaſione fermentabat. Vt tale ſinguli fermentum ſimus, his verbis Apoſtolus vnumquemque hortatur: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non prodeat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Et iterum: *Omnia ad ædificationem fiant.* Et alio in loco: *Quæ pacis ſunt, ſectemur, & quæ ædificationis ſunt ad inuicẽ cuſtodiamus.* Et rurſum: *Vnuſquiſque veſtrûm placeat proximo ſuo in bonum ad ædificationem.* Et adhuc ſemel: *Conſolamini inuicem, & ædificate alterutrum ſicut facitis.* Tota hæc ædificatio, quam toties tã diligenter Apoſtolus inculcat, eſt illa huius Euangelij fermentatio, qua bonorum operum luce, exemplo, odore, alios ad bonum ædificamus, ad virtutem extimulamus, & in maſſam bonam ac ſapidam, nobiſque conſimilem conuertimus. De hac etiam ſpirituali ædificatione & fermentatione Petrus: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum.* Vult videlicet, vt omnes noſtræ actiones & ſermones proximum ædificent, & fermenti loco ſint ad Dei gloriam, id eſt, *donec totum fermentetur.* Hic enim eſt totius ædificationis finis, & tota perfectio. Sed qui alios fermentare vult, debet ipſe priùs fermentum eſſe à Chriſto, & in Chriſto bene ſapidum ac ſanctificatum. Quod quomodo fiat, his verbis D. Ambroſius docet: *Eccleſia renatum hominem, qui eſt in anima, & corpore, ſpiritu, fermento ſanctificat ſpirituali, vt fiant vnum hæc tria fermentum. Quod vtique tũc fit, quum ſibi tria hæc pari quadam cupiditatum lance conſentiunt, & æqualis aſpirat concordia voluntatũ: iuxta illud Apoſtoli: Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, ſine querela, in die Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Sed ſpiritus quo viuimus omnes in hoc corpore ſiti, hoc veriùs facit quando carnis laſciuia non redundat, & anima corporalibus non incuruatur erroribus, ac menſura viuendi in toto homine inoffenſa ſeruatur. Sed quia menſurarum æqualitas, ſine adiumento Eccleſiæ atque doctrinæ difficile perſeuerat, idcirco mulier illa, quæ figuram Eccleſiæ gerit, tam diu virtutem illis doctrinæ ſpiritualis admiſcet, donec fermentetur totus ille interior homo cordis abſconditus, & in gratiam panis cæleſtis aſſurgat. Benè enim fermentum dicitur doctrina Chriſti, quia panis eſt Chriſtus. Et Apoſtolus ait: Vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Fit ergo vnum fermentum, quando caro non concupiſcit aduerſus ſpiritum, nec ſpiritus aduerſus carnem, ſed facta carnis mortificamus, & anima ex afflatu Dei flatum vitæ ſumpſiſſe ſe conſcia, ſeculares neceſſitudinis contagia terrena declinat.* Hæc ille. Tale fermentum eſſe debemus, vt alijs fermentãdis idonei ſimus. Quemadmodum enim ignis vt ad rem aliquam comburendam idoneus fiat, priùs in ea per calorem emiſſum radicatur, & comburere nititur; quod poſtquam aliquantulum effecit, vires ſuas colligit, vt iuxta proprium naturæ ſuæ motum ſurſum puriùs aduolet, ſicut apparet in flamma quæ ſurſum aſcendit: ſic anima primùm corpus animat, illúdque viuificans ei communicatur, éſtque forma eius, & in hac communicatione aliquantulum terreſtris eſſe videtur, contra naturam ſuam, ſed quando ſurſum ad Deum eleuatur, & quaſi flamma ſupra corpus extollitur, tunc ſpiritus eſſe dicitur; tunc veluti carbo ignitus eſt, ad alios accendendos idoneus. De hac fermentatione, & ædificatione proximi, in alijs Dominicis alius erit dicendi locus.

In hiſtoria gentis Anglorum, l. 3. c. 26.

Ephes. 4.
1. Cor. 14.
Roman. 14
Roman. 15.
1. Theſſ. 5.

1. Pet. 4.

Lib. 7. in Luc. cap. 13

1. Theſſ. 5.

Simile.

Dom. in Albis tex. 5
Dom. 3 poſt Pent. tex. 1

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ

Septuagesimæ.

SIMILE est regnum cælorum homini patri-familias, qui exijt primo manè conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam; & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horá, & fecit similiter. Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis. *Matth.* 20
B Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant aduersus patrem-familias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æstus. At ille respondens vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

C

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Exijt primo manè, hora tertia, sexta, nona & circa vndecimam.* De prouidentia & benignitate Dei, in procuranda hominum salute.
2. *Conducere operarios in vineam suam.* De bonorum operum necessitate ad vitam æternam consequendam.
3. *Misit eos in vineam suam.* De genere operum ad vitæ æternæ denarium consequendum necessario.
4. *Illi autem abierunt.* Contra dilatores, & procrastinatores in causa salutis, & diuini obsequij.
5. *Quid hic statis tota die otiosi?* Contra otiosos & ignauos in causa salutis.
6. *Quia nemo nos conduxit.* De vera & certa mercede bonorum operum, propter quam conducti sumus.
7. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* De bonorum operum mercede, in quinque loca subdiuisus. 1. Mercedem reddi operibus alioqui debitis. 2. Operibus quæ nobis ipsis sunt vtilia, non Deo. 3. Pro exiguo labore mercedem ingentem. 4. Quantus ad virtutem stimulus hæc merces sit. 5. De gaudio & gloria beatitudinis æternæ.

D

1. *Exijt primo mane, horá tertia, sexta, nonâ, & circa vndecimam.*

LOcus moralis de summa Dei misericordia, prouidentia, benignitate circa hominum salutem procurandam, à nobis humiliter, & cum debita gratiarum actione consideranda. Exire enim Dei, est vocare, & operari nouum effectum in creatura. *Hoc est* (ait Augustinus) *exire patrem-familias, innotescere: quoniam qui in domo est, in abdito est, non videtur ab eis qui foris sunt. Cùm autem exijt de domo, videtur ab eis qui foris sunt. Christus quando non intelligitur, & non agnoscitur, in secreto est: quando autem agnoscitur, exijt conducere.* Hæc ille. Deus ergo exit per suã prouidentiam & misericordiam, humanæ salutis causam agens, séque ipsum, & voluntatem suam

Prouidentia Dei circa salutem hominum. Ser. 59. de verbis Do.

Ioan. 5. nobis patefaciens, vt eam cognitam exequamur, exequendo ſalui ſimus. *Omnis qui audiuit à* A
Apoc. 3. *Patre, & didicit, venit ad me,* ait Chriſtus. Sic Deus Pater exit ad nos, loquendo nobis per internam gratiam. Rurſum: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Sic Deus, qui omnia implet, exit de ſe, vt intret in
Paulus de palatio in Math. c. 20 nos, imò vt nos conuertat in ſe: hoc eſt enim, *Cœnabo cum illo, & ille mecum.* Sicut enim verbum exijt à Patre, & venit in mundum; quia deiecit ſe, & humiliauit ſe, vt deificet mundum: ita Pater exit velut à ſe, velut à Maieſtate ſua, vt inhabitet in nobis. Hic eſt ineffabilis Dei erga nos amor. Quid habet pectus noſtrum vt ad ipſum venire velit Deus? *Quid eſt homo, quòd memor es*
Pſal. 8. *eius; aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Si S. Elizabeth profunda cum humilitate dixit, veniẽte ad eam B. Virgine: *Vnde hoc mihi, vt mater Domini veniat ad me?*
Lucæ 1. quanta cum humilitate aduentũ Dei in cor noſtrum, qui ſingulis penè momentis ſit, excipere & venerari deberemus! De vi-
Eſaiæ 27. nea ſua, de anima humana dicit Deus: *Ego Dominus, qui ſeruo eam. Repentè propinabo ei, ne fortè viſitetur contra eum. Nocte & die ſeruo eam.* Sic in hoc Euang. primo mane, hora tertia, ſexta, nona, & circa vndecimam exit bonus pater-familias, vineæ ſuæ curam habens. Primo mane, in lege naturæ, per Angelos, in quibus locutus eſt ad Patres veteres; hora tertia, per Moyſen in lege ſcripta; hora ſexta, per Prophetas; hora nona, per Chriſtum; circa vndecimam & nouiſſimam horam, & fines ſeculorum, in quos nos deuenimus, per Apoſtolos ſuos, eorúmque perpetuos
Heb. 1. ſucceſſores, Eccleſiæ ſanctæ præpoſitos. Sic Apoſtolus: *Multifariè, multiſque modis loquens Deus olim Patribus per Prophetas, nouiſſimè autem locutus eſt nobis in Filio.* Sed & in ſingulis noſtrum, in prima ætate cuiuſque, vſque ad decrepitam ſenectutem vocat nos Deus, vel ad pœnitentiam, vel ad maiores in virtute progreſſus. De hac Dei prouidentia iam in alijs Euangelijs plura diximus. B

2. *Conducere operarios in vineam ſuam.*

Bonorum operum neceſsitas. Denarius diurnus. LOcus moralis de bonorum operum neceſſitate ad vitam æternam conſequendam. Quos Deus vocauit in gratiam ſuam, eos quaſi operarios in vineam conducit. Vult vt operentur, & operando, denarium diurnum, qui vita æterna eſt, conſequantur. Denarius enim vocatur, propter perfectionem, & omnium bonorum aggregationem. Denarius ſiquidem omnes numeros claudit, & vltra denarium nulla nouit natio numerare niſi iterum ab vnitate incipiẽdo. Diurnus vocatur, quia in ea felicitate nox & tenebræ non ſunt. Agnus eſt lucerna ciuitatis: nihil peccati, ignorantiæ, aut mali in ea admiſcetur. Laboris ergo & operis boni aſſiduitatem
Similium congeries. Iob. 5. hic locus docet. *Vt auis ad volandum, ſic homo ad laborandum natus eſt.* Ac primùm operari omnibus C
naturale eſt. Nil ſine duro vita labore dedit mortalibus. Apud Ethnicos Iupiter omnia habuit labore venalia. Terra inculta, nihil niſi ſpinas & tribulos profert. Aër detentus corrumpitur. Domus non habitatæ corruunt. Viæ non tritæ ſilueſcunt. Inſtrumenta muſica, quæ non pulſantur, deſtruuntur. Ferrum ſine exercitio rubiginem contrahit. Aqua ſtagnãs, non niſi ranas, & bufones, & ſerpentes alit ac producit. Equus generoſiſſimus in ſtabulo quieſcens marceſcit. Ad artes autem ſi reſpicimus, nunquam bonus colonus erit, niſi qui fuerit gnauus & induſtrius,
Oſorius de regia inſtitutione. Apophth. Suetonius Bruſon. l. 4 Laërt. l. 6. Franciſc. Senenſ. l. 1 de inſtit. Rep. ex Diodoro Sic. & ruſticarum rerum ſtudio vehementer incenſus. Opifices qui non de multa nocte vigilant, mercator ignauus, miles ſegnis, nec rem facere, nec aliquid laude dignum exequi poſſunt. Artium maximarum ſtudia ſine vigilantia & labore fruſtra appetuntur. Tota laus Imperatoris & Ducis in mira celeritate & vigilantia poſita eſt. Hinc illud Veſpaſiani dictum: *Imperatorẽ ſtantem debere mori.* Catonis ſententia erat: *Homines nihil agendo, malè agere diſcunt.* Diogenes, ne otio torperet, dolium ſuum voluebat aſſiduè. Solon præcipit, parentem à filio nullum vitæ ſubſidium accipere, qui nullam artem filium docuiſſet. Lex fuit apud Ægyptios, qua ſinguli cogebantur nomina apud Præſidem profiteri, & qua arte ſuſtentarentur oſtendere: quòd ſi qui mentirentur, aut iniuſto quæſtu viuerent, capite plecterentur. Denique labor omnes artes ad- D
inuenit, domos ædificat, agros colit, terram peragrat, mare nauigat, naturam ipſam excolit; fera & ſylueſtria animalia, manſueta & domeſtica reddit. Ingenium acuit, memoriam perficit, auro ipſi ac gemmis pretioſis ſplendorem adfert, &, vt nobilis Poëta dixit, *Labor improbus omnia vincit.* Dicat hic fortè aliquis, vel ignauus Catholicus, vel impius hæreticus: Seculi quidem huius bona non niſi labore acquiruntur; vita autem æterna, Dei beneficio, Chriſti gratia liberaliter donatur, vel certè fide credentium comparatur, iuxta illud Apoſtoli: *Gratia Dei, vita æ-*
Rom. 6. Matth. 11. 1. Cor. 3. *terna.* Atqui Chriſtus hic dicit, conduci operarios in vineam, & alibi: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud,* & idem Apoſtolus: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm laborem ſuum.* Sed vita æterna eſt gratia: quia radix & principium eius eſt gratia. De qua re vide plura
Matth. 3. Luc. 19. in altero Promptuario. Accepta autem gratia, bonorum operum radice, noſtrum eſt fructus producere: accepta Domini pecunia, noſtrum eſt eam bene expendere. *Arbor non faciens fructũ,*
Matth. 25. *excidetur, & in ignem mittetur. Ite, negotiamini donec veniam.* Quod qui non fecit, ei Dominus dicit: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam? & ego veniens, cum vſuris vtique exegiſſem illam.* Ad operandum ergo, ad negotiandum, ad fructum boni operis faciendum, omnes vocati ſumus, vt denarium accipiamus. Hac enim conuentione facta, denarium vitæ æternæ accipiemus:

quod

A Quod certè ne in ſtatu gratiæ Euangelicæ cuiquam mirum aut durum videatur, etiam in ſtatu innocentiæ, ante peccatum, talis quædam conuentio cum primo parente noſtro facta eſt. *Tulit Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum,* id eſt, operando, & Dei mandatis obediendo, cum cuſtodiret: idcirco enim ſequitur: *Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ecce opus Adæ in Paradiſo, obedire præcepto Dei: ecce conuentio cum eo facta; quo die mandatum violat, morte morietur. Sic in hunc locum Auguſtinus: *Poſitus eſt homo in Paradiſo, vt operaretur eundem Paradiſum per agriculturã, non laborioſam, ſed delicioſam, & mentem prudentis magna atque vtilia commonentem; cuſtodiret autem eundem Paradiſum ipſi ſibi, ne aliquid admitteret, quare inde merceretur expelli. Denique accepit & præceptum, vt ſit per quod ſibi cuſtodiat Paradiſum, id eſt, quo conſeruato, inde non proijciatur.* Hæc ille. Sic mittimur, vt operarij in vineam quiſq; ſuã, quæ tamen Domini vinea eſt, ad animæ cultum & cuſtodiam, vt eam bonis operibus excolendo (hoc eſt enim operari in vinea Domini) cuſtodiamus eam nobis ipſis, nihil admittendo vnde illam perdamus. Sumus quippe operarij, ſed non qualeſcunque: nec ſatis eſt operari, ſed videndum quid, & in quem finem operemur. Opera hic intelliguntur, non vnde viuamus, non vnde honores & opes acquiramus (hæc ſunt huius vitæ vel neceſſitates, vel vanitates) ſed vnde vineam Domini excolamus, operando Dei gloriam, ſalutem noſtram & proximorum. *Mercenarius* (ait S. Chryſoſtomus) *non ad manducandum conducitur, ſed vt opus Domini ſui faciat. Et vna* B *quidem aut altera hora manducat, cæteris laborat, & penſum facit. Quo autem die opus non fecerit, erubeſcit panem petere.* Sic nos Chriſtiani, qui (vt docet Origenes) *ad operandum in baptiſmo conducti ſumus, ibi nomen militiæ dedimus, ibi diabolo & pompis eius renunciauimus,* ad opera Dei facienda, ad manda-ta eius ſeruanda, ad labores pro nomine eius ſuſcipiendos, ad ſalutem noſtram & proximorum procurãdam vocati ſumus, non ad huius vitæ vel neceſſitates procurandas, vel vanitates conquirendas: quorum illud cuiuſuis hominis eſt, & cum brutis commune, hoc impijs proprium. Et modicum quidem temporis naturæ neceſſitatibus impendere longè maximam vitæ partem Dei cultui, & excolendæ vineæ Domini tribuere oportet. Quo denique die nullum opus Dei fecimus, eo die pudeat dicere, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Titus Imperator ita beneficentiæ amans fuit, vt, quo die nulli beneficium præſtitiſſet, ſuis dicere ſolitus fuerit: *Amici, diem perdidimus.* Nobilis quoque pictor Apelles dicere ſolebat: *Nulla dies ſine linea.* Totum hoc noſtram ignauiam confundere debuit. *Victum, & quæ eò pertinent, quærere, non ſunt opera noſtra, ſed diaria noſtra,* ait Chryſoſtomus loco citato. Sed væ nobis, quorum totum opus eſt, viuere in hac vita poſſe, & qui diaria conuertimus in totum opificium. Laudatur Ezechias Rex in veteri Scriptura hoc modo: *Operatus eſt bonum, & rectum, & verum coram Domino Deo ſuo in vniuerſa cultura miniſterij domus Domini, iuxta legem & ceremonias, volens requirere Deum ſuum in toto corde ſuo: fecitque* C *& proſperatus eſt.* Nobile exemplum boni & veri operarij in vinea Domini ſui. Operatus eſt *bonum,* iuxta operis ſubſtantiam & naturam: *rectum,* ex parte intentionis: *verum,* quia ſeruenter, & diligenter: *coram Domino,* quia propter Deum: *in vniuerſa cultura,* nihil omittendo quod ad vineam Domini excolendam pertinebat: denique *iuxta legem & ceremonias,* non ex cerebro aut ſenſu ſuo: poſtremò, *volens requirere toto corde,* id eſt, omnem perfectionis conatum adhibendo. Hanc ob cauſam idem Ezechias, accepta mortis ſententia, ſic Deum precatus eſt: *Obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim.* Si Rex in ſynagoga talis, qualis in Eccleſia Chriſti quilibet Chriſtianus eſſe debet? De hac re mox plura in altero textu.

Geneſis 2.

De Gen. ad lit. l. 8. c. 12.

In Matth. hom. 34. operis imperf.

Tract. 10. in Matth.

Sueton. in Tito.

Apophth.

Exemplũ. 2. Par. 31.

4. Reg. 20.

3. *Miſit eos in vineam ſuam.*

LOcus moralis de genere operum, quæ ad denarium vitæ æternæ accipiendum præſtare oportet. Mittit nos Deus in vineam ſuam. Iubemur ire in vineam eius: non ad fabulandũ (quod æquè in foro fiebat, vbi otioſos illos ſtantes inuenit) ſed ad operandum, & id totum exequendum quod vineæ cultura deſiderat. Certè quæ in vinea excolenda requiruntur, ea ferè omnia in anima curanda, ſeu noſtra, ſeu proximi, deſiderantur. Vt vinea excolatur, primùm D terra purganda, eiiciendo lapides, & exſtirpando ſpinas ac vepres. Primum opus ad animã excolendam, illud eſt, vt conſcientia ſuperbiæ, auaritiæ, libidinis, aliorúmque vitiorum ſpinis, ſedulo pœnitentiæ ſtudio expurgetur. Ideo prima vox Ioannis præcurſoris Domini, & Petri Vicarij Domini illa erat: *Pœnitentiam agite.* Expurgata terra, fodiendus plantandæ vineæ locus. Timoris & humilitatis ſpiritus cordi inducendus; quia *Initium ſapientiæ timor Domini.* Nec ſeruilis, qui pœnæ potius quàm Dei timor eſt, & ſapientiam præcedit potiùs quàm pars eius eſt; nec filialis, qui perfectorum etiam ſapientum eſt; ſed initialis, qui ſapientiæ principium incluſiuè eſt, quem & Chriſtus primo beatitudinum loco poſuit, dicens: *Beati pauperes ſpiritu.* Humilitas videlicet ac demiſſus animus, benéque profundus, ideóq; ad pietatem docilis. Hic enim virtutis principium eſt, ſicut *initium peccati ſuperbia.* De quo timore Apoſtolus dixit: *noli altum ſapere, ſed time.* His geſtis plantatur palmes. Bona virtutum opera animo inſerenda, ante omnia fides, ſpes, charitas, móxque earum fructus. Ad quæ inſerenda, vt *Deus Pater agricola eſt, & Chri-*

De operum genere.

Operã in excolendã vinea.

1. Matth. 3. Actor. 2.

2. Prou. 1. Matth. 5. Eccli. 1.

Rom. 11.

3. Ioan. 15.

1. Cor. 3. *ſtus vitis ipſa*, cuius palmites eſſe, & cui incorporari debemus, vt *Dei agricultura* ſimus: ſic & ex A
Rom. 10. parte noſtra quædam opera concurrunt ; *auditus verbi Dei*, ex quo fides; conſideratio promiſ-
Rom. 5. ſionum Dei, ex qua ſpes; præparatio voluntatis noſtrę, *vt diffundatur charitas in corde noſtro*: iuxta
Pſal. 80. illud: *Aperi os tuum, & implebo illud*. Iam vt melius creſcat palmes in terra fixus & plantatus, foſſa
4. circumducenda, ſublata terra quæ circa palmitem eſt, vt aquã & ſolis calorem vberius percipiat. In anima quoque ſpirituales foſſæ faciendæ ſunt, terra terrenáque deſideria à radice cordis longiſſimè remouenda, vt rorem gratiæ de cœlo ſpiritualem, & calorem Solis iuſtitiæ, liberiùs animus accipiat, atque ita ſua deſideria cœlum verſus detegere, & aperire, & eleuare va-
Epheſ. 4. leat. Hoc eſt enim *renouari in nouitate ſenſus noſtri*, vt, qui antea non niſi terrena & carnalia appetiuimus, nunc non niſi cœleſtia & ſpiritualia appetamus. Hoc Dauid fecit quum diceret: *Os*
Pſal. 118. *meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam*. quaſi foſſam in ore fecit deſiderio profundo ſeruandi mandata, atque hac ratione diuinum ad ſe Spiritum copioſè attraxit. Qui
Eccli. 24. enim concupiſcit ſapientiam, inueniet eam. Vnde illa eius vox: *Tranſite ad me omnes qui concupiſ-*
5. *citis me, & à generationibus meis implemini*. Vbi palmites creuerint, putandi diligenter, ne folia ſuperflua, & crebrò pullulantes pampini, fructuum & copiam lædant, & maturitatem retardent. Sic rerum, & curarum, & negotiorum terrenorum ſuperfluitas reſecanda, ne vel virtu-
Luc. 8. & tes alias illa cura impediat, quia iſtę ſpinæ diuitiarum & ſolicitudinum huius ſeculi *ſuffocant ver-*
21. *bum Dei*, vt creſcere in corde nequeat; & *grauantur corda curis huius vitæ*, vt ad Deum & diuina B
ſe extollere non valeant: vel ſaltem ne virtutum profectus impediat ac remoretur: quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Superflua autem ſunt, quibus homo rectè vti non po-
Philip. 4. teſt, ſicut ſuperfluus cibus eſt, qui ſtomachum grauat. Alioquí vt ſtomachus benè ſanus
6. multum cibum benè digerit: ſic animus cordatus, & ſapiens dicere potuit, *Scio abunda-*
re, ſcio & penuriam pati. Illud quoque in vineæ cura in primis cauendum eſt, ne racemus in palmite creſcens terram attingat: mox enim putrefiet. Non debet bonum opus, quod bona voluntas benè operando protulit, terram reſpicere aut tangere, hominum laudes ac fauo-
Cant. 7. rem quærere. Sic enim putrefit, & omne meritum ac præmium apud Deum amittit. In Canticis ſponſa dicit: *Omnia poma ſeruaui tibi, noua & vetera*. Non mihi (inquit) ſed tibi ſeruaui.
Non meam laudem, honorem, aut commodum meum in meis bonis fructibus quæro, ſed tuũ
7. ô Domine, honorem & gloriam. Alia cura vineæ eſt, vt ad palum ligetur, ne ſuo pondere eo citiùs in terram corruat, quo vberius excreuit. Anima ſemel purgata, ne iterum ad terrena
Galat. 2. recurrat (*naturam expellas furca, tamen vſque recurret*) ad Chriſtum per amoris vinculum ligari
8. debet, vt cum Paulo quiſque dicat: *Chriſto confixus ſum cruci*. Et rurſum: *Quis me ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu*? Tale amoris vinculum facit, vt Chriſto commortui, & reſurgentes cum Chriſto, ea quæ ſurſum ſunt quæramus, non quæ ſuper terram. Porrò vitis, quia trunci eſt C
natura gracilis, ſuſtentari neceſſariò fulchris & baculis debet, ne quouis vento agitata, & huc illúcque impulſa, magnum in fructibus detrimentum ferat. Sic & mens humana, quia ex naturali ſua per peccatum primigenium corruptione leuis, & ad omne malum procliuis eſt, vt quouis ſuperbiæ vento agitetur, aut vanitatis aura infletur, ne ſic bonorum operum ſuorũ fru-
Simile. ctum penitus amittat, ſanctæ & profundæ humilitatis fulcro (quæ omnium virtutum cuſtodia eſt) ſuſtentari & fulciri, & communiri debet: ſicuti videmus apes, corpora leuiſſima, quum vehementes aëris motus ſuſpectos habent, lapillis quibuſdam pedibus tenentes ſeſe per in-
9. ania nubila, hoc pondere adhibito, librare & ſuſtentare, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum. Humilitas quippe pondus eſt ſalutare, deorſum mentem trahens, ne vana elatione ſublatus, quo altiùs effertur, eo grauiùs præcipitetur. Præter hæc omnia vitis benè conſtituta & collocata, ſepe aut muro circundari debet, ne beſtiarum morſibus aut incurſibus pateat, ne ſingularis ferus depaſcat eam, & vel tenera virgulta in tranſcurſu frãgat, vel corpus ipſum & truncum grauiter impellendo lædat. Eodem prorſus modo anima humana ſemel à Deo ſanctificata, & in Chriſto iuſtificata, ſepe & regula certa mandatorum intra pietatis & ſanæ doctrinæ fines ac terminos coërceri & conſeruari debet, ne feræ ſylueſtres va- D
riorum vitiorum eam depaſcant, penitúſque corrumpant: vel etiam falſæ doctrinæ, & impia
Eſaiæ 5. conſilia vaſtent eam. Sic apud Eſaiam: *Deus vineam ſuam ſepe circundedit*, vt iam alio in loco ex-
Dom. 5. plicuimus. His ſingulis ritè in vinea procuratis, reſtat vt racemi bonis vuis onuſti colligan-
poſt Epiph. tur, fructúſque vberes ex vinea ita bene exculta decerpantur. Sic debet vnuſquiſque tum in
10. ſeipſo aduertere, an diuini Spiritus fructus iam produxerit; de quibus Paulus: *Fructus Spiritus*
Galat. 6. *ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*: tum etiam ad ædificationem proximi, talenta ſibi data expendere,
11. & fructum facere. Poſtremò collectis vuis, etſi quędam integræ Domini vſibus ſeruiant, tamen & multo maior earum pars, adeóque ſelectiores, & maturiores, & pulchriores in torculari calcantur, vt vinum inde exprimatur. Sic omnino etſi quibuſdam fidelibus ſatis ad ſalutem ſit, *declinare à malo, & facere bonum*, abſque inſigni aliqua cruce & certamine, abſque eo quòd per varias tribulationes in torculari probentur; tamen plerique electi, & qui-
Iacobi 1. dem Deo chariores, & fructu bonorum operum pleniores, in torculari calcantur, in varias tri-
12. bulationes incidunt, & per longam probationem, patientiæ (*quæ perfectum eſt opus*) virtutẽ exer-
Lucæ 12. cent, & coronam reportant. Sic qui parcit Confeſſoribus, vincit in Martyribus: *Dico vobis*

amicis

A *amicis meis*: *Nolite timere eos qui corpus occidunt*. De hac re in superioribus sæpe diximus. Sed & solent vinitores, spinis & vepribus ex vinea sublatis, vineam munire, & à ferarum ingressu arcere. Sic tu peccata per pœnitentiam sublata, animo tamen sæpe reuolue. Ab eisdem repetendis, vel ab alijs vitiorum monstris, illa recordatio custodiæ ac munimenti loco erit. Videat nunc vnusquisque, quousque in vineæ Domini cultura processerit, &, si nihil habeat quod agat, otiosè sedeat: sin multa sibi adhuc deesse perspiciat, semper sibi operandum esse intelligat. In hanc vineam omnes conducti sumus. *Empti sumus pretio magno*. Et quare? *Vt glorificemus Deum in corpore nostro*: quanto magis animo, in tota mente, & toto corde? In Christi castris militamus. Nullus labor militaris recusandus. Qui vult ex mercatura ditescere, nullum nauigandi laborem detrectat. Qui liberari à graui morbo desiderat, medicamenta non respuit. Qui fundum emere cupit, statim de pretio incipit cogitare. Sic qui ad vineam Domini se & vocatum, & conductum, & missum esse intelligit, ad labores assiduos se vocari sciat. In omni agriculturæ genere, nihil tam varium, & tam assiduum coloni laborem atque industriam desiderat, atque vnius vineæ cura. In bruma, in vere, in æstate, in autumno aliquid semper est quod agat agricola. Vix bene finita vindemia, resecandi palmites, qui tota æstate luxuriarunt; terra de nouo purganda, plantæ nouæ inserendæ, fossæ ducendæ, sepes renouanda, sustentacula paranda noua. Vbi pullulare cœperit, pampini solicitè inspiciendi, vt purgentur, vt putentur quum opus fuerit: folia superflua
B resecanda. Vbi vuæ maturuerint, quantus in tota vindemia labor! Maior certè quàm in reliqua, vt adolescceret cultura. Nam & in custodia & recto vsu virtutum maior labor, prudentia & cautela maior adhibenda, quàm in ipsa earum operatione. Ideo Christus, vt ostendat nos operarios esse debere perpetuos, dicit, se nos in vineam suam mittere.

Similia.

4. *Illi autem abierunt.*

LOcus moralis contra dilatores & procrastinatores, in causa salutis, & obsequij diuini. Etsi enim Deus pro sua infinita bonitate omnibus horis vocat in vineam, mane, hora tertia, sexta, nona, vndecima: tamen neque eosdem omnibus istis horis in hoc Euangelio vocauit, sed modò hos, modò alios; neque vlla eius vsquam extat promissio aut vitæ longioris, aut iterandæ vocationis. Imò hoc Euangelium disertè notat, quòd isti vocati, mox vt vocati fuerant, abierunt. Qui mane vocatus est, non se excusat, vt expectetur, vsque ad tertiam:
C nec qui tertia, vt differatur vsque ad sextam. Vnde sanctus Augustinus: *Tu quando vocaris veni. Sexta hora vocaris? veni. Paterfamilias etiam hora vndecima venienti denarium promisit: sed vtrum viuas vsque ad septimam horam, non promisit*. Et alio in loco: *Verum quidē dicis, quòd Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit; sed huic dilationi tuæ diem crastinum non promisit*. Quare Apostolus suos Hebræos sic grauiter monet: *Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo viuo*: non solùm infidelitate hæresis, sed etiam infidelitate separationis à diuino amore, & obediētia Dei viui; quasi deserendo culturam vineæ eius, aut etiam nolendo ire in vineam. Sequitur: *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Sunt verba pulcherrima. Per singulos dies adhortari nos ipsos ad virtutem iubet: nec vllum cras expectare, sed illud *Hodie* semper in animo & opere habere. Sic enim alia Scriptura dixit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Per totam hanc vitam, *Hodie cognominatur in nobis*. Hodie vox Dei est. Cras vox diaboli est, quàm hic Apostolus vocat, *Fallaciam peccati*. Diabolus enim & peccatum in eo nos perpetuò fallunt, quòd Hodie sibi reseruant, & Cras Deo fallaciter promittunt. Obseruauit hoc sapienter & salubriter Gregorius Nazianzenus: *Quòd si hodiernum diem semper præteriens, salutem in posterum reijcias, tacitis nimirum dilationibus à pestifero spiritu deceptus, vt illius consuetudo fert, dicentis, Da mihi id quod nunc fluit temporis, futurum Deo; mihi ætatis florem, Deo senectutem; mihi voluptates, Deo corpus effœtum, nulliſque vsibus aptum: quanto miser in*
D *periculo versaberis! quot quamque inopinati rerum casus te abripient!* Et vide, quæso, diaboli fallaciā: In omnibus huius sæculi negotijs, vel necessariis, vel superuacaneis, nullam nobis requiem, nullam dilationem permittit. Canit nobis illud per Poëtam: *Fronte capillata, post est occasio calua*. Si filio, si nepoti, si amico, si tibi ipsi, beneficium, officium, patrimonium conquiritur, noctes, ac dies curimus, nullum rei benè gerendæ tempus elabi sinimus: sic ad omnia vigilamus, quasi cras aut hodie moriendum esset. In sola causa salutis Nestoreos nobis annos promittit. Sic vafer Diabolus præsens tempus per otium & voluptates, futurum per spem inanem lactādo, nobis surripit; donec die, quo minimè putamus, in suum nos barathrum ex improuiso cum maximis cachinnis protrahat. Hæc est fallacia diaboli & peccati, qua obduramur in malo de quo Apostolus cauere nos iussit. Sic iterum Spiritus Sanctus nos monet: *Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. Subitò enim venit ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Sic iterum Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. Illud nunc* (ait Nazianzenus) *non certum aliquod tempus, sed tempus omne designat*. Illud nunc, nullum crastinum habet. Vide, quæso, diaboli fraudem. Vt palàm atque apertè virtutē contēnat, homini mediocriter Christiano persuadere non potest. Id ergo agit, vt differat, ac differendo amittat. *Qui non est hodie, cras minus aptus*

Contra dilationem virtutis.

Ser. 59. de verb. Dom. Enarratan Psalm. 114.

Heb. 3.

Psalm. 94.

Cras, vox diaboli.

Orat. in S. Baptism.

Diaboli fallacia.

Eccli 5.

2. Corin. 6.

Vbi suprà.

erit. Quanto enim magis differtur bonum, tanto difficilius redditur, vel propter peccati con- A
Similia. suetudinem, vel propter Dei maiorem offensionem, vel quia tandem impius, quum in profun-
Basil. in exhort. ad Bapt. dum venerit, contemnit. *Nauis, etsi multa onera capiat, tam diu onerari potest, vt submergatur.* Tam
diu & frequenter in peccato manere quis potest, vt gratiã suam Deus penitus subtrahat, quod
Ezech. 16. & disertè futurum Scriptura prædicit; *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius, eò*
Psal. 8. *quòd non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ.* Non irascar, id est, non te castigabo vt emenderis.
Simile. *Dimisit eos secundùm desideria cordis ipsorum in adinuentionibus suis.* Deinde quantum malum tem-
poris iactura! Sicut pannus, quum adhuc integer est, quamcunque velis de eo vestem confi-
cere licet; vbi autem semel aliquam formam accepit, ad aliud aptari non potest, absque magna
panni iactura, aut cum magna nouæ vestis deformitate: sic tempus elapsum, quod otio, aut
voluptati datum fuit, animæ saluti applicari, aut vtile esse non potest, sed detrimento potius est,
quia malè impensum. Sed & ideo mortis horam rem incertissimam Deus esse voluit, vt omnis
Dominic. 1 Aduentus. Deo seruiendi dilatio penitus præscinderetur, & omni tempore vigilantes, quasi in acie accin-
cti staremus: vt de extremi iudicij hora incerta, in alia Dominica ostendimus.

5. *Quid hic statis tota die otiosi?* B

Contra otiũ & ignauiã LOcus moralis contra otiosos, ignauos & desides in Dei obsequio & salutis causa. Si
enim necdum in vineam conductos ita arguit pater-familias, quanto magis iam per
Baptismum vocatos & conductos arguet! Si in foro otiosum esse non licet, quanto minùs in
vinea! Si nati ex carne, & adhuc de mundo homines otij arguuntur, quanto magis nati
ex Deo, & electi de hoc mundo, vt Christo nomen dent, si otio torpescunt, redarguentur! Sed
in foro huius mundi nulla sunt negotia. Imò locus ille omnium negotiosissimus est, vbi fre-
Mundi negotia, otia sunt Deo. quentissima mercatura, contractus plurimi, & magna politiæ ciuilis pars exercentur. Sed hos
negotiosos homines, Pater-familias Deus vocat otiosos: quia licet *infinitis se quæstionibus immis-*
ceant, & soliciti sint circa plurima, tamen quia vnum, quod necessarium est, omittunt; otiosi coram
Eccli 7. Deo censentur, & sunt. Vt enim Dauid tacuit dum clamaret tota die, (ait enim: *quoniam tacui*
Ioan. 11. *inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die*: clamauit enim in peccato, sed tacuit in gratia) &
sicut Ierusalem plangitur vt *ciuitas sola, plena populo,* quia Deo suo caruit; & vt *cæci duces* vocan-
Psalm. 31. tur Pharisæi, quia veritatem non videbant, alioqui satis oculati; ac denique vt tota prudentia
Thren. 1. humana *stultitia est coram Deo*: sic tota negotiositas humana, quæ circa terrena occupatur, & cu-
ius finis terra, & præsens commoditas est, otiositas est coram Deo. Sicut enim pueri, quum
Simile. in casulis luteis componendis occupantur, & in arundine equitant, videntur sibi occupa- C
tissimi, quum nostro hominum iudicio meras nugas otiosè agant, sic omnino omnes occupa-
tiones terrenæ, in quibus vel Dei gloria, vel salus proximi, aut nostra non quæritur, etsi nobis
hominibus seria & grauia negotia videantur, tamen Deo & Angelis eius, imò sapienti cuique
meræ nugæ & inane otium videntur, & sunt. Simile est in agricola, opifice, mercatore, quan-
do non id agunt quod ars & professio eorum postulat. Sed vt de otiosis propriè dictis, & iuxta
communem intellectum acceptis, Euangelij verba tractemus, hoc ipsum, otiosum esse, seu in
foro, seu in vinea, meritò reprehendit pater-familias, & vt bonus medicus radicem, & causam
Otiositas malorum radix. morbi patefecit. *Otiositas enim,* vt alibi dictum est, *multam malitiam docuit,* id est, causa & radix est
multorum peccatorum. Vnde illud etiam hominis Ethnici: *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.*
Sed audiamus potius Sanctos nostros. Esse otium per se graue peccatum, familiari exẽplo do-
Eccli 33. cet Sanctus Chrysostomus. *Nihil* (inquit) *boni facere, hoc ipsum est malè facere. Dicas enim velim: si*
Hom. 16. in Epist. ad Ephes. *famulum haberes qui nec furaretur, nec conuitiaretur, nec contradiceret, nec inebriaretur, nec quidquam mali faceret, sederet tamen toto die otiosus, nec aliquid eorum, quæ seruus hero præstare debet, faceret, non flagellares illum? Atqui nihil mali operatus est.* Planè sic Deus flagellabit otiosos, hoc ipso quòd otiosi sunt.
Duplex enim est hominis iustitia. Non solùm *Declinare à malo,* sed etiam *facere bonum. Pisistratus,*
Ælianus var. hist. lib. 9. *Athenienſium tyrannus, accersiri iussit eos qui in foro deambulando atque otiando tempus tererent, & dixit: Si* D
nec boues nec semina habetis, de meo accipite, vt terram colatis: veritus ne horum otium insidias aliquas pareret. Sic Deus, non nostras insidias metuens, sed nostrę saluti prospiciẽs, & multorũ malorũ causas tollens, vocat nos in vineam suam, dans nobis de suo & naturæ vires, & gratiæ semina, quibus freti laboremus. Huius otij & desidiæ fructum rectè Sapiens expressit, dicens: *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* Docet, qui in hac vita non laborant,
Prou. 20. in altera vita nihil gratiæ aut fauoris impetraturos. Omnes creaturæ accepto operandi præcepto, ab initio creationis suæ vsque hodie operantur. Cæli motus non cessant, terra germinat, bestiæ & pisces multiplicantur. Solus homo, quia liberi arbitrij est, non obtemperat præcepto siue naturæ; *In sudore vultus tui comedes panem tuum;* siue gratiæ Euangelicæ, *Regnum cælorum vim*
Genes. 3. *patitur,* & operarij conducuntur in vineam. Quare ad creaturas easdémque vilissimas, otiosos &
Matth. 11. pigros Deus mittit. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.* quanta ignominia, vt à formica homo discat, & sapientiam discat? Cur hoc? Sequitur: *Quæ cum non habet ducẽ,*
Prouerb. 6. *neque præceptorẽ, neque principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat,* id est, quum non habeat cuius exemplum sequatur, vt nos Christi mediatoris, & tot Sanctorũ eius; nec cuius

præceptis

A præceptis obtemperet, vt nos Ecclesiam, & omnes Præpositos eius; nec à quo reprehendatur, vt nos verbi prædicatores, & animarum curatores habemus: tamen parat in æstate, & congregat in messe quod comedat in hyeme: & nos in præsenti vita, & tot bonorum occasionibus, & opportunitatibus, non prospicimus futuro iudicio. Sed & vide sapientiam formicæ atque industriam. Est animal paruum, in quo laudatur humilitas: grano puro pascitur, in quo commendatur honestas: socios laborantes adiuuat, in quo docetur charitas: solicita semper cursitat, in quo monstratur industria: prouida est de futuro, in quo ostenditur prudentia: grana collecta detruncat, ne in terra germinent vel putrescant, in quo significatur nostra mortificatio: tempore imbris grana abscondit, in quo nos docet tentationis fugam, tempore sereno granum soli exponit, in quo docet, vel Deum de bonis suis laudare, vel ad Dei gloriam bona nostra depromere: pondus portat maius quàm ipsa sit, in quo monstrat zelum compassionis. Occultas vias (ait Solinus) rectas faciunt, per quas incedant. Hoc nos docuit Scriptura, clamans: *Rectas facite semitas Dei nostri*, vt suprà explicatum est. Iuxta Plinium, libro 11. capite 30. Grana sibi inuicem communicant, & labores ordinant. Documentum dant charitatis, eiusdémque ordinatæ. Faciunt denique semitas in silice tritas, quo docent duras vias nos custodire. Vides formicæ sapientiam, sine duce, sine præceptore, sine principe. Ergo non iam Regina Austri, aut Niniuitæ, sed vna formica surget in iudicio, & nos pigros, otiosos, desides, B vacuos, inanes ac steriles bonorum operum, condemnabit. Sed audi rursum Sapientem, quomodo exclamat: *Vsquequo piger dormies? Quando consurges de somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis; & veniet tibi pauperies quasi vir armatus*, id est, cui resistere & mederi non poteris: à qua etiam in æternum non liberaberis, quia captiuum te abducet, vt armati hostes aduersarios suos pigros, & bello captos, solent. Augustinus ante suam conuersionem hoc se pigritiæ morbo laborasse, his verbis docet: *Vndique ostendenti vera te dicere, Domine, non erat omnino quod respondérem veritate conuictus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta. Modò, ecce modò, sine paululum. Sed modò, & modò non habebant modum, & sine paululum ibat in longum*. Otium optimis Philosophis tam absurda res visa est, vt mundum æternum potius ponere, quàm creationem eius in tempore agnoscendo, otium in Deo agnoscere maluerint. Insipienter quidem, quoad Dei otium, quia etiam non creato mundo, maiora habet in seipso Deus in quibus occupetur (vt suæ diuinæ essentiæ contemplationem, amorem, & communicationem diuinarum personarum) quàm sit totius vniuersi creatio & gubernatio; in hoc tamen sapienter, quòd otium ita detestabantur, vt ne quidem Deo conuenire existimarent. Si enim Deo non conuenit, qui nulla re indiget; quanto minus nobis hominibus, quibus nihil est indigentius, adeò vt panem quotidie à Deo mendice-C mus, dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*? Otij fugiendi exemplo sunt fatuæ Virgines, quæ, *moram faciente Sponso, dormierunt, & dormitauerunt*. Volentes enim alienum oleũ mendicare, dicentes, *Date nobis de oleo vestro*, repulsam acceperunt, & quidem negligentia dignam. In extremo mortis articulo qui petit alienum oleum, id est, vt alterius bonis misericordiæ operibus iuuetur, frustra tunc hoc petit; sed bene ei respondetur: *Ito ad vendentes, & eme tibi*. Hoc est, tu ipse vide quas eleemosynas pauperibus feceris (illi enim vendunt quodammodo cœlum, qui, *quum defecerimus, recipiunt nos in æterna tabernacula*, eo quòd ex mammona iniquitatis eos nobis amicos fecerimus:) vel quæ alioqui misericordiæ & virtutum opera exequutus fueris. Nam qui in tali articulo non inuenit oleum misericordiæ, quod eũ sursum euehat, aqua negligentiæ suffocabitur. *Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam*. Sera autem illa, & extrema pœnitentia, vix pœnitentia dici potest: quia licet mortis metus angat, amoris tamen Dei paruum aut nullum vestigium ostendit. Quare D. August. vt talibus pœnitentiam negare non vult, ita pœnitentiæ fructum illis promittere non audet, vt multis verbis in quadam concione ad populum differuit. Otium igitur fugiendum, ne ad extremum hoc nos periculum adducat. Vnde sapienter S. Augustinus otium vocauit *viui hominis sepulturam*. Si lex dormientibus non est scripta, vt Iureconsulti dicunt, quanto minùs cœlum dormientibus paratur! Dauid in bello fortis, domi otiosus sedens, alienam vxorem rapit, & homicidium committit. Sa-D lomon, quia in summa pace otio fruebatur, libidine seipsum perdidit. Populus in deserto, absente Moyse, & nihil agens, *sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere*. De hac materia superius plura.

S. Bonau. in Dieta salutis c. 18 Formicæ sapientia.

Prou. 6.

Confess. l. 8 cap. 5.

Matth. 25.

Lucæ 16.

Iacobi 2.

Hom. 41. ex hom. 50.

Ser. 17. ad fratres in eremo. Exempla. Dom. 5. post Epiph. text 2.

6. *Quia nemo nos conduxit.*

LOcus moralis de vera & certa mercede bonorum operum; propter quam conducti sumus. Error enim omnium, fidem in Scripturis reuelatam ignorantium fuit, aut fere omnium, nullum esse post hanc vitam virtuti præmium, mercedem nullam. Hunc humani generis errorem Christus hac voce huius parabolæ significare voluit. Otiosorum enim tam infidelium quàm etiam fidelium, sed impiorum, & fidem suam factis negantium, illa vox est: *Nemo nos conduxit*. Nullus est virtutis honos, præmium, & merces nulla. Horum vocem Ecclesiastes expressit, dicens: *Dixi in corde meo de filys hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs*. Nimirum qui id sentirent quod sequitur: *Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum*,

Merces certa bonorum operũ.

Eccli. 3.

Dialog.l.4 cap.4. *& æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic, & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* In his verbis (vt exponit S. Gregorius) *ex mente infirmantium*, id est, qui A
Eccl. 6. laborant ignoratione veri, *humanæ suspicionis sententiam proponit. Qui tamen ex definitione rationis,*
1.Cor.15. *suam postmodum sententiam protulit, dicens: Quid habet amplius sapiens stulto, & quid pauper nisi vt pergat*
Philosophorum omniũ vox. *illuc vbi est vita?* Hanc etiam impiorum & infidelium opinionem D. Paulus his verbis correxit: *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Veteres siquidem Philosophi, & sapientes huius mundi, vel ipsam voluptatem, & rerum omnium affluentiã pro summo bono habuerunt, non virtutis actionem, vt Epicurei; vel qui virtutem coluerunt, aut propter se solam expetendam sine vlla mercede à Deo expectanda (vt qui Stoici vocabantur, & rigidissimi virtutis cultores habiti sunt) aut gloria præsentis seculi, tãquam iusta & ampla mercede, eam compensari putabant, vel denique nihil esse Deo curæ actiones nostras, seu bonas seu malas, asserebant. Omnium horum vox erat: *Nemo nos conduxit.* Contra hos omnes disputans Lactantius, ait: *Virtus mercedem suam à Deo iudice accipiet: quam si tollas, nihil potest in vita hominum tam stultum, tam inutile videri, quàm virtus.* Nam & ideo disputabant olim Philosophi Academici (vt apud Ciceronem Carneades) Iustitiam esse stultitiam. *Iustus* (inquit ille Carneades)
Diuinar. Institut. lib.5.
Cic.l.3.de Rep. apud Aug.de ciuit. Dei, lib.2. c.21. *si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, quum in periculo vel hostium vel naufragij versatur, stultus est. Ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si ademerit, iniustus est; prudens tamen, quia suæ saluti consu-* B
lit. Hæc olim Ethnicorum, hæc hodie impiorum etiam Christianorum disputatio est, qui vtile honesto, commodum suum iustitiæ & æquitati præferunt, & dum prudentes esse volunt, iniusti sunt, rebúsque tantùm præsentibus consulendum putant. *Cur enim sic ille disputauit* (ait Lactantius) *nisi quia ad hanc vitam temporalem referebat omnia, virtutisque præmia, quæ sunt æterna & immortalia, non videbat?* Qui enim iustitiæ præmium, iniustitiæ pœnas reddi firmiter credit, vitam potiùs præsentem, quàm iustitiam, deseret. Verum ideò otiosi tota die in foro stamus, ideo Dei & iustitiæ operibus neglectis, improbè, fraudulenter, iniustè negotiamur, *circumuenientes fratrem in*
Diuin.institut.lib.5.
1.Thess. 4. *negotio* (quæ magna hodie, proh scelus, prudentia videtur) quia cum istis Ethnicis & Atheis in corde dicimus: *Nemo nos conduxit* ad benefaciendum: nulla virtutis aut iustitiæ merces est. Nam (quod notandum est) hæc vox nec eorum est qui mane, nec qui hora tertia, sexta, nona, sed qui circa vndecimam vocati in vineam fuerunt: nempe vel gentiliũ Philosophorũ, & huius mundi sapientium, qui paulo ante Christi aduentum florere in orbe cœperunt, & iniquitas omnis sic abundare, vt iustitia stultitia videretur; vel impiorum credentium, qui totam ferè vitam in fraudibus, & mendaciis, & iniustitiis vbi contriuerint, vt opes accumulent, in vltima tandem ætate compuncti, & vocati in vineam, vt de animæ salute cogitent, pro sua excusatione dicunt: *Nemo nos conduxit*, de futuræ vitæ præmio nihil hactenus cogitaui. Hanc opinionem impiam, & otij
Rom.5. atque socordiæ fontem (marcescit enim virtus, cui nulla spes præmij proponitur, & insitam o- C
Locus cont. hæreticos. mni virtuti difficultatem, mercedis expectatio vel tollit, vel minuit, quia, *vt patientia probationem operatur, sic probatio spem adfert*) nostri temporis hæretici renouarunt, suorumque animis altissimè impresserunt, omnem bonorum operum apud Deum mercedem negantes, sicut omne meritum negant, & operas Eucharisticas (sic enim loquitur) & gratuitas prædicant, docentes posse quidem vnumquemque bene operari (ait enim Flaccus Illyricus. *Verum est non excludi bona opera ac virtutes, seu vt quis vetetur eas habere*) sed nec ob expectationem mercedis (hoc enim mercenarium vocant, & seruis proprium, non filiis Dei) nec tanquam rem ad salutem necessariam (sic enim illorum sola & specialis fides penitus concideret) verùm ex solo intuitu beneplaciti Dei: quia videlicet iuxta istos, *Nemo nos conduxit.* Sed hæc duplex persuasio, & doctrina impia, omne prorsus bene operandi studium hominum animis eximit. Christianos enim frigidos & infirmos (quorum maxima turba est) ad bonorum operum contemptum inducit; alacriores & fortiores in desperationem trahit. Illi enim bene operandi studium, vt minimè necessarium, perlibenter deponunt. Nam qui summa bonorum operum necessitate persuasa, & firmiter credita, tam tepidi nihilominus ac languidi sumus; eiusdem necessitatis opinione sublata, quomodo non penitus frigidi erimus, & planè stupidi? Isti verò propter perfectionem summam (est enim perfectissimus operandi modus, & rara auis in terris, ex puro D
& solo Dei amore, absque vllo mercedis desiderio, virtutem sectari) bonorum operum labores suscipere desperant. Qua ex causa apud horum temporum hæreticos omnis pietas, iustitia, virtus, Dei timor, religio non exulat tantum & iacet, verum etiam explodituraç deridetur. Quod enim de Gentibus nullam futuræ gloriæ spem habentibus Paulus scribit, hoc illis accidit. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritia.* Sic
Ephes. 4. Ierem. 18. Sap. 2. aliæ Scripturæ: *Desperauimus: post cogitationes nostras ibimus, & vnusquisque prauitatem cordis sui mali faciemus.* Rursum: *Nescierunt Sacramenta Dei neque sperauerunt mercedem iustitiæ.* At nos Christiani Catholici agnoscimus & profitemur nos esse conductos ad operandũ in vinea Domini amplissima mercede proposita. Sic sumus filij Dei & liberi, vt simus tamen serui. Sumus liberi peccato, serui iustitiæ. Quod penè cum stomacho Apostolus docet, nostri temporis Libertinos in spiritu præuidẽs. *Nescitis* (inquit) *quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis? siue peccati ad mortẽ, siue obeditionis ad iustitiam? Gratias autẽ Deo, quòd fuistis serui peccati, obedistis*
Rom. 6. *autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis. Liberati autẽ à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Ergo sic filij & liberi sumus, vt tamẽ serui. Certè ita serui Dei sumus, vt, quũ fecerimus õnia quæ

præcepit

A præcepit nobis, dicere tamen debeamus, *Serui inutiles sumus*. Deo quidem inutiles, *qui bonorum nostrorum non indiget*; nobis autem ipsis per omnem modum vtiles: quia talibus dicetur; *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*. Rursum sic serui sumus, vt etiam mercenarij simus, non quidem sordidi, sed heroici; nec coactitij, sed spontanei ac liberi. Merces quippe quam expectamus, non res vilis aut sordida est, non bonum aliquod temporale & terrenum, & huius vitæ, sed illa quam seruo suo Abrahæ Deus repromisit: *Ego merces tua magna nimis*. Qui talem mercedem respiciunt, heroici & nobiles mercenarij sunt; sicut Regibus seruire, nobilitas est. Quare Apostolus disertis verbis dicit: *Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Christo Domino seruite*. Sic serui Dei sumus, vt empti pretio magno, ita conducti mercede ampliſſima. Quare vt conductitij, finito labore, expectant suam mercedẽ; sic iusti in Scripturis. Pauli illa vox est & doctrina: *Sobriè, iustè, piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*. Iubet bene operari, expectando mercedem. Hæc expectatio mercedis nostræ, est quasi cibus noster inter laborandum. Deus in hoc Euangelio conducit operarios, & conuenit cum illis *ex denario diurno*. Quibusdam etiam dixit: *Quod iustum fuerit, dabo vobis*. De cibo & potu nihil dicit. Et tamen qui in vinea laborat, præter denarium quem accepit, quod comedat habere debet. Noster ergo cibus spes est & expectatio mercedis. De hoc cibo dixit Propheta: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*. Verba labiorum Dei, B promissiones ampliſſimas dicit. Et iterum: *Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino*. Quasi enim sustentatur anima, pascitur, & refocillatur in mediis laboribus, expectando beatam spem. Hæc expectatio, hæc spes mercedis, fuit cibus Martyrum in tormentis, cibus Confessorum in perpetua mortificatione, cibus denique & consolatio Christi ipsius, quũ nostras iniquitates portaret. De illo enim Apostolus scribit: *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*. Tollenda ergo vox illa otiosorum hominum; vox Ethnica, vox hodie hæretica, vox impia, & desperatione plena: *Nemo nos conduxit*. Conducti sumus, quia *pietas*, quam in vinea excolenda exercemus, *vtilis est ad omnia, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ*. Conducti sumus denario, quæ est vita æterna.

Luc. 17. Psalm. 15. Luc. 19. Genes. 15. Coloss. 3. Tit. 2. Matth. 20. Psalm. 16. Psalm. 129. Hebr. 12. 1. Tim. 4.

7. *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

C LOcus moralis, & consolatione plenus, de bonorum operum mercede à Deo reddenda, Hunc locum, quod ad doctrinam attinet, & de vera mercedis retributione, in altero Promptuario contra hæreticos tractauimus, nunc vt ad mores valet, & ad pietatem exstimulat, tractandus est. Quo in loco primùm Dei benignitas spectanda est, quæ nostris operibus mercedem promittere voluit. Secundò, quantus ad virtutem stimulus hæc reposita merces esse debeat. Tertiò, quæ & quanta hæc merces est, paucis explicabitur. Ad primum quod attinet, quum opera nostra seruorum sint opera, & prorsus debita, quum nobis ipsis sint vtilia & necessaria, quum parui temporis & exigui laboris sint, immensa Dei benignitas satis laudari non potest, quæ illis mercedem repromittit, vitam æternam. Seruorum opera esse labores fidelium in Dei præceptis exequendis, iam modò ostensum est: sed & inde patet, quòd quicquid sumus, Deo debemus. Vnde illa fidelis serui vox: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Huc accedit, quòd omnia ferè virtutum opera, Dei præcepta sunt: à nobis igitur præstari debent, etsi nulla proponeretur merces. Ideo peccata nostra, & transgressiones vocantur debita nostra. *Dimitte nobis debita nostra*, quia id, quod debuimus facere, non fecimus. Deus ergo opera à nobis alioqui debita sic remunerat, veluti si magnus aliquis Princeps, propter seruatam torquem auream, magnum auri pondus ministro daret. Nam vt ille commissam sibi torquem seruare debuit, alioqui puniendus, sic nos Dei mandata. Rursum nulla mercede proposita æquum, & conueniens erat, nos Christianos Christo pro nobis passo compati, & capitis nostri vestigia sequi. Ex qua consideratione Paulus ait: *Charitas Christi vrget nos: quia si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Et tamen compatien- D tibus illi mercedem repromittit Christus; dicente Paulo: *Si compatimur, conglorificabimur. Socij facti passionum, socij erimus consolationum*. Amplificari hic ergo debet bonitas & benignitas Dei, quæ operibus, alioqui debitis, mercedem tamen maximam reddit. Iam verò quale illud est, vt hæc ipsa bona opera, quibus merces promittitur, nobis ipsis sint vtilia, & sic vtilia, vt absq; illis bruta, non homines, essemus. Quid enim aliud sunt omnia virtutum opera, quàm animi humani ornamenta? Quid aliud tota illa vineæ Dominicæ cultura, in qua laborantes mercede remunerat, quàm ipsius animæ cuiusque nostrûm necessaria cura, homine rationali digna, vt in superioribus explicatum est? quare quemadmodum pij parentes ægrotantibus filijs, & potiones amaras recusantibus, dona & xenia promittunt, si medici præceptis obtemperauerint, quum tamen salutis beneficium non tam parentum quàm filiorum sit: sic Deus Pater cœlestis, præceptorum suorum obseruationi, & virtutum exercitio, quæ nobis in hac corrupta natura grauiter ægrotantibus salutaria sunt, illi autem nullo modo necessaria, aut vtilia, ingentia præmia promittit. De hac Christi medicina sanctus Augustinus: *Misit Deus medicum, qui nos gratis sanaret. Parum est, qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedẽ daret. Nihil addi ad istã*

De mercedis bonorũ operum qualitate.
1.
2.
3.
1. *Dei benignitas triplex.*
1.
2.
3.
1. *Operanostra esse debita.*
1.
Psalm. 115.
2.
Simile.
3.
2. Cor. 15. Rom. 8. 1. Cor. 2.
2. *Opera nostra nobis vtilia.*
Simile.
Serm. 13. de ver. Apost.

beneuolentiam poteſt. Quis eſt, qui dicat: Sanem & te, dẽ tibi mercedem? Optimè fecit. Sciebat ſe veniſſe diuitem ad pauperes. Sanat ægrotos: ſanatis donat & non aliud quàm ſeipſum donat. Hæc conſideratio tam clara & certa eſt, vt multi Gentium Philoſophi virtutem propter ſeipſam expetendam, & exequendam eſſe docuerint. Vnde Seneca: *Altum quiddam eſt virtus, excelſum & regale, inuictum, & infatigabile. Voluptas humile, ſeruile, imbecille, caducum, cuius domicilium fornices ac popinæ ſunt.* Hæc eſt ergo maxima Dei benignitas, quòd bonis operibus operam dando, *& hic dulcem vitam* (vt ſcribit Chryſoſtomus) *virtutum ipſarum delectatione ducemus, & futurorum dono potiemur honorum, Deique inſolubiles amicitias ſortiemur.* Quid nempe vel humanæ ſocietati commodius, vel cuiuis homini iucundius eſſe poteſt; quàm perpetua & ſincera dilectio? Ad hoc eſt maximum Dei mandatum. Imò *qui diligit proximum, Legem impleuit.* Denique omnia Decalogi mandata, an aliud iubent, quàm quod omnis Reſpublica ciuitas, familia à ſuis omnibus exactè obſeruari percuperet? Talia ſunt omnia Dei & Eccleſiæ præcepta, vt magis ad noſtram vtilitatem & conſolationem, quàm ad Dei gloriam ſint comparata. Imò in virtutum ratione magis noſtro commodo, quàm ſuo honori, Deus proſpectum voluit. Verbi gratia: Orta eſt inter te & alium ſimultas? Vide quid iubeat Deus: *Vade priùs reconciliari fratri tuo, & ſic offeres munus tuum ad altare.* Conſultum & proſpectum priùs vult paci fraternæ, & reſarciendæ iniuriæ proximi, quàm ſuo honori, qui in oblationibus ad altare præſtatur. Sed & inimicum tuum, niſi tibi reconcilietur, Deus idcirco non diligit, quia tibi inimicus eſt, & quia tu amicus Dei es. De qua re ſic Chryſoſt. *Quia Deus nos perfectè diligit, ideo inimicis noſtris non vult eſſe amicus. Vtputa: Duo inimici eſtis fideles: ideo tibi non vult eſſe amicus, quia illi amicus eſt: & ideo illi non vult eſſe amicus, quia tibi amicus eſt. Ergo te diligens, eſt illi inimicus: & illum diligens, tibi eſt inimicus.* Hæc ille. Sic Deus propter bonum noſtrum ad perpetuam charitatem cogit: non ſecùs quàm ſi bonus pater duobus litigantibus filijs, etſi vtrumque amet, neutrum tamen, durante lite, velit diligere quia alter alteri litigando nocet, quum ille vtrique bene conſultum vellet. Amplificari multùm & copiosè hæc Dei benignitas poteſt, quòd illa in nobis virtutum opera magnificè remunerat, quę nobis potiſſimum vtilitatem adferunt. Nam vide, quæſo, quomodo hanc fraternam dilectionem remuneret. Iubet nos orare: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hoc eſt, promittit nobis veniam peccatorum, ſi nos alijs in nos peccantibus ignoſcimus. Et ideo in alia Scriptura dixit: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Denique in extremo iudicio illa bona opera maximè remunerat, quæ proximorum noſtrorum vtilitatibus ſeruierunt, vt paſcere eſurientes, veſtire nudos, viſitare captiuos. Tertium punctum quod in ineffabili Dei benignitate circa bonorum operum remunerationem annotari poteſt, adhuc excellentius eſt, quòd parui temporis, & exigui laboris opera, æterna & ſplendidiſſima mercede retribuat. Vnde Apoſtolus: *Quod in præſenti momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Leuitati laboris, pondus gloriæ, idémque ſupra modum ſublime, momentaneo æternum reſpondet. Sic alibi: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nempe, vt ſcribit ſanctus Auguſtinus, *ſiliqua laboris ad requiem ſempiternam.* Si tibi certò conſtaret, & ad hoc diploma regium ſignatum haberes, te per annos in hac vita quinquaginta maximis reditibus potiturum, ſi decem priùs annos in Regis obſequio & ſeruitio ageres; an hanc conditionem recuſares? Non adeò opinor demens aut ſtupidus eſſes, ſi bonorum huius vitæ amator es. Quòd ſi ergo cœleſtem gloriam amas, quid de tantilli temporis labore cauſaris? An præſentium magis voluptate traheris? Nempe ſic in vinea Satanæ ſe res habet. Priùs illic merces redditur; & poſtea laboratur. Priùs ad momentum temporis deliciantur, & poſtea in inferno cruciantur. Priùs conuiuantur ſplendidè, ſed poſtea ſymbolum ſoluunt peracerbè. Paucas pecunias ex vſuris mutuant, & poſtea duplum perſoluunt. *Fauus diſtillans labia meretricis: nouiſſima autem eius amara, quaſi abſynthium. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt in infernum.* An hanc conditionem cupis, vt præſenti voluptate modica æternos cruciatus emas? Atqui in Chriſti vinea priùs laboratur, & poſtea merces redditur: qui omnis honeſtæ negotiationis ordo eſt. Agricola priùs ſeminat, poſtea metit. Mercator primùm nauigat & peregrinatur, poſtea ex mercibus domum aportatis rem facit. Opifex cuiuſcunque artis primùm opus facit, poſtea mercedem accipit. Sed iſti omnes vix lucrum percipiunt, quod labores compenſet; aut, ſi excedat compenſatio laborem, mediocris ille exceſſus eſt; & vt ſit maximus, paruo tempore eius fructus manet; mille quoque periculis ſubeſt, vt, quod longo tempore & labore comparatum eſt, vno momento pereat, aut bello, aut latrocinio, aut incendio, aut morte. Sed merces quam operarijs ſuis Deus retribuit, vt infiniti exceſſus eſt, ita nullo caſu intercidit, quia æterna eſt. Eleganter Chryſoſtomus: *Vtrum melius eſt, metuere, & anxio ſemper timore diſtineri, an cum ſecuritate laborare? Si quis te collocaſſet otioſum in domo ruinoſa, dicens: Expecta donec in caput tuum ceciderit teſtudo iam putris, fortaſſis enim cadet, fortaſſis non cadet; quòd ſi hæc conditio non placet, age operare, ac tutiſſimum inhabita thalamum: vtrum magis eligeres? otiumne illud cum timore, an laborem cum ſecuritate? Sic igitur & nunc facito. Siquidem incertus iſte euentus futuri,* dum voluptatis cauſa, virtutis laborem fugiens, repentinæ te mortis & damnationis periculo exponis, *eſt quaſi domus quædam putris, ſemper ruinam minitans. At induſtria, quanquam laborem habet, tamen ſpondet ſecuritatem.* Tale eſt diſcrimẽ hominis voluptuarij, & in vinea Domini operarij quod ſi adhuc laboris magnitudinẽ quis cauſetur, quem in vinea Domini excolenda, & in Dei præceptis obſeruandis ſuſcipere par

In l. de vita beata.

Homil. 11. in Matth.

Rom. 13.

Matth. 5.

Hom. 11 in Mat. operis imperf.

Simile.

Matth. 6.

1. Pet. 4.

Matth. 25.

3. Retributionis exceſſus.

2. Cor. 4.
Rom. 8.

Enarr. in Pſalm. 93.

Simile.

Vinea ſatanæ.

Prouerb. 5.
Iob. 21.

Similia.

In prologo in D. Ioan.

Simile.

A pareſt, certo ſciat,quiſquis ille eſt,idcirco eum hoc cauſari, idcirco labores illi arduos videri, quia Deum non amat:quod hac demonſtratione oſtendit Auguſtinus: *Secari & vri ſe homines patiuntur,vt incertam & breuem corporis ſanitatem conſequantur. Immaniſsimis bellis miles atteritur, pluribus fortè annis in laboribus inquietus,quàm in otio quieturus. Quibus tempeſtatibus & procellis,quàm horribili & tremendæ ſeuitiæ cæli & maris expoſiti ſunt mercatores,vt diuitias ventoſas acquirant, maioribus quàm quibus acquiſituri ſunt periculis & tempeſtatibus plenas! Quos æſtus,quæ frigora,quæ pericula,ab equis, à foſsis, à præcipitiis,à fluminibus,à feris perferunt venatores!quem laborem ſitiendi & eſuriendi, quantas viliſsimi & ſordidiſsimi cibi & potus anguſtias,vt beſtiam capiant,& interdum nec ipſius beſtiæ carnes, propter quam & hæc tanta ſuſtinent,epulis neceſſarias! Quanquam,etſi aper ceruuſque capiatur, magis ſuaue ſit venantis animo quia captus eſt,quàm comedentis palato quia coctus eſt.Sed in his omnibus,qui hæc non amãt, eadem grauia patiuntur;qui vero amant,eadem quidem,ſed non grauia pati videntur. Quanto ergo certius & facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miſeriam,quantum potuit, cupiditas fecit?* Hæc ille. Si tantum ergo laboris rebus perituris, vanis quoque & futilibus comparandis impenditur;quis non videt beatitudinis æternæ retributionem operibus virtutum (quæ tantam adiunctam difficultatem non habent) miſericordiſſimè & liberaliſſimè à Deo reddi! Atque ex his capitibus Dei benignitas in hac mercedis retributione demonſtrari poterit. *Scr.9. de verbis Domini. Similia.*

Nunc quantus ad virtutem gnauiter capeſſendam ſtimulus hæc merces beatitudinis æternæ,bonis operibus reddita,eſſe debeat,paucis oſtendetur. Dauidis certè illa vox eſt: *Inclinaui* B *cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Sic Paulus ad virtutem adhortans ait: *Non contemplantibus nobis quæ videntur,ſed quæ non videntur.* Et rurſum,prolata illa Dei ampliſſima promiſſione,*Ero vobis in Patrem,& vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens?* (*Si autem filij & hæredes,* vt alibi dicit) mox infert: *Has ergo habentes promiſsiones, mundemus nos ab omni inquinatione carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Sciebat enim acerrimum eſſe ad virtutes ſtimulum,repromiſſæ à Deo mercedis exſpectationem. Hoc ſtimulo veteres iuſtos ad opera pietatis ardua vehementer permotos fuiſſe, exemplis alio in loco oſtendit. *Abraham,*inquit,*obediuit exire in locum,& exijt neſciens quo iret. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei,quàm temporalis peccati habere iucunditatem:maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem.* Moxque paulo poſt infert: *Ideoque & nos deponentes omne pondus,& circumſtans peccatum,per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen* (ſeu brauium) *aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum;* id eſt illum pro exemplo in oculis ferentes:*qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem;* vt ita nos,propoſita mercede,ſuſtineamus labores. Et paulo poſt:*Omnis diſciplina,* id eſt,virtutum exercitatio,*in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij,ſed mœroris:poſtea autem fructum pacatiſsimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Hic fructus iuſtitiæ, eſt merces operariis reddita. *Propter quod remiſſas manus,* C *& ſoluta genua erigite,& greſſus rectos facite pedibus veſtris.* Vides quàm ſtudioſè ad virtutis callem gnauiter terendum,hac propoſita mercede,adhortatur. Sed & in ſeipſo oſtendit, ex hoc ſtimulo plurimum ſe incitatum fuiſſe. *Quæ* inquit, *retro ſunt,obliuiſcens,ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum,ad deſtinatum perſequor,ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Eſt igitur iſtius mercedis,bonis operibus repromiſſæ,huius brauij expectatio acerrimus virtutis ſtimulus, ideoque crebro cogitanda,& ante mentis oculos ponenda. Appoſitè ad hanc rem ſcripſit Xenophon, & Dux,& Philoſophus inſignis,*Eoſdem labores non eſſe æquè grandes Imperatori ac militi, eo quod ipſe honos laborem leuiorem faceret Imperatorum.* Quod eius verbum multum laudauit Scipio Africanus,ait Cicero. Quanto enim magis iidem labores non erunt æquè graues fideli & infideli, pio & impio,religioſo & ſeculari,eo quod ipſa merces,à fidelibus & piis certiſſimè expectata,labores illis facit leuiores! Quemadmodum enim auarus,ſi incidat in tabulas theſaurum alicubi abſconditum indicantes;iis autem locus, qui theſaurum tenet, non ſine multo labore & ſudore adiri poteſt;nulli labori parcet,vt theſauro potiatur,quia auarus eſt,cui ad pecunias congerendas nihil videtur arduum:ſic omnino vir pius,& Deo frui deſiderans,inuentis Scripturæ tabulis,quæ illum docent,operariis in vinea Domini mercedem donarij retribui, quæ eſt vita æterna,ſuauiſſimè operatur,vt denario illo ac Deo ſuo fruatur. *Seruiuit Iacob pro Rachel ſeptem annis,* D *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Noſtra Rachel eſt vita æterna,decora facie,& venuſto aſpectu. *Si nautis minaces pelagi fluctus,ſi tempeſtates atque hyemes agricolis,ſi vulnera cædeſque militibus,ſi grauiſsimi illi ictus,plagæque pugilibus leues videntur atque tolerabiles,propter ſpem temporalium ac pereuntium commodorum;multo magis quum cælum proponatur in præmio,nihil ex præſentibus his aduerſitatibus ſentietur.* An fortaſſe dicet quiſpiam,cæleſtis gaudij expectationem ideo minus mouere, quia etſi credatur firmiſſimè,tamen non cernitur euidenter? Qui hoc fuco ac prætextu ſuã vel incredulitatem vel ignauiam excuſat, hac quotidiana experientia conuincitur inexcuſabilis. Nullus pater carnalis euidenti cognitione ſcire poteſt,an proles ex vxore ſuſcepta, vera & legitima ſit. Hæc tamen ipſa cognitio,quæ ex ſola vxoris credita pudicitia colligi poteſt, tantam vim habet,vt maximum filiorum amorem in patris pectore ingeneret,huiuſmodi ſanè,vt in filiis bene educandis,poſteaque in ſeculo euehendis,nullis ſumptibus,nulli labori parcat. Quanto magis qui ex ſola Dei promiſſione firmiſſimè credita, æternam beatitudinem bonis operibus repromitti cognouit,ad illam aſſequendam bonorum operum ſtudio impensè incumbet! Non-

4.
Mercedis expectatio, virtutis ſtimulus.
Pſal.118. 2.Cor.4. 2.Cor.6. Rom.8. 2.Cor.7. Exempla. Hebr.11.
Hebr.12.
Philip.3.
Apophth.
Tuſcul.2.
Simile.
Greg.Nyſſ. orat.1.de beatitud.
Geneſ.29. Chryſ.ho. 24.in Mat.
Simile.

Similia. ne vides vt vrſi aluearia inuadunt, fauorum dulcedine allecti, quos illic eſſe melle plenos autu- A
mant, nec apum aculeos, nec ferientium vulnera quicquam morantes? Nonne ſi inter mille na-
uigantes vnus tantum ex Indiis auro onuſtus redeat, cæteris pereuntibus, eandem mox naui-
gationem, ſpe ſimilis fortunæ, innumeri ſuſcipiunt? Eundem debet animis piorum ſtimulum ad-
dere mercedis æternæ certiſſima retributio, etſi ex mille operariis in vinea vnus tantum aut
alter eam acciperet.

5. Quanta merces. Poſtrema huius loci particula eſt, vt quæ & quanta ſit hæc merces, operariis in vinea retri-
buta, paucis explicetur: imo tantam eſſe potius, vt explicari nequeat, oſtendatur, quod his ver-
1. Cor. 5. bis oſtēdit Apoſtolus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus*
diligentibus ſe. Quare, vt Simonides Philoſophus ab Hierone tyranno rogatus, quid Deus eſſet,
Cic. li. 1. de nat. deorū. primo vnum diem ad deliberandum petiit, mox biduum, deinde quatriduum, atque ita ſæpius
& identidem numerum duplicauit; *quia* (inquiebat) *quanto diutius conſidero, tanto mihi res videtur*
obſcurior; ſic de beatitudine cæleſti, quæ ipſius Dei viſio ac fruitio eſt, reſponderi poteſt. Atta-
men ſicut de Pythagora narrat Plutarchus, & poſt eum Aulus Gellius, quod ex ſtadio Olym-
Noct. Attic. li. 1. c. 1 pico ducentorum pedum ab Hercule metato primum pedis eius magnitudinem, ac poſtea, in-
uento pede, totam corporis proportionem deprehendit, tanto cæteris hominibus excelſiorem,
quanto Olympicum ſtadium cæteris pari numero pedum anteiret: ita ex eius cæleſtis gloriæ B
veſtigiis quibuſdam, vel in Scriptura ſacra reuelatis, vel in Dei operibus, ac rerum naturę ob-
ſeruatis, quæ & quanta illa ſit, quantumque omnem huius vitæ felicitatem ſuperet, aliquate-
nus delineari poterit. Ac primum in Scripturis hæc merces vocatur gaudium Domini. *Intra in*
gaudium Domini tui. Nempe, vt qui particeps laborum cum Chriſto fuit, eiuſdem etiam gaudij,
quo Chriſtus ad dexteram Patris ſedens exultat & fruitur, ſit etiam plenè particeps. Intrare
Matt. 25. 1. enim in gaudium, eſt, non eminus illud proſpicere & videre, ſed intus receptum ad participa-
tionem admitti. Nunc tu cogita quantum Chriſti gaudium in cælis ſit, quod eum conſolari po-
tuit quum in terris eſſet, dicente Apoſtolo: *Propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem.* Porro in hac mer-
cede eſſe gaudium omnibus rebus ad voluptatem comparatis affluentiſſimū, verbis ad captum
Hebr. 12. 2. noſtrum accommodatis Chriſtus deſcribit, quum dicit: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater*
meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, non quod illic ſit nectar aut ambro-
ſia Poëtica, vel Mahumetis carnales epulæ: ſed quia affluentiſſima erit animæ delectatio, ſicuti
Luc. 22. 3. in edendo & bibendo ad menſas regias corporis eſſe ſolet. Nempe affluentiſſimi huius gaudij
Ioan. 13. Apoc. 14. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13. 4. particulæ in Scripturis reuelatæ, hæ ſunt: Primū, eſſe cum Deo, nec ab illius præſentia vnquam
diuelli. *Vbi ego ſum, illic erit & miniſter meus. Sequuntur Agnum quocumque ierit.* Deinde non eſſe
tantum cum eo, ſed & videre eum clara viſione, vt eius præſentia, totaque gloria pleniſſimè
fruamur. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Non iam amplius in ſpeculo & in ænigmate, *ſed facie ad faciē.* C
Iam vero quoad nos ipſos, primum ſtatus erit maximè glorioſus, in quo ipſe Dei Filius miniſtra-
Lucæ 12. bit Sanctis ſuis honoris cauſa. *Beati ſerui, quos, quum venerit Dominus* (ad Iudicium ſcilicet) *inue-*
nerit vigilantes, id eſt, in vinea Domini operantes. *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſ-*
cumbere, & tranſiens miniſtrabit eis, hoc eſt, ſingulos ſanctos ſpirituali conſolatione ſuauiſſimè vi-
ſitabit, ſeque totum ſingulis communicabit, non tranſiens de loco in locum, ſed varias conſo-
lationes, vnam poſt aliam, quaſi miniſtrantium more, nouos cibos afferentium, ſubminiſtrans.
Verbis tamen illis Chriſtus hanc rē exprimit, quibus oſtendat ſuum erga Sanctos non affectum
tantum, ſed & honorem. Nempe honor huiuſmodi erit, vt ſinguli Sancti, non hæredes tantum
Rom. 8. 2. Tim. 2. Marc. 12. Apoc. 22. Dei, ſed & *coheredes Chriſti* futuri ſunt; & cum illo (vt Apoſtolus iterum loquitur) *conregnabunt,*
& conglorificabuntur. Parum nunc eſt, eſſe *ſicut Angelos Dei*, aut, vt alia Scriptura dicit, *regnare in*
ſeculum ſeculi; quia pariter cum Chriſto regnabunt, & ſuo propemodum honore Chriſtus ſuos
Matt. 13. 5. dignabitur. Huius autem honoris & regni vide quantus futurus ſit ſplendor. *Tunc fulgebunt*
iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum. Et vt cætera paucis perſtringamus (quæ amplificabit diſertus
Pſal. 102. Pſal. 16. Rom. 8. Concionator) in hac mercede erit ſanitas ſine infirmitate: *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*, erit
ſatietas ſine faſtidio: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, erit libertas à ſeruitute: *Creatura liberabitur à* D
ſeruitute corruptionis, in libertate gloriæ filiorum Dei, id eſt, propter pleniſsimam humanæ naturæ in il-
la gloria cæleſti liberationem, creaturæ omnes, quæ propter hominem peccantem peccato ſer-
uierunt, & ſeruiendo corruptæ fuerunt, à tali ſeruitute per ignem expurgatæ liberabuntur, vt
noui cæli fiant, & noua terra, in noua Sanctorū gloria, nouavidelicet veſtita puritate. Erit porro
6. Pſal. 86. Apoc. 21. hoc gaudium in loco amœniſsimo: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei*, quam ciuitatem nouam,
deſcendentem de cælo, vt ſponſam ornatam viro ſuo, deſcribit S. Ioannes in Apocalypſi. Erit quoque
7. Hebr. 12. Apoc. 7. in hoc gaudio ſocietas iucundiſsima, quam Apoſtolus vocat *Multorum millium Angelorum fre-*
quentiam, & Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis. De qua etiam Ioannes dicit: *Vidi tur-*
bam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, ſtantes ante thronum, &c. Poſtremo
8. Pſal. 83. in hoc gaudio totum opus & exercitium Sanctorum erit perpetua iubilatio: *Beati qui habitant in*
domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Hæc ex Scripturis breuiter delibata: ex quibus
aliquouſque conijcere licet, quæ & quanta hæc merces ſit, Sanctorum laboribus, & bonis ope-
rariis in vinea Domini repoſita, ac in hoc Euangelio repromiſſa.

Sed & illa qualis ac quanta ſit, ex præſenti Dei liberalitate ac bonitate, qua in hac vita vel
iuſtorum merita ſolatur, vel impiorum morales quaſdam & ciuiles virtutes remunerat, non

diffi-

A difficulter colligi potest. Si enim tanti vitrum, quanti margaritam! Si in fragili & mortali vita magnus splendor, in æterna beatitudine quanta erit gloria! Si in valle miserię liberalis retributio; in cælesti gloria quanta remuneratio! Pulchrè S. Augustinus: *Si, mi Domine, pro hoc corpore ignobili & corruptibili tam magna & innumera beneficia præstas, à cælo & aëre, à terra & mari, à luce & tenebris, à calore & vmbra, rore & imbre, ventis & pluuiis, volucribus & piscibus, bestiis & arboribus, à multiplicitate herbarũ & germinum terræ, nobis succesiuè ministrãtium, vt alleues fastidium nostrum: qualia, quæso, & quàm magna & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te, in illa cælesti patria, vbi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tanta solatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Si tam innumera & varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis; quàm dulcia & delectabilia, quæ solis es largiturus amicis!* Hæc ille. Rursum alio in loco: *Bona cogitate & considerate, fratres, quæ dat Deus peccatoribus: & hinc intelligite quid seruet seruis suis. Peccatoribus, blasphemantibus eum, quotidie dat cælum & terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, vbertatem. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas seruare fidelibus suis?* Hæc ille. Hæc videlicet sanctorum virorum sapientia est, vt, visa huius seculi pulchritudine, non ea se fascinari & decipi sinant, sed ad alterius seculi considerandam pulchritudinem, quasi de gradu inferiori ad superiorem, ex ea conscendant. B. Fulgentius, Ruspensis Episcopus, persecutionem Arianorum fugiens, Romæ quum peregrinaretur, visa Romani Senatus & vrbis Romæ gloria, sic ad fratres, peregrinationis suæ comites, loquitur: *Quàm speciosa potest esse Hierusalem cælestis, si sic fulget Roma*
B *terrestis! Et si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præstabitur Sanctis diligentibus veritatem!* Hæc ille. Similia verba protulit S. Porphyrius, Gazæorum Episcopus, quum ex causa quadam Constantinopoli existens, Theodosij iunioris infantuli baptismum ingenti cum pompa & magnificentia celebratum cerneret. Nos (inquit vitæ eius scriptor) admirati sumus, videntes tantam gloriam. Dicit autem nobis S. Porphyrius: *Si ea quæ paulo post euanescunt, tantam habent gloriam; quanto magis cælestia quæ parata sunt Sanctis Dei!* Nempe Deus hac in re sicut locuples aliquis mercator facit. Quum vadit in emporium vt mercimonia emat, pro iis quæ viliora sunt & parui valoris, statim in numerato persoluit. Sed pro mercibus magis pretiosis, maiorisque sumptus fide iubet, vt proximo emporio, vel die condicto soluat. Sic Deus morales & ciuiles virtutes peccatorum, vt res minimi valoris ac pretij, statim in præsenti vita remunerat; sed piorum rectè facta, quæ in gratia & charitate, ad Dei gloriam, vel proximorum & suam salutem operati sunt, tanquam res maximi valoris & pretij, in altero seculo, quasi in altero emporio, æterna gloria compensanda & remuneranda reseruat. Hinc etiã colligere licet, quantum excellat merces illa operariis reposita & repromissa. Sed & huius rei causa est, quod huiusmodi in cælis persolutio nostro maximo commodo fiat. Nam vt mercator prudens, qui cito vult ditescere, ibi merces emit, vbi in magna copia habentur, vt postea reuendat; vbi raro inueniun-
C tur: sic iusti in hac vita multos pro Deo labores vel suscipiunt alacriter, vel sustinent fortiter, quæ hic quidem vulgares sunt merces & viles, nulloque in pretio; vt ieiunia, mortificationes corporis, humiliatio sui, & cuiuscumque generis tribulationes. Huiusmodi enim plena est hæc vita, & huiusmodi pauci æstimant, sed à se singuli reijciunt. At in cælo tales merces non inueniuntur, vbi omnia lætitia & honore sunt plena. Sed illic talia quocumque velis pretio vendentur. Ille enim locus est, in quo *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis iustorum*: & in quo, qui hic laborauerunt, *requiescent à laboribus suis*. Ibi præteriti labores carè venduntur, & vberrimè remunerantur. Nostro igitur maximo bono fit, vt non nisi illic, operantibus in vinea merces reddatur. Hæc est beata catastrophe eorum quos Pater-familias conduxit in vineam suam, hic huius parabolæ finis. De gaudio cælesti & gloria, vide plura apud S. Chrysostomum, in epist. ad Hebræos, homil. 6. in fine: & in paræn. 1. ad Theod. lapsum.

Ex bonis præsentis vitæ conijciuntur futura. Soliloquiorum ca. 11.

Enar. in Psal. 85.

Exempla.

In vita eius apud Surium, to. 1.

In vita eius apud Surium, to. 1. p. 1068. Simile. Phil. Diez. in conc. ser. 5. post Do. 2 Quadr.

Didacus Stella de contemptu mundi, par. 1. c. 27. Simile.

Apoc. 7. & 14.

8. *Multi vocati, pauci electi.*

LOcus moralis de paucitate saluandorum ad vtilem timorem incutiendum idoneus: quem vide tractatum in parte Aestiuali, Domin. 19. post Pentecosten, text. 10.

D

A

EVANGELIVM DOMINICÆ SEXAGESIMÆ.

Luc. 8.



VM turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Ieſum, dixit per ſimilitudinem: Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas: & ſimul exortæ ſpinæ, ſuffocauerunt illud, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, B quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem in parabolis; vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola. Semen eſt verbum Dei. Quod autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Nam quod ſupra petram, hi ſunt qui, cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinis cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

C

1. *Cum turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Ieſum.* De frequenter audiendo Dei verbo.
2. *Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.* De attentione audiendi verbum Dei.
3. *Semen eſt verbum Dei.* De virtute & neceſſitate audiendi verbi Dei.
4. *Quod ſecus viam, hi ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum.* Contra otioſos, vagos, & diſtractos auditores verbi Dei.
5. *Quod ſupra petram, qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* De duritia cordis, & conſuetudine peccati.
6. *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur.* Locus triplex. 1. Contra ſolicitudines & curas vitæ præſentis. 2. Contra diuitias. 3. Contra voluptates carnis: quatenus hæc tria ſpinæ ſunt, & verbum Dei ſuffocant.
7. *Quod autem in terram bonam, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent.* De corde bono & optimo, & de verbo Dei retinendo. D
8. *Et fructum afferunt cum patientia.* De patientia ad omnes virtutes exequendas neceſſaria.

1. *Cum turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Ieſum.*

LOcus moralis de diligentia & frequentia in audiendo verbo Dei, exemplo populi Iudæorum, qui ſic vndequaque ad Chriſtum audiendum confluxerunt. Hic locus tractari poteſt ex iis quæ infra dicentur, tum in hoc Euangelio textu 3. & 4. tum in Dominica tertia Quadrageſimæ, tex. 7. & in Dominica Paſſionis, tex. 2.

A

2. *Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.*

LOcus moralis de attentione feruenti auditorum, verbo Dei adhibenda. Christus enim de fructu audiendi verbi Dei sub parabola seminis, deque huius fructus impedimentis quum dixisset; hac acclamatione, præter morem & consuetudinem suam, parabolam concluſit. Non nisi ter quaterve in toto Euangelio, hac vice excepta, clamasse legitur. Primum apud Ioannem: *Clamabat in templo Iesus, dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis*; Iudęorum cauillationi cōtra aduentum eius in mundum respondens: moxque eodem tempore, *In nouissimo die magno festiuitatis, stabat Iesus & clamabat; dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, vbi se Messiam & mundi Saluatorem esse disertè proclamat. Secundo in Lazaro resuscitando iam quatriduano. *Clamauit voce magna, Lazare, veni foras*: vt hoc clamore ostenderet, peccatoris longa peccati consuetudine fœtentis sanationem longè esse difficillimam. Rursum alia vice, de quo sic Ioannes: *Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, vt se & Patrē vnum esse ostenderet. Ac postremo in Cruce bis clamauit. Semel illud: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* ac secundo: *Clamans voce magna, emisit spiritum.* In omnibus istis clamoribus, non nisi propter res maximas, & ex causis longe grauissimis, clamasse legitur Redemptor noster. Sic in B hoc Euangelio, recitata parabola seminantis, *qui exȳt seminare semen suum*, clamabat, vt doctrinam huius parabolæ primariam esse, summè necessariam, & maxima attentione excipiendam doceret. Vide enim quid clamet: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Ambas aures ferè omnes habent: sed non omnes aurēs ad audiendum habent Qui podagra laborat, pedes habet, sed non ad currendum. Qui luscus est, ambos oculos habet, sed non ad clarè & perspicuè videndum. Qui à superiori aliqua potestate manus ligatas habet (vt loquuntur) manibus certè non caret; sed vt liberè, quod vult, agat, manus non habet. Sic omnes aures habent, sed pauci ad audiendum: nempe id quod bonum est, & benè, & vt oportet. *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.* Duo dicit: Primo, quod sapientiam, id est, non nisi bona & salutaria audiet. Secundo, quod feruenter, & magno discendi desiderio, ea quæ ad animæ salutem & Dei gloriam pertinent. Rationem huius affert Salomon: *Audiens sapiens sapientior erit; stultus autem nec plagis emendabitur.* Vnde de huiusmodi dici solet; Surdo narras fabulam: non quia auribus caret, sed quia aures ad audiendum non habet. Enimuero vel maximum est reprobationis & diuinæ iracundiæ argumentum; aures audiendi non habere, desiderio discendi ea, quæ ad salutem pertinent, non teneri. Iuxta leges ciuiles, in primo furto deprehensus nudatur, & publicè vapulat. In secundo latrocinio abscindūtur aures. At quem latronem auribus iam amputatis Iudex deC prehendit, cuestigio suspenditur. Sic Deus in primis peccatis exuit gratiæ vestibus, & conscientiæ flagellis acriter verberat peccatorem. Secundo ac tertio in idem relapso, aures audiendi amputat; sensum & dolorem peccati peccator amittit: nec ad audiendum amplius vel Dei verba, vel sana consilia, aures præbet, iuxta illud: *Impius quum in profundum venerit, contemnit.* Talem autem contemptum verbi Dei, quid nisi extrema damnatio consequitur? In veteri lege prohibetur, ne quis vel ouem, vel bouem ex voto offerret, aure & cauda amputatis. Animal auribus amputatis offerri noluit Deus; quia qui auribus priuatur, præcipuo ad salutem medio destituitur: *Fides enim ex auditu*, & proprius cuiusuis disciplinæ sensus, est auditus. Iudicialis quoque in veteri populo lex erat, vt seruus emptitius, qui septimo remissionis anno libertate data vti noluit, sed diligens dominum suum, ei adhuc seruire voluit, applicaretur ad ostium & postes domus domini sui: *Perforabitque* (dominus) *aurem eius subula, eritque ei seruus sempiternus.* Peccator, qui seruiens peccato, diabolo seruit, si, oblata illi in prædicatione Euangelica lege libertatis, eam acceptare noluit, vt per baptismum & pœnitentiam liberatus à lege peccati, iam non sit amplius sub peccato, neque sub lege, sed sub gratia; sed adhuc vult domino suo diabolo seruire, diligens eum, & post concupiscentias suas ambulans; hic aures habet subula perforatas, pereffluentes, & ad audiendum inutiles, quia ostio domini sui affixæ fuerunt: *neque potest quis duobus dominis seruire, Deo & Mammonæ.* Aures ergo audiendi habet, qui salutis desiderio tangitur, qui libertate gratiæ, ad quam vocatus est, vtitur, qui diaboli mancipium non est.

D

Attentio feruens audiendi verbum Dei. *Ioan. 7.* *Ioan. 11.* *Ioan. 12.* *Matt. 27.* *Aures ad audiendū.* *Similia.* *Eccli 3.* *Prou. 1.* *Simile.* *Prou. 18.* *Allegoria.* *Leuit. 22.* *Rom. 10.* *Exodi 21.* *Deut. 15.* *Allegoria.* *Matt. 6.*

3. *Semen est verbum Dei.*

LOcus moralis de virtute & necessitate audiendi verbi Dei. Christus enim ideo verbum prædicatum (hoc enim est verbum seminatum) semini comparat, quia naturam & proprietates seminis habet, respectu salutis humanę, seminis autem proprietates, respectu fructus qui ex semine nascitur, potissimum sunt virtus eius & necessitas: necessitas, quia sine semine iacto nullus sperari fructus potest; virtus, quia semen habet proximam virtutem ad producendum fructum, adeoque totus fructus in semine est virtute. Sic se habet verbum Dei ad animæ fructum; fructus & vltimus finis noster Deus est. Nam vt in arbore, planta, satis, vltimum est fructus; sic nostrum vltimum & summum bonum Deus est. Deus autem (quem vt omnium

Necessitas & fructus audiendi verbi.

actionum noſtrarum finem ſperamus) non impetratur ſine charitate: *Deus enim charitas eſt; & qui* A
1. *Ioan.* 3. *manet in charitate, manet in Deo: qui autem non eſt in charitate, manet in morte.* Charitas autem nõ ha-
Hebr. 11. betur ſine fide. *Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo,* hoc eſt diligere Deum; vel ex dilectione opus aliquod Deo gratum facere. Fides autem non acquiritur ſine prædicatione verbi Dei. *Quomodo enim credent quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante?* Semen ergo ſeu princi-
Rom. 10. pium ſalutis neceſſarium, eſt auditus verbi Dei. Atque ex his patet neceſſitas audiẽdi verbum: quæ quemlibet ſalutis ſuæ cupidum maximè ſtimulare deberet, vt aures audiendi habeat. Sed virtus huius ſeminis adhuc magis ſtimulabit. Eſt enim *Euangelium* (ait Apoſtolus) id eſt, Euangelij prædicatio, *virtus ad ſalutem omni credenti,* hoc eſt, poteſt ſaluare, & eſt vnum medium ſal-
Rom. 1. uandi omnes credentes. Sicut ſemen eſt virtus ad fructum producendum in omni terra bona; ſic verbum Dei prædicatum, eſt virtus ſeu potentia ad ſalutem in omni corde credente: nẽ-
Luc. 8. pe ſic credente, *vt verbum retineat, fructumque afferat in patientia.* Et ſicut Deus per ſemen terræ in-
Simile. iectum, operatur in ipſa terra vt fructum adferat; ſic per Euangelium prædicatum exerit potentiam ſuam, & operatur in cordibus credentium, vt ſit illis ad ſalutem, & vt fructum afferat
Gen. 1. multiplicem. Et ſicut Deus in creatione mundi dixit, *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta germen ſuum, cuius ſemen ſit in ſemetipſo ſuper terram: & factum eſt ita:* ſic in Eccleſiæ ſuæ conſtitutione dixit Apoſtolis, per quos illam colligere & pro-
Matt. & Marci vlt. pagare voluit, *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit* (vobis ſcilicet prædicantibus) *& baptizatus fuerit, ſaluus erit:* & ita factum eſt, nec ſecus per verbi prædicationem perpetuam creuit Eccleſia credentium, quàm per illam Dei creantis vocem creſcit hodie vſque herba, lignumque omnis generis pomiferum. Nam vt lignum pomiferum ſemen ſuum habet in ſemetipſo, vt illo iacto in terram multiplicetur: ſic Eccleſia habet verbum Dei in ſemetipſo, cordibus inſculptum (iuxta illud Ieremiæ, *Dabo leges meas in cordibus eorum, &c.*) & per prædica-
Ierem. 31. tores ſuos iacto illo verbi ſemine, quotidie multiplicantur & creſcunt fideles. Iam vero quemadmodum vt ſemen creſcat, ſitque virtus ad fructum faciendum, neceſſe eſt incorporetur in terra, vt alteretur, vt radices agat, vt in ea conſeruetur ad maturitatem vſque: ſic omnino vt Euangelium ſit virtus ad ſalutem, verbique diuini ſemen fructificet, debet cordi credentis penitus infigi, debet quaſi cibus in ſtomacho digeſtus, per ruminationem diligentem alterari, debet virtutum radices agere, ac denique in corde retineri, vt in hoc Euangelio dicitur. Quæ quũ
Pſal. 118. fiunt, admirabilem virtutem atque potentiam habet verbi ſemen, ad totum hominem in me-
Ierem. 23. lius commutandum. Hac de cauſa verbum Dei vocatur in Scripturis *ignitum eloquium vehe-*
Heb. 4. *menter,* quia nouas amoris flammas excitat. Vocatur *malleus conterens petras,* quia corda duriſſi-
Pſal. 118. ma emollit. Vocatur *omni gladio ancipiti penetrabilius,* quia interna viſcera penetrat, & intimos affectus mouet ac mutat. Vocatur *Lucerna pedibus noſtris,* quia dirigit nos tutiſsimè in via ſalu- C
Matt. 4. tis, & tenebras noſtras illuminat. Vocatur poſtremo cibus animarum, quia *Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Hæc eius virtus & efficacia eſt. Cur autem hanc ſuam virtutem non ſemper operatur, in aliis huius Euangelij partibus mox dicetur. Alias ſe-
Dom. 5. *poſt Epiph. tex.* 1. minis proprietates, quæ verbo Dei conueniunt, in altero Promptuario ex parte doctrinæ contra hæreticos explicauimus. Sed & de ſemine verbi Dei plura vide ſuperius.

4. *Quod ſecus viam, hi ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum.*

Auditores otioſi. LOcus moralis contra otioſos, vagos, & diſtractos auditores verbi Dei. *Qui via ſignificantur* (ait Chryſoſtomus) *hi negligentes ſunt atque otioſi.* Qui enim ſecus viam publicam ambulant,
Hom. 45. *in Matt.* multas diſtractiones patiuntur, multum animo vagantur, prout multa & varia ab illis cernuntur. At in audiendo verbo Dei, animo collecto & attento eſſe oportet, ne, ſi vel ad momentum vageris, aliud agens & cogitans, derepentè diabolus id rapiat, alias atque alias immittens D
cogitationes. Sicut enim ſemen negligenter iactum, nec poſtea terra obductum, volucres cæli
Simile. rapiunt & comedunt: ſic verbum Dei negligenter acceptum, nec animo reconditum, ſed oſcitanter auditum, atque ita à nobis contemptum, dæmones rapiunt & comedunt, quia de noſtro contemptu vehementer gaudent, & voluptatem magnam capiunt. Verbum Dei eſt animæ ſpeculum, in quo omnes virtutes, & omnia vitia, omnem animi decorem, omnemque deformitatem cernimus. Si ſpeculum obiter inſpicias, perinde eſt ac ſi non inſpexiſſes. Hinc diuus
Iacobi 1. Iacobus. *Qui auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe, & abyt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Solent enim viri niſi obiter & tranſeunter ſpecula inſpicere: mulieres nimis attentè & prolixè. Ideo viro, non mulieri, ſpeculum inſpicienti negligentem auditorem ſapienter comparauit.

Eraſmus de aſini vmbra. Exemplum Auditores vagi. Demoſthenes, Orator Athenienſis, quum de rebus grauiſsimis, & ſalute Græciæ differens, oſcitantem populum, & negligentius auſcultãtem videret, ait, ſe breue quiddam velle illis narrare. Facta omnium attentione, Adoleſcens, inquit, quidam æſtiuo tempore aſinum conduxerat, ab Athenis Megaram vſque. Sole vero circa meridiem vehementer æſtuante, vterque volebat ſubire vmbram aſini; ſed vterque alterum prohibebat. Hic dicebat aſinum conductum,

non

A non vmbram:alter contendebat,per conductionem, & asini & vmbræ ius esse factum. Atque hæc locutus Demosthenes,abiit è suggestu. Populo vero retinenti, ac narrationis finem flagitanti. *De asini,* inquit,*vmbra audire cupitis;de salute Græciæ loquentem audire non vultis?* Sic otiosus auditor fabellam potius nescio quàm audiret attentissimè,quàm de animæ salute Dei verbum attentè.Diogenes Cynicus,quum aliquando de re seria differens,nullum haberet auscultatorem attendentem,cœpit ineptam cantionem canere,veluti saltaturis. Vbi iam plurimi concurrissent,obiurgauit illos,quod ad stulta & inepta frequentes & alacres accurrerent; ad seria vero, & ad bene viuendum vtilia,nec alacriter conuenirent,nec diligenter auscultarent.Meminisse deberent multo magis Christiani,quod ad verbi Dei prædicationem cum veniunt,non in theatrum,quasi ad tragœdiam vel comœdiam audiendam,nempe vsque ad finem;neque ad cantionem musicam,vbi solus oblectatur auditus;sed ad scholas venerint,& quidem ad Christi cathedram,vt ex sermone vitam emendent.

Apophth.

Laërt.li.5 Exemplũ.

Dissimile. Auditores infructuosi

Laudatur merito Aristonis dictum, *neque balnei vllam esse vtilitatem,neque orationis; vnde nõ prodeas purior.* Sed grauius per Prophetam Deus increpat:*Es eis quasi carmen musicum,quod suaui dulcique sono canitur. Audiunt verba tua,& non faciunt ea.* Verbi Dei prædicatio,vtres est màximè negotiosa,fructuosa,excellens,diuina;ita auditorem requirit minimè otiosum, sed attentum & diligentem. Vnde diuus Chrysostomus: *Sicut qui pratum trànsit, florem accipit; & qui hortum præterit,fructum colligit;& qui à conuiuio surgit,reliquias filiolis suis affert:sic ex concione aliquid semper animæ tuæ reporta domum.*

Plutarch. li.de officio auditoris.

Ezech. 33.

Similia.

B

1.

Hom.6.ad pop.Ant.

Alioqui quàm absurdum est in concione audienda turbari interdum & compungi, sed nihil emendari propter negligentiam?Quemadmodum à medico sectus,si mox aufugiat,nec patiatur se obligari,& reliqua perfici quæ ad medicandum supersunt,dolorem quidem sensit, at curationis remedium non expectauit:sic qui audito Dei verbo,quasi plagam correptionis accepit,& confusus ad momentum fuit,sed statim obliuiscitur; discedit accepto morsu ac dolore, sed nihil promouit.Tales auditores videntur quasi conuiuæ in symposio inertes assidere, vbi laborantibus aliis,sudante concionatore,loquente Christo,cooperante Spiritu sancto, ipsi nihil aliud agunt,quàm vt voluptate fruantur,& vel suis se vanis cogitationibus à re præsenti alienissimis oblectent,vel sola prædicatoris verba,non rem,attendant.De his verum est quod scribit Seneca:*Magnam hanc auditorũ partem videbis, cui Philosophi schola diuersorium ocij sit. Non id agunt, vt aliqua illò vitia deponant,vt aliquam vitæ legem accipiant, ad quam mores suos componant vel exigant, sed vt oblectamento aurium perfruãtur. Aliqui tamen cum pugillaribus veniunt,non vt res accipiant, sed verba:quæ tam sine profectu alieno discunt,quàm sine suo audiunt.* Est plerorumque hodie auditorum verbi Dei descriptio,qui sic audiunt quasi secus viam essent,non in schola Christi. Zeno Citticus aiebat:*Auditorem sic eis quæ dicuntur attentum esse debere,vt non vacet illi ad notas faciendas.* Si hoc in humana sapientia laudabiliter postulauit,quantus pudor in Dei verbo audiendo idem nõ præstare?Sed ita nunc verbi Dei prædicatores audiuntur,ac si iis, quæ ab illis dicuntur, nihil esset vilius ac si Anaximenis nugæ iterum proferrentur.Diogenes, differente aliquando Anaximene,pernam protendens,auditores eius omnes in se conuertit.Indignante illo,*Anaximenis disputationem*,inquit Diogenes,*vnius oboli pretium dissoluit.* Qui otiosè & oscitanter concionantes audiunt,propter vnius oboli pretium,à verbo Dei animum sæpe auertunt,&,si aliquis Diogenes pernam protenderet,concionem relinquerent.

2.

Plutarch. vbi supra.

3.

Epist.109.

C

Laërt.li.7 Apophth.

Laërt.li.6.

Porro otiosi & negligentes auditores sunt,qui verba tantum,non rem attendunt.Horum absurditatem & ineptiam benè describit Plutarchus.Apes,inquit,quum in prata volant,violis, rosis,hyacintho referta,illis tamen neglectis thymum accedunt,florem asperrimum atque amarissimum,illique insidunt,flauum mel conficientes.Sic auditorem decet,delicata verborũ ornamenta,vt herbam inutilem missa facere, diligenti autem attentione in mentem sermonis & dicentis affectum irrepere,vnde ad se trahat quod bonum sit & conducibile.Rursus sicut floribus insidens apicula,flauum mel ex succo conficit,quum alij in iisdem floribus nihil præter colorem & odorem admirantur:sic prudens & pius auditor non ornatum verborum, sed rerum sapientiam consectabitur. qui secus faciunt,iis similes sunt, qui pharmaci odore capiuntur & nidore,sanandi vim & purgandi negligunt.

Qui verba,non rem attendunt. In li.de officio audit. Similia.

1.

2.

3.

D

Nihil autem est huiusmodi insania perniciosius; & quum in omni bono opere negligentia & otiositas multum sit noxia & damnabilis (vt alio in loco iam ostensum est) tum vero maximè in verbo Dei audiendo.quã diu enim opifex aliquis artis suæ instrumenta retinet,quibus operari queat,spes est eum sibi victum parare posse (quam etiam ob causam, quum ad persoluendum creditoribus cætera bona omnia distrahi ac diuendi ius ciuile permittit,artis tamen instrumenta vendi non patitur) at illis etiam deperditis vel sublatis,nulla spes supereſt. Sic qui vitæ spiritualis instrumentis (quorum maximum est Dei verbum, eiusque in Ecclesia institutio & doctrina destituitur, vel ea non audiens, vel audita negligens; extra omnem salutis spem positus esse videtur. Quam etiam ob causam Ecclesiæ disciplina hoc habet, vt quos, ob certa crimina, Sacramentorum & orationum communione priuat, eosdem tamen à concionibus non excludat: imo ethnicos & catechumenos, quibus sacris interesse non licuit, ad verbum Dei audiendum Ecclesia semper admisit. Censuit videlicet quasi instrumenta artis,& media salutis prorsus cuilibet necessaria esse, verbi Dei frequentes conciones,ideoque

Otiosè audire, quàm res perniciosa.

4.

Gran.ser. de tempore to.2.p.542.

neminem illis priuari oportere. Quanta igitur eorum insania, qui tanto bono seipsos priuant, A
vel quia (quod perinde est) negligenter & oscitanter audiunt! Nemo sibi blandiatur, quod frequenter verbum Dei audiat, si mox vt audierit, rapiat illud diabolus de corde eius. Talis enim suum iudicium & condemnationem audit. *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem (fluit autem vt ros eloquium Dei, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina) proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledictioni proxima.* Sic & Propheta docuit: *Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit. Sanguis eius super ipsum erit.* Denique talis omnis literas Vriæ defert. Vrias acceptis à Rege Dauid literis ad Ioab militiæ principem, existimabat se ex illis literis aliquid aut honoris, aut commodi accepturũ. At miser mortis suæ nuncium & præceptum tulit. Qui conciones multas, sed oscitanter audierunt, has secum conciones inter alia bona opera ad Dei iudicium perferent; sed inspectis illis & lectis, inueniet iudex, auditorem omnia aliter feciſſe, quàm edoctus fuit, ideoque ex illis ipsis eum condemnabit. Parum prodest vini copiam ex vindemia collectam habere, nisi vasa munda paraueris quibus id infundas & serues. Musicus instrumentum pulsare non potest, nisi chordas habeat instrumento aptas. Non capit verbum anima immunda; pulsare cor auditoris concionator non potest, quod timoris & amoris fidibus caret. Huc conferri possunt, quæ de zizaniis bono semini superseminatis, & in illa verba, *Ecce hic positus est in ruinam multorum*, in aliis supra Dominicis protulimus. B

Hebr. 6. Deut. 32.

Ezech. 33.

Stephanus Cantuar.

2. Reg. 11.

Similia.

Dom. 5. post Epiph. & Do. inf. oct. Nat. Domini.

5. *Quod supra petram, hi sunt qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*

Auditores duri & incorrigibiles.

LOcus moralis contra duritiam cordis, & auditores verbi in melius nunquam proficientes. Ideo enim audito Dei verbo impius non corrigitur, quia cor lapideum & durum habet, peccatis assuetum & obduratum, quo fit vt radices agere in corde Dei verbum nequeat. Sic Apostolus duritiam cordis & impœnitentiam pro eodem ponit: *Tu autem, secundum duritiam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Ostendit quis sit fructus duri cordis. Sic alia Scriptura: *Cor durum male habebit in nouissimo*, & ostendit quomodo: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Nihil duro corde periculosius. Qui tamen hoc se periculo oblectat, & obstinatè in peccatis pergit; quidquid in verbi Dei prædicatione contrarium audit, in hoc suo periculo peribit. Aegyptij cum suo Pharaone contra Moysem, & populum Dei obdurati, eosque iam abeuntes & demissos, pertinaciter tamen persecuti, in mari rubro perierunt: &, vt ait Scriptura, *Descenderunt in profundum sicut lapis.* Duritiam cordis expressit Scriptura, simulque pœnam ei C
respondentem. Hoc erat maximum Iudæorum peccatum, & reprobationis eorum causa. Sic à Deo vocatur *Populus duræ ceruicis*: & rursum apud Ezechielem, *Filij dura facie, & indomabili corde: & domus exasperans.* Sic & de illis Esaias: *Scio quia durus es tu, & neruus ferreus cervix tua, & frons tua ænea.* Nec aliter de illis Ieremias: *Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti*, videlicet ad prædicationem Prophetarum, quod adhuc magis exaggerauit Zacharias Propheta: *Noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes, & aures suas aggrauauerunt ne audirent, & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem & verba quæ misit Deus exercituum in Spiritu suo per manum Prophetarum priorum.* Nihil certè adamante durius. Et sic quidem Iudæi, qui propterea variè afflicti, sæpius subiugati, in Babylonem expulsi, tãdem toto orbe dispersi, & reprobati à Deo fuerunt, & vsque hodie manent. At nos Christiani iterum atque iterum videamus ne simus adhuc hoc populo duriores. *Adamas vtcumque durissimus, sanguine tamen hirci mollescit & domatur. Nos sanguine Christi*, (qui fuit caper emissarius veterum sacrificiorũ figuratus) *nec adhuc mollimur, aut cordis duritiem deponimus.* At qui hæc propriè Christi est gratia, de qua sic Ezechiel: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*, id est, molle & flexile: quod aliis verbis dixit Ioãnes: *Erunt omnes docibiles Dei.* Sumus quippe omnes Christiani, *epistola Christi* (vt Paulus loquitur) *ministrata* quidem *à nobis*, id est, ab Ecclesiæ præpositis verbum Dei administrantibus, sed *scripta* (à Christo) *non atramento, sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Consideret ergo, quisquis ille est, qui ex verbi Dei prædicatione non emendatur, non mollescit, non flectitur, sed in peccatis pristinis obduratus manet, quod ille Christianus non est, nec Christi gratiam adhuc accepit, vtcũque nomen & Sacramenta Christi portet. *Charitate Filij Dei, qua voluit pro homine homo fieri, liquefacta est duritia mundi* (ait Aug.) *vt agnosceret saltẽ beneficium suæ reparationis, quæ nõ agnouerat excellentiã suæ cõditionis.* Qui ergo nec adhuc mollescit, quouis Iudæo, quouis adamante durior est, Christi gratiæ particeps nõ est. Moyses *virga percussit petrã, & fluxerunt aquæ.* Virga illa crucẽ Christi significat, quæ percutiens dura corda, elicit pœnitentiæ lachrymas. Memoria passionum Christi, & beneficiorum eius, cor credentis necessario emollit. Sed in corde duro verbum Dei non penetrat, etsi superficie tenus moueat, (nam *cum gaudio suscipiunt verbum*: placet illis veritas Euangelica, & delectat prædicator de virtute disputans; *& ad tempus credunt*, sermonem amplectuntur, & emendationem fortè proponunt) quia radices fidei & charitatis Dei non habent. Non sunt *in charitate radicati & fundati* (vt Apostolus loquitur) *nec Christum habent per fidem in corde habitantem, vt possint comprehendere cum omnibus sanctis*, id est, sicut

Exod. 15.

Exod. 32. & 33.

Ezech. 2.

Esaiæ 48.

Ierem. 5.

Zach. 7.

Cypr. de dup. mart.

Ezech. 36.

Ioan. 6.

2. Cor. 3.

Christianus nõ est, qui prædicatione verbi non flectitur.

Ser. 19. de Sanctis.

Psal. 77.

Ephes. 3.

omnes

omnes sancti,seu veri fideles,qui sic eo tempore nuncupabantur,comprehendunt, *quæ sit latitudo,& longitudo,& sublimitas,& profundum*:nempe crucis Christi,seu Christi crucifixi. Hoc enim si comprehenderent,quod per illas duas radices fidem & charitatem fit, duritia cordis non laborarent;verbum Dei intima animi latibula penetraret,non ad tempus tantum crederent (interim dum verbum prædicatur) sed in tempore quoque tentationis recurrentis in fide manerent,resistendo fortiter in fide,non recedendo à bono proposito inter audiendum concepto. Nunc autem qui, quum irritantur, excandescunt; quum affliguntur, despondent animum; quum honorantur,attolluntur;qui,quod vident statim concupiscunt, & concupiscentiæ morem gerunt;isti sunt petra,hi cor lapideum habent. *Duri cordis indicia.*

Postulat igitur hic locus,remedia aliqua proferre ad cordis duritiem remouendam, siue ad tentationes superandas;ne,illis accedentibus,recedat cor à Deo. Talia remedia sapienter enumerauit Dionysius Cartusianus:& sunt salubertima. Primum, propriam fragilitatem & insufficientiam agnoscere,atque ad Dei auxilium inceſſanter confugere,& cum Propheta dicere: *Ego egenus sum & pauper, Deus adiuua me. Dominus adiutor meus,& liberator meus: Deus ne moreris.* Secundum,seipsum coram Deo profundè humiliare,& pro nihilo reputare. *Deus enim humilibus dat gratiam*,id est,in tentatione victoriam. Tertium,Dei præsentiam semper attendere,& eius iudicium atque iustitiam vereri,quod est singulare remedium. *Prouidebam Dominum semper in conspectu meo. A dextris est mihi,ne commouear.* Quartum attentè considerare, quis est qui tentat,quid quærit,quo tendat:quæ omnia, in negotiis temporalibus,qui non considerat, stultus habetur. Est autem diabolus,vel minister eius qui tentat,nostram perniciem quærit,ad infernum trahit. Hoc est quod Sapiens monuit:*Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Quintum,exitum tentationis expendere, & caudam serpentis obseruare. *Nouissima eius ducunt ad mortem.* Sextum,habere ante oculos Sanctorum exempla,qui tentationibus restiterunt,& quantam inde gloriam adepti sunt. *Mementote præpositorum vestrorum: quorum intuētes exitum conuersationis,imitamini & fidem.* Septimum, contemplari quod Deus cum omnibus sanctis Angelis conflictum tuum intuentur, parati iuuare, & de tua pugna atque victoria exultantes. De Deo iustus dicit:*Expectans expectaui Dominum,& intendit mihi:& exaudiuit preces meas,& eduxit me de lacu miseriæ,& de luto fecis.* Hęc sunt tentationum pericula. Angeli quoque,si *gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente*,non est dubium quin gaudeant de iusto pœnitentiam præueniente,& in certamine victoriam peccati obtinente. Octauum,considerare quantopere de tuo lapsu dæmones exultent,& iacenti insultent,iuxta illud: *Qui tribulant me exultabunt si motus fuero*,& iterum: *Non supergaudeant mihi,non dicant in cordibus suis,euge,euge animæ nostræ;nec dicant, deuorabimus eum.* Nonum,in principio tentationis,maximè carnalis,animum ab ea auertere,& ad salutaria cogitanda conuertere. *Beatus qui allidit paruulos tuos* (Babylonicos videlicet & Satanæ fœtus adhuc teneros) *ad petrã*:de Christo eiusque beneficiis,gratia,iustitia cogitando. Decimũ,affligere afflictores tuos,impuros dæmones,applicãdo te tanto instantius ad actus virtutũ,ad pios labores,ad opera misericordiæ,prout vnicuique dedit Deus,& dicere cum Propheta: *Persequar inimicos meos,& comprehendã illos,& non conuertar donec deficiãt*:sed in Deo,non in nostris viribus. Hæc sunt pauca de multis remedia;ne,qui ad tempus verbo Dei credimus, in tempore tentationis recedamus. *Duri cordis remedia.* *In Scala religiosorũ par.1.art.5* 1. *Psal.69.* 2. *Iacobi 4.* 3. *Psal.15.* 4. *Prou.4.* 5. *Prou.16.* 6. *Hebr.13.* 7. *Psal.39.* *Lucæ 15.* 8. *Psal. 12. & 34.* 9. *Psal.136.* 10.

Porro vt ad cor durum redeamus (proprium huius loci subiectum) duritia cordis, quæ semen verbi Dei intro non recipit,etsi foris admittat,ex peccati consuetudine oritur. Sicut enim cadente pluuia lapides foris madescunt,intus vero suam siccitatem cum duritia seruant; sic dura corda imbrem eloquij diuini foris accipiunt,& aliquo modo compluuntur, quia *cum gaudio suscipiunt verbum* (vt in hoc Euangelio dicitur) sed intus sicci & aridi manent, mala consuetudine aditum gratiæ violenter prohibente. Cogitationes enim,quibus,audito Dei verbo,quasi resurgere à peccato conatur,qui ei iam dudum assueuit,*similes sunt* (ait sanctus Augustinus, hoc in seipso ante conuersionem expertus) *conatibus expergisci volentium,qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est,qui dormire semper velit,omniumque sano iudicio vigilare præstat, differt tamen plerumque homo somnum excutere quum grauis torpor in membris est,eumque iam displicentem carpit libentius,quamuis surgendi tempus aduenerit: ita vetusti peccatores,audito Dei verbo,certum habẽt, esse melius,diuinæ charitati se dedere,quã suæ cupiditati cedere. Sed illud placet,hoc vincit.* Surgenti è peccato tempus agnoscunt;sed soporis,quo tenentur,grauitate in peccata recidũt. Sicut enim quæ natura dura sunt,eadem grauia sunt,vt lapis,ferrum,plumbum,ideoque deorsum ferũtur: sic cor durum,in consuetudine peccati obduratũ,graue est,& deorsum fertur. Hoc facit inuicta propemodum consuetudo peccati. *Sicut enim morbi corporis inueterati,non nisi longa & acri curatione sanantur;sic peccata inueterata,diuturna patientia,assidua oratione,& acerrima animi contentione curari oportet. Quod repetitis vicibus,ac multo cũ labore intinctũ est,tincturam excipit presius inhærentem, & quæ vix elui queat;obiter autem colore aliquo infectum,tincturã bibit facilè mobilem: sic anima sanie peccatorũ suppurata,& in habitu constituta malitiæ,vix ac multo negotio elui potest.* Quare sicut agricola,quum euellit siluestre germẽ & infrugiferum,ibi validè impacto ligone subuertit radicẽ,aut admoto igne accendit;sed in vite putãda,aut purgãdo oleastro,mollius agitur:sic peccata inueterata rudius exagitari,& fortius eradicari conuenit. Est enim verbum Dei, *malleus conterens petras*, vt supra ex Ieremia dictum est, & ad durissima corda emollienda aptum. Sicut quum intus in domo *Consuetudo peccati. Similium congeries.* 1. 2. *Confess. li.8.c.5.* 3. 4. *Basil.in reg. fus. disp.ad q. 55.* 5. *Idem in Esaiæ c.1. 6.*

omnia ſtrepitu & tumultu plena ſunt audiri non poteſt qui foris pulſat, niſi fortiſſimè & cre- A
bro id faciat: ſic à corde inſanis cupiditatibus pleno, audiri verbum Dei non poteſt, niſi fortius
8. intonet; tandem nihilominus audiri & penetrare poterit. Cibum noxium ac peſtilentem nec
ſtomacho retinere audemus, ne nos corrumpat; nec ſine moleſtia eijcere poſſumus iam bili per-
mixtum: ſic inueteratum peccatum ſi retinemus, iuterficit; ſi eijcimus, non aliter atque chole-
ram ſummo cum dolore euomimus, euomendum tamen eſt, & vim nobis ipſis facere oportet,
9. ſi ſalui eſſe volumus. Hanc difficultatem ſentit peccator, quum à Dei verbo audito manife-
S. Bonau. ſtè ſe argui & conuinci videt. Nam ſicut bos ligatus, non ſentit ſe eſſe ligatum, niſi quum vult
Diæt. ſa- fugere; nec falco ad perticam, niſi quũ vult volare: ſic peccator non ſentit ſua vincula, aut pra-
lut. c. 2. uæ conſuetudinis tyrannidem, neque quum peccat; neque quum perſeuerat in peccato, ſed
quum verbo Dei excitatus, inde emergere conatur. Vnde de peccatore Sapiens dixit: *Ignorat*
Prou. 7. *quod ad vincula ſtultus trahitur*, Nempe ſicut eadem ignis ſcintilla, arida quidem ligna facilius,
10. viridia vero & humentia difficilius abſumit: ita auxilium diuinæ gratiæ per verbum Dei ſemi-
natum operans (vt ſupra dictum eſt) recenter lapſos facilè conuertit, vt Petrum negantem,
& Dauidem adulterantem celeris miſericordia ſanauit; diuturna autem peccandi conſuetudi-
ne obduratos, aut nunquam, aut tardiſſimè; vt in Pharaone, in Achab Rege Iſrael, ipſoque tan-
dem populo toto Iſraelitico Scriptura oſtendit. De quo populo, iam obdurato conſuetudine B
peccati, illa ſunt Prophetæ verba: *Nunquid poteſt Aethiops mutare pellem ſuam, aut pardus varietates*
Ierem. 13. *ſuas? Sic nec vos poteſtis benefacere quum didiceritis malum*, id eſt, quaſi in diſciplina quadam diutur-
na, in peccato exercitati fueritis. Hoc enim eſt, non ſolum malè facere, ſed malum diſcere. Ta-
les ergo ad verbum Dei obſurdeſcunt. Vt enim illi, qui ad loca Nili, Catadupas appellata,
11. inhabitãtes prorſus nihil audiunt, quoniam nimio fluuij fragore ab altiſſimis montibus laben-
tis, ſurditatem natiuam contrahunt: ſic qui cupiditatum ſuarum tumultibus diu aſſueuerunt,
ſurditatem ſpiritualem contraxerunt, vt ſonum quidem verbi Dei audiant, confuſum illum &
12. foris tantum; clarum autem, diſtinctum, & intus penetrantem non admittunt. Quare quem-
admodum ſopotiferis febribus grauatos ſi vellices, & magis clamoribus à ſomno excites,
ſomnique periculum declares, attollunt oculos, & gratum habent, & vigilare nituntur; mox
tamen humoris noxij abundantia preſſi, iterum obdormiunt: ſic peccatorum ſomno conſue-
tudine, & voluptate conſopitis accidit; ad quos ſi pro concione inclames, ſi mortem, ſi iudi-
cium, ſi gehennam, ſi æterna præmia, & ipſam quoque Domini crucem, & alia ob oculos po-
nas, audiunt illi quidem non illibenter, *cum gaudio verbum ſuſcipientes*, & vera eſſe ac ſalutaria,
quę dicis, agnoſcunt, & quaſi emergere velle conantur; pondere tamen prauæ conſuetudinis
preſſi, & amore ſæculi, ac prauis voluptatibus deliniti, in priſtinos mores delabuntur. Elegan-
13. ter hac de re ſanctus Anſelmus dixit: Sicut puer auis pedem filo annexum tenens, aliquando C
In vita eius apud Surium, to. 2 laxius ire auem permittit, ſed mox ſe auolare poſſe ſperantem retrahit captiuam, eoque ludo
mirè oblectatur: ſic diabolus, homines peccati conſuetudine irretitos tenens, aliquãdo eos ten-
tare ceſſat, moxque illi, audito Dei verbo compuncti, facta ſua deflent, emendationem propo-
nunt, atque ita ſe iam liberos auolare poſſe putant; ſed quia prauo vſu ab hoſte irretiti tenen-
tur, illo iterum tentante, & peccati occaſiones ſubminiſtrante, in eadem vitia à diabolo deij-
ciuntur: & bellus hic illi ludus eſt, dum ſæpius hoc fit, nec tamen peccator liberatur. Solum
ergo remedium eſt, filum conſuetudinis, quo teneris, abrumpere, & omnem prorſus relaben-
di occaſionem præſcindere, nouaque virtutis contrariæ conſuetudine veterem vincere. Nec
Hectoris minus ad hanc rem appoſitè Hector Pintus, ſcriptor modernus, eruditus admodum, valde ſpi-
Pinti laus. ritualis ac pius, & in primis elegans: quemadmodum (inquit) piſcator, cum magnum aliquem
14. piſcem capit, non ſtatim violenter aſtringit, ſed extendit filum piſcatorium, donec piſcis de-
In Com. uoret penitus hamum, ſibique machinetur perniciem, ne, ſi confeſtim nimis coërceat, ſcin-
Ezec. c. 29 datur filum & ſeta, & ita piſcis aufugiat: ſic diabolus, cum peccatorem hamo ſuo deuinctum
tenet, mortifero ſcelere conſtrictum, & illecebris voluptatum ex longa conſuetudine alliga-
tum, non illum ſtatim opprimit & exaſperat, nec ad vehementer abſurda ſtatim inducit; ne
nimium à dæmone irritatus & concitatus, vincula abrumpat, & euadat. Mulcet illum, & in
aliquas virtutum actiones incumbere permittit, vt paulatim flagitioſæ conſuetudinis hamo D
irretitus, ipſe ſibimet exitium pariat, totumque in ſe malum accipiat. Extendit itaque dæ-
mon ſetam, ſeu filum piſcatorium: permittit eum conciones audire, verbo attentum eſſe,
auidè illud & cum gaudio ſuſcipere: non vt peccatorem dimittat, ſed vt propter repetitum
& reiteratum verbi Dei contemptum firmius ſtringat, & ſecurius teneat. Sic Herodi hamo
Marci 6. ſuo apprehenſo permittebat, *vt Ioannem Baptiſtam libenter audiret, & audito eo multa faceret*, eius
conſilium in multis ſequeretur: tandem tamen multis maleficiis & flagitiis contaminatum in
Lucæ 3. æternæ perditionis naſſam pertraxit; *vt ſuper omnia ſua mala etiam hoc adijceret*, vt Ioannem Bapti-
ſtam occideret. Hic eſt diaboli ludus, in hoc Euangelio expreſſus circa illos, *qui ad tempus cre-*
dunt, cum gaudio verbum ſuſcipiunt, ſed in tempore tentationis recedunt. Hoc eſt horrendum prauæ con-
ſuetudinis periculum. Hæc duri cordis duriſſima conditio. Huius duri cordis illuſtre exẽplum
Exemplum ſit Pharao, qui tot verbis & ſignis per Moyſen editis moueri non potuit vt populum Dei di-
mitteret. Contra hoc malum orat feruenter Propheta: *Eripe me de luto vt non infigar, libera me ab*
Pſal. 68. *ijs qui oderunt me, & de profundis aquarũ. Non me demergat tempeſtas aquæ, neq; abſorbeat me profundũ, neq;*

vrgeat

A *vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Luto infigitur, non aſpergitur tantum, qui conſuetudine mala irretitur. In profundis aquarum iacet, qui per prauam peccati conſuetudinem in profundum venit, de quo Sapiens: *Impius, quum in profundum venerit, contemnet.* Reliqua Pſalmiſtæ verba ſic D. Gregorius exponit: *Quem mali operis iniquitas à bona ſtabilitate commouit, quaſi tempeſtas aquæ rapuit; ſed ſi adhuc longa conſuetudine non prævaluit, non demerſit. Iam in puteum cecidit, qui hoc, quod diuina lex prohibuit, perpetrauit. Sed ſi adhuc longa conſuetudo non deprimit, nequaquam os ſuum puteus coangustauit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto minori conſuetudine coarctatur. Lapis verò puteo ſuperponitur, quum etiam dura conſuetudine mens in peccato deuoratur; vt, etſi velit exurgere, iam vtcumque non poſſit, quia moles deſuper malæ conſuetudinis premit.* Hæc ille. Hoc igitur tam horrendum periculum, quo quaſi de animæ ſalute conclamatur, vide quanto ſtudio orat Propheta ne quando incurrat. Nempe & ante illa verba præmiſit, *In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ*, & poſt illa verba ſtatim ſubiecit: *Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me:* & quæ ſequuntur. Nihilominus ea eſt Dei clementia, & tanti verbi diuini efficacia, vt etiam obſtinatiſſima corda mille modis nitatur mollire. Quemadmodum enim qui aliquid molle facere vult, prius impreſſum manibus huc illuc verſat; ſi adhuc reſiſtit, adhibet vnctionem; poſt vnctionem vero in aquam conijcit, poſtea in ignem, deinde ad in-

B cudem ducit; quod ſi nec hoc modo molliri poteſt, tanquam omnino inutile abijcit: ſic Deus erga humana ſe gerit corda. Primum enim illa quaſi manibus ſuis contrectans benigna paſſionis ſuæ grandiumque beneficiorum memoria mulcet. Secundo illa inungit diuinis auxiliis & inſpirationibus, quibus facilius peccati rigorem deponant. Tertio bonorum temporalium aquis inundat, vt gratias auctori agendo in memoriam veniant delicti ſui. Quarto ignibus tribulationum & infirmitatum vexat. Denique ictibus mortis temporalis committit, vt vel ſaltem tunc reſipiſcant & conuertantur. At vero ſi nihil iſtorum poteſt deperditam reuocare voluntatem, nihil niſi infernum ſupereſt. Hic eſt duri cordis exitus. Sicut in hac vita inſenſatum & ſtupidum reddit ad ſalutis remedia capeſſenda, ſic in altera vita extremis ſuppliciis addicit, quæ omnibus ſenſibus acutiſſimè tanguntur.

Prou. 18.
Moral. in Iob li. 26. c. 30. & 31
Pſal. 68.
Duriſſima corda Deus mollit.
Stella in Luc. 8. Simile.
1.
2.
3.
4.
5.

6. *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ ſuffocantur.*

C LOcus moralis triplex. 1. Contra ſolicitudines & curas vitæ præſentis. 2. Contra diuitias. 3. Contra voluptates carnis. His enim tribus ſuffocatur Dei verbum, etiam intimè in corda receptum, & compunctione vehementi conſecuta; ita ſanè vt fructificare incipiens Dei verbum, atque emendationem conceptam operari, mox in ipſo progreſſus exordio, quaſi naſcens herbula, reprimatur & extinguatur, quaſique onere impoſito ſuffocetur. Nam primi quidem æquè cito verbum negligentia ſua perdiderunt, atque acceperunt. Secundi retinuerunt vtcumque verbum, ad tempus credentes, ſed in ipſa mentis penetralia, propter cordis duritiem, non admiſerunt. Iſti tertij intro receperunt, & compunctionem atque emendationis deſiderium ſenſerunt, adeoque operari melius cœperunt; ſed à tribus illis, vel aliquo illorum corrupti atque compreſsi, referre fructum non potuerunt. De iſtis tribus ſeorſim & ſeparatim dicemus.

1. *Locus de ſolicitudinibus, verbum Dei ſuffocantibus.*

SOlicitudo, & cura, & auxietas animi, quacumque ex cauſa ſuſcipiatur, ita animum obſeſſum tenet, vt vix ad aliud aliquid conſiderandum foris proſpicere valeat. Quum igitur circa res huius mundi ac vitæ verſatur, prorſus impedit ne cæleſtia cogitentur; tum quia contraria hæc ſibi maximè ſunt, cæleſtia & terrena; tum quia mens hominum, peccato originali corru-

D pta, terrenis magis afficitur, altius immergitur, & tenacius ſua ſponte adhæreſcit. Nam vt oculus iſte corporalis ſimul & eodem motu cælum ac terram contueri non poteſt, nec vnus oculus cælum, alter terram eodem momento aſpicere: ſic curare ſolicitè cæleſtia ſimul & terrena mens humana non poteſt. Huc accedit quod ſpiritus vitalis, per quem verbum Dei fructificat, eſt charitas & amor Dei, amor ſalutis, amor cæleſtium. Hic enim amor animum extimulat, vt iuxta verbi doctrinam bonos fructus proferat. At hunc amorem ſolicitudo illa, quæ ex maximo rerum terrenarum amore naſcitur, vehementer reſtinguit & ſuffocat, ſicut aqua ignē. Spinæ ſuffocant ſemen propter tria. Primo, humorem & pinguedinem terræ exhauriunt, vt tanto minus ad boni ſeminis radices alendas deriuetur. Secundo, Solem & imbres à ſemine excludunt, vt nec æſtum neceſſarium recipere, nec oportuno imbre rigari valeat. Tertio, creſcentes grani ariſtas, aut recentia pomiferi fructus virgulta, teneroſque palmites, quaſi circumplicando & obſidendo impediunt, quo minus liberè exurgant, ſeſeque dilatent. Tot quoque modis huius vitæ ſolicitudines, & ſpinoſæ anxietates, ſemen diuinæ gratiæ & verbi Dei fructificationem impediunt. Primum enim quum animi pinguedo, & humor vitalis reſpectu cæleſtium ſit intenſa Dei dilectio, quæ non ſecus animum

Solicitudo verbum ſuffocat.
Simile.
Spinæ tribus modis ſuffocant ſemen.
Solicitudines tribus modis ſuffocant verbum.
1.

fœcundat quàm fimi pinguedo terram; hanc dilectionem exhaurit & consumit rerum terre- A
1. Ioan. 2. narum dilectio. Hoc docent scripturæ: *Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in eo*, & rur-
Simile. sum: *Qui vult amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituitur.* Et quemadmodum si fontem aquæ vtcumque vberem in varios canales deriues, necesse est, vt, quo plures sunt canales, eo minus & parcius per singulos aqua defluat: sic etsi dilectionis & amoris fons in homine vberrimus sit, & quàm latissimè se diffundere queat; tamen, quia infinitus non est, necesse est, vt, quo plura diligis, in quo plures quasi rerum obiectarum canales amorem tuum dispergis, eo in singulis minor & remissior dilectio fluat. Nunc autem si istos canales sic distribuas, vt vnus quidem aut alter sursum petat, & in editiorem locum tendat; alij vero multo plures vel per plana ducantur, vel deorsum in loca depressiora ferantur: quis dubitat, ad superiores illos canales parum aut nihil aquæ fluxurum, reliquos vero canales vbertim replendos esse? Sic se res habet in affectibus animi quos ex dilectionis fonte deriuamus. Si enim sic erga multa affici volumus, vt rebus istis inferioribus plures canales distribuamus, maiorem curam & solicitudinem impendamus; rebus autem superioribus & æternis modicè & tenuiter afficiamur: perspicuum est, ad hæc meliora dilectionis impetum penè nullum fore, sed omni humore & pinguedine ea cito destitui; in rebus autem caducis omnes nostras cogitationes & actiones fixam sedem ha-
1. Tim. 6. bituras. Hoc Apostolus docuit, quum diceret: *Qui volunt diuites fieri*, hoc est, qui solicitè id B
agunt vt diteſcant, βουλόμενοι πλουτεῖν, quod plus est quam, ἐθέλοντες; & significat studiosè velle; *incidunt in tentationes & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, & nocua, quæ mergunt homines in interitum.* Docet eos occupari desideriis multis, eisdemque vanis, atque etiam noxiis. Hæc igitur tam multa, tam vana, tam noxia, omnem diuini amoris pinguedinem exhauriunt. De his desideriis multis & malis, quæ totum hominem possident, pulchrè Basilius: *Quædam est diaboli methodus ad suggerendos diuitibus mille sumptuum inanium occasiones; vt ea, quæ superflua & ad rem per-*
Ho. in diuites auaros. *tinentia non sunt, pro necessariis ducantur. Sit, inquiunt, res partim in vsu, partim condita sepositaque. Item quæ in vsu sunt, necessitatis terminos transcendant. Ista seruiant sumptibus domesticis, illa præsto sint ad externas phantasias: vt iter facienti ornatus, equitatus, viaticum pro conditione fiant. Hæc domi permanenti vitam reddant splendidam & illustrem: vt mihi miraculum sit quomodo tot inanes sumptus excogitentur. Adsunt præterea coci, pincernæ, pistores, venatores, fictores, pictores, voluptatis omnimodæ commentatores.*
Confess. li. 1. c. 16. Hæc Basilius. Verum esto. Sint hæc iam omnia, quia sic consuetudo inualuit (contra quam sic exclamat Augustinus: *Væ tibi flumen moris humani, quis resistet tibi? quàm diu non siccaberis? quousque volues filios Euæ in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint?*) nobilitati saltē necessaria. Atqui interea sic in multa animum distrahunt & discerpunt; sic harū rerum cura & solicitudo animæ vires exhaurit, vt ad diuina cogitanda parū viriū supersit, etsi vo-
Simile. luntas id conetur. Veluti enim flumina ex paruis initiis & raris scatebris profluētia, deinde pau- C
latim aliis adaucta aquis, incrementum intolerabile in progressu accipiunt, ita vt violēto impetu, quicquid obuium est, secum trahant: eodē sane modo rerum huius mundi cura & solicitudo à paucis & necessariis ortum accipiens, aliis mox adaucta cupiditatibus tantum paulatim incrementum capit, tam multis & variis animum onerat, vt obuia quæque secum rapiat, & ipsa cælestia, verbi Dei prędicationem, Sacramentorum vsum, ac quicquid est religionis, suis vsibus deseruire cogat. Nam quorum animos hæc cura & solicitudo tenet, eatenus religionem colunt, quatenus ea ipsis vtilis, & rebus ipsorum commoda est, de quibus Augustinus verissimè dixit:
De ciu. Dei li. 11. c. 25. *Vtuntur Deo, fruuntur mundo. Quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.* Tales sunt spinæ, solicitudo & cura anxia huius vitæ; & sic vbertatem & pinguedinem diuinæ gratiæ exhauriunt, omnem ad se succum, omnem animi conatum & impetum at-
2. Modus suffocationis. trahendo. Secundo loco sic spinarum naturam & indolem hæc solicitudo refert, vt solē & imbrem à semine verbi Dei excludat. Vt verbum Dei in animo audientis fructificet, multū adiuuant iustorum exempla, quorum bona opera sicut lux solaris lucent coram hominibus. Nam sicut radij solares terræ semina calefaciunt, vt citius & facilius germinent; sic bona aliorum opera
Exempla bonorum operum. animos intuentium accendunt, & (vt in alio Euangelio explicuimus) sicut carbones ardentes
Simile. alios inflammant. Atqui qui rerum secularium cura & solicitudine tenetur, ad huiusmodi exē-
Do. 6. post Epiph. tex. 3. pla animum & oculos conijcere recusat. *Mundus enim* (vt Christus docet) *quod suum est, amat.* Sicut D
oculus noctuæ ad lucem, sic affectus hominis mundani (id est, cuius cura ac solicitudo mundus
Ioan. 15. est) ad res omnes spirituales caligat. Sed neque Christum iustitiæ solem & iubar splendidissimū
Simile. æquis oculis videt, terrenarum rerum curis & amori deditus, quia in Christo omnis huiusmodi scandalizatur, vt in alio Euangelio ostensum est. Vnde D. Chrysostomus: *Sicut cum aliquis*
Dom. 2. Adu. tex. 6. *ebrietatis vino obsessus est, difficile omnino credi esse quempiam hominum, qui ne aquam quidem gustarit vnquam, quum certè plurimi id apud nos monachi fecerint; & sicut ille qui cum mille meretricibus volutatur, virginem quenquam posse permanere desperat; & vt alienorum raptor etiam propria quenquam facilè contemnere*
Simile. *posse non annuit: ita qui mille curarum languoribus contabescunt, non facilè accipiunt hanc, quæ à Saluatore præcipitur, in aliis esse virtutem.* Hæc ille. Vides quomodo solem iustitiæ & pietatis radios
Hom. 22. in Matt. hæc solicitudinis spina obumbrat, ne videri queant. Porro solem diuinæ gratiæ non magis admittit animus terrenis curis obsessus, quàm clausa spelunca solis radios. Est enim clausa Deo
2. Tim. 2. spelunca animus curis terrenis occupatus. Vnde Paulus: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Sed & imbrem diuini eloquij, ne liberè in corde fluat, impedit solicitudinum

spina.

A spina. *Nam vt vociferantium terror & clamor obuij flatus impetu frangitur; sic interna mentis cogitatio, externorum solicitudine interpellatur*, ait Gregorius Nazianzenus. Nempe aliò animum auertit solicitudo terrena, ne verba cœlestia in eum recto cursu decidant; sicut imbrem cadentem aliò ventus auertit, ne eum in locum cadat, in quem casurus erat. Tertiò, spinarum in modum solicitudo terrena verbum Dei suffocat, crescentes aristas complicando, &, ne sursum se liberè attollant, remorando; quia conantem & volentem se ad cœlestia cogitanda erigere, déque animæ salute seriò tractare, fructúsque aliquos bonorum operum, & melioris conuersationis proferre, terrena solicitudo deprimit, & sic implicatum ac irretitum tenet, vt, quod sanctè proposuit, fortiter exequi non valeat. Nec eleemosyna dari, nec statis horis Dei templum adiri, nec proximus consilio, aut auxilio iuuari, nec de Dei beneficijs aut operibus sermo familiaris libẽter audiri potest, quia contradicit his omnibus solicitudo terrena, & ait eleemosynis rem domesticam minui, quæ potius augenda est; frequentatione templi tempus absumi, domesticis negocijs necessarium; proximum iuuare dum vis, tibi ipsi inuidiam & odium aliorum conflari, qui tuis vsibus necessarij sunt, aut esse poterunt; denique sermonem de rebus diuinis, Monachis & Sacerdotibus relinquendum, & nihil illum ad rem familiarem augendam facere. Totus enim in illa re est, qui eius rei solicitudine & amore tenetur. *Vbi enim thezaurus tuus, ibi cor tuum.* Accepi aurifabrum iam in mortis articulo constitutum, quum vltimum quasi spiritũ exhalaturo Crucifixi Saluatoris imago spectanda exhiberetur tota aurea, & gemmis ornata, ab

B astantibus solicitè rogasse, quanti vncia venderetur. Ita ille auri pretium, de quo per totam vitam solicitus fuerat; non Christi Redemptoris passionem, ne in extremo quidem articulo, cogitare potuit. Sanctus Antonius de Padua, vir diuinus, & prophetico spiritu præditus, in vsurarij cuiusdam exequijs concionaturus, thematis loco tractauit illud Euangelij: *Vbi est thezaurus tuus, vbi cor tuum.* Sub concione autem, inter cætera, ait: Mortuus est hic diues, & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum eius: & in illius medio inuenietis cor eius, corpore iam humato. Abierunt hominis parentes & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum eius inuenerunt. Certè hanc nimiæ & superfluæ solicitudinis vanitatem videre etiam Ethnici, & rerum cælestium ignari, potuerunt. Aristippus Philosophus validissimis argumentis hortabatur, nec de præteritis curam posteà suscipiendam, nec de futuris antea. Id enim animi bene constituti signum esse. Iubebat autẽ in diem animum intendere. *Solum enim aiebat præsens in manu nostra positum esse, non præteritum, nec instans. Illud enim abijsse; hoc an euenturum sit, incertum esse.* Phocion Athenienſis dicere solebat, *multo satius esse humi cubantem viuere, ac bono quietoque animo esse, quàm perturbatum in aureo lecto.* Si Christi Saluatoris doctrina non mouet, docentis vitæ verbum solicitudinibus huius vitæ suffocari; moueat Ethnicorum sententia, qui solicitudinem viro prudente indignam iudicarunt. Sed etsi quem fides non mouet, ratio parum mouebit, tamen fidei nostræ

C tarditatem rationis lumen confundet, & coram Deo condemnabit. Vide plura in Dominica 14. post Pentecosten.

Simile. Lib. 2. de Theolog. Simile.

3 Modus suffocationis.

Solicitudo terrena, quot bona opera impediat.

Matth. 6. Exemplũ.

Invitaeius apud Sur. to. 3. p. 619 Exemplũ.

Ælianus de var. hist. lib. 14. Apophth. Stobæus ser. 1. de Prudent. Apophth. Text. 4.

2. *Locus de diuitijs, verbum Dei suffocantibus.*

QVia diuitias rem esse spinosã, & saluti nostræ ita inimicam atque aduersam, vt verbum salutis suffocent, ne fructum aliquem in corde referat, difficulter à multis creditur; perspicuis id & multis argumentis ostendetur, manendo in comparatione Saluatoris, quam maximè aptam, & appositam fuisse dubitari non debet. Diuitiarum autem hoc loco non vsum necessarium atque laudabilem, sed cupiditatem cæcam, & vanam circa illas voluptatem, Christus intelligit; & diuites vel auaros, vel vanos, & arrogantes hæc parabola taxat; non iustos, misericordes, liberales, ac dispensatores fideles. De huiusmodi igitur loquendo, primùm, quemadmodum ad spinas accessus est difficilis & periculosus, & vix illæsus ab illis discedis; sic diuitum conuersatio & familiaritas pauperibus est periculosa, qui ita sæpenumero lacerati ab illis abeunt (quum amicitia dissoluitur) vt hic agrum, ille domum, alius pecora sibi ablata deploret. Sed & ipsius diuitis animus non minùs laceratur, atque in multa conuellitur, studens diuitijs. Vnde Sapiens: *Semitæ omnis auari animas possidentium rapiunt*, id est, studia, & cogitationes

D auari, quibus vult per fas, nefásque ditescere, animam eius perdunt, rapiunt, lacerant. Rursum diuitiæ spinis in eo assimilantur, quòd qui spinas laxa & aperta manu tenet, illarum non pungitur aculeis, sin verò manum contrahit, quo magis contrahit, eo magis sauciatur. Sic enim diuitiæ, si expansa & liberali manu ferantur, noxiæ non sunt, sed causa meriti, si verò arctiùs eas comprimis, si auidè constringis & tenes, si difficulter eas à te, perinde ac si viscera tua essent, auelli sinas, iam animum tuum mortiferis aculeis cruentant, Dei & salutis tuæ curam tibi auferunt, verbum Dei in te suffocant, insana te cupiditate affligunt, fœdo amore rei per se viliſſimæ dedecorant, Deo te & hominibus exosum, vilem atque inutilem reddunt. Hinc Propheta: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Pungent enim, si fortiter cor apponas. Tertiò cõparantur spinæ diuitiis: quia sicut spineta suapte natura latibula sunt reptilium, & animalium venenatorum receptacula: sic omnium ferè vitiorum diuitiæ. *Diabolus veluti serpens* (ait Chrysostomus) *spinis occultatur, intra diuitiarum impostaram assiduè latitans. Radix omnium malorum cupiditas;*

Diuitiæ quot modis sint spinæ. Stella in Luc. 8. 1.

Prouerb. 1. 2.

Psal. 61. 3. Hom. 8. in Epist. ad Rom. 2. Tim. 6.

materialis scilicet, quia omnibus exequendis peccatis materiam vberrimam præbet. Diuitem enim luxus, fastus, ambitio, gula, comessatio, rapina, fraus, iuramenta iam quodammodo decere & ornare videntur, aut certè ei impunè licere. Vnde Sapiens: *Dines iniustè egit, & fremet;* id est superbè loquetur: *pauper autem læsus tacebit.* Diuites illi sunt, de quibus per indignationem Propheta dicit: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Et rursum, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* id est, qui potentiam tuam exerces iniquè agẽdo. Rursum: *Dines loquutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper loquutus est, & dicunt, Quis est hic? & si offenderit, subuertent illum.* Nonne ergo diuitiæ vera sunt vitiorum latibula & spineta, in quibus & facere & loqui liceat quicquid libet? Rectè Diogenes vocauit diuitias *velamentum malitiæ.* Iam verò, vt spinas quasdam esse diuitias Deus ostenderet, mille difficultatibus earum aditum sepiuit, & ad acquirendum difficiles esse voluit. Sicut enim olitores hortos circumsepire spinis solent, ne furibus, aut pecori facilis pateat locus; ita Deus diuitijs comparandis & conseruandis solicitudinum & anxietatum claustra obdidit, ne homines, qui belluino more in secularia ruunt, impunè transeant. Vnde per Prophetam: *Sepiam vias tuas spinis*, quasi diceret: Quia auiditas tua nullis potest coërceri vinculis, quin hortos & pomaria expiles, aliud excogitabo remedium. Auiditatem hanc tuam multorum laborum vepribus circumdabo, vt, quod pudor non potuit, prohibeat periculum. Ea tamen hominum dementia est, vt quemadmodum pueri furaces & petulantes per medias spinarum & ruborum syluas, cruentatis etiam manibus & pedibus, non dubitant pomaria expilare: sic & illi, omnes à Deo difficultates immissas nihil morati, ad opes conquirendas, etsi multis acceptis animi corporisque vulneribus, pertinaciter contendunt. Deus in ipsis terræ visceribus, & intimis adytis, aurum argentúmque recondidit, vt nec facilè inueniri, nec inuentum nisi difficillimè effodi potuerit. At nihilominus *effodiuntur opes, irritamenta malorum.* Sed huiusmodi homines foueas sibi fodiũt, non in quibus boni aliquid inueniant, verùm per quas in infernum descendant. Sic Augustinus: *Vt quid terram solicitas? fossam facis, qua descendas, & foueam qua pereas: non in qua, quod quæris, inuenias.*

A

B

C

D

Rursum, vt spina dolorem infert, quum infigitur, & cum infixa manet, & multo maximè cum extrahitur: sic omnino diuitiæ sudores magnos adferunt in acquirendo, maiores in possidendo, sed multo maximos in amittendo, & vt colligi spinæ non possunt, quin manum lædant; sic comparari diuitiæ vix possunt, quin anima lædatur. Porrò sic diuitię sunt spinæ, vt quemadmodum spinæ non nisi in extremitate pungunt, & aculeos gerunt, quum reliquũ corpus planum & tractabile sit: ita diuitiæ nunc quidem videntur dulces, ac iucundæ, & elegantes; sed in morte, & extremo vitæ ita horribiliter pungunt, vt sanguinem cordis eliciant. Nemo moriens tanto dolore afficitur quanto auarus. Vnde Sapiens, O *mors, quàm amara est memoria tui homini habenti pacem in substantia sua!* id est, qui in diuitiis tanquam in summo quodam bono conquiescit. Qualis ille erat, de quo in Euangelio Christus: *Dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Vides quanta pax huic homini in substantia sua fuit, quàm illi dulces & iucundæ diuitiæ fuerunt? Sed vide aculeum extremis hærentem: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Solent pueri, vt alios decipiant, in rosa pulcherrima spinam abscondere, vt alij, eius pulchritudinem admirati, nares admoueant olfaciendi causa; quòd cum faciunt, à spina pungũtur: sic diabolus nummorum pulchritudine, in quibus latet spina, homines decipit. Hac de causa Christus apud Matthæum. *Fallaces diuitias* vocat. Fallunt enim mille modis. 1, quia spina latet, quæ in extremo pungit, vt iam dictum est. 2. quia multa promittunt, & nihil conferunt. *Dormierunt omnes viri diuitiarum somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Vnde Augustinus: *Cùm acquiruntur diuitiæ, falsam lætitiam retribuunt; & quũ perduntur, veram tristitiam derelinquunt.* 3. quia bona videntur, sed non sunt. Vnde Augustinus: *Talibus bonis non fiunt homines boni, sed aliunde boni facti, bene vtendo faciunt vt ista sint bona.* Et vt vestimenta non calefaciunt corpora, sed à corporibus calefiunt, posteáque calorem fouent, sic diuitiæ non faciunt bonum, sed ex bono vsu possidentis fouendæ virtuti subseruiunt. 4. fallunt, quia ne hoc ipsum quidem, propter quod appetuntur, præstant, id est, cupiditatem habendi non restinguunt, sed augent. Appositè Plutarchus: *A quibus malis liberant diuitiæ, si nec hoc ipsum quidem adimunt malum, sui cupiditatem?* Potus sitim sedat, famem cibus restinguit, vestis corpus calefacit; nullæ diuitiæ auaro satisfaciunt. Idem diuitiis dicere licebit, quod in medicum competit impostorem: *Pharmacum tuum morbum auget.* 5. fallunt, quia quum vsibus nostris seruire deberent, faciunt vt nos illis seruiamus. Serui & ministri ad hoc in domo sunt, vt Dominum à varia solicitudine liberent, dum vnus huius, alter illius curam habet, & in illis dominus acquiescit. At econtrà, diuitię non liberant possessores suos à curis & molestiis, sed onerant eos maximis solicitudinibus, 6. fallunt, quia quum stabilitatem promittant, mille casibus abripiuntur, & nihil illis fugacius. Pulchrè Chrysostomus: *Fugitiuus est & ingratus seruus pecunia, vel si innumera ei vincula iniẽcias. Nam & cum ipsis vinculis aufugit; & quamuis seruorum adhibita sit custodia, sæpiùs tamen seruis persuadens, cum ipsis fugit custodibus.* 7. maximè fallunt, quòd dum sui nos amore capiunt & oblectant, cœlestium nos amore, quæ nobis oblata sunt, penitus spoliant, & est hæc maxima deceptio. *Non potestis Deo seruire & mammonæ,* Deum amare & pecuniam. De hac deceptione dixit Sapiens: *Est & alia infirmitas pessima;*

Eccli 31. *Psalm.* 10. *Psalm.* 51. *Eccli* 13. *Laert. lib.* 6 4. *Simile.* *Oseæ* 2. *Similia.* *Ser.* 341. *de temp.* 5. *Ludolphus de vita Chr. par.* 1. *cap.* 64. 6. *Eccli* 41. *Lucæ* 12. *Simile.* *Matth.* 13. *Diuitiæ fallaces.* 1. 2. *Serm.* 3. *de Innocent.* 3. *Epist.* 121. *Simile.* *Plutar. l. de virt. & vitijs.* 4. *In l. de cupidit. diuitiarum.* *Apophth.* 5. *Simile.* *De contẽp. mũdi, par.* 1. *cap.* 18. 6. *Hom.* 2. *ad pop. Antioch.* 7. *Lucæ* 18. *Eccles.* 5.

quam

A *quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.* Et Prophetа: *Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ. Vsquequò aggrauat contra se densum lutum?* Nam vt è denso luto, nec facilè quis extrahitur, & tamen turpiter maculatur; sic amor diuitiarum difficillimè excutitur, & animum tamen fœdè conspurcat. Rursum adhuc ideo fallunt; quia non cedunt ei, propter quem seruantur. Sic de auaro Sapiens: *Generauit filium qui in summa egestate erit.* Sic Dauid: *Nesciuit autem cui congregauit ea.* Et Christus in Euangelio: *quæ autem parasti, cuius erunt?* Hanc propriam auari pœnam Scriptura describit. Denique & in eo miserè fallunt diuitiæ, quòd faciunt homines superbire, quum nihil in illis sit vnde superbiant. Diuitiæ enim *dantur quidem bonis, ne putentur mala: sed dantur etiam & malis, ne putentur magna bona*, ait Sanctus Augustinus. Quare Apostolus dicit: *Præcipe diuitibus huius seculi; non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum.* Appositè D. Augustinus: *Superbire de diuitijs quæ abundant, & de illis gaudere, tale est, ac si vulneratus quis iactet, quia habeat multa emplastra in domo; quũ hoc illi bonum esset, vt vulnera non haberet, & ne vno quidem indigeret emplastro.* Vulnus enim & ęgritudo animi, est amor diuitiarum. Postremo fallunt, quia non assequitur diues quod ambiebat. *Telas araneæ texuerunt: telæ eorũ non erunt in vestimentum: opera eorum inutilia.* Aranea se totam euiscerat, vt telam amplam texat qua muscas capiat; quã vbi texuerit, vnico scopæ ictu dissoluitur. Similes sunt cani Æsopico vmbram consectanti, & id quod habet amittenti: vmbras bonorum quærunt, veris bonis excidunt. Tot ergo modis, & adhuc multo pluribus (quos ex Scripturis & Patribus diligens cõcio-

B nator obseruare poterit) fallaces sunt diuitiæ; & quia fallaces, ideo in illis latet spina, quæ occultè pungit auarè possidentes. Quòd si verò has spinas diuites non sentiunt, hoc ideo fit, quia manicis ferreis induti, has spinas contrectant, id est, cor habent auaritia & ambitione sic obduratum, vt illas non sentiant. Iam verò, si diuitiæ sunt spinæ, profectò diues ipse rubus, & spinetum erit: rubus certè, qualem Moyses vidit, qui ardet, & non comburitur. Verbum enim Dei, *Ignitum eloquium est vehementer.* Et Dominus per Ieremiam ait. *Nunquid verba mea non sunt quasi ignis, dicit Dominus?* Verbum ergo Dei à diuite auditum, acceptum, creditum, ardet, & calefacit, mouet & compungit; diuitiarum tamen spinas & cor auarum non exurit, non consumit. In pecuniarum amore integrum & immotum cor manet. Hoc est miraculum Satanæ, quod, quia quotidie videtur, pro miraculo non habetur. Diuites enim, seu diuitiarum amatores, ideo audito Dei verbo fructum non faciunt, ideo in illis suffocatur verbum, quia (vt Dauid canit) *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas: quæ non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Eadem quippe laborant insania, eadem pertinacia, qua aspis: quæ (vt D. Augustinus hunc locum exponit) *ne se in lucem è latebris caneæ suæ exerat, audita venefici incantatione, qua naturaliter delectatur, & educitur, alteram aurem terra, alteram verò caudæ extremitate obdit & claudit; quo facto, immota permanet in sua spelunca.* Sic enim di-

C uitiarum amator, vt in vitiorum suorum fouea deliteſcat, ne vocem Dei in verbi prædicatione vocantis audiat animi sui auditum partim terra, id est, terrenis cogitationibus, & voluptatibus oppilat; partim verò cauda, id est, fine sibi proposito, in quem omnes suos conatus dirigit, & à quo recedere non vult; qui est, vt per diuitias celebris in seculo fiat, aut plures adhuc opes acquirat, aliúdve consimile. Hic ergo amor seculi, & rerum sæcularium in diuitibus auaris, germinantem virtutem suffocat, neque fructum facere sinit. Sicut luna nõ patitur eclypsim, nisi cum plena est; sic homo tunc maximè obscuratur, quum plenus est diuitijs. Et sicut luna in plenilunio magis distat à sole, à quo lumen accipit; ita homo tum demum longissimè ab illuminatore Deo separatur, quando diuitiarum luxu & superabundantia tumet. Atque hæc de diuitiarum amore, quatenus spinosæ sunt, & verbum Dei suffocant. Plura contra insanam auaritiam in alijs Euangelijs.

Abac. 2. Simile. 8. Eccles. 5. Psalm. 38. Luc. 12. 9. Epist. 70. 1. Tim. 6. Simile. Quæst. Euangel. l. 2. q. 29. 10. Esaiæ 59. Diues spinetum est. Psalm. 118. Ierem. 23. Psalm. 57. Enarrat. ibidem Simile.

3. *Locus de voluptatibus vitæ, quæ verbum Dei suffocant.*

QVod Christus adiecit, *Et voluptatibus vitæ euntes suffocantur*, non minùs verum ac vulgare est, quàm quod de solicitudinibus & diuitijs dictum est. Voluptas enim carnalis magis adhuc animam implicatam & impeditam tenet, ne verbum Dei in ea fructificet; quàm vel so-

D licitudo, vel diuitiæ. Quemadmodum enim spiritui nihil magis ex diametro aduersum est, quã caro, quæ quasi iuratus hostis *concupiscit aduersus spiritum*, & bellum cum eo incessanter gerit: sic eius voluptas spirituali doctrinæ maximum obicem ponit. Cùm aqua suam retinet naturam igni aduersatur atque resistit, eúmque restinguit; at quum in ardentem fornacem iniecta, in ignem versa est, ipsum ignem vehementiùs accendit: sic planè in hominibus voluptuarijs ita spiritus quodammodo in carnem versus est, vt non nisi carnis desideria perficiat, ipsámq; carnem magis inflammet, omnes suas cogitationes ad carnis voluptates explendas conuertens, omnémque ingenij facultatem ad cultum ventris impendens; cuius tamen natura, & officium erat, carnem suo imperio subigere, & vel rationis vinculo cohibere, vel gratiæ adiutorio eius impetum superare, & flammas restinguere. Sed hanc in animum tyrannidem exercet caro voluptati assueta: quod tunc primùm apparet, quum verbo Dei audito, erigere se, & à voluptatis sordibus emergere animus conatur. Quemadmodum enim pisces, quàm diu inuenta in hamo

De voluptate carnali. Gal. 5. Simile. Simile.

esca pascuntur, nihil doloris sentiunt; at vbi piscator fallacia fila in sublime attollit, & pisces A
hamo comprehensi, ab aquis extrahuntur; tunc quæ illis esca dulcis videbatur, aculeus est vi-
tam eripiens: sic qui carnis voluptatibus irretiti tenentur, tunc demum se captos sentiunt,
quando verbo Dei, pœnas æternas comminante, territi, & à diabolo se sublimes teneri animad-
Simile. uertentes, inde se extricare cupiunt, & non possunt. Et sicut auis, cùm laqueo capta, & esca
oblectata, ibidem sponte manet, vincula non sentit; at vbi iam satiata, auolare nititur, tunc
demum stringentis laquei vim agnoscit: sic omnino voluptuarij, quàm diu nihil de Deo audiũt
vel cogitant, sed voluptatibus fruuntur suis, nullo se in periculo versari existimant; vbi ex au-
ditu verbi Dei, periculi magnitudine perspecta, emergere conantur, tunc demum & carnis suæ
Voluptas tyrannus. tyrannidem, & diaboli laqueum atque potentiam agnoscunt. Huius autem tyrannidis, & ad
Simile. emergendum difficultatis causa est, improbæ voluptatis vis & potentia, quam ad Dei verbum
suffocandum, quasi ex natura sua habet. Quemadmodum enim vilissimis cibis repletus, ad
splendidam mensam recumbens, nullo optimorum ciborum desiderio tangitur: sic carnalibus
voluptatibus repleti, cœlestia fastidiunt. Imò huiusmodi non secùs ac serpentes, quæ terram
comedunt cunctis diebus; aut talpæ, quæ sola terra aluntur, & non nisi in terra abscunduntur; aut sicut conchylia terræ perpetuò affixa victitant: sic solis terrenis & carnalibus oblectã-
Oseæ 9. tur, omni rerum spiritualium gustu amisso. Hoc est quod Propheta de huiusmodi dixit: *Ipsi* B
intrauerunt ad Beelphegor (qui Deus immunditiæ erat) *& abalienati sunt in confusionem, & facti sunt*
Similia. *abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. In carnem & terram versi sunt, quorum in huiusmodi rebus
1. voluptas tota consistit. Quare quemadmodum vlcerosi quidam, qui ex vlcerũ suorum ostentatione stipem colligunt, si salutem illis pollicearis, planè respuunt, quia per vlcera sua alimentum sibi & lucrum parant: sic isti voluptuarij, prorsus in carnem conuersi, suarum voluptatum illecebra sic deliniti sunt, vt neque morbum agnoscant, nec ab illo sanari velint. Nihil igitur
2. mirum, si verbum Dei auditum in illis penitus suffocatur. Sunt nempe ligno viridi similes, quod adeò à subiecto igne non accenditur, vt etiam ignem suo humore extinguat. Sic enim i-
3. sti adeò à Dei verbo non accenduntur, vt illud etiam penitus suffocent, atque adeò pedibus conculcent. Isti enim sunt *porci, quorum Deus venter est*: quibus *margaritas proijci*, cœlestia adminis-
4. *Philip.3.* trari, vetat Christus, *ne pedibus conculcent ea*, id est, fœdis affectibus commaculent. Nam vt simia suam deformitatem in speculo videns, ipsum speculum, si potest irata confringit; sic vo-
5. luptuarij (quos *inimicos crucis Christi* Paulus vocat) verbum Dei (in quo, sicut in speculo, suas turpitudines omnes damnatas vident) eiúsque prædicationem exosam habent, & prorsus non fieri vellent. Vnde fit, vt quemadmodum reliquæ sanè aues auroram manè aduentantem garritu strepitúque excipiunt, noctuæ verò & vespertiliones fugiunt, seséque in penitissimas cauorum suorum partes abdunt; sic voluptuarij & carnales lucem diuini verbi fugiant, & vel C
Ecclesiam exeant, quum concio habenda est; vel, si manent, omnem reprehendendi occasionem rapiant: boni verò & audiunt, & laudant, & seruant quæ dicuntur. Vnde Sapiens: *Au-*
Eccli 21. 6. *diuit luxuriosus verbum sapiens, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum*. Horum quippe iudicium nihil à brutis differt: quæ vt fœno magis delectantur quàm auro, quædam etiam luto ipso, vt porci; sic isti carnis voluptatibus, eisdémque subinde sordidissimis, magis quàm cœlesti
Psalm.118. sapientia, quæ est *desiderabilis super aurum & topazion*, oblectantur. Iacob, quàm diu de Lia, &
Allegoria. ancilla eius filios suscepit, de redeundo in patriam nunquam cogitauit: at vbi ex Rachel filium suscepit, statim in patriam redijt. Sic voluptatibus terrenis implicati, cœlum obliuiscuntur.
Lucæ 16. Diues ille epulo, totus voluptuarius, qui *epulabatur quotidie splendidè*, quum in loco tormentorũ esset, rogat Lazarum ad fratres suos resuscitatum remitti, qui eos moneret, ne in eundem locũ deliciis quoque & illi vacantes, venirent. Sed responsum accepit: *Habent Moysen & Prophetas. Si*
eos non audierint, nec si ex mortuis quis resurgat, credent. Ad Scripturæ & verbi prædicationem voluptuarios remittit Christus: qui si hoc medio non resipiscant, nullo emundabuntur. Si ergo saluari volunt tales esse desinere debent, vt verbum ampliùs non suffocetur, sed fructum ferat.
Exemplæ. Deus non in delicijs inuenitur, sed in temperantia & sobrietate. Moyses non inter epulas, sed D
in deserto, & iuxta rubum fuit, quum eum Deus vocaret vt Dux esset populi sui. Dalilæ fictæ blanditiæ fortissimum Sampsonem & oculis priuarunt, & in pistrinum duxerunt. Salomonem voluptates perdiderunt. Voluptates carnis etiam fortissimos excæcant, vt lucem verbi Dei ferre nequeant, & in miseram vitiorum seruitutem adigunt. Sed surgant Ethnici, & nostram
Laert.lib.6 cæcitatem condemnent. Gulæ & ventri deditos Diogenes similes esse dicebat arboribus, per
Simile. præcipitia nascentibus, quorum fructus homo non gustaret, sed à coruis & volucribus ederen-
Maximus serm.27. tur. Docet voluptuarios & Reipub. & sibi infructuosos esse, sed escam dæmonum. Dicebat i-
Laert. li.6. cap. 1. dem, sicuti, vbi magna ciborum copia est, ibi multi mures & feles versari solent; sic ea corpora quæ multum cibi capiunt, multos animi morbos contrahere. Antisthenes alius Philosophus
Apopht h. Idē l.5.c.1. dicebat se malle insanire, quàm voluptate affici. Insaniam enim aufert medicus, voluptas men-
Voluptates fallaces. tem aufert, & vix sanabile malum est. Aristoteles admonebat, vt voluptates contemplemur non venientes, sed abeuntes; non à fronte, sed à tergo. Venientes enim fucata specie blandiú-
Prouer.14. tur; abeuntes autem, pœnitentiam ac dolorem relinquunt. Sic Sancta Scriptura dixit: *Risus*
Similia. *dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat*. Quare voluptuarios species prima voluptatis sic
1. decipit, vt paruulos pueros accensa candela: qui flammam pulchrè lucentem videntes, digitos immittunt,

A immittunt, vt eam rapiant; exiſtimantes non ignem, ſed lucidum quid eſſe; móxque aduſtis digitis, inconſolabiliter plorant. Sic enim voluptuarij, ſpecie voluptatum capti, ignem inueniunt, vbi lucem expectabant; dolorem ſentiunt, ſeu nunc conſcientiæ vermem, ſeu poſtea ignem æternum. Sicut enim mercator de falſo panno non oſtendit emptori medium neque finem, ſed tantùm caput; ſic diabolus, mercator peccati, oſtendit peccatori ſolum caput panni, id eſt, delectationem culpæ: non medium, id eſt, remorſum conſcientiæ; nec finẽ, qui eſt pœna gehennæ. Quemadmodum enim latrones, quum non poſſint apertam vim hominibus afferre, in locis opacis, aut confractis vallibus iuxta viam poſitis, viatoribus inſidiantur, vt inopinatos opprimant: ſic diabolus, mundanarum voluptatum vmbras ſubiens, quæ iuxta nos in hac vita, eiúſque communibus actionibus ſunt, & frequenter occurrunt, per illas nobis inſidiatur. Sed in hac praxi & fraude diabolica, boni quidem apprehendunt peccatum per caudam, finem eius ſpectantes, vt electus *Iacob tenuit pedem fratris ſui Eſau*, & vt *Moyſes accipiens ſerpentem per caudam, conuertit eam in virgam*, id eſt, in id quod erat; ſed mali apprehendunt peccatum per caput, præſentem voluptatem ſectantes, & ſic, quaſi ab ore ſerpentis, deuorantur. Quum in tam varijs Philoſophorum ſectis, alij ad alias ſubinde tranſirent, Peripatetici ad Platonicos, & viciſſim; vtrique etiam ad Stoicos, & Stoici ad Academicos, & viciſſim; tamen ex ſolis Epicureis (quibus voluptas erat ſummum bonum) nulli ad alias ſectas defecerunt. Huius rei cauſam rogatus Arceſilaus reſpondit: *Quia ex viris galli fiunt, ex gallis viri nequaquam.* Gallos
B dixit Sacerdotes Cybeles euiratos: ſentiens homines à voluptatis morbo vix vnquam ſanari, & ad meliorem mentem tranſire. Alterius Philoſophi ſententia erat, *mel ſummo digito, non caua manu guſtandum eſſe.* Quo euidenter docetur, parciſſimè eſſe voluptates capiendas. Sic ad pugnam Gedeonis illi ſoli eliguntur, qui caua manu ex flumine biberunt; illi, vt inutiles ad bellũ Domini, reiiciuntur, qui flexo poplite, & proni in terram cubantes, biberunt: quo docetur, homines terrenis voluptatibus ſeſe immergentes, ad militiam Chriſtianam ineptos eſſe. Sed ad voluptatum corruptelam vt redeam: Sicut in vaſe aliquo aceti pleno ſi guttulam mellis inſtillaueris, nihil de acore acetum deponet, quia tantilla dulcedo in tanta contrarij ſaporis multitudine facilè euaneſcit: ſic in anima hominis voluptuarij, qui non niſi ea quæ carnis ſunt ſapit, verbi diuini ſuauitas perire ſolet, & ſuffocari. Qui enim carni deditus eſt, cor acetoſum, & multis amaritudinibus repletum habet; labore videlicet in ijs conquirendis quæ voluptatẽ pariunt timorem & anxietatem, vt vel ſine infamia, vel ſine damno ea conſeruet: dolorem, ſi quãdo concupitis (vt ſæpè fit) non potiatur. quæ enim nimis amantur, nimio dolore relinquũtur. Mel ergo verbi cæleſtis, vel diuinarum inſpirationum, in animum his contrarijs affectibus plenum ac perturbatum, vbi immiſſum fuerit, citò diſſipabitur. Bion Boriſthenites, Philoſophus Platonicus, cùm illi prõbro daretur quòd adoleſcentem quendam in ſuam diſciplinam nõ tra-
C xiſſet: *Non eſt* (inquit) *poſsibile mollem caſeum hamo trahere.* Virtutis diſciplinam, quæ aſperũ quid & arduum in primo congreſſu præ ſe fert, ab animo molli, & voluptatibus dedito, arripi non poſſe ſentiebat. Nec minùs ſapienter Bias Prienæus, vnus ex ſeptem (quos vocabant ſapientibus, per contanti impio quid eſſet pietas, nihil reſpondit. quumque ille ſilentij cauſam ſciſcitaretur: *Quia* (inquit) *de rebus nihil ad te pertinentibus quæris.* Sentiebat honeſtæ & ſalutaris doctrinæ homines malè feriatos capaces non eſſe. Atque ita quidem rei ſe natura habet. Non tamen à ſchola verbi ſui voluptuarios Chriſtus abarcet; imò omnes *qui laborant, & onerati ſunt*, ad ſe vocat. Laborat autem, ſi quis alius, voluptuarius maximè, cui acerrimus, domeſticus, & perpetuus hoſtis caro eſt. Sed monet in hoc Euangelio, voluptatum curam deponendam, vt verbum in corde fructificet. Si Polemonem iuuenem ebrioſum, & coronatum, cum ſuis ſodalibus in ſcholam Xenocratis irruentem per contemptum, oratio Xenocratis de temperantia habita in alium virum mutare potuit; multo magis Chriſti doctrina Magdalenas, Matthæos & Zachæos conuerterit. Cum Paulus coram Felice, Proconſule Romano, *de iuſtitia & caſtitate, & de iudicio futuro diſputauit, tremefactus Felix* fuit, & clementer Paulum dimiſit: ſed voluptates ſeculi, quibus abundauit, verbum ſalutis in eo ſuffocauerunt. Vt ſenſus morbo deprauatus, dulcem fauum iudicat amarum; ſic animus prauis affectibus corruptus, ſuauia Dei verba inſuauia æſtimat. Vt ſues roſas proiiciunt, & lutum quærunt; ſic voluptuarij ſiliquis porcorum cum filio prodigo veſcuntur & delectantur, verbi Dei guſtum non
D habent.

Quum autem voluptatum maxima pars, quaſique fundamentum & radix, in ventris cura conſiſtat, in crapula, & ebrietate verſetur, ad huius loci tractationem referri poteſt, quod Chriſtus in alio Euangelio dicit: *Attendite vobis, ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & ſuperueniat in vos repentina dies illa.* Docet enim illis verbis Chriſtus, vnam cauſam obliuionis Dei, vnam cauſam ſuffocati verbi Dei, vnam cauſam neglectæ, & indebitæ præparationis noſtræ ad futurum iudicium, hanc in primis eſſe, quod in crapula & ebrietate voluptatem conſectando, grauantur corda hominum, & ad rerum cœleſtium cogitationem, ac deſideria hebetantur. Sic paſſim docet Scriptura: *Vinum & ebrietas auferunt cor*, ait Ozeas. Apoſtolus curam ventris, & cultum Chriſti, quaſi ex diametro pugnare docuit, dicens: *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, ſed induimini dominum IESVM*

2. *S. Bonau. in Dieta ſalut. c. 2* — *Baſil. in orat. de abdicat. rerũ.*
3. *Allegoria.* — *Geneſ. 25.* — *Exod. 2.*
Laert. l. 4. cap. 6. — *Apophth.* — *Dionyſ. ſophiſta apud Philoſtrat.* — *Iudic. 6.* — *Voluptatũ corruptela.*
Simile.
Exemplũ. — *Laert. l. 4.* — *Apophth.* — *Exemplũ.* — *Laer. l. 1. c. 5* — *Apophth.*
Matth. 11.
Exemplũ. — *Laert. l. 4.*
Actor. 24.
Similia.
De crapula & ebrietate voluptatũ fontibus. — *Lucæ 21.*
Oſeę. 4. — *Rom. 13.*

Philip.3. *Christum; & carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Opponit hæc duo: Indui Christum, & A
carnis curam facere in desiderijs, id est, voluptatis causa. Rursum alibi: *Inimicos Crucis*
Christi vocat, *quorum Deus venter est.* Adeò videlicet grauantur corda crapula & ebrietate,
Exodi 31. vt gulosi ac ebrij ventri suo seruiant, non Deo. De veteri populo in deserto scripsit Moy-
Deut. 31. ses: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Id est, post epulas vitulum suum
aureum adorauerunt. Vox enim *ludere*, hoc loco idolum adorare, apud Hebræos signifi-
Oseæ 13. cat. Sed & hoc aliàs futurum prædixit: *Cum comederint, & saturati crassique fuerint, auerten-*
tur, ad Deos alienos, & seruient eis. Quod ita accidisse Oseas Propheta commemorat: *Iux-*
ta pascua sua adimpleti sunt. Saturati sunt, & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei. Sodomæ
& Gomorrhæ incendia ex hac gulæ fornace accensa sunt. *Hæc fuit iniquitas tua Sodoma, o-*
Ezech. 16. *tium, & saturitas panis.* Propter hanc gulæ vim & certam corruptelam, orat in Scripturis
Eccli 23. vir Sanctus: *Auser à me concupiscentias ventris, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me.* Et
sic quidem Scriptura de facto se rem habere docet. Sed nunc causas breuiter aperiam. Ne-
minem latet, ex duplici natura hominem constare, corpore, & anima rationali; vna mor-
tali, altera immortali; vna ad præsentis vitæ officia constituta, altera ad sempiternam beati-
tudinem consequendam ordinata; vna denique post peccati corruptionem ad sensibilia pro-
cliui, altera sursum ferri, & Deum appetere nata. Inter hæc duo, etiam in homine nec-
dum in Christo regenerato, quædam pugna, vt ratio superior inferiori hominis parti con- B
traria appetenti contradicat, & hęc vicissim illi repugnet. Sed, Spiritu diuinæ gratiæ ac-
cedente, fortius est humani spiritus contra carnem, & superioris rationis contra appeti-
tum inferiorem certamen: carnis tamen non minùs quàm antea contentio pertinax. De qua sic
Galat.5. loquitur Apostolus: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem*
aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Et iterum: *Abstinete à carnalibus desiderijs,*
quæ militant aduersus animam. Et rursum: *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt,*
Rom. 8. *Sapientia autem carnis, inimica est Deo. Legi enim Dei subiecta non est: nec enim potest. Qui autem*
in carne sunt, placere Deo non possunt. Hæc omnia Apostolus, docens, eos qui carnis, & sen-
suum desideria sequuntur, secundùm spiritum ambulare, & Deo placere non posse. Hinc
sequitur, eos qui carnem immodicè fouent, qui crapulæ & ebrietati vacantes, & voluptа-
tibus huius vitæ operam dantes, carnis curam faciunt in desiderijs, habere corda grauata, se-
Simile. cundum spiritum sapere non posse; denique verbum Dei in eis suffocari. Quemadmodum
enim, si duo æquales viribus in singulare certamen descendunt, ille haud dubiè victor eua-
det cui subsidia afferuntur: sic, si corpori subsidium adfers, delicatè nutris, cibo potuque
assiduè reples, vires ei, & impetum auges; non dubium, quin animam, eiúsque motus fa-
1.Cor.7. cillimè superabit. Quare Apostolus, qui Spiritum Dei habuit (ait enim non vanè, *Puto* C
1.Cor. 9. *quòd & ego Spiritum Dei habeam*) *castigat tamen corpus suum*, macerat, mortificat, *ne reprobus efficia-*
tur, ne contra spiritum prævaleat. Si castigatur corpus, ne reprobus quis fiat, id est, *ne tra-*
Rom.1. *datur in reprobum sensum, faciens ea quæ non conueniunt*; profectò corpus adeò non castigatum, vt
Simile. etiam crapula repleatur, animam haud dubiè reprobam efficiet. *Sicut nauis oneraria* (ait Sanctus
Inser.cont. luxum & crapulam. Chrysostomus) *quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata submergi-*
tur; ita anima & corporis nostri natura, si plures acceperit cibos, quàm ferat sua vis, superimpletur; &,
iniectorum grauitatem non ferens, in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, &
eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipsum onus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquillitas
maris, non scientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non præparationis studium, non anni pars
tempestiua, non aliud quicquam naui, quæ sic onere grauatur, prodest; ita & crapula distentis, ac delica-
tis, & voracibus accidit. Neque cogitationum multitudo, neque eruditio & admonitio, neque consilia,
neque aliud quidquam, neque timor futurorum, neque pudor, neque accusatio præsentium, neque aliud quid
saluare potest sic periclitantem animam: sed inualescit luxus & amentia per omnia; & sub aquas, nolens,
Hom.45. in Matth. *volens, eum qui ægrotat defert, & graue facit naufragium.* Hæc ille. Rursum alibi: *Quemadmodum*
Similia. *seruus, quando supra vires quicquam impositum est, Domino suo impudentius maledicit; sic & venter ni-* D
Stella de contemp. mũdi, par. 3.cap.18. *mium plenus, mentem & cogitationem plerumque corrumpit.* Sanè quia hostis spiritui caro est, ma-
gna dementia est, hostem tuum alere, eique arma, quibus te feriat, atque adeò occidat, sub-
ministrare. Subtrahe ligna, si vis vt non ardeat focus. Ignis carnalis ligna sunt potus & cibus.
Arma quibus hostis te inuadit, carnis tuæ membra sunt. Illa igitur mortificare, non robo-
rare debebas. Daniel primò destruxit idolum Bel, cui epulæ quotidie apponebantur, &
Allegoria. postea draconem in eo latentem facilè expulit. Periculosum est, pullo indomito sine chamo
& fræno insidere. Sobrietas & abstinentia, carnis frænum sunt. Deinde suffocat Dei
verbum, & cor aggrauat crapula, quia lumen cordis offuscat ventris repletio. Vnde San-
Li.qq. vet. & noui Test.q.110. ctus Augustinus: *Cum anima ab esu, & potu fuerit liberata, tunc se melius cognoscit. Sicut enim in spe-*
culo sordido non se talem homo aspicit qualis est; ita & esca & crapula si quis fuerit grauatus, alterum se sen-
tit quàm est. Ita bonas omnes cogitationes, quas ieiunus & sobrius animus facilè concipit, con-
Simile. ceptas retinet, retentas in opus educit; vna crapula obruit, suffocat, extinguit. *Quemadmodum*
Lib.2.de Charit. *enim famelici animus* (ait Sanctus Maximus) *panem imaginatur, & sitientis, aquam: sic hominis cra-*
pulosi, & ventri seruientis animus non nisi ciborum varias cupedias cogitat. Gnathonis animus non nisi
in patinis

A in patinis est, & culinæ vestibulum non egreditur. Eleganter Tertullianus de huiusmodi: *Tota eorum charitas in cacabis feruet, tota fides in culinis calet, tata spes in ferculis iacet.* Appositè etiam Nilus, auctor Græcus: *Sicut miles ignauus ad sonitum buccinæ, prælium indicantis exhorrescit; sic homo gulosus ad omnem sermonem pietatis contremiscit.* Nullus ei de Deo, aut rebus diuinis, aut mortificatione corporis, sermo gratus est. Oportet, inquit, vt quocunque tempore viuatur: & in officiis istis Ecclesiasticis, quanto minùs fieri potest, obstringi debemus. Hæc est vox inimicorum crucis Christi; *quorum Deus venter est, pulmo templum, aqualiculus altare, sacerdos coquus,* vt loco citato scribit Tertullianus. Quod Apostolus de viduis dixit, *Vidua in deliciis viuens; mortua est*; hoc, de quouis ventriculoso & guloso verum est. *Ventri enim solummodo* (ait S. Chrysostomus, hæc verba Apostoli exponens) *viuit, cæteris sensibus mortuus. Neque aspicit aspicienda, neque audit quæ necessariò audire conuenit; neque loquitur quæ loqui oportet. Quemadmodum mortuus quispiam, in lecto iacens, complosis palpebris, clausisque laminibus; nullum omnino sensum habet; ita & hic. Imò longè deterius hic, quàm ille affectus est. Ille enim bona æquè atque mala non sentit: hic autem malorum tantum admittit sensum, nihilque boni penitus sentit. Nihil illum, ex his quæ in futura vita seruantur, mouet; sed ad omnia perstat immobilis, & quasi in tenebris instar mortuorum degit.* Et paulò pòst: *Sicuti in oculorum pupilla, si interiùs positas tuniculas crassiores effeceris; cernendi vim ex se emittere nequit, & clariùs intueri; cùm radius ille oculorum ex ea pinguedine obtundatur, ac tenebris plena sint omnia: ita & corpus quum fuerit obesum, animam quoque obtusiorem euadere necesse est.* Hæc ille. Sic in deliciis viuens, mortuus B est, & suffocatur in eo verbum Dei, Deum & diuina cogitare, appetere, comprehendere non potest. *Sicut accipiter bene satur* (ait S. Bonauentura) *non venit ad manum domini, vtcunque ostensis illi carnibus vocetur; sic impinguatus, incrassatus, dilatatus, derelinquit factorem suum, nequicquam ei ostensa rubicunda eius passione.* Hæc ille. quare quod eleganter de castitate dixit Climacus, hoc de omni virtute intelligendum. *Ille* (inquit) *qui saturo corpore castitatem se putat seruaturum, similis illi est, qui proiecto pane, canem à se abigere conatur.* Necesse enim est, vt obiecta moueant potentiam, & carni naturaliter deditus, carni indulgens, carnem vt equum ferocientem nimium impinguans, totus in cogitationes carnis feratur; sitque totus & animo & carne carnalis, non carne tantum appetens, sed & mente consentiens peccato. *In toto enim isto animi & corporis nostri commercio id accidit* (vt scripsit Clarius) *quod in stateris; vt, quod vni additur, alterius fiat detrimentũ; vt quo magis corpus alitur, hoc totum ad animi infirmitatem redundet. Si quum is, qui foris noster homo est, corrũpitur; is, qui intus est, renouatur de die in diem,* vt Apostolus scripsit: nihil dubium quin è diuerso quũ is, qui foris est noster homo, impinguatur & roboratur, is qui intus est, maceratur & infirmatur. Sic videlicet voluptates huius vitæ, quarum vel maxima est gula carnisque cura, verbum C Dei, & salutis æternæ doctrinam suffocant, grauem nobis & insipidam reddunt.

Lib. contrà Psychicos.
Orat. 1. aduersus vitia Simile.
1. Tim. 5.
Hom. 13. in 1. ad Tim. Similia.
2.
In Diætâ sal. cap. 8.
3.
4.
Isido. Clar. orat. 59.
5.

7. *Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent.*

LOcus moralis de corde bono & optimo. Cor bonum, verbum Dei retinet: cor optimum, fructum affert. Stomachus bonus cibum retinet, stomachus optimus retentum digerit & in singulas venas distribuit. Cor bonum debet habere tres virtutes, tribus alijs vitijs iam explicatis contrarias. 1. Cor fide ac fortitudine plenum, ideóque benè custoditum & collectum: fide, vt verbum retineat, ne diabolus id rapiat: fortitudine, vt natum non arescat, nec suffocetur, sed fructum in patientia referat. 2. Cor charitate radicatum, ideóque molle, & ad verbi doctrinam flexile. 3. Cor cupiditate vacuum, & rerum diuinarum amore succensum. In tali corde verbum Dei retinetur. Sicut cibus nec prodest, nec accedit corpori, qui statim emittitur; sic verbum cordi quod non retinetur, non masticatur, non comeditur, non seruatur. Vnde ille: *In corde meo abscondi eloquia tua,* id est, diligenter, tanquam thesaurum reconditum custodiui. Ad Prophetam Deus dicit: *Fili hominis, quodcunque inueneris comede. Comede volumen hoc.* Quod Propheta quum exequutus esset, dixit: *Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Nullum est alimentum dulcius verbo Dei. Id intelligens Dauid, qui erat *vir secundum cor Dei,* id est, corde bono & optimo præditus, dixit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.* Et iterum: *Iudicia Domini iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Et adhuc semel: *Videte & gustate quàm suauis est Dominus.* Et Paulus de Verbo Dei ait: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Sed illis demùm sunt Dei verba dulcia, & tot modis vtilia, qui ea retinent, qui gustant, qui comedunt, id est, diligenter meditantur & ruminant. Alimenta corporea, quàm diu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt: at ex eo quod erint mutata, in vires & sanguinem transeunt. Verba Dei sola fide accepta, nec per intellectum ruminata, & expensa, nec per voluntatem affectu intimo comprehensa, & in praxim deducta, onera sunt, & ad maius iudicium: sed operatione animi exercita, nouas illi vires addunt, & varias virtutes proferunt. Quare Ezechieli dixit Deus, dato illi volumine prophetico: *Venter tuus comedet, & viscera tua implebuntur volumine isto,* id est, Non solum hæc ore comedes, sed etiam in

Verbũ Dei retinendũ & ruminandum.
Simile.
Psalm. 118.
Ezech. 3.
D
Psalm. 118.
Psalm. 18.
Psalm. 33.
2. Tim. 3.
Simile.
Ezech. 3.
Hect. Pintus in com. ibidem

ſtomacho retinebis. Non ſolùm verba mea intelliges (quod auari & voluptuarij faciunt) ſed ea ſcrutaberis, in animo verſabis, & in ſtomacho intellectus coquenda, & digerenda ſeruabis. Quemadmodum nihil prodeſt plantam inſerere, ſi, priuſquam fructum ferat, turbine aut procella euellatur; ſic parum nobis vtilitatis adfert verbum Dei auditum, & in animo inſertum & plantatum, ſi, priuſquam fructum producat, fuerit tentationum vento conuulſum. De quibus Deus per Prophetam dicit: *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſaturati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Oſtendit omnes noſtros inanes Auditores, de quibus in hoc Euangelio Chriſtus. Verbum Dei eſt. *Manna* cœleſte, quod interpretatur, *Quid eſt hoc?* vt, quotieſcumque illud audimus, quæramus, Quid eſt hoc? Quare de illis, qui corde bono, & optimo verbum retinent, longè aliter Scriptura loquitur: *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Deſcribit delicias verbi Dei, quibus corda bona & optima vbertim paſcuntur & inebriantur. De quo & Dauid: *Calix Domini inebrians, quàm præclarus eſt!* Et apertius in Euangelio Chriſtus: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Quod de Spiritu Sancto in credentes effundendo abundè dixit. At per verbi Dei prædicationem hic Spiritus gratiæ datur, vt ſuprà eſt explicatum. Admirabiles igitur fructus percipit, & varias diuinæ gratiæ benedictiones accipit cor bonum & optimum, Dei verbum retinens, comedens, & bibens, quod auditu accepit. De qua verbi Dei ruminatione & meditatione, eiuſque fructu vario & ampliſſimo, iam ſemel atque iterum diximus. Laudat Romanos Apoſtolus: *Obediſtis ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis.* Laudat Galatas: *quod ſicut Angelum Dei excepernnt eum*, idque adeò, vt dicat: *Teſtimonium perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Laudat Theſſalonicenſes, dicens; *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam, quum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut verè eſt) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidiſtis.* Iſti auditores in corde bono & optimo acceperunt verbum Dei. Et ne quis excipiat Paulum fuiſſe qui tunc prædicabat; ſed ſimilem verbi operationem, aut auditorum conuerſionem, ad cuiuſuis hodie Prædicatoris verbum non eſſe expectandum; proferam alia exempla. Audito hoc verbo Euangelico in Eccleſia, *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*; Antonius fit eremita. Audito illo verbo, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c.* Apronianus primùm in Chriſtum credit, baptizatur, fit martyr. Audita illa voce, Tolle lege; mox-que lectis illis verbis Apoſtoli, *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in contentione & æmulatione, non in cubilibus & impudicitijs, ſed induimini Ieſum Chriſtum*; Auguſtinus plenè ad Chriſtum conuertitur. Iſti corde bono & optimo audierunt. Cor bonum, quod bonæ indolis eſt, nullo-que flagitio aut ſcelere corruptum. Cor optimum quod gratia Dei illuſtrauit. *Omnia Eccleſiæ magiſteria forinſecus ſonant. Cathedram habet in cælo qui intus docet*, ait S. Auguſtinus: *Neque enim qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, Deus.* Quare, vt ſanctus Gregorius ſcripſit, *Mutum eſt os omne quod loquitur, ſi Deus interiùs in corde non clamet; qui etiam aſpirat verba quæ audiuntur. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Surgite poſtquam ſederitis*: id eſt, à peccato liberabimini, poſtquam lucem Dei verbi, aut diuinæ inſpirationis, in corde retinueritis, meditando & recolendo illam, vt ſedentes ſolent: vos *qui manducatis panem doloris*, id eſt quorum tota voluptas carnalis eſt, conuertenda poſtea in dolores acerbiſſimos. Cain Dei ipſius voce admonitus fuit, nec hilo tamen melior factus eſt. Simon magus ab ipſo diuo Petro ad pœnitentiam inuitatur: ſed quia cor habuit *felle amaritudinis repletum*, auaritia ſcilicet & ambitione, nihil profecit.

Simile.
Aggæi 1.
Cant. 5.
Pſal. 22.
Ioan. 4.
Dom. inf. Oct. Nat. Dom. tex. 1. Dom. 1. poſt. Epiph. tex. 5. Dom 6 poſt. Epi. tex. 2.
Rom. 6.
Exempla.
Galat. 4.
1. Theſſ. 2.
Exempla.
In vita eius per S. Athan. In geſtis ſancti Marcelli Papæ, Confeſſ. lib. 8. ca. 12.
Rom. 13.
Tract. 3. in Epiſt. Ioan.
1. Cor. 3.
Moral. in Iob. lib. 11. cap. 5.
Pſal. 126.
Geneſ. 3.
Actor. 7.

8. *Et fructum afferunt cum patientia.*

LOcus moralis de patientia ad omnes virtutes exequendas neceſſaria. Neque enim temerè, ſed ſignificantiſſimè adiecit Chriſtus, *cum patientia*. Quemadmodum enim agricola de ſemine ſuo in terram iacto nunquam fructum referet, niſi magna vſus fuerit patientia, niſi multos labores perferat, multum diuque meſſem expectet; vnde Dauid, *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*: ſic cor bonum, adeoque optimum, ex verbo Dei accepto nunquam fructum referet, niſi magna cum patientia, & animi fortitudine, qua negligentiam excutiat, conſuetudini prauæ reſiſtat, tentationes, vel ex cupiditate, vel ex voluptate natas, repellat, operi virtutis, quod verbum docet, incumbat. Nempe quum virtus quælibet, vtcumque res per ſe iucunda & amabilis, ardua tamen ſit, multiſque difficultatibus circumſepta; ſiue propter naturæ noſtræ prauitatem, quæ ad malum procliuis fertur, ſiue propter tot virtutis hoſtes, diabolum, mundum, carnem; ſiue denique propter ignauiam mentis: niſi tota hæc, & tam varia difficultas patientia ſuperetur, prorſus inacceſſa erit. Vnde appoſitè dictum eſt: *Virtus ſine patientia vidua eſt.* Et Apoſtolus virtutis præmium deſcribens, dixit: *Iis qui ſecundùm patientiam boni operis gloriam & honorem quærunt, &c.* Non dixit, per bonum opus; ſed,

Patientia ad virtutes exequendas neceſſaria.
Simile.
Pſal. 125.
Rom. 2.

A sed, per patientiam boni operis: quia sine illa patientia vix multum boni operis præstari posse sciebat. Ideo alio in loco: *Exhibeamus nos tanquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs.* Et ad Hebræos dicit: *Patientia vobis necessaria est; vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem.* Denique Christus, vbi multas & acerbas suorum calamitates prædixisset, subiecit, sermonem concludens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quasi dicens, absque patientia vestra seruare animas vestras non poteritis. Quare patientia id esse videtur ad animi virtutem, quod panis est ad corporis vitam. Nam vt absque pane nullo cibo vesci potes, seu carne, seu pisce, seu oleribus, seu etiam pomis, vt salubriter vescaris; sed cum pane hæc omnia & optimè palato sapiunt, & alendo corpori salutaria fiũt: sic omnino absque patientia actiones suas nulla virtus explicare potest propter difficultates adiunctas; adhibita verò patientia, labores superantur, imò etiam delectant, ipsáque virtus vt iucundissima, sic facillima efficitur. Sed & hac de causa S. Iacobus dixit: *Patientia perfectum opus habet*, vel, vt Græci legunt, *habeat*, id est, curate vt patientia præsto vobis sit, quæ omne opus bonum perficiat. Ideo subiungit: *Vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes*, Id est, vt nulla vobis virtus desit. Absque patientia enim in multis deficietis.

2. Cor. 6. Heb. 10. Lucæ 21. Simile. Iacobi 1.

Porro virtutem nobilitat patientia, vnde Apostolus dixit: *Vnusquisque mercedem accipiet secundùm proprium laborem.* quorum verborum vim attendens Deus Chrysostomus, sic

B scribit: *Dicam aliquid quod opinionem multorum videatur excedere, non tamen veritatem. Etsi bonum quis operatus fuerit magnificum vel virile, non autem cum labore, atque periculo, non aliquam multam recipiet mercedem. Vnusquisque enim propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem; non secundùm magnitudinem facti, sed prout fuerit qualitas passionis.* Hæc ille, quæ mox exemplis, è Scripturis probat. Diuus Paulus enim non gloriatur nisi *de infirmitatibus suis, & varijs tribulationibus.* Iob ante calamitates quas tolerauit, vir erat *iustus, & rectus, & timens Deum*; atque adeò admirandæ virtutis, quia *in tota vita sua cor suum non reprehenderat eum.* Sed totum hoc diabolus calumniabatur, dicens, *Nunquid frustra colit Iob Deum? Nonne vallasti eum, & totam substantiam eius?* Atqui quum omnibus exutus, & vlcere pessimo percussus, patientiam perpetuam seruaret, terga dat Diabolus, nec ampliùs quod calumniaretur habuit. Denique Christus Dominus non aliam ob causam solius passionis & vulnerum suorum signa & cicatrices in corpore

C glorioſissimo tulit, atque in cœlum vexit, quàm vt doceret, passionis opus omnia alia miraculorum opera, & doctrinæ munera, nobilitate & laude longo interuallo superasse. Nempe vt odores solent tum demum latiùs spargi, quum commouentur; sic sanctorum virtutes, quæ nobili patientia illustrantur, odorem reddunt, & Deo gratiorem, & hominibus illustriorem. Magna patientiæ virtus, quæ nouit contumelias mutare in gaudium, infirmitates in gloriam, tribulationes in lætitiam: vt de singulis docet Scriptura. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quòd digni habiti essent, pro nomine IESV contumeliam pati.* Paulus ait: *Gloriabor in infirmitatibus meis.* Et Iacobus dicit: *Omne gaudium existimate, fratres, quum in varias tentationes incideritis.*

Patientia virtutem nobilitat. 1. Cor. 3. *In epist. ad Olympiam* 2. Cor. 12. *Iob.* 1. *Iob* 27. *Iob* 1. *Passio Christi opus eius nobilissimum.* *Simile.* *Patientia mutat mala in bona.* *Actor.* 4. 2. Cor. 12. *Iacobi* 1.

Præterea, quia *iustus ex fide viuit*, fides autem est *rerum sperandarum basis*, & fundamentum, spes verò patientia sustentatur; fit vt patientia sit vita iusti. Hinc Apostolus: *Si quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* quare vt aceto oleum permiscemus, quod acrimoniam eius mitiget; & oculis nimio fulgore perculsis, ad viridia eos deflectimus, vt recreentur: sic ad virtutum labores alacriter capessendos, patientiæ virtutem, & futurorum bonorum expectationem adhibemus.

Hebr. 11. *Patientia, vita iusti.* *Rom.* 8. *Similia.*

A

EVANGELIVM DOMINICÆ

Quinquagesimæ.

Luc. 18. ASSVMPSIT Iesus duodecim discipulos suos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postquam flagellauerint, occident eum; & die tertia resurget. Et ipsi nihil horũ intellexerunt. Erat autem verbum istud absconditum ab eis; & non intelligebant quæ B dicebantur. Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogabat illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et dixit illi Iesus: Respice. Fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit: & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* De memoria passionis Dominicæ, & contra Bacchanalia, ante caput ieiunij Quadragesimalis.
2. *Tradetur enim Gentibus, & illudetur & flagellabitur, & conspuetur.* De Christi erga nos amore, & C horrore peccati, causis passionis.
3. *Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei,* Non cedendum tentationi, aut difficultatibus obiectis circa bonum opus.
4. *Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se.* De præsenti Dei auxilio, & Christi clementia erga fortes in fide, & constantes in bono opere.
5. *Quid tibi vis faciam? Domine, vt videam.* De omnium peccatorum cæcitate humiliter agnoscenda.

1. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*

Passio Chr. LOcus moralis de passione Redemptoris nostri, & ab ipso prædicta, & ab Ecclesia in hac præsenti Dominica repræsentata. Vtrumque enim ad mores plurimum facit. Nam ad prius quod attinet, etsi alias ob causas ex parte doctrinæ Christus passionẽ suam & nunc
Matth. 20. & alias prædixerit; primum ad fidem discipulorum confirmandam, *Amodo iam dixi vobis, priusquam fiat, vt, quum factum fuerit, credatis, quia ego sum*: secundò, vt ostenderet se sponte passurum, D
Ioan. 13. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*: tertiò, vt certissimam suam præsciẽtiam monstraret, *Sciens Iesus, quia venit hora eius, &c.* quã etiam ob causam, ipsas futuræ passionis
Ioan. 10. *Ioan. 13.* circunstantias in hoc Euangelio prædixit: tamen & ideo quoque prædixit, vt & amorem suum erga nos maximum ostenderet, & tantæ rei memoriam mentibus nostris altissimè infigeret:
Christus ardenti in nos amore ad suam passionem accesit. quorum illud nostrum erga Christum amorem mutuum, plurimum accendit; istud multis rationibus mores informat. Amorem suum erga nos, suam passionem prædicendo, expressit; quia de illa priùs loquens & tractans cum Apostolis, planè docet, quanto cum patiendi desiderio ad eam accesserit, id est, quantum nos dilexerit, quum non nisi propter nos, & propter
Lucæ 12. *Ioan. 17.* nostram salutem, passus fuerit. Hinc illæ Christi voces: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam!* Hic erat baptismus sanguinis, quo Christus *sanctificauit seipsum, vt nos sanctificaremus*, vt apud Ioannem loquitur: id est, sacrificium sese Deo Patri obtulit, vt nos ei sacrificaremus sacrificium iustitiæ: Rursum. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar,*
Lucæ 22.

Et iterum

A Et iterum Diuus Ioannes: Christus *quum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Puella quæ ad nuptias aspirat, appetente nuptiarum tempore, non nisi de illis libenter loquitur, propter ardentem sponsi sui amorem, quem diligit. Christus de sua passione, tanquam *de nuptijs Agni*, libenter præloquitur, ad illas, tanquam ad concupitas nuptias, anhelat, idque propter amorem sponsæ suæ, quæ est Ecclesia, & anima quæque fidelis. Alioqui mortis expectatio, ipsa morte grauior esse solet. Imo in morte nullus esset penitus dolor nisi animi internuncio excitarentur sensus ad dolendum. Malunt ferè omnes semel & simpliciter mori, quàm tormenta, mortem præcedentia, absque ipsa morte sustinere. Abraham filium suum Isaac immolaturus, hanc eum rem prorsus celauit; imò nec roganti in via, vbi esset victima holocausti, aliud respondere voluit, quàm: *Deus prouidebit sibi victimam, fili mi.* Sciebat horrorem & expectationem mortis, ipsa morte & immolatione, filio futuram fuisse acerbiorem. At Christus Iesus, verus Isaac, quem sua mors latere non potuit, etiam de illa sæpiùs cogitare & loqui voluit: atque adeò ab ipso conceptionis tempore vniuersam semper ante oculos gessit passionis suæ figuram: *Ideo ingrediens mundum, dicit, Hostiam & oblationem noluisti;* pecorum videlicet & brutorum animalium; *corpus autem aptasti mihi*: vel, vt in Psalmo legimus, *Aures autem perfecisti mihi*: id est, me hominem, & intelligentem, & obedientem tuæ voluntati fecisti. *Holocaustomata, & pro peccato*
B *non tibi placuerunt.* Illa pro hominum peccatis satisfacere diuinæ iustitiæ non potuerunt. *Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Ego igitur, homo factus, in mundum venio, & in ipso capite, & exordio libri, seu causæ aduentus mei, video scriptum de me, vt faciam voluntatem tuam, id est, vt, quia cætera sacrificia non placuerunt, ego sacrificium fierem, & *per oblationem corporis mei consummarem in sempiternum sanctificatos*. Ergo Christus ab initio conceptionis suæ, hanc Patris voluntatem, vt pro humano genere mortem acerbam pateretur, in mente habuit, ante oculos tulit: frequenter, & libenter pro incredibili erga nos, & vnumquemque nostrum, amore prædixit. Dico, in vnumquemque nostrum. Debet enim vnusquisque fidelis cum D. Paulo dicere: *In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Hic locus nostrum erga Christum amorem vehementissimè debet perurgere, vt cum Paulo ex corde dicamus: *Charitas Christi vrget nos*: id est, amor, quo nos dilexit, cogit & premit nos: *æstimantes hoc*, id est, multum ponderantes, *quoniam si vnus pro omnibus mortuus est*: innocēs pro impijs, amicus pro inimicis, Deus pro homine; *ergo omnes mortui sunt*, vel peccato scilicet, pro quo abolendo ille mortuus est (& hoc minimum est:) vel spontanea mortificatione corporis nostri (& hoc adhuc parum est:) vel denique moriendo etiam & sanguinem fundendo pro Christo: & hoc aliquid erit. Quare Paulus adiunxit: *Et pro omnibus mor-*
C *tuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Verùm hæc Pauli diuina verba alio in loco, si Deus voluerit, latiùs tractabimus. Sic ergo amorem suū erga nos Christus, passionem suam prædicendo, significare; nostrúmque pariter erga illum amorem debitum excitare voluit.

Ioan. 13. Apocal. 19 Genes. 22. Heb. 10. Psalm. 39. Heb. 10. Galat. 2. 2. Cor. 5. Dom. 2. post Pasc. tex. 6.

Alia causa (ad mores quod attinet) cur passionem suam prædixerit, illa est, vt hac ratione *magis illam nostræ commendaret memoriæ*, vt annotauit Diuus Hieronymus. Quam etiam causam satis expressit Christus ipse alio in loco apud Lucam: *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum.* Est autem memoria passionis Dominicæ multas ob causas vtilis & necessaria, perque totam vitam retinenda, non tantùm in die Parasceues, vel in solo mortis articulo. Insanus haberetur, qui, accepto à Rege literarum fasciculo, in quo certò sciret inclusum deferri Regium chirographum de ingenti aliquo reditu, differret illum resignare & legere vsque ad mortem. Semetipsos mirabiliter fallunt, qui circa mortis articulum de Domini pro ipsis suscepta passione, deuotè se cogitaturos existimant. Satis enim tunc habebunt, quòd de suis proprijs doloribus, quos morbus, & dira mortis expectatio adfert, cogitabunt. Quod Apostolus dixit, *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes*, hoc de perpetua memoria passionis Christi sapienter exponit Origenes. *Certum est*
D *quia vbi mos Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis mētis oculis inspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia: sed continuò ad eius præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.* Ratio autem huius hæc est: duobus contrarijs simul appositis, verbi gratia, igne & aqua; quod imbecillius est, cedat necesse est fortiori. Maximè autem contraria sunt Christi passio & peccatum. Nam *de peccato* (id per hostiam & sacrificium corporis sui) *damnauit peccatum in carne* Christus. Et prætetea tot in passione Christi virtutes elucent, tot charitatis erga nos indicia, tantum & tale redemptionis beneficium, vt cum eius attenta consideratione peccatum consistere nequeat. Solet mater fastidienti filio cibos, ei nihilominus salutares, sed vel ex morbo, vel ex prauitate animi fastidienti, vt ad gustandum inuitet, suos illi labores, quibus in illis præparandis vsa fuerat, diligenter commemorare. Sic Christi passio, per quam salutis & redemptionis beneficium accepimus, ante oculos illorum posita, qui malè viuendo hoc beneficium negligunt, plurimum mouet. Veteranus quidam Cæsaris Augusti miles, quum vocatus in ius periclitaretur, adiit Cæsarem, rogans vt sibi vellet adesse. Cæsar è comitatu suo selectum ilico dedit; eique litigatorem commendauit. Hic miles vociferans, ait: At non ego Cæsar periclitante te Actiaco bello vicarium quæsiui,

In com. in Matt. c. 20 Luc. 9. Pass. Dom. memoria vtilissima. Simile. 2. Cor. 4. In cō. inc. 6 ad Rom. Memoriā Pass. Dom. expellit peccatum. Rom. 8. Simile. Exemplū. Sueton. in Augusto.

ſed pro te ipſe pugnaui: ſimulque aperta veſte detexit cicatrices. Erubuit Cæſar, atque ipſe A
deſcendit in aduocationem. Si ſic vnius militis oſtenſæ cicatrices Imperatorem orbis mouere
potuerunt; quem, quæſo, verè Chriſtianum, Chriſti vulnera inſpecta, paſſio conſiderata, mors
ante oculos poſita, non permouebunt? Sed hoc quidem ratione exempli, & accepti beneficij.
Simile. Verùm ipſa in ſe paſſio Chriſti tot ac tantas in ſe virtutes habet, vt in memoria perpetuò habita, à peccato conſeruet. Sicut enim aromata tactu quidem ipſo calida non ſunt, ab occulta
tamen proprietate calorem magnum ægris adhibita generant: ſic paſſio Dominica ad vitæ inſtitutionem, & vitiorum fugam, ſi diligenter introſpicias, & cauſas eius euoluas, plurimum
facit; etſi expreſsè nec virtutem docere, nec à vitiis deterrere videatur. Qui hoc in particulari ſcire, ac pro concione docere deſiderat, legat Meditationes Paſſionis Dominicæ (o-
Memoria paſſ. Dom. reficit laborantes. pus egregiè pium & ſalutare) à Franciſco Coſtero, Societatis I E S V Theologo, editas. Porrò ad omnes in tentationibus & tribulationibus difficultates fortiter ſuperandas, maximum
ſtimulum adfert Paſſionis Dominicæ memoria. Docet hoc diſertè Apoſtolus: *Recogitate illum*
Heb. 12. *qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* Si-
Similia. cut enim onus graue imponit, & digito ſuo non vult id leuare, qui, quod iubet, non facit ipſe
(vt Chriſtus Phariſæis exprobrauit:) ſic econtrà onus quaſi ſubleuat, & portat ipſe ex parte,
qui exemplo præit. Nam & febricitans, videns cibos, quos ipſe faſtidit, ab aliis auidè deuo- B
rari, ad edendum quoque prouocatur. Certè Chriſtus in ſua paſſione calicem paſſionum nobis
propinauit, vt ſolet bonus medicus pharmacum guſtare quod æger faſtidit. Vrias, bonus Iſraëlita, monitus à Rege ipſo vt lauaret pedes, & in domum ſuam ſe reciperet, reſpondit: *Arca Dei,*
Exempla. 2. Reg. 11. *& Iſraël, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & ſerui domini mei ſuper faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per ſalutem tuã, & per ſalutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* quanto magis bonus Chriſtianus, recolens Chriſtũ pro
Geneſ. 24. ſe tot & tanta paſſum, à ſuperfluis deliciis, maximè à peccato, cauebit? Rebecca noluit camelo
Memoria paſſ. Dom. contra tentationes valet. ſuo inſidere, quum videret Iſaac, virum futurum, pedibus venientem. Et ſic quidem cõtra peccata, omnémque animi elationem & vanitatem, paſſionis Dominicæ memoria valet. Sed & cõtra hoſtiles tentationes ſingulare munimentum eſt, & protectio. Angelus exterminator neminem læſit in Ægypto, vbi poſtes ſanguine agni tincti cernebantur. Neminem diabolus lædere
Exod. 12. poteſt, cuius præcordia ſanguine Chriſti tincta, id eſt, perpetua paſſionis eius recordatione im-
Ezech. 9. buta ſunt. In Ezechiele iubentur omnes occidi, qui non habebant ſignum T, in frontibus ſuis expreſſum, quo docuit Propheta, eos omnes perire, qui in cordibus ſuis, & ante oculos ſuos, paſſionis Dominicæ memoriam non circumferunt. Has igitur ob cauſas vtilis & neceſſaria eſt paſſionis Dominicæ frequens memoria, atque adeò aſſidua & perpetua recordatio: quæ vt fieret, illam Chriſtus ſuis ſemel atque iterum, antequam fieret, prædixit: & vt, poſtquam facta eſt, C
Lucæ 22. 1. Cor. 10. in memoria quotidie haberetur, Sacrificium in Eccleſia ſua quotidianum inſtituit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod Paulus apertiùs exponens, dixit: *Hoc quotieſcunque feceritis, annuntiabitis mortem Domini, donec veniat.* Tanti ergo fecit, tam nobis vtilem & neceſſariam iudicauit Chriſtus paſſionis ſuæ memoriam perpetuam, vt eam quotidie ſolemni ritu repręſentari, diuiniſſimo ſacrificio applicari voluerit.

Paſſ. Dom. cur hodie proponatur Eccleſia verò hanc paſſionis Dominicæ prædictionem hodierno die recitari voluit, tempore, vt videtur, ſatis alieno, quum non ieiunij aut mortificationis, ſed epularum & recreationis hoc tempus ſit; ſed reuera tempore accommodatiſſimo, & hora maximè oportuna.
Simile. Quemadmodum enim militares Duces, imminente iam prœlio quo cum hoſtibus cominus decertandum eſt, aduocatis militibus, & vexillo regio in medio conſtituto, accurata concione ſuos milites ad pugnam adhortantur: ſic Eccleſia hodie ad ſpiritualem pugnam, quam tempore Quadrageſimali iam inſtante profitemur, ſtrenuè capeſſendam, hac paſſionis Dominicæ prædictione hiſtorica, quaſi vexillo quodam propoſito, & hac veluti concione facta, ſuos omnes adhortatur. Dicit enim nobis Dux noſter cœleſtis: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Vide-
Lucę 18. te qua lætitia vado. Non aſcendo timidus. Non recuſo mori. Nempe videt Eccleſia, nos hac
Cont. Bacchanalia ante caput ieiunij. Dominica, & biduo ſequenti, velle inſanire, luxuriari, bacchari; vnde Bacchanalia, pudenda vox, & Chriſtianis auribus indigna. Sicut ergo mulier, videns filios ſuos cum occiſoribus patris D
Simile. ipſorum, viri ſui fœdera pepigiſſe, ludere, conuiuari, ſubuculam tunicam viri ſui, vulneribus iniqui homicidæ transfoſſam, & eius ſanguine aſperſam profert, vt, ea conſpecta, filios ſuos ab iniquorum hominum conſortio auellat: ſic Eccleſia hodie, videns nos vitijs ac voluptatibus hoc tempore indulgere, propter quæ abolenda ſponſus eius, & Pater noſter crucifixus eſt, eius hodie flagella, ſputa, opprobria nobis conſpicienda proponit, vt, illis inſpectis & conſideratis, huic inſaniæ nuntium remittamus. Videndum diligenter, ne eadem operâ, & Deo Patri maximam iniuriam, & Matris Eccleſię diligentiæ ſummam ignominiam inferamus. Semei,
2. Reg. 15. vir Belial, Dauidi Regi ſuo flenti, & nudis pedibus ac operto capite montem Oliuarum aſcendenti, maledixit maledictione peſſima, & lapides in eum proiecit. Qui hodie Bacchanalia exercent, Chriſto aſcendenti Hieroſolymam, vt omni illic pro illis ignominia afficiatur, inſultant, & improbis factis maledicunt. Nempe proponitur in hodierno Euangelio Chriſtus non glorioſus, iucundus, lætabundus; ſed *flagellandus, illudendus, conſpuendus, crucifi-*
Simile. *gendus.* Quum ergo Sponſus tuus lugubri & atro colore veſtiatur, niſi mauis dicere, rubeo, &

ſanguineo;

A sanguineo; tu contra, qui sponsam te eius profiteris, candido & fulgenti veste indutus procedis, totus hilaris, iucundus, fortè etiam crapula distentus & ebrius? An non hoc est quod Iob dixit: *Noctem verterunt in diem?* Tempus luctus & pœnitentiæ, in risum & delicias? Aut quod Christus ipse dixit: *Lamentauimus vobis, & non ploraſtis?* Ego dico me pro vobis ad mortem ire, & vos ridetis. Clamat ad nos Christus sicut Gedeon: *Quod me videritis facere, hoc facite.* Vrnam cõfregit Gedeo, idem fecerunt milites. Ascendit hodie Christus passurus multa acerba. Dicamus cum S. Thoma: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Scribitur in historia sacra, quod milites Antiochi Regis, pugnaturi contra Iudæos, *elephantis suis ostenderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendos eos in prælium.* Simili artificio vtitur hodie Ecclesia, sanguinem Christi fundendum nobis proponens, vt ad spiritualem, quam dixi, pugnam nos accendat & animet. Nos contra Quadragesimale ieiunium iam iam incepturi, nos interea totos ingurgitamus, ventrique & abdomini seruimus, quasi post hoc triduum non Christo, sed Veneri sacra facturi. Est autem hæc intemperantia præpostera, intempestiua, incongrua, insana, noxia. Præpostera est, quia tam proximè præcedens crapula, subsequens ieiunium facit triste, id est, hypocriticum. Qui enim nunc libenter epulatur, lugebit postea ventris inediam. At *hilarem datorem diligit Deus*, &, *Cum ieiunatis, nolite fieri tristes.* Deinde tam præposterum est hoc, ac si quis retrocedendo progredi vellet. *Non est enim* (vt scribit hac de re Basilius) *per temulentiam aditus ad ieiunium, nec ad iustitiam iter per fraudem, nec ad sobrietatem per lasciuiam, nec per malitiam ad virtutem. Crapula & ebrietas ad lasciuiam indu-*
B *cunt; ad ieiunium frugalitas.* Intempestiua est hæc intemperantia, quia difficile ac laboriosum facit ieiunium subsequens. Difficulter enim ab vno extremo in alterum transitur. Cras dimicaturus, hodie te mutilas. Appositè hac ipsa de re Chrysostomus: *Si medici pharmaca dare volentes, iubent interea temperanter agere, ne minus pharmaca operentur; multo magis ieiunium suscepturos tenuitate victus mentem expurgare, & leuiorem reddere oportet.* Sed vide absurditatem. Quia Christianos vocat Deus ad pœnitentiam, volunt prius tradi diabolo, ne postea eam possint facere prout deberẽt. Ineptus esset musicus, qui coram Rege cantaturus, aut instrumentum musicum pulsaturus, à quo (si præclarè se gesserit) magnam mercedem recepturus est, antea pila luderet, ita vt manus concitatæ & nimis agitatæ, commodè pulsare non possent, vox quoque raucedinem contraheret. Equites periti, cum publicum aliquod equorum certamen instituitur, quo in stadio curritur, iuxta parietem aliquem prius equos suos agitare consuescunt, & prope illum rectà decurrere docent, ne postea in certamine terminos prætereant. qui enim equi non nisi in plano ac spatioso campo currere consuerunt, ad certam lineam decurrere non poterunt. Eodem modo quorum corpora effrænata sunt, & ad libitum per vitia vagari sinuntur, illa certè strictam ieiuniorum regulam vt obseruent, difficillimè induci poterunt. Incongrua & absurda est huius temporis intemperantia, quia totum subsequens ieiunium euacuat, & inutile reddit. Nõ enim
C est ieiunium, sed medicamentum quod crapula præcessit: nec hoc est in ieiunio meritum, sed in abstinentia sanitatem quærere; nec animæ, sed corporis salutem agere; nec denique Deo, sed naturæ seruire. Vnde D. Hieronymus: *Crapula distentus, ventris ingluuiem ieiunando decoquit, vt in cochlearum morem succo victitet suo, & futuris dapibus ac saginæ aqualiculum paret.* Deinde crapulæ & ebrietati succedit ieiunium, vt pœna peccati, non vt præmium virtutis. Vnde D. Basilius: *Athleta ante certamen exercetur. Ieiunator ad ieiunandum temperantia præparatur; ne velut vlciscens veniat dies ieiunij.* Porro insana & impia est hæc intemperantia, quia fucum & fraudem facit legi. Non enim ideo præcipitur cras ieiunare, vt hodie crapula disrumparis. Nec quia cras splendidè vestiri oportet, ideo hodie pannosum esse ac lutosum decet. Nemo sic vellet sibi cras obsequium singulare ab aliquo fieri, vt hodie ab eodem mille iniuriis oneretur. Appositè D. Basilius: *Qui cras pudicam vxorem legitimè ducturus, hodie scorta & concubinas inducat in ædes? Aut quæ vxor legitima tale pateretur contubernium?* At hoc facit qui cras aut perendie cum tota Ecclesia ieiunaturus, hodie sic viuit, *vt Deus illi venter sit,* & (vt Tertullianus falsè adiecit) *pulmo templum, aqualiculus altare, sacerdos coquus: cuius tota charitas in cacabis feruet, tota fides in culinis calet, tota spes in ferculis iacet.* Hæc ille. Noxia postremo & multum damnosa hæc huius temporis intemperantia est, quia magno se crimine obstringit, & laqueum sibi nectit, qui in sacri Ieiunij quasi vestibulo gulosum agit. Hæc enim crapula Christi gratia priuat penitus, sine qua tamen tam prolixum ieiunij spatium nemo etiam sobrius decurrere poterit. Imo hęc crapula quasi inui-
D tato hospiti Christo, & iam iam aduentanti, fores tum rusticè, tum impiè occludit. Neque enim ille huius crapulæ ructus, & frusta redolentia ferre poterit. Hinc D. Basilius: *Nullus seruus, hero suo reconciliari cupiens, hostem illius patronum adhibet. Ebrietas inimica est Deo. Itaque si cupis per confessionem reuerti ad Deum, fuge temulentiam, ne magis etiam abs te Deum alienet.* Solent aliquando homines malè feriati, equos conductitios, quando conductionis finis appropinquat, ita improbè agitare, onerare, vexare, vt postridie aut perendie domino suo reddendi, ad lõgum tempus inutiles ei fiant: sic diabolus homines improbos, mancipia sua, quum videt tempus Quadragesimale accedere, in quo per pœnitentiam Domino Deo verisimiliter reconciliari volẽt, ita eos diebus proximè præcedentibus, & hoc maximè triduo, per intemperantiã agitat, ita gulæ & ebrietatis peccatis onerat, ita animos eorum inquietos & perturbatos reddit, vt, quomodocumque Deo suo reconcilientur, vix longo post tempore, ad Deo seruiendum sicut oportet, idonei & vtiles futuri sint. Talis est huius tridui intemperantia, à qua sancta Mater Ecclesia, hoc

Iob 17. *Luc. 7.* *Iud. 7.* *Ioan. 11.* *1. Mach. 6.*

1. Præpostera.

2. Cor. 9. *Matt. 6.* *Hom. 1. de laud. ieiun.*

2. Intempestiua.

Hom. 1. in Gen.

Similia.

3. Incongrua.

In epist. ad Lætam.

Hom. 1. de laud. ieiun.

4. Impia.

Hom. 2. de ieiunio.

Lib. contra Psychicos.

5. Noxia.

Hom. 2. de ieiunio.

Simile.

propoſito Euangelio, filios ſuos piè & ſtudiosè auocare & retrahere voluit. A

2. *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.*

Chriſti erga nos amor. LOcus moralis de incredibili Chriſti erga nos amore, qui non ſimplici morte, ſed cum tot ignominiis & pœnis coniuncta, nos redemit: & de peccati horrore ac turpitudine, quod tantis ſuppliciis in tali perſona expiari debuit. Has enim duas ob cauſas & tanta paſſus Chriſtus eſt, & ſingulas circumſtantias in hoc Euangelio ſuis diſcipulis prædixit. Vnaquęque enim circumſtantia magnum habet & doloris pōdus, & ignominiæ dedecus: quæ nos ad Chriſti amorem atque imitationem, pariterque ad peccati deteſtationem, excitare debent. Singulas igitur breuiter tractabimus, quia, quanto pro nobis Chriſtus vilior factus eſt, tanto nobis charior eſſe debet. Vulnera ſponſi, quæ ex amore ſponſæ ſuſcepta ſunt, quo illum deformiorem, eo amabiliorem reddunt. Prima circumſtantia eſt: *Tradetur Gentibus.* Hoc enim ad doloris magnitudinem acceſſit, quod, ex Iudæis oriundus quum eſſet, in manus Gentium, Romanorum ſcilicet, tradendus, & ab eis omni ignominia ac pœna afficiendus erat. Nihil apud Iudæos Gentiliſmo vilius, aut magis abominabile. quare Iudæi Chriſtum per ſummum contemptum Samaritanum vocant. Et alibi, quum dixiſſet, *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*; dixerunt Iudæi, *Nunquid in diſperſionem Gentium iturus eſt?* quo vno nihil abominabilius habebant. Nam & ideo boni illi Iudæi, qui Chriſtum Gentibus tradere crucifigendum non verebantur, tamen *Prætorium Pilati*, hominis Gentilis, *ingredi nolebant, ne contaminarentur.* Chriſtus ergo in ſenſu & ad captum Iudæorum loquens, hanc etiam circumſtantiam adiecit. Sic Nathan Propheta, quum Dauidi adulterium & homicidium exprobraret in occidendo Vria, adiecit; *Et occidiſti eum gladio filiorum Ammon*: quod grauius & turpius erat, quàm ſi per manus contribulium ſuorum extinctus fuiſſet. Sic vendito Ioſeph in Aegyptum, duplex erat ſcelus. Primum, quod à fratribus venderetur: alterum, quod Iſmaëlitis, hominibus alienigenis, traderetur. Sic Dauid Ionathæ dixit: *Si eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice; & ad patrem tuum ne introducas me.* Acerbius duxit ab inimico interfici, qui etiam morienti illuderet, quàm ab amico. Maluit quoq; ab amico interfici, quàm tradi & prodi. Proditoris enim ingratitudo ipſa morte durior eſt. Sic Chriſtus non ſolum traditus eſt Gentibus, ſed & à Iudæis, atque adeo à diſcipulo ſuo. De quo ſic per Spiritum conqueritur: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulauimus cum conſenſu*: hoc ſcilicet tantum facinus committes? Eſt enim grauiſſima apoſiopeſis; quam ſic Chriſtus poſtea expreſſit: *Iuda, oſculo Filium hominis tradis?* Docet hæc circumſtantia, qua patientia ferēdum ſit, quum id nobis accidit, quod Chriſtus ſuis prædixit: *Cauete ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis*, & paulo poſt: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes.* Et alio in loco: *Tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.* quod totum nunc in afflictiſſima noſtra Anglia per hæreticos quotidie fieri cernimus. Sed Chriſtus traditus, & Gentibus traditus, & à proprio diſcipulo traditus, vt Apoſtolos tunc, omneſque poſtea Chriſti Martyres mirabiliter animauit ad ſimilia perferenda; ſic ad Dei gloriam in noſtra Anglia quàm plurimos animauit, & vel ad exilium voluntarium compulit, vel in vinculis extinxit, vel ad eculeos & cruces, & acerbiſſimum mortis genus pro fide Catholica fortiter ſuſcipiendum, feliciter perduxit.

Simile.

Chriſtus traditus.

Ioan. 8. *Ioan. 7.* *Ioan. 19.*

2. Reg. 12. *Gen. 40.*

1. Reg. 20.

Pſal. 54.

Lucæ 22. *Matt. 10.*

Matt. 24.

Vide Concertationes Cathol. & Anglo-Calu. Treueris, anno 1588

Altera circumſtantia eſt, *Illudetur.* Illuſio Chriſti varia & multiplex erat. Primum *in domo Caiphæ velata facie* illuditur à Iudæis. Poſtea ab Herode, & toto exercitu eius *illuditur*, *alba veſte indutus.* Rurſum à Romanis militibus in prætorio Pilati illuditur, clamantibus, *Aue rex Iudæorum.* Sed in ipſa cruce pendens, & in ligno vitæ noſtræ conſtitutus, in ſignum & vexillum ſalutis erectus, multum & à multis illuditur. 1. à Iudæis, clamantibus: *Vah qui deſtruis templum Dei, & triduo reædificas illud; deſcende nunc de cruce, & ſalua temetipſum.* 2. à Sacerdotibus. *Principes ſacerdotum illudentes eum, cum Scribis & ſenioribus, dicebant: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* 3. à latronibus, qui crucifixi erant cum eo. Iſti enim *idipſum improperabant* illi. 4. à militibus Romanis. *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei. Si tu es Rex Iudæorum; ſaluum te fac.* Sic Chriſti verbum in hoc Euangelio, ſic veteres prophetiæ completæ ſunt: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me: quia zelus domus tuæ comedit me.* Et iterum: *Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.* Et rurſum: *Factus ſum illis in parabolam.* Hæc omnia docere nos debent contumelias verborum cum Chriſto, & pro Chriſto ſuſtinere. Alia circumſtantia eſt, *Et flagellabitur*, ſcilicet à Gentibus, & militibus prætorianis Pilati. Sic veteres prophetiæ: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Et rurſum: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Hæc fœda dilaceratio tanta fuit, vt obſtupeſcens Propheta dixerit: *Vidimus eum, & non erat aſpectus: vnde nec reputauimus eum.*

Chriſtus illuſus. *Matt. 26.* *Lucæ 25.* *Ioan. 19.* *Matt. 27.*

Pſal. 68. *Sap. 2.* *Pſal. 26.*

Chriſtus flagellatus. *Eſaiæ 53.* *& 50.*

Chriſtus conſputus. *Marc. 14.* *& 15.*

Quarta circumſtantia, *Et conſpuetur*: nempe tum à Iudæis in domo Caiphæ, tum à Gentibus in prætorio Pilati. *Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius. Percutiebant caput eius arundine, & conſpuebant eum.* Quam etiam ignominiam veteres Prophetæ non tacuerunt:

runt: *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus me.* Sed & Iob, ſiue de ſe, ſiue de Christo, ſiue de vtroque (quia & eius patientia, Christi patientiæ typus eſſe poterat) dixit: *Abominantur me, & longe fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Chriſtus ergo pro nobis omnem ignominiam ſuſtinuit. Venditur vt ſeruus, illuditur vt ſtultus, conſpuitur vt inſanus, flagellatur vt fur, occiditur vt maleficus. Hæc omnia nos commeruimus; ſed, nobis ſaluis, imago noſtra ſuſpenditur. Chriſtus enim etſi verus homo, tamen non verus peccator, ſed imago illius fuit. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, id eſt, homini peccatori ſimilem, *& inter iniquos deputatum; de peccato damnauit peccatum in carne:* per illam ſimilitudinem peccati crucifixam liberauit à peccato, & à pœna eius, hominem peccatorem. Hæc nos ad Chriſti amorem mirabiliter commouere, hæc ad peccati deteſtationem, ad quod redimendum tot & tanta ſuſtinuit, vehementer excitare debent. Si amicus aliquis tuus, te pro meritis ad ſupplicium quæſito, tuas veſtes indueret, ſeipſum pro te capi, damnari, & in crucem agi ſineret (quale quid de Damone & Pythia narratur, & de Alexandro martyre, qui ad Antoninam virginem Chriſtianam ad lupanar condemnatam ingrediens, veſtes ſuas illi dedit, vt illis induta, liberè exiret: quod cum factum eſſet, remanſit ille in lupanari virginis loco, & martyrij palmam pariter cum virgine poſtea obtinuit; ſcribit Simeon Metaphraſtes) tu vero vicem eius non doleres; ſed contra, poſt illũ vociferarereris, imo ipſos carnifices in eum concitares, quin & temetipſum carnificem præberes, nõne mille mortibus dignus eſſes? At hoc facit omnis Chriſtianus, quoties mortale peccatum committit. *Crucifigit enim ſibimetipſi Filium Dei, & oſtentui habet*, ait Paulus. Quomodo crucifigit, quomodo oſtentui habet, & (vt alio in loco dicit) *Filium Dei conculcat, & ſanguinem teſtamenti*, in cruce effuſum, *pollutum ducit, in quo ſanctificatus eſt*, niſi quia perinde peccat, ac ſi fruſtra Chriſtus mortuus eſſet, & totum paſſionis eius fructum, quantum in ſe eſt, euacuat, & totam Chriſti pro ſe crucifixionem, totam paſſionem, mortem, ſanguinem effuſum nihili ducit, deſpicit, contemnit, conculcat, oſtentui habet? Etſi enim formaliter & expreſsè hoc non facit, tacitè tamen, & virtute, & conſequenter hoc facit. Etſi tantum nefas non intendit facere, tamen facto committit. Hoc Pauli verba dicere volunt, quæ certè cor veri Chriſtiani plurimũ mouere debent. Bonus Tobias iunior à Raphaele Angelo ad domum paternã ſanus ac ſaluus, rebus omnibus ex animi ſententia confectis, quum reductus eſſet, ſic ad patrem loquitur: *Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius? Me duxit & reduxit ſanum. Pecuniam à Gabelo ipſe recepit. Vxorem ipſe me habere fecit; & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit. Gaudium parentibus eius fecit. Me ipſum à deuoratione piſcis eripuit. Te quoque videre fecit lumen cæli; & bonis omnibus per ipſum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto à te pater mi, vt roges eum, ſi forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſumere.* Sequamur vt minimum hoc gratitudinis exemplum. Plura nobis & maiora bona contulit Chriſtus, quàm ille Raphael Tobiæ. Maiori fidei lumine illuſtrati ſumus nos Chriſtiani, quàm ille fuit Tobias. Chriſtus pro noſtra ſalute *& homo factus eſt*, & homo pauper eſſe voluit, & prædicandi laborem ſuſcepit, & *tranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*, & *traditus eſt Gentibus, & illuſus, & flagellatus, & conſputus, & corona ſpinea indutus*, & *cum latronibus crucifixus, & occiſus fuit. Tulit chirographum quod contra nos erat, & affixit illud cruci, ſoluit inimicitias in carne ſua: eripuit nos de poteſtate tenebrarum: vocauit nos in admirabile lumen ſuum: dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri.* Denique omnibus bonis per eum repleti ſumus. *Qui enim Filium ſuum nobis donauit, quomodo non cum eo omnia donauit? Quid ergo retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis?* Rogemus eum, ſi fortè dignabitur medietatem vitæ noſtrę in eius obſequium accipere, poſtquam totum ei dare, mundo penitus relicto & abdicato, plerique non poſſumus. *Non enim omnes capiunt verbum hoc.* Et qui totum ſe Deo dare profitentur, aliquid tamen ſuis neceſſitatibus & infirmitatibus reſeruant: vtinam non niſi dimidium vitæ ſuæ. Sed & totum Deo dat, qui Dei mandata ſeruat omnia, & ad Dei gloriam omnes ſuas actiones dirigit.

Esaiæ 50.
Iob 30.
Rom. 8.
Esaiæ 53.
Simile.
Apud Surium 3. Maij.
Hebr. 6.
Hebr. 10.
Exemplũ.
Tob. 12.
Ioan. 1.
Act. 2.
Luc. 18. & 22.
Coloss. 2.
Ephes. 2.
1. Pet. 2.
Ioan. 1.
Rom. 5.
Psal. 115.
Matt. 19.

3. *Ipſe vero multo magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei.*

LOcus moralis de impedimentis orationis, aut cuiuſuis boni operis fortiter repellendis, nec cedere tentationi. Cæcus iſte, fortis in fide, quo magis alij eum increpabant vt taceret, vel hominem contemnentes, vel eius bono inuidentes, eo magis poſt Chriſtum clamabat. Qui fortes in fide ſunt, nec propter hominum irriſiones, quibus deuotæ perſonæ ſæpius afficiũtur; nec propter dæmonum infeſtationes, qui in bono opere occupatos, multis & miris modis diuexãt; nec propter aliquas vitæ difficultates & infortunia, vel ab orando, vel ab alio quouis bono opere, bona intentione ſuſcepto, deſiſtunt. Paruus certè ignis, vt qui in lucerna eſt, minimo quoque flatu extinguitur. Magnus autẽ ignis, quo magis inſufflatur, eo magis accreſcit, & contrariis augetur. Sic parua charitas, debilis intentio, circa opus bonũ minimo quoque impedimento extinguitur, aut certè deficit & refrigeſcit. Magna vero charitas & feruens, ex contrariis recipit augmentum; & quo magis exagitatur, eo feruefcit & incaleſcit magis. Dauid à Michol deriſus & reprehenſus, quod coram Domino diſcoopertus ſaltaſſet; quia ex feruido Dei amore id fecerat, nihil animum remiſit, ſed reſpondit: *Ludam, & vilior fiam plus quã factus ſum, & ero humilis*

Tentationi non cedendum.
Simile.
Exempla. 1.
2. Reg. 6.

in oculis meis. Quum in primâ conuersione sua Paulus Damasci Christum prædicaret, multiq; hanc eius mutationem stupefacti mirarentur, & impedire conarentur; *ille multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci.* Non destitit Abraham à sacrificio quod offerebat, etsi videbat aues descendentes vt eum impedirẽt, sed eas diligenter abigebat, & in suo sancto opere perseuerabat, donec sol occumberet. Non est à bono opere desistendum, quã diu vires suppetunt id perficiendi, quantæcumque aues descendant, quantæcumque per hominum malitiam aut fraudem difficultates obijciantur. Contra huiusmodi impedimenta, dicendum cum Dauide: *In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* id est, desere sanctum propositum & institutum tuum, in quo iam diu velut in nido habitasti, & auola per montes, discurrendo & vagando per incerta. Hæc est enim vox clamantium in via, & increpantium eos qui bonum opus aggrediuntur: quorum econtra vox esse debet: *In Domino confido*; quomodo tam vana mihi loquimini? *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro,* id est, clanculum, & indirectè, & per media obliqua, *rectos corde,* & qui bona opera intendunt. Sed in huiusmodi remoris & obstaculis iniectis, tu contra audentior ito. Canis pecuarius, siluis affuefactus, vbi nec luporum vlulatibus, nec leonum rugitibus, nec siluestrium animalium clamoribus deterretur, quum in vrbem venit, exeuntque illi obuiam catuli latrantes, securus & tranquillus in via procedit, ipsique catuli allatrando fatigantur. Idẽ facit canis generosus, etiam in vrbe, & summa pace nutritus. Sic qui vel appetitibus suis refrænandis assueuit, vel alioqui forti & generoso pectore est, magna in Deum fide, ingenti charitate præditus, omnes obiectas difficultates tanquam latratus catulorum despiciet, & in bono opere, quod aggressus est, fortiter progredietur. Non est semper expectandum vt in bono opere perficiendo faciles perpetuo & secundos progressus inuenias. Filiis Israel profectis in desertum, iuxta sermonem Domini, sæpè defecit aqua, multi obiecti hostes, multa occurrerunt aduersa. Vndecim tribus ex Dei mandato suscipiunt bellum aduersus Beniamin, & duobus tamen prœliis maximam cladem acceperunt; sed tertio prœlio eos penitus debellarũt. Tales igitur difficultates etiam ex Dei voluntate interdum obijciuntur, ad maiorem suorum fidem & fortitudinem comprobandam. Sed plerumque diaboli fraude, & ministrorum eius malis artibus hoc fit. Ille enim est *coluber in via, ceraſtes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Quemadmodum enim venator, qui feram sponte in retia incurrentem tacitus obseruat, neque vlla vtitur vociferatione; si vero diuersam abire videt, sese illi in via opponit, cogitque terroribus & minis in laqueos redire: sic diabolus, quos sponte videt aut perire, aut otiosè & ignauè vitam ducere, non molestat; illos vero qui salutem suam diligenter procurant, aut opus aliquod virtutis egregium ac laudabile conantur, omnibus modis infestat vt à proposito deterreat, & ad laqueos ipsius, peccatum & ignauiam, redeant. Sed boni fideles; qui *diaboli cogitationes norunt* (vt Paulus loquitur) & eius studia perspecta habent, nihilo secius in bono opere pergunt. Audiens Dauid Goliam blasphemasse populum Dei, & tractans apud seipsum de illo expugnando, ideoque dicens, *Quid dabitur viro qui percusserit Philistæum hunc? Quis est enim hic Philistæus incircuncisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* à fratre suo maiore natu Eliab, grauiter increpatur. Ait enim illi: *Quare venisti, & quare dereliquisti paruulas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium descendisti.* Vides quàm acerba increpatio, quã acre impedimentum obijcitur; vides qualis coluber in via, qualis ceraſtes, id est, cornutus vel cornupeta serpens in semita. At Dauid mitissimè respondens dixit: *Quid feci? Nunquid non verbum est?* id est, nonne quod interrogo, est res publicè proclamata, & omnibus proposita? *Et declinauit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem sermonem.* Perseuerat in sua bona intentione: obiectam tentationem diuertit: moxque ad Regem perductus, Goliam gloriosè interficit, & immortalem laudem apud Deum & homines consequutus est. Quum ex Babylone reuersi filij Israel, templum Domini reædificare cœperunt, populus terrę, qui infidelis & alienigena erat, cœpit eos omnibus modis impedire. Sed illi *vna manu facientes opus, altera gladium tenentes,* id est, in animo fortitudinem, in opere perseuerantiam habentes, sancto operi vsque ad finem insistebant. Iacob postquam cum Angelo Dei luctatus est, & Deum vidit, & vocatus est Israel, *cœpit vno pede claudicare.* Qui semel aliquod opus heroicum Deo insigniter gratum aggrediuntur, quasi videntes, & familiares Deo, statim mundo claudicant, displicent, stulti & insani videntur.

Præterea cæcus iste, propter aliorum increpationem magis post Christum clamans, ostendit naturam & proprietatem fidei persecutionis tempore. Nam & ad fidem eius exercendam, Christus ad primum clamorem, quem ignorare non potuit, non substitit; & diserte Christus fidei suæ hoc beneficium collatum fuisse profitetur, dicens: *Respice, Fides tua te saluum fecit.* Talis nempe est natura fidei, vt, quanto magis increpatur, & tacere iubetur: tanto clarius eloquatur, altius clamet, & sese per confessionem audacius exerat. *Virtus fidei* (ait Chrysostomus) *in periculis secura est, & in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, ac longa tranquillitas?* Hæc ille. Sic & D. Cyprianus: *Traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, & penè dixerim dormientem, censura cælestis,* (id est, persecutio) *erexit.* In quã etiam sententiam sic scribit D. Hilarius: *Proprium hoc Ecclesiæ est* (hoc est, fidelibus in Ecclesia) *vt tum vincat, cum læditur; tum intelligat, cum arguitur; tum obtineat, cum deseritur.* Sic quædam herbæ, vt gramen ipsum

2. Act. 9. — A
3. Gen. 15. Allegoria. — Psal. 10. — Simile. Phil. Diez. in hac Dominica. — B
Virtus habet impedimenta. Exempla. Exod. 17. Typus. Iudic. 11. — Gen. 49. Similia. Stella in Luc. c. 18. — Perseuerandum in bono. Exempla. 1. Reg. 17. — C
2. Esdr. 2. — Gen. 32. Allegoria. — D
Fides persecutione roboratur. — Hom. 26. in Matt. — operis imp. Ser. de lapsis. — De Trin. li. 7. — Simile.

A ipsum campestre,camomelum,raphanus,& quædam aliæ,quo magis calcantur & premuntur, eo magis crescunt,& vberius proueniunt. Sed & hac de causa vineæ in Scripturis frequenter comparatur Ecclesia,vel anima fidelis. Vnde D. Ambrosius: *Vt vinea,dum ligatur,erigitur;& recisa,non minuitur,sed augetur:ita sancta plebs dum ligatur,erigitur;dum humiliatur,attollitur; dum reciditur, coronatur.* Nempe fides est illud granum,quod,*quum cadès in terram mortuum fuerit,multum fructum affert.* Quare vt per omnes ætates,quo grauior & acerbior persequutio fuit, eo vberior & illustrior Martyrum seges exstitit,fidesque ipsa fortius enituit,sic hodie in afflictissima Anglia nobilissima fidei exempla extiterunt;& post triginta annorum dominantem illic hæresim, post leges sanguinarias,post tyrannidem acerbissimam,quæ vel minima Catholicæ fidei testimonia(vt crucem gestare,vel precularum rosario vti) tanquam læsæ Maiestatis crimen plectit ; suos tamen habet illa insula maximo numero domi forisque Catholicæ fidei assertores.

Li.9.in Luc. Ioan.12.

4. *Stans autem Iesus,iussit illum adduci ad se.*

LOcus moralis de præsenti Dei auxilio,& maxima Christi redemptoris clementia erga eos qui fortes in fide,& constantes in bono opere se præbent. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum,omnibus inuocantibus eum in veritate*,hoc est,in vera,sincera,& forti fide. Sicut medicus diligens & beneuolus nunquam longè ab infirmo recedit;quinimo prope illum cubat, co-
B medit,& versatur nocte dieque;sic Deus inuocantibus eum propè est. Quod expertus Moyses cecinit:*Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi , sicut adest nobis Deus noster.* Hanc suam perpetuam præsentiam in forma tabernaculi,quo ad orationem confugere populus debuit,Deus expressit,quum iuberet, *Propitiatorium fieri iuxta Arcam testamenti , in qua legis tabulæ seruabantur.* Ideo enim hoc factum est,vt haberent legis transgressores paratum propitiationis remedium. Diuus Stephanus,quum contra obstinatissimam Iudæorum pertinaciam,in Christi Iesu confessione fortis persisteret:*Vidit apertos cælos,& Iesum stantem* (ad auxilium eius) *à dextris virtutis Dei.* Nempe sic Deus ad auxilium gratiæ semper præsto est,vt ad benefaciendum promptior sit,quàm nos ad accipiendum. Quemadmodum enim in naturalibus forma magis appetit materiam,quàm materia formam;quia illa necessitate naturali,hæc bonitate naturali appetit:sic Dei amor erga nos est fortior,qui ex bonitate nascitur,quàm noster erga eum, qui ex necessitate oritur. Nos enim ad Deum accurrimus, quia cogit necessitas : Deus nostri miseretur,quia impellit bonitas. Acrior autem est virtutis impetus,quàm necessitatis. Quare sicut naucleri solent in cælum aspicere,interdiu in solem,noctu in Arcton,vel aliud semper apparens astrum,ac per hoc rectam in pelago viam commentari:sic in omni difficultate ac necessitate ad Deum mens eleuanda;quia *qui habitat in adiutorio Altissimi*,id est,qui in eum posuit spem
C suam,*in protectione Dei cæli commorabitur. Dicit Domino,Susceptor meus es tu*,& quæ sequuntur. Vide plura de hac materia in Dominica 4.post Epiphaniam.

Constantes Deus adiuuat. Psal.144. Simile. Deut.4.

Exodi 25. Typus. Exemplũ. Act.7.

Simile.

Simile. Basil. Ho. in princip. Prouerb. Psal.90. Tex.2.& 3

5. *Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam,*

LOcus moralis de omnium peccatorum cæcitate humiliter agnoscenda. Nam & hic cœcus secus viam sedens , peccatores omnes in huius vitæ cursu significat ; & Christus eum rogat quid velit , non desiderium cæci ignorans , sed ad cæcitatis suæ agnitionem , & desiderij sui humilem manifestationem inuitans. Omnis peccans est ignorans, vt decernunt Philosophi ; non quia ex ignorantia omnes peccant , sed quia ex peccato omnes fiunt ignorantes & cæci. Vnde Propheta: *Ambulabunt cæci,quia Domino peccauerunt.* Prima peccati pœna,est cæcitas mentis;& primum quod operatur circa peccatorem diabolus,est mẽtem obcæcare. Qui enim perpetrato peccato quietus est,& dicit, *Peccaui, & quid mihi accidit triste?* ideo quietus est,quia cæcus est,& non videt quod animam mortuam in corpore sano circũfert:non videt quem offenderit,nec magis mouetur , quàm si contra deum aliquem ligneum aut marmoreum peccasset. *Si quis furtum faciens* (ait S. Augustinus) *statim oculum perdidisset,omnes dicerent Deum præsentem vindicasse. Oculum cordis amisit,& ei peperciisse putatur Deus?* Hæc ille. Fra-
D tres Ioseph,postquam eum in cisternam posuissent,animo eum illic relinquendi, *sederunt vt comederent panem*:nihil compuncti,ad solitas mensas accumbunt.Esau accepto pane & lentis edulio,comedit,paruipendens quod primogenita vendidisset. Quod si quanto in periculo anima versatur,perpetrato mortali peccato , cerneret peccator , ne vno quidem momento à misericordia Dei imploranda cessaret. Sed vt Sampson non potuit ad molam adduci,nisi prius oculis illi erutis,sic diabolus ad pistrinum & seruitutem peccati miseros peccatores nunquam adduceret,nisi prius mentis oculos illis eruisset. Non sufficerent vlli compedes ad retinendum accipitrem in pertica cui alligatur,nisi capitio quodam caput obuolueretur; sed videns se illic alligari,omni modo,etiam cum periculo sese lacerandi,auolare conaretur. Nulli voluptatum compedes hominem in peccato retinerent,si quanto in periculo per peccatum versetur, perspicuè videret,quin quocumque malo suo ad pœnitentiam conuolaret:sed diabolus cæca cupiditate,& falsis consiliis,ita peccatorem excæcauit,vt quietissimè cum suis compedibus liga-

Peccatorũ cæcitas.

Sophon.1. Eccli.5. Enar.in Psal.57. Exemplũ. Gen. 25. & 37.

Simile.

Diabolus excæcat fallaciis suis.

tus ſtet,nec ſe vllo prorſus in periculo conſtitutum putet. Malis quippe & corruptis cogita- A
2. Tim.2. tionibus ac deſideriis ſic mentem peccatoris occupatam tenet (ſic enim *ab eo captiui tenentur ad*
Simile. *voluntatem eius*) vt aliud præterea nihil videre queat. Aquila,vt ceruum occidat,dicitur in are-
Petrus Berthorius nam ſe conferre,in eaque ſe ita obuoluere,vt alas puluere onuſtas repleat,moxque ſuper cer-
li.7.c.3. ui caput volitans,illudque tenaciſſimis vnguibus apprehẽdens, collectum illum puluerem aſtu
Reductorij moralis quodam ſuper cerui oculos ita affatim congerit,vt eum excæcet;excæcatum vero,& neſcien-
tem quo vadit,facilè deijciat,mactet,comedat. Sic omnino diabolus cogitationum vel car-
nalium,vel odij,inuidiæ,ſuperbiæ puluerem ac nubẽ potius ita cordi immittit,vt penitus quo-
ad cæleſtia & ſana deſideria hominem excæcet, & excæcatum captiuet ad ſuam voluntatem.
Nonne prorſus eos excæcat,quibus virtutem,vt rem horridam,difficilem,ingratam,rem futi-
lem,vanam,& ad nihil vtilem proponit;res vero maximè caducas,tanquam perpetuo duratu-
ras;res viliſſimas,tanquam precioſiſsimas;res peſtilentes,tanquam vtiles & fructuoſas mẽti ex-
hibet, vt diuitias,honores,voluptates:ſicuti pictores rem vnamquamque pro ſuo arbitratu,nõ
Simile. iuxta proprias naturas,depingunt?Sic filiis Iſrael in deſerto ollas tantum & carnes Aegyptiacas
Exemplũ. in memoriam reuocauit;ſeruitutem acerbiſsimam tacuit:vt eos Deo rebelles, & reuertendi
Exod.16. in Aegyptum cupidos redderet. Ita ſemper ſi quid in peccato dulce eſt, vtcumque modicum
& momentaneum,mirabiliter amplificat;ſed infinitos dolores peccatum conſequentes impro-
Similia. bus tacet. Sicut cæcus amor deformem prorſus vt formoſiſsimam oculis repræſentat; ſic dia- B
1. bolus res turpiſsimas,vt longè elegantiſsimas,animis ſuorum offert.Nempe ſicut venator inſe-
2. quens feram,non illam manibus prehendere,ſed vel in retia trahere,vel ſagittis eminus confi-
gere conatur:ſic diabolus,callidus animarum venator, aut craſſa facinora non proponit, non
adulterium,non homicidium,non rapinam;ſed horum omnium principia, vt concupiſcẽtiam,
odium,auaritiam ſeu cupiditatẽ,quibus,veluti à longè,cor lethaliter ferit; aut, ſi maxima flagi-
tia perſuadet,ſolam in illis voluptatem quaſi eſcam oſtendit,nec Dei offenſionem, nec proxi-
mi iniuriam,nec proprij honoris maculam;aut conſcientiæ labem vllo modo attingit. Et ve-
3. luti improbi mercatores mercium,ſi qua eſt,bonitatem mirificè amplificãt, vitia & defectus ta-
cent:ſic ille peccatores fallit & excæcat.Hinc fit vt omnis peccator ignorans peccet, & cęcus
Ioan. 1. ſit. Hanc ob cauſam Chriſtus venit vt *lux quæ illuminet omnem hominem venientem in hunc mun-*
Coloſſ.1. *dum, & vt eriperet nos à poteſtate tenebrarum,* id eſt,vel diaboli,qui eſt *princeps tenebrarum harum*; vel
Epheſ.6. Rom.13. peccati,quod eſt *opus tenebrarum*.
Creaturarum amor excæcat. Sed & amor creaturarum hominem excæcat, vt relicto Sole iuſtitiæ, *qui vocauit nos in ad-*
mirabile lumen ſuum,ſeruiamus potius creaturæ quàm creatori,*ambulantes in vanitate ſenſus noſtri,*
& tenebris obſcuratum intellectum habentes,propter cæcitatem cordis quæ in nobis eſt. De hac cæcitatis no-
Epheſ.4. Sap.14. ſtræ cauſa dixit Sapiens:*Creaturæ Dei in odium factæ ſunt,& in tentationem animabus hominum; & in* C
Pſal.12. *muſcipulam pedibus inſipientium.* Omnium ergo peccatorum oratio eſſe debet:*Domine, vt videam.*
Sic orauit Dauid:*Illumina oculos meos,ne quando obdormiam in morte*.Ad hanc orationem, & cæci-
tatis ſuæ confeſsionem,hunc cæcum Chriſtus inuitauit,dicens: *Quid tibi vis faciam?* Quia agẽs
vniuerſale determinatur ad vnum ex ſubiecti diſpoſitione:hominis autem diſpoſitio,eſt volun-
tas petentis:ideo Deus aliquid nobis daturus,prius affectum noſtrum ſua gratia excitat, vt ſic
ad dona eius recipienda,per eius præuenientem gratiam,noſtramque quæ mox operatur,libe-
Epiſt. 121. ram voluntatem,idonei & diſpoſiti ſimus. Gratia enim voluntatem excitat,vt excitata volun-
tas,gratiæ beneficium petat. Niſi enim cum deſiderio petatur, cum fructu accipi non poteſt.
2.Cor.6. Vnde D.Auguſtinus: *Deus non voluntatem noſtram ſibi vult innoteſcere, quam ignorare non poteſt;*
De ſerm. Domini in *exerceri vult in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſsimus capere quod præparat dare. Illud enim valde*
monte,lib. *magnum eſt; ſed nos ad accipiendum parui & anguſti ſumus.* Ideo nobis dicitur: *Dilatamini & vos.* Et
2.c.7. alio in loco:*Ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciuſque efficit ad excipienda diuina*
Orando, humiliamur coram *munera. Non enim ſemper ſumus parati accipere,cum inclinamur in alia,& rerum temporalium cupiditate ob-*
tenebramur. Hæc igitur vna cauſa eſt,quod Dei beneficia non niſi orando & petendo obtine-
Deo. mus:quæ nobis ipſis vtilis eſt,quia facit nos diuinæ gratiæ capaciores,vt alibi explicuimus.Alia D
Ioan.1. cauſa eſt,vt ipſi cæcitatem,ignorantiam, & paupertatem noſtram humiliter agnoſcamus & cõ-
fiteamur:quo fiet,vt Deum nobis placatiorem ſimus habituri. Ad hoc Chriſtus cæcum excita-
uit,dicens: *Quid tibi vis faciam?* Sic languidum,qui triginta annos in infirmitate habuit, interro-
Gen. 21. gauit:*Vis ſanus fieri?* Sic Agar in deſerto iectam à facie dominæ ſuæ,conſolaturus Angelus, pri-
Prou.28. mum interrogat:*Quid agis Agar?* Idem in omnibus quos ſanauit, fecit in Euangelio Chriſtus,
vt in altero Promptuario oſtendimus. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus*
Pſal.37. *fuerit ea miſericordiam conſequetur.* Ideo Dauid in perſona peccatoris necdum ad confeſsionem
excitati,inquit:*Corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*, id eſt,quia inſipienter tacui,& ci-
catrices peccatorum meorum non agnoui,addidi præteritis noua peccata,ideoque putruerunt
Luc.19. & corruptæ ſunt cicatrices peccatorum meorum,factæque propemodum incurabiles. Sic &
Gen. 1. Dominus fleuit ſuper Ieruſalem,*quia non cognouit tempus viſitationis ſuæ.* Sic Deus excitauit Cain
Ioan.21. ad confeſſionem delicti,dicens:*Vbi eſt Abel frater tuus?* Sed quia nec iſte ſuum fratricidium, nec
2.Tim.1. illa ciuitas ſuam viſitationem,id eſt,peccata ſua,quæ Chriſti prædicatio illis reuelauit,agnoſce-
Lucæ 7. re voluerunt,in peccatis ſuis perierunt. Sed contra Petrus, qui cognouit & fleuit crimen ab-
iuratæ veritatis, Paſtor Eccleſiæ inſtituitur. Paulus agnoſcit crimen blaſphemiæ, & fit vas
electionis.

A electionis. Magdalena, prę verecundia peccati, ſtat retro ſecus pedes Ieſu, & præ dolore lachrymatur, & præ amore lauat pedes Chriſti; moxque audit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Latro bonus in cruce dixit: *Nos quidem digna factis ſuſcipimus*, & veniam obtinuit. Nempe, vt ſapienter ſcripſit Cyprianus, *Primus ad indulgentiam gradus eſt, agnoſcere delictum.* In mundi quidem iudicio (quod ferè in omnibus Dei iudicio contrarium eſt) vbi primum quis crimen confitetur, damnatur: in Dei iudicio, vbi primum confitetur, abſoluitur. Quare Dauid, poſtquam Dei miſericordiam flagitaſſet, dicens: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam*: ſubiungit quaſi cauſam cur hoc Deus facere debeat; *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper*, id eſt, ſemper me accuſat, ſemper in memoria habeo: non poſt tergum reijcio, moxque confitetur: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Sicut fumus præcedit incendium, ſic flammam fidei & charitatis præcedit peccatorum confeſsio*, vt ſcripſit Primaſius. Docetur igitur in hoc Euangelio peccator, clamare poſt Chriſtum, in clamore perſiſtere, cæcitatem ſuam confiteri, lumen expetere. Dicit enim Scriptura: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Sed accedere oportet fide, oratione, perſeuerantia, confeſſione. Sic enim *ſurgit qui dormit, & illuminabit eum Chriſtus.* Bene ſurgit, qui ſic excitatus ſurgit.

Luc.23. *Li.1.Epi.3.* *Pſal.50.* *Simile.* *Lib.4.in Apocalypſi.* *Pſal.33.* *Epheſ.5.*

B

EVANGELIVM DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.

Matt.4.

IVNC ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt; Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, C mitte te deorſum. Scriptum eſt enim, Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ieſus rurſum: Scriptum eſt; Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam illorum. Et dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Tunc dixit ei Ieſus: Vade Satana. Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Ductus eſt Ieſus à Spiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo.* Tentationes omnibus iuſtis eſſe neceſſarias, non quærendas tamen.
2. *Et cum ieiunaſſet* 40. *diebus, &* 40. *noctibus.* De ieiunij Quadrageſimalis recto ac legitimo
D vſu.
3. *Accedens tentator dixit ad eum.* De tentatore diabolo, ſalutis noſtræ hoſte perpetuo.
4. *Si Filius Dei es dic vt lapides iſti panes fiant.* De varia tentatoris diaboli aſtutia & calliditate.
5. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* De perpetua & infallibili Dei prouidentia circa ſuorum neceſſitates.
6. *Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Angelis enim ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* De fine & ſcopo omnium tentationum diaboli, vt ſub ſpe protectionis diuinæ, peccatorum periculis ſe obijciat homo.
7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* De certa victoria tentationis diabolicæ.
8. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Contra auaritiæ & gloriæ mundanæ idolum, deque eius vanitate.
9. *Vade Satana.* De horrendis tentationibus hoc verbo fidei celeriter repellendis.
10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* De generali ſolutione omnium tentationum, & de amando Deo ſuper omnia.

A

1. *Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.*

Tentationes necessario ferendæ, non quærendæ.
Lucæ 7.
Mar. 1.
Lucæ 17.
Matt. 4.
Lucę 4.
Marc. 1.
Hom. 13. in Math.
Eccli 3.
Eccli 13.
Psal. 118.
Epist. 117.
Exemplũ. Plutarch. in Regum Apoph.
Exemplũ. Bapt. Fulgosius li. 5. cap. 1.
Monast. institut. li. 5. cá. 32. Apophth.
Tentatio necessaria. Lib. 4. in Lucam. Hom. 16. in Euang.
In comm. Eccl. 34.
Sap. 3.
Moral. 7. cap. 14.
Simile.
Collat. 2. c. 13.
Exemplũ.
Rom. 8.
Ser. 43. de verb. Dom.
Galat. 5.
Rom. 7.
Simile.

LOcus moralis de tentationibus diaboli non quidem quærendis, sed tamen necessario ferendis. Tentatur enim hic Christus à diabolo; sed vt tentaretur, non semetipsum exposuit, verum *Ducitur* à *Spiritu Dei*. Non dicitur, Christus ibat in desertum, sicut circa alias Christi actiones ferè semper in Euangelio dicitur: *Ibat Iesus in ciuitatem Naim. Egressus ibat in desertum locum, ibique orabat. Transibat per mediam Samariam.* Adeoque de ipsa sua passione dicit ipse: *Ecce ascendimus Hierosolymam, &c.* &, *Exiuit, baiulans sibi ipse crucem.* In his omnibus actiuè legitur iuisse Christus. At hic passiuè loquuntur tres Euangelistæ. *Ductus est à Spiritu*, ait Matthæus. *Agebatur à Spiritu in desertum*, ait Lucas. *Spiritus expulit eum in desertum*, ait Marcus. Docet ergo hic locus, non esse quærendas & captandas à nobis tentationes. *Ideo oramus, ne intremus in tentationem, quia eas quærere non debemus*, ait Chrysostomus. Nam, vt ait Sapiens, *Qui amat periculum, peribit in illo: & qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Quare Dauid orat: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Non dicit, ne diligant, ne sequantur, sed ne videant quidem. Appositè Seneca: *Quantum possumus, à lubrico recedamus. In sicco quoque parum firmiter stamus.* Cotys rex Thraciæ, quum natura esset celer ad B iram, & suorum castigationem, deferente ad illum hospite quodam vascula fragilia tenuiaque, sed scitè & curiosè fabrefacta, hospiti quidem munera dedit, sed vascula omnia confregit. Rogatus quare, Ne, inquit, sæuiam in eos qui fracturi erant. Tentationis ad malũ, cui se obnoxium agnouit, causam & radicem præscidit. Augusto Cæsare ad cœnam ab Asinio Pollione inuitato, accidit, vnum ex seruis vas crystallinum frangere. Mox iubente Pollione in viuarium demergendus, & muræ nulis pascendis cibus futurus ducitur: sed à ducentium manibus elapsus, ad Augustum currens, eius se pedibus prouoluit, vitæ salutem petens. Augustus, cognita causa, vasa omnia crystallina Asinij Pollionis educi iussa, virgula confregit, ad Pollionem dicens: Ne tibi iracundiæ & temeritatis causa sint. Discamus saltem ethnicorum exemplo tẽtationes peccati declinare. Vide etiam apud Cassianum elegans exemplum cuiusdam eremitæ, qui missum ad se ex patria fasciculum literarum ne resignare quidem voluit, sed in ignem coniecit, dicens: *Ite cogitationes patriæ pariter concremamini, nec me vlterius ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.* Interim tamen tentationibus, Dei permissione & diaboli operatione immissis, nemo iustus carere potest, postquam Christus eis non caruit. Imo Dei Spiritus Christum in desertum expulit, vt hunc locum Patres exponunt, Ambrosius, Gregorius, Euthymius & Theophylactus. Dei prouidentia & voluntate hoc factum est, fitque quotidie, vt iusti tententur à diabolo. *Qui non est tentatus, quid scit?* ait Scriptura. Certè neque se, neque Deum, neque alios. Seipsum nescit, quia vires C suas non probauit; & multo fortè imbecillior est, quàm sibi videtur esse. *Nam vt aurum fornax, sic iustos tentatio probat. Et* (vt scribit S. Gregorius) *qui adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt* (id est, tentationibus carere volunt) *quid aliud, quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiscunt?* Deum nescit, quia eius auxilio minus sibi indigere videtur. Alios nescit, quia aliorum infirmitatibus, quas ipse non est expertus, compati & indulgere non nouit. Cuius rei perelegans exemplum refert in suis collationibus Cassianus, quod hic in compendium redigemus. Iuuenis quidam monachus, fornicationis spiritu vehementer tentatus, quum id seni monacho consilij gratia exposuisset, vehementissimè à sene obiurgatur, & monachi nomine indignus arguitur, qui tales cogitationes vel leuissimè in animum admiserit: qua ille obiurgatione fractus penitus, & ad seculum redire meditans, in alium, Deo disponente, senem prudentiorem incidit; qui, vt iuuenem solaretur, se huiusmodi etiam stimulis agitari affirmat, &, vt ad vnum atq; alterum diem expectaret, obtinuit: moxque Deum rogat, vt senem illum alterum imprudentem simili malo affligi atque tentari permittat: quod vbi factum esset, senexque ille inhumanus, eodem spiritu nequam agitatus, per eremum discurrens, suum quoque morbum eidem seni prudenti (is Apollo dicebatur) aperuisset, his eum verbis senex Apollo obiurgat: Reuertere ad cellam, tandemque intellige, vel ignoratum te hactenus à diabolo, vel despectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidie confli- D gere & colluctari, ex profectibus eorum ac studiis instigatur. Et hoc te stimulo, quem nec ad vnum diem ferre quiuisti, ideo sauciatum agnosce, vt saltem in senecta discas compati infirmitatibus alienis. Moxque oratione facta, senex imprudens à graui tentatione liberatur, &, vt aliorum infirmitatibus melius ac mitius condescendat, suo malo & periculo docetur. Nempe tentatio, perpetuum est iustorum exercitium, pugna videlicet militiæ Christianæ. Dicit Apostolus: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: & si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quæ verba sic exponit Augustinus: *Qui Spiritu Dei aguntur, pugnant: facta enim carnis Spiritu mortificant. Ibi concupiscit caro aduersus Spiritum, vbi est Spiritus.* Certè si *caro* semper *concupiscit aduersus Spiritum* (habemus enim semper *legem membrorum, repugnantem legi mentis nostræ*) in quo talis concupiscentia repugnans non apparet (concupiscentiæ autem nomine totã sensualitas, & quodlibet prauũ desideriũ intelligitur, nõ sola carnis libido) in eo caro dominatur penitus, & totus in diaboli potestate positus acquiescit. *Cum ianua domus aperta fuerit, & exit atq; intrat quicumq; velit, non auditur sonitus pulsantis, sed solum quũ clausa fuerit: sic omnino si aditus cordis patet vitiorum*

A *vitiorum affectibus, nullas eorum percipis ſuggeſtiones*, nullas tentationes aduerſas: non pulſant animum, non vexant, non colaphizant (vt Paulus de ſe conquerebatur) ſed vt in ſuum habitaculum liberè veniunt, quia locum ſibi ſemper paratum inueniunt. Carnis libido luxurioſum non moleſtat, ſed delectat. Pecuniæ cupiditas auaro non eſt ingrata, ſed iucunda. Vana laus ſuperbum non turbat, ſed titillat. Prouocari ad æquales hauſtus, ebrioſo non eſt graue, ſed delectabile. Atqui caſtitatis amatori colaphizatio eſt ſtimulus carnis. Paucis contento moleſta eſt cupiditatis tentatio. Humili cordi triſte & durum eſt, coram laudari. Sobrio mors eſt, inter pocula bacchari. Sed & ipſe diabolus, quos vno aut altero graui peccato irretitos tenet, vix in aliis tētat. Canis non domeſticos, ſed extraneos mordet. Auceps non tendit laqueos perdicibus quas in cuſtodia ſua in agrum defert: imo eis vtitur, vt ad eorum cantum aliæ appropinquent. Sic (ait B. Gregorius) *Dæmon eos tentare negligit, quos iure perpetuo ſe poſſidere ſentit: imo eis vtitur ad iuſtos aucupandos & euertendos.* Latro non ingreditur domū vbi nihil ſunt niſi paleæ, ſed in officinas mercatorum, aut ædes diuitum locupletiſsimas. Tentantur ergo potiſſimum iuſti: & raro aut nunquam à dæmone tentari, peſſimum indicium eſt. *Circuit quaſi leo rugiens, quærens quem deuoret.* Si caterua leonum rugientium in hoc auditorium irrueret, quantus hic terror, quantus tumultus fieret! At caterua dæmonum & hic, & vbicumq; fideles ac boni Chriſtiani ſunt, perpetuo graſſatur, quærens quem deuoret. Neque enim tentationis eius aut finis aut modus eſt. Tentat nos literis ingenio, nobilitate, veſtibus, ſtatu, rerum copia, vniuerſis Dei donis, noſtriſque peccatis.

Gerard. Zutphan. de reformatione animæ c. 8
2. Cor. 12.
Impij tentationes nō ſentiunt.
Similia.
1.
2.
Moral. li. 4. c. 24.
3.
1. Pet. 5.
Simile.

B Nam vt Dei Spiritus omnia ad eius gloriam conuertit, *vt in omnibus honorificetur Deus*; *& electis Dei omnia cooperantur in bonum*, etiam ipſa peccata per pœnitentiam ſanata: ſic è diuerſo malignus ſpiritus ex omnibus tentandi materiam accipit, etiam ex ipſis virtutibus, quibus ſuperbia maximè inſidiatur. Draco in Apocalypſi, videns ſe nec matrem nec filium deuorare potuiſſe, *nec mulierem, nec maſculum quem peperit, iratus abijt facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei.* Cum nec Chriſtum caput Eccleſiæ, in deſerto, (ſicut hoc Euangelium refert) nec totum Eccleſiæ corpus, quæ per mulierem ſignificatur, diabolus tentando perdere potuit, ad ſingulos Eccleſiæ filios, eoſque meliores, tentandos & affligendos ſe conuertit. Sicut enim qui cum altero digladiatur, animaduertens ſe eum in capite ferire non poſſe, in corpus eius reliquum ictus infligit, vt vel manum vel tibiam vulneret: ſic diabolus, quia contra Chriſtum non prævaluit, membra eius, ſingulos fideles, aggreditur. Sed & quemadmodum Chriſtum ſtatim à baptiſmate tentauit; ſic contra eius membra tunc maximè ſæuit, quū vel pœnitentiæ, vel emēdationis, vel ſanctioris inſtituti propoſitum animo agitatum Pharao tunc maximè filios Iſrael duplicato labore oppreſſit, quando ex Aegypto commigrandi conſilium ceperunt. Naſcentem virtutis ſobolem interficere ſtudet, vt Herodes Chriſtum paruulum. Sed & neceſſe eſt, vt qui

1. Pet. 4. Rom. 8.
Apoc. 12.
Simile.
Conuerſio tentationib. plena. Typus.

C nouam virtutem aggreditur, vetuſtatis pugnam ſentiat: & mori priſtinis vitiis prauæque conſuetudini abſque dolore non potes. Noua ædificia, & humorem adhuc ſuum, ac teneritudinem retinentia, minimo negotio diruuntur. Planta adhuc recens & nouella, leui impulſu è terra excutitur. Lucerna recens extincta, leui flatu reaccenditur. Quare vt ſemper, totaque vita; ita tunc maximè diaboli tentationes cauendæ & obſeruandæ ſunt, quando vitę emendatio inſtituitur, aut ad ſinceriorem Dei cultum obſeruantia Eccleſiaſtica (vt hoc Quadrageſimæ tempore) nos vocat, propter quam fortè cauſam, hoc de tentationibus Chriſti Euangelium Mater Eccleſia in ipſo quadrageſimæ exordio legendum, & pro concione explicandum propoſuit, iuxta illud Scripturæ: *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationes.* Tunc enim vel maximè rerum ſuarum ſatagit ſatanas; tum ne veterem prædam animo deuoratam, quaſique ex faucibus ereptam, perdat; tum ex innata illi contra profectus noſtros inuidia.

Similia.
Eccli 2.

2. *Et cum ieiunaſſet 40. diebus, & 40. noctibus.*

D LOcus moralis de ieiunij, & nominatim Quadrageſimalis, vel neceſſitate, vel recto ac legitimo vſu, vel etiam fructu. Hunc locum contra hæreticos in altero Promptuario magna ex parte tractauimus. Hic tamen pauca magis ad mores propria adijciemus. Atque ibi quidem de cauſis inſtituti ieiunij Quadrageſimalis, de ratione præcepti eius, de fructu quadruplici diſputauimus. Hoc nunc loco de recto ac legitimo ieiunandi modo quædam proferemus, & de vtilitate ac fructu aliqua addemus. Eſt ieiunium multiplex: guloſi, auari, Manichæum, Phariſaicum, Philoſophicum, Eccleſiaſticum, perfectum ſeu generale. Guloſi ieiunium eſt, quod gula vel præceſſit vel ſequuta eſt. Ac ne præcedat gula ieiunium, iam multas cauſas attulimus in Dominica Quinquageſimæ, quibus adde ex Chryſoſtomo & Baſilio. *Quamprimum mens vinolentia obruta fuerit* (ait Chryſoſtomus) *ſtatim & in ipſo initio vtilitas quæ ex ieiunio fit, repellitur. Quid enim inſanius, quàm vſque ad mediam noctem meracum ſorbere, ſub auroram deinde vinum quaſi recens ingeſtum, adhuc ſpirare? Qui caſtam & ingenuam ſponſam ducturi ſunt, thalamis vndique tapetibus ornatis, domoque tota purgata, & ingreſſu omnibus inhoneſtis ancillis interdicto, in cubiculum illam introducunt. Sic omnino purificata prius mente, valeque deliciis & voracitati dicto, ieiunium, pudicitiæ matrem, omniumque virtutum magiſtram, expanſis &*

Ieiunium Quadrageſimale.
Ieiunium multiplex.
1. Guloſi ieiunium. Hom. 1. in Gen.

Hom.1.de laud. ieiu. *obuijs vlnis ſuſcipite.* Hæc ille. Nec aliter D. Baſilius: *Satietas*, inquit, *laſciuiæ initiũ eſt. Protinus enim vna cum deliciis, ebrietate, & conditis bellariis, irrumpit omnis forma intemperantiæ.* Ad temperantiam, modeſtiam, pietatem mores ſuos componere non poteſt (quæ veri ieiunij partes ſunt) deliciis corruptus & pręoccupatus. *Qui longinquam profectionem adornant, componunt ſarcinas, commeatum parant. At guloſus ante ieiunium hoſtem permittit omnia animi munimenta præoccupare. Sicut enim fumus abigit apes, ita dona ſpiritualia fugat luxus.* Hæc ille contra gulam ante ieiunium, id eſt, contra eos qui ieiunaturi, prius ſe ingurgitant. Sed nec minus cauendum eſt ne ieiunium gula ſequatur: ne in diebus ieiunij, poſt inediam longam faſtidioſa ſuccedat ſaturitas. Monet hoc diligenter

Ser.56. de temp. Auguſt. *Nihil prodeſt tota die longum duxiſſe ieiunium, ſi poſtea ciborum vel ſuauitate vel nimietate anima obruatur, & corpori ſuo magis commutaſſe quàm ſubtraxiſſe ciborum abundantiam videatur. Illico enim mens repleta torpeſcit; & irrigata corporis noſtri terra, ſpinas libidinum germinabit.* Quare fructum ieiunii talis

2. Auari ieiunium. ieiunator ſtatim amittit. Auari ieiuniũ reprobat & ſcriptura ſacra, & doctrina Eccleſiaſtica, quia eleemoſynam ei ſemper adiungit. Auari quippe ieiunium eſt, in quo id agitur, vt ſumptibus parcatur, non vt vel Deus colatur, vel anima vegetetur, vel proximus iuuetur. Sed Eſaias ieiunium Deo gratum deſcribens, ait: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuã.* Sic

Eſaiæ 58. Matt.6. Saluator noſter, quum ieiunium Phariſaicũ reprobaſſet, ait: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, &c.* Eccleſiaſticã hac in parte doctrinã ſic tradit S. Leo: *Ieiunium* B *ſine eleemoſyna non tam purgatio animæ quã carnis afflictio eſt: magiſque ad auaritiam quàm ad cõtinentiam*

Ser.4.de ieiunio 10. menſis. *referendum eſt, quando aliquis ſic à cibo abſtinet, vt etiã à pietate abſtineat.* Idẽ docet antiquiſsimus Ignatius: *Quartam & ſextam feriã ieiunantes, ſuperflua pauperibus erogate.* Nẽpe, vt alia in Dominica oſtendimus, duas alias habet oratio, quibus in cælum volet, ieiunium & eleemoſynam: quorum illud

Epiſt.ad Philip. puriorem; hæc leuiorem & expeditiorem eam facit, Deoq; gratiorem. Manichæum ieiunium,

3. Manichæum ieiunium. quod ita à certis cibis abſtinuit, vt cibos immundos doceret, ſtudioſiſsimè ſemper execrata eſt, & damnauit Eccleſia Catholica, vt in altero Promptuario oſtendimus, contra hæreticos, qui

4. Phariſaicum, ſeu hypocriticum ieiunium. furorem Manichæum ieiuniis Catholicorum, ipſi magis furioſi, impingunt. Phariſaicum ieiunium reprobat Saluator, eorum qui *triſtes ieiunant, & exterminant facies ſuas, vt videantur ab hominibus ieiunantes.* Nos ieiunium animo hilari & fronte læta ſuſcipimus. Materialiter eſt triſte, ſed in modo & fine lætum ac iucundum eſt. Auguſtinus Manichæorum ieiunia ex fine reprobat,

Li.de moribus. Manich. ca.13. *Quæro*, inquit, *à vobis, quo fine faciatis, quod non veſcimini carnibus, & vinum non bibitis. Finis enim ſi laudabilis fuerit, facta quoque laude digna erunt. De Catilina memoriæ proditum eſt, quod frigus, ſitim, famẽ ferre poterat. Hæc erant illi ſpurco ſacrilegoque etiam cum Apoſtolis noſtris communia; ſed fine diſcernuntur. Ille enim iſta tolerabat, vt immaniſsimas expleret cupiditates: hi vero, vt eas premerent, & dominanti rationi ſeruire cogerent. Si ergo & vos parſimoniæ, & coercendæ libidinis cauſa facitis, laudo & probo. Sed nõ ita eſt.* Hæc ille. Sic Phariſæorũ ieiunium reprobatur ex fine, quia laudis humanæ gratia id faciunt, & ideo C

Confeſſ. li. 10.c.28. hypocriticum eſt, non verũ: Alioqui ieiunium ex ſe & triſte eſt, & triſte eſſe debet. Pœna enim

Hom.1.de laud. ieiu. eſt, & per modũ pœnæ tolerari oportet, ſed aptè diſtinguit Aug. *Nemo quod tolerat amat, licet tolerare propter Deũ amet. Tolerare triſtia iubes Domine, non amare.* Vt ergo Phariſaicum ieiunium vitetur,

Ser. 56.de temp. *Die ieiunij* (vt monet S. Baſilius) *tanquã veteres nutricios* (ad pietatẽ ſcilicet) *hilares ac alacres excipere debemus; nec ventris inediam lugere, ſed menti gratulari ſpiritualibus deliciis repletæ.* Cauſam quoq; in

Ser.68. de temp. primis idoneã affert Aug. *Illi*, inquit, *longum ſit ieiunij tempus & faſtidioſum, qui nec orat de culpa, nec ſperat de venia.* Debet ergo remedij, quod ſecũ adfert, vel neceſsitas vel oportunitas iucundum

5. Philoſophicum ieiunium. reddere ieiuniũ. Sed & valet in ieiunio, quod in omnib. aliis virtutũ operibus locum habet; *Fides libenter accipit quicquid arduũ videtur incredulis*, quod de ieiunio hoc Quadrag. ſcripſit Aug. De

Lib.2. In Cyri pædagogia philoſophico ieiunio, & gentium ſapientibus vſitato, qui propter ἐγκρατείαν quandã & modeſtiã,

In vita eius c.12. magnas & frequentes abſtinentias faciebant, dicentes; *Virtus eſt placitis abſtinuiſſe bonis*: vide multa

Anglocaluiniſtarũ nouum ieiunium. apud diuum Hieron. contra Iouinianum. Tale eſt hæreticorum hodie ieiunium, qui politicè, non religiosè ieiunare volunt: & Perſarum inſtitutum, Lacedæmoniorum & Aegyptiorum ſacerdotum ſequi malunt, vt ea Xenophon, Theophraſtus, & Cheræmon Stoicus deſcripſerunt,

Epiſt.ad Demetr. quàm Catholicæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum. Tunc (inquiunt) ieiunabimus, quando id carni edomandæ expedire videbimus, quocumq; id die accidat, quibus non minus ſapiẽter quam facetè reſpondit Thomas Morus: *Hoc ſi ita eſt, nec coniugatos vnquam facilè ieiunaturos, qui aliud &* D *facilius remedium in promptu habent: nec virgines ieiunare auſuras, ne impudici iuuenes aduertant à carnis illecebris eas titillari: denique hoc nihil aliud eſſe, quàm vt ſuam quiſque libidinem prodat.* Hoc eſt hæreti-

4. Eccleſ. ieiunium. corum hodie Politicum ieiunium & Philoſophicum. Attamen Anglocaluiniſtarum hodie Po-

Ser.1.de ieiun. liticum quidem, ſed minimè Philoſophicum, & adhuc minus religioſum ieiunium eſt, publico edicto præſcriptum, vt feriis etiam quartis, præter ſextam feriam & Sabbatum, piſcibus veſcãtur omnes, ne piſcium & nauigationis vſus pereat, aut detrimenti aliquid accipiat. Supereſt du-

In epitome diuinorum decret. cap. vlt. plex ieiunium, quorum vnum præcipit & indicit Eccleſia; ad alterum hortatur & manuducit.

Lib.3. Paſchali. Per Eccleſiaſticum enim ieiunium ad perfectũm deuenitur, ſine quo prioris fructus aut nullus, aut exiguus admodum eſt: quo ſenſu dixit S. Hieronymus: *Ieiunium non perfecta virtus eſt, ſed cæterarum virtutum fundamentum.* Eccleſiaſticum ieiunium in tribus conſiſtit. Videlicet in

Hom.1.de aud.ieiu. delectu ciborum, in vnica refectione diurna, & in eius refectionis hora. Ad primum quod attinet, à carnibus & vino antiquiſsima Eccleſia toto Quadrageſimali tempore abſtinebat, vt ex Patribus tam Græcis, Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylo, Baſilio;

quàm

A quâ Latinis, Auguſtino, Hieronymo, Leone Magno, euidenter conſtat. A lacticiniis quoque, vt ouis & caſeo, abſtinuiſſe veteres diu ante Gregorij Magni tempora, teſtis locupletiſſimus eſt Epiphanius in compendiaria doctrina de fide. Vnica autem refectione omnes contentos eſſe oportere, eaque vſque in veſperam dilata, Baſilius & Auguſtinus locis citatis, D. Ambroſ. ſerm. 33. D. Chryſoſtomus Hom. 10. in Geneſin apertè teſtantur. Diuus quoque Bernardus ſuo tempore omnes etiam laicos vſque ad veſperam in Quadrageſima ieiunaſſe ſcribit ſer. 3. de quadrageſima. Poſtea ad horam nonam, quam nos tertiam pomeridianã vocamus, ieiunium ſolui cœpit, vt D. Thomę Aquinatis tempore factum fuiſſe ipſe teſtatur in Summa ſua Theologica; quod & tempore diui Epiphanij obſeruatum fuiſſe, ipſe meminit loco citato. Proceſſu temporis ad meridiem ſolui cœpit ieiunium. Eccleſia porro ita ieiunium indicit, vt à nemine plus exigat, quàm corporis valetudo ferat, vt in altero Promptuario oſtenſum eſt; &, quoad cibi quantitatem, relinquit vnumquemque in iure naturæ. Et in his ferè Eccleſiaſtici ieiunij præceptum conſiſtit. Sed vero Eccleſiæ in hoc præcepto intentio, altius quid & amplius poſtulat; & ad ieiunium omnibus ſuis numeris perfectum ſuos adhortatur: nempe, vt ab omni prorſus peccato non ſecus abſtineatur, quàm à cibis interdictis: vtque pietati & diuino cultui ſanctius ac religioſius vnuſquiſque vacet. Hanc eius ſanctiſſimam intentionem omnes ferè Eccleſiaſtici ſcriptores atteſtantur ſacræ Scripturæ conformem. Sic enim Deus per Prophetam loquitur: *Ecce* 7. *Ieiunii perfectum.*

B *in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis. Nolite ieiunare ſicut vſque in hunc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter.* Iuxta hanc ſacræ Scripturæ doctrinam ieiunare docet Eccleſia. Sic D. Baſilius: *Verum ieiunium eſt, ab omnibus vitiis alienum eſſe.* Sic poſt eum ſanctus Leo: *Non in ſola abſtinentia noſtri ſtat ſumma ieiunij, aut fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate reuocetur.* In eandem ſententiam ſic ſcribit S. Auguſtinus: *Ieiunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſeculi: quod eſt perfectum ieiunium: vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo.* Cuius rei cauſam, vel certè conuenientiam, alio in loco his verbis exponit: *Illa eſt in Quadrageſimæ diebus grandis vtilitas, quod, dum etiam à licitis abſtinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abſtinemus à carnibus, quibus aliis diebus vti licet; qui abſtinemus à vino, quo moderatè vti licet; qui iſta vitamus, quæ aliquando licent; quomodo peccata admittemus, quæ omnino nunquam licent?* Verè enim, vt ſcribit ſanctus Leo, *parum religioſus aliis diebus probatur, qui tempore Quadrageſimali religioſior non inuenitur.* Sed huius generalis ieiunij neceſſitatem, & vt totus homo ieiunet, non venter tantum, eleganter oſtendit S. Bernardus. *Si ſola*, inquit, *gula peccauit, ſola quoque ieiunet. Si vero peccauerunt & cætera membra, cur non ieiunent & ipſa? Ieiunet oculus à curioſis aſpectibus. Ieiunet auris à fabulis & rumoribus. Ieiunet lingua à detractione. Ieiunet manus ab operibus illicitis. Ieiunet anima à vitiis.*

C Hoc eſt perfectum & generale ieiunium, quale intendit Eccleſia, & ad quale per externam abſtinentiam, quaſi per medium idoneum, ad finem ſaluberrimum ſuos manuducit. Alioqui, ſicut qui fidens thoraci, quo pectus munitur, certamen aggreditur, magno ſe periculo exponit, niſi caſſide quoque, & reliqua armatura muniatur: ſic à ſolis cibis abſtinens, & reliquas virtutes non exercens. Nam, vt appoſitè ſcribit Euſebius Emiſſenus, *Ieiunare & vigilare, & mores non corrigere, ſic eſt, quomodo ſi aliquis extra vineam, aut circa vineam extirpet & colat, vineam autem ipſam deſertam atque incultam relinquat, vt ſpinas ac tribulos germinet.* Anima quippe vinea noſtra eſt, quam excolere debemus; corpus extra vineam eſt, *cuius exercitatio* (ait Apoſtolus) *ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia.* Hoc igitur & tale ieiunium illud eſt, cuius ampliſſimas laudes Patres decantant, cuius virtutem multis exemplis Scriptura commemorat, de cuius fructu quadruplici in altero Promptuario diſſeruimus. Quibus ex Ambroſio adijcimus: *Caſtra nobis ſunt noſtra ieiunia, quæ nos à diabolica impugnatione defendunt. Denique & ſtationes vocantur, quod ſtantes & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellimus. Caſtra planè ſunt ieiunia Chriſtianis; à quibus ſi quis aberrauerit, à ſpirituali Pharaone inuaditur, aut peccatorum ſolitudine deuoratur. Murus igitur quidam eſt Chriſtiano ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſibilis inimico.* Hæc ille. Chriſtus ipſe tentandus (ductus eſt enim in deſertum vt tentaretur) ieiunio prius ſe armauit: non quod ille tali armatura opus

D habuit, ſed vt nos talem armaturam nobis pugnaturis neceſſariam eſſe doceret; ſicut dux viæ in tranſitu anguſto, & ignaris periculoſo, ſed ſibi notiſſimo, baculo viam tentat, non quia ipſe baculo indiget, ſed vt aliis eum comitaturis, quomodo baculo vti debeant, oſtendat. Neque vero contra inimicum diabolum ieiunium nos defendit tantum, verum etiam ad ipſum quoq; diabolum expugnandum, egregiè ſubſeruit. Nam vt nullum caſtrum ita eſt inexpugnabile, quin poſsit expugnari, ſi victualia ei ſubtrahendi modus aliquis reperiri queat; ſic diaboli caſtrum, quo fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, & peccatores poſsidet, quodcumque illud caſtrum ſit, & cuiuſcumque peccati genus, per ieiunium vincitur; ſubtractis peccati fomentis, & ferocientis equi pabulo imminuto. Nec enim libidinem tantum, ſed & iram, inuidiam, ſuperbiam ieiunium domat, vt multi ſancti Patres docent, D. Baſilius hom. 1. de laudibus ieiunij, Chryſoſtomus ſerm. 1. de ieiunio, S. Leo ſer. 8. de ieiunio 10. menſis, & S. Ambroſius ſerm. 34.

Ser. 50. de tem. — *Li. 2. cont. Iouin.* — *Serm. 9. de Quadr.* — *2. 2. q. 147. art. 7.* — *Ser. 25.* — *Hom. 1. de laud. ieiu.* — *Ser. 4. de Quadr.* — *Tract. 17. in Ioan.* — *Ser. 64. de temp.* — *Ser. 2. de Quadr.* — *Ser. 3. de Quadr.* — *Similes.* — *Hom. 2. de Quadr.* — *Simile.* — *1. Tim. 2.* — *Chriſtus cur ieiunauerit.* — *Simile.* — *S. Bonau. in Diæt. ſal. c. 17.* — *Simile.*

A

3. *Accedens tentator, dixit ad eum.*

Diabolus hostis noster.

LOcus moralis de tentatore diabolo, saluti nostræ incessanter insidiante. Hic enim tentator vocatur antonomasticè, seu per excellentiam, eo quod assiduè & acriter tentare homines soleat. Sic Apostolus: *Ne fortè tentet vos is qui tentat.* Et de eo ab initio lapsus humani prædixit Deus: *Ponam inimicitias inter te & mulierem, & semen eius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Ecce bellum proclamatum ab initio orbis conditi, inter diabolum & genus humanum. De quo bello dicitur in Apocalypsi: *Væ terræ & mari, quia descendit ad vos diabolus, habēs iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Hic est ille hostis capitalis & aduersarius, de quo Christus nos monet, dicens: *Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici.* Quæ verba merito expendi debent. Iubet Saluator consentire aduersario, quum tamen aliæ Scripturæ iubeant nos ei resistere; vt alio loco ostendimus. Sed exponit D. Hieronymus: *Quia iniisti pactum cum aduersario tuo, dicens ei, Renuncio tibi diabole, & omnibus pompis tuis* (quæ sunt verba nostra omnium in Baptismo) *serua fœdus quod pepigisti, & esto consentiens, pactumque custodiens cum aduersario tuo, dum es in via huius seculi, ne fortè tradat te iudici, & te de suo aliquid vsurpasse* B *conuincat, tradarisque ministro, qui ipse est & inimicus & vindex.* Hæc ille. Hic enim aduersarius talis est, vt & tentator sit per fallaciam, & accusator per malitiam, & carnifex noster ac vindex per iustitiam. Hic est qui in iudicio extremo contra impios, & sectatores eius ad Deum clamaturus est, vt scribit S. Augustinus: *Aequissime Iudex, iudica quod æquum est. Iudica meum esse, qui tuus esse noluit. Post renunciationem vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum lasciuia, impudicitia, incontinentia faciebat, quibus ipse renunciauerat? Quid intemperantia, quid gula, quid auaritia, quid ira, quid superbia, quid fastus, quid cætera mea? Hæc omnia mea post renunciationem inuasit. Meus esse voluit, mea concupiuit. Iudica iudica, æquissime iudex; quoniam, quem tu non dedignatus es tanto precio liberare ipse nihil se postmodum voluit obligare.* Hæc erit aduersarij huius iusta & seuera accusatio contra impios Christianos. Sic ille tradet eos iudici, vt postea per sententiam receptos, tradat in carcerē & tenebras exteriores. Nec accusabit modo hostis malignus, sed & insultabit hostis superbus, & hunc in modum ex iudicio D. Cypriani loquetur Christo in extremo iudicio: *Ego pro istis quos mecum vides* (suos voluptuarios, superbos, auaros demōstrans) *nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi; sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradisum reuoco, & tamen se mihi totos suaque omnia consecrarunt.* Sic insultabit miseris ipse miserrimus; vt qui fuit tentator ad culpam, sit etiã tortor ad pœnam. Sic & D. Basilius accusantem & insultantem tum nobis, tum Christo ipsi, aduersarium hunc nostrum introducit: *Qui assiduè nunc suis nos artificiis circumuenire, & mundialis istius vi-* C *tæ illecebris inescans, omni conatu efficere studet, vt datorum nobis à Deo beneficiorum, Deique ipsius memoriam ex animis nostris reuellat: is, vbi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissimèque insectans, contemptionem Domino nostram contumeliosè exprobrabit, contumaciaque ac defectione ab ipso nostra gloriandi materia aduersus illum vtetur: quod videlicet, quum nos ipse neque crearit, neque pro nobis mortem subierit, sibi tamen, spretis contemptisque Dei præceptis, obsequentes habuerit. Equidem istam ego futuram aduersus Dominum gloriationem hostis insolentem, grauius longè esse statuo, quàm gehennæ supplicia:* Hæc Sanctus ille, & verus Christi amator. Sed de hoc tentatore, inimico, & aduersario nostro; de eius multiplici tentatione; de causa tam frequentis victoriæ eius; de viis & modis quibus non caueri tantum, sed & gloriosè repelli ac superari tantus hostis possit, in superioribus per occasionem diximus: & infra plura dicemus in Dominica tertia Quadragesimæ.

In epist. ad Demetriadem de virginitate seruāda.

In ser. contra Iudæos, Paganos, & Arianos, to. 6.

Serm. de eleemosyna

In regulis fusius disputatis Interrogat. 2.

Dom. 5. post Epiph. & Domin. Sexages.

4. *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.*

Tentatoris diaboli astutia.

LOcus moralis de varia tentatoris diaboli astutia & calliditate. In hac enim prima Christi tentatione sub paucis verbis ad multa tentat, & quàm sit diligens ad tentandum docet. Vna enim & eadem opera vult explorare an Filius Dei sit; &, si non sit, à iustitiæ rectitudine D
1. eum prorsus, si potest, dimouere. Explorat ergo primum per conuersionem solo imperio fa-
2. ciendam: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Iube hoc miraculum fieri. Dei enim phrasis est dicere. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta est.* Deinde vult in peccatum gulæ pertrahere, suggerens vt per viam inordinatā famem compescat. Ideo enim non lapidem, sed *lapides* iubet in panē vertere. Ad fa-
3. Reg. 16. mem præsentem reprimendam sufficiebat vnus panis ex vno lapide conuertendus. Et Elias in deserto graui fame oppressus, non accepit ab Angelo nisi vnum subcinericium panem, & vas aquæ. Deus parsimoniam, diabolus abundantiam & superfluitatem docet. Nam quamuis apud
Luc. 4. Lucam legimus, *Dic lapidi huic vt panis fiat*; tamen, iuxta phrasim Scripturæ, significat multos
Gen. 31. lapides, sicuti expressè posuit Matthæus. Sic in Genesi dicit Iacob: *En tumulus hic, & lapis*
Exod. 8. *quem erexi, testis erit.* Lapidem vocat aceruum lapidum, vnde tumulus fiebat. Sic in Exodo:
3. *Venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius.* Tamen vt tentationem suam vafer
Tentationē occultat hostis occultet, panis tantum mentionem facit; non ad delicias, aut manifestè superflua virum sanctum inuitat. Sicut enim auceps, quum retia tendit, nihil nisi cibum, eumque necessarium,

ostendit:

A oſtendit: ſic diabolus laborat, vt eius tentatio non tentatio, ſed ratio videatur. quare occaſionem tentandi obſeruauit, famem Chriſti. Dicitur enim: *Et poſtea eſurijt, & accedens tentator, dixit.* quia eſurientem Chriſtum vidit, tentandi occaſionem captat. Diabolus ex quauis re minima, ex quouis aut indicio inclinationis prauæ, aut infirmitatis ſigno, tentandi anſam arripit. Si te videt ſaturatum, luxuria tentat: ſi famelicum, gula te oppugnat: ſi laboribus oppreſſum, ad impatientiam ſolicitat: ſi rebus ſecundis vtentem, ad ſuperbiam vocat. Sed maxima & frequentiſſima tentandi occaſio illi eſt, quum rerum ſecularium appetentes & eſurientes nos videt. Abutitur enim neceſſitatibus noſtris, ſeu veris, ſeu prætenſis. Sicut auceps rete ſuum præparat brumali potiſſimum tempore, quando non eſt quod aues comedant, quæ mox cibum videntes aduolant, & cum ventriculis plenis capiuntur, & moriuntur: ſic diabolus hominem vel cupiditate vel neceſſitate laborantem aggreditur, vt honoris, vel pecuniæ, vel voluptatis cupidum, vbi ad peccatum illexerit, & ad concupita obtinenda, ad flagitium vel ſcelus induxerit, iam ſaturatum occidat, ſibique perpetuò obnoxium reddat. Multis perſuadet, propter rerum temporalium quam putant neceſſitatem, à Deo recedere. Quam multi hæreticis hodie reluctante conſcientia ceſſerunt, hac diaboli voce decepti: Oportet vt viuas, vt vxorem ac liberos alas: non teneris propter fidem hæc omnia deſerere, & teipſum in extremam neceſſitatē conijcere. Eadem aſtutia mercatori mendacia & fraudes, latroni rapinas & furta, aduocato dolos malos perſuaſit; quia neceſſe eſt lucrari, & habere vnde viuant. Sed oratio noſtra eſſe debet

4. *Occaſiones tentandi captat.*

5. *Neceſſitatibus noſtris abutitur.* *Simile.*

Diaboli hodie tentationes.

B cōtra has tentationes: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me Domine.* Deinde diligēter à cupiditate diſtinguenda neceſſitas. Nā vt alia eſt vera ſitis ſitientis, alia falſa febricitantis; ſic alia eſt neceſſitas, alia cupiditas. Neceſſitati pauca, cupiditati nulla ſatisfaciunt. Et ſicut ſitim eſſe febrilem, non naturalem, tunc euidenter cognoſcitur, quando moderato potu non extinguitur, ſed quo magis bibitur, eo magis accenditur ſitis: ſic omnino non neceſſitatem, ſed cupiditatem eſſe qua laboramus, tunc perſpicuè ſcitur, quando moderatis contenti non ſumus, ſed quo abundamus magis, eo plura appetimus. Diabolus autem ex vtraque tentandi cauſam arripit, quia modum in vtraque tenere neſcimus. Deinde in hac tentatione obſerua, quòd, quàm poteſt minimo, ſuos conducere diabolus vult. Ecce enim in ſolo pane voluit Chriſtum perdere. Ad vnum aliquando nummum lucrandum hominem perdit. Quantulū erat colligere ligna in Sabbato, propter quod lapidatus fuit inobediens legi Iudæus? Sed ad hanc paruam inobedientiam ſub neceſſitatis ſpecie eum diabolus induxit, vt ſic perderet. Quantulū erat Ananiæ & Sapphiræ fraudare de pretio agri quem dederant? At in hoc paruo ſic *tentauit cor eorum Satanas* (vt Petrus dixit) vt repentina morte extincti fuerint. Sic ſuaſit miſero Eſau, vt pro pulmento venderet ſua primogenita, & benedictione Dei atque paterna excideret. In tanta igitur tam ſæui hoſtis ad tentandum pertinacia, ad decipiendum aſtutia, ad

Pſalm. 22. *Simile.*

Neceſsitas à cupiditate quomodo diſtinguenda.

6. *Minimo ſuos cōduxit diabolus* *Num. 15.* *Exempla.* *Actor. 5.* *Geneſ. 25.*

C captandas occaſiones diligentia, ad perdendum, etiam pro re minima, acrimonia, danda eſt opera, *Ne circumueniamur à Satana. Cogitationes enim eius non ignoramus*, (inquit Apoſtolus Paulus) de zelo diſciplinæ Eccleſiaſticæ loquens. Quia ſub pietatis prætextu, & neceſſitatis intuitu fallere conatur, vt hîc Chriſtum. *Si Filius Dei es*, pietatis prætextus fuit, quaſi ſcire cupiens an ille Meſſias eſſet, vt adoraret eum: ſicut Herodes ſimili prætextu Magis dixit; *Vbi adoraueritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum*: quem occidere volebat. Dicens, *Vt lapides panes fiant*, neceſſitati conſulere videbatur, quum ad gulam & inanem gloriam reuera afficiebat, ſuadens vt per viam miraculi, & plus quàm neceſſe erat, cibum quæreret. Si ita cum Chriſto, quanto aſtutiùs nobiſcum?

2. Cor. 2.

Matth. 2.

5. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

De fiducia in Dei prouidentia.

LOcus moralis de perpetua & infallibili Dei prouidentia circa ſuorum neceſſitates. Chriſtus enim hoc vno omnem & variam illam Satanæ tentationem ſic vicit atque diſſipauit, vt nec ſe Filium Dei eſſe declaret, nec eſſe neceſſarium quod diabolus ſuadebat, doceat: quia non ex ſolo pane fames compeſcitur & natura ſuſtentatur, ſed ex omni etiam alia quacun-

D que re (*verbum* enim hoc loco, vt aliàs ſæpè, rem ſignificat) quam diuina ſapientia ſubminiſtrat. Deus per quadraginta annos infinitam penè multitudinem filiorum Iſrael in deſerto abſque pane hoc vulgari, aut alio cibo humano, ſolo Manna de cælo pauit, de quo Moyſes ait: *Dedit tibi cibum, Manna, quod ignorabas tu & patres tui; vt oſtenderet tibi quòd non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini*: id eſt, ex omni re quam Dei ſapientia (quæ os Dei eſt) ſubminiſtrat: vel ex omni promiſſione quam Deus ore ſuo fecit. Promiſit autem quòd *inquirentes Dominum, non minuentur omni bono*: & ſimilia multa. Docet ergo hic locus diuinæ ſe prouidentiæ committere, nec de illa vnquam in rebus difficillimis ſpem deponere, iuxta illud: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Et Chriſtus in Euangelio: *Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* quem locum in alia Dominica tractare oportebit. Sed & hanc materiam ſuperius delibauimus. Deus in deſerto *de petra eduxit aquas, & maria conuertit in aquas dulces*: illam, virga percutiens; hoc, ligno iniecto quod oſtendit Moyſi

Deut. 8. *Pſal. 33.* *Pſal. 54.* *Matth. 6.* *Inf. Dom. 4 Quadr. & Dom. 14. poſt Pent.* *Supra Dom. 4 poſt Epiph.* *Num. 20.* *Exod. 15.*

Deus. Vtrumque crucis virtutem, & lignum salutis nostræ præfigurauit. Crux enim crucifixi A
Iesu, lapideacorda liquefacit, liquefacta conuertit. Lignum crucis Dominicæ, fide creditum
& ruminatum, *conuertit praua in directa, & aspera in vias planas*, vt superiùs explicatum est. Nempe hominis per Christum renouati tanta debet esse fides & fortitudo, vt nec in deserto, nec in
fame, nec post longum ieiunium, etiam de necessario pane extra ordinem tentatus, succumbat
tamen, sed Dei se prouidentiæ committat: vt quantum veterem Adam excellat, hac ratione de-
Ephes. 5. monstret. Ille enim in medijs paradisi delicijs, in vno tantùm vetito ligno de gula tentatus, sta-
tim succubuit. Nouus Adam, & *qui eius imagini conformantur*, in horrido deserto, propter neces-
Dō. 14 post Pent. tex. 4 sarium panem, ad gulam, ad inanem gloriam, ad diffidentiam tentatus, in nullo succumbet.
Exempla. Lib. 3. c. 4. Hoc Christus nos in Euangelio docuit, dicens, *Nolite esse soliciti de crastino*: quod suo loco explicabitur. Huius fiduciæ in Deum, quoad victum & alimenta necessaria, vt in antiquis Patribus
religiosorum plurima leguntur exempla, maximè in vita S. Dominici: sic hodie quotidianum
exemplum est Capuccinorum, qui vocantur, ordo sanctissimus; qui non nisi in diem viuunt:
& quicquid vesperi supersit, erogant, ex Dei prouidentia quotidie victitantes; nec tamen ali-
Prat. spirit cap. 113. quando fame pereuntes, aut alimentis necessarijs indigentes. De vetustissimis cœnobitis me-
moriæ proditur, quum in Scithia quatuor essent monasteria, in quibus ter mille & quingenti
fratres Deo seruirent, & pro quodam senum, ex splene laborante, modicum aceti quæsitum B
esset, inueniri non potuit. Tanta erat apud eos paupertas; ita ex sola Dei prouidentia & beni-
De rebus Turcarum lib. 2. gnitate victitabant. Quid; quòd de Turcarum votarijs scribit Christophorus Richerius, quos-
dam paupertatem sequi ex voto, quibus in diem viuere satis est. Surgent isti in iudicio, & dam-
nabunt solicitudinem & incredulitatem nostram, qui ad primam necessitatem vellemus deum
lapides in panes conuertere; id est, quocunque tandem modo, & per quascunque difficultates,
nostræ seu necessitati seu cupiditati seruire.

6. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Angelis enim suis mandauit de te, &c.*

Contra peccandi præsumptionē. LOcus moralis de fine & scopo omnium tentationum diaboli, vt sub spe protectionis diuinæ, peccatorum periculis se obijciat peccator. In omni enim tentatione dicit, *Mitte te deorsum*: vt à spiritu ad carnem, à Deo ad mundi vanitates, à virtute ad vitium descendas,
factus ex filio Dei filius gehennæ. In omni occasione & periculo peccati homo mittit se deor-
sum, suadente diabolo, & promittente quòd Deus eum seruabit, *ne offendat pedem suum*; id est, C
vt vel non consentiat peccato, vel non multum peccet, vel citò surgat, & relinquat peccatum,
vel certè quod veniam omnium in fine impetrabit. Hæc enim duo simul proponit diabolus,
dulcedinem culpæ, & spem seu potiùs præsumptionem veniæ. Sic in prima tentatione obtulit
Genes. 3. Euæ *pomum pulchrum visu*; & addidit, *Nequaquam moriemini*. In tentatione quoque ad malum
sub specie boni, vt hoc in loco (nam quia fiduciam in Deum Christus suo responso ad primam
tentationem docuerat, ex eadem fiducia suadet ei præcipitationem) proponit exempla diuinæ
misericordiæ, vt ex eis homo præsumat. *Angelis suis mandauit de te*. Non est quòd timeas. Tam
multis Deus pepercit. Latroni in cruci, Magdalenæ, Petro, & alijs innumeris. Parcet quoque
Similia. & tibi, & dabit pœnitentiæ locum. *Mitte te deorsum*. Fac periculum bonitatis diuinæ. Qua in re
sic peccatores decipit diabolus, sicut simiam venatores. Accipiunt multos calceos seu caligas
cum multis laqueis & fibulis, & calceant se illos, ac lentissimè illos astringunt, spectante in ar-
bore simia; quod postquam fecerint, abeunt relictis calceis, quibus abeuntibus, simia, quæ
imitari solet quicquid hominem facientem vidit, eosdem calceos & ipsa induit, ac lentissimè
se astringit: quod cùm fecerit, accurunt venatores, & implicatam calceis, nec se citò excal-
ceare valentem, capiunt. Sic enim diabolus, propositis aliorum peccatis, veniam à Deo citò cō-
secutis, homines ad eadem prouocat, spe similis veniæ: sed quum eos implicatos tenet, nec D
illam pœnitentiæ gratiam habent vt se à peccatis eximant, captiuos secum abducit, in bara-
thrum retrudendos. Qui pignus aliquod in cauponam mittit, vt vinum inde accipiat, proponit
quidem pignus suum citò redimere, & inde extrahere; victus tamen dulcedine vini, & combi-
bonum improbitate, vsque adeò bibit, vt pignus amittat: sic peccator in quolibet peccato
mortali animam suam diabolo & inferno oppignerat, intendens semper à peccato suo surgere,
nec nisi hac vice peccare: cæterum peccati dulcedine, & mala peccantiū societate captus, to-
ties peccata sua repetit, vt animam iam pœnitere nescientem, diabolo in æternum relinquat.
Psal. 102. & 33. Qui de misericordia Dei confidens peccat, tentat Deum: ad quod hîc diabolus Christum ten-
tauit, vt ex Christi responsione, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, manifestum est. Deus enim
auxilia sua, & misericordiam suam, non peccantibus aut præsumentibus, sed timentibus eum
Rom. 2. promisit, iuxta illud: *Corroborauit misericordiam suam super omnes timentes se. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*. Et rursum: *Non est inopia timentibus eum*. At peccā-
tibus & præsumentibus nihil nisi iram & vindictam Dei scriptura promittit: *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ*. Cor quod præsumit de misericordia, ma-
nens in peccato, impœnitens cor est. Ad hoc hortatur diabolus, dicens, *Mitte te deorsum*; &

addens;

addens, *Angelis enim ſuis mandauit de te vt cuſtodiãt te in omnibus vijs tuis*. Quo loco, vt in tentando
A Chriſto, ſic in aliis omnibus abutitur diabolus. Angelorum quidẽ cuſtodiã Deus ſuis promiſit, (quæmaxima dignitas & conſolatio eſt) ſed in omnibus vijs noſtris. *Non dixit in præcipitijs*, ait D. Bernardus. *Qualis via hæc, de pinnaculo tẽpli mittere ſe deorſum! Hæc eſt via Luciferi cadentis è cælo*. Viæ noſtræ, in quibus nos Deus per Angelos ſuos bonos cuſtodire dignatur, ſunt opera quæ tanquam viatores facimus, quibus in cælum conſcendamus. Sunt viæ nec nimis publicæ & tritæ, ne fortè *per latam & ſpatioſam peccatorum viam ambulemus*; nec nimis deſertæ & obliquæ, *& lapidibus complanatæ*; qualem eſſe peccatorum viam affirmat Sapiens; nec ita anguſtæ, vt ad præcipitia ducant ex nimia ſingularitate ſua: ſed ſunt viæ ordinariæ, Sanctorum pedibus tritæ, & actiones moderatæ iuxta Dei prouidentiam ordinariam: & in talibus Dei auxilium non deeſt, *qui eſt adiutor in opportunitatibus & tribulatione*, non in vanitatibus & temeritate. Sed diabolus extra has vias ducit eos quos tentare vult, *ad pinnaculum templi, & ſtatuit eos ſupra illud*. Pinnaculum hoc alã illã ex leui ferro confectam ſignificat, quæ ſupra turres templorum, aut magnorum ædificiorum, ornamenti cauſa locari ſolet, cuius etiam motu differentiæ ventorum diſcernuntur. Hoc pinnaculum excelſam vanitatem ſignificat, ſiue honorum, ſiue diuitiarum, ſiue etiam voluptatum. Huc nos diabolus deducit, vt inde nos ipſos præcipitemus, hac confidentia & fiducia freti, quòd nihil illa nobis nocebunt: quia honoratos & diuites, & ſeculi bonis fruentes, æquè Deus ſaluabit, atque obſcuros & pauperes, & parcè ac tenuiter vitam agentes. Hæc eſt
B diaboli hoc loco tentatio. Omne peccatum mortale eſt voluntarius ſupra pinnaculum conſcẽſus; quia in omni tali contra obedientiam Dei te ipſum erigis, & in aliqua ſublimi & periculoſa vanitate ſubſiſtis, vnde deorſum celerrimè cades, ſi diaboli conſilijs acquieſcis. *Verè diabolica vox eſt, Mitte te deorſum* (ait S. Ambroſius) *quæ mentem hominis de gradu altiori meritorum præcipitare contendit. Simul etiam infirmitatem ſuam diabolus cum malitia deſignat, quia nemini poteſt nocere niſi ipſe ſe miſerit*. Sic Chryſoſtomus: *Dicit, Mitte te; quia diabolus hortari poteſt, cogere non poteſt*. Docet ergo hæc ſecunda tentatio, diaboli finem & ſcopum perpetuum hunc eſſe, vt nos à virtutis altitudine deijciat, non opere ſuo, ſed conſenſu noſtro; ſimulque vana ſpe impunitatis eludat, & timorem iuſtitiæ diuinæ animo eximat. quod & hodie profitentur hæretici, per ſuam ſolam fidem & certitudinem gratiæ.

Ser. 15. in Pſal. Qui habitat.

Viæ peccatorũ atque iuſtorum. Matth. 7. Eccli 21.

Pſalm. 9.

Pinnaculũ templi quid

Lib. 4. c. 4. in Lucam. Hom. 5. in Mat. op. imp.

7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

LOcus moralis de certa victoria tentationis diabolicæ. Quum enim in omni tentatione diabolus hoc agat, vt deorſum nos ipſos deijciamus ſpe futuræ impunitatis, vt iam explicatum eſt; promptiſſimum & certum remedium eſt, id animo fixum perpetuò habere: *Non*
C *tentabis Dominum Deum tuum*: non ſic de eo præſumes, non ita temere & arroganter miraculum à Deo exiges. Miraculum enim eſt, vt qui malè vixit, bene moriatur. Miraculum eſt, poſt multa ſcelera & flagitia ſcienter & prudenter perpetrata, in numerum filiorum Dei cooptari. Miraculum eſt, à praua & longa peccati conſuetudine emergere; vt auarum pecuniam contẽnere, luxurioſum caſtè viuere, ambitioſũ humili loco contentũ eſſe, ebrioſum & guloſũ parſimoniæ ſtudere, de quo miraculo dixit Propheta: *Nunquid poteſt Æthiops mutare pellem ſuã, aut pardus varietates ſuas*? qui ergo ſceleratè viuit, hanc à Deo conuerſionem expectans, miraculum à Deo exigit. Vult mittere ſe deorſum ſine læſione. Sed Chriſtus ex veteri ſcriptura reſpondet: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Et vide quàm multi ſunt qui tentant Deum; ſicut hîc diabolus Chriſtum tentauit. Tentant Dei clementiam, qui negligenter orant, & ſine deuotione, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi qui tentat Deum*. Tentant Dei patientiam, qui perſeuerant in peccatis. *Tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum, & teſtamentum eius non cuſtodierunt*. Tentant Dei bonitatem, qui emendationem vitæ procraſtinant & differunt de die in diem: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in die tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me Patres veſtri, probauerunt & viderunt opera mea*, Tentant Dei iuſtitiam deprecantes vel optantes vindictam alicuius. Vnde duo Apoſtoli dixerunt: *Vis dicimus vt deſcendat ignis de cælo*? Quibus Chriſtus reſpondit: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*; tacitè inſinuans
D hanc cogitationem à maligno tentatoris ſpiritu profectam eſſe. Tentant Dei potentiam qui temerarij ſunt in adeundis periculis, & præſentem opem à Deo flagitant, moræ impatientes. Ideo Iudith quibuſdam, qui Deo aſſignabant tempus, dixit: *Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum?* Tentant Dei ſapientiam, qui volunt ſine ſtudio & lectione librorum, ſine doctrina maiorum, vel alios docere, vel per ſeipſos ſapere; in quo genere excellunt hæretici. Dei enim ſapientia voluit vt nos homines ab hominibus diſceremus, vel charitatis mutuæ, vel humilitatis propriæ conſeruandæ cauſa, vt docet S. Auguſtinus. Tentant Dei miſericordiam qui alios à bono opere impediunt, aut ſuam ipſi perfectionem remorantur. Quo in genere quum peccaret Petrus, reuocans Chriſtum à crucis ſuæ cogitatione, acerrimè eum Chriſtus obiurgat, dicens: *Vade poſt me Satana*, id eſt, tentator, *quia non ſapis ea quæ Dei ſunt*. Denique tentant omnes Deum, qui volunt tentationibus carere, vel ſine puluere & ſudore vitia debellare, virtutem colere, Deo ſeruire. De quibus Iob dixit, *Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum*, vt illa verba B. Gregorius

Dei bonitas non tentanda.

1.
2.
3.

Ieremi. 13.

Quot modis tentatur Deus.

1.
Eccli 18.
2.
Pſalm. 77.
3.
Pſalm. 95.
4.
Lucæ 9.
5.
Iudith. 8.
6.

In Prologo lib. de doct. Chriſt.

7.
Matth. 16.
8.
Iob. 6.

Moral. li. 7. cap. 4. exponit: *Omne* (inquit) *quod inuoluitur, in semetipsum replicatur. Inuolutæ igitur sunt semitæ gressuum eorum, qui recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, & quasi extra se tensi, ad semetipsos per circuitum redeunt: quia bona quidem cupiunt, sed à malis non recedunt. Esse quippe humiles, sed sine despectu; esse contenti proprijs, sed sine vlla indigentia; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumelijs volunt: denique adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt.* A

Tot, & multis aliis modis tentatur Deus, dum in illis singulis suadet diabolus, *Mitte te deorsum.* 1. Qui enim oraturus animam non præparat, mittit se deorsum; quia cor non eleuat sursum. 2. Qui perseuerat in peccatis, mittit se deorsum; quia descendit, & festinat in barathrum. 3. Qui emendationem procrastinat, mittit se deorsum; quia non se erigit sursum, vt resurgat à peccato. 4. Qui vindictam alterius cupit, mittit se deorsum; quia Deo vindictam non relinquit, nec cogitat esse in cælis qui facit iustitiam. 5. Qui temerarius est in periculis, mittit se deorsum; quia præcipitat se in foueam quam fecit. 6. Qui per seipsum vult sapere, mittit se deorsum; quia in semetipso se demergit. 7. Qui vel suam, vel aliorum perfectionem impedit, mittit se deorsum; quia ad ima se dimittit, vel alium impellit. 8. Qui sine labore vult esse sanctus, mittit se deorsum; quia iacet ignauus in terra, vel in fossa potiùs pigritiæ & otiositatis: quæ ad nullam virtutem valet, sed *multam malitiam docet.* Ne Deum igitur tentemus vnquam, pia illa Thomæ Mori oratio vsurpari commodissimè potest: *Domine Deus; fac me in illis consequendis operam collocare, pro quibus obtinendis soleo ad te orare.* B

Invita cius cap. 12.

8. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*

Auaritia & ambitio, diaboli cultus.

LOcus moralis contra auaritiæ & gloriæ mundanæ idolum. Docet enim hic locus adorari diabolum ab auaris & ambitiosis. Promittit diabolus Christo *omnia regna mundi, & gloriam illorum*, hoc est, diuitias maximas, cum maxima gloria; ea conditione, *vt cadens adoret eum*, quia videlicet, qui ea diaboli opera conquirunt, per cupiditatem, per fraudes, per mendacia, per iniuriam proximi, per adulationem, per munerum corruptionem, per detractionem aliorum, per quodcunque nefas, illi omnes, vt ea conquirerent, cadentes diabolum adorauerunt: cadentes de statu gratiæ, deserentes Deum & iustitiam eius, diabolo, qui hæc illis omnia suggessit, obsequium præstiterunt. Quod ergo alij facere solent, auari & ambitiosi, ad hoc Christū hic tentat diabolus. Est quippe diabolus non iusta potestate, sed falsa opinione mortalium, & superba vsurpatione sua (vt in Scripturis vocatur) *Princeps huius mundi*; id est, eorum qui mundum sequuntur. *Est Rex super vniuersos filios superbiæ, quia omne sublime videt*, ait Iob. Est *Deus huius sæculi, excæcans corda*, secularium, id est, qui *secularia desideria non abnegarunt*: propter quod apparuit gratia Christi. Est *princeps tenebrarum harum*: id est, auctor omnium ferè peccatorum, quæ sunt *opera tenebrarum. Est fortis armatus, custodiens atrium suum*: quod est hoc seculum. Illi ergo seruiunt, & obsequium præstant, qui sæculi cupiditates sequuntur. Quæ seruitus quàm sit impia, ex Christi responsione patebit: sed quam sit præterea fallax & vana, ex ipsa diaboli tentatione patere potest. Primùm fallit diabolus, quum auaris pecunias, ambitiosis honorem, pro obsequio illi præstito, id est, pro iniquitatis mercede promittit. Neque enim eius est dare, aut etiam auferre, sed solius Dei. *Volens Deus ostendere terrenam felicitatem suum donum esse* (ait S. Augustinus) *superioribus seculi temporibus dispensauit testamentum vetus, vbi bona temporalia largius est.* Vt autem intelligamus solius Dei esse, data auferre: prodit nobis Scriptura sacra, diabolum beato Iob nō priùs terrenam substantiam auferre potuisse, quàm id à Deo permissum illi fuerat. Sic enim diabolus sanctum virum apud Deum calumniatur: *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersámque substantiam per circuitum? operibus manuum eius benedixisti? & possessio eius creuit in terra?* Ecce hic fatetur diabolus Beatum Iob non à se, sed à Deo bona huius mundi accepisse. Móxque facultatem à Deo petit eisdem bonis eum spoliandi, dicens: *Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, vniuersa quæ habet, in manu tua sunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.* Diabolus igitur dicens hoc loco Christo, *Dabo tibi omnia regna mundi*, &, vt Diuus Lucas habet, *Quia mihi tradita sunt, &, cui volo, do illa*; splendidè mentitur. *Diabolus enim est mendax, & Pater mendacij.* Sic primùm fallit huius seculi auaros & ambitiosos. Illi enim, relicto Deo, neglecta conscientia, Dei præcepta non curantes, diuitias & honores sibi conquirunt. Quæ si dona Dei esse arbitrarentur, ad illa consequenda Deum non offenderent, sed colerent. Cæterùm quasi non Deus, sed diabolus largitor eorum esset, diaboli voluntatem faciunt, Dei contemnunt. Sed *Domini est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Dei vox est, *Per me Reges regnant.* Dei vox est, *Meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues.* Ad Salomonem Dei vox est, *Quia non petisti tibi dies multos, nec diuitias, &c. Etiam quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias & gloriam; vt nemo fuerit tibi similis in Regibus, cunctis retro diebus.* Dei ergo dona sunt, non diaboli; & à Deo petenda, quatenus peti possunt. Hæc prima diaboli fraus, & fallacia regna mundi promittentis. C D

Ioan. 14. Iob 41. 2. Cor. 4. Tit. 2. Ephes. 6. Rom. 13. Lucæ 12.

Bona terrena non dātur à diabolo.

De ciu. Dei l. 10. c. 18.

Iob 1.

Ioan. 8.

Psalm. 23. Prouerb. 8. Psalm. 49. 3. Reg. 3. Lucæ 4.

Bona terræ momentanea.

Ait D. Lucas, quòd in hac tentatione diabolus ostendit Christo *omnia regna orbis terræ in momento temporis*. Nempe citò ostensum fuit, quod parui pretij erat. *Bene in momento temporis* (ait

Lib. 4. in Luc. c. 4.

diuus

A diuus Ambroſius) *Oſtendit illi omnia regna mundi. Non enim tam conſpectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas poteſtatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & ſæpe honor ſæculi abijt, antequam venerit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum, cùm ipſa diuturna non ſint ſæcula?* Hæc ille. Vnde Sapiens: *Tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum.* Et Propheta Eſaias: *Ecce Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ, reputatæ ſunt. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exciccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Moritur homo, & extincta eſt gloria. *Mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Vapor eſt ad modicum parens.* In vno momento totum oſtenditur, & totum præterit. *Vidi impium ſuperexaltatum ſicut cedros Libani. Tranſiui, & ecce non erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Pulchrè Seneca: *Quid miraris, quid ſtupes omnes huius mundi diuitias? Pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur; & dum placent, tranſeunt. Vidiſtine quàm intra paucas horas ille ordo pompaticus quãuis lentus diſpoſitúſque tranſierit?* Pulchrè quoque Heraclitus: *In idem flumen bis non deſcendimus.* Manet idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt. Hoc in amne manifeſtius eſt, quàm in bonis huius mundi. Sed illa quoq; non minùs velox curſus præteruehit. Si in vna ciuitate quot dominos vnaquæque domus memoria noſtra habuerit, inquirere libet, videbis huius fluminis curſum. Viderunt hanc fluxam mundi gloriam etiam illi, qui ea maximè potiti ſunt. Auguſtus Cæſar iam morti proximus, quum per annos 50. & amplius toti orbi imperaſſet, familiaribus ſuis dixit: *An non perſonam meam in hac mundi fabula ſatis commode egiſſe videor? Valete ergo, & plaudite.* Saladinus Aſiæ, Syriæ, atque Ægypti Sultanus, iuſſit moriens, vt interior lineus a-

B mictus, quo indui ſolebat, haſtæ prælongæ impoſitus, per caſtra portaretur, clamitante eo, qui ferret, magna voce, Saladinum Aſiæ domitorem, ex totius Aſiæ, Syriæ, atque Ægypti opibus, hoc ſolum linteum ſecum deferre. Vidit moriens illam vanitatem, quam viuens reputabat eſſe maieſtatem. Gelimer Rex Vandalorum in Africa per Belizarium captus, & ad Iuſtinianum perductus, quum in Hippodromum peruenisſet, & tam Imperatorem ſupra tribunal ſedentem, quàm ex vtraque parte vulgus aſtans vidiſſet, non quieſcebat, ridens ac clamans: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Aperuit eius oculos afflicta fortuna, quos arridens, & proſpera excæcauerat. In momento igitur temporis oſtendit diabolus Chriſto omnia regna mundi, tanquam rem verè momentaneam, fluxam, & caducam. Nec momentaneam tantùm, ſed vt rem exigui momenti, valoris, ac pretij. *Punctum eſt hoc totum* (ait Seneca) *in quo nauigatur, bellatur, & regna diſponuntur. Si quis formicis daret intellectum hominis, nonne & illæ vnam aream in multas prouincias diuiderent?* Formicarum diſcurſus eſt in anguſto laborantium, tota iſta pro rebus terrenis acquirendis contentio. *Iter anguſtum rixas tranſeuntium concitat: latè patens via, ne populos quidem collidit.* Iſta quæ à cupidis & ambitioſis appetuntur, quia exigua ſunt, nec poſſunt ad alterum, niſi alteri erepta, tranſferri, eadem affectantibus pugnas & iurgia excitant.

C Sed vt diaboli fraudes in hac tentatione magis aperiantur, ipſáque propterea tentatio quàm ſit vana & fallax (qua tamen nulla magis vulgaris) vt oſtendatur, illud obſeruandum eſt, diabolum oſtendiſſe quidem Chriſto *omnia regna mundi, & gloriam illorum*; ſed non oſtendit omnia regna mundi, & moleſtias eorum, curas, difficultates, & anxietates adiunctas. Hæc perpetua diaboli fraus eſt, & hæc perpetua peccatorum deceptio eſt, quòd voluptates peccato coniunctæ clariſſimè cernuntur; triſtitię & dolores non cogitantur. Certè Antigonus, Macedoniæ Rex, vocauit Regnum, *Splendidam ſeruitutem.* Auguſtus Cęſar, equite quodam Romano defuncto, qui æs alienum ingens contraxerat ideóque res eius auctioni ſubiicerentur, iuſſit ſibi emi culcitram eius cubicularem; ac mirantibus hoc præceptum, Habenda eſt (inquit) ad ſomnum conciliandum, in qua ille tanto ęre alieno obſtrictus, ſomnum capere potuit. Nam Auguſtus, ob ingentes curas, ſæpe maximam noctis partem ducebat inſomnem. Quòd ſi verò regna mundi, diuitiæ, honores, multis videntur nihil huiuſmodi habere difficultatis, ſed contrà omnia in illis eſſe voluptate plena, curáſque coniunctas honeſtiſſimas eſſe adeóque delectabiles animi exercitationes, hoc prauum iudicium ex animi morbo ortum habet. Nam vt vlcera quædam noctuas manus appetunt, & tactu gaudent, & fœdam corporum ſcabiem delectat quicquid exaſperat: ſic quibuſdam mentibus, in quas cupiditates, maximè ambitio, velut mala vlcera erumpunt, voluptati eſt labor, & vexatio, & inanis occupatio, à quibus tamen magis augentur animi morbi, magis accenduntur cupiditates, altiùs terrenis deſiderijs

D mens immergitur, & tenaciùs adhæreſcit. Sed vt curas ac moleſtias præſentes, diuitijs terrenis annexas (de quibus aliàs diximus) miſſas faciamus, multam vanitatem, peccandi materiam multam, illis proximè coniunctam eſſe, per ſe manifeſtum eſt: cupiditatem verò rerum harum, & Deum grauiter offendere, & ſemen verbi Dei ſuffocare; & corda aggraua-re, & *radicem omnium malorum eſſe*, tum in præcedentibus per occaſionem oſtenſum eſt, tum Apoſtolus perſpicuè affirmat. Hoc totum diabolus, nec hic Chriſto, nec ijs quos quotidie ad auaritiam & ambitionem tentat, oſtendit; ſed externam tantum gloriam. Iubet Deus in veteri Lege, animalia, quæ ei offerebantur, omnia excoriari, & detracta pelle offerri. Pellem voluptatis vitio inductam detrahere oportet. Angelus Tobiæ dixit: *Exentera piſcem, & cor eius, & fel: ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta.* Sic exentera voluptatem carnis, diuitias, honores; fel videbis cæcis oculis medicinam. Multum enim confert, vt malitiam peccati agnoſcas, & mundi vanitatem. Statua quam in ſomnis vidit Nabuchodonozor, habuit caput aureum,

Sap. 11. *Eſaiæ 40.* *1. Ioan. 2.* *Iacobi 4.* *Pſalm. 36* *Epiſt. 111.* *Apophth. Apud Senec. ep. 59.* *Exempla. Sueton. in Auguſto.* *Apophth. Bapt. Fulgoſ. l. 7. c. 2* *Paulus Diac. l. 6. hiſtor.* *In præfat. lib. 1. Nat. quæſt.* *Similia. Apophth. Idem l. 3. de Ira cap. 35* *Diabolus oſtẽdit gloriam, ſed non moleſtias diuitiarum & honorum.* *Plutarc. in Apophth. Græc. Macrob. Satur. lib. 2. c. 4.* *Apophth. Cur labor circa diuitias voluptas videtur non labor. Simile. Seneca de tranquil. vitæ, l. 1. c. 2.* *Dom. Sex.* *1. Tim. 6.* *Leuit. 1. Allegoria. Tob. 6.* *Daniel. 2.*

Apoc. 17. Simile. sed pedes terreos. Mundi principia iucũda sunt, sed exitus tristes. Mulier illa in Apocalypsi, quæ Babylon magna vocatur, habuit *poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditijs.* A Poculum aureum ostendit diabolus; latentes abominationes non ostendit. Sunt nempe mundi honores, diuitiæ, voluptates, sicut vuæ acerbæ, & poma viridia atque immatura, quibus dentes comedentium obstupescunt. Sed speciem tantùm & viriditatem diabolus ostendit, acerbitatem tacet. De hac eius deceptione aliàs diximus.

Peccatores diabolo seruiunt. Maxima postremò tentatoris deceptio & importunitas est, quòd tantos dolos nectens, adorari tamen vult. *Si cadens adoraueris me*: hoc est, si te mihi totum subieceris, & meo imperio parueris. Hoc facit omnis auarus & ambitiosus. Seruit ille mammonæ, iste superbiæ. Vtriúsque princeps diabolus est. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* At opus Diaboli peccatum est. *Venit enim Christus vt dissoluat opera Diaboli*, quæ sunt peccata. Et superbis Iudæis, de genere Abrahæ gloriantibus, dixit Christus: *Vos opera facitis Patris vestri Diaboli.* Cadens ergo adorat diabolum, qui peccato seruit, qui gloriam & pompam huius mundi affectat, quæ etiam in Baptismi nostri mysterijs pompa diaboli vocatur. Sacrificia Gentilium non nisi ex superbia diabolus affectauit: *Non enim cadauerinis nidoribus, sed diuinis gaudebat honoribus: nec cuiuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectabatur*, ait Augustinus. Eadem ex causa, ad sui obsequium, hominum mentes varia cupiditate peruertit.

Ioan. 8. 1. Ioan. 3. Ioan. 8. August. de ciu. Dei, lib. 10. c. 19

B

9. *Vade Satana.*

Diabolum vincendi modus. LOcus moralis de horrendis tentationibus hoc verbo fidei celeriter repellendis: *Vade Satana.* Nam vt Christus hoc dixit tanquam homo diuino Spiritu plenus, non quidem ex fide, quia comprehensor erat, Deiq; visione eius anima fruebatur; sed tamen ex ea fortitudine Spiritus, quam in illo quidem visio diuina generabat, in nobis verò fides & visio in speculo atque ænigmate generat: sic nos eiusdem diuini Spiritus participes (*misit enim Deus Spiritum Filij sui in corda nostra*) & ex fortitudine fidei dicere possumus & debemus tentatori, quẽ repellere possumus & debemus, dicendo, *Vade Satana.* Sic enim facimus quod Petrus dixit: *Cui resistite fortes in fide.* Resistere, est à se repellere: fortitudo fidei est in illa voce, *Vade Satana.* Fortitudo inquam fidei quæ est *similis grano sinapis*, acris, & mordens, & feruens. Hæc enim etiam imperat dæmoni, sicut imperat alijs creaturis. *Dicetis monti huic, Transi; & transibit*, sed magis dæmoni, quàm creaturis. Hunc enim tanquam aduersarium proprium & principalẽ Christus pro nobis vicit, & nos in illo vincimus. De qua victoria dixit, *Confidite ego vici mundum.* Eadem enim est virtus qua Christus vicit, & qua nos vincimus; eadem Spiritus sancti operatio. Nam si vt Deus tantùm mundum vicisset, aut hoc dixisset; quæ esset nostra confidentia, qui non sumus dij? Sed ideo iubet nos confidere, quia eadem virtus operatur in membris, quæ operata est in capite. De hac victoria Paulus: *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Magna virtus Spiritus sancti in cordibus fidelium, quæ Satanam non repellit tantùm, sed & conterit sub pedibus, idque velociter: quia, vt Iacobus ait, *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Nam & in hoc Euangelio post hoc Christi verbum, Vade Satana, *recessit ab eo diabolus*, nec vltra tentauit. De hac re plura diximus in alio Euangelio.

Galat. 4. 1. Pet. 5. Matth. 11. Ioan. 16. Rom. 16. Iacobi 4. Dom. 5. post Epiphan. text. 7.

C

Sed & docet hic locus, horrendas tentationes, & quæ diuinæ Maiestati apertam iniuriam faciunt (qualis hæc erat, *Si cadens adoraueris me*) confestim & in ipsis principiis, tanquam scintillas ignis infernalis violenter excutiendas; siue tacita diaboli suggestione, horrendæ cogitationes in animo exoriantur; siue per ministros eius, homines impios, verbo vel facto tentatio fiat. Vtcunque enim in nostra iniuria patientiam & mansuetudinẽ exercere possumus & debemus, tamen Dei iniuria nullo modo ferenda est; siue contra sanam doctrinam, & Religionem orthodoxam, siue contra regulam pietatis & bonos mores scandalosè proferatur: sed in huiusmodi dicendum, *Vade Satana.* Non est magni animi, qui de alieno liberalis est; sed qui, quod alteri donat, sibi ipsi detrahit; & qui in sua iniuria vindicanda mollis, in aliena vehemens, & acer est. Moyses in suis iniurijs ferendis, *mitissimus hominum super terram*, in Scriptura prædicatur; vt apparet in fratris sui Aaronis, & sororis Mariæ contumelijs. At in Dei iniuria vindicanda vehementissimus fuit. Quum populus eo absente vitulum aureum fabricasset, & pro Deo suo adorasset, descendens de monte, & illam insaniam cernens, primùm *tabulas legis*, quas à Deo acceperat, *ad radicem montis confregit.* Deinde *arripiens vitulum quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam.* Sed ex illo puluere *dedit postea potum filijs Israel*, vt maiori horrori & contemptui suum vitulum haberent. Aaron quoque fratrem suum vehementer obiurgauit. Nec his contentus conuocato populo, clamat: *Si quis est Domini, iungatur mecum.* Móxque ait: *Occidat vnusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum suum.* Quo facto dixit: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Vides vt hic mitissimus hominum super terram, in Dei vindicanda iniuria fuerit planè acerrimus. Sic in omni tentatione ad peccatum (in quo Dei honor violatur, amor deseritur) acriter & vehementer agendum, non remissè & molliter. *Vade Satana*, impetum ostendit animi fidelis, Deiq; amantis. Sic Paulus ad Elymam magum: *O plene dolo & omni fallacia, vsquequo non desinis peruertere*

Deiiniuria feruenter vindicãda. Simile. Seneca de clementia lib. 1. ca. 10 Exemplũ. Num. 14. 1. Exod. 32. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Exemplũ. Actor. 17.

D

vias

A *vias Domini rectas?* Móxque eum cęcitate percutit. Multorum experimento probatum eſt, hac voce fidei, *Vade Satana*, graues & horrendas tentationes repulſas & deuictas fuiſſe.

10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

LOcus moralis de generali ſolutione omnium tentationum. In omni quippe peccato, Dei cultu & honore abdicato, ſeruimus dijs alienis, & idololatriam perpetramus. *Auaritia idolorum ſeruitus eſt*, ait Paulus. Verè enim auarus pecuniam ſuam colit & adorat, qui ea vti non audet, ſed tanquam ſtatuam in arca fixam veneratur. Guloſi & ebrioſi ventrem ſuum colunt: *Quorum Deus venter eſt*. Superbus ſui ipſius amorem tanquam Deum colit, quia Deum largitorem non agnoſcit, cætetis omnibus ſe anteponit, ſuam voluntatem in omnibus fieri atque expleri (quod ſoli Deo conuenit) omnino vult. Hanc idololatriam expreſſit Prophetа his verbis: *Dixiſti, Deus ego ſum: dediſti cor tuum quaſi cor Dei*. Hoc facit omnis inordinatus amor ſui. Idcirco *initium omnis peccati ſuperbia*. Peſtis totius pietatis eſt, quia *omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti*. Omnes peccatores idololatræ ſunt, habent ſua idola quæ colunt: id eſt, in quorũ gratiam omnes ſuas cogitationes, occupationes, ſtudia, negotia impendunt. Similes ſunt Samaritanis, de quibus dicit Scriptura, *quòd timebant Deũ, ſed habebant idola quæ adorabant*. Sed ma-
B ledicit illis Propheta, *qui iurant in Domino, & iurant in Melchom*. Clamat Elias: *Vſquequo claudicatis in vtramque partem? Non poteſtis Domino ſeruire & Baal*. Clamat Samuël: *Auferte deos alienos de medio veſtri, & ſeruite Domino ſoli*. Ioſué proteſtatur filijs Iſraël: *Non poteritis ſeruire Domino. Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt. Si dimiſeritis Dominum, & ſeruieritis dijs alienis, conuertet ſe, atque affliget vos, atque ſubuertet, poſtquam vobis præſtiterit bona*. Clamat per Eſaiã: *Ego Dominus: gloriam meam alteri non dabo*. Denique in capite libri ſcriptũ eſt, in principio legis: *Non habebis deos alienos præter me*. Ac poſtremo Chriſtus in alio Euangelio apertiſſimè dixit: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ*. Hoc totum Chriſtus hic replicat, tanquam totius pietatis fundamentum, tanquam omniũ tentationum remedium. Qui Dominum Deum adorat, & illi ſoli ſeruit, id eſt, eum ſolum præcipuo amore colit, (colitur enim Deus amore) ille nulli tentationi ſuccumbit, ille nec auaritia nec ambitione, nec vlla voluptate terrena, vtcunque inſtigante, & ſolicitante diabolo, capietur. Quod hic loco proprio breuiter explicandum eſt.

De amãdo Deo ſuper omnia.

Iniquitas omnis idolatria eſt. Coloſſ. 3. Philip. 3. Ezech. 28. Eccli 10. Philip. 2.

4. Reg. 17. Sophon. 1. 3. Reg. 18. 1. Reg. 12. Ioſue 24. Eſaiæ 41. Exodi 16. Matth. 6.

Amor Dei ſuper omnia.

Manifeſtum eſt nihil prorſus noſtrum eſſe, & proprium nobis, & in poteſtate noſtra, quod alteri debemus, præter amorem & voluntatis noſtræ affectum. Hic ſolus in noſtra potẽſtate
C eſt; à nobis, niſi volentibus nobis, auferri non poteſt. Æquè manifeſtum eſt, cuicunque amorem & voluntatis affectum damus, rei amatæ nos penitus conformari, & tales nos eſſe, quale id quod amamus. Nam & ideo amor omnis à re amata nomen ſuum accipit; & terrenus vocatur ſi terrena, cœleſtis ſi cœleſtia amat: quúmque liberrimè quicquid amatur, amamus, neceſſe eſt, vt quod principaliter amamus, totos nos poſſideat, quia totos nos ei conceſſimus. Nec minùs manifeſtum eſt voluntatem noſtram, animã, & id totum quod ſumus, ex rei amatæ, vel dignitate nobilitari, & bonitate beatam reddi, vel turpitudine dehoneſtari, & malitia ac miſeria miſeram, & infœlicem effici. Vnde ſequitur, de nulla re ſolicitiùs nobis proſpiciẽdum eſſe, quàm quid amemus, & cui principaliter rei amorem noſtrum affigamus. Porrò quum amor voluntatem immutet, videndum vt non niſi in melius hæc mutatio fiat, ne præter omnium rerum naturam circa nos ipſos agamus. Omnia enim naturæ ductu non niſi in melius mutantur. Aqua, terra, & aër, prima rerum elementa, mutantur in plantas & arbores, res natura nobiliores, quia animatæ ſunt. Arbores & plantæ, mediantibus eorum fructibus, in naturam animantium tranſeunt, quibus cibus ſunt. Animalia plantis nobiliora ſunt, quia vita viuunt etiam ſenſitiua. Animalia poſtea in noſtra corpora mutantur longè digniora. Iam verò, vt mutatio per amorem in melius fiat, ſolus Deus principaliter
D amandus. Omnes enim cæteræ creaturæ, vel inferiores nobis ſunt, vt quicquid hoc vniuerſo aſpectabili comprehenditur, quod propter hominem creatum fuit; vel certè æquales nobis, inquantum voluntatem creatam habent ſicut nos, vt Angelica omnis creatura. Eſt autem indignum inferiori ſeruire, iniuſtum æquali. Præterea quum amor donum quoddam ſit, idque primarium & excellens, dari non debet niſi redamanti. Amor enim amore compenſandus eſt: & quum totum atque vnicum quod dare voluntas poteſt, amando dat, meretur certè, vt ab eo quod amat, par recipiat. Quare amari non debet, niſi quod amoris vim recognoſcat, & agnitum redamare & compenſare, tum velit liberaliter, tum poſſit affluenter. At nulla res liberi arbitrij expers redamare poteſt, non mundus, non diuitiæ, non honores, non voluptas, non aliquid Angelo minus; & ſolus Deus ſuperabundanter hoc poteſt & vult. Nihil igitur creatum noſtro amore principaliter & propter ſe dignum eſt. Hinc autem ſequitur, quòd, quum ea amamus quæ redamare non poſſunt, vt aurum, honores, voluptates, æquos, canes, & ſimilia; triplici nos ipſos iniuria afficimus. 1. Quia degeneri amore rebus vilioribus afficimur, & toto genere à nobis alienis; quibus per amorem vniti, & *facti ſicut ea quæ dileximus* (vt Propheta ait) naturæ noſtræ dignitati magnam labem inferimus. 2. Quod precioſiſſimum habet

1. *Remundus Sebon, natura theol. cap. 129 & ſequent.*

2.

3.

4.

5.

6. *Amari non debet, niſi quod nos redamat.*

7.

Oſeæ 13.

voluntas noſtra, id perit nobis prorſus, quando ibi collocatur, vnde mutui amoris nullum beneficium recipiet. 3. Naturæ ſuæ domicilium deſerit, vt in terra aliena, eáque bonorum omnium ſterili, vaga, ieiuna, & inops vitam traducat miſeram. Nam in mundi huius amore alij aëre, & vento paſcuntur, vt ſuperbi, quaſi chamæleontes eſſent: alij metallo, vt auari, quaſi vultures eſſent: alij luto, vt carnales, quaſi porci eſſent: alij veneno, vt inuidi, quaſi bufones eſſent. At animus humanus nihil horum eſt, nec his rebus paſci poteſt: vnde & delectari non debuit. Iam verò quum amor non excedat rem amatam, nec latiùs ſe extendere poſſit quàm quò ſe diffundit id quod principaliter amat, & tanquam finem, propter quem cætera; ſi res principaliter amata anguſta eſt, amor quoque anguſtus erit, & ad pauciſſima ſe diffundet. At quanto res amata bonum quoddam eſt generalius, & à quo alia multa dependent amore digna, tanto erit amor noſter in ſe vberior, nobis fructuoſior, alijs communior, ſeu magis communicabilis: ſic auarus, quia non niſi aurum amat, & hoc pro ſummo bono habet, non vt vtatur, ſed vt poſſideat; propterea nec Deum amat, nec proximum, nec ſeipſum. Nam nec in ſuos vſus expendere audet, ne cumulum minuat; nec recogitat, dicens: *Cui laboro, & fraudo animam meam bonis*? Vides quàm anguſtus hic amor eſt. At qui Deum amat propter ſe, & principaliter, non propter aliud & ſecundariò; quia omnia creata ad Deum pertinent, & à Deo dependent atque amantur (*Diligit enim omnia quæ creauit*) ideo omnes res creatas in ordine ad Deum amat. Hic amor eſt in ſe vberrimus & puriſſimus: amanti vtiliſſimus; quia nihil ſic redamare poteſt, & ſolet ſicut Deus: ad alia effuſiſſimus; omnes enim mortales tanquam proximos ſuos amat: omnes bonos tanquam Deo coniunctiores, arctiori amore complectitur. Hæc quæ de amore Dei, & creaturarum hactenus diximus, in amore coniugali conſiderato clariùs eluceſcent. Voluntas amans ſponſæ & vxoris locum tenet: quod principaliter, & propter ſe amatur, viri & ſponſi rationem habet. Nam vt vir caput eſt mulieris, & mulier ſubiecta viro; ſic res principaliter amata, quicquid illud ſit, imperat voluntati, & voluntas ei ſubiicitur. Rurſum ſicut mulier liberè acceptauit virum; ſic voluntas liberè elegit ſuum ſummum bonum. Sicut mulier vnum virum, ſic voluntas vnum habet quod principaliter amat, non plura. Denique ſicut mulier viuente viro alium amare non poteſt, & niſi per mortem amor ille non diſſoluitur; ſic voluntatis amor erga rem principaliter amatam, niſi per mortem ſpiritualem voluntatis, diſſolui non poteſt. Nam & mori mundo debes, vt Deum principaliter ames; & mori Deo neceſſe eſt, ſi mundum amas principaliter. De priori Apoſtolus dixit: *Qui mortui ſumus peccato, quomodo viuemus in illo*? De poſteriori D. Iacobus: *Qui vult amicus eſſe huius ſæculi, inimicus Dei conſtituitur*. Ex his apparet, voluntatis amorem erga ea quæ principaliter amat, ſeu Deum, ſeu creaturas, amoris coniugalis veram ſimilitudinem & rationem habere. Quare & in Scripturis anima Deum amans, ſponſa eius dicitur: *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*: & huius copulæ *Sacramentum magnum eſt in Chriſto & Eccleſia*. Animæ verò creaturarum amore corruptæ dicitur: *Tu fornicata es cum amatoribus multis*. Da nunc infimæ conditionis hominem qui octo filias habuerit, quarum prima ruſtico nupſit, ſuæ conditionis viro; ſecunda mercatori, tertia militi, quarta nobili, quinta Comiti, ſexta Duci, ſeptima Regi, octaua Imperatori. Per has diuerſas nuptias, ſororum iſtarum ſtatus & conditio multum diuerſa facta eſt. Prima enim in ſui generis conditione manet, nec meliori loco nec deteriori. Secunda primam excedit, tertia ſecundam, & ſic vſque ad octauam, quæ in ſummo gradu nobilitatur. Quemadmodum autem hæc nobilitas diuerſa non ex feminarum parte, ſed virorum cauſam accepit, & viri eſt vxorem nobilitare, non contrà; ſic omnino voluntatem humanam res amata, vel nobilem, vel ignobilem reddit. Si terrena amat, ignobilior redditur quã erat; ſi non niſi homines, ſui ſimiles, nullam nouam nobilitatem acquirit; ſi Angelos tantùm, vnũ quidem habet nobilitatis gradum, ſed non ſummum: at ſi Deum amat, & principaliter amat, ſicut vxor virum, iam in ſummo gradu nobilitatis & fœlicitatis conſiſtit. Hac de cauſa dicit hic Chriſtus contra diaboli tentationes, qui ad infirmarum rerum amorem voluntatem trahit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Illum per amorem coles, quia ex illius amore magnam nobilitatem, veram fœlicitatem acquires. Præterea quemadmodum Imperatori coniugata, eúmque perfectiſſimè amans, innumeros homines ſeu ſanguine ei coniunctos, ſeu beneficijs deuinctos, ſeu officijs obſtrictos amat quoque, ſic anima Deum purè amans propter Deum innumera amat alia, amore non principali, ſed ſecundario, & in ordine ad Deum; ſicut Imperatori coniugata non hoſtes, ſed amicos & ſubditos viri ſui amat. Rurſum ſicut mulier viro locupleti nupta, viro bono, honorato, & omnibus rebus affluenti, beatas nuptias conſecuta dicitur, & nulla re indigebit, in ſumma pace & affluentia vitam aget; viro autem improbo, indigenti & vili nupta, infeliciter nupta dicitur, duram, miſeram, afflictam ætatem ducet: eodem planè modo anima quæ Deum ſponſum elegit, & Deum, vt ſummum ſuum bonum ſuper omnia amat, beato amore amat, & cum Scriptura dicet: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus*: quæ autẽ voluntas in rebus terrenis amorem fixit, & hunc ſibi ſponſum delegit, miſeram ſeruitutem ſeruiet, & ex libera, ac per creationem nobili mancipio nupta, ſerua erit & ipſa, multis cupiditatibus captiua, innumeris peccatis obnoxia, ſempiternis pœnis affligenda. Deniq; ſicut monſtrum eſſet vt mulier pecudi nubat; ſic planè monſtrum eſt, & contra naturam, vt voluntas humana

A

De contẽp. mundi, par. 3. c. 3.

8

Amor pecuniæ anguſtus.

Eccleſ. 4.

B

9.

Rom. 6.
Iacobi 4.

C

2. Cor. 11.
Epheſ. 5.

Ierem. 3.
10.
Simile.

Amor Dei animam nobilitat.

D

11.
Simile.

12.
Simile.

Amor Dei animam omnibus bonis ditat.
Sap. 7.

A humana rebus terrenis, ſicut principali & ſummo bono ſuo, per amorem copuletur. Atq; hæc quidem ex parte ipſius animæ,& voluntatis humanæ ſatis oſtendunt, quàm ſit creaturarum amor indignus. Nunc autem ex parte Dei quem ſolum principaliter anima humana amare debet, paucis oſtendetur quàm ſit creaturarum amor iniuſtus. *Amare terrena monſtrum naturæ.*

Voluntas humana quum non niſi vnum aliquid principaliter,& ſub ratione finis vltimi amare poſſit, ſicut vxor niſi virum vnum coniugali fœdere iunctum: hinc ſequitur, vnum tantùm eſſe ſummum hominis bonum,& ab eo principaliter dilectum. Porrò illud vnum aut Deus eſt, aut creatura aliqua. Qui ergo Deum pro ſummo bono non habet, aliquam creaturam, vt ſummum bonum neceſſariò colit. Inter creaturas verò neceſſe eſt, vt illud voluntas præcipuè amet, quod illi eſt coniunctiſſimum. Quum ergo nihil ſit voluntati humanę ſeipſa coniunctius, voluntatem autem homo ſic habeat, vt ea vti poſſit quaſi re diſtincta, quum ſit intima neceſſe eſt, ſi Deum principaliter voluntas non amet, vt ſeipſam principaliter amet. Si Deus illi ſummum bonum non eſt, propria voluntas erit. Quòd ſi propria voluntas primum locum tenet, certè non niſi ſecundum tenebit Deus. Si ante omnia propriæ voluntati in omnibus ſatisfacere homo vult, certè Deo non volet obedire, niſi quatenus propriæ voluntati ſatisfiat. Atqui hæc eſt ſumma impietas. Hæc omnis peccati radix. Hæc vera eſt idololatria. Se- ipſum enim, ſuámque voluntatem, vt Deum colit. Ei placere, morem gerere, ſatisfacere, eius deſideria explere, mandata exequi, vota præſtare in omnibus ſtudebit. Vide autem quan- B ta iniquitas hæc eſt, vt intelligas quàm ſit tibi neceſſarium, *Dominum Deum tuum adorare, & illi ſoli ſeruire.* Primùm, Deum amore & obſequio illi debito nefariè ſpolias: *Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te?* Titulo creationis, gubernationis, redemptionis, omnis illi & ſupremus amor debetur, vt mandatum taceam. Deinde quo Deum ſpolias, id tibi ipſi nefariè tribuis,& cui id tribuere te libet. Non eſt crimen læſæ Maieſtatis grauius, quàm ſceptrum ſibi & ſolium regium vendicare. At tu hoc facis, qui te ipſum ſupra omnia amas, & in tua, non Dei voluntate, ſummum imperium ponis. Præterea tibi arrogas quod ſoli Deo proprium eſt. Solus Deus propriam voluntatem habet omnium rerum cauſam & regulam. Sola Dei voluntas nullam ſuperiorem habet quam ſequatur, cui pareat. Solius Dei eſt, iuxta ſuam ſanctiſſimam voluntatem actiones ſuas omnes dirigere, *& omnia facere quæcunque voluit.* At tu, qui te ipſum ſupra omnia amas, & tuam voluntatem in omnibus ſequeris, totam hanc ſolius Dei optimi maximi prærogatiuam, maiori quàm dici poteſt impietate, tibi arrogas. Vis tuam voluntatem eſſe regulã rerum omnium, vt omnia fiant pro tuo beneplacito. Non vis tuam voluntatem vlli alteri ſubiici, nec Dei, nec hominum legibus parere. Vis iuxta tuam voluntatem teipſum, & alia omnia cur- C ſum ſuum tenere. Atqui ſicut ſceptra & diademata Regum ſunt propria; ſic ſolius Dei eſt, ſuam propriam voluntatem amare. Quare qui tuam voluntatem, vt tuam amas, eam Deo iniuriã facis, quàm qui Regi ſceptrum è manibus extorquet. Hinc porrò fit, vt amor noſtri ipſorũ perpetuum cum Deo bellum gerat: & quemadmodum qui ſceptrum & ſolium regale affectat, ad ea pariter omnia aſpirat, quæ Regi debentur obſequia; ſic omnino, qui ſeipſum ſupra omnia amando, Dei ſolium inuadit, omnem pariter diuinitatem affectat, ſuis deſideriis & cupiditatibus omnia ſeruire vult. Atque hinc fit, vt ſeipſum amans, Deum odio habeat, omnia eius mãdata contemnat, ſimúlque diuinam indignationem acerrimè prouocet. Denique, vt finem faciamus, & vtriuſque amoris, Dei ſupra omnia, vt Chriſtus hic docet; atque noſtri ſupra Deum, vt diabolus tentando hic ſuggeſſit; varios ac contrarios effectus oſtendamus: ille amor eſt totius virtutis, ac pietatis fundamentum, hic totius impietatis & peccati origo. Amor Dei voluntatem noſtram latiſſimè patere, & ad quàmplurima ſe per amorem diffundere facit: amor noſtri ſingularis eſt, anguſtus nec niſi proprius. Amor Dei reddit voluntatem iuſtam, ſanctam, humilem, ad omne bonum opus paratam: amor noſtri prauam, impiam, arrogantem, ad omne nefas procliuem. Amor Dei volenti pacem, tranquillitatem, ſuauitatem adfert: amor noſtri moleſtias, inquietudinem, iurgia procurat. *In domo enim ſuperborum non deſunt iurgia. Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* Amor Dei voluntatem di- D latat, ditat, amplificat: amor noſtri minuit, coarctat, premit. Amor Dei voluntatem noſtram ſumma libertate donat, ab omni creaturarum ſubiectione liberat, & in alias omnes creaturas imperium concedit. Sic D. Paulus: *Scio abundare, ſcio & penuriam pati.* Et rurſum: *Quis nos ſeparabit à charitate quæ eſt in Chriſto? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? In his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Amor noſtri omnibus nos creaturis captiuos ac ſubiectos reddit. Auarus enim ſuo auro, ſuperbus honori, carnalis voluptati, guloſus ventri, cæterique peccatores omnes ſuis inſanis cupiditatibus ſeruiunt. Rurſum amor Dei animum ſtabilem & conſtantem facit, firmoque loco ponit, vnde nulla eum violentia depellat. *Valida enim eſt vt mors, dilectio, & hunc ignem nulla aqua poterit extinguere. Ædificauit ſupra petram,* quæ nullo vento aut turbine mouetur: amor noſtri voluntatem facit perpetuò mutabilem, & nullo certo loco conſiſtentem. Nam quemadmodum qui nauigat, velit nolit, vnà cum naui mouetur; ſic res fluxas & mobiles qui amat, ipſe fixus & conſtans manere non poteſt, ſed pariter cum illis huc illucque impellatur neceſſe eſt. Amor Dei, voluntatem Deo maximè vnit, maximéque vnam & collectam tenet, quum Deus quem amat maximè ſit vnus & inuariabilis:

Summum bonum aut Deus eſt, aut quiſq; ſibi.

Amor ſui idololatria ſpecies.

1. *Malach.* 1. *Deut.* 32.

2.

Simile.

3.

Pſalm. 113.

4.

5. *Amor ſui bellum gerit cũ Deo.*

Simile.

Amor Dei & ſui effectus diuerſi.

1.

2.

3.

4. *Prouerb.* 13 & 17.

5.

6.

Philip. 4. *Rom.* 8.

7.

Cant. 8.

Matth. 7. *Simile.*

8.

indéque fortitudinem consequitur inuictam. Omnis enim virtus vnita fortior. Amor nostri in multa nos diuidit & dispergit, ideóque debilem necessariò & infirmam facit; quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Amor Dei, voluntatem quasi in domo natiuitatis suæ florẽtem tenet. Ad imaginẽ enim Dei creata fuit, & ei assimilata, vt eum suauius diligeret: sicut pupas paruuli diligunt, quia sui ipsius similitudinem gerunt, & Deum Gentiles in humana effigie repræsentant, quia nihil homine, hoc est, seipsis pulchrius aut excellentius putabant. Amor sui in terram quasi alienam, exulem pellit, vt creaturis seruiat, quibus imperare debebat. Amor Dei, animam satiat, & omnibus replet bonis. Nam & ideo triangularis facta est, ex tribus potẽtijs consistens, vt solius indiuiduæ Trinitatis amor eam compleret. Triangulum enim circularis figura (qualis mundus est) replere non potest. Amor sui nunquã satiat, quia cupiditatibus nunquam fit satis. Qui rectam viam tenet, exitum inuenit: aberranti de via nullus est exitus. Necessitas suum terminum habet, cupiditas nullum. Amor Dei, voluntatem speciosam reddit Deo, & Angelis & hominibus gratissimam. *Lucent enim opera eius, & glorificatur in illis Deus.* Amor sui, turpem, ingratam, & odiosam facit. Nemini enim bene vult, præterquam sibi. Sic à nemine amari potest. Ex his ergo aliqua ex parte explicari poterit, quàm sit hoc salutare, necessarium, & contra omnes tentationes præsentissimum remedium: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies:* id est, eum supra omnia coles, diliges, concupisces.

9. *Simile.*

10. *Simile.*

11. *Matth. 5.*

A B

EVANGELIVM DOMINICÆ II.

Quadragesimæ.

Matth. 17. ASSVMPSIT Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol. Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce, apparuerunt illis Moyses & Elias cum illo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine bonũ est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria Tabernacula: tibi vnũ: Moysi vnũ, & Eliæ vnũ. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ipsum audite. Et audiẽtes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos; dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

C

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Duxit eos in montem excelsum seorsum.* De via virtutis & veræ gloriæ.
2. *Et transfiguratus est ante illos.* De glorioso præmio laborum qui in hac vita pro pietate suscipiuntur.
3. *Bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula.* De amore rerũ præsentiũ inordinato.
4. *Bonum est nos hic esse. Faciamus hic tria tabernacula.* De amore rerum cœlestium.
5. *Ipsum audite.* De perfecta obedientia erga Christum.

D

1. *Duxit illos in montem excelsum seorsum.*

Via virtutis & gloriæ ardua. LOcus moralis de ardua via virtutis & veræ gloriæ. Christus enim volens partem suæ gloriæ charissimis suis discipulis in Transfiguratione ostendere, ascendit in montem, eósque in montem ducit, vt doceat, viam ad gloriam esse arduam virtutis viam, qua ascenditur; non planam & facilem voluptatis viam, qua in barathrum descenditur. Moyses Legẽ accepturus, in montem Sina ad Deum ascendit; carnalis populus inferiùs manet: & prædicit Moyses: *Bestia quæ tetigerit montem, morte morietur.* Qui brutalem vitam agunt, ascendere ad Deum nõ possunt. Sic Christus in monte docet discipulos & turbas; satiaturus turbas ex paucis panibus & piscibus, subijt in montem. In monte Oreb, qui & Sina, Moyses accipit tabulas Legis, Elias colloquio Dei fruitur. In monte Moria, qui & Sion, Spiritus S. datus est. In monte Oliueti Christus cælum ascendit. In monte Caluariæ exaltatus à terrà in crucem, omnia traxit ad seipsum.

Exodi 19. Allegoria. Matth. 5. Ioan. 6.

A ad ſeipſum. Vides omnia Dei opera excelſa & glorioſa, non niſi in monte patrari. Docent hæc, animo nos ad excelſa conſcendere oportere, terrena deſpicere. *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt*, ait Apoſtolus. Et rurſum: *Quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ ſunt ſuper terram.* Hæc ad gloriam & veræ virtutis via eſt. Ad virtutem quod attinet, Diaboli inſidias, quas inceſſanter virtuti ſtruit, hac ſola ratione euadis. Quod ſic appoſitè docet Chryſoſtomus: *Diabolus formam ſerpentis gerit, deorſum trahitur, ab inferiore loco depugnat, id eſt, à rebus quæ infra nos ſunt, à voluptate, diuitijs, rerum terrenarum amore. Si quem viderit volatu ad cælum ferri, primò eò vſque pertingere non poteſt. Deinde id aggreſſus celeriter labetur. Neq; enim pedes habet, ne formides; non alas, ne terreare: ſuper terram trahitur: nihil tibi ſit cum illo commune. Veluti ſerpens ſpinis occultatur, intra diuitiarum impoſturas aſſiduè latitãs. Quòd ſi ſpinas incenderis*, diuitiarum amorem excuſſeris, *an fugiet timidus: ſi incantationes diuinas nouerit, cæleſtium amore tactus, ſtatim vulnerabitur.* Hæc ille. Via ergo virtutis, & immunem eſſe à diaboli laqueis, hoc eſt, vt animo ad excelſa conſcendas: nec eſſe de numero eorum, de quibus Dauid dicit, *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terrã.* Hæc te via ducit ad montem excelſum gloriæ ſempiternæ. Aſcendere aduerſo itinere, laborioſum eſt, quia *per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei.* In Canticis legitur, quòd Salomõ *fecit ſibi ferculum de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum; ſed aſcenſum eius fecit purpureum, & media charitate conſtrauit.* Aſcenſus purpureus eſt, quia per ſanguinem aſcendere oportet ad montis verticem, mediante & inſtigante charitatis diuinæ flamma, hoc eſt, amore re-

B rum cœleſtium, contemptu terrenarum, aut certè ſolo vſu earum abſque cupiditate illicita. Apertiùs hoc Dauid expreſſit: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Reſpondet: *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam.* Innocentia manuũ, opera bona ſignificat; ſed ex mundo corde, ne vana gloria, aut malo fine ſordidentur: quæ in eo inueniuntur, qui non accepit in vanũ animã ſuã, id eſt, qui non ad aliud animam ſuã applicat, aut alijs addicit, quã ad quæ inſtituta & creata fuit. *Creatus autem eſt homo* (ait S. Auguſt.) *vt ſummũ bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur.* Hæc eſt via ad montem gloriæ cæleſtis. Quod & Ethnicus videre potuit: *O quàm ridiculi ſunt mortalium termini! Punctum eſt, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur. At ita ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus leuiſque ac contentus modico emicuit. Cùm illa tetigit, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis ſuæ, quòd illum diuina delectant, nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis.* Hæc Seneca. Taurus in circulo agitatus, ad eum locum ſe ſemper vertit, per quem intrauit. Nouit inſtinctu naturali ea via ſibi redeundum qua intrauit, ſi ſaluus exire velit. Cur idem naturę inſtinctus, aut ſaltem fidei lumen, nos non docet, per cæleſtium rerum amorem ad Deum eſſe redeundũ,

C à quo exiuimus, vitæque & gratiæ principium accepimus? Terra hæc tabernaculum eſt peregrinationis noſtræ, & quaſi diuerſorium tranſeuntis. Ridiculus eſſet, qui in diuerſorio poſitus totum ſuum tempus in cubiculo ſibi deſignato componendo & ornando inſumeret, à quo cras abeundum illi eſt. Satius eſſet vires reficere ad reliquum itineris peragendum. Aſcendere ergo in montem per cæleſtium rerum curam & appetitionem, non terrenis affigi oportet, vt eò peruenias. Dicit Eſaias: *Qui ſperant in Domino, aſſument pennas ſicut aquilæ.* Aquila quum in terrã deſcendit cibum captura, ſtatim in ſublime iterum auolat. Locuſtæ vix volatum vnum faciunt, & ſtatim in terram incidunt. Sic iuſti in cæleſtibus contemplandis diutius commorantur, & libentius; neceſſitati corporali obiter ſatisfaciunt, ſicut canes de Nilo lambentes metu crocodili faciunt. Peccatores autem, ſi aliquando ſpiritum ad cœleſtem aliquam cogitationem erigunt, ſtatim iterum in terram recidunt, quaſi pondere terrenorum aggrauati. Quare iuſti illa vox eſt: *Anima mea deſideranit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te.*

Cæleſtia appetenda. Philip. 3. Coloſſ. 3. Homil. 8. in Epiſt. ad Rom.

Pſalm. 16. Act. 14. Cant. 3.

Pſalm. 32.

De diligẽd. Deo cap. 3. Seneca in præfatione lib. 1. Natur. quæſt. c. 49. Similia.

Eſaiæ 26. Similia.

Eſaiæ 26.

2. *Et transfiguratus eſt ante illos.*

D

LOcus moralis de glorioſo præmio laborum in hac vita, qui pro pietate ſuſcepti ſunt. Chriſtus enim, inter cæteras cauſas, etiam ideo transfigurari voluit coram diſcipulis ſuis, vt hoc guſtu gloriæ illis exhibito, ex eo coniicerent, quãta illa cęleſtis futura eſſet, quam Chriſtus illis ſæpe verbo promiſerat; & hoc ſcopo ac fine laborum propoſito, vt ingenti ad virtutem ſtimulo vterentur. Hæc enim gloria tanta fuit, vt eius dulcedine raptus D. Petrus, quaſique extra ſe poſitus, & omnium rerũ terrenarum oblitus, etiam condiſcipulorum, & germani fratris Andreæ, quos in pede montis reliquerat, diceret Chriſto: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus tria Tabernacula*, &c. Hanc quoque ſuam gloriam illis potiſſimum diſcipulis Chriſtus oſtendit, quos cruciatuum eius in horto teſtes ac ſpectatores habiturus erat, quique pro eo grauiſſima paſſuri fuerant. Petrus enim Eccleſiæ princeps maximos in prædicatione labores, ac demum crucem ſuſtinuit. Iacobus omnium primus gladio percutiendus fuit. Ioannes longiſſimo in tempore huius vitæ ærumnas, & doctrinæ atque perſecutionum certamina ſubiturus erat: quippe qui 60. annis Chriſto paſſo ſuperuixit. Transfiguratur ergo Chriſtus ante paſſionem, & coram diſcipulis transfiguratur, vt hoc guſtu gloriæ eorum animos, &

Gloria iuſtorum.

omnium noſtros, ad labores pro pietate ſuſcipiendos, mirabiliter extimularet. Sagittariùs, ni- A
1. Cor. 10. ſi ſcopum acutiſſimè cernat, in incertum iaculatur. *Ego autem* (ait Apoſtolus) *non ſic curro, quaſi*
Philip. 3. *in incertum; non ſic pugno, quaſi aërem verberans*: ſed (vt alibi dicit) *ad deſtinatum perſequor, ad brauium*
Stella in *ſupernæ vocationis Dei*. Chriſtus ergo ſicut in circumciſione principium pretij redemptionis no-
Luc. cap. 9. ſtræ contulit, ſanguinem fundens; ſic in hac Transfiguratione principium præmij & gloriæ no-
Typus. bis elargitus eſt. Sicut filijs Iſraël per ſpeculatores oſtendit magnum illum vuarum racemum,
Num. 13. quem ſupra lignum tranſuerſum duo baiulabant, vt ad deſiderium terræ eis promiſſæ, eorum animos accenderet, tædiumque, & laborem eam debellandi, aut tolleret, aut minueret, regreſſum quoque in Ægyptum penitus eximeret; ſic in hoc Euangelio per quandam futuræ gloriæ effigiem, animos ſuorum ad huius deſerti faſtidium, & ad ſubeundorum certami-
1. Cor. 9. num fortitudinem Chriſtus excitat. *Debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, ſpe fructus percipiendi.* Sic Dauid, antequam certamen iniret cum Goliath gigante, dixit: *Quid dabitur viro qui per-*
1. Reg. 17. *cuſſerit Philiſthæum hunc?* Et reſponderunt: *Ditabit eum Rex magnis diuitijs, & filiam ſuam dabit ei, &*
Exemplū. *domum ſuam faciet abſque tributo in Iſraël.* Nempe Chriſtus in verbis hoc Euangelium paulò præ-
Matth. 16. cedentibus, tum apud ſanctum Matthæum, tum apud ſanctum Lucam, multa aduerſa pro
Lucæ 9. fide & pietate toleranda ſuis prædixerat: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*
Matth. 10. Et iterum: *In Synagogis ſuis flagellabunt vos: ante Reges, & Præſides ducemini propter me.* Et B
Ioan. 22. rurſum: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Poſt tot labores & cruces prædictas, meritò cogitare & rogare poterat: Quid ergo mercedis poſt tot labores? *Quid dabitur viro qui percuſſerit Philiſthæum hunc?* qui in funda & lapide ſimplicis prædicationis tot gigantes vicerit & ſubuerterit?
Matth. 19. Et de facto Petrus rogat: *Ecce nos reliquimus omnia: quid ergo fiet nobis?* Chriſtus ergo non quidē totā mercedem oſtendit, quia illam *nec oculus vidit, nec auris audiuit*; ſed partem mercedis: eo ſanè modo quo ſolent prudentes patres paruulis filijs, quos tenerrimè diligunt, facere. Hortatur pater
Simile. filium, vt pergat in ſcholam, & metu virgarum reluctanti ac formidanti dicit: Vade mi fili, & dabo tibi gemmam. Rogante porrò filio vt gemmam videat, clauſa manu, non totam, ſed partē oſtendit, dicens, Ecce illam, cuius cupiditate allectus, pergit alacer ad ſcholam paruulus. Prædixerat Chriſtus Apoſtolis: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Sed nunc tanquam paruulis, partem illius mercedis oſtendit. Aſſyrij milites, ſub Holoferne duce, videntes pulchritudinem Iudith,
Matth. 6. Exemplū. dixerunt; *Quis non pugnabit contra Iſraël, qui tam decoras habent mulieres?* Quanto magis pugnare debemus contra mundi illecebras, & diaboli tentamenta, pro pulchritudine cæleſtis gloriæ, cuius
Iudith 10. tam illuſtre ſpecimen hoc Euangelium dedit! Hæc conſideratio diuo Paulo in omnibus anguſtijs ac tribulationibus, quas maximas & plurimas ſuſtinuit, animum dedit, ſtimulos iniecit, & calcar appoſuit. Ideo quum dixiſſet, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*; adiecit: *Vnde etiam Saluatorem*
Exemplū. *expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpo-* C
Philip. 3. *ri claritatis ſuæ.* Hæc videlicet expectatio futuræ glorificationis etiam in corpore noſtro (cuius in hoc Euangelio ſpeciem Chriſtus exhibuit) animauit Paulum, vt animo conuerſaretur in cælis, corpore verò humiliaretur in terris. *Reformabit* (inquit) *corpus humilitatis noſtræ*, id eſt, corpora noſtra humiliata, mortificata, ieiunijs attenuata, vigilijs macerata, flagellis caſtigata, & in ſeruitutem redacta, vt Paulus in ſuo corpore fecit: non corpora delicata, & omni voluptatū genere affluentia. *Omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*: à corruptibilitate videlicet in incor-
1. Cor. 15. ruptibilitatem & in gloriam. Non nitet ferrum, niſi multo vſu confricatum. Non ſpirāt aromata,
Similium congeries. niſi piſtillo contrita. Non fructificat arbor, niſi ſæpiùs putata, & frondibus luxuriantibus ſpoliata. Quoſdam videre licet, qui per ſterquilinia & loca immunda diuagantur, obſoletos, ſordidos, & veteres pannos colligentes; quos aſpicere tantummodo, nauſeam & vomitum excitat. At qui deferunt eos poſtea in molendinum, coniiciunt in aquam, conterunt & contundunt egregiè; tandem optimam & candidiſſimam ex ijs conficiunt papyrum. Qui papyrum videt, rem ita candidam, politam, humidi capacem, ſcriptioni in tot ætates duraturæ idoneam; vix credat, ex tam vili, & ſordida, & abiecta materia confectam. At hoc facit humani ingenij induſtria, labore & varia attritione mediante. Qui vitrum cernit rem ita pellucidam, & multis præclaris vſibus aptam; quomodo cogitabat ex filicum radicibus, herba alioqui viliſſima, ad
D nullius animalis pabulum idonea, & telluris inutili pondere illud eſſe confectum? Sed illæ tamen arefactæ, contritæ, & igne vehementiſſimo liquefactæ, huiuſmodi præclaram materiam producunt, humanæ artis induſtria. Sic diuina ſapientia corpus humanum natura craſſum, ponderoſum, denſum, facit tamen agilitate aquilas luce ac ſplendore ſolem ipſum ſuperare.
Matth. 14 *Fulgebunt enim iuſti ſicut ſol in conſpectu Dei: & ambulabunt, & ſequentur Agnū quocunque ierit.* Sed hoc
Apoc. 14. facit in corporibus humiliatis: de quibus Paulus dicit: *Alij ludibria & verbera experti ſunt, inſuper &*
Hebr. 11. *vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tētati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus nō erat mūdus.* Quis hos tales ad tantā gloriā peruenturos ſine oculo fidei exiſtimaret? Nam & hoc *videntes impij* (ait Scriptura) *turbabuntur*
Sap. 10. *timore horribili & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes: Hi ſunt, quos habuimus aliquādo in deriſum, & in ſimilitudinem improperij.* Hi ſunt laceri illi & ſordidi panni, quos in ſterquilinio vidimus, vel videre potiùs præ faſtidio noluimus. *Nos inſenſati vitam eorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore*, abſq; quo fine videretur verè inſania. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Hanc gloriæ ſortem Chriſtus in hoc Euangelio quadamtenus

adumbra-

adumbrauit. Vt linum tela, & lana pannus fiat tenuis & elegans, quantas mutationes ſubire, quàm variè tonderi, texi, pecti, tundi, tingi, ac retingi debeat, norunt textores & textrices, fullones, tinctores, & pollinctores. Sic ad gloriam cæleſtem non niſi per variam *mortificationē membrorum noſtrorum, quæ ſunt ſuper terram* peruenitur. In molendinus papyraceo, parua & modica mutatione facta, exit papyrus nigra, rudis, & bibula: ſed vt exeat candida, firma, polyta, multam & variam mutationem ſubire debet. *Corpus* igitur *humilitatis noſtræ reformabit Chriſtus, configuratum corpori claritatis ſuæ*: id eſt, eodem claritatis genere, etſi non in eodem gradu, glorificandum: eamque ob cauſam ſemetipſum in terris viuens coram diſcipulis ſuis transfigurauit, *vt ſpeculatores facti gloriæ ipſius* (ait Petrus, qui cum cęteris hoc ſpeculabatur) *notam nobis facerent Chriſti virtutem*, & repoſitam in cælis immarceſcibilem coronam. Nam & ideo Chriſtus hanc gloriam oculis ſuorum ſubiecit, inferni pœnas non ſubiecit: quia fortior eſt ad pietatem ſtimulus (viris maximè, & noui Teſtamenti filiis) expectatio gloriæ, quàm timor inferni. Vnde illius mentionem ſæpius iniecit: *Niſi quis renatus fuerit, non intrabit in regnum cælorum. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*, &c. *non intrabitis in regnum cælorum. Niſi fueritis ſicut paruuli iſti, non intrabitis in regnum cælorum*. Sic Petro: *Niſi lauero te, non habebis partem mecum*. Quum diues epulo in inferno rogaret, vt quinque fratribus viuentibus pœnæ inferni demonſtrarentur, reſponſum ei eſt: *Habent Moyſen & Prophetas*. Hoc eſt, ex Scripturis eas ſatis intelligent; ocularis demonſtratio non eſt conueniens. At gloriæ cæleſtis ocularem demonſtrationem in hoc Euangelio Chriſtus facit. Eandem ob cauſam cælum nobis aſpectabile fecit, & elementum interiacens tranſparens dedit, vt aërem. Infernum aſpectabile non dedit; ſed terram interpoſuit corpus craſſum & denſum.

Similia. 1.

Coloſſ. 4. 2.

2. *Pet.* 1. *Cur gloriā, non pœnā Chriſtus oſtendit.* *Ioan.* 3. *Matt.* 5. & 18. *Ioan.* 13. *Lucæ* 16.

Ad hanc gloriæ Chriſti conſiderationem, cuius & nos participes erimus, ſæpe hortatur Scriptura, tanquam ad medium amplectendæ pietatis validiſſimum. Sic Dauid: *Filij hominū, vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*? Cur terrena appetitis vanitate pleniſſima, & fallaci voluptate? *Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum*. Chriſtum glorificatum cernitis, à quo veſtra gloria pendet, &, tāquam à capite membra, deriuatur. Sic Paulus, quum dixiſſet; *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; quaſi explicans, addit: *Cum autē Chriſtus apparuerit, vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*: ſtatimque concludēs, infert: *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram*, quaſi diceret: Non videatur vobis durum ſi corpus in hac vita multis modis mortificetur; quia idem corpus poſtmodum erit in gloria; quæ etſi nūc latet, quia Chriſtus ipſe latet, & oculis corporeis non cernitur; tamen & Chriſtus ipſe in extremo iudicio apparebit. *Veniens in maieſtate ſua*, & vos cum Chriſto in gloria apparebitis. Sic alibi: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*, moxque addit: *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus*. Quare vero in illis? quia hac ſpe illæ leuiores fiunt. Sequitur enim; *Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem. Spes autem non confundit*. Vides catenam vitæ iuſtorum. Primus catenæ circulus eſt tribulatio, mortificatio, humiliatio; poſtremus circulus eſt ſpes gloriæ filiorum Dei. Illam igitur Chriſtus ad oculum oſtendere voluit, ſicut agonothetæ interdum faciunt, qui brauium victoribus in certamine dandum, loco excelſo figunt, vt ab athletis videatur; eoque viſo, alacrius ad decertandum incitentur. Vnde iterum Paulus: *Nos omnes* (nam omnium Chriſtianorum hoc eſt) *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes*, id eſt, oculis fidei, non affectionibus creaturarum, quaſi cataractis plenis, ſed ab amore creaturarum liberis & puris, *in eandem imaginem transformamnr*, id eſt, in illam Domini gloriam tota ſpe & affectione penetramus, eamque quaſi noſtram induimus: *à claritate in claritatem*; à claritate iuſtitiæ & bonorum operum, ad claritatem ſpei gloriæ: *tanquam à Domini Spiritu* edocti & inſtituti. Hic transfigurationis Chriſti, quoad nos, finis ac ſcopus fuit. Nam idcirco non ſolus Chriſtus in hac transfiguratione ſua glorioſus apparuit, verum etiam Moyſes & Elias, qui (vt narrat diuus Lucas) *viſi erant cum eo in maieſtate*, id eſt, glorioſi. Sanctos illos vitos, etſi necdum viſione Dei fruentes (quia *nondum erat propalata via Sanctorum*, Chriſto adhuc in æterna tabernacula non recepto; ſed *non acceptis repromiſſionibus, defuncti ſunt*, vt cæteri veteris Teſtamenti Patres) tamen glorioſos apparere Chriſtus voluit, ad noſtram conſolationem, & vt nos fideliter ei ſeruientes, cum Moyſe legem mandatorum ſeruantes, cum Elia zelum fidei & iuſtitiæ habentes, ſimili gloria donandos doceret. Hanc conſolationem in ſuis anguſtiis ſibi propoſuit Dauid. Quum enim dixiſſet, *Si exurgant aduerſum me caſtra, non timebo*; ſubiunxit cauſam, *Vnam petij à Domino: hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini, & videam voluntatem Domini*: vel, vt alia lectio habet, cui Hebræus & Græcus textus fauet, *voluptatem Domini*: ſeu, vt Euangelium loquitur, *Gaudium Domini tui*. quare paulo inferius dixit: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*: quod de cæleſti gloria dictum nemo dubitat. Eodē modo & Apoſtolus adhuc ſemel: *Scimus* (inquit) *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus; domum non manu factam, ſed æternam in cælis*. Hac ſe ſpe conſolatur, quæcumque illi fortuna obueniat. Hæc eſt omnium verè in Chriſto fidelium vera, & ſolida, & efficaciſſima conſolatio contra omnia huius mundi aduerſa. Aſcendere in aduerſum oportet, terrena deſpicere, cæleſtibus inhiare, labore contendere, difficultates pati. Sed in vertice montis gloria nos manet. De hac conſolatione Cyprianus: *Viget apud nos ſpei robur, & firmitas fidei, & inter ipſas ſeculi labentis ruinas erecta mens eſt, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia, & de Deo ſuo ſemper anima ſecura; ſicut per Prophetam Spiritus ſanctus loquitur: Ficus non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ,*

Gloriæ exſpectatio, virtutis ſtimulus. *Pſal.* 4.

Coloſſ. 3.

Lucæ 21. *Rom.* 5.

Catena vitæ iuſtorum. *Simile.*

2. *Cor.* 1.

Lucæ 9. *Hebr.* 9. & 11.

Pſal. 26.

1. *Cor.* 5. *Conſolatio iuſtorum.*

Tract. ad Demetr. *Abacuc.* 3.

& aruà non afferent cibum. Mentietur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo, exultabo in Iesu Deo meo. Dei hominem, & cultorem Dei, subnixum spei veritate, & fidei stabilitate fundatum, negat mundi huius & seculi infestationibus commoueri. Vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis siccitate morientibus, æstuans campus aresçat; quid hoc ad Christianos, quid ad Dei seruos, quos paradisus inuitat, quos gratia omnis, & copia regni cælestis expectat? Exultant semper in Domino, & lætantur, A
Psal. 90. *& gaudent in Deo suo, & mala atque aduersa mundi fortiter tolerant, dum dona & prospera futura expectant.* Hæc Cyprianus contra infideles ethnicos. Hanc perpetuam fidelium consolationem, totus ille Psalmus canit, cuius initium est, *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*: sed ille maximè versiculus, *Cum ipso sum in tribulatione*, quasi dicens: Ego Deus indiuiduus comes sum tribulationis seruorum meorum, ego adsum, ego cum illis iugum traho, vt sic leuius fiat, moxque addit: *Eripiam eum, & glorificabo eum*: id est, non solum curabo *ne absorbeatur à tristitia, aut tentetur supra id quod potest*; non solum eripiam eum; sed & post labores gloria cælesti donabo. Nam idcirco adiecit, quasi explicans quo demum modo eum glorificaret: *Longitudine dierum replebo eum*: hæc est æternitas, *& ostendam illi salutare meum*: hoc est Dei visio atque fruitio. *Sampsoni in via occurrit catulus leonis sæuus & rugiens. At ille, irruente in eum Spiritu Domini, dilacerauit eum, quasi hœdum in frusta decerpens, nihil omnino habens in manu. Post aliquot dies reuertens, declinauit vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum erat in ore leonis, & fauus mellis.* In vita & via Christiana leones sæpè nobis occurrunt rugientes & sæui: aliqua semper contradictio, aliqua tentatio, aliqua tribulatio. Sed si in Spiritu Dei, quem omnes accepimus, & fortes in fide tentationem superamus, ex ipso labore exibit postea mellis dulcedo, & ineffabilis consolatio, dum aspicimus in remuneratorem Iesum, qui in monte Thabor gloriam suam ostendere voluit, vt ad similem ipsi assequendam, & certa fide expectandam, contenderemus. B

Psal. 90. 2. Cor. 2. 1. Cor. 10. Iud. 14. Allegoria. Sampsoni in via occurrit catulus leonis sæuus & rugiens. At ille, irruente in eum Spiritu Domini, dilacerauit eum, quasi hœdum in frusta decerpens, nihil omnino habens in manu. Post aliquot dies reuertens, declinauit vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum erat in ore leonis, & fauus mellis.

3. *Bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus tria hic tabernacula.*

Præsentiũ amor inordinatus. LOcus moralis de amore præsentium inordinato. Petrus enim hæc verba dicens, tum gloriæ huius cælestis, quam in monte vidit, intempestiuo amore rapiebatur; tum suum præsens bonum inordinatè quærebat. *Bonum est nos hic esse.* Quare D. Lucas addit illum ex ignorantia hoc dixisse: *Nescions quid diceret.* Ignorantia autem eius in eo erat, quòd ante labores frui pace & gloria volebat; & esse habitator, quum adhuc esset viator: denique præsentibus frui. Vnde D. Augustinus hæc verba tractans, ait: *Quid dicis Petre? Mundus perit, & tu secretum petis? Vides tot gentes in vnum conuenisse, & tu requiem quæris? Vides tenebras mundi, & tu lumẽ abscondis?* Sic & Damascenus: *Quid tu Petre de tabernaculis præpropere cogitas? Calicem Domini te prius bibere oportet, & vniuersam per mundum Ecclesiam moderari.* Est igitur hic Petrus humanæ infirmitatis imago, quæ leui hic alicuius voluptate affecta, altiora non respicit. Sicuti absurdè agit qui longa peregrinatione instituta, hospitium commodum fortè nactus, ibi se oblectat & immoratur, reliquam profectionem negligens; sic qui præsentibus insistit, oblitus cælestium, vel negligens illa ad quæ vocatur. *Omnia huius mundi gaudia* (ait S. Augustinus) *sunt solatia miserorum, non gaudia beatorum.* Nunc autem cæci peccatores in qualibet voluptate tabernaculum figunt, & morari volunt. Auarus dicit: *Requiesce anima mea, comede, & bibe, & epulare. Habes multa bona in annos plurimos reposita.* Sed Deus respondet: *Stulte, hac nocte animam tuam à te repetent.* Stultum vocat auarum, qui summa stultitia est in diuitiis huius mundi velle conquiescere, & dicere, *Bonum est nos hic esse.* Hinc Nabal ille, qui ob auaritiam negabat Dauidi alimoniam, stultus interpretatur; &, vt vxor eius Abigail dixit, *secundum nomen eius stultus est, & stultitia est cum eo.* Superbus dicit: *Sedeo Regina, & vidua nõ sum, & luctum non videbo.* Sed Deus respondet: *Quantũ glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum; quia dixit in corde suo, Sedeo Regina, &c.* id est, quia de diuitiis superbiuit, & securitatem sibi, ac pacem in illis promisit. Quum Crœsus Lydorum Rex, in diuitiis suis spem ponens, à Solone rogaret, an quisquam eo felicior esset; pauperes quosdam Athenienses eo multo feliciores asseruit, vt qui paucis contenti essent, & minus expositi periculis & inuidiæ. Gulosus in suis epulis & patinis gaudens, ait: *Edamus & bibamus, cras moriemur.* Bonum est nos hic esse. *Venite, fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter; vino precioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ. Vbique relinquamus signa letitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Sed insanis istis ventricolis respondet Spiritus sanctus: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitiũ, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium* (scilicet vestrum) *& lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes; comedere carnes, & bibere vinum.* Potentes & florentes in seculo dicunt: *Quomodo potuit? & quis me subijciet propter facta mea? Peccaui, & quid mihi accidit triste?* Et hi quoq; quasi in bonis ducũt dies suos. Sed Spiritus S. respondet: *Altissimus patiens est redditor, & in die vindictæ disperdet te.* Et rursum: *Væ qui prædaris, nonne & tu prædaberis? Væ qui spernis, nonne & tu sperneris? Cum consummaueris deprædationẽ prædaberis. Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Nulla ergo in præsentibus (quæ dicuntur) bonis stabilitas. Generaliter de omnibus huius seculi pace fruentibus dicit Apostolus: *Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis veniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & nõ effugient.* Quis securior C D

Luc. 9. In orat. de SS. hgr. c. 7 In orat. de transfigurat. Dom. De ciuit. Dei. li. 19. ca. 27. Impiorum tabernacula. Luc. 12. 1. Reg. 25. Apoc. 18. Laert. li. 1. cap. 2. Apophth. 1. Cor. 15. Sap. 2. Esaiæ 22. Eccli 5. Esaiæ 33. 1. Thess. 5. Exempla. 1. Reg. 4.

A ſecurior de vita eſſe poteſt quàm fuit Heli Sacerdos, ſedens in cathedra in domo ſua? Tamen in cathedra ſedens, mortem obijt repentinam. Herodes Rex, quum *veſtitus veſte regia, ſedenſque pro tribunali, concionaretur ad Tyrios & Sidonios, populuſque acclamaret, Dei voces, & non hominis*: felix ſibi & beatus, optimoque loco eſſe videbatur. *Sed confeſtim percuſsit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus, expirauit.* Sed huius rei memorabile exemplum eſt Leo Armenius Imperator. Ille Michaelem Balbum, de affectato imperio conuictum, igne comburendum decreuerat. Itum eſt ad ſupplicij locum, Imperatore ipſo comitante. Sed quia vigilia Natalis Domini erat, vxore intercedente Imperatoris, dilatum ſupplicium eſt. Sed Leo Michaelem ita compedibus vinctum carceri mancipauit, vt ipſe clauem ſeræ ferreæ ſeruaret: ipſaque nocte inſequenti carcerem ingreſſus, & Michaelem altè dormientem videns, receſſit iratus, iramque agitatione manus declarauit: quod totum vnus ex vigilibus ſomnum ſimulans cõſpicatus, Michaeli abeunte Imperatore nunciauit. Ille literas ſtatim ad conſcios ſocios ſcribit, minitans ſe eos omnes delaturum, niſi quod ſuggerebat, exequerentur. Socij igitur conſilium eius ſequuti, in matutinis horis Natalis Domini cantantem Leonem interficiunt, & eodem die in ipſo diluculo, Michael heri comburendus Imperator acclamatur, & in Eccleſia diademate coronatur. Vide cætera apud Zonaram. Crœſus Rex, quum ſe felicem prædicaret, Soloni contradicenti non credidit, donec ad rogum ventum eſſet, quo à Cyro Rege, qui eum bello ceperat, comburendus ducebatur. Tunc enim exclamauit, O Solon, Solon. Cuius clamoris cau-
B ſam ſciſcitatus Cyrus, & intelligens ei proſpera fortuna vtenti Solonem dixiſſe, neminem ante obitum beatum dici poſſe, agnoſcens & ipſe rerum humanarum incertitudinem, captiuo pepercit. Sapientis igitur illud dictum eſt: *In die bonorum ne immemor ſis malorum.* Iob, quum filij eius facerent conuiuia per domos, *mittebat ad eos, & ſanctificabat eos, conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis*: id eſt, blaſphemauerint Deum, dicentes: Bonum eſt nos hic eſſe. *Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* Dauid, poſt magnam victoriã in Siceleg, quum iam diuidere ſpolia, & agere triumphum vellet, derepentè triſtiſſima noua accepit, de toto exercitu Iſraelitico fuſo, Regeque occiſo, & amico Ionatha interfecto: vnde in maximum luctum omnia conuerſa ſunt. Sic in bonis huius mundi, quum iam te putas diuidere poſſe ſpolia, & frui opibus collectis, amara mors te rapit. Non eſt igitur in præſentibus bonis fiducia ponenda, non in illis gloriandum. Sicut homo morbo & annis grauis, ſi debili baculo innitatur, nunquam ita illi fidit, vt toto corporis pondere in illum incumbat, ne oneris magnitudine fractus, innitentem deludat atque deijciat: ita rebus humanis toto pectore incumbendum non eſt, nec in eis felicitatis pars vlla ponenda, aut vnquam dicendum, *Bonum eſt nos hic eſſe.* Ethnicorum ſapientes proſperam fortunam ſuſpectam habuerunt, vt virtuti inimicam. Epaminondas poſtridie eius diei quo feliciter pugnatum erat
C in Leuctris, proceſſit ſqualidus ac ſubmiſſus. Amicis ſciſcitantibus, ecquid illi moleſti accidiſſet, *Nihil*, inquit: Sed *heri ſenſi me plus æquo mihi placuiſſe. Eius gaudij intemperantiam hodie caſtigo.* Talis moderatio quemuis etiam optimum Chriſtianum docere poterit, ne vnquam vano gaudio elatus dicat, *Bonum eſt nos hic eſſe*: ne in quacumque fortuna ſibi placeat. Plato rogatus à Cyrenenſibus vt ipſis leges inſcriberet, ac Reipub. ſtatum componeret, recuſauit, dicens, *Perdifficile eſſe condere leges tam felicibus.* Cenſuit præſentium bonorum vanam delectationem & fruitionem maximum eſſe ad virtutem capeſſendam impedimentum.

Act. 12.

Zonaras Annal. to. 3. in Mich. Balbo.

Diodorus Siculus.

Eccli 11. Iob c. 1.

Pſal. 11.

Exemplũ. 2. Reg. 1.

Simile.

Exemplũ. Plutarc. in Græc. apophth.

Laert. li. 1. Apophth.

4. *Bonum eſt nos hic eſſe. Si vis, faciamus hic tria tabernacula.*

LOcus moralis alius de amore cæleſtium. Potuit enim D. Petrus hæc verba dixiſſe, non humano affectu, vt ſupra expoſuimus; ſed ſancto, diuina videlicet dulcedine captus, & rerum omnium terrenarum oblitus, & faſtidio ductus. Nam & ſic hæc verba exponit D. Chryſoſtomus: & quod Marcus ac Lucas dicunt Petrum neſciuiſſe quid diceret, cum hoc etiam ſenſu quadrat, quia etiam hoc deſiderium adhuc incongruum erat, non abſolutè, ſed per accidens, quia intempeſtiuum, vt in altero loco ex Auguſtino & Damaſceno oſtendimus. Si quis ergo hæc verba Petri in hunc ſenſum malit accipere, locus erit idoneus de rerum cæleſtium amore
D diſſerendi, & quantam ad pietatem vim ille amor habeat, explicandi. Paulus amore rerum cæleſtium captus, vt ſupra ex multis eius ſententiis oſtendimus, ſic omnia terrena contempſit, vt diceret: *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora.* Parit ergo amor cæleſtium contemptum terrenorum. Quando ſeruus ille Abrahæ, iuſſu domini ſui, iuit in Meſopotamiam, quæſitum vxorem Iſaac, cum ei obuiam veniret Rebecca, fecit periculum quo cognouit Dei voluntatem eſſe, vt illa vxor Iſaac exiſteret: factoque periculo, *dedit illi inaures aureas, & armillas in manu eius.* Poſtea eam à parentibus expoſcit in vxorem filij domini ſui, qui mentem adoleſcẽtulæ cognoſcere cupientes, *interrogauerunt eam. Vis ire cum homine iſto? Reſpondit illa, Vadam.* Magnum hoc fuit myſterium, quo docetur, mox vt Deus alicui obſides gloriæ cæleſtis præbet, ſeſeque illi aperit & manifeſtat per fidem (dicit enim Scriptura, *Sponſabo te mihi in fide*: quæ eſt inauris aurea, quia *fides ex auditu*) & per charitatem (nam armilla in manibus, eſt illa *charitas deſponſationis*, de qua apud Ieremiã Deus loquitur) ex templo terrena deſpicit: *obliuiſcitur domum patris ſui*, veteris Adam; *quia con-*

Cæleſtium rerũ amor.

Text. 2. huius Do. Philip. 3.

Gen. 23. Allegoria.

Oſeæ 2. Rom. 10. Ierem. 2. Pſal. 48.

Allegoria. *cupiuit Rex speciem decoris eius.* Cum Elias Propheta Domini Dei gloriam & maiestatem coram se
3.Reg.19. prætereuntem vidit, pallio suo oculos texit; quia mox vt quis Dei fruitur deliciis, omnibus ter- A
Psal.70. renis claudit oculos. Vnde Dauid: *Quid mihi est in cælo, & à te* (id est, præter te) *quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Cuius enim animum amor cælestium semel occupauit atque possedit, sordent ei postea terrena, non secus quàm qui inuentis frugibus, con-
Hom.4.de gratiar. actione. temnit glandes. Hinc D. Basilius: *Anima quæ semel se modis omnibus desiderio astrinxit sui conditoris, iamque insuenit oblectare se tantæ illius pulchritudinis contemplatione: prorsus non sinet vehemens illud gaudium animique sui iucundissimam effusionem intercipi, aut immutari per multiplicem & succedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potius quæ aliis mœrorem afferunt & tristitiam, in cumulum sibi ver-*
2.Cor.11. *tet, & accessionem lætitiæ,* quod Apostolus fecit quum diceret: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc po-*
Psal.76. *tens sum.* Sic Dauid: *Renuit consolari anima mea,* in externis & terrenis omnibus. *Memor fui Dei, &*
Epi.95. *delectatus sum.* Sapienter in hanc sententiam scripsit Seneca: Vt absurdum est, Sole non esse
Similia. contentum quo videas, nisi aliquis alicunde igniculus alluxerit; quasi in claritate Solis haberet
1. scintilla momentum: sic absurdum est, in solo Deo non quiescere & voluptatem capere, nisi terrenarum etiam rerum delectatio accedat; quasi in eo qui Deo se oblectat, talis voluptatula
2. haberet momentum. Hæc ille. Qui auream monetam habet, quæ instar multorum est, paruas B
æris & argenti monetas, etiam æquiualentes, non desideraret. At in Deo omnium simul crea-
turarum & pulchritudo & excellentia est: multoque perfectius quàm in ipsis creaturis: quia
3. modo quodam infinitè perfectiori se habent in Deo, quàm in seipsis. Quemadmodum vas ple-
4. num non potest alium liquorem recipere: sic anima Dei amore imbuta, alios inferiorum terum
Hom.26. ex var. in amores non capit. *Sicut casta mulier* (ait Chrysostomus) *quæ virum suum amat, nullum alium amat; si*
Mar. locis *autem alium amauerit, iam non amat virum: ita & homo si Deum amat, mundum non amat: si autem mũdum*
5. *amauerit, iam Deum ex toto corde non amat.* Sunt nempe amor Dei, & amor creaturæ veluti bilãces,
6. in quibus, quo magis vna deprimitur, hoc magis altera eleuatur & attollitur. Et sicut acus qua nauigationis cursum nautæ dirigunt, ex magnetis tactu, in solum mundi polum rectà semper tendit, quocumque flectatur; sic amor Dei purus hoc menti tribuit humanæ, vt, terrenis omnibus spretis, sola cælestia desideret. Merito igitur D. Petrus, cælestis gloriæ gustu & dulcedine captus, sic terrenorum omnium oblitus fuit, vt Christo diceret, *Bonum est nos hic esse.* Huc referri possunt quæ in textu 2. huius Dominicæ dicta sunt, quod stimulus virtutis est gloriæ expecta-
Text.7. tio. De quo etiam vide Dom. Septuagesimæ. C

5. *Ipsum audite.*

Christo per omnia obediendum. LOcus moralis de perfecta obedientia erga Christi Redemptoris mandata omnia. Vox enim de cælo delapsa ideo Christum glorificatum coram discipulis esse docuit, non vt illa nunc gloria fruerentur, seu humano affectu, seu sancto; sed vt Christum Iesum verum esse Dei Filium, ac mundi Redemptorem intelligerent, eique per omnia, tam in doctrina (quam partem in altero Promptuario tractauimus) quam in moribus obedirent. Dicit ergo vox diuina è cælo delapsa: Non audiatis mundum, qui docet delicias & diuitias appetendas: sed *ipsum audite*, qui
Matt.10. præcepit contemptum diuitiarum, dicens: *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, detri-*
Matt.18. *mentum autem animæ suæ patiatur?* Non audiatis mundum, qui docet dignitates & honores quærendos: sed *ipsum audite*, qui dicit: *Nisi quis humiliauerit se sicut paruulus iste, non intrabit in regnum cælorum.* Non audiatis mundum, qui docet vindictam appetere, par pari reddere, & pro qualibet iniuria litigare: sed *ipsum audite* qui dixit: *Diligite inimicos vestros:* &, *Si quis te percusserit in dexte-*
Matt.5. *ram maxillam, præbe illi & alteram.* Deus in veteri lege locutus est cum Moyse in monte, audien-
Typus. te vniuerso populo; & postea crediderunt omnibus quæ dixit eis Moyses. Sic in monte transfiguratur Christus, vt ipsum audiamus in omnibus. Si in deserto maxima multitudo periit, eo D
Exemplũ. quod non obedirent Moysi seruo Dei; maior & terribilior erit eorum ruina qui Christo non
Hebr.2. obediunt. *Si qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem: quæ quum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est?* Et Moyses quidem fidelis
Hebr.3. *2.Pet.1.* *erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Christus vero tanquam fi-*
Serm.de Bap.Christi. *lius in domo sua, quæ sumus nos. Quapropter hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,* &c.
quę sequuntur. Sic & Petrus hanc vocem è cælo auditam vrget, vt ad Christi obedientiam penitus exactissimam fideles adhortetur. *Ipsum audite* (ait S. Cyprianus) *siue cum irascitur, siue cum*
Dom.2. post Epiph. *parcit. In ira te supplico, in clementia gratias ago.* Non audit Christum, qui non diligit. Non diligit,
text.4. qui peccato seruit. De hac perfecta obedientia erga Christum, in alio Euangelio diximus,

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ III. QVADRAGESIMÆ.

ERAT Ieſus eijciens dæmonium,& illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus eſt mutus; & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit: Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum ipſius, quia dicitis in Beelzebub eijcio dæmonia, filii veſtri in quo eijciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. Porro ſi in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Si autem fortior illo ſuperueniens, vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem. Et non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam. Et tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima homi nis illius peiora prioribus. Factum eſt autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit ei: Beatus venter qui te portauit: & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Lucæ 11.*

B

C

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Erat Ieſus eijciens dæmonium; & illud erat mutum.* De poteſtate dæmonis ſuper corpora humana.
2. *Quidam ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* De peruerſo hominum iudicio, & virtutis odio atque inuidia.
3. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.* De pace ſeruanda cum Deo & proximo.
4. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, omnia quæ poſſidet ſunt in pace.* De falſa pace & ſecuritate impiorum, quam diabolus procurat.
5. *Si autem fortior eo ſuperueniens, vicerit eum; vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat.* De perfecto peccati exterminio.
6. *Et fiunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus.* De recidiua peccati.
7. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Locus duplex.

1. Contra auditores verbi infructuoſos. 2. Contra non audientes verbum.

1. *Erat Ieſus eijciens dæmonium; & illud erat mutum.*

D

LOcus moralis de poteſtate dæmonis ſuper corpora & animas peccatorum. Quum enim frequenter in Euangelio legamus Chriſtum eiecisse dæmonia è corporibus hominum; & quum iſte dæmoniacus, quem in hoc Euangelio Chriſtus ſanauit, non ſolum mutus, ſed & ſurdus, & cæcus fuerit; quumque in hoc Euangelio circa poteſtatem eijciendi dæmonia cauillati fuerint Iudæi, & accuratè reſponderit Chriſtus; ac poſtremo, quum ideo hominum corpora à dæmone vexari Deus permittat, vt, quàm violenter & hoſtiliter ad animas perdendas operetur, nos doceret & commonefaceret; propterea vt de dæmonum in corpora & animas poteſtate à Deo illis permiſſa aliquid dicatur, hic locus admonet, & ad tanti aduerſarij odium & cautelam ſalubriter informat. Dæmoniacus iſte apud Marcum dicitur ſurdus & mutus, quod & vox Græca apud Lucam κώφος ſignificat. Apud Matthæum vero additur, etiam cæcus. Dicitur autem dæmonium habuiſſe mutum, ſurdum, & cæcum, quia non à natiuitate, ſed vi & operatione

Diaboli poteſtas ſuper corpora & animas hominum.

Marci 7. Matt. 12.

Potestas diaboli ex Dei permissione.

diaboli talis factus fuerat. Propterea dicit Euangelium, quod *admiratæ sunt turbæ.* Propterea inuidi Iudęi cauillabantur: *In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Totum hoc autem non nisi Dei permissione fiebat, Non potuit diabolus Iob in bonis aut corpore tangere, nisi Deo permittente. In deceptione Achab potestatem accepit à Deo spiritus mendax. In Euangelio petunt à Christo dæmones facultatem ingrediendi porcos. Multo magis ingrediendi homines potestatem accipiunt. Illustre est huius rei exemplum de Nerone, Christianorum persecutore. Plurimis enim vocatis magis, & toto orbe conquisitis, nullum poterat ab eis responsum ad sua quæsita, ope dæmonum, extorquere; Deo illud non permittente, vt refert Plinius. Permittit autem hoc Deus alias quidem ob causas, quæ ad doctrinam pertinent, vt propter infideles, qui negant esse dæmones, quales erant Sadducæi; propter magos ipsos, vt à diabolo ad Deum conuertantur, vt in Cypriano mago factum est; propter Dei potentiam ostendendam, vt docet Augustinus; sed ad mores quod attinet, duabus potissimum de causis. 1. ad tentationem iustorum. Sic dæmonum opera in ariolis & magis Deus permittit, quia, vt ait Scriptura, *Tentat nos Deus, vt palam fiat vtrum diligamus eum ex toto corde, an non.* Qui enim non sincerè diligunt Deum, sed sua magis commoda, confugiunt ad magos, & ad diabolum, vt latè prosequitur diuus Augustinus, disputans contra incantatores suorum temporum. Secundo, & frequentius ad punitionem peccatorum. Sunt enim ministri iustitiæ diuinæ, *qui mittit indignationem iræ suæ per angelos malos.* Sunt enim quædam peccata grauiora, propter quæ dæmon in corpus ipsum potestatē accipit. Vnum est infidelitas positiua, seu agnitæ veritati resistere, aut ab ea recedere. Sic Cyprianus docet, suo tempore multos fuisse à diabolo possessos, quod à fide recessissent: & exemplum adfert de quadam femina relapsa, à diabolo interfecta. Alterum est abusus Sacramentorum, cuius rei exempla adfert ibidem Cyprianus, narrans viros & mulieres à malis spiritibus possessos, eo quod sine confessione & pœnitentia peccatorum, ad venerabilem Eucharistiam accedere præsumpsissent. Ex his quoque erant, de quibus Apostolus ait: *Propter hoc infirmi inter vos multi sunt, & dormiunt multi.* Huius etiam generis est blasphemia in Deum. Sic Apostolus *Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, vt discant non blasphemare.* Nonnunquam propter vehementem animi perturbationem, ex ira & iurgio ortam, diabolus corpus ingreditur: cuius rei tria recētia exempla refert Alexander ab Alexandro, scriptor modernus. Sæpius vero in tenera ætate, propter imprecationem parentum temerariam, sed satis vsitatam, à diabolo possidentur paruuli & paruulæ. Exempla sunt frequentia. In vita sancti Zenobij martyris sic legitur: Mater quum filio febribus laboranti, quadragies vna nocte poculum porrexisset, pueroque adhuc potum petēti irata dixisset, Vna cum hoc diabolum bibe; puer statim à dæmone possidetur. Celebris illa dæmoniaca Laudunensis in Gallia, anno 1566. liberata, itemque Montensis in Hannonia, anno 1584. ex hac parentum suorum imprecatione in potestatem dæmonis venerunt. Interdum ex inuidia & liuore à dæmone quis possidetur. Sic Saul agitatus fuit à spiritu malo propter inuidiam qua in Dauid flagrabat. Interdum propter effrænem libidinem. Sic septem mariti Saræ, quæ iuniori postea Tobiæ nupsit, à dæmone interfecti sunt. Prosper quoque refert de fęmina à dæmone possessa, eo quod impudicè aspexisset Veneris quoddam idolum in balneo positum. Sed & propter superbiam. Sic enim Nabuchodonosos, supra modum superbiens, punitus est. Dixit enim: *Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cumque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestiis feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes,* &c. Nempe per diabolum sic dementatus fuit, vt putaret se esse bestiam, sicuti hunc locum exponunt sanctus Hieronymus, Epiphanius, & alij; & latè doctéque defendit Petrus Loyerius in libris de Spectris. Frequentissimè vero propter nimiam curiositatem ex hominum corporibus loquitur dæmon, & decipit stultos: & hæc ferè sola causa est, quod tot magos & maleficos etiam hodie passim videmus. De qua re sic Augustinus in Sententiis: *Per dæmonum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit inuestigare.*

De Trin. li. 3. c. 9.
Deut. 13.
Tract. 7. super Ioan.
Psal. 70.
Peccata dæmoniacorum.
1.
Li. 4. epist. 7. Ser. de lapsis.
2.
1. Cor. 11.
3.
1. Tim. 1.
4.
Genial. dierum li. 4. c. 19.
5.
Exempla. apud Surium, 25. Maij.
6.
2. Reg. 16.
7.
Tobiæ 6.
In dimidio temp. c. 6.
8.
Dan. 4.
In com. in vita Dan. li. 1. c. 11.
9.
Caus. 26. q. 5. can. fin.

Dæmoniaci quoad animam.

At vero per peccatum omne mortale grauius circa animam operatur dæmon, & magis dæmoniaci sumus. Animam quidem ille sicut corpus possidere & inhabitare non potest (soli Deo hoc posse proprium est, quia ipse habet intrinsecam operationem essentiæ) tamen circa illam fœdos effectus operatur. Idcirco enim vocatur *Princeps potestatis aeris huius qui operatur in filiis diffidentiæ.* Et olim vocabantur Energumeni, in quibus diabolus operabatur: qua voce Paulus hoc loco vsus est, τῶ ἐνεργοῦντος. Hoc etiam sensu vocatur *Princeps huius mundi. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Videlicet, vt non operetur in hominum animis sicut prius; quia filij diffidentiæ per fidem fient filij Dei, vt sic non regnet amplius peccatum in mortali corpore ipsorum. *Vocatur Princeps mundi* (ait Augustinus) *quia dominatur ei qui diligit temporalia bona, quæ in hoc mundo continentur: & quia princeps est cupiditatum earum, quibus concuctum est diabolo; Terram manducabis. Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus mā-* *quod diabolus est, ei similes, eique subiecti.* Hęc ille. Hac etiam ratione vocatur in hoc Euangelio, *Fortis armatus, custodiens atrium suum.* Per peccati enim dominium, atrium & ingressum cordis

Epheſ. 2.
Ioan. 12.
De agone Christiano, ca. 1. & 2.
Gen. 2.

nostri

A noſtri ita cuſtodit & tenet, vt nihil diuinum, ſalutare nihil eò poſſit ingredi. *Tollit verbum de corde noſtro: ſuffocat illud per fallaces diuitias, ſolicitudines, & voluptates huius vitæ*: vt in alia Dominica explicatum eſt. Docent hoc Scripturæ, tam in genere quàm in particulari, de quolibet ferè peccato. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt*: &, *Chriſtus venit vt diſſoluat opera diaboli*, id eſt, peccata. Vnde & Iudæis dixit: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*. Porro in anima operatur diabolus per odium fraternum: *Qui odit fratrem, homicida eſt. Diabolus autem fuit homicida ab initio*. Per mendacium: *Diabolus enim mendax eſt, & pater mendacij*. Per libidinem, quia ille eſt *immundus ſpiritus*, vt in hoc Euangelio vocatur. Per ſuperbiam, quia ille eſt *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Et ſuadet Apoſtolus non promoueri neophytum; *ne elatus incidat in iudicium diaboli*. Per auaritiam propter quam de Iuda auaro dictum eſt, *Vnus ex vobis diabolus eſt*. Per dolum, & fallaciam, & circũuentionem proximi. Sic Elymas magus, *plenus omni dolo & fallacia*, vocatur à Paulo *filius diaboli*. Per iracundiam. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo*. Porro quanto grauius & infelicius ſit hoc modo demoniacum eſſe, quàm corpus à diabolo poſſideri, argumento eſſe poteſt ipſa Eccleſiaſtica diſciplina. Ab Apoſtolo enim *corpus traditur ſatanæ, vt ſpiritus ſaluus fiat*. Tunc enim Apoſtoli (ait ſanctus Chryſoſtomus) vt à dæmonibus obſeſſos liberare, ita poteſtati dæmonis peccatores tradere poterant. Huius etiam rei argumentum eſt, quod etiã propter venialia interdum peccata, corpora poſſidere dæmon permittitur: vt propter impatiẽtiam, vel durius verbum prolatum, Abbas Moyſes poſſeſſus fuit, teſte Caſſiano: vt propter gulam le-
B uiorem, & auidam de fonte potationem monachus alius, teſte ſancto Gregorio in dialogis: vt denique propter diſtractionem inter orandum, vt in vita ſancti Bernardi legitur. Refert Seuerus Sulpitius, ſanctum quendam Eremitam à Deo petiiſſe, & impetraſſe, vt per aliquot menſes à dæmone quoad corpus agitaretur, propter ſuperbiæ periculum. Stagyrites ille monachus, ad quem libros de Prouidentia Dei diuus Chryſoſtomus ſcripſit, arreptus à dæmone fuit, non quum in ſeculi deliciis vir nobilis verſaretur, ſed quum in vita monaſtica vitam ſanctiſſimè inſtitueret. Hæc omnia argumento ſunt, dæmoniacos corporaliter non eſſe ſemper deteriori loco, ſed ſæpe multo meliori & feliciori, quàm qui animo tenus dæmoniaci ſunt. Qui aliter iudicant, ideo ſic iudicant, quia oculos habent in carne, non in corde. Quanquam & oculi carnis docere hoc poſſunt, vt obſeruauit ſanctus Chryſoſtomus. *Peccatum*, inquit, *grauius eſt dæmone. Nam ille quidem humiles facit. An non videtis dæmoniacos, quando reſipuerint à morbo, quàm ſint ſubmiſſi, quomodo intueri non audent? Nos contra iniuſtitia afficientes non erubeſcimus*. Hæc ille. Dæmoniacus quem Chriſtus in hoc Euangelio ſanauit, peſſimo loco fuiſſe videtur, quia & mutus, & ſurdus, & cæcus fuit. Sed plerique hodie peccatores (res dolenda) tales dæmoniaci ſunt, muti, ſurdi, & cæci; non corpore, ſed animo: quod infinitè deterius & periculoſius eſt, eo-
C que periculoſius, quo minus videtur & agnoſcitur periculum. Dæmoniacos corpore fugiunt omnes, & illis exorciſta quæritur omni cum diligentia. Dæmoniacos animo fugit nemo, & exorciſtas omnes ipſi fugiunt, quia nec videre eos poſſunt, nec audire volunt. Mutum dæmonium habent, qui nec Deum laudare, nec peccata ſua confiteri poſſunt. Quàm multi ad deliberandum in cauſis humanis facundiſſimi, ad peccatorum ſuorum confeſſionem, ſacerdoti Dei faciendam, penitus elingues ſunt, & tanquam paruuli, non valentes loqui, aiunt: Interroga me pater, quia confiteri neſcio? Hos diabolus mutos fecit, non natura. Diaboli enim hæc grauis aſtutia eſt, & dolus peſſimus, vt nobis tacentibus peccata noſtra, ipſe poſtea nos accuſet. Qua de re ſic diuus Chryſoſtomus: *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confeſsioni fiduciam. Inuertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confeſsioni pudorem & verecundiam*. Non pudet peccare, pudet confiteri. Sic ferè & D. Ambroſius: *Nouit omnia Deus, ſed expectat vocem tuam. Non vult vt inſultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præueni accuſatorem tuum*. Nempe diabolus vocatur in Apocalypſi, *Accuſator fratrum, qui accuſat nos in conſpectu Dei die ac nocte*. Sed illa peccata, quæ hic confeſſi fuerimus Deo & ſacerdoti eius, accuſare non poteſt: cætera omnia accuſabit. Sic Origenes: *Cuncta peccata neceſſe eſt publicari, neceſſe proferri. Proferri autem aut à nobis, aut ab illo, qui & accuſator peccati eſt, & incentor. Si præueniamus eum in hac vita, nequitiam diaboli præue-*
D *nimus*. Hoc ergo agit, ne peccata in hac vita confiteamur. Quod qui non faciunt, ſecretarij diaboli ſunt, eiuſque arcana ſeruant. Narrat venerabilis Beda, de viro quodã militari & aulico, Regi ſuo percharo, qui ex graui infirmitate decũbens, à Rege ipſo ſemel atque iterũ monitus, peccata vt ſua ac ſcelera confiteretur, pœnitentiamque ageret, reſpondit, *Non ſe tunc velle confiteri peccata ſua, ſed cum ab infirmitate reſurgeret, ne fortè exprobrarent ſibi ſodales, quod timore mortis faceret ea, quæ ſoſpes facere noluerat: fortiter quidè, vt ſibi videbatur, locutus, ſed miſerabiliter, vt poſtea patuit, dæmoniaca fraude ſeductus*. Moritur enim paulo poſt abſq; pœnitẽtia, & venia deſperata. Hic miſer dæmonium mutum habuit. Obſeruatum eſt in exorciſmis noſtri temporis, diabolum peccata aſtãtium reuelaſſe, quæ nondum confeſſi fuerant; eoſdemque poſt confeſſionem redeuntes, nullius peccati arguere potuiſſe. Cuius etiam rei in vita ſancti Dunſtani Archiepiſcopi Cantuar. exemplum legere licet. Qui in fluuium cadit, etiam ſi aqua vſque ad barbam accedat, viuere tamen & euadere poteſt, donec os ipſum aqua intret & cooperiat; tũc enim nullũ vitæ remedium. Quem mutum diabolus fecit, quem à peccati confeſſione abduxit, de eius ſalute nulla ſpes reliqua eſt. Deus inter cæteras grauiſſimas comminationes apud Prophetam dicit: *Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, & eris mutus*. In palato reſidet guſtus. Linguam adhærere

Luc. 8. *Do. Sexag.* *1. Ioan. 3.* *Ioan. 8.* *1. Ioan. 3.* *Ioan. 8.* *Luc. 21.* *Iob 42.* *Ioan. 16.* *Act. 13.* *Epheſ. 4.* *1. Cor. 5.* *Hom. 5. in 1. Cor.* *Dæmoniaci corpore propter leuia peccata Exempla.* *Collat. 7. c. 27.* *Iob 1. c. 4.* *Li. 2. c. 1.* *In vita S. Martini, dial. 1.* *Ho. 41. in Act. Apo.* *Dæmonũ mutum quos habeant.* *Hom. 3. de pœnitent.* *De pœnit. li. 2. c. 7.* *Apoc. 12.* *Confeſ. peccat. neceſſitas.* *Li. 3. in Leuit.* *Exemplũ.* *Hiſt. Eccl. gẽtis Angl. li. 5. c. 14.* *In Hiſt. Laudun. c. 39.* *Apud Surium, to. 3. pag. 334.* *Simile.* *Ezech. 3.*

Similia. palato, est voluptatem sic capere in peccatis, vt propter voluptatem lingua taceat. Lupus, quum A
1. ouem rapit, primum & ante omnia guttur ore comprehendit, ne possit balare, & pastoris opem
Stella in Luc. c. 11. inclamare. Sic diabolus os nostrum pudore vel ignauia claudit, vt peccatum vero Pastori Christo, & aliis ab eo pastoribus Ecclesiæ datis, aperire nequeat. Nouit contraria contrariis curari,
2. ideoque peccatum, quod semper secretum petit, & occultari vult, sui propalatione & manife-
3. statione sanari. Impudicus, qui virginem solicitat, id ante omnia suadet, ne parentibus aut amicis aliquid eorum quæ dicuntur effutiat. Sic dæmon, animam stupraturus, silentium indicit. qui natura muti sunt, quia loqui nequeunt, per signa, per digitos, per gestus corporis ostendunt quid velint. Sic Christiani, qui mutum dæmonium habent, signis quidem vtuntur communibus; cruce frontem signant, Ecclesiam ingrediuntur, genibus flexis orare se velle ostendunt; sed nihil præter signa habent: nec orant, nec laudant, nec confitentur; fari nequeunt quæ ad Dei
Dæmoniũ surdum. gloriam, vel salutem propriam faciunt. Hi habent dæmonium mutum.

Do. Sexag. Sed qui mutus est, idem surdus est; imo ideo mutus, quia surdus. Dæmonium surdum ha-
Similia. bet, qui Dei verbum non audit, aut, si audit, non attendit, quia diabolus rapit verbum de corde
1. eius, de quo aliqua diximus in alia Dominica. Si hominem videres in via ambulantem, post quem multi clamarent, monentes vt ab illa deflectat, quia nec recta via est, & præterea latronum insidiis plena, & ille nihilominus pergeret porro semper; nonne eum surdum omnes exi- B
2. stimarent? Talis est, quem nulla verbi Dei prædicatio, nulla Ecclesiæ doctrina, nulla sana consilia ad viam virtutis aberrantem reducere possunt. Qui arcem obsidione premit, curat, vt nul-
3. lum alimentorum genus ad obsessos ingrediatur: diabolus quos possidere vult, obsidet primũ, & ab omni spirituali cibo capiendo diligenter abarcet. Custos carceris non multum impedit, vt, qui carcere detinentur, intra carcerem solutis pedibus ac manibus incedant; hoc autem diligentissimè curat, vt ostium carceris perpetuo sit clausum, ne exeant: sic diabolus, quos in peccato captiuos tenet, non adeo multum curat, si liberas habeant manus ad faciendas eleemosy-
Esaiæ 52. nas, & liberos pedes quibus Ecclesiam frequentent; sed id summopere curat, ne ostium cordis
4. ad verbi Dei auditum pateat, ne semen bonum intro recipiatur, & fructificet. Dicit Propheta: *Solue vinculum colli tui captiua filia Sion. Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Inter omnia vincula, colli vinculum maximè est & periculosum & durum. Latro, pedibus manibusque ligatus, spem adhuc habet euadendi mortem: cum vero collum func alligatur, nouit se suspendio esse proximum. Peccator etsi manibus ac pedibus à diabolo vinctus teneatur, vt vix vllum bonum opus facere valeat; tamen adhuc spes salutis esse potest, quàm diu collum & caput liberum habet, vt ad verbum salutis audiendum aures arrigat suas: sed si ita à diabolo ad terrena incuruatur, vt collo colligato, capitis liberum vsum non habeat, nouerit se damnationi proximũ. Dæ-
Esaiæ 5. monum enim peccatori insultantium illa in Scripturis vox est: *Dixerunt animæ tuæ, Incuruare, vt* C
transeamus: & posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Qui se à diabolo collo ligari permittit, & quasi suffocari in se omne salutis verbum, incuruatur in omnem terrenam cupiditatem, vt super eum diabolus transeat, omnemque suam in eo voluntatem faciat, iuxta verbum
2. Tim. 2. Pauli de huiusmodi: *Qui captiui tenentur ad voluntatem eius.* Sed & præterea excæcat suos diabo-
Dæmoniũ cæcum. lus, & sunt qui habent dæmonium cæcum; quales planè omnes sunt mortaliter peccantes, vt in
Do. Quinquag. tex. 5 alio Euangelio ostendimus. Si te opus aliquod aggredientem, nudo ense aliquis adoriretur.
Simile. mortem præsentem minitans, tu vero nihilominus in opere patrando pergeres, opusque compleres; nonne te omnes merito cæcum ducerent, ac nihil videre? aut certè sic operi intentum tuo, vt ad aliquid aliud videndum oculos non haberes? Quum Metellus Syracusas post longam
Exemplũ. obsidionem cepisset, iubet per edictum toti exercitui, ne quis Archimedem Geometram admi-
Valer. rabilem læderet, sed ad se saluum perduceret. Ingressus inter prædandum vrbem miles in hos-
Max. li. 8. cap. 7. pitium Archimedis, sed eum ignorans, videt eum in puluere lineas ducentem: rogat, stricto gladio, quis esset; Archimedes operi intentus, iubet, ne lineas à se ductas pedibus perturbet. Noli (inquit) obsecro, istum circulum disturbare. Iratus miles, hominem interficit. Peccatores, ita peccatis suis intenti & addicti sunt, vt, quasi nulla esset Dei iustitia, in opere securi pergant. Et tamen dicit Scriptura: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit il-*
Psal. 7. *lum.* Non dicit, vibrabit, tendet, parabit; sed omnia iam facta & parata affirmat. Non nisi mera D
cæcitas; qua diabolus eorum corda tenet, hunc diuini iudicij contemptum parit. Balaam impius
Exemplũ. Num. 23. Propheta, & ad maledicendum Dei populum pergens, non videt in via Angelum Dei stantem, gladio euaginato. Asina Angelum vidit, & declinat è via quantum potest. Simplices, & timentes Deum, vident Dei iudicia, & timent, & à peccato sibi cauent. Superbi, & pecunię cupidi, vt iste Balaã, lucrum suum & honorem quærentes, non vident quicquam in via. Nullum Dei iu-
Ioan. 1. dicium formidant. De hac cæcitate dixit Ioannes: *Mundus Christum non cognouit, & tenebræ eum*
Simile. *non comprehenderunt.* Sicut ergo qui somnum prorsus tranquillum capere vult, primum iubet vt tota familia silentium seruet; secundo fenestras claudit; tertio ianitori præcipit, vt neminem intromittat: sic diabolus, vt suos peccati somno oppressos teneat, primum surdos facit, vt voces prædicatorum non audiant; deinde mutos, vt peccatum nunquam confiteantur; ac postremo
Prouer. 18. cæcos, vt peccatum tandem ipsum non agnoscant, iuxta illud: *Impius, quum in profundum venerit, contemnet.*

A

2. *Quidam ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia.*

LOcus moralis de peruerſo & iniquo hominum iudicio, & de virtutis odio ſeu inuidia. Tam ſtupendum miraculum, tam illuſtre beneficium, hominis muti, ſurdi, & cæci, idque dæmoniaci liberati, quod turbæ & ſimpliciores homines admirati ſunt, digna laude prædicantes; alij tamen, quos Phariſæos fuiſſe Matthæus dicit, *Scribas populi* Marcus ſcribit; totum peſſimè calumniantur, & dæmoni, adeoque dæmoniorum principi attribunt. Quemadmodum lignum, cuius dimidia pars ſubmerſa eſt in aqua, altera vero extra aquas libero aëri ſubiecta fractum & obliquum eſſe intuentibus videtur, quum tamen reuera integrum & rectum ſit: ſic ea virtus, quæ recta ratione præditis perfecta, & omnibus ſuis numeris abſoluta videtur, ab improbis iniqua iudicatur, propter iudicium inuidiæ & malitiæ craſſo humore deprauatum. Nullum eſt opus tam bonum, quod improbi non vituperent. Si humilis es, abiectum te & vilem reputant: ſi patiens, puſillanimem & ignauum te dicent: ſi ſtudioſus, deuotus, pius, hypocritam te vocabunt: ſi abſtinens, auarum: ſi taces, ſtultum: ſi loqueris, garrulum: ſi iuſtus, crudelem: ſi miſericors, inertem: ſi grauitatem indueris, ſuperbum: ſi affabilem te præbes, leuem: ſi liberalis in pauperes, prodigum: ſi minus dederis, auarum appellabunt. Cum Dauid miſiſſet nuncios, vt conſolarentur Anon Regem Amon, de morte patris ſui Naas, charitate motus; impij id factum ſic interpretantur, quaſi ſpeculandi cauſa, & animo hoſtili id feciſſet, vnde & maxima ignominia nuncios affecerunt. Sic diabolus ipſe, quum Iob virum ſanctum Deus laudaret: *Nunquid* (inquit) *gratis Iob timet Deum*? accuſat vt hypocritam & auarum. Fluuius magnus, & alueus latè patens, omnes riuulos ad ſe venientes, ſinu ſuo excipit & complectitur. Ignis omnia comburit, & in ſeipſum conuertit. Charitas dilatata, omnes aliorum actiones in bonam partem accipit: & vbi factum non poteſt, ſaltem intentionem excuſat. Inuidiæ flamma, ſuperbiæ ignis, malitiæ & iræ feruor omnia bona conſumit, & nihili facit, ſibique aſſimilat. Serpens florem comedit, & in venenum conuertit, ex quo apes mel colligit. Aedificium perpendiculo menſuratum, quo plura habet ſuperpoſita, eo validius eſt. Si regula errauit, & menſura defecit; quicquid ſuperextruis, corruet. Cor noſtrum, quod veluti baſis eſt & fundamentum omnium quæ vel agimus ipſi, vel ab aliis acta iudicamus, ſi rectæ rationis perpendiculo menſuratur, ex omnibus aliorum bonis operibus ædificatur; & quanto plura videt, tanto ædificatur magis & corroboratur, ſuum in omnibus profectum faciens: at ſi malitia, odio, inuidia, ſuperbia infectum & corruptum fuerit, omnia in ſuam pernicem conuertit, ex omnibus calumniandi, rixandi, vituperandi anſam capit. Quære cur Caiphas, & Phariſæi, & Scribæ, & Seniores populi contra Chriſtum conſilium inierunt. Reſpondebunt, *Quia hic homo multa ſigna facit*. Quære cur multi hodie pij, religioſi, ſancti, & docti viri odio habentur. Reſpondebitur, Quia iſti homines multa ſigna faciunt: præter & ſupra vulgus hominum vitam piè ac ſanctè inſtituunt. De huiuſmodi dicit Propheta: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Draco inſidiatur elephantis partui, vt poſtea pungat vel mordeat. Inuidus bono operi alterius, prauæ ſuſpicionis iudicio inſidiatur, aculeo murmurationis pungit, & veneno detractionis mordet. Sicut ignis Græcus in aquis magis inardeſcit, & noctua media luce magis caligat: ſic inuidus in aquis gratiarum fortius exardeſcit, vnde deberet extingui; & luce bonorum operum magis excæcatur, vnde deberet illuminari. Huiuſmodi ſcarabæo ſimilem eſſe ſcribit Epiphanius; vel quia non niſi hominum vitia notat, vt in ſtercore ſemper verſatur ſcarabæus; vel quia ſolis aliorum virtutibus vexatur, ſicut vnguentum ſucci balſami, aut nardi, aut alium quemuis odorem ſcarabæus non ſuſtinet. Sicut ægritudo oculorum (ait Plutarchus) ad omnem ſplendorem turbatur; ſic inuidia ad omnem virtutem: & ſicut cantharides lætioribus frumentis, & viridioribus roſis maximè innaſcuntur; ita inuidia & maleuolentia optimis quibuſque inſidiatur. Cum Athenienſes Ariſtidem oſtraciſmo, id eſt, datis teſtulis, damnare vellent; & ruſticus quidam teſtulam ad eum deferens, iuſſiſſet vt Ariſtidis nomen inſcriberet; Noſtine, inquit Ariſtides, Ariſtidem? Cum ille negaſſet ſe noſſe, moleſtè tamen ferre quod Iuſtus cognomine diceretur; ſiluit Ariſtides, & nomen ſuum inſcripſit teſtulæ, & reddidit. Ariſtoteles poſtea ex Athenis alio cum commigraſſet domicilium fixurus, cauſam rogatus, reſpondit; *Ne bis in philoſophiam Athenæ peccarent*: conijciens id ſibi euenturum, quod paulò antè Socrati, qui æmulorum inuidia veneno interire coactus eſt. Si in puteum luto & cœno plenum aquam puram & claram infuderis, nihil aliud efficies, niſi vt aquam perdas, & cœnum turbes. Sic bona quæ Chriſtus confert impiis, ipſi in deterius conuertunt, & ex illis deteriores fiunt. Nam quod ex ſola inuidia Phariſæi & Scribæ hoc Chriſti miraculum principi dæmoniorum attribuerunt, ex vna Chriſti reſponſione manifeſtè patet, qua dixit: *Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt*? Filiorum nomine, Chryſoſtomus, Hieronymus, & Hilarius in hunc locum, diſcipulos Chriſti intelligunt, qui iuxta poteſtatem illis antea datam, dæmonia eijciebant. Dicebant enim ad Chriſtum redeuntes: *Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis*. Qui opus alienum condemnat, transferat illud in alterum, qui eum nun-

Iudicia peruerſa.
Matt. 8. Marc. 3. Simile.
Exempla. 2. Reg. 10.
Iob 1.
Similia. 1.
2.
3.
4.
Inuidiæ malum.
Exempla. Ioan. 11. Iob 30. S. Bonau. in Diæta ſalutis, c. 4.
Similia. 1.
Hæreſ. 40. 2.
In li. de odio. 3.
Exempla. Plut. in Græc. Apophth.
Simile.
Ho. 26. & 42. Matt. & Luc. 10.

Similia. quam offendit. Videbit vtrum ex iudicio,an ex affectu condemnet. Iudex qui alteri parti in- A
fensus,alteri amicus est,ipso iure repudiatur.Sic de aliorum factis non est idoneus iudex, qui-
bus infensus est. In languido stomacho cibus omnis,quantumcumque pretiosus , perit, & in
Apophth. Laert.li.4 malos conuertitur humores. Sic cor inuidum , omnia rectè facta conuertit in vitia, & de illis
Amos 8. contristatur,non pascitur.Acutè Byon Borysthenites,inuido cuidam subtristi, *Nescio*,inquit,
Matt.5. *vtrum tibi malum,an alteri alicui bonum contigerit.* Ad istos applicari potest quod Propheta dicit:*Oc-*
Cura Pastor.par.3. *cidet sol in meridie,& tenebrescere faciam terram in die luminis.* Nam in bonis operibus, quæ natura
admon. 11. sua *sic lucent,vt glorificetur Deus;* inuidus nihil nisi meras tenebras videt:ideoque (vt sapiẽter scri-
Matt.31. psit sanctus Gregorius) *Ex alienis bonis,quæ si diligeret,sua faceret bona,non diligendo,sed inuidendo,sua*
Peccatum in Spiritũ sanctum. *facit mala.* quam etiam ob causam Christus apud Matthæum, post tantam hanc Pharisæorum
blasphemiam,ex inuidia natam,terribilissimum in eos fulmen vibrat: *Qui dixerit verbum contra*
Spiritum sanctum,non remittetur ei,neque in hoc seculo,neque in futuro. Omnis quippe inuidus & male-
In serm.de zelo & liuore. uolus,qui bona opera,quæ sunt opera Spiritus sancti,ac si essent peccata & diaboli opera, tra-
ducit (sicut hic Pharisæi fecerunt) quum talis maleuolentia cor durum & impœnitens reddat,
Exemplũ. peccat in Spiritum sanctum peccato blasphemiæ, quod non remittetur. *Mala cætera* (ait Cy-
Ho.44.ad pop.Ant. prianus) *habent terminum:& quodcumque delinquitur,delicti consummatione finitur. In latrone conquieſcit*
De vita contemplat.li.3. c.9. *scelus homicidio admisso;& prædoni rapacitatem statuit præda possessa. Inuidia terminum non habet: perma-* B
nens iugiter malum,& sine fine peccatum. Quod exemplo illustrat Chrysostomus : *Corinthius fornica-*
tor accusatus fuit,& breui correctus. Abeli Cain inuidit,sed sanatus non est. Quin & Deo vlcus eius sanaturo
magis intumescebat,& fluctuabatur,& ad cædem properabat. Nempe (vt ait Prosper) vnde *possunt fieri*
boni,qui sunt in bono mali? Aut quomodo eos punient mala sua,quos etiam bona puniunt aliena?

3. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.*

De pace cum Deo & proximo Exempla. Gen.3. Gen.6. 3.Reg.11. 4.Reg.25. LOcus moralis de pace seruanda cum Deo & proximo. Nam vt in regno,sic in corde hu-
mano se res habet,vt omnis diuisio ac separatio,siue à Deo,siue à proximo(quorum vnum
sine altero non fit) pestem ei atque perniciem adferat. Primus noster parens è paradiso volu-
ptatis expulsus est,quia non seruauit pacem cum Deo;sed serpentis & vxoris consilium sequu-
tus,diuisit se ab eo,violans mandatum.Mundus diluuio perijt propter discordiam,& vitæ dissi-
militudinem, quæ erat inter filios Seth,timentes Deum; & filios Cain , qui corruperant viam
suam. Antequam filij Israel in captiuitatem ab Assyriis ducerentur, decem illæ tribus ab aliis
duabus Iuda & Beniamin separatæ,diuersum regnum constituerunt. In naturalibus, quando
elementa in mixto debitam proportionem seruant & conformitatem,mixtum diu perseuerat: C
vbi illa analogia & pax dissoluitur, mixtum corrumpitur. Vnde iuxta Christi verba dicit Psal-
Psal.45. mista: *Conturbatæ sunt Gentes,& inclinata sunt regna.* Paulus vero ad pacem singulos inuitans,*Si inui-*
Galat.5. *cem*,inquit,*mordetis & comeditis,videte ne ab inuicem consumamini.* In exercitu nulla præsentior cla-
Simile. des quàm quando acies disipata est,aut inter milites dissensio coorta:at tota vita nostra militia
quædam est super terram. Si cum Deo & proximo pax seruatur, ab hostibus non timendum.
Sed ideo debellamur à carne,à mundo,à diabolo,quia hæc pax non seruatur.Originalis pecca-
Rom.4. & 5. ti pœnà est rebellio & rixa carnis contra spiritum. Sed renati & iustificati in Christo, *pacem ha-*
Philip.4. *bent apud Deum,vt non regnet peccatum in mortali corpore nostro. Hæc est pax Dei,quæ exuperat omnem sen-*
sum; custodiens corda nostra (id est voluntates) *& intelligentias nostras in Christo Iesu.* Vt videlicet,
Ioan.14. quod per fidem faciendum intelligimus,per voluntatis consensum faciamus.Hanc pacẽ Chri-
Mũdi pax. stus dedit,quum diceret: *Pacem meam do vobis,pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do*
Matt.27. *vobis.* Mundi enim pax est consensus improborum inter se contra Deum , & ea quæ Dei sunt.
Herodes & Pilatus facti sunt amici,vt Christus interficeretur.Pharisæi & Sadducæi in Christo
tollendo consenserunt.Omnes filij Iacob,contra vnum Ioseph conspirantes, ita concordiam
tenuerunt,vt totis viginti annis,quum interea sæpe,vt fit,inter se dissenserint,venditionem ta-
men fratris patri non aperuerint.Sed pax Christi talis non est. Illa enim sic facit vtraque vnum,
vt non sit pax cum Deo,nisi eadem teneatur cum proximo; nec cum proximo , nisi etiam cum D
Deo.Cuius rei hæc est euidens demonstratio. Omnes lineæ quæ à circumferentia in centrum
ducuntur,& in centro desinunt,mutuo se in ipso centro contingunt. Quare nulla linea vel ab
aliis lineis se separat circumferentiam egressa,quin eadem opera centrum deserat;vel à centro
se seiungit & diuidit,quin eadem opera à coniunctis lineis se seiungat.Omnes in Deo,omnium
auctore & principio, coniungimur; & ab illo in hanc vniuersi circumferentiam omnes ortum
accepimus,ideoque omnes verè proximi sumus,quasique eiusdem circumferentiæ cognatæ li-
De ciuit. Dei li.12. c.21. neæ. *Nam & ideo* (vt sapienter notauit sanctus Augustinus) *vnum ac singulum Deus crea-*
uit hominem, vt eo modo vehementius commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumque concordiæ;
si non tantum inter se naturæ similitudine; verum etiam cognationis affectu homines necterentur. Nullus
itaque vel Dei amorem deponit,quin statim amorem cum proximo verum (qui est amare pro-
ximum in ordine ad Deum) amittat;vel à proximi amore recedit, quin eadem opera omnem
Matt. 22. in Deum veram charitatem amittat. Hac de causa dixit Christus , *Mandatum de diligen-*
do proximo, simile esse mandato de diligendo Deo : quia videlicet vnum sine altero non impletur:

atque

A atque adeo (vt ait Apoſtolus) *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Sed & idem Chriſtus docuit, quum diceret: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, vade prius reconciliari fratri tuo; & ſic veni, & offer munus tuum.* Idcirco Deus munus ad altare non accipit niſi prius facta pace cum fratre, quia non eſt pax inter nos & illum, quàm diu non eſt pax inter nos & proximum. Hac ſtante pace, ſtabit regnum noſtrum, regnum Dei in nobis, regnum gratiæ; quia gratia regnat per Chriſtum, vt peccatum non regnet per diabolum. Proptet hanc pacem ſtabiliendam *Chriſtus in mundum venit: vt diſſoluat opera diaboli, & duos condat in ſemetipſo, in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Sic Patrem orat: *Volo Pater, vt, quos dediſti mihi, omnes vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus.* Et poſt longam prædicationem. *Hæc*, inquit, *dixi vobis, vt habeatis pacẽ in me.* Si Princeps aliquis in longinquam profectionem abiturus, ſponſæ ſuæ munus aliquod pretioſum in amoris pignus relinqueret; magna eſſet ingratitudo, & fœdum facinus, ſi, eo terga vertẽte, munus illud confeſtim ſponſa proijceret in ſterquilinium. At hoc facit, qui, neglecta pace cũ Deo & cum proximo, vel per carnis voluptates fouet bellum contra ſpiritum; vel per iram, inuidiã, ſuperbiam, violat pacem cum proximo. Monet Apoſtolus: *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcũ.* Alioqui, vt prædixit Pſalmiſta, *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Et, *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Et rurſum: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Accidit quippe in hac pace ſpirituali, quod in temporali contingere ſolet. Scipio Africanus, cum Numanti-

B nos ſæpe victores iam fregiſſet, obſeſſoſque tandem expugnaſſet; Tyreſium eorum Principem rogauit: Qua de cauſa Numantia, aut prius inuicta, aut poſt euerſa fuiſſet? Reſpondit Tyreſius: *Concordia victoriam, diſcordia exitium præbuit.* Hinc merito laudatur Themiſtocles, qui cum Ariſtide, cum quo illi ſimultas erat, ad peragendam legationem collega delectus, Vis, inquit, vt in his montibus ſimultatem deponamus? Nam, ſi videbitur, reuerſi illam reſumemus. Si enim ille priuatos affectus publicæ poſthabuit vtilitati magna cum laude; quanto ſtudioſius priuatos noſtros affectus, vel noſtræ ſaluti, vel Eccleſiæ vtilitati, vel Dei gloriæ poſtponere debemus! Memorabile eſt quod de Sciluro quodam, qui moriens octoginta maſculos reliquit liberos, memoriæ proditum eſt. Moriturus, faſciculum iaculorum ſingulis porrexit, iuſſitque rumpere. Id cum ſinguli recuſaſſent, eo quod videretur impoſſibile, ipſe ſingula iacula exemit, ac ita facilè confregit omnia, filios admonens his verbis: Si concordes eritis, validi inuictique permanebitis: cõtra, ſi diſſidiis & ſeditione diſtrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Sic floruit Eccleſia quàm diu, ſicut in exordio, *credentium erat cor vnum, & anima vna.* Sed poſtquam cœperunt

C Chriſtiani, *non quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærere*; nec omnes *idem ſapere*, ſed *peregrinis & variis doctrinis abduci*, ab vnitate fidei in ſectas & hæreſes, ab hæreſibus ad atheiſmum itum eſt. Leo Byzantinus apud Athenienſes legatione fungens, quum, altercante populo, ſuggeſtum conſcendiſſet, eo quod valdè obeſus & craſſus eſſet à toto populo ſublatis cachinnis irridetur. At ille, Viri, inquit, Atheniens, ego craſſus & obeſus vxorem quoque habeo pinguiſſimam: tamen concordes vnus capit lectulus; diſcordes, nec tota domus. Huc etiam pertinere poteſt Sertorij Ducis Romani commentum de cauda equina. Duos conſtituit equos, alterum validiſſimum, alterum infirmiſimum: & huius caudam à valido iuuene vniuerſam conuelli, illius ab infirmo ſene paulatim carpi iuſſit. Sed dum adoleſcentis dextera irrito ſe labore fatigat, ſenio confecta manus miniſterium executa eſt. Docere voluit, Romanum exercitum per partes conuelli poſſe; eo aliqua arte diſiuncto, vniuerſum & concordem atque coniunctum non poſſe. De hac pace in aliis Domin. plura.

Rom. 21. *Matt.* 5. 1. *Ioan.* 4. *Epheſ.* 2. *Ioan.* 17. *Ioan.* 16. *Simile.* 1. *Cor.* 13. *Pſal.* 108. *Eſaiæ* 48. *Pſal.* 12. *Bruſonius li.* 2. *c.* 6. *Exempla.* 1. *Plutarch. in Græc. Apoph.* 2. 3. *Stob. ſerm.* 86. *Act.* 4. *philip.* 2. 2. *Cor.* 13. *Hebr.* 13. 4. *Philoſtrat. Valer. Max. li.* 7. *c.* 3.

4. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quę poſsidet.*

D LOcus moralis de falſa pace & ſecuritate impiorum, quam diabolus in eorum cordibus operatur, aut certè omnibus modis operari ſatagit. Fortis armatus eſt Satan, quem Chriſtus deuicit. Ille atrium ſuum, id eſt, cor peccatoris, ita cuſtodire dicitur, vt *in pace ſint omnia quæ poſsidet*: vt abſque vlla contradictione ſpiritus, ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo, totum hominem poſsideat. Hoc certè agit diabolus, vt omnem diuini iudicij metum hominum animis eximat, vt in ſumma pace ac tranquillitate peccẽt, quos irretitos peccatis tenet; imo vt in peccatis ſuauiter ludant, canant, triumphent: ſicut illi Babylonij filios Iſrael captiuos hortabantur ad cãtum & voluptatem, dicẽtes: *Cantate nobis canticum de canticis Sion.* Sed veri Iſraelitę in captiuitate poſiti, cantare nolebant, dicentes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Veri fideles à diabolo in peccatum protracti, *non lætabuntur quum malè fecerint, nec exultabunt in rebus peſsimis*; ſed ſe captos eſſe videntes, de pœnitentia & luctu cogitabunt, vt Deo ſuo reconcilientur. *Non cantabunt canticum Domini*, canticum lætitiæ ſpiritualis, *in terra aliena*, in peccato & ira Dei conſtituti. *Muſica in luctu importuna narratio.* Hinc acerbè redarguit Corinthios Paulus circa fornicarium eorum, *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis.* Vox peccatoris, ſed ad pœnitentiam aſpirantis, eſt illa: *Ecce in pace amaritudo mea amariſsima. Tu autẽ eruiſti animã meã vt non periret.* Miniſtri Satanæ ſunt qui homini impio pacem ſine pœnitentia vel ſuadent, vel pro-

Pax falſa impiorum. Allegoria. Pſal. 30. *Prou.* 18. *Eccli.* 22. 2. *Cor.* 5. *Eſaiæ* 38.

Ierem.6. mittunt,vel dare audent. De quibus per Ieremiam Deus dicit : *Curabant contritionem filiæ populi* A
Hist Eccl. tripar. li.6 c.30. Exemplũ. *mei cum ignominia,dicentes: Pax,pax,& non est pax.* Quum Theodosius Imperator à sancto Ambrosio Episcopo Mediolanensi excommunicatus staret,festumque Natalis Domini appropinquaret,sedebat in palatio tristis. Causam à Ruffino præfecto prætorij rogatus,merito se dolere dixit,quum,quod cuiuis plebeio Christiano liberum esset,hoc illi non liceret,ad ecclesiam videlicet accedere,& sacris participare. Hic Ruffinus monet vt hanc mœstitiam deponat, curaturum se pollicitus vt vincula imposita Episcopus relaxet. Egit per hunc diabolus,vt in pace possideret huius peccatoris animam. Sed pius & fidelis Imperator, Ruffini successum non expectans,ad ecclesiam perrexit,& occurrẽti ei in via Ruffino,dicentique Episcopum in sententiæ suæ rigore persistere,ideoque hortanti vt in palatium redeat,respondit: *Pergam, & iustas suscipiam contumelias.* Quod & fecit:acceptaque ab Episcopo iniuncta pœnitentia, templum ingreditur,& pacem diaboli feliciter à se reijciens (qua magis hodie potentes peccatores gaudere volunt) pace Christi & Ecclesiæ fruitur. Nulla maior aut pernicioſior deceptio est, quàm in statu peccati,pacem vel sibi,vel aliis promittere. Qui aliis hoc faciunt,vt molles animarum curatores,& loquentes placentia, facere solent:horum adulationem prorsus muliebrẽ, satis apta
In vita eius ca.12. Simile. hypotypoſi Thomas Morus expresit. Sicut (inquit) astuta mater tenerum paruulum, qui nimium diu in lecto stertuit,& iturus ad scholam plorat,virgam metuens, blandis verbis & pro- B
missis emittit,omnia ei salua pollicens,vel quia tam serum non est,vel quia præceptor hac vice indulgebit, nec quam pœnam in schola luat,pensi quicquam habet,modo hilari vultu, cũ suo butyraceo eum à se dimittat:sic multi animarum curatores, diuitibus & voluptuariis placentia loquuntur:ad mortem properantes , & à pœnis infernalibus sibi metuentes, vana spe lactant, omniaque salua promittunt;vel quia non ita grauiter Deum offenderunt, vel quia misericors Deus facilè indulgebit;nec quas postea in inferno pœnas luant,quicquam curant,modo eos in
Lucæ 6. Prouerb.2. hac vita non contristent, sed beneficos & liberales erga se sentiant. Contra istos,qui in peccatis suis pacem quærunt,clamat Christus: *Væ vobis qui nunc ridetis,quia lugebitis.* Et iterum alia Scriptura: *Quando venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me,& non exaudiam: manè consurgent,& non inuenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam,& timorem Domini non susceperint,nec acquieuerint consilio meo,& detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ,suisque consiliis saturabuntur. Auersio paruulorum interficiet eos,& prosperitas stultorum perdet illos.* Latè describit eo-
Simile. rum miseriam, quos in pace diabolus possidet. Admiratione dignum est, eos qui ære alieno
Suetonius in Augusto grauantur,& à creditoribus interpellantur,vix gratum cibum ac somnum,hac cura stimulante, capere posse (vnde culcitram defuncti equitis Romani,qui maximè obæratus , suauem tamen vitam duxisse videbatur,emit sibi Augustus Cæsar ad somnum,vt aiebat,conciliandum) mortali tamen peccato obnoxios & debitis illis oneratos,pro quibus quotidie oramus, *Dimitte nobis* C
debita nostra, in vtramque aurem dormire posse. Sed causas huius somni,quo suos oppressos te-
Dom.2. Quadrag. net diabolus,paulo superius diximus,de dæmonio cæco , muto , & surdo tractantes. De hac impiorum pace,quam per suos ministros Satanas operatur,grauiter apud Prophetam conque-
Ezech. 13. ritur Deus: *Erit manus mea super Prophetas qui vident vana , & diuinant mendacium ; eo quod deceperint populum meum,dicentes, Pax,& non est pax. Et ipse ædificabat parietem,illi autem liniebant eum luto absque*
Esaiæ 59. *paleis*,id est,populus peccabat. Peccatum enim est paries & maceria,diuidens nos à Deo. *Peccata vestra diuiserunt inter me & vos.* Hæc peccata,hunc maceriæ parietem, hanc diuisionem, has
Ephes.2. inimicitias inter Deum & hominem Christus sua morte & gratia dissoluit. *Ipse enim est pax nostra,qui fecit vtraque vnum,& medium parietem maceriæ soluens , inimicitias in carne sua.* Sed ante eius aduentum,*fortis armatus custodiebat in pace omnia sua*; quia parietem peccatorũ ministri eius pseu-
Psal.10. doprophetæ,& falsi toto orbe magistri (non in sola Iudæa) *liniebant luto absque paleis*,id est,*laudabant peccatores in desideriis suis,& iniquos benedicebant.* Lutum molle,est fœda adulatio: quæ & mollis est,quia placet;& fœda est,quia multipliciter turpis est;tum in re ipsa, quia falsum dicit adulator;tum in origine sua & mente adulantis,quia non id sentit adulator quod dicit; tum ex fine quoque,quia proprium commodum,& alterius deceptionem intendit;tum denique quia circa
Moral. li. 18.c.3. materiam peccati,quæ fœda est,versatur. *Parietis nomine* (ait D.Gregorius) *peccati duritia designatur. Aedificare parietem,est contra se quenquam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata* D
Matt.23. Ezech.13. *perpetrantibus adulantur;vt,quod illi peruersè agentes ædificant , ipsi adulantes quasi nitidum reddant.* Per hos quippe Satanæ ministros omnia alba fiunt;quum tamen non alba,sed *sepulchra dealbata,plena ossibus mortuorum*,reatibus & reliquiis peccatorum,impiorũ corda sint. De his adhuc dicit Propheta: *Væ iis qui consuunt puluillos sub omni cubito manus,& faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Et cum capiebant animas populi mei,viuificabant animas eorum*,id est, postquam molli prędicatione & adulatione animas decepissent , adhuc salua illis omnia promittebant. *Ad hoc*
Vbi supra. Locus contra hæreticos. *puluillus ponitur* (ait S.Gregorius) *vt mollius quiescatur. Quisquis ergo malè agentibus adulatur,puluillum sub capite vel cubito iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat , in ea fultus laudibus molliter quiescat.* Sed & hæretici hodie, per solam fidem, per certitudinem gratiæ , per fiduciam fidemque specialem, & alia nefaria dogmata quæ docent , puluillos consuerunt sub capite & brachio vniuersæ ætatis : timorem iustitiæ diuinæ animis hominum exemerunt, (vt in altero Promptuario ostensum est) & per hoc , vt egregij Satanæ ministri , plurimum illi cooperati sunt , vt in pace omnia sua possideat , sine conscientiæ scrupulo

(quam

A (quam carnificinam vocant) ſine timore aut dubitatione ſalutis vlla, quantumlibet in peccatis maneant.

5. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat.

LOcus moralis de perfecto peccati exterminio. Chriſti Spiritus, ſiue in perſona ſua, ſiue in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, eſt fortior ſuperueniens, qui vincit Diabolum. De quo Ioãnes: *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eũ*, id eſt diabolũ. *Maior enim eſt* (Spiritus Chriſti: *Qui enim Spiritum Chriſti non accepit, hic non eſt eius*) *qui in vobis eſt, quã qui in mundo*; id eſt, Princeps mundi, diabolus. Sed Spiritus Chriſti in quolibet verè Chriſtiano ita vincit diabolum, *vt vniuerſa eius arma auferat, in quibus confidebat*. i. vt omnia prorſus peccata, omnes cupiditates & occaſiones peccati, quæ ſunt arma peccati, vel ad peccandũ, penitus à ſe longiſſimè remoueat. Si ſeptem latrones domum tuam ingreſſi eſſent, & ſex quidem fortiter eieciſſes, ſeptimum verò negligeres, quomodo ſecurus in domo quieſceres? Moyſes contriuit vitulum aureum in puluerem minutiſſimum, & dedit populo ex eo bibere, docens nihil prorſus peccati remanere in pectore debere. Auis in laqueum, aut mus in muſcipulam cadens, ſi vel illa minimo vngue, vel
B hæc extremitate caudæ teneatur, perinde actum de vita eſt, ac ſi toto corpore teneretur. Pharao multis plagis percuſſus, tandem Dei populum ita dimittere voluit, *vt oues tantùm & armenta in Ægypto remanerent*. At Moyſes reſpondit: *Cuncti greges pergent nobiſcum: non remanebit ex eis vngula, quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri*. Voluit aſtutus Rex, vt ſaltem illis pignoribus relictis, occaſionem redeundi neceſſariam haberent. Vult ſerpens callidiſſimus, vt, etſi peccata deſerimus, occaſiones tamen peccatorum domi relinquamus. Ludum (ait) relinque, ſed aleas, & taxillos, & menſam non eſt opus comburere. Fornicari deſine, ſed concubinam tuã non potes honeſtè eiicere. Nõ quidem odio habebis inimicum, ſed quid neceſſe eſt eum diligere? Hæ ſunt Pharaonis noſtri & diaboli voces. At Moyſes noſter, Chriſtus Propheta noſter, vniuerſa arma peccati auferri iubet. *Non remanebit vngula*. Ne minima quidem pars affectus noſtri peccato ſeruiet. *Omnia ſunt ad cultum Dei noſtri neceſſaria*. Totum cor, tota anima, totus intellectus, tota voluntas, totus homo. Nullum diaboli pignus apud nos remanebit. quicquid præter Deũ, & non in ordine ad Deum diligimus, pignus diaboli eſt: quod à nobis dum repetit, & eius occaſione aditum in cor noſtrũ habet, per illud vnum ad alia peccata nos trahit, vel certè à Deo noſtro ſatis diſtrahit. Appoſitè ad hanc rem ſanctus Baſilius: *Sicut prædo aliquis domum prædaturus, à toto quidem ingreſſu prohibitus, ſed primo tamen limine aliqua fraude occupato, arma ibi aliqua clancu-*
C *lum deponit, aut lanceam, aut clypeum, aut galeam, etſi ſociorum gratia egreſſus tantiſper foris videatur, poteſtate tamen intus eſt; obque id, quòd ex armis ſuis ibidem poſuit, propriam, ſuique iuris ac ſociorum, quos paulò pòſt ſecum introducturus eſt, iam fecit domum: ita profecto voluptatis ac peccati miles atrox, domum ſibi per circuitum quærens, etſi in mentis adyta non intromiſſus excludi videatur, tamen aliquid armorum ſuorũ, vel aſpectus lanceam eminus per oculos vulnerantem, vel ſermonis impudici galeam per aures penetrantem, vel manuum tactum inſtar clypei cuiuſdam in anima virginis ponens, foris adhuc eſſe videatur, peccati perpetratione nondum inquinato corpore, poteſtate tamen intus eſt, per arma ibi depoſita vitians mentem. Obſtruendus igitur primus ſatelliti carnis ingreſſus*, vt nullus illi corporis ſenſus pateat. Hoc eſt videlicet vniuerſa diaboli arma diripere. Qui adulteram vel concubinam è domo eiicere vult, neque monile, neque annulum, neque calceum, nec aliquid quod ipſius eſt, apud ſe retinere debet, ne ſint vel redeundi pignora, vel noui deſiderij incitamenta. In Leuitico præcipit Deus *carnem iuuenci & pellem eius comburi extra caſtra, quia ſacrificium eſt pro peccato*. Non ſolùm carnes, ſed & fæces ſacrificij pro peccato in locum immundum proiici vult, vt nullæ peccati reliquiæ, veſtigium nullum remaneat. Sic de ſubuerſione Gentium, quæ idola colebant, loquens Deus, *Aras* (inquit) *eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccendite, & ſculptilia comburite*. Nullam vult peccati memoriam remanere. Hoc ſignificantiſſimè expreſſit Propheta, dicens: *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini*. Nam ſi alium quemuis liquorem præter aquam effuderis ex vaſe, ſiue mel, ſiue oleũ ſiue vinũ, manebit poſtea vas ipsũ, vel liquore aliquo madefactũ, &
D vel odore infectum, aut ſaltem colore tinctum. Nihil horum reperies in aqua, nec, illa effuſa, quicquam aut ſaporis, aut coloris, aut odoris in vaſe reperies. Qui amorem ſæculi, & peccati reliquias apud ſe retinent, quaſi mel & oleum, aut vinum cor ſuum effuderunt. Templũ quod à Gentibus prophanatum fuerat, Iudas Machabæus *Mundari præcepit, & altare conſtrui recens, & noua vaſa fieri*. Nos ſic templa Dei, & Spiritus ſancti eſſe debemus, vt nulla diabolica vetuſtas remaneat, dicente Chriſto: *Ecce, noua facio omnia*. Sic videlicet docet Chriſtus, dicens: *Nemo immittit commiſſuram à nouo veſtimento in veſtimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo. Et nemo immittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipſum effundetur, & vtres peribunt: ſed vinum nouum in vtres nouos mittendum eſt, & vtraque conſeruantur*. Docet Chriſtus oportere expoliari veterem hominem penitus, vt induatur nouus. Non debet eſſe doctrina noua, & vita vetus. Nouum gratiæ vinum non niſi in noua vaſa, & in nouas creaturas per Chriſtum factas, infundi debet. Creatio fit ex nihilo. Nihil vetuſtatis mã-

Peccatum penitus exſtirpandũ. 1. Ioan. 4. Rom. 8.
Simile.
Allegoria.
Simile.
Exod. 10.
Allegoria.
Pignus diaboli.
Li. de vera virginitate.
Simile.
Leuit. 8.
Allegoria.
Deut. 7.
Typus.
Thren. 1.
Simile.
2. Mach. 10
Exemplũ.
Apocal. 21
Lucæ 5.

nere oportet, vt sit creatura noua. Nihil sanè vetustatis (vt cum scholis loquamur) formaliter, nullus consensus in peccatum vetus: etsi materialiter, quoad exercitium manere, non est inconueniens, sed causa virtutis. Sic alibi docet Redemptor noster: *Bonũ est tibi debilem, vel claudum, ad vitam ingredi, quàm duas manus vel pedes habentem mitti in gehennam ignis. Itaque si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, proijce eum abs te.* Docet, quæ nobis sunt coniunctissima, vt parentes, familiares, amicos, statum vitæ, si arma peccati sunt, & occasiones vehementes ad malum, esse à nobis penitus abiicienda. Deus præcepit Sauli, vt destrueret Amalec. *Percute* (inquit) *Amalec, & demolire vniuersa eius; non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Quid paruuli meruerunt? quid oues & boues? Sed paruuli initia peccatorum notant; futuri enim impij fuerant, & hostes populi Dei, sicuti cæteri Amalecitæ, si adolescere permitterentur: oues & boues materiam peccati significant; nam ex illis suis idolis sacrificabant. Quia Saul huic præcepto non obediuit exactè, sed tum Regem ipsum solum captiuum tenuit, tum gregibus pepercit, regno excidit. Non est captiuandum tantùm, sed & occidendum peccatum. Captiuatur negato consensu: occiditur sublato ipso desiderio. Non est parcendum gregibus. Rescindẽdæ penitus omnes peccati materiæ & occasiones. *Demolire vniuersa eius*, ait Deus. Alioqui regno cœlorum excidemus, vt suo temporali regno excidit Saul. Hinc orauit Dauid, exemplo Saulis edoctus, quo caden- B te, ipse regnauit: *Viam iniquitatis amoue à me.* Non solum iniquitatem, sed viam & occasionem quæ ducit ad eam, à se tolli precatur. Salomon filius eius, quia aliter fecit, à Deo apostatauit. Iusserat Deus de alienigenis vxoribus: *Non ingrediemini ad eas; certissimè enim auertent corda vestra, vt sequantur deos earum.* Cautelam datam neglexit. Ingressus est ad eas; sequutus est deos earum.

Matth. 18.

A

1. Reg. 15. Allegoria.

Exemplũ. Psalm. 118 Vide Ambros. ser. 4. in eundem. Deut. 12. 3. Reg. 11.

6. *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.*

Recidiua peccati.

LOcus moralis de recidiua peccati. Christus enim postquam calumnijs Pharisæorum respondens, de diabolo ab eo superando multa dixisset, nunc ipsum à dæmonio liberatum alloquens docet, quanto ille in periculo versatur, si à tantis malis liberatus, iterum per suam negligentiam in diaboli potestatem veniat: & consilium sanctissimum his verbis concludit, talis hominis, in quem electus semel diabolus denuo reuertitur, *nouissima esse peiora prioribus.* C In qua conclusione, tota reliqua moralis doctrina continetur. Sunt ergo hominis in peccatum relapsi nouissima peiora prioribus, tribus potissimùm modis. Primùm ex parte diaboli, qui hominem à graui peccato liberatum, in quo eum captiuum antea tenuerat, tanto crudeliùs infestat, tanto vigilantius attendit, tanto acriùs inuadit, tanquam prædam è manibus, vel bolum è faucibus ereptum. Sic in Euangelio dicitur: *Non inueniens requiem dicit, Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Diabolus ab homine electus, quem seu corporaliter, seu spiritualiter (vt antea explicatum est) possederat, dicitur non inuenire requiem, donec in domum pristinam reuertatur, non quia nusquam alibi consistere potest, sed quia nusquam alibi consistere cupit: & quia ardenti desiderio tenetur eum iterum possidendi, quem semel possederat. Si ex carcere aliquis negligentia, aut indulgentia custodis euasit, quia paulo laxiùs & humaniùs tenebatur, & elapsus iterum captus, ad eundem carcerem reducatur, custos haud dubiè si simplici catena antea vinxit, nunc duplici vincire volet. Et si antea per noctis silentium & requiem eum non visitabat, nunc non secùs de nocte, quàm de die iterum atque iterum inuiset. Et si antea vno ostio aut sera clausum tenebat, nunc sub duplici ostio & sera concludet. Sic diabolus quasi è carcere suo per Dei indulgentiam elapso, si sua negligentia redeat, vbi priùs vnam aut alteram suggerebat tentationem, modò quinquaginta subministrabit, omnésque porticus & aditus claudet, quibus iterum sanari, & Deo reconciliari posset. Hoc est quod in Euangelio dicitur: *Ducit secum septem spiritus nequiores se*, id est, maiori nequitia & fraude quàm prius ei perdendo ad- D uigilabit. Sic ex parte diaboli multo peiori loco est, quã priùs fuit. Secundò, ex parte Dei, quia magis à Deo derelinquitur talis peccator, qui velut canis ad vomitũ, vel sus ad volutabrum redit. Nam *vt languor prolixior grauat medicum*, & semel atque iterum à medico sanatum, sua tamen negligentia recidiuantem, medicus tandem fastidit, & irrito labore fatigatus, deserit; ita Dei indulgentia & misericordia sæpiùs abutentem, iustitia Dei deserit. Hinc illæ in Scriptura voces: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: Ecce relinquamus eam.* Et ad Ierusalem ait Deus: *Quis miserebitur tui Ierusalem, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu enim me dereliquisti, dicit Dominus. Retrorsum abijsti.* Et apud Esaiam: *In quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem?* Et alia Scriptura: *Iterum eodem peccans, quid proficit humiliando se? Orationem eius quis exaudiet?* Denique Christus ipse in Euangelio, sanato paralytico, hoc expressè comminatur, dicens: *Ecce iam sanus factus es. Iam noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius contingat.* Hoc autem totum propter ingratitudinem fit, quæ aggrauat eorum peccata, qui post multa peccata condonata, adhuc eadem peccare non desinunt. Quum enim iuxta Christi verbum, *Cui plus dimittitur, plus diligit*; profectò cui plus dimittitur, si adhuc offendat, plus ingratus est, & contra dilectionem Dei plus peccat: Quod & illa parabola docet, qua conseruus, cui Dominus roganti decem talenta remiserat;

1. Ex parte diaboli periculosa.

Simile.

2. Ex parte Dei. Eccli 10. Simile.

Ierem. 5. Ibidem 15 Esaiæ 1. Eccli 34. Ioan. 5. Lucæ 7.

statim

A ſtatim conſeruum propter duo talenta in carcerem mittit. Cui Dominus dicit: *Serue nequã, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me; nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum.* Hæc ira propter ingratitudinem auari conſerui proceſſit. De hac Dei ira in frequenter recidiuantes, ſcripſit Apoſtolus: *Terra ſæpe ſuperuenientem bibens imbrem* (diuinæ ſcilicet miſericordiæ) *proferens autem ſpinas ac tribulos, maledictioni proxima eſt.* Quam Dei iram erga recidiuantes, exemplis Scriptura confirmat. Dauidem in vxore Vriæ péccantem ſola morte pueri nati puniuit Deus. Eundem paulò pòſt numerantem populum, peſte & multorum millium nece percuſſit. Achab de ſublata vinea Naboth ab Elia increpatus, & pœnitentiam agens, veniam conſequitur. Poſtea ad impietatem rediens, & Michæam Prophetam carceri mancipans, in bello occiditur. Pharao cum toto ſuo exercitu in mari rubro ſubmerſus, horrendum illum exitum, poſt tam multas acceptas plagas, & tot promiſſa de populo dimittendo violata, ſortitus eſt. Vnum extra Scripturas ſubiiciam exemplum. Canonicus quidam lubricus graui infirmitate correptus, à Sancto Franciſco, facto ſuper eum ſigno Crucis, mirabiliter ſanatus eſt, admonitus ab eodem diligenter ne ad vomitum rediret. Ille poſtea corpus impudicitiæ reddens, quum in domo cuiuſdam Canonici cœnaſſet, domo tota corruente, cæteris omnibus illæſis & euadentibus, ſolus repẽtina morte extinctus eſt. Hæc eſt ingratitudinis pœna; hoc recidiuæ, ex parte iræ diuinę, periculum. Nunquam ſanè de miſericordia Dei deſperandum, nec vnquam ſera eſt ad bonos mores via, & *miſericordiæ Dei non eſt numerus; & ſi fuerint peccata noſtra ſicut coccinum, veluti nix dealbabũtur; & ſi fuerint rubra vt vermiculus, velut lana alba erunt,* ſi per pœnitentiam ad Deum reuertimur: ac denique, vt veriſſimè Sanctus Chryſoſtomus ſcripſit, *Tametſi millies quis peccauerit, millies perſtet confiteri*: quia ſi fratribus noſtris remittere *non ſepties tantùm, ſed & ſeptuagies ſepties* iubemur, multo ſæpiùs parcet pœnitenti Deus, cuius *miſerationes ſunt ſuper omnia opera eius.* Hæc ſanè vera ſũt. Recidiua tamen peccati frequens, periculum hoc habet, vt oblitus miſericordiæ Deus, iuſtitiam exerceat, fiántque nouiſſima peiora prioribus. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Non dicit, qui incurrit periculum; ſed, *qui amat periculum*, id eſt, qui ſtudioſè, & affectatè exponit ſe periculis peccandi: & qui præſumit de venia. Peribit quoque in periculo non infallibiliter, ſed probabiliter. Cæterùm, ſi quis medicus diceret, & cum auctoritate infallibili diceret: Si poſt morbum recidiuas, peribis in illo; intelligens tamen quòd non infallibiliter perires, ſed valde probabiliter: profectò ſic corporis ſanitati ſtuderemus omnes, vt à recidiuo nihilominus diligentiſſimè caueremus. Idem & in animæ ſalute fieret, ſi tam chara hæc eſſet quàm corporis: hoc eſt, ſi Chriſtiani eſſemus, non homines tantùm; imò ſi homines eſſemus, & aliquid, plus quàm bruta, ſaperemus.

Matth. 18.

Exempla.

Hebr. 6.

3. Reg. 12.

3. Reg. 20. & 21.

Exodi 15.

In vita S. Franciſci, per S. Bonauent. cap. 11.

B

Pſalm. 90. Eſaiæ 1.

Hom. 6. de pœnit.

Matth. 18.

Pſal. 144.

Eccli 3.

Simile.

Tertiò, & potiſſimùm ex parte peccatoris ipſius, hominis in peccata frequẽter relapſi, nouiſſima fiunt peiora prioribus, idque varijs ex cauſis. Primum, quia quum in omni peccato mortali ſit auerſio à Deo per tranſgreſſionem mandati, & conuerſio ad creaturas per voluptatem peccati; ex hac poſteriori parte per conſuetudinem peccandi generãtur praui habitus, qui difficilem reddunt conuerſionem ad Deum. Qui ſæpius, vel per creditores, vel cauſa furti, aut alterius criminis in carcerem coniicitur, ille tandem verecundiam & pudorem carceris deponit, nec catenas erubeſcit, nec detentionem magnopere ſentit. Sic peccatori ſæpius recidiuanti dicit in Scriptura Deus: *Frons meretricis facta eſt tibi. Neſcis erubeſcere.* Veſtis aliquando ſic ex nimio vſu, nimiáque vetuſtate atteritur, vt rupturæ eius reſarciri nequeant; eo quòd ita debilis ac tenuis factus eſt longo vſu pannus, vt nec filum ſuſtentare poſſit, nec acum. Sic peccata repetita, & longa conſuetudine inolita, ita animam debilem & languidam reddunt, vt nec Dei inſpirationes, nec prædicatorum verbi admonitiones, admittere aut ſuſtinere valeat: vt nec acum timoris Domini intromittere, nec charitatis filum, quod timor introducit, ſuſcipere queat. Nẽpe (vt appoſitè ſcripſit ſanctus Auguſtinus) *Ex voluntate peruerſa fit libido: & dum ſeruitur libidini, fit conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas*, id eſt, dura ſeruitus peccati. Vnde pulchrè S. Ambroſius: *Facilius inueni qui innocentiam ſeruarent, quàm qui congruè pœnitentiam agerent.* Febris recidiua difficillimè curatur, non propter morbi magnitudinem, ſed propter ſubiecti debilitatem. Corpus enim priori morbo eiúſque cura multum exhauſtum, faciliora illa & fortiora remedia, vt venæ ſectionem, ſuperfluæ materiæ eductionem, humoris peccantis debitam correctionem, non iam patitur, ideóque per quædam extraordinaria ſanari debet. Sic in primis peccatis nec vires gratiæ exhauſtæ ſunt, nec animæ vires attritæ quaſi & attenuatæ adhuc. Sanari poſſumus per Eccleſiaſticam diſciplinam, quaſi venæ ſectionem: per inflictas diuinitus pœnas, quaſi per ſuperfluæ materiæ eductionem: per ſalutares admonitiones, quaſi per peccantis humoris correctionem. At in iteratis peccatis hæc omnia deficiunt, vel quia contemnuntur, vt dictum eſt de ſæpiùs incarcerato, &, vt alia Scriptura dicit, *Impius quum in profundum venerit, contemnit*; vel quia anima contrariis cupiditatibus aſſueta (quæ illi quaſi in naturam verſæ ſunt) noua hæc remedia ſuſtinere & capere non poteſt. Nam quemadmodum multi etiam boni & iuſti verbum perfectionis capere nequeũt, aut ſeipſos propter regnum Dei caſtrare (de quo Chriſtus dixit, *Non omnes capiunt verbum hoc*) ita impij verbum ſalutis neceſſariæ capere non poſſunt: id eſt, capere nolunt propter voluntatem habitibus peccatorum deprauatam. Quare S. Dauid in perſona peccatorum, qui longa peccandi conſuetudine aggrauantur, ſic orat: *Cor mundum crea*

C

3. Ex parte peccatoris.

Simile.

Ierem. 3.

Simile.

Confeſſ. lib. 8. c. 5.

De pœnit. lib. 2. c. 10.

Simile.

D

Prou. 18.

Matth. 13.

Pſalm. 50.

in me Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. quaſi dicens: Cor meum ita nunc vetuſtate peccati attritum eſt, vt planè noua creatione, nouo Spiritu mihi opus ſit. Fac mihi aliam veſtem, & indumentum nouum, & *ſtolam primam*, qualem filius prodigus, ad patrem per pœnitentiam reuertens, accepit. Hic ergo obſeruet diligenter peccator recidiuans, quòd quum cæteri peccatores contra tres tantum hoſtes bellum gerant, dæmonem, mundum, & carnem; ille etiam contra quartum pugnare debet, eúmque infeſtiſſimum, *Conſuetudinem*: de qua in alio Euangelio, circa cor durum, aliqua diximus.

Luc. 16. A

Recidiuãs 4. hoſtes habet.

Dõ. Sexag. Tex. 4.

Cauſæ verò ex parte peccatoris recidiuantis, cur citò recidiuet, & locum iterum diabolo faciat, atque ita nouiſſima eius fiant peiora prioribus, tres aſſignari poſſunt. Nempe ſicut ex graui infirmitate conualeſcens, facilè in morbum relabitur, niſi diligenter ſibi caueat, & quædam adhuc medici præcepta ſeruet; ſic è graui peccato liberati (qui, quum prius muti, ſurdi, ac cæci eſſent, nunc ſingulari Dei beneficio vident virtutis viam, & delectantur in ea, audiũt monita ſalutis, & amplectuntur ea; confitentur peccata ſua, & deteſtantur ea) facilè in peccatum relabuntur, niſi magnam ſalutis ſuæ curam gerant. Primum, quia recenter Deo reconciliati, iã ſe ſanos & valentes eſſe putant: ſicut qui recens conualuit, videtur ſibi ſtatim ita validus, vt quiduis comedere ac bibere, quiduis agere liceat; vnde diætę ratione non ſeruata, quæ corporis vires paulatim reficiat, facilè in febrem recidit. At recenter ad Deum conuerſus, debilitatas animæ ſuæ vires (vt prius diximus) attendere debet, ideóque non ſe adhuc valentẽ & fortem, ſed infirmum ac debilem contra occaſiones peccatorum exiſtimare. Nam & animæ ſanitas paulatim incrementum capit. Vnde Scriptura: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Imò (vt alibi oſtendimus) tunc maximum cadendi periculum eſt, quum recenter ad Deum conuerſi, recenter è diaboli faucibus erepti ſumus. Secundò, ſicut qui è graui morbo recẽs conualuit, non niſi optimis & ſaluberrimis cibis nutriri debet, vt deperditas morbo vires corpus recuperet: ſic recens à peccato reſurgens, optimis & delicatis alimentis ſpiritum refocillare & corroborare debet, vt precibus attentius incumbere, verbo Dei audiendo diligentiùs vacare, pijs libris legendis operam dare. Vnde in Canticis noua & tenera ſponſa dicit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

1. Cauſa. B

Eccli 5.

2. Cauſa.

Cant. 2.

Tertiò, qui recens conualuit, certis exercitiis corporis vti debet. Multi enim relabuntur in morbum, quia nullum exercitium faciunt. Sic Deo recens reconciliatus, & à dæmonis iugo ereptus, bonis operibus ſe exercere debet. Nam quia hoc non fiebat, quia otioſam & vagã ſanati peccatoris animam diabolus reperit, in eam rurſum ingreditur, vt in hoc Euangelio dicitur: *Et inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam*; addit D. Matthæus, *vacantem*. Vnde Patres exponunt, otioſam, & diabolo accommodatam, propter negligentiam & ignauiam cordis. De qua negligentia, & quomodo multorum peccatorum, & frequentis recidiuæ ſit cauſa, in alio Euangelio diximus. Sanè quòd vacuam animam opprimit diabolus, in illis verbis expreſſit Iob, de diabolo loquens: *Ante faciem eius præcedit egeſtas*, id eſt, otioſitas, & boni operis vacuitas viam diabolo præparat. Vnde & Apoſtolus quum dixiſſet, *Nolite locum dare diabolo*, adiecit: *Laboret vnuſquiſque, manibus ſuis operando quod bonum eſt.* Nam vt Cato eleganter dixit: *Homines nihil agendo, male agere diſcunt.* Sanè domus ſcopis mundata, puluere tantùm ſuo purgatur; lutum & ceſpites ſcopa non mouet; grauiores peccatorum ſordes, & quæ tenacius adhærent, ferro acrioris pœnitentiæ reſcindendæ ſunt, & multis lachrymis abluendæ, multiſque poſtea bonis operibus expurgandæ: quod totũ vocat D. Baptiſta, *Fructus dignos pœnitentiæ*. Sed ideo recidiuamus, quia per bonorum operum exercitia, huiuſmodi fructus dignos non proferimus. Atque hæ quidem recidiuationis cauſæ ſunt.

3. Cauſa.

Matth. 12.
Ambroſ.
Hieron.
Chryſoſt.
& Beda in hunc locũ.
Iob. 41.
Epheſ. 4.
Apophth.
Scopis mũdata.
Matth. 3. C

Recidiuatio quam graue peccatum.
Simile.

Nunc de eius grauitate & turpitudine pauca. Sicut libertus libertate donatus, patronum offendens, grauius peccat quàm ſeruus: ſic Deo per Chriſtum reconciliati, è poteſtate diaboli & tenebrarum erepti, vera libertate Spiritus donati, multo atrocius recidiuando offendunt, quàm qui *naturæ filij iræ* & ſerui peccati viuunt, fide & gratia Chriſti nunquam accepta. Vnde D. Petrus: *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Dicebat S. Arſenius: Qui peccata peccatis addit, quum ea reſecare deberet pœnitentia & diligentia, ſimilis eſt ligna ſcindenti & humeris ſuis imponenti; quũq; iam ſatis onuſtus eſt, vt portare non valeat, noua tamen ligna humeris ſuperaddit, & onus auget. Recidiuantes poſt peccatorum confeſſionem & abſolutionem Sacerdotalem, ſimiles viperis ſunt quas ferunt in littore maris poſitas, ſibilo ad ſe ex profundo gurgite murenulam euocare, vt eius opera fœtus concipiant: quæ cùm ad hoc venenum deponant, vbi à conſorte receſſerunt, venenum iterum reſumunt, quo ſolito more noceant. Vipera quoq; (vt ſcribit Plinius) aduenientе hyeme, venenum euomit, & in terra ſe occultat; ſed vere aduenientе, exit, ac venenum in ea nouum generatur, multo pernicioſius veteri. Idem enim facere videntur qui ad horam, dum Sacerdotes adeunt, vel dum Deum in Eccleſia precantur, vel aliqua aduerſitate turbati, peccati virus quodammodo deponunt, & magnam emendationem ſtatuunt ac promittunt; peracta verò confeſſione vel oratione, & ceſſante tribulatione, virus iterum, quod euomuerant, reſorbent, ad vetera peccata prolapſi. Certè quum peccatum porta inferi ſit, & ianua inferni, ſicut qui ad fores palatij Principis frequenter & continuis diebus reſidet, oſtendit ſe palatiũ ingredi velle, & eius rei magno deſiderio teneri: ſic planè qui frequenter peccat, oſtẽdit facto

2. Pet. 2.
Inuitatius apud Sur. to. 4. p. 257
Simile.
Ambr. in Examerõ lib. 5. ca. 7.
Simile.
Natu. hiſt lib. 8. c. 49.

S. Iordanes apud Sur. tomo 7.

D

facto velle ſe infernum intrare. Sanè ſicut illi qui iuxta rapidiſſima flumina commorantur,auri- *Similia.*
A bus vſu obſurdeſcentibus, moleſtiſſimum aquarum fragorem ſine vlla moleſtia perferunt; ſic 1.
conſuetudo delinquendi minuit admirationem delicti. Et ſicut qui vicinum habet fabrũ fer- 2.
rarium, cuius malleus nocte diéque incudem ferit,principio quidem moleſtiſſimè hoc fert, & ſomnum inquietum ducit; tandẽ tamen diu aſſuefactus, nihil moleſtiæ percipit, ſed inter crebros & ſonoros ictus altũ ſtertit: ſic omnino ad prima peccata acres remorſus & ingentes animo clamores peccator ſentit, & vix præ dolore ſomnum capit; at vſu, & conſuetudine peccati ita in peius mutatur, vt nullo conſcientiæ clamore,quantumuis valido, excitetur, aut euigilet à peccato. Imò fabrorum huiuſmodi canibus ſimiles iſti ſunt, qui continuis malleorum ictibus aſſueti, etiam altius indormiunt. Tantam vim in animam habet, non tam peccatum ipſum,quã peccandi conſuetudo. Appoſitè D. Baſilius: *Quemadmodum in peſtilentibus locis ſenſim attractus aër* 3.
latentem corporibus morbum inijcit; ſic in praua conſuetudine,maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim *Homil.9.*
incõmodum nõ ſentiatur. Docet hoc Propheta, dicens: *De radice colubri egredietur regulus.* Si ſerpentẽ *Eſaiæ 14.*
negliges, baſiliſcus fiet. Si parua nauis foramina nõ obturas,aqua paulatim accreſcens ſubmer- 4.
get nauem. Denique de recidiuante propriè intelligitur quod Sapiens dicit: *Funibus peccatorum* *Prou.5.*
ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Quemadmodum enim qui funes nectunt,alterum ſemper alteri *Baſil. in*
funem attexunt & interſerunt, vt longior fiat; ſic qui in profundo malorum feſtinant,priuſquã *Eſa. cap.5.*
priori peccato finem impoſuerint,adoriuntur ſecundum. De hac recidiua peccati,maximè hæ- 5.
B reſis,grauiſſimi peccati, in oratione quadam noſtra, De recidiua hæreſis,quæ cum altero Prõptuario excuditur,plura diximus. Vt autem ex Scriptura exemplum proferamus artis, & induſtriæ diabolicæ, qua de peccato in peccatum hominem trahit, vt faciat ſemper nouiſſima peiora prioribus,vnus Sampſon hoc ſuo malo docuit. Ille enim primùm duobus funibus lineis, deinde neruiceis,poſtea verò ſeptem nouis funibus fuit alligatus, & quanto magis in Dalilæ ſuæ conſuetudine perſeuerabat, tãto fortioribus eum vinculis alligabat. Poſtea ipſa eius crines dormienti abſcidit. Deinde Philiſthæi oculos eruerunt, vinctúmque per vias, plateas, & tabernas illudentes,deduxerunt: poſtremò ad molam eum pertraxerunt. Sic peccator Dalilæ ſuæ, id eſt, carnis blanditijs obſequens,ex paruis malis in maiora,ab aſpectu ad ſermones,à ſermone ad cõtactum,à contactu ad oſcula, ab oſculis ad peccati conſummationem procedit,quouſque Diaboli eius crines, quibus caput operitur, abſcindunt,per quos verecũdia ſignificatur;qua deperdita, eum quocunque volunt,deducunt. Oculos euellunt,hoc eſt,cæli atque inferni conſiderationem ei adimunt. Poſteà per plateas deridendum,infamem reddunt. Poſtremò ad molã, & piſtrinum doloris ſempiterni miſerum perducunt. Sic de malo in peius, de peiore in peſſimum pertrahit ſuos aduerſarius noſter diabolus. Hanc ſuccreſcentem ſemper in deterius peccatorũ herbam his verbis explicat D. Baſilius: *Vt gramen præceteris herbis prolis eſt numeroſæ, nec vnquam in-* *In c.9. Eſa.*
C *termoritur,aut deſinit gignere ex ſe, ſed ſemper extremitas primitiuæ genituræ origo ſit ſuccedaneæ ſobolis; ſic* *Simile.*
peccatum, aliud ſibi ſimile ſemper progignit, vt fornicatio fornicationẽ, quæ repetita ardeſcit magis, non reſtinguitur; & aſſuefactio mendacij mater ſit mendacij: & ſic in alijs peccatis. Qui poſt ieiunia, confeſſiones, pœnitentias pro peccatis ſuſceptas, in eadem recidunt, ſimiles ſunt pueris qui in pugna ſua ludicra alter alterum quaſi hoſtem capit,& acerrimè,ne capiantur,currunt,ac decertãt; finito autem ludo,amiciſſimè ſe mutuò complectuntur,& corrident. Sic enim iſti, quaſi ludicram ad tẽpus cum diabolo pugnam inſtituere videntur pœnitendo,lachrymando, ieiunando; ſed mox ad priſtina peccata redeuntes, amicitiam renouant. Principes filiorum Ephraim malum hoc magnum cognouerunt,quum fratribus ſuis,poſt multam filiorum Iuda occiſionem,ingentem quoque prædam mulierum & filiorum Iuda ducentibus,dicerent: *Non introducetis huc captiuos, ne* *2 Paral.28*
peccemus Domino. Quare vultis adijcere ſuper peccata noſtra, & vetera cumulare delicta? Satis illis erat in occiſione ſemel peccaſſe. Noluerunt in abducendis captiuis rurſum peccare. Huc etiam referri poſſunt quæ de conſuetudine peccati in alio Euangelio protulimus. Recidiuãtes verò poſt pœnitentiam, ſimiles illis ſunt,qui ambulãtes de nocte per plateas,audito tympano,poſt cuius pul- *Dõ. Sexag.*
ſum arma gerere non licet,enſem apud amicum reponunt,ſed poſtridie eum reſumũt. Sic enim *text. 4.*
iſti, finita Quadrageſima,aut peracta pœnitentia, ad priſtinas peccatorum ſordes, quas ad mo- *Simile.*
mentum propter indictum pœnitentiæ tempus depoſuerant,redeunt.

D

7. *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

LOcus moralis duplex: Vnus contra auditores verbi infructuoſos: alter cõtra non audientes. Beatos enim illos Chriſtus hic pronuntiat, non qui audiunt tantùm, ſed qui audiũt, *De audiendo verbo*
& cuſtodiunt verbum Dei: id eſt,in quos ſemen verbi Dei, vt in terram bonam cadit; & *Dei.*
qui *corde bono & optimo verbum retinent, & fructum afferunt cum patientia.* Super quæ verba præſentẽ locum in alia Dominica tractauimus. Sed hic iuuante Chriſto,pauca adiiciemus. Chriſtus vtrũque hic commendat,audire verbum,& cuſtodire verbum: & vt fruſtra auditur,quod nõ cuſtoditur,ita difficilè cuſtoditur,quod non auditur. Duplex igitur erit locus. Vnus contra audito- *Contra auditores infructuoſos.*
res infructuoſos,alter contra non audientes,& hoc ſalutis medium negligentes. Ad prius quod attinet,cuſtoditur verbum Dei à nobis bonis operibus,quemadmodum ignis ſeruatur in fomite, *Simile.*

Vnde in Apocalypſi, quum dixiſſet beatus Ioãnes; *Beatus qui audit, & qui legit verba Prophetiæ huius*, protinus adiecit, *& ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt*. Iacobus quoque ſcripſit: *Eſtote factores verbi, non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos*. Quomodo autẽ ſeipſum fallat, Chriſtus docuit, dicens: *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, vapulabit plagis multis*. Et alio in loco: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti* (id eſt, variæ, ſeu tribulationes, ſeu tẽtationes, poſt verbum auditum exortæ ſunt) *& irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna*. Magna enim eſt ruina credentis, & non facientis voluntatẽ Dei. Vnde & hic locus contra nefarios noſtri temporis hæreticos valet, qui ſola fide hominem iuſtificari, bona autem opera ad ſalutem neceſſaria non eſſe, impiè dogmatizant. Chriſtus enim beatos, id eſt, iuſtos & Deo gratos pronuntiat, non qui audiunt tantùm, aut audiendo credunt, ſed qui operando cuſtodiunt. Sanè tantum in hac parte differt hæreticus à Catholico, quantum ſophiſta à Philoſopho, vel pharmacopola à medico, vel oſtentator à practico; virtutem qui verba putant vt lucum ligna. Sed illis omiſſis, quos in altero Promptuario ſubinde (ad hoc quod attinet) refutauimus; ad noſtra veniamus. Dicit Dominus: *Beati qui audiunt & cuſtodiunt*, non dicit, qui audierunt & cuſtodierunt; vt intelligamus, in vtroque tota vita perſeuerandum eſſe. Iſtud autem quomodo aſſequi poſſimus, docet Sapiens ſub myſterio his verbis: *Quando ſederis cum principe, diligenter attende quæ ſunt poſita ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam*. Audire prædicationem verbi Dei, eſt ſedere ad menſam Ieſu Chriſti. Hæc eſt enim menſa, quã Sapiẽtia parauit, & ad quam vocat paruulos ſpiritu, dicens: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis*. In hac eſt *panis* cæleſtis doctrinæ, quæ *confirmat cor hominis*. In hac eſt *vinum* gratiæ & miſericordiæ Dei, quæ *lætificat cor hominis*. Ad hanc menſam qui ſedet, *diligenter attendere debet, quæ ſunt poſita ante faciẽ ſuã*. Et vide quantum hæc valeat attẽtio, etiam vbi ſemper non adeſt bona intentio. Principes Sacerdotum, & Phariſæi miſerunt miniſtros ſuos, vt cõprehenderent Ieſum turbis prædicantem. At illi expectantes prædicationis finem, & attentè cũ turba audientes, non vt diſcerent, ſed vt caperent in verbo, ita compuncti & mutati fuerunt, vt re infecta redierint. Illis ergo reuerſis, dixerunt Phariſæi: *Quare non adduxiſtis illũ? Reſponderunt miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Reſponderunt ergo eis Phariſæi: Nunquid & vos ſeducti eſtis?* Accipe aliud exemplum. S. Auguſtinus adhuc Manichæus quum eſſet, audiens per occaſionẽ ſanctum Ambroſium prædicantem, ad fidem Catholicam inducitur. qua de re ſic ipſe ſcribit: *Ambroſium ſeruum tuum, non vt doctorem veri, ſed vt hominem benignum in me dilexi: & ſtudioſè audiebã diſputantem in populo, non intentione qua debui, ſed quaſi explorans eius facundiã, vtrũ conueniret famæ ſuæ, & verbis eius ſuſpendebar intentus. Rerũ autẽ incurioſus & contẽptor aſtabã, & delectabar ſuauitate ſermonis. Sed veniebant in animum meum ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam. Et dum cor aperirem ad excipiendum quàm diſertè diceret, pariter intrabat & quàm verè diceret; gradatim quidem*. Sunt hæc duo illuſtria exempla quantum valeat ſedula attentio, etiam vbi non adeſt ſemper bona intentio. Sed & ille legis doctor, qui interrogauit Chriſtum de maximo mandato, *tentans eum*, vt Matthæus refert, ex Chriſti reſponſo ſic conuerſus & mutatus eſt, vt, laudata Chriſti reſpõſione, addiderit, dilectionem Dei & proximi, maius eſſe omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs. Vnde Chriſtus dixit illi: *Non longè es à regno Dei*, vt eſt apud Marcũ. Adeò qui tentator acceſſit & ſuperbus, abijt inſtructus & humilis, atq; æternæ ſaluti proximus. Sequitur in Salomone: *Et ſtatue cultrum in gutture tuo*. Culter iſte verbum Dei eſt, quod auditur in menſa Chriſti; iuxta illud Apoſtoli, *Aſſumite gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei*. Hic culter in gutture ſtatuendus eſt, quia verbum Dei comedendum, hoc eſt, in corde reponendum, iuxta illud ad Ezechielem, *Comede volumen hoc*, vt alibi expoſuimus; & ruminandum in memoria, & repetendum in voce eſt, vt de eo finita concione mutuò loquamur. Sed hoc demum ille præſtat, *qui habet in poteſtate animam ſuam*: id eſt, qui audiens verbum, non habet animam ſuam in negotijs, in pecunia, in patinis, ſed in poteſtate ſua, vt rei præſenti eam applicet: qui habet animum à prauis affectibus liberum, ne ſuffocetur Dei verbum. Dicit enim Scriptura. *Audit luxurioſus verbum ſapiens, & diſplicebit illi, & proijciet illud poſt dorſum ſuum*. Item qui habet animum non in via diſtractum & vagantem, ſed attentum & collectum, & diſcendi cupidum. Quando Epiſtola aliqua obſignata nobis offertur, ſtatim illam aperire, eiúſque ſubſcriptionem ſcire cupimus, quidque in ea ſcriptum ſit, intelligere. Epiſtola & nuncia voluntatis Dei, eſt verbi Dei prædicatio; quam obſignatam in multis parabolis, myſterijs, & altis principijs, reſignat, exponit, & deducit paſtor Euangelicus. Si illa reſignatio non delectat, non mouet, non operatur in nobis, noſtra id culpa fit, qui malè diſpoſiti accedimus. Quemadmodum enim fax madida, licet igni applicetur, lumen tamen non accipit; ſic paſſionibus tumidi & humidi, ab ignito Dei verbo non inflammantur. Quare Dauid, quum dixiſſet; *Ignitum eloquium tuum vehementer*, ſtatim ſubiecit: *& ſeruus tuus dilexit illud*. Ideo quippe ignitum eſt, quia diligitur. Alioqui ſicut otioſi pueri ex ſilice interdum ferro ignem excutiunt, non vt ignem accendant, ſed vt videant quomodo euolent ſcintillæ, & modò has, modò illas euolantes ſcintillas laudant & admirantur, ſed eſcam non admouent, vt lumen, vel ignis accendatur: ſic multi, imò innumeri auditores, curioſi magis quàm Chriſtiani, ad prędicatoris vocẽ, tanquam ferrum percutiens, intellectum ſuum, quaſi ſilicem admouent, vt attentè audiant quàm aptè & eleganter dicat, ſed eſcam voluntatis non apponunt, vt ea ad virtutem accendatur.

Apocal. 1. *Iacobi* 1.

Lucæ 6. *Marci.* 7.

Locus cont. hæreticos.

Pron. 23.

Ibidem 9. *Pſalm.* 101

Exempla. 1.

Ioan. 7.

2.

Confeſſ. li. 5. c. 13 & 14

Matth. 22

Marc. 12.

Philip. 6.

Eccli 21.

Similia. 1.

2.

Pſalm. 118

3.

A tur. Quum varios concionatores audiuerint, Plus (inquiunt) volat hic quàm ille, elegantius iſte, copioſius ille, doctius alter perorauit. Fit ergo illis ſacra concio ſicut carmen quoddã muſicum, vbi cantatoris vox laudatur; quod autem cantauit, non aduertitur. Et quemadmodum accidit aliquando, vt de nocte in plateis muſica ſonante, è lecto quis ſurgat, vt audiat; ea verò finita, lectum repetat, & ſomno, ſicut priùs, indulgeat; ſic planè fit, vt audita concione, qui carnales, auari, ſuperbi eò acceſſerunt, tales etiam domum redeant, & peccati ſomnum repetant: nihilo vel meliores, vel ſaniores, vel prudentiores contra peccatum effecti, quàm bonus ille miniſter, qui rogatus ab hero, quid è concione reportauerat; Galerum tuum, Domine, & pallium, reſpondit. Tam craſſa & ſupina negligentia parit tandem etiam contemptum verbi Dei, qualem Iudæorum deſcribit Propheta: qui verba Prophetarum, Deus hoc mandat. Expecta iudiciũ Dei, modicũ & non tardabit; his verbis vulgaribus irridebant: *Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicũ ibi*, id eſt: Mandet Deus, & remandet vt volet, nos viuemus, prout libet. Quibus Deus reſpondet: *Propter hoc audite verbum Domini, viri illuſores. Ego ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura; & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Flagellum inundans cum tranſierit, eritis in conculcationem.* Solet ſimia, ſi quãdo ſe in ſpeculo videt, propter nimiam ſuam deformitatem, ſpeculum ſtatim abijcere, &, ſi poteſt, in multas partes confringere. Tales ſimiæ fiunt tandem negligentes verbi Dei auditores, vt verbum ipſum Dei, eiúſque prædicationem, in qua veluti in ſpeculo omnia ſua peccata, vanitates, & ineptias om-
B nes ad viuum repræſentari vident, penitus contemnant & abijciant, eiúſque curſum, & officium ſi qua poterunt, vel tollant, vel impediant.

4. 5. *Exemplũ. Eſaiæ 28.* *Simile.*

Neque eſt quòd prædicatoribus imputent, qui minùs ex verbi Dei prædicatione proficiunt, quia ſpiritum hodie & ſanctitatem Apoſtolicam non habent. Nam & ipſo Apoſtolorum tempore, quo confirmata fuit doctrina, *conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus, ſecundùm ſuam voluntatem*, dicit tamen D. Paulus: *Non omnes obediunt Euangelio*, & ex Eſaia prolatum de ſe, ſuiſque coapoſtolis affirmat: *Domine, quis credidit auditui noſtro?* id eſt, prædicationi noſtræ. Non eſt igitur cur Prædicatoribus hodie patum fortè Apoſtolicis imputetur prædicatio verbi infructuoſa, quum & ipſi Apoſtoli multis in locis abſq; fructu, imò cum contradictione multa, & (vt ait Paulus) *aduerſarijs multis*, prædicauerint. Sed accidit hodie pleriſque auditoribus, quod Iudæis Apoſtolorum tempore, quibus D. Paulus dixit: *Quoniam repellitis verbum Dei, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes*: imò & Chriſto ipſo prædicante, qui etiam Iudæis dixit: *Quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis.* Omnes enim audientes verbũ Dei, & non cuſtodientes illud, hoc ipſo maximè oſtendunt ſe indignos æternæ vitæ; & in illis omnibus Chriſti ſermo non capit: vel quia reuera non credũt
C ea quæ de contemptu mundi, de pœnis impiorum, de mercede iuſtitiæ, in prædicatione verbi dicuntur: vel credentes ſcandalizantur, & *abeunt retrò, dicentes, Durum eſt verbum hoc; quis poteſt capere illud?* Contingit enim hodie in doctrina morum, quod Iudæis contigit in doctrina fidei. Sicut illi in Chriſtum credere noluerunt, ſic nos hodie obedire Chriſto nolumus. Vtrumq; autem æquè ad interitum ducit. *Beati* enim, id eſt, iuſti & grati Deo ſunt, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Miſeri ergo & impij, qui audientes non cuſtodiunt. Terræ aliquæ perhibentur adeò eſſe ſteriles, vt ſi in eis tritici puriſſimum ſemen ſparſeris, non triticum, ſed typham, aut ſolas paleas referant. Tales ſunt qui ex audito verbo Dei, non fructum pietatis, ſed vanitatis, aut curioſitatis paleas proferunt. Sed talis terra eſt maledicto proxima. Remedium huius mali eſt, vt corde cupiditatibus vacuo, ſimúlque attento & collecto, verbum Dei audiatur. Cor enim vagum & incuſtoditum, & quod communes cogitationes indifferenter admittit, ſimile eſt publico diuerſorio, quod omnes hoſpites accipit, & proprio domino vix locum quieſcendi relinquit: eſt ſimile cymbæ quaſſatæ, quæ per omnes rimulas bibit aquam, & merces impoſitas naufragio exponit: eſt ſimile vrbi patenti abſque murorum ambitu, quam æquè hoſtes ingrediuntur atque amici: eſt ſimile vineæ ſepe & maceria deſtitutæ, quæ ab omnibus, vel feris depaſcitur, vel latronibus ſpoliatur, & modicum aut nullum domino ſuo fructum refert: eſt ſimile
D domui ſine ſeris & valuis, in qua omnes liberè habitant, conuerſantur, pernoctant. Denique eſt ſimile meretrici in publico lupanari proſtitutæ, quæ, quum omnes mares admittat, ſemper infœcunda manet. Quemadmodum vno eodémque vento decem naues æquora ſecant, aliæ velociùs, aliæ tardiùs, quod non ex parte venti, qui idem eſt, ſed ex parte nauium prouenit; quia quædam rimoſæ, quædam integræ ſunt; quædam magis, quædam minùs oneratæ; ideóq; hæ in portum, illæ in ſcopulos deferuntur: ſic ad vnam & eandem prædicationem, ad vnum & eundem diuini Spiritus afflatum alij proſperè nauigant, & paradiſi portum tenent, alij in purgatorio hyemant, alij peſſimis cupiditatibus onuſti, in profundo barathri naufragium faciunt.

Auditorũ profectus nõ pendet à ſanctitate prædicantis. *Hebr. 2.* *Rom. 10.* *1. Cor. 16.* *Actor. 13.* *Ioan. 8.* *Similia.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Ioan. 6.*

Nunc de audiendi verbum Dei neceſſitate pauca dicamus: nam difficilè cuſtoditur quod non auditur. Certè quum Apoſtolus dixit, *Quomodo credent quem non audierunt?* & iterum, *Fides ergo ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, prædicatum ſcilicet: haud dubiè non ſolam doctrinam fidei, & materiam credendorum intellexit, ſed etiã quæ ad mores pertinent, & mandatorum Dei obſeruationem. Niſi fortè ea quæ credenda ſunt, à voce Eccleſiæ & prædicatorũ verbi diſcere debemus; ea autem quæ facienda ſunt, à nemine diſcere, ſed per nos ipſos

Verbũ Dei neceſſariò audiendũ. *Rom. 10.*

cognoscere, eligere, præscribere fas est. Quo nihil absurdius,& ad totam pietatis regulã con- A
Rom. 10. fundendam aptius, cogitari potest. Deinde quum ideo fides ex auditu est,vt Deum inuocemus; ait enim, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* inuocatio autem Dei Deo grata, nobis salutaris,ea omnia complectitur quæ ad vitæ puritatem pertinent;(inuocamus enim Deum, vel colendo eum debito amore & cultu,vel ea omnia petendo quæ ad nostram pertinent salutem) manifestum est à prædicatione & auditu verbi non secus pendere vniuersam morum & pietatis doctrinam, quàm ipsius
Math. vlt. fidei. Quare Christus potestatem docendi Ecclesiæ quũ daret, disertè expressit:*Docentes eos seruare & facere omnia quæcunque præcepi vobis.* Hoc ergo ordinarium medium tam bene viuendi quã
Matth. 4. rectè credendi,à Deo in Ecclesia sua constitutum,contemnere impium,negligere periculosum
Simile. est,& contra illud,*Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hæc est enim vna & primaria salutis via, in qua *Angelis suis mandauit de nobis,vt custodiãt nos in omnibus vijs nostris.* Si omnes alicuius vrbis ciues Regem grauiter offendissent,ideóq; ad mortem omnes condẽnati essent, Rex verò pro sua clementia non ministros carnifices,qui pœnas debitas exposcãt,sed legatos suos mittat, qui nomine Regis,non tantũ veniam omnibus proclamarent;sed & multa alia ac magnifica beneficia proponerent, certóque pollicerentur,modò ciues illi criminum præteritorũ pœnitentes, nouã vitæ rationem instituerent,iuxta eam formã quam ab ipsius legatis audirent; quis, quęso, illic B
ciuis esset,vel tam impius,qui tantæ beneficentiæ tam paratum medium cõtemneret; vel tam salutis suæ prodigus,vt negligeret; vel tam ingratus & rusticus,vt non humiliter & gratãter acceptaret; vel denique tam superbus & fastuosus,vt ambabus vlnis non amplecteretur,& legatos
Ephes. 2. illos diligenter audire grauaretur?Atqui quũ omnes essemus sub peccato & *natura filij iræ, Deus*
2.Cor.6. *erat in Christo mundum reconcilians sibi,* posteáque in Apostolis suis,eorũq; successoribus,*posuit verbum reconciliationis*;qui quotidie nos *obsecrant pro Christo* (id est,loco & persona Christi) *vt reconciliemur Deo; & adiuuantes exhortantur,vt gratiam Dei non in vacuum recipiamus*; idq; faciunt *tanquam ministri Christi,& pro Christo legatione fungentes.* Videat nunc quilibet Christianus quomodo tales
Simile. legatos reconciliationis suæ cum Deo audire contemnat aut negligat. Si in aliqua vrbe,maxima fame oppressa;vnum tantùm aut alterum horreum esset frumento plenum;qua solicitudine,cura & festinatione omnes ad illud,quærendi triticum causa, confluerent?At in singulis vrbibus plura, in parochiis vnum tale horreum Deus constituit,vnde triticũ verbi diuini petatur.
Amos 6. Quare eò non confluitur;nisi quia *fames verbi Dei,* desiderium salutis nullũ est?At hæc maxima
Simile. plaga est,& maximum reprobationis signum:sicut desperatæ valetudinis maximũ argumẽtum est,cibos omnes fastidire.Si constaret in hoc loco ditissimum esse thesaurum, ex quo, quantum cuique liberet, liceat depromere,quanto omnes impetu huc currerent, & alter alterum præ cupiditate præueniret! Atqui vel mentitur Scriptura, vel Dei verbum quouis auro pre- C
Psalm. 18. ciosius est. *Iudicia Domini desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum.* Hoc autem aurum
Rom.10. iudiciorum Dei pro concione audiendum est. *Quomodo enim credent* (Deum videlicet vel iu-
Simile. stum vel misericordem esse) *quem non audierunt*? Videmus quanta auiditate milites ad diripiendam vrbem, quæ prædæ data est, & ad diuidenda spolia accurrunt. Vix vsquam alias maior alacritas ostenditur. Vnde Scriptura: *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant*
Esaiæ 9. *victores capta præda, quando diuidunt spolia.* At de verbo Dei dixit S.Propheta:*Lætabor ego super elo-*
Psalm. 118 *quia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Et quę est hæc lætitia? Planè sicut milites ita auidi circa spo-
Simile. lia sunt,vt sinus ac manus exuuiis impleant, imò asinos ac iumenta onerent, aliquando & currus quoque, nihil interim comedentes vel bibentes, vel salutantes, vel socios alloquentes, sed toti in prædam attenti, toti in spolijs colligendis occupati: sic verus fidelis, verè amans Deum & salutem suam, ad sanctissima Dei verba audienda, tota auiditate currit, ad cor, ad oculos, ad omnes animæ suæ potentias illa colligit, totusque illis audiendis immersus, omnium tantisper rerum corporalium & temporalium obliuiscitur. Vix dici potest quanta cura & solicitudine apes omnia prata circumuolant, omnibus floribus insident, omnes naturæ suæ vires
Psalm. 18. impendunt, séque & pedibus & alis totas onerant, vt mel copiosum in aluearia reportent. At
& 118. *iudicia Dei* (ait S. Dauid) *dulciora super mel & fauum.* Et iterum: *Quàm dulcia faucibus meis elo-*
Cant. 1. *quia tua! super mel ori meo.* Et in Canticis sponsa dicit: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vn- D*
guentis optimis. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Sed fortasse ad illam sponsam nõ pertine-
Simile. mus,quibus verbum Dei non sapit. Hiemis tempore,quando frigus vrget,videre est quo impetu & desiderio ad ignem omnes properant,vt calefiant.At de verbo suo Deus apud Prophetã
Ierem. 25. dicit: *Nunquid non verba mea quasi ignis?*Et idem Dauid dixit: *Ignitum eloquium tuum vehementer.*
Psalm. 118 Sed adiunxit: *Et seruus tuus dilexit illud.* Ideo nobis non videtur ignitum, quia non diligimus. Ideo ad hunc ignem non accurrimus, quia nimio frigore sensum doloris amisimus, & toti obriguimus. Sanè ex hoc iudicio Deus suos cognoscit & deprehendit. Si vis cognoscere an pi-
Audire verbum,signum hominis Christiani. scis sanus sit vel corruptus, ad auriculam eius oportet olfacere. Si enim ibi fœtet, signum corruptionis est: si ibi bene olet, signum sanitatis & incorruptionis est. Sic suos pisces Deus per auriculam deprehendit. *Qui ex Deo est,verba Dei audit. Propterea vos non auditis,quia ex Deo non estis.*
Simile. Sic & D.Ioan. *qui audit nos, ex Deo est;qui non audit nos,ex Deo non est. In hoc cognoscimus spiritum veri-*
Ioan. 8. *tatis,& spiritum erroris.* quasi diceret:Per auriculam deprehendimus qualis piscis est qui in sagenã
1.Ioan. 4. nostra capitur;verusne,an erroneus;bonusne,an malus. Viuerra,quę id cuniculis est quod lepori

canis

A canis, cum in foueas cuniculorum ingreditur, ipſos plerunque per aures inde extrahit. Sic ex quinquaginta peccatoribus qui ad Deum conuertuntur, quadraginta ex ſpeluncis peccatorum per aures, id eſt, quia verba Dei audiunt, educit Deus. Nempe voluit Deus hoc inſtrumento ſalutis noſtræ vti, *vt per prædicationem ſaluos faceret credentes*; vt verbum ſuum per vocem operaretur, vocem Eccleſiæ ſuæ. Quare ſic vni Prophetæ loquitur: *Clama, neceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuã: annũcia populo meo ſcelera eorum.* Cæci ſumus ad noſtra peccata cognoſcenda, quibus tamen nemo caret. Voluit ergo Deus vt illa nobis per alium annunciarentur. Si audire nolumus, manemus in peccatis noſtris. Ideo non dicit, quaſi organum, aut quaſi cymbalum, vt ſolum delectaret concionator; ſed, *quaſi tuba*, vt commoueret pigros, vt excitaret dormientes, vt animaret ad pugnam ſpiritualem ignauos & formidoloſos. Peſſimè ſibi conſulunt, qui ſuæ prudentiæ & doctrinæ fidentes, conciones non audiunt. In illis enim vox Dei ſonat, non in libris quos legunt. *Vox autem Domini confringentis cedros: vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis deſertum.* In prædicatione ſonat hæc vox Dei efficaciſſima. Herba ſagittariorum, quâ, vt hoſtes perimãt, ſagittas ſuas inficiunt, ſagittæ quidem adhærens interimit: ſed extra impetum ſagittæ ſi manibus contrectes, nihil officit. Solùm vbi eſt vulnus, vi ſagittæ penetrantis, ibi ſanguinem inficit, & animal occidit. Hoc vulnus infligit Deus per concionatorem, qui ſua reprehenſione te vulnerat, vt herba cæleſtis doctrinæ cum illa reprehenſione coniuncta, tua vitia interficiat. Sæpè accidit, vt quæ ſententia lecta nullam fecit animo impreſſionem, eadem pro concione dicta aut tra-

B ctata vehementer commouerit: & quod inter legendum, etſi cognitum, tamen obſeruatum non fuit, inter audiendum non ſine admiratione obſeruetur; & mirificè placeat, quod priùs ſine vllo guſtu tranſiuiſti. *Eloquia enim Domini, eloquia caſta ſunt, argentum igne examinatum, purgatum ſeptulũ.* Maximam puritatem habent, mirabiliter relucent ac ſplendent, multámque voluptatem cõſideranti adferunt. Sed ab artifice perpoliri debent, non in maſſa haberi. Sicut enim gemma tũc magis fulget, quando auro inſeritur; & aurum ipſum arte cœlatum, maiorem multo ſplendorẽ habet & oblectationẽ adfert: ſic cæleſtis doctrina voce prædicatoris à Deo vocati & miſſi, diuino Spiritu tam in loquente quàm in audiente cooperante, multo fortius lucet ac mouet, quã per ſe ſimpliciter lecta. Sed & habent verba diuina neſcio quid diuini & paterni amoris; quod audientes veri Dei filij, qui ad æternam beatitudinem deſtinati ſunt, in ipſis agnoſcunt, & gaudent, & exultãt. *Quod enim natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*: id eſt, Spiritus vocem, ſicut filius paternam, agnoſcit. In omni animantium genere, pulli & paruuli matrum ſuarum voces agnoſcunt. Sic Dei filius, Dei verbis audiendis delectatur; econtrà reprobi, vbi concionandi tempus aduenit, è templo ſe feſtinanter proripiunt, non ſecus quàm ſi aliqua pars templi ſtatim ruitura foret.

C In Chriſti genealogia apud Matthæum, tres reges penitus omittuntur, ex quorum ſtirpe recta linea Chriſtus deſcendit, Ochozias, Ioas, & Amaſias: non quia ſimpliciter peccatores erant, aut etiã idololatræ (nam & Salomon talis fuit, & Manaſſes, & Ammon) ſed quia hi tres diuino verbo ſpecialiter reſtiterunt, & eius miniſtros immaniter tractarunt. Nam Ochozias mittit quinquagenarios ad capiendum Eliam. Ioas occidit Zachariam inter templum & altare, quia ei vera dicebat. Amaſias Prophetæ cuidam, ipſum Dei nomine reprehendenti, dixit: *Nunquid cõſiliarius Regis es? Quieſce ne interficiam te.* Quando Ieruſalem ab Aſſyrijs deſtructa fuit, cauſam vaſtationis Scriptura aſſignans ait: *Quia ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebántque Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populũ eius, & eſſet nulla curatio.* Hoc quippe extremũ malorum eſt, quando verbum Dei contemnitur, & ampliùs non auditur. Et vide quo modo in Euãgelio verbi ſui contemptores Chriſtus coarguit: *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæ in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Nihil acrius contra Dei verbi contemptores, id eſt, *qui non audierint ſermones* prædicatorum quos Chriſtus miſit, dici potuit. De verbo Dei prædicato dicitur: *Sagittæ tuæ acutæ: populi ſub te cadent* (id eſt, conuertentur à vitijs) *in corda inimicorum Regis.* Sagittæ, inquam, ſeu tela verborum è ſuperiori loco ſonantium, immiſſę in

D corda inimicorum Dei, in corda peccatorum, acutæ ſunt, & *penetrant viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni ancipiti gladio, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagũ quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Sed audiri debet, vt ſic penetret. Plura habes ſuprà, quæ huc pertinent, in textu primo circa dæmonium ſurdum. Vide etiam infrà Dominica Paſſionis, textu 2.

Simile.

1. Cor. 1. *Eſaiæ* 58.

Docti ab audiendo verbo non excuſantur *Pſalm.* 28. *Simile.*

Pſalm. 11. *Simile.*

Ioan. 3. *Simile.*

Exempla. 4. Reg. 1. 2. Paralip. 24. & 25. 2. Paral. 36

Matth. 10

Pſalm. 40.

Hebr. 4.

A

EVANGELIVM DOMINICÆ IV.

Quadrageſimæ.

Ioan.6. ABIIT Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis,& ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum. Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus,& vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andręas, frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos,& duos piſces: ſed quid hæc ſunt inter tantos? Dicit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinq; millia. Accepit ergo Ieſus panes,& cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Similiter & ex piſcibus quantũ volebant. Vt autẽ impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo,& impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducauerãt. Illi ergo homines, cum vidiſſent quod fecerat Ieſus ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta qui venturus eſt in mundum. Ieſus ergo cum cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. B

PERICOPE moralis huius Euangelij. C

1. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* De prouidentia Dei erga ſuos circa neceſſaria.
2. *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.* Contra diffidentiam humanam circa Dei auxilium.
3. *Cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* De benedictione cibi ante refectionem.
4. *Colligite fragmenta quæ ſuperauerunt, ne pereant.* Contra prodigalitatem
5. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* De fructu beneficentiæ & liberalitatis erga egenos.
6. *Cùm cognouiſſet quòd venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* De fuga gloriæ & laudis humanæ, peracto bono opere.

1. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?*

Prouidentia Dei erga ſuos. LOcus moralis, quærentibus regnum Dei & iuſtitiam eius, neceſſaria non defutura. Chriſtus de turba eum ſequente, & vſque in deſertum ſequente, & tota die vſque ad veſperam eum comitante, curam agit, ne alimento careat neceſſario. *Vnde* (inquit) *ememus panes*? Non defuerunt carnes Eliæ in ſpelunca, quem coruo pauit; nec Danieli cibus in lacu leonum, quem Abacuc illi attulit; nec filijs Iſraël alimenta in deſerto, quos Manna de cœlo, & aqua de petra nutriuit: nec viduæ Sareptanæ, quæ pauit Eliam, cuius lecythus olei non defecit. Sic in Pſalmis ſe facturum promittit: *Non eſt inopia timentibus eum.* Et iterum: *Iacta ſuper Dominũ curam tuam, & ipſe enutriet te.* Et rurſum: *Nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Quum laboras aliqua neceſſitate, & abſque culpa tua, & in Dei vinea iuxta vocationem tuam & talentum laborans, exiſtima Chriſtum tibi dicere: Vnde ememus panes, vt manduces tu? Tentat te Dominus, ſicut Moyſes tentatus fuit in deſerto, propter penuriam aquarum dicens: *Quid faciam populo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me.* Vnde dixit Dominus ad Moyſen & Aaron: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos ad terram quam dabo eis.* Vult Deus, vt in rebus deſperatiſſimis confidentiam in eum non amittamus. Sic enim Philippi fidem his verbis tentauit, vt notat Diuus Chryſoſtomus. *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus*, vt adiecit D. Ioannes. Peccauit Moyſes, dicens Deo: *Sexcenta millia ſunt, & ti* D

3.Reg.17. Dan.14. Exodi 16. 3.Reg. 17. Pſalm. 33. 54. & 36. Exodi 7. Cõfidentia in Deum. Num.20. Ioan. 6.

A *& tu dicis, Dabo eis menſe vno carnes ad ſaturitatem*? Inciuile & indignum ducimus, ſi æger optimo & amanti medico exponat, quo ſit ordine ac ratione curandus: & tamen ille ſæpe fallitur, ac falli poteſt. quanto magis Dei prouidentiæ nos totos committere oportet! Iudith Sacerdotes populi meritò reprehendit, dicens: *Qui eſtis vos qui tentatis Dominum, quòd tradetis ciuitatem Aſſyrijs, ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Non eſt iſte ſermo qui miſericordiam prouocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Pone ob oculos Ioſeph in ciſterna, in lacu, in exilio, in carcere; & memineris ſcriptum de Deo eſſe: *Deſcendit cum illo in foueam.* Non deeſt igitur vnquã aut vſquam Dei erga ſuos prouidentia: de qua alias plura diximus. Cæterùm hæc prouidentia Dei neceſſitati ſeruit, non cupiditati. Ait quidem: *Vnde ememus panes*? Non ait, Vnde ememus capones, perdices, gallinas, phaſianos, attagines, pauones, ceruas, & huiuſmodi delicatiora? Neceſſitati noſtræ Deus conſulit, non cupiditati. Quod multum eſt neceſſitati, cupiditati nihil eſt. Cyrus ſenior, quum apud hoſpitem diuertiſſet, rogaretúrque quid ſibi cœnæ vellet apponi, reſpondit, panem tantùm, & ſperare ſe prope fluentem aquæ riuulum cœnaturum. Tale ferè erat Chriſti conuiuium in hoc Euangelio. Pulchrè Seneca de Dei prouidentia obſeruauit: *Neceſſaria tibi occurrent. Superuacanea & ſemper, & toto animo quærenda ſunt.* Carnes humano victui neceſſariæ & ſalubres, vt bouinæ, vitulinæ, ouinæ, vt vulgares ſint, proſpexit Deus. Non ſic in cæteris delicatioribus, magiſque ad voluptatem quàm neceſſitatem comparatis. Sed, vt

B idem Seneca ſapienter obſeruauit, *Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quòd viuimus ad exempla: nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur.* Quæ ſanè conſuetudo, vel potius voluptas cuiuſque propria in infinitum abduxit: vt etiam hodie verum ſit, quod de ſuo tempore alioqui deploratiſſimo ſcripſit idem Seneca: *Non ſunt* (inquit) *ad popinam dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis quoque guloſi ſunt. Nihil* (aiunt) *eſt melius ſaxatili mullo ante oculos moriente. Da mihi in manus vas vitreum, in quo exultet, in quo trepidet.* Porrò vt error in via immenſus eſt, nec exitum inuenit; ſic & huius generis luxus. *Caius Cæſar Caligula centies ſeſtertio* (id eſt, centies centenis millibus nũmorum) *cœnauit vno die, & in hoc omnium ingenio adiutus, vix tamen inuenit quomodo prouinciarum tributũ vna cœna fieret.* Sed in totius orbis domino ferendũ hoc fortaſſe aliquis exiſtimet, & ſumma vitia in ſumma fortuna æquiùs toleranda. Atqui de Apicio, homine priuato, tantundem ferè memorat Seneca: *Cùm* (inquit) *ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primùm coactus inſpexit. Superfuturum ſibi ſeſtertium centies computauit, & velut in vltima fame victurus, ſi ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria fuit, cui ſeſtertium centies egeſtas fuit*? id eſt, cui centies centena millia nummorum ad victum ſufficere non poterant. Sed hoc illis accidit, qui parſimoniæ fines egreſſi, non neceſſitati, ſed cupiditati; non naturæ, ſed voluptati; non rationi, ſed conſuetudini ſeruiunt. *Naturalia deſideria finita ſunt; ex falſa opinione naſcentia, vbi*

C *deſinant non habent. Nullus enim terminus falſo eſt*, vt ſapienter ſcripſit Seneca.

Num. 11. Simile.

Iudith 8.

Sap. 10.

Ioan. 6.

Exemplũ temperantiæ.

Epiſt. 111.

Epiſt. 224. Luxus modum non tenet.

Natural. quæſt. lib. 3. cap. 16. Sen. de cõſol. ad Albinã. cap. 9

De conſolat. ad Heluiam, cap. 10.

Epiſt. 16.

2. *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.*

LOcus moralis contra diffidentiam humanam circa Dei auxilium. Chriſtus enim, antequam miraculum exhibeat, & panes frangat, ac famentes paſcat, diſcipulorum ſuorum fidem tentat, fiduciam probat, conſtantiam explorat: dicens enim Philippo, *Vnde ememus panes; hæc dicebat, tentans eum*, ait noſtrum Euangelium. Philippus autem reſpondens, ſuam diffidentiam his verbis oſtendit: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt*, &c. Expectabat Chriſtus, vt, ſicut diſcipulum veteranum decuit, agnoſceret eius potentiam, quam in multis aliis miraculis viderat; totamque rem ad eius voluntatem referret. Nunc autem ille humano more oblitus potentiæ Magiſtri reſpondet. Idem quoque fecit Andreas alter ex diſcipulis, dicens: *Eſt vnus puer hic, qui habet quinque panes, & duos piſces. Sed quid hæc ſunt inter tantos*? Dubitat

D ergo & ille. Imò omnes duodecim dubitaſſe videntur, quum, vt eſt apud Lucam, *accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in caſtella, villaſque quæ circa ſunt, diuertant & inueniant eſcas: quia hic in loco deſerto ſumus.* Chriſtus autem volens eorum omnium fidem tentare, dixit ad illos: *Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non ſunt nobis plus quàm quinque panes, & duo piſces: niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas, erant autem ferè viri quinque millia.* Dubitauerunt ergo omnes, & tanquam rem abſurdam, illiſque impoſſibilem, Chriſti verbum reiecerunt: *Vos date illis manducare.* Sed hoc totum fecit Redemptor noſter, hanc ſuorum tentationem præmiſit bonus Magiſter, vt eos poſtea doceret, noſque in illis, in rebus difficilibus, neceſſariis tamen (quale iſtud erat) quando humana media deficiunt, non eſſe nimia & anxia ſolicitudine animum vexandum (ſicut hîc diſcipuli venientes ad Chriſtum, & dicentes, *Dimitte turbas*, &c.) ſed de Dei auxilio bene fidendum, eiuſque opem & benignitatem largiſſimam inuocandam. Vult nempe, vt potiùs ad manus eius, quàm ad manus noſtras oculos conijciamus. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Ancilla, quia non accipit panem niſi de manibus dominæ ſuæ, in eius manus ſemper oculos intentos habet quũ pane indiget, vt videat an ei velit dare. Certè ſicuti matres quæ multos habẽt filios domi ſuæ paruulos, ſemper habent panẽ iuxta ſe, quẽ petentibus porrigãt; ſic Deus noſter

Diffidẽtiæ peccatum.

Luc. 9.

Pſal. 122.

Simile.

Matth. 8. Simile. omnibus bonis affluit, & paratus est semper dare petentibus se. Vsus est ipse Christus hac comparatione: *Si vos, quum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quãto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se*: Si quis horrea tritico plena haberet, famulumque suum rogaret, tentans eum, Vnde manducabimus? ille autem responderet, Nõ sunt pecuniæ: nunquid nõ ineptè responderet, & Domini sui opulentiæ iniuriam faceret? Petere clauim ad aperiendũ horreum deberet, & hoc solum sufficeret. Clauis horrei & abundantiæ diuinæ, est eius sancta voluntas. *Psalm. 113. Matth. 13.* *Omnia enim, quæcumque voluit, fecit.* Hæc petenda est, vt ille leprosus sapienter petijt: *Domine, si vis, potes me mundare.* Quare eius fidem Christus laudauit, & confestim respondit: *Volo, mundare.* Vult nempe Deus suam à nobis benignitatem plena fide recognosci, vult vt ex præteritis eius beneficijs ad noua expetenda animemur. Sic Christus ad suos, instante iam sacrosancta eius passione: *Quando misi vos sine sacculo, & sine pera, nunquid aliquid vobis defuit?* Conqueritur Deus apud Ieremiam, quòd Iudæi ad eum in tempore necessitatis non confugerent, considerantes quot quantáque patribus suis beneficia contulerat. Ait enim: *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? & non dixerunt, Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum, per terrã inhabitabilem & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo? Et induxi vos in terrã Carmeli, vt comederetis fructus eius, & optimè illius.* Exaggeratur præteritum beneficium liberationis ex Ægypto, & diffidentiæ arguuntur, quòd illud in memoriam non reuocauerint, & eóque fiduciam in Deum suum non conceperint, sed aliunde, ab idolis videlicet & idololatris, auxilium petierint. Hanc eorum diffidentiam perstringit Dauid, dicẽs: *Psalm. 77.* *Male locuti sunt de Deo. Dixerunt, Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* nempe quum priùs alia Dei miracula & beneficia experti fuissent; ideóque causam huius iustæ reprehensionis subiungit: *Quoniam* (priùs videlicet quàm de hoc cibo ageretur) *percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Boni igitur & fideles Dei serui, ex præteritis Dei beneficijs, noua petendi fiduciã capiunt. *Genes. 32.* Sic Iacob: *Domine, qui dixisti mihi, Reuertere in terram tuam; minor sum cũctis miserationibus tuis, & veritate tua quam explesti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau.* Hæc vltima petitio nititur fiducia prioris liberalitatis diuinæ. *Iudith 10.* Sic sancta Iudith orabat: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, &c. subueni, quæso te Domine Deus, mihi viduæ. Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti, & hoc factum est quod ipse voluisti. Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es.* Priora Dei, & in genere, & erga familiam ac stirpem eius beneficia cõmemorat; & ex illis fiduciam capit, Deumque interpellat. Idem fecit vir fortissimus Iudas *1. Mach. 4.* Machabæus, in Dei auxilio, non in sua fortitudine, spem ponens. Sic enim milites suos adhortatur: *Ne timueritis multitudinẽ eorũ. Mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro: & nũc clamemus in cœlum, & miserebitur nostri Dominus.* Quum Abraham seruum suum ad quærendam filio suo vxorem mitteret, cúmque famulus angeretur, nimiúmque solicitus esset, vtrum negotium illud prosperum finem habiturum foret; vir sanctus famulum suum, præteritis Dei *Genes. 24.* beneficijs fultus, confortauit dicens: *Dominus cæli & terræ, qui eduxit me de domo patris mei, & dixit mihi; Semini tuo dabo terram hanc; ipse mittet Angelum suum tecum, & accipies inde vxorem filio meo.* *Psalm. 3.* Sed & Dauid, quum Absalonem fugiens, Deum oraret, cum magna fiducia hæc verba dixit; *Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Causámque fiduciæ statim subiungit: *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.* Denique in *Psalm. 70.* alio Psalmo, in quo maxima Dei beneficia priscis Patribus præstita commemorat, cur id faciat, his verbis explicat: *Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera; filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filijs suis.* Hanc videlicet ob causam, *Vt ponant in Deo spem suã, & non obliuiscantur operum Dei.* Postremò Christus in Euãgelio, quũ discipuli eius ali- *Marc. 8.* quantulum diffiderent, & cogitarent, ad alterutrũ dicentes; *Quia panes nõ habemus; dicit eis: Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis, neque intelligitis? nec recordamini, quomodo quinque panes fregi in quinque millia?* id est, non intelligitis, miracula quæ feci, non solùm necessitati præsenti seruiisse, sed illud etiã docuisse, vt in futuris quoq; necessitatibus, præteritorũ beneficiorum memores, perpetuam auxilij mei fiduciã habeatis? Est enim hac in re duplex virtus, & vtraque Deo gratissima. Vna est, beneficij accepti grata recordatio, & animi gratitudo atq; submissio. *Fiduciæ duplex virtus Exemplũ.* Altera est, pia & fideli digna fiducia, & de Dei bonitate ac benignitate amplissima digna cogitatio, opinio honesta, fides recta. Quum à populo Romano auxilia petituri Rhodij & Megarenses ingressi in Senatũ essent, & illi quidem sua in Romanos socios beneficia cõmemorassent diligenter, hi verò Romanorum ipsorum in se beneficia longa oratione explicassent; priorum postulato reiecto, quod fastum magis quàm supplicantis animum præferebat, horum petitioni acquieuit Senatus, & auxilia decreuit. Est ergo hæc vna confidentiæ in Deum nunquam deponendæ causa, præteritorum eius beneficiorum, & potentiæ ac bonitatis infinitæ debita consideratio, & grata recordatio.

Fiducia à tentatione & præsumptione discernitur. Aliæ eius causæ sunt, tum ipsa necessitas nostra, cui subuenire, Deo proprium est; tum pietas ipsa seruorum Dei, quibus ipse seruientibus Deus semper inseruit. Nam extra necessitatem soli Deo confidere, tentatio est, non fiducia: & hominem impium, in sua impietate persistentem, à Deo omnia expectare, præsumptio est, non confidentia. *Fiducia in necessitate* Ad prius horum quod attinet,

Christus

A Chriſtus Dominus eam ferè ob cauſam in ſolitudine & deſerto ſua miracula faciebat, vt in hoc Euangelio,& aliàs ſæpè, vbi raræ & difficiles ſunt ſuſtentationes humanæ; quia illic Dei prouidentia ſubuenire conſueuit, vbi humana deſunt auxilia;& ſuos vult Deus non niſi à ſe pendere. Permiſit Deus ad extrema deduci Ioſeph, adeo vt pincerna quoque, *ſuccedentibus rebus proſperis, oblitus fuerit interpretis ſui*: ſoluſque ab omnibus deſertus, à memine notus, in carcere iaceret. Sed in eo articulo eum exaltauit. Huius rei alia exempla aliàs produximus. Ad poſterius quod attinet, Abraham de prœlio reuerſus cum ampla victoria, nullam ab incircunciſo Rege prædæ partem accipere voluit. *Leuo*, inquit, *manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli & terræ: quia à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam calceamenti non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt: ne dicas, Ego ditaui Abraham.* Sic Eliſeus à Naaman Syro nihil voluit accipere:& Daniel dicit Regi Balthaſar: *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da.* Horum omnium vox illa erat: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Debemus ergo fiduciæ noſtræ,& ſpei anchoram neque in terram, neque in mare, ſed in cælum mittere. Paruuli, vbi primum aliquid aut lætum, aut triſte illis offertur, ſtatim in genitricis ſuæ ſinu abſconduntur. Sic iuſti in vniuerſis euentibus ad Deum confugiunt; in proſperis, vt gratias agant; in aduerſis, vt auxilium & conſolationem petant. Hinc Dauid: *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea*, id eſt, quemadmodum infans in matris ſuæ ſinu proiectus, ceſſat plorare, ceſſat timere, neque alicuius rei curam habet, quia
B ætas eius non patitur eum de aliqua re ſolicitudinem gerere; ſic iuſtus omnes ſuas curas in Deo depoſuit, quia fides eius non patitur eum ſolicitum & anxium eſſe: meminit enim quid Redemptor eius dixit, *Hæc omnia adijcientur vobis.* Meminit quoque quàm acerba infidelitatis nota hanc ſolicitudinem perſtrinxit, dicens: *Hæc enim omnia Gentes inquirunt.* In veteri templo panes propoſitionis ſemper ſtabant ſuper menſam ante faciem Dei, die ac nocte, ſine intermiſſione. Quo ſignificatum eſt, ſuſtentationem noſtram ſemper eſſe coram Deo. De hoc argumento aliis in locis plura diximus, dicturi etiam poſtea.

Gen. 41. *Fiducia piorum propria.* Gen. 14. 4. Reg. 5. Dan. 5. Pſal. 122. *Simile.* Pſal. 130. Matt. 6. Num. 9.

3. *Cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.*

LOcus moralis de benedictione cibi ante refectionem. Quod enim hic breuiter Ioannes dicit, *Cum gratias egiſſet*; hoc alii Euangeliſtæ paulo vberius & plenius referunt. Matthæus ſic: *Aſpiciens in cælum, benedixit, & fregit.* Lucas ait: *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, reſpexit in cælum, & benedixit illis, & fregit.* Vt iam non ſit dubium, quin hæc gratiarum actio, vt diuus Ioannes loquitur, fuerit benedictio ipſorum panum & piſcium per modum precationis, propter quam dicitur, quod *aſpexit in cælum* ad largitorem omnium Deum; vel ſaltem cum
C benedictione creaturarum coniuncta. Lucas enim diſertè dicit, *Benedixit illis*: ſcilicet panibus in manus acceptis. Docuit igitur hoc exemplum fideles omnes & pios, non prius menſæ accumbere, quàm benedictio creaturarum Dei fuerit præmiſſa: Benedictio, inquam, creaturarum, panis, potus, reliquique cibi appoſiti,& apponendi: à qua benedictione maledicti hęretici abhorrent, vt in altero Promptuario oſtendimus. Hanc creaturarum Deus benedictionem Paulus apertè docet: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Sanctificatur autem* (ait ſanctus Chryſoſtomus) *facta benedictione in nomine Dei, per ſignum crucis impreſſum.* Creaturam ergo natura ſua bonam, benedictionis vi etiam ſanctificamus,&, vt non ſolum in naturæ vſum, ſed in Creatoris laudem ſeruiat, efficimus. Nam ideo benedictio & gratiarum actio apud Euangeliſtas pro eodem ſumitur, quia in ipſa benedictione & ſanctificatione creaturæ, Deo Creatori gratiæ aguntur. Chriſtus ergo gratias agit ante diſtributionem, vt nos doceat gratias Deo agere,& benedictione ac ſanctificatione, ſeu, quod idem valet, conſecratione ciborum vti ante refectionem. Sic in hunc locũ Chryſoſtomus: *Cur tandem* (inquit) *quum ſanaturus eſſet paralyticum, quum ſuſcitaturus mortuum, cum maris ſedaturus tempeſtatem, non agit gratias Chriſtus, hic autem agit? Vt oſtendat ante cibum gratias Deo agendas.* Huius autem gratiarum actionis quanta vis ſit, alio in loco doctiſſimus ille Pater docet: *Menſa* (inquit) *ab oratione ſumens initium, & in orationem deſinens, nunquam deficiet, ſed fonte largius omnia no-*
D *bis afferet bona: ne tantum itaque prætermittamus emolumentum. Abſurdum eſt enim, ſeruos quidem noſtros, ſi quam appoſitorum partem à nobis accipiant, nobiſque gratias agere, & cum benedictione recedere; nos autem tot bonis potientes, nec tantum honoris Deo rependere. Propterea namque multa tam in communibus, quàm in priuatis rebus præter ſententiam nobis eueniunt, quoniam non circa ſpiritualium primum, tum vero circa ſecularia curam exhibemus.* Hæc ille. Qui hoc pietatis officium, quod ipſe Chriſtus non neglexit, vel negligenter prętermittunt, vel oſcitanter & perfunctorie, magis ex conſuetudine quàm ex animo, exercent; illo Prophetæ verbo arguuntur: *Leuate in cælum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc.* Certè ex hac gratiarum actione emoluemntum illud ad nos peruenire, quod diuus Chryſoſtomus deſignauit, Propheta Regius perſpicuè docuit his verbis: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea; & labiis exultationis laudabit os meum.* Vbi poſterius eſt cauſa prioris, vt aliâ lectio Hieronymiana habet his verbis: *Tanquam adipe & pinguedine ſatiabitur anima mea, quum labiis exultationis laudabit os meum.* Præceptum accepit vetus populus, *vt cum comederit, & ſatiatus fuerit, be-*

Ciborum benedictio. Matt. 14. Lucæ 10. *Benedictio menſę.* *Do. 6. poſt Pentec.* 1. Tim. 4. *Hom. 12. in 1. ad Tim.* *Hom. 41. in Ioan.* *Ho. 79. ad pop. Ant.* *Eſaiæ 4.* Pſal. 62. Deut. 8.

Hom.56. in Matth. *nedicat Domino Deo ſuo.* Diuus Chryſoſtomus benedictionis menſæ formulam ab Eremitis ſui temporis recitari ſolitam commemorat,& eorum ſtudium his verbis commendat: *Si illi qui ieiunando,humi dormiendo, vigilando,cilicium induendo,milleque aliis ſeipſos caſtigant, hac etiam admonitione indigent:quando nos moderatè probeque viuemus, quibus menſæ mille naufragiis refertæ proponuntur, qui nec in principio manducandi,nec in fine,ad orationem nos conuertimus?* Eleganter Tertullianus de hac veterum Chriſtianorum ſolenni pietate ſcribit: *Non prius diſcumbitur,quàm oratio ad Deum præguſtetur. Aequè oratio conuiuium dirimit. Ita ſaturantur,vt meminerint etiam per noctem adorandum Deum.* Denique illud Apoſtoli hic locum habet: *Sive manducatis,ſive bibitis,vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, hoc eſt,vt alibi dicit, *Omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo.* A

In Apologet.c.39.

1.Cor.10.

Coloſſ.3.

4. *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.*

Prodigalitas cauēda Apophth. Exod.16.

LOcus moralis contra prodigalitatem, & de Dei donis frugaliter adminiſtrandis.Chriſtus enimvt circa neceſſitates ſuorum iuuandas liberalis fuit,ſic in ſuperuacaneis prodigus eſſe noluit. Nam hæc fragmentorum collectio,vt ad miraculi maiorem illuſtrationem faciebat, ſic haud dubiè hanc quam dicimus frugalitatem docuit, Chriſto expreſsè hanc cauſam addente, *Nepereant.* Sic de Manna noluit Deus vt colligerent filij Iſrael plus quàm neceſſarium erat. Quid enim ſtultius, quàm quod libenter facis, id ita imprudenter facere, vt diu facere non poſſis? Rectè & ſapienter Plato, conſpicatus iuuenem,qui amplum patrimonium abligurierat, fruſtum panis in media platea ſub veſperam comedentem, ait illi: *Si moderatè prandiſſes, melius cœnaſſes.* Idem Agrigentinorum luxum, qui magnis impenſis ædificabant, eodemque modo cœnabant, taxauit; dicens: *Agrigentini ædificant quaſi ſemper victuri,& comedunt quaſi ſemper morituri.* Cui ſimile eſt quod Seneca de auaris dixit: *Omnia tanquam mortales timetis, omnia tanquam immortales concupiſcitis.* Hæc enim duo extrema ſimili vanitate in diſſimili morbo laborant. Nam vt auarus ſic cumulum ſemper auget, quaſi ſemper indigeret; & auctum ſic tenaciter ſeruat, quaſi ſemper eo fruiturus: ſic prodigus in vno luxus genere immortalitatem affectare, in altero mortem ſibi præſentem ſtatuere videtur; iuxta illud: *Comedamus & bibamus, cras moriemur.* Phocion, Athenienſium princeps, oblatam ei à quodam pecuniam remittens, rogatus cur ſaltem filio ſumendam non relinqueret,reſpondit: Si filius vitam moreſque compoſuerit,viuet paterna hæreditate contentus:ſi prodigus fuerit,nec hoc argentum ſufficiet. Cui affine eſt, quod Crates Thebanus feciſſe legitur. Magnam pecuniæ vim apud nummularios deponens, mandauit,vt ſi quidem eo mortuo filij frugalem & ſobriam vitam agerent,illis tota cederet;ſin prodigè & luxuriosè viuerent,nihil inde prorſus acciperent. Nempe diuitias comitatur luxus, luxus exit in tyrannidem,dum fœnum migrat in cornua. Hoc vnum habet prodigalitas, vt nunquam ſit ſola, ſed aliis vitiis innumeris comitata procedat, ſuperbia, ambitione,gula, ebrietate,luxuria,rapinis, furto:quibus partim alitur & fouetur,partim exercetur. Non eſt arbor liberalis,cui omnes fructus ventus rapit;nec homo liberalis,cui vanitas omnia aufert. B

Aelianus var. hiſt. li. 12.

Li. de breuitate vitæ

Eſaiæ 22.

Exempla. Bruſonius li.3.c.9.

Laert.li.3.

Simile.

5. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.*

Liberalitatis fructus.

LOcus moralis de fructu beneficentiæ & liberalitatis erga egenos. Sicut enim inter Chriſti manus frangentis panes, multiplicati illi ſunt, miraculo quidem,& operatione diuina; ſic, dum frangimus eſurienti panem noſtrum, dum abundantiæ noſtræ particulas egentibus propter Deum & pias cauſas elargimur,operatione quadam & munificentia diuina fit,vt nihil nobis ea in re pereat aut deteratur,ſed accreſcat magis. Vnde in hunc locum D.Cyrillus Alexandrinus: *Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quaſi magna voce dicitur, Quanto plura dabis liberaliter ac miſericorditer, tanto tibi plura largius confluent.* Sic & D. Paulus docet: *Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti,& panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementum frugum iuſtitiæ veſtræ; vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.* Multa dicit Apoſtolus. 1. quod Deus *dat ſemen ſeminanti*, id eſt, dat diuiti facultatem largiendi: diuitiæ enim ſemen ſunt beneficentiæ; & qui largitur, ſeminat. Vnde ibidem: *qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. quod *panem ad manducandum præſtabit*, id eſt,homini erga egenos liberali (*diſperſit, dedit pauperibus*) ſemper neceſſaria ſuppeditabit, ne fortè largiendo dubitet quiſpiam fore quod ipſemet egeat.3.quod non hoc tantum, ſed *& multiplicabit ſemen veſtrum*: id eſt præterea ipſe diuitias veſtras augebit, vt plura ſemper largiendi facultatem habeatis. 4. *& augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*,id eſt, in ſpiritualibus quoque vos ditabit, ſiue vt prompto beneficiendi animo ſemper ſitis, ſiue vt mercedem à Deo gratiæ ſpiritualis recipiatis. 5. *vt in omnibus locupletati*,id eſt, tam in temporalibus,quàm in ſpiritualibus, *abundetis in omnem ſimplicitatem*, id eſt,ſine iactantia & vanitate:*quæ* ſcilicet largitio ſimplex, prompta, humilis,pia, *operatur per nos*, id eſt,mediantibus nobis, quibus hęc largitio præſtatur,*gratiarum actionem apud Deum*: quæ certè C D

In Ioan. li.4.c.18.

1.Cor.9.

Pſal.115.

A certè gratiarum actio eorum, quibus liberaliter propter Deum, tanquam egentibus, bene fit, tantam apud Deum vim habet, vt ſuos beneficos *in æterna tabernacula recipiant*, id eſt, viam illis faciliorem ad cælum parent. Hæc eſt multiplicatio panum frangentibus eos eſurientibus. *Quemadmodum enim frumentum in terram cadens* (ait S. Baſilius) *lucrum proïjcienti parit; ſic & panis in eſurientem proiectus, multam in poſterum tibi reddet vtilitatem.* Et *quemadmodum quicumque putei ſcaturiunt* (ait Clemens Alexandrinus) *exhauſti in priſtinam menſuram reuertuntur*; & quo magis hauriũtur, eo citius replentur, aqua quoque puriori: *ſic largitio, quæ eſt bonus fons benignitatis potum ſitientibus communicans, rurſus augetur, & repletur*; *quemadmodum ad vbera, quæ ſuguntur, lac ſolet accedere.* In his naturæ operibus voluit Deus oſtendere hanc huius virtutis propriam quandam energiam & operationem. Hinc in Canticis dicit ſponſus ſpõſæ: *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Confert Spiritus ſanctus vbera lac proferentia, hœdis illud lac ſugentibus; quia videlicet miſericordiam facere, liberalitatem erga pauperes exercere (hoc eſt enim vbera lacte manantia habere) eſt potius quiddam accipere quàm dare; ſanè quia dando lucrantur. Hoc eleemoſynæ & ſanctæ liberalitatis lucrum, Redemptor noſter verbis ſignificantiſſimis expreſſit: *Date, & dabitur vobis, Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Ea quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Quæ verba alio in loco tractabuntur. Sic & Salomon docuit: *De primitiis frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua ſatietate.* Et iterum; *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuã reddet ei.* Quare S.

B Franciſcus eleemoſynam vocauit *nobilem prodigalitatem*; D. Chryſoſtomus, *artem omnium artium quæſtuoſiſſimam*, quod tota Homilia de hoc argumento ſtudioſè probat. Vnde & alibi veriſimè ſcripſit: *Neſcis quod non tam propter pauperes, quàm propter impendentes eleemoſynas Deus inſtituit?* Hoc certè D. Cyprianus ex multis Scripturis probat, ad remedium peccatorum, & in maximum commodum ipſorum diuitum, eleemoſynæ mercedem à Chriſto repromiſſam fuiſſe. Sed quia multi ſpiritu quodam Phariſaico (Phariſæi enim cum de contemptu pecuniarum diſputantem Chriſtum audirent, *quia erant auari, deridebant illum:*) has Scripturæ promiſſiones ſi non derident, certè parum credunt; ſed ſuę prudentiæ magis confidunt; exemplis poterit eorum ſeu tarditas, ſeu infirmitas, ſeu incredulitas iuuari. Vidua Sareptana, quæ in ſumma rerum omnium neceſsitate paſcebat Eliam Prophetam, adeoque *illi prius, poſtea filiis panem parauit*, hoc à Deo munus ac præmium accepit: *vt hydria farinæ non deficeret, nec lecythus olei minueretur, vſque ad diẽ qua Dominus daret pluuiam ſuperfaciem terræ.* Et tamen illa (ait B. Cyprianus) *nondum Chriſtum ſciebat nondum præcepta eius audierat.* S. Ioannes Eleemoſynarius, Patriarcha Alexandrinus, iuſsit dari pauperi cuidam quindecim aureos; œconomus id nimium eſſe arbitratus, dedit tantum quinque aureos. Eodem die venit nobilis quædam matrona, & Epiſcopo obtulit in vſum eccleſiæ quingentos aureos. Quos ille accipiens, dixit: Dic mihi domina, an ſolos quingentos voluiſti

C dare? Reſpondit illa: Verè mi domine, volebam mille quingentos dare, & ita me in charta ſcripſiſſe putabam. Aperiens autem chartam hodie, vt iuxta illam pecunias acciperem, inueni tantum quingentos ſcriptos, & ideo nec plus attuli, neſciens qua Dei prouidentia numerus imminutus fuerit. Conuerſus tunc ille ad œconomum ſuum dixit: Ecce tua auaritia mille nobis aureos perdidit. Occurrunt in via S. Germano, Epiſcopo Antiſiodorenſi in Gallia, pauperes petentes eleemoſynam. Conſulit ille diaconum quantum eſſet in ſumptibus. Tres tantum aureos eſſe reſpondit, quos ſtatim præcipit Epiſcopus erogari. Ad hæc diaconus: Vnde victuri hodie ſumus? Reſpondet ille: Paſcet Deus pauperes ſuos. Tu quod habes præſta pauperibus. Diaconus, quaſi prouidus, duos erogat, reſeruat vnum, Dumque agitur iter cœptum, veniunt poſt eos equites concitati, à Leporio ſpectabili viro miſsi, qui ducentorum ſolidorum munus obtulerunt. Deinde conuerſus ad diaconum, ait: Accipe quæ traduntur, & intellige te fraudem feciſſe pauperibus. Nam ſi totum quod dedi, indigentibus contuliſſes, remunerator noſter trecentos hodie reddidiſſet. S. Marcellus non dormientum ἀκοιμήτων Abbas iuſsit œconomo ſuo, dare tribus Epiſcopis, à captiuitate redeuntibus, quicquid auri habebat. Ille ex decem aureis nouem dedit, vno retento; volens fungi officio boni œconomi. Venit paulo poſt ad Marcellum quidam, donans eum nonaginta talentis. quibus acceptis, ait ad œconomum Abbas; Ecce, ô auare, quis ſit exitus tuæ parſimoniæ. Fecit vt vno talento minus acceperimus; decem vtique accepturi, ſi decem aureos dediſſes. Hæc eſt menſura bona, conferta, coagitata, ſuperefluens,

D quam Chriſtus promiſit. quod non ſemper illa menſura retribuitur, defectus fidei in Deum, hilaritatis in dando, miſericordiæ erga proximos, & puri amoris Dei, in cauſa eſt; ſed maximè hoc bonum impedit prudentia huius ſeculi, contra quam ſic Chryſoſtomus diſputat: *Si agricolæ penu ſuum euacuant, & ſemina terræ concredunt, idque cum voluptate faciunt, ſpe maiora recipiendi ſe ſolantes; & quamuis ſciant quod aëris intemperies, nonnunquam & terræ ſterilitas, & alia multa accidentia, vt locuſtarum exercitus, & rubiginis inſidiæ ſpe excidere faciant, attamen bona ſpe ſeſe alentes, ea quæ in promptuariis collecta ſunt, terræ concredunt: multo magis nos, quæ abſque vſu recondita ſunt, diſpergere in pauperum vſus conuenit.* Nam, vt alibi dicit, eleemoſynas faciens in cælo operatur, vbi nulla aëris inæqualitas, corruptio nulla ventorum eſt, vbi perire non poteſt quod ſeminatur. Hic eſt ergo vnus liberalitatis erga egenos admirabilis fructus (nam alios quoque habet, de quibus eſt alius dicendi locus) vt magno cum fœnore ac lucro exerceatur.

Lucæ 16. *Hom. in diuites auaros.* *Similia.* *Pædagogi li. 3. c. 7.* *Cant. 4.* *Lucæ 6.* *Prou. 3.* *Prou. 19.* *In vita c. 9* *Hom. 33. ad pop. Ant.* *Hom. 37. ad popo. Ant.* *In ſerm. de eleemoſ.* *Lucæ 16.* *Beneficẽtiæ mercedes.* *Exempla.* 1. *3. Reg. 17.* *Vbi ſupra.* 2. *In vita eius apud Surium.* 3. *In vita eius c. 11. apud Sur. to. 4.* 4. *In vita eius, apud Surium, to. 6. p. 1024.* *Merces beneficentiæ cur non ſemper retribuitur.* *Hom. 55. in Geneſim. Simile.* *Hom. 5. in Matt.*

A

6. *Cum cognouisset quod venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

Gloriæ fuga.

LOcus moralis de fuga gloriæ, & de humana laude, peracto bono opere, statim fugienda. Christus enim hoc facto suo, *exemplum se sequentibus præbens* (ait S. Gregorius) *Rex fieri noluit; ad crucis vero patibulum sponte peruenit.* Gloriæ cupido semper quidem animæ periculosa est,

Curæ past. par. 2. c. 3.

sed opere bono peracto maximè cauenda, quia tunc maximè insidiatur. Magni illi Sancti, Benedictus, Antonius, Aegidius, Iudocus, Eulalius, Hilarion, & alij, vbi claresce re alicubi cœperunt, & sanctitatis opinionem habere, statim summa contentione fugientes, ignota loca petebant. S. Dominicus rogatus cur in Carcassona diœcesi libentius moraretur quàm in Tolosana, vbi tot hæreticos conuerterat, sapienter respondit: In Tolosana multos inuenio qui me honore afficiunt, in Carcassona omnes me impugnant. Animalia quędam, ne inueniri possint vestigia sua circa cubile confundunt; & vulpes saltibus, non gressibus, suum antrum ingreditur. Sic virtutem, ne pateat ad vanàm gloriam dissimulare & tegere oportet. Acrius quippe honores debitos boni fugiunt, quàm indebitos improbi ambiunt, quod alio in loco tractauimus; sed hic plura, B

Exempla. Marcus Marulus li. 1. c. 5. In vita eius, li. 4. c. 10. Simile. Dom. 3. Aduen. tex. 2. & Do. 4. post Epiph. tex. 3. Exemplũ. In vita eius apud Surium, to. 5. p. 688. Simulia.

prout Deus dabit, proferemus. S. Ioannes Canonicus regularis in Anglia ante annos ducentos, inclusam quandam, vt spiritualibus eius colloquiis frueretur, visitauit. Illa post prima verba visionem se illa nocte vidisse affirmauit, de aquila circumuolante cum chartula in rostro, cui inscriptum esset, *Iesus est amor meus.* Tu vero Pater, inquit illa, hæc aquila es, pro excellentia tuorum meritorum. Quod ille audiens. Nos quidem, inquit, eo animo huc accessimus, vt mutuis colloquiis Dei gratiam nobis conciliaremus: at nunc, vt video, malus dæmon, vitiorum nostrorum sagax explorator, per hos inanes sermones in animos nostros aditum sibi parat. Atque his dictis statim abscessit. Verè enim sicut tinea ex veste nascitur, & eandem corrumpit atque exedit; ita vana gloria ex virtutis materia nascitur, & virtutem corrumpit, & omni vera laude ac fructu priuat. Sicut enim dementissimum esset, pretiosis gemmis atque lapillis ruinosi alicuius parietis rimulas implere atque fulcire; sic pro virtute humanos fauores desiderare, & rem cælo dignam, vili pretio venalem exponere. Quare vanam gloriam, *spiritualium opum latronem* rectè vocauit S. Basilius. Quantum autem hominum fauor virtuti noceat, hinc aduertes: quod qui ab omnibus laudatur, nescit seipsum, quum ab omnibus cognoscatur; qui autem ab omnibus C contemnitur, nouit seipsum, etsi à nemine cognoscatur. Abbas Pinusius, celebris in Aegypto Pater, in partes Thebaidæ clam fugit ad cœnobium Tabennesiotarum, vbi post multas preces, & magnam difficultatem, vt nouitius secularis recipitur, & horto curando sub iuuene præfecto addicitur; ibique triennio in maxima humilitate vixit, donec tandem agnitus, ad monasterium suum reduceretur. Vnde iterum in Palæstinam fugiens, & vt nouitius inseruiens, iterum agnitus, secundo reducitur. Tanta erat in hoc sancto viro fugiendæ gloriæ cupido, exemplo Redemptoris nostri, qui fugit in montem solus, rapiendus à populo in Regem. S. Gregorius Rom. Pontifex, antea monachus Benedictinus, cum in Summũ Pontificem eligeretur, quia palam repudiare integrum non erat, nec ab vrbe recedere tuto potuit, in dolio se condi & exportari fecit. Tum proximi montis vastam solitudinem penetrans, antrum quoddam adiit, satis ibi se latere sperans. Cæterum quum quæreretur, lucida nubes loco incumbens prodidit latentem. Inuentus ergo, in sedem quam fugerat, inuitus euehitur. Vide plura huius rei exempla apud Marcum Marulum. Honorem autem fugiunt boni, & verè timentes Deum, propter multa ex eo peccatorum pericula. Sicut qui in excelsa aliqua turri positus, homines humi ambulantes desuper intuens, videtur sibi coruos, non homines videre, oculis ex longa distantia obiecti debilitatis; sic in honore sublimi constitutis accidit, vt ordinis inferioris homines contuentes, sibi ipsis præ illis magni, & vt loco sic merito excelsi videantur; alios vero, vt loco, sic virtute & prudentia inferiores existiment, atque contemnant: quæ vt est magna vanitas & ineptia, sic maxima coram Deo impietas. Christus ergo hic fugit honores, non vt sibi, sed vt aliis (quos exemplo docere vult) periculosos. Est quippe in illis magna deceptio visus, non secus quàm in præstigiis accidit. Quemadmodum enim imago, quanto artificiosius depicta, rem cuius est imago, magis ad viuum repręsentat, tanto mendacior & fallacior est, quia tanto magis intuenti persuadet non imaginem, sed rem ipsam esse quam videt; sicuti Apellis Bucephalus alium equum ad hinnitum concitauit, & ad Zeuxis depictas vuas aues aduolarunt, ipsumque Zeuxem Parrhasij alterius pictoris linteum decepit (depictum enim in tabella linteum, verum esse existimans linteum, detrahi iussit, vt, quid in tabella pingeretur, cerneret,) sic omnino honores huius mundi quanto maiores sunt, eo maiora sunt mendacia, & deceptio maior; quia eo magis videntur veri esse, quum non veri, sed verorum imago sint, & illius solidi honoris repræsentatio quędã, quam vera virtus meretur: quæ certè non est huius vitæ, vtpote fluxa & caduca, malis ac bonis communis, apparens tantum & externa; sed alterius vitæ, *quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Sic enim omnem huius mundi gloriam Scriptura Dei baptizauit: *Vmbra est & vapor ad modicum parens.* Nam vt vmbra corpus, sic virtutem honor sequitur, idque fugientem, sicut fugit ambientem. Et vt vmbra cuiuscumque corporis vmbra sit, seu candidi, seu nigri,

Constitut. monast. ca. 11. De contẽp. mundi, par. 1. c. 10. Exemplũ. Cassianus instit. monast. li. 5. ca. 30. In vita eius per Ioan. Diac. li. 1. c. 44. Li. 1. c. 7. Simile. Simile. Erasm. li. 8 Apophth. Volaterran. li. 26. & Aelian. li. 4. Honores quanto maiores, eo maiora mendacia. 2. Cor. 9. Iacobi 4. Similia.

D

A gri,ſeu viridis,ſeu flaui;ipſa ſemper non niſi nigra eſt, & quædam vacuitas, non ſubſiſtens aliquid:ſic omnis huius ſeculi gloria, quacumque tandem ex re naſcatur, ſeu vera virtute, ſeu mundi bonis,non niſi vmbra eſt, & inane quid, ſola opinione conſiſtens,ſiue eius qui honoratur,ſiue eius qui honorat.qui famens putat ſe comedere,non ſatiatur,quia cibus ſubſtantia eſt. Qui cupit & putat ſe honorari, quum non honoretur;perinde gaudet ac ſi honoraretur, quia honor non niſi opinio eſt.

EVANGELIVM DOMINICÆ PASSIONIS.

B DICEBAT Ieſus turbis Iudæorũ & principibus Sacerdotũ : Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis,quare non creditis mihi?Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis,quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt igitur Iudæi,& dixerunt ei:Nonne benè dicimus nos,quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam. Eſt qui quærat,& iudicet. Amen amen dico vobis:Si quis ſermonem meum ſeruauerit,mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi : Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt,& Prophetę:& tu dicis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit,mortem non guſtabit in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham,qui mortuus eſt? Et Prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis?Reſpondit Ieſus:Si ego glorifico meipſum,gloria mea nihil eſt. Eſt Pater meus qui glorificat me,quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt : & non cognouiſtis eum,ego autem noui eum. Et ſi dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum,& ſermonem eius ſeruo. Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum. Vidit,& gauiſus eſt Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta
C annos nondum habes,& Abraham vidiſti ? Dixit eis Ieſus: Amen amen dico vobis, quia antequam Abraham fieret,ego ſum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe,& exiuit de templo. *Ioan.8.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* De peccati turpitudine,infamia,grauitate.
2. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* De audiendo verbo Dei.
3. *Nonne bene dicimus nos,quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes? Reſpondit Ieſus : Ego dæmonium non habeo.* De contumeliis & maledictis patienter ferendis.
4. *Ego non quæro gloriam meam. Eſt qui quærat,& iudicet.* De debito honore Chriſti & miniſtrorum eius in hac vita,& de Dei iudicio aduerſus contemptores.
5. *Si ego gloriam meam quæro,gloria mea nihil eſt.* Contra propriæ laudis appetitum.
6. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit,mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi:Nunc cognouimus quia dæmonium habes,&c.* Contra malcuolum & temerarium iudicium, quod omnia in peſsimam partem interpretatur.
7. *Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum.* Contra iram.
8. *Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.* Documentum quadruplex. 1. De veræ charitatis officio. 2. De moderatione ſeruanda in poteſtate. 3. De non vlciſcendo propriasiniurias. 4. Declinari poſſe perſecutiones perſonales.

D

1. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Peccati turpitudo & enormitas. Ioan.8.

LOcus moralis de peccati turpitudine, infamia,grauitate. Chriſtus Dominus, qui infirmitates humanas tulit,paupertatem profeſſus eſt;ignorantiæ opinionem non excuſauit,quum

obijceretur,quod literas non didicisset;solum peccatum, aut peccati suspicionem exhorruit. A
Prouocat aduersarios, inuidos,atque maleuolos,id est, oculatissimos ; *Quis ex vobis arguet me de*
Hebr.7. *peccato?* Nec minimam peccati notam,aut maculam,aut labem sibi aspergi patitur. *Talis enim de-*
Hebr.8. *cebat vt nobis esset Pontifex,sanctus,innocens,impollutus, segregatus à peccatoribus,& excelsior cælis factus.*
& 2. Sed sanctus hic Pontifex suo sacrificio nos sanctificauit, vt & nos essemus sancti, innocentes.
Tit.2. impolluti. *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos. Qui enim sanctificat,& qui sanctificantur;*
Rom.9. *ex vno omnes. Dedit enim semetipsum pro nobis,vt nos redimeret ab omni iniquitate,& mundaret sibi popu-*
lum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Denique *quos prædestinauit conformes fieri imagini Filij*
Eccli 21. *sui,hos vocauit,iustificauit,& glorificauit.* Debemus ergo & nos,vt à Christo Redemptore nostro san-
Peccatum ctificati,vt tanti capitis membra,vt tam excellenti imagini conformes, peccatum exhorrere,
noxium & execrari, abominari. *Tanquam à facie colubri fuge peccatum,* ait Sapiens. Et vide quid sit peccatum,
damnosum quanta pestis,quantus horror,qualis turpitudo. Peccatum omni bono opponitur,vtili, hone-
Esaiæ 59. sto,delectabili,ideoque summum malum est. Vtili opponitur, quia maximè damnosum, vt
Similium quod summo bono nos priuat,qui Deus est. *Peccata vestra diuiserunt inter me & vos.* Hoc autem
congeries. quale,quàm inexplicabile damnum est! Sicut aduersus viduam omnes ferè insurgunt,quia ne-
1. minem habet qui eam defendat; sic omnes dæmones, & omnes creaturę insurgunt aduersus
Psal.79. animam Deo destitutam. *Qui quærebant animam meam,concilium fecerunt in vnum,dicentes, Deus de-* B
2. *reliquit eum:persequimini,& comprehendite eum,quia non est qui eripiat.* Sicut nauis quæ clauo,malo,ac
3. gubernatore sublatis,validissima tempestate iactatur,fluctibus ac flatibus cedens, huc illucque
4. agitata, tandem scopulo illisa frangitur: Sicut ciuitas à truculentissimis hostibus obsessa,nullo-
que aut militum,aut murorum præsidio cincta,in qua etiam intus ciues ipsi hostilibus inter se
odiis dimicant,direptioni est proxima: Sicut excellens virginis pulchritudo, quæ inter multo-
rum adolescentum greges vitam agit, cuius etiam lateri indiuiduus comes germanus frater
adhæret,sed ita improbus,vt eam semper ad turpitudinem prouocet,in summo versatur violan-
di discrimine: Eodem planè modo misera anima,Dei amicitia & gratia per peccatum destitu-
ta,innumeris tentationum fluctibus exponitur,naufragio proxima; ab hostibus suis, dæmone,
mundo,carne diripienda,in prædam datur;infestis dæmonibus,germana etiam carne solicitā-
5. te,violanda prostituitur. Quemadmodum discedente Rege,omnes qui in curia versantur,om-
nes domestici Regis pariter discedunt,& curia transfertur;ita cum Deus discedit ab anima,om-
nes Angeli custodes,omnes amici curiæ cælestis eam deserunt,imo & bona opera omnia, tam
quæ olim in statu gratiæ fecit, quam quæ tunc moraliter bona facit,omni apud Deum merce- C
Ezech.18. de carent,omni merito euacuantur. Sic Propheta: *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit ini-*
6. *quitatem;omnes iustitiæ eius,quas fecit,non recordabuntur.* De curia cælesti quod diximus,docet san-
Hom.in ctus Basilius: *Veluti fumus abigit apes,& fœdus odor columbas expellit; sic Angelum vitæ nostræ custodem*
Psal.33. *abigit graueolens peccatum.* Certè quum Hierosolyma à Romanis obsidenda erat (in qua obsidio-
Iosephus ne euersa est) paulò antè quam Vespasianus cum exercitu veniret, audita vox Angelorum est:
de bello Iu- *Migremus hinc.* Porro vno peccato omnia alia bona opera nobis perire, & nullum emolumen-
daico,li.7. tum adferre,docet Apostolus his verbis: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si*
ca.22. *tradidero corpus meum ita vt ardeam* (quæ duo maxima sunt virtutum opera) *charitatem autem non*
1.Cor.13. *habuero* (qua excidit omnis qui lethaliter peccat) *nihil mihi prodest.* Quemadmodum mancipium,
Simile. quicquid operatur,non sibi,sed domino suo operatur;in domini commodum,non suum,labo-
rat: sic peccator,si qua bona facit,totum in diaboli obsequium cedit,cuius per peccatum seruus
Ioan.8. est,vt alio in loco ostendimus. *Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati.* Peccatum autem
Simile. opus diaboli est. Huic damno vix vllum comparari potest. Si mercator quispiam post longin-
quam & periculosam nauigationem ex ipsis fortasse Indiis,multis reportatis mercibus,auro ar-
gentoque multo,statim vno post reditum die ludo alicui totum exponat, & vnica sponsione,
aut aleæ iactu,totius lucri iacturam faciat; nonne hunc hominem omnes & dementissimum &
miserrimum pariter pronuntiarent? At eo loco, multoque peiori est, qui post multas virtutes
Simile. magno labore confectas,multaque in cælo congesta merita,propter vnius lethiferi peccati vo- D
Ho.15.op. luptatem breuem,omnium iacturam facit. *Sicut enim miles* (ait sanctus Chrysostomus) *si toto cor-*
imperf. *pore fuerit armis vestitus,& vnam partem habuerit nudam,nihil ei prodest quod totus fuerit vestitus, si per il-*
lam vnam partem eum sagitta percusserit, sed sic cadit,ac si totus fuisset nudus: sic Christianus, si iustitiam fe-
Iacobi 2. *cerit,& si in vno peccauerit,similiter peccator statuitur,ac si semper peccasset.* Hæc ille, quoad damnum sci-
licet vitæ æternæ,& ad reatum mortis æternæ iuxta illud diui Iacobi: *Qui offendit in vno, factus*
est omnium reus. De hac re superius plura diximus. Nihil ergo peccato damnosius. Merito san-
Ser.5.de ctus Cyprianus scripsit: *Hoc sunt peccata lapsis,quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus,quod*
lapsis. *armentis pestilens vastitas,quod nauigiis sæua tempestas.* Omnes scilicet bonorum operum fructus de-
struit,animi facultates corrumpit,totum hominem ad interitum ducit. *Quasi rhomphæa bis acuta*
Eccli.21. *omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas,* ait sacra Scriptura. Omnes quippe corporis morbos (de
quibus tamen curandis ita soliciti sumus, vt nihil magis) hic animi morbus, peccatum, multis
Simile. modis superat. Quemadmodum enim periculosior est tempestas quæ vetat in portum appel-
lere, quàm ea quæ cohibet à nauigando;& leuius malum est, aliquo impedimento retardari
in via,quàm in fine itineris excludi à ciuitate clausis ianuis: sic peccatum mortale, quod pro-
hibet ab ingressu cæli, infinitè maius malum est,quàm corporis morbus, qui impedit tantum

actionem

A actionem virtutis. Nec quiſpiam miretur, ſi ex vno aliquo mortali peccato tanta calamitas accedat, quum ad beatitudinem comparandam non vna virtus, ſed multorum mandatorum obſeruatio ſit neceſſaria. Virtus enim ex tota cauſa eſt, vitium autem ex quolibet defectu. Vt ſcopum attingas, punctum tibi ferendum eſt: vt à ſcopo aberres, lata patet via, ad dexteram, ad ſiniſtram; procul, tardè. Exiguum abſynthium amaritudinem ſuam multo melli cito impartit: mel duplo maius, abſynthio dulcedinem non infundit. Paruo lapide ſubmoto, flumen totum in pronum trahitur: eiuſdem impetus fortiſſimo etiam aggere cohiberi vix poteſt. Sic vnum peccatum totum hominem perdit, vt alias latius eſt dictum. Accedit ad hæc maxima damna, quod ipſa anima per peccatū ita vel debilitatur, vel corrumpitur, vt vires ac facultates non gratiæ tantum diuinæ auferat, ſed naturales quoque vehementer imminuat. *Quemadmodum enim per morbum* (ait ſanctus Baſilius) *in corpore appetitus detectio, & ciborum inſuaue faſtidium: ſic in animo, circa explenda mandata Dei, pigritia ac lentitudo ex peccato generantur.* Hinc & diuus Gregorius ſcripſit: *Peccatum ſuo pondere in aliud trahit, niſi pœnitentia deleatur.* Hanc ob cauſam vocatur à Propheta, *Talentum plumbi*: ita hominem deorſum tendere facit, & in terrena depreſſum tenet. Hinc quoque ſanctus Bonauentura, peccatum putredini in fructibus aut carnibus comparat. *Sicut putredo*, inquit, *aufert pomo decorem, colorem, odorem, & ſaporem; ſic peccatum aufert animæ decorem vitæ, odorem famæ, valorem gratiæ, & ſaporem gloriæ.* Ad quæ ſingula explicanda latiſſimus patet con-

B cionatori campus. De primo & quarto aliquid annotabimus. Secundum per ſe patet, & in ſecundo puncto tangetur. De tertio iam diximus. Peccatum decorem vitæ perdit, quia efficit, vt qui antea Dei filius, Dei amicus, Deo coniunctus, ideoque honorabilis erat, nunc contra diaboli filius, & mancipium, ideoque abiectiſſimus fiat. Barba in facie hominem honorat; ſed ſi barbæ tonſor eam abſciderit, conculcatur & deſpicitur. Sic anima Deo coniuncta, honorabilis Dei ſponſa eſt; ab eo per peccatum ſeparata, deſpicabilis eſt vt barba reſecta, ad nihil vtilis, niſi fortè ad ignem. Hanc maximam infelicitatem expreſſit Propheta. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſiluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus; aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas? Ecce igni datum eſt in eſcam.* Vineæ in Scripturis anima comparatur, & Chriſtus nos vocat *palmites ſuos*. Sola autem vitis ex omnibus lignis, niſi fructum adferat, prorſus inutilis eſt, niſi vt mittatur in ignem. Et vt vitis fructum ferens, omnium eſt arborum fructuoſiſſima; non ferens, omnium ineptiſſima: ſic anima humana virtutem colens, & Deo coniuncta, res eſt ſpecioſiſſima; peccatis dedita, res eſt

C turpiſſima, & quauis creatura deformior. Sicut vinum eſt quidem remedium efficax contra cicutam; ſed ſi pariter vtrumque commiſceatur, vis veneni fit immedicabilis, eo quod ex vini calore citius cor penetrat: ſic fides accepta, & gratia Chriſti, eſt contra peccatum remedium proprium & efficaciſſimum; ſed ſi noſtra ingratitudine & negligentia, cum accepta gratia peccatum miſcemus, vis peccati eſt immedicabilis, & vt Apoſtolus loquitur, *Impoſsibile eſt renouari per pœnitentiam*; id eſt, valde difficile, ſicut venenum vino mixtum difficillimè curatur. Hinc fit, vt nulli ſceleratius viuant, quàm impij Chriſtiani. Sic decorem vitæ tollit peccatum: ſaporem gloriæ tollit, quia gloria cæleſti nos penitus priuat. Quod ineffabile damnum vt intelligi facias à populo, hoc exemplum propone. Lyſimachus, Macedoniæ Rex, inter Scythas bellum gerens, quum ſiti grauiſſima conſtrictus, ſeſe pariter atque exercitum hoſtibus dedi diſſet, ac deinde frigidam bibiſſet aquam; *Dij boni*, inquit, *quàm breuis voluptatis gratia quantum regnum amiſi!* Sic dicat omnis peccator, peccati voluptate trāſacta: O quàm breuis voluptatis gratia regnum cæleſte amiſi! Dicat & reſipiſcat, ac per pœnitentiam reſurgat, nec rurſum tali ſe periculo exponat. *Quemadmodum enim* (ait ſanctus Chryſoſtom.) *qui grauitate capitis ebrietateq; tenentur, ſtultè ſimpliciterque feruntur, quamuis præcipitium, & aliud aliquid ſimile ſubſit, infra concidunt incautè; ſic qui corruunt in peccatum, veluti praua ebrietate, actionis deſiderio detenti, neſciunt quid faciunt, non præſentia, non futura prænidentes.* Porro quàm ſit res damnoſa peccatum, docet illa Scriptura quæ

D dicit: *Omnis qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius.* Peccata ſunt vua acerba. Peccatorum dentes ſic obſtupeſcunt, vt non poſſint eius ſuauitatem ſentire, de quo dicitur: *Guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dominus. Cuius dentes ex vua acerba manducata obſtupeſcunt, videt alios panem manducantes. Laudare poteſt quod videt, manducare non poteſt.* Sic qui ſuis ſe diu pauit peccatis, laudat verbum Dei, & non facit. Qui ex abſynthio eſt ebrius, amaritudinem eius non ſentit. Sic quos peccati cupiditas ac voluptas inebriauit, amaritudinem eius non ſentiunt. Venenū in vaſe aureo, ipſum vas non corrumpit: at peccatū tale venenū eſt, vt vas ſuū pretioſiſſimum animam perdat. Vipera non interficitur ſuo proprio veneno, nec baſiliſcus, nec aliquis alius ſerpēs. Solum peccatum ſubiectum ſuum ad interitum ducit. Atque hæc de peccato quatenus damnoſa res eſt, & bono vtili contraria. Nunc aliquid dicendum eſt, quatenus peccatum bono honeſto cōtrariū eſt, quā ſit res per ſe turpis & vitioſa. Turpitudo peccati ex eo ſolo ſe ad oculū manifeſtat, digitoque palpandā præbet, quod ſemper latere vult, & latebras quærit, iuxta illud Saluatoris: *Qui malè agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ne arguantur opera eius.* Adam vbi primum peccauit, abſcondit ſe à facie Dei, & cooperuit ſe foliis fici, & fecit ſibi perizomata. Quū Dauid vxorem Vriæ violaſſet, eaque concepiſſet, vide quot modis tegere conatur peccatum. Vriā ab exercitu ad ſe vocat; vt in domum ſuam eat, iubetur; cibo regio alitur & inebriatur, vt vxoris deſiderio incaleſcat: quumque nihil horum ſuccederet, bonus Vrias precepto Regis interficitur.

peccatum vnum cur perdat, quū non niſi ex multis virtutibus ſit ſalus.
Similia.
1.
2.
3.
Simile.
In Reg. fusè diſp. ad q. 174.
In Ezech. hom. 11.
Zach. 5.
Simile.
In diæta ſalut. c. 2.
Peccatum animæ decorē auferē
Simile.
Ezech. 15.
Ioan. 15.
Simile.
Simile.
Heb. 6.
Peccatum ſaporem gloriæ tollit.
Exemplū. Plutarch. in lib. de tuenda bona valetu.
Hom. 1. de pœnit.
Simile.
Ierem. c. 31
Aug. in Pſal. 48.
Simile.
Greg. Moral. in Iob, li 30. c. 15.
Diſsimilia
Peccatum, res turpis & vitioſa.
Ioan. 3.
Exempla.
Gen. 3.
2. Reg. 21.

Simile. Quid neceſſe erat, Regem circa priuati & gregarij militis iniuriam tam eſſe ſolicitum, niſi quia A
rem infamem ſciebat peccatum eſſe? Vt qui laborant, non affectant haberi viceroſi, ſed magis
Plutarch. in Moral. Apophth. fugiunt videri quàm eſſe; ſic peccatores omnes: nec adeo quiſquam impius eſt, vt, etſi in facto
impio fortè non erubeſcat, de ipſa tamen impietate non pudeat, aut in ea ſibi placeat. Diogenes
videns adoleſcentulum quendam in popina, ex pudore intro fugientem, *Quo interius*, inquit, *fugeris, hoc magis eris in popina*: ita vitioſi, quo magis abdunt ſeſe intra ſeipſos, hoc magis ſunt
Peccati ſeruitus. id quod ſunt. Turpitudinem peccati, ſeruitus ipſa cupiditatum peccato intrinſeca demonſtrat.
Qui enim ſuis cupiditatibus & peccato ſeruiunt, ſunt ſerui ſeruorum omnium, iuſtorum & bonorum. Iuſti enim & boni omnes ſecundùm rationis & veræ pietatis regulam, cæcam ſuam
voluntatem dirigunt, & vt rectæ rationi ac pietati obſequatur, faciunt. Atqui improbi
Medit. c. 4 omnes ſuæ voluntati ſeruiunt. Eius igitur ſerui ſunt, qui à iuſtis ſeruituti ſubijcitur. Singulorum ferè peccatorum turpitudinem his verbis diuus Auguſtinus deſcribit: *Coarctat auaritia, diſtendit ſuperbia, conſumit inuidia, inflammat concupiſcentia, infeſtat luxuria, dehoneſtat gula, ebrietas confundit, detractio lacerat, ambitio ſupplantat, rapacitas obiurgat, diſcordia diſsipat, ira perturbat, leuitas diſſoluit, torpor opprimit, hypocriſis fallit, adulatio frangit, fauor attollit, calumnia pungit.* Hæ ſunt vitiorum deformitates, quibus anima peccatrix, in varias cupiditatum laruas
miſerè diſtracta, fœdatur. B

Peccatum, res triſtis & acerba. Confeſſ. li. 1. c. 12. Iam vero bono delectabili ſic omne lethale peccatum contrarium eſt, vt, quum non niſi
voluptatis cauſa peccent homines, in ipſo tamen peccato omnia triſtiſſima inueniant. *Voluiſti Domine, & ita eſt* (ait S. Auguſt.) *vt omnis animus inordinatus ſibiipſi ſit pœna.* Vnde ſic per Ieremiam
Deus loquitur: *Scito & vide quã malum & amarum eſt dereliquiſſe te Dominum Deum tuũ, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus.* Huius amaritudinis vna & maxima pars eſt remorſus conſcientiæ,
Ierem. 2. qui etiã deploratè impios nõ ſinit conquieſcere: *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius. Sonitus terroris ſemper in auribus illius; & cũ pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur.*
Iob 15. In omnib. ærumnis quas paſſus eſt Iob, nunquã defuit qui malũ nuntiũei afferret. In omni peccato malũ nuntium adeſt, quod conſcientiã mordet. Sicuti qui malum vinũ bibit, cuius malus
guſtus niſi in fine ſentitur, interim dum bibit, bene ſe habere videtur, ſed ſcorpionem in cauda
agnoſcit. *Fauus diſtillans labia meretricis, ſed nouiſsima eius amara quaſi abſynthiũ.* In Aegypto filii Iſ-
Simile. Prou. 5. rael vix allia & cepas deguſtarunt, quum ſtatim lachrymæ per oculos defluxerunt. *Adhuc cibus erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Ibi quidem externa vindicta, ſed typus internæ,
Exempla. Num. 11. quę nulli peccato deeſt. Amon, ſtuprata ſorore Thamar, ita eam ſtatim horrori habuit, vt
2. Reg. 13. conſpectum eius ferre nequiuerit. Eſt quippe peccatum inſtar vlceris prurientis, quod, dum
Similia. ſcalpitur, delectat, poſtea cruciat: inſtar febri æſtuantis, qui frigidam bibens, ſtatim releuari videtur, ſed mox maiorem multo moleſtiam ex noxii humoris eruditate incurrit: denique inſtar C
1. ebrii, qui in ebrietate multa mala perpetrat, quorum, ad ſe quum redierit, vehementer eum
2. pudet ac pœnitet. Fratres Ioſeph, in Aegyptum deſcendentes, quàm primum vexari cœpe-
3. rant, recordantur peccati ante annos viginti perpetrati, dicentes: *Merito hæc patimur, quia pec-*
Exemplum Gen. 42. *cauimus in pucrum.* Rurſum quum ſecunda vice deſcenderent, & Ioſeph ad primum eorum
conſpectum viſo fratre Beniamin, *eos introduci in domum iuſsiſſet*, de quo alij gauiſi eſſent, illi, adhuc malè ſibi conſcii, vehementer timuerunt: *Exterriti dixerunt mutuo: Propter pecuniam*
Gen. 43. Eſaiæ 66. Amos 9. *quam retulimus prius in ſaccis noſtris, introducti ſumus, vt deuoluat in nos calumniam*, &c. Sic ait Scriptura: *Vermis impiorum non moritur.* Et iterum: *Iudicium Dei comprehendit eos. Non erit fuga eis*, &
Eſaiæ 57. Pſal. 13. rurſus: *Fugit impius nemine perſequente.* & adhuc ſemel: *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non*
Simile. *poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* Ac denique: *Contritio & infelicitas in viis*
Chryſ. ho. 4 in Ioann. *eorum: viam pacis non cognouerunt.* Poſtremo hæc eſt *Vua acerba, quam qui comedit, dentes eius obſtupeſcunt*, vt ſupra dictum eſt. Qui per obſcuram noctem iter faciunt, etſi nihil metuendum occurrat, metu tamen perpetuo concutiuntur; ſic qui ſcelus aliquod admittunt, etſi nemo id videat,
Simile. nemo reprehendat, omnia tamen formidant, omnia ſuſpicantur, perpetuis conſcientiæ ſtimulis
Idem ho. 6. ad pop. Ant. agitati. Peccatum ſanies eſt, pœna ferrum eſt medicinale. Sicut igitur ſaniẽ habens, etſi ſecatur,
malẽ habet; & cũ non ſecatur, tunc eſt in maioribus malis: ita peccans, etiã ſi puniatur, eſt miſer; D
Simile. & tunc maximè miſer, cum non punitur. Et ſicut ſplene & intercute laborantes, cũ larga fruũtur menſa, & frigida potione, & delicatis ferculis & ſaporibus, tunc præcipuè omnium ſunt miſerrimi, deliciis morbum augentes: ſic qui cũ iniquitate deliciis fruuntur. Dicit Propheta: *Par-*
Pſal. 7. *turit iniuſtitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem.* In quæ verba Chryſoſtomus: Nõ eſt hic partus,
Simile. qualis in mulieribus, ſed potius qualis in viperis, quæ vterum diſrumpunt, & latera dilaniantes
fœtus procedunt. Ita enim in fraudibus & iniuſtitia inexplicabilis eſt, quem improbi ſuſtinent,
Prou. 15. dolor & moleſtia. *Omnes dies pauperis* (ait Sapiens) id eſt, peccatoris, *mali*, id eſt, laborioſi; *ſecura mens quaſi iuge conuiuium.* Homini in peccato mortali exiſtenti, etiam cardui lictores vi-
Leuit. 26. dentur. Si fulgurat, ſtatim arbitratur ſe fulmine feriendum. Dicit Deus impiis: *Ponam faciem meam contra vos, & fugietis nemine perſequente.* Et rurſum: *Dabo pauorem in cordibus eorum. Terrebit eos*
Exemplum *ſonitus folij volantis.* Non potuit ſignificantius terror conſcientiæ impiorum exprimi. Exemplum
Gen. 4. de Cain. *Ecce* (inquit) *ejcis me hodie à facie terræ: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Et tamen ſolus pater eius Adam tunc ſuperuixerat. Tanta eſt timoris & ſtimuli conſciẽtiæ vis. Porcus quã
Simile. primum tangitur, immaniter clamat; quod cætera animalia non faciunt. Ratio eſt, quia quum

nihil

A nihil habeat vſui humano vtile niſi carnem,non lanam,non pellem, non plumas; ad necem ſe peti inſtinctu naturæ formidat. Sic impius ad omnem mortis ſuſpicionem immaniter trepidat, quia nihil niſi cadauer habet,anima iam dudum mortua. Qui vxorem domi verboſam & moleſtam,perpetuoque rixantem patitur,obambulat ſæpe in foro ita lætus ac hilaris vultu, ac ſi nihil pateretur,quum domi vitam agat quauis morte moleſtiorem. Sic impius vtcumque in mũdo triumphans,domeſticum ſuum malum circumfert,conſcientiæ carnificinam, quam ipſe ſolus ſentit:ſicut Paulus Aemilius,qui facto cum vxore diuortio, amicis factum admirantibus, oſtenſis etiam nouis quos ferebat calceis, reſpondit: Qua me parte premit calceus, nemo veſtrum nouit,ego ſentio. Certè nullum huic malum magnitudine comparari poteſt. Quemadmodum enim,qui rigente febri perfrigeſcunt,aut æſtuante exuruntur,acrius infeſtiuſque afficiuntur,quàm qui externum aut frigus aut calorem patiuntur: ſic obtuſiores triſtitias habent fortuita & temeraria,vtpote aduentitias;quàm praua conſcientia,quæ animum intus vrit,ſicut vlcus in corpore. Chilon Lacedæmonius ſæpe in ore habebat; *Damnum turpi lucro ſemper præferendum eſſe. Illud enim ſemel dolere,hoc ſemper.* Pythagoricus quidã,emens à ſutore calceos, quum in promptu pecuniam non haberet,ſolutionem in craſtinum differt: quo cum veniſſet ſatisfactum,audit ſutorem eſſe defunctum. Domum lætus redit propter lucrum inexpectatum. Verum cum ſceleris conſcientia ſubinde torqueretur,arreptam pecuniam in ſutoris domum proijciens,ait: *Mihi ſoli viuis,qui aliis omnibus defunctus es.* Hoc ergo ſolum malum ſi ſolum eſſet,facilè oſtendit,quàm ſit res triſtis & amara peccatum. Aliis etiam nominibus triſte eſt,quia pœnam adfert æternam,quia animi vires debilitat,ſenſualitates auget (vnde Iob, *Factus ſum mihimetipſi grauis*) quia non ſine magnis curis & laboribus cupiditates explentur,de quibus alias. Propter tam variam peccati malitiam, qua omnis generis bono contraria eſt,ideoque ſummum quoddam & completum malum;& propter alias adhuc eius enormitates, quę ex aliis capitibus demonſtrari poterunt;vt quod pœnis æternis hominem ſubijciat,quod ſit Dei optimi maximi offenſa,quod capitalis hoſtis ſit maieſtatis diuinæ, quod propter illud ſolum inimicitiæ inter Deum & hominem oriuntur,quod hoc ſolum Deum è cælo deuocauit, hominem fieri,& crucem ſubire fecit,quod huius grauitas & enormitas non niſi vnigeniti Filij Dei ſanguine expiari potuit,quod ad huius remedium & victoriam tota Chriſti doctrina, noui Teſtamenti gratia,omnia Sacramenta data & ordinata ſunt; à piis & iuſtis omnibus maximo ſemper in horrore habitum fuit. Eudoxia Imperatrice, Arcadij coniuge, per ſuos nuntios ac legatos minas & terrores ſancto Chryſoſtomo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano intentante, eo quod eius cupiditatibus iniquis ſe oppoſuit,reſponſum eſt ei à ſuis,quos miſerat, legatis: *Fruſtra illum hominem terres. Nihil ille niſi peccatum timet.* Quum Theodoſium Imperatorem de ſua excommunicatione triſtem ac ſolicitum valde,vt bono animo eſſet, hortaretur Ruffinus magiſter militum, curaturum ſe dicens, vt Epiſcopus Ambroſius etiam ſua ſponte vincula ei laxaret, reſpondit Theodoſius: *Noui ego conſtantiam Ambroſij & quod nullo regiæ Maieſtatis terrore diuinam legem tranſgredietur.* Sanctus Ludouicus, Rex Gallorum, ab ineunte ætate hoc perſuaſum habebat, *potius mori,quàm peccare.* Sancti Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis vox erat: *Malo inſilire in rogum ardentiſsimum, quam peccatum vllum ſciens admittere in Deum meum.* S. Anſelmus,Archiepiſcopus quoque Cantuarienſis,dicere ſolebat: *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & neceſſario vni eorum immergi deberem,prius infernum quàm peccatum appeterem.* Cui ſimile eſt quod in opuſculis eius eodem auctore legitur: *Mallem purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cælorum regna tenere.* Sic & bonus ille ſenex Eleazarus dixit, præmitti ſe velle in infernum potius quàm leges Dei ſui tranſgredi. Nempe ſic & Apoſtolus Paulus ſenſit,quum ſcripſit: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia,an fames, an nuditas,an periculum,an perſecutio, an gladius? Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli,neque principatus,neque virtutes,neque inſtantia,neque futura, neque fortitudo, neque altitudo,neque profundum,neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei,quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Separatur autem à charitate Dei,qui conſentit peccato. Et ne quis perfectionẽ Apo-

D ſtolicam & Sanctorum hoc loco excipiat,quaſi non ſit neceſſe tam eſſe perfectum;ipſi ethnici, apud quos peccatum non niſi regulæ rationis aduerſabatur,& legi naturæ in cordibus ſcriptæ, hunc tamen peccati horrorem habuerunt. Ariſtotelis dictum eſt: *Melius eſt mori,quã facere aliquid contra bonum virtutis.* Socrates ab Athenienſibus,Seneca ab impio Nerone veneno ſublati ſunt, tanquam rigidi virtutis cultores. Papinianus iureconſultus mori maluit,quã,iubente Antonino Caracalla Imperatore parricidiũ eius de occiſo fratre Geta defendere:reſpondens ei, non tam facilè parricidium excuſari poſſe,quã fieri. Denique Timon ille μισάνθρωπος rogatus cur ita omnes homines odiſſet:Quia,inquit,*merito improbos odi;reliquos autem,quia improbos non oderunt.* Sed & Publij Mimi dictũ fuit:*Tolerabilior eſt qui mori iubet, quàm qui malè viuere.* Peccati ergo horrorem etiam ethnici videre & docere potuerunt. Surgent illi in iudicio,& condẽnabunt nos, nõ naturæ tantũ,ſed & gratiæ lumine ſignatos. Potuit Demoſthenes dicere, quum à Laide meretrice Corinthia,quã ſolicitauerat,nimis ampla merces poſceretur (popoſcerat enim decẽ millia denariorum nummi Romani) *Non tanti emam pœnitere.* Plutarchus de peccati malitia ſic ſcribit: Quemadmodum facinoroſus quiſque vltimo affligendus ſupplicio, corpori ſuo propriam fert crucem, paſſionis videlicet,timores,expectationes,& pœnitentias;ſic improbitas ex ſeipſa

Simile.

Plut.in Paulo Aemil.

Simile.

Plutar.li. de trãquil. animi.

Apophth. Laert.li.1. cap.4.

Exemplum Eraſm.li.6 Apophth. 1. 2. 3.

Iob 7. 4.

Alia adhuc peccatũ mala. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Exempla deteſtantiũ peccata.

In vita per Simeon. Metaphra. Theod.li.5 ca.18.hiſt. Eccleſ.

In vita eius apud Surĩ In vita eius c.19. In vita eius to.2. Lib.de beatitud. ca.190. 2. Mach.6 Rom. 8.

Li.3.Ethi. Exempla ethnica. Ael. Spar. in Ant. Caracal. Apophth. Maximus ſerm.6. Aul. Gell. Noct. Att. li.1.c.8. Li. de ſera Numinis vind.

Simile.

ſupplicium ſibi ſtruit ipſi, calamitates ingentes, formidines innumeras, paſſioneſque moleſtiſſimas, pœnitentias, ac indeſinentes continens perturbationes. Ex his ergo monendus diligenter populus, vt peccatum deteſtentur & abominentur, & odio habeant. A

2. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

Verbum Dei audiendum. LOcus moralis de audiendo verbo Dei. Quem locum etſi modo in alia Dominica tractauimus, nunc tamen, paucis adiectis, explicabimus magis. Dicit Chriſtus Dominus notam quandam, & certum ſignum eſſe verè filij Dei, audire verbum Dei; hoc eſt, ſic audire, vt credatur & cuſtodiatur. Nam & hic præmiſit, *quare non creditis mihi?* & in alio Euangelio ſubiunxit, *Et cuſtodiunt illud.* Alioqui ſicut quum terra poſt longam ſiccitatem valde eſt arida, pluuiarum guttæ deſuper cadentes, terram non irrigant, ſed in ranas & bufones vertuntur: ſic verbum Dei

Simile. prædicatum incidens in cor aridum erga diuina, & ſolis terrenis aut curis aut voluptatibus deditum, non irrigat, non penetrat, non mouet, ſed bufones tantum, id eſt, murmura, querelas, iurgia & maledicta contra verbi prędicatores excitat: ſicut in hoc Euangelio accidit, dicentibus Chriſto Iudæis, audita eius prædicatione, *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Serpentina hæc verba fuerunt, ex imbre eloquij diuini ortum capientia. Peſſimum hoc ſignum eſt, vel ex verbo Dei audito, calumniandi anſam arripere; vel ad verbum Dei

Simile. audiendum, nullo affectu aut deſiderio duci. Non cenſeretur bonus maritus qui mercaturæ aut militię cauſa peregrè proficiſcens, diuque abſens; nec vxoris, nec liberorum quos domi reliquit, nec oppidi ſui memor ſit, non libenter de illis inquirat & audiat. Merito iudicaretur nouo aliquo & illicito amore maritus ille implicari. In peregrinatione hic omnes à cæleſti patria conſtituimur. In ea Sponſus noſter & Redemptor Chriſtus eſt: in ea patrimonium & hæreditas: in ea fratres noſtri & conciues cælorum. Qui de hac ſua patria, deque iis quæ in ea ſunt, de via ad patriam & eo pertinentibus nihil cupit audire; ſed ſi qua horum audit, faſtidium & nauſeam patitur; certum eſt & infallibile argumentum, eum nouo aliquo, & illicito rerum terre-

Allegoria. Pſal. 138. narum amore implicari. Filij Iſrael in captiuitate Babylonica conſtituti, quotquot Deum Iſrael amabant, fecerunt quod illos facturos Propheta Dauid prædixit: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, & ſuſpendimus organa noſtra, dum recordaremur tui Sion.* Sic iuſti in hoc mundo, dum patriæ cæleſtis recordantur, ad illam vehementer ſuſpirant & plorant, de eius gaudiis magnam conſolationem capiunt, ad illam tendere & feſtinare omnibus modis contendunt: ideoque verbi Dei prædicatione, in qua talia docentur & audiuntur, mirificè oblectantur. Qui B

Simile. patria ſua exulant, ſi quando in conterraneum, inde recenter venientem, incidunt, illum amplectuntur, & de patria ſua minutiſſima quæque ab eo exquirunt. Vbi tantus eſt amor cæli, quantus in exule amor patriæ, nihil eſt verbo Dei delectabilius, in quo de patria cæleſti minutiſſima

Sap. 7. quæque narrantur. De illo enim Scriptura dicit: *Infinitus eſt theſaurus hominibus; quo qui vſi ſunt,*

Similia. *participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.* Si Gallo res præclarè geſtas Germanorum, aut Germano Gallorum referas; oſcitanter plerumque & negligenter audiet: ſed ſi Gallo Gallorum, Germano Germanorum, Anglo Anglorum virtutes, præclara facinora, res laudabiliter geſtas narres; attentiſſimè quiſque audiet quod ad ſe & ſuos pertinere iudicat. Idē faceremus nos audiendo cæleſtem doctrinam, ſi cælum patriam noſtram eſſe omnes agnoſceremus. Sed qualis quiſque eſt, talis ſibi finis videtur, dixit Philoſophus: & ex affectibus homo cognoſcitur. Si aſino carnes optimas apponis, non guſtabit; hordeum, far, & herbas appone, deuorabit. Amatori huius ſeculi ſi quid de animæ ſalute narras, vel ſtultum te, vel moleſtū aduerſarium exiſtimabit: de ſeculi gloria, lucro, voluptate ſi diſputas, attentiſſimum habebis auditorem. Ingrediuntur aliquando boni mercatoris officinam viri illuſores; fingunt ſe pannum empturos: mercator omnes ſuos pannos explicat, omnes ſarcinas euoluit, de precio diligenter tractat. Illuſores, fatigato mercatore, nihil horum ſibi placere aiunt, & abſque emptione diſce-

D dunt. Idem accidit in verbi prædicatione. Veniunt ad concionem audiendam viri illuſores, id eſt, otioſi & vagi, curioſi & improbi, voluptatum amatores & ſeculi. Prædicator omnia euoluit quæ habet, ſacræ Scripturę textus explicat, ſanctorum Patrum ſententias adfert, exemplis rem confirmat, comparationibus illuſtrat, ethnicorum pulchrè dictis aſpergit, audiunt illuſores & contemnunt; à concione diſcedunt abſque vllo fructu. Sed huiuſmodi illuſoribus quid Deus

Dom. 3. Quadr. tex. vlt. dicat, in alia Dominica protulimus. Quum Prophetas ſuos in templo & ſynagoga audire vetus populus nollet, vide quo artificio, quantaque diligentia Deus vſus fuerit, vt eos ad verbum eius audiendum quouis modo pertraheret. Dicit Ieremiæ: *Vade & ſta in porta filiorum populi mei, per quam ingrediuntur Reges Iuda, & egrediuntur, & in cunctis portis Ieruſalem, &*

Ierem. 17. *dices ad eos: Audite verbum Domini Reges Iuda & omnis Iuda, cunctique habitatores Ieruſalem.* Quia Reges & populus ad Deum audiendum venire noluerunt, Deus ad eos venit: adeo rem hanc ſaluti ipſorum neceſſariam iudicauit. Quum autem nec ſic quicquam proficeret Propheta, vide quot verbis rem vnam, imo non rem, ſed rei negationem inculcat. Sequitur in textu: *Et non audierūt, neque inclinauerunt aurem ſuam, ſed indurauerunt ceruicem ſuā, ne audirent me, & ne acciperent diſciplinā.*

Hoc

A Hoc vnum, non audire, multis verbis tanquam facinus indigniſsimum, amplificauit. Sed ideò homines non audiunt verbum Dei, quia ex Deo non ſunt. Vnde Auguſtinus: *Amant homines veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem.* Maledictus Rex Achab non eſt veritus aperte dicere de ſancto Propheta Michæa: *Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum ſed malum.* Volebat eum placentia loqui. Eſt hæc diaboli aſtutia, ab audiendo Dei verbo homines auertere, ne conuertantur & ſanentur. Cum poſſideret Ieroboam regnum Iſrael, *dixit in corde ſuo: Si aſcenderit populus iſte vt faciat ſacrificia in domo Domini, conuertetur cor populi huius ad Roboam Regem Iuda; interficientque me, & reuertentur ad eum: & ita excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite aſcendere in Ieruſalem: ecce dij tui Iſrael.* Sic omnino diabolus, ne reuertantur peccatores ad Dominum, à quo per rebellionem peccati diſceſſerunt, & illum deſerant cui per peccatum ſeruiunt, ludis, comœdiis, negotiis, & aliis huiuſmodi, detinet occupatos, ne verbum Dei audiant: qui autem audiunt, cupiditatibus ita implicat, vt verbum Dei in illis fructum facere nequeat. Vide plura ſupra Dominica 3. Quadrageſimæ, textu vlt. & textu primo, circa dęmonium ſurdum.

Confeſſ. li. 10. c. 23.
3. Reg. 21. Exemplum 3. Reg. 12.

3. *Reſponderunt igitur Iudæi & dixerunt: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dęmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dęmonium non habeo.*

B

LOcus moralis de contumeliis & maledictis æquanimiter ferendis, quando perſonales tantum ſunt, & Dei gloriam non attingunt. Iudæi ex nimia animi maleuolentia duplex maledictum in Chriſtum proferunt. Samaritanum vocant, per contemptum perſonæ; dæmoniacum, per calumniam doctrinæ. Ad perſonalem contumeliam, ne verbo quidem reſpondet. Doctrinæ conuitium refutat, dicens: *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum.* De contumelia contra Dei gloriã prolata, diligenter repellenda, in alia Dominica diximus. Nũc de contumelia perſonali, aut qualibet etiam iniuria æquo animo toleranda, vt dicatur, hic locus admonet. Maledictum ex ira, inuidia, maleuolentia ortum ſuum capit. Iudæi ex Chriſti doctrina offenſi, maledicunt, & maledicendo putant ſe rectiſſimè dicere. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Suam turpitudinem maleuolentia non videt. Sicut fumus oculorum aciem ita perturbat, vt quæ ante pedes ſunt, videri nequeant; ſic oborta inuidia aut maleuolentia, eam rationi caliginem offundit, vt ſe delinquere, nulla cogitatione deprehendere queat. Fratres Ioſeph, odio & inuidia concitati, *Non poterant ei quicquam pacificè loqui.* Ideo eum ſomniatorem vocantes, & poſtea vendentes, nihil ſe peccare exiſtimabant. Zoilus ille, canis Rhetoricus di-
C ctus, quum in Platonem, Socratem & optimum quemque Philoſophum ac virtutis magiſtrum debaccharetur, rogatus cur ſic bonos ac doctos omnes laceſſeret, *Quoniam*, inquit, *malefacere quum velim, non poſſum.* Hæc eius origo, hæc natura. Sed de ea toleranda dicendum. Id verò multas ob cauſas fieri à quouis bono Chriſtiano non par eſt modo, ſed & neceſſarium. Primum, vt noſtra patientia maledici corrigantur. Vnde Apoſtolus: *Vince in bono malum.* Et Sapiens: *Mollis reſponſio frangit iram, & lingua mollis confringit duritiam.* Sicut enim ignis ſubtracta materia extinguitur; ſic maledicentis ira, alterius patientia compeſcitur. Vnde Apoſtolus: *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*, hoc eſt; charitatis ignem in eo excitabis, & ex inimico amicum facies. Caupo quidam ciuitatis Alexãdrinæ, multis iniuriis & contumeliis affecerat iuuenem quendam, Ioanni eleemoſynario Patriarchæ Alexandrino ſanguine coniunctum. Iuuenis apud Epiſcopum grauiter conqueritur. Epiſcopus, fingẽs ſe etiam commoueri, vt iuuenis animum mitigaret: Itane, inquit, auſus te fuit vel verbo violare? Faciam in eo rem quam tota Alexandria mirabitur. Moxque vocato ad ſe vectigalium magiſtro, iubet vt nihil amplius vectigalis, aut aliquid aliud eccleſiæ debitum ab illo caupone exigat; ſed vt immunem illum ab omni ſolutione, quæ quidem ipſi vel eccleſiæ eius deberetur, relinquat. Hoc videlicet eius factum tota Alexandria mirata eſt, caupoque non ſolum à maledictis ceſſauit, ſed omni officio Epiſ-
D copum & iuuenem cognatum coluit. Alia cauſa eſſe poteſt, ne maioris furoris & perturbationis materia maledicenti præbeatur. Hoc enim eſt oleum camino addere. Vnde S. Ambroſius: *Si reſpondeas maledico, ſuperiorem ſe arbitrabitur, quia parem inuenit.* Demoſthenes à quodam conuitiis laceſſitus dixit: Nolim tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo qui vincitur, ipſo victore melior eſt. S. Ioannes, Canonicus regularis in Anglia, & cœnobij ſui Prior, cum à quodam monaſterij ſui fratre verbis valde contumelioſis diu impetitus, nihil moueretur, & vnus ex aſtantibus rogaret cur eius petulantiam non reprimeret, quum vno verbo illud facere poſſet, iubens vt ad cubiculum ſuum redeat, reſpondit: Si flamma vorax ædificij tecta lambens, in ſublime feratur, num tu conſulto facturum putabis eum, qui plus etiam materiæ injicere in flãmam velit? Frater iſte ad præſens magno ardet furoris æſtu. Cui ſi ego comminationum faculas admouere velim, furor eius magis magiſque inflammabitur. Sed vbi hæc flamma deferbuerit, tum demum ad oportuna remedia animo placato accedemus. Atque his dictis nihil commotus, abſceſſit. Porro & idcirco contumelias & maledicta æquo animo, ad exemplum Chriſti in hoc Euangelio, ferre conuenit, vt virtutis exemplum præbeamus iis quos eo indigere Dominus nouit. Nam, vt omne virtutis exemplum ita maximè iniuriarum

Contumeliæ & maledicta æquanimiter ferenda
Dom. 1. Quadrag. tex. 9.
Simile. Ariſtot. apud Stob. ſerm. 18. Exempla. Gen. 37. Bruſonius li. 1. c. 22.
Cauſæ ferendæ contumeliæ.
1. Correctio proximi. Rom. 12. Prou. 15. & 25. Rom. 12. Exemplum In vita eius apud Surium, to. 1
2. Ne lædas proximum. Offi. l. 1. c. 5 Exemplum In vita eius apud Surium, to. 5. pag. 617.
3. Ædificatio proximi.

patientia ædificat,atque in sui admirationem ipsos etiam maledicos pertrahit. In Prato Spiri- A
tuali,egregio & magnæ auctoritatis libro,vt pote qui in Concilio Nicæno secundo ante annos
Exemplum Cap. 218. 800.à Patribus citatur, huius rei exemplum legitur : Duo senes monachi cum vno fratre iter agentes,& errantes de via,inter sata inuenti sunt,& aliqua de satis volentes nolentesque pedibus conculcabant.Quod cum vidisset agricola (erat enim in agro operans) cœpit contra illos multa maledicta proferre,cum iracundia dicens:Vos monachi estis? Vos Deum timetis ? Si timorem Dei ante oculos vestros habuissetis,profecto hoc non feciss etis. Tunc ait vnus senior sociis suis:Per Dominum,nullus ei respondeat. Conuersusque ad illum,dixit:Rectè dixisti,fili mi. Ille rursus furens,contumeliis impetebat eos. Rursumque dixit senior ad illum:Vera prosequeris fili. Nam si veri monachi essemus, istud non egissemus. Sed per Dominum indulge nobis,quoniam peccauimus.Stupefactus ergo ille ad tantam senis humilitatem , accessit propius,prostrauitque se ad pedes senis,dicens:Peccaui,indulge mihi , & per Dominum assumite me vobiscum. Rusticus ergo,sequutus illos,accepit habitum. Atque hæc quidem ratione &
4.Ne ipsum lædas. Enar. in Psal.54. Offi.l.1 c.5 respectu proximi patientiam in maledictis seruandam docent. Nunc autem respectu nostri ipsorum,seruanda necessario patientia,ne per impatientiam nos ipsos lædamus , & conuitianti aduersario rem gratam faciamus. Vnde D.Augustinus; *Passus es malum ? Ignosce ne duo mali sitis.* Sic & S.Ambrosius: *Peccator est qui nos conuitiando prouocat,& similes sui fieri desiderat.* Venit aliquan- B
Exemplum In vita eius,apud Surii,to.7 par.2.c.1. do ad Lydvvinam, magnæ sanctitatis virginem,mulier quædam fremens & furens, innumeris eam iniuriis,contumeliis, & conuitiis proscindens , vt posset eius commouere animum. Sed cum hac ratione nihil efficeret, in faciem mitissimę virginis fœdissimè exspuit. At vero nec sic eam quicquam permoueri sentiens , clamoribus & maledictis , tanquam vim passa, vicinos concitare cœpit. Sed sancta virgo in patientia animam possidens , adeo mansit immota , vt mirarentur vniuersi. Maleficium vero beneficio compensare volens , clam ei munusculum transmisit ; dicebatque suis : Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei , quorum plenitudo dilectio est , me currere compellunt. Rursum tenenda patientia est in maledictis &
5.Ne te prodas. iniuriis illatis , ne nostram ipsi turpitudinem prodamus, & illis maledictis dignos nos fuisse, per animi impatientiam ostendamus. Est quippe muliebris animi & impotentis indicium, maledictum ferre non posse. Quemadmodum exulcerata & ægra corpora sunt , quæ ad leuissimos tactus gemunt ; ita ira muliebre maximè & puerile vitium est. Non est illa animi
Simile. Seneca de ira,l.1.c.16 magnitudo, sed tumor. Appositè D. Ambrosius : *Qui cito mouetur iniuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* Aristoteles Alexandro,natura iracundo,hoc consilium
Offi.l.1.c.6 dedit,vt omnibus se superiorem & meliorem existimans , maledicta contemneret. Sed hoc
Exemplum Aelianus li.12. erat vno vitio aliud curare,& iracundiæ superbiam substituere. Christianus maledicta contemnet, non vt maledicente melior, sed vt ipso maledicto fortior atque superior. Conuitia enim C
per se nullam vim habent;sed quemadmodum tela,si in corpus durum ac robustum incidunt, repercussa cadunt , non penetrant ; sic ad animum solidum obiecta conuitia intereunt.Socra-
Simile. Aelian.l.5 tes,quum in comœdia ab Aristophane vehementer taxaretur,ridebat. Polyagrus vero eadem audiens, seipsum strangulabat. Patientia nouit contumelias & verbera mutare in aurum , ar-
Exemplum S.Bonau. in Diæt. sal. c. 4. gentum & lapides pretiosos;sicut vrsus qui verberibus impinguatur ; instar Salamandræ , igne tribulationis fouetur;ad modum asini pungitiuis pascitur ; sicut struthio comedit ferrum;sicut piscis marinus crescit in aqua salsa & amara. Socrates , quum in via quidam illi per lasciuiam
Similia. calcem impegisset , admirantibus quod id pateretur ; Quid facerem , inquit ? Illis hortanti-
Exemplum Laert.li.2. cap.1. bus vt vocaret hominem in ius : Ridiculum,inquit, *Si quis asinus me calce percussit, diceretis mihi; Voca illam in ius ?* Animi fortitudo hæc erat. Sed & ideo in maledictis illatis seruanda patien-
Apophth. 6. Commiseratio maledici. tia est ; quia maledicus homo commiseratione magis indiget quàm talione. Vnde sapienter Socrates,quum quidam ab eo comiter in via salutatus , non resalutasset , illoque nequaquam hoc molestè ferente,amici tamen qui aderant indigne ferrent,dixit: *Si quis nos præteriret , peius affectus corpore quàm nos sumus,nequaquam illi succenseremus. Cur igitur illi succenseam , qui peius affectus est animo quàm nos sumus?* Abbas Stephanus (vt refert S. Gregorius) quum totus eius ager
Eras.li.8. Apoph. Apophth. Exemplum iam ad messem paratus,ab improbo quodam vicino succensus esset,& alius,vt hoc nunciaret, ad eum accurrens,diceret:Væ,væ,Pater Stephane,quid tibi contigit?Totus enim tuus ager in- D
Dial.li.4. c.10. cendio absumptus est:euestigio respondit;Imo væ,væ,frater,quid illi contigit qui hoc fecit?me enim certè paruo,seipsum maximo damno mulctauit.Alia adhuc ratio est æquanimiter ferendi conuitia, vt præstantissimam charitatis virtutem exerceamus,nec bene merendi tam præclaram occasionem nobis excidere patiamur. D.Basilius rogatus cur maledici diligendi essent,res-
7.Meritū virtutis. In Regul. fus. disput. q.76. pondit:Quia eorum opera beatitudinem illam consequimur, de qua Christus dixit : *Beati estis cum maledixerint vobis homines,mentientes,propter me.* Hæc consideratio Lydvvinam virginem ad
Matt.6. patientiam mouit, vt est modo dictum. Quid, quod ex conuitiis & maledictis aduersarij in-
8.Profectus spiritualis. Exempla. Confess.lib. 9.c.8. gentem profectum spiritualem colligere licet? Inimicus enim maledicus , optimus interdum est vitę nostræ pædagogus,& medicus gratuitus ac salutaris,vt , si forte vlcus nostrum tangit, corrigamus illud .S.Monica mater S. Augustini,*quum à suis coætaneis,adhuc paruula,meribibula vocaretur,hoc conuitio excitata,illud vitium tota postea ætate correxit.* Philippus.Macedonum Rex gaude-
re se dicebat,Athenienses habere infensos , quia ex eorum maledictis vitia sua cognouit , &, vt eos mendaces faceret , correxit. Sicut igitur qui morbum suspicantur , diligenter cauent

ne quid

A ne quid valetudinem offendat, ita propter inimicos atque maledicos cautè, & circumſpectè ambulandi occaſio datur. Sic ciuitates propter finitimum hoſtem, & continens bellum, tum leges obſeruant diligentiùs, tum Rempub. adminiſtrant rectiùs. Quemadmodum is qui Promethæum Theſſalum cogitabat occidere, caſu tuber ita percuſſit atque diſſecuit, vt ſeruaret hominem; ruptóque tubere, periculo liberaret: ita non rarò fit vt conuitium per ſimultatem, & odium impactum medeatur animi morbo, vel neglecto, vel ignorato. Quum ergo iuſtis omnia cooperentur in bonum, vir bonus ex maledicti iaculo non vulnus, ſed vulneris ſanitatem, & profectum ſpiritualem conſequetur. Sed ob hanc potiſſimùm cauſam maledictum patienter ferendum, vt Chriſto Redemptori ac Capiti noſtro conformemur: *Qui*, vt ait D. Petrus, & in hoc Euangelio luculenter apparet, *quum malediceretur, non maledicebat; quum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iniuſtè iudicanti ſe.* Hoc argumento, ad ſeruandam patientiam, Chriſtus ipſe nos hortatur: *Non eſt* (inquit) *diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius!* Eodem argumento vtitur Paulus, dicens: *Donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* Vt ergo circa alia multa, ſic circa maledicta ferenda Chriſtum imitari, & in patientia noſtra animas noſtras poſſidere debemus. His adiungi poteſt laus ipſa, & commendatio virtutis, quæ ex huiuſmodi patientia oritur. Dum enim erga alios manſueti ſumus, & aliorum honori parcendo conſulimus, noſtrum quoque mirificè cõſeruamus. Cùm Iulius Cæſar Pompeij ſtatuas à populo deiectas, reponi iuſſiſſet, tum Marcus
B Tullius; *Cùm ſtatuas* (inquit) *Pompeij collocaſti, tuas conſtabiliſti.* Sed & illud quoque ex hac patientia bonum accedit neutiquam contemnendum, quòd aſſuefacti iuſtè rectéque agere cum inimicis, haud vnquam iniuſtè dolóve cum amicis & familiaribus agemus. Sic Pythagoras ab aucupio dehortabatur, & empto retium iactu, piſces captos iubebat in aquas iterum dimitti: vt ſic ab animantium cæde abſtinendo, ad manſuetudinem cum hominibus ſeruandam aſſuefaceret. Quemadmodum primis hominibus ſatis erat, ſi non læderentur à beſtijs; poſteriores verò rationes inuenerunt, multas ab illis vtilitates capiendi, dum carnibus veſcerentur, pilis veſtiuntur, fel & lac ad morbum adhibent remedia: ſic in prima naturæ lege ſatis honeſtum videbatur inimicos non odiſſe, non vlciſci; at nunc Chriſti gratia nos docuit etiam illos amore, & beneficijs proſequi, quia talis eorum amor ad multa nobis eſt perutilis, vt ex antedictis conſtare poteſt.

Plutarch. de vtilit. capiendis ab inimicis. Simile.

9 Vt Chriſto conformemur. 2. Pet. 2. Matth. 10. Epheſ. 4.

10. Laus virtutis. Exemplũ. Plutarch. vbi ſupra.

11. Vt cum amicis ſuauiter agatur. Exemplũ. Simile.

4. *Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & iudicet.*

C LOcus moralis de gloria & honore Chriſti, & miniſtrorum eius, etiam in hac vita, & de Dei iudicio aduerſus contemptores. Debetur virtuti, & poteſtati à Deo ordinatæ, honor, iuxta illud Apoſtoli: *Cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal.* Æquè vtrumque debetur. Chriſtus hoc loco, etſi calumnias & maledicta Iudæorum patitur, tamen eos grauiſſimè in illis peccaſſe oſtendit: *Vos* (inquit) *inhonoraſtis me. Ego non quæro gloriam meam*: ſed quia illi nihilominus debetur, Pater meus quærit eam, *vt omnes honorificent Filium*: & ita quærit, vt eam mihi negantes, ſeuerè iudicet. Ideo alibi diſcipulos eum honorantes commendat: *Vos vocatis me, Magiſter & Domine: & bene dicitis: ſum etenim.* Sic Paulus, quum à ſuis ſe non eo quo par erat honore habitum cerneret, *Etſi* (inquit) *mille pædagogos habeatis in Chriſto, tamen non multos Patres. Per Euangelium enim ego vos genui.* De hoc honore, Chriſti miniſtris & vicarijs exhibendo, in alia quadam Dominica aliqua diximus, quæ huc referri poſſunt. Quãtopere hic honor Chriſti miniſtris exhibitus, Chriſto placeat, illa eius verba declarant: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* quantopere contumelia illis illata Deo diſpliceat, multæ Scripturæ demonſtrant. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Pueri 42. illudentes Eliſæo Prophetæ, & maledicentes ei: *Aſcende calue, aſcende calue*, ſtatim ab vrſis omnes diſcerpti ac lacerati ſunt. Quum Prophetam concionantem improbi irriderent, dicit eis Deus: *Væ vobis viri illuſores, flagellum inundans quum tranſierit, eritis ei in conculcationem.* D. Cyprianus ſibi reuelatum à Deo ſcripſit: *Qui Chriſto non credit Sacerdotem facienti, poſtea credere incipiet Sacerdotem vindicanti*, quantúſque Sacerdotibus Chriſti honor exhibendus ſit, exemplo honoris ſynagogæ ſacrificis præſtiti do-
D cet. *Dominus* (inquit) *in Euangelio, quum ei dictum eſſet, Sic reſpondes Pontifici? cuſtodiens & docens ſacerdotalem honorem ſeruari, contra Pontificem nihil dixit, ſed innocentiam ſuam tantummodo purgans, reſpõdit: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſin autem benè, cur me cædis? Item Beatus Apoſtolus, cùm ei dictum eſſet, Summum ſacerdotem Dei maledicis? nihil contumelioſè locutus eſt aduerſus Sacerdotem, quando & potuerit ſe conſtanter exerere aduerſus eos qui Dominum crucifixiſſent, & quia iam Deum, & Chriſtum, & templum, & Sacerdotium perdidiſſent. Sed quamuis in falſis & ſpoliatis Sacerdotibus vmbram tamen ipſam inanem Sacerdotalis nominis cogitans, dixerit: Neſciebam, fratres, quia Pontifex eſſet. Scriptum eſt enim: Principẽ populi tui non maledices.* Hæc ſunt verba Sancti Cypriani: quæ duo exempla, Chriſti & Pauli, aliis in locis profert, vt ex honore veteri Sacerdotio præſtito, Sacerdotibus Chriſti honorem debitum aſſerat, contumelias illatas graue crimen eſſe oſtendat, & à Deo certiſſimè vindicari. *Certè Sacerdotibus* (ait Cyprianus) *tantus honor Dei dignatione conceditur, vt quiſquis Sacerdoti eius, & ad tempus hic iudicanti nõ obtemperaret, ſtatim necaretur.* Sic enim Lex

Sacerdotes honorandi. Rom. 13. Ioan. 5. Ioan. 13. 1. Cor. 4. Matth. 10. Zachar. 2. 4. Reg. 2. Eſaiæ 28. Li. 4. ep. 9. Act. 23. Li. 3 ep. 9. & l. 1. ep. 3 Deut. 17.

habet: *Qui non audierit Sacerdotem, qui pro tempore fuerit, morietur homo ille.* Sunt autem huius diuinæ vltionis contra sacerdotum Dei contemptores in sacris Scripturis crebra exempla, quorum hic quædam proferemus; vt intelligatur, quanti sit ponderis, quod Christus hic dicit: *Est qui quærat, & iudicet.* Cùm aduersus Moysen & Aaron sacerdotes Dei tres ministri, Choré, Dathan, & Abyron, per superbiam insurrexissent, inusitato supplicio, & ipsi, & eorum omnia terræ hiatu absorpta sunt. Maria ipsa, soror Moysi, quia contra eum murmurauerat, lepra percutitur. Quia Samuëlem Iudæi spreuerant, vel Deum potiùs in illo (ait enim Deus: *Non te spreuerunt, sed me*) *vt hoc vlciscereturr* (ait Cyprianus) *excitauit eis Saul Regem, qui eos iniurijs grauibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas superbum populum calcaret & premeret, vt contemptus sacerdos de superbo populo vltione diuina vindicaretur.* Sed & Saul ipse, quia Samuëli Prophetæ non obtemperauit, regno excidit. Achab propter contemptum, & in vincula coniectum Michæam Prophetam, in bello occisus est. Sed & Ioram, filius Achab, totáque progenies à Iehu gladio percussi sunt: *Vt vltiscar* (ait Propheta Dei ad Iehu) *sanguinem seruorum meorum Prophetarum, & sanguinem omnium seruorũ Domini de manu Iesabel.* Quum Zacharias Sacerdos & Propheta, ex imperio Regis Ioas, in atrio domus Domini interficeretur, *Propheta quum moreretur*, ait: *Videat Dominus, & requirat. Cúmque euolutus esset annus, ascendit contra Ioas exercitus Syriæ, venitque in Iudam & Ierusalem, & interfecit cunctos Principes populi, atque vniuersam prædam miserunt Regi Syriæ in Damascum. Et certè quum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem. In Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Surrexerunt autem contra eum serui sui in vltionem sanguinis filij Ioiadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est.* Amasias Rex Iuda, quia Prophetam Dei contemnens, dixit, *Num consiliarius Regis es? Tace ne interficiãte*; traditus fuit in manus Ioas Regis Israël, omnibus rebus spoliatus, posteáque à suis interfectus. Ozias quoque filius eius, ius sibi sacerdotale arrogans, lepra percussus est. Denique quod Christus in Euangelio Iudæis dixit; *Sanguis omnium Prophetarum, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ Prophetæ, quem occidistis inter templum & altare, de manu vestra requiretur*; hanc Dei vindictam terribiliter expressit. Nam & tota illa gentis Iudæorum per omnes mundi partes in hodiernum vsque diem dispersio, nihil est aliud, quàm iusta Dei vindicta in sanguinem Christi ipsius, omniúmque Prophetarum Dei. Cladem & internecionem extremam Hierosolymorum sub Tito & Vespasiano, Iosephus quidem Iudæus refert in crudelem Diui Iacobi Apostoli necem: sed propter Christum ab illis occisum, factam illam fuisse, dubitari non debet, dicente & prædicente in Euangelio Christo: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram posternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Nec Iudæi tantũ, sed & Pilatus, gentilis Iudex, effusi sanguinis Christi, acerbas pœnas dedit. Nam & à Tyberio maximis affectus fuit contumelijs, & postea Caij temporibus extrema calamitate oppressus, sicuti id tradunt, qui Græcorum Olympiadas scripserunt. Ad eas enim angustias aduersis casibus est redactus, vt manus sibi ipse attulerit, diuina eum vltione prosequente. Idem de Anna, & Caipha, aliisque Pharisæis & Scribis, qui Christi necem procurarunt, scribunt Eusebius & Nicephorus. Sic videlicet, etsi Christus non quæsiuit gloriam suam vt homo; Deus tamen, Deique iustitia eam quęsiuit, & contra violatores iudicauit. Nec de Christo tantùm hoc verũ est, sed & de omnibus Christi Sacerdotibus, atque in terra ministris, quorum iniurias & contumelias etiam in hac vita acerbè Deus vindicauit. Ecclesia quidem, Ecclesiæque Præpositi & Præminor: sed *est qui quærat, & iudicet.* Deus illam quærit, vt à subditis exhibeatur; & non exhibitam acerbè iudicat. Exempla hic aliquot huius iudicij diuini subiiciam, quia huiusmodi ministrorum Dei contemptoribus plenus est hodie mundus. Ex historiis tam Ecclesiasticis quàm prophanis animaduertere licet, Imperatores, Reges, ac Principes, qui Ecclesiæ gloriam suam non dederunt, qui Ecclesiæ ministros persecuti sunt, malo semper & acerbo fine vitam terminasse, Deique iudicium, & vltionem graue in hac vita pertulisse. Constantius, Arrianis fauens, postquam Liberium Romanum Pontificem, Athanasium Alexandrinum, plurimósque aliarum Ecclesiarum Episcopos orthodoxos in exilium compulisset, sibique cognitionem causarũ Ecclesiasticarum arrogasset (vt latè ostendit Sanctus Athanasius) dum Iulianum cognatum Imperij æmulum persequeretur, obscuro loco, & maximo animi cum mœrore, quem latè describit Ammianus Marcellinus, scriptor Ethnicus, vitam finiuit. Valens Imperator, qui multo adhuc maiorem in Episcopos crudelitatem exercuit, & ad bellum contra Gothos proficiscens, Isaacium monachum, qui, vt alter Michæas, eum impietatis suæ admonuerat, & in bello moriturum prædixerat, nisi bellũ cum Ecclesia gerere desisteret, vt alter Achab, in vincula coniecerat vsque ad reditum suum, eodem in bello ab hostibus conclusus, in casula quadam cum nobilibus, & Principibus suis à barbaris incensus, incendióque consumptus est: quo infami & acerbo necis genere, nullum vnquam Imperatorem aut Regem Christianum sublatum fuisse aliàs legitur. Valentinianus iunior diuum Ambrosium Episcopum Mediolanensem multis modis vexauit: vt basilicam hæreticis traderet, imperauit: vt in palatio suo coram ipso de fide disputaret, iussit: exilium, ni obsequeretur, comminatus est. Mox verò à proprijs ministris infami

suspendio

Exempla. contra contemptores veterũ Sacerdotum.

Num. 16.

1.

2.

Num. 12.

3.

1. Reg. 8.

Lib. 3. Epist. 9.

4.

1. Reg. 31.

5.

3. Reg. 31.

6.

4. Reg. 9.

7.

2. Paral. 24.

8.

2. Paral. 25.

9.

2. Paral. 26.

10.

Lucæ 11.

Lucæ 19.

11.

Euseb. histor. Eccl. lib. 2. cap. 7 Niceph. l. 2 cap. 10.

12.

Matth. 20

Exempla vindictæ diuinæ cõtra contẽptores Episcoporum & Sacerdotum.

1.

Epist. ad solitar. vitam agen. Li. 22. hist.

2.

Ammian. Marcellin. lib. 31.

3.

Ambros. lib. 5. epist. 32.

A suspendio necatus est. Anastasius Imperator à Gelasio Papa excommunicatus,& tam Episcoporum quàm monachorum grauis persecutor, fulmine de cœlo ictus interijt. Mauritius Imperator, in D. Gregorium, Romanum Pontificem, tam durus & acerbus Princeps, vt sic ad eum aliquando Gregorius scripserit, *Etsi peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat; Petri Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati ista mereatur*: à gregario milite Phoca, vxore priùs, & liberis omnibus ante oculos eius interfectis, ipse quoque interficitur, exclamans: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Constans, Heraclij nepos, Martinum Papam in exilium ablegauit. Sed subditis suis omnibus hoc nomine exosus (ait Zonaras) deserta Constantinopoli, in Sicilia vixit ibique in balneo à suis occiditur. Michaël Imperator, Theophili filius, qui in Nicolaum 1. Romanum Pontificem superbus fuit, & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanũ summa iniuria deposuit, quum ebrius cubitum iret, stans iuxta lectum, à suis domesticis occiditur. Constãtinus Pogonatus, Leonis Isaurici filius, Catholici Cleri persecutor maximus, incendio diuinitus percussus, blasphemans moritur. Atque hæc quidem in Oriente maximis Principibus Christum in suis vicarijs persequentibus, illustria Dei iudicia acciderunt. Nec minùs in Occidente fuerunt luculenta. Henricus quartus, Occidentalium Imperatorum primus, qui contra Ecclesiam ceruicem erexit, post multas Ecclesiæ illatas iniurias, à Gregorio septimo Romano Pontifice excommunicatus, à proprio suo filio Imperio priuatur, tandémque ab omnibus desertus, extra Imperij fines exul, in summa calamitate moritur. Fridericus
B Barbarossa, qui multis annis Ecclesiam Dei persecutus est, in Sedem Apostolicam superbus ac rebellis valde, quum in fluuio sese animi causa in Cilicia ablueret, repentè submersus, interijt. Philippus repugnante Sede Apostolica ad Imperium euectus, ideóque eiusdem perpetuus hostis in oppido Bromberga, dum à prandio quiesceret, à Comite Palatino occiditur. Otho IV. post maximas iniurias tota passim Italia Ecclesię illatas, à Philippo Francorum Rege in inferiori hac Germania bello petitus & fugatus, paulò pòst in Saxonia priuatus moritur. Fridericus secundus Imperator, non tantùm Sedis Apostolicæ, sed & vniuersi Cleri per totum Imperium hostis & persecutor acerrimus, ab Innocentio quarto excommunicatus, à spurio suo Manfredo in Apulia occisus est; vt aliqui scribunt, veneno sublatus; vt alij referunt, suspendio necatus. Sed & tota stirps eius, impij patris vestigijs insistens, cuius facta imitata, eius exitum consecuta est. Conradus enim primogenitus eius ab Innocentio quarto, simili ex causa excommunicatus, ab eodem Manfredo in Apulia interficitur. Sed & idem Manfredus, Apuliæ & Siciliæ regna occupans, Ecclesiæque persecutor ferus, ab Alexandro quarto excommunicatus, à Carolo Regis Gallorum fratre, quem Vrbanus quartus, Siciliæ & Apuliæ Regem declarauit, debellatur, & in acie occiditur. Conradinus denique, Conradi antedicti filius, ab eodem Carolo victus, extremo afficitur supplicio. Sed & Eutius, alter Friderici secundi filius,
C post multa bella Ecclesiæ illata, à Bononiensibus captus, perpetuis carceribus addicitur. Ita tota sacrilegi Imperatoris stirps, & numerosa & potens, breui momento extincta, exemplum posteris reliquit impiæ contra Deum & Ecclesiam eius rebellionis. Ludouicus quartus Imperator, à Sede Apostolica bis excommunicatus, primùm à Ioanne vigesimo secundo postea à Clemente sexto, in cuius defensionem contra Ecclesiæ Romanæ immunitates, & iurisdictionem temporalem, Poëtæ illi & Rhetores hoc nomine infames, Petrarcha, Dantes, Marsilius, & Ioannes Ockam Scholasticus, tam multa scripserunt, Deo hanc causam iudicante, quum in venatione esset, subita paralysi omnium membrorum correptus, ex equo decidens, moritur. Memorabile est, quod de sancto Narcisso, Hierosolymorum Episcopo, scribit Nicephorus. Huic sancto Episcopo tres maleuoli homines calumniam intentarant, diris se, si fallerent, deuouentes. Primus, vt igne conflagraret; secundus, vt sontico deteſtabilique morbo periret; tertius, vt oculis priuaretur. Sed diuina vindicta non dormiente, primus scintilla vnica à lucerna prosiliente, domo succensa, cum propinquis fortunisque omnibus comburitur. Secundus, morbo grauissimo, qui totum corpus inuasit, corripitur. Tertius dolum, & malitiam statim est professus; neque lachrymarum priùs modum fecit, quàm vnà cum illis oculorum vim, & aciem diffluere sensit. Tormenta paucorum, exempla sunt omnium.

4. *Eutrop. l. 3*
5. *Lib. 4. Epist. 34.* *Blondus l. 3 Decad. 1.*
6. *Paulus Diac. l. 18.*
7. *Zonar. annal. to. 3. in Constante & Michaële.*
Sigebertus ad an. 778
8.
9. *Naucler. volum. 3. Gener. 37.*
10. *Naucl. Gener. 40.* *Sabell. Enead. 9. l. 5*
11. *Nauc. Gen 41. p. 271.*
12.
13. *Nauc. Gener. 42.* *Sab. Enead. 9. l. 6*
14. *Nauc. vbi suprap. 313*
15. *Idem pag. 320.* *Sabel. Enn 9. lib. 7.*
16. *Nauc. Gener. 42.*
17. *Nauc. Gener. 45.*
18. *Lib. 5. c. 9. hist. Eccl.*

D

5. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.*

LOcus moralis contra propriæ laudis & honoris appetitum. Seipsum glorificat, & suam gloriam quærit, qui laudem aucupatur, seu de rectè factis, vt vanus; seu absque illis, vt hypocrita. Vtriusque gloria nihil est, quia Deo non placet, quia boni operis meritũ perdit, quia multorum malorum causa est. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Qui existimat se aliquid scire, nondum cognouit quomodo oporteat scire.* Modus optimus sciendi est, suam in plurimis ignorantiam agnoscere. Qui plurima quæ ignorat, attendit, is, etsi multa sciat, se nihil scire arbitratur. Tale erat Socratis dictum: *Hoc vnum scio, me nihil scire.* Quodcunque vas aquæ teneas, si fontem aut puteum attendas, te nihil aquæ habere cogitabis. Nihil est, quod in comparatione alterius parum est. Rursum de ijs, qui suam gloriam quærunt, ait Christus: *Receperunt mercedem suam.* Sicut ventus tollit

Vana gloria.
1. Cor. 1.
1. Cor 8.
Sciendi modus optimus.
Apophth. Simile.
Simile.

puluerem de terra, & in aërem dispergit; sic vana gloria tollit meritum boni operis, & totum aëreis dæmonibus dispergit, vt illis superbis spiritibus in voluptatem vertatur, quod apud iustum Deum mercedem alioqui habiturum erat. Sicut peregrini mutant vestem in hostili terra, ne cognoscantur: sic rectè facta occultare, non ad laudem captandam publicare debemus; ne, captata laude, in hostium dæmonum potestatem veniant. Sapienter Gregorius: *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.* Ostendit Ezechias Rex nuncijs Babylonijs domum aromatum, & aurum, & argentum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Sed ex eo factum est, vt paulò pòst Sennacherib, Rex Assyriorum, numerosissimo cum exercitu ascenderet ad ea deprædanda. Sicut manus Moysi, extra sinum educta, lepra statim infecta est; sed in sinu reposita, sana erat: sic opus manuum bonum & laudabile, intra conscientiam manens, sanum & integrum est; foras prodiens, lepra vanitatis inficitur. Non est carbo sic ignitus, qui non moriatur: nisi cineribus cooperiatur. Nulla virtus tanta est, cuius tota gloria non pereat, nisi humilitate tegatur. Mira res. Christus ipse suam gloriam quærere non potuit, qui tamen, quæcũque accepit gratiarum munera vt homo, habuit illa in se vt Deus: cuius etiam actiones, & virtutes omnes, nec imperfectione vlla, nec labe laborarunt, perfectæ fuerunt, tam quoad operis substantiam, quàm quoad modum agendi. Absurdissimum ergo, non solùm impium est, quẽquam hominem suam gloriam quærere, qui nihil habet nisi quod accepit, cuiúsque virtutis & multis peccatis mixtæ sunt, quasique contaminatæ, & vix vnquam perfectæ sunt. *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Qui quærit gloriã suam, sic gloriatur, quasi ex se, non ex Deo aliquid gloria dignum faceret. Qui bene intelligit, se nihil laude dignum ex se, aut suis viribus, sed ex mera Dei gratia, eáque indebita; ideóque ex sola Dei misericordia & benignitate operari & facere, ille certè non in se, sed in Domino solo gloriabitur. Hoc enim sensu, *Soli Deo honor & gloria,* quia solus Deus omnium bonorum fons & auctor est. *Omne donum optimum, desursum est, descendens à patre luminum.* Qui ergo sibi, non Deo aliquid tribuit, ideóque suam, non Dei gloriam in omnibus quærit; eius gloria nihil est, sed eius peccatum magnum est. Sicut materia prima, quanto magis infima, & omni forma denudata est, tanto magis plurium formarum est susceptiua: sic animus, quanto humilior, tanto gratiarum capacior; ipsáque virtus, quanto se abiectiorem facit, tanto est laude dignior. Lucifer quærens gloriam suam, non Creatoris sui, omni sua gloria spoliatus est, & teterrimus dæmon effectus. Huius rei exempla alia in alia Dominica protulimus. Ne quis propriam suã gloriam quærat, magnum documentum Christus dedit, dicens: *Cùm feceritis omnia quæcunque præcepta vobis, dicite, quia serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Vult nos hoc dicere, & haud dubiè idem sentire. Nunquam autem gloriabitur, qui se seruum inutilem verè iudicat. Sicut splendor solis vmbram in corpore generat: sic actio virtutis gloriam agenti parit. Sed vt vmbrã suam quanto magis corpus persequitur, tanto magis illa fugit à corpore: sic gloriam quanto magis actio virtutis captat, eo magis illa virtus caret. Idcirco hoc animis omnium hominum ingeneratum est, vt nullos minùs honorent, quàm quos honoris cupidos vident. Quum Alexander, superato Dario, ad Græcos scriberet, vt eum pro Deo haberent; Lacedæmonij decretum eiusmodi fecerunt: *Quoniam Alexander Deus esse vult, Deus esto.* Hominis vanitatẽ scitè refutarunt. Menecrates medicus adeò superbia turgebat, vt seipsum Iouem appellaret Hunc ad splendidum conuiuium Philippus Macedonum Rex inuitauit, seorsúmq; mensam ei iussit apparari, & apponi acerram, suffitúmque fieri: quo ille primùm delectatus, sed fame tandem vrgente, quum cæteris epulantibus, nihil ei aliud apponeretur, delusus & confusus à mensa surrexit. Socrates, quum videret Antisthenem attritam partem vestis semper in conspectum protẽdere; quin desinis (inquit) arrogantiam tuam nobis prodere? Adeò viderunt isti Ethnici, eos, qui gloriam suam quærunt, omni prorsus gloria meritò carere, & eorum gloriam nihil esse. Vnde & Antisthenes, quia Platonem mirè fastuosum nouerat, eum, aliquando ægrum inuisens, & vas in quo vomuerat, conspiciens; Bilem hic (inquit) video; fastum non video: vtile ei fore iudicans, si æquè fastum euomere potuisset, quàm bilem. Columbæ in aëre ex volatu plaudunt, variéque sulcant, pennarum suarum varietate oblectatæ: sed interim ex hac ostentatione strepitúq; alarum quem affectant, accipitri prædæ sunt, alioqui subito volatu multò accipitre velociores. Idem illis contingit, qui ex ostentatione virtutum gloriam affectantes, diabolo prædæ, hominibus oblectamento sunt: quod vtrunque vitarent, si celeri obliuione *ea quæ retrò sunt obliuiscentes, ad ea quæ antè sunt sese semper extenderent*, vt docet Apostolus. Dum enim peracto bono operi per vanam gloriam immoramur, progressum in virtute penitus retardamus. Vnde fit, vt & præteritarum virtutum iusta laus nobis pereat, & virtutis actio in posterum frigescat. De hac propriæ laudis vana & impia cupiditate præclarè in hæc verba scripsit sanctus Augustinus: *Nunquid Domine, qui solus sine typho dominaris, hoc tentationis genus cessauit à me, aut cessare in hac tota vita potest, timeri & amari velle ab hominibus, non propter aliud, sed vt inde sit gaudium, quod non est gaudium? Misera vita est, & fœda iactantia. Hinc fit vel maximè non amari te, nec castè timeri te, ideoque tu superbis resistis, & humilibus das gratiam, & intonas super ambitiones seculi, & contremiscũt fundamenta montium. Itaque nobis, quoniam propter quædam humanæ societatis officia necessarium est amari & timeri ab hominibus, instat aduersarius veræ beatitudinis nostræ, vbique spargens in laqueis, Euge, Euge: vt, dum auidè colligimus, incautè capiamur, & à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in*

Simile.

Exemplũ. 4. Reg. 20.

Allegoria.

Simile.

1. Cor. 4.

1. Tim. 1. Iacobi 1.

Simile.

Exemplũ

Lucæ 17.

Simile.

Exempla. Ælian. var. hist. l. 2. 1. 2.

Idem l. 12.

Idem l. 9. 3.

4. Bruson. l. 6 cap. 5.

Simile.

Bruson. l. 3 cap. 36.

Philip. 3.

Confess. lib. 10. c. 36

A *hominum fallacia ponamus, libeatque nos amari & timeri, non propter te, ſed præ te; atque iſto modo ſui ſimiles factos, ad ſupplicij ſui conſortium nos trahat. Nos autem, Domine, puſillus grex tuus ſumus. Tu nos poſside. Gloria noſtra tu eſto, propter te amemur.* Et paulò pòſt: *Qui plus gaudet laudari ſe, quàm donum tuum habere vnde laudatur, iſte te vituperante laudatur ab hominibus, ſed te iudicante non defendetur ab hominibus. Et melior iam eſt ille qui laudauit, quàm iſte qui laudatus eſt. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic ampliùs placuit donum hominis quàm Dei.* Hæc Auguſtinus. Nempe charitas omnia fact, & patitur pro veritate; ambitio omnia facit & patitur pro vanitate. Adeò & tot modis verum eſt, quod Redemptor noſter dixit: *Si gloriam meam quæro, gloria mea nihil eſt.* De hoc argumento in alijs Euangelijs plura diximus.

6. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non vidèbit in æternum. Dixerunt ergo Iudęi: Nunc cognouimus quia dęmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetę: & tu dicis, Si quis Sermonem, &c.*

B LOcus moralis contra maleuolum & temerarium iudicium, quod omnia in peſſimam partem interpretatur. Quum enim ſimilia verba Chriſtus mulieri Samaritanæ dixiſſet; *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*: nec calumniatur, nec irridet, etſi non intelligeret, quid Chriſtus diceret; ſed vt diſcendi cupida, non carpendi auida, reſpondit: *Domine, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire.* Tanto plus valet indocta ſimplicitas, quàm proterua calliditas. Ex eodem flore aranea venenum, apis mel colligit. Eadem pluuia in cicuta venenum, in vite vinum producit. Eadem margarita à porcis conculcatur, à peritis in admiratione habetur. In eodem prato bos herbam, canis leporem, ciconia lacertam, apis florem inſidiator prædam, æger ſanitatem, ſanus voluptatem quærit. Sic ſapientum dicta, & facta maleuolis hominibus malè ſonant, peiùs olent, peſſimum guſtum præbent. Iudæorũ circa Chriſti verba & facta, vt maleuolentia inſignis, ſic cauillatio frequens fuit. Aliquas eorum cauillationes hic commemorabimus; vt eorum exemplo diſcant fideles, quanta ſit maleuolẽtiæ vis in dictis ac factis proximorum in peſſimam ſemper partem iudicandis. Si enim ipſa Dei Sapientia loquente, inuenire toties maleuolentia potuit quod carperet; in cæteris hominibus (*quorum cogitationes timidæ, & prouidentiæ incertæ ſunt*) quid non inueniet maleuolentia, ſi ſemel cor poſſidet, vnde reprehendat? Quum Chriſtus Iudæis diceret, *Ego ſum panis qui deſcendit de cœlo: murmurabant dicentes; nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem & matrem?* Sed cauſam murmuris Chriſtus ſtatim docet, quia carnales erant. Reſpondit enim: *Nolite murmurare ad inuicem. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum.* Nempe incredulitatem eorum poſt tot viſa miracula, & maximè heſternum illùd de panibus multiplicatis, ex animi ſuperbia & maleuolentia profectam, his verbis arguit, & murmurationis cauſam fuiſſe docet. Rurſum quum Chriſtus diceret, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita: Iudæi litigabant ad inuicem, dicentes; Quomodo hic poteſt nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Sonat hic iterum (vt in hæreticis hodie) incredulitatis vox, omnia carnaliter intelligentis, & craſsè ac peſſimè omnia interpretantis. Quum Chriſtus in templo doceret, Iudæi mirabantur, dicentes: *Quomodo hic literas ſcit, quum non didicerit?* Nempe quum doctrinam ipſam reprehendere non poſſent, perſonam doctoris examinant, & ſicut ingrati ac malè curioſi hoſpites cibos appoſitos non ſumunt, ſed vnde apponuntur inquirunt. Dicente Chriſto, *Quid me quæritis interficere? reſpondit turba, & dixit, Dæmonium habes; quis te quærit interficere?* Quum Veritas vlcus digito tangeret, vt ſanaret; in maledicta prorumpunt, ne ſanentur: & quod ad medelam prolatum eſt, in extremam perniciem vertunt, dum vulnus tacendo & negando, immedicabile illud faciunt. Quum Chriſti conſtantiam in docendo, & publicè ac palàm loquendo, videret turba, adeò vt ſuſpicaretur ipſos ſynagogæ ſuæ principes doctrinam eius approbare, quam ſic tolerabant, inuenit maleuolentia quod adhuc in Chriſto carperet. Dicebat enim: *Nonne hic eſt quem quærunt interficere? Et ecce palàm loquitur, & nihil illi dicunt. Nunquid verè cognouerunt principes quia*

D *hic eſt Chriſtus? Sed hunc ſcimus vnde ſit: Chriſtus autem quum venerit, nemo ſcit vnde ſit.* Cauillãtur cõtra conſcientiam. Sciebant enim Meſſiam eſſe de ſemine Dauid, & aduentum Chriſti in carnem non debuiſſe illos latere, ſed iuxta veteres prophetias quæ quotidie in ſynagogis legebantur, & ex miraculis quæ videbant, toti populo debuiſſe innoteſcere. Nam & ideo, viſis miraculis dicebant: *Chriſtus quum venerit, numquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit?* Sed maleuolentia atque inuidia ipſam lucem in tenebras vertit. Paulò pòſt, quum auditis Chriſti verbis quidam dicerent, *Hic eſt verè Propheta; alij verò, Hic eſt Chriſtus*: turba maleuola dicebat; *Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?* Magna maleuolentiæ cæcitas. Paulo antè dixerunt, *Chriſtus quum venerit, nemo ſcit vnde ſit*: & hic confitentur tum genus ac familiam, tum natiuitatis locum. Neque ignorare poterant, etſi in Galilęa educatus eſſet Chriſtus, tamen in Bethlehem natum eum fuiſſe: quod ne ignorarent, ſola illa innocentum paruulorum tam infamis occiſio ſufficiebat. Sed maleuo-

Iudicium maleuolum & temerarium.

Ioan. 4.

Similia.

Iudæorum cauillationes contra Chriſtum.

Sap. 9.

Ioan. 6. 1. Cauill.

Ioan. 6. 2. Cauill.

Ioan. 7. 3. Cauill.

Ibidem 4. Cauill.

Ibidem 5. Cauill.

6. Cauill. Ibidem.

7. *Cauill. Ibidem.* lentia ad apertam lucem oculos claudit. Quum ministri ad capiendum Christum missi, & vacui redeuntes, dicerent: *Nunquã sic locutus est homo sicut hic homo: responderunt eis Pharisæi, Numquid & vos seducti estis? Numquid ex principibus aliquis credidit in eum? aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Vide rursum quid faciat inuidia & malitia. Turba non vult credere, etsi principes credant; *quia quum Christus venerit, nemo sit vnde sit.* Principes nolunt credere, etsi turba credat; quia turba ignara est, & nescit legẽ. Ita ad non credendum Christo apud homines maleuolos, tam scientia quàm ignorantia argumentum facit. Quum Christus diceret, *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*: Pharisæi dicunt ei; *Tu testimonium perhibes de teipsò, testimonium tuum non est verum.* Et tamen ijdem Pharisæi, tum ipsi Christo antea dixerant, *Quousque tollis animam nostram? Dic nobis palàm si tu es Christus*: tum ad Ioannem miserunt, dicentes: *Tu quis es?* vt ipsius de seipso testimonium acciperent & crederent. Sed malitia, siue taceas siue dicas veritatem, semper habet quod reprehendat. Quum Christus diceret, *Quò ego vado, vos non potestis venire: Iudæi dixerunt, Nunquid interficiet semetipsum?* Cãdida sanè interpretatio, & maleuolorum hominũ temeritate digna. Dicente ad Iudæos Christo, *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos: responderunt ei; Semen Abrahæ sumus. Nemini seruiuimus vnquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis?* Homines carnales & inflati, non nisi carnalem libertatem somniant; quã non veritas, sed vanitas operatur. Nec Christus dixit, *Liberi eritis*, quasi omni modo serui essent; sed, *Veritas liberabit vos*, nempe à vanitate & seruitute peccati. Quum iterum diceret Iudæis, *Vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis: responderunt ei, Pater noster Abraham est.* Et paulò pòst: *Nos ex fornicatione non sumus. Vnum patrem habemus Deum.* Quia maleuolentiæ & inuidiæ radix superbia est, ideo Christi verba intelligere nolunt, quæ de patre per imitationem, non per naturam aut per electionem loquuntur. Ideo Christus illis dixit: *Sermo meus non capit in vobis.* Et iterũ: *quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Nempe superbia, odium, maleuolentia, inuidia, Iudæorum animos sic in transuersum egerunt, vt nulla Christi verba vel intelligere, vel æquo animo capere potuerint. Sic in hoc nostro Euangelio maleuolentiæ suæ fructus varios protulerunt. Dicente Christo; *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum*; quod de morte non temporali, sed æterna; nec corporis, sed animæ, eum dixisse, etiam si simplex tantùm Prophetа esset loquens in persona Dei, Iudæi in lege Dei edocti, ignorare non poterant, nisi animorũ ægritudo caliginem illis offudisset: statim cauillantur, quasi de morte temporali loquutus fuisset, dicentes: *Nunc scimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ.* Rursum dicente in hoc Euangelio Christo; *Abraham exultauit vt videret diem meum; vidit, & gauisus est*: cauillantur illi statim, non sensum tantùm, sed & verba Christi peruertentes; *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Neque enim dixerat Christus quòd ipse Abraham viderat, sed quòd Abraham illum. Potuit autem Abraham fide aut spiritu prophetico Christum præuidisse, etsi Christus vt Filius Dei ab æterno non esset. Deinde non dicit Christus quòd Abraham ipsum viderit, sed quòd *diem eius vidit*, id est, aduentum eius in carnem præuidit: quòd certè Iudæi ignorare non debebant, in quorum lege vni Abrahæ de Christo ex semine eius oriundo, in quo omnes gentes benedicerentur, tam claræ & tam crebræ promissiones factæ fuerant. Sed malitia excæcati, in media luce palpant, legem suam ignorant, & Christi verba bis peruertunt. Iam verò quum Christus cæcum à natiuitate sanaret in Sabbato, oculos illi aperiens, cauillã-

14. *Cauill. Ioan. 9.* tur Pharisæi: *Non potest hic homo à Deo esse, qui Sabbatum non seruat.* Scilicet maximum miraculum & magnam Christi misericordiam non vident, non aduertunt, non probant: ex circunstantia temporis ansam cauillandi arripiunt. In qua etiam circunstantia crassè & turpiter errarunt, vt Christus illis in Euangelio sæpiùs exposuit. Rursum ex nimia malitia increduli dicunt cæco restituto: *Da gloriam Deo. Nouimus quia hic homo peccator est.* Quum maximam tanti miraculi virtutem arguere, euidentiam confutare non possent; iterum personam carpunt, & impotenter calumniantur. Anteà coram & in facie à Christo prouocati, dicente, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* magis muti quàm pisces, nihil inueniunt quòd arguant. Hic absente Christo mussicie vix audet aspicere. Christo dicente; *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*: multi Iudæorum dixerunt; *Dæmonium habet, & insanit: vt quid auditis eum?* Nulla esse poteſt magis expressa malitia: vnde alij Iudæi eam statim confutarunt, dicentes; *Non sunt hæc verba hominis dæmonium habentis. Nunquid dæmonium potest aperire oculos cæcorum?* Duplici modo maleuolentiam confutant: primùm à sapientia doctrinæ; deinde ab operum virtute. Sed faciliùs maleuolentia refutatur quàm sanatur. Hæc exempla sufficiant.

15. *Cauill. Ibidem.*

Ioan. 8.

Ioan. 10. 16. *Cauill.*

A

7. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.

LOcus moralis contra iram. Iudæi maleuolentia, & odio pleni, quum nihil ſe contra Chriſtum cauillando proficere poſſe cernerent, ira & furore pleni ad lapides conuolant. Quemadmodum ſi ſera aliqua interiores machinas laxatas conturbatáſque habeat, nec aperiri, nec claudi poteſt; ita ſi præiracundia interiùs animus conturbetur, neque ad ea quæ rationi ſunt conſentanea percipienda, neque ad verum ipſum diſcernendum aptus eſt. Et ſicuti, arboris trunco commoto & agitato, frondes & rami mira ſtatim celeritate agitantur; ſic corde per iracundiam perturbato, ilico omnia corporis membra agitationem celerrimam patiuntur: lingua garrit, oculi inflammantur, crura tremunt, brachia & manus ad vltionem armantur, vt in hoc Euangelio. Saxa volant, furor arma miniſtrat. Hæc animi paſſione vtitur Diabolus ad multa peccata perpetranda. Quemadmodum enim fur ad furandum, noctem quandam obſcuriſſimam, ac denſiſſimis offuſam tenebris deligit; ſicut lupus turbulentum expectat tempus quo gregem inuadat; veluti piſcator fluuium quærit turbidum ad rete tendendum: ita dæmon rapaciſſimus prædo, vorax lupus, & piſcator aſtutus, iracundiæ impetus obſeruat, ipſéque interdum ad iracundiam per obiecta mouet, vt eius occaſione in mille mala hominẽ præcipitet. Hinc enim maledicta, blaſphemiæ, iniuriæ, verbera, cædes naſcuntur. Memorabile iracundiæ exemplum refert Seneca. Cn. Piſo, memoria noſtra, quum iratus duci iuſſiſſet eũ qui ex commeatu ſine commilitone redierat, quaſi interfeciſſet quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum non dedit. Damnatus, extra vallum ductus eſt, & iã ceruicem porrigebat, quum ſubitò apparuit ille qui occiſus videbatur. Tunc Centurio, ſupplicio præpoſitus, condere gladium ſpiculatorem iubet. Damnatum, ad Piſonem reducit. Conſcendit tribunal furens Piſo, ac duci iubet vtrumque, & eum militem qui non occiderat, & eũ qui non perierat. Adiecit & tertium. Nam ipſum Centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iuſſit. O quàm ſolers eſt iracũdia ad fingendas cauſas furoris! Te, inquit Piſo, duci iubeo, quia damnatus es: te, quia cauſa damnationis commilitoni fuiſti: te, quia iuſſus occidere, Imperatori non paruiſti. Excogitauit iracundia quomodo tria crimina faceret, quia nullum inuenerat. Hæc ille. Huius impotentis iracundię exempla alia multa commemorat Seneca. Alexãder Magnus, iræ impatiens, intimum amicum ſuũ Clitum ſua manu interfecit. Lucius Sylla C. Mario perfringi crura, erui oculos, amputari manus iuſſit, & quaſi toties occideret quoties vulnerabat, paulatim & per ſingulos artus lacerauit. Caius Caligula, multis occiſis Senatoribus, quum nec adhuc ira eius placari poſſet, optabat populum Romanum vnam ceruicem habere, vt ſcelera ſua tot locis ac temporibus diducta, in vnum locum, & in vnum diem cogeret. Rex Perſarum, iratus, totius populi nares recidit in Syria, nouo genere pœnæ delectatus. Cyrus Rex, flumini Gyndi iratus, quòd vnus ex albis equis, qui regium currum trahebat, in eo abreptus periret, totum belli apparatum in flumen tranſtulit, & tam diu aſſedit operi, donec centum & octoginta cuniculis diuiſum alueum, in trecentos & ſexaginta riuos diſpergeret, & ſiccũ relinqueret, in diuerſum fluentibus aquis. Non eſt iræ modus, vbi fræna ei ſemel laxantur. Ruinis ſimillima eſt, quæ ſuper id quod oppreſſere pariter frangũtur. Sic enim ira non tam eum qui per iram læditur, quàm qui lædit, præcipitem dedit.

Iræ vitium

Similia.

1.

2.

3.

B

Exemplũ De Ira l. 1. cap. 16.

Exempla. De Ira l. 3. cap. 17. Cap. 28. Cap. 22.

C

Simile.

Deinde infame vitium eſt, & animi prorſus ægerrimi argumentum. Sicut ęgræ & infelicis valetudinis eſt, quem leuis aura contraxit; affecti oculi, quos candida veſtis obturbat; diſſolutus delicijs, cuius latus alieno labore condoluit; ſic ad leuia concitari, mentis ægritudo eſt. Myndridem aiunt fuiſſe ex Sybaritarum ciuitate, qui cum vidiſſet fodientem, & altius raſtrum alleuantem, laſſum ſe fieri queſtus, vetuit illum opus in conſpectu ſuo facere. Idem ſe bilem habere ſæpius queſtus eſt, quòd folijs roſæ duplicatis incubuiſſet. Nempe vbi animum ſimul & corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur; non quia dura ſunt quæ patimur, ſed quia nos molles ſumus qui patimur. Nunquam ſine querela, ægra tanguntur. Nunquam ſine bile iracundus offenditur. Omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, commouentur ad minima. Taurum color rubicundus excitat; ad vmbram aſpis exurgit; Vrſos ac Leones irritat mappa. Idem inquietis & ſtolidis ingenijs euenit. Rerum ſuſpicione feriuntur. Ira non eſt animi magnitudo, ſed tumor inanis, tantúmque abeſt à magnitudine animi, quantum à fortitudine audacia, à fiducia inſolentia, ab auſteritate triſtitia, à ſeueritate crudelitas. Multum intereſt inter animum ſublimem & ſuperbũ. Sublimis omnia aduerſa deſpicit. Superbus minimis turbatur. Vnde S. Script. *In domo ſuperborum nunquam deſunt iurgia.* Vt tela à duro reſiliunt, ita nulla magnũ animum iniuria ad ſenſum ſui adducit. Neque vllum argumentum magni animi certius quàm nulla iniuria, nulla contumelia, nulla aduerſitate è ſtatu ſuo dimoueri. Pars ſuperior mundi, & ordinatior ac propinqua ſideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem, omni tumultu carẽt. Sola inferiora & ſublunaria fulmine feriuntur, ventis agitantur, frigore & æſtu affliguntur. Sic ſublimis animus quietus ſemper, & in ſtatione tranquilla collocatus, modeſtus, & venerabilis, & diſpoſitus eſt: at imbellis, & ignobilis, & ignauus animus quouis aduerſi flatus momento quaſi inane folium huc illúcque rapitur.

Ira vitium infame. Seneca de Ira l. 2. c. 25 Similia. Exemplũ

D

Ira minimis irritatur.

Ira tumor, nõ magnitudo animi

Prou. 18. Simile. Simile. Senecal. l. c. 6. de Ira

Sen.l.2.ca. 23.de Ira. Exemplũ. Cæcam iræ impotentiam tyrannus ille Hippias ſuo magno malo docuit. Tyrannicida imperfecto opere comprehenſus, & ab Hippia tortus vt conſcios indicaret, circumſtantes amicos tyranni nominauit. Et cùm ille ſingulos, vt nominati fuerant, occidi iuſſiſſet, interrogauit ecquis ſupereſſet. Tu (inquit) ſolus. Neminem enim alium, cui charus eſſes, reliqui. Effecit ira vt tyrannus tyrannicidæ manus accommodaret, & præſidia ſua gladio ſuo cæderet. Sicut veſpa ſemel irritata, ipſa ſaxa ac ligna proxima, non homines tantũ cum ſtridore impetit; ſed ſaxa quidem non lædit, homini etſi modicum dolorem inducit, aculeum tamen amittens, ipſa perit: ſic iratus cæco iudicio furit, verba fundit inania, & quemuis obuium temerè petit, multos & fortiores nihil lædens; quos autem lædit, toto charitatis ſtimulo amiſſo, cum maximo ſuo detrimento lædit. Et huius quidem mali remedia, ac patientiæ documenta multa ſanè ſapientia naturalis docuit: quæ vt penitus contemnanda non ſunt; quia rationis lumen homini rationali viam aliquando monſtrare mirandum non eſt; ita infirma & inualida ſunt præ illis quæ Chriſti gratia, & doctrina cœleſtis nos docuit, quæ nos paulò antè in hoc ipſo Euangelio recenſuimus. Exempla modeſtiæ in Socrate, in quo iræ ſignum erat vocem ſubmittere, loqui parciùs: in Platone, qui iratus ſeruo ab alio eum percuti iubet, ipſe eum percutere non vult: in Philippo Macedone, qui Democharis petulantiam æquo animo ſuſtinuit, quum Athenienſium legatus exiſtens, ab eóque rogatus qua in re Athenienſibus gratificari poſſet, reſpõdit, Si te ipſum ſuſpendas. In Antigono Rege, qui milites quoſdam audiens de ſe peſſimè loquentes, nihil alioqui commotus, Longiùs (inquit illis) diſcedite, ne vos Rex audiat. In Auguſto Cæſare, qui Timaginem hiſtoricum, in ipſum, in vxorem, in totam domum eius multa blaterantem, Romæ tamen viuere & florere permiſit: non tam nos ad ſimilem modeſtiam mouere, quàm de immodeſtia confundere debent. Nos Chriſti Spiritu imbutos, ipſum maximè Redemptoris noſtri infinitæ patientiæ & modeſtiæ exemplum, poſteáque Sanctorum, qui eius imitatores fuerunt, exempla mouere debent. Sanctus Elzearius Comes, quum vxor eius, nimiam eius, vt videbatur, patientiam miraretur, quòd in tam ampla familia, & tam multis negotiis toties offenſus, nullum offenſionis ſignum daret, Ecquid verò (inquit) prodeſt iraſci? Nihil profectò. Attamen explicabo tibi arcanum pectoris mei: *Noueris me interdum ſentire aliquam in animo aduerſus infeſtantes me indignationem. Sed ilico me conuerto ad cogitandas iniurias Chriſto illatas, dicoque mihi ipſi, eum imitari cupiens: Etiamſi famuli tui barbam tuam conuellerent, & colaphos tibi impingerent, nihil hoc totum eſſet præ illis quæ Dominus tuus & plura & maiora perpeſſus eſt: certoque habeas (coniunx mea) me nunquam ceſſare à commemorandis iniurijs Saluatoris mei, donec animus meus planè ſit tranquillus.* Plus in hoc vno exemplo ſucci, & virtutis, & documenti eſt, apud animum Chriſti Spiritu imbutum, quàm in quibuſcunque Ethnicorum & Philoſophorũ ſeu factis, ſeu dictis. Nullum enim ad omnem patientiam efficacius remedium, quàm Chriſti Redemptoris, vel exemplum, vel gratia, vel doctrina.

Similc.

Modeſtiæ Ethnicorũ Exempla.

Exemplũ. ſanctum. Invitaeius capite 23. apud Sur. tom. 5.

A

B

C

8. *Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.*

1. Charitas, quæ aliorũ ſũt quærit, non ſuã. LOci morales varij. Primùm docet Chriſtus hoc ſuo exemplo, quòd vera charitas quæ aliorum ſunt magis curet, quàm quæ ſua. Chriſtus enim in aliorum periculis propulſandis, in ſanandis ægris, in reddendo viſum, auditum, greſſum, loquelam, cœcis, ſurdis, claudis, & mutis, in paſcendis aliquot hominum millibus, potentem ſe & mirabilem oſtendit. In ſuis autem periculis, per modum infirmi hominis, latebras quærit, & fuga ſibi conſulit. Hoc exemplo edocti pij, in ſeipſos rigidi, erga alios benigni ſunt. Secundò docet non eſſe ſemper accepta poteſtate vtendum; ſed in tempore eam diſſimulandam, tolerando multa in quæ ſtatim animaduertere non expedit. Sic D. Paulus: *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Et Chriſtus diſcipulis ſuis, eius poteſtatem in coërcendis malis importunè flagitantibus, reſpondit: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* Appoſitè Cato ſenior dicebat: *Parcè vtendum poteſtate, quo ſemper ea vti poſſis.* Sic D. Petrus reprehenſionem Pauli ſuſtinuit, non vſus poteſtate qua potuit: quod his verbis Diuus Cyprianus annotauit: *Nec D. Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cũ Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & à poſteris ac nouellis obtemperari ſibi potius debere.* Notat quoque hoc & laudat Diuus Gregorius Magnus his verbis: *Petrus, qui primus erat in Apoſtolatus culmine, erat primus & in humilitate: quia à minori ſuo reprehenditur, nec reprehendi dedignatur.* Hæc ille. Eandem in D. Petro moderationem laudat ſanctus Auguſtinus varijs in locis. De Baptiſm. contra Donatiſtas lib. 2. cap. 1. in commentarijs in Epiſt. ad Galatas, & Epiſt. 19. ad D. Hieronymum. *Eſt* (inquit) *laus iuſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro.* Tertiò docet immodicum ſui amorem præſcindere, nec proprias iniurias in poteſtate vlciſci. Sapienter Diuus Baſil. *Multo grauiùs Superiori ferendæ aliorum iniuriæ, quàm ſuæ ſunt. Hoc enim ſi fecerit, & ſuſpicionem à ſe illam hominis ſeipſũ immodicè amantis ſubmouebit, & pleniſſimè ſe non peccantẽ odiſſe, ſed peccatũ auerſari ac perſequi, declarabit.* Sic enim hoc loco Chriſtus Iudæorum lapides, quum in illos reflectere potenter potuiſſet, humiliter eos declinare maluit. Quartò docet declinare & fugere nos poſſe iniuſtam & violentã perſecutionem, maximè perſonalem, qualis hæc erat. Sic alibi de eo ſcriptum legimus: *Non volebat*

2. Poteſtate non eſt ſemper vtendum. 1. Cor. 10. Lucæ 9. Plutarch. in Rom. Apophth. In Epiſt. ad Quintum fratrem. Homil. 18. in Ezech. In 3. regul. breuior. ad q. 50. Propriæ iniuriæ cõdonandæ. Perſecutionem fugere licet.

D

A *volebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Rursum post edictum Pharisæorum de eo capiendo: *Non ambulabat palàm apud Iudæos, sed abÿt in desertum, iuxta regionem Ephrem.* Hæc nos omnia suo, vt carnali lectori videri potest, ignominioso discessu, altissima Dei Sapientia docuit. Quæ singula latiùs explicare, quia huius Euangelij tractatio multum excreuit, & hæc loca iterum possunt occurrere, in præsenti desistimus. *Ioan. 7. Ioan. 11.*

EVANGELIVM DOMINICÆ

in ramis Palmarum, ante benedictionem earum.

B VM appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage, ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est; & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea. Soluite; & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet; & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini. *Matth. 21.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

C
1. *Dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.* De operibus misericordiæ in pauperes Christi.
2. *Venit Rex tuus tibi mansuetus.* De charitate erga Christum Regem nostrum, nobis datum, &c.
3. *Sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* De humilitate, & paupertatis studio etiam in mediis honoribus seruando.
4. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.* De feruore colendi Deum.
5. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid.* Deum ab omnibus laudandum, ab omni statu, sexu, ætate.
6. *Hosanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.* De honorum & affectionum humanarum insigni mutabilitate.

1. *Dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.*

D LOcus moralis de operibus misericordiæ in pauperes Christi. Nam Christus hoc loco in vsum suum asinam, & pullum per discipulos suos petens, non alia vel prece, vel persuasione vtitur, quàm hac sola voce: *Dominus his opus habet.* Qua etiam voce audita, confestim dimittuntur. Christi ergo verbum, & eius obedientia ac promptitudo, qui asinæ & pulli Dominus erat, docet, in iuuandis proximis satis superque causæ esse, quòd nostro subsidio atque adiutorio proximus indigeat: qui videlicet quoties indiget, Dominus indiget: vt hoc solo audito & intellecto, *Dominus his opus habet*; confestim ad opus misericordiæ, tanquam Domini amatores, & serui obedientes accingamur. Qui asinam & pullum hunc alligatos possidebat, auditis illis verbis, *Dominus his opus habet*; de Christo hoc dici intellexerat, tum quia discipuli Christi erant iam circa Hierosolymam notissimi, qui hoc dixerant, tum quia hoc, quasi honoris titulo Christus ab omnibus, qui eum norant, vocabatur. Non solùm enim à suis vocabatur Magister & Dominus, vt ipsemet ad eos aliquando dixit, *Vos vocatis me Magister, & Domine; & bene dicitis: sum etenim.* Et rursum Martha ad Mariam dicit, *Magister adest, & vocat te:* & ipsa Martha ad Christum, *Domine, si fuisses hic:* & Cēturio ad Christum, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum:* & Ioannes videns Christum in littore stantem, dixit Petro, *Dominus est:* *De operib. misericordiæ.* *Ioan. 13. Ioan. 11. Matth. 8. Ioan. 21.*

verum etiam ab ijs, qui Christum minùs diligebant, eo nomine vocabatur. Quos enim ten- A
Matth. 22 tandi ergò ad Christum Pharisæi miserant; dicunt ei, *Magister, scimus quia verax es, &c.* & Simon
Lucæ 7. Pharisæus ad Christum ait: *Magister dic.* Legislator quoque tentans Christum, ait illi: *Magister*
Lucæ 10. *bone, quid faciens, vitam æternam possidebo?* Denique qui missi à Christo erant, vt cœnaculum ei
Matth.26. pararent, vbi manducaret Pascha, dixerunt hospiti domus: *Magister dicit, Tempus meum propè est: apud te facio Pascha.* Postremò propter multos incredulos, qui Christum etiam in terris
Matth.7. voce, non corde prædicabant, & hoc titulo honorabant, dixit Saluator: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Asinæ igitur & pulli Dominus, audito discipulorum verbo, *Dominus his opus habet*, non nisi Christum intellexit, ideóque ob eius reuerentiam
Lucæ 19. confestim eos dimisit. *Nam* (vt scribit Diuus Lucas) *soluentibus illis pullum, dixerunt domini eius ad illos; Quid soluitis pullum?* Meritò enim mirantur factum insolitum, & hominibus ad rem suam intentis manifestè iniurioſum. Cæterùm audito discipulorum responso, *Dominus his opus habet*; in Christi gratiam, absque vlla difficultate, confestim dimiserunt. Docet tam prõpta horum hominum obedientia, Christique ratio proposita, ad omne misericordiæ opus promptissimos nos esse debere. Notior nobis est Christus, quàm illis hominibus fuit. Plura à Christo beneficia accepimus, plura nos accepturos speramus, quàm illi, aut acceperant, aut tunc sperare potuerant. Omnes autem pauperes fideles, maximè pro Christo, & fide eius indi- B
Matth. 25. gentes, verè Christi pauperes esse, satis manifestè Christus docuit, quum de huiusmodi *minimis suis*, id est, pauperibus & abiectis Christianis diceret: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi*
Actor. 9. *feciſtis*, & Saulo Christianos persequenti, clamat è cælo Christus: *Saule, Saule: quid me persequeris?* Quoties ergo pauper in Christo, & maximè pro Christo indiget, toties Dominus indiget. Christus in suis pauperibus cibo, potu, vestitu, pecunia indiget. Quoties pauper eleemosynam
Simile. pro Christo petit, toties cogita tibi dici, *Dominus his opus habet*. Noli de equis, canibus, & auibus tuis alendis magis esse solicitus, quàm de Christi pauperibus. Non toleratur in familia mi-
Eccli 17. nister, cui paruulorum cura committitur, si neglectis illorum alimonijs, auiculas tantùm suas, aut catellos pascat. *Vnicuique dedit Deus curam de proximo suo.* Omnes Christi pauperes, tui sunt, si
Exemplũ tu ad Christum pertines. Nullum eius corporis membrum, cuius tu ipse pars es, alienum à te
Ser. in hãc esse potest. Sapienter quidam Archiepiscopus (vt refert Philippus Diez) ad suum œconomum
Dom. to.2. dixit. Conquerente enim illo, & dicente Archiepiscopo Domino suo, quòd plures domi suæ
par.4. aleret, quàm necessitas postularet; iubet Archiepiscopus, vt vtrorumque nomina, tam eorum qui necessarij, quàm eorum qui inutiles viderentur, separatim scriberet. Quæ quum legeret Archiepiscopus, *Hos* (inquit) *dicis esse necessarios, illos verò inutiles. Alantur igitur hi, quia horũ indigeo; illi verò, quia mei indigent.* Sapienter iudicauit, pauperes, etiam nobis inutiles, esse in ampla familia alendos, hoc ipso nomine, quia nostri indigẽt, id est, *quia Dominus his opus habet*: & hoc C
esse discrimen inter equos & homines. Simili sapientia vsa Paula, fœmina nobilissima, cuius en-
Exemplũ. comia scribit sanctus Hieronymus, quum in eleemosynis largiendis esset largissima, dicere so-
In epitaph. *Paulæ.* lebat: *Iste mendicus si à me non acceperit* (tam nobili & diuite) *à quo accipiet? ego verò si indigens petiero, multos inueniam qui mihi tribuant.* Cauendum ne quando existimemus (quod de apostata Iudæ
Ioan.12. refert Euangelium) *nihil ad nos pertinere de egenis.* Tantum ad nos pertinent, quantum Christus ipse, quia in Christo illi sunt; & quod illis datur, Christo datur: Eleganter de hac re tota D.
Hom. 67. Chrysostomus: *Accedit ad te Dominus indigens: Tu ne supplicantem quidem audire poteris, sed accusas &*
in Ioan. *increpas. Quòd si ad paululum argenti offerendum, & frusta panis præbenda adeò tenax, auarus, & piger es: quid faceres, si vniuersa tibi essent euacuanda? Non vides quot quantáque hi, qui se minificos vulgo appellant, scortis in theatro largiuntur? Illorum tu nec centesimam quidem partem dare sustines. At quando diabolus quibuscunque obuijs dare iubet* (vt voluptatum nostrarum ministris, vanitatum socijs, gulæ & superbiæ causa) *etsi huic rei gehenna imminet, iucundè tamen illi obtemperas. Cùm verò Christus regnum, si indigentibus obtuleris, tibi retribuat; non modò nihil præstas, sed insuper etiã petentes contumelia afficis. Sic apertè mauis obedire diabolo, vt puniaris; quàm Christo, vt salueris. Qua in re ita fit, ac si, cùm diadema & purpuram*
Simile. *Rex offerret, sperneretur: latro autem, qui acutum, quo te interficias, mucronem largiatur, facilè persuadeat.* Hæc D. Chrysostomus. qui in pace Ecclesiæ pauperibus non largiuntur, illi maximè sunt, qui
Duri admi in persecutione fidei, fidem abnegant, ne bonis huius mundi excidant. Si enim in parua eleemo-
sericordiæ syna Dominum indigentem non respicis; quomodo eum respicies & audies, omnia quæ ha- D
opera, facil. bes postulantem, vt fidei tuæ professione eum honores? Catholicorum exilijs, rapinis bonorũ,
les ad fidei sanguine effuso, Dominus opus habet, ad maiorem sui nominis gloriam. Quis illi totum dabit,
naufragiũ. qui partem negauit? Hanc abnegatæ fidei causam suo tempore annotauit Sanctus Cyprianus: *Dissimulanda fratres, veritas non est, nec vulneris nostri causa & materia reticenda. Decepit multos*
In serm. 5. *de lapsis.* *patrimonij sui amor cæcus: nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt.* At nostris eleemosynis Dominum pasci, & Dominum opus habere, vno aut altero exemplo à Deo miraculis confirmato ostendetur. Venerãt ad Lantgrauium Turingiæ Lu-
In vita S. douicum comites aliquot, procerúmque non pauci. Iámque conuiuij tempus aduenerat, cum,
Elizabethæ residentibus cunctis, aberat Elizabeth vxor eius, filia Regis Hungariæ. It iussu Principis stato-
apud Sur. rum vnus accitum illam. Cui quum obuiam factæ nunciasset, cunctos ad ipsius aduentum pen-
t.6.p. 448 dere conuiuas, illa maturiùs accedens, vbi cœpit gradus qui ad triclinium ducebant, ascende-
Exemplũ. re, subitò mendicus quidam importunis clamoribus eleemosynam depoſcere auditur. Quem

illa

A illa desuper videns (neque enim antea sub gradibus iacentem præ festinatione viderat) pauliſper expectare monet; pollicita miſſuram ſe breui quod peteret. Illo nihilominus importuniùs clamante, & inſtantiſſimè precante, figit gradum Elizabeth, eique pallium magni pretij, quo veſtita erat, tranſmittit. Quod ille alacriter ſuſcipiens, arce ſtatim exceſſit. Id quum reuerſus ſtator, non ſine indignatione, propalam retuliſſet; ſubridens Princeps, illam iam ingreſſam rogat vbi pallium reliquerit. Illa porrecto indice, En (inquit) de pertica properidet. Videt ille, accedit, attrectat, euoluit, illúdque ipſum eſſe, quod pauperi donatum audierat, cognoſcit: multùm attonitus & dubitans; tantæne rei miraculum, an egregiam vxoris fidem priùs collaudet. Sic pallium pauperi donatum, Chriſtus illico, quaſi mutuò acceptum, reſtituit. Nota eſt hiſtoria de Sancto Martino, Turonenſi poſtea Archiepiſcopo; qui cum in porta Ambianenſi mendico nudo mediam pallij ſui partem dediſſet, ei proxima nocte Chriſtus apparuit eadem veſtitus, ac dicens: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veſte contexit.* Memorabile etiam eſt, quod de Oſvvaldo Anglorum Rege ſcribit Venerabilis Beda. Rex ille quum die S. Paſchæ ad prandiũ conſediſſet, aſſidente ei Aidano Epiſcopo, poſitúſque eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus, regalibus epulis refertus, iámque eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri, & ingrediens miniſter, cui ſuſcipiendorum inopum erat cura delegata, indicaret Regi magnam paupetum multitudinem per plateas ſedere, quæ eleemoſynam à Rege poſtularet; mox dapes ſibimet appoſitas deferri pauperibus, & diſcum conſtingi, atque eiſdem minutatim diui-
B di præcepit. Quo viſo, Pontifex, qui aſſidebat, delectatus facto, apprehendit dexteram eius, & ait: *Nunquam inueteraſcat hæc manus.* Quod & ita iuxta votum benedictionis eius euenit. Nã cum poſtea interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cætero eſſent corpore reſecatæ, contigit vt hactenus incorruptæ perdurent. Denique in vrbe regia, quæ Bebba cognominatur, loculo incluſæ argenteo, in Eccleſia S. Petri ſeruantur, ac digno à cunctis honore venerantur. Hæc venerabilis Beda. Hæc diuinæ gratiæ miracula apertè docent, ita Deo acceptam & gratam eſſe eleemoſynam, aut quodcunque miſericordiæ opus, ac ſi ipſimet tánquam indigenti ea conferrẽtur. Hinc nempe fit id quod Sapiens ſcribit: *Fœneratur Deo qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei*, hoc eſt, vt exponit D. Baſilius: *Quum pauperi dare voles propter Dominum, idem & donum eſt, & mutuum. Donum quidem, quia non ſperas receptionem; mutuum verò propter Domini magnificentiam, qui pro ipſo perſoluit, qui paucis per pauperem acceptis, magna pro ipſis reddet.* Adeò nempe Deo datur, quod pauperi datur, vt eius quod datur, debitorem ſe Deus conſtituat, atque ad reddendum obliget. De qua re iam in alia Dominica quędam diximus.

Aliud. Seuerus Sulpitius In vita S. Martini.

Hiſt. gent. Angl. l. 3. cap. 6. Aliud.

Prou. 19. Conc. 2. in Pſalm. 14. Dom. 4. Quadrag. text. 5.

C

2. *Venit Rex tuus tibi manſuetus.*

LOcus moralis de charitate erga Chriſtum Regem noſtrum nobis datum, eúmque manſuetum, id eſt, humilem, benignum, beneuolum; *non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Hoc maximum charitatis Dei erga nos argumentum admirans tanto antè tempore Propheta, in hæc verba erupit: *Dicite filiæ Sion.* Hæc fauſta noua annunciate: *Ecce venit Rex tuus tibi manſuetus.* Omnia & ſingula verba admirabilem Dei charitatẽ loquuntur. *Ecce*, admirationis vox eſt, attentionem excitans, & rei dicendæ magnitudinem declarans. *Venit*, ſua videlicet ſponte, non coactus. *Venit*, non triumphaturus, ſed poſt breuem triumphũ immolandus. *Oblatus eſt* autem, *quia ipſe voluit.* Venit tamen in triumphi ſpecie, vt ſuum pro nobis patiendi deſiderium oſtendat. Hoc deſiderium alijs quoque verbis expreſſit, dicens: *Baptiſmo habeo baptizari* (hic fuit baptiſmus ſanguinis, quo noſtras lauaret ſordes) *& quomodo coarctor donec perficiã!* Rurſũ: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Et iterum magna alacritate diſcipulis ſuis prędixit: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, vbi Filius hominis tradetur in manus peccatorum*, quæ verba alibi tractauimus. Vide autem quanto myſterio venit hodie in Hieruſalem cum tanta põpa Chriſtus. *Præceptum legis erat* (ait D. Cyrillus Alexandrinus) *vt decima luna primi menſis, agnus ſiue hædus in domo occluderetur, vſque ad lunam decimamquartam eiuſdem menſis, quando ad veſperã immolabatur. Vnde & verus Agnus ex omni grege ſine macula electus, pro populi ſanctificatione immolandus, ante quinque dies, id eſt, decima luna, Hieroſolymã aſcendit. Et appropinquante hora paſſionis, appropinquare voluit & loco paſſionis; vt etiã per hoc clareſceret, quia non inuitus, ſed ſponte pro humani generis ſalute mortẽ pateretur.* Ideo D. Ioan. diem huius ſolennitatis notans, dixit: *Ante ſex dies Paſchæ venit Ieſus Bethaniam. In craſtinum autem turba multa quum audiſſet quia venit Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarũ, &c.* Venit ergo hodie; & ſua ſponte venit, & gaudens atque exultans venit, & in ſpecie triumphi venit, & nobis venit, & manſuetus venit, ſuper aſinam, & pullum ſedens, Rex noſter Chriſtus. Si duæ pariter citharæ ponantur, eodem tono intentæ ac temperatæ, ad vnius tactum altera per ſeipſam reſpondet propter illam vtriuſque conſenſionem & harmoniam ſimilem. Ita ſe habet vetus & nouum Teſtamentum, quæ eodem Spiritu ſcripta, in eodem quaſi tono conſentiunt; vt, ſi vnius chordam tangis, alterum mox reſonet; ſi figuram & typum veteris intelligis, veritatem noui ſtatim percipis, & econtrà. Sic in hoc Chriſti ingreſſu, quinto die ante paſſionem, cauſa ingreſſus cognita, vetus apparet & eluceſcit figura de agno, decima luna ex agris domũ ducendo, vt luna decimaquarta immoletur. Hac quoque figura intellecta, veritas

Chriſti in nos benignitas. Ioan. 3.

Eſaiæ 53.

Lucę 22. Lucæ 18. Dõ. Quinquag. ſex. 1 In Ioan. li. 8. cap. 9. Typus veterus.

Ioan. 12.

Simile.

Christi hoc die ingredientis percipitur. Ac sic quidem venit Christus. Venit autem vt Rex. In A
Regis aduentu omnia fausta ac læta sunt, qualiscunque ille Rex sit, quando mansuetus venit.
Apocal. 19 Sed Rex iste *Rex regum est, & Dominus dominantium, vt in eius femore scriptum est.* Est *Rex per quem*
Prou. 18. *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Est *Rex gloriæ, Dominus fortis & potens, Dominus po-*
Psalm. 23. *tens in prælio; Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Huius regnum vt adueniat, quotidie oramus. Nec
Rex noster Rex tantum talis ac tantus est, sed & noster Rex est. *Ecce venit Rex tuus.* Non enim perinde in
extranei Regis aduentu, atque in nostri, lætamur. At Christus Rex noster est non potestate tā-
tū & dominio (sic enim totius orbis, etiam impiorum, Rex est: quia *omnis potestas data est ei in cœlo*
Matth. 28. *& in terra*) sed multo magis redemptionis beneficio, vocationis gratia, electionis munere, varia
denique virtute, fide, spe, charitate. Hoc sensu dixit Angelus de Christo, *Regnabit in domo Iacob;*
Lucæ 1. non in domo Abrahæ, vel Isaac, eo quòd vterque istorum reprobos habuit filios, ille Ismaël, iste
Esau, qui postea idola coluerunt. In domo autem Iacob omnes filij Patriarchæ fuerunt, & vnū
verum Deum omnes coluerunt. Sic in credentibus, in iustis, in electis regnat Christus. Rex no-
ster est, si fidem eius, si charitatem tenemus, si præcepta seruamus. Maxima ergo quędā iubilādi
causa, quòd Rex noster venit, à quo tot beneficia naturæ & gratiæ accepimus. Atque nō noster
Venit no- tantū, sed & nobis hodie venit. In nostrum commodum & emolumentum, ad nostram salutem
bis. pretio sui sanguinis procurandā venit. Quia naturale est, vt quæ sua sunt, sibiq; cōmoda, ea quis- B
que amet & chara habeat; propterea Christus, vt ad sui amorem nos prouocaret, & noster esse,
Esaię 9. & nobis venire voluit. Hodie ostendit, quod tam diu antè prædictum est: *Puer natus est nobis, & fi-*
Venit mā- *lius datus est nobis.* Denique venit mansuetus, humilis, pauper; non in maiestate, sed in bonitate.
suetus. Alioqui quid commune habet Deus cum mansueto, humili, paupere, quod totū apud Prophe-
tam vox illa, mansuetus significat? An non Deus est *Deus Sabaoth, Deus exercituum & potentatuū?* An
Esaiæ 6. non *Dominus, quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius?* An non *Deus zelotes, vindicans peccata parentū*
Exodi 15. *&c.* An non Deus est, *qui inebriat sagittas suas sanguine, cuius gladius deuorabit carnes?* Qui *regit gentes*
& 20. *in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringit eas?* Qui *terribilis est ijs qui sunt in circuitu eius?* Sed nunc
Deut. 32. mansuetus venit, noua quadam facie assumpta, quia *ecce noua facit omnia, vt & nos in nouitate vitæ*
Psalm. 2. *ambulemus.* Venit Mansuetus, *vt ouis ad occisionem ductus.* Mansuetus, *vt agnus, qui corā tondente se nō*
Ierem. 23. *aperuit os suum.* Mansuetus denique, vt ad eum intrepidè accedamus, clamantem: *Venite ad me om-*
Esaiæ 65. *nes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: quia *per eum accessum habemus ad gratiam istam in qua*
Esaiæ 53. *Matth. 11.* *stamus.* Hæc ergo omnia charitatem nostram in Christum & Regem supremum, & Regem no-
Amor Chri- strum, & nobis hodie venientem, & tam benignum ac mansuetum, mirificè excitare & inflam-
sti ad nos mare debent. Pueri qui regio cubiculo seruiunt, & ad ostium cubiculi præstolantur, quāuis sua-
venientis. uissimos interim sermones misceant, aut aliquo alio se negotio, seu serio, seu iucundo, occupēt;
Simile. tamen vbi primū vocem regiam eos vocantem audiunt, protinus omnia summa cum voluptate C
ac celeritate relinquentes accurrunt. Quidni sic ad Christi mandata obeūda prompti & expe-
diti sumus? Nec maiora præmia promittit, nec grauiores pœnas cōminatur vllus toto orbe Rex
quàm Christus sua mandata vel obseruantibus, vel negligentibus. Atqui si Rex terrenus mini-
Simile. stris suis diceret: Ad tres annos mihi fideliter seruite; posteaque ampliſſimas possessiones, & ho-
nores per totam vitam à me accipietis; quo autem primū die mea præcepta transgrediemini, ad
triremes perpetuas vos condēnabo: nihil haud dubiè illis ministris diligentius esset. Porrò quā-
Exemplū. to se discrimini obiiciunt, qui Christo Regi fidem & obedientiam, iurati, eam quotidie violant,
4. Reg. 17. illud veteris populi admirabile exemplum docere nos debet. Decem tribubus in Assyriā abduc-
ctis, ab ipsis Assyriis terra filiorum Israël habitabatur. Quum autem illæ idola colerent, ritu gen-
tis suæ, egressi de montibus leones interficiebant eos; nec prius illa cessauit internecio, quàm
misso Leuita Israëlita, verus Deus cultu legitimo ibi denuò coleretur. Cur tanta plaga in homi-
nes Deum prorsum ignorantes? Quia in terra sancta idola coli Deus noluit. Quia infra limites
populi Deum colentis, non nisi Dei leges seruari patitur. Quanto magis in populo Christiano, in
Ecclesia suo sanguine redempta, in cordibus fidelium, idola peccatorum non feret Christus, le-
gem suam impunè violari non patietur Deus? Regem Christū professi sumus. Regi Christo nisi
Christianus obtemperes, expecta leones de montibus, qui te interficiant. Veniet ille *leo rugiens,*
qui circuit, quærens quem deuoret, cum multis alijs leunculis & catulis suis, imò *cum alijs spiritibus ne-*
1. Pet. 5. *quioribus se, vt fiant nouissima tua peiora prioribus*, quod alio loco explicatum dedimus. Venit nunc
Lucæ 11. Rex noster mansuetus. Sed si rebelles ei sumus, idem venit iratus. *Speculum sine macula*, appellat D
Sap. 7. Scriptura Deum. Si speculo mitem & mansuetum vultum ostendas, talem tibi reddet speculū:
Simile. si iracundum vultum præbes, similem tibi reddet. Sic omnino, si Deo humilem te, mitem, ac mi-
sericordem erga proximum ostendis, erit tibi Deus mansuetus, mitis misericors: si ferocem, su-
perbum, crudelem te præbes, huiusmodi erga te Deum inuenies. *Qua enim mensura mensi fueritis,*
Lucæ 6. *remetietur & vobis. Ego* (ait Deus) *diligentes me diligo.* Ad hanc Dei dilectionem meritò nos exci-
Prou. 8. tare debet, quòd Rex noster fieri, nobis venire, & mansuetus voluerit.

3. *Sedens*

A

3. *Sedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis.*

LOcus moralis de humilitate, & paupertatis ſtudio etiam in mediis honoribus ſeruando. Chriſtus hodie cum certa pompa & gloria Hieroſolymam ingredi volens, non vt gloriæ huius mundi ſtudioſus (quam ſemper contemni docuit, & acerrimè fugit, vt aliàs explicatum eſt) ſed vt ingentem pro humana ſalute patiendi alacritatem oſtenderet, vt iam diximus, & de qua Regius Propheta prædixit: *Exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam;* vt omnibus etiam conſtaret quam de Chriſto exiſtimationem cæleſtis eius doctrina, & diuina miracula iam merito apud omnium animos excitaſſent, (quam rationem adfert ſanctus Auguſtinus) ac denique vt circa finem prędicationis ſuæ clarius ſe manifeſtans, ipſis Iudæis in maius teſtimonium foret, vt notauit ſanctus Chryſoſtomus; volens, inquam, Chriſtus ex his cauſis, cum quadam pompa & gloria humana Iudææ metropolim ingredi, hanc ipſam tamen ea humilitate temperat, vt non niſi ſuper aſinam & pullum (animalia pauperculorum & vilia) inequitans, ingreſſum tam ſolennem faceret. Humilitas nempe, perpetua & neceſſaria Chriſtiani hominis virtus, quia maximè inter honores periclitatur, ideo in ipſis maximè honoribus magno ſtudio ſeruanda eſt. Sic monet Sapiens: *In die honoris tui non extollaris.* Et iterum: *In die bonorum ne immemor ſis malorum.* Se-
B getem nimia ſternit vbertas. Rami onere franguntur. Vinum merum ſapientes infatuat, fatuos ad inſaniam redigit. *Proſperitas ſtultorum occidit illos.* Chriſtus igitur, vt honores ſemper fugit, non propter ſe, cui & maximè debebantur, & nocere non poterant; ſed propter nos, quibus illos maximè periculoſos eſſe ſciret: ſic in ipſo honore, quem breuem, & poſt tot labores, & tam grauibus ex cauſis iam commemoratis, acceptare voluit, paupertatis tamen ſtudium non deſeruit. Præclarè Chryſoſtomus hunc locum tractans: *Mihi etiam idcirco in aſina ſedisſe videtur, vt viuendi philoſophia nos erudiret. Regulas enim nobis præbet, ne maiora, quàm neceſſarius vſus exigit, requiramus. Itaque quando etiam naſcebatur, non magnificas ædes, non locupletem matrem, ſed pauperrimam, & fabro deſponſatam, elegit: & in tugurio naſcitur; & in præſepio ponitur. Sic diſcipulos non oratores aut Prophetas, nec genere aut fortuna claros voluit, ſed inopes valde atque ignotos. Mensa ſua hordeaceis nonnunquam panibus, nonnunquam quos diſcipuli è foro emerant, referta erat. Recumbebat in fœno, veſtes viles, nec conditionem vulgi excedentes, induebatur. Domum nullam habebat; quumque de loco in locum tranſeundum erat, pedibus iter faciebat, & quidem ita, vt labore plerumque conficeretur. Nunquam in ſede, nec in puluinari, ſed in ipſa ſuperficie terræ, modo in montibus, modo apud fontes ſedet & docet.* Hæc ille. Sic tota Chriſti vita paupertatem & humilitatem docet, vt tandem vehi quaſi in pompa volens, non tamen niſi aſinæ inſideret. Vnde de hoc Chriſti facto ita diuus Bernardus: *Licet multos frangat aduerſitas, tamen*
C *multo plures extollit proſperitas, ſicut ſcriptum eſt: Cadent à latere tuo mille, ſiniſtro ſcilicet, per quod ſignatur aduerſitas; & decem millia, id eſt, multo plures, à dexteris tuis, in quibus proſperitas deſignatur. Denique quia vtrobique periculum eſt, orat Sapiens, & dicit: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi: ne forte aut diuitiæ extollerent in ſuperbiam, aut paupertas deijceret in impatientiam. Vnde & Dominus, ſicut in paſſione patientiam, ita in hodierna proceſſione humilitatem exhibere curauit: non in curribus, & in equis, nec in frænis argenteis, aut ſellis auro tectis, ſed humilis aſelli tergo ſedens.* Hæc ille. Rara certè virtus humilitas honorata. Sicut enim arbores in montis cacumine poſitæ procellis ac vētorum flatibus ſunt ſubiectæ; ita homines in dignitate conſtituti, à ſuperbiæ & inſolentiæ ventis concutiuntur. Ioſeph tamen in ſumma apud Pharaonem dignitate poſitus, fratres ſuos ad eum introducens, voluit vt ſtatum humilem non diſſimularent, ſed de eo rogati reſponderent: *Viri paſtores ſumus, ſerui tui, & patres noſtri.* Aſinus animal contemptibile eſt, tum quia nullum eo magis inſipiens, tum quia nullum eo vilius paſcitur, tum quia nullum eo ad labores & onera aptius. At Chriſtus Ieſus, quum ſumma eſſet Dei ſapientia, quum eius cibus delicatiſſimus eſſet, *facere voluntatem Dei Patris qui miſit eum*, docere cæleſtia, operari diuina; quum ille ſit omnium laborantium merces vnica, refectio, conſolatio; voluit tamen aſinæ inſidere, vt omnem aſinæ humilitatem, vilitatem, laborem ac patientiam nos doceret. Hoc eſt quod Propheta iubet nos *exultare, quia venit nobis Rex noſter manſuetus*, ſeu humilis, *ſedens ſuper aſinam.* Certè ſecundum homines loquendo, magis exultan-
D dum videretur, ſi veniret ſedens in curru triumphali. Nunc autem iubet nos gaudere, quia venit ſedens ſuper aſinam. Sed ideo hoc iubet, quia ſedens ſuper aſinam, ſummam nos docet ſapientiam. Docet in honore ſeruare humilitatem. Docet, *quod ſtultum eſt hominibus, Dei eſſe ſapientiam; & Dei virtutem.* Docet nos tunc demum ſapientes eſſe, quum nobis ſtulti videmur, & nos ipſos abnegamus. Gentium ſapientes, *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Sed Chriſti ſapientes, dicentes ſe eſſe ſtultos, *non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*, ſapientes facti ſunt. Docet nos ex fidei & obedientiæ ſimplicitate aſinos eſſe debere, in quibus Chriſtus ſedeat: qualis ille ſapientiſſimus Rex & Propheta erat, dicens: *Vt iumentum factus ſum apud te; & ego ſemper tecum.* Cui enim humili & obedienti Chriſtus inſidet, ille ſemper cum Chriſto eſt, & Chriſtus cum illo. Docet nos denique laborioſa animalia eſſe debere, vt ſemper cum Chriſto ſimus. Sic Eſaias hunc ipſum Chriſti ingreſſum prędicens: *Dicite filiæ Sion; Ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.* Cum vides Chriſtum ſedentem ſuper aſellum, intelli-
ge duo, mercedem & opus. In Chriſto merces ſignificatur. Eſt enim ipſe, *Merces noſtra magna*

Humilitatis ſtudiū.

Pſal. 18.

Tract. 51. in Ioannē. Hom. 67. in Ioann.

Humilitas in ipſis honorib. maximè ſeruanda.

Eccli 11. Prouer. 1.

Hom. 67. in Matt.

Chriſti tota vita paupertatē docuit.

Ser. 2. in hanc Dom.

Pſal. 90. Prou. 30.

Simile.

Gen. 47.

Cur exultandum ſedente Chriſto ſuper aſinam.

1. Cor. 1.

Rom. 1.

Rom. 12.

Pſal. 73.

Eſaiæ 62.

nimis. In asino est significatio laboris. De hoc iubet gaudere Propheta. Sic & Dauid: *Expecta Dominum, viriliter age, sustine* (velut asellus) *Dominum, & confortetur cor tuum*, spe mercedis repositæ. Hoc totum nos docet Christus, sedens super asinam. Nempe Dei sapientia sic factis & signis docet, sicut homines verbis, quando sanè insigne aliquod documentum præbere, aut facinus memorabile designare vult. Christus alibi humilitatem suos docturus, accipit in vlnas suas paruulum, dicens: *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum*. Legem veteri populo daturus, quia lex timoris erat, non amoris, omnia signa terrore plena dedit; *montem Sinai fumantem, ardentem, fulgurantem*. Moysen in Aegyptum missurus, apparet in rubo ardenti, sed non combusto: significans se esse in populo afflicto, sed non destruendo. Spiritus sanctus Apostolis quum daretur, apparuerunt illis linguæ igneæ: quibus significabatur ardens charitas, proprium & primum Spiritus sancti donum, illorum cordibus infusa. Sic & Prophetæ veteres aliquod singulare Dei opus aut beneficium prædicaturi, signis quibusdam exterioribus illud significabant, idque ex Dei præcepto. Prophetauit Samuel, quod regnum à Saule in Dauid transferendum erat quando pallium Samuelis abscidit per medium, dicens: *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie*. Prophetabat Ahias Propheta ad Ieroboam, diuidens pallium in duodecim partes, & dans illi decem partes, quod daturus esset ei Dominus decem tribus filiorum Israel, dicens: *Ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus*. Prophetauit Eliseus, quod Rex Ioas ter regnum Syriæ vastaret, præcipiens illi, vt sagittas ad Orientem conijceret. Sanctus Propheta Esaias exuit se, *vt nudus & discalceatus ambularet*; prædicans sic Aegyptios & Aethiopas ab Assyriis nudandos & expoliandos fore. Ieremias Propheta iubetur à Deo confringere lagunculam testeam in conspectu populi, & dicere: *Sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari*. Ezechiel Propheta, iubente Deo, *protulit vasa sua, quasi vasa transmigrationis per diem, & vespere perfodit sibi parietem manu, & in caligine egressus est, & in humeris portatus in conspectu populi*: vt hoc facto prædiceret, fore vt dux populi eodem modo ex ciuitate fugeret, prementibus Assyriis, ab illis nihilominus capiendus. Sic Oseas iubetur accipere vxorem fornicariam, & ex ea facere filios fornicationis, vt sic populi fornicationem à Deo suo expressius prędicaret. Ad hunc modum Christus hodie solenni pompa ab asina vehitur, & Hierosolymam ingreditur sedens super asinam; vt hoc illustri & spectabili signo ea nos doceret, quæ iam diximus. Hæc Dei sapientia illustrē hunc Christi triumphum facit. Imperatores seculi, in eo triumphi sui gloriam ponebant, vt curru vherentur, quem vel elephanti ducerent, vt Cæsar & Pompeius triumphabant; vel leones traherent, vt in Marci Antonij triumpho; vel etiam cerui veherent, vt Aureliani. Nempe illi, vt deformes feminæ, hoc fuco indigebant. Aurum purum non deauratur. Christi maiestas, sedens super asinam, glorioſior erat; quia illum, non asinam, populus totus tunc spectabat, & hæc ipsa asina magnam nos postea sapientiam docuit, vt iam dictum est.

Gen.15. Psal.26. Deus factis docet. Matt.18. Exodi 20. Exod.3. Act.2. 1.Reg.15. 3.Reg.11. 4.Reg.13. Esaiæ 20. Ierem. 15. Ezech.12. Oseæ 1. Simile.

A B C

4. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, &c.*

LOcus moralis de feruore colendi Deum. Discipuli Christi iussi quidem erant asinam & pullum eius soluere atque adducere; sed non iussit eos Christus vestimenta sua asinæ & pullo imponere, aut in via sternere. Nec etiã turba iubetur ramos de arboribus præscindere, & sternere in via. Sed & qui ex Hierosolymis *obuiam Christo processerunt cum ramis palmarum* (vt diuus Ioannes refert) nullum hac de re præceptum acceperunt: sicut nec illi, qui vocales Christo laudes cecinerunt, tam in via, quàm in plena ciuitate. Hæc omnia ex feruido Christi amore processerunt; quæ tum Christus libenter acceptauit, adeoque clamantium voces contra Pharisæos defendit; tum sancti Euangelistæ ad vnum omnes, tanquam celebre pietatis documentũ, commemorare voluerunt. Dignus est hominibus Christianis huiusmodi in Christo colendo feruor. Abraham viatores hospitio excipiens, *currit in occursum eorum, adorat in terram*; multis verbis, vt apud eum diuertant, precatur; *festinat in tabernaculum ad Saram*; illam quoque iubet *accelerare* circa panes parandos; ipse interea *ad armentum cucurrit*, tulitque inde *vitulum tenerrimum & optimum*; denique *puer festinauit, & coxit illum*. Vides vt omnes Abrahæ actiones feruorem spirant. Hic est pater noster Abraham, non solum *vt sequamur vestigia fidei eius*, vt Paulus docuit; sed etiam vt faciamus opera eius, vt Christus Iudæis dixit: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. Hic feruor colendi Deum, quo non solum mandata seruantur, & declinantur flagitia, sed acri quodam & vehementi studio, tum ipsa mandata facimus, tum alia misericordiæ & pietatis opera exercemus (qualis erat illa hospitalitatis virtus, quam Abraham exercuit) est veri Christiani signum, certumque indicium. Quum Abraham seruum suum mitteret, vt vxorem filio suo Isaac, ex cognatione sua, quæreret; seruus, quum ad vrbem Nachor peruenisset (terram cognationis Abrahæ) hoc signum à Domino rogauit, vt illam puellam filio domini sui vxorem postularet, quæ plura faceret quàm iuberetur, quæ seruiendi feruorem ostenderet. *Puella*, inquit, *cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, & bibam, & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum; ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac*. Vides quale signum à Deo petijt seruus Abrahæ, vt filio domini sui vxorem

Feruor colendi Deũ. Ioan.12. Exemplum Gen.18. Rom.4. Ioan.8. Feruor spiritus signũ filij Dei. Gen.24.

D

rem eligeret, Deusque illi statim concessit. Vixdum enim sermonem compleuerat, quum ec-
A ce Rebecca egrediebatur, quæ rogata vt pauxillum aquæ de hydria sua ad bibendum daret, respondit, *Bibe domine, celeriterque* (vide promptitudinem) *depositi hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adiecit* (vide feruorem, quæ plus quàm rogaretur facit) *Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant*, quod & fecit. Hæc videlicet erat digna sponsa filio Abrahæ. Hæc digna erat, ex qua nasceretur, *in quo benedicerentur omnes gentes*. Hoc signum est animę fidelis, & de semine Abrahæ, quæ cum spiritus feruore opus charitatis facit (quale hoc Rebeccæ erat) & plus facit, quàm aut rogatur, aut ex præcepto iubetur, sicuti discipuli Christi, & turba Iudæorum credentium in hoc Euangelio fecerunt. Ad hunc feruorem hortatur nos *Eccli 5.* Spiritus sanctus, dicens: *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Esto firmus in via Domini, & prosequatur te nomen pacis & iustitiæ*. Ventilat se in omnem ventum, qui ex qualibet tentatione, aut quauis occasione oblata, recedit à seruitio Dei, & distrahitur: quem in varias cupiditates sua concupiscentia abstrahit, quasi ad quoduis peccatum procliuem. Stat firmus in via Domini, & pacem in corde, ac iustitiam in opere retinet, qui à nullo se distrahi passus feruet in cultu Dei. Sed & ipsa deuotionis forma, quam hic discipuli, & reliqua turba erga Christum exercuerunt, hunc nos feruorem docet. Sternunt vestimenta sua, cædunt ramos de arboribus, gestant palmas in manibus, clamant, Hosanna in excelsis. *Vestimenta*, ait Chrysostomus, *sunt præ- Hom. 38. in Matt.*
cepta diuina, & gratia spiritualis. Sicut enim turpitudo nuditatis vestimento tegitur, sic naturalia mala carnis *Sternere vestimenta*
B *nostræ, præceptis & gratia diuina teguntur*. Vnde & Adam ideo se vidit nudum, id est, peccatorem, *Christo.*
quia præceptum Dei violauerat, & gratia exciderat. His ergo Christus honorandus est: præceptorum eius obseruatione, & gratiæ diuinæ recto vsu, fructuque vberi. Rursum sternit vestimenta sua ante Christum in via, parui faciens si sordidentur, qui carnem suam (animæ quasi indumentum) mortificat, & Christi voluntati in vniuersum subiugat, adeoque propter Christum, etiam aliorum Patrum voluntati, & Prælatorum pedibus subijcit, quod monachi faciunt; sicut horum hominum vestimenta non à Christi asina tantum, sed & ab omnium cum Christo transeuntium pedibus calcabantur. Neque enim alicui Prælato se quisquam vtiliter subijcit, nisi qui in Christi comitatu Hierosolymam ingreditur, nisi qui in Ecclesia Christi præficitur. Ra- *Ramos de*
mos de arbore cædit, qui affectus suos mortificat, & à pessima cupiditatis terrenæ radice resecat, vt Christo seruiant, ac sancti Spiritus ductum sequantur. Alterum horum necessario faciē- *arbore cædere.*
dum. Aut alterius iudicio calcanda voluntas (quod Apostolicum est, & Apostoli sua sic vestimenta Christo in hoc Euangelio substrauerunt) aut certè ex arbore terræ defixa, id est, ex terrena hac nostra & carnali voluntate, rami præcidendi, affectus praui resecandi sunt. Ideo qui ramos precidebant, de promiscua turba erant. Hoc enim generale præceptum est: *Si secundum Rom. 8.*
carnem vixeritis, moriemini. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Sunt autē rami præscinden-
C di, non folia, aut fructus tantum; *non verbo tantum & lingua, sed opere & veritate diligendus Deus*, ser- *1. Ioan. 3.*
uiendum Christo. Non folia tantum verborum, quibus virtutem laudes, & Deum prædices; nec fructus tantum quorumlibet operum, quibus Dei mandata exequaris, sed rami ipsi ac frōdes arboris, omnes videlicet voluntatis tuæ vires, omnes animi tui dotes & ornamenta, diuino cultui, & Christi obsequio mancipanda sunt, vt Christum honorifices, & *glorifices Patrem tuum* *Matt. 5.*
qui in cælis est. Hic est feruor cultus diuini, *vt glorificemus & portemus Deum in corpore nostro*, non ani- *1. Cor. 6.*
mo tantum obsequentes, sed & omni externo opere gestuque corporis, in omnibus externis donis, Dei gloriam quærentes, cultum exequentes. Discipuli & turba, vt Christum honorarent, nullum officij genus prætermiserunt.

Ad hunc feruorem in bono, impiorum feruor ad malum vehementer incitare debet, nisi quis *Feruor*
forte existimet, plus deberi diabolo quàm Christo. At impiorum feruorem sic Propheta gra- *impiorum*
phicè depingit: *Nonne vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hierusalem? Filij colligunt* *in malo.*
ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent *Ierem. 7.*
dijs alienis, & me ad iracundiam prouocent. Iubet Deus Prophetam obseruare maximam impiorum diligentiam vt idolis sacrificent: in quo nefario opere vir, vxor, liberi, tota familia concurrit, omnes manum apponunt. Vt autem Deus colatur, aut nemo manum mouet, aut pauci, & ij sa- *Exempla.*
tis tepidè ac negligenter. Sic solet Dei causa & iustitiæ, frigidè, oscitanter, & perfunctoriè tractari; dum ad occidendum nascentem Christum, omnem operam Herodes ponit, ad proden-
D dum Iudas non dormit, ad capiendum & condemnandum Scribæ, Sacerdotes, Seniores populi conuentus vocant, corycæos submittunt, falsos testes subornant, pecunia corrumpunt, satellites mittunt, alta nocte, & summo manè conueniunt, apud Pilatum, apud Herodem studiosè accusant, populum concitant, Cæsaris salutem interponunt, denique omnem lapidem mouēt, nihil intentatum relinquunt. Ita in salute cuiusque propria procuranda, in Ecclesię causis, in Dei honore & cultu prosequendis, se res habet. Feruet impius, friget iustus. Ardet hæreticus, torpet Catholicus. Vigilat filius sæculi, dormitat filius lucis. Causa iustior succumbit, quia maiori animo, impetu, feruore causa iniusta procuratur. Quæ tandem est huius infelicitatis ratio? Illa sanè, quod in causis honestis & iustis Deum protectorem attendimus, nec fore vt ille causam suam deserat, honorem suum negligat, omnino existimamus. Impij contra in causa mala, *Aelianus*
sua diligentia malitiam corrigunt: & quod à Deo, cui mala causa displicet, sperare non possunt, *var. hist.*
hoc sua industria compensant. At maximus hic error est. Pulchrè Scipio dux fortissimus, quum *lib. 11.*

Apophth. Prou.18. ei ſcutum diligenter apparatum quidam oſtenderet,hortando vt emeret,reſpondit: *Atqui ciuem Romanum decet in dextera ſpem ponere,non in ſiniſtra*,in ſuo videlicet marte & labore, non in aliena A
Pſal.29. defenſione. Diuina quidem protectio eſt ſcutum validiſſimum,& *turris fortiſſima nomen Domini*. Et *hi in curribus,hi in equis,nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus*;ſed tota hæc ſpes & in-
Do.2.poſt Epiph.tex.5. uocatio,noſtros conatus,ſtudia,labores,noſtrum impetum,feruorem,certamen neceſſario requirit,vt in alia Dominica explicauimus. Placent ſummopere Chriſto noſtri conatus, placet
Pſal.15. feruor,placet deuotio,etſi *bonorum noſtrorum non indigeat*,etſi inutilia ſunt quæ vel facimus, vel
1.Cor.4. patimur pro gloria eius,quod *leue & momentaneum* Apoſtolus vocat. Magdalenæ curioſam pie-
Exemplum Lucæ 7. tatem vehementer Chriſtus laudauit, & Simonem hoſpitem de non exhibito honore admonuit. *Intraui in domum tuam. Aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem,ex quo intraui,non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Vides vt ſingula feruoris teſtimonia Chriſtus laudat; negligentiam alterius in ſingulis culpat. Sed vide quid Redemptor concludit: *Propter quod dico tibi; Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Multa Dei dilectio
Exemplum multum habet feruorem,deuotionem, & ſtudium colendi Deum multum. Si feruor ſpiritus remittit peccata,quanto magis in iuſto augebit coronas! Sic iterum mulierem illam quæ effu-
Matt.27. dit vnguentum pretioſum ſuper caput eius, murmurante Iuda,& poſt eum aliis,ſtudioſè Chri- B
ſtus defendit,accuratè laudat: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Bonum opus operata eſt in me. Vbicunque prædicatum fuerit euangelium,dicetur & quod hæc fecit,in memoriam eius.* In quàm paucis verbis quanta laus! Redarguit facti culpatores. Operis bonitatem aſſeuerat. Prædicationem operis,quaqua patet Euangelium,prædicit. Memoriam & commendationem mulieris perpetuam denuntiat. Tanti apud Chriſtum precij ac valoris eſt feruor ſpiritus circa cultum eius. Illa enim mulier ex feruore dilectionis qua Chriſtum proſequebatur, myſterij ignara quod Chriſtus expreſſit, vnguentum illud valde precioſum in caput eius effudit. Sic populi & puerorum in hoc Euangelio acclamationes,increpantibus illos Phariſæis(vt ſolet piorum feruor impiis & frigidis Dei
Matt.21. cultoribus vehementer diſplicere) Chriſtus diligenter defendit: *Indignati Phariſæi contra pueros clamantes in templo, Hoſanna in excelſis,dixerunt Chriſto: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtique. Nunquam legiſtis,quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam* ? Rurſum quum qui-
Lucæ 19. Exemplum dam ex Phariſæis dicerent Chriſto; *Magiſter, increpa diſcipulos tuos* (eodem videlicet modo cla-
Ibidem. mantes) reſpondit ille: *Dico vobis,quia, ſi hi tacuerint,lapides clamabunt.* Vide feruorem Zachæi. In arborem ſycomorum aſcendit vt Chriſtum tranſeuntem videret. Mox Chriſto dicente ei; *Opor-* C
tet me hodie in domo tua manere, feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Vides celeritatem, vides lætitiam circa hoſpitalitatis virtutem, qualem in Abraham modo ex Scripturis oſtendimus. Quam etiam ob cauſam Chriſtus poſtea hunc Zachæum vocat *filium Abrahæ*. Ex hoc autem feruore excipiendi Chriſtum,vide quantum bonum Zachæo collatum fuit. In nouum hominem mutatus,dixit: *Domine,dimidium bonorum meorum do pauperibus; & ſi quem defraudaui, reddo quá-*
Exod.11. *druplum*. Moxque Chriſtus concludit; *Salus huic domui facta eſt*. Præcepit Dominus Moyſi vt face-
Allegoria. ret duos Cherubinos aureos & productiles ex vtraque parte oraculi. Cur ita? Delectatur nempe Dominus Cherubim figuris,quæ ſunt maximæ velocitatis, vt oſtendat quantum celeritate
Rom.12. & feruore noſtro circa bonum delectetur. Hortatur ad hunc feruorem Apoſtolus: *Solicitudine non pigri; ſpiritu feruentes,Domino ſeruientes,ſpe gaudentes*. Vt Domino ſeruiamus, iſta tria coniunxit; celeritatem actionis,feruorem ſpiritus,lætitiam ſpei. Hoc enim vltimum calcar eſt duobus
Lucæ 2. aliis,quæ ſemper ſunt indiuulſa. Cuius enim ſpiritus feruet; actio feſtinat. Paſtores, accepto nuntio de nato Saluatore, *feſtinantes venerunt in Bethlehem.* Vide plura huc pertinentia,in Dominica 1.poſt Epiphaniam,textu 1.

5. Turbę autem quæ prędecedebant & quę ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna filio Dauid, D

Omnes Deum laudare & colere oportet. LOcus moralis; Deum ab omnibus laudandum,ab omni ſtatu,ſexu, ætate. qui præcedunt & qui ſequuntur Chriſtum,in vitę genere ſeu ſeculari, ſeu eccleſiaſtico, ſeu monaſtico, omnes ad Dei laudes,ad fidei confeſſionem,ad præceptorum obſeruationem, ad feruorem & ſtudium colendi Deum (de quo iam diximus) tenentur. Omnis turba quæ Chriſtum comitabatur,ſeu antè,ſeu retro,in Chriſti laudibus occupata fuit. Omnes clamabant,& Apoſtoli,& reliqui diſcipuli,& turba popularis,& pueri Hebræorum. Omnium vna vox erat, *Hoſanna filio Dauid*:&,vt alius Euangeliſta refert, *Hoſanna in excelſis*:ſiue per illa verba Meſſiæ præſenti gratulabantur,ſiue illi ſalutem precabantur,ſiue ſibi ipſis miſericordiam flagitabant. Huc omnes vo-
Pſal.148. cat Propheta Regius: *Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ, iuuenes & virgines;*
Pſal.146. *ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini*. Et rationem alio loco addit: *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus: Deo noſtro ſit iucunda decoraque laudatio*:id eſt,animo puro,hilari,libenti Dei laudes
Epheſ.5. reſonemus. Huc hortatur & Paulus: *Implemini Spiritu, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus*. Dicit in cordibus, non quia vocales laudes excludit,ſed quia cordis attentionem includit.

Hoc

A Hoc ad Dei gloriam pertinet. *Te decet hymnus Deus in Sion.* Hoc ad noſtram conſolationem facit. Nam quum dixiſſet Apoſtolus; *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*: paulo poſt adiunxit; *In gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.* Hoc eſt exercitium cæleſte, & beatorum ſpirituum tota occupatio. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Quatuor animalia, quæ vidit Ioannes, clamabant iugiter die ac nocte: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, &c.* Hoc imitatur Eccleſia Catholica in quotidiano Dei obſequio. Quod autem de Dei laude, hoc de fidei confeſſione, de præceptorum Dei obſeruatione, de toto ſtudio colendi Deum, verum eſt, ad omnes omnino harum rerum curam æquè pertinere. *Hoc planè eſt* (ait S. Chryſoſtomus) *quod euertit orbem vniuerſum, quod ſummam vitæ bene agendæ diligentiam monachis ſolum neceſſariam arbitremur, cæteris negligenter viuere licere. Non ita ſanè, non ita eſt, ſed eadem ab omnibus philoſophiæ ratio requiritur. Fallis teipſum prorſus ac decipis, ſi putas aliud à ſecularibus viris, aliud à monachis requiri. Hæc enim ferè ſola eſt in vtroque vitæ genere differentia, quod illi quidem matrimonij ſe vinculis conſtringunt, hi vero hic liberi perdurant. In reliquis vero communis atque eadem ab vtriſque vitæ totius ratio requiritur, eiſdem pro culpis pœna vna debetur omnibus.* Quod & paulo poſt his verbis confirmat: *Cum Chriſtus dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris; non monachos tantum alloquitur, ſed & omne prorſus hominum genus. Itemque cum iubet per anguſtam viam ingredi, non iſtos modo, ſed omnes omnino homines hoc imperio conuenit. Cumque odiſſe animam ſuam in hoc mundo,* B *atque cætera huiuſmodi iuberet, nullum hominum genus excepit.* Hæc Chryſoſtomus. Rurſum alio in loco: *Neque domus gubernationem, neque vxoris curam, neque filiorum ſolicitudinem, neque aliud quiddam prætexamus, quod putemus ſatis eſſe ad excuſandam noſtram negligentem deſidemque vitam. Neque frigida illa verba proferamus, Mundanus ſum, & mulierem habeo, & puerorum curam gero: qui multis mos eſt vt ita dicant, ſi quando eos rogamus, vt ad virtutum labores ingrediantur, vel ſtudium adhibeant in ſacris literis legendis. Non eſt hoc meum, dicit. Nunquid renunciaui ſeculo? Nunquid monachus ſum? Quid dicis homo? An hoc ad ſolos monachos pertinet, vt bene Deo placeant? Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nullumque virtutem negligere.* Hæc ille. In eundem errorem inuehitur Auguſtinus. Agens enim de iis qui Rempub. adminiſtrant, ac de militibus, *Illud*, inquit, *quale eſt, cum ob errorem aliquem à ſenioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaſerit, eadem cur turbulentus admiſerit, ſtatim reſpondeat; Quid habebam facere, homo ſecularis aut miles? Nunquid monachum ſum profeſſus, aut clericum? quaſi omnis qui clericus non eſt aut monachus, poſſit ei licere quod non licet. Cunctis igitur officiis in ſacris literis præſcribitur norma viuendi. Omnis ad bene viuendum prouocatur ætas, ſexus, & dignitas. Apud omnem Chriſtianum prima honeſtatis debet eſſe militia.* Hæc ille. Nempe ad omnes in vniuerſum ſonat illa vox Chriſti: *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Apud omnes prima ac potiſſima cura debet eſſe diuinæ gloriæ, ac ſalutis propriæ. *Sicut enim in ſponſa* (vt appoſitè ſcribit B. Chryſoſtomus) *licet thalami ſint velis aureis operti,* C *licet mulierum adſint pulcherrimarum chori, licet roſæ, licet coronæ, licet ancillæ, licet amici, licet ſponſus, licet omnes decus & ordinem pulcherrimum ſeruent; tamen illa ſola ſi deformis ſit & turpis, perit totum nuptiarum decus, non honoratur ſponſus, non delectantur amici: ita quidem & in anima,* quæ ſola Dei ſponſa eſt, *ſi illa ſola decus & dignitatem ſuam non ſeruet; ſi illa ſola à rationis & pietatis regula turpiter exorbitet, etſi diuitiæ affluant, honores abundent, cæteraque omnia ſuppetant, quæ apud homines in precio habentur, totus tamen homo Deo diſplicet, & coram Angelis Dei deſpicitur.* Hæc ille. Sed & vt hoc in qualibet ſponſa verum eſt, ſiue pauperis ſiue diuitis; ſic in qualibet anima ornamenta eius neceſſario requiruntur. Vt omnes ad vitam & gloriã à Chriſto vocantur; ita omnium eſt eo contendere. *Non enim eſt apud eum acceptio perſonarum; ſed qui facit iuſtitiam, acceptus eſt illi*: non ſolum in omni gente, ſed & in omni ætate, ſexu, dignitate. Turba quæ præcedit, turba quæ ſequitur, Chriſtum laudat, confitetur, honorat. Nemo eſt qui ſalute per Chriſtum non indigeat. Nemo ſit qui eum non laudet. Si peccator es, Chriſto eges vt iuſtificeris: ſi iuſtus es, Chriſto eges vt glorificeris. Si peccator es, Chriſto eges ne in peccato perdures: ſi iuſtus es, vt in iuſtitia perſeueres. Si peccator es, vt cum publicano iuſtus fias: ſi iuſtus es, ne cum Phariſæo damneris.

Pſal. 54. Coloſſ. 3.

Apoc. 4.

Omnes ad pietatem æquè tenentur. Contra vituperatores vitæ monaſt. li. 3

Matt. 11.

Hom. 21. in Geneſ.

Ser. 19. de verb. Do.

Matt. 6. Ho. 41. ad pop. Ant. Simile.

Act. 10.

6. *Hoſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.*

D LOcus moralis de honorum & affectionum humanarum inſigni mutabilitate & inconſtantia. Iudæi enim qui hodie Chriſtum certatim laudabant, qui omnibus honorum officiis eum proſequebantur, qui omnia illi proſpera & fauſta clamabant, qui Meſſiam prædicabant, qui cæteros ſuis acclamationibus ita excitabant, vt, *cum intraret Hieroſolymam, commota ſit vniuerſa ciuitas, dicens, Quis eſt hic? ipſique reſponderent, Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ;* qui (vt ſcribit S. Lucas) *gaudentes laudabant Deum voce magna ſuper omnibus quas viderant virtutibus;* qui eum Regem prædicabant, dicebant enim; *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini;* qui audientes eum venire, *exierunt illi obuiam cum ramis palmarum, clamantes, Hoſanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael:* qui ad maximam in Chriſtum inuidiam Phariſæos & Scribas concitabant; quinto die poſt in necem eius omnes conſpirant, Phariſæorum & Scribarum libidini ſubſeruiunt, ad capiendum, accuſandum, condemnandum Chriſtum cooperantur, & alia longè voce

Honorum huius mũdi inſtabilitas. Matt. 21. Lucæ 19. Ioan. 12. *Sic B. Hieron. in* Matt. c. 32. *& D. Bernard. ſer. 1. in hãc Dominicam.*

clamant: *Nolumus hunc regnare super nos. Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Tolle, tolle, crucifige, crucifige. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Non est inuentus ex toto populo vnus qui de Christo bene loqueretur, qui eius innocentiam vel verbo defenderet; adeoque & *discipuli fugerunt omnes, eo solo relicto.* Hæc est rerum humanarum vicissitudo, hęc honorum huius seculi instabilitas, hæc animorum & affectionum hominum inconstantia; qua docemur huiusmodi omnia despicere. *Transit mundus, & concupiscentia eius*, ait Spiritus sanctus. Si ab artifice perito domus tuæ ruina imminens tibi assereretur, nonne cito exires? At mundi opifex de tota mundi gloria hoc nos monuit, & hoc suo exemplo docere nos voluit. In torneamentis, quæ dicuntur, & certaminibus publicis seu duellis, omnis amicorum turba ducem & inuasorem tubis, aliisque musicorum instrumentis comitari assueuit. Sed postea dux idem ab hoste superatus & vulneratus, mærens & tristis, nemine comitante reuertitur. Aman apud Assuerum Regem in tanta fuit gloria, vt ille solus à Regina Hester cum Rege ad conuiuium inuitaretur: de quo etiam apud suos magnificè gloriabatur. Sed quo die exceptus in conuiuio fuit, eodem strangulatus periit; etiam iubente Rege, cui intimus erat; etiam in gratiam Reginæ, qui inuitauerat; etiam in eodem patibulo quod alteri parauerat. Holofernes, Assyriorum dux fortissimus, qua se nocte beatissimum putabat; & post iucundissimas epulas concupitis amoribus frui sperabat, & Bethuliæ ciuitatem, quam diu obsederat, iam iam in manus suas dedendam non dubitabat, ea nocte ab inermi muliere capite absciso interijt, totumque cum vita exercitum amisit. Prophanæ historię his exemplis plenæ sunt, qualia in alia Dominica protulimus. Antiochus Rex Syriæ, ex summa quadam felicitate in extremam repente redactus miseriam, quum, vt ait Scriptura, *qui paulo antè sidera cæli se contingere arbitrabatur, eum iam nemo poterat, propter intolerantiam fœtoris, portare;* hanc fortunæ suæ mutabilitatem his ipsemet verbis deplorat: *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea! Et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* Memorabile est quod de Dionysio Syracusano scribit Aelianus. Dionysius secundus naues possidebat quadringentas; pedestres copias ad centum millia hominum, equitum nouem millia. Ciuitas vero Syracusiorum maximis portubus erat instructa, & mœnibus altissimis munita. Reconditum etiam habebat frumentum ad centum modiorum myriadas, & armamentarium scutis, gladiis, hastis, tibialibus innumeris, thoracibus & catapultis plenum: præterea sociis infinitis vigebat. His rebus confidens Dionysius, adamante colligatum imperium obtinere se putabat. Sed ipse primus fratres suos morte affecit. Vidit etiam filios suos crudelissimè mactari, & virgineum pudorem filiabus eripi, atque deinde nudas trucidari. Affines reliqui alij viui combusti sunt, alij dissecti, & in mare proiecti. Ipse in extrema mendicitate vitam senex transegit: sedensque in tonstrinis, risum hominibus commouit; atque in media Græcia turpiter versatus, miserrimam vitam traduxit. Hęc Aelianus. An non vno die, peneque vna hora, Ioram Rex Israel, & Ochozias Rex Iuda, & impia Iezabel, in summa pace & securitate quum essent, ab vno Iehu interfecti sunt? Tale fortunæ ludibrium fuit Alexander ille magnus, qui, quum tot victorias, & tam amplas breui tempore adeptus esset, vt Iouis filius, non Philippi, sibi videretur, in flore ætatis extinctus, totis triginta diebus sepultura caruit. Ducibus eius de imperio diuidendo contendentibus: moxque de ipso cadauere inter Ptolomæum & Perdiccam ingens prœlium exortum est. Demetrius quoque Phalereus, Athenienſium tyrannus, simile ludibrium fuit, cui cum populus Athenienſis trecentas statuas honoris causa erexisset, idem populus, eo adhuc viuente, omnes subuertit. Quare, vt eleganter scribit Plutarchus, nullam earum ærugo attigit, nullam squalor sordidauit, nullam vetustas attriuit. Infinita huiusmodi fortunæ leguntur ludibria. Valerianus Imperator à Persarum Rege captus, eidem Regi, quoties equum conscenderet subiecta ceruice, scabelli loco fuit, vt scribit Eutropius, donec tandem excoriatus, & sale conditus, sempiternum fieret sui infortunij trophæum, vt apud Eusebium loquitur Constantinus. Baiazetes quoque, Turcarum imperator, à Tamerlano captus, eandem propè fortunam subijt. Sed & Adonibesech, Chananæorum Rex à Iuda captus dicebat: Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Darius ab Alexandro cum tota familia & prole captus, totoque exercitu fuso, amplissimo regno vnius prœlij casu amisso; Xerxes, qui numero nauium mare sic repleuit, vt terra firma videretur, ab Athenienſibus profligatus; Iulius Cæsar in summo imperio viginti vulneribus in pleno Senatu confossus; alijque innumeri tyranni vno momento sublati, & ex amplissima fortuna in extremas calamitates subito redacti, documento esse debent, quanta sit rerum humanarum mutabilitas. Qui tot exempla vides, ne dicas tibi non prædictum, caue. Tot tam magnis viris tam cito fluentibus, ne te putes, si magnus es, solidè consistere. Curris & tu, rapidoque rerum humanarum cursu ad exitum repentinum raperis. Noli ergo eam quasi rem fixam & solidã amplecti. Vide quid Scriptura dicat: *Substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluuia personabunt.* Vanissimam mundi pompam emphaticè describit. Nam sicut in tonitruo nubes conspiciuntur imbribus onustæ, magnus terror auditur, fugiunt ex agris omnes; sed mox vbi pluuia ad modicum tempus decidit, redit plena serenitas; & ex illo tonitruo, eiusque tanto apparatu, nihil remanet nisi parum luti ex imbre confectum, quod omnium pedibus conculcatur: eodem modo potentes huius seculi ad tempus quidem magnum strepitum in mundo faciunt, famulorum

Ioan.13.
Iacobi 1.
Similia.
Exemplum
Hester.27.
Aliud.
Iudith.13.
Domin.2. Quadr. tex.3.
Aliud.
2 Mach.10
Aliud. Var.hist. li.6.
Aliud. 4.Reg.9.
Aliud. Ael.li.23.
Aliud. Plutarch. in Polit.
Aliud. Hist.li.10. In orat. Const.c.14
Aliud. Iudic.1.
Alia.
Eccli 40.
Simile.

A B C D

A mulorum caterua,& stipantium multitudine,& vario imperio sic tonant,quasi totum mundum confunderent;sed breui momento accedens mors,omnem illum strepitum in lutum conuertit,terra in terram,& cinere in cinerem redactis. Dixit eleganter Isocrates, *Athenienſium vrbem ſcortis ſimillimam eſſe. Etenim qui illarum venuſtate caperentur, velle quidem omnes rem cum ipſis habere, neminem tamen eſſe tam ſui ipſius contemptorem, qui matrimonium cum illis iungere dignetur.* Hoc autem ideo dixit,quia,quos illa ad summos honores euexerat,eosdem semper ignominiosè deijcere solebat,vt Aristidis,Themistoclis,Demosthenis exilia;Periclis,Socratis,& aliorum venena documento fuerunt.Scortum hic mundus est. Omnes volunt cum eo rem habere ; sed nemo sapiens cum eo matrimonium iunget; ita semper perfidus & mutabilis est.Dicebat idem, *Athenienſium ciuitatem ad peregrinandum in ea iucundiſsimam eſſe, ad inhabitandum vero non ita ſecuram ac tutam eſſe.* Idem planè de mundo eiusque gloria & amplitudine cogitandum. Ad peregrinandum in ea satis commodus est, ideoque ad peregrinationem tantum à summo Deo datus est: quia *non habemus hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus.* At habitare in hoc mundo velle, suam in eo felicitatem ponere,quum nihil sit eo mutabilius,securum ac tutum non est.Nec inepte Socrates notauit, has rerum humanarum mutabilitates Tragœdiarũ argumenta esse,& in eis describi Atreos illos,& Thyestas,& Agamemnones,& Aegisthos. *Nemo vero,* inquit, *Poëtarum eo progreſſus eſt impudentiæ, vt porcum mactatum in drama introducat.* Porcum quippe mactari, humanis vsibus res apta est. At potentes huius seculi miserie perire,humanæ gloriæ ludibrium est.

Aelli. 12. Apophth.

Simile.

Apophth.

Hebr. 13. Aelli. 2. Apophth.

B

EVANGELIVM DOMINICÆ PASCHÆ.

MARIA Magdalene, & Maria Iacobi,& Salome,emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde manè, vna sabbathorum, veniunt ad monumentum,orto iam sole. Et dicebant ad inuicem:Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?Et respicientes,viderunt reuolutum lapidem.Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum , viderunt iuuenem sedentem in dextris,coopertum stola candida,& obstupuerunt. Qui dixit illis:Nolite expauescere.Iesum quæritis Nazarenum,crucifixum.Surrexit,non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum.Sed ite,dicite discipulis eius,& Petro, quia præcedet vos in Galilæam.Ibi eum videbitis;sicut dixit vobis.

Marc.16.

C

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Maria Magdalene,& Maria Iacobi,& Salome.* De deuoto femineo sexu.
2. *Emerunt aromata,vt venientes vngerent Iesum.* De pietate ac liberalitate circa Dei cultum.
3. *Et valde manè,vna sabbathorum,veniunt ad monumentum.* De feruore & deuotione circa opera pietatis atque virtutis,
4. *Dixerunt ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes,viderunt reuolutum lapidem.* De fortitudine animi, & fiducia contra impedimenta virtutum , & difficultates obiectas.
5. *Surrexit, non est hic.* De Resurrectionis Dominicæ beneficio,fructu,& effectu.
6. *Sed ite,dicite discipulis eius,& Petro.* De vi & efficacia pœnitentiæ.

D

1. *Maria Magdalene,& Maria Iacobi,& Salome.*

LOcus moralis de deuoto femineo sexu. Neque enim sine causa sic canit Ecclesia, & iuuandus interdum infirmior sexus,ne se negligi putet,in generali exhortatione ad pietatem nec vix alius commodior locus ad id præstandum.Hic enim solæ mulieres , & numero tres , & valde manè,& cum aromatibus,vt vngerent Iesum,ad Christi monumentum pergunt. Latitant Apostoli,negligunt discipuli,vel timore perculsi,vel ignauia remissi,vel etiã incredulitate auersi,de Christo iam sepulto minus soliciti. Solæ mulieres in officio persistunt, labori non parcunt,offensionem non timent. Laudanda hæc feminea pietas,& aliarum in S. Scripturis feminarum proponenda exempla,vt ad similem hodie nostræ extimulentur.Commendat Apostolus fidem Raab , quæ non perijt cum incredulis , cum excepisset hospitio exploratores pacificè. Magna fuit pietas Ruth , quæ , relicta terra cognationis suæ , adhæsit Noëmi socrui suæ, dicens: *Populus tuus,populus meus; & Deus tuus,Deus meus.* Vnde dixit ille Noëmi: *Reddat tibi Dominus plenam mercedem ad quem veniſti,& ſub cuius confugiſti alas.* quod & factum est,

Feminarũ deuotio.

Exempla. 1. Hebr.11. 2. Ruth.1. & 2.

3. quum viro principi ex tribu Iuda postea nuberet. Mater septem Machabæorum, quæ vno die A
1. Mach. 7 septem filios immaniter trucidari vidit,& ad moriendum pro Dei legibus fortiter animauit,vix
4. in nouo Testamento nisi vnam S. Felicitatem parem inuenit. Mulier Sunamitis habitaculum
2. Reg. 4. domi suæ extruxit,in quo Prophetam Elizeum transeuntem hospitio reciperet: egregium fe-
5. mineæ pietatis circa Dei seruos refocillandos exemplum. Fortitudo & pietas Iudith, vt toti
Iudith. Israeli saluti fuit, ita non feminis tantum, sed & viris illustre fortitudinis exemplum reliquit.
6. Admirabilis fuit zelus & pietas Reginæ Hester,quæ pro salute populi sui, non solum ieiuniis
Hester. & precibus diu vacauit;sed etiam seipsam mortis periculo exposuit,Regem,non vocata, adiẽs,
& potentissimum eius Principem Aman in facie accusans. In nouo Testamento, Elizabethæ,
Alia. innocentia, Mulieris Chananææ fides, Hæmorrhoissæ humilitas, Magdalenæ pœnitentia,
Marthæ solicitudo, sed supra omnes mulieres benedictæ B. Mariæ matris Christi innumeræ
virtutes, immaculata virginitas, profundissima humilitas,fides promptissima, in obseruandis,
quę de Christo viderat, summa diligentia, in aliis iuuandis charitas, in filij sui spectanda
Act. 9. & passione fortitudo, ac demum harum trium mulierum insignis deuotio ac feruor, ad corda
16. feminea vehementer ad pietatem extimulanda, plurimum mouere debent. Sed & Apostolicæ
Lucina mulieres insignes fuerunt Dorcas seu Tabitha, propter frequentes eleemosynas: Lydia
Romana. quoque hospitalitatis nomine in Actis. Post Apostolorum tempora illustres admodum, & B
S. Paula, pietate præstantes feminæ claruerunt. Vna Lucina, matrona Romana nobilissima, suam do-
Eustochiũ. mum in Ecclesiam, suum prædium in cæmiterium sanctorum Martyrum conferens,frequen-
Melana, ter in Martyrologio celebratur. Celebres sunt apud D. Hieronymum Paula & Eustochium,
Blesilla, Melana, Marcella, Læta, Fabiola, quæ Romanę vrbis splendore, opibus, & hono-
Marcella, ribus relictis, ad Christi præsepe & sepulchrum visitanda, in Palæstinam concesserunt, ibi-
Læta,Fa- que consenuerunt. Melana vero etiam omnes per Aegyptum & Thebaida eremitas religio-
biola. sè visitauit, suasque eleemosynas per deserta dispersit. Quid, quod omnes ferè sancti,& Pa-
SS. Patrũ tres pietate illustres, sorores quoque habuerunt pietate excellentes, & sanctimoniales ? Ta-
sorores lis quippe fuit S. Macrina, D. Basilij & Gregorij Nysseni soror,cuius adeo vitam frater Episco-
sanctimo- pus scripsit. Talis erat Gorgonia,soror Gregorij Nazianzeni, in cuius laudem orationem fune-
niales. brem idem S.Episcopus scripsit. Talis erat Marcellina, soror D. Ambrosij, ad quam varias epi-
Macrina. stolas scripsit. S. Benedictus S. Scholasticam sororem habuit, non secus multarum virginum
Gorgonia. matrem, quàm ille monachorum pater fuit; hodieque eius amplissimum monasterium ex-
Marcelli- tat, non longè ab illa spelunca in qua per triennium Sanctus Benedictus latuit, sicuti oculis
na. nostris olim perspeximus. Sanctus Antonius, maximus ille Eremita, sororem quoque habuit
Scholastica multarum virginum matrem. Similiter Sanctus Augustinus, Sanctus Gregorius Magnus, diuus
SS. Anto- Bernardus,& S. Thomas Cantuariensis, cuius sororem Mariam sanctimonialem, post fratris C
nij, Bened. martyrium, Henricus secundus Rex Angliæ Abbatissam Berchingensem renunciauit. Porro
August. etiam nobilissimæ feminæ pietatem non secus amplexæ sunt, quod attestantur sancta Elizabe-
Gregorij. tha, Regis Hungariæ filia; S. Hedvviga, Ducissa Poloniæ; S. Richtrudis, Ducis Adalbaldi
Bernardi, vxor; aliæque multæ, quarum vitæ apud Surium extant. Sed & peccatrices conuersæ, alteræque
Thomæ Magdalenæ non defuerunt præstantissimæ, vt Sancta Maria Aegyptiaca, quæ post meretricias
Cantuar. sordes, annis septemdecim in eremo solitaria, nullo mortalium conspecto, vixit: S. Pelagia,
Peccatrices quæ aliquamdiu Antiochiæ fornicata, inclusa postea prope Hierosolymam, sanctissimè vi-
conuersę. tam finiuit: & S. Theodora, quæ post vnicum adulterij actum, sexum mentita, monasticam
vitam admirabili sanctitate traduxit. Sanctarum Virginum & Martyrum, quas celebrat Ec-
clesia, exempla sunt innumera, quæ vide apud Marcum Marulum lib. 5. cap. 6. Dicebat S.
In vita Hugo Lincolnienſis Episcopus: *Satis à femineo sexu Deus diligi promeruit, cum nasci de femina*
eius c. 13. *dignatus est. Nam quum viro concessum non sit vt vel dicatur vel sit pater Dei, hoc tamen præstitum est fe-*
apud Sur. *minæ, vt sit mater Dei.* Hæc ille. Certè maximam quandam & intimam cum piis feminis fami-
to. 6. liaritatem Deum inire, multarum exemplis animaduerti potest, vt in vitis S. Lutgardis, S.
Catharinæ Senensis,S. Mariæ Oegniacensis,S. Brigittæ,S. Hildegardis, apud Surium legere li-
cet. In hodierno Euangelio tres mulieres de Christi resurrectione primum nuncium Angelico
Tres Ma- ministerio accipiunt: eædem prima Resurrectionis Dominicæ noua Apostolis attulerunt:
riæ. eisdem Christus in via redeuntibus à monumento apparuit, seque ab illis tangi permisit. Di-
1. xit enim illis, *Auete. Illæ autem tenuerunt pedes eius.* Sed & antea hærenti prope monumentum D
2. Magdalenæ in horto familiariter apparuit, seque ipsum rediuiuum ostendit. Maxima hæc di-
3. uini amoris testimonia fuerunt. Sed & mulierum opera ac ministerio conuersionem homi-
Mulierum num operari interdum Deus dignatus est. Puella paruula in Syriam captiua ducta, Elisei vir-
opera facta tutes prædicans, fecit vt Naaman Syrus,princeps militiæ Regis Syriæ,ad Eliseum veniret,non
ad fidem solum à lepra liberandus, sed & ad veri Dei cultum conuertendus. Dixit enim: *Non faciet*
conuersio. *vltra seruus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino.* Mulier Christiana ab Ibe-
4. Reg. 5. ris captiua, quum vitam inter eos sanctissimè traduceret, & per fidem in Christum aliquos
Socrat. li. 1 sanasset, ita in sui admirationem barbarum populum commouit, vt, ea hortante, Rex
c. 16. & eorum missis ad Constantinum legatis, ac Christianæ fidei magistros petens, cum toto suo
Theod. li. 1 populo baptizaretur. Quot Philosophos S. Catharina differendo refutauerit, quantosque in
ca. 24. carcere Christo lucrata fuerit, Reginam ipsam, Regisque Tribunum, & alios plurimos,

in eius

A in eius vita legi potest. Quæ omnia vt ad pietatis muliebris commendationem faciunt, ita grauiter ex huius Euangelij occasione tractata, sexum illum commouere poterunt, vt, omni luxu & lubricitate abdicata, ad puriorem Dei cultum animos conuertant. Muliebris castitatis insignia exempla videre licet in Prato Spirituali, cap. 39. 60. 204. & 205. *In Bibliot. Patrũ, to. 1*

2. *Emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.*

LOcus moralis de pietate ac liberalitate circa Dei cultum. Istę mulieres sicut Christo viuenti seruierant, & *de substantia sua ministrauerant ei*; sic etiam mortuum omni obsequio colere non desinunt. Dixit Ruth de Booz: *Benedictus sit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.* Hanc benedictionem vt istæ facto consecutæ sunt, sic suo exemplo docent. Pietas circa mortuos in Scripturis laudatur. Abraham, vt mortuam suam sepeliret vxorem Saram, emit spelunca duplicem in agro Ephron; nec datam voluit accipere, sed appensis quadringentis siclis pretio agri, emit eam in sepulchrum vxori suę, & sibi, posterisque suis. Mulieres in hoc Euangelio non ex suis superfluis, sed *ementes aromata* vngere Iesum parant. Tobias cum vitæ discrimine sepeliebat fratres suos mortuos; quam eius pietatem his verbis laudat Raphael Angelus Dei: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Dauid quoque laudat diligenter filios Iabes Galaad, quod corpora Saulis, & filiorum eius, quæ hostes in muro Bethsam suspenderant, de nocte furati, sepulturæ tradiderant. *Misit enim ad eos nuntios, dicens: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum hoc.* Ioseph præcepit medicis vt aromatibus condirent patrem, moxq; eum maxima cum celebritate in sepulchro paterno, in terra Chanaan, sepeliendum curat. Plura hac de re vide in altero Promptuario, in hanc eandem Dominicam. Porro non ignorabant hæ mulieres, quod corpus Christi antea à Ioseph & Nicodemo datum sepulturæ esset, & cum aromatibus conditum. Nam, vt Lucas de eisdem scribit, *Viderunt monumentum, & quemadmodum erat positum corpus eius; & reuertentes, parauerunt aromata & vnguenta, &c.* Hac tamen aliena pietate non contentæ, volũt & ipsæ aliquid præstare. Nõ quiescit vera pietas, nisi ipsamet dilecto inseruiat. Martha non caruit ancillis; sed voluit ipsa Christo ministrare: & ad hoc tam pium opus voluit sororem suam à Christo aduocari, vt quem dignum putabat cui ab omnibus ministraretur. Sic istæ mulieres, volunt & ipsæ Christi corpus vngere, etsi à Nicodemo prius copiosè id factum non ignorabant. Mater filio ægroto vult ipsa suis manibus ministrare, etsi multi adsint medici, ministri, ancillæ. Sunamitis illa mortuo filio suo, nec puerum, nec ancillam ad Eliam mittit, sed ipsa, strata asina, properat ad virum Dei, vt pro filio resuscitando intercedat. Centurio in Euangelio pro salute pueri sui non contentus interessores ad Christum mittere, ipsemet occurrit ei, dicens: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* Si sic Dei honorem & cultum, sicuti nostram & nostrorum salutem, cordi haberemus, non essemus aliena pietate contenti: non publicis vel xenodochiis, vel collectis, vel ad sustentandos seu pauperes, seu captiuos mediis iam constitutis, sed ipsi eleemosynam dare, captiuos visitare, Christo seruire omnino studeremus. Temerarium est, aliena pietate niti, aliorum aut precibus confidere, aut piis operibus se pro excusato habere. Sapienter frater Aegidius, petenti cuidam seculari vt pro ipso orare vellet, Imo, ait, tu frater ora pro teipso. Si enim Rex aliquis, largitione facta, pecunias per plateas spargeret, quas qui colligere vellet, possideret, an tu alios rogares vt pro te colligerent, & non potius ipse velociter curreres & colligeres? Fac idem pro Dei gratia, quæ omnibus eam expetentibus exposita est, quod pro pecunia colligenda facere velles. Nõ est quod apponas igni ollam tuam, sperans te à proximo tuo, quod coquas, accepturum. Domi habere debes quod infundas. Melior est paruus ager proprio labore excultus, quàm tota vicinia aliena, vtcumque locupletissima. Dauid noluit ab Areuna aream & boues in holocaustum accipere: *Nequaquam*, inquit, *vt vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita.* Iacob moriens dixit filio suo Ioseph, quem supra omnes dilexerat: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Illam partem cæteris prætulit bonus Iacob, quia proprio suo labore & periculo eam comparauerat. Dicit Apostolus: *Vnusquisque secundum proprium laborem accipiet.* Non ex alienis, sed ex nostris quærenda vera laus, & apud Deum gloria, vt vnicuique dicatur: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Miles Artaxerxi per Persidem equitanti, malum punicum maximum obtulit in vanno. Rex magnitudinem eius admiratus, interrogauit: E quonam horto depromptum hoc donum mihi adfers? Illo vero respondente, domo sua, & ex suis agris; gauisus Rex supra modum, missis regiis muneribus, virum ornauit. Et, Per Solem, inquit, iste homo tali curatione & diligentia poterit etiam ciuitatem, meo quidem iudicio, ex parua ampliorem reddere: moxque eum ciuitati cuidam Præfectum dedit. Non ita munus illud Rex compensasset, si ex alieno agro depromptum, & alieno labore exultum, Regi rusticus obtulisset. Sic istarum mulierum pietatem, quæ post Iosephi & Nicodemi aromata valde pretiosa, ipsę tamen aromata emunt, vt vngerent Iesum,

Mortuorũ cura.
Ruth. 2.
Gen. 23.
Tob. 12.
2. Reg. 2.
Luc. 23.
Cultus voluntarius.
Exempla.
1.
2.
3.
4. *Reg. 4.*
4. *Matt. 8.*
Aliena pietate niti non tutum
In vita eius apud Surium, to. 7
Similia.
1.
2.
3.
Exempla.
2. Reg. vlt.
Gen. 48.
1. Cor. 2.
Matt. 20.
Ael. var. hist. li. 1.
Exemplum

mirificè compensauit Christus, illis primum post resurrectionem apparens, &c. vt iam dictum est. Sed & illud in hac muliebri pietate admiratione dignum est, quod Iudæorum inuidiam nihil veritæ, Principum suorum indignationem nihil moratæ, appositos sepulchro custodes non formidantes, sepulchri horrorem & corporis triduani nihil metuentes, maxima animi fortitudine opus pium aggrediuntur. Facinus insigne fuit, quod fortissimi illi viri designarunt; cum, sitiente Dauide, per hostes medios irrumpentes, aquam ex Bethlehemitico fonte suo Regi detulerunt. Sed non minor harum feminarum fortitudo, quæ, vt Christum in monumento vngerent, propriam vitam periculo exposuerunt. Nempe nos docent, vt propria morte, Christi mortem adoremus; vt propriæ vitæ periculo, vitæ quæ Christus est, securitatem participemus. *Non facio*, inquit Paulus, *animam meam pretiosiorem quàm me. Ego paratus sum non solum alligari, sed & mori propter nomen Domini Iesu.* Talis animi promptitudo harum mulierum videri potest, quæ potius quàm charitatem erga Christum etiam mortuum desererent, aut prætermitterent, mortis se periculo exponere non dubitarunt.

Mulierum constantia.

2. Reg. 13.

Act. 21.

A

3. *Et valde manè, vna sabbathorum, veniunt ad monumentum.*

B

LOcus moralis de feruore & deuotione circa opera pietatis atque virtutis. Istæ enim sanctæ mulieres pro sua erga Christum dilectione, *reuertentes* à sepulto Christo (vt Lucas scribit) quod fuit pridie sabbathi, *parauerunt aromata & vnguenta, & sabbatho quidem siluerunt secundum mandatum: Vna autem sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum*: &, vt nostrum Euãgelium habet, *valde manè, orto iam sole*. Ex quibus patet, eas nullum intermisisse tempus, eas primam occasionem arripuisse vngendi Christum, &, vbi primum licuit, pietatis opus, quod volebant, compleuisse. Debet in opere bono, in Dei cultu, feruor adesse, celeritas adhiberi, nulla opportunitas prætermitti. Dauid quum dixisset; *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*; causam huius diligentiæ subiungit: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*. Pulchrè Augustinus: *Amor meus, pondus meum*. Sicut enim pondera horologij efficiunt, vt rotæ incessanter currant; sic amor hominis actiones quocumque trahit, siue ille terrenus sit, rerumque terrenarum, siue cælestis, & rerum cælestium. De hac amoris vi & feruore Ieremias: *Dixi, non recordabor sermonis Domini, neque loquar vltra in nomine illius*, (quia, vt paulo antè dixit, *factus est illi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die*, sed vide quid sequitur) *& factus est in corde meo sicut ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens*. Docet sic amore diuino pectus suum flagrasse, vt verbum Dei tacere non potuerit. Hoc igne amoris inflammati Apostoli, dicebant: *Non possumus, quæ audiuimus & vidimus, non loqui*. Sic & Paulus: *Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate*. Sicut hos sanctos feruens Dei amor ad veritatis confessionem, sic alios pios ad operum piorum exhibitionem ita inflammat, vt continere se quodammodo nequeant. Hinc illud Ambrosij: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Hinc illę in Scripturis voces: *Consurget diluculo, qui quæret bona*. Et alibi: *Qui manè vigilant ad me, inuenient me*. Et Esaias sic ad Deum loquitur: *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te*. Sic & Dauid: *Manè astabo tibi, & videbo* (id est considerabo) *quia non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus*. Rursum: *Manè oratio mea præueniet te*. Docent hæ Scripturæ, primam iustorum curam esse, vt ante omnia alia, idque magno impetu ac feruore, Deo suo seruiant, sicut hæ mulieres fecerunt. Videre interdum licet in magnatum ædibus, Herculem aliquem clauam in manu habentem, & quasi omnibus ingredientibus verbera minantem, vel in tapetibus depictam, vel vt statuam excisam. Et illa quidem semper minatur, sed nunquam ferit: statque tam diu comminando, donec puluere obsita, vel vetustate consumpta, in nihilum redigatur. Amor plurimorum erga Deum, est quædam imago Herculis; totum est, faciam, faciam; sed interim nihil fit: stantque ad virtutem immoti, donec moram omnem mors abripiat, & ianuam claudat. At veræ sponsę Dei in Scripturis vox est: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*, id est festinabimus ad imitationem operum & gratiarum tuarum. Quemadmodum enim non omnia corpora eodem modo odorem percipiunt, sed alij plus, alij minus: alij enim vel rheumate, vel eo quod rudiores cibos comedunt, impediuntur: sic & in anima fit. Animæ puræ nullo turpium passionum rheumate oppletæ, nullo rerum terrenarum rudiore & crassiore affectu aggrauatæ, quas propter spiritus vigorem *adolescentulas* Salomon vocat, quarum illa vox est, *Curremus, &c.* diuinorum operũ fragrantia, & gratiarum odore ita percelluntur, vt currant post sponsum, & adhuc currendo clament: *Trahe nos post te*. Huiusmodi Christi amore harum mulierum pectora flagrabant. Nam & sic sponsus sponsam suam, Deus animam sibi dilectam compellat: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea*. Ad feruorem & diligentiam suos excitat. Vnus minister in opere feruens, magis suo domino placet, plusque obsequij præstat, quàm decem pigri, tardi, & somnolenti. De hac materia in aliis Euangeliis iam aliquoties diximus,

Feruor colendi Deũ.

Luc. 24.

Marci 16.

Psal. 62.

De ciuit. Dei li. 11. c. 28.

Simile.

Ierem. 20.

Act. 4.

2. Cor. 13.

Prou. 12.

Prou. 8.

Esaiæ 26.

Psal. 5.

Simile.

Cant. 1.

Simile.

Cant. 2.

Simile.

Dom. 1. post Epiph. tex. 1.

Do. 5. tex. 2 Dom. Sept. tex. 4. & 5 Do. Palm. tex. 4.

C

D

A

4. *Dixerunt ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem.*

LOcus moralis de fortitudine animi & fiducia, contra impedimenta virtutum, & difficultates obiectas. Sanctæ istæ mulieres, feruore charitatis in Christum abreptæ, pergũt cum suis aromatibus ad monumentum, de maxima hac difficultate remouendi lapidem (*erat quippe magnus valde*) ab ostio monumenti, nihil cogitantes, quando vel aromata sua emebant, vel è domo exibant; sed iam in via positæ, & appropinquantes loco, tunc primum difficultatem vident: nec propterea redeundum statuunt, aut à cœpto bono opere desistendum; sed inter se deliberant: *Quis reuoluet nobis lapidem?* De difficultate obiecta remouenda consultant. Sed vix bene deliberare cœperunt, quum ecce *respicientes, viderunt reuolutum lapidem*, ministerio haud dubiè Angelico. Nam, vt alius Euangelista apertè scribit, *Angelus autem Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Docet nos hic locus, propter impedimenta virtutum non debere nos ab earum opere & executione desistere, sed gratiæ diuinæ adiutorio ea facilè & semper tolli, quoties Deum circa ea consulimus, & in bono proposito persistimus. Nulla ferè virtus suo lapide caret, vel pravæ consuetudinis, quæ conuersioni multum in mora est; vel tentationis in-
B ternæ, aut à carne, aut à diabolo, quæ duo maximè militant contra animam; vel tribulationis & aduersitatis externæ, quam hostes virtutis ipsius, aut nostri, nobis excitant. Sed omnes hos lapides diuina gratia tollit, si Dei gratiam consulimus. *Angelus enim Domini descendit de cælo*, id est, *magni consilij Angelus, Consiliarius fortis, Princeps pacis*, per cuius gratiam factum est, non solum vt *prava fiant in directa*, sed etiam *aspera in vias planas*, vt in alia Dominica explicuimus, vbi & hanc totam materiam, sicut & aliis in locis, iam tractauimus. Nihilominus hic pauca addemus. Sic per Christum lapides difficultatum sublati sunt, sic aspera facta in vias planas; vt verè in Christo renati illa vox sit: *Condelector legi Dei, secundum interiorem hominem.* Rixa carnis exterior adeo non tollit interioris hominis, id est, voluntatis & rationis consensum in bonum, vt etiam tali consensu delectetur. De hac virtutis delectatione Dauid: *Lux orta est iusto* (nempe Christus, *lux mundi*) *& rectis corde lætitia.* Nam & sic mulieribus istis non solum sublatus est lapis, sed & Angeli eas lætificantes apparent, dicentes: *Nolite expauescere.* Qui & ideo albis vestibus induti conspiciuntur, vt lætitiæ signum essent. Dicunt interdum peccatores, conuersionis propositum habentes: *Quis similis bestiæ, aut quis poterit pugnare cum ea?* Quomodo diaboli tentationes, carnis illecebras, mundi oblectamenta vincam? quomodo societates & mores pristinos deseram? Quis
C reuoluet nobis hos lapides? Sunt enim magni valde. Sed respondet illico Spiritus sanctus: *Hic est patientia & fides sanctorum.* Contra huiusmodi cogitationes opus est patientia & fide: patientia circa malum obiectum, & fide circa præsens gratiæ remedium. Quid enim eo præsentius, qui dixit, *Cum ipso sum in tribulatione?* quæ verba alibi tractauimus: aut Redemptore nostro, qui dixit, *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. *& ego reficiam vos?* Hæc dulcissima promissio, pariterque validissima, ante oculos fide ponenda. Rursum illud, *Ego, ego ipse consolabor vos.* Vide quis, & quomodo, & quid loquatur. Ecclesia in suo exordio multos difficultatum lapides, tam in Iudæa, quàm per reliquas Gentes, obiectos vidit. Nihilominus scriptum est: *Ecclesia ædificabatur ambulans in timore Dei, & consolatione Spiritus sancti replebatur.* Hanc totam futuram in Christi Ecclesia, tam in genere quàm in particulari, consolationem & facilitatem circa pietatis opera, his verbis clarissimè prædixit Esaias: *Transite, transite per portas: præparate viam populo, planũ facite iter, & eligite lapides, & eleuate signum ad populos.* Diuinę gratiæ efficaciam significat, quæ offendicula atque impedimenta virtutis tollendo, viam eius facilem ac patentem reddit. In huius rei signum cum dimississet Pharao populum Israeliticum, *non eos duxit Dominus per viam Philisthijm, quæ vicina erat, reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.* Sic eos, qui de captiuitate peccati educuntur, non patitur statim
D Deus grauibus tentationum fluctibus obrui. *Imo fidelis est Deus, qui neminem patitur tentari supra id quod potest.* Sicut Ioseph venientibus ad se fratribus non solum triticum dedit ad vescendũ, sed & pecunias quoque, quibus triticum emerent: sic Deus non solum dat panem gloriæ cælestis, sed & gratiam, qua illa interim comparetur, iuxta illud Dauidis: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* In hoc ergo gratiæ adiutorio confidit iustus, memor illius quod Propheta cecinit: *Scuto circumdabit te veritas eius, nõ timebis à timore nocturno, à sagitta volãte in die, à negotio perambulante in tenebris.* In quibus verbis omnia ferè difficultatũ genera exprimuntur; vt latè & elegãter deducit diuus Bernardus hunc Psalmum explicans. Sicut enim scutum totum corpus tegit; sic veritas promissorum Dei tegit iustum, & ab omni malo protegit. Vnde Esaias: *Quis ex vobis timens Dominum, & audiens vocem serui sui?* id est, Prophetæ. *Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur super Dominum Deum suum.* Vide illustre exemplum in tribus illis pueris, quos Nabuchodonosor misit in flammam ignis. Dixit eis Nabuchodonosor: *Prosternite vos, & adorate statuam quam feci. Quod si non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardẽtis.* Magna hęc tẽtatio, magna hæc difficultas, ingẽs lapis erat. Sed illi cõfestim responderũt: *Nõ oportet nos de hac re respõdere tibi. Ecce .n. Deus noster, quẽ colimus, potens est eripere nos de camino ignis ardentis. Quod si*

Fortitudo animi contra difficultates virtutis.

Nulla virtus suo lapide caret.

Esaiæ 6.

Dom. 4. Adu. tex. 5. & 7.

Do. Quinquag. tex. 3

Dom. 4. Quadrag. tex. 2.

Rom. 7.

Psal. 99.

Apoc. 13.

Psal. 90.

Matt. 12.

Esaiæ 55.

Act. 9.

Esaiæ 6.

Typus. Exodi 13.

1. Cor. 10.

Gen. 45.

Allegoria. Psal. 83.

Psal. 90.

Esaiæ 50.

Exemplum Danielis 3.

noluerit, notum sit tibi Rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus. A
Hæc, hæc debet esse omnium fidelium resolutio. Non oportet ad inconuenientia & difficultates, sed ad Dei voluntatem atque præcepta, circa id quod fieri debet, oculos conijcere. Vide mihi sponsam illam in Canticis quærentem sponsum suum: id est, animam iustam, Deo suo placere cupientem. *Inuenerunt*, inquit, *me custodes, percusserunt me, & tulerunt pallium meum.* Sed quid tum postea? Sequitur: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Pergit in quærendo dilecto suo. Non conqueritur de damnis in via acceptis, nec de difficultatibus & impedimentis obiectis. Sic Deum suum sanctus quærebat Dauid, dicens: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuã Domine requirã.* Fractas & imperfectas voces amor ardens protulit, & rem eandẽ subinde repetit, sicut amantes solent. Nimirũ, qui pretiosam margaritam, quã perdidit, requirit, non defatigatur quæredo eam, quousque inueniat. Qui iter facit, nullam solicitudinẽ habet, nisi illius conficiendi. Qui in vena aurea aurum fodit, tanta cupiditate exardescit, vt quilibet globulus terræ ei aurum esse videatur, & singulis ictibus aurum se extracturum arbitretur. Qui piscatur, semper intendit in corticem super aquam innatantem, & omnis eius cogitatio est de piscibus capiendis. Qui redeuntem amicum in via expectat, quicquid eminus videt, seu arbor sit, seu pecus, amicus eius esse videtur. Qui aleis & sortibus ludunt, quemlibet iactum id afferre opinantur, quod optant. Nec quisquam horum, vel B
longa expectatione, vel laboribus, aut difficultatibus interiectis fatigatur, vt ab opere desistat. Atque hoc totum amor & cupiditas facit. Vbi amor Dei est, tantundem & multo plura, multo fortius operatur, obiectas omnes difficultates nihil moratus. Nouit enim, quod sicut pater filium suum, sicut pastor ouem, sicut aquila pullos, in brachiis, humeris, & alis portat, sic suos Deus, de quo scriptum sit: *Præparationes cordis eius audiuit auris tua*, id est, statim à principio boni propositi, adest suis Deus.

Cant. 5.

Psal. 26.

Philip. Diez. in hanc Dom. Similium congeries.

Psal. 10.

5. *Surrexit, non est hic.*

Resurrectionis Dominicæ fructus.

LOcus moralis de resurrectionis Dominicæ beneficio, fructu, & effectu, iuxta præsentis Dominicæ celebritatem aliquid dicendi. Non enim ideo solum Christus resurrexit, primogenitus mortuorum, vt carnis nostræ resurrectionem firmissimè crederemus, quia eadem est natura radicis & palmitum eius; ideoque si Christus, qui vitis est & radix nostra, resurrexit, nos quoque, qui palmites sumus, sine dubio resurgemus (qui totus locus ad doctrinã pertinet) verum etiam ideo resurrexit à mortuis, vt spiritualem nostram resurrectionem à peccatis, totãque vitæ nouitatem doceret: qui locus ad mores propriè spectat. Hinc Paulus: *Christus mortuus est pro-* C
pter delicta nostra, (abolendi scilicet) *& resurrexit propter iustificationem nostram*; hoc est, nouam iustitiam. Vnde alibi apertius: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu. Hoc sciẽtes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra nõ seruiamus peccato.* Sic & diuus Petrus: *Qui passus est in carne, desiit à peccatis; vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est viuat temporis.* Hic est ergo resurrectionis fructus & effectus moralis, vt totius vitæ nouitatem, eamque stabilem & perpetuam doceat. *Si enim complãtati fuerimus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Si bene mortui sumus peccato, facilè resurgemus iustitiæ. Ceruus qui iaculo ictus fugit, etsi hastile frangit, quàm diu tamen spiculum infixũ manet, lethale vulnus circumfert. Sic peccator, manente adhuc peccati affectu, etsi actum deposuit, non est plenè peccato mortuus, sed vulnus lethale circumfert. Resurgere cum Christo, est prorsus in aliũ virum mutari, & nihil vetustatis retinere: quale exemplum describit Ambrosius: *Adolescens*, inquit, *post amores meretricios peregrè profectus, & abolito amore domum regressus, occurrens meretriculæ, sed eam nõ agnoscens, dicente illa, Non nosti me? Ego sum: respondit, At ego non sum ego.* Qui verè cũ Christo resurrexit, qui in nouum hominem mutatus est, dicit cum Paulo: *Iam nõ viuo ego, sed viuit in me Christus.* Agnoscit illud eiusdem Apostoli: *Et hæc quidẽ fuistis* (fornicarij, adulteri, molles, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces) *sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Et alibi: *Fuistis quidem tenebræ, nunc autẽ lux in Domino: vt filij lucis ambulate.* Et ne quis D
hanc nouam regenerationem perfectorum tantum esse, & nõ omnium prorsus Christianorum existimet, nihil aliud hoc totum est, quod Apostolus verbis citatis dixit, quàm quod singuli in Baptismo professi sumus, & diximus: *Abrenuntio Satanæ, & omnibus pompis eius. Ibi enim* (ait Ambrosius) *tenetur vox nostra, non in tumulo mortuorum, sed in libro viuentiũ. Non hominibus, sed Deo & Angelis eius conscribentibus, dixisti, Abrenuncio*: ait sanctus Augustinus. Et vide quid diuus Basilius scripserit: *Cui væ, cui afflictio, cui angustia, ac tenebræ, cui sempiterna damnatio? nonne præuaricatoribus? nõne ijs qui fidem abnegarunt? Quomodo abnegarunt? Renuntiantes diabolo, & angelis eius, sicut canes ad vomitũ redierunt.* Hæc ille. Sed ideo huius abrenunciationis vim non tenemus, quia eius memoriã nõ seruamus. Sapienter monet sanctus Chrysost. *Sicut sine calceamentis & vestimentis in forum non descendis, ita sine hoc verbo nunquã foras prodeas: sed quum es in ianuæ vestibulo hoc prius recole verbũ: Abrenuntio tibi Satana, & cõiungor tibi Christe. Nec vnquã absq; hac voce exeas. Hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis.* Sic ille. Abrenũciare Satanæ, qui princeps est huius mũdi, qui Rex est super omnes

1. Pet. 4.

Rom. 6. Simile.

Exemplum De pœnit. li. 2. c. 10. Galat. 2. 1. Cor. 6.

Abrenunciatio in baptismo facta. De ijs qui init. myst. cap. 2. In lib. de rectit. Cath. conuersat. Lib. de Spiritu sancto, c. 11. Ho. 21. ad op. Ant.

omnes filios superbiæ, qui operatur in filijs diffidentiæ, est toti vetustati peccati renunciare, &
A cum Christo resurgere. Vnde Apost. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ sunt super terram. Mortui enim estis* (abrenũciantes mundo & Satanæ) *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hæc est omnium Christianorum debita resurrectio. Iam enim sumus *non amplius hospites & aduenæ, sed ciues & domestici Dei:* sumus filij & hæredes secundùm spem vitæ æternæ, candidati regni cœlestis. Ibi Patrem profitemur, ibi conuersatio nostra est. Pulchrè Chrysostomus: *Quomodo, inquis, cupiditatem rerũ terrenarum repellam? Si Ethnicus esses, & nihil post hanc vitam sperares, difficile forsan esset. Nunc autem cælum expectans, & ea quæ in cælo sunt, dicis; Quomodo repellam? Si contrarium tibi dicerem, Expete diuitias, appete terrena; potiùs tu mihi diceres, Et quomodo hoc faciam, si cælum expecto, à quo ista me retardant? Iniuriam tibi facerem, si proposito tibi auro, & pretiosis lapidibus, plumbum tibi appetendum dicerem.* Hæc ille. Hoc totum nos docet nostra per Christum & cum Christo resurrectio. Quod & Dauid his verbis docuit: *Filij hominũ, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendaciũ?* id est, vanas ac fallaces diuitias, falsas ac mẽdaces voluptates. Sed quare huic vanitati finẽ nunc imponi vult? Sequitur: *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum,* id est, glorificauit Christum suũ. Quasi dicat: Alios mores hoc tempus postulat. Sic & Paulus, postquam Timothæo suo dixerat; *Labora sicut bonus miles Christi. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit;* subiungit: *Intellige quæ dico. Memor esto, Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis,* id est: Intellige ideo tibi laborandũ esse,
B & c. quia Christus resurrexit, quia quæ sursum sunt, quærẽda, sunt ea quæ sursum sũt sapere, id est, appetere, diligere & prosequi debes. Quare paulò pòst adiungit: *Fidelis sermo. Nam si cõmortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus.* Hoc est resurrectionis Dominicæ documentum. Docet nos ad gloriam cum Christo resurrecturos, si interea mortificatione & patientia ei conformamur. Hæc est spes viua & vera, non fallax & inanis. *Benedictus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis: in hæreditatẽ incorruptibilem & immarcescibilem conseruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini.* Qui in virtute Dei custoditur, à potestate videlicet diaboli, & à seruitute peccati (ad hoc enim est virtus Dei in nobis) ille regeneratus est in spem viuam & veram, per Christi resurrectionem; non qui adhuc peccatis suis seruiunt. Hæc est ergo (vt loquitur August.) *Resurrectio congrua* futuræ corporum resurrectioni: vt interim resurgentes ab omni peccato, in nouitate vitæ ambulemus; *& abnegantes impietatẽ & secularia desideria sobriè, piè, & iustè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.*

Coloss. 3.

Ephes. 2.

Hom. 7. in Acta Apost.

Psalm. 4.

2. Tim. 2.

Spes viua. 1. Petr. 1.

De Spir. & lit. cap. 29. Tit. 2.

6. *Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro.*

C LOcus moralis de vi, virtute, & efficacia veræ pœnitentiæ. Petro enim cum cæteris discipulis nominatim iubet Angelus Christi resurrectionem annunciari, vt intelligerent eũ, etsi in passione Christi omnium turpissimè lapsum, quia Christum ille solus negauit, abnegauit, & abiurauit, idque tertiò, nunc tamen nihilominus Christo gratum esse, in numero discipulorum eius haberi, & resurrectionis Dominicæ nuncio dignum esse, propter veram & cordialem quæ interceſſerat pœnitentiam. Christo enim ter abnegato, ad se statim rediens, *exiuit foras, & fleuit amarè.* Hunc exitum à loco & statu peccati, hunc fletum, has amaras lachrymas, ita misericors Deus respexit atque complexus est, vt, perinde ac si non peccasset, in numerum discipulorum Christi, & electorum Dei, iterum ascisceretur. Nam & ideo Christus Petro seorsim apparuit, ipso resurrectionis die. Nam in eius diei vespere congregati vndecim, narrauerũt & dixerunt; *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Vnde D. Hieronymus in hunc locum: *Dicit specialiter, Et Petro; quia se indignum iudicauit discipulatu, cum ter negauit Magistrum. Sed peccata præterita non nocent, quando non placent.* Notauit & hoc D. Gregorius: *Si hunc Angelus non nominatim exprimeret, qui Magistrum negauerat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione.* Tanta veræ pœnitentiæ vis, sic illa Deo grata est. Filius prodigus in Euangelio, post pœnitentiam, *recipit stolam primam,* & magno conuiuio à patre excipitur. Vox pœnitentis est: *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Et apud Esaiam Deus dicit; *Si fuerint peccata vestra vt coccinũ,*
D *veluti nix dealbabuntur: & si fuerint rubra vt vermiculus, velut lana alba erunt.* His verbis non solùm vera peccati condonatio, sed perfecta in integrum restitutio significatur. *Qui per pœnitentiam resurgunt* (ait Chrysostomus) *magna charitate resplendent, & nunnunquam maiori, quàm illi qui nunquam ceciderunt.* Sic & Ambrosius: *Sæpe videmus, qui antè negligentiores fuerunt, peccato aliquo commisso fieri diligentiores, & ex illo per pœnitentiam euadere solere perfectos.* In Scripturis sacris renouatio per pœnitentiam perfectissima describitur, comparatione rerum naturalium, in quibus perfectissima fit mutatio, adhibita. Dauid in persona peccatoris Deo reconciliati ait: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam. Qui coronat te in misericordia & miseratione. Qui replet in bonis desiderium tuum. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Ex omnibus præmissis hanc renouationem concludit Propheta: Aquilæ in senectute superior rostri pars ita accrescit, vt cibũ capere nequeat, ideóque debilitata deficere incipiat. Sed naturæ instinctu, rostrum ad petram

Pœnitentiæ virtus.

Luc. 22.

Luc. 24.

In com. in Marc. 16.

Hom. 21. in Euang.

Luc. 16.

Psalm. 50.

Esaiæ 1.

Ad Theodorum lapsum par. 1. Præfat. in

Psalm. 37.

Psalm. 102.

Simile. Aquilæ renouatio.

confringit, atque ita cibum capiens, vires resumit pristinas, ac denuo iuuenescit. Peccator longa peccati consuetudine gustum pietatis amittit: *Oblitus est comedere panem suum*, panem verbi Dei, panem vitæ cælestis: atque ita totus languet & deficit circa animæ salutem. Sed si rostrum hoc accrescens, prauæ consuetudinis, & duri cordis, ad petram, quæ Christus est, per pœnitentiæ lamenta, & cordis contritionem confringit, renouabitur vt aquilæ iuuentus eius. Dicit iterum Dauid: *Vox Domini præparantis ceruos, confringet Dominus cedros Libani.* Cedri Libani, sunt superbi impœnitentes: hos Dominus confringit, & iusto iudicio disperdit. Cerui sunt, qui per pœnitentiam à Dei voce præparantur & renouantur; ab illa (inquam) voce: *Venite ad me, & ego reficiam vos.* Ceruus enim senio confectus, tam fortiter respirat in ostio speluncæ, in qua sentit esse serpentes, vt illos foras prodire compellat: quos statim dentibus conterens, affluenter sudat, tantámque aquæ & praui humoris copiam sudore egerit, vt prorsus renouatus & velox fiat. Sic qui in peccatis veterascit, per pœnitentiæ lachrymas, & sudorem, quem peccati confessio & eductio generat, dum peccatorum suorum serpentes bona cõfessione educit, *& conterit Satanam sub pedibus suis*, nouas ad currendum in via virtutis vires resumit, & penitus renouatur, *saliens sicut ceruus, saliens in montibus, transiliens colles*; omnes difficultates superans, omnia ardua perficiens. Sed & accipitris renouatio hanc pœnitentis admirabilem immutationẽ docet. Dicit Deus ad Iob: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Accipiter enim (quod & de Phœnice scribitur) calidum meridiei ventum quærens, contra eum alas expandit, vt calidissimi venti æstu poris adapertis, assiduo alarum motu veteres plumæ expellantur, nouæque eodem fouente calore excrescant. Sic peccator diuini Spiritus afflatum feruentem nactus (de quo sponsus ad sponsam dicit, *Vbi pascis? Vbi cubas in meridie?*) expandit peccata sua, vehementi cordis contritione *recogitat in amaritudine annos suos*, & hoc saluberrimo motu, hac sui concussione (*tristitia enim secundùm Deum, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*) in nouum hominem mutatur; & affectibus pristinis, secundùm quos priùs cucurrit, decussis, nouos induit, factus *noua in Christo creatura.* Sed & coluber renouandi se artem à natura didicit, dum per arctissimum petræ foramen, aut lapidum angustias pertransiens, veterem pellem excoriatus deponit, nouáque protinus assumpta refloresçit. Sic autem & peccator, exuto penitus veteri homine, nouum induit. Exuitur autem vetus per arctam pœnitentiæ vitam, vt induatur nouus, per abundantem Christi gratiam. Dauid grauia commisit peccata: sed per pœnitentiam ita renouatus fuit, vt testimonium illi perhibeat sacra Scriptura: *Inueni Dauid virum secundum cor meum.* Sanctus Petrus, abnegato Christo, per pœnitentiam sic surrexit, vt plus cęteris Christum diligeret, plus diligens cæteris præficeretur, factus Ecclesiæ Princeps. Sancta Maria Magdalena, peccatrix dicta, sic per pœnitentiam renouatur, vt de ea dicat Christus: *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.* Sic postea dilexit, vt cum primis ad monumentum Christi venerit, cæteris recedentibus sola remanserit, ideóque prima Christum post resurrectionem viderit, dicente Diuo Marco: *Surgens IESVS manè prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Sancta Maria Ægyptiaca, Pelagia meretrix Antiochena, Theodora Alexandrina adultera, per pœnitentiam renouatæ, sanctissimam postea vitam duxerunt. Sanctus Bonifacius Martyr, post fornicationis peccatum ita pœnituit, vt, patria relicta, ac Martyrum obsequio se totum dans, nobilissimus tandem Martyr, & ipse fieret. Hæc est veræ pœnitentiæ vis admirabilis & efficacia.

Psalm. 102

Psalm. 28.

Matth. 11.
Simile.
Cerui renouatio.

Rom. 16.

Cant. 2.

Iob 9.
Simile.
Accipitris renouatio.

Cant. 1.

2. Cor. 2.

Galat. 6.
Simile.

Act. 13.

Lucę 7.

Marc. 16.
Invitis sin gulorum apud Sur.

A

B

C

A

EVANGELIVM DOMINICÆ

in Albis.



VM esset serò die illa, vna Sabbathorum, & fores essent clausæ, *Ioan. 20.* vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit eis ergo iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus de duodecim, qui dicitur Di-
B dymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorũ, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem, & alia signa fecit IESVS in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

C *PERICOPE moralis huius Euangelij.*

1. *Cum esset serò die illa.* De spe & fiducia in Deum non deponenda.
2. *Stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis.* De pace Christi varia ac multiplici, credentibus in eum data.
3. *Cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.* De gloria Crucis & passionum Christi.
4. *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt.* De peccatorũ confessionis Sacramentalis necessitate, vtilitate, & frequentatione.
5. *Thomas, vnus ex duodecim, non erat cum eis quando venit Iesus.* De bonorum consortio diligenter retinendo.

1. *Cum esset serò die illa.*

LOcus moralis de spe & fiducia in Deum non deponenda. Christus Dominus, neq; statim post resurrectionem suam discipulis suis apparere voluit, vt eorum spem & fiduciã exerceret; nec apparitionem suam diu distulit, ne spem eorum & fiduciam falleret. Quibusdam certè signis & nuncijs eorum spem fouebat, apparens modò Petro, modò Magdalenæ, modò
D Marijs in via, modò duobus discipulis euntibus in Emaus: sed omnibus simul congregatis non apparuit, nisi serò, quum iam ianuæ essent clausæ, etsi summo manè surrexerat. Sic nobiscum agit Deus. Etsi non statim liberat à malis, interim tamen, si spem in eum non deponimus, quædam beneficia nobis præstat, quæ quasi nuncij sunt & spõsores futuræ liberationis. Est hæc virtus spei non secùs necessaria quàm fides, propter continua ferè aduersa, quibus iusti exercentur. Hac virtutè destitutum sic redarguit Propheta: *Et nunc quare mœrore contraheris? Nunquid Rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor vt parturientem?* Sic nempe diffidentia & pusillanimitas animum perturbat, quasi nec Rex noster Deus esset, nec Consiliarius Christus, nec Consolator Spiritus sanctus. Aliter Dauid, seipsum quasi arguens: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*, id est, nunquam desinam confiteri, & dicere: *Salutare vultus mei, & Deus meus*, id est, quod ipse saluabit me, & habebit curam mei. Cuius rei vide in ipso Dauide admirabile exemplum. *Saul & viri eius, in modum coronæ*

Spei & fiduciæ virtus.

Mich. 4.

Psalm. 41.

Exemplũ. 2. Reg. 2.

cingebant Dauid & viros eius; idque ita, *vt Dauid desperaret* (humanitus loquendo) *euadere se posse à facie Saul.* Sed ecce auxilium oportunum. *Nuncius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philistym super terram. Reuersus est ergo Saul, desistens persequi Dauid, & perrexit in occursu Philistinorum.* Sic quum Sennacherib, Rex Assyriorum, arctissimè obsideret Hierusalem, & Rex Ezechias oraret Dominum, respondit ei per Esaiam Prophetam Deus: *Ecce, ego immittam ei spiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram suam, & deiciam eum gladio in terra sua.* Quod & factum est. Permisit Deus ad extremum & in summum discrimen adduci Dauidem & Ezechiam, & in eo articulo liberat. Quum Deus Abrahæ præciperet, vt immolaret filium suum Isaac, quẽ diligebat; etsi tam puerum à morte, quàm senem ab illa graui tentatione liberare decreuerat, tamen nec quũ de noctu surgeret Abraham, vt Dei mandatum exequeretur, nec quũ ligna in holocaustum concideret, nec quum ea asino imponeret, nec quum ih via toto triduo ambulauit, nec quum ad sinum montis iam peruenisset, vbi seruos dimisit, nec quũ ligna holocausti super filium imposuit, nec quum de victima holocausti Isaac patrem interrogaret, nec quum altare ædificabat, & ligna superposuit, nec quando filium suum ligabat, nec quando illum super struẽ lignorum iam colligatum ponebat, nec quando gladium in manu accepit; sed in extremo prorsus articulo, cum brachium armatum iam eleuatum, & ad feriendum paratum habebat, vocat illum Deus, & filium à morte, patrem ab occisione liberat. Toto hoc tempore, & per tot actus intermedios spem & fiduciam Abrahæ Deus exercuit. In omnibus igitur aduersis illud Prophetæ Abacuc memoria tenendum: *Si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso:* vel, vt D. Paulus legit, *non placebit animæ meæ.* Nempe Dei sapientia hac auxilij sui dilatione desiderium nostrum accendere & augere vult, vt tanto sit beneficium dulcius, nósque ipsi diuinæ gratiæ capaciores. Nam & desideria dilata crescunt; & Dei dona tanto vberiùs capiuntur, quanto ardentiùs desiderantur. Hinc illæ Scripturæ: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* Rursum: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Et iterum: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sitientes potat Deus, esurientes pascit, desiderantes ditat. *Spiritus meus,* ait Deus, *super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauũ. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* De hac materia superiùs plura vide.

Aliud.

4. Reg. 19.

Aliud.

Genes. 22.

Abac. 1.

Heb. 10.

Apoc. 21.

Ioan. 7.

Matth. 5.

Eccli 24.

Domin. 4. post Epiph. text. 1. 2. & 4.

A

B

2. *Stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis.*

C

Pax donũ Christi.

LOcus moralis de pace Christi, credentibus in eum relicta. Nempe vt præcipuus finis, & scopus aduentus Christi erat, vt pacem adferret; sic prima eius vox post glorioſam resurrectionem hęc erat: *Pax vobis.* Illam nũc de facto confert, quam per sacratissimam passionem prometuerat. Christo nato statim Angeli cecinerunt, *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Vbi primum Christus discipulos suos ad prædicandum misit, primum mandatum erat, vt quamcumq; domum ingrederentur, dicerent: *Pax huic domui.* Paulo ante mortem dixit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Deniq; resurgens à morte, discipulis congregatis, & ipso resurrectionis die, & in hac eius octaua, bis dixit, *Pax vobis.* Sed multiplex est hęc pax Christi, à pace mundi longè diuersa. Prima pax nostra est, amicitia cum Deo, in statu gratiæ, & immunem à peccato, quod à Deo separat, vitam agere. De hac pace dicitur: *Ipse est pax nostra* (effectiuè scilicet) *qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ* (id est, peccatum, quod tanquã paries diuisit nos à Deo) *soluens inimicitias* (cum Deo scilicet) *in carne sua,* pro nobis crucifixa. De hac etiam alibi: *Iustificati ex fide* (vt ex principio iustificationis) *pacem habeamus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.* Reconciliatio nostra cum Deo per Christũ facta, est hæc pax nostra. Venit enim (vt cecinit Zacharias) *visitare nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris sedent, & in vmbra mortis* (id est, in peccatis suis) *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* De hac pace cũ Deo, proprio incarnationis & passionis Dominicæ fructu, in alia Dominica diximus. Alia pax etiam per Christum est, conscientiæ quies & pax, quæ est fructus prioris, de qua etiam in præcedentibus diximus. De hac Esaias: *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternũ: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Multis verbis rem eandem explicat, pacem iucundissimam in conscientijs piorum: quam tribus verbis sic Dauid tradit; *Orietur in diebus eius* (id est, Christi) *iustitia, & abundantia pacis.* Præcedit iustitia per Christum, & sequitur pax copiosa. *Mens* enim *secura quasi iuge conuiuium.* Hæc vtraque pax summum quoddam est & maximè delectabile huius vitæ bonum, firmum quoque & stabile, quia circa solidum bonum versatur. Sicut enim ignis iuxta materiam subiectam, aut diu & multum, aut parum paruóque tempore ardet; sic pax animi iuxta ea in quibus quiescit, & voluptatẽ capit, aut firma est & solida, aut fluxa & inanis. Pax mũdi, quia non nisi circa res fluxas, & vt plurimũ malas, versatur (vt in quadam Dominica explicauimus, super illa verba: *Bonum est nos hic esse*) non est verè pax. Pax conscientiæ, quæ in Dei amore, & iustitiæ ac virtutis actione versatur, nõ potest non esse, vt Deus ipse ac iustitia Dei est, firmissima & iucundissima. Hæc pax omne illud bellum tollit, quod cum diabolo, cũ mũdo, & carne, spiritus hominis alioqui incessanter debet prosequi. Quũ enim spiritus prævalet aduersus carnem, communis hostis diabolus facilè superatur. quemadmodum enim aliquando accidit, vt duo canes, qui nunquam inter se conuenire potuerunt,

Lucæ 2.

Matth. 10.

Ioan. 14.

Pax cum Deo.

Ephes. 2.

Rom. 5.

Lucæ 1.

Dom. 3. Quadrag. text. 3.

Ibid. tex. 4

Pax conscientiæ.

Esai. 32.

Psalm. 71.

Prouer. 15.

Simile.

Dom. 2. Quadrag. text. 3.

Simile.

D

potuerunt, conſpecto tamen lupo, communi hoſte,& eum pariter adorti, facilè profligantes,
A firmiſſima poſtea amicitia coniuncti fuerint: ſic carne & ſpiritu (quæ ſibi inuicē naturaliter aduerſantur) per Chriſti gratiam conciliatis & communem hoſtem diabolum,qui carnem ad voluptates,ſpiritum ad cupiditates ſolicitat, pariter impugnantibus,pariter contra eum dimicantibus; tum ille facilè vincitur,tum iſtæ arctiori pacis fœdere coniungũtur. Alia pax Chriſti eſt, nihil in hac vita aduerſum formidare. Quum enim Apoſtolis futuras tribulationes prædixiſſet: *Hæc* (inquit) *locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.* Hæc pax eſt perpetua & firma fiducia in Chriſtum,de qua in alio Euangelio diximus. Hanc pacem Apoſtolis turbatis in hoc Euangelio Chriſtus dat, vt omnem animis eorum perturbationem,quam ex eius acerbiſſima morte conceperant penitus depelleret,& noua quadam lætitia ſuo conſpectu eos perfũderet. De hac triplici pace,in Deo,in conſcientia,in Chriſto,ſic ſcribit Auguſt. *Hæc eſt illa glorioſa pax,quæ fructus malarum cogitationum eructat,mentẽ fluctuantem illæſam conſeruat, conſcientiam purgat. Qui pacem cordis, oris,& operis non habet, Chriſtianus dici non debet. Qui in hac non ſperat, in lubrico vitam & pedem ponit, in tempeſtate nauigat,in præcipitio ambulat, in arena ſeminat.* Hæc ille. Hanc nempe pacem pro teſtamento Chriſtus Apoſtolis dereliquit, tanquam ſummum huius vitæ bonũ,quo nullus carere debet,quo omnes beati eſſe incipiunt. Porrò & ad hanc Chriſti pacem pertinet pax cum proximo,nec ſolùm in nobis, ſed & inter nos ipſos. De qua in eodem ſermone ſic Auguſt. *Sicut ſpiritus humanus nunquam viuificat membra, niſi fuerint vnita; ſic Spiritus S. nunquam nos viuificat, niſi pace vniti fuerimus.* Hoc eſt quod Apoſtolus di-
B xit: *Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Pax enim cum proximo, ſeruat vnitatem in ſpiritu noſtro,& vinculum quoddam ac firmamentum eius eſt: ſanè huiuſmodi,vt, vbi primũ hæc ſoluta fuerit, altera quoque diſſoluatur. *Quemadmodum enim* (ait S. Chryſoſtomus) *ſi quando teipſum alteri cuipiam alligare volueris, alia ratione illud non potes, niſi illum tibi colligaueris: ita hic Apoſtolus alligari nos inuicem vult, non ſimpliciter pacificos eſſe, neque vtcunque diligere, ſed in omnibus vnam animã eſſe.* Talis erat primorum Chriſtianorum pax. *Credentium erat cor vnum,& anima vna.* Nulla tam ſuauis muſices harmonia,quàm ille concentus animorum. Nulla ædificiorum pulchritudo talis,quãta eſt fidelium concordia. Totum hoc vniuerſum, quod ex elementorum concordia coaleſcit & ſtat,non ita Deo gratum eſt,vt pax & concordia Chriſtianorum. Vnaquæque acies ſuum habet vexillum; omnis familia nobilis ſuum habet proprium ſtemma; cuiuſque paſtoris grex ſuum habet characterem: at familia Chriſti, amoris,pacis,concordiæ proprium ſignum habet, dicẽte Chriſto: *In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad inuicem habueritis.* Hinc Apoſtolus omnem inter Chriſtianos litigandi formulam pro delicto habet. *Iam quidem* (inquit) *omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos,* id eſt, iam oſtenditis vos in peccato eſſe, in ſtatu gratię, in charitate non eſſe, eo quòd litigatis,& vide vt probet quod dicit; *Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Nempe,vt alibi dixit, *Charitas omnia ſuffert.* Qui
C ergo nihil ſuffert, nihil pati iniuriæ vult,charitatem ſe non habere oſtendit. Raræ ſunt lites inter patrem & filium,inter virum & vxorem. Ratio eſt,quia vt plurimum talis inter hos dilectio eſt,vt multa prius pati velint,quàm ad lites deſcendere. At Chriſtianorum omnium,qui fratres ſunt,vnius Dei Patris filij, vnius Chriſti capitis mẽbra, vnius Eccleſiaſtici corporis partes,vno pane & vno calice participantes,non minus arcta charitas & dilectio eſſe debet quàm illorum eſt. An verò ſicut canones quidam Eccleſiaſtici exoleuiſſe dicuntur,ita verba Apoſtoli iã exoleuerunt, quia aliter ſe habet conſuetudo? Non magis certè, quàm ſi ad Decalogũ amplius neminem obligari diceres,quia pauci eum per omnia obſeruant & adimplent. At vim vi repellere licet. Sed violata Chriſtiana pace id non licet. Nihil tale potes litigando conſequi,quale amittis Chriſtiana pace violata. Pulchrè D. Gregorius Nazianz. *Dicamus fratres his qui nos odio habent; Parcam tibi in re aliqua parua, vt maius aliquid, nempe concordiam, accipiamus: vincamur, quo vincamus.* Satius eſt pecuniam amittere, quàm charitatem, pacem, concordiam cum fratre; qua deperdita, pacem cum Deo, pacem conſcientiæ, pacem & fiduciam in Chriſto pariter amittis. Vim vi repellere, ius ſuum proſequi eatenus licet, quatenus illud aut Reipublicæ, aut iniuriam facienti vtile eſt, ne vel illa detrimentum accipiat, vel iſte impunè malè agat. Propriæ iniuriæ aut cõdonandæ, aut ſalua charitate (quod difficillimum eſt) proſequendæ. *Cæſaris mores* (ait S. Auguſtin.)
D *extollens Cicero, dicebat: Nihil obliuiſci ſoles, niſi iniurias. Dicebat hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed ſi laudator, talem Cæſarem nouerat. Si autem adulator, talem eſſe debere oſtendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat.* Quod cum laude præſtatur ab Ethnicis,an vt ſtultum vituperabitur à Chriſtianis? Sed nunc ad noſtra redeamus. Loquens Dominus ad Noë, dixit: *Fac tibi arcam de lignis leuigatis; manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus & extrinſecus.* Arca Eccleſiam ſignificat, quæ ædificatur, ex credentibus, per pœnitentiam & Sacramenta perpolitis. In hac manſiunculæ, varij credentium ſtatus vocationes variæ ſunt. Sed vt hi omnes in vocatione diuerſa bene cohæreant, totáque Eccleſia firma ſit, vt aquas, vel externæ & peregrinæ doctrinæ, vel tentationum & perſecutionum, non intromittant, nec ab eis ſubmergantur, bitumine & glutine firmiſſimæ charitatis, concordiæ & pacis intus & exterius,& in vnoquoque, tũ quoad ſe, tum quoad proximum, obliniri debent. Alioqui arca diu non ſubſiſtet, quia *omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur,* vt ſuperiùs explicatum eſt. *Niſi Dominus ædificauerit ciuitatem, in vanũ laborauerunt qui ædificant eam.* Dominus autem non ædificat, niſi mediante charitate. Nam vt

Pax confidentiæ. *Ioan.16.*

Dõ. 4. *poſt Epiph. tex. 1. 2 & 4.*

Serm. 2. ad fratr. in eremo.

Pax cum proximo. *Epheſ. 4.*

Homil. 19. ad Epheſ.

Act. 4. Similia.

Ioan.13. *2. Cor. 6.*

2. Cor. 2. *Simile.*

Vim vi repellere, vi lata charitate, nõ licet. Serm. 3. de pace.

Epiſt. 5. ad Marcellin.

Geneſ. 6. Allegoria.

Dominic. 3 Quadrag. Pſalm. 126

1.Cor. 8. *ſcientia inflat*, ſic *charitas ædificat*, quod etiam ſuprà explicatum eſt. Sequitur ergo: *Vanum eſt vobis* A
Pſalm.129 *ante lucem ſurgere*, id eſt, ante charitatem & pacem ad opus vos accingere. *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Poſtquam recogitando in amaritudine annos veſtros, in pœnitẽtia ſederitis, vos, qui in peccatis perpetrandis cibum omnem & voluptatem ponitis, tunc demũ
Exemplũ ad ædificandum ſurgite. Hac de cauſa volens Salomon templum Domino ædificare, dixit: *Nũc*
3.Reg 25 *requiem dedit Deus meus mihi per circuitum, & non eſt Satan, neque occurſus malus. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei.* Significat hoc totum, ſpirituale ædificium Deo ædificari nõ poſſe, vbi Satan eſt, vbi diſſenſio eſt, vbi pax & requies non eſt. Dicit D. Ioannes, ſe equum rufum vidiſſe; *& qui ſedebat* (inquit) *ſuper eum, datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe in-*
Apocal.6. *terficiant, & datus eſt ei gladius magnus.* Equus iſte rufus, homines diſcordes, ſanguinarios, & furio-
Allegoria. ſos denotat. Qui ſedet in eo, diabolus eſt, *qui operatur in filijs diffidentiæ, à quo & captiui tenentur ad*
Epheſ.2. *voluntatem eius*, ſicut equus ad ſeſſoris voluntatem in omnem partem flectitur. Contrà verò pax
2.*Tim.2.* conglutinat, charitas ædificat, concordia compaginat. Quis in hoc templum ingredi auderet, niſi certus eſſet, totum ædificium cæmento & lapidibus ita bene compaginatum eſſe, vt nullũ ſit ruinæ periculum? Eodem modo nec Eccleſia, nec ſocietas vlla, nec anima cuiuſquam in tuto eſt, ſi in pace non ſit. Hinc Apoſtolus in omnibus ſuis epiſtolis, vt Dei gratiam, ita animæ pacem illis optat, ad quos ſcribit: *Gratia* (inquit) *vobis, & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chri-* B
Rom. 1. *ſto.* Sic ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad
1.*Cor.1.* Theſſalonicenſes, ſtylo perpetuo ſcribit. Duo videlicet ſumma bona, radicem & fructum, prin-
2.*Cor.2.* cipium & perfectionem, ſuis exoptat. Ad Philippenſes verò repetens, dicit: *Pax Dei, quæ exupe-*
Gal. 1. *rat omnem ſenſum*, id eſt, cuius fructus, ſuauitas, & felicitas nullo ſenſu comprehendi poteſt, *cu-*
Epheſ. 1. *ſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu.* Hanc pacem maximè cum proximo ſer-
Philip.1. uandam ipſa natura nos docuit. Vix enim animal præter hominem reperitur, cui natura ad ſui
Coloſſ.1.& defenſionem, vel etiam aliorum offenſionem, arma non dederit. Aliis namque cornua, alijs dẽ-
4.1.&2. tes, aliis vngues, aliis roſtra, aut ſtimulos in hũc finem dedit: at homini nec cornua vt boui, nec
Theſſ.1. vngues vt leoni, nec dentes vt cani, nec roſtra, vt auibus, nec ſtimulos vt apibus, quibus proxi-
Pacem cũ proximo natura docet. mo ſui generis noceat, natura dedit; ſed prorſus nudum & inermem in hunc mundum introduxit, vt animal pacificum; à pugna & contentione alienum. At nunc, quum fœuis inter ſe cõuenit vrſis, homo homini lupus eſt, non ſolùm parum Chriſtianum, ſed etiam degenerem contentio & diſcordia oſtendit. *Sex* (inquit Salomon, *ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimũ odit anima eius.*
Prou. 6. Hoc ſeptimum eſt: *eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Huius cauſæ multæ ſunt. 1. Quia odiũ C
aduerſatur præcipuæ virtuti, quæ eſt charitas. 2. Quia tale odium non vnius, ſed vnitatis & pacis odium eſt. 3. Quia hoc totum in alijs procurat. 4. Quia primus procurat & ſeminator eſt mali. 5. Quia non qualemcunque auerſionem, ſed diſcordias ſeminat. 6. Quia inter eos qui fratres erant, & prius vniti. Tenendum ergo quod Propheta dixit: *Inquire pacem, & perſequere eam.*
Pſalm. 33.

3. *Cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus.*

Crucis & Paſsionum Chriſti gloria. LOcus moralis de gloria & crucis & paſſionum Chriſti. Et Chriſtus quidem in hoc Euãgelio idcirco manus clauis confixas, & latus perforatum oſtendit, vt veritatem corporis crucifixi, diſcipulis oſtenderet, eorumque fidem firmaret. Sed non ob hanc ſolùm cauſã, has ſacratiſſimorum vulnerum ſuorum cicatrices, hæc Paſſionum ſuarum veſtigia, hæc factæ redẽptionis ſigna Chriſtus Dominus, poſt reſurrectionem ſuam in corpore glorificato ſeruauit; ve-
In loã.c.20 rum etiam vt glorioſa ac perpetua eſſent Chriſti crucifixi monimenta. Seruauit ea (ait Ferus) ceu margaritas quaſdam victoriæ, & ſplendida pacis, quam attulerat mundo, ornamenta vel teſtimonia. Poterat quidem clauorũ & lanceæ penitus extirpare veſtigia; ſed ſeruanda erant oculis paternis decentia Filium charitatis & obedientiæ ſigna, veneranda noſtræ cauſæ patrocinia, D.
noſtrique amoris incitamenta, & horroris impiorum perpetua incendia. Hæc ille. Nempe, vt ſa-
Conc.1. in hanc Dom. pienter annotauit Philip. Diez, quemadmodum Chriſtus Dominus Incarnationis ſuæ & Paſſionis memoriale perpetuum in hac militante quidem Eccleſia venerabilem Euchariſtiam, corporis & ſanguinis ſui exiſtentiam Sacramentalem reliquit: ſic in Eccleſia triumphante, quæ in æternum duratura eſt, hac militante cum ſeculi conſummatione deſitura, eiuſdem Incarnationis & Paſſionis ſuæ memoriale æternum, vt recentem tanti beneficij memoriam beati ſemper haberent, vulnerum ſuorum ſigna & cicatrices in carne Filij Dei glorificata in æternũ conſpi-
Apocal. 5. cua eſſe voluit. Beatorum enim in cœlo hæc vox & iubilatio, & perpetua gratiarũ actio erit: *Di-*
Chriſtus per ſua humilia cognoſci vult. *gnus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius; quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum.* Vult Chriſtus Ieſus per ſua humilia cognoſci & glorificari, non per ſua glorioſa. Idcirco non hic apparuit diſcipulis
Actor.9. glorioſus, vt in Transfiguratione; ſed humilis, ſicut in Paſſione. Cum de cælo Saulum vocaret, per humilia ſua ab eo cognoſci voluit, dicens: *Ego ſum Ieſus Nazarenus* (ad titulum in cruce poſitum alludens) *quem tu perſequeris*. Non dicit: Ego ſum Dei verbum: ego ſum, qui ad dexteram Patris ſedeo: ego ſum, cui omnis poteſtas data eſt in cœlo & in terra. Sed & Angeli ad monumentum

A mentum non alio titulo vtuntur. *Iesum* (inquiunt) *quæritis Nazarenum crucifixum.* Paulus quo- Marc. 16.
que de scientia sua in Christo loquens, *Ego* (inquit) *nihil me arbitror scire, nisi Iesum Christũ, & hunc* 1.Cor. 2.
crucifixum. Non quòd multa alia non sciret tam de Deo Patre, de Spiritu sancto, de tota reliqua fide præter Christum, quàm de ipso Christo præter hoc quòd crucifixus esset. Sciebat enim Christum resurrexisse à mortuis, post resurrectionem multis apparuisse, ante passionem & resurrectionem multa docuisse, multa miracula fecisse, natum de Virgine fuisse, & alia. Sed Christi crucifixi scientiam omnibus alijs prætulit, tum ob alia, tum propter duo. Primũ, quia in Christo Iesu crucifixo vniuersa continetur sapientia. *Prædicamus* (inquit) *Christum crucifixum, Iudæis* 1.Cor. 1.
quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, id est, ipsa infirmitas, passio, mors Christi, quia Dei erat, quia non puri hominis, sed Dei & hominis persona passa est, infinitam virtutem habuit. Rursum, *quod Dei stultũ est*, id est, quæ Deus non secundũ suæ sapientiæ maiestatẽ, sed secundũ nostræ stultitiæ simplicitatem fecit; *sapientius est hominibus*, id est, omnem humanam sapientiam excedit. Deũ miracula operari, cælum & terram creare, diuinæ potestati ac maiestati consentaneum est. At Deum hominẽ fieri, & mortẽ ignominiosam pati, omnem admirationem superat. Si flamma sursum petens, vastum incendium facit, nihil est mirandum, naturâ sic comparatum est. At si flamma deorsum sua sponte descẽdeB ret, & ima loca teneret, illud vero stupendum videatur. Iesus Christus crucifixus, est flãma deorsum petens, & ignis è cœlo descẽdens, non coactè, sed spontaneè. Secundò, hanc Christi crucifixi scientiam omnibus alijs prætulit Paulus, quia Christum crucifixum maximè dilexit, & in Christo crucifixo maxima & splendidissima dilectionis erga nos argumenta elucent. De qua re sic ad Ephesios scribit: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundum di-* Ephes. 3.
uitias gloriæ suæ (id est, gratiæ suæ) *virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiori homine: habitare Christum* (id est, vt Christus habitet) *in cordibus vestris per fidem: vt sitis in charitate radicati & fundati,* id est, fortiter & acriter Christum diligatis: *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis,* id est, diligendo frui Christo, sicut sancti fruuntur, & fruendo per experientiam norunt, *quæ sit longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum,* Christi videlicet crucifixi; quantam videlicet pietatem illa crucis Christi quadruplex ratio & magnitudo nos doceat. Nam latitudo crucis (vt exponit August.) hilaritatem in opere, longitudo longanimitatem in spe, altitudo seu sublimitas excellẽ- Epist. 119.
tiam mercedis repositæ, profundum, ipsius crucis mysterium & secretum significat. Móxq; ad- cap. 14.
dit Apostolus: *Scire etiam supereminentem scientiæ* (id est, quæ omnem scientiam superat) *charitatem* Ephes. 3.
Christi, qua dilexit nos, *vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*, id est, vt sitis Deo pleni. Paulus
C ergo, quia in hac charitate Christi crucifixi, & in toto crucis mysterio, plurimũ meditatus fuerat, dicit se nihil scire nisi Christum crucifixum, & huic scientiæ, tanquam nobilissimæ atq; suauissimæ, omnem aliam postponere. Voluit ergo ob has causas Christus in suo glorioso corpore crucifixi stigmata, vulnerum notas, crucis memoriam, indelebiliter hærere. Si Regum huius se- *Similia.*
culi authoritas tanta est, vt res infimas & abiectas nobilitare queant, (sic enim subligaculũ Reges Angliæ, vellus ouinum Duces Burgundiæ, conchas marinas Reges Franciæ, Equestris sui ordinis notas fecerunt) quanto magis stigmata Christi crucifixi in pretio habenda, ipsáque *crux decorem & pulchritudinem de membris Domini accepit*, vt S. Andreas Apostolus martyrij sui tempore professus est! Milites, quos propter res in bello præclarè gestas Reges nobilitare volunt, ex ijs potissimum rebus stemmata sumunt, in quibus eorum virtus magis ẽnituit. Itaque alij, Reges bello captos, alij leones, alij aquilas, alij districtos enses pro insignibus gerunt. Sic Christus solius patientiæ & mortis insignia, fixuras clauorum & stigmata in glorioso suo corpore manere, atque in cœlum triumpho vehi voluit.

4. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.*

D

LOcus moralis de confessionis peccatorum sacramentalis necessitate, vtilitate, & frequen- *Confessionis sacramentalis necessitas.*
tatione. Christus in hoc Euangelio, peracta nunc tota salutis nostræ œconomia, & redemptione humani generis per passionem ac resurrectionem completa, vt fructus eiusdem perpetuò apud nos maneat, postquam pacem Apostolis dedit, potestatem remittendi & retinendi peccata, impartito ad hoc Spiritu sancto, tribuit, & Ecclesiæ suæ pacis medium paratissimũ misericordissimè reliquit. Dat Apostolis suis potestatem remittendi peccata; quibus remissis, reconciliamur Deo, & pacem Christi obtinemus. Dat ouibus gregis sui remissionis peccatorũ diuinum beneficium; cuius magnitudo tanta est, vt illud in Symbolo fidei nostræ perpetuò recolamus, dicentes: *Credo remissionem peccatorum.* In Euangelio quoque, quum Christus paralytico remitteret peccata, *magnificauit turba Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.* Sed hoc beneficium remissionis peccatorum in Ecclesia à Christo relictæ, quanto est & sua magnitudine præstantius, & ex diuina gratia illustrius, & ex nostra necessitate opportunius, tanto diligentiùs & *Locus contra hæreticos.*
accuratiùs à populo Christiano intelligendum est. Est autem hæc remissio peccatorũ Apostolis data, non simplex & nuda prædicatio, aut annunciatio salutis per Christum, vt hæretici hodie

seipsos, aliósque pestilentissimè fallunt (quos in altero Promptuario refutauimus) sed est (vt hoc Euangelium diserte docet) opus, & operatio quædam Spiritus sancti, est opus diuinum, est opus supremæ & excellentissimæ authoritatis, quam propterea Christus daturus, prius dat spiritum Sanctum, prius insufflat (significans hac cæremonia, diuinæ cuiusdam potestatis communicationem fieri) prius è mortuis resurgit, prius oues suas redimit. Est denique potestas iudiciaria; quod vel ex eo patet, quia non solùm remittendi peccata, sed & retinendi, potestas datur. Remittere autem & retinere, soluere & ligare, condonare & condonationem negare circa peccata non potest iudex, absque eorum cognitione: cognoscere autem nequit, absque vel spontea confessione, vel iuridica conuictione. Sed quia tribunal hoc conscientiæ est, nõ externæ iustitiæ, & quia omnis hic accusatio non ad pœnam, sed ad veniam destinatur, & apud Deum, non apud homines, hæc causa agitur, propterea iuridicarũ formularum hic locus nullus est: sed ea requiruntur, quæ ad veniam & remissionem coram Deo impetrandam valent. Ea sunt, vt in Scripturis reuelatum accepimus, vera animi contritio, dolor verus, pura & sincera delicti confessio: ac demum aliqua pœnalis ex arbitrio iudicis satisfactio. Sed de alijs alibi; nũc de confessione peccatorum pauca, quæ videlicet ex parte potestatis remittendi peccata maximè necessaria est, & sine qua hæc potestas exerceri non potest: ideóque non tantùm ex parte pœnitentis, vt cętera duo, sed etiam ex parte remittentis & retinẽtis peccata, necessariò requiritur: ac propterea locus de ea aliquid dicendi hic est. In ipsa Lege naturæ confessio peccati fuit necessaria, saltem corde tenus. Adam vbi primùm peccauit, ad confessionem à Deo prouocatur, vt docet D. Chrysost. quum Deus illi diceret, *Adam vbi es?* Qui respondit: *Audiui vocem tuam, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me*: mox culpam in vxorem reiicit, & illa in serpentem. Neuter confitetur, vterque è paradiso eiicitur. *Ad hoc requisiti fuerant* (ait Gregorius) *vt peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Vnde serpens qui non erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus.* Sic & Cain ad peccati sui confessionem à Deo prouocatur, dicẽte: *Vbi est Abel frater tuus?* In lege Mosayca, constituta populi Dei Synagoga, datis sacerdotibus & Sacramentis, confessio peccati exigitur, nõ cordis tantùm, sed & operis: quia pro distinctis peccatis distincta sacrificia instituta sunt, vt videre licet in Leuitico. *Sacrificium* (ait Augustinus) *testimonium peccati voluit esse, vt se peccator per oblationem sacrificij confiteretur peccasse. Ideo nunquam pro manifesto delicto sacrificium mandauit, sed pro ignoratis.* Hæc ille. Hinc vetus Scriptura ad confessionem peccati, tanquam remissionis remedium maximè necessarium, frequenter hortatur. Iob adhuc in lege naturæ dixit: *Si abscondi peccatum meum quasi homo* (id est, vt homines inter homines solent) *& celaui in sinu meo* (id est, in corde meo) *iniquitatem meam.* Sic Prophetæ in lege Mosaica. *Dixi*, ait Dauid, id est, apud me decreui, *Pronunciabo aduersum me iniustitiam meam: & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Sic Esaias: *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* Sic Sapiens: *Iustus in principio sermonis accusator est sui.* Et iterum: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & dereliquerit ea, misericordiam consequetur.* Sed hæc tota confessio, seu cordis, seu vocis, non nisi Deo facta videtur. Atqui vt in statu gratiæ omnia sunt perfectiora, vt baptismatibus calicũ & vrceorum, Baptismus verus, & lauacrum regenerationis: sacrificijs vmbratilis & carnalibus quæ carnem tantùm emundabant, sacrificium noui Testamenti successit; sic & ipsa pœnitẽtia perfectior nunc est. Quare Ioannes Baptista, Christi præcursor, & viam parans Domino, sic suos pœnitentiam docuit, vt venientes ad eum, publica peccatorum confessione vterentur: *Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Hinc in pœnitentia Christianorum, cõfessionem peccatorum ministro Christi faciendam Patres docuerunt. Chrysostom. illa verba explicans, ait: *Tempus confessionis aquè & lotis baptismate, & illotis prophanisque incũbit: illis quidem, vt post patentiũ criminũ vulnera, pœnitentia interueniente, curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur. His verò, vt ablutis in baptismo maculis, ad Dominicã mensam, munda iam conscientia accedant.* Idem docet S. Basilius. *Quia* (inquit) *conuersionis modus accommodatus esse debet ei qui peccat, & præterea opus est fructibus dignis pœnitẽtiæ* (vt Ioan. Bapt. prædicauit) *necessariò ijs aperiri peccata debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Sic & Theodoretus: *Qui dignos pœnitentiæ fructus non egerunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina eis impartire. Has habet Ecclesia leges de pœnitentia.* Sed & his antiquior D. Cyprianus: *Etiam in minoribus peccatis agunt peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesim* (id est, confessionem) *veniunt, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, ius communionis accipiunt.* Sed & illo antiquior Origenes hanc confessionis sacerdoti factæ necessitatem his verbis tradidit. *Est* (inquit) *dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, quum lauat peccator in lachrymis peccata sua, & cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam.* D. quoque Cyrillus hanc peccatorum sacerdoti factam confessionem docet. *Remittunt* (inquit) *aut detinent sacerdotes peccata duobus modis; primùm baptismo, deinde pœnitentia. Nam aut credentes, & vitæ sanctimonia probatos ad baptismum inducunt, & indignos repellunt; aut Ecclesiæ filijs peccantibus quidem increpant, pœnitentibus autem indulgent.* Hæc ille. At verò vt in baptismo necessaria est, ex iure diuino, professio fidei in adultis, quia nisi credentes baptizare Ecclesia nõ potest; sic in pœnitentia necessaria est confessio peccatorum de iure diuino, quia nisi confitentes vel soluere, vel ligare non potest Ecclesia. Vnde Hieronymus: *Episcopus vel Presbyter pro officio suo, quum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quique soluendus.* Nec aliter Augustus: *Cum in se pœnitens peccator protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam* (quod ad contritionem pertinet) *veniet*

Confessionis necessitas.
Hom. 7. ad pop. Ant.
Moral. l. 22. cap. 13.
Cap. 4. 5. & 6. Quæst. ex vet. Test. q. 12.
Iob 37.
Psalm. 31.
Esaiæ 43.
Prou. 18. & 28.
Pœnitẽtia nunc perfectior quam in veteri Lege.
Matth. 3. Homil. 10. in Matth.
Confessio Sacerdoti facienda.
In regul. breuior. ad q. 288.
In epitome Diuinorũ decret. cap. de pœnit. Li. 3. ep. 4.
Lib. 2. in Leuiticum
In Ioan. lib. 12. c. 56
In com. in Matth. 16 Hom. 50. c. 11.

A *veniet ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum.* Sufficiat tot Patrum consentiens doctrina. Necessitatem cõfessionis docet potestas remittendi & retinẽdi peccata, à Christo Ecclesiæ præpositis commissa, vt Hieronymi verba ostendunt: docet satisfactionis modus à sacerdote accipiendus, vt August. & Basil. docuerunt, quem dignum pœnitentiæ fructum Scriptura vocat: docet medicinæ ratio à Sacerdote Domini capienda, vt scripsit Origenes: docet ius communicandi & participandi Sacramenta, vt Cyprianus testatur. Huius autem rei vtilitas varia & multiplex est. Primùm, quia humilitatis ille actus ad magnam misericordiam Deum prouocat. Vnde Cyprianus: *Primus ad indulgentiam gradus est, agnoscere delictum.* Sic Gregorius Magnus: *Exordium illuminationis est humilitas confessionis.* Sic & Tertullianus: *Exhomologesis* (inquit) *prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem.* Sic D. Basilius: *Vult tui misereri Iudex, si post admissa flagitia humilem te & contritum inuentet. Insuper si quæ clã cæteris & in arcano designasti, prodideris & euulgaris fratri circa vllum pudorem.* Et iterum alibi: *Is cui ligandi & soluendi tradita est potestas, videns summam eius qui peccauit confessionem, fit merito clementior ad diminuandum pœnarum tempus.* Deinde remediũ contra peccatum, confessio est. Quod sciens Dauid, vbi orans Deum dixisset; *Amplius laua me ab iniquitate mea;* subiunxit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper,* id est, semper præ oculis habeo, móxque confitetur: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Ideo

B veniam à Deo fiducialiter petit, quia peccatum suum non dissimulat, sed agnoscit, & confitetur. De hoc remedio Tertullianus: *Ceruus sagitta transfixus, vt ferrum de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo, si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Deo exhomologesim sciens præteribit illam?* Pulchrè etiam Origenes: *Sicut ij qui habẽt intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graniter & molestè imminẽtia, si vomuerint, releuantur; ita hi qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatũ, intrinsecus vrgẽtur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator sit, dũ accusat semetipsum & cõfitetur, simul euomit & delictum, atq; omnẽ morbi digerit causam. Tantummodo circũspice diligẽtius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs medicum cui debeas causam languoris exponere.* Sic alibi scribit, *per pœnitentiam remissionem peccatorum fieri, quum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatũ:* ne quis putet eum de alio medico loqui quàm Ecclesiastico, & à Christo instituto. Nec aliter hunc imitatus Sanctus Ambrosius super illa verba, *Dolor meus in conspectu meo semper. Non vult* (inquit) *latere sua delicta. Nam vt febres in alto sitæ non queunt mitigari: cum foras eruperint, spem afferũt desinendi: ita peccatorũ morbus, dũ tegitur, inardescit: si confessione proditur, euaporatur.* In hanc sententiã S.

C Cyprianus de sui temporis fidelibus, *Exhomologesim* (inquit) *peccatorum faciunt, salutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Ergo propter medelam peccati quatenus animæ vulnus est, confessio ista sacramentalis, tot Patrum iudicio, necessario, & fructuosè adhibenda est. Est & in confessione Sacramentali peccati pudor saluberrimus, & verecundia extinguens peccatum. De qua sic sanctus Ambrosius: *Plurimum suffragatur reo verecunda confessio; & pœnam quam defensione euitare non possumus, pudore subleuamus.* Valet quoque ad fugam peccati in posterum verecunda confessio. *Quem commissi pudet* (ait idem alibi D. Ambrosius) *nescit postea tale aliquid committere, vnde similiter erubescat.* De præpostero pudore non confitendi peccatum, in alia quadam Dominica aliqua diximus. Magnum & illud est confessionis sacramentalis beneficium, quod ipsius Ecclesiæ & consilio & precibus plurimum iuuatur, qui Ecclesiæ præposito confitetur. *Agite pœnitentiam* (ait Augustinus) *qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia.* Sic Gregorius Magnus: *In compassione talem se, qui præest, exhibeat oportet, cui subditi occulta sua pandere non erubescant: vt videlicet eorum sordes exhortationis solatio & lachrymis orationis lauet.* Idem monet Origenes: *Quære medicum qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam; qui sciat infirmari cum infirmante, flere cũ flẽte.* Quod Ambrosium fecisse, quum suorum confessiones exciperet, scribit in eius vita Paulinus. Idem de S. Eustachio, secundo Abbate Luxouiensi, & S. Columbani discipulo, atque item de S. Hugone, Gratianopolitano Episcopo, in vitis ipsorum apud Surium memoratur. Hanc cõ-

D fessionis vtilitatem Leo Magnus tradit. *Sufficit* (inquit) *illa confessio quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccator accedat.* Denique Sanctus Ambrosius adhortans ad hanc sacramentalem confessionem, *Fleat* (inquit) *pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lachrymis lauet.* Porro quum peccatum, inter cætera quæ adfert mala, conscientiæ quædam sit perpetua carnificina; hoc acerbissimo stimulo confessio sacramentalis propriè liberat. Quemadmodum enim in tristibus & aduersis rebus humanis, expletur lachrymis, egeritúrque dolor; & quod in amici sinum effundimus, eo propemodum liberari videmur: similiter hic facit confessio. Vnde Cyprianus, *Exhomologesim* (inquit) *conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt.* Et vberius Augustinus: *Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumebat. Cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum: tu agnosce medici manum. Confitere. Exeat in cõfessione & defluat sanies.* Medicorum autem nomine intelligit Augustinus cum Origene, totáque antiquitate, Sacerdotes. Sic scribit Origenes: *Christus quidem erat ἀρχιάτρος,* primarius medicus, *qui posset curare omnem languorem. Discipuli verò eius medici sunt, & post Apostolos in Ecclesia positi, quibus curandorum vulnerum disciplina commissa est, quos voluit Deus in Ecclesia sua esse medicos animarum.* Hæc ille. Cæterùm in confessione sacramentali animam pœnitentis mirabiliter exhilarari, quasique grauissimo pondere alleuiari, quo priùs premebatur, quotidiana fidelium experientia probat, qui

Li. 1. epist. 3. *Moral. lib. 22. cap. 13.* *Lib. de pœnitentia.* *In Ps. 32.* *Can. 75 ep. 3. ad Amphiloch.* *Psalm. 50.* *Lib de pœnitent.* *Hom. 2. in Psalm. 37.* *Libr. 2. in Leuiticum* *In Ps. 37.* *Serm. 5. de lapsi.* *In Ps. 37.* *Apolog. Dauid c. 9 3.* *Hom. 49. Regist. l. 1. epist. 24.* *Hom. 2. in Psalm. 37.* *Epist. 80. alias 78.* *De pœnit. lib. 2. c. 10. 4.* *Simile.* *Serm. 5. de lapsis.* *Enarrat. in Psalm. 60.* *Hom. 1. in Psalm. 37.*

5. Vtilitas. confessionem hanc sacramentalem ea qua par est pietate frequentant. Est postremò & hæc cõ- A
fessionis huius Sacramentalis maxima virtus & fructus luculentus, quòd eam confessionem,
1. quæ Deo necessariò facienda est, hæc inuitat, adiuuat, perficit. Tardi natura sumus ad pecca-
torum memoriam recolendam. Vocat te Ecclesia ad hanc confessionem sacramentalem. Paras
2. te, & recogitas dies & actus tuos, peccata recolis, recolendo compungeris, cõpũctus Deo con-
fiteris, quod absque hac occasione facturus non eras. Rursum huius confessionis modus docet,
3. quemadmodum apud Deum tua peccata confiteri debeas. Quem sanè modum didicisses for-
Vtilitates aliæ. tè nunquam, nisi Sacramentum hoc esset. Postremò perficit, quia nihil est aliud hæc Sacra-
mentalis confessio, quàm modus quidam, & determinatio eius quæ ad Deum fit: vt si hæc re-
ctè instituatur, alteram rectissimè fieri necesse sit. Possunt & illa hoc loco ad confessionis sacra-
mentalis admirabilem fructum annotari, quòd huius beneficio innumeræ ablatarum rerum re-
stitutiones fiant; quòd plurimi è statu peccati exeant, alioqui nunquam exituri; quòd alios
hæc vna confessionis necessitas à multis peccatis retrahat; quòd subditos & seruos in officio
contineat, magnates & principes in saluberrima humilitate exerceat. Has & alias ob causas Dei
sapientia Christus Dominus in hoc Euangelio remittendi peccata potestatem, & confessionem
peccatorum Sacramentalem, sine qua Ecclesia remittere non potest, pro sua infinita miseri-
De frequẽtanda confessione. cordia, & nostro incredibili bono instituit. Nunc ad tantum salutis nostræ medium subinde B
frequentandum, quæ mouere fideles possint, quædam subiiciam. Ac primum quæcunque in
alia Dominica contra dilatores & procrastinatores in causa salutis diximus, hic locum habẽt.
Dom. Septuag. tex. 4 Confessionem enim peccatorum Sacramentalem, data confitendi oportunitate, & bona com-
punctione ac contritione præsenti differre & procrastinare, aut quasi in annum expectare, gra-
Rom. 2. uis est dilatio, periculosa procrastinatio, sæpè etiam pernicios a, de qua Apostolus dicit: *Tu se-
cundùm cor impœnitens tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Neque satis est dicere te pœnitere, quia
contritus es, & doles de peccato, emendationem proponens, confiteri autem necesse non esse.
Aut enim illa tua contritio, veri nominis contritio est, iustus & vehemens de peccato dolor; &
tunc profectò non solùm data oportunitate confessarium adibis, sed etiam non data, diligen-
1. ter quæres, vt pondus animi tui exponas, vt medici consilio vtaris, vt Ecclesiæ preces obtineas,
2. vt ius communicationis recipias (quæ omnia Patres citati superiùs loquuntur) aut non est vera
3. contritio, sed leuis aliqua compunctio, quam attritionem scholastici Theologi vocant; & tunc
4. illa tibi ad pacem cum Deo obtinendam non sufficit, nisi Sacramentalis confessio accedat, quæ
facit ex attrito contritum, id est, vel quæ tuo dolori desunt, per claues Ecclesiæ, & beneficiũ re-
demptionis tibi applicatum, supplet; vel ipso actu Sacramentali nouos motus, & affectus in te
sic excitat, vt contritus, & iusto dolore compunctus recedas, qui non nisi leuiter attritus acces-
sisti. Quòd si verò eadem est ratio confessionis peccatorum, quæ est apertionis morborum cor- C
poraliũ (sic enim ait S. Basilius in hæc verba: *Omnino in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiã*
In Reg. breu. q 229 *in apertione vitiorum corporis: & vt nequaquam quibuslibet temerè homines aperiunt, sed ijs tantummodo qui
rationem ea curandi tenent; sic peccatorum confessio fieri debet apud eos qui ea possunt curare*: quam etiã cõ-
parationem tenent Origenes & Ambrosius suprà citati) profectò si ille homicida sui censen-
dus est, qui medico vulnus tempestiuè non aperit; erit quoque & is animicida, qui animę suę
Annua confessio ab Ecclesia præcepta, non excusat à frequentatione. vulnera quàm primùm aperire, & sanare detrectat. Neque verò hos rarò confitentes quicquam
excusat, quòd Ecclesia non nisi ad annuam confessionem suos obligat. Nam sicut in veteri lege
præceptum illud, *Oculum pro oculo, dentem pro dente reddet, limes vindictæ & furoris, non fomes erat*, vt sa-
pienter exponit Augustinus: sic hoc præceptum Ecclesiæ, de annua confessione, limes negligẽ-
tiæ est, non fomes. Hoc est, non prouocat, non hortatur, vel illa lex Mosayca ad vindictam, &
talionem; vel hæc lex Ecclesiastica ad supinam negligentiam confitendi: sed tum illa lex vetus
vindictam limitat, ne vltra æqualitatem excedat; tum hæc lex Ecclesiastica negligentiam ter-
Cont. Faustũ l. 19. c. 25. minat; ne vltra annum se extendat. Non quod annua confessio simpliciter cuiuis sufficiat, sed ne
quis annuam excedere audeat. Ideo lex dicit: *Saltem semel in anno.* Ideo etiam tantæ negligen-
Cap. Omnis vtriusq; sexus Lucæ 13. tiæ pœnam grauissimam addit: *Vt semel in anno non confessus, viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, &
moriens Christiana careat sepultura.* Sed audiant isti Christi verba in Euangelio: *Nisi* (inquit) *pœni-
tentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Similiter, ait; id est, repentino casu peribitis, sicut illi super
Hom. 50. c. 10. quos cecidit turris Siloë, móxque parabolam subiungit de ficu infructuosa, de qua Dominus D
dicit: *Succide illam; vt quid terram occupat?* Vnde D. Augustinus: *Indicet se ipsum homo in peccatis suis
propria voluntate dum potest, nec detrectet, aut differat, aut dubitet confugere ad claues Ecclesiæ.* Sic & Diuus
Li. 2. c. vlt. de pœnit. Ambrosius: *Quid enim est quòd differas? An vt plura peccata committas? Ergo quia Deus bonus est, ideo tu
malus? Aut diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis?* qui pœnitentiam & conuersionem differunt,
dicuntur in Scripturis *in Cathedra pestilentiæ sedere*, vt Diuus Ambrosius illa verba exponit, &
Enarr. in Psalm. 1. addit: *Sicut ij qui se in luto versant, quo magis volutantur, eo amplius inquinantur; ita qui semel se luto impro-
bitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, grauius sibi sui dedecoris cœnum per singulos dies lutulentæ conuer-
sationis obducit. Noli ergo stare in peccato.* Hæc ille. Sic & August. *Hodie inest scrupulus, hodie fit cõfessio;
hodie renuncietur scrupulo, hodie dimittatur, hodie laxetur. Non est vt dicas, Differt Deus veniã: tu noli differre
medicinam tuam. Habes enim aliquid in animo quod te angit & solicitat. Vtique si in domo esset lapis offendẽs
oculos tuos, iuberes eũ auferri de medio; maximè si aliquẽ paulò maiorem hospitem in domo tua esses recepturus.
Cũ ergo Deum inuoces, & in te vocas; quomodo veniet ad te, cui locũ, quo recipias, non mundasti?* Hæc ille.

Si ergo

A Si ergo quotidiana est Dei inuocatio, quotidiana debet esse animæ purgatio. Signanter dixit Sapiens: *Cogitationes iustorum iudicia, consilia impiorum fraudulenta.* Iusti enim seueri sunt sui ipsorũ iudices,& circa suos defectus perpetua exercent iudicia;ea dolore,cõfessione,satisfactione expiando.Impiorum consilia,emendationem de die in diem differendo, fallacia sunt, & quæ seipsos maximè fallunt. Vnde in hæc verba Gregorius: *Reproborum proprium est, semper praua agere, & nunquam quæ egerint retractare.* Sed hac in re quomodo seipsos fallunt, ostendit. *Sicut non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, &c.* (*hæc quippe omnia nobis nescientibus agũtur in nobis*) *ita mens nostra, per momenta viuendi, ipso curarum vsu à semetipsa permutatur, & non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie defectúsque pensemus.* Hinc ergo, qui agendæ pœnitentiæ tempus prætermittit,se ipsum perditè fallit,quod paulatim crescẽtibus culpis,nec ea cognoscere,& multo minùs per confessionem illis mederi potest. Ei igitur qui saluberiter pœnitere & confiteri vult,non est diu differenda confessio. Peccatorum confessio est quasi animæ scopa,iuxta illud Dauidicum: *Meditatus sum nocte cũ corde meo, & exercitabar, & scopebã spiritum meum.* Atqui domus quæ frequenter scopis purgatur,raras & modicas sordes habet, facilliméq; verritur:sin verò rarò purgetur,innumeras sordes contrahit,neć nisi multo labore sordes auferuntur;nam & aqua multa aspergenda,ne,quo plus verris,eo densiorẽ puluerẽ excites, qui & domũ ipsam magis commaculet,& in oculos tuos inuolet,& in ipsum pauimentum recidat:& præterea interdum abradenda ferro terra,multáq; vis adhibenda. Eodẽ planè modo qui B sæpiùs peccata confitetur,& pauciora habet quæ confiteatur,& faciliùs multo id præstat,quũ& citiùs ea recordetur,& clariùs à Deo illuminetur, & certiùs in singulis compungatur. Atqui in mensis aut annũ differt, tam ingentẽ, vt plurimũ,peccatorum molem condensat,&, vt loquitur Abacuc, *ita sibi aggrauat densum lutum*, vt nisi difficillimè aceruũ illũ explicet atq; euoluat,nec sine magna lachrymarum copia vtiliter confiteatur. Illis enim maximè tũc opus erit,ne puluis peccatorum sine tali compunctione potius iterum in oculos resiliat, mentẽq; magis commaculet, quã purget. Peccata enim sine iusto dolore recordari,est peccati magis fomentum quàm remedium: quia vt *tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur*;ita absq; tristitia non nisi voluptatẽ,ad confirmandam iniquitatem,recordatio peccati generat. Nec lachrymis modò vtcunq; aspersis, sed acri etiam compunctione opus erit, vt vera contritio confessionem integrã atq; legitimam eliciat. Quemadmodũ sunt nonnulli,qui cum primùm vident gladium rubigine aliqua affectũ, illum statim exacuunt & perpoliunt, vt ad omnem vsum paratus semper sit; alij semel in anno, alij nunquã, nisi sint in extrema necessitate constituti; vnde sæpè accidit, vt, quum maximè necesse sit,gladium è vagina educere nequeant; ex quo efficitur, vt vtrumq; in sterquilinium proiiciatur: sic sunt nonnulli,qui quum intelligunt animam crimine aliquo esse contaminatã,con- C festim se conferunt ad expolitorẽ,hoc est,ad confessarium,vt expurgetur,& expietur,& expoliatur;qui omnium & prudentissimè & saluberrimè faciunt: alij non nisi post annum,aut in extremo mortis periculo id præstant; quorũ est acerba & periculosa conditio: Est porrò confessio quasi quædam rationum nostrarum supputatio inter nos & Deum, codéxq; rationarius de debitis à nobis cum Deo contractis, vnde quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*. Atqui vt ille mercator nunquã rem faciet,nec ille œconomus domino suo bonas rationes vnquam reddet, qui non nisi post annũ de illis reddendis cogitat; sic profectò Deo non placet, suámq; salutẽ in maximum discrimen adducit,qui non nisi post annum confitetur,data illi interim confitendi opportunitate,& peccatorum grauitate præsentem medelam postulante. qui semel tantũ in anno in Paschate confitetur,& videns alios omnes ad confessionem pergere, vadit & ipse,vt mũdetur cũm alijs; quum toto anno præcedente dissolutam vitam agens & creberrimè peccãs,nullam eorum rationem subduxerit;similis est carbonario alicui,qui subitò in vrbem veniens, vidénsque lotricem aliquam lintea mundantem,se celeriter tunica sua,cum qua longo tempore carbones coxisset,exuens,eam rogaret,vt nulla interposita mora,suam quoque tunicã ita mundare velit,sicut cætera lintea candidissimè lota cernit. Nam vt huic carbonario rectè respõderet mulier,absurdum illum petere,quùm tunica illa carbonaria nõ ita vnica lotione dealbari possit; D sed variam prius operam requirat,quã vt ad pristinum suum candorem vestis ita diu denigrata redeat:sic superficiali isti pœnitenti responderi possit; *Denigrata est super carbones facies tua. Non potest tam cito Æthiops dealbari, nec varietates suas pardus tam citò immutare.* Magnã prius animi cõpunctionem,diligentem peccatorum supputationem,meliorem anteactæ vitæ rationem adferri oportuit. Contra istos pœnitentiæ dilatores pulchrè sic scribit Chrysost. *Peccantes non dolore, magis Deum indignari facit & irasci, quàm peccare. Tu quidem hominem exacerbans, & amicos, & vicinos, & ianitores rogas, & pecunias impendis, & multos absumis dies accedens & supplicans. Deo autem exacerbato, ossitamus & recedimus, & delicijs ac ebrietati vacamus? Quomodò non indè magis eum irritamus?* Dedit igitur Christus Redemptor Ecclesiæ suæ remittendi peccata potestatem; sed dedit & retinendi: vt intelligamus,ad remissionem consequendam,magnam ex parte nostra diligentiam requiri. Neque enim remittit aut retinet Ecclesia prout vult,sed prout pœnitentes suos venia dignos, aut indignos animaduertit:quare confessionem delicti necessariò flagitat,& ad frequentẽ confessionem sedulò hortatur. Vide etiam quædam huc pertinentia in Domin. 3. Quadragesimæ, textu primo circa *dæmonium mutum.*

Prou.12.

Moral.in Iob l.25.c.6 Simile.

Confessio animæ scopa. Psalm.76. Simile.

Abacuc. 2

Pintus in Ezec.c.12. Simile.

Confessio codex rationarius. Simile.

Simile.

Ierem. 12 Ierem.13.

Hom. 46. ad pop. Ant. Simile.

A

5. *Thomas vnus de duodecim, non erat cum eis quando venit Jesus.*

Consortia bonorum. LOcus moralis de bonorum consortio ac societate diligenter retinenda. Si Apostolus iste Thomas cum cæteris adfuisset, quando Christus, ingrediens ianuis clausis, ostēdit illis manus & latus, cum cæteris haud dubiè Christi resurrectionem credidisset. Sed quia cum eis non erat, Christi apparitione & consolatione caruit, ideóque in incredulitatem solus incidit, cæteris credentibus; quia solus abfuit, cæteris in vnum congregatis. Adeò valet quod Scriptura dicit: *Psalm. 17. Prou. 13. Eccli 6.* *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Et iterum: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis efficietur.* Et rursum: *Si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius* *Genes. 39.* *exterat pes tuus.* Nec huius rei exempla in Scripturis desunt. *Benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius substantiā.* Quid, quod Saul ipse & *3. Reg. 19.* impius, & impiè agens, Dauidem persequens, vbi ad locum venit vbi erat cuneus Prophetarum *4. Reg. 3.* *factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat cum cæteris corā Samuele.* Eliseus Propheta quum à Ioram Rege impio rogaretur vt pro eo contra Moab Deum deprecaretur, respondit illi: *Viuit Dominus exercituum in cuius conspectu sto, quod si non vultū Iosaphat Regis Iu-* B *da erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Ita propter Iosaphat Regem iustum, Ioram Rex impius seruatus est. Certè & Petrus à discipulis seiunctus, & in atrio Caiphæ solus, Christū negauit. Loth ab Abraham seiunctus, multa pertulit incommoda. 1. à Barbaris captus est. 2. fa- *In hom. in Gordianū Mart.* cultates eius in Sodomis accensæ sunt. 3. Inebriatus, stuprum duabus filiabus intulit. Appositè D. Basilius: *Quemadmodum suauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aërem continentem spirant, quibus præsentes recreantur; ita vir bonus toti sibi commorātium contubernio salutaris & iucundus est.* *Matth. 17.* Extincti carbones, ardentibus admixti, statim ardebunt. Accede ad titionem ardentem, hominem iustū; virtutis ignem citò concipies. *V bi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo* (ait Chri- *Sen. lib. 1. Epist. 10.* stus) *ibi ego sum in medio eorum.* Ergo in societate bonorum inuenitur Christus. Crates, Stilbonis auditor, quum vidisset adolescentem secretò ambulātem, interrogauit quid illic solus faceret? *Domin. 6. post Epiph. tex. 3, & Dom. 3 post Pent. tex. 1* Cui respondenti, Mecum loquor, dixit Crates: *Caue, rogo, & diligenter attende, ne cum homine maligno loquaris.* Censuit homine solo nihil periculosius, nisi magna ipse sit virtute præditus. Vnde illud alterius sapientis: Homo solitarius aut Deus, aut bellua. Plura huc pertinentia vide in alijs Dominicis.

G

EVANGELIVM DOMINICÆ II. *post Pascha.*

Ioan. 10. DIXIT Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suā dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscūt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus pastor.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

D

1. *Ego sum pastor bonus.* De pastorali Christi Redemptoris dilectione, cura, labore.
2. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* De officio boni pastoris, & duplici eius charitate.
3. *Mercenarius videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit.* De mali pastoris vitiis & defectibus.
4. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.* De veris notis & signis, quibus suas oues Christus cognoscit.
5. *Et oues meæ cognoscunt me.* De cognitione Christi, omnibus Christianis necessaria.
6. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.* De cumulatissima & longè maxima Christi Redemptoris in nos, & nostra erga illum dilectione.

1. *Ego*

A

1. *Ego sum pastor bonus.*

LOcus moralis de pastorali Christi Redemptoris dilectione, cura, labore. Hoc enim pastoris vocabulo significat Christus, quantum nos diligit, quam curam nostri habet, quanto labore salutem nostram procurauerit. Quæ tria paucis verbis explicabimus. Primum hoc ipsum dilectionis est, quod non ab illis quæ dominium, potestatem, iudicium significant, se denominat Christus, non Creatorem cæli & terræ, non Iudicem viuorum & mortuorum, nō Regem regum, & Dominum dominantium, sed ab eo quod amorem notat, & dilectionem sonat. Sicut alias dixerat; *Ego sum lux mūdi: pānis vitæ; vitis vera; via, veritas, & vita*; quæ omnia bonitatē dicūt, & beneficij nomina sunt: sic in hoc Euangelio *Pastorem* se nūcupat, & *Pastorem bonum*, benignum, amantem ouium suarum, diligentem, industrium, laboriosum. Deinde dilectionem pastoralem sequentia verba declarant: *Ego animam meam pono pro ouibus meis.* De quibus mox aliqua dicentur. Rursum quanta hæc dilectio, quod in cibum & potum seipsum nobis dederit! De qua re sic appositè Chrysostomus: *Quis pastor oues pascit proprio cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Et alibi de hac sua in nos pastorali di-

B lectione Christum loquentem sic introducit: *Parentes sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt: ego autem mea carne alo, me vobis exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimam de futuris spem præbeo. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Vester ergo frater esse volui, & communicaui carnem propter vos & sanguinem: & per quæ vobis coniunctus sum, ea rursus vobis exhibui.* Hæc est in hoc genere Christi dilectio plusquam pastoralis. Porro alij pastores, vt ab ouibus suis magis diligantur, vestes suas humanas interdum deponunt, & vellus ouinum induunt, eoque vestiti per agros incedunt. At Christus pastor sic oues suas dilexit, vt, *quum in forma Dei esset, seipsum exinaniuerit, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, cum hominibus conuersatus*, hominum salutem operatus fuerit. Porro Christus est ille bonus pastor, qui cum haberet oues nonaginta nouem, id est, nouem ordines Angelorum, decies multiplicatum; tamen illis relictis, *venit ad vnam ouē quæ perierat*, genus humanum, *donec inueniret eam: & quum inuenisset eam, posuit in humeris suis gaudens*, &c. Venit enim *ad oues quæ perierunt domus Israel*: & in hoc Euangelio dicit, quod *adhuc alias oues habet, quæ non sunt de hoc ouili* filiorum Israel secundum carnem, *quas etiam oportet illum adducere.* Est hic ergo bonus pastor, qui non solum ouem perditam quærit, sed & ouile suum, aliis emptis ouibus, (*empti enim sumus pretio magno*) vehementer amplificat: vt tam Gentium quàm Iudæorum illa vox sit: *Ipse Dominus Deus noster: nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Hęc fuit

C Christi erga nos dilectio pastoralis. Sed nunc vide quantam nostri curam hic pastor noster Christus gerat. Hoc vt Christus exprimeret, comparat se gallinæ, pullos suos congregāti, qua nullum est solicitius animal, nec magis tenerè suorum amans: quod tribus modis manifestū facit; vno quod sub alis suos illos perpetuo fouet, altero quod voce propriè materna illos assiduè congregat, tertio quod æquè vnum pullum ducens, solicita est, ac si decem duceret. Nec enim illa voce, nisi dum pullos habet, vtitur; nec alia ferè auis, nisi perdix & phasiana, quæ silueſtres quædam gallinæ sunt. ita pullos suos congregat. *quoties*, inquit, *volui vos congregare, quē-admodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluistis!* Vox Christi congregantis nos sub vmbra alarum suarum est illa: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Item illa vox quum in templo clamauit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Rursum illa: *Ego sto ad ostium & pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo, & cænabo cum illo.* Sed & eius vox est, quum per Prophetas suos olim loquebatur: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas earum, & declinaui ad eum vt vesceretur*, id est: Sicut arator, diurno labore finito, aufert iugum ab ore bouis, vt vescatur; sic ego meorum labores mediis consolationibus refocillo, & perpetuam eorum curam habeo. Christi etiam pastoris nostri vox apud Prophetam est, vbi de populo suo futuro dicit: *Ego ero ei murus igneus in circuitu; & in gloria ero in medio eius.* Est enim in medio nostri hic

D bonus pastor noster, sicut Rex in medio apum, vt omnes dirigat; sicut sol in medio cæli, vt cæteræ stellæ ab eo lumen accipiant; sicut centrum in medio circumferentiæ, vt omnes lineæ æb eo dependeant; sicut magister in medio discipulorum, vt omnes ab eo discant; denique sicut pastor bonus in medio ouium, qui absque acceptione personarum omnes æqualiter amat, omnium salutem procurat, omnibus iustitiam administrat. Porro in modum gallinæ æquè de vnoquoque solicitus est, ac de omnibus, iuxta illud Pauli: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ex hac cura pastorali Christus in terris quidem quum esset, *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo*, vt Petrus dixit; nunc autem in gloria Patris, *nobiscum* tamen *est omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*, vt ipsemet profitebatur: nempe per gratiam suam, per sacramenta salutis, *per alios pastores & doctores* quos Ecclesiæ suæ dedit: denique per Spiritum sanctum suum, quem misit in corda nostra, *ne relinqueret nos orphanos*, abiens ad Patrem. Sed de hac cura & prouidentia Dei paterna erga nos, iam in aliis Euangeliis aliqua diximus. Est præterea Christus pastor bonus, quia non solum magna dilectione & ingenti cura, sed etiam multo

Christi in nos dilectio.
Ioan. 8. 6. 15. 17.
Ioan. 10.
Ho. 60. ad pop. Ant.
Ho. 46. in Ioan.
Simile.
Philip. 3.
Lucæ 15. Matt. 15. Ioan. 10.
1. Cor. 6.
Psal. 93.
Christi cura pastoralis.
Matt. 24. Matt. 11.
Ioan. 7.
Apoc. 3.
Oseæ 11.
Simile.
Zachar. 2.
Similia. Act. 3. Matt. 28. Ephes. 4. Ioan. 27.
Do. 4. post Epiph. tex. 2.
Dom. Sept. tex. 1.
Christi labor pastoralis pro ouium salute.

labore ſalutem noſtram procurauit. *Non enim corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſanguine ſuo redemit nos à vana conuerſatione noſtra.* Vide ſuper Dominicam Quinquageſimæ, tex. 2. A

1. Pet. 2. *Perambulabat quoque vicos & caſtella, prædicans Euangelium regni,* vt oues errantes ſalutari cibo paſceret, & *diſperſa congregaret in vnum. Eratis ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis ad Epiſcopum & paſtorem animarum veſtrarum.* Iacob ſic Laban auunculum ſuum, cuius oues multis annis pauerat, alloquitur: *Viginti annis fui tecum. Oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt. Arietes gregis tui non comedi. Nec captum à beſtia oſtendi tibi: ego damnum omne reddebam, Quicquid furto peribat, à me exigebas. Die noctuque æſtu vrebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Boni & laborioſi paſtoris hæ voces erant. Sed multo verius ac fortius hæc omnia Chriſtus Dominus Deo Patri, cuius oues paſcebat, dicere poteſt: Trigin-

Gen. 36. Simile.

Ioan. 18. ta tribus annis in ſumma paupertate & humilitate ſeruiui tibi. Ne oues tuæ ſteriles eſſent, cæleſti doctrina eas diligenter paui, *Docens in ſynagogis & in templo, quo omnes conueniebant:* ſed & admirandis operibus atque exemplis, vt fructus bonorum operum facerent, inſtruxi. Omne dam-

Eſaiæ 53. num quod infernalis lupus illis intulit, ego in corpore meo perſolui, *portans iniquitates eorum,* vt *liuore meo ſanarentur, & diſciplina pacis eorum,* id eſt, diſciplina per quam illi pacem apud te conſe-

Ioan. 16. querentur, tibi reconciliati, teque placato, *ſuper me eſſet,* & ſuper corpus meum. *Neque periit ex*

Matt. 18 *illis quiſquam quos dediſti mihi, niſi filius perditionis,* id eſt, qui ſeipſum perdidit. Vt gregem tuum

Lucæ 6. ſeruarem, æſtu & gelu vrgebar, *non habens vbi reclinarem caput meum.* Somnus quoque fugiebat B ab oculis meis, dum *pernoctarem in montibus in oratione Dei.* Sed & vltra hæc omnia paſco illos in perpetuum meo proprio ſanguine; & carnem meam illis manducandam in Sacramento ſempiterno reliqui. Quod vt facerem, prius in cruce ſanguinem fudi, & carnem meam crucifigendam dedi: non ferens interim vt quiſquam ex meis tangeretur, nec ipſe Petrus, etſi vni ex ſa-

Eſaiæ 64 tellitibus, qui ad me capiendum venerant, auriculam gladio abſcidiſſet. *Torcular calcaui ſolus, nec erat de gentibus vir mecum.* Hæc & alia innumera de ſuis pro noſtra ſalute laboribus hic bonus paſtor dicere poterit, non *tumens iurgio propter ingratum Laban,* vt Iacob; ſed plenus zelo, & ardens dilectione propter nos ingratos, qui tanti Paſtoris dilectionem admirabilem, curam & ſolicitudinem ingentem, labores maximos, debito amore & obſequio non proſequimur. Hæc Paſtoris

Zachar. 11. Chriſti conſideratio, magnas in nobis mutuę dilectionis flammas accendere debet. Monet nos Zacharias Propheta; *Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam: & ſi non, quieſcite.* Nempe prædixerat apud Prophetam Deus, quod Iudęos deſereret, dicens: *Non paſcam vos. Quod moritur, moriatur; & quod ſucciditur, ſuccidatur.* Moxque ad Gentes ſermonem conuertens, quos *pauperes gregis* ibi vocat Propheta, mercedem ſui laboris petit. Sed quænam hæc merces eſt? Non C certè illa de qua ſtatim ſubiungit Propheta, Iudæorum impietatem ſubſannans; *Decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis: & tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini,* quod fuit pretium proditori Iudæ datum. Et ſic qui impiè ac flagitiosè viuunt, ſimili pretio ac mercede Chriſti labores compenſant, quod ſic alius Propheta expreſſit: *Si interrogauerit populus iſte, Quod*

Ierem. 23. *eſt onus Domini? dices: Vos eſtis onus Domini. Proijciam quippe vos, dicit Dominus.* Nempe onus Domini ſunt qui impiè agunt, quos in magna patientia ſuſtinet. Sed merces Domini eſt, vt eius voluntatem faciamus, vt ſimus oues obſequentes. *Oues,* inquit, *meæ vocem meam audiunt: alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo.* Interrogat Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* moxque reſpondet: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Hæc eſt per-

Ioan. 10. Pſal. 115. petua commemoratio mortis Dominicæ, & laborum Chriſti paſtoralium grata recordatio. Sed ſequitur præterea: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Vota videlicet quæ in baptiſmo omnes emiſimus, de Satana abrenunciando, qui alienus ille eſt, quem ſequi non debemus.

2. *Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis.*

Boni paſtoris officiũ. LOcus moralis de officio boni paſtoris. Quum enim ſe bonum paſtorem Chriſtus vocaſſet, D antequam, quid ipſe facturus ſit, exponat; oſtendit quid ſit demum eſſe bonum paſtorem, & quid eſſe mercenarium, qui non eſt bonus paſtor. Dicit ergo bonum paſtorem, & hoc nomine dignum illum eſſe, qui ſic oues ipſi commiſſas diligit, vt non ſolum (quod in præcedentibus

Ioan. 10. Prou. 27. docuit) *vocet eas nominatim,* id eſt, ſingulorum curam habeat, & *agnoſcat vultum pecoris ſui;* vt alia

Ioan. 10. Tit. 1. Scriptura dicit; nec ſolum *vt educat eas,* ſcilicet ad paſcua idonea, *vt ſit potens exhortari in doctrina ſana,* quod Paulus paſtori pręſcribit; nec denique tantum *vt ante eas vadat,* bonis exemplis præ-

Ioan. 10. 1. Pet. 5. luceat, factus *forma gregis ex animo,* vt Petrus loquitur: ſed etiam vt, vbi res id poſtulat, vitam & ſanguinem pro ſalute gregis fundere non dubitet. Hæc autem tanta obligatio ex duplici charitate oritur, vnicuique paſtori prorſus neceſſaria. Prima charitas erga Chriſtum eſt, altera er-

Ioan. 11. ga proximum, & oues ipſas, quarum curam ſuſcepit. De priori Chriſtus ad Petrum dicit: *Diligis me plus his? Paſce oues meas:* Quæ verba conſiderans diuus Chryſoſtomus, *Quum de Eccleſiæ,* in-

Lib. 2. de Sacerdotio. quit, *præfectura agitur, illi ſoli in medium prodeant, qui ita charitate reliquis excellunt, quantum corporis magnitudine Saul reliquum populum ſuperauit quum in Regem crearetur.* Erat autem ab humero & ſurſum omnibus excelſior. Fieri enim non poteſt vt Chriſti officio bene fungatur, qui Chriſtum præ cæteris non diligit. Chriſtus medicus animarum noſtrarum fuit. *Medicinæ autem, quam Chriſtus attulit;*

A *attulit, ministri & cooperarij sumus* (ait Gregorius Nazianzenus) *quotquot aliis præponimur. Quemadmodum autem familia ac ministri medicorum* (ait S. Chrysostomus) *quo erga dominos suos benevolentia maiore afficiuntur, eo pluribus verbis in solandis ægris vtuntur, eo solicitius & curiosius circa ægrum satagunt; sic in animarum cura pastores.* Debet ergo pastor, vt Christi personam gerit, sic Christi viscera induere: vt sit *cibus eius*, id est, sola voluptas, *facere voluntatem eius qui misit eum, vt perficiat opus eius*, sicut Christus de seipso loquitur. Sic Paulus: *Quotidie morior propter gloriam vestram, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.* Et iterum: *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar.* Hic est alius bonus pastor, qui verè potuit dicere: *Imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Reges terrę non nisi eos prouinciarum suarum Gubernatores & Proreges constituunt, quos sibi fidelissimos, & honoris regij studiosissimos arbitrantur: ideoque, quantum fieri potest, sanguine sibi coniunctissimos præficiunt. Similem Christus affectum ab eis, qui eius vicem in terris tenent, postulat. Altera huius obligationis radix est charitas, qua erga ouile ipsum præditus esse pastor debet, & habere viscera Pauli sic loquentis: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Vnde D. Chrysostomus: *Nullus sic sua deflevit peccata, sicut Paulus aliena. Ideo optat anathema esse pro fratribus suis in carne. Vnde acerbius tulit illos non salvari, quàm seipsum perire.* Huius etiam affectus & illa verba sunt: *Quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus; desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius. Permanere autem in*

B *carne necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* Ecce in tali conflictu, vbi hinc summum bonum suum, totaque beatitudo, illinc ouium vtilitas stabat, vicit amor ouium. Sic D. Martinus, Turonensis Episcopus, morti proximus, flentibus circum se suis, & dicentibus; *Cui nos pater derelinquis? inuadent gregem tuum lupi rapaces*; sic orat ad Dominum: *Domine, si populo tuo sum adhuc necessarius, non recuso laborem.* Certè in quibus sunt flagrantis charitatis indicia, eos Deus ad officium pastorale vocare solet; quod de Moyse, de Petro, & de Paulo his verbis notauit S. Augustinus: *Petrus post percussum gladio Malchũ, factus est pastor Ecclesiæ. Moyses, post percussum Aegyptium, quem abscondit in sabulo factus est Rector Synagogæ. Pauli saevitia, Ecclesiam persequentis, silvestre erat vitium; se magnæ fertilitatis indiciũ.* Hæc ille. Chrysostomus amicum suum Basilium fraude quadam ad Episcopatum suscipiendum induxerat. Eius rationem hanc postea reddit, eo quod periclitantem in iudicio amicum vt liberaret in media pericula vltro se coniecit, ne quidem ab amico rogatus; aliisque hoc eius factum postea improbantibus, respondit: *Ego aliter amare non didici.* Hinc enim coniecturam accepit Chrysostomus, eum non secus oues Christi amaturum, quàm amicum dilexerat. Hæc igitur gemina dilectio, Dei & proximi, non vulgaris, sed ardens, & *præcæteris*, vt Christus à Petro requisiuit, fortitudinis pastoralis radix & fundamentum est, quæ facit vt animam ponant pro ouibus suis,

C quoties vel Dei gloria, vel salus ouium id postulat. Huius fortitudinis pastoralis exempla aliqua in alia Dominica protulimus. Sed excelluit in hoc genere S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, qui mortem minitante sicario, *Ego vero*, inquit, *pro Domino meo mori paratus sum, vt Ecclesia Anglicana meo sanguine pacem & libertatem assequatur.* Quod & factum est.

In Apolog. Simile. De prouidentia Dei ser. 1. Ioan. 4. Exemplum 1. Cor. 15. 2. Cor. 12. 1. Cor. 11. Simile. 2. Cor. 11. Ho. 2. de laudib. Pauli. Philip. 1. Exemplum Seu. Sulp. in vita eius Contra Faustum li. 22. c. 70. Exemplum Chrys. li. 2. de Sacerd. Ioan. 21. Do. 2. Aduent. tex. 9 Exemplum In vita eius apud Surium, & in nostro Apologetico.

3. *Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit, quia mercenarius est, &c.*

LOcus moralis de mali pastoris vitiis & defectibus. Hunc mercenarium Christus vocat, quia solum præsentem mercedem sui laboris respicit, ouium salutem non respicit. Quum pastor proprias oues pascit, earum maximam curam habet, quia ad eum pertinent. Qui alienas oues mercede conductus pascit, quia non sunt propriæ oues, frequenter eas ita negligit, vt venienti lupo, aut aliis periculis, obijcere se nolit propter salutem ouium. Iacob pascebat oues auunculi sui Laban, non proprias. Dauid pascebat oues patris sui Isai. Moyses pascebat oues soceri sui Iethro. Et tamen mercenarij in sensu Christi non erant, sed tanquam proprias sic pascebant eas. Omnis pastor Ecclesiasticus pascit oues Christi, non suas: officio quidem, cura, commissione, dilectione suas, adeoque proprias, vt Christus hic loquitur; sed proprietate non

D suas, at Christi, qui *suo sanguine eas acquisiuit*, factus propterea *Caput super omnem Ecclesiam.* Mercenarius ergo hic dicitur, qui affectu talis est, *qui* (vt ait hic Christus) *non est pastor*, affectu scilicet, etsi officio; *& cuius oues non sunt propriæ*, affectu nempe & dilectione, etsi officio sint propriæ, quod aliis verbis expressit, dicens: *Quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus*: id est, non curat ouium salutem, sed suum commodum. Est itaque mercenarius hoc loco sicut aduocatus conductitius, sed auarus, qui clientis causam perfunctoriè agit; quia non pertinet ad eum de causa, siue cadat, siue obtineat. Bonus pastor est sicut ipsemet reus, suam ipsius causam acerrimè agens; ideoque omnem sibi factam iniuriam studiosè amplificans, & omnia iuris remedia diligentissimè inquirens. Hunc mercenarium describit Ezechiel: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini; gregem autem meum non pascebatis. Quisquis enim* (ait Augustinus) *ita Præpositus est, vt in eo quod Præpositus sit gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oues, & mercenarius est.* Est autem hic mercenarius duplex. Alter ex fine & occultus, alter apertè flagitio-

Mercenarius quis. Act. 20. Ephes. 1. Simile. Ezech. 34. Lib. de pastorib ca. 1. Mercenarius duplex

Hom.14. super Euã. Philip.1. sus. Ex fine & occultus est,qui spe lucri aut honoris pascit;sed sine scandalo viuit. De hoc dicit Christus quod *non est pastor*, id est,ait S. Gregorius, *Pastoris nomen non meretur,quia plus terrenam substantiam quàm oues diligit.* De istis dicit Apostolus,quod *per occasionem Christum prædicant, non propter bonam voluntatem*,& ex charitate. *Docet autem per occasionem,non caste* (ait Augustinus) *qui propter sua commoda,siue pecuniæ,siue honoris & laudis humanæ,id facit.* De istis ait S. Hieronymus: *Ignominia est omnium sacerdotum,propriis studere diuitiis.* Magna sanè ignominia:quia facit eos ex bonis pastoribus turpes mercenarios. Nec ignominia hæc tantum est, sed & magna stultitia. Bonus enim pastor & temporale commodum accipit,quia meretur (*Dignus est enim operarius mercede sua*) & mercedem quoque æternam non amittit,quia ad necessitatem illud accipit, non ad cupiditatem;nec principaliter illud quærit,sed *illud omne sibi adiici* intelligit,& non nisi per accidens dari: ideoque,*quum apparuerit Princeps pastorum,percipiet immarcescibilem gloriæ coronam.* Sed mercenarius ita bonum & commodum suum temporale auidè prosequitur, vt propter illud vnum perdat alterum,& propter vilius perdat excellentius,& propter momentaneum perdat æternum. Duo fratres,quorum maior natu ex legitima vxore,minor ex concubina natus fuerat,mortuo communi parente,hæreditatem ex loci consuetudine sic diuiserunt,vt sortibus iactis alter hæreditatem diuideret,facta diuisione eligeret alter. quum super natu maiorem sors diuidendi cecidisset,posuit ex vna parte totam hæreditatem,quoad omnia bona tam immobilia quàm mobilia:ab altera parte posuit concubinam,quæ in partem hæreditatis cesserat. Minor natu, carnali amore ductus,matrem concubinam eligit,hæreditate tota excidit. Sic mercenarius, sic quilibet animalis & carnalis homo,auarus,ambitiosus,luxuriosus,vt carni & carnalibus bonis adhęreat,amittit cælestia. Capo,si in ventre deplumetur,pullos gallinaceos libenter alet;non amore pullorum, sed vt ab illis calefiat. Sic mercenarius pastor,filios spirituales ad se colliget & fouebit;non ex amore ouium,sed vt plumis eorum, & bonis temporalibus calefiat ac foueatur. Alterum genus mercenariorum descripsit Christus,quum de Pharisæis diceret: *Quæ dicunt, facite;quæ autem faciunt,nolite facere. Dicunt enim,& non faciunt. Mercenarios enim nostros* (ait Augustinus) *in his verbis designauit.* Vterque iste mercenarius *videns lupum venientem*, siue ille hæreticus sit,rapiens gregem,& mactans ac perdens,siue malus ac improbus sit, qui aut terrore, vt potentes, impediunt,ne liberè data potestate vtantur;aut blanditiis & muneribus, vt adulatores, corrumpunt,vt officium suum negligant;siue denique diabolus sit,qui oues ad peccandum induxit;*fugit,& dimittit oues.* Nihil prorsus durum pati,nullam rei familiaris aut honoris iacturam subire vult. Ideo adhuc *venientem lupum fugit*;non expectat donec venerit, donec vim aliquam intulerit. Stat post principia, primus in fuga,postremus in prœlio;nempe hũc lupi videre priores,& magis mutum quàm piscem reddidere. *Canis enim mutus est,non valens latrare*, sed attentus ad offam. De his Ezechiel: *Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui Israel erant.* Rectè hypocritæ mercenarij vulpes vocantur. Nam vt vulpes non nisi domesticis auibus insidiatur, gallinis, pullis, anseribus,anatibus; sic isti mercenarij hypocritæ familiares suos maximè decipiunt: & vt in vulpe sola pellis aliquid valet, caro ad nihil est vtilis;sic hypocritæ mercenarij exteriora magni æstimantur, interiora nullius sunt precii. Sequitur in Ezechiele: *Non ascendistis ex aduerso,neque apposuistis murum pro domo Israel,vt staretis in prœlio in die Domini.* Sed vberius Zacharias Propheta: *Dixit Dominus ad me; Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.* De hoc enim docendi genere in alia Dominica diximus. Sunt autem vasa pastoris stulti, vas oleo vacuum,pera absque cibo, fistula rauca,quæ vix possit audiri,baculus ferreus,qui vno ictu miseram ouem interficiat. Ideo subiungit Propheta: *Quia ecce ego suscitabo* (id est,suscitari permittam in pœnam peccati) *pastorem in terra,qui derelicta non visitabit* (suis videlicet commodis & voluptati totus deditus) *dispersum non quæret,* quia fistulam raucam habet,quam oues audire nequeunt; *& contritum non sanabit*, quia oleum secum non tulit; *& id quod stat,non enutriet,* quia peram vacuam habet; *& carnes pinguium comedet,* suo soli honori studens: *& vngulas eorum dissoluet,* baculo ferreo percutiens, omnia faciẽs *potius ad destructionem,quàm ad ædificationem*, & contra id quod de Christo pastore bono Esaias scribit, *clamabit quidem,vt audiatur foris vox eius,eritque tristis ac turbulentus, & acceptor personarum, & calamum quassatum conteret,& linum fumigans extinguet.* Hoc enim facit baculus ferreus pastoris stulti,qui non (vt de Christo Principe pastorum dicitur) *in veritate educet iudicium*; sed sine iudicio facit iudicium,potentioribus parcens, tenuiores emungens. Dat veniam coruis, vexat censura columbas. Ideo ad hunc pastorem stultum sic adhuc loquitur Propheta: O *pastor & idolum,derelinquens gregem!* Verè idolum talis stultus pastor est. *Os enim habet,& non loquitur; oculos habet,& non videt;aures habet,& non audit;pedes habet,& non ambulat,* vt officium faciat. Solum manus habet vt munera palpet,vt lac & lanam accipiat. Sed nec loquitur sanam doctrinam, nec videt peccata populi sui,nec audit querelas innocentum, nec pedem mouet vt disciplinam Ecclesiasticam seruet. Quare sic Propheta Zacharias concludit: *Gladius super brachium eius, & super oculum dexterum eius.* Gladius Dei vindictam significat. Ille super brachium dexterum & oculum dexterum cadet,quia omnia sinistrè & praue faciet,omnia sinistrè & praue videbit. *Brachium eius ariditate siccabitur,* vt nullum opus fructuosum exerceat: & *oculus dexter eius*, qui fidei oculus est,vt supra explicuimus,rectique iudicii, *tenebrescens obscurabitur.* Ita videlicet *cæcus cæcum ducet,& ambo in foueam cadent*:& (vt alius Propheta dicit) *Erit sicut populus sic Sacerdos.* Sicut populus omnium rerum ignarus est, sic erit & stultus pastor ac mercenarius. *Ecce enim* (ait ad

Lucæ 10.

Matth. 7. 1.Pet. 5.

Simile.

Matt.24. Tract. 46. in Ioan.

Esaię 56. Ezech.13. Simile.

Zach.11. Dom.in ramis Pal. tex. 3.

2.Cor.13. Esaiæ 42.

Psal.113.

Matt.13. Esaiæ 24.

istos

A istos mercenarios Augustinus) *lupus oui guttur apprehendit. Diabolus fidei hæresim, adulterium, ebrietatem persuasit. Tu taces, non increpas ne forte offendas. O mercenarie, lupum venientem vidisti, & fugisti. Respondet forte: Ecce hic sum, non fugi. Fugisti, quia tacuisti: tacuisti quia timuisti:* timuisti, quia tua commoda quæsiuisti. Certè Christus pastoribus Ecclesiæ suæ futuris dixit: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Quasi diceret: Non deerunt lupi qui vobis & gregi vestro insidiabuntur. Hostes & insidiatores habebitis. Nec volo tamen vt fugiatis. Pulchrè Chrysostomus: *Quis vnquam pastor mittat oues in medio luporum, & non magis, si viderit lupos, congregat oues, & abigit lupos? Sed bene est quod non dixit, Ite in medio luporum; sed dixit: Ego mitto vos in medio luporum. Vos infirmi, sed qui mittit vos, potens est.* Mittit Christus; & qui misit, non solum potestatem dedit pascendi, sed & robur ac gratiam lupos omnes fortiter abigendi. Sancti Episcopi non verbo tantum & prædicatione, sed morte quoque sua ac passione lupos vicerunt. De qua re sic Augustinus in concione ad populum: *Locus iste, quando* B. *Martyris corpus percussum est, plenus lupis erat. Sed vicit tot lupos vna ouis capta, & impleuit locum ouibus vna ouis occisa.* Pastor ergo, ne mercenarius fiat, solã missionem suam consideret, quis eum misit, ad quid, & qua virtute, & ad quos. Pericles, Athenienſium Princeps, quoties vestem clauatam & prætextatam magistratui propriam induebat, eam aspiciens, dixit: *Attende tibi Pericles. Liberi sunt quos ipse regis; Græci sunt, ciues Athenienses sunt.* Pastor quisque quoties vestem Sacerdotalem, aut stolam pastoralem induit, dicat & sibi: Attende tibi N. regis Ecclesiam, *quam Christus suo sanguine acquisiuit;* regis oues quas *Dei Filius liberauit.* Christiani sunt, B *vncti in sacerdotium regale. Ciues & domestici Dei facti sunt.* Hæc te merito moueant, ne vel tanto emptos precio, tua culpa perdas; vel ad tantam dignitatem vocatos, aliqua vanitate contemnas; vel sic tibi coniunctos, aliqua ignauia negligas. Sed & habitum tuum Sacerdotalem considera, ne, solis terrenis immersus, mercenarius fias. Amictus pudorem, Alba conscientiæ puritatem, Cingulum castitatem, Stola obedientiam, Manipulus temperantiam, Casula, quæ te totum contegit, charitatem significat. His indutus, altari deseruis, pro grege tuo sacrificium offers, & vitæ verbum ouibus tuis administras. Totius hodie calamitatis, quæ Ecclesiam penè oppressit, pastores mercenarij causa maxima fuerunt. Quare de illis copiosius dici debuit.

Tract. 46. in Ioan.

Matt. 10.

In ser. de Pentecoste.

Enar. in Psal. 32. conc. 2.

Plutarch. in Polit.

Exemplum Act. 20. 1. Pet. 2. Epheſ. 2.

Habitus Sacerd.

4. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.*

Ouium Christi proprietates.

LOcus moralis de veris notis & signis, quibus suas oues Christus cognoscit. Nam vt Christus tanquam bonus pastor cognoscit oues suas, & vocat eas nominatim, & agnoscit vultum pecoris sui, & nouit quæ sunt eius, & curam earum habet, & diligit eas; quæ omnia in hoc C verbo, *cognosco*, intelligi possunt, & ad boni pastoris officium pertinent, de quo iam diximus, dicturi adhuc in alio textu plura: sic ipsæ oues certa aliqua nota, certis signis cognoscuntur. Certè in ouibus naturalibus vna & eadem nota, vnus & idem character est, quo & suas oues dominus ouium, ipseque pastor recognoscit, & quo alij sciunt has esse talis domini oues. Videndum ergo ad nostram institutionem, moresque formandos, quæ sit vera nota, quæ rubrica, quæ signa, quæ proprietates ouium Christi, vt & nos sciamus an simus, quod esse prętendimus, de numero ouium Christi, quas ille pro suis agnoscet. Hanc notam ouium suarum Christus expressit: I*n hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem ad inuicem habueritis.* Hæc est nota ouium Christi, & est nota naturalis; quia Dei dilectio nulla esse potest, vbi proximi dilectio non est, vt alio in loco ex ratione centri & circumferentiæ ostendimus: ideoque ouis Christi esse, Christum pastorem diligere & audire nemo potest, qui proximum suum non diligit. *Sola charitas discernit filios* Dei *à filiis diaboli,* vt docet sanctus Augustinus. De hac virtute in alia Dominica latè dicemus. Sed aliæ sunt ouis proprietates & signa. Christus enim suos neque leoni, neque tauro, neque cani, neque vlli alteri animali comparat, sed oui tantummodo. Et disertè dicit, *se suos mittere tanquam oues.* Ouis autem animal est mirabiliter suo pastori obediens, quæ sola voce aut fistula ad caulas reducitur. Quum Dauid obedientiam populi Israelitici amplificare vellet, sic ait: *Qui deducis velut ouem Ioseph.* Obedientiæ virtus propria est homini Christiano, siue obedientiam fidei spectes, siue obedientiam mandatorum. Neque enim creditur Chri- D sti doctrinæ fine magna obedientia, quam Paulus vocat, *captiuare intellectum in obsequium Christi:* neque mandata Christi seruantur sine singulari obedientiæ virtute, vnde Petrus nos vocat *filios obedientiæ, non configuratos prioribus desideriis, &c.*

1. *Nota ouis Christi.*

Ioan. 13. Dom. 3. Quadrag. tex. 3.

Tract. 5. in epist. Ioan.

Do. 12. post Pent. tex. 4

Matt. 10.

2. *Nota.*

Psal. 79.

2. Cor. 10. 1. Pet. 1.

Porrò obedientia fidei quàm sit propria & necessaria nota veri Christiani Catholici, in altero Promptuario latè deduximus. Ouis est animal simplicissimum, pacificum, & maximè innocens. Nec aliis animalibus vllo modo nocet, nec cum sui generis pugnax est. Nec minitatur cornibus, vt boues; nec dentibus laniat, vt lupi; nec calcibus ferit, vt equi; nec voce terret, vt leo; nec vnguibus rapit, vt felis; nec venenum habet, vt vipera. Hæc quoque propria nota est Christianorum, quam Christus his verbis expressit: *Beati pacifici, quoniam hi filij Dei vocabuntur.* Sed & natura ad pacem nos formauit, vt in præcedenti Dominica dictum est. Hanc ouium Christi notam diuus Petrus his verbis tradit: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones sicut modo geniti infantes, rationabiles; sine dolo lac concupiscite, vt in eo*

3. *Nota.*

Matt. 5.

1. Pet. 2.

crescatis in salutem, si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. Hanc notam & proprietatem Paulus sollicitè in suis Corinthiis desiderat. *Timeo,* inquit, *ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu.* Ouis porro vt est animal innoxium, ita & simplex est, ac malorum patiens: quæ etiam nota Christianis ouibus non secus est propria & necessaria, quàm præcedentes. Dicit enim Christus suis ouibus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Dicit iterum: *Ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes.* Simplices esse oportet in patientia malorum, quæ lupi inferunt: Prudentes in confessione & conseruatione veræ fidei; sicut serpens totum corpus ictibus exponit, vt caput illæsum seruet. Laudatur Iob in Scripturis quod vir esset *simplex & rectus.* Sola ouis, quum ad occisionem ducitur, non vociferatur, vt porcus; non reluctatur, vt taurus; non recalcitrat, vt equus; sed prorsus obmutescens, nec os aperit, nec vim vllam facit. Vnde & mansuetissimum animal est, ab omni ferocia & contentione alienissimum. Vna ouis vox est, siue offendatur, siue pascatur, Ba, ba. Siue in aduersis, siue in prosperis, etiam quum iugulo culter apponitur, nihil nisi suum Ba resonat. Talis est verè ouium Christi in qualibet fortuna æquabilitas, *vt nunquam recedat laus Dei, de ore eorum,* sed cum beato Iob dicant: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.* Sic de martyribus canit Ecclesia: *Cæduntur gladiis more bidentium, Non murmur resonat, non querimonia; Sed corde tacito, mens bene conscia Conseruat patientiam.* Hanc animi mansuetudinem suas oues expressè docuit Christus dicens: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Hanc notam in suis Hebræis agnouit Paulus, dicens: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Hanc notam docet suos Christus, dicens: *Si quis vobis aufert tunicam, date ei & pallium:* sicut sanè *ouis coram tondente se obmutescit.* Nempe perpetuam mansuetudinem animi, absque ira, odio, cupiditate vindictæ, suis ouibus inesse Christus vult. Talis Christi ouicula Paulus erat, Apostolus tam sapiens & eruditus. *Vsque in hanc horam,* inquit, *& esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus,* (id est, incertis vagamur sedibus) *maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus.* quid hac oue Christi mansuetius? Quid eodem Apostolo sapientius? Erat idem ad omnem fortunam parâtus. *Scio,* inquit, *abundare, scio & penuriam pati.* Siue pascebatur in bonis pascuis, siue percutiebatur baculo pastorali, semper suum Ba resonabat, vt vera ouis Christi; eundem animi tenorem, eandem tranquillitatem seruabat. Rursum, ouis est animal valde timidum, & lupum vehementer exhorrescit: quem vbi primum à longè viderit, non curiosè contemplatur, non expectat appropinquantem; sed mox, eo longissimè conspecto, ad pastorem suum fugit, sub eius brachiis se tutam sperat. Sic vera ouis Christi, peccatum & peccati auctorem diabolum debet perpetuo timere, fugere, exhorrescere, & Christo vero pastori indesinenter adhærere, dicens; *Sub vmbra alarum tuarum protege nos:* quia etiam, vt Propheta prædixit, *Sub vmbra eius viuemus in Gentibus.* Hic perpetuus & acris timor peccati, & horror diaboli, alia est veræ ouis Christi nota verissima. *Beatus homo qui semper est pauidus.* Sic Iob: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Rursum alia Scriptura: *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Quod autem fugimus, exhorrescimus. De hac fuga & horrore peccati in alia Dominica diximus. Iam vero non lupum tantum, & hostem suum capitalem ouis timet, sed (vt refert Aristoteles) quum currunt simul, ad proprium pedum suorum strepitum magis, quàm ad aliud quicquam expauescunt. Certè & in Christi ouibus saluberrimus est timor propriarum affectionum, & actionum. Vnde sanctus Iob: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Hunc timorem Dauid exoptat, dicens: *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Iudicia enim Dei abyssus multa. Et quis erit mundus in conspectu eius?* Quare clamat idem Propheta: *Ab occultis meis munda me Domine.* Sed & Apostolus ex hoc timore ait: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est.* Et istæ ergo oues sanctæ, Iob, Dauid, Paulus, timebant sonitum pedum suorum, timebant desideria & affectus suos, opera & actiones suas timebant. Fratres Ioseph, quum primo in Aegyptum descenderent nihil timentes, multa mala perpessi sunt; in secundo descensu omnia timentes, (in domum enim introducti, *exterriti dixerunt, Propter pecuniam, quam retulimus, subijcere nos vult seruituti, &c.*) omnia prospera inuenerunt. Nempe timor iste est sicut stimulus infirmorum, excitans ad virtutem. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua.* Est sicut antidotus ægrorum, purgans à peccato. *Timor Domini expellit peccatum.* Est quasi diæta fortium, ne peccent. *Venit Dominus, vt timor illius esset in vobis, & non peccaretis.* Sed timor iste filialis est, non seruilis; ex Dei dilectione, non ex metu pœnarum proficiscens. Iam præter hæc omnia, ouis animal maximè sociale est, à solitudine abhorrens, turmatim semper libenter ambulans, & gregi suo perpetuo adhærens. Talis etiam est vera ouis Christi, quæ non secus corpori eius, quod est Ecclesia, adhæret, quam capiti Christo; optimè sciens, non posse se habere Deum patrem, nisi habeat Ecclesiam matrem; & frustra se agnoscere Christum pastorem, nisi & alios eius vicarios pastores audiat, dicente ipso Christo de talibus: *Qui vos audit, me audit,* & rursum: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* De hac vnitate gregis Christi necessario retinenda, in altero Promptuario diximus. Sed & illud quoque in ouibus obseruare licet, quod, quum eas pastor ad propria pascua deducit, vbi vberrimè pascentur, dum interea per extremos ac signatos agrorum limites transeunt, non patitur eas saturari, sed obiter tantum & carptim herbam carpere. Sic omnino Christus pastor noster in hac peregrinatione nostra non nisi carptim nos pascere permittit,

2. Cor. 11. 4. Nota. Luc. 18. Matt. 10. Iob 1. 5. Nota. Iob 2. Matt. 11. Hebr. 10. Matt. 5. 1. Cor. 4. Philip. 4. 6. Nota. Psal. 16. Thren. 4. Prou. 28. Iob 31. Eccli 21. Dom. Pass. tex. 1. 7. Nota. In lib. de animalib. Iob 9. Psal. 118. psal. 35. Iob 15. 33. Psal. 18. 1. Cor. 4. Gen. 43. Eccli. 2. Eccli. 1. Exodi 20. 8. Nota. Luc. 10. Matt. 18. 9. Nota.

A permittit,& solis necessariis contentos esse vult, vt terrena ista,quasi canis ad Nilum, non nisi transeunter gustemus,sed in cęlesti patria,quo nos ducit,vberrima nobis pascua præparauit, vt in alia Dominica ex parte declarauimus. De quibus Propheta dicit: *In pascuis vberrimis pascam oues meas,in montibus excelsis Israel*,id est,videntium Deum. Postremo oues delectantur salicum frondibus,etsi amaris;maluntque salsis vti pascuis,quàm dulcibus. Sic oues Christi veritatem mordentem,& mortificationem carnis libentius admittunt,quàm falsitatem adulantem,& vitæ mollitiem. Sic ergo Christus cognoscit oues suas; & nos inter illas,si tales oues sumus. *Ezech.24. 10.Nota.*

5. *Et oues meę cognoscunt me.*

LOcus moralis, de cognitione Christi,omnibus Christianis necessaria. Est quidem maxima felicitas à Christo cognosci,sicut summa miseria non cognosci,& tristem illam vocem audire,*Nescio vos*.Sed est maxima necessitas,vt nos quoque Christum cognoscamus. *Qui enim ignorat,ignorabitur*.Quare Christus non contentus dixisse;*Ego cognosco oues meas*; addit præterea: *& cognoscunt me meæ*. Docet non satis esse vt in eum credamus, atque adeo mandata eius seruemus;sed vult præterea vt eum cognoscamus. Certè Regibus huius seculi satis obtemperat po- *Christi cognitio omnibus necessaria. Matt.25. 1.Cor.14.*

B pulus, etsi eos nunquam viderit, nunquam cognoscat. Imo Persarum Regibus (quod & de Mexicano,ac Peruano Regibus in India occidentali legimus) mos erat, vt à suis subditis nunquam, vel certè rarissimè conspicerentur, maiestatis scilicet regiæ tuendæ causa. At Christus Rex noster ac Redemptor vult à nobis singulis cognosci, quotquot oues eius sumus. Ratio est,quia eum imitari debemus,quia *conformes fieri imagini Filij Dei* prorsus necesse est. *Dei Filius factus est filius hominis* (ait Augustinus) *non solum vt omnia patiendo à peccatis nos liberaret, sed etiam vt homo factus, exemplo suo ad virtutum exempla nos accenderet*.Sic & sanctus Leo: *Dominus Dauid factus est filius Dauid,qui cæteris exemplo prodesset & merito*. Quare quum discipulorum pedes lauaret,dixit:*Exemplum dedi vobis,vt & vos alter alterius lauetis pedes*;id est,vt inuicem supportetis,vnde Apostolus:*Alter alterius onera portate,& sic adimplebitis legem Christi*: quam videlicet exemplo suo nos docuit,non verbo tantum. Et iterum:*Supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam; sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos*. Sic suo exemplo Christus ad charitatem nos hortatur: *Vt diligatis inuicem,sicut & ego dilexi vos*. Suo exemplo ad mansuetudinem nos hortatur:*Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Suo exemplo ad patientiam malorum nos instruxit;dicente Petro: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exem-* *Rom.9. Ser.8.de Temp. De Nat. Do.ser.8. Ioan.13. Galat.5. Coloss.3. Ioan.13. Matt.11. 1.Pet.4.*

C *plum, vt & vos sequamini vestigia eius*. Suo exemplo ad tolerandas iniurias nos hortatur. *Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti fuerint, & vos persequentur*. Suo exemplo ad maledicta & contumelias ferendas, nos & præcessit & docuit. *Non est discipulus super magistrum.Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt,quanto magis domesticos eius!* Suo exemplo docuit nos perpetuam cum proximis pacem seruare. *Vnusquisque vestrum* (ait Paulus) *proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit*. Christum igitur,omnemque eius vitam & actiones, non doctrinam tantum cognoscere debemus,vt eius exempla imitemur. *Hæc est enim vita æterna*(id est,via ad vitam æternam necessaria) *vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Quum filij Israel à serpentibus ignitis in deserto interficerentur,erexit Moyses,iubente Deo, æneum serpentem,*vt omnis qui aspexerit eum,sanaretur. At sic oportet exaltari Filiũ hominis*,ait Christus,id est,sic oportet omnes in Christum in cruce exaltatum aspicere,in eius sacratissimã passionem,innumerarum virtutum codicem perspicuum & plenum,oculos conijcere,vt à peccatis serpentinis liberentur.Sic Paulus:*Curramus ad propositũ nobis certamẽ,aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum*.Qui rectè in stadio currere vult,eos,qui prius cucurrerunt, diligenter intuetur,vt melius currat. Si de nocte alicui necessario ambulãdum esset, & vnica esset lucerna,cuius ductum sequeretur,nonne eius lucernæ vestigia ante oculos semper haberet?At dicit *Ioan.15. Matt.10. Rom.15. Ioan.17. Num.21. Ioan. 3. Hebr.12. Simile.*

D Christus:*Ego sum lux mundi, Qui sequitur me,non ambulat in tenebris*.Omnes absque Christo *ambulant in vanitate sensus sui,tenebris obscuratum habentes intellectum*. Sed Christus est *lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.Hanc ergo lucem ante oculos perpetuo habere,eam probè cognoscere,quanti referat,perspicuum est.Non enim omnibus lucet,quia *tenebræ eum nõ comprehenderunt*.Lumine fidei lux illa comprehẽditur;sed luce charitatis clarè cognoscitur. *Qui enim dicit se in Christo* (per fidem) *manere,debet,sicut ille ambulauit, & ipse* (per charitatẽ) *ambulare*. At id fieri nequit,nisi prius constet quomodo Christus ambulauit,nisi tota eius vita prius liquido cognoscatur.Vnde Paulus:*Sicut accepistis Iesum Christum Dominum*,id est,sicut eum cognouistis,& de eius vita instructi estis,*in ipso ambulate*:Veteri populo dictum fuit:*Attendite ad Abrahã patrem vestrum,& ad petrã vnde excisi estis*.Et Christus ipse Iudæis dixit:*Si filij Abrahæ estis,opera Abrahæ facite*.Sed nunc maior nobis ad imitandum & cognoscendum proponitur.*Abraham enim vidit diem Christi,& gauisus est*.Nunc enim *Vnigenitus de sinu Patris,ipse enarrauit nobis*. Nõ iam amplius filii Abrahæ,sed serui Christi sumus.Hic est petra vnde excisi sumus: nam ex eius latere fluxit ille sanguis quo redempti sumus.Hac de causa gloriatur Paulus *se nihil scire,nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*, vt in præcedentibus explicatum est. Sed & præter hęc omnia, vt Christo conformemur, ipse Christus sua nos &. doctrina exterius, & gratia interius format, *Ioan.8. Ephes.4. Ioan. 1. 1.Ioan.2. Coloss. 2. Esaiæ 51. Ioan.8. 1.Ioan.1. 1.Cor.2. Dom. in Albis tex. 3.*

Simile. atque ad sui imaginem nos effingit. Sicut autem qui à pictore aliquo effingi ad viuum vult, A debet intentis oculis ipsum perpetuo pictorem intueri; & si oculos vel minimum ab eo deflectat, pictor eius verum vultum non assequitur, sic omnino vt conformemur imagini Filij Dei, vt ipse Filius Dei nos ad sui similitudinem effingat, formet, atque componat, necessario ipsum formatorem nostrum Christum perpetuo intueri, & in eius oculos nostros oculos defixos habere oportet. Si enim ab eo semel oculos auertimus, ad rerum terrenarum amorem conuersi, nihil amplius in nobis Christus operabitur. Adeo verum, adeo necessarium est quod Christus hic dicit: *Oues meæ cognoscunt me.* Vitæ Sanctorum multum ad pietatem iuuant, quatenus imitatores Christi fuerunt. Sed vita Christi ipsius omnibus Christianis debet esse exploratissima. Ille enim Sol iustitiæ, & lux ipsa est, omnes illuminans. Cæteri quasi stellæ & luminaria sunt ab eo illuminata, nec nisi partem luminis habent, certasque virtutes; & in certo gradu, quas de plenitudine Christi acceperunt.

6. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.*

B

Christi cumulatissima in nos dilectio. LOcus moralis de cumulatissima & longè maxima Christi Redemptoris in nos, ouiculas suas, dilectione. Quum enim dixisset Christus, quod & ipse cognosceret oues suas, ouesque ipsum cognoscerent, vtique non simplici notitia vtrobique, sed cum charitate & dilectione coniuncta, vt suam erga oues cumulatissimam, & qua maior esse non potuit, dilectionem ostenderet, hæc verba subiecit; docens, se quidem diligi à Patre, eo quod Pater eius gloriam quærat, non ipse suam (*Ego*, inquit alibi, *non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet*) & Pater ei *nomen* dabit *super omne nomen, in quo omne genu flectatur, &c.* seque vicissim Patrem diligere, eo quòd *non faciat voluntatem suam, sed Patris*, & eius gloriã in omnibus quærat: deinde similem esse & reciprocum amorem inter se & oues suas. Quod vt ex sua parte ostendat, subiunxit: *Et animã meam pono pro ouibus meis*, de reciproco ouium amore nihil dicit, sed necessario subintelligendũ relinquit. Hoc ergo in loco cumulatissimus hic Christi in nos amor explicandus est, vt quid, & quantum ex parte nostra tanto amori debeatur, hoc modo intelligatur. Dicit se *animam suã ponere* (id est, sponte vitam fundere; vnde alibi dixerat: *Ego pono animam meam, & iterum sumo eã, & nemo tollit eam à me*) *pro ouibus suis.* Dixerat paulò antè Christus: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et certè Christus moriẽs, efficaciter quidem pro solis amicis mortuus est, idque pro futuris amicis, post conuersionem singulorum, non pro iis qui antea amici fuerant. Cæterum Christi charitas in eo adhuc magis commendatur, quod sufficienter C pro omnibus, tam amicis quàm inimicis, tam electis quã reprobis, animam suã posuit; fuit enim *propitiatio pro peccato totius mundi*, & quod pro ipsis amicis tunc mortuus est, quum adhuc inimici

Ioan. 10.

1. Ioan. 2. essent. Et hanc charitatem commendat Paulus, etsi inferioris cuiusdam generis charitatẽ Christus hic exprimat, seu modestiæ admirabilis causa, seu de sola efficaci redẽptione loquens. Ait enim Apostolus: *Christus, quum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est. Vix enim*

Rom. 5. *pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam, quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Expendit Paulus diligenter, quod Christus non solum pro amicis suis (quia tales futuri erant) sed etiam pro inimicis (quia tales tunc erant) animam suam posuit. Nam postea dicit: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* Et vide quot nominibus beneficium hoc commendat. Vocat enim nos *inimicos, infirmos, impios, & peccatores*, vt sic intelligeremus, à quot malis Christus nos per suam mortem liberauit. *Infirmi* eramus, quia debiles & inualidi ad omne bonum opus. *Impij* eramus, quia diuinæ voluntati refractarij & rebelles vixim us. *Peccatores* eramus, quia contra rationis regulam, mentisque rectitudinem peccauimus. *Inimici* Dei eramus, quia per peccatum omnis amicitia nostrã cum Deo dissoluta fuit. Addit alio in loco, quod etiam *mortui* eramus, Deo scilicet; ita vt Deo frui, vel secundum Deum viuere, nobis ex nobis planè esset impossibile. *Cum*, inquit, *mortui essemus in delictis nostris, conuiuificauit nos in Christo, &c.* Hæc omnia expendens Paulus, reciprocũ nostrum in Christum amorem his verbis efficacissimè tradit: *Charitas Christi vrget nos; æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuit, iam non sibi viuat, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Supplet hoc loco Paulus reciprocum illum ouium erga Christum amorem, quem Christus in Euangelio tacuit, quia illũ sermonem nondum portare poterant discipuli eius. Voluit enim Christus dicere; *Ego animã meam pono pro ouibus meis, & oues meæ animam suam ponent pro me*: quemadmodum dixerat; *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* At nunc Paulus hoc disertissimè dicit, quia Spiritũ sanctum tum ille, tum ad quos scripsit, acceperant, qui, quæ Christus dicere prætermisit, docuit atque suggessit omnia. Verba Pauli expendemus. *Charitas Christi vrget nos.* Charitas Christi pro infirmis, pro impiis, pro peccatoribus, pro inimicis, pro mortuis animã suam ponentis, Christi inquã Filij Dei, dilecti à Patre vnigeniti, in quo sibi complacuit, animam quoque suam ponentis non vulgari modo, sed per mortem Crucis, cuius & ignominia maxima, & dolor extremus fuit. *Charitas* quoque & pura dilectio, non aliqua obligatio, non præceptum aut mandatum, non vllã

2. Cor. 5. D

Mortis Christi beneficium.
1.
2.
3.
4.
5.
Epheſ. 2.

ex sua

A ex sua parte necessitas. Hæc pura,& tanta,& in tali persona,& propter talem causam,& etiam ob talem finem,vt non solum nos reconciliaret Deo Patri,sed etiam vt *conuiuificaret; & conregnare & considere faceret in cælestibus*;hæc tam admirabilis & tam ineffabilis *charitas Christi vrget nos*,id est,vrgere,premere,compungere,vehementes mutuæ charitatis stumulos addere,ardentes facesadmouere,ingentes flammas excitare in cordibus nostris debet. Primum , quia amorem amore compensari oportet:& vt inter homines ingratitudinis nota nihil infamius , nihil benefactori durius,gratitudine vero nihil iucundius,nihil splendidius est;sic inter nos & Deum;idque eo magis,quanto est inter nos & Deum inæqualitas infinitè maior.De hac gratitudine erga Dei beneficia,in aliis iam Dominicis diximus. Magna laus apud Romanos fuit Q.Metelli, quod non dubitaret , Consul quum esset, pro Quinto Callidio prætore candidato supplicare populo,eo quod olim tribunus plebis legem tulerat , qua pater huius Metelli in ciuitatem restitueretur.Magna laus Augusti Cæsaris qui pro gregario milite,olim pro salute eius in prælio Actiaco fortiter dimicante,in aduocationem descendisset. Vrgebat hos magnos Principes, obscurorum hominum vulgaris quædam charitas. quidni nos vrgeat in causa æternæ salutis, Filii Dei tam immensa charitas?Deinde vrgere nos debet hæc Christi charitas;quia huiusmodi gratitudinis officium Deus à nobis disertè exigit. In veteri lege liberationem à seruitute Aegyptiaca , non solum ceremonia solemni Agni Paschalis celebrare , sed etiam disertis ver-

B bis profiteri populus iubetur:*Obseruabitis ceremonias istas.Et cum dixerint vobis filij vestri , Quæ est ista religio?dicetis eis:Victima transitus Domini est,&c.* Similiter iubetur quotannis acceptæ terræ Chanaan beneficium profiteri. *Cum intraueris terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi possidendam, tolles de cunctis frugibus tuis primitias,&c.accedesque ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis , & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino* Deo *tuo,quod ingressus sum in terram , pro qua iurauit patribus nostris vt daret eam nobis* . Hæc ceremonia, hæc recordatio,hæc professio pro temporali illo beneficio, figura est gratitudinis nostræ,pro beneficio multo maiori illo videlicet , quod hoc significabatur, vt dato Ioanne Baptista,pater eius Zacharias,plenus Spiritu sancto,profitebatur, dicens:*Visitauit plebem suam,&c.sicut locutus est per os Sanctorum,&c. Memorari testamenti sui sancti, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum , daturum se nobis* (dedit autem semetipsum pro nobis in cruce) *vt sine timore, &c. seruiamus illi in sanctitate & iustitia*, &,vt Paulus ait,*vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Hæc est gratitudo ad quam Christi charitas nos vrget, vt mox ex sequẽtibus Pauli verbis magis dicetur.Nunc,vt in veteri lege liberationis Aegyptiacæ fiebat,sic in noua perpetuam facimus,ritu solẽnissimo & sacratissimo,mortis Dominicæ commemorationẽ.Vult ergo Christus vt huius charitatis perpetuo simus memores. Certè vr-

C get magis beneficij accepti obligatio,quàm vllius debiti contracti;quia plus vrget amor quàm lex de contractibus:quod videmus in parentibus & filiis,quos amor naturalis centies plus vrget & impellit ad benefaciendum mutuo,quã vlla lex possit impellere. Leges quidem cogunt: sed charitas vrget,perpetuo quodam & indiuulso,& acri stimulo ad opus impellit.Sed illos demum hæc Christi charitas vrget,qui Christi beneficium & fructũ sentiunt.Qui à Rege ad honorem euectus est,quo magis honore delectatur,eo maiorem beneficij regij sensum habet,magis regem redamat,obseruat,colit.Quibus salus æterna cordi est,qui peccatorum suorum grauitatem expendunt,pœnas timent,veniam desiderant;illos hæc Christi charitas,qua *propter delicta nostra mortuus est*,ad redamandum vrget.Quare Paulus de se,suique similibus,dixit: *Charitas Christi vrget nos*.Sed nunc ad quid vrgeat,cum Paulo videamus : *Aestimantes hoc* (ait Paulus) id est,planè iudicantes,certoque inde concludentes, *quia si vnus pro omnibus mortuus est,ergo omnes mortui sunt*;id est,omnes mori vicissim pro Christo debent. Quia si ille animam suam posuit pro nobis,debemus& nos animam nostrã ponere pro illo.Hoc enim amoris vicissitudo postulat,& ad hoc vrget Christi charitas:quotiesvidelicet Christi gloria,vel salus nostra ac proximi id requirit.*Qui enim abnegauerit me coram hominibus,& ego abnegabo eum coram Patre meo*.Rursum:

D *Si compatimur,conglorificabimur:si commorimur,conuiuemus*.Affectu igitur & voluntate,totaque animi propensione etiam ad corporalem mortem pro Christo subeundam , mors Christi nos vrget. *Hoc enim egit mors Domini,ne mors amplius timeretur*,ait S.August.iuxta illud Apostoli: *vt per mortem liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Sed vtcunque de hoc sit, certè charitas ad hoc nos vrget,vt prorsus moriamur peccato,moriamur prauis affectibus,moriamur huic seculo omnes.Vnde addit Paulus loco citato,explicans,quo modo propter Christi mortem omnes mortui sunt:*Vt & qui viuit,iam non sibi viuat;sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*.Non sibi viuat,id est,non suã,sed Christi voluntatem faciat;nõ carnis desideria,sed Spiritus Dei consilia exequatur:non huic seculo nequam, sed imagini Filii Dei conformetur. *Vt existimemus nos mortuos quidem esse peccato,viuentes autem Deo in Christo*.Vnde Petrus:*Christo in carne passo,vos eadẽ cogitatione armamini*:id est,vos quoque in carne vestra patimini:*mortificantes membra vestra quæ sunt super terram,& tollentes vnusquisq; crucẽ suam* post Christũ.*Quia qui passus est in carne,* sensu iã dicto,*desiit à peccatis;vt iam nõ desideriis hominum,sed voluntati Dei quod reliquũ est viuat tempore*.Ad hoc nos Christi charitas,moriẽtis pro omnibus,omnes vrget.In veteri populo,quia ad liberationem Hebræorum omnes primogenitos Aegyptiorum vna nocte Angelus Dei interfecit, voluit Deus vt in eius beneficii gratitudinem omnes postea primogeniti Deo offerrentur, tam in hominibus , quàm in pecoribus , nisi quod quorundam animalium primogenita

5. *Ephes. 2.* *Gratitudo debita vasſ. Christi beneficio.* *Dom. infra Oct. Nat. Dom.* *Do. 3. post Epiph. tex. 5.* *Do. Quinquag. tex. 2* *Valer. Max. li. 5. ca. 2.* *Exodi 12.* *Typus.* *Deut. 26.* *Luc. 2.* *Tit. 2.* *Typus.* *Simile.* *Simile.* *Luc. 12.* *Rom. 8.* *In expos. inchoata epist. ad Rom.* *Hebr. 2.* *Rom. 6.* *1. Pet. 4.* *Typus.*

redimi poterant. Hinc etiam & Christus à B. Virgine matre sua, iuxta legem, in templo offerebatur. Atqui pro beneficio liberationis nostræ à seruitute peccati, & captiuitate diaboli, percussit Deus vnicum suum primogenitum. *Proprio enim Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad huius autem beneficij gratitudinem recognoscendam, vult Deus vt nos omnes nosmetipsos Deo offeramus, *exhibentes corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum.* Ad hoc Christi charitas nos vrget. Sibi viuunt, non Christo, qui omnem suam solicitudinem in cibum, potum, vestitum, voluptates, honores & diuitias conferunt. Christo viuunt, non sibi, qui his omnibus vel contemptis, vel parcè vtentes (*vtentes hoc mundo tanquam non vtentes*) curas suas & cogitationes omnes in Dei gloriam, suam ac proximi salutem, conuertunt. Si peritissimus lapidarius gemmam centum mille aureis emeret, nemo dubitaret maximi valoris esse gemmam illam. Christus nos tanto pretio redemit, vt nostram ipsorum salutem magno in pretio haberemus. *Empti estis pretio magno* (ait Paulus) *glorificate ergo & portate Deum in corpore vestro.* Non vobis, sed Christo viuite: sicut ille non sibi, sed vobis vixit; pro vobis natus, crucifixus, & mortuus. Ad hoc totum charitas Christi nos vrget. Ad hunc finem animam suam posuit pro ouibus suis.

Rom. 8. Rom. 13. *Christo vel sibi viuere.* 1. Cor. 7. *Simile.* 1. Cor. 6.

A

7. Erit vnus pastor, & vnum ouile. B

LOcus moralis de vnitate Ecclesiastica firmiter à quouis Christiano retinenda: quem in altero Promptuario Catholico, contra hæreticos nostri temporis, in hac ipsa Dominica tractauimus.

EVANGELIVM DOMINICÆ III. POST PASCHA.

Ioan. 16. MODICVM & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus C quia volebant eum interrogare; & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi; Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me? Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habebitis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos.* De afflictione & tribulatione iustorum in hac vita.
2. *Mundus autem gaudebit.* De mundi gaudiis vanis, caducis, & noxiis.
3. *Tristitia vestra vertetur in gaudium: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* De beato exitu & catastrophe tribulationum, quas ad momentum iusti patiuntur. D

1. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos.

Tribulationes iustorum. LOcus moralis de afflictione & tribulatione iustorum in hac vita. Christus enim his verbis non solum futuram Apostolorum suorum grauem perturbationem atque tristitiam, tempore passionis ac mortis suæ, prædixit, quia eo tunc tempore ad modicum eum non viderent, visuri tamen post modicum, resurgentem; sed etiam futuram Apostolorum, omniumque iustorum in hac vita variam tribulationem, in qua ad modicum tempus huius transitoriæ vitæ Christus non videtur, sed post modicum huius temporis in æternum à iustis videtur, his verbis significat, vt exponit sanctus Augustinus: qui sensus ex eo confirmatur, quod addit hic Christus: *quia vado ad Patrem.* Hoc enim non de mortis tempore, sed de glorioſa Ascensione necessario intelligitur: qua peracta ad Patrem ascendit, suosque interim in terris variis tribu-

Tract. 95. & 181. in Ioan.

lationibus

A lationibus exercendos, corrigendos, expoliendos reliquit. A quibus per mortem corporis iusti liberati, sentiunt suam tristitiam in gaudium verti, illudque impletur, quod Christus hic dicit: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*: quod vtique de sempiterno gaudio commodissimè intelligitur. De tribulatione iustorum in hac vita, iam in aliis Dominicis quædam diximus. Sed hic loco proprio aliqua necessario addenda sunt, prout Deus dabit. Plorant & flent in hac vita iusti, id est, variè tribulantur: primum ad perpetuum virtutis exercitium, tanquam electi Dei, & ab eo amplius coronandi. Esau reprobus nihil affligitur. Iacob electus viginti annis seruit Laban, & totidem annis amissi Ioseph luctum tulit, ac tandem in extrema senectute peregrinari in Aegyptum cogitur. De Ioseph, de Dauide, de Tobia idem superius annotatum est. Appositè sanctus Gregorius: *Iustus à delectationis transitoriæ iucunditate restringitur, quia & vitulus ad laboris vsum victurus sub iugum retinetur; mactandus autem, in liberis pastibus saginatur.* Sic arbores frugiferæ in colligendis fructibus vexantur, lacerantur, spoliantur: sed diutissimè viuere permittuntur. Infrugiferæ intactæ stant, sed citius exciduntur, vt in ignem mittantur. Aegris quibus spes conualescendi vlla relicta est, nequaquam à medico, cuncta quę appetunt, cõceduntur. At desperatis ægris omne quod desiderant, permittitur. Sic omnino perituri in æternum hic interim bonis huius mundi saginantur, intacti illis fruuntur, & desideriis suis potiuntur: sed ad labores exercetur, ad fructus bonorum operum carpendos conuellitur, & multis quæ desiderat, priuatur, quem ad vitam æternam Deus destinauit. Parentes filios, de quibus spem habent, flagellant, desperatos sibi relinquunt, & vt volunt, viuere permittunt. Sed illis hæreditatem seruant, hos ab hæreditate repellunt. Tu gaude sub flagellis, quia tibi hæreditas seruatur. Noli pueriliter contra Deum Patrem murmurare, quia sæpe te flagellat. Sicut medicus corpus attenuat, sanguinem extrahit, vitiosam materiam subtrahit, vt corpus sanet; sic Deus suos affligit vt animam cælo aptam faciat. Pisces maiores, ijdemque meliores, non nisi in vasto & salso Oceano inueniuntur: pisciculi minores fluuiatiles sunt, & aqua dulci aluntur. Gramina campi tota hyeme virent, sed in æstate marcescunt, saltem nec flores, nec fructus afferunt. Reliquæ arbores tota hyeme omni decore spoliatæ, quasi mortuæ videntur, prorsusque aridæ & infrugiferæ. At in æstate foliis virescunt, floribus ornantur, fructibus onustæ conspiciuntur. Hæc vita hyemis; futura & beata, iucundissimę æstatis figuram habet. Deinde iustorum in hac vita tribulationes, non nisi optimarum virtutum exercitia sunt. Primum in patientia iniuriarum, & persecutione propter iustitiam, de qua Petrus: *Si benefacientes patienter sustinetis, hæc gratia est apud Deũ. In hoc enim vocati estis.* Deinde in pugna contra vitia: *Tentatio est vita hominis super terram.* Ideo enim arma gratiæ accepimus, fidem, spem, charitatem, fortitudinem spiritus, timorem Dei, vt contra diabolum, mundum, & carnem, omniaque desideria eorum fortiter pugnemus. Rursum in corporis castigatione; *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Hæc mortificatio membrorum est perpetua crux iustorum, quam post Christum ferunt. Præterea in desiderio patriæ cælestis: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea. Lachrymæ meæ panes mihi die ac nocte fuerunt, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Si enim dulcis est patria, amara est peregrinatio; si amara peregrinatio, tota die tribulatio,* ait Augustinus. Sed & multæ tribulationes iustorum, propter peccata aliorum. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Sic Paulus de fornicatione illius Corinthij: *Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, vt sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Sicut enim (ait S. Basil.) qui consistunt in littore, eorum indolescunt vicem qui marinis fluctibus immerguntur, neque interim vllam adeunt iacturam propriæ securitatis, ob anxiam, qua periclitantibus condolent, cogitationem; sic qui vltroneo mœrore se affligunt ob peccata proximorum, haud quaquam per id lætitiam exinaniunt suam, verius auctiorem eam & cumulatiorem reddunt. Hæc ferè præcipua sunt tribulationum subiecta & materiæ quas in hac vita iusti perferunt, eademque sunt præclararum virtutum exercitia. Porro ad tribulationes iustorum illud maximum accedit commodum, quod variis & maximis solatiis etiam in hac vita permixtæ sunt. Habent Spiritum sanctum consolatorem: qui (vt ait Paulus) *consolatur nos in omni tribulatione nostra;* non in vna aut altera, sed prorsus in omni: idque adeo, ait Apostolus, *vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt.* Sic Iob inter grauissimos cruciatus diuinè philosophatur, & (vt notauit Augustinus) *magis post accepta damna corporis, quàm post accepta damna fortunæ.* Sic Ioseph in carcere suos concaptiuos solatur: *Cur tristior solito est facies vestra?* Vnde & diuus Petrus: *Deus omnis gratiæ vos modicum passos perficiet, confirmabit, solidabitque.* Sunt verba firmissimæ consolationis plena. Pisces primum sale condiri solent; sed antequam manducentur, in aquam mittuntur. Iusti per tribulationes quasi sale condiuntur, vt peccatorum fœtores in illis extinguantur, néve putrefiant. Sed interim deducit eos Deus ad fontes aquarum, & abstergit omnem lachrymam ab oculis eorum. Faber ferrarius vbi ferrum in fornace molliuit, aqua mox aspergit, vt temperetur. Sic tribulationis ignis aqua semper diuinæ consolationis aspergitur. Alia iustorum in omni tribulatione fortissima solatia sunt, conscientiæ pax perpetua, & æternæ retributionis spes firma: de quibus in aliis iam Euangeliis dictum est. Iustorum ergo in hac vita tribulatio nec tanta est, quanta esse putatur; nec ipsis iustis infructuosa est, nec ex parte Dei iniqua est. Vnde Propheta Regius: *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* id est, qui de ipso labore ac dolore præceptum nobis facis, vt ipse dolor

Ioan. 16.
Dom. 2. Adu. tex. 1
Do. 5. post Epiph. tex. 1.
1. Exercitium virtutis.
Exempla. Moral. in Iob, li. 21. ca. 4.
Similium congeries. 1. 2. 3. 4.
Aug. in Psal. 96. 5. 6. 7.
Virtutum exercitia tribulationes iustorũ 1.
1. Pet. 2. 2.
Iob 7. 3.
Rom. 6. 4.
Psal. 86 Enarr. in psal. 65.
Psal. 118. 1. Cor. 1.
Simile. Ho. 4. de grat. act.
Solatiis permixtæ tribulationes iustorũ 2. Cor. 1.
Epist. 126. Gen. 40. Exempla.
1. Pet. 5. Simile. Apoc. 12. Simile.
Psal. 93.

Enar. ibid. præceptum sit nobis? Sic enim exponit Augustinus. Posuit Deus laborem ac dolorem in præ- A
1. Pet. 5. cepto omnibus iustis. *Tempus est* (ait Petrus) *vt iudicium incipiat de domo Dei*: id est, vt modo iudicentur, qui pertinent ad domum Domini. *Et si iustus vix* (id est, non sine labore) *saluabitur, peccator & impius* (qui in hac vita non tribulantur) *vbi parebunt? Quomodo erunt tecum iniqui* (ait Augustinus loco citato) *quoniam nec tuis fidelibus parcis, vt exerceas & erudias eos?* Et paulo post: *Voluisti filios tuos erudire, & exercere laboribus, vt non essent sine timore, ne amarent aliquid aliud & obliuiscerentur te verum bonum suum. Bonus est Deus. Si cessaret, & non misceret amaritudines felicitatibus seculi, obliuisceremur eius. Sed vbi angores molestiarum faciunt fluctus animæ, fides, quæ dormiebat, excitatur.* Hæc Augustinus. Deus ergo tribulationibus suos exercens, non modo non iniustus, sed etiam bonus hoc
Iud. 7. Allegoria. ipso ac misericors est. Non sunt ad regnum cælorum idonei, qui dura & mala hic interim perferre recusant. Gedeon ex mandato Dei eos qui prono corpore in terram aquis sese ingurgitabant, ab exercitu repellebat, omnibus quoque formidolosis & timidis prius domum remissis:
Simile. eosque solos ad bellum contra Madianitas elegit, qui caua manu aquam capientes, eam sicut canes lingua lambebant. Voluptatum amatores ad pugnam contra vitia idonei non sunt. Pau-
Tob. 3. Simile. cis contenti, & ad ardua perferenda parati, cælo idonei sunt. Præceptores ab illis discipulis plus pensi exigunt, illos sæpius & acrius examinant, de quorum profectu maiorem spem concipiunt. Notanda illa verba Tobiæ: *Benedictus Deus, qui cum iratus fueris misericordiam facies, & in* B
tempore tribulationis peccata dimittis. Si tibi in carcere propter æs alienum posito sacculum pecunia plenum, quo æs exolueretur, in caput tuum aliquis proijceret, & ad tempus grauiter læderet, gauderes nihilominus accepta pecunia vnde posses liberari. Percutit suos Deus; sed per-
Ho. 66. ad pop. Anti. cutiendo peccata dimittit, è carcere liberat, & ad futuram gloriam idoneos nos facit. *Nam & fastum contrahit* (ait Chrysostomus) *& omnem excutit torporem, & ad patientiam vngit, & humanarum rerum vilitatem reuelat tribulatio.* Quatuor vtilitates posuit, quæ singulæ amplificari poterunt.

2. *Mundus autem gaudebit.*

Mundi gaudia. LOcus moralis de mundi gaudiis, vanis, caducis, & noxiis. Mundus, seu homines mundani,
Rom. 12. Ephes. 132. *conformantes se huic seculo nequam*, gaudia & voluptates semper, & in omnibus consectantur. *Aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, facientes voluntatem carnis & cogitationum.* Hæc est vita, hoc gaudium mundi. Suam facere voluntatem, id est, vt Apostolus loquitur, *desideria carnis perficere; carnis curam facere in desideriis, ambulare secundum carnem*, id est, secundum ea quæ caro
Rom. 7. & 8. & 13 & sensualitas humana (quæ cum brutis nobis communis est) expetit & desiderat. Videlicet, vt
Mundi gaudium impunita nequitia. vno pariter in loco Apostolus distribuit, *in æmulatione & contentione* honores quærere: *in comessationibus & ebrietatibus* ventrē pascere, ac genio indulgere: *in cubilibus & impudicitiis* libidinē explere. Rursum in dolo, mendacio, & auaritia diuitias quærere. In detractione vindicta, maleuolētia, C
Rom. 13. iræ & inuidiæ satisfacere. Hæc sunt mundi studia, hæc eius gaudia. In his puppim & prorā felicitatis suę ponit. At hoc totum nihil aliud est, quàm *thesaurizare sibi irā in die iræ.* Tales cibi animam non pascunt, sed perdunt. *Ne desideres* (ait Sapiens) *de cibis eius in quo est panis mendacij*, id est,
Rom. 2. prou. 23. Prou. 2. panis mendax & fallax, falsa, non vera voluptas. *Lætantur enim quum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum.* Appositè S. Aug. *Seculi lætitia est impu-*
Ser. 37. de verb. Do. *nita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur, ebriositate ingurgitentur, turpitudine fædētur, nihil mali patiantur, & videte seculi gaudium. Ista mala, & alia his similia, non castiget fames, non belli timor, nō morbus, non aduersitas vlla: sed sint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, in securitate malæ mentis. Ecce, vides mundi gaudia.* Hæc ille. Sed vide iudicium Dei. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus*
Psal. 9. *benedicitur. Exacerbauit Dominum peccator: in multitudine iræ suæ non quæret*, id est, Deus præ magnitudine iræ suæ non petcutiet peccatorem. Nam quando castigat mundum, non vult damnare mundum. Quàm diu ergo mundus gaudet, tam diu in statu dānationis est. In mundo gaudere,
In mundo gaudere. & mundi gaudiis perfrui, est pecudum more voluptate affici, hominem exuere, virtuti nuntium remittere, rationis vsum abdicare, sensuum se, & rerum sensibiliū mancipiū profiteri, ex Christiano Epicureum fieri, ac denique sine Deo in hoc mundo viuere. *Beatum dixere populum cui hæc*
Psal. 146. *sunt.* Sed contradicit quod sequitur: *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Nam vide nūc, quàm D
sunt hæc mundi gaudia, non solum per se mala & turpia, sed etiam caduca & fluxa, fucata quoque & falsa. Primū terminantur cum hac vita, nos autem ad sempiternā aspiramus. Huius por-
Mundi gaudia caduca & falsa. ro vitę breuitas, quæ stultis longa videtur, talis est, vt de gaudiis eius sic ipsimet impij fublata scena, & finita tragœdia loquantur: *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarū iactantia quid cōtulit nobis? Transierunt illa omnia tanquā vmbra, in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Et paulo post dici-
Sap. 5. tur: *Spes impij tanquā lanugo est, quæ à vēto tollitur, & tanquā spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tāquam fumus qui à vento diffusus est.* Sunt verba significantissima. Spes impij est spes longæ vitæ, spes
Similia. diuturnæ voluptatis, spes solidi & stabilis gaudij. Sed tā vana ac falsa hæc spes est, voluptas tam fluxa, gaudium tam breue est, vt eius breuitas vix satis vllis verbis exprimi queat. Lanugo per campos iacens, pulchra est, sed vno flatu venti tollitur. Spuma gracilis, elegans quiddam est & colore, & figura, sed à minima procella dispergitur. Fumus multum turget, altè ascen-
Iacobi 4. dit, sed vno momento disparet. Alia Scriptura de hac vita dicit: *Vapor est, & ad modicum parens.*

Hoc

A Hoc iam fumo minus est. Animalibus illis, quæ (vt scribit Seneca) iuxta Pontum genita, vnum degunt diem, manè orientia, meridie vigentia, vesperi senescentia atque obeuntia (& apud nos fungus quidam vna nocte crescit, postridie perit) si humanus animus ac ratio singulis daretur, noster hic affectus inesset, vt quæ ante meridiem decessissent, luctũ ac lachrymas haberent; quę verò integrum vixissent diem, penitus longæua & fælicia haberentur. Sed vt illa insanire nos diceremus, sic nos insanire Deus, & Angeli, & beati, & sapientes omnes dicunt, qui in æternitatem oculos coniiciunt. Vnde sic Sapiens ille Mathathias, Machabæorum pater, ad suos filios concionatur: *A verbis viri peccatoris ne timueritis: gloria enim eius stercus & vermis: hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.* Sic alia Scriptura: *Nolite confidere in Principibus, & in filijs hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus illorum, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*: omnes cogitationes de auro & argento, de pulchris ædibus, de honoribus & prælaturis, de vxore & liberis, de comessationibus & conuiuiis, de ludis & iocis, de omni gaudio huius mundi. Vno momento omnia disparebunt, quasi non fuissent. *Diues & pauper obuiauerũt sibi*, in morte videlicet: *vtriusque operator est Dominus*, vel potiùs *formator*, vt origo Hebraica habet. Qui amplos habet & certos reditus, potest liberaliter expendere: qui de die in diem viuit, nullo vnquam die facultatis suæ modum excedere potest. Stulti mundani sic voluptatibus vacant, & hæc gaudia sectantur, ac si pro certo haberent fore illa diuturna: at illi de die in diem viuunt, nec de vno crastino certi sunt. Magna igitur dementia, in re tam fluxa soli-

B dum bonum quærere. Voluptuarij, & gaudij mundani sectatores, *quasi in aqua scribunt, quæ nullũ scripturæ vestigium retinet*: nam voluptatis cuiuslibet cessante operatione, cessat & sensus. Hinc B. Iob: *Ad modicum eleuati sunt, & non subsistent; humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.* Quæ vltima verba multo sensu fœcunda sunt. Habet spica frumenti præter casulas suas, quibus grana velut in carcere, recto tamen ordine, collocata inseruntur, summitates quasdam, videlicet stipulas & aristas proceras, quę, à casulis granorum separatæ & disiunctæ, altius eminent, suntque asperæ, & acriter pungunt. Et spica quidem Ecclesiæ benè cõparatur, in qua grana, id est, iusti tanquã in carcere concluſi, laboribus & tribulationibus premuntur, inter se tamen recto ordine, iuxta vocationem quisque suam, collocati, & charitatis vinculo colligati, optimè conspirant, suauitérque & beneuolè viuunt. Stipulæ verò, & aridæ aristæ, peccatores sunt; maximè earum summitates, quæ & minus solidæ, & magis asperæ sunt, impios homines, crudeles, inordinatos denotant; qui sic in diuino iudicio conterentur, sicut in area aristæ, & stipulæ ad nihilum rediguntur. Sicut ignis stupæ applicatus statim extinguitur, sic gaudium ex rebus terrenis, & fluxis ortum celeriter consumitur.

In orat. consolat. Simile.

1. *Mach. 2.*

Psal. 160

Prou. 22. Similia. 1.

2. *Greg. Nyss. hom. 5. in Eccl.*

Iob 25. 3.

Videplur. inf. Dom. 2 post Pent. text. 1. Simile.

Porrò gaudia mundi non nisi dormientium somnia esse, sacra nos docet Scriptura. Sic

C enim Esaias: *Sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Comparat, iuxta literam, Romanorum vel Assyriorum victorum gloriam atque potentiam voluptati esurientium & sitientium, quando somniant se comedere & bibere; quæ tota voluptas falsa est & inanis. Tales sunt omnes mundi deliciæ; quia ad momentum transeunt. Vnde alio in loco: *Vana spes & mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, qui attendit ad visa mendacia. Secundùm hoc visio somniorum*, id est: Mundi potentia, & gloria, & gaudia non sunt res solidæ & veræ, sed sunt visiones somniorum: & sicut spectrum ad imaginẽ alterius rei, non est eius rei substantia, ac neque vera imago & figura, sed ipsius imaginis visio, & secundùm imaginem quidem, sed non ipsa; sic mundi potentia, gloria, gaudium, qua spectra sunt, secundùm imaginem gloriæ & gaudij. Ideo Nabuchodonosor vidit quidem gloriam mundi, sed in somnijs. Ideo luculenter Dauid dixit: *Dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarũ, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Et iterum: *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, id est: Tu Domine in tua vera gloria, & vero gaudio, euertes omnem hanc imaginem rerum, quas mortales opinione decepti, res solidas esse existimant, quasique sublata scena ostendes illa omnia nihil præter somnium surgentiũ, & imaginem inanem fuisse. In mappa mundi, quam vocamus, videntur regna, prouinciæ, maria, vrbes, variæque re-

D giones. Totum tamen nihil nisi papyrus & atramentum est, in qua si gutta aquæ stillauerit, facilè corrumpitur, & deletur totum. Cor hominis, vanis huius mundi gaudijs affectum, est talis quædam mappa depicta, qui animo suo turres, castella, regna, honores, thesauros, & nescio quæ alia, vel sibi possidenda fingit, vel se possidere putat. Verùm hæc omnia non nisi papyrus, & atramentum sunt, & picta animo tabella, quam vna febris, accedente morte, dicto citius dissoluit. Vnde Iob: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Scribit S. Chrysostomus, risisse se aliquando eorum testamenta, in quibus legerat, agros & tecta quoad vsum quidem illis legari, quoad dominium verò aliis: quum huiusmodi rerum solus reuera vsus hominibus concedatur, non dominium. *Domini enim est terra, & plenitudo eius.* Nos hospites tantùm sumus & peregrini, qui tanquam diuersorio hoc mundo vtimur. Ita se verè res habet, quicquid mortalium opinio secus iudicat. Vera est Scriptura, quæ dicit: *Filij hominum, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Omnia huiusmodi quæ putantur bona, quæ filij hominum dili-

Esaiæ 29.

Eccli 34.

Simile.

Dan. 2.

Psalm. 7. 6

Psalm. 32

Simile.

Iob 20.

Hom. 2. ad pop. Ant.

Psalm. 23

Psalm. 4.

gunt, vocat vanitatem & mendacium: quia non vera, sed falsa; nec solida, sed vana sunt. Qui rapido cursu per mediam ciuitatem equo vectus currens, inter currendum diceret, Tota hæc ciuitas mea est, insanire diceretur. Sic insaniunt qui in huius vitæ cursu de rerum dominio, & possessione quasi de re constanti ac perpetua gloriantur. De hac re aliàs plura diximus. Sed & illud in mundi gaudijs consideratione dignum est, quòd vt tribulatio iustorum multa habet adiuncta solatia (vt iam dictum est) sic gaudia impiorum quàm plurima habent admixta incommoda. Nam & variam conscientiæ carnificinam perferunt (quia *non est pax impijs*, sed *contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt*) & duram seruitutem seruiunt, suis cupiditatibus seruientes, ad quas explendas mille absurda, & illiberalia committunt; & maxima discrimina frequenter adeunt, labores grauissimos exantlare coguntur, (vnde aiunt ipsimet, *Lassati sumus in via iniquitatis*) & labores eorum vt plurimùm non succedunt (nam *telas araneæ texuerũt, telæ eorum non erunt in vestimentum*) & successus ipse auget cupiditatem, non minuit; & difficilius interdum est parta tueri, quàm quæsiuisse; ac postremò (quod est miserrimum) totum hoc gaudium in sempiternam desinit miseriam. Quæ ferè singula in alijs iam Dominicis per occasionem tractauimus. Dominica 2. Quadragesim. text. 8. Dom. 3. Quadragesim. text. 3. & Dominica Palmarum, textu 6.

Simile. *Dom. in ramis Pal. text. 9. & Dom. 5. Quad. te. 6* 1. *Esaiæ 48.* *Psalm. 13.* 2. 3. *Sap. 6* 4. *Psalm. 56.* 5. 6. 7.

A

B

3. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

LOcus moralis de beato exitu & catastrophe tribulationum, quas ad momentum iusti in hac vita patiuntur. Hunc locum & in præcedentibus tractauimus; sed hic aliqua, donãte Deo, addentur. Christus disertè inter varias beatitudines hanc vnam posuit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Cuius illustre exemplum est Lazarus vlcerosus in sinu Abrahæ, & dives epulo in inferno, maximè sic loquente Abraha: *Fili, recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Causam diuersæ vtriusque post hãc vitam conditionis, non aliã adfert Abrahã, nisi quia & in præsenti vita diuersa fuerat cõditio. Vnde B. Greg. hæc verba expẽdẽs, sic scribit: *Quicunq; in hoc seculo bona habetis, quũ vos bona egisse recõlitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorundem remuneratio sit bonorum, & cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere; quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat.* Hanc beatã conuersionem multæ Scripturæ docent. Dauid dicit: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.* Hæc est tristitia iustorum, quia cũ labore seminant, & cum patientia magna fructum boni operis afferunt. Sed sequitur: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Tales ille portauit, qui dixit: *Domine quinque talenta tradidisti mihi: ecce, alia quinque superlucratus sum.* Tales ille retulit, qui dixit: *Bonum certamen certaui, fidem seruaui, cursum consummaui. Ideo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex.* De hac beata catastrophe dixit Apostolus Petrus: *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Accipiter dum viuit, manu aucupis gestatur, delicatè & curiosè nutritur, ad prædam exercetur, in summo otio perpetuam voluptatem capit; sed mortuus in sterquilinium proiicitur. Gallina viuens in sterquilinio pascitur, & angulos domus perscrutatur: mortua in mensa Domini apponitur, & pro ferculo delicato habetur.

Gaudia iustorum. Dom. Septuag. tex. 7. par. 3. *Dom. 2. Quadrag. text. 3.* *Matth. 5.* *Lucæ 16.* *Hom. 40. in Euang.* *Psalm. 26.* *Matth. 25.* *2. Tim. 4.* *1. pet. 4.* *Simile.*

C

Est autem hæc conuersio, vt aliis multis ex causis, ita ex duabus potissimum, admirabilis. Vna est, quia paruis laboribus tam immensa gaudia retribuuntur, de quo Apostolus: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Hæc consideratio in alia Dominica iam tractata fuit. Altera est, quia breuis & momentanea tristitia in gaudium sempiternum mutatur, quam considerationem Christus hoc loco expendit. Dixit enim paulò pòst: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Sanè quia sempiternum est. Adducit quoque de partu mulieris: *Mulier cum parit, tristitiam habet,* quæ certè acris est, sed breuissima & paucarum vt plurimùm horarum. *Sed quum peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium.* Planè eodẽ modo breues iustorum dolores, sempiterna parturiunt gaudia, quæ omnem præteritorum laborum memoriam deleant, iuxta illud: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, id est, omnem mali recordationem tollet. De hac consideratione Esaias: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Notentur illa verba: *ad punctum, in modico, ad momentum, parũper.* Sic in alijs Scripturis tribulationes huius vitæ, torrens pertransiẽs, vocantur. Sic Ieremias: *Ecce aquæ ascendent ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans.* Sic Dauid: *De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput*, id est: Ad modicum temporis calicem tribulationum bibit, ideo exaltabitur. Sic de iustis Sapiens: *In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se: tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.* Sicut strenuo militi ipsæ cicatrices, adeóque vulnera in bello capta, materia voluptatis sunt; sic ipsa tristitia iustorum gaudio illis est. De hac admirabili conuersione Esaias: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini; Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis; & vos præ dolore cordis clamabitis,*

Laborispar uii merces ingens. *Rom. 8.* *Dom. Septuag. tex. 7 loc. 3.* *Ioan. 16.* *Labor breuis, merces æterna.* *Apocal. 13.* *Esaiæ 54.* *Ierem. 47.* *Psalm. 109* *Sap. 3.* *Simile.* *Esaiæ 66* *Sap. 5.*

D

A *mabitis, & pre cordis contritione vlulabitis.* In tale gaudium vertetur tristitia iustorum. *Tunc enim stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum*: id est, qui olim spreuerunt & contempserunt labores iustorum, iuxta id quod paulo post sequitur: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij.* Vel hæc vna consideratio ad omnem huius vitæ tristitiam pro Dei gloria susceptam, vel à Deo inflictam, non æquanimiter tantùm, sed & libenter perferendam, satis excitare debet. Ex hac consideratione Dauid dixit: *Omnis consummationis vidi finem*, exitum & catastrophen iustorum pariter atque reproborum. *Latum mandatum tuum nimis*. Id est, idcirco statim omnia tua mandata non ad angustam, sed ad latam viam pertinere, non difficilia, sed iucundissima esse mihi videbantur. Hanc catastrophen Apostolus suis Thessalonicensibus, multa pro Christo passis, ante oculos ponit. *Gloriamur* (inquit) *in Ecclesijs Dei pro pàtientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei: si tamen iustum est* (id est, quia iustum est) *apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini.* Sicut vrsi aluearia inuadentes fauorum dulcedine allecti, facilè apum aculeos & vulnera patiũtur; sic sancti viri, cœlestis dulcedinis certa expectatione roborati, nihil non ferendum sibi putant, vt ea potiantur. Sicut in operibus naturæ prouidentiam suam Dominus declarauit, non morborum genera ab humanis corporibus tollendo, sed omnibus morbis appositissima remedia procurando: sic in operibus gratiæ ab electis non ipsas sustulit tribulationes, B nec ab omni tristitia vacuos esse voluit, sed contra omnes tribulationes, omnémque tristitiam, fortissimum robur dedit, futuræ gloriæ certam expectationem, dicens: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Psalm. 118

2. *Thess.* 1.

Similia.

EVANGELIVM DOMINICÆ IV.

post Pascha.

C VADO ad eum qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia nõ crediderunt in me. De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc habeo multa vobis dicere: sed non potestis portare modò. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

Ioan. 16.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* De inutili tristitia à corde excutienda, & animi fortitudine contra aduersa.
2. *Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* De rerum omnium terrenarum affectu exuendo, vt Spiritus S. habitaculum simus.

D 3. *De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* De condemnatione impiorum, propter varium diuinæ gratiæ abusum.

4. *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Locus duplex. 1. De futuro omnium mortalium extremo iudicio. 2. De potestate diaboli super animas credentium penitus sublata, & circa res externas vehementer imminuta.

1. *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.*

LOcus moralis de inutili tristitia à corde excutienda. Quia in præcedentibus dixerat Apostolis suis Christus, *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*; simulque adiecerat, *Vado ad eum qui misit me*; & iterum, *Vado parare vobis locum*; & rursum, *Vado, &* *Tristitia cordis excutienda.*

2.Cor.2. *venio ad vos*: propter hæc omnia maxima triſtitia affecti ſunt, quam Chriſtus hoc loco ex eorum animis penitus depellere vult. *Triſtitia quæ ſecundùm ſeculum eſt*, ait Sanctus Apoſtolus, id eſt, quæ propter res huius ſeculi, propter rerum præſentium iacturam aſſumitur, *mortem operatur*. Vnde & Sapiens: *Multos occidit triſtitia, & nõn eſt vtilitas in illa*: nempe ex rebus externis, aut aliunde quam propter ſolum peccatum aſſumpta. *Qui enim in peccatis contriſtatur* (ait Sanctus Chryſoſtomus) *vel ſuis vel alienis, hic ſolus vtilitatem capit. Abſumit enim peccata: & quoniam hoc remedium confectum eſt, ad hoc ſolum valet.* quod ita ſe habere, alio in loco demonſtrat. *Mulieri minatus Deus, dicensque, In dolore paries filios tuos, oſtendit dolorem peccati fructum. Sed ò magnum donũ! Quod in pœnam dedit, in ſalutem vertit. Peccatum dolorem peperit. Dolor peccatum contriuit*: & *quemadmodum vermis in ligno natus id ipſum comminuit; ſic dolor de peccato natus peccatum comminuit, per pœnitentiam inductus.* Hic ergo, & hac in cauſa, ſalutaris eſt dolor, bona eſt triſtitia. At alijs quibuſcunque malis dolorem adhibere, nihil eſt aliud, quàm medicinam oculis comparatam pedi apponere. Vnde iterum S. Chryſoſtomus: *Audiui ego multos ad ſeipſos dicentes; Quæ vtilitas quòd dolui? Nec pecunias recuperaui, & meipſum læſi.* Id ſanè fit in omni quacunque iactura rerum tẽporalium, aut accepto quocunque vel detrimento vel infortunio. Qui de eo triſtatur, nec detrimentum reſarcit, & ſeipſum lædit, damnúmque damno addit, idemque grauius & acerbius. Plus enim lædit animi triſtitia, quàm alia quælibet vel iactura, vel iniuria. Plato humanam vitam cum alea comparabat, in qua optimus quiſque iactus aleatori maximè expetendus eſt, adhibenda tamen cura, vt eo, quem caſus tulerit, rectè vtatur. Quorum prius in noſtra poteſtate non eſt, poſterius eſt: ideóq; id agendum. Suaue aut amarum ſeu vitæ inſtitutum, ſeu aliquod aliud aduenies, non ipſa facit rei natura, ſed mentis habitudo: quæ ſi amara & triſtis eſt, omnia ei amara videntur, vt in ægrotis accidit, quorum palato & animo omnia diſplicent: ſi iucũda & hilaris, omnia apparent ſimilia. Qualis quiſq; eſt, talem ſibi fortunam fingit. Depellenda ergo omnis animo triſtitia, ne, ſicut amara quædam herba cibis admixta, omnes noſtras actiones reddat acerbas; omnia quæ nobis aduenient, horrida & ingrata efficiat. Sic hortatur nos Apoſtolus: *Gaudete in Domino ſemper. Iterum dico, gaudete.* Aliud quippe tribulatio, qua iuſti non carent; aliud triſtitia, qua carere debent. Quibus Chriſtus dixit: *Plorabitis & flebitis, & contriſtabimini*; eiſdem quoque dixit: *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet*, id eſt: Vtcunque foris accedat tribulatio, animo tamen læti & immobiles perſiſtite. Sic enim nihil ad vos mali perueniet. Notũ eſt illud: *Nemo læditur, niſi à ſeipſo*; quod exemplis ex Scriptura probat Chryſoſtomus. Iob quidem diabolus afflixit, ſed ipſe afflictus non eſt; *nihil ſtultum contra Deum loquutus eſt, non peccauit in labijs ſuis*; ſapienter philoſophari & animo quieto eſſe non deſijt. Ioſeph à fratribus venditur, ſed ipſe læſus non eſt, quia & in ipſo carcere læto animo vixit, vt iam paulo ſuperius dictum eſt. *Ferrum* (inquit Sanctus Chryſoſtomus) *rubigo lædit, lanam tinea, ouium greges lupus, vinum acetipermixtio, lolium ſegetes, grando vineam: ſed hominem nec morbus, nec exilium, nec mors, nec iniuria, nec contumelia, nec vulnus, ſed ſolum peccatum lædit, ſola animi vel impatientia, vel cupiditas, vel maleuolẽtia.* Sicut corpus ægrotum nec æſtum ferre poteſt, nec frigus; ſic animus æger aduerſis & lætis rebus iuxtà offenditur. Nauigationis impatiens de ſcapha in ſcapham deſcendit, nec quietem inuenit, quia bilem ſemper ſuam ſecum circumfert. Æger de lecto in lectum transferri cupit; ſed ægritudo propterea non minuitur, quia intus malum eſt, non foris; in corpore, non in lecto. qui animo fortis & integer eſt, à nulla re externa perturbatur. Potuit Diogenes dicere: *Iſti quidem irrident, ſed ego non irrideor.* Potuit Anaxarchus Philoſophus, quum eum Nicocreon Cypri tyrannus, in ſaxo cauato malleis ferreis tunderet, tyranno dicere: Tunde Anaxarchi follẽ, vel, vt alij legunt, vaſculum aut manticam nam Anaxarchum non percutis. Potuit poëta de viro forti dicere: *Etiam ſi fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.* Potuit Socrates (vt de eo ſcribitur) etiam mille perturbationibus Remp. obruentibus, tamen omni tempore eodẽ vultu ſiue domo egrederetur, ſiue domũ rediret, eſſe; & ad omnia mentem benignã hilarémq; perpetuò præ ſe ferre. Quod adhuc plus eſt, poſſunt domitores ferarũ ſæuiſſima animalia ſic manſueta reddere, vt iugũ portent. Leonibus magiſter manũ in os inſerit, tigrim cuſtos ſuus oſculatur, elephantem minimus Æthiops iubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem: quid ni vir ſapiens ſic artifex erit domandi mala, vt dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, quæcunq; horrenda ad hunc quũ peruenerint, manſueta fiant; nihil animum conturbent, imò cum riſu excipiantur? Sic B. Iob & omnium fortunarum iacturã, & liberorum mortem, & acerbam corporis plagam, & graues amicorũ reprehenſiones animo inuicto tulit. Certè pueris laruas formidantibus, laruas in manus tradimus, & inuertimus, & tractari ab eis facimus: quo, re ipſa bene perſpecta, vanos terrores contemnant. Equos phantaſticos, qui ad neſcio quos in via cumulos, aut cãdidioris coloris obiecta, ſubitò reſtitare & retrocedere ſolent, ſtatim contra huiuſmodi obiecta calcaribus admotis impellimus, vt eadem pedibus ſuis conculcent, ac ſic pauere deſinant. Ioſue iuſſit principes populi Iſraël ponere pedes ſuper colla quinque Regum Chananæorũ, & deſuper calcare dicens eis: *Nolite timere, nec paueatis: confortemini & eſtote robuſti. Sic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, aduerſum quos dimicatis.* Sic ſanè & nos rerum naturis diligenter inſpectis, & hoc ſemel intellecto, quòd quicquid animũ perturbat (excepto peccato) ex inani quadam opinione ſubſiſtit, nullo negotio animi conſtantiam retinebimus, omnique triſtitia vacui erimus. Sapiẽter Socrates trepidantem Alcibiadem, nec in concionem prodire audentem, ſic alloquitur: An nõ (inquit)

Eccli 30. *Triſtitia propter peccatum.* Hom. 16 in 2. ad Cor. Hom. 5. de pœnis. *Triſtitia propter tẽporalia inanis.* Hom. 18 ad pop. Ant. Apophth. Plutarc. de tranquill. animi. *Similia.* *Philip.* 4. *Ioan.* 16. *Iob* 2. In homil. quòd Nemo læditur niſi à ſeipſo tom. 5. *Similia.* *Apophth.* Plutarc. In Fabio. Laert. li. 9 cap. 10. ὄχλων. Ælian. l. 9. *Simile.* Seneca ep. 86. *Similia.* *Exemplũ* Ioſue 10. Ælian. li. 2

A B C D

A (inquit) sutorem illum (adiecto nomine) nihili pendis? Annuente Alcibiade, Quid? inquit, an non etiam illum circorum præconem, aut etiam coriarium illum? Fatente Alcibiade, infert Socrates: At non nisi ex huiusmodi concio consistit. Apposité quoq; Demonax Philosophus quẽdam filij mortem inconsolabiliter lugentem adiẽs, certò promittit se filij vmbram ab inferis reuocaturũ, si tres ex omniũ hominum numero nominare possit, qui nullius luxisset obitum, cuive nullum accidisset infortuniũ. Cúmq; is cogitationem per omnes notos circumferens, ne vnũ quidem reperisset; Vt quid igitur, inquit Demonax, tãquam rem nouam & insolitam passus esses, sic te ipsum inaniter discrucias? Sanè siue singulas rerum naturas extra peccatum expendas, siue communem mortalium sortem inspicias; nec ex illis aliquid est, cuius iactura animum lædat, nisi velit ipse; nec quodlibet aduersum, nouum cuiquam aut singulare videri potest. Memorabile est quod scribit Seneca, Lyciorum legum latorem suis præcepisse ciuibus, vt, quoties in luctũ incidissent, veste induti muliebri lugerent. Indicare voluit, huiusmodi affectum muliebrem esse, & viro indignũ. Atque hæc quidem humana sapientia videre & tradere potuit. Sed ad nostra nunc ac diuina veniamus. Iubet Apostolus *semper gaudere*; sed addit, *in Domino*. Hæc est fortissima radix veræ, solidæ, & perpetuò retinendæ lætitiæ. Cuius cor Dei vel amor, vel timor possidet, nihil præter peccatum contristare potest. Apposité D. Basilius; *Anima quæ semel se modis omnibus desiderio sui astrinxit conditoris, iamque insuevit oblectare se tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui iucundissimam effusionem intercipi aut im-*
E *mutari per multiplicem, & succedaneam carnalium affectionum mutationem. Quin ea potiùs, quæ alijs mœrorẽ afferunt & tristitiam, in cumulum sibi vertet, & accessionem lætitiæ.* Sic Apostolus Paulus affectus fuit, ideóque in hæc verba erupit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi:* id est, ne eius amor & gratia mihi excidat. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* Vides generosum pectus ideo omni tristitia superius, quia Christi amore possidetur. Sic alibi: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationib.* Et rursum: *Nunc gaudeo in passionibus meis.* Neque verò solus Paulus sic affectus est. De Petro, & Ioanne refert Scriptura: *Ibant è conspectu consilij gaudentes quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic Christus Dominus eos docuerat: *Cum persecuti vos fuerint homines, & omne malũ dixerint aduersum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate.* Non ait, tolerate tantũ, quod & contristati faciunt; sed ait: *Gaudete*, atque adeò *exultate*, ingentem animo voluptatem capite. Vnde alius eius Apostolus sic scripsit: *Omne gaudium existimate, fratres, quum in varias tentationes incideritis.* Quomodo & vnde tantum gaudiũ? Quia Dei amor facit vt cætera non amentur, nisi in ordine ad Deum: ideóq; Dei prouidentia nobis ablata, nullum mœrorem afferunt, sed voluptatem potius propter coronas quas expectamus. Rursum quia Dei timor facit vt nulla præter illum timeamus. *Qui enim Deum timet, nihil aliud timet*: sicut Moyses Deum timens, nec Pharaonem, nec
C mare rubrũ, nec tam ingentem populi multitudinem quam rexit, tam rebellem, tam duræ cervicis, quicquam timuit. *Qui Deum non timet, omnia timet*, vt de impijs dicitur: *Trepidauerunt timore vbi non erat timor.* Vnde S. Chrysost. *Deum sicut oportet timens, & in ipso confidens, voluptatis radicẽ lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in mare decidens immensum scintilla breuis facilè deletur; sic quantacunque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia, extinguuntur atque perdũtur.* Sic etiam de lætitia spirituali, & de eo qui in Domino gaudet, ibidem scribit: *In Domino gaudens, hac voluptate ex nullo accidente excidere potest. Alia quippe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sũt, & transitu facilia. Nec hoc solum, sed etiam apud nos manentia, nascentem ex alijs rebus tristitiã repellere non possunt.* Hæc ille. Verbi gratia: Diuitiis abundans, si ægrotat, propter diuitias ęgritudinis solatiũ non accipit. In honore constitutus, si opum iacturam patitur, perinde contristatur, ac si nullo in honore esset. Dives, honoratus, sanus, vnica amici morte, vno aliquo infortunio ita perturbatur, ac si omni ex parte miser esset. Illustre exemplum vide in Aman. *Conuocauit ad se amicos suos, & Zaram vxorem suam, & exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorúmque turbam*, quos dec̃ habuit, *& quanta eũ gloria super omnes principes & seruos suos Rex eleuasset. Et post hæc ait: Regina quoque Hester nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me, apud quam etiam cras cum Rege prãsumus sum. Et cum hæc omnia habeo, nihil me habere puto quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Hæc ille in magna huius mundi fælicitate verè miser. Multis & maximis bonis af-
D fluens, vna re aduersa, vno superbiæ stimulo, quia ab vno solo honoratus nõ fuit, tristitia obruitur. At gaudium in Domino, non solùm per se firmum, & solidum, & verum gaudium,, & amplũ ac vehemens est, verũ etiam contrà alias res tristes omnes animũ cotnmunit, omnémque aliam tristitiam depellit. Sapienter ergo & verissimè Chrysostomus: *Si lætitiam cupis, non pecunias, non corporis sanitatem, non gloriam, non potentiam, non delicias, non lautas mensas, non sericarum vestium amictus quæras; noli pretiosos agros, domosve splendidas & illustres, aut aliud huiusmodi quicquam sectari, sed philosophiam quæ est secundum Deum tracta, & apprehende virtutem, & nihil eorum quæ sunt aut spectantur, te poterit contristare. Quid dico contristare? Additiò nempe tibi fient voluptatis, quæ alios contristant. Etenim flagella & mortes, & mulctæ, & accusationes, & malè pati, & omnia talia, quando propter Deum nobis inferuntur, & hanc habent radicem, multam nobis adferunt voluptatem. Nos miseros facere poterit nemo, nisi nosipsos faciamus: sicut scilicet neque beatos, nisi nos efficiamus cum Dei gratia.* Hæc ille. Diogenes rogatus quid ex philosophia lucratus fuisset, *Etsi nihil aliud* (inquit) *vel hoc ipsum, quòd ad omnem fortunã paratus sum.* At verò quanto efficaciùs, & certiùs, & vberiùs vera Theologia, Christique gratia,

Apophth. Eras. l. 8. *Apophth.* *In orat. consolat.* *Philip. 4.* *Gaudium in Domino* *Hom. 4. de grat. act.* *2. Cor. 12.* *Rom. 5.* *Coloss. 1.* *Actor. 5.* *Matth. 5.* *Iacob 1.* *Amor & timor Dei, gaudij fundamenta.* *Hõ. 18. ad pop. Ant. Simile.* *Mũdi gaudia nulla, sunt tristitiæ remedia.* *Exemplũ. Hester 5.* *Hõ. 18. ad pop. Ant. Videetiam hom. 54.* *Laert. li. 6. Apophth.*

& vniuersa Scriptura hanc animi fortitudinem nos docet, tanto nobis turpius, & ignominiosum magis, si perpetua animi lætitia non fruimur. Datus est nobis Spiritus Sanctus Paracletus, ne vnquam tristemur, nisi ex peccato. Hoc enim solum Spiritum Sanctum expellit, & omni nos consolatione priuat, ideóque tristitiam generat. Cætera mala omnia cum Spiritu Sancto consistunt, ideóque spirituali lætitia animum fidelem priuare nequeunt, nisi velit ipse, spontéque succumbat. A

Cur ex solo peccato tristitia.

2. *Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

Contemptus mundi.

LOcus moralis, de rerum omnium terrenarum affectu exuendo, vt Spiritus Sancti habitaculum simus. Etiam ipsa Christi corporalis præsentia obstitit fortitudini spirituali Apostolorum. Non poterant Apostoli Spiritum sanctum accipere, quã diu carnali Christi præsentia & familiaritate vtebantur, *Nisi me desieritis corporaliter cernere* (vt Christi verba exponit sanctus Gregorius) *nunquam discetis spiritualiter amare. Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos inuisibilem per consolatorem Spiritum non perduco.* Mira res, affectum humanũ, etsi honestissimum, qui in Apostolis erga Christum erat, obstitisse, quo minùs Spiritus sancti capaces essent. Nempe depelli ab vbere paruulum oportet, vt solidum cibum gustare discat. Ideo Abraham fecit conuiuium magnum in die ablactationis filij sui Isaac, non in die natiuitatis, aut circonciſionis. Nascimur carnales, ablactamur spirituales. Nisi naturæ ductum & amorem abdicemus, Spiritus sancti ductum sequi, eiúsque amore inflammari non possumus. Apostoli, vt Spiritum sanctum acciperent, se totos euacuare debebant. Luna quo plus luminis habet versus terram, eo minus habet versus cælum. Vt autem à superiori sua parte, & cælo proxima tota illuminetur, tum soli appropinquare, tum terram versus nihil luminis habere debet. Quando autem terram versus tota lucescit, & plena luna dicitur, tunc à sole, vnde lumen suum accipit, longissimè distat, & à superiori sui parte tota tenebrosa est. Eodem planè modo anima humana à terrenis voluptatibus, & solatijs, & honoribus remotissima esse debet, vt Deo suo plenè fruatur. Quanto magis terrenis afficitur, tanto minùs capit cœlestia, tanto est à sole iustitiæ longinquior. Vox sponsæ est: *Decolorauit me sol*, id est, Dei Spiritus, intus ardens, fecit me ijs quæ foris sunt, contemptibilem esse; fecit me ea, quæ foris sunt, contemnere, & vt Apostolus loquitur, *Omnia pro stercore & detrimento habere, vt Christum lucrifaciam.* Pulchrè D. Bernardus: *Lux interior exterioris impatiens est. Ignis est. Inania folia non admittit: Aut exuri folia vanitatis, aut certè, si illa præualuerint, extingui ignem necesse est.* Naturalis corporis calor tanto vehementior est, quanto exteriùs frigemus magis: & contrà tanto debilior, quanto circumfusus aër calidior. Similis quædam antiperistasis est in amore rerũ carnalium & spiritualium. Quanto enim ad ea quæ foris sunt, mundi huius & carnis oblectamenta, animus se per amorem plus diffundit, tanto minùs intus feruet, eáque, quæ ad interiorem hominem spectant, tanto minus appetit, & parum appetendo incapax fit. *Quantum enim vas fidei homo attulerit ad fontem, tantum implet*: ait Augustinus. Quòd si alio liquore animus præoccupatus impletur, infundendæ Dei gratiæ nullus relinquitur locus. Sed & præterea totum hominem, totum cor, totum animum Deus inhabitare, & possidere vult. Vox meretricis erat: *Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Vera mater diuidi infantem non patitur. Verus Dominus diuidi cor in terrena & cœlestia non vult. Templum quoque Spiritus sancti ab omni prorsus non sorde tantùm peccati, sed re quacunque carnali expurgari debet. Christus non solùm nummularios, sed etiam eos qui vendebant columbas, quæ sacrificijs seruiebant, è templo eiecit; quia domus erat orationis tantùm. Metator seu œconomus Principis ad vrbem veniens, vt Regi venienti domum ampliſſimam præparet, iubet omnia prorsus è domo exportari, vt Regi, cuius comitatus ampliſſimus est, locus fiat. Rogat inquilinus, vt vnum saltem ei cubiculum concedatur, vbi cum vxore & liberis quiescat. Negatur. Rogat vt arcas saltem quasdam, rebus pretiosioribus refertas, in aliquo domus angulo includi patiatur. Negat metator, quia tota prorsus domus, quanta quanta est, Regiæ dignitati & maiestati cõcedẽda est. Eodem modo verbi Dei minister, ab eo ad docendum missus, iubet, vnumquemque fidelem habitaculum in corde suo Spiritui sancto præparare. *Vos* (inquit) *estis templum Dei.* Et Deus dicit: *Inhabitabo in eis, & inambulabo.* Hic vetus homo, carnalis adhuc, & ex parte terrenus, rogat saltem liceat ei amare carnalia, amare vxorem, liberos, &c. Negatur ei, & dicitur: *Qui vxores habent, quasi non habentes.* Rogat vt aliquid in mundo possidere sinatur. Negatur ei, & dicitur: *Qui vtuntur hoc mũdo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Vsus quidem vxoris, liberorum, possessionum, diuitiarum non negatur, sed amor eorum omnium inordinatus, id est, non nisi in ordine ad Deum, & quantum Deus permittit, quantum Dei cultui non repugnat. Non sunt hæc etiam licita toto corde amanda. Solus Deus, & sanctus eius Spiritus, hunc sibi amorem vendicat; & quidem totum cordis nostri hospitium meretur. Zelator Deus est. Animam sibi nostram desponsauit. Alio amore illam occupari non vult: de quo in alio loco diximus. Audi D. Augustinum de duplici amore, Dei, & huius mundi, qui nullo modo in vno pectore cohabitant, differentem. *Hi duo amores quorũ alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter priuatus;*

Moral. in Iob lib. 8. c. 17.

Simile.

Genes. 22. Allegoria.

Simile.

Cant. 1. Philip. 3.

In declamat. de bonis deserẽdis.

Simile.

Tract. 32. in Ioan.

3. Reg. 3.

Allegoria.

Matth. 12

Simile.

1. Cor. 5.

2. Cor. 6.

1. Cor. 7.

Ibidem.

Dom. 1. Quadrag. text. 10.

A *priuatus; alter communi vtilitati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens, propter arrogantem dominationem;* (quod fit in qualibet rei cuiusque possessione cupida, quam ideo quis possidet, quia Dominus rei esse vult) *alter subditus, alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium præferēs, alter quoque modò laudis auidus; alter amicabilis, alter inuidus; alter hoc volēs proximo quod sibi, alter subijcere proximū sibi; alter propter proximi vtilitatem regens proximum,* (vt bonus pastor, princeps, magistratus, herus) *alter propter suam, præcesserunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis; & distinxerunt conditas in genere humano ciuitates duas, sub admirabili & ineffabili prouidentia Dei, cunctaquæ sunt administrantis, & ordinantis, alteram iustorum, alteram impiorum.* Hæc ille. Non se inuicem compatiuntur hi duo amores, quia contrarij sunt. Sed & Dei amor tam purus esse desiderat atque perfectus, vt amorē licitum atque subordinatum quàm minimum esse velit. Paruulorum est, parua & despicabilia diligere. Paruuli tricas, puppas, equos arundineos, trochos & lapillos amant, viri contemnunt. Paruuli adhuc in Christo sunt, qui bona huius mundi, diuitias, propinquitatem carnalem, & quodlibet terrenum amant, etiam ordinatè. Sed perfectus ille Christi amator dixit: *Quum essem paruulus, loquebar vt paruulus sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Nec ille solùm, sed ad id alios hortatur. *Nolite* (inquit) *effici pueri sensibus: malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti.* Qui sensibus perfectus est, non nisi magna & solida bo-

B na amplectitur. Profectò non est lac carni aut solido cibo contrarium. Mater tamē abvbere paruulum depellit, & quidem aliquid interdum amarum vberi apponendo, vt solido carnis cibo, relicto lacte, vescatur. Amor rerum terrenarum ordinatus, non est planè contrarius amori Dei, & rerum diuinarum; tum quia Deus hoc nostræ infirmitati permittit, tum quia talis amor impedit ille quidem vsum charitatis erga Deum, & distrahit nos tantisper à Deo, sed non tollit ipsam charitatem, neque auertit nos à Deo. Attamen hæc ipsa terrena Deus à quibusdam penitus aufert, omnémque illorum amorem penitus è corde tollit, vt sic ablactati solidiora capiant, soliq; Deo firmiter & tenaciter adhæreant. Sunt enim qui vtrunque simul amare nequeunt, nec ordinem amoris tenere. Non possunt terrena ordinatè diligere; statim in eorum amore excedūt, nimium tenaciter adhærent, facilè ab illis capiuntur & corrūpuntur. His omnino expedit, omnibus abiectis, soli Deo seruire: *relinquere omnia, & sequi Christum.* Qui sic propè igni assidet, vt crura iam ardeant, æquum est vt vel ab igne recedat, vel ignem minuat. Aliorū maior est fortitudo spiritus, *qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur.* Vtuntur seculi bonis, sed non adhærēt illis. Sanè siue ab istis, siue ab illis toto corde Deus diligēdus, vt nullius alterius rei amor Dei amore auellat, aut ei (quod absit) præferatur. Hic est *pretiosa illa margarita, qua inuenta, abijt homo* (id est, à seipso exiuit) *& vendidit omnia quæ habuit* (omniū amorem deposuit) *& emit illam.* Omnia enim

C bona venerunt cum illa. Vox Prophetæ est: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: non sperare in incerto diuitiarum, non ponere spem suā in homine, non mundū diligere, aut ea quæ mundi sunt.* Ecce enim, nisi Christus corporaliter Apostolos desereret, ad eos spiritualiter non veniret, Spiritum suum sanctum ad eos non mitteret. Nisi terrenas consolationes abdicemus, spirituales non accipiemus. Quantum illas in nobis minuimus, tanto has augemus magis, & contrà. Rursum quia *Spiritus S. effugiet fictum, & non habitat in corpore subdito peccatis;* necessariò omne peccatum animo radicitus euellendum, omnis fictio & hypocrisis ableganda, vt Spiritus sancti habitaculum simus. Non consolatur, nisi eos qui consolatione vel indigent, vel digni sunt. Peccatores indigni sunt. Amatores rerum terrenarum sua habent solatia, illa superna consolatione opus non habent. *Non est opus medico, nisi malè habentibus.* Da vinum tristibus. *Date siceram mœrētibus, & vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Laborantibus in vinea Domini, sub cruce Christi gementibus, renuentibus consolari ab his quæ foris sunt, datur vinum lætitiæ spiritualis, & Spiritus S. consolator adest. Est quidē ille, vt canit Ecclesia, *Consolator optimus, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.* Sed non omnibus. Est enim *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.* qui nec laborant in vinea, nec æstuant in tribulatione, nec flent pro peccatis, hanc consolationem non recipiunt. Ille quidem *rigat quod est aridū,*

D *sanat quod est saucium, flectit quod est rigidum, fouet quod est frigidum*: sed cuius animus alijs iam gaudijs repletur, qui sibi sanus & fortis videtur, qui diffluit voluptate, & feruet cupiditate; hic Spiritum sanctum nec consolatorem, nec adiutorem inuenit. Tollendæ ex animo omnes cupiditatum spinæ, fugiendæ voluptatum illecebræ, *abneganda omnis impietas, & secularia desideria, abdicanda occulta dedecoris, abijcienda opera tenebrarum;* vt filij lucis simus, vt diuini Spiritus habitaculū efficiamur. *Quæ societas luci ad tenebras?* Aut quomodo possunt *tenebræ lucem comprehendere?* Omnis seculi voluptas, est *potestas tenebrarum harum*, iuxta eius voluntatem qui *Princeps huius seculi est, & rector tenebrarum harum.* Qui Spiritum sanctum possidere vult, abrenunciare his omnibus debet, & soli Deo adhærere. Angustiatum est cordis nostri stratum: duos amores capere non potest.

De Gen. ad lit. l. 11. c. 15

Simile.

1. Cor. 13.

1. Cor. 14.

Simile.

Amare Deum & terrena difficile.

Matth. 19.

Simile.

1. Cor. 7.

Matth. 13.

Psalm. 72.

1. Tim. 6.

Ierem. 17.

1. Ioan. 1.

Sap. 1.

Spiritus S. consolatio quibus detur.

Matth. 9.

Prou. 31.

Canticum Ecclesiæ.

Tit. 1.

2. Cor. 4.

Rom. 13.

2. Cor. 6.

Ioan. 1.

Luc. 22.

Ioan. 14.

Ephes. 6.

Esaiæ 28.

A

3. *De iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.*

Gratiæ Dei abusus.

LOcus moralis de condemnatione impiorum, propter varium diuinæ gratiæ abusum. Dicit Christus hoc loco, fore vt Spiritus sanctus, quum venerit, quum datus fuerit Ecclesiæ, *arguat mundum*, id est, impios, siue extra Ecclesiam, siue in Ecclesia, condemnet *de iustitia*, id est, de eo quòd iustitiæ opera non fecerint, iustitiam illis aut oblatam non acceptauerint, aut datam non conseruauerint. Spiritus sanctus autem ideo dicitur arguere, seu condemnare, quia opera Spiritus sancti in alijs credentibus & iustis, arguent & condemnabunt alios impios, qui, simili oblato beneficio gratiæ, ad similem iustitiam non peruenerint. Addit autem Christus, *Quia vado ad Patrem*, *&c.* volens dicere, ideò ex operatione & virtute Spiritus sancti hoc futurum, quia ille amplius in terris non versabitur, nec sua cælesti doctrina, suisque miraculis, vel non credentium, vel credentium impuram vitam amplius arguet, sicuti hactenus fecerat. Quemadmodum ergo in præcedenti membro, dicens, *Arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me*, docuit mirabiles operationes Spiritus sancti huiusmodi futuras, vt omnium infideliũ incredulitatem conuincerent, non Iudæorum tantùm, sed & Gentium (vt, verbi gratia, Diocle- B
tianus, maximus credentium persequutor, Apollinis testimonio conuictus erat: qui ab eo rogatus, cur oracula non nisi mendacia proferret, respondit, se propter Christianos vera pronunciare ampliùs non posse, vt apud Eusebium ab ipso Diocletiano se accepisse Constantinus Magnus profitetur: & Iulianus apostata conuictus etiam fuit, quum ab Apolline Delphico responsum acciperet, se propter Babylæ martyris corpus præsens, oracula dare non posse, quod id circo à Christianis asportari, coactus hac necessitate, iubebat) quæ res ad doctrinam fidei pertinet: sic in hoc secundo membro docet Spiritus S. operationes tales fore, vt hominum impietatem, quoad mores, conuincat. Hoc est enim arguere de iustitia, neglecta scilicet. *Ipsa fidelium comparatio* (ait S. Aug. hunc locum exponens) *est infidelium vituperatio. Mundus arguitur de iustitia aliena, sicut arguuntur de lumine tenebræ*, iuxta illud Apostoli: *Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur.* Sic de Iudæis dicitur in Euang. *Surgent viri Niniuitæ in iudicio, & generationem hanc condemnabunt.* Aliorum quippe iustitia, nostram iustitiam; aliorũ virtus, nostram ignauiã arguit. Sic Augustinus, audita S. Antonij vita, & Victorini Rhetoris exemplo commotus ad conuersionem, socio Alipio dixit: *An quia præcesserunt, pudet sequi? & non pudet, nec saltem tandem aliquando sequi?* Operatio Spiritus S. in Antonio & Victorino, arguebat de iustitia Augustinum & Alipiũ. De hoc argumento vide plura in alia Dominica, vbi vita exemplaris quantũ ad iustitiã excitet, explicatum est. In extremo enim iudicio etiam hoc obiicietur, quòd exemplis aliorum nihil ad pie- C
tatem excitati fuerimus, iuxta hæc Augustini verba: *Toi iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè viuendi exemplar. Tot conuincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos dederunt iustis actionibus.* Hæc ille. Tot scilicet modis arguit impios Spiritus S. de iustitia ab ipsis neglecta, & ab alijs accuratè præstita.

Euseb. in vita Const. l. 2. c. 49. & 50.
Simeõ Metaphr. in vita Sãcti Gregorij.
Socrat. l. 3. cap. 16.
Theodor. lib. 3. c. 9.
Hom. 77. in Ioan.
Ephes. 5.
Exempla iustorum damnant impios.
Matth. 12.
Exemplũ.
Confess. lib. 8. cap 8
Dom. 6. post Epiph. text. 3.
Medit. c. 4

Sed adhuc alio modo, idque ad maiorem cuiúsque condemnationem, arguet vnũquemque Spiritus sanctus de iustitia, post gratias speciales vnicuique concessas, abiecta nihilominus, vel neglecta. De quo genere sic Propheta: *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Vide quàm malum & amarum sit, dereliquisse te Dominum Deum tuum. A seculo confregisti iugum meum, & dixisti, Non seruiam.* Hæc est vox Dei ad obstinatos peccatores, qui multis acceptis gratiæ beneficijs, nihilo tamen meliores fiunt. Quæ si in veteri populo iusta quærela fuit, multo nunc iustior erit, vt his verbis Apostolus docet: *Propterea abundantius oportet nos* (filios noui Testamenti) *obseruare ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo* (vt veteri populo) *factus est firmus, & si omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Nempe post magisterium Filij Dei, post effusum in nos Spiritum sanctum abundè, post tam efficacia salutis sacramenta? Moyses olim cælum & terram contra Hebræorum ingratitudinem pro tantis acceptis beneficijs in testes inuocabat: & tamen illa beneficia nihil nisi Legem terrentem ac comminantem, bonáque carnalia terræ D
Chanaan continebant. Quæ nostra sint beneficia gratiæ, nemo ignorat. D. Paulus hominis in Spiritu sancto renati, posteáque in peccata prolapsi, ingratitudinem & impietatem nullis verbis satis explicare potuisse videtur. Ait enim hoc esse, *iterum sibi Filium Dei crucifigere, & ostentui habere, & sanguinem Testamenti pollutum ducere, ac denique Filium Dei conculcare.* Quid acerbius dici potuit de iniuria contra Christum facta? Sed vide quid etiam de Spiritu sancto dicat. Ait hoc esse, *Spiritui gratiæ contumeliam facere.* Et rursum: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis.* Et adhuc iterum: *Spiritum nolite extinguere.* Ne quis nunc miretur, si arguat Spiritus sanctus mundum de iustitia neglecta: in qua videlicet illi fit contumelia, ille contristatur, illo in nobis extinguitur; Christus autem Dei Filius, à quo & à Patre procedit, iterum crucifigitur, ostentui habetur, & conculcatur. Hæc verba vehementer abusum acceptæ gratiæ exaggerant, & quantum de neglecta iustitia Spiritus S. mundum arguat, manifestè ostendunt. Enimuerò agricola quo vberius terram impinguat, & laboriosiùs colit, eo vberiorem & certiorem ex ea fructum

Gratia Dei neglecta condemnat
Ierem. 2.
Hebr. 6.
Deut. 32.
Hebr. 6.
Heb. 10.
Ephes. 4.
2. Thess. 5.
Similia.

A fructum expectat. Miles quo plenius armatur, eo fortius vt dimicet, eo maiorem in pugna operam vt præstet, Dux requirit. Discipulus quo plura à magistro documenta accepit, quo accuratius instituitur, eo plus vt proficiat, eo doctior vt euadat, meritò magister postulat. At terra cordis nostri *venientem super se diuinæ gratiæ imbrem* vberrimè *bibit*; armaturam spiritualem à Spiritu sancto variam & omnigenam accepimus, vt Paulus ad Ephesios describit: denique Spiritus S. *docet nos omnia, inducit nos in omnem veritatem, suggerit nobis omnia quæcũque Christus* suis discipulis *dixerat*. Quomodo ergo non acerrimè nos arguet & condemnabit, si ita exculti, armati, edocti, nullum bonorum operum fructum, sed spinas potius & tribulos peccatorum germinemus, contra salutis hostes, mundum, carnem, diabolum, nihil pugnemus, sed ad quamlibet tentationem succumbamus, in schola denique pietatis nihil profecerimus? Hinc videlicet has in Scriptura voces legimus: *Adhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ite, negotiamini donec veniam. Redde rationem villicationis tuæ. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo*. Ista manifestè docent non solùm peccatorum, verùm etiam gratiarum, donorum, beneficiorum à Deo acceptorum reddendam vnicuique esse rationem. Vnde Sanctus Gregorius: *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum*. Sanè hominem in peccatis conceptum sæpe peccare, minus est mirum: sed eundem remedia, quibus ab illis liberari possit, parui facere & contemnere, maximè mirandum est. Corpore sæpe ægrotamus absque culpa nostra: sed medicamenta contra morbum data si respuimus, & respuentes deficimus, nostri ipsorum homicidæ sumus. Hoc est de quo Spiritus sanctus mundum arguet, quod nec remedia salutis vberrimè data acceptauerint, nec de gratiæ talentis datis aliquod superlucrati fuerint. Hæc sanè cura pios animos vel maximè remordet, non solùm ne peccent, sed præterea ne Dei donis non satis fructuosè vtantur. Sanctus Franciscus his verbis seipsum admonere solebat: *Latroni si tantam gratiam contulisset Altissimus, quantam tibi contulit; multo te gratior foret, Francisce, & sanctior*. Tantus tamen erat, & tam diligens diuinæ gratiæ excultor, vt, teste sancto Bonauentura, *nullam visitationem sancti Spiritus cum negligentia præteriret; sed etiam in itinere positus, quum aliquos sentiret diuini Spiritus afflatus, socijs præcedentibus gradum figebat, vt illis attentiùs frueretur*. Seipsum vnusquisque discutiat, quot bonas Dei inspirationes, bona vota, bona desideria, vel negligenter prætermiserit, vel paruo cum fructu retinuerit, vel etiã fortasse proteruè & impiè reiecerit. Hanc sui discussionem fecit S. Augustinus, in Confessionum suarum libris. Ne Spiritus S. de hac iustitia vnumquemque arguat, diligenter S. Patres non solùm ad fugam peccati, sed etiam ad assiduum profectum hortantur, ab Apostolo edocti, qui tantum quum profecisset, dicit tamen: *Ea quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ antè sunt me extendens, ad destinatum persequor*. Quæ verba tractans Augustinus, ait: *Semper tibi displiceat quod es; si vis peruenire ad id quod nondum es. Nã vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit; etiam periisti. Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere. Remanet qui non proficit*. Hæc ille. Sic & S. Leo: *Ibi inueniunt homines deficiẽdi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum*. De hoc proficiendi studio, atque itẽ de abusu gratiæ Dei, iam in alijs Euangelijs diximus, quæ huc referri possunt. Modus autem quo Spiritus S. de neglecta iustitia mundum arguet, maximè fit per prædicationem & doctrinam vèrbi, quam illi afferunt, qui à Spiritu S. prædicandi potestatem acceperunt. Vnde Petrus: *Per eos qui euangelizauerunt vobis, Spiritu S. missõ de cælo*. Euangelium enim nemini parcit: *in quo reuelatur ira Dei de cælo, super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, id est, norunt benefacere, & non faciunt.

Hebr. 6. *Ephes. 6.* *Ioan. 14. & 16.* *2. Cor. 4.* *Luce 16. & 12.* *Hom. 9. in Euang.* *Simile.* *Exemplũ. S. Bonau. in vita eius cap. 6.* *Cap. 19.* *Philip. 3.* *Serm. 15. de verb. Apost.* *Serm. 2. de Quadrag. Dom. inf. Oct. Nat. Dõ. tex. 2.* *Dom. 5. post Epiph. text. 2. & 4.* *1. Pet. 1.* *Rom. 1.*

4. *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.*

De iudicio
De potestate diaboli.
1. Pet. 2.
Cap. 25.
Lib. 10.
Lib. 6. c. 15
De relig. Christ. c. 28.
Cap. 2.
Cap. 30.
Cap. 13.
Dõ. 3. post Epiph. tex. 5.
Dom. 1. Quadrag. text. 3.
Dom. 3. Quadrag. text. 1.
Diaboli potestas imminuta

LOcus moralis duplex, vnus de futuro omnium mortalium iudicio, quod Spiritus Sanctus satis mundo manifestauit per iudicium de diabolo factum, partim quum de cœlo Lucifer in barathrum detrusus est (*si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractis, in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari, nouit Dominus iniquos in diem iudicij reseruare cruciandos*) partim quum potestatem eius omnem, hominem amplius per idola decipiendi sustulit. Statim enim Euangelij luce propagata, cessauerunt oracula, vt innumeris testimonijs ostendi potest, veteréque Scriptores contra Ethnicos ostenderunt, Tertullianus in Apologetico, Theodoretus de curatione Græcarum affectionum, Paulus Orosius in sua historia, ipseque Plutarchus, homo Ethnicus, in prima Euangelij herba, idolorum suorum silentia miratus, de deficientibus oraculis libellum scripsit, de quo etiam vide Marsilium Ficinum, & maximè veteres prophetias Esaiæ, Ezechielis, & Zacharię. De hoc loco in prima Dominica Aduentus, tum in hoc, tum in altero Promptuario disseruimus. Alter hic locus moralis est, de potestate Diaboli super animas credentium, virtute Spiritus Sancti, quem acceperunt credentes, penitus sublata, & circa res externas vehementer imminuta. Quem locum iam semel atque iterũ in alijs Euangelijs tractauimus. Hic tria verba addemus. Spiritus sanctus arguet mundum de iudicio, id est, iudicium diaboli iam factum esse manifestabit, per nouas gratiæ vires subministratas, per dona fidei, charitatis, spei, aliarúmque virtutum, quibus armati credentes, omnia nequissimi tela ignea repellent atque extinguent, vt ex verbis Apostoli ad Ephes. 6. cap.

De Trinit. lib. 4. c. 13. iam alio in loco explicatum est. De hoc Diaboli iudicio sic Sanctus Augustinus: *Christus diabolum à spiritibus in se credentium foras misit, vt non regnaret intrinsecus, sed forinsecus pugnaret, nec tamen expugnaret. Vnde enim accepit exteriùs potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior eius potestas, quæ nos tenebat occisa est.* Nunc igitur contrito per Christum capite serpentis, serpens insidiatur calcaneo hominis. Non cominus pugnat, non ad apertam impietatem inuitat, sed callidè & retrò aggreditur; vt per vana huius mundi oblectamenta hominem supplantet, id est, per diuitias, per voluptates, per honores. Contra quæ omnia paratissimum habent fideles & multiplex munimentum, scutum fidei, galeam spei, gladium verbi Dei, & maximè orationis lanceam. Vnde *In Ioan. l. 11. c. 40.* sanctus Cyrillus: *Quum impuri dæmones, virtute Spiritus Sancti, per orationem credentium fugantur, quomodo non dicemus Satanam iam condemnatum esse?* Nempe in hoc illud Psalmi completum est: *Psalm. 90.* *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconẽ.* Nec aspidis morsus te molestabit, vt difficilem reddat virtutem; nec draconis sibilus tibi insidiabitur, vt voluptati cedas; nec leonis rugitus te terrebit, vt pusillanimis fias; nec basiliscus venenatus oculus te decipiet, vt blandimentis extollaris, quia sequitur, *Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum, Cum ipso sum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum.* Hoc totum *Rom. 8.* facit in credentibus Spiritus Sanctus. Quia *accepimus Spiritum adoptionis filiorum Dei, clamamus, Abba Pater*, quæ vox sperantium est. Quia Spiritus Sanctus docuit nos omnia, per eum quoque B Deum cognouimus. Quia ille Paracletus manet nobiscum in omni tribulatione, ille nos eripit, ille glorificat. *Coloss. 2.* De hac victoria Diaboli sic sanctus Apostolus Paulus: *Expolians Christus principatus & potestates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Traducere, est alterius defectus in publicum manifestos facere, eiúsque ignauiam omnibus patefacere. Triumphare, est deuictos & subiugatos in triumpho deducere, vt victoris quidem fortitudo, victorum verò ignauia propalaretur; sicut Romani in suis triumphis solebant Reges & Principes bello captos, manibus post terga reuinctis, ante currum ducere. Significat Apostolus, per Christi admirabilem gratiam, quæ dona sunt Spiritus sancti, triumphatum de diabolo esse, vt ampliùs in eos potestatem non habeat, qui ad Christi regnum, atque Rempublicam pertinent; sicuti deuicti hostes non ab ipso tantùm Imperatore & Duce, sed à tota Republica victi censebantur, & *Domin. 5. post Epiph. tex. 2. 4. & 5.* subiugati. Si nunc diabolus credentes vincit, nostra ignauia vincit, vt in præcedentibus ostensum est.

EVANGELIVM DOMINICÆ V. C

post Pascha.

Ioan. 16. AMEN, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de Patre annunciabo vobis. Illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi.

D

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* De Orationis admirabili virtute & vario effectu, déque conditionibus bonæ orationi requisitis.
2. *Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo.* De virtute & efficacia nominis Iesu Christi, ad orationis effectus consequendos.
3. *Ipse Pater amat vos quia vos me amastis.* De amore Dei erga nos, propter nostrum erga Christum amorem.

A

1. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

LOcus moralis de orationis admirabili virtute & efficacia. Christus Redemptor, non solùm in hoc Euangelio, sed in hoc vno sermone post cœnam vltimam cum Apostolis habito, iã quartò hanc promissionẽ facit, & nunc quidem cum magna asseueratione, dicens: *Amen, amen, Si quid petieritis, &c.* Sed & in alijs Euangelijs antea non semel inculcauerat: *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Quemadmodũ Helias, à discipulo suo Helizæo discessurus, dixit ei; *Postula à me quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te*, volens aliquod ei charitatis suæ monimentum relinquere: sic Redemptor noster, ex hoc mundo discessurus ad Patrem, hoc Ecclesiæ suæ nobilissimum donum, & quasi medicamentũ generale aduersus omnis generis mala, reliquit; vt, nomine eius inuocato, omnia à Deo impetraremus. Ampla promissio, maximum beneficium, ingens thesaurus. Sed vt eius fructum capiamus, benè debet intelligi, & postea studiosè exerceri. Vt hæc Christi amplissima promissio infallibiliter adimpleatur, multa ex parte nostra requiruntur. Primùm, vt petentes aliquid Deum non nisi in nomine Saluatoris petamus. Ait enim: *Si quid petieritis in nomine meo.* Petere autem in nomine Saluatoris, est ea tantùm petere, quæ ad salutem nostram faciunt, aut ad Dei gloriã. (ait Augustinus) *quicquid petimus aduersus vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris.* Rursum, *Non petimus in nomine magistri, quicquid petimus præter regulam ipsius magisterij*, ait idem Augustinus; id est, præter eã formam, qua nos docuit orare, quam Orationem vocamus Dominicam. *Ad hanc enim formã omnia quæcunque rectè peti possunt, referuntur.* Petenda igitur quæ bona sunt, quæ salutaria, quæ ad Dei gloriam conducibilia. *Petitis* (ait Diuus Iacobus) *& non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiscentias vestras insumatis.* In Euangelio signanter Christus dixit: *Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se.* Sed & hoc loco quum dicit Christus, *Si quid petieritis*; illud solum intelligit, quod ad vitam æternam pertinet, in cuius comparatione alia omnia nihil sunt, vt Augustinus in hunc locum dicit. Et alio loco multis verbis docet, nihil temporale à Deo petendum, nisi in ordine ad vitam æternam. Quod & his verbis docet Diuus Basilius: *Munificentissimus & augustissimus est Rex noster, & indignè fert, quandocunque quis exiguum aliquid à se petit; multo magis, si ea petimus quæ minimè conueniunt.* Perillus ex Alexandri Magni amicorum numero, quum filiæ suæ dotem petiisset, 50. talenta accipere iussit. Dicente illo, decem satis esse, *Tibi* (inquit Alexander) *accipere, sed mihi nequaquam satis est dare.* Non nisi bona à Deo petenda, potuerunt C & Ethnici videre. Socrates dicere solebat: *A dijs immortalibus nihil vltrà petendum, quàm vt bona tribuerent; quia ij demum scirent, quid vnicuique bonum esset.* Celebratur & illud Menedemi Philosophi dictũ: *Laudabilius est optare quod deceat, quam assequi quod optes.* Cui simile est quod Augustin. scripsit: *Non tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat.* Videndũ ergo in primis, vt orationis obiectum sit bonum, finis laudabilis, intentio pura. Quod & his verbis eleganter Seneca docuit: *Sic viue cum hominibus, quasi Deus videat: sic loquere cum Deo, quasi homines audiant.* Ne videlicet quid inhonestum petas. Si insanus ac mentis inops, ab amicó suo ensem postularet; profectò, si verus amicus est, eum omnibus modis negabit. Multa à Deo petimus, nobis futura noxia, si concedantur. Vnde Augustinus: *Multa Deus concedit iratus, quæ negat propitius.* Rachel vxor Iacob dilecta, ita ardenter filios habere desiderabat, vt viro suo diceret: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Deus ei duos concessit, sed in partu secundi, animam efflauit. Rebecca vxor Isaac, & per se, & per virum suum magna cum importunitate prolem à Deo flagitabat. Sed quum ad partum ventum esset, duobus in ventre pugnantibus, tanto mœrore cõfecta fuit, vt diceret: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere?* Nihil ergo prorsus temporale à Deo petendum, nisi sub beneplacito diuinæ voluntatis. *Cum verò, quæ Deus laudat* (ait Augustinus) *quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro seculo promittit, ab eo petitis, securi petite.* Atque hæc vna D Orationis necessaria conditio est, ne fortè dum placare Deum volumus, magis irritemus, ea petendo, quæ cupiditatis nostræ argumenta, aut vanitatis indicia, aut denique maleuolentiæ testimonia sint.

Orationis virtus. *Ioan. 14. 15 & 16.* *Matth. 7.* *Typus. 4. Reg. 2.* 1 *Orationis cõditio, petere bona & salutaria.* *Tract. 73. in Ioan.* *Epist. 121.* *Iacobi 4.* *Matth. 7.* *Tract. 102 in Ioan.* *Epist. 121.* *Constitut. Monast. c. 2* *Apophth. Plutarc. in Græcis Apophth. Valer. Max. l. 7. cap. 2.* *Volaterrã. Anthropol.* *Epist. 121.* *Apophth. Epist. 10.* *Simile.* *Ser. 13. de verb. Dom.* *Exempla.* *Genes. 30.* *Genes. 25.* *Vbi suprà.*

Altera Orationis necessaria in primis conditio est, vt Deo acceptus & amicus sit, qui orat. Loquitur hic Christus Apostolis suis. *Si quid* (inquit) *petieritis.* Non dicit, Si quis petierit. Credẽtibus in Christũ, & amantibus eum, hæc promissio datur. Sic alibi apertius ipse nos docuit: *Si mãseritis in me* (per fidem) *& verba mea in vobis manserint* (per executionẽ) *quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* In statu peccati mortalis nullas exaudiri orationes, manifestè Scriptura docet: *Cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiã vos. Manus enim vestræ sãguine* (id est peccatis) *plenæ sũt. Qui declinat aurem suam ne audiat Legem, oratio eius erit execrabilis.* In huius rei typum, in veteri Lege nemo immundus potuit ad tabernaculum accedere, aut vllum sacrificium offerre, cuiuscunque demum generis immunditia esset, nisi prius sanctificatus. Enimuero quum Deus oratione amicitiæ piorum vota exaudiat, qui mortaliter peccando amicitiam cum Deo dissoluit, nec dignus, nec idoneus est qui audiatur. Hoc enim perinde est (ait sanctus Basilius) ac si quis, postquam filium alicuius vnicè dilectum occidisset, ille manus adhuc filij sanguine cruentatas ad patrẽ porrigeret, veniam ab eo postulans. An non enim æquum erat, vt saltem manus cruentas

2. *Conditio In statu gratiæ.* *Ioan. 15.* *Esaiæ 1.* *prou. 28.* *Typus.* *Leuit. 22.* *D. Tho. cõ. Gen. l. 3. cap. 96.* *In com. in cap. 1. Esaiæ.* *Simile.*

prius abstergat? Quolibet peccato mortali Filium Dei iterum crucifigis. Ablue cruentas ma- A
Hom.52.in Matth. nus, antequam Deo Patri eas orando porrigas. S. Chrysostomus verò sic argumentatur: *Iubet Apostolus, vt coniuges non se fraudent inuicem, nisi fortè ex consensu, vt orationi vacent. Tu verò ab immaculato honorabilis connubij lecto consurgens, times ad orandum Deum accedere; à diabolico lecto veniens, audes Deum inuocare?* Contentio, superbia, odium, libido, quoduis peccatũ lethale, diaboli lectus sunt, quo mediante in corde tuo residet. Deinde, quàm indignum hoc est! Si stercore aut luto manus fœdatas haberes, velles ita sordidus orare? Minimè, inquis. Ergo manus abluis, & cor nõ purgas? Si quis tibi supplicans, manibus lutulentis pedes tuos teneret, nonmodò nõ exaudires, verùm etiam calcibus illum à te expelleres. Sic repellit Deus impios orantes. Præterea prodesse talis oratio nunquam potest. Sicut nullum in vulnere valet medicamentum, si sit intus ferrum; ita nihil proficit illius oratio, in cuius pectore lethalis manet peccati affectus. Sic enim peccatoris oratio exauditur, vt Publicani in Euangelio, etsi nondum reconciliati & amici, tamen deposito omni peccati affectu. Deinde peccatores exaudiuntur à Deo ex sola eius liberalitate & gratia, non ex pacto promissionis huius Euangelicæ. Sola iustorum oratio hac promissione gaudet, & apud Deum ex merito & iustitia impetrat. Animal immundum in veteri Lege quod prohibetur offerri, vendi tamen potuit, & pretium eius offerri. Sic pœnitentis oratio non meretur quidem, sicut nec cæteri pœnitentis actus, nondum iustificati; pretium B
Thren.4. tamen horum actuum, quod est legitima dispositio, acceptat Deus. Certè qui cum affectu pec-
Simile. cati orat, *opponit sibi nubem, ne transeat oratio*, vt Scriptura loquitur. Sicut enim nubes solis radios impediunt, ne ad nos vsque penetrent, etiam si fenestræ aperiantur; sic peccatum diuinæ ob-
Orat. Dñ. non nisi iustorum. stat culum est, etiam si per orationem cordis fenestra aperitur. Tota oratio Dominica ostendit impium à Deo non exaudiri. Quo ore, qua fronte dicet impius, *Pater noster, qui es in cœlis*; quum
Ioan.15. præcepta Dei transgrediendo, eius filius amplius non sit? Si enim nec discipulus Christi est nisi qui fecerit ea quæ præcepitu Iesus Christus, multò minus filius, aut frater erit.
Rom.2. Quo ore, qua fronte dicet impius, *Sanctificetur nomen tuum*; qui nomen Dei ipse blasphemat? *Propter vos* (impios) *blasphematur nomen meum inter Gentes.* Quo ore, qua fronte dicet, *Adueniat re-*
Rom.8. *gnum tuum*; in quo Christus per gratiam non regnat, qui non diligit aduentum Domini, in quo peccatũ regnat, contra illud Apostoli: *Non regnet peccatum in mortali corpore vestro?* Quo ore, qua fronte dicet, *Fiat voluntas tua;* qui in omnibus facit voluntatem suam, ambulans post concupiscentias suas, & non faciens volũtatem Domini Dei sui? Quo ore, qua fronte dicet, *Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie;* qui pauperi esurienti panem, quũ potest, non frangit suũ? Quo ore, qua fronte dicet, *Dimitte nobis debita nostra,* qui non facit quod sequitur, *Sicut & nos dimittimus debito-*
1.Tim.6. *ribus nostris;* & in ipsa oratione sua inuenitur mendax, & pactum à Deo cum peccatore institutũ ipse primus violat? Quo ore, qua fronte dicet, *Et ne nos inducas in tentationem*; quando ipse diui- C
tias appetit, (*qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli*) ipse tota die concupiscit, & tentationes sibi innumeras accersit, vinum ingurgitando *in quo est luxuria*; lites prosequendo, in quibus est contentio; honores ambiendo, in quibus est superbia; simultates exercendo, in quibus est maleuolentia; diuitias congregando, in quibus est auaritia? Quo ore, qua fronte dicet, *Libera nos à malo;* quum ipse non abstineat à malo, sed quotidie perpetret malũ culpæ, & mereatur malum pœnæ? Tota ergo oratio Dominica ab impio prolata sibimet contradi-
Psal.140. cit, ideóque nihil apud Deum impetrat, sed eum magis irritat. Iustus in Scriptura dicit: *Dirigatur*
Similia. *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Incensum in thuribulo positum, nisi ei ignis admoueatur, odorem non effũdit. Oratio ex ore prolata, nisi ardor charitatis in corde eam accendat, nõ
Psal.144. habet apud Deum odorem suauitatis. Sed & pinus quæ thus profert, arbor est rectissima. Ani-
3. mus, qui orat, debet esse ab omni peccati obliquitate liberrimus. *Deus enim voluntatem timentiũ se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Lapis quidam, diaschorides dictus, quàm plurimas legitur in se habere virtutes: qui tamen in ore hominis mortui inclusus, eas omnes amittit. Sic oratio gemma multarum virtutũ pretiosissima est: sed si in ore peccatoris Deo mortui reponatur, eas omnes deperdit. Hanc absurditatem orantis impij in sua impietate persistentis, Propheta his
Ierem.2. verbis exponit: *Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore tribulationis suæ dicent: Surge & libera nos.* Sed & Deus illis respondet: *Vbi sunt dij tui, quos fecisti tibi?* Cupiditates cuiusque, quas
Esaiæ 1. sequitur, dij eius sunt, quibus solis seruit. *Surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ.* Hæc impio D
Apophth. Deus. At sese emendantibus dicit: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarũ ab ocu-*
3.Conditio Attentio. *lis meis: quiescite agere peruersè,* & quæ sequũtur: *Et venite, & arguite me, dicit Dominus.* Bias Prienæus,
Matth.7. nauigans cum sceleratis, quum exorta tempestate illi Deos suos inuocarent: *Tacete* (inquit) *ne dij*
Simile. *vos nebulones hic nauigare sentiant.* Indicauit homo Ethnicus, impiorum prece magis irritari Deum,
Chrys.hõ.5 de incomprehensib. quàm placari.

Tertia bonæ & efficacis orationis conditio est, vt cũ affectu & attentione fiat. Petere enim
Dei nat. est affectus & cordis proprium. Quare Christus in alio Euangelio, *petere, quærere, pulsare,* pro eodẽ posuit. Quemadmodum arbores, quæ radices altius miserunt, quemcunque ventorum impe-
Distractiones naturales. tum excipiunt, nec facilè aut frangi, aut euelli possunt; sic orationes, quas animus de suo imo reddiderit, fortiter & validè affixæ efferunt sese in excelsum, nullaque distractione con-
S.Tho.2.2 q.83 ar.13. uelluntur. Distractiones inter orandum partim ex naturæ fragilitate naturales sunt, partim ex ignauia nostra proficiscuntur, partim à Satana inducuntur. Mens quippe humana diu stare

in alto

A in alto non potest,sed infirmitatis suæ pondere cito in ima deprimitur. Quum oraret Moyses contra Amalecitas,quàm diu leuabat manus, vincebat Israel; sin eas paululum remisisset, superabat Amalec. *Manus autem Moysi erant graues: quare Aaron & Hur sustentabant eas ab vtraque parte*:Cor hominis,in oratione maximè graue est. Quum sursum leuatur,vincit diabolum; quum ad terrena deprimitur, vincitur à diabolo. Sed à Christo sustentatur infirmitas nostra. Aues quum liberę in arbore consistunt,quietæ sæpe sunt & tranquillæ:at in caueis inclusæ nunquam quiescunt,sed semper euolare contendunt. Idem humano cordi contingit. Quum liberum est,nullique certo negotio addictum, non patitur distractiones nec perturbant aut distrahunt phantasmata:at quum certi alicuius negotij,& maximè orationis quasi cauea includitur, limitibusque & cancellis constringitur,quasi nitens in vetitum, cogitationum statim multitudine & varietate agitatur,quiduis potius aliud animo voluens, quàm quod propositum erat, & ad quod se meditandum collegerat. De hac naturalis infirmitatis distractione sic scripsit Augustinus: *Desperandumne est de genere humano & dicendum ad damnationem pertinere omnem hominem, cui surrepserit aliqua cogitatio oranti,& interruperit orationem ipsius?Si hoc dixerimus, quæ spes remaneat non video. Porro,quia est aliqua spes,dicamus ei:Lætifica animam serui tui,quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quomodo eam leuaui?quomodo potui, quomodo tu vires dedisti, quia tu suauis ac mitis es Domine. Mitis es,tolerans me,quia quotiescumque ante te steti,tanta vana & superflua cogitaui,& vix vnquam fixam & stabilem tibi orationem feci. Hæc tu toleras,quia tu mitis es,& suauis, & multum misericors.* Hæc ille
B de distractionibus ex naturæ fragilitate ortum capientibus. Cæterum videndum iterum atque iterum,ne ad naturalem hanc,quam Deus tolerat,accedat affectata, & ex nostra supina negligentia originem capiens distractio,quam Deus non tolerat,sed punit. De qua sic diuus Basilius:*Si conscientia tua te condemnat, tanquam qui negligentius rem tractes;& si in oratione aliud agens animo minus attento sis,cum possis omnem abs te repellere distractionem,vide ne præfidentior aufis consistere coram Deo,ne fiat oratio tua tibi in peccatum. Si vero propterea quod à peccato debilior factus,hoc à teipso impetrare non potes, quin interdum,dum oras,animo ac mente distraharis;enitere contra quantum potes;& ipse tibimetipsi vim affer:& coram Deo stare perseuera,mentemque tuam in illum defixam tene, ipsamque ad seipsam aduoca. Si ita feceris,ignoscet tibi Deus, quoniam non ex contemptione, sed ex infirmitate, eo modo quo par erat,coram Deo stare non vales.* Hæc ille. Retinenda igitur, quantum fieri potest, in oratione attentio continua,si non in verbis singulis, saltem in sensu verborum; & si non in sensu toto, saltem in fine & intentione, à qua nunquam mens diuagari sic debet,quin eam virtute, vt minimum etsi non actu,perpetuo teneat. Omnis autem orationis finis & intentio, vel Deus ipse est,vel res Deo grata, pro qua Deum oramus. Quam sanè intentionem, idiotæ, orationis verba non intelligentes, habere possunt. At maximus in oratione distractionum auctor & instigator ipse diabolus est. Percontanti cuidam à fratre Aegydio,cur infestæ magis sint tentationes diaboli oranti,quàm alias,respondit:Si quis litem alicui intendat coram iudice,modis om-
C nibus is,in quem lis infertur, in eam curam incumbit, ne contra ipsum sententia feratur:ideoque aduersarium cum iudice loquentem,suamque causam ei commendantem,quantum poterit, interpellabit. Ita dæmones faciunt. Si loqueris cum hominibus, sermonem tuum non interrumpent. Si autem ad precandum te conferas,animæ tuæ salutem curaturus,multa illorum experiris tela ignita in te conijci. Sermonem tuum cum Deo,qui & illorum,& tuus iudex est,miris artibus,variis suggestionibus abrumpere satagent. Quod si propter illorum importunitatem ab oratione desistis, similis eris fugienti è prælio. Iam vero contra has omnes distractionum causas & pericula vnum præstantissimum remedium est, quod tradit S. Basilius: *Certissimè credat quisque Deum se ante oculos habere. Si enim principem aliquem virum qui alloquitur, inciuile putabit oculos ab illo deflectere,indignum iudicabit oscitanter & dormitabundè cum illo loqui,scelus nefarium esse non dubitabit,si interim de eo prodenda cum alio tractet; quanto magis ab his in oratione cauebimus,& omnem somnolentiam excutiemus,omnem irreuerentiam deuitabimus,omnes turpes & alienas cogitationes longissimè arcebimus,si certo persuademur, Deum nos præsentem alloqui,quum oramus!* Negligentiam nostram inter orandum bonus ille Rex Ezechias condemnat,qui, Deum in templo oraturus,primum opertus est ipse sacco & cilicio:deinde alios saccis opertos ad Esaiam Prophetam mittit,eius quoque preces flagitans:mox ipse in tẽplum ascendit,attentissimè orans. Quid, quod sacerdotes Baal nostram ignauiam condemnare possunt; qui quum inuocassent suum
D Baal *de manè vsque ad meridiem,clamantes voce magna*,tandem etiam *incidebant se cultris & lanceolis, donec sanguine perfunderentur.* Certè sacerdotes Romani, vt attentionem maximam seruarent, velato capite semper sacrificabant,& auguria faciebant, clamante interim præcone, *Hoc age.* Memorabile est,quod Alexandro Regi sacrificanti, vnus ex nobilibus pueris thuribulum tenens,quum in eius brachium carbo ardens delapsus esset,quo ita vrebatur, vt adusti corporis eius odor ad circumstantium nares perueniret,brachium tamen immobile tenuit,dolorem silentio premens, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu perturbaret. Væ nobis,qui ad minimum pulicis morsum & orationem interrumpimus,& in sacrificio hæsitamus.

Qui orationis tempore distractiones vitare, & mentem in Deo collectam habere vult,ante orandum meditari paulisper debet, quid & quomodo velit orare, & cum appetitu quodam spirituali ad orandum accedere. Qui ante horam comestionis non ita se gessit, vel ieiunando,

Exodi 17. Typus.

Simile.

Enar. in Psal. 85.

Distractiones affectatæ.

Constitut. monast. c. 2

Distractionũ auctor diabolus. Simile.

Remediũ contra distractiones In regul. breu. q. 201

Exempla. 4. Reg. 19. Esaiæ 37. 3. Reg. 18. Macrob. Saturn. li. 3 cap. 2. Valer. Max. Li. 3. c. 3.

Aliud remediũ, præparatio ad orationem. Simile.

vel corpus exercendo, vt cum appetitu accedat; profecto in mensa appetitum verum non inueniet. Qui vult accipere pretiosos liquores, debet vas paratum ad manum habere, quo oblatos accipiat, & non tum demum vas quærere, ne serius quærens excludatur. Sic non inter orandum sed ante orationem acuendus & excitandus appetitus spiritualis est, qui attentionem cõseruet. Hoc est quod Scriptura dicit: *Ante orationem præpara animam tuam, ne fias sicut is qui tentat Deum*, quæ verba alio in loco tractauimus. Huius attentionis hæc summa vtilitas est, quod quemadmodum in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur; & quum riuos fontium obstruimus, fluenta surgere ad superiora prouocamus: sic, sublatis externis animi euagationibus, sursum ascendere, ad superna ferri, ad Deum peruenire oratio cogitur. In hac attentionis inter orandum virtute excelluit sanctus Dominicus, qui nullo aut strepitu, aut tumultu, ab orationis attentione interrumpi potuit. Nocte quadam ante aram ad preces prostratum malus dæmon interturbare volens, grandem lapidem è tecto Ecclesiæ deiecit, idque eo impetu, vt tota Ecclesia eius casu circumsonaret. Vsque adeo autem capiti eius propinquus fuit lapis, vt ruens capitium eius contingeret. Sed viro Dei nihil se penitus mouente, hostis terribiliter eiulans abscessit.

Eccli.18. Similia.

Exemplum Invita eius li.3.c.12.

Alia adhuc, nec minus necessaria Orationis apud Deum efficacis conditio est, vt sit assidua, perseuerans, & sine intermissione, de qua in alia Dominica ex proposito diximus; sed pauca hic addentur, vt Deus dabit. Inter alias perseuerantiæ in oratione causas, illo in loco explicatas, B vnam breuiter perstrinximus, Deum idcirco assiduas à nobis orationes expectare, atque ita differre quod petimus vt eo sæpius ad eum, sicut filij ad parentem φιλόστοργον & suorum amantissimum, recurramus. Sicut enim pater filiolum habens, cui vehementer indulget, & quem tenerè diligit, si pomum puero erogare vult, primum se illud nolle dare, manum comprimens, simulat; puer vero, vt illius cupidus est, nunc digitum vnum, postea alium, ac tandem omnes sua tenera manu aperit; cui in hac contentione posito, quasique ploranti, manus pij parentis pomum dimittit; qui tandem lætitia & voluptate perfunditur, eo quod filium suum tot modos, totque artes ad extorquendum pomum quærentem viderit: sic Deus Pater cum dilectis suis sæpè agit, in quos sua beneficia largiter conferre decernens, vult tamen vt ipsi vi quodammodo habita (est enim hæc vis amanti grata) plorantes, gementes ac perseuerantes, ab eius quasi manibus ea extorqueant. Sic veterum Christianorum pietatem describit Tertullianus: *Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Solent matres ac nutrices, vt filiorum ac paruulorum suorum in se amorem magis vel exer- C ceant, vel probent, vel inflamment, sese ex composito in aliquo domus angulo abscondere, & plorantem interea paruulum, matremque querulis vocibus inclamantem, tenerè audire, & aliquamdiu quasi surdis, sed verè amantissimis auribus auscultare; tandemque expansis vlnis ad paruulum accurrere, eumque millies deosculari. Planè sic Deus suorum preces ac lachrymas, quasi facie auersa, quasi obdormiens, quasi surdis auribus solet excipere; tandem vero vbi & eorum patientiam, & suam dilectionem satis exercuit, plena manu, etiam plus quàm petitur, elargitur. Sic cum muliere Chananæa, cum cæco clamante in via, cum Hæmorrhoissa in Euangelio Christus egit. Sed & huius rei crebra & illustria exempla iam alio in loco produximus. Quemadmodum quum nobilis & illustris vir in aulam proficiscitur, vt aliquod à Rege munus obtineat, cuius præsentia Rex delectatur, & cui maiora, quàm petit conferre in animo habet, petitionem huius nobilis Rex in multos dies differt, vt eum apud se diutius detineat: sic omnino Deus suorum electorum precibus gaudens, pietate delectatus, præsentia & colloquio (qui enim orat, cum Deo loquitur) frui cupiens, differt quod petitur, daturus abundanter. Quemadmodum vero in his omnibus exemplis, proteruus esset & improbus filius, qui recusante pomum patre, manumque comprimente, indignatus abscederet, & se non curare pomum diceret; paruulus vix germanus & naturalis esset, qui absconditam ad tempus matrem, vel nutricẽ non inclamaret; nobilis parum ciuilis, imo superbus, & arrogans, & animi impotentis merito haberetur, qui Regis sui moram ac dilationem non ferret, sed primo die non exauditus, statim relicta aula, ad sua se reciperet: sic omnino proterui & improbi fideles sunt, filij non germani, sed adulteri, superbi quoque & arrogantes, valdeque importuni, qui nisi ad primam aut secundam precem à Deo impetrent, in precibus perseuerare recusant. Magna obseruatione dignum est, quod in hac causa parabolam de iniquo & proteruo iudice Christus introducit. Ait in Euangelio iniquus iudex: *Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen, quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens suggillet me.* Mira res, quod Redemptor noster iniquissimo iudici seipsum comparat. Non parenti naturali (vt alio in loco facit) non alicui magnifico Principi, non cuiuis bono & honesto viro, sed homini scelesto, qui nec Deum, nec homines timebat, suam infinitam bonitatem comparat. Facit hoc, vt perseuerantiam in oratione fortissimo argumento nobis persuaderet. Horrendum quippe esset, diuinam bonitatem iniquo & scelerato iudice deteriorem aut crudeliorem esse existimare; quasi non id Deus præstet, quod crudelis & impius facit. Sunt & aliæ bonæ ac legitimæ orationis conditiones, vt fides, fiducia, obedientia, humilitas; de quibus in aliis Euangeliis iam per occasionem dictum est. Talis ergo oratio efficax apud Deum est. Talem orationem, tales preces laudat Scriptura, commendant Patres. Exempla Scripturarum collegit Chrysostomus his verbis: *Oratio caminum ignis tribus pueris*

4. *Cõditio, Perseuerantia. Dom.inf. Oct.Nat. Do.tex.5. Simile.*

In Apolog. ca.39. Simile.

Matt.16. Lucæ 8. Matt.9. Simile.

D

parabolæ vis de iniquo iudice. Lucæ 18.

Lucæ 11.

A *pueris extinxit. Oratio conclusit ora leonum, ne Danieli nocerent. Oratio Moysis seditionem compescuit, Amalecitas deuicit, Deum iratum populo reconciliauit. Oratio Heliæ cælos aperuit, ignem ad sacrificium, pluuias ad siccitatem terræ impetrauit. Oratio Cornelij cælos penetrauit. Oratio publicanum iustificauit. Oratio Ecclesiæ Petri vincula resoluit. Oratio Paulo ostium Euangelij adaperuit.* Et, vt aliquos orationis particulares effectus obiter tangamus, Oratio plura sæpè impetrat quàm petit, & largiores Deus manus habet, quàm homines os, aut linguam, aut cor, iuxta illud Apostoli: *Potens est Deus omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus.* Et iterum: *Si reprehenderit nos cor nostrum* (vt indignos omni fauore) *maior est Deus corde nostro.* Exemplum habes in filio prodigo, qui id tantum patrem orans, vt faceret eum sicut vnum ex mercenariis eius, factus est iterum filius eius, recepta stola prima, & celebri cum conuiuio excipitur. Salomoni petenti à Deo sapientiam, non eam tantum concessit, sic vt similis ei sapiens nec ante eum fuerit, nec post eum surrecturus sit; sed etiã (ait illi Deus) hæc, quæ non postulasti; dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam. Abraham orans, & dicens; *Vtinam Ismael viuat coram te;* responsum accepit non de Ismaele tantum, sed & de noua prole Isaac: nec vt Ismael viuat tantum, sed vt augeatur ac multiplicetur valde, crescatque in gentem magnam. Qui surdum & mutum ad Christum adduxerunt, rogabant tantum vt imponeret illi manum. At ille insolito & mirabili modo non hoc tantum facit, verum etiam mittit digitos in auriculas eius, expuens tãgit linguam eius, suspiciens in cælum ingemuit; dicit ei, Ephpheta, & sic demum sanauit. Rursum, Oratio fidem exercet, & egregiè probat. *Omnem iu-*

B *stitiam quam facit homo* (ait Chrysostomus) *secundum suam potentiam facit, & de potentia sua profert; solam autem orationem secundum fidem suam facit, & ex fide sua profert.* Sic in omni petitione Christo facta, petentium fidem probat Christus, probatam laudat, laudatam remunerat. Chananææ dixit: O *mulier, magna est fides tua.* Centurioni dixit: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Vide plura in Dominica 3. post Epiphaniam, & in Dominica Quinquagesimæ. Oratio charitatem auget. Vnde S. Augustinus: *Si amator Dei esse vis, sinceriss imis medullis, castisque suspiriis ipsum deprecare, illi flagra, illi inhia.* Quemadmodum enim amantes assiduo congressu & frequenti colloquio magis ad mutuum amorem accenduntur; & sicut qui verè amici sunt, nihil libentius audiunt, quàm quum ab iis quos amant rogantur, eisque benefaciendi occasionem habent; & vicissim ab amicis & beneuolis vt audacter petimus, sic quo maiori cum fiducia petimus, eo vehementius amamus: eodem modo inter Deum & homines Dei amicos se res habet; qui certè non amici modo, sed & parentis in nos viscera gerit, pietatem ostendit. Imo omnem humanam amicitiam Dei in nos amor infinitè superat. *Ab hominibus* (ait Chrys.) *cum aliquid exposcis, & molestus omnino & onerosus videris: Deum vero, quando id non facis, offendis, &, vt amplius tibi indignetur, accendis.* Oratio mẽtem mirabiliter illuminat, & diuina sapientia replet. Vnde D. Chrys. *Quemadmodum qui cum sa-*

C *pientibus viris colloqui solent, propter assiduam consuetudinem breui sic transmutantur, vt illorum prudentiam referant: sic qui cum Deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes, quanta sapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate eos repleri necesse est!* Hinc magni illi viri ex sola oratione ad summam sapientiam prouecti, D. Antonius Eremita, S. Martinus, & S. Bernardus: qui illiterati quum essent, vt de S. Antonio scribit Augustinus, de S. Martino Seuerus Sulpitius, de S. Bernardo, vitæ eius in prima parte auctor, magis oratione quàm lectione profecerũt, & sacras Scripturas intellexerunt. Oratio est contra omnis generis tentationes armatura fortissima. Sic Christus: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* De hac D. Chrys. *Quemadmodum ciuitas quæ muris cincta non est, facile venit in hostium potestatem, sic animam non munitam precibus, diabolus facile redigit in suam ditionem.* Nec vitia tantum repellit, sed admirabilem animo puritatem conciliat oratio. Quemadmodum enim (ait Chrys.) qui cum Rege collocuti sunt, & ei familiares facti, non dignantur in contubernium venire mendicorum & abiectorum hominum: ita qui cum Deo fabulatus est, eique sua vota protulit, nequaquam dignabitur mali & impii spiritus familiaritatem admittere, quod quisque facit qui voluptatibus seruit. Oratio in omnibus rebus afflictis maximam animo consolationem adfert. *Si enim apud homines* (ait Chrysostomus) *suos quempiam casus dixisse, suasque calamitates narrasse, affert nonnihil consolationis, quasi diffl atio quædam malorum per ipsam narrationem ageretur; longè magis, si cum Domino illo communi ægritudines animi tui communicaris, consolationem atque remedium capies.* Ad hoc enim ipsum te Deus inuitat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Vocat, obsequamur: inui-

D tat, accedamus: offert se, ne respuamus. Et sic quidem ex parte bonitatis diuinæ rem ostendit: paulo superius, ex parte ipsius orationis, venusta comparatione idem declarat. *Sicuti*, inquit, *frequentia nubium principio cælum offuscat; vbi vero percrebras dimiserit stillas, iam & humore sepposito, serenum cælum & dilucidum facit: sic mœror animi, dum intus versatur, caligine cogitationem nostram obducit; cum autem verbis orationis, & lachrymis quæ solent comitari orationem, foras versus euaporatus diffl atusque euanuit, plurimum iam inde splendoris afferri in animum solitum est; fauore scilicet humanissimi & liberalissimi Dei, velut radio quodam in eius, qui orat, animum ingruente, ac luce afficiente lætissima.* Hæc ille. Sed præter hos omnes effectus & fructus orationis, qui, diligenter explicati, ad frequens orandi studium auditores vehementer excitare possunt, admirabilis ille atque præcipuus est, vt quiduis à Deo, quod legitimè petitur, impetret. Huius rei in alio Euangelio exempla protulimus. Credenda sunt indubitanter Christi verba dicentis: *Quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et rursum: *Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur.* In quæ verba D.

Orat. in regressu eius habita.
Oratio plus accipit quam petit.
Ephes. 3.
1. Ioan. 3.
Lucæ 15.
Exempla.
3. Reg. 3.
Gen. 17.
Marc. 7.
Tex. 2. & 4.
Oratio fidẽ exercet.
Enar. in Psal. 85.
Simile.
Ho. 24. in Matt.
Oratio illuminat.
De orando Deum li. 2.
In prologo li. 1. de doctr. Christ.
Li. 2. de vita S. Mart.
Oratio armatura contra tentationes.
Simile.
li. 2. de orando Deum.
Ibidem.
Simile.
Oratio cõsolatur in aduersis.
Simile.
In hom. 5. de incomprehensib. Deinatura
Matt. 11.
Ibidem.
Simile.
Oratio impetrat.
Matt. 21.
Matt. 7.
In com. ibid.

Iacob.1. Hieronymus: *Si tibi non datur, ideo non datur, quia non petis.* Fidelis Deus est, seipsum negare non A
potest: *qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Fons bonitatis perennis est, manare non cessat.
Non est abbreuiata manus Domini, & sine pœnitentia Dei dona sunt. Ideo nos vult sine in-
termissione orare, quia ipse paratus est sine intermissione dare. *Omnes medici pecuniis, Deus au-*
Hom.18. operis imp. in Matt. *tem sola oratione placatur.* Ideo in Scripturis oratio semper offerri Deo dicitur in odorem suaui-
Ho.13. ibi. tatis. *Nam sicut thymiama bene confectum, delectat hominem odorantem; sic oratio iusti suauis est ante*
Deum, ait Chrysostomus.

2. *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo.*

Christi nomen. LOcus moralis de Christi Redemptoris nostri ineffabili erga nos bonitate, & nouo gratiæ
beneficio, vt in virtute, fide, ac potestate nominis eius quiduis orando impetremus. Ma-
gna enim significatione adiecit hoc Christus: *In nomine meo.* Dabit quidem Pater cælestis pe-
Ioan.14. tentibus eum; sed in nomine Christi, si per Christum, & merita eius, Deum Patrem inuoca-
Psal.85. mus. Sic paulò antè Apostolis suis dixit Christus: *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Hoc
longè antè in Spiritu præuidēs Dauid, sic orat: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Chri-*
Hebr.7. *sti tui.* Nempe Christi merita apud Deum perpetuo pro nobis intercedunt: *Accedit per semetip-*
1.Ioan.1. *sum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Hunc aduocatum habemus apud Patrem. Hic as-* B
Hebr.9. *sistit vultui Dei, vt interpellet pro nobis.* Hoc nobis maximam inuocandi fiduciam adfert; hoc oratio-
nibus nostris admirabilem illam efficaciam conciliat, vt, quicquid petierimus, fiat nobis. *Noua*
In Ioan. li.11.ca.7. *hæc est* (ait S. Cyrillus) *inuocationis formula, veteribus piis prorsus incognita, quia per Christum omne nobis*
Rom.5. *bonum absolutè concessum est. Qui enim Filium suum nobis donauit, quomodo non cum illo omnia nobis dona-*
uit? Per hunc habemus accessum ad gratiam istam in qua stamus. Ioseph fratribus suis, in terram Cha-
Allegoria. naan redeuntibus, in mandatis dedit, vt, ad eum reuerti si vellent, omnino fratrem suum Ben-
Gen.43. iamin secum adducerent: *Nisi fratrem vestrum Beniamin adduxeritis, non videbitis faciem meam.* Nisi
quum ad Deum orando accedere volumus, & panem nostrum quotidianum petere, frumen-
Matt.28. tum & cibum vitæ à Deo quærere, Christum fratrem nostrum (sic enim & fieri, & nos vocare
Veterum preces non fundabantur in Christo. dignatus est) in oratione adduxerimus, nisi in eius nomine petierimus, non videbimus faciem
Dei, nihil à Deo Patre orantes impetrabimus. In veteri lege tantā inuocandi fiduciam populus
fidelis non habuit, quia in tanto nomine, tantáque virtute inuocare non poterāt. Nomen Abra-
hā, Isaac & Iacob in oratione vsurpabant, iuxta illud ipsius Iacob: *Inuocetur super pueros istos nomē* C
Gen.48. *meum, nomenque patrum meorum Abraham & Isaac.* Aliud hoc erat, quia tres isti amici Dei erāt. Po-
Esaiæ 37. stea inuocabant Deū propter seruū suum Dauid: *Protegam vrbem hanc propter me, & propter seruum*
meum Dauid. Sed frequentissimus in oratione veterū sanctorū titulus creationis fuit. Sic Iob ad
Deū orat: *Manus tuæ Domine plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me? Memēto quæso*
Iob 10. *quod sicut lutū feceris me,* & cætera quæ sequuntur. Hoc etiā titulo Dauid Deum ad misericor-
diam prouocat: *Respice in vineam quam plantauit dextera tua.* Hoc titulo à Deo beneficia implo-
Psal.79. Psal.118. rat. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Hoc titulo
Esaiæ 64. Esaias Dei fauorem postulat: *Et nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum; & factor noster tu, & ope-*
ra manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine, &c. Interdum vero etiam dilectionis titulo &
argumento ad Deum sibi propitium reddendum vtebantur. Apud Ieremiam: *Factus sum Israe-*
Ierem.31. Esaiæ 63. *li Pater, ideo in misericordia reducam eos.* Apud Esaiam: *Tu Deus Pater noster & Redemptor noster, à se-*
culo nomen tuum. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? Atque hi quidem præclari tituli fue-
runt, siue amicos, siue beneficia Dei respicias. Sed nouus nobis titulus inuocationis datus est,
tanto veteribus excellentior, tanto efficacior, quanto excellit seruum & amicum Filius natu-
ralis vnigenitus, in quo Deo complacuit; & quantum creationis ac dilectionis titulum superat
longissimè redemptionis beneficium: in quo vno splendidissimè elucet tum Dei Patris ineffa-
Ioan.3. bilis amor, qui *sic dilexit mundum, vt Vnigenitum suum daret, &c.* tum Dei Filij inexplicabilis dile-
Tit.2. ctio, qui *tradidit semetipsum pro nobis.* In hoc ergo nomine qui Patrem orat, propter talem Filium D
repulsam pati non potest. Hinc Ecclesia omnem suam orationem in hoc nomine terminat.
In Circunc. Domini De nominis Iesu virtute & efficacia in altero Promptuario diximus.

3. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.*

Text.10. Do.12.post Pent.tex.3 Sup.Do.4 post Epiph. tex.3. Quinqua. tex. 3. Pal.tex.2. Do.2.post Pascha, tex.1. & 6 LOcus moralis de amore Dei erga nos, propter nostrum erga Christum amorem; videlicet
quoad eius augmentum & perfectionem. Primus enim Dei amor gratuitus est, quo prior
dilexit nos. Hunc locum in Promptuario Catholico iam tractauimus. Porro de Deo super om-
nia diligendo (qui locus hic tractari potest, vt Dei Patris amor erga nos, quanto à nobis studio
quærendus, quanta cura retinendus sit, populus doceatur) in prima Dominica Quadragesimæ
disputatum fusè est, & infrà in alia Dominica magis disputabitur. De Christo à nobis multis
nominibus diligendo (quod etiam non incommodè in hæc verba explicati poterit, vt me-
dium, quo Dei Patris amorem vel quærere vel conseruare possit auditor, moneatur) iam in aliis
Euangeliis semel atque iterum disseruimus.

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ VI. POST PASCHA.

CVM venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. *Ioan.15.& 16.*

B

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.* De malorum premeditatione, vt minus mala sint.
2. *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo.* De frequenti Ecclesiæ Dei persecutione, & hæreticorum credulitate, varioque persecutionis fructu.
3. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Contra ignorantiam Dei, rerumque diuinarum, plurimorum malorum causam.

1. *Hęc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.*

Malorum præmeditatio.

LOcus moralis de malorum præmeditatione, vt minus mala sint. Voluit Christus futuras Ecclesiæ persecutiones, futuras cuiuscumque iusti tribulationes, longè antè prædicere; vt de illis nemo scandalizetur, id est, nemo propterea fidei quam tenet, religionis quam colit, iu-
C stitiæ coram Deo quam exercet, aut tædio afficiatur, aut scandalum patiatur, aut vllo mœrore conturbetur. Magna Christi misericordia infirmitatem nostram tam valido præsidio communire, tam necessario subsidio alleuare voluit. Mala quippe præmeditata minus feriunt. Basiliscus, animal homini infestissimum, hoc habere dicitur, vt, si prior hominem viderit, certam ei perniciem adferat; contra, si prius videatur quàm videat, nocere nequeat, sed vel pereat statim, vel in fugam se territus abripiat. Pulchrè Seneca: *Nisi quicquid fieri potest pro futuro habeas, das in te vires rebus aduersis, quas infregit quisquis prior vidit.* Rursum alio in loco: *Quia naturam oculis, non ratione comprehendimus, nec cogitamus quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit, damus huius negligentiæ pœnas, tanquam nouis territi, quum illa non sint noua, sed insolita.* Elegantissimè quoque alias; *Quæ alij diu patiendo leuia faciunt, vir sapiens leuia facit diu cogitando.* Sic Anaxagoras Philosophus, quum illi renuntiata esset & damnatio sua, & filiorum mors, ad prius dixit, *Iampridem tam aduersus illos qui damnauerant, quàm aduersum se ex æquo naturam tulisse sententiam*: ad posterius dixit; *Sciebam me genuisse mortales.* Hoc in eo fecit philosophia, & perpetua humanæ fragilitatis meditatio. Hanc sapientiam Christus hoc loco nos docet, varias & acerbas iustorũ persecutiones prędicens (quas vel hodie maximè persentiunt in multis locis Catholici Christiani) vt æquanimius eas feramus: si, quod Redemptor noster clementer prędixit, nos diligenter præmeditamur. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Vt quid in vase vitreo ferream soliditatem requiris? Sapientes viri,
D vt mortis terrorem, qua nihil est terribilius, animo paulatim omnem eximerent, mortis perpetuam memoriam aliquo artificio sibi proponebant. Sanctus Ioannes, Eleemosynarius dictus, Patriarcha Alexandrinus, iubet sibi extrui monimentum, ei autem finem non imponi, sed sic imperfectum relinqui: deinde eos qui præfecti erant operi, quum esset festum aliquod insigne, accedentes in conspectu omnium qui in mẽsa considebant, apertè dicere: Monimentum tuum Domine adhuc imperfectum est; iube ergo vt finem accipiat. Seuerus Imperator vrnam sibi præparauit, in qua sepeliretur; eamque ad se perlatam, manibus contrectare solebat, ac dicere: Tu virum capies; quem totus orbis capere non potuit. Refert Herodotus, olim in Aegyptiorum epulis morem fuisse, vt vnusquisque cadauer ligneum, sed maximè ad viuum effectũ, singulis ostenderet, dicens: In hunc intuens pota, & oblecta te, talis post mortem futurus. Dicit Scriptura: *Musica in luctu importuna narratio; flagella & doctrina in omni tempore sapientia.* Pulchrè docet, tristibus quidem non esse interponenda vana & inania oblectamenta, meditationẽ autem

Simile. P. Berchor. Reduct. mor. lib. 10 c. 13.

Li. 1. c. 11. de trãquil. Apophth. Natur. qq. li. 6. q. 3. Epist. 77. Laert. li. 2

2. Cor. 4. Simile.

Exempla. In vita eius tom. 1. Sur.

Dion. Nicæus, in vita eius. Lib. 3.

Eccli. 22.

aut narrationem rerum triſtium & aduerſarum (quam flagellorum & doctrinæ vocabulo exprimit) nunquam eſſe importunam,imo omni tempore ad ſapientiam inſtituere. Sic alibi : *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit.* Certè quantum mala non præmeditata perturbent, & præmeditata vix moueant,pulchro exemplo docuit Homerus. Vlyſſem enim introducit poſt 20. annorum abſentiam domum reuerſum,repentinæ morti canis ſui,qui eum agnouerat,moxque caſu extinctus fuit,acerbè illachrymantem:vxori autem ſuæ flenti,toto die aſſediſſe abſque lachrymis. Vxoris quippe futuras lachrymas præcogitauerat;canis mortem nihil formidauerat. Valet hoc loco Scipionis illud memorabile dictum: *Stultum eſt dicere, Non putaram.* Bonus dux, nauclerus,Imperator,viæ,nauigationis,& certaminis pericula prædicit. Sic Chriſtus hoc loco : ne tibi dicas non prædictum,caue.

Eccleſ.7.

Plutarch. in lib.de tranq.animi.

Exemplum

Apophth.

A

2. *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.*

Perſecutiones Eccleſ. Tract. 93. in Ioan.

Contra petil. lib. 2. cap. 92.

Moral. in Iob,lib.33. cap. 29.

Hæreticorum perſecutio atrociſſima.

In vita eius apud Surium, 1. Auguſt.

Exempla.

1 *Victor lib. 3.de perſecut.VVãdalica.*

2 *Hiſtor. Eccleſ. lib. 7.cap.26.*

3 *Invita SS. Theodori & Teophanis,26.Decemb.*

4 *In vita eius apud Surium, tom. 1.*

5 *In Chron. anno 770.*

6 *In Martyrol.Rom. 12. Ian.*

7 *Ibid.30. Mar.*

8. *Euagr. li.2 cap.9.*

9. *Victor. li. 2. de perſ. VVand.*

LOcus moralis de frequenti Eccleſiæ Dei perſecutione, ſub prætextu pietatis. Ethnici quidem perſequutores ferè omnes ſic Chriſtianorum nomen ac fidem acerbiſſimè perſequebantur,vt ſuis,quos vocabant,diis immortalibus ſe hac in re obſequium præſtare,deorum ſuorum honorem & cultum vindicare arbitrarentur,& præ ſe ferrent. Vnde Imperatores maximè ſuperſtitioſi,maximi quoque erant perſecutores: Traianus,Adrianus,Decius, Diocletianus,& alij. Sed Chriſtus hoc loco de illa Eccleſię perſecutione loqui videtur, quam illi exercebunt,qui vnum verum Deum colere profitentur,qualis erat primum Iudæorum in Apoſtolos,reliquoſque Chriſti diſcipulos,ac poſtea hæreticorum in Catholicos,quoties ſuperiores & fortiores illi eſſe potuerunt,acerbiſſima perſequutio. Sic Auguſtinus hæc verba exponit : *Hec de Iudæis dictum debemus accipere, de quibus dixerat, Abſque ſynagogis facient vos. Nam martyres Chriſti, etiam ſi occiſi ſunt à Gentilibus, non tamen illi arbitrati ſunt Deo, ſed diis ſuis falſis obſequium ſe præſtare quum hæc facerent.* Et alibi contra Donatiſtas diſputans Auguſtinus, putat in Iudæorum perſecutione impletum hoc eſſe : quia videlicet ante eius tempora rara fuit hæreticorum violenta perſecutio:ſoluſque in Oriente Conſtantius,poſteaq; Valens, Arriani Imperatores(de qua Valentis perſecutione non incommodè etiam hæc verba intelligi poſſe agnoſcit) Catholicos ferro & gladio perſecuti fuerant. Sed Chriſti verba,quemadmodum non ad ſolos Apoſtolos,ſed etiam ad eorum ſucceſſores, adeoque omnes futuros fideles pertinent, quando de toleranda & expectanda perſecutione eos monet ac docet;ſic abſque vllo dubio ipſa perſecutio, de qua loquitur,de omni illa intelligitur,in qua veritatis hoſtes,ſed pietatis ſimulatores,veros veritatis cultores,non verbo tantum & fraude,ſed ferro & gladio perſequuntur. De qua duplici perſecutione Gregorius: *Quale illud perſecutionis tempus apparebit,quando ad peruertendam fidelium pietatem alij verbis ſæuiunt, alij gladiis! Qui enim etiam infirmus iſtius Leuiathan dentes non deſpiceret, ſi non eos per circuitum poteſtatum ſecularium terror muniret? Sed duplici contra eos calliditate agitur; quia, quod eis ab aliis blandientibus verbis dicitur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperatur.* Hæc ille. Et certè atrocior ſemper fuit hæreticorum perſecutio contra Catholicos, quàm ethnicorum contra Chriſtianos. Conqueritur de hoc Euſebius, Vercellenſis Epiſcopus;qui in carcerem ab Arrianis miſſus,ab omni ſuorum congreſſu & ſubſidio prohibetur : quam crudelitatem à nullo ethnico perſecutore adhibitam fuiſſe affirmat. Iucundus,presbyter Arrianus, hortatur Genſerichum Arrianum crudeliſſimum,vt Arbogaſtem, nobilem Catholicum, quem gladio tollere ſtatuerat, diuerſis cruciatibus,& lenta morte interimeret. Iidem Arriani ſacras virgines,adhibitis dorſo & mammillis laminis ferro ignitis, torquentes,dicere eas iubebant, quod Epiſcopi & Clerici Catholici cum eis concumberent:quam crudelitatem & ſycophantiam ab ethnicis ſub Maximino Imperatore didicerant,vt apud Nicephorum videre eſt. Iconomachi in frontibus totoque vultu Catholicorum, ſuper ſcamna illos extendentes & vinciẽtes,quoſdã Iambicos verſus,ignominia plenos,inſculpebant, cultris aliiſque inſtrumentis adhibitis,vt in ſaxis ſculpendis fieri ſolet. Beatus Fulgentius, Epiſcopus Ruſpenſis, cuius opera doctiſsima extãt, quum prius Mauros fugiſſet perſequentes,incidit in Arrianos, quorum crudelitatem immanem expertus, ad vicina prouinciæ ſuæ loca regreditur,eligens Mauros potius paganos habere vicinos,quàm moleſtiſsimos Arrianos. Sub Conſtantino Copronymo Iconomacho, plures martyres facti ſunt,quàm ſub cuiuſpiam gentilis Principis perſecutione,teſte Sigeberto. Sub eodem tyranno,monachi quadraginta duo, truncatis naribus,barbiſque illitis pice combuſtis, in balnei fornice clauſi,ibique fame conſumpti, martyrio coronantur. Macedonius hæreſiarcha,ſub Conſtantio Imperatore, Catholicos inaudito tormentorum genere cruciatos occidit. Inter cætera,fidelium mulierum vbera inter labra arcarum compreſſa,diſſecuit,& candenti ferro combuſit. Eutychitiſtæ Alexandrini,ſtatim poſt mortem Martiani Imperatoris Catholici, Proterium Epiſcopum & Patriarcham ſuum Catholicum,cum aliis clericis, tanta crudelitate occiderunt,vt viſcera eius guſtarent,& crudas carnes comederent, reliquum corpus per plateas vrbis trahentes. Hunerichus, Arianorum Rex, vna vice clericos 4976. in deſertum

B

C

D

tum ablegauit, & laicis prohibitum, ne clerum sequerentur. Augustinus de suis Donatistis ita *Epist. 122.*
A scribit: *Quis Barbarus excogitare potuit, quod isti, vt in oculos clericorum nostrorum calcem & acetum mitterent, quorum membra etiam cætera plagis horrendis, vulneribusque fauciarunt? deprædantur etiam domos, aliquas & incendunt, fructus aridos diripiunt, humidos fundunt: & talia cæteris comminando, multos rebaptizari compellunt.* Hæc ille. Hæreticorum nostri temporis quæ crudelitas, quanta barbaries, qualis immanitas in persecutione & occisione Catholicorum, maximè in Gallia & Anglia, fuerit, recenti memoria omnibus compertum est, & extant de ea re tota libri, quos consulere, si volet, Concionator poterit. Hi omnes Christi discipulos interficientes, arbitrati sunt obsequium se præstare Deo. Hoc autem vno nomine huius generis persecutio nō solum est acerbissima, quia ex zelo religionis, sed non secundum scientiam proficiscitur; verum etiam periculosissima, quia fuco religionis etiam Christianæ contra Christianos coloratur. Occultus hostis est, qui ideo caueri nisi difficillimè non potest. Ciuile bellum agit, quod sine sociorum sanguine nūquam terminatur. Fidem ipsam non sub nomine perfidiæ, vt Paganismus & Mahometismus, sed sub fidei vocabulo impugnat, *Per verba Legis, Legē impugnant*, ait Ambrosius; *& fidem sine fide prætendunt*, *In com. ad Tit. 3.*
ait Hilarius. Amicum se ostendit & hostis est. Socium se dicit, & capitale bellum gerit. Sponsæ *In lib. ad Constant.*
voces vsurpat, & meretrix est. Christum loquitur, Euangelium sonat, verbum Dei crepat, sed *Do. 7. post*
lupus est in vestitu ouium, vt per multa capita in altero Promptuario ostendimus. Omnes eius ma- *Pentec.*
chinæ, astutia & dolus sunt, *Fur est & latro*, non iustus hostis. *Nequitia & astutia circumuenit in erro-* *Ioan. 10.*
B *rem*, veris & apertis armis non aggreditur. *Persecutor paganus* (ait Augustinus) *apertè sæuit, vt leo;* *Ephes. 4.*
hæreticus insidiatur, vt draco. Ille cogit negare Christum, iste docet. Ille ingerebat violentias, iste insidias. Ad- *Enarr. in*
uersus illum opus erat patientia, aduersus hunc opus est vigilantia. Hæc ille tunc, in pace Ecclesiæ. At no- *Psal. 39.*
bis hodie, maximè Anglis Catholicis, non solum vigilantia, sed etiam patientia opus fuit, ab
annis iam triginta sub hæreticorum tyrannide laborantibus. Est hæc igitur persecutio grauissi- *Persecutio*
ma. Tota nihilominus hæc persecutio siue à paganis, siue ab hæreticis, & ipsi Ecclesiæ vtilis est, *Ecclesiæ*
& eos, qui persecutionem patiuntur, beatos facit, &, vt beati fiant, diuinum remedium in promp- *vtilis.*
tu habent; quæ tria, tribus verbis expediam. Sicut vrbes & arces, hostium finibus proximæ & *Simile.*
limitrophæ, armis & rebus bello necessariis munitissimę semper sunt; quæ vero in medio regni *1. Quoad*
consistunt, negliguntur, &, si qua munimenta habent, rubigine consumpta & fœdata iacent: sic *mores.*
Ecclesiæ, circumlatrantibus hæreticis proximæ, contra eas diligenter se muniunt, verbum fidei
accuratius tractant, disciplinæ censuram strictius obseruant, vt non vituperetur ministerium ip-
sorum; cautè ambulant, quia dies mali sunt: at vbi alta pax est, tota armatura Ecclesiastica rubi-
gine consumpta iacet. Desidiæ rubigo, auaritiæ lutum, superbiæ & ambitionis muscus, ignoran- *Exemplum*
tiæ somnus omnia occupat. Sic se rem suo tēpore habuisse sanctus Cyprianus his verbis agno- *Serm. 5. de*
scit: *Dominus probari suam familiam voluit; & quia traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corrupe-* *lapsis.*
C *rat, iacentem fidem, & penè dixerim dormientem, censura cælestis erexit. Studebant augendo patrimonio sin-*
guli, non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in mo-
ribus disciplina. Hæc ille, multaque alia populi Christiani dedecora, quæ in pace Ecclesiæ coaluerant, recensetvt causam subsequentis persecutionis ostenderet. Nec aliter diuus Bernardus:
Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara *Ser. 33. in*
prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. In- *Cant.*
testina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Hæc illi Patres, quoad *Esaię 38.*
mores & vitę agendæ rationem, quæ in pace Ecclesiæ flaccescit & dormitat. Idem docet Au- *2. Quoad*
gustinus de doctrina fidei. *Hæreticorum*, inquit, *inquietudine, vt Scripturas vigilantius perscrutemur,* *doctrinam*
vnde, ne ouili Christi noceant, illis possit occurri, tanquam de somno ignauiæ, nostra excitatur industria. Ita per *fidei.*
multiplicem gratiam Saluatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus conuertit in adiutorium. *Epist. 105.*
Hæc ille. Rursum alibi: *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agi-* *In lib. de*
tantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prę- *vera relig.*
dicantur, & ab aduersario mota quæstio, discēdi exitit occasio. Hæc ille. Sed & ipsa occisio Catholicorū, *ca. 8.*
quā libenter exercent hæretici, ipsius Ecclesiæ non solum decus & ornamentum, sed etiā salus
& incrementum est. Sic enim & Deus clarificatur, & fides illustratur, & credentium constātia
confirmatur, & vacillantium infirmitas roboratur. *Sanguis enim Martyrum, semen est Christianorum:* *Tertull. in*
& granum cadens in terram, vbi mortuum fuerit, multum fructū affert. Sanè sicut fermentū, quod amarū *Apolog.*
D est, pani saporem conciliat, sine quo insipidus esset; sic Ecclesia, nisi aliquo tribulationis fermēto *Ioan. 12.*
misceatur, insipida & flaccida euadet. Appositè Ambrosius: *Sicut vinea, dum ligatur, erigitur, & re-* *Simile.*
cisa non minuitur, sed augetur: ita sancta plebs, dum ligatur, erigitur; dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, *Li. 9. c. 10.*
coronatur. Et sic quidem persecutio hæreticorū, etsi asperrima & periculosissima, ipsi tamē Eccl. *in Lucam.*
Deo omnia electis cooperante in bonum, non est semper pernicioſa, sed plerunque salutaris. *Simile.*
Persecutio
ferentibus
vtilis.
Porro eos, qui in ipsa persecutione maximè patiuntur & interficiuntur, beatos imprimis esse, *Matt. 5.*
non solum vox cælestis clarè pronunciauit, dicēs: *Beati estis quum vos persequuti fuerint, &c.* verum *Simile.*
etiam ipsa ratio manifestat. Quemadmodum enim cum quis flumen aliquod in cymba traijcit, *Exemplum*
qui cymbam impellit, transitum facit expeditiorem & breuiorem; sic qui variis tormentis iu- *Pontianus*
stos interficiunt propter veritatem, expeditissimam illis in cælis viam parauerunt; quasique *in passione*
cymbam impulerunt, vt ad portum felicitatis æternæ quàm celerrimè peruenirent. Ideo *eius.*
diuus Cyprianus, accepta mortis sententia, *respondit, Amen, Deoque gratias egit.* Sic & alij innumeri

martyres fecerunt, adeoque hodie in Anglia multi. Edmundus Campianus, Societatis Iesu Theologus, accepta in Anglia, pro fidei confessione, mortis sententia, cecinit statim, Te Deum laudamus. De hac persecutionis & tribulationis felicitate in alia Dominica diximus. Illud pluribus explicandum, quàm præsens habent & paratum remedium omnes qui pro Christo, pro fide, pro veritate patiuntur. Hæc est perpetua Spiritus sancti consolatio, de qua in hoc sermone suo vltimo toties loquitur, & in alia Dominica nos aliqua diximus, quæ & hic locum habent. Sed nunc pauca adijcientur, donante Deo. Quem diuini Spiritus virtus inhabitat, ille aduersus acerba omnia, etiam mortem ipsam, animo semper inuicto stat. Qui longum iter pedester facere vult, emit calceos duplici aut triplici solea consutos, vt magis ex ferro quàm ex corio confecti videantur: paucorum tamen dierum labore detriti rumpuntur. Qui autem nudis pedibus iter facit, quo plus ambulat, eo duriorem callum obducit, pedumque eius corium magis obdurescit. Ratio discriminis est, quia corium calceorum, est corium mortuum; pedum vero, viuum. Sic omnes, quorum animi fortitudo ex corio viuo consistit, id est, ex virtute Spiritus sancti, quo magis affliguntur, eo fortiores & constantiores fiunt. Peccatores autem peccato mortui, & quorum tota animi virtus non nisi humana est, naturæque peccatricis & corruptæ, vt debilis est, sic facilè deteritur, & quibusuis afflictionibus succumbit, citoque corrumpitur. Nempe Spiritus sancti consolatio, quasi fons quidam est certarum virtutum, quæ omnes inuictum pectoris robur adferunt, videlicet fidei, spei, charitatis, quæ Spiritus sancti dona sunt. At fides adfert in tribulatione gaudium & pacem animi. Vnde Apostolus: *Deus repleat vos omni gaudio & pace in credendo.* Sic Eunuchus, accepta doctrina fidei, *ibat per viam suam gaudens*. Hæc fides est *thesaurus ille absconditus* (à sapientibus) *in agro* (Ecclesiæ & vineæ Dominicæ) *quem qui inuenit homo* (per Euangelij prædicationem) *abscondit* (in corde suo) *& præ gaudio illius vadit, & vēdit vniuersa quæ habet* (id est, paratus omnium potius, quæ habet, iacturam facere, quàm illo carere) *& emit agrum illum*, adiungit se vineæ illi, vt sit palmes in vite qui Christus est, caput Ecclesiæ suæ. Zelus enim & dilectio fidei facit, vt interfici se potius ab hoste fidei fidelis patiatur, idque perlibenter, quàm vt fidem suam neget. Alia virtus Spiritus sancti spes est, quæ maximum in animo gaudium generat, *vt spe gloriæ in qua gloriatur fidelis*, omnia pro Christo ardua gaudenter ferat. *Spe gaudentes*, ait Apostolus; quia proprium spei est; animum incredibili gaudio perfundere. Charitas vero, altera eademque primaria Spiritus sancti virtus, adhuc magis hoc facit; quia *valida est vt mors dilectio*, id est, ipsam mortem vincit, eaque superior est, vt alio in loco plenius dictum est. Hæc ergo sancti Spiritus dona, quasi fontis perenniter fluentis riui, cordibus fidelium infusa, perpetua eos consolatione & lætitia spirituali replent, vt semper in Domino gaudeant, scientes, quia *siue viuimus, siue morimur, Domini sumus*. Hi sunt chori castrorum, de quibus in Canticis dicitur: *Quid videtis in Sunamite* (id est, in pacifica sponsa Christi) *nisi choros castrorum*? Enimuero quid choro siue choreis cum castris exercitus? Chorus enim, canentium congregatio est; castra, pugnantium. Sed iustus in pugna cantat, quia diuini Spiritus gaudio repletus, omnia etiam aduersissima gaudenter perfert. Hæc videlicet est cifra Regis nostri, quā non intelligunt, nisi qui amici eius sunt, tristia cum gaudio tolerare. Quā cifram aperuit, quum diceret: *Dico vobis amici mei.* Arcanum meum vobis reuelo, & rationem secretam, qua scribere, meamque voluntatem patefacere soleo. *Nolite timere eos qui corpus occidunt.* Non est cum timore, sed cum gaudio excipienda mors pro nomine meo illata.

Dom. 3. post Pascha tex. 1.

Simile.

Spiritus sancti consolatio triplex.

1. Fides. Rom. 15. Act. 5. Matt. 13.

2. Spes. Rom. 5. & 15.

3. Charitas

Cant. 8.

Cant. 7.

Cifra Dei. Luc. 12.

A

B

C

3. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.*

Ignorantia rerum diuinarum, causa peccatorum. Do. Quinquag. tex. 5 Dom. 2. post Pascha tex. 5. Epist. 119. Similia.

1.
2.
3.
4.

LOcus moralis contra ignorantiam Dei, rerumque diuinarum, plurimorum peccatorum causam. Ideo enim improbi persequuntur bonos, & hæretici Catholicos, ideo improbi & hæretici homines fiunt, quia Deum ignorant, quia veritatem rerum diuinarum non tenent. Cæcitatem cordis peccatorum fontem esse, Christique notitiam & cognitionem vnicuiq; credenti esse necessariam, iam aliis in locis ostensum est, quæ huc omnia referri possunt. Nonnulla tamen addemus, prout Deus dabit. *Scientia Dei est machina per quam structura charitatis assurgat*, ait Augustinus. Colere & amare quem ignoras, non potes. Zelus sine scientia, est vehemens cursus in deuio; in quo quanto curris velocius, tanto à via aberras longius, & peccas absurdius. Etsi ferrum in fornace vehementer accenderis, tamen, nisi appositio malleo formes & ducas illud, nullam nouam formam accipiet. Voluntatis zelum ducere debet rectum iudicium. Cęca enim voluntas est, & ab intellectu duci ac formari debet. Rusticus, ignorans Regem, transit per eum quasi per familiarem; forte & detrudit eum si transitum impediat. Sic multi impingunt in Deum & offendunt, nescientes Deum, & mandata ac voluntatem eius, & beneficia ab eo accepta, & præmia ab illo bonis repromissa, pœnasque malis destinatas. Rusticus in pago educatus, habet quandam confusam Regis notitiam, quod valde diues ac potens sit. Sed si ei præterea dicatur, quod Rex habet potestatem castigandi malefactores, & euehendi ad honores omnes ei bene seruientes; incipiet multo magis Regem & timere & amare, eique in omnibus obedire & placere. Eodem modo se res habet in exacta Dei & Domini nostri cognitione,

D

Quàm

A Quàm multi putant se cognoscere Christum, qui tamen actiones eius, & passiones, doctrinam & beneficia vel penitus ignorant, vel nisi confusè norunt! *Nescierunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant.* Puderet vnumquemque nostrum, vel certè pudere oportebat, vocari studiosum, medicum, theologum, iurisperitum, textorem, sartorem, aut qualemcunque opificem, nec scire quæ ad huiusmodi artem aut vocationem pertinent. Pudeat similiter Christianos nehabet; & non ob lucrum, sed ob salutem hoc nomen gerit. Certè nos Christiani *Spiritum qui ex Deo est, accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et ad Ephesios Apostolus: *Det vobis Deus Spiritum sapientiæ in agnitionem Christi, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius.* Incumbit ergo cuique ei à Deo ad hunc finem donata scire. Neque est quod quisquam se excuset, quod Deum aut diuina cognoscere nequeat. Non enim accurata Dei in se aut fidei in principiis suis cognitio hic requiritur, sed beneficiorum Dei erga nos, mandatorum, promissionum, comminationum scientia, qualem Catechismus Catholicus, & ordinaria verbi Dei prædicatio tradit. Dio-genes, dicenti cuidam quem ad sapientiæ studium hortabatur, Non sum idoneus philosophiæ; *Quid igitur viuis*, inquit, *si nulla tibi rectè viuendi cura est?* Non enim ad hoc viuit homo, vt viuat tãtum, sed vt discat rectè viuere. Natura gignit dociles ad virtutem, non doctos. Quemadmodum B bonus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdidicit, quorum vsus sub aduersario rarus est, sed qui in vno se aut altero bene & diligenter exercuit, & eorum occasiones intentus spectat: sic bonus ille Christianus est, qui Deum & eius voluntatem, quantum ad salutẽ satis est, rectè perdidicit. Qui scit quantum victoriæ satis est, is multa scire censendus est. Hoc tamen in vtroque discrimen est, quod in illo genere, omnibusque humanis artibus & scientiis, ad curiositatem magis facit, quàm ad vtilitatem; in causa fidei & salutis, in Dei rerumque diuinarum cognitione, nihil cognoscitur quod non sit vtile & salutare. Est omnino Dei, eiusque beneficiorum, omnibus qui salui esse volunt, cognitio necessaria. Quàm diu Ioseph vixit, & recẽs esset memoria beneficiorum eius in Aegypto, quæ tanta erant, vt eum sua lingua Saluatorem mundi Aegyptij vocarent, bene erat filiis Israel, totique cognationi Ioseph in Aegypto: *At vbi surrexit Rex nouus in Aegypto, qui nesciebat Ioseph, mirabiliter affligi ab Aegyptiis filij Israel cœperunt.* Tãti interest, Dei beneficia scire & nescire. Quum Moyses à Pharaone peteret dimitti populum, vt Domino Deo suo sacrificaret; non obediuit Pharao, quia nesciebat Dominum aut potentiam eius. *Quis est*, inquit, *Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam vos? Nescio Dominum.* Apostolus de Iudæis dicit: *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sic peccatores, si cognosce-C rent quod lethaliter peccando Dominum gloriæ iterum crucifigunt (vt Apostolus affirmat) profecto nunquam id facerent. Si cognosceret peccator quod in omni vitioso amore idololatriam committit, amorem alicuius creaturæ Creatori præponens, non ita sæpe & impudenter peccaret. Excitare seipsum vnusquisque debet, vt præter Dei beneficia, omnibus communia, quæ in se priuatim Deus contulit innumera naturæ & gratiæ dona, identidem recolat, recolendo cognoscat, cognoscendo se minimè ingratum ostendat. Sic Dauid: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Propter hoc Catechismus Catholicus, Scripturę sacræ, explicatio verbi Dei, anniuersariæ solennitates in Ecclesia, *ne volumine temporum* (ait Augustinus) *ingrata subrepat obliuio.* Ex ignorantia Dei, rerumque diuinarum, omnia promanant peccata, maximè bonorum persecutio; de qua hoc loco Christus: *Mundus enim, quod suum est, amat;* & quæ sua sunt, optimè cognoscit. De Spiritu sancto, id est, de donis eius, dixit Christus: *Mundus eum non potest accipere, quia non videt eum, neque scit eum.* Quæ terra sua sponte producit, nemine colente exuberanter profert. Quæ non ex se producit, sed seminari in ea oportet, non sine maximo & vario labore producit, eaque satis parcè. Est enim illis quasi nouerca, quæ nunquam mariti filios ita fouet ac suos quorum mater est. Mundus mundanos, quasi filios suos & germen naturale, omni honore prosequitur: pios vero, qui ex diuino semine in eo nascuntur, & Spiritus sancti cultura ac gratia fouentur, odit, persequitur, interficit. Nescit enim eos, pro exoticis & D peregrinis habet.

Pſal.81. 5.
1.Cor.2. Epheſ.1.
Apophth. Laert.li.7 ca.1.
Simile.
Senecali.7 ca.1. de beneficiis.
Exemplum
Exodi 1.
Exemplum
Exod.5.
1.Cor.2. Hebr.6.
Pſal. 102.
De ciu.Dei li.10.c.4.
Ioan.15.
Ioan.14.
Simile.

A

EVANGELIVM DOMINICÆ PENTECOSTES.

Ioan. 14. SI quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui me misit, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, B neq; formidet. Audistis quia ego dixi vobis, Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me gauderetis vtiq; quia vado ad Patrẽ, quia Pater maior me est. Et nũc dixi vobis, priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Quid diligit me, sermonem meum seruabit.* De Deo diligendo, eiusque dilectionis virtute & efficacia.
2. *Et Pater meus diliget eum.* De amicitia Dei quæ ex mandatorum Dei obseruatione comparatur.
3. *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* De dilectionis diuinæ firmitate & stabilitate.
4. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* De bono pacis quam Christus nobis reliquit, C meruit, dedit.
5. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* De falsa mundi pace.
6. *Non turbetur cor vestrum neque formidet.* De animi fortitudine, fiducia, patientia in rebus aduersis seruanda.
7. *Vei t princeps mundi huius & in me non habet quicquam.* De assidua diaboli circa mortem cuiusque vexatione.

1. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.*

LOcus moralis de efficacia & virtute dilectionis Dei. Dilectionis vim tantam esse Christus dicit, vt ad bene operandum, ad mandata Dei seruanda sit efficax. Christus enim sermonis seu verbi sui vocabulo, omnia præcepta, & omnem de moribus doctrinam intelligit, iuxta frequentem Scripturæ phrasim, quæ omnia Dei præcepta, numero singulari sæpè effert; vel propter excellentiam, quasi vix verbi aut mandati nomen mereatur, nisi quod à Deo, vel in ordine ad Deum, & potestate à Deo ordinata præcipitur: vel propter facilitatem, quia diligenti Deum, Dei mandata quasi vnus sermo, & vnum verbum esse videtur. Vnde postea de malis dicit Christus; *Qui non diligit me, non seruat sermones meos*; in plurali loquens, quia non diligẽti Deũ, Dei mandata & nimis multa & grauia videntur, sicuti pigro & proteruo puero quæuis data lectio prolixa est: vel etiam propter vnam charitatem, *in quo vno sermone* (ait Apostolus) *tota lex recapitulatur*. Sic de Dei mandatis loquuntur amici Dei; *Quomodo dilexi legem tuam Domine! Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo.* Et iterum: *Latum mandatum tuũ nimis.* Et rursum: *Ignitum eloquium tuum nimis, & seruus tuus dilexit illud.* Sic de Mose & Aaron dicitur: *Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis.* Secundum rerum Hebraicarum scriptores, sexcenta & tredecim erant in lege Dei præcepta. Et tamen hæc omnia vnum vocantur, sicut & Christus hoc loco omnia sua præcepta vnũ sermonem vocat, quia diligentibus, & de diligentibus loquitur. Est hic igitur locus de amore erga Deum, eiusque admirabili vi & efficacia differendi. Deum supra omnia amandum esse, in alia Dominica iam explicatum est, & in Promptuario Catholico hic locus moraliter tractatus est. Hic tamen in argumento tam necessario & salubri plura dicentur. In veteri lege præcepit Deus, vt omne primogenitum, tam de homine quàm de pecoribus, illi offerretur, vel precio redimeretur; omnium quoque frugum & fructuum terræ primitias sibi offerri voluit. Qua in re, cor nostrum ei deberi, docere voluit. Est enim cor

Rom. 12. Psal. 118. Psal. 98. Petr. Gal. li. 11. c. 4. de arcan. Cath. fidei. Dom. in Quadrag. tex. 10. Exod. 23. & 25. Allegoria. Galen. li. 6 de vsu partium. Albertus de animalibus. li. 9. tract. 2. c. 4

D

primum

A primum quod in homine generatur, vt Medici tradunt;& vltimum quod in homine moritur, vt experientia docet. Primitias ergo nostras & primogenituram Deo dare,est cor nostrum,totumque cordis affectum Deo tribuere. In cuius etiam rei typum, in veteri lege primogeniti Sacerdotes erant,& diuino cultui mancipati. Hinc in Scriptura dicitur: *Præbe,fili mi, cor tuum mihi.* Non caput,non manum,non pedem,non cætera membra,sed omnium membrorum principium,radicem,& vitæ humanæ fontem,qui cor est,dari sibi Deus postulat. Aues venaticæ, quæ ex præda victitant,vultur,accipiter,aquila,capta præda,ante omnia cor petunt,euiscerãt, deuorant. Quod in illis naturę instinctus facit,propter cibi auiditatem; hoc in Deo immensa sua bonitas facit,propter nostræ salutis desiderium:qui dicere in Scripturis non dubitauit;*Deliciæ meæ,esse cum filiis hominum.* Hac de causa Zelator in Scripturis Deus dicitur. *Non habebis deos alienos coram me,* id est,nihil vt principale tuum bonum amabis præter me. *Ego sum Dominus Deus tuus,fortis,zelotes.* Qui zelotypia laborat,suspicione plenus est,omnia sponsæ suæ vestigia, dicta, facta obseruat,ad omnem in domo strepitum,ad omnem ingressum & egressum vigilat, fingit se interdum exire,moxque domum repentè redit,vt videat quid vxor agat:quã si cum alio amatore deprehendit,confestim expoliat,omnia illi data preciosa munera aufert, & vel domo expellit,vel interficit iratus. Sic Deus animam,sibi fide & charitate desponsatam, zelo prosequitur ardentissimo;non quidem cum humanæ perturbationis vitio, sed prorsus incommutabilis

B atque tranquillus,effectum zeli ostendens;omnia dicta & facta nostra obseruans,quod agnouit Dauid,dicens: *Prouidebam Dominum semper in conspectu meo:à dextris est mihi ne commouear*: interdum quoque fingens se longius ire,& quasi dormiens in nauicula cordis nostri, quum tamen (vt alibi explicatum est) cor eius vigilet in nobis semper: cum aliis vero creaturis fornicantes seueriss imè puniens,iuxta illud: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Et apud alium Prophetam: *Filiorum illius non miserebor,quia filij fornicationum sunt.* Et Moyses adhortans populum vt in Dei dilectione maneat,hanc rationem subdit:*Deus enim vester,ignis edax,& Deus zelans.* De hoc Dei zelo Dionysius Areopagita:*Audebimus id verè dicere,quod Auctor ipse omnium, propter excellentem quendam rerum omnium amorem,& amatoriæ bonitatis magnitudinem,quasi extra se sit,dum ad omnia quæ sunt,multiplici prouidentiæ ratione pertingit,illisque se immiscet,& à supremo illo statu,quo supra omnia eminet,ad quandam quasi cum rebus societatem se illis communicando descendit,seque demittit. Hinc fit vt zelotem illum theologi nostri appellent,quia vehemens est ad ea quæ sunt amanda,& zelo quodã amatorio erga res afficitur.* Hæc ille. De quo paulo clarius sic S. Augustinus: *Zeli diuini nomine,eius significatur prouidentia,qua nullam à se animam impunè fornicari sinit. Sicut enim ea quæ dicitur ira Dei, non perturbatio mentis est,sed potentia vindicandi:sic zelus Dei non cruciatus quidam animi est,hominibus cõmunis,sed tranquilissima sinceris simaque iustitia,qua nulla anima beata esse sinitur falsis opinionibus,prauisque cupiditatib.*

C *corrupta.* Hæc ille. Deus igitur cor hominis vult,amari vult. *Ignẽ,* (inquit Christus) *veni mittere in terrã* (qui certè hodie in Apostolos è cælo cecidit) *& quid volo,nisi* (vel potius,quã volo,quãtum desidero,nã illud π Græcum vtrumq; sonat,& posterius magis) *vt ardeat?* Ad hunc Dei amorẽ infinita nobis Deus dedit quæ nos incitarent;sicuti qui puellã nobilẽ diligit,innumera ei munera mittit,vt amorẽ eius in se prouocet. Creauit nos,vt naturæ ductu eum amaremus,sicuti filius naturaliter amat patrẽ. Si quis nobis medicus aut chirurgus vnum os fractũ restituat,maximè si gratuito id facit,in perpetuum ei nos deuinctos profitemur. Ecce Deus totũ quod sumus,nobis dedit,quum nihil essemus. Deinde ad similitudinẽ suam nos creauit,vt amicitiæ ratione eum amaremus. Morum enim similitudo amorem conciliat. Quãdo omnia Deus creauit,antequam hominem conderet,omne genus naturæ singulis quibusque creaturis disperfit. Vitam vegetatiuã plantis,arboribus,mineralibus dedit. Vitam animalem sensitiuã pecoribus,auibus,piscibus largitus est. Spiritualẽ Angelis impartiuit. Homini ergo quid supereſt?quid daturus es Domine? Dabo (inquit Dominus) ei libertatem,vt quicquid ei placuerit,faciat. *Deus enim ab initio cõstituit hominem,& reliquit illum in manu consilij sui. Apposuit illi aquam & ignem: ad quodcũque voluerit,porrigit manum suam.* Si terrenis tantum se dare vult,& illis solis sustentari vt arbor,erit arbori similis,ad nihil vtilis,nisi ad ignem. Si sensuum delectationem sequi vult,erit tanquam brutum,*comparatus*

D *iumentis insipientibus.* Si rerum spiritualium contemplationi vacat,eleuabitur ad dignitatem Angelicam,& erit *Angelis Dei æqualis.* Ideo ex parte libertatis fecit nos Deus ad imaginẽ suam,vt ea rectè vtentes,perueniamus ad similitudinem & fruitionem eius. Deinde non nostra tantũ, sed & omnis alia creatura clamat ad nos,vt amemus Deum:quia omnia propter nos facta sunt, & in vsum nostrum. Nostris enim primis parentibus dictum est: *Replete terram,& subijcite eam, & dominamini pisc ibus maris,& volatilibus cæli,& vniuersis animantibus quæ mouentur super vniuersam terrã.* Post hæc omnia,clamat perpetua Dei gubernatio,conseruatio,prouidentia;clamãt singula Dei in vnumquemque beneficia;clamat fortissimè Redemptio per Christum facta;clamat ipsa Dei immensa bonitas,& infinita Maiestas,amore infinito digna(si enim homines quos nunquam vidimus,& à quibus nullum beneficium vel accepimus,vel expectamus,amamus tamẽ, & videre cupimus propter nominis celebritatem quam ex aliqua virtute adepti sunt;quàm infinitè magis Deum,in quo omnis virtus,sapientia,fortitudo, velut in abysso & fonte exuberantissimo, cuius minimę guttulæ sunt, quicquid in homine cernimus, etiam propter se solum amandus à nobis esset!) clamant innumeræ vtilitates amantibus Deum propositæ, clamat explicabile beatitudinis præmium, eisdem certissimè repositum, Deum nobis esse super om-

Typus. *Prou.23.*
Simile.
Prou.8. *Exod.20.*
Simile.
Psal.15.
Psal.72. *Oseæ 2.* *Deut.4.*
De diuinis nomin. c.4 par.1.
Contra Adimantum c.11.
Lucę 12.
Dei munera vt eum diligamus.
Simile. 1.
Simile. 2.
Eccli.15.
Psal. 48. *Lucæ 20.* 3.
Gen.3. 4.
Amoris Dei incitamenta.
Simile.

nia diligendum. Accedit ad hæc omnia præcepti obligatio, ſalutis neceſſitas, ipſa denique naturæ humanæ propenſio & inclinatio. Præcipit Deus, & ideo præcipit, quia *Dominus Deus noſter eſt, fortis & zelotes*, vt eum *toto corde, tota anima, tota virtute*, id eſt, integrè, dulciter, & fortiter diligamus. Cogit ſalutis neceſſitas, quia *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: qui autem diligit me, ſeruat ſermonem meum.* Vrget naturæ inclinatio, quia non ſic rapido & violento curſu flumina terræ vniuerſa in mare currunt, nec vllis repagulis, ne eò fluant, cohiberi poſſunt, quàm animus humanus beatitudinem deſiderat; cuius appetitus, quum finis rationem habeat, & naturalis eſt, & neceſſarius, & fortiſſimus. Quale tamen hoc monſtrum eſt, vt inter tot & tanta quæ ad Dei amorem nos prouocant, inſtigant, impellunt, quæuis tamen nænia, quælibet voluptatula hunc curſum impediat, & nos à Deo auertat? Maximè quum præter hæc omnia ignis de cælo hodierna die in corda noſtra delapſus eſt, & *miſit Deus in corda noſtra Spiritum Filij ſui, in quo clamamus Abba Pater*, id eſt, in quo & per quem facti filij Dei, affectum filialem induimus, clamantes Abba Pater; Pater mi, Pater mi, quid me vis facere? Dicit Apoſtolus, nos *ſignatos eſſe Spiritu promiſſionis ſancto*, id eſt, accepiſſe, vt ſignaculum quoddam cordis noſtri, Spiritum ſanctum repromiſſum. Et ſponſus in Canticis ſponſæ dicit: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, id eſt, ſim ego cordis tui ſigillum. Quod alicuius ſigillo ſignatur, oſtenditur res eſſe illius propria, cuius eſt ſigillum. Si ergo præter & vltra omnia illa amoris noſtri erga Deum incitamenta, iam etiã Dei Spiritus *effuſus in nos abundè*, videlicet *per charitatem diffuſam in cordibus noſtris*, ſigillauit corda noſtra; profecto illi ſoli appropriati iam ſumus, illum ſolum amare debemus, illi ſoli cor noſtrum dare oportet. Hoc hodierna nos ſolemnitas docet. Ideo quod Chriſtus de dilectionis vi & efficacia Apoſtolos in vltima ante paſſionem concione docuit, hoc hodie legendum proponit Eccleſia.

Exod.20. Matt.19. Ioan.14. *Galat.4.* *Epheſ.1. Cant.8.* *Simile.* *Tit.2. Rom.4.*

Ad Dei amorem illa quæ enumerauimus omnia, multaque alia quæ non attigimus (nec attingere poſſumus, quia neſcimus) vehementer quidem incitant. Sed vt nulla nobis relinqueretur excuſatio, diuini Spiritus ardor corda fidelium præterea ad hunc Dei amorem hodie datus accendit. Opera & vaſa fictilia, quamuis ſingulari artificio elaborata, fabrefactaque ſint, adhuc ad ſuæ perfectionis complementum in fornacem vt mittantur opus eſt, vt ibi decocta ſplendorem firmitatemque accipiant. Ex aliis antedictis documentis ad Dei amorem animis noſtris concipiendum ſatis edocti & formati fuimus. Sed nunc accepto Spiritu ſancto nouum ſplendorem, robur nouum accepimus, vt ſimus vaſa in honorem, cultui diuino conſecrata, & obſequio mancipata. Figuræ quæ ſunt in feneſtra vitrea depictæ, & colores earum, ſi ſol non irradiat, lituræ potius & maculæ videntur, quàm effigies aliqua bene formata. Sic omnia diuini amoris documenta, à quocumque argumẽto ſumpta, nullam diuini amoris effigiem viuam animo repræſentant, ſed obſcura videntur, & ſurda narratio, niſi diuini Spiritus ſplendor & lux gratiæ animum irradiet, nouaque luce perfundat, atque calore accendat, & documenta illa, & figuras pulcherrimas clarè videat & intelligat: eiſque intellectis, ad Deum amandum incitetur. Atque hæc de Deo diligendo.

Spiritus S. cur datus. Simile. *Simile.*

Nunc huius dilectionis efficaciã vide. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Si vnuſquiſque noſtrum interrogetur an diligat Deum, confidenter reſpondebit ſe diligere. Sed *probatio dilectionis, eſt exhibitio operis.* Hinc D. Ioannes: *Hæc eſt Charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: & mãdata eius grauia non ſunt*, nempe habenti charitatẽ, ſine qua omnia ſunt difficillima. Apoſtoli, ante acceptum Spiritum S. ad omnia trepidabant. Vna ancillula Petrũ, qui fortiſſimus videbatur, ita perterruit, vt Chriſtũ abnegaret & abiuraret. Ad tormẽta bellica, prius quã ignis applicetur, etiã pueri intrepidè accedunt, & plauſtra hinc inde rotant & vertunt vt volunt: at vero quãdo ignis apponitur, etiam viri fortiſſimi retrocedunt, alij fugiunt, nullus accedere audet. Hominem ſine charitatis igne, vtcumque aliarum virtutum præſidiis ornatũ, minima quæque tentatio deiicit, & loco mouet: diligentem Deum nihil perturbat. Moyſe holocauſtum primũ in deſerto ſuper altare tabernaculi offerente, ignis è cælo deſcendit, qui holocauſtum conſumpſit. Hunc ignẽ in poſterum Hebræi ſemper conſeruarunt & fouerunt, vſque ad Babylonicæ captiuitatis tempus; qui ad tempus extinctus, miraculo reuixit, vt in libris Machabæorum narratur. Sine hoc igne nullum Deo ſacrificium fiebat. Hic ignis tam diu in veteri populo aſſeruatus eſt, quàm diu lex ipſa viguit. Eodem nunc modo ignis diuinæ charitatis hodie cælo dilapſus, corda primorũ credentium accendit & inflammauit, & illorum perpetuo miniſterio omnibus credentibus in lauacro regenerationis impartitur, ac per manus impoſitionem vberius confertur, qui omnia noſtra opera bona, omnia ſacrificia ſpiritualia ſurſum aſcendere, facilia & iucunda eſſe, Deoq; acceptiſsima facit. Hinc illa vox in Pſalmis: *Locutum eſt os meum in tribulatione mea: Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boues cũ hircis*, hoc eſt: In omni difficultate virtutis, & tentatione graui, offeram tibi cor amore plenum & affectuoſum, ideoque quoduis bonum opus exequar. Oſſa arida & abſque medullis, aut vitioſa nux, vile & ridiculum munus facerent. Opera ſine charitate, vitioſæ nuces & oſſa arida ſunt, in quibus magna eſt difficultas, & nulla vtilitas. Finge ſtrenuum adoleſcentem ac nobilem, illuſtris puellæ amore captum: nihil eſt quod iubenti puellæ recuſabit. Simultates cum aliquo hoſtiles exercet. Roget puella vt aduerſario ignoſcat, & cum eo in gratiam redeat, ſi eius amore potiri velit: confeſtim obtemperabit. Nec iubenti tantum parebit, ſed præterea quicquid illi

Dilectionis efficacia. 1.Ioan.5. *Simile.* *Typus.* *2.Mach.1.* *Pſal.61.* *Similia.*

gratum

A gratum fore intelliget, hoc iniussus exequetur. Certamina ludicra instituet: vestem, quam illa volet, induet: cantilenis nocturnis aures demulcebit: nulli vel labori vel sumptui parcet. Et vbi amor Dei est, nonne eosdem effectus producet? Sanè multo maiores. De hoc enim amore dictum est: *Valida vt mors dilectio*, quæ verba alibi explicuimus. Certè amor Dei tam efficax est, vt effectus potiùs quã affectus dici debeat. Plus enim facit quàm afficit. Ratio est, quia omnis alius amor nõ nisi humanus affectus est, & ex naturæ viribus profectus: at Dei amor, in pectore Christiano ab ipso Deo insitus est, diuini Spiritus donum est, ignis cælestis est, vnde multo efficaciùs operatur. Hinc S. Dauid: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, id est, cum gaudio & iucunditate animi, in Dei obsequium omnes suas cogitationes & actiones conuerterunt. Arca fœderis, quam Leuitæ super humeros portabant, ingentis erat ponderis, tũ propter ligna Setim, & cælaturam auri solidi extrinsecus & intrinsecus; tum etiam propter alia illi adiuncta, ad eius vel ornamentum vel munimentum, vt in libro Numerorum apparet. Sed non absque miraculo cum facilitate ingenti, quoties castra mouerentur, illã Leuitæ portabant. Typus erat eius quod Christus dixit: *Iugum meum suaue est, & onus leue*. Vt autem fiat leue, sola facit dilectio. Stellæ cæli, quæ semper fulgidæ sunt, primo diluculo sanguineæ interdum apparent, propter vapores interiectos. Omnia iustitiæ opera, ieiunium, eleemosyna, ignoscere inimicis, stellæ sunt perfulgidæ; sed animo vel terrena vel seipsum nimis amanti videntur sanguinea, aspera, ingrata, difficilia. Sicut equorum bigæ maximum onus etiam currendo ferũt, propter rotas quibus onus imB ponitur; sic ardua virtutis opera propter charitatis rotam facilia fiunt. Quum à Moyse in terrã Chanaan exploratores mitterentur, Iosue quidem & Caleph facilem suis fratribus Chananæorum victoriam promiserunt. Erant enim Dei amantes & obsequentes filij. Dicebant ergo: *Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alij verò qui fuerant cum eis, dixerunt: Nequaquam ad hunc populum possumus ascendere, quia fortior nobis est.* Hoc est discrimen inter diligentes Deum, & non diligentes. Quare Deus postea diuersam de vtroque sententiam tulit. *Nullus eorum qui detraxit mihi, intuebitur terram. Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me* (spiritu amoris & obedientiæ) *inducam in terram hanc quam circuiuit, & semen eius possidebit eam.* Diligentes Christum, seruabunt sermonem eius, & eos introducet in regnum cœleste. De hac dilectio nis efficacia dixit Esaias: *Qui sperant in Domino*, (sine amore sperat ab alio bonũ nemo) *mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Quem locum alibi tractauimus. Si fortè ianua dum aperitur, & clauditur, strepitum facit & stridorẽ, cardines eius oleo inunge, & cessabit stridor. Si executio mandatorum Dei difficilis tibi videtur, nec sine stridore & murmure id aggredi potes, oleo charitatis intellectum tuum ac voluntatẽ, qui operationum tuarum cardines sunt, inunge; & cessabit difficultas. Appositè D. Basilius: *Qui amore carnali ardet, parietes & domos audacter ascendit, & contra ipsos districtos gladios fertur insanus, ac*
C *nisi solito cultu incedens perfrui amore posset, omisso illo sordidum assumit; denique vt voluptate potiatur, humi serpere non recusaret. Sic qui Deum veraciter diligit, parietes carnalis propinquitatis, & parentum, aut quos habet domos, transilire, &, si ferat occasio, ad martyrũ gladios currere, ac nisi consueto habita viuens amore æterno frui posset, ignobiliorem assumere, pluriméque mundi improperia tolerare optabit, vt Deo fruatur.* Hæc ille. Sicut orbes cælestes & sidera duplicem habent motum; vnum raptum & diurnum, eumq; velocissimum ex vi primi mobilis; alterum proprium, eúmque tardissimum: sic animi motus in homine duplices sunt; vnus est naturæ proprius, qui non nisi tardissimè in bonum fertur; alter ex vi supernæ gratiæ, qui rapidissimè ad virtutẽ trahit. qui enim dixit, *Trahe nos post te*; statim subiecit: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Nam vt aqua igni admota, non solùm caloreẽ, sed & motum atque agilitatem igni naturalem participat; sic anima diuini Spiritus igne attacta, & charitate inflammata, nõ solùm incalescit amore virtutis, sed & actuosa est ad opus virtutis capessendum. quare quod Dauid dixit; *Lex Domini immaculata, conuertens animas*; hoc de charitate Dei exponit D. Bernard. *Charitas* (inquit) *conuertit animas, quia facit voluntarias; & est immaculata, quia nihil sibi de suo retinere consueuit*: sed, vt ait Apostolus, *omnia suffert, omnia sustinet.* Sic bonum fructum affert in patientia.

Cant. 8. *Amor Dei effectus magis quàm affectus.* *Psalm. 13.* *Typus.* *Num. 4.* *Matth. 11.* *Simile.* *Exemplũ* *Num. 13.* *Num. 14.* *Esaiæ 40.* *Simile.* *Inl. de vera Virgin.* *Simile.* *Simile.* *Cant. 1.* *Simile.* *Psalm. 59.* *Epist. 11.* *1. Cor. 13.*

1. *Et Pater meus diliget eum.*

D LOcus moralis de amicitia Dei, quæ ex mandatorum obseruatione comparatur. Dicit enim Christus fore, vt qui eum diligit, eiúsque sermonem seruat, à Deo Patre diligatur. Immensum hoc est, & maximũ beneficium. Quis enim rem tantam vel sperare ausus esset, nedum petere? Dauid tantũ orat; *Ne auertas faciem tuam à me, nec declines in ira à seruo tuo*; nõ ausus maiora petere. Multum enim est, Deum habere misericordem. Latro in cruce nihil aliud petijt, nisi vt Dominus eius memor esset. *Domine* (inquit) *memento mei.* Multum enim est, esse in memoria Dei. Sed maius est diligi à Deo. Pro magna laude & felicitate Abrahæ commemorat Iacobus, quod *Amicus Dei appellatus est*, vt apud Esaiam Prophetam legitur. Moyses quoque, quo nemo magis pro Dei obsequio laborauit, hanc singularem prærogatiuam habuisse legitur, quòd *locutus est ei Deus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, quibus verbis nihil aliud significatur, quàm quòd Moysi cum Deo singularis quædam interceſſerat familiaritas, & amicitia.

Amicitia Dei. *Psalm. 26.* *Lucæ 23.* *Iacobi 2.* *Esaiæ 41. 8.* *Exodi 33.*

Rom. 5. At nunc, postquam *abundantiam gratiæ,& donationis,& iustitiæ accipientes, in vita regnamus per vnum Iesum Christum,* factum est, vt omnes in Christo renati, quotquot eum diligimus, eiúsque sermones seruamus, simus amici Dei, dilecti à Deo Patre. Sic Paulus fideles vocat: *Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei.* Et hoc sensu Corinthijs scribit: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius Iesu Christi Domini nostri*: id est, in amoris & dilectionis illius societatem & communionem, qua Filium suum dilexit; qua *gratificauit nos in dilecto Filio suo*, id est gratos nos, & amicos sibi fecit Deus Pater, propter dilectum Filium suum, eo quòd nos diligimus Filium suum, & sermonem illius seruamus. Hic est ille eximius amor, hæc noua per Christum cum Deo amicitia, nouæ gratiæ necessitudo intima quam in hoc Euangelio Christus omnibus veris Christianis promisit, dicens: *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hæc omnia firmæ amicitiæ, arctæque necessitudinis tesseræ sunt, & notæ certissimæ. Quid autem Dei amicitia beatius? De humana amicitia cum magno applausu dictum est: Qui amicitiam ex hominibus tollit, solem è mundo tollere videtur. Atqui vt innumera sunt & commoda, & solatia, & adiumenta, & ornamenta, quæ ex huius solis præsentia, splendore, calore, non homines tantùm, sed & omnes aliæ creaturæ, tam animatæ, quàm inanimatæ, capiunt: ita innumera sunt animæ humanæ bona, solatia, emolumẽta, quæ ex hac Dei amicitia accipit. Apostolus dicit: *Qui adhæret Domino, vnus cum eo spiritus est.* Quæ arctior coniunctio, quæ coniunctior necessitudo cogitari potest? Amicorum hæc maxima coniunctio est, vt sit inter eos anima vna, & cor vnum. Atqui ita se Deus amantibus eum communicat, vt vnus cum illis spiritus fiat, vnum cor, vna voluntas. Hoc est quod Christus Patrem in terris orauit, *& exauditus est pro sua reuerentia. Non pro eis* (Apostolis præsentibus) *rogo tantum, sed & pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me* (hoc est, pro omnibus Catholicis, qui per verbum Ecclesiæ, & successorum Apostolorum, credunt in Christum) *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Vnum certè, non natura, sed voluntate; non substantiæ æqualitate, sed amicitię similitudine; nõ ex æterna generatione, sed ex temporali dilectione; denique non cum Deo, sed in Deo. Hæc est amicitia iustorum cum Deo. *At si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quòd si in humanis *amico fideli nulla cõparatio,* amicitiæ Dei quæ potest esse æstimatio? Vide Christi, quum in terris esset, humanã quandam amicitiam, & ex ea coniice diuinam. Dicit D. Ioan. *Diligebat Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* Quare Lazaro decumbente, mittunt ad Christum sorores eius, & dicunt: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Postea quoque Christo moram faciente, & Lazaro iam defuncto, dicit Apostolis suis Christus: *Lazarus amicus noster dormit.* Denique ad monumentum defuncti Lazari accedens, *lachrymatur Iesus.* Quo viso, dicunt qui astabant Iudæi: *Ecce quomodo amabat eum.* Hæc omnia certa erant amicitiæ cuiusdam inter Christum & Lazarum signa. At Christus hũc amicum vide quomodo amauerit. Crescente Lazari miseria, creuit Christi amicitia. Audita eius infirmitate, dicit eis qui nuntium attulerant: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Laborant multum iusti, laborat Ecclesia: sed Deus, qui amat eam, pro sua prouidentia infirmari eam patitur, non ad mortem aut interitum, sed ad Dei maiorem gloriam. Intellecta ex sua sapientia Lazari morte, statim in Iudæam proficiscitur, contradicentibus Apostolis, & dicentibus *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* & de mortuo dicit: *Amicus noster dormit.* Amicum vocat, non quia amat, sed quia amatur. Multos peccatores, sed per Christi gratiam conuertendos, amicos Deus vocat: non quia Deum amant, quum sint in peccatis suis mortui; nec quatenus in peccato iam sunt, quod odit Deus; sed quatenus eorum futura conuersio nõ minus Deo præsens est, quam status peccati ex nostra cognitione præsens; & quia à Deo ex futura conuersione amantur. Sic dixit Christus: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.* Oues suas vocat, non qui sic erant, sed qui sic futuri erant. Postea ad tumulum venit Christus, fœtet quatriduanus Lazarus. Nunc quidem erat tempus, vt Christi amicitia cessaret, si humano more mutabilis esset. Sed lapidem tolli iubet, & Lazarum foras prodire facit. Talis est erga nos Dei amicitia. Nec infirmos, nec mortuos, nec quatriduanos deserit, sed in quouis peccati statu ad gratiam & pœnitentiam peccatores vocat. Quòd si erga peccatores tam propitius Deus est, non quia sunt, sed quia erunt per conuersionem amici Dei; quanto magis erga iustos liberalis & munificus erit, qui iam per dilectionem Christi, & obseruationem mandatorum eius, amici eius facti sunt! *Diliget eos*, id est, multa noua dilectionis signa & argumenta ostendet. Qualia hæc sunt: Eorum orationes exaudire. *Quicquid petieritis in nomine meo, fiet vobis.* In omni tribulatione eos consolari. *Cũm ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* In omni tentatione eos liberare. *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed dabit cũ tentatione prouentum.* In omni necessitate eis subuenire. *Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Ex omni occasione eorum fructum quærere. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omni consolatione & gaudio eorum corda replere. *Deus spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo; vt abundetis in spe & virtute Spiritus* S. Multa sapientia eorum mentes illuminare. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia.* Magna virtute & potentia super malignos spiritus illustrare. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Vnde paganis insultans Tertullianus ait: *Subiecta est Christianis diuinitas vestra, & à quolibet iussus Christiano dæmon se dæmonem profitebitur.* Propter hęc & alia dilectionis, amicitiæ, & familiaritatis cuiusdam intimæ iustorum in hac vita cum Deo argumenta, sic in statu gratiæ Deus, Sanctorum

A

B

C

D

Rom. 1. 1. Cor. 1. — *Romæ dilectis Dei.* / *Omnibus qui sunt*

Ephes. 1. — *eius Iesu Christi Domini nostri*

Ioan. 14. — *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Cic. in Offic. — *Amicitiæ diuinæ beneficia.*

1. Cor. 6. Hebr. 5. Ioan. 17. — *adhæret Domino, vnus cum eo spiritus est.*

Rom. 4. Eccli 6. — *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Exemplũ. Ioan. 11. — *Diligebat Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.* / *Ecce, quem amas, infirmatur.* / *Lazarus amicus noster dormit.* / *Ecce quomodo amabat eum.* / *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* / *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* / *Amicus noster dormit.*

Ioan. 10. — *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.*

Amicitiæ Dei fructus. 1. Ioan. 15. 2. Psalm. 90. 3. 1. Cor. 11. 4. Psalm. 36. 5. Rom. 8. 6. Rom. 15. 7. Ephes. 1. 8. Ioan. 14. — *Quicquid petieritis in nomine meo, fiet vobis.* / *Cũm ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* / *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed dabit cũ tentatione prouentum.* / *Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* / *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* / *Deus spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo; vt abundetis in spe & virtute Spiritus* / *secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia.* / *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*

In Apologet. cap. 23. — *Subiecta est Christianis diuinitas vestra, & à quolibet iussus Christiano dæmon se dæmonem profitebitur.*

A ctorum Deus vocatur, sicut in Lege veteri, Deus Abraham, Isaac, & Iacob, qui amici Dei erant, vocabatur. Sub Leone primo Imperatore, Iudæus quidam archisynagogus, cum duobus filijs, tanquam seditiosus captus, & equuleo impositus, clamat: *O Deus sancti Sergij, adiuua me.* Quia autem hæ voces fictè videbãtur & hypocriticè prolatę, ad ignem tanquam blasphemus damnatur. In ignem coniectum, duo quasi albi equites eum illæsum custodierunt, donec à populo extraheretur. Is statim baptizatus, Sergij nomen accepit, & Ecclesiam suis sumptibus ædificauit in honorem SS. Martyrum Sergij & Bacchi. Mercator quidam Ægyptius, necdũ Christianus, in periculo naufragij exclamauit; *Deus Martini eripe nos*; vt in vita S. Martini narrat Seuerus Sulpitius. Tres ciues falsò seditionis accusati, & in extremum discrimen capitis adducti, liberati fuerunt, clamãtes: *Deus Nicolai libera innocentes, sperantes in te*: & quidem ita, vt iudex, repentino terrore perculsus, temerarij sui iudicij veniam peteret. Cuidam puero pastori ouium quærenti quum canes non haberet, si lupus ei ouem auferret, quid faceret, loco responsum est, vt nomine magistri sui Patris Nortberti (erat vir ille ordinis Præmonstratensium Pater ac fundator, maxima sanctitate conspicuus) præciperet, ne auderet eam deuorare, vel lædere. Id quum postea puer seriò faceret & post ouem, quam lupus rapuerat, inclamaret, vt nomine magistri sui eam deponeret, lupus ouem illæsam deposuit, illéque in caulam reportauit. In Prato spirituali varia exempla videre licet, quomodo feræ sæuissimæ sanctis Eremitis non secus obedientes & morigeræ fuerint, quàm primo parenti in statu innocentiæ, quum amicus Dei esset,
B extiterunt. Sic Deus amicos suos in hac vita diligit, & diligendo honorat. Diogenes sic ratiocinabatur: Omnia Deorum sunt. Dijs autem amici sapientes sunt. Amicorum omnia communia. Omnia ergo sapientum sunt. Æschines pauper auditor Socratis, cæteris discipulis munera ei offerentibus, Nihil (inquit) dignum te quod dare tibi possum, inuenio. Itaque do tibi, quod vnum habeo, meipsum, & rogo vt boni consulas. Cui Socrates: Quid ni tu magnum munus dederis, nisi fortè paruo te æstimes? habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam quàm accepi. Quanto magis, qui Deo se totos per dilectionem dant, ab eo meliores fiunt, & beatiores.

Deus Sanctorum. *Niceph. l. 15. cap. 23.* *Exempla* *Dial. 2.* *Simeõ Metaphr. in vita S. Nicolai.* *In vita S. Nortberti c. 37. to. 3. Surij.* *Laert. l. 6.* *Sen. de benef. l. 1. c. 7*

3. *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

LOcus moralis de dilectionis diuinæ firmitate & stabilitate. Deus enim quos diligit, & cũ quibus amicitiam semel contraxit, ita perfectè diligit, vt, quantum ex ipso est, dilectionis vinculum nunquam abrumpat. Idcirco Christus non contentus dixisse, *Pater meus diliget eum*; adiecit. *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, id est, in eo habitaculum nostrum, & sedem fixam ponemus. Sic alibi: *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo, &*
C *cœnabo cum illo*: id est, cum eo manebo, & pernoctabo, & quiescam. Sic alia Scriptura: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, &c.* Dei Spiritus haud dubiè, siue ad nos veniat, siue non veniat, semper requiescit, nec vllo motu perturbatur. Sed requiescere in corde pio dicitur, quia & libenter illic est, & stabiliter ibi permanet. Sic Christus iterum discipulis suis: *Manete in me, & ego in vobis*, id est; Nisi me priùs deseratis, ego vos non deseram. Hoc sensu charitas Dei vocatur ab Apostolo *vinculum perfectionis*, id est, vinculum perfectissimum; quia *charitas nunquã excidit*: & ex parte Dei insolubile vinculũ est; quia *sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Quoties Dei amicitia deperditur, vitio nostro fit, iuxta illud: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.* Ille ergo verè Deum diligit, & Dei mandata verè seruat, in cuius pectore Deus inhabitat, non in eo, qui ad tempus amat, & in tempore tentationis ab amore recedit. Vnde B. Gregorius: *In quorundam corda venit Deus, & mansionem nõ facit, quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum, quòd compuncti fuerant, obliuiscuntur.* Et paulò pòst: *Ille verè Deum amat, cuius mentem dilectio praua ex consensu non superat. Nam tanto quisque à superno amore depellitur, quanto inferiùs delectatur.* Quemadmodum enim vapor, quanto magis à terra extollitur per virtutem solis, tanto magis ab ipso sole clarificatur: sic iustorum animæ, quanto plus affectus suos à terra subleuant, tanto magis à diuino splendore illustrantur. Promittit ergo hoc loco Christus, vt qui eum diligit, eiusque sermonem
D seruat, ad perfectam cum Deo coniunctionem, ad perfectam charitatem, veniente ad eum, & permanente cælesti gratia, perducatur. Charitas enim Dei in nobis suos habet gradus, suáque incrementa. Nam in quibus nata est per Sacramentum regenerationis, nutritur per bona opera; vt nutrita roboretur, roborata perficiatur. Quemadmodum homo suas habet ætates, suáque incrementa, vt primum paruulus sit, ab alio prorsus dependens; deinde adolescens, seipsum vel ad bonum, vel ad malum inclinet; mox vir sui iuris factus, ac demum ad alios regendos aptus existat: sic in Dei amore se res habet. Primùm Deus nos prior diligit, & à peccato emancipat; deinde ad sui amorem nos excitat; mox excitati, bonorum operum fructus facimus, fratres diligimus, Dei mandata seruamus: ac demum, veniente ad nos ac manente diuino Spiritu, etiam animam pro Christo ponere, si res ferat, parati sumus. Hæc est perfecta charitas. Sic manet in nobis Dei Spiritus. Augetur quippe charitas, & manet Deus in nobis, ex ipso vsu & exercitio charitatis. Sicut enim calor à corporibus nostris procedens, vestes quibus induimur calefacit,

Dilectionis diuinæ firmitas. *Apoc. 3.* *Esaiæ 66.* *Ioan. 15.* *Colos. 3.* *1. Cor. 13.* *Rom. 10.* *Esaiæ 60.* *Hom. 30. sup. Euãg.* *Simile.* *Aug. tract. 5. in epist. Ioan.* *Manere Deum in nobis, quid* *Simile.*

& ipsæ vicissim vestes calefactæ calorem corporis naturalem tuentur & conseruant: sic omnino opera charitatis à Dei Spiritu nos diligente, & ad nos veniente, excitata, ipsam illam charitatẽ nobis infusam tuentur & augent, & vt in nobis Deus firmiter maneat, efficiunt. Nam vt in artibus humanis frequens & feruens exercitatio artis, peritum facit, &, vt dici solet, magister vsus rerum est; sic charitatis à Deo infusæ habitus actibus frequentibus & vehementibus augetur atque intenditur, non quidem effectiuè, vt in habitibus acquisitis; sed profectò meritoriè; iuxta illud Augustini: *Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pedissequa non præuia voluntate.*

Simile.

Epist. 106.

A

4. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

De pace Christi. Dom. 3. Quadrag. text. 3.

LOcus moralis de varia pace quam Christus nobis reliquit, meruit, dedit; de pace cum Deo, cum conscientia, cum proximo. Quæ singula in alijs Dominicis iam iterum atq; iterum tractauimus; maximè Dominica in Albis, super illa verba, *Pax vobis*. Vbi etiam, in quibus alijs Dominicis hæ singulæ materiæ tractatæ fuerint, Lector inueniet. Hic tamen, loco proprio, quædam addemus. Pax Christi quum sit quædam animi ordinata concordia, cum Deo, cum proximo, cum seipso; tantum bonum est, vt eã Christus sua pretiosa morte specialiter procurauerit, *faciens pacem* (ait Apostolus) & *vtraque vnum*, vt ideo statim post resurrectionem eam Apostolis suis dederit, dicens, *Pax vobis*: vt in ipso exordio Incarnationis suæ Angeli gaudenter hanc hominibus pronunciauerint, cantantes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Vbi illud, *&*, significat, quia. Dicunt enim ideo Deum glorificandum, quia iam pacem bonæ voluntatis dabit hominibus, vt præclarè Gregorius Nyssenus hunc locum exponit. Nempe tanta res hæc pax est, tantum homini bonum, tam singulare & excellens Dei donum, vt in eo præ cæteris Deus glorietur. Nam quemadmodum Rex plurium regnorum, melioris regni Rex dicitur, vt Hispaniæ Rex, tacito Neapolitano, Siciliæ, Lusitaniæ regno; sic Deus tanti pacem æstimat, vt *Deus pacis* ab Apostolo passim appelletur. Et apud Esaiam dicit: *Ego Dominus faciens pacem*. Pacis quippe nomine, quasi omnia bona continentur: iuxta illa verba Iacob ad filiũ Ioseph: *Ito & vide, an fratres & pecora sint in pace*, id est, an omnia bene se habeant. Ad quod notanda est frequens illa apud Paulum conuersio: *Deus pacis & pax Dei*. Aliquando enim dicit: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum* (id est, cuius bonum quantum sit, comprehendi vix potest) *custodiat corda vestra*. Aliquando aliter: *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum*. Hæc conuersio docet, quòd vbi pax est, ibi Deus est: & vbi Deus est, ibi pax est. Romani iuxta Capitolium suum extruxerunt templum Pacis, omnium tota vrbe vastissimum, vt eius adhuc hodie ruinæ loquuntur: quia indicabant, beneficio pacis stare Rempub. bonum pacis esse omnium laborum ac bellorum finem: in pace denique omnia bona contineri. In arca Noë erant vniuersa animalia: sed quum natura essent fera, crudelia, indomita; quàm diu in arca erant, mitia, mansueta, & pacifica fuere. Quàm diu in Ecclesiæ arca, & in domo Dei manere volumus, pacem colere, & vnanimes in domo esse debemus. Dicit Propheta: *Inquire pacem, & persequere eam*. Ne expectes vt in domũ tuam veniat. Multis precibus eam à Deo petere, magno studio eam adipisci, & adeptam retinere debes. Venator quum leporem persequitur, non satis habet quòd canis currat: currit & ipse, ac vociferatur fortiter, quousque tandem assequatur. Quanto pax lepore pretiosior, tanto nos & per bona opera currere, & per assiduas preces ad Deum vociferari debemus, non contenti prædicatorum hortatibus, qui, veluti canes bene vocales, hanc pacem nobis denunciant, & docendo inueniunt atque designant. *Iustitia & pax osculatæ sunt*, ait Propheta. Duæ sorores coniunctissimæ sunt. Vna sine altera non habetur. Sed prior est iustitia bonorum operum, quasi soror senior; postea pax cum Deo, cum cõscientia, cum proximo. Apostolus idcirco semper præmittit gratiam paci, non pacem gratię. *Gratia vobis & pax*, in omnibus ferè epistolis. Non autem vnquam dicit, Pax vobis & gratia. Prius enim cessare peccata, & incipere iustitia debet, quã hac pace in Christo frui valeamus. Tota doctrina Christi ad hãc pericopen reducitur, & in hoc epilogo terminatur. *Hæc* (inquit) *locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis*. Sic fleuit super Ierusalem conuerti nolentem, & dolet super omnes peccatores ab hac pace alienos, dicens: O *si cognouisses & tu, & quidem in hac die visitationis tuæ, quæ ad pacem tibi*. Tempus visitationis nostræ est vita præsens, in qua ad pacem inuitamur.

Text. 2.

Pax Christi.

Ephes. 2.

Lucæ 1.

In ser. de Nat. Dom.

Simile.

1. Cor. 14.

2. Cor. 13.

1. Thess. 5.

2. Thess. 3.

Esaiæ 45.

Philip. 4.

2. Cor. 13.

Allegoria.

Psalm. 33.

Simile.

Psalm. 84.

Iustitia pacem præcedit.

Ioan. 16.

Lucæ 19.

B

C

D

3. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

LOcus moralis de falsa mundi pace, quem in Dominica 3. Quadragesi. text. 3. & in Domin. 3. post Pascha, text. 2. explicatum vide.

6. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.*

Animi fortitudo & fiducia.

LOcus moralis de animi fortitudine, fiducia, patientia in quibusuis rebus aduersis firmiter retinenda. Quem locum, vel potiùs quæ loca, in varijs iam Euangelijs tractauimus. In

Dominica

A Dominica 4. post Pascha, ad illa verba: *Tristitia impleuit cor vestrum*, quæ tota explicatio huc referri potest, vt ad locum magis proprium. In Dom. 2. post Aduentum, text. 9. In Dom. 4. post Epiphaniam, text. 1. & 4. In Dom. 4. Quadragesimæ, text. 2. & adhuc alijs in locis: vt nihil hic addere opus sit. Illud vnum addi potest, de huius fortitudinis & fiduciæ medio, quod Christus hoc eodem sermone expressit, dicens: *Creditis in Deum, & in me credite*, id est, in Deum fiduciam habete, & in me; *vt non turbetur cor vestrum*, quod illis verbis præmiserat. Sic apud Esaiam: *Iuxta est qui iustificat me: quis contradicet mihi? Stemus simul. Quis est aduersarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus est, quis condemnat me?* Sic Paulus: *Si Deus nobiscum; quis contra nos?* Sic Dauid: *Dominus protector meus; à quo trepidabo?* Sic Iob: *Pone me iuxta te; & cuiusuis manus pugnet cõtra me.* Sic in hoc Euangelio subiunxit his verbis Christus: *Audistis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos*, id est, non abero à vobis vnquam. Et rursum paulò pòst: *In mũdo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* Et quomodo hæc tenet consequẽtia: Christus vicit, ergo nos debemus bono animo esse? Respondet Augustinus: *Non vicisset ille mundum, si eius membra vinceret mundus. In illo igitur pacem habentes, ipsum refugium habent, vt per eius adiutorium vincant.* Quemadmodum cibaria amarulenta & acria, dulce admiscendo, grata palato fiunt; & quemadmodũ quũ colore nimis pellucido oculi perstringuntur, ad viridia se deflectendo reficiuntur, & recreantur: sic in omnibus aduersis ad Deum mentis oculos conuertendo, maximum inde solatium capimus.

B Nam sicut qui sole iiluminatur facibus accensis non eget; sic quem Dei amor & fiducia totum tenet humanis solatijs non indigebit. *Sancta Melania, calente adhuc mariti corpusculo* (ait S. Hieronymus) *& necdum humato; duos simul perdidit filios. Lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis; & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arripuit. Expeditius* (inquit) *tibi seruitura sum Domine, quia tanto ueret vir meus, nulli labori parcere volui: sed eo nunc ex Dei voluntate sublato, nec minimum capitis capillum dederim, vt mihi viuus reddatur.*

Dom. Pasc. text. 4. Dom. in Alb. tex. 1 Ioan. 14. Esaiæ 50. Rom. 5. Psalm. 26. Iob 17. Ioan. 16. Tract. 103 in Ioan. Similia. Ad Paulã de obitu Blesillæ. Invitaeius apud Sur. tom. 6.

7. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.*

LOcus moralis de assidua diaboli circa mortem cuiusque vexatione. Quia breui futurum erat vt Christus morti traderetur, docet diabolum suas tunc partes acturum, & quidem more solito in postremo agone versantem, omnia eius dicta & facta discussurũ, vt aliquid inueniat vnde accuset, transitúmque animæ ad Deum impediat. Sed dicit hic Christus, *In me nõ habet quicquam*, videlicet, quod vel minimè reprehendat. Nihilominus tamen in ipso egressu ani-

C mæ à corpore clamauit Christus; *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* vt nos doceret idẽ studiosè facere, propter acerrimos tunc diaboli insultus, & insidias molestissimas. De quo etiã Dauid in persona Christi dixit: *Erue à framea, Deus, animam meam, & de manu canis vnicam meã: salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Nempe hæc omnium etiam sanctissimorum virorum præcipua cura fuit, vt post egressum animæ è corpore, eius ad Deum transitus à dæmone nõ impediretur. Qua de re sic Origenes: *Mihi si concederet Deus, vt proprio sanguine diluerer, morte pro Christo suscepta, securus ex isto seculo discederem: vt veniens ad animam meam de hac vita exeuntem princeps huius mũdi non inueniret quicquam, & sanguinis mei profusione sopiretur, nec auderet in aliquo criminari animam meam cruore suo dilutam.* Hæc ille. S. Anselmus, vir doctissimus, de ea re sic scribit: *Anima cum de corpore exit, mox inimici eius, maligni spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum sicut canes leporem persecuti sunt, crudeliter adsunt, parati eam quasi prædam rapere, & in mortem æternam præcipitare.* S. Antonius (vt in eius vita indubitatus auctor scribit Athanasius) hanc visionem habuit. Eleuatis in cælum oculis, vidit quendam longum atque terribilem, caput vsque ad nubes attollentem. Vidit etiam pennatos quosdam volare cupientes ad cælum, atque illum extensis manibus prohibere transitum: è quibus alios apprehensos elidebat in terrã, alios frustra retinere contendens, dolebat supra se ad cœlestia transuolare. Statimque ad eum vox

D facta est, dicens: Animaduerte quod vides. Tunc cœpit intelligere, animarum esse conscensum, & diabolum prohibentem, qui & sibi retineret obnoxios, & Sanctorum, quos decipere non poterat, cruciaretur volatu. S. Macrina, D. Basilij soror, virgo sanctissima, in hora mortis suæ sic orabat: *Ne impediat inuidus iter meum.* In vita S. Martini, Turonensis Episcopi, sic legimus: *Instante morte, viso humani generis hoste, Quid* (inquit) *astas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies.* Ea in voce animam Deo reddidit. D. Bernardus in grauissima ægritudine, & morti proximus, sic ad Abbatem Bonæuallis scribit: *Orate Saluatorem vt tempestiuum iam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis; vt is qui insidiatur, inuenire non possit vnde figat dẽtem, & vulnus infligat.* S. Eustratius, nobilissimus martyr, quum ad supplicium extremũ, post multa tormenta, duceretur, sic Deũorauit: *Et nunc, Domine, tegat me manus tua, & veniat super me misericordia tua. Quoniam conturbata est anima mea, & tristis est dum egreditur de hoc corpore, ne fortè mala inimici potestas ei occurrat, & eam impediat in tenebris, propter peccata quæ à me in vita facta sunt per ignorantiã. Sis mihi propitius Domine, & ne videat anima mea tenebricosum vultum malorum dæmonum, sed eam accipiant Angeli tui lucidi.* S. Eligius, Nouiomensis Episcopus sanctissimus, in extremis positus sic Deum orauit: *Aperi mihi properanti ianuam vitæ, & principes tenebrarum non occurrant mihi, nec contur-*

Morientiũ animabus insidiatur diabolus.

Ioan. 13. Psalm. 21. Hom. 7. in l. Iudicum. Invita eius apud Sur. to. 2. p. 701 Apud Sur. to. 1. p. 399. Invita eius per Gregor. Nyssenum Seu. Sulpitius in vita eius. Epist. 310. & in vita eius l. 5. c. 2 Invitacius apud Sur. to. 6. p. 891. Invita eius per S. Audoenũ l. 2. c. 33. apud Sur. tom. 6 p. 675.

bent me poteſtates aëris huius, ſed clemens dextera tua protegat me, & potentia defendat me. S. Nicolaus Tolentinas, cuius nunc feſtum Romana celebrat Eccleſia, morti proximus, ſanctiſſimæ Eucha- A
Invitacius to.5.p.175. riſtiæ viaticum petens, hanc cauſam addit: *Vt tanto viatico munitus, non deficiam in via, ad patriam*
Invitacius cap.33. to. 5.p.389. *cæleſtem profecturus; & ſi ob demerita mea improbus Belial, hoſtis meus, mihi occurrerit, poſſim fidenter dicere, Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* S. Elzearius, Comes illuſtris, ſed vir ſanctiſſimus, & qui cum vxore nobili perpetuam virginitatem coluit, in mortis articulo vide vt à dæmone horribiliter vexatus fuerit. In agone poſitus, vultum præ ſe tulit valde terribilem, & ſub conflictu exclamauit: *Magna eſt dæmonum vis, ſed eam penitus eneruarunt virtus & merita Incarnationis & Paſſionis Dominicæ,* & poſt paululum rurſum exclamat: *Planè vici.* Poſt aliquantum temporis
De obitu Bleſillę. ſpatium cum ingenti clamore dixit: *Totum me diuino iudicio committo.* His dictis reparatus eſt vul-
Invitacius apud Sur. to.1.p.753. tus eius, &c. S. Melania, nobilis & ſanctiſſima fæmina, cuius fortitudinem admirabilē S. Hieronymus laudat, morti vicina ſic Deum orat: *Præbe mihi iter ad te abſque vlla perturbatione. Ne me retineant huius aëris mali dæmones.* S. Simeon dictus Salus, quia ſub ſtulti ſpecie ſanctiſſimè vixit, iam hora mortis appropinquante, ſic vnicum quem habebat amicum, ſuæ ſanctitatis conſcium,
Invitacius to.4.p.21. Ioannem diaconum alloquitur; *Curam gere animæ tuæ, vt poſſis tranſmittere abſq; vlla tempeſtate principes tenebrarum harum. Scit enim Dominus, me magno vexari metu & ſolicitudine, donec ab eorum ſæuitia fuero liberatus.* Quid, quòd huius rei cūram etiam B. Virginem ſolicitam & anxiam tenuiſſe ſcri- B
Li.7.c.79. bit in Speculo hiſtoriali Vincentius Beluacenſis? quòd ſi ſanctiſſimæ tot ac tantæ perſonæ hunc extremum dæmonis conflictum ita exhorruerunt; quid miſeris nobis ſtatuendum erit, quorum tota vita peccatum frequens, rara pœnitentia, exilis iuſtitia eſt? Amplificare hunc locum pius concionator poterit, vt ad peccati fugam, & vitæ ſanctiùs inſtituendæ curam, auditores ſuos grauiter adhortetur.

FINIS.

PROMPTVARIVM

MORALE SVPER EVANGELIA DOMINICALIA,

TOTIVS ANNI:

AD { Instructionem Concionatorum.
Reformationem Peccatorum.
Consolationem Piorum.

Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, & optimis quibusque Auctoribus studiosè collectum.

Nouissima editio, ab Auctore aucta & recognita.

PARS ÆSTIVALIS.

Euangelium virtus Dei est, in salutem omni credenit. Rom. 1.

A

LECTORI BENEVOLO
S. P.

EMENSI, fauente & propitio Chriſto, priorẽ anni totius ſemicirculum, & vnius ſemeſtris Euangelijs Dominicalibus labore ſemeſtri, quoad mores, explicatis (Dei enim voluntas fuit, vt in hac conquirenda materia morali citò occurreret quod quærebam) eodem fauente ac propitio Numine, ob cuius amorem & obſequium hoc quicquid eſt operæ ac laboris in me ſuſcepi, alterum nũc ſemeſtrem iuxta moris & computi Eccleſiaſtici ſectionem aggredimur, tentaturi, an, eadem fælicitate negotio ſuccedente, ſub altero quoque labore ſemeſtri feſtiualem hunc Euangeliorum Dominicalium ſemeſtrem expedire poterimus. Exhauſta quidem magna ex parte ſunt, quæ olim mihi collegeram Promptuariola moralia, vt eiſdem locis moralibus denuò recurrentibus (id enim nõ rarò accidet) non tam amplam fortaſſe vbique rerum copiam & ſupellectilẽ in his ſequentibus Dominicis depromere valeam, nec ea vbertate deinceps vti, qua hactenus vſus ſum. Spem nihilominus optimam animo cõcepi meo, non minorem in ſingulis locis moralibus, etiam ijs quæ iam tractata ſunt, copiam nobis & varietatem adfore, quàm in præcedentibus. Certè, vt id fiat, ego ſtudio ac labori non parcam meo. Huius enim generis documenta, tam latè patent, & virtutis ſtudium ita apud omnes, etiam qui vera fidei luce caruerunt, eo ſemper in pretio fuit, ſuáque veluti inſita laude ita nunquam carere potuit, vt huius doctrinæ præcones & aſſertores præclariſſimos, Gentium Philoſophos, & ſcriptores Ethnicos, habeamus. Ex quibus ſanè, ſicuti hactenus frequenter fecimus, ita in ſequentibus ſubinde, & identidem, illuſtria virtutis documenta, exempla, ſimilia, apophthegmata depromemus. Non ſanè eo conſilio, vt his, quaſi emblematibus profanæ literaturæ, ſuas Cõciones Eccleſiaſtes Chriſtianus exornandas putet, quum boni Concionatoris pulcherrima emblemata eſſe debeant diuinarum Scripturarum oracula: ſed vt, quemadmodum Paulus Gentium conuerſionem Iudæis propoſuit, & multum inculcauit, *vt ad æmulationem prouocaret carnem ſuam, & ſaluos faceret aliquos ex illis*; ſic Gentilium de virtutis laude præconia & exempla Concionator in medium adferat, vt ad æmulationem ſuos auditores prouocet. Quemadmodum enim puer ad patrẽ vocatus, & venire recuſans, vbi videt alium fratrem vocatum venire, patriſq; præcepto morẽ gerere, ex æmulatione quadam accurrit & ipſe: ſic nos Chriſtiani, quum ad Deum colendum tot præceptis datis, tot beneficijs acceptis, tot exẽplis, tot & tantis propoſitis

Rom. 11.

præmijs vocati & incitati, adhuc in eius cultu torpescimus, conspecta Ethnicorum hominum virtute, religione, temperantia, patientia, diuitiarum contemptu, fortitudine, amore erga proximos, ad æmulationem profectò prouocari debemus, vt, quem illi diis falsis cultum & honorem exhibuerunt, quo illi studio & labore, humanis tantùm allecti præmijs, virtutem coluerunt, eodem saltem nos, multóque maiori, verum Deum cultu prosequamur, idem, aut maius potiùs, virtuti & pietati studium, non iam humanis, sed cælestibus & æternis donandi præmijs, impendamus. Quæ tamen nostra in prophanis illis accumulandis sententiis & exemplis diligentia, siue iam in priori Hiemali parte præstita, siue in hac sequenti præstanda, si cuiquã fortè displiceat, nec in diuini verbi è superiore loco tractatione huiusmodi locum esse debere existimet; is intelligat, nec exemplis grauissimis, nec auctoritate, ne summa ratione hoc studium carere. Notum est, Apostolum, tum ad Corinthios ex Menandro illa verba, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*; tum ad Titum ex Epimenide illud, *Cretenses malæ bestiæ, ventres pigri*; tum etiam in concione apud Athenienses illud Arati Poëtæ in suis φαινομένοις, *In quo viuimus, mouemur, & sumus*; desumpsisse. Hoc nempe est, vt docet S. Augustinus, ab Ægyptijs vasa aurea, multámque supellectilem auferre, quibus tabernaculum Domini ditetur & exornetur. In Deuteronomio præcepit Dominus, vt captiuam ancillam in vxorem ducere qui vellet, raderet ei vngues, & cæsariem tonderet, & vestem exueret, qua capta fuit. Profana sapientia, sublatis superfluis, vanis, & inutilibus, sacræ doctrinæ copulari poterit. Deus in Leuitico omne fermentatum à sacrificiis abiecit. Iubet tamen postea, vt ponerent sacrificia super panes fermentatos. Vide quòd, etsi non ad sacrificium ipsum, tamen ad ministerium sacrificij fermentatus panis assumitur. Fermentum est doctrina humana, quo sensu *à fermento Pharisæorum suos cauere* Christus iussit. Hæc non est Deo offerenda, sed tantùm seruire debet sacrificio & cultui diuino; sicut omnes aliæ artes, sacræ scientiæ ancillantur. Quare non solùm veteres scriptores in suis disputationibus contra Ethnicos, vt Origenes contra Celsum, Cyprianus contra Donatum, Cyrillus contra Iulianum, Methodius, Eusebius, & Apollinaris contra Porphyrium, Augustinus in libris de Ciuitate Dei, Clemens in Stromatibus, Tertullianus in variis opusculis contra Ethnicos, tam multa proferunt ex eorum libris, vt omnes veterum Latinorum & Græcorum historias euoluisse videantur; verùm etiam ad mores formandos, Diuus Basilius, Doctor egregiè moralis, & maximè spiritualis, libros Gentium legendos, & optima quęque ex illis, vt apes ex floribus mel solent, colligenda, accurata oratione suadet. Quidni verò ab Ethnicorum factis exẽpla proferre debeat Concionator, cum ad formicam eos qui pigri sunt Salomon, ad bouem & asinũ ingratos Iudæos Esaias, ad insulas Cethin, & in Cædar (populum idololatricum) Ieremias remittat? Christus verò, Samaritani hominis Gentilis charitate erga proximum in medium producta, quia nec Sacerdos, nec Leuita officium faciebat, conclusit: *Vade, & tu fac similiter*. Nihil ergo à boni Concionatoris officio alienum faciet, qui ad auditorum suorum tarditatem excitandam, aut etiam cæcitatem redarguendam, ab Ethnicorũ dictis ac factis documenta petet: qui id videre & prẹstare potuerunt, quod nos Christiani & videre nolumus, & præstare recusamus. Vnum illud in hac parte monendus est Concionator, quum in hac Æstiuali Parte tã-

A

B

C

D

1. Cor. 15. Tit. 1.

Act. 17.

De doctr. Christ. l. 2. cap. 4.

Deut. 21.

Leuit. 9. Leuit. 23.

Lucæ 12.

In Orat. de legend. lib. Gentilium

Prou. 6. Esaiæ 1. Ierem. 2.

Lucæ 10.

A tum 24. Dominicæ, earúmque Euangelia ponantur, accidat autem frequentibus annis, vt plures à Pentecoſte ante Aduentum Dominicæ celebrentur, vt, quod in ipſo Breuiario, ad eas quæ inſerendæ ſunt Dominicæ, faciendum ſibi obſeruauit, idem quoque in earum Dominicarum Euangelijs huic Parti Æſtiuali inſerendis intelligat. In Parte quippe Hiemali Euangelia ſex Dominicarum poſt Epiphaniam à nobis explicata inueniet, adeò vt illa pars 28. Euangelia tractet, iſta verò non niſi 24. Ex illis ergo ſex Euangelijs accipiet, quæ intet 23. & 24. Dominicam poſt Pentecoſten, iuxta Breuiarij Romani vſum & inſtitutum, inſerenda ſunt. Hæc pauca præfatus, in opere nunc ipſo (diuino ſuffragante Numine) progrediamur. Euangelium autem pro prima Dominica poſt Pentecoſten, non illud tractamus quod pro feſto ſanctæ Trinitatis in eadem Dominica legitur (illud, fauente Deo, tractaturi in altera huius Promptuarij parte, quæ erit de feſtis Chri-
B ſti, & Sanctorum) ſed Euangelium quod iuxta vſum Romanum in eadem Dominica per modum commemorationis eidem Feſto adijcitur. Quòd ſi Concionator huius Euangelij explicationem huic diei parum, vel conuenire, vel neceſſariam eſſe exiſtimet, cùm tota diei celebritas ſacratiſſimæ Trinitatis myſterio tribuatur; pulcherrima tamen huius Euangelij loca, & ad Chriſtianam pietatem inprimis neceſſaria, ſiue hoc die, ſiue alia quauis Dominica, aut Feſto, vbi eorundem locorum materia ſubiecta occurret, tractare poterit. Vtcunque eſt, ſi non ipſi Concionatori, certè cuilibet Lectori pio, & purè Chriſtiano, huius Euangelij loca, inſigniter moralia, plurimum ad pietatem conferre poterunt. Sed hoc huic vni Dominicæ peculiare ac proprium eſt; de qua re propterea plura verba facienda non ſunt. Nunc ſa-
C cratiſſima Euangelij verba, Chriſtique Redemptoris noſtri cæleſtem (quoad mores) doctrinam expendamus.

A

PROMPTVARII

MORALIS SVPER EVANGELIA DOMINICALIA,

B

PARS ÆSTIVALIS.

EVANGELIVM DOMINICÆ I. POST PENTECOSTEN.

C ESTOTE misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Luca 6.* Nolite iudicare,& non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite,& dimittemini. Date,& dabitur vobis. Mensuram bonam,& confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis,remetietur & vobis. Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem omnis erit,si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est,non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo,frater,sine eijciam festucam de oculo tuo, & ipse trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita,eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Estote misericordes,sicut & Pater vester misericors est.* De operibus misericordiæ præstandis proximo, sicut Deum erga nos misericordem esse optamus.
2. *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Contra omne
D proximi iudicium,omnemque condemnationem quę contra charitatem fit,& absque misericordia.
3. *Dimittite,& dimittemini.* De condonandis iniuriis.
4. *Date & dabitur vobis. Mensuram bonam,& confertam,& coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* De eleemosynæ amplissima à Deo retributione.
5. *Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo,& tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.* Contra iudices & reprehensores proximorum hypocriticos.

A

1. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

LOcus moralis de operibus misericordiæ præstandis proximo, sicut Deum erga nos misericordem esse optamus. Vult Christus, vt sicut in nos misericors Deus est, sic & nos in proximos simus. Quot ergo modis & rationibus Deus erga nos misericordem se & benignum præbet, tot omnino modis ac rationibus vt erga proximos benigni ac misericordes simus, Christus iubet. Deus autem erga nos misericors est expectando emendationem, recipiendo in gratiam, condonando peccata, largiendo beneficia, puniendo citra meritum, & remunerando vltra meritum: de eo enim dicitur: *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* In figura Dei dicitur: *Cum adhuc longè esset* (filius prodigus) *vidit eum pater eius, & accurrens cecidit super collum eius.* In parabola Dei dicitur: *Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque.* Denique de Deo dicitur: *Escam dedit timentibus se misericors & miserator Dominus.* Idem & à nobis erga proximum faciendum. Expectanda proximi conuersio, de qua infra dicitur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Ignoscendum & parcendum proximo, de quo infra dicitur: *Dimittite, & dimittemini*, denique & liberalitas erga proximum exercenda, de qua infra dicitur: *Date, & dabitur vobis.* Hæc tria misericordiæ genera in hoc Euangelio proponuntur & præcipiuntur, vt in illis Dei erga nos misericordiam imitemur, & imitando consequamur. Ac de illis tribus figillatim postea dicetur. Nunc de ipsa imitationis necessitate, conuenientia, & vtilitate, aliquid in genere dicendum.

Sap. 11. *Luc. 11.* *Luc. 7.* *Psal. 110.* B *Loci partitio.*

Quod ad primum attinet, Naturæ principium est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Ex hoc principio fluxit quod Christus in hoc Euangelio dicit: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur & vobis.* Patere legem quam ipse tuleris. Nihil hac iustitia iustius. Malum consilium consultori pessimum. *Incidit in foueam quam fecit. Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam. Noluit benedictionem, & elongabitur ab ea.* Sic Samuel pingui Agag Amalecitarum Regi: *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis inter mulieres erit mater tua. Per quæ quis peccat, per eadem punitur.* Pugnantibus contra Chananæos filiis Israel, fugit Adonibesech Rex eorum: quem persequuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum eius ac pedum, dixitque Adonibesech: Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Innumera sunt huius C mensuræ & iustitiæ diuinæ exempla obseruatione dignissima, vt erga proximos misericordes esse, & crudelitatem fugere discamus. Herodiades illa saltatrix, quę ab impio Herode caput Ioannis Baptistæ amputari petiit, & amputatum accepit, postea fluuium quendam glacie constrictum pedes transiens, glacie rupta, demergitur capite tenus, quod glacie statim à reliquo corpore resectum, talem ei vitæ finem dedit, qualem crudelis in alio expetiuerat. Dauid moriens, Salomoni filio hoc mandatum dedit: *Nosti quid fecit Ioab, qui effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in baltheo suo. Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Quare postea occiditur apprehendens cornu altaris, ad quod fugerat: *& reddidit Dominus sanguinem eius super caput eius*, id est, crudelitatem crudelitate compensauit. Huius mensuræ & iustitiæ diuinæ duo exẽpla, admiratione plena, in Prato spirituali leguntur. Latro quidam puerulo occiso, & pœnitentia ductus, monasticam vitam assumpsit, & nouem annis in ea maximam pœnitentiã agens perstitit. Quum autem & in somnis, & in Ecclesia, ad Synaxim se conferens, & in refectorio, puerulus ille semper ei appareret, dicens, *Quare me occidisti?* nec vel vna hora sinens eũ quiescere, sumptis vestibus secularibus, cum Abbatis venia exiit, dicens se ire vt pro puerulo, quem ex sola crudelitate occiderat, morte plectatur. Cum ergo sic indutus pergeret Diospolim, tentus est, & sequenti die decollatus. Pemenes senex solitarius, post multorum annorum pœnitentiam, prædixit se à bestiis deuorandum, eo quod in sæculo quum esset, & oues pasceret, transeuntem peregrinum à canibus discerpi & comedi in conspectu suo passus est, quum tamen liberare D eum potuisset. Quod & ita factum est. Nam post aliquot annos à bestiis, vt dixerat, & ipse discerptus est. Alter ergo quia crudelis, alter quia non misericors, qua mensura mensus fuerat, eandem à Deo mensuram accepit etsi interueniente pœnitentia: vt temporali iustitiæ satisfieret, & exemplum misericordiæ exercendæ daretur. Sed in hoc genere illustre admodum est, quod & plurimis exemplis obseruari potest, crudelitatis & immisericordiæ authores, eiusdem pœnas primos tulisse. Eutropius, Archadij Imperatoris cubicularius author legis fuit, ne quis ad Ecclesiã confugeret alicuius criminis conuictus, sed vt vel inde etiã extraheretur. Breui post, cũ Imperator ipsemet, id offendisset ad Ecclesiã supplex confugit; sed inde extractus, capitale tulit supplicium, iniquæ legis æquam ferens pœnam. Ludouico vndecimo Francorum Regi Episcopus quidam Verdunensis author & inuentor fuit carceres quosdam & cancellos ferreos, aspectu terribiles, horrore & tenebris plenos, clausuris autem munitissimos construendi; sed ipse primus in eos coniectus fuit, & quatuordecim illic annis iacuit. Thrasylus, qui Busiridi tyranno persuasit ad pluuiam de cælo impetrandam, hospite immolato placandos esse deos, immolatur statim & sacrificatur ipse, quia hospes erat. Perillus, qui taurum æneum fabricauit, in quo, subiecto igne, qui poneretur, vocem boũnam ederet, vt Phalaridi Siculo tyrãno

Iacobi 2. *Psal. 108.* *Exempla.* 1. *1. Reg. 15.* *Sap. 11.* 2. *Iudic. 1.* 3. *Niceph. li. 1. c. 20. hist. Eccl.* 4. *3. Reg. 2.* 5. *Cap. 166.* 6. *Cap. 167.* 7. *Niceph. li. 13. ca. 4.* 8. *Philippus Comines histor. suæ ca. 136.* 9. *Claudianus, & Ouidius de trist. li. 5. & in Ibin.* 10.

crudelissimo

A bouinam ederet, vt Phalaridi Siculo tyranno crudeliſſimo gratificaretur, eodem iubente & cogente tyranno, primus ipſe omnium (vt canit Claudianus)

Senſit opus, docuitque ſuum mugire iuuencum.

Pericles Dux Athenienſium legem ſcripſit, vt nemo ad gubernandam Rempub. accedere permitteretur, niſi qui vtroque parente ciue natus eſſet. Tetigit autem ipſum legis vltio. Nam duo filij quos habuit, Patroclus & Xantippus, mortem obierunt. Superſtites autem Pericli fuere nothi, quibus poteſtas adminiſtrandi Rempub. per legem patris erat erepta. Noſtra memoria Thomas Cromvvellus Henrico octauo Angliæ Regi, cui à Conſiliis erat, author fuit vt legem ferret, qua caueretur ne quiſquam læſæ Maieſtatis ſuſpectus aut delatus, ad colloquium Regis admitteretur, niſi cauſa prius in Senatu Regis cognita. At ipſe paulo poſt omnium primus huius legis rigorem ſenſit, & omni illi ad Regem, cui chariſſimus erat, aditu interdicto, capitalem ſententiam accepit & ſubiit. Sic ſolet Dei altiſſima prouidentia hanc inclementiam punire, & in ea punienda hanc menſuram ſeruare, vt, qua menſi fuerint, eadem remetiatur & illis. Quæ omnia nos docent quàm ſit neceſſarium vt ſimus erga nos mutuo miſericordes, ſicut Pater noſter Deus erga nos miſericors eſt. 11. *Aelian. de var. hi. li. 6*

B Sed nunc vide quàm ſit hoc etiam congruens atque conueniens. Decet filios patri aſſimilari. Aliter inſtituitur filius Regis, aliter filius paſtoris. Ille formatur vt mores paternæ dignitati conuenientes induat: hic non inſtituitur niſi ad pecora paſcenda. Si Deum patrem vocamus, & filij eius eſſe volumus, mores diuinæ Maieſtati conuenientes, vt filij nobiliter inſtituti, induere oportet. At nihil diuinæ Maieſtati conuenientius quàm bonitas, clementia, miſericordia, manſuetudo. *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*, orat Eccleſia. *Miſericordia Domini plena eſt terra*, ait Dauid: quia, vt in hoc ſermone Chriſti habetur, benignus eſt ſuper ingratos & malos, *& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos*. Imo vt Dauid alio in loco cecinit, *Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes*. Sanè vt conuenit creaturæ, egenam eſſe & pauperem, ideoque accipere, non dare; ſic conuenit Creatori diuitem & benignum eſſe, ideoque dare, non accipere, ſicut etiam *bonorum noſtrorum non indiget*. Nihil ergo magis proprium Deo quàm benefacere & miſereri. In viſione illa magnifica qua Moyſes vidit gloriam Domini tranſire, potiſſimum quod in illa gloria vidit, erat miſericordia Dei: vnde exclamauit videns illam gloriam, *Dominator Domine Deus, miſericors & patiens & multæ miſerationis*. In hac ergo miſericordia Deum Patrem referre debemus, quia in hac potiſſimum paternos mores, eiuſque Maieſtati conuenientes, vt filij bene inſtituti, referrimus. Præterea vt filius patrem referat, vel patri ſimilis dicatur, nec manibus, nec pedibus, ſed facie, quæ certior pars hominis eſt, ſimilis patri eſſe debet, hoc enim reſpectu alter alteri ſimilis eſſe dicitur, quod autem in Deo magis altum magiſque conſpicuum eſt, & vnde magis innoteſcat, ſicut facies in homine, ſola miſericordia eſt. *Miſericordia enim eius ſuper omnia opera eius*: &, *Miſericordia eius ſuperexaltat iudicium*. In hoc ergo Deo ſimiles eſſe debemus, ſi ſimilitudinem eius affectamus. Quare non iubet nos Chriſtus eſſe potentes, eſſe ſapientes, eſſe miraculorum operatores, ſicut Deus Pater noſter eſt: ſed tantum, *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt*. Diabolus voluit in potentia Deo aſſimilari, cum dixit: *Aſcendam in cælum, & ſimilis ero Altiſſimo*. Diabolus hominem decepit affectata ſapientia Dei. *Eritis*, inquit, *ſicut dij ſcientes bonum & malum*. Simon Magus voluit in operatione miraculorum ſimilis eſſe Apoſtolis. Obtulit illis pecuniam, dicens: *Date mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque manus impoſuero, accipiat Spiritum ſanctum*. Videlicet in ſigno viſibili quod miraculum erat. At Chriſtus in ſola miſericordia, bonitate, clementia, vult nos Patri noſtro ſimiles eſſe. Sic & ſeipſum nobis imitandum proponit. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Non dicit* (vt hæc verba exponens ait Auguſtinus) *diſcite à me mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, non in ipſo mundo mirabilia facere, ſed quoniam mitis ſum*, &c. Non ergo in magnis iſtis & mirabilibus ſuper nos, ſed in miſericordia, manſuetudine, humilitate, Deo Patri ſi- *Simile.* *In ſola bonitate Deo ſimiles eſſe debemus.* *Eſaiæ 14.* *Gen. 3.* *Act. 10.* *Matt. 11.* *De verb. Domini Ser. 10.*

D miles nos eſſe conuenit, vt eum in facie repræſentemus, non in brachio potentiæ, non in cerebro ſapientiæ, non in digito Dei aut dextera Excelſi. Magna ergo huius præcepti neceſsitas, magna conuenientia.

Vide nunc quanta ſit eius vtilitas. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Qui ergo erga proximum miſericordes ſunt, ad Dei in ſe miſericordiam ius habent. *Eſto miſericors pupillis vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altiſsimi obediens, & miſerebitur tui magis quàm mater*. Rurſum alia Scriptura: *Anima quæ benefacit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur*. Age ergo, vis vt Dominus rationem vitæ tuæ exigat in iuſtitia, an in miſericordia? Noſti vocem ſancti Prophetæ: *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*. Si ſic Sanctus, quanto magis tu, peccatorum ſarcina oppreſſus, iudicij rigorem formidabis? Sis ergo miſericos, vt miſericordiam inuenias. Nobiliſsima animalia hunc affectum habent. Leo parcit ſemper ſubiectis. Elephas ſi errantem in deſertis locis viatorem inuenit, quaſi compatiens ei, in viam publicam reducit. Hæc de miſericordia erga proximos in genere: nunc ad ipſas ſpecies in hoc Euangelio poſitas. *Vtilitas præcepti de imitatione.* *Matt. 5.* *Eccli. 4.* *Prou. 11.* *Pſal. 142.* *Simile.* *Plinius natur. hiſt. lib. 8.*

A

2. *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.*

LOcus moralis contra omne proximi iudicium, omnemque condemnationem quæ contra charitatem fit, & absque misericordia. Huiusmodi autem iudicium est triplex; temerariũ, vsurpatum, & hypocriticum. De hypocritico iudicio infra Christus multa dicit. Quare de illo seorsim dicendi locus erit. Nunc de temerario, & vsurpato. Neq; enim excludit hoc loco Christus vel iudicium discretionis, quod in manifesto proximi malo, & vbi signa peccati sunt euidentia, exercetur; vt iudicare esse hominem blasphemum quem audio blasphemare, actu dico blasphemum, non habitu & consuetudine: (illa enim temerarij iudicij pars magna est, quum ex vno actu peccati, hominem simpliciter talem esse iudicamus, vt ex vno actu ebrietatis, ebriosũ) vel iudicium legitimæ auctoritatis, quod secũdum formam iuris vel diuini vel humani instituitur. Neutrum horum iudicium excludit Christus, quantum ex seipsis est. Nam hæc ipsa si cum odio proximi, cum libidine reprehendendi, cum fastu exercentur (vt ille Diogenes qui culci-

Apophth. tram Platonis, in qua sedens docebat, pedibus calcando dixit, *Calco fastum Platonis, sed*, vt Plato B mox ei respondit, *cum alio fastu*,) ad hanc Christi prohibitionem pertinent, & misericordię charitatique erga proximos maximè contraria sunt. Sed extra legitimam auctoritatem, & manifestam veritatem delicti, omne nostrum de proximis nostris iudicium, omnis proximi condẽnatio, est actus & temerarius & vsurpatus, ideoque contra charitatem & misericordiam. Temerarium iudicium est, quod ex leui coniectura leuibusque signis colligitur. Hoc appellat Scriptura, iudicare secundum faciem. *Nolite* (ait Christus) *secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate.* Secundum faciem iudicat qui factum solum externum per se cõsiderat, absque suis circumstantiis, quæ facti speciem mutare possunt; absque intentione facientis, quæ honestissima esse potest quando in facto erratur; absque fine propter quem factum fuit, qui in facto malo si bonus sit, saltem attenuat peccatum; denique absque facti ipsius causa & origine, vt vel praua

Iudicium temerariũ. *Ioan.7.* *Iudicare secundum faciẽ, quid.*

Ioan.7. societate, vel vehementi tentatione, vel fortè vi illata; postremo non habita temporis, loci, personæ consideratione, quæ omnia factum apparenter improbũ vel excusare, vel certè plurimum alleuiare poterunt. Secundum faciem quoque iudicat, qui quod in vno probat, in altero improbat, vt Phatisæi, qui circumcisionem Mosaicam in sabbato factam probabant, Christum in Sabbato sanantem totum hominem improbabant. Erat enim circumcisio quædam hominis

Leuit.13. *Typus.* sanatio. Totum hoc iudicium temerarium est, & à pessima malitiæ radice profectum. Præcipiebat Deus in Leuitico vt septem diebus leprosus clauderetur. Non permisit sacerdotem C facilè de lepra iudicare, sed suspendi voluit iudicium septem diebus. Multo minus vult nos, qui authoritate probandi lepras, id est, iudicandi peccata aliorum, caremus, de aliorum interna malitia, quæ non ita videri potest sicut corporis lepra, statim & temerè ad iudicandum pro-

Tit.1. *1.Cor.13.* silire. Dici solet: Mala mens, malus animus. Et Apostolus ait: *Omnia munda mundis*, (quod aliis verbis alibi dixerat; *Charitas nil mali cogitat*) *coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia.* Ideo mali cum sint, omnes sibi similes esse iudicant. Ne-

Eccli.10. *Iudith.13.* ro impurissimus neminem à libidine purum iudicabat. Vnde Scriptura: *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, cæteros putat insanire.* Vagao cubicularius Holophernis, cum ipse carnalis es-

Similia. set, putabat Holophernem cum Iudith in longum mane libidinari. Quemadmodum cucur-

1. bitulæ, quod in carne deterrimum est, ad se trahunt; sic improborum animi deterrima quæque cogitando & suspicando ad se trahunt. Animus quippe omni malorum genere scatens, horrens ac metuens quæ sunt intus, exsilit foras, vagaturque circa aliena, vt lamia quædam

2. domi cæca (oculis in vasculo repositis) foris oculata. Sicut porci non nisi in luto & fimo fo-

3. diunt, sic malus animus & sordidus non nisi mala & sordida cogitat. Qui impetigine laborat,

4. perpetuum affrictum desiderat. Sic quouis prauo desiderio affectus idem alteri affricare cupit; vt vel aliorum malis, quasi sibi similibus, se oblectet, vel sua mala ex aliorum aut comparatione

5. iustificet, aut communione & societate alleuiet. Sicut algent viscera, cum naturalis calor ad externa corporis diffunditur; sic circa alienos defectus notandos ideo soliciti & feruidi

6. sumus, quia nostra negligimus. Sicut quibus domi nullum est negotium, in foro obambu- D

Plutarch. in Polit. lant: ita qui in exploranda vita sua negligentes sunt, in aliena iudicanda curiosi sunt. Inter-

In Prato spiri. c.134 rogatus senex quidam monachus à fratre quodam quid causę esset, cur assiduè iudicaret fratres, respondit: *Quia necdum teipsum cognouisti. Nam qui seipsum nouit, fratrum vitia non ad-*

Apophth. *spicit.* Appositè S. Augustinus: *Non iudicat personaliter, qui diligit æqualiter.* Ideo enim secundum

Tract.30. *in Ioan.* personas, non secundum rem iudicamus, quia personarum acceptores sumus, quia persona quam iudicamus, nobis displicet. Vt autem scias ex iudicio ne, an certa ratione, an ex affectu & corrupta passione fratrem iudices, transfer in alterum quem diligis, vel in te ipsum, factum id quod iudicas atque condemnas. Si enim adhuc tibi displicet factum, ratio iudicauit; si amplius non displicet, prauus affectus te decepit. Vbi charitas & misericordia habitant, ibi frater non iudicatur. Lex fidelium mercatorum est, vt socij sint non minus in damno

Simile. quàm in lucro. Hoc fit in tota fidelium societate. Sicut enim charitas aliena bona facit sua,

iuxta

A iuxta illud, *Particeps ego sum omnium timentium te*; atque ita multum lucratur: sic misericordia aliena mala facit sua, fratribus compatiendo, iuxta illud: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* De hac lege & societate Apostolus: *Sicut socij estis passionum, ita & consolationum.* At totam hanc societatem dissoluit temerarium proximi iudicium ex maleuolentia ortum. Nam & rectè facta bona quàm mala, à seipso longissimè remouet, & fœdus societatis abrumpit. Nihil huiusmodi hominibus in Christiana societate molestius. Nam vt venti illi omnium sunt molestissimi qui pallia nobis reuellunt; & vt ciuitates portas quasdam habent nefastas, per quas non nisi purgamenta eijciunt; sic qui temere fratres iudicant, secretissima violenter expandunt, optima quæque famæ ornamenta abripiunt, & omnes quas inueniunt sordes efferunt. B. Franciscus cum pauperculo quodam sibi obuiam facto, nuditatem eius dolens identidem ingemisceret (iuxta societatis Christianæ legem, quam modo diximus, de qua etiam Apostolus ait, *Alter alterius onera portate* (compassionis affectu) *& sic adimplebitis legem Christi*) & frater quocum vnà iter agebat, dixisset: Pater etsi rebus ille pauper est, fortasse rerum concupiscentia diues est: continuo ipsum tunicam suam exuere, & pauperem operire iussit: vt quem lingua lęserat, ei beneficio satisfaceret. Idem sanctissimus Pater audiens semel fratrem quendam denigrare famam alterius, conuersus ad vicarium suum; Surge surge, inquit, discute diligenter: & si accusatum fratrē innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilē. Subiiciam hic pauB cis quædam remedia contra hunc temerarij iudicij morbum peruersum. Vt in aliorum delictis æquiorem te præbeas, considera pios ac sanctos esse posse qui à te viro etiam bono & iusto diuersi sunt, ac diuersam vitæ rationem instituunt, diuersos mores habent, iuxta diuersa vnius & eiusdem sancti Spiritus charismata, vt latè Apostolus describit. Sanè si idem semper omnes velle, idem facere, eadem negotia tractare deberent, in vnum forum vel omnes eodem momento concurrere, vel neminem eo ire oportebat: quod & in aliis vitæ negotiis accideret. Deindè si defectum in fratre vides, cogita sub illo defectu multas latere virtutes, aliaque opera bona, iuxta illud Ciceronis in Senatu Rom. responsum. Declamanti enim Memmio cuidam contra M. Catonem quod tota nocte se ingurgitaret, respondit Cicero: *Cur non addis, quod tota die aleas ludit?* Cato enim quum totos dies Reipub. negotiis impendisset, de nocte se paulo libeC ralius recreauit. Memineris quoque defectus proprios, & quod grauioribus fortè peccatis ipse obnoxius es. Vide in māticæ quod in tergo est; de quo mox ex Christi verbis in hoc Euangelio plura dicemus. Hoc est enim trabem ex oculo tuo tollere, vt festucam in fratris oculo melius videas. Rursum & id cogita, quod qui nunc grauiter tibi lapsus videtur, subito per Dei gratiam in alium virum immutatus est, aut breui immutabitur, iuxta illud: *Facile est in oculis Domini subito honestare pauperem.* Ruben qui paulò antè libidine carnali cæteris fratribus fuit peior, videns tamen fratrum suorum in Ioseph conspirationem vnanimem, solus eum *ex fratrum manibus eripere nitebatur*; ideoque eum in cisterna non reperiens, clamabat: *Puer non comparet, & ego quo ibo?* Quod si actionem ipsam excusare non potes, sequere consilium D. Bernardi: *Excusa intentionem si opus non potes.* Aut si hoc non placet, ex ignorantia eum offendisse existima, ideoque misericordia dignum, iuxta illud Pauli: *Misericordiam inueni quia ignorans feci.* Si nec hoc modo excusare fratrem potes, tibi persuade à grauissima aliqua tentatione victum illum fuisse, quæ si te aggressa fuisset, non secus oppressisset, & victas manus dare coëgisset. Hanc considerationem te docet Apostolus, dicens: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris.* Huius rei præclarum exemplum vide in alia Dominica ex Cassiano. Postremo vide ne *in quo alium iudicas, teipsum condemnes.* Iudicas alium grauiter peccasse absque legitima auctoritate, absque manifesta veritate, & sic ipsemet grauiter peccasti. *Charitas enim non æmulatur, non agit perperam: non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Qui ergo contraria charitati facis, qui non compateris peccato fratris, sed æmularis, & ad reprehendendum ac iudicandum cito prorumpis; qui agis D perperam, qui cogitas malum, qui gaudes super iniquitate fratris, iudicando, condemnando, propalando, ventilando illud, alium iudicans, teipsum condemnas.

Atque hæc de iudicio temerario, de quo vide plura in alia Dominica: nunc de vsurpato dicendum. Qui iudicat fratrem absque legitima auctoritate & manifesta veritate, vsurpat temerè & arroganter quod ad eum non pertinet. Sic Apostolus: *Tu quid iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.* Et paulo post: *Tu quid iudicas fratrem tuum? aut quare spernis fratrem tuum?* nēpe non iudex eius es, sed frater; ad Deum, non ad te pertinet eius iudiciū. Ideo sequitur: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Vnusquisque nostrum pro se reddet rationem Deo:* (non pro proximo, nisi proximi curam ex auctoritate data acceperimus) *Non ergo amplius inuicē iudicemur, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*, id est: tua potius vestigia considera, ne offendas ipse, alterique scandalum præbeas. Hoc enim qui facit, & diuinum iudicium expectat, in quo suorum operum omnium atque verborum rationem reddet; profecto satis habebit domi quod agat suæ. Satis eum hæc cura detinebit, vt in aliorum vitia non inquirat. Maxima est hodie copia medicorum. Omnes volunt aliorum infirmitates curare, nemo suas. Omnes volunt in corpore Ecclesiæ oculi esse, nemo manus. Oculi in corpore naturali quum cætera omnia videant, seipsos non vident. Tales oculi esse volunt qui ad eum locum non vocati, hoc sibi

Psal. 118. *Rom.* 12. 2. *Cor.* 1. *Simile.* *Exempla. M. Marulus li.* 5. *S. Bonau. in vita eius, ca.* 8. *Iudicij temerarij remedia.* 1. *Stella de contemptu mundi, par.* 3. *c.* 24 *Rom.* 12. *&* 1. *Cor.* 12 2. *Plutarch. in Catone. Apophth.* 3. 4. *Eccli.* 11. *Exemplum Gen.* 7. 5. *Serm.* 46. *Super Cāt.* 6. 1. *Tim.* 1. 7. *Galat.* 6. 8. *Rom.* 2. 1. *Cor.* 13. *Dom.* 3. *Quadrag. tex.* 2. *Iudicium vsurpatum Rom.* 4. *Simile.*

officium vsurpant. Sed manus esse, manum bono operi admouere pauci volunt. Sic alienos labores celeriter carpunt; qui nihil ipsi laborant. Sed ad iudicium vsurpatum redeamus. De hoc iterum Paulus: *Qui iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Duas causas ponit Apostolus vsurpati iudicij. Vna est, quia præuenitur tempus, quod est generale & extremum iudicium. Et hæc ratio valet etiam contra iudicium de externis actibus fratrum nostrorum, quos vel non iudicare, vel non nisi in optimam partem interpretari oportebat. Altera ratio est, quia solius Dei est illuminare abscondita tenebrarum. Solus Deus scrutatur corda & renes. Qui ergo circa interna, circa intentionem, circa finem actus iudicat, Dei sibi partes & iudiciū vsurpat, quod est scelus horrendum. At ex fine & intentione operis, virtutis, aut vitij ratio maximè accipitur. *In disciplina Christiana* (ait Augustinus) *non tam quæritur vtrum quis irascatur, quàm quare irascatur: nec vtrum sit tristis, sed vnde sit tristis; nec vtrum timeat, sed cur timeat.* Hos ergo affectus, iræ, tristitiæ, timoris, qui in fratre iudicat vitiosos semper & improbos esse, (quod & de aliis affectibus intelligendum) de internis iudicat, Deique sibi partes vsurpat. Hoc sensu D. Iacobus scripsit: *Qui iudicat fratrem, iudicat legem.* Legis enim sibi partes vsurpat, cuius est iudicare: & secundum quam iudicia exerceri debent ab iis qui legum administratores sunt. *Si autem iudicas legem, non iam legis factor es, sed iudex.* At lex Dei nobis data est vt eam faceremus, non vt quoslibet iuxta eam iudicaremus. Vnde S. Augustinus: *Noluit Deus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum.* Hoc totum Christus dicere voluit, in illis verbis, *Nolite iudicare, nolite condemnare.*

1.Cor.4.

De ciu. Dei li.9.c.5.

Iacob.4.

Hom.50. ex 50.

Sed nunc vide quid vel mercedis vel gratiæ adiungat. Ait: *Et non iudicabimini, & non condemnabimini*, id est; Si nihil in fratres temere iudicando statueritis, si misericordiæ & charitatis leges erga fratres seruaueritis; vos quoque à Deo misericordiam inuenietis, mitius iudicium, minorem condemnationem accipietis. Quod apud Matthæum clarius apparet, vbi Christus dicit: *Nolite iudicare, vt non iudiceminī; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.* Si mensura qua alios iudicatis, est charitas, benignitas, misericordia; mensura quoque qua Deus vos iudicabit, erit etiam charitas, benignitas, misericordia. Si autem mensura vestra rigor est, asperitas, & summum ius; talis erit Dei mensura cum vos iudicat. Hoc est quod Dauid Deo dicit: *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.* Qui erga fratres mites fuerunt, illos saluabit Dominus, coronans eos in misericordia & miseratione. Hanc mensuram multis verbis alibi Dauid exprimit: *In memoriam redeat iniquitas patrū eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur, fiant contra Dominum semper* (id est coram Domino) *& dispereat de terra memoria eorum.* Quorsum enim hæc omnia, & multa quæ in Psalmo præcedunt, Propheta imprecatur? Subiungit: *Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.* In alios rigidus & immisericors fuit. Tales quippe Dominus non in multitudine miserationum suarum iudicabit, sed *in furore suo arguet, & in ira corripiet.* Vide plura loco proximè præcedenti.

Præmium non iudicandi, & non condemnandi. Matt.7.

Psal.17.

Psal.108.

Psal.37.

3. *Dimittite, & dimittemini.*

LOcus moralis de condonandis iniuriis. Hanc legem posuit Christus, non tam æquitate plenam quàm misericordia, vt si fratribus nostris dimittimus, ille nobis dimittat. Aequum sanè est vt nobis inuicem condonemus, quia fratres sumus. Sed misericordia magna Dei est, nobis propterea ignoscere, quia quod æquitas postulat, id fratribus præstamus. *Tu quidem eum habes inimicum* (ait Augustinus) *qui tecum creatus est: Deus vero eum quem creauit.* Multo igitur æquius est vt homo homini, quàm vt Deus homini parcat. Rursum tu remittis, cum ipse remissione indigeas. quis enim qui non peccet? At Deus nullius rei indigens est, & peccare non potest. Deinde tu quantacumque tandem aliis remittis, maiora habes quæ tibi Deus ignoscat. Postremo tu seruo, Deus seruo ignoscit. quare hoc argumento vtitur Paulus: *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.* Et tamen huic tam necessariæ æquitati hoc maximum præmium Deus retribuit, vt si fratribus ignoscimus, ille nobis ignoscat. Nempe vt nostra inclementia luculentius appareat, & si perimus, per nos ipsos pereamus: si peccatorum veniam non consequimur, id nostra culpa fiat, non Dei inclementia. Hoc docet illa Christi parabola de decem millibus talentis, quæ roganti veniam seruo Dominus remisit: seruus autem idem conseruo roganti, centum denarios remittere noluit. Cui propterea Dominus dixit: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui?* Hoc est ergo (vt Chrysostomus loquitur) *terribile mysterium.* Hoc pactum inter Deum & nos: quo ille quidem incredibili misericordia nos ad certam veniam vocat, nos vero medium accepimus remissionis peccatorum, & facillimum & celeberrimū & iucundissimum. Quid enim facilius quàm decem dare, vt mille accipias? quid salubrius quàm omnem animo malitiam depellere? quid iucundius quàm in perpetua pace & animorum consensu viuere? Hoc totum SS. Patres obseruarunt. Chrysostomus sic scribit: *Ad impetrandam nostris sceleribus veniam,*

De condonandis iniuriis.

1. Enarr. in Psal.54.

2.

3.

4. Ephes.4.

Matt.18.

Ser. de Encæniis.

1.

2.

3. Ho.1. in epist. ad Philem.

A niam, non opus est pecunia, non opus est in longinqua peregrinari, non pericula, non labores tolerare. Sola sufficit bonæ voluntatis integritas. Et paulo post: Quis vnquam inter homines remittens conseruo modicum, propterea à Domino suo totius debiti remissum obtinuit? At hic quotidie tibi hoc datur. Deus enim noster diues est in misericordia & miserationibus. Deinde si nihil à Deo huic intelligentiæ præmij proponeretur, at quia omnes benevolo & benefico fauent, omnes illum admirantur & laudant, etiam non iubente Deo remittere debebamus debitoribus nostris. Hæc ille. Ex quibus huius pacti & conditionis magna facilitas satis elucescit, de salubritate eius sic D. Gregorius: *Nonnunquam quia nos culpas varias cõmittimus, aliena pigrius delicta relaxamus; & quo peccare noster animus solicitius metuit, eo districtius in id quod ab alio in se delinquitur animaduertimus. Vnde fit vt eo inueniatur vnusquisque tardior ad veniam, quo proficiendo factus est cautior ad culpã. Sed quid hac doloris macula reperiri deterius potest, quæ in conspectu Iudicis charitatem nõ inquinat, sed necat? Vitã quippe animæ quælibet culpa polluit, seruatus vero contra proximũ dolor occidit. Menti namq; vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerũ occulta perforantur. Qui scilicet à transfixo corde nisi prius educatur, nihil in precib. diutnæ opis obtinetur. Nã & vulneratis mentib. imponi medicamina salutis nequeunt, nisi ferrum à vulnere antè subtrahatur. Hinc ergo Saluator dicit: Nisi remiseritis hominib. peccata eorũ, nec Pater vester qui in cælis est remittet vobis. Hinc contra institutionẽ postulationis, cõditionem posuit pietatis, dicens: Dimittite, & dimittetur vobis: vt profecto bonũ quod à Deo compuncti petimus, hoc primum cũ proximo conuersi faciamus.* Hæc huius conditionis salubritas est, de eius iucunditate sic Chrys. *Potuit sanè* B *Deus absque hac mutua & reciproca proximi tui condonatione tibi omnia peccata dimittere; vult tamen beneficium etiam per ista media conferre. Quare? mille tibi videlicet occasiones præbens mansuetudinis ac pietatis, & hoc quod in te belluinum est depellens, & iram qua flagras extinguens & vndiq; quasi tibi teipsum reconciliãs, & coniungens.* Hæc ille. Sed & hoc præcepto hoc pacto instituto, ad maximã nos fiduciam excitauit. *Nam quanta spes veniæ est* (ait Cypr.) *quum ipse Iudex non tam expectat qua ratione à supplicio liberemur, quã ipse nos viam ac modũ docet, vnde id efficiamus. Quasi diceret, sic facite, & ego parcã. Dimittite, & dimittemini.* In humanis iudiciis non licet iudici partem alterã informare, ne acceptor personarũ sit, aut parũ æquus videatur. At Deus pro sua infinita bonitate homines informat quomodo contra accusatorem diabolũ se defendat. De hac fiducia dixit D. Ioan. *Si cor nostrũ nos non reprehẽderit, fiduciã habemus ad Deũ, & quæcunq; petierimus ab eo accipiemus.* His enim verbis *admonet nos* (ait S. Aug.) *ne cor nostrum in ipsa nos oratione & petitione reprehẽdat, & ne fortè quũ cœperimus dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, cõpungamur, nõ facere quod dicimus, aut etiã non audeamus dicere quod nõ facimus, & fiduciã petendi amittamus.* Hæc ille. Qui enim orationẽ quotidianam dicit, & non dimittit, ad hunc locum quum venerit, quid faciet? Si verba recitat, mentitur: & *os quod mentitur, occidit animam.* Si non recitat, non orat, quia non sic orat vt Christus orare iussit.

Sed & illud quoq; in hac cõditione tenendũ, vt ex animo fiat remissio & proximi cõdonatio. C Sic Christus, post parabolam serui qui suo conseruo non pepercit, cõcludit: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quam rem sic Chrys. appositè explicat; Si *tantummodo non lædis eum qui te læsit, auertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Quod si ita est, nondum vtique quod Christus mandauit impletur. Nunquid tu ità vis propitium tibi fieri Deum, vt non quidem te lædat, auertat se tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit?* quod si hoc non vis, memineris quid Scriptura dicat: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Huius rei illustre exemplum proferam, vt quanta sit huius præcepti necessitas, melius intelligatur. Sapricius presbyter & Nicephorus laicus Antiochiæ maximè erant familiares & amici, orta autem inter eos simultate, iam Nicephorus ad se rediens primum per amicos ter quatérve reconciliari petit; cumque hoc non succederet, supplex ipse veniam rogat, sed frustra. Orta mox persecutione sub Valeriano Imperatore, Sapricius vt presbyter delatus (nam in solos presbyteros sæuiit tunc persecutio) fidem fortiter confitetur, tormenta varia sustinet, sententiam capitalem accipit. Hoc audito, Nicephorus ei ad supplicij locum ducto in via occurrit: prostratus ad pedes eius, veniam & charitatis oscũlum petiit. Facit hoc bis térve, adeo vt lictores pagani eum quasi stultum deriderent, qui tam anxiè veniam ab D homine statim morituro peteret. At Sapricius ne verbum quidem ei respondet, ne quidem in ipso supplicij loco & puncto. Cum ergo à carnifice iuberetur Sapricius genua flectere, vt caput ei amputaret, dicit lictoribus: Nolite me ferire, & diis sacrifico. Hoc audito, Nicephorus multis verbis & lachrymis eum rogat ne sic se in æternum perdat. Sed eo persistente, exclamat Nicephorus: Ego sum Christianus; me pro ipso ferite. Lictores ergo re tota confestim ad Præsidem delata, & ab eo potestate accepta, miserum Sapricium dimiserunt, qui fratrem non respiciens, Christum negauerat: Nicephorum vero martyrij gloria, amputato eius capite, coronarunt. Tanti momenti hoc est, *Dimittite, & dimittemini.* Quis enim dubitat, omnia Sapricij peccata semel dimissa, nunc iterum rediisse; & debitum totum semel remissum, nũc iterum exactum fuisse, quia conseruo suo dimittere noluit? Sic qui dimisit fratri, martyr fit: qui dimittere noluit, apostata fit. Charitatis defectus hoc totum erat. Sicut enim vehementior est ignis qui longè distantia calefacit, quàm qui vicina; sic maior est charitas quæ inimicos, quàm quæ amicos diligit. Vt autem ignis vehementer incensus omnia iniecta in ignem vertit; sic magna charitas tam ex iniuriis quàm ex benefactis accenditur. Cuius egregiæ charitatis exemplum proferam, sicut odij & maleuolentiæ iam prolatum est. Opposita enim iuxta se posita magis

Condonãdi iniurias vtilitas.

Moral. in Iob. li. 10. c. 18.

Condonãdi necessitas.

Simile.

Ho. 20. in Matth.

Condonãdi iucunditas

In expositione orat. Dom.

Dissimile.

1. Ioan. 3.

In lib. de perf. iustitia.

Sap. 1.

Cõdonare ex animo.

Matt. 18.

De compunct. cordis li. 1.

Eccli. 28.

Exemplum illustre.

In vita sancti Nicephori Martyris apud Surium 9. Feb. tom. 1

Simile.

Charitatis exempla.

1. eluceſcunt. In Prato ſpirituali ſic legimus: Frater quidam vicinus cellæ cuiuſdam ſenis, abſen- A
Cap.211. te aliquando ſene cellam eius ingreſſus, libros eius & vaſa diripuit. Rediens ſenex, & quod factum erat videns, pergit ad fratris cellam, ei, quod acciderat, narraturus. Inueniens autem vaſa in medio poſita (nondum enim alter ea repoſuerat) nolens eum ſenior cõfundere, alia quadam neceſſitate ſimulata, exſpectauit foris, donec omnia abſcondiſſet. Moxque veniens, de alia re ei locutus eſt. Sed & poſtea eum in carcerem coniectum eſſe audiens, petiit à quodam alio ſene eſculenta quædam, & ad fratrem illum captiuum defert, non ſciẽs quod ob furtum prædictum, in carcerem fuiſſet coniectus. Mox illi frater vbi omnia ſua adhuc in tuto eſſent renuntiat, culpamque confitetur, & veniam deprecatur. Senex vero ſanctè affirmans ſe non ea cauſa veniſſe, ſed tantum vt charitatem illi faceret, etiam eius liberationem apud Iudicem procurauit. Magna & varia fuit huius ſenis charitas; qui fratrem, quem antea dilexit, facta illi iniuria diligere
1. non ceſſauit: qui delinquenti in eum fratri facilè dimiſit, eo quod plus fratrem quàm vaſa di-
2. repta dilexit: qui opera miſericordiæ viſitando & liberando nocentem fratrem exercuit: qui
3. denique his modis ad peccati voluntariam confeſſionem fratrem perduxit, & *lucratus eſt ani-*
4. *mam fratris ſui.* Sic Alexander Patriarcha Ieroſolymitanus fugientem à ſe ac multa furatum
2. notarium ſuum, poſteáque vinctum ac captiuum, 85. numiſmatibus redemit. Vnde in ea tunc
In Prat. ſpir. c. 34. ciuitate dici ſolebat: Nihil vtilius quàm Alexandro malefacere. Sic cum ad alium ſenem Ere- B
Cap.211. mitam latrones ingreſſi eſſent, dicentes, Omnia quæ ſunt in cella tua, venimus tollere; dicit il-
3. lis: Quæcumque vobis videntur filij tollite: quod cum feciſſent, abierunt. Et cum ſolum marſupium, quod pendebat, reliquiſſent, ſenex illo accepto, poſt eos ſequebatur clamãs ac dicens: Accipite filij à me quod tollere obliti eſtis de cella noſtra. Illi ergo admirantes ſenis tolerantiam, omnia in ſuis locis in cellulam reuerſi reſtituerunt, dicentes ad inuicem: Vere hic homo Dei eſt. Huius ignoſcentiæ & miſericordiæ alia exempla in alia quadam Dominica protulimus. Hoc charitatis genus eſt *oleum miſericordiæ*, ad peccatorum noſtrorum remedia efficaciſſimum. Quẽadmodum enim athletæ in palæſtra luctaturi, nuda corpora oleo vngere ſolebant, vt antagoniſtis ſuis omnem corripiendi anſam in lubricis carnibus præriperent; ſic hoc miſeri-
Simile. cordiæ oleum, qua proximis noſtris dimittimus, ita noſtram nuditatem vngit, vt iuſtitia diuina eam ad pœnam repoſcere, atque corripere nequeat. Pactum enim iam Iudex ipſe viuorum & mortuorum hoc inſtituit, vt ſi dimittimus aliis in nos peccantibus delicta ipſorum, de cordibus noſtris; Pater quoque noſter cæleſtis nobis noſtra dimittet. Vnde & in alia Scriptura: *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi ſoluentur peccata tua.* Sic in manibus tuis ſuam miſeri-
Eccli.3. cordiam Deus poſuit.

4. *Date, & dabitur vobis. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* C

Eleemoſynæ retributio. LOcus moralis de eleemoſynæ ampliſſima à Deo retributione. Vix vlla virtus maiorem in tota Scriptura mercedem repromiſſam habet, quàm eleemoſyna. Et hoc in loco Chriſtus verbis exquiſitiſſimis huius mercedis amplitudinem exprimere voluit. Menſuram enim huius retributionis vocat *bonam*, id eſt, plenam. Bona enim menſura vocatur cui nihil deeſt, & quæ ad ſummum vaſis impletur. Vocat *confertam*, quia in quibuſdam mercimoniis, vt lineis ac laneis, vt plenior fiat menſura, compreſſa & conferta datur. Vocat *coagitatam*, quia in omni genere granorum non plena tantum, ſed pleniſſima datur menſura, quando in vaſe grana coagitantur; ſic enim magis cohærentia grana multo plura vas capiet. Vocat *ſupereffluentem*, quia in liquidis omnibus, vino, oleo, melle, pleniſſima eſt menſura, quando ita vas repletur, vt etiam ſupereffluat. Docet ergo in omni genere eleemoſynæ pleniſsimam fore retributionẽ; quæ etiam
Epheſ.3. in ſuo genere ſuperabundabit: quia & in hac vita *omnia poteſt Deus facere ſuperabundanter quàm pe-*
Rom.8. *timus*, & in altera vita ſupra condignum remunerat. *Non enim ſunt condignæ paſsiones huius ſeculi* (multo minus actiones eleemoſynariæ) *ad futuram gloriam.* Nec ſupra condignum tantum, ſed ſupra id quod deſiderari vel optari vel cogitari poteſt. Neque enim *vel oculus vidit vel auris audi-*
1.Cor.2. *uit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Rurſum *Menſura bona*, fortunæ bona denotare poteſt, quæ D
Deus eleemoſynariis largiſſimè in hac vita retribuit. *Menſura conferta*, naturæ bona, vt ingenii vires, valetudinem, & vitam longam, quæ etiam Deus eleemoſynariis retribuit. *Menſura coagitata*, gratiæ bona, vt peccatorũ remiſſionem, & dona ſpiritualia, quæ ſimiliter eleemoſynæ retribuũtur. *Menſura ſupereffluens* eſt gloriæ æternæ merces qua etiam eleemoſyna compenſatur. Singula mox ex Scripturis oſtendentur, & exemplis. Accedit ad mercedis amplitudinem, quod dicitur: *Dabunt in ſinum veſtrum.* Angeli videlicet, diuinæ liberalitatis miniſtri, vel pauperes ipſi quibus benefit: illi per modum miniſterii, iſti per modum meriti & interceſſionis, dabunt hanc totam mercedem *in ſinum veſtrum*, id eſt, ſic certiſſimè conferent, vt amitti nequeat; ſic intimè dabunt, non in tunicam, ſed in animam, vt maximè foueat, reficiat, atque oblectet. Sic enim quæ in ſinum reconduntur, & certiſsimè ſeruantur, & propriè habentur, & corpus fouent, & grata atque iucunda eſſe ſolent. Quo ſenſu dicitur; *conclude eleemoſynam in ſinu pauperis*, videlicet vt
Eccli.29. pauper eam certo poſsideat, eaque foueatur. Tam ſignificantibus verbis voluit Chriſtus eleemoſynæ

A mosynæ retributionem tum amplissimam tum certissimam exprimere. Porro vtiæ Scripturæ variam hanc eleemosynæ mercedem passim docent. Temporalem & præsentem in fortunæ bonis retributionem docet Sapiens: *De primitiis frugum tuarum da pauperibus, & replebuntur horrea tua saturitate.* Vidua Sareptana dum de sua paupertate facit Eliæ Prophetæ subcinericium panem paruulum, prius quàm sibi & filio, hanc mercedem accipit, *vt hydria farinæ non deficeret, nec lecythus olei minueretur.* Huius retributionis temporalis circa fortunæ bona, in alia Dominica illustria quædam exẽpla protulimus, quæ hoc loco magis proprio, à concionatore produci possunt. Quædam hic alia subijciã. Nobilis quidam Constantinopolitanus magnas eleemosynas faciens, & pecunias omnes distribuens, moriens Christum reliquit filio suo curatorem: & filius conditionem libens acceptauit. Non longè post diues quidam in eadem ciuitate vnicam habens filiã, & solicitus cui eam collocaret, vxori dixit, vt post orationes factas ad Ecclesiam iret, & qui primus ingrederetur, filiam suam coniugem acciperet. Ingressus est fortè primus adolescens iste alterius magni eleemosynarij filius, & magno cum parentum gaudio filiam illam in vxorem accepit. In hoc exemplo, quod pater dedit pauperibus, Deus retribuit filio; vt discant patres sic filiis suis thesaurizare, vt maiorem in cælo thesaurum per eleemosynas thesaurizent; vtque propter curam filiorũ, eleemosynas in pauperes non negligant, sed Dei prouidentiã, Christiq; promissa meliorem & certiorem filiis thesaurum putent, quàm quem in arca relinquunt, vel auarè collectum, vel auarè retentum, ideoque cum peccato relictum. Aliud adhuc exemplum accipe.

B S. Theodosius cœnobiarcha celeberrimus, cum quotannis soleret die festo Palmarum omnibus pauperibus ad monasterium confluentibus prandium dare, vno certo anno, cum magna esset frumenti caritas, qui eius nomine rem dispensabant, nec omnibus aduenientibus, nec mensam integram, sed quibusdam certam portionem distribuere clausis monasterij ianuis conabantur. Quod cum ille animaduertisset, rem indignè ferens, aperiri ianuas, & more solito cibos ac panem apponi iussit: quod cum fieret, & vniuersæ multitudini satisfactum est, & ea abeunte, arcæ panariæ plenæ panibus sicut prius ostendebantur. Hoc tum miraculo, eius tunc piam liberalitatem, & magnam in Deum fiduciam cohonestare Deus voluit. Atqui in eodem monasterio cum post eius mortem similis liberalitas atque fiducia deficeret, monachorum auaritia singulari etiam miraculo à Deo punita est. Sic enim in Prato spirituali legimus: Consuetudo fuit in monasterio S. Theodosij, vt in Cœna Domini pauperes omnes, & populi regionis illius eo confluentes, acciperent singuli medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini, mediumque sextarium mellis. Cum autem magna tritici sterilitas esset, dicunt Abbati quidam ex patribus, ne tritici portio pauperibus daretur; qui illis respondit;

C Non infringamus, filij, benedictionem patris nostri Theodosij. Fratribus autem in sua sententia persistentibus, permisit Abbas vt facerent quod vellent. qui benedictionem consuetam eo anno non dederunt. Profectus postea qui præerat horreis, aperiens ostia, reperit totum triticum germinasse, coactique sunt totum in mare proijcere. Quo viso, his verbis monachos suos Abbas redarguit: Qui patris nostri Theodosij monita irrita feciistis, labores nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus, fratresque nostros pauperes cõsolati fuissemus: nunc vero quinque ferè millia modiorũ tritici perdidimus. Hæc ibi. Docent hęc exempla, quàm sint socij inseparabiles hæc duo, *Date*, & *dabitur vobis*. Siue in monasteriis, siue in quibuscunque familiis, vbi eiectus est, *date*; noluit remanere, *dabitur vobis*. Consideret seipsum quisque, cui dandi eleemosynas facultatem Deus dedit, & post negatas pauperi eleemosynas, vel parcius concessas, animaduertat quid ei accidat: & frequenter inueniet parcitatem suam à Deo puniri, vel aliqua rei familiaris iactura, vel cessante aliquo lucro & commodo: idque vel quia non suo tempore ea distraxit, ex quibus lucrari poterat (Dei prouidentia illum excæcante, vt illud tempus non arriperet, aut non obseruaret) vel quia nouæ sumptuum inanium occasiones ei subministrantur, quas per Dei prouidentiam euitasset, si erga pauperes liberalior fuisset. Cum enim *sine Dei voluntate nec passer cadat in terram*; hominum auarorum repentina de-

D trimenta, damna non expectata, lucra imminuta, ex eadem prouidentia nasci dubitandum non est. Eadem prouidentia liberalibus & eleemosynariis abundanter retribuit. Tiberius secundus Imperator toto ferè thesauro in eleemosynis distributo, & ob hoc reprehensus, *Deus* (inquit) *non deerit fisco nostro.* Paulo post ambulans in palatio, aduertit marmoreum lapidem, humi stratũ, cui signum Crucis insculptum esset: iubet auferri, ne redemptionis nostræ signum pedibus conculcetur. Eo sublato, adhuc secundus ac tertius similiter signatus apparet. Quibus ordine sublatis, subtus inuenit ingentem thesaurum, & plus quàm mille centenarios aureorum, ex quibus largiores quàm prius eleemosynas fecit. Quare iterum eidem Imperatori maximus thesaurus Narsetis Eunuchi, & in Italia ducis militiæ sub Iustiniano Imperatore, à sene quodam, qui solus eius conscius superstes erat, patefactus fuit, Deo sic disponente, propter maximas & perpetuas eius eleemosynas. Fuit autem tanta auri & argenti vis, vt vix multis diebus euacuari thesaurus potuerit. Ita verum inuenit pius ille Imperator, quod Christus dixit: *Date, & dabitur vobis.* Est adhuc & aliud pulchrum huius rei exemplum in Prato spirituali, quod hic subijciam. Eligat ex omnibus quod volet, vel quæ volet prudens concionator, prout conuenire iudicabit. In ciuitate Nisibe, mulier quædam Christiana virum habuit gentilem. Erant autem fortunæ tenuioris, & tantum habebant quinquaginta numismata,

Eleemosynæ retributio temporalis. Prou. 3. 3. Reg. 17. *Domin. 4. Quadr. tex. 5. Exempla. In Prat. spir. c. 201.*

Cap. 85.

Matt. 10.

Exempla, Paulus Diaconus, hist. Longob. l. 3. c. 6

Dixit igitur vir vxori: Demus hæc numiſmata fœneratori, vt aliquod ſolatium ex eis capiamus. Ea enim ſigillatim conſumimus, & deficiunt. Vxor autem reſpondet viro: Si placet ea fœnerari, veni, demus illa ſub fœnore Deo Chriſtianorum. Dicit ei vir eius: Et vbi eſt Deus Chriſtianorum, vt demus ei? Ait illa: Veni mecum in ſanctam Eccleſiam, & oſtendam tibi illum. Habet autem Eccleſia illa quinque magnas ianuas. Cum ergo induxiſſet illum in Eccleſię porticum, oſtendit ei pauperes, dicens: Iſtis ſi præbueris, Deus Chriſtianorum illa accipit; iſti enim omnes ſui ſunt, ille vero & vſuras tibi perſoluet, & capitale duplum reddet. Vir ergo mox cum gaudio numiſmata cœpit erogare pauperibus. Reuerſique ſunt in domũ ſuam. Cum vero poſt menſes tres neceſſitate ſumptuum anguſtiarentur, ait vir vxori ſuæ: Soror, nihil, vt video, daturus eſt nobis Deus Chriſtianorũ ex debito illo, & nunc inopia laboramus. Reſpondens mulier, ait: Profecto dabit. Vade vbi illa dediſti, & exhibebit tibi ea cum omni alacritate. Quo audito, currit in Eccleſiam, & locum in quo numiſmata dederat diu circumſpectans, neminemque videns à quo exigeret; niſi pauperes ibi ſtantes; cogitans in ſeipſo quid faceret, aſpexit ante pedes ſuos in marmore iacere vnum numiſma ex illis quæ ipſe erogauerat, inclinanſq; ſe, & accipiẽs, domum redit, vxori narrans ſe præter illud numiſma nihil inueniſſe, nec Deum Chriſtianorum vidiſſe. Cui illa: At hoc tibi numiſma Deus Chriſtianorũ inuiſibiliter dedit. Eme igitur aliquid vt comedamus hodie, rurſuſque ipſe prouidebit nobis. Emens igitur vir panem, vinum, & piſcem, domum veniens, dat vxori: quæ piſcem exenterans, inuenit in eius ventre lapidem valde mirabilem, cuius tamen precium nec ipſa, nec vir cognoſceret. Finito prandio, vadit ad trapezitam vir, tentaturus ecquid pro eo precij accipere poſſet. Rogat igitur trapezitam an lapidem illum velit emere. Qui conſiderans lapidem, offert illi quinque numiſmata. Putans autem venditor quod illuderet ſibi, dicit ei: Et vis tantũ pro illo ſoluere? Exiſtimãs trapezita quod hoc ille per ironiã loqueretur, ait illi: Accipe decẽ numiſmata. Venditor iterũ ſe irrideri arbitrãs, tacuit. Cum vero trapezita ad viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta aſcenderet (tacente ſemper venditore) & iuramento affirmaret ſe ea daturum, cœpit ille amplius lapidem æſtimare. Paulatim vero emptor aſcendens, vſque ad trecenta numiſmata peruenit, deditque illa vendenti. Ipſe igitur dato lapide, acceptaque pecunia, venit ad vxorem ſuam gaudens, quæ, re intellecta, viro dixit: Ecce Deus Chriſtianorum qualis eſt, quàm bonus, quàm gratus, quàm diues! Ecce tibi ſex duplicata paucis diebus reſtituit. Vir igitur miraculo admonitus, verbiſque vxoris accẽſus, Chriſtianus effectus eſt. Hæc ibi. Tanta fuit huius mulieris fides: ſic illa Chriſti verbis credidit: ſic Chriſtus fidem illi ſuam perſoluit. Optimè didicerat quod Scriptura dicit: *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperi, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Alia huius rei exempla vide in Marco Marulo. Nos quæ apud eum non ſunt, annotauimus. Atque hæc quidem de temporali retributione. Nunc de retributione ac mercede eleemoſynæ ſpiritualis, etiam in hac vita, aliquid dicendum. Hanc enim multis in locis S. Scriptura atteſtatur. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.* Daniel impio Regi Nabuchodonoſor dicit: *Conſilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Dicit, *forſitan*, non propter incertum eleemoſynæ valorem, ſed propter incertam Dei ſententiam, quæ vtrum definitiua eſſet, an comminatoria, neſciebat. Chriſtus quoque in Euangelio, poſt variam Phariſæorum hypocriſim taxatam, addit: *Veruntamen quod ſuperest, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* De quo genere dixit Sapiens: *Eſt qui multa redimat modico precio.* Et D. Petrus quum dixiſſet, *Ante omnia mutuam inter vos ipſos charitatem continuam habentes*, & cauſam adieciſſet, *quia charitas operit multitudinem peccatorum*, ſubiungit de operibus charitatis, quæ intelligi voluit: *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione, vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes.* Sic & Paulus: *Charitas fraternitatis maneat in vobis. Per hanc enim quidã placuerunt Deo, Angelis hoſpitio acceptis.* Sunt autem & huius admirabilis gratiæ, quam Deus eleemoſynis conceſſit, præclara exempla. Mulier quædam, cuius filiam violauerat Zeno Imperator, clamabat ſæpe ad B. Virginem, orans cum lachrymis: Vindica me de Zenone Imperatore. Cũ ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei B. Virgo, dicens: Crede mihi mulier; vltionem tuam ſæpe facere volui: ſed manus eius prohibuit me. Erat enim valde miſericors, & eleemoſynas faciens. Moſchus mercator Tyrius, incidens in mulierem quæ ſe fornicationi expoſuerat, & ad hoſpitium ſuum eam ducens, cum illa ſuſpirante cognouiſſet, ſe neceſſitate compulſam, vt virum in carcere poſitum propter æs alienum contractum liberaret, ſeſe ita expoſuiſſe, rogans quantũ deberet maritus, ſtatim intactam illam dimittens, aurum illi dedit quo virum redimeret. Idẽ mercator non ita multo poſt calumniam perpeſſus, ab Imperatore in vincula conijcitur, bonis omnibus confiſcatis. Sed mulier prædicta precibus à Deo impetrauit, vt cor Imperatoris ad miſericordiam flecteretur; & mercatori in ſomno apparens, liberationem promiſit, quæ & craſtino die ſecuta eſt. Temporalis retributionis hoc exemplum potius eſſe videtur. Sed quod nunc ſubijciam, admirabile & memorabile eſt tum inſignis eleemoſynæ, tum ſpiritualis retributionis exemplum. Alexandriæ ſub Paulo Patriarcha, puella quædam adhuc catechumena & locuples, pomarium ſuum tempore pomeridiano fortè ingreſſa, vidit quendam in arbore parantem ſibi laqueum, vt ſe præfocaret. Accurrens, & cauſam cognoſcens eſſe eo quod graui ære alieno obæratus, creditorum importunitatem, ſuamque ignominiam

Prou. 19. Lc. 1. c. 2.

Eleemoſynę retributio ſpiritualis.

Eccli. 29.

Dan. 4.

Luc. 11.

Eccli. 20.

1. Pet. 4.

Hebr. 13.

Exempla. In Prat. ſpir. c. 175.

Ibid. c. 186.

Ibid. c. 207

A ignominiam amplius ferre non posset; Quæso (inquit ei) accipe omnia quæ habeo, & reddas: tantum ne perdas teipsum. Sumens ergo ille, reddidit omnia. Puella postea rebus omnibus destituta, fornicari cœpit, vt inde victum quæreret. Sed in se tandem reuersa & compuncta, & Christiana fieri cupiens, adiens Pontificem, orat vt baptizetur. Cum autem eam, vt meretricem scilicet, de fonte suscipere, aut pro ea spondere nemo vellet, distulit Pontifex. Tandē apparens puellæ Angelus in specie hominis cui misericordiā fecerat, promittit se aliquos adducturum, qui pro ea pollicerentur. Venientes igitur duo Angeli in specie duorum illustrium virorum & notorum, ex ordine Augustalium, vocant clericos ad baptismum constitutos, & pro ea ad fontem sacrum pollicentur. Quo facto, baptizata est. Mirantibus vicinis puellæ quomodo baptizata esset, illaque respondente tales pro ea respondisse, illi non credentes, Episcopo rem totam denuntiant. Episcopus clericis auditis qui baptizatam affirmarunt, & euocatis illustribus illis viris qui se baptismo affuisse negabāt, examinata muliere, & audita misericordia quam fecerat, agnouit fuisse Angelos. Ipsa vero, re tota narrata, ad pedes Episcopi obdormiuit in Domino. Hæc ibi. Magna & singularis fuit huius puellæ misericordia & eleemosyna. Sed maior fuit Christi erga eam retributio, veréque dedit in sinum eius mensuram bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem. Huic exemplo non absimile est, quod in vita S. Francisci refert S. Bonauentura, cap. 11. Miles quidam magna cum instantia S. Franciscum & socios eius ad pran-

B dium inuitauerat. Veniens S. Franciscus, & orationem de more præmittens, videt in spiritu subitaneam hospitis sui mortem. Eum igitur seorsim vocatum serio hortatur, vt statim confiteatur omnia peccata sua, facit ille quod iubetur. Moxque incipientibus aliis manducare, hospes spiritū subito exhalauit. Merito Imperator Martianus dicere solebat, *veras & certas diuitias esse, non aliena rapere, sed sua indigentibus largiri.* Sapienter dixit S. Franciscus, *amorem Dei per eleemosynas mercari, & hunc pro illo censum offerre, nobilem prodigalitatem esse, & eos qui minus Dei amorem quam denarios reputabant, omnium esse stultissimos.* Quare idem vir sanctissimus de omnibus quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis releuandam, solebat à dantibus licentiam petere, vt licitè posset, si magis egenus occurreret, omnia erogare. Quod & perpetuo fecit, nulli rei parcēs, nec libris ipsis, nec altarium ornamentis. Certè eleemosynarius homini taurū ferocem fugienti similis est, qui cum iam cornibus eius penè hæreat, penula supra illius oculos cōiecta, iam iam impetentem deludit, atque ita amissa toga vitam seruat incolumen. Sic enim iustas peccatorum pœnas, & diaboli insultus varios, largitate eleemosynarum interiecta, sæpè euadimus. Sic Tobias filium suum docuit: *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Hoc singulare peccatis expiandis remedium Dei misericordia fidelibus reliquit, vt his verbis

C S. Cyprianus docet: *Non haberet quod fragilitatis humanæ infirmitas faceret, nisi iterum* (post primam in baptismo ablutionem) *pietas diuina subueniens, iustitiæ & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret, vt sordes postmodum quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus.* Quod ex variis Scripturis confirmat: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Rursum: *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Esaias Propheta, postquam populi iniquitatem multis verbis explicasset, remedium Dei nomine proponit: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam. Si videris nudum, operi eum; & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem suam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Nec aliter Dauid. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* Sic ad Tobiam Angelus Raphael: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna: quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Petrus vt Tabitham à mortuis suscitaret, intellectis eius eleemosynis, fidentior est factus: &, vt ait D. Cyprianus, *non defuturum Christi sensit auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus.* Quo die Zachæus *dimidium bonorum suorum dat pauperibus*, eo die, imo eo momento, *salus domui eius facta est; eo quod & ipse esset filius Abrahæ*, id est, Dei verbis credidisset, sicut Abraham credidit. Atq; hæc de eleemosynarum spirituali mercede etiā in hac vita.

Accedit ad hæc omnia, quod etiam in futura vita eleemosynis merces à Deo reponitur; quod Christus his verbis apertissimè demonstrat: *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur*, hoc est, non terrenis possessionibus incubare, sed eleemosynis dandis insistere; quod adhuc apertius alio loco Saluator docet: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quæ verba in altero Promptuario explicuimus. Sed omnium apertissimè in forma extremi iudicij hoc docetur. Tunc enim dicet Rex iis qui à dextris sunt: *Venite benedicti Patris mei: percipite regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, & cætera quæ sequūtur de variis eleemosynæ generib. Qui Theologiæ, aut aliarū facultatū candidati sunt, & per examen rigidū ad gradus admittendi, nihil sibi fęlicius aut facilius iudicarēt, si in qua quæstione, quove quæstionis articulo, aut quo dogmate examinandi forēt, antea certo præscirēt: quippe qui vtcunq; mediocriter in eo studio versati, ad illā quęstionē, & illud dogma diligēter se præpararēt, omnesq; eius nodos & difficultates ediscerēt. Nūcvero in supremo iudicio, vbi nō de gradu, aut titulo momētanei honoris, sed de æternæ vitæ corona agetur, prædixit & præmonuit Christus Iudex noster, in quo demum operum genere examen fiet, & non nisi de misericordiæ operibus, de eleemosynis erga pauperes illud instituendum affirmat. Hoc

Apophth. Zonaras in Martiano.
In vita eius per S. Bonau. c. 9
Simile.
Tobiæ 4.
In Ser. de eleemos.
Eccli. 3.
Prou. 15.
Esaia 58.
Psal. 40.
Tobiæ 12.
Actor. 9.
Vbi supra.
Lucę 19.
Eleemosynæ retributio æterna.
Matt. 6.
Lucæ 16.
Dom. 8. post Pent.
Matth. 25.
Simile.

Simile. vnum opus ergo si prætermittimus,nobis ipsis & socordiæ nostræ imputemus,si in iudicij exa- A
mine repulsam patimur. Eleemosynarius similis ei est , qui cum pomarij alicuius domino hoc
pactum inierit,vt is vescatur pomis intra pomarium , quantis voluerit, ea tamen lege, vt nihil
foras efferat. Quam sibi legem duriorem videns,comedit quidem in pomario vsque ad satie-
tatem,nec vlla secum foras effert, comedens tamen , multa subinde extra pomarij sepem aut
maceriam proijcit,quæ postea exiens ibi inueniet. Sic enim diuites prudentes, hac à Deo con-
ditione accepta,vt hic quidem bonis à Deo concessis,ad necessitatem vtantur,nihil autem ex-
tra hunc mundum secum deferant,hac pia prudentia vtuntur,vt pauperibus ea erogantes,qua-
si extra pomarium eijciant,vt in altera vita ea ad mercedem inueniant. Sicut qui certo sciens
Simile. In vita Thomæ. Mori, c.12 fore vt breui in exteram regionem compellatur,vbi natali solo relicto,toto reliquo vitæ tem-
pore egere debeat,ægrè tamen ferret bona sua in illam regionem exportari , & eis tantisper
domi carere , vsurus postmodum semper merito insanire iudicaretur : sic plane insaniunt, qui
stulta cupiditate habendi , & bona sua quam diutissimè possunt penes se retinendi illecti , aut
vano timore futuræ indigentiæ perculsi, negligunt ea per eleemosynas,aliosque bonos vsus
in cælum præmittere , vbi certissime sciunt perpetuo se cum omni affluentia & geminata
mercede victuros. Sanè qui eleemosynam non facit nisi post mortem , similis est homini por-
tandi lumen post tergum,aut ardẽtem fornacem ingredienti & aquæ refrigerium postea adhi- B
Esaiæ 58. Lucæ 16. Eccli. 3. bendum expectanti. Sed qui viuens eleemosynam facit *anteibit eum* (vt Esaias loquitur) *iustitia*
eius , vt recipiat eum in æterna tabernacula ; & iudicii fornacem iam refrigeratum inueniet,
quia *eleemosyna extinguit peccata,vt ignem aqua*. His ergo omnibus modis verum est quod Christus
dixit : *Date , & dabitur vobis*, dabitur merces tum temporalis,tum spiritualis in hac vita,& mer-
ces æterna in altera vita. His de causis sementi merito eleemosyna comparatur , iuxta illud
2.Cor.9. Similia. 1. Eleemosyna semen. 2. 3. 4. Apostoli : *Qui seminat in benedictionibus,de benedictionibus & metet*. Quem locum in alia Dominica
tractauimus. Sicut enim semen abscõdi debet in terra,sic eleemosyna in occulto dari,*vt nesciat*
sinistra,quid faciat dextera;nesciat vanitas quid faciat pietas. Sicut semen cum in terram proiici-
tur , perdi videtur , sed optimè tunc seruatur : sic eleemosyna cum fit, perire pecunia stultis
videtur,' sed tunc primum thesaurizari à sapientibus intelligitur. Sicut semen surgit
cum multo fœnore,sic eleemosyna cum multa mercede. Sicut bonum semen tritici seminatur
in vno anno , & metitur in alio ; viliora autem semina hordei,milij,auenæ , eodem anno semi-
nantur & metuntur:sic eleemosyna iusti in hac vita seminatur , & in altera metitur ; hypocrita
5. vero statim accipit mercedem suam. Denique sicut semen quo diutius in terra manet gelu diu-
turno compressũ, eo vberius fructificat:sic eleemosyna quo serius siue in hac, siue in altera vita
à Deo compensatur, eo ampliorem mercedem accipit. Sanè qui eleemosynis parcunt vt liberis
thesaurizent , similes iis sunt , qui vel in carcere se detineri , vel mendicam vitam agere pa- C
tiuntur,ne vel propter redemptionis pretia ,vel propter vitæ suæ necessaria, filiorum opulen-
tiæ aliquid detrahatur. Isti enim vel in inferno pereunt ; vel in purgatorio diu torquen-
tur, vt filii in mundo triumphent. Diuites difficilius intrant in regnum cælorum , quam
camelus transit per foramen acus : quia gibbum diuitiarum prius non deponunt per multas
& bonas eleemosynas , dispergendo eas pauperibus , vt sic iustitia eorum maneat in seculum
seculi.

5. *Hypocrita , eijce primum trabem de oculo tuo , & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.*

Iudicium hypocriticum. Matt.12. LOcus moralis contra iudices & reprehensores proximorum hypocriticos. De temerario
& vsurpato iudicio proximorum, in alio loco iam dictum est. Nunc Christus iudicium hy-
pocriticum multis verbis taxat,arguit,condemnat. Huc enim pertinent omnia huius Euange-
lij verba,post eleemosynæ commendationem à Christo prolata,*Cæcus cæcum non potest ducere*,quia
cuius oculus,id est,intentio & affectio,trabe,id est , odio , aut quauis passione mala impeditus
est,ille cæcum,id est,aberrantem in aliquo atque peccantem ducere & corrigere nõ potest, sed
ambo in foueam cadunt,ambo in peccato suo manent:ille quia odio laborat, & non nisi fictã virtu- D
tis speciem gerit ; hic quia per vocem hypocritæ non emendatur,sed magis vel irritatur,vel in
malo suo confirmatur. Inimici & maleuoli hominis reprehensio ad iracundiam eum prouocat
qui reprehenditur,non ad emendationem inuitat. Cum autem qui reprehendit, eodem vitio,
vel etiam maiori laborat; is qui reprehenditur,magis ad alium arguendum , quàm ad seipsum
Lucæ 4. Rom.2. Matt.12. Lucæ 6. emendandum prouocatur, vt dicat : *Medice cura teipsum*. Et rursum : *In quo alium iudicas , te ip-*
sum condemnas. Sic Christus Pharisæos vocat cæcos duces , quia discipulos eius in paruis re-
prehendebant , quum ipsi maiora peccassent. *Duces cæci, excolantes culicem , & camelum glutien-*
tes. Rursum ad hoc hypocriticum iudicium pertinet , quod Christus hic dicit : *Non est disci-*
pulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Qui alium reprehendit & iu-
dicat,magistri sibi officium vsurpat. Quod si ergo cæcus magister est,cæcus quoque discipulus
fuerit. Si tu iudicas ac reprehendis alios , seu tibi subditos, seu non subditos , sed vel ex odio,
vel eisdem , aut etiam grauioribus vitiis laborans ; noli expectare vt quicquam repre-
hendendo

A hendendo proficias, noli mirari si peccantes & errantes alios videas. *Non enim est discipulus super magistrum.* Deinde, *quid vides festucam*, id est, leue peccatum *in oculo*, in actione vel intētione potiùs *fratris tui* (nam hypocritæ sæpe actionem per se bonam; ex mala tamen intentione volunt arguere & condemnare) *trabem autem quæ in oculo tuo est*, animi tui odium & maleuolētiam, peccata tua grauiora aut similia *non consideras*? Sic præcedentia omnia huc pertinent. Concludit autem Christus, vt *trabem de oculo suo hypocrita prius eyciat*, vt odium deponat, sua peccata, prius corrigat, ac sic demum *festucas fratrum suorum*, & leuia delicta *videat*; quæ quum viderit, & nō nisi festucas esse aduerterit, facilè à iudicando & reprehendendo abstinebit. Charitas oculatissima est in virtutibus, in peccatis cæca. Oculi Adam innocentis solum nouerant bonum, delinquētis verò sciunt bonum & malum, & potius malum, quia id statim apprehendit. Dauid non est ausus mittere manum in Saulem christum Domini: Philisthæi, hanc vnctionem nihil morati, eum interficiunt. Serui Saulis pij, & vnius Dei cultores, noluerunt manus suas extendere in Sacerdotes Domini, vt eos interficerent iubente Saule: Vnus Doeg Idumæus, idololatra impius irruit in eos, & trucidauit in vno die 85. viros vestitos ephod lineo. Boni serui Dauidis pēdentem in quercu Absalon percutere noluerunt, propter patris & Regis præceptum: Vnus Ioab, rebellis & superbus, tribus lanceis eum cōfodit. Sic homines impij, odio & peccatis pleni, iudicium de fratribus sibi arrogant. Aliorum delicta per radios directos vident, ideóque iudicium de illis quale volunt, ferunt: sua verò delicta non nisi per radium reflexum, non nisi per B ambages & circumstantias, quibus ea vel tegere, vel extenuare conantur, considerat. Sic alienas festucas vident, suas trabes non vident. Contrà boni & pij in suis delictis & alienis virtutib. oculatissimi sunt, sed in alienis delictis, suisque virtutibus cæci sunt. Aliorum virtutes ex charitate, suos defectus ex humilitate, clarè & perspicuè vident, quasi per radios directos. Aliena vitia, suásque virtutes non nisi per radios reflexos cernunt, quia in illis iudicandis in seipsos primùm, in his considerandis in Deum reflectuntur: quo fit vt nec alios temerè aut arroganter iudicent, nec sibiipsis vanè complaceant. Hypocritæ sunt quasi aurum alchymisticum quod apparet, & non est, & laborant morbo qui vocatur, Noli me tangere. Quum enim alios omnes celerrimè reprehendant, ipsi reprehendi non ferunt. Deus primo format cor in homine, pictor primò faciem delineat. Sic iustus, Dei imitator, interna considerat; & quum actionem non potest, bonam saltem intentionem excusat. Hypocrita, pictoris & simulatoris instar (*speciem enim pietatis habet, virtutem abnegat*) secundùm faciem iudicat, à facie incipit, ab externis & apparentibus iudicium capit. Vnde alibi Christus Pharisæis: *Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare, hoc autem tempus* (aduentus Filij hominis) *quomodo non probatis? Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* Errabant in Christi aduentu cognoscendo, sicuti errabant circa mores, & in recto iudicio sui ipsorum & proximorum. Præcepit Deus per Moysen filijs Israël: *Agrum tuum* C *non seres diuerso semine. Veste quæ ex duobus texta est, non induēris.* Quibus verbis hypocrisin prohibuit. Seminat enim diuerso semine, qui bona loquitur, & mala perpetrat; qui triticum in ore, zizania in corde habet: qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt: qui, in quo alium iudicat, seipsum condemnat. Hypocrita veste virtutis indūitur coram hominibus, & veste impietatis coram Deo. Sicut ligna quædam putrida, & squamæ piscium de nocte lucent, & lucem non veram, sed apparentem & vanam emittunt; sic hypocritæ habent apparentem virtutis lucem, sed non vigorem magis in alijs reprehendendis, quàm in seipsis formandis lucent, & virtutis opinionem affectant. Sicut vulpes in medio auium mortuam se fingit, donec accedentes auiculas, gallinas, anseres, & pullos morsu repentino capiat; sic hypocrita, quasi mundo mortuus, totúsque mortificatus, & ouis occisionis, tam diu cum innocentibus conuersatur in specie iusti, donec aliquam mordendi, reprehendendi & calumniandi occasionem inueniat. Hos Ioannes Baptista *genimina viperarum* vocauit, quia intus venenum alunt, cùm foris varietatem virtutis, & zeli sibilum præ se ferant. Culpa vacare debet, qui in alium paratus est dicere. Acutè & sapienter Socrates Platonem hoc docuit. Quum enim Socrates cum familiari quodam in conuiuio disceptans, acriter eum obiurgaret dixit ei Plato, Nónne satius fuerat hæc illi seorsim dixisse? Cui statim Socrates, Et tu, nónne satiùs feciſſes, si ista mihi seorsim dixisses? Errorem Socratis, & importunam reprehensionem videre potuit Plato, suam videre non potuit. Sicut hydropicus corripit eum cui digitus tumet, sui ventris immemor; sic isti faciunt censores D hypocritæ. Sordes tergere non valent manus quæ lutum tenent. *Ab immundo quid mundabitur? Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi in quo paratur fames.* Quem enim consolari debebat eodem morbo laborans, eundem vexat calumniando & iudicando, sicut imber qui terram fœcundare solet, nimium inundans, & intempestiuè cadens, eam sterilem reddit. Sicut agrestia semina, quæ forma ac magnitudine similia frumentis sunt, frumentis admixta difficile repurgantur & cribrantur, (aut enim vnà non excidunt per angusta foramina, aut simul excidunt per ampliora) sic iusta & iniusta, vera & hypocritica reprehēsio proximi difficilè discernitur & cognoscitur. Ideo Christus in seipsum vnumquemque descendere iubet, & oculum mentis purgare, vt sic alienas videat seu festucas seu trabes. Quàm autem graue hoc peccatum sit, ostendit Christus, à contumelia incipiens. *Hypocrita*, inquit, *eyce trabem*, &c. Sic alibi *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi*, &c. Sic rursum: *O stulti & tarde cordi ad credendum!* Et iterùm: *Serue male & piger, sciebas quia homo austerus eram*, &c. Et alibi: *Generatio infidelis & peruersa*

Exempla. 1. *Genesis* 3. 2. *1. Reg.* 24. 3. *1. Reg.* 22. 4. *2. Reg.* 18.

Hypocritæ & viri boni iudicij dissrepans.

Similia.

Lucæ 12.

Allegoria. Leuit. 19.

Similia.

Matth. 5. *Exemplū. Plutarc. in lib. de discrim. adulat. & amic.*

Similia.

Eccles. 34. *Prouer.* 28

Matth. 18. *Lucæ* 24. 19.

signum quærit, & non dabitur ei, &c. In his enim omnibus vbi cum contumelia & acerba reprehensione Christus sermonem suum orditur, maximum quoddam esse peccatum quod reprehendit, docere voluit. A

EVANGELIVM DOMINICÆ II. POST PENTECOSTEN.

Luc. 14. DIXIT Iesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum. B Et alius dixit: Vxorem dixi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus nuntiauit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* De gaudio cælesti ad quod Deus inuitat. C
2. *Dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia.* De summa Dei benignitate, ex cuius parte nihil prorsus deest, quod ad nostram salutem faciat.
3. *Et cœperunt omnes simul excusare.* De neglectu & fastidio vitæ cælestis, morbo mortalium generali, & de varia excusatione huius morbi.
4. *Villam emi: & necesse habeo exire, & videre illam.* De vana ambitione & cupiditate dominandi, quæ innumeros impedit, ne ad magnam cœnam vocati veniant.
5. *Iuga boum emi quinque: & eo probare illa.* Contra auaritiam, & rei familiaris augendæ nimiam solicitudinem.
6. *Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Contra omnem effrænem carnis libidinem, violentum salutis impedimentum.
7. *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* De vocatione nostra ad salutem solicitè conseruanda.

1. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.*

Gaudium cæleste. LOcus moralis de gaudio cælesti, ad quod Deus homines inuitat. Quum enim Christo ad mensam accumbente, quidam de simul discumbentibus dixisset, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*: Christus statim ex huius verbi occasione hanc parabolam introduxit. Vocat autem gaudiũ cæleste ad quod multi vocati sunt, sed pauci electi, pauci probati, pauci qui veniũt vocati, multis de causis. Magna certè cæna est, quia finẽ nõ habet, quia æterna est. *Luc. 22.* *Luc. 2.* *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* *Prou. 14.* *Regni autem eius non est finis.* Mundus habet sua prandia, non cœnas; breues, caducas, & fluxas voluptates, quæ in luctu, terminant; iuxta illud: *Extrema gaudij luctus occupat, & risus dolore miscebitur.* *Baruch. 3.* *Psalm. 58.* Et alius Propheta: *Nutriui eos cum iucunditate, dimisi autem illos cum fletu & luctu.* *Iob 21.* Et rursũ: *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes.* Et S. Iob: *Tenent tympanum & citharã, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et paulò pòst: *Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui? Erunt sicut palea ante faciem venti, & sicut fauilla quam turbo dispergit.* Hæc sunt prandia huius mundi. In triumphis Romanorum, peracto triumpho, dux & Imperator qui triumphabat, tanquam priuatus & penè solus domum suam redibat, vix ab vno aut altero familiari comitatus. Talia sunt mundi gaudia, talis eorum & repentina catastrophe est, de qua in alio Euangelio plura diximus. *Dominic. 3 post Pasch. text. 2.* *Simile.* Certè sicut medicus ægrotos qui in prandio cibum copiosum sumunt, cœna priuari iubet; sic D

Deus

A Deus arcet à sua cœna in prandio huius mundi ingurgitatos. Homo quidem sanus, & in statu innocentiæ positus, tum huius vitæ prandium iucundum atque opiparum, tum æternæ vitæ cœnam gustasset, è paradiso voluptatis ad cælestia gaudia, nulla morte aut morbo interuenien- *Genesis 3.*
te, transferendus. At homo per peccatum corruptus & ægrotus, ideóque *in sudore vultus sui panẽ suum comedere* iussus, si hic largiter prandere, suum hic paradisum habere, voluptates huius vitæ *Esaiæ 28.*
consectari vult, carebit necessariò cœna magna gaudij cælestis. Vnde Esaias de huius mundi *Simile.*
voluptatibus: *Erit flos decidens gloria exultationis eius quasi temporaneum ante matutinũ autumni.* Fructus temporanei antequam ad maturitatem perueniant, manducanti talem dentium stuporem generant, vt quamuis non sit saturatus, tamen optimos cibos, & delicatissimas epulas edere nequeat. Sic huius mundi deliciæ quum illis fruentem non satient (manet enim semper appetitus famelicus) saporem ac desiderium gaudiorum & consolationum cœlestium auferunt. Sunt ergo mundi gaudia non cœnæ perpetuæ, sed prandia breuia; nec magna & solida, sed exigua & inania. Rursum gaudium cæleste est *cœna magna*, quia Dei est. Deus inuitat, Deus cœnam parat, Deus conuiua est. Si magnorum Principum cœnæ solennes & publicæ, ad quas multos vocant, exquisitę sunt, omnibúsq; delicijs affluentissimæ, splendidæ, opiparæ; quanto magis Dei? *Psalm. 110*
Magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates eius, Et huius cœnæ aliquem gustum dare volens Propheta regius, ait; *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! Inebriabuntur in vbertate* *Psalm. 30.*
domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quia apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lu-
B *men.* Et iterum: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* *Psalm. 83.*
Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Si tam suaue fuit desiderium, quàm iucunda erit fruitio? Si sic gaudet *in speculo & ænigmate*, quomodo gaudebit videns eum *facie ad faciem*? Si vestigia sic delectant, quale erit cum *videbimus eum sicuti est*? Si omnes mortales vno animo & consensu, omnibus suis coniunctis copiis & facultatibus, omni adhibita arte, industria, & studio humano, vel cœnam instituerent, vel palatium exædificarent; quàm magna esset illa cœna, quàm magnificum palatium? At si vnus Angelus hoc facere conaretur, omnem humanã industriam & facultatem superaret. Tota enim gloria humanæ creaturæ est, vt fiat tandem æqualis Angelis Dei. Sed si omnes beati Spiritus, omnes hierarchiæ cælestes omnem ingenij sui vim ac voluntatem in id conferrent, aliquid adhuc his omnibus excellentius absque dubio conficerent. Atqui hæc cœna, hoc gaudium ad quod inuitamur, Deus ipse Angelorum Dominus & Creator instituit, vnde alibi dicit: *Intra in gaudium Domini tui*: id est, quod Dominus Deus tuus tibi præparauit, & quidem *à constitutione mundi*. Hic igitur cogita, quàm omnibus numeris absolutissima hæc cœna erit, imò vt omnem numerum & mensuram nostræ capacitatis excedet. *Misericordiæ enim Dei non est numerus.* In hac autem cœna *coronat suos Deus in mise-* *Text. 7.*
ricordia & miserationibus. Plura de hoc gaudio vide in Dominica Septuagesimæ, & Domini- *par. 3.*
C ca 3. post Pascha. *Text. 3.*

2. *Dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia.*

LOcus moralis de summa Dei benignitate, ex cuius parte nihil prorsus deest, quòd ad nostram salutem faciat. Omnia ad magnam illam cœnam parata sunt. Via ad gaudium cœleste capessendum patefacta est, facta redemptione per Christũ, *& propalata via Sanctorũ*: *quia per proprium sanguinem Pontifex noster introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta.* Nihil nunc *Hebr. 9.*
restat *nisi dissolui, & esse cum Christo*. Ipse enim iam *iuit in cœlum parare nobis locum.* Nunc *reportamus finem fidei nostræ salutem animarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura* *Ioan. 14.*
in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Sanctus prænũ- *1. Pet. 1.*
cians eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias: quibus reuelatum est, quia non sibiipsis, nobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt nobis, per eos qui euangelizauerunt nobis. Salus enim, vita, & gloria æterna à Spiritu Sancto, in Scripturis toties repromissa, veteribus iustis adhuc data non erat, quia nondum omnia parata erant, nondum per Christi introitum propalata erat via Sãctorum. *Hi enim omnes* (ait Paulus de veteribus iustis) *testimonio fidei probati nondum acceperunt repro-* *Hebr. 11.*
missionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Sed nunc tota cœna *Matth. 22.*
parata, *tauris & altilibus occisis, vitulo saginato in conuiuium mactato*, nuptiæ Agni paratæ sunt, & vocantur conuiuæ, quia hora cœnæ est. Vnde & in cœlo ipso lætantur beati, vt describit B. Ioannes. *Audiui* (inquit) *quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruo-* *Apoc. 19.*
D *rum magnorum dicentium, Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi vt co-* *Text. 1. &*
operiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum. Hæc est Dei nostri *4.*
erga nos inexplicabilis benignitas. Nihil est quod debuit facere vineæ suæ quod non fecerit. Misit seruos, misit & filium suum. Seminauit bonum semen in agro suo. Omnia parata sunt. Vide de hac re plura in Dominica 5. post Epiphaniam. Hic ergo nostra maxima ingratitudo conuenitur, & condemnatio maior ostenditur, si, quum ex parte Dei omnia parata sint, nos tantam salutem negligimus, nec venire vocati dignamur. Si quis filium suum apud Turcas captiuum haberet, quem illi grauissimis deuinctum catenis, teterrimóq; carcere inclusum detinerẽt; sed

Dei benignitas.

Ingratitudo nostra.

Phil. Diez. Conc. 3. de Inuent. S. Crucis.

Parabola.

filij miſertus, omnibus ſuis diuenditis ad eum relicta patria proficiſceretur; redemptionis pre- A
cium ſecum ferens, qui etiam vix Turcarum regnum ingreſſus, & malè à Barbaris acceptus,
magnis afficeretur iniuriis, amore tamen vincente omnia, ad eum vſque in carcerem veniret,
atque in hęc verba prorumperet: Fili, quot & quanta paſſus ſum vt huc ad te venirem? quæ do-
mi diſpendia, quot in via pericula, quas iniurias, quæ verbera pertuli? Omnia tamen lætò, &
libenti animo toleraui, vt te his vinculis exemptum in patriam reducerem. Iam ergo redemp-
tionis tuæ precium ſolutum eſt, iam domi ad tuum reditum conuiuium paratum eſt: iam te
mater plorans expectat, iam lætos tibi parat amplexus: iam fratres tui, iam cæteri cognati, &
amici de tuo reditu gaudebunt. Veni fili mi, mea lux, mea vita, bonorum meorum omniũ hæ-
res, quid dubitas, quid moraris? His tamen amantiſſimi patris auditis verbis, hac tanta charis-
tate perſpecta, hac libertate, hoc gaudio propoſito, ita filius reſponderet: Domum reuertere
pater. Nihil ea omnia, quæ dicis, æſtimo. Quid mea, ſi diſpendia rei familiaris, ſi labores, ſi in-
iurias pro me pertuliſti? quid ad me matris lachrymæ, fratrum deſideria, amicorum expectatio?
Conuiuium ego tuum, & epulas domeſticas non curo: nec libertatem quæro. Mihi mea placet
captiuitas, arridet hęc ſeruitus, gratæ & iucundæ ſunt hæ ſordes. Quanta obſecro hæc filij ingra-
titudo videretur? Quis non has voces inhumanitate plenas deteſtaretur? Quomodo non mil-
le mortibus tam ingratus & nequam filius, paterno amori tali ac tanto tam impiè reſpondens, B
dignus fuerit? Cæterùm ne miremur hoc quod nunquam contigiſſe veriſimile eſt, hoc quod
quotidie accidit, demiremur. Vnuſquiſque enim noſtrûm, qui ad magnam hanc cœnam, in
qua omnia parata ſunt, venire recuſat & detrectat, hic nequam & ingratus, & impius filius eſt.
Rom.7. Nos *venundatos ſub peccato, & captiuos diabolo*, Deus Pater per Filium ſuum vnigenitum in hunc
1.Tim.2. mundum venientem, multáque dira & indigna paſſum, precio ſanguinis eius perſoluto libera-
uit, & per eundem in hac parabola, ad cæleſtia gaudia nobis parata inuitauit, vbi tot beati Spi-
ritus, tot ſanctorum animæ nos exſpectant: nos tamen ſordibus peccatorum delectati, huius ſe-
culi vanitate deliniti, omnia negligimus, totum beneficiũ recuſamus; nec Dei Patris dilectio-
nem, nec Filij Dei redemptionem tanto precio factam, nec ipſa cęli gaudia, nec matris Eccle-
ſiæ vota, nec Sanctorum deſideria, vel hili æſtimantes; ſed his omnibus breues & vanas & ſor-
prou.1. didas voluptates anteponentes. De hac horrenda ingratitudine Salomon: *Vocaui & renuiſtis: ex-*
Hebr.10. *tendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas ne-*
glexiſtis. Sed quid ſequitur? *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo quum vobis id quod time-* C
batis aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. Si horrendum eſt
incidere in manus Dei viuentis, id eſt, iuſtè punientis; quanto magis horrendum eſt incidere in
Apoc.6. manus Dei irridentis & ſubſannãtis, id eſt in furore arguentis, & in ira corripientis? Quis po-
terit ſtare ante faciem iræ eius? *Dicent enim tunc montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos*
à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?
Ierem.2. Hanc quoque dementiam noſtram Ieremias his verbis exprobrat: *Et nunc quid tibi vis in via Æ-*
gypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te mali-
tia tua, & auerſio tua, increpabit te. Scito & vide quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum
Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus exercituum. Omnes huius ſeculi voluptates aut aqua turbida ſunt, mixtæ peccatis, curis, & ſordibus; aut aqua fluminis, id eſt, partiales,
Simile. breues, fluxæ. Sed *apud te eſt fons vitæ*, dicat fidelis anima Deo. Proteruus & improbus, & flagris
dignus puer eſſet, qui ad paternam menſam vocatus, ea recuſata cum ſuis congerronibus, aut
nugaciter, aut etiam improbè tempus terit. Si in puero hoc damnamus, quem ætas & ignoran-
tia officij aliquatenus excuſant; noſtram inexplicabilem ingratitudinem quare non damnamus?
qui nunc ſuauiſſimam Chriſti vocem audire non vult, dicentis, *Hora cœnæ eſt, omnia parata ſunt,*
Matth.25. *venite inuitati*: aliã eius vocem poſtea audiet; *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* Audiamus ergo
Rom.13. Spiritum S. ſic loquentem: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Nunc dies*
ſalutis, nunc tempus acceptabile. Ecce Sponſus venit, exite obuiam ei. Nolite expectare donec clauſa ſit
ianua, quia fronte capillata, pòſt eſt occaſio calua. D

3. *Et cœperunt omnes ſimul excuſare.*

Cæleſtium bonorum faſtidium. LOcus moralis de neglectu & faſtidio vitæ cæleſtis, morbo mortalium generali, & de va-
ria excuſatione huius morbi. Vocati & inuitati ad cœleſtis gaudij ſempiternã fruitionem,
faſtidimus illã, negligimus, & neglectus noſtri aliquam ſemper excuſationem prætexi-
Pſalm.13. mus. De hoc mortalium morbo frequentes ſunt in Scriptura quærelæ. *Dominus de cælo proſpexit*
ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles fa-
cti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Sic apud Ieremiã: *Attendi & auſcultaui. Nemo*
Ierem.8. *quod bonum eſt loquitur; nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Omnes conuerſi*
Eſaiæ 1. *ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Sic & Eſaias: *Omne caput languidum, & omne*
cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas. Sic & S. Paulus de ſuo tempore: *Om-*
Philip.2. *nes quæ ſua ſunt quærunt, nemo quæ Ieſu Chriſti.* Sic denique Chriſtus ipſe de omni ætate ac tempo-
Matth.7. re: *Lata & ſpatioſa eſt via quæ ducit ad interitum, & multi ambulant per eam.* Vnde tanta & tã generalis
demen-

A dementia? vocat mundus ad labores, & omnes sequuntur illum: vocat diabolus ad barathrum, & omnes auscultant illi: vocat caro ad immunditiam & sordes, & omnes acquiescunt illi. Nam *à minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur; & draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, seducit vniuersum orbem; & vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*; ait Ieremias. At contrà, vocat Deus ad cœnam æternæ gloriæ, vocat ad iugum suaue, & onus leue, vocat ad sanctificationem & munditiam, sed nemo auscultat illi: incipiunt omnes simul excusare. Vniuersus Israël toto corde sequitur rebellem Absalom, & omnis populus secutus est Sebam filium Bochri, & separatus est omnis Israël à Dauid: cui pauci adhæserunt. Quum Moyses apud Deum in monte causam & salutem totius populi ageret, Deúsque tabulas Legis conscriberet, quam qui faceret, viueret in ea: totus interea populus, etiam ipso consentiente Aarone, vitulum sibi aureum fabricat, & pro Deo suo colit atque adorat. Quum Christus in cœna suæ passionis, nostræque salutis memoriale instituit, Iudas eum vendit, totáque Ierosolyma in eius necem cõspirat. Hæc est peruersitas nostra. Quo Deus erga nos benignior est, eo nos erga illum proteruiores sumus. Quo ille nos magis inuitat, eo nos detrectamus magis. Pauper ad diuitis mensam inuitatus, exultat præ gaudio, & beatum se putat. Ad Regis verò mensam inuitati etiam principes viri, magnæ id felicitatis loco ducunt. Aman primus post Regem ad mensam Reginæ Hester cum Rege Assuero inuitatus, tantæ sibi gloriæ id duxit, eáq; animi lætitia perfusus est, vt gloriã ac lætitiam suam vxori & amicis multis verbis aperuerit. Nos ad Dei mensam vocati, imò con-

B ducti denario vitæ æternæ, atque adeo empti precio magno, sanguine Filij Dei, adhuc excusamus. Magna mortalium cæcitas, nec videre quid & quantum recusant, nec aduertere propter quid se excusant. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Deum relinquimus, diabolo adhæremus. Vitæ æternæ cœnam fastidimus, mortis æternæ prandiola appetimus. *Nunquid seruus est Israël, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam?* ait Ieremias. Nũquid hospites sumus aut aduenæ? nunquid serui aut captiui? nunquid filij iræ & perditionis? Natura quidem sic eramus; sed nunc per adoptionem & gratiam facti sumus *ciues sanctorum, & domestici Dei. Liberati sumus à lege peccati, & eruti à potestate tenebrarum, filij Dei sumus & acquisitionis & sanctificationis.* Quare ergo facti sumus in prædam? Qui adhuc mensam cœlestẽ fastidimus, & secularia desideria libenter amplectimur? Quare nauseat anima nostra super manna cœlesti, quasi cibo leuissimo, & ad ollas Ægyptiacas anhelamus? Nónne quia vt morbus sibi salutaris, sic peccatum salutis æternæ gustum abstulit? Adhuc vetus Adam viuit in nobis. Adhuc peccata non agnoscimus, sed excusamus. Ille rogatus cur pomum vetitum comedisset, & paradiso voluptatis sese spoliasset, respondit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi, & comedi.* Mulier rogata cur id fecerat, respondit: *Serpens decepit me.* Vterque se excusat, quòd potiùs pomum vetitum, quàm totam paradisi voluptatem elegisset.

C Omnes nunc se excusant, quòd potiùs præsentes voluptates, quàm cœnam magnam, ad quam vocati sunt, appetunt & amplectuntur. Caro quam dedisti mihi, appetit carnalia, & consensi. Diabolus decepit me astutia sua. Mundi consuetudo in errorem me abripuit. Sed vt illis sua nõ profuit, sic nec nobis nostra proderit excusatio. Accidit nobis quod fatuæ mulierculæ accidisse memorat Seneca. *Harpastes* (inquit) *vxoris meæ fatua iam vetula subitò desijt videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram. Nescit se esse cæcam. Subinde ducem suum rogat, vt foras exeat. Ait domum tenebrosam esse.* Sic nemo se auarũm esse intelligit, nemo ambitiosum. Non ego ambitiosus sum, sed nemo potest aliter Romæ viuere. Non ego sumptuosus, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non ego auarus sum, sed familiæ & liberorum necessitati prospiciendum. Non est meum vitium quòd iracundus sum, sed senectus id facit. Non mihi imputandum, si in carnis crimen incidam, adolescentiæ culpa est. Non ego ebrietate delector, sed oportuit hospitibus morem gerere. Sic in quolibet peccato nulla nostra cæcitas, nullus noster error est, sed eorum quæ circa nos sunt. Tales fatui plerique omnes sumus, nisi quòd personæ grauitatem retinemus. Nihil hoc vitio periculosius. Orat & clamat Propheta regius: *Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Verba malitiæ, omnis excusatio; vt verba virtutis, omnis confessio. *Si dixerimus quia peccata non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus* (Deus) *vt remittat nobis peccata nostra.* De diabolo dixit Iob: *Corpus illius quasi scuta fusilia compactum squamis.* Peccata quæ sunt opera diaboli, ad defensionem suã parata sunt, sicut scuta ad ictus recipiendos. Squamę sunt excusationes quibus se defendit peccator. Hæ squamæ ceciderũt ab oculis Pauli, iam post longam orationem & ieiunium plenè ad Christum conuersi. Adam statim post peccatum foliis ficuum suam nuditatem cooperuit. Ficus est

D fructus bonus, & apprimè honestus: folia ficuum sunt honesti prætextus, & verba foris honestate plena, sed intus verba malitiæ, quibus peccata excusamus. Non est extrinsecum malũ nostrum. A nobis ipsis originem capit, & à nostro proprio consensu, cui nulla vis inferri extrinsecus potest. Mensa & cœna magna Dei ideo non placet, quia peccatum placet: & *quia diligũt homines magis tenebras quàm lucem.* Idcirco orat Propheta, vt boni dilectionem eius menti Deus inserat. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Bonitatẽ ait, id est, bonum gustum, vt ex Hebræo verti potest. Quare in eodem Psalmo priùs dixerat: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Ipsum boni desiderium, bonum gustum concupiscit. Multum ille in Aristotele profecit, cui potuit Aristoteles placere. Multum ille ad vitam æternam profe-

Ierem. 8. Apoc. 12. Ierem. 5.

Exempla. 2. Reg. 15. & 20. Exodi 30.

Hester. 5.

Cæcitas mundanorum. Ierem. 2. Ibidem.

Ephes. 2. Rom. 8. Hebr. 11.

Genesis 3. Exemplũ.

Epist. 51. Simile.

Psal. 140. 1. Ioan. 1.

Iob 41.

Allegoria.

Ioan. 3.

Psalm. 118.

Psalm. 122 cit, cui potuit vita æterna placere, cui potuit cœna magna arridere, qui potuit cum Propheta A
dicere: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

4. *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.*

Ambitio. LOcus moralis de vana ambitione, & cupiditate dominandi, quæ innumeros impedit, quo minùs ad cœnam magnam vocati veniant. *In villa enim empta dominatio notatur, & superbia castigatur*, ait S. Augustinus. Nam & ideo non dicit se exire vt colat illam, vel vtatur illa, sed vt videat illam. Emerat quippe non necessitatis, sed voluptatis & honoris causa: quæ etiam inter Christianos maxima hodie insania est. Præter habitationem in vrbe honestam & commodissimam, in agris quoque villas habere debent, ad splendorem & voluptatem comparatas, ad quas vidēdas interdum exeant. Quibus Propheta dicit: *Væ vobis qui domum ad domum coniungitis, & agrum ad agrū vsque ad terminum loci. Nunquid vos soli habitabitis in medio terræ?* In hac insania excelluit Nero, qui sic in vrbe domum, ad domum coniunxit, vt de eo caneretur:

Ser. 33. de verb. Dō.

Esaiæ 5.

Roma domus fiet: Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupet ista domus. B

Enarrat. in Ps. 131. Tota huius mali radix superbia est, quam vanitas fouet. Sapienter Augustinus: *Priuata res ipsa in qua homo requiescit, superbos facit.* Quam videlicet non ad vsum, sed ad libidinem tenet, vt Dominus rerum multarum habeatur. Hanc insaniam falsè taxauit. Diogenes: *Inter seruos ac Dominos malos* (quales omnes superbi & dominandi cupidi sunt) *præter vocabula nihil aliud interest, nisi quòd mancipia seruiant dominis, domini seruiant cupiditatibus.* Sicuti ab illis cibis & potibus maximè cauendum, qui etiam saturos & non sitientes ad edendum ac bibendum prouocant, quia naturæ officiunt, & dum voluptati, non necessitati seruiunt, naturam incautè obruunt atque extinguunt: sic illa possessio animæ maximè periculosa est, quæ nulli necessitati, sed soli voluptati subseruit. Sicut arbores per præcipitia nascentes non hominum, sed coruorū vsibus fructus adferunt: sic rerum possessio ad voluptatē nō necessitatē comparata, animi actiones non Deo, sed diabolo seruientes profert. Ad Dei cœnam venire non potuit, cuius animum tam vana cupiditas occupauerat. Dicit Propheta: *Si introiero in tabernaculum domus meæ, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Abstinendum docet si non à possessione, saltem ab amore rei priuatæ, vt locum faciamus Domino. Qui ideò solùm possidet, vt amet id quod possidet, vt in eo se oblectet, locum Domino non facit, quia suæ cupiditati, quam odit Dominus, totum locum reseruauit. Hæc dominandi libido, & multa possidendi cupido, vt hominibus cæteris dominemur, cum peccato, & per peccatum intrauit in mundum, vt his verbis sapienter docuit sanctus Augustinus. *In domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa cælesti ciuitate peregrinantis, qui imperant, seruiūt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit. Dominetur, inquit, piscium maris, & volatilium cæli, & omnium reptilium. Rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti pastores pecorum magis quàm Reges hominum constituti sunt: vt etiam sic insinuaret Deus quid postularet ordo creaturarū, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe seruitutis, iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret, dicens: Maledictus Chanaan. Seruus seruorum erit fratribus suis. Nomē itaque istud culpa meruit, non natura.* Hæc ille. Sicuti ergo nemo natura seruus est, sed culpa sua; & nemo natura aliorum dominus cupiditate dominandi, sed vitio suo, qui ad imperium vertit quod officij tantùm est: sic ita transuersum hæc vitiosa dominandi cupiditas hominem agit, vt quia suis conseruis dominari vult, Deo Domino deorum seruire detrectet, & ad eius mensam vocatus venire recuset. Ait enim: *Necesse habeo exire.* Nec mihi vacat, nec mea dignitas & status amplitudo fert vt quotidie Deo seruiam, vt ad Ecclesiam, ad Conciones, ad Sacramentorum perceptionem me conferam vulgi more; vt victus sobrietatem, vestitus mediocritatem, familiæ simplicitatem retineam. Deinde, est mihi honorifica conditio comparanda, est in seculo splendidè viuendum, vtcunque malis artibus eò perueniatur. Malo in terris dominari & honoratus esse, quàm ad cœnam magnam vocatus venire. Hæc est vox huius primæ excusationis: quæ & adeò honesta videbatur, vt diceret: *Rogo te, habe me excusatum.* Nihil facio præter morem & consuetudinem mortalium. Sic oportet fieri. Necesse est me temporibus ac locis ac personis accommodare. Deus tuus hoc facilè mihi donabit. Sed concludit Christus: *Dico vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Istæ excusationes vanæ & friuolæ, in sola cupiditate & vanitate fundatæ, nullum apud me habebunt locum. Contra ambitionem, & de fuga honorum, vide in alijs Dominicis, Dom. 3. Aduent. text. 6. Dom. 1. Quadr. text. 8 & Dom. 2. Quadr. text. 3. & Domin. 4. Quadr. text. 6. & Dom. Palmarum text. 6. hic tamen pauca adiiciemus. Quantum ambitio & honorum cupiditas à Deo retrahat, & ne ad cœnam magnam vocatus veniat, infæliciter impediat, multa docēt. Primùm animi semper inquieti ambitiosus est, semper ascendere cupiens, & præsenti honore

Psalm. 131. August. Enarrat. ibid.

De ciu. Dei l. 19... 14. Cap. 15.

Genesis 9. Simile.

Ambitiosi excusatio.

Ambitio in quieta. Exempla.

non

A non contentus. Nabuchodonosor, victo Arphaxad Rege, omnem sibi terram subiugare vult. *Iudith 1.*
Antiochus Rex Asiæ subiugat sibi Ægyptum. Ægypto superata, inuadit Iudæam. Illa spoliata, *1. Machab.*
ciuitatem Elymaidem in Persida nobilissimam deprædari, & in ea dominari affectat. Absalom *1.*
paternum regnum affectans, dicit: *Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes?* A- *2. Machab. 6.*
man non contentus tota gloria in regno Assueri, quia ab vno Mardochæo Iudæo non honora- *2. Reg. 15.*
tur, omnia pro nihilo habuit, & totam Iudæorum gentem internecioni dare contendit. Ambi- *Hester 6.*
tiosus (ait Seneca) instar turbinis est, qui rapta conuoluit, sed ipse antea voluitur, & ab hoc ma- *Epist. 95.*
iore impetu incurrit, quia nullum illi sui regimen est. Sicut lapis deorsum cadens non sistit do- *Similia.*
nec ad fundũ veniat, & qui potuit non cecidisse, loco suo manens, locum egrediens, modum te-
nere non potest: sic ambitio moderationis fines egressa, nullũ ambiendi modũ facit. Sapiẽter Cy-
neas philosophus hanc insaniam Pyrrho Epirotarũ Regi demonstrauit. Pyrrhus cum Romanis *Exemplũ*
bellum gerens, rogatus à Cynea quid illis subactis faceret, Italiam (inquit) totam occupabimus:
quid Italia subacta, Siciliam (inquit) vicinam capiemus: quid capta Sicilia, supereſt (inquit) Ly-
bia & Carthago, quibus captis, facilè Græciæ dominabor. Sed deletis omnibus, quid tandem fa-
cturus sit, rogatus, respondit: Tunc otio & amicis fruemur, nosq; inuicem oblectabimus. Tum
Cyneas: At quid vetat, ô Rex, quo minùs nunc eodem otio perfruaris; nisi quod cæca ambitio
te quietum esse non finit? Sanè quemadmodum hi qui non sitientes bibunt, & non esurientes
B edunt, etiam ea quæ esurientes ac sitientes sumpserant reuomunt; & dum superfluos ingurgi- *Simile.*
tant cibos, necessarijs priuantur: sic omnino ambitiosi nouos semper honores appetentes, nec
illis quos habent potiuntur. Quid Alexandro profuit totius Asiæ dominium, qui non secus, ac
si mendicus esset, lachrymabatur quòd totum mundum suo imperio non subiugasset? Cũ enim *Exemplũ*
audiret Anaxarchum infinitos esse mundos disserentem, illachrymasse dicitur: per contantibúsque *Plutarc. l. de trãquil. animi.*
amicis, ecquid lachrymis ei dignum contigisset, An non (inquit) æquum est me flere, si cũ
infiniti mundi esse dicantur, haud dum vnius domini facti simus? Sanè sicut calceus ad pedis fi-
guram accommodari solet, non pes ad calcei modum; sic honores vel magni vel parui viden- *Similia.*
tur, prout quisque affectus est. Sicut ergo morbo famelico liberari debet, qui de iusta cibi men- 1.
sura conqueritur: sic ambitionis vitium animo eiiciat oportet, qui suo statu & loco contentus 2.
non est. Sicut enim canis famelicus ad mensam domini astans, offas illi obiectas vno momento 3.
deuorat, & vnam post aliam incessanter accipit, quúmque multas acceperit, perinde adhuc ex-
pectat & abblanditur, & sublatrat, ac si nihil accepisset: sic ambitiosus, honoris & dominatio-
nis appetens, nouis semper honoribus inhiat, assentatur, ambit, non secus ac si omnium indi-
gentissimus esset, vtcumque plura adeptus quàm meruit. Hoc ipso enim quod ambit, nec eo
C quem tenet honore dignus est. In alijs vitæ negotijs nemo tam demens, qui illud in se opus su- 4.
scipiat, cui se perficiendo idoneum non videt. Sartori si panni segmentũ porrigas, iubens vt in-
de tunicam conficiat, rotundè respondebit, se id non posse facere. Idem faciet sutor, si ex frus-
to corij calceos tibi fieri petas. Ad honores & dignitates omnes idonei sumus, nec segmẽta no-
stra & frusta, & tenuitatem propriam consideramus. Hic nemo se excusat, nisi qui maximè ido-
neus est. Quum Abimelech, Gedeonis fortissimi ex concubina filius, regnũ ambiens, opera & *Exemplũ.*
auxilio Sichimitarum regnum adeptus esset; occisis septuaginta filijs Gedeonis super vno la- *Iudic. 9.*
pide, Ioathan minimus, qui solus euaserat, ambitionis huius nefariæ turpitudinem hac parabola
eleganter expressit: *Iuerunt ligna vt vngerent super se Regem; dixerúntque oliuæ, Impera nobis: quæ respon-* *Parabola.*
dit, Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij & homines vtuntur, & venire vt inter ligna pro-
mouear? Dixerúntq; ligna ad ficum & ad vitem tantundem: quæ etiam respondetũt, se nolle re-
linquere dulcedinem & fructus suauissimos suos, vt inter ligna imperarent. *Dixeruntque omnia li-* *Ambitio*
gna ad rhamnum, Veni & impera super nos: quæ respondit eis, Si verè me Regem super vos constituitis, venite *virtutem*
& sub vmbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. Do- *enecat.*
cet hæc parabola, viros virtutum pinguedine ac dulcedine plenos, honores non appetere, &
ab illis abhorrere, metuentes ne pinguedinem, ac dulcedinem suam honores illi ipsis aufe-
rant (vt in alia Dominica ostensum est) aridos autem & infructuosos homines, qui ad nihil nisi
D ad contentionem valent, talia ambire. Rhamnus enim (vt apud Iosephum videre est) spe- *Antiquit.*
cies quædam rubi est nodosa, spinis plena, cuius lignum ad ignaria valet. Non mirum si ambi- *lib. 5. cap. 9*
tio à cœna magna remoratur, quæ tota virtutis pinguedine hominem euacuat. Sed & inde eius
turpitudo manifesta fit, quod omnibus modis occultare se & latere cupiat, vt qui maximè am-
bitiosus est, nihil minùs videri velit. Vnde Diuus Bernardus: *Ambitio cum prorumpit in impuden-* *Epist. 126.*
tiam, efficaciam perdit; & cum improbus affectus se aperit, perit effectus. Ambitio mater hypocrisis, latebras
amat & tenebras, lucis impatiens est. Ambitio spurcum vitium. In imo iacet. Videt tamen omne sublime, sed
videri ipsa refugit. Atqui quàm grande peccatũ sit, quàm superba verecundia qua terrã & cine-
rem pudet, non quidem subiici, sed non dominari, ideóque suam gloriã studiosè quærere, Re-
demptoris nostri verba nos doceant. *Si ego* (inquit) *gloriam meam quæro, gloria mea nihil est.* Nõ de- *Ioan. 8.*
cuit Christum suam gloriam quærere, & nos decebit? Illi hoc non licuit, & nobis licebit? Ille
quærendo suam gloriam, eam perdidisset; & nos quærendo nostram gloriam, non perdemus
eam? Sanè fiet quod Apostolus scribit: *Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Quod multa *Philip. 3.*
nos Scripturarum exempla docent. Nadab & Abiu igne perierunt, quando alieno igne of- *Exempla.*
ferre Domino incensum, vt magis honorarentur, voluerunt. Ieroboam vitulos aureos fecit, vt *Leuit. 10.*
3. Reg. 12.

regnum suum sibi confirmaret, ne populus Ierosolymam ad orationem ascenderet. Sed prop- A
3. Reg. 2. ter illam idololatriam tota stirps eius regno excidit. Adonias Abisag Sunamitidem in vxorem
2. Reg. 16. petens, vt apud populum honoratior esset, vita priuatur. Achitophel consilium Absaloni dans
de persequendo mox Dauide, quia non id acceptauit Absalom, nec eum honorauit, abiens do-
2. Reg. 18. mum suspendit se. Absalom ipse, qui solicitabat corda filiorum Israël, vt pulso patre regnaret
2. Machab. ipse, in quercu suspensus interijt. Antiochus post amplissimas victorias adhuc in Perside regna-
9. re cupiens, & repulsam passus, præ animi mœrore interijt. Iason impius dominandi libidine to-
2. Machab. tius Iudææ pacem perturbans, in summa egestate exul & contemptus ab omnibus perijt. Om-
4. & 5. nibus istis *gloria ipsorum in confusionem erat.* Sicut pueri post papiliones tota die currunt, sæpiùs ca-
Simile. dentes, & post omnem laborem nihil aliud apprehendunt quàm vermiculum & puluisculum
deargentatum: sic ambitiosi post innumeros conatus, sumptus, fraudes, adulationes, & similia,
etsi quod ambiunt assequantur, ad finem vitæ cernunt se nihil nisi conscientiæ vermem, & ina-
nem puluerem adeptos fuisse. Et tamen propter fumum inanem excusari volunt, ne ad cœnam
magnam vocati veniant.

5. *Iuga boum emi quinque: & eo probare illa.*

B

Auaritia. LOcus moralis contra auaritiam, & rei familiaris augendæ nimiam solicitudinem, alte-
rum impedimentum, & excusationem friuolam, sed vulgarem, ne ad cœnam magnã ve-
niatur. Nemo inuentis frugibus glandes comedit. Nos tamen ad cælestia vocati, terrenis
oblectamur. Appositè Chrysostomus: *Si Ethnicus esses, & nihil post hanc vitam sperares, difficile forsan*
In Acta Apost. Hom. 7. *esset, rerum terrenarum affectionem deponere. Nunc autem cœlum expectans, & ea quæ in cœlis sunt, hoc tibi*
difficile videtur? Si contrarium dicerem, Expete diuitias; potius mihi succenseres, dicens: Quomodo hoc faciam,
Simile. *cœlum expectans, à quo istæ me retardant? Iniuriam tibi facerem, si proposito auro, & pretiosis lapidibus, plum-*
bum tibi appetendum dicerem. Inciuilis esset & ingratissimus hospes, qui ad splẽdidissimas epulas in-
Simile. uitatus, antequam eò accederet, cepis se & allijs repleret, vnde optimorum ciborum & sibi fasti-
dium, & alijs nauseam ex odore tetro conciliaret. Nos ad cœnam cælestem vocati, luto huius
mundi sic animum pascimus, vt & nobis cœlestia fastidium generent, nósque cælestibus pessi-
mus odor simus. Sapienter Augustinus. *Amor rerum terrenarum, viscus est spiritualium pẽnarũ.* Sicut enim
Ser. 33. de verb. Dom Simile. nulla aquila, si ingentes campanæ pedibus alligarentur, vel vnum pedem à terra se subleuare
posset: sic cura, amor, & solicitudo rerum terrenarum animam deprimit, ne sursum feratur. Hac
Domin. 1. Aduentus text. 3. & Domin. Sexag. tex. 6. loco 2. 1. Ioan. 2. 1. Cor. 7. Hom. 36. in Euang. Eccli 40. Prou. 9. de re iam in alijs Dominicis multa diximus. Viscus vtramque auiculæ alam constringit, vt sur-
sum ferri nequeat. Cupiditas rerum terrenarum & intellectum & voluntatem sic implicatas te- C
net, vt ad cælestia se erigere non valeant. Clamat igitur sæpe Scriptura, ne hoc nos visco impli-
cemus: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Non dixit, Nolite habere, sed, nolite di-
ligere. Rursum: *Reliquum est vt qui emunt, sint tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo tanquã*
non vtentes. Mundo vtitur (ait S. Gregorius) tanquã non vtatur, qui & necessaria cuncta ad vitæ
Simile. ministeriũ congregat, & tamen hæc eadem non sitit menti suæ dominari. *Nihil enim iniquius quã*
amare pecuniam, & consequenter pecunia æstimabile: *Hic enim & animam suam venalem habet, quo-*
niam in vita sua proiecit intima sua. Hoc est, in pecunijs conquirendis cura & cogitatione se totũ
euiscerauit. Clamat Sapientia: *Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ,* Infantiã
appellat quæ sunt puerilia. Diligentes enim temporalia sunt similes pueris, qui magis afficiuntur
ad vnum pomum quàm ad vnum regnum: sicut iste sua iuga boum prætulit cœnæ magnæ bea-
titudinis æternæ.

Moyses vt videret rubum ardentem, sed non comburentem, propiúsque accederet, iube-
Exod. 3. Allegoria. tur priùs *soluere calceamenta de pedibus suis*: quia terrenarum amor priùs exuendus, vt cælestiũ amor
in animũ admittatur: de quo suprà in alia Dominica. Mulier Samaritana, audito Christi ser-
Dõ. 4. post Pascha, text. 2. Ioan. 4. mone, reliquit hydriam, & abiit in ciuitatem, vt Messiam se inuenisse nunciaret. Talis debet es-
se affectus noster erga cælestia, vt præ illorum desiderio & amore relinquamus hydrias nostras
aquæ plenas, bona huius mundi tota fluxa & caduca. Sicut anguilla quo magis stringitur, eo mi-
nùs tenetur; sic terrenis opibus quo arctiùs adhæremus, eo minùs sunt nostræ & in nostra po-
testate; quia nobis magis dominantur quã seruiunt, & nocent amore quæ poterãt prodesse vsu. D
Simile. *Qui tenet aratrum* (ait Scriptura) *& qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & conuersatur in operib.*
eorum, & enarratio eius in filijs taurorum. Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vacca-
Eccli 38. *rum.* Docet vnumquemq; in eo totum esse quod diligit, sicut hic inuitatus ad cœnam magnã
sic totus erat in suis bobus, vt cœnam contempserit, vt sapienter scribit sanctus Gregorius: *Si*
Allegoria. *cuncta mũdi relinquere non potes, sic tene quæ huius mũdi sunt, vt per ea nõ tenearis: vt terrena res possideatur*
possideat. Si res temporalis in vsu, æterna in desiderio: hæc vt in itinere, illa vt in termino. Quasi ex latere re-
spiciatur, quicquid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tota mentis intentione illa spectemus ad quæ tendimus.
Nam & omnia retinendo relinquimus, si sic tẽporalia gerimus, vt tamen tota mente ad æterna tendamus. Hęc
ille Homil. 36. in Euang. Giezi pecuniam auarè nactus qua vineta & oliueta emeret, & in hoc
4. Reg. 5. seculo ditescceret, ab Elizæo eiicitur, & lepra, Naaman Syri percutitur, & lepra illa sicut nix alba
erat. Qui bonis conquirendis auarè incumbit, à nuptiis Agni excluditur, & à cœna magna; le-
pra peccatorum hominum infidelium ei adhæret; & sicut nix oculos perstringit ne viam

videas,

videas, sic cupiditas & amor terrenorum caliginem menti offundit, ne videantur cœlestia. Hæc est auaritiæ siue natura, siue pœna. *Homini bono* (ait Salomon) *in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem & curam superfluam, vt addat & congreget, & tradat ei qui placuit Deo.* Hæc afflictio & cura superflua auari duplex ei pœna est; quia & in præsenti animum molestat, & futuræ beatitudinis delectationem, ideóque & fruitionem tollit. Ad cœnam enim magnam nemo venit, nisi qui eam vehementer desiderat. *Qui sitit, veniat ad me*, ait huius cœnæ Dominus. Et iterum: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sitire cœlestia non potest, qui sitit & appetit terrena. *Qui vult esse amicus huius mundi, inimicus Dei constituitur.* Amat hoc seculũ qui diuitias amat. *Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiã amarum pro dulci sumet.* Diuitijs saturatus negliget cælestia; sed esuriens iustitiam, nullum pro cœlestibus laborem subterfugiet. Auarus ad modum talpæ niger est per nequitiam, cæcus per ignorantiam; quot habet possessiones, tot facit cumulos, in quibus se sepelit per continuam solicitudinem. quicquid fodit, ponit supra se, quia de omnibus facit Deum suum. Sicut porcus dum viuit, nihil valet, & est sordidum animal, ab omni conuersatione alienum, & ad quẽlibet contactum horribiliter grunnit & vociferatur, ad mortem se peti putans, quia nec lanam, nec lac, nec vsum vllum habet; sed quando moritur, tunc primùm valere incipit, & in cibum esse: sic auarus dum viuit, nec Deo gratus, nec hominibus vtilis est; in quolibet morbo mortem horribiliter timet, quia omni se virtute nudatum videt, & non nisi ad pœnam vocari nouit; sed quum moritur, quæ inuitus reliquit, in vsum veniunt. Sicut canis sequens duos homines, in capite viarum ostendit quis sit Dominus eius, eum sequens, & extraneum dimittẽs: sic auarus extra tentationem sequens Deum & mundum, in capite viarum, exorta tentatione, in qua aut diuitias, aut Deum relinquere oportet, vocatus ad cœnam magnam, ad officium hominis Christiani, ibi ostendit quis sit Dominus eius, adhærens bobus suis, & dimittens cœnam magnam. Sic sanè hanc vitam auari ducunt, quasi alteram ex pecunia acturi essent, non hanc præsentem. Neque verò mirum, si ad cœnam magnam vocatus auarus, & mundi amator se excusat, & quasi ex iusta causa venire detrectat. Sibi quippe persuadet, aliquid sibi semper deesse, ideóque augendo cumulo semper debere intendere. Est enim ferarum immanium instar, quæ plus quàm fames exigit, mordent. Si quis multum ederit, multúmque biberit, nec vnquam expleatur, adit medicos: percontatur quid sit morbi. At si quis plura quàm sat est, possidens, plura nihilominus concupiscat; hic non se ægrum, sed sapientem putat, & summa ratione id agere quod agit. Cæterùm sicuti morbo illo antedicto laborantem, non expletione, sed purgatione opus habere iudicamus, & vomere iubemus, quia nõ inopia, sed acore & calore præter naturam laborat; sic auarus cupiditatis morbum deponat oportet vt satietur. Plato ad quẽdam accumulandæ pecuniæ semper incumbentem, O *improbe* (inquit) *ne possessioni augendæ studeas, sed minuendæ cupiditati.* Appositè Chrysostomus: *Si hoc tibi aliquando in mentem veniret, vt more volucrum volares, quomodo hanc absurditatem reprimeres? vtrùm fingendo pennas, aliáque ad volandũ instrumenta faciendo, an potius suadendo tibi ipsi vesanam esse hanc & rei impossibilis cupiditatem? Sic & hic facito. Planè enim facilius est hominem volare, quàm acquisitione & accessione pecuniæ cupiditatem habẽdi terminare.* Nam, vt alibi idem eleganter scripsit, *Veluti ebrijs occasio sitiendi est vini copia & augmentum, sic plura possidens plura concupiscit; & dum perpetuò cumulum auget, morbum perpetuò nutrit. Studium enim habendi non eos ob iam parta exhilarat, sed ob ea quæ deesse videntur cupiditati, potiùs angit.* quam absurditatem alio in loco accommodatè explicat: *Vnumquodque* (inquit) *crescentium quum ad iustam sibique conuenientem staturæ mensuram peruenit, desinit augeri; argentum verò auari nunquam augescere desinit.* Monstrum est igitur. Sanè monstrũ horrendum, informe, ingens, animæ cui lumen ademptum est, & quibusuis harpyis rapacius, quouis igne violentius, quauis aquarum vi exundãtius. *Igne vehementior est*, ait Chrysost. *quia omnia continuando finibus suis occupat; ea quæ sunt vicini, sibi aufert. Mox vbi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt ad se rapit. Quemadmodum enim flumina* (ait Basilius) *ex paruis exeuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in progressu accipientia, impetu demũ violento quicquid obijcitur secum trahunt: sic auari potentes, quo magis crescunt, eo magis opprimunt, & per oppressorum ruinas ad alios opprimendos feruntur.* Huiusmodi ergo studijs occupati, totique immersi, ad cœnam magnam, quæ horum contemptum docet, & aliò vocat, animum intendere nequeunt. Sed *quid prodest homini si vniuersum hunc mundum lucrifecerit, animæ verò suæ detrimentum faciat? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Filij Israël, cogente Pharaone, dispersi sunt in omnem terram Ægypti ad colligendas palcas: & post omnem laborem flagellis cæduntur. Amatores huius mundi in quisquilijs, & paleis pecuniarijs conquirendis, tota vita occupantur, cupiditate eos sua ad hoc instigante: & in fine pro omni mercede à dæmonibus Dei exactoribus flagellantur. Auaritiæ causa Achan lapidatus, Giezi lepra percussus, Ananias & Sapphira subita morte extincti, Iudas laqueo vitam finiuit. De hac cupiditate dixit Apostolus: *Radix omnium malorum cupiditas: quam quidem appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Auarus auarum exspoliat, spoliandus tandem & ille, quod his verbis eleganter Sanctus Basilius exponit: *In mari piscis minor, esca maioris est, vt is qui minorem superauerat, alterius præda fiat, & ambo tum simul deglutiuntur, & vnum vltimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid interest inter eum & vltimũ piscem, qui sua intemperanti diuitiarum cupiditate tenuiores se deglutit. Ille pauperis patrimonium raptum habuit, tu illũ oppressum partẽ tuarũ facultatũ fecisti, vide ne qui piscibus accidere solet, idem tibi finis eueniat*

Eccli. 2.
Ioan. 8.
Matth. 5.
Iacobi 2.
Prou. 27.
S. Bonauẽt. Diætæ salutis cap. 6.
Similia.
1.
2.
3.
Simile.
Plutarchus lib. de cupidit. diuitiarum.
Simile.
Stob. Serm. 8. de iniustit.
Apophthegma.
Homil. 64. in Matth.
Simile.
Homil. in diuites auaros.
Simile.
Super Psal. 14.
Simile.
Homil. in aliquot Scripturę loca.
Simile.
Homil 7. in auaros.
Matth. 10.
Exod. 5.
Chrysost. Homil. 40. in Matth.
Allegoria.
Exempla.
Iosue. 7.
4. Reg. 5.
Actor. 5.
Matth. 27.
1. Tim. 9.
Exaemeron Homil. 7.
Simile.

Exempla. *hamus forsitã, aut nassa, aut etiam rete.* Exempla esse possunt illustria, Mauritius Imperator, qui alio- A
Zonaras in Mauritio. qui bonus, sed auaritia incredibili laborãs, nec militibus in Thracia stipendia soluens, nec Lon-
gobardos per Italiã grassantes, vt pecunijs parceret, impediens; exosus omnibus, à Phoca, infi-
Socrat. l. 6. cap. 1. mæ sortis homine, vxore priùs & liberis ante oculos eius interfectis, crudelissimè occiditur: &
Paulus Diac. Stilico tyrannus, qui à militibus etiam simili ex causa occisus fuit; caputque eius lapide ori in-
fixo, vnà cum dextera manu hastæ superpositum, publicè per castra gestatum fuit, clamãte præ-
cone: *Date eleemosynam homini auaritiæ insatiabilis.* Hoc igitur malum vt ad exitum in hac vita mi-
serabilem sæpe perducit, ita æternæ vitæ beneficio sæpissime priuat.

6. *Et alius dixit: Vxorem duxi: & ideo non possum venire.*

Carnis libido. LOcus moralis contra omnem effrænem carnis libidinem, quæ violentum est adeundæ
beatitudinis obstaculum, & acerrimum impedimentum, planéque tyrannicum. Ideo
hic solus dixit: *Non possum venire.* Non quia vinci hoc peccatum, aut resisti huic tyranno
non possit, sed quia nisi difficillimè non potest. *Abstinete vos à carnalibus desiderijs quæ militant ad-*
1. Pet. 2. *uersus animam*, ait Apostolus. *Inter omnia certamina Christianorum* (ait August.) *sola dura sunt prælia* B
Lib. de honest. mul. cap. 2. *castitatis, vbi quotidiana est pugna & rara victoria. Grauem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie*
resistitur, & semper timetur. Sic & D. Ambros. *Fornicationem fugimus sequentem, quæ non post nos, sed in*
De pœnit. lib. 2. c. 14. *nobis sequitur. Nosmetipsos ergo diligenter videamus, ne, dum illam fugimus, nobiscum eam portemus.* Ideo
1. Cor. 6. Apostolus hoc vitij genus toto impetu fugiendum esse docet. *Fugite* (inquit) *fornicationẽ.* Cætera
S. Thom. in Comment. ibid. enim vitia vincũtur resistendo, etiã diabolus ipse, quia quanto magis homo in alijs particularia
tractat, tanto minùs in eis inuenit vnde delectetur, sed magis anxietur. At in hoc vitio quãto ho-
mo magis cogitat particulare, tanto magis incenditur. Vincit autem fugiendo, omnesq; eius
cogitationes celerrimè abiiciendo. Quare monet Apostolus, vt *omnis immunditia, fornicatio, scurri-*
litas, turpiloquium, nec nominetur in nobis. Huius mali pertinaciam his verbis docet S. Hieronymus:
In Epist. ad Furiam. *Auaritiæ calcatur à plerisque, & cum marsupio deponitur. Maledicam linguam indictũ emẽdat silentiũ. Cultus*
corporis, & habitus vestium, vnius horæ spatio commutatur. Omnia alia peccata extrinsecus sunt: & quod foris
est, facilè abijcitur. Sola libido insita à Deo ob liberorum procreationem, fines suos egreditur, redundat in vitium,
& quadam lege naturæ in scelus erumpit. Grandis virtutis est, & solicitæ diligentiæ superare quod natus sis, in
carne nõ carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi centum oculis obseruare. Hæc est
huius impedimenti difficultas: sic carnis libido impedit ne ad beatitudinem perueniatur. De
ipso recto & honesto carnis vsu coniugali proponit exemplum Christus, vt quũ in ipso honora-
bili cõiugio, & thoro immaculato difficultas inueniretur, multo magis in omni illicita carnis li- C
bidine eam inueniri non dubitemus. Hortatur Apostolus ad cœlibatum, quia ipsum matrimo-
nium, etsi licitum, impedimentũ tamen est orationis, cultus, & amoris Dei. *Volo* (inquit) *vos sine*
1. Cor. 7. *solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxo-*
re est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori & diuisus est. Propter hanc diuisionem, di-
xit iste in Euangelio: *Non possum venire.* Debeo cogitare ea quæ sunt mundi, quomodo placeam
vxori; familiæ, liberis, rei domesticæ prouidere debeo: non vacat de Deo cogitare. Quare D.
Ibidem. Apostolus mox ad virginitatem exhortans, ait: *Hoc ad vtilitatem vestram dico; non vt laqueum vobis*
injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.
Quòd si verò honestissimum matrimonium impedimentum est obsequij & cultus diuini, &
amorem erga Deum diminuit, quia animum ad secularium rerum curam abstrahit; quid erit
Coniugij impedimẽta. in illis coniugijs vbi vxor vel improba ad frequentem iracundiam, rixas & iurgia; vel super-
ba ad multum vestimentorum luxum; vel inuida ad simultates foris; vel lasciua ad zelotypiam
& suspiciones domi; vel denique luxuriosa ad variam libidinum fœditatem, virum sobrium,
mansuetum, pacificum, & castum prouocabit? aut vbi vir improbus vxorem bonam ad huius-
modi incitabit? In tali matrimonio quàm verè vtráque pars dicet; *Vxorem duxi, viro nupsi: & ideo*
non possum venire! Si prima parentis nostri vxor, quam ipse Deus Adamo sociam dedit, eum ad
Anton. in Melissa, par. 2. Serm. 34. peccatum induxit, & paradiso eiecit: quantum timendum est, ne quam tu ipse tibi elegeris,
tantundem tibi faciat? Socrates se consulentibus de ratione matrimonii contrahendi dixit: D
Apophth. Plutarc. in P. Æmil. *Quemadmodum pisces, ô adolescentuli, qui nondum intra nassas sunt, volunt intrare; qui autem iam intus*
sunt, volunt exire: sic & vos, ne idem vobis accidat, videte. Paulus Aemilius, quum diuortium eius
cum vxore nobilissima factum amici mirarentur, causamque inquirerent; ostenso quem ge-
stabat calceo nouo, dixit: *Nemo vestrum qua me parte calceus premat nouit; ego id tantum persen-*
1. *tio.* Charondas in his legibus quas Thuriis tulit, scriptum reliquit illud Philemonis Comi-
2. ci: *Se non mirari qui semel esset mare ingressus, sed qui iterum; ita eum non admirari qui vnam vxorem*
Domit. Brusson. facet. lib. 7. *duxisset, sed qui alteram.* Quare Cicero rogatus ab Hircio, vt post Terentiæ repudiũ sororem eius
3. duceret, negauit, dicẽs *non posse se vxori & philosophiæ operã dare.* Thales Philosophus vrgẽti matri
4. vt vxorẽ duceret, *Non est adhuc*, inquit, *tempestiuũ. Emensa ferè ætate acrius illi instanti, Iã*, inquit, *intẽ-*
5. *pestiuũ est.* Idẽ à Solone Athen. ad nuptias incitatus, tacuit primũ: sed paulo post, quum nuncium
6. quasi Athenis venientem subornasset, qui Solonis filium mortuum, & publico funere eductum
nunciaret, remque illã ægerrimè Solon ferret, tum Thales ridens, *Hæc me*, inquit, *Solon à nuptijs*

& pro-

A *& procreandis liberis dehortantur, quæ te hominem fortissimum & constantissimum frangunt.* Dixit alius Philosophus: *Si pulchram duco, zelotypia laborabo: si fœdam, amare non potero: si diuitem, superbam & immorigeram habebo: si pauperem, onerosam. Carere igitur optimum est.* Sanè quæ nuptiarum incommoda Socrates de vxore ducenda rogatus commemorat, *perpetua solicitudo, querelarum contextus, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessio alieni matrimonij, incertus liberorũ euentus,* facilè docent, quàm verè dictum sit, *Vxorem duxi: & ideo non possum venire,* id est, nisi difficillimè possum venire. Quamquam præcipuum incommodum diuisionem & distractionem à Deo rebúsque diuinis, quam Paulus assignat, sapientissimus ille Philosophus videre non potuit. De incommodis nuptiarum plura vide apud D. Hieronymum. *In lr. cõtrà Iouinianũ.*

Cæterùm si legitimum ipsum matrimonium tantum salutis impedimentum est; quale erit vaga & illicita quæuis carnis libido? Sanè nihil hominẽ magis à Deo auellit, & tenaciùs auulsum retrahit. Sicut enim *qui adhæret Deo* per amorem castum, *vnus cum eo spiritus est,* ideóque Spiritu Dei perpetuò agitur: sic econtrà carnis libido hominem totum carni immergit. *Qui enim adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Idcirco Apostolus (vt annotauit D. Chrysostomus) non dixit: *Accipiens membra Christi,* coniungam ea membris meretricis (quod solum indignissimum foret) sed dixit: *Accipiens membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Hoc igitur peccatum habet maximam ad creaturam conuersionem, & à Deo auersionem: quia cum creatura quam fœdè B amat, vnum fit. Sic ergo creaturæ turpi amore vnitus, verissimè dicere potest, *Non possum venire.* Nullus hic excusationi locus est. Alligatus & vnitus alteri sum: separari nequeo. Non sic visco auiculæ frondibus irretiuntur, vt auolare nequeant; non sic cæmento lapides in ædificio continentur, vt dissolui structura non possit; non sic glutine & bitumine ligna coniunguntur, vt firmiter cohæreant, sicut libidinis vsus hominem carni immergit, ne cum Dei Spiritu quicquam commercij habeat. Quemadmodum enim aqua quàm diu suam retinet naturam, igni aduersatur atque resistit; sed si in ardentem focum iecta in ignem vertatur, ipsum ignem vehemẽtiùs accendit: sic in homine voluptuario ipse spiritus in carnem versus, non nisi carnis desideria perficit. *Libido* (ait Augustinus) *non solùm totum corpus, nec solùm extrinsecus, verùm etiam intrinsecus vendicat, totúmque commouet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto, ita vt momento ipso temporis, quoad fœdissimæ eius voluptatis peruenitur extremum, penè omnis acies & quasi vigilia cogitationis obruatur.* Explicat hoc ipsum D. Ambrosius, exponens illud Apostoli, *Qui fornicatur, in corpus suum peccat: Cætera* (inquit) *peccata etsi per corpus fiant, non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam & obnoxiam, quemadmodum commisceri facit animam cum corpore, quasique ei immergi vsus libidinis agens in opere fornicationis. Tunc enim ita agglutinatur anima corpori, vt in ipso momento nihil aliud* C *cogitare homini liceat aut intendere: quia ipsam mentem captiuam subdit ipsa submersio & absorbitio libidinis & concupiscentiæ carnalis.* *Vagæ libidinis turpitudo.* *I. Cor. 6.* *In cõment. ibidem.* *Similia.* *De Ciu. Dei li. 14. c. 16.* *In cõment. in 1. Cor. 6.*

Nec verò in actu tantùm huius peccati ista fit mentis submersio, sed & post actum. Huius enim fœdæ libidinis vsu magis ipsa accenditur & irritatur: vt de hoc propriè peccato dixerit D. Ambros. *Facilius inueni qui seruauerint innocentiam, quàm qui congruè egerint pœnitentiam,* ideóque vt alio in loco demonstrat, certamina viduarum acriora sunt, quàm virginũ. Et cũ in omnibus peccatis consuetudo peccandi maximam afferat emergendi difficultatem, vt in alia Dominica explicuimus, tum potissimum in peccato carnis. De hoc enim Scriptura dicit; *Fornicatio & ebrietas* (quę sunt quasi pedissequa & domina, *nam in vino luxuria) auferunt cor.* De hoc dicitur: *Infixus sum in limo profundi, & tempestas aquæ demersit me.* De hoc propriè dixit Salomon: *Ignorat quòd ad vincula stultus trahitur.* De hoc dixit Ieremias: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis mala.* Illa enim mala erant, sicuti subiungit, *Adulteria tua, & hinnitus tuus, & scelus fornicationis tuæ.* De hoc carnis peccato disputauit August. quando de difficultate prauæ consuetudinis ea scripsit, quæ superiùs ex eo citauimus Dominica citata. Nec in sua cõuersione aliã maiorem inuenit difficultatem August. quã vt vxore careret, vt ipsemet copiosè describit; adeò sanè vt Alipium amicum suũ continentem, propemodum ad coniugij vin- D cula traxerit; in D. autem Ambrosio quum cætera miraretur, vnum eius cœlibatũ laboriosum sibi visum fuisse scripserit. In vtraque hodie India tam Orientali quã Occidentali, & in Insulis Iaponicis, multi Reges & Principes hanc vnam ob causam ne plures vxores habere desisterent, ad Christi leges amplectendas vel non accesserunt, vel seriùs accesserunt. In postremis literis ex Goa scriptis, anno salutis 1587. Decemb. 19. sic legimus: Fixiba Quabacundonus Rex Meacẽsis, & omnium in Iaponia potentissimus princeps, accedens ad Ecclesiam Patrum Societatis Iesu; vt suam erga eos beneuolentiam ostenderet, his inter cætera verbis vsus est: *Scire vos volo, legem vestram mihi per omnia placere, nec vllam in ea difficultatem me inuenire, excepto quòd plures vxores habere vetat. Quod vnum si non iuberet, statim fierem Christianus.* Sic iste miser princeps vnus ex illis est, qui dicit: *Vxorem duxi: & ideo non possum venire.* *Violentia libidinis carnalis.* *De pœnit. In lib. de viduis.* *Dom. Sex. text. 4.* *Oseæ 4.* *Ephes. 5.* *Psalm. 68.* *Prou. 7.* *Ierem. 13.* *Exempla.* *Confess. l. 6 cap. 12. & seq. cap. 3.*

Sed & quàm multi inter fideles propter vxores pereunt, qui absque vxoribus salui essent? Sãpson per suam Dalilam perijt. Salomonis cor deprauarunt mulieres, vt idola coleret. Achab instigante Iezabel persequitur Prophetas Dei. Herodias Herodem perdidit. Mulieres Moabitæ filios Israël deceperunt. Theodora hæretica Iustinianum Imperatorem virum suum induxit, vt duos Pontifices Romanos in exilium cogeret. Attamen ne res vxoris à cultu & obsequio Dei quenquam retardaret, his verbis docuit Christus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem* *Exemplã. Iudic. 14. 16.* *3. Reg. 11. 21.* *Marci 6.* *Mũ. 22. 23.*

Luc. 14. *suam, & matrem, & vxorem, & filios, non potest meus esse discipulus.* Non sic amari vxor debet, vt Dei A
Simile. amor propterea minuatur. Eleganter D. Gregorius: *Sicut flamma admotis rebus incendium porrigit;*
Moral. l. 7. cap. 8. *sed idem incendium ignis ipse vbi nascitur prius excitat: sic fidelis animus vxorem & liberos propinquiores sibi fœdere coniunctos amare certè debet, & illis plus cæteris prodesse; Deum tamen, vnde ille amor nascitur, sic intus amare debet, vt cursum mentis ad Deum non impediat nec retardet.* Nempe amorem erga vxores, & na-
Ephes. 5. turæ instinctus (cuius auctor est Deus) & ipsum Dei præceptum (*Viri diligite vxores vestras*) fide-
Gen. 2. lium animis instillauit atque inseuit. Non debet contra Deum militare, quod ad tuam consola-
1. Cor. 6. tionem, & in *Adiutorium tibi simile* Deus concessit. Rursum quod in remedium peccati datum est, occasio peccati esse nisi apud ingratissimos non potest. *Propter fornicationem* (ait Sanctus A-
1. Reg. 6. postolus, id est, ne quis fornicetur) *vnusquisque suam vxorē habeat, & vnaquæque suum virum habeat.*
Allegoria. Duę vaccæ quæ portabant arcam Dei (vitulis earum domi reclusis) ibant in directum, & itine-
re vno gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinantes neque ad dexteram neq; ad
Vbi suprà. sinistram, *sic necesse est* (ait D. Gregorius) *vt incedere debeāt, qui sacræ Christi legis iugo suppositi, iam per fidei professionem Dei arcam portant, quatenus propinquorum necessitatibus condolentes, à rectitudinis itinere non deflectant.* Hæc ille.

Iam verò quia Christus in hac parabola non solum status matrimonialis difficultates, sed B
totam effrænis libidinis impuritatem taxare voluit, & eius ad salutem impedimentum docere,
sicut in duobus aliis, ambitionis & auaritiæ peccata taxauerat: poterit hic Concionator loco
satis proprio de luxuriæ peccato copiosius agere eiusque & causas & remedia & fugam docere.
De causis luxuriæ. Causas luxuriæ his verbis Prophetæ tradit: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: Superbia, & saturitas*
Ierem. 16. *panis & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius.* Tria notauit, superbiam, gulam, & otium. Super-
Superbia luxuriæ causa. bia non tam incitat ad libidinem, quam secum pertrahit vt pœnalem comitem. Primus parēs
ex superbia lapsus, carnis rebellionem pro pœna statim accepit. *In illius peccati pœna* (ait Augu-
Rom. 7. stinus) *quid aliud inobedientiæ quam inobedientia retributa est; Nam quæ est hominis alia miseria, quam aduersus eum ipsum inobedientia eius ipsius?* De hac Apostolus: *Inuenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Superbia gentium, immunditia carnis punita est: *Quia cum cognouissent Deū, non*
Rom. 1. *sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Tradidit eos Deus in desideria cordis sui, in*
Moral. lib. 26. cap. 12. *immunditiam. Ecce* (ait Gregorius) *caro mersit, quia superbia subleuauit. Intus prius extollitur, quod foris postmodum luxuriæ corruptione feriatur. Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit.* Sic Oseas Propheta, quum dixisset, *Spiritus fornicationis in medio eorum;* causam
Osee 5. subdit: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem eius.* Est autem pœna conueniens, quia nullum pec-
catum fœdius, nec quod hominem magis humiliat, brutóque similem reddit. Fiunt enim luxu-
Psalm. 31. riosi *sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus.* Hoc adeò verum est, vt ipsi iusti, ne in superbiā
efferantur, hoc stimulo carnis comprimantur. Sic de se D. Paulus: *Ne magnitudo reuelationum me* C
2. Cor. 12. *extolleret, datus est mihi stimulus carnis.* Denique superbia elatos in carnis peccatum prolabi Deus
De verb. Apostoli. Serm. 3. permittit, vt humilientur, propter quod exclamat August. O *venenum superbiæ, quod non curatur*
Gula luxuriæ causa. *nisi veneno luxuriæ!* Aliam luxuriæ causam gulam & saturitatem Propheta assignauit. *Nolite* (in-
Ephes. 5. quit Apostolus) *inebriari vino, in quo est luxuria.* Et rursus: *Ego castigo corpus meum, & in seruitutē redigo.* Et iterum: *Vidua in delicijs viuens mortua est.* Sic post Apostolum Patres. *Pascitur libido conuiuijs*
1. Cor. 9. (ait Ambros.) *nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Sic Hieronym. *Frustra castitatē quæ-*
1. Tim. 5. *ris sine suis comitibus & appendicijs, continentia & parcitate.* Et alibi: *Lasciuiens iumentū frænis inediæ subiugare debes, vt non libidinem, sed cibos quærat, & sessorem Spiritum sanctum moderato & composito portet in-*
De pœnit. lib. 2. c. 14. *cessu. Qui carnem pascit, armat aduersarium contra se.* Sicut nauis nimium onerata demergitur in pro-
In epist. ad Friam & Saluinam. fundum: sic corpus cibis onustum in turpitudinem deprimitur. Subtrahe ligna, si vis vt non ar-
deat focus. Ignis carnalis ligna sunt cibi & potus. Arma quibus hostis te inuadit, membra
carnis tuæ sunt. Illa igitur mortificare, non roborare debes. Daniel primùm destruxit idolum
Bel, & postea draconem in eo latentem expulit. Caro priùs mortificanda, vt internus luxuriæ
hostis penitus eiiciatur. Periculosum est pullo indomito sine chamo & fræno insidere. Absti-
Similium congeries. nentia carnis frænum est. Sicut vbi magna ciborum in domo copia est, ibi multi mures & feles
1. versari solent: sic eā corpora quæ multum cibi capiunt, multas libidines generant. Sanè
2. eum qui saturo corpore castitatem se putat seruaturum ei similem dixit Climacus, qui proie-
3. Allegoria. cto pane canem à se abigere conatur. Quare futuram virginem docet Sanctus Basilius ante
4. omnia gustum vincere. Aliud libidinis incentiuum, otium est: *Otiositas multam malitiam docuit;* D
5. sed hanc potissimum quam alia Scriptura explicat: *Desideria occidunt pigrum. Tota die concupiscit, &*
6. *desiderat.* Caro lasciuiens ac naturâ rebellis ad agonem & certamen virtutis nobis relicta est, si-
In l. de vera virgin. cuti quosdam Chananæorum populos noluit delere Dominus, *vt erudiret in eis Israelem:* Si er-
Eccli 33. go non certamus, si otio diffluimus, erit nobis caro in ruinam, sicut filiis Israël impinguatis, &
Prouer. 21. incrassatis dij gentium vicinarum erant. Vnde Diuus Gregorius: *Inter opera & labores spirituales*
Otiū luxuriæ causa. *contra stimulos carnis fortes sumus: sed si quasi fessi à solidæ conuersationis rigore torpescimus vel remittimus,*
Iud. 2. & 3 *dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israelem vincunt.* Et hu-
Allegoria. ius causam paulò post reddit: *Quum duas simul res cogitare non possumus, fit vt aliquid aliud cogitando*
In 1. Reg. lib. 6. cap. 1 *non cogitemus immunda. Celer ergo & facilis victoria libidinis est, circumspectio cogitationis; si quoties car-*
Ibid. cap. 2 *nalia obuiant, ad aliquid aliud recurramus, quod libidinis non sit incitamentum.* Hoc sanè est, vt Scriptu-
2. Cor. 6. ra suadet, *fugere fornicationem*: eius cogitationem statim excutere, & animum aliò conuertere.

Sic

A Sic diuus Basilius, tentationis carnalis remedium rogatus, respondit: *Desiderium rerum meliorum.* Sic frater Aegydius: Quum accedunt huiusmodi cogitationes, abige illas à te, dicēdo: *Iam alius hospes meum domicilium occupauit.* Sic & diuus Ambrosius: *Si non penitus libidinem nostro excutimus animo, tollimus eam magis nobiscum, quàm post nos relinquimus.* Excutienda igitur vt vipera, fugienda vt pestis, omnis cogitatio carnalis, ne torpentem opprimat, & desidiosum interimat. Accedit ad has luxuriæ causas, turpiloquium, quod Apostolus pariter cum fornicatione interdicit: *Omnis* (inquit) *fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet.* Et alibi: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Vnde diuus Ambrosius, postquam dixisset, *Pascitur libido conniuiis*, &c. adiecit: *Grauiora sunt his fomenta verborum.* Nam *veluti lapis* (ait S. Basilius) *in aquam cisternæ coniectus, non solum adiacentem aquæ partem in quam cecidit, agitat, verum orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit: ita sermo lasciuus in animam casta velut in vndam purissimam vehementer coniectus, alias post alias quasi in profundo amatorias cogitationes excitat, totamque animam voluptatis fluctibus agitat.* Rursum sicut nauis ad omnem venti impetum fertur; sic mens humana verbis honestis quasi vento secundo nauigans, ad portum fœlicitatis pertinget: at prauis & improbis, quasi vento illi aduerso impulsa, naufragium facit. Verba loquentium aures audientis feriunt, sicut ventus vela, pariterque nauem impellunt. Hæc ergo quatuor vitanda vt luxuria fugetur, castitas conseruetur.

In Reg. breu. ad q. 30. Apophth. De pœnit. li. 2. c. 14. Turpiloquium luxuriæ causa. Ephes. 5. 1. Cor. 5. De pœnit. li. 2. c. 14. In lib. de vera virginitate.

B Alia adhuc duo sunt, vehementissima libidinum incitamenta nisi caueantur, præsentia remedia si caueantur; Aspectus videlicet & tactus inhonestus. De aspectu primum, postea de tactu pauca, sed idonea, proferemus. Oculorum custodiam contra luxuriam S. Scriptura frequenter inculcat: *Ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est domos vestras.* Et rursum: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Dauid orat: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Ipsum videre metuit. Sapiens monet: *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.* S. Iob dicit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Fœderis autem hæc ratio erat, vt illi quidem voluptatem amitterent videndi quæ vellent; vnde hoc lucrum & beneficium reportarent, ne postea lachrymis & luctu perceptam ex voluptate maculam eluerent quod Dauid facere coactus est, visa Bethsabee; vnde dixit: *Lachrymis meis stratum meum rigabo.* Sanè sicut naturaliter ægros aliorum oculos inspiciendo, nostros lædimus; ea autem contuendo quæ aspectū iuuant, noster quoque proficit obtutus: ita sanè cum voluptatis indiciis injicimus oculos, animus voluptatis morbo fit saucius; veris autem bonis cum intendimus, ab oculis ad animum illa quoque deriuantur. Vt quid ergo per curiosos aspectus periculis nos obijcimus? Difficilius est animum, vbi aliquid pulchrum visu susceperit, purum & integrum conseruare, quàm illum à videndo cohibere. Si ergo modo prius quàm illud videam, continere me non possum ne videam: quomodo vbi iam videro, & pulchritudine illa me illaqueauero, hærentem animo voluptatem excutere potero: *Qui amat periculum, peribit in illo.* S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, sic ab omni fœminarum aspectu abstinebat, siue in audiendis confessionibus, siue in colloquiis familiaribus, vt diceret, se nullius mulieris (vna excepta) ita faciem aspexisse in toto Episcopatu suo (quem valde amplum per annos 50. tenuerat) vt ex consideratione vultus, si occurreret, quænam esset, posset cognoscere. Sed & aliquando cum femina quędam diu eum conuenisset, quæ cultu ferè meretricio lasciuissimè compta esset, qui astabant clerici seueritatem eius cognoscentes, abeunte illa, eum rogarunt, quo modo sine iusta aliqua reprehensione tantam mulierculæ luxuriam & petulantiam dimisisset. Sed ille respondit, se nihil tale in ea animaduertisse. Porro & à virorum quoque vultibus religiosæ mentis auertendum dicebat intuitum, asserens per communionem humanæ mutabilitatis atque compassionis fieri, vt affectiones conspecti ad memoriam conspicientis frequenter recurrant, & de conspecto irato iratus, de tristi tristis, de lasciuiente lasciuus fiat: quas passiones satis est habere vnumquemque proprias, non in se trāscribere opus est alienas. Hęc ille. Sanctus Arsenius Eremita, cum matrona quædam Romana longis itineribus ad eum videndum venisset, illęque post multas preces, & Episcopi intercessionem, ei se conspiciendum præbuisset; à muliere rogatus vt eius in suis precibus meminisse vellet; *Imo vero*, inquit, *dabo operam; idque Deum serio rogabo, ne tui vnquàm amplius meminisse queam.* Quum virginem quandam, quæ se ab omnium virorum oculis remouerat, transiens per locum S. Martinus Episcopus loci inuisere vellet; illa per alteram mulierem se excusans, nec ab eo ipso videri voluit: quod ille vir tantus ac talis, & æquo animo tulit, & vehementer laudauit. Cum aliquando apud Iordanem iter faceret magnus ille Sabas, multorum monasteriorum Pater,

Oculorum custodia. Ierem. 21. Thren. 3. Psal. 118. Prou. 23. Iob 31. Exemplum Psal. 6. Basil. li. de vera virg. Simile. Eccli. 33. In vita eius apud Surium. 1. Aprilis. Exempla. Custodiæ oculorum. 1. In vita eius apud Surium. 2. Seuerus Sulp. Dial. 2. c. 13. 3.

D cum discipulo iuuene, & secularibus in via occurreret, inter quos puella erat specie venusta, vagis & lasciuis oculis, postquam illi præteriissent, Sabas veluti tentans discipulum, Tibi inquit) qualis visa est puella? Mihi enim visa est vnum tantum habere oculum. Nequaquam (inquit ô pater sed duos habebat oculos. Ille vero: Falsus es ô fili: erat enim reuerā orbata vno oculo. Discipulus autem ignorans hanc interrogationem fuisse tentationem, Nequaquam, inquit, ô Pater, sed valde lucidos habebat oculos, & visu iucundissimos. Sabas autem: Qui factum est vt scires hoc tam accuratè, & tam constanter hoc audeas asseuerare? Ego (inquit) eam pulchre attendi, & apertè noui eam habere duos oculos. Tum diuinus ille Pater implicatum discipulum tenens, An non, inquit, legisti, *Ne capiaris nutibus illius*? De cætero ergo non amplius

Apud Surium to. 6. p. 778. 4. Prou. 6.

Exempla ethnica. mecum verſaberis,donec aſſuefeceris oculum non ſic vagari, ſed in loco manere. Quo dicto, A
eum ad multum tempus incluſit in altero monaſterio. Sed & hanc oculorum cuſtodiam ipſos
ethnicos ratio & natura docuit. Antiochus Aſiæ rex ad Pantheā egregia forma virginē viden-
Plutarch. in reg. Apoph. dam,vt regiis oculis dignam,inuitatus,recuſauit,dicens; *Si modo illam conuenero,quum per otium vacat,fortaſſe illa mihi perſuaſura eſt,vt neglectis regni negotiis illam conueniam,quum etiam non vacet.* Ale-
Plutarch. in Alex. xander Magnus cum Darij filias haberet captiuas,demiſſis oculis eas ſalutabat, idque raro, ſibi
Q. Curtius metuens ab illarum forma inſigni. Idem dicere ſolebat:Dolores oculorum ſunt Perſicæ puellæ;
verum ego eas tanquam ſtatuas prætereo. Hæc de oculorum cuſtodia. Nunc de tactu fu-
De tactu fugiendo. giendo.

1. Cor. 7. Apoſtoli dictum eſt:B*onum eſt mulierem non tangere*. De quo verbo dixit ſenior quidam: *Filioli, ſal ex aqua eſt;& ſi appropinquauerit aquæ,continuo ſoluitur & deficit. Similiter vir ex muliere eſt; itaque ſi*
Pratum ſpir. c. 217. *appropinquat mulieri, ſoluitur & ipſe.* Alius Pater ſic ſuos diſcipulos docuit:Pluuia bona eſt,& ter-
Simile. ra bona;tamen ex eorum commixtione fit lutum,quo cæteræ res fœdantur. Sic & manus viri
In vita P. Iordanis apud Surium to. 7. licet bona fuerit,ac ſimiliter mulieris,ex mixtione tamen illatum nonnunquam cogitatio vel
affectio mala conſurgit. Nempe, *qui tangit picem, inquinabitur ab ea:& quomodo poteſt homo ignem in*
Simile. *ſinu ſuo geſtare,& non comburi?Sicuti impoſsibile eſt* (ait S.Baſilius) *eum qui ignem tetigerit manu, illæſam*
manum ſeruare, ſed aut bullæ repentè tactum conſecutæ turgeſcunt,& futura minantur,aut iam facta cernuntur vlcera:ita poſsibile non eſt eum qui amoris impetu tactum fecerit, illum tactum innocuum perferre,ſed aut B
Eccli. 13. Prou. 6. In lib. de vera virg. *bullæ perturbationum cordi ſubrepunt, aut peccati vlcera ſtatim erumpunt. Si dum caudam quis tantum ſerpentis attingit, caput licet magna corporis prolixitate diſiunctum,ad caudæ tactum repentè conuertitur;& ſi digito pedis noſtri impingente, capilli capitis mox in ſublime feruntur, profecto vitioſus contactus, etiam ſi manu tantum fiat, à capite tamen vſque ad extremos vngues,ad ſenſum voluptatis totum pertrahit corpus.* Hæc
Eccli. 9. ille. Rectè monet Sapiens:*Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum.* Ab
1. Cor. 7. his ergo omnibus cauere debet,qui *vas ſuum poſsidere vult in ſanctificatione, vt ſit ſanctus corpore &*
Simile. *ſpiritu,& glorificet Deum in corpore ſuo,& templum Dei,quod ipſe eſt,violet.* Sicut arces quæ in hoſtium confinibus ſitæ ſunt,vallis & foſſis,cæteriſque propugnaculis propter hoſtium incurſiones & inſidias muniri ſolent:ita caſtitas omni cura & ſolicitudine tanquam magis expoſita periculis, ſepienda atque vallanda eſt,à cibis,ab otio, à verbis,ab oculis,à tactu periculum illi eſt,vbique & ſemper periclitatur.

Caſtitatis ſeruatæ exempla. Ad eam ergo integerrimè conſeruandam,& ad luxuriæ tyrannidem penitus excutiendam, C
miris & violentis mediis vſi ſunt viri ſancti. Sanctus Franciſcus circa conuerſionis ſuæ pri-
1. *In vita eius per S. Bonau. c. 5.* mordia tempore hiemali in foueam glacie plenam ſeipſum plerunque mergebat, vt domeſticum ſuum hoſtem perfectè ſubigeret. Sanctus Thomas Aquinas adhuc iuuenis,in domo materna,immiſſa in cubiculum eius meretricula arrepto è foco titione ardenti eam fugauit. San-
2. *In vitis ſingulorum apud Surii* ctus Benedictus à carne ſe grauiter titillari aduertēs, in vepres ſe nudum coniecit, corpuſque totum lacerauit, vt tentationem fugaret. Nobilis quædam & pulcherrima fęmina ſanctum
3. VVolſtanum Epiſcopum in Anglia Vigornienſem ad turpitudinem prouocauit. Ille, audita
4. fęminæ voce, ingentem alapam mulierculæ impegit, tanto niſu, vt crepitus illiſæ palmæ tota
5. domo audiretur, verbiſque ſeueriſſimis & Epiſcopo dignis abegit. Sanctus Bernardinus Senēſis quum panes oſtiatim mendicans,ex inſtituto ſancti Franciſci, à fęmina quadam ſub ſpecie eleemoſynæ accipiendæ introductus,ad libidinem tentaretur, vbi eam expoliare ſe nudam iuſſerat, (neque enim alia euadendi via occurrit) eam flagello ex funiculis,quod fortè ſecum circumtulerat, egregiè flagellando, tum illam à libidine,tum ſeipſum à tentatione liberauit. Si-
6. mile de ſancto Edmundo Cantuarienſi Archiepiſcopo, quum adhuc iuuenis Lutetiæ literis
7. operam daret, legitur. Sanctus Bernardus ingrediente ad eius lectum hoſpita ſua (dum fortè
In vita eius li. 1. c. 3 in itinere eſſet) vociferando,latrones,latrones, illam abegit, & ſeipſum ſeruauit. Sed exem-
8. plum ſeruatæ caſtitatis maximè memorabile eſt ſanctus Martinianus Eremita. Ad eum venit
Apud Surium 13. Februar. ſub noctem meretrix,mendici ſpecie,pannoſa;& imbribus compluta, flens & eiulans, & hoſpi- D
tium flagitans,ne in illa ſolitudine deuoretur à beſtiis de nocte graſſantibus. Ille miſericordia
victus in cellam exteriorem eam inducit, appoſitiſque ei pane & dactylis, ignique accenſo, in
interiorem cellam ſe recepit;iubens eam ſeipſam curare. Poſt noctis medium tentari ſe intelligens,egreditur vt illam expellat:& ecce videt eam pulcherrimis veſtibus ornatā, quas ſecum in pera meretrix adduxerat. Obſtupefactus,& meretricem eſſe videns, turbatur & tentatur, maximè prouocante illa,& matrimonium pollicente,omniumque rerum neceſſariarum ſuppeditationem. Aſſentitur ille,ſed prius foras egrediendum,& circumſpiciendum eſſe ait, ecquis fortè in via ſit eo veniens;quia à multis & ſæpe viſitari ſolebat. Montem ergo vicinum petit, vbi ſeipſum colligens,& à Deo motus redit cum ſarmentis lignorum, ex quibus luculentum ignem facit, ſéque mox in illum nudum conijcit,vt igni illo corporali internas flammas comprimat.Quo viſu meretrix & ipſa vehementer compuncta, facti pœnitentia ducitur. Veniam petit,& accepto ab eo conſilio, Ieroſolymam vadit,& monaſticum inſtitutum complexa, totum vitæ reliquum in eo ſtatu conſummauit. At ſanctus ille eremita volens ſibi in poſterum prouidere, cellam reliquit;& loco ſolitario diu quæſito,tandem à nauclero quodam edoctus, ad rupem quandam anguſtam in mari poſitam,procul à terra diſtantem,excelſam & terribilem perducitur,in eaque ſe includit:pacto hoc cum nauclero inito,vt ille bis aut ter in anno panem

& aquam

& aquam recentem adferret vnde se aleret, ipse vero ex ramis palmarum, quos nauclerus sup-
A peditaret, sportulas conficeret, quæ nauclero cederēt pro alimento allato & ramis. Quum ergo in illa rupe sub dio sex annis egisset, solo nauclero conscio, ecce puella quædam formosissima naufragium passa, ad illam rupem iactatur; quam illa apprehendens, & virū sanctum videns, exclamauit vt ad se leuare, & à fluctibus eam liberare vellet. Ad hanc nouam tētationem subridens vir sanctus, puellam quidem in rupem accipit, sed dato illi pane, & aqua quam habebat, bonisque verbis consolatus, significans ei fore vt post duos menses nauclerus eo veniat, facto signo Crucis, & Dei nomine multis precibus inuocato, in mare se proijcit. Statim autem duo delphines eum acceperunt, & in terram detulerunt. In quam quum venisset, reliquum vitæ suæ tempus peragrando de loco in locum, & nusquam diu consistens, consummauit. Docent hæc exēpla, quanto studio fugiēda statim omnis carnalis libido est, nec vllus ei aditus cōcedendus. Sancti isti viri optimè intellexerunt, quantū ad beatitudinem consequenda impedimētum vel semel gustata nefaria libido attulisset. Nouerant luxuriæ peccatū gehennæ esse simillimum. Nam sicut in gehenna est ignis ardens, vermis rodens, & sulphur fœtens; sic in peccato luxuriæ est ignis concupiscentiæ, vermis conscientiæ & sulphur infamiæ. Meminerant luxuriæ peccatum grauissimè semper à Deo in Scripturis punitum. Propter luxurię peccatum diluuium toti orbi inductum est, Sodomæ igne de cælo consumptæ, Hemor subito occisus, Sichem euersa, tota tribus Beniamin ad internecionem deleta, Amon à fratre Absalon occisus, Salomon idololatra factus, Dauid ipse deceptus, Saræ septem mariti occisi, senes Susannæ accusatores lapida-
B ti, populi Israelitici hominum 24000. interfecti, & Samson excæcatus est. Sancta Christina virgo mirabilis incredibili eiulatu sæpius deplorabat, totum ferè genus humanum corporis pollutione corrumpi, eaque de causa iram Dei vniuerso orbi imminere. In huius loci explicatione paulo prolixior fui, tum propter huius peccati passim regnantis singularem turpitudinem, tum quia vix in aliis Euangeliis iste locus recurrit.

Luxuriæ gehennæ similis.

Luxuriæ punitæ exempla.

Gen.6.19. 34.

Iudic.20.

2.Reg.17. 13.

3.Reg.11.

Tobię 3.

Dan.13.

Num.25.

Iudic 16.

In vita eius c. 29.

7. *Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.*

LOcus moralis de vocatione nostra ad salutem solicitè conseruanda. Docet enim Saluator nec Iudæos, nec Christianos, nec horum aliquos, ad quemcunque gratiæ statum vocatos, securos propterea esse debere, quod semel inuitati, semel Dei gratia donati fuerint, quasi postea excidere non debeant, aut quasi absque eis Ecclesiam suam Christus non haberet. Exemplo nobis esse potest summi sacerdotij in veteri Lege status. Aaroni summo sa-
C cerdoti quatuor erant liberi, ad quos summi sacerdotij dignitas descendere debuit; quorum duo Nadab & Abiu pariter interfecti sunt, igne de cælo percussi, quiā igne alieno, & non ex altari sumpto, thurificare præsumpserant. Supererant Eleazarus maior natu, & Ithamar. Phinees Eleazari filius, quia zelo zelatus percussit adulterum publicè peccantem, promissionem accepit summi sacerdotij in eius stirpe mansuri: sed eius posteris peccantibus, ad stirpem Ithamar facta est promissio, iuxta illa Dei verba ad Heli summum sacerdotem in Silo: *Loquens loquutus sum vt domus tua, & domus patris tui* (is fuit Ithamar) *ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum.* Sed quum eius duo filij Ophni & Phinees abuterentur sacerdotio, nec ab Heli corrigerentur, vide quid Deus statuerit: *Nunc autem dicit Dominus, Absit hoc à me. Sed quicunque homo glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vnde factum est, vt vno eodemque die Ophni & Phinees in bello caderent, & ipse Heli retrorsum cadens, fractis ceruicibus interiret; vno quoq; & eodem die Abimelech cum aliis 85. sacerdotibus de stirpe Heli, iubente Saule, occiderentur; ac demum Abiathar de stirpe illa postremum sacerdotem *Salomō deposuerit, ne esset summus sacerdos*; ea dignitate ad Sadoc de stirpe Eleazari translata, in qua & postea mansit. Magna fuit Orientalis & Africanæ Ecclesiæ gloria: ex qua doctissima Ecclesiæ Christianæ lumina prodierunt: in qua pleraque de rebus fidei antiquissima Concilia celebrata sunt: sed eorum posteris venire dedignantibus, & post suas cupiditates ambitionis, auaritię, carnis, ita abeuntibus, vt primum variis atque innumeris hæresibus (vt alio in loco ostendimus) ac postea Mahometo manus dantibus; itum est in plateas &
D vicos ciuitatis, id est, in alias partes orbis cogniti, in partes istas Septentrionales. Eodem enim tempore quo sub Heraclio Imperatore (quo regnante Monothelitæ vehementer grassaban tur, & Concilium Chalcedonense passim contemni cœpit) Mahometes prævaluit, & in eius legem Persia, Syria, totusque ferè Oriens breui tempore iurauit: per Anglos recenter ad fidem conuersos, sanctum Bonifacium, V Villebrordum, Suibertum, Marcellinum, V Vinocum, & alios, magna Germaniæ pars, Frisia, Hollandia, V Vestphalia ad fidem Christi conuersæ fuerunt. *Si Deus naturalibus ramis non pepercit* (ait Apostolus) si Iudæos propter incredulitatem & impietatem reprobauit; *ne fortè nec tibi parcat*, vide, qui insertus es in oleastrum: *vide* potius *in te bonitatem Dei si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.* Videndum iterum atque iterum ne à nostra quoque Europa; dum ambitionis, auaritiæ, carnis desideria sequimur, recedat Deus per seruos suos verbi prædicatores, & nobis quoque relictis mittat eos *in vias & sepes*, id est, in ré-

Vocatio virtute tuenda.

Exempla.

Num.3.

Num. 25.

1.Reg.2.

3.Reg.2.

In Orat. quodlibet hæreses horum temp. esse Antichristo proximas.

Rom.11.

In vtraque India Orien. & Occiden. vel Americ. motissimas,& hactenus incognitas gentes:quod nostro tempore vberrimè factum esse ad magnam Dei gloriam, maximamque consolationem nostram intelligimus:dicente iterum Spiritu sancto: *Quia vos repellitis verbum Dei,& indignos vos iudicatis vitæ æternæ* (excusantes vos de honorum studio,de diuitiis congerendis,de carnis voluptatibus, quibus carere non potestis, vt hodie hæretici suos docuerunt) *ecce conuertimur ad gentes*:ad pauperes ac debiles,cæcos & claudos. Ad Christianum salutis suæ & vocationis negligentem dicit Spiritus sanctus:*Dicis quod diues sum,& locupletatus,& nullius egens:& nescis quia tu es miser,& miserabilis,& pauper, & cæcus, & nudus*. Quod si agnosceremus,spes salutis esset. Diceret debilis;*Sana animam meam,quia peccaui tibi*. Diceret claudus:*Dirige gressus meos in semitis tuis*. Diceret cæcus:*Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*. Nunc autem vel excusamus nos, vel impossibilitatem abstinendi à peccato (vt faciunt hæretici) allegamus. Vox illa,*Habe me excusatum*,&,*Non possum venire*, plus Deum offendit,quàm peccatum ipsum. A

Act.13. Apoc.3. Psal.40. Psal.16. Psal.12.

EVANGELIVM DOMINICÆ III. POST PENTECOSTEN. B

Lucæ 15. ERANT appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues; & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat,donec inueniat illam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens,& veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis:Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quę perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente,quàm supra C nonaginta nouem iustis,qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem,si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam?Et cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas,dicens:Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis: Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illum.* De officio boni sacerdotis,vt vitæ sit ædificatiuæ & attractiuæ.
2. *Murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit,& manducat cum illis.* Contra boni operis detractores,& linguam maledicam.
3. *Hic peccatores recipit,& manducat cum illis.* De incredibili Christi charitate erga saluandos peccatores,siue de zelo animarum.
4. *Vadit ad ouem quæ perierat,donec inueniat illam;& cum inuenerit eam,imponit in humeros suos gaudēs.* D De diuini amoris circa salutem hominum magnitudine.
5. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente,quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* De pœnitentia peccatoris, Deo semper acceptissima.

1. *Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illum.*

Sacerdotis vita ædificatiua. LOcus moralis de officio boni sacerdotis & ministri Christi: vt quemadmodum hoc loco Christi bona fama, conuersatio suauis,doctrina cælestis ipsos publicanos,& deploratæ vitæ homines (tales enim erant qui hic vocantur *peccatores*,vt alio in loco Magdalena tacito nomine vocatur,*mulier peccatrix*,) ad se traxit,vt eum libenter audirent;sic cuiusuis pastoris atque etiam sacerdotis tota vita sit ad proximi ædificationem, tota conuersatio sit attractiua,doctrina quoque & eruditio probata. Debet esse *bonus odor vitæ in vitam*,vt in alia quadam Dominica latius diximus. Hic tamen pauca addenda sunt,loco proprio.Inter alia veterum sacerdotum officia,vnum erat thymiama accendere mane & vespere, quod fiebat ex aromatibus precioſissimis,

2.Cor.2. Domin. 6. post Epiph. tex. 3. Exodi 30. Allegoria.

mis, & in purum Dei honorem, non pro peccato aut expiatione aliqua. Pastor & sacerdos
A quotidie tale thymiama bonorum operum suorum fragrantia accendere debet. *Exhibeamus* (ait Paulus) *nosmetipsos in omnibus sicut Dei ministros, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* Talis erat Samuel. *Cognouerunt omnes à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Quemadmodum suauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aërem continentem spirant, quo presentes recreantur: ita vir bonus toti commorantium contubernio salutaris & iucundus est. Non absque causa Themistocles prædium vendens, *clamari per præconem iussit, quod bonum vicinum haberet.* Si enim aliquod bonum propter vicinum bonum, certè maximum bonum propter pastorem bonum, aut sacerdotem bonum; vt cuius auctoritas populo est necessaria, eiusdem conuersatio sit iucunda & grata. *Qui se in hac vita* (ait diuus Bernardus) *ita benevolos & beneficos præbuerunt, ita inter homines humanè viuere studuerunt, vt gratiam Dei, quam visi sunt habere, non sibi tenerent, sed in commune deducerent, æstimantes se debitores sapientibus & insipientibus, isti fragrarunt vnguentis optimis, & eorum fragrantia in benedictione.* Tales debere esse sacerdotes omnes, quos *sal terræ* vocat Christus, his verbis docet S. Gregorius: *Quasi inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populo; vt quisquis sacerdoti iungitur, quasi è salis tactu, vitæ æternæ sapore condiatur.* Hæc ille. Talis erat diuus Ambrosius, ad quem Augustinus, adhuc Manichæus, libēter accessit, & per eum mirabiliter profecit, quia & moribus suauis, & vita sanctus, & eruditione conspicuus erat; quod his verbis Augustinus ipse confitetur: *Veni Mediola-*
B *num ad Ambrosium Episcopum in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cuius tunc eloquia strenuè ministrabant adipem frumenti tui, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo tuo. Suscepit me paternè ille homo Dei, & peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam; sed tanquam hominem benignum in me. Et studiosè audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed explorans eius facundiam, vtrum conueniret famæ suæ.* Ecce quid Augustinum adhuc peccatorem attraxit, vt appropinquaret ad Ambrosium, & audiret illum: Pietatis opinio, eruditionis fama, benignitas priuata. Sic erat verè *sal terræ & lux mundi* Ambrosius. Anima humana instar terræ multas habet corruptiones. Hanc bonis sermonibus salire & condire sacerdotes debent, vermes peccatorum interimendo, & grauem odorem delendo. Sed vt alios saliant, sal esse debent ipsi. In veteri Lege nulla fiebat victima absque sale, vnde Christus suis: *Habete pacem in vobis, & habete salem.* Apostolus quoque, *Omnis*, inquit *sermo vester sit sale conditus.* Sal discretionis virtus est, quæ mansuetudinem & disciplinam, misericordiam & iustitiam sic temperat, vt nec illa hanc dissoluat, & hæc absque illa ingrata, intolerabilis, ideoque inutilis fiat. Socrates dicere solebat, *neque vinum austerum aptum esse potioni, neque mores agrestes hominum conuersationi.* qui perdices aut coturnices venari intendunt, illicem earum simulant; qui feras venantur, viridem colorem induunt: sic Paulus *omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret, non mentientis æstu, sed compatientis affectu*, ait diuus
C Augustinus. Sic Christus, vt ad eum peccatores appropinquarent, venit *in similitudinem carnis peccati; & habitu inuentus vt homo, venit comedens & bibens.* Quando aliquis princeps venatum procedit, vt aprum aut ceruum, aut feram aliquam siluestrem capiat, cum suis vniuersum montem circumsidet, & vnusquisque suam accipit stationem, suumque tramitem, quo fera transitura videtur. At princeps ipse locum accipit quo frequentius transire, aut per quem verisimilius exitura fera putatur. Sic in venatione animarum, quæ per beluinas cupiditates verè siluescūt, alij quidem sancti alias quasi stationes ceperunt, & diuersos diuersis virtutibus ad pietatem homines adduxerunt. Qui per opera misericordiæ salui esse poterant, ab Abraham capiendos, eiusque exemplo trahendos Deus constituit. Quos solitudo, ieiunia, vitæ asperitas aptius capere poterant, illis capiendis stationem suam accepit Ioannes Baptista. Quibus vita cœnobitica & hospitalis magis placeret, illis capiendis robustum venatorem sanctum Benedictum Deus posuit. Sic paupertatis amantes per sanctum Franciscum, & sanctum Dominicum; silentij & solitudinis appetentes per sanctum Brunonem Carthusiæ patrem; salutis animarum zelatores per patrem Ignatium Societatis Iesu fundatorem, quasi per venatores diuersis locis dispositos ad peccatores capiendos, Deus in sua Ecclesia excitauit, & pro diuersis hominum studiis, ingeniis, ac viribus, diuersos famulos & ministros suos circa huius mundi siluam collocauit, qui feras hominum mentes in pietatis atque virtutis nassas pertraherent. Sed Christus ipse Princeps pastorum, & Magister ac Dux venationis huius, in loco communissimo stationem accipiens, vitam communem ac popularem, statumque mediocritatis (quoad externa omnia) sibi elegit, vt cuiusuis generis peccatores, publicani, meretrices ad eum liberè accederent: quam
D etiam mediocritatis & communis vitæ rationem, quoad externa, Apostoli eius sequuti sunt. Nempe quia in Christo omnia salutis remedia erant, omnes ad eum accedere debent. Qui ægrotus est, festinet ad Christum, quia *Medicus est animarum.* Qui æstu premitur, currat ad Christum, quia *fons est aquæ salientis in vitam æternam.* Qui ignorantiæ tenebris laborat, quærat Christum, quia *lux mundi est.* Qui famelicus est, adeat Christum, quia *panis viuus est qui de cælo descendit.* Si grauaris iniquitate, *iustitia est.* Si auxilio indiges, *virtus est ad salutem omni credēti.* Si mortem times, *vita est.* Si cælum desideras, *via est.* Si errorem metuis, *veritas est.* Nec tamen hęc omnia sic Christus est, vt etiam per modum participationis pastores, quos dedit, ea non sint. Nam & illi *dispensando mysteria Dei*, medici sunt ieructādo verbum vitæ, fons aquæ sunt: exemplo vir-

2. Cor. 6.
Exemplum 2. Reg. 3.
Simile.
Basil. in Gordianū martyrem.
Plutarch. in Politicis Apophth.
Super Cāt. Ser. 12.
Hom. 17. in Euang.
Exemplum Confess. li. 5. ca. 13.
Simile.
Leuit. 2. Marci 9.
Coloss. 4.
Allegoria.
Stob. Ser. 2 de imprudent. Apophth.
Simile.
1. Cor. 9.
Epist. 19.
Rom. 8.
Simile.
In Christo omnia salutis remedia.
Matt. 9.
Ioan. 4.
Ioan. 5.
Ioan. 6.
1. Cor. 1.
Rom. 1.
Ioan. 16.

tutum,lux mundi sunt:proferendo de thesauro suo noua & vetera, alimentum & cibus sunt. A
Docent iustitiam,aperiunt vitæ ianuam,verbum veritatis administrant,vias mandatorum Dei
demonstrant. Habent ergo & illi similem stationem,vt quosuis peccatores ad se attrahant, at-
Simile. tractos conuertant,conuersos ad salutis portum perducant. Sicut ignis accendit ei propinqua,
sic qui viris sapientia & sanctitate præstantibus familiariter vtitur, Dei exardescit amore. Et
quemadmodum prunæ lucem proximè emittunt,lampades vero splendorem longius fundunt;
sic qui virtute & sapientia sunt prædíti, & charitate inflammati, non solum propinquos, sed
etiam longè distantes illustrant doctrina & vitæ sanctimonia, ne errorum caligine obscu-
rentur.

2. *Murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*

Detractio & lingua maledica. Exodi 34. Num.5. Leuit.15.

LOcus moralis contra boni operis detractores,& linguam maledicam. Quod enim in Christo laudare & imitari debebant Pharisæi isti & Scribæ,hoc illi vitio vertunt, murmurantes. Manducare cum peccatoribus non erat in Lege vetitum, sicut manducare & conuersari cum B
gentilibus,& leprosis,aliisque quibusdam immundis. Quę tamen tota prohibitio partim erat significatiua puritatis spiritualis,in filiis noui Testamenti,quod occultabatur sub veteri; partim cautela erat propter infirmitatem Iudæorum,qui ad gentilitiam idololatriam procliues erant. Cæterum superbi & hypocritæ isti,externæ tantum sanctitatis affectatores,vera charitate va-
Matt.9. cui,dedignabantur peccatorum consortia, nec vllam illis charitatem exhibebant. Vnde alibi
Matt. 23. Christus ad illos: *Euntes discite quid est,misericordiam volo,& non sacrificium. Non veni vocare iustos,sed peccatores.* Et rursum: *Væ vobis Pharisæi, quia decimatis mentham & anethum, & reliquistis quæ grauiora sunt Legis,iudicium,& misericordiam,& fidem.* Tales ergo cum essent,cum ad peccatorum conuersionem cooperari nollent,indignantur Christo,qui id faciebat. Quia ipsi supercilioſi erant, volebant Christum quoque,supercilium adducere,& Rabbinicam grauitatem induere. Displicet nobis quod ipsi non facimus,& nostro pede omnes metiri volumus. Hinc nascitur inuidia, de-
Detractionis & inuidiæ origo Allegoria. tractio,murmura,lingua maledica;quæ maxima mala in mundo sunt,& vt iustis magna crux,sic innumeris impiis atque hypocritis certa pernicies. Vna plaga Aegyptiaca erant ranæ paluſtres. C
Nam vt ranæ de die & palam tacent in paludibus suis lutosis quiescentes, de nocte autem vociferantur & coaxant;sic murmuratores & detractores,proximorum suorum virtutes & opera lucis tacent,cooperiunt,silent;eorum autem defectus deblaterant: publicè quoque ea vituperare non audent,satis habentes si aliis laudantibus tacent, clam vero & apud suos suique simi-
Simile. les rauco murmure coaxant,& omnibus modis denigrant. Sed quemadmodum qui candelam ardentem digitis propriis mungit,candelæ quidem lumen clarius efficit, suos autem digitos adurit & contaminat;sic qui iusto detrahit,aut contra laudabiliter facta obmurmurat,suã quidem mentem;& conscientiam,& linguam contaminat,& reatu peccati adurit,iusto autem me-
Exempla. Num.12. 2.Reg.18. riti materiam præbet,eiusque famam celebriorem facit. Deus Moysen nunquam magis laudauit,quàm quum Aaron frater,& Maria sorot eius contra eum murmurarent. Vide locum. Dauid pro maledictione Semei expectauit à Deo benedictionem,quam & accepit,hostibus breui superatis.

Simile. Quemadmodum gallina in ædibus frequenter quum cibus est appositus bonus & sufficiẽs, subit tamen angulos,ibique scalpens terram,pabulum quærit;sic murmurator & detractor honesta & laudabilia,omnibusque ad imitationem & commendationem exposita,nec interrogãt, nec libenter audiunt,sed occulta & secreta mala totius domus,familiæ,collegij,ordinis,aut cu-
Simile. Hom.3. ad pop. Ant. Similia. iusuis communitatis,curiosè percontando efferunt,euentilant,illisq; se sordibus pascunt; scarabæo similes, qui nullum bonum odorem sustinet,sed in stercore semper versatur, eoque se D
oblectat & pascit. Contra quod vitium appositè Chrysostomus: *Dic proximo detrahenti & murmuranti: Habes quem laudes? aures aperio vt vnguenta suscipiam. Si vero malum velis dicere,obturo aures. Non enim stercus & cœnum accipere sustineo.* Sunt quippe detractores porcis & suibus similes, quæ
In Dieta salutis c.19 Laert.li.2. Apophth. Exemplum Brusson. l.1 ca.26.& Ael.li.11. Psal.13. Eccli.10. In Comm. ibidem. Prou.24. Psal.108. amœnissimum hortum pulchris & odoriferis floribus consitum ingressæ,flores non attingunt, sed fimum,si quis fortè in angulo est;aut lutulentam laculam inuenientes,in ea se volutant, illam euentilant. Vnde de maledico conuiciatore eleganter dixit sanctus Bonauentura, quod *in modum porci,vbi ponit pedem,ibi & os;& sicut canis macelli semper habet os sanguinolentum.* Sapienter Socrates nuncianti quendam esse qui maledictis eum perpetuo incesseret, respondit: *Benè loqui nescit.* Huiusmodi enim hominum *ex abundantia cordis os loquitur;* quia cor malitia & odio depraauatum habent: quod illa Zoili responsio egregiè ostendit. Rogatus enim cur sic omnibus malediceret,respondit: *Quia malefacere nequeo.* quia non potuit facto lædere,voluit verbo. Nam si non aliqua nocuisset,mortuus esset. Sic huius mali non nisi odium & inuidia radix est. *Venenum aspidum sub labiis eorum. Sicut mordet serpens in silentio,sic qui fratri suo occultè detrahit.* Nam *virus pectoris sui* (vt exponit S. Hieronymus) *diffundit in fratrem.* Qua certè de causa dicit Scriptura: *Abominatio hominum detractor,* quia qualem sementem fecerit, eandem & metet. Vnde Dauid: *Dilexit maledictionem,& veniet ei. Induit maledictionem sicut vestimentum,& intrauit sicut oleũ in ossibus eius.*

A *eius. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur.* Sunt verba significantissima, quibus docet Spiritus sanctus, detractores, murmuratores, susurrones, maledicos, idem à Deo passuros quod contra proximum fecerunt, Dei videlicet maledictionem ab eis non recessuram. Hoc & Salomon docuit: *Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Et certè quum diabolo proprium sit calumniari, vnde & nomen illud apud Græcos accepit; calumniator omnis & detractor quem spiritum sequatur, quem patrem habeat, cuius mercedem expectare debeat, facilè videt. Aptè D. Chrys. *Ferre eum qui contumelia afficit, Dei est: contumelia afficere immeritum, diaboli est.* Hoc sensu *Diabolus homicida fuit ab initio. Qui enim odit fratrem, homicida est,* & ille ab initio odit homines. Sic igitur modo quodam proprio omnis detractor & susurro, membrum diaboli est. Est itaque maledictum aut detractio ipsi maledicenti & detrahenti maxima confusio. *Quemadmodum enim* (ait Chrys.) *si quis vasa immunda è domo alicuius furetur, & ea coram omnibus educat, non ita confundunt dominum furto sublata, quantum ipse seipsum; ita & conuicitatoribus accidit. Eiectis enim coram omnibus immundis verbis, non alios confundit, sed seipsum, per verba productis talibus, & coinquinata ipsius tum lingua tum mente.* Nam vt in domo & vsu corporis quædam honestè haberi & fieri possunt, quæ tamen honestè dici non possunt; sic & in vita atq; actione humana nonnunquam accidit. *Si quis* (ait Chrys.) *te prætereunte fimum commoueat, hoc faciente nonæ statim redarguis? Sic & detractorem reprime. Non enim sic fœtor ille nares percellit, vt aliena exB cussa peccata bonos & astantes contristant.* Sed *ideo hoc malum celebre est* (ait S. Hieronym.) *quia penè ab omnibus libenter auditur.* Quare iusti vox est: *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar.* Hoc docet Sapiens esse detractionis remedium. *Qui mittit in altum lapidem, recidet in caput eius: ita detractor quum tristem viderit faciem audientis, ne audiat iudicium sanguinis, illico conticescit.* De hoc argumento vide quæ in aliis Dominicis diximus.

Prou. 17.

Ho. 39. in Acta Apo. Ioan. 8.

Vbi supra. Simile.

Ho. 3. ad pop. Ant.

Psal. 10.

Eccli. 27.

3. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*

LOcus moralis de incredibili Christi Redemptoris charitate erga saluandos peccatores, quã omnes imitari debemus; siue, de zelo animarum. Magnum piaculum putabant Pharisæi, peccatores in consortium admittere, & cum illis manducare. Sed hoc perinde erat, ac si medici omnes ægrotos fugerent, nec ad eos vnquam accedere vellent. Eleganter Aristippus indignanti cuidam ac dicenti, quod philosophos cerneret semper obsidere diuitum fores, & *Medici* (inquit) *languentium ianuas frequentant. Non tamen quispiam ægrotare mallet quàm mederi; nec ego diues potius esse, quàm Philosophus.* Malorum consortia infirmis cauenda, à firmis appetenda sunt. Vinum
C aqua mixtum si fortius est, aquam calore suo imbuit; si tenuius est, ab aqua vincitur. Extincti carbones ardentibus admixti statim ardescunt. Accede ad titionem ardentem, hominem iustũ; virtutis ignem cito concipies. Saul inter Prophetas prophetauit, inter improbos improbè egit. Laban propter Iacob, & Putiphar propter Ioseph ditati sunt. Propter bonum Iosaphat, duobus Regibus impiis, Regi Israel, & Regi Edom, cum eo exercitum ducentibus, pluuiam è cælo Heliseus impetrauit. Dixit enim ad Ioram Regem Israel: *Si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem ad te.* Charitas fraterna peccatores recipit, & manducat cum illis, à conuersatione & consortio, ab aditu & familiaritate illorum, quatenus medium eos Deo lucrandi esse poterit, non abhorret. Imo summam charitatis perfectionem in peccatoribus lucrandis consistere, viri sanctissimi iudicarunt. Sanctus Franciscus dixit aliquando fratribus suis: Quid magis consulitis, an quod orationi vacem, an quod prædicando discurram? Videtur in oratione lucrum & cumulatio gratiarum: in prædicatione distributio quædam donorum acceptorum. In oratione est purificatio interiorum affectuum, & vnitio ad Deum: in prædicatione
D pulueriza tio spiritualium pedum, id est, contaminatio affectuum, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. In oratione Deum alloquimur & audimus, quasique inter Angelos conuersamur. In prædicatione multum oportet ad homines condescendere, & humane inter eos viuẽdo, multa videre, dicere, audire, & cogitare humana. Sed vnum est in contrarium, quod videtur his omnibus præponderare, quod Christus ipse potissimum prædicationi vacauit, cum peccatoribus manducauit & conuersatus est. Cuius exemplum quia nos maxime sequi oportet, videtur magis Deo placitum intermissa quiete foras egredi ad laborem. Quod & fecit, re tamen prius suorum precibus commendata, qui & post preces factas idem censuerunt. Sic monachi eremos suas deseruerunt, & in vrbes ac frequentia populis loca venerunt, vt proximos suos iuuarent. Isaacius monachus casam suam exiens Constantinopolim venit, vt Valentem Imperatorem Arianum, Ecclesiæ Catholicæ hostem acerrimum, redargueret. Eum enim accedens, frenum equi eius arripuit, dicens: quo Imperator proficisceris, qui aduersus Deum bellum geris, neque eum propterea adiutorem habebis? Quod & rei euentus ostendit. Quum Antiochenis grauiter offensus Arcadius propter Placillæ vxoris statuam deiectam, acerbè in eos animaduertere vellet, eremitæ ad vrbem aduolantes, officiarios eius, prætores ac tribunos, fræna equorum accipientes, in media ciuitate sistebant, & vindictam à populi capitibus depulerunt. Magnus ille Antonius vt oppressis opitularetur, vt Catholicorum causam contra Arianos apud Imperatorem ageret, frequentes vrbes adibat, & sæpe

Christi erga peccatores amor.

Laert. li. 2. Apophth. Similia.

Exempla. 1. Reg. 19. Gen. 30. & 39. 4. Reg. 3.

Zelus animarum.

In vita eius ca. 12. per S. Bonauent. Exempla. 1.

2. Theodor. li. 4. c. 34. 3. Chrys. ho. 20. ad pop. Antioch. 4. Niceph. li. 8. c. 40.

S. Athan. in vita eius. Constantinopoli visus est,& Alexandriæ. Imo de eo scribit S. Athanasius: *Etsi in solitudine ac mõ- A tibus versatus, atque omnem ibi exigens vitam, non tamen agrestis ac rudis erat, sed iucundus atque affabilis, sermonem, secundum Apostoli præceptum, diuino conditum sale proferebat, ita vt inuidia careret, & amore omnium potiretur.* Aphraates eremita celeber relicta eremo Antiochiã venit, quum omnia Valens Arianus Imperator perturbaret:& ab Imperatore visus, atq; hoc nomine reprehẽsus, quod eremo relicta in vrbe ageret, respondit: Id ego, Imperator, libenter feciſſem, si pax Christi ouib. esset. Sed si puella essem domi in conclaui conclusa, soli lanificio vacans, domus autẽ paterna subito conflagraret, me otiosam sedere velles, nec ad incendiũ extinguendum accurrere? Id ego nunc facio, qui incendium in Ecclesia à te excitatum extinguere,& fratres meos in eo periclitantes eripere contendo. Sed huius charitatis erga peccantes fratres illustre exemplum & hoc est. Duo eremitæ iurauerant sibi inuicẽ, ne alter ab altero vnquã separaretur. Vnus postea tentatus, in seculum redire voluit,& libidini indulgere. Sequitur alter, vt saltẽ perpetrato peccato ad eremum eum reduceret,& è lupanari prodeuntem complectitur, obsecrans vt secum in eremum redeat. Illo nihilominus in peccato persistente, manet etiã in eadẽ ciuitate alter, quotidie manibus laborans,& luxurianti socio laboris sui fructum quotidie largiens, ipsemet ieiunans,& pro salute fratris seipsum afflige ns. Hac tanta charitate cõpunctus tãdem alter, flagitiosam vitam deserit,& ad eremum cum fratre reuertitur. Aliud huic simile exemplum, nisi fortè hoc idẽ B sit, commemorat D. Chrys. ad Theodorum lapsum, Epist. 5. Hoc est ad exemplum Christi peccatores recipere,& cum illis manducare. De hac Redemptoris nostri benignitate prædixit Propheta: *Calamum quassatum non confringet,& linum fumigans non extinguet. In veritate educet iudicium.* Et iterum: *Quod confractum fuerit, alligabo: & quod infirmum fuerit, consolidabo.* Calamus quassatus, & linum fumigans est mens hominis vanis cupiditatibus dedita, necdum illis penitus obruta: sed vt calamus non adhuc confractus, vehementer tamen depressus,& vt linum non quidem adhuc flamma correptum, fumum tamen, qui flammæ proximus est, emittens; sic cupiditatibus suis ad malum inclinatur,& iamiam in turpitudinis fornacem procliuis fertur. Hæc est infinita,& quæ nunquam satis vel explicari, vel laudari, vel recognosci à nobis potest, Redemptoris nostri misericordia, hic etiam aduentus sui in hunc mundum primarius finis ac scopus fuit, vt peccatores reciperet. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Et Paulus ait: *Fidelis sermo,& omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum, vt peccatores saluos faceret.* Et rursum; *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* In hac sua misericordia cognosci, glorificari,& prædicari vult. Denique dicit ipse Redemptor in Euangelio, hanc dulcissimam prophetiam in seipso fuisse completam: *Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, ad annunciandum pauperibus misit me, vt mederer contritis corde,& prædicarem captiuis indulgentiam, & claudis redemptionem, vt prædicarem fortitudinem lugentibus Sion,& annuntiarem annum placabilẽ Domino.* Et pau- C lo post: *Et darem coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Singula hęc verba, quæ varias peccatorum consolationes,& singula quasi peccatis remedia ponunt, amplificari debent. Eleganter Phocion quum à suis reprehenderetur, quod hominem improbum in iudicio defendisset, *At nemo bonus,* inquit, *huiusmodi patrocinio indiget.* Certè ex hac misericordiæ erga peccatores nota cognosci & manifestari voluit, quando ad eũ duos ex discipulis suis Ioannes Baptista in vinculis misisset, dicẽs: *Tu quis es?* &c. *Renuntiate,* inquit, *Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt,& pauperes euangelizantur.* Postremo non recipit tantum ad se venientes peccatores, sed vt ad eum confidenter veniant, inuitat, & clara voce compellat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos.* Rursum: *Stabat Iesus in magno die solennitatis,& clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me.* Hæc Christi benignitas erga peccatores vnica est nostra & maxima consolatio, sine qua quicquid præterea de Christo credimus, frigeret. Moyses liberator fuit populi veteris, sed non sic vt peccatores reciperet, verum vt eos seuerè puniret. Sic enim extendens manum suã in mare rubrum Pharaonẽ cum toto exercitu submersit. Sic populo in vitulo aureo peccante, tabulas Legis cõfregit,& populum ipsum maximo numero interfecit. Sic illũ qui collegit tria ligna in sabbato, fecit lapidari. Iosue saluator & liberator eiusdẽ populi fuit, sed occidit peccatores qui erant in terra Chanaan. Achã quoq; præuaricantem circa spolia hostium, cum toto suo tabernaculo totaque cognatione incendio absumpsit. Samuel erat sanctus Propheta Domini: sed occidit manu sua pinguissimum D Agag Regem Amalec,& concidit eum in frusta. Atqui noster Saluator,& liberator,& Propheta magnus, *non venit vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Hic est noster Dauid, de quo Scriptura dicit: *Memento Domine Dauid,& omnis mansuetudinis eius.* De hoc Dauid scribitur: *Conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustiis constituti,& oppressi ære alieno,& amaro animo, & factus est eorum princeps.* Hic peccatores recipit. Ad hunc accurrũt omnes in angustiis,& difficultate abstinendi à peccato laborãtes, omnes veterum peccatorum debitis onerati, omnes de quacũque necessitate tristes & soliciti. Ait enim clemẽtissimus Dominus: *eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Hic est de quo Propheta prædixit: *Adiutor meus & susceptor meus es tu, & in verbũ tuum supersperaui.* Non solum adiutor, sed & susceptor: quod explicans D. Ambr. *Adiutor,* inquit, *per Legem, susceptor per Euangelium. Quos Lege adiuuit, in carne susceptit. Hic peccata nostra portat, & ideo in verbum eius supersperamus: non in Prophetas, nõ in Legem, sed in verbum tuum: hoc est, in aduentũ tuũ, vt venias, & suscipias peccatores, delicta condones, ouẽ lassã tuis in Cruce humeris bonus pastor imponas.* Hæc ille. Sic

iterum

Niceph. li. 11. c. 25.

6. Pratum spirituale, ca. 97.

Collatio veterum cũ Christo.

Esai. 42. Ezech. 34.

Christi misericordia ineffabilis. Matt. 9. 1. Tim. 1. Rom. 9.

Esaiæ 61.

Plutarch. in Phocione Matth. 11.

Matt. 11. Ioan. 7.

Ioan. 3. Psal. 131. 1. Reg. 22. Typus.

Ioan. 6. Psal. 118.

Ser. 15. super Ps. 118.

A iterum Dauid: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Quæ spes, quæ vita mortalium, si sola apud Deum iustitia vigeret? Ideo subiungit: *Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.* Hæc est lex Euangelica, lex gratiæ, verbum promissionis, vox misericordiæ, quia *hic peccatores recipit.* Veteres Prophetæ nihil de venturo Messia clarius aut frequentius dixerunt, quàm hoc vnum, quod peccata condonaret. Sic Esaias: *Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Pascit in fortitudine, congregat in solicitudine, portat in mansuetudine & misericordia. Sic Ezechiel: *Effundet super populum suum aquam mundam, & mundabit eos ab omnibus inquinamentis suis, & ab vniuersis idolis suis* (id est peccatis) *mundabit eos.* Per Ieremiam similiter dicit Deus: *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Michæas vero verbis amplissimis hanc Messiæ propriam virtutem describit: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Nõ immittet vltra furorem suum, quia volens misericordiam est. Reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, & proyciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Nec hoc tacuit Zacharias, dicens: *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Denique Dauid de Christo dixit: *Tu populum humilem saluum facies.* Hæc ergo summa Christi gloria, hæc maxima consolatio nostra: *quia si peccauerimus, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Am-
B plificari & vrgeri hæc merito possunt & debent: primũ vt Redemptoris nostri infinita erga nos peccatores misericordia eluceſcat magis: deinde vt ad eum redamandum efficacius inflammemur: postremo vt in nullis peccatis spem veniæ deponamus, sed ad Redemptorem nostrum alacriter recurramus. Pastor rusticanus, vt eum oues libentius sequãtur, ouinam pellem induit. Sic Christus hominem induit, eumque benignissimum, vt ad eum per pœnitentiam redire nullus peccator formidaret. Solebant Pagani (ait S. Aug.) hoc nomine Christianis insultare, quod pœnitentiæ portus semper in Ecclesia apertus esset, dicentes: Vos facitis vt peccent homines, quũ illis veniam promittitis. Quibus ille respondet: *Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus. Ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.* Israelitæ quũ descenderent in Aegyptum vocante Ioseph, existimabant se nisi per annos quinque, durãte fame, permansuros. At ibi manserunt per 400. & amplius annos. Sic peccatores aliquando sub spe veniæ, & cito resurgẽdi è peccato, temerè peccant, sed sæpenumero sic illis placet Aegyptus & status peccati, vt nũquã postea de exeundo cogitent, sitque necesse in manu forti & brachio extento illos educi. Sed tota Christi misericordia erga pœnitentes, non erga perseuerantes in peccato intelligitur.

Psal. 129.
Esaiæ 40.
Ezech. 36.
Ierem. 31.
Mich. 7.
Zach. 13.
Psal. 17.
1. Ioan. 2.
Similes.
Hom. 27. ex Ho. 50.
Allegoria.
Præsumptio cauẽda.

C 4. *Vadit ad ouem quæ perierat, donec inueniat illam; & cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.*

LOcus moralis de diuini amoris erga peccatores seruandos incredibili magnitudine. Ipse vadit ad ouem quæ perierat. Nempe sicut ouis aberrans à grege, nisi quæratur, redire non potest, sed ad vlteriora semper progrediens per saltus & siluas se perdit, quum cætera animalia, canis, felis, equus, domino amisso, domum facilè per se ipsa redeãt; sic miser peccator, nisi à Deo quæsitus, in salutis viã per se & naturæ suæ ductu aut viribus redire non potest. Sicut terra propter nimiam frigiditatem nullum fructum profert, nisi à sole calefiat (vnde in Septẽtrione omnia inculta iacent) sic homo per peccatum non nisi terra & terrestris manens, sine diuinæ gratiæ calore nihil salutare operatur. Vt vestis corpori calorem adferat vel augeat, corpus ipsum viuum esse debet, & aliquo calore prius imbui; ideoque cadauer nullis vestibus calefit; sic nullũ opus vel charitatis vel pœnitentiæ, animã in peccato mortuam viuificare poterit, nisi prius Dei gratia viuificetur. Sicut in tenebris, etiam si omnes feneſtras aperias, nihil vides; sic in statu peccati mortalis, quod est opus tenebrarum, etsi omnes animæ tuæ vires adhibeas, absq; luce gratiæ nihil promoues ad salutem, nec reditum inuenies. Hac de causa dicitur: *Venit filius hominis*
D *quærere & saluum facere quod perierat.* Prius quærit quàm saluũ faciat. Sic clamat peccator in Scripturis: *Erraui sicut ouis quæ periit. Quære seruum tuum Domine.* Si margaritam pretiosam perdidisti, in eo loco inuenitur vbi amittitur. At ouis perdita non sic; quia semper magis ac magis in saltuosa nemora, & in asperos montes se immittit; quiescit nunquam, sed errans progreditur. Sic peccator ab vno peccato in aliud transit, nec peccandi finem facit, nisi à bono pastore suo, Christo Iesu, speciali gratia & misericordia quæratur. Ouis amissa, rapaci lupo, aut cuiuis feræ obnoxia statim est, nec dentes, nec vngues, nec cornua habet, quibus se defendat; nec pedum velocitatem, qua se seruet. Sic peccator, amissa Christi gratia, diabolo, carni, mundo ad prædam expositus est, nec vlla, quibus se tueatur, arma relicta habet. Hinc elucet immensa Dei misericordia erga peccatores. Prius miseretur quàm irascitur; prius misericordiæ medium quàm iustitiæ adhibet; prius quærit quàm percutiat. Sicut matres & nutrices ad pueros in lutum lapsos non accurrunt cum conuitiis, sed prius erigunt, abluunt, componunt, ac deinde, prout opus est, obiurgant: sic Deus ouem perditam primum tentat ad emendationem variis blanditiis & mediis allicere, postea corripit in misericordia. Nauclerus cuius nauigium multam vndique laxatis compagibus aquam trahit, nautis ipsique nauigio non

Luc. 19.
Psal. 118.
5.
6.
7.
8.

Amor Dei erga peccatores saluandos.
Similium congeries.
2.
1.
3.
4.

iraſcitur. Occurrit potius,& aliam excludit vndam: deinde aliam egerit, manifeſta foramina A
præcludit:latentibus continuo labore reſiſtit:denique modis omnibus malum imminens auer-
9. tit:poſtea,prout ratio exigit,nautas increpat,obiurgat,punit. Paſtor quoque bonus deperdita
oue non ſtatim canem percutit,aut apud ſe indignationem excitat,ſed quærit diligenter donec
inueniat.Hæc eſt Dei erga nos miſericordia.Multum quærit,multum expectat, multa tentat,
10. vt ouem perditam ad caulas reducat. quomodo Chriſtus venator animarum eſſe voluerit, ſu-
pra diximus.At inter omnia officia nullam maiorem patientiam poſtulat,quàm venatio. Mul-
tum diuque expectandum,magnum tædium deuorandum eſt,vt fera quantumcunque ceſſans,
ſua tandem ſponte exeat.Qui feſtinat,& idoneum capiendi tempus non expectat,nihil vnquã
venando capiet. At diu expectando ſubito erumpet fera,& in caſſes incidet, vel ictum à te de-
Apoc.3. ſtinatum accipiet. Nullis verbis explicari poteſt Dei patientia qua peccatorem expectat. *Stat*
Rom.2. *ad oſtium,foris pulſat*:expectat donec aperiatur ei. *An diuitias bonitatis eius,& patientiæ, & longanimi-*
Eſaiæ 5. *tatis contemnis?Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?Expectaui vt faceret vuas.* Ex-
Lucæ 13. pectat adhuc vnum annum, *vt ſterilis ficus fructum proferat.* Denique ſic expectat,vt eius expecta-
In li. de tio infidelibus ſcandalum ſit. *Plures enim Dominum* (ait Tertullianus) *idcirco non redunt,quia ſeculo*
Patientia, *iratum tam diu neſciunt.* Sed exemplo ex Scripturis petito oſtendemus,quot modis,quanto ſtu-
ca.2. dio,qua patientia ouem perditam Deus quærat. Apud Eſaiam volens Deus peccantem Iſrael B
Ouem per- ad pœnitentiam reuocare,vide in quot formas ſermonem vertit,ſatagens & ſolicitãs ne pereat.
ditam quo- Primum proteſtatur ſe nihil contra eos ex iracundia aut odio agere:*Indignatio non eſt mihi.* De-
modo Deus inde cunctatur ſicut pater,qui peccantem filium percutere deberet,cupit tamen parcere,& ait:
quærat. 1. *An gradiar ſuper eam?ſuccendam eam pariter?An potius tenebit fortitudinem meam?faciet pacem mihi,pacem*
Eſaiæ 27.4 *faciet mihi?* Sic enim peccantem & idololatriam in deſerto committentem populum quaſi per-
2. cuſſurus,patitur ſe per Moyſen quaſi teneri ne id faciat: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus.* Sic
Ibid. 5. amantes ſolent. Henricus ſeptimus Angliæ Rex, quum conſobrinum ſuum ex aliqua cauſa
Exemplum morte affecerat,poſteaque pro alio quodam nobili morti obnoxio apud eum certi proceres in-
Exodi 32. tercederent, dolens dicebat:At nemo veſtrum pro meo conſobrino interceſſit. Tertio commi-
Annal. natur:*Non eſt populus ſapiens;propterea non miſerebitur eius qui fecit eum,& non parcet ei qui formauit eũ.*
Ang. 3. Grauis comminatio, ſed vt parcat,non vt feriat, ſicut per Ionam Niniuitis: *Adhuc quadraginta*
Exodi 13. *dies,& Niniue ſubuertetur*:quæ tamen ad Ionæ prædicationem non euerſa,ſed emendata eſt.Cir-
Ionæ 1. ca quod Dei factum Chryſ. *Quare quæ facturus es mala Domine prædicis? vt non faciam quæ prædico.*
Exemplum *Propterea & gehennam minatus eſt,ne gehennam inferat.* Rurſum expoſtulat & obiurgat,ne ad verbe-
Hom.1.de ra veniat: *Quis cæcus niſi ſeruus meus,& quis ſurdus niſi ad quem miſi nuntios meos? Quis cæcus niſi ſeruus*
Pœniten. *Domini? Qui vides multa,nonne cuſtodies? Qui apertas aures habes nonne audies?* Grauis obiurgatio,iuſta
4. reprehenſio. *Qui enim cognouit voluntatem Domini,& non facit, vapulabit plagis multis.* Sed ne eum C
Eſa.42. terreat quem diligit aut contriſtet,ſtatim blanditur amantiſſimè: *Ex quo honorabilis factus es in ocu-*
Lucę 12. *lis meis & glorioſus,ego dilexi te,& dabo homines pro te,& populos pro anima tua. Noli timere,quia ego tecum*
5. *ſum.* Ecce quo modo obiurgatione deiectum,ſuauiſſimis vocibus ſtatim reuelat. Moxq; aman-
Eſa. 43.4. tium more conqueritur de ingratitudine dilecti populi:*Verũtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis,*
6. *præbuiſti mihi laborem iniquitatibus tuis.* Conqueritur Deus quàm duram & acerbam patientiã ha-
Ibid. 24. buerit,quàm diu & multum peccantes ſuſtinuerit,quaſi dicens: *Quid faciam tibi neſcio. Parcã tibi?*
Chryſ.Ho. *Sed fides tua deſidior redditur. Perſequar te?Sed mea non ſuſtinet clementia.* Quare poſt hanc querelam
3.de pœnit. amoris plenam,rurſum conſolatur;ne ingratitudinis & impietatis ſuæ cõſcia anima penitus de-
7. ijciatur,& ſpe veniæ excidat:& ait:*Ego ſum,ego ſum ipſe,qui deleo iniquitates tuas propter me, & pecca-*
Ibid. 25. *torum tuorum non recordabor.* Qua maxima data conſolatione,rurſum diſceptat cum peccatore po-
8. pulo,vt ſuam iniquitatem;Deique parcentis miſericordiam magis ac magis agnoſcat: *Reduc me*
Ibid. 26. *in memoriam,& inducemur ſimul.Narra ſi quid habes,vt iuſtificeris. Pater tuus primus peccauit,& interpretes*
tui (id eſt,principes populi) *præuaricati ſunt in me.* Hoc eſt quod Paulus dixit: *Omnia concluſit ſub*
Rom. 9. *peccato,vt omnium miſereretur.* Nunc igitur his ſermonibus cõfuſum, conuictũ,& pœnitentem,ſic
9. dulciſſimi amoris brachiis cõplectitur:*Noli timere ſeruus meus Iacob,& Iſrael quẽ elegi. Effundã aquas*
Eſa.44. *ſuper ſitientẽ,& fluenta ſuper aridam. Effundam Spiritũ meum ſuper ſemen tuũ,& benedictionem meam ſuper*
ſtirpem tuã. Hæc eſt amantiſſimi Dei concluſio cũ anima peccatrice compuncta. Sic ouẽ perditã
Ioan. 17. quærit. Sic,quos ad ſe vocauit,conſeruat,*ne pereat ex eis quiſquã.* Quis autẽ homo amoris iaculo D
percuſſus,adeoq; inſaniens,vel procari ardentius,vel negotiari diligentius,vel dilectã ſuã ſolici-
tare artificioſius,vel flebilius querelã inſtituere,vel amantius expoſtulare, vel diſceptare fami-
liarius,vel parcere liberalius,vel deniq; benefacere abundãtius poſſet,quàm hic Deus animam
ſibi ſemel charitate coniunctã,& fide deſponſatã,vt ad caulas perdita reuertatur, omnibus viis
Pſal.30. ac modis ſolicitat,blanditur,expoſtulat,conqueritur,conſolatur,ac deniq; cum ea diſceptat, &
complectitur. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! perfeciſti*
autem eis qui ſperant in te,in conſpectu filiorum hominum. Facit autem hoc Deus in quocunque & cu-
Ho.2.in iuſcunque generis peccatore,qui quæſitus per gratiam, redire vult per pœnitentiam. Pulchrè
Pſal.50. Chryſoſtomus:*Si impius es,cogita publicanum. Si immundus es, attende meretricem. Si homicida es,per-*
ſpice latronem. Si blaſphemus es,cogita Paulum prius perſequutorem,poſtea Apoſtolum:prius lupũ,poſtea paſto-
rem:antea plumbum, poſtea aurum:antea piratam,poſtea gubernatorem. Nolo mihi dicas:Vnde ſcire potero me
veniam eſſe conſecutũ? Vbi miſericordia Dei imploratur,quæſtio nõ expetitur. Quomodo ille curat nolo diffidas.

Stat

A *Stat medicus varias curationes adhibens,& non interrogas quomodo curaris. Sed concedis arti. Seruo concedis,& Dei misericordiæ non concedis?* Hæc ille. Sic bonus pastor Christus quęrit ouem perditam, donec inueniat eam. De inuenta autem gaudet, humeris suis eam portans, quia inuentæ ouis, reconciliati peccatoris peccata *suo liuore sanauit:* & ne denuo peccet, sua semper gratia portat: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos,& super eos volitans,expandit alas suas,& assumpsit eos, & portauit in humeris suis.* Inuentam autem ouem dicit, quæ reuera non inuenta, sed empta fuit, idque pretio magno. Quemadmodum enim cum quis rem quam magnopere exoptabat, etiã maximo pretio emit, dicit amico suo, Ecce quod tam diu optabam, iam inueni: sic Christus, præ desiderio salutis nostræ, inuenisse se dicit, quos sui sanguinis pretio emit. Eãdem etiam ob causam de oue perdita & inuenta loquitur, non de ouibus. Sic enim vnumquemque electum diligit Christus, vt si ille solus saluandus esset, pro illo solo facturus & passurus illa omnia fuisset quæ fecit & passus est pro omnibus. Quod D. Paulus optimè intelligens, dixit: *In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me,& tradidit semetipsum pro me.* Ecce agnoscit pro se in particulari Christum esse passum. Christus in Euangelio gallinæ se comparat, dicens: *Quoties volui vos congregare, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis?* Atqui gallina non secus solicita & tenera mater est, vnum solum pullum ducens, quàm si decem duceret. Vidit hoc & sanctus Augustinus quum scripsit: O *Deus qui sic vnumquemque curas tanquam solum cures,& sic omnes tanquam singulos!* Sanè sicut sol splendens,
B non secus vnumquodque corpus illuminat, quàm totum hemisphærium: Sic Christus patiens, diligens, quærens, non secus pro vnoquoque est passus, quàm pro omnibus; non secus quemlibet diligit & quærit, quàm omnes. Cuius ineffabilis dilectionis illustre documentum esse potest, quod sanctus Dionysius Areopagita suo tempore accidisse scribit: *Carpus vir sanctus infideli cuidam, qui alium à fide abduxerat, dira precatus fuerat, celeremque à Deo vindictam petierat. Hæc precatus, subito vidit cælum quidem supra se apertum, Iesumque in sua gloria stantem; subtus vero ingentem terræ hiatum,& duos illos, seductum atque seductorem, quibus mala imprecatus fuerat, ad os illius profundæ voraginis stare trementes & miserabiles, qui & iamiam casuri videbantur, pariterque serpentes qui deorsum illos præcipitare molirentur. Hæc autem videns, indignè ferebat quod necdum cecidissent; & cum sæpius eos ipse impellere niteretur, semperque frustra hoc moliretur, molestissimè id tulit, & contra eos rursum imprecatus est. Cum ecce vix tandem reuocatis ad superna oculis; vidit cælum sicuti & prius aspexerat, Iesumque miseratum quod fiebat, de cæsti illa sede consurgentem ad eos vsque descendere,& porrigere clementissimam manum, Angelosque vna opem ferentes, aliunde alium tenuisse viros, ac dixisse Carpo Iesum stanti porrecta adhuc manu, vt eos impelleret: Iam percute aduersum me; paratus enim sum etiam iterum pro saluandis hominibus pati; gratum mihi illud est, dum non alij homines peccent. Tu autem vide an tibi expediat per tuam inclemẽtiam istius*
C *profundæ voraginis mansionem, Dei ac bonorum clementiumque consortio præferre. Hæc sunt quæ ego audita vera esse credo.* Hæc Dionysius auctor grauissimus. Sanctus Anno Archiepiscopus Colonien sis, vidit in visione quosdam alios Archiepiscopos in candida & glorioſa veste vestitos, sedes glorioſas in cælo occupare, séque inter eos candida admodum veste amictum: cuius tamen pars aliqua, qua pectus tegebatur, sordida quadã macula fœdabatur, quam obiecta manu tegere volebat, nec poterat, ideoque à sede cum aliis capienda prohibitum fuisse, donec illam maculam eluoret. Hanc visionem cum familiari amico aperuisset, ille sapienter rem conijciens: *Macula,* inquit, *hæc vestis tuæ, est memoria iniuriæ ciuium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus nec adhuc veniam dedisti.* Archiepiscopus testimonio conscientiæ suæ conuictus, statim eos omnes reuocauit, & bona fisco addicta illis restituit. Adeo Christo displicet amarus zelus, placet vero pietas & benignitas: quam suo exemplo docet, *quærens ouem perditam, donec inueniat eam.*

Esaiæ 53. Deut. 32. Similia. Christi amor erga singulos. Galat. 2. Conf. li. 1. ca. 11. Simile. Exemplum In epist. ad Demoph. Exemplum In eius vita, li. 2. c. 25. apud Surium to. 6.

5. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*

D LOcus moralis de pœnitentia peccatoris Deo semper acceptissima. Cuius causa duplex est: vna amor Dei in nos ineffabilis, qui *non vult mortem peccatoris sed magis vt conuertatur & viuat.* Altera ipsius pœnitentiæ virtus, quę sæpe maiorem adfert emendationem. Quod ad prius attinet, sicut amantium iræ, amoris redintegratio esse solet; sic Deus amator hominum, peccatorem reconciliatum, vt amicum redintegratum diligit. Alphonsus Arragonum Rex interrogatus, cur erga omnes etiam malè meritos tam humanus ac mansuetus esset, respondit: *Se iustitia bonis gratum esse, malis autem clementia.* Sanè sicut Dei bonitas magis elucet in misericordia quàm in iustitia (vt alio in loco dictum est) sic magis gaudent Angeli in operibus misericordiæ, qua parcit Deus pœnitenti, quàm in operibus iustitiæ, qua remunerat bonos. Rem à simili explicat diuus Gregorius, *Maius de peccatore conuerso quàm de stante iusto gaudium est in cælo, quia & Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter petit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gesit. Sic agricola illam amplius terram amat; quæ post spinas vberes fruges profert, quàm eam quæ nunquã spinas habuit,& nunquã fertilem messem producit.* Hæc ille. In veteri Lege, quo in loco iugulabatur holocaustum, eodẽ in loco offerebatur hostia pro peccato. Docet hoc magnam esse peccatoris pœnitentis cũ Deo amicitiã, quum in suo sacrificio, & quod ei soli debetur, sacrificium pro peccatore coniunctum esse voluit. In altera parabola de filio prodigo in gratiam à patre recepto, mediante pœnitentia, describitur in domo paterna magnũ conuiuiũ;

Pœnitentia peccatoris. Apophth. Panormit. li. 2. de reb. gest. Alphonsi. Ho. 34. in Euang. Similia. Leuit. 7. Allegoria. Lucæ 15.

symphonia,chorus,vt ostendat Christus magnum gaudium, quasique tripudium fieri in cælo A ex conuersione peccatoris. Totum hoc ex amore Dei in nos proficiscitur,quod facilè ex amore quo nos ipsos prosequimur, colligitur. Sic enim & nos de recuperatis bonis magis gaudemus quàm de seruatis. De hac re tota sic S. August. *Deus bone,quid agitur in homine,vt plus gaudeat de salute desperatæ animæ,& de maiore periculo liberatæ,quàm si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset? Etenim tu quoque misericors Pater plus gaudes de vno pœnitente,quàm de nonaginta nouem iustis,quibus non est opus pœnitentia. Gaudes quippe in nobis,& in Angelis tuis sancta charitate sanctis. Contestantur & cætera,& plena sunt omnia testimoniis clamantibus, Ita est. Triumphat victor imperator,& non vicisset nisi pugnauisset: & quanto maius periculum fuit in prælio,tanto maius gaudium est in triumpho. Iactat tempestas nauigantes,minaturque naufragium,omnes futura morte pallescunt. Tranquillatur cælum & mare, & exultat nimis,quoniam timuerunt nimis. Aeger est charus,& vena eius malum renuntiat,omnes qui eum saluum cupiunt,ægrotant simul animo. Fit ei rectè & nondum ambulat pristinis viribus,& fit iam tale gaudium, quale non fuit cum antea saluus & fortis ambularet. Quid quod ipsas voluptates humanæ vitæ non inopinatis, & præter voluntatem irruentibus, sed institutis & voluntariis molestiis homines acquirunt? Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia. Ebriosi quædam salsiuscula comedunt,quo fiat molestus ardor; quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Institutum est vt iam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam,quam non suspirauerit sponsus dilatam. Hoc in turpi & execranda letitia,hoc* B *in ea quæ concessa & licita est,hoc in ipsa sinceriſsima honestate amicitiæ,hoc in eo qui mortuus erat,& reuixit; perierat,& inuentus est,vbique maius gaudium maior molestia præcedit.* Hæc Augustinus. Satis explicat ex solo Dei erga hominem ardentissimo amore hoc fieri, vt maius sit gaudium super vno peccatore pœnitente,quàm super nonaginta nouem iustis. Sed & ait paulo post,quod D. Paulus propter Paulum Proconsulem ad fidem Christi conuersum,& *ob tam magnæ insigne victoriæ expriore Saulo Paulum vocari voluerit. Plus enim hostis vincitur in eo quem plus tenet,& de quo plus tenet.*

Recuperata magis delectant quàm seruata. Confess. li. 8. c. 3. Similia. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ibidem c. 5

Sed nunc quomodo ex parte pœnitentiæ ipsius maius gaudium in cælo fiat, tribus verbis dicetur. Verè pœnitens maiori cum affectu ad Deum redit, quia maius se à Deo beneficium accepisse cognoscit,iuxta illud: *Cui plus dimittitur,plus diligit.* Plus ergo diligens plus operatur, & multo emendatior atque ad Deo seruiendum alacrior resurgit. Sic apud Esaiam : *Loquimini ad cor Ierusalem,& aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*: id est,abundantem & copiosam gratiã virtutum. In cuius rei signum & documentum *addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia, quum conuersus esset Dominus ad pœnitentiam.* Exemplum in Dauide ponit S. Gregorius: *Dauid, qui quondam alienam coniugem concupiscere non timuit, postea,etiam quia aquam concupiscit,expauit.* Aquam enim ex cisterna Bethleem ei grauiter sitienti cum magno periculo militum allatam noluit bibere, sed libauit Domino. Rationem adfert eodem loco: *Qui nullo se grauiori scelere constrictos sentiunt,* C *pigri remanent ad exercenda bona præcipua,quia valde sibi securi sunt quod nulla commiserunt grauiora. At contrà ex aliquo graui crimine conuersi,ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, seséque in magnis virtutibus exercent.* Hæc Gregorius. Sic & D. Chrysostomus : *Qui per respiscentiam iterum exurgunt,magna claritate resplendent,& non raro maiore; quàm alij qui nunquam ceciderunt. Sic publicani & meretrices præcedunt in regno Dei,& multi nouissimi fiunt primi.* Moxque adfert duo exempla sui temporis, vnius iuuenis, alterius senis, qui per pœnitentiam in viros clarissimos euaserunt. Maria Magdalena,cui *dimissa sunt peccata multa,sic dilexit multum*, vt postea *vnguento perfuderit caput Christi*, vt ad Crucem eum sequuta fuerit, vt prima ad monumentum cucurrerit, sola ad monumentum plorauerit, posteaque, Christo in cælos assumpto, in Gallia Narbonensi triginta annorum pœnitentiam acerbam in solitudine transegerit. Sancta Maria Aegyptiaca, ex meretrice conuersa, in desertum fugit, quinque panibus acceptis; quibus consumptis, ex solis herbis annis quadraginta quinque, nullo mortalium conspecto, victitauit. Moyses Aethiops ex latrone publico monachus factus, in eremitam euasit sui temporis celeberrimum. Theodora Alexãdrina propter vnum adulterij actum, mutato habitu, monasterium ingressa, totam in eo vitam transegit admirabili sanctitate, Pelagia meretrix Antiochena, à sancto Nonno Episcopo Heliopolitano conuersa, in cellula iuxta montem Olueti extructa vitam finiuit. Sanctus Bonifacius Martyr propter vnum fornicationis actum Romam relinquens, peregrinatur, Martyrum curam gerit, feruente tunc persecutione, ac postremo ipse Martyr fit; Romamque corpore reducto, D Aglais matrona cum qua peccauerat, quæque pœnitentiam egerat; templum in Martyris honorem construxit. Certè bruta animalia quæ laqueum semel euaserunt, cautiora fiunt postea, nec eo facilè redeunt. Communiter quidem melior est innocentia quàm pœnitentia, sicut melior est vestis integra quàm dissuta, etsi diligenter resarta. Sed sicut scissuræ vestium, si aureis funiculis & pretiosis gemmis copulentur, pulchriorem reddunt vestem ipsam, quàm si tota sana fuisset & integra; sic per egregiam pœnitentiam tanta gratia & charitate resurgit peccator, vt pulchrior reddatur quàm si in crimen non incidisset.

Pœnitentis conuersio illustrior. Lucæ 7. Esaiæ 40. Iob vlt. Exemplum Hom. 34. in Euang. Ad Theodorum lapsum, epi. 5 Exempla. Lucæ 7. In vita apud Surium, to. 2. 9. Aprilis. Sozom. li. 6. c. 29. In vita apud Surium 11. Septemb. In vita 8. Octob. In vita 14. Maij. Simile.

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ IV.

POST PENTECOSTEN.



VM turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth. Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia. Aſcendens autem in vnam nauem quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de nauicula turbas. Vt autem ceſſauit loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſent concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Quod cum vidiſſet Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piſcium quam ceperant. Similiter autem & Iacobum & Ioannem filium Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem IESVS: Noli timere. Ex hoc iam eris homines capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum. *Lucæ 5.*

B

PERICOPE moralis huius Euangelij.

C

1. *Cum turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei.* De feruore audiendi verbi Dei.
2. *Rogauit eum à terra reducere puſillum.* De obſequio & ſeruitio Dei voluntario.
3. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* De vano & infructuoſo omnium impiorum in hac vita labore.
4. *Sed in verbo tuo laxabo rete.* De fiducia in Deum circa difficilia.
5. *Procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ego ſum Domine.* De ſui humiliatione in conſpectu Dei.

1. *Cum turbę irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei.*

LOcus moralis de feruore audiendi verbi Dei, exemplo populi huius, qui non ſolum in templo & Synagogis, ſed per agros & montes, nec paruo numero, ſed turmatim, nec quomodolibet accedentes, ſed magno impetu irruentes, & prementes Ieſum, audiebāt verbum Dei. Hunc locum iam bis terve tractauimus. Pauca tamen hoc loco addemus, prout Deus dabit. Hic egregius feruor populi Iudaici in audiendo verbo Dei, qui noſtram ignauiam in die iudicij condemnabit, non hac ſolū vice, ſed aliàs frequenter in Euangelio apparet. Quū per aliquot dies Chriſtum vſque in deſertum ſequuti eſſent, dixit diſcipulis ſuis: *Miſereor ſuper turbam: ecce iam triduo ſuſtinent me.* Alibi ſic eū frequentes ſequebantur, vt diceret diſcipulis ſuis, *vt nauicula ſibi deſeruirent propter turbam, ne comprimerent eum.* Quum mulier hæmorrhoiſſa fimbriam eius tangeret, iſque rogaret quis eſſet, dicunt ei Apoſtoli: *Vides turbam comprimentem te, & dicis, quis me tetigit?* Alia vice ſic vndique à turbis eum audientibus circumcingitur, vt qui paralyticum à Chriſto ſanandum adferrent, *non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba aſcenderint ſuper tectum, & per tegulas ſummiſerint eum cum lecto in medium ante Ieſum.* Poſtremò tanta hominum multitudo, & tanto ſtudio ad Chriſtum audiendum confluxerat, vt dixerint Phariſæi, qui omnibus modis id impedire conabantur, *Videtis quia nihil proficimus? Ecce totus mundus poſt eum abyt.* Totum hoc noſtram ſocordiam condemnabit, qui iuxta Eccleſias habitantes, & rariùs ad conciones vocati, faſtidimus eò exire. Si iuſtus & bonus es, conſidera quod ſal non ſolùm mortuas carnes conſeruat, ſed etiam viuas; & qui Chriſti & Apoſtolorum locum tenent, ſunt *ſal terræ,*

Verbi Dei audiendi feruor. Dom. Sex. text. 3. Domin. 3. Quadrag. text. 7. Dom. Paſſ. text. 2. Marci 8. Marci 3. Marci 5. Lucæ 5.

Ioan. 12.

Simile.

Matth. 5. non solùm ad sanandas putridas carnes, sed etiam ad conseruandas integras & sanas. Si peccator es, vide diligenter ne abhorreas à concione, existimans quòd nihil illa te iuuabit. Memineris eos qui à Pharisæis missi erant vt Christum comprehenderent concionantem, Christum audientes, ita compunctos fuisse, vt ad Pharisæos reuersi, & cur eum non adduxissent interrogati, responderint: *Nunquam sic locutus est homo*. Ne dubites quin idem tibi accidere queat. *Viuus enim est sermo Dei, & omni gladio penetrabilior*, &c. Si doctus es, ne existimes propterea auditū verbi Dei tibi esse, vel non necessarium, vel non conducibilem. Nam viua vox magis afficit, & nescio quid latentis energię habet, maximè viua vox prædicationis sacræ, quæ medium est ordinarium fidei & salutis, vt alio in loco ostendimus. Dauid etsi sapientissimus, tamen in peccato suo mansit, donec voce Nathan Prophetæ admonitus excitaretur. Quam vbi primùm audiuit, compunctus exclamat: *Peccaui*. Nabuchodonosor contemplabatur illam arborem quæ statum suum designabat; sed nihil ea mouebatur, donec Danielis viuam vocem audiret, qua ad pœnitentiam adducitur. Paulus doctus erat, in Lege enutritus ad pedes Gamalielis; sed Christum non agnouit nisi voce de cœlo missa. Certè ad sapientiam Salomonis audiendam venit Regina Sabæ, aliique sapientes multi de finibus terræ. Atqui plus quàm Salomon hic. Euangelij prædicatio omnem Salomonis sapientiam superat. Vtcunq; sis doctus, tamen nec sic vides ipse defectus tuos legendo, sicut prædicatorem, qui Christi cathedram tenet, audiendo? nec multa quæ legis sic aduertis & obseruas, sicut in prædicatione verbi ea audis obseruari: quod vsus ipse & experientia quotidiana demonstrat. Cæterùm non scientiæ copia, non virtutis possessio, sed sola ignauia & socordia, rerúmque diuinarum fastidium, ad audiendas conciones tardos, ac pigros nos facit. Optimum cibi condimentū fames. Maximus audiendi verbi Dei stimulus verbi desiderium. Apposite Origenes: *Omnia animalia cognoscunt proprios cibos, & appetunt illos. Sed & inter homines, ætas, valetudo, & habitudo corporis diuersa, alimenta appetit diuersa & conuenientia. Solus Christianus animi cibos fastidit & nauseat, nisi Spiritu Dei, & igne amoris diuini cor incensum gerat*: quo si flagrat, verbo Dei audiendo nunquam satiabitur, sed cum Propheta dicet: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo. Quemadmodum esurire, corporis bonam valetudinem declarat* (ait Chrysost.) *sic sermones appetere spirituales, animæ sanitatem arguit*. Alioqui *sicut qui in magno vase aceti* (ait idem sanctus Doctor) *modicam guttam mellis immiscet, etiam mel perdit, & acerbitas aceti non mutatur: sic, quos multæ cupiditates possident, salutis verbum non admittunt*. Desiderium sciendi est optimus modus proficiendi, iuxta illud: Admiratio peperit philosophiam. Diogenes quum ab Antisthene repelleretur, etiam baculum intentante, subiecto capite, *Cæde* inquit, *non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te, quam diu aliquid dixeris quod discam, arcere possit*. Si tantum in nobis esset rerum diuinarum, quantum in hoc homine sapientiæ humanæ erat desiderium; nullus labor, negotium nullum ab audiendo verbo Dei nos retardaret. Sed ideo audire negligimus, quia scire non appetimus. Ideo non appetimus, quia quanti valeant, non cognoscimus. quę à longè vidimus, minora quam sunt, nobis repræsentari certissimum est: quæ vero prope nos sunt, & præ manibus, magna videntur. Sic peccatori, & rerum terrenarum amatori, omnia quæ Dei sunt, tota rerum diuinarum cognitio, minima & contemptibilia apparent; sola huius mundi gaudia & commoda, pulchra & expectanda videntur. Ex hac cæcitate & præpostero iudicio illud discrimen oritur inter cibos corporales, qui in mensa; & cibos spirituales, qui pro concione distribuūtur. Ad mensam vocati nunquam ita recusamus, quasi cibo non indigentes: ad audiendum Dei verbum inuitati, semper ita recusamus, quasi concionatoris voce non egeamus. Rursum in mensa optimum quemque cibum nobis ministrari gaudemus, deteriorē alijs accumbentibus: in verbo Dei audiendo optimum quidque (vt alicuius vitij reprehensionem, quæ ad animæ sanitatem maximè conducit) à nobis semper remouemus, & in alios transferimus, dicentes: Hoc verbum illum & illum perstringit, non me. Deinde in mensa volumus semper esse primi: in concione postremi. Denique omnis concio prolixa: nulla mensa prolixa videtur. Postremò in mensa eosdem frequenter & penè quotidie cibos sine nausea comedimus: in concione eundem sermonem bis audire non sustinemus. Horum omnium causa est, quia appetitus omnis rerum cælestium in nobis deiectus est.

Ioan. 7. Hebr. 12.

Dominic. 3 Quadrag. tex. 7. par. 2. Exempla. 2. Reg. 12. Daniel. 4. Actor. 22. Ibid. 9. 3. Reg. 10.

Homil. 27. in Num.

Psalm. 118 Similia. Hom. 2. in Esaiam. Homil. 31. oper. imperf. in Matth. Laërt. l. 6. Apophth. Simile.

Concionis & mensæ discrimen.

A

B

C

D

2. *Rogauit eum à terra reducere pusillum.*

Voluntarium Dei obsequium Matth. 8. 2. Cor. 9. Leuit. 27. Allegoria. De Ciuit. Dei lib. 11. cap. 28. S. Bernard in vita Malachiæ.

LOcus moralis de obsequio & seruitio Dei voluntario. Potuerat Christus imperare Simoni, sicut *imperauit ventis & mari, & obediebant ei*, vt nauem à terra reduceret, sed rogat non imperat. Vult vt omne obsequium quod ei deferimus, voluntarium sit: *Hilarem datorem diligit Deus*; & omne opus bonum ex dilectione pensatur. In Leuitico præcipiebat Dominus: *Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur*. Omne opus bonum, quod Deo offertur, siclo diuini amoris ponderandum est. Si ieiunas, oras, si eleemosynam facis, ex hoc pondere opus æstimabitur. *Pondus meum* (ait Augustinus) *amor meus*. Amore quippe sicut pondere in ea ferimur quę amamus, maiori amplius, minori minus. Charitatis feruor inter operandum facit opus per se exile & tenue, valde præstans & fructuosum. Exemplum vnum aut alterum proferemus. Ciuis quidam Eboracensis in Anglia, videns Malachiam Episcopum Romam pergentem, multos habere

A bere socios itineris, & equos non nisi tres, obtulit ei suum, quo ipse vehebatur, hoc solum dolere se inquiens, quòd esset runcinus, durè portans: & addit, Libẽtius dedissem, si melior fuisset. Sed si dignamini, ducite vobiscum. Et ego, ait Episcopus, eo libentius accipio, quo tu prædicas viliorem: quia non potest mihi vile esse, quicquid tam preciosa voluntas obtulerit. Illum ergo conscendens Episcopus, primò quidem durum sentiebat, postmodum autem mira mutatione valde commodum & suauiter ambulantem inuenit: denique factus est ei optimus & pretiosissimus: quin etiam & de subnigro cœpit albescere, & non multo pòst vix inueniebatur albior illo. Quare & Episcopus eo nouem pòst annis vsque ad diem mortis suæ perpetuò vtebatur. Hæc D. Bernardus. S. Catharina Senensis quũ ex putida farina & exigua, ideóque abalia quadam statim proiicienda, plurimos panes, eósque optimi saporis in vsus pauperum suis manibus confeciſſet, causam huius miraculi Patri Raimundo confessario suo roganti hanc dedit: Ne Dei donum despiceretur, & ne pauperes negligerentur, magno cum feruore accessi ad illã farinam: atque ita, Angelis mihi cooperantibus multiplicata, & in meliorẽ mutata farina fuit. In vita S. Eligij Episcopi Nouiodunensis simile exemplum legitur. Hoc quoque sensu *duo minuta viduæ* laudauit Christus: & Paulus ad Corinthios: *Scio promptum animum vestrum erga ministerium in sanctos, pro quo de vobis glorior apud Macedones.* Sicut terra pinguis ex modico semine vberem fructum adfert; sic paruum opus ex magna charitate profectum, vberem mercedem à Deo reportat: quod Dauid expressit, dicens: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*, pinguedine charitatis, *& labijs exultationis*, id est, labijs exultantibus, & præ gaudio iubilantibus, *laudabit os meum.* Vide plura huc pertinentia Dominica prima post Epiphaniam, & in Dominica Palmarum.

Exempla. 1.

2. *Invita eius apud Sur. to. 2. p. 947.*

3. *Lib. 2. c. 18 to. 6. Sur.*

2. Cor. 9. Simile.

Psalm. 62. Text. 1.

Text. 4.

3. *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.*

LOcus moralis de vano & infructuoso omnium impiorum in hac vita labore. Infidelitas, hæresis, peccatum mortale, nox huius vitæ sunt & opera tenebrarum, sine Deo, sine Christo, sine luce virtutum, sine die gratiæ, sine sole iustitiæ. Vnde omnium impiorum illa vox est: *Iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Propterea sequitur: *Lassati sumus in via perditionis & iniquitatis.* Qui pòst multum laborem bonam mercedẽ accipit, aut quod quæsiuit inuenit, aut eò quò voluit peruenit, non lassatur, non fatigatur, sed maximè recreatur. Omnes impij ideo in termino laboris lassantur, quia multum laborantes nihil ceperunt, infidelium hominum omnis labor prorsus irritus & inanis est, siue quoad veri scientiam, siue quoad virtutis actionem. Vnde B. Prosper: *Græciæ schola, Romana eloquentia, & totius mundi inquisitio circa inueniendum summum bonum, acerrimis studijs, excellentissimis ingenijs laborando, nihil aliud egerunt, quàm vt euanescerent in cogitationibus suis, quia ad noscendam veritatem semetipsis ducibus vtebantur.* Hoc est, cæcum intellectum, cæca voluntas sequebatur, & ambo in foueam ceciderunt. *Ambulant enim gentes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, propter cæcitatem cordis ipsorum.* Ex hac nocte infidelitatis tot apud Philosophos sectæ, tótque pugnantes opiniones. Vnde S. Augustinus: *Dum Socrates ipse omnia monet, asserit, destruit, quoniam non euidenter quod quærebat apparuit, eius discipuli, quod cuique placuit, inde sumpserunt; & vbicunque visum est, ibi finem boni posuerũt.* Hinc videlicet factũ est, vt sicut à magistro discipuli, sic ipsi inter se cõdiscipuli perpetuò dissenserint, & sectas instituerint. Vnde apud Theodoretum Porphyrius: *Perpetua est apud nos λογομαχία & verborum disceptatio, vtpote qui in boni coniecturam humanis rationibus ducamur. Vt autem quod melius & certius est assequamur, semper nobis indagandum relinquitur.* Denique hoc illud est quod in persona sacerdotis Ægyptij, in Timæo suo conqueritur Plato: *Vos Græci semper pueri estis. Nulla enim apud vos est disciplina quæ senio incanuit.* In annos videlicet singulos noui philosophi prodierunt. Tanta certè, & tam infamis fuit hæc philosophorum pugna puerilis circa verum & bonum inueniendum, vt Lucius Gellius, Proconsul Romanus, Athenis quum ageret, omnibus philosophis in vnum locum conuocatis, grauiter cum illis egerit, vt controuersiarum & dissensionum harum aliquem tandem facerent modum, qua etiam in re suam illis operam & auctoritatem interponere pollicitus est: etsi inanis & irritus totus eius labor fuerit. Huius rei causam his verbis sanctus Augustinus reddit: *Non alia de causa inter Græcos illos philosophos, vt à magistris discipuli, & ipsi inter se condiscipuli dissentiebant, nisi quia vt homines humanis sensibus, & humanis argumentis veritatem inuestigarunt.* Sic isti tota nocte laborantes, nihil ceperunt, nec veritatem attigerunt, nec virtutem coluerũt, D sicut illa coli debet, id est, sic vt fructum beatitudinis inde perciperent. Alia nox huius vitæ est hæresis, cuius etiam omnes labores inanes & irriti sunt. Quod his verbis Apostolus docet. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundùm pietatẽ est doctrinæ superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum.* De his etiam alibi dicit, quòd sunt *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Et rursus: *Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Nempe dum nolunt esse discipuli veritatis, fiunt magistri erroris: *semper errantes, & in errorem mittẽtes.* Horum qũoq; ignorantiæ causa est, sicuti Paganorum, quòd semetipsis ducibus vtuntur, & per se sapere volũt. *Veritas tua Domine* (ait sanctus Augustinus) *nec mea est, nec illius aut illius; sed omnium quos ad eius com-*

Impiorum labor vanus. Sap. 5.

Philosophia humana nox laboris. Cont. Collat. cap. 26 Ephes. 4. De ciu. Dei lib. 8. c. 3.

De curat. Græc. affect. lib. 1.

Plato in dial. Timæo.

Cicero li. 1. de legibus.

De ciu. Dei l. 18. c. 41.

Hæresis labor de nocte. 1. Tim. 6. 2. Tim. 3. 1. Tim. 1. 2. Tim. 3. Confess. li. 12. cap. 25.

munionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nã quis- A
quis id quod tu fruẽdum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum esse vult quod omnium est, à commu-
Galat. 3. *ni propellitur ad sua, id est, à veritate ad mendacium.* Hæc est nox hæreticorum. Isti nihil capiunt, quia
per nulla bona opera Deo placere possunt. quod ad Galatas Paulus his verbis docuit: *Tanta*
Cõt. Parm. lib. 2. ca. 3. *passi estis sine causa?* Ait passiones eorum pro Christo inanes fore, si à fide semel accepta resiliant,
nouisque magistris aurem præbeant. Vnde sanctus Augustinus: *Extra Ecclesiæ vnitatem quicquid*
In Ser. de gestis Emeriti Donat. tom. 7. *operantur hæretici, quamuis magna diligentia & solertia fieri videatur, tamen nihil illis prodest aduersus iram*
Dei. Rursum alibi pleniùs: *Extra Ecclesiam Catholicam totum potest hæreticus habere præter salutem. Potest*
habere Ordinem Ecclesiasticum, habere Sacramentum, cantare Alleluia, respondere Amen, (hoc est, in om-
Peccati mortalis nox. ni externo cultu conuenire) *tenere Euangelium, fidem Trinitatis habere & prædicare: solam salutem non*
potest habere. Fundere sanguinem potest ne idola colat, coronam accipere non potest. Hæc ille. Nox peccati
mortalis sine lumine gratiæ, & igne charitatis, facit etiam vt laborantes nihil capiant, nullum la-
boris sui fructum percipiant, nec meritum consequantur. Hoc de eleemosyna, hoc de oratio-
1. Cor. 13. mosyna his verbis: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita*
vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. De oratione his verbis: *Fiat oratio eius inpec-*
Psal. 104. *catum.* De ieiunio: *In diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.*
Esaiæ 58. *Ecce ad lites & contentiones ieiunatis. Non est hoc ieiunium quod elegit Dominus.* De ipsa pœnitentia: *Esau* B
Heb. 13. *quæsiuit cum lachrymis locum pœnitentiæ, & non inuenit.* Nempe quia iratus fratri hoc quæsiuit, nõ do-
Esaiæ 47. lens super temeritate sua, qua vendidit primogenita. Denique sic animam peccatricem Deus
alloquitur: *Sta cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid*
Aggæi 1. *prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum.* Et per alium Prophetam:
Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati;
Oseę 8. *bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregauit, misit eas in sac-*
culum pertusum. Hic est labor eorum qui vanitates sectantur. *In aranearum telas erit vitulus Samariæ:*
Psalm. 11. *quia ventum seminabunt, & turbinem metent: culmus stans non est in eo: germen non faciet farinam: quod etsi*
Similia. *fecerit, alieni comedent eam.* Vide vt omnibus modis docet Spiritus sanctus, homines impios nul-
1. Tim. 6. los ex suis laboribus fructus capere: *In circuitu impij ambulant.* Sicut mola toto die se vertens, eo-
dem se loco vesperi inuenit, nihil progressa; sic impij, auari, ambitiosi, voluptuarij, *nihil in hunc*
mundum intulerunt; nudi, obscuri, plorantes nati sunt: *nihil inde auferent;* nudi, obscuri, plorantes
morientur. Equi nobilium bene phalerati, auro & argento contecti, toto die honorificè ambu- C
lant. Sed quum domum redeunt, omni illo ornatu sublato, nihil illis restat, nisi fatigatio, sudor,
& vulnera quæ ex tantis oneribus & cursibus acceperunt. Diuites, ambitiosi, voluptuarij sen-
tient in fine, omnes illas diuitias auarè vel acquisitas, vel retentas, omnes honores cupidè, vel
comparatos vel possessos, omnes voluptates illicitas, mera onera, eadémque grauia & acerba
Ibidem. fuisse. Hæc nempe sunt *Desideria multa & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & per-*
In hist. de Barlaã & Ioſaphat, cap. 13. *ditionem, in quæ incidunt qui volunt diuites fieri.* Damascenus, vt ostendat quàm vanus sit omnium
huius mundi voluptatum labor, ponit quẽdam in discrimen capitis vocatum, qui tres amicos
habebat, quorũ duos ingenti semper affectu amauerat, multáq; pro illis pericula, labores mul-
Parabola. tos sustinuerat, tertium verò sæpiùs aspernatus fuerat, & rarò admodum coluerat. Horum igi-
tur primum quum supplex adijsset, auxilium in eo discrimine flagitans, & vt causam suam apud
iudicem commendaret vehementer rogans, responsum accepit, se quidem id facere non pos-
se quod petebat, tamen honoris causa ad tribunalis locum eum comitari velle. Secundum quũ
supplex adiisset, nihil aliud ab eo opis accepisse, nisi duo cilicia, quibus in via vteretur; si vellet.
Tertium verò etsi non absque magna verecundia aggrediens, & in extremo hoc articulo opem
eius, etsi immeritam, suppliciter rogans, hilari & amœno vultu acceptus est, qui se sinceriſſi-
mum eius amicum esse professus, Bono (inquit) sis animo, Regem adibo, & vt tibi propitius sit,
obsecrabo, causámque tuam apud eum diligentissimè agam. Qua responsione accepta, miser D
ille afflictus plurimum est animo consternatus, nescius quid magis deploraret, suámne in tan-
tum amicum extremam negligentiam, an aliorum erga se maximam ingratitudinem, an verò
suam erga ipsos tantam & tam malè collocatam beneuolentiam. Horum amicorum primus est
vxor, liberi, amici, cognati, cæterique secundùm carnem familiares. Hi enim hominem ad ex-
tremum vitæ diem hoc solo obsequio prosequuntur, vt ad sepulchrum vsque cadauer comiten-
tur, nulla in re alia illi post mortem vtiles. Secundus amicus est diuitiarum copia, totáque mũ-
di gloria, ex qua post mortem nihil secum homo aliud aufert præter duo fortè cilicia, quibus
sepeliendum corpus inuoluitur. Itaque per istos duos amicos tota nocte laborans, nihil vtilita-
tis accepit. Tertius amicus vera virtus est, pietas, iustitia quam in hac vita quisque exercuit &
coluit: quæ quantumcunque exigua, comitatur tamen, & causam hominis post mortem apud
Apoc. 14. Deum Iudicem vehementer commendat. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Sed de duobus alijs
Ierem. 16. amicis, mundo & carne, dicit iterum Scriptura: *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem*
Simile. *die ac nocte.* Sicut porta in cardine semper vertitur, nec inde exit: sic peccator terminum sui do-
loris non inuenit. Adolescens aliquando captus amore alicuius mancipij, ita illam deperit, vt
etsi certò sciat, si eam in vxorem ducat, fore vt ipse statum seruilem subeat, à nuptijs tamen il-
lis, & indigna copula abstinere nolit. Sic diuitijs, honoribus, voluptatibus multi ita despon-

A santur,vt malint cum illis perpetuam seruire seruitutem,& tota nocte laborantes nihil capere, quàm earum cupiditatem deponere. De huiusmodi S. Iob dicit: *Sicut tela aranearum fiducia eius.* *Iob 8.* Aranea se totã euiscerãdo vt rete cõficiat,nihil in eo nisi muscas capit. Musca præter id quòd vilis est & immunda, importuna quoq; est & molesta: quã si semel atq; iterum abigas,vsq; tamẽ & vsq; redibit. Auarus,ambitiosus,voluptuarius,inuidus,vindictæ cupidus,perpetuis curis & cogitationibus afflictantur,ad id quod appetũt consequendũ,nec ab illis curis die noctúq; liberantur, quia cupiditates,vt musca importuna,mentes eorum incessanter exagitant. Magna cæcitas, tota nocte laborantes nihil capere,qui tantundem de die laborantes, & ex præscripto legis diuinæ, amplissimam mercedem acciperent. Si quis mercator eodem precio afferret veros lapillos, & verum aurum,quo alius vendit adulterina, cæcus & insanus haberetur qui recusaret. At Deus pro eodem labore venale exponit regnum cœlorum,quo diabolus terrenam hanc, & ementitam felicitatem. Sed vt qui de nocte laborant, quis futurus sit laboris fructus, ante laboris exitum non vident:sic terrenarum rerum amatores,& soliciti negotiatores, quis futurus sit eius negotiationis fructus,nisi finitis huius vitæ nundinis,non aduertunt. Et sicut pisces, quàm diu inuenta in hamo esca pascuntur, nihil mali sentiunt;& auiculæ laqueo captæ, interim dum præda potiuntur, satis se tuto ac bono loco esse putant; sed pisces, sublato ex aquis hamo, interitum suum tunc primùm vident,& auicula dum euolare contendit, tunc demum se captam cernit: ita omnis generis impij in statu peccati positi,& huius seculi noxijs voluptatibus potiti, B miseram suam catastrophen non priùs vident, quàm quum sibi in adeptis bonis quietem & pacem pollicentur. Tunc enim repentina mors *hac ipsa nocte animam repetens*,qualem somnum dormierunt,ostendit. O quàm longa nox,& quàm vacuæ manus! *Dormierunt enim somnum suum,& nihil inuenerunt in manibus suis.* Vide plura in alijs Dominicis. *Simile.* *Simile.* *Simile.* *Similia.* *Lucæ 12.* *Psalm. 75.*

4. *Sed in verbo tuo laxabo rete.*

LOcus moralis de fiducia in Deum circa difficilia. Hic enim Petrus etsi tota nocte laborando nihil piscium cœpisset, quod tamen tenebrarum tempus piscationi maximè aptum est; tamen nunc clara luce retia ad capturam laxare, Christo iubente, non veretur, plus videlicet in verbo Christi, quàm in arte sua confidens. Docet nos hoc exemplum,in rebus semper arduis magis Dei verbum seu promissionis,seu præcepti,seu etiam consilij attendere, maioremque in eo fiduciam ponere, quàm in humanis vllis viribus aut præsidijs, siue ea nobis desint penitus, siue quomodocunque adsint. Dauid cum socijs suis,videns quod eo absente Siceleg incensa esset, omnésque vxores & paruuli cum tota substantia per latrones Amalecitas abducti,in re tam desperata, cæteri quidẽ *leuauerunt voces suas & planxerunt,donec deficerent in eis lachrymæ*: sed statim C *confortatus Dauid in Domino Deo suo,consuluit Dominum,persequitur latrunculos,comprehendit eos,& excutit prædam*. Sic alibi idem Dauid: *Quoniam in te eripiar à tentatione; in Deo meo transgrediar murũ.* Totus ille Psalmus hanc in Deum fiduciam canit. Sic Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Rationem assignat Esaias: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*: id est,nouam induent, à Deo acceptam. Egregium in Dauide exemplum contra Goliath, cui Dauid dixit: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* In hac fiducia Ionathas turbauit castra Philistinorum solus cum suo armigero,dicens: *Non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis.* Dixit Iosaphat Rex exercitui suo, ad pugnam congregato: *Credite in Domino Deo vestro,& securi eritis.* Nehemias videns tot imminere pericula & labores in reædificãda Ierusalem, dixit ædificantibus: *Deus noster pugnabit pro populo, & nos ipsi faciamus opus.* Sic Iudas Machabæus ad suos milites: *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* Alia exẽpla in alijs locis prolata vide,& de hoc argumento plura in alijs Dominicis, vt Dom. 4. Aduent. tex. 5. & 7. in Dom. Pasch. tex. 4. Dom. 4. post Epiphan. tex. 4. Dom. Quinquag. tex. 3. & 4 Domin. 4. Quadrag. text. 2. Dom. in Albis, text. 1. & Dom. Pentecost. text. 5. Certus esse debet de re,qui habet pignus apud se. Verbum Dei seu promittentis opem,seu iubentis opus, pignus certissimum est. Neq; enim vel falsa promittit,vel impossibilia iubet; sed iubendo quod nõ possumus,docet nos id petere vnde possimus:nec petenti vnquam negat, quia nihil se negaturum promisit. *Redimet Dominus animas seruorum suorum,& non delinquent omnes qui sperant in eo. Cum ceciderit* (iustus sperans in Deo) *non collidetur,quia Dominus supponit manum suam.* Præsentissimum est Dei auxiliũ sperantibus in verbo eius;& solum Dei verbum iustis omnibus, vt baculus, vt anD chora,vt turris fortissima,omnis præsidij loco est. Hinc illæ voces: *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Rursum: *Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino.* Etiterũ: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Denique hanc maximè ob causam dicit Propheta: *Lucerna pedibus meis verbum tuum,& lumen semitis meis*,quia sicut lumen oculos,sic Dei verbum animam lætificat,& mira consolatione replet:sicut lumen pigros ad opus excitat, sic Dei verbum timidos ad fortitudinem prouocat, iuxta illud: *Verba sapientum,quasi stimuli* Sicut ex luminis solaris reflexione generatur ignis;sic verbum Dei generat in anima amoris flammas,iuxta illud: *Eloquium Domini inflammauit eum.* Sed sicut lumen in diaphano & perspicua materia intenditur,in materia autem fæculenta remittitur: sic in animo puro & defæcato verbum Dei forti- *Fiducia in Deum.* *Exemplũ.* *Exempla.* *Simile.* *Verbũ Dei omne præsidium.* *Psal. 118.* *Psal. 118.* *Simile.* *Eccli 12.* *Psal. 104.* *1. Reg. 30.* *Psalm. 17.* *Philip. 4.* *Esaiæ 40.* *1. Reg. 17.* *1. Reg. 14.* *2. Paral. 20* *Nehem. 4.* *1. Mach. 3.* *Psalm. 33. & 36.* *Psal. 118. 119. & 16.*

tudinem generat, amorem excitat, consolationes adfert; sed in animo materialium & terre- A
narum rerum amore quasi densa nube offuscato, verbum Dei nec penetrat, nec vllam operationem sibi propriam facit. Similis Simoni Petro esse debet, simplex in malo, feruens in bono, humilis corde, qui audita Dei voce, confestim dicat: *In verbo tuo laxabo rete.* Verbum Dei semen est, multum fructificans, sed in terra bona. Verbum Dei est cibus animæ, sed illis qui renati sunt ex verbo. Eisdem enim nutrimur, ex quibus sumus: sicut pullus nascitur ex albugine, & nutritur ex vitello eiusdem.

5. *Procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ego sum, Domine.*

Humiliatio sui ipsius.

LOcus moralis de sui humiliatione in conspectu Dei. Petrus indignum se tanta Christi gratia existimans, vt tantum miraculum eo præsente, & in eius nauicula Christus operaretur, peccatorem se profitetur, & Christi præsentia indignum. Sed quo se indigniorem Christi conuersatione iudicabat, dicens: *Exi à me Domine*; eo Christo propinquior factus est, & omnium eius indiuiduorum comitum intimus, omnium Apostolorum familiarissimus, & secretorum maximè conscius. Quanto humiliùs sedebat, tanto ampliùs capiebat, sicuti Magdalena
Exemplũ. secus pedes Christi sedens, vt verbum vitæ audiret. *Saul cum esset paruulus in oculis suis, factus est ca-* B
1. Reg. 15. *put in tribubus Israël.* Vbi ostium est humile & paruum, necesse esse demisso capite intrare, vtcun-
Simile. que sit domus magna. Vt cælum ingrediaris, vt ad virtutem & veram gloriã pertingas, per Chri-
Ioan. 10. stum intrare debes. *Ille enim est ostium.* At ille *mitis & humilis corde* erat: & hoc ipsum vt nos esse-
Matth. 11. mus, ab eo nos discere iubet. *Non in spiritu, non in commotione Dominus; sed in sibilo auræ tenuis.* Illic
3. *Reg.* 19. habitat & requiescit Dominus, vbi humiliter de se animus sentit, *non ambulans in mirabilibus su-*
Psal 130. *per se*, sed sicut recenter ablactatus à matre sua, qui adhuc pendet à matre sua, *sicut modò geniti in-*
1. *Pet.* 2. *fantes, in simplicitate cordis lac concupiscite.* Inter cæteras sponsæ dotes hęc ponitur: *Statura tua assimi-*
Cant. 7. *lata est palmæ, & vbera tua botris.* Palma est arbor, cuius radix quanto plus opprimitur, tanto altiùs
Simile. consurgit, habétque radicem maximè in terra defixam. Habet quoque folia ad modum palmæ manus humanæ, quam natura sine vnguibus pungentibus, & sine aculeis formauit. Hæc omnia humilitatem spiritus, mansuetudinem & simplicitatem sponsæ significant: vt sic fructus suauissimos proferat, sicut palma suos dactylos; & in altissimam comam insurgat, sicut palma quæ arbor est maximè procera, & in capite valde comata. Sic enim dicitur; *Iustus vt palma florebit in do-* C
Psal. 91. *mo Domini.* quia solus Petrus hoc viso Christi miraculo se maximè humiliauit, propterea ei so-
Lucę 5. li respondit Christus; *Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens*; eum plus cæteris honorans. Sic
Ioan. 13. alibi ex summa animi humilitate Christo dixit, *Non lauabis mihi pedes in æternum*: sed à Christo correctus, ex eadem humilitate promptissimè morem gerit, dicens: *Domine, non solùm pedes, sed &*
Psal. 103. *manus & caput.* Hæc est humilitatis virtus, iuxta illud: *Inter medium montium pertransibunt aquæ, &*
Simile. *valles abundabunt frumento.* Humilibus datur abundantia gratiarum, & copia meritorũ. Sicut enim valles aquosæ sunt, fructuosæ, vmbrosæ, & calidæ propter solis ardorem magis conclusum, & aquarum defluxum, proptérque vicinos montes: sic animæ humiles, propter gratiarum decursum, & conclusæ charitatis ardorem (superborum enim charitas, si qua in operibus est, effluit tota per vanam gloriam) & vicina Sanctorum exempla, quæ illi intuentur, sunt perpetuò bonorum operum fructuosæ. Nempe, vt ait Scriptura, *Vbi est humilitas, ibi est sapientia, Simplicitas iu-*
Prou. 11. *storum diriget eos.* Humiliter enim de se sentiens, & seipsum meliùs cognoscit, & ad Deum cogno-
Psal. 137. scendum perspicacior efficitur. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Sic Pha-
Lucæ. 18. risæus de bonis operibus sibi placens, seque cæteris hominibus præponens, abiectus est: Publicanus, suam miseriam agnoscens, iustificatus est.

Similia. Ipsa docet rerum natura, in magnis Dei donis, multisque virtutibus humilitatem animi
1. adesse semper oportere. Ramus quo fructibus est onustior, eo terram versus magis deprimi-
2. tur. Spica quo granis plenior, eo se incuruat magis. Ramus erectus, & spica erecta vacua sunt. D
3. Vasa vacua magis resonant, repleta minùs. Cuius arboris folia lata & densa sunt, vel nullũ vel rarum fructum adfert. Multa loquuntur, multum iactitant, multum verborum habent, quibus solidæ virtutis inest minus. Humilitas taciturna est & timida, sed bonis operibus plena. Si-
4. cut stella in firmamento est modica in apparentia, sed verè magna, & quidem (vt Mathematici tradunt) tota terra maior: sic humilis cum sit apud Deum & in rei veritate magnus, sibi tamen
Superbi & humilis discrimen. atque alijs paruus & contemptibilis videtur. Inter superbum & humilem hoc discrimen est. Superbus ab omnibus cognoscitur, sed seipsum nescit: humilis à nemine cognoscitur, sed sei-
Simile. psum optimè nouit. Sicut pueri homine conspecto, nihil nisi hominem cognoscunt, nec ve-
Matth. 18. stem, nec dignitatem considerantes: sic humilis factus vt paruulus (*nisi autem efficiamur vt paruuli, non intrabimus in regnum cælorum*) res ipsas, vt à Deo sunt, considerat, non vt mundi vanitas nouo fuco eas depinxit. Plura de hac insigni virtute iam in aliis Dominicis aliquoties diximus, & adhuc plura infra dicemus, Dominica 10. post Pentecosten, textu vltimo.

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ V. POST PENTECOSTEN.

AMEN dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te; re- *Matth.5.*
B linque ibi munus tuum ante altare; & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Contra hypocrisim, & de varijs eius generibus.
2. *Ego autem dico vobis: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Contra iram aut quodcunque odium proximi.
3. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ.* Contra contumelias & maledicta in proximos.
4. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offer*, &c. De necessaria & non differenda reconciliatione fraterna.

C

1. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

LOcus moralis contra hypocrisim, & de varijs eius generibus. Iustitia enim Scribarum & Pharisæorum tota hypocritica erat: quia vel in externa tantùm rectitudine, neglecta interna & vera cordis iustitia; vel in ipsa externa, aut præpostera & mutila, quia parua exactè seruabant, maxima negligebant; aut ficta tantùm & simulata, quia verbalis potiùs erat quàm realis obseruatio, consistebat. Ad primam quod attinet, dicit illis Christus: *Vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiã quod deintus est fecit?* Rursum alibi: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi. Similes estis sepulchris dealbatis, quæ àforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic vos àforis paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi, & omni iniquitate.* Hæc est detestanda impietas sub fuco iustitiæ. Iustitia Christianorum debet esse interna & in corde; non ficta nec in labijs. *Diligamus non verbo & lingua, sed opere & veritate.* Omnia opera
D hypocritæ sunt sicut falsa moneta, exteriùs deaurata, intus lutea. Sunt vacua vasa bene signata, & titulis speciosis ornata. Sunt sicuti poma illa quæ circa mare mortuum (vbi olim Sodoma stetit & Gomorrha) nascuntur, vt varij scribunt auctores, quæ & colore & magnitudine speciosa sunt, maturáque videntur ac solida; sed vbi ea primùm tetigeris aut compresseris, in vaporem fœtidum & sulphureum resoluuntur, tam naribus ingrata, quàm oculis erant iucunda. Sunt quasi opacum & vmbrosum nemus, quod prima facie amœnum; & delicijs plenum appareret, sed intus non nisi serpentes alit. Sunt sicut tormẽta bellica in castri propugnaculis dispositа, quæ magnum aspicientibus terrorem adferunt, sed puluere & globis vacua, ideóque inania terriculamenta. Vides in hypocrita ieiunium, orationem, eleemosynam. Quem ista non moueant? Sed deest diuini amoris ignis, deest intentionis bonæ globus, & ita nihil valent. Quod natura differt ab arte, hoc vera iustitia ab hypocrisi. Natura in omnibus animantibus à corde suum opus incipit; pictores & statuarij à facie, nec interiora possunt exprimere. Assimilãtur hypocritæ struthioni, de quo Iob ait: *Penna struthionis similis est herodij & accipitris.* Accipiter & herodius sua velocitate reliquas aues superant. Struthionis autẽ pennæ similitudinẽ eorum habent, *Iob.39.* volatus autem non habet. Alas quidẽ quasi ad volandum erigit, sed nunquam à terra eleuatur.

Hypocrisis & varia eius genera.

1. *Externa rectitudo sine interna.* *Luc.11.* *Matth.23.* 1.*Ioan.3.* *Similium congeries.*

Tales sunt hypocritæ, qui actiones externas quasi alas ad volandum excitatas habent, animo tamen & corde toti terræ inhærent; & terrena sapiunt. Quum enim sint immunditia sues, malitia lupi, astutia vulpes, inani gloria volucres, transfigurant se tamen in Angelos lucis. Sicut vulpes simulat se mortuam vt gallinas capiat, securè ad eam accedentes; sic hypocritæ mortificationem simulant, vt simplicibus imponant, & sub pietatis prætextu prædam aliquam capiant. De quibus Apostolus: *Voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autẽ eius abnegantes. Et hos deuita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Tales hypocritæ polypo similes sunt, de quo sic scribit S. Basilius: *Non silentio prætereirim polypi dolos ac furacitatem. Is cutcunque saxo adhæserit, colorem subit illius, atque adeò, vt pisciũ complures ad ipsum de improuiso nantes, tanquam ad saxum appellant, paratamque sese offerant illi prædam. Tales sunt qui sobrietatem cum sobrijs laudant, intemperantes sunt cum intemperantibus, atq; ad id quod cuiq; placet, suam omnino sententiam vertunt. Quos euitare facile nemo potest, propterea quòd pietatis prætextu, prauitas eorum fucata & adornata profundè latet.* Hæc ille. De huiusmodi Dauid: *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Maledixit Dominus vineæ de qua *expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Labrusca habet colorem vuæ, sed non saporem; sicut opera hypocritarum bonum habent colorem, sed Deo sunt insipida. Videtur hypocrita huiusmodi esse, *tepidus ille, quẽ euomet Dominus.* Habet enim exteriùs calidum quid, & interiùs frigidum: feruet actio, & friget intentio. Vide plura in Dominica prima post Pentecosten.

Alia iustitia Pharisæorum siue alia hypocrisis, erat externa quædam sanctitas præpostera & mutila, quia in minimis scrupulosi erant, in maximis nullam conscientiam ponebant. De qua Christus: *Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei.* Vel, vt Matthæus habet, *& reliquistis quæ graniora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem.* Hanc iustitiam superamus, & hypocrisim corrigimus, si magna facimus, & parua non prætermittimus: si in nosipsos rigidi & seueri sumus exactores, non adulatores: si quum parua præstitimus, non propterea sanctulos nos esse opinemur; sed quæ maiora non facimus, attentè dispiciamus. Ptolemæo Regi Ægypti, quia discendi cupidus videbatur, adulatores ei familiares de lingua, de versiculo, de historiola digladiantes, ad mediam vsque noctem reluctabantur. At verò sæuienti, ferocienti, vectigalibus populum oneranti, nullus è tam multis obsistebat. Cùm aliquando Tiberius Cæsar in Senatum veniisset, surgens adulator quidam, ait, hominibus liberis liberè loquendum esse: nihilque metu dissimulandum, neque quicquam reticendum eorum quæ ad publicam vtilitatem pertinent. His verbis cum omnes excitasset, factóque silentio, & ipso etiam auscultante Tiberio, Audi Cæsar (inquit) in quo te quidem culpamus omnes, etiamsi nemo palàm audet dicere. Negligis teipsum, corpúsque tuum exponis pro nobis, solicitudinibus & laboribus illud conficiens, nec interdiu, nec noctu quiescens. Huiusmodi multa cum ille dixisset, aiunt Oratorem Caium Seuerum subiecisse: Ista libertas hũc hominem exitio dabit. Tales adulatores tam sui ipsius, quàm aliorum sunt hypocritæ. Non ille bonus medicus est, qui hominis tubera fistulásque habentis, pilos tantùm & vngues ferro incidit. Non ille bonus ludimagister est, qui puerum de tabula & stylo castigat, mores autem eius deprauatos dissimulat. Ridiculus ille censor ac monitor esset, qui imperitum Oratorem nihilq; dicentẽ quod ad causam pertineat, reprehensurus; de voce cauilletur, & grauiter accuset, quòd frigidam potans corrumpat arteriam. Meritò Diogenes Musicos in ius vocabat, quòd quum lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. Grammaticos quoque admirabatur, quòd quum Vlyssis mala tam studiosè inquirerent, sua prorsus ignorabant. Quam præposteram diligentiam prudenter Themistocles refutauit, qui rogatus inter epulas vt neruis caneret, quum respondisset, se illam artem nescire, aliúsq; intulisset, Quid ergo nosti? si hoc non nosti? respondit iterum, Rempublicam ex parua magnam facere noui. Sicut ergo absurdum & præposterum est, parua curiosè scire, magna nescire; parua in alijs curiosè arguere, magna dissimulare: sic præposterum & periculosum admodum est, in paruis delictis ingẽtes scrupulos ponere, magna crimina sine scrupulo committere. Dauid visa Bethsabee, & iam captus in oculis suis, inquirebat an mulier sanctificata esset ab immunditia sua; & non inquisiuit an viro esset copulata coniugio. Iudæi noluerunt ingredi prætorium ne contaminarentur; sed falsis testimoniis Christum morti tradere nihil verebantur. Tales sunt qui in ceremonijs externis omnia accuratissimè obseruant, seriùs ad Ecclesiam venisse, in horis reddendis versiculum omisisse, pro maximo piaculo habent; sed in ipsa Ecclesia fratres maleuolè obseruare, inuidia laborare, obscœnas cogitationes voluere, pro nullo delicto habent. De quo hominum genere sic conqueritur Augustinus: *Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris salaberrimè præcepta sunt, minùs curantur; & tã multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauius corripiatur qui per octauas suas* (id est, per festa solennia) *terram nudo pede tetigerit* (non calceatus & melius solito vestitus) *quàm qui mentẽ violentia sepelierit.* Alia Pharisæorum iustitia seu hypocrisis erat, verbalis, non realis, ficta & nõvera mandatorũ obseruatio, quam sæpe in Euangelio taxauit Christus: *Quæcunque dixerint vobis, facite; secundùm opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* Rursum: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et iterum: *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit eam?* Et adhuc apertiùs: *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ: ipsi non introijstis; & eos qui introibant, prohibuistis:* malum videlicet exemplum & scandalum præbendo. Et alibi: *Onera grauia imponunt humeris aliorum,*

Simile.

2. Tim. 3.

Hom. 7. in Hexaemeron.

Simile.

Psalm. 27. Esaiæ 5.

Apoc. 3.

Text. 5.

Hypocrisis superstitiosa.

Lucæ 11. Matth. 23.

Exempla. Plutarc. li. de discrim. adul. & amic.

Similia.

Laert. li. 6. Apophth.

August. epist. 56. ad Dioscorum

Exempla. 2. Reg. 12 Ioan. 19.

Epist. 119. cap. 19.

Simulata sanctitas.

Matth. 23. Ioan. 8. Ioan. 7. Lucæ 11.

A *aliorum, & digito suo ea nolunt mouere.* Quem locum alibi exposuimus, simúlque de hoc hypocrisis genere in aliis Dominicis diximus. Hæc hypocrisis omnibus ferè Iudæis communis erat, omnium certè filiorum veteris Testamenti, siue in statu legis siue in statu gratiæ (non enim temporum, sed morum hæc differentia est, ad vetus vel nouum Testamentum pertinere, veterem vel nouum hominẽ esse) propria est. Horum enim omnium vox est: *Quæcunque dixerit Dominus faciemus, & erimus obedientes;* sed nihil opere præstãt. Isti pertinent ad minorem illum filium, qui *iussus ire & operari in vinea, dixit: Eo domine; & non iuit.* De his Apostolus dicit: *Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei propter vos blasphematur inter gentes.* Atqui iustitia nostra debet esse maioris filij, & gentilis populi; qui etsi ad tempus noluit obedire Deo & vocatus in vineam, respondit, *Nolo ire, postea tamen pœnitentia motus, iuit. Hic enim fecit voluntatem patris sui. Qui enim fecerit & docuerit, hic vocabitur magnus in regno cælorum*: hic verè hæres regni erit: & ideo his verbis statim subiecit Christus hunc Euangelij nostri textum, simúlque ostẽdit hanc Pharisæorum iniustitiam & hypocrisim in hoc genere maximè cõsistere, quod dicat benè & faciat malè, vt deduxit S. Augustinus. Anacharsis Scytha de Græcis hoc notauit, quòd præclarè loquerentur, & nihil facerent, ideoque similes eos illis esse dicebat, qui numismate ad nihil aliud vterentur, nisi ad numerandum. Appositè S. Augustinus: *Sicut cuius pulchrum est corpus & deformis animus, magis dolendus est, quàm si deforme haberet corpus; ita qui sanctè loquitur, &* B *male viuit magis miserandus, quàm cuius vita improba verbis respondet.* Hoc enim est ex eburnea vagina plumbeum educere gladium. De istis verum est quod scribit Oseas: *Oblitus est Israel factoris sui, & delubra ædificauit.* Obliuiscuntur hypocritæ Dei in corde, & de labiis suis ædificant templa, quia omnem sanctitatem in verbis ponunt: *Labiis suis me honorant, cor autem eorum longè est à me.* Sunt quasi aurum alchymisticũ, quod splẽdet, & non valet. Vox quidem eorum vox Iacob, sed manus eorum manus Esau sunt: opera reproborum faciunt, loquuntur vt electi. Sed aurichalco hypocrita propriè assimilatur: auri colorem habet, non valorẽ. Cibaria in aurichalco seruata, malè sapiunt, & odorem fœtidum contrahunt. Sic hypocrisis interiores affectus corrumpit, quos diu celatos vbi semel producere audet hypocrita, teterrimi apparebunt, & pestilentes. Vasa ex aurichalco facta, quum noua sunt, nihil verè aureis splendore cedunt, sed paulatim rubiginem contrahunt, tandémque cupream suam originem manifestè produnt. Sic hypocrita in prima cum eo conuersatione vir sanctus videtur, sed diuturniore consuetudine minùs placet, ac tandem prorsus displicet, quum sub pelle leonina auriculæ prominent asininæ. *A fructibus eorum agnoscetis eos.* Hypocrita est *arundo vento agitata.* Arundo radicem habet in arena, & vento, pluuia, flumine obruitur. Hypocrita totus radicatur in amore terrenorum, & qua- C uis tentatione seipsum prodit, simulationémque deponit. Inter veram ouem & lupum in vestitu ouis hoc discrimen est: vt vera ouis si tondeatur, semper tamen lanam gerit, quæ in proprio subiecto & naturali facilè denuo succrescit. At vellus quo se vestit lupus, si tondeatur, nunquam denuo succrescit, sed statim se prodit lupus. Sic vera virtus tribulatione roboratur, simulata & hypocritica detegitur & reuelatur. Sicut solis ardor ceram dissoluit, & lutum indurat: sic tribulationis æstus cor molle & flexibile ad emendationem trahit; cor luteum, & sordidis cupiditatibus repletum, quale hypocritarum est, indurat magis. Rursum arundo omni vento agitatur. Sic hypocrita ad omnem fortunæ auram se flectit. Arundo exteriùs virorem habet, intus medulla, & omni soliditate caret. Hypocrita in verbis sanctus est, in corde vanus. Arundo citò crescit, & citò arescit. Sic hypocritæ gloria & existimatio, de qua Iob, *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Denique sicut perforatur manus quæ arundini innititur, sic facilè læditur qui hypocritæ fidit. De quo Esaias: *Ecce confidis super baculum arũdineum & confractũ*, &c. *cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Quemadmodum Patroclus Achillis arma induens, & equos in pugnam educens, hastam Peliacam non ausus est attingere, sed hanc omisit: sic hypocritæ verba & voces sanctorum concinnè resonant, facta eorum non attingunt. Illis dici debet quod adolescenti leuissimo de temperantia & sobrietate in Senatu Romano grauiter differenti responsum erat: *Quis te ferat ædificantem vt Crassus, cænantem vt Lucullus, loquentem vt Cato?* Cy- D gnus plumas habet omni niue candidiores, sed carnem nigram, & digestionis durissimæ. Sic hypocrita sub verbis mellitissimis venenum alit. Pantheram propter pellis pulchritudinem, & colorum varietatem, & odorem quem emittit, cætera animalia solicitè adeunt, & multum videre desiderant, sed toruitate capitis deterrentur, vnde ipsa caput occultat, & accedentia animalia rapit & deuorat. Sic hypocrita propter externam sanctitatem, & opinionem eius, à multis appetitur, quos ipse postea, vel corrumpit sua improbitate, vel ad suum emolumentum trahit. Potest quoque & erucæ aptissimè comparari ipsa hypocrisis. Eruca est vermis maximè noxius arboribus & herbis: folia, flores, & ipsas interdum frondes & pampinos corrodit. Sic hypocrisis omnes animi affectus, verba, & opera corrumpit, nihil in homine sanum relinquit. Eruca omnibus consumptis texit de suis viscetibus telas, more aranearum, quibus se per totam hyemem inuoluit, adhærens arboribus, & semen suum pestiferum custodiens. Egerit enim quædã oua, quibus in vere erumpentibus nascitur multa proles. Sic hypocrita ad sui conseruationem, & ad dissimulationem ingeniosus est, & ortâ aliqua aduersitate multis technis & dolis suam celat malitiam, adhærens aliis bonis viris, tantisper dum tempestas transeat, quorũ ope multa secreta facit multorum semina malorum. Eruca ad modum bombycis sericum facientis, transformat se

Matth. 23. *Domin. 2. Aduent. text. 4.* *Exod. 24.* *Matth. 21.* *Rom. 2.* *Matth. 11.* *Matth. 5.* *De fide & oper. c. 26.* *Cõt. Faust. lib. 17. c. 5.* *Plutarc. in lib. de profectu morũ* *Apophth.* *De doct. Christ. l. 4. c. 28.* *Similia.* *Osea 5.* *Matth. 15.* *Similium congeries.* 1. 2. 3. *Matth. 7.* *Matth. 11.* 4. 5. 6. 7. *Iob 20.* *Esaiæ 36.* 8. *Apophth.* 9. 10. *Plin. nat. hist. lib. 8. cap. 18.* 11.

ex reptili in volatile,& fit papilio, & quando volat, minùs eſt noxia quàm quando reptat. Sic A
hypocrita ad modum iuſtorum, qui præclarè de Eccleſia & Republica merentur,fit ex priuato
Prælatus, ex paupere diues, atque apertè ſuperbus; & tunc minùs nocet, quia magis ſe mani-
feſtat (magiſtratus enim probat virum) quàm quando in ſua paupertate reptabat, opinione ſan-
12. ctitatis multos decipiens, & ſeipſum perdens. Nam vt luctatores ſuum corpus humiliant, vt
deiiciant alios; ſic hypocritæ ſeipſos exteriùs humiliando, alios ſæpenumero ſupplantant, &
Phariſaica vana gloria. aliis deiectis in ipſorum loca & dignitates conſcendunt. Alia adhuc Phariſæorum hypocriſis
erat, in omni virtutis opere laudem & gloriam humanam captare. *Omnem iuſtitiam ſuam faciunt,*
Matth. 6. *vt videantur ab hominibus.* Hanc inſaniam corrigere debemus, qui à Chriſto nomen accipere vo-
lumus: vt alijs iam Dominicis ſemel atque iterum latè deduximus. Hic tamen pauca addemus.
Bonus Chriſtianus in omni virtutis actione puram Dei gloriam ante oculos habere, & eam ſo-
In Reg. fuſ. explic. ad q. 5. lam quærere debet. *Artes omnes humanæ* (ait D. Baſilius) *ad finem ſibi præfixum actiones ſuas omnes di-*
rigunt: hominis Chriſtiani finis eſt, ei placere, cui ſe probauit, iuxta illud Apoſtoli: *Contendimus in omni-*
2. Tim. 2. *bus, ſiue abſentes ſiue præſentes placere Deo.* Ad hunc finem omnia dirigenda, ſicut cynoſuram reſpi-
2. Cor. 5. cit nauta, vt curſum dirigat. Nunquam ille rem faciet, qui ſegetem ſuam in herba colligit, nec
Similia. autumnum expectat, quod meſſis tempus eſt. Qui nunc laudari volunt, receperunt mercedem
ſuam, quia æterna carent. Tinea virtutum, laudis cupiditas eſt. Sicut enim tinea ex bono pan- B
no naſcitur, ſed eundem conſumit; quia non excutitur, ſed compreſſus iacet pannus: ſic ex bo-
na virtute vana naſcitur gloria, ipſámq; virtutem corrodit, hoc eſt debita mercede priuat, quia
apud ſe manet recti operis conſideratio, non excutitur, non examinatur quis eius verus auctor
ſit, Dei ſcilicet gratia, non humanæ vires. Egregiè Auguſtinus: *Niſi humilitas omnia quæcunque be-*
Epiſt. 56. *nefacimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & præpoſita quam intueamur; & appoſita cui adhæ-*
reamus, & impoſita qua reprimamur; iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totũ extorquet de manu ſu-
perbia. Hæc ille. Præponi debet, vt finis quem intuemur, non ſit vana, id eſt, ab hominibus, aut
noſtra, ſed Dei ſolius gloria. Apponi debet, vt non noſtris viribus, ſed Dei auxilio adhærentes,
benè operemur. Imponi debet, vt non in nobis, ſed in Domino gloriemur. Quare hanc & pri-
mam, & ſecundam, & tertiam, & ſic deinceps hominis Chriſtiani virtutem, ſicut in eloquentia
pronunciationem eſſe reſpondit Demoſthenes, ibidem affirmat ſanctus Auguſtinus. De hac
falſa Phariſæorum iuſtitia à Chriſtianis ſuperanda & corrigenda, in altero Promptuario contra
hæreticos diſputauimus.

2. *Ego autem dico vobis: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.*

C

Ira & odiũ proximi. LOcus moralis contra iram, aut quodcunque odium proximi. Quum enim Phariſæorum
iuſtitia, id eſt, hypocriſis, præter illa omnia hypocriſis genera in ſuperiori loco explicata,
etiam ex hac parte hypocrita fuerit, quod literalis tantùm eſſet, non ſpiritualis; & in ex-
terno tantùm opere, non in voluntate peccatum poneret, ideóque præcepta de non occidendo,
de non mœchando, de non furando, opus tãtum externum prohibere exiſtimarent: hunc gra-
uiſſimum errorem confutat Chriſtus, docétque internum nocendi deſiderium peccatum eſſe,
Cont. Fauſt lib. 19. c. 23 & quidem huiuſmodi vt reum iudicio conſtituat. Sic Auguſtinus hunc locum exponens: *Quia*
non intelligebant Iudæi homicidium, niſi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem iniquum
motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari. Ioſephus Iudæus reprehendit Polybiũ, quòd
Antiq. l. 12 cap. 13. Antiochum ideo periiſſe dicat, quia Dianæ templum diripere voluerat. *Voluiſſe enim tantùm*
(inquit) *ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res digna ſupplicio.* Sic cæteri Iudæi concupi-
Cogitationes malæ abũciẽdæ. ſcentiam in Decalogo prohibitam, non aliam eſſe volunt, quàm eam quæ cum proximi iniuria
coniuncta eſt, & vt iuſtitiæ aduerſatur, non caſtitati. Sed hanc eorum falſam iuſtitiam ſupera-
mus, ab omni etiam prauo cordis affectu cauendo. Thales philoſophus, Iudæis hac in parte ſa-
Laërt. li. 1. cap. 1. Apophth. pientior, *rogatus an lateret Deum homo malè agens, Ne cogitans quidem,* inquit. Quale frumentũ mo-
Simile. læ imponimus; talem illa nobis farinam reddit. Mola actionum noſtrarum, eſt agitatio phan-
Matth. 14 taſmatum. *Ex abundantia cordis os loquitur,* & manus operatur. *Beatus qui allidit paruulos tuos ad pe-* D
Pſalm. 136 *tram.* Interfice inimicum dum adhuc paruulus eſt: noli ſerpentem in ſinu tuo alere, ne eo cre-
ſcente tu ab eo occidaris. Non hoc ſimpliciter damnatur, quod malas cogitationes habemus,
illæ enim nobis inuitis ſurrepunt: *& non eſt in poteſtate noſtra,* ait Auguſtinus, *quibus viſis tangamur,*
Delib. arb. lib. 3. c. 25. ſed quòd in illis immoramur. Permiſſum erat Iudæis, vt Gentes eorum fines liberè tranſirent;
Allegoria. ſed vt inter ſe habitare eos ſinerent; id prorſus prohibitum erat. Connubia cum alienigenis
Num. 18. penitus interdicens Deus, hanc cauſam adiecit: *Quia ſeducent te, ne ſequaris me, ſed magis vt ſer-*
Deut. 7. *uias dijs alienis.* Qui animo & voluntate peccatum voluit, & voluendo conſentit, iam cum eo
Simile. connubium iniit, & fornicatus eſt: certiſſimè eum ſeducet, vt actionem impiam voluntati con-
formem producat. Cogitatio & primus mentis motus eſt quaſi radix arboris. Si viuit bono ſuc-
co plena, folia & fructus bonos dabit. Si infecta eſt vel pice, vel ſulphure; fructus õnes quos pro-
Simile. fert, inficientur, praui & corrupti erunt. Bombyces ſeu vermiculi qui ſericũ conficiunt, in prin-
Simile. cipio ſunt quaſi minutiſſima grana ſinapis: fœminæ autem illos ſacculo incluſos ante pectus

geſtantes,

A gestantes, calore pectoris fouent, & ad vitam educant, vt vermiculi fiant. Caue ne improbam contra fratrem cogitationem tam diu in sinu pectoris foueas, donec tandē vermis fiat, qui conscientiam tuam rodat. *Homo malus ex malo thesauro cordis sui profert malum.* Nec grātiæ defectus, nec diaboli suggestio, sed sola voluntas improba malitiam in mente operatur. *Si animo deficit cogitatio bona* (ait S. Basilius) *perspicuum est, quòd vnà cum cogitatione, illuminatio quoque diuina deficit: non quia id deficit quod illuminat, sed quia id dormitat quod illuminari debet*, iuxta illud, *Dormitauit anima mea præ tædio.* Quamuis ex cilice igniario percusso ignis excitetur, tamen nisi sulphuratam mox adhibeas, nihil effectum est. Sic etsi diabolus tentationis suæ igniario (quod *iaculum ignitū* Apostolus vocat) sensualitatis tuæ lapidem percusserit, ignémque desiderij expresserit, ille tamen ardebit nunquam, si consensus & voluntatis tuæ sulphuratam non adhibeas. Ira igitur aut odiū animo contra fratrem conceptum, peccatum semper est à nobis ipsis profectum, qui cor non custodiuimus, qui diabolo aditum permisimus, qui cum Deo collecti & vniti non stetimus. *Qui per frequentem cum Deo communicationem* (ait sanctus Basilius) *in eum collectus est, is quū corpore suo vtatur, tantùm vt domicilio curarum suarum, & ad mentis actiones educendas instrumento, licet casus illum in forum attulerit, vel in montem, vel in agrum, licet in maxima alicuius conuentus celebritate versetur, stabilis tamen in naturali suo monasterio manet, quippe qui mentem suam introrsum ad seipsum recollectam gerat, ibique de rebus ad officium suum pertinentibus tractet*, non secus sanè quàm auarus vtcunque cum aliis

B hominibus sæpe versetur, animus tamen eius semper in arca est, vt guloſi in patinis, & libidinosi in amoribus. Non solùm ergo à prauo opere abstinendum, à cæde, à percussione, à contumelia, sed etiam ab omni maleuola in proximum cogitatione. Hoc ignorare Iudæi ipsi non poterant. Sic enim in lege eorum scriptum erat: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Et Dauid dixit: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compūgimini.* Esaias quoque: *Auferte mala cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Cæterùm Iudæorū mentes sicut odium excæcauit, ne diligerent fratres; sic etiam excæcauit, ne suam ipsi legem intelligerent. Docet ergo Christus non irascēdum fratri. In peccato duæ quasi facies conspiciuntur. Vna est Dei offensa: altera est ipsius peccatoris prolapsio. Illa ad iram prouocat virum iustum, & diuinæ legis zelatorem: hæc ad compassionem mouet virum bonum, & fraternæ dilectionis studiosum. Iustus igitur peccato quidem irascitur, quia contra legem Dei est: sed fratri non irascitur, quia proximus eius est. Hoc est quod Dauid dixit: *Irascimini, & nolite peccare.* Aliud enim est ira per zelum, aliud ira per vitium. *Ira per zelum* (ait Gregorius) *sapientes turbat: ira per vitium stultos interficit.* Sic Ambrosius: *Irascimini vbi culpa est, cui irasci debeatis.* Sic & Augustinus hunc locum enarrans, *Vt in ipsa* (inquit) *ira modum teneamus, vt non peccemus, vt vincatur ratione iracundia.* Quæris hunc modum? videtur tibi difficile, irasci pec-

C cato, & non irasci fratri peccanti, id est, ab eius dilectione non recedere? Vide ergo. Pater castigat filium peccantem; nec tamen odit filium: imò quanto magis filium amat, tanto magis filiū castigat. Sed & tibi ipsi sæpe irasceris, vel peccanti in Deum, si bonus es; vel peccanti & errāti circa huius vitæ negotia, si mundanus es; nec tamen à tua ipsius dilectione recedis. Imò quanto teipsum magis diligis, eo magis doles te per Dei offensam ab eius gratia excidisse, si bonus es; vel aliquo tuo commodo caruisse, si mundanus es. Sic ergo irascere peccanti proximo, sicut tibi ipsi peccanti. Debes enim proximum tuum diligere sicut teipsum. Hoc est quod Dauid dixit: *Perfecto odio oderam illos. Hoc est*, ait Augustinus, *nec propter vitia homines odisse, nec vitia propter homines diligere: sed quanto magis naturam hominis amas, tanto magis vitium odisse, quòd naturam illam à te sic adamatam fœdauit.* Hæc ille. Quanto vestis tua pretiosior est, tanto indignius fers maculam in illa. Sic magis offendit macula in toga, quàm in calceo; & in toga pretiosa, quàm in vulgari & domestica. Sic Moyses irascitur Iudæis de vitulo aureo, & indignissimè rem tulit: sed tamen orat pro illis ardentissimè, dicens: *Aut dimitte illis hoc peccatum, aut dele me de libro vitæ.* Sic Samuel irascitur populo postulanti Regem, adeò vt Deus ad eum placandum dixerit: *Non te spreuerunt, sed me.* Idem tamen ait populo: *Absit à me vt cessem orare pro vobis.* Sic Dauid iratus est filio Absalom rebelli, & ingentem exercitum contra eum emisit. Præcipit tamē ducibus suis, toto audiente populo: *Seruate mihi puerum Absalom.* Sic Paulus irascitur Corinthio fornicario, & tā

D eum, quàm amicos eius grauiter obiurgat: *Et vos* (inquit) *inflati estis, & non magis luctum habuistis.* Attamen vt ostenderet se non homini, sed peccato eius iratum fuisse, audita correctione scribit: *Confirmate in eum charitatem, ne absorbeatur à tristitia.* Sic alibi: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.* Hoc est non irasci fratri, cui nunquam irasci oportet, ne quidem ex iusta causa. Quod enim apud Matthæum additur, *sine causa*, (etsi in veteribus Græcis exemplaribus suo tempore ea verba non reperiri affirmant Hieronymus & Augustinus) hunc sensum habet, vt quicunque fratri irascitur tanquam fratri, ille sine causa iusta irascatur. Sic Augustinus rem exponit: *Non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo non peccato fratris irascitur* (sed ipsi fratri) *ille sine causa irascitur.* Vnde D. Basilius: *Quomodo irasceris sine causa? Cum dæmon instigat, & homo instigatur, tu homini maledicis, sicut canes qui saxa mordent, quando iactantes lapidem non attingunt.* Nūquam ergo iusta causa est vt fratri irascaris, vt à fratris dilectione recedas. Qui sic irascitur, reus est iudicio.

Hoc iudicium multiplex est. Priuat Dei amicitia, & mentis lumen aufert. *Qui odit fratrē, in tenebris est, & in tenebris ābulat, & nescit quò eat, quoniā tenebræ excæcauerūt oculos eius.* Mille mala, mille

Matth. 12.
In Regul. breuior. ad q. 80.
Simile.
Ephes. 5.
Constitut. monast. c. 6
Leuit. 19. *Psalm.* 4. *Esaiæ* 1.
Peccati cōsideratio duplex.
Psalm. 4. *Moral. l.* 5. *cap.* 33. *Offic. lib.* 1. *cap.* 21.
Enarra. in Psalm. 4.
Irasci peccato, non peccanti.
Enarra. in Psalm. 138.
Simile.
Exempla.
Exod. 32. 1. *Reg.* 8. & 12. 2. *Reg.* 18.
1. *Cor.* 4. 2. *Cor.* 2. 2. *Thess.* 3.
Irasci fratri nulla ex causa licet.
In Com. ad c. 5. *Matt. Retract. lib.* 1. *c.* 19.
Ibidem. Hom. 10. *de ira.*
Iudicium Dei contra irascentes.

1. absurda committit, quem ira & odium transuersum agit. *Sicut enim in maris tempestate multus tumultus, clamor magnus, nec ibi quis philosophandi tempus habet; ita nec in ira.* Quemadmodũ nec solis radius cernitur, quum commotæ nubes cæli faciem obducunt, nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quàm tranquillus ostendit: sic animus ira commotus nihil videt. Denique ipsa sibi crux est. Nulla enim sic vipera corpus laniare, sicut ira animum torquere solet. Qui fratri irascitur, qui de vindicta cogitat ac meditatur, in seipso perpetuam carnificinam exercet. Docuit hoc Christus, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Si nullum aliud in ira malum, in mansuetudine bonum esset, quàm quòd illa bellum, hæc pacem animo adfert; vel hoc solum iudicium, ne fratri irascamur, satis terreret. Sed magnus iræ malum est, quòd qui fratri irascitur, Deum iratum sentit, & Dei iudicium patitur. *De fine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari vt malignetis; quoniam qui malignantur, exterminabuntur.* Æmulatur vt malignetur, qui sic irascitur peccato, vt irascatur & fratri: qui sic æmulatur legem, vt malignetur proximo. Zelus pietatis, odium peccati debet præcedere, vt sic scias fratrem corripere. Sicut in tormento bellico puluis tormentarius non antè sed retrò ponendus est, non in ore tormenti, sed in cauda, vt sic globum foris emittat; (nam si in ore tormenti puluerem & ignem apponas, teipsum interficies;) sic in correptione & castigatione fratris, si iram in principio actionis adhibes, teipsum interficis, & fratrem non iuuas, sed perturbas tantùm & scandalizas: si autem primò zelum pietatis, & odium peccati animo concepisti, & propter hæc duo tantùm ad correptionem accessisti; vt postea non nisi coactus irascaris, tunc ira quæ instrumentum virtutis est, verbum correptionis quo frater emendandus est, sine tuo periculo, & cum alterius fructu, quasi globum è tormento emittet. Non est satis circa fratris offensionem, ab omni læsione proximi aut contumelia abstinere, nisi etiam omnem animo ægritudinem aduersus eum deponas. Alioqui ægritudo illa, quasi occultus hostis, te à victoria reliquorum inimicorum redeuntem (qui enim nec facto, nec verbo ledit, iam quosdam animi hostes superauit) clanculum & per insidias interficiet. Quid autem Duci profuerit, à victoria redeunti, clàm in via ab occulto hoste interfici? Lancea vulneratus non bene à medico sanatur, cuius particula aliqua seu assula in carne relicta est: Hæc enim sola in carne putrefiet, & ad mortem pertrahet. Nulla odij, vel minima acicula in corde contra proximum retinenda, si saluus esse cupis, & à iudicio immunis. Nempe iudicium Dei erga irascentem in fratrem, hoc est, *vt qua mensura mensus fuerit, eadem à Deo remetiatur & ei,* Deúmque iratum & seuerum sentiat, qui erga fratrem immitis fuit. De quare vide suprà in alia Dominica. Huc quoque pertinet quod alibi Christus dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui persequuntur vos.* Adeò enim nõ irasci inimico prohibet hoc loco Christus, vt eum à nobis diligi velit. Diligere inimicos præceptum est, quantum ad dilectionem communem, quæ excludit omnem iram & odiũ, omni tempore exhibendam, perpetuò retinendam: & etiam quantum ad particularem dilectionem, vt consilio, auxilio iuuare, quando id res exigit, & necessitas eius postulat. Quæ etiam particularis dilectio extra necessitatem, consilium est, & homine Christiano digna. Sed semper sic diligendus inimicus, vt nunquam sit odio habendus. Aptè sanctus Augustinus: *Cum inimicum amas, fratrem amas. Respicis enim inimicum aduersantem, sæuientem, mordentem verbis, exasperantem contumelijs, exasperantem odijs. Attendis tamen quia homo est, & à Deo factus. Hoc in illo diligis. Hoc nomine tibi frater est. Reliqua odisti, quia eius sunt: non Dei.* Sic Deus amat peccatores: sic medicus ægrotos diligit: sic agricola terram incultam, & faber lignum rude atque impolitum non reiicit. *Faber optimus* (ait Augustinus) *videt lignum non dolatum, impolitum, & recens de sylua præcisum. Adamauit. Nescio quid inde vult facere.* Videt idoneum esse, vnde accedente arte ad opus vtile fiat. *Agricolæ* quoque (vt idem Doctor alibi scribit) *quam terram viderint ingentes herbas etsi inutiles progignere, frumentis aptam esse pronuntiant: & quem montem oleastris syluescere aspexerint, oleis esse vtilem cultura accedente non dubitant.* Sic Moyses Ægyptium occidens, Saulus Ecclesiam persequens, Petrus Malchi auriculam amputans, sylucstres erant oleastri, in oliuas fructiferas à Spiritu sancto exculti, postea conuersi. Sed cur inimicus diligendus, cur fratri in nos peccanti non irascendum, in alia Dominica varias causas & considerationes produximus, quæ hic locum habere possunt. Vide etiam Dominicam 1. post Pentecosten, super illa verba: *Dimittite, & dimittemini.* Illa enim omnia huc pertinent.

1. Ioan. 2. Similia. Chrysost. hom. 30. ad pop. Ant.

2. Greg. Moral. in Iob lib. 5. c. 33. Matth. 11.

3. Psalm. 36.

Similia. 1.

2.

3.

Luc. 6. Dõ. 1. post Pentec. text. 1 & 3 Matth. 5. Diligere inimicos.

Tract. 8. in epist. Ioan.

Similia. Ibidem.

Contra Faust. l. 22 cap. 70. Exempla.

Dom. Pass. text. 3.

A B C D

3. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ.*

Contumelię & maledicta.

LOcus moralis contra contumelias & maledicta in proximos. Dicere enim fratri, *fatue*, est aliquo conuicio, & maledicto fratris seu proximi tui honorem violare, pacẽ turbare, amicitiã dissoluere: quæ tria maxima mala sunt, & gehẽnâ digna. Nihil bono nomine, fama, & existimatione pretiosius, quæ cõtumelia vitiantur. Iudæos Christo maledicẽtes, his verbis Christus grauiter reprehendit: *Ego honorifico Patrem, & vos inhonorastis me.* Etsi suam gloriam nõ quæreret, tamen deberi illi gloriam docet, vnde addidit: *Ego non quæro gloriam meam. Est qui quærat, & iudicet.* Quæ verba contra contumelioſos in alia Dominica tractauimus, quę huc referri possũt. Apostolus dicit: *Cui honorẽ, honorẽ.* Et iterũ: *Honore inuicem præuenite.* Virtuti enim quũ debeatur, absque

Ioan. 8. Dom. Pass. text. 4. Rom. 13.

A abſque criminis ſuſpicione non negatur. *Melius eſt* (ait Sapiens) *nomen bonum quàm diuitiæ multæ: ſuper argentum & aurum gratia bona.* Qui famam alterius contumelia lædit, tunicam innocentis Ioſeph in ſanguine tingit, quia maculam veſti honeſtatis aſpergit. *Carnem quoque cum ſanguine comedit* (quod Lex vetuit) qui in proximi actiones maledicum dentem infigit, quo infamiæ ſanguinem elicit. Maria ſoror Moyſis maculam fratri aſpergere voluit, dicens: *Nonne per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus; nonne & nobis ſimiliter eſt loquutus?* Hoc erat auctoritati eius derogare, exiſtimationem imminuere, & famam lædere, ac denique *fatue* ei dicere. Dicit enim fratri, *fatue*, qui murmure vel detractione, ſapientię & exiſtimationi eius iniquè derogat. Sed illa propter linguæ petulantiam lepra ſtatim percuſſa eſt. Chore, Dathan, & Abiron, honori Moyſis & Aaron lingua maledica detraxerunt, dicentes: *Cur eleuamini ſuper populum Domini?* Sed terræ hiatus viuos abſorpſit eos. Semei *maledixit Dauid maledictione peſſima*, & honorem eius vehementer violauit. Sed Salomon filius eius *non deduxit canos eius pacificè ad inferos.* Alia exempla vide in Dominica Paſſionis. Conuicium quoque & contumeliam flagellum linguæ vocat ſanctus Iob, quia honorem imminuit, & pacem turbat. *A flagello linguæ abſconderis.* Quæ verba explicans ſanctus Gregorius, ait: *Flagellum linguæ, eſt exprobratio illatæ contumeliæ. Flagello enim linguæ bonos feriunt, qui eorum bona opera irridendo percutiunt. Sæpe enim lingua à bono opere, dum vituperat, reuocat, & quaſi flagellum ſe erigit, quia dorſum timidæ mentis cædit. Sancta autem anima à flagello linguæ abſconditur, quia dum in hoc mundo honorem laudis non quærit, nec contumelias detractionis ſentit.* Hæc ille de anima ſancta.

Prou.22. *Allegoria.* *Leuit. 19.* *Num.12.* *Num.16.* *2.Reg. 16.* *3.Reg. 2.* *Iob 5.* *Moral. in Iob li. 6. c. 19.*

B Sed infirmiora vaſcula non ſic ab hoc flagello ſunt immunia. Vnde Sapiens communiter loquendo ait: *Reſponſio mollis frangit iram; ſermo durus ſuſcitat furorem.* Sicut lapis in aquam coniectus, ex placida turbulentam facit, & multos circulos mouet: ſic contumelia in animum pacatum coniecta, ex quieto turbulentum reddit, & nouos in animo motus excitat, niſi rara & ſancta fortitudo immotam mentem teneat. Hoc aduertens Apoſtolus dixit: *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Et iterum monet, vt *ſupportemus inuicem in lenitate & mãſuetudine.* Sumus enim vaſa fictilia. Vt quid illa ex compoſito collidimus, & conuiciis atque contumeliis fratris fragilitatem pertentamus? quantam ad pacem fraternam violandam contumelia & maledictum vim habeat, Dauid expreſſit, dicens: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.* Aſpis morſu nocet, & pernicioſiſſimè nocet; ſed vt minus noceat, hominem non videt (ſi enim videre poſſet, vix quiſquam eius morſum euaderet) ſæpius auditu excitatur, quàm viſu; quia non in fronte, ſed in temporibus oculos habet, eoſdẽq; hebetes. Sic homo maledicus maximè mordet; & ſi tam eſſet oculatus, quàm eſt auritus, & curioſus in alienis vitiis veſtigandis, linguæ eius aculeos nemo euaderet. De hoc etiam rurſum Dauid: *Ecce peccatores intenderunt arcum; parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Pharetra peccatorum eſt cor malitia & amaritudine plenum; quam vt deponant, hortatur Coloſſenſes Apoſtolus, dicens: *Nunc autem deponite iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Arcus intentio eſt, qua ſingulas has ſagittas, quum volunt, emittunt. Sed inter alias contumelia & ſermo turpis citius depromuntur, quibus clanculũ pios & rectos corde percutiant. Contumeliæ vulnus vtcunque ſanetur, manet tamen cicatrix; nec ſic facilè abluitur aſperſa labes, vt aliqua macula non relinquatur. *Dẽtes eorum arma & ſagittæ, lingua eorum gladius acutus. Sicut enim virulenti ſunt herbarum ſucci, ita ſunt venena verborum: & ſicut eſt languor & lepra corporis, ita prurigo obtrectationum, lepra eſt animarum,* ait Emiſſenus. Certè in veteri Lege iubetur leproſus habere os veſte contectum quando foras egreditur; ne halitu peſtifero obuios inficiat. Nam & lingua maledici eſt *ſepulchrum patens*, fœtore plenum, peſtilentes verborum halitus emittens, qui & circumſtantes inficiant, & eum, cui maledicitur, certo ictu percutiant, vel honorem lædendo, vel pacem animi turbando, vel etiam charitatem & amicitiam (ſi infirmior eſt) diſſoluendo.

Prou.15. *Simile.* *Galat.2.* *Pſal.13.* *Simile.* *Plin.nat. hiſt.li.8. c.32.* *Pſal.10.* *Coloſſ.3.* *Pſal.57.* *In exhort. ad plebem.* *Simile.* *Allegoria.* *Leuit.15.* *Pſal. 13.*

De quo tertio puncto non aliquid ſuggerendum. Diſertè hoc docet Scriptura: *Sicut mittens lapidem in volatilia, deijcit illa* (qui etſi non tangat aut lædat, tamen auolare & ſeparari à ſe inuicem facit) *ſic & qui conuiciatur amico, diſſoluit amicitiam.* Nempe verba maledica, contumeliæ, conuicia ſunt illa quæ *ſeminant diſcordiam inter fratres*, quod tantopere ſe odiſſe Deus profitetur, vt ſupra explicatum habes in alia Dominica. Sicut amici deteſtantur ſaxum aut canem incurrentem qui eos dirimat; ſic execrari deberent homines caninos, qui maledicentia ſua dirimunt neceſſitudines, mutuamque beneuolentiam. Sicut noctuę aues mauſpicatæ noctu gementes (nam propria hæc illis vox eſt) mortalium quieti inuident; ita virulenta lingua ſemper aliquid ſpargit, quo concordiam hominum diſturbet. Bonaſus animal, quoniam cornibus implexis non poteſt lædere, fugiens fimum reddit, cuius contactus inſequẽtes vt ignis aliquis comburit. Ita maledici quia alia ſæpe ad nocendum arma non habent, ſed Dei prouidentia improbæ & petulcæ vaccæ anguſta cornua dedit (vt apud nos Anglos in prouerbio eſt) ideo ſparſis probris & impuris conuiciis contaminant hominem. De hoc maledicentiæ malo dixit D. Iacobus: *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exalta. Ecce quantus ignis quàm magnam ſiluam incendit! Et lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Huius exempla non deſunt, quod ex vno verbo maledico non ſolum diſſenſiones priuatæ, & ſimultates acerbæ quotidie naſcuntur, ſed & ingentia bella orta ſunt. Sed alterius loci illud eſt.

Contumeliæ pacem turbant. *Eccli.22.* *Prou.6.* *Similia.* *Plutarc. in Moralibus* 2. 1. *Plin.nat. hiſt. li.10. c.70.* 3. *Idem li. 8. ca.15.* *Iacobi 3.*

Docendus magis populus, cur ita contumelia in fratrem Deo diſpliceat, vt eum qui dicit

Cõtumelia cur Deo displiceat. Ho.15. in Matth.

ei, *fatue*, reum gehennæ pronuntiet. Iam ex parte proximi tres causas diximus. *Nihil autem ita studet Deus* (ait sapienter Chrys.) *vt nos mutuis charitatis nexibus colligare. Propterea & per semetipsum & per discipulos suos, & in veteri & in nouo Testamento, plurimo hoc mandatum sermone commendat.* Deinde quanta est perpetuę charitatis ad salutem necessitas, tam est maledicentiæ certa pernicies. Sed & nihil magis à vocatione Christiana abhorret, quàm maledicum esse & conuiciatorem. Quod Apostolus considerans, ita scribit: *Induite vos sicut electi Dei, sancti & electi* (hoc est enim omnis verè Christianus) *viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote.* Hæc diuina verba explicari populo debent, & diligenter amplificari. Monet nos vocationis nostræ, quia *electi Dei sumus, sancti & dilecti.* Decet tales omnis mansuetudo, vel ne seipsos contaminent, vel ne Deo ingrati appareant. Proponit exemplum Christi, quod imitari debemus. Adfert in medium pacem Christi, qui debet esse finis, & summum bonum nostrum. Alibi vero ab alio capite hoc idem docet: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Christus donauit vobis.* Docet maledicos, & ad contumeliam promptos, contristare Spiritum sanctum quem acceperunt. Ille enim non est *spiritus commotionis, sed sibilus auræ tenuis.* Si contumelia in viro Principe res indigna videtur, multo magis in homine Christiano, *diuinæ naturæ consorte, electo Dei, sancto & dilecto, & Spiritus sancti habitaculo*: nisi fortè totam vocationem nostram verbalem tantum esse putamus, nec verè eam esse quæ in Scripturis vocatur. Acutè, iustè, merito, & grauiter Philippo Consuli respondit Crassus, quum eũ contumelia afficeret: *Non es mihi Philippe Consul, quia nec ego tibi Senator sum.* Merito & iustè, quum in fratres contumelioſi sumus, respondebit nobis Christus: Non es mihi filius; quia nec ego tibi pater sum. Noli à me misericordiam expectare, qui erga fratrem tuum tã es immitis & sæuus. Non te pro filio agnosco, qui mihi tam es dissimilis. Non te pro oue habeo, qui tibi pastor non sum; qui canis magis, & lupus, aut vrsus videris mordens, allatrans, lacerans conuiciis fratres tuos, quàm gregis mei ouicula mansueta, simplex, & benigna.

Coloss.3.

1. 2. 3. 4. *Ephes.4.*

3. Reg. 19. 2. Pet. 1. Coloss.3. 1. Cor.7. Brusõ.li. 3.c.14.

Exemplum

A B

4. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

C

Reconciliatio fraterna non differenda. 1. Ioan. 3. 1. Cor.13.

LOcus moralis de necessaria & non differenda reconciliatione fraterna. Sic necessaria est reconciliatio vbi vel odium, vel contumelia intercessit; vt, donec ea facta fuerit, nullũ Deo munus nostrum, nulla hostia, nulla oblatio, nulla pietas, nullum bonum opus placeat. Sine charitate fraterna nihil Deo gratum est. *Qui non est in charitate, manet in morte. Si tradidero corpus meũ vt ardeam* (quæ est magna victima, singularis hostia, munus & sacrificium ex nostra parte maximum) *& charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Frustra diligis & colis Deum, id est, per opera externa te diligere & colere fingis (neque enim verè Deum diligit, qui proximum non diligit: *Quomodo enim Deum diligit, quem non videt; qui proximum, quem videt, non diligit?*) si fratrem non diligis, si vlla tibi cum fratre simultas est. *Si* (inquit Christus) *habet aliquid aduersum te*: non addit, iustè; quia siue iustè offendatur contra te, siue iniustè, tu tamen reconciliare illi: tu fac quod in te est, iuxta illud Apostoli: *Cum omnibus pacem habentes, quantum in nobis est: & nulli aliquid debentes, nisi vt inuicem diligamus*, tu inimicitias omnes depone, siue ille eas deponat siue non, siue ille reconcilietur siue non. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Noli differre reconciliationem. *Sicut sapiens medicus* (ait in hunc locum Chrysost.) *non modo imminentes morbos præuenientibus remediis excludit, verum etiam iam tenentes alio medendi genere iam repellit: ita hoc loco Christus facit. Nam fatuũ quidem vocare prohibendo, aduersus inimicitias auditorum corda præmunit. Reconciliationem vero post inimicitias imperandorum morbi iam obtinentis è medio tollit.* Hæc ille. Sed quod modo diximus, reconciliari nos debere, omnesque charitate complecti qui habent aliquid aduersum nos, siue iustè id habeant siue iniustè, aliquot exemplis illustrabitur. De diuo Bernardo sic legimus: *Vsque adeo omnes homines germano amplectebatur affectu, vt eorum scandalo grauius vreretur, quibus nullam videretur scandali occasionem præbuisse. Plus enim piissimum pectus, gratuitum alterius affligebat scãdalum, quàm propriæ immunitas conscientiæ. Siquidem minus sperabat posse sanari, quod vnde procederet, non videbat.* Vides non esse negligendos qui iniustè offenduntur, sed potius commiserandos, ideoque aut per amicabilem communicationem, aut alio aliquo modo, quantum in nobis est, ad charitatis copulam reducendos. Sanctus Ioannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, incruentum offerens sacrificium, ea ipsa hora in qua sacrum velum à sanctis donis aufertur, (id est, post consecrationem, quum esset recitanda oratio Dominica) recordatus cuiusdam clerici contra eum

Rom.12. & 13. Ephes.4. Simile. Hom.16.in Matth.

Exempla. 1. In vita eius, li.3. c.6.

2. In vita eius apud Surĩ, to.1

D

A eum offensi propter suspensionem iustam, significat diacono, vt cõnexam resumat petitionem, & sæpe dicat, donec ipse redierit. Ipse autem ventrem prætexens, egressus est ab altari, & iubet celeriter vocari ad se clericum illum: quo veniente, procidit Patriarcha ad pedes eius, corã omnibus veniam postulans. Quo facto motus clericus, & ipse quoque procidens, veniam petit. Sic fratri recõciliatus ad altare redit, & cum fiducia canit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, memor verbi Saluatoris: *Si offers munus tuum ad altare*, &c. Hæc ibi. In Prato spirituali sic legimus: Inter duos vicinos Episcopos orta simultas est, cum alter eorum diues & astutus, alter valde humilis & simplex esset; quærebatque astutus alium lædere. Hoc comperto, dixit alter die quodam solenni clero suo: Sequimini me, & quicquid me videtis facere, & vos facite; & victores erimus. Venit igitur ad Episcopum illum diuitem, & pertranseunte Litania, populoque totius ciuitatis cõgregato, procidit ad pedes eius cum toto suo clero, dicens: Ignosce nobis domine: serui tui sumus. Stupefactus ille atque compunctus in tanta Episcopi humilitate & charitate, tenuit pedes illius, dicens: Tu meus & dominus & pater es: factaque est inter eos ex illa die magna charitas atque concordia. Simile charitatis exemplum vide in sancto Godefrido, Episcopo Ambianensi, apud Surium.

3. *cap.* 210.

4. *In vita eius li.* 3. *c.* 2. *to.* 6.

Quod si exempla Sanctorum minus mouent, quasi magis ardua, tuisque viribus maiora; accipe ethnicorum exempla: quibus paria præstare non posse, nostra nunc confusio est, & in die iudicij condemnatio erit. Aristippo philosopho cum Aeschine oratore (quum prius amici fuis-
B sent) aliquid iræ inciderat. Quum ergo illi quidam diceret: O *Aristippe, vbi nunc amicitia vestra?* respondit: *Dormit; sed ego eam excitabo.* Adiensque Aeschinem, *Adeone*, inquit, *tibi videor modis omnibus infelix & insanabilis, vt ne moneri quidem merear abs te?* At Aeschines *Non mirum*, inquit, *si cum in omnibus me præcellas ingenio, hic quoque prior videris quid facto opus esset.* Et ne soli philosophi hanc animi moderationem tenuisse videantur (quorum tamen philosophia nisi inane erat & falsum sapientiæ nomen) viri in seculo Principes spontaneam hanc cum inimico reconciliationem vt viris magnis ac prudentibus dignam sequuti sunt. Philippus Macedoniæ Rex, hortantibus amicis vt Archadionem perpetuo illi maledicentem puniret, quum occurrisset homini, humaniter cum illo loquutus, mox etiam donis ad eum missis, percontari eos postea iussit, quomodo iam de se apud Græcos loqueretur. Cunctis testificantibus, iam mirum eum Philippi laudatorem esse factum, Ego igitur, inquit, melior medicus fui quàm vos. Alcibiades, Hipponico viro clarissimo propter iniuriam filio illatam ei grauiter offenso, postridie summo mane Hipponici domum proficiscitur, ostiumque ingressus, vbi in conspectum illius venit, deposita raptim veste, corpus nudum verberandum homini obtulit, multis precibus rogans, vt debitis verberibus cæderet. Hic autem iniuriæ confestim oblitus, non modo veniam Alcibiadi præbuit, sed & filiam ei in matrimonium tradidit. Si potuerunt ethnici vel ex animi moderatione, vel ex prudentia humana, sic sponte reconciliari fratribus suis, & suas iniurias vel illatas agnoscere, vel acceptas condonare; surgent illi profecto in iudicio, & nos condemnabunt, qui fratribus nostris, qui habent aliquid aduersum nos, reconciliari, vel vt rem indignam, vel vt arduum quid & impossibile, exhorrescimus. Dicit Dauid: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.* Hæc est vox omnium fidelium, quos Christi gratia illustrauit. Illa enim certè prudentes nos fecit super omnes inimicos nostros, super omnes ethnicos & paganos, in Dei mandato & voluntate; quia in æternum nobis est, quia eius cognitio perpetuo auribus nostris insonat: eius meditatio assidua nobis est. Quotidie oramus: *Dimitte nobis, sicut nos dimittimus.* Hęc sola oratio prudentes nos facere debet, vt vel nunquam irascamur fratribus, vel, si irascimur, quàm celerrimè in gratiam redeamus.

1. Plutarch. *lib. de cohib. irac.*

2. Plutarch. *vbi supra.*

3. *plutarc. in Alcibiade.*

C

Psal. 118. *Christiani hominis prudentia.*

Matt. 6.

Obserua autem quanta sit huius rei necessitas. *Si offers* (inquit Christus) *munus tuum ad altare.* Hoc autem quotidie faciendum. Non enim de sacrificio propriè dicto hic loquitur Christus (hoc enim est offerre in altari) sed de quouis munere ad altare oblato: de eleemosyna, de oratione, de quocunque Dei cultu. Nihil horum Deo placet, nisi prius reconcilieris. Reconciliari autem non est quocunque modo satisfacere aut veniam petere: sed in pristinam gratiam & amicitiam redire, quantum ex te est. *Relinque munus ad altare*; id est, desiste tantisper à cultu Dei, donec reconcilieris. Adeo nõ vult Deus extra charitatem cum proximo aliquid ipsi offerri. Sed & vide vtilitatem. Addit enim: *Et tunc veniens offeres munus tuum.* Hoc est, tunc munus tuum erit pergratum, quum fratri tuo reconciliatus fueris, quum vel ille tibi pepercerit, vel tu illi noxam remiseris. Quum enim noxam fratri remittis, perinde tecum agitur, ac si ille aureis tegulis te lapidasset, quibus læsus forte ad tempus fueris, sed illis mox collectis, magnas opes acquisieris:
D quarum si amator es, optas vt sic te sæpius lædat. Maximas opes ex fratrum iniuriis acquirimus, cum eas dimittimus; quia sic fit vt nostra nobis dimittantur peccata, munusque nostrum ad altare gratum Deo fiat. De huius reconciliationis fraternæ & necessitate certa, & vtilitate amplissima, vide supra in aliis Dominicis, Dominica 3. Quadrag. tex. 3. Dominica Passionis tex. 3. & 8. Dominica in Albis, tex. 2. Dominica 1. post Pentecosten, tex. 3. Non vt huc illa omnia congerat Concionator, sed vt de illis omnibus delectum faciat. Lector vero vno intuitu, quæ ad hanc tam necessariam virtutem capessendam valent, conspiciat. Quod semel dictum, in vniuersum Lector accipiat.

Reconciliandi necessitas.

Simile.

A

EVANGELIVM DOMINICÆ VI. POST PENTECOSTEN.

Marci 8. IN diebus illis iterum cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam; quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero illos ieiunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde illos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, B & dabat discipulis suis vt apponerent: & apposuerunt turbæ. Et habebat piscículos paucos: & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt & saturati sunt: & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducauerant quasi quatuor millia: & dimisit eos.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, ait: Misereor super turbam.* Locus duplex. 1. De prouidentia Dei circa necessaria. 2. De operibus misericordiæ erga egenos.
2. *Quia ecce iam triduo sustinent me.* De perseuerantia in bono.
3. *Si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via.* De præsentis vitæ solatiis à Deo con- C cessis.
4. *Vnde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Contra diffidentiam: & de pia in Deum fiducia.
5. *Et sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas.* De virtute liberalitatis.

1. *Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, ait, Misereor super turbam.*

Prouidentia Dei circa necessaria.

LOcus moralis duplex. De prouidentia Dei circa necessaria vnus: de operibus misericordiæ alter. Christus enim vt Deus erat & homo, sic his verbis & hoc facto Dei prouidentiam erga mortales, quæ nunquam deficit in necessariis apertè docet: simulque hominum erga proximos indigentes qualis affectus, quæ misericordia esse debeat, ostendit. Necessitati eorum non habentium quod manducarent, prospexit mirabiliter, vt Deus: miseretur præsenti necessi-
Dominic. 4 post Epiph. tex. 2. Dominic. 1 Quad. tex. 5. & 4. Quadr. tex. 1. tati, vt homo. Vtrumque hunc locum iam in aliis Euangeliis aliquoties tractauimus, quæ huc referri possunt. Hic tamen pauca addemus, prout Deus dabit. Ac primum de prouidentia Dei, quæ nunquam dormit, nunquam deficit, circa etiam temporalis huius vitæ necessaria. Si in Re- D
Simile. gis palatium ingrediens, in aula eius mensam pretiosis mappis instratam, & delicatissimis cibis ornatam videres, in qua muliones, aliæque viles personæ accumberent; quibus etiam postquam appositæ epulæ absumptæ essent, aliæ semper atque aliæ de nouo apponerentur, magna in copia & varietate: merito multum mirareris, quæ tandem & quàm splendida foret mensa, quantus apparatus, quæ magnificentia epularum, vbi Rex ipse cum filiis & amicis suis manducaret. Atqui in hoc mundo omnibus etiam impiis & peccatoribus apposuit Deus mensam omni rerum genere instructam & adornatam, multos agros omnium fructuum varietate vberrimos, prata multa herbarum & florum venustate florentia: innumera alia sapida gustui, grata aspectui, odorifera olfactui. Carnium vero tantam copiam & abundantiam, vt pro vnaquaque anni tempestate aliæ atque aliæ inueniantur; sed & pro cuiusque palato singula suppeditentur. Similiter & de piscibus. Quod si talis est mensa quam Deus omnibus, etiam impiis, apparauit; qualis erit illa quam iustis & amicis suis incessanter adornat? Non potest mentiri Scriptura, quæ dicit: *Nun-*
Psal. 36. *quam vidi iustum derelictum, aut semen eius quærens panem.* Rursum: *Vniuersi qui sustinent te, non confun-*
Psal. 24. *dentur.* Videtur quidem suos aliquando Deus ad tempus deserere; sed vbi ad probationem id modicè fecerit, celeriter eos consolatur. Sic in Abraham, in Tobia, in filiis Israel in deserto eum fecisse, alibi ostensum est. De qua erga illos perpetua Dei prouidentia ait Moyses: *Por-*

tauit

tauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo paruulum gestare filium, in omni via quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. Sicut enim hi qui agonibus præsunt, eos qui ad certamen veniunt, non vtcunque, neque fortuita inter se sinunt inire certamina, nec raptim & promiscuè quemlibet eodem armant modo; sed diligenti examinatione facta, prout corpora viderint vel ætates, æquissima ratione pares cum paribus iungunt, & arma cuique apta & sufficientia suppeditant: ita planè de diuina prouidentia cogitandum est, quod omnes qui in huius vitæ agones, descendunt, æquissima ratione dispenset atque disponat, vt alius quidem contra carnem, alius contra paupertatem, alius rursum contra ipsas diuitias, & sic alij aduersus alia impedimenta pugnent; ideoque aliis & diuersis armis quisque induatur, & maiori aut minore robore donetur, quo hostem sic cõstitutum vincat: *Fidelis enim Deus est, qui non patitur quenquam tentari supra id quod potest: sed* (quod amplius est) *facit etiam cùm tentatione prouentum.* Non enim sicut agonotheta in certaminibus, vbi certatores armauerit, arena & palęstra egreditur; spectaturus cum cæteris; sed ipsemet in singulis adiuuat, & minus fortes maioribus subsidiis subinde reficit, valentiores minori, sed assidua tamen virtute roborat. Tanta certè & tam vigilans est Dei prouidentia circa mortales, maximè autem fideles, vt hoc nomine omnia amoris nomina & vocabula sibi attribui voluerit. Vnde S. Chrysost. *Deum suum nobis nostræ salutis amorem significaturus, gallinarum in nobis charitatem, patrum curam, matris misericordiam, sponsæ amorem proferi: non quia tãtum duntaxat amat, sed quia maiora istis alia non sunt apud nos amoris argumenta.* Dat ergo semper necessaria quatenus expedit, & plus quàm necessaria, quando id nihil nobis obesse cognoscit. Quemadmodum enim infantulo sphærulam, pilam, & trochum abscondimus, ne impediatur à necessariis; cum autem ea contempserit, & non iam desiderio eorum tenetur, omnia talia ei liberè permittimus, quia stulta cupiditate cessante, eum à necessariis talia amplius non auocabunt: sic omnino Deus ab electis suis multa aufert, quàm diu eos vana eorum cupiditate teneri cernit; quibus postea, extincta ea cupiditate, eadem & multo plura suppeditat.

Deut. 1. Orig. li. 3. cap. 2. de Principiis. Simile. 1. Cor. 10. Dissimile. Sup. Ps. 14 Simile.

Sed ne circa homines, maximè Deum timentes, eius sancta prouidentia deesse aliquando videatur, eadem circa vnam bestiolam docere nos potest. Alcyon marina auicula est, ac in maris littoribus nidificare consueuit, collocatis in ipsa arena ouis, idque in media hyeme: quo tempore multis ac violentis flatibus mare ac terra perturbãtur. Et tamen tam diu quiescunt marini fluctus, dum Alcyõ fouet oua, septem videlicet diebus. Hoc enim spatio excludit pullos. Quoniam vero alimento est illis opus, & spatio quo crescant, septem alios dies ad pullorum educationem & incrementum munificentissimus Deus huic minimæ auiculæ largitur. quam rem & nautæ intelligentes, dies illos halcyonios appellant. Quo exemplo docemur, quãta sit Dei prouidentia erga eum cui cætera omnia animantia subiecit. Accipe vnum adhuc aut alterũ aliud exemplum. Locustæ per integras acies agros interdum depopulantur, vbi eas Deus viventi impulerit. Ne tamen ea pernicies nimium grassaretur, vtquè facta quam Deus vult strage, statim è medio tollatur, Seleucius auis insatiabilem à Creatore edendi natutam sortita, eas insequitur, breuique temporis momento vniuersas absumit. Hæc autem auis ab incolis Casij montis nunquam conspicitur, nisi quum locustæ agros vastarunt, ipsaque necessitas postulat. Piscis quidam Noruegici maris, illo idiomate Svvamfisck dictus, quum sit crassus & valde pinguis, vrgente periculo, carnem, pinguedinem, & pellem (veluti facit hericius, siue à periculo sibi cauens, sibi etiam poma ab arboribus decussa in victum colligens (super caput reduplicat, & contrahendo se caput abscondit, suarum interim carnium esu seipsum sustentans. Hæc ad sui conseruationem diuinæ prouidentiæ instinctu animalcula faciunt. Sed & illud quoque diuinæ prouidentiæ præclarum erga homines ipsos argumentum est, quod eodem in opere idem commemorat Olaus. Quum vehementia frigorum in extremis partibus Septentrionis, & validæ tempestates ibidem non sinant in altum crescere arbores, è quibus erigi possent necessariæ ædes, idcirco Dei prouidentia incolis prospexit, vt ex ingentissimis belluarum marinarum costis fabricare domos valeant, & reliqua in eisdem necessaria. Eadem Dei prouidentia vbi regiones frigidiores sunt, laniæ & pellium copiam propter pecorum, quæ illa gerunt, abundantiam suppeditauit: vbi calidiores, serici & bombycum. Sic etiam obseruare licet, vbi vina calidiora & fortiora crescunt, ibi aquas esse dulcissimas, & ad potandum purissimas, vt in Hispania, Italia, & Gallia: vbi autem non crescunt vina, vt in Anglia, Scotia, Hibernia; aut tenuiora nascuntur, vt in Germania; aquas potabiles vel non inueniri, vel raras & minus dulces. In Indiæ Orientalis insula quadam Ceilam dicta, colubri quidam frequentes sunt valde pernicioſi, qui leui etiam morsu homines interimant. Sed eodem in loco salutaris quædam arbor passim nascitur, cuius ramum si quis in manu gestet, ita eius odore ac virtute colubrum sopit ac incantat, vt is etiam in sinu positus nihil noceat, neque loco moueatur, ita vt possis eum pro libito vel occidere, vel cædere. Innumera sunt huius admirabilis Dei prouidentiæ argumenta: quibus singulis docemur, quàm certa & infallibilis sit circa homines eadem; vtque de ea nullus relinquatur ambigendi locus.

Prouidentiæ diuinæ exempla. 1. *Isidorus Clarius Orat. 50. to. 1.* 2. *Basil. Ho. 8 Hexaemeron.* 3. *Olaus Magnus hist. li. 21. c. 25.* 4. *Li. eod. c. 15* 5. *Lud. Granat. Conc. 2. in Dom. 11. post Pentec.*

Alter locus moralis hic est, de operibus misericordiæ proximo indigenti exhibẽdis, exemplo Redemptoris, qui esurientis turbæ, & non habentis quod manducaret, misertum se esse profitetur. Beatus Iob de seipso ait: *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Merito Raab exploratoribus, quos domi suæ receperat, postquam ipsos à morte

Misericordiæ opera proximo exhibendâ. Iob 31. Exempla.

1. eripuit, dixit: *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos* A
Iosue 2. *faciatis cum domo patris mei.* Sic erga proximum misericordes, à Deo misericordiam iusto quodã
2. titulo exposcunt. Sanctus Elzearius Comes, quum quodam die multas auri vncias, & pannum
In vita coccineum, oblata illi munera repudiasset, ingrediens cubiculum suum, vt sancta meditatione
eius, c. 27. animum suum in Deum colligeret, huiusmodi verbis vtebatur. Tu mihi Domine Deus in pa-
apud Sur. radiso debes centum auri vncias, & duos pannos coccineos. Tantum enim recusauerat. Hanc
to. 5. fiduciam Scriptura nos docet: *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, etsi non ab ipso, certè à*
Eccli. 12. *Domino.* De hac retributionis mensura in alia Dominica diximus. Habet autem opus miseri-
Dom. 1. post cordię suam mercedem, siue ille dignus sit misericordia, siue non, cui miseremur. Est enim mi-
Pent. tex. 1 sericordia (vt eam Augustinus describit) *alienæ miseriæ in corde nostro compassio*, qua vtique si pos-
& 4. sumus subuenire, compellimur; idque propter Deum communem patrem orphanorum & ege-
De Ciu. norum. Rex Dauid Miphiboseth filio Ionathæ amici sui dixit: *Ne timeas, quia faciens faciam in te*
Dei li. 9. *misericordiam propter Ionatham patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes*
ca. 13. *panem in mensa mea semper.* Hãc misericordiam fecit ei Dauid, etsi vtroque pede claudo propter
2. Reg. 9. patrem eius Ionatham, ipsi Dauidi cõiunctissimũ. Si Dei amor in nobis est, pauperibus, etsi vtro-
Exemplum que pede claudis, qui nec patientiam in aduersitate, nec humilitatem in paupertate habent, fa-
cilè & libenter miserebimur propter Deum patrem ipsorum, & nostrum. Hinc diuus Ioannes:
Qui habuerit substantiam huius mũdi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua B
ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Impossibile est diu ferrum esse in fornace absque eo quod
Simile. emolliatur. Sic nec cor humanum in fornace charitatis esse potest absque eo quod viscera eius
in alterius miseria commoueantur. Est enim ferrum humano corde durius; & est diuinus ignis
hoc materiali nostro fortior. Qui ergo se in pauperis miseria commoueri non sentit, certo sciat
charitate Dei cor vacuum se habere. *Beatus qui intelligit* (id est qui commouetur) *super egenum &*
Psal. 40. *pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*; id est, eius quoque, quum miser fuerit, miserebitur. Qui
ad miserendum & elargiendum proterui & duri, parci & auari sunt, ad accipiendum vero faci-
les & prompti, largas & apertas manus habent; sunt similes spongiæ quę facilè liquorem imbi-
Similia. bit, soloque tactu attrahit & exhaurit, illum autem, nisi prius comprimatur, nõ reddit. Sic enim
1. auarus minimo digito pecuniam colligit; sed de largiendo cum agitur, citius clauam è manu
Herculis extorqueas, aut aquam è pumice haurias, quàm ab illo teruncium elicias. Sũt quædam
2. vasa fictilia, quæ angustum admodum foramen seu rimulam potius habent (quales etiam sunt
pyxides æneæ pauperum in Ecclesiis positæ) in quam rimulam nummi facilè dimittuntur, sed C
postquam intus sunt, nihil ab illis educi potest, etiamsi millies huc atque illuc illa inuoluas & in-
uertas: ideoque vt nummos inclusos elicias, frangi vas fictile debet; aut si ænea pyxis & serata
est, claue aperiri oportet. Sic auarus ita nummos suos mordicus inclusos tenet, vt quomodocũ-
que hominem agites atque conuoluas, seu Dei comminationes, & auaritiæ pœnas ac sordes, seu
misericordiæ & beneficentiæ ingentes retributiones, honestatem & virtutem ei proponas, ni-
hil proficias. Sola mors vas fictile confringens, omnes eius thesauros effundit, & in rapaces
hæredes dispergit, sola mors, instar clauis, omnes eius arcas aperit, & concluса reclu-
dit.

Auarus crudelis. Nihil auaro crudelius: homine immisericorde nihil immanius. Plus ille cani & mulo, quàm
Exemplum fratris necessitati prospectum volet. Rex Achab post triennij sterilitatem & famem ingentem,
3. Reg. 18. dixit dispensatori domus suæ: *Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte*
possumus inuenire herbam, & saluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant. Diuiserunt que sibi
regiones vt circuirent eas. Achab ibat per viam vnam, & Abdias dispensator eius per viam alteram. Ecce
de equis & mulis solicitus est, de pauperibus, de viduis, de pupillis, de fratribus toto regno af-
Aliud. flictissimis, nullam curam habet. Tales adhuc in ipsa Christi Ecclesia multi sunt, qui canibus &
Iob 4. & seqq. equis suis plus quàm pauperibus prospiciunt. Alij pauperes fortiter obiurgant, in nulla re ad-
iuuant. Amici Iob, quum eum in sterquilinio sedentem viderunt, & testa saniem radentem,
multis verbis vsi sunt, vt eum alicuius sceleris arguerent, propter quod sic eum Deus percusse- D
rat; multum accusauerunt, sed toto illo tempore nec pannum quidem, quo vulnera sua mun-
daret, ei porrexerunt. Quare & iratus est illis Deus, nec nisi ipsius Iob precibus placa-
ri voluit. Aliud nos docet Christus, misericordia motus super turbam non habentem
quod manducaret. Vide plura infra, Dominica 8. post Pentecosten, tex. 3. loco magis
proprio.

2. *Quia ecce iam triduo sustinent me.*

Perseue- LOcus moralis de perseuerantia in bono. Hanc enim suæ curæ, & solicitudinis, & miseri-
rantia in cordiæ erga turbam esurientem, nec quod manducaret habentem, causam adfert Chri-
bono. stus, *Quia ecce iam triduo me sustinent.* Dicens, *ecce*, obseruari docet causam facti sui. Dicens,
ecce, laudat patientiam & perseuerantiam auditorum suorum, quæ toto triduo sine cibo &
potu audiendi Christo vacabant. Ideo miseretur, ideo non deserit suos Deus, quia & ipsi
Lucæ 22. Deum non deserunt. Sic Apostolis suis dixit Christus: *Vos estis qui permansistis mecum in om-*

nibus

A *nibus tentationibus meis: & ego dispono vobis regnum, vt comedatis & bibatis in mensa Patris mei.* Huius conuiuij cælestis, quod perseuerantibus in bono redditur, figura & exemplum fuit hodierni Euangelij conuiuium, quo auditores suos vsque ad saturitatem Christus pauit in deserto. Veteranus miles assuetus laboribus, nec globorum nimbum super se, nec multitudinem cadentem ante se, nec tormentorum tonitrua circa se, nec hostium agmina prope se formidabit, sed imperterritus finem pugnæ exspectabit. At delicatè domi enutritus, ad primum belli strepitum fugit, nec detineri potest. Ille victoriam & gloriam, hic interitum & ignominiam reportat. Idem fit in militia Christiana. Qui perseuerat in charitate Dei & proximi, in timore, in cultu, in obsequio Dei, in bonis operibus exercitatus & assuefactus, nec impiorum improperia super se, nec multitudinem peccantium ante se, nec dæmonum fremitus circa se, nec mundi & carnis blanditias prope se respiciet, vt à Dei seruitio abstrahatur; sed perseuerabit vsque in finem, æternum glorię pondus reportaturus. Qui molles & flaccidi sunt, ad primam tentationem succumbunt. Huius rei causa inter cætera est horum ingratitudo, illorum perpetua Dei beneficiorum memoria. *Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum*, id est, vocati & apti ad malitiam cælestem, *conuersi sunt in die belli*, tempore tentationis recesserunt, *non custodientes testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare: & obliti sunt*, id est, quia obliti sunt *benefactorum eius*. At contra iustus dicit: *Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.* Posterius reddit causam prioris. Alia
B causa non perseuerandi in bono est, quia non ex puro Dei amore, sed ex timore pœnæ ad Deum conuertimur. Sic Aegyptij multis Dei flagellis afflicti, metu magis quàm charitate commoti, *vrgebant populum Israel exire velociter de terra.* Sed mox eos pœnituit, & exeuntem Israel vsque ad mare rubrum persecuti sunt. Quæ autem ex amore fit conuersio, firma est, nec tentationi cedit. Beatus Hieronymus acriter à dæmone tentatus, vt castitatem violaret, opem Domini implorans, tam diu in oratione perseuerauit, vt à tentatione liberaretur. *Memini* (inquit) *me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino imperante, tranquillitas.* Clamat igitur nobis Scriptura: *Expecta Dominum, & viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Abraham cum aliquando Sacrificium Deo immolaret, & aues ad illud descenderent, nihilominus tamen ipse abigebat eas, neque vnquam propter illarum importunitatem à sacrificio cessabat. Idem nobis animus, eadem alacritas, idem perseuerandi studium, in cuiusuis opere virtutis esse debet *Viam trium dierum* (vt docet S. Bernardus) *necesse est nobis in hoc deserto agere. Primus dies est timor pœnæ, qui nostræ primordia conuersionis exercet. Secundus est pietatis dies, qua respiramus in luce miserationum Dei. Tertius est obedientia, quam præstare necesse est mandatis Dei.* quod enim timor incepit, spes veniæ promouet: sed nihil fit, nisi obedientia mandatorum sequatur: à quo tertio hæretici hodie abhorrent, duobus primis contenti, eaque sufficere arbitrati.
C Sed isti triduo Christum non sustinent; quare de eius panibus non gustabunt. Quando canis venaticus leporem, vel aliud aliquod venationis genus inuestigat, si nullum vestigium inuenit, piger & iners ambulat: at si animalis vestigium nares eius attingit, solertissimè & diligentissimè currit, quousque feram inueniat. Ita nos, si verè Deum gustamus, si odor eius longè suauissimus ad nares nostras peruenit, si beneficia præsentia, mercedem repromissam diuinæ sapientiæ dulcedinem verè odoramus & intelligimus, *curremus* haud dubiè *post odorem unguentorum istorum, trahetque nos post se*, & vsque ad finem alacriter currendo perseuerabimus, *letantes in his quæ dicta sunt nobis: In domum Domini ibimus.* Cæterum ad quorum nares harum rerum odor non peruenit, qui non *gustauerunt donum cæleste, nec quàm suauis est Dominus, & quàm bonus Deus Israel iis qui recto sunt corde*, illi pigri ambulant, nec vel vno die Christum sequuntur, imo nec vna hora cum Christo possunt vigilare; sed post carnem suam ambulant, & post concupiscentias eius. De hoc argumento vide plura in aliis Domin.

Simile.

Non perseuerandi causa, oblinio.

Psal. 77.

Psal. 118.

Non perseuerandi causa, mãca cõuersio.

Exod. 12.

Exemplum

Perseuerantiæ exẽplum.

In epist. ad Eustochiũ.

Psal. 26.

Genesis 15.

Allegoria.

Ser. 1. de Euang. 7. panum.

Locus contra hæreticos.

Simile.

Cant. 1.

Psal. 121.

Heb. 6.

Psal. 33.

Psal. 72.

Do. 2. post Epiph. tex. 6.

Do. Sexag. tex. 7.

Do. Quinquag. tex. 3

3. *Si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via.*

Vitę præsentis solatia.

D LOcus moralis de præsentis vitæ solatiis à Deo concessis. Deus enim etsi electos suos variè tentat, & multis in hac vita difficultatibus exponit, variis tamen & intermixtis solatiis reficit; ne, si ieiunos, omnique solatio destitutos in domum suam, quæ est cuiusque mors temporalis, dimitteret, deficerent in via peregrinationis huius, nec ferendis laboribus ac molestiis pares essent. Huc pertinet illa mensa Dei, rebus omnibus non necessariis tantum, sed etiam ad honestam voluptatem comparatis plena quam in primo huius Euangelij loco descripsimus: de qua etiam Apostolus loquitur, dicens: *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.* Quod & Propheta Regius cecinit, dicens: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Sed totam hanc admirabilem Dei bonitatem in alio Psalmo ex proposito canit, ex parte non hominum tantum atque animantium, sed & rerum omnium animatarum, atque adeo creatarum: post quorum ferè omnium enumerationem concludit: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Sed hæc Dei bonitas in homine maximè elucet, propter quem inferiora

1. Tim. 6.

Psal. 144.

Psal. 5.

hęc omnia creauit: & in ipsa hominis cura, circa animæ salutem ac statum, secundum quam ad imaginem Dei creatus est. Hanc enim, ne deficiat in via, assiduè consolatur, docet, reficit, ac recreat. *Conuersi ad Deum peccatores* (ait S. Gregorius) *in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur. Ne ergo lassemur in huius peregrinationis itinere, pascendi sumus sacra admonitione.* Sed hac maximè indigent *qui de longè venerunt*, vt in hoc Euangelio quidam ex iis qui triduo Christum sequuti fuerant, hoc est, qui ex grauioribus peccatis, & longiori peccati consuetudine conuersi sunt. Sic filius prodigus in gratiam receptus, opulenta & copiosa patris mensa fruitur, occiso vitulo saginato, etiam vsque ad inuidiam senioris fratris. A

Ho. 21. in Ezech.

Lucæ 14.

Nulla in re longius falluntur peccatores, quàm dum existimant in virtute non posse tantum solatium aut voluptatis inueniri, quantum in suis luxuriis inuenire se opinantur. Quantum distat *siliqua porcorum*, qua se satiare voluit filius prodigus, *à vitulo saginato*, quem pater ei apposuit; tantum est discriminis inter sordidas & vanas luxuriosorum & secularium desideriorum voluptates, atque veras & solidas iustorum lætitias. Quod in alia quadam Dominica tractauimus. Quemadmodum nutrices amarissimo absinthio vbera sua intingunt, vt infantes ab vberibus depellant: sic Deus labores & difficultates varias seculi voluptatibus studio immiscuit, vt illis relictis, cælestia quæreremus. Contra vero quemadmodum qui naturæ historiam scribunt, lacum esse quendam aiunt, cuius epota aqua abitemios reddit: sic aqua Christi talis est, *vt qui eam bibit, amplius non sitiat*, id est, vt eius gustus omnes alias mundi delicias fastidire faciat. Hunc in se gustum Augustinus recenter ad Christum conuersus sensit, vt de seipso his verbis scripsit: *Quàm suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiciebas enim eas à me vera tu & summa suauitas: eiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed non iam sedenti in tenebris; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi, & volutandi atque scalpendi scabiem libidinum, & gestiebam tibi charitati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ, Domino Deo meo.* Hæc ille. Vide simile exemplum de B. Cypriano ad Christum conuerso Dom. 4. Aduent. tex. 5. Hæc est symphonia & musica, hę epulæ, hoc conuiuium, hic vitulus est saginatus, peccatori ad Deum veraciter conuerso datus. Huiusmodi nouis solatiis perfunditur, qui Christum laboriosè sequitur; non dimittitur ieiunus, non caret ingenti consolatione & gaudio. B

Voluptas virtutis maior quã vitę.

Do. 3. post Pascha tex. 2.

Similia.

Plin. li. 31. ca. 2.

Ioan. 4.

Exemplum Confess. li. 9. c. 1.

Mutantur ista in iustis, non tolluntur. Hoc est quod Christus dixit: *Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem.* Quod sic explicat D. Bernardus: *Mira nouitas, sed eius qui facit omnia noua: & eius qui fingit laborem in præcepto. Fictus in præcepto labor est, onus leue, iugum suaue, crux inuncta oleo. Quod Abrahæ dictum est, Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offeres eum mihi in holocaustum; labor fictus est in præcepto. Oblatus siquidem Isaac sanctificatus est, non mactatus. Et tu igitur si vocem Domini audieris intus in animo, vt offeras Isaac, id est, vt quodcunque est gaudium tuum, immoles Deo (Isaac enim interpretatur risus) constanter obedire ne timeas. Non Isaac, sed aries morietur. Non peribit tibi lætitia, sed cõtumacia. Non mactabitur Isaac, sed viuet. Crucifixus mundo, vives Deo. Tanquam tristes, sed semper gaudentes.* Hæc ille. Nempe non tollitur, sed mutatur, & ad meliora conuertitur iustorum in hac vita gaudium, lætitia, consolatio. Petrus qui piscatione piscium delectabatur, fit piscator hominum, dicente illi Christo: *Ex hoc eris homines capiens.* Nolo vt artem tuam deseras: imo eandem illustriorem reddam. Saulus ex zelo legis persequens Ecclesiam Dei, fit ex zelo fidei, persecutor Iudaismi, dicente Christo: *Ostendam illi quantum oporteat eum pro nomine meo pati.* Magi ex Oriente, qui Astronomiæ scientia delectabantur, per astrum ad Christi cognitionem ducuntur. Delectati astrorum scientia, per astra ad gaudium fidei trahuntur. Visa enim stella quum staret supra domum in qua Christus erat, *gauisi sunt gaudio magno valde.* Populus Israeliticus, quem ollæ Aegyptiacæ delectabant, vt ex Aegypto egrederentur, hanc promissionem acceperunt: *Introducet vos Dominus ad terram fluentem lacte & melle.* Quasi diceret: Delectat vos rerum copia. Illam habebitis, sed ex me, & in terra quam ego dabo. Sic iisdem Israelitis permissa sunt sacrificia cruenta & carnalia; sed vt vero Deo illa offerrent, quę alioqui idolis immolaturi erant. Sic Apostolus prohibens *diuites sperare in incerto diuitiarum*, iubet eos *sperare in Deo viuo.* In his omnibus non affectus, sed obiectum mutatur. Sperare, gaudere, concupiscere non prohibetur, sed ad res honestas, laudabiles, solidas, atque diuinas, affectus conuertitur. Quotquot ergo Christum sequuntur, omnia mundi gaudia illicita abdicantes, non dimittuntur ieiuni, sed habent alia vera & solida gaudia quibus se oblectent. Pro alliis & cepis Aegyptiacis, mãna de cælo; pro siliquis porcorum, vitulus saginatus; pro panibus in deserto, cibus qui non perit, sed permanet in vitã æternam; pro carnalibus spiritualia cordis gaudia subministrantur. Qui serui erant immunditiæ, serui fiunt iustitiæ. Mutata seruitute, mutantur affectus, voluptates, gaudia. Mutantur, sed non tolluntur. Auarus gaudet in pecuniis suis, & sibi plaudit, dum nummos tacitus contemplatur in arca. Apostolus *gloriatur in infirmitatibus suis.* Superbus gaudet honore & laude populari. Iustus dicit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Voluptuarius gaudet in Venere & Baccho. Sobrius gaudet, quia *victum & vestitum habens, contentus est.* C D

Matt. 11.

In Declamat. de bonis deserendis.

Iustorum lætitia non tollitur, sed mutatur.

Exempla.

Lucæ 5.

1.

2.

Act. 9.

3.

Matt. 2.

4.

Exodi 3.

5.

6.

1. Tim. 6.

Iustorum solatia.

Rom. 6.

A

4. *Vnde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?*

LOcus moralis contra diffidentiam. Discipuli enim Christi quum paulo antè vidissent miraculum de quinque panibus & duobus piscibus, quibus quinque millia hominum Christus pauit (vt D. Marcus præcedenti capite commemorat) tamen adhuc dubitatione & diffidentia laborant, nec tam recentem Christi potentiam recordantur. Sed & hanc eorum incredulitatem paulo post hoc exhibitum miraculum grauiter illis exprobrauit. Cum enim *dimissa turba ascendissent in nauiculam, & discipuli eius venissent trans fretum, obliti accipere secum panes*, Christusque illis diceret, *Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum*; illis cogitantibus *inter se quod panes non acceperant, dicit illis Iesus: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis neque recordamini quinque panum & quinque millia hominum, neque quot cophinos sumpsistis? neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis?* Displicet multum Deo omnis de eius bonitate dubitatio ac diffidentia, placet ei fiducia. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis* (non in prudentia humana) *quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum.* Tentat Deum, qui postposita fiducia in eum, suæ inhitit
B prudentiæ, multo magis qui sue confidit malitiæ. Verbi gratia: In necessitate aliqua constitutus, non ad Dei auxilium confugit, honesta tantum consectans media, quibus necessitati subueniat, & quod reliquum est, Dei bonitati committens: sed malis artibus, dolo, fraude, mendacio, per fas nefasque vitæ necessaria, aut etiam superfluas opes conquirit. Tales erant Israelitæ, quum reiecto Samuele, & regimine sacerdotali, Regem sibi postularent, more cæterarum gentium; quibus Samuel dixit: *Scietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes vobis Regem.*

Contra diffidentiã Marci 6.

Matt. 15. & 16.

Sap. 1.

Exemplum 1. Reg. 12.

Annotanda hic grauissima omnium ferè peccatorum absurditas: vt victum, vestitum, opes, honores acquirant, totum in humanis artibus, nihil in Dei bonitate ponunt: furtis, mendaciis, rapinis operam dant: mentiuntur, adulantur, calumniantur, nulli sceleri parcunt. Sed quum tam multa & magna peccent, Deum tamen misericordem ipsis fore confidunt. Sic Deum in necessitatibus suis crudelem aut negligentem; in sceleribus suis misericordem sibi fingunt. Atqui debebant Dei prouidentiam circa necessaria & honesta, certa fiducia concipere; de Dei misericordia in tot suis flagitiis non præsumere. Qui pontem angustum positis ante oculos perspicillis transit, quum hoc modo maior pons appareat quàm sit, facilè ponit pedem in aëre, & de
C ponte labitur. Sic de Dei misericordia, quæ pons salutis est, per quam in cælum transire necesse est, sed pons vt pœnitentibus amplissimus, ita flagitiosis, atque in flagitio perseuerantibus perangustus, qui cum vanæ fiduciæ perspicillis iudicat, profecto facilè eo excidet, & in barathrum æternę damnationis corruet. Bona est & laudabilis, & Deo grata, circa honesta & necessaria vitæ præsidia, in Deum fiducia; sed circa peccata & flagitia, timenda iustitia, non præsumenda misericordia. Sic castissima Susanna, posita in peccati ab vna, & infamiæ ac mortis discrimine ab altera parte, fiduciam habuit in Deum, non circa peccatum perpetrandum, sed circa mortis periculum euadendum. Vnde & sic loquitur: *Angustiæ sunt mihi vndique. Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras* (id est, in periculum mortis temporalis) *quàm peccare in conspectu Domini.* Habuit fiduciam non in misericordia Dei post peccatum, sed in protectione Dei absque peccato. Quare & cum accusaretur à senioribus illis, *flens, suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Sed & postea quum liberabatur, circunstantes *benedixerunt Deum qui saluat sperantes in se.* Sic sanctus Ioseph maluit dominæ suæ grauissimam indignationem cum periculo status sui subire, committens reliqua Deo, quàm in eius gratiam, statusque sui conseruationem Deum offendere, dicens: *Quomodo poßum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Similiter tres pueri in caminum
D ignis à Nabuchodonosor conijciendi, fiduciam habuerunt non de misericordia Dei post adorationem statuæ, sed de adiutorio Dei circa liberationem à morte. Vnde quum eis Nabuchodonosor diceret: *Quis est Deus qui eripiet vos de manu mea? responderunt ei: Deus noster, quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, quia deos tuos non colimus.* Quàm innumeri hodie in Anglia schismati cesserunt, sperantes fore vt cito se inde extricarent, à Deo misericordiam consecuti, qui tamen ab eo nunquam postea emerserunt, sed ex timidis schismaticis, hæretici obdurati facti sunt! quàm innumeri quotidie peccant peccato carnis, mendacij, fraudis, rapinæ, sperantes se hoc solo peccato perpetrato, statim ad meliorem vitam conuertendos, qui de peccato in peccatum progressi, totam vitam in eo consummarunt, miseréque perierunt! Israelitæ quum in Aegyptum descenderent, existimabant se non nisi per annos quinque, quàm diu durabat fames, in ea commoraturos: at illi totis quadringentis annis illic hæserunt. Est ergo circa subsidia necessaria fiducia in Deum nunquam deponenda. Non est in malis artibus, in prudentia aut malitia humana, spes ponenda. De hac pia in Deum fiducia, & contra diffidentiam, in aliis Dominicis iam aliquoties diximus.

Simile.

Fiducia præpostera

Fiducia recta.

Exempla. 1. Dan. 13.

2. Gen. 39.

3. Dan. 3.

Angliæ schismatici Allegoria.

Do. 4. post Epi. tex. 4.

Do. Quinq. tex. 3. & 4.

Dom. 1. Quadrag. text. 5.

Domin. 4. Quadrag. tex. 2.

Dominica Pasch. tex. 4.

Dom. in Albis tex. 1.

Do. Pent. tex. 5.

A

5. *Et sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas.*

Liberalitatis virtus. *Psal.144.* *Psal.102.* *Exempla.* 1. LOcus moralis de virtute liberalitatis. Christus enim sic in deserto auditores suos cibo abundanter refecit, vt non solum manducantes saturati fuerint, sed etiam de fragmentis quæ superfuerant, sustulerint, secumque abstulerint septem sportas, id est, quantum septem sportæ continere poterant. Commendat hoc facto Christus non solum simplicem eleemosynam, sed etiam liberalem. Sic Deus aperiens manum suam, *implet omne animal benedictione.* Non benedicit tãtum, aut simplici benedictione impertit, sed etiã *implet benedictione*: Sic alibi. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Non satisfacit tantum, sed & replet. Dauid nactus ex Amalecitis prædam opimam, non solum inter pugnantes eam distribuit, sed & aliis ducentis qui ad sarcinas remanserant (multis murmurantibus) liberaliter diuisit: nec in illos modo, sed & in absentes liberalis; *misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Do-* 2.Reg.30. *mini. Sed & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid*, Saulem fugiens, *& viri eius*, dona misit. Ita suæ liberalitatis neminem ex amicis suis expertem esse voluit. Filij Israel, quum filiorum Iuda captiuos maximo numero cepissent: *apprehendentes eos, omnes qui nudi erant* B *vestierunt de spoliis, cumque vestissent eos & calceassent, & refecissent cibo ac potu, vnxissentque propter labo-* 2. 2.Paral.28 *rem, & adhibuissent eis curam, quicunque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos* 3. *iumentis, & adduxerunt Iericho ad fratres eorum.* Nabal, negato Dauid & viris eius liberali subsi- 1. Reg. 25. dio, celeri & inopinata morte extinctus est. Contra Abigail vxor eius, magna liberalitate erga 4. Dauid & viros eius vsa, ipsi postea Dauid matrimonio est iuncta. In hoc liberalitatis genere ex- *Tob.1.& 2* celluit Tobias, qui esurientes fratres pascebat, nudos vestiebat, mortuos, relicto prandio, sepe- 5. liebat, & quum haberet prandium bonum, aliquos de tribu sua, timentes Deum, vocauit vt *Iob 29.* epularentur cum illo. Iob quoque *non comedit buccellam suam solus; erat pes claudo, oculus cæco, pater* *& 31.* *pauperum, & cor viduæ consolatus est.* Hac quoque virtute excelluerunt cęteri iusti, Abrahã, Loth, *Illiberalitatis vindictæ.* Isaac, & Iacob, & quotcunque Deo placuerunt. Huius virtutis defectus multos perdidit. *Di-* *Iudic.8.* *xit Gedeon ad viros Socoth, Date obsecro panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt, vt possimus per-* *sequi Reges Madian.* quod quia auarè & illiberaliter negarunt, rediens victor Gedeon, *tulit senio-* *res ciuitatis, & spinas deserti ac tribulos, & carnes eorum contriuit cum eis.* Corinthi in summa rerum *Ael.var. hist.li.14.* caritate & inopia, Theocles & Thrasonides, Mytilenæ quoque praxis, ciuibus suis hortatores *Exempla ethnica.* & suasores fuerunt, vt paupertatis onus egentibus releuarent. Reliquis obtemperare nolentibus ipsi sua debita remiserunt; quo lucrati sunt non quidem argentum, sed animam & vitam. *Suet. in Tito.* Etenim quibus condonata sua debita non fuerunt, ij facto in creditores impetu, cum armis, C *Apophth. Aelius Lamprid. in vita.* quæ suppeditabat ira ferox, & paupertas inexpugnabilis, mortem illis intulerunt. Titi Imperatoris illa vox erat celebris, quum semel in cœna recordatus esset, se eo die nemini quicquã præstitisse, *Amici*, inquit, *diem perdidi.* Alexander Seuerus descriptum habebat, quid cui præstitisset. Qui nihil aut minimum petissent, eos appellabat, dicẽs: *Quid est, cur nihil petis? An me tibi vis* *Plutarch. in Regum Apoph.* *fieri debitorem? Pete, ne priuatus de me queraris.* Dionysius Siculorum Rex, quum ad filium ingressus, conspexisset vasculorum aureorum & argenteorum magnam vim, exclamans, *Non est*, inquit, *in te regius animus, qui his poculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem amicum tibi feceris.* Intel- *Exempla sancta.* lexerunt hi omnes, ad conciliandam hominum beneuolentiam & gratiam (sine qua nec impe- *Greg. Dial. li.3.c.1.* ria tuta sunt, nec vita communis iucunda esse potest) quantum in liberalitate & beneficentia momentum positum sit. Sancta autem & insignis fuit sancti Paulini Episcopi Nolani erga ciues suos liberalitas; quos à Vandalis captos, omnibus pecuniis opibusque exhaustis, redemit: & quum vnicum viduæ filium vnde redimeret non haberet, seipsum pro eo in seruitium barbaro dedit. A quo postea, viri sanctitate barbaro diuinitus patefacta, cum reliquis omnibus captiuis *In vita eius apud Surium to.* ciuibus libertate donatis, domum remissus est. Sanctus Bernardinus quum à Duce Mediola- *7.p.435.* nensi, vt pecunias acciperet, cogeretur (etsi ille non iuuandi, sed tentandi eum causa hoc fecerat) vir sanctus mox ad carceres Senenses abiens, omnes illic ære alieno pressos, ex Ducis pecunia liberauit: duobus tantum exceptis, quibus non suffecit illa pecunia: quos tamen paulo post *Dom.4. Quad. tex. 5.* populus ipse, viri sancti exemplo motus, & precibus flexus, facta collecta similiter liberauit. De D hoc argumento, & de liberalitatis mercede amplissima à Deo retributa, in alia Dominica diximus.

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ VII. POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis B qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Matt. 7.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos.* De studio cauendi & fugiendi hæreticos.
2. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* De noxiis & pestiferis hæreticorum nostri temporis fructibus.
3. *Omnis arbor bona bonos fructus facit: & non potest arbor bona malos fructus facere.* De virtutis & bonorum operum necessitate.
4. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* De duplici pœna peccati omissionis.
5. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* De necessaria obseruatione mandatorum Dei.

C

1. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

LOcus moralis de cauendis magno studio & fugiendis hæreticis. Falsi enim prophetæ, quos Christus hic denotat, iuxta omnes veteres interpretes, sunt hæretici omnium temporum; qui sub nomine Christiano, aliisque sanctitatis & doctrinæ vestimentis, pietatem promittentibus, intrinsecus rapiunt, mactant, & perdunt ouile Christi. Hunc locum in altero Promptuario latè explicauimus; & nostri temporis hæretici, quot modis sunt lupi rapaces sub vestimentis ouium, studiosè ostendimus. De hæreticis quoque fugiendis, & nullo modo audiendis, in eodem Promptuario, circa illa Christi verba; *Oues meæ alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo*; differuimus. Hic tamen aliqua addemus, vt de re ad pietatem & salutem in primis necessaria. Attendendum maximè & cauendum ab hæreticis, quia simulati & occulti hostes sunt, vt hic Christus docet. Cur autem, & quomodo sint tales, paucis explicandum. *Hæretici cauendi.* *In Prōpt. Cath. Dom. præsenti. Feria 3. Pentec.* *Hæreticus hostis occultus.*

D Quædam vera cum falsis docent, vt tanto efficacius fallant. Sicut enim sutor apri seu porci subtili seta vtitur, vt aliud suum filum duplicatum, pice delibutum, & crassum, in corium introducat, eam in fronte alterius adaptans; quæ propter suam subtilitatem in corij foramen facillimè ingreditur: sic hæretici, vt crassas suas & falsitatis tetetrima pice delibutas sententias in animos auditorum intromittant, ponunt in fronte subtilem, veram, & sanam aliquam doctrinam; quam suæ hæresi adaptantes, eam pariter introducunt, falsumque pariter cum vero sophistica connexione coniuncta, suorum animis instillant. Quam eorum pestilentem fraudem similitudine apposita D. Irenæus expressit: Quemadmodum qui Regis imaginem, ex auro & gemmis pretiosis à solerte artifice fabricatam, dissoluunt, & transferunt aurum illud & gemmas in canis imaginem, quam ex eadem materia conficiunt; aiunt postea imaginem suam canis, esse Regis imaginem, quoniam idem est aurum, & iidem pretiosi lapilli: sic omnino hæretici fidei imaginem dissoluunt, & ex iisdem sacræ Scripturæ auctoritatibus perperam ac falso expositis atque transpositis, imaginem perfidiæ suæ conficiunt & ornant, dicentes illam esse fidei & veritatis imaginem, eo quod ex iisdem S. Scripturarum locis est constructa. Sic enim imperitæ plebi facilè imponitur, quæ de materia quidem iudicare potest, *Simile.* *Lib. 1. aduer. hæreses.* *Simile.*

aureane sit an plumbea, verba Scripturæ norunt; sed de forma iudicium ferre nequit; A
de sensu & connexione Scripturarum sana ac legitima iudicare nescit. Non enim habet sen-
sus exercitatos ad discretionem veri ac falsi. Impius ille Propheta Balaam, multa bona verba
Num.24. dixit. Sic enim populum Dei benedicebat: *quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel,*
vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus. Idem tamen falsus
Apoc.2. Num.25. Propheta Regi Balac consilium dedit, vt populum peccare faceret per mulieres Moabitidas,
Hæretici hodie doctrinam Baal tradiderunt. vt sic ad idola pertraherentur; *mittens scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari*, quod & factum
est: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua; at illi comederunt, & adorauerunt deos earum.* Sic hæretici hodie sacram Scripturam, Dei verbum, Christi Euangelium,
magnificis verbis prædicarunt, populoque Christiano benedixerunt: sed vt eos Regi Moab, qui
diabolus est, subiicerent, consilia carnis dederunt, & doctrinam Balaam tenuerunt: nihil prodes-
se ieiunia, cœlibatum rem esse impossibilem, confessionem peccatorum non esse necessariam,
satisfactionem superfluam, pœnitentias inanes, cultus externos, peregrinationes, precationes
prolixas, sacrificia res esse superstitione plenas, nullis deniq; Ecclesiæ legibus hominem Chri-
stianum teneri, sed nec ipsas Dei leges aut mandata esse ad salutem necessaria, sola fide omnes
saluari. His acceptis consiliis, fornicatus est populus Christianus cum filiabus Moab; dæmo-
num libidini, voluptatibus carnis sese totos prostituerunt. B

Hæretici moderni veteribus audaciores Atqui, vt nostrorum hodie hæreticorum lupinam rabiem clarius intelligas, & luculentius
populo exponas, sic accipe. Veteres hæretici, non ausi Ecclesiam Christi (quam vt aciem terri-
biliter ordinatam, & vt ciuitatem super montem positam, & muris fortissimis sacrorum Cano-
num circundatam, propugnaculis sanctorum Patrum defensam conspexerunt) aperte impu-
gnare, cuniculos egerunt; & ipsum fundamentum fundamentorum, atque lapidem angularem
Christum Dominum, ex cordibus hominum (operante per eos satana) tollere conati sunt. Hinc
contra personam eius modo quoad diuinitatem, vt Cerinthus & Ebion; modo quoad humani-
tatem, vt Marcion, Valentinus, Manichæi, Apollinaris; modo iterum quoad diuinitatis verita-
tem, vt Arius & Eunomius; rursum quoque contra veram diuinitatis cum humanitate coniun-
ctionem, vt Nestoriani, Eutychiani, Monothelitæ, & sectæ illorum innumeræ, donec tandem
ex his omnibus monstrum Mahometanum, Christo excluso, conflaretur. At hæreses hodier-
næ audaciores & impudentiores, totum Ecclesiæ corpus, quasi lupi rapacissimi totum gregem,
acerrimo impetu aggressi, impugnauerunt. Primum enim vtraque domus huius latera fortissi-
Reformatores. mè concusserunt; videlicet cultum Dei externum, & vitam spiritualem, seu cultum omnem in-
ternum. Vt cultum Dei externum euerterent, sub vestimento tamen *Reformatæ religionis*, om-
nem de Sacramentis & sacramentalibus doctrinam orthodoxam contaminarunt: Sanctorum
quoque inuocationem, imaginum, & reliquiarum veneration em, & quæcunque eo pertinent, C
Euangelici penitus sustulerunt. Vt vitam spiritualem destruerent, sub vestimento *Euangelicæ libertatis*, om-
nem de peccatis & virtutibus sanam doctrinam venenatis suis dogmatibus infecerunt: primum
exaggerando peccatum originale, & corruptionem naturæ inde consecutam, adeo vt liberum
arbitrium negent, & peccati morbum incurabilem doceant; deinde negando vllam bonorum
operum veram iustitiam, aut ad salutem necessitatem, & consequenter omnia in sola fide col-
locando, vnde emersit certitudo gratiæ ex parte nostra, & imputatiua iustitia ex parte Christi.
Concussis lateribus domus huius magnæ, fundamenta quoque ipsa aggressi sunt, quę Christus
lapis angularis posuerat, sibique arctissimè connexuerat. Hoc vt perficerent, Ecclesię totam
Protestates auctoritatem, sub specioso *Protestantum* titulo & vestimento, omni ex parte subuertere conati
sunt. Ex parte subiecti in quo illa consistit, ab Episcopis, pastoribus & doctoribus quos Chri-
stus posuit, ad congregationem & promiscuam plebem, vel ad quosdam de plebe (tales enim,
& non alij sunt omnes eorum, quos vocant, ministri) transferendo. Ex parte obiecti, ad quod
illa se extendit, negando illi, vel circa Scripturarum canonem consignandum, vel circa Scri-
pturarum interpretationem, vel circa Traditiones extra Scripturam suam quam à Christo ha-
bet potestatem & facultatem. Ex parte qualitatis & dignitatis quam in se formaliter habet,
ponendo eam probabilem tantum merè humanam, & errori obnoxiam, quum Christus eam
posuerit planè necessariam, ineffabilem, & suo quodam modo diuinam. Ex parte mediorum
omnium quibus ad fidei stabilimentum vti solet, negando Conciliorum decreta, SS. Patrum D
consensum, regulam fidei, & his consimilia. Postremo, vt nullus relinqueretur eorum im-
pudentiæ & impietati modus, ipsam tandem in se Catholicam & Apostolicam Christi Eccle-
siam penitus negauerunt: non secus certè quàm perfidi rebelles, qui vbi primum de potestate
Regis, eiusque abusu disputarunt, postea ipsum Regis titulum ac ius in dubium vocant. Sic ho-
Simile. die profecerunt in peius, tales lupi rapaces extiterunt.

Lupi rapaces & famelici, vna ouicula comprehensa, eam ita certatim lacerant, vt nullum
eius membrum intactum relinquant. Sic hæretici hodie Ecclesiam, & omnia dogmata, Sacra-
menta, & sacramentalia eius. Et quia pastores gregis sibi commissi causam diligenter agere, ca-
nesque vocales, verbi prædicatores strenuos ac fortes habere hi lupi aduerterunt, hos ab
ouili arcere, horum auctoritati derogare, existimationem imminuere, personas denique
è medio tollere omnibus viis & modis conati sunt. Philippus Macedonum Rex quum
Exemplum Athenas obsideret, misit ad ciuitatem Legatos, qui dicerent: Date mihi Oratores decem

quos

A quos ipse elegero (illi enim Rempublicam vestram perturbant) & ego ab obsidione cessabo, atque amicitias vobiscum faciam. Cuius postulato Demosthenes sic respõdit: Lupi pastoribus aliquando sic dixerunt: Omnis discordia quæ inter nos ac vos agitatur, propter canes vestros exorta est: eos si nobis tradere vultis, arcto vobiscum amicitiæ fœdere coniungemur. Illis ergo traditis, dum somnum pastores caperent, lupi gregem inuadunt, & quotquot volunt, deuorãt. Hoc studio hæretici hodie primùm omnium ordinum religiosos, posteáque sacerdotes, pastores, & Episcopos, infensissimo odio prosequuti sunt. Hæc lupina hæreticorum rabies sub vestimento ouium, singulare Diaboli commentum fuit, quo animas perderet. *Quemadmodum enim in bello* (ait S. Chrysostomus) *milites strenuos, atque animam profundere paratos, inimicus conspiciens, quia nulla eos ratione ledere queat, neque à studio in Regem remouere, neque ad timorem traducere, neque machinis superare potest; hac via tamen suadendo corrumpit, frustra illos ac temerè tantos suscipere labores, vt sic robur labefactet, animi robur extinguat, & à bellicis curis amotos, nudos & inermes cernens captiuos trahat: sic & diabolus facit. Posteaquam videt Dei gratia gentilium errores passim irrideri, sermones de pietate vbique acceptissimos esse, magnam impietatis depulsionem fieri, non ausus est procedere, ac palam dicere, Deficite à Christo*; &c. *Nouit enim ita magis à suo imperio recessuros, & vehementius illum exosuros. Propterea recta via ad accusandum non pergit, sed circuitione quadam perreptans, venenum iniquarum opinionum clanculũ spargit, hoc relinquens, vt videantur quidem homines in fide permanere: re autem vera radicitus eam extrahit, & omnia veritatis instituta perfringit, & multam apud homines sibi obedientes, Deo calumniam offundit. Non* B *secùs sanè, quàm si quis puerum ingenuum ac liberum, sed simplicem & incallidum, dextera prehensa, è domo paterna non eiiceret, sed ea præciperet facienda, quibus designatis, volens nolens paterna domo eiiciendus & exhæres esset.* Hæc ille. Sic per hęreticos diabolus hodie operatus est; sic blandimentis & fallaciis infinitas animas, quasi sub vestimentis ouium, lupi rapaces & nostri, & omnium temporum hæretici seduxerunt.

Plutarc. in Demosthene.

Simile. Oratio. 2. de Prouidentia.

Inter alia ouium vestimenta, quibus isti lupi rapaces, hæretici, se tegunt vt fallant, sacræ Scripturæ abusus vel potissimùm est, sicuti in altero Promptuario tum super hoc Euangelium annotauimus, tum in alia Dominica latiùs deduximus. Sed & hoc quoque suasore & instigante diabolo faciunt; vt his verbis docet sanctus Basilius: *Sicut per quæ putabant homines Deum cognoscere, per ea maximè Gentiles ignorare Deum diabolus fecit, (mundus enim opificis sui index propositus quum sit, illi non per visibilia Dei eum cognouerunt, sed suasore diabolo seruierunt creaturæ, Solem ipsum, & cætera prodijs adorantes) sic vnde oportebat Christum agnoscere, ex Scripturis scilicet Christum prædicantibus, inde maximè Christi ignorationem Diabolus introducere molitus est, hæreticas intelligentias callidè ingerendo.* Hæc ille. De hac etiam hæreticorum impostura maximè tum vulgari, tum speciosa Origenes: *Sicut piratæ solent in mari in locis vadosis, occultisque scopulis, per obscurum noctis lumen accendere, quo nauigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragia perditionis inuitent: ita & istud lumen falsæ sapientiæ, &* C *falsæ fidei per Scripturas prolatas ab hæreticis accenditur, vt salutis suæ cupidos hac luminis specie ad fidei & salutis naufragium pertrahant.* Sanè sicut aucupes quidam frondem mortuam instar arboris circumferendo, & aues mortuas, perinde ac viuæ essent, in ramis collocant viſco illitis; quò accedentes viuæ aues, quasi ad socias & amicas, irretitæ capiantur: ita planè hæretici Sermonem Scripturarum vocibus contextum proferunt, & verba mortua (est enim spiritus litteræ qui viuificat, sine quo litera occidit) quæ sonant tamen vt viua, sermoni interserunt, viſco falsæ & venenatæ interpretationis illita, qua corda simplicium, qua indocti & instabiles, quasi ad Dei verbum auidè accurrentes, cum certa animarum pernicie capiuntur. Tales sunt sub vestimentis ouium lupi rapaces: & tanquam à talibus attendere, id est attentè cauere, iubet Saluator.

Dominica 1 Quadrag. In lib. de vera virginitate.

In epist. ad Rom. c. 14. Similia.

Attenditur à falsis prophetis, ab hæreticis, duobus maximè modis. Vno modo, eorum voces & verba nullo modo audiendo, de quo in altero Promptuario latè diximus. Altero modo, eorum libros & scripta non legendo. Vtrobique enim par periculum est. De hoc ergo posteriori, hoc loco satis proprio, pauca suggeremus. Qui libros hæreticorum legere, aut nullum piaculum putant, aut etiam commodè permitti posse atque debere existimant, non aduertunt quantum valeat quod Christus hic dixit: *Attendite à falsis prophetis.* Quid enim est attendere, quàm sibi ab illis cauere? Aut vbi magis ab illis cauendum est, quã in quo fallere maximè contendunt? At eorum libri summo studio ad fallendum compositi prodeunt. In eorum libris lupina rabies sub vestimentis ouium callidissimè & accuratissimè occultatur. Ibi enim verborum lenocinia, sermones phalerati, sophismata elaborata, paralogismi magno studio concinnati conspiciuntur. Ibi Scripturę torquentur, adulterantur, deprauantur, mutilantur. Patrum sententiæ, Concilio- D rum decreta, veteres historiæ in eorum libris vel suggillantur, vel corrumpuntur. Sanctus Ephrẽ duos Apollinaris magni hæretici libros, qui hæreses eius complectebantur, à quadam fœmina, quæ eos custodiuit, mutuò acceptos, ita per singula folia conglutinauit, vt nunquam postea vsui cuiquam esse possent, optimè se de Ecclesia meritum hac ratione arbitratus. In Prato spirituali sic legimus: Abbas Cyriacus Presbyter Lauræ Calamonis iuxta Iordanem vidit in somnis beatam Virginem ante cellam suam transeuntem. Quumque multum precaretur, vt ingredi vellet, Quomodo (inquit) ingrediar in cellam tuam, quum ibi teneas inimicum meum? Et his dictis abscessit. Ille autem euigilans, miratus quid hoc sibi vellet, tandem totam cellam suam discutiendo, inuenit in quodam Isychij volumine, quod tenebat, duos impij Nestorij libellos

Hæreticorum libros non esse legendos.

Exemplũ. Invitacius apud Sur. Exemplũ. Cap. 46.

Exemplũ In vita S. Gregorij.

in fine voluminis assutos. Quos statim reddens ei à quo mutuatus fuerat, & causam narrans, effecit vt statim impij illi libri cremarẽtur. Tyberius Imperator Eutichij librum hæreticum, postquam à S. Gregorio Legato tunc Pontificio conuictum vidit hæreticum; suis ipse manibus in ignem coniecit. Dei iudicio, & singulari Ecclesię industria factum est, vt ex tot hæreticorum voluminum myriadibus, nulla prorsus hodie veterum hæreticorum scripta extent, nisi paucorum apud Patres, qui eos confutarunt, fragmenta. *Quamuis enim sint* (ait S. Leo) *in hæreticorũ scriptis quædam quæ videantur eruditionis & pietatis speciem habere, nunquam tamen vacua sunt venenis.* Nam (vt scribit S. Gregorius) *miscent recta peruersis; vt ostendendo bona, auditores ad se pertrahant; & exhibendo mala, latenti peste corrumpant.* A

Epist. 95. cap. 15.

Moral. l. 5. cap. 11.

2. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Hæreticorũ fructus

LOcus moralis de noxiis & pestiferis hæreticorum fructibus, hoc maximè tempore in orbem Christianum inuectis. Quemadmodum enim Christus, quum Iudæi illum in horto aggrederentur, & eius quidem diuina voce bis repulsi *ceciderunt in terram retrorsum*, tandem tamen accepta potestate quicquid liberet faciendi, dixit illis: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, id est, nunc tempus & potestatem habetis, omnem in me libidinem ac rabiem vestram exercendi; & quicquid vobis princeps tenebrarum suggesserit, in corpus meum exequendi, & quemadmodum diabolus potestatem à Deo accepit contra S. Iob, primum quidem circa bona & substantiam eius vniuersam, quã propterea totam rapinis & incendio vastauit, liberis quoque eius omnibus interfectis; deinde & in corpus ipsum, quod propterea vlcere pessimo totũ percussit: sic in nostra hac ætate, partim ad pœnas peccatorum, partim ad probationem electorum, & *vt manifesti fierent qui probati sunt in nobis;* Diabolus à Deo potestatem accepisse videtur, vt per ministros suos, nostri temporis hæreticos, immanissimos & horrendos fructus produceret, & ingentes in Ecclesia strages daret, Christique corpus mysticum, tam quæ ad ea quæ circa illud sunt, vt totus religionis cultus, & Sacramenta; quàm quæ id ipsum est, vt tota eius in terris potestas & auctoritas, pro sua libidine ac rabie, quocunque vellet modo vexaret, turbaret, perderet. Qui horrendi fructus & strages ex iis consecutæ, vt clariùs populo exponantur, breuem hoc loco enumerationem proferam earum nouitatum ac mutationum omnium, siue quoad fidem, siue quoad mores, quas istæ hæreses introduxerunt.

Ioan. 19. Luc. 22.

B

1. Cor. 11.

C

Nouitates nostri temporis circa religionem

Mutata est religio Christianorum, vel, vt hęretici nostri loquuntur, reformata est, ab vna & vniformi, omniúmque gentium consensu, in varias, quàm plurimas, & maximè dissentientes sectas: de quibus vide Apologiam priorem Friderici Staphyli, Dubitantium Guilielmi Lindani, & Opusculum nostrum de Principiis fidei doctr. Mutata, & reformata est ab antiqua & Apostolica, ad nouam & paucorum annorum, à Martino Luthero cœptam anno Christi 1517.

1. A Catholica & omnium gentium communione, ad paucitatem & singularitatem cuiusq; gentis, prouinciæ, ac propemodum ciuitatis. Ab ordinata monarchia sub vno Christi Vicario, (qualem Christus Petrum dedit, cuius iste successor est) ad anarchiam, vel certè fœdam polycratiã, aut popularem, aut Principum (& in his modò sub puero, modò sub fœmina supremo capite, vt in misera Anglia) aut denique consistorialem, prorsus turbulentam. Ab illa in qua piscatores fiebant Apostoli, laici fiebant clerici, & seculares facti sunt religiosi; ad illam in qua Apostolorum successores fiunt apostatæ, clerici non distinguuntur à laicis, religiosi redeunt ad seculum, atque adeò redire coguntur, vel certè redeuntes laudantur. Ab illa quæ orabat pro defunctis fratribus, ad illam quæ omnia pro defunctis orandi collata subsidia, instituta collegia, constructa monasteria, expilauit. Ab eleemosynarum largitione, ad xenodochiorum subuersionem. A vita claustrali, ad luxum aulicum. A voto castitatis, ad monachorum connubia, id est, adulteria approbata. A velandis virginibus, ad stuprandas matronas. A vinculo tori coniugalis, ad frequentia diuortia, & superinductas vxores, id est, concubinas domesticas, superstite relicta. A voto paupertatis, ad professas & legibus probatas vsuras. Ab obedientia voluntaria, ad arrogãtiam affectatam, effrontem, & effrænem. A paucorum superstitione, ad impietatem communem. Ab hypocrisi quorundam, ad iniquitatem iactabundam: vt qui antea castitatem simulabat, nunc inter adulteros esse castus erubescat. A certis ieiunijs, ad perpetuam ingluuiem, & *carnis curam in desiderijs*. A vigiliis nocturnis, ad somnolentiam diurnam. A precibus Ecclesiasticis, ad prædicationes laicas. A concionibus doctorum, ad lecturas adolescentum, & mulierculârum. A memoria Sanctorum, ad Reliquiarum exustionem. A peregrinatione ad loca sancta, ad frequẽtanda lupanaria. A fide Christiana, ad fiduciam Lutheranam, aut persuasionem certam Caluinianam. *A timore & tremore*, quo iubet nos Apostolus *operari salutem*, ad certitudinem & præsumptionem, quam docet Caluinus, timore vacuam. A studio virtutis, ad contemptum peccati. A verecunda peccatorum confessione, ad gloriandum in iniquitate, & exultandum in rebus pessimis. A minorum peccatorum scrupulo, ad contemptum maximorum. Ab illa religione quæ omnes hactenus hæreses damnauit, ad illas sectas quæ omnes ferè veteres hæreses resuscitarunt. Ab Ecclesia visibili, notissima, illustri, & super montem posita, iuxta Scripturas;

lib. 4. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Rom. 13.* 18. 19. 20. 21. 22. 23. *2. Cor. 7.* 24. 25. 26. 27. 28. 29.

D

ad lati-

A ad latitantem in deserto, ad fugitiuam meretriculam, iuxta misera paucorum perfugia. Ab Ecclesia Patrum & omnium Sanctorum, ad conuenticula hominum nouorum; quibus meritò dici debet, quod Manichæis dixit Augustinus: *Vos tam noui, tam pauci, tam turbulenti, haud dubium quin nihil dignum auctoritate proferatis.* A veritatis magistra, ad scholas mendaciorum. A certis, & firmis dogmatibus, ad religionem negantem. Ab illa cuius sunt certa & firma fundamenta, ad illam cuius totum fundamentum suus cuiq; animus est: qui illud in Scripturis & Ecclesiæ dogmatibus quod volunt, credunt; quod nolunt non credunt; ideóque nec Scripturis, nec Ecclesiæ, sed sibi ipsis credunt, &, vt ait Irenæus, *semetipsos prædicant.* A doctrina spiritus, ad doctrinam carnis. A toto Scripturæ Canone, ad mutilatores Canonicarum Scripturarum. A voce interpretãtis Ecclesiæ, ad sensus Scripturæ cuiusque priuatos & proprios. A Spiritu viuificãte, ad literam occidentem. A verbo Dei distincto & formato per vocem loquentis Ecclesiæ à Spiritu Sancto edoctæ, ad confusum & informem sonum verbi. A verbo Dei integro, ad textus corruptos. Ab vna versione Catholica, ad innumeras nouas. A Patrum consensu, ad Patrum vel contemptores, vel corruptores. A iugi sacrificio, ad abominationem desolationis. A cultu præsentis Christi, ad horrendam idololatriæ Christianæ cãlũniam, seu blasphemiam potiùs. A fide & bonis operibus, ad solam fidem iustificantem atque saluantem. A studio merendi vitam æternam, & violenter rapiendi illam, ad doctrinam præsumendi eam, & absque certamine coronandi. A mandatorum obseruatione studiosa, ad doctrinam de impossibilitate ob-

B seruandi ea. Ab efficacia sanantis gratiæ, & noua in Christo creatura, ad doctrinam de insanabili natura, & vetustate in Adam permanente. A libero arbitrio, ad necessitatem peccandi. A reuerentia Sacerdotum, ad occisionem eorum. A consecratis & ornatis templis, ad demolitiones eorum. A veneratione Sanctorum, ad eorum statuas deturbandas. A religiosis festorum solennitatibus, vt de populo Christiano circa Martyrum memorias Augustinus loquitur ad politicas celebrationes, vt de ipsis Christi festis isti noui magistri loquuntur. A legibus Ecclesiæ, ad placita Principum. A septem Sacramentis, ad duo; vel, secundũm alios, ad tria; vel, vt quidam eorum volunt, quatuor. A Baptismo ad salutem necessario, ad anabaptismum, secundùm quosdam; ad non necessarium, iuxta Caluinum; ad virtutem eius abnegatam, secundùm omnes. A liturgia Catholica, ad cœnas Caluinisticas. A fide solo verbo satis confirmata, ad periuria scripta & signata. Ab amicitia fiduciali inter proximos, ad suspiciones & fraudes inter omnes. A simplici veracitate, ad circumuentiones in dolo. A Sacerdotio ordinato, consecrato,

C & cœlibe, ad ministerium politicum, profanum, & vxoratum. A clero hospitali, ad ministerium rapax. A pijs & amplis fundationibus, vel ad Dei cultum, vel ad literarum studia, vel ad pauperum subsidia erectis & institutis, ad omnium huiusmodi, vel expilationem, vel subuersionem. Ab illa religione, quæ neminem ad fidem cogit, quam nunquam tenuit; ad illas sectas, quæ cruentis legibus (vt in Anglia) cogunt ad nouas hæreses amplectendas, & fidem omnium gentium abiurandam. Ab illa religione in qua perfectionis studio, quotquot voluerunt, Christum sequi possunt, relictis omnibus quæ possident; ad illas sectas, quæ neminem hoc facere permittunt, & facientes à sancto proposito depellunt, omnéque perfectionis studium damnãt. Ab illo Sacerdotio ad quod in bonis literis, artibus, & sacris studijs instituti promouentur; ad illud ministerium, in quo ex officinis mechanicis, ad Cathedras Ecclesiasticas, sese, qui volũt, proripiunt. Ab illa religione, quæ sexum muliebrem, & vtriusque sexus pueros ac iuuenes in modestia ac verecundia, metúque maiorum continebat; ad illas sectas, in quibus nec pueri, nec fœminæ quicquam erubescunt. In quibus videlicet naturali verecundiæ succesſit impudẽtia; pudori virginali effrons lasciuia; munditiæ, fucus; oculis demissis, elati & leues; parcitati verborum, superba loquacitas; operi assiduo, lusus perpetui; acui & filo, chartæ & tripudia; libellis precum, cantilenæ amatoriæ; frugali parsimoniæ, luxus immodicus; rosarijs beatæ Virginis, plumulæ crispatæ, pectines, verriculi; erubescentiæ de fututis nuptijs, risus effusi de rebus venereis. Hæc iuuentutis in Anglia (postquam hæretica esse cœpit) mutatio facta est. A fræno & impedimentis peccatorum, ad calcar iniiciendum. A metu peccati, ad verecundiã iustitiæ, vbi scortatores fiunt, ne Papistæ videantur, vt in Anglia hæretica. Ab illa religione, quæ proposita operis mercede inuitat ad iustitiam; ad illam sectam, quæ spe præmij temporalis inuitat ad nequitiam. A conscientia cæremoniarum, ad contemptum Sacramentorum. A contrito corde, ad cor induratum. Ab agnitione peccati, ad celanda & neganda peccata cum periurijs. A iuramentis raris & religiosis, ad crebra & quotidiana periuria. A satisfactione pro peccato per opera pœnalia, ad frequentationem peccati absque metu conscientię, eo quòd solus

D Christus pro omnibus satisfecit. Ab honore sanctuarij, ad omnem sacrilegam prophanationem. Ab his fructibus hæreticos nostri temporis cognoscere licet. Sunt & alia multa quæ prudẽs, & cordatus Concionator obseruare poterit. Atque hi sunt proprij hæreticorum nostræ ætatis fructus, quia vel propria eorum dogmata complectuntur, vel eam vitæ impuritatem, flagitia, scelera, quæ ex ipsa eorum impia doctrina nascuntur & promanant: ex quo duplici capite fructus hæreticorum proprij dignoscendi sunt, vt in altero nostro Promptuario explicauimus. Nempe de spinis nemo colligit vuas, nec de hæresi fructum bonum. Sicut enim spina vel tribulus, ex quacunque parte illam conspexeris, aculeos habet, nec facilè contrectaueris absque læsione; sic hæreses hodiernæ, ex quacunque parte eas consideraueris, seu ex parte doctrinæ, seu ex

De vtilit. cred. cap. 5. 30. 31. 32. *Lib. 3. c. 5.* 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. *Cõt. Faust. lib. 21. c. 22.* 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74.

Pag. 134. b & 135. b. *Simile.*

parte operum, quatenus quidem ipſis hæc propria ſunt, iniquitate & turpitudine plenæ ſunt. A
Sub huiuſmodi ſpinis nihil latet, nihil requieſcit, niſi ſerpentes, & animalia venenata. Nihil
hodierna hæreſis fouet, niſi impietatem, & ſecularia deſideria: nec ſecundum illam aut piè cre-
ditur, aut ſobriè, iuſtè, caſtè, viuere quis poteſt.

3. *Omnis arbor bona bonos fructus facit, & non poteſt arbor bona malos fructus facere.*

Bonorum operum neceſsitas.

LOcus moralis de virtutis & bonorum operum neceſſitate. Arbor bona, bona voluntas eſt in Chriſto renata & reformata, vel iuſtus ipſe & ex Deo natus; qui velut arbor radicem, corticem, folia, flores, & fructus non niſi bonos habet. De corde bono tanquam de
Matth. 15. radice exeunt cogitationes bonæ, ſicut de corde malo malæ exeunt, vt Chriſtus docuit. In cortice gerit boni operis exempla; *vt luceat lux eius coram hominibus.* In foliis ſermones ſanctos ha-
Matth. 5. bet, *ſicut decet ſanctos.* In floribus ſancta deſideria; in fructu opera virtutum. Talis bona arbor eſt noua in Chriſto creatura: de qua Propheta Regius: *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus de-*
Pſalm. 1. *curſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Omnis in Chriſto renatus, eſt verè *vir Iuda,* B
Eſaiæ 5. & 60. *germen Domino acceptabile, germen plantationis eius,* plantatum ſecus decurſus gratiarum eius: qui
Rom. 5. *abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accepimus* in vno Chriſto, *vt in vita regnemus per eum.* Talis arbor, tale germen, tale lignum *fructum ſuum dabit in tempore ſuo*: id eſt, tempore tentationis ad malum, vel occaſionis oblatæ ad bonum. Qui iniuria afficitur, habet tempus ad fructum patientiæ producendum. Qui carnis tentationes patitur, habet tempus proferendi fructum caſtitatis. A quo pauper eleemoſynam petit, habet tempus proferendi fructum miſericordiæ. In huiuſmodi tentationum & occaſionum tempore cognoſcet quiſque ſeipſum, an ſit arbor bona. Dabit quoque vnumquodque lignum fructum ſuum; neque enim ficus vuas, aut vitis ficus producit. Dat quiſque fructum ſuum, non alienum, operando iuxta vocationem & ſtatum ſuum,
1. Cor. 12. non iuxta alienum; vt Clericus & Sacerdos, quæ clericorum ſunt tractet, non quæ militum, mercatorum, agricolarum, & ſic in cæteris: *Vnuſquiſque ſecundùm vocationem ſuam, in qua vocatus eſt, ambulet. Non omnia membra eundem actum habent.* Non eſt oculorum audire, aurium videre; nõ
Mortis hora non eſt tempus iuſti. ad pedem pertinet loqui, nec ad linguam ambulare. Qui bona opera differunt vſque ad mortem, non ſunt arbores bonæ, quæ faciunt fructum in tempore ſuo, ſed prorſus id agunt, vel agere potiùs conantur tempore non ſuo. Hinc monet ſacra Scriptura: *Ante mortem benefac amico tuo,*
Eccl. 14. *& ſecundùm vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis à die bono, & particula bonæ dationis non te præ-*
Similia. *tereat.* Qui eleemoſynam non facit niſi poſt mortem, ſimilis eſt homini portanti lumen poſt ter-
1. gum. Nauis cum per rimulas aquam bibit, in portu, non in fræto ſarcienda eſt. Murus diſruptus,
2. in pace, non in bello reficiendus. Arma ante pugnam, non in ipſa pugna præparanda ſunt. Ale-
3. xander Magnus, inſtructa iam ad prælium acie, cum cerneret militem quendam id temporis
4. amentum telo adaptantem, vt inutilem ſubmouit ab exercitu, qui id temporis appararet arma,
Exemplũ. Plutarc. in Græc. Apophth. cum his vtendi tempus adeſſet. Tales ſunt qui nouam vitam tunc inchoant, quando anteactæ vitæ præmia capere oportebat: & qui tunc arma virtutum parant, quando maximus eſt cum hoſte conflictus. Equis in ipſo curſu nemo iniicit fræna, ſed longè antè. In mortis articulo paſſio-
Simile. nes triſtes & melancholicæ ſic mentem occupant, vt ſe ad virtutem erigere nequeat. Tot aliæ curæ circumſtant, morbi acerbitas, rei familiaris ſolicitudo, amicorum derelictio, mortis horror, iudicij futuri terror, Satanæ tunc maximè ſuarum rerum ſatagentis varia & horrenda vexatio, vt eo tunc tempore de fructu virtutũ cogitare, perinde ſit, ac in media hyeme fructũ ab arbore expectare. Qui ſanus & hilaris Deo ſeruire non potuit, quomodo totus triſtis & æger id præ-
Simile. ſtabit? Qui per totam vitam Dei eſt oblitus, quomodo expectat vt in extremo articulo Deus illius ſit memor? Si quis per annos quinquaginta aut ſexaginta continuos tibi ſemper infeſtus, D
& inimicus, te tandem ad regiam dignitatem præter omnem ſpem euectum cernens, tibi ſe ſupplicem exhiberet, num eius amicitiæ fideres, aut tua gratia eum dignum exiſtimares? Impœni-
Exemplũ. In vita Tho. Mori cap. 32. tens nequam, qui per totam vitam ſceleratè vixerat, iactitare ſolebat, ſe in vltimo articulo, tribus tantùm verbis recitatis, ſaluum fore. Hic tandem necdum adeò ſenex, equo pontem diffractum tranſiens, titubante equo, quum illum erigere conaretur, nec poſſet, ſed neceſſariò ſibi in aquas cadendum præcipitem videret, laxatis habenis cadens, exclamat: *Capiat omnia dæmõ:* atque cum his tribus verbis ſuis immerſus periit. Non ſunt bonæ arbores, quæ nõ niſi ſub mortem de virtute capeſcenda cogitant. Imò non ſunt bonæ arbores, niſi quæ & vberem fructum,
Eccli 18. & quauis data occaſione proferunt. *Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. Non impediaris orare ſemper, & ne*
Simile. *verearis vſque ad mortem iuſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore,* (id eſt, in operibus miſericordiæ, per quæ fœneramur Domino) *&*
non ſit tibi nihil in ſacculo: eris enim inuidus vitæ tuæ. Sed ſicuti homines auari nec minima lucra contemnunt, ſed ſemper cumulo addunt: ita nos nec minimas benefaciendi occaſiones prætermittere conuenit, ne fœlicitati noſtræ, ſalutis certitudini, & gloriæ apud Deum ipſi-

met

A met inuidere videamur. *Quodcunque potest, operetur manus tua.* De qua re in alia Dominica plura diximus. *Domin. Septuag. text. 4. & 5.*

Arbor bona altas & fixas radices habet, nec vllo vento aut tempestate loco mouetur. Voluntas bona fixam habet in Deo radicem, nec vlla tentatione aut difficultate à virtutis tramite diuellitur. Non ex folijs, non ex cortice, nec ex radice, sed ex fructu solo certò arbor cognoscitur. Non ex verbis, non ex generis nobilitate, non ex splendore diuitiarum aut honorum, non ex status dignitate, sed ex solis operibus, bonisque actionibus in recta fide factis vir iustus certò cognoscitur. Arbor infrugifera multum est opaca, multam vmbram habet, ampla folia, densum truncum, & durum corticem. Impij telluris sunt inutile pondus: aliis malo exẽplo nocent, & virtutem obscurant, multa verba habent, ventrem curant, externo splendori operam dant. Dicebat Plato hominem esse arborem inuersam, quæ radicem habet sursum, & ad cælum erectam, vnde verum capit alimentum, sicuti plantæ & arbores radicem habent in terra vnde aluntur. At qui terrena sapiunt, nec nisi carnis fructus proferunt, plantæ potiùs & arbores terrestres sunt, quàm homines. Verus homo cœlestia appetit, & (vt dixit Seneca) *hoc argumentum habet diuinitatis suæ, quòd eum cælestia delectant.* Adeò isti Philosophi videre potuerunt, quòd ad cœlestia nati & facti sumus, non ad huius vitæ voluptates, brutorum more, consectandas. Si ad hoc nati, multo magis ad hoc in Christo renati sumus. Quod enim corrupta peccato natura vel extinxit, vel certè multum obliterauit, hoc Christi gratia in nobis resuscitauit. Quemadmodum B surculus arboris fructiferæ insitus in trunco & stipite arboris agrestis, eam trahit ad naturã suã, vt iam alia folia, & alios fructus ferat: sic Christi doctrina insita in anima nostra sterili, eiúsque gratia voluntati ad malum procliui admota, eam mutat, & ad seipsam traducit & conuertit, vt iam alia verborum folia, alios virtutum fructus producamus. Sed quemadmodum necesse est, vt ramos veteris trunci amputemus, quo surculus insitus vberiùs proueniat, & copiosiùs succũ trahat: sic planè necesse est, ramos peccatorum amputare, quo in nobis Christus inseratur, nósque lætissimos ex eo fructus proferamus. *In Timæo. Pintus in Ezechiel. c. 15. Similia. 1. 2.*

Arbor bona, quatenus bona, & quàm diu bona est, non potest malos fructus ferre. Nemo simul & turpibus voluptatibus oblectatur, & cœlestibus gaudijs perfunditur. Nemo simul *ea quæ sursum sunt, & ea quæ super terram sunt*, sapere, amare, appetere potest. Arbor simul sterilis & fœcunda esse non potest. Si mundum diligis, infructuosus es; si Deum, fructuosus. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Nemo se dicat manere in Christo, nisi fructum multum (id est, multa bona opera) faciat. Hoc de Christi gratia, veréque Christianis prædixit Ezechiel: *Super torrentem orietur in ripis eius, ex vtraque parte omne lignum pomiferum; non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius*: id est, nec in verbis stultum aliquid loquetur, nec in factis perperam, & contra Deum peccabit. De Samuele scriptum est: *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* De C arbore fructifera dixit Dauid: *Omnia quæcunque faciet, prosperabuntur*: quod aliis verbis Apostolus dixit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Huiusmodi enim & prosperis moderatè, & aduersis fortiter vtentur. Speciem gloriæ despiciunt, mundi opes fugaces existimant, verum decus in virtute ponunt, mentis oculos in Deum intentos ferunt. Sicuti solam ex arboribus laurum fulmen non lædit, sic solum inter homines iustum nec aduersa nec prospera mutant. Quemadmodum in eo qui rectè valet, calor naturalis omnia alimenta in bonum sanguinem conuertit; sic in Deo radicatus, omnia quæ possunt accidere, materiam virtutis facit. Diuitiæ sunt illi instrumenta misericordiæ, inopia humilitatis causa; bona valetudo ferendis laboribus vires; ægritudo, patientiæ materiam suppeditat. Sic arbor bona, bonos fructus facit, & malos facere non potest. *Ioan. 15. Matt. 25. Dom. Sept. text. 5. Dñ. 1. post Epiphan. text. 1. Dominic. 5 post Epiph. text. 2. Dominica in ramis pal. tex. 4. Dñ. Paschæ. tex. 3.*

4. *Omnis arbor quę non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

omissionis pœna duplex.

LOcus moralis de duplici pœna peccati omissionis. Ait Christus quòd arbores infrugiferæ, homines steriles bonorum operum & infructuosi, hoc ipso quòd tales sunt, hoc ipso quòd bonos fructus non fecerunt, hoc ipso quòd benè agendi occasiones omiserunt, hoc ipso quòd iuxta talenta & facultates quisque suas, bonum operatus non est; excidentur, & à visione Dei excludentur, pœna damni afficiendi; & præterea in ignem mittentur, pœnam sensus & D tormentorum locum subituri. Tremenda sententia, & benè expendenda. Tantundem alibi dicit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet Pater meus, & in ignem mittet.* Et iterum: *Inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores.* Et in extremo iudicio forma condemnationis erit: *Esurijui, & non dedistis mihi manducare*, &c. His omnibus in locis damnantur homines, non vt adulteri, fures, homicidæ, superbi, sed vt minus boni quam par erat, vt steriles, vt infructuosi. De hac materia plura diximus super illa verba: *Quid hic statis tota die otiosi*; quæ huc referri possunt; & adhuc in aliis Dominicis, vbi vel contra oscitantiam & negligentiam in causa salutis, vel pro feruore & diligentia in exercendis bonis operibus multa produximus. Notandum hoc loco quod Christus dicit: *Omnis arbor* (nemine cuiusque status excepto) *quæ non facit fructum*, quæ non

assiduè operatur; non enim dicit, fecit, aut faciet: ac denique *fructum bonum*, id est, Deo gratum, & proximo vtilem: non dicit, magnum, splendidum, honorificum. Hanc bene operandi assiduitatem Apostolus propriam esse cuiuis bono Christiano docuit, dicens: *Philip. 2.* *Ea quæ retrò sunt, obliuiscens; ad ea quæ antè sunt, me extendens.* Qui in agone currit, & ad metam contendit, & brauium reportare desiderat, non quantum in cursu profecerit, sed quantum adhuc illi viæ restat, perpetuò cogitat. Cupiditates terrenę nullum modum habent: sed quo quis plus adeptus est, eo plura concupiscit. Talis esse debet sancta cupiditas, Dei & rerum diuinarum appetentia. Hoc diuina meretur bonitas, hoc nostra requirit salus: hoc illa meretur gloria quam expectamus. quæ si non mouent, vide pœnas horrendas negligentibus statutas: *Excidentur, & in ignem mittentur.* A

1. *Carere visione Dei, & societate Sanctorum.* Arbor infrugifera excidetur, & è cœtu sanctorum exterminabitur, sicuti ex pomario sterilis ficulnea, dicente patrefamilias: *Succide illam, vt quid terram occupat?* Hæc prima pœna est, carere societate Sanctorum, exterminari à facie Dei. Mater iunioris Tobiæ *flebat lachrymis irremediabilibus* de absentia vnici filij, dicens: *Lumen oculorum nostrorum, baculus senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spes posteritatis nostræ. Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere abire à nobis.* *Tobiæ 10.* Quanto infinities maior dolor erit dimittere à se Deum, carere eius visione & gloria, qui multo verius est lumen Angelorum, gaudium beatorum, solatium miserorum, spes æternitatis nostræ, & in quo vno simul omnia habemus, quia in eo vno sunt omnia, vt in fonte riuuli, vt in radice rami, vt in principio conclusiones! Iustus etiam in hac vita nullam sine Deo consolationē accipit. *Psalm. 76.* *Renuit consolari anima mea. Memor fui Dei, & delectatus sum.* Sola memoria si reficit, visio quid faciet? Rursum: *Psalm. 41.* *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Et iterum: *Psalm. 103* *Auertente te faciem, omnia turbabuntur.* Appositè hāc de re Chrysostom. *Homil. 24. in Matth.* *Noui quia plurimi pertimescant gehennam. Ego tamen illius gloriæ amissionem multò amarius, quàm ipsius gehennæ dico esse supplicium. Si verò id non possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum. Neque enim nouimus illorum beatitudinem præmiorum, vt infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus.* Et paulò pòst ex verbis Pauli id colligit, qui causam desiderij sui erga alteram vitam hanc posuit, frui conspectu Christi: *Philip. 1.* *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Quare iterum subiungit: *Est satius mille fulmina sustinere, quàm vultum illum Christi mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen auersantem, in extremo iudicio videre, & illos totius tranquillitatis oculos nequaquam nos aspicere sustinentes; denique vocem illam audire: Nescio vos.* Hæc ille. Sed hoc vernaculum non capiunt, nisi quorum corda Christi amor tetigit. Vnde alibi scripsit idem S. Chrysostomus: *Ad Theo. lap. Parœn. 1.* *Sunt quidam absurdi iudicij: ij duntaxat amant effugisse gehennam. Contrà ego multo durius esse tormentum affero, non assequi tantam gloriam, & ea excidisse.* quando Regem videmus frequenti satellitio palatium adequitātem, eos qui illi proximè cohærent, sermonis consiliique & maiestatis eius participes, felices iudicamus; nósque miseros, licet aliis multis bonis abundemus, existimamus, quòd sola Regis præsentiā & familiaritate careamus. At Regum terræ gloria & breuis & incerta est, & multa seruitute mixta. Dic obsecro. *Simile.* Si quis te in theatrum induceret, vbi magna multitudo hominum sederet amicta stolis aureis, & in medio omnium alium quendam ostenderet gemmis eximiè adornatum, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te assumpturum in numerum eorum, an non omnia faceres quæ ipse iuberet? Euola nunc animo in cœlum; cogita non montem Sion, non theatrum, non circum quemlibet huius mundi; sed *Hebr. 12.* *ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum.* Arbor quæ facit bonum fructum, in horum numerum & societatem cooptabitur; quæ non facit ab ea societate exterminabitur: locum apud Regem, locum in theatro, locum in Dei ciuitate non habebit. Nónne hoc vnum & solum maximæ calamitatis loco ducendum? Pectori generoso non tam molestum est rerum angustia premi, quàm abundantia & gloria priuari. B

Gehennæ timor. Sed non hoc solùm malum est. *In ignem* quoque arbor infructuosa *mittetur. Hic erit fletus & stridor dentium.* Has ignis infernalis pœnas animo fixas & impressas qui gerit, arbor fructuosa, ne ad eas accedat, facilè fiet. Narrat venerabilis Beda, S. Furseum, oppidi Peronensis in Picardia patronum, propter infernales pœnas ei in visione ostensas, solitum postea, acerrimo hyemis tempore glacieque constricto, tenui veste indutum, ex magnitudine timoris, non secùs quā in media æstate sudare. Alium quoque memorat, qui similia in ecstasi viderat, tempore hyemali in congelatas glacie aquas sese immisisse, mortificandi corporis causa; & rogatum, quo tandem modo tantam frigoris asperitatem tolerare potuerit, hoc solùm respondisse: *Frigidiora ego vidi.* Sed & D. Gregorius de quodam Illyriciano similia scribit: *Tantis* (inquit) *se postmodum ieiunijs vigilijsque constrinxit, vt inferni eum vidisse & pertimuisse tormenta, etiam si taceret lingua, conuersatio loqueretur.* Hæc ille. Ideo Scriptura hæc nobis cogitanda proponit, dicens de impijs: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* De his pœnis infernalibus iam diximus, quæ huc referri possint, in Dominica 3. post Epiphan. tex. 10. C

Exempla. Hist. gent. Angl. lib. 3. cap. 19. lib. 5. c. 13. *Dialog. l. 4 cap. 36.* D

A

5. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.*

LOcus moralis de necessaria obseruatione mandatorum Dei. Facere enim voluntatem Dei, quæ per præcepta eius nobis innotescit, est ea facere quæ iubet. Intellexit hoc Sanctus Dauid, dicens: *Tunc non confundar, quum perspexero in omnibus mandatis tuis*, id est, quum per mandata tua intellexero quæ sit sancta voluntas tua. Sicuti qui obtusam habent oculorum aciem perspicillis vtuntur, & absque eis nihil contuentur; sic mentis humanæ acies ad diuina caligans, vt quæ sit sancta Dei voluntas intelligat, mandatis eius in Scriptura reuelatis, tanquã perspicillis vti perpetuò debet. Ideo de Lege veteri dictum est Iudæis: *Erunt hæc verba quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos*: sicut sanè perspicilla ante oculos illorum semper sunt, quorum caligant oculi. Qui aliquem inuitat, aut amicè excipere vult, parat studiosè cibos non suo, sed hospitis palato gratos. Sic Deo placere per opera nostra si vo-

B lumus, ea facere oportet quæ ipsi placent & grata sunt, non quæ nostris cupiditatibus conueniunt. Nec verbis tantùm inuitat amicum hospes, sed reipsa opiparum parat ei conuiuiũ. Sponsa in Canticis, non ad colligenda virentia folia, sed ad edendos fructus sponsum inuitat, dicẽs: *Descendat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum*. Qui dicunt tantùm, Domine, Domine, nec faciunt; quasi ad virentia folia, & crudas herbas Deum inuitant. Oramus quotidie, & dicimus Patri nostro cælesti: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*. Atqui in cœlo Angeli non laudant Deum tantùm, sed & in omnibus faciunt voluntatem eius, iuxta illud Dauidis: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes voluntatem eius*. Si Angeli faciunt, quidni homines? hoc nos argumento premit illa oratio. Sed adhuc magis premit, quod de seipso Christus dixit: *Ego non veni vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, Patris*. Angeli faciunt, Christus facit; & nos non faciemus voluntatem Dei Patris? Nemo tam ignauus miles, qui Ducem aut Regem ipsum in pugnam descendentem videns pugnare detrectet. Deinde quanta merces? *Qui facit voluntatem Patris, intrabit in regnum cælorum*. Voluntatem Principum etiam turpem atque absurdam, innumeri mortales faciunt, non vt regni participes, aut hæredes fiant, sed vt minutum aliquid beneficij aut honoris reportent. Hæc nos in Dei iudicio cõfundent. Rursum ipsam nostram voluntatem rectificat, ac beatam facit, quando Dei voluntaC tem facit, eique prorsus conformatur. Quod his verbis eleganter docet D. Bernardus: *O dulcis & suauis affectio! ô pura & defæcata intentio voluntatis! eo certè defæcatior & purior, quo in ea de proprio nihil iam admixtum relinquitur. Quomodo stilla aquæ modica, multo infusa vino, deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit & colorem; quomodo ferrum ignitum & candens, igni simillimum fit, pristina propriáque forma exutum; quomodo solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeò vt non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur: sic in sanctis humana omnis affectio quasi à semetipsa liquescit, & in Dei penitus transfunditur voluntatem*. Hæc ille. Beata ergo ipsa in se voluntas, quæ Dei voluntatem in omnibus faciendo diuinæ conformatur. Contrà nihil propria voluntate, & quæ diuinæ repugnat, infelicius. Vnde idem D. Bernardus: *Cesset propria voluntas, & infernus non erit. In quid enim desæuiet ille ignis, nisi in propriam voluntatem? Etiam nunc quum frigus, aut famem, aut aliquid tale patimur, quid læditur, nisi propria voluntas?* Quod etiam his verbis docet Augustinus: *Voluntas Dei est aliquando vt sis sanus, aliquando vt ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei; quando autem ægrotas, amara; non es recto corde. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed vis curuare ad tuam. Illa autem recta est, sed tu es curuus*. Hæc ille. De necessaria exequutione voluntatis Dei, deque perfecta & omnimoda mandatorum Dei obseruatione, iam in alijs Dominicis aliquoties diximus; quæ huc referri possunt. Sed & in Promptuario nostro Catholico eam astruD ximus.

Mandatorum obseruatio necessaria. *Psalm. 118. Simile.* *Deut. 6. Simile.* *Cant. 5. Simile.* *Matth. 6.* *Psalm. 102.* *Ioan. 6. Simile.* *Matth. 7.* *De diligendo Deo. Similia.* *De Resurrect. Dom. Ser. 3. Enarrat. in Psal. 35. Dom. Sept. text. 2. 3. 5. Dominic. 1 post Epiph. text. 1. Dõ. 2. post Epiphan. text. 4. Dominica 3. post Epiphan. tex. 9 Do. 5 post Epiphan. text. 2. Dom. 4. post Pasch. tex. 3.*

A

EVANGELIVM DOMINICÆ VIII.

POST PENTECOSTEN.

Luæ 16. HOMO quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Et vocauit illum,& ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam; vt quum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque sin- B
gulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixítque illi: Accipe cautionem tuam,& sede citò, & scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas,& scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filiis lucis in sua generatione sunt. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

PERICOPÈ moralis huius Euangelij.

1. *Redde rationem villicationis tuæ.* De bona & vera dispensatione rerum ac bonorum temporalium.
2. *Filij huius seculi prudentiores sunt in generatione sua, quàm filij lucis.* Contra ignauiam & socordiam in causa religionis & veræ pietatis,& de prudentia filiorum lucis. C
3. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* De æterna retributione eleemosynarum.

1. *Redde rationem villicationis tuæ.*

Ratio reddenda omnium.

LOcus moralis de bona & legitima dispensatione rerum ac bonorum, seu temporalium, seu spiritualium. Docet Christus in hac parabola, diuites huius mundi non dominos, sed villicos & dispensatores esse bonorum quæ à Deo acceperunt; ideóq; dissipanda ea non esse, sed prudenter & piè dispensanda, huiúsque dispensationis in hora mortis rationem reddẽdam esse. Superbus quidẽ & auarus dicit; *Diues sum, & nullius egeo*: sicut ille Nabuchodonosor; *Nonne hæc est Babylon magna, quã ego ædificaui in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Sed magnæ stultitiæ & insaniæ hæ voces sunt, diaboli voci cõsimiles, qui Christo dixit: *Omnia regna mũdi tibi dabo, quia mea sunt; & cuicunque voluero, do illa.* Nouæ nuptæ pauperes, quæ ad diem nuptialẽ non habent vestem, omnia à vicinis accommodata accipiunt, ab alia pallam, ab alia tunicam, ab alia mitram petentes. Die nuptiali transacto vnaquaque vicina quod commodauit repetente, ipsæ repentè nudatæ, & omnibus ornamentis spoliatæ manent. Sic huius mundi diuites, vita præsenti tanquam die nuptiali transacta, sicut nihil in hunc mundum intulerunt ita nihil secũ D
auferunt, & sicut ineptus esset, qui nouam nuptam, alienis ornamentis vestitam, diuitem existimaret; sic planè deceptio est, quempiam propter bona temporalia absolutè diuitem iudicare. Scriptura vocat *diuites huius seculi, & mammonam iniquitatis* cum hoc additamento. Absolutè cum loquitur, eas quæ in cœlo sunt aut spirituales intelligit: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Rursum: *Corona sapientum, diuitiæ eorum.* Quare Christus post hæc Euangelij verba vocat diuitias huius seculi, bona quædam aliena, non nostra. *Si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?* Illud certe nostrum est, quod in nostra potestate & plena libertate est, & quod inuitis nobis auferri à nobis non potest. Sicut aqua fluuij transeuntis nõ est alicuius propria, quia trãsit per ciuitates,& vnusquisque de ea accipit quod satis est: sic diuitiæ huius seculi nõ sunt alicuius propriæ, quia dominos vel potiùs possessores suos in dies & annos perpetuò mutant. Percurre in vna ciuitatis platea, quam inhabitas, domos illius: & perpende quàm multos inquilinos habuerit vnaquæque domus. Sic fluunt diuitiæ ab vno in alium. Qui sedet ad mensã magni

1. Tim. 6. *Psalm. 111.* *Prou. 14.* *Luc. 16.* *Simile.*

Principis,

A Principis, vbi multa vasa argentea apponi videt, ridiculus diceretur, si propter præsentis conuiuij vsum, cuius ille pars est, vasa illa sua esse, séque illorum proprietarium cogitaret vel diceret. At quæcunque in hoc mundo possidentur, ex magna illius Dei mensa sunt, in qua omnibus dat affluenter; de qua supra in alia Dominica diximus. Non ergo domini, sed possessores & vsufructuarij, cum dispensationis & reddendæ rationis onere, sumus earum rerum omnium quæ in hac vita possidentur. Vnusquisque sibi dictum à Deo existimet, & quidem quotidie (hora enim mortis incerta est,) *Redde rationem villicationis tuæ.* Si esses magni Principis dispensator, qui tibi imperaret, vt sub vesperam diei præsentis rationem ei reddas multorum millium ducatorum, nónne statim libros tuos inspiceres, & rationes tuas, vtcunque bene constitutas, iterum ad calculum reuocares? Quòd si non ad huius diei vesperam, sed ad quamlibet cuiusuis diei horam te paratum esse iuberet ad reddendas rationes, nonne eandem diligentiam adhiberes? Non est dubium quin hoc faceres, si Dominum, vt par est, timeres, tuique honoris & status curam haberes. Atqui prorsus ita se res habet inter vnumquemque nostrum & Deum. Reddenda vnicuique ratio est accepti & dati. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationẽ ponere cum seruis suis.* Rursum alibi cum dixisset Christus; *Vigilate, quia nescitis neque diem neque horã*: subiungit; *Sicut enim homo peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua*: & paulò pòst; *Post multum temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* Porrò tam exacta omnium B reddetur ratio, vt dicat alibi Christus: *Bonus homo de bono thesauro suo* (quem Deus ei concredidit) *profert bona, & malus homo de malo thesauro suo* (quẽ sua sibi malitia & impœnitentia thesaurizauit) *profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Vides de bonis & malis sic reddendam rationem, vt etiam omne verbũ otiosum in rationes venire debeat. Hoc in symbolo Athanasij canit & credit Catholica Ecclesia: *Vnusquisque de propriis factis suis reddet rationem.* Sic vnicuique dicitur; de bonis acceptis, seu naturæ, seu fortunæ (vt cum vulgo loquamur) seu gratiæ: *Redde rationẽ villicationis tuæ.* Dixerat Christus seruis suis: *Negotiamini donec veniam*, nempe donec ad iudicium veniam, vbi factæ negotiationis reddetur ratio. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt accipiat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum siue malum.* Et rursum: *Vnusquisq; nostrum pro se reddet rationem Deo.* Et de omnibus impijs Petrus dicit: *Reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.*

Similia.

Simile.

Matth.18.

Matth.25.

Matth.12.

Lucæ 19.
2.Cor.5.
Rom.14.
1.Pet.4.

Hæc omnia qui nouit, qui credit, qui memoria tenet, quomodo de acceptis à Deo seu fortunæ, seu naturæ, seu gratiæ bonis, tanquam de absolutè suis gloriatur & superbit? quomodo illis ad libitum & voluptatem abutitur? quomodo de solicita & prudenti eorum dispensatione & administratione non cogitat? quomodo de reddenda Deo omnium & singulorum ratione, quotidie non deliberat? quomodo bona fortunæ, opes, diuitias, honores, ad luxum, ad volup- C tates, ad vana & noxia conquirenda dissipat? quomodo naturę bona, ingenij acumen, animi industriam, memoriæ vires, transfert ad vana, ad scelera, ad flagitia, ad fraudes, ad iniurias? quomodo gratiam Dei in vanum accipit, nec fidei, nec charitatis, nec spei fructus vllos proferẽs? Dicit Deus Ezechieli Prophetæ: *Sume gladium acutum, & capillos tibi rade, & assumes stateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igne combures in medio ciuitatis: tertiam gladio concides: tertiam verò aliam disperges in ventum.* Quid sibi vult hæc ceremonia? quid docet hæc prædicatio non verbis, sed rebus & signis facta? de quo genere doctrinæ Dei sapientiæ vsitato in alia Dominica diximus. Ad literam docet percussionem Iudæorum, quorum alij à Chaldæis comburẽdi, alij gladio occidendi, alij in captiuitatem abducendi erant. At verò mysticè significatum est, quàm profanè & impiè bona huius mundi homines dissipent & consumant. Sicut enim capilli si nimis crescunt, nimisque multiplicantur, oculorum aciem impediunt, & resecari propterea debent: sic diuitiæ & bona temporalia si multum accrescant, nisi superflua resecentur, & in bonos ac pios vsus conuertantur, aciem mentis penitus obtundent, ne cælestia quis appetat aut intelligat. Partem horum capillorum in ignem illi mittunt, qui diuitias & facultates suas in carnis illecebris, ac voluptatibus effundunt: nec pauperibus eleemosynas erogant, nec domesticorum suorum curam habent. Altera pars horum capillorum gladio diuiditur, in rixas, iurgia, & lites impendi- D tur, atque ambitioni subseruit. Tertia pars in aërem proiicitur, quia non nisi in vanis collocatur, & ijs quæ ad oculorum concupiscentiam comparantur in pulchris ædificiis, vestimentorum luxu, venationis, aleæ, chartarum studio. Hanc nobiscum rationem reddit Scriptura: *Pondus & statera iudicia Dei sunt.* Sicut nummularij monetas in statera ponderant, & falsam reiiciunt, bonam in arca recondunt; qui autem falsam monetam cuderit, pariter cum illa collo suo appensa comburitur: sic iudicabit actiones nostras Deus falsane an bona moneta fuerint, bonis eius acceptis recténe an perperam vsi fuerimus. Qui autem falsam monetam cuderit, & sub inscriptione regia cuprum pro auro suppposuerit, sub professione Christiana vitam nefariam duxerit, *dissipans bona à patre accepta cum meretricibus*, id est, cum insanis huius mundi amoribus & cupiditatibus, ille *vt inutilis seruus proijcietur in tenebras exteriores*, & tanquam *zizanium colligabitur* cum suis malis operibus *in fasciculum ad comburendum.* Nam vt de iustis dicit Scriptura, *opera illorum sequuntur illos*: ita maximè de impijs est verum: quorum peccata *vel præcedunt eos ad iudicium, vel subsequuntur.* Omnia autem impiorum peccata sunt malæ villicationis peccata; quia *exhibuerunt membra sua*, id est, dona naturæ, gratię, atque fortunæ, *arma iniquitatis peccato*: facientes ea, instrumenta peccandi, & subseruire *immũditiæ & iniquitati*, quæ *debebant seruire iustitiæ in sanctificationẽ*, vt

Negligentiæ nostræ absurditas

Domin. Palm text. 3.
Simile.

Ezech.5

Prou.16.
Simile.

Lucæ 15.
Matth.25.
Matth.11.
Apoc.14.
1.Tim.5
Rom.6.

Conſcientiæ examen. Apoſtolus docet. Diligenter ergo villicationis noſtræ rationem nobiſcum inire, & per frequens conſcientiæ examen ad reddendas Domino noſtro rationes parati eſſe debemus. Hoc Ezechias Rex feciſſe videtur, quum dixit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Lugent Prophetæ negligentiam mortalium qui hoc non faciunt. Dicit per Ieremiam Deus: *Poſuerunt vineam meam in diſſipationem* (hi ſunt qui bona animæ diſſiparunt) *luxitque ſuper me, deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.* Et expreſſiùs per Eſaiam: *Neſcierunt neque intellexerunt: obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & intelligant corde ſuo. Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt.* Totum hoc dicit Propheta de filijs Iſrael, qui de fœdis idololatrijs ab ipſis perpetratis nihil recogitarunt, qualem de tot ſceleribus Deo rationem redderent. Idem de nobis dicitur, qui de noſtræ villicationis ratione reddenda nihil cogitamus. A

Eſaiæ 38. *Ierem. 12.* *Eſaiæ 44.*

Apophth. Magna fidelium erit confuſio, ipſa Gentilium hac in parte induſtria: *Duorum temporum* (dicebat Pythagoras) *eſt tibi habenda ratio; mane & veſpere in altero gerenda proſpice, in altero reſpice quæ geſſiſti.* De hac re ſic ſcribit Seneca, non vt Philoſophus, ſed vt Chriſtianus, adeóque vt religioſus: *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum, Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte meliores? Deſinet ira, & erit moderatior: deſinet cupiditas, & erit temperantior, deſinet ſuperba vanitas, & erit cautior; quæ ſciet ſibi quotidie ad conſcientiæ iudicem veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? quàm tranquillus, altus, ac liber? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico.* Hæc Seneca, vt moraliter bonus eſſet, & conſcientiam iudicem non offenderet. Quanto id nobis accuratiùs præſtandum, vt iuſti apud Deum ſimus, & Deum iudicem non offendamus, cui reddenda eſt ratio villicationis noſtræ? Facit hoc exactè Societas Ieſu, iuxta eorum Conſtitutiones ſalubertimas. B

De ira li. 3. cap. 36.

Hom. 57. in Ioan. Simile. De hac villicationis noſtræ ratione reddenda, ſic ſuos docuit S. Chryſoſtomus: *Dedit tibi vitam Deus, vt ſe colores. Tu eam incaſſum & inutiliter conſumis. Quæris quod ſit damnum? Si vel parum argenti temerè conſumpſeris, id omnino damnum appellas. Sin totos dies in diaboli operibus conſumpſeris, nihil amiſiſſe opinaris. Opus eſt in ſacrificijs & precibus vitam omnem impendere. Tu ad clamores, perturbationes, obſcœna verba, contentiones, voluptates, vitam tuam conſumis. Dic, quæſo, ſi cui filiorum tuorum præciperes vt aliquam artem diceret, ille autem vel domi, vel alibi tempus fruſtra contereret, poſſetne apud magiſtrum excuſari? Hæc & vobis dicenda ſunt. Nam exiget à nobis Deus rationem. Vobis* (inquiet) *tempus dedi, vt pietatem, vt rectè viuēdi artem eruditemini. Cur incaſſum & inutiliter hoc tempus conſumpſiſtis?* Hæc ille. Qui de reddenda ratione villicationis ſuæ nihil recogitant, ſimiles ſunt pueris, qui quum in plateam à parentibus alicuius rei emendæ cauſa mittuntur, ſpectaculis in via intenti, obliuiſcuntur ad quid erant miſſi: ſed domum reuerſi flagra reportant. Similes etiam ſunt filio alicuius magni Principis, qui extructo ſibi à patre magnifico palatio, & magna mercede conductis magiſtris qui illum bonas artes doceant, nihil aliud quàm chartis & aleis totos dies ac noctes in palatio ludit. Denique ſimiles ſunt illis malis agricolis, quibus paterfamilias locauit vineam ſuam, poſteáque ſeruos ſuos, alios poſt alios, ad colligendos fructus miſit, à quibus tum ſerui, tum etiam filius ipſe poſtmodum miſſus, malè accepti, vexati, & interfecti ſunt nullo relato fructu. Sed tam ganeonem filium pater, quàm malos agricolas paterfamilias *male perdet, & vineam ſuam locabit alijs*, dona ſua largietur alijs, qui rectiùs vtentur; gloriam alijs conferet, qui meliùs emeriti fuerint: iuxta illud Chriſti, *Auferte ab eo manum ſuam. Habenti enim* (id eſt, rectè vtenti quod habet, rectè villicanti) *dabitur: non habenti auferetur.* Et de gloria dicit Scriptura: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* De hac recta villicatione, de legitimo vſu acceptæ gratiæ, de neceſſario profectu noſtro, & de ratione eius reddenda iam in alijs Dominicis aliquoties diximus, quæ ferè omnia huc referri, & hic locum habere poſſunt. Loci quoque omnes contra negligentiam ſalutis huc pertinent, quos vide in Indice. C

Similia. 1. 2. 3.

Matth. 21. *Lucæ 19.* *Apocal. 3.* *Dom. infra oct. Nat. Dō. text. 2 Dō. 3. poſt Epiphan. text. 6. Dominic. 5 poſt Epiph. text. 2. Dom. Sept. tex. 2. & 3.*

2. *Filij huius ſeculi prudentiores ſunt in generatione ſua, quàm filij lucis.*

Ignauia in cauſa religionis. LOcus moralis contra ignauiam & ſocordiam in cauſa religionis, & veræ pietatis. Villicus iniquitatis ad victum ſibi & neceſſaria huius vitæ paranda prudens & vigilans fuit, fecitque ſibi amicos quando oportunum erat: Filij huius ſeculi, id eſt, qui ſecundùm hoc ſeculum viuunt, in ſuis negotijs ac rebus gerendis cauti, vigilantes, attenti ſunt. Sed filij lucis, id eſt, quorū profeſſio eſt ad æternam lucem pertingere, & vt eò pertingant, acceperunt interim lucē gratiæ, vt faciant opera lucis, in ſua generatione, in ſuis negotiis & cauſis, non perinde prudentes aut vigilantes ſunt. Oſtendit Chriſtus quid accidere ſoleat, non quid debeat. Simon & cæteri Apoſtoli, Chriſto orante & vigilante, in horto dormiunt. Iudas non dormiuit, ſed ſatellites cum armis & fuſtibus ad hortum perduxit, vt Chriſtus caperetur. Bufones & noctuæ etiam noctu vident, ſed de die nihil vident. Impij in malo lyncei, in bono talpæ ſunt. Felis acutiùs videt quàm homo; ſed ad capiendum mures, non ad legendum literas. Tota filiorum huius ſeculi prudentia & vigilantia ad malum eſt. *Inſidiatur vt rapiat pauperem; rapere pauperem dum attrahit eum:* fraude videlicet & dolo, nō vi. *In laqueo ſuo humiliabit eum.* Mittit nos ergo Chriſtus ad impios, D

Exemplū. *Similia.* *Pſalm. 9.*

vt ab

A vt ab illis discamus prudentiam, id est prouidentiam: hoc enim significat vox Græca φρονιμώτερον. Sic alio in loco mittit nos ad serpentes: *Estote* (inquit) *prudentes sicut serpentes*, vbi iterum vtitur verbo φρόνιμοι. Serpentis autem prudentia, est cautela & vigilantia ad sui conseruationem. Totum enim corpus ictibus exponit, vt caput occultet; quo saluo, reliqua saluantur omnia. Ad hanc prudentiam hortatur Scriptura, quum dicit: *Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent*. Isthuc est sapere, hoc est prudentem esse. *Memorare nouissima, & in æternum non peccabis*. Prouidere de futuris, proprium est prudentiæ. Hoc faciunt filij seculi circa bona terrena; serunt, plantant, negotiantur, propter fructum & lucrum non præsens, sed futurum. Hoc arguit Christus in filiis lucis, quia non faciunt. Non faciunt hic amicos, vt acquirant tabernacula æterna. Non aduigilant, non prospiciunt rebus futuris. *At omnis qui in agone est* (ait Apostolus) *abstinet se ab omnibus: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. Iterum exemplo filiorum huius seculi, arguit Spiritus sanctus ignauiam & socordiam filiorum lucis. Illi abstinent ab omnibus; nihil de cibo, de potu, de vestitu, vel alia aliqua de re cogitant athletæ in arenam descensuri: sed toti in hoc sunt, vt coronam accipiant, & brauium reportent: quod tamen vnius, aut alterius diei gaudium est, faciléque corrumpitur aliis aduersis. Nos expectamus coronam incorruptam, & in agone positi sumus: & tamen nihil minùs cogitamus, ventri, otio, & voluptati dediti. Qui in certamine Olympiaco palmam reportauerat, ad suam ci-
B uitatem rediens, non per patentes vrbis portas intrauit, sed maioris triumphi causa, per diruta vrbis mœnia inuectus ferebatur. Debemus per corporis nostri & fortunarum ruinas, *oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. In optima causa nostra, maximis agendum viribus. Memorabile est, & huius discriminis filiorum seculi, & filiorum lucis illustre exemplum. Pompeius & Cæsar; ille pro Reipublicę libertate, hic pro suo honore & imperio dimicans in pugna Pharsalica, quum starent horum Ducũ acies, Pompeius Reipublicæ causam agens, exclamat ad militẽ: *Parce ciuium sanguini*. Cæsar pro sua gloria decertans exclamat: *Miles faciem feri*. Ita dũ ille quasi filius lucis, in causa iustitiæ molliter & flaccidè agit, & seipsum, & Rempublicam totã perdidit: hic in sua generatione prudens & vigilans, & ad victoriam attentus, victor triumphauit. Hodie hæretici ad suam hæreticã prauitatem vel conseruandam, vel propagandam, etiam alienas terras inuadere, etiam cõtra Reges suos Catholicos rebellare ausi sunt: contrà, Catholici vix sub Catholico Principe suã tueri domi religionem possunt. Tres in vna ciuitate ciues hæretici, plus potuerunt ad ciuitatem perdẽdam, quàm tria Catholicorũ millia ad eam conseruandam. Laban idololatra, Iacob electo Dei,
C & in Lia supponenda, & in mutanda mercede decem vicibus imponere potuit. Sed & illi seni ac sanctissimo viro, decem filij per totos annos viginti illuserunt, occisum esse Ioseph, per intinctam sanguine tunicam persuadendo. Absalon impius, contra Dauidem patrem, *virum secundũ cor Dei*, totum regnum ad rebellionem concitare, Ierosolymam occupare, exercitum ducere potuit. Sic filij seculi in sua semper generatione prudentiores sunt. Sed de hoc argumento, id est, de feruore spiritus in causa Dei & salutis nostræ, vide in compluribus alijs Dominicis iam prolata, quæ hic (loco magis proprio) in vsum depromi poterunt.

Cæterùm ne quod Christus hic de facto pronunciat, necessariò quis fieri existimet, & huic ignauiæ suæ in causa religionis & salutis prætextum quærat, aliqua hic exempla proferam de prudentia & feruore filiorum lucis in sua generatione. Paphnutius Episcopus, videns Maximũ Episcopum Ierosolymitanum in Concilio Tyri inter Arrianos, qui contra Athanasium conspirauerant, sedentem; surgens de medio, manu eum apprehensum è subsellio detraxit; dicens. Nolo maxime, vt qui eadem mecum Domini stigmata fers (nam & oculo vno orbatus, & nerui succisionem passus pro fide fuerat, sicut Paphnutius) cum impijs sedeas, & eorum impietatis contra S. Athanasium particeps fias. Persarum Rex Hormisdam, virum nobilem, quia Christum abnegare noluit, dicens hoc nec ipsi Regi esse vtile, quia qui Deum suum negat, facilè Regem negabit, omnibus bonis exutum, & laceris indutum, custodem camelorum fecit. Accidit postea vt ei fortè occurrens Rex toti iam squalido & puluerulento, pristinæ fortunæ
D recordatus & commiseratus, eum nobiliter vestiri, & in palatium reduci iusserit. Quo facto, Nunc, inquit Rex, filium fabri nega, & pertinaciam depone. Ille hoc audito, byssinas illas & pretiosas vestes statim discindens atque exuens, Si propter ista, inquit, me fidem velle abnegare existimas, ea tibi denuo accipe. Atque ita cum ignominia à Regis facie extrusus, Deum & fidem suam fortiter seruauit. Beniamin diaconus Persa, postquam duobus annis in carcere maceratus esset, Legatis Romanis interuenientibus, liberatus fuit ea conditione, vt Euangelium magis non prædicaret. Sed ille hanc conditionem recusauit, respondens, se non debere talentum acceptum abscondere; memor videlicet villicationis suæ. Dimissus nihilominus denuo prædicauit, & post annum denuò captus, atque à Rege iussus vt Christum abnegaret, respondit: Si mortem commeretur qui te Regem suum quum ex subditis tuis sit, negare vellet; meritò & ego morte plectendus essem, si Deum meum negare vellem. Constantius Arrianus Imperator, mittit ad Eusebium Samosatenum Episcopum, vt Concilij Ariminensis decretum ad eum mitteret. Quo negante se id facturum, nec depositum apud se alienaturum sine consensu Patrum eorum qui id apud se deposuerant, Imperator iratus iterum mittit, minitans dextetam ei præscindere ni reddat. Episcopus lecta epistola, porrigit nuncio vtramq; manum, dicens:

Matth. 10.

Deut. 32. Eccli 7.

1. Cor. 9.

Simile.

Actor. 14. Matth. 11. Exemplũ

Exempla. Gen. 29. & 37. 2. Reg. 15.

Dominica 1. post Epiphan. text. 1 Dom. 5. text. 2. Domin. Septuag. text. 4. & 5 Dõ. Palm. tex. 4. Dõ. Pasch. text. 3.

Exempla prudentiæ filiorum lucis quoad fortitudinem.

1. Sozom. l. 2 cap. 24. 2. Theod. l. 5. cap. 38. 3. Theod. l. 5. cap. 38.

4. Theodor. lib. 2. c. 32.

Vtrámque præscinde. Neque enim decretum hoc, quod tam illustre est prauitatis hæreticæ testimonium, reddam Imperatori. Et laudauit ipse Imperator Episcopi constantiam. Atque hæc feruoris & fortitudinis exempla sunt, pauca de innumeris, quæ nunc occurrerunt. Addam adhuc vnum aut alterum. Terentius Dux, magna cum victoria ex Armenia reuersus, quum eum Imperator Valens petere quam vellet mercedem iuberet, id tantùm petiit, vt vna Antiochiæ Ecclesia Catholicis daretur. Iratus Imperator, petitionis schedulam lacerauit; & vt aliud aliquid peteret, iussit. Terentius fragmenta schedulæ recolligit, &, HOC (inquit) de tua Maiestate totius mercedis loco accipiam: nec aliud petam. Deus inter te & me iudicet. Memorabilis hæc pietas fuit, & fortitudo egregia. Sed illustrior est, quam veræ pietati Theodosius iunior Imperator præstitit. In grauissima Regis Persarũ contra Christianos persecutione, multi Persæ ad Imperatoris Theodosij iunioris regna profugerunt. Repetit ab Imperatore fugitiuos suos Rex Persa. Negat Imperator Catholicus: belloque asperrimo super hac contentione orto, nobilissimas victorias reportauit. Hæc fuit prudentia filiorum lucis nihilo inferior filiis seculi. Cuius quod nunc subiicimus adhuc celebrius exemplum est. Iouinianus in Imperatorem electus, non aliter se Imperij administrationem suscipere velle dixit, nisi omnes; quibus imperaret, Christiani esse vellent: quod & effecit. Præclarum quoque & istud. Maior Armenia, quæ sub Persarum dominatu erat, sicut minor Armenia sub Romanorum Imperio, grauissimas persecutiones propter fidem passa, facta cum Iustino iuniore Imperatore occulta amicitia, & fœdere inito de libertate religionis potienda, Magistratus suos & Præfectos omnes repẽtè è medio sustulit, à Persis ad Romanos defecit, & vicinis suis minori Armeniæ sese adiunxit. Hæc de prudentia feruoris, fortitudinis, & vigilantiæ in causa fidei.

A

B

Nunc prudentiæ, vt cautelam & astum bonum significat (in qua præcellere solent filij huius seculi) aliqua etiam exempla proferam. Quod de Paphnutio modò protulimus, ad hoc genus magis propriè pertinet. Constantius Constantini Magni pater initio Imperij sui, vocatis omnibus domesticis suis, ait, eos qui sacrificare dijs vellent, apud se mansuros loco & honore pristino; qui id recusarent, vt recederent, gratiásque agerent, quòd eos grauiùs non persequeretur. Quibusdam ergo Christianis sacrificantibus, aliis verò aulam potius quàm fidem deserentibus, hos apud se retinuit, magnóque in honore habuit, illos aula sua & comitatu expulit. Hac ille prudentia vsus est, non vt filius huius seculi, sed vt filius lucis, vt non nisi fideles apud se ministros haberet. Quum à Dionysio Episcopo Albanensi Arriani subscriptionem ad hæresim extorsissent; Eusebius Vercellensis Episcopus hoc comperto, finxit apud Arrianos, se velle quoque propter bonum pacis subscribere. Data ergo illi schedula subscriptionum; viso Dionysij nomine inter primos, quasi ad rem nouam stomachatus; Quare (inquit) iuuenis ille, & meus discipulus me præcedit? Isthuc ferendum non est. Fiat alia schedula, vt, me priore loco subscribente, sequatur ille Patres suos. Arriani mox illa schedula combusta, aliam parant, cupientes illi satisfacere, eiúsque subscriptionem obtinere. At ille hoc facto, suauiter subridens; Nec ego, inquit, nec filius meus Dionysius vestris impietatibus subscribemus. Ex quo eius facto concludit Ambrosius: *Vnde cum dicat Euangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse quàm lucis, ecce hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inuentus est.* Nec minor fuit S. Athanasij ad eludendos Arrianos, & vel suam innocentiam, vel causam Catholicam defendendam prudentia. Mulier ab Arrianis subornata fuerat, quæ Athanasio stuprum cum ea perpetratum obiiceret: réque ad publicum iudicium deducta est. Sed vbi mulier coram Episcopis in vnum conuocatis hæc obiiceret, Timothæus Presbyter Alexandrinus, qui astabat Athanasio (sic enim inter eos clàm conuenerat) ita affatur mulierem: Egóne te per vim compressi? Tum illa; An non tu, quæso, inquit? tempúsque & locum in quo compressa fuerat, ostendit. Sic ridicula apparuit accusatio, & calumnia inanis. Episcopi innocentia etiam inimicis iudicibus patefacta est; Arriani summa ignominia affecti. Pari prudentia apud Constantium Imperatorem Arrianum, pro Catholicæ Religionis libertate vsus est. Ad preces, vel etiam minas Constantis fratris, qui in Occidente Catholicis imperabat, Athanasium ab exilio reuocauit Constantius, & Antiochiam Syriæ ad se vocatum, liberum ei ad Episcopatum regressum offert: Sed vnum (inquit) est, in quo mihi gratificari debes, vt vnam Arrianis Ecclesiam in tua ciuitate concedas: cui quum ille respondisset, se quidem id Imperatori negare non velle; sed æquum esse, vt & illi tantundem concedat Imperator, vt Antiochiæ Catholicis vna quoque Ecclesia concedatur. Quæres quum ab altera parte magis Arrianis incommodaret, quàm vna Alexandriæ Ecclesia, præsente illic Athanasio, commodare potuisset; Imperator ex Arrianorum consilio à postulato abstinuit, virique prudentiam admiratus, Non frustra (inquit) hunc vnum virum tantopere Arriani exagitant. Sed & magna prudentia Flauianus Antiochiæ Episcopus Catholicus, contra Adelphium hæreticum, & Massalianorum principem vsus est, vt totum pestilentis hæresis venenum quod occultauerat, & clanculùm multis instillauerat, nec de vllo conuinci poterat, sua sponte effunderet. Hominem ad se Antiochiam euocat, benignè tractat, propè assidere iubet, tum ad eum; Nos, inquit, ô senex, ad longam iam ætatem prouecti, multóque vsu rerum edocti, & dæmonum fraudes perspectas habemus, & dona Spiritus sancti edocti sumus. Isti iuuenes, spiritualium sermonum necdum capaces, occultiora Dei mysteria non percipiunt. Itaque mihi, quæso, aperias, quomodo ad nos Dei Spiritus adueniat, & contrarius spiritus quomodo

C

D

Exempla prudentiæ filiorum lucis quoad astum bonum.

1. *Euseb. l. 1. de vita Cõstant. c. 11.*

2. *Ambros. Serm. 69.*

3. *Sozom. l. 2 cap. 24.*

4. *Theodor. lib. 2. c. 12.*

5. *Theod. l. 4 cap. 28.*

6. *Socrat. l. 7. cap. 18.*

7. *Theodor. lib. 1. cap. 4*

8. *Euag. lib. 5 cap. 7.*

Niceph. lib. 9. c. 24.

5. *Theodor. lib. 4. c. 10.*

modo à nobis recedat. His verbis delinitus senex totum cordis sui arcanum patefecit, & pe-
A stilentis suæ doctrinæ virus totum effudit. Quo audito, & seni verbis acerrimis maledixit, & totam illam Massalianorum pestem (cui simile quiddam Anabaptismus hodiernus est) tota Syria expulit. Sunt ergo & filij lucis, sicuti esse debent, prudentes in generatione sua, quoties ad id animum, Dei auxilio inuocato, serio & strenuè applicare contendunt. Iehu in Regem à Deo vnctus, singulari prudentia omnes sacerdotes Baal in templum euocatos ad vnum trucidauit. Cui simile est quod de Cabade Persarum Rege Paulus Diaconus meminit. Manichæi Phatuarsæ filio Cabadis persuadent, se illi à patre iam sene regnum obtenturos, si eorum religionem amplecti & tueri vellet. Promittit ille. Rex senex hoc intellecto, conuocat omnes regni sui Ordines, ac Manichæos omnes cum Episcopo suo Indagara, cum vxoribus quoque & liberis, fingens se velle dictum filium Regem creare. Laudatis itaque in pleno conuentu Manichæis, & dicens se filium suum illis Regem daturum, monet vt seorsim omnes consistant, ad eum solemniter acceptandum. Illis ergo seorsim stantibus, immissa militari manu, vniuersos occidit in conspectu totius nobilitatis, & omnium Christianorum Catholicorũ. Sed & libros eorum omnes postea combussit. Hac prudentia, & insigni stratagemate, Baal illud Manichæum in tota Persia deletum & extinctum fuit. Non est igitur quod vel pij & Catholici ex prudentia filiorum huius seculi, ignauię suæ prætextum quærant, vel impij in sua prudentia glorientur, qui sæpe incidunt in foueas quas fecerunt: quia *non est sapientia, non est prudentia,*
B *non est consilium aduersus Dominum.*

6. 4. Reg. 10.
7. Hist. li. 15.
Prou. 21.

3. *Facite vobis amicos, de mammona iniquitatis: vt, quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

LOcus moralis de æterna retributione eleemosynarum. Docet Christus hanc nostram debere esse prudentiam, vt de mammona iniquitatis, siue de iniquo mammona, iuxta phrasim Hebraicam, non quia iniquè partum est, aut possidetur; sed quia multæ iniquitatis causa esse solet (*vermis enim diuitiarum superbia*, ait S. Augustinus, & *radix omnium malorum, cupiditas pecuniarum* φιλαργυρια, ait Apostolus) faciamus nobis amicos, illud bene & prudenter non dissipando, sed dispensando, pauperibus illud distribuendo: vt, quum nos defecerimus, & villicare amplius non poterimus, per mortem diuitiis omnibus exuti, isti quos per eleemosynas amicos fecimus, pauperes & indigentes, de quibus bene meriti sumus, recipiant nos, id est, recipi faciant, siue precando pro benefactoribus suis, si boni pauperes sunt, Deoque grati; siue, quia non illi, sed
C quod illis præstitũ est, misericordiæ opus recipi nos faciat in æterna regni cælorũ tabernacula. Hunc esse huius loci & litteræ sensum, in altero Promptuario contra hæreticos ex sanctis Patribus ostendimus. Nunc quoad mores, cum paucis tractabimus: nam de hac eleemosynæ virtute ac mercede iam in aliis Dominicis semel atque iterum diximus; quæ etiam huc referri possunt. Iosephi prudentia & sapientia laudatur, qui per septem annos fertilitatis in Aegypto collegit tanta copia frumentum in horrea regia, vt per septem alios sterilitatis annos totam Aegyptum aleret, & quintam eius partem regio dominio subijceret. Præsens diuitum & locupletum vita sunt anni fertilitatis ipsorum. Prudenter faciunt si futurę sterilitati post mortem prospiciant (post mortem enim omnibus exuentur, nec villicare poterunt, & illa est *nox in qua nemo potest operari*, vt Christus præmonuit) & diuitias suas in Dei horrea, pauperibus distribuendo, congregent. Illi enim (vt dixit tyranno S. Laurentius) in cælestes thesauros illas reportant. *Operemur bonum ad omnes, dum tempus habemus*, ait Apostolus. *In die bonorum ne immemor sis malorum*, ait Sapiens. *Formica in æstate congregat, quod in hyeme comedat.* Componit cumulos (vt scribit Plinius) & in secretiori parte domus abscondit. Sic *eleemosyna in sinu pauperis abscondenda*, & largiter componenda *vt ipsa exoret pro nobis*. Hericius illam prudentiam habet, vt duo sibi foramina faciat: vnum ad Septentrionem, quo se recipiat tempore æstus & caloris; alterum ad Meridiem quod contra frigus petit. Hæc quoque nobis prudentia documento esse potest, vt contra frigus & æstum, contra propriæ deuotionis & pietatis frigus, contra purgatorij ignis & iusti iudicij Dei æstum atque calorem, apertam habeamus vtramque manum ad eleemosynam & beneficẽtiam: & ita apertam atque exporrectam, vt nec sciat dextera quid faciat sinistra, nec sinistra aduertat,
D quid porrigat dextera. Dicit regius Propheta: *Iucundus homo qui miseretur & commodat: disponit sermones suos in iudicio.* Iucundus est qui eleemosynam dat, quia *hilarem datorem diligit Deus. Non ex tristitia, aut necessitate.* Et Sapiens idem monet: *Inclina pauperi aurem tuam sine tristitia.* Et iterum: *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Docet non esse obiurgandos aut rusticè abigendos pauperes. Noli illi otium aut vagam vitam improperare. Si in otio viuit, satis charè hoc otium emit, famem, nuditatem, frigus ferendo. Deinde si iustitiæ zelo obiurgas, quid tot alios in ciuitate ignauos non mones? quid diuites summo otio tempus terentes, vsque ad multum diem dormitantes, non arguis? quid teipsum non consideras, quo fortasse nihil est otiosius, aut ignauũ magis? An fortè piratam, qui parua scapha & vnica naui prædatur, suspendio dignum; Alexãdrum vero, qui tota classe deprædatur, imperio dignum existimabis? & in paupere scelus erit, quod in

Eleemosynarum retributio æterna. 1. Tim. 6.
Do. 1. post Pent. tex. 4. Dom. 6. post Pent. tex. 1 Allegoria.
Ioan. 5.
Galat. 6. Eccli. 11. Prou. 6.
Arist. lib. de animalibus. Simile.
Psal. 111. 2. Cor. 9. Eccli. 4. Ibidem. Obiurgatores pauperum.

Eccli.4. Esa.58. diuite laudi ducetur? At Scriptura dicit: *Ne exasperes pauperem in inopia sua, & cor inopis ne afflixeris.* Os enim tuum & caro tua est. Ideo hanc causam Propheta eleemosynæ subiunxit: *Si videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris.* Iucundus ergo homo, non tristis, non rudis, non acerbus, non asper, qui miseretur, iuxta illud Apostoli: *Qui miseretur in hilaritate.* Et Psalmista: *Vt exhilaret faciem in oleo*, scilicet misericordię. Porro qui miseretur pauperi, idem *commodat*, vt Dauid adiecit; non simpliciter omne à se dominium transfert, sed commodatò dat. Vnde alibi Scriptura: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas* (id est, super afflictos & egenos) *quia post multa tempora inuenies illum.* Quo autem tardior est solutio, eo copiosius lucrum recipies. A

Rom.12. Psal.103.

Eccli.11.

Pratum Spirituale, ca.195. Exemplum retributionis.

Euagrius philosophus à Synesio Philosopho & Episcopo Cyrenensi ad fidem Christi conuersus, dedit ei postea ad vsum pauperum trecentas auri partes, accepta ab Episcopo cautione, quod Christus ei redderet in futuro seculo. Moriens postea Euagrius, iussit filios suos cautionem illam in manibus eius ponere, & vna cum eo sepelire. Tertia die post mortem apparuit Synesio Episcopo, dicens ei: Veni ad sepulchrum meum, & recipe chirographum tuum. Accepi enim debitum, & mihi vbertim satisfactum est. Fecit ita Episcopus, & cum clericis ac primariis ciuitatis accedens ad sepulchrum, eo aperto inuenerunt iacentem Philosophum, & chirographum, manu Episcopi conscriptum, manu tenentem. Accipientes ergo illud, & aperientes, inuenerunt in eo nouiter manu Philosophi Euagrij subscriptum, hunc in modum: Ego Euagrius Philosophus tibi sanctissimo Domino Synesio Episcopo salutem. Accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, & nullum contra te habeo ius propter aurum quod dedi tibi, & per te Christo Saluatori. Cautio autem illa seruata est in Ecclesia Cyrenensi multis post annis. Hæc ibi. Hic Philosophus post multa tempora inuenit pecuniam suam. Sic per mammonam iniquitatis recipimur in æterna tabernacula. Sic fit quod in Psalmo citato sequitur: *Disponit sermones suos in iudicio*: id est, in die iudicij facilè inueniet quod respondeat summo iudici, scilicet ad illa iudicis verba: *Esuriui, sitiui; nudus, captiuus, hospes fui.* Soli immites, auari, immisericordes, seuerum Dei iudicium subibunt, quia in iudicio, quod pro se respondeant, non habebunt, nisi mendacem ignorantiam: *Domine, quando vidimus te esurientem*, &c. Rex terrenus, latrocinio, homicidio, aut cuicunque flagitio veniam dare potest, vbi non est pars læsa: sed cum iniuria & detrimento tertij, vbi per homicidium, per latrocinium, aut aliud scelus, filii, nepotes, vxor, proximi grauiter læduntur, nisi illis facta prius satisfactione, condonatio iniusta erit. Sic in die extremi iudicii, soli immites, & in pauperes auari atque crudeles, vel certè præcipuè illi durissimum & sine misericordia iudicium subibunt; quia, sicut contra Iudæos Niniuitæ, & meretrices pœnitentes; sic contra auaros diuites, viduæ, pupilli, pauperes, quibus petentibus eleemosynas negauerunt, & qui per eorum crudelitatem fame & nuditate aut perierunt, aut intolerabilem vitam & miseram egerunt, surgent in iudicio, tanquam partes læsæ, & satisfactionem postulabunt. Imo iudex ipse, illis tacentibus, pro illis iudicabit. Dicet enim: *Quod vni ex his minimis non fecistis, mihi non feciſtis.* Quare vt sibi ipsi factam iniuriam certissimè vindicabit, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum.* Contra vero eleemosynas facientibus dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum*, &c. Tunc fiet quod Esaias prædixit: *In illa die auferetur iugum tuum, & computrescet iugum à facie olei*, id est, multa peccata, per quæ iugo satanæ subijcimur, propter opera misericordiæ delebuntur, iuxta illud Danielis: *Peccata tua eleemosynis redime.* Itemque illud diui Petri: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* B C

Matt.25. Cur soli immisericordes seuerum subibunt iudicium. Simile.

Ibidem. Esaiæ 10.

Dan.4. 1.Pet.4.

Diuitis auari cæcitas.

Magna diuitum auarorum cæcitas; qui tantum eleemosynæ fructum non aduertunt. Magna & crassa, sed vulgaris maximè absurditas eorum est, in conuiuiis instruendis, in excipiendis amicis, diuitibus, potentibus viris, etiam vltra facultates sæpe effundere; quum ad eleemosynam faciendam occasio se offert, statim census suos reputare, & ne quid effusius largiantur, anxiè cogitare. Sed huius absurditatis causa est, magnus amor mundi, paruus amor Dei & proximi. Alia etiam causa est, diffidentia & incredulitas circa Dei promissa, & certissimam eleemosynæ bene collocatæ mercedem. Vidua Eliſæi quamdiu ex vase suo oleum infudit in vasa vacua, sensit crescere oleum: quum vero non amplius infudit, stetit oleum. Si vasa vacua, id est, pauperes, oleo eleemosynarum impleueris, augebuntur tibi diuitiæ: sin autem sistere eleemosynam volueris, cessabit affluentia. Sicut aquæ puteales, quo frequentius hauriuntur, eo largius fluere solent; sic quo liberalior quis est in pauperes, eo magis rem facit. Dicit Scriptura, & verum dicit: *Da Altissimo secundum datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarũ: quoniã Dominus retribuens est, & septies tantũ reddet tibi.* Certè sicuti oleũ, quod ex ipsis oliuis ex sola pinguedine, absque eo quod prematur, sponte effluit, multo præstantius & purius, & ad multa medicamenta vtilius est quàm illud quod per vim in torculari exprimitur; quod etiam in vino verũ est: sic eleemosyna voluntaria, prompta, & hilaris, absq; importuna obsecratione fluens, Deo gratissima est, & ad meritum vberius efficacissima. Ideo monet Sapiens: *Ne dicas, Vade, cras dabo tibi; cum possis statim dare.* Eleemosyna est viaticum in mundo, & thesaurus in cælo. Posterius Christus apertè docuit; dicens: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Prius hac comparatione eluceſcet. Sicuti qui ad magnum flumen transeundum (cuius transitus omnibus est necessarius) pontem magno suo sumptu, maiori labore construxit, æquissimum postulat, vt qui pontem transeunt, aliquod ei pedagium aut vectigal soluãt, siue ad sumptus recuperandos, si illis opus habet; seu certè ad tanti beneficij recognitionem; siue denique D

Allegoria.

Simile. Eccli.35. Simile.

Eccli.11. Eleemosyna viaticũ in mundo, thesaurus in cælo. Lucæ 12. Simile.

quia

A quia hanc illi conditionem apponere placet: sic omnino, quia Christus Redemptor noster pretio sui sanguinis, & laborum atque ærumnarum quas prętęrea in terris pro nobis passus est, pōtem misericordię extruxit, & *viam sanctorum propalauit, æterna redemptione inuenta*, per quem necesse est omnes de hoc mundo transire ad Patrem cæleste, simulque ordinauit, vt qui hac eius misericordia & redēptione gaudere volumus, opera misericordiæ faciámus, & vt *per mammonam iniquitatis in æterna tabernacula recipiamur*; quia hanc ille conditionem apposuit, *vt iudicium sine misericordia fiat ei qui non fecit misericordiam*; vt *si damus, dabitur nobis*: vt *qua mensura mensi fuerimus* proximo nostro, *eadem ab illo remetiatur & nobis*; non quia vel bonis nostris ille indiget, vel solius gratitudinis ergō (vt hæretici hodie falluntur) hoc à nobis flagitat; sed quia æquitatis & iustitiæ ratione hoc exigit; hancque viam nobis præscripsit & præcepit, cui obedire par est: profectò necesse est opera misericordiæ exercere, eleemosynas largiri, & facere nobis amicos de mammona iniquitatis. *Christus enim per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Hinc Propheta inter reliquas iniquitates & causas ruinæ Sodomorum hanc ponit: *Et manum egeno & pauperi non porrigebant.* Hoc enim vnum si feciſſent, fortè aliarum iniquitatum pœnas, *superbiæ, saturitatis panis, abundantiæ & otij*, euasissent. Ideo enim his sceleribus hanc immisericordiam subiunxit Propheta. Quare paulo pòst inter remedia peccati, & reconciliationis cum Deo media necessaria, hoc ponit: *Si panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento.*

Hebr. 9. *Lucæ 16.* *Iacobi 2.* *Lucę 6.* *Locus contra hæreticos.* *Hebr. 5.* *Ezech. 16.* *Ezech. 18.*

B Sanè qui secùs faciunt, & non nisi vanitati diuitias impendunt suas, similes sunt fluminibus aquas suas in mare mittentibus, terras autem sitientes minimè rigantibus. In vacua vasa, non in plena, bonum liquorem infundi par est. Quid illis mensam amplam adornas, qui magis videntur fame ad digerendum cibum, quàm cibo ad nutriendum corpus indigere? Bene dixit Sapiens: *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Frumentum in horreo reconditum, non augetur, imo sæpe à curculione corroditur, à muribus vastatur, situ corrumpitur: at in terram proiectum, vberrimum fert fructum. Sic pecunia in arcula recondita, sæpenumero direptioni committitur, & cum suis ipsa custodibus aufugit, illis corruptis; multis quoque alijs modis intercidit: in pauperes autem collocata fructum centuplum in hac vita producit, & postea vitam æternam. Relinquere enim patrem, matrem, fratres, sorores, & agros propter Christum, non solùm est, illis in totum relictis, & omnibus diuenditis, paupertatem perpetuam ex voto profiteri; sed est etiam, sua bona propter Christum pauperibus elargiri,, & totius cognationis carnalis curam (quando non indigent) propter pauperes subleuandos negligere. Sicut putei & lacus aquarum viuentium sordibus obturati & inquinati, si exhausti fuerint, fluent vberiore & pulchriore aqua; dimissi vero & quieti corrumpuntur: sic opes distributæ crescunt; asseruatæ seruantem, sicut tinea vestem, corrodunt atque consumunt: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Omnia animantia manus habentia, illis terram attingunt, præter hominem, qui manus à terra habet eleuatas. Ipsa naturæ compositio docet, manus nostras non debere esse in arca pecuniaria, nec vel in colligendis diuitiis rapaces, vel in asseruandis tenaces, sed ad cælum erectas, & in illis operibus versari, quibus ad cælum pertingamus, ad quod fruendum nati & formati sumus. *Beatus vir qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris.* Abit post aurum, & seruus fit eius, qui pauperi petenti, quum potest, aurum non elargitur. *Sperat in pecuniæ thesauris*, qui metu futurę inopiæ abstinet ab eleemosyna; confidens non in Domino, sed in arca sua. Sed beatus est qui neutrum facit, quia per eleemosynam beatitudinem consequetur. Aquila generosa auis est, & auium princeps. Illam, quum prædam agit, cæteræ aues turmatim sequuntur, vt partem prædæ habeant. Solet enim, vbi naturæ satisfecit, reliquam prædæ partem aliis auibus relinquere. Contra vultur facit, qui totam prędam vel deuorat vel occultat. Idem inter quadrupedia facit leo quod aquila, & idem lupus quod vultur. Renatus in Christo generosi pectoris esse debet, vt Dei se filium esse ostendat: & sit misericors, sicut Pater eius cælestis est. *Qui miseretur pauperis, beatus erit. Qui credit in Domino, misericordiam diligit.* Qui ergo misericordię opera negligunt, ostendunt se in Domino non credere, & miseros fore. Paxilli qui ad vites sustentandas ponuntur, si id probè non faciunt, in ignem à Domino vineæ mittuntur. Diuites qui ad aliorum sustentationem & consolationem, tanquam dispensatores, non sibi ipsis, vt domini absoluti, diuitias à Deo acceperunt, si pauperes ex eis non sustentant, in ignem æternum in die iudicij à summo iudice proijcientur, sicuti apud Matthæum disertis verbis Christus prædixit.

Simile. *Prou. 11.* *Simile.* *Relinquere agros propter Christum.* *Simile.* *Psal. 111.* *Eccli. 31.* *Simile.* *Prou. 14.* *Simile.* *Matt. 25.*

D

A

EVANGELIVM DOMINICÆ IX. POST PENTECOSTEN.

Luc. 19. CVM appropinquaret Ieſus Ieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua quę ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Et ingreſſus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptum eſt, quia domus mea, domus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. B

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Videns ciuitatem* (Ieruſalem) *fleuit ſuper illam.* De deflendis peccatis, ſeu noſtris, ſeu alienis.
2. *Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* De alta obliuione futurorum propter pacem rerum præſentium.
3. *Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique*, &c. De iuſtitia Dei, pœna peccatorum certiſſima, vbi peccato modus non ponitur. C
4. *Eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Contra dilationem pœnitentiæ aut conuerſionis ad Deum tempore opportuno.
5. *Ingreſſus in templum cœpit eijcere vendentes in illo & ementes.* Contra variam prophanationem templorum.
6. *Domus mea, domus orationis eſt.* De orationis ſtudio in templis Deo conſecratis potiſſimum frequentando.

1. *Videns ciuitatem* (Ieruſalem) *fleuit ſuper illam.*

Peccata deflenda.

LOcus moralis de deflendis peccatis, ſeu noſtris, ſeu alienis. Chriſtus Dominus in media illa pompa & celebritate, qua fauſtis omnium acclamationibus in Ieroſolymam receptus eſt, populo ramos palmarum manibus geſtante, Apoſtolis & diſcipulis veſtimenta ſua aſino imponentibus, aliis frondes in via ſternentibus, pueris Hoſanna clamantibus, tota ciuitate ad eius occurſum effuſa; neque hac celebritate motus, neque externo vrbis ſplendore, & præſenti pace affectus; ad ea quæ intus latebant, & quæ futura erant, mentis oculos coniecit. Peccata, ſcelera, & flagitia illius populi præſentia, & futuram flagitiorum pœnam proſpiciēs; fleuit ſuper ciuitatem, & verba lachrymoſa ſingultuque plena protulit, fractis verbis, & imperfecto ſermone animi ſui ingentem dolorem patefaciens. Docet hoc factō Chriſtus, quantum quiſque ſua debeat deflere peccata, poſtquam ille ſic fleuit aliena. Docet etiam quantopere proximorum peccata, & totius mundi ſcelera, à pio quouis pectore deflenda ſunt. Quæ duo hic tractari ſalubriter poſſunt. Fletum & gemitum, peccatorum noſtrorum proprium quoddam eſſe & validum remedium, varię Scripturæ docent. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Quum Chriſto crucem ſuam baiulante, filiæ Ieruſalem flerent ſuper eum, dixit ad illas: *Nolite flere ſuper me*, quia peccator non ſum; *ſed flete ſuper vos & filios veſtros*: quia vos peccatores eſtis, & hoc remedio indigetis. Petrus poſt abnegatum Chriſtum, *exiuit foras, & fleuit amare*: moxq; reſpexit eū Chriſtus, & poſt Reſurrectionē ante omnes alios diſcipulos illi apparuit. Notæ ſunt Magdalenæ *lachrymæ, quibus pedes Chriſti rigauit*, deflens flagitia ſua, Dauidis pœnitentis illa vox erat: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, (id eſt per ſingula peccata cor meum, vt exponit D. Ambroſius) *& lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Rurſum: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Et iterum: *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Beata ſunt ſemina, quæ tantum gaudium producunt. Hinc Chriſtus: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Si magni facimus aquas florum aut herbarum, quia abluunt oculos, D

Lachrymæ peccatorū remedia.
Exech. 18.
Lucæ 23.
Lucæ 22.
Lucæ 7.
Pſal. 6.
Pſal. 50.
Pſal. 125.
Matt. 5.
Simile.

A los, aut medentur nonnullis vulneribus; cur non magni facimus lachrymas quæ abluunt animæ sordes, eiusque vlcera curant? Hoc significauit Salomon, quum *mare fusile & luteres in templo* cõstituit. Nam per mare fusile & æneum, in quo lauabantur sacerdotes Deo sacrificium oblaturi, significabatur confessio peccatorum cum lachrymis coniuncta, quam sacerdotes nouæ legis sacrificaturi adhibere debent. Luteres, in quibus carnes in altari holocaustorum offerendæ abluebantur, lachrymæ sunt contritionis, quibus quilibet Christianus labes suas abluere debet, vt fiat Domino sacrificium & holocaustum. Neque enim comburi potest, quod prius non lauetur. Exardescere in amorem Dei, & fieri holocaustum nemo potest, nisi qui prius peccata omnia, & peccati affectum lachrymis, veraque contritione abluerit. Omnes fluuij non possunt prunam vnam extinguere purgatorij: sed piæ contritionis lachrymę illam extinguũt. Sicuti quum domus aliqua incendio flagrat, qui eam volunt à flammis eripere, ad aquas confugiunt: sic cuius anima cupiditatum flammis accenditur, ad pœnitentiæ lachrymas confugit, quo restinguantur. Sicut nummus in pelui aqua plena melius cernitur; sic peccata cuiusque in lachrymis, & per lachrymas, multo euidentius apparent. Sicuti enim nube per pluuiam delapsa, aër serenatur; sic mens peccatoris, tristitiæ & peccati nube per lachrymas resoluta, serenior fit, tum ad seipsum, tum ad Deum cognoscendum. Aqua lachrymarum est veluti mare rubrum, vbi Pharao, hoc est, vitiorum exercitus obruitur, & flagitiorum capita confringuntur; iuxta illud: *Contribulasti capita draconum in aquis*, est quasi natatorium Siloë, vbi oculi animorum abluuntur. Sicuti hydria

B liquore plena, si fuerit subito reuoluta, liquorem fundit; sic pium cor lachrymarum plenum, ex subita peccati compunctione, quasi à summo ad imum reuoluitur, & lachrymas vbertim profundit. Ad sola peccata valent lachrymæ, non ad alia quæcunque rerum damna, vt in alia Dominica ostensum est. Sicuti cineres & pulueres combustæ viperæ (vt ex philosophorum sentẽtia tradit Lactantius) ad ipsius morsum venenosum prẽsens afferunt remedium; sic dolor peccati & eius iam extincti tristitia, contra peccati præteriti pœnam, & iterandi cautelam præsentissimum est remedium. De hoc argumento vide in aliis Dominicis plura.

3. Reg. 9. *Allegoria.* *Similia.* *Allegoria.* Psal. 73. *Simile.* Do. 4. post Pasch. tex. 1. De ira Dei ca. 13. *Simile.* *Vbi supra* & Do. 10. post Pent. tex. 6.

Docet Christus, aliena peccata, proximorum delicta, totius mundi flagitia amaris lachrymis esse deploranda. Ideo Christus super Ierusalem fleuit, quia eum venientem non receperunt: quia nec doctrina eius, nec miraculis, nec patientia & humilitate, vt in eum crederent, vitamque & mores sceleratissimos in melius commutarent, adduci poterant. At & hodie Christi doctrina, patientia, passio, mors, beneficia innumera, ab illis contemnuntur, qui vel non credũt, vel credentes impiè & sceleratè vitam transigunt. Hæc mundi ingratitudo, & quotidiana proximorum flagitia, cuiuis iusto & Deum timenti perpetuam lachrymarum & fletus materiam præbent. Impietates Iudæorum veteres Prophetæ amarè flebant. Sic Sophonias: *Væ prouocatrix & redempta ciuitas: columba non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam. In Domino non est confisa, ad*

C *Deum suum non appropinquauit.* Ieremias exclamat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Sed & sic eum Dominus alloquitur: *Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic, Heu, heu, ad omnes abominationes malorũ domus Israel.* Porro lamentationes quas scripsit, non solum populi captiuitatem, sed ipsa populi peccata, quæ captiuitatis causa erant, flebilibus vocibus deplorant. Nec aliter Oseas: *Consolatio abscondita est ab oculis meis: quia ipse inter fratres diuidet: & adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem*, &c. Propheta regius sic aliorum peccata defleuit, vt diceret: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*; scilicet peccatores in terra. Et iterum: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Sed & idem Propheta sanctus, qui pro paruulo filio ægroto in cinere, & cilicio, & ieiunio diu plorauit, eo autem mortuo, statim deposita tristitia, cibum hilariter sumpsit; audita morte filij Absalonis, inconsolabiliter fleuit, dicens: *Absalon fili mi, fili mi, Absalon, quis mihi det vt ego moriar pro te?* Causa discriminis est, quod Absalon in peccatis suis mortuus erat. Sic accepta Saulis cæde, magnum planctum fecit, quia in peccatis suis mortuus erat. Samuel luget Saulem à Deo reprobatum. Quid, quod Esaias etiam Moabitarum hostium Dei excidium plorat? *Super hoc* (inquit) *plorabo in fletu Iazer*, & paulo post: *Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Iubetur Ezechiel *assumere super Tyrum lamentum.* Et alibi dixit Dominus ad eum: *Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.* Hi signantur & seruantur ad vitam, qui in colluuie flagitiorum non sua tantum, sed & aliena aduersus Deum admissa scelera piè deplorant. Sic Apostolus Iudæorum causam & ruinam deflebat: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Sic Corinthij fornica-

D rij flagitium lugebat; & eos qui luctum non habuerunt, grauiter reprehendit. Denique dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et alibi: *Quamdiu sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati.* Et rursum Ephesis valedicens: *Per triennium*, inquit, *nocte & die non cessaui cum lachrymis monens vnumquemque vestrum.* Postremo luget eos omnes *qui non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione sua.* Iam vero Christus ipse non solum hic super Ierusalem quasi transiens fleuit, sed & in cruce *cum clamore valido & lachrymis preces Deo Patri pro nobis obtulit.* Quem nunc non pudeat in tot gentibus grassantes hæreses, tot hodie mundi scelera & flagitia, tantam Ecclesiasticæ disciplinæ deprauationem, publicæ iustitiæ violationem siccis oculis præterire? Moyses & filii Israel flebant peccata sociorum, & fratrum filiorum suorum ante fores tabernaculi. Iob sanctissimus,

Exempla sacra. Sophon. 3. Ierem. 9. Ierem. 6. Oseæ 13. Psal. 118. *Ibidem.* 2. Reg. 12. 2. Reg. 18. 2. Reg. 1. 1. Reg. 15. Esaiæ 16. & 21. Ezech. 27. Ezech. 9. Rom. 6. 1. Cor. 5. 2. Cor. 11. 2. Cor. 5. Act. 20. 1. Cor. 12. Hebr. 5. Num. 25.

Peccata aliena & publica esse deflenda

Flebam, inquit, *super eo qui afflictus erat.* Paulus iterum: *Multi ambulant de quibus dixi, & nunc iterum flens dico, inimici crucis Christi, quorum Deus venter est.* Denique maluit Moyses *affligi cum populo Dei,* quàm gaudere cum Pharaone. Sic Sapiens monuit: *Melius est tibi ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.* Melius est sentire gemitus columbæ, & compati laboranti in peccatis Ecclesiæ, quàm *laudare peccatores in desideriis animæ ipsorum, & iniquos benedicere.*

Iob 20. *Philip. 2.* *Hebr. 11.* *Eccli 7.* *Psal. 9.* A

Luctus & compassio de peccatis alienis, argumentum est charitatis erga alios. Vnde Apostolus: *Ex multa tribulatione, & multa angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, vt sciatis quã charitatem habeam abundantius in vobis.* Argumentum quoque est propriæ innocentiæ, & amoris erga virtutem, odij erga vitium. Magis quippe vitiosi minus ea dolent. Quando mare propter peccatum Prophetæ Ionę intumuit, ait Scriptura: *Clamauerunt viri ad Deum suum, & miserunt vasa quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis, & Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.* Qui sine culpa illius tempestatis erant, anxij & soliciti remedium, ne nauis periret, adhibere contendebant. Sic in mari tempestuoso huius mundi accidit. Impij, propter quos Ecclesia bellis, hæresibus, multisque aliis calamitatibus affligitur, dormiunt & altum stertunt. Pij & innocentes anxiè Deum orant pro pace Ecclesiæ, pro fine bellorum, pro pietatis & diuini cultus conseruatione. Quum totus ferè Israel deos alienos sequeretur, solus Elias in spelunca latitat, *zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, quia reliquerunt pactum Domini filij Israel.* Quum populus Israeliticus totis iam septuaginta annis in captiuitate mansisset, solus Daniel, vir desideriorum, confitetur peccata sua & populi sui, vt inueniret misericordiam à Deo, *Posuit faciem suam ad Dominum Deum, rogare & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere.* Tales zelatores Deus requirit, qui irã & vindictam eius impediant. De cuius defectu conqueritur Propheta: *Cecidimus quasi foliũ vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Quum totus populus in deserto vitulum aureum adoraret, etiam ipso consentiente aut certè conniuente Aaron, solus Moyses anxiè clamat ad Dominum: *Dimitte illis hoc peccatum, vel dele me de libro vitæ.* Sancta Lutgardis virgo ex reuelatione diuinitus ei facta, totis septem annis ieiunauit in pane & ceruisia, vt iram Filii Dei placaret, quæ generatim imminebat vniuerso orbi. Quod hodie tot passim grassentur & alicubi dominentur hæreses, quod in tam multis locis impia causa meliori sit fortior, non tam ex peccatis nostris fit (quanquam & ex illis) quàm ex eo quod peccati sensum amisimus, *nec est qui recogitet corde, nec qui plangat, vt auertatur ira furoris Domini à nobis.* Dixit D. Hieronymus de suo tempore: *Barbari fortes fiunt. Nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* Multò verius de nostris temporibus dici potest: Hæretici fortes fiunt. Nostris vitiis Catholicus superatur exercitus, Catholica vexatur Religio.

Luc. 1. *Allegoria.* *Exempla.* *3. Reg. 19.* *Dan. 9.* *Esaiæ 64.* *Exod. 3.* *In vita eius apud Surium to. 3. p. 661.* *Ierem. 4.* *In Epitaphio Nepotiani.* B C

2. *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.*

Obliuio futurorum

LOcus moralis de alta obliuione futurorum, propter pacem rerum præsentium. Hoc in Iudæis deplorat Christus, quod pace, & affluentia, & gloria rerum præsentium fruentes, non cognoscunt, nec vident, quid eorum capitibus diuinæ vltionis immineat. Monet Scriptura: *Ne dixeris; Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Cum enim dixerit peccator, *pax & securitas, tunc repentinus ei superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugiet.* Nam vt grauidæ mulieri repentinus sæpenumero superuenit partus; sic peccatori, peccatis grauido, repentina Dei vindicta. Peccati enim fœtus & proles, Dei iustitia est. Nonne aries retro quum cedit, fortius vrget? Sic Deus tarditatem vindictæ grauitate compensat. Sapienter diuus Gregorius in hunc locum: *Peruersa anima, rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, quia præuidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent: dumque in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud, quàm clausis oculis ad ignem vadit?* Ne hæc obliuio animis fidelium surrepat, monet Apostolus, *vt gaudentes simus tanquam non gaudentes:* hoc est, vt (quod monet Sapiens) *in die bonorum non simus immemores malorum.* Nunc autem accidit peccatoribus circa præsentia mundi gaudia, quod accidit viatori circa arboris vmbram, sub qua, ad vitandum æstum solis, in medio itinere requiescit. Nam quemadmodum talis viator sub vmbra arboris requiescens, sæpenumero ex fatigatione præcedenti in somnum incidit, cui tam diu indulget, donec circumacto sole, & recedente vmbra, æstuque ad locum accedente, euigilans tandem, se prorsus ad solis radios expositum videt, vnde & sudorem contraxit, & capitis dolorem, ac fortè etiam & febrem continuam: sic omnino huius mundi amatores, dum fugacem eius vmbram captantes, honores, diuitias, voluptates, in illis quiescunt & obdormiũt; vitæ cursu tandem circumacto, vbi *dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum* per mortem tandẽ euigilant, & non solum *nihil inuenerunt in manibus suis*, quia illa iam vmbra penitus euanuit, de qua Propheta dixit: *Dies mei sicut vmbra declinauerunt*; verum etiam ad ignem inferni se iacere animaduertunt, innumeris doloribus atque ærumnis obnoxii, fortè etiam & sempiternis ignibus addicti. Huc pertinet quod Dauid cecinit: *Homo quum in honore esset, non intellexit.* Oblitus est datoris omnium bonorum, oblitus est finis sui. *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, illa enim non nisi præsentia vident. Cras ad macellum ducenda, hodie in pascuis saginantur.

Obliuio futurorum *Eccli. 5.* *1. Thess. 5.* *Simile.* *Ho. 39. in Euang.* *1. Cor. 7.* *Eccli. 11.* *Simile.* *Psal. 75.* *Psal. 101.* *Psal. 48.* D

A faginantur. Homo phreneticus quanto infirmior,& sepulturæ proximior est, eo magis ridet, flentibus tamen caris eius. Homo impius,quanto est diuino iudicio propinquior,eo gaudet & triũphat magis in deliciis;condolentibus tamen illis qui curã eius habent,bono Angelo,animarum pastore,quolibet iusto. Ieremias populi sui calamitatem deflens dixit: *Sordes eius in pedibus eius:nec recordata est finis sui.* Hæc est omnium impiorum misera deceptio. Accipiunt peccatũ per caput,non per caudam. Considerant principium voluptatis; non attendunt exitum calamitatis. *Fauus distillans labia meretricis,nouissima autem eius amara quasi absinthium.* Iacob quum nasceretur, tenuit fratrem Esau per plantam pedis. Iustus & electus Dei considerat peccatum in fine suo. Vita hominis quasi flumen pertransiens. Flumina autem quum dulcia sint, currunt semper & desinunt in mare salsum. Volens Deus subuertere regnum Israel propter peccata ipsorum, & hoc per Ieremiam Prophetam prædicare,dicit ei: *Surge & descende in domũ figuli, & ibi audies verba mea:* quumque vidisset figulum ex vno vase dissipato mox alterum facere,prout volebat:infert Deus: *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere,domus Israel?* Docet Prophetam,& per eum populum,vt recogitet se in manu Dei sic esse,vt vas in manu figuli, quouis momento dissipandum ad Dei voluntatem,suæque fragilitatis perpetuam memoriam habere. Quare ibidem subiungit: *Repentè loquar aduersus gentem,& aduersus regnum;vt eradicem,destruam,& disperdam illud.* *Simile.* *Prou.5.* *Allegoria.* *Simile.* *Ierem.18.*

Sed interim blanda mundi facies, & rerum omnium præsens affluentia, hæc Dei iudicia à
B facie nostra abscondunt. Quemadmodum adolescentes nobiles & opulenti, sed rerum adhuc parum experti,diuersorium aliquod in via ingressi,videntes se ab hospite hilari & liberali vultu excipi,omnes quas habent pecunias temere expendunt,& largiter consumunt,donec omnibus exhaustis,non absque graui dolore inde exeant,hospitis iam ergà eos vultu mutato, solamque ignominiam & nuditatem reportantes: sic omnino huius mundi amatores,rerum cælestium & solidarum virtutum ignari & inexperti,præsenti rerum affluentia, & mundi blanditiis deliniti, omnem suam in eo substantiam dissipant,omnes animi vires & cogitationes in eo consumunt; donec consumptis omnibus tristes è mundo abeant,onusti peccatis, virtutum inanes, nec nisi iudicium & infernum ante oculos habentes. Est enim spes hominis impij, *quasi memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Ideo Christus in hoc Euangelio totam impiorum voluptatem vnum diem vocat: *Et quidem in hac die tua.* Habent enim impii suum diem. Sed habet Dei iustitia dies multos, vnde postea dicit: *Venient dies in te.* Dicit Christus Iudæis: *Hæc est hora vestra.* Quemadmodum ignis pro ratione subiecti, in quod operatur, aut parum aut multum durat; atque ideo in stupa statim extinguitur, in firmo robore multum diuque ardet: sic gaudium, voluptas, honor, circa res huius mundi, quia fluxæ & caducæ sunt, celerrimè transeunt; circa solidas virtutes in æternum permanent. Rectè monet Salomon: *Quia*
C *non cito profertur contra malos iudicium, absque vllo timore filij hominum perpetrant mala.* Et iterum: *Sunt impij cogitantes non rectè. Venite* (inquiunt) *fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter.* Omnes istos cæpit obliuio futurorum, propter pacem & affluentiam rerum præsentium. *Simile.* *Mundi amor fallax & vanus.* *Luc. 22.* *Simile.* *Eccles. 8.*

Cæterum quemadmodum sanguis veneno infectus & deprauatus, ad ipsum statim cor quasi ad præsidium & arcem confluere solet;& propterea vnde remedium sperabat, inde certum sibi & præsens exitium parat: sic homines voluptuarij,& huius seculi amatores, quum ex corrupto affectu,& gustu deprauato,falsas voluptates toto animo prosequuntur & complectuntur,summam in illis fœlicitatem ponentes; vnde se beatos fore,& vitam iucundissimè traducere existimabant,ex eo sibi ipsis interitum perpetuum conciliant. Perinde quippe faciunt atque illi qui thesauro in arca incluso ipsis ostenso atque oblato,clauibusque diuersis in medium allatis,quarum alteræ ferreæ sint,& ad aperiendum aptæ;alteræ aureæ,sed ad reserandam arcam ineptę;aureas illas potius propter valorem præsentem,quàm ferreas propter spem latẽtis thesauri, eligere malint. Sic enim præsentes voluptates, spei futurorum bonorum anteponunt impii. Sic propter exiguas ad manum delicias,bonis sempiternis excidunt. Clauis enim ferrea est,crux,labor,mortificatio,quæ viam ad cęlum aperit. Sed malunt isti compedes aureas in ser-
D uitute peccati & diaboli gestare,quàm cum moderato victu & vestitu libertate spiritus in hac vita,& sempiterno post gaudio frui. Appositè horum stultitiam taxauit Salomon: *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines tempore malo.* Piscis enim esca delectatur,hamum non videt; & auis cibo se recreat, laqueum non aduertit. Sic voluptuarius,cui pax est in bonis suis,voluptate præsenti se beatum putat, sed hamo cupiditatum,& laqueo diaboli se fortissimè stringi non aduertit. Scribit Plinius, lupis quos ceruarios vocant,etiam in fame surrepere obliuionem cibi si paululũ respexerint,ac protinus alium quærere. Lynces quoque hoc insitum habent, vt post tergum respicientes, obliuiscantur penitus priorum, tam memoria obtusi, quàm oculis acuti. His prorsus sunt similes, qui præsentibus bonis oblectati, totius doctrinæ rerum cælestium,quam edocti fuerunt, penitus obliuiscuntur. Sic enim Iudæi, quos Christus hic alloquitur, quum in die Palmarum omni illum honore,& miris laudibus prosequuti fuissent, *laudantes Deum* (ait D. Lucas) *voce magna super omnibus quas viderant Christi virtutibus, & dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini,pax in cælo,& gloria in excelsis;* paucis tamen post diebus horum omnium obliti,clamant & vociferantur: *Crucifige,crucifige. Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens?* Hoc scilicet *Eccles. 9.* *Natur. hi. l. 8. c. 22.* *Similia.* *Luc. 19.* *Deut. 32.*

est,præsentibus inhærere bonis,sicut Iudæi,ne principes suos & seniores offenderent, in Christi necem conspirarunt. Quemadmodum quum mersi in aquis periclitantur, videas eos tenentes tenere,nec vlla ratione deserere,quod primum occurrerit manibus,quicquid sit illud, licet tale sit,vt omnino prodesse non possit, sicuti radices herbarum, cæteraque similia, imo & eos qui ad subueniendum adnatant, apprehensos secum inuoluunt, vt vtrique simul pereant: sic planè in huius seculi fluctibus & transitoriis bonis sic ereunt miseri, dum peritura sectantes, & vana ac noxia auidè apprehendentes, pariter cum illis quia iuuare nō poterāt, pereunt. Sapienter Samuel Iudæos monuit: *Nolite declinare post vana quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.* Sicut qui graui & dulci somno detinentur (ait S. Chrysostomus) non solum nocte, sed & ipsa luce veniente, & claro die facto, iacent in lecto, & non erubescunt suæ voluptati indulgere, tempusque operationis, tempus segnitiæ faciunt: sic nos qui mundi voluptates & præsentia bona sectamur, die lucente, ea quæ noctis sunt operamur; dormientes, somnia videntes, & falsis imaginibus rerum nos ipsos, ac tempus nostrum fallentes.

D. Bern. Ser. 1. de Adu. Do. Simile.

1. Reg. 12. Simile.

Ho. 24. ad Hebr.

Diuus Damascenus hanc crassam obliuionem, & miseram deceptionem appositа parabola expressit: quam, etsi paulo prolixiorem, hic ascribam. Qui præsentibus (inquit) inhiant negotiis, & nullam futurorum habent memoriam, sed delectationes corporales incessanter desiderant, similes esse arbitror homini fugienti à facie furentis vnicornis; quem dum fugeret ne deuoraretur ab eo, incidit in barathrum, seu vastum terræ hiatum. Dum autem caderet, manibus extensis arbusculam quandam apprehendit, & fortiter tenuit, & in basi quadam pedibus impressis, visum est sibi in pace de reliquo fore & stabilitate. Respiciens ergo, vidit duos mures, album vnum, alterum nigrum, corrodentes radicem arbusculæ, & iam propè erat vt abscinderent. In imo barathro vidit draconem aspectu terribilem, ignem spirantem, & deuorare eum cupientem. Intuens vero rursus basim illam super quam pedes habebat firmatos, vidit quatuor aspidum capita de pariete prodeuntia. Eleuans autem oculos, vidit de ramis arbusculæ illius exiguum mel distillans. Dimittens ergo considerare quæ circundederant eum mala, seipsum dulcedini illius mellis tradidit. Hæc similitudo est eorum qui seductioni præsentis seculi adhæserunt. Vnicornis figuram tenet mortis, quæ semper persequitur genus humanum. Barathrum verò mundus est plenus omnibus malis & mortiferis laqueis. Arbuscula quæ à duobus muribus incessanter incidebatur, quam apprehendimus, vitæ nostræ mensura est, quæ cōsumitur & diminuitur per horas diei & noctis. Quatuor aspides constructionem humani corporis ex quatuor elementis significant, quibus inordinatis compago dissoluitur. Draco, infernus est, quo recipiuntur qui delectationes præsentes futuris præponunt. Stilla vero mellis, dulcedinem significat delectationum mundi. Hæc ibi. Verè enim præsentium fruitio nisi stilla quædam dulcedinis est, qua ad tempus deliniti miseri peccatores, obliuiscuntur cælestia, non attendunt quæ peccato debentur tormenta, nesciunt se rapido cursu ad mortem ferri. De hac miseranda deceptione in alia Dominica latius diximus, super illa Petri verba in monte: *Domine, bonum est nos hic esse.* Certè tota mundi voluptas meretriculæ instar est, quę vbi sua pulchritudine vecordem iuuenem attraxit; eum omnibus expoliatum, de domo turpiter eijcit: quam domo eiectus miser tunc demum meretricem fuisse cognoscit, non verè amantem. Sic enim insanos voluptuarios sola mors docet, falsas fuisse totius mundi voluptates.

In hist. de Barlaã & Iosaphat, ca. 12. Parabola.

Dom. 2. Quadr. tex. 3. Simile.

3. *Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique.*

Iustitia Dei contra peccatores.

LOcus moralis de iustitia Dei, & pœna peccatorum certissima, vbi peccato modus non ponitur. Deflet & deplorat Christus Iudæorum cæcitatem, & crassam obliuionem futuræ iustitiæ Dei, propter præsentem rerum omnium pacem & affluentiam; Deique vindictam longè acerbissimam, quæ illis superuentura est, disertis verbis prænunciat. Quę fuerit & quanta Ierosolymorum vastatio, quàm acris obsidio, quot captiuorum millia, occisorum myriades, quam horrenda intus fames, ita vt paruulos suos matres comederint, quàm atrox foris bellum, lege apud Iosephum oculatum testem. Hæc est impiorum & amatorum huius mundi catastrophe. Poterat Sedechias Rex impius Ieremiam Dei Prophetam præcipitare in foueam, fame vexare, alimenta per vncias suppeditare, Domino tacente: sed postea capitur Sedechias à Rege Babyloniæ, regno priuatur, coram Ierusalem captiuus trahitur, in conspectu Regis Babyloniæ, illo inspectante, filij eius trucidantur, ipse oculis priuatur, & in perpetuos careeres Babylonem abducitur. Potuit Aman in aula Assueri Regis triumphare, Iudæorum necem à Rege impetrare, primus post Regem haberi: sed in patibulo suspenditur, quod Mardochæo parauerat. Plura exempla vide supra in alia Dominica. Vox Dei est, *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Rursum *Vocaui, & renuistis & cætera: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cū vobis, id quod timebatis, aduenerit.* Rursum ad Iudæos, & ad omnes planè peccatores, qui Christi gratia & donis abutuntur: *Venient dies, quando desiderabitis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis.*

Exempla. Li. 6. & 7. de bello Iudaico. Ier. 37. & 39. 4. Reg. 25 Hester 3. 6 & 7. Dom. 2. Quadr. tex. 3. Psal. 74. Prou. 1. Lucæ 17.

Dies

A Dies Filij hominis,est dies misericordiæ & humilitatis Christi, quæ in hac vita nobis offertur: quam qui non acceptat,diem iusti iudicij eius persentiet:vnde & alibi dicit: *Ego vado,& quæretis me,& in peccato vestro moriemini.* Nempe,quia non quærebant dum tempus erat. De impio enim dicit Iob: *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ,& ille abutitur in superbiam.* Contra hos etiã clamãt Esaias: *Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis*, id est, texentes vnum peccatum ex alio, sicuti ex diuersis filis contextis fit funiculus;*& quasi vinculum plaustri,peccatum.* Peccata enim multiplicata pondus efficiunt,& seruitutem inijciunt,quasique necessitatem tum noui peccati, tum infligendæ pœnæ. Sicut cæci,si in aliquos in via impingunt,eos cæcos vocant,cum ipsi cæci sint:sic impij,quum Dei iustitiam & manum sentiunt,murmurant contra Deum,quasi eius iustitia cæca esset;sua scelera non agnoscunt,propter quæ Deus percutit. Magna hominum cæcitas, qui multis modis à Deo flagellati,se tamen percuti non vident. Si quis pascentem in agro bestiam & viridem herbam suauiter manducantem,sagitta semel atque iterum percutiat,nec tamen loco moueri,aut pascua relinquere vllo modo velit,nonne plurimum miraretur,& bestiam illam supra modum ventri deditam,planeque insanam aut insensatam iudicaret? At tales sunt peccatores,qui nullis Dei vel comminationibus,vel pœnis ab huius mundi cupiditatibus deterrẽtur. De quibus sic Propheta conqueritur: *Percussisti eos,& non doluerunt;attriuisti eos,& renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas supra petram,& noluerunt reuerti.* Cæterum iustitia Dei contra

B huiusmodi duros & impœnitentes peccatores acerrimè vigilat. Clamat Esaias: *Væ qui prædaris, nonne & tu prædaberis? væ qui spernis,nonne & ipse sperneris? Cum consummaueris deprædationem, deprædaberis;cum fatigatus desieris contemnere,contemneris.* Quando perdix rubo inclusa est, & vndique videt canes circumlatrantes, & ad prædam hiantes,supra caput autẽ in aëre accipitres ad capiendum intentissimos,homines quoque multos fustibus & lignis rubum percutientes, & quolibet ictu mortem minitantes;quo,quæso,timore misera illa auicula concutietur? Atqui non meliori loco est anima peccatrix,& multorum sibi scelerum conscia,in hoc corporis ergastulo, quasi in rubo auicula,delitescens. Videt enim se peccatorum multitudine circundatam,& conscientiæ flagris incessanter allatrantis,ad exeundum per confessionem compelli; videt se à dæmonibus & principibus aëris huius ad prędam peti,qui perpetuo circũeunt,quærentes quem deuorent. Videt Dei iustitiæ administros,verbi cõcionatores,perpetuo illos inclamare, vt vel à peccato exeant,vel ad pœnam deposcant. Sed & præter hæc omnia iratum iudicem ipsorum capiti imminere,ignorare non possunt,perpetuo clamantem: *Venient dies in te,& circundabunt te inimici tui.* Deuorabunt & dilacerabunt te infesti dæmones. Quemadmodum enim columba fugiens ante faciem accipitris insequentis,mutat se de loco in locum,nunc huic nunc illi insidens arbori,vnde rursus mota vepribus se immergit,deinde in cauernis petrarum,aut in densis spina-

C rum se conatur occultare;nec vsquam locum tutum inueniens,ipso motu fatigata,hosti in prædam cedit:eodem modo se habent,qui res præsentes ad stuporem vsque mirantur, quippe qui inconsiderato quodam impetu miserè laborent,nec quicquam omnino firmum aut stabile habeant,sed diuina eos iustitia,conscientiæ terrore, gehennæ metu assiduè persequente, quo se recipiant,aut qua ratione inde se eripiant,nisi vita in melius mutata (quod illis pessima consuetudo quodammodo impossibile fecit) non vident. Hunc peccatoris statum describit Dauid,dicens: *Cor meum conturbatum est in me,& formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me,& contexerunt me tenebræ. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo & requiescam? Ecce elongaui fugiens,& mansi in solitudine.* Rursum alibi: *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum,tu illic es;si descendero in infernum,ades. Si sumpsero pennas meas diluculo,& habitauero in extremis maris:etenim illuc manus tua deducet me,& tenebit me dextera tua. Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me,& nox illuminatio mea in deliciis meis.* (*Qui enim malè agit,odit lucem.*) *Quia tenebræ nõ obscurabuntur à te,& nox sicut dies illuminabitur.* Docent hæ Scripturæ, nullam esse peccatori requiẽ, nullum refugium,vbi semel Dei patientia in iram versa est. Quare in persona obdurati peccatoris dixit Ieremias: *Nos iniquè egimus,& ad iracundiam prouocauimus, idcirco inexorabilis es. Operuisti in furore,& percussisti nos:occidisti,nec pepercisti. Opposuisti nubem tibi,ne transeat oratio.* Nempe quum

D vindictæ diuinę tempus aduenit, densa nubes peccatorum nostrorum omnes diuinæ bonitatis radios à nobis abscondit. Quod significare volens Dauid, dixit: *Veruntamen in diluuio aquarum multarum*, id est,in quadam generalitate peccatorum, *non approximabunt tibi*:scilicet,Sancti ad deprecandum. Quantopere vero Deus à peccatore tempore vindictæ separetur,& quàm sit tunc ad Deum inaccessibilis aditus,Deus per Ezechielem his verbis docere voluit: *Sume tibi sartaginem ferream inter te,& inter ciuitatem,& obfirmabis faciem tuam ad eam.* Docet sic *peccata diuisisse inter homines & Deum*, vt Esaias loquitur, talèque interstitium posuisse, vt sicut per sartaginem ferream nullus oculus penetrat,sic per peccata nulla Dei misericordia transeat. Et hac consideratione dixit Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Sed quæ tandem causa ita rigidum nobis & auersum Deum facit,locus subsequens declarabit.

Ioan.8.
Iob 24.
Esaiæ 5.
Simile.
Simile.
Ierem. 52.
Esaiæ 33.
Simile.
Simile.
Damasc. ibid.c.14.
Psal.54.
Psal.138.
Ioan.3.
Thren.3.
Psal.31.
Ezech.4.
Esaiæ 59.
Hebr.11.

A

4. *Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.*

Dilatio pœnitentiæ

LOcus moralis contra dilationem pœnitentiæ aut conuersionis ad Deum tempore oportuno. Habent omnes peccatores à Deo, eiusque sanctissima gratia, tempus visitationis suæ, sicut Ierosolyma in Christi doctrina, exemplo, miraculis suam habuit. Nullus est peccator, cuius cor Deus non pulset, cui conuersionis media non suggerat; etsi alij plus alij minus hanc visitationem accipiant. Qui autem plus, illi maius iudicium acceperunt, si eo rectè non vtãtur. Acerba & grauis fuit populi Iudaici castigatio, quum totus ab Assyriis in captiuitatem duceretur. Sed hanc eius causam assignat Scriptura: *Mittebat Dominus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens eo quod parceret populo & habitaculo suo. At illi subsannauerunt nuncios Dei, & parui pendebant sermones eius, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Dei in populum eius, & esset nulla curatio.* Vides quomodo non cognouerunt tempus visitationis suæ. De hoc conqueritur Ieremias: *Miluus in cælo cognouit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini* Sed & quàm diligẽs & solicita Dei fuerit visitatio, his verbis efficacissimis explicat Propheta: *Quomodo si cõtemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus.* Comparat se Deus amantibus, qui B nullum non mouent lapidem, nihil intentatum relinquunt, omnia perquirũt media, quib. amatæ mulierculæ mutuo potiãtur amore. Sic Deus suos visitat, quod in alia Dominica de oue perdita à Deo quæsita, explicatum habes. De hoc autem amoris & visitationis suæ contemptu magis conqueritur, magis offenditur Deus, quã de ipso peccato. Quum Petrus ter Christũ negaret, quod erat maximum peccatum; facilè Christus eum respexit, & lachrymanti pepercit. Sed cum idem Petrus iussus à Domino pedes porrigere ad lauandum, id recusaret, dicens; *Non lauabis mihi pedes in æternum*; (quod erat specialem Christi gratiam & fauorem pertinaciter reijcere) Christus ei asperè respondit: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum.* Grauius Deum offendit neglecta eius visitatio, siue per doctrinam eorum quos mittit, siue per inspirationes bonas, siue per aliorum exempla, quæ ante oculos peccatoris proponit, vt illis edoctus caueat; quã quodcunq; simplex peccatum. Dicit Deus per Ieremiam: *Vidit prænaricatrix soror eius Iuda, quia pro eo quod mœchata est auersatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij, & non timuit prænaricatrix soror eius Iuda: sed abijt & fornicata est etiam & ipsa, & facilitate fornicationis suæ contaminauit terram, & mœchata est cum lapide & ligno. Et in omnibus his non est reuersa ad me prænaricatrix soror eius Iuda.* Hoc est ergo quod grauissimè Deus per Prophetam arguit, noluisse Iudam exemplo alterius sibi cauere, & hanc Dei visitationẽ in sororis suæ pœna, quasi in proximi parietis incendio, cognoscere. Sicut enim nos monemur, quum proximi domus ardet: sic nos visitamur à Deo, quum proximi ab C eo puniuntur. Ex hac consideratione sic domum Iuda alloquitur Oseas: *Populus non intelligẽs vapulabit. Si fornicaris tu Israel, saltem non delinquat Iuda.* Quod quum progressu temporis factũ postea fuisset, & in captiuitate filiorum Israel, visitationem suã domus Iuda cognoscere noluit, sed eadem scelera, easdẽ idololatrias perpetrare; vide quib. verbis Ezechiel Propheta sub figura duarum sororũ Oollæ & Oolibę, quarum illa Samariã & decem tribus Israel, hæc Ierusalem & domum Iuda significat, grauissimam Dei indignationem exprimat: *Fornicata est super me Oolla, & insaniuit in amatores suos*, &c. *Propterea tradidi eos in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur*, &c. *Quod quum vidisset soror eius Ooliba, plus quàm illa insaniuit libidine, & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter*, &c. Vnde mox infert Propheta: *Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo aduersus te omnes amatores tuos, de quibus satiata est anima tua.* Et paulo post: *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua. Calicem sororis tuæ bibes profundũ & latum. Eris in derisum, & in subsannationẽ quæ est capacissima. Ebrietate & dolore replebéris, calice mœroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ, & bibes illum, & epotabis vsq; ad fæces, & fragmẽta eius deuorabis; vbera tua lacerabis, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.* Grauissimis & significãtissimis verbis indignationẽ Dei exponit Propheta in hoc genere peccati, quod post tã illustrẽ Dei visitationẽ cõmittitur. *Hæc autẽ omnia in figura contingebant illis: scripta sunt vero ad correptionẽ nostram.* Dei visitationẽ non cognoscere, est irã Dei nõ prouocare tantũ, vt omnia solẽt peccata; nec accersere tantũ, vt grauiora peccata; sed prorsus cumulatè aduersum seipsũ suscitare, &, vt Apo- D stolus loquitur, *thesaurizare. Tu* (inquit) *secundũ duritiem & impœnitens cor tuũ, thesaurizas tibi irã in die iræ.* In hoc autẽ maximè apparet durũ & impœnitens cor, quod Dei visitationes nõ agnoscit. quod Dei patiẽtia, benignitate, doctrina, inspiratione, castigatione, siue in se, siue in aliis, ad terrorẽ abutitur, ea omnia contemnens aut negligens. *An nescis quia patientia Dei, & benignitas ad pœnitentiã te adducit?* id est, idcirco tibi cõcessa est, vt ad pœnitentiã te adduceret? Hac igitur visitatione abuti, Deũ acerbissimè offendit, & eius irã thesaurizat. De quo iterũ sic Ierem. *Nũquid seruus est Israel aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædã?* Vide autem in qualẽ prædã datus est. *Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suã*: id est, potẽtissimi Principes alienigenæ, Assyrij, Idumei, Aegyptij, comminati sunt ei, & exprobrarunt: nec hoc tantum, verum etiam *posuerunt terram eius in solitudinem: ciuitates eius exustæ sunt & non est qui habitet in eis. Filij quoque Memphæos & Taphneos*, hoc est, Aegyptij, *cõstuprauerũt te vsq; ad verticem*; hoc est summa ignominia & cõtumeliis affecerunt. Sed quare hoc totũ? Sequitur: *Nunquid nõ istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominũ Deum tuum*;

Exemplum 2. Paral. 36

Ierem. 8.

Ierem. 3.

De 3. post Pent. tex. 4

Visitatio contempta, grauissimũ peccatum. Exempla. Ioan. 13. & 19.

Ierem. 3.

Simile.

Oseæ 4.

Ezech. 23.

1. Cor. 11.

Iram Dei thesaurizare.

Rom. 12.

Rom. 2.

Ierem. 2.

A *tuum, eo tempore quo ducebat te per viam?* Hoc est, eo tempore, quo te specialiter visitabat per suos Prophetas quos ad te misit, per ingentia beneficia quæ tibi contulit, per admirabilia opera quibus te ab hostibus tuis liberauit? Non dicit Propheta simpliciter, *quia dereliquisti*; sed addit, *eo tempore*, &c. vt intelligas, hoc potissimum esse, vnde Dei iram thesaurizamus, quod non cognoscimus tempus visitationis nostræ. Medicum non offendit morbus; sed morbi medicina neglecta, recusata, reiecta, magnopere offendit. Sic Deus, *qui dissimulat peccata hominum*, nunquam dissimulat duritiam cordis, & neglectas visitationes, quæ sunt medicinæ eius. Sic sæpe non ipse morbus, sed morbi neglecta curatio corpus interficit. Dicit Scriptura: *Honora medicum propter necessitatem: etenim illũ creauit altissimus.* Si propter necessitates corporeas honorandus, id est, non contẽnendus, diligenter auscultandus est medicus corporis, eiusque visitationis prescripta exactè seruanda; quanto infinities magis Dei visitationes, propter animæ necessitatem exactissimè seruari debent! Sanctus Iob à Deo castigatus, sensit & cognouit hanc Dei visitationem animæ suę salutem, dicens: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Custodiuit, quia custos virtutum est humilitas, quam illa castigatio mirabiliter auxit. *Prauam mentem* (ait S. Gregorius) *omnipotens Deus multis modis visitare consueuit. Nam assiduè hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo. Sed quia visitationis suæ tempus minimè cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio damnationis perpetuæ societate colligatur; sicut scriptum est: Cum vadis cum aduersario tuo ad*

B *Principem in via, da operã liberari ab illo*: vel, vt nos legimus, *Esto consentiens aduersario tuo in via, ne fortè trahat te ad iudicem*, &c. *Aduersarius quippe noster in via est sermo Dei, contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita.* Hæc ille. Omnis ergo verbi Dei prædicatio, est Dei circa nos visitatio. Nec multo aliter de varia Dei visitatione D. Bernardus: *Quatuor* (inquit) *modis visitat nos Deus: Exhibitione præcepti, Asperitate flagelli, Nouitate miraculi, Inspiratione subtili.* Harum quatuor prima & postrema omnibus communes sunt; secunda eorum est quos Deus magis amat; tertia quos maximè diligit. Secundam Dei visitationem supra in alia Dominica obiter explicuimus. De prima quoque & postrema iam aliquoties diximus, quum Dei vocationes, & gratias multiplices circa salutem nostram tractaremus. De postrema, quæ omnium est maximè communis, sed raro à plerisque aduertitur, sic D. Bernardus: *qui cor suum tradit ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecatur; qui votis omnibus studet parare vias Domini, rectas facere semitas Dei sui* (quod quale sit, & quomodo fieri ab vnoquoque debeat, in alia Dominica explicatum est) *vt possit cum Propheta dicere, Oculi mei semper ad Dominum; prouidebam Dominum in conspectu meo semper: hic benedictionem accipiet à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Visitabitur profectò frequenter, nec vnquam ignorabit tempus visitationis suæ, quantumlibet is qui in spiritu visitat, clandestinus veniat & furtiuus, vtpote verecũdus amator.* Hæc ille. Sed & alibi qualis sit hæc Dei visitatio, & quo-

C modo in nobis fiat, per suam experientiam docet vir sanctus. *Quæris* (inquit) *cum sint omnino inuestigabiles viæ Dei, vnde cognoscam aduenisse Spiritum eius? Viuus & efficax est, moxque vt intus venit, expergefecit dormitantem animam meam; mouit, & molliuit, & vulnerauit cor meum, quoniã durum lapideumque erat, & male sanum. Cœpit quoque euellere & destruere, edificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non & mittere prauia in directa, & aspera in vias planas* (quod quomodo Deus faciat in nobis, in alia Dominica dictum est) *ita vt benediceret anima mea Domino; & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Et paulo post: *Ex motu cordis intellexi præsentiam eius; & ex fuga vitiorum, carnaliumque compressione affectuum, aduerti potentiam virtutis eius; & ex discussione siue redargutione occultorum meorum admiratus sum profunditatem sapientiæ eius; & ex quantulacunque emendatione morum meorum, expertus sum bonitatem mansuetudinis eius; & ex renouatione spiritus mei, percepi vtcunq; speciẽ decoris eius; & ex contuitu horũ omnium simul, expaui multitudinem magnitudinis eius.* Hæc ille vir sanctus de visitatione Dei efficaci, ideoque magis perceptibili. Est tamen & frequens admodum Dei visitatio, vbi tales effectus non subsequuntur, vitio nostro. Nam vt idem ignis ligna arida faciliter, humida difficillimè adurit; & vt idem sol ceram liquefacit, lutum indurat; & vt eadem pluuia terram penetrat & emollit, arenam penetrat quidem, sed non emollit, saxum vero nec penetrat, nec emollit: sic omnino eadem Dei visitatio in quibusdam est efficacissima, vt

D duros emolliat, frigidos accendat, aridos humectet; ab aliis ne cognoscitur quidem nec aduertitur, propter duritiem cordis, aut nimium abundantes cupiditatum humores. Vnius Ionę prædicatio Niniuitas conuertit, tot Prophetarum ac demum Christi ipsius prædicationes, exempla, miracula, Iudæos conuertere non potuerunt propter duritiem cordis ipsorum. Huc pertinet quod Apostolus dixit: *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Imbrem bibere, est à Dei gratia, siue per diuini verbi prædicationem, siue per occultas inspirationes visitari. Qui sic edoctus diligenter, nihil nisi peccatorum spinas profert, tribus modis à Deo punitur. 1. *Reprobus* declaratur, id est, à facie Dei eiectus, & quem Deus amplius visitare non vult. 2. *Maledicto proximus*, id est, illam sententiam tremendi Iudicis certo expectabit, *Ite maledicti*. 3. Finis eius est ignis æternus. Nihil acerbius cõminari, nihil efficacius dicere Apostolus potuit. Ad hunc locũ pertinẽt, & huc referri possunt, quæcunque de duro corde, de consuetudine peccandi, de abusu gratiæ Dei, de vocatione cuiusque studiosè conseruanda, de admirabili Dei in nos amore, & Christi gratia, de excolenda vinea Domini, de bonis fructibus arboris bonæ, in variis Dominicis iam tractata sunt. Tot enim modis Dei visitationes ignorari, negligi, & contemni solent.

Simile. Sap. 11.

Eccli. 38.

Exemplum Iob 10.

Ho. 39. in Euang. Visitatio Dei qualis.

In Sententiis.

Do. 3. Aduent. tex. 3 Do. 2. post Pent. tex. 2 & 7. Ser. 57. in Cant. Do. 3. Aduent. tex. 4. & 4. Aduent. tex. 4

Ser. 74. in Cant.

Do. 4 Aduent. tex. 7

Similia.

Exemplum Hebr. 6. Dom. inf. Oct. Nat. Domini, tex. 2. Do. 5. post Epip. tex. 2 Do. 4. Sept. tex. 1. Do. 3. Sexag. tex. 5. Do. 4. post Pasc. tex. 5. Do. 2. post Pent. tex. 7 Do. 7. post Pent. tex. 3.

A

5. *Ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo, & ementes.*

Temporũ prophanatio. LOcus moralis contra variam templorum prophanationem. Christus Dominus in hac eiectione vendentium & mentium è templo, duobus modis eisdemque illustribus ostendit, quantopere templorum, quæ orationi & cultui diuino consecrata sunt, prophanatio ei displiceat. Primum insigni quodam miraculo. Maximum enim miraculum erat, Christum hominem inermem sine satellitio, sine auctoritate vlla humana, in conspectu sacerdotum & scribarũ, quibus maximè exosus fuerat, qui eum iam ad mortem conquisierant, quorũ vtilitati & lucro vendentes illi & mentes in templo subseruiebant; homines quoque ipsos lucri sui auidos, &, vt appareat, satis multos, & qui honestum aliquem suæ negotiationis prætextum habebãt (quæ enim illic vendebantur, ad sacrificiorum vsum erant, & vt ad manum essent, tam ciuibus quàm aduenis, qui sacrificij desiderio tenebantur; idque iuxta legem Moysis) eos tamen sine tumultu, sine strepitu, sine vlla contradictione, eijcere de templo potuisse. Sola enim hac in re auctoritate planè diuina vtebatur, qua omnium corda sic percelluit, vt resistere nec auderent, nec possent. Deinde eo hic doctrinæ modo vsus est, quo nusquam alias. Non enim sola reprehensione, sed B vi quadam & executione externa, eijciendo de templo, & alia quidem vice, *facto ex funiculis flagello percutiendo*, nunc vero, vt Matthæus scribit, *mensas nummulariorum subuertendo*, vsus fuit. Quum enim contra omnia alia peccata solam doctrinam, vel vt plurimum acrem aliquam reprehensionem, cum humilitate tamen & mansuetudine semper coniunctam, adhibuerit; hoc vno in loco & peccato etiam disciplinam externam, & castigationem, atque præsentem correctionem adhibere voluit. His ergo duobus modis docere & inculcare voluit, quantum esset scelus, templa Dei prophanare, quantopere ei charus esset templorum honor, qui certè totus ad Dei honorem redundat, vt & templorum prophanatio ad Dei contumeliam. quare in hoc facto merito recordati sunt discipuli eius quod scriptum erat, *Zelus domus tuæ comedit me.* Verè enim qui zelo domus Dei tanguntur, qui diuini honoris cura afficiuntur, ab omni templorum prophanatione, tanquam à scelere maximo, abhorrent. Piorum vox illa est: *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Impiorum proprium est, templa non prophanare modo, sed & spoliare. Exempla in Scripturis habes Nicanoris, Antiochi, Balthasaris Regis Babyloniæ, eorumque exitus horrendos. Sed & Heliodori audacia templum spoliaturi, euidenti miraculo punita est. Quod si templum illud vetus, in quo præter orationis vsum carnalia vel vmbratica erant omnia; tanto in honore haberi Deus voluit; si vbi Deus Moysi primum apparuit, terram sanctam vocauit Deus, & non nisi discalceatum accedere Moysem permisit; si vbi Deus Iacob apparuit, terribilem locum Iacob vocauit, omni videlicet reuerentia dignum; si sacerdoti Aaron & filiis eius præcipiebat Dominus, ne illotis manibus & pedibus sanctuarium Domini ingrederentur; si nihil immundum absque varia purificatione vetus illud tẽplum ingredi potuit; si *nec vas per templum illud transferri voluit* Christus; hoc est, nec in minimo prophano opere violari permisit: manifestum est, quantũ hodie piaculum sit, templa Christianorum violare aut prophanare. Nam vt *altare habemus, de quo edere potestatem non habent qui tabernaculo deseruiunt*: sic ecclesias Dei & templa habemus, in quibus orare non licet, qui vel Iudæi, vel ethnici, vel hæretici & excommunicati sunt. Et quemadmodum *nouum testamentum in melioribus repromissionibus sancitum est*, nouique testamenti sacrificium tanto est veteribus, quibus omnibus hoc vnum successit, præstantius & excellentius, quanto vmbram veritas, figuram res, manna Christus excellit: sic sunt templa nostra illo veteri magis honorãda. Si acriter est puniendus, qui fontem, vnde tota ciuitas aquam potandam haurit, veneno inficeret; non secus acerrima pœna dignus erit, qui templa Christianorum violat, ex quibus tanquam ex perenni fonte omnium gratiarũ aquas fideles hauriunt. In illis enim sacramenta salutis, verbum prædicationis, orationes publicæ, sacrificia, Christus ipse, fidelibus administrantur. Contra Donatistas, qui altaria subuertebant, eleganter Optatus ait: *Cur concidistis precibus viam, &, ne ad Deum supplicatio de more soluto ascensum haberet, impia manu quodammodo scalas subducere laborastis?* Christus quum templi prophanatores flagellis cæderet, manifestè ostendit, tales homines seruile genus esse, & flagris dignos, nec iam filiorũ Dei, sed seruorum & mancipiorum diaboli loco habendos esse. Hinc Deus apud Prophetam cum magna indignatione dicit: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* quasi diceret: Non est dilectus meus; impossibile est vt sit dilectus meus, aut filius meus, qui in ipsa domo mea, meo nomini & cultui consecrata, facit scelera multa. Est exaggeratio grauis. Malum est etiam ab inimico iniurias pati; peius ab amico. Durum est obiter in via ab amico alapam accepisse: durius est, si in domum tuam veniat, vt ibi te percutiat. Graue est, quod in domo tua te percutit: sed grauius, si sæpe & multum id facit. Totum hoc dicit Propheta, quia dilectus Dei populus in ipsa domo Dei fecit scelera multa. Tantundem de omnibus malis Christianis dicendum, qui in Ecclesia Dei faciunt insolentias multas. Quod Mahumetanus aut Paganus Deum offendat, mirum non est. Quod quilibet Christianus vel in foro Deum inhonoret, turpe & miserandum est. At in propriam Dei domum, in templum eius cultui consecratum, non modo quemlibet Christianum, sed & ipsos Dei

De hoc miraculo vide Hier. in Comm. super Mat. c. 21. & D. Chrys. Hom. 13. in Marcum.

Ioan. 1. Matt. 21.

Psal. 88. Psal. 25.

Exempla. 1. Mach. 9 2. Mach. 15 Dan. 5. 2. Mach. 3.

Exod. 5.

C

Gen. 6. 28. Exod. 40.

Marci 11. Hebr. 13.

Hebr. 9. Simile.

Li. 6. cõtra Parm. Ioan. 2.

D

Ierem. 11.

sacer-

A Sacerdotes, amicos, & notos & honoratos ministros sic venire, vt ibi Christũ percutiant, offendant, inhonorent, hoc maximè miserandum, & summum scelus est. Meritò Assuerus Rex contra Aman exclamauit: *Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea.* Appositè sanctus Chrysostomus: *Stat Sacerdos Dei, orationem offerens cunctorum. Tu autem rides, nihil timens. Non contremiscis? non colligis teipsum? Et in aulam quidem regiam intraturus, & habitu, & oculis, & incessu, & in cunctis alijs componis & ornas temetipsum. Huc autem ingressurus, vbi est aula regis, & talis, qualis cælestis est rides?* garris, ambulas, negotiaris, & quiduis potiùs agis, quàm ad quod venire debebas? Vide, obsecro. Dicit Christus de seipso: *Filius hominis non venit vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Non venit vt puniret, vt castigaret, vt iudicaret. Et tamen in hoc vno tẽpli eius abusu & prophanatione, quasi solitæ mansuetudinis, & aduentus sui oblitus, iudicium exercet, flagello percutit, mensas subuertit, æs effundit, templo eiicit, idque manu propria, & per seipsum. Si Rex à curia in hanc vrbem veniret, & suis proprijs manibus delictum aliquod puniret, argumentum esset, quòd illud delictum maximè detestaretur. Venit Christus de cœlo, vt suis propriis manibus templi sui prophanationem, & insolentias in loco sacro puniret. Peccauit Adam, & misit Angelum qui eum è paradiso eiiceret. Peccauerunt pessimi Sodomitæ & Gomorrhæi: misit Angelos, & pluit in eos ignem de cœlo. Peccauit totus mundus libidini & voluptati immersus: pluit aquas de cœlo, & diluuio perdidit. Peccauit Dauid numerando populum, & misit Angelum qui peste percuteret. Pec-
B cauerunt senes in Susannam: misit Deus Danielem puerum, qui iudicium faceret. Solum hoc peccatum suis proprijs manibus punit. Nec Angelos, nec ignem, nec aquas, nec Prophetas mittit, sed ipsemet de eo vindictam sumit. Quum singularum ferè vrbium certa sint publicæ iustitiæ loca, & in quibusdam locis certa tantùm eius tempora, & vel menstrua, vel trimestria, vel semestria iudicia; si singulare aliquod scelus, insignis proditio, aut immane flagitium perpetratur, anteuertit Princeps vel Magistratus iudicij tempus, locum quoque mutat, & vel in ipso foro, vel perpetrati criminis loco, nouis patibulis erectis, publicum supplicium sumit, & iudicium exercet: éstque hoc totum argumentum alicuius nefarij sceleris: fit ad maiorem terrorem: docet Principem, vel Magistratum grauissimè offensum, aut certè Rempublicam maximè, & notabiliter læsam fuisse. Idem in hoc Christi facto considera. Anteuertit iudicium extremum, in quo *omne iudicium dedit Pater Filio*, & vbi sedebit Iudex viuorum & mortuorum. Mutat locum, & in ipso perpetratæ insolentiæ loco iudicium exercet. Fecit hoc totum ad maiorem huius sceleris detestationem, ad terrorem & correptionem nostram: vt ostenderet Dei honorem grauissimè in hoc peccato violari, totámque Rempublicam Christianam, totam fidelium communitatem grauiter lædi. Nam vt omne peccatum cum scandalo coniunctum, hoc ipso vehementer aggrauatur; sic maximè templi prophanatio pro-
C pter piorum offensionem grauius fit crimen. Sicut ille grauiùs comites suos lædit, qui non solùm ipse errat in via, aut hæret in via, aut studio impingit, & lasciuit in via; verùm etiam alios in deuia abducit, alios iniecta manu sistit, alios protrudit & deiicit, ne progredi possint, cœptúmque iter perficere: sic qui insolentiùs in templo se gerunt, quò omnes fideles conueniunt, grauissimè in fratres suos peccant, quia non solùm ipsi id totum prætermittunt, propter quod ad templum veniunt, sed suo etiam pessimo exemplo, risu, cachinnis, fabulis, deambulationibus, aliorum orationes impediunt, perturbant, abrumpunt. Sicut vir prudens ac iustus discrimen esse nouit inter loca & tempora, & *tempus esse loquendi, tempus tacendi; tempus mittendi lapides, tempus colligendi illos; tempus plantandi, tempus metendi*: sic ab altera parte stultus & impius, nec temporum, nec locorum rationem habet; id agit in templo quod domi suæ, quod in foro, quod in popina. Sicut sus ibi ponit pedem, vbi ponit os, & non est illi discrimen inter cibum & lutum, inter comedendum & palpandum: sic impius & prophanus ibi loquitur cani suo, vbi Deo; & non est illi discrimen inter cœlestia & terrestria, inter diuina & domestica. Appositè & sapienter Sanctus Chrysostomus: *Apud primos Christianos ipsæ domus Ecclesiæ erant, nunc verò Ecclesia domus fit, imò domo qualibet prophana magis. Nam in domo quidem ordo seruari solet. Hera thronum occupat, omni cum venustate famulæ tacitè sedentes texunt: familiarium quisque, quod imperatum est, in manibus habet. Hic verò magnus tumultus, magna confusio, nihilque à caupona differunt nostra: tanta turba, tantus risus quantus in balneis, quantus in foro, clamantibus omnibus, tumultuantibus omnibus: atque hæc quidem in vrbe nostra solùm. Nam alibi ne amicum quidem, in quem post longum tempus incidisti, compellare licet, sed foris ista fiunt; & rectè quidem. Neque enim tonstrina, aut vnguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis, sed locus Angelorum, locus Archange-*
D *lorum, regia Dei, cælum ipsum.* Hæc ille: Et paulò pòst ibidem: *Quid? domos ad nugandum non habetis: Ecclesiam Dei contemnitis? Si quis est qui modestus, qui tacitus esse velit, corrumpitis? Atqui iucundum colloqui cum familiari. Esto sanè. Non veto. Sed domi, sed foris, sed in balneis fiat. Ecclesia enim non disceptandi, sed discendi locus est. Nunc autem foro nil differt; & si non sit temerarium dictu, forte nec scena ipsa: adeò prostitutis scortis petulantiùs, quæ huc mulieres congregantur, sese comunt & ornant, & sine dubio non paucos hic sollicitant homines intemperantes. Si quis corrumpere matronam conatur, locum hunc maximè idoneum putat. Emere quid aut mercari lubet? magis idonea Ecclesia est quàm forum. Sæpius enim de his rebus hic quàm in officinis loquuntur. Dicere mala, audire mala vis? etiam hoc frequentiùs hic quàm foris. Omnia denique hic faciliùs quàm Ecclesiam deprehendas.* Hæc rursum ille. Videat hic pru-

Exemplũ. Hester 7.
Hom. 15. in Epist. ad Heb.
Ioan. 3.
Simile.
Phil. Diez Fer. 6. post Domin. 3. Quadrag.
Genesis 3. 19. & 7.
2. Reg. 24
Daniel. 13.
Simile.
Ioan. 5.
Simile.
Dissimile.
Simile.
Hom. 36. in 1. ad Corinth.

dens concionator, an tantus sit domus Dei abusus, tanta prophanatio (qualem alicubi esse non ignoramus) vt hæc oportunè depromere valeat. Alioqui peccatum magis docebit quàm emendabit. Certè surgent Philisthæi, & contemptum nostrum circa Dei domum condemnabunt. Sic enim de illis sacra Scriptura commemorat: *Tulerunt Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra, ante arcam Domini. Et tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera consurgentes, inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra, coram arca Domini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto vsque in hodiernum diem.* Hæc sacra Historia duo nos docet. Primùm nihil esse commune rebus sacris vero Deo consecratis cum templis idolorum, & nullum esse posse Deo cum Belial commercium. Secundò, quanta religione templa & idola sua infideles Philisthæi coluerint, adeò vt nec limen tangere voluerint, in quo Deo suo iniuriam factam existimabant. Nos autem non solùm ab alijs factam templo Dei iniuriam non vindicamus, nec exhorrescimus; verùm etiam ipsi iniuriam facimus, & domus Dei limina impudenter calcamus. Inter alia peccata & flagitia populi Africani, propter quæ horrenda illa Vandalorum persecutio Ecclesiam Catholicam Africanam acerrimè diuexauit, hoc in primis commemorat Saluianus Massilienſis Episcopus, ea scelera describens, quæ tantam persecutionis rabiem commeruerant: *Ecclesias vel totius templa atque altaria Dei, minori in reuerentia quidam habent, quàm cuiuslibet minimi ac municipalis iudicij domum. Siquidem intra ianuas non modò illustrium portarum, sed etiam præsidum, aut præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut iudex vocauerit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprij dignitas introire permiserit: ita vt si quisquam introgressus insolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia atque existimationis suæ labe mulctetur. In templa autem vel potiùs in altaria, atque sacraria Dei, passim omnes sordidi ac flagitiosi, sine vlla penitus reuerentia sacri honoris irrumpunt: non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque eiusdem officij est, indulgentiam poscere, & iracundiam prouocare.* Hæc ille. Sanè in veteri Ecclesia hæc saluberrima disciplina viguit, vt præ foribus templorum Ostiarij ad hoc initiati excubarent, qui ex Sacerdotis præscripto indignos arcerent; ne vlla templo Dei ex ipsorum consortio macula inferretur, néve illi ingredi finerentur, qui illud prophanaturi verisimiliter viderentur. Templi honor quàm Deo sit carus, ostendit eius vindicta circa earum rerum abusum & prophanationem quæ ad templum pertinent, vt vasorum atque ornamentorum sacrorum vel contumelia, vel direptio. Iulianus senior, Iuliani apostatæ auunculus, quum vasa sacra ex Ecclesia Antiochena Syriæ abripuisset; proiectis illis in terram, cœpit petulanter post multas in Christum contumelias super ipsa vasa sedere. At illico pòst, membrum genitale, & meatus illi quos natura ad necessitatem circa illud dedit, ei contabescunt, & carnes adiunctæ putrescunt, atque in vermes conuertuntur: quo tandem morbo, medicorum omnium operis frustra tentatis, interijt. Fælix, thesauri regij sub Iuliano quæstor, sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus: Ecce (inquit) quàm sumptuosis vasis Mariæ filio ministratur. Qui repentè flagello cœlitus impacto oppressus, sanguinem dies noctésque ex ore fudit; quo vniuerso exhausto, statim extinctus est, idque antequam aulæ regiæ limen transcenderet, ait Sanctus Chrysostomus, hanc quoque historiam commemorans. In historia tripartita scribitur de quodam Thymelico saltatore, qui vestem sacram, in conferendo baptismo ab Episcopo gestari solitam (quam Cyrillus Ierosolymorum Episcopus famis grauissimæ tempore cum aliis Ecclesiæ ornamentis diuenderat) à se emptam, in scena theatrali personatus gestabat; subitóque in theatro diuinitus percussus, quia in religionis contumeliam gestauerat, interiit. Tormenta paucorum, exempla sunt omnium. Qui diuini honoris zelum habent, vt Christus sui Patris habuit, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, nec hæc exempla mirabuntur, sed Dei potiùs in tam multis hodie sacrilegijs patientiam, nec tam temerè Dei templum, vel suis insolentiis violabunt, vel ab aliis violari sinent.

1. Reg. 5. Exemplũ.

Exemplũ

De prouident. Dei, lib. 3.

Veteris Ecclesiæ disciplinã.

Vindicta Dei circa prophanatores rerũ sacrarum. Sozom. lib. 5. c. 7.

Theod. l. 3. c. 11. & 12.

In lib. contra Gentiles tom. 5. Lib. 5. c. 37

Ioan. 2.

A B C D

6. *Domus mea, domus Orationis vocabitur.*

Orandum in templis. Dom. inf. Oct. Nat. Domini, text. 5. Dõ. 3. post Epiphan. text. 2. Dõ. 5. post Pasc. tex. 1.

LOCVS moralis de Orationis studio, in Templis Deo consecratis potissimùm frequentando. Orationes & preces ad Deum factas plus in templo valere, quàm extra templum, Deóque gratiores esse, in altero Promptuario contra hæreticos ex tribus causis ostendimus: simúlque hunc esse templorum vsum maximè proprium, vt Deus illic per pias preces inuocetur, declarauimus. De ipsius Orationis assiduitate, vtilitate, conditionibus requisitis, totáque efficacia admirabili, iam in alijs Dominicis latè diximus. Hic tamen loco proprio pauca addemus, prout Deus dabit. Vult Deus domum suam, templum suum (in quo quomodo & quatenus Deus habitat, vel non habitat, in altero Promptuario explicatum est) non domum auxilij, non domum scientiæ, non disciplinæ, non iustitiæ, non misericordiæ,

A sericordiæ, non denique domum Dei; sed domum Orationis vocari, vt doceat hunc esse potissimum, & maxime principalem templorum vsum, in illis assiduè Deum orare. Qui igitur *Similia.*
in templo non orat, perinde est, ac si in conuiuio non edat, in schola non discat, in prælio non pugnet, in itinere non ambulet, in lecto non dormiat. Si domus Dei domus Orationis est, profecto qui hanc domum frequentant, maximè qui in ea ministrant, magni debent esse oratores, non potatores, venatores, negotiatores, & cætera. Est templum Dei velut pharmacopolium, vnde contra omnia mala, tam corporis quàm animi, remedia petantur, & impetrentur. Est quasi inter medios hostes, & hostium gladios inexpugnabile asylum; quò qui se recipit, & officium facit, lædi non potest. Est cella vinaria, imò penu ditissimum Dei, vbi omnia sua bona Deus tibi reposuit; sed instrumentum quo hauries, Oratio est. Sicut vetus populus habebat multas ciuitates refugij, eásque ita per totam terram promissionis dispositas, vt *Num. 35. Typus.*
vbicunque quis proximum casu læsisset, ante solis occasum eò se recipere potuisset; etsi vnicum tantùm templum, in quo publicè orare & sacrificare licuit: ita nobis frequentia Deus concessit Orationis loca, ad quæ semper confugiamus, vt iniurias quas vel proximo inferimus, vel patimur, celeriter expiemus, dicentes: *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus.* Vt nunquam in pectoribus nostris desit charitas, radix bonorum omnium. Si fugabatur Diabolus, *2. Reg. 16.*
quum Dauid citharam percutiebat; quanto acriùs fugabitur, quum in templo laudes diuinæ cantantur? Quum votis communibus, quasi vi facta, diuina virtus imploratur? De hoc Ora- *Ioel. 2.*
B tionis loco prædixit Ioël: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo; & ne des hæreditatem tuam in opprobrium.* Non personas tantùm quæ orare debent, nec verba tantùm quibus vtentur, nec populi tantum conuentum (vt in præcedentibus) sed locum quoque Orationis designat, in templi quasi meditullio; docere volens, eo demũ loco maiorẽ vim Orationes habituras ostendit. Videndum ergo cuique cur in Ecclesiam veniat, & quid acturus ad templum accedat: *Seminans* (ait Sanctus Chrysostomus) *non propter hoc seminat vt tantùm seminet, sed vt metat: quod nisi fieret, etiam damnum sementis pateretur. Mercator non propter hoc nauigat vt tantùm nauiget, sed vt peregrinatione maiorem faciat rem; sine quo damnosa erit nauigatio. Sic nos in Ecclesiam conuenimus, non propter hoc solùm vt illic immoremur, sed vt aliquod magnum lucrati, & spirituale lucrum, discedamus.* Sanctus ille senex Simeon, *venit spiritu in templum*, & ibi Christum inuenit; inuentum in vlnis complexus est, complectendo confessus est; confitendo sic gauisus est, vt cuperet statim dissolui, & esse cum Deo. Qui venit in templum spiritu, non carne; affectu spirituali, non carnali Christum inueniet: *quia omnis qui quærit, inuenit.* Nec ad templum modò Orationis causa accedere; sed Orationis finem in eo expectare, veteres Christiani piè ac religiosè solebant: ad quod suos, segnius id præstare incipientes, sic hortatur Sanctus Chrysostomus: *Medicamentum si tibi adhibeatur, nec te purget, non-*
C *ne altera die rursus id ipsum adhibes? Sit quispiam incisor arborum, ô homo, velitque quercum incidere; accipit asciam: deinde radicem incidit. Quod si vno ictu arbor non concidit, nonne & alterum ictum addit, non quartum, non quintum, non sextum, non decimum? Itidem tu facito. Ingressus es in Ecclesiam, ô homo, dignatus es Christi consortio. Ne exeas nisi dimittare. Nam si ante missionem exieris* (id est; antequam dicatur: Ite Missa est) *perinde ac fugitiuus reposceris. Totum diem in his quæ ad corpus spectant insumis, & duas horas spiritualibus non vacas? Ad theatrum sæpe adis, neque inde discedis, donec dimittaris* (donec dicatur, Valete & plaudite) *& in Ecclesiam ingressus, priusquam diuina mysteria peragantur, abis?* Hac de causa in vetustissimis Concilijs, Agathensi & Aurelianensi primo, cautum est, vt ante benedictionem à Sacerdote acceptam, quæ sub finem dari solet, populus è templo non discedat. Adeò proprium & peculiarem Orationis locum templum esse, maiores nostri crediderunt. *Cant. 47. Can. 28.*

Hom. 5. ad pop. Ant. Similia.

Lucæ 2.

Matth. 7.

In hom. de non contẽnenda Ecclesia Dei.

A

EVANGELIVM DOMINICÆ X.

POST PENTECOSTEN.

Lucæ 18. DIXIT Ieſus ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam. Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent: vnus Phariſæus, & alter publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus, tibi gratias ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri; velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare; ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo: Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. B

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Dixit ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti.* Et illud: *Non ſum ſicut cæteri hominum.* Contra vanam & peſtilentem ſui ipſius complacentiam.
2. *Et aſpernabantur cæteros.* Et illud: *Velut etiam hic publicanus.* Contra contemptum aliorum, alteram ſuperbiæ ſpeciem.
3. *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Contra vanam oſtentationem bonorum operum. C
4. *Publicanus à longè ſtans.* Peccatori ante omnia miſeriam propriam, & longam à Deo diſtantiam eſſe agnoſcendam.
5. *Nolebat oculos ad cælum leuare.* De verecundia peccatoris ad Deum per pœnitentiam reuertentis.
6. *Percutiebat pectus ſuum.* De contritione cordis pœnitenti neceſſaria.
7. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* De pœna ſuperbiæ.
8. *Et qui ſe humiliat, exaltabitur.* De certa & ampliſſima mercede humilitatis.

1. *Dixit ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti.* Et illud: *Non ſum ſicut cæteri hominum.*

Vana ſui ipſius complacentia. LOcus moralis contra vanam & peſtilentem ſui ipſius complacẽtiam. Vanum & impium eſt, ſibiipſi quenquam placere, in ſeipſo quenquam gloriari, ſeipſum iuſtum, ſanctum, doctum, ſapientem exiſtimare, & confidenter iudicare; quantumcunque ſit verè doctus, ſapiens, aut certis virtutibus præcellens. Hoc primum eſt quod Chriſtus in hoc admirabili Euangelio condemnat, exemplo Phariſæi propoſito, qui ſe iuſtum eſſe pronunciabat, & non, ſicut cæteros homines, iniuſtum. Vetus Chriſtianus *ſi gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Nulla ratio eſt, vt in ſe quiſquam glorietur. Magna & neceſſaria ratio eſt, vt in ſolo Deo glorietur, quiſquis gloriatur. Primũ, quia quicquid homo habet, à Deo habet, non à ſeipſo. *Quid habes quod non accepiſti? Si autẽ accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quòd ſi verò ne ad cogitandum quidem bonũ ſufficientes ſumus, quanto minùs ad agendũ! *Sine me nihil poteſtis facere*, ait Veritas. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminũ.* In noſtra poteſtate, & ex nobis ſolũ peccatũ eſt, boni prorſus nihil. *Perditio tua ex te Iſrael, ſalvatio tua ex me.* Nauis per ſe deſcendit in gurgitem, ſed per ſe aſcendere non poteſt. Terra ſpinas & tribulos per ſe profert, triticum & bonum granum nõ, niſi exculta, & humana arte adiuta. *Nunquid ergo gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? At nemo venit ad me* (ait Chriſtus) *niſi Pater meus traxerit eum. Quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtique lignum eſt.* Nihil igitur eſt vnde homo ſibi complaceat: quia quicquid habet, non ex ſe, ſed ex Deo habet; ideóque non in ſe, ſed in Domino gloriari, videlicet illi gloriam & gratiam referre debet. De quo ſic pulchrè D. Bernardus: D

1. Cor. 1.

1. Cor. 4. 2. Cor. 3.

Ioan. 15. Iacobi 1.

Oſeæ 13. *Similia.*

Eſaiæ 10. Ioan. 6.

Origo

A *origo fontium & fluuiorum omnium mare est, virtutum & scientiarum Dominus Iesus est. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ? Sed & iuxta Annæ canticum, ipse Dominus scientiarum est. Omnes thesauri scientiæ & sapientiæ in eo reconditi sunt. Casti & consilia, iusta iudicia, sancta desideria, fontis illius riuuli sunt. Quòd si copiæ aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus, vsusque nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales riui, vt arua mentiũ rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeũt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium cæleste profluuium, quo vberius terræ refundatur. Quomodo, inquis? Sanè vt dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes Deo. Quicquid sapientiæ, quicquid virtutis te habere confidis, Dei sapientiæ, & Dei virtuti Christo deputa.* Hæc ille. Qui sic omnia deputat Christo, in seipso gloriari, vel sibi ipse placere non potest. *Serm. 13. in Cant. Psalm. 23. 1. Reg. 2. Colos. 2. Simile. 1. Thess. 5.*

At inquies, Deum agnosco auctorem: sed interim meum est, quod mihi Deus dedit. Sanè tuum est; sed ita tuum, sicut ille tuum esse voluit qui dedit. Voluit autem, vt acceptis eius donis, ex illis non superbires, sed potius de recto eorum vsu solicitus esses. Dedit tibi vt rectè vtaris; non vt inde glorieris. Pater dat filio pulchram vestem, non vt inde superbiat, etiamsi à patre datam agnoscat; sed vt ea vtatur, vel ad necessitatem, vel ad honestatem. Quicquid à Deo accepimus, sic accepimus, vt reddẽda sit ratio villicationis nostræ, quod in alia Dominica explicatum fuit. Ridiculi nobis videntur pueri, qui de noua tunica, aut plumula in galero, sibi vehementer placent, & pulchelli propterea videntur. Sed nos magis Deo & Angelis non ridiculi modò, sed B & exosi sumus, qui propter ingenij, prudentiæ, pietatis dona à Deo accepta, inflamur & extollimur, ambulãtes in mirabilibus super nos. Qui ex modico accepto vino, aut etiam mediocri ceruisia inebriantur, ostendunt se debiles esse cerebri, & caput infirmum habere. Qui ex qualibet virtute, quolibet bono opere, aut Dei dono statim extollitur, ostendit se in vera pietate valde paruulum & debilem esse. At verò non modò sibi placere, sed & in seipso confidere, hoc multo & vanius est, & nequius. Sibi enim tribuit quod Deo proprium est, & baculo nititur ficulneo. De hac necessaria humiliatione nostri ipsius, & confidentia nõ nisi in Deo ponenda iam in aliis Dominicis aliquoties diximus; sed & infrà in alio loco huius Euangelij plura dicemus. *Nostraque sunt, à Deo sunt. Simile. Dõ. 8. post Pentec. Simile. Simile. Dominic. 3 Aduent. text. 8. Dom. 4. Aduent. text. 6.*

Nunc id vnum annotabimus, quàm singulare præ cæteris omnibus peccatis vitium sit superbia, & sui ipsius complacentia. Primũ, cætera vitia interdum quiescunt; nec semper, nec vbique in homine apparent. Gulosus & ebriosus, si domi peccant, non item foris. Libido nec semper, nec in omni loco flagrat, frigétque tandem, vel naturæ fragilitate, vel vitij tædio. Ira nisi irritetur, non molestat. At superbus in lecto, in mensa, in foro, in templo, domi forisque, in omni loco ac tempore, arrogantiæ suæ indicia profert, & actiones exercet; sicut hic Pharisæus etiam in ipso templo, etiam inter orandum, superbiæ suæ notas profert. Rursum alia vitia consortio gaudent, vt libido, luxus, edacitas, auaritia. Superbia solitudinem quærit, societatem non admittit, omnia sibi defert; se solum superbus in precio haberi, omnibus anteponi vult. C *Nec quemquam iam ferre potest Cæsarve priorem, Pompejúsve parem.* Sic duo superba capita Romanam Rempub. perdiderunt, dum hic parem non sustinet, alter superiorem non tolerat. Sic noster Pharisæus: *Non sum sicut cæteri hominum.* Vult esse homo per se. Præterea omnia alia vitia non nisi à vitiis, & à materia vitiosa generantur, fouentur, perficiuntur. Otium inuitat ad gulam, gula ad luxuriam, luxuria ad prodigalitatẽ, prodigalitas ad rapinas & furta, furtum ad iniuriam, iniuria ad maleuolentiam: quæ omnia vel generant vicissim, vel generantur, vel fouent mutuò, vel fouentur; sed eadem omnia virtutibus extinguuntur & corriguntur. Sola superbia ex ipsis virtutibus nascitur, non nisi bonis insidiatur, ex pietate ortum & incrementum capit. Quemadmodum enim ignis sulphureus aqua iniecta roboratur, ipsa aqua materiam ei & alimentum præbente, quæ tamen cæteros ignes solet extinguere: sic superbia, crescente virtute, & rebus præclarè gestis, magis inflammatur; illis quasi materia vtitur, quæ cætera vitia solent perimere. Iam verò cætera vitia singula singulas perdunt virtutes: auaritia liberalitatem, libido castitatem, gula temperantiam, iracundia beneuolentiã. At vna superbia omnes virtutes perdit, omnia bona tollit, omnia præclarè gesta euacuat, mercede spoliat, Deo reddit exosa; vt in ieiuniis ac decimarum persolutione huius Pharisęi apparet. Edidisset Eleazarus præclarum facinus occiso elephante, nisi illato imperitè vulnere, ab eodem etiam fuisset interfectus. Quoties aut peccato resistimus, aut virtutem operamur, quasi elephantem occidimus, vt vel mundum, vel diabolum, vel carnem; sed nisi à blandiente propriæ laudis memoria caueamus, ab eodem bono opere ipsimet occidimur. Deinde cætera peccata saltem cum ætate languescunt, & vinci se tandem patiuntur. Libidinẽ ætas extinguit, odium & maleuolentiam redintegrata amicitia absumit: auaritiam inducta liberalitas D profligat: gulam & ebrietatem parsimonia sæpe necessaria, interdum spontanea reprimit. Solius superbiæ tanta est pertinacia, vt aliis vitiis omnibus profligatis, sola audeat in cãpo manere, virtutique pugnam per totam ætatem inferre. Quemadmodum enim vmbra corpus, nisi vndequaque corpus illustretur, vt quum in Zenith capitis sol stat, semper consequitur, vel antè, vel retrò; vel ad dexteram, vel ad sinistram: sic superbia virtutem semper comitatur, & ex aliquo latere insidiatur, nisi quis ita luce virtutis effulgeat, vt vitiorum tenebris nihil loci relinquat, totúsque & vndique cautus ab omni parte sibi prospiciat. Vide aliam non minus insignem superbiæ singularitatem in Dominica 4. Aduentus. *Superbiæ cum aliis vitijs comparatio. 2. Lucanus lib. 1. 3. Simile. 4. 2. Mach. 6 Allegoria. 5. Simile. Text. 6.*

A

2. *Et aſpernabantur cæteros.* Et illud: *Velut etiam hic publicanus.*

Contẽptus aliorum. LOcvs moralis contra deſpectum aliorum, alteram ſuperbiæ ſpeciem. Hic enim Phariſæus non contentus ſeipſum laudare, magnificare, & cæteris omnibus præferre, etiam aſpernatur cæteros, & deſpicit præſentem publicanum, cum digito oſtendens, ac dicens: *Velut etiam hic publicanus*, eum condemnans vt raptorem, iniuſtum, adulterum. Omnia enim hæc vitia à ſeipſo remouens, ea publicano impingit. Horrenda hæc eſt & tetra ſuperbiæ ſpecies, quã Chriſtus in hoc Euangelio ſpecialiter taxare voluit. Aman à Rege Aſſuero, cui intimus erat, rogatus *quid ei Rex faceret, quem voluerit honorare*, ſeipſum ſolum illum eſſe à Rege honorandum exiſtimabat; ideóque id honoris genus Regi ſuggeſſit, quem ipſemet vehementer ambiebat: quo cùm ſe deluſum videret, totumque in pium Mardochæum eſſe tranſlatum, quem vnum præ omnibus mortalibus deſpexerat, contemptuique habuerat, peracto honoris miniſterio ex Regis mandato, *feſtinauit ire in domum ſuam lugens & operto capite, narrauitque vxori ſuæ, & amicis omnia quæ euenijſſent ſibi*: ſed & eodem die iubente Rege, ſuſpendio interiit, eidem patibulo affixus, quod Mardochæo, quem vnicè deſpexit, parauerat. Hic fuit impotentis proximi contemptus infamis exitus. Qui ſpeculum lutulentum inſpicit, ſuam tetram faciem videre non poteſt. Sic peccator, qui alios omnes quaſi nequiores ſe contuetur, & non niſi maculas in illis vel videt, vel videre ſe putat; ille ſuam ipſius fœditatem nunquam poterit agnoſcere. Sanctus Dauid dicebat: *Lauabo inter innocentes manus meas*, id eſt, opera mea ad exempla iuſtorum conformabo, illos inſpiciam & conſiderabo; vt, qualia ſint facta mea, cognoſcam. Superbus autem non niſi ſordidos conſiderat, quibus ſe præferat; vel ſordes imaginatur in aliis, vt ſuæ excellentiæ opinionem foueat. Bonus Gedeon quum Angelus Dei diceret; *Dominus tecum, virorum fortiſſime*, piè exiſtimans non ſecus cum aliis Deum eſſe, quàm ſecum; reſpondit: *Obſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia?* Iuſtus non cogitat ſe aliud præ cæteris habere. Superbus cogitat ſe omnia præ cæteris obtinere. Vide ſuperbi vocem inaniſſimam: *Non ſum ſicut cæteri hominum*. Certè, vt acutè alicubi ſcripſit Ariſtoteles, *qui non eſt ſicut cæteri homines, aut aliquid melius eſt omni homine, ſicut Deus; aut aliquid vilius omni homine, ſicut beſtia.* Eligat vtrũ velit homo ſuperbus. Profectò Nabuchodonoſor quia cor eius ſic eleuatum erat, vt cæteris omnibus terræ Principibus ſeſe anteponeret, hanc à Deo ſentẽtiam accepit: *Cor eius ab humano mutetur, & cor beſtiæ detur ei*. Porrò ad eum cæterorum deſpectum plurimos peruenijſſe, vt ſe deos eſſe ſibi perſuaderent, multa exempla docuerunt, nõ principum tantùm, vt Alexandri Magni, Neronis, Caligulæ, ſed etiam Philoſophorum quorundam, vt Menecratis cuiuſdam, de quo in alia Dominica diximus.

Exemplũ. Heſter 6.

Simile.

Pſalm. 25.

Superbi proprium.

Iudic. 6.

Apophth.

Daniel. 4.

B

C

Dom. Paſſ. tex. 5.

Similia. Hic autem aliorum deſpectus innumera gignit mala. Sicut enim mare, vt mundetur, ſolet vicina ſibi & adhærentia littora fœdare, euomens in illa ſordes omnes: ita ſuperbus vt ſeipſũ mũdet, vt ſuam tueatur excellentiam, omnibus alijs maledicit, opprobria aſpergit, vitiorum ſordes & notas impingit, ſicuti hic publicano Phariſæus. Sicut aër viſceribus terræ incluſus, exitũ ſibi quærens tandem erumpit, & terram ingenti motu quatit, & facit contremiſcere, multa interim conuoluens & ſubuertens: ſic gloriæ & excellentiæ appetitus ſuperbi hominis animo incluſus, erumpens tandem, multorum famam lædit, multos inſontes opprimit, multis bonis inſidiatur, multum tumultum facit.

Serm. 13. ſuper Cãt. Eſai. 48.

Simile.

Matth. 3. 1. Cor. 10. Rom. 14.

D

Deinde, vt hæc peſtis nihil alijs nocumenti inferat, ipſum tamen ſuperbum maximis damnis mulctat. Omnia enim quæ fecit bona, diſperdit. Vnde Diuus Bernardus ſic Phariſæum hic noſtrum alloquitur: *Cum te cæteris anteponis, deles quæ feceras opera. Si quid præclarius egiſti, debebas dicere: Seruus inutilis ſum: quod debueram facere, feci. Audi quid dicat Deus. Gloriam meam alteri non dabo. Si ergo ſolus cuncta fecit, quem ſocium habebit? Cur inflaris contra publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit quod tu?* Hæc ille. Certè ſi quis, quia in manu ſtatuarij videns ſtipitem vilem, contemneret lignum, quia informe videtur, velletq; illud in ignem coniicere, turpiter erraret; quia artifex nouit illud ſic dolare & expolire, vt pulcherrimam ex eo ſtatuam conficiat. Eodem modo ſi quid aliis deeſſe virtutis videtur, quo nos fortè non caremus, non ideo conuenit eos deſpicere, quia *poteſt Deus etiam ex lapidibus iſtis filios Abrahæ facere. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit. Stabit autem. Potens enim Deus ſtatuere illum.* De hoc aliorum contemptu, vide plura in Dominica 1. poſt Pentecoſten, text. 2.

3. *Ieiuno bis in ſabbato: Decimas do omnium quæ poſſideo.*

Oſtentatio boni operis LOcus moralis contra vanam oſtentationem bonorum operum. Non enim hæc Phariſæi opera Chriſtus damnat, ſed vaniſſimi hominis vanam, & ſtolidam, & importunam oſtẽtationem. Venit in templum oraturus, & à Deo vel peccatorum veniam, vel benè viuendi gratiam, profectum, perſeuerantiam petiturus; quaſique iam totus plenus ac ſatur, modicũ quod

A quod fecerat, ostentat. Ineptus & ridiculus ille esset, qui eleemosynam petiturus, se prius annulis, torquibus aureis, & vestibus pretiosis ornaret, existimans ea sibi adiumento fore; talia enim ostendunt eum omnium minimè indigere. Pauperes sua potius mala, miserias suas patefaciunt, vt alios ad misericordiam inflectant. Gabaonitæ vt à Iosue gratiam & misericordiam obtinerent, venerunt ad eum, induti veteribus vestimentis, calceamenta gestantes perantiqua, & trita, quæ ad indicium vetustatis pitacijs consuta erant. Contrà, vana ostentatio odiosa est, & odium prouocat. Cæus quidam ætate prouectus, venit Lacedæmonem, & cum turgeret superbia, canos suos occulere tinctura conabatur. Itaque cum in conspectum Lacedæmoniorum veniisset, ostenso tali capite, exposuit quorum gratia venerat. Consurgens autem Archidamus Rex Lacedæmoniorum; Quid, inquit, hic sani diceret, cuius non solum animus, verũ etiam caput fucis contaminatum est? Et explosit eius dicta, hominis ingenium ex vana ostentatione redarguens. Quemadmodum ægrotus, qui à medico ictus, puriorem sanguinem emittit, grossiorẽ retinet, deficit; ille verò qui puriori retento, inutilem, grossum, & corruptum emittit, conualescit: sic peccator qui bona sua prædicat, & mala tacet, salute excidit, ille autem viuit Deo, qui bonis silentio compressis (neque enim ea vel ignorat, vel obliuiscitur Deus) quidquid mali habet, coram Deo medico, sapientissimo exponit. Rursum, qui sana membra medico ostendit, & vulnera tegit, nunquam curabitur, imò potius quotidie deterius se habebit. Sic qui boni magis
B videri appetunt quàm esse, dum bona sua iactitant, & mala tacent, bonorum mercedem amittunt, malorum remediũ non inueniunt. Gallinæ quum oua excusserint, statim clamitant, suoq; efficiunt clamore, vt oua sua statim auferantur. Sic bona opera iactabundi dæmones deprædãtur. Nullus ponit amico suo poma, quæ vento ab arbore deciderunt, sed quæ manu colligũtur. Sic Deo non sunt apponenda bona opera quæ vento vanæ gloriæ deiiciũtur; sed quæ laboriosè confecta, in apotheca pectoris reposita fuerunt. Iusto satis amplum theatrum & frequẽs est Dei tribunal, suæq; conscientiæ testimonium. Vnde Apostolus de priori; *Qui me iudicat, Dominus est*: de posteriori: *Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ*. Dicit Christus: *Noli tuba canere ante te*. Tuba canit ante se, qui bona sua opera alijs iactat; qui suas canit laudes; qui suorum gestorũ historiographus est, & buccinator. Nemo ad suam concionem campanam pulsat, nisi vbi id necessitas postulat, aut euidens vtilitas: quæ etiam faciunt, vt & seipsum laudare, & aliorum laudes coram efferre sit laudabile. Vtrunque fecit Apostolus, sua bona opera Corinthijs enumerans, & Hebræorum bona opera ipsismet commemorans, adeóque in memoriam reuocans. Sed extra hos casus pura vanitas, interdum & magna impietas est. Præcepit Deus filijs Israël, *ne tonderent primogenita ouium*. Qui virtutis initium, & bonum quod fecit, aliis enarrat, primogenita ouis tondet; quia sublato secreto, quo quasi quodam vellere virtus ipsa tegebatur, tonsa postmodũ vir-
C tus manet, omnique vera laude nudata.

Simile.

Exempla Iosue 9.

Ælianus de var. hist. lib. 7.

Similia. 1. 2. 3. 4.

1. Cor. 4. 2. Cor. 1. Matth. 7. 5. 2. Cor. 11. & 12. Hebr. 10. Deut. 15. *Allegoriè.*

Quanta porrò hæc iniquitas sit, S. Iob his verbis pronunciat: *Si lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimũ*. Ille manum suam ore proprio osculatur, qui opera manuum suarum ore proprio narrat, commendat, buccinat. *Qua in re* (ait S. Gregorius, hunc locum exponens) *quis despicitur, nisi is, qui ipsa operandi munera largitur? Nam auctoris sui gratiã negare conuincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Hæc est iniquitas maxima; quoniam omne peccatum quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit, quia à superno iudice veniam requirit. Præsumptio autem virtutis propriæ, tanto grauius in desperatione est, quanto longiùs ab humilitate. Camque vires sibi tribuit operis, ad adiutorium non recurrit auctoris*. Hæc ille. Tres sunt videlicet huius vanitatis gradus. Primus est, cum lætatur in abscondito cor nostrum, & sola cogitatione nobis ipsis applaudimus, memores eorũ quæ benè operati videmur. Secũdus est, cum etiam in proprias laudes erumpimus, aut certè nostra benefacta cupidè cõmemoramus, & aliis quasi venalia exponimus, inanẽ laudem captantes. Tertius est eorũ qui ab hac duplici stultitia & iniquitate liberi, alienis tamen fauoribus & laudibus exultant. De his tribus sapiẽter D.
D Gregorius; *sic profectus est hominum, sicut incrementa esse conspicimus arbustorum. Vis quippe futuræ arboris prius in semine est, postmodum in ortu, atque ad extremum producitur in ramis. Sic vniuscuiusq; virtus crescit operantis. Seminatur namque in intelligentia, oritur in operatione, conualescit ad profectus latitudinẽ. Sed cum quemlibet sua intelligentia extollit, arbor quæ oriri poterat, in semine putrescit. Cum verò post operationẽ bonã elationis & ostentationis peste corrumpitur, quasi iam orta siccatur. Cum verò neque intelligentia, neque operatio corrumpit, sed fauor laudantium operantis animum euertit, linguarum ventos arbor pertulit; & omne quod in ea robustum creuerat, tẽpestas famæ radicitus euulsit*. Hæc ille. Nemo igitur sua bona prædicare, suas virtutes ore proprio buccinare debet.

Lætantiæ impietas. Iob. 31.

Moral. lib. 22. cap. 10.

Ostentationis gradus tres.

Vbi suprà, cap. 5. Simile.

Esset quidem Dux supplicio dignus, qui castrum regium sibi vsurparet; sed multo maiori dignus, si regnum ipsum. Sic multum Deo displicet in bonis temporalibus Deum largitorem non agnoscere; maximè verò quando in spiritualibus bonis id fit. Christus enim per gratiam regnat in cordibus fidelium. Amygdalus, prunus, & aliæ quædam arbores, quia præcoces nimiũ producunt flores, sæpius fructu carent. At morus semper retinet fructum suum, quoniam serius floret. Stomachus validiùs hyeme quàm æstate cibum concoquit: quia calor qui in æstate externa corporis occupat, & per ea diffunditur, in hyeme latet in corpore. Aratores post satum frumentum gelido tempore gaudent, calidum detestantur; quia gelu terra erumpentia gramina cohibet, donec altius & firmius radices agat: at calor statim malè hærentes herbas euocat,

Similia. 1. 2. 3. 4.

& tenuiores,ac minus fructuosas reddit. Eodem planè modo accidit illis, qui bona opera quæ A
1.Cor.4. faciunt, intus apud se non continent, donec ea Deus manifesta faciat, *quando reuelabit occulta cordium, & laus erit vnicuique à Deo*; sed humano iudicio & commendationi ea exponunt in præ-
Allegoria. senti; vnde apud Deum gloriæ fructum non assequuntur. Iussit Deus in veteri Lege, vt etsi ex omnibus alijs sacrificijs quædam pars Sacerdoti cederet, thus tamen totum sibi offerretur.
Esaiæ 1. Postea nihilominus apud Esaiam dicit: *Incensum abominatio est mihi.* Vnde hæc tam contraria Dei sententia? Sanè quia qui incensum offerebant, pleni erant vanitate, immunditia, iniquitate, vt ibidem Propheta copiosè describit. Sic displicent Deo quæcunque bona opera cum vanitate &
Similia. ostentatione coniuncta. Sicut optimi cibi inordinatè sumpti ægritudinem adferunt, venenum
1. verò in medicina sumptum, vt in theriaca, sanitatem operatur, sic aliqui cum virtutibus ipsis tumescunt, & animæ perniciem sibi conciliant, vt hic Pharisæus: alij in peccatis humiliantur, vt hic publicanus, & interdum ad maiorem perfectionem resurgunt, sicut Dauid, cuius hæc vox
*Psalm.*118. erat: *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Qui vas aliquod plenum pretioso liquore portat, quanto
2. ipse liquor pretiosior est, & vas plenius, tanto maiori cura ac diligentia illud fert, ne quid effundat. Eodem prorsus modo, quanto quis virtute plenior est, eáque præstantiore, eo attentius cauere debet, & cautius prospicere, ne temerè prædicando eas effundat, totúmque vas suum euacuet. B

3. Omnis artifex quanto altius parietem ædificauit tanto in opere vigilantius & cautius procedit, ne cadat. Altitudo enim loci, hominis cerebrum naturaliter perturbat, & è sublimi despicientem aliquando præcipitat. Sic iustus quanto altius spirituale suum ædificium erexit, quãto plus in pietate profecit, quanto excelsiorem bonorum operum structuram condidit, tanto modestius ambulare, tanto minus se vento humanæ laudis cõmittere, tanto parcius ad inferiora despicere debet, ne statim ex magna illa aliorum à se distantia inflatus præcipitetur, & sui ipsius ingentem ruinam edat. Talis videtur eius ruina fuisse, de quo sic in Apocalypsi legimus:
*Apocal.*3. *Vtinam aut frigidus esses aut calidus*, id est, aut apertè malus, aut perfectè bonus. *Nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*, id est, quia aliquas habes apparentes virtutes, sed illis non nisi ad iactantiam abuteris, es in proximo periculo perditionis. Etsi enim frigidus, & omni virtute carens te multo deterior est, tamen facilius sanari potest quàm tu, quia peccata sua facilius cognoscet, eo quòd omni virtutis fuco careat, tu verò morbum tuum cognoscere (sanus enim videris tibi ipsi) nullo modo potes. Ideo sequitur statim apud Diuum Ioannem: *Quia dicis quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo* (hæc est vox iactantis Pharisæi) *& nescis quia tues*
Similia. *miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Tam verè nihil es, & nescis; & quia nescis, in-
1 curabilis es. Infirmus, qui se morbo oppressum nescit, medicinam non quærit. Superbus, quia
2 se virtute plenum existimat, Christi gratiam & medicinam non implorat. Quemadmodum ne- C
mus vmbrosum prima fronte amœnum, tanta oblectatione pascit oculos, virentium plantarum varietate, & densitate, vt videatur non nisi voluptatis causa comparatum; quum intus sit
3. plenum serpentibus venenatis, lupis rapacibus, fortè & latronibus: sic hypocrita, & vanus ostẽtator sui, cum foris sanctus appareat, propter opera secundùm substantiam bona, oblectat oculos videntiũ; at intus latet superbia, ambitio, inuidia, cæteráque scelera, indomitarum ferarum
4. more, in miseri cordis sylua passim vagantia. Omnia quippe non nisi vanitati seruiunt. Sicut organorum pulsatores, nisi eis ventosos folles quis leuet, nullum penitus sonũ efficiunt; & nautæ non soluũt è portu, nisi vẽtum nacti opportunum: sic planè superbi homines, nisi laudibus effe-
5. rantur, in virtutis actionem non incumbunt. Hi non rectè facta, sed rectè factorum præmia sequuntur; ac si quis agrũ coleret, triticique sementẽ iaceret, non propter triticũ, sed propter varios illos flores qui tritico adnasci solent, spontéque succrescere. Sic enim vera laus virtute non
6. quæsita, sed vltrò sequitur. Sunt etiam hi illis similes, qui quæ longo temporis interuallo, magno studio & labore adepti sunt, aleis, aut pictis chartis ludentes vna horula amittunt. Sic enim
2.*Reg.* 10. iste Pharisæus sua ieiunia, suásque eleemosynas vna iactabunda oratione prodegit. Sicut Dauid noluit seruos suos in cõspectum eius venire, qui dimidiam barbam rasam habebant, sed præcepit eis manere in Iericho, donec tota succresceret: sic Deus in suum cõspectum & fauorem nõ admittit opera dimidiata, id est, quæ secundùm substantiam operis, & in genere suo bona sunt, sed secundùm modum agendi, & ex parte intentionis ac finis, vanæ videlicet ostentationis gra-
7. D
*Moral.l.*19 *cap.*17. tia, malà sunt. *Si qua ciuitas* (ait S. Gregorius) *contra insidiantes inimicos magno valletur aggere fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, vnũ verò in ea foramen tantummodo immunitũ per negligentiã relinquatur, inde procul dubio hostis ingreditur, qui vndique exclusus videbatur.* Sic Pharisæus iste bonis operibus vtcunque vallatus, per vnum iactantiæ foramen hostem intromisit, & pe-
8. rijt. Sola quippe destructa humilitate, & intromissa superbia, tota virtutis structura corruit. Quemadmodum enim domus non propter trabem vnam collapsam, aut tigna corrupta, sed basi & fundamento corrupto ac putrefacto, tota necessariò corruit: sic humilitate destructa, & Dei gloria (quæ omnium bonarum actionum finis ac fundamentum est) sublata, vanáque & humana in locum eius suffecta, tota spiritualis ædificatio corruat necesse est. *Laudet te alienus, & non os*
*Prou.*27. *tuum*, ait Sapiens. Certè laus in ore proprio, mendacij laudantem arguit. *Quis enim credat parieti,*
*Serm.*15. (ait S. Bernardus) *sese dicat parturire radium quem susceperit per fenestram? Aut si glorientur nubes quod*
in Cant. *imbres genuerint, quis non irrideat? Mihi liquidò constat, nec de canalibus oriri riuos aquarũ, nec de labijs, vel*

dentibus

A *dentibus verba prudentiæ, etsi sensus vltrà corporeus non attingat. Si qua in sanctis digna laude intueor, clara veritatis luce intueor laudabilem alium apparere, alium esse: & laudo Deum in sanctis suis. Nec laus calami, laudabilis est pictura siue scriptura; nec gloria linguæ aut labiorum sermo bonus.* Sed vt illa, sic totus homo instrumentum potius virtutis est, quàm causa; certè nec sola, nec principalis causa est; quare nec se solum laudare, nec principaliter debet, nisi qui apertum Deo bellum indicet. Plura de hoc absurdissimo vanæ ostentationis vitio iam suprà in alijs Dominicis protulimus, quæ huc referri possunt. *Do. 3. post Epiphan. text. 3. Domin. 4. Quadrag. text. 6.*

4. *Publicanus, à longè stans.*

LOCVS moralis, ad peccatoris instructionem, vt ante omnia suam miseriam agnoscat, & statum peccati in quo est, longè miserrimum confiteatur. Publicanus enim iste peccator grauis ideò à longè stat, non audēs ad Dei sacrariū propiùs accedere, eo quòd se per peccatū à Deo elongatum esse, multūq; recessisse, humiliter & veraciter agnouerat. *Iustus in principio sermonis accusator est sui.* Si iustus humiliter multo magis peccator veraciter à sui accusatione incipit, idq; non verbis tantū, sed & factis, totóq; corporis gestu. Tale fuit conuersionis principiū in filio prodigo. *In se reuersus* (id est, elongatus tam à seipso, qui prior fuerat in domo paterna in B statu gratiæ, quā à Deo, de redeundo cogitans.) *Quanti* (inquit) *mercenarij in domo patris mei abūdant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum.* Nouerat se longè à patre suo abesse: ideo dicit; *Surgam, & ibo.* Sic in Osea Propheta peccatoris conuersio describitur. Quū enim peccator peccandi adhuc studio dilinitus diceret: *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum;* Dei misericordia volens peccatorem saluum facere, & quærens ouem perditam, contrà sic dicit: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam illam maceria, & semitas suas non inueniet; & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos; & quæret eos, & non inueniet* (hoc est, impedimenta iniiciam, quo minus liberè pecces; vel tribulationem immittens, vt filio prodigo iam iam fame pereunti; vel occasiones peccati rescindens, vel opportunitates auferens) *& dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorē, quia mihi melius erat tunc, quàm nunc.* Hic vir prior, Deus est, cui vel in prima creatione, vel in secunda per Christum regeneratione, anima desponsata est. Ab hoc viro priore anima peccatrix in primo conuersionis pūcto se longè distare cognoscit, ideóque reuerti desiderat. Absque hac agnitione desiderium reuertendi nullū est. Peccatores impœnitentes non aduertunt se longè esse à Deo, imò in medijs voluptatibus atque peccatis omnia sibi salua ac tuta promittunt. At vbi primum conuersionis studio tanguntur, vident se longissimè abesse à salute, dicentes cum Propheta: *Longè à salute mea* C *verba delictorum meorum,* & agnoscentes illud: *Longè à peccatoribus salus.* Qui in foueā aut fossam decidit, si casu delectatur, optimo loco videtur esse: at vbi primum emergere contendit, tunc demum se malo loco se aduertit, & auxilium implorat, suæ sibi miseriæ conscius. Primus ad indulgentiam gradus est, agnoscere delictum, fateri miseriam. Vnde Paulus consulit, dicens: *Non vos defendentes charissimi.* Iudas filius Iacob, licet innocens esset, propter scyphum inuentū in sacco Beniamin, seipsum tamen accusauit, vt Ægypti principem flecteret, dicēs: *Quid respondebimus domino nostro? Deus inuenit iniquitatem seruorum suorum.* Loquens Propheta Oseas cum populo Israëlitico, sic ait: *Conuertere Israel ad Dominum Deum, quoniam corruisti in iniquitate tua.* Sed vnde cōuersionis exordium sumant, mox explicat, dicens: *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorū nostrorum.* Vitulos labiorum vocat Propheta verba humilia, quæ à corde contrito exeunt, eiúsq; miseriam patefaciunt. In huiusmodi enim verbis lingua & labia quasi mortificantur. *Mansuetorum & humilium semper tibi placuit deprecatio,* ait S. Iudith. *Deus enim* (ait Sapiens) *dissimulat peccata hominum propter pœnitētiā.* Vide quanta humilitate etiam iusti ad Deum accedunt; vt sic, quid peccatorem facere conueniat, certius intelligas. Abraham volens pro Sodomitis intercedere. *Quia* (inquit) *semel cœpi, loquar ad Dominum meum, quum sim puluis & cinis.* Quasi dicat, ne irascaris mihi quod pro aliis oro, D quum sim ipse peccator. Sic & Iacob faciebat, quū timeret à facie fratris sui Esau: *Domine Deus, minor sum omnibus miserationibus tuis.* Nec aliter Dauid, quum iam in altissima pace, maximaque rerum affluentia regnaret: Quis (inquit) ego sum Domine Deus, aut quæ domus mea & patris mei, quod adduxisti me vsque huc? Sic & socij Danielis in mediis flammis ambulantes, Deum benedicebant. *Iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera.* Denique ipse Daniel pro se & pro populo suo oraturus ab hac humili confessione orditur: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus & declinauimus à mandatis tuis & iudiciis. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei.* Vides quam longe stat & quam longe se ponit à Deo suam & suorum miseriam agnoscens. Si sic iusti se humiliant quomodo erecta ceruice stabit impius? Si sic columnæ contremiscunt quomodo tabulæ sibi firmæ videntur? Si amici & domestici tam timide fores pulsant extranei, & à Deo per peccatum diuisi, quanto cum tremore ad Deum debent accedere? Plura de hoc necessario humilitatis exordio in negotio pœnitentiæ, & reconciliationis cum Deo, in aliis iam Dominicis diximus, quæ huc referri possunt.

Peccatoris instructio. *Prou. 18.* *Luc. 15.* *Osea 2.* *Psalm. 25.* *Psalm. 118.* *Simile.* *Rom. 12.* *Exemplū.* *Gen. 44.* *Osea 14.* *Iudith 9.* *Sap. 11.* *Exempla.* *Genesis 19.* *Genesis 32.* *2. Reg. 27.* *Daniel. 3.* *Daniel. 9.* *Dominica 3. post Epiphan. text. 8 Domin. 1. post Pasch. text. 4.*

A

5. *Nolebat oculos ad cælum leuare.*

Verecũdia peccatoris.

LOcus moralis de verecundia peccatoris ad Deum per pœnitentiam reuertentis. Quum enim iſte publicanus, vt exemplum quoddam pœnitentium à Chriſto hic proponatur; ſingulæ orationis eius circunſtantiæ documentum præbent. Noluit ergo præ pudore, & verecundia ſcelerum ſuorum oculos ad cælum, id eſt, ad Deum cæli leuare. Eſdras quum pro populo oraret, cum hac verecundia acceſſit, dicebat enim: *Deus meus, confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum.* Magdalena peccatrix, indignam ſe reputans quæ faciem contra Chriſtum leuaret, *ſtetit retrò ſecus pedes Domini.* Rex Manaſſes in ſua oratione ſic loquitur: *Non ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum.* Appoſitè Propheta Ieremias: *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi & Reges eorum, principes, & ſacerdotes, & prophetæ eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu.* Hoc eſt, ſic confundi deberent. Alioqui tanta erat eorum impudentia, tanta eſt quorumlibet peccatorum qui in malitia ſua obſtinati ſunt, pertinacia, vt de illis verum ſit, quod idem Propheta de illis alibi dixit: *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Sicut mulier à viro in adulterio deprehenſa maximè confunditur: ſic anima peccatrix violata fide cum Deo, confundi debet. Mulier illa ſanguinis profluuium paſſa, non audebat corã ad Chriſtũ accedere, ſed retrò veniens, *fimbriam tantũ veſtimenti tetigit*, & ſanata eſt. Cũ Aſael frater Ioab Ducẽ Iſraëlitici populi Abner fugientem inſequeretur, dixit illi Abner: *Recede, & noli inſequi, ne compellar te cõfodere cum terra, & nõ potero leuare faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Si propter occiſum in bello, idque in ſua neceſſariã tutela, ſic vultus potentis ab ipſis potẽtibus formidatur; quanto magis Dei Patris facies timenda nobis eſt, ne ad eum oculos leuare audeamus, poſtquam peccato lethifero, Filium eius vnicè dilectum iterum crucifiximus, vt Apoſtolus loquitur? Eſt autem hæc verecundia non minus peccatori vtilis quàm neceſſaria. Vnde ſic de ea D. Ambroſius: *Plurimùm ſuffragatur reo verecunda confeſſio; & pœnam, quam defenſione euitare non poſſumus, pudore ſubleuamus.* Et iterum alio in loco: *Quem commiſi pudet, neſcit poſtea tale aliquid committere, vnde ſimiliter erubeſcat.* Hæc ille. Habes plura in loco proximè præcedente.

Exempla.
1. Eſd. 9.
Lucæ 7.
Oratio Manaſſis.
Ierem. 2.
Ierem. 3.
Simile.
Exempla
Matth. 9.
2. Reg. 2.
Hebr. 6.
In Pſal. 37 Apolog. Dauid c. 9

B

6. *Percutiebat pectus ſuum.*

Contritio cordis pœnitenti neceſſaria.

LOcus moralis de contritione cordis pœnitenti neceſſaria, quam hac externa pectoris tũſione publicanus profitebatur, vt in altero Promptuario latiùs dictum eſt. Percutiebat pectus vbi erat cor, ex quo omnia peccata pullulant, iuxta illud Saluatoris: *De corde exeunt quæ inquinant hominem, furta, homicidia, adulteria.* Deus per Ioelem ſic pœnitentes alloquitur: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*: id eſt, non tantũ exteriùs ſigna doloris oſtendite, ſed & interiùs verum dolorem habetote. Sicut arbor quę radicitus euellitur, terrã in qua hærebat, deiicit & comminuit; ſic peccatum quod radicitus & omnino euellitur, cor in quo hæſit, neceſſariò commotum valde & afflictum relinquere debet. Vbi cordis afflictio non ſentitur, ibi adhuc peccatum hæret radice tenus, etſi fructus proferre ad tempus deſinat. Quemadmodum vermes, qui in puerorũ inteſtinis generantur, pharmacis quibuſdam vehementer acribus & amaris excutiuntur; ita peccatum in intimis animi ſeceſſibus habitans, pœnitentiæ & doloris acrimonia extinguit. Doloris de peccato ſummam neceſſitatem, ſi rectè cõuerti volumus, diſertè Scriptura docet: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in fletu & planctu. Dole & ſatage filia Sion quaſi parturiens. Poſtquam percuſſiſti me, egi pœnitentiã, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meũ. Quod plangentis & ſuper errore priſtino plorantis indicium eſt*, ait S. Hieronymus. Sed regius Propheta, qui & pœnitentis perſonam accuratè egit, clariſſimè hoc docet: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Et rurſum: *Rugiebam à gemitu cordis mei: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Quod à nobis quemadmodum fieri debeat, docet Ambroſius: *Ille qui ſui ſolicitus gubernator eſt, atque ingemiſcens & dolens, lapſus ſuperioris offenſam quærit quomodo abluat fluctibus pœnitentiæ, hic lauat per ſingulas noctes lectum ſuum*, id eſt, *per ſingula peccata cor ſuum mundat.* Sed & rurſum S. Dauid: *Deus meus, vitam meam annunciabo tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Vbi pulchrè D. Ambroſius: *Lachrymæ* (inquit) *legationem ſolent ſuſcipere pro delictis.* Sic Petrus abnegato Chriſto *exiuit foras, & flenit amarè.* Paulus quoque: *Quæ ſecundũ Deum* (inquit) *triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum* (id eſt, propter offenſum Deum) *contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem*, ne denuo peccetis: *ſed defenſionem* corã iudice Deo, *ſed indignationem* de præteritis cõmiſſis; *ſed timorẽ* de futuro relapſu; *ſed deſiderium* nouæ vitæ, *ſed æmulationem* gloriæ Dei, vt per nouam vitam eum glorificetis, quem peccato inhonoraſtis; *ſed vindictam. In ſeipſo enim vindicat* (ait Ambroſ.) *qui ſe cauſa delicti affligit.* Quod ita S. Dauid fecit, vt diceret: *Exitus aquarum deduxerũt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Hunc igitur de peccato dolorem, vt certum peccati remedium, vt Deo ſacrificium acceptum, vt iuſtam offenſæ vindictam, diligenter iuxta Scripturas docent Sancti Patres.

Matth. 13.
Ioel. 2.
Similia.
Baſil. Hom de ieiunio.
Ioel. 2.
Micheæ 4.
Ierem. 31.
In Cõment. ibidem.
Pſal. 50.
Pſalm. 6.
In Pſ. 118. Conc. 7. num. 7.
Pſalm. 55.
In pſal. 37.
Lucæ 22.
2. Cor. 7.
In Comment. ibid. Pſalm. 118.

C

D

A Patrès. Cyprianus *plenam pœnitentiam* vocat *quæ dolentis & lamentantis animi probat mœstitiam*: & eorum cæcitatem grauiter reprehendit, qui nec agnoscunt delicta, nec plangunt. Augustinus ait, *satisfieri Deo per pœnitentiæ dolorem*. Et iterum: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei: quare in pœnitentia non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris*. Et D. Gregorius: *Nequaquam satisfacimus si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates, quas dileximus, è contrario appositis lamentis insequamur. Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrarijs medetur*. Quod adeò verum est, vt verissimè scribat Chrysostomus: *Tristitiam nobis Deus non ob aliud indidit, nisi propter solum peccatum*. Quod alio in loco latius ex eo deduximus. Horum sententiæ accedit S. Basilius: *Fle super peccato, peccatum luctu est, & implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum profluant effusissimæ lachrymæ, nec desinat ex imo pectoris recessu iugiter prosilire suspiriosus gemitus. Flebat Paulus inimicos crucis Christi: flebat Ieremias internecionem pereuntis populi: Flebat Dauid, & dixit; Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*. Plura huc pertinentia vide suprà in alia Dominica. Hæc sacræ Scripturæ, hæc sanctorum Patrum manifesta doctrina est, dolorem cordis, sanando peccato necessarium esse. Sic publicanus iste, acerbo peccati dolore tactus, percutiebat pectus suum.

Serm. 5. de lapsis. *Hom. 50. Enchirid. cap. 65.* *Past. curæ par. 3. Admonit. 31.* *Hom. 7. ad pop. Ant.* *Hom. in Mart. Iulit.* *Dō. 9. post Pent. tex. 1*

B

7. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.*

LOcus moralis de pœna superbiæ. Reddit Christus causam cur Pharisæus cum omnibus suis virtutibus condemnatur, & in domum suam descendit non iustificatus. Quia videlicet seipsum exaltauit, seipsum prædicauit, seipsum glorificauit, in seipso sibi complacuit, in seipso confidebat, tanquam ex seipso iustus. Hæc sententia cū altera illi coniuncta (*Qui se humiliat, exaltabitur*) ter à Christo in Euangelio repetitur, vt eam tum tanto certius verissimam intelligeremus, tum intellectam memoriæ firmius impressam teneremus. Nam & bis à D. Luca, & semel à S. Matthæo diuersis vicibus à Christo pronunciata legitur. Tanto igitur adhuc diligentius pertractanda est, etsi de hoc argumento iam in aliis Dominicis iterum atque iterum dictum sit: sicuti in duobus primis huius Euangelij locis annotatum est. At primùm non dicit Christus, Qui exaltatur; sed, *Qui se exaltat*. Non potestas aut status, sed elatio, & vana sui ipsius exaltatio condemnatur, quocunque ea modo fiat, siue per ambitionem, & desiderium celsitudinis, siue per vanam complacentiam acquisiti honoris, siue per despectum aliorum, siue per confidentiam & gloriationem in seipso. Tot enim modis homo se exaltat per superbiā: & tot modis Deus irritatur vt superbientem humiliet. Angelos superbientes, & seipsos exal-

C tantes; ad ima detrusit Deus. Dauidem, quia eleuatum est cor eius; & iussit populum numerari, vt gloriaretur in potentia, acerba peste imminuto populo puniuit. Chore, Dathan, & Abiron, quia seipsos exaltare voluerunt, dicente illis Moyse, *Multum erigimini filij Leui*, viui in infernum descenderunt. Alia ex Scripturis exempla alibi prolata sunt. Nummus qui descendit in statera, in thesaurum mittitur; qui vero ascendit, reprobatur. Sic superbi reprobantur à Deo. *Et ipsi* (inquit Dauid) *de manu tua repulsi sunt, & proiecisti eos dum alleuarentur*. Sicut lanx trutinæ, quanto leuior est, tanto amplius sursum ascendit: sic quanto homo vanior est & inanior, tanto se exaltat magis. Sicut fauus eo plenior melle esse solet, quo in imo magis alueario resederit, & quanto excelsior est, tanto ferè inanior conspicitur: ita superbus & arrogans inanis à Deo relinquitur, humilis gratia repletur. *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes*. Aquila in altum admodum testudinem eleuat, indéque inter immania saxa, vt cibum extrahat, miserè præcipitat. Sic in persona superborum dicit Iob Deo: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens me, allisisti me valdè*. Vnde Sapiens: *Ante ruinam exaltatur cor hominis*. Luctator vt aduersarium fortiùs deiiciat, eum sursum in aërem leuat. Sic superbus, vel à seipso, vel à diabolo exaltatur, vt grauiori casu ruat. Esaias Propheta quum de superbo dixisset, *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea?* &c. subiungit: *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis*. Docet citò & acerbè perituros, qui contra Deum superbit, seipsum exaltans. Ad Sennacherib verò Regem Assyriorum, qui per Rabsacem seruum suum exprobrauerat ciuitati Ierusalem, & Deo habitatori eius, sic per Prophetam Deus loquitur. *Cùm fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti*. Potrò ad principem Tyri sic per Ezechielem Deus loquitur; *Eo quòd eleuatum est cor tuum sicut cor Dei, idcirco ecce ego adducam super te alienos rōbustissimos gentium: interficient te, & detrahent te*, &c. Sed & Pharaoni principi Ægypti similiter comminatur Deus: *Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem suam virentem atque condensam, & eleuatum est cor eius in altitudine sua; tradidi eum in manus fortissimi gentium, faciens faciet ei. Iuxta impietatem eius eieci eam*. Alexander Magnus, quum Dario dimidium regni sui offerenti responderet, nec terram duos soles, nec Asiam duos reges ferre posse; non ita multò pòst in flore nti ætate moritur, veneno sublatus. Contra superbos Moabitas sic intonat Esaias: *Audiuimus superbiam Moab. Superbus est valde. Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plus quàm fortitudo eius. Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus vlulabit*.

Sed exemplorum non est numerus. Causas breuiter annotabimus. Deus est purissima veritas;

Superbiæ pœna. *Luc. 14. & 19.* *Matth. 23.* *Se exaltare quid.* *Exempla.* *2. Pet. 2.* *2. Reg. 24.* *Num. 16.* *Similia.* *1.* *Psalm. 72.* *2.* *3.* *4.* *Iob 30.* *Prou. 18.* *5.* *Esaiæ 10.* *Exempla.* *Esaiæ 37.* *Ezech. 28.* *Ezech. 31.*

Paulus à Palatio in c.23. Mat. non potest igitur non maximè odisse mendacium. At mẽdacium grauissimum est, putare te aliquid esse, quũ nihil sis. Nec obstat quòd pari ratione iniustitia erit maximè quoque Deo exosa, quia Deus est iustitia. Grauior enim est corruptio quæ in fundamento latet, quàm quæ in tecto aut pariete. Aut putare te aliquid esse quasi ex te, quũ nihil sis, corruptio quædam est in ipsõ esse, ac fundamento omnium virtutum atque operationum. Rursum superbia vexillum diaboli est. *Ille enim est princeps super omnes filios superbiæ.* Odit igitur Dominus eos *qui charactere bestiæ sunt insigniti.* Deinde, qui se exaltat, necesse est vt alios deprimat, veluti qui cubito omnes deiiciat, vt primum in theatro locum obtineat. Omnibus ergo bellum indicit superbus. Merito igitur *odibilis Deo & hominibus superbia.* Meritò *cuiusuis manus contra eum, postquam manus eius contra omnes est.* Iam verò originem suam inquirat superbus. Genus, opes, fortuna, fundantur in corpore: virtus, eruditio, pietas, scientia, fundantur in anima. At hæc nonne ex nihilo creata sunt? Egregium verò celsitudinis fundamentum. quomodo se exaltat cuius fundamentum nihil est? Porrò vt humani generis Redemptor te, superbe, seruaret, quousque descendit, vt te inueniret, indéq; te eriperet? Nónne ad inferiora terræ? Qui tam iacet profundus, quomodo se exaltat? Sed & quò tendas vide, nisi Dei te misericordia saluet. An non in inferni barathrum? Quomodo se exaltat, qui inferno dignus est? Nam quòd peccator es, & vtcunque in quibusdam placeas, in multis tamen offendis (*nam in multis offendimus omnes*) peccatum autem te Deo inimicum, cupiditatis mancipium, diaboli captiuum facit; quomodo te exaltas, quem tam vilem peccatum fecit? Postremò, qui ad tot & tanta Dei beneficia obsurdescis, qui Christi humilitatem vel cæcus non vides, vel videns imitari non potes, tam surdus, cæcus, & claudus, atque adeo in peccato suo mortuus, quomodo se exaltat? Hæc vt summo odio sunt digna, sic odibilem Deo reddunt superbum, & idcirco necesse est vt humilietur. Pronunciat per Prophetam Deus: *Incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.* Et alius Propheta: *Vidi impium superexaltatum super cedros Libani; & transiui, & ecce non erat.* Aptè quoque Abacuc: *Quomodo vinum potãtem decipit, sic erit vir superbus.* Sicut enim capitis vertigine laborans, & vino captus, in omnem lapidem impingit, & mille periculis obnoxius est, sic qui seipsum exaltat, quasi homo læsi cerebri, & nimio sui amore quasi vino captus, facilè humiliatur & impingit; multa absurdè facit, multis se ridiculum præbet. *Si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imò etiam altiorem se putet, ac ideo seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum iam aliud signum eius insaniæ quæreremus. Sic cum hominem inflatum vides, qui seipsum præ cæteris exaltat, nullum aliud signum vecordiæ hominis exquiras.* Quum Benadad Rex Syriæ arroganter dixisset, *Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, si suffecerit puluis Samariæ, pugillis omnis populi qui sequitur me:* appositè ei respondit Achab Rex Israël, *Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus*, id est, noli canere triumphum ante victoriam; ne sic glorietur adhuc ad prælium accinctus: atque ille qui finito prælio, & parta victoria, discinctus arma deponit. Qui se in hac vita exaltat, gloriatur adhuc accinctus. Sed Deus tales humiliat, vt illum Benadad humiliauit, cuius numerosum, exercitum per pueros principum prouinciarum numero 232. profligauit. Fumus à loco ignis erumpens, in altum extollitur, & ipsa elatione in magnum globum intumescit; sed quanto fit globus ille grandior, tanto fit vanior. Sic impius quo magis exaltatur, eo magis deficit. Sicut in area extollitur palea super granum, non quòd sit dignior, sed quòd sit leuior: sic in hac vita superbus fertur super humilem, non propter virtutem, sed propter vanitatem.

Exemplũ 3.Reg.20.

Similia. Augustin. Enarr. in Psalm.38.

Eccli 10. Parabola. Verissimè qui se exaltat, humiliatur; quia sese exaltando peccatum incipit, & virtutem abrumpit. Nam vt *initium omnis peccati superbia*; sic ruina omnium virtutum est arrogantia, vt in superioribus ostensum est. Volebant duo homines ingredi in magnificam aulam per postem depressum. Vnus se inclinans, transiuit: alter erectus, & magno impetu se intrudens, læso grauiter capite, cecidit retrò. Hæc magnifica aula est domus cælestis, cuius *via arcta & angusta est*, cuius ostiũ humile & depressum est: *Christus enim est ostium, mitis & humilis corde.* Qui se humiliat, in eã intrat: qui se exaltat, reiicitur & in terrã, imò in infernũ cadit. Docet nos Christus: *Cũ inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo; & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum; & tunc incipias cum rubore nouissimum locũ tenere.* Hæ nuptiæ, sunt *nuptiæ Agni, & cœna magna* ad quam omnes inuitati sumus. Qui se exaltans vult primo loco accumbere, cum ignominia detrudetur in infimum. Talia iudicia exercuit Deus in Abimelech filio Gedeonis, in Absalone regnum patris affectante, in Athalia regnum occupante, in Adonia paternum quoque regnum ambiente, in Vasthi Regina Assuero viro parere nolẽte, aliisq; multis suprà in hoc Euangelio, & in alia Dominica commemoratis. Sicut in hyeme frigore vigente, & æstate nimio calore omnia inflammante, rarò cadunt ingentia fulmina, vt refert Plinius, sed vere & autumno quando aër est serenus & tranquillus: sic ærumnæ & calamitates à Deo immissæ, non eos quærunt, qui in humili statu laborant (nisi rariùs ad probationem & maiorem ipsorum gloriam) sed illos repentino vulnerant impetu & deiiciunt, qui in tranquillo prosperitatis superbia extolluntur, & inani mundi gloria insolescunt. Non glorietur fumus quia ascẽdit, nam ascendendo euanescit. Vnde Propheta regius: *Sicut deficit fumus; ita deficiant.* Adeò semper verum est: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.*

Exempla.

Simile.

Natural. hist. lib. 2.

Psalm.67.

8. *Et*

8. *Et omnis qui se humiliat, exaltabitur.*

LOcus moralis de certa & amplissima humilitatis mercede. Hunc locum etsi in aliis Euangeliis iam semel atque iterum tractauimus, tamen, propter saluberrimę huius doctrinæ explicationem vberiorem, quædam hic addemus, prout Deus dabit. Non qui simpliciter humiliatur, puta propter peccata sua, vel ab extrinseco quod inuitus patitur; sed qui seipsum humiliat, ille exaltabitur à Deo, siue in hac vita, siue in altera. Sed quia de humilitate sæpe diximus, & nunc iterum dicendum est, in quo illa consistat, déque eius gradibus pauca ad captum popularem annotabimus. Vt in omni virtute & pietatis actione, sic in humilitate tres sunt hominum gradus: primus est incipientium, secundus proficientium, tertius perfectorum. Quum autem humilitas duplex sit, siue quoad alios, siue quoad seipsum; in vtraque specie tres hi gradus inueniuntur. Circa humilitatem quoad alios, incipiens & vulgaris Christianus paratus est maioribus suis, siue ætate, siue scientia, siue virtute deferre, séque submittere, eorum aut mandata iusta tolerando, aut etiam consiliis, vbi res postulat, obsequendo; nec se vnquam præfert æquali, & hęc est necessaria humilitas. Proficiens vero & melior Christianus etiam æqualibus suis, siue ætate, siue scientia, siue virtute deferre, séque inferiorem iudicare, eorum quoque consilia
B non aspernãdo, nõ dubitabit: minoribus quoq; suis suo se iudicio non præferet, & hæc est humilitas à Christo & Apostolis laudata & commendata; quam S. Augustinus vocare solet *propriã disciplinam Christianorum*. Nam prima officiosa magis est quàm pia, ipsisque ethnicis communis. Perfectus vero Christianus, & qui proximè sequi Christum cupit, etiam minoribus suis, quocũque respectu huiusmodi, se submittere, se inferiorem, & deteriorem iudicare non verebitur, eisdem etiam, si res postulat, vel consulentibus morem gerere; vel etiam iubentibus quæ licitè & honestè iuberi possunt, parere paratus. Hæc est heroica & excellens humilitas, quam Christus redemptor in sua benedicta persona primus exercuit, *veniens ministrare, non ministrari, lauans pedes discipulorum suorum, subditus patri putatitio*: quam etiam imitatus est Paulus, *factus omnibus omnia, vt omnes lucrifaceret*; & sic inter fideles conuersatus, vt dicerent Corinthij: *Præsentia corporis infirma, epistolæ fortes*: propter humilem ipsius inter eos conuersationem. Ad hanc hortatur Scriptura, & huic maximè exaltationis merces repromittitur, etsi etiam de secundo gradu verissimũ sit, quod qui sic se humiliat, exaltabitur, vt mox ostendetur. Circa alteram humilitatis speciem quoad seipsum in vnoquoque, incipiens & vulgaris Christianus de nullis suis bonis sibi placet (contrarium enim superborum est, vt ex dictis patet) culpam quoq; suam facilè agnoscit (alioqui enim impius est & grauiter, imo immedicabiliter peccat) & hæc est humilitas veritatis, vnicuique necessaria, solo rationis lumine perspicua. Proficiens & melior Christianus culpã suam,
C etiam vbi non est, agnoscit, & quod de seipso humiliter credit, hoc etiam ab aliis de ipso iudicari libenter permittit, & hæc est humilitas Charitatis, qualem Christus habuit, dicens: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, id est, paratus ab aliis vilipendi: etsi in Christo ac nobis hoc discrimen sit, quod ille, sola voluntate ita se humiliauit, & *improperia exprobrantium ceciderunt super eum*, quia sic voluit: nos vero necessitatem habemus sic humiliandi nos; quia nostro vitio id vt plurimum meremur, vt alij nos vilipendant & despiciant. Nostro tamen vitio talis despectus prouocandus non est, *nec offensionem dare* proximo debemus: Sed vt tales ab hominibus iudicemur, quales coram Deo & conscientia nostra sumus, id vero Christiana humilitas flagitat. Alioqui de numero illorum fueris, qui apparere boni quàm esse mallent, perfectus autem in hoc genere, quum sit omnium optimus, se omnium esse pessimum arbitratur; qualis maximè erat vir ille incomparabilis sanctus Franciscus, vt alibi annotauimus. Qui se humiliat secundo modo, exaltabitur; sed magis qui tertio modo. Sic se humiliauit S. Ioannes Baptista, dicens: *Non sum dignus corrigiam calceamenti eius soluere*. Sic D. Petrus, dicens: *Exi à me Domine, quia peccator ego sum*. Sic Centurio ille, dicens: *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum*. Quæ omnia loca in aliis iam Dominicis tractauimus. Hac ergo explicatione præmissa, verba Christi elucidanda sunt.

Humilitatis amplissima merces.

Humilitatis gradus & partes.

Epist. 56.

Christi humilitas.

Matt. 20.
Ioan. 13.
Lucę 2.
1. Cor. 9.
2. Cor. 10.

Humilitas quoad seipsum.

Matt. 11.
Psal. 68.
2. Cor. 6.
Ioan. 1.
Lucæ 5.
Matt. 8.

Similia.

Qui se humiliat, exaltabitur, eo quod humilitas virtus est vt in se prestantissima, ita Deo gratissima. Sicut enim quanto profundior est puteus, tanto eius aqua est dulcior: sic quanto quisque humilior fuerit, tanto Deo gratior est. Sicut lanx trutinæ quanto plenior & grauior, eo descendit magis: sic anima virtute & vera pietate plena se humiliat magis, iuxta id quod
D scriptum est: *Quanto maior es, tanto te humilia in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*. Et expende causas quas subiungit Scriptura: *Quoniam magna est potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*. Duo dicit: 1. Quod solus Deus per se, & ex se magnus & potens est, omnes alii beneficio illius; ideoque quo quisque Dei beneficio maior est, eo obstrictior & obligatior manet, magisque Deo obnoxius & subiectus. quare qui de bonis vel temporalibus, vel spiritualibus gloriatur, perinde facit, ac si diceret: Plurima debita quæ soluere non possum, debeo. 2. Quia quum diuinæ potentiæ debeatur honor, hunc soli humiles Deo deferunt: tum quia tales facilè obsequuntur, tum quia talium obsequio Deus delectatur. Hinc autem fit vt facilè exaltentur à Deo. Ait enim: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Quod si

Eccli. 3.

1. Reg. 2.

Simile. in hoc Euangelio humilitas publicani cum peccatis tantum valuit, vt Phariſæi ſanctitatem ſu- A
peraret, Deumque ad miſericordiam flecteret; quid faciet humilitas cum vera pietate coniun-
cta? Quemadmodum vt ignis in ſublimem flammam & ſplendentem exſurgat, flabello prius
1. Pet. 5. multum deprimi debet: ſic humiliari oportet, qui exaltari à Deo deſiderat. Hinc diuus Petrus:
Simile. *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* Quod enim anchora in nauí,
hoc humilitas in mente operatur, vt inter feroces mundi fluctus, & vel vanos ſeculi honores,
vel aduerſæ fortunæ tumentes vndas, humiliter compreſſa, in tuto ac tranquillo maneat. *Qui*
iacet in terra, non habet vnde cadat. Qui humiliter de ſe ſentit, ideoque tum ſua ſorte contentus
eſt; tum quidquid à Deo immittitur, æquanimiter fert, imo grauiora ſe commeritum arbitratur;
illum nihil è ſtatu ſuo dimouere poteſt. Vide quibus verbis, quo affectu, quanto ſtudio, ad hanc
animi demiſſionem & humilitatem Philippenſes ſuos hortetur Apoſtolus: *Si qua* (inquit) *conſo-*
Philip. 2. *latio in Chriſto, ſi quod ſolatium, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum.*
Vides quàm enixè obſecrat, quaſique coniurat. Si accepiſtis, inquit, aliquam conſolationem ex
Chriſti doctrina & conuerſatione; ſi experti eſtis in vobis aliquod charitatis ſolatium; ſi cum
diuino Spiritu aliquam ſocietatem aut ſimilitudinem habetis; ſi viſcera veſtra aliquo amoris
affectu tanguntur, per hæc omnia vos adiuro, hanc mihi vnam gratiam præſtate, eamque non
modicam, ſed quæ mihi plenum gaudium allatura eſt. Quæ demum hæc tanta res eſt, quam ita
anxiè tantus Apoſtolus tot verbis flagitat? Sequitur: *Vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes,* B
vnanimes idipſum ſentientes; nihil per contentionem, nec per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſi-
bi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. Sic ille ad humilitatem,
Ezech. 17. & (quæ ſine eà non eſt, imo per eam & generatur, & conſeruatur) ad pacem, ac charitatem fra-
Similia. ternam adhortatur. Dicit Deus apud Prophetam: *Ego Dominus humiliaui lignum ſublime, & exalta-*
ui lignum humile. Humilitas eſt goſſipium, in quo conſeruatur virtutum moſchus, præſtantiſſi-
mum ſpirans odorem. Sicut in arte Arithmetica quædam notula eſt, quæ vocatur ſiphra, quæ
nihil valet, ſed facit valere, & auget valorem, cum nullum ipſa habeat; coniuncta enim vnitati,
facit decem; & coniuncta denario numero, facit centum; ac denique coniuncta centum, facit
mille: ita planè humilis animi ſubmiſſio, ſuique abiectio, quum ex ſe in hac vita nihil apud ho-
mines valeat, ſitque res ſua natura abiectiſſima, & nullius valoris, tamen facit omnes alias virtu-
tes apud Deum valere; & coniuncta vni virtuti, facit valere decem, vt hic in publicano vni ora-
tioni coniuncta; coniuncta pluribus virtutibus, facit infinitè valere, vt in beata Virgine, Ioanne
Baptiſta, diuo Petro, aliiſque humilitate inſignibus fecit, ſicuti in alia Dominica explicatum C
eſt. Sicut prima materia omnium formarum capax eſt; quo autem quæque materia plures for-
mas iam habet, eo minus nouarum capax eſt: ſic anima humilis nihil ſibi attribuens, omniũ Dei
gratiarum capax eſt; & ſicut tabula raſa, omnes à Deo figuras capit. quo autem quiſque ſibi plus
Pſal. 33. tribuit, eo minus à Deo gratiarum capax eſt. Hinc Scriptura: *Iuxta eſt Dominus his qui tribulato*
Pſal. 17. *ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit.* Et iterum: *Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuper-*
borum humiliabis. Vix aliud frequentius docet Scriptura.

Laert. li. 1. Illud admiratione dignum eſt, ipſos etiam Gentiles hoc videre potuiſſe, quod poſt tot di-
Simile. uini Spiritus oracula, vix adhuc nos Chriſtiani credimus; certè ita paſſim ſuperbimus, vt nihil
minus credere videamur. Chilo enim Lacedæmonius interrogatus ab Aeſopo quid ageret Iu-
Cauſæ cur humiles exaltentur piter, reſpondit: *Excelſa humiliat, & humilia extollit.* Magni artifices, quo maiorem ſibi gloriam pa-
rent, viliorem materiam pulcherrimo operi ſubijciunt. Deus vt pulcherrimum opus faciat, hu-
miles & abiectos exaltat, omnes res exiguæ aſpectum noſtrum magis oblectare ſolent, & elegã-
1. tiores videntur, exiguus puer, vitulus, catellus. Qui Homeri Iliada in nuce vna concluſit, mira-
Matt. 28. bile opus feciſſe videbatur. An hic inſtinctus ex diuino emanauit, cuius illa vox eſt: *Niſi efficia-*
2. *mini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum?* Paruulis delectatur Deus. Rurſum ideo Deus
humiliatum exaltat, quia generoſum & magnificum eſt. Regia enim & magnifica vox eſt: *Par-*
3. *cere ſubiectis, & debellare ſuperbos.* Quod leoni principi animalium in more eſt, qui nec hominem,
4. nec beſtiam lædit ante pedes proſtratam. Porro quum Deo proprium ſit miſereri, miſeros quę- D
rit, quorum miſereatur: eos videlicet, qui ſe miſeros profitentur & agnoſcunt, quod ſoli humi-
Simile. les faciunt. Imo cum nulla in Deo maior ſit virtus, quàm miſericordia, & bonitas ſui diffuſiua,
5. nihil magis amat quàm humiles, in quos ſe effundat; ſicut homo liberalis & largus eis maximè
Iacobi 1. delectatur, quibus ſe liberalem præſtare poteſt. Fontes & flumina non per accliuia decurrunt;
6. nec montes petunt, ſed per decliuia & valles labuntur. Sic *omne datum optimum deſurſum eſt, deſ-*
Ioan. 7. *cendens à Patre luminum.* Si deſcendit, ergo in humiles, non in elatos. Sed & ex parte noſtra, hu-
miles ſoli ſunt diuinæ gratiæ capaces. Ait Chriſtus de ſua gratia: *Si quis biberit ex hac aqua, fiet in*
7. *eo fons aquæ ſalientis.* Si ſalientis, ergo ex imo loco ſaliet: ergo ex humili corde. Ideo non dixit
Philip. 3. currentis, aut defluentis, ſed ſalientis. Rurſum: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Si de ven-
Matt. 10. tre, qui locus infimus & abiectus eſt, certè in humilem & abiectam ſui ipſius conſiderationẽ de-
8. riuabitur gratia infuſa. Ideo non dixit, ex capite, ex pectore, ſed de ventre fluent. Iam vero ſi
Apoc. 4. Chriſtus non niſi per humilitatem exaltatus eſt (*Humiliauit enim ſemetipſum vſque ad mortem*, &c.
propter quod & Deus exaltauit illum, &c.) tu, qui te Chriſti membrum profiteris, inſanis, ſi alia via
te exaltandum putas. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus maior domino ſuo.* Denique in
cælo tota curia humilium eſt. Omnes enim illic procidunt in facies ſuas, *mittentes coronas ſuas*
in conſpectu

A *in conspectu Agni.* Vnicum illic negotium est, perpetuum humilitatis exercitium, quo Deus laudatur de beneficijs acceptis. Noli putare superbos in militia, triumphaturos in humilitate. Hinc Sapiens: *Vbi humilitas, ibi sapientia, & simplicitas iustorum diriget eos.* Hanc viam ad cælum *Prou.11.* Deus constituit. Noli aliam quærere.

At enim alia Scriptura dicit: *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* *Eccli.13.* His verbis nostri temporis Pharisæi abutuntur, vt suum supercilium speciosè tueantur. Sed sensus est: Noli esse deiecti animi, & pusillanimis, qui in auctoritate & officio constitutus es, *ne non valeas perrumpere iniquitatem*; vt eadem Scriptura alibi dicit. Datæ potestatis iustam administrationem, non superbi animi elationem, aut externum fastum ac typhum hæc Scriptura docet. Imo eadem Scriptura paulo antè dixit: *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatum consedere illum faciet.* Sapiens enim seipsum humilians, vel etiam ab aliis humiliatus, nihilominus tamen in sapientia sua manens, exaltabitur. Exemplum primi, Daniel, qui protestatus se non ex sua sapientia, sed ex Deo arcana reuelare, à Nabuchodonosore exaltatur. Exemplum posterioris, Ioseph, qui venditus, incarceratus, & maximè humiliatus, exaltatur à Pharaone. Sed dictum illud Ecclesiastici, aurea illa D. Gregorij Papæ sententia explicat, qua dicit: *Quũ culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt.* Docet, omnes totius orbis Episcopos Sedi Apostolicæ Romanæ ita subditos esse, vt quum auctoritate contra delinquentes Episcopos, vel alios quosuis vtendum est, & ex officio aliquid agendum, tunc quidem non huB miliari in sapientia sua, sed pro auctoritate qua pollet, rem præsentem agere, & superiorem se ostendere Pontificem debere (quod & in quouis alio superiore, suorum respectu subditorum, locum habet) at vero extra hunc casum perpetuam semper humilitatem seruare, séque cæteris omnibus æqualem iudicare omnem superiorem oportere. Quanto magis qui solo titulo maiores, nullam in alios iurisdictionem habent? Talis quoque erat D. Chrysostomus, qui erga Principes viros, ipsumque Imperatorem Arcadium (cum ad preces Gainæ templum Arrianis Constantinopoli dari vellet) & Eudoxiam Imperatricem, quam pro Callitropæ viduæ vinea in os arguit, excelsum se, & rigidum præbuit: cum cæteris autem omnibus, seu magnis seu paruis, in nullo contra Deum delinquentibus, familiarissimè cum omni suauitate & humilitate conuersatus est, vt in vita S. Porphyrij Gazæ Episcopi, apud Surium videre licet.

Exempla. Daniel.2. Gen.41. In Registro, li.7. epi.64.

Inuita eius apud Surium, to.1.

Tom.1.p. 1067.

EVANGELIVM DOMINICÆ X. POST PENTECOSTEN.

C

EXIENS Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum & mutum; & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius. Et suspiciens in cælum, ingemuit; & ait illi: Ephpheta, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius: & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. *Marci 7.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Adducunt ei surdum & mutum; & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* De iuuandis proximorum necessitatibus, & de zelo animarum.
D 2. *Surdum & mutum.* De statu peccatoris longa consuetudine obdurati.
3. *Et apprehendens eum de turba seorsum.* De peccati occasione & conuersatione noxia ante omnia fugienda.
4. *Misit digitos suos in auriculas eius.* De inuocanda Dei gratia, vt auditum fidei & obedientiæ in nobis aperiat.
5. *Et expuens tetigit linguam eius.* De gustu spirituali rerum cælestium, per sapientiæ donum diuinitus concessum.
6. *Et suspiciens in cælum, ingemuit.* De miserando hominis in peccato statu, & ipsius peccati turpitudine, enormitate, horrore.

7. *Et præcepit illis ne cui dicerent.* De fuga gloriæ,& exiſtimationis propriæ.
8. *Quanto autem præcipiebat,tanto magis plus prædicabant,*&c. Locus duplex. Primus, quod gloriã fugientes ſequitur. Secundus,contra torporem fidei. A

1. *Adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.*

Proximorũ neceſsitates iuuãdæ.

LOcus moralis de iuuandis proximorum neceſſitatibus, ſiue de zelo animarum. Quod enim iſti circa corporales huius ſurdi & muti neceſſitates præſtiterunt,vt eum ad Chriſtum adducerent,nec adducerent tantum, ſed & pro eo deprecarentur; hoc à nobis ſedulo imitandum eſſe circa proximorum noſtrorum neceſſitates, non corporales modo, ſed multo magis ſpirituales,ipſa Chriſti Redemptoris bonitas in hoc ſurdo & muto liberando luculenter docet. Nam non ſolum huic ſurdo & muto imponit manum (quod ſolum rogatus fuerat) ſed etiã eum prorſus ſanat:aperit eius aures,ſoluit vinculum linguæ,& ita ſoluit,*vt loqueretur rectè*,id eſt,non ſecus exactè atque perfectè,quàm ſi nullum vnquam loquendi impedimentum paſſus fuiſſet. Sanat igitur,atque perfectè ſanat.Sed & præterea modo quodam admirabili, & qualem præterea in Chriſti factis non legimus,eum ſanare voluit;variis adhibitis ceremoniis, quas poſtea ſingulas tractabimus,quia ſingulæ habent morum documenta. Adeo Chriſto grata & accepta fuit horum hominum erga proximi ſalutem cura,beneuolentia,charitas. Hanc & nos ſtudioſè imitari par eſt,vt aberrantes in via morum proximos noſtros,vel cõſilio & auxilio ad Chriſtum adducamus,vel certè piis precibus Chriſto commendemus.Nihil hac pietate & charitate Deo gratius.Maxima fuit Moyſis laus & commendatio zelus ſalutis populi ſui,quem his verbis expreſſit: *Aut dimitte eis hanc noxam;aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*, qua incredibili charitate ſe flecti paſſus eſt Deus. Magna laus Abrahę,qui pro Sodomis & Gomorrha etiã quarta vice Deum orauit,eumque pro flagitioſiſſimis hominibus tam diu orantem audire Deus voluit,quàm diu ipſe Abraham orandum ſibi eſſe putauit. Nec enim prius Angeli ab orante Abraham receſſerunt,quàm ipſe orandi finem feciſſet. Sed & Lot iuſtus non contentus ſua & ſuorum è Sodomis liberatione,adhuc pro ciuitate Segor vicina interceſſit,& impetrauit,reſpõdente ei Angelo: *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas,vt non ſubuertam vrbem pro qua locutus es. Feſtina, & ſaluare ibi:non enim potero facere quidquam donec ingrediaris illuc.* Vix quidquam laudabilius Dauid fecit,quàm cum percutienti Deo populum ſe obijciens dixit: *Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi:iſti,qui oues ſunt,quid fecerunt?vertatur,obſecro, manus tua contra me.* Sed & in Apoſtolo Paulo hæc in proximi ſalutem charitas incredibiliter flagrauit;primum ad lucrandos Iudæos, quum diceret:*Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis,qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Et vide atque expende quale hoc ſit. Anathema eſſe à Chriſto,eſt reprobum & deſertum eſſe à Chriſto. Sic enim alibi dixerat:*Si quis non amat Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ,anathema,maranatha.* Atqui idẽ Paulus in verbis ferè proximè præcedẽtib. profitetur,quod nihil eũ à charitate Chriſti ſeparare poteſt, *neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia,neque futura,neque altitudo,neque profundum,neque creatura alia:non tribulatio,non anguſtia, non fames,non nuditas,non periculum,non perſecutio,non gladius.* Nihil horum potuit, & tamen charitas erga ſalutem proximi hoc potuit. Optat hoc ergo non ſimpliciter,ſed ob magnitudinem charitatis,cum qua ſi fieri poſſet (quod fieri non potuit) etiam Chriſto carere ſolus maluit, quàm vt tot cæteri careant. Deinde ad conſeruandos in Chriſto iam credentes,vide eius charitatem: *Coarctor* (inquit) *e duobus;deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius: permanere autem in carne,neceſſarium propter vos. Et hoc confidens ſcio,quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum,& gaudium fidei.* Merito hic exclamat Chryſoſtomus: *Pape, quis eſt hic Apoſtoli animus? Nihil illi par vnquam vel fuit,vel erit:futura metuis, (timeo enim,* dixit,*ne quum aliis prædicauero,ipſe reprobus efficiar) innumeris malis obnoxius es.(In tribulationibus,in anguſtiis,in plagis,in carceribus, in ſeditionibus,in ieiuniis,*&c.) *& apud Chriſtum tamen eſſe non vis?* Quis mercator nauem habens mercibus plenam,cum liceat iam ad portum appellere, adhuc tamen in mari nauigare vellet? Quis athleta cupiet amplius certare,quum iam liceat coronari? Quis miles, quum iam liceat cum triumpho domum reuerti,& omnium rerum affluentia frui,adhuc in bello ſudare & periclitari ſuſtineat? Sed hoc fecit charitas diui Pauli,non ſua quærentis,ſed quæ aliorum;vt in eadem epiſtola paulo poſt alios ſuo hoc exemplo celeberrimè adhortatur: *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* Sanè quum duplex ſit peccati facies, vna peccantium malitia, altera eorum miſeria & infelicitas; qui illam ſolum conſiderant,odio illos proſequuntur & auerſantur;ſed qui hanc poſteriorem aſpiciunt,commiſeratione & auxilio dignos arbitrantur. Plura de hac materia iam in aliis Euangeliis protulimus,quæ hic locum habent,& huc referri poſſunt.

Exempla. Exod.32. Gen.18.

Gen.19.

2.Reg.vlt.

1. Rom.9.

1.Cor.16. Rom.8.

2. Philip.1. In Comm. ibid. 1.Cor.9. 2.Cor.11. Similia. De hoc argumento lege plura in D.Chryſoſt.in ora. 1.aduerſus Iudæos,in fine to. 5. Philip.2. Dominica 2.poſt Epiphan.tex.2 Do.3 poſt Pent.tex.1 & 3. Do.9. poſt Pent. tex.1. Domin.2. poſt Paſc.2

B

C

D

2. *Surdum*

A

2. *Surdum & mutum.*

LOcus moralis de statu peccatoris in peccatis longa consuetudine obdurati. Talis enim verè surdus & mutus est spiritu, sicut hic corpore fuit. Et tales surdos ac mutos hic à Christo sanatus nobis figurauit, quem propterea insolito & admirabili modo sanare voluit, vt nos doceret quàm sit difficile & arduum, peccati consuetudinem vincere, vel obduratum in peccato, qui nec audire Dei verbum, vt sanetur, sustinet, nec os ad Deum aperire, vel ad peccati confessionem, vel ad Deum exorandum valet, sanare, & integrę sanitati restituere; sic vt rectè loquatur, aures que ad Deum apertas habeat. Nullo enim modo dubitandum est, totum hoc miraculum etiam iuxta literam spiritualiter esse intelligendum, eaque de causa & Christum cum tot ceremoniis hunc surdum & mutum (quem etiam cæcum fuisse Matthæus addit) sanasse, & Euangelistam Marcum omnes circumstantias diligenter perstrinxisse, & Ecclesiam hoc miraculum inter alia magis illustria Christi facta proponere voluisse. *Dominus enim noster Iesus Christus* (ait S. Augustinus) *ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat; sed vt illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum qui videt literas in codice optimè scripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij*
B *manum, admirans apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint illi apices, nescit, & est oculis laudator, mẽte non cognitor; alius autem & laudat artificium, & capit intellectum: ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt quid sibi vellent, mirati sunt tantum quia facta sunt; alij vero & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.* Hæc ille: quæ & in tractatu super Ioannem repetit. Sed & certa ratione probat quod dicit: *Qui enim* (inquit) *dicit, Christum propterea tantum fecisse miracula, vt non essent nisi miracula, potest illum etiam dicere nescire quod non esset tempus pomorum, quando ficus quæsiuit in arbore. Non enim erat illud pomi tempus, sicut Euangelista testatur, & tamen esuriens poma quæsiuit in arbore. Christus nesciebat quod rusticus sciebat? Significauit ergo aliquid se aliud esurire, & aliquid aliud quærere. Nam arborem maledixit, & aruit. Quæ culpa arboris infœcunditas? Illorum est culpa sterilitas, quorum fœcunditas est voluntas. Erant ergo Iudæi habentes verba Legis, & facta non habentes; pleni foliis, & fructus non ferẽtes.* Hæc ille. Sic & diuus Gregorius: *Miracula Domini & Saluatoris nostri sic accipienda sunt, vt & in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe eius, & per potentiam aliud ostendunt, & per mysterium aliud loquuntur.* Sic ergo & in hoc maximè Euangelio, per surdum & mutum à Christo sanatum, peccatorem grauiter in peccato induratum intelligere oportet. Et quidem de peccatoribus tam surdis, quàm mutis, quàm etiam cæcis, eo loco quædam diximus, vbi de dæmonio muto quod Christus eiecerat, quod erat etiam dæmoniũ
C surdum ac cæcum, planéque idem fuisse videtur miraculum quod hic Marcus recitat, differuimus. De surdis quoque multa dicta sunt in illis Euangeliis, quæ de audiendo verbo Dei tractant, vt in Dominica Sexagesimæ, tertia Quadragesimæ, & Passionis. De mutis tunc etiam diximus, quum de Confessionis peccatorum, atque item Orationis ad Deum necessitate & vtilitate tractauimus. Hic tamen de vtrisque pauca addemus, prout Deus dabit.

Consuetudo peccati.

Miracula Christi spiritualiter intelligenda. 1. 2. 3. *De verb. Domini, Ser. 44. Simile.* *Tract. 24. in Ioan.* *Matt. 21.* *Ho. 2. super Euang.* *Dom. 3. Quadrag. tex. 1.*

Surdus est ille, qui Dei verbum nec forinsecus audit per negligentiam, nec auditum in corde retinet per duritiam. Huius hominis conditio misera & lamentabilis est. Maximum enim ad salutem medium est Dei verbum animo haustum atque retentum. Hinc Sapiens: *Non herba aut malagma sanauit eos, sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia.* Cum sacerdotalibus tubis sacerdotes cecinerunt, illico muri Iericho corruerunt. Hoc significare Dominus voluit, mundi potentiam atque tyrannidem sacerdotalibus tubis, sermone Domini, Apostolica & Ecclesiastica prædicatione frangendam. Dicit Propheta: *Ossa arida audite verbum Domini.* Volebat Deus illis vitam tribuere: sed vt viuerent, opus erat verbum domini audire. Esaias inducit Christum ita loquentem: *Posuit os meum quasi gladium acutum.* Hic est gladius de quo Apostolus ait: *Et gladius spiritus, quod est verbum Dei.* Hoc enim gladio penetrantur dura corda, vt fiant mollia; auferuntur lapidea, vt fiant carnea.

Surdus Deo *Sap. 16.* *Ios. 7.* *Allegoria.* *Ezech. 37.* *Esa. 49.* *Ephes. 6.*

Sed facit consuetudo peccati, vt surdo narretur fabula. De hoc conqueritur in Euangelio Christus, Pharisæorum duritiem & obstinationem taxans: *Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, atque dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus, & nõ plorastis.* Peccator videlicet peccandi consuetudine obduratus, nec præmiis gaudiorum sempiternis ad spem erigitur, nec gehennæ pœnis propositis terrore concutitur; sed cum in profundum
D venerit, contemnit. Sicut vnum peccatum aliud suo pondere trahit; ita diu pertractum, quasi in profundo barathro demergunt. Qui cerasa manducant, non nisi duo aut tria manducare proponunt; sed illa tria sua dulcedine ad viginti, interdum etiam ad centum trahunt, & valetudinem grauiter lædunt. qui iter facit, & riuulum aliquem inuenit, quem leui saltu poterat transire, sæpe illum negligit, & dicit: Inferius facilius illum transibo: qui quanto magis descendit, tanto cum ampliorem, & ad transmeandum difficiliorem inuenit, quem tamen transnatare volens, ne redeundi laborem sumat, aliquando vel immersus perit, vel ita fundo hæret, vt non nisi magno aliorum adiumento extricari valeat. Facilius vnum vulnus quàm multa curantur; & melius recentibus vulneribus, quàm veteribus medicina paratur. Idem de peccatis, & animi

Consuetudo peccati. *Luc. 7.* *Similia.* 1. 2. 3.

vitijs ac morbis cogitandum est. Qui diu neglexit audire quæ ad salutem faciunt, tandem ob- A
Eccli.21. surdescit prorsus, salutaris doctrinæ factus impatiens. De quo Scriptura dicit: *Cor fatui quasi vas*
Eccli.27. *confractum omnem sapientiam non tenebit.* quicquid infundis, in pertusum hauris dolium. Et rursus:
Quasi in percussura cribri remanebit puluis; sic aporia (id est, scoria seu fæculenta & deficiens materia)
Amatorũ mundi stupor. *hominis in cogitatu illius*: hoc est, non percipit, nec cogitat, aut animum adiungit, nisi rebus immũdis, fæcibus & scoriis huius seculi. Horum hominum miserandum stuporem Deus per Prophetam designauit, dicens: *Audi populе stulte qui non habes cor, qui oculos habentes, non videtis; & aures, &*
Ierem.5. *non auditis.* Dicit stultum, carnalem, & seculi amore captum, non habere cor, quia rebus præsentibus, & peccati dulcedine sic afficitur, vt nec periculi, aut morbi sui magnitudinẽ agnoscat, nec remedium quærat. Bombyces, qui serica fila nectunt, ita tonitruorum sonitu grauantur, vt
Similia. interdum etiam moriantur. Quo fit, vt qui eos nutriunt, tympana frequenter pulsent, vt sonitui molliori assueti, à grauiori non lædantur. Sic homines carnales, & sæculi voluptatibus ac curis immersi, ita harum rerum strepitu & affectu præoccupatos sensus habent, ita his assueuerũt, vt ad ipsa etiam comminationum tonitrua penitus obsurdescant. Sunt enim viridibus li-
1. Thess.5. gnis persimiles, quæ subiecto igne vsque adeo non accenduntur, vt ipsum frequenter ignẽ suo humore extinguant: quibus Apostolus dicit: *Nolite Spiritum extinguere: Prophetias nolite spernere. Omnia probate: quod bonum est, tenete.* Surdi enim isti nihil probant, omnia reijciunt, interpretationes spernunt, diuini Spiritus flammas crassis suis cupiditatibus extinguunt. Nihil his hominibus infelicius, nihil desperatius. B

Muti Deo. Nec meliori loco sunt muti, qui nec ad Dei laudes, nec ad peccatorum suorum confessio-
Eccli.35. nem, nec ad orationes & preces ora possunt relaxare. Dicit Scriptura: *Qui conseruat Legem, mul-*
Allegoria. *tiplicat orationem.* Qui igitur ad Orationem mutus est, quomodo Legem seruabit? Deus populo suo, quem ex Aegypto ad Terram promissionis ducebat, duos duces prouidit, Moysem & Aaron. In Moyse legislatore, Legem Dei intelligimus: in Aarone sacerdote Orationis studium accipimus. Hi duo duces ad salutis iter nobis necessarij sunt, nec alterum sine altero retinere
Esaiæ 6. possumus. Esaias audiens Angelos Dei laudes concinentes, seipsum redarguit, quod in eo genere mutus esset, dicens: *Væ mihi quia tacui, & quia vir pollutus labiis ego sum.* Polluta sua labia dicit, quia ad eam quę Dei sunt loquenda, mutus; ad ea quæ mundi & carnis erant garrienda, loquax erat. Loquitur enim non tam in persona sua, quàm in figura impiorum. Vnde subiungit: *Quia in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Lamentatur Propheta ad Dei laudes, ad Orationis stu-
Psal.31. dium elingues ac mutos; ad vana enarranda loquaces. In talium quoque persona dicit alius C
Propheta: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Clamabat tota die, & clamans tacebat, quia ad salutaria efferenda, mutus; ad vana, & inutilia, & noxia effutienda, clamosus erat: ideoque *ossa mea* (inquit) *inueterauerunt*, id est, tota virtus animæ meæ consumpta & ex-
Psal.34. hausta est. Vnde alibi: *Omnia ossa mea dicent tibi: Domine, quis similis tibi?* Ossa mea loquuntur, sed virtutes animi sunt quæ Deum benedicunt & glorificant. Hæc ossa inueterascunt & arescunt, Deique memoria, amor, cultus prorsus euanescit, quoties non nisi in vanis, noxiis, & impiis sermonibus lingua occupatur. Quod alio in loco idem Propheta Regius luculenter expressit: *Cu-*
Psal.9. *ius os maledictione plenum est, & amaritudine, & dolo; sub lingua eius labor & dolor*; id est, talis lingua laboris & doloris multum loquenti procurat. Primus ad gratiam motus est, posse loqui Deo; vnde adolescens à Christo resuscitatus, statim vt resedit in loculo, cœpit loqui: sicut primus
Lucæ 7. humanæ conuersationis actus, est sermones mutuos miscere; & prima parentum voluptas, quũ
Similia. fari suos paruulos audiunt. Ideo Deus apud Prophetam: *Attendi & auscultaui: nemo quod bonum est, loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci.* Hanc primam pœnitentis
Ierem.8. vocem expectat Deus. In hac voce incipit in pœnitenti delectari Deus: hæc vox initium familiaritatis hominis cum Deo. Dixit Socrates, adducto ad se in disciplinam puero: *Loquere, vt te vi-*
Apophth. *deam.* Etsi personam viderat, tamen hominem nisi loquentem videre non potuit. Sed quemad-
Simile. modum qui ex natura surdi sunt, iidem & muti sunt, quia instrumentum disciplinæ, qua loqui D
discitur, auditus est: sic qui spiritualiter surdi sunt, *nec audiunt quid loquatur in illis Dominus*; iidem
Psal.1. & spiritualiter muti sunt, nec de Deo, aut diuina loqui possunt, quia *fides ex auditu est*: & disci-
Rom.10. plina rectè loquendi iuxta Deum, ab auditu Dei, & eorum quos Deus mittit, nascitur. Quare qui vtroque hoc malo laborat, ille maximè de salute periclitatur. Quomodo tamen sanari queat, loca subsequentia declarabunt.

3. *Et apprehendens eum de turba seorsum.*

Occasio peccati fugienda. LOcus moralis de peccati occasione, & conuersatione noxia ante omnia fugienda. Prima huius surdi & muti sanandi ceremonia, quam Christus extra ordinem adhibuit, hæc erat, vt eum à turba semoueret: non quia etiam in media turba sanare eum non poterat, sed vt doceret hoc grauissimi morbi genus, hominemque in peccato obduratum, non prius sanari posse
Similia. à Deo, non prius remedium salutis à Deo accepturum, quàm peccati, in quo est, occasiones fugerit, conuersationem noxiam declinauerit, irritamenta malorum penitus excusserit. Vt quid enim periculo se adhuc committit, qui è malo, in quo est, emergere contendit? Quid de

ægrotante

A ægrotante homine sperandum esset, qui baculo innixus, vix pedibus consistere posset, si quis illum externa vi impellere, atque prosternere conaretur? Eodem modo anima nostra spirituali ægritudine laborans, cum ob ingenitam infirmitatem, longamque peccati consuetudinē, quasi alteram naturam, frequentissime labatur, quo loco erit, aut quando sanabitur, si voluptatis conspectus, peccandi opportunitas, occasiones mali, ad peccandum adhuc alliciant? Sicut in venis silicis quædam ignis scintillæ latent, quæ vbi silex ferro ictus fuerit, emicant protinus, quibus facilè ignis accenditur; eodem modo cum tam corruptæ naturæ vitio, quàm ex deprauatæ consuetudinis noua tyrannide, cupiditatum scintillæ & semina in imo pectore velut in silice lateant, vbi peccandi opportunitas oblata fuerit, & obiecta mouerint potentiam, protinus quæ sopitæ erant, excitantur, & quæ intus latebant, foras erumpunt. Sapienter S. Vuolstanus Vuigornienſis in Anglia Episcopus cuidam sæpius eadem peccata confitenti respondit: *Opportunitas, vt video, facit latrones: ideo consulo vt monachus fias, & sic vitiorum importunitate carebis.* Sane sicut sanctus Propheta, *Sedebam*, inquit, *Domine solus, quia comminatione repleſti me. Non sedi in concilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ.* Et hic enim impiorum consortia (quos ludentes vocat, id est, impiè idola colentes, quo sensu Ismaëlem ludentem cum Isaac paruulo, & idololatriam docentem, expulit domo Sara) deuitabat, declinans à turba. Sic & alius Propheta: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Quod & Sapiens his verbis docet: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea;* B *& qui communicat superbo, induet superbiam.* Sic monet suos Apostolus per epistolam: *Ne commiscemini fornicariis; & cum huiusmodi nec cibum sumite.* Et paulo antè: *An nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et alio in loco: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Cum pestis alicubi grassatur, ciuitates quę ab huius infestatione immunes sunt, incredibili solertia, maximè vbi purior est aër, omnes aditus præcludunt; ne quis hoc morbo infectus, clanculū irrepat. Si qua ouis morbida à pastore animaduertitur, statim à reliquo grege separatur. Sed & in fructibus ab iis quę putrida sunt, sana inficiuntur: *Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua*, nisi maturius seiungantur. Multo magis circa animæ salutem, & quidem quo purior anima est, ab omni improbo consortio studiosè cauendum. Verbum est Spiritus sancti: *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Apes hyberno tempore, suæ sibi imbecillitatis conscię, in aluearibus latent; & quæ illa non habent, in cauernis terræ se abscondunt, timentes, si in publicum prodeant, se vel ab aëre & vento rapiendas, vel à pluuia suffocandas, vel etiam frigore enecandas esse. Nostram similiter in causa salutis æternę fragilitatem agnoscere, & sapienter potius latitare oportet, quàm sic in publicum nos dare, vt vel à vento vanitatis, & auræ popularis in superbiam rapiamur, vel à curis & cupiditatibus suffocemur, vel aliorum frigore & ignauia conspecta, nos quoque in Dei cultu satis per nos tepidi, penitus efficiamur frigidi. De huiusmodi viro sapiente dicit Propheta: *Et* C *erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate.* Sanè sicut naufragium pati meretur, qui valido spirante vento, & toto æquore acerba tempestate iactato, mari se tamen vult committere, & vela expandere, vel suę aut naucleri peritiæ, vel nauis robori confisus: sic à Deo deseri, & vel in peccatum cadere, vel peccato insistere & immergi meretur, qui ventos & tempestates tentationum & occasionum peccati vitare quum potest, non contendit, aut, quod deterius est, sponte incurrit, aut etiam quærit, vel de Dei auxilio, vel de sua constantia confidens. Hoc enim tentare Deum est, vt alio in loco ostendimus. Cum Abimelech Rex Saram Abrahę vxorem in domum suam adduxisset, vbi primum intellexit alterius vxorem esse, seipsum excusauit, dicens: *In simplicitate cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quia in simplici corde feceris, & ideo custodiui te ne pecces in me, & non dimisi vt tangeres eam.* Duo nos hoc exemplum docet. Primum donum Dei esse peculiare, non consentire peccato, postquam in eius occasionem quispiam vel inciderit, vel se intromiserit. Secundo, illum qui per malitiam se in occasionem intromisit, dignum esse quem Dominus permittat cadere. Sanè adeo peccandi occasiones omnes, qualescunque tandem illę sint, fortiter rescindendæ & reijciendæ sunt; vt nec charissimis pignoribus hoc in genere parci debeat. Hoc enim est quod Christus dixit; D *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Rursum alibi: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*, nempe quoties in occasionem peccati hæc illi vertuntur. Vndę & alibi: *Si scandalizauerit te manus tua, abscide illam; si pes tuus, amputa illum; si oculus tuus, eiice eum. Bonum est tibi debilem, claudum, & luscum introire in regnum Dei, quàm duas manus, pedes, oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Vides quàm nulli affectui, pignori, commodo, voluptati, operationi quamlibet ex se honestæ parcendum est, quod in occasionem peccati se offert. Rescindendæ ad vnam omnes mali occasiones. Hinc per Prophetam Deus: *Si reuerteris Israel, ad me conuertere: si abstuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis.* Hoc est, firma & stabilis erit tua conuersio, si omnia ad malū incitamenta è medio sustuleris. Si quis habet capitalem hostem, non solum eum pertimescit, cauet, fugit, sed etiā omnes qui eius sunt factionis, eiusq; partes tuentur. Podagricus non solū ne quis eū tangat, sed etiam ne quis prope eum accedat, vllo modo patitur. Sic non solum à peccato, sed ab omni eius occasione fugiendum. Quod certè fieret, si sic peccatū, vt tactum podagricus, abhorreres. quod etiam quàm diu non fit, frustra à Deo sanitatem expetis. Appositè diuus Chrysostomus: *Quamdiu quis in fornace voluptatū consistit, etiamsi exēplis abundat infinitis, ipsi res esse supra vires apparet: cæterum*

Exemplum In vita eius apud Surium, to. 1. p. 433
Ierem. 15. Gen. 21.
Psal. 54.
Eccli. 13.
1. Cor. 5.
Similia. 1. 2. 3.
Psal. 17.
Simile.
Esaiæ 32.
Simile.
Dom. 1. Quad. tex. 6.
Exemplum Gen. 28.
Matt. 10. Lucę 14.
Marci 9.
Ierem. 4.
Similia.
Paræn. ad 1 heodi lapsum.

Dom. 1. Quadrag. tex 1. & 6. Dom. 3. Qua. tex. 5 Do. in Albis tex. 5. Do. 4. Aduent. tex. 2

si vel leniter cœpit illinc egredi; identidem procedens, vim ignis à tergo relinquit, videtque ante se, & ad pedes propemodum viam roscidam, atque eximiæ facilitatis. Tantam vim habet vt apprehēdat nos Christus de turba peccatorum, vel ipsius peccati seorsum, vt noxia conuersatione, & peccandi occasione resecta, sic primum & necessarium ad salutem gradum figamus. De peccati occasionibus studiosè vitandis, de consortio malorum noxio, de bono solitudinis, in aliis Dominicis aliquoties diximus, quæ & huc non incommodè referri possunt.

4. *Misit digitos suos in auriculas eius.*

Innocanda Dei gratia.

LOcus moralis de inuocanda Dei gratia, vt auditum fidei & obedientiæ suo sancto Spiritu in nobis aperiat. Surdi enim aures nisi Christus aperiat, surdus manebit. Nisi digitos suos, id est, Spiritus sui vim, in auriculas cordis nostri immittat, ad fidem & obedientiam mandatorum dura & lapidea corda circumferemus. Vide in hæc verba D. Gregorius: *Quid est quod Creator omnium Deus, quum surdum & mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit? Quid per digitos Redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? vnde cum in alio loco eiecisset dæmonium, dixit: Si in digito Dei eycio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Quod alius Euangelista sic refert: Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. Ex quo vtroque loco colligitur, quia digitus Spiritus vocatur. Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire.* Hæc ille. Quare inter cætera sua miracula etiam hoc Christus posuit, quum Ioanni in vinculis renunciari fecit, an ille esset qui venturus erat. *Surdi audiunt.* Quod & Esaias Propheta clarissimè prædixit: *Deus ipse veniet, & saluabit vos, & aperientur oculi cæcorum, aures surdorum patebunt,* &c. Quemadmodum enim diabolus *tollit verbum fidei de corde audientium, ne credentes salui fiant,* sic econtra Christus, qui *venit vt dissoluat opera diabol.*, mittit digitos suos in auriculas surdorum, *Spiritum suum in corda nostra, in quo clamamus, Abba Pater.* Non enim sic vulpes ad tonitrua aures suas obturat, ne audiat & terreatur; nec sic tauros molossi canes dē illorum auriculis pendentes ad macellum ducunt; sicut diabolus homines per auriculas comprehensos in barathrum dimittit, canes suos, voluptatum ministros & suggestores mittens, qui sic occupatas mentis auriculas teneant, ne vel Dei tonitrua & comminationes, vel aliquid salutare audire sustineant. Scribunt de dracone, quod per ipsum auditum interficere elephantem soleat, ore quidem suo aures eius obturando, & cauda pedes constringendo. Non aliter dæmon homines interficit sibilo oris sui, suggestione improba, quasi Sirenum cantibus, hominum aures ita replendo, vt ad cælestia & salutaria audienda patere nequeant. Contra hunc igitur tantum hostem, & contra hoc tantum malum, Digitus Christi vnicum remedium est: *Oculum enim videntem, & aurem audientem, Dominus fecit vtrumque.* Lydiæ, in actis Apostolicis, *aperuit cor Dominus intendere his quæ à Paulo dicebantur.* Quum Rex Ezechias mitteret nuncios per vniuersum Israelem & Iudam, qui ex Regis imperio hæc prædicarent, Filij Israel, reuertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaac, & Iacob; aliis irridentibus & subsannantibus eos: *In Iuda facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum Regis & Principum, verbum Domini.* Hoc est quod in Euangelio Christus dicit: *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quemadmodum enim frustra agricola semen in terram spargit, nisi cælestis influxus adsit qui semina alat, nutriat, & ad maturitatē perducat: ita frustra per externam prædicationem verbi Dei semen in terram cordis humani spargitur, nisi cælestis virtus adsit, quæ hæc semina foueat & fœcundet. *Neque enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Cathedram in cælo habet, qui corda docet,* ait S. Augustinus. Attamen aperit Deus aurem volentium audire. Neque enim sic hoc Dei opus est, vt vel solus, vel violenter hoc faciat; sed sic Deus aperit aures surdorum, vt & omnium aperire aures ipse paratus sit; & in potestate cuiusque positum sit, pulsanti Deo aperire. Vox enim Dei est: *Ego sto ad ostium* (cordis) *& pulso. Si quis mihi aperuerit, intrabo.* Et Propheta dixit: *Dominus erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum, Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abij.* quare sic vnumquemque hortatur sacra Scriptura: *Si susceperis sermones meos, vt audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.* Et iterum: *Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.* Et rursum: *Qui declinat aures suas ne audiat Legem, oratio eius erit execrabilis.* Denique & idcirco in hoc Euangelio dixit Christus surdo, postquam in auriculas eius digitos misisset: *Ephphetha, hoc est, adaperire:* vt videlicet ostenderet spiritualiter surdos (quos in externa hac sanatione significare voluit) debere Deo cooperari, & diuina gratia operante suas ipsorum aures aperire. De hoc concursu liberæ voluntatis cum diuina gratia, vide plura in altero Promptuario Catholico. Docet ergo hic locus, tum Dei gratiam suppliciter inuocandam, ne verbi diuini surdi auditores simus; tum nostram promptitudinem & obedientiam, vt digitos sui Spiritus mittente Christo, non obturemus aures nostras, nec obduremus corda nostra. De auditu verbi Dei & necessario & fructuoso, déque impedimentis horum, iam in aliis Dominicis identidem & copiosè diximus.

Exemplum.

Ho. 10. in Ezech. Lucæ 11. Matt. 12.

Matt. 11. Esa. 35.

Lucæ 8. 1. Ioan. 4. Galat. 4. Similia.

Plin. li. 8. c. 13 natur. hist. Simile.

Prou. 20. Act. 16. Exempla.

2. Paral. 30 Ioan. 6. Simile.

1. Cor. 2. Tract. 3. in epist. Ioan.

Apoc. 3. Esaiæ 50.

Prou. 2. & 4. & 28.

In Dom. Sexagesimę

5. *Et ex-*

A

5. Et expuens tetigit linguam eius.

LOcus moralis de gustu spirituali rerum cælestium, per sapientię donum diuinitus concessum. *Quid enim est* (ait sanctus Gregorius) *quod Christus expuens linguam eius tetigit? Saliua nobis ex ore Redemptoris est sapientia accepta in eloquio diuino. Saliua quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.* Hæc ille. Qui spirituali- ter mutus est, nescit loqui cælestia, & animæ salutaria; nullum eorum gustum percipit. *Prudentia enim carnis inimica est Deo: legi Dei subiecta non est. Nec enim potest.* Sicut enim nix, nisi solis calore, liquefieri non potest; sic homo carnalis, nisi nouo diuinæ sapientiæ igne succensus, sapere, gustare, aut affici erga ea quæ Dei sunt, non potest. *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Stultitia enim est illi.* Ezechiel Propheta vtriusque personam & spiritualis & animalis expressit. In persona spiritualis dixit de seipso. *Comedi volumen illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Vbi diuus Gregorius: Ipsi de omnipotenti Domino sciunt suauiter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare. In eius quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cuius vitæ viscera mandatis illius replentur: quia ei suauis est ad loquendum, cui interius impressa ad viuendum

B fuerit. Hæc ille. Personam carnalis & muti, nescientis cælestia vel loqui vel gustare, his verbis describit: *Omnis domus Israel attrita fronte est, & duro corde.* Attrita frons est (ait super hæc verba Gregorius) in huius mundi actibus assueta: quia sicut sunt nonnulli, qui quietem cunctis mundi præmiis atque honoribus præponunt; ita sunt nonnulli, qui, vt in hoc mundo aliquid esse videantur, terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscentur iurgiis. Et quamuis se cor- pore deficere inter labores sentiant; amore tamen terrenarum rerum deuicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per Prophetam dicitur: *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Vitula enim in tritura areæ assueta, etiam si relaxetur à labore, sponte redit. Sic quibusdam prauis mentibus nihil est difficilius, quàm si eis præcipitur, vt in huius mundi actibus non laborent. Hæc Gregorius. Talis erat Turrianus ille, qui post annum 90. cum vacationem procurationis à Caio Cæsare vltro accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem à circumstanti familia plangi iussit, nec finiuit antè tristitiam, quàm labor illi suus restitutus est. Hæc Seneca lib. De breuit. vitæ, cap. 20. Isti omnes præpostero gustu sic terram amant, & *terrena sapiunt*, ac si nihil aliud quàm terra essent, *quorum gloria in confusione est*, ait Apostolus. In horum linguam vt sapientiæ suæ sa-

C liuam expuat Christus, necesse est. Sicut enim lippos oculos solis splendor offendit, sanos delectat: sic terrena sapientibus veræ sapientię deliciæ fastidio sunt; spiritualibus autem & sanis admirabilem dulcedinem afferunt. Nam vt Iudæi carnales mannam cibum cęlestem, & omne delectamentum in se habentem fastidiebant, cucumeres, pepones, cepe, & allia Aegypti ei præferentes: sic seculi amatores carnis voluptates, honores, diuitias pro summo bono habent; eorũ vero quæ ad Dei honorẽ, aut animæ salutem faciunt, nullo gustu afficiuntur. Hunc ingentẽ animi morbum vt Christus significaret, huius hominis muti non solum loquelam reddidit, sed & gustum restituit; imo idcirco prius saliua sapientiæ linguam tetigit, & gustum reparauit, vt sic postea loqueretur rectè. Scribit Solinus, Bucephalum, Alexandri equum, quum armatus ad prælium esset, suisque phaleris regiis ornatus, nullum alium sessorem admittere voluisse quàm ipsum Alexandrum; non armatum vero neque ornatum, quemuis agasonem aut famulum cõscendere permisisse. Eadem est differentia animi cælesti armatura induti, diuinæ sapientiæ donis & gratiis exornati, atque eisdem vacui. *Indutus enim armaturam Dei*, non nisi Christum animo suo insidere patitur, non nisi *ea quæ sursum sunt sapit, vbi Christus est, in dextera Dei sedens.* Hac cælesti armatura qui caret, sapit ea quæ sunt super terram. Sed nos Christiani in baptismo nostro diuinæ sapientiæ gustum accepimus, sub eadem cæremonia, qua hic Christus vsus erat. Si ad-

D huc terrena sapimus, meminerimus à baptismi gratia nos excidisse; & per secundam pœnitentiæ tabulam eam reparare contendamus, Christique opem implorare, vt imponat nobis manũ.

Gustus spiritualis.
Ho. 10. in Ezech.
Rom. 8.
1. Cor. 2.
Ezech. 3.
Vbi supra.
Ezech. 3.
Vbi supra.
Oseæ 10.
Exemplum
Philip. 3.
Simile.
Exemplum
Simile.
Ephes. 6.
Colos. 3.

6. Et suspiciens in cælum, ingemuit.

LOcus moralis de statu hominis in peccato miserando, & de ipsius peccati turpitudine, enormitate, horrore. Christus enim hoc loco (quod in aliis sanandis nunquam fecisse legitur) idcirco *suspiciens in cælum*, quasique diuinam opem flagitans, vel potius ingenti quodam Dei auxilio atque fauore in re præsenti opus esse significãs, *ingemuit*, &, vt in Lazaro quatriduano suscitando fecit, *infremuit spiritu, & turbauit semetipsum*, vt doceret hominis spiritualiter surdi & muti, id est, in peccatis obdurati, omnique pietatis sensu & gustu destituti, quanta esset miseria, quàm acerba calamitas, quàm difficilis curatio: ideoque quantis nos in cęlum desideriis & suspiriis suspicere, quantos gemitus edere conuenit, vt ex tam miserando peccati statu liberemur. *Suspiciens Christus in cælum, ingemuit* (ait S. Gregorius) *non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat, sed nos ad eũ gemere qui cælo præsidet, docuit: vt & aures nostræ per donũ Spiritus sancti aperiri, & lingua per saliuã oris, id est, per scientiã diuinæ locutionis solui debeat ad verba prædicationis.*

Peccati status & turpitudo.
Ioan. 11.
Hom. 10. in Ezech.

Hunc locum tum de peccati in se turpitudine atque horrore, tum de eius statu, siue in nobis, A
Dom. pass. tex. 1. siue in aliis amarè deflendo, in aliis Dominicis iam latè tractauimus. Hic tamen aliqua addemus, prout Deus dabit, in materia enim tam vtili & necessaria vix vnquam satis dici potest.

Do. 9. post Pent. tex. 1 & Do. 10. post Pent. tex. 6. Ac primum, maximum malum esse debet, quod omnipotenti Deo gemitum excutere potuit. Sic olim in prima mundi ætate, quando *omnis caro corruperat viam suam*, Deus *dolore cordis tactus intrinsecus* fuisse dicitur. Et rursum Paulus: *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis.* Non quod dolor in Deum, aut tristitia in Spiritum sanctum cadat; sed quod tam odiosa, horrenda, vilis, & absurda res peccatum sit, vt nullo satis dolore plangi queat, Deumque acerrimè offendat. Et vide breuiter quid sit Deum offendere. Primum in omnium bonorum auctorem & beneficentissimum tibi Patrem peccas. Et hic omnia tam in genere, vel totius mũdi, vel omnium fidelium communia, quàm in particulari propria cuique à Deo collata beneficia enumerari possunt. Parum certè homo ab homine peteret, qui id solum postularet, vt si quando beneficia aliqua ipso actu in eum exerceret, tum temporis diligeret. Quid enim minus peti potuit? Quum enim omnes aliæ operæ & labores alterius generis mercede compensari possint, nec est opus, vt qui pro altero iter fecit, verbi gratia, ab eo vicissim id expecter, vt pro se iter faciat, sed pecunia, vel quauis alia mercede talis labor compensari potest; solus amor amore re- B
penditur: qui amat, amari vult, nec amanti te vnquam satisfacies, nisi vicissim ames. Deum ergo perpetuo nos amantem, singulis horis atque momentis actu benefacientem, quia & esse, & vitam, & victum, & gratiam in statu virtutis, patientiam in statu peccati (omnia beneficia excellentia) nobis confert; si non redamamus, si offendimus, nec minimum illi mutui amoris officium reddimus; hoc vno nomine grauiter & acerbè peccamus. Quod si tam tui amantem offendere nullo loco ducis; at vide in quàm potentem impingas. In illum stupidè offendis, & contrà illum calcitras, *qui potestatem habet mittendi animam tuam & corpus in gehennam* ignis æterni: *qui nutu suo terram concutit, qui tangit montes & fumigant, cuius iræ nemo resistere potest, sub quo curuantur qui portant orbem, qui claues habet vitæ & mortis, qui deducit ad inferos & reducit, cuius magnitudinis non est finis, in cuius manus incidere horrendum est.* An non illum insanum dicas, qui obuerso capite in columnam æneam magno impetu impingat? At multo insanior est, qui sciens & prudens omnipotẽtem Deũ audacter offendit. Deinde quis tu es qui Deum offendere non vereris? Nonne puluis & cinis, & terræ vermiculus? Vide quid oret Deum Propheta: *Memor esto huius. Inimicus improperauit Domino, & populus insipiens incitauit nomen tuum.* Petit à Deo vindictam, quod vilis puluisculus infinitam Dei maiestatem contemnere audeat. Denique quæ tandem tanta causa est, vt tu talis tantum ac talem Deum, tam beneficum, tam potentem, tam temerè & identidem offendas? Aliquod fortè ingens bonum tuum? aut aliqua vrgens necessitas tua? Sit ita, aliquando C
sic se rem habere; vt cum Petrus metu mortis Christum negauit, vel cum Saul, non veniente tempestiuè Samuele, ne populus ab eo nouello Rege dilaberetur, sacrificium obtulit, & sacerdotale munus sibi arrogauit. At tu, quoties modici lucelli, breuissimæ voluptatis causa in Deũ peccas, & hamo aureo piscículũ venaris! Propter hoc exclamat Propheta: *Propter quid irritauit impius Deum?* Et fortius exclamat Christus: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua? aut quid proderit homini, si vniuersum mundũ lucrifaciat, animæ vero suæ detrimentũ patiatur?* His ergo de causis suspiciens Christus in cęlũ, ad peccatoris insignẽ audaciam, temeritatem, stultitiam ingemuit.

Pſal. 9. Matt. 16.

Simile.

Peccati enormitas.

1.

Simile.

Sicut pius pater phrenetici filij insaniam lætitiam, illo ridente, deplorat; & quo magis ille ridet, eo magis gemit: ita Deus nostram in peccando dementiam deflet; sibique acriter displicere, multis modis ostendit. Peccator quidem quàm diu in peccato suo est, & affectum ac voluntatem peccãdi retinet, tam diu nec dolet, nec ingemiscit, nec sentit vel onus vel turpitudinem peccati: quia videlicet peccatum adhuc in suo loco sibi connaturali sistit & manet, nempe in voluntate & affectu. Locus enim peccati proprius & subiectum proprium neque corpus est, quia lapides & ligna non peccant; neque sensus est, quia bruta animantia non peccant; neque etiam ipse intellectus, quia eius est dictare & dirigere, non facere aut exequi; sed sola depranata volũtas. Quemadmodum ergo elementum in suo loco non ponderat, vt de aqua manifestum est; in qua si quis ad tempus immergatur, vt in profundo maris aut fluuij sit, supernatantis aquæ pondus non sentit omnino; at extra aquam positus, vna aut altera aquæ amphora humeris im- D
posita, vehementer se grauari sentit: sic omnino peccatum adhuc in affectu & voluntate manens, non ponderat, non grauat, non molestat; sed voluntatem semel egressum, & affectu deposito, intolerabile onus videtur. Dauid perpetrato adulterio, quàm diu in peccati voluntate mansit, nullum onus sensit, sed de peccato in peccatum processit, & adulterio homicidium adiunxit; innocentem Vriam interficiens. Atqui vbi primum, comminante Nathan Propheta, facti pœnitere cœpit, dicens, *Peccaui*, iamque mutata voluntas esset, & suum locum peccatum excesserat, vide quid dicat: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Anxiatus sum, & humiliatus sum nimis, & rugiebam à gemitu cordis mei.* Eleganter & sapienter Seneca: *Omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, offenduntque deerrantem: vitæ peccata delectant.* Non gaudet nauigio gubernator euerso; non gaudet ægro medicus elato; non gaudet orator, si patroni culpa reus cecidit: at contra omnibus crimen suum voluptati est. Lætatur ille adulterio, alius furto, mendacio alter; nec antè illis culpa, quàm

Exemplum

2. Reg. 11. & 12.

Pſal. 37.

Epiſt. 98.

Diſſimilia

culpę

A culpæ fortuna, casus aut exitus acerbus displicuit. Hoc totum facit peccati affectus & voluptas adhuc manens.

Ad hunc hominum in suis peccatis stuporem Christus hic ingemuit. Ipsa enim natura horrorem peccati animis nostris insevit. Vnde Seneca: *Tuta scelera esse, secura non possunt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? Quia infixa nobis eius rei auersatio est, quam natura damnauit.* Sed sic naturam consuetudo peccandi deprauauit, vt nec rectum videre, nec peccati sensum habere possit. In quo ethnicis deteriores nos Christiani sumus. Epicurus voluptatis assertor, cum *nihil iustum esse natura* diceret; improbè & impiè: tamen adiecit, *crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit, potest enim* (inquit) *nocenti contingere vt lateat, latendi fiducia non potest.* Et alius Philosophus, Lucretius: *Multis se quisque modis semper fugit*, varias voluptates consectando, & sicut ægri corpore solent, mutationibus loci, cibi, strati, quasi remediis inaniter vtendo. *Sed quid prodest, si se non effugit? Sequitur se ipse, & vrget grauissimus comes, animi morbus, & conscientiæ mastix.* Atque hæc quidem illi. Sed maior videtur nostra impietas, & vlterius progressa iniquitas, qui identidē peccando, & sensum peccati amisimus & notitiam. In omni corporis ægritudine; quū principia dubia sint, & nomen morbi quæratur, progressus certi sunt; & quo magis inualescit, eo & acrius sentitur, & certius dignoscitur. At contra in animi morbis, in peccatis, quū principia clara sint, & primis scrupulis magis stimulemur, quo quis peius se habet, eo minus sentit: quo quis sæpius
B peccat, eo minus compungitur; & in multo progressu excusationes quæruntur; at demū virtus aliqua esse videtur, quod magnum scelus est. Nam febrem quidem, maximè paulo acriorē, nemo sanitatem dixerit; nec tabem paulo diuturniorem quis bonam corporis habitudinē appellauerit; nec podagram pedum velocitatem, aut pallorem ruborem esse aliquis affirmauerit: vitiis tamen, & quidem quo magis inualuerint, virtutum nomina imponuntur: vt iræ animi fortitudo, amori amicitia, inuidiæ æmulatio, superbiæ magnanimitas, calliditati prudentia, auaritiæ frugalitas, ignauiæ cautela ac diligentia. Ita singulis ferè vitiis patrocinia virtutum inuēta sunt: nec peccata agnoscimus quidē, tantum abest vt eorum sensu tangamur. Sic in luce gratiæ constituti, naturæ lumen amisimus. Hic est horrendus peccati exitus, hæc labes, hoc venenum. Et hodie verum est, quod de suo tempore, florente tunc imperio Romano, scripsit Seneca: *Cum videris forum multitudine refertum, & sepia concursu omnis frequentiæ plena, & illum circum in quo maximā sui partem populus ostendit, hoc scito, istic tantundem esse vitiorum, quantum hominum.* Hanc peccati cæcitatem, enormitatem, frequentiam, suspiciens in cælum ingemuit Christus.

Peccati remorsus.

Ibidem.

Seneca vbi supra.

Apophth.

Dissimilia

Li. 2. de Ira, c. 8.

7. *Et præcepit illis, ne cui dicerent.*

C

LOcus moralis de fuga gloriæ, & existimationis propriæ, siue de non appetenda ex bonis operibus laude ab hominibus. Hunc locum directè, & ex similibus Christi verbis iam tertio tractauimus, Domin. 3. post Epiph. textu & loco 3. vbi Christus sanato cæco dixit: *Vide nemini dixeris.* Dom. 4. Quadrag. textu & loco 6. vbi Christus facta panum multiplicatione, *videns quia volebant turbæ rapere eum, vt facerent Regem, fugit in montem ipse solus.* Dom. Passionis textu 5. vbi Christus Iudæis dixit: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Indirectè vero toties hic locus tractatus iam fuit, quoties vel contra superbiam, ambitionem, vanam sui ipsius ostentationem; vel pro humilitate, & de sui ipsius humiliatione diximus. Quorum prius iam in sex locis, posterius in quinque locis tractauimus. Contra superbiam, & vanam gloriæ affectionem, Domin. 3. Aduentus, tex. 6. Dom. 4. Aduent. tex. 6. Dom. 2. post Pentec. tex. 4. Dom. 5. post Pentec. tex. 1. in fine, & Dom. 10. post Pent. text. 1. 2. & 7. De præstantissima humilitatis virtute, & necessaria sui ipsius humiliatione, dictum est Dom. 3. Aduentus, tex. 8. Domin. post Epiph. tex. 8. Domin. in ramis Palm. tex. 3. Dom. 4. post Pentec. tex. 5. & Domin. 10. post Pentec. tex. 8. Fuit ergo hic locus iam quater decies explicatus. Inde depromat Concionator, quæ hic dicenda putabit. Pauca tamen, donante Christo, addemus, quia nulla vel acerbior, vel magis vulgaris est animarum atque virtutum pestis, quàm vana sui ipsius vel ostentatio, vel complacentia, vanæque laudis & existimationis affectatio. Sanctè cecinit, & salubriter monuit Anna Samuelis mater: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. Recedant vetera de ore vestro*: id est, vaniloquia quibus assueuistis. Taxat Phenennam alteram viri sui vxorem, quæ de prole sua gloriabatur, & sterilitatem Annæ exprobrauerat: *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Ille nouit & omnium rerum quæ accidunt causas, & cordium nostrorum occulta: quæ duo ad non gloriandum mouere debent. Quicquid enim vel nobis boni, vel aliis mali accidit, aut datum est; quum huius discriminis causam solus Deus sciat, non est quod quisquam superbiat, sed quod Dei occultum iudicium reformidet, qui quosdam *eleuans allidit*, quosdam *humilians exaltat*: qui *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Rursum cum Deus solus *scrutetur corda & renes*, & *Dominus nouit hominum cogitationes, quoniam vanæ sunt*, id est, quod malunt in seipsis inaniter inflari, quàm in Deo omnium largitore solidè subsistere; frustra suam gloriam affectat superbus, etsi homines latens, Deum tamen non latens. Totum illud Annæ canticum in laudibus humilitatis versatur, & contra superbiæ vanitatem declamat. Quid profuit Roboam filio Salomonis vanissima illa sui iactatio, qua dixit: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei?*

Gloriæ fuga.

Psal. 101.

Rom. 9.

Psal. 7. & 93.

Exemplum

3. Reg. 12.

1. Reg. 3.

Nonne ex duodecim tribubus, quibus imperabat, decem amisit? Sanctè monuit suum filiũ To- A
Tob.4. bias senior: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsa enim initium*
Psal.11. *sumpsit omnis perditio.* Quod & Propheta Regius cecinit. *Disperdet Dominus vniuersa labia dolosa, &*
Sophon.3. *linguam magniloquam.* Et per alium Prophetam Deus dicit: *Auferam de medio tui magniloquos su-*
perbiæ tuæ, & non adyciès exaltari (id est, superbire) *amplius in monte sancto meo. Et derelinquam in me-*
dio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini. Prædicit Propheta quales futuri
Exemplum erant filij noui Testamenti, eo semel per Christum propalato, humiles videlicet, qui non in se-
2. Cor.10. ipsis gloriarentur, sed in Deo sperarent. Talis erat Paulus, qui hanc superbiæ vanitatem lõgis-
simè fugiens, ita scribit: *Non audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant, sed*
Apophth. *ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis, non in immensum gloriabimur.* Docet
Brusou. li. suo se quemque metiri pede, nec inaniter supra id quod est efferri. Aptè Phocion Athenien-
5. c. 21. sium dux cuidam iactabundo respondit: *Cupressis sunt planè similes sermones tui. Illi enim magni sunt,*
Exemplum *nec vllos fructus ferunt.* Sic apud nos fagi, vlmus, aliæque multæ arbores. Holofernes dum super-
Iudith.2. bissimè gloriaretur, dicens ad Achior; *Cum percussero omnes Iudæos quasi hominem vnum, tunc etiã ipse*
Aliud. *cum illis Assyriorum gladio interibis*; adeo nihil fecit, vt saluis omnibus Iudæis, ipsius caput mulieris
4. Reg.18. Iudææ manu præscinderetur, totusque eius exercitus à Iudæis deletus fuerit. Idẽ accidit Sen-
Simile. nacherib per Rabsacem suum exprobranti, & certum interitum Ierosolymæ comminanti, pe- B
riit enim ipse cum toto exercitu suo, stante & florente ciuitate. Sicut canes multum latrantes minus mordent; sic multum iactabundi minus præstant.

Atque hæc quidem iactantia absque ratione virtutis assumitur, & de necdum factis, sed quæ facienda præsumit, inflatur; tanto vanior, quanto prorsus inanior. De quo genere vide plura in Dominica 3. Aduentus, tex. 2. Sed nec de ipsa iam peracta virtute, non de rebus vtcunque
Galat.1. præclarè ac laudabiliter gestis, vel gloriandum apud nos ipsos, vel alienam laudem captandam
Similia. esse, docet in hoc Euangelio Christus, præcipiens surdo & muto, quem sanauerat, ne cui dice-
1. ret. Qui enim in bonis operibus ab hominibus, non à Deo gloriam quærit, perspicuè ostendit, se non Dei filium, sed hominum seruum esse; ideoque *hominibus placere cupiens, & Christi seruus nõ*
est, & Christum grauissimè offendit. Aquila probat pullos suos genuinos ac germanos esse, si apertos oculos in solem intendunt: quod qui non faciunt, in terram deiicit vt supposititios, nõ suos. Sic Deus probat opera nostra, si recta intentione in eum ferantur, si eius gloriam & obse-
quium ante oculos habeant. quæ enim non Deum respiciunt, sed ad hæc inferiora referũtur,
2. non pro filiorum suorum operibus agnoscit, sed in terra dimittit, vt hic mercedem suam totam accipiant. Nonne vero vxor illa viro suo maximè displicet, eumque grauissimè offendit, quam quotidie videt curiosè se ornantem, vt aliorum oculis placeat, non viro suo? nonne eam certis-
simè adulteram iudicabit? Sic planè Deum offendunt, qui circa virtutis actiones soliciti, non C
Iacobi 4. nisi vt hominibus placeant, & ab hominibus laudem captent, id faciunt: horum animus fornica-
tur à Deo, vt seruiat creaturę. Vnde Iacobus: *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est*
3. *Dei?* Deinde huiusmodi vani ostentatores, vtcunque momentanea aliqua laudis voluptate titil-
lentur, ad extremum sempiterno dolore torquentur. Quemadmodum enim mimi in theatro tota die saltant, & corpora miris modis agitando fatigant, ob id solummodo, vt spectatoribus placeant, & plausum theatralem cum aliquo lucello pecuniario accipiant; sed nocte aduenien-
te, & spectaculo finito, maximam omnium membrorum fatigationem reportant, & ante ætatem fracti, debiles ac claudi fiunt: sic animi vanę gloriæ cupidi, mille modis pietatem simulant, & circa externa virtutum opera variè se cruciant; sed sub mortem nihil illis supereſt nisi labor & dolor: & *lassati in via iniquitatis*, id est, fictæ virtutis, verè *vias difficiles ambulauerunt*; quia magnis
Sap.5. & molestis laboribus infernum mercati sunt, *quia sol iustitiæ non illuxit illis*, quia Dei gloriam ante oculos non habuerunt, sed suam in omnibus quæsierunt. Quod ne fieret, Christus, sanato surdo & muto, rei gestæ famam & commendationem studiosè auertsatur.

8. *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur.*

D

LOcus moralis duplex. Vnus, quod gloria fugientes sequitur; sicut hic Christus à populis eo magis prędicabatur, quo magis ab illis prædicari recusauit. Alter, contra torporem fidei, & ignauiam nostram, qui accepto mandato, *vt omnis lingua confiteatur quia Iesus Christus est in gloria Dei Patris*, Christum tamen non confitemur, non prædicamus, non admiramur: quod isti, Christo etiam prohibente ne id eo tunc tempore fieret, fecerunt tamen, & studiosissimè fecerunt, dicentes: *bene omnia fecit: & surdos fecit audire & mutos loqui.* Prior locus iam aliquoties tractatus est, cum de humilitatis amplissima mercede, & hac maximè propria, quod quanto quis se humiliat, tanto exaltatur magis, disseruimns: vt in Domin.3. Aduentus, text.8. Dom.4. post Pentec. tex 5. & Dom.10. post Pentec. tex. vlt. Posterior locus etiam in superioribus explicatus est, in Domin. in ramis Palm. tex.4. & Dom. Paschæ, tex.3. De sensu verborum Christi aliquid tantum hoc loco notabimus. Christus hic præcipiens sanato surdo & muto, eiusque amicis,

qui

A qui eum sanandum adduxerant, ne cuiquam hoc dicerent, non ea intentione præcepit, ne id facerent, vt verba sonant; sed vt ostenderet se illam gloriam non captare, simúlque vt hac prohibitione eorum fides illustrior redderetur. Sic quum sanato leproso dixisset Christus, *Vide nemini dixeris*; adiunxit Euangelista, vtique in hominis laudem, non vituperium: *Ille autem egressus cæpit prædicare & diffamare sermonem*. Similiter sanata filia archisynagogi, *præcepit illis Christus vehementer, vt nemo id sciret*. Refert tamen alius Euangelista de hoc facto: *Et exijt fama hæc in vniuersam terram*, vtique referentibus illis qui præsentes aderant, & quibus præceperat, ne quis id sciret. Denique post illam nobilissimam Petri confessionem, quod Christus esset Filius Dei, &c. *præcepit Christus discipulis suis, vt nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christus*: quos tamen postea, vt hoc dicerent ac prædicarent, *misit binos & binos ante faciem suam*: & vt in illo nomine baptizarent ac miracula facerent. Est ergo hoc Christi præceptum doctrina, non obligatio: quam eius mẽtem isti optimè assecuti, tanto magis prædicabant Christum, quanto ne id fieret præcipiebat magis; hoc est, vt id fieret docebat magis. Sic amantes vetant interdum fieri, quod maximè cupiunt, vt amantium suorum amorem certius probent. Verè enim amantes hoc genus præcepti & optimè intelligunt, & alacriter adimplent.

Matth. 8.
Marc. 1.
Marc. 5.
Matth. 8.
Matth. 16.
Lucæ 19.
Ioan. 4.

B

EVANGELIVM DOMINICÆ XII. POST PENTECOSTEN.

BEATI oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & nõ viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidã legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Rectè respondisti, hoc fac, & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum; & plagis impositis, abierunt, semiuiuo relicto. Accidit autem vt Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præteriit. Similiter & leuita, quum esset secus locum, & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est. Et appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suũ, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe; & quodcunque supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

Lucæ 10.

C

D

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* De vera laude iustorum, etiam in hac vita.
2. *Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens.* De doctrina & scientia cum virtute, & pietate necessario coniungenda.
3. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* De amore Dei super omnia.
4. *Et proximum tuum sicut teipsum.* De dilectione proximi.
5. *Ille autem volens iustificare seipsum, dixit.* Contra hypocrisim, & falsam sanctitatis opinionem affectatam.
6. *Videns eum, misericordia motus est*, &c. De misericordiæ operibus erga proximos.
7. *Vade & tu fac similiter.* De bonorum operum necessitate.

A

1. *Beati oculi qui vident quę vos videtis.*

Laudanda virtus.

LOcus moralis de vera laude iustorum, etiam in hac vita. Etsi enim laudis cupiditas à iusto penitus excutiẽda est, ad necessariam humilitatis custodiam, & propter superbiæ periculum: tamen, vt ipsa virtus laudem meretur, sic eam à nobis laudari conuenit: nec virtus tantum ipsa, verum & virtute præditi, iusti & boni studiosè interdum laudandi sunt. Christus Ioannem Baptistam accuratè laudauit, vt alia Dominica dictum est, vbi & hunc locum tractauimus. Laudauit quoque Nathanaëlem, dicens; *Verè Israelita hic est, in quo dolus non est.* Laudauit etiam coram & in facie Centurionem, & Chananæam mulierem, huic dicens: *O mulier, magna est fides tua!* de altero præsente dicens; *Non inueni tantam fidem in Israel.* Sed & S. Iob in Scripturis à Deo laudatur: *Nonne considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Sic hoc in loco laudat Christus discipulos suos, & eos beatos vocat propter ea quæ viderant, id est, propter fidem & obedientiam in doctrinã eius. Nam corporaliter Christum omnes ferè Iudæi viderant, quos tamen adeo beatos nõ vocat, vt *gentem prauam atque peruersam* nuncupet, futurũ asserens, vt Niniuitæ, meretrices, peccatores surgant in iudicio, qui eos condemnent. Beatos igitur eos vocat, quia cum fide viderũt, & cum obedientia audierunt Christum & doctrinam eius.

Matth. 11. *Dom.* 2. *Aduent. text.* 8. *Ioan.* 1. *Matth.* 15. *Matth.* 8. *Iob* 1. *Matth.* 12. *& 16.*

B

Virtutis laus propter tria vtilis. 1.

Hæc autem laus & commendatio pietatis ex triplici capite vtilis est. Primum ex parte iustorum, quia tum hæc illis laus debetur (vt in alia Dominica ex Christi verbis explicatum est) tum virtus laudata crescit, si vera virtus est. *Quomodo enim probatur in sufflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Quando segetes multum creuerunt, ita vt spicas iam proferant, & ad maturitatem tendant, cupiunt earum domini vt venti quidam spirent, quibus grana tumescant, & grandiora ac pleniora fiant. quod vt in solidis granis vtile est, & spicam turgentem iuuat, inanem vero & tenuia grana exiccat & vrit ventus: sic solidam virtutem auget laus, quia animum iusti ad eius pulchritudinem magis accendit, tenuem & debilem virtutis actionem penitus corrumpit: quia dum laude inflatur, euanescit. qua de re sic D. Gregorius: *Cum humanæ linguæ attestatione laudamur, occulta pulsatione requirimur quid de nobis ipsis sentiamus, vt in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens etiam quum de se falsa dicuntur, exultat: quia non apud Deum qualiter viuat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat. At contrà, si cor veraciter humile est, bona quæ de se audit, aut minimè recognoscit, & quia falsa dicũtur metuit; aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat, ne ab æterna Dei retributione pereant, quo hæc considerat hominibus diuulgata. Qua ex re agitur, vt electorum animus magno laudum suarum igne crucietur, atque ab omni torporis sui rubigine mœrore cogitationis excoquatur. Cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his in quibus laudatur & nõ sunt, maius Dei iudicium inueniat; aut de his in quibus laudatur, & sunt, competens præmium perdat. Vnde plerunque fit, sicut iniustus ex laude sua polluitur, ita vir iustus audita laude sua purgetur.* Hæc ille. Huius rei exemplum sanctissimus Pater Augustinus præbuit. Quum enim à sancto Paulino miris laudibus per epistolam extolleretur, respondit: *Pudet me quidem tantum boni de me credere, sed plus piget tibi non credere. Est quod faciam. Non me credam talem, qualem putas, quoniam non agnosco: & credam me abs te diligi, quoniam serio & plane perspicio. Ita nec me temerarius, nec in te ingratus extitero.* Et paulò pòst, quia per familiarissimum & sui amantissimum quendam hanc epistolam dederat, adiecit: *Neque huic tam familiari amico meo velim credas, quæ de me fortè laudans dixerit. Sensi enim etiam ipsum sæpè non mentiendi studio, sed amandi propensione falli iudicantem, & arbitrari iam me accepisse quædam, quibus accipiendis à Domino patente ore cordis inhiarem. Et si hoc in os meum; quis non conijciat, quanta de me absente meliora quàm veriora lætus effundat?* Rursum alio in loco: *Non mihi placet cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò enim non me, sed per me alium sub meo nomine diligunt, si non quod sum, sed quod nõ sum, diligunt.* Fuit ergo sancto huic viro laus in cũ sæpe congesta humilitatis materia, & purgationis argumentum, vt tanto sibi attentius prospiceret, quanto se ab aliis maiorem existimari cerneret. Sic in alia epistola perspicuè scripsit: *Quod de nobis tam bene existimas, vt fideles Dei seruos nos esse credas, idque ipsum in nobis corde purissimo diligas: gratulandum potius tuæ beneuolentiæ, quã tibi gratiæ agendæ sunt. Tibi enim prodest ipsam diligere bonitatem: quam profectò diligit, qui eum diligit quẽ credit bonum, siue ille talis sit, siue non. Quapropter tibi hac de re gratulandum est. Quales autem nos simus, quantumque in Deum promouerimus, ipse viderit, cuius nõ solum de hominis bono, sed homine ipso non potest errare iudicium. Gratias vero tibi vberes agimus, quod nos cum laudas, tanquam tales simus, mirabiliter hortaris, vt tales esse cupiamus.* Hæc ille. Sic nimirum virtus laudata crescit, quando & per humilitatem seipsam deprimit, & per proficiendi studium seipsam erigit. Sic enim conatus humanos diuina gratia secundat; qui humiles *repleuit bonis, & diuites dimisit inanes*: hoc est, qui sibi diuites, pleni, saturi videntur.

Exemplũ. *Epist.* 32. *Epist.* 7. *Epist.* 126. *Lucæ* 1. 2.

C

D

Virtutis laus alios extimulat *Moral. lib.* 22. *cap.* 7. *Simile.*

Ex altero capite laus virtutis vtilis est, quia alios ad virtutem exstimulat. De quo D. Gregorius: *Plerunque ad exercenda bona opera, aliena nos vtiliter exempla persuadent. Et cum mente humili opinionis aliena bona suscipimus, nostra vel ad melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus. Cũque nos de vita proximi famæ splendor irradiat, mens nostra, quæ ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in lunæ lumine gressus ponit.* Sicut enim lunæ lumen à sole mutuatum, hæc inferiora, etsi obscu-

rius,

A rius, quadamtenus tamen illuminat: sic proximorum laudabiliter facta, ex diuinæ gratiæ lumine profecta, etsi tenuius, aliquatenus tamen ad virtutem excitant. Sic Miltiadis trophæa Athenis erecta, dormire Themistoclem non sunt passa. De qua re vide plura in Dominica 2. Aduentus. Sic excitat hoc loco Christus discipulorum suorum animos, vt maximo hoc beneficio intellecto, quale veteres Patriarchæ non acceperant, & propter quod beati eorum oculi dicerentur, ad Christum diligendum & audiendum magis ac magis inflammarentur. *Text. 8.*

Tertia causa laudandæ virtutis est, Dei gloria, & nostra erga eum gratitudo. Ad hoc hortatur Apostolus: *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Gratitudo est veluti clauis viscerum Dei, qua plerúmque ipsa aperiuntur, vt inde ingentes thesauri prodeant. Ad hanc perpetuam animi gratitudinem veterem populum excitauit Deus, quum iuberet in Arca fœderis virgam Aaronis, quæ floruerat, & duas tabulas Legis in monte Sina acceptas recondi atque asseruari: vt videlicet ex illorum præsentia, accepta à Deo beneficia recordarentur. Quum exploratores terræ Chanaan in ciuitate Iericho à Raab meretrice absconsi dimitterentur, illáque huius beneficij vicissitudinem ab illis reposceret, dixerunt illi exploratores: *Innoxij erimus à iuramento hoc quo adiurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum non fuerit funiculus iste coccineus, & non ligaueris eũ in fenestra per quam dimisisti nos.* Obserua iussisse eos, vt in eadem fenestra, per quam dimissi fuerãt, & in qua beneficium acceperant, nec alibi, signum apponeret, vt eo conspecto, beneficij accepti recordarentur. Oportet nos vias & modos quærere, quibus ad Dei beneficia recolenda, & grato animo commemoranda excitemur. Inter alia hoc vnum est, vt aliorum virtutes, quæ Dei dona sunt, pleno ore prædicemus. Sic amico suo, qui eum laudauerat, gratulabatur Augustinus, eo quòd ipsum laudans, Dei dona laudaret atque diligeret. *Tibi* (inquit) *ad mercedem beatitudinis, quod ad hanc rem attinet, satis est, quòd nos tales credens, quales oportet esse seruos Dei, toto sinu cordis amplecteris.* Philosophi huius mundi, quia scientes Deum *non sicut Deum glorificauerunt*, id est, debitas gratias non egerunt, nec Deo accepta retulerunt, sed sibi, quæ inuenerant, tribuerũt (hoc enim est Deũ non glorificare sicut Deum, sicut Regem aut benefactorem: tanquam talem ille glorificat, qui eius acceptà beneficia gratanter recolit) *Ideo traditi sunt in reprobum sensum*, in desideria cordis turpissima; quæ pœna fuit omnium acerbissima. De hac in Deum gratitudine iam in aliis Dominicis latè diximus.

3. *Ad Dei gloriã laudanda virtus.* *Colos. 3. Allegoria. Exod. 25.* *Exemplũ.* *Iosue 2.* *Epist. 126.* *Rom. 1.* *Dõ. 3. post Epiphan. text. 5.* *Dõ. Palm. text. 5.*

2. *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens.*

C LOcus moralis de doctrina & scientia cum virtute & pietate necessariò coniungenda. Iste legisperitus iuxta titulum & professionem suam, clauem scientiæ tenebat; sed ea inaniter inflatus, Christum, quem vt Prophetam omnes habebant, tentare maluit quàm audire: nec quærere vt discat; sed vexare vt in verbo capiat: nec deniq; eius sanctis præceptis obedire, vt saluus fieret; sed eum superbè examinare, vt doctus ac celebris videatur. Cauendus sũmopere hic hominum literatorum morbus, qui ferè vnus omnium in Ecclesia hæresum causa fuit, dum non ab Ecclesia discere, sed singulariter sapere volunt: qui etiam ipsis doctis, alioqui Catholicis & orthodoxis, maximum salutis æternæ impedimentum esse solet, dum sua scientia confisi, nec conciones audire, nec vulgaria pietatis exercitia subire, nec publicas orationes frequentare, nec denique à quoquam vel in vsu Sacramentorum, vel extra, doceri, moneri, corripi dignantur. Propter hoc exclamauit S. Pater Augustinus: *Surgunt indocti, & cælum rapiunt; & nos cum doctrinis nostris ecce in carne & sanguine volutamur.* Magis quippe ad pietatem dociles sunt, quorũ minor est doctrina, quia magis illi humiles & pauperes spiritu esse solent. Magnus ille Arsenius, vir in seculo literarum & eruditionis nomine celebris; ideóque ex magno doctorum numero vnus Romæ delectus, qui inde Constantinopolim vocatus, duobus Theodosij Magni filiis Arcadio & Honorio, qui & póstea imperarunt, pædagogus esset; postea eremita factus, solebat de animi cogitationibus ac tentationibus Ægyptium quendam monachũ, rudem protsus & illiteratum, frequenter percontari. Rogatus cur id faceret, respondit: *Quia huius rustici illiteratam planè insciti am fateor me nondum didicisse*, móxque adiecit: *Diuinitus me edoctũ non agnosco, etsi ex acquisita doctrina non pauca sciam.* Quare idem Arsenius ab Euagrio monacho in Græcis disciplinis multum versato, interrogatus cur monachi Ægyptij indocti & rudes tot insD signes essent virtutibus; alij autem magnam assecuti doctrinam, ne mediocria quidem rectè gerere possent, respondit: *Nos, qui alienis scilicet confidimus laboribus & disciplinis, ideo ex bonis tanquam propriis non facile possumus fructum aliquem facere aut percipere. Ij autem, qui sunt in solis propriis occupati laboribus, merito proprios quoque fructus colligunt.* Voluit dicere, viros doctos alienas virtutes magis admirari, callere, & obseruare, quàm exequi & imitari: pios verò indoctos in ipsis pietatis operibus totos exerceri; ideóque proprios fructus carpere, magnásque virtutes operari. Sic obseruare licet frequentiora & celebriora miracula ab illis seu nostri temporis, seu antiquioribus religiosis facta esse, quorum institutum in sui ipsius maceratione & mortificatione cõsistit, quàm ab illis, quorum professio in omnigena quadam omnium disciplinarum cognitione, & in

Scientia cũ virtute cõiũgi debet. *Confess. lib. 8. c. 8.* *Exemplũ In vita eius apud Sur. to. 4. p. 255* *Apophth.*

aliis docendis, variéque instituendis, siue per conciones, siue in scholis publicis, versatur. Quod A
Epist. 77. si in illis ita accidit, quorum cum summa pietate excellens eruditio coniuncta est, quid aut quã-
tulum erit sola doctrina, à pietate seiuncta? Eleganter Seneca: *Omnia suo bono constant. Vitem fer-*
tilitas commendat, sapor vinum, velocitas ceruum. Quam fortia dorso iumenta sint quaeris, quorum hic vnus est
vsus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si inuestigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mor-
Lib. de cu- *dere & inuadere. Id in quoque optimum est cui nascitur, quo censetur. Homo Deo fruendo nascitur. Ratione an-*
pidit. di- *tecedit animãtia cætera. Virtute igitur & pietate præstare debet.* Hæc ille, vt Philosophus planè Christia-
uitiar. nus. Quemadmodum enim Hippomachus Aliptes (vt refert Plutarchus) quibusdam laude ef-
Simile. ferentibus prælongum quendam ac prælongis manibus hominem, tanquam ad pugilum cer-
tamen idoneum, aptè respondit; Sanè ita, si suspensa in alto corona foret detrahenda: elegãter
notans corporis proceritatem, nisi robur membrorum, & fortitudo animi accedat, ad certamẽ
athleticum parum aut nihil facere: eodem modo frustra virum doctum, & quantalibet scien-
tia præditum laudaueris, nisi vera pietate, & solidis virtutibus animum præterea excoluerit:
Lucæ 17. quia corona gloriæ cælestis non eruditione, sed pietate obtinetur: *nec venit regnum Dei cum obser-*
Matth. 25. *uatione*, vt curiosis Pharisæis respondit Christus; sed in omni solicitudine *expectantibus Dominum*
Esaiæ 61. *suum donec reuertatur à nuptijs, oleúmque bonorum operum* in fidei & scientiæ *lampadibus gerentibus, ve-*
Rom. 2. *nit sponsus*, venit Dominus, *& merces eius cum eo*: nec denique speculatores subtiles, & auditores
Matth. 12. docti, sed *factores verbi iustificantur*: quia *regnum cælorum vim patitur*, actione studiosa comparatur; B
& violenti rapiunt illud; actuosi & feruidi in opere, à desidiosis alijs, soláque præclara scientia con-
tentis, quasi manu iniecta, auferunt illud.

Prou. 5. Quare verbi doctores & magistros sic monet Salomon: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluẽta pu-*
Cura pa- *tei tui deriuentur foras.* Quod sic exponit S. Gregorius: *Aquam prædicator de cisterna sua bibit, quum ad*
stor. par. 3. *admonit.* *cor suum rediens, prius audit ipse quod dicit, fontes foras deriuare, est exterius alijs vim prædicationis infunde-*
25. *re.* quemadmodum enim qui multam & puram aquam in cisterna domestica collectam habens,
Simile. eam alijs liberaliter dispensat, sed ex ea nunquam, aut nisi parcissimè bibit ipse, stultus meritò &
insanus habebitur, quin & siti perire poterit: sic qui multa sciunt, & alios præclarè docent, nihil
interim ipsi eorum quæ docuerunt, opere exequentes, grauiter insaniunt; & bonorum operum
Prou. 19. vacui, exitio sempiterno mulctantur. Vnde iterum Salomon: *Pigredo immittit soporẽ, & anima dis-*
Vbi supra, admon. 16. *soluta esuriet.* quæ verba sic explicat S. Gregorius: *Piger rectè sentiendo quasi vigilat, quamuis nil operã-*
do torpescat. Sed tandem recta sentiendo, vigilantia ipsa omittitur, dum à bene operandi studio cessatur. Ideoque C
mens quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferius per desideria expandit, vnde infrà di-
citur: in desiderijs est omnis otiosus. Ita nempe comparatum est, vt qui vident meliora probántque,
sed ex animi pigritia facere negligunt, & deteriora sequuntur, ex pigritia tandem, vtcun-
que vigili, in altum somnum decidant, ipsámque virtutem nec videant, nec probent amplius;
Psalm. 51. sed tum opere, tum affectu & iudicio eam exhorreant: *gloriantes in iniquitate; lætantes quum male*
Prou. 2. *fecerint, & exultantes in rebus pessimis.* Horum postea mens dissoluta, & prauis desideriis corrupta
esuriet, quia in ipsis nunquã satiabitur. Hic exitus esse solet doctrinæ & scientiæ à virtutis actio-
ne seiunctæ.

Exemplũ. Scribæ & Pharisæi Herodem docere potuerunt Christum in Bethleem nasciturum: sed
Matth. 2. ibi eum cum Magis quærere & adorare noluerunt. Ipse quoque Herodes diligenter inquirit de
puero Iesu: non vt eum adoret, sed vt interficiat. Tales sunt omnes legum diuinarum & huma-
narum doctores: qui non ideo sunt docti, vt legibus obediant, sed vt scientiæ famam & lucrum
consectentur. Similes sunt dentibus insititijs, quibus ad loquẽdum tantum, non ad comeden-
Similia. dum edentuli vtuntur. Quid prodest famelico cognoscere naturas ciborum, & nihil gusta-
re? aut morienti præ frigore de vi ignis posse disputare? Benè dixit Thomas à Kempis: *Malo*
Apophth. De imitat. Christi, c. 3. *sentire compunctionem, quam scire definitionem.* Dicit Sponsus in Canticis: *Murenulas aureas faciemus*
tibi, vermiculatas argento. Quis vnquam tale vidit? Si dixisset, Faciemus tibi murenulas argen-
Cant. 1. teas, vermiculatas auro; nihil præter id quod fieri solet, dixisset. Solet enim quod vilius est,
eo quod pretiosius ducitur, vermiculari, expoliri, ornari; non econtrà. Dicit autem Spiritus D
sanctus murenulas aureas vermiculandas argento; quia aurum purissimæ charitatis exornatur
scientia, & virtutem celebriorem facit eruditio, quæ absque virtute nihil est, vt dixit Apostolo-
1. Cor. 13. lus. *Si omnem scientiam habuero, charitatem autem non habeo, nihil sum.* Quare virtus scientiam non
ornat, sed eius planè basis ac substantia est, vtpote sine qua nihil est, quum virtus absque sciẽtia
Prou. 16. planè multum sit: quia *melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate.* Vnde & Pro-
Psalm. 118. pheta Regius: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Prius dixit: *Bonitatem & disciplinam*, & postea *scientiam.*

Simile. Super virtutis fundamento bonæ literæ optimè sedebunt. Si cadauer mille vestibus one-
res, nunquam calefiet, quia ab intrinseco nullum calorem natiuum habet, qui vestimentis fo-
ueatur. Sic hominem impium, & Deo ac pietati mortuum, frustra mille præceptis instrues, fru-
stra quoque & ipse omnem scientiam inuestigabit; quia amorem Dei & virtutis in se non ha-
bet, quod est principium vitæ spiritualis. Scientia fouet virtutem, non gignit; & eum accẽdit ad
Epist. 119. opus, qui iam diuini Spiritus calore antea tactus fuerat: & hoc sensu *est machina per quam assurgat*
charitas, vt scripsit sanctus Augustinus, quia ex eius dictamine crescit & augmentum capit. Dæ-
mones sapientissimi sunt, & vix illis mortalium quisquam scientia comparandus. Hoc vnum
tamen

tamen ignorant, quomodo à pœnis inferni liberentur, aut aliquid piè cogitent, quia Dei amor
A prorsus in illis extinctus est. Quemadmodum ex nimia stomachi repletione, & ciborum redundantia oritur obstructio illa, quam medici oppilationem vocant; ex qua producitur continuus capitis dolor, & phrenesis ad insaniam perducens: sic ex depravata vitæ cupiditate, & morum corruptela, oppilatio illa oritur, & obliuio Dei, de qua Scriptura dicit: *Oblitus sum comedere panem meum*, ex qua producitur contemptus pietatis, & insana obduratio in peccatis, vt omnis scientia in occasionem peccati vertatur, sicut iste legisperitus sua peritia non nisi ad tentandum Christum abutitur. De huiusmodi dicit Propheta: *Ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulachrorum fuerunt ex eo.* Nam vt Iudæi isti ex auro ad vsum legitimum concesso idola fabricauerunt; sic impij omnem suam scientiam in superbiæ occasionem, & in voluptatum idola conuertunt. Hunc locum in aliis quoque Dominicis explicatum vide.

Simile.

Psalm. 101

Ezech. 7.

Dom. 1. *Aduent. text.* 4. *Dom. inf. Oct. Nat. Domini, text.* 2. *Dom.* 3. *Quadrag. text.* 7.

3. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.*

B LOcus moralis de amore Dei super omnia. *Hoc est maximum & primum mandatum*, ait Christus apud Matthæum. Verè maximum, quia maximè à Deo requisitum, maximè à nobis curandum, maximam in hac vita pacem, in altera mercedem afferens, si impleatur; maximè in inferno puniendũ, si negligatur. Maximus Deus, maxima affectio amor. Sicut ergo in maximorum duorũ connubio, maximus & nobilissimus est partus: sic amoris diuini nobilissima sunt opera. Maximum mandatum, sine quo reliqua nihil sunt: *Qui enim non diligit, manet in morte.* Maximum mandatum, cum quo ipsa parua magna fiunt. *Qui enim dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam*, id est, amplissimam accipiet. Maximum mandatum, quia amor, vita & forma virtutum est, perfectio bonorum operum, siue *vinculum perfectionis*, & omnium affectionum quidã deus, quia fons & origo est. Nulla virtus sine charitate Dei, vera virtus est, sic vt Deo ad meritum placeat, quia *nihil aliud virtus est, quàm ordo amoris*, ait Augustinus, siue amor ordinatus. Omnis virtus vt vitam & formam, sic & perfectionem à charitate accipit: quia quanto ex maiori charitate proficiscitur, tanto Deo acceptior est. Omnes aliæ affectiones, gaudium, tristitia, spes, metus à charitate ordinantur, & ex ea deriuantur, quia propter ea gaudemus & tristamur, quæ vel acquisita amplectimur, vel amissa lamentamur: ea speramus, quæ amamus: ea metuimus, quæ exhorrescimus. Maximum ergo & præcipuum hoc
C mandatum est; nec ordine tantum, sed & dignitate, & necessitate, & natura primum. Diligendus autem Deus *toto corde*, id est, tota voluntate, quæ est actionum omnium in anima principium, sicut motuum omnium in corpore principium est cor. *Tota anima*, id est, toto appetitu inferiori seu sensitiuo (quo sensu scriptum est, *Factus est homo in animam viuentem*, id est; vita animali & sẽsibili cœpit viuere:) quem etiam appetitum mouet voluntas, sicut sphæra superior suo motu orbes inferiores mouet. *Ex totis viribus*, id est per omnes potẽtias motiuas, & executiuas eius quod voluntas imperat, sic vt illæ omnes Deo seruiant in sanctificationem iustitiæ, sicut in impiis seruiunt iniquitati ad iniquitatem. Denique *ex tota mente*, id est, toto intellectu, qui per voluntatem charitate informatam mouetur ad credendum de Deo quæ sunt credenda, ad meditandum de Deo dilecto, ad ea inuestiganda quæ ad Dei cultum & gloriam faciunt. Sic ergo diligendus Deus, vt tota nostra voluntas, appetitus, actio, intellectus in eum feratur; nec horũ quippiam mundo, carni, diabolo, aut peccato seruiat. Pharao filios Israël tandem aliquando dimissurus, ait illis: *Ite sacrificate Domino. Oues tantum vestræ & armenta remaneant.* Sed respondit Moyses: *Cuncti greges ibunt nobiscum. Non remanebit ex eis vngula; quæ necessaria sunt in cultum Dei nostri.* Hoc in figura contingebat illis. Diuino cultui totos nos consecrare & mancipare debemus; diabolo nec vngula, nec aliqua nostri particula relinquenda. Omnia nostra, voluntas, intellectus, appetitus, potentiæ, & vires ad Dei cultum necessaria sunt: *Præsertim cum ignoremus* (vt adiecit Moyses) *quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus*: id est, quum nesciamus, in quem Dei cultum, & ad quam Dei gloriam, affectus & vires nostras omnes conuertere debeamus, donec iuxta vocationem cuiusque, & occasionem virtutis, Deo seruiendi tempus aduenerit. Omnia
D igitur integra seruanda sunt Deo; ne alijs amoribus præoccupati, cum ad locum immolandi, ad occasionem Deo seruiendi ventum fuerit, auersi & impediti præstare id non poterimus, quod præstare oportebat. Docet hoc S. August. ita scribens: *Quum dicit, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re frui velit: sed quicquid aliud diligendum occurrit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit*, id est, non nisi in ordine ad Deum diligatur.

Amor Dei super ōnia. Matth. 22. *Maximum mãdatum.*

1. *Ioan.* 2. *Matth.* 10.

De ciu. Dei lib. 15. *c.* 12

De doctr. Christi l. 1 *cap.* 22.

Nunc vide quàm sit præceptum hoc variæ & certæ rationi consentaneum. Primùm hic amor Dei super omnia prorsus naturalis nobis est, id est, naturæ nostræ conueniens, & ex naturæ nostræ conditione necessarius; non sic naturalis, vt solis naturæ viribus eum consequi valeamus.

Amor Dei rationi maximè consentaneus.

1. *Amare quod suum est.* 1. Pet. 1.

Naturale est vnicuique rei, vt finem suum appetat. Deus vltimus finis noster est, & sola beatitudo. Naturale est, vt vnaquæque pars diligat suum totum. At Deus totum quoddam nostrum est, nósque particula eius non per naturam, sed per gratiam, quæ *nos consortes diuinæ naturæ fecit.* Naturale est, illud amare quod nostrum est. Amat vnusquisque quod suum est, pater filium suum, & filius patrem; sponsa sponsum suum, & cõtrà: agricola agrum suum, &c. Propterea hic dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum.* Noster enim est, beneficijs Pater, potestate Dominus, electione Deus. Elegit enim nos in Filio suo renatos, in peculium & populum suum; sicut olim in amico suo Abraham, & electo suo Isaac, & dilecto suo Iacob, veterem populum elegerat. Cæterũ nouo redemptionis beneficio, quo Filius Dei factus est caro nostra, & frater noster, non iam solum Dominus Deus noster, sed & Pater noster est, quo eum titulo quotidie inuocamus. Naturale est, vt filius patrem, seruus dominum, populus regem suum diligat. Hactenus ergo præceptum hoc naturale est. A

2. *Locus hominis proprius Deus est.* Psalm. 15. Confess. lib. 1 c. 1. Simile. Genesis 1. Matth. 20

Quod vt magis intelligas, considera vbi sit locus tuus; & ad quid factus es. Omnia quæ facta sunt, suum certum locum & terminum habent, in quo tanquam in suo centro & fine permaneant. Creauit Deus cælum, & Angelis impleuit. Creauit terram, & animantibus, reptilibus, fructibus ac plantis eam impleuit. Creauit mare, & piscibus impleuit. Creauit aërẽ, & volatilib. impleuit. Quis homini locus proprius restat, aut quid nunc homini Deus dabit in quo quiescat? Cætera omnia præoccupata sunt. Nam ignis elementum homini conuenire non poterat, facilè, quoad corpus, corruptibili; & quoad animam, varijs cupiditatibus per peccatum plus satis accenso, & inflammato. Quũ nihil ergo donandũ supererat, Deus homini seipsum dedit, solus Deus hominis hæreditas esse voluit. *Dominus pars hæreditatis meæ, & portio mea in terra viuentiũ*, id est, in loco & numero rerũ omniũ animatarum. Sicut ergo auibus naturalis est aër, & piscibus aqua: sic proprius hominis locus est Deus. Hinc S. Augustinus. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrũ donec quiescat in te.* Auicula cauea inclusa, etsi optimis cibis abundè nutriatur, nunquam tamen quiescit, sed perpetuò saltitat, exitũ è cauea quærens, & malit foris simplici herba sustentari, quàm in cauea delicatissimè ali. Sic anima cauea corporis inclusa, vtcũq; falsis cupiditatibus deprauata, quietem tamen & satietatem nisi in solo Deo non inuenit. Ideò Deus hominem solum *ad suam imaginem & similitudinem creauit.* Vide ergo & animam tuam, hoc est, teipsum ô homo considera. *Cuius est imago & inscriptio?* Dei sanè. *Redde ergo quæ Dei sunt, Deo.* Da animam tuam Deo: illum colat, illi seruiat, illum amet. B

3. *Amoris Dei necessitas.* Rom. 8. Ser. 13. de verb. Apost

Porrò ex hac naturali ratione sequitur necessitas huius amoris. Viuit corpus cibo, viuit anima amore. Necesse est vt aliquid ames, quia otiosa esse anima non potest. Sed magis necesse, vt illud ames vnde viuas. Dicit Apostolus: *Fratres; debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.* In quæ verba Augustinus: *Vnaquæque res secundùm id viuat, vnde viuit. Vnde viuit caro tua? de anima tua.* Nam illa separata, caro moritur. *Vnde viuit anima tua? de Deo tuo. Vnaquæque horum secundum vitam suam viuat. Caro sibi non est vita, sed anima carnis est vita. Anima sibi non est vita, sed Deus est animæ vita. Debet ergo secundùm Deum viuere.* Non viuet autem secundùm Deũ, id est, secundùm eius voluntatem, nisi Deum super omnia amet; vt eius in omnibus voluntatem faciat. C

4. *Amor Dei maximè vtilis.* Ioan. 14. Prou. 8. 1. Ioan. 4. Ioan. 14.

Iam verò vt naturalis ac necessarius, ita maximè nobis ipsis vtilis hic Dei amor est. Iubet Deus vt illum diligamus: non quia amor noster illi vel necessarius, aut vtilis est; sed quia nobis vtilissimus. Hoc enim Dei amore nobilitamur, amicitia coniuncti Deo. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hoc Dei amore ipsum Deum nobis conciliamus, nostrique amantem reddimus. Ait enim: *Ego diligentes me diligo.* Hoc Dei amore Deo fruimur, ei adhæremus, in eo manemus. *Qui enim manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo.* Hoc Dei amore omnia alia præcepta mira facilitate exequimur. *Qui enim diligit me, sermones meos seruabit.* Denique & hoc Dei amore omnia dura aduersa, difficilia patienter sustinemus, libenter toleramus, hilariter superamus. Hæc singula in aliis iam Dominicis explicata sunt. D

5. *Amor Dei non est nisi mutuus.* Esaiæ 5.

His accedit, quòd totus hic amor Dei nisi mutuus est, & amplissimis eius in nos beneficiis debitus. Vox Dei est: *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci?* Huc pertinent indefessa eius circa nos prouidentia, liberalitas immensa, longanimitas prolixa, misericordia infinita, charitas ineffabilis, vt in aliis iam Dominicis sæpe dictum est. Hæc huiusmodi sunt, vt absque vllo præcepto Deum super omnia amare vnumquemque meritò moueant. Sola gratitudinis erga Deum ratio (de qua iam aliquoties diximus) hunc à nobis amorem extorquet: maximè, quia nunquam cessat nobis benefacere, & nihil æquius, quàm actu semper benefacientem redamare.

6. *Amor Dei præceptum facile.* Simile. Esa. 43.

Porrò quid hoc præcepto facilius? Si aliquis Rex ita clemens esset, vt nulla alia à suis tributa aut vectigalia exigeret, nisi solum amorem: nonne clementissimus ille Rex videretur? Vnde sic Deus nos alloquitur: *Non me inuocasti Iacob; nec laborasti in me Israel. Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.* Hoc est, dura & difficilia à te non postulaui. Quid enim facilius, aut suauius quàm diligere? Ad amandum nemo est imbecillis, insipiens, pauper. Ad cæteras virtutes exequendas, robur corporis, animi fortitudo, ingenij vis, diuitiæ, valetudo, requiruntur. Ieiunare æger & debilis non potest. Eleemosynas dare nequit pauper. Vt pupillum, vt viduas

A vt viduas defendas, ingenio, consilio, opibus opus est. Vt multis benefacias, multa aduersa sustineas, multos doceas, magna media, magna animi fortitudo, multum scientiæ adesse debet. Deũ verò benedictum & beneficentissimum amare æquè potest mendicus ac Rex potentissimus, æquè ægrotus vt sanus, non secus idiota quàm doctissimus, perinde insipiens vt sapientissimus: non minus debilis quàm robustissimus. Ab amore nihil est quod excuset. Qui amare se non posse affirmat, vel malitiosum se apertè prodit, vel prauis cupiditatibus sese miserè præoccupatum agnoscit.

Quid, quod amor res ex seipsa maximè delectabilis est, & sui ipsius sufficientissima merces? Quàm sit iucunda res, amare, ille intelliget, qui, quàm sit res molesta, negotiosa, suspicax, inquieta, quenquam odisse, animaduertet. Quæ omnia quum ita sint, tamen datur hoc præceptum de diligendo Deo, tum ex parte nostra verecundum, tum ex parte Dei amantissimum. Si enim Rex quispiam potentissimus aliquem, ex infimo loco ad summam à se dignitatem euectum, iuberet postea, Vide vt me diligas; quod si non facis, capite te mulctabo: nónne hoc illi verecundum videatur præceptũ, qui tot tam acceptis beneficijs tam Regi obnoxius factus esset? Nonne meritò Regi suo diceret: Quid hoc mi Domine iubes, quum tanta sint tua in me beneficia, vt nisi te mea sponte amem, & ardenter amẽ, & præ omnibus mortalibus amẽ, hac luce indignus sim? Tale est hoc Dei præceptum de se diligendo nobis datum: & sic ex parte nostra verecundũ. Ex parte Dei amantissimum præceptum est, quia illud iubet, quod ex re nostra maximè est; quódq; ideo iubet vt coronæ sempiternæ nobis conferendæ occasionem capiat. Quis vnquam vidit aut audiuit, vt sitienti & aquã postulanti nõ solùm aqua tribuatur & ministretur, sed etiam inuitetur pecunijs vt illam bibat? Quis vnquam vidit esurienti cibum ministrari, simulque pecunias pro comestionis labore persolui? Sed sic amantissimi parentes proteruos interdum paruulos, & à cibis salubribus pertinaciter abhorrentes, ac noxiorum appetentes, munusculis inuitant, vt cibos ipsis necessarios capiant. Tale est hoc præceptum de diligendo Deo super omnia.

7. *Amor Dei maximè delectabilis.*
8. *Amor Dei præceptum verecundum.*
Simile.
9. *Amor Dei præceptum amãtissimum.*
Similia.

Quæ tamen omnia si non essent, vel hoc solo nomine maximè & præ cæteris rebus omnibus diligendus Deus esset, quia amore nostro ille vnus per seipsũ & ex seipso dignissimus est. Est enim summum bonum, & omnium rerum quæ vel cogitari, vel desiderari, vel amari possũt, in se perfectiones habet. Si homines quos nunquam vidimus, & à quibus nullum beneficium expectamus, amamus tamen frequenter, & videre, atque familiares & amicos habere cupimus, propter alicuius in eis virtutis celebritatem, aut eruditionis, aut fortitudinis bellicæ, aut sapientiæ, quam admiramur & colimus; (sic enim, vt Liuium viderent, ex vltima Græcia aliqui Romã peregrinati sunt; & in certaminibus Olympicis, in vnũ Themistoclẽ omniũ òculi conuersi erãt, relictis spectaculis alijs) quanto magis Deũ Optimum Maximũ, in quo omnis perfectissimè virtus, sapientia, fortitudo, pulchritudo, gloria subsistit, etiam propter se solum amare, & videndi desiderio teneri nos oportebat, etsi alioqui amor eius & visio nullam nobis vtilitatem conferret, nisi voluptatem quandam momentaneam! Quid enim, si sapientiam admiraris, nonne in eo *omnis scientiæ & sapientiæ thesaurus reconditus est*? Si pulchritudinis amator es, nonne filius eius homo factus, *speciosus est forma præ filijs hominum*? nonne *lucerna cœli Agnus est*? nonne *in Dei Spiritum Angeli desiderant prospicere*; & *vultu suo ille lætificat omnes*? Si potentia & fortitudine delectaris, nõne ille *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*? Si gloria & diuitiæ animum tuum tangunt, nõne *gloria & diuitiæ in domo eius*? & *laudant illum astra matutina, & cœli enarrant gloriam eius*? Si voluptate caperis, nonne *delectationes eius vsque in finem in dextera eius*? Si saturitas & abundantia tibi placent, nonne *inebriantur ab vbertate domus eius qui possident eum*? Ergo vel propter seipsum Deus supra omnia amandus est.

10. *Deus amore nostro dignissimus.*
Simile.
Hiero. in Prologo galeato.
Plutarc. in Themistoc.
Coloss. 2.
Psalm. 44.
Apoc. 21.
1. *Pet. 1.*
Psalm. 15.
Psalm. 23.
Psalm. 111.
Iob 38.
Psalm. 18.
Psalm. 15.
Psalm. 35.

Atqui si non propter seipsum, saltem propter teipsum Deum ama. Si enim proprium obiectum voluntatis, est bonum; & omnia naturaliter appetunt bonum, ita vt nihil diligatur nisi sub specie boni: necessariò Deus super omnia diligendus, qui & in se fons bonitatis est, & nostrum est cuiusq; supremum bonum. Si radiũ exiguum bonitatis eius in aliqua creatura amas, & gutta fontis huius mirabiliter tibi arridet; quomodo solem ipsum iustitiæ, & fontem perennem non admiraris, amas, colis? Appositè S. Basilius: *Sicut is, qui in sole magistrum alloquitur, nõ magnopere curat intueri vmbrã manuũ ipsius motum consequentem, totiúsque formæ lineamenta imitantem; sed totus ex ore præceptoris pendet: ita anima humana omnem corpoream pulchritudinẽ non nisi vmbram diuinæ reputans, ideoque eam vel non inspiciens, vel certè negligens, ad præceptorem, sponsúmque suum, Deum, tota intentione conuersa, huius tantùm pulchritudinem admiratur, & præcepta exequitur.*

11. *Ama Deum propter teipsũ.*
Simile.
In l. de vera virgin. Simile.

In vno Dei amore quatuor cardinales virtutes contineri, his verbis docet S. Augustinus. *Adhærere Deo per amorem, est prudentia, quia prospectissimè adhærebit bono quod non amittatur: est fortitudo, quia fitmissimè adhærebit bono, vnde non auellatur: est temperantia, quia castissimè adhærebit bono, vbi iam non corrumpatur: est iustitia, quia rectissimè adhærebit bono, cui meritò subiiciatur. Rursum diligendo eligere Deũ, prudentia est: nullis inde auertimolestiis, fortitudo est: nullis illecebris eum deserere, temperantia est: nulla superbia ab eo excidere, iustitia est.* In veteri Lege præcepit Deus, vt filij Israël primogenita sua omnis generis Deo consecrarent: reliquorum omnium liberum illis reliquit dominium. Primogenitus noster in rebus spiritualibus, amor noster est. Hic principalis affectus est, solus proprius, & in nostra potestate, solus amori diuino respondens, vt partim hic, partim aliis suprà in

12. *Amor Dei omnes virtutes continet.*
Epist. 52.
Exodi 13. Allegoricè.

Dominic.1 Quadrag. text.10.& Dom.præced.text.6. Typus. Leuit.6. 4 Reg.2. Allegoria. Deut.33. Actor. 2. Lucæ 12. Simile.

locis explicatum est. Hunc si Deo consecramus, reliquorum affectuum vsum liberum habemus: quia non nisi ordinati erunt, nostrisque vsibus non nisi rectè & legitimè seruient. A

Hic amor Dei est ignis, quem Deus in altari semper ardere præcipiebat: vt in ara cordis nostri, omnia nostra desideria, omnémque voluntatem igne charitatis immolaremus. Diuinus hic amor currus est igneus, quo ascendit Elias in cœlum, nósque illuc asportabit. Et quoniam Christi Euangelium Lex est amoris, ait vetus Scriptura apparuisse eum de monte Pharan, Legem igneam dextera tenentem: quam ob causam, quum promulgandum hoc erat Euangelium apparuerunt Christi discipulis dispertitæ linguæ tanquam ignis, & repleti sunt Spiritu Sancto. De quo etiam igne Christus dixit: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt accendatur?* Hæc terra cor nostrum est, terram sua sponte post peccatum amans, & terrena sapiēs. Et quemadmodū frigidum hoc & infimum terræ elementum in media est mundi sede conglobatum: sic cor humanum in medio corporis est constitutum. Hoc cor vult Deus, vt diuina concipiat, quæ illud amore incendant, & studio immortalitatis inflamment. Vnde apud Salomonem Deus:

Prou.14. *Præbe mihi fili cor tuum.* Totum cor nostrum postulat à nobis: quia & totum meretur, nec nisi totum ei placere potest. Filij Aaronis, quoniam in thuribulum alienum ignem posuerunt, fuerunt igne combusti. Ignis alienus in thuribulo, est amor mundi in corde. Contra hos amatores B

Leuit.10. Typus. Dei partiales sic intonat D. Iacobus: *Adulteri, nescitis quòd amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunque igitur voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur.* De his etiam & Osæas: *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Diuisio cordis, mors animæ est. Nam vt corpus diuisum non viuit, sic cor diuisum nullam habet vitam. De hac diuisione in alio loco plura diximus: *Sicut casta mulier, quæ virum suum amat, nullum alium amat; si autem alium amauerit, iam non amat virum: ita & homo si Deum amat, mundum non amat. Si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto corde non amat.* Rursum ibidem: Perfectus amor & perfectum odium, verum iudicium non cognoscit. Si perfectè odias aliquem, qualiacunque fuerint apud illum, omnia tibi displicent, siue quæ loquatur, siue quæ agit: etsi sunt bona, tamen tibi mala videntur. Sic & si perfectè aliquem amas: quæcunq; sunt apud eum, tibi placent, siue quæ loquitur, siue quæ agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona vidētur. Sic omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita debet diligere Deum, vt nihil sit in mundo quod amet præter eum. Talis erat anima Pauli, quum diceret: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et iterum: *Iam non viuo ego, sed viuit in me Christus.* Sapienter S. Anselmus: *Sic est de corde hominis & amore Dei, quomodo de vase & oleo. Nam sicut vas, quanto magis habet aquam, aut alium similem liquorem, tanto minus capit oleum; ita cor, in quantum occupatur alio amore excludit diuinum.* Cæterùm hoc præceptum, quum sit affirmatiuum, non obligat, nisi tempore occasionis oblatæ, vel virtutem exercendi, vel vitium fugiendi: extra quæ tempora alia præter Deum in ordine ad C Deum rectè amari possunt. Nec etiam vt intentissimè ames præceptum hoc iubet, sed in rerum æstimatione primum locum debet amor Dei occupare, cæterisque omnibus præferri. Magis intensè quis familiarem amicum amat, quàm Principem suum, quem tamen propter amicum offendere nollet, si casus occurreret, quo officium erga Principem, priuatæ amicitiæ contrarium aliquid postularet. Plura vide in Dominica prima Quadragesimæ, textu vltimo: & in Dominica Pentecostes, textu primo.

Iacobi 4. Oseæ 10. Simile. Chrysost. Hom. 26. ex variis in Mat. locis. Similia.

Galat.6. Ibid. 2. Epist. 2. ad Hugonem. Simile. Amoris præceptum quatenus obligat.

4. *Et proximum tuum sicut teipsum.*

Amor proximi. Matth.22. Hom.72. in Matth. Enarrat. in Psalm.118. Cant.8. In lib. de diligendo Deo. Tract. 17. in Euang. Ioan. 1.Ioan.4.

LOCVS moralis de dilectione proximi. Hoc etiam *mandatum simile primo* dixit esse apud Matthæum Christus. Et quare sit simile, eleganter exponit Chrysost. *Quoniam* (inquit) *hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur.* Præceptum de diligendo Deo inducit dilectionē proximi, éstque causa illius. *Nam* (ait S. Augustinus) *vt sciat homo diligere proximum tanquam seipsum, prius debet diligendo Deum diligere seipsum.* Sic & D. Bernardus: *Vt perfecta fiat iustitia in dilectione proximi, Deū in causa habere necesse est. Alioquin proximum pure diligere non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius vt in Deo diligatur, & proximus.* Hæc ille. Sic igitur dilectio Dei inducit dilectionē proximi. Rursum præceptū de diligendo Deo, ab altero de diligendo proximo munitur, roboratur, perficitur. Vnde S. Aug. *Dilectio Dei prior est ordine præcipiēdi, sed proximi dilectio prior est ordine faciēdi. Neque enim qui præciperet tibi dilectionē illā in duobus præceptis, prius tibi cōmendaret proximū, & postea Deum, sed primo Deū, & postea proximum: tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum promereris quem videas: diligendo proximum, purgas oculum ad videndum Deum: euidenter Ioanne dicente: Qui non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Est ergo hoc posterius præceptum priori simile: quia vt inchoatio charitatis in Dei dilectione est: ita perfectio charitatis per proximi dilectionem acquiritur. Vt scias rectè diligere proximū, prius diligendus est Deus: sed vt perfectus fias amator Dei, exercere te debes in amore proximi. Sic hoc præceptum alteri simile est, qua similiter ad salutem necessarium est: quia cognatum est alteri: quia sic effectus prioris est, vt ad augmentum tamen suæ originis faciat. Quemadmodū enim calor corporis naturalis (vt iam antea dictum est, sed & hic ex alia causa dicendū est) vestimenta illi imposita calefacit, quæ ipsa vestimenta calorem naturalem postea fouent, conseruant D

Simile.

atque

A atque perficiunt: sic ignis amoris diuini ad proximum amandum cor accendit, & ipse amor proximi hunc postea ignem fouet atque adauget. Nam vt calor naturalis & internus corporis exercitio fouetur, torpore flaccescit: sic externis in proximũ charitatis operibus, amor in Deum voluntati insitus mirificè excitatur & feruet; absque externo charitatis exercitio marcescit, & paulatim extinguitur. Sicut vitæ animalis argumentũ est motus membrorum: sic vitæ spiritualis certũ indicium est amor erga proximum, & opera charitatis in illum. Hinc D. Ioannes: *Trãslati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*, id est, hoc argumento euidenter apparet, nos vita gratiæ viuere. Contrà sicut mortis aut desperatæ valetudinis argumentum est, stupor membrorũ, & cessatio motus: sic extinctæ gratiæ clarum indicium est non affici erga proximum, & ab eius dilectione cessare. Vnde iterum D. Ioannes: *Qui habuerit substantiam huius mũdi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Adeò sunt hæc duo præcepta cognata & similia, de Dei & proximi dilectione. *Similia.* 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 3.

Quod adhuc magis ex modo diligendi proximum apparebit: *Diliges* (inquit Christus) *proximum sicut teipsum.* At teipsum nõ nisi in ordine ad Deum diligere debes, quia toto corde tuo, tota anima & mente tua, ex totis viribus tuis Deus à te diligendus est. Diligendus ergo proximus propter Deum: vel quia creatura Dei est, & natura nobiscum communis; vel quia ad eandem nobiscum beatitudinem participandam creatus est; vel quia omnia quæ diliguntur, ad Deum B referenda sunt, velut media ad finem. Prima consideratio in hoc Euangelio docetur, vbi ille docetur esse proximus noster, qui nostra ope & misericordia indiget; nósque illi proximi sumus, cui laboranti auxilio esse non recusamus. Sic Samaritanus ostendit se fuisse proximum ei qui inciderat in latrones, & eum tanquam proximum dilexit, *motus misericordia super eum*: sacerdos & leuita, qui laborantem proximũ præterierunt, ostenderunt se ei proximos non fuisse, nec eum pro proximo habuisse. Atqui vt omnis homo nobis proximus est: ita ille maximè, qui nostra ope indiget, & quem iuuare tũ facultas nostra potest, tũ oblata occasio iubet. *Omnis homo*, ait Augustinus, *est homini proximus; nec vlla est cogitanda longinquitas generis, vbi est natura cõmunis.* Quod quidem vt Deus homines efficacissimè doceret, quũ cæterorũ omnium viuentium & animatorum, pecudum, piscium, volatilium, diuersas species creasset, totius rationalis creaturæ non nisi vnam hominum speciem esse voluit, qui solo numero differrent. Atq; adeò ex vno singulari homine, totum humanum genus propagauit. *Vnum ac singulum* (ait S. Augustinus) *Deus creauit hominem, non vtique solum sine humana societate deserendum, sed vt eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumque concordiæ; si non tantum inter se naturæ similitudine, verùm etiam cognationis affectu homines necterentur, quando nec ipsam fœminam copulandam viro, sicut ipsum creari illi placuit, sed ex ipso, vt omne ex vno homine diffunderetur genus humanum. Sic omne hominum genus ex vno, ad commendandam concordiam, est propagatum.* Hæc ille. *Proximus propter Deum diligendus.* *In Psal. 118 Conc. 8.* *De Ciu. Dei lib. 12. c. 21*

C

Sed quum hac ratione omnis homo quasi vnus homo sit, nec omnibus tamen prodesse quilibet potest; ille homo tibi proximus, & pro tempore propinquissimus censendus est, qui tua præsenti charitate indigens, sese tibi offert, quod his verbis docet sapienter S. Augustinus: *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum oportunitatibus constrictius tibi quasi quadã sorte iunguntur. Sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset; si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret; nihil iustius faceres quàm vt sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari vtrique non potest: sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisq; tibi colligatiùs temporaliter adhærere potuerit.* Hæc ille. Hoc igitur sẽsu diuitis proximus est pauper, sapientis ignarus, sani ægrotus, liberi captiuus, fælicis miser, quoties vel hic illius opem flagitat, vel ille huius indigẽtiam videt & iuuare potest. Quum illa vox in Comœdia audiretur: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto; huic sententiæ* (ait Augustin.) *theatra tota plena stultis indoctisque applausisse ferunt. Ita quippe omnium affectuũ naturaliter attigit societas humanorum animorum, vt nullus ibi hominum nisi cuiuslibet hominis proximum se esse sentiret.* Quare hanc potissimùm dilectionis causam vt naturalem, & ex naturæ principijs ortam, docent iuxta hoc Euangelium Patres: *Omnes proximi sumus* (ait Augustinus) *conditione terrenæ natiuitatis, & etiam spe cælestis hæreditatis.* Sic & B. Prosper: *Proximum sicut oportet diligimus, si non propter aliquas vtilitates, non propter sperata beneficia, vel accepta, non propter affinitates vel consanguinitates, sed tantũ propter hoc, quod naturæ nostræ participes sũt, diligamus: quia non eos sicut nos ipsos amamus, quando propter illa superius dicta diligimus.* Hæc ille. Sic & D. Gregorius. *Ille* (inquit) *veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum. Nam sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis: quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.* *Proximus quis.* *De doctr. Christ. l. 1. cap. 28.* *Epist. 52.* *Serm. 59. de temp.* *De vita cõtemplat. l. 3 cap. 15.* *Hom. 27. in Euang.*

D

Atque hæc quidem vna, & certa, & naturæ insita consideratio est, qua omnes homines vt natura proximos diligimus sicut nos ipsos, sicut nostram naturam. Similitudinem enim dilectionis præceptum sonat, non æqualitatem. *Quapropter* (vt loco citato scribit B. Prosper) *hæc est proximi tota dilectio, vt bonum quod tibi conferri vis, velis & proximo; & malum quod tibi nolis accidere, nolis & proximo.* At alia & altior adhuc est in proximi dilectione consideratio: vt eum sicut nos ipsos diligamus, non solùm ex parte præsentis vitæ, sed etiam in ordine ad futuram. Vnde S. Augustinus: *Scientiam diligere seipsum propter Deum, cum mandatur de proximo diligendo sicut* *Proximus quo modo diligendus.* *Prosper vbi supra.* *De ciu. Dei lib. 10. c. 4.*

seipsum, quid aliud mandatur, nisi vt ei, quantum potest, commendet diligendum Deum? Sic & Prosper loco citato: *Secundùm nos proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, & ad æternam vitã consequendam, sicut nobis saluti eorum consulimus, quando nos in eorũ peccatis ac periculis cogitamus, & sicut nobis subueniri optamus, ita eis pro viribus subuenimus.* Huc pertinet zelus animarum, de quo in alijs Dominicis iam dictum est. Hic quoq; amor proximi ex triplici amicitia patet. Est enim amicitia inter homines triplex, consuetudinis, rationis, pietatis; quam sic tradit Augustinus: *Amicitia consuetudinis oritur ex occasionibus cohabitandi, colloquendi, simul conuersandi, vt contristetur homo quãdo deseritur ab amico, cum quo solet colloqui, & familiarius agere. Honesta quidem est hæc amicitia & laudabilis. Sed habẽt illam & pecora. Est alia superior amicitia non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem & mutuam beneuolentiam in ista vita mortali. Superius quicquid est, iam diuinum est. Incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine nisi Deum.* Et paulò pòst: *Si omnis qui amat, saluum vult habere quod amat; si intelligat quæ sit vera salus, incipit illam amare in se, & sic ipsam cogitur mox amare in amico. Quia ergo tu salutem desideras quæ æterna est, ad illam salutem diligis amicum tuum; & totũ quod vis amico tuo præstare, hoc est, vt illam tecum teneat salutem.* Hæc ille. Hoc est verè diligere proximum sicut teipsum. Hæc est dilectio non consuetudinis, non rationis, non carnalis, nõ humana, nõ sordida; sed pia, liberalis, diuina, & quæ in hoc Euangelio traditur. Hanc proximi dilectionem tum explicat, tum probat Augustinus his verbis: *Velle debemus, vt omnes nobiscum diligant Deum, & totum quod vel proximos adiuuamus, vel adiuuamur ab eis, ad vnum illum finem referendum est. Si enim in theatris nequitiæ, qui aliquem diligit histrionem, & tanquam magno vel etiam summo bono eius arte fruitur, omnes diligit qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum quem pariter diligunt; & quanto est in eius amore feruentior, tanto agit, quibus potest modis, vt à pluribus diligatur, & tanto pluribus cupit eum ostendere; & quem frigidiorem videt, excitat eum quantum potest laudibus illius; si autem contraeuentẽ inuenerit, odit in illo vehemẽter odium dilecti sui, & quibus modis valet, instat vt auferat: quid nos in societate dilectionis Dei agere conuenit, quo perfrui, beatè viuere est, & qui se vult diligi, non vt sibi aliquid, sed vt eis qui diligunt æternum præmium conferatur?* Hæc ille. Sanè infinitè magis ad Dei dilecti amorem omnes, quos possumus, pertrahere debemus, quàm ad chari sui histrionis amorem stultus amicus, quos potest, trahit; si tamen sic Deum amamus, vt suos histriones magnates interdum amant. Nam *cum Dei charitate simul intrat proximi dilectio*, ait sanctus Chrysostomus, & *vna eadémque charitate Deum ac proximum diligimus*, ait probátque prolixè S. Augustinus. Ideo sanè Apostolus dixit: *Qui diligit proximum, Legem impleuit.* Et iterum: *Omnis lex in vno Sermone impletur: Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Quod & Christus Dominus disertè docuit, dicens: *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc est enim Lex & Prophetæ.* Hæc ideo dicuntur, quia nec proximum diligere potest vt seipsũ, nec seipsum vt oportet, qui Deum super omnia non diligit: nec Deum diligere potest, qui proximum non diligit; quia vt vnum alterius causa, sic alterum prioris argumentum & perfectio est. Vnde D. Ioannes: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est*, hoc est, perfectus est, & legem impleuit. Sic exponit hæc verba August. *Manifestum, quòd iustitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit. Nam in quo scandalum non est, vtique perfectus est. Et tamen dilectionem Dei videtur tacuisse: quod nunquam faceret nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum*, nempe propter quem, & in quo proximus diligitur, quando sicut oportet diligitur. Dilectio proximi seruat omnia mandata secundæ tabulæ, honorat parentes, non mœchatur, non occidit, non furatur, &c. Vnde Paulus dixit, omnia illa mandata *in hoc vno sermone recapitulari: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hæc est huius præcepti vis, dignitas, necessitas, & amplitudo.

Amicitia triplex. Hom. 38. ex Hom. 50

De doctr. Christian. lib. 1. c 29. Simile.

Hõ. 14. ad pop. Ant.

De Trinit. lib. 8. c. 8.

Rom. 13. Galat 5. Matth. 7.

1. Ioan. 2.

De Trinit. lib. 8. c. 8.

Diximus verba illa, *Sicut teipsum*, non æqualitatem, sed similitudinem & modum significare. Non enim tantùm diligere proximum, quantum nos ipsos diligimus, iubet præceptum; imò ordo naturæ & charitatis habet vt diligam me plus quàm proximũ; sed modum diligendi præscribit. Hunc modum breuiter D. Thomas & sapienter tradit, dicens, Diligendum esse proximum sancte, iustè, & verè. Sanctè, quia propter Deum, ex parte finis: iustè, quia in solis bonis diligendus est, ex parte regulæ dilectionis: verè, vt velis illi bonum simpliciter, non propter propriam aut vtilitatem, aut delectationem, ex parte rationis, & causæ in diligendo. Hanc proximi dilectionem & nostra natura, & pecudum ipsa consuetudo docere potest. In nobis Deus præcipua membra gemina esse voluit, binas aures, oculos, manus, pedes, vt alter alterum, quum necesse est, iuuaret, vt notauit Sanctus Basilius. Sanè ipsa membra mutuis officijs carere, vt & caput indigeat pede, pésq; capite, & sic in cæteris omnibus, ostendit Apostolus: vt doceat non ordinem tantùm, sed & pacem ac charitatem in societate humana necessariam esse. Hanc socialẽ dilectionem docent bruta, in gruibus, ceruis, formicis, alijsq; ferè omnibus. Grues sic turmatim volant, quum nouas sedes transmarinas petunt, vt propter prolixum maris transitum sibi mutuo innitantur; sed ita, vt quæ prima agmen ducit, vbi lassari incipit, eo quòd nulli nixa fuerit, ad extremam redeat, cui tantisper incumbat, donec omnibus id successiuè facientibus, iterum prima fiat. Idem obseruatur in ceruis, quum ad noua quærenda pascua lacus ingentes transnatant. Formicę laborantes suas, & oneri succumbentes, coniunctis operis subleuant, & mortuas efferunt. Porrò & hanc dilectionem Christianam cuiusl.bet ferè artis socij nos docent. Milites, si quos suorum, aut etiam hostium viderint inter mortuos, spirantes adhuc, nec lethale vulnus habentes, his in tentoria sublatis, multam adhibent curationem, extracto telo, accersitis medicis,

2. 2. q. 44. art. 7.

Epist. 68. Rõ. 12. & 1. Cor. 12. Similia. Euseb. Emiss Hom. de arund. quassat. nõ confring.

Chrys. orat 5. contra Iudæos.

A medicis,absterso sanguine,pharmacis porrectis,reliquáque omni curatione admota, ad sanitatem reducunt. Nautæ,quum alias naues procul cernunt in naufragij periculũ incidere, continuò vela tendentes,maxima contentione properant, vt eiusdem artis homines periculo eximant. Idem faciunt in agris & viis aurigæ,nec moras itineris deprecantur, vt sociorum curribus luto hærentibus, aut detrimento alio affectis, auxilio præsto sint. De varia proximi dilectione * vide plura in aliis Dominicis. *Idem homil. 15. in Matth.*

*Dominic. 2. post Epiph. tex.2.

Dom. 3. post Epiphan. text. 3. Dom. 4. Quadragesi. text. 5. Dom. Palm. text. 1. Dom. 1 post. Pentecost. text. 1. 2. 3. 4. Dom. 5. post Pentecost. text. 2. 3. & 4. Dom. 6. post Pentecost. text. 1. Dom. 9. post Pent. text. 1. Dom. 11. post Pentec. text. 1.

5. Ille autem volens seipsum iustificare, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?

B LOcus moralis contra hypocriticã & vanam ostentationẽ, falsámque sanctitatis opinionẽ affectatã. Iste enim legisperitus quærit à Christo,quis esset eius proximus; nõ vt hoc disceret, nec quia hoc se ignorare putabat, sed tale expectans à Christo responsum, vnde seipsum posset iustificare,& Legis obseruatorem fuisse ostendere. Hoc erat perpetuum horum hominum crimen. Vnde Dominus illis dixit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui iustificatis vos coram hominibus*. Putabat nempe hic legisperitus, Christum illi responsurum, omnem Iudæum esse illi proximum, iuxta errorem Iudæorum, qui solos suos contribules diligendos esse, cæteros odio prosequendos,opinabantur. Sic enim ille mox intulisset: At ego omnem Iudæum diligo vt fratrem,ideóque Legem seruaui. Hæc fuit hominis vanitas & superbia,cum crassa ignoratione & manifesta impietate coniuncta. Docet enim Christus Samaritanum fuisse Iudæo proximum,& pro proximo suo Iudæum habuisse,quando in illum misericordiam fecerat, quam Sacerdos & leuita Iudæi ei negauerant. Hunc vanæ ostentationis & hypocrisis locum iam aliquoties tractauimus. Tantùm pauca è Scripturis exempla proferam affectatæ sanctitatis & iustitiæ, cum insigni maleficio coniunctæ. Absalon cum patrem regno spoliare decreuisset,vt hoc tantũ facinus perpetraret,patri religionem,populo iustitiæ zelum prætexit. Populo enim dixit, singulorum apprehendens & osculans manus: *Videntur mihi sermones tui boni & iusti; sed non est qui te audiat constitutus à Rege. Quis me constituat iudicem super terram,vt ad me veniant omnes qui habent negotium,& iustè iudicem?* Patri verò dixit: *Vadam,& reddam vota mea quæ voui in Hebron.* Impius A- C man sumpturus de innocente Mardochæo supplicium, Regis & Reipubl. emolumentum,& cultum pietatis prætexit, dicens Regi Assuero: *Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus,nouis vtens legibus & ceremonijs,&c. Discerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ.* Caiphas Christi necem decernens,Reipub.bonum prætexit: *Venient Romani,& tollent gentem nostram,& locum.* Filij Iacob,vendito fratre Ioseph, afferunt patri tunicam eius, hœdi sanguine tinctam,volentes seipsos iustificare, & non solum scelus simulare, sed etiam suam diligentiam, & fratris curam patri probare. Herodes volens Christũ occidere,prætexit studiũ adorandi eum. Sacerdotes Babylonij epulis sacrificalibus iam priuati,eorũ fraude per Danielem detecta, religionis zelum prætexentes,eum ad necem postulant,dicentes Regi: *Trade nobis Danielem qui Bel destruxit*. Non dicunt,qui nostris epulis & cibis sacrificalibus nos priuauit. Iudas, quũ fur esset, pauperũ curam simulabat. Communis hic morbus est,sed quem semper tristis & infamis exitus consequitur,vt in omnibus citatis exemplis videre licet.

Vana sui ostentatio.

Matth. 13.

Dom. 3. Aduent. text. 6. Domin. 3. post Epiph. text. 3. Dom. Pass. text. 5. Dõ. 10. post Pent. tex. 1 2. & 3. Dõ. 11. post Pent. tex. 7 Exemplã. 2. Reg. 15. Esther 3. Ioan. 11. Genesis 37. Matth. 2. Daniel 14. Ioan. 12.

6. Videns eum, misericordia motus est.

D LOcus moralis de misericordiæ operibus proximo indigenti exhibendis. Nec Sacerdos, nec Leuita hunc à latronibus sauciatũ pro proximo agnouerũt,sed solus Samaritanus,toto vitæ genere & professione à Iudæo læso discrepans: qui propterea à Christo verus proximus fuisse declaratur. Probatio dilectionis est exhibitio operis. Si proximũ diligis, illi indigenti confestim subuenies. Sicut cor ipsum in medio corporis loco situm, in sinistram tamen & læuam partem videtur magis propendere, tametsi reuera toti corpori & membris vniuersis vitam inspiret: ita planè tametsi & cuilibet,& in quauis fortuna dilectionem impendere Christianus debet, ipsáque nostra charitas in omnes diffundenda est; tamen indigenti & afflictæ parti magis dilectionem impendere,& illi iuuando procliuior esse charitas debet. Sicut enim in sæua tempestate lucidum interuallũ, & in mediis tenebris facula accensa maiorem adfert voluptatem, magisq; elucet; sic in afflictis rebus exhibita misericordia. Charitas & dilectio proximi in societate humana, est instar sanguinis in corpore naturali, qui vitam illi subministrat atque conseruat. Sicut ergo sanguis in omni corporis necessitate ad partes fluit magis indigẽtes, vt in repentino metu ad cor retrahitur; in læso pudore, aut periclitante existimatione ad faciem

Misericordiæ opera proximo exhibenda. Simile. Simile. Simile.

Apophth. se recipit; vnde metuens palleſcit, verecundatus erubeſcit: ſic charitas proximi ad maxime in- A
digentes continuo ſe vertit, vt opem ferat. Appoſitè Theophraſtus, quum ei à diſcipulis duo
Senec. mõſtrarẽtur, quos familiares amicos eſſe dicerent quorũ vnus tamen opulentus valde, alter in-
Epiſt. 9. digens eſſet, reſpondit: *Si amici ſunt, quorſum alter ita dives, alter ita pauper eſt?* Attalus Philoſophus
Apophth. dicebat, iucundius eſſe amicũ facere quã habere; quomodo artifici iucundius eſt pingere quàm
Simile. pinxiſſe. Nam opere completo, artis quidem ſuæ fructu fruitur; ſed dum pingeret, ipſa arte frue-
batur. Sic verus Chriſtianus, & dilector proximi ſui, in opere miſericordiæ exhibendo magis
delectatur, quam in amico poſſidendo, quem ex opere cõparauit. Amici enim poſſeſſio, aliquis
eſt eius operis fructus: ſed charitatis opus virtus erat tum Deo gratiſſima, tũ ipſi operanti periu-
Plutarch. cunda. Lucullus quum Græcos quoſdam per dies aliquot magnificè tractaſſet, atque illi dicerẽt
in Rom. ſe mirari, quod tantum impendiorum ſua cauſa facerent, reſpondit: *Non nihil ô hoſpites veſtra*
Apoph. *cauſa ſed maxima pars Luculli gratia.* Sic qui in pauperes & egentes miſericordem ſe præbet, non
Apophth. nihil ſanè illorum cauſa facit, quia diligit vt proximos, ſed etiã ſua cauſa multum facit, ſi bene
Simile. facit, quia delectatur in opere, & hilariter facit. Sicut qui proprium fundum poſſidet eum ſem-
per ſtudet reddere meliorem; qui autem non niſi ex conducto tenet, non niſi præſentem volup-
tatem aut vtilitatem in eius vſu ſpectat: ſic qui proximum diligit tanquam ſeipſum, ei omnibus
modis benefacere ſtudet; qui autem amator potius quàm amicus eſt, nec vt ſe diligit proxi- B
mum, ſed vt aliquid ſuum; ille afflictum deſeret, quia nullam iam in eo amplius, aut vo-
luptatem, aut vtilitatem capere poteſt. Verus Chriſtianus pro magno beneficio habebit,
Actor. 20. poſſe benefacere, memor verbi Domini: *Beatius eſt dare quàm accipere*; ſiue ingrato detur, ſi-
ue grato; ſiue multum in poteſtate habeat, ſiue parum. Senecæ præclara vox erat: *Si ſpes*
De benefic. lib. 1. cap. 2. *mihi præcidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia, quàm non dare.* Ad facultatem
Apophthe. quod attinet, *viduæ duo minuta* à Chriſto laudata, abundè nos docent. Vide ne quod ipſe potes,
Orat. 5. in alios reiicias qui plus poſſunt. Appoſitè Chryſoſtomus: *Tu cùm videris aliquem curatione vel cor-*
aduerſus *poris, vel animi egentem, ne dixeris apud teipſum, Quare ille & ille à morbo non curauerunt? ſed tu à morbo*
Iudæos. *libera. Si inueneris aurum iacens, non dicis apud teipſum, Quare illi aut illi hoc non ſuſtulerunt? ſed feſtinas*
ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapſis cogita, putatoque te theſaurum reperiſſe occaſionem illis medẽ-
Simile. *di. Beatus enim qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* De hoc argu-
**Dominic. Palmarum text. 1.* mento in alijs * Dominicis aliquoties diximus.

Dominica 1. poſt Pentecoſt. text. 1. Dominica 6. poſt Pentecoſt. text. 1. loc. 2. Dominica 11. poſt Pentecoſt. text. 1.

7. *Vade, & tu fac ſimiliter.* C

LOcus moralis de bonorum operum neceſſitate. Hæc enim verba reſpondent per modum
Matth. 25 concluſionis quæſtioni legiſperiti, interrogantis, *quid faciendo vitam æternam poſſideret.* Re-
ſpondet Chriſtus, opera miſericordiæ eſſe facienda, quorum propterea in extremo iudi-
cio examen ſpeciale facturus eſt, vt apud Matthæum docuit. De hoc argumento tum in altero
Promptuario contra hæreticos ſæpe, tum in hoc Morali in aliis * Dominicis iam decies, aut am-
** Dominica infra Oct. Natiuit. text. 4. Dominic. 1. poſt Epiphan. text. 1. Dominic. 2. poſt Epiphan. text. 4. Dom. 3. poſt Epiph. text. 9. Dominica 5. poſt Epiphan. text. 2. Dom. Sept. text. 2. 3. 5. Dom. 4. poſt Paſcha tex. 5. Dom. 5. poſt Pent. text. 1. Dom. 7. poſt Pent. text. 5.*
pliùs diſſeruimus, quæ in hunc locum conferri poſſunt.

EVAN-

A

EVANGELIVM DOMINICÆ XIII. POST PENTECOSTEN.

DVM iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati
B sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. *Luc. 17.*

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè.* De consortiis malorum longè fugiendis.
2. *Occurrerunt ei decem viri leprosi, & leuauerunt vocem suam,* &c. De diligentia exhibenda circa animę lepras sanandas.
3. *Iesu præceptor, miserere nostri.* Ad Dei misericordiam in statu peccati confugiendum.
4. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* De obedientia & cooperatione nostra ad Dei beneficia consequenda: & de reuerentia sacerdotali.
5. *Regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes Iesu, gratias agens.* De animi gratitudine erga accepta Dei beneficia.
6. *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?* De bono perseuerantiæ ad salutem necessario.
C 7. *Nisi hic alienigena: & hic erat Samaritanus.* De inani vocationis aut status titulo, vbi res nomini non respondet.

1. *Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè.*

LOcus moralis de consortiis malorum longè fugiendis. Quod enim leprosi isti etiam Christum compellare & obsecrare volentes, tamen à longè steterunt, nec propius accedere ausi fuerunt, id ex præscripto veteris Legis faciebant, quæ leprosos extra castra versari, & ab hominum consortio abstinere iussit, ciuitatem omnem ingredi prohibuit. Hoc autem in figura factum est illis, vt à spiritualis leprę seu peccatorum consortio quantopere cauendum esset, doceretur. Primum ferè Sapientis præceptum hoc est: *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum: pedes enim illorum ad malum currunt.* Iosaphat Rex pius hoc solo nomine à Propheta Iehu grauiter reprehenditur, quod cum impio Achab copias coniungeret. *Impio,* inquit, *præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia coniungeris: idcirco iram Domini merebaris.* Sed & eam ob causam de vita sua in prælio cum impio Achab vehementer periclitabatur bonus Iosaphat. In veteri Lege omnia cōnubia cum alienigenis & idololatris populo Israelitico strictè interdixit Deus: *Non accipies vxorem de filiabus eorum filiis tuis, ne fornicari faciant filios tuos in deos suos.* Imo omne cum illis commercium propterea Lex interdixit: *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Porro omnes
D illæ prohibitiones: *Anima quæ tetigerit immundum, rea est.* Item, *Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.* Et rursum: *Ne tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis:* hanc spiritualem cautelam docent, vt ab improborum consortio & contagione omni studio caueatur. Prima mundi corruptio, quę & diluuium orbi inuexit, ea erat, quod filij Seth, quos angelos propter pietatem, Scriptura vocat, filias Caim in vxores acceperunt. Vnde sapienter monet Sapiens: *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via: fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam: non enim dormiunt nisi malefecerint.* Nulla est in morbis contagio, quæ sic tactum sequatur, vt mali mores per consuetudinem se insinuant. Sicuti in aduerso flumine cymbam remigando vrgere difficile est, sic inter media vitia virtutem seruare. Boni cum malis in Ecclesiam mixti, vocantur in

Consortia mala fugienda.

Prou. 1.

2. Paral. 19

3. Reg. 22.

Exod. 34.

Ibidem.

Leuit. 5. & 11.

Allegoria.

Genes. 6.

Prou. 4.

Simile.

Cant.2. Scriptura *lilium inter ſpinas.* Difficile eſt, vt lilium molle ac tenerum inter ſpinas illæſum ma- A
neat. Propter hanc cum impiis conuerſationem Iudæos taxaturus Propheta dixit: *Vinum tuum*
Eſaiæ 1. *mixtum eſt aqua.* Nam vt vinum aqua dilutum, vim ſuam aliqua ex parte amittit, & vtcunque for-
Similia. te ſit, ſaltem colorem mutat, etſi vim retineat; ſic malorum ſocietas bonos ſi non corrumpit,
ſaltem aliqua aſpergit infamiæ macula. Facilè enim in ſuſpicionem peccati venit, qui cum pec-
catoribus frequenter & libenter conuerſatur. Qui decumbenti ægroto proximus aſſidet, eius
gemitus & ſuſpiria facilè audit; qui à longè ſtant, omnino non audiunt. Eodem modo, qui cor-
poralibus & carnalibus deſideriis coniuncti ſunt, à minimo corporis vel dolore vel periculo ſta-
tim commouentur, & cauſas mali fugiunt; ac remedia quærunt; animi autem vel dolorem vel
periculum in quotidiana malorum ſocietate nec gemunt, nec ſentiunt: quia ab anima ſua val-
de ſeiuncti viuunt, corpori & carni toti immerſi. Contra vero vir ſpiritualis, & de animæ ſuæ ſa-
lute ſolicitus, animæ pericula celerrimè proſpicit, gemitum ſtatim exaudit; ideoque & publica
peccata, aut tolerata, aut probata, vehementer gemit, & à priuatis malorum congreſſibus atten-
tiſſimè ſibi cauet. Sed & eandem ob cauſam homines toti carnales, & terrena ſapientes, quum
ita ſuos carnaliter diligant, vt ſi quo morbo contagioſo laborant, ſuos omnes propius accedere
Diſſimile. vetent; ita neminem ſpiritualiter diligunt, vt omnes vitiorum ſuorum prurigines, & fœdas cu-
piditates aliis omnibus affricare, & in peccati conſortium omnes pertrahere, vehementer cu-
piant. Ex his apparet cauſa, cur malorum ſocietas aut nullum aut paruum peccati periculum B
pleriſque videatur. Aliud ſanè Spiritus ſanctus nos docet: *Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs*
Eccli.7. *te. Non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.* Ille ſeminat mala in ſulcis iniu-
ſtitiæ, qui trita impiorum veſtigia calcans, & pariter cum eis ambulans, occaſiones & ſemina
peccati ſibi ipſi quærit. Ille amans periculũ, peribit in illo. Vnde iterũ eadem Scriptura. *Quis mi-*
ſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtiis? Sic & qui comitatur cum viro ini-
Eccli.12. *quo, & obuolutus eſt in peccatis eius.* Non eſt commiſeratione dignus, qui à tam euidenti periculo
non cauit. Sed & rem eſſe per ſe abſurdiſſimam, & cum diuini honoris contumelia coniunctam,
Scriptura docet: *Omnis homo ſimili ſui ſociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando, ſic peccator iuſto.*
Eccli.13. *Quæ communicatio ſancti hominis ad canem?* Quod aliis verbis Apoſtolus dixit: *Nolite iugum ducere*
cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem
2.Cor.6. *conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? vos*
autem eſtis templum Dei viui. Quare hanc cum hominibus impiis conuerſationem grauiſſimè in-
terdicit Apoſtolus ſuis Theſſalonicenſibus: *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu* C
2.Theſſ.3. *Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acce-*
perunt à nobis. Si verbis tam ſolennibus hoc denunciat Apoſtolus contra traditionum & præce-
ptionum ſuarum violatores; quid de manifeſtè ſceleratis & impiis iudicandum eſt? Iubet ille ſa-
nè *cum fornicariis & ebrioſis fratribus ne cibum quidem ſumere.* Quæ etſi diſciplina horum temporum
1.Cor. 5. non ſit, quia ſic de hoc mundo etiam fortè alicubi exeundum foret; tamen doctrina & ratio
1.Cor.13. horum & omnium temporum eſt, *ne corrumpant bonos mores colloquia praua.* Plura de hac materia in
Do.11. poſt Pent.tex.3 & locis ibi notatis. aliis locis diximus.

2. *Occurrerunt ei decem viri leproſi, & leuauerunt vocem.*

Diligentia circa animæ ſalutẽ. LOcus moralis de diligentia adhibenda circa animæ lepras ſanandas. Leproſi iſti, quia ci-
uitates & oppida ingredi, in quibus Ieſus docere conſueuit, ſuaque cõferre beneficia, non
poterant, occurrunt, & obuiam ei prodeunt in ipſo itinere, & via publica. Tranſitum eius ob-
ſeruant; & quia propè accedere non licuit, ſaltem à longè ſtantes alta voce clamant, miſericor-
diam eius flebili & pia admodum oratione flagitantes. Totum hoc eorum ſtudium quærendi
Chriſtum, occurrendi ei in via, clamandi, precandi, miſericordiam expetendi, exemplo nobis & D
documento eſſe debet, vt & nos, quia leproſi omnes plus minus ſumus, ad noſtrorum peccato-
rum expiationem, quæramus etiam in via Chriſtum, id eſt, quaſlibet occaſiones ſalutis non præ-
termittamus; illi venienti, & per gratiam ſuam ad nos accedenti obuiam eamus pleno conſenſu,
Similia. & deſiderio ſalutis: quo cõcepto, clamandum fortiter, & miſericordia eius imploranda. Sicut
1. canis funiculo ligatus, audita domini ſui voce, proſilit ſtatim, allatrat, nec quieſcit donec vel ſo-
lutis vel fractis vinculis illi obuiam procedat: ſic oportebat vnumquemq; fidelium, audito bo-
2. no motu cordis, & verbo inuitantis atque pulſantis Dei, mox omni ſtudio contendere, vt in-
clamato & implorato auxilio Dei, animæ ſalutem conſequatur. Quibus eſt apud Regem ne-
gotium, omnia temporis & locorum media obſeruant, vt aditum ad Regem inueniant, nec per
multos dies colloquium Regis fruſtra expectaſſe tædet, quàm diu ſpes eſt, vt tandem audian-
tur, & cauſæ ſuæ finem optatum conſequantur. Atqui nullo vnquam aut tempore aut loco im-
3. pedimentum eſt, quo minus Deum adeas, in hac ſaltem vita quæ tempus pœnitentiæ eſt: quod
ſi præterfluere inaniter noſtra patimur negligentia, ipſa noſtra in rebus huius mundi diligentia
nos in iudicio condemnabit. Qui ianuam pulſat arcis alicuius aut caſtri, eo adhuc tempore quo
ſtratis pontibus omnibus acceſſus patet, facilè à cuſtode intromittitur: at ſi idem noctu pulſet,
ſublatis iam pontibus, & obſeratis fortiſſimè ianuis, quantiſcunque fores ictibus laceſſat, non

exau-

A exaudietur,nec intromittetur. Eodem modo ianua vitæ cælestis,& diuinæ misericordię, dum adhuc viuis & vales,dum adhuc dies salutis est,dum adhuc pontes misericordiæ & gratiæ tibi & omnibus viuentibus sternuntur,necessario pulsanda est, si eo ingredi, & ad illam intromitti cupis. *Pulsanti enim aperietur.* Quod si noctem & mortis elapsæ tempus exspectas, frustra pulsabis,frustra clamabis: *Domine,Domine aperi nobis:quia clausa est ianua,*& pontes misericordię & gratiæ tibi,omnibusque hac vita defunctis penitus sublati sunt, *Non est nostrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Operandum igitur dum tempus habemus.* Eunuchus Candacis reginæ etiam in itinere legebat Esaiam Prophetam,quum necdũ intelligeret. Quid nobis domi nostræ, & in summo otio faciendum,Scripturas iam ad nostram consolationem per fidem intelligentibus? Carneades Philosophus ita se mirificè doctrinæ operibus addixerat,vt cum cibi capiendi causa recubuisset,cogitationibus inhærens,manum ad mensam porrigere obliuisceretur, & Melissa sua inediæ succurrendi officio dexteram suam necessariis vsibus aptabat. Cato iunior ne in curia quidem,dum Senatus cogitur, temperare sibi voluit, quo minus Græcos libros lectitaret: qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. De Varrone scribitur,quod in eodem lectulo & spiritus eius, & egregiorum operum cursus extinctus est. Cleanthis Philosophi tam pertinax fuit discendi studium,vt, ne diurno tempore à Chrysippi lectionibus abesset,nocturnum extrahendæ aquæ ad inopiam suam sustentandam impenderet. Hæc horum hominum circa humanas disciplinas assequendas industria & diligentia, nostram
B circa res diuinas & animæ salutem procurandam,supinam negligentiam & ignauiam si non vehementer nunc excitat,postea grauiter condemnabit. Monet Scriptura, nullo vnquam tempore ab hac cura cessandum esse: *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ,antequam veniat tempus afflictionis,& appropinquent anni,de quibus dicas; Non mihi placent.* Ad singulos nostrum dictum putemus,quod Christus Iudæis dixit: *Ego vado,& quæretis me,& in peccato vestro moriemini.* Ideo monet Apostolus: *Festinemus ingredi in illam requiem.* Ignauos & socordes Deus non admittet. Cuius rei vide mirabile mysterium in pugna Gedeonis contra Madianitas. Erant cum Gedeone plusquam triginta millia hominum. Primum iubentur omnes formidolosi domum redire:& discesserunt viginti duo millia,decem millibus remanentibus. Sed & ex istis,facta apud aquas probatione,soli trecenti remanserant. Atqui nec isti trecenti pugnauerunt,sed percussis tantum vacuis lagenis,& illis vlulantibus,solus Dominus pugnauit,& Madianitarum gladios in seipsos conuertit. Quid ergo opus erat non nisi fortissimis & strenuis viris? Quia sanè isti, etsi non pugnauerant,sic tamen affecti erant,vt,si opus esset,in illa causa mori non dubitarent. Cęteros dimisit,quia ignaui erant,& sic affecti,vt ad fugiendum magis quàm ad pugnandum comparati essent. Sic Deus nostram animi alacritatem,industriam, vigilantiam in salute nostra procuranda desiderat,etsi ille sit,qui pugnet pro nobis, & omnem salutem conferat, non tam vt ipsi
C semper operemur,aut operando salutem nostram ipsimet consequamur,quàm vt hoc tanto beneficio non indignos nos esse ostendamus. Insinuat hoc Sapiens, dicens: *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit,nec erit ante ignobiles.* Via ad cælestem gloriam laboriosa virtus est. Sic Michæas Propheta: *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum,& quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium,& diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Cætera virtutum opera cum ingenti cura & solicitudine prędanda sunt. De hoc argumento, de necessaria diligentia circa salutis curam, Deique obsequium,iam aliquoties in aliis * Dominicis diximus.

A exaudietur,nec intromittetur. Matt.7.
Eodem modo ianua vitæ cælestis,& diuinæ misericordię, dum adhuc viuis & vales,dum adhuc dies salutis est,dum adhuc pontes misericordiæ & gratiæ tibi & omnibus viuentibus sternuntur,necessario pulsanda est, si eo ingredi, & ad illam intromitti cupis. *Pulsanti enim aperietur.* Quod si noctem & mortis elapsæ tempus exspectas, frustra pulsabis,frustra clamabis: *Domine,Domine aperi nobis:quia clausa est ianua,*& pontes misericordię & gratiæ tibi,omnibusque hac vita defunctis penitus sublati sunt, *Non est nostrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Operandum igitur dum tempus habemus.* Act.1. Rom.12. Eunuchus Candacis reginæ etiam in itinere legebat Esaiam Prophetam,quum necdũ intelligeret. Act.8. Quid nobis domi nostræ, & in summo otio faciendum,Scripturas iam ad nostram consolationem per fidem intelligentibus? Exempla. 1. Carneades Philosophus ita se mirificè doctrinæ operibus addixerat,vt cum cibi capiendi causa recubuisset,cogitationibus inhærens,manum ad mensam porrigere obliuisceretur, & Melissa sua inediæ succurrendi officio dexteram suam necessariis vsibus aptabat. Valer. Max.li.8. Cato iunior ne in curia quidem,dum Senatus cogitur, temperare sibi voluit, quo minus Græcos libros lectitaret: ca.7. 2. qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. 3. De Varrone scribitur,quod in eodem lectulo & spiritus eius, & egregiorum operum cursus extinctus est. 4. Cleanthis Philosophi tam pertinax fuit discendi studium,vt, ne diurno tempore à Chrysippi 5. lectionibus abesset,nocturnum extrahendæ aquæ ad inopiam suam sustentandam impenderet. Hæc horum hominum circa humanas disciplinas assequendas industria & diligentia, nostram
B circa res diuinas & animæ salutem procurandam,supinam negligentiam & ignauiam si non vehementer nunc excitat,postea grauiter condemnabit. Eccl.12. Monet Scriptura, nullo vnquam tempore ab hac cura cessandum esse: *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ,antequam veniat tempus afflictionis,& appropinquent anni,de quibus dicas; Non mihi placent.* Ad singulos nostrum dictum putemus,quod Christus Iudæis dixit: *Ego vado,& quæretis me,& in peccato vestro moriemini.* Ioan.8. Ideo monet Apostolus: *Festinemus ingredi in illam requiem.* Hebr.4. Ignauos & socordes Deus non admittet. Allegoria. Cuius rei vide mirabile mysterium in pugna Gedeonis contra Madianitas. Erant cum Gedeone plusquam triginta millia hominum. Iudic.7. Primum iubentur omnes formidolosi domum redire:& discesserunt viginti duo millia,decem millibus remanentibus. Sed & ex istis,facta apud aquas probatione,soli trecenti remanserant. Atqui nec isti trecenti pugnauerunt,sed percussis tantum vacuis lagenis,& illis vlulantibus,solus Dominus pugnauit,& Madianitarum gladios in seipsos conuertit. Quid ergo opus erat non nisi fortissimis & strenuis viris? Quia sanè isti, etsi non pugnauerant,sic tamen affecti erant,vt,si opus esset,in illa causa mori non dubitarent. Cęteros dimisit,quia ignaui erant,& sic affecti,vt ad fugiendum magis quàm ad pugnandum comparati essent. Sic Deus nostram animi alacritatem,industriam, vigilantiam in salute nostra procuranda desiderat,etsi ille sit,qui pugnet pro nobis, & omnem salutem conferat, non tam vt ipsi
C semper operemur,aut operando salutem nostram ipsimet consequamur,quàm vt hoc tanto beneficio non indignos nos esse ostendamus. Insinuat hoc Sapiens, dicens: *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit,nec erit ante ignobiles.* Prou.22. Via ad cælestem gloriam laboriosa virtus est. Sic Michæas Propheta: *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum,& quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium,& diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Michæa 6. Cætera virtutum opera cum ingenti cura & solicitudine prędanda sunt. De hoc argumento, de necessaria diligentia circa salutis curam, Deique obsequium,iam aliquoties in aliis * Dominicis diximus. * Dominica 1. post Epiphan.

tex.1.Dom.5. post Epiph. tex.2.& 3.Domin. Septuag.tex.5.Domin.Quinquag.tex.3.Domin.2.Quadr.tex.1.Domin. Palm. Paschę,tex.3.Domin.6. post Pent. tex.2. tex.4.De.

3. *Iesu præceptor, miserere nostri.*

L Ocus moralis, ad Dei misericordiam in statu peccati confugiendum esse. Leprosis istis vnica salus erat, Iesum adire,& eius misericordiam implorare. Nõ sunt alia peccatori quærenda remedia,& est hoc vnum maxima contentione quærendum remedium. Ille enim est *qui sanat omnes infirmitates nostras,qui redimit de interitu vitam nostram.* Hoc perpetuum Dauidi confugium erat: *Ad Dominum,cum tribularer,clamaui:& exaudiuit me. Prodigus filius ad Patrem iuit.* Omnium sanctorum ab orbe condito hæc pietas fuit,teste Dauide: *In te sperauerunt patres nostri; sperauerunt,& liberasti eos. Ad te clamauerunt,& salui facti sunt:in te sperauerunt, & non sunt confusi.* qui
D in statu peccati, aut aliqua tribulatione constituti,neglecta Dei misericordia,alia quærunt remedia,& humana solatia,vel,quod deterius est,de Dei sapientia aut iustitia conqueruntur, fatum accusant, necessitates suas prætexunt, aut alio quocunque se vertunt; hoc vno grauius Deum offendunt,quàm in ipso perpetrato peccato:& similes sunt impio Regi Ochoziæ, qui æger decumbens,consuluit Beelzebub, deum Accaron, cui propterea Propheta Dei nomine sic nunciauit: *Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem,ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Sicut ille infidelis Rex,quia vidit Accaronitas prosperè agere,ideo illorum idolum pro potenti

Misericordia Dei implorãda. Psal.101. Psal.119. Luc.15. Psal.21. *Exemplum* 4.Reg.1.

aliquo deo existimans,illũ consulere voluit:sic hodie innumeri infideles Christiani,quia quosdam hæreticos prosperè agere vident,illorum Beelzebub colunt,cum illis amicitiam & fœdus ineunt,eorum quoque hæreses probant, quasi non esset Deus in Israel, nec veritas & misericordia in Ecclesia Christi Catholica,quam in Symbolo profitemur. Contra hos,& contra omnes qui,Dei misericordia non implorata,alia malorum suorum remedia inquirunt,sic per Prophetam protestatur Deus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua,& non glorietur fortis in fortitudine sua,* Ierem.9. *& non glorietur diues in diuitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me,quia ego sum Dominus qui facio misericordiam,& iudicium,& iustitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Nulla Exemplum in re acerbius Deum offenderunt Iudæi,nec in eius maiestatem grauius peccarunt,quàm in eo, quod Dei postposito auxilio,desperata misericordia,ab Assyriis & Aegyptiis auxilia petierunt, quod plurimis verbis expressit Ieremias Propheta: *Videte*, inquit, *verbum Domini. Nunquid solitudo* Ierem.2. *factus sum Israeli,aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus; Recessimus,non veniemus vltra ad te? Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui,aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.* Et paulo post: *Quam vilis facta es nimis,iterans vias tuas!* id est, multiplicans peccata tua. Sed vide quale peccatum dicit. Sequitur: *Et ab Aegypto confunderis,sicut confusa es ab Assur. Nam & ab ista egredieris,& manus tuæ erunt super caput tuum,quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam,& nihil habebis prosperum.* Docet eos ab Aegyptiis æquè nihil auxilij reportaturos, atque ab Assyriis prius reportauerant. Ab his enim gentibus auxilia petierant. Et hoc peccatum grauissimè Deo displicuit. Asa Rex Iuda initio pius & bonus,quàm diu in Domino Deo spem suam *Exemplum* ponebat,parua suorum manu Aethiopes vsque ad internecionem percussit. Quum autem Do- 2. Paral. minum derelinqueret,& à Benadab Rege Syriæ contra Basan Regem Israel auxilium peteret, 14. à Domino quoque derelinquitur. Dixit enim ei Hanani Propheta: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ,& non in Domino Deo tuo,idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Nonne Aethiopes & Li-* 2. Paral.16 *byes multo plures erant quadrigis,& equitibus, & multitudine nimia,quos,quum in Domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.* Ita Deo displicet, ad alium quàm ad ipsum in quouis necessitatis articulo suos confugere. Istos leprosos ad primam vocem exaudiuit Christus,& dimisit; vt ostenderet,quàm illi rem gratam faciunt,qui ad eius misericordiam se recipiunt. Hinc Apostolus: Hebr.4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius,vt misericordiam inueniamus in auxilio opportuno.* Nã vt alia Eccle.2. Scriptura nos animat: *Pius & misericors est Deus,& remittet in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Vnde sic vt loquamur Deo,docet nos Oseas Propheta: *Assur* Oseæ 14. *non saluabit nos, super equum non ascendemus* (id est,nullo humano auxilio nitemur) *nec dicemus vltra, Dij nostri opera manuum nostrarum* (id est, in nostris adinuentionibus & studiis non confidemus) *quia eius qui in te est,misereberis pupilli. Sanabo contritiones eorũ,diligã eos spontaneè,quia auersus est furor meus ab eis*, scilicet ita Deum inuocantibus. Vt Dei misericordiam paratissimam semper esse,& amplissimam intelligeremus,solet Scriptura,quum de Dei misericordia loquitur, id duplicare,vt apud sanctum Dauidem: *Misericors & miserator Dominus,escam dedit timentibus se.* Et ite- Psal.85. & 102. rum: *Misericors & miserator Dominus,longanimis & multum misericors.* Et apud Esaiam: *Miserens mise-* Esaiæ 30. *rebitur tui.* Hæc geminatio certitudinem designat. Certitudo designatur,vt immensa Dei bonitas magis elucescat. Dei bonitas ideo elucescit,vt eam cum fiducia petamus. In petenda enim Dei misericordia,incredibilis à nobis exercetur audacia,quæ etiam,nisi ipse Deus ad eam flá- *Misericordiam à Deo petere, quanta res sit.* gitandam nos hortaretur,singularis foret impudentia. Qui enim sceleris sibi conscius, misericordiam à Deo petit, non simpliciter gratiam & fauorem postulat; sed id petit, vt leges, quas contra peccatores sanxit,frãgi,violari,& abrogari patiatur. Si quid tale latro & homicida quispiam à Rege aliquo peteret,dicens,Iube,quæso,Rex sereniſſime,vt leges,quas contra latrones *Simile.* & homicidas promulgasti,in mei nunc fauorem abrogentur,aut irritæ fiant: nonne audax facinus,& reprehensione,imo pœna dignum patrasse merito videretur? At tantũdem omnis lethaliter peccans Deo dicit,quum ait: Miserere mei Deus,quia lethaliter tuam Maiestatem offendi. Quum enim lex Dei de fornicariis,immundis,auaris,superbis,inuidis,dicat; *Qui talia agunt,* Galat.5. *regnum Dei non possidebunt*: tu immunde,auare, superbe, &c. qui veniam petis, & regni cælestis aditum tibi denuo aperiri flagitas,id petis,vt illa Dei lex in tui gratiã irrita tantisper fiat ac violetur. Sed tanta est Dei misericordia,vt hanc audaciam non permittat tantum, sed & probet; nec probet modo,sed ad eam nos inuitet. Quæ eius bonitas satis amplificari non potest. Quum Moyses de monte Sina descenderet,portans secum tabulas Legis Dei digito scriptas, audiens Exodi 32. symphoniam & choros,populique horrenda idololatria intellecta,statim ipsas tabulas ad radi- Allegoria. cem montis confregit. Nec ideo à Deo reprehenditur,etsi in diplomate regio, quo leges inscriberentur nouæ,idem patrare capitale esset; sed hoc admirabili facto docuit, salutem peccatorum omnium hanc vnam esse,vt Dei leges ad radicem montis confringantur. Hic mons est Daniel.2. Filius Dei incarnatus: qui *excisus de lapide sine manibus*, natus de virgine sine opere humano, *factus est in montem magnum.* Radix & infima pars huius montis est Christi humanitas. Contra hanc franguntur tabulæ Legis diuinæ, quando propter illum & *in nomine eius quicquid à Deo petierimus*, Ioan.16. obtinemus, maximè peccatorum veniam & misericordiam, sicut ipse nos docuit facere,& impetraturos nos promisit,vt in alia Dominica latè explicuimus.

4. *Ite,*

A

4. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.*

LOcus moralis duplex. Vnus ex parte iubentis Christi, alter ex parte obedientiæ horum leprosorum. Primus locus docet reuerentiam sacerdotalem,& Ordinis in Ecclesia à Deo positi debitam ac legitimam obsequentiam,Deumque sic suas nobis gratias conferre,etiam extra Ordinem,velut hic sanando decem leprosos sola voluntate, vt velit tamen Ordinis ecclesiastici honorem non violari,auctoritatem retineri,potestatem agnosci. Idem enim mittit eos, per se miraculosè sanandos,ad sacerdotes,vt,iuxta legem Moysis,eorum iudicio & auctoritate sanati declararentur. Hunc locum in aliis Dominicis latè tractauimus, vbi alteri leproso apud Matthæum sanato Christus similiter dixit: *Vade,ostende te sacerdoti*,& alibi. Alter locus docet, in omnibus Dei beneficiis nostram obedientiam, cooperationem nostram, variamque præparationem concurrere oportere. Magna fuit in istis leprosis non fides tantum, sed & obedientia, quod iubente Christo ad sacerdotes irent,vt illis se ostenderent,necdum sanati à lepra. Neque enim Christo hoc iubente adhuc sanabantur;sed *dum irent,mundati sunt*. Nec vt sacerdotibus se ostenderent vlla ratio erat,nisi prius sanarentur. Non enim sanare lepram illi poterant,sed declarare tantum,veréne sanata esset,an non,& communis conuersationis facultatem sanatis de-
B cernere. Eunt tamen iubente Christo,tum quia credebant se à Christo sanandos,tum quia illi iubenti obtemperandum esse prorsus iudicabant. Hãc obedientiã,hanc ex parte nostra qualẽcunq; cooperationem hoc facto cõmendare Christus voluit;ne ita à sola Dei benignitate pendeamus,& peccatorũ remissionẽm,emẽdationem, abolitionem à solo gratiæ beneficio sic emanare putemus,vt nihil interim ex parte nostra præstandum sit,quo hoc ad nos tãtum ac tale beneficium deriuetur. Hunc locum de præparatione nostra iam semel atque iterum tractauimus, super illa verba,*Dirigite viam Domini*,Dominica 3. Aduentus; & super illa verba, *Implete hydrias aqua*. Dominica 2. post Epiphan. De obedientia vero nostra ad salutem & sanitatem consequendam necessaria,in variis quoque Dominicis diximus. Dom. 2. post Epiph. text. 4. Dom. 2. Quadrag. tex. 5. Dom. 7. post Pent. tex. 5. ex quibus omnibus in hunc locum transferri possunt, quæ dicenda videbuntur.

Sacerdotalis reuerentia.

Do. 3. post Epiph. tex. 4. Do. Pass. tex. 4. Cooperatio & obedientia nostra.

Tex. 4. Tex. 5.

5. *Regressus est,cum magna voce magnificans Deum:& cecidit in faciem ante pedes Iesu, gratias agens.*

C LOcus moralis de animi gratitudine erga accepta Dei beneficia. Quum enim decem à Christo mundarentur,vnus tantum regreditur vt gratias agat;suamque gratitudinem officiosè exponit. Nam & *Deum magnificat*,laudat,ac prędicat;& *magna voce* id facit,Iudęorum inuidiam aut hominum iudicia nihil moratus;& *cadit in faciem ante pedes Iesu*,maximam animi demissionem ostendens,& disertis verbis *gratias agit*. Placuit Christo hæc hominis gratitudo,placuit pietatis officium;ideoque factum sedulo laudat,dicens: *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret,& daret gloriam Deo,nisi hic alienigena*. Docet accuratè Christus, hanc animi gratitudinem obsequium esse sibi gratissimum;ad Dei gloriam pertinere; singularem commendationem mereri:ingratos vero,& in huiusmodi officio negligentes,graui reprehensione dignos esse. Hoc enim sonat illa Christi expostulatio, *Nouem vbi sunt ?* Hunc locum iam in aliis Dominicis tractauimus. Sed hic,loco maximè proprio,aliqua addemus,prout Deus dabit. Vix quisquam est,qui non maiora accepit à Deo beneficia, quàm hic sanatus leprosus; nisi fortè vel tot peccatorum condonationem,vel à tot peccandi periculis liberationem,vel tãtam Dei in peccatorum perseuerantia longanimitatem,è quibus tribus vnum vnusquisq; necessario expertus est,vni corporis lepræ sanatę postponendam,tam demens sit quisquam vt iudicet. Seipsum ergo quisque conueniat,vt huius exemplo gratias agat, semperque agere pergat. *Glorificantes enim Dominum quantumcunque potueritis* (ait Scriptura) *superualebit adhuc,& admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum,exaltate eum quantum potestis : maior enim est omni laude.* Primum peccatum quod Esaias Propheta,iubente Deo,veteri populo exprobrauit,fuit ingra-
D titudo erga accepta beneficia. Sic enim incipit: *Audite cæli,& auribus percipe terra,quoniam Deus locutus est. Filios enutriui,& exaltaui;ipsi autem sprenerunt me. Cognouit bos possessorem suum,& asinus præsepe domini sui:populus autem meus non cognouit me*. Sicut nullius virtutis firmior est memoria quã accepti beneficij,sic vix vllum vitium ingratitudine deterius. Apud Romanos libertas seruo cõcessa,postea ingratitudinis culpa reuocari poterat. Sicut miramur monstra, quia naturę repugnant,vt Centauros,Satyros,hominem quadrimanum,& similia;canes, lepores lupos non miramur:sic cætera vitia ex naturali nostra corruptione ac fragilitate profecta,gulam,ebrietatem, libidinem,iracundiam non ita miramur;ingratitudinem vero,quasi monstrum quoddam,mirãtur & detestantur omnes. Sicut enim naturale est amantem redamare, quia amori solus amor rependitur (vt alibi ostensum est) ita monstrum est,amanti,atque adeo benefacienti, maximè Deo,gratum se non prębere.

Gratitudo animi. 1. 2. 3. 4.

Do. 3. post Epiph. tex. 5. Do. 4. post Pasch. tex. 5.

Eccli. 43.

Esaiæ 1.

Exemplum Simile.

Surgant ethnici ac pagani,& Christianorum hominum erga Deum ingratitudinem condẽ- A
Exempla gratitudinis. Ael. de var.hi.li.5 nent. Cum Tarentini à Romanis obsiderentur,periculumque esset,ne fame ad deditionem cõpellerentur,Rhegini decimo quoque die ieiunium decernentes,victum concesserunt Tarentinis. Proinde cum decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentini, festum constituerunt,quod Ieiunium appellabant. Metellus pius dictus;Consul Romanus quum esset,non dubitauit pro Quinto Callidio,Prætore candidato,supplicare populo,quod is tribunus plebis legem,qua pater Metelli in ciuitatem restitueretur;tulerat. Quin etiam patronum
Valer. Max.li.5. ca.2. eum domus & familiæ suæ semper dictitauit. Octauij Cæsaris illustre habes exemplum supra in alia Dominica. Parum est, homines sine Deo in hoc mundo Christianorum ingratitudinem condemnare, & plus potuisse rationis & honestatis scintillas, quàm fidei lumen, aut pietatis flammæ apud nos possunt.

Exempla brutorum. Aelianus li.13. Ipsa bruta animantia ingratitudinem nostram coarguunt:& naturæ instinctus plus apud ea valuit,quam apud nos pietas valere solet. Ciuitas est in Achaia,nomine Patræ. In ea puer draconem paruulum emebat,magnaque eum cura educabat:cumque creuisset, loquebatur quasi cum intelligente,ludens ac dormiens cum ipso. Cum vero ad ingentem magnitudinem draco peruenisset,in solitudinem à ciuibus est dimissus. Post,cum puer adolescens factus,reuersus à spectaculo quodam,cum aliquibus æqualibus in latrones incidisset, & clamorem extulisset,ecce draco prẽsto est & alios in fugam vertit,alios interimit,ipsum vero saluum conseruat. Quid B
dracone inhumanius? humanitatis tamen,vt benefactori se gratum ostenderet, obliuisci non potuit. Sed & panthera vix animal ferocius, aut magis indomabile. Nec tamen ea benefactori vult esse ingrata. Quum catulos eius de quadam fouea quidam liberasset,accedens illa, comi-
Ioan. à S. Geminiano l.5.c.56 tem se ei adiunxit,blanditur ei cauda & facie,& extra deserta loca tutum eum deduxit. Leo animal est ferocissimum,& homini inimicum. Insignis tamen est historia de Androdo seruo
Aulus Gell. Noct. Attic.li.5. fugitiuo,qui in leonis spelunca per errorem se abdens,quum regressi à præda leonis pedem sanasset,spinam ei euellens; tum eum longo post tempore in ea spelunca leo aluit, carnibus in magna copia ei semper allatis;tum postea eundem ex fuga retractum,& Romæ eidem leoni,eodem quoque tempore à venatoribus capto,obiectum vt deuoraretur,adblandiens cauda recognouit,attingere noluit,omnibus beneuolentiæ signis prosequutus est. Vnde & dato homini cum vita leone,non secus ac canis per vrbem obsequutus est,dicente populo: Ecce leo hospes hominis;ecce homo medicus leonis. Quid? quod & aues eandem virtutem ad nostram confu-
sionem prorsus inexcusabilem exercent? Messor in agro ad fontem à sociis missus,quum iret,in- C
Pierius Valerian. Hieroglyph.li.19 cidit fortè in serpentem,qui immani cauda miseram aquilam cinxerat & oppresserat, eandemque iam semimortuam reliquerat. quod cum vidit,falce serpentem percutiens, eundem interfecit,& aquilam liberauit. Quæ cum videret illius se beneficio liberatam, volitando eum ad socios redeuntem comitatur: cumque sigillatim socij ex aqua,quã de fonte attulerat,biberent; isque qui aquam hauserat,bibere quoque vellet,& vrnam ori admoueret,continuo aquila stridore suo atque impulsu vrnam confregit. Quo ille turbatus primum atque commotus, vbi socios respiciens,alium hic,alium ibi extinctos vidit, aquilæ erga se gratitudinem intellexit, quæ vetuit ne aquam biberet,serpentis veneno infectam. Sed inter omnes aues,gratitudinis & ingratitudinis documentum maximè illustre præbet pelicanus fœmina. Illa enim super pullos
Ioan. à S. Gemin.l. 4.ca.39. suos à serpente vulneratos,percusso suo pectore,ad eos sanandos sanguinem suum fundit,pullisque bibendum exhibet;quo effuso sanguine,illa sic debilitatur,vt pulli ad quærendum cibum exire,matremque ad tempus alere cogantur. Qui igitur ex pullis diligenter hoc officium præstant,postquam resumpsit vires,tenerrimè diligit,& solicitè nutrit. Sed illos qui tanquam degeneres,nullam matris curam gesserunt, tanquam ingratos è nido deturbat,& suo cõuictu frui non permittit. Hæc auis Christum repræsentat,iuxta illud Psalmistæ: *Similis factus sum pelicano solitudinis.* Ille nos à serpente percussos,suo fuso sanguine sanauit,viuificauit, pauit. Quos hoc
Psal.101. accepto beneficio gratos videt,& à Dei laudibus non cessare,ei obsequium & obedientiam exhibere,eum in suis pauperibus quasi laborantem pio affectu alere,vestire, visitare, hos pro suis D
recognoscit;tenerrimè diligit,ad cælestem beatitudinem cum illo communem adducit. Ingratos vero & degeneres è statu gratiæ deturbat,& à suo beato conuictu in æternum abdicat. Sic
Prou.17. dicit Scriptura: *Qui reddit malum pro bonis,non recedet malum de domo eius.* Sic Iudæos ingratissimos
Ierem. 18. abdicauit. Ait enim: *Nunquid redditur pro bono malum? quia foderunt foueam animæ meæ. Recordare quod steterim in conspectu tuo,vt loquerer pro eis bonum,& auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea* (propter hanc ingratitudinem) *da filios eorum in famem,& deduc eos in manus gladij. Fiant vxores eorum absque liberis & viduæ,& viri eorum interficiantur morte,&c.* Hæc enim,& his grauiora Iudæis acciderunt,non solum pro Ieremia vexato,quum ab Assyriis captiui abducerentur;sed multo magis pro Christo crucifixo,quum à Romanis victi, in perpetuum exterminium dati sunt. Eandem ingratitudinis vindictam prædixit illis Esaias. *In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ,sicut aratra & segetes,quæ derelictæ sunt à facie filiorum Israel;& eris deserta;quia oblita es Dei Saluatoris tui,& fortis adiutorij tui non es recordata.*
Esaiæ 17.

Leuit.7. Typus. Exempla. Gen.8. In veteri lege holocaustum quod offerebatur pro gratiarum actione,& caro victimæ, non erant in crastinum seruanda: quia gratiarum actiones non sunt differendæ. Noë vbi primum exiit de Arca,liberatus à diluuio, statim fecit altare Domino,& sacrificia obtulit,gratias agens

Deo:

A Deo. Christus in Euangelio, post multiplicationem panum, iussit *colligi fragmenta ne pereant*, id est, vt in memoriam accepti beneficij asseruarentur. *Ioan. 6.*

Qui de acceptis beneficiis gratus est, maiora accipere meretur. Ideo Deus ingratitudinem odio habet maximo, non sua causa, sed nostra; quia illa manus Dei claudit, & faciem à nobis auertit. Ait enim Scriptura: *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua. Qui grate beneficium accipit, primam eius pensionem soluit*, ait Seneca. Nullo magis Cæsarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quàm quod; cum patri Antonianas partes secuto, veniam impetrasset, dixit: *Hanc vnam Cæsar habeo iniuriam tuam: Effeci sti vt viuerem & morerer ingratus*. Hæc eius animi gratitudo Cæsarem ad maiorem in eum beneuolentiam acrius concitauit. Pulchrum est in duobus fratribus Eumene & Attalo gratitudinis exemplum, quod ad nostram arguendam ingratitudinem valere potest. Eumenes Pergami Rex insidiis petitus à Perseo, credebatur extinctus. Is rumor eum Pergamum esset perlatus, Attalus eius frater, imposito sibi diademate, ductaque fratris vxore, regnum occupauit. Cæterum quum audisset illum viuum, profectus est illi obuiam, vt solebat, cum satellitibus hastã gestans. Eumenes autem amanter eum amplexans, dixit in aurem: Ne festines ducere priusquam mortuum videris. Nec præterea per omnem vitam, vllam offensi animi significationem vel dicto vel facto dedit: quinetiam moriens, fratri & vxori regnum reliquit. Cuius animi memor At- *Sap. 16.* *Apophth. Li. 2. c. 22.* *De benefic. Ibid. c. 25.* *Exemplum Plutarch. de fratr. amore.*

B talus, cum multos ex se liberos haberet, nullum tamen regno educauit, sed Eumenis filio, postquam adoleuisset, adhuc viuens principatum tradidit. Singularis fuit Eumenis clementia, sed maior Attali gratitudo. Quomodo ergo in immensa Dei erga nos clementia, & ineffabili ac perpetua beneficentia, tam nulla aut parua nostra est gratitudo? Sicut nubes solis virtute per varias exhalationes in altum subuectæ, ipsum postea solem offuscant: sic ingrata anima per varia Dei beneficia multum nobilitata, sua ingratitudine Dei gloriam obscurat, *non dans gloriam Deo*, vt isti nouem à Christo sanati. Sicut mare omnes aquas dulces accipit, sed salsas à se remittit: sic ingratus pro bonis reddit mala, & alterius beneficentiam in suam vertit perniciem. Sicut mulus à matre lactatus, calcibus ferit matrem, animal hoc nomine infame: sic ingrati à Deo *impinguati & incrassati recalcitrant*, vt de Iudeis dixit Moyses; populus hoc nomine maximè infamis, de quo Scriptura dicit: *Odio oderunt me gratis*. Sed quorum exitum perhorrescimus, eorum facta imitari perhorrescere debemus. *Similia.* *Ioan. 9.* *Deut. 32.* *Ioan. 15.*

6. *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?*

C Locus moralis, de bono perseuerantiæ ad salutem necessario. Omnes decem isti leprosi benè cœperunt. Omnes Christum benè quæsierunt. Omnes ei in via occurrerunt. Omnes vocem leuauerunt, dicentes: *Iesu præceptor, miserere nostri*. Sed ex illis omnibus vnus tantum perseuerauit. Vnus tantum ad gratias agendum rediit. Vnus tantum in fide permansit. Reliqui enim nouem, siue à sacerdotibus, ad quos missi erant, corrupti, qui eos à Christo auerterant, dicentes, non Christi beneficio, sed propter Legis obseruantiam eos sic sanatos fuisse; siue propria leuitate & malitia in deterius mutati, ad Christum amplius non redierunt. Hanc illorum defectionem grauiter reprehendit Christus. Hanc vnius perseuerantiam studiosè laudat: *Non est inuentus qui rediret, & gloriam daret Deo, nisi hic alienigena*. Multorum est incipere, paucorum perseuerare; quia *multi vocati, pauci electi*. Multos flores quæuis ferè arbor fructifera producit, sed paucos fructus maturos. Omnes ferè agri multum promittunt in herba, sed vberem messem pauci adferunt. *Rhetorum schola* (ait Augustinus) *per totum ferè orbem adolescentum gregibus perstrepunt; sed Tullianam facundiam assequuntur pauci, agunt & fiunt Oratores pauciores, clarescunt pauciss imi. Tale quiddam est Religio. Multitudo imperitorum & peccatorum frequentat ecclesias, pauci eius religionis mysteriis perfecti sunt.* Hæc ille. In via ac ratione virtutis, principia frequenter feruent, progressus tepescunt, fines & exitus frigent. Huius rei figura fuit statua, quam vidit in somnis Nabuchodonosor, quæ incepit D in auro, & desiit in luto: quæ vt ad literam, principatuum huius mundi mutabilitatem significat, sic mysticè pietatis & virtutis inconstantiam docet. Caput huius statuæ aureum, purũ Dei amorem, & bona opera, à quibus ad Deum conuersi, incipiunt fæliciter, significat. Pectus statuæ argenteum, bona verba & laudem virtutis notat, quam adhuc ad tempus retinet, qui bene facere desiit. Sed hoc argentum paulatim efficitur æs, quum bona verba, quæ bona intentione ad tempus loquebatur, laudans virtutem quam non præstabat, nunc ad vanitatem, & vt ab aliis bonus videatur, loquitur. Sed & hoc æs in ferrum tandem vertitur, quãdo, ipso quoque prætextu virtutis neglecto, durus ad emendationem, durus ad salutaria audienda consilia efficitur. Postremo denique totum in lutum vertitur, quum totus voluptati deditus, *qui spiritu cœpit, in carne consummatur*, vt de Galatis scripsit Apostolus. Hanc deplorandam in via virtutis inconstantiam, his verbis lugebat Ieremias: *Filij Sion inclyti, & amicti auro purissimo, quomodo commutati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* nec dissimiliter Esaias: *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam; vinum tuum mistum est aqua*. Hæc est mutatio, non dexteræ Excelsi, sed proficientium in peius. *Perseuerantiæ bonum.* *Matt. 10.* *Similia.* *De vtilit. cred. c. 7.* *Allegoria.* *Daniel. 2.* *Galat. 3.* *Thren. 4.* *Esaiæ 1.*

Atqui beatus erit, non qui bonũ facit, sed qui perseuerãter facit. Philisthæi remittentes arcam *Allegoria.*

Dei,& ſuper plauſtrum ponentes,quòd vaccæ ducebant, quarum vituli domi recludebantur, A
1.Reg.6. hoc pro ſigno & argumento,quod veri Dei eſſet illa arca, propterque illam tot plagis mulctati fuiſſent,acceperunt;ſi vaccæ illæ,quarum ſic vituli domi recludebantur,recto itinere in terram filiorum Iſrael pergerent; nec ad ſuos vitulos reuerterentur, donec arcam Dei in locum proprium deduxiſſent. Quando anima fidelis pro Chriſto,& pro fide, vel multa mala patitur, vel multa bona facit,ſignum & argumentum eſt,quod veræ pietatis illa opera,illaque patientia fuerint,ſi recto itinere in ſtudio virtutis pergat,
Pſal.63. *ambulans de virtute in virtutem,donec videatur Deus deorum in Sion.* Quę enim anima ad vitulos domi recluſos redit,quæ ad proprias paſſiones, & appetitus ſenſuales, veteriſque hominis reliquias reuertitur,quaſi canis ad vomitum, oſtendit ſe non veri Dei arcam portaſſe,non verum & viuum Dei templum fuiſſe. *Qui enim mittit manũ ſuam*
Luca 9. *ad aratrum,& reſpicit retro,non eſt aptus regno Dei.* Qui neceſſariam virtutem,& vitij fugam aggreditur,& recta via non pergit,nec perſeuerat,non eſt idoneus,id eſt,oſtendit ſe necdum idoneum eſſe regno Dei. Qui dixit Chriſto,*Sequar te Domine*,ſed priùs renũciare his qui domi erant,amicis & parentibus,voluit,ſimplicem & neceſſariam omnibus Chriſti ſequelam profitebatur,velle ſe videlicet Chriſti diſcipulum eſſe,in illum credere,eius mandatis & doctrinæ obedire. Tales enim ſequuntur Chriſtum. Qui igitur Chriſtianum ſe profitetur, qui ad aratrum obedictiæ mandatorum manum miſit,qui bonum opus ad ſalutem neceſſarium inchoauit;qui etiam opus B
perfectionis & conſilij per obligationem ſtabilem ſemel aggreſſus eſt,& retro reſpicit,regreditur ad priſtina,*configuratur prioribus ſeculi deſideriis*,ille certè non eſt aptus & idoneus miles,qui *regnum cælorum,quod vim patitur,violentè rapiat.* Oret Deum vt aptus fiat. *Qui enim incepit in nobis opus bonum,perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti*,ait Apoſtolus. Dies Chriſti ille eſt,in quo totam ſuã vo-
1.Pet.1. luntatem Deus exequetur;ſicut dies noſtri ſunt hæc vita in qua volũtates noſtras miſeri mor-
Matt.11. tales facimus. Dies extremi iudicii,eſt dies Domini. Vſque ad illum diem perficiendum eſt bo-
Philip.1. num opus quod incepimus,vſque ad finem perſeuerandum. Quod his verbis docet Apoſtolus:
Dies Chriſti,& noſter. *Neſcitis quod hi qui in ſtadio currunt,omnes quidem currunt,ſed vnus brauium accipit? Sic currite vt comprehendatis.* Curſus in ſtadio perpetuus eſt,vnoque fit impetu,abſque reſpiratione, abſq; intermiſ-
1.Cor.9. ſione vlla. Qui ſic currebat,ille ab aſtantibus laudibus extollebatur. Talis eſt vita Chriſtiana:
Simile. perpetuo currendum eſt,*ſine intermiſsione orandum eſt, ſemper vigilandum eſt, omni cuſtodia cor cuſtodiendum eſt: ea quæ retro ſunt obliuiſcentes,ad ea quæ priora ſunt extendere ſe oportet.* Qui non proficit,de-
1. Theſſ.5. Mar.13. ficit;qui in via ſubſiſtit,in luto hęret;qui retro reſpicit,*cum vxore Lot peribit. Vade ad formicam ô pi-*
Philip.2. Gen.19. *ger.* Formicæ quum tenuiſſima ſint animalia,tamen aſſiduitate laborandi & tranſeundi, in duriſ-
Allegoria. ſima rupe veſtigia relinquunt;& tritæ ſemitæ notas manifeſtas ponunt.
Prou.6. Tam eſt neceſſaria perſeuerantiæ virtus,vt in tota oratione Dominica nihil ferè aliud à Deo
Simile. expetere iubeamur,quàm perſeuerantiæ donum. *In ipſa Oratione Dominica* (ait Aug.) *quando oratur* C
Lib. de don.perſeuerant.c.2 *à ſanctis,nihil penè aliud quã perſeuerantia poſci intelligitur.* Quod mox in ſingulis huius Orationis partibus demonſtrat. *Quum dicimus,Sanctificetur nomen tuũ: vt ſanctificatio in nobis permaneat,oramus, Quum dicimus, Adueniat regnum tuum: num aliud poſcimus, niſi vt veniat nobis,quod eſſe venturum nõ dubitamus omnibus ſanctis? Ergo & hi,qui iã ſancti ſunt,quid orant;niſi vt in ea ſanctitate,quæ illis data eſt,per-*
Cap.3. *ſeuerent? Perſeuerantiã petunt ſancti,qui faciunt voluntatem Dei,dicentes in oratione: Fiat volũtas tua. Cum*
Cap.4. *enim iã facta ſit in eis,cur vt fiat adhuc petunt,niſi vt perſeuerent in eo,quod eſſe cœperunt? Quarta petitio eſt:*
In expoſit. Orat. Do. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*,quæ verba ſic exponit B. Cyprianus: *Hunc panem dari nobis*
Cap.5. *quotidie poſtulamus;ne qui in Chriſto ſumus,& Euchariſtiã quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente*
Cap.6. *aliquo grauiore delicto,dum abſentes,& non cõmunicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur, vt videlicet in ea ſanctitate permaneamus,qua nullum,quo inde ſeparari mereamur crimen admittatur: In ſola quinta petitione,non poſcitur perſeuerantia,ſed peccatorum condonatio. Atque quum dicunt ſancti, Ne nos inferas in tentationem,ſed libera nos à malo: quid aliud,quàm vt in ſanctitate perſeuerent,precantur? Hoc enim conceſſo dono,ne quis inferatur in tentationem,ne tentationi ſuccumbat,nemo ſanctorum eſt, qui non teneat vſque in finem perſeuerantiam ſanctitatis.* Hæc Auguſtinus.
Rom.13. Hanc perſeuerantiam commendauit Apoſtolus,dicens: *Induimini Dominum noſtrum Ieſum*
Galat.3. *Chriſtum.* Et rurſum: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis,Chriſtum induiſtis.* Induere enim aliquid,iux-
Pſal. 108. ta phraſim Scripturæ,eſt ita alicui rei vniri,vt ab ea nunquam diſcedatur. Vnde Dauid: *Fiat ei maledictio ſicut veſtimentum quo operitur,& ſicut zona qua ſemper præcingitur.* Et iterum: *Operiantur ſicut*
Eſaiæ 11. *diploide confuſione ſua*;id eſt,maledictio & confuſio nunquam ab eo recedat. Sic de Chriſto dicit D
Iob 8. Eſaias: *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius,& fides cinctorium renum eius*,id eſt,omnes virtutes Chri-
Galat.3. ſto inſeparabiliter adhærebunt. Sic de impiis Iob: *qui oderunt te,induãtur confuſione,& tabernaculum*
Epheſ.2. & 6. *impiorum non ſubſiſtet.* Hunc ergo in modum,*induere Chriſtum,induere nouum hominem,induere armaturã Dei* debemus,vt ea poſtea non deponamus;ſed,veniente Chriſto,*veſtiti,non nudi inueniamur.*
2.Cor.5. Qui poſt ægritudinem conualeſcens,frequenter recidiuat,oſtendit, in prima ſanatione om-
Similia. nem malum humorem,& morbi cauſam ſatis expurgatam non fuiſſe. qui Chriſtum ſemel indutus,& ab eo ſanctus,mox eum exuit, induens arma tenebrarum, manifeſtum facit quod om-
Ioan. à S. Gemin. li. 5.c.69. nem peccandi affectum in prima ſua reconciliatione non eiecerit. Leopardus non perſequendo,ſed ſaliendo prædam capit: quam ſi tertio vel quarto ſaltu non ceperit, præ indignatione deſiſtit, & quaſi victus retrocedit. Tales ſunt, qui quaſi per ſaltum volunt eſſe perfecti, & in primo pietatis impetu ab omni tentatione liberi: ideoque ſi ſemel atque iterum

tentatio

A tentatio recurrit,à bono opere desistunt. Atqui currendum, non saltandum est, & in opere perseuerandum. Si tantum in orationis & feruoris studio homo perseueraret,quantum pauper ad ostium diuitis pro eleemosyna;citius haud dubiè spiritualem eleemosynam à Deo impetraret,quàm corporalem à diuite pauper impetrare solet. In veteri Lege nullum animal sine cauda offerebatur. In causa salutis nullum bonum opus sine bono fine & perseuerantia Deo in sacrificium offerri potest. Sicut in ludo scaccario, vno ictu aut tractu,vel nõ facto cum fieri oportebat,vel malè & per errorem facto,totus ludus lucrumque amittitur:sic vno necessario opere virtutis neglecto,aut vno peccato lethifero perpetrato,totus iustitiæ fructus amittitur,dicente Deo per Prophetam: *Si auerterit se iustus à iustitia,& fecerit iniquitatem* (nota vtrumque) *omnes iustitiæ eius,quas fecit,non recordabuntur.* Tam est ad salutem necessaria perseuerantiæ virtus: & ita verum est quod Christus in alio Euangelio dixit: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Vide plura in aliis * Dominicis. *Allegoriæ.* *Simile.* *Ezech.18.*

* *Dom. 2.Adu. tex.9. Do. post Pent.*

infra Oct.Nat. Dom.tex.2.& 5.Dom.2.post Epiph.tex.6.Dom.Quinquages. tex.3.Dominica 2.post Pent.tex.7. & Dom.6. text. 2.

B

7. *Nisi hic alienigena. Et hic erat Samaritanus.*

LOcus moralis de inani vocationum,professionum,aut status cuiusque titulo, nisi nominibus res respondeat:& sæpe accidere vt minus præstent,à quibus ratione status & vocationis plura expectantur. Omnes illi nouem qui accepto à Christo beneficio ingrati extiterunt, quique à cœpta pietate defecerunt, Iudæi erant, vocatione fideles, & professione vnius veri Dei cultores. Vnus ille qui rediit,gratias agens,& in fide atque obedientia erga Christum perseuerauit,alienigena erat,Samaritanus erat, in impietate,& veri Dei ignorantia educatus. Sic mulier Samaritana ad puteum edocta,facilè Christo credidit,Christique verba optimam in partem accepit:quæ postea audientes Iudęi,vehementer sunt scandalizati & cauillati, vt supra in Dominica Passionis ostendimus. Sic qui erga hominem in latronem incidentem misericordia vsus fuerat,Samaritanus erat;sacerdos,aut leuita, aut Iudæus non erat. Sic mulieris Chananææ,& Centurionis hominis gentilis fides maximè à Christo laudatur,quum tanta in Israel non inueniretur. Sic hodie,omnique ætate,maiora sæpe pietatis officia prestant homines ru-
C des,indocti,laici,seculares,quàm magni theologi,sacerdotes,religiosi. Tractari hic locus potest ad ignauiam multorum excutiẽdam,ex aliis Euangelicis locis,iam supra in hoc opere pertractatis. Quæ enim de profectu nostro in Christiana professione diligenter examinando super illa verba, *Hic positus est in ruinam multorum in Israel*, diximus, quæ de grauiori iudicio eorum qui maiora à Deo virtutis adiumenta acceperunt,ad illa verba, *In testimonium illis*, prolata sunt;quæ ostenderunt,vocationem & professionem externam non sufficere ad pietatem & salutem, super illa verba, *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores*;quæ contra iniquitatis abundantiam,abũdante Christi gratia,dicta sunt,ad illa verba, *Vnde ergo habet zizania?* quæ in medium allata sunt, vt Deum ab omnibus laudandum esse,ab omni statu,sexu,ætate,ostenderetur propter illa Euãgelij verba, *Turba quæ præcedebant & quæ sequebantur,clamabant,dicentes: O Sanna filio Dauid*; quæ de condemnatione impiorum,propter varium diuinæ gratiæ abusum; depromsimus ad illa Christi verba, *De iustitia vero Spiritus sanctus arguet mundum:quia ad Patrem vado,& iam non videbitis me*; quæ postremo de vocatione nostra ad salutem studiosè ac solicitè conseruanda protulimus super illa verba; *Exi cito in plateas & vicos ciuitatis,& pauperes,ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*;illa omnia ad hunc locum pertinent,& huc referri possunt,& ad hanc Christi notationem de solo alienigena ac Samaritano officium pietatis exequente,salubriter tractari poterunt. *Vocationem ad salutem non sufficere.*

Dom.infr. Oct. Nat. Do. tex.2. Do. 3.post Epiph. tex.6. Ibid.tex.9 Do. 5.post Epiph. tex.4. Do. Palm. tex.5. Do.4.post Pasc.tex.3 Dom.2.post Pent.tex.7

D

A

EVANGELIVM DOMINICÆ XIV. POST PENTECOSTEN.

Matt.6. NEMO potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit,& alterum diliget;aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Ideo dico vobis:Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?Respicite volatilia cæli,quoniam non serunt, neque metunt,neque congregant in horrea,& Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?Quis autem vestrum cogitans,potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?Et de vestimento quid soliciti estis?Considerate lilia agri quomodo crescunt:non laborant,neque nent. Dico autem vobis,quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est,& cras in clibanum mittitur,Deus sic vestit;quanto magis vos modicæ fidei! Nolite ergo soliciti esse, dicentes:Quid manducabimus,aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt.Scit enim Pater vester cæleſtis,quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius:& hæc omnia adijcientur vobis. B

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Nemo potest duobus dominis seruire.* De solius Dei cultu, seruitio, & obsequio amplexando.
2. *Aut enim vnum odio habebit,& alterum diliget;aut vnum sustinebit,& alterum contemnet.* De necessario odio diaboli,vt Deum diligas; vel tolerando necessario diabolo, si Deum contemnis. C
3. *Non potestis seruire Deo & Mammonæ.* Contra pestilens & vulgare auaritiæ idolum.
4. *Ideo dico vobis,ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Contra curas & solicitudines huius vitæ,auaris proprias.
5. *Hæc omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester cælestis,quia his omnibus indigetis.* Contra diffidentiam de perpetua Dei prouidentia.
6. *Primum quærite regnum Dei,& iustitiam eius:& hæc omnia adijcientur vobis.* Rerum cælestium & diuinæ voluntatis faciendæ primam curam & solicitudinem esse debere : in cæteris, Deum suis nunquam defuturum.

1. *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Deo soli seruiendũ. LOcus moralis,de solius Dei cultu,seruitute,& obsequio amplexando. Duo enim domini hic significant Deum,& quidquid Deo contrarium est,siue mammona,id est, diuitiarum cupido, vt postea Christus exempli gratia ponit,siue diabolus,siue mundus, eiusque ambitio, siue caro & voluptates eius. Sub his enim dominis duram seruitutem peccatores seruiunt. *Omnis qui facit peccatum,peccati seruus est:& à quo quis deuictus est,huic & seruit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis?* His ergo & Deo pariter seruire,ex his est quæ fieri non possunt. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate?quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi cum Belial?Non potestis mensæ Domini participes esse,& mensæ dæmoniorum.* Quemadmodum impossibile est,vt altero oculo terram,altero cælum simul aspicias:ita fieri non potest, vt Deum,quæque Deo contraria sunt,simul diligas.Samaritani reprobi erant, & à populo Dei segregati,eò quod & Dominum colebant,& pariter diis Assyriorum seruiebant;vnde Christus illis dixit:*Vos adoratis quod nescitis,salus ex Iudæis est.* Deus per Prophetam maledicit eis,*qui iurant in Domino,& iurant in Melchom*,idolo sic dicto. Elias Israelitas grauiter increpat: *Vt quid claudicatis in duas partes?Si Dominus est Deus,sequimini illũ,si autẽ Baal,sequimini illum*: Non fuit datum populo Israel cæleste manna,donec consumpta est farina,quã ex Aegypto secum portauerant:Manẽte seruitute & affectu peccati,Deo seruire non potes,vt eius gratiæ sis particeps. Voluit permittere Pharao Hebræis,vt in Aegypto victimas Deo immolarent.Sed Moyses respondit: *Non potest ita fieri. Abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Deo nostro?* Abominabãtur enim Aegyptij,pastores ouium, & victimas earum. Abominatur diabolus & mundus; ea quæ ad verum Dei cultum.

Ioan.8. 2.Pet.2. Rom.6. 2.Cor.6. 2.Cor.10. *Simile.* *Exemplum* 4.Reg.17. Ioan. 8. Sophon.8. 3.Reg. 18. Exod.14. *Allegoria.* Exod.8. *Typus.*

D

A cultum pertinent, charitatem, humilitatem, paupertatem, patientiam, castitatem, reliquasque virtutes. In Aegypto igitur manens, in diaboli & mundi seruitio positus, Deo seruire, eiq; gratas virtutes exercere non potes. Dicit Scriptura: *Sentite de Deo in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* *Quisquis vult diligere Deum* (ait Augustinus) *& cauere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis posse seruire; & intentionem cordis sui rectam ab omni duplicitate explicet.* Nam, vt alia Scriptura dicit: *Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefactentibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Duplici corde est, & duabus viis ingreditur, qui Deo se seruire profitetur, sibique fortè persuadet, quum interim & male loquatur, & sceleratè viuat, seruiens diabolo. Vna hasta nullus duobus ducibus inseruire potest. Vno pileo nō possunt simul duo capita cooperiri. Vno calceo duo pedes non possunt calceari. Vno corde Deo & diabolo seruire nequis. Non potuit stare idolum Dagon in eodem altari cum Arca Dei. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat; & pallium breue vtrumque operire non potest.* Est quædam species aquilarum quæ venatur in aqua, quæ respectu aliarum, naturæ est multum degeneris; nam & à coruo superatur. Ista autē habet vnum pedem clausum, more anseris, cum quo natat; & alium acutum, more cæterarum aquilarū, cum quo rapit. Tales sunt, qui volunt duobus dominis seruire; Deo, appetendo cælestia; & diabolo, amando terrena. Habent semper cum pede aquilino pedem anserinum, cum affectu spirituali affectum terrenum. Ad vtramque ripā volunt pascere, & hic cum delicios is natare in fluxis forB tunæ bonis; & sursum cum viris spiritualibus euolare, vt prædam cælestem rapiāt. Sed isti degeneres sunt; & à coruo, qui diabolum notare potest, facilè superantur. Sunt etiam similes Hippocentauris, Onocentauris, & Satyris, qui mixtas habent naturas & formas, ex parte vtiles & honestas, ex alia parte deformes & noxias. Ideo pro monstris habentur. Pantherā propter odorem aromaticum, qui ex ore eius egreditur, omnia animalia sequūtur, prēter draconem, qui odorem eius reputat pro veneno; & eius vocem non sustinens, fugit ad cauernam, & in seipso deficit ac torpescit. Deum laudant & amant omnes creaturæ, præter diabolum, & qui ab eo decipiuntur. *Hic est enim draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus.* Sicut ergo Pantheram sequi, & draconi adhærere nullum animal potest: sic Deo & diabolo seruire impossibile est. Hæc magis elucescent, si quid sit seruire Deo, quid diabolo, explicetur. Seruire Deo, homini est proprium, salutare, honorificum: seruire diabolo, alienum ab humana natura, homini sempiternum dedecus, & certum exitium est. Deus est proprius homini Dominus: quia non nisi creato homine, cœpit Deus in Scriptura vocari Dominus; vt sapienter notauit Tertullianus ex illis verbis: *Formauit igitur Dominus Deus hominem.* Est autē Dominus absque præscriptione antiquissimus, quia à principio creationis rerum, atque adeo ipso creationis titulo (quo nullum antiquius) Dominus est rerum omnium, nedum hominum. Est Dominus absque limitatione amplissimus, & , vt C in Scriptura vocatur, *Dominus vniuersorum;* iuxta illud: *Cuncta quæ in cælo sunt & in terra, tua sunt.* Est Dominus absque superiori supremus: *Rex regum, & Dominus dominantium.* *Solus Dominus, & solus Altissimus super omnem terram.* Ex his emergit seruitij & obedientiæ necessitas. Sic in fronte Decalogi præmittitur: *Ego Dominus Deus tuus.* Sic in fine veterum præceptorum frequentissimè additur: *Ego Dominus.* Sic propheticæ passim habēt comminationes: *Dicit Dominus exercituum.* Hinc illæ in Scripturis Dei voces: *Me, inquit Dominus, non timebitis? & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari; præceptum sempiternum quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt; & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperās: recesserunt & abierunt; & non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deū nostrū, qui dat nobis pluuiā temporaneam & serotinā in tempore suo,* &c. Rursum idem Propheta: *Quis non timeat te, ô Rex gentiū! quia tuum est decus. Inter cunctos sapientes gentiū, & in vniuersis regnis eorū nullus est similis tibi.* Sic & per aliū Prophetam: *Filius honorat patrem, & seruus dominū suum. Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Quare non seruire Domino Deo, tot & tam supremis titulis Domino nostro, vt incredibile portentum abominatur Scriptura: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ cæli desolamini vehementer,* id est, decorē omnē vestrum, quem ex me habetis, deponite, luctumq; induite. Sed quare? *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontē aquæ* D *viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Relicto Deo, seruiunt diabolo. Si homo natus fuisset vt dæmonē coleret, minimè mirum videri debeat, si ei seruiat. At natus est homo, vt Deo frueretur: *Nūquid seruus est Israel aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædā?* Sed nūc vide alios dominij diuini titulos, nobis Christianis proprios. Dominus noster Deus est titulo redēptionis, quia populus sumus acquisitionis. *Non sumus subtractionis filij,* seu filij subtracti, *in perditionē; sed fidei,* seu fideles, *in acquisitionem animæ. Empti sumus pretio magno.* Dominus noster est titulo plus quā iustæ cōmutationis, quia non qualitercunq; redemit nos, sed pretio iustissimo. *Nō corruptibilibus auro & argento redempti estis à vana conuersatione vestra, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Adhuc Dominus noster est iure datæ libertatis. Redimūtur enim sæpe ab vnius captiuitate, qui in alterius transeunt. Sed nos sic redēpti sumus à seruitute diaboli & peccati, vt liberi maneamus. Dedit se nobis, *vt sine timore de manu inimicorū nostrorū liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ.* Præterea Dominus noster est titulo iustæ donationis, pactiq; indissolubilis ex parte nostra. *Quotquot enim in Christo baptizati sumus, Christū induimus,* hoc est, nomē ei & fidem dedimus, quod ei adhærebimus, *vt vnus spiritus cū eo, & eū portabimus & glorificabimus in corpore nostro,* sicut duo in carne vna. *Hoc enim Sacramentū magnū est in Christo & in Ecclesia:* in Deo & in anima cre-

Sap. 1. De ser. Do. in monte, li. 2. c. 22. Eccli. 2. Similia. 1. Reg. 5. Esaiæ 28. Plin. nat. hist. li. 10. ca. 3. Simile. Petr. Berchor. Reductor. Mor. li. 7. cap. 2. Idem li. 10 cap. 76. Apoc. 12. Simile. Deus Dominus noster proprius. Lib. contrà Hermogenem. 1. 2. 2. Mach. 14. 1. Paral. 29 Deut. 10. 3. Psal. 82. Leuit. 20. 21. & 22. Ierem. 5. Ierem. 10. Malach. 1. Ierem. 2. Ibidem. 4. Hebr. 10. 1. Cor. 6. 5. 2. Petri 1. 6. Lucæ 1. 7. Galat. 3. 1. Cor. 6. Ephes. 2.

*Psal.*110. dētis baptizati. Sed & absq; his omnib. perpetua gubernatione, prouidētia, misericordia, quotidianis beneficiis, gratiis, donis, multum *misericors & miserator Dominus* est, *escam dans*, id est, omnia tam spiritualia quàm temporalia necessaria submini-A

Seruire Deo quid & quale.

strans *timentibus se*. Sic ergo, & tot modis Dominus noster Deus est. Nunc vide, quid & quale sit, huic tanto & tot modis Domino nostro seruire. Quæ iubet, pauca sunt, & quæ magis exonerant quàm onerant. Si enim nihil iuberet, obligaremur tali ac tanto Domino ad omnia. Nunc certa quædam præcipiens, ab eorum quæ non præcipit, obligatione nos liberat. Iubet seruari mandata, quæ nisi decem sunt; & obedire Ecclesiæ, cuius præcepta tot non sunt. Deinde quæ iubet, nobis ipsis sunt maximè salutaria, non illi vtilia, vt alio in loco ostensum est: ideoque talia, vt etiam eo non iubente, vel solo rationis lumine, vel ex sola fidei gratitudine præstari deberent. Decem mandata humanę etiam leges ex naturæ lumine præcipiunt; Ecclesię præcepta pius & non ingratus fidelis sua sponte,

1.

2.

*Eccl.*6. 3. dictante fide, & vrgente charitate, adimpleret. Hinc Scriptura: *Vincula illius alligatura salutis*. De-

*Matt.*11. *1.Cor.*3. inde quicquid iubet, per Christi gratiam fit facillimum, ipsa dicente Veritate: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Iugum vocat, quia pariter nobiscum illud portat. *Non ego* (ait Paulus) *sed gratia Dei mecum*. Gratia dat vires, vt fiat leue; charitas Dei dat gustum, vt fiat suaue quicquid à Deo præcipitur. Sicut boum ceruicibus iugum imponitur quodam subiecto puluillo, ne excorientur ceruices: ita hominibus Dei lex imponitur, subiecto charitatis puluillo, ne asperum iu-B

Similia.

*1. Cor.*13. gũ fiat. *Charitas enim patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet*. Vestis aspera & rustica, mollibus pellibus suffulta, si superiori facie versus carnem inuersa feratur, intolerabilis est; sed si eo modo quo instituta est, gestetur, pellibus versus carnem positis, mollissima & iucundissima vestis est, propter suffulturam: ita planè Lex mandatorum in substantia operis, & in exteriori eius facie, dura & aspera, si carni proxima ponatur; si iudicio carnis subiiciatur, dura & intolerabilis videtur; & iugum importabile, quod neque nos, neque patres nostri (ait diuus Petrus) portare potuerunt. Cæterum eadem Lex charitate suffulta, & suauissima Christi gratia sociata, si intrinsecus ponatur, & spiritui coniuncta, facilis, suauis, ac iucundissima videbitur, iuxta illud Dauid:

*Act.*15.

*Psal.*118. *Moral. lib.* 15. *c.*20. *Tex.*7. *Do.*1. *Pēt. tex.*1. *Dom. Sept. tex.*7. *Do. Pent. tex.*2. *&* 3 *Do.* 3. *post Pasc. tex.*1. *Simile. Rom.*15. *Lucę* 11. *Matt.*13. *Apoc.*4. *Prou.*16. *Simile.* * *Dom.*1. *Quad. tex.*10. *Do.*12. *post Pent. tex.*3

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum: id est, charitate & dilectione aperuisti. *Mens enim diuinis desideriis inflammata* (ait sanctus Gregorius) *supernis coniungitur, ab inferioribus separatur, amore feruoris sui se aperit, vt capiat, & capiens inflammet*. Sed de hac re vide plura Domin. 4. Aduent. super illa verba: *Erunt prauа in directa, & aspera in vias planas*. Et rursum super illa verba: *Qui diligit me, sermonem meum seruabit*. Rursum suo seruitio & obsequio Deus ampliss ima prędmia repromisit, de quibus vide super illa verba: *Voca operarios, & redde illis mercedem suam*. Item super illa verba: *Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Sed & in hac vita seruientibus ei, maximas & perpetuas consolationes impartit, vt in alia Dominica explicatum est. Sicut enim in splendidis conuiuiis, interim dum cibi parantur, quædam afferuntur bellaria, vt, C illis gustatis, tempus suauiter consumatur, prandiumque libentius expectetur; ita Dominus Deus, antequam ad mensam eius in cælo splendidissimam accumbamus, multis & miris modis suorum corda consolatur, &, vt Paulus ait, *replet omni gaudio, ita vt semper in Domino gaudeant*. His omnibus adde, quod seruire Deo, regnare est. Ideo quos Lucas vocat Reges, dicens, *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis*, &c. hos Matthæus vocat iustos, dicens: *Multi Prophetæ & iusti*, &c. Deinde si iusti coronas habent, iuxta illud, *Mittentes coronas suas ante thronum Dei*; bene sequitur, illos Reges esse. Sanè quia *melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*: qui Deo seruiens, cupiditatibus suis omnibus imperat, quouis Rege terreno glorioſior est. Deinde si Regi terreno seruire, honori ducitur; quomodo Dei seruum, imo amicum esse, maximè non erit honorificum? Atque ex his quidem, quid sit, & quale, Domino Deo seruire, intelligi & explicari ex parte potest. Huc etiam pertinent quæ de Deo super omnia diligendo & colendo iam in aliis* Dominicis deprompta sunt.

Diaboli seruitus.

Nunc quid sit alteri domino, diabolo seruire, vide. Diabolus est dominus intrusus, & vsurpatione propria. *Ascendam ad Aquilonem, & similis ero Altissimo. Princeps & rex est super omnes filios*

1.

Esaiæ 14. *Iob* 41. 2. 3. *Gen.*3. *Iacobi* 4. 4. *Rom.*6. 5. 6. *Apophth. Laert. li.*6. *Q. Curtius* 7.

superbiæ; id est, super superbos omnes. Nullam legitimam, sed omnem vsurpatam potestatem exercet. Deinde fraude & dolo malo in homines dominari cœpit. *Decepit Euam serpens, quum esset callidior cunctis animantibus*. quanquam non tam sua fraude, quã nostra nũc ignauia dominari pergit. Scriptum est enim: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*. Quid, quod ex deditione nostra spõtanea dominium ãccipit, dicente Apostolo: *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis*? Sed nec in nos potestatẽ vllam haberet, nisi propter peccata nostra datũ esset ei desuper, ex permissione diuina, ad nostræ ingratitudinis pœnam, vt in alia Dominica explicatum est. Porro seruitus diaboli vilissima est, quia, qui ei seruit, infinitis cupiditatibus, eisdẽque vilissimis, seruire debet. Alexandro se dominum orbis venditanti, rectè Diogenes respondit: *Tu seruus seruorum meorum es. Illis enim cupiditatibus, quibus ego impero, tu mancipium es*, illis in omnibus morem gerens, & ad eas explendas cælum & terram miscens. Tales cupiditates erãt, ambitio, auaritia, luxus. Sed & eidem Alexandro Brachmannus quidam scripsit: *Quid tibi prodest totius orbis dominũ fieri, qui infimæ & abiectæ rei interim seruias? Inimicos externos subuertis, vt internos foueas ac sustentes*. Dura est diaboli seruitus, quia contraria imperat, cupiditatibus contrariis animã infestans. Superbia enim sumptus ingentes, pompam & fastum postulat. Auaritia sumptus fugit, fordes & tenebras amat. Gula & ebrietas lautas epulas desiderant. Pigritia

D

& otium

A & otium mendicitatem inducunt. Inuidia & odium nec æquos quidem aspectus admittunt. Ambitio tamen, & habendi cupiditas, eisdem, quos odit, adulari & assentari compellit. Sic cõtrarijs vitijs diaboli mancipia torquentur, ideóque duram seruitutem seruiunt. quibus illud Prophetæ applicari potest: *Seruietis dijs alienis die ac nocte, & non dabunt vobis requiem.* Rursũ diaboli seruitus absolutè sumpta, & in singulis obsequijs tota vitiosa, tota molesta, & innumeris difficultatibus plena est, vt in alia Dominica, super illa verba, *Mundus autem gaudebit*, partim explicatum est, partim alia explicationis factæ loca designata sunt. Sed vnus Prophetæ locus satis hoc expressit, vbi dicitur: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Impij enim, ad explendas suas vanitates & voluptates, magno labore, quasi certis funiculis trahunt ad se illas, séque ipsos innumeris malis inuoluunt, & miserijs constringunt. Sicut enim funes nectuntur ex filis paruo sanè labore, sed semel connexi fortiter astringunt: sic peccata facilè admittuntur, sed fortiter ligãt. Et vt fila producendo aç complicando, funes texuntur, quibus variæ res postmodum astringuntur: sic peccata multiplicando, & alterum alteri addendo, fit pessimæ consuetudinis, & nouæ tyrannidis vinculum quasi plaustri, id est, fortissimum, sicut vincula plaustri esse solent. His autem funiculis vanitatis, id est, per repetita peccata ex vanis desiderijs & libidinibus contexta & deducta, trahimus multo labore, magnis curis & molestiis, iniquitatem: vel quia propter vnam libidinem explendam, multa peccata cõmittimus, vt, verbi gratia, propter pretiosum vestitum, aut mensæ apparatum, qui statum & fa-
B cultates nostras excedat, mille fallaciis, fraudibus, mendaciis, iniuriis, rapinis, multo ære alieno illam vanissimam vanitatem comparamus, atque ita iniquitatem trahimus, id est, producimus ac dilatamus egregiè, committendo centum pro vno; vel quia etiam absque specie peccati (si quasi possibile id esset) ad quamuis explendam libidinem, seu turpi amori, seu auaritiæ, seu ambitioni studeas, mille tibi molestiæ, curæ, vexationes subeundæ sunt. HOC est *trahere iniquitatẽ in funiculis vanitatis*, & nostra ipsius ineptia atque insania quærere nobis ipsis malũ, prouocare peccatum, occasionem perditionis accersere. Talis est diaboli seruitus, cui his verbis maledixit Propheta. Postremò diaboli seruitus hanc vnam mercedem reddit, vt seruientes sibi omnes in altera vita, in pœnæ societatem inuoluat; quod alio loco explicatum est; atq; in præsenti vita, perpetua conscientiæ laniena & carnificina excruciet; quod etiam in alia Dominica declaratum est. Sed & mox hac de re plura.

Ierem. 16. 8.

Dõ. 3. post Pasc. text. 1. Esaiæ 5.

9. 10.

2. *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.*

C LOcus moralis, de necessario odio diaboli, vt Deum diligas; vel tolerando necessariò diabolo, si Deum contemnis. Sic hi duo domini cõtrarij sunt, Deus & diabolus; sic vtrique seruire impossibile est: vt planè necesse sit, vel vnum diligendo, alterum odisse; vel vnum contemnendo, alterum vt durum ac pessimum dominum sustinere. Impij diabolum sustinent (nam diligere nequeunt, vtcumque ei officiosissimè seruiant) Dei præcepta, & sanctissimam voluntatem contemnendo. Pij & iusti diabolum odio habent ac detestantur, vt Deum super omnia benedictum purè diligant. Sicut lux in instanti vel habetur, vel amittitur, & non per temporum momenta, quia inter lucem & tenebras nihil est medium, etsi ipsius lucis ac tenebrarum certi sint gradus; sic charitas, & purus Dei amor, quæ est vera lux animæ (*qui enim diligit fratrem suum*, multo magis Deum, *in lumine manet*:) nec infunditur, nec amittitur per partes, sed tota simul, etsi magis ac minùs in alijs atq; alijs intensa sit. Cum minimo enim peccati mortalis affectu, cum minimo diaboli aut operum eius amore stare charitas Dei & proximi non potest. Per quodlibet peccatum mortale à DEO ad diabolum transitur, Deus contemnitur, diabolus qualiscunque dominus sustinetur. Rursum cum minima, sed pura Dei charitate; cum paruo, sed vero odio peccati & operum diaboli, Deus diligitur, diabolus odio habetur. Diabolũ iustus odio habet, id est, nec audire, nec videre ea sustinet quæ diabolus suggerit. Hæc enim sunt signa odij. Si auscultare incipis, & attendere ad ea quæ diabolus suggerit, iam eum amare incipis, odisse desinis. Et vide cur & quantum sit odio habendus diabolus. Primũ est hostis noster capitalis, inimicus homo, aduersarius, vt in alia Dominica latius ostensum est. Deinde sic hostis est, vt omne bonum nostrum impediat, quia *tollit semen verbi Dei*, id est, omne principiũ diuinæ opitulationis præscindit, de quo aliàs dictum est. Rursum omne malum suggerit. Ideo vocatur
D in Scripturis, *tentator*, & *is qui tentat*, & *qui seducit vniuersum orbem*: ipsáque peccata vocantur *opera diaboli*, & *desideria diaboli patris impiorum*. Vide Dominicam 1. Quadragesimæ, text. 3. Porrò ita aliquando violenter suggerit, vt excæcet mentes mortalium, iuxta illud: *Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium*. Deinde fraudulentus hostis est, dicente Apostolo: *Ne circumueniamur à Satana. Nõ enim ignoramus cogitationes eius*. Quod autem blanditiis cœpit, in eos postea violenter dominatur. *Operatur in filijs diffidentiæ princeps potestatis aeris huius. Captiuos tenet suos ad voluntatẽ suam.* Est ille *fortis armatus custodiens atrium suum*. Porrò facta humani generis redemptione, ira & inuidia eius vehementer excreuit, éstque nunc propterea hostis iratus, & cædis cupidissimus. Vnde in Apocalypsi: *Væ terræ & mari*, id est, hominibus terrena sapientibus, & fluxa appetentibus,

Diaboli odium necessarium.

Simile.

1. Ioan. 2.

Odiũ diaboli quale.

1.

Dõ. 5. post Epiphan. text. 3. & 5.

2.

Dõ. Sexag. text. 4.

3.

1. Cor. 7.

Apoc. 12.

Ioan. 8. & 1. Ioan. 3.

4.

2. Cor. 4.

5.

2. Cor. 2.

6.

Ephes. 2.

Apoc. 12.

8. *quia descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Sed nec minus A
1. Pet. 5. assiduus, diligens, & pertinax hostis est. *Circuit tanquam leo rugiens*, veluti famis rabie concitatus, *quærens quem deuoret.* Antiqua hæc illi diligẽtia, & non insueta nostræ perditionis fames. Sic enim
Iob 1. in historia Iob vetustissima loquitur: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Iam verò audacissimus
9. hostis est, *qui ita factus est, vt neminem timeat*, ait S. Iob. Nam & ideo ipsum Redemptorem mundi,
Iob 41. Matth. 4. Christum Dominum, tentare non est veritus. Sed & ita pertinax atque audax hostis est, vt non
10. solum impios, verum etiam pios ipsos & iustos incessanter apud Deum accuset, & aduersus eos Deum, quantum in se est, calumniando irritet. Hinc diabolus proprio vocabulo, id est, calumniator dicitur. Sic sanctum virum Iob falsò apud Deum bis accusauit. Primùm. *Nunquid frustra*
Iob 1. *Iob Deum colit? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersámque substantiã per circuitum? operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet; nisi in faciem benedixerit tibi.* Accusauit vt auarum, & huius mundi amatorem, sed falso. Omnibus enim spoliatus Iob, Deum benedicere non cessauit. Secundò accusat eum vt ho-
Iob 2. minem mollem, suique ipsius magis quàm Dei amantem. *Pellem*, inquit diabolus, *propelle, & cũcta quæ homo habet, dabit pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnẽ, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi*, id est, maledicat. Sed nec sic percussus Iob, à Dei laudibus cessa-
Apoc. 12. uit, aut Deum amare destitit. Sic vocatur in Apocalypsi *accusator fratrum nostrorum, qui accusat illos*
11. *ante conspectum Dei die ac nocte.* Postremò post omnem pugnam, & de miseris peccatoribus victo- B
riam, de ipsis arroganter contra Christum blasphemè insultat. Vide eius verba ex Cypriano &
Dominic. 1 Quadrag. text. 3. Basilio in alia Dominica. Hic est durus & pernicios dominus; quem sustinere compellitur, qui Deum non diligit.

3. *Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

Auaritiæ dolum. LOcus moralis contra pestilens & vulgare auaritiæ idolum. Christus Dominus non contentus sub indefinita & generali propositione dixisse, duobus dominis seruire neminem posse; móxq; ex his dominis diabolum esse alterum insinuasse, qui videlicet omnis ferè peccati auctor & instigator est; adhuc definitè & expressè maledictam auaritiam, & communẽ
Lucæ 16. ferè omnibus diuitiarum cupiditatem in medium adfert, disertè asserens: *Non potestis Deo seruire* C
& mammonæ, hoc est, diuitiis, vt in alio loco: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Seruit di-
Simile. uitijs, & vir diuitiarum non dominus est, quisquis eas vel auarè appetit, vel cupidè retinet. Talis Deo seruire non potest. Sicut terra quæ aurum ex se producit, ad cætera omnia sterilis est, nec herbam, nec fruges, nec arbores fert, sed penitus inculta iacet: sic misera anima auri cupida, & congerendis diuitiis intenta, ad nihil aliud vtilis est, nec Deo, nec Reipublic. nec sibi ipsi, seruire
Radix malorum auaritia. potest. Meritò ab Apostolo vocatur cupiditas diuitiarum φιλαργυρία, *radix omnium malorum.* Nã vt virtute radicis pullulant stipes, rami, frondes, flores, & fructus; sic vitio cupiditatis pullulat pecuniæ amor, seruitus, cultus, Dei contemptus, proximi odium, omnium etiam coniunctissimorum dispectio. *Cupiditas* (ait sanctus Basilius) *est transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fouea scandalorum.* An ergo illi & Deo
Hom. in diuites auaros. seruire poteris? An aliud Apostolus docet? *Qui volunt* (inquit) *diuites fieri, incidunt in tentationem,*
1. Tim. 6. *& laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*
Similia. Sicut radix habet oris officium, quia per eam planta suscipit nutrimentum, sicut animal per os:
1. ita cupiditas & mammonæ seruitus omnibus vitijs nutrimentum præbet, superbiæ, contemptui Dei, odio & immisericordię erga proximum, furtis, rapinis, fraudibus, aliisque sceleribus, quibus
2. comparantur diuitiæ. Rursum sicut per radicem arbor terræ inhæret, & ab ea humorem accipit, quo nutritur; & sicut planta, mediante radice, nutritur terræ humido: sic cor hominis, media-
3. te cupiditate, pascitur terreno lucro, & illo solo cibo delectatur. Sed & sicut arborum & planta-
4. rum radices stercore impinguantur; sic insana auaritia solo stercore diuitiarum satiatur, quan- D
tum satiari potest. Sicut leopardus accepto aliquo in præda veneno, quærit stercus humanum, vt eo venenum extinguat; vnde venatores fimum illum super arborem in vase suspendunt, vt in il-
De cõflict. vit. et virt. cap. 3. lum leopardus intentus dum salit, facilius interficiatur: sic auarus suæ cupiditatis venenum (est enim *charitatis venenum auri cupiditas*, ait S. Augustinus terræ stercore; quod aurum est; & temporali lucro, quod pro stercoribus habuit Apostolus, extinguere & satiare nituntur: ideóque diabolus, animarum venator robustus, hoc fimi genus non nisi in sublimi loco ponit, in excelsis huius mundi dignitatibus: ad quas dum homines intentè aspirant, omnique studio contendũt, eos facilè circa alia occupatos, in barathrum perditionis & interitum perducit, iuxta Apostoli ver-
Psalm. 73. ba modò citata. De auari rapinis & tyrannide conquerens Propheta, ait: *Respice in testamentũ tuũ, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum*, id est, quia impij homines obscuratum in terra cor habentes, pleni sunt habitaculis iniustitiæ, facti sunt diuites, & repleti ex rapinis & in-
Auarus vmbræ cõparatur. iustitijs, quas in nos, populum fœderis & testamenti tui, exercuerunt. Vocat rapaces auaros, ac mammonæ seruientes, *obscuratos terræ*, siue terram obscuram atque vmbrosam, iuxta perpetuam Hebraicam phrasim. Veræ autem auari terræ vmbrosæ, seu vmbræ comparantur: quia sicut vm-
Simile. 1. bra lumen impedit, sic auaritia lumen gratiæ: & sicut vmbra terræ facit eclypsim lunæ, terra

videlicet

A videlicet inter solem & lunam recto diametro interposita: sic terrena ista cupiditas generat ingentem animæ eclypsim, maximas illi tenebras offundit, terreno videlicet amore, & metalli cupiditate inter Deum & animam interposita. Ideo enim amare Deum auarus nō potest, quia magis amat aurum suum. Ideo eleemosynas non facit, ideo nec in pauperes misericors nec in proximos liberalis, nec ad Dei cultum expeditus, in oratione grauis ac stupidus, in meditatione rerum cœlestium vecors & insensatus, in Dei beneficiorum memoria lethargicus est, quia totus in auro suo est, & in mammonæ seruitio veluti in vmbra & spelūca occupatus. Sibi plaudit, dum nummos tacitus contemplatur in arca. Rursum sicut vmbra calorem reprimit, planéque extinguit; calor enim esse non potest quo sol non pertingit: sic auaritia Dei & proximi amorem penitus extinguit. Vnde D. Ioannes: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Præterea sicut vmbra sterilitatem inducit; vix enim aliquid crescit vbi continua est vmbra: sic diuini verbi semina crescere, aut fructum facere in ea anima nō possunt, quam amor & solicitudo diuitiarum semel occupauit, de quo in alia Dominica multa diximus, móxque in textu sequenti plura dicemus. Porrò sicut vmbra est serpentium amica, & colubros nutrit; ita auaritia diabolo est grata, & innumera fouet vitia, animæque serpentes. Denique sicut maturitatem fructuum retardat vmbra; sic dignos pœnitentiæ fructus plurimùm retardat auaritia, maximè si ad restitutionem veniendum est, aut eleemosynis emendanda præscribitur. Postremò sicut vmbra somnum prouocat, idque propter frigiditatem; sic auaritia inducit altum in pietate somnum, facitque ani-

B mum ad opera virtutis penè immobilem. Adeò verum est, deo & mammonæ seruire neminem posse; & quod Apostolus dixit: *quæ societas luci ad tenebras?* Quare vt omnium impiorum, ita maximè auari hominis illa vox est: *Dies mei sicut vmbra transierunt, & ego sicut fœnum arui.* In creatione rerum omnium, solis animantibus terræ Deus non benedixit, magno mysterio insinuans, terrena sapientes, & terræ bonis affixos, à Dei benedictione excidere. Sicuti qui in altissimi montis cacumen conscendere necessariò deberet, ineptissimè faceret, si multa humeris onera imponeret, planéque ostenderet, se nihil minùs cogitare, quàm in montem conscēdere: sic tu Christiane ad cœlestia vocatus, quum tot tibi in terris impedimenta conquiris, & onera multiplicas, planè doces, te de cœlo nec cogitare quidquam, nec curare. Qui mammonæ & diuitijs seruit, ex pauperis Christi phalange exijt; ad alterius ducis, qui princeps est huius mundi, castra defecit. De Christo dicitur: *Deposuit potentes de sede, & diuites dimisit inanes.* Inexorabilis pugna est inter Christum & potentes auaros. Vtrique seruire non potes. *Hæc enim terrena & superflua* (vt sapienter scripsit Augustinus) *arctiùs adepta quàm concupita constringunt. Vnde ille dives tristis decessit, cū à Christo consilium euangelicum audiret. Aliud est enim nolle incorporare quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere. Illa velut cibi repudiantur, ista velut membra præciduntur.* Hæc ille. Sed & facilius est à cibis superfluis abstinere, quàm sumptos euomere. Difficiliùs ergo Deo seruit, qui collectis iam diuitijs auarè incubat, quàm qui nondū adeptas concupiscit. Isti sunt similes formicis Indicis, quæ

C aurum custodire dicuntur, & pro eo conseruando contra homines bellum gerere, etsi eo non vtantur. Quales etiam gryphes esse dicuntur, qui custodiunt montes, in quibus gemmæ pretiosæ inueniuntur. Monet nos Scriptura: *Noli anxius esse in diuitijs iniustis*, id est, quæ iniustitiæ causa sunt. *Non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ.* Quod alijs verbis dixit Dauid: *Dives cū interierit* (hic est dies tenebrarum & vindictæ) *non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius.* Sicut enim simia, quæ duos habet fœtus, filium quem magis diligit, in brachijs portat, alium verò in humeris gestat; sed quando fugiendi necessitas instat, dilectum filium dimittere cogitur, ab alio autem quem humeris gestat impedita, eiúsque pondere pressa, facilius à venatore capitur: sic homo auarus pro filio dilecto mundū eiúsq; diuitias habet; spiritum verò, & meliorē sui partem ita neglectam gerit, vt quasi à tergo eā portet: vnde ita portatus ac neglectus spiritus multis necessarijs peccatis oneratur. Morte igitur accedente, quæ ex hac vita in alteram fugere compellit mundus eiúsque diuitiæ dilectæ necessariò relinquuntur: spiritus homini adhæret innumeris peccatis onustus, quem ideo ad cœlum euolare non valentem venatores dæmones ad prædam illo tunc momento attentissimi (vt in alia Dominica explicatum est) miserè rapiunt. Nauis preciosis mercibus onusta, in pleno mari vento secundo velificans, iucundissimum est domino spectaculum. At in portum vbi appulit, velis detractis, mercibus omnibus in terrā expositis, sola illa in aquis consistit, ex pristino splendore & opulentia nihil nisi fæces & sordes, & immunditias varias, ex ijs quæ gestauit, contractas secum retinet. Sic auarus plenus diuitijs in hoc mundo, sibi secundo vento nauigare & triumphare videtur. Sub mortis horam, omnibus quæ collegit in terra relictis, ille cum suis peccatis & sordibus nudus manet. Adeò *nihil diuitiæ*

D *proderunt in die obductionis & vindictæ*, vt scripsit Sapiens. Parum est eas nihil prodesse contra iram Dei, aut mitigationem pœnæ peccatis debitæ, si etiam vehementer non nocerent, animæque salutem penitus non vastarēt. Imperator Traianus thesaurum principum cum liene comparabat. *Vt enim crescente liene reliqui artus tabescunt; sic crescente fisco tyranni, debilitantur facultates subditorum*, quum eas ille diripiat, vt suas augeat. Sed & eodem modo auaritia quæuis lieni comparatur. Nam vt eo in corpore crescente, alia membra decrescunt; sic crescente auaritia, deficiunt penitus virtutes, arescit benignitas, friget charitas, dormit iustitia, negligitur veritas. Sicut Iudæi aurum & argentum, quod singulari Dei beneficio ab Ægyptijs, quū egrederentur, acceperunt, ad vitulum aureum fabricandum impiè conuerterunt: sic homines auari bona huius mundi,

Simile. 2.
1. *Ioan.* 2.
Dom. Sex. text. 6.
3.
4.
5.
2. *Cor.* 6.
Psalm. 101
Allegoria.
Simile.
Auaritia Christi hostis.
Epist. 34.
Ioan. à S. Geminiano lib. 5. *c.* 10.
Idem lib. 4 *cap.* 9.
Eccli 5.
Psalm. 48.
Simile.
Isidor. libr. 12. *etymol.*
Dō. Pent. text. vlt.
Simile.
Sextus Aurelius in vita Iuliani.
Apophthe.
Simile.
Exemplū. Exodi 32.

Dei beneficio ipsis ad vsum legitimum ac dispensationem liberalem concessa, in auaritiæ ido- A
Oseæ 2. lum impiè conuertunt. De hoc conqueritur apud Prophetam Deus: *Argentum multiplicaui & aurum, quæ fecerunt Baal.* Quod enim Iudæi in deserto, idem postea Israëlitæ in terra promissionis fecerunt: diuitias sibi concessas, in idola verterũt. Appositè Chilo Lacedæmonius dixit, *Id quod*
Apophth. Plutarc. in Græc. *Lydius lapis est auro, hoc esse aurum homini.* Nam vt lapis Lydius suo affrictu prodit quale sit aurum; sic aurum prodit qualis sit homo. Si auro rectè, prudenter, liberaliter vtitur, vt bonus dispensator, mercedem à Deo accipiet. Si auarè retinet, seruiens ei, eiúsque cupiditate & amore captus, Deo seruire non potest, ad diaboli seruitium transit, tandem cum eo pœnam subiturus.
Apophth.
Auaris enim, pecuniæ suæ seruientibus, eleemosynas facere nolentibus, dicetur in extremo iu-
Matth. 25. dicio: *Esurijui, & non dedistis mihi manducare*, &c. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo*
Simile. *& angelis eius.* Quemadmodum quæ naturæ in cibum non conueniunt, manducantur tamẽ, adeo non prosunt, vt interitum afferant, veluti si quis ligna, lapides, sulphur, ignem, comederet: sic quæ animæ proprius cibus non sunt, nec ad æternitatem alunt, animo tamen concupiscuntur, & amantur, & toto affectu vel quæruntur, vel possidentur, veluti diuitiæ, opes, pecuniæ; adeò animam non pascunt, vt sempiternum illi exitium machinentur. *Melius est modicum*
Psalm. 36. *iusto super diuitias peccatorum multas.* Si potuit Crates Thebanus, homo sine Deo in hoc mundo,
Laert. l. 6. suas diuitias, quas amplas habebat, in altum maris gurgitem profundere, dicens, *Abite pessũ malæ*
Exemplũ. Apophth. *cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis*; quia à Diogene didicerat, se cum illis diuitijs B
philosophari & virtutem colere non potuisse: pudebit profectò Christianos, quando cum amore & seruitute diuitiarum Deo seruire, & frui se non posse, Christo docente didicerint, quòd eas à se via aliqua honesta & pia non abdicant; ne, illis auarè retentis, in barathrum propter il-
Homil. 22. in Matth. las præcipitentur. *Auaritia enim hominis mentem quasi arcem possidet*, ait Chrysost. *vnde per dies singulos, præcepta eis plena iniquitatis imponit; nec est omnino aliquis qui non obediat imperãti. Noli igitur ex superfluo argumentari. Semel enim pronunciauit hoc Deus, impossibile esse dicens, Deo seruire & mammonæ. Ne ergò tu dixeris hoc esse possibile. Quando enim te vnus Dominus etiam proprijs exui iubet, alter verò etiam aliena diripere: quando ille te iubet omnia despicere, alter verò inhærere atque inhiare præsentibus*: quando ille ad eleemosynas, ad liberalitatem, ad æquitatem hortatur ac iubet; alter verò parsimoniam indicit,
Dom. Sex. tex. 6. loco 2 Dominic. 1 Quadrag. text. 8. & iniustitias audacter perpetrat: *Ista duo tam contraria, quomodo tandem poterunt conuenire?* Vide de hoc argumento plura in aliis Dominicis præcedentibus.

C

Dõ. 2. post Pẽt. tex. 5.

4. *Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.*

Solicitudo vitæ. LOcus moralis contra curas & solicitudines huius vitæ, hominibus auaris proprias. Christus Dominus, cum in hoc Euangelio contra auaritiam, & amorẽ huius mundi totus esse vellet, eámque ex auditorum suorum animis penitus extirpare, postquam dixisset, fieri non posse, vt auarus qui est, idem Dei seruus existat; remedium nunc huius insanæ cupiditatis docet, iubens omnem rerum etiam necessariarũ, quanto magis superfluarum, solicitudinẽ, cu-
1. ram, & anxium amorem deponere: quod etiam postea multis argumentis suadet. Primũ à maiori ad minus. *Nonne anima plus est quam esca?* Qui ergo animam dedit, & vitæ spiritũ subministrauit, alimentum vitæ necessarium non dabit? Absurdum hoc, & Deo indignum fuerit. Secundò,
2. ab exemplo aliarum creaturarum. *Respicite volatilia cæli, & lilia agri.* Illa pascuntur, hæc vestiũtur
3. absque vlla cura & solicitudine. *Nonne vos magis pluris estis illis?* Tertiò, quia hæc solicitudo nihil ad rem facit; nec illa necessitatibus nostris subueniet, sed mœrorem augebit. *Quis vestrum cogi-*
4. *tans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* Quartò, quia diffidentiæ & infidelitatis scelus hoc est, vel diuinæ prouidentiæ non se committere, vel suam solicitudinem ei anteponere. *Hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Ad infidelitatem gentilitiam, quæ Deum ignorat, hæc solicitudo D
5. pertinet. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Eius prouidentia nec ignara est, nec dormit. Ad eam fidei oculos coniicere oportet. Quintò, quia serui Dei est, in Dei cultu atque obsequio primam suam curam, totãque solicitudinem ponere, reliqua ex Dei liberalitate expectare. *Primum ergo quærite regnum Dei*, &c. *& hæc omnia adijcientur vobis*: ex Dei scilicet liberalitate. In
Partitio loci. huius loci explicatione, quem ita diligenter Christus Dominus tractare voluit, videndum primò, quis sit huius præcepti sensus, & quantum valeat. Posteà, quàm fit hoc & salutare & necessarium præceptum. Sensus verborum ex Christi illatione aduerti potest. Quia nemo potest Deo
Solicitudo quatenus & quæ prohibetur. & mammonæ seruire, ideo dico vobis, *Ne soliciti sitis*: id est, ne sic soliciti, vt per solicitudinem vestram seruire mammonæ videamini. Ille autem per solicitudinem seruit, siue Deo, siue mãmonæ, qui ad ei seruiendum anxius est, qui in eo, de quo solicitus est, confidit, qui eius rei primariam curam habet. Hæc tria in Dei seruitio laudabilia sunt, in seruitio mammonæ partim impia, partim noxia. Et hæc tria in rationibus suis inductis Christus tangit. Impium est sic de mammona, atque adeò de huius vitæ necessarijs (prætextu quorum mammonæ seruitur) solicitum esse, vt in illa tua solicitudine confidas, quia in solo Deo confidendum est. Impium est, primariam curam in temporalibus acquirendis collocare, quia primum quærite regnum Dei. Noxiũ est, &

A est, & certa pestis animæ, circa temporalia, & huius vitæ etiam necessaria, multo magis superflua, solicitum & anxium esse. *Vult Deus hoc præcepto* (ait D. Basilius) *non esse nos nimium solicitos, sed quòd confidamus in Domino.* Rursum: *Labor exercendus est, solicitudo tollenda*, ait D. Hieronymus. *Non hic reprehenditur nisi nimia solicitudo*, ait D. Augustinus. *Non dixit quia seminare non debeas, sed quia solicitus hinc atque anxius esse non debes. Nec ait, non oportet operari, sed quia pusillanimem esse nõ oportet, & curarum angore distendi.* Et in opere imperfecto in Matthæum: *Dixit Deus primo parenti; In sudore vultus tui comedes panem tuum; non dixit, in solicitudine & cura. Ergo non solicitudine spiritus, sed labore corporis acquirendus est panis.* Damnat igitur solicitudinem anxiam & inquietam circa temporalia. Hæc enim suffocat affectum spiritualium, iuxta illud in alio Euangelio: *A solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus huius vitæ euntes, suffocantur.* Quem locum latè tractauimus in alia Dominica. Damnat solicitudinem, quæ diuinæ prouidentiæ diffidat. Appositè sanctus Chrysostomus: *Quam tu opinaris causam tibi esse curandi, hanc ego idoneam esse dico, quæ te ab omni liberet intentione curarum. Si enim dixeris, Propterea me oportet esse solicitum, quia sunt necessaria; ego è regione respondeo; Propterea non oportet esse solicitum, quia sunt vtique necessaria. Si enim essent superflua, non deberes de eorum præstatione considere. Nunc verò, quia necessaria sunt, prorsus non oportet ambigere.* Hæc est vis verborũ Christi. Hanc ille solicitudinem prohibet, non primariam tantùm, sed simpliciter circa temporalia, quia & noxia est, suffocans spiritualium rerum amorem; & superflua, quia cogitando & solicitudinem adhibendo nihil proficimus; & impietatis speciem habet, quia cùm quadam erga Deũ
B diffidentia coniuncta est. Labor, & prouidentia rerum temporalium necessaria non prohibetur; sed solicitudo, &, quæ illi comes est, ex parte Dei diffidentia, ex parte nostra cõfidentia. In sua enim cura, prouidentia, solicitudine, confidunt auari, & seculi amatores, diuinæ prouidentiæ diffidunt. De prouidentia necessaria Paulus dicit: *Qui domesticorum curam non habet, infidelis est.* Sed dicit: προνοεῖ, non μεριμνᾷ, quo verbo Christus hic vtitur. Curam habere & prospicere rebus necessarijs, laudabile ac necessarium est. Solicitum esse vetat Christus. Est quippe μεριμνᾶ solicitudo, quædam cum cogitatione ægritudo, & anxietas; & hanc vim illa vox habet. Vtitur illo verbo Paulus dicens: *Mulier nupta solicita est quomodo placeat viro; innupta quomodo placeat Deo.* Nec ibi solicitudinem nuptæ laudat Apostolus: vnde quidam inferunt, de liberis quoque solicitos esse posse parentes, & de rebus necessarijs solicitum esse quemque posse, quia & Paulus circa eleemosynas, & collectas pauperum faciendas, *solicitum se fuisse* scribit (*quod etiam* (inquit) *solicitus fui seruare*) sed hanc viri & vxoris solicitudinem narrat Paulus, vt rem molestam, & nuptijs consequentem, non vt laudabilem. Hæc enim vna causa est, cur à nuptijs dehortetur, & virginitatem anteponat. Diuus Paulus verò ad Galatas non vtitur verbo; μεριμνάω, sed σπουδάζω. Ait enim, ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι: quod etiam studui facere. Prorsus igitur solicitudinem, & animi anxietatem, curámque vehementem & intensam circa tẽporalia, in quãtum talia, prohibet Christus, vt rem homine Christiano, qui spem suam ponere debet in Deo,
C indignam, & vt spiritualium amori & desiderio planè noxiam. Quod nunc secundo loco explicandum est, vt, quàm sit hoc præceptum salutare, intelligatur.

Interrogat. 207. *In com. hic.* *De Ser. Dom. in monte. lib. 2. cap 26.* *Homil. 22. in Matth.* *Homil. 16. Lucæ 8.* *Dominica Sexag. tex. 6.* *Homil. 23. in Matth.* 1. 2. 3. 1. Tim. 5. 1. Cor. 7. *Paulus à Palat. in Mat. 6.* *Galat. 2.*

Ait Christus in alio Euangelio: *Attendite vobis ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.* Vnam causam repentini & non exspectati iudicij extremi, vnam causam obliuionis Dei & iudiciorum eius, vnam causam neglectæ salutis ponit Christus, *grauari corda curis huius vitæ.* Vtitur Christus verbo μεριμναις βιωτικαῖς, solicitudinibus circa hanc vitam, sicut in præsenti Euangelio. Dicit hac solicitudine sic grauari cor hominis, vt alterius vitæ memoriam habere, vt spiritus curam tenere, vt de extremo iudicio cogitare, nec vacet, nec libeat, nec possit. Ideo subdit statim Christus: *Tanquam laqueus enim superueniet in omnes* (scilicet dies illa) *qui sedent super faciem omnis terræ*, id est, qui terrenis rebus inhærent, qui sedent affixi illis, qui soliciti tenentur & occupantur circa illa. Neque enim nullus erit iustus in terra, qui eius iudicij memoriam habebit, illúdque expectabit. Sed *sedere super faciẽ terræ* dicuntur, quorum corda grauantur; & deorsum semper in terram flectuntur ac deprimũtur solicitudine, cura, & pondere rerum terrenarum, quibus affixi sunt, soliciti semper quid comedant, quo vestiantur, quomodo diteścant, & illustres in seculo fiant. Ideo Christus in hoc Euangelio solicitudinem omnem rerum temporalium à mentibus nostris longissimè abarcere, & profligare vult: ne, quod alibi monet, hac solicitudine grauentur corda: grauata, iudiciorũ Dei non recordentur; non recordando, tanquam laqueo ab illis capiantur. Sicut cœli machina cum terræ globo nulla vnquam arte coniungi potest; ita nec terrenarum rerum ac cœlestium solicitudo, & (qui solicitudinis causa est) amor simul habitare poterit. Amoris & affectuum no-
D strorum certa & finita proportio est. Quum enim omnium actionum nostrarum fons sit ipsa voluntas, fit in eius affectibus quod in fontis riuulis. Quemadmodum enim si vnum tantùm cursum fons teneat, pleno alueo fluit, sed si in varios canales se diffundit, in singulis minor est: sic si voluntatem in sola rerum cœlestium solicitudine, amore, affectu contineas, toto impetu eò feretur. Sin verò eam in terrena ista distribuas, vt partem quidem vestium, partem ciborum cura, partem pecuniæ, partem honores; partem voluptates habeant, tum in singulis minor erit, tum à rebus cœlestibus, quæ cum illis omnibus nullam affinitatem habet, quàm longissimè se abstrahet. Monet Paulus regeneratos in Christo: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt quærite, non quæ sunt super terram.* Nec

Lucæ 21. *Solicitudo quare prohibeatur.* *Similium congeries.* 1. 2. *Coloss. 3.* 3.

ſapere, nec quærere, id eſt, nec affici, nec ſolicitum eſſe circa res terrenas Chriſtianus debet. A Quemadmodum arboris truncus terræ adhærens, radicem ſuam vndequaque in terra diffundit; & varios quaſi cuniculos agens, in multa ſe brachia diuidit, quæ terræ viſceribus abnaſcuntur: ſic hominis circa terrena ſolliciti animus in curas huius vitæ, & ſolicitudines innumeras diſpergitur, eiſque tenaciſſimè adhæret. Eleganter S. Auguſt. *Amor rerum terrenarum, eſt viſcus ſpiritualium pennarum.* Sicut enim tinea veſtem, & vermiculus lignum corrodit atque conſumit, ex quibus tamen orta & enata ſunt: ſic planè curæ huius vitæ, quæ animum terrenum vehementer affligunt & angunt, ex praua animi concupiſcentia oriuntur, ipſámque demum animam & hominem perdunt atque conſumunt.

Serm. 33. de verb. Dom. 4.

Solicitudo noxia tribus modis.

Eſt autem hæc ſolicitudo rerum temporalium animæ vehementer noxia tribus modis. Primò, quia mentis lumen offuſcat. Secundò, quia ad pietatem multum difficultatis adfert. Tertiò, quia animum paulatim enecat atque conſumit. Quod ad primum attinet, *quemadmodũ oculus iſte corporeus* (ait D. Baſilius) *continuo circumactu verſatus, & nunc horſum atque illorſum deflexus, nunc ſurſum deorſumque erectus, viciſſim ac depreſſus exactè cernere nequit, ſed obtutu incumbere in rem viſam eum oportet, qui perſpicuè contemplari vult: ſic humana mens ſexcentis mundi curis diſtracta, euidenter cernere veritatem vix vnquam poterit.* Nempe fit tunc in mente humana, quod in ſera accidit diſtorta, cuius videlicet dentes & receptacula caſu aliquo in obliquum conuerſa ſunt. Nam vt in tali ſera, propter turbata receptacula, clauis inſerta tunc claudit, quando aperire deberet; & tunc B aperit, quando claudere oporteret; omniáque in contrarium vertuntur: ſic planè animus humanus curis rerum humanarum afflictus & impeditus, totúſque turbatus atque diſtractus, rationem quidem, quæ clauis actionum eſt, aliquouſque intromittit & audit; cæterùm ſenſibiliũ amore captus, & affectibus animi deordinatis, nec eam totam, vt oportet, admittit, nec ſalutaribus monitis acquieſcit; ſed tunc claudit, quum aperire deberet; tunc aperit, quando claudere oporteret: Deo claudit, mundo aperit; cœleſtia reiicit, terrena recipit; eáque toto ſtudio, & conatu proſequitur. Sicut enim oculi læſi, debiles, & luſci in locis vmbraticis & obſcuris clariùs vident quàm in rutilante ſole; ſic oculi mentis curis huius vitæ & ſolicitudinibus affecti & occupati, læſos intuitus habent, peſſimè vident; non niſi obſcura & caliginoſa cernunt, nõ niſi vana, caduca, & noxia appetunt; ad Deum ſe & diuina attollere nequeunt. *Nam vt ſpeculũ* (ait S. Baſilius) *ſi pollutum eſt, imaginum impreſſiones recipere non poteſt; ſic nec anima ſecularibus occupata curis, illuminationis Spiritus ſancti capax eſſe valebit.* Imitanda igitur nobis hac in re venatorum induſtria atque ſolertia. Illi enim, vt canis venatici olfactum purum atque integrum ſeruent, & C peculiari tantùm officio idoneum reddant, acriúſque & certius feræ veſtigijs inhærere faciant, nullo modo ſinunt eum aberrare, & quemlibet odorem perſequi; ſed loris reſtringunt, reuocántque, vt prædam tantùm propoſitam perſequatur. Idem & aucupes faciunt, quum accipitris caput capitio velant, nec vagari oculis ſinunt, donec ad prædæ capiendæ locum ac tempus veniatur; vt videlicet ad ſolam prędam intentus reddatur, & ne aliis conſpectis, quæ naturaliter appetit, ad illa conſequenda vim ſibi faciat, euolare contendat, & perſequi ſtudeat. Idem nobis faciendum eſt. In Dei amore, rerúmque diuinarum cura & ſolicitudine animus continendus, nec ad huius vitæ & ſeculi curas, ſolicitudines, affectus anxios, diuagari permittendus. Propria animi humani præda cœlum eſt. Hoc appetere, de hoc ſolicitum eſſe, hoc per vim rapere, huc omnem curam & ſolicitudinem conuertere oportet. Si in alia excurrit, huius prædæ odorem & conſpectum amittet. Si de temporalibus ſolicitus eſt, cæleſtia non curabit.

Epiſt. 1.

Hector intus, dialog. par. 2. dial. 1. cap. 9.

Ibid. dial. 1 cap. 10.

Epiſt. 64.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11. Sicut vigilia oculos corporis grauat, in ſomnum declinans; ſic ſolicitudo temporalium grauat oculos mentis, in terrena deprimens. Sicut vigilia viſum hebetat, dolorem capitis generat, corpus ipſum debilitat & eneruat; ſic ſolicitudo temporalis hebetat viſum contemplationis ſpiritualis, turbationem mentis inducit, iuxta illud Chriſti ad Martham: *Solicita es, & turbaris erga plurima*: & totius animæ virtutem eneruat. Nam ſicut mola in gyro ducta, triticum comminuit, & à ſe proiicit in farinam redactum; ſic mundi actio, dum multas curas colligit, humanas mentes quaſi per gyrum vertit, atque ex ſe velut farinam proiicit; quia agitato corde, minutiſſimas & infinitas cogitationes gignit, iuxta illud Salomonis: *Fecit Deus hominem rectum*, & ad cœleſtia appetenda ſtabilem & erectum: *ipſe autem infinitis ſe miſcuit quæſtionibus*, id eſt, multis ſe & innumeris curis inuoluit, turbatus erga plurima, cum vnum tantùm eſſet neceſſarium. Ad ſecũdum quod attinet, maximam ad virtutum opera difficultatem hæc ſolicitudo adfert; ideóque eam qui admittit, Deo ſeruire non poteſt. Quemadmodum enim, quod vno tantùm ſimplici nodo conſtrictum eſt, facilè diſſoluitur (nodus enim ſimplex vnico attractu aperitur:) quod autem pluribus & circumflexis nodis (quos cœcos vocant) conſtringitur & alligatur, non niſi difficillimè, multóq; labore & ſudore diſſoluitur, ita vt vngues, atq; etiam dentes interdũ adhibere oporteat, adeóq; ad Gordium nodum diſſoluendum Alexandri gladio opus fuerit: ſic omnino animus ille, qui vnico tantùm diuini amoris nodo ac vinculo omnibus rebus creatis aſtringitur, nec niſi in ordine ad vnum Deum illis afficitur, facilè & nullo negotio pietatem colet, nec vnquam propter earum amorem Dei leges violabit; quia propoſita aliqua rerũ creatarũ vel honeſta neceſſitate, vel voluptate inhoneſta, quũ nec illa appetat, niſi in ordine ad Deũ, nec hanc admittat, quia contra Dei amorem eſt, vno hoc ſimplici attractu, vna hac ſimplici diuini amoris & honoris conſideratione pietatem non deſerit, tentationem reiicit. At verò qui

Luc. 10.

Eccli 7.

pluribus

A pluribus nodis creaturis se astrinxit, nec in ordine ad Deum, sed inordinatè per varias & diuersas cupiditates erga illas afficitur, ideoque varijs & diuersis curis ac solicitudinibus illas persequitur, & adipisci contendit; profectò iste vel difficillimè, vel vix vnquam pietatem colet. Toto enim impetu, & cursu dum in id fertur quod amat, vel Deum illis rebus contrarium amare non potest; vel Deum, & diuina illis rebus excelsiora, nisi difficillimè quæret, & vt difficultate careat, omnino non quæret. *Quemadmodum enim sol est quidem clarus* (ait S. Chrysostomus) *& in medium cunctis propositus, & non habemus opus eum quærere; si verò nosmetipsos in terram defoderimus, & vndique adumbrauerimus, multum laborandum est vt solem videamus: sic, si in curis rerum secularium defoderimus nosmetipsos, & totos implicauerimus, vix poterimus oculos aperire, & lumen gratiæ, quod omnibus exponitur, animo intueri.* Hæc ille. Sic ingentem ad pietatis opera difficultatem inducit hæc tẽporalium solicitudo: quod in Dominica Sexagesimæ pluribus explicatum, vide circa illud Christi: *A solicitudinibus & diuitijs suffocantur.* Ad tertium quod attinet, solicitudo rerum temporaliũ ipsã animam paulatim enecat, & ad cælestia appetenda prorsus ineptam reddit. Quemadmodũ enim hedera, quum ex seipsa radicem & ortum accipiat, eo tamen modo crescit & surgit, vt arborem vicinam arctissimè complectatur, eámq; complexa, eius ope & fulcimento in altum se attollat; cæterùm ipsam postea arborem ita suo complexu stringit, & constrictam tenet, vt ampliùs succum admittere, aẽ germinare nequeat, ideóq; suffocato quasi spiritu emori necesse habeat: eo-
B dem planè modo cura & solicitudo rerum terrenarum, animam ipsam, cuius opera & industria in terrenis conquirendis vtitur, ita postea obruit, & totam irretitam tenet, vt planè suffocata & aggrauata, ad cœlestia aspirare nequeat. Quare curis huius seculi animum immergere, & ad Deum eum simul attollere velle, tam est impossibile, quàm cum ratione insanire. Nam vt mentis compos non est, nec rationis vsum tenere potest qui insanit; sic animum quoad cœlestium amorem prorsus enecauit, qui eum res terrenas deperire, & earum cura & amore insanire permisit. Sicut vigilia corpus desiccat, & calorem generat vel auget; sic rerum temporaliũ solicitudo animum humore pietatis euacuat, aridum reddit, & insipidum circa cælestia, amorem verò & æstum cupiditatis vel generat, vel inflammat vehementer. Sicut qui oleum aqua permiscet atq; confundit, vtrúmq; destruit, quum eadem separata suam & pulchritudinem, & naturam conseruent; oleum enim aquæ supernatat & fulget, aqua suam puritatẽ limpida retinet: sic qui curis huius vitæ & solicitudine distinetur, simúlque Deo seruire se posse arbitratur; circa neutrum rectè se gerit, sed tam Dei cultum quàm temporalium vsum destruit. Cæterùm si rebus terrenis iusto quidem & necessario labore ac prouidentia, sed absque solicitudine, absq; ánimi anxietate incumbat, mẽtem Deo, rebúsq; diuinis fruendis liberã semper seruet, in vtrisque se rectè & fæliciter geret. Diuinarum rerum amor, cura, solicitudo, sicut oleũ, omnibus eius
C actionibus supernatabit, atque fulgebit, quia non nisi in ordine ad Deum rebus omnibus vtetur. Imò oleum diuini amoris ipsos necessarios labores vehemẽter leniet, faciléque & suaues reddet. Ipsæ verò res terrenæ, comedere, bibere, mercari, possidere, magistratum gerere, & quæcunque huius vitæ actiones aliæ, suam honestatem seruabunt, cor & animum possidentis, laborantis, vtentis hoc mundo non grauabunt. Vide plura in Dominica Sexagesimæ, textu 6. loco 1. & 2.

14. Homil. 22. in epist. ad Hebr.

15. Hect. pintus, dialog. par. 1. dial. 6. cap. 4.

16.

17.

18.

5. *Hæc omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis.*

LOcus moralis contra diffidentiam circa perpetuam Dei prouidentiã. Docet Christus solicitudinem illam & animi anxietatem circa temporalia adipiscenda, maximè necessaria, infidelis cuiusdam esse diffidentiæ signũ, & quasi negatæ prouidentiæ Dei argumentum. Quemadmodum enim ingens filijfamilias solicitudo & cura circa res domesticas, ipsius patrisfamilias negligentiam & incuriam coarguit, cui diffidens filius sua diligentia mederi vult: sic
D planè qui in temporalibus conquirendis solicitudinem exercent, & curis huius vitæ anxiè distinentur, Dei prouidentiam tacitè accusant, quasi ille suorum curam non haberet. Adhibenda est rebus necessarijs humana industria, sed non in ea confidendum, verùm in Dei bonitate, & prouidentia tota fiducia collocanda est. Iudæi, vt terram promissionis ingrederentur, pugnauerunt quidem, & armata manu Chananæos eiecerunt. Tamen Dei erat victoria, non illorum. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos; sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.* Dauid Rex bellator erat fortissimus. Dicit tamen in eodem Psalmo: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgẽtes in nobis. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Saluasti enim nos* (tu Domine) *de affligentibus nos, & odientes nos confudisti.* Vir fortissimus Iudas Machabæus, tota ratione rei militaris constituta concludit, *Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiet.* Docet Christus, ad Dei prouidentiam omnia studia, & conatus nostros esse referenda, & non ex nobis ipsis, nostrisq; mediis pendere. Sic Paulus: *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, non sperare in incerto diuitiarũ, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendũ.* Sic & D. Iacobus: *Ecce nũc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus:*

Diffidẽtia in Deum.

Simile.

Exempla. 1. *Psalm. 43.* 2.

3. 1. *Machab. 3.*

1. *Tim. 6.* *Iacobi 4.*

pro eo vt dicatis, Si Dominus voluerit: &, Si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem exultatis in superbijs vestris. Talis erat stultus ille diues, quem Christus in parabola inducit dicentem: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare.* Cui statim dicitur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Quæ autem collegisti, cuius erunt?* Certè nec tua, nec eorum, quibus ea fortè reposuisti. Quare contra hanc impiam de bonis huius sæculi confidentiam, addidit ibi Christus: *Videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquã vita eius est, ex hĩs quæ possidet.* Tollere Christus vult omnem pecuniæ affectum, omnem in ea stultam & impiã confidentiam. Hoc enim maximè nomine *idolorum seruitus auaritia* ab Apostolo vocatur, quia in suis pecunijs stulti homines confidunt, non in Deo. Quare cũ alibi dixisset, *Sint mores sine auaritia contenti præsentibus*: adiecit, *Ipse enim dixit, Non te deseram neque derelinquam.* Sic aliæ docent Scripturæ, non in diuitiis, non in prudentia, nõ in solertia, industria, solicitudine nostra, sed in sola Dei benedictione fiduciam ponendam esse. *Omnem solicitudinem vestram* (ait D. Petrus) *proijcientes in eũ, quoniam ipsi est cura de vobis. Noli laborare vt diteris* (ait Salomon) *sed prudentiæ tuæ pone modũ.* Sic Ecclesiasticus: *Est homo laborans & festinans, & tanto magis non abundans. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit illum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius.* Dicũt auari, & prudentes huius seculi: De futuro prospiciendum est. Nescis quid serus vesper aduehat. Quibus respondet sanctus Basilius: *Non ergo Dominus tibi præceptor erit, nec Euangelium formam vitæ dabit, sed tu tibi ipse iura dices ac statues. Proh: huit enim ille tibi, ne solicitus esses in crastinum.* Et paulò pòst: *Etsi incerta sit (vt ais) tua futura necessitas, longè tamen incertior est defossi & reconditi thesauri tui vsus: nec tamen pœna incerta, sed certissima, quæ tuorũ morũ manet inhumanitatem,* atque in Deum diffidentiam. Cõtra hos diuites auaros, & huius seculi prudentes, confidentes in thesauris suis, clamat Propheta Amos: *Væ qui opulenti estis in Sion, & cõfiditis in monte Samariæ. Iurauit Dominus Deus in anima sua: Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi.* Et paulò pòst causam reddens, ait: *Qui lætamini in nihilo, & dicitis: Nunquid non in fortitudine nostra assũpsimus nobis cornua?* Omne robur humanum, rem nihili vocat Propheta. Confidentiã in potentia & brachio humano, detestatur Deus. *Beatus vir, qui inuentus est sine macula,* sine diffidentiæ in Deũ macula: *& qui post aurum non abijt,* solicitè illud quærendo, vel inordinatè appetendo: *nec sperauit in pecuniæ thesauris,* iam acquisitis, vel relictis; sed in Deo viuo. *Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua,* id est, communem hominum errorem correxit, hominúmque iudicio mirabilia fecit, quia inusitata. Talis erat Esdras Sacerdos magnus, qui populum sub Dario ex captiuitate reduxit. Sic enim de se scribit: *Erubui petere Regum auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in via; quia dixeramus Regi: Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitate, & imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum super hoc, & euenit nobis prospere.*

Et sanè quid est, quòd de Dei prouidentia & bonitate in rebus necessarijs, faciens interim quod in se est, quisquam dubitet? Si de eius potentia, Deus est: si de eius voluntate, Pater est: si de necessitatum nostrarum rerum scientia; ecce ipse dicit: *Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Profectò qui credit Deum suas cognoscere miserias, & non sperat diuinum adiutorium, iam fatetur se in inferno esse damnatum. Damnatorum enim miserias & calamitates nouit Deus, & perpetuò illis subuenire recusat. De viuis hoc cogitare, & quidem in eum credentibus, & amantibus, summa esset blasphemia. Vix enim grauiori scelere in Deum peccatur, quàm in horum altero; aut in eius bonitatem fiduciam abiiciendo, aut de nostris viribus & diuitijs præsumendo. Vtrunque in hoc Euangelio Christus è suorum pectoribus eliminat. Superbæ de seipso confidentiæ acerrimè à Deo vindicatæ exẽpla in Scripturis occurrunt multa, quæ breuiter proponi circa hoc Euangeliũ possunt: vt, solicitudine abiecta, in solo Deo spem ac fiduciam ponere doceatur auditor, contra Moabitas clamat Esaias: *Audiuimus superbiã Moab: superbus est valde: superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius, plus quam fortitudo eius. Idcirco vlulabit Moab ad Moab: vniuersus vlulabit. His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.* Cõtra superbã Babylonem, & vniuersam Assyriorum potentiã, sic idẽ Propheta intonat: *Dixisti; In sempiternum ero domina. Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es nouissimi tui. Et nũc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, & non est præter me amplius. Nõ sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subitò in die vna; sterilitas & viduitas. Quia fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti, Non est qui videat me.* Azotij contra Assyrios ab Ægypto & Æthiopia auxilia petierant: à quibus etiam auxilium petere, Dei auxilio neglecto, Iudæi decreuerant. Sed cõtra hanc eorum vanam fiduciam sic loquitur Propheta: *Dicet habitator insulæ huius in die illa; Ecce hæc erat spes nostra ad quos confugimus in auxilium, vt liberaret nos à facie Regis Assyriorum: & quomodo effugere poterimus nos?* Docere vult Propheta, Iudæos in nullo mortalium, sed in solo Deo fiduciam ponere. Damascus, in qua Israël spem posuerat, fuerat euersa. Iudæa fidit Ægypto. Fuit Ægyptus ab Assyrijs tribus annis vastata. Ægyptij confugiebant ad Æthiopes: at Æthiopes fuerunt ab Assyrijs superati. Assyrij victorijs elati, fuerunt postea à Medis & Persis grauiter oppressi. Persæ & Medi ab Alexandro fuerunt contriti. Ipse Alexander in flore ætatis veneno sublatus perijt. Eius regnum in multas partes diuisum Romani occupauerunt. Hæc sunt Dei iudicia in eos qui de suis gloriantur viribus. Nec fretum tot habet vicissitudines, nec rota facilius mouetur, quàm potentia & præsumptio humana. Dicit Deus superbis Assyrijs: *Pro eo quòd sublimatus*

Luc. 12.

Coloss. 3.

Hebr. 13.

1. Pet. 5.

Prou. 23.

Eccli. 11.

Homil. in diuites auaros.

Amos 6.

Eccli. 31.

Exemplũ.

1. Esdr. 8.

Deo diffidere quàm absurdum.

Cõfidentiæ sui ipsius punitæ exempla.

1. Esaiæ 16.

2. Esaiæ 47.

3.

Esaiæ 20.

4.

A *sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem suam virentem atque condensam, & eleuatum est cor eius in altitudine sua, tradidi eum in manus fortissimi gentium: factens faciet ei: iuxta impietatem eius eieci eum.* Sed in ipso populo Dei, hæc impia confidẽtia acerbius taxata, & acrius punita fuit. Vnde Oseas: *Vidit Ephraim* (hoc est decem tribus) *languorem suum, & Iudas vinculum suũ: & abyit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem vltorem: & ipse non poterit sanare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum. Quoniam ego quasi læna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda:* id est, ferocissimè in eos commoueor propter peccata eorum. *Ego, ego capiam, & vadam: tollam, & non est qui eruat. Vadens reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam.* Nempe Manahe Rex Israël confugit ad Phul Regem Assyriæ, & ei mille argenti talenta dedit, vt firmaret regnũ eius. Osee vectigalis fit Salmanassari Assyriæ Regi, ne vastaretur ab eo. Achaz Rex Iudę confugit ad auxiliũ Regis Assyrij, dans ei omne aurum, quod inueniri potuit in templo Dei. Sed frustra hi omnes hominum auxilia quærebant, cum suo populo nihilominus pereuntes. Quare iterum Propheta sic eos alloquitur: *Comedisti frugem mendacij*, id est, vanæ spei, *eo quòd confisus es in vijs tuis, in multitudine fortium tuorum.* Et paulò pòst: *Ephraim pascit ventum & sequitur æstum; tota die mendacium & vastitatem multiplicat, & fœdus cum Assyrijs iniyt, & oleum in Ægyptum ferebat.* Harum gentium amicitias ambiebat, neglecta in Dominum Deum spe & confidentia. *Iudicium ergo Domini cum Iuda, & visitatio super Iacob. Iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei.*

5. Ezech. 31. 6. Oseæ 5. 4. Reg. 15. 16. & 17. Oseæ 10. Oseæ 12.

B Hæc in Deum diffidentia innumeris peccatis causam dat. Totam vitam, adeóque omnes penè vitæ dies & horas in curis & negotijs secularibus impendimus, minimam vitæ partem in Dei laudibus, oratione, cœlestium rerum studio, cognitione, desiderio collocamus; quia omnem fiduciam in manibus nostris, in negotiatione & prudentia nostra, sitam habemus; parum aut nihil in Deo. Sed vide quæso. Esau homo durus, pilosus, laboriosus, perrexit ad venationem, montes & colles peragrauit, & fatigatus est: patris tamen benedictione cum toto labore suo excidit. Iacob homo lenis, domesticam & quietam vitam agens, sed in Dei meditatione assiduus, primogenituram rapit, & patris benedictione fruitur. De plerisque Christianis dici potest, quod de impio scripsit Abacuc Propheta: *Immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus electus eius.* Nempe artem quisque suam, industriam, ingeniũ admiratur & adorat, eique totam vitæ victúsque rationem in seculo adeptam attribuit, ei immolat, ei sacrificat. Sed talibus Scriptura dicit: *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. Cum exaltaueris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Qui de suis viribus gloriantur, eos confundit Dominus: *sperantes autem in se, non confundet.* De hac necessaria in Deum confidentia ac fiducia, iam in alijs Dominicis iterum atque iterum dictum est. Vide in Dom. 6. post Pentecost. text. 4. & alia loca ibi annotata. Vix alio in genere aut grauius aut crebrius peccatur. Quare de hoc argumento vix vnquam satis dici potest, nec illud iam decies tractasse piget. Faciet ex omnibus delectum pro sua prudentia prudens paterfamilias, & seruus Domini fidelis.

Diffidẽtia in Deum, peccatorũ causa.

Exemplũ.

Abacuc. 1.

Ierem. 49. Psal. 16. 17. 31. 33.

C

6. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.*

LOcus moralis, quòd rerum cælestium, & diuinæ voluntatis exequendæ prima cura, ac potissima solicitudo nostra esse debeat, quia in cæteris Deus suis non deerit. Hic est scopus Christi in tota huius Euangelij concione: vt omni reiecta solicitudine rerum temporalium, vel quia superflua est, vel quia spiritualium studio noxia, vel quia in Deum blasphema, Regnum Dei & iustitiam eius ante omnia, id est, primaria ac maximè intensa cura ac solicitudine quæramus. Illud enim, *primùm*, intentionem vehementem magis notat, quàm ordinem. Sic in alijs interdum Scripturæ locis: *Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia propria interpretatione non fit.* Rursum: *Hoc primum scientes, quòd venient in nouissimis diebus illusores.* Et iterum: *Obsecro primũ* D *omnium fieri obsecrationes*, &c. Neque enim hic ordo faciendi, sed facti intentio commendatur. Sic hæc verba sanctus Gregorius exponit: *Se magis Dominus, quàm ea quæ condidit, vult amari, æterna potius quàm terrena postulari, sicut scriptum est: Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Quia enim non ait, dabuntur vobis, sed, adijcientur; profectò indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in vsu verò temporalitas esse debet; & illud datur, & hoc ex abundanti superadditur.* Hæc ille. Iubet ergo Christus quæri, & intentissimè quæri regnũ Dei. Et quis rem tam excellentem meritò non quærat? Aut quare tantam oblatam dignitatem & fælicitatem ambabus vlnis omnes non amplectuntur? Quia animum adhuc regium non habemus, sed seruilem, abiectum, & infimis contentum. Quia Spiritus Dei nondum insiluit in nos. Qui animales adhuc & terreni, non nisi talia sapimus. Saul ad primum Samuelis verbũ de regno contempsit & risit, dicens: *Nunquid non filius Iemini ego sum? Quare ergo loquutus es mihi sermonem hunc?* At vbi oleo vnctus est, *& insiluit in eum Spiritus Domini* animum regalem sumpsit, & quæ rege digna erant, cogitare cœpit, mutatus in alium virum. Quintus Cicero ad Marcum fratrem de petitione Consulatus (amplissimæ tunc toto orbe dignitatis) scribens, hoc eum semper ob oculos & mentem habere, siue domi resideat, siue in forum descendat, siue in Senatum eat,

2. Pet. 1. & 3. 1. Tim. 2. Moral. in Iob lib. 15. cap. 20.

Cælestia quærentib. temporalia non deerũt

Cælestia cur non appetuntur.

1. Reg. 15.

Simile.

In Orat. seu Epist. de Petitione Consulatus.

sibique hoc dicere monet: *Nouus homo es. Consulatum petis. Roma est.* Hæc enim singula ingentes illi virtutum stimulos apponere posse putabat. 1. quòd non ciuis Rom. natus, nec patritius, sed Arpinas, loco obscuro ortus. 2. quòd supremam dignitatem peteret. 3. quòd in vrbe Roma, amplissimo totius orbis theatro, & in maximo selectissimorũ competitorum numero eam ambiret. Atqui nos Christiani omnes & singuli non in vna vrbe Consulatum, sed extra totum orbẽ regnum cœlorum ambimus, eiúsque candidati sumus. Dicat ergo sibi vnusquisque nostrum: *Nouus homo es. Gloriam & beatitudinem æternam petis. Cælum est.* Non sumus ciues regni cælestis nati, vt olim in paradiso voluptatis, & statu innocentiæ, primus noster parens fuit: sed sumus *natura filij iræ, hospites, & aduenæ, & peregrini in terra*, nati in mundo, *qui totus in maligno positus est*: nati ex carne, & in peccato concepti. Sumus in terra maledicta. *In sudore vultus nostri comedere debemus panem nostrum.* Ad hanc vetustatem & corruptionem exuendam, magna pugna adeunda, multæ tentationes superandæ, variæ tribulationes perferendæ sunt. Gloriam æternam petis, non vnius anni Consulatum. *At non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* De quare in alia Dominica dictum est. quis non vellet decem annis priuatam vitam agere, vt postea quinquaginta annis regnaret? *Omnes qui in agone contendunt, ab omnibus se abstinent.* Cibum & vestes corpori detrahunt, oleum addunt: vt nudi & agiles luctentur, & aduersario tenendi ansas eripiant. Oleo enim delibuta caro, difficillimè prehensa tenetur. Sic solicitudinem cibi & vestimentorum deponere debemus, oleúmq; misericordiæ & charitatis adhibere: vt nulla nos terrena impediant, hostique diabolo inuadendi nos facultatem eripiamus: *Charitas enim operit multitudinem peccatorum*: & ille nisi per peccata nos non comprehendit. *Et illi quidem* hoc faciunt, *vt coronam accipiant corruptam*, breuem, caducam, momentaneam, vanam opinionis laudem: *nos autem vt incorruptam*, solidam, sempiternam. Romæ via ad Consulatum erat, popularem esse, bona officia Reipub. nauasse, multos priuatim iuuisse. Nobis ad gloriam cælestem via est, totius vitæ sanctitas, integritas, incorruptio, Dei cultus assiduus, proximi amor indefessus. *Apparuit enim gratia Saluatoris nostri Dei, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, iustè, piè*, (sobriè, quoad nos. & tẽperanter; iustè, quoad proximũ, & innocenter; piè, quoad Deũ, & obsequenter) *viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Hæc est ad regnum Dei via, quam Christus vno verbo hic tetigit, dicens. *Et iustitiam eius.* Non est satis regnum Dei quærere, vel solicitè optare, aut nescio quibus operibus promereri; sed oportet quoq; huius regni, vel potius Dei iustitiam quærere, solicitéque circa eam adimplendam satagere. Datur enim non otiosis in foro, sed operarijs in vinea merces, quod in alia Dominica explicatum vide. Postremò, cœlum est quò tendimus, & in quo cum Deo regnare volumus, Atqui *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vis viam ad cælum scire? Pete ab illis qui per hanc viam ambulauerunt. Respondebunt tibi: *Ludibria & verbera experti, & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* De hac via iustorum, & vera via ad gloriam cœlestem adipiscendam, vide plura in alijs suprà Dominicis. Qui vult ad Indos negotiandi causa pergere, laborem nauigandi non recusat. Qui à morbo graui sanari desiderat, medicamẽta non respuit. Qui fundũ emere parat, de precio statim incipit cogitare. Sic qui regnum cælorũ petit, laborem cogitet oportet, qui preciũ eius est; vt multis aliis in locis iam dictũ est. *Qui omne studium totamque curam* (ait Chrysost.) *pro illis ineffabilibus gerere debes bonis, valde teipsum dedecoras atque confundis, qui erga cupiditates rerum fluxarum temetipsum impendis. Quemadmodũ qui graui morbo laborat*, ait S. Augũst. *peruersè facit, qui delicioſas & tenerrimas vestes potius quàm medicamenta medicosque conquirit:* sic qui de temporalibus solicitus, regnum cœlorum non quærit. Nam vt nisi sano corpori non quæruntur pulchræ vestes; sic nisi primum mente cœlestium bonorum desiderio flagrãte, quærenda sunt temporalia. *Quemadmodum enim* (ait S. Chrysostomus) *qui humanam gloriam captant, diuina prorsus excidunt; ita qui diuinam sectantur continuò neque hac priuantur; id quod Christus hoc loco promisit, dicens: Cætera omnia adijcientur vobis.* Illustris est illa in veteri Lege promissio, qua dicitur: *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Quũ enim ex vniuersa Iudæa ad templum ter in anno proficiscendum erat, solis domi relictis paruulis & mulieribus, pleræque autem tribus aliquot dierum itinere à templo distarent; promittit Deus, nihil eos in re familiari detrimenti accepturos, & quod nullus hostis aut prædo, illis domo profectis, terræ & possessionibus eorum insidiabitur. Hæc in figura contigerunt illis, vt & nos sciamus, interim dum regnum Dei quærimus, & iustitiam eius, dum obsequio diuino vacamus, nihil nos in temporalibus detrimenti accepturos; sed eorum curam Deum habiturũ, qui, vt illi seruiant, curam habent. Pater eius filij curam deponit, quem videt ad suam solius rẽ attentum esse, & omne patris ministerium & obsequium negligere. At quem filium pater videt in suo ministerio ita totum occupari, totúmque tempus collocare, vt sui ipsius propemodum obliuisci videatur, huius curam pater diligenter habet, &, ne quidquam illi desit, studiosè prospicit. Multo fidelius & amantius erga filios suos adoptiuos Pater cælestis hoc facit, eis necessaria subministrans, quos in suo obsequio assiduos & diligentes videt. Aliqua hic huius rei exempla subiiciam. Exemplum curæ & prouidentiæ diuinæ de iis qui ante omnia eius cultum quærunt, in sancto Hugone Lincolniensi Episcopo satis perspicuum apparuit. Sanctus ille Episcopus in itinere aliquando quum esset, cum aliis Prælatis & Clericis, cæterique primo manè

Ephes. 2. 1. Ioan. 3. Genesis 3.

Rom. 8.

1. Cor. 9.

1. Pet. 4.

Tit. 3.

Dominica Septuag. Matth. 11. Hebr. 11.

Domin. 4. Aduent. text. 4.

Domin. 2. Quadrag. text. 1.

Similia. Homil. 23. in Matth. Epist. 36.

Simile.

Homil. 24 in Genes.

Simile.

Exodi 34. Typus.

Simile.

Exempla 1. Vitæ eius cap. 22. apud Sur. tom. 6.

abire

A abire vellent, propter viarum pericula; Quò, inquit, ibimus, matutinis precibus nondum persolutis? Illis dicentibus, preces postea esse recitandas, sed nunc properandum, ne propter moram à prædonibus capiantur; respondit: Qui capit, capiat. Ego hinc non exibo, donec solito more preces matutinas persoluero. Mira res. Solus Episcopus per illam viam equitans, nihil mali passus est. Alij dum prudenter facere volunt, & suæ priùs incolumitati consulere, quàm Dei iustitiam facere, in periculum, quod cauere moliebantur, inciderunt, à prædonibus capti & spoliati. Sic ille vir sanctus, Dei cultum priuati negotij celeritati anteponens, à Deo tutatus est. Sed & præclarum huius rei exemplum est, quod in Prato spirituali legitur. Nobilis quidam Constantinopolitanus magnas eleemosynas faciens, & pecunias omnes distribuens, moriens, Christum reliquit filio suo curatorem: & filius conditionem libens acceptauit. Non lõgè post diues quidam in eadem ciuitate, vnicam habens filiam, & solicitus cui eam collocaret, vxori dixit, vt post orationes factas, ad Ecclesiam iret, & qui primus ingrederetur, filiam suam coniugem acciperet. Ingressus est primus adolescens iste, alterius magni Eleemosynarij filius; & magno cum parentum gaudio, filiam illam, splendidè dotatam, in vxorẽ accepit. Hæc ibi, cap. 201. *Baptista Fulgosius lib. 1. cap. 2.*

Illustre quoque & illud tam fiduciæ in Deum, quàm adiutorij diuini exemplũ est, quod Adria-
B nus I. Pontifex Romanus fecit. Quum enim Desiderius Longobardorum Rex Romam cum exercitu peteret, specie quidem salutandi ex voto Apostolorum limina, verè autem vt vrbem dolo caperet, Carolúmque Magnum præueniret, quem ab Adriano euocatum intellexerat; Adrianus Pontifex, reseratis prius templis, atque vrbis portis, misit qui Desiderio sub anathematis pœna imperarent, ne propiùs ad vrbem accederet. Barbarus Rex, quem arma non mouerant, simplici anathematis denunciatione territus, sententia mutata, retrò exercitum conuertit. Magna fuit Pontificis in Deum fiducia, magna pietas: maior Dei & præsentissima opitulatio. Sic Attilam, flagellum Dei, ex Italiæ finibus Leo Magnus Rom. Pont. Dei numine inuocato, abarcuit. Adeò, si primùm quæritur regnum Dei, cætera omnia adiicientur nobis. Hoc ita impressum etiam Gentes, verum Deum ignorantes, tenuerunt, vt rebus omnibus religionem & numinis cultum anteferrent. In Senatu Romano ea semper primo loco proponebantur, quæ ad religionem faciebant. Hodie quoties Turcarum princeps cũ suis proceribus deliberat, pro-
C fessor legis eorum adesse iubetur, attentè obseruans, ne quid contra religionem concludatur. Alexãder Seuerus, Imperator Ethnicus, audita cõtrouersia inter Christianos & caupones quosdam Gentiles, de loco & fundo quodam publico, quem Christiani orandi in eo causa occupauerant, asserentibus cauponibus eũ ad se locum antea pertinere; pronunciauit: *Quoquo modo sit, satius est eo in loco Deum coli, quàm cauponas exercere.* Hæc illorum etsi falsa, ordinata tamen religio erat, Dei cultum, & iustitiam primũ quærere, & quærendam decernere. Apud Ezechielem, cũ multas populi abominationes Deus Prophetæ inspiciendas ostendisset, vltimo loco, & pro omnium grauissima hanc ponit: *Introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in ostio templi Domini, inter vestibulũ & altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem & adorabant ad ortum solis.* Per hos designantur, qui à Deo, diuinisque rebus auersi, oculos suos in mundanæ fælicitatis splendore defixos habẽt; qui terrena sapiunt, cœlestia fastidiũt; qui non primũ regnum Dei, & iustitiam eius quærunt, vt cætera eis adiiciantur; sed primũ bona temporalia solicitè parant, & Deum non nisi ad illa adipiscenda, & quum eius auxilio in illis comparandis opus habent, respiciunt. *Isti vtuntur Deo, fruuntur nummo*, ait Augustinus, *abijciẽtes & conculcantes fidem suam; æstimando eam mercede vilissima, quasi ad hoc seruientes Deo, vt terrenã fælicitatem adipiscantur.* Atqui docet nos Christus nihil absolutè & principaliter quærere, nisi regnũ Dei & iustitiam eius: cætera enim adiicienda esse, vt quædam vel necessariò dependentia, vel sua sponte consequentia. Appositè Chrysostomus: *Neque ad conuiuium quisquam iturus opulentum, de ipsius diei cibo se curare patietur: nec ad fontem aliquis accedens, solicitudinem de sitis necessitate patietur. Nequaquam ergo etiam nos, cum habemus liberalitatem & prouidentiam Dei, cunctis omnino fontibus affluentiorem, inopes nos putemus.* Nempe eamus *ad cœnam magnam*, ad quam inuitati sumus; cibo non indigebimus in via. Petamus fontem illum, qui dixit; *Si quis sitit, veniat ad me*; potu non carebi-
D mus in via.

Ibidem. Albertus Nouicãp. in orat. ad Hungar. princ. Ælius Lãpridius in Alexand. *Ezech. 8. Allegoria.* *Epist. 120. cap. 5.* *Homil. 23. in Matth. Similia.* *Ioan. 7.*

At multi pij, Paulus verbi gratia, qui primùm & ante omnia quærebant regnum Dei, *in fame, in siti, in ieiunijs, in frigore & nuditate*, hanc vitam transegerunt. Sed vide animum eius; *Ego didici in quibus sum sufficiens esse. Scio abundare, scio & penuriam pati.* Adiiciũtur ergo necessaria pijs, vel reipsa, vel quantum ipsi desiderant. Nihil ille opus habet, qui nihil desiderat. Qui Deo plenus est, quærens regnum Dei, &c. illi paucissima sufficiunt. Potuit vnus Philosophus dicere, visis nundinis omni rerum varietate refertissimis: *Quàm multis ego non egeo!* *Si cogitantibus sæpenumero nobis aliquid de rebus vitæ huius, mente acriter in aliqua cogitatione defixa, neque oculi, neque aures muneribus funguntur suis, animúsque relictis sensibus, totus in ea commentatione hæret: profectò vehemens nostra in Deum intentio, & amor fixus, omnẽ à nobis vel leuissimam de libidinibus* & superfluis voluptatibus *cogitationem facilè depellet.* Omnia ergo illi à Deo adiiciuntur, cui nihil deest, cui Deus est omnia, *qui didicit, in quibus est, sufficiens esse*, vt Apostolus loquitur, id est, qui quicquid habet, sufficiens putat, nec plus appetit quàm habet.

2. Cor 11. *Necessaria quo sensu adijciantur* *Basil. Cõst. monast. c. 5. Similia.*

Sed & infirmioribus quoque Deum adiicere quæ necessaria sunt, non æstimatione tantũ, sed & reipsa, idque abundanter, & larga manu, tum Scripturæ docent, tum innumera exempla

demonstrant. Vide, ad hanc rem quod attinet, quæ de admirabili & certissima Dei prouidentia circa suos omnes in qualibet necessitate iuuandos, in aliis Dominicis prolata sunt, circa illa verba: *Ipse autem dormiebat, quum nauicula fluctibus operiretur*. Item ad illa Christi verba: *Non ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei*. Rursum ad illa verba: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ac demùm, quum non habente turba quod manducaret in deserto, dixit Christus: *Misereor super turbam*, &c. Vide quoque quæ de fiducia in Deũ nunquam deponenda, seu circa subsidia vitæ necessaria, seu in alia quauis consolatione nostra, varijs in locis deprompta iam sunt. Primùm ad illa Christi verba: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Item ad illa verba: *Stãs Iesus, iussit illum adduci ad se*. Rursum ad illa Apostolorum verba diffidentiæ plena: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, vt vnusquisque modicum quid accipiat*, ac denique ad alia illis similia verba in Dominica 6. post Pentecosten. In his locis abundè docetur, verum illud esse quod canit Ecclesia: *Sicut te colimus, sic nos tu visita*. Porrò primùm & ante omnia quærendum esse regnum Dei, & iustitiam eius; ex illis locis ostendi potest, quæ vel de amore Dei super omnia, vel contra nostram circa salutis causam negligentiam, vel de feruore colendi Deum, in varijs iam Dominicis tractata sunt. Hæc enim omnia ad huius nobilissimi loci explicationem faciunt. Vide de primo Dominicam 12. post Pentecosten, textu 3. & loca illic annotata. De secundo vide Dominicam 13. post Pentecost. textu 2. & loca ibi designata. De tertio vide Dominicam 6. post Pentecosten, textu 2. & ad quæ illic præterea loca remitteris. Amplissimus enim hic locus est, & multis partibus fœcundus, quæ singulæ ad ædificationem & salutem audientium salubriter tractari possunt. A B

Dõ. 4. post Epiphan. text. 2. Dominic. 1 Quadrag. text. 6. Domin. 4. Quadrag. text. 1. Domin. 6. post Pent. tex. 1. & 3. Dõ. 4. post Epiphan. text. 4. Dominica Quinquag. text. 4. Domin. 4. Quadrag. text. 2. Text. 4.

EVANGELIVM DOMINICÆ XV.

POST PENTECOSTEN.

Lucæ 7.

IBAT Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis; ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ; & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere; C & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa.* De bonis exemplis maiorum, ad instructionem & imitationem minorum.
2. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ.* De mortis memoria propter eius necessitatem certam, horam incertam.
3. *Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.* De cuta habenda viduarum.
4. *Et turba multa ciuitatis cum illa.* De religiosa piorum sepultura.
5. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere.* De misericordia egenis & afflictis personis exemplo Christi exhibenda.
6. *Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt.* De Dei misericordia, qua peccatores, iniecta tribulationum manu, à statu & cursu peccati reuocat. D
7. *Adolescens, tibi dico, surge.* Vocante Christo, surgendum à peccato.

1. *Ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa.*

Exempla maiorum.

LOcus moralis de bonis exemplis maiorum, ad instructionem & imitationem minorum. Docet Euangelista, sequutos esse Christum prius discipulos, ac postea (eorum videlicet exemplo) turbam plebis copiosam. Solent maiorum vestigia sequi minores, Prælatorum mores imitari subditi, & ad Principis exemplum se conformare populus. Ad prædicationẽ Ionæ, primus qui egit pœnitentiam, fuit Rex Niniuæ; qui suo non tam edicto, quàm exemplo, surgens

Exemplũ. Ionæ 3.

A surgens ipse de solio indutus sacco, &c. vniuersum populum ad pœnitentiam faciendam induxit: faciendo pœnitentiam, ab ira Dei liberauit. Contra, prior qui prophanauit vasa templi Hierosolymitani in epulis Babylonicis, fuit Balthasar Rex, quem statim imitatæ sunt concubinæ, bibentes & ipsæ in poculis aureis Deo consecratis. Quum populus Israeliticus Iordanis alueum transire debebat, vt terram promissionis ingrederetur; primi omnium præcesserunt sacerdotes, quos reliquus populus secutus est, ita ex Dei voluntate præcipiente Iosue. Adeo ad omnem seu virtutis seu vitij actionem, maiorum exempla valent. Vnde Scriptura: *Secũdum iudicem populi, sic & ministri eius. Qualis rector est ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Sanè ad hoc dati sunt in Ecclesia pastores, doctores, Prophetę, prælati, principes, non tantum vt verbo iubeant, doceãt, præscribant: sed etiam vt exemplo informent, moneant, præluceant. *Non vocauit nos Deus* (ait Apostolus) *in immunditiam, sed in sanctificationem*, id est, vt homines sanctos redderemus. Dominus per Ezechielem Prophetam iussit, quando sacrificia erant offerenda, & Lex audienda, dicens: *Princeps in medio erit aliorum: cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur*, hoc est, ipse erit primus in opere, & vltimus in fine operis: vt omnes eum tam in ingressu, quàm in egressu imitentur & sequantur. Sicut cor in medio corporis ita est, vt sit principium vitæ & terminus; primum quod animatur, & vltimum quod moritur: sic prælatus & princeps in medio populi esse iubetur, vt sit primus in opere, & postremus qui cesset ab opere. Sic Christus semper erat in medio discipulorum suorum: & de eo Petrus dicit, *In omni tempore quo intrauit & exiuit in-*
B *ter nos Dominus Iesus*, id est, toto tempore, quo Magister noster ac Dominus fuit, docens nos verbo & opere, semper in medio nostrum, vt sol in medio planetarum, vt centrum in medio terræ, vt scopus in medio signi. Paulus vt Iudæos æmulatores Legis lucrifaceret, Legem mãdatorum exactissimè ipse obseruabat: *Quàm diu*, inquit, *ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*, perfectione videlicet operum, ac vitæ meæ; *si quo modo ad æmulationem prouocem carnem meam*, id est, Iudæos, *& saluos faciam aliquos ex illis*. Ad vulgi reformationem, maximam vim habet superiorum integritas, modestia, fides. *Seruierunt filij Israel Domino cunctis diebus Iosue, & Seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerunt omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel.* Et paulo post: *Surrexerunt alij* (scilicet seniores) *qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Israel; feceruntque filij Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim.* Sic & aliis post seculis in eodem populo accidit. *Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est.* quando canis in capite vulneratur, maximè periclitatur, quia vulnus suam lingua lambere non potest: nam quacumque alia corporis parte lædatur, lingua lambens seipsum sanat. Prælatus qui caput est, si malè viuit, quum nulla lingua eum lambere possit, nulla reprehensio corrigere, nulla admonitio sanare, fit penè insanabilis. At reliquo populo peccante, si integer prelatus est, habet linguam qua alios sanet, doctrinam verbi, & exemplum bonę vitæ.

Daniel. 5.

Ios. 4. Allegoria.

Eccli. 10.

1. Thess. 4.

Ezech. 46.

Simile.

Act. 1.

Rom. 11.

Exemplum Iudic. 2.

Ierem. 10. Simile.

C

2. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suę.*

LOcus moralis de mortis memoria, propter eius & necessitatem certissimam, & horam incertissimam. Ecce enim, ait Euangelista, defunctus effertur, & adolescens in primo ætatis vigore, & filius vnicus matris suæ, quæ etiam vidua erat. Siue matrem, siue filium, siue ætatem filij spectes, omnia vides quæ longiorem vitam merito exspectabant: mater vidua indigens solatio, filius vnicus, & vnicum solatium, ætas filii tenerrima. Defungitur tamen hac vita, & defunctus effertur. Mortis memoriam hoc exemplum nobis suggerit. Quum duæ naues in mari sibi occurrunt, diuersa via nauigantes, vtrique naui videtur quod ipsa firma consistit, & altera celeriter transcurrit; cum tamen reuera vtraque æquè currat. Sic multi quum alios mori cernunt, seipsos quasi immortales reputant; nec se ad mortem quoque properare, adeoque quotidie mori aduertunt. Quemadmodum enim vas liquore plenum non extrema gutta cadens exhaurit, sed quicquid antè depromptum est: sic vltima vitæ hora, non sola mortem facit, sed sola consummat. Morimur igitur omnes, *& quasi aquæ dilabimur in terram; quæ non reuertuntur.* Sed hunc fluxum continuum non aduertimus. Quemadmodum enim quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio, iter facientes decipit, & peruenisse se antè sciunt, quàm appropinquasse; ita hoc iter vitę assiduum & citatissimum occupatis, & curis huius seculi detentis, non apparet, nisi in fine. Tunc enim non tam vixisse, quàm fuisse, quisque sibi videbitur. Quemadmodum enim quem sæua tempestas à portu exemptum huc & illuc tulit, ac vicibus ventorum ex diuer-
D so furentium per eadem spatia in orbem egit, non ille multum nauigauit, sed multum iactatus est: sic omnino qui vitam variis cupiditatibus agitatam egit, & quasi equus molendinarius in orbem ambulans, varia fortunæ rota circumductus est, moriens tandẽ, non diu vixit, sed diu fuit. Est quippe vita prẹsens instar nauiculæ, in qua per huius mundi fluctus tantisper nauigamus; vel instar rhedę vectoriæ, in qua vt viatores ferimur, ad alterius vitæ portum & finem perpetuo tendentes. Nemini improuisa mors esse videri debet. Quum enim quotidie aliquem mors interimat, satis nobis constare potest, pacem cum hoste constitutam non esse, ideoque quasi ad certi hostis ictum parati semper consistere debemus. Sicut porci, quum alium porcum occidi vident, & inter occidendum horribiliter vociferari audiunt, commouentur & ipsi, grunniunt,

Mortis memoria.

Similium congeries.

1.

2.

2. Reg. 14. 5.

Senec. de breuit. vitæ ca. 9. 4.

5.

6.

accurrunt,timent;at vbi iam lethali vulnere accepto clamare desinit,penitusque interiit,ad ci- A
bos illi suos,ad lutum & sordes redeunt,nec quicquam amplius mouentur : sic homines carna-
les & voluptuarii,visa familiaris cuiuspiam morte,& strepitu campanarum , quæ lugubrius &
prolixius tunc pulsantur,audito,dum adhuc effertur cadauer,& ille sonitus perdurat, mouen-
tur nonnihil, & aliquo mortis horrore corripiuntur;at peracto funere, nulla iam amplius mor-
tis memoria habita,ad pristinas sordes & peccata redeunt,vitamque sibi ipsis adhuc prolixam
7. planè promittunt. Ingens hæc diaboli fraus & deceptio est. Sicut enim pictores ita colores ac
lineas picturis accommodant,vt quæ propè posita sunt,longè dissita esse videantur , delusis in-
tuentium oculis:sic dæmon mentis nostræ oculis illudit,dum vnicuique mortis diem longissi-
8. mo spatio distare persuadet,qui tamen plerisque in foribus est. Quemadmodum enim in audi-
tu prædicationis verbi Dei,quum aliquod peccatum perstringitur & taxatur,vnusquisque hoc
à se remouet,& ad alium transfert,dicens apud semetipsum,De tali & tali hoc loquitur,nõ de
me;vel ad talem & talem ista pertinent,non ad me : sic planè in causa mortis,quum alios mori
cernimus,ita statuimus,vt illum quidem cito mori oportuerit , nobis autem diu adhuc viuen-
dum esse nihil dubitemus. At hac cogitatione nihil vanius , nihil periculosius. Voluit Deus à
sola morte neminem mortalium excusari , ne quidem Filium suum vnigenitum hominem fa-
Matt.25. ctum,aut purissimam matrem eius : voluit horam eius incertissimam esse , ideoque in qualibet B
Simile. ætate,in quolibet statu,in quocunque anni tempore homines mori: voluit denique prædicere;
Vigilate,quia nescitis qua hora Dominus vester ventarus sit;per mortem scilicet,ne quisquam sibi vel
vnum vitæ diem, nedum annos multos , polliceretur. Si Rex carcerem longè munitissimum
extrueret,quo mortis rei includerentur,ad mortem tamẽ non omnes simul,sed alios post alios,
variis temporum interuallis,pro suo beneplacito educeret:an quisquam illorum longam sibi in
carcere moram polliceri auderet;& quia inter primos non euocatur ; ex postremis se fore spe-
rare poterit?An interea luxui,contentioni,aut voluptati operam dabunt ? nec potius perpetuo
ad mortem excipiendam parati stabunt?Atqui tota hæc vita nostra nihil est aliud,quã ad mor-
tem damnatorum in hoc mundo,tanquam in carcere positorum,expectatio continua, quando
ad latam mortis sententiam de facto subeundam euocabimur. Alii citius , alii serius , sed ad in-
certum omnes morti destinamur. Quare ne quis in vlla ætate aut fortuna longam sibi vitam
promitteret;hac apta hypotyposi docuit vir & sapientia & sanctitate celebris Thomas Morus:
In vita eius,c. 12. Sicut qui è carcere ad patibulum ducitur,quo duæ quidem viæ ducunt,vna per circuitum lõ- C
Simile. ga,alia recta & breuis,sed vtraque ad patibulum ducto ignoratur,donec ad exitum ventum sit;
nec scit qui ducitur,rectane & breui,an circumflexa & lõga via ducatur,etsi duas tales esse vias
aliorum experientia didicerit;non habet è carcere exiens , vnde longiorem sibi viam promit-
tat,propter alterius viæ incertam longitudinem:sic omnino iuuenis non potest longiorem sibi
vitam promittere quàm senex. Videt enim quidem iuuenis senem per circuitum duci ; sed an
ipse in eo circuitu ducatur,nescit. Nemo enim viuendo scire potest , per circuitumne an per
diametrum ad mortem tendat. Vana igitur & fallax est huiusmodi expectatio.

Noxia porro & pernicioſa eadem est,quia mortis ipsius terrorem,qualis & quantus sit (quẽ
tamen præcognoscere vtilissimum fuerit) illa diuturnæ vitæ spes falsa à nobis penitus absco-
dit. Nam vt qui eminus aliquid videt;confusè videt,nesciens homone an arbor sit;sic qui vitam
Simile. sibi longam promittens,mortem quasi eminus ac longissimè à se distantem respicit,ille eã qua-
lis sit,quàm terribilis,& acerba,& horrenda;quos angores,quas molestias,quæ pericula secum
adfert,non videt. Atqui propterea & aliorum mortes quotidie ante oculos versari,& nostram
mortem ab oculis nostris abscondi voluit Deus,vt perpetuam eius memoriam animo circum-
ferremus. Loquitur Scriptura in persona ante oculos nostros morientis: *Memor esto iudicij mei,sic
erit & tuum:mihi heri,& tibi hodie.* Adam post peccatum statim pellibus animalium mortuorum
Eccli.38. induitur,vt mortis sententiam,quam nunc acceperat,ob oculos mentis semper gestaret. Iussit
Allegoria. Dominus in veteri Lege plumas auium , quæ illi in sacrificium offerebantur,in cineris locum
Leuit.1. coniici ad partem templi orientalem. Plumæ auium,sunt mundi huius honores,diuitiæ , splen- D
dor,quibus inaniter extollimur. Sed vt his Dei donis in eius laudem & gloriam , quasi in ac-
ceptabile ei sacrificium vtamur,ea caduca esse, & breui atque incerta morte finienda , perpe-
Simile. tuo cogitare debemus. Sicut enim aqua restinguit ignem,& sparsi cineres terræ fructus enecãt;
sic mortis assidua recordatio,& appetitus carnales vehementer refrigerat, & vitiorum germina
succrescere non sinit. Qua de re in alia Dominica obiter aliquid dictum est. Vipera exusta , in
Do.6.post cineremque conuersa,atque in vino potata,eiusdem bestiæ morsui medetur,vt scribit Lactan-
Pasc. tex.1 tius. Sic vnumquodque peccatum sanatur,si quale id in morte futurum sit,cogitetur. Nihil sic
Simile. ad domandum carnis desideria valet,quàm quod vnusquisque id quod diligit , quale sit mor-
Lib.de ira, tuum penset. Nihil magis demittit superbiæ cristas,quàm si superbus moriturum se , & in cine-
ca.15. rem redigendum recordetur. Nihil magis auaritię sitim restinguit , quàm si illud Apostoli me-
moria teneat: *Nihil intulimus in hunc mundum,& nihil inde auferemus*,vel illud S. Iob: *Saccum meum*
1.Tim.6. *consui super cutem meam,& operui cinere carnem meam.* Sicut gallus timens aquilam & accipitrem,
Iob 18. & alias aues prædones terræ,sic vnum oculum inferius ad victũ dirigit , vt alterum in aëra fre-
Simile. quenter eleuet ; certoque vocis strepitu superuolitantes huiusmodi aues gallinis suis & pullis
indicet:sic vir iustus,& timens Deum , rebus in mundo necessariis ita vacabit , vt venturi de-

A super per mortem iudicij semper memor viuat. *Facilè contemnit omnia* (ait S. Hieronymus) *qui semper se cogitat moriturum*. Et Scriptura: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Nauta in puppi sedens gubernat suam nauem: & tam pisces in aquis, quam aues in aere, cauda sua se regunt, ac cursum dirigunt. Sic exitus nostri, quæ mors est, perpetua consideratio, vitam & actiones nostras optimè diriget. Cinis ignem conseruat; & recordatio cineris, in quem vertendus es, gratiam & diuini amoris ignem in tuo pectore conseruabit. Cum nec tempus, nec locum, nec genus mortis tuæ certum habeas, aut designatum: in omni tempore ac loco, atque in quocunque genere, tam sanus quàm ægrotus, mortem expectare debes Iuuenes mortem habet à tergo, senes ante oculos. Sed sicut illud magis nocet quod à tergo ferit, quàm quod ante oculos; sic iuuenibus periculosior mors est quàm senibus. Quare magis illam timere debent, eiusque insidias. In statu gratiæ & noui Testamenti, mortuos nostros in templis, aut proximè iuxta tẽpla sepelimus, (non extra ciuitates, vt Iudæi in hoc Euangelio) sed & mortis quoque Redemptoris nostri perpetuam & quotidianam memoriam celebramus, vt alias ob causas, ita ob hanc quoque, vt mortis memoria præsens nobis semper & ob oculos versaretur. Qui tot argumenta & indicia mortis suę quotidie cernentes, eam tamen animo fixam non habent, nec ad eã se quotidie parant, similes sunt dormientibus, qui somnia tristia & terribilia passi, ad momentum commouentur, sed omnium eorum postea memoriam deponunt, nec fructum inde vllum reportãt, quia nisi dormientes illa somniabant. Ita planè hominibus carni, voluptati, ac seculo deditis,

B mortis recordatio, quasi si somnium narres, statim excidit. Sed ideo Christus vigilare nos iubet, & hunc exitialem somnum excutere. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus venturus est. Dormiant somnum suum omnes viri diuitiarum*, auari, ambitiosi, amatores huius seculi: *Dormiant & dormitent fatuæ virgines*; oblitæ accipere oleum in lampadibus suis, oblitæ bonorum operum: iusti autem, & timentes Deum, *similes sunt expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: iustè, piè, & sobriè viuunt, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*. Hæc expectatio, est perpetua mortis & particularis iudicij nostri recordatio. Pharao & populus eius persequens filios Israel, quum iam se morti propinquos cernerent, ab incepto desistere volebant, dicentes: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Sed nimis id serum fuit, quia iam in porta mors aderat. Illis enim *fugientibus, occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus*. Præcogitanda & præuidenda mors est: ne, illa iam propinquante, inuoluant nos aquę tribulationum, morbus, tristitia, curæ, aliæque innumeræ molestiæ, quibus submergamur in profundum. Cygnus, morti vicinus, suauissimè cantat; Serena auis marina, morti vicina, amarissimè flet atque ingemiscit. Ratio discriminis est, quia quum in mortis articulo sanguis totus ad cor se recipiat; sanguis cygni, vt generosus & purus, alacritatem adfert, & cantum edit; sanguis Serenæ vilis & corruptus, tristitiam generat, & gemitum prouocat. Idem discrimen est inter bonos & malos. Bonis

C ac iustis grata mors est, eiusque recordatio: quia laborum terminus, gaudiorum ianua & introitus est. Malis ac impiis tristis & horrenda mors est, eiusque memoria; quia gaudiorum finis, tormentorum illis, quæ finem non habebunt, principium est. Quare Pauli vox erat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*. Peccatoris vox est: *Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me*. Lege Marcum Marulum in lib. Exemplorum. Vt clepsydræ tuæ vsum habeas, & temporis tui fluxum ex eo cognoscas, necesse est, vt sæpius eam voluas atque reuoluas; quia cito tota decurrit: ita planè vt vita tua rectè vtaris, & à morte inopinatus non opprimaris, voluenda tibi in horas est clepsydra, considerandus vitæ tuę perpetuus fluxus, vt ita rationem eius Deo fæliciter reddas, dicente Scriptura: *Si non vigilaueris; veniam ad te tanquam fur*.

Ad Nepotianum.
Eccli. 7.
Similia.
Simile.
Matt. 24.
Psal. 75.
Matt. 25.
Tit. 3.
Typus.
Exodi 14.
Simile.
Philip. 3.
Lib. 5. c. 9.
Simile.
Apoc. 3.

3. *Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.*

LOcus moralis, de cura habenda viduarum. Vt misericordiam Christi in hoc miraculo magis illustrem ostenderet Euangelista, addit eam viduam fuisse, cuius filium resuscitauit. Vt viduarum curam sibi singulariter commendatam esse Christus doceret, voluit viduæ filium à morte suscitare. Vt viduæ calamitatem maiori commiseratione dignam demonstraret Euangelista, addit fuisse *turbam ciuitatis multam cum illa*. *Cum illa*, quia propter illam, & ad eius consolationem, non pauci aliqui, sed *turba ciuitatis*; nec modica, sed *turba multa*. Commendat hoc pietatis genus sæpe Scriptura, ipsique Deo proprium quodãmodo esse, vt viduarum causam agat,

D & curam gerat, demonstrat. *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet*. Et iterum: *Dominus non despiciet preces populi, nec viduam, si emittat & effundat loquelam gemitus*. Quo persona quæque afflictior est & miserior, eo diuinę bonitati est commendatior: imo horum se proprium protectorem esse pronunciat. *Iuxta est Dominus ijs qui tribulato sunt corde*. Rursum: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*. Viduarum causam negligere, aut illis iniuriam inferre, pro grauissimo scelere Deus habet. Dicit apud Prophetam: *Magnificati sunt & ditati; incrassati sunt & impinguati; & præterierunt sermones meos pessimè*. At qua in re, obsecro? *Causam viduæ non iudicauerunt; causam pupilli non direxerunt. Nunquid super his non visitabo? ait Dominus*. Quid acerbius comminari aut loqui potuit? Porro gratiam cum Deo inire volentes, ad hoc misericordiæ genus potissimum

Viduarum cura.
Psal. 145.
Eccli. 35.
Psal. 33.
Psal. 9.
Ierem. 5.

Esaiæ 1. inuitat. *Iudicate pupillo, defendite viduam; & venite & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, velut nix dealbabuntur.* Frequentia sunt in Scripturis specialis diuinæ erga viduas A
Exempla. misericordiæ exempla, quam nos imitari par est. Solius viduæ Sareptanæ filium suscitauit Elias.
3. Reg. 17. Elizæus viduæ Sunamitidis inopiam miraculo olei multiplicati subleuauit, eiusdemque postea
4. Reg. 4. filium à morte resuscitauit. D. Petrus, precibus viduarum flexus, puellam Dorcadem vitæ resti-
Act. 9. tuit. De viduis refocillandis varia in Deuteronomio præcepta habes, quæ sic veteri populo commendata erant, vt filiis gratiæ multo magis conueniant, diffusa charitate in cordibus nostris; cuius prima & propria proles est, misericordia erga afflictos.

4. *Et turba multa ciuitatis cum illa.*

Sepultura religiosa. LOcus moralis esse potest, de religiosa piorum sepultura, quem in altero Promptuario Catholico, ad hanc Dominicam, contra hæreticos tractauimus. Hic tamen pauca addemus, prout Deus dabit. Quantum Christo hæc pietas placuerit, qua magno numero ad efferendum funus ciues Naimenses confluebant, hoc illustri miraculo adolescentis resuscitati, ostendere
Exempla. voluit. Dauid misit qui agerent gratias, & quidem accuratè, viris de Iabes Galaad, qui corpora
2. Reg. 2. Saul & filiorum eius sepelierant, dicens: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam cum domino vestro Saul, & sepeliistis eum. Et nunc retribuet quidem Dominus vobis misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud.* Sanctus Patriarcha Abraham maximè laudatur, B
Gen. 23. quia sepeliuit magnificè vxorem suam Saram. Curam sepulchri sui habuerunt Iacob & Ioseph
Gen. 50. filius eius: qui mortui in Aegypto, transferri tamen ossa sua, & in sepulchro patrum suorum, in terra Chanaan sepeliri iusserunt: quod & factum fuit. Sed excellentem in hoc genere Tobiæ
Tob. 12. pietatem laudat multis verbis Angelus Raphael: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino.* Vides quàm grata Deo fuit sepulturæ fidelium pietas. Iudæi enim erant ab Assyriis in exilio occisi, quos sic bonus Tobias sepeliebat. Laudatur Iudas Machabæus, quod interfectos in prælio, honestè sepeliri, precesque & sacrificia pro eis offerri iusserit. Et ratio additur: *Piè & religiosè de resurrectione cogitans.* Resurrectionis enim fidem pia ac religiosa
2. Mach. 12. defunctorum in Domino sepultura profitetur. Discipulorum Ioannis Baptistæ pietas ab Euangelistis notatur, quod eo in carcere decollato, *venerunt discipuli eius, & tulerunt corpus, & sepelierunt* C
Matt. 11. *illud.* Nicodemi & Ioſephi ab Arimathia circa Christi corpus sepeliendum pietas & religio in
Ioan. 19. Euangelio diligenter commemoratur. Sed & Dauid ipse ossa Saul, & Ionathæ, & filiorum eius
2. Reg. 21. à Galaaditis semel sepulta, cum ossibus aliorum filiorum Saul, qui per Gabaonitas crucifixi fuerant, tulit, & sepeliuit in terra Beniamin, in sepulchro Cis patris eius. Hęc tot, & tantorum virorum in sacris Scripturis exempla, ad hoc pietatis genus sedulo exsequendum, satis admonere
Do. Pasch. tex. 1. & 2. & hortari possunt. De pietate trium mulierum circa Christi corpus iam sepultum, in alia Dominica diximus.

3. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere.*

Misericordia erga afflictos. LOcus moralis de misericordia egenis & afflictis personis exemplo Christi exhibenda. Christus enim ad hoc illustre miraculum misericordia erga plorantem viduam inductus accessit: *Misericordia motus super eam*, scilicet plorantem defuncti filii, & vnici, & adolescentis mortem. Vnde dicit ei ante omnia: *Noli flere.* Lachrymis viduæ matris condolet, iacturæ compatitur, afflictioni miseretur, oculis misericordię in eam coniectis. *Quàm cum vidisset, misericordia motus dixit.* Hi oculi misericordiæ in Christo Redemptore sæpenumero eluxerunt. *Videns*
Ioan. 6. *in deserto multitudinem magnam*, quæ eum triduo sequuta fuerat, *Misereor*, inquit, *super turbam.* D
Ioan. 9. Egrediens è templo, *vidit cæcum à natiuitate*, & sanauit eum. *Vidit sedentem Matthæum in telonio*, &
Matt. 9. vocauit eum. *Vidit Zachæum in arbore*, & hospes eius esse statim voluit, vt salus fieret toti domui.
Lucæ 19. *Vidit discipulos laborantes in remigando*, & eos à tempestate liberauit. Vidit duos fratres, Simonem
Marc. 6. & Andream, piscantes in mari, & ait eis: *Venite post me.* Hos oculos misericordiæ & gratiæ Chri-
Matt. 4. stus toties ostendit, vt nostros oculos simili affectu imbueret, qui *conformes esse debemus imagini*
Rom. 9. *eius*, & (si quidem in illo manemus) *sicut ille ambulauit, ita ambulare.* Nunc autem diues ille epulo
Lucæ 16. vidit quotidie Lazarum pro foribus suis, miserum & afflictum, & cupientem comedere de micis quæ cadebant sub mensa eius, & nemo illi dabat. Pro oculis misericordiæ, nos oculos superbiæ, inuidiæ, adulterij plenos circumferimus. Pauperes, afflictos, egenos, aut vix aspicere dignamur, aut cum fastu despicimus. Christus nec vocatus, nec rogatus ab hac vidua, videns
Lucæ 6. tantum eam afflictam & miseram, statim misericordia mouetur. Satis est ad misericordiã com-
Simile. mouendam, vt alienam miseriam conspicias. Misericordiæ causa, sola miseria conspecta & intellecta, satis iusta esse debet. Nec preces expectare, nec afflicti meritum expendere necesse est. Sicut *Deus pluit super iustos & iniustos*, omnium hominum necessitatibus prospiciens; ita misereri nos oportet omnium miserorum; nec merita, sed miseriam considerare. Portus naufragos excipit,

A cipit, siue bonos siue malos. Misericordia portus miseriæ est. Si etiam indignos excipis, venient digni. Abraham dum quosuis peregrinos excipit, Angelos excepit. Scriptura dicit: *Si inimicus esuriat, ciba illum.* Profecto si inimicus tuus est, bonus non est. Christus dicit: *Omni petenti te, tribue.* Non distinguit inter bonos & malos. Prou. 25. Rom. 12. Lucæ 6.

Subijciam hic insignem D. Chrysostomi locum, in quo omnibus ferè vanis & friuolis nō miserendi excusationibus respondet & satisfacit. *Beatus*, inquit Dauid, *qui intelligit super egenum & pauperem.* Quid est, qui intelligit? hoc est, qui cognoscit quid sit pauper, qui tribulationem eius percipit. Cognoscens enim tribulationem eius, vtique confestim miserebitur eius. Si videris pauperem, non pertranseas: sed statim cogita quis sis; & si tu eius loco esses, quidnam velles omnes facere. Qui intelligit, inquit: cogita quia similis tibi, liber est, & eandem tecum participat generositatem, & Sacramenta tecum communia habet. Sed inquis: Cur non operatur? cur vacans pascitur? Dic mihi: Tu per operationem habes quę habes? Nonne ex hæreditate paterna illa accepisti? Si vero etiam ex labore, num ideo exprobras alteri? Audi Paulum. Postquam dixit, *qui non operatur, neque manducet*; subiungit, *Vos autem bonum facientes non deficiatis*: id est, siue operantes ipsi manibus, siue non operantibus misericorditer largientes. Sed inquis, Impostor est. Quid dicis, ô homo! Propter vnum panem & vestimentum impostorem eum vocas? At, inquis, Confestim vendet illud. Tu autem cuncta tua bene disponis? An etiam omnes egentes ex otio egent? nemo per naufragium? nemo per iudicia? nemo per furta? nemo per pericula? nemo per B ægritudines? nemo per aliam calamitatem? Sed si audierimus aliquem talia deplorantem, maiora clamantem, & nudum cælos inspicientem, & capillos demittentem, & pannis circundatum; confestim eum impostorem, fallacem, simulatorem vocamus. Non erubescis? Quem impostorem vocas? Noli dare, & noli accusare hominem. Sed habet, inquis, & fingit se non habere. Hoc si ita esset, te accusat, non illum. Scit enim se cum crudelibus habitare, cum bestiis magis quàm cum hominibus. Ideo compellitur in habitu miserabiliori comparere, vt tuam frangat animam. Si in habitu honesto aliquis nos interpellat, Iste, inquis, impostor est; &, vt putetur ex generosis esse, isto modo interpellat: si viderimus in contrario habitu, & illum culpamus. Quid agant de cætero miseri? Quare, inquis, aliqui mutilata membra denudant? Propter te hoc fit. Si enim misericordes essemus, his artibus opus non esset. Quis est ita miser, vt velit tantum clamare, vt velit ad confusionem venire, vt velit publicè deplorare, cum nuda coniuge, cum filiis puluere cōsperfis? Hæc tua paupertate non sunt maiora? Sed sæpius dedi, inquis. Quid vero? Tu non sæpè vesceris? Infantulos tuos sæpius petentes num abigis. O inuerecundiam! Pauperem inuerecundum vocas: tu, cum rapias, non es inuerecundus, Ille autem pro pane deprecans, inuerecundus iudicatur. Non intelligis quanta sit necessitas ventris? Nonne tu omnia illius gratia facis? Nonne spiritualia propter hoc negligis? Hæc est inuerecundia. At ille, inquis, tot aureos fœneratur, C & alius tot, & nihilominus mendicat, factus ex mendicatione diues. Puerorū hæc fabulæ sunt, & vanitates. Non mihi persuadetur, non credo, absit. Ad vsuram dat quis, & in abūdantia constitutus mendicat? Quid est mendicitate ignominiosius? Quid ergo? omnes ad vsuram dāt? omnes impostores sunt? nullus reuera pauper est? Etiam, inquis, & multi. Quid ergo vel eis nō præstas opem? Vt quid existis scrupulosus vitæ eorum enucleator? quod si & valde ille peccator sit qui te rogat, cogita quia & tu dicis Deo, Peccata mea ne recorderis: & noli reminisci peccatorum eius. Tempus est nunc misericordię, non scrupulosæ discussionis. Nutriri vult. Si quidem vis, tribue: si non vis, dimitte, nihil disceptans quare sit miser. Alioqui nullus hoc modo miserebitur. Deinde etiam alios misereri volentes tu auertis. Quando enim audiunt te dicentē, quoniam ille impostor est, abundat, ad vsuram dat, incipiunt neque istis dare nec illis. Quę mala sunt facilè suspicamur: quare omnes tales esse suspicabuntur. Denique per hanc discussionem eo nunc ventum est, vt etiam viros monachalem vitam agentes suspectos habeamus, dicentes, Ille impostor est. Non hoc dicebant prisci. Si indifferenter omnibus damus, semper miserebimur. Si autem cœperimus scrutari, nunquam misericordiam præstabimus. Quiescamus ab hac absurda curiositate, & diabolica, & pernicioſa. Non enim ex vita & merito accipientium à te pauperum, sed ex voluntate tua, ex liberalitate multa, ex misericordia, ex bonitate mercedem tibi retribuet Deus. Hæc hactenus D. Chrysost.

Excusationes non miserendi. 1. 2. Thess. 3. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Diabolus quum Christum esurire videret, exquirit an esset Filius Dei. Tu quum vides pauperem, inquiris an sit Dei filius, vir bonus & eleemosyna dignus. At Christus dicit: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Dicit: *in nomine Prophetæ*; vt si fortè nomine tenus tantum talis sit, scias tamen te mercede tua non carere. Sic pauperem recipis in nomi- D ne pauperis, id est, in nomine Christi, qualiscunque ille tandem sit. Deus vbi plus de potentia & robore dedit, ibi magis de misericordia & liberalitate esse voluit. Sic leo cæteris animantibus fortior, omnium est clementissimus; iuxta illud: Matt. 4. Matt. 10.

Parcere prostratis scit nobilis ira leonis.

Exempla naturæ.

Sic aquila, omnium auium princeps, liberalitate omnes superat. Prædam enim copiosam nacta, vbi naturæ satisfecit, quod reliquum est, cæteris auibus (quæ eam propterea sequuntur) comedendum relinquit, vt & supra annotatum est. At crudelia & ferocia animalia potestate & vi-

Simile. ribus Deus priuauit, vt canes & feles, & sexum fæmineum, qui quo est imbecillior, eo est ad vindictam acrior. Sicut proprium est soli lucere, & igni calefacere; sic proprium est Deo, Deique similibus, seu filiis Dei, benefacere, misereri, suam bonitatem communicare; vt quanto plus possunt, tanto plus velint. Quum voluit Deus filios Israel de Aegypto educere, omnes angustias illorum expressit, vt quanto illi erant miseriores, tanto ille misericordior esset. *Exod. 3.* *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus: & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum.* Totam eorum miseriam exprimit, vt suæ misericordiæ sinus aperiat. Sic nos miserias fratrum omnes & singulas considerare, conferre, copulare, expendere debemus, vt ad misericordiam excitemur, veluti Christus in hoc Euangelio fecit. Propria quasi *Colos. 3.* hæc est filiorum Dei, & verè Christianorum nota. Vnde Apostolus: *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ.* Vbi enim sunt viscera, ibi haud dubiè erunt opera. Talis erat sanctus Iob, qui dixit: *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Quod sancto Iob à prima infantia Dei munere concessum est, hoc nos induere iubet Apostolus: hoc est, illud frequenter à Deo piis precibus postulare, ad illud assequendum Dei in nos beneficia, & pietatis exempla meditari, illud denique plurimis pietatis actibus quasi connaturale nobis *Leuit. 14.* efficere. Hoc est viscera misericordiæ induere. Deus in veteri Lege, ad purificandum lepro- *Allegoria.* sum, iubet sacerdotem oleum in sinistra manu effundere. Oleum in sinistra manu effundit, qui misericordiam erga miseros exhibet, quod contra peccatorum lepras singulare est remedium; *Dan. 4.* iuxta illud Danielis: *Rex, consilium meum placeat tibi. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Verè oleum sanandis lepris, misericordia est: quia sicut oleum cæteris li- *Similia.* quoribus supernatat; sic misericordia, vt propinquior charitatis filia, cæteris virtutibus antecellit. Reliquæ enim virtutes tibi ipsi vtiles sunt, vt humilitas, temperantia, castitas, patientia, &c. Misericordia & tibi & proximo vtilitatem adfert. Rursum, sicut oleum coloribus splendorem reddit, nec lucet aut splendet pictura quibuscunque coloribus ornata, nisi oleo delibuta: sic absque misericordia cęteræ virtutes aridæ & obscuræ sunt, per opera vero misericordiæ illustrantur & splendent; iuxta illud: *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi,* & illud *Psal. 111.* *Esaiæ 58.* Esaiæ: *Frange esurienti panem tuum, egenos & vagos introduc in domum tuam,* &c. *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum.*

Sed parum fortè mouet misericordiæ laus & merces, in Scripturis reuelatæ. Malit auarus & seculi amator, ideoque in proximum crudelis & immitis, tota hac mercede & laude, quã sua pecunia aut copia, carere. Vide tamen & considera sic hanc misericordiam impensam apud Deum mereri, vt eadem neglecta, grauissimè offendat. *Non exasperes pauperem* (ait Scriptura) *in* *Eccli. 4.* *inopia sua: cor inopis ne afflixeris, Declina pauperi sine tristitia aurem tuam; & redde debitum tuum, & redde* *Misericordia pauperibus debetur.* *illi pacificè in mansuetudine.* Dicit tuam misericordiam afflicto deberi, & reddendam vt debitum. Nempe, vt omnibus Deus de certis vitæ mediis prospexit, negotiatori de industria sua, agricolæ de labore manuum suarum, mechanici de exercitio artis suæ, & sic in omni hominum genere; solius pauperis & afflicti remedium in nulla re peculiari, sed in omnium loculis collocauit: omnes illi diuites debitores fecit. Deinde vult Scriptura, hoc debitum pacificè, in mansuetudine; non torue, sed hilari vultu; non fastuosè, sed in humilitate; *declinando aurem tuam*, pauperi reddi: non solum vt accipiat quod ei debetur, sed etiam vt accipiendo non affligatur, non vexetur, non exasperetur. Sic opus misericordiæ etiam actus iustitiæ est. Sicut oleum melius in torcularibus eliquatur, si oliua prius aqua calida perfundatur; sic illa misericordia melius fluit, Deoque *Similia.* gratior est, quam feruida cordis compassio præcessit, adeoque elicuit. Et sicut oleum, quanto citius de torculari exprimitur, tanto iudicatur melius; sic bis dat, qui cito dat; & tanto est beneficentia excellentior, quanto celerior. Denique sicut oleum non cum strepitu cadit, sicut aqua vel vinum, sed quietè fluit; sic misericordiæ opus pacificè est exercendum, non cum murmure, aut vlla molestiæ significatione. De hac præstantissima virtute iam in aliis Euangeliis multa di- *Vide Do. 8 post Pent. tex. 3. & locaillic annotata.* ximus. Tamen propter eius summam necessitatem, & satis neglectum exercitium, aliqua hoc loco addenda videbantur. Vide Dom. 12. post Pent. tex. 6. & alia loca illic annotata. Nam de eleemosyna strictè accepta in aliis variis Dominicis dictum est: quæ ferè omnia ad misericordiæ huius locum referri possunt.

6. *Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt.*

Tribulatio ad pœnitentiam trahit. Locus moralis de ingenti Dei misericordia, qua peccatores in via peccati currentes, iniecta tribulationum & impedimentorum manu, ab illo cursu sistit, & à peccato liberat. Christus hoc loco accedens, & tangens loculum quo defunctus efferebatur, facit, vt qui ad sepulchrum deferebant mortuum, starent, & misericordiæ eius exitum expectarent. Eodem omnino modo Deus per misericordiam ad peccatores accedens, & defunctæ in peccantis animæ loculum, qui corpus est, sua visitatione tangens, atque aliquo modo affligens, facit, vt passiones inordinatæ, quibus anima tota in decliue vitiorum præceps ferebatur, sistant nonnihil ab illo quem tenebant cursu, iniectis videlicet impedimentis liberè ac licenter vt prius peccandi; vt violento illarum cursu hac necessitate retardato colligere se animus posset, ac loquentem Deum

A Deum audire; *Adolescens, tibi dico, surge*, Vel, vt Apostolus aliis verbis dixit, *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus*. Sed quemadmodum altè dormiens, nisi aliquo impulsu excitetur, non euigilat, nec de surgendo cogitat; sic multi peccatores, in longa peccati consuetudine altum sterquilinium tentes, de vitæ in melius mutatione nihil cogitant, nisi manus Domini tangat eos, & passiones à quibus veluti fluctibus rapidè currentibus deorsum trahuntur, aliquo impedimento iniecto, sistere cogantur. Nempe hæc est visitatio Dei; quam qui non cognoscunt, incidunt in iudicium Dei, vt in alia Dominica explicatum est: & hic est clamor Dei post nos, vt peccati veternum excutiamus, de quo etiam superius diximus. Sed hic aliqua addenda sunt, prout Deus dabit. De peccatoribus dicit Ieremias: *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium*. Sicut enim equus currens ad pugnam, nec hostem ex aduerso timet, nec vel cadentium gemitu, vel tormentorum strepitu, vel lancearum ictibus terretur: sic impii præcipites ad malum feruntur, quo eos libido & cupiditas impellunt; nec vel diaboli insidias ac rugitum timent, vel aliorum impiorum calamitoso exitu mouentur, vel gehennæ comminationibus terrentur; attamen, vt equus impetu currens, chamo & fræno à sessore strenuo constrictus, cursum sistere cogitur; sic Dei manus impios tangens, & *chamo ac fræno maxillas eorum constringens, qui non approximant ad eum*, sed toto impetu fugiunt ab eo, eos sæpenumero in rectam viam conuertit, impietatis effrænem cursum sistit, & ad meliorem mentem reuocat. Maximum est hoc

B Dei beneficium. Quemadmodum in mare se præcipitare volentem, qui sic apprehenderet & sisteret, vt eum grauiter aliqua corporis parte mulctaret, non illi nocuisse, sed singulare beneficium ei contulisse, vitæque auctor ac patronus censeretur: sic omnino peccatorem in tartara ruentem percutiens Deus, ac percutiendo ad pœnitentiam vocans, maximo afficit beneficio, & salutis auctor est. De Pharaone dixit Deus: *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem*. Qua ille tactus, ad tempus resipiscebat, *Dominum cognoscebat, Moysen & Aaron, vt pro eo intercederent, orabat*. Manasses Rex, qui prospera flante fortuna, flagitiosissimè vitam egit, à Deo tactus, regno exutus, captiuus in Babylonem abductus: *Postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorũ, deprecatusq; est eum, & obsecrauit intentè; & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum in Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses quod Dominus ipse esset Deus*. Appositè D. Chrysostomus: Sicut splene & intercute laborãtes, cum larga fruuntur mensa, frigida potione, deliciis ferculorum & saporibus, tunc præcipuè omnium sunt miserrimi, deliciis morbum augentes; si vero siti & fame, secundum medicorum leges, cruciantur, aliquam salutis spem habent: sic & in iniquitate viuentes, si puniantur à Deo, bonã spem habent; si vero cum iniquitate, licentia & deliciis fruuntur, sunt multo miseriores. Quemad-

C modum enim frigus noctis florem contrahit, & calor diei foras euocat: sic aduersitas à Deo inflicta, peccatorem contrahit, vt ad se redeat, séque ipsum recognoscat; prosperitas vero extollit, & extra seipsum vagari facit. Sicut cyrogrillus, siue hericius magnus, vtcunque se in corio suo, quasique testudine constringat, vt saluo cortice aperiri vix possit; tamen si aqua calida aspergatur, continuo aperitur: sic peccatores, longa peccati consuetudine, quasi dura testudine compressi, & callo obducto, sic indurati, vt sola mors peccato finem imponere posse videatur; aqua tamen tribulationis feruenti perfusi dissoluuntur, & ad resipiscentiam flectuntur. His aquis perfusus Dauid, in persona percussi & pœnitentis peccatoris, dixit: *Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*. Nam vt aqua omnis per se insipida est, & ad omnem saporem accipiendum apta; sed per calorem solis educto vapore terrestri, salsedinem induit, acrem quidem, sed ad multa vtilem & salutarem; & sicut *pari motu exagitatum exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum*: sic planè tribulatio per se res indifferens est, potestque vel in bonum, vel in malum verti: sed à Deo immissa, & per eius diuinæ gratiæ operationem, quæ fuisset per se peccato insipida, fit pœnitenti compunctio sapida, non quidem sapore dulci, sed salso, vtilissimo tamen: *quia tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Sanè sicut ceruus, dum nimis vrgetur à canibus, ad hominem sponte fugit; sic tribulationes peccatorem quasi canes quidam perse-

D quentes, & fortiter prementes, ad Dominum redire compellunt, iuxta illud Psalmistæ: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Denique sicut armentarij, vel pastores, boues & oues refractarias, ac sequi nolentes, vel fune ligant, vel virga percutiunt, vel stimulis adigunt; sic obstinatos peccatores, & Deum sequi nolentes, vel duris calamitatum funibus alligat Deus; iuxta illud Oseæ, *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis*: vel virga disciplinæ & correctionis ferit; de qua Psalmista, *Virga directionis*, id est, virga in viam dirigens, *virga regni tui*: vel stimulis tribulationum pungit; de quibus alius Propheta: *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ concipit, dum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis; sic facti sumus à facie tua Domine. Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis*. Nempe tactus Dei, & tribulatio cordi peccatoris quasi semen salutis immittitur, vnde concipit dolorem de peccato, parturit pœnitentiam bonam, & parit salutem stabilem.

Ephes. 5. Simile.

Do. 9. post Pent. tex. 2 3. & 4. Dom. 3. Adu. tex. 3 Ierem. 8. Simile. Simile. Psal. 33.

Simile.

Exempla. Exodi 11.

2. Paral. 33

Simile. Hom. 6. ad pop. Antioch.

Similium congeries. 1. 2.

Psal. 68. 3.

Augustin. de Ciuit. Dei, li. 1. c. 8.

2. Cor. 3. 4.

Psal. 82. 5.

Oseæ 11. Psal. 44. Esaiæ 26.

A

7. *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.*

Vox gratiæ audienda.

LOcus moralis, vocante Chriſto ſurgendum eſſe à peccato, & vocem gratiæ alacriter ſequendam. Quod enim in hoc adoleſcente recenter mortuo, & ad ſepulturã elato, Chriſtus fecit, hoc in multis peccatoribus, qui peccato conſentientes, etiam ad actum peccati proſilierunt, ſed necdum in conſuetudine peccandi ſepulti ſunt, operatur quotidie Chriſti gratia, quod his verbis explicat ſanctus Auguſtinus: *Alij poſt conſenſum peccati eunt in factum, tanquam efferentes mortuum ſuum: vt quod latebat in ſecreto vitium appareat in publico. Nunquid iam iſti, quia in factum proceſſerunt, deſperandi ſunt? Nonne & illi iuueni dictum eſt: Tibi dico, Surge? Nonne & ille redditus eſt matri ſuæ? Sic ergo & qui iam fecerit, ſi forte commonitus, & commotus verbo veritatis, ad Chriſti vocem reſurgit, viuus redditur. Potuit progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum eſt, etiam mala conſuetudine ſe implicant, hac preſsi, tanquam ſepulti ſunt.* Hæc ille. Qui ergo non potuit paruulos ſuos allidere ad petram, primas cogitationes & appetitiones peccati abiicere, atque à conſenſu & delectatione temperare, qui poſt conſenſum ab actu externo ſibi non cauit, id ſaltem maximo ſtudio caueat, ne actus in conſuetudinem tranſeat, B ne mortuus & elatus ſepultura obſtruatur, ne claudat ſuper eum puteus os ſuum: de qua re in præcedentibus dictum eſt, *Nunquid qui cadit, non adijciet vt reſurgat?* Sicut clauus quo crebrius malleo percutitur, eo fortius & profundius ligno infigitur, quaſique radicatur; ſic actus peccati, quo ſæpius repetitur, eo altius animæ infigitur, quaſique in ea radicatur, vt non niſi difficillimè euelli queat. De his dicit Propheta: *Profundè peccauerunt, ſicut in diebus Gabaa*; ſiue effrænem libidinem virorum Gabaa circa Leuitæ vxorem, ſiue infidelitatem populi in diebus Saul, qui fuit de Gabaa, intelligas. Profundè enim peccat, qui longa peccandi conſuetudine obduratus eſt, qualis fuit illorum libido, & horum infidelitas contra Deum. Sicut qui febre laborat, lenta illa quidem, ſed hectica & aſſidua, ſi fortè ob aliquam intemperantiam incidit in febrem quandam acutam & perurgentem, facilè eam expellit, & leni medicina curatur, manente tamen ſemper hectica febre: ſic actus cito curatur, conſuetudo autem peccandi difficillimè. Maximum ſaxum in montis cacumine nullo negotio ſiſtitur; vbi in vallem præcipitari cœpit, vix vlla induſtria retinetur. Maxima iuſtorum peccata facilè ſanantur, impiorum autem qui impetu in ſcelus currunt, nec mediocria, niſi difficillimè ſanari poſſunt. Dauid celeriter ab adulterii flagitio & homicidii ſcelere reſipuit; Saul frequenter Dei mandatis rebellans, reprobus fit: ſed hoc ideo factum eſt, quia vocem Nathan Prophetæ Dauid audiuit, vocem Samuelis Saul audire noluit. Vocem Dei non audit, qui vocem prædicatoris C non accipit. Aſſueti peccato, peccati illius reprehenſionem non ſuſtinent. Quicquid de illo peccato prædicator dicit, non ſibi, nec de ſe, ſed aliis, & de aliis eum loqui arbitrantur. Sic hominem quaſi extra ſe ponit peccatum, & amentem facit, vt licet ei propriè loquaris, & eius ei vitia aperias, tamen te non audiat, aut intelligat prorſus, ſed ad alios, & de aliis te loqui exiſtimet. Quàm diu Nathan Propheta in aliena perſona peccatum Dauidi expoſuit, & parabolam induxit de diuite multas oues habente, & ab eo, qui vnicam ouem habuerat, eandem rapiente; placuit illi ſermo, & ſeueram in eum ſententiam protulit: nihil tamen adhuc emendatus eſt. Atqui vbi primum intulit Propheta, *Tu es ille vir;* moxque peccatum eius apertè ei propoſuit: audita Prophetæ voce, quia recenter mortuus fuerat, necdum peccati conſuetudine ſepultus, *reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, dicens: Peccaui.* Beati qui ſic vocem Dei audiunt. Similem Ioannis Baptiſtæ vocem Herodes audire non potuit, cum ei diceret: *Non licet tibi vxorem habere fratris tui*, ſed vera & ſalutaria loquentem, in vincula coniecit, viſco videlicet conſuetæ libidinis irretitus. Hoc bonorum & impiorum diſcrimen expreſſit Sapiens: *In memoria ſermonum tuorum examinabantur, & ſanabantur velociter: ne in altam incidentes obliuionem, non poſſent tuo vti adiutorio.* Hoc de filiis Iſrael in deſerto dicit, qui percuſſi à ſerpentibus, erecto tamen æneo ſerpente, & eum ex Dei præcepto aſpicientes, ſanati ſunt. At de impiis Aegyptiis ibidem dicit: *Illos locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inuenta ſanitas animæ illorum, quia digni erant ab huiuſmodi exterminari*: nempe propter D odium inueteratum contra populum Dei, & propter pertinaciam non dimittendi illos: Iſraelitæ vero, etſi in deſerto peccantes, tamen *in memoria ſermonum Dei*, id eſt, audientes vocem eius per Moyſen, eorum peccata redarguentem, *velociter ſaluabantur*; cito reſipiſcentes, ne actus in conſuetudinem abiret, *& in altam incidentes obliuionem, non poſſent Dei vti adiutorio.* Vocis diuinæ neglectus parit obliuionem Dei & ſui: obliuio Dei & ſui generat conſuetudinem peccati: conſuetudo peccati omne Dei adiutorium excludit. Sic alia Scriptura: *Vocaui, & renuiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Qui non audit matrem blandientem poſtea audiet nouercam obſtrepentem. Vox matris blandientis, eſt Eccleſiæ ad pœnitentiam vocantis, vox nouercæ obſtrepentis, eſt eiuſdem obiurgantis & excommunicantis. De hac voce Paulus: *Vellem eſſe apud vos modo, & mutare vocem, quoniam confundor in vobis.* Non enim vox matris, ſed nouercæ illa erat: O *inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati?* Hanc vocem mutare cupit, vt tanquam filiis blandè loquatur; non tanquam reprobos & adulteros,

De verb. Do. ſer. 44

Ierem. 8. Simile.

Oſeæ 9. Iudic. 19. 1. Reg. 8. & 12. Simile.

Simile. Exemplum 2. Reg. 12. 1. Reg. 15.

Peccatum amentem facit. Exemplum

2. Reg. 12.

Marci 6.

Sap. 16.

Prou. 1.

Galat. 4. Galat. 3.

A ros, quasique extra disciplinam factos, abijciat & deserat. Qui Christi blandam vocem nunc non audit, *Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos*; vt à peccato resurgat; audiet post- *Matt.11.*
ea vocem illam terribilem: *Ite maledicti in ignem æternum*; vt in peccatis suis moriatur. Qui *Matt.25.*
nec per litteras sacrarum Scripturarum, nec per vocem prædicationis externæ, nec per nu-
tus & signa rerum creatarum; (*Cæli enim enarrant gloriam Dei, & iustitiam eius*) nec per nuncios *Psal.18.*
& flagella tribulationum, quibus loculum corporis nostri tangit, Deum audire vult, ille *Simile.*
prorsus vt surdus ac cæcus pereat necesse est. Sicut pullus, qui gallina vocante non venit,
granum aliquod è terra scalpens, à miluo interea sæpe capitur; sic terreni peccatores, Dei vo-
cem non audientes, quia terrenis curis & voluptatibus detinentur, in diaboli laqueos inci-
dunt. Conqueritur apud Iob Deus: *Seruum meum vocaui, & non respondit mihi; ore proprio depre-* *Iob 19.*
cabar illum. Cuius rei pœnam apud alium Prophetam addit: *Omnes in cæde corruetis, eo quod voca-* *Esaiæ 65.*
ui, & non respondistis mihi. quod maximum flagitium acerrimè alius Propheta increpat: *Quare auer-* *Ierem.8.*
sus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Vn-
de paulo post subiungit: *Idcirco cadent inter corruentes; in tempore visitationis suæ corruent, dicit Domi-*
nus. Huiusmodi peccatores, peccandi consuetudine prægrauati, *concipiunt quidem, & partu-* *Esaiæ 26.*
riunt (vt Propheta loquitur) *sed non pariunt spiritum salutis.* Timorem inferni, ex fide informi
concipiunt, & quoddam peccatorum odium parturiunt, quia displicent sordes peccati; sed
B vitiorum catena religati, & consuetudine victi, iacent semper & volutantur in eisdem. Ho-
rum est miserrima conditio, & status lachrymabilis. De his enim dici illud potest: *Venerunt* *4. Reg.19.*
filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens. Nullus acerbior dolor cogitari potest, quàm
is quem sustinet mulier appropinquans ad partum, & pariendi vires non habens, &c. De
hoc argumento vide plura in Dominica nona post Pentec. tex. 2. & 4. aliisque in locis il-
lic annotatis.

EVANGELIVM DOMINICÆ XVI.

POST PENTECOSTEN.

C VM intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. *Luca 14.*
Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus, dixit ad Legisperitos & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco; ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum; & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco; vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

D

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Cum intraret in domum cuiusdam Pharisæi manducare panem.* De benigna ac beneuola piorum cum impiis conuersatione.
2. *Et ipsi obseruabant eum.* De inuidia & maleuolentia, qua aliorum dicta & facta obseruantur ac reprehenduntur.
3. *Et respondens Iesus, dixit ad Legisperitos.* De cogitationibus nostris vniuersis Deo conspicuis.
4. *Si licet sabbato curare?* De pia ac religiosa festorum celebratione.
5. *Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit.* De proximorum cura nullo tempore prætermittenda.
6. *Intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicit ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.* Contra ambitionem, & prælaturæ desiderium.
7. *Cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco.* De sui ipsius perpetua humiliatione.

A

1. *Cum intraret in domum cuiusdam Pharisæi manducare panem.*

Conuersatio benigna cum peccatoribus.

LOcus moralis de benigna ac beneuola piorum, maximè sacerdotum, cum peccatoribus & impiis conuersatione, vt eos ad pietatem excitent, & Deo lucrifaciant. Christus hoc loco intrat domum Principis cuiusdam Pharisæorum, manducare panem, mensæque familiariter accumbere; in qua tamen domo sciebat tam hospitis sui, quàm sociorũ eius insignem erga se maleuolentiam; nec alia de causa inuitatum se eo fuisse, quàm vt in aliquo vel verbo vel facto eum caperent, & reprehendendi atque accusandi rationem inuenirent. Mox enim vt intrauit, *ipsi obseruabant eum.* Deinde rogante eo an liceat sabbato curare, *tacuerunt* maleuolè; malentes eum per errorem peccare, quàm ab ipsis, qui se magistros morum profitebantur, ab errore reuocari. Christus nihilominus intrat ad illos, accumbit mensę, manducat cum illis, sanat hydropicum; siue spontè ingressum, vt à Christo sanaretur; siue ab illis subornatum, vt, an sabbato sanare vellet, Christum tentarent. Docet legitimum sabbati cultum. Ambitionis morbum animis eorum eximere, & humilitatis præstantissimam virtutem inserere, accurato sermone conatur. Hæc tota Christi benignitas erga homines impios & maleuolos, docere nos debet, peccatorum consortium, quando illis vtile, nobis ipsis innoxium est, minimè fugiendum, sed studiosè amplectendum esse; vt nostra opera, labore, doctrina, exemplo meliores fiant. Hunc locum in aliis Dominicis iam aliquoties tractauimus; in illa verba: *Simile est regnum cælorum fermento*, &c. Dominica 6. post Epiphaniam. Rursum ad illa verba: *Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, vt audirent illum.* Itemque ad illa Pharisæorum verba: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Dominica 3. post Pentecosten. Huc etiam referri possunt quæ de zelo animarum, & lucrandis Deo fratribus, in aliis Dominicis protulimus. Dominica 2. post Pascha, textu 2. & nona post Pentecosten, textu primo: vndecima quoque post Pentecosten, textu primo: denique tertia post Pentecosten, textu tertio.

Tex. 3.
Tex. 1. & 3

B

2. *Et ipsi (Pharisæi) obseruabant eum.*

Obseruatores maleuoli.

LOcus moralis de inuidia & maleuolentia, quæ aliorum dicta & facta obseruant, vt reprehendendi, detrahendi, accusandi causas inueniãt. Hic enim Pharisæi Christũ ad mensam & conuiuiũ inuitatũ, qui recreationis beneuolæ, non maleuolæ obseruationis locus erat, detrahendi & accusandi studio obseruant quid agat, quid dicat, quo modo se gerat. Est hoc totum superbię, inuidiæ, maleuolentiæ proprium, curiosos esse aliorum inspectores, obseruatores, corycæos, censores: nec in alios magis hoc scelus cadit, quàm qui alios sanctitate, pietate, eruditione præcellere videri volunt, & Pharisæi sunt. Hos detestatur Propheta, dicens: *Væ, qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.* Hypocrita enim sub specie honoris & amicitiæ mittit fel maleuolentię suæ, vt videat nuditatem, id est lapsum aliquem aut errorem fratris sui. *Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis. Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum.* Et iterum, siue de seipso, siue de Christo, siue de quolibet iusto, Dauid: *Tota die verba mea execrabantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.* Hoc maleuolentiæ proprium, omnia obseruare, omnia in pessimam partem interpretari, magna libidine non subditos aut inferiores tantum, sed ipsos maximè æquales suos, reprehendere. Sed istis Pharisæis nihil miserius, nihil sceleratius. Qui candelam ardentem digitis propriis mungit, candelæ quidem lumen clarius efficit, suos autem digitos & maculat & adurit. Sic qui iusto detrahit, & libenter eum taxat; suam quidem mentem & conscientiam fœdè contaminat, vehementerq; lædit; iusto autem meriti materiam præbet, eiusque famam celebriorem facit. Ab improbis enim vituperari, laus est. Deus nunquam Moysen magis laudauit, quàm quum Aaron frater, & Maria soror eius, contra eum murmurarent, eiusque gloriæ detraherent. Isti maleuoli hypocritæ in cathedra pestilentiæ sedent. *In cathedra enim pestilentiæ sedere* (ait sanctus Gregorius) *est ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare.* Destinata enim malitia obseruant & reprehendunt fratres, non vt eos meliores reddant, sed vt infames faciant, suæque libidini subseruiant. Qui Christi crucifixi imaginem aliqua fortè macula aspersam, aut loco parum honesto collocatam, lutoque iniectam, non luto extraheret atque ablueret, suoque loco reponeret, sed vel digito aliis ostentaret, vel irrideret; non solum pessimus Christianus, sed etiam hæreticus aliquis, aut infidelis, merito iudicaretur. Eodem sanè modo, qui proximum suum Dei imaginem, aliquo seu vero seu apparenti vitio fœdatum non fraternè corripit, sed malitiosè obseruat, digito notat, irridet, taxat; vix Christiani aut proximi nomine censendus erit. A postoli dictum est: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, id est, præceptum charitatis: *Tantum quisque portat proximum, quantum amat*: (ait S. Gregorius) *si enim amas, portas; si desisti amare, desisti tolerare.* Frustra se iactat proximum suum amare, qui errata eius non solum non portat compatiendo, sed etiam protrudit & propalat obseruando, notando, arguendo. Nihil magis charitati aduersum, nihil magis animæ pernicioſum. Quemadmodum enim

Abac. 2.
Psal. 36.
Psal. 55.
Simile.
Exemplum Num. 12.
Curæ pastor. par. 3. ca. 33.
Simile.
Galat. 6.
In Ezech. Homil. 13.
Simile.

C

D

charitas

A *charitas* (vt scribit Diuus Gregorius) *inclinatione sua erigitur, attractione tenditur, compassione roboratur, eumque in amorem proximi se dilatat, quasi ex meditatione colligit, quanta fortitudine in auctorem surgat*: sic è diuerso odium & maleuolentia, in obseruando proximos, inflatione sua deprimitur, auersione dissipatur, alieni mali oblectatione infirmatur; cumque odio proximi mens constringitur, quasi ex meditatione colligit, faciléque considerat, quanta profunditate ab auctore suo ceciderit, à Dei amore quàm longe absit. *Quomodo enim Deum, quem non videt potest diligere, qui fratrem, quem videt, non diligit?* Quisque capitis sui stylum & genium sequitur. Iudæis maleuolis Christus dixit; *Vos ex patre diabolo estis. Ille homicida*, id est, maleuolus, inuidus, hostis humani generis, *ab initio fuit. Desideria patris vestri vultis facere*, id est, me iustum, & quem de peccato arguere non potestis, quæritis interficere, & odio odistis me gratis. Ex patre diabolo omnes obseruatores maleuoli sunt, & patris sui desideria faciunt, proximi sui perniciem & infamiam quærunt, correctionem & emendationem non affectant. Sicut enim diabolus circuit tanquam leo rugiens, quęrens quem deuoret; sic filij diaboli, maleuoli, & inuidi, quos obseruent, quos carpant, quos mordeant, quibus caninum dentem infigant, solicitè quærunt. A spiritu & nomine Christiano longissimè isti recesserunt. Pulchrè Cyprianus: *Deus est, qui inhabitare facit vnanimes in domo. Idcirco & in columba venit Spiritus sanctus, simplex animal, & letum, non felle amarum, non morsibus*

B *sæuum, non vnguium laceratione violentum, hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, cum genuerint, simul filios edere; cum commeant volatilibus, inuicem cohærere, communi conuersatione suam vitam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, vt columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt mansuetudo & lenitas agnis & ouibus æquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum lethale serpentum, & cruenta sæuitia bestiarum?* Hæcille. Porro & suo maximè auctori pharisaica hæc alios obseruandi & reprehendendi libido noxia est, & pernicioſa. Quemadmodũ enim cos hoc proprium habet, quod dum ipsa ferrum aut cultrum acuit, semetipsam acuendo consumit, maximè aqua ei superiecta, quia tunc aciem acerrimam reddit, oleo vero delibuta lenem facit: sic omnino aliorum obseruatores & reprehensores maleuoli, dum aliorum vitia corrigunt, semetipsos maleuolentiæ vsu & incremento consumunt; iuxta illud Apostoli, *Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini*: maximè cum austerè, asperè, arroganter, & maleuolè id fit, toto effuso impetu in modum aquæ. Nam addito charitatis & compassionis oleo, nõ nisi leuem plagam reprehensio facit, & sanat, non vulnerat, maleuola & iniusta reprehensio reprehendentem ferit & lædit, non eum qui reprehenditur. Sicut enim fluctus sæuientis maris rupi duræ, aut saxis illisi, seipsos quidem frangunt, & in spumas inanes resoluuntur, manet autem

C rupes immobilis nec loco nec conditione mutata: sic maleuolus Pharisæus, & obseruator atque obtrectator inuidus, in virum iustum incurrens, & sua eum maleuola obtrectatione feriens, illum sanè nec lædit, nec deturbat; ipsemet vero in seipso frangitur, atteritur, totusque inuidia & maleuolentia consumitur & contabescit.

Moral. li. 7 cap. 7.

1. Ioan. 3. Ioan. 8.

In lib. de vnit. Eccl.

Simile.

Galat. 5.

Simile.

3. *Et respondens Iesus, dixit ad Legisperitos & Pharisęos.*

LOcus moralis de cogitationibus nostris primis & minimis, Deo semper patentibus atque conspicuis. Christus enim hoc loco, non verbis vllis Legisperitorum aut Pharisæorum, sed solis eorum cogitationibus, & maleuolo reprehendendi studio, quod animo conceperant, respondit. Putabant illum sabbati violatorem esse, si sabbato quempiam curaret. Hanc eorum vanam & maleuolam cogitationem vt Deus videns, atque cognoscens, ei occurrit. Docet hic locus, omnes hominum cogitationes Deo esse peruias & manifestas. Docet idem, quanta debet esse non oris tantum & operis, sed & cordis nostri custodia, ne quid in eo Deum offendat. Monet Propheta: *Auferte malum cogitationum vestrarum*. Et alius: *Quæ dicitis in cordibus vestris, compungimini*. Aquila pullos suos, quos in nido habet, aduersus solem ponit, vt illum veluti auctorem

D vitæ cognoscant; sol enim & animal generant hominem: quos autem videt solem intueri, eiusque radios ferre non posse, è nido tanquã spurios & alienos deturbat. Sic nos paruas adhuc cogitationes nostras, recentérque natas, seu nascentes potius, versus iustitiæ solem dirigamus; vt ad eum oculos leuantes, eum auctorem ac Dominum cognoscant: quę vero Deum intueri nolunt, nec audent, quia terram & carnem respiciunt, tanquam extraneas & illegitimas ab animæ nido, primo quoque tempore eijciamus. Postquam *Dominus est qui scrutatur corda & renes, omniaque sunt nuda & aperta oculis eius*; &, vt ait Sapiens, *Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat*. vel hæc sola consideratio ab impietatis studio auocare deberet. Quod fecit Dauid, dicens: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear*. Quare D. Basilius interrogatus, *cuius animus temerè euagatur, otioque se dat, quis frequenter irascitur, quis humanas laudes auidè captat, quis ad opera spiritualia piger est, quis actiones suas ad Dei gloriam non refert, quis interorandum mente semper distrahitur*, ad hæc singula hoc vnum respondit: *Qui non semper cogitat, Deum cogitationum & actionum suarum inspectorem esse. Hæc enim vna recordatio, si assidua esset, contra omnia vitia sufficiens remedium esse posset*. Hæcille. Id his exemplis patebit. Sancto Ephrem commorante Edessæ, meretrix quædam per fenestram eius prospiciens, Tecum, inquit, dormire volo.

Cogitationes Deo patentes.

Esaiæ 1. Psal. 4. Simile. Plin. li. 10. ca. 3. De præsentia semper cogitanda. Ierem. 7. Hebr. 4. Prou. 5. Psal. 15. In Reg. breu. resp. 21. 28. 34. 37. 196. & 201. Exempla. In vita eius apud Surium, to. 2. p. 770.

Tum ille, Si vis, inquit, mecum dormire, ego locum designabo. Illa annuente, Non alio, inquit, A
In vita eius, li. 1. ca. 13. Sur. to. 2. loco tecum congrediar, nisi in medio ciuitatis. Illa pudorem allegante, Et quomodo, ait Ephrem, non te pudet coram Dei oculis id facere? Quo sermone capta ipsa meretrix est; & non ita multo post conuersa, monasticam vitam egit. Sic & Sanctus Vincentius, Ordinis Prædicatorum lumen illustre, meretricem quandam in cellam eius de nocte introductam, precioque conductam, vt integerrimam eius castitatem violaret, loci arcanum nihil attendens, sed Deum præsentem ante oculos habens, grauissima oratione commonefactam atque
M. *Marulus li. 3. c. 2* compunctam, è cella expulit. Panusius Abbas à Thaide meretricula tentatus, quum se assentiri simularet, si loco aliquo ita secreto conuenire possent, vt à nemine conspicerentur; cum ab illa de cubiculo in cubiculum deduceretur, semperque conspectum alicuius causaretur, & illa locum ita secretum atque occultum esse deieraret; vt à nemine, præterquam à Deo, illic conspici posset; captata occasione, rogat an Deum esse, & omnia videre, crederet? Annuenti ille subiunxit: Cum hoc non ignoras, nonne infelicissima es, quæ propter breuissimi temporis voluptatem, & te, & omnes quibus tui copiam facis, perditum eas? His auditis, vehementer compuncta pudicè postmodum, castèque vixit. Sic isti omnes hunc versiculum tenebant: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*, &c. *quem quidem omnes* (ait
Collat. 12. ca. 5. Cassianus) *solita psallendi modulatione concinimus, virtutem vero eius non nisi pauci, expertique per-* B
Apophth. Laert. li. 1. Cic. li. 3. de Legib. Fugos. li. 7 ca. 2. Laer. li. 1. Epist. 10. *cipiunt*. Quanquam & ipsi ethnici videre hoc potuerunt. Tales Milesius dicebat, *Homines existimare oportere, deos omnia cernere, deorumque omnia esse plena; & ita fore omnes castiores, si, Deo teste & inspectore, se omnia agere crederent*. Quam sententiam sic alius ethnicus laudat, vt dixerit: *Omnem virtutis philosophiam hoc vno verbo vir sapiens complexus est*. Athenogorus quoque alius Philosophus dicere solebat, ita cum hominibus homines viuere debere, ac si Deus omni loco ac tempore actiones nostras intueretur. Quare idem Thales rogatus, *an homo malè agens deos lateret*; respondit, *Ne cogitans quidem*. Sed & Seneca scripsit: *Sic viue cùm hominibus, quasi Deus te videat*. Adeo & illi videre potuerunt quod nos non aduertimus, dicente iterum Scriptura: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos*. Ideo Deus euelleret, quia semper ante oculos habetur.
Psal. 24.

4. *Si licet sabbatho curare?*

Festorum celebratio. LOcus moralis de pia ac religiosa festorum celebratione. Cum enim Christus hoc loco superstitiosam sabbathi Iudaici celebrationem taxauerit, & correxerit, illi autem sabbatho Iudaico Dominica dies, aliaque Christianorum festa successerint; satis opportunè de simili C
superstitione in festis nostris cauenda, adeoque de legitima & religiosa eorundem celebratione, dicere hoc loco concionator potuerit. Præceptum de obseruando sabbatho non prohi-
Iudæorum superstitio. bebat vlla opera necessitatis, aut charitatis erga proximos. Necessitatis opera non fuisse interdicta Christus hic docet, quia bouem aut asinum de fouea extrahebant Iudæi, ne periret: quibus tamen alij Iudæi magis erant superstitiosi, vt de Salomone quodam Iudæo, cum olim in Anglia Iudæi versarentur, nostri Annales referunt. Quum enim in cloacam die sabbathi cecidisset, nec inde eo die extrahi vellet, dicens:

Sabbatha sancta colo, de stercore surgere nolo:

ex sententia iudicis loci, die Dominica sequenti non fuit extractus; respondente ei patrefamilias, cum quo versabatur:

Sabbatha nostra quidem Salomon celebrabis ibidem.

Num. 28. Sed & iuxta Legem sacerdotes in templo operabantur in sabbatho; coquere quoque in sacrificiorum vsum in sabbatho licebat: Machabæi etiam necessitate compulsi, bellum in sabbatho
Contra Adimantum, c. 2. prosperè gerebant. Ad charitatis opera quod attinet, sic S. Augustinus: *Sabbathi obseruationes non intelligebant Iudæi qui putabant ab iis etiam operibus, quæ ad salutem hominum valent, debere cessari*. Sic
In decret. tit. de fer. C. Conquestus. igitur statuit lex Christiana: Omnibus solennibus feriis in honorem Dei, & Sanctorum institutis, nisi vel necessitas vrgeat, vel pietas suadeat, ab omni strepitu iudiciali, & consequenter ab D
Opus seruile. omni opere seruili, cessare oportet. Quid sit autem opus seruile, ex hac D. Thomæ distinctione explicari poterit: Quatuor sunt genera operum. Quædam sunt opera animi, vel quæ præcipuè referuntur ad animum; vt studere, docere, legere, scribere literas, &c. Huiusmodi non prohi-
D. *Thom. 22. q. 122. art. 4. ad 3.* bentur quidem die festo, etiam si fiant propter lucrum; quia non sunt seruilia, sed liberalia; nec naturam operis, finis operantis mutare potest: quatenus tamen Dei cultum impediunt in festis requisitum, non absque peccato fiunt. Quædam sunt opera corporalia, communia tam seruis quàm liberis, vt equitare, militare, pulsare instrumenta, venari. Nec hęc prohibentur per se, nisi quatenus impediunt Dei cultum, cui dies isti maximè destinantur. Alia sunt ope-
Extr. de ser. can. 1. & vlt. ra corporalia, quæ conueniunt tantum seruis, non liberis seu nobilibus; vt artes mechanicæ, quæ omnino prohibentur, nisi vel ex necessitate, vel charitate, vel etiam animi causa fiant, absque spe lucri. Quædam adhuc sunt opera seruilia, non ex natura sua, sed ex constitutione Ecclesiæ, vt mercatus; nisi fortè talis qui semel contingat in anno,

vt stre-

A vt ſtrepitus iudicialis, vt iuramentum præſtare in iudicio. Ceſſandum igitur quidem ab omni opere ſeruili, in diebus diuino cultui ſpecialiter dicatis; ita tamen, vt & neceſſitatis humanæ, & charitatis Chriſtianæ ratio non negligatur. *A ſanctis Patribus noſtris* (ait S. Auguſtinus) *conſtitutum eſt, & Chriſtianis mandatum, vt in Dominicis diebus ocium haberent, & à terreno negotio vacarent: vt paratiores & promptiores eſſent ad diuinum cultum; vt relicta terrena ſolicitudine, facilius in Dei intenderent voluntatem.* Hæc ille. Ser. 251. de temp.

Tria erant Iudæorum ſeu vitia, ſeu errata circa ſabbathi cultum: quæ ſingula ſi vitentur, feſtorum cultum religiosè tenebimus. Primùm obſeruabant in vetuſtate literæ, non in nouitate ſpiritus: non intelligentes quò illa obſeruatio referretur, quidve ſignificaret, & ſic dies & annos, vt Apoſtolus loquitur, obſeruabant. *Iudæi* (ait Auguſtinus) *ſeruiliter obſeruabant ſabbathum, nõ intelligentes ad quarum rerum ſignificationem & prænunciationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apoſtolus, dicens, Dies obſeruatis, & menſes, & annos, & tempora, & in omnibus alijs culpat, qui ſeruiunt creaturæ potiùs quàm creatori. Nam nos quoque & Dominicũ diem, & Paſcha ſolenniter celebramus, & quaſlibet alias Chriſtianas dierum feſtiuitates. Sed quia intelligimus quò pertinent, non tempora obſeruamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus.* Significat autem noſtra dies Dominica, quæ eſt perpetua Reſurrectionis Dominicæ memoria, vt cum Chriſto in nouitate vitæ reſurgamus, quod ſic docet Apoſtolus: *Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem: vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Cultus ergo ſabbathi, eſt totius vitæ puritas & innocentia. Rurſum:
B Chriſti reſurrectio docet nos cœleſtia quærere, ſapere, meditari, non terrena; iuxta illud Apoſtoli: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſunt ſuper terram.* Vitæ ergo puritas, & ceſſare à peccato, quod eſt opus ſeruile; amare cœleſtia, non terrena, perpetuus quidem eſt Chriſtianorum ſabbathiſmus, ſed in ipſo ſabbatho Chriſtianorum accuratiùs tenendus. *Dominico die* (ait S. Gregorius) *à labore terreno ceſſandum eſt, atque omni modo orationibus inſiſtendum: vt, ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Apud Iudæos in ſabbatho duo agni offerebantur, in alijs verò diebus vnus tantùm; præterquam in ſolemnitatibus & Calendis. Typus erat pietatis noſtræ quotidianæ, in feſtis Chriſtianorum geminandæ. Appoſitè ſanctus Chryſoſtomus: *Centum & ſexaginta horas habente hebdomada, vnam & ſolam horam ſibi ſegregauit Deus* (horam dicit Miſſæ, ſeu Liturgiæ Eccleſiaſticæ, cui omnes eo die intereſſe tenentur) *Et hanc in opera ſecularia, & ridicula, & conuenticula inſumis?* Accommodatè quoque Sanctus Ambroſius: *Feſtus dies Domini eſt, vbi perfecta virtutum gratia eſt, quæ tunc perfectæ fiunt, ſi ſolicitudinum ſecularium & corporalis illecebræ victor animus delinimenta voluptatum excludat, liber à ſeculo, Deo deditus.* Hoc eſt ſabbathum delicatum, ſeu ſpirituale, de quo Eſaias Propheta: *Si vocaueris ſabbathum delicatum, & glorificaueris Deum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, tunc delectaberis ſuper Dominum.* Qui ergo diebus Dominicis & feſtis
C laxiùs viuunt, plus peccato indulgent, ſuas voluntates & deſideria magis exequuntur, quàm in cæteris diebus, quos in iuſtis & honeſtis laboribus tranſigunt, iſti planè Iudaicè ad vetuſtatem literæ, nihil minus quàm Chriſtianè in nouitate vitæ & ſpiritus feſtum celebrant de quo mox plura.

1. *Iudæorũ vitia in cultu ſabbati.*

1. *Sab. obſeruatio ſpiritualis, non literalis. Contra Adimant. cap. 16. Galat. 4. Dominicæ cultus quid doceat. Rom. 6. Coloſſ. 3. Epiſt. li. 11. Epiſt. 3. Num. 28. Typus. Homil. de Euchariſt. tom. 3. De Cain. & Abel, lib. 2. c. 2. Eſaiæ 58.*

Aliud Iudæorum vitium erat, quòd ab opere ſeruili in ſabbatho, non ex amore iuſtitiæ, ſed ex timore pœnæ; id eſt, non liberaliter, ſed ſeruiliter abſtinebant. Qui hodie, adueniente feſto, vel gaudet propter corporis recreationem, vel dolet propter lucri ceſſationẽ, is Iudaicè & ſeruiliter obſeruat. Verus Chriſtianus de feſto gaudet, quia in eo liberiùs Deo ſuo vacabit, quaſi ad ſpirituales epulas à Spiritu ſancto inuitatus, dicente: *Guſtate, & videte, quàm ſuauis eſt Dominus. Non enim accepimus ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba Pater.* Hic ſpiritus dilectionis facit ſapere & amare ea quæ Dei ſunt, in Dei cultu delectari, & ſabbatha delicata excolere. Sicut enim *Delicia Dei, eſſe cum filijs hominum;* ſic deliciæ filiorum Dei, eſſe cum Deo; in eius cultu & ſeruitio occupari. Illorum vox eſt: *Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde!*

2. *Sabbati obſeruatio liberalis, non ſeruilis. Pſalm. 33. Rom. 8. Prouerb. 8. Pſalm. 71.*

Aliud Iudæorum vitium erat, quod ſabbathum celebrantes, in ſabbatho gloriabantur, ſicut in cæteris legalibus, quaſi ex nuda illa obſeruatione iuſtificati, nec Dei beneficia illis collata recolentes, nec de illis gratias Deo agentes, nec ex mera Dei & gratuita gratia: ſed iure quodam hęreditatis paternæ, quia ſemen Abrahæ erant, ad peculium & populum Dei ſe pertinere arbitrantes. Sic ad Chriſtum dicebant: *Nos ſemen Abrahæ ſumus; nemini ſeruiuimus vnquam. Pater noſter Abraham eſt. Nos ex fornicatione nati non ſumus. Vnum Patrem habemus Deum.* Sed Chriſtus illis reſpondet: *Si Filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis.* De qua libertate Apoſtolus dixit: *Vbi Spi-*
D *ritus Domini, ibi libertas.* Et iterum: *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati.* Et paulò antè: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et in Euangelio, Zacharias: *Daturum ſe nobis, vt ſine timore inimicorum noſtrorum* (peſſimarum affectionum, quæ faciunt omnia aſpera videri) *liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia.* Hanc liberationem ſpiritualem à ſeruitute peccati, Iudæi agnoſcere nolebant, ſatis habentes, quòd ſabbatha & neomenias, cæteráque legalia feſta & ceremonias celebrarent. Sed de illis Diuus Paulus: *Iſraël ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenerũt: quia nõ ex fide, ſed quaſi ex operibus,* id eſt, vt exponit Auguſtinus, *quaſi legem per ſemetipſos operantes, non in ſe credentes operari Deum.* Vnde iterum Apoſtolus: *Ignorantes Dei iuſtitiam* (id eſt, eam quæ ex Deo eſt, Deique gratia & adiutorio) &

3. *Non de ſabbato gloriari, ſed in eo gratias Deo agere. Ioan. 8. 2. Cor. 3. Rom. 8. Rom. 7. Lucæ 1. Rom. 9. De Spir. & lit. cap. 29. Rom. 10.*

ſuam volentes ſtatuere (id eſt, quæ ex ſeipſis erat, legem ſcriptam ſuis naturæ viribus ſeruantibus) *iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti*, id eſt, Chriſti Mediatoris fidem & gratiam, per quam lex impleretur, non agnouerunt, non ſunt amplexi, nec ei ſe ſubdere voluerunt, vt per eam iuſtificarẽtur. Vnde ſubiungit Apoſtolus: *Finis enim legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti*, id eſt, finis ſeu perfectio legis Chriſtus eſt: quia eius adiutorio lex perficitur, vt alibi idem Apoſtolus: *Finis præcepti charitas. Finem præcepti dixit* (ait Auguſtinus) *non quo præcepta pereant, ſed quo perficiantur.* Sic finis legis Chriſtus, non qua lex euacuetur, ſed qua lex impleatur, idque ad iuſtitiam coram Deo ab omni credente: quia non niſi credentes à Chriſto adiuuantur. Iudæi autem, Chriſti fidem ſpernentes, & conſequenter gratia carentes, *requieſcebant in lege* (ait Apoſtolus,) *gloriabantur in Deo, nouerant voluntatem eius, probabant vtiliora, inſtructi per legem, confidebant ſeipſos eſſe duces cæcorum*, &c. ſed interim, *per præuaricationem legis, Deum inhonorabant.* Et vt Chriſtus illis dixit: *Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis ſeruat eam.* Totam hanc Iudæorum ſuperſtitioſam impietatem corrigit Chriſtianus, ſeruando Eccleſiæ ſabbata, cæteráque tam Dei quàm Eccleſiæ præcepta, nõ opere tantùm externo, frequentando Eccleſiam & Sacramenta; aut ex opere illo externo ſolo, & per ſe coram Deo ſe iuſtificari, aut ſabbatum rectè & legitimè excolere arbitrando: ſed ex fide, & gratia Chriſti ea præſtando, eius beneficia in feſtorum celebritate maximè recolendo, ei de omnibus gratias agendo. Hæc eſt propriè pietas, religio, Dei cultus, & ſabbati obſeruatio: vt in Deo, non in nobis, requieſcamus, vt illi gratias agamus. *Cultus Dei* (ait ſanctus Auguſtinus) *ſeu pietas, quam Græci* Θεοσέβειαν *vocant, in hoc maximè conſtitutus eſt, vt anima ei non ſit ingrata. Vnde & in ipſo veriſſimo & ſingulari ſacrificio, Domino Deo noſtro gratias agere admonemur.* Hoc in Miſſa Catholica fit, clamante ſacerdote, *Gratias agamus Domino Deo noſtro*: populóque reſpondente, *Dignũ & iuſtum eſt.* Hæc eſt ſabbati requies ſpiritualis, in Deo requieſcere, illi de omnibus acceptis beneficijs, cum magna animi demiſſione, magnáque alacritate, gratias agere. *Erit anima ingrata Deo* (ait eodem in loco Auguſtinus) *ſi quod illi ex Deo eſt, ſibi tribuerit, præcipuéque iuſtitiam.* Die igitur Dominico, alijſque feſtis, illa prima cura eſſe debet, vt de omnibus naturæ, fortunæ, maximéque ſpecialis Dei gratiæ donis ac bonis Deo gratias agamus. Hoc ſolùm eſt obſequiũ, quod Deo præſtare poſſumus. *Ille enim bonorum noſtrorum non indiget.* In ſabbatis autem Deo obſequiũ præſtare, Deum ſpecialiter colere oportet. Hic eſt cultus, hoc eſt obſequium, vt non ſimus ingrati; vt humiliter in Deo ſolo, non in nobis, aut fortunis noſtris gloriantes, illum auctorem, benefactorem, ſeruatorem, omne & ſummum bonum noſtrum recognoſcamus. Appoſitè Auguſtinus: *Quod eſt ſacratius laudis ſacrificium, quàm gratiarum actio? aut vnde maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quam pro ipſius gratia, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum? Quod totum fideles in ſacrificio illo fieri ſciunt, quod omnibus veteribus ſacrificijs ſucceſſit, & cuius vmbræ fuerunt omnium priorum genera ſacrificiorum.* Hæc eſt Miſſa Catholica. Nempe vt vetus ſabbatum erat gratiarum actio perpetua, pro liberatione de ſeruitute Ægypti, dicente Moyſe Iudæis, *Memento quòd & ipſe ſeruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento; idcirco præcepit tibi, vt obſeruares diem ſabbati*: eodem planè modo ſabbatum Chriſtianorum, eſt perpetua gratiarum actio, pro liberatione à ſeruitute peccati. Idcirco præcipitur nobis, eo die ſacrificio illi intereſſe, quod in commemorationem mortis Dominicæ offertur Deo. Tunc enim illud commemorámus, de quo Apoſtolus dixit: *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* Hoc redemptionis beneficium in noſtro ſabbato recolimus, *gratias agentes Domino Deo noſtro; quia verè dignum & iuſtum eſt, nos illi ſemper & vbique gratias agere*: vt quotidie in illo ſacrificio canit Eccleſia, in feſtis diebus totus audit populus. Sic Iudæorum vitia & errata vitamus, qui non in Domino, ſed in ſeipſis gloriabantur; nec in Chriſti fide, ac gratia per Chriſtum, ſed in lege ſua requieſcebant. Atque hæc de modo obſeruandi ſabbatum dicta ſunt.

Nunc quanto ſtudio, qua pietate, quo ſpiritus feruore obſeruari ſabbata & feſta Chriſtianorum debeant, pauca, quæ proponi populo poterunt, proferemus. Illud in primis aduertendum, quòd huic ſoli præcepto de ſabbato obſeruando præponit illud Deus: *Memento vt diẽ ſabbati ſanctifices.* Quia videlicet hoc vnum præceptum ex decem, Dei cultum & obſequium concernens, religioſiſſimè retineri, & ſtudioſiſſimè obſeruari voluit. Non enim à naturæ lumine, vt cætera omnia præcepta, dependet; ſed peculiare eſt Dei præceptum, ab eius ſancta voluntate profectum. Vult nos eius memores eſſe, & beneficiorum eius: vt & ipſe viciſſim noſtri memor ſit. Sicuti mercatores, diuerſis in locis poſiti, mutuas ſibi operas præſtant; vt qui Londini in Anglia negotiatur, alterius qui Antuerpiæ in Brabantia mercaturam exercet, negotia tractat, & hic viciſſim, quæ illius ſunt, curat: ſic Deus in cælo reſidens, indefeſſam noſtri curam gerit, modò nos viciſſim, in hoc inferiori mundo, illius cultus & honoris rationem habeamus, de quo puncto vide plura in Dominica 14. poſt Pentecoſten, text. 6. Quòd ſi in feſtis hodie non Dei honorem, ſed noſtras ſectamur voluptates, erunt haud dubiè feſta noſtra Deo exoſa, vt olim Iudæorum ſimili ex cauſa erant, dicente Deo per Prophetam: *Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram. Iniqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras, & ſolennitates odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta: laboraui ſuſtinens, & cum extenderitis manus veſtras, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Sed cur hæc omnia? Sequitur: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*, id eſt, opera veſtra peccato fœdata ſunt, ineptiis & vanitatibus plena. In feſtis veſtris, quæ vobis ſunt oblectamento, non

Ibidem. *Auguſt. de ſpir. & lit. cap. 29.* *1. Tim. 1.* *Præfat. in Pſalm. 31.* *Rom. 2.* *Ioan. 7.* *Gratiarum actio propriè Dei cultus.* *De Spir. & lit. cap. 11.* *Pſalm. 15.* *Contra aduerſar. Legis & Prophe. ca. 18.* *Typus.* *Deut. 5.* *Dominicis diebus Miſſa cur audienda.* *Tit. 2.* *Quapietate ſabbatũ obſeruandum.* *Exodi 16.* *Simile.* *Eſaiæ 1.*

A to,non quæ mihi grata,exercetis choreas,tripudia,ludos,aleas,spectacula,vel inania,vel cruēta, vel etiam turpia. Vos pulpam & musculum voratis,mihi arida ossa relinquitis. Qui amicum ad prandiū inuitat,debet cibos eius palato gratos,non sibi ipsi iucundos,apparare. In festis nostris quasi Deo conuiuium in anima nostra instruimus, eumque hospitio cordis familiarius solito excipimus. Ea igitur facere,ea opera exercere par est, quæ eius sanctæ voluntati grata sint, non quæ carni & mundo arrideant. *Simile.*

Quæ spes ægrotum salutis manet,cum is,adhibitis salutaribus pharmacis, non modò nihil promouet, sed etiam grauius ægrotat? Ad peccatorum remedia instituta esse festa, superiùs ex D. Gregorio dictum est. Si illa peccatis multiplicandis seruiant, quæ spes emendationis expectanda? Si,quo die maximè Deum colere oportuit,eo illum die maximè offendimus: si, vt Propheta loquitur, *Conuertimus in absynthium iudicium,& iustitiam in terra relinquimus*; quid aliud nobis Deus dicturus est,quàm quod paulò pòst sequitur: *Odi & proieci festiuitates vestras,non capiam odorem fœtuum vestrorum?* Sed & alibi acerbius furor diuinus,quasi summam abominationem, festorum abusus,scelera,lasciuias execratur: *Si nolueritis audire,& si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo,ait Dominus; dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum,& assumet vos secum.* Tradunt Rabbini Iudæorum veteres, sabbati sui sanctione adeò offensos diabolos vt ea nullis in populi frequentia vnquam permanserit,sed omnes ab infestatione hominum cessasse; hominibusque relictis,ad deserta & spelūcas effugisse. At hodie dixeris,omne genus B cacodæmonum nostris ferijs illectum atque prouocatum, ex latebris suis in mundum magno impetu prorumpere: vt his potissimum diebus animos miserorum illaqueent,& in nassas suas pertrahant. Ethnicorum hac in parte religio nostras prophanationes condemnabit. Sub Mauritio Imperatore,bello inter Romanos & Hunnos, sub Prisco duce & Caiano Rege, flagrāte, quum Romanus exercitus magna annonæ inopia laboraret,instante festa solennitate Paschali, Caianus ad Priscum misit qui diceret: Mitte ad me currus,& ego tibi alimenta mittam, quibus lætanter hæc festa Paschalia peragas. Misit igitur quadraginta currus,mittens simul ad Caianum aromata Indica, piper, cassiam, & similia: & ei remisit Hunnus alimenta copiosa. Atque ita durante festo, simul frequentabant, sine vllo metu aut suspicione: finito festo, ad arma redibant. Sic illi barbari nostris hodie Ducibus & militibus quanto fuerint religiosiores, hodierna experientia docet. Apud Romanos adhuc Ethnicos, C. Fabius Dorsus memorabile exemplum seruatæ religionis dedit. Namque Gallis Capitolium obsidentibus, ne statutū Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humerisque sacra gerēs, per medias hostium stationes ad collem Quirinalem peruenit: vbi omnibus solenni more peractis, in Capitolium redijt. Si tanti vitrum, quanti margaritum? Si cum capitis discrimine falsos deos colit Ethnicus, in summa pace verum Deum colere Christianus quo pacto C negliget? *Simile. Prophanatio sabbati Christiani. Amos 5. Malac. 2. Lud. Granat. conc. 2. in hanc Domin. Exempla. Nicephor. lib. 18. c. 36 Valer. Max. lib. 1. cap. 1.*

5. *Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit.*

LOcus moralis de proximorum cura,quauis data occasione, habenda, nec vel vllo in periculo ipsorum,vel propter vllam maleuolentiam aliorū,prætermittenda. Christus Pharisæorum obseruationem,& paratam obtrectationem nihil moratus, ad fœdum quoque hominis morbum nihil animo consternatus, hydropicū manu apprehendit,sanat,dimittit. Puerorum est,non virorum, propter canum latratus de via declinare. Modicæ admodum charitatis est,ne homines offendas,ab opere charitatis abstinere. Charitas feruens, & viro Christiano digna, nec hominum improperia, nec rei difficultatem in proximo iuuando exhorret. Sanctus Franciscus,& sanctus Martinus, leprosos homines ex charitate osculantes,curantes, contrectātes,eos à lepra sanauerunt. Sed & sanctus Franciscus occurrens peregrino,Roma venienti, qui in facie morbum horribilem, quasi lepram, habebat, volénsque deuotionis causa pedes peregrini osculari: ipso peregrino humilitatis causa hoc non sustinente, sed faciem ei osculandam præbente, osculatus est,& confestim sanauit. Sanctus Eligius adhuc in habitu laico vitam monasticam agens, pauperi, qui aridā & contractam manum habebat, eleemosynam conferens, iubénsque vt arida manu, non sana, acciperet eleemosynam, eam contrectando & perungendo sanauit. Neque verò, quia in leprosorum, aridorum,& hydropicorum cura religiosa, talia frequenter miracula desunt, minus propterea apud Deum pia illa opera promereri existimandum. D Sanctus Hugo Lincolniensis in Anglia Episcopus,quum leprosos sæpè visitaret & oscularetur, exemplo D. Martini id se facere dictitans,& Cancellarius eius volens tentare,an ea ex re aliqua vana gloria tangeretur,ei diceret,S. Martinus leprosos osculando sanauit, tu leprosos, quos oscularis, non sanas; piè & sapienter respondit: *Osculum Martini carnem leprosi sanauit, osculum verò leprosi animam meam sanat.* Certè viri iusti quo Deo coniunctiores,eo semper ad proximos iuuandos feruentiores fuerunt. Abraham patriarcha sedet in ostio tabernaculi sui, expectans transeuntes pauperes, & peregrinos,vt eos inuitaret, hospitióq; acciperet, idque in ipso meridie,& feruore diei. Adeò illū nec æstus diei, nec hora refectionis impediuit, quo minùs hospitalitatis curam gereret, proximoq; iuuādo operam daret. Bonus Tobias,vbi aliquem ex fratribus con- *Proximi quauis data occasione iuuādi. Simile. Exempla. S. Bonauē. & Seuer. Sulpit. in vitis eorū. S. Bonau. cap. 2. Invita eius lib. 1. c. 14. Invita eius c. 14. apud Sur. to. 6. Exempla Genesis 18.*

Tob.2. captiuis iugulatum in platea mortuum iacere audiuit; *exiliens de accubitu suo, & relicto prandio, ieiunus peruenit ad corpus*: vt postquam illud sepelierat, tũ demũ *manducaret panem cum luctu*. Et hoc ille fecit, cum ob similia pietatis opera, iã semel atque iterũ de vita periclitatus fuisset. Hæc eius charitas, hæc cõpassio calamitatis alienæ, hoc proximo benefaciendi studium fuit. Loth quoque vsque ad serã noctẽ peregrinos domi suæ expectat, eosque contra Sodomitarũ violentiã defendit. *Genesis 19.* *Simile.* Nemo alicui carceri mãcipatus, etiam iam mensæ accumbens, cibũ relinquere recusaret (si tamẽ libertatem suã cordi haberet) audiens pro foribus adesse testes & patronos causæ suæ, qui eius causam plurimum apud iudicem promouerẽt, si tamen eos colloquio præsẽti dignaretur. Atqui pauperes, viduæ, pupilli, & quotquot demum nostra opera & auxilio indigent, in die extremi iudicij, vel in fauorem nostri, si illis opẽ attulerimus, vel cõtra nos si illis opẽ negauerimus, testes erunt, & aut patroni, aut accusatores: vt in aliis Dominicis magis explicatum est. Vt quid ergo illis opera charitatis exhibere quouis etiam tẽpore ac momento recusamus, si in tremendo illo iudicio, causæ & salutis nostræ curam habemus? Certè proximi necessitates negligere, aut illis, quum possumus, & occasio datur, non subuenire, quantopere Deũ offendat, atque in hac etiã interdum vita à Deo vindicetur, hoc vno exemplo constare potest. Pemenes senex solitarius, post multorum annorum pœnitentiam, prædixit se à bestiis deuorandum, eo quòd in sæculo cũ esset, & oues pasceret, transeuntem peregrinum à canibus discerpi & comedi in conspectu suo passus est, quum tamen eum liberare potuisset. Quod & ita factum est. Nam post aliquot annos à bestiis, vt dixerat, & ipse discerptus est. Contrà verò quàm sit res Deo grata, proximum è periculo aut malo liberare, vnus Abimelech Æthiops apud Ieremiã docere potest. Quia enim Ieremiam innocentem in cœnoso lacu deiectum, sua apud Sedechiam Regem intercessione eduxisset, dicitur ei per Prophetam: *Liberabo te in die illa, ait Dominus, & non traderis in manus virorum, quos tu formidas, sed eruens liberabo te, & gladio non cades*, &c. quare tota Hierosolyma paulò pòst ab Assyrijs vastata atque subuersa, ille solus, qui proximum ab iniuria liberauerat, expers periculi fuit. Vide plura in alijs suprà Dominicis.

Post pent. Domin. 8. text. 3. & Domin. 12 text. 6. *Exempla Prat. spir. cap. 167.* *Ierem. 38. & 39.* *Domin. 12. post Pent. text. 6. & Dõ. 11. post Pent. text. 1. & locis illic annotatis.*

A B C

6. *Intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicit ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.*

Contra ambitionem. LOcus moralis contra ambitionem, & prælaturæ desiderium. Hunc locum in aliis Dominicis iam aliquoties tractauimus. Hic tamen quædam addemus, prout Deus dabit. Superiorem locum quicunque ambit, ex sui ipsius ignoratione id facit. Terra enim & cinis quum sit, quantum ex seipso est eleuari, & sursum ferri vult: quod terrenæ naturæ repugnat, cui proprium est deorsum tendere. Vnde Scriptura: *Quid superbis terra & cinis?* Nam & origine, & resolutione terra sumus, de terra orti, & in terram redituri. Vani igitur & stulti superbi vocantur, qui alta petunt. *Vir vanus in superbiam erigitur.* Sicut montes excelsi putantur, & tamen terra sunt, pedémque in infimis habent: sic ambitiosi sublimia petunt, & sublimes sibi videntur; sed terra sunt, & terreris affixi, à verè sublimibus longissimè dissiti. Monet Propheta: *Nolite eleuari, quia Dominus locutus est. Date Domino vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem.* Docet ambitiosos splendorem captantes, in tenebras & ignominiam, Deo vindicante, casuros. Absalon dum contendit pro primo loco, & in paterni regni solium eleuari vult, in quercu suspenditur, & iaculis confoditur. Adonias dum elenatur, viuente adhuc & inscio patre Rege, cita morte interimitur. Abimelech filius Gedeonis, dum per septuaginta fratrum neces, ad primum locum conscendit, maximos in eo labores passus, celeri & infælici exitu interiit. Athalia interfecto toto semine regio, regni solium occupat; sed & ipsa postea interẽpta, documento fuit superborum casus non longè abesse. Quemadmodum aquæ ductus, qui in rota vertuntur, non omnem aquam retinent, sed partim effundunt suam, partim aliorum aquæductuum aquam suscipiunt, & in perpetua volubilitate consistunt: sic homines ambitiosi antecedentes sequuntur, vt eorum loca & honores occupent, móxque à sequentibus se detrudunt; qui eadem ambiunt: atque ita rotati, & ab imo ad summum, à summo ad imum deuoluti, omnem aquam effundunt, vacui demum & inanes sicuti à principio, relinquuntur. Appositè Boërius: *Hæc est nostra vis, hunc continuò ludum ludimus, rotam volubili ordine versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus.* Sic Sapiens superborum labores & cursus comparat *rupto funiculo argenteo, recurrenti vittæ aureæ, contritæ hydriæ super fontem, confractæ rotæ super cisternam, & reuerso puluerì in terram suam vnde erat.* Multo labore & industria funiculus argenteus contexitur, sed vnico tractu rumpitur. Vitta aurea subtili studio contorquẽtur & complicatur, sed semel remissa manu, tota recurrit, & opus frustratur. Hidria ad fontẽ frequenter portatur, & plena frequenter reportatur, sed aliquo tandem casu fracta relinquitur. Rota aquæductus diu multúmque cisternam replet; sed vsu tandem attrita, confringitur. Sic multum diúque superbus inflatur, & terra terram ambitiosè calcat, donec in terram reuersa, vnde orta est, veluti fumus transiẽs, citò euanescat.

Lib. 2. Prou. 2. Eccles. 12. *Simile.* *Eccli 10.* *Iob 11.* *Simile.* *Ierem. 13.* *Exempla.* *2. Reg. 18.* *3. Reg. 2.* *Iudic. 9.* *4. Reg. 11.* *Similia.*

D

A euanescat. *Impij*, ait Esaias, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Redundant fluctus eius in conculcationem & lutum, & non est pax illis.* Sicut enim fluctus semper in motu sunt, & quiescere non possunt, sed vel omnino deficiunt, vel se agitant & propellunt: ita ambitiosi semper sunt inquieti in se, & in aliis, quousque ipsi deficiãt, vel alios, vnde volunt, propellant. Draco, teste Solino, animal ita calidum & sitibundum est, vt nulla quasi aqua satiari possit, ideoque contra spirãtes ventos os aperit, vt sic incendium suum mitigetur. Hac de causa velis nauium à longe prospectis occurrit, tãtoque impetu in velum fertur, vt nauem sæpe subuertat, ipseque pariter in mare præceps cadat. Non minor est ambitionis ardor & sitis; quæ nullis honoribus satiata, vela dignitatum ardenter insequitur, sed tãto impetu, vt simul eos subuertat, qui dignitates quas ambit, præoccuparunt, pariterque seipsum perdat. Narrat Æsopus, bufonem, quum fortè in lacu bouem bibẽtem videret, eius magnitudini sic inuidisse, tantoque desiderio eiusdem magnitudinis flagrasse, vt, dum vehementissime seipsum inflaret, rũperetur. Sic multi ambitiosi, dum vehementer se inflant, vt aliis se maioribus pares fiant, crepant. Dum enim nullum ambitioni modum ponunt, ita sublimia scandunt, vt (quod de Phaëthonte fingunt Poëtæ, vt ambitionis vanitatem idonea fabula exprimerent) cum rotis suis solaribus, cum magnificis suis conceptibus, præcipites in terram cadant. Cibus nimio conditus sale perit, & ad temperatum saporem nulla arte reduci potest: qui minus sale conditus fuit, facilè appositio sale, corrigitur. Sic qui nimium in suo sensu abundant, & nullo loco contenti altiora semper ambiunt ad saniorem mentem vix vlla ratione
B reuocantur. Cui minor sensus inest, vel qui sensui suo minus innititur, ille facilè docetur & corrigitur. Sunt aliquæ interdum oues, quibus propterea nolas ad collum pastor appendit, quæ, quantumcunque sint miseræ, cæteras tamen oues, totúmque gregem omnino præcedere, tanquam dominæ, volunt. Tales sunt ambitiosi, homines ineptissimi, qui omnino volunt Episcopi, Prælati, Principes, & domini esse. Huiusmodi, quia excelsam domum extruere volunt sine fundamento, id est, esse magni & eximij sine humilitate; necessario cadent, & erit ruina eorum magna. Ardea auis altissimè volans scandit, sed est eadem auis fœtida, & tetri odoris. Sic coram Deo & hominibus pessimè olent ambitiosi omnes. Sapienter Seneca: *Relinque ambitũ, tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum: tam solicita est, ne quem ante se videat, quàm ne alium post se. Laborat inuidia, & quidem duplici: & inuidetur ei, & inuidet ipse. Vides quàm hic miser sit. Confragosa in fastigium dignitatis via est.* Hæc ille. Rursum in alia epistola: *Nemo eorum qui in Republ. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit: & nullis non tam iucundum est, multos post se videre; quàm graue, aliquem ante se.* Et adhuc alibi: *Ambitiosus ipsi naturæ vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare: non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse. Quid Cneum Pompeium in Africam, quid in Septentrionem, quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, quum sibi vni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria, & ambitio, & nullus supra cæteros eminendi modus. Vnum ante se ferre non potuit, quum*
C *Respub. supra se diuos ferret.* Hæc ille, iuxta illud Lucani,

Esaiæ 57. Simile. Simile. Apologus. Simile. Similia. 1. 2. 3. Epist. 85. Epist. 74. Epist. 95. Exempla.

Nec fert Pompeiusve parem, Cæsarve priorem.

Porrò vt molesta ac vana in seipsa res ambitio est: ita aut nullius, aut breuissimi fructus. Eleganter Seneca: *Vt vnus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterent.* (Consulatum dicit, magistratum annuum, qualis alicubi hodie Prætura ciuica est.) *Quosdam autem, cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas reliquit. Quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignitates irrepsissent, misera subit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri.* Demadis statuas (ait Plutarchus) deiectas & obrutas, ac inde ad vascula quædam per contumeliam conflatas, accepimus. Prægrandes honores, vtpote superbi & tumidi, æquè vt corpora vastæ & immoderatæ proceritatis, citò simul & facilè corruunt. Hæc ille. Sapienter Phauorinus Philosophus homines ambitiosos partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles dixit. Ridiculos, qui ad maiora aspirant; odiosos, qui ea consequuntur; miserabiles, qui spe falluntur. Quandoquidem in ijs rebus, quas ardenter exquisierunt, nihil minus inuenerunt, quàm quòd se adepturos sperabant. Bion Boristhenes percontanti quis esset maximè anxius? Qui in maximis (inquit) rebus cupit esse fortunatus. Is enim mille curis distorquetur, vt assequatur ardua; & assequutus æquè torquetur ne amittat. Timon ille cognomento μισάνθρωπος, elementa malorum esse dixit, auaritiam & ambitionem. Quemadmodum enim ex primis, illis & secundis principiis omnia generantur naturaliter; sic ex auaritia & ambitione omnia vitia generantur alia. Salubriter ergo
D nos docet sacra Scriptura: *Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris, & penes Regem noli velle videri sapiens.* Et iterum: *Ne gloriosus appareas coram Rege, & in loco magnatum ne steteris. Melius est enim vt dicatur tibi, Ascende huc, quàm vt humilieris coram Principe.* Ac rursum: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus.* Taurus elatum, ferox, & ceruicosum animal est, & in corde eius os inuenitur instar lapidis durum. Sic ambitiosi, elati, superbi, feroces incedunt, cor lapideum gerunt, in proximos duri, in Deum proterui. Sed vt taurus sub arbore ficu alligatus subitò mansuescit; sic ambitiosus Christo crucifixo adhærens, discet esse mitis & humilis corde. Contra ambitiosos comminatur Scriptura: *Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur limen.* Hebræum habet, *transilierunt limen*, quod faciunt, qui per saltum promoueri volunt, & limen

Li. de breuit. vitæ, cap. 19. *In Politica Exemplũ.* *Simile.* *Stobæus Serm. 2. de prouident.* *Apophth. Laert. lib. 4. cap. 7.* *Stob. Ser. 8 de iniust.* *Eccli 7.* *Prou. 25.* *Eccli 6.* *Simile.* *Berchor. li. 10. c. 94.* *Sophon. 1.*

Simile. inferiorum graduum,vel propriè ſenſualitatis, prius non calcauerunt. Sicut Eleazarus in bellis Machabæorum ſubiens elephantem, occidit eum,& ab elephante viciſſim fuit occiſus, mole cadentis corporis obrutus:ſic ambitioſi,dum alios ſubeuntes, quaſique actis fraudum cuniculis ſubuertentes ſuo loco deiiciunt, eorum caſu ſæpe obteruntur,vel ob facti inuidiam, quæ mox conſequitur; vel ob eorum vindictam,qui cadentem vlciſci volunt. Sic multi Imperatorũ occiſores vt ipſi imperent,ab aliis mox occiduntur ad Imperium aſpirantibus. *Exempla.* Exempla ſunt, Vitellius, Otho,Galba, Phocas,Leo Armenius,Michaël Balbus,Andronicus, Iſaacius,& plurimi alij,vt in Suetonio,Cuſpiniano,Zonara,Niceta,Ioanne Bapt.Egnatio, Sexto Aurelio Victore, & alijs,qui Imperatorum vitas ſcripſerunt,obuium eſt videre. A

7. *Cum vocatus fueris,vade,recumbe in nouiſsimo loco.*

Humiliatio ſui. Vide Dom. 11.poſt Pẽt. text.7.& loca illic annotata. LOcus moralis de ſui ipſius perpetua humiliatione. Hunc locum etſi in variis iam Dominicis explicuimus; pauca tamen, prout Deus dabit, etiam hoc loco addemus. Sicut vmbra corpus,ſic honor virtutem ſuapte ſponte,non expetitus ſequitur. Quemadmodũ ergo qui vmbram ſuam captare vult, in terram ſe proſternere neceſſariò debet; ita qui verũ honorem adipiſci vult, humiliare ſeipſum, omnique ſeſe honore priuare,& indignũ ducere oportet. Humilitas in honore, honor eſt ipſius honoris, & dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipſo dignitatis nomine indigna eſt, ſi humilia dedignetur. Humilitas autem ſine honore, ipſa ſibi ſufficit ad honorem,ſicut honor ſine humilitate ſeſe perducit ad confuſionem. An non ille verè ſublimis eſt,qui loco deiici non poteſt? Atqui qui iacet in terra, non habet vnde cadat: qui ſeipſum humiliat,ab alijs humiliari non poteſt. Dicit Propheta in deſcribenda gloria Domini: *Et ea quæ ſub ipſo erant,replebant templum.* In quæ verba D.Bernardus: *Vide vt ſub ipſo inueniaris:alioquin non poteris eſſe cum ipſo. Quid enim? Putas indifferenter admittet homines in illud tantæ beatitudinis tẽplum,qui ne Angelos quidem ipſos indifferenter reliquit in eo? An non diſcernat inter glebas,qui diſcreuit inter ſtellas? Examinabit certè argentum, qui ipſum quoque aurũ probauit & reprobauit. Qualẽ verò putas neceſſe eſt hominẽ inueniri,qui repudiati locũ Angeli ſortiatur? Planè immunẽ ab omni iniquitate,ſed ab ea maximè, quæ in ipſo quoque Angelo inuenta eſt, ad odiũ ſempiternum. Sola Deo placet humilitas, ſiue in Angelo,ſiue in homine: & qui ſedit in throno, ſolos elegit ſubditos, è quibus repleat templum.* Quid enim? An qui Angelum ſuperbum è cœlo deiecit, hominem ſuperbum in cœlo collocabit? Sanè verbis diſertiſſimis humilitatem ad cœli ingreſſum neceſſariam Saluator docuit,dicens: *Niſi conuerſi fueritis* (ab innata ſuperbia) *& efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte,hic eſt maior in regno cœlorum.* Paruulus,qualem Chriſtus aduocauit, omni loco contentus eſt,nemini ſeipſum præponit, nullum honorem appetit. Tales nos eſſe oportet. Tales autem ex noſtri conſideratione ſumus. B C *Matth.18.*

Cæterùm non tales tantùm, verùm & alio modo humiles nos eſſe oportet: non ſolùm vt paruuli ſunt, ſed vt Chriſtus erat: illo dicente; *Diſcite à me,quia mitis ſum & humilis corde.* Longè maior hęc illa eſt,& æquè neceſſaria. De vtraque ſic D. Bernardus: *Eſt humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem; & eſt humilitas quam charitas format, & inflammat. Hæc in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Priore cognoſcimus quàm nihil ſumus, & hanc diſcimus à nobis ipſis,& ab infirmitate propria: poſteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo diſcimus, qui exinaniuit ſemetipſum, &c. Qui quæſitus ad regnum, fugit; quæſitus ad opprobria & ad crucem, non fugit, ſed ſponte ſe obtulit.* Hoc eſt recumbere in nouiſſimo loco,fugere excelſa,& id velle alios de te ſentire,quantum ex te eſt, quod veritate conuictus tu ſentis de teipſo. Illuſtre eſt exemplum D. Auguſtinus, qui ſic de ſeipſo ſcribit: *Quod eſſe potui, eſſe nolui; & tamen non quæſiui eſſe quod ſum. Elegi enim abiectus eſſe in domo Dei mei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Non enim in conuiuio Domini mei ſuperiorem locum elegi, ſed potius inferiorem & abiectum. Sed placuit illi mihi dicere; Aſcende ſuperiùs.* Et poſt pauca: *Adeò timebam Epiſcopatum,vt, quoniam cæperat iam eſſe alicuius momenti, inter ſeruos Dei, fama mea, in quo ſciebam non eſſe Epiſcopum, non illo accederem. Cauebam autem hoc,& agebam quantum poteram,vt in loco ſalubriter humili, & non in alto periclitarer: ſed Domino ſeruus non debet contradicere, cui placuit mihi dicere: Amice,aſcende ſuperiùs.* Hæc ille. Diuus Ambroſius populi acclamatione in Epiſcopum poſtulatus,multis aliis tentatis vt Epiſcopatum excuteret, tandem publicas mulieres publicè ad ſe ingredi fecit; ad hoc tantum, vt viſis his, populi intentio reuocaretur. Nilammon ſolitariam vitam agens, à populo in Epiſcopum expetitus, quum eum Theophilus Patriarcha Alexandrinus ordinare vellet, tempore ad precandum petito, expectante Patriarcha, inter precandum moritur; mortem à Deo potius expetens,quàm Epiſcopatus honorem, cui ſe imparem iudicauit, acceptans. Plura huius rei exempla in alia Dominica protulimus, & apud Marcum Marulum adhuc plura videre licet. Illud quod D. Hieronymus narrat, prætermitti non debet. Senex quidam (inquit) eremi cultor, & Spiritu Sancto plenus, nepotem ſuum quærentem,vtrum Epiſcopus electus, munus accipere deberet,ſuper diſco ſatis altè à terra erecto, diu fecit volutari. Cúmque ille poſtremò caſum ſe timere dixiſſet,iuſſit vt deſcenderet,atque itidem ſuper latam mollioris ſoli planiciem ſeſe agitaret. Ex multa volutatione ſudanti ac defeſſo, Surge, inquit,& iã facere perge, quod tutius factu putas. Itaque edoctus de præeminentiæ periculo iuuenis electioni D *Matth. 11. Duplex humilitas.* *Exempla 1. Serm.5. ad fratres in eremo:& Poſsidonius in vita eius,c.4 2. Paulinus in vita S. Ambroſij. 3. Niceph. lib.13.c.17 Hiſt. Eccl. Domin. 4. Quadrag. text. 6. Marulus lib.1.c.6. 4. In Regul. Monac. cap.15.*

A ctioni renunciauit. Aliud exemplum subiiciam, quod in Marulo non habetur. Quum iam tempus adesset, quo sacerdotio initiandus esset Sanctus Hugo, monachus Carthusianus, postea Episcopus Lincolnienſis, interrogauit eum Senior, an sacerdos fieri vellet? Moxille ex magna deuotione ait: Quantum in me est, nihil est quod magis velim in hac vita. Cui Senior, Et tu, quomodo (inquit) hoc audes appetere, quod nemo dignè nisi coactus suscipit, etiam si perfectæ sit sanctitatis? Territus Hugo tam dira Senioris obiurgatione, confestim toto corpore humi prostratus, veniam cum lachrymis precatur. Videns Senior tantam in eo humilitatem, non sacerdotium modò, sed & Episcopatum ei prædicit. Sed & postea, quum ab Henrico II. Anglorum Rege ad monasterij Carthusianorum præfecturam postulatus, fratribus Carthusianis super eo postulato multum dubitantibus, interrogatus ipse quid sibi videretur, respondit: *Voluntati meæ de statu meo nihil penitus reseruare iam pridem edoctus sum. Quid autem de his verè sentiam, liberè exponam. In medio vestræ sanctitatis tam diu conuersatus, monitis & exemplis vestris adiutus, nunquam vel vnum diem animam meam seruare noui: Vnde miror profectò quomodo cuiquam sapienti in mentem venire potuit, vt ad aliorum regendas animas longius mitti ego debeam. Alium ergo ex vobis mittite, vt Regi satisfiat.* Hæc sanctorum virorum sancta semper humilitas fuit, nouissimum semper locum appetere, & superiori loco, quo digniores erant, eo se magis indignos existimare. Hodie tam sancti & perfecti sumus, vt quàm primum sacerdotij ætatem attigimus, & in artibus magisterij gra-

B dum adepti sumus, nisi confestim sacerdotio initiemur, iniuriam nobis factam luculentam putemus. Sed qui tam citò non vocati ascendunt, æquè citò à domino conuiuij, vt indigni, repelluntur, & infimo gratiæ loco iacere permittuntur. Sola sui humiliatio idoneos ad dignitates rite capessendas facit. Quemadmodum faber ferrarius ferrum in fornace prius mollit; quod vbi fecerit, in quamuis illud formã, sine vllo negotio, fingit ac refingit, quod in frigido ferro nullo modo facere posset: sic humilitatis virtus animum mollem ac tractabilem facit, vt quaslibet in eo alias virtutes (ad honores requisitas) Deus facilè operetur; quod in superbis mentibus fieri nequit, quas frangere citiùs, quàm ad virtutem inflectere possis. Auicula recens ouo exclusa, implumis adhuc, & victum sibi quærere nescia, hoc vnum remedium habet, vt assiduo gemitu & clamore à matre foueri ac pasci petat. Anima humana non secus per peccatum originis nudata, & omni virtute spoliata, assiduis precibus, & perpetua humilitate opus habet, vt à Deo suo foueatur, nutriatur, & idonea ad volatum fiat, idonea ad iustos vel in Repub. vel in Ecclesia in hac vita honores, & sempiternam in altera vita gloriam.

Certè hanc sui humiliationem, vt veræ Philosophiæ potissimam partem, ipsa Ethnicorũ tum verba, tum facta docere nos possunt. Sic enim scripsit Plutarchus: *Quemadmodum è vasis liquorem aliquem recipientibus aër inanis expellitur; sic qui in philosophiæ studio veris implentur bonis, fastum*

C *exuunt, mitioremq; de se concipiunt opinionem.* Et paulò pòst: *Hæc pertinet quod à Menandro non minus verè quàm eleganter dictum est, Complures esse, qui Athenas nauigent philosophiæ gratia, primùm sapientes, deinde sapientiæ amantes, seu Philosophos, ac mox Rhetores, neque ita multo post idiotas, rerúmque omniũ ignaros sese appellare. Quo enim magis cuique ex Philosophia accedit rationis, eo plus decedit fastus & arrogantiæ.* Hæc ille. Si ratio, & humana sapientia docere hoc potuit, tanto quemque de se submissius cogitare debere, quanto plus in sapientia profecit; quæ & qualis nostra confusio erit, quibus nec diuina Sapientia sacrarum Scripturarum, nec Redemptoris nostri tam exemplum, quàm doctrina, nec tot Sanctorum, qui eum imitati sunt, vestigia, hoc adhuc persuadere potuerunt? Exemplum porrò huius submissionis Plato, Philosophorum maximus, in seipso ostendit. In Olympiade quadam, cum ignotis hominibus ignotus etiam ipse contubernium instituit, frugaliter cum eis conuiuando, & totum diem commercium agitando. Sed neque Academiæ, neque Socratis mentionem vllam fecit: solum hoc eis indicauit, se Platonem appellari. Cùm verò Athenas ventum esset perhumaniter eos recipit Plato. Tum hospites, Age, inquiunt, monstra nobis Platonem, tibi cognominem, discipulum Socratis, & duc nos in Academiam eius, sistéque nos coram homine, vt aliquam etiam ab eo vtilitatem capiamus. At ille clàm subridẽs, Ego verò, inquit, ille sum. Quòd cum audissent, obstupuerunt, quòd ignorassent se tanti viri vti

D familiaritate, qui sine iactantia omni, & sine doctrina, secum esset conuersatus. Hæc ibi. Magna hæc animi moderatio erat, inter ignotos nec videri quod erat, nec eruditionem iactare, nec superiorem locum, aut existimationem sui ambire, sed omnia dissimulare. A tali præceptore didicerat Aristoteles, anulo suo hoc dictum insculpere: *Doctior est, qui quod nouit, abscondit; quàm qui quod nescit, patefacit.* Maior tamen & vera pietas S. Piamonis eremitæ fuit, qui *post viginti quinq; annos abstinentiæ, oblatam sibi à quodam fratre vuam ac vinum absque hæsitatione suscipiens, confestim ea, quæ ingesta fuerant, contra consuetudinem degustare, quàm ignotæ cunctis continentiæ maluit propalare virtutem.* Hæc Cassianus. Sed & S. Franciscus, vt se in maxima vitæ sanctitate despicabilem redderet, *non parcebat ruboti, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus*, vt scribit in eius vita S. Bonauentura.

5. *Inuitaeius ca. 4. apud Sur. tom. 6 p. 388.*

6. *Ibid. cap. 5.*

Sui humiliatio idoneum facit ad dignitates.

Similia.

Simile.

In l. de profectu morũ

Exempla. Ælian. de var. hist. lib. 4.

Apophthe. Petr. Appianus in titulis antiquis.

Collat. 17. cap. 24.

Cap. 6.

A

3. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur.*

Dō. 10. post Pent. text. 7. & 8. aliisque locis ibi annotatis.

HVnc locum, seu potiùs hæc duo loca de superbiæ pœna, & humilitatis mercede, iam in alia Dominica, vbi eadē verba Christus dixit, explicatè tractauimus. Sed & illa ferè omnia, quæ vel contra superbiam, vel pro humilitate in tot aliis Dominicis iam toties tractata sunt, adeóque in duobus proximè præcedentibus locis, ad horum verborum tractationem commodè & salubriter referri possunt.

EVANGELIVM DOMINICÆ XVII.

POST PENTECOSTEN.

B

Matth. 22. ACCESSERVNT ad Iesum Pharisæi, & interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illis IESVS: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ. Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere ei verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

C

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Interrogauit eum vnus ex eis Legis Doctor, tentans eum.* Contra malos magistros, & doctores vana scientia inflatos, solida virtute destitutos.
2. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* De Deo super omnia diligendo.
3. *Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum.* De dilectione proximi.
4. *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.* De charitatis admirabili virtute, efficacia, perfectione.

1. *Interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum.*

Mali doctores.

LOcus moralis contra malos magistros, & doctores vana scientia inflatos, solida virtute destitutos. Hic Legis Doctor & Pharisæus, atque adeò princeps aliquis eorum, (quum enim plurimi eorum ad Christum accessissent, *& in vnum conuenissent*, vt Matthæus scri- D
Matth. 22. bit; hic, quasi dux verbi, primus & solus loquitur) scientia sua magis inflatus, quàm vera pietate imbutus, accedit ad Christum, non vt virtutē discat, sed vt interroget; nec vt interrogando, aut doctior aut melior fiat, sed vt tentet Christi seu doctrinam, seu pietatem. Nihil virum verè doctum, & scientiæ professorem magis dedecet, quàm inanis ista, planéq; puerilis iactatio, aut superba alienæ eruditionis & curiosa inquisitio. Qui nec ad Dei gloriam, nec ad aliorum ædificationem, nec ad suam salutem scientia sua vtitur, sed ad alior ūcontemptum vanè & superbè ab-
1. Cor. 13. utitur, *factus est* (vt Apostolus loquitur) *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*: hæc enim sonitum dant, quia vacua sunt & inania. Quod de Gentium idolis curiosè fabrefactis dixit Ieremias:
Ierem. 10. *Stultus factus est omnis homo à scientia, confusus est artifex omnis in sculptili, quoniam falsum est quod conflauit, & non est spiritus in eis*: idem de doctoribus & magistris virtute vacuis dici debet. Stulti sunt in scientia sua, confusi sunt in doctrinis suis, quia falsum est totum quod magno studio collegerunt, & non est spiritus in eis, non est vita virtutis, non est actio vitalis, *non ambulant dignè*

Deō,

A *Deo, non fructificant in opere bono, non crescunt in scientia Dei*, sicut de illis qui verè *implentur omni sapientia, & intellectu spirituali*; scribit Apostolus. Verè idola sunt: *Oculos habent, & non vident; pedes habent, & non ambulant; manus habent, & non palpant; aures habent, & non audiunt; nares habent & non odorant.* Omnia instrumenta virtutis habent, sed illis non vtuntur. Vident meliora, deteriora sequũtur. Affectus habent, sed non mouẽtur ad bonum. Opera habent, sed quæ sensu pietatis carent. *Dominus Deus aperuit eis aurem: sed illi contradicunt, & retrorsum abierunt.* Nares habent, *sed in odorem mortis, non vitæ.* Audiant isti Apostolum, qui quod Iudæorum malis magistris dixit, idem illis dixisse putandus est. *Si tu Iudæus cognominaris* (Doctor legis, & magister noster vocaris) *& requiescis in Lege*, probas & profiteris illam, *& gloriaris in Deo*, quem te scire & docere ais, *& nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per Legem, confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in Lege; qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deũ inhonoras? Nomen enim Dei propter vos blasphematum est inter Gentes, sicut scriptum est.* Nec minus hodie inter hæreticos, & infirmos Catholicos, sicut experientiâ probatum est. Tales doctores quum multos libros euoluisse videantur, tamen duos libros maximè necessarios nunquam videntur inspexisse. Vnus est liber conscientiæ propriæ, alter est liber vitæ Christi. Si enim in priori libro tria tãtum
B folia diligenter legissent, qui à principio fuerint, qui nunc sint, & qui paulò post futuri sint; in posteriori autem libro duo folia studiosè examinassent, Christi diuinitatem, maiestatem, gloriã, ad cuius participationem vocantur; & eiusdem humanitatẽ, quanta in ea pro nobis fecit, & passus est: meliores profectò doctores, sibique & aliis vtiliores extitissent. Si equus nobilissimus, generosus, ferox, optimè nutritus, pulcherrimè phaleratus, domino iam insidente, & in campum producente, vt generositatis suæ specimen aliquod illustre edat, nihil nisi excrementa sua, & immunditias egerat, nonne & ridiculum aliis spectaculum, & domino suo exosum pecus erit? Tales sunt magni magistri & doctores, qui post multa studia, post adeptos titulos, post magnam expectationem, nihil nisi suas sordes & immunditias, superbiam, inuidiam, luxuriam, auaritiam proferunt. Nec seipsos docent, nec alios ædificant, imò grauissima scandala, & onera, & inquinamenta in domo Dei sunt. Sicut inter vestimenta supremus quidem locus pallio datur, non quia preciosius aut carius est, sed quia vilius, ideóque vt id solum maculetur, & compluatur; & sicuti in tota domo eminentior locus est caminus, non quia dignior pars domus, sed vt per illum fumus exeat, quo totus denigrabitur: sic omnino in Ecclesia Dei & Republ. mali doctores ac magistri scientiæ quidem nomine ac titulo præeminent, & loco excelsiori consistere videntur; sed sicut pallia & caminus, sicut sordium receptacula, non sicut (quod
C esse debebant) lucernæ in domo, & ornamenta in corpore. Sicut montes communiter sunt ad pascendum fœcundi, & gramina gestant puriora, imbrésque cœlestes citiùs & puriùs suscipiunt quàm valles, fontésque in eis scaturiunt, qui in valles descendant; aliquando tamen horridi, & planè infrugiferi conspiciuntur, nihilque illa regione infælicius est, quæ tales montes habet: sic doctores & magistri deberent sanè boni pastores esse, fructus bonorum operum vberiores proferre, gratiarum munera copiosiùs suscipere, alijsq; suscepta impartire; sed interdum, & vtinam non frequenter, horridi & steriles sunt; nihilq; illa vel schola, vel Republ. vel Ecclesia miserius, quàm vbi tales magistri & doctores vel docent, vel præficiuntur, vel cathedras occupant. Sicut pictura statum habere non potest super inane, sed aliquid solidũ ei substerni necesse est: sic sciẽtia consistere nõ potest in vlla pulchritudinis forma, nisi pro fundo virtutem habeat. Vnde Propheta, vt iuxta Septuaginta legit D. Bernardus: *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, & tunc illuminate vobis lumen scientiæ. Vltimam posuit scientiam* (ait D. Bernardus) *tanquam picturam. Securus iam intendam scientiæ, si vitæ prius per beneficium spei, securitatem accepero. Tu ergo seminasti tibi ad iustitiam, si ex vera notitia tui euigilasti timere Deum: si & noueris ipsum, vt æquè illum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero consummaris: quia initium sapientiæ est timor Domini, & plenitudo Legis, charitas.* Hæc ille. Hi sunt duo libri, de quibus modò diximus. Hunc locum in alijs suprà Euangelijs vberiùs
D tractatum vide.

Coloss. 1.

Malidocto res idola.

Psalm. 113. Esaiæ 50.

2. Cor. 2.

Rom. 2.

Duo libri doctoribus necessarij.

Similia.

1.

2.

3.

4.

Oseæ 10. Ser. 37. super Cant. Domin. 2. Aduent. text. 4. Dō. 3. Aduent. tex. 3, Dō. 2. post Pasc. tex. 2 & 3. Dō. 3. post Pent. tex. 1 & Dom. 12 post Pent. text. 2.

2. *Diliges Dominum Deum tuum ex totò corde tuò, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.*

LOcus moralis de Deo super omnia diligendo. Hunc locum etsi in aliis Dominicis aliquoties iam tractauimus, adeóque hæc ipsa verba; tamen quia de hac capitali virtute nihil satis dici potest, aliqua addemus, prout Deus dabit. Quemadmodum enim, qui tabellam artificiosè depictam intuetur, licet eam sæpius contẽplatus fuerit, aliquid tamen semper nouũ in ea inuenit, quod laudet & obseruet: & sicuti qui in hortũ variis & pulcherrimis floribus ac plantis consitum ingreditur, licet frequenter per illum transeat, aliquid tamen semper videt, quod colligat, quale priùs non collegerat; sic in tam excellenti præcepto, quod toties etiã Scriptura tam vetus, quã noua inculcat, non deerit aliquando quod de nouo obseruari & doceri poterit. Præceptum de diligendo Deo super omnia, nunquam satis inculcari, repeti, & tractari potest.

Amor Dei super ōnia. Dō. 12. post Pent. tex. 3 & locis ibi annotatis. Similia.

Quemadmodum enim viatori, qui iter viginti millium leucarum conficiendum haberet, etsi A
quingentas iam, aut sexcentas confeciſſet, ne tamen ſubſiſteret, aut ſatis ſe promouiſſe exiſti-
maret, meritò reliquum adhuc longiſſimum quod illi ſupereſt iter ante oculos ponẽdum eſſet,
vt ex eius conſideratione ambulare non deſinat: ſic omnino nobis adhuc viatoribus, in via man-
Philip. 3. datorum Dei ambulantibus, quantumcunque in virtute progreſſis, ne tamen *ad ea, quæ antè ſunt,*
extendere nos continuo deſinamus, vtque *obliuiſcamur ea quæ retrò ſunt*; hoc præceptum perpetuò
ante oculos habendum eſt, quandoquidem necdũ ex toto corde, ex tota anima, & ex tota men-
te Deum diligimus, nec id quod perfectum eſt, adhuc comprehendimus. Cum S. Auguſtino
Soliloq. cap. 28. ad Deum clamare debemus: *O ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! O amor, qui ſemper vris,*
& nunquam tepeſcis; accende me, & accendar: accendar, inquam vt totus diligam te ſolum. Minùs enim te
amat, qui tecum aliquid amat.

Sicut vbi materia ligni eſſet infinita, ignis quoque in eo accenſus infinitè vreret; ſic, quia
Simile. Dei bonitas, maieſtas, potentia, pulchritudo infinita eſt, amor eius nunquam finiri aut extingui
Omnes diligendi rationes in Deo. deberet. Omnes quippe diligendi rationes in dilectione Dei concurrũt. Si iuſtitiæ debitum at-
tendas, nulli magis amor noſter quàm illi debetur, cui omnia accepta ferre neceſſe eſt. Si bene-
ficia gratuita ſpectes, nullius maiora fuerũt, aut eſſe poſſunt. Si amicitiæ rationẽ habeas, eius tãta
1. in te fuit, vt *Deus Pater Filium ſuum vnigenitum daret, & Filius ſeipſum traderet*, vt te amicũ ex inimi- B
2. co faceret. Si eximia bonitatis & pulchritudinis ſpecies amorem promeretur, immenſam illius
3. pulchritudinem, qui *lucem habitat inacceſsibilem*, & immenſas eius *bonitatis diuitias*, animo compre-
Ioan. 3. hendere non potes. Si amor pretio emitur, quis amori tuo maius pretium conſignare poterit
Tit. 3. quàm ille, qui vitam ei æternã, & gloriam cœleſtem certiſſimè retribuit? Quòd ſi gratuitò quẽ-
4. piam amare velles; cui, quæſo, dignius & laudabilius eum impendere, quàm Deo poſſes? Quod
Coloſſ. 1. Rom. 2. ſi non donandus, ſed extorquendus amor tuus eſſet; quis illo potentius aut iuſtius extorquere
5. valeat?
6.
7. Tu tamen huius amoris excellentiam vide. Aliæ virtutes te hominem rectum & iuſtũ fa-
Amoris Dei excellẽtia. ciunt; hic verò amor, hæc charitas Dei, te Deum quendam facit. Nam ſine temperantia, caſtita-
1. Ioan. 4. te, prudentia, iuſtitia, & aliis, quid niſi bruta eſſemus? Atqui *qui manet in charitate, manet in Deo*, &
1. Cor. 6. *Deus in eo. Qui adhæret Domino* (per amorem) *vnus ſpiritus eſt*, ſcilicet cum eo. Quod amat enim, in
Ioan. 16. rem amatam transformatur. Vide plura ſuper illa verba: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum*
faciemus: in Dom. Pentecoſt. tex. 3. Porrò per cæteras virtutes partem aliquam vel tui, vel rerum
tuarum, Deo donas. Per caſtitatem, corporis continentiam; per eleemoſynas, partem diuitiarũ,
per fidem, partem intellectus tui. Adhuc enim ad alia corpore, diuitijs, intellectu vteris, etiam
Deo nõ offenſo. At in amore totum tuum cor, totam animam, totam mentem Deo tribuis. De-
inde hoc ſolum habes, quòd liberè ei dare potes, vt alio in loco oſtenſum eſt. Noli hoc parum C
. Domin. 1. Quadrag. text. 10. diuidere, ſed integrum da. Da, inquam, non commodatò ad tempus, ſed abſolutè in perpe-
tuum. Semper enim currit hoc præceptum de diligendo Deo. *Charitas nunquam excidit*: ne qui-
1. Cor. 13. dem tunc, quum cæteræ virtutes omnes euacuabuntur. Diuidi autem hic amor non poteſt, niſi
turpiter in obliquum diſtorqueatur. Quemadmodum enim qui vellet vno pede per locum ex-
Simile. celſum, altero per locum infimum incidere, certũ eſt illum greſſus admodum inæquales factu-
rum, vtroque pede claudicaturum; ſic qui Deum & mundum ſimul diligere, ſuique amoris af-
fectus partim in Deo, qui non niſi ſancta & excelſa iubet; partim in mundo, qui non niſi ad va-
na & infima trahit, collocare; neceſſe eſt huius opera abſurda, inæqualia, nec frigida, nec calida
eſſe.

Solus Deus amore complacentiæ diligendus eſt, vt in illo amor noſter conquieſcat, ſibi-
Amor cõplacentiæ, & amor deſiderij. que complaceat. Cætera omnia vel non diligenda (niſi in ordine ad Deum) vel non niſi amore
deſiderij amanda ſunt, quatenus illis bonum volumus, benéque optamus & deſideramus: quo
in genere nos ipſos, & proximum noſtrum rectè diligimus. Cæteræ virtutes per exceſſum pec-
Eccli 19. care poſſunt. In ratione iuſtitiæ ſummum ius ſumma iniuria eſt: & ait Scriptura: *Noli eſſe nimiũ*
In Dei amore nullus exceſſus. *iuſtus*. Prudentia in curioſitatem, fortitudo in audaciam, temperantia in puſillanimitatem non
rarò tranſeunt. Solus amor Dei, rerũmque diuinarum, in exceſſu peccare non poteſt; ſed quã-
Solus Dei amor rectus. to magis extenditur, tanto eſt excellentior. Solus Dei amor rectus & ordinatus eſt. Quemad-
modum enim radius omnis aut rectus eſt, aut confractus, aut reflexus; rectus quidem, quia cor- D
Simile. pore luminoſo emiſſus, recto & lineari motu ſine obliquitate aliqua petit centrum; confractus
verò, qui aliquod diaphanum craſſius inuenies, non rectè incedit, ſed ad aliquam partem de-
flectit, qui & ideo collateralis dicitur; reflexus autem, qui in denſum corpus incurrens, reper-
cutitur, & tranſire non poteſt, ſed ad ſuum principium reflectitur: ſic omnis amor cordis huma-
ni aut rectus eſt, qui ſine vlla obliquitate vel repercuſſione in ſolum Deum centrum & princi-
piũ ſuũ toto impetu fertur, & perpendiculari motu tendit; iuxta illud, *Recti diligunt te; &*, *Bonus*
Cant. 1. *Deus Iſraël ijs qui recto ſunt corde*; aut confractus & obliquus, in ea quæ ſunt huius mundi delatus,
Pſalm. 72. à quibus propter ſui debilitatem in tranſuerſum agitur, vt rectà ad centrũ ſuũ pergere nequeat;
ſicut radius ſolis in nubem cadens, aut per arbores & tecta tranſmiſſus, rectà terram non attin-
git; aut denique reflexus eſt, quia omnia propter ſeipſum amat, & ipſum proximũ non niſi pro-
pter vtilitatẽ aliquã ſuam diligit. Talis enim amor à corpore proximi reflectitur ad ipſum amã-
tem, nec ad animam, aut ſpirituale bonum proximi penetrat. Amor hic reflexus penitus
deſtruit,

A destruit,& confractus impedit atque imminuit purum Dei amorem, qui rectus est, toto suo cursu in Deum tendens, vt hoc præceptum iubet.

Diligere Deum ex toto corde (ait S. Chrysostomus) *est, vt cor tuum non sit inclinatum ad alterius rei, quàm ad Dei amorem. Diligere ex tota anima est, certum habere animum in veritate, & firmum esse in fide. Diligere tota mente est, vt omnes sensus Deo vacent. Itaque cuius intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ Dei sunt tractat, cuius memoria quæ bona sunt recordatur, is tota mente Deũ diligit.* Hæc ille. Sanè quemadmodum non solùm quicquid intra templum Salomonis erat, sed etiam quicquid in porticu fuit, aurum erat; nec solùm *sanctum sanctorum, siue interiorem partem oraculi*, sed & *domum ante oraculum vestiuit & operuit auro purissimo, ipsos quoque Cherubim texit auro, sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus, duo quoque ostia ad ingressum oraculi texit auro*: sic omnino quilibet fidelis, qui est templum Domini sanctum, ex omni sua parte, ex toto corde, seu voluntate, ex tota mente, seu intellectu, ex tota anima, seu vniuersis sensibus suis, pura in Deum charitate fulgere & feruere debet. Vastante Hierosolymam Rege Babyloniæ, quum multa alia abscondere potuissẽt Sacerdotes, ignem tantummodo absconderunt, qui in primo sacrificio Mosayco è cœlo delapsus, in altari perpetuò ardens seruari debuit, & ad vsque illa tẽpora seruatus fuerat. Sic charitas de cœlo in cordibus nostris delapsa, & per Spiritum sanctum diffusa, etiam alijs omnibus rebus amissis, siue diabolo, siue mundo aduerso omnia nobis eri-
B piente, perpetuò conseruari debet. Sicut natura arborum radices sub terra abscondit, vt à nulla re lædantur, quia ex illis rami & folia vegetantur, flores ac fructus producuntur, sic cor nostrum, vnde omnia procedunt, vel bona, vèl mala, & maximè amor, vel Dei purus, vel rerum terrenarum fæculentus & sordidus, seruari, & à rebus externis, ac distrahentibus, multo magis à corrumpentibus abscondi debet. Monet Scriptura: *Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Vulgo dicitur (ait Diuus Bernardus) Bonum castrum custodit, qui corpus suum custodit; nos autem non sic; sed vile sterquilinium custodit, qui corpus suum custodit. *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne corruptionem & metet: qui verò seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Spiritus ergo & cordis cura habenda, vt semina eius, id est, primi affectus, qui operationum sunt semina, maximè amor ipse, non nisi bona & pura sint. Sic enim toto corde Deus diligetur.

Rursum toto corde Deum diligere, est, immobile & fixum in eius amore cor tenere, vt ad alia leuiter non flectatur. Sicut vas quod manibus tenetur, impleri nullo modo potest, si tremit qui tenet, aut huc illúcque vacillat, sed quiescere oportet; & sicut radix, huc illúcque quouis vento impulsa, nunquam fructum adferet, nec è terra succum trahere poterit, nisi ei tenaciter & firmè adhæreat: sic cor inquietum & mutabile, cor variis abductum & distractũ de-
C sideriis aut curis Deum, vt oportet, diligere, Dei gratias & munera suscipere, Deo per amorem adhærere, vt sic in pietate crescat, nullo pacto poterit. Sicut aranea quum telam suam disrumpi videt, vt aliam ordiatur, à medio incipit eam reficere, atque adeò ex aluo suo fila deducere; sic omnino necessarium est, quum omnes vitæ nostræ actiones mundo eiusque vel vano, vel turpi amori affixas, vna Dei prouidentia perrumpi, & ad nihilum redigi cernimus, vt nouam telam ordiamur, rectéque vitam ac mores instituamus, à corde & visceribus ipsis nostris incipere debemus, id totum soli Deo consecrando, eum solum diligendo, vt ita nouas ac sanctas operationes producamus quemadmodum multa interdum peccata ita per longam & prauam consuetudinem inualuerunt, sic in misero peccatore quasi dominium obtinuerunt, vt sola mors peccatis eius finem imponat: sic quantacunque sint hominis peccata, & quomodocunque inueterata, vnus Dei amor ea omnia abolebit, & nouam creaturam in Christo faciet. Propter hoc enim dicitur: *Valida est, sicut mors, dilectio.* Id enim efficit in abolendis peccatis, quod sola mors in satis multis facere solet.

Qui falsos deos coluerunt, quanto in illos amore ferebantur, vnum in Scripturis exemplũ docere potest. Quinque viri de tribu Dan, ingressi domũ Michæ abstulerũt illi sculptile & conflatile idolũ, quod colebat; quo illos insequente & clamante, dixerunt raptores ad Michã, *Quid*
D *tibi vis, cur clamas? Qui respondit, Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & Sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis, Quid tibi est?* Deplorat miser iste suos falsos deos; & illis ablatis, omnia quæ habuit se perdidisse conqueritur. At nos Dei veri & sũmi amore per quodlibet peccatũ mortale amisso, quasi nihil perdidissemus, ita nihil mouemur. Nihil opinor magis teporem Christianorũ circa Deum super omnia diligendũ in extremo iudicio condemnabit, quàm Ethnicorũ & Paganorum erga suos falsos deos incredibilis amor ac feruor, qui non bonis tantùm & rebus suis externis liberalissimè collatis, sed ipso suo sanguine in singulis ferè festis & sacrificijs effuso, deos suos coluerunt, vt omnes historiæ, maximè Indicæ & Iaponicæ nostri temporis perhibent. Sic per Prophetam contra Iudæos disceptat Deus: *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filijs vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethin* (Italiã dicit) *& videte: & in Cædar mittite* (Ismaëlitas dicit) *& considerate vehementer, & videte si factum est huiscemodi. Si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij; populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Quoties Dei amore derelicto, carni, mundo, diabolo seruimus, cuntes post concupiscentias nostras, diligendo vanitates, desideria diaboli faciendo; toties mutamus gloriam nostram in idolum. Gloria nostra est,

Homil. 42. in Matth. in opere imperf. — *Allegoria.* — 3. Reg. 6. — 2. Mach. 1. — *Allegoria.* — *Simile.* — Prou. 4. — Galat. 6. — *Amor in Deo fixus.* — *Similia.* 1. — 2. — 3. — Cant. 8. — *A contrario cultu.* Iudic 18. — *Exemplũ* — Ierem. 2.

quòd populus Dei sumus, quòd charitas Dei in nobis est, nosque in eo; quòd diligentes Deũ, à A
Simile. Deo diligimur, qui venit ad nos, & mansionem facit nobiscum. Hæc frequenter Scriptura docet, hæc frequenter populo inculcanda. Quemadmodum enim clauus, qui vno aut altero ictu vel non penetrat, vel ita vt facilè euellatur; crebris autem ictibus impulsus, sic tenaciter hæret vt nulla vi extrahi queat: sic amor Dei, non vno tantùm aut altero, sed variis & crebris Dei præceptis, sacræ Scripturæ elogiis, animo fidelis impressus atq; impactus, ita fixus manere poterit, vt ab eo diuelli, nec humana, nec diabolica vlla vi queat.

3. *Secundùm autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Proximi dilectio. LOcus moralis de dilectione proximi. Hunc locum etsi iam decies & suprà tractauimus, vt in Dominica 12. post Pent. tex. 4. notatum videbis, vbi & hæc ipsa verba tractata sunt; tamen hoc loco non minus proprio aliqua addemus, prout Deus dabit. Quomodo, & cur hoc præceptum de proximo diligendo dicatur simile illi alteri de Deo diligendo, vide explicatũ loco iam citato. Nempe omnes in Deo vnum sumus, *Vnum corpus in Christo : vno Spiritu* Dei B
Rom. 12. *1. Cor. 12.* velut vna singulorum anima, *viuificamur. Vnus nobis Deus est, vna fides, vnum baptisma.* Sicut ergo
Ephes. 4. Deum diligere, ita proximum in Deo, sicut nos ipsos, si in Deo sumus, diligere necesse est. Ni-
Matth. 7. hil aliud hoc præceptum dicit, quàm *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim est Lex & Prophetæ.* Quicquid tibi ipsi bonum cupis, hoc proximo velis; & quod tibi ipsi faceres, vel fieri velles, esurienti, frigenti, fatigato, indigenti, ignaro, aberranti, &c. id totum proximo tuo facias. Vide ne equum, canem, aut quodcunque tuum commodum magis ames, quàm proximum tuum. Cæsar quum exteros quosdam Romæ videret catulos in sinu circumferentes, interrogabat an apud illos populos liberi non nascerentur: indignatus videlicet,
Simile. amorem qui liberis debetur, in catulos transferri. Sicut ille, qui super humeros scalam imponit, licet grauis sit, quando illa opus habet ad locum aliquem conscendẽdum, postea verò in angulo deponit, nec amplius eius recordatur; sic multi vtuntur proximis suis, tanquam scalis, ad commodum tantùm proprium, vt eorum opera ad aliquam dignitatem conscendant, aut emolumentum consequantur: quæ assecuti, relinquunt proximos, & dicunt, Nescio vos. Hoc
Simile. ideo fit, quia non in Deo, sed in nobis ipsis; non propter Deum, sed propter nos ipsos, proximos nostros diligimus. Sicut enim vitrum, quàm diu in ardẽti fornace est, artifici ad omnia obtemperat, tractabile est, & in quamcunque formam vertitur, ita vt vno flatu capacia; & pulcherrima vitra conflet; at verò postquam ex fornace vitrum extrahitur, flecti amplius non po- C
test, sed ad minimum ictum frangitur: ita omnino quàm diu diuino amore corda nostra flagrant, & in illo sancto fornace decoquimur, flectit & dilatat Deus corda nostra ad omnes quascunque charitatis in proximum actiones, absque vlla difficultate, nósque ad iuuandum proximum nulla difficultate retardamur, parati, quibuscunque possumus modis, cuilibet proximo
1. Cor. 9. opitulari. Hoc igne accensus Paulus, dixit, nec mentitus est: *Omnibus omnia factus sum.* At verò vbi primùm hic ignis in nobis deferbuit, & restinctus est, vbi ex fornace isto diuini amoris cor nostrum egressum fuerit; immobiles, saxei, & immites erga proximum sumus ad minimam difficultatem circa iuuandum proximum frangimur, & charitatis opus dissoluimus. Sunt ergo ta-
Homil. 38. in Euang. lia hæc duo præcepta, vt inuicem à se separari nequeant. Appositè D. Gregorius: *Duo hæc necesse est charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptijs vestem nuptialem cupit. Hinc est quòd cortinis tabernaculi intexi coccus bis tinctus iubetur. Vos estis, fratres, cortinæ tabernaculi, qui per fidẽ in cordibus vestris*
Exodi 16. Allegoria. *secreta cælestia velatis. Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse. Coccus quippe ignis speciem habet. Quid verò est charitas nisi ignis? Sed ista charitas esse bis tincta debet, vt tingatur & per amorem Dei, & per amorem proximi. Qui enim sic amat Deum, vt per contemplationem illius negligat proximum, coccus quidẽ est, sed bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, vt tamen contemplationem Dei per eius amorem relinquat, coccus est, sed bis tinctus non est.* Porrò sic coniuncta hęc duo præcepta sunt, vt vnum sine
In Doctrin. 6. altero seruari nequeat, quod hac comparatione docet S. Dorotheus: Circulum fingite mũdum esse, centrum autem circuli Deum; lineas autem à circulo in medium diductas, vias credite D
Simile. varias, negotiationésque mortalium. Quo magis penetrant sancti viri ad interiora, vt Deo appropient, per rationem ingressus, eo magis appropiant Deo, & sibiipsis; quantóque & sibi ipsis, tanto & Deo; & quanto viciniores fiunt Deo, tanto & sibiipsis, quantoque sibiipsis, tanto & Deo. Considerate item recessum & elongationem, cum scilicet recedunt hominum actiones à Deo, & ad exteriora se effundunt. Quanto enim magis à Deo recedunt, tanto & à seipsis; & quanto à seipsis, tanto & à Deo. Hæc est enim charitatis vis & natura. Quo enim magis à Dei dilectione recedimus, eo & à proximi amore distamus: quantum Dei charitati adhæremus, tãtum & proximi, quantũmque proximi, tantum & Deo. Hæc ille. Quum Scriptura dixisset, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* statim subiunxit, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Docet, Dei amore deserto, omnia scelera subintrare. Econtra Apostolus quum dixisset, *Radix omnium malorum cupiditas:* adiecit, *Quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* Docet, amatores mundi Deum statim deserere. Rursum: *Qui diligit me* (ait Christus) *mandata mea seruabit.* At hoc
est *man-*

A est *mandatum eius nouum, vt diligamus inuicem.* Adeo sunt ista coniuncta, Amor Dei & proximi, quem mundi amator non amat, quia, sicut oportet, non amat. Sed & in hoc similia ac coniuncta sunt hæc duo præcepta, quod, quemadmodum qui Deum amat, seipsum amat, sibique optimè consuluit, veluti qui de fonte bibit, aut ex sole videt, non fonti aut soli quicquam, sed sibi ipsi multum contulit; ita prorsus proximi amor nobis ipsis est inprimis vtilis. Quemadmodum enim qui ægrotantem vnguento, vel alio pretioso oleo vult inungere, prior ipse vngendo particeps est vnctionis, & sic postea inungit laborantem morbo; ita qui pro salute proximi, adhibito studio, aliquid facit, primum sibi, deinde proximo prodest. Hunc sensum habet verbum Domini: *Beatius est dare, quàm accipere.* Plus enim sibi confert qui proximum iuuat, quàm ipsi proximo; quod in alia Dominica ostensum est.

Similia.

Damasc. de his qui in fide migrarunt.

Act. 20.

Proximi amor ita ipsis ethnicis, & Deum nescientibus, natura duce insitus fuit, vt qui ratione & virtute cæteros præcellerent, facilè viderent, homines vitæ & saluti nihil eorum omnium quæ extra nos sunt, comparandum esse, nedum præferendum. Pollio seruum qui vas crystallinum confregerat, Augusto Cæsare apud eum cœnante, iussit in viuarium demergi, murenarum pabulum futurum. Quum duceretur, euadens lictorum manus, ad Augusti pedes se proiecit, supplicans vt alio genere mortis interiret. Augustus causa & genere mortis cognitis, solui seruum iussit. Pollionis vero & vasa omnia crystallina coram afferri iussa, virgula confregit, & viuaria euertit, dicens: *hominem cuiuscunque conditionis sit, hoc ipso, quod homo est, pluris faciendum esse, quàm omnia totius mundi vasa & viuaria.* Sic Alexander Magnus, perurgente eius matre Olympiade vt insontem quendam occideret, *Aliam*, inquit, *mater a me mercedem postula. Hominis vita nullo beneficio compensatur.* Nero initio imperij sui (cuius *primum quinquennium tale fuisse, vt ab eo cæteri Principes procul distarent*, dicere solebat Traianus) porrecta illi charta, in qua damnatorum nomina scriberet, exclamauit: *Vellem nescire litteras.* Marcus Antoninus parcens rebellibus, dixit in Senatu: *Vtinam possem multos etiam ab inferis excitare.* Ptolemæus ab amico admonitus, vt conspectis fortè procul qui ad supplicium ducebantur, calcaribus equo admotis accurreret, & illis parcere vellet; & fecit perlibenter, & amicum hoc nomine chariorem habuit. Scipio Africanus dicere solebat, *Malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes perdere.* Hæc hominum sine Deo naturalis erga proximos affectio, nostram nunc si non excitat, in extremo olim iudicio vehementer condemnabit.

Proximi amor apud ethnicos. Fulgosus, li. 5. c. 1. Exempla.

Plutarch. in Græc. apoph. Egnatius in Nerone. Senec. li. 2. cap. 1. de clem. Vulcat. Gallic. in Auidio Cassio. Aelian. l. 1 Plut. in Scipione.

4. *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.*

C Locus moralis de charitatis erga Deum & proximum admirabili virtute, efficacia, perfectione. Docet Christus, totam hominis perfectionem totum quod vel Lex mandauit, vel Prophetæ monuerunt, in vna charitate compleri: quia hac imbutus, etiam illa, quæ ad fidem & scientiam spectent, Dei munere comprehendet. Sic Origenes: *Qui omnia adimpleuit quæ scripta sunt de Dei dilectione & proximi, dignus est maximas gratias à Deo percipere. Dignus autem constitutus, hic omnibus donis exultat in sapientia Dei, plenum habens cor in Dei dilectione. Consecutus autem huiusmodi dona ex Deo, profecto intelligit omnem Legem & Prophetas partem aliquam esse ex omni sapientia & scientia Dei; & intelligit omnem Legem, & omnes Prophetas pendere & adhærere à principio dilectionis Domini Dei & proximi.* Ille quippe omnem Legem & Prophetas nunquam intelliget, qui ad duplicis huius charitatis ædificationem eas nõ accepit. Sic D. Augustinus: *Quisquis Scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet, istam geminam charitatem, Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis vero talem inde sententiam duxerit, vt huic ædificandæ charitati sit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco senserisse probatur, non perniciosè fallitur, non omnino mentitur.* Igitur quoad ipsam Legis & Prophetarum intelligentiam, in charitate illa quodam modo pendet, quia charitati illa tota subseruit. Sed magis quoad executionem omnium aliorum mãdatorum moralium, quæ siue Lex, siue Prophetæ complectuntur, in his duobus pendent omnia: tum quia *finis præcepti*, id est, perfectio & modus, quo perficiuntur cætera præcepta, *charitas est de corde puro* erga Deum & proximum; quia diligendo omnia facilè præstamus, (dilige enim, & fac quod vis) tum quia, qui dilectionem habet, nullius transgressionis Legis reus esse potest. Sicut enim *qui offendit in vno*, id est, in vna charitate, vt exponit Augustinus, vel in vno aliquo mandato, transgrediens illud mortaliter, *factus est omnium reus*, & perinde à vita æterna exclusus, ac si in omnibus offendisset: sic ediuerso, *qui diligit proximum*, *Legem impleuit* (ait Apostolus) & D *in hoc vno recapitulatur tota Lex*, quia qui vnam charitatem tenet, Legem ex nulla parte transgreditur; & quamuis fortè omnia præcepta opere non exequatur, tempore vel occasione non data, tamen, quia voluntatem & affectum exequendi per charitatem gerit, perinde iustificatur coram Deo, ac si omnia exequutus fuisset. Docet Paulus cætera omnia vitia per vnam charitatem deuitari, cęteras quoque virtutes eius beneficio comparari. *Charitas*, inquit, *patiens est*, facit vt aduersa omnia toleremus: *Benigna est*, opera misericordiæ, & omne eleemosynarum genus operatur. *Charitas non æmulatur* (caret inuidia) *non agit perperam* (caret malitia & improbitate) *non inflatur* (caret vanitate & superbia) *non est ambitiosa* (contenta suo loco, humilitatem generat) *non quærit quæ sua sunt* (auaritiam & cupiditatem expellit) *non irritatur* (mansuetudinem docet, iram

Charitatis perfectio.

Tract. 23. in Matt.

De doct. Christiana li. 1. c. 36.

1. Tim. 1.

Iacobi 2. Lib. de perf. iustit. Rom. 13.

1. Cor. 13.

fugat) *non cogitat malum* (caret omni iniqua ſuſpicione, candore plena) *non gaudet ſuper iniquitate* (alieno malo non delectatur, ſed compatitur potius) *congaudet autem veritati* (gratulatur alienis bonis, & particeps fit eorum) *omnia ſuffert* (ſiue ex Dei prouidentia, ſiue ex diaboli & hominum malitia immiſſa mala) *omnia credit* (ſuauiter ſe ſubmittens iugo fidei) *omnia ſperat* (quæcunque bona promiſit Deus, quia diffidere amanti non poteſt amans) *omnia ſuſtinet* (expectans in patientia laborum mercedem.) *Charitas nunquam excidit*: ſempiterna virtus eſt, quæ & hic iuſtos facit, & in cælo beatos ornat. Merito dilectio Legem impleuit, merito in hac duplici charitate tota Lex pendet, & Prophetæ. *Cum autem ſint duo præcepta* (ait S. Auguſtinus) *in quibus pendet Lex & Prophetæ, dilectio Dei & proximi; non immerito Scriptura plerunque pro vtroque vnum ponit: ſiue dilectionem Dei, ſicut eſt illud: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ſiue dilectionem proximi, ſicut eſt illud; Omnis lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Sed hoc ideo, quia qui proximum diligit, conſequens eſt, vt Deum diligat. Ex vna eademque charitate Deum proximumque diligimus; ſed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Hæc ille. Satis quidem erat dixiſſe, *Dilige Dominũ Deũ tuũ.* In hoc enim totum eſt. Si enim verè diligitur, diligitur vbicunque inuenitur, in ſeipſo, in proximo, intus & foris, ſurſum & deorſum, longè & propè. Si mel dulce eſt, dulcis eſt fauus. Si mel diligis, & fauum receptaculum mellis. Sed mel propter ſeipſum diligitur, fauus propter mel. Et ſi fortè videris fauum melle carentem, doleas vacua eſſe receptacula, & cupis ibi mel eſſe quod diligis. Ita & Deum dilige, quia dulcedo eſt ipſe, & bonitas, & veritas: proximum autem dilige, quia receptaculum eſt dulcedinis, bonitatis, & veritatis: & hoc in ipſo dilige, & propter hoc ipſum. Quod ſi iſtis vacuum inueneris, doleas, & opta, vt iſta mereatur accipere. Propter hoc autem & proximus amari præcipitur, vt per charitatem Dei ipſum bonum diligas; per charitatem proximi, bonum quod diligis, proximo non inuideas, ſed, quantum in te eſt, procures potius. Ita ſanè tota Lex implebitur. Stare enim cum hoc amore nullus terrenus, carnalis, iniquus, aut inordinatus amor poteſt. Quemadmodum enim, decreſcente vmbra, creſcit calor, & creſcente minuitur; ſic decreſcente amore temporali, creſcit feruor charitatis, & è conuerſo eo creſcente minuitur, iuxta illud Chriſti: *Abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum.* Alterum alterius cauſa eſt. Rurſum vbi charitas animum poſſedit, iniquitati locus eſſe non poteſt. *Sicut enim in via publica contingit, ſi quis initium eius apprehendat, recta via ducitur, & non habet opus vt manu ducatur; ſic etiam in charitate tantum arripe principium, & ſtatim manum ipſa tibi præbens te deducit & dirigit.* Qui volunt domos & palatia conſtruere, primo ſtudent in imo ſupra petram: vel ſuper ſtabile ſolum fundamenta locare, & poſtmodum reliquas ædificiorum partes ſuis locis & temporibus ordinare, quatenus firmato fundamento, cætera ædificanda ſeruentur. Quale enim fuerit cuiuſque rei fundamentum, talis erit eiuſdem perſeuerantia & latus. Idem in ſpirituali fabrica vſu venit. Qui abſque ſui detrimento, & aliorum ſcandalo, ſpiritualem in ſeipſo domum Deo ædificare proponit, veræ charitatis fundamentum in ſeipſo ante omnia iactet, & firmiter collocet; ſic demum poterit congruis temporibus ac modis ſibi & aliis vtilis eſſe. Adeo à ſola charitate tota Lex pendet, vt ſine ea totius Legis ampliſſima cognitio nihil ad ſalutem valeat. Appoſitè Chryſoſtomus: *Quemadmodum in naui etiam ſi magna ſunt inſtrumenta, niſi fuerint ſubligacula, nihil proderunt; & in domo niſi colligationes & contignationes; & in corpore etiam ſi magna ſint oſſa, ſi non fuerint nerui & compagines, nihil proderunt; ita quæcunque quis habuerit rectè facta, aut ſapienter inuenta, inania erunt omnia, niſi vna adſit charitas*, quæ eſt vinculum perfectionis, id eſt, vinculum omnia perficiens, & quo omnia coaleſcunt, vt perdurent. Sicut cuiuſque ætatis in homine diuerſæ ſunt functiones; & iuxta annorum curſum creſcunt & vires; infans enim aliena manu ducitur, puer per ſeipſum ambulat, iuuenis ſui iuris eſſe incipit, vir generationi aptus familiam alit, ſeneſcens prudentiam acquirit, atque ita demum maturus fit: ſic charitas tenerum adhuc animum informat, vt peccatum fugiat, primum ex timore pœnæ, mox ex amore virtutis; poſtea Dei notitiam clarius animo patefacit, & ad eius amorem atque vnionem inflammat: poſtremo in Dei amorem totum animum rapit, vt dicere cum ſponſa beata poſſit: *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Hæc eſt virtus, efficacia, perfectio charitatis. Sic in illa tota Lex pendet & Prophetę. Denique quàm ſit vnius charitatis Lex multiplex, vide D. Gregorium.

De Trinit. li. 8. c. 7. *Rom. 8.* *Rom. 13.*

Hugo de S. Victore, in hunc locum. *Simile.*

Proximus propter Deum diligitur.

Simile.

Matt. 24.

Simile. *Chryſoſt. Ho. 19. ad Hebr.* *Simile.* *Laurentius Iuſtin. de diſciplin. & perfect. monaſt. ca. 22.*

Simile. *Hom. 7. ad Coloſſ.*

Cant. 1. *Moral. li. 10. c. 6. & 7*

A B C D

A

EVANGELIVM DOMINICÆ XVIII. POST PENTECOSTEN.

ASCENDENS Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Videns autem Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili: Remittuntur tibi peccata tua. Et ecce, quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge, & ambula? Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle
B lectum tuum, & vade in domum tuam. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Matt. 9.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Ecce, offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto.* De cura proximorum, & charitate iuuandi necessitates eorum.
2. *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico.* Charitatis erga proximum remuneratio.
3. *Confide fili.* De fiducia peccatorum in Christi misericordiam.
4. *Remittuntur tibi peccata tua.* Peccata morborum & aliarum calamitatum causas esse.
5. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* De peccato cogitationis solo animo & voluntate concepto.
6. *Glorificauerunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.* De honorando sacerdotio ad Dei gloriam, qui talem ei potestatem dedit.

C

1. *Ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.*

LOcus moralis de cura proximorum, & charitate iuuandi necessitates eorum. Hunc locum etsi frequenter iam tractauimus, tamen hic, loco proprio, quia vsus huius doctrinæ quotidianus est, aliqua addemus, prout Deus dabit. Insignis horum charitas fuit, qui (vt diuus Lucas scribit) *quærentes eum inferre & ponere ante Christum, nec inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.* Feruens erat hæc charitas, & cura diligens; & sicuti à Christo plenissimè remunerata, sic à quolibet Christiano studiosè imitanda. Non differunt donec Christus exeat. Non verentur multitudinis impedimentum. Non detrectant laboris magnitudinem. Si nobilis aliquis infirmatur, & perdicem assatam comedere iuuat, seruii & ministri non cessant donec inueniatur. At proximo nostro, rebus necessariis indigenti, vix quisquam est qui subueniat. Cooperari vero ad salutem animæ proximi, seu à recta fide aberrantis, seu in via morum misere collabentis, & ad Christum proximum adducere, sicut isti suum paralyticum duxerunt, istud vero non nisi pastorum aut sacerdotum esse putatur, si tamen illorum. Qua in re vehementissimè falluntur & aberrant ipsi. Sanè calamitatum publicarum, quibus boni cum malis æqua sorte inuolui videntur, hoc vnum præcipuè in causa est, quod boni malos, quibuscum versantur non corripiunt, emendare, in viam salutis reducere, ad Christum pertrahere non contendunt. Sic diuus Augustinus, ingentem illam vrbis Romæ, totiusque Italiæ per Gothos, suo tempore, vastationem neglectæ proximorum saluti & correptioni attribuit. Sic enim scribit: *Quis tandem facilè reperitur, qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam, luxuriam, & auaritiam, atque execrabiles iniquitates & impietates, Deus, sicut minando prædixit, conterit terras, & regna subuertit, sic habeat, vt habendi sunt; sic cum eis viuat vt cum talibus viuendum est? Plerumque enim ab eis docendis, admonendis, & corripiendis male dissimulatur: vel cum laboris piget, vel cum os eorum coram verecundamur offendere: vel cum eorum inimicitias deuitamus ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus, siue quas adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas: ita vt quamuis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidunt in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur; tamen, quia propter prædicta peccatis eorum damnabilibus parcunt, iure cum eis temporaliter flagellentur, quamuis in æternum minimè puniantur.* Hæc ille. Moxque sapientissimus Doctor, vbi causas omnes, quæ iustæ esse possunt non corripiendi pro-

Proximorum cura.

Lucæ 5.

Calamitatum publicarū causa, proximi correptio neglecta.

De Ciuit. Dei, li. 1. ca. 9.

Tres causæ neglectæ correptionis.
1.
2.
3.

ximum (ne vanis excusationibus locus esset) explicuisset, dicens: *Si propterea quisque obiurgandis* A
1. *& corripiendis male agentibus parcit, quia oportunius tempus inquirit* (vbi non negatur, sed differtur le-
2. gitimè iuuandi proximum officium) *vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur* (modo iustus ille metus sit, & certa ratione nixus) *vel ad bonam vitam & piam erudiendos alios impediant infirmos, & premant atque auertant à fide* (id est, ne scandalum magis quàm ædificatio sequatur, ne sic eradicentur zizania, vt simul lædatur triticum,) *non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis*; his (inquam) exceptionibus explicatis, addit: *Illud est culpabile, quod hi, qui dissimiliter viuunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere & obiurgare deberent, dum eorum offensiones cauent, ne sibi noceant in rebus temporalibus: dum delectat lingua blandiens, & humanus dies; & reformidatur vulgi iudicium, & carnis excruciatio vel peremptio, hoc est, propter quædam cupiditatis vincula, non propter officia charitatis. Non mihi itaque hæc videtur parua esse causa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet, perditos mores etiam temporalium pœnarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam vitam; sed quia simul amant temporalem vitam.* Hæc Augustinus. Agnoscere nunc licet, horũ temporum calamitates publicæ ex qua partim radice nascantur boni cum malis, Catholici cum hæreticis, casti cum impudicis, iusti cum rapacibus, sobrij cum ebriis, liberales cum auaris, bello, fame, peste, aliisque communibus malis acerrimè flagellantur, quia malos ad Christum adducere, hæreticos nascentes reprimere, impudicos, rapaces,
Apophth. Maximus in Ser. 26. ebrios, auaros iusta obiurgatione & correptione in virtutis viam reducere, boni Catholici, ca- B
sti, iusti, sobrij, & liberales neglexerunt. Timonis illud fuit memorabile dictum. Rogatus cur omnes odisset. *Malos*, inquit, *odi, quia mali sunt; bonos odi, quia malos non oderunt.* Quæ verba, si dè perfecto malorum odio dixit, quod est naturam amare, sed vitium odisse (vt alibi explicatum est) & odiendo corripere, corripiendo emendare, nihil sanctius dici potuit. Hæc enim est vera proximi charitas, vt paralyticos nostros ad Christũ adducamus, nõ in sua paralysi dissimulando, conniuendo, nobis ipsis, & labori vel honori vel commodo nostro parcendo & consulendo
Ephes. 5. eos relinquamus: *Nolite*, inquit Apostolus, *communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Ad malũ omnes iuuant. Ad malum si quis tendat, statim adiuuatur, & vt celerrimè cadat, à multis propellitur. Non-
Exempla. dum Siba finem his verbis imposuerat, *Non est nobis pars in Dauid*; quum statim omnis populus
2. *Reg. 20.* eum secutus est. Cum Abimelech regnum Israel vsurparet, affuerunt illi statim õmnes inopes, C
1. & vagi, & totus populus Sichem, *vt septuaginta fratres suos super vnum lapidem interficeret.* Cum per-
2. fidus Adonias regnum paternum, viuente adhuc patre Dauide, inuadere vellet, in eius auxi-
Iudic. 9. lium venerunt Abiathar & Ioab, magnates & principes viri. Absalon contra patrem rebellan-
3. te, *toto corde vniuersus Israel secutus est eum.* Quantus, quàm generalis, quàm repentinus contra
3. Reg. 11. optimum Regem in malum consensus! Cum Ierusalem, post captiuitatem Babylonicam, re-
4. ædificari cœpta esset, omnes circumquaque gentes, vt opus impedirent, conuenerunt. Contra
2. Reg. 15. quos iratus Deus dixit per Prophetam: *Ira magna ego irascor super Gentes opulentas; quia ego iratus*
5. *sum parum, ipsi vero adiuuerunt in malum.* Hæc videlicet impiorum promptitudo est, vt se mutuo
2. Esdr. 4. Zachar. 1. Rom. 12. ad malum iuuent. Nostram circa proximos ad bonum iuuandos tepiditatem & ignauiam isti condemnabunt. Inter alia Spiritus sancti dona fidelibus impartita, etiam hæc annumerat Paulus: *Necessitatibus sanctorum communicantes. Qui exhortatur in exhortando.* Docet esse opus speciale, & charisma seu gratiam Spiritus sancti, fratrum nostrorum (hos enim sanctos vocat) necessitatibus manum adiutricem porrigere, non secus ac nostræ essent. Sic enim iis communicamus, seu communes cum nostris facimus. Docet charisma Spiritus sancti esse, exhortari fratrem ad opus pietatis, & ad Christum adducere. Quo quisque sanctior, & Spiritu sancto plenior fuit, eo & in hoc charitatis genere clarius excelluit. Exempla quædam in alia Dominica protulimus. Nec vlla maior sanctorum laus & consolatio, quàm plurimos proximorum in causa salutis pro-
1. Thess. 2. mouisse. Sic Apostolus ad Thessalonicenses à se conuersos: *Quæ est nostra spes, aut gaudium, aut*
Simile. *corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius?* quemadmodum D
Dux, qui ad pugnandum milites induxit & formauit, post adeptam victoriam coronatur, quasi
Eccli. 3. eius potissima causa; sic qui alios omni officio & studio ad pietatis tramitem capessendum indu-
Caini hæresis. xerunt, maximam à Deo coronam consequentur. *Qui docet filium, laudabitur in eo.* Ab altera par-
Gen. 4. te caue diligenter hæresim Caini, dicentis Deo: *Nunquid ego sum custos fratris mei?* Eadem eorum omnium mens & sententia est, qui fratrum suorum peccata, miserias, necessitates, nihil ad se
Osee 5. pertinere putant. Sed huiusmodi homines, qui charitatis viscera non sentiunt, ablactauit Deus, & à misericordię suæ vberibus repulit, iuxta illud Prophetæ: *Ablactauit eam Deus, quæ erat absque*
Esaiæ 5. *misericordia.* Iudæos sanè adhuc carnales, & angusto corde, vt opera charitatis & misericordiæ exercerent, communis tantum naturæ admonuit. *Carnem*, inquit, *tuam ne despexeris.* Et tamen hac vna ratione non permotos grauiter castigat, repellit, ablactat. At vero Christus vt nos ad
Matt. 25. ea prouocet, docet nos, quicquid proximo indigenti officij præstamus, id totum ita acceptum
Exemplum se habere, ac si ipsius personæ præstitum fuisset. *Quod vni*, inquit, *ex minimis meis feciſtis, mihi fe-*
In vita *ciſtis.* Quanta nos igitur manet castigatio, quos talis & tanta consideratio nihil mouet? Sanè
eius, li. 4. S. Dominicus, vir in lucrandis Deo fratribus, & ab hæresi atque impietate reuocandis, tota fe-
c. 9. rè vita occupatissimus, dicere solebat, cum efficaciam eius in conuertendis peccatoribus mul-
Dissimile. ti mirarentur, se in Charitatis codice plus didicisse, quam in Scripturis. Sicut dæmon in homi-

nes

A nes exercet odium, quod in Deum non potest: sic è diuerso verus Christianus in proximis iuuãdis studium impendit, quia Deum iuuare non potest. Maximè quum Christus, qui Deus est, seipsum in laborante proximo iuuari, in cibato famente cibari, in vestito nudo vestiri, in excepto hospite excipi, in visitato captiuo visitari, claris verbis edixerit. Vide plura de hoc argumẽto in Dominica 11. post Pentec. tex. 1. & in aliis locis illic annotatis. Manet firmum & immobile illud supremi Iudicis decretum: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur & vobis.* Vide plura Domin. 16. post Pent. tex. 5. & locis illic annotatis. *Matt. 25.* *Lucæ 4.*

2. *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, &c.*

LOcus moralis de prompta & ampla charitatis erga proximum remuneratione. Christus hoc loco non solum paralyticum sanat, vt tollens lectum, surgat & ambulet, quod solum petiisse & desiderasse videntur, tam qui paralyticum portabant, quàm ipse paralyticus, verum etiam ad primum conspectum benignissimè alloquitur *filium* vocans: deinde bono animo esse iubet, dicens; *Confide fili*: mox maximo beneficio afficit, *peccata remittens*; ac demum postremo corporis sanitatem confert. Hoc autem totum charitati erga proximi salutem, quam isti portatores exercuerunt, Christus retribuit. Etsi enim fidem nominet Euangelista, non charitatem; tamen *Charitatis remuneratio.*

B nec hæc fides sola erat, sed per charitatem illustrem egregiè operans, nec nisi propter opus charitatis adiunctum, per quam charitatem fides perficitur, vt Apostolus docet, hoc duplex beneficium Christus contulit, vt in altero nostro Promptuario latè ostendimus; vbi etiam, quare fidem nominauerit Euangelista, non charitatem, explicatum dedimus. Solet Dei bonitas, non pro operum nostrorum exiguitate, sed pro suæ beneficentiæ magnitudine, charitatis nostræ in proximum opera, pia & sancta desideria, vel remunerare, vel adimplere. Regulus apud D. Ioãnem salutem filio petebat tantum: sed Dominus & salutem filio dedit, & patri fidem, quam non petebat. Moyses petiuit à Domino, vt suam gloriam videre illi concederet: ipse vero pollicetur vniuersa bona sua se illi ostensurum. Tres Reges pugnaturi contra Moab, petierunt ab Elisæo, vt rogaret Dominum pro pluuia; quibus dixit Dominus in manu Elisæi: *Hæc dicit Dominus; Alueus replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & cuncta animalia vestra. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras.* Orante pro populo suo Ezechia Rege, respondit ei per Esaiam Prophetam Deus: *Non intrabit ciuitatem hanc Rex Assyriorum, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus; & non mittet in circuitu eius aggerem.* Tota hæc promissio erat de leuanda vrbis obsidione, & de nullo inferendo detrimento: quod totum erat à Rege orante expetitum. At vero præter hæc omnia, *egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octogintaquinque millia.* Plura huius rei exempla vide in Domin. 5. post Pascha, tex. 1. Tobiæ quanta esset erga fratres suos concaptiuos charitas, nunc verbis consolando, nunc rebus iuuando, & cæsos sepeliendo, tota eius vita declarat. Quanto vero miraculo Deus illi visum reddiderit, quomodo filium eius ex longa peregrinatione saluum reduxerit, & longam demum ac prosperam vitam eius charitati retribuerit, eadem historia commemorat. Abdias, Iesabele impia Prophetas interficiente, centum ex eis, speluncis abditos, pauit. Vnde & ipse dono prophetiæ illustratus, quarto loco censetur in catalogo duodecim Prophetarum. *Qui enim Prophetam accipit, mercedem Prophetæ accipiet.* Beati Iob charitas erga proximos, his verbis ab vno amicorum eius prædicatur: *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti: vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti.* Hic autem post probationem à malis liberatus, duplicia omnia à Domino accepit. Sanctus Paulinus, Nolanus Episcopus, ex maxima charitate, vt vnius viduæ filium iuuenem captiuum à Vandalis liberaret, post omnes fortunas suas in aliis liberandis ciuibus exhaustas, seipsum barbaro pro iuuene captiuum dedit, eiusque horto colendo vt mancipium seruiuit. Sed paulo post à barbaro agnitus quis & quantus esset, omnium ciuium suorum, qui adhuc captiui supereant, liberatione donatus, ad Episcopatum, non minori cum gaudio quàm gloria, reuersus est. Nec dissimile exemplum est Sanctuli Nursiæ prouinciæ Abbatis, qui vt diaconum suum à Longobardis latronibus captum redimeret, seipsum pro diacono (quem ad colloquium admissus fugere compulerat) à Longobardis trucidandum depositi. Sed ne tanta charitas sua præsenti mercede careret, cum iam gladio feriendus exclamaret, *Sancte Ioannes, tene manum ferientis*, ipsaque manus his immota maneret; non vitam modo suam miraculo seruatam accepit, sed & barbaris miraculo attonitis, omnes quotquot præterea

D habebant captiuos, liberos secum, donantibus barbaris, abduxit. Sanctus Bernardinus, grauissima peste Senis grassante, quum omnibus diu ex pura charitate ministraret, tum sanus atque incolumis seruari meruit, tum postea in sanctissimum Minoritarum Ordinis Reformatorem (adhuc enim laicus erat) euasit. *Exempla.* 1. *Ioan. 4.* 2. *Exodi 33.* 3. *4. Reg. 3.* 4. *Esaiæ 37.* 5. 6. *3. Reg. 18.* *Matt. 10.* 7. *Iob 4.* 8. *Aug. de Ciu. Dei, li. 10. c. 10.* *Greg. dial. li. 3. c. 1.* 9. *Ibid. c. 37.* 10. *In vita eius apud Surium, to. 3.*

A

3. *Confide fili.*

Fiducia in Dei miſericordiam.

LOcus moralis de firma fiducia in Dei bonitate, & Chriſti miſericordia collocanda. Hic enim dulciſſimus Ieſus, videns fidem illorum qui paralyticum in lecto ante pedes eius diſerant, prima ſtatim voce, & in *filium* vocat hominem miſerum; & *confidere*, certamque animo ſpem concipere iubet, & eodem tractu *remiſſa illi eſſe peccata* affirmat. Vno & eodem verbo Chriſtus & miſericordiam ingentem exercet, & ſuæ miſericordiæ fiduciam docet: ſicuti ſagittarius arcum tendens, ſcopumque dexterè attingens, & ſuam artem exercet, & eandem ſpectatores, vel diſcentem puerum docet. Miſericordia Chriſti, & fiducia in eandem, totum Euangelium eſt plenum; noſque in variis iam Dominicis de vtraque tractauimus. Hic tamen aliqua dicenda ſunt, prout Deus dabit. Eſt hæc enim peccatoribus in primis neceſſaria doctrina; non vt in peccato perſeuerantes, de Chriſti miſericordia præſumant, quod hæretici hodie ſuos docent, per ſolam ſuam ſpecialem fidem iuſtificantem, & per certitudinem gratiæ, quæ duo nihil aliud ſunt, niſi præſumptio de Dei miſericordia, & de Chriſti promiſſionibus, abſque vlla vitæ integritate aut emendatione, quam ſine peccato eſſe nunquam poſſe eoque mortali, & ex natura ſua damnante, iidem dogmatizant; ſed vt à peccato reſurgentes, & fide ac charitate ad Chriſtum accedentes, ſpem ſtatim certam atque fiduciam de remiſſione peccatorum, aliiſque Chriſti gratiis & beneficiis concipiant. Sic enim huic paralytico dictum eſt, *Confide*, &c. non quum domi ſuæ maneret, nihil Chriſtum quærens, & nihil ad ſanitatem conſequendam promouens, ſed quum ſe etiam in lecto ad Chriſtum deferri, & quidem propter confertam turbam è ſummo tecto per tegulas loco motas dimitti fecit. Hac tum eius, tum eum portantium fide perſpecta, hac eorum qui portauerunt charitate viſa, hac cooperatione feruenti antegreſſa, iubet confidere Chriſtus, filium vocat, & peccata remittit. Præparationes & cooperationes noſtras ad Dei beneficia comparanda neceſſarias omnino eſſe, in aliis iam Dominicis ſemel atque iterum oſtenſum eſt. Illis ergo ex parte, & pro poſſe noſtro præſtitis, vox Chriſti perpetua eſt peccatori pœnitenti inſonans, *Confide fili*. Neminem leges in Euangelio neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis vocatum fuiſſe filium, niſi hunc paralyticum tanto ſtudio ad Chriſti pedes delatum, & mulierem fluxum ſanguinis paſſam, quæ per turbam irrepſit, vt fimbriam tantum veſtimenti Chriſti tangeret. Adeo quoſuis & quantoſcunque peccatores (hi enim duo graues peccatores nobis repræſentant) ingenti compunctione & acri dolore conuerſos, magnoque feruore & ſtudio ad Chriſti pedes proſtratos, in ſinum recipit Chriſtus, peramanter in cordibus eorum dicens: *Confide fili*. Nam poſt peccati odium ac dolorem vehementem, Dei bonitatem cum eius dilectione animo complecti, moxque ſpem veniæ concipere, ordo pœnitentiæ Chriſtianorum docet. Vide vt Scriptura hanc de Dei miſericordia fiduciã commendat. *Benedictus vir qui ſperat in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus: & erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.* Amplificare hęc ſingula Concionator poterit. Chriſtus de ſuis in eum ſperantibus dicit: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Hæc ingens fiducia bonitatis & miſericordiæ Dei ſic ſanctos armauit, vt quiduis arduũ à Deo peterent, & petentes obtinerent. Diuus Baſilius pro fœmina quadam, quæ horrẽda ſua peccata in charta deſcripta & cõſignata ei tradiderat, flebiliter orans vt pro ipſa Deum oraret, his verbis orans; *Domine tu ſolus hoc præſtare potes: qui enim totius mundi aufers peccata, etiam huius vnius animæ haud difficulter potes abolere peccata. Omnes enim iniquitates noſtræ apud te numeratæ ſunt, miſericordia autẽ tua neque dinumerari, neque inueſtigari poteſt*; ſic pro fœmina exorauit. Sanationes in Euangelio per Chriſtum omnes huic fiduciæ de bonitate & potentia Chriſti, conceſſæ ſunt, vt in * alio loco oſtenſum eſt. Qui in hac fiducia miſericordiæ diuinæ vacillarunt, duriorem Dei vindictam ſenſerunt. Sedit aliquando apud ſtratum Lydvvinæ virginis, ex morbo decumbentis, ſacerdos quidam ſatis bonæ & honeſtæ famæ. Sedebant ibi & complures alij. Erat tum ibi vas ſinapi plenum: & cum ſermo haberetur de pœnis purgatoriis, dixit tandem illi ſacerdos; Vellem liceret mihi tot annis degere in locis purgatoriis, quot ſunt in hoc vaſe ſinapis grana, modo certo conſtaret me poſtea ſaluum fore. Ad hæc Lydvvina reſpirans, reſpondit: quid eſt Domine quod loqueris? Quid ita parum fidis diuinæ miſericordiæ? Si ſcires qualis ſit purgatorij locus, & quas ibi dent pœnas animæ, nequaquam ita loquereris. Non diu poſt moritur ille ſacerdos; & amicis de ſtatu animæ eius cum Lydvvina conferentibus, illa ait: Benè habet anima eius propter ſuam probitatem: ſed melius fuiſſet ei, ſi viuens plus fiduciæ collocaſſet in virtute paſſionis Chriſti, & mitior quoque purgationis in eum lata eſſet ſententia. Quod totum illa ex reuelatione didicit, vt erat virgo ſanctiſſima, & à prima ætate vſq; ad vltimum ſpiritum per triginta & amplius annos lecto affixa, & perpetuis doloribus exercita, ſicq; purum aurum probata. Sed & in quibuſque aduerſis firma in Deum fiducia, fortiſſima ſemper armatura eſt. Cuius rei illuſtre exemplum præbuit in ſe S. Columbanus, multorum monaſteriorum Pater celeberrimus. Huic, quum in eremo verſaretur, incidit cogitatio, vtrum potius eligeret hominum iniuriam perpeti, an ferarum fœuitiam ſuſtinere. Quæ cogitatio quum illi importuna eſſet,

Similе.

Dom. 14. poſt Pent. tex. 5. & aliis ibi annotatis.

Locus contra hæreticos.

B

Dom. 3. Adu. tex. 4.

Do. 2. poſt Epiphan. tex. 5.

Matt. 9.

C

Ieremi. 17.

Ioan. 10.

Exempla.

In vita eius per Amphilochium, Sur. to. 1.

1.

* *In Prop. Cath. Dom. 18. poſt Pentec.*

D

In vita eius apud Surium, par. 2. c. 1. to. 7.

2.

3.

In vita eius, cap. 8. apud Sur. tom. 6.

eumque

A cumque vehementer vrgeret, crebro frontem signo crucis armans, atq; orans, intra se ait, præstare bestiarum ferocitatem absque aliquo peccato, quàm hominum rabiem cum damno animarum perpeti. Cum hæc animo volueret, conspicit duodecim aduentare lupos, & dextra lævaque medium ipsum cingere. Attamen manet immotus, aitque: *Deus in adiutorium meum intende*, &c. Accedunt lupi propius, oraque sua ad eius vestimenta adiungunt. Sed quum ille constans permaneret, interritum relinquunt, & per saltum peruagantur. Plura huius rei exempla vide in alia Dominica. Nam de hac fiducia in Dei bonitatem, & contra diffidentiam circa Dei prouidentiam & misericordiam, iam decimò dicimus. Vide Dominica 6. post Pentecosten, textu 4. & loca illic annotata, posteaque Dominica 14. post Pentecosten, tex. 5. *Do. 4. post Epip. tex. 4*

4. *Remittuntur tibi peccata tua.*

LOcus moralis de peccatis, morborum & aliorum malorum causis. Christus enim hoc loco tanquam peritissimus medicus, morbum paralytici sanaturus, causam morbi & radicem prius tollit; peccata eius remittit, quæ causa morbi fuerant. Sic apud Ioannem infirmum illum, B qui per triginta octo annos ad piscinam iacuerat, quum Christus sanasset, ait illi: *Vade, & noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Morbi quidem, & aliæ calamitates, alias interdum ob causas à Deo immittuntur, vt vel ad Dei gloriam, sicut de cæco à natiuitate Christus dixit, quod *neque ille, neque parentes eius peccauerunt, vt cæcus fieret, sed vt manifestaretur gloria Dei*; vel ad iustorum probationem & laudem: vt de sancto Iob, Tobia, & multis aliis in Scriptura clarum est. Attamen vt plurimum morbi, persecutiones, bella, fames, pestis, & aliæ calamitates non nisi ex peccatis nostris ortum accipiunt: atque ita vnumquemque de se, suisque afflictionibus cogitare par est, etsi de aliorum calamitatibus aliter sentire, & magis ad probationem & coronam, quàm propter peccata & vindictam illa à Deo inflicta esse, iudicare debemus, ne in temerario contra proximum iudicio grauiter peccemus. Sed ad nostra mala quod attinet, non nisi nostris peccatis ea imputanda sunt. Quando tyrannus ille Aman populum Dei voluit euertere, conuersa ad Dominum Hester Regina, dixit: *Peccauimus in conspectu tuo, ideo traditi sumus in manus inimicorum nostrorum.* Non in Regem Assuerum, non in superbum Aman, sed in sua suorumque peccata, illud imminentis stragis periculum reiecit, non illos, sed se, & sua peccata accusauit. Sanctus Tobias, quum Iudæi captiui traherentur in Niniue à Salmanasar Assyriorum Rege, videns tanta mala populi sui, conuersus ad Deum, dixit: *Quoniam non obediuimus tibi, traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem.* Non crudelitati aut cupiditati barbari Regis, sed suis suorumque C peccatis totum assignat. Sic sanctus Daniel post septuaginta annorum captiuitatem Babyloni-cam, persecutionem tantam, tam prolixam, non ipsis persecutoribus, sed suis, suorumque peccatis imputat. *Propter peccata*, inquit, *nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem, & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.* Denique filii Israel, quum adhuc sub Iudicibus agerẽt, quoties à variis tyrannis oppressi, sua peccata, quæ verè oppressionis causa fuerant, agnoscẽtes, ad Deum confugerent, liberabantur: in qua peccati confessione perseuerantes, sic à Deo exaudiebantur. *Filij Israel* (ait Scriptura) *peccatis veteribus iungentes noua; fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt idolis*, &c. *Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philistiym, & filiorum Ammon: afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos octodecim*, &c. *Et clamantes ad Dominum dixerunt: Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim. Quibus locutus est Dominus: Non addam vt vltra vos liberem. Ite & inuocate Deos quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore angustiæ. Dixeruntque filij Israel ad Dominum: Peccauimus. Redde tu nobis quicquid tibi placet: tantum nunc libera nos.* Hæc illi, moxque per Iephte liberati sunt. Nempe meminerant quod illis Moyses prædixerat, sola peccata populi in causa esse, quod à Deo derelicti, in manus Gentiũ traderentur. Sic enim Moyses: *Nisi audieris vocem Domini Dei tui, percutiet te pestilentia & morbis, scabie quoque & pruri-* D *gine. Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria.* Quid quod ipsi ethnici hoc non ignorarunt, vitæ huius calamitates ex nostris peccatis nasci? Cum Iona in Tharsis fugiente, magna oriretur in mari tempestas, nautæ ipsi homines gentiles diligenter inquirunt, quis ex ipsis per scelus aliquod suum tantæ turbationis causa esset? *Venite* (inquiunt) *& mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis.* Quumque cecidisset sors super Ionam, dicunt ei: *Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis? quod est opus tuum?* &c. Agnoscunt aliquod peccatum Ionæ huius tempestatis causam fuisse.

Morborũ causa peccata. *Ioan. 5.* *Tribulationum causa varia.* 1. *Ioan. 9.* 2. 3. *Exempla.* 1. *Hester 14.* *Peccatis nostris nostra mala imputanda* 2. *Tob. 3.* 3. *Dan. 9.* 4. *Iudic. 10.* *Deut. 28.* 5. *Ionæ 1.*

Certè morborũ causas peccata esse, Scriptura clarè docuit, dicens de Deo: *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit.* Ezechias Rex, quum ex ingenti morbo conualuisset, agnoscens propter peccata sua eo se afflictum fuisse, sic cecinit: *Ecce in pace*, id est, sanitate iam collata, *amaritudo mea amarissima*, de qua prius dixerat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Tu autem eruisti animam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Sciebat enim, nisi remissis prius peccatis suis, sanitatem tanto miraculo consequi se non potuisse. Propter peccatum non debitæ venerationis circa venerabilem Eucharistiam, dicit Corinthiis Apostolus: *Propter hoc inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* *Morborũ causæ peccata.* *Iob 33.* *Esaiæ 38.* *1. Cor. 11.*

Moxque addit: *Si nosipsos diiudicaremus*, confitētes & punientes peccata nostra, *non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Hoc ita insitum & firmum habuit Ecclesia, morborum causas peccata esse, vt tandem lege tulerit Papa Innocentius, in Concilio generali Lateranensi, vt medicus ægrotum visitans, non prius ei medicamenta corporis subministret, quàm spirituali suo medico peccata confessus fuerit. Auicennæ quidem, Galeni, & vulgarium medicorum sententia est, ne ægrotis tristia nuntientur. Sed qui hoc docuerunt, nunc in inferno ardent, & per hanc animæ incuriam alios eo secum pertrahunt. Vero Christiano, peccatorum expiatio, aut res tristis esse non debet; aut si tristis est, satius fuerit, corpus ex aliqua tristitia periclitari, quàm animam retenta morbi causa certo perire. Certè, sicut ex eadem terra, ex qua argentum depromitur, si in cacabo aqua ebulliente igni apponatur, plūbum quoque educitur, quia terra ipsa decocta partim sursum ascendit in superficie natans, & fit argentum; partim vero deorsum descendit, & ex eā fit plumbum, vt scribit Plinius: eodem modo, quum terram hanc, & lutum corporis nostri, Deus igne ægritudinis, aut cuiusuis tribulationis decoquit, pars eius in ima descendit, & per impatientiam & cordis duritiem deterior fit, quales sunt reprobi & impii; pars eius sursum se erigit, & Dei manum salutarem agnoscit, fitque argentum, adeoque aurum purissimum, quales sunt electi & boni. Sic quidam ex Patribus, adolescenti ægroto, salutem à se poscenti, respondit: *Rem tibi necessariam cupis auferri. Si enim aurum es, per ignem probaris; si ferrum es, rubiginem amittis.* Sed & S. Brigitta, quum pro Algotio Dominicano, doctore Theologo, qui iam senex orbitate oculorum, & calculi doloribus cruciabatur, Deum precaretur; responsum accepit: *Ille stella micans est, nec expedit sanitate corporis obscurari animam eius.* Sic D. Petrus rogatus vt Petronellam filiam suam spiritualem à febre liberaret, respondit illam febrem animæ eius saluti expedire: quanquam, vt suam quam à Deo acceperat sanandi potestatem ostenderet, eam confestim à febri liberauit: qua tamen postea eam denuo corripi permisit. Sic S. Timotheus frequentes passus est infirmitates, non pro peccatis, sed ad patientiæ probationem.

De pœnit. & remiss. cap. Cum infirmitas. n. 13.

Simile.

Natur. hist. li. 32.

Exempla. Granat. to. 1. de Sanctis, pa. 71. Apud Surium, to. 4 p. 350. Marcellus Presb. in actis Nerei, & Achilei mart. 1. Tim. 5.

Sanè sicut aqua de se nullum habet saporem, acquirit tamen vel ex ratione terræ, per quam transiens percolatur, vel ex calore solis desuper, qui vel dulcedinem inducit, eleuando subtile eius, & humidum aëreum quod pingue scit admiscendo, vt in fluuiatili; vel salsedine imbuit, totum eius terrestre comburendo, vt in vasto mari: sic omnis tribulatio, ipsaque corporis ægritudo, per se res indifferens est, nec vllam habet ex se, nisi ex animi ipsius habitudine, vel tristitiam, vel consolationem, vel bonum, vel malum; sed fit patienti aut dura, tristis, acerba, calamitosa, atque adeo pernicios a, ex ratione terræ per quam transit, ex ratione terreni hominis, nec nisi terram, & terræ bona concupiscentis animi (illi enim molestissima sunt omnia quæ corporis voluptatem interpellant) aut iucunda, grata, læta, vtilis, & meritoria, ex ratione diuini amoris, quo animus supernè accensus, non tolerat tantum æquanimiter, sed & accipit perlibenter, quæcunque Dei manus in eo operatur. Hic enim diuini amoris calor, tum terrestrem omnem patientis affectum per salsam & amaram de peccatis contritionem comburit atque exhaurit; tum in spem veniæ, meriti, ac gloriæ animum eleuans, mediante humili ac sancta patientia, ingentem animo dulcedinem ac consolationem adfert.

Simile. Tribulatio pro ratione subiecti operatur.

Hinc fit, vt tribulationum expertes, in suis peccatis obdurati maneant. Sanctus Ieremias, exponens causam cur Moab populus impius scelera sua nunquam reliquerit, ait: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in facibus, nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abyit; idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus.* Docet ideo illum populum in suis perpetuo scelcribus perstitisse, quia nec captiuus abductus est, vt filii Israel; nec vlla aduersa fortuna exercitatus. Quemadmodum enim vas prauo odore aut liquore semel perfusum, eundem semper retinet, nisi fæcibus omnibus eiectis, & aqua calida decoctum, vel etiam flāmis adustum, nouo liquore imbuatur: sic animus peccatis assuetus non resipiscet, nec nouum saporem induet, nisi aliqua bona tribulatione decoctus atque adustus, noua & saniora consilia accipiat. Facit nempe Deus in peccatoribus lucrandis, quod peritus piscator in capiendis hamo piscibus. Nam vt ille longa arundine piscando, vbi escam piscis magnus acceperit, nō statim illum violenter ex aquis extrahit, ne vel esca nondum satis altè in stomachum demissa hamum excutiat, vel etiam sua magnitudine, & recenti adhuc robore, filum abrumpat; sed escam quidem totam deuorari, & hamum altius infigi, piscemque ipsum, vt ab hamo se extricet, diu in aquis eluctari & fatigari permittit, posteaque fatigatum iam, & penitus hamo confixum, piscem molliter & faciliter ad ripam trahit: sic omnino Deus homines peccatores pro sua ineffabili bonitate piscaturus, & ex peccati limo ad salutis æternæ ripam educturus, escam quidem illis proponit, æternæ gloriæ præmium; sed vt illud arripiant, salutarem timorem æternarum pœnarum velut hamum subiicit, vt partim gloriæ desiderio accensi, partim diuino timore capti, peccata deserant. Sed quia ex affectionum prauarum aquis, quibus peccator immergitur, statim educi non potest, nec tam cito veternum suum excutere; vt diuini timoris hamus altius pectori infigatur, & tenacius adhæreat, variis eum tribulationibus Deus exercet, quæ timorem iustitiæ diuinæ vehementer animo incutiunt, maximè corporis ægritudo grauis, aut amittendæ vitæ periculum; vt istis diu fatigatus atque vexatus, Deique timore altissimè

Exemplum Ierem. 48.

Simile.

Aliud. Tribulatio peccatorib. necessaria.

A altissimè impresso concussus, glorięque, & alterius vitæ desiderio totus inflammatus, ita facilè nulloque negotio viam virtutis capessat, iustè ac sanctè vitam deinceps instituat, sanitati redditus; qui alioqui prosperis rebus vsus, & Dei timorem facilè deponeret, & alterius vitæ gloriam cito negligeret. Sunt ergo vt remedia peccatorum afflictiones, sic causæ afflictionum peccata. Simulatque cœperunt filij Israel mortuo Ioiada sacerdote, sub Rege Ioas idola colere, & veros Dei Prophetas interficere, & inter alios Zachariam Ioiadæ filiũ, qui iussu Regis inter templum & altare interficiendus, dixit: *Videat Dominus, & requirat*: statim *cuoluto anno ascendit contra Ioas exercitus Syriæ, venitque in Iudam & Hierusalem, & interfecit cunctos Principes populi, atque vniuersam prædam miserunt Regi in Damascum. Et certè cum permodicus veniisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum. In Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia.* Contrà, aduersus filios Israel in deserto, nec Balac Rex Moab quicquam mali facere, nec Balaam Propheta eius quicquam maledicere potuit, quia *non erat tunc idolum in Iacob*. Est nempe peccatum sicut gladius in corde, & sicut serpens in sinu; sicut venenum in stomacho, sicut latro in domo. Vulnerat naturam, mordet conscientiam, extinguit charitatem, expoliat omni Dei fauore doniisque gratuitis. Vnde Propheta Regius: *Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam, animam eius.* Quod Achior de toto populo Israelitico fideliter Holoferni retulit, dicens; *Quotiescunque præter ipsum Deum suum alterum*
B *coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium: quotiescunque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui; dedit eis Deus cœli virtutem resistendi*: hoc & in quolibet fideli verum est, cuius nõ minorem curam Deus habet, quàm totius illius populi, qui typus fidelium erat, habuit. Quotiescunque præter Deum suum alterum colunt iusti & electi Dei, aliqui peccato mortali consentientes (hoc est enim alterum Deum colere, vt alibi ostensum est) grauiter *à* iusto & amante *Domino corripiuntur, ne cum hoc mundo* impiorum, impuniti in hac vita, damnentur in perpetuum. Aegritudine igitur, aut qualibet accedente calamitate, primum remedium est, vt, omnis peccati affectu deposito, Deo nostro reconciliemur.

Exemplum 2. Paral. 24. *Similia.* Num. 24. *Peccatum quid.* Psal. 38. Iudith. 5. 1. Cor. 11.

5. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

LOcus moralis de peccato cogitationis, solo animo & voluntate concepto. Pharisæi enim hoc loco à Christo arguuntur, quod intra se dicerent, *Hic blasphemat*; quod sola cogitatione malè sentirent, & de facto seu verbis eius secus iudicarent quàm par erat. Adeo displicet Deo vel iniqua cogitatio, cum aliquâ deliberata prauitate coniuncta, etsi nec verbo, nec opere foris
C adhuc se exerat. Clamat Propheta: *Laua à malitia cor tuum ô Ierusalem, vt salua fias. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Non increpat eo quod veniant, sed quia morantur cogitationes malæ, quia primi motus cogitationum in potestate nostra nõ sunt, vt alibi ex S. Augustino dictum est. Vnde & alius Propheta: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.* De cogitationibus loquitur ita deliberatis, vt in proximam lucem protractæ, & in opus prauum deductæ fuerint. Nempe origo omnium malorum, cogitationes malæ sunt. Qui in illis se oblectat, celeriter in opus impium, & Dei maledictionem fertur. Vnde Sapiens: *Qui bonus est* (intentione scilicet & desiderio) *hauriet gratiam à Deo: qui autem confidit in cogitationibus suis*, peruersis scilicet, *impiè aget.* Hoc aliis verbis Christus dixit: *Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit*: si cogitatio & intentio improba est, tota actio peccatum erit, & opus tenebrarum. Et iterum: *Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes*, &c. Vide hac de re plura Dom. 5 post Pentecost. tex. 2. & paulo superius Dom. 16. tex. 3.

Cogitationis peccatà Ierem. 4. Mich. 2. Prou. 12. Matt. 6. Matt. 15.

Sicut aliqui nodi facilè fiunt, sed difficulter soluuntur, vt in serico filo videmus, quod propter sui subtilitatem celeriter trahitur, & facillimè constringitur, & ex eadem causa difficillimè soluitur: sic cogitationum peccata facillimè contrahuntur, hominemque incautum ingẽti rea-
D tu celeriter constringunt, sed non tam facilè excutiuntur, vt in odio, amore turpi, superbia, inuidia, quotidiana docet experientia: quæ celerrimè suscipiuntur, sed difficillimè deponuntur. Tanto cautior & circumspectior quisque debet esse, cum semel prauo affectui morem animo gerat. Quemadmodum enim in papyrum albam si litura cadat, non ita vnquam facilè abraditur, quin aliqua macula relicta inhæreat, maximè si paulo atrius & crassius atramentum fuerit; sic atra, & spurca, & odiosa cogitatio, amoris turpis, odii, inuidiæ, superbiæ, si altius animo semel insederit, non nisi magno studio & labore sic excutietur, vt aliquam sui labem animo tamen post se non relinquat: quas labes peccati reliquias, veluti ligni assulas aut ferri ramenta in vulnere inflicto relictas, Theologi vocant. Ibi ergo maximè obseruare peccatum oportet, vbi nasci solet. Si à domo mentis, vel ad momentum domina ratio discedit, quasi absente domina, cogitationum se clamor velut garrula ancillarum turba multiplicat. Vbi autem ratio ad mentem redierit, vel si in ea stabilis & fixa manet, omnis confusio tumultuosa quiescit, & quasi ancillæ ad iniunctum opus totæ cum silentio conuertuntur. Vnde Sapiens: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* Qui mentem malis cogitationibus perturbat, aditum præbet dæmonibus. Quomodo autem siue luxuriosus,

Simile. *Cogitationes facilè implicant.* *Aliud.* *Simile.* Prou. 11.

siue odio flagrans, siue auarus, siue superbus & ambitiosus, densos in corde cogitationum tu- A
multus voluunt, & iuxta illud Iob, *ædificant sibi solitudines*, vide eleganter & prolixè explicãtem
Moral.in Iob, li.4. ca.33. D. Gregorium in Moralibus, vbi sic scribit: *Omnes qui vel illicita appetunt, vel in hoc mũdo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur: dumque desideriorum turbas intra se excitant, prostratam mentem pede miseræ frequentationis calcant. Alius namq; iuri se luxuriæ subdit, atque ante*
Luxuriæ cogitationes. *mentis oculos schemata turpium perpetrationum fingit: & cum effectus non tribuitur operis, hoc crebrius agitur intẽtione cogitationis. Voluptatis perfectio quæritur, & concussus eneruiter animus, hinc inde & solicitus, & cæcatus, occasionem nequissimæ expletionis rimatur. Mens itaq; hæc quasi quendam populum patitur, quæ insolenti*
Iræ tumultus. *cogitationũ tumultu vastatur. Alius iræ se dominio strauit, & quid in corde, nisi iurgia, etiã quæ desunt, peragit? Hic sæpe præsentes non videt, absentibus contradicit, intra semetipsum contumelias profert & recipit, receptis autem durius respondet; & cũ qui obuiet, nullus adsit, magnis clamoribus rixas in corde componit. Turbam ita-*
Auaritiæ strepitus. *que hic intus sustinet, quem pondus vehemẽs inflãmatæ cogitationis premit. Alius iuri se auaritiæ tradit; & fastidiens propria, aliena concupiscit. Hic plerumq; concupita adipisci non valens, diem quidem in otiũ, noctem vero in cogitationem versat. Torpet ab vtili opere, quia fatigatur illicita cogitatione. Consilia multiplicat, & si-*
nũ mentis cogitationum inuentionibus latius expandit. Peruenire ad concupita satagit, atq; ad obtinenda hæc, quosdã secretissimos causarum meatus quærit. Qui mox vt in causa aliquid subtile inuenisse se æstimat, iam se B
obtinuisse, quod concupierat, exultat: iã quid etiã adeptæ rei adiungat, excogitat: atque quomodo in meliori statu debeat excoli, pertractat. Quam quia iã quasi possidet, mox insidias inuidentiũ considerat, & quid cõtra se iur-
gij moueatur, pensat, & exquirit quid respondeat: & cum rem nullã teneat, iã in defensione rei quã appetit, va-
cuus litigator elaborat. Quãuis enim nihil de concupita re ceperit, habet tamen in corde iã fructus concupiscen-
Superbiæ phantasmata. *tiæ, laborem rixæ. Alius se tyrannidi superbiæ subijcit, & cor miserũ, dum contra homines erigit, vitio substernit. Honorũ sublimiũ insulas appetit, exaltari successibus exquirit: totũq; quod esse desiderat, sibi apud semetipsũ in cogitationibus depingit. Iã quasi tribunali præsidet, iã sibi parere obsequia subditorũ videt, iã cœtibus eminet, iã aliis mala irrogat, aliis quæ irrogauerint, recõpensat. Iã apud semetipsum stipatus cuneis, in publicũ procedit, iã*
quibus obsequiis fulciatur conspicit; qui tamen hæc cogitãs solus reperitur. Iãalia cõculcat, alia subleuat: iam de
cõculcatis satisfacit odiis, iã de subleuatis recipit fauores. Qui igitur tot phãtasmata cordi imprimit, quid aliud
2. Thess. 2. Natural. hist. li. 8. ca. 50. *iste quàm somniũ vigilans videt? Qui tot rerum causas quas fingit, tolerat, nimirum intrinsecus natas, ex desi-*
deriis turbas portat. Hoc totum astu diaboli fit, *qui operatur in filios diffidentiæ*, & à prauis desideriis &
cogitationibus suos conquiescere nunquã desinit. Sicut enim sus (vt scribit Plinius) interdũ vi-
Simile. ginti filios parit, & quandoq; omnes deuorat præter primũ, & primo primam mamillam dat: sic
diabolus quãuis in homine multa vitia, quasi multos filios, pariat, tamen quia prima omniũ ra-
dix in corde est, eiusq; praua intentione, vt hanc suã primogenitam perpetuo alat atq; cõseruet,
de cæteris peccatis & actibus vitiosis parum sæpe solicitus est; vt in hypocritis, superbis, maleuo-
lis, inuidis maximè apparet: quorum externi actus sanctorum sunt; sed quod intus est, totum fœ- C
tet, & abominabile coram Deo est. Hanc igitur cordis humani corruptelam quasi castrum dia-
Moral.lib. Moral.in Iob, lib.26. ca.7. bolus occupat, & hominis dominium tenet. Vnde beatus Gregorius: *Si semel cor intentione corrũpitur, sequentis actionis medictas & terminus ab hoste callido securè possidetur. Quoniam totam arborem sibi ferre fructus conspicit, quam veneni dente in radice vitiauit.* Et iterum alio in loco: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde.* Debet igitur primo & ante omnia cor reformari;
Simile. deinde exteriora opera, vel emendari vel ordinari poterunt. Sicut enim aranea, fracta tela, non
egreditur ad venandum, nisi prius illa reformata, quam semper à medio incipit reparare, nihil
extrema reputans, quam diu medium fractum manet: eodem modo animam per peccatum vi-
tiatam vt reformes ac redintegres, à corde incipiendum est, totusque peccati affectus deponẽ-
dus, cogitationes & mala desideria penitus excutienda. Sic enim exteriora tua opera facilè cor-
rexeris, atque in iustitiæ tramitem direxeris. Vnde Christus Pharisæis: *Pharisæe cæce, munda prius*
Matt.26. Simile. *quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est, mundum.*

Quemadmodum quando castrum Principis ab hoste impugnatur, nec pacificè cum eo tran-
sigere Princeps potest, sed vi & armis defendendus locus est, prima cura esse debet, attentè cõ-
siderare si qui in ipso suo castro sint qui pacem turbent, & hosti faueant; moxque illos penitus
eiicere, aut etiam è medio tollere; deinde vero castrum fortiter munire, & diligenter clausum
Cordis custodia. tenere conuenit: eodem modo agendum nobis est, vt castrum animæ nostræ (quod perpetuo
impugnat diabolus, caro, mundus, nec pacem cum illis habere, in hac militia dum sumus, pos- D
sumus) ritè ac debitè custodiatur. Ante omnia prospiciendum est, ne qui intus in corde lateant
hostes, praua desideria, corruptæ cogitationes, intromissæ per consensum diaboli suggestio-
nes. Hæc enim omnia pacem animæ turbant, cum hoste conspirant, & animæ haud dubiè
Hebr.3. insidias struent, negotium faceſſent, perniciem machinabuntur: & si intus domicilium pone-
re permittantur, castrum nostrum hosti tradent. Sic suadet Apostolus: *Videte, fratres, ne*
forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo viuo. Hoc enim proditio-
nis initium, & perditionis nostrę exordium est. Omne cor malum consentiens in pecca-
tum, incredulum est, proditorium est, discedendi à Deo consilium cepit, vt eo relicto, dia-
bolo, carni, mundo adhæreat. Primum igitur malitia cordis per bonam contritionem appre-
hendenda est: quo præstito, illa statim per confessionem eliminanda, & per satisfactionem
Similia. plectenda; vt ea facta iustitia, bona deinceps fiat sensuum custodia, & diligens virtutum
operatio: quia per hanc anima munitur, sicuti per illam clauditur. Certè sicut fons lutosus,

quouis

A quouis iacto lapide facilè turbatur, limpidus vero & arenosus non turbatur; & sicut corpus exulceratum, quouis tactu aut impulsu læditur, sanum non; & sicut arbor vitiatæ radicis ac putrefactæ, quouis vento deiicitur, stabilis autem & firmæ radicis arbor vix vllo vento subuertitur: sic cor hominis iam corruptum cupiditatibus, auaritia, & ambitione, exulceratum prauis affectibus, odio & liuore, vitiatum luxuriæ desideriis, quauis mundi tentatione, quauis diaboli suggestione, quauis carnis obiecta illecebra turbatur, corrumpitur, deprauatur. Accurata igitur & arcta debet esse cordis custodia. Sicut oculos palpebræ, os labia, aures lana, manus chirothecæ, aurum arca clausa custodit, vel naturæ ductu, vel artis industria: sic cor cogitationum puritate & innocentia seruandum, & ab omni externa iniuria protegendum est. Vbi primum *cor Iudæ intrauit sátanas*, ad prodendum Christum, (scelus ab orbe condito maximè infandum) *statim exiuit*. *Similia.* *Lucæ 22.*

Enimuero sic se res habet. Qui toto corde Deum diligit, tota anima, tota mente (quod superius explicatum dedimus) propter cordis puritatem nulli peccato consentit; sicuti qui ad scopum iaculatur, vt punctum attingat, brauiumque reportet, in illud solum toto intuitu, totaque intentione fertur. Eodem enim modo, qui Deum ante conspectum cordis perpetuo gerit, ita illum vnum intuetur, diligit, timet, obseruat, vt nullus in animum cuicunque prauitati aditus patere queat. Sicut enim *in specie hominis si vnum radatur supercilium, quàm propemodum nihil cor-* *Similia.* *Aug. de Ciu. Dei, li. 11. c. 22.*
B *pori, & quàm multum detrahitur pulchritudini, quia non mole constat, sed paritilate ac dimensione membrorum*: sic in actione virtutis, si vel vna praua cogitatione animum à Deo auertas, parum in actione, sed multum in prauitate peccatum est, quia virtus ex tota causa consistit; nec operis magnitudine, sed ordine æstimatur. Est enim virtus ordo amoris. Quare, qui vel modicum Dei oblitus, & ab eo oculos animumque auersus, ad alia contuenda diuertit, in omne nefas, totiusque salutis dispendium præceps fertur. Appositè D. Gregorius: *Holocaustum Deo dare, & totam mentem igne compunctionis accendere, vt in ara amoris cor ardeat, non potest, nisi qui priusquam cogitationes ad opus prodeant, internos suos motus solicitè circumspiciens, frenat. Vnde rectè inopinata morte extinctus Isboseth dicitur, quem & Scriptura sacra non in domo ostiarium, sed ostiariam habuisse testatur, dicens: Venientes filij Remmon, Rechab, & Baana ingressi sunt feruente die domum Isboseth; qui dormiebat super stratum suum, meridie. Ingressi sunt autem domum, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit: sumentes spicas tritici, latenter ingressi sunt, & percusserunt eum in inguine. Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo virtutes à vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprij domini sui, insidiatores admittit; quia cum discretionis solicitudo cessauerit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi, spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt; atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis, delectatione carnis occidunt. Nequaquam vero Isboseth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum* *Animus à Deo auersus.* *Moral. in Iob, li. 1. ca. 36.* *2. Reg. 4.* *Allegoria.*
C *domus mulierem, id est, mollem custodiam ad mentis aditum deputasset. Fortis namque virilisque sensus præponi foribus cordis debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Vnde benè & Isboseth appellatur, qui custode fœmina hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est: quia dum virtutes se agere existimat* (vt omnis hypocrita, ambitiosus, auarus, inuidus, qui vitiis suis virtutem prætexunt) *subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis.* Hæc Gregorius. Hoc sanctus Iob fecit, qui *consurgens diluculo, offerebat holocausta per singulos filios suos, dicens: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Qui de cordibus filiorum sic solicitus fuit, de suo magis erat. Hanc eius diligentiam imitari debemus. *Iob 1.*

6. *Glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

LOcus moralis de honorando sacerdotio ad Dei gloriam, qui talem illis potestatem dedit. Sicut enim turbæ hoc loco Christum honorarunt, Deo gloriam dantes, qui dedit talem illi potestatem, vt in terris peccata remitteret; sic omnes fideles sacerdotium à Christo institutum *Sacerdotium honorandum.*
D honorare debent, Deum glorificantes, qui sacerdotibus nouæ Legis talem potestatem dedit, vt *quorum remiserint peccata, remittantur eis; & quorum retinuerint, retenta sint.* Talis sanè & tanta hęc potestas est, vt nec Angeli in cælo, nec ipsa beata Virgo mater Christi, in terris eam exercere permittantur; sed soli Apostolorum in Ecclesia Apostolica & Catholica successores, quibus hanc potestatem amplissimam dedit. Sunt autem hoc nomine honorandi sacerdotes, vt Deus in illis glorificetur, qui talem illis potestatem dedit. Cum imaginem benè exactéque depictam videmus, & laudamus, ipsum profecto artificem magis laudamus. Cum Iudæi Christo maledicerent, dæmoniacum eum, & Samaritanum vocantes, hanc iniuriam Patri, qui eum misit, illatam fuisse docet, dicens: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet.* Docet in ipsius doctrina, eiusque obedientia, Deum Patrem honorificari: in eius contemptu Deum Patrem grauiter offendi, qui Filij sui gloriam quærit, & negantes iudicat. Sic alibi dixit, etiam suos ministros & futuros sacerdotes includens: *Qui recipit vos, me recipit; & qui recipit me, recipit eum qui misit me.* Sicut Pater in Filio, sic Dei Filius in suis ministris glorificari vult, quia *sicut Pater misit Filium in mundum, sic & ego* (ait ipse) *mitto vos.* Vtique non secus vt audiantur & honorentur, quàm vt doceant quæ *Similia.* *Ioan. 8.* *Matt. 10.* *Ioan. 17.* *Missio sacerdotum.*

præcepit illis, aut pro nomine eius patiantur: non secus ad debitum à subditis honorem, quàm A
Exemplum ad magisterij officium: non secus ad gloriam, quàm ad cruces. Pharao, Rex Aegypti, non solum
Gen.41. voluit ipsi Ioseph potestatem dare vt ad nutum eius vniuersa Aegyptus moueretur, nec solum ipsemet eum honore: *donans illum regio annulo, & imponens digito illius*; verum etiam iussit, vt hoc ipso honore ab vniuerso populo afficeretur, iubens *vt omnes coram eo genuflecterent, & præpositum*
Dan.2. *esse scirent vniuersæ terræ Aegypti.* Nabuchodonosor, audita somni sui de statua admirabili expositione, adorauit Deum, dicens: *Verè Deus vester, Deus deorum est, & Dominus Regum, reuelans mysteria.* At voluit præterea ipsum quoque Danielem honorare. Vnde sequitur: *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis.* Sic Deus ad suam maiorem gloriam suos in re maxima ministros honorari vult.

Ho.10.in Qui *Christum diligit* (ait S. Chrysostomus) *qualis qualis tandem sacerdos sit, ipsum quoque diliget,*
1. ad Thes. *quoniam per eum tremenda mysteria consecutus est*: Baptismum, Eucharistiam, peccatorum remissio-
Sacerdotalis potestas per se honoranda nem. *Dic mihi, si cupidus visendi regias auro multo splendentes, & lapidum pretiosorum splendore vndique coruscantes, inuenires eum qui clauos haberet, is autem rogatus abs te, confestim illas referaret, introque te mitteret, an non illum præ omnibus honorares? an non æquè vt oculos tuos diligeres? Sacerdos vero tibi cælum aperuit, & illum nec amas, nec amplecteris? Si vxorem habes, an non eum qui tibi eam conciliauit, omnium maximè amas? Ita si Christum amas, si amas regnum cælorum, agnosce eos, per quos illud habes.* Quapropter dicit B
1.Thess.5. *Apostolus: Propter opus eorum pacem habete cum illis.* Hæc ille. Ait quippe ibi Apostolus, & verbis efficacissimis hortatur: *Rogamus vos, fratres, vt noueritis eos* (non quidem simplici scientia, qua carere non poterant, sed affectuosa cognitione) *qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monet vos, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* Opus quippe pastoris & sacerdotis est multa maiestate plenum: consecrare corpus Domini; regenerare Deo mortuos; remissio-
Ho.99.in nem peccatorũ dare. Vnde D. Chrys. *Si videntes viri alicuius sæculari dignitate insignis familiarem,*
Genes. *operam damus, vt quantum possibile est, illi præstemus obsequium, cogitantes quod, quæ illi fiunt, etus domino accedant, & quod ille familiaris, vbi significauit patrono suo, maiorem nobis apud eum fauorem conciliet; multo magis hoc erit apud vniuersorum Dominum. Nam si quis in vulgarem aliquem & abiectum benignitatem & compassionem declararit; Dominus quæ fiunt sibi propria faciens, promittit se in regnum introducturum eos, qui aliquid boni ei fecerint.* Hæc ille. Nempe si in extremo iudicio remunerat eos Christus amplissimè, qui vni ex minimis eius opus misericordiæ impenderint; quanto magis remunerabit eos, qui maximos eius illique officio ac munere coniunctos, debito amore complexus, & honore prosequutus fuerit! Quod ne quis dubitaret, di-
Matth.10. sertè prædixit bonus magister: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.*

De sacerdot.li.3. Adde his, quod vocatio & potestas ipsa summo honore digna est. De qua re sic D. Chry- C
Simile. sostomus: *Rex aliquis, si cui ex subditis suis honorem hunc impartitus fuerit, vt potestatem habeat, quoscunque velit, in carcerem conijciendi, & eosdem rursus relaxandi, is nimirum beatus ac mirandus omnium iudicio fuerit. At vero qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto cælum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant; hic itane vilem à Deo dignitatem nonnullis accepisse videri debet?* Vide plura apud eundem eodem libro, qui totus ferè in hoc argumento
Lib. 8. Recog. est. De hac re etiam D. Clemens: *Videntur mihi, qui loquuntur verbum veritatis, & qui illuminant animas hominum, similes esse radiis solis, qui vt processerint, & apparuerint mundo, celari vltra, aut occultari nullatenus possunt, dum non tam videntur ab hominibus, quàm videre omnibus præ-*
Do.3.post Epip.tex.4 *stant.* Glorificandus ergo Deus ab omnibus Dei seruis, qui talem potestatem dedit homi-
Dom. Pass. tex.4. nibus, etsi eorum conseruis. De hac materia iam in vna aut altera Dominica multa diximus,
Do.13.post quæ in hunc locum conferri poterunt. De vera & indubitata remissione peccatorum per Ec-
Pent.tex.4 clesiæ sacerdotes facta, & à Christo accepta, in altero Promptuario Catholico contra hæreticos disputatum est, Dominica in Albis, & in hac præsenti.

EVAN- D

A

EVANGELIVM DOMINICÆ XIX. POST PENTECOSTEN.



IOQVEBATVR Iesus principibus Sacerdotum, & Phariſæis in parabolis, dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum homini Matth.22. Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam: reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis af-
B fectos occiderunt. Rex autem cum audiſſet, iratus eſt; & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum ſuccendit. Tunc ait ſeruis ſuis. Nuptiæ quidem paratæ ſunt: ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

C
1. *Qui fecit nuptias filio ſuo.* De ineffabili beneficio per incarnationem Filij Dei humano generi collato.
2. *Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.* De peruerſa hominum voluntate, ſuæ incredulitatis & damnationis cauſa.
3. *Iterum miſit alios ſeruos, dicens: Omnia parata ſunt.* De Dei benignitate ac prouidentia circa ſalutem hominum, ad noſtrum in eum amorem inflammandum.
4. *Illi autem neglexerunt, & abierunt.* De ingratitudine & negligentia humana circa cauſam ſalutis æternæ.
5. *Alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam.* De rerum temporalium amore inordinato.
6. *Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.* De impietate & crudelitate perſecutorum fidei, pietatis, & Eccleſiæ.
7. *Rex autem, cum audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum ſuccendit.* De certa & infallibili iuſtitia ac vindicta Dei contra omnes fidei Catholicæ perſecutores.
8. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Contra pſeudo-chriſtianos, & noſtri temporis politicos.
9. *Ligatis manibus ac pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* De pſeudo-chriſtianorum, & maximè politicorum, æterna & horrenda pœna.
10. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* De paucitate ſaluandorum, locus ad timorem
D vtilis.

1. *Qui fecit nuptias filio ſuo.*

LOcus moralis de ineffabili beneficio per incarnationem Filij Dei humano generi collato. Nuptiæ enim quas Deus (qui homo Rex hic vocatur, quia hominum Rex amantiſſimus eſt) fecit Filio ſuo vnigenito, & ad quas vocat inuitatos, ſunt illa admirabilis vnio & coniunctio hypoſtatica Filij Dei, cum natura & carne humana, quando *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Tũc enim facti ſunt Deus & homo, *duo in carne vna*: duæ naturæ in vna per- *Incarnationis Dominicæ beneficium. Ioan. 1. Epheſ. 5.*

sona. Tunc etiam facti sunt Deus & humana natura per gratiam adoptata in filios Dei, nõ duo in carne vna, vt in matrimonio carnali; sed duo in spiritu vno, per coniugium spirituale, quod *Sacramentum*, seu mysterium *magnũ*, meritò Apostolus vocat, *in Christo & in Ecclesia*. Ex hoc enim matrimonio, ex his nuptijs inter Filium Dei & omnes electos, non minus arcta coniunctio, per copulam & vnionem spiritualem, inter Deum & animam sibi desponsatam facta est; quàm inter virum & fœminam per copulam carnalem fieri solet. Huius autem coniunctionis, huius desponsationis cum Deo, harum nuptiarum Filij Dei beneficia, dotes, munera, honores, gratiæ, infinitè multo maiores & ampliores sunt. Primùm, *quotquot receperunt eum*, inuitati ad has nuptias, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Deinde, *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Rursum, vt boni filij essemus, non fide tantùm, & vno quodam gradu, sed charitate quoque & perfectius vniti: *Misit Deus Pater Spiritum Filij sui in corda nostra, in quo clamamus, Abba Pater*. Accepimus enim per hanc desponsationem nostrã cum Deo per Christum, *Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater*. Iam verò accepto hoc *Spiritu promissionis*, seu repromisso per Christum Apostolis suis, & Ecclesiæ suæ, tum in sermone vltimo post cœnam in horto, tum, quum ad Patrem ascenderet, iubens suos expectare in sancta ciuitate, *donec induerentur virtute ex alto*, hoc, inquam, accepto Spiritu, id est, *diffusa charitate in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, (*Spiritus* enim *promissionis*, est ignita charitas, quam in die Pentecostes Apostoli acceperunt, nos in Baptismo, & Confirmationis Sacramento per manuum impositionem accipimus) habemus *pignus hæreditatis* in corde nostro, & *testimonium Spiritus in nobis quòd sumus filij Dei*. Per hanc enim charitatem *compatimur Christo, vt conglorificemur ei*. Per hanc charitatem *Deus manet in nobis, & nos in eo*. Per hanc charitatem sumus vnus spiritus cum Deo. *Qui enim adhæret Deo, vnus spiritus est*. Per hanc charitatem seruamus mandata Dei. *Qui enim diligit me, sermones meos seruabit*, vt seruantes ea, salui fiamus: *Si enim vis ad vitam ingredi, serua mandata*.

Nuptiarũ Filij Dei dotes.
1. *Ioan.* 1.
2. *Rom.* 8.
3. *Galat.* 4. *Rom.* 8.
4. *Ephes.* 2. *Actor.* 1. *Rom.* 5.
Spiritus promissionis quid.
Ephes. 2. *Rom.* 8.
5. 1. *Ioan.* 4. 1. *Cor.* 6. *Ioan.* 16. *Matth.* 19.

A

B

Ad has nuptias inuitauit humanum genus Deus, à principio quidem orbis conditi, per fidem in Mediatorem venturum, mittens subinde seruos suos, Patriarchas & Prophetas, qui homines hanc fidem docerent: postea verò, *occisis iam tauris & altilibus*, immolata victima Filij Dei, & Agno occiso, qui quidem *occisus fuit ab origine mundi*, tum quia ita futurum Deus prædestinauerat; tum quia ab eo tempore pretium eius, & virtus valuit habentibus fidem Mediatoris: sed nunc occiso non spe & fide tantùm, sed & reipsa; per alios seruos, Apostolos, & eorum successores, perpetuos verbi Dei præcones, homines semper inuitat. Omnia parata esse affirmat. Quicquid vel ad præcedentium delictorum remissionem, vel ad futuram totius vitæ renouationem, vel ad animi prudentiam, fortitudinem, patientiam, vel ad futuræ gloriæ beatitudinem necessarium fuit, iam totum per nuptias Filij sui *Homo Rex*, Deus Pater, expeditum & perfectũ dedit. *Qui enim Filium suum nobis donauit, quomodo non cum eo omnia nobis donauit?* Ipse enim *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. Ille iam *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. Denique, *introiuit pro nobis semel in sancta, æterna redemptione inuenta, & propalata est sanctorum via*. Iuit *parare nobis locum*, veniet & *assumet nos ad seipsum*. Postremò per has nuptias Filij Dei, facti sumus *amici & domestici Dei, & ciues sanctorum. Amici Dei* sumus, quia *quæcunque audiuit à Patre suo* Filius Dei, *nota fecit nobis*. Domestici eius sumus, quia *seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum*: & quia *Filius Dei nos liberauit, verè liberi sumus*, non serui, non hospites, non aduenæ. Ciues sumus *nouæ ciuitatis Ierusalem, quæ descendit de cælo*, quia *omne eius donum desursum est, descendens à Patre luminum, à Deo parata, vt sponsa ornata viro suo. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim, iustificationes sunt Sanctorum. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Huius ciuitatis ciues, harum nuptiarum hospites sumus. Postremò & per has nuptias Filij Dei, facti sumus incredibili dignatione fratres eius. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te*. Nec per Prophetiam modo hoc prædictum est, sed & in Euangelio sic Veritas loquitur, sic Filius Dei suos, fratres vocat. Dicit enim post glorioſam resurrectionem suam mulieribus: *Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam. Ibi me videbunt*. Hæc sunt incarnati Filij Dei, & desponsationis nostræ cum eo, & nuptiarum ad quas inuitamur, beneficia, dotes, gratiæ, honores, munera succinctè & crassè delineata, quæ amplificabit & locupletabit studiosè Concionator.

Inuitatio ad nuptias
Matth. 22. *Heb.* 9.
Omnia parata.
Rom. 8. 1. *Cor.* 1. *Rom.* 6. *Hebr.* 7. *Ioan.* 17.
Ephes. 2. *Ioan.* 15. *Ioan.* 8.
Iacobi 1. *Apoc.* 21. *Apoc.* 19.
Heb. 2.
Psalm. 21.
Matth. 28.

C

D

Sicuti in nuptiis carnalibus, est animorum vnio, amicitia, & consuetudo arcta, omnium bonorum communio, ordo subiectionis; sic in his nuptijs spiritualibus inter Christum & Ecclesiam, est vnio spiritus, amicitia, fraternitas; est donorum & gratiarum amplissima communicatio; denique ordo subiectionis, vt sit pax in familia. Nam *vir caput est vxoris, vxorque* non diligere tantùm, sed & *obedire viro debet*; tantoque magis obedit, quanto sincerius diligit. Sic vt pacem habeamus cum Deo, obediendum illi est per omnia, sicut diligendus super omnia. Iam verò matrimonij beneficium ex parte sponsi tanto illustrius est, quanto inæqualius; tanto pretiosius, quanto carius, maiorique pretio aut labore emptum; tanto beneuolentius, quanto sponsa deformior. Atqui Dei Filius humanam sibi naturam desponsans, sponsam accepit vehementer obæratam,

Nuptiarũ carnalium & spiritualium comparatio.
Ephes. 5.

A obæratam, litigiosam, nudam & paupertimam: quia delicti chirographum contra nos scriptum erat, diabolus nos sibi iure vendicauerat, vt captiuos eius; per peccati reatum, pauperes, miserabiles, nudi, omnibus virtutibus expoliati fuimus. Sponsam quoque accepit valde deformẽ, innumeris peccatis fœdatam: accepit rebellem & proteruam, immorigeram, inobedientem: accepit deniq; magno pretio emptam, pretio sanguinis sui. Postremò accepit ignobilem, & maximè inæqualem. Quare illam accepturus, *exinaniuit seipsum, formam serui accipiens*, quũ esset *Dominus gloriæ*. Vnde D. Bernardus: *Quanti te fecit Deus, ex his quæ pro te factus est, agnosce; vt appareat tibi benignitas eius in humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humilitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate; & quanto pro te vilior factus est, tanto tibi charior esse debet.* Sic & D. Ambros. *Plus, Domine Iesu, debeo iniurijs tuis, quibus redemptus sum; quàm operibus tuis, quibus creatus sum.*

Ecclesia sponsa deformis, obærata, nuda, litigiosa, ignobilis, proterua, & odiosa.

Philip. 3. Serm. 22.

Dixit olim suis Iudæis Moyses: *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Dominus hominem super terram, à summo cœlo, vsque ad summum eius: si facta est huiuscemodi res aliquando, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Domini Dei, loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vidisti.* Sed quantulum istud est, & quàm exile præ nuptijs istis quibus confectis, *audit iam sponsa vocem ipsam sponsi* & Dei *sui*, non in medio ignis, sed in persona propria, humana natura vestita: quando ipse *Principium loquitur nobis*: quando *Verbum Dei caro factum habitat in nobis, & de plenitudine eius accepimus omnes*: quando *vnigenitus de sinu Patris ipse enarrat nobis*: quando vox de cœlo intonuit, *Hic est Filius meus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite*: quando ipse sponsus suã spõ-
B sam facie ad faciem alloquens dicit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, &c. quando illũ loquentem audimus, in quo *omnes thesauri scientiæ & sapientiæ reconditi sunt*: qui *quæcunque à Patre audiuit, nota facit nobis: in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter.* Verè non est facta huiuscemodi res aliquando: nec vlla natio tam grandis est, quæ habeat deos suos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Adest nobis per naturam homo factus. Adest nobis per Spiritum sanctum suum in corda nostra missum. Adest nobis per auxilia gratiæ suæ, operans in nobis: per amicitiæ nexum manens in nobis: per Sacramentum passionis suæ incorporatus nobis: per fidem nominis sui purificans corda nostra: per charitatem diffusam in cordibus nostris, accendẽs voluntates nostras: per magnitudinem promissionum erigens spem nostram. Denique sic adest nobis, vt per illum Deus Pater *nos conuiuificauerit, & conresuscitauerit, & consedere fecerit in cœlestibus*, vt sublimiter ac veraciter Apostolus scripsit. Sic Deus noster Emmanuel nomen eius. Sic enim per has nuptias, vt sponsa sponso, vt membra capiti, vniti atque coniuncti sumus; vt cum Christo viuificati per gratiam, cum illo simus resuscitandi per potentiam, vt cum illo consedeamus per gloriam.

In Lucam, lib. 22.

Comparatio Legis & gratiæ.

Deut. 4.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

Matth. 3.

Matth. 13.

Coloss. 2.

Ioan. 15.

Coloss. 2.

Emmanuel Deus nobiscum, quot modis

Ephes. 2.

Vnde illud sequitur, vt quibus oculis Christum cœlestis Pater aspiciat, eisdem nos quoque aspiciat, in quibus videlicet Filij sui & Spiritum, & carnem, & imaginem contuetur: Spiritum
C gratiæ, carnem naturæ, imaginem cõformitatis ac vitæ. *Quotquot enim in Christo baptizati sumus, Christum induimus.* Christum induti, *conformes sumus imagini eius.* Hinc fit, vt non secus pro suis Deus Pater nos habeat, quàm Filium suum. *Fidelis enim Deus*, & verax in verbis suis, *per quem vocati sumus in societatem Filij eius*: &, vt ait D. Ioannes, *Societas nostra est cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Ad hanc societatem, amicitiam, vnionem & omnium bonorum cum Deo communionem vocati sunt, quotquot per seruos, Prophetas, & Apostolos, ac præcones verbi Dei, ad nuptias Filij Dei inuitati sunt. Vide de hoc beneficio Incarnationis Dominicæ, seu nuptiarum Filij Dei, plura in alia suprà Dominica. Hic locus si cui magis ad doctrinam quàm ad mores facere videatur, tamen quia fundamentum est locorum omnium, quæ ad mores propriè pertinentia, in hoc admirabili Euangelio tractabuntur, tractari quoque breuiter & delineari debuit.

Christianorum gloria.

Galat. 4. Rom. 9.

2. Cor. 1. 1. Ioan. 1.

Dom. inf. oct. Nat. Domini, text. 1.

2. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire.*

LOcus moralis de peruersa hominum voluntate, suæ incredulitatis, & propriæ damnationis causa. Deus quidem per gratiam, & inspirationem internam, omnes ad beatitudinẽ, & Filij sui nuptias inuitat; sed multos per destinatos verbi sui prædicatores ac ministros specialiter vocat. Ex istis vocatis aliqui simpliciter credere nolunt, venire ad Deum nolũt, viam salutis carpere nolunt. De his Christus: *Hoc est iudicium* (mundi) *Venit lux in mundum; dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Maluerunt in suis tenebris perpetuo delitescere, quàm ad lu-
D cem oculos aperire. De his Propheta: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilẽ. Non crediderunt verbo eius: & murmurauerunt in tabernaculis suis, & non audierunt vocem Domini.* Sicut enim Iudæi terram promissionis contempserunt, sic infideles beatitudinis ingressum negligunt: sic mali Christiani murmurant in tabernaculis suis, id est, in voluptatibus & desiderijs suis, in quibus tabernacula sua fixerunt, vt in alia Dominica dictum est, & non audiũt vocem Dei loquentis in corde ipsorum, loquentis per vocem prædicatorum suorum. Non audiunt, quia audire nolunt. Clamat Propheta: *Omnes sitientes*, id est, saluari volentes, *venite ad aquas; & qui non habetis argentum* (id est, vlla merita, vel opera bona) *properate*, voluntatem adhibete: *emite & comedite*, pretium emendi, & titulus comedendi, erit voluntas vestra: *Venite, emite absque argento*, id est, absque

Voluntas praua cuique perditionis causa.

Ioan. 5.

Psalm. 105.

Domin. 2. Quadrag. text. 3. Esaiæ 55.

merito vllo vestro. A nobis non exigitur aliud, quàm *sitire, properare, venire*: affectu, desiderio, A
voluntate ad Deum tendere. Nec pulchritudinem, nec robur, nec litteras, nec ingenia, nec nobilitatem (multi enim his omnibus carent) sed solam voluntatem Deus exigit, qua nemo caret, si velit. Nihil enim tam in potestate hominis est, quàm vt velit. Et sicut voluntatem nemo cogere potest, sic nec ea carere, qui rationalis creatura est. Vocantur ad has nuptias in hoc Euangelio *debiles, claudi, pauperes, ac cæci*; quia omnes isti, etsi viribus, sanitate, diuitijs, intellectu, & sapientia ad bene agendum carent, tamen voluntate, nisi sua propria culpa, non carent. *Anima insignis Dei imagine* (ait S. Augustinus) *illustris similitudine, habet in sese ex Deo, quo admoneatur semper, aut stare cum eo, aut ad eum redire. Nec solum habet vnde respirare queat in spe veniæ, sed etiam vnde audeat aspirare ad nuptias Verbi, & cum Deo inire fœdus societatis. Hæc omnia facit amor, si anima exhibeat se similem Deo per voluntatem, cui similis est per naturam.* Dicente Deo Cain: *Si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Ne fortè Cain (vt erat impius ac proteruus) diceret statim, in sua potestate non esse, benè vel malè agere, sed illud quidem supra vires suas, hoc propter naturæ prauitatem, & diaboli violentiam, præter suas vires esse, subiunxit Deus: *Sed subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Cœlum emere, aut infernum demereri, in tua potestate erit. Venire ad nuptias, vel non venire, in voluntate eorum, qui inuitati vocantur, situm est. Ad Deũ enim quod attinet, *ille vult omnes homines saluos fieri.* Ille omnes inuitat; ille omniũ voluntates excitat, & excitatos adiuuat. Sed ideo non veniunt impij, quia nolũt venire. Nihil aliud habet homo in se verè proprium, quam amorem spontaneum, qui est totus thesaurus hominis, honorabilis, pretiosus, liberalis, perpetuus, & charissimus Creatori. B

Manual. cap. 18.

Genes. 4.

1. Tim. 2.

Remund. Seb. De nat. hom. dial. 2. cap. 19.

Dicit apud Prophetam Deus animæ peccatrici, & venire ad nuptias nolenti: *Immunditia tua execrabilis; quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* Hæc est maximè Deo inuisa impietas, quando causa inobedientiæ & peccati sola improba, peruersa, & pertinax, mala voluntas est. *Vocaui, & renuistis. Ideo & ego in interitu vestro ridebo.* Qui Regi per literas & nũcios expressos, subditum ad se vocanti, respondet se venire nolle, aut de facto non venit, quia non vult venire, ille omnium iudicio grauissimè in Regem peccat. Nuncij expressi Dei, qui cum literis eius nos vocant, sunt verbi Dei prædicatores. Qui pullus, gallina vocante, statim non venit, citò à miluo rapitur. Canis à Domino vocatus, statim venit. Creatura ad Creatorem, filius ad patrem, infirmus ad medicum, egenus ad locupletatorem suum, miser ad beatificum bonum suum non venit, quia non vult venire. Ait Propheta: *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Grauiter conqueritur Iob, & inter suę calamitatis miserias pro magna numerat, dicens: *Seruum meum vocaui, & non respondit mihi: ore proprio deprecabar illum.* At Christus suis nunciis dicit: *Qui vos audit, me audit.* Quare iterum comminatur per Prophetam Deus: *Omnes in cæde corruetis, pro eo, quòd vocaui, & non respondistis mihi.* De hac materia vide plura in aliis suprà Dominicis. C

Nolle venire maximum peccatum.

Ezech. 24.

Prouerb. 1.

Similia.

Ierem. 8.

Iob 29.

Lucæ 10.

Esaiæ 65.

Dō. 9. post Pent. text. 4. & locis ibi annotatis.

3. *Iterum misit alios seruos, dicens: Omnia parata sunt.*

Dei prouidentia circa salutem nostram.

LOcus moralis de Dei benignitate ac prouidentia circa salutem hominum, ad nostrum in eum amorem inflammandum. Non contentus semel misisse, qui vocarent inuitatos ad nuptias, iterum alios seruos mittit cum nouo & ampliori mandato, vt dicant: *Ecce, prandium meũ paratum, tauri & altilia occisa sunt: & omnia sunt parata.* Amoris signum est, hospitẽ inuitatum venire recusantem, iterum ac secundò vocare; etsi amicum, nedum inimicum: etsi æqualem, nedum inferiorem: etsi virum bonum, nedum improbum. At omnes hic inuitati improbi erant. *Omnes peccauerunt, & egent gloria* Dei. *Dominus de cælo prospexit, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Quæsiuit idoneos mensæ suæ conuiuas, honestos hospites. *Omnes declinauerunt. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Inuitat tamen omnes ad pœnitentiam, vocat ad salutem, pacem & gloriam offert omnibus Deus. Præceperat olim filiis Israël, vt, si ad expugnandam aliquam ciuitatem veniissent, primùm ei pacem offerrent: quam si ciues recepissent, cunctus populus, qui in ea esset, saluus & incolumis relinqueretur. Si verò eam non reciperent, oppugnari iubebat, & interfici omne masculinum in ore gladij. Hanc legẽ ipse cum hominibus tenet. Omnes ad pacem, ad veniam, ad salutem, ad gloriam inuitat, vocat, iterum ac secundò compellat. Tamerlanus ille, qui totam Ægyptum, Persidem, & Asiam minorem domuit, qui se non hominem, sed Dei flagellum esse aiebat, ciuitatem aliquam aut locum oppugnaturus, primo die castra candida tendebat, secundo nigra, tertio rubra: vt qui primo die se dederent, salui cum bonis omnibus essent: qui secundum diem expectarent, luctuosam & pœnis mixtam deditionem acciperent: qui tertio non se darent, internecioni ad vnum omnes darentur. Sic iste Assur, & virga furoris Domini, in mediis crudelitatibus, pacis tamen & clementiæ prorsus immemor nõ fuit. Atqui Deus fons bonitatis, & Pater misericordiarum, primo, secundo, tertio die pacẽ offert, vocat, inuitat. Quam eius misericordiam ac benignitatem his verbis describit S. Chrysostomus: *Auersati sumus vocantem & vndequaque illectantem: ac ne sic quidem de nobis pœnas ille sumpsit? sed accurrit ipse, ac restitantes fugientesque inhibuit: ipsi tamen ab illius manibus excussi, ad diabolum transfugimus. At ne sic quidem destitit ille, sed sexcentos rursus qui nos hortantur misit, Prophetas, Angelos, Patriarchas. At nos legationem non solùm non admisimus, sed & legatos, nobiscum agentes, iniuria affecimus. Ille autem* D

Deut. 20.

Exempla

Paulus Iouius lib. 2. virorum illustrium.

Hom. 5. in epi. ad Rō.

A *autem nec per hoc quidem nos respuit, sed quod facere solent ij, qui vel vehementissimè cùm amant, negliguntur tamen, circuiens ad omnes adyt, tum in cœlo, tum in terra sese manifestans, congressusque nunc cum Ieremia, nunc cum Michæa, paratus etiam cum aduersarijs suis ad rationis reddendæ calculos descendere: tum autẽ ad omnia surdos ad colloquium secum trahens, ait: Popule mi, quid feci tibi? aut quid molestus fui? responde mihi.* Simile. Michæa 6.

Hæc ille. Hæc Dei prouidentia & misericordia, sicuti veteri populo peccanti, & post idola abeunti, suscitauit Esaias, Ieremias, Ezechieles, aliósque assiduè Prophetas nec legibus Mosaycis, nec literis Dauidicis, nec sapientia Salomonis eos abundè docuisse, sat habens; sic & multo vberius nouo suo populo per hæreses, per flagitia, per peccati & erroris deuia frequenter aberranti, non solum sancta Euangelia, & litteras Apostolicas, quibus ad fidem errantes, ad pietatem peccantes reduci possent, suppeditauit ac reliquit; verùm etiam per omnes ætates pastores, doctores, Athanasios, Augustinos, Ambrosios, & alia Ecclesiæ lumina dedit, qui semper inuitatos, vtcunque nolentes ac reluctantes, ad nuptias cœlestes studiosè vocarent: quod & nostra hac ætate inter tot hæresum portenta, & flagitiorum monstra, misericordissimè fecit: pios ac doctos seruos suos subinde mittens, qui & fidem orthodoxam tuerentur, & ad pietatem ac bonos mores inflammarent. De hac Dei benignitate ac prouidentia vide plura in aliis Dominicis, vbi potissimùm quomodo ouem perditam pius pastor quærat, explicatum est. Dominica 3. post Pentecosten, text. 4. Reliqua loca vide Dominica 5. post Epiphaniam, text. 1. Dominica Septuages. text. 1. & Dom. 2. post Pentecost. text. 2, vbi eisdem penè verbis ad cœnam
B magnam inuitantur omnes.

4. *Illi autem neglexerunt, & abierunt.*

LOcus moralis de ingratitudine & negligentia humana circa causam salutis æternæ. Est enim hæc recusatio tum ex parte Dei, & amplissimorum, quæ in his nuptiis exhibentur, beneficiorum (vt in primo loco rudi minerua delineatum est) ingens & inexcusabilis ingratitudo; tum ex parte nostra, fœda & miseranda negligentia. Abraham cum primum de circuncisione mandatum accepit, per cuius signaculum pactum peculij cum Deo inire debuit, confestim eodem die seipsum, filium, & omnes vernaculos suos circuncidit. Eliæus, audita voce Eliæ vocantis, statim secutus est eum. Cùm Ionas dixisset Niniuitis; *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*: non expectarunt ad vltimum vsque diem pœnitentiam agere; sed statim, audita prædicatione, *crediderunt, & prædicauerunt ieiunium*. Contrà verò Leuita ille, qui voluit de Bethlehem redire in domum suam, dum longas nectit moras, & soceri sui precibus & blandimentis serius egreditur, domum suam pertingere non valens; in Gabaa pernoctare cogitur, vbi tantoperè vexatus, & ignominiosè tractatus acerrimo bello, & vnius tribus internecioni causam dedit.

C Displicet Deo tam benignè & misericorditer vocanti longa tergiuersatio, & salutis oblatæ neglectio. Sapienter S. Augustinus: *Hac animaduersione percutitur peccator; vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei.* Vnde apud Prophetam conqueritur Dominus: *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Sicut qui aduocatum bonum habens, & causam suam negligẽs, ab eo postea in iudicem euecto, patrocinium amplius postulare aut expectare non potest, quia nũc iudicis personam gerit, cuius non est, partem litigantem instruere aut informare, aut quoquo modo partialiter iuuare: sic omnino qui Christum nunc apud Deum Patrem aduocatum habemus, si nũc eius patrocinium & opem negligimus, nec per seruos eius admoniti & vocati causæ nostræ incumbimus; ab eo postmodum Iudice viuorum ac mortuorum futuro, nullum patrocinium, fauorem, aut gratiam expectare possumus: quia tunc Iudex noster non aduocatus erit, & diabolo nos accusante, ex iustitia vnumquemque iudicabit, vt in Prõptuario Cathol. Dom. 1. Aduent. dictum est. De huiusmodi apud B. Iob dicitur: *Isti rebelles fuerũt lumini, nescierũt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.* Quemadmodum enim *qui male agunt, oderunt lucem*, vt ibidẽ S. Iob multis exemplis ostendit, ideóque lucem fugiunt quasi vmbram mortis: sic pietatis hostes lucem doctrinæ non ferunt, vocationem Dei negligunt, suis delectati tenebris, & excæcati sordibus. Appositè D. Gregorius: *Quia superbi nolunt facere quod cognoscunt; hac pœna puniuntur, vt nec cognoscant mala quæ faciunt. Quia enim prius rebelles sunt; postea cæcantur vt nesciãt.* Et paulò pòst: *Isti in tenebris sicut in luce ambulant, quia sic in præsenti cæcitate læti sunt, ac si æternæ patriæ luce perfruantur: vel quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos iustitiæ lux circumfundat.* Hoc est cor ingratum, cor durum, & diuinas voces surdis auribus excipiens. Pulchrè Diuus Bernardus: *Quid est cor durum? Ipsum est,*
D *quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sæuum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorũ obliuiscens, præsentium negligens, futura nõ prouidens.* Hæc ille. Sanè serui Dei, qui vocant inuitatos ad nuptias, hæc omnia & singula humano cordi proponunt, monent, minantur, hortantur: Dei beneficia, Dei flagella, Dei sapientiam, peccati pericula, turpitudinem, iudicium; præterita, præsentia, futura ob oculos ponunt. Sed nihil horum mouet. *Nesciunt aliquid de lumine æstimare* (ait Augustinus) *quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant; de tenebris euntes in tenebras, nesciunt vbi corruant. Cadunt apertis oculis, & descendunt in infernum viuentes.* Sicut enim paruulus puer in tenebroso car-

Simile. Iudic. 19. Ingratitudo & negligentia circa salutẽ Genesis 17. 3. Reg. 19. Ionæ 3. Iudic. 19. In Ser. 55. de Innocẽt. Ierem. 51. Simile. Iob 24. Simile. Ioan. 3. Moral. lib. 16. cap. 26. Ibid. ca. 29 Lib. 1. de Cõsiderat. Cor durum Soliloq. cap. 33.

Dō. 5. *post Epiphan. text.* 2. & Dō. 2. *post Pēt. tex.* 3.

cere cum captiua matre natus & nutritus, in ſuis tenebris ludit, nec lucem deſiderat; ſic iſti. De hac negligentia, ingratitudine, & obſtinatione contra verbi Dei prædicationem, & circa ſalutis curam, vide in alijs Dominicis quæ dicta ſunt. A

5. *Alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam.*

Temporalium rerū amor.

LOcus moralis de rerum temporalium amore inordinato. Idcirco enim iſti ad nuptias inuitati, & ſecundò vocati, venire neglexerunt, quia alius in villam ſuam dominandi cupiditate abductus; alius ad negotiationem ſuam, ad rem familiarem augendam intentus, abiit. Hunc auaritia, illum ambitio; hunc concupiſcentia oculorum, illum ſuperbia vitæ; vtrumq; rerum temporalium cura, & huius vitæ vanitas ac ſolicitudo abſtraxit atq; abduxit, vt ad nuptias Agni venire penitus negligerent. De hac materia iam in variis Euangeliis diximus, præſertim Dominica 2. poſt Pentecoſten, vbi non quidem eadem parabola, præſenti tamē valde ſimilis legitur; atqui in Dominica Sexageſimæ, de verbi ſemine, propter curas & ſolicitudines huius vitæ, propter diuitias & voluptates ſuffocato; ac demum Dominica 14. poſt Pentecoſten, vbi illud, quòd *nemo poteſt Deo ſeruire & Mammonæ*, aliáque loca affinia tractata ſunt. Aliqua tamen hoc loco non minus propria, prout Deus dabit, addentur. Non vſus ad neceſſitatem ſubleuandam, ſed amor rerum temporalium ad cupiditates explendas, impedit homines, ne redemptionis ſuæ beneficium amplectantur. Qui enim magno feruore, deſiderio, ſtudio res ſæculi tractat, is ſæculi conuiua eſt, non Dei; is non ad cœnam magnam à Deo ſuis paratam, ſed ad aqualiculum carnalium voluptatum, vt ſiliquis porcorum ſatietur, accumbit. De Rege Aſſyriorum ſuperbo dicit Propheta: *Aquæ nutrierunt illum, & abyſſus exaltauit illum*. Per aquas & abyſſum intelligit diuitias, & potentiam. Hæc duo illum extulerunt, & ex ſublimitate in imam profunditatem præcipitarunt. Solent enim hæc duo intellectum tenebris circumfundere, & errorum ac vitiorum caligine operire. Ideo Propheta, aquas propter confuſionem, & abyſſum propter tenebras (iuxta illud, *Abyſſus erat ſuper faciem terræ*, id eſt, tenebræ) illa duo vocat. Sicut in receptaculis aquarum, & hiatibus ingentibus, quæ ſunt in corpore terræ, generantur animalia informia, & tardi motus, & cœca vt plurimum, ſicut ſunt talpæ; ſic qui negotiis ſæcularibus implicantur, in villa ſua, & negotiatione ſua toti occupantur, efficiuntur animales per concupiſcentiam; & *animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*; informes per malitiam, quia, quod Apoſtolus prohibet, *conformantur huic ſæculo*; tardi motus per negligentiam; *Dicit autem piger, Leo eſt in via, in medio platearum occidendus ſum*; ac denique cœci per ignorantiam, ſicuti de auaris Phariſæis Chriſtus dixit, quum ad prædicationem eius offenderentur: *Sinite illos. Cæci ſunt, & duces cæcorum*. Dicit Apoſtolus, *Nemo militans Deo* (at omnes Deo militare debemus, quotquot ad nuptias Filij Dei vocamur) *implicat ſe negotijs ſæcularibus*, & cauſam ſubiungit: *vt ei placeat, cui ſe probauit*: quaſi dicens, Deo placere non poteſt qui ſe implicat negotijs ſæcularibus. Qui enim implicat ſe, inuoluitur, & inuoluēdo detinetur, & detinendo ſuperatur ab earum rerum cupiditate quibus ſe implicat. Vnde alia Scriptura: *Qui implicatus eſt, abundauit malitia*. Sic & Petrus docens fugere coinquinationes mundi, addit: *His rurſus implicati ſuperantur*. Quemadmodum enim Dauid ad pugnam contra Philiſthæum perrecturus, indutus armis Saulis, incedere non poterat; ſic ſub Deo contra diabolum militaturus, indutus arma mundi, negotiis ſe & curis huius ſæculi inuoluens, vix vnum pedem promouere poterit. *Arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed ſpiritualia*, ait Apoſtolus: non huius mundi prudentia, ſubſidia, abundantia, ſed diuini Spiritus ſapientia, auxilia, & effuſi in nos abundè gratia. Porrò quem huius mundi cupiditas tenet, in aquis nutritur, vt modò ex Propheta diximus: quia quemadmodum is qui in aquis ſubmergitur, quicquid manu tenet, ita fortiter tenet, vt nullo modo dimittat, ſed ſecum ſubmergi cogat; ſic amicus huius mūdi ita hoc amore immergitur, vt quicquid in mūdo tenet, fortiſſimè teneat, nec ſe ab eo diuelli patiatur, vnde fit, vt vocatus ad cœleſtia venire negligat. Sicut autē qui in aqua ſubmergitur, quamdiu caput adhuc extra aquas liberum eſt, periculo caret; ſic qui in diuitijs natant, ſi cor adhuc illis non apponitur, ſi affectus, & ratio ſuperior extra & ſupra illas fertur, non ſubmergetur in illis: at ſi caput ipſum, affectus, ratio, diuitiarum cupiditati cedat, neceſſariò in profundum fertur. Hinc illa apud Prophetam querela: *Inundauerunt aquæ ſuper caput meum, & dixi, & perij*. Certè mundus hic, qui in auaritia & ambitione, & in duabus iſtis concupiſcentiis maxima ex parte conſiſtit, vt Ioannes docet, mare vitreum illud eſſe videtur, quod in Apocalypſi D. Ioannes vidit dicens: *Vidi in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo*. Eſt enim mundus mare tumidum per ſuperbiam, liuidum per inuidiam, feruidum per iracundiam, profundum per auaritiam, inquietum per acediam, ſpumoſum per luxuriam, abſorbens per vētris curam, vbi etiam maior piſcis minorem deuorat. Sed dicitur vitreū propter fragilitatem. *Tranſit mundus, & concupiſcentia eius*, ſimile quoque cryſtallo propter frigiditatem, & obſtinatam malitiam: eſt enim cryſtallum aqua gelata. Si mare vitreum mundus eſt, res turbulenta, & fragilis; quanta dementia eſt illi potiùs adhærere, quàm ad cœleſtes nuptias inuitatum venire? Hirundines in domo minante ruinam non ædificant, & fugiunt ab ædificiis malè materiatis, vt ſcribit Solinus. Quanto illi nobis prudentiores, qui omnino volumus omnē fælicitatē noſtrā in caducis

Text. 4. & 5. *Text.* 6. *Text.* 3. 4. & 6. *Vide quoq; Domin.* 1. *Quadrag. text.* 8. *Domin.* 2. *Quadrag. text.* 3. Dō. 3. *poſt Paſc. tex.* 2 Dō. 4. *poſt Pent. tex.* 3 *Ezech.* 13. *Geneſis* 1. *Simile.* 1. *Cor.* 2. *Rom.* 12. *Prou.* 20. *Matt.* 1. 5. 2. *Tim.* 2. *Eccli* 24. 2. *pet.* 2. *Allegoria.* 2. *Cor.* 10. *Similia. Bernard. in* 1. *Dom. Aduent. Serm.* 1. *Thren.* 3. 1. *Ioan.* 1. *Apoc.* 4. *Mundus mare vitreum.* 1. *Ioan.* 1. *Simile.* B C D

A caducis mundi bonis collocare! Mundi vanitatem, cui tamen sic plerique omnes totos se addixerunt, repudiatis bonis cœlestibus, egregie D. Cyprianus his verbis describit: *Arridet mundus vt sæuiat, blanditur vt fallat, illicit vt occidat, extollit vt deprimat. Fœnore quodam nocendi, quàm fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam maior exigitur & vsura pœnarum. Vna igitur placida, & fida tranquillitas, vna solida, & firma, & perpetua securitas, si quis ab ijs inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollit à terris, & ad Domini munus admissus ac Deo suo menie iam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam conscientiam iacere gloriatur.* Hæc ille. *In epist. ad Donatum.*

Sed quia mundus, totáque eius vanitas atque cupiditas, *mare magnum & spatiosum manibus*, in Scripturis vocatur, considera maris proprietates, an non omnes mundo conueniant. Sicut mare fluit, & refluit, & omnes eius fluctus in terram tandem delabuntur: sic mundus non quiescit: hos extollit, illos deprimit: nec quos extollit, in vlla pace consistere finit; sed omnes eius vanitates in sepulchro terminantur. Si mare est periculis expositum, *vt pericula sua narrẽt qui per mare nauigant*; quid periculosius mũdo, *cui conformari*, id est; cuius cursum tenere, prohibet Apostolus? Si mare est procellis agitatum; quas tempestates subeunt, qui mundo seruiunt! quibus odij, inuidiæ, laboris nimbis iactantur! Concitat eos superbiæ, cupiditatis, libidinis, & doloris procella, vnde sanctus Augustinus: *Vnicuique sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum? Ambulas super mare.* B *Amas sæculum? Absorbebit te. Amatores suos vorare nouit, portare nõ nouit.* Si mare est amarum, quid amarius mundo, quid insuauius, quid asperius? Mœrore conficit, calamitatibus obruit, summis cruciatibus torquet. Si mare salsum est, & salsedine imbuit quæ illo asperguntur, aut certè immerguntur, quid mundi cupiditatibus salsius, quæ eorum animos penitus inficiunt atque deprauãt, qui illis capiuntur: iuxta illud sancti Augustini: *Amor mundi adulterat animam, amor fabricatoris mũdi castificat animam.* Denique quemadmodum mare ostrea, cõchilia, torpedines, & algas proiicit in littus extra aquam, sed non multò pòst iterum hæc omnia sorbet, & proiicit in profundum; sic mundus nos modò expellit, modò recipit: & quando in littore tranquillo arbitramur nos esse, tum nos deceptos aspicimus, & nouis rerum discriminibus plerunque agitatos, in profundo miseriarum submergit. Constituit architectus magnificum quoddam templum, sumptuosum, industria elaboratum, magnóque artificio substructum; & volens vltimam illi manum imponere, fastigium consummare, & superbam fornicem claue cõcludere, ruit repentè totum ædificium, & artifex incredibili dolore obstupescit. Talis est mundi lætitia, quæ longo tempore quæsita, & rebus ad voluntatem fluentibus vehementer aucta, sic vt nihil ad summam fælicitatem deesse videatur, vno momento, & in puncto, tota funditus ruit, aut morte nos illi, aut casu illam nobis eripiente.

Psalm. 103 *Similia. 1. Mundus mare magnum. 2. Eccli 43. Rom. 12. 3. De verb. Dõ. ser. 13. 4. 5. De verb. Dõ. ser. 54. 6.*

C Iam verò si nulla esset in mundi amore difficultas, amaritudo, corruptio; si solida & fixa res esset, non caduca; si animum sibi implicatũ Deo penitus non auelleret; quid, quæso, aut quale est, hæc villa, & hæc negotiatio nostra, quid totus mundus est, vt propter horum amorem vocati ad cælestes nuptias ire negligamus? Christus Redemptor pro absurdissimo habuit tam cæcum hominum iudicium, qui beatitudinem animæ, mundi bonis postponerent. *Quid* (inquit) *proderit homini, si vniuersum mundum lucratus fuerit, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* quod nos apud Dauidem legimus, *Dixi iniquis, Nolite iniquè agere*, legit iuxta Hebræos Pagninus, *Dixi insanis, Ne insaniatis.* Quos incredulos vocat, iuxta nostram versionem, Ezechiel, dicens, *Increduli & subuersores tecũ sunt*; Septuaginta in Græco verterunt, *insanientes.* Sicut enim insani sibi ipsis manus iniiciunt, sic *omnis iniquitas* (ait Scriptura) *rhomphæa bis acuta.* Insana res est, mundum cœlo, fluxa sempiternis, falsa veris anteponere. Totũ hunc mundum, *pro quo & in quo dimicatur, punctum esse*, scripsit Seneca. Sed melius Boëtius *punctũ puncti* illud esse dicit. De insanis mundi amatoribus dicendum, quod de Canaan in personã impiorum scripsit Propheta: *Canaan; in manu eius statera dolosa.* Hæc est stateta dolosa, in qua terrena cœlestibus præponderamus. Difficile est dicere, magisne hęc sit impietas insana, quàm insania impia. *Filij hominum, vsquequo graui corde?* quod iuxta Hebræos sic legitur: *Vsquequo gloria mea* D *in ignominiam*, supple, à vobis habetur? Nempe in hoc quod sequitur: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Relinquitis nuptias cælestes, & amplectimini vana & falsa bona. Hoc enim diuinæ gloriæ ignominiosum est.

Matth. 16. *Psalm. 16.* *Ezech. 2.* *Simile.* *Eccli 21.* *Lib. 2. de consolat. philos.* *Oseæ 12.* *Psal. 4.*

6. *Reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.*

LOcus moralis de impietate & crudelitate persecutorum fidei, pietatis, Ecclesiæ. Isti enim omnium deterrimi, non contenti non velle ad nuptias cælestes venire, negligere & recusare, etiam ipsos Dei seruos ac ministros, tantæque fælicitatis nuncios, tenuerunt, libertate priuantes: contumeliis affecerunt, honorem violantes; ac demum occiderunt, vita spoliantes. Ad hanc impietatem nihil accedere potuisse videtur. Tales erant in primis trecentis post Christum annis plerique totius mundi Imperatores Romani Ethnici, etsi decem tantùm persecutiones illorum temporum notari soleant, quia illæ præcipuæ erant, omniũque acerbissimæ. Tales postea fuerunt omnium ætatum hæretici principes, Arriani maximè, Constantius, Valens, alijque

Persecutores fidei.

Gotthorum in Italia, & Vandalorum in Africa Reges. Post illos autem in Oriente Iconomachi Imperatores multi: Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, Philippicus, Leo Armenius, alijque nonnulli. Talis hodie (etsi in Germania, Dania, Heluetia principes ac dominici hæretici multi sint) sola tamen quæ religionem orthodoxam cruentis legibus, & omni crudelitatis genere persequitur, in Anglia est Elizabetha impotens & infamis fœmina. Illa enim & vinctos tenuit omnes ad vnum Catholicos Angliæ Episcopos, multósque præterea Ecclesiarum illic pastores & doctores, quàm primum ad regni gubernacula sedere cœpit; & à decem iam circiter annis, omnis ordinis Catholicos, sacerdotes, nobiles, ciues, non tenuit tantum diris carceribus mancipatos, sed & omni præterea contumelia affectos (sacerdotes maximè, qui ad nuptias cœlestes, ad Ecclesiæ & sponsæ Filij Dei vnionem, errantes oues reuocabãt) immanibus priùs tormentis confectos, acerbissimo mortis genere interfecit. De qua afflictissimi illius regni persecutione duplici, vna per hæreticos magistros seductores, altera per potestates huius sæculi percussores (quæ huic loco propria est) ea dici aptissimè possunt, quæ D. Gregorius, eius gentis Apostolus, scribit super illa verba Iob: *Per gyrum dentium eius* (diaboli scilicet) *formido. Rectè*, inquit, *dicitur, per gyrum dentium eius formido, id est, iniquos prædicatores Antichristi* (illi enim dentes diaboli sunt) *peruersæ huius sæculi protegunt potestates. Nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentium student sæuiendo terrere. Per gyrum ergo dentium eius formido est. Acsi apertè diceretur: Idcirco isti peruersi prædicatores aliquos suadentes conterunt, quia circa ipsos sunt alij, qui infirmorũ mentes terrentes affligunt. Quale itaque illud tempus persecutionis apparebit, quando ad peruertendam fidelium pietatem alij verbis sæuiunt, alij gladijs?* Quod iam in Anglia per annos triginta factum est, & postremis his annis ideo sæuius atq; acrius factũ est, quia puduit ac piguit, vehementérque hæreticos illic dominantes afflixit, quòd post viginti annorum pacificum schisma, nec prædicationibus seductorum, nec minis ac pollicitationibus Principum, nec mulctis vllis pecuniarijs effici potuit, vt eorum impia conuenticula à Catholicis adirentur, aut ab ipso vulgo, nisi per vim adacto, frequentarentur. Quare quod in Diuo Gregorio sequitur, in illa persecutione verissimè completum nouimus. *Quis enim* (ait) *etiam infirmus, Leuiathan istius dentes* (id est, nouos prædicantes) *non despiceret, si non eos per circuitũ potestatum sæcularium terror muniret?* Vtique iam dudum vacua cõuenticula, vacua subsellia in Anglia habuissent. *Sed duplici* (ait Gregorius) *contrà eos calliditate agitur: quia, quòd eis ab alijs verbis blãdientibus dicitur, hoc ab alijs gladijs ferientibus imperatur. Quæ vtrorumque actio, id est, potentium, atque loquentium, in Ioannis Apocalypsi breui est sententia comprehensa, qua dicitur: Potestas equorũ in ore & in caudis eorum erat. In ore namque doctorum scientia, in cauda verò sæcularium potentia figuratur. Istis ergo equis, id est, nequissimis prædicatoribus, vbique carnali impulsu currentibus, in ore & in cauda potestas est: quia ipsi quidem peruersa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea qua retro sunt, exultant. Et quia ipsi apparere despicabiles possunt, ab iniquis auditoribus suis per eos sibi reuerentiam exigunt, quorum patrocinio fulciuntur.* Hæc ille, non iam vt Apostolus tantum, sed vt Propheta clarus gentis hodie nostræ. Huius persecutionis Anglicanæ, qua seruos dei ad ipsos ab Ecclesia missos, *contumelijs affectos, occiderunt*, crudelissima exẽpla videre licet in libello de persecutione Anglicana; in altero ad persecutores Anglos libro; ac potissimũ in illo magno volumine, Treueris anno superiore edito, cui titulus est, *Concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia, aduersus Caluino-papistas & Puritanos, sub Elizabetha regina, quorundam hominum doctrina & sanctitate illustriũ, renouata*. Certè Presbyteros plus quã quinquaginta infra hos paucos annos, exquisitis prius tormentis probatos, neci dederũt: intet cæteros virum eruditione, pietate, eloquentia, morum candore præstantissimũ, Edmundum Campianum, Societatis Iesu Presbyterũ; qui quũ decem propositis rationibus (libello insigni) ad nuptias cœlestes homines Anglos, & maximè Academicos vocasset, paulò pòst captus, post contumelias per totam vrbem Londinensem acceptas, post equuleos in carcere tertiò toleratos, barbaro supplicio per plateas tractus, fune strangulatus, exenteratus, & cuisceratus, cum alijs compresbyteris, & glorioſi martyrij socijs occiditur. Hæc hodierni Euãgelij praxis hodierna non infructuosè ad hæreticorum iustam detestationem, & ad Catholicorum excitandã pietatem atque constantiam, tractari hoc loco & amplificari poterit. De his verum est quod Amos scribit: *Odio habuerunt, corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt*, & paulò antè: *Qui conuertitis in absynthium iudicium, & iustitiam in terra relinquitis*. Hodie in Anglia, non solùm ipsi serui Dei vocantes ad nuptias, sed etiam qui aliquem presbyterum Catholicum in domum suam recipit; qui in priuato colloquio, vt aliquem ab hæresi ad fidem Catholicam reducat, vel minimum sermonem miscet; qui huiusmodi aliquid, ab alio quopiam præstitum vltra 24. horas celat, læsæ Maiestatis crimen committere, & capitali supplicio (quale supra posuimus) afficiendus, publico regni decreto iudicatur. Hoc est: *Conuertere in absynthium iudicium*, &c. Quod de Iudæorum duritia Deus per Oseam dixit, in hoc persecutionis genere, maximè hodie Anglicanæ; locum habet: *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda, &c. Propter hoc dolaui in Prophetis meis*, id est, dolare eos feci, sicut lapicidæ dura saxa dolare coguntur; *& occidi eos in verbis oris mei*. Quemadmodum enim, quum lapicida per instrumenta sua ferrea benè selecta, ac probata, duros lapides polit, fit interdum, vt propter ingentem lapidis duritiem frustum eius aliquod excidat, quod oculos percutientis & polientis inuolet, aut etiam grauius lædat: sic cum Deus constantissimos seruos suos mittit, qui vocent ad nuptias, hæc viua eius instrumenta ab ipsis interdum lapidibus, quos dolare & expolire cupiunt, *vt fiant filij Abrahæ*, feriuntur, &

Elizabetha Angla.

Moral. lib. 33. cap. 29.

Persecutio Anglicana à D. Greg. descripta.

Apoc. 9.

Treueris. An. 1588.

Decem rationes Campiani.

Amos 5.

Anglicana persecutio tyrannica.

Osea 6.

Simile.

A & propter verba Dei occiduntur. De hac materia vide plura in alia Dominica.

Domin. 6. post Paschæ text. 2.

7. *Rex autem, cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit.*

LOcus moralis de certa & infallibili iustitia ac vindicta Dei, contra omnes fidei Catholicæ persecutores. Multis verbis hanc iustitiam Christus describit. Primùm iraſci Deũ dicit. At iram eius quis sustinebit? Iob protestatur: *Deus est, cuius iræ nemo resistere potest, sub quo curuantur qui portant orbem.* Nahum conqueritur: *Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.* Et Dauid exclamat: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Nam, vt alia Scriptura dicit, *Subito venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ac denique Apostolus concludit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Iustitia Dei contra persecutores fidei.
Iob 9.
Nahum 1.
Ira Dei.
Psalm. 85.
Eccli 5.
Heb. 12.

Deinde addit Christus, quòd *mittet Deus exercitus suos.* Miser homo, quem vnus angit pulex, quem vna rapit febricula, quem vna nox insomnis frangit; quid faciet quum Deus exercitũ non vnum Angelum exterminatorem, sed exercitus & legiones Angelorum contra eũ mittet? B Quando *mittet in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, immissiones per Angelos malos.* Nec exercitus tantum Angelorum seu dæmonum malorum, sed exercitus omnium creaturarum, quia *orbis terrarum pugnabit pro eo contra insensatos.* Adde his, exercitus hostiles foris, exercitus accusãtium cogitationum, & conscientiæ stimulos acerrimos intus, exercitus deniq; omniũ operum ac verborum suorum. Nam vt *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam ipsa peccata per pœnitentiam deleta; sic odientibus Deum, & seruos eius persequentibus, omnia cooperãtur in malum: mala quæ fecerunt, & quæ non fecerunt, sed facere voluerunt, vel per alios fieri curauerunt: bona quæ fecerunt, in illis non perseuerando, vel quæ non fecerunt omittendo, vel denique quæ acceperunt, Dei gratia abutendo.

Psalm. 77.
Sap. 5.
Rom. 8.
Impiorum omnia in malum vertuntur.

Tertiò dicit Christus, quòd *perdet Deus homicidas illos.* Ergo nullus illis misericordiæ locus relinquitur. Hos persecutores veritatis Euangelicæ monet Propheta Regius. *Et nunc Reges intelligite, &c. Apprehendite disciplinam*, vel, vt Hebræi legunt, *Osculamini Filiũ*, credite in Mediatorẽ, venite ad nuptias, *ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iusta, cum exarserit in breui ira eius*; quia, vt supra dictum est, *subito veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet vos.* Et paulò antè ibidem: *Misericordia & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Postremò addit Christus: *Et ciuitatem eorum succendet.* Non in personas tantum præcipuè delinquentes, sed in omnes tanti faci- C noris conscios, tanti sceleris fautores, tantæ impietatis applausores, in loca ipsa, & communitatem vniuersam sæuiet ira Dei, ignis, vastatio, exterminium.

Psalm. 2.
Eccli 3.

Ad hos persecutores quadrat illud Apostoli: *In nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis*, vtitur verbo ἔνδειξις, quæ non solum causam, sed certum argumentũ significat. Quadrat quoque in primis illud Sophoniæ Prophetæ: *Væ prouocatrix, & redempta ciuitas, columba: non audiuit vocem* (vocantium ad nuptias cælestes, ad sanam & orthodoxam fidem) *& non suscepit disciplinam* (Catholicæ enim religionis disciplina, exacta mandatorum Dei obseruatio, tota est odiosa) *ad Deum suum non appropinquabit. Principes eius in medio eius quasi leones rugientes, iudices eius lupi vesperi, Prophetæ eius vesani, viri infideles, sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniustè egerunt contra Legem.* Vbi viget persecutio, principes sunt crudeles, iudices auari, falsi prophetæ, & loquẽtes mẽdacia, qui sacerdotum locum tenent, pollutè viuũt & flagitiosè. Sequitur: *Dominus iustus* scilicet est. *Non faciet iniquitatem*: Iusta exercebit iudicia. *Manè, manè iudicium suum dabit in lucem, & non abscondetur.* Citissimè vindictam faciet, & quidem illustrem, quam omnes mirabuntur. *Nesciuit iniquus confusionem.* Putauit hactenus impius persecutor, quòd nullam passurus sit cõfusionem. Sed sequitur: *Disperdidi gentes, & dissipati sunt anguli earum: desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat: desolatæ sunt ciuitates eorum, non remanente viro, neque vllo habitatore.* Hoc est perdere homicidas, & D succendere ciuitatem eorum.

Philip. 1.
Sophon. 3.

Sic Iudæorum Hierosolyma ab Assyrijs vastata est. Sic Vandalorum Arrianorum Carthago à Belisario Iustiniani duce direpta est. Sic schismaticorum & contra sancti Spiritus maiestatem hæreticorum Orientalium Constantinopolis à Mahumetanis occupata est. Et vt personas ipsas atque homicidas veræ fidei persecutores perstringamus, sic Constantius Arrianus, mœrore confectus, cum contra Iulianũ proficisceretur, obscurè interijt. Sic Valens Arrianus, persecutor grauis, in bello contra Gothos, in casula succensus, obijt. Sic Anastasius, Chalcedonensis Concilij hostis, fulmine de cœlo percussus occubuit. Sic Constantinus Copronymus, Iconomachus, & acerbissimus persecutor, calidis febribus vehementissimè agitatus, se viuentem in ignem coniectum esse vociferatur, & moritur. Sic Leo Armenius Iconomachus quoque in ipsa Ecclesia à conspiratis ipso natalis Dominici die interficitur. Sic Philippicus Imperator, tum Iconomachus, tum Monothelita, & ipse quoque Catholicos persequens, à Senatoribus suis in conuiuio occiditur. Sic Valentinianus iunior diuum Ambrosium vexans, & Catholicos persequi studens, à Maximo tyrãno trucidatur. Sic Hunericus Arrianus, sæuissimus in Africa persecutor, à vermibus corrosus interijt. Sic denique primi illi Christianæ religionis persecutores

Exempla iustitiæ Dei in persecutores fidei.
Ammian. Marcell. l. 21. hist.
Zonaras Annal. l. 3.

Ioan. Bapt. Egnatius lib. 1.

Nero, Domitianus, Seuerus, Adrianus, Decius, Valerianus, Maximinianus, Maximinus violenta morte omnes, vel acerbissima, vel ignominiosa valde perierunt. Nero, tum sua, tum alterius manu adiutus, ferro peremptus est. Domitianus suorum conspiratione confossus occubuit. Adrianus miserabili fato consumptus est, vt in seipsum sæuire voluerit, si per domesticos licuisset. Seuerus; & Iulius Maximinus filius eius, ab exercitu interfecti sunt. Decius cum toto suo exercitu à Gothis cæditur, corpusque paludis voragine absumptum, nusquam inuentum. Valerianus à Persis captus, miserabili captiuitate conficitur, Persarum Regi subsellij vice seruiens, quum equum conscenderet, & micas panum sub mensa eius comedere coactus. Maximinianus, Massiliæ captus, iussu Constantij necatur. Maximinus Christiani sanguinis appetentissimus, putrescentibus genitalibus, vitæ tædio, vim sibi gladio intulit. Sed & præter istos, Maximianus alter, à Maximino adoptatus, ac Cæsar renunciatus, Christiano sanguine vsque ad insaniam effuso, vlcere inguinibus innato, vermibus vndique erumpentibus, obijt. Lycinius quoque tyrannus, Constantini clementia abusus, Christianis infestissimus, Thessalonicæ captus, interficitur. In hos omnes iusta ira Dei desæuit. Iulianus demum apostata, Christianis molestissimus, in Persia, exercitum ducens, incerto ictu percussus, blasphemans moritur. Qui horum hodie facta imitantur, horum exitus perhorrescant. Nam & dum hæc scribimus, Henricus tertius, Francorum Rex, grauis Ecclesiæ Dei persecutor, primùm tetra hypocrisi, & hæreticos tolerando, postea aperta perfidia & Catholicos Principes, duos fratres Guisianos, Cardinalem & Ducem, barbarè trucidãdo, iusto demum Dei iudicio trucidatur & ipse. De his omnibus dici potest, quod Gregorius Nazianzenus iuxta Scripturas scripsit: *Quomodo facti sunt in desolationem, repentè destituti sunt, perierunt propter scelera eorum, tanquam puluis qui dispergitur à procella, tanquam arena vento disiecta, tanquam ros matutinus, tanquam sibilus sagenæ emissæ, tanquam ictus tonitrui, tanquam coruscatio perstringens.* Hæc ille. Nec est quòd de leui aut momentanea aliqua pace, fælicitate, gloria, persecutores seruorum Dei (vt in Anglia superbissimè faciunt) glorientur. Maximianus Imperator, & Christianæ religionis hostis acerrimus, cum ab aspersione sanguinis immolatitij, milites suos Christianos magno cursu se longè proripere cerneret: vt eos ad sceleris societatem reuocaret, his inter cætera verbis vsus est: *Quo abitis, ô homines, deos nostros negantes? Nõ videtis victorias & trophæa? Nõ videtis bona plurima, quæ bonis adijciuntur? & quemadmodũ quæ sunt, rectè quidem se habent, & sunt in tuto, alia verò accedunt quotidie; & quorum non eramus prius domini, in ea nunc dominatum obtinemus? Non gloriam quæ augetur? Non imperium quod dilatatur? Non ciuitates, quæ partim quidem sunt tributariæ, & iam captæ, partim verò sunt iamiam capiendæ? Non gentium Leges, qui sunt reputati pro mancipijs? Non omnia quæ eueniunt nobis ex sententia? Cuiúsnam ergo hæc contingunt prouidentia? Vobis persuadeant temporum temperationes, moderatæ pluuiæ, fructuum fertilitates, imò verò vniuersum tempus fructus producens, & spectantia omnia ad abundãtiam.* Hæc ille Ethnicus & impius Imperator, Christianos in summa rerum ad tempus affluentia persequens. Similia hodie pleno ore iactant Anglo-caluinistæ, quorum & eadem penè verba videre licet in libro ad persecutores Anglos, pag. 209. & 210. quia videlicet triginta totis annis regnauit ibi hæretica princeps, prospera semper fortuna vsa: quam etiam ob causam, illam penè vt deam colunt, diem natiuitatis eius Septemb. 7. & diem quo ad regni solium peruenit, 17. Nouembris, maxima cum solẽnitate toto regno festum celebrantes, eãque in publicum prodeuntem, genu in terram flexo, & manu eleuata acclamantes adorant, idque tanta religione, vt qui hoc studiosè non præstat, hostis regni iudicetur. Sed *non glorietur accinctus æquè vt discinctus. Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Væ qui prædaris, nonne & tu prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cum consummaueris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Veniet *Rex iratus, qui missis exercitibus suis, perdet homicidas istos,* sanguinarios Anglo-caluinistas, & quosuis alios veritatis Euangelicæ persecutores, *& ciuitatem eorum succendet.* Non est abbreuiata manus Domini, nec veritas Euangelij extincta. *Cum tempus acceperit, ille iustitias iudicabit,* & tarditatem vindictæ grauitate pensabit. Fuerunt & alij hæretici principes, qui totis triginta annis Catholicos persecuti sunt, vt in Perside circa annum salutis 400. Isdigertes Rex, & ibidẽ circa annum 480. Gararanes Rex; Valens quoque & Constantius Imperatores Ariani in Oriente; ne de suæ Elizabethæ regno trigesimali glorientur Anglocaluinistæ.

Orat. 2. in Iulianum.

Apud Sur. In vita Ss. Inde & Domnæ, to. 6. p. 1001

Elizabetha Anglocaluinistarum idolum.

2. Reg. 30. Eccli 5. Esaiæ 33. Matth. 22. Psalm. 74.

Vet. populi Reges à Deo castigati.

Impij Reges Iudæ, qui sanctos Prophetas persequebantur, Manasses Esaiam, Sedechias, Ieremiam, & alij alios, longa satis impunitate ac fortuna prospera vsi sunt: sed vterque in miseram captiuitatem cum toto tandem populo abducti sunt: quibus cum adhuc in transmigratione tantum quidam eorum essent sub Iechonia captiuo, regnãte adhuc Hierosolymis Sedechia, per Ezechielem Deus sic comminatur; *Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cadet: tertiam verò partem tui in omnem ventum dispergam, & gladium euaginabo post eos. Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis.* Exclamare hic merito quis posset: *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* Quomodo *miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors,* sic loqueris? Sed quemadmodum columna modo tibi est dextera, modo sinistra, quia tu situm mutasti, quum illa sit immobilis, & semper vna: sic Deus modo nobis est benignus, modo iratus, quia nos à virtute ad vitium deflectimus, quum in se totus sit inuariabilis. Pijs & timentibus eum à dextris stat, benignus & bonus est. Vitiosis, improbis, seruos qui vocant ad cœlestes nuptias tenentibus, contumelia afficientibus, occiden-

Ezech. 5.

Psalm. 88.

Simile.

A occidentibus;à siniſtris ſtat,iratus eſt,furore & indignatione plenus. Vox iuſti eſt: *A dextris eſt mihi ne commouear.* Et Sapiens dicit;*Cor ſapientis in dextera eius*,id eſt,in Deo ſtante à dexteris:*cor ſtulti in ſiniſtra illius*,quò caro propendet,& natura corrupta inclinat. Et iterum:*Vias quæ à dexteris ſunt nouit Dominus*,id eſt,probat:*peruerſæ verò ſunt,quæ à ſiniſtris ſunt.* Stante ergo impiorum acerba perſecutione,& ſeruos Dei ad ſe miſſos diuexandi perpetua volũtate,ſtat Dei ſententia immobilis,quòd perdet homicidas illos,& ciuitatem eorum ſuccendet. De hac Dei iuſtitia in peccatores obſtinatos,vide ſuprà plura in Dom.9.poſt Pent.tex.3.& 4.ad illa verba: *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo*,& cætera quæ ſequuntur. *Pſalm.15. Eccleſ. 10. Prouerb. 4. Lucæ 19.*

8. *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?*

LOcus moralis contra pſeudo-chriſtianos,ſeu nomine tenus tales, & contra noſtri tẽporis Politicos. Hoc eſt enim iam quartum genus impiorum,quod Chriſtus in hoc ampliſſimo Euangelio taxat,& quidẽ (vt ex ſequenti loco apparebit)grauiſſimè. Primi nolebãt venire ad nuptias,ad fidem & profeſſionem nominis Chriſti. Secundi neglexerunt venire propter ſuas rerum temporalium cupiditates. Tertij adeò non veniunt,vt à quibus vocati fuerant, B peſſimè mulctauerint,tenentes eos,& contumelijs affectos occidentes. De quibus omnibus iam aliquid dictũ eſt. Quartũ genus eorum eſt,qui vocati ad nuptias,veniunt quidem,& diſcumbũt, cum alijs,nomina ſua Chriſto dederunt,baptizantur,fidem profitentur, Sacramentorũ cõmunioni ſe immiſcent;ſed veſte propriè nuptiali carẽt,illa ſanè,de qua Chriſtus dixit:*Vos amici mei eſtis,ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Amicus ſponſi eſt,& tanquam amicus diſcumbit in nuptijs,qui ſeruat mandata Dei,qui Deũ diligit. *Qui enim diligit me* (ait Chriſtus) *ſermones meos ſeruat.* Ideo dicit hoc loco Rex,qui nuptias fecit,*Amice*,tu qui te amicũ profiteris, & tanquã amicus huc intraſti,quo modo,qua fronte id feciſti,non habens dilectionem mei, quod amicorũ eſt propriũ, non diligens voluntatem meam, non faciens præcepta mea,non quærens honorẽ meum? Hoc enim amici,hoc legitimi hoſpitis eſt;hoc ſerui mei;qui te vocarunt,docuerunt;*docentes te ſeruare omnia quæcũq; mandaui illis.* Rurſum,hæc veſtis nuptialis eſt dilectio fraterna,dicente iterũ Chriſto: *In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis,ſi dilectionẽ habueritis ad inuicẽ.* Veſtis igitur nuptialis,Chriſtiano propria,eſt & hæc fraterna dilectio. Hæc enim duo ſeparari non poſſunt, dilectio Dei,& dilectio proximi,(vt in alijs iam locis oſtenſum eſt)&maximè dilectio totius ſocietatis & congregationis proximorũ,quæ eſt Eccleſia Catholica. Veſtis ergo nuptialis,qua caruit hic cõuiua impudens & miſer,eſt vera & pura charitas (vt in altero quoque Promptuario Catholico C ad hæc verba explicatum eſt) eſt verus Chriſtianiſmus,*vt diligamus non lingua & verbo tantùm,ſed opere & veritate*:eſt *charitas de corde puro,& conſcientia bona,& fide non ficta*:eſt profiteri Chriſtum *nõ in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*:eſt denique, ex animo & tota affectione,atque ſincerè Chriſtianum eſſe,quod dici cupiunt,& haberi volunt. Verus itaque Chriſtianus, verus conuiua nuptiarum Filij Dei,verus filius Eccleſiæ Catholicæ,amicum ſe Dei, & Chriſti,& Eccleſiæ profitetur.

Cõtra pſeudochriſtianos. *Ioan.15.* *Ioan.19.* *Matth.28.* *Ioan.13.* *Veſtis nuptialis quæ.* *1.Ioan.2.* *1.Tim.1.* *1.Cor.5.*

Atqui amicitia omnis quatuor habet neceſſarias conditiones. Eſt inter amicos animorum conſenſus,& ſic quaſi definitur amicitia,vt ſit *rerum diuinarum & humanarum conſenſio, cum beneuolentia coniuncta.* Eſt igitur in hoc nexu idem velle, & idem nolle. Quare ſicut Deus hanc amicitiæ legem maximè ſeruat, dicens: *Ego diligentes me diligo*:& rurſum:*Voluntatem timentiũ ſe faciet*: & iterum,*Si manſeritis in me,& verba mea in vobis manſerint,quodcunque volueritis,petetis,& fiet vobis*: ſic ab altera parte,vt nos eam legem ſeruemus æquiſſimũ eſt iuxta illud: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Chriſtum ergo & Dei amorem profitentes, id omne velle debemus quod Deus vult;mandat,flagitat. Rurſum inter amicos eſt quædam ſemper ſimilitudo. Similitudo enim morum beneuolentiam conciliat: ſed & amor ipſe aſſimilat amantem amato. Sapienter Sanctus Auguſtinus: *Si Deum diligis, Deus es; iuxta illud: Ego dixi, dij eſtis. Si terram di-* D *ligis, terra es; iuxta illud: Terra es, & in terrã ibis.* Chriſtianus ergo ſi es,& Deum diligis, debes *conformis fieri imagini Filij eius, ſequi veſtigia eius, ambulare ſicut ille ambulauit, imitator eſſe illius*,qualem ſe Paulus fuiſſe profitetur. Iam verò inter amicos eſt omnium bonorum communicatio. Amicorum enim omnia communia. Quoniam igitur Chriſtus omnia ſua nobis larga manu communicauit,*effundens in nobis Spiritum ſanctum ſuum abundè*, & à quo accepimus (teſte Paulo) *abundãtiam gratiæ,& donationis,& iuſtitiæ;* qui denique ſe totum nobis dedit,quia *nobis datus, nobis natus, ſemetipſum pro nobis dedit*, & cum *eo Pater nobis omnia donauit*: neceſſariò ſequitur, vt & nos viciſſim ex ſincera dilectione nos ei totos demus, dicentes, & opere complentes, cum ſancto illo Rege Dauide,totóque populo eius,quum ad templi Dei ſtructuram ſinguli liberaliſſimè & maxima cum animi alacritate conferrent:*Tua ſunt omnia Domine;& quæ de manu tua accepimus,dedimus tibi.* In Dei cultum,obſequium,ſeruitium,voluntatem faciendam,honorem tuendum & propagandum, omnia noſtra impendi debent, vt ei demus quæ ſua ſunt. Sic Chriſtus dixit: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*, ſicuti, ad ſe quod attinebat, poſtea dixit: *Ego dixi vos amicos meos, quia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Poſtremò,inter amicos eſt quædam æqualitas, quia inter prorſus inæquales amicitia (quæ coniunctionem beneuolam & familiarem

Amicitiæ 4. conditiones. 1. *Prouerb.1.* *Pſal. 144.* *Ioan.16.* *Pſalm.111.* 2. *Rom. 9.* *1.Pet.2.* *1.Ioan.2.* *Philip.3.* 3. *Tit.3.* *Rom. 5.* *Eſaiæ 7.* *Tit. 2.* *Rom.4.* *1.Paral.29* *Ioan.15.* *Ioan.17.*

ſonat) eſſe non poteſt. Et quidem in rei natura maxima eſt inter Deum & hominem inæqualitas. Sed fecit inſcrutabilis Dei prouidẽtia & amor in nos ineffabilis, vt dato nobis Filio ſuo, ſiue per nuptias filij ſui, (vt ſupra explicatum breuiter eſt) Deus iam homo factus, & *frater* noſter, & *amicus*, & *ſocius* fieri voluit, nóſque Dei ipſius & *filij*, & *hæredes*, & cum Chriſto *cohæredes* effecti fiamus. Hæc æqualitas admirabili Dei conſilio facta eſt: ne, ſtante ſemper illa maxima inæqualitate, ſolam reuerentiam, aut timorem erga Deum gereremus; & vt hac mediante quadantenus æqualitate, amor purior, dilectio ſuauior, amicitia ſincerior, coniunctio affectuoſior, fiducia maior, charitas perfectior inter Deum & nos coaleſceret, & in nobis erga Deum creſceret. Poſtulat ergo has quatuor conditiones veſtis iſta nuptialis, & charitas & dilectio Dei verè Chriſtiana. A

Charitas cur veſtis nuptialis dicta.

Quæ quidem veſtis meritiſſimè dicitur, quia *operit multitudinem peccatorum*, teſte Petro; quia cor accendit & calefacit: *Ignis enim ille eſt, quem Chriſtus in terram miſit vt arderet*: quia animum ſplendidiſſimè ornat, vocata à Ioanne *Byſſinum ſplendens & candidum*. Nuptialis autem dicitur, quia hanc propriam Filius Dei induit, cum humanam naturam diuinitati ſuæ copularet. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Vnigenitum ſuum daret*, & c. ſed maximè quum in cruce Redemptionis noſtrę myſteriũ, & quaſi matrimoniũ inter ſe & Eccleſiã *conſummauit*, dicens: *Conſummatũ eſt. Commendat enim charitatem ſuam in nobis Deus*, id eſt, maximè illuſtrem & commendabilem reddidit: *quoniam, cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. In cruce quippe veſtem charitatis contexuit, non de pilis animaliũ, non de corticibus herbarum, non de interioribus vermiũ, ſed de interioribus ſuorũ viſcerum; idque, cum lateris apertione amorem cordis patefecit. Denique eſt veſtis nuptialis, quia vt Chriſtus illam perpetuò geſſit, quum hic in terris has nuptias inſtrueret, & ſponſi officium faceret, ex maxima in nos charitate *ſalutem noſtram operatus in terra*, & *pertranſiens benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*; ſic viciſſim nos eam perpetuò, & indeſinenter geſtare debemus, durante conuiuio hoc nuptiali, id eſt, in tota hac militia peregrinationis huius; donec, ſublatis menſis, thalamum ſponſi ingrediamur, *in ſancta ſanctorum, in quæ Pontifex noſter ſemel ingreſſus eſt, æterna pro nobis redemptione inuenta*, & quò nos præceſſit, *parare nobis locum*. Hanc veſtem perpetuò indui oportet, quia *elegit nos* (ait Apoſtolus) *vt eſſemus ſancti; &*, vt ſanctus Zacharias dixit, dedit ſe nobis, *vt ſeruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris*. Quare, quemadmodum Nabuchodonoſor Rex præpoſito domus ſuæ in mandatis dedit, vt de filijs Iſraël captiuis quoſdam eligeret, *in quibus nulla eſſet macula, decoros forma & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, qui poſſent ſtare in palatio Regis*; quibus & idcirco *conſtituit annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vnde bibebat ipſe*; vt videlicet non niſi ſic veſtiti & induti coram Rege tandem comparerent: eodem planè modo Deus Pater ex hac maſſa perditionis, & captiuitate totius mundi *elegit* quoſdam *à conſtitutione mundi*, per Chriſtum, quaſi præpoſitum domus ſuæ, vt eſſent ſancti, *populus acceptabilis, ſectator bonorum operum, Eccleſia glorioſa, ſine ruga, & ſine macula*; qui ſtent poſtea in conſpectu Dei & Agni, laudantes eum in ſæcula ſæculorum; quibus propterea dat in ſingulos dies annonam, *de Spiritu ſuo quem dedit nobis*, de pane ſuo quem dedit nobis, quæ eſt *Caro eius pro mundi vita*; de *vino ſuo quod miſcuit nobis*; qui eſt *Sanguis noui Teſtamenti*: vt ſic noua innocentię ſtola veſtiti, *& magis ac magis in ſcientia, & in omni ſenſu abundantes, pleni dilectione, repleti omni ſcientia, digni habeamur ſtare ante Filiũ hominis*, pro tribunali ſedentem, & *conſedere & conregnare cum eo in cæleſtibus* regnante. Talis & tanta res, tã neceſſaria, tam glorioſa eſt hæc veſtis nuptialis: quam omnes habere neceſſe eſt, qui intrãt in domum nuptiarum Filij Dei, & accumbunt in Sacramentis Eccleſiæ Catholicæ, & fidei Chriſtianæ profeſſionem gerunt. *Veſtis nuptialis* (ait D. Hieronymus) *præcepta ſunt Domini, & opera quæ complentur ex Lege & Euangelio, nouique hominis efficiunt veſtimentum. Si quis igitur in tempore iudicij inuentus fuerit ſub nomine Chriſtiano non habere veſtem nuptialem, hoc eſt, veſtem ſupercæleſtis hominis, ſed veſtẽ pollutam, id eſt, veteris hominis exuuias, hic ſtatim corripitur, & dicitur ei: Amice, quomodo huc intraſti, nõ habens veſtẽ nuptialẽ? Quemadmodum enim* (ait D. Chryſoſt.) *ſi aliquis cum nigris veſtimentis inueniatur, in nuptijs, ſordidat gloriam nuptiarũ; ita & qui opera habet tenebroſa, & inter Chriſtianos quaſi vnus ex eis conuerſatur, ipſi Chriſtianitati facit iniuriam. Homo itaque aut ſecundum locum eligat veſtem, aut ſecundum veſtem eligat locum: aut ſecundum opera eligat profeſsionem, aut ſecundum profeſsionẽ faciat opera. Qui vult eſſe Chriſti, faciat opera Chriſti. Qui autem non vult opera Chriſti facere, audiet in die iudicij: Amice quomodo huc intraſti?* Hæc ille. B C D

Contra Politicos noſtri temporis.

Quæ verba, vt & tota præcedens oratio, contra execrabile hodie Chriſtianorum genus, qui Politici vocantur, & veri Chriſtiani non ſunt, vtpote in quibus Ethnicorum reuixit ſpiritus, magiſque in impij Machiauelli, quàm in Chriſti ſchola edocti ſunt, plurimum valent. Iſti enim hanc veſtem nuptialem adeò non habent, adeò ſine illa in nuptijs Filij Dei accumbunt, adeò illam prorſus negligunt, vt cum Chriſtianos & Catholicos ſe dicant, nihil minus quàm huiuſmodi ſint; pacem videlicet Reipubl. Principum libidines, ac iniquas leges, rerum temporaliũ affluentiam, conſeruationem, incrementa, toti penitus Chriſtianæ religioni anteponant. Illorũ enim axiomata hæc ſunt: *Reipublicæ ſtatum & cõſernationem priorem & antiquiorem habere oportet, quàm religionis cauſam. Status ciuilis & politicus, Eccleſiæ ſtatum antecellit. Regum decreta ac placita plurimum auctoritatis locum tenent. Conſcientias lethaliter vulnerant, qui in materia religionis neceſsitatem obediendi imponunt. Virorum fortium hic ſcopus, hoc ſtudium, hæc cura primaria eſſe debet, vitam lætam, & affluentem ducere;*

Tit. 2. *Epheſ. 5.* *1. Ioan. 4.* *Ioan. 6.* *Prouerb. 9.* *Lucæ 22.* *Philip. 1.* *Rom. 15.* *Lucæ 21.* *Epheſ. 2.* *In Cõment. in Matth. cap. 22.* *Hom. 41. ope. imperf. in Matth.* *Nuptialis veſtis perpetuò gerenda.* *Pſalm. 73.* *Actor. 2.* *Heb. 9.* *Ioan. 14.* *Epheſ. 1.* *Lucæ 1.* *Allegoria.* *Daniel 1.* *Epheſ. 2.* *Tit. 2.* *Epheſ. 5.* *1. Ioan. 4.* *Ioan. 6.* *Prouerb. 9.* *Lucæ 22.* *Philip. 1.* *Rom. 15.* *Lucæ 21.* *Epheſ. 2.* *Contra Politicos noſtri temporis.* *Politicorũ axiomata.* *1.* *Bellay pag. 12. & 22.* *2.* *3.* *Antiguiſar pag. 124.*

*ducere, quæstiones autem de religione togatis hominibus & * monachis relinquere.* Hæc sunt eorum pauca
A è multis axiomata pestifera & venenata, à quibusdam quidem, libellis Gallicis in vulgus sparsis, publicè edita; sed à quàm plurimis in praxim redacta. Isti omnes veste nuptiali non carent tantum, sed ea impiè ab humeris reiecta, de sua nuditate turpiter gloriantur. Si charitatem haberent, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*; si *in sinceritate & veritate* Christum profiterentur; si *amici Christi, discipuli, & fratres eius*, aut essent, aut esse contenderent; si nuptiarum cælestium fructum ita expeterent, vt titulum ambiunt; hæc tam horrenda vel obiter in animum & cogitationem admittere exhorrescerent. Ethnicus hic spiritus est, vox athea, verba satanica. Sic olim ethnici ac pagani suam falsam religionem colebant, teste amplissimo S. Augustino, qui hæc eorum verba profert: *Tantum stet* (inquiunt) *tantum floreat copiis referta, victoriis gloriosa: vel, quod est felicius, pace secura sit Respublica. Et quid ad nos? Imo ad nos magis pertinet, si diuitias quisque semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior. Obsequantur diuitibus pauperes causa saturitatis, atq; vt eorum patrociniis quieta inertia perfruantur; diuites pauperibus ad clientelas, & ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant non consultoribus vtilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quàm bonis, sed quàm subditis regnent. Prouinciæ Regibus suis non tanquam rectoribus morum, sed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarum suarum prouisoribus seruiant: eosque non sinceriter honorent, sed nequiter ac seruiliter timeant. Quid alienæ vitæ potius, quàm quid suæ vitæ quisque noceat, legibus aduertatur. Nullus du-*
B *catur ad iudices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam inuito fuerit importunus aut noxius. Cæterum de suis, vel cum suis, vel cum quibuscunque volentibus faciat quisque quod libet. Abundent publica scorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maximè, qui habere priuata non possunt. Extruantur amplissimæ atque ornatissimæ domus: vbi opipara conuiuia frequententur; vbi cuique libuerit & potuerit, die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes vndique concrepent, theatra inhoneste lætitiæ vocibus, atque omni genere siue crudelissimæ, siue turpissimæ voluptatis exæstuent. Et ille sit publicus inimicus, cui hæc felicitas displicet. Quisquis eam mutare vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat à sedibus, auferat à viuentibus. Illi habeantur dij veri* (illa sit vera religio) *qui hanc adipiscendam populis procurauerunt, adeptamque seruauerunt. Colantur vt voluerint, ludos exposcant quales voluerint, quos cum suis, vel de suis possent habere cultoribus. Tantum efficiatur vt huic felicitati nihil ab hoste, nihil à peste, nihil ab vlla clade timeatur.* Hæc illi olim ethnici, hæc hodie nostri Politici, paucis exceptis, omnia dicunt, probant, faciunt; vt in duorum magnorum Principum aulis, vbi Politici magis quã Christiani fide & auctoritate pollent, vsu venisse cernimus. Sed quid ad hæc sanctissimus & doctissimus Pater Augustinus respondeat, audi. Subiungit; *Quis hanc Rempub. sanus non dicam Romano imperio, sed domui Sardanapali comparauerit? qui quondam Rex ita fuit, vt in sepulchro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius, cum viueret, hauriendo consumpserat. Quem Regem isti si haberent, sibi*
C *in talibus indulgentem, nec in eis cuiquam vlla seueritate aduersantem, huic libentius, quàm Romani veteres Romulo, templum & flaminem consecrarent.* Hæc ille, nec enim ampliori refutatione tam fœda paradoxa ex Epicuri schola profecta digna esse existimauit, nisi quod ex profanis ipsis auctoribus nullam sine iustitia stare Rempub. posse, longa postea disputatione confirmat. Ad religionem autem quod attinet, & veri Dei cultum, quem iste Politicorum atheismus explodit, nullam sine ea veram aut optabilem Reipubl. pacem consistere posse, ex ipsis profanæ sapientiæ principiis ac Philosophorum placitis, idem clarissimus doctor ostendit: quæ quia isti Politici libentius audiunt quàm voces diuinas, (quod tamen in homine Christiano inexpiabile scelus est) ex Augustino breuiter transscribemus. *Pax* (inquit) *corporis est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax animæ & corporis, vita & salus animantis ordinata. Pax hominis mortalis, & Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege, obedientia.* Hæc pacis genera sola ratio & philosophiæ studium homines docuit: quæ si in prioribus membris tenent Politici, cur negant in postremo? nisi quia *animales sunt, non sapientes ea quæ Dei sunt. Prudentia carnis* valent, quæ *inimica est Deo, quæ legi Dei subiecta non est; nec enim potest.* Denique toti ad terrenam ciuitatem pertinent, vt filii secundum carnem; non ad ciuitatem Dei & cælestem, vt filij in Spiritu sancto regenerati. Alioqui agnoscerent verum esse, quod D. Augustinus de vera pace disputans scribit: *Omnis* (inquit) *vsus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis, in ciuitate terrena.* Sic faciunt isti Politici. *In cælesti autem ciuitate refertur ad fructum pacis æternæ:* subseruit religioni, qua mediante ad hunc fructum peruenimus. Nam & natura ipsa hominis rationalis hoc nos docet. Vnde subdit Augustinus: *Si irrationalia essemus animantia, nihil appeteremus præter ordinatam temperaturam partium corporis, & requiem*
D *appetitionum; nihil præter quietem carnis, & copiam voluptatum, vt pax corporis prodesset paci animæ. Sed quia homini rationalis anima inest, totum hoc quod habet commune cum bestiis, subdit paci animæ rationalis, vt mente aliquid contempletur, & secundum hoc aliquid agat, vt sit ei ordinata cognitionis actionisque consensio, quam pacem rationalis animæ dixeramus.* Vix hanc animæ rationalis pacem tenent Politici, quorum finis est, vitam lætam & affluentem ducere, vt ex eorum placitis modo recensuimus. Sed etsi hanc tenerent, vt ab ea penitus abhorrere videri nolunt, pacem tamen alteram hominis mortalis, quæ est ordinata obedientia in fide, sub lege Dei æterna, penitus negligunt. Cuius necessitatem sic paucis docet Augustinus: *Sed ne ipso studio cognitionis, propter humanæ mentis infirmitatem, in pestem alicuius erroris homo incurrat, opus habet magisterio diuino, cui certus obtemperet; & adiutorio, vt*

4. *Vide Do. in ramis Palm. tex.* 5. 1. *Tim.* 1. 1. *Cor.* 5. *Ioan.* 15. *Matt.* 28. *De Ciuit. Dei li.* 2. *ca.* 20. *Politicorũ hodie verba, ex ore paganorũ.*

A Ciuit. Dei, li. 19. *ca.* 13.

1. *Cor.* 8. *Rom.* 8.

Pax vera. Aug. de Ciuit. Dei, li. 19. *c.* 14.

Ibidem.

liber obtemperet. Hinc videlicet naſcitur fidei neceſſitas, docente Chriſto quid credamus; & gratiæ neceſſitas, operante Chriſto vt fidei præceptis obtemperemus. Quo obtento, obtinetur illa altera pax inter Deum & hominem, in fide videlicet Legi Dei obedire. A

Pax Dei, & pax mundi. Dom. in Albis, tex. 2.

Hæc eſt vera pax fidelium, & verè Chriſtianorum. Hæc eſt pax de qua Chriſtus Redemptor dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: non quomodo mundus dat* (quæ eſt pax Politicorum, frui bonis temporalibus, neglecta religione) *ego do vobis*. Quæ Chriſti verba quantũ valeant, in aliis Dominicis explicatum dedimus. De hac vtraque pace, huius mundi, & Chriſti, quam nos Chriſtiani appetere & tenere profitemur, ſic iterum contra noſtros Politicos S. Auguſtinus: *Terrena ciuitas, quæ non viuit ex fide* (quales ſunt infideles omnes) *terrenam pacem appetit; in eoque deſigit imperandi obediendique concordiam ciuium, vt ſit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus, humanarum quædam compoſitio voluptatum*. Sic enim habent Politicorum noſtrorum axiomata, & gentilium placita, ſuprà commemorata. *Cæleſtis autem ciuitas vtitur in hac ſua peregrinatione pace terrena, & de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, humanarum voluntatum compoſitionem, quãtum ſalua pietate ac religione conceditur, tuetur atque appetit, eamque terrenam pacem refert ad cæleſtem pacem, quæ verè pax eſt: vt rationalis duntaxat creaturæ, ſola pax habenda atque dicenda ſit, ordinatiſſima ſcilicet & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & inuicem in Deo*. Hæc eſt duplex charitas; Dei, & proximi in Deo, quæ eſt veſtis nuptialis, & vera pax noſtra, quam Chriſtus Redemptor noſter reliquit nobis, *vt ex ea cognoſceremur Chriſtiani eſſe*. Politici, quia hanc Chriſti pacem negligunt, & ſolam terrenam conſectantur, Chriſtiani non ſunt, ſed ipſis etiam hæreticis deteriores: quia illi aliquam ſaltem, etſi falſam ac contaminatam, religionem profitentur, ac tenent fortiter; iſti nullam tenent, nec tenendam putant, niſi à monachis; totamque hominis fælicitatem in terrena pace conſtituunt, terræ filii, quaſique nunquam in Chriſto regenerati. *quod enim de carne natum eſt, caro eſt*: carnalia ſapit, loquitur, agit. *Quod autem de Spiritu natum eſt*, (vt omnes Chriſtiani) *Spiritus eſt*: ea quæ diuini Spiritus ſunt, ſapit, colit, præſtat. Religionem amat, qua Deus colitur, eamque rebus omnibus anteponit. Non audet ſine veſte nuptiali diſcumbere, aut aliud profiteri, aliud facere. Didicit à mortalium ſapientiſſimo Salomone; *Deum time, & mandata eius obſerua. Hoc eſt omnis homo*. Didicit à diuino Iob: *Ecce timor Domini: ipſa eſt ſapientia; & recedere à malo, intelligentia*. Didicit à ſancto Propheta: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Domino Deo tuo*. Et notandum diligenter, quod Salomon, hoc dicens, totam humanę vitæ fælicitatem in eo concluſit: Iob totam ſapientiam omni theſauro incomparabiliter præponendam: Michæas omnem Dei cultum & obſequium. Vide loca. Politicorum contrà tota fælicitas, tota ſapientia, totus cultus eſt, bonis terrenis affluere, quaſi filij reprobi Eſau, qui ſua primogenita pro vno pulmento vendidit. Elias zelans pro domo Dei, & veræ religionis cultu, audit ab impio Rege Achab; *Tu es qui conturbas Iſrael*? Sic hodie Politicis zelatores religionis, turbatores regni & Reipub. eſſe videntur. Sed ſanctus Propheta reſpondit: *Non ego turbaui Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baal*. Politici verè perturbant Rempub. Chriſtianam, qui Dei mandata negligunt, & religionem deſpiciunt, & ſequuntur idola cupiditatum ſuarum. Certè iſti virtutis cognitionem non practicam tantum amiſerunt, vt omnes mali Chriſtiani; ſed etiam ſpeculatiuam, vt ipſi infideles. Neglectum enim religionis pro re laudabili habent: ſuntque de numero perditiſſimorum hominum, de quibus Propheta dixit: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*. Contra iſtos valent illa Chriſti verba: *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*, tum illa: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*, quæ in aliis Dominicis tractata vide. Illa denique loca omnia, quæ verum Chriſtianiſmum, dilectionem Dei ſuper omnia, feruorem cultus diuini, fiduciam in Deum, eiuſque prouidentiam, rerum terrenarum contemptum, & cæleſtium deſiderium docent, noſtri temporis Politicos iugulant. Vide de ſingulis ſingulas Dominicas, & textus Euangelicos latè explicatos. Quære in locorum moralium Indice alphabetico, quem in Lectoris vſum diligenter concinnaui.

Ioan. 18.

Politici hæreticis deteriores.

Ioan. 3.

Eccli. vlt.

Iob 28.

Mich. 6.

Gen. 25.

3. Reg. 28.

Do. 14. poſt Pent. tex. 6 Dominica Pentecoſt.

B

C

Politici ethnicis peiores.

Sanè ipſis melioribus ethnicis deteriores hi ſunt, qui nunquam vtile honeſto præferre (quod hi in omnibus faciunt) voluerunt, de quo tam multa diſputat in Officiis Cicero etiam ipſe ethnicus. Memorabile illud eſt Ariſtidis reſponſum. Themiſtocles in concionem populo aduocato, magnum aliquid in animo ſe habere aiebat, quod Rẽpublicam concerneret; efferre tamen prius non ſe id velle, quàm alicui id communicaſſet, quem populus deligeret. Delectus eſt Ariſtides. Re Ariſtidi per Themiſtoclem communicata, conſcendens ſuggeſtum Ariſtides, vt, quid eſſet, populo referret, ait: *Themiſtoclis conſilio nihil Reipub. Athenienſi vtilius, ſed eodem nihil iniuſtius*. Hoc audito; tacere eum porro populus iubet, nec vel auribus excipere conſilium maximè vtile voluerunt, quod ab honeſto & recto diſcreparet. Surgent iſti ethnici in iudicio, & noſtros Politicos condemnabũt. Noui ſunt iſti Protagoræ, noui Diagoræ, qui ciuitatibus omnibus pelli deberent. Religionem tenent ſpurciſſimi illius Heliogabali Imperatoris, Romani Sardanapali: qui id vnum pertinaciſſimè egit, *nequis Romæ Deus niſi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Chriſtianam deuotionem illuc transferendam, vt omnium culturarum ſecretum Heliogabali ſacerdotium teneret*. Sic enim iſti Politici omnes religiones ac ſectas, Lutheranorum, Caluiniſtarum, Puritanorum, atque adeo Catholicam alicubi deuotionem tolerandas, & recipiendas, atque à Regibus permittendas arbitrantur, dummodo pax regni tuta

Plutarch. in vita Ariſtidis.

Aelius Lampridius in vita eius.

D

ſit;

sit; vt omnium culturarum mysteria Politicorum idolum teneat, eique subseruiant. Perinde illis est de qualibet religione, ad quam neminem vlla necessitate adigi posse affirmant, modo pax Reipub. & rerum omnium affluentia in tuto sit. Nulla vnquam acerbior pestis orbem Christianum inuasit, quæ eo tendit, vt nulla amplius colatur religio, Deus credatur nullus. Alia loca, quæ contra Politicos faciunt, vide inferius annotata in fine vltimi textus huius Euangelij.

9. *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

LOcus moralis de pseudochristianorum, & maximè Politicorum, horrenda & æterna pœna. Hanc illis Christus comminari voluit, quia hæc illis multo acrius infligetur, quàm incredulis quibuscumque, qui ad nuptias venire, fidem amplecti, Christum profiteri noluerunt. *Qui enim nouit voluntatem Domini, & non facit, vapulabit plagis multis.* Et Petrus dicit: *Melius fuit illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Hoc sanctum mandatum, est mandatum illud maximum & primum: *Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, &c. & secundum simile illi: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hæc duplex dilectio, est illud sanctum mandatum, & vestis nuptialis. Pseudochristiani, & maximè Politici, gra-
B uiora infidelibus patientur, quia deteriores illis sunt. Hæreticus deterior & pernicioſior hostis est quàm Turca, aut quilibet infidelis, quia Christianum se dicit, & non est; in Christum se credere ait, & non credit: quia caput tenere non potest à corpore toto auulsus. Politicus & hæretico & Turca sceleratior est, quia Christianum & Catholicum se dicit, quum neuter sit, sed in vtroque dissimulet, nec Christum, nec Ecclesiam diligens, sed temporalis suæ pacis ac fælicitatis bonum vtrique præponens. Illis igitur sempiternas plagas Christus comminatur. Et *manus & pedes ligatos* habebunt, omnem potentiam amittent, seu boni affectus, & bene cogitandi, qui se hic omnium prudentissimos iudicabant: seu boni operis, & bene aliquid operandi; qui *operandi tempus quum haberent*, operandi officium non ad se, sed ad clericos & monachos pertinere aiebant. Proijcientur in tenebras exteriores, à quibus in lucem remeandi nulla facultas supereſt, quia extra diuinæ lucis radios, & misericordiæ oculos proiecti iacent. *Ibi erit fletus* eorũ, qui hic semper gaudere, bonis omnibus affluere voluerunt; & *stridor dentium* præ dolore eorum, qui hic stridebant præ inuidia florentis Ecclesiæ Dei. Porro ligatis manibus & pedibus proijci, pœnam significat inextricabilem, & cuius nulla sit speranda liberatio, finis & exitus nullus, quia æterna est; in qua etiam nulla sit futura vndecunque consolatio, nulla remissio, relaxatio nulla, quia iam *clausa est ianua* totius misericordiæ, consolationis, auxilii, aut cuiusuis refrigerii. Fletus incredibilem ex ignis infernalis acrimonia & vi dolorem notat. Solent enim ignita, & calida,
C seu manu tacta, seu ore & labiis degustata, lachrymas nobis elicere, & fletum etiam in fortissimis excitare. Stridor dentium, dolorem ex asperrimo frigore contractum significat: stridենt enim dentibus, & toto corpore tremunt ac concutiuntur, qui frigus intentissimum ferunt. De hac duplici, sibique contraria, ardentissimi ignis, & asperrimi frigoris pœna infernali, sic S. Iob: *Transeant ab aquis niuium ad calorem nimium; & vsque ad inferos peccatum eorum.*

Pœna infernalis pseudochristianorum. Luc. 12. 2. Pet. 2.

Politicus, hæretico & Turca deterior.

Rom. 16.

Iob 24.

Hæc tota pœna infernalis, qualis & quanta futura sit, quia ex Scripturis in aliis Dominicis ostensum est, nunc ex certis coniecturis, in ipsa quoque Scriptura fundatis, docebitur. Primum illa pœna in vindictam peccatorum infligitur ab irato & iusto Deo. At vt Dei misericordia erga electos immensa est, sic & eius iustitia erga reprobos. Vnde *Deus iustitiæ, Deus vltionum, Dominus percutiens* vocatur. Vide Dominicam 1. Aduẽtus, tex. 1. varias in hunc sensum Scripturas. Erit ergo pœna immensę eius potentiæ, & acerbissimæ iustitiæ congrua. Sunt enim iustitia & misericordia Dei, quasi duo eius brachia. Nam de brachio iustitiæ dicitur, quod *in manu forti, & brachio extento* Pharaonem cum suis Aegyptiis perdidit. De brachio misericordię dicit beatissima Virgo: *Fecit potentiam in brachio suo*, quia hoc ad Filii Dei incarnationem pertinet; maximæ misericordiæ opus. Quemadmodum igitur qui vnum hominis cuiuspiam brachium videt, eiusque mensuram tenet; alterius brachii mensura & longitudo quanta sit ignorare non potest; sic planè, quum Dei misericordiam infinitam esse, & super numerum arenæ maris miserationes eius certo sciamus, Dei quoque iustitiam immensam esse, & quæ numerari aut expendi nequeat, dubitare non debemus. Rursum damnati vocantur *vasa iræ & contumeliæ*, sicut electi *vasa misericordiæ & gloriæ*. Sicut ergo gloria & misericordia Dei tanta est erga electos, vt dicat Apoſto-
D lus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*: sic tanta Dei erga reprobos ira & contumelia futura videtur, vt nec cogitatione eam consequi mortalium quisquam possit. Iam vero sicut de operibus dicit Christus, tam misericordiæ, quã inhumanitatis; *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur & vobis*; mensura autem operibus misericordiæ reddenda promittitur à Christo, *bona, plena, conferta, & coagitata*; hoc est, omnibus suis numeris absoluta: dubitari non potest, quin & operibus impiis, & contra charitatem factis, reddenda sit mensura copiosa, & amaritudine plena, maximè dicente Apostolo, quod impii & impœnitentes *thesaurizant sibi iram in die iræ & iusti iudicij Dei*. Nam vt singulis bonis operibus sua redditur merces ex thesauris bonitatis & misericordiæ Dei; sic singulis peccatis & flagitiis re-

Do. 3. post Epiph. tex. 10. & Do. 5. post Epiph. tex. 9.

1. Infernales pœnæ quales & quantæ. Exod. 16. Luc. 1. Simile.

2. Rom. 9. 2. Tim. 2. 1. Cor. 2.

3. Luc. 4.

Rom. 2. Similia.

penditur pœna,ex thesauro iræ & iusti iudicij Dei:& quemadmodum vir iustus ex multitudine bonorum operum ingentem sibi meritorum,& mercedis thesaurum accumulat: sic impius ex peccatorum varietate & magnitudine varias sibi pœnas thesaurizat. Sic apud Esaiam de impiis dicitur: *In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam Dominus.* Præterea patitur Deus, liberéque permittit, vt omni sua voluptate in hac vita impii perfruantur, *faciantque omnes adinuentiones* suas, ac demum *vt compleatur malitia eorum.* Sed hoc ideo totum permittitur, vt grauius in eos postea iustiusque ira Dei desæuiat,& eleuans allidat eos. Vnde sic in Apocalypsi legimus: *Qui nocet, noceat adhuc:& qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Sed quamobrem, aut quorsum tanta longanimitas? Sequitur: *Ecce venio cito,& merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Vt videlicet completæ malitiæ pœna reddatur ad cumulum plena. Sic alio loco per Prophetam futurum prædicit Deus: *Complebo furorem meum in te,& iudicabo te iuxta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua; & non parcet oculus meus, nec miserebor: sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis, quia ego sum Dominus percutiens.* Sicut ergo hic est completa malitia impii, sic erit ibi completus furor Dei. Hinc facilè conijcias, quàm sit hæc acerba & horrenda futura pœna. A

Esaiæ 27. 4. Psal. 80. Gen. 15. Apoc. 22. Ezech. 7.

5. Porro ipsę damnatorum voces, querelæ, & acerbissimæ complorationes in Scripturis reuelatæ, pœnarum magnitudo quanta sit, non obscurè docent. Etenim propter ardentem æstum, & horrendas tenebras quas damnati patientur, sic scribit D. Ioannes: *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem,& datum est illi æstu affligere homines,& igni;& æstuauerũt homines æstu magno,& blasphemauerunt nomen Dei, habentes potestatem super has plagas. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ,& factum est regnum eius tenebrosum;& commanducauerunt linguas suas præ dolore, &* 6. *blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis.* His si addas fletus & stridorem dentium, vt in hoc Euangelio, facilè conijcies, pœnarum illic magnitudo, quantum omnem cogitationem nostram excedat. Deinde vt beatitudo iustorum, est omnium bonorum, quæ animo cogitari aut desiderari possunt, aggregatio; sic pœna damnatorum, est omnium dolorũ ac miseriarum cumulus:& vt illa infinita, cui nihil addi poterit; sic ista immensa erit, quamaior esse nequeat. Quare sicut ille corporis morbus in hac mortali vita omnium esset acerbissimus; qui omnia membra occuparet, vt nec caput, nec oculi, nec aures, nec lingua, nec manus, nec digiti, nec brachia, nec pectus, nec dorsum, nec stomachus, nec ilia, nec renes, nec femora, nec tibiæ, nec pedes dolore vacarent;& hoc spectaculo nullum esset acerbius aut flebilius: sic multo magis pœna infernalis, quæ prorsus generalis est, totum corpus, totamque animam peruadens, inexplicabilis quædam pœna esse censenda est. Illic enim & oculi lasciui dæmonum horrendo aspectu,& delicatæ aures fremitu eorum tremendo, & emunctæ nares tetro sulphurum odore (est enim locus huius pœnæ *stagnum ardens igne & sulphure*) & gustus gulosus siti inexplebili (vnde *diues epulo aquæ guttam à Lazaro petijt*) & singula corporis membra igne acutissimo (quo nihil magis actiuum est,& qui tactum maximè afficit) & ipsa interior imaginatio præsentium acerbitatum apprehensione viuida, & misera memoria præteritarum voluptatum recordatione acerba,& intellectus totus, amissæ beatitudinis angore incredibili; & deprauata voluntas perpetua maledictione & blasphemia, punietur, afficietur, torquebitur. Quid hoc rerum statu calamitosius cogitari potest? B C

Simile. Apoc. 21. Lucæ 16.

7. Nunc vero & ipsam mihi ignis infernalis vim & acrimoniam considera. Neque enim ignis iste noster, quo quotidie vtimur,& cuius vel minimum contactum sine gemitu ferre non possumus, vel vltimo vix illum gradu contingit. Noster ignis consolationem adfert,& iucundè aspicitur, vocatus alicubi, Angelus Dei: ignis infernalis totus ad terrorem, ad tormentum, ad pœnam, institutus est. Noster ignis pabulo indiget necessario, ex quo vel remissius, vel acrius vrit: ignis infernalis sibi ipsi pabulũ est, cum sit inextinguibilis,& à furore Dei accenditur, nutritur, augetur, iuxtà illud Prophetæ: *Flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eum.* Noster ignis illuminat, suaque luce astantes perfundit: ille ignis tenebricosus est,& horror perpetuus. Denique noster ignis & artificialis est, & extra locum elementi sui, quo semper per flammas suas tendere, quasique à nobis refugere nititur; hanc ob causam debilior est, quasi, si corporis membrum suo loco emotum esset: at ignis infernalis naturalem suum locum in visceribus terræ obtinet, vbi eum Deus creauit ad tormenta impiorum, vt esset *lacus iræ Dei*: Ideoque maximam vim habet,& perpetuo viget, absque vllo sui vel detrimento, vel refrigerio. Porro noster ignis omne sibi iniectum pabulum absumit; ideoque longo admodum tempore non affligit, sed breui licet acri dolore afficit: infernalis autem ignis sic vrit, vt non consumat, tanto crudelior, quãto perseuerantior. Postremo, nostrum ignem multa mitigant, multa refrigerant, aquæ iniectio, aër frigidus circumstans, pabuli imminutio atque subtractio: ignem infernalem nihil mitigat, nihil refrigerat, nihil imminuit. Carnifex perpetuus est, semper percutiens, & nunquam interficiens. Ex his omnibus moneri terribiliter & efficaciter possumus, quanta sit pœna impiorum, maximè pseudochristianorum, & Politicorum, qui sine veste nuptiali in mensa Christi accumbunt. D

1. 2. Esaiæ 30. 3. 4. Apoc. 14. 5. 6.

Exemplum Iob. 2. Si amici Iob, videntes eum per totum corpus vlcere pessimo percussum, in sterquilinio sedentem, vlcera sua latere radentem, *eleuantes procul oculos suos, exclamantes plorauerunt, sciśisque vestibus, sparserunt puluerem super caput suum in cælum, & sederunt cum eo in terra septem diebus,& septem noctibus;*

A *noctibus, & nemo loquebatur ei verbum, quia videbant dolorem esse vehementem*: quid nobis animi, quis horror, quæ confusio, quantus ad damnatorum commiserationem, ad nostram cautelam, stimulus esse debet, non vnum aliquem amicum nostrum, sed tot myriadas hominum damnatorum, non solo corporis vlcere fœdatum, sed toto corpore, totaque anima (vt iam dictum est) vexatos; non in sterquilinio vlcera radentes, sed in barathro flebiliter eiulantes, & horrendè blasphemantes; non morbo ad tempus afflictum, cui mors finem imponeret: sed sempiternis pœnis addictos; non vt virtus patientiæ probetur, sed vt flagitia anteactæ vitæ puniantur; non ex Dei permissione, diabolo petente, sed ex Dei voluntate & decreto, diabolo exequente; ac denique non alium sine suo periculo, sed tot alios, quibus nos ipsi, nisi nostræ melius saluti prospiciamus, sociari in pœnis poterimus, oculis quoque nostris cerneremus! Sed profecto si Christiani sumus, plus mouere debet quod oculis fidei intelligimus, quàm quod oculis carnis cernimus, iuxta illud Christi: *Habent Moysen & Prophetas. Si illis non crediderint, neque si ex mortuis quis resurgat, credent.* Daniel Propheta, audito somnio Nabuchodonosoris, cum statim quid illud portenderet, Deo reuelante intelligeret, adeo attonitus & perterrefactus fuit, vt *intra se tacitus cogitaret, quasi vna hora, & cogitationes eius conturbarent eum.* Quale autem, aut quantulum huius Regis supplicium fuit, si cum æterna damnatorum pœna conferatur! quanto grauius est inter dæmones quàm inter feras, vitam agere! Quanto atrocius, flammis vltricibus cruciari, quam rore cæli tingi! Quanto acerbius, in omni æternitate, quàm septem annorum spatio torqueri! Po-
B stremo, si adeo formidandum est, figura hominis retenta, cor feræ gestare; quanto erit formidabilius, sub hominis figura cor dæmonis habere? Istius tamen rei vel sola cogitatio, sancti Prophetæ animum commiseratione proximi plenum, & iudiciorum Dei timore confixum, ita perterrefecit & conturbauit, vt vna hora elinguis coram tanto Rege steterit. Si nos ad has inferni pœnas, sic in Scripturis reuelatas, & ex Scripturis certa connexione deductas, minus commouemur; fit illud, quia & rarissimè, & non nisi obiter in animum ista demittimus.

Lucæ 16. *Aliud.* *Dan. 4.*

Qui ignem istum materialem & vulgarem, vel raro adit, vel non nisi transeunter, nec nisi leuissimè digitum immittit, parum aut nihil ex eo caloris attrahet. Sic inferni ignis, quia vix ambabus auribus audiuntur, sed in vnam admissi, per alteram transuolant, nihil mouent, nihil terrent, nihil ex eorum doctrina caloris aut feruoris spiritualis attrahimus. Cæterum finge nunc animo ingentem hominum exercitum in campo coactum, oraculo Domini certiorem factum, tantam vim fulminum esse repentè super eos casuram, vt maxima eorum pars fulminibus icta occumbat. Si hoc omnes illi certa fide tenerent, quo timore non concuterentur, quas non latebras exquirerent? quid non facerent, vt tanto se discrimini subducerent? At tale hoc fulmen non est, quale huius Euangelij: *Ligatis ma-*
C *nibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium.* Et hoc fulmen non contra alios, quàm contra nos pseudochristianos, qui cum fide Christi, charitatem Christi non tenemus, intentatur. Nobis hoc dicitur, ad nos hoc pertinet. Priusquam horrifica illa grandinis plaga Aegyptum vastasset, Moyses, Pharaonem & seruos eius ab hoc periculo eripere volens, his verbis præmonuit: *Mitte iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro. Homines enim & iumenta, & quæcunque foris inuenta fuerint, nec congregata de agris, cecideritque super eos grando, morientur.* Sequitur deinde: *Qui timuit verbum Domini, de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos & iumenta in domos: qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris, quæ omnia vi grandinis interiere.* Christus Dominus iam tertio de inferni pœnis præmonuit, in sanando Centurionis puero, cum Iudæorum incredulitatem taxaret, in parabola de zizaniis, & nunc in hoc Euangelio; quæ tria loca tractauimus. Sed & iterum futuri iudicii formam describens, sub illis verbis: *Ite maledicti in ignem æternum.* Qui verba Domini negliget, cadet super eum grando, & morietur. Qui de veste nuptiali perpetuo gestanda solicitus non est; qui sub nomine Christiano vitam agit Epicuream; qui se Catholicum dicit, & Politicus est, qui Christum cum Iudæis Pilato tradet, *ne veniant Romani, & tollant gentem suam*; id est, religionis causam penitus prodet, & perdi sinet, vt pax sit domi tuta, alioque ad illam politiam, hoc est, impietatem maximam, hortabitur; ad illos omnes hæc sententia pertinet: *Ligatis manibus*, &c. *Qui audiuit sonitum buccinæ, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit.*

Simile. *Inferni pœna tur nunc minus mouet.* *Hypocrisis* *Politicorũ proprium.* *Ezech. 33.*

D

10. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Paucitas saluandorũ

LOcus moralis de paucitate saluandorum, ad timorem vtilis. Quod enim Apostolus scribit, *Cum timore & tremore salutem vestram operamini*; & alia Scriptura dicit, *Beatus homo, qui semper est pauidus*; & iterum, *De propitiato peccato noli esse sine metu*; & adhuc semel Apostolus, *Noli altum sapere, sed time*; *si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat*; si Iudæos repulit, qui noluerunt venire, & neglexerunt, & seruos Dei ad se missos occiderunt; vide ne & te repellat, venientem quidem, & accumben-

Ephes. 6. *Prou. 28.* *Eccli. 5.* *Rom. 11.*

tem, & insertum oliuæ, sed non habentem vestem nuptialem: totus, inquam, hic locus de assiduo timore saluberrimus, vix ex alio capite fortius deducitur & dependet, quàm ex hac multitudine ingenti vocatorum Christianorum, sed ingenti paucitate electorum. Hinc enim & alius Propheta dixit: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*: sed potius auxisti timorem & dolorem, quum in multitudine gentium, quæ toto orbe terrarum *Christum ore confitetur*, tam pauci sint qui *corde credant*, & *fidem suam ex bonis operibus ostendant*. Sic alius Propheta, vocationem Gentium describens, ait: *Erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ dispergentur & deficient; & tertia pars relinquetur in ea*. Vix tertiam partem saluandam docet. Sanè in Euangelio, nisi quarta pars seminis, quod Deus seminauit in agro Ecclesiæ suæ, *cecidit super terram bonam, vt fructum ferret cum patientia*: sed aliæ tres partes, vel secus viam, vel super petram, vel super spinas dum caderent, perierunt. Quare Apostolus, Gentibus vocatis in gratiam redemptionis per Christum, dicit: *Vide in te bonitatem Dei, si tamen permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris*. Hanc paucitatem Christus præuidens, nosque eius præmonere volens, dixit: *Putasne Filius hominis, cum venerit, inueniet fidem in terra?* Certè hodie, nec in hæreticis, nec in Politicis, nec in impiis, auaris, adulteris, superbis, inuidis Christianis illa fides est per dilectionem operans, quæ sola valet in Christo ad salutem, & de qua ibi Christus loquitur. Hanc etiam ob causam monet nos Christus *intrare per angustam portam, quia arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam*. Non quidem via fidei, quæ *ab ortu solis ad occasum* patet, & ob quam *dilatari tentoria, & aperiri portas*, Propheta iubet; sed via morum, via charitatis, & obseruationis mandatorum Dei, per quam pauci ambulant, ideoque viæ terminum, cælestem beatitudinem, pauci consequuntur. Ex omnibus qui Aegypto exierunt, solus Iosue & Caleb terram promissionis ingrediuntur. Cum Christus duodecim tantum Apostolis suis diceret, *Vnus ex vobis est qui me tradet; omnes timuerunt*: nec prius animo esse pacato potuerunt, quàm Ioanne dilecto discipulo rogante, Christus eum demonstrasset. Si timuerunt illi omnes, cum vnus tantum eiiceretur; consequens est, vt nos magis timeamus in tanta multitudine reproborum. Rectè D. Gregorius: *quia vocati sumus, nouimus: si sumus electi, non nouimus. Tanto ergo necesse est, vt vnusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat*. Hæc ille. Certè si vnus tantum reprobandus esset, salubriter cogitare vnusquisque deberet: Cauendum & prospiciendum mihi est, ne ille ego vnus sim. Quanto magis in tanta multitudine reproborum cauendum hoc erit? Huc pertinent quæ in variis Euangeliis iam deprompsimus. Primum ad illa verba, *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, vbi de vero Christianismo disputatum est. Deinde ad illa verba, *Ecce, hic positus est in ruinam multorum in Israel*: vbi de profectu nostro in professione Christiana examinando actum est. Rursum ad illa verba: *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores*: vbi vocationem & professionem externam, ad pietatem & salutem non sufficere, ostensum est. Tum ad illa quoque verba, *Vnde ergo habet zizania?* vbi de abundantia iniquitatis, Christi abundante gratia disceptatum est. Necnon & ad illa Christi verba, *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*: quo in loco de vocatione nostra ad salutem solicitè conseruanda disseruimus. Ac postremo ad illa verba, *Nisi hic alienigena, & hic erat Samaritanus*: ad quæ verba de inani vocationis aut status titulo, vbi res nomini non respondet, actum est. Quæ etiam omnia loca contra Politicos, & pseudochristianos faciunt: docentque cur & quomodo sit verum, quod hîc dicitur: *Multi vocati, pauci electi*.

Esaiæ 9. *Rom.10.* *Iacobi 2.* *Zachar.13.* *Lucæ 8.* *Rom.11.* *Lucę 18.* *Matt.7.* *Malach.1.* *Esaiæ 26. & 54. & 60.* *Typus.* *Ioan.19.* *Ho.38.in Euang. Dom.2. Aduen. tex.6.* *Dom.inf. oct.Nat. Do.tex.2.* *Do.3.post Epiph. tex.9.* *Do.5.post Epiph. tex.4.* *Do.2.post Pent.tex.7* *Do.13.post Pent.tex.7* *Loca cõtra Politicos.*

EVANGELIVM DOMINICÆ XX. POST PENTECOSTEN.

Ioan.4.

ERAT quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus veniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende, priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit. Et credidit ipse, & domus eius tota.

A

PERICOPE *moralis huius Euangelij.*

1. *Cuius filius infirmabatur.* Calamitates eos ad Deum adducunt, qui absque eis venturi non erant.
2. *Cum audisset, quia Iesus venit in Galilæam, abiit ad eum.* De occasione virtutis, aut alicuius boni, non prætermittenda.
3. *Rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius.* De cura parentum erga liberos.
4. *Incipiebat enim mori.* Contra pœnitentiæ aut emendatioris vitæ dilatores, vsque ad horam, aut periculum mortis.
5. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* De curiositate, & incredulitate in homine iam credente acriter taxanda.
6. *Domine descende, priusquam moriatur filius meus.* De perseuerantia in oratione.
7. *Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & abyt.* De gratitudine animi pro accepto à Deo beneficio.
8. *Et credidit ipse, & domus eius tota.* Exempla dominorum plurimum apud subditos in vtramque partem valere.

B

1. *Cuius filius infirmabatur.*

LOcus moralis, quod calamitates ad Deum adducunt, qui absque eis venturi non erant. Hic enim regulus & vir nobilis ad Christum venit, propter infirmitatem filii sui alioqui fortè non venturus. Sic olim in deserto Iudęi, *cum occideret eos* Deus, id est, ad mortis vsque periculum affligeret, *quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum: & rememorati sunt, quia Deus est adiutor eorum.* Sic & Dauid ipse, à Deo afflictus, de se fatetur: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* In quæ verba D. Bernardus: *Benè confixus, quia conuersus exinde est. Benè pungeris, si compungeris. Multi, cum sentiunt pœnam, corrigunt culpam. Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hæc ille. Appositè hac de re D. Augustinus: *Quàm multa habeant impij dona & munera gratuita ab illo quem contemnunt enumerare quis potest? Inter quæ illud magnum, quod exemplis interpositarum tribulationum, quas huius sæculi dulcedini, tanquam bonus medicus miscet, admonet eos, si attendere velint, fugere à ventura ira; & cum in via sunt, id est, in hac vita, concordare cum sermone Dei, quem sibi aduersarium habent, malè viuendo. Quid*
C *ergo non misericorditer præstatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis, res autem aduersa donum est admonentis Dei.* Hæc ille. Alibi exemplum de Dauide adfert. *Hoc peccatum* (adulterium & homicidium dicit) *non fecit Dauid, quum persecutorem Saulem pateretur, quando per diuersa fugiebat, ne in manus eius incideret. Erat in infirmitate tribulationis suæ tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Vtile quiddam est tribulatio, vtile medici ferramentum, tanquam contra diaboli tentamentum. Factus est postea securus, deuictis hostibus; pressura caruit, tumor excreuit.* Vnde & alibi idem de seipso dicit: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Nempe sicut medici amaris sirupis atque pillulis morbo medentur, ita Deus labore & afflictione vitia curat. Quēadmodum equorum domitor, cum alia ratione domare & fræno assuescere non potest, paleas eis dare, & pinguiori pabulo priuare, ac durius in omnibus tractare solet; sic Deus refractarios, & obedire nolentes, calamitatibus immissis, ad frugem reuocat. Sanè sicut aqua diluuij, quo magis crescebat, tanto magis arcam in sublime efferebat: sic tribulationum aquæ, animum sursum impellunt, Deoque approximare faciunt. Ionas, qui liber fugit à facie Dei, in mare proiectus, & in ventre ceti conclusus, Deo obediens factus est. Mox enim vt in ripam eiectus est, vadit in Niniuen, & prædicat verbum Dei. Zeno Cittius Philosophus dicere solebat, *se nunquam commodius nauigasse, quàm cum naui fracta, &*
D *opibus naufragio amissis, enatauit.* Tunc enim philosophię operam dare cœpit. Sicut Elisæus Propheta aquas Iericho pessimas & steriles immisso sale sanauit, ollam vero pulmenti iniecta farina salubrem fecit: sic Deus alios farina, alios sale, alios rebus secundis & mollibus, alios aduersis & pungentibus sanat, integros & fœcundos facit. Tobias cæcus, ex felle piscis visum recepit: Ionathas vero ex fauo mellis accipiens, oculos illuminatos habuit. Sic alios felle, alios melle Deus illuminat.

Tribulatio ad Deum adducit. Exempla. Psal. 77. Psal. 31.

Ser. 48. in Cant.

Epist. 87.

Exemplum Enarrat. in Psal. 50

Psal. 114. Similia.

Exemplum Laert. li. 7. Apophth.

4. Reg. 2. 4. Reg. 4.

Tob. 11. 1. Reg. 14.

Cum Daniel Propheta Regi Nabuchodonosor terribile illud somnium aperuit, quo de regno eiiceretur, & cum feris conuersaretur; primò quidem blandis illum verbis alloquitur: *Placeat tibi, ô Rex, consilium meum. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis.* Sed cum hoc mel, hæc farina nihil iuuaret, imo Rex adhuc superbior fieret, & *post finem duodecim mensium in aula Babylonis deambulans, diceret, Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domū regiam, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cū adhuc sermo esset in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cū bestiis feris erit habitatio tua, &c. donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominū, & cuicunq; voluerit, det illud.* Quod totum ita factum est, Rexque post septē annorum decursum,

Exemplum Dan. 4.

diuinæ iuſtitiæ ſale confricatus, & felle potatus, in præclara reſipiſcentiæ & ſanitatis verba prorupit, vt apud Danielem videre licet. Quare de ſuperbis huius ſeculi ſic alius Propheta: *Indulſiſti genti* (peccatrici) *Domine, indulſiſti genti. Nunquid glorificatus es? Elongaſti omnes terminos terræ*, id eſt, longiſſimè à te receſſerunt. *Domine in angustia requiſierunt te: in tribulatione murmuris, doctrinæ tua in eis.* Sic Pharao induratus fuit, non plagis acceptis, ſed indulgentia & remiſſione plagarũ. Cum enim aliqua plaga percutiebat, emolliebatur cor eius, & aliquid ſemper Moyſi amplius conceſſit; ceſſante vero plaga, ſtatim obduruit: denique tunc maximè obduratur cum abeuntibus filiis Iſrael, ſe extra omne plagarum periculum exiſtimans, eos vſque ad mare rubrũ perſequitur. Sic ſuperbus ille Imperator Valens, & acerbiſſimus Catholicorum perſecutor, eiuſdemque præfectus, Modeſtus nomine, non re, calamitate deiecti, D. Baſilium, quem perſequebantur, adire, & opem illius in filij infirmitate, ſicuti iſte Regulus Chriſtum adiit, expetere coguntur. De quo ſic Gregorius Nazianzenus: *Filius Imperatoris ægrotabat. Cum autem huic malo nullam medicinam inueniret, ad Baſilij opem confugit: & quoniam ob contumeliam recens illatam, eum ſuo nomine accerſere verebatur, aliis, quos arctiſſima familiaritate & beneuolentia complectebatur, hanc legationem committit. Idem autem & eius præfecto Modeſto* (qui paulo antè, Valentis nomine Baſilio conuento, exilium ei & mortem comminatur, niſi Imperatoris voluntati ſe accommodet) *non multo poſt accidit. Nam hunc quoque morbus quiſpiam obortus, viri ſancti manibus ſubſternit. Quæ res profecto cordatis hominibus in documentum cedit. Nam plerunque proſpero rerum ſucceſſu melior magiſque expetenda eſt afflictio. Ægro corpore erat, illachrymabatur, diſtorquebatur, Baſilium accerſebat, obſecrabat. Satisfactionem habẽs, clamabat; da ſalutem. Et quidem hanc conſecutus eſt.* Hæc Nazianzenus. Sed & arrogantiſſimus ille atque impiiſſimus Rex Antiochus, qui *ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, & montium altitudines in ſtatera appendere*, acerrimo morbo humiliatus, & manifeſtam Dei virtutem in ſeipſo conteſtans, dicebat: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.*

Celebris eſt illa Philoſophorum ſententia, *In regno voluptatis virtuti non eſſe locum.* Quemadmodum enim emortuæ carnes in aqua dulci corrumpuntur, vermibuſque ſcatere incipiunt; in ſalſa vero quàm diutiſſimè conſeruantur, & à nauigantibus ad extremos vſque mundi fines incorruptæ deferuntur: ſic humanus animus laboribus perficitur ac roboratur; deliciis autem diffluit ac diſſoluitur. Vnde eſt illud Prophetæ: *Vſquequo deliciis diſſolueris filia vaga?* Antiquiſſimum & latiſſimum Aſſyriorum imperium vnius Sardanapali libidines & voluptates in ſeruitutem redegerunt. Sicut ceruus, animal alioqui hominem maximè timens, vehementer tamen à canibus ſi vrgetur, ſua ſponte ad hominem fugit; ſic tribulationes, quaſi canes, peccatorem perſequentes, vt ad Deum ſponte confugiat, de quo prius nec audire ſuſtinebat, ſæpe compellunt. Quemadmodum rhamnus, licet arbor ſit multæ amaritudinis, & in radice, & in foliis, & in ramis; multum tamen eſt medicinalis (nam ex ſucco radicis medicamentum fit, oculos claros reddens, ſemen etiam ſecundinas ex vtero trahit:) ſic tribulatio, licet ſit amara, & in radice cordis ad conſiderandum, & in verborum foliis ad audiendum, & in factorum ramis ad tolerandum; tamen medicinalis eſt contra peccata; & in primis, quia oculos cordis clarificat (vnde alicubi D. Gregorius: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit*) quia hominem excitat, vt propter peccata ſua, ſe huiuſmodi malis affligi ſentiat. Sicut ſartor pannum reſcindit, diuidit, deſtruit, ſarcit, vt veſtem tandem commodam efficiat, & in hac parte ſcindit, vt connectat in illa; integrum lacerat, vt coniungat: ſic Deus quum per tribulationes lacerat, ab amicis ſeparat, carnem deſtruit; non id lacerandi aut deſtruendi cauſa facit; ſed mũdi voluptates reſcindit, vt cæli gaudia animo communicet; diuitias caducas aufert, vt æternas conferat; noſtrum interea animum, patientiæ, multarumque virtutum præclaram veſtem efficiens. Sic *vt faciat opus ſuum*, quod miſericordiæ & gloriæ eſt: *alienum eſt opus eius*, ſeueritatis & aſperitatis opus facit. Qui ex aduerſa aliqua fortuna mox in proſperam commigrare feſtinant, ſimiles iis ſunt, qui odio hyberni frigoris æſtiuum tẽpus optant. Iſti enim temporum moleſtias non fugiunt, ſed mutant: quos Propheta his verbis taxat; *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eam coluber.* Aduerſæ res, aut æquanimiter ferendæ, vt Deo magis adhæreas; aut non niſi in æquabilitatem vt tranſeat, optandum, ne à Deo recedatur. *Beatus vir qui ſuffert tentationem.* In quæ verba Euſebius Emiſſenus: *An tu hunc potentem & fælicem vocas, qui in mortem ſuam fortis eſt, cui prouentuum fallax vmbra, præſentium æternorum congregat cauſas malorum? Quis beatam dixerit validam in iugulum ſuum dexteram? Quis probabiliter laudet velocem, ad ardua præcipitia feſtinantem? Quis eius miretur aſcenſum, quem de ſummo proſpicit eſſe caſurum? An illum fælicem vocas, qui gemmato atque aurato ſibi poculo venena miſcet, qui infidelis, obſcœnus, cupidus, & cruentus, eo quod Domini vias aſpernatur, per ſuas ire permittitur? Beatus ille, qui ſuffert tentationem: quia cum emendatus & probatus fuerit, accipiet coronam.* Sanè quemadmodum luna non patitur eclipſim, niſi cum plena eſt: ſic homo tunc maximè ſolet obſcurari, cum plenus diuitiis eſt. Et quemadmodum luna, cum plena eſt, longius diſtat à ſole: ſic qui opibus circumfluunt, ſolent plerumque ſe à Deo longiſſimè ſeparare. Hæc eſt igitur Dei prouidentia, cum ingenti miſericordia coniuncta; vt quibus id neceſſarium aut vtile eſſe proſpexerit, calamitates ſubinde immittat. *Sicut aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: ſic Deus tribulationis nubem non abducit, donec nos penitus emendauerit*, ait S. Chryſ. qui ex tribulatione ad Deum à peccatis conuerſus fuerat ſic acclamauit: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & cõfirmaſti ſuper me manũ tuam.* Sicut enim

ſagitta

Eſaiæ 26. — *Exemplum*

In Monodia de S. Baſilio. — *Exempla.*

2. Mach. 6

Apophth. Simile.

Ierem. 31.

Similium congeries. 1. 2. *Gemin. li. 3. ca. 78.*

Eſaiæ 28. 4. *Amos 5.*

Iacobi 1. Ho. de Sãctis Epiph. *& Alexandro.* 5. 6. 7. *Chryſoſt. ho. 4. ad pop. Antioch.*

Pſal. 37. 8.

A sagitta infixa corpori dolorem adfert,& remedium quærere compellit: sic tribulatio dolorem cordi adfert,& vt in aliis rebus,in cogitatione boni æterni,solatium quæramus, facit. Accipe huius rei exemplum. Sanctus Dunstanus, postea quidem Archiepiscopus Cantuariensis, adhuc adolescens,totus ad nuptias propendens,quum frustra ab Episcopo Vintonienſi ad cælibatum moneretur,tertiana acri febri correptus,virginitatem vouit; erubescens, quod tertianæ febris ignis potentior in eo ad conuersionem fuerit, quàm ignis amoris Dei. De hac materia iam in aliis * Dominicis aliquoties diximus non pauca, quæ & huc conferri possunt.

*Exemplum In vita eius apud Surium, to.3.p.312. * Dom.2. Adu.tex.1 Do.4. post Epip. tex.1 Do.3.post Pasc.tex.1 Do.15.post Pent.tex.6*

2. *Cum audisset quia Iesus venit in Galilæam, abiit ad eum.*

LOcus moralis de occasione virtutis aut alicuius boni non prætermittenda. Audito quod Iesus in illas partes veniret,vbi Regulus iste,cuius filius infirmabatur, habitauit, non neglexit occasionem rei bene gerendæ:statim ad Iesum profectus est, infirmi filii sanitatem procuraturus. Tota hæc vita occasio boni est, quia Christum perpetuo nobiscum præsentem habemus,eo ipso dicente: *Ecce,ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*,quod
B necessario de fidelibus vsque ad consummationem sæculi duraturis intelligi debet. Est autem nobiscum perpetuo Christus,quia Spiritus Christi habitat in nobis. *Si enim Christi estis* (ait Apostolus) *Spiritus Christi habitat in vobis*. Denique nobiscum est,& nobis adest per gratiam, per Sacramenta,per verbum & doctrinam. Non est tanta & tam præsens occasio vel ad momentum differenda:quia etsi per totam vitam adest,tamen nec de momento futuro certi sumus. Sic ad Thessalonicenses Apostolus:*Ipsi diligenter scitis,quia dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet*. Hoc vnum considerare moneantur auditores. Si vobis in inferno constitutis pœnitentia prædicaretur ac diceretur;Ecce,pœnitentiam agite,& liberabit vos Deus:quanta alacritate, quã auidè hoc Euangelium omnes arriperetis! At nullum ibi pœnitẽtiæ tempus relinquitur. *Nunc* (in hac vita) *est tempus acceptabile,nunc dies salutis. Ambulate* (ait Christus ipse) *dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*;illæ sanè tenebræ exteriores,quæ extra omnem veniæ spem ponuntur. De die in diem viuimus. Amplos reditus certos non habemus. Nemo vel vnum sibi diem certo polliceri potest. Vt quid ergo sic tempus dilapidamus, ac si ad annos quàm plurimos censum eius aliquem à Deo accepissemus,aut nescio quos thesauros repositos haberemus?

Matt.28. Rom.4. 1.Thess.5. 2.Cor.6. Ioan.12. Simile.

Notandum & tremendum illud,quod abutentibus Dei gratia,donis,opportunitate, atque emendationem insigniter differentibus,etiam vitæ dies abbreuiantur. Deus tempore Noë con-
C cesserat centum viginti annos pœnitentiæ. *Non permanebit* (inquit) *spiritus meus in homine* (id est, in hac hodierna generatione hominum) *in æternum* (id est, vsque ad finem seculi) *quia caro est*, tota carnaliter viuens:*eruntque dies illius centum viginti annorum*. Tot videlicet annis pœnitentiam eorum expectabo,aut certè generale diluuium orbis protraham. Cæterum cum per Noë, *iustitiæ præconem*,de his admoniti,nihilo meliores fierent, Deusque iterum atque iterum diluuium futurum frustra prædiceret,viginti annos resecauit. Nam cum anno ætatis Noë 500. antedictã illam comminationem Deus enuntiasset, cœpit diluuium anno ætatis Noë 600. vt Scriptura commemorat. Ezechiæ Regi,nisi in morbo pœnituisset,quindecim anni vitæ eius dempti fuissent. Acta enim pœnitentia,& effusis lachrymis coram Deo,accepto mortis nuntio, ad quindecim annos vita eius propagatur. Sicut iustus rapitur,*ne malitia mutet intellectum*;sic impius tollitur,ne videat gloriam Dei,id est,fruatur gratia Dei. De quare sic apud Iob legimus:*Nunquid semitam sæculorum custodire cupis,quam calcauerunt viri iniqui,qui sublati sunt ante tempus suum,& fluuius subuertit fundamentum eorum*? Sic & manifestè Salomon:*Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur*. Denique sic Heli in pœnam peccati,tum sui,tum filiorum suorum dictum est: *Pars magna domus tuæ morietur,quum ad virilem ætatem peruenerit, & non erit senex in domo tua omnibus diebus*. Ad cuius rei comprobationem Abimelech,de stirpe Heli,cum 85. viris vestitis ephod li-
D neo,id est,tribus sacerdotalis,vno & eodem die,iubente Saul,occisi sunt. Sed & hoc fortè sensu,confidenti in diuitiis suis,& multos sibi annos promittenti (dicebat enim sibi,*Habes bona plurima reposita in annos multos*) dicitur à Deo: *Stulte,hac nocte tollent animam tuam à te*. Rectè igitur monuit Apostolus:*Sic currite,vt comprehendatis*. Currere ad brauium oportet,non differre,non lento gradu procedere. Grandis est via,breuis vita Agnus Paschalis cũ festinatione comedi iubetur: videlicet,ne exterminator Angelus veniat,ne diabolus, ne mors nos præoccupet. Si ad finem itineris magnam pecuniæ vim quis accipere deberet, quomodo eo festinaret? *Qui congregat in messe, filius sapiens est;qui stertit æstate filius confusionis est. Qui obseruat ventos,non seminat;& qui considerat nubes non metet.*

Abutentibus gratia, vita abbreuiatur. Gen.6. 2.Pet.2. Gen.5.& 7 4.Reg.20. Sap.4. Iob 22. Prou.10. 1.Reg.2. 1.Reg.22 Lucæ 12. 1.Cor.9. Typus. Exodi 12. Simile. Prou.10. Eccl.11.

Astutus serpens,procrastinationis auctor & instigator, optimè nouit quot & quanta sunt eius detrimenta. Quod vnum peccatum suo pondere in aliud trahit. Deinde, quod qui non est hodie, cras minus aptus erit. Rursum, quod consuetudo vertitur in naturam. Præterea, quod mala inueterata difficillimè curantur. Porro, quod Dei gratia tanto certius amittitur, & eius ira tanto acrius prouocatur. Tum, quod quanto serior conuersio, tanto eius impedimenta semper erunt maiora. Postea,quod nihil hora mortis incertius. Iterum,quod eius

Dilationis detrimenta 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

regnum magis ac magis in te confirmatur. Denique, quod animæ tuæ facultates, longa peccati mora debilitantur, intellectus obscuratur, voluntas deprauatur, memoria hebetatur; inferior vero appetitus accenditur & roboratur. Postremo, quod nodos nobis nequam connectit, magno nostro dolore & labore soluendos, quodque cibos accipimus, postea reuomendos; & quod fauum mellis degustamus, multo absinthio compensandum. Hæc ille hostis noster singula nouit, & dilationis ac prætermissæ bene agendi occasionis illustria damna esse non ignorans, propterea dilationem virtutis omnibus modis suadet. Sed eius fraudibus abiuratis, imitemur nautarum morem; qui, vbi secunda spirare aura cœperit, protinus è portu soluunt. Quum Apostolus dixisset: *Videte ne quis desit gratiæ Dei* (quod est occasionem gratiæ oblatam negligere) adiecit: *Ne qua radix amaritudinis*, id est, amara radix, *sursum germinans, impediat*: scilicet hanc gratiam. Hæc amara radix, & multorum malorum tristis scaturigo, est ignaua dilatio & procrastinatio boni. Quot mala proferat, supra enumerauimus ex parte.

8. 9. 10. *Simile.* *Hebr.12.* A

Sero pœnitentes pauci. Matt.11. Do. Sept. tex.4. & Do.5.post Epiph. tex.2. & Do.9.post Pẽt.tex.4.

Notandum est, speciales Christi gratias sero pœnitentibus datas, non nisi vni aut alteri collatas fuisse. Vni tantum triginta annos laboranti, in probatica piscina sanitatem dedit. Ex omnibus adulteris vni tantum Magdalenæ peccata remisit. Ex omnibus diuitibus vni Zachæo dixit: Hodie salus huic domui facta est. Ex omnibus latronibus vni tantum dictum est: Hodie mecum eris in paradiso. Atqui cum vocat ad suam gratiam, omnes vocat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Omnes vocat, omnes venire iubet: neminem tardari vult. Hominem vero iam laborantem, iam oneratum, tardare & exspectare, vt magis laboret, ac magis oneretur, atque ita ad veniendum magis fiat inidoneus, quanta dementia est! De hoc argumento in aliis iam Dominicis aliquoties dictum est. B

3. *Rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius.*

Parentum cura de liberis.

LOcus moralis de cura parentum erga liberos. Rectè hic Regulus fecit, factumque eius miraculo Christus comprobauit, quod de filij salute solicitus, ad Christum venit, eam ab illo, tanquam optimo & potentissimo medico, impetraturus. Nec corporalem hanc sanitatem vel ille pater tam solicitè à Christo petiisset, nec eam Christus tanta facilitate concessisset, nisi tum pater bene erga Christum affectus, atque ad fidem proclivis, tam suam, quàm filij spiritualem quoque salutem ex hac occasione speraret; tum Christus eam in hoc externo beneficio præcipuè attendisset. Id quod rei exitus comprobauit. Reddita enim, iuxta Christi verbum, filio sanitate, *credidit homo ille, & domus eius tota.* Parentum certè est, corporalem filiorum salutem procurare, (*qui enim domesticorum suorum curam non habet, infidelis est*) sed spiritualem & rationalẽ multo magis; quia non bruta, sed homines genuerunt, eosdemque in spirituales Dei filios regenerari fecerunt: & quidem spirituali eorum suscepta cura, cum susceptores in baptismo, seu patrini, curam illam baptizati spiritualem, quam ad fontem spoponderunt, in parentes mox deuoluere soleant. Quod si vbique non fiat, satis tamen iusta est ex ipsa vi naturæ, atque in Scripturis reuelata (quas alio in Euangelio iam protulimus) ad hanc necessariam curam obligatio. Aristoteles scripsit, filium erudire, patris esse; sicut nutrire, matris est. Quemadmodum enim viscera terræ, aurum & lapides pretiosos proferunt, sed impolitos & rudes, quos postea artifex limat, & sua opera atque industria perpolit: sic patris studio incumbit, filios à matre genitos & editos erudire. Nascuntur enim velut indigesta materia, ad virtutum tamen & scientiarum varietatẽ & pulchritudinem suscipiendam apta. Sicut speculum omnia repræsentat quæcunque ei obiiciuntur, quia natura pellucida est & inanis: sic tenera puerorum ætas ad eas omnes formas se accommodat, eas imitatur, eas vitæ actione repræsentat; quas aut videt oculo obiectas, aut intelligit aure disciplinæ susceptas. Arbores cum teneræ sunt, ligare solemus, & aliquo fulcimento, ne vel quouis vento huc illuc impulsæ deiiciantur tandem; vel etiam incuruæ crescant; constringimus. Equis, cum adhuc pulli sunt, frena imponuntur; ne absque illis maturè iniectis, fiant penitus indomiti & effrenati. Quas aues domesticas & familiares esse volumus, adhuc implumes è nido sublatas, caueæ includimus. Sic parentes à prima ætate liberos suos castitatem, pietatem, obedientiam, aliasque excellentes virtutes vt docere tenentur, ita magna cum facilitate docere poterunt, si diffluere non sinunt, sed aliquo honesto exercitio, bonisque magistris eos constringant; si fræno disciplinę coerceant; si adhuc nihil suum habentes, vnde auolent, è nido materni sinus, & ocij puerilis abreptos, caueæ aliqua scholæ aut officinæ bonæ includant.

Instit. liberorum natura parẽtes docet. Oeconom. li.1.c.5. Similia. 1. 2. 3. 4. 5. C D

Institutio etiam praua corrigit ingenia. Simile.

Hæc enim prima cura etiam in pessimis ingeniis non parum vtilitatis adfert, in bonis autem incredibilem fructum facit. Quemadmodum enim rota, si magno impetu ab aliquo moueatur, etsi postea, qui eam mouebat, cesset, mouetur tamen ad tempus ipsa per se, ab impetu mouentis impulsa: sic adolescens, bonam institutionem nactus, vtcunque ea cessante, & custode remoto, per se tamen ad bonum ac virtutem mouetur, quasi vi atque impetu institutionis præteritæ. *Gracchorum eloquentiæ* (ait D. Hieronymus) *multum ab infantia matris sermo contulisse scribitur. Hortensij oratio inter paternos sinus coaluit. Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum splendorem reuocet? Græca narrat historia, Alexandrum, potentissimum*

Exempla. Epist.ad Lætam.

Regem,

1.*Tim.5.*

A *Regem, orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit infectus.* Hæc ille. Neronis pessimum ingenium eas tamen notas virtutis à Seneca pædagogo suo animo impressas exceperat, vt tum *à primo eius quinq uennio procul distare cæteros Principes*, Traianus optimus princeps attestatus fuerit; tum etiam moriens, quasi aliquà adhuc scintilla honestatis relictà, dixerit: *Dedecorosè vixi, turpius peream.* Peccatum suum, & pœnam peccati, ex prima virtutis disciplina recognouit. *Animus dum tener est adhuc* (ait D. Basilius) *& rituceræ, quæ ipsa impressas in se formas quascunq; facillimè recipit, mollissimè cedit, confestim ab ipso initio omni rerum bonarum imbui exercitatione debet; quo videlicet vbi postea rationis vsus accesserit, & habitum illum rerum dijudicandarum ætas maior attulerit, pietati iam ab ineunte ætate assuetus, nullo impedimento cur… fù vtatur faciliore: cum & ratio, quid expediet, admoneat, & ad id assequendum facilitatem præbeat consuetudo.* Hæc ille. Exemplum piæ & religiosæ ab ineunte ætate educationis filiorum, in suo Samuele ostendit pientissima illa Anna. Cuius in hac parte virtutem ac studium magnificè commendans S. Chrysostomus, sic inter cetera scribit: *Quemadmodum industrij agricolæ primum semen in terram deponunt; deinde vbi conspexerint è semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam in aliud transferunt solum; vt terra recens gremio sua exceptam illius radicem puram & integram vim suam ad nouam educationem proferat: ita & Anna filium præter spem proseminatum, in templū transtulit è domo, vbi sunt perpetuæ fontium scatebræ, & irrigationes spirituales.* Hęc ille. Ibi quippe B erat Dei cultus ante oculos perpetuus, ibi quotidiana sacra, populi ad pietatem confluxus; optimus magister Heli sacerdos; vt nihil sit mirum in tali educatione tantum emersisse Prophetam, quantus hic Samuel erat, de quo dicitur: *Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Certè qualem plantula terram sortita fuerit, talem quoque fructum afferet: si arenosam & salsam, talem: si dulcem & pinguem, rursus consimilem. Ita fons quidam est, doctrina, institutio, educatio: qui domi paternæ ferè arenosus & salsus est, multis impedimentis, multis blandimentis plenus; foris autem cum bono delectu acceptus, dulcis & pinguis. Sicut enim caules, aliæq; multæ herbæ & plantæ, nisi transplantentur, steriles & exiles manent; transplantatæ autem, magna cum vbertate crescunt: ita puerorum ingenia foris magis quàm domi, & fælicius excoluntur. Imo *arbor per se infrugifera* (ait Plinius) *tamen insitione discit ferre fructus: ita prauum ingenium institutione ad bonam frugem potest demutari.* Contra vero *terra ipsa quo melior est natura* (ait Plutarchus) *hoc magis corrumpitur si negligatur, ita ingenia, nisi rectè excolantur, quo sunt fæliciora, hoc pluribus vitijs obducuntur.* Hæc omnia ad parentum obligationem, circa piam & laudabilem filiorum educationem, maiorem ostendendam faciunt. Parentes stolidè indulgentes liberis, simiarum similes sunt, qui catulos suos ferè complexu necant. Contrà, vrsus cum informes gignat catulos, eos lambendo format. Sic rudes ingenij fœtus parentum cultura expolire debuit. Sed ea homiC nium etiam Christianorum dementia est, vt pecorum magis quàm filiorum cura habeatur. *Nam* (vt scribit Chrysostomus) *si burdonibus atque asinis agaso à nobis præficiendus est; non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut eius rei imperitum præficiamus: sin vero ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inueniendus; qui casu oblatus fuerit, eum recipimus, nec consideramus vllam artem sublimiorem hoc artificio inueniri.* Hæc ille. Rursum alibi: *Vt fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magna cura tradimus, & agasonem, mulionem, procuratoremque atque dispensatorem, qui nobis magna beneuolentia afficiatur, inquirimus. Cæterum quod nobis omnium charissimum est, omnino negligimus; quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius seruare pudicitiam, formare mores, ingenium expolire & exornare possit.*

Sed vide quid in hoc genere & quomodo Scriptura loquatur. Populo Israelitico omnibus flagitiis contaminato, hanc pessimæ educationis originem, flagitiosæ vitæ causam fuisse affirmat. *Pater*, inquit, *tuus Amorrhæus, mater tua Cethæa*, id est, parentes tui erga te barbari & crudeles extiterunt. *Quando nata es, aqua non es lota, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his, misertus tui; sed proiecta es super faciem terræ.* Omnia hæc spiritualiter intelligenda sunt, quod Iudæi ex patentibus idololatris & impiis nati, qui Deum suum derelinquerant, in eisdem idololatriæ sordibus liberos suos educarunt. Et, vt apud Esdram legimus, qui D non ita multo post Ezechielem vixit; *quum Iudæi vxores Azotidas, & Moabitidas, & Ammonitidas ducerent, filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè*: quia cū religione & lingua vernacula defierat. Sic hodie, vbi parentes vel omnino, vel ex aliqua parte hæretici aut schismatici sunt, vsu venire cernimus. Plura de hoc argumento vide supra in alia Dominica.

Bapt. Egnat. in Nerone. *Regul. fus. disp. inter. 15. Simile.* *Exemplum* *Hom. de Anna, & Samuelis educatione Similia. 1.* *1. Reg. 3. 2.* *3.* *4. Nat. hist. l. 17. c. 14.* *5. In Moralibus.* *6.* *7.* *8.* *Hom. 60.* *9.* *Hom. 9. in 1. ad Tim.* *Ezech. 16.* *2. Esdr. 13.* *Do. 1. post Epip. tex. 3*

4. *Incipiebat enim mori.*

LOcus moralis contra pœnitentiæ aut emendationis vitæ dilatores vsque ad horam aut periculum mortis. Etsi enim Regulus iste rectissimè quidem fecit, quod audiens Christum venire, confestim eum adiret; quod pro filii sui salute apud eum intercederet, malis medendi artibus non vsus; quod filii sui eam curam habuit quam oportuit: tamen in hoc peccauit, quod extremum quasi vitæ periculum expectauit, nec prius ad Christi auxilium confugit, quàm puer eius *inciperet tam mori*, esset que morti proximus. Nam & propterea quandam Dei tentationem ad primum petitionis suæ verbum Christus ei obiecit;

Dilata pœnitentia vsque ad mortem.

Dilatio vsque ad mortem, tentatio periculosa.

dicens: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*, quasi diceret: Extremum expectasti filii periculum, vt à me impetrares in eo sanando miraculum. Est autem huius generis tentatio ipsi tentanti longè periculosissima, multas ob causas. Primum propter mortis incertitudinem. Idcirco enim incertam esse Deus voluit mortis horam, vt in omnem essemus parati horam, nec vlla resipiscendi expectaretur hora. Denique ne vel accelerata, vel nimium dilata esset nostra pœnitentia. Si enim statim se moriturum quis sciret, accelerata, magisque extorta quàm voluntaria, magis confusa quàm ordinata pœnitentia esset. Si certum, sed adhuc prolixum moriendi tempus sciretur, eousque innumeri differrent, seseque innumeris interea peccatis obruerent. Quare iuxta doctrinam S. Augustini: *Præueniendus est dies, qui præuenire consuecit.* Rursum, quia pœnitentia in illo articulo difficillima erit. Passiones tristes & melancholicæ multo magis animum impediunt & turbant, quàm delectabiles: quia tristitia cor exiccat & constringit, sicut lætitia dilatat. Nihil autē mortis imminentis aut apprehensione, aut coniunctis doloribus tristius. Bonis enim iuxta ac malis mortis expectatio aliquo modo tristis & metuenda est, vt non ineleganter olim respondit Aristippus clarus Philosophus. Cum naui vectus procellis impetentibus supra modum perturbaretur, quidam ex iis qui simul nauigabant, Nonne, inquit, etiam, tu metu percelleris, quemadmodum vulgus? At ille: Prorsus, ait, neque iniuria; vobis enim de vita scelerosa infælicique labor est, & præsens periculum; mihi vero de fælicitate atque beatitudine incumbit cura. Deinde pernicioſa hæc res est, quia Deo vehementer ingrata: *Iam enim te peccata dimittunt, non tu illa. Væ autem illis, qui tunc habuerunt terminum luxuriæ, quando vitæ.* Semei post multa maledicta, videns cum triumpho & victoria redeuntem Dauid, reconciliari suo Regi petiit: cui etsi ad præsens tempus veniam dedisse Dauid videretur, filio tamen Salomoni in mandatis dedit, vt non deduceret canos eius pacificè ad inferos. Qui venientem Christum ad iudicium (quod cuique in morte particulare fit) expectat vt tunc ei reconcilietur, vtcunque ei per claues Ecclesiæ in Christi nomine venia detur, à Christo tamen, qui cor & renes scrutatur, veráne an falsa, seria an ficta resipiscentia fuerit, duram sententiam accipere merito debet formidare. *Apud illum enim cordis interpretem* (ait Augustinus) *ars non admittetur ad salutem.* Porro & rara auis in terris est, pœnitentiæ donum in extremis. Vni latroni in cruce Christi id datum esse Scriptura commemorat. Sed vide quid ad hoc respondeat S. Augustinus: *Primum considerãdum in latrone illo, non solum crudelitatis compendium, sed deuotio; sed temporis illius, sub quo hæc agebatur, occasio, quo iustorum legitur titubasse perfectio. Deinde autem mihi fidem latronis ostende, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere.* Inter medios Christi hostes, & vbi Christus maximè vilipenditur, ita Christum confitere, vt latro in cruce, inter medios militum Romanorum gladios, & Iudęorum blasphemias, fecit, *Immittit diabolus securitatem, vt inferat perditionem, neque dinumerari possint, quantos hæc inanis spei vmbra deceperit.* Vide apud venerabilem Bedam terribile exemplum. Qui vsque ad morbi extremum pœnitere distulerat, vrgentibus fratribus vt vel in extremo id faceret, *Non est*, inquit, *mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipse videam iudicium meum esse completum.* Sapienter D. Augustinus: *Certiores sunt claues Ecclesiæ, quàm corda Regum. Et tamen nulla occasio prætermittitur, nullus labor subterfugitur, nullis impensis parcitur, vt, quod à Rege beneficium exspectamus, consequamur.*

1. *Mortis hora cur incerta.*

Ser. 120. de temp.

2.

Aelianus li. 9. var. hist.

3. *Ambros. ser. de pœnitentia.*

2. Reg. 19. 3. Reg. 2.

Ser. 120. de temp.

4. *Ibidem.*

1. 2. 3.

Hist. li. 5. c. 15.

Ho. 50. ex hom. 50. Psal. 61. Hieron. Oleaster ad ca. 30. Exodi. Statera mendax.

De istis procrastinatoribus dicit Propheta Regius: *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Mendaces sunt in stateris, quia alia statera, & alio pondere temporalia mensurant, quàm spiritualia, eoque leuiori. In veteri Lege duplex erat siclus, vnus sanctuarii proprius, alius communis. Ille ex auro purissimo; hic ex crassiori. Ille duplo plus valebat quàm alter. Illo taxabantur omnia quæ Deo consecrabantur in cultum aut sacrificium; hoc profana. Nos contra pondere sanctuarij, id est, duplo imò centuplo maiori, temporalia & profana pensamus; circa illa conquirenda nullum elabi tempus sinimus. Pondere vulgari & vili spiritualia, Dei cultum, & animæ nostræ salutem ponderamus; harum rerum curam ad vltimum vsque vitæ momentum protrahimus. Sed, ô Christiane, vbi est fides tua de Christo? dic obsecro. Credisne Christum tibi peccatorum gratiam facturum, veniam daturum? Cur ergo tam bono Redemptori ingratus es, vt porro offendere pergas? Credis eum tibi non parsurum vt iustum vindicem? Quanta ergo tua dementia est, illum Principem offendere, à quo nulla venia speratur! Latrociniis vitam qui agunt, varioque scelere ac maleficio eam contaminant, si pro comperto haberent, se à iudice comprehendendos, morteq; mulctandos, absq; vlla indulgentię spe, si in maleficio pergerent; vix eorum quisquam suæ vitæ prodigus sic esse vellet, vt maleficiũ maleficio addere, & ipsam comprehensionis horam expectare auderet, nisi qui ad impietatis fortè fastigium peruenisset. Sic qui ad vltimos vitæ dies resipiscentiam differunt, aut fide in Christum prorsus carere, aut in supremo impietatis gradu consistere conuincuntur. Plura de hoc argumento alibi diximus, quamuis non, vt putamus, eadem.

Simile.

Do. Sept. tex. 4. Do. 9. post Pẽt. tex. 4. Do. 15. post Pent. tex. 7

5. *Nisi*

A

5. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

LOcus moralis de curiositate & incredulitate acriter in homine iam credente reprehendenda, ac de ipsius reprehensionis fructu & vtilitate. In hoc enim hic Regulus redarguitur, quia cum esset nutritus inter Iudæos, & de Lege instructus, non per Scripturæ auctoritatem, sed per signa credere volebat, vtque signum videret, extremum filij periculum expectare. Communis ferè omnibus Iudæis hæc incredulitas fuit, quam & alibi Christus acerrimè taxat. Venientibus enim ad eum quibusdam de Scribis & Pharisæis, & dicentibus, *Magister, volumus à te signum videre, respondens ait illis: Generatio mala & adultera signũquærit.* Quæ verba iterum, eodem modo tentantibus eum Sadducæis, alias respondit. Malam & adulteram generationem vocat, quæ signa quærit, quia & malè fecit Deum tentando, & tale hoc malum fuit, vt animas suas non veras Dei per fidem sponsas, sed rerum caducarum adulteras amicas esse ostenderent. Quemadmodum enim vxor maritum suum verè amans, nulla cupit amoris mariti erga se extraordinaria signa videre, vt quasi in ignem, aut aquam se in vxoris gratiam coniiciat maritus; sed vero illo interno amore, quo ipsa maritum suum prosequitur, & communibus externis signis amoris mariti erga se contenta est: sic anima fidelis, quæ in fide & charitate Deo suo de-
B sponsatur, si verè talis est, tot in seipsa signa videt, amorem Dei tam sincerum & vehementẽ, tot quoque ipsius Dei in se amoris amplexus, tam frequentes supernas dulcedines, tot quotidie fauores, gratias, beneficia, pacem denique illam Dei sui, quæ exuperat omnem sensum, vt alia signa quærere, quæ vel fidem suam in Deum, vel charitatem Dei erga se confirment, non superuacaneum tantùm, sed & impium in primis esse existimet. Nam vt Deo soli adhærere, casti amoris argumentum; ita in rebus caducis signa exteriora quærere, animæ adulterantis est. Deinde, sicut veteres & pij Iudæi maiorum suorum signis, in deserto, in mari rubro, in monte Sina, in Iordanis transitu exhibitis, contenti erant, iuxta illud; *Interroga patres tuos, & dicent tibi:* sic Iudæi, docente Christo, omnésque hodie Christiani contenti esse debebant signis veteribus, vel ante Christi aduentum typicis, qualia Iudæos (maximè Scribas & Pharisæos, & principes populi, inter quos hic Regulus fuisse videtur) non ignorare par erat; vel ab ipso Christo præstitis, qualia nostræ fidei sufficiunt. Omnis ergo hęc curiositas, & incredulitatis atque à Deo fornicationis species, merito à Christo taxatur, siue in hoc Regulo, siue in astantibus, siue in vtrisque quorum corda ille vidit.

Curiositas & incredulitas.

Matth. 12.

Matth. 16.

Simile.

Exemplũ.

Deut. 32.

Christus sanaturus morbum filij corporalem, voluit priùs morbum patris spiritualem sanare. Præclarum enim medicamentum, oportuna & iusta reprehensio. Sicut pharmacum aliC quod aut medicina vlceri adhibita, principio quidem molestiam exhibere videtur, sed postea salutem parit: sic correctio iusta, quæ grauis initiò apparet, vtilis & salutaris postea inuenitur. Sicut medicus ex tactu pulsus, de ægroto iudicat, viuátne adhuc, & quã vitæ ac sanitatis recuperandæ spẽ gerat: sic tũ alij cupiditatũ ac voluptatũ pulsus, tum maximè ipsa reprehensio, mortificationis nostræ huic mũdo, & vitæ in Christo signa sunt certissima. Si enim cupiditatũ ac voluptatum motus, ipsáque reprehensio nullum in nobis sensum habent, nihil nos mouẽt, nihil perturbant, nihil pacem nostram cum Deo inquietant; certum indicium est, nos soli Christo viuere, mundo autem, eiúsq; honori (quem reprehensio violat) cupiditati ac voluptati mortuos esse. Heli Sacerdos grauissimè per verba Dei puero Samueli reuelata, eique à Samuele communicata reprehensus, hoc solum humiliter respondit: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Dauid à Nathan Propheta adulterij atque homicidij nomine obiurgatus, vnum verbum retulit: *Peccaui.* Quum Esaias Propheta Ezechiam Regem de ostensis thesauris reprehenderet, Deique acerbam comminationem ei declararet, respondit: *Bonus sermo Domini, quem locutus es.* Sic & noster Regulus, accepta hac Christi non beneuola responsione, sed acri reprehẽsione, nihil turbatus, pergit humiliter in sua petitione, dicens: *Domine, descende, priusquã moriatur filius meus.* Nouerat quippe non asperitatis, sed admonitionis & doctrinæ illa verba fuisse. Fructus odoriferus, licet densis & asperis frondibus contegatur, ipse per se odorem, quem è se emittit, manifestat: sic reprehensio salutaris, etsi sub verbis aspera videatur, gratum tamen odorem spirat. Sicut caput vertigine laborans, vitta colligari expedit; sic animum curiosum quadam vertigine laborantem, vinculo salutaris doctrinæ constringi, &, ne latiùs diuagetur, reprimi oportet.

Reprehẽsio medicamentum.

Similia.

1.

2.

Exempla

1. Reg. 3.

2. Reg. 12.

4. Reg. 20.

Ioan. 4.

Similia.

1.

D

6. *Domine, descende priusquam moriatur filius meus.*

LOcus moralis de perseuerantia in oratione. Regulus enim iste, etsi ad primam petitionem non solùm non exauditus, verùm etiam taxatus à Christo ac reprehensus fuerit, humiliter tamen atque constanter perseuerat pulsans, pro salute filij iterum atque iterum supplicãs. De perseuerantiæ virtute in genere, atque etiam respectu orationis ac precum, iam in aliis Dominicis aliquoties diximus. Hic tamen paucula addentur, prout Deus dabit. Admiranda est

Perseuerantia in oratione.

Dñ. 13. post Pent. tex. 6 & alijs ibi annotatis.

Lucæ 18. hac in parte Christi parabola, qua dicit: *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in illa ciuitate, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se. Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam; ne in nouissimo veniens, suggillet me. Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit.* Docet hæc admirabilis parabola, in qua piissimus & clementissimus Deus se cum iniquo iudice, nec Deum, nec homines timente, comparare voluit, vt nostram tarditatem excitaret; docet, inquam, eos, qui diuinæ misericordiæ diffisi, in oratione non perseuerant, reputare Deum pro iniquissimo iudice, ac arbitro rerũ humanarum, adeoque hoc iniquissimo homine deteriorem: quo blasphemum magis cogitari nihil potest. Docet ergo, insigniter eos Deum blasphemare, qui vtcunque repulsam ad tempus passi, in oratione tamen non perseuerant. Mollius est, sed non minus ad persuadendum efficax, quod in alia parabola proponit Christus, dicens; *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte* (id est, in quauis necessitate) *& dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes; &c. & ille de intus respondeat: Noli mihi molestus esse. Iam pueri mei mecum sunt, & ostium clausum, non possum surgere, & dare tibi. Etsi ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Hic amicus noster Deus est, dicente Christo: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Si per impossibile propter amicitiam Deus suos non audiret; tamen, ne quouis vulgari amico deterior videatur, perseueranti dabit, quia perseuerat. Sic perseuerantiæ virtutem commendare Christus voluit, vt eius vim maiorem esse doceret, quàm est amicitiæ Dei erga dilectos & electos suos, quæ tamen haud dubiè est longè maxima. Sic rursus nostram tarditatem excitat, & alia quasi hyperbolica narratione ad feruorem & studium orandi pertinax adhortatur. Rectè Petrus Rauennas super hanc parabolam: *O quàm dare vult, qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! O quàm pulsanti iste gestiuit occurrere, qui secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam! O quàm negare noluit, qui etiam deneganti, qualiter extorqueretur, ostendit! O quàm non ad ianuam Dominus tantùm, sed ipsa ianua Dominus fuit, qui dormientibus seruis, pulsantis necessitatem solus & primus audiuit! O quàm pius, quàm misericors, qui, quod mandatis docet, probat & informat exemplis!* Hæc ille. Quemadmodum fumus ex modica flamma suscitatus, citò langueſcit, citò euanescit, nec altè conscendere valet: sic oratio ex modico spiritus feruore emissa, quæquè semel facta statim se remittit, languida est, ad Deum non ascendit, impetrandi viribus caret. Sicut stellæ, quamuis circa cæli cardinem & axem moueantur, ipse tamẽ cardo nullatenus à sua quiete perturbatur; semper immobilis persistit sic, quamuis pars sensualis, mũdus, diabolus, vt orationem abrumpant, mentem modis omnibus exagitant atque solicitant, ipsa tamen ad finem vsque immota in oratione permanebit. Luctabatur Iacob cum Angelo vsq; manè: cui cum diceret, *Dimitte me;* respondit Iacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco.* Sic tu Dominum non dimittas, donec petitionem tuam adimpleat. Id fecit sponsa in Canticis dicens: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ.* Hoc considerans mulier illa Sunamitis, pedes Elisæi Prophetæ apprehendit, nec dimisit eum, donec filium eius suscitauit. Vt arbores & herbæ in mundo crescerent, fecit Deus primò aridam, dicens: *Appareat arida.* Sine siccitate aliqua patientia tua non crescet, oratio tua non fructificabit. Quanti Deus in hac siccitate perseuerantiam faciat, ostendit Deus in Ieremia, vbi ait: *Recordatus sum tui, quoniam sequuta es me in deserto.* Quasi diceret: Seruiebas mihi, nulla diu accepta consolatione; & in tempore siccitatis ac laboris perseuerasti. Ideo in memoria mea te scripsi, & dignam tibi retributionem suo tempore rependam. Sic illos Deus superabundanter exaudit, qui in oratione patientiam habent, ac perseuerantiam tenent.

Lucæ 11.

Similia.

Genes. 32.

Cant. 3.

4. Reg. 4.

Genesis 1.

Ierem. 2.

7. *Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & abijt.*

Gratitudo animi.

LOcus moralis de gratitudine animi, pro accepto à Deo beneficio. Vbi primùm Christus Regulo in oratione perseueranti dixit, *Vade, filius tuus viuit*: absque vlla mora credidit, abijt, & (vt in sequentibus patet) totam domum suam ad Christi fidem conuertit. Sic enim concludit Euangelium: *Et credidit ipse, & domus eius tota.* Multi vix plurimis à Deo acceptis beneficijs & gratijs, ei tamen obediunt, in eum credunt, eius voluntatem faciunt. Hic, vnica Christi voce audita, vno accepto sanati filij beneficio, credit ipse, & suos omnes ad fidem trahit. Sic de hoc Regulo Cyrillus: *Christo filij sanitatem attribuens, cum vniuersa domo saluatur, feruentiorẽ iam fidem agendarum gratiarum afferens loco.* De incredulis Iudæis dicit Euangelista: *Et cùm tanta signa feciſſet inter eos, non credebant ei.* Pharaonem quot signa flectere non potuerint, Exodi historia describit. Ieroboam à Deo rebellans, & primum altare schismaticum erigens, tria simul à Deo indignationis suæ signa accepit, nec quicquam tamen emendatur. *Missus vir Dei de Iuda in Bethel, Ieroboam stante super altare & thus iaciente, exclamauit contra altare, & ait: Altare, Altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet: Dedit quoque in illa die signum, dicens: Hoc erit signũ quod locutus est Dominus: Altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est. Cumque audisset Rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare, extendit manum suam de altari, dicẽs: Apprehendite eũ. Et exaruit manus*

In Ioan. l. 2 cap. 121.

Ioan. 12.

Cap. 7. & seq.

3. Reg. 13.

A *manus eius quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est: & effusus est cinis de altari, iuxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. Et ait Rex ad virum Dei. Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus Regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat.* Tria hic euidentia fuerunt signa: Altare sciſſum; manus Regis arefacta; eademque orãte Propheta ſanata. Nihil tamen hæc omnia impium Regem mouerunt, vt à ſacrilegis altaribus abſtineret. Vicit amor regni, & dominandi immenſa cupido. Ne enim filij Iſraël in Hieroſolymam aſcenderent ad ſacrificandum, vnde regnum Iuda roborandum, ſuum verò imminuendum verebatur, voluit omnino in ſchiſmate ſacrilego perſiſtere. Sic hodie nihil Elizabethã hæreticam Angliæ Reginam mouerunt varia de cœlo ſigna. Nobiliſſimæ pyramidis templi diui Pauli Londinenſis, toto regno celeberrimi, è cœlo media die tactæ ad cineres vſque aduſtio, templo ipſo ſaluo, ſola excepta menſa miniſteriali, quàm altaris Catholici loco de nouo (vt ſuum fecit altare Ieroboam) extruxerãt, in cineres quoque redacta: quod totum in ipſa vigilia Venerabilis Sacramenti (quem illi nunc diem pro prophano habent) fieri Deus voluit. Terræ quoque aliquot iugera loco mota, cum arboribus in diuerſum actis, viáque publica adiacente ita conuerſa, vt quod Orientem prius ſpectabat, nunc Occidentẽ ſolem aſpiciat, & è diuerſo, vaſto interim & horrendo hiatu relicto. Vna quoque ex pediſſequis eius nobilibus, ipſa audiente & vidente, horrendis ſpectris conterrita, ſe propter hæreſim & impudicitiã certò damnatã horribiliter eiulans, & animã eiulando exhalans.

Ieroboę ingratitudo.

B Nihil quoque Henricum tertium, Francorum Regem, vt fidus Eccleſiæ Catholicæ filius permaneret, mouere potuit miraculoſa planè Germanorum militum quadraginta millium, manu & copijs vix octo millium Catholicorum adepta victoria, fuſis, fugatiſque, & internecioni datis hoſtibus, nihil, inquã commouere potuit, quo minus tantæ támque celebris, & orthodoxæ religioni tam oportunæ, tam ſalutaris victoriæ Ducem nobiliſſimum, ac principem generoſiſſimum, Henricum Guiſiæ Ducem, alterum noſtræ ætatis Iudã Machabæum, paruo pòſt tempore, in ſuo ipſius cubiculo, penéque ſua manu derepentè aggreſſus, barbarè & crudeliter interficeret: nec in eum tantùm, ſed in totã nobiliſſimam familiam atrociter ſæuiret, Cardinalem fratrem eodem tempore ſacrilegè occidens, & ad tertium fratrem, Ducem Mainenſem, occidendum, percuſſorem mittens. Sic Pharaones & Ieroboas nouos hæc ætas vidit. Certè Nabuchodonozor, etſi idolorum cultor; Danielem tamen à leonum faucibus ereptum videns, publico edicto ſanxit, vt Danielis Deum omnes venerarentur. Porrò Eleſbaã Æthiopum Rex Chriſtianus, obtenta nobiliſſima victoria contra Dunaam Iudæum, & grauiſſimum Chriſtianorum perſecutorem, vt ſe Deo gratum oſtenderet, *Quum* (inquit) *nihil maius habeam, regnum hodie meum & ſceptrum propter amorem tuum depono, ſolitariam poſthac & monaſticam vitam acturus.* Quo dicto, monachali habitu ſumpto, in eo per totam vitam patienter & humiliter perſeuerauerit. De hoc argumento in alijs Dominicis.

Anno 1587

Anno 1588

Daniel. 2. Nicephor. lib. 17. c. 6. Dõ. 13. post Pent. tex. 5 & alijs illic annotatis.

C

8. *Et credidit ipſe, & domus eius tota.*

LOcus moralis, exempla dominorum plurimum apud ſubditos ſeu in bonum, ſeu in malum valere. Hic Regulus Chriſti miraculo ac beneficio ſic incitatus eſt, vt non crederet ipſe tãtum, ſed & domus eius tota, eius profecto ſanis monitis, auctoritate, exemplo commota. Non ſatis habuit animam ſuam ſaluã facere; quin & totam familiam eius beneficij participem fieri voluit. Sic dominorum exempla imitari ſerui ac ſubditi ſolent. In veteri Scriptura legitur: *Arripuit Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum. Quod cũ vidiſſet armiger eius, videlicet quòd mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* In Euangelio, quum Herodes illudere Chriſto vellet, totus exercitus eius eum mox imitatur. *Spreuit eum cum exercitu ſuo* (ait D. Lucas) *& illuſit indutum veſte alba.* Ex hac imitatione dominorum, ipſa in mundo idololatria nata eſt. Sic enim Sapiens: *Acerbo luctu dolens pater, rapti citò ſibi filij fecit imaginem; & illum qui tum quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde, interueniente tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorũ imperio colebantur figmenta.* Sic orta eſt idololatria ſeruorum & populorum, quum id illi colerent & venerarentur, quod à dominis ſuis ac principibus coli atque in veneratione haberi cernerẽt. In Numerorum libro legimus. *Factum eſt grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non morerẽtur.* Pro magno miraculo habuit Scriptura, quòd paternã impietatem ac rebellionem contra Deum

Exempla maiorum.

1. Reg. vlt.

Lucæ 23.

Sap. 14.

Num. 16.

D filij non eſſent imitati. Quotquot enim criminis participes erant, cum Core & ſocijs perierunt. Monet Sapiens: *Ne pecces in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum*, id, vt principum ciuitatis peccata non imiteris. Sicut infirmæ arbores, quæ per ſe in altum erigi nequeunt, vt vitis, hædera, & quædam legumina, nexibus quibuſdam ad hoc à natura datis finitimas arbores prehẽdunt, atque illarum adminiculo fulciuntur, ſeſeque in ſublime erigunt: ſic homines, natura paruuli, vt ſerui, ſubditi, idiotæ, quum per ſe nihil ſciant, aliorum in omnibus quos ſe ſublimiores vident, quibuſque inniti coguntur, ductum & exempla ſequuntur. Caueant domini ac prælati quilibet, ne canerorum more retrò ambulantes, paruulos ſuos fruſtra & incaſſum doceãt recto greſſu progredi & ambulare. Quem enim illi ambulandi curſum tenent, ſeu retrò labantur, &

Eccli 7.

Similia.

deficiendo retrocedant, seu ea, quæ retrò sunt, obliuiscentes, ad anteriora proficiendo se extẽ- A
dant, seu ad dexteram, seu ad siniſtram declinent, eundem paruuli & ſubditi ſui tenebunt.
Quod Ioab, introducta Thecuitide, apud Regem agit de reducendo Abſalon, non id alia ex
2. Reg. 14. causa fecit, quàm vt ipſius Regis voluntati ſuam conformaret. Ait enim Scriptura: *Intelligens*
Exempla. *Ioab quod cor Regis verſum eſſet ad Abſalon, mittit Thecuam*, &c. Quum diues ille epulo inhumanus, &
Lucæ 16. crudelis in Lazarum eſſet, itidem & tota familia fecit, nec ſecus in eum affecta fuit. *Cupiebat enim*
Eccli 10. *mendicus ille ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo* (ex tota familia) *illi dabat.* Bene
Similia. dixit Sapiens: *Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam: ſecundùm iudicem populi, ſic & miniſtri*
eius. Albinus & Florus tyrannidem grauem in Iudæos exercebant, ſimiles Neroni domino
ſuo. Columbæ ſæpe viſa vna auolante, ſtatim ſequuntur omnes. Pullus generoſus in equorum
armento exiliens, ſecum rapit omne armentum. Arietem grex omnis ſequitur, & tam per auia,
ac deſerta, quàm per viam publicam comitatur. Sic inter homines fieri ſolet, animal maximè
Plutarc. in ſociale, & ad morum communicationem procliue. Eryngium herbam ſi vni capræ in os inſe-
Moral. ras, cum ipſa ſiſtitur, tum omnes conſiſtunt, donec paſtor herbam exprimat. Ita principis mo-
res mira vi in populum transfunduntur. Quum Dionyſius philoſophiæ operam dare Platone
magiſtro vellet, tota regia puluere fuit referta præ turba geometricas pingentium figuras. Eo-
dem ad ſua pocula & voluptates redeunte, vitæ mollicies vniuerſos occupauit. *Iulianus Impe-*
Socrat. hiſt *rator ſe cultorem philoſophiæ profeſſus, omnes id genus homines ad palatium attraxit.* Sicut qui ſe comunt, B
Eccleſ. lib. adhibent ſpeculum; ſic geſturus negotium, proponit ſibi magnorum virorum exempla. Abra-
3. cap. 1. ham hoſpitalis & liberalis, famulum quoque habuit, qui celeriter ad gregem curreret, & vitu-
Exempla. lũ occideret, quem & Sara vxor celeriter coxit. Loth nutritus in domo Abrahæ, hoſpitalis quo-
Geneſis 18. que & miſericors fuit, quòd eum ex incendio Sodomæ liberauit. Contrà Abſalon, qui erat im-
2. Reg. 13. pius, ferox, rebellis, famulos habuit ſimilis farinæ, qui ad eius nutum, Amnon, fratrem domini
ſui, in ipſo conuiuio nefariè interficerent. Hæc res adeò valet, vt etiam corporum notas; motus
Plutarc. in ac geſtus imitari in dominis ſubditi geſtiant. Perſæ pulchrum eſſe exiſtimabant naſo adũco eſſe,
polit. & in quia Cyrus, eorum Rex, talem habebat. Platonis contractos humeros familiares eius exprime-
lib. de diſ- bant. Ariſtotelis gibbum diſcipuli eius pulchritudinis loco ducebant. Caueant igitur in primis
crim. adul. & amic. domini, quæ morum exempla ſeruis & ſubditis ſuis præbeant. De hoc quoque argumento iam
Domin. 15. in alijs Dominicis diximus, quæ huc referri poſſunt.
poſt Pent.
text. 1. C

EVANGELIVM DOMINICÆ XXI.

POST PENTECOSTEN.

Matth. 18. SIMILE eſt regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, D
dicens: Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum: dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde, & venerunt, & narrauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

PERICOPE

A

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* De ingenti debito peccatorum.
2. *Iussit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat & reddi.* De statu hominis peccatoris longè miserrimo.
3. *Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* De perfecta peccatoris cum Deo reconciliatione.
4. *Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* De misericordia Dei petentibus eum promptissima.
5. *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes, &c.* Contra inhumanitatem, duritiem cordis, & rigorem erga proximos.
6. *Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & narrauerunt domino suo quæ facta sunt.* De zelo iustorum contra impios.
7. *Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Contra recidiuantium & contra proximos inclementium ingratitudinem.

B 8. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* De fraterna charitate sincera & cordiali perpetuò tenenda.

1. *Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.*

LOcus moralis de ingenti debito peccatorum. Hic enim vnus qui debebat decem millia talenta, est quilibet peccator, mortalis peccati cõscius. Peccata enim, debita nostra sunt, pro quibus dimittendis in oratione Dominica Deum oramus, non quidem ipsius culpæ aut neglectæ obedientiæ nostræ, quasi illa Deo deberetur; sed ipsius pœnæ, quæ culpæ & neglectæ obedientiæ debetur. Debemus certè Deo omnem obedientiam & donorum ac gratiarũ ab eo acceptarum bonum vsum: quæ duo qui non præstat debitum contrahit omnium pœnarum, quæ illi inobedientiæ & negligentiæ debentur. Quemadmodum enim in contractibus humanis ex ratione iustitiæ, qui pecuniam mutuò acceptam sua culpa non persoluit, vt corpore luat, carcerique mancipetur, cogi potest, & debitor est illius pœnæ exoluendæ; vt creditori iustè satisfiat, si non in pecunia reddenda, saltem in aliqua corporis pœna: eodem modo ex ratione iustitiæ diuinæ, qui Dei voluntatem obediendo non facit, eiusdem voluntati pœnas subeũdo subiicitur; & qui debitum obedientiæ non persoluit, debitum pœnæ luit. Sic in hoc Euangelio dicitur: *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Et in alio Euangelio: *Non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem.* Sic de illis octodecim, super quos cecidit turris Siloë, dixit Christus: *Putatis quia ipsi debitores fuerint super omnes homines?* scilicet pœnarum quas sustinuerunt. Peccata tamen ipsa debita nuncupantur per notam Synecdoches figuram, qua causa pro effectu ponitur. Causa enim huius debiti, peccata sunt. *Quæ sunt debita nostra?* (ait Chrysostomus) *Quid debemus Deo, nisi imaginem & similitudinem eius seruare illæsam? Sunt alia debita quæ debemus Deo. Peccauimus illi grauiter, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.* Hæc ille. Duo statuit debitorum genera: similitudinem Dei violatam, & peccata: id est, dona Dei malè collocata, & alia à nobis malè perpetrata. Duplex est iustitia: *declinare à malo*, seu non violare mandata, quæ ad Dei in nobis similitudinem (hoc est, duplicem charitatem) conseruandam data sunt: *& facere bonum*, seu benè vti gratijs, donis, muneribus, talentis à Deo nobis concessis. Debet quippe mille talẽta, qui mille Dei donis abusus est. Dedit homini Deus talenta naturalia & supernaturalia. Primum dedit se Deus homini, vt etiam in operibus naturalibus Deum cooperatorem semper habeat. Dedit Deus homini mundum, *constituens eum super omnia opera manuum suarum.* Dedit homini, quicquid est in homine, animam, corpus, potentias, facultates, ac sensus cuiusq; omnes. Dedit cuilibet singulares naturæ dotes, quibus alij non valent, aut non ita valent, ingenij acumen, memoriæ vim, prudentiæ grauitatem, robur, pulchritudinem, canendi, pingendi, scalpendi artes. Dedit omnia, quæ vocantur fortunæ bona, sanitatem, honores, diuitias, amicos, & id genus alia. Atque hæc quidem naturalia sunt talenta: maiora & excellentiora sunt supernatu-

D ralia. Dedit vocatis sanctis, renatis in Christo, populo suo electo, primò, Filium suum, cum omnibus donis, vt alibi dictum est. Dedit Ecclesiam, nouum quendam mundum, cum suis nõ elementis, sed Sacramẽtis; non animalibus, plantis, arboribus, sed Scripturis sacris, Apostolis, Prophetis, Pastoribus, Doctoribus, cum ceremonijs, cultu, & religione vniuersa. Dedit nouum hominem interiorem, cũ gratia speciali & habituali, fide, spe, charitate, aliisque donis infusis. Dedit specialia quædam charismata, & gratias gratis datas, quas enumerat Apostolus, secundum diuisionem ministrationum in vno Spiritu cuilibet datas. Sed & præter hæc omnia singulares vnicuique & infinitas inspirationes bonas, misericordias magnas, auxilia & media extraordinaria, quibus à peccato vel conseruentur, vel liberentur, & ad bonum promoueantur. His totac tãtis

Peccati debitum.

Luc. 12.

Luc. 13.

Hom. 9. ex varijs in Mat. locis

Psalm. 36.

Talenta Dei homini data.

1.
2.
Psal. 8.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
Rom. 12.
1. Cor. 12.

talentis qui abutitur, qui ingratus est, qui ea dissipauit luxuriosè, facilè multorum talentorum A
Psal. 124. debitor fiet. Dicit Scriptura: *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Dicit eos qui debitores sunt gratiarum Dei, qui malè vtendo donis acceptis, obligationem con-
Matth. 25. traxerunt & debitũ, pariter cum illis qui scelera perpetrarunt, à Deo puniendos. Nam & *seruus inutilis, seruus piger, proȳcitur in tenebras exteriores.* Deinde si ab altera parte numerentur nõ omissa bona, sed cõmissa mala, cupiditates, cogitationes malæ, & illicita cordis desideria; oris & linguæ tot delicta, mẽdacia, detractiones, iuramẽta, illicita, aut temeraria, cõuitia, scurrilitates, blasphemiæ; opera verò & maleficia innumera: impij homines mille debita facilè inuenient. *Si consideremus peccata nostra* (ait S. Augustinus) *& numeremus quid facto* peccatum, *quid oculo, quid aure, quid co-*
Ser. 15. de ver. Dom. *gitatione, quid innumerabilibus motibus, nescio vtrùm dormiamus sine talento.* Hæc ille. Vox impiorũ hæc
Eccles. 2. est: *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis; neque prohibui cor meum, quin omni voluptate frue-*
Sap. 2. *retur.* Et illa adhuc magis: *Venite, fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporum. Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Vbique relinquamus signa lætitiæ,* & cætera quæ sequuntur. Huiusmodi homines decem millia talenta citò debebunt, & cum pœnitente Manasse dicere possunt: *Pecca-*
2. Paral. vlt. *ui super numerum arenæ maris.*

Quanquam & quodlibet mortale peccatum in se, si singulæ eius circunstantiæ expendãtur, vt Dei offensi infinita maiestas, potentia, bonitas; hominis peccantis infima vilitas, ingrati- B
tudo, temeritas, causa peccandi prorsus tenuissima (quæ alio in loco explicata sunt) in quolibet profectò multa debitorum talenta inuenientur. Vt clarius populo aperias, quot & quantis modis quotidie in Deum peccatur, & (vt ait D. Iacobus) *in multis offendimus omnes*, repete quæ habet D. Augustinus in suis Meditationibus, cap. 1. & 4. De ipsa peccati grauitate, enormitate, turpitudine, iam in alijs Dominicis semel atque iterum diximus, quæ huc ex magna parte referri
Dominica Quinquag. text. 5. Dom. Pass. text. 1. possunt, vt, quantos nos Deo debitores peccatum constituat, plenius intelligatur. Sed & qui sequitur locus, hoc ipsum nonnihil illustrabit.

2. *Iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.*

Dõ. 9. post Pent. tex. 1 Dõ. 10. post Pent. tex. 6 & Dom. 11 post Pent. text. 2. & 6. Peccatoris status miserrimus. Rom. 1. Rom. 7. 2. Tim. 2. Ioan. 8. Eccli 18. Prouer. 1. Galat. 6. Matth. 13. Exempla 1. Reg. 16. & 18. Actor. 13. In Cõment. Dõ. 10. post Pent. tex. 4 Dõ. 11. post Pent. tex. 1 Dõ. 5. post Epiphan. text. 9. Peccati status cur non timetur. Simile. Exemplũ. 3. Reg. 21. Allegoria. Esaiæ 42. Peccatores seipsos vendunt diabolo. Esa. 50.

LOcus moralis de statu hominis peccatoris longè miserrimo. Quod enim hic dicitur, eum, C
qui tot millia talentorum domino suo debebat, venundari, nec ipsum tantum, sed & omnia quæ habuit, vt debitum reddatur, dominóque satisfiat; significat, hominem peccatorem, impium, scelerosum, in pœnam tot scelerum à Deo reprobari, sibi ipsi relinqui, *tradi in reprobum sensum, venũdari sub suo peccato, captiuum à diabolo teneri ad voluntatem eius, vt desideria patris sui diaboli* (non enim amplius Deum Patrem habet) *faciat; vt eat post concupiscentias suas* quibus nupsit, sicut anima iusti Deo nubit, & sponsa Dei est; vt *comedat fructus operum suorum*, quæ sunt proles eius, *& ea metat, quæ seminauit*; vt denique omnia quæ habet, omnia accepta à Deo talenta, *ab eo auferantur, & ei, qui plura habuit, conferantur*: quia quicquid decrescit impijs, accrescit iustis; & gratiæ quibus impij abutuntur, aliis conferuntur; vt quia donis Dei abusus est Saul, electus est Dauid, in quem & spiritus eius & regnum transferrentur: & Iudæis *repellentibus verbum Dei, conuersi sunt Apostoli ad Gentes*. Sunt quippe peccatorum pœnæ, non solùm flagella in hac vita, & gehennæ tormenta in altera, verùm etiam ipsa peccata, ipsa priuatio gratiæ, ipsa cœcitas cordis, totiúsque hominis derelictio, qua nulla grauior esse pœna potest. His pœnis, diuinæ iustitiæ satisfit. Rursum venundatur peccator, & omnia simul quæ habet, non opera tantum, sed & corpus & anima, quum dæmonibus in æternum possidendus traditur, qui de illo pœnas sempiternas sumant, vt hunc locum exponit Anselmus. De statu animæ absque Dei gratia in hac vita, & de pœnis damnatorum in altera, iam in alijs Dominicis tractauimus, quæ huc conferri pote- D
runt.

Quem ista non mouent, maximo in periculo versatur. Quemadmodum animalia, quę angustas venas habent, ex veneno non facilè pereunt, quoniam virus ad cor facilè fluere ac penetrare nequit; quæ autem venas amplas sortita sunt, celeriùs veneno extinguuntur: sic qui conscientiam angustam ex timore Dei & iustitiæ eius habent, difficulter venenũ peccati in cor admittunt, aut ad voluntatis consensum penetrare sinunt; quibus verò larga conscientia est, nullo timore constricta, in omne libitum fluens, & post concupiscentias suas currens, quolibet peccati veneno moriuntur, cuilibet tentationi consensum præbent, quodlibet animo scelus admittunt. Talis erat impius ille Achab, de quo dicitur: *Venundatus erat, vt faceret malum in conspectu Domini*: id est, datus est in reprobum sensum, nulla peccati conscientia tactus. *Concitauit enim eum Iesabel vxor sua, & abominabilis factus est.* Iesabel nostra, caro nostra est: cui qui morem gerit, abominabilis fit. De hoc peccatorum genere Esaias: *Qui cæcus, nisi qui venundatus est?* id est, qui à Deo derelictus, sibique traditus est, vt quouis voluptatis pretio animam suam vendat. Denique quod ingratæ, & rebelli, & incredulæ, ac duræ ceruicis synagogæ apud eundem Prophetam dicitur, cuilibet flagitioso peccatori conuenit: *Quis est hic liber repudij matris vestræ* (id est, Synagogę) *quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris vẽditi*

estis;

A *estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestrã*. Sic enim quilibet peccator mortifero quouis peccato seipsum dæmoni vendit, & quidem interdum manifesto intercedente pacto, vt de illo Theophilo, Antiochenæ Ecclesiæ œconomo, scribitur, qui vt ad dignitatem, vnde deiectus fuerat, restitueretur, pactum cum diabolo fecit, seipsum ei totum tradens, abiurato Christo: quales desperatissimos homines hæc ætas multos tulit. Sed omnes peccatores, etsi non expresso, vero tamen, & certo pacto, ipsi peccato, & instigatori eius diabolo, se vendunt. *An nescitis* (inquit Paulus) *quòd, cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis?* Omnibus peccatoribus libellum repudij dat Deus, vt alteri venundentur. *Dimisi eos secundũ desideria cordis sui: ibunt in adinuentionibus suis*. De impijs illis Iudeis, qui sub Antiocho *fecerunt sibi præputia, recesserũt à Testamento sancto, & tuncti sunt nationibus*, addit Scriptura: *Et venundati sunt vt facerent malum*. Tales sunt impij Christiani omnium temporum, sed maximè Politici & hæretici horum temporum.

Invitacius apud Sur.

Rom. 6. Psalm. 80. Exemplũ. 1. Mach. 1.

Sed ad hos, sic in peccatis suis venundatos, vide quid dicat Deus sub persona Regis Pharaonis: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, Meus est fluuius, & ego feci memetipsum. Et ponam frænum in maxillis tuis, & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & extrahã te de medio fluminum tuorum, & proiciã te in desertũ, & omnes pisces fluminis tui: bestijs terræ, & volatilibus cœli dedi te ad deuorandum*. Quilibet impius, sutanquam in summo bono suo, tanquam in delicijs & fælicitate sua, quam sibi ipsi sua industria
B perbus, auarus, carnalis, cubans & requiescens in medio voluptatum suarum, gloriatur in illis, comparasse, seu honores, seu diuitias, seu ventris satiendi media, & eorum quæ infra ventrem sunt, iactitat. Sed vide quid huiusmodi dicat Deus: *Ponam frænum in maxillis tuis*: quia vt equus coercetur fræno, ita tu eris constrictus calamitate, & in gyrum rationis ductus, vt miseriã tuam ac teipsum cognoscas. *Agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis*. Quemadmodum enim extracto è fluuio aliquo magno pisce, extrahuntur simul cum eo alij minores ei adhærentes; sic vnà cum anima peccatrice, *vxor, & liberi, & omnia quæ habet*, vt nostrum hic dicit Euangelium, id est, corpus ipsum, opera eius, & quæcunque ad eum pertinent, extrahentur è flumine, tollentur ex hac vita & cursu peccati, iuxta id quod sequitur, *& extraham te de medio fluminum tuorum*, id est, auferam te de medio voluptatum tuarum in quibus gloriaris, *& proiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui*: te, tuáque omnia in barathrum conijciam, *vnde non exibis, donec solueris nouissimum quadrantem. Bestijs terræ, & volatilibus cœli dedi te ad deuorandũ*. Dæmonibus tradidi te torquendum: qui & crudelitate bestias terræ, & superbia atque elatione volucres cœli superant. Tremenda, sed vera & certa est hæc Dei sententia contra impios.

Ezech. 29. Peccatorũ obstinatorũ pœna.

Simile.

Quo in loco iterum atque iterum considera, quotiescunque lethali peccato Deum offen-
C disti, hanc totam sententiam à iusto iudice certissimè accepisti: quæ an postmodum per bonam pœnitentiam commutata fuerit, certum habere non potuisti. Hinc illa in Scripturis vox: *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Et iterum: *Qui diligit Dominum*, id est, qui iam in statu gratiæ se esse confidit, *exorabit Dominum pro peccatis* (etiam præteritis) *& continebit se ab illis*, in futurum. Sic D. Augustinus, *etiam laudatos Christianos atque sacerdotes absque digna & cõpetenti pœnitentia exire de corpore non debere*, dicere cõsueuerat: & ipse in postrema sua ægritudine, Psalmos Dauidicos, qui sunt de pœnitentia, iussit sibi scribi, *ipsosque quaterniones, iacens in lecto, contra parietem positos, diebus sua infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter ac vbertim flebat*. De Agathone inter Ægypti Patres celeberrimo, memoriæ proditum est, in extremo vitæ agone constitutum, magno timore cœpisse cõstringi; & causam à discipulis rogatum respondisse: *Longè alia sunt filij iudicia hominum, & iudicia Dei. Est enim via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt in infernum*. Si sic iusti & sancti timẽt, quanta eorum temeritas, qui vel sceleratè, vel certè dissolutæ, vel omnino tepidè ac negligenter viuentes, nihil aut parum timent!

Timenda Dei iudicia

Eccli 5. & 3

Possidon. in vita S. Aug. c. 31.

Granat. conc. 1. in hanc Dom.

A periculo peccati in hac vita, quando à Deo quis deseritur; & à pœna peccati in altera vita, quando à Deo iudicatur, perpetuò timendum est. Sicuti virgo illa, quæ inter lasciuos & im-
D pudicos adolescentes vitam agens, à cuius latere quidam eius frater, quem illa tenerè diligeret, nunquam discedens, eam continuò ad turpia solicitaret, maximo haud dubiè in discrimine virginitatis amittendæ versaretur: sic omnino anima nostra, quàm diu in hoc mundo, *qui totus in maligno positus est*, versatur, carnémque circumfert, quam non amare non potest: (*nemo enim carnem suam odio habet, sed fouet & diligit illam*) quæ eum ad malum assiduè solicitat, *concupiscẽs aduersus spiritum, & repugnans legimentis nostræ*, in maximo haud dubiè periculo versatur, ne à Christo excidat, *cui desponsata est, quasi vni viro*, florémque & gratiam virginitatis subinde amittat; quo facto, vtraque extremas & æternas pœnas luat, simul venundatæ, donec reddant quod debẽt. De qua etiam iusta Dei sententia sic alius Propheta: *Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinas vorabit, & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur in superbia fumi. Vir fratri suo non parcet; vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Manasses, Ephraim, & Ephraim Manassen*. Ad summum creuit impietas, factus est amplus fomes ignis æterni, multi vepres, multæ spinæ peccatorum creuerunt, & longo peccandi vsu aruerunt, ad ignem concipiendum idoneæ. Factus est quasi saltus & sylua densa flagitiorum. Totum in fumum abibit. Corpus animam, anima corpus affliget, scelus sceleri pœnas dabit. Corpus animæ appetitum & consensum, anima corporis ministerium accusabit, & accusando crudeliter vexabit. Superbia inuidiæ, inuidia superbiæ; vtráque auaritiæ, &

Peccati pericula & pœnæ timenda. Simile.

1. Ioan. 5. Ephes. 5. Galat. 5. 2. Cor. 11.

Esaiæ 9.

auaritia vtrisque perpetrata scelera imputabit. Sic vxor & filij, caro & opera, & omnia quæ habet miser peccator, in pœnam & tormentum venundantur. Hic est peccatoris status, quàm diù in peccato manet, vel in hac vita, quoad incrementum & seruitutem peccati; vel in altera vita, quoad æternitatem & grauitatem supplicij, & hanc Deus in suos debitores, magno iam ære grauatos, sententiam tulit. A

3. *Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

Reconciliatio peccatoris perfecta cum Deo.

LOcus moralis de perfecta peccatoris cum Deo reconciliatione. Peccator, sententia Dei territus, tempus pœnitendi, vitámque & mores in melius commutandi, suppliciter petit, procidens ad pedes Domini sui; simúlque pollicetur, quòd omnia reddet Deo, hoc est, se totum suáq; omnia, soli Deo consecrabit, nullius prorsus peccati remanente affectu, omni inordinato rerum omnium amore penitus reiecto. Sic enim omnia nostra debita (quàtum ex nobis est) Deo persoluuntur, quando tota & integra est nostra ad Deum conuersio, tota & plena mandatorum eius obedientia, dilectio Dei ex toto corde, & vniuersorum diaboli armorum direptio, plenumque peccati exterminium. De quibus omnibus in aliis iam Dominicis, quæ proferre potuimus, prolata sunt. Primùm ad illa verba: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Deinde ad illa verba: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Postea ad illa verba: *Ipsum audite.* Sed pleniùs ad illa verba: *Si fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat.* Et adhuc vberius ad illa verba: *Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit*; &c. Denique in omnibus illis locis vbi de dilectione Dei super omnia ter quatérve egimus, quæ in Dominica 17. post Pentecosten, textu secundo, annotata inuenies. Inde licet depromere, quæ in hunc locum dicantur. B

Dō. 2. post Epiphan. text. 4. Domin. 1. Quadrag. text. 10. Domin. 2. Quadrag. text. 5. Domin. 3. Quadrag. text. 5. Dō. 14. post Pent. tex. 1 & 2.

4. *Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.*

Misericordia Dei. Deus minatur, ne percutiat. Hom. 1. de pœnitent. Ionæ 3.

LOcus moralis de misericordia Dei petentibus eum promptissima. Hæc singularis Dei misericordia est, acerbissima comminari: sed facta hominis conuersione, celerrimè ad misericordiam flecti: in quo non consilium mutat; sed sententiam; imò consilium suum & voluntatem adimplet. Idcirco enim comminatur, vt non percutiat. Pulchrè Chrysostomus: *Quare, quæ facturus es mala, prædicis? Vt non faciam quæ prædico. Propterea, & gehennam minatus est, ne gehennam induceret.* Sic per Ionam Prophetam clamari fecit: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Sed vbi Rex cum populo ad pœnitentiam agendam se conuertit; *videns Deus opera ipsorum* (non fidem tantum, vt volunt hæretici; nec voluntatem tantum, & quale sese emendandi propositum, vt tepidi Catholici) *quia conuersi sunt de vita sua mala; & ipse misertus est super malitia quam loquutus est vt faceret.* Nempe vt in hunc locum scripsit Diuus Hieronymus: *Deus neminem punire desiderans, quod facturus est comminatur.* Denique hanc sibi familiarem esse misericordiam, Deus his verbis apertè docet: *Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & dispердam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei: & subito loquar de gente, & de regno, vt ædificem & plantem illud.* Docet, nihil esse Dei misericordia celerius, nihil promptius, vbi primum nos ad eũ conuertimur. Quare sic per Prophetas suos clamat: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Imò, vt eleganter scripsit sanctus Augustinus, *Fugientis dorsa persequitur, qui faciem redeuntis illuminat.* Sic enim clamat post nos: *Quare moriemini domus Israël? Non vult enim mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur ac viuat.* De quo vide quæ diximus ad illa verba: *Vadit ad ouem quæ perierat, donec inueniat illam*, &c. Sed qui sic aberrantes oues quærit, quomodo ad se reuertẽtes aliquando repellet? Adeò non repellit, vt etiam humili corde supplicantibus amplius concedat quàm postulẽt, quod & hic ingenti huic debitori fecit. Petenti enim patientiam, & dilationis terminum, vt omnia redderet, confestim sic miseretur, vt non solum liberum dimiserit, sed etiã omne debitum ei dimiserit, omnique reddendi obligatione ac necessitate ad veniam consequẽdam liberauerit. *Perspexit* (ait Chrysostomus) *mirabilem exaggerationem misericordiæ. Dilationem tantummodo temporis, ac quandam prorogationem seruus postulauit; ille autem multo magis quàm petijt, videlicet totius mutui donationem, vltrò præbuit.* Non absque egregia significatione dixit Apostolus: *Deus autem, qui dives est in misericordia.* Est enim haud dubiè dives in sapientia, in potentia, in omni virtute. Sed cur in sola misericordia dicitur eum Paulus dicat, in promptu ratio est: quia, vt alia Scriptura dicit, *Miserationes eius super omnia opera eius*: vel quia *misericordia miseris sapit dulcius* (vt ait Diuus Bernardus) vel, quia in ea eius bonitas magis elucet, cuius fons infinitus, & abyssus perennis Deus est. Sed hæc eius misericordia, non nisi petentibus patet. *Omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me.* Si flumen abundantissimum per omnes alicuius vrbis vicos præterlaberetur, ex quo C D

In Cõment. in hunc locum. Ierem. 18. Zachar. 1. Ser. 54. de verb. Dom. Ezech. 18. Dō. 3. post Pent. tex. 4 Homil. 62. in Matth. Ephes. 2. Psal. 144. Simile.

A ex quo omnes sitim suam explere possent, adeoque si per ianuam cuiusque flueret, nemo tamẽ ex eo biberet, nisi qui inde sitiens hauriret. Haurire de fonte misericordiæ diuinæ, est illam ardenter sitire, humiliter expetere & expetendo accipere; iuxta illud: *Si quis sitit, veniat ad me,* & iterum: *Aperi os tuum, & ego implebo illud,* ac rursum: *Petite, & accipietis.* De qua re tota, & de diuinæ misericordiæ inexhausta bonitate, incredibili promptitudine, immensa liberalitate, qui (vt canit Ecclesia) *abundantia pietatis suæ, & merita supplicum excedit & vota;* iam in aliis multis* Dominicis frequenter diximus. *Ioan. 7. Psalm. 80. Matth. 7.*

* *Dominica 13. post Pentecost. text. 3. Dominica 18. post Pentecost. text. 3. Dom. 4. post Epiphan. text. 4. Dominica 4. Quadragesimæ, text. 2.*

5. *Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios; & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, &c.*

B LOcus moralis contra inhumanitatem, duritiem cordis, & rigorem erga proximos. Singulæ ferè huius inhumanitatis circunstantiæ, hominis impietatẽ (quæ tamen vulgaris hodie est) vehementer aggrauant. *Egressus seruus ille,* vix dum ab Ecclesia, ab oratione, à peccatorum accepta remissione egressus fuerat, quin statim recentissimi & maximi beneficij prorsus oblitus fuerit. Si quis in palatio regio perpetrati homicidij venia accepta, vix fores palatij egressus, aliquem, qui eum verbo læserat, offendens, fuste statim percuteret, nonne omnium iudicio dignus censeretur, quem reuocatum Rex ad prioris maleficij pœnã deposceret? *Inuenit vnum de conseruis suis.* Si dominus seruo pepercit, multo æquius est, vt seruus conseruo ignoscat. *Homo homini reseruatiram, & à Deo quærit medelã?* Et rursum: *Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem. Qui debebat ei centum denarios.* Regula pietatis est: *Cui plus donatũ est, plus diligit.* Sed iste cui plurima donata sunt, nihil diligit. Pugnat & litigat pro denarijs, cui donata sunt talenta. Contendit de cẽtum, cui dimissa sunt decẽ millia. Sic litigamus cũ proximo pro terrenis, pro iuribus, pro fructibus; qui quotidie petimus à Deo cœlestia. peccatorũ veniã, gratiarum copiã. *Et tenens suffocabat eũ, dicens: Redde quod debes.* Superbè, violenter, crudeliter suũ exigit modicũ, cui placidè, promptè, misericorditer Deus totũ remiserat. Deus homini pater
C est: Homo homini lupus est. Sic ipsa humanitas, qua homines sumus, exuitur. *Cũ enim natura hominis* (vt scribit Lactãtius) *imbecillior sit quã cæterorum animalium, quæ ad perferendam vim temporũ, vel ad incursiones à suis corporibus coërcendas, naturalibus munimentis prouidentia natura lis armauit; homini autem quia nihil istorum datũ est, accepit pro istis omnibus miserationis affectũ, qui planè vocatur humanitas, qua nosmet inuicem tueremur. Et procidens conseruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit.* Roganti & petenti conseruo, nec aliam ab eo gratiam postulanti, quã qualem à Deo ipse petierat, nec alio modo supplicanti, negat. Hæc est semper & in omnibus lethale peccatũ, & contra charitatẽ proximi directè pugnans. Quod his verbis explicat S. August. *Quoniã diligere inimicos nostros, benefacere ijs qui nos oderunt, & orare pro eis qui nos persequũtur* (exteriora, inquam, ista charitatis officia inimicis præstare) *perfectorũ sunt filiorũ Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, secúmque agendo, luctandóque perducere; tamen quia hoc tam magnum bonum, tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione Dominica dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; proculdubio verba sponsionis huius implentur, si homo, qui nondum ita profecit vt iam diligat inimicum, tamen quãdo rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde; quia etiam sibi roganti, vult vtique dimitti.* Hæc ille. Docet non consilij, sed præcepti; non perfectorum tantùm, sed quorumlibet fi-
D delium; non paucorum, sed omnium esse, vt roganti ac petenti inimico aut debitori dimittatur. Hoc qui non facit, peccat mortaliter; à Deo veniam non impetrat, sed & impetratam Deus reuocat. Præcipit nobis Deus illam omnium iniuriarum obliuionem & ἀμνηστίαν salutis nostræ causa, quàm apud Athenienses deletis triginta tyrannis Solon introduxit, & post C. Cæsaris mortem Cicero in vrbe Roma se renouasse gloriatur Reipubl. & pacis terrenæ causa. Hoc enim demum modo fit, vt cor nostrum nos non reprehendat, quod his verbis explicat S. Augustinus: *Cum dicit Ioannes, Si cor nostrũ nos nõ reprehenderit, fiduciam habemus apud Deum; & quæcunque petierimus, ab eo accipiemus: admonuisse nos videtur, ne cor nostrum in ipsa nos oratione & petitione reprehendat; hoc est, ne fortè, quum cæperimus dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, compungamur non facere quod dicimus; aut etiam non audeamus dicere, quòd non facimus, & fiduciam petendi amittamus.* Hæc ille. Sed de hac re in alio loco mox plura. Sequitur de isto seruo nequã: *Sed abijt, & misit eũ in carcerem, donec solueret debitũ.* Hæc alia fuit & grauissima inhumanitatis circunstantia. Non solum non vult dimittere rogatus ei qui quod solueret non habebat, nec tempus ei ac spatium soluendi concedere; quod charitas negare non potest, vtcunque humana iustitia, quæ nihil nisi Reipubl. & suum cuiusque bonum respicit, aliter iudicet; verum etiam vim adhibet, & pro pecunia

Inhumanitas erga proximos. *Circunstantia.* 1. *Simile.* 2. *Eccli 28. & 18.* 3. *Lucæ 7.* 4. *Lib. 1. c. 20* 5. *In Enchir. cap. 73.* *Laert. lib. 1 Philip. 1.* *In lib. de perfect. iust. 1. Ioan. 3. 6.*

hominem libertate priuat,quæ nulla pecunia redimi poteſt homini libero. Hic enim non ſolũ fratrem non diligit,ſed etiam perſequitur,& de eo qualem & quantam poteſt vindictam ſumit, neque enim grauiorem leges humanæ ferunt.Atqui contra huiuſmodi vide Scriptura quid dicat: *Qui vindicari vult, à Domino inuenter vindictam,& peccata illius ſeruans ſeruabit.* Fuit ergo huius inhumanitas ex multis circunſtantijs vehementer aggrauata. Homini benè Chriſtiano iniurias perſequi,aut vim vi repellere quatenus liceat,iam in alijs Dominicis dictum eſt.

Eccli 28.

Dõ. 1. poſt Pent.tex.4

Pecuniaria debita quatenus repetenda.

Deſer.Dõ. in monte, lib.2.c.13.

Debita pecuniaria (de quibus hæc parabola loquitur in forma, in ſenſu tamen & myſterio omnium debitorum) quatenus pietas Chriſtiana vel dimittere debeat,vel repoſcere poſſit,his verbis S.Auguſtinus docet: *Qui ſponte conuentus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi eſt. Duas enim ob res nollet reddere; vel quia non habet, vel quia auarus eſt,reique alienæ cupidus. Vtrumq; autẽ pertinet ad inopiam.Nam illa inopia eſt rei familiaris,hæc animi. Quiſquis itaq; tali dimittit inopi debitum,inopi dimittit,opuſque Chriſtianum operatur,manente illa regula,vt in animo paratus ſit amittere quod ſibi debetur.Nam ſi modeſtè & leniter omnimodo egerit,vt ſibi reſtituatur,non tam intendens fructum pecuniæ,quã vt hominem corrigat,cui ſine dubio pernicioſum eſt habere vnde reddat, & non reddere; non ſolùm non peccabit, ſed proderit ei etiam plurimùm.Ex quo intelligitur etiam in iſta petitione qua dicimus,Dimitte nobis debita noſtra,non de pecunia quidem dici,* (ſola ſcilicet) *ſed de omnibus quæ in nobis quiſque peccat, ac per hoc etiam de pecunia.Peccat namque in te,qui tibi pecuniam debitam,quum habeat vnde reddat, recuſat reddere. Quod peccatum ſi non dimiſeris,non poteris dicere; Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hæc ille.Ratio verò huius certa & clara eſt,quia nos quando peccamus,nõ reddimus illud obſequiũ Deo quod ei debemus,habentes tamen vnde reddamus.Habemus enim voluntatẽ libertã Deum amandi,& ad Deum nos conuertendi,& obſequium ei debitum reddendi, cum eius gratia,quæ ſemper omnibus parata eſt,illo ipſo nos inuitante,*Venite ad mẽ omnes*;illo ipſo *pulſante fores cordis noſtri*;illo ipſo *præueniente nos in miſericordia & benedictione*.Si ergo proximo etiam habenti vnde reddat,nec reddenti tamen (quanto magis nondum habenti vt reddat,tempúſq; poſtulanti quo reddat,ac reddere cupienti) ex animo non dimittimus:nec Deus nobis noſtra peccata dimittet,de quo mox plura in poſtremo huius Euangelij loco,magis proprio.

Dei gratia omnibus parata.

Matth.11. Apoc.3. Pſalm.20.

6. *Videntes autem conſerui eius quæ fiebant,contriſtati ſunt valde, & narrauerunt domino ſuo quæ facta ſunt.*

Zelus iuſtorum contra impios.

LOcus moralis de iuſto iuſtorum zelo contra impios, & vel diuinæ gloriæ prophanatores,vel charitatis fraternæ violatores,vt auaros,raptores,vſurarios,tyrannos,latrones,ſicarios,alióſq; vel pauperum oppreſſores;vel publicæ pacis perturbatores.Quem locum iam in alijs Euangelijs tractatũ vide.Primũ ad illa verba,*Serui autem dixerunt ei, Vis imus & colligimus zizania?* Deinde in illa verba,*Videns ciuitatem fleuit ſuper illam*, vbi de alienis peccatis deflendis dictum eſt.Contriſtari enim de aliena nequitia,& narrare Deo quæ facta ſunt,eſt aliena peccata coram Deo non tã accuſare,quod diaboli eſt;quã plangere & lamentari,quod piorum eſt.Quare huc etiam pertinent,quæ de zelo animarum in aliquot Euangelijs dicta ſunt, vt in Dom.11. poſt Pentecoſten tex.1.& in aliis Dom. eo in loco annotatis.Vide etiam Dom.18. poſt Pentec. text.1.quæ omnia loca contra noſtri temporis Politicos valent,qui publica peccata,Deiq;offẽſas tolerandas ac diſſimulandas eſſe,propter pacem communem aut vtilitatem propriam, non verbo,ſed facto docent.

Dõ.5. poſt Epiphan. tex.6. Domin.9. poſt Pent. text.1.

7. *Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum.*

Recidiuãtiũ ingratitudo.

LOcus moralis contra recidiuantium & erga proximos inclementium ingratitudinem. Hic enim in parabola domini ciuilis,Deus,qui ſeruo nequàm omne debitum dimiſerat roganti, vniuerſum iterum debitum repetit, & tortoribus tradit, donec vniuerſum debitum reddat, eo quòd accepta totius debiti condonatione, accepta omnium peccatorum ſuorum remiſſione, ſtatim in nouum peccatum recidit, ſtatim cum proximo durè egit, & charitatem mutuam non ſeruauit,nec pactum legis Dominicæ cuſtodiuit,quod pactum quotidie profitemur,dicentes: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* De qua lege Apoſtolus dixit: *Alter alterius onera portate,& ſic adimplebitis legem Chriſti*, quæ eſt lex charitatis,*& mandatum nouum,vt diligamus inuicem*,vtcunque improbos & maleferiatos,*ſicut ipſe dilexit nos*, impios adhuc & inimicos Dei. Vniuerſum, inquam, debitum repetit, non peccata ſemel dimiſſa ad pœnam repoſcens (quanquam odium fraternum ita Deo diſplicere hæc parabola doceat, vt propter id dignus ſit peccator, à quo omnia dimiſſa repetantur) ſed propter odium fraternum in recidiuante reſumptum aut retentum, ea pœna animaduertens, aut etiam grauiori, quàm dimiſſa priùs peccata commeruerant: id eſt,perinde puniatur,ac ſi peccata præterita dimiſſa non fuiſſent; idque propter ingratitudinem accepti beneficij,acceptæ prius remiſſionis peccatorum. Hæc enim ingratitudo eſt circumſtantia vehementer aggrauans peccatum recidiuantis. quemadmodum enim ſi quis

Matth.6. Galat.6. Ioan.13.

Peccata dimiſſa quo ſenſu repetantur.

Ioan.Medina de pœnitentia. Tract.1. q.9. Simile.

poſt

A post acceptum ab aliquo patrono beneficium, iniuriam mox illi inferat, certum est cæteris paribus huiusmodi iniuriam grauiorem esse, quàm si beneficium ab eo nullum accepisset; ita quanto peccato plura aut maiora à Deo beneficia recepit, tanto grauiùs peccat Deum benefactorem offendendo. Quod vt in omnibus repetitis peccatis est verum, ita maximè in odio & inclementia fraterna verum esse, Christus hac parabola docere voluit. Dicitur ergo Deus à tali recidiuante, & post dimissa sua peccata multa & magna, in paruo fratris peccato crudeliter se agente, omnia priùs condonata repetere: quia in hanc ingratitudinem dum animaduertit, ad beneficium remissionis priùs illi collatum respicit; & quanto plura condonauerat, tanto acerbiùs de illo supplicium sumet. Tantum & tam atrox est ingratitudinis erga Deum benefactorem scelus.

Ingratitudo quãtum nefas.

Ab alijs semper accipere, & nihil aliis reddere, est totius orbis compagem soluere. Semina conduntur humo, decidit imber, calorem sol immittit, vt illa postmodum plantas, segetem, & fructus proferat. Mare vapores exhalat vbertim, vt eos in nubem concretos recipiat, alaturque incessanter. In fornicibus architecturæ vtrumque conuexum mutuam operam præstat: quam si alterum neget, & sustentari vult, non sustẽtare, totum ruit ædificium. Naturæ igitur bellum ingratus indicit, ac leges violat. Vult enim quasi solus in orbe consistere, ab omnibus vtilitatem capere, nulli vtilis esse; Deum in se affluenter propitium sentire, ipse erga proximum

Similia.

B nullam humanitatem exercere. Ingrati, impio Pharaoni similes sunt; qui cùm, vrgentibus censuræ diuinæ plagis, pœnitentiam polliceretur, vbi requies data esset, rursum ad ingenium immite & crudele redibat. *Si qui seruum nactus* (ait Chrysostomus) *qui in multis offenderit, nec tamen flagris ceciderit, sed iterum peccatis indultis, futura vitare monuerit in posterum, ne in eadem decidat, magnis quoque muneribus præterea illustrauerit, ac beneficijs fouerit; quænam obsecro tam futura est perfida mens, tam ingrata anima quæ huiusmodi gratia non ad meliora sectanda prouocari sufficeret?* Sed huius tam absurdi sceleris causa est, quòd Dei beneficia in numerato non habemus: quæ si semper ante oculos versarentur, omnem animo torporem & inhumanitatem prorsus excuterent. Quo in genere saluberrimum dat S. Chrysostomus consilium. *Quisque nostrum, si fieri potest, per singulos dies intra se computet, non tantum communia beneficia, verùm & propriè sibi collata; non tantum promulgata & omnibus manifesta, sed etiam peculiaria, multosque latentia. Sic enim continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere. Qui iugiter hæc in sua mente reuoluit; & propriam quidem discit vtilitatem, & ineffabilem Dei misericordiam cogitat, & quomodo non peccatorũ nostrorum merita, sed propriam respiciens bonitatẽ, nostra disponit; hinc cogitatione contrahitur, conteritur corde, omnem fastũ & arrogantiam corripit, modestè se gerere docet* erga proximos, *præsentis vitæ gloriam despicere, futura bona sperare.* Hæc ille. Nec multum dissimiliter D. Bernardus: *Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo gratiarum: cui dum*

Exemplũ Hom. 5. in 2. ad Tim.

Hom. 72. ad pop. Ant.

In Psal. 90. Serm. 14.

C *pro acceptis non ingratos nos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ. Omnino enim nos sola à profectu conuersationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo perditum reputans, qui dedit quod ingratus accepit, cauet sibi de cætero ne tanto plus amittat, quanto plus confert ingrato.* Hinc veteri populo per Prophetã sic exprobrat ingratitudinem Deus, *Populo meus, memento, quæso, quid cogitauerit Balac Rex Moab, & quid responderit Balaam filius Beor de Sethim vsque Galgalim, vt cognosceres iustitiam Domini.* Dicit per Prophetam Deus: Tu nunquam obliuisci debueras, te sic à Deo dilectum esse, vt inimicorum tuorum maledictionem tibi nocere non solùm non permiserit, verum & eam in benedictionẽ commutauerit, idque, *vt cognosceres iustitiam Domini.* Aduersarij isti contra te ex parte relaxati sunt, vt agnosceres periculum: ab altera parte nocere prohibiti sunt, vt intelligeres vnum tibi esse præsidium. Tantis ergo beneficiis acceptis, hoc vnum restat, vt protectori tuo incessanter gratias agas: non verbo, sed opere misericordiæ erga conseruos tuos. Non enim gratiarum dictionem, sed actionem flagitat Deus. Vide de hoc argumento plura in alijs suprà Dominicis.

Michææ 6.

Dom. 13. post Pent. text. 5. & alijs ibi annotatis.

8. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

D

Charitas fraterna cordialis.

LOcus moralis de fraterna charitate sincera & cordiali perpetuò tenenda, & de condonãdis iniurijs, *non septies tantum, sed vsque septuagesies septies*, id est, toties quoties te frater læsit, idq; ex animo. Huc enim tota hæc tendit parabola esse fratribus condonãdum, si volumus vt nobis Deus condonet. Hunc locum de condonandis iniurijs, & de reconciliatione fraterna non differenda, in alijs tribus locis latè tractauimus. De dilectione verò proximi, & misericordiæ officijs, multo sæpius in varijs Dominicis tractatum est. Hic nihilominus loco proprio aliqua addentur, prout Deus dabit. Etsi omnibus hominibus debeatur dilectio, quia proximus noster omnis homo est, nostra charitate indigens, vt alio in loco explicatum est; tamen Christianis Catholicis, & eiusdem fidei socijs ac domesticis maximè illa debetur. Illi enim sunt fratres nostri vterini, tam ex parte patris, scilicet Dei, ratione creationis; quàm ex parte matris, sanctæ Ecclesiæ, quæ nos per spiritum sanctum in sacro Baptismate regenerauit. Sic Ioseph magis dilexit fratrem suum vterinum Beniamin, quàm reliquos decem fratres, cum quibus solum patrem communem habebat: ideoque in conuiuio quo omnes pariter accum-

Dominic. 1 post Pent. text. 3. & Dominic. 5 post Pent. tex. 2. & 4 Domin. 12. post Pent. text. 6.

Christiani Catholici fratres vterini.

Geneſis 43. bebant, *maior pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet.* Hinc fit, vt non reconciliari fratri Chriſtiano, aut odium in eum gerere, ſit crimen quintuplo grauius, quàm alteri nõ Chriſtiano iraſci, & non remittere. Nos Chriſtiani *templa Dei* ſumus, aut certè eſſe debemus, per *inhabitantem in nobis Spiritum ſanctum.* Atqui templum Dei, vt illud deſcribit Ezechiel, capaciſſimum & ampliſſimum fuit. *Et ecce* (inquit) *murus foriſecus in circuitu Domus vndique, & in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo*, &c. Sic debent corda Chriſtianorum ampla eſſe & dilatata amore ac dilectione, quæ vſque ad inimicos ſe extendat, & iniurijs condonet, quantumcũque magnis, quantũcunq; frequẽtibus. Quemadmodũ in cœlo, etſi multæ ſint ſtellæ & lucentia ſidera, tamen qui omnes è cœlo tenebras expellat, vnicus eſt ſol; quo vno abſente, cœlum micantibus ſtellis refertum adhuc tenebroſum eſt: ſic etſi in orbe terrarum plurimi fuerint Philoſophi ac ſapientes, qui de virtute amplectenda, & fugiendis vitijs multa præclarè docuerint, vnus tamen omnis iuſtitiæ ſol luciduſſimus Chriſtus fuit, qui vniuerſas mundo tenebras depulit, qui omnia penitus vitia extirpauit, qui perfectam dilectionem Dei & proximi docens, nullum tenebris, nullum vitijs locum reliquit. Omnis Philoſophorum doctrina tenebroſa eſt, tum quia ſine fide, tum etiam quia perfectam inimicorum dilectionem non tradidit. Certè cum Ezechiel ſcribat, templum illud quod in viſione ei monſtratum eſt, eandem menſuram in altitudine atque in latitudine habuiſſe; docuit, tantam futuram eſſe iuſtorum altitudinem & gloriam in cœlo, quanta fuerat illorum latitudo & charitas dilatata in terris. Hãc futuram Chriſtiani populi propriam dilectionem alius Propheta non obſcurè docuit, dicens: *In die illa proteget Dominus habitatores Ieruſalem*, (id eſt, Eccleſiæ Catholicæ) *& erit qui offenderit ex eis in die illa quaſi Dauid, & ſicut Angelus Domini in conſpectu eius.* Sic videlicet ad Deum conuertentur, qui Chriſto nomen dederunt, vt ſint ſinguli inimicos diligentes, & iniuriarum immemores; ſicut Dauid erat, qui hoſtem ſuum infenſiſſimum Saul, cum bis interficere poſſet, ne tangere quidem voluit: qui, eo demum ab alijs hoſtibus occiſo, familiam tamen eius & poſteros dilexit, dicens: *Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum illo miſericordiam Dei?* Miſericordiam Dei vocat, benefacere illis qui nos oderũt: vel quia tali miſericordia Deus erga peccatores vtitur, vel quia talem miſericordiam Deus iubet atque præſcribit. Sed & idem rurſus Propheta de hac futura Chriſtianorũ perfectione in hæc verba prædixit: *In die illa* (id eſt, in lege gratiæ) *erunt lebetes in domo Domini* (hoc eſt, in Eccleſia ſancta) *quaſi phialæ coram altari*, id eſt, corda naturaliter carnalia & cupiditatũ vaſa, in quibus igne concupiſcentiæ atq; iracundiæ multa parabantur ſcelera, & maximè iniuriarũ acerba vindicatio, ita conuertentur, vt non niſi puriſſimus charitatis & beneuolentiæ liquor, ac miſericordiæ oleum illa repleat, ſintq; veluti lampades olei ſemper ardentis atque lucentis in conſpectu Dei. Hoc eſt etiam quod Eſaias prædixit de noui Teſtamenti populo. *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno, pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Mutabunt homines feritatem & immanitatem in temperantiam & manſuetudinem. *Vitulus & vrſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.* Homines immanitate ſæuientes, mores manſuetorum induent. *Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Homines ſimplices, ſimiles infantibus, iuxta illud Petri, *Sicut modo geniti infantes lac concupiſcite*, familiariter & pacificè viuent cum eis, qui antea quaſi aſpides & reguli, animalia venenata, propter conuerſationem crudelem eſſe videbantur. *Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini.* Simplici demum ſermone apertè Propheta effert, quod hactenus per parabolas ſignificauit, more Scripturarum, quæ obſcuris aperta ſubijciunt, ne totum obſcurum fiat. Hæc eſt ſingularis, ſed ad remiſſionem peccatorum conſequendam neceſſaria virtus, perfectioni Euangelicæ propria, omnes etiam inimicos ex corde diligere.

1. *Cor.* 3. *Rom.* 8. — *Ezech.* 40. — *Simile.* — *Ezech.* 40. *Allegoria.* — *Chriſtiani populi propria dilectio.* — *Zachar.* 12. — 1. *Reg.* 24. & 26. — 2. *Reg.* 9. — *Zachar.* 14. — *Eſaiæ* 11.

Quæ ſanè virtus propriè Euangelica (nam *ſi amicos diligimus, nihil amplius facimus quàm quod ethnici*, vt Chriſtus nos docuit) tanto excellentior eſt amicorum aut bonorum dilectione, quanto in hac amicorũ dilectione multæ aliæ poſſunt eſſe rationes, cur diligamus, præter ipſam Dei dilectionẽ, in quo & propter quẽ piè diligimus quicquid diligimus: in illa autẽ inimicorũ dilectione vnica ratio eſſe poteſt, Dei amor. Non enim niſi propter Deũ inimicos diligere poſſumus, qui nihil alioquĩ in ſe habent dilectione dignum. Ideóque inimicorum dilectio pura & perfecta virtus eſt. Quemadmodum enim ſolis radius, qui vitrum penetrans, parietem oppoſitum pertingit, nec tanto fulgore eum illuminat, nec tanto calore eum afficit, quàm ille radius, qui aperta feneſtra directè, & nulla re interpoſita, parietem percutit; eo quòd in ipſo vitro radij ſolaris virtus retardatur, hebetatur, & debilitatur nonnihil: eodem planè modo amor qui à voluntate charitate inflammata oritur, quando in amicum fertur, quia multas ibi amandi rationes inuenit, ſiſtit in eo aliquantulum, antequam ad Deũ, qui eſt vltimus finis, referatur, atq; adeò frequenter totaliter in eo ſiſtit, nec vlteriùs pergit; ſed vtcunque ad Deum quoque feratur, & propter Deum amicus diligatur; tamen multum ille amor & lentiùs procedit, & impurior fertur, & tardiùs ac debiliùs in Deum tendit: at vero inimici dilectio ex eadem charitate, quaſi alius radius ex eodem ſole, ortum capiens, quaſi per apertum diaphanum rectiſſimè ad Deum perfertur; quia propter ſolum Deum, eiúſque ſanctam voluntatẽ, quæ ſic iubet, inimicũ diligit: ideóque purior & feruentior, Deóq; gratior illa dilectio eſt. Cùm plurimi cantores ſimul ſuauiter canunt, etſi inter eos vnus ſit, qui vocis dulcedine & arte cæteros omnes longè ſuperet, non

Inimicorũ dilectio pura & excellens virtus. — *Matth.* 7. — *Simile.* — *imile.*

A non tamen perinde plenè ac placidè illa frueris, aliorum vocibus commixta, quàm si eam solam, cæteris tacentibus, audires; quod in illo duorum tantum aut trium canẽtium trione, quem vocant, manifestum fit: sic puritas & perfectio amoris Dei in dilectione amici nec purè nec plenè aduerti potest, eo quod aliæ multæ considerationes, propter quas amicus diligitur, hanc cognitionem & virtutis sensum impediunt atque conturbant; at in dilectione inimici, quia solus ibi Dei amor conspicitur, clarior ille & purior atq; illustrior multo apparet. Magnes, qui libram ferri ad se attrahit, perfectior est lapis, quàm qui festucam solam aut acum attrahere potest, vt ebenus: sic amor ille qui inimicum tolerat ac diligit; quum sit onus graue & asperum, atq; aculeis plenum, homo inimicus; perfectior amor est, quàm ille quo amicum diligimus, qui omnino grauis nobis non est, sed multis nominibus iucundus. Hinc alia emergit huius dilectionis perfectio, quia difficilior virtus est, & magis in ea voluntas contendere ac laborare debet. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum laborem suum.* Et sicut maioris meriti est credere mysteria illa, in quibus rationis lumen minus suffragatur, magisque contradicit, vt trium personarum in vna substantia vnam Deitatem, & Filij Dei cum carne humana vnionem hypostaticam, quàm alia fidei nostræ capita rationi cõsentanea; quia maior in illis difficultas inuenitur: ita maius meritum est diligere illud, quod amori nostro magis est contrarium. Nihil autem magis amori contradicit, quàm odium. Deformitas, paupertas, ignobilitas, etsi non sint ex se amore digna; amari tamen facilè possunt, quia amori non sunt contraria, non offendunt, non lædũt.

Simile.

1. Cor. 3.

Simile.

B Solum odium, quo te inimicus prosequitur, ipsi amori intrinsecè contrarium est. Inimicum ergo quum diligis, heroicam virtutem exerces; & tamen necessariam, si vis vt te inimicum & peccatorem Deus diligat, condonans tibi. Curandũ porro in primis, vt ab inimico læsus, cito ignoscas, nec dicas, data tandem oportunitate reconciliaturum te inimico. Vulnera recentia facilius curantur quàm inueterata. Qui vlcere laborat, non expectabit donec fiat fistula. Odium in corde si foueas, non inimicum, sed teipsum lædis, atque adeo perimis. Dixit Sapiens: *Os fatuorũ ebullit stultitiam.* Sicut enim olla feruens, aquam ebullientem ex se emittens, & circumiecta comburit, & ignem extinguit, & omnem pinguedinem à se expellit; tandemque, nisi refrigeretur, tota aqua eiecta, ipsa disrumpitur: sic cor, ira & odio feruens, proximos suos verbis contumelioſis irritat, lumen rationis extinguit, omnem diuinæ gratiæ pinguedinem abiicit; tandemque nisi seipsum tempestiuè temperet, Deoque ac proximo suo reconcilietur, omni virtute vacuum, sua se maleuolentia perdit, & quasi olla confracta dissoluitur. Vnde iterum Scriptura: *Cor fatui, quasi vas confractum.*

Prou. 15.
Simile.

Eccli. 21.

Hæc est enim diaboli fraus & astutia, vt dum tu de inimico te vlcisci contendis, qui tibi, nisi velis, nocere non potest, ille de te seipsum vlciscatur, tuum interitum procurans. Sapienter S. Augustinus: *Quid est timendum quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te dilectio, qua diligis inimicum. Etenim inimicus ille homo caro & sanguis quod videt in te, appetit: alius autem inimicus occultus, rector*

Diabolus inimicitiæ causa, inimicus ipse.

C *harum tenebrarum, quas tu pateris in carne & sanguine, alterum occultum tuum petit, thesauros tuos interiores deprædari & vastare molitur. Duos ergo inimicos constitue tibi ante oculos, vnum apertum, & alterum occultum, hominem & diabolum. Vnum vide, alterum intellige. Vnum dilige, alterum caue. Homo hominem vincis humana aliqua felicitate. Diabolum autem vincis inimici dilectione. Sicut homo inimicus auferre tibi cupit aut auertere felicitatem qua vincitur: sic & diabolus hominem vult vincere, auferẽdo vnde vincitur. Sed cura in corde seruare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæuiat homo quantum potest, auferat quicquid potest. Si diligitur apertè sæuiens, victus est occultè sæuiens.* Hæc ille. Hoc hodiernum Euangelium nos docet, vt inimicum diligendo, diabolum vincamus, & Deum nobis propitium sentiamus. Si amici tui famulus aliquis te grauiter offendisset, tuque iam ad eum percutiendum iratus prosilire; recordatus tamen, singularis tui & integerrimi amici eum famulum esse, continebis te, & saltem propter amicum parces immerito, ne fortè, dum te vindicas, amicum singularem amittas. Hanc à te comitatem & modestiam Deus exigit, vt inimicum tuum, famulum eius, creaturam eius propter eum non percutias, non lædas, sed planè diligas. Sic frater fratri germano interdum parcit, ne communis pater offendatur. Esau homo reprobus & maleuolus, & fratrem suum Iacob infesto odio prosequens, dicebat tamen: *Venient dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum.* Noluit viuente patre in fratrem peccare, ne pariter & patrem offenderet. Quidni & Dei Patris eandem reuerentiam ac rationem habemus? maximè dicente hic Christo: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis*, id est, *tradet vos tortoribus, donec reddatis vniuersum debitum, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Ad tam magnum tonitruum* (ait Augustinus) *qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est.*

Simile.

Exemplum Gen. 27.

Matt. 18.

Enchirid. ca. 7.

D Inter alias condonandi inimico causas, alibi commemoratas, vna hæc erat, quod omnis inimicus nos odio prosequens, commiseratione magis quàm odio dignus sit. Ille nempe non nisi temporali bono priuare te potuit: at seipsum sempiternis pœnis obnoxium fecit. Ille famam fortè tuam obscurauit, sed animam suam prodidit. Ille vestem tibi aut disrupit aut sustulit, ipse cor suum lethali ferro transfixit. Tibi capillum sustulit, sibi oculum effodit. De inimicorum infestatione dicitur: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Apes leue vulnus aculeo suo infigunt, sed vitam simul cum aculeo amittunt: sic inimicus in modico lædens, vitam ipse gratiæ lædendo amisit. Sicut ignis spinas exurens terram purgat: sic inimicus sua persecutione spinas peccatorum nostrorum, si patienter feramus, adurit, animamque nostram Deo

Do. Pass. tex. 3.

Psal. 117.
Similia. 1. 2.

chariorem reddit. Qui ab equite lancea percutitur, non equo, sed equiti irasci debet; ideoque A
3. in hastiludiis, qui ex aduerso occurrit, si equum, non equitem feriat, magno vitio datur: sic ab homine malo qui læditur, sessori diabolo, qui in corde eius dominatur, non ipsi homini irasci debuit; nec de homine iniuriam retaliando, sed de diabolo iniuriam tolerando, vindictam reposcere ac reportare. Quemadmodum si quis in os suum aliquid dulce dimittat cum amaro
4. permixtum, dulcedo illa tuum saporem non tenet, sed amittit: sic cum amaro animo erga pro-
5. ximum nulla virtus teneri potest. Si Rex aliquis in ciuitate sibi multum & grauiter obærata publicè ediceret, se id totum, quod sibi debetur, remissurum, modo ipsi inter se ciues sua modica remitterent mutuo debita; si quis hoc pactum recusaret, è tota ciuitate merito eiiciendus censeretur: sic Christianorum consortio indignus est, qui similem Christi legem longè æquissi-
Prou.17. mam non obseruat. Dicit Salomon: *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis com-*
Simile. *probatur.* Nempe sicuti calx viua, etsi actu sit frigida, occultum tamen in se continet ignem, vnde si aqua perfundatur, mox ignescit & accenditur, fitque magnum naturæ miraculum, vt aqua, quæ omnem ignem extinguit, calcem accendat; & oleum, quo omnis ignis nutritur, calcem extinguat: sic vera charitas & dilectio Christiana, etsi actu sæpenumero sit frigida, quia sese exerendi, & opera charitatis proferendi occasio, vel oportunitas, vel facultas non datur, occultum tamen & perpetuum in se amoris ignem continet, qui aqua aliqua tribulationis iniecta, siue à Deo probante aut puniente, siue ab inimico homine infestante, statim erumpit, & per admira- B
bilem animi patientiam, aliaque benignitatis officia foris prodit; fitque magnum gratiæ cœlestis miraculum, vt tribulatio, iniuria, vexatio hostilis, quæ omnem humanam beneuolentiam statim extinguit, dissoluit, abrumpit; charitatem Christianam, diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, vehementer accendat, illustret, roboret; oleum verò adulationis aut prosperitatis in hac vita communi, quę humanam beneuolentiam maximè solet aut conciliare aut fouere, charitatem illam diuinam, purumque Dei amorem maximè soleat aut labefactare, quia vsum & exercitium eius imminuit; vel etiam interdum corrumpere, quia humana fælicitas, Dei amorem atque timorem ex hominum sæpe animis eripit, alioqui deflectit.

EVANGELIVM DOMINICÆ XXII. C

POST PENTECOSTEN.

Matt.22. ABEVNTES Pharisæi consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus, Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.

PERICOPE moralis huius Euangelij. D

1. *Consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone.* De maleuolentia & hypocrisi audientium veritatem, & persequentium illam.
2. *Mittunt ei discipulos suos* (Pharisęi) *cum Herodianis.* De concordia impiorum vnanimi, ad pietatem & veritatem impugnandam.
3. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces,* vsque ad illud, *quid me tentatis hypocritæ?* Contra adulatores, vt etiam vera dicentes, acriter repellantur.
4. *Viam Dei in veritate doces.* De boni doctoris, pastoris, prædicatoris, in docendo integritate, constantia, ac fortitudine.
5. *Non enim respicis personam hominum.* Contra acceptionem personarum.
6. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* De obedientia Principibus debita, in iis quæ ad Principum ac ciuilem potestatem pertinent.
7. *Et quæ sunt Dei, Deo.* De Dei honore, obsequio, cultu, in primis obseruando.

1. *Consi-*

A

1. *Consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone.*

LOcus moralis de maleuolentia & hypocrisi audientium veritatem, & persequentium illam. Isti enim Pharisæi, audita cælesti doctrina Saluatoris, & maximè postremis illis parabolis, quibus eos vocationis suæ admonuit, & ad resipiscentiam hortatus est; pro eo quod peccata sua agnoscere & emendare debuerant, *primum quærebant tenere eum; sed turbas timentes*, abstinuerunt. Deinde *ministros miserunt, qui eum apprehenderent*: aliquando & *lapides tulerunt, vt in eum iacerent*. Quæ omnia quum non succederent, nunc demum *consilium inierunt, vt caperent eum in sermone*. Pessimum valetudinis signum est, quum remedia, quæ sanitatem adferre solent, morbum augent: sic nihil illis hominibus deploratius, qui ex sanis consiliis peiores fiunt. *Lex Domini conuertens animas*, ait Dauid. Qui ergo illa audita non conuertuntur, sed peruertuntur, ad impietatis fastigium peruenisse putandi sunt. Consummatæ nequitiæ indicium est, facinus quod vna non successit via, alia semper atque alia pertinaciter aggredi. Appositè in hunc locum Chrysostomus: *Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si vna ex parte excluſa fuerit aqua, violentia aliunde semitam sibi rumpit: sic & Phariſæorum hic malignitas ex vna parte confusa, aliunde sibi aditum inuenit. Sicut enim non potest fieri, vt ligna mittendo extinguas ignem: sic non potest fieri, vt ratio-*
B *nem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis, quanto amplius ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus, quanto magis veritatem audierit, eo amplius in malitiam excitatur*. Hæc ille. De huiusmodi Scriptura dicit: *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*. Incudis quippe hoc proprium est, vt frequentibus ictibus concussa non emolliatur, sed magis induretur. Radij solis quum vitrum feriunt, ignem in eo non accendunt, quia ibi non sistunt, nec in ipso reuerberant; at vero in speculo reflectentes, statim ignem incendunt, quoniam vlterius non progrediuntur, sed ibi detinentur ac reflectuntur: sic diuina eloquia, quæ per vnam ingrediuntur aurem, per aliam vero exeunt, quum nullam vel in memoria, vel in affectu faciunt reflexionem, sed protinus vel obliuioni traduntur, vel etiam reiiciuntur, nullum diuini amoris ignem in animo accendunt; sed sunt velut radij solares vitrum pertranseuntes. Sed vide quid de huiusmodi hominibus Scriptura dicat: *Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus: & eum sanitas non sequetur*. Huius tanti mali causa, & cur ad omnia Dei verba obdurescant homines, ac deteriores fiant, ratio est, animus rerum terrenarum cupiditatibus totus infixus. Quemadmodum enim cæmentum calceum fit de lapidibus in clibano coctis, & in puluerem redactis admixta aqua, atque, vt adhuc tenacius fiat, arena: sic cor impiorum, durum quasi lapis in clibano curarum mundi decoctum, in puluerem cupiditatis variæ atque mi-
C nutissimæ dispergitur; cui aqua concupiscentiæ admixta, fit adhuc durius, magisque durabile, id est, in malo obstinatum sicut cæmentum: quibus tamen si arena temporalis abundantiæ accedat, iam penitus tenacissimum atque impenetrabile factum est. Hinc fit, vt nec pluuia atque imbre diuini eloquij molliatur, instar cæmenti, nec vllis comminationum ictibus comminuatur, sed ad omnia pertinax & obstinatum maneat. Dicit de impiis Propheta: *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente*. Cor impij obstinatum, dicitur clibanus à coquente succensus. Sicut enim accendens clibanum, eum non intrat, sed exterius ignem facit & ministrat, nec ignis exit de clibano, sed gyrat interius, & clibanum ad coquendum panem calefacit: sic diabolus per suggestionem cor hominis accendit, non per essentiam ingrediens in illud; & ignis cupiditatum, à diabolo immissus, non procedit exterius, quousque succensum sit cor ad coquendum panem impietatis, totumque cor exustum sit. Panis impietatis est ipse homo, qui primo frangitur in farinam per diuersos circuitus & curas huius mundi. Deinde farina aqua conspergitur, & fermento fermentatur. Aqua & fermentum, sunt superbia & concupiscentia: propter quæ serpenti, qui coctor hic à Propheta vocatur, ab initio dictum est: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes*. Super pectus graditur, quia superbos facit, atque inflatos pectore: terram comedit, quia terrenarum rerum amorem suis persuadet. Huiusmodi enim clibani à diabolo succensi, hæc cæmenta in clibano cocta, homines diaboli opera & studio, mundi huius cupiditatibus toti immersi atque infixi, obdurati quoque & concreti, ex verbis Dei & sermonibus Christi adeo non emolliuntur aut emendantur, vt in ipsos suos magistros insurgant, eos, cum vi & facto non possunt, saltem in verbo capere, arguere, conuincere omni studio contendant. Hæc est, qua nulla ferè maior, maleuolentia obstinata; quam horum Phariſæorum exemplo ca-
D uere & detestari docemur.

Auditores maleuoli veritatem persequentes. Matt. 21. Ioan. 7. Ioan. 8. Matt. 22. Simile. Psal. 21. Oper. imperf. in Matth. Hom. 42. Similia. Iob 41. Simile. Prou. 29. Simile. Osee 7. Simile. Gen. 3.

2. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.*

LOcus moralis de concordia impiorum vnanimi ad pietatem & veritatem impugnandam. Hic enim Phariſæi & Herodiani, qui alioqui hostili se odio inuicem prosequebantur, quũ libertatem & immunitatem populi Iudaici, quam isti Phariſæi in primis tuebantur, Herodiani, collectores tributi à Cæsare indicti, maximè violarent, ideoque in hac ipsa causa, de qua

Concordia impiorum contra veritatem.

Christum vnanimiter nunc adeunt, ipsi diuersa senserunt; nunc tamen ad Christum perdẽdum egregiè conspirant. Veniunt Pharisæorum discipuli, immunitatis assertores; veniunt Herodiani, vectigalium exactores (Herodes enim à Tiberio huic tributo colligendo præfectus fuerat, vt qui eius beneficio regnum acceperat) vt Christum in causa vectigalis caperent, & aliquo reatus vinculo irretirent. Sic omnia vitia contra vnam virtutem conspirant, omnia falsa vnam veritatem impugnant. Nam vt à scopo multis modis aberratur, virtutis atque veritatis vnum est punctum; vnus est modus, quem vltra citraque nequit consistere rectum: sic vnius virtutis atque veritatis multi sunt aduersarij, hostes plurimi. Contra vnum Dei populum decem circumquaque gentes vnanimiter conspirasse, his verbis conqueritur Propheta: *Super populum tuum malignauerũt consiliũ, cogitauerũt aduersus sanctos tuos. Dixerunt: Venite & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltra. Quoniam cogitauerunt vnanimiter: simul aduersum te testamentum disposuerunt*, id est, pactum inierunt, *Tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ, Moab & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Loth.* Omnes isti & moribus, & regno, & religione diuersi (suos enim quisque populus deos colebat) contra vnum populum Dei, filios Israel, conspirarunt. Herodes & Pilatus, vt Christum interficerent, amici facti sunt. Pharisęi, Scribæ, & seniores populi Iudaici, vt Christum in cruce blasphemarent, Romanis militibus itidem blasphemantibus admixti stabant, suasque simul horrendas voces mutuo vel accipientes, vel dantes, in eum euomuerunt. Sadducæi quoque & Pharisæi, sectæ Iudæorum diuersæ, & sibi inuicem aduersæ, ad tentandum atque vexandum Christum optimè conspirarunt. Veniunt ad Christum discipuli Ioannis, & dicunt: *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant*? Cum discipulis Ioannis quæ societas Pharisæis, nisi quia contra Christum iunxerat inuidia, quos disiunxerat disciplina? Idem fecerũt contra vnam Catholicam Ecclesiam, suo quæque tempore, hæreticorum sectæ. De Arrianis & Meletianis sic scribit Nicephorus: *Initio quidem Meletiani ab Arrianis valde dissidebant; vbi vero animaduertebant multitudinem Episcopos Catholicæ Ecclesiæ sequi, conuentu coacto, fœdus inter se pepigere, communeque aduersus pium Alexandriæ clerum suscepere bellum. Et adeo criminationes simul & defensiones ex æquo communiter decertantes protulere, vt tempore procedente Arriani vocarentur Meletiani, & Meletiani Arriani. Meletiani quidem de Ecclesiarum præfecturis tantum decertabant* (erantque meri schismatici) *Arriani autem male sentiebant de Deo. Veruntamen quod sibi communiter inimicitias contra nos sumpserant, consensum atque concordiam dissimulabant.* Hæc ille. Idem postea fecerunt & Arriani cum Eunomianis, vt his verbis idem Auctor commemorat: *Quum Theodosius Catholicus Imperator hæreticos lege lata Ecclesiis expulit, Arriani, rerum suarũ satagentes, Eunomianis* (blasphemabant illi contra Spiritum sanctum, sicut alij contra Filium Dei) *se coniungunt.* Sic in Africa contra Catholicos cum collatio ex Imperatoris mandato institueretur, omnes Donatistarum sectæ, Rogatiani, Maximinianistæ, & qui propriè vocabantur Donatistæ, vt maiorem Episcoporum numerum ac multitudinem facerent, conuenire voluerunt. Sic in veteri populo contra vnum Iuda, qui Deum in templo Hierosolymitano purè colebat, non Israel tantum, sed & finitimæ gentes copias iũxerunt, vt est apud Esaiam: *Dicit Dominus ad Esaiam: Egredere in occursum Achaz, & dices ad eum: Vide vt sileas, & noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin Regis Syriæ, & filij Romeliæ, eo quod consilium inierit contra te Syria in malum, Ephraim* (hoc est regnum Israel) *& filius Romeliæ* (id est Rex Damasci) *dicentes: Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos*, &c. Sampson vulpium caudas vultibus auersis coniunxit, vt Philistinorum segetes succenderent. Vera & certa est impietatis nota, quæ sibi ipsis contraria sunt, contra vnum tertium conspirare. Talis fuit iam dudum, auctore Melanchthone, Lutheranorum & Zvvinglianorum, ad breue licet tempus, syncretismus, vt vnanimiter Catholicos oppugnarent: quem ante annum aut circiter Saxonum Princeps renouare conatus est, suis omnibus Lutheranis interdicens, ne in Caluinistas aut verbo aut scripto amplius inuehantur, sed in solos Catholicos omnem ingenij atque industriæ suæ vim, id est, omnem malitiam conuerterent.

Exempla. 1. Psal. 82. 2. Luc. 22. 3. Ioan. 19. 4. Matt. 16. 5. Matt. 9. Locus contra hæreticos. 6. Hist. Eccl. li. 8. c. 46. 7. Li. 12. c. 8. 8. 9. Esaiæ 7. 10. Iudic. 15. 11. 12. A B C D

Thom. VValdens. Doctr. fid. tom. 1. lib. 2. c. 16. Hanc sanè prudentiam diabolicam sic suos VVicleff docuit, hæreticorum hodie alter Adam & primus parens, vt suaserit suis omnibus totam pugnam suam spiritualem contra diabolos, cõuertere in Ecclesiæ prælatos; vt quo odio diabolum prosequi solebant, eodem clerum Catholicum prosequantur: sic enim amplius apud Deum eos mereri posse, quod ad vnguem hodie Caluinistæ obseruant. Non enim contra peccatum pugnant, *vt dissoluant opera diaboli*; sed toti contra fidem pugnant, *vt soluant Iesum*, & corpus eius, quod est Ecclesia. Sed in toto hoc genere excellunt Anglocaluinistæ, qui Puritanos, sectam maximè oppositam, tolerant, familiam amoris dissimulant, Illuminatos, qui vocantur, & Brovvnæos non exagitant, externorum reformatas Ecclesias à se differentes admittunt, solos Catholicos omni crudelitatis genere persequuntur.

1. Ioan. 3. 1. Ioan. 4. Anglocaluinistæ.

Act. 4. Contra vero pij & veri fideles hoc proprium habent, vt sit *credentium multitudo, cuius est cor vnum, & anima vna*, non nisi in vnum bonum, atque ad vnam veritatem tuendam; omnemque impietatem & falsitatem absque vllo malorum consortio persequantur. Cum Iuda Dominum Deũ coleret, Israel autẽ excelsa Ieroboam, voluissetque Amasias Rex Iuda, contra filios Seir & Edom pugnaturus, centum millia de filiis Israel conducere, prohibuit eum vir Dei, dicens:

Exemplum

O Rex,

A *O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel. Non est enim Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim.* 2. Paral. 25
Cui verbo Dei obediens Rex Amasias, & conductum exercitum domum suam remittens, etsi vehementer indignatum, etsi cum salute, pecuniæ iactura, victoriam ab hoste amplam & gloriosam reportauit. Sufficit sibi veritas & virtus, quę Deum protectorem habet. Iuuant se inuicem vitia & peccatores; quia vires non habent, Deique auxilio & iustitia destituuntur.

3. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*: vsque ad illud, *Quid me tentatis hypocritæ?*

LOcus moralis contra adulatores, vt etiam vera dicentes, acriter repellantur. Multa enim Pharisæorum discipuli & Herodiani in laudem Christi hoc loco dixerunt, quæ etiam verissima erant, & cælesti Magistro digna, sed animo assentandi; ideoque & hypocritas eos vocat, qui laudibus etsi veris, animo tamen ficto, & ad adulandum composito, cum prosequebantur, & tentatores appellat, &, vt habet diuus Lucas, insidiatores, qui sub specie boni ad malum tentabant, vt aliquid præter veritatem diceret, ac postremo acri sermone de hoc illos arguit. *Væ duplici corde* (ait Scriptura) *labiis scelestis, manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Sicut scorpiones ore blandiuntur, sed cauda pungunt; sic isti *loquuntur pacem cum proximo*
B *suo, mala autem in cordibus eorum.* Vno ore flare & sorbere volunt. In vna manu ferunt lapidem, in altera panem ostentant. In ore mel, in cauda aculeum, vt apes, gestant. Deus veteri populo prohibuit esum cygni, quia pennas habet niue candidiores, carnem autem nigerrimam. Prohibet etiam mel adoleri in sacrificio, quia ab omni bono opere adulationem & simulatam charitatem longissimè abesse vult. Odit Deus adulatores, verbis dulcibus imponentes. Vnde per Esaiam sic loquitur: *Populę meus, qui te beatum prædicant, ipsi te decipiunt.* Et, vt D. Augustinus scribit, *plus nocet lingua adulatoris, quàm manus persecutoris.* Quemadmodum speculum res omnes, atque ipsas adeo intuentium imagines aliter repręsentat, quàm sunt à parte rei, quia dextrum repræsentat sinistrum, sinistrum vero dextrum, & respicientem versus Orientem, refert respicientem versus Occidentem: sic adulator voce & vultu est speculum: si rides, ridet; si ploras, gemit; si ais, ait; si negas, negat; sed apud se omnia versat & demolitur, quia omnia sentit contraria; & quem præsentem laudat, demulcet, palpat, eundem, vbi terga vertit, absentem rodit, irridet, morder. De his Iacobus: *Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio.*

Contra adulatores.
Lucæ 20.
Eccli. 2.
Similia.
Psal. 14.
Allegoria. Leuit. 11. & 2.
Esaiæ 3.
Enarrat. in Psal. 69.
Simile.
Adulator speculum.
Iacobi 3.

Hoc hominum genere vt nihil odiosius, sic & nihil pernicioſum magis. Agricola clamans post aues, quæ in fundo eius ambulant, ac lapidibus petens, nullam capit. Auceps vero dulci illice & voce ficta vocans, complures capit. Interrogatus Biō philosophus, inter animalia quod
C esset pernicioſius, respondit, inter fera tyrannum, inter mansueta adulatorem esse. Sicut qui taurum viribus non potest, frontem molliter fricans capit & ligat; sic blandimentis capiuntur, quos nulla vis carere potuit, iuxta illud: *Molliti sunt sermones eorum, & ipsi sunt iacula.* Apud Hebræos verbum blandiendi, separare significat, פתה: quia quisquis blanditur, verè hominem à seipso separat ac diuidit, vt seipsum nec videat, nec cognoscat, sed aliū esse putet quā est. Quēadmodum enim oleum flammantem ignem accendit; sic adulatio erroribus fomentum administrat. Quare Plato adulatorem appellat feram humano generi pestilentem, similemque esse asserit impuro dæmoni, animos incautos funestis epulis fouenti, & sordibus noxiis coinquinanti. Eum quoque præstigiatori comparat ac venefico. Rursum, separator est omnis adulator, quia & seipsum quoque diuidit, aliud habens in lingua promptum, aliud in pectore clausum: vt *de eodem foramine emanet dulcem aquam & amaram.* quemadmodum ligna ignem nutriunt, ignis autem ea incendio deuorat: sic adulati sustentant adulatorem, adulator autem eos absumit. Sicut cicada oleo respersa moritur, aceto autem perfusa reuiuiscit: sic multos occidit adulatio, quos iusta sanat reprehensio. Vnde Scriptura: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris* (quæ est adulatio) *non impinguet caput meum. Meliora quippe sunt vulnera diligentis, quàm oscula fraudulenta odientis.* Cum pecora exultant, & inusitata lasciuia ludunt, oues, boues, capræ; certum est præsagium, teste Plinio, futuræ tempestatis: quod & experientia confirmat. Cantus quoque oloris, signum est imminentis sibi mortis. Sic omnino quum peccatores, adulatorum linguis deliniti, *laudantur in desideriis suis & benedicuntur*, ipsique propterea, quasi saltandi cupidi, ad primum musici instrumenti sonum *exultant in rebus pessimis, & lætantur cum malefecerint*, certum indicium est, magnum illis à Deo exitium imminere. De huiusmodi Pro-
D pheta dicit: *In malitia sua lætificauerunt Regem, & in mendaciis suis Principes.* Alexander Seuerus, optimus Imperator salutabatur nomine, hoc est, *Aue Imperator.* Si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vel abijciebatur, si loci eius qualitas pateretur; vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriæ, vt in eius vita scribit Aelius Lampridius. Nempe pestes sunt isti & Regum, & Rerumpublicarum. Nam nec ipsa virtus, plus quàm oportet, laudari debet. Sicut enim merito reprehenduntur illi, qui vestem magnam ei qui corpore pusillo est, conficiunt: sic iure optimo reprehensione digni sunt, qui magnas laudes ei qui parua habet merita, attribuunt. Quare simiis isti adulatores merito comparantur. Sicut enim simia, cum nec domum possit seruare, more canis; nec onera gerere, quemadmodū equus;

Simile.
Apophth. Laert. li. 1.
Simile.
Psal. 54.
Simile.
In Phædro & in Menedemo.
Iacobi 3.
Similia.
Psal. 140.
Prou. 27.
Similia.
Oseæ 7.
Similium congeries. 1. 2.
Plutarch. in Mora. li.

nec arare, sicuti boues; parasitatur ac risum mouet: sic adulator, cum in seriis ac grauibus rebus
3. nescíat esse vsui, voluptatum ac blandimentorum minister est. Qui alunt belluam, primum accommodant se illius ingenio, & animaduertunt quibus rebus offendatur aut placetur, donec assuefacta, fiat tractabilis: sic adulator omnibus amici studiis & affectibus sese accõmodat. Ridiculum hoc & pernicioſum hominum genus est. Sicut enim falsus Hercules in comœdiis in-
4. troducitur, clauam gestans non robustam nec solidam, sed inanem ac leuem, paleisque suffultam: sic tota adulatoris oratio ad speciem grauis & libera, reipsa mollis & blanda, inanis & fu-
5. cata est. Sicut autem nihil insidioſius melle venenato, ita nihil magis cauendum quàm blandus
6. hostis, qualis adulator est. Nam vt hyęna vocem humanam imitatur, & nomen alicuius edíscit,
7. quem euocatum lacerat: ita quidam obsequio blandiuntur, donec in perniciem trahant. Qua-
Do. 2. Aduent. tex. 7 re quod oleum est muscis, formicis, feréque reliquis insectis, hoc est adulatio stultis mortalibus. Oleo peruncta moriuntur illa, assentatione deliniti pereunt isti. Vide plura in alia Dominica.

4. *Viam Dei in veritate doces.*

Boni prælati officiũ in docendo. LOcus moralis de boni doctoris, pastoris, prædicatoris in docendo integritate, constantia, B
ac fortitudine. Etsi assentandi animo hoc Christo dixerunt Pharisæi, tamen vera, iusta, & magna laus Christi fuit ab inimicorum eius ore profecta, quod non solum *verax esset* in omnibus dictis & verbis suis, ea semper dicens quę senserat, nihil dissimulans; nec solum *viam Dei doceret*, viam virtutis & salutis qua ad Deum peruenitur, sed etiam *in veritate* doceret; nihil in sua doctrina ad gratiam loquens, nihil aliud, quàm quod veritas ipsa suggerebat, suis enunciãs.
Exemplum 2. Cor. 13. 2. Cor. 4. Hanc Magistri sui integritatem imitatus Paulus, dixit: *Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.* Et iterum alibi: *Non deficimus, sed abdicantes occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* Caupones & adulteratores sunt verbi Dei, qui non ex veritate, sed ex
Simile. gratia loquuntur. Sicut enim adulter carnalis non prolem, sed voluptatem suam quærit: sic qui non fructum & emendationem auditorum, sed suum honorem & commodum in verbi Dei prædicatione quærunt, adulterantur verbum Dei. Ambulant in astutia, qui non morbis, sed C
desideriis audientium verba sua accommodant, nec medicos, sed parasitos agunt, quod Politici doctores & pastores faciunt. Commendant semetipsos non ad conscientiam hominum, sed ad gratiam; non coram Deo, sed coram hominibus, qui non vera, sed placentia loquuntur. Hos taxat vehementer Propheta: *Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israel erant.* Astutè enim suis cõ-
Ezech. 13. modis, deserta veritate, studebant. Vnde subiungit: *Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.* Stationem veritatis deserunt; & quod in ignauo milite grauiter punitur, isti, qui duces se profitentur, facere non erubescunt. Viam Dei non in veritate, sed in formidine & ignauia docent. *Atqui* (vt scribit S. Chrysostomus) *non na-*
Ho. 6. de laudibus Pauli. *tatum gubernatorem, non ad bestias dimicantem, non ludo gladiatorio destinatum, non alium quempiam, omnino sic ad discrimina & mortes paratum oportet habere animum, vt eum qui prædicãdi officium suscipit.* Quod
S. *Thomas Cantuar. martyr.* rectè agnoscens sanctus Thomas, Archiepiscopus Cantuariensis, quum ad eum regiis iniustis legibus sese opponentem, Gillebertus Londinensis Episcopus scriberet vt mollius cum Rege ageret, sapienter respondit: *Clauum teneo, & ad somnum me vocas?* Et iterum ad omnes Episcopos Angliæ, quum in exilio esset: *Multo tempore silui, expectans si fortè inspiraret vobis Dominus, vt resumeretis vires, qui conuersi estis retrorsum in die belli: si fortè saltem aliquis ex vobis ascenderet ex aduerso, & opponeret se murum pro domo Israel. Expectaui: non est qui ascendat. Sustinui: non est qui se opponat. Silui: non est qui loquatur.* Tales erant alij quàm plurimi sancti Episcopi, vt in alio Euangelio ostẽsum
Dom. 2. Adu. tex. 9 Ierem. 1. est, ad illa verba, *Arundinem vento agitatam.* Nempe omnis pastor, sicut olim Prophetæ, mittitur, D
de quorum vno Deus dixit: *Dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram.* Talem esse oportet qui pastor esse vult, vt nihil formidet, vt viã Dei
Eccli. 7. Simile. in veritate doceat. Dixit Sapiens: *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* Cerui, quàm diu carent cornibus, vel non habent illa adhuc solidata, non procedunt in publicum, nec de die, sed de nocte vadũt ad pascua; de die autem exponunt ea ad solem vt indurentur: moxque vbi indurata esse cornua cognoscunt, ad pabula in aperta procedunt. Similiter qui se carere cornibus sentiunt, animi fortitudinem non habent, ad publicæ doctrinæ pabulum administrandum prodire non debent; priuatam potius & obscuram vitam agant, donec diuini amoris feruore solidentur. De veritatis doctore verificari debet, quod de doctorum omnium supremo Magistro Propheta dixit:
Abacuc 3. *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius.* Sic enim eos misit, vt ipse missus fuerat. Hinc etiam
Ezech. 1. quatuor illa animalia in visione Ezechielis; quæ vt quatuor Euangelistas, sic omnes Ecclesiæ doctores aliquatenus figurabant, inflammata describuntur quatuor modis, ad modum scintillarum, ad modum carbonum, ad modum lampadarum, & fulgurum. Scintillæ sunt, subtilitate doctrinæ; carbones ardentes, feruore prædicandi; lampades, luce & perspicuitate; fulgura, quia verbi veritate & fortitudine terrent, illuminant, percutiunt, accẽdunt. Denique vt ignaui

doctores

A doctores vocantur in Scripturis. *Canes muti, non valentes latrare*: sic cordati & veri doctores sunt sicut generosi canes, qui maximas bestias audacter inuadunt; qualis ille erat, à Rege Albano Alexandro missus, qui primo in eius præsentia leonem occidit: tandem elephante deducto, videns eius magnitudinem, primo obriguit, & ingenti latratu insonuit; quem tamen inuasit, & tam diu afflixit, vt in terram tandem prosterneret. Sic sancti prædicatores maximos tyrannos extimescere non debent. Plura de hoc argumento vide supra in alia Dominica. *Esa. 56. Gemin. li. 5 ca. 98. Do. 2. Aduent. tex. 7*

5. *Non enim respicis personam hominum.*

LOcus moralis contra acceptionem personarum. Hæc enim altera virtus est boni magistri, doctoris, pastoris, atque adeo cuiusuis iudicis, magistratus, principis, vt sine acceptione personarum vnicuique iustitia administretur. Respicere personam, est considerare externam aliquam hominum conditionem; eiusque consideratione, non autem secundum causæ merita, de homine iudicare. Personæ vocabulo comprehenditur omnis externa hominis qualitas, quales sunt diuitiæ, potentia, forma, nobilitas, sexus, & id genus alia. Hæc omnia in iustitiæ administratione in nullam considerationem venire debent: quæ videlicet æquè pauperi ac diuiti, priuato ac potenti, deformi ac formoso, ignobili & nobili, fœminæ ac viro prorsus debetur. Hanc acceptionem personarum (vitium satis vulgare) vtraque sacra pagina disertissimè condemnat. In veteri sic legitur: *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo.* Vt id homini persuadeatur, Dei exemplum, cuius iustitiam imitari debemus, introducitur. Sic Moyses: *Deus Dominus vester, Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera.* Sic S. Iob: *Deus non accipit personas principum, nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem. Opus enim manuum eius sunt vniuersi.* Sic denique suos iudices informat bonus Rex Iosaphat: *Non est*, inquit, *apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Cuncta igitur cum diligentia facite. Non enim hominum iudicium exercetis, sed Domini.* In noua pagina sic D. Petrus pronunciat: *In veritate comperi, quia non est apud Deum acceptio personarum; sed in omni gente, qui facit iustitiam, acceptus est illi.* Sic & D. Paulus: *Vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber: personarum enim acceptio non est apud Deum.* Sed clarius & vehementius Diuus Iacobus: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.* Et paulo post: *Si diligis proximum tuum sicut teipsum, bene facis; si autem personam accipis, peccatum operaris, redargutus à lege.* *Acceptio personarū.* *Leuit. 19.* *Deut. 10.* *Iob 34.* *2. Paral. 19* *Act. 10.* *Ephes. 6.* *Iacobi 2.*

C Veri Prophetæ Dei in veteri populo, veri Episcopi & pastores in nouo, vt verbum Dei in veritate docerent, personarum acceptores esse noluerunt. Elisæus Propheta stans coram Ioram Rege Israel idololatra, & coram Iosaphat Rege Iuda Deum colente, vt pro illis Dominum consuleret, illum constanter redarguit, hunc reueretur. Ad Ioram enim dicit: *Quid mihi & tibi est? vade ad Prophetas patris tui* (Achab) *& matris tuæ* (Iesabel.) Et rursum: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Elias non accepit personam Achab, quando eo dicente ad Eliam, *Tune es ille qui conturbas Israel?* respondit ei: *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandatum Domini.* Propheta ille missus ad Amasiam, idola Seir colentem, quæ bello ipse ceperat, non respexit personam eius, dicens: *Cur adorasti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua?* Cum enim Rex illi iratus diceret, *Num consiliarius Regis es tu? Quiesce, ne interficiam te*: adiecit tamen; *Scio quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.* Sic cæteri Prophetæ, Esaias, Ieremias, Nathan, & alij, non respexerunt personas Regum suorũ, legem Dei preuaricantium, Manassis, Sedechiæ, Dauid; quo minus & peccata eorum arguerẽt, & Dei comminationes exponerent. Sic Ecclesiæ Catholicæ Episcopi, Athanasius, Hosius, Leontius, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, Stanislaus, Thomas Cãtuarienſis, & alii innumeri Regum D suorum, Constantii, Arcadii, Valentiniani Imperatorum, Boleslai Poloniæ, Henrici secũdi Anglorum Regis vultus aut personas non respexerunt, quo minus leges Dei præuaricantes, & potestatis suæ limites excedentes, liberrimè arguerent. Azarias Pontifex personam Regis Osiæ, sacerdotalia sibi munera arrogantis, non respexit; sed & constanter admonuit, & postea non parentem, atque à Deo percussum, è templo eiecit. Sic diuus Ioannes Baptista Herodis personam non respexit, quo minus ei liberè diceret, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Talis esse debet omnium sacerdotum Dei, pastorum, atque Episcoporum virtus, constantia, fortitudo, vt absque acceptione personarum, peccantes arguant, veritatem doceant, disciplinam conseruent. *Prophetæ non acceperunt personas. Exempla sacra.* *4. Reg. 3.* *3. Reg. 18.* *2. Paral. 25* *2. Paral. 26.* *Marc. 6.*

Sed quia hanc libertatem Politici laici non ferunt, Politici sacerdotes non exercent; si sacra illos exempla non mouent, (quæ tamen inprimis, & maximè mouere debebant, & certissimè condemnabunt) moueant saltem exempla politica hominum gentilium, qui hanc administrandæ iustitiæ, & redarguendi peccati integritatem & constantiam, ad ipsam politiam, & rectam Reipublicæ administrationem pertinere iudicabant. Celebre est illud Traiani Imperatoris, qui tribuno militum renunciato strictum ensem in manus dans, ait: *Cape* *Exempla profana.* *Dion. Cassius M. C. in Traiano*

Plutarch. in Themist. *ferrum hoc: & si quidem rectè imperium gessero, pro me; sin aliter, contra me hoc vtere.* Themistocles, cùm A
ab eo Simonides, Chius poëta, præter æquum quiddam postulasset, *Neque tu*, inquit, *bonus poeta*
esses, si modos & numeros in canendo contemneres; neque ipse bonus prætor, si gratiam cuiusquam legibus præ-
Plutarc. in Aristide. *ferrem.* Cum Aristides aliquando quempiam in iudicium vocasset, & hi qui rem illam iudicabãt,
post Aristidis accusationem reum causam dicentem audire nollent, quin suffragia, quibus dã-
naretur, exemplo postularent; assurgens Aristides, supplex apud iudices intercessit, vt illum,
quemadmodum legibus statutum erat, audirent. Papinianus iussus à Caracallo occisi fratris
Spartianus in Caracallo. Getæ facinus in Senatu & apud populum diluere, recusauit, dicens, *non tam facilè parricidium ex-*
cusari posse, quàm fieri. In his exemplis nec Traianus, etsi Imperator esset; nec Aristides, etsi iustis-
simus; suæ personæ aliquam rationem haberi, sed iustitiam & æquitatem pręponderare volunt;
nec Themistocles, etsi Athenis potentissimus, amici personam; nec Papinianus, etsi Iurecon-
sultus disertissimus, Imperatorem orbis contra iustitiam respexit. Cleones vt primum Rem-
Plutarch. in Polit. publicam attingere destinauit, vocatis amicis omnibus, soluere se velle dixit amicitiæ vincula:
subdiditque rationem, solere amicitias pleraque recta & iusta subuertere, quod homines Rem-
publicam administrantes, vtpote affectu & mollicie quadam occupatos, sæpenumero à via de-
ducit recti officii. Sed multo fortius Henricus quintus Anglorum Rex, qui defuncto patre
Annales Ang. sceptro potitus, sodales & familiares suos omnes, quibuscum viuente patre dissolutè vixerat, B
ad se vocatos, & quibusdam muneribus donatos, sic à se ablegauit, vt sub pœna capitis interdi-
ceret, ne vnquam, nisi mores in melius mutarent, ad aulam regiam accederent; ne videlicet eo-
rum corrupta familiaritate vel ipse corrumperetur, vel iudicium & iustitiam sæpe corrumpe-
Plutarch. in Polit. ret. Phocion, Princeps Athenienſium, ne genero quidem suo Charillo repetundarum dictu-
ro causam adesse sustinuit, inquiens: Equidem mihi generum te hominem iustum & probum
optaui. Quæ cum dixisset, deserto genero, continuo inde sese proripuit. Quid, quod nec fra-
Idem ibidē & in Timoleonte. tris personam in iustitia accipere voluerunt ethnici, qui iustitiam coluerunt. Timoleon Co-
rinthius, vbi fratrem, quo tyrannide abstineret, monitis atque precibus mouere ac persua-
Idem in Polit. dere nequiuit, his subinde nauauit operam, qui illum interemerunt, non fratris odio, sed
Reipub. & iustitiæ amore. Antigonus Rex ad adolescentem quempiam, qui prognatus
quidem ex elegante viro belli duce, sed ipse ignauus ac mollis, postulabat tamen ob id cę-
teris anteferri. *Apud me*, inquit, *ô adolescens, virorum, non parentum virtutibus præmia sunt.* In his exem-
plis videmus, nec amicorum, nec parentum, nec nobilitatis personam accipi, vbi iustitiæ ratio
habenda est.

Dion. Nicęus in Adriano. Plutarch. in Reg. apophth. At sicut persona charior, aut nobilior, aut potentior respici non debet, sic nec infima aliqua
persona negligi ac præteriri. Cuius præclarum exemplum edidit Adrianus Imperator. Trans-
euntem illum mulier quædam rogauit, vt se audiret. Cui cum ille respondisset, Otium mihi C
non est; illa deinde clamans ait, Noli ergo imperare. Tum conuersus eam audiuit. Nec minus
laudabiliter Philippus Macedonum Rex, qui Machetę cuiusdam, pro tribunali sedens, cau-
sam audiuit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatem: itaque sententiam tulit
aduersus Machetem. Verum cum is exclamasset, se ab ea sententia appellare; Rex iratus, Ad
quem, inquit? Cui Machetes, Ad te ipsum, ô Rex, si expergiscaris, & attentius causam audias.
Valer. Max. li. 6. ca. 5. Ac tum quidem surrexit Rex: & vbi, causa attentius audita, Machetæ factam iniuriam intelle-
xisset, iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam, qua damnatus fuerat Machetes, ipse persol-
uit. Zaleucus, Locrensium Rex, sic personas respicere noluit, vt quum legem tulisset de adul-
tero vtroque oculo orbando, filiumque in adulterio deprehensum vtroque priuari populus
Similia. non permitteret, seipsum vno, filium altero oculo priuauerit, ne propter acceptionem personæ,
lex ab ipso lata violaretur. Sanè vt sol non alius est pauperi, alius diuiti, sed omnibus commu-
nis; ita Principes personam spectare non debent, sed rem. Sicut eadem trutina eisdemque
ponderibus aurum ponderatur & plumbum; sic eadem æquitate paruis & magnis iustitia admi-
nistranda est.

6. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Obedientia Principib. debita. LOcus moralis de obedientia Principibus debita, in iis quę ad Principum ac ciuilem pote- D
statem pertinent. De censu pecuniario & tributo quærebant Pharisæi, an liceat id dare
Cæsari. Christus autem ostenso numismate, in quo imago Cæsaris inscripta fuit, ideoque ex
ipso numismate Cæsari se subditos esse constabat (nec enim nummus valere solet in regno,
Regis signo non percussus) respondit, quia Cæsar dominus eorum erat, esse id ei reddendum,
quod ad domini ac Principis ius pertinet. Ius autem Regis est, vt alatur à regno, & qui-
dem in pompa regali; tum vt ei regnum subministret omnia quæ necessaria fuerint, & ad bel-
la gerenda, & ad pacem conseruandam. Hæc à populo subsidia Regi debentur. Propter hæc
necessaria Regi subsidia, census, vectigalia, tributa, & legitimè à Rege exiguntur, & neces-
sario à populo fideli soluuntur. Hæc iura Regum ac Principum, Christi prædicatio, lex
Euangelica, obedientia Deo debita non tollit, non imminuit, sed magis roborat atque
confirmat. Sic aliæ Scripturæ docent. Paulus in primis studiosè & copiosè, *Omnis*, inquit,

anima

A *anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et paulo post: *Dei minister est* (potestas publica) *tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Nō enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram* (vindicantis Principis) *sed etiam propter conscientiam* læsæ ordinationis diuinæ. *Ideo enim & tributa præstatis*, id est, vt vindicandi malum media ac vires Reges habeant, vos illis vectigalia soluitis. *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Hæc sunt Cæsaris Cæsari reddenda, tributum, vectigal, timor, honor, Tributum, vt debitum perpetuum ad regiam magnificentiam sustentandam, quod postea in certa domania conuersum est. Vectigal de nouo impositum, propter nouas occurrentes necessitates. Timor iustæ vindictæ, si malus es. Honor debitæ reuerentiæ, & amoris, si bonus es. His accedit obedientia iustis legibus præstanda. De qua alibi idem Apostolus: *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire ad omne opus bonum paratos esse.* Cui & subscribit S. Petrus: *Subiecti* (inquit) *estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue Regi, quasi præcellenti; siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Quum iure gentium & naturæ dubium hoc nemini esset, docent Apostoli, etiam Dei voluntatem hanc esse, vt Regibus etiam ethnicis atque
B infidelibus (neque enim alii tunc erant) ipsi pii & fideles obtemperarent. Sic Christus Cæsari, Petrus Neroni, obediendum docent.

Rom. 13.

Tit. 3.

1. Pet. 2.

Sed & malis alioqui Principibus, suaque potestate abutentibus, in iis quæ ad iura pertinent regalia, obediendum esse, Scriptura docet: *Obedite dominis* (ait Petrus) *non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis*, id est, duris, seueris, crudelibus. Nam & illorum quoque potestas à Deo ordinata est: & qui illis resistit, Dei ordinationi resistit. Sic per Prophetas suos Deus loquitur: *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Et rursum: *Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Et iterum: *Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Hac de causa iubentur filii Israel in captiuitate positi, obedire tyranno Babylonio, & orare pro illo. Sic Ieremias: *Quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vestra.* Sic Baruch: *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonij, & pro vita Balthasar filij eius; vt sint dies illorum sicut dies cæli super terram.* Hoc est enim dare gloriam Deo, seruire tyranno propter peccata nostra nobis dominanti, & dicere quod illi captiui dixerunt: *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ.* Quod vno verbo Petrus dixit, *Regem honorificate*; non honorem modo, sed & obedientiam, & subsidia ac tributa soluenda significat; sicuti in illo verbo, *Honora parentes*, non honor tantum ac reuerentia, sed etiam obedientia ac sustentatio parentum,
C quando ita res exigit, filiis imperatur. Officium subditorum erga Reges, apes docere possunt. Creant sibi regem cæteris magnitudine excellentem, & mansuetudine clariorem; vnde & sine aculeo est, & alas cæteris minores habet. Ex alueario non exeunt, nisi ipse egrediatur; eo exeunte, totum conglobatur examen, & regem circundat vndique, vt videri vix possit. Singulæ se eius obsequio offerunt, & ei proximę esse contendunt: fessum humeris subleuant, aliquando & totum portant. Vbicũq; rex sederit, ibi totus exercitus castra figit. Illo viso, totus animatur grex: eo amisso, examen dilabitur. In alueario dum resident, Rex solus à labore immunis est, cæteræ omnes perpetuo mel colligunt, vel collectum disponunt. Circa Regem quædã semper adsunt apes, fortem aculeum habentes, & tanquam lictores Regem custodientes, quæ & offendentes, vel otiosas puniunt. Mortuo Rege, nisi corpus eius auferatur, cæteræ apes fame se enecari permittent potius, quàm vt ab eo recedant. Sola voce, quasi imperio, cæteras in officio continet, vnde & hanc cæteris magis vocalem habet. Iuxta hæc omnia subditorum erga Regem obedientia, honor, affectio, vt non obscurè designatur, sic merito doceri & informari potest.

Malis Principib. obediendũ.

1. Pet. 2.
Osee 13.
Esaiæ 3.
Iob 34.

Ierem. 29.
Baruch. 1.

Ibidem.
1. Pet. 2.

Simile.
Plinius li. 11. c. 17.
Geminian. li. 4. c. 83.

D

7. *Et quæ sunt Dei, Deo.*

LOcus moralis de Dei honore, obsequio, cultu in primis obseruando. Christus Dominus sic Cęsaris censum approbat, sic Regibus, ea quæ regalia sunt, reddi iubet, vt simul ea quæ Dei sunt, Deo reddantur, vt Deo interim debitus honor, cultus, obsequium nihil imminuatur, sartus tectus conseruetur. Vt illud de Cæsare libenter Herodiani, Politici, mundani audiunt; sic istud de Deo quisque pius & fidelis libentissimè audire debet. Sic Principibus & potestati sublimiori obediendum; vt nihil tamen contra Dei honorem admittatur. Sic in hunc locum Chrysostomus: *Tu cum audis reddenda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solum dici non dubita, quæ pietati & religioni nihil officiunt. Nam quod fidei & virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum & vectigal est.* Hæc ille. Paulus, ne iniuriam à Iudæis pateretur, *ad Cæsarem appellans*, reddidit Cæsari quæ erant Cæsaris, eius tribunali supremo se subiiciens. Sed idem Paulus *Romæ in suo conductu Euangelium prædicans*, & à deorum cultu, quos Cæsar colebat, omnes, quos potuit, abducens, reddidit Deo quæ erant Dei, eius fidem & cultum, quantum in ipso erat, propagans. Petrus docens, *Regem honorificandũ, eique tanquam præcellenti obediendũ*, reddidit Cæsari,

Dei honor, obsequiũ, cultus.

Hom. 71. in Matt.

Exempla.
Act. 25.
Act. 21.

1. Petri 2.

Act.4. De verbis Domini, Ser.6. quæ erant Cæsaris. Sed idem Principibus Iudæorum fidei prædicationem interdicentibus respondens. *Oportet obedire Deo magis quàm hominibus*, reddidit Deo quæ sunt Dei. De hac re tota sapienter Augustinus: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quid si illud iubeat potestas quod non debeas facere? Hic iam contemne potestatem. Timendo potestatem, ipsos humanarum rerum gradus aduerte. Si quid iusserit Curator, nonne faciendum est? Tamen si contra Proconsul iubeat* (erant hæc Romanarum dignitatum officia, iam exoleta) *non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire. Nec hic debet minor irasci, si maior prælata est. Rursum, si aliquid Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator; nunquid dubitatur, illo contempto, huic esse seruiendum? Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis? Solue tributum, esto mihi in obsequium. Recte, sed non in idolio*, non in hæresi, non in peccato. *Prohibet maior potestas. Dat veniam Imperator: tu carcerem, ille gehennam minatur.* Hæc ille. Hoc est reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. A

Lucæ 12. Hanc distinctionem & alibi Christus docuerat, dicens: *Dico vobis amici mei. Nolite timere eos qui corpus occidere possunt, & postea non habent quod agant: ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eũ, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Vides quàm serio Dei timorem inculcet. At Apostolus dicit: *Si malum feceris, time potestatem: non enim frustra gladium portat.* An ergo Christo contrarius est? Iubet enim timere, quia corpus occidendi potestatem habet. Nequaquam; sed loquitur Apostolus de iis quæ sunt Cæsaris: quæ si illi non reddantur, merito timendus Cæsar, timenda potestas eius. Loquitur Christus de iis quæ Dei sunt: quæ si Deo reddimus, si fidem, si pietatem, si virtutem colimus, & hæc Cæsari displicent, suisque legibus hæc interdicit; hic non est timendus Cæsar, sed est timendus Deus. Hoc est quod Augustinus scripsit: *Legibus malis probantur boni, legibus bonis emendãtur mali.* Et iterum alio in loco: *Imperatores si in errore sunt, pro errore leges dant, per quas iusti probantur, & coronantur, non faciendo quod illi iubent, quia Deus prohibet. Sicut iussit Nabuchodonosor de aurea statua, in campo magno Babylonis erigenda. Quando autem veritatem tenent Reges, pro ipsa decernunt: quod qui contemnit, iudicium sibi acquirit.* Hanc distinctionem tenuerunt semper Catholici & Christiani, siue ab hæreticis, siue à paganis Imperatoribus infestati. Modestus, Valentis Arriani Imperatoris præfectus, quum ciues Edessenos cohortaretur, *vt cum Imperatore communicarent* (sic enim loquebatur) sapienter & facetè Eulogius presbyter, cæterorum nomine, ei respondit: *An iam Episcopatum noster nactus est Imperator? Nos enim Episcopum habemus, cui in sacris communicare docemur.* Cæsarem enim audiebat, non ea quæ sunt Cæsaris, sed ea quæ Dei sunt, sibi arrogantem, & aliis præcipientem. Hanc distinctionem Euangelicam primus Imperator Christianus Constãtinus Magnus probè tenuit, quum sic ad Episcopos loqueretur: *Ego quidem communis quidam sum Episcopus, sed vos eorum, quæ sunt in Ecclesia, ego eorum quæ extra sunt, à Deo constitutus Episcopus*, seu speculator & superintendens, *videor.* Quam etiam distinctionem in Regum coronatione ipsi Reges ab Ecclesia accipiunt. Sic enim illis, quum ab Ecclesia inunguntur, dicit Pontifex: *Accipe coronam regni tui, quam sanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis intelligas significare, & per hanc te participem nostri ministerij non ignores: vt sicut nos in interioribus pastores, rectoresque animarum intelligimur, ita & tu contra omnes aduersitates Ecclesiæ Christi defensor existas.* B C

Contra Cresc.li.3. ca.51. Epist.48. 50. & 166. Exempla. Theod.li.4 ca.16. Eusb.de vita Const. li.4.c.24. In Pont. Rom.

Locus contra hæreticos. Sed totam hanc huius Euangelij distinctionem, vt olim Christianissimi persequutores ethnici, sic hodie Ecclesiæ persequutores hæretici, prorsus abolent & confundunt. Nam vt illi Christianos *deorum immortalium hostes* vocabant, & tanquam *Reipubl. perturbatores* occidebãt, vt in martyrio sanctorum Iuuentini & Maximi sub Iuliano ostendit diuus Chrysostomus, & Gregorius Nazianzenus; sic hodie barbari Anglocaluinistæ Catholicos, non vt violatæ religionis, sed vt læsæ maiestatis reos, patriæque perduelles hostes persequuntur, spoliant, occidunt. Cæsari non solum quod Cæsaris est, sed etiam quod Dei maximè proprium est, impiè, sacrilegè, & barbarè tribuunt. Totam doctrinę veritatem, totam cultus ac religionis Christianæ rationem à regia auctoritate, à decretis regiis dependere, fluere, & promanare docent, iurãt, & omnes iurare compellunt. Sic apud eos non hæresis, non schismatis, non violatę religionis, non cultus & obsequij diuini negati, sed rebellionis crimen est, à vera religione (quam scilicet illi veram esse volunt) recedere. Sic iuxta eos frustra adiecit Christus: *Et quæ sunt Dei, Deo.* Satis erat dixisse, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: quandoquidem iuxta eos omnia vni Cæsari debentur. Vnus Cæsar, vnus Rex, vel vna Regina, vnus puer, vna mulier (tales enim in Anglia, vt suprema ecclesię Anglicanæ capita, regnauerunt) *Caput est, ac suprema gubernacula tenet, non secus in omnibus causis Ecclesiasticis, quàm in causis ciuilibus.* Sic enim conceptis verbis iurant. Et propter hoc vnum iuramentum, non minus barbarum quàm impium, nec secus absurdum quàm sacrilegum, recusatum, omnes illic Episcopi, Pastores, Canonici, Doctores, Nobiles, ciues, qui Catholici esse & persistere voluerunt, carcerem, rapinam bonorum, exilium, mortem acerbam respectiuè passi sunt. Plura hac de re in altero Promptuario Catholico dicta sunt. Ad mores redeamus. D

In Ser. de SS. illis, to.3. Orat.3. in Iulianum. Anglocaluiniſtarum barbara impietas.

1.Cor.4. 1.Paral.29 Psal.95. Quæ Dei sunt, Deo reddere oportet. Et quid demum habemus, quod Dei non est? *Quid habes quod non accepisti?* vtique à Deo. Profitetur Dauid, omnes templi ædificandi impensas colligens: *Tua Domine sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, hæc dedimus tibi.* Quicquid ad ædificationem templi spiritualis conferimus, Dei est. Ingenij vires, corporis robur, voluntatis actio, natura nostra tota à Deo est, & Dei est. *Ipse fecit nos, & nõ ipsi nos.* Hęc ergo omnia ei reddenda. Christus, vt censum Cæsari dãdum doceret, *ostendi iubet numisma census*: rogat, *Cuius est hæc imago & super-*

A *& superscriptio?* Illis respondentibus, Cæsaris esse, infert: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris*, videlicet hoc numisma census, *Cæsari*. Similiter roget seipsum vnusquisque de se: Cuius tu es imago, & cuius superscriptio? Respondebit fides: *Factus sum ad imaginem & similitudinem Dei.* Redde ergo Deo *Gen.1.* quod est Dei. Da te totum Deo, quia totus, quantus quantus es, imago Dei es. Nec mundo, nec peccato, nec diabolo, nec ipsi Cæsari aliquid tuum da, quod Dei obsequio dandum est. Huc conferri possunt, quæ de Deo toto corde, &c. diligendo, iam in multis Euangeliis dicta sunt. Hoc est enim reddere Deo quę sunt Dei, totum cor, totam animam, totam mentem, & quicquid puræ affectionis in homine est. Alia quidem diliguntur, proximi, cognati, amici, & Cæsar ipse, sed in ordine ad Deum. Si supremum amoris locum Deo seruamus, si primum quærimus regnum Dei, si eius cultum, honorem, obsequium, omnibus rebus, etiam ipsi Cæsari, anteferimus; reddimus quæ sunt Dei, Deo. Hæc autem in multis iam Euangeliis tractata & explicata sunt.

EVANGELIVM DOMINICÆ XXIII.

B

POST PENTECOSTEN.

ECCE Princeps vnus accessit ad Iesum, & adorabat eum, dicens: *Matt.9.* Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia. Fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Iesus in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dixit: Recedite. Non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba, intrauit: & tenuit manum eius, & surrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuersam terram illam.

C

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Princeps vnus accessit ad Iesum, & adorabat eum.* De externa corporis reuerentia Deo exhibenda, & sanctis eius.
2. *Filia mea modo defuncta est.* De mortis celeritate, horaque incertissima perpetuo expectanda.
3. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* De verecundia & timore, quo peccatores accedere ad Deum par est, vt sanentur.
4. *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero.* De fiducia in Deum, eiusque bonitatem.
5. *Et deridebant illum.* De mundi huius ludibriis circa pietatis opera prorsus contemnendis.
6. *Et exiit fama hæc in vniuersam terram illam.* De operibus & beneficiis Dei summa laude prædicandis.

D

1. *Princeps vnus accessit ad Iesum, & adorabat eum.*

LOcus moralis de externa corporis reuerentia Deo exhibenda, & sanctis eius. Princeps iste & archisynagogus, vtcunque apud suos honoratissimus, Christum externo habitu, & vitæ ratione satis humilem, tamen quia Prophetam, & Dei altissimi amicum (neque enim adhuc pro Deo & vero Messia eum habebat) adorat pronus in terram, &, vt ait Lucas, *cecidit ad pedes eius*: &, vt Marcus rem narrat, *adorauit procidens in terram ad pedes eius, & deprecabatur eum multum.* Placuit Christo hæc externa corporis humiliatio & reuerentia; ideoque, quod Regulo, viro quoque nobili rem similem petenti, sed similem venerationem non adhibenti, non fecit, sed eum primo obiurgauit, & petitionem suam repetere coëgit (vt in altera Dominica visum est) ad primam petitionem *surgens Iesus, sequebatur eum.* Sic Chananæam, diu multumque clamantem, Christus prius audire noluit, quàm *veniens adoraret eum.* Sic Hæmorrhoissam, de qua in hoc Euangelio, ad beneficii furtim accepti confessionem euocauit, donec (vt habet Marcus) *venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* Sic Petrus, viso miraculo de multitudine

Externa corporis reuerentia. Lucæ 8. Marci 5.

Do.20.post Pent. Exempla. Matt.15. Marci 5.

Luc. 5. piſcium vna iactura comprehenſa, *procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſum.* Quod ita ſingulariter Chriſto placuit, vt ſtatim ei diceret, *Ex hoc eris homines capiēs.* Quod eius factum in alio Euangelio tractauimus. Debetur nēpe Deo & ſanctis eius externa hæc corporis veneratio, quaſi internæ dilectionis & venerationis teſtimonium. Sicut enim cæteræ cæremoniæ, ſiue in Sacramentorū vſu, ſiue in toto cultu externo, ſigna & teſtimonia ſunt, vel gratiæ & beneficiorum Dei erga nos, vel obſequij & reuerentiæ internæ noſtræ erga Deum (vt in altero Promptuario Catholico ex varia occaſione docuimus) ſic veneratio & honor externus interni argumentum eſt. Nimirum, vt ſcribit Reuchlinus virdoctiſſimus, graui nos molè corporis preſſi, valde quidem egemus ad ſomnolenti animi excitationem commouentibus rebus; vt generoſus equus longo iam itinere fatigatus, quum claſſicum perſonuit, in robur erigitur, ſtare loco neſcit, micat auribus. In rebus ſpiritualibus eneruata virtus noſtra externis & corporalibus incitamentis ſeu vocum ſeu figurarum indiget, vt animi noſtri vigor ſpirituali operi robuſtius inſtet, & contemplatio noſtra tanto acrius in ſublime prouehatur, quanto magis attoniti antea obſtupuerimus. Et in hoc conſtat omnis cæremoniarum ratio, tam veteris quàm noui Teſtamenti. Ac propterea in veteri Teſtamento palmas tetenderunt, brachia expanderunt, genua flexerunt. In nouo Teſtamento manus leuamus, orantes nunc ſtamus, nunc in faciem procidimus, pectus tundimus, frontem cruce ſignamus. Hæc ille. Quare, vt Deo ac ſanctis honor ac reuerentia, timor & amor animo ac mente debentur, (ſic enim, quoad ſanctos, Aaron & filij Iſrael videntes ſplendorem faciei Moyſi, timuerunt propè accedere; Saul cœpit timere Dauid, videns quod prudens eſſet nimis; & Herodes ipſe timuit Ioannem Baptiſtam) ſic etiam externa reuerentia neganda non eſt. Bonus Abdias occurrens Eliæ in via, *cum cognouiſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam.* Principes quinquagenarij primus & ſecundus, quos ad Eliam Prophetam in monte ſedentem miſit Ochozias Rex, quia ad eum venientes nullo honore exhibito iubent ex Regis mandato vt de monte deſcendat, igne de cælo conſumpti ſunt, dicente Elia: *Si ego homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* Sed cum tertius quinquagenarius veniſſet, & *curuans genua ſua contra Eliam precatus eſſet, dicens, Homo Dei, noli deſpicere animam meam*, &c. deſcendit Elias cum eo, & nihil detrimenti accepit. Leo Imperator, veniens ad Danielem Stylitem, in columna perpetuo ſtantem, vt eum videret, in eius conſpectu cadit cum equo ſupinus, diademate per terram deiecto. Imperator autem hunc equi ſui tam repentinum & inſolitum caſum ſibi ipſi imputauit, quod ſic auſus fuiſſet ante eius oculos equo vehi, & quod non pedes procul abiit à ſacra columna. Sanctus Nicolaus Myrenſis Epiſcopus, tres ciues iam in patibulo poſitos, & velata facie ſtatim ſecuri feriendos, ſola voce ſeruauit, ita territo iudice, vt veniam ab eo iniquæ ſententiæ ſupplex ac procidens ante pedes eius peteret. Docere nos hæc exempla poſſunt, quanta etiam externa viris ſanctis in hac etiam vita veneratio debeatur, quantumque ea vel collata Deo placeat, vel negata diſpliceat. De externa corporis reuerentia circa Dei cultum iam in alia Dominica diximus.

Do. Palm. In feſto Purificat. & ſancti Matthæi. Reuchlinus de arte cabaliſtica. Simile.

Exodi 34. 1. Reg. 18. Marci 6. Exempla. 3. Reg. 18. 4. Reg. 1. In vita S. Dan. apud Sur. to. 6. p. 856. Ibid. p. 805.

Do. 3. poſt Epip. tex. 1

2. *Filia mea modo defuncta eſt.*

Mortis exſpectatio. Luca 6. Mar. 5. LOcus moralis de mortis celeritate, horaque incertiſſima perpetuo expectanda. Hęc enim Archiſynagogi filia vnica illi erat & annorum ferè duodecim, vt ſcribunt Lucas & Marcus, & tamen morbo correpta moritur. Nec ætas tenera, nec parentum fortuna lauta, nec educatio mollis, nec amicorum copia, à mortis iaculo eam defendere aut liberare potuerunt. Ecce alia mulier huius Euangelii totis duodecim annis ex profluuio ſanguinis laborat: hæc vix duodecim annos nata moritur. Vtraque eius nos monet, quod beatus Iob in medio dolorum ſuorum enunciauit: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* In quæ verba D. Greg. *Quid ſunt nati homines in mundo, niſi quidam flores in campo? Homo etenim more floris procedit ex occulto, & ſubito apparet in publico; qui ſtatim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Et nunquam in eodē ſtatu permanet, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adoleſcentiam, adoleſcentia ad iuuentutem, iuuentus ad ſenectutem, ſenectus tendit ad mortem, in curſu vitæ præſentis ipſis ſuis augmentis ad detrimēta impellitur; & inde ſemper deficit, vnde ſe proficere in ſpatium vitæ credit.* Talis igitur hæc vita præſens eſt, vt potius curſus ad mortem, imo & mors ipſa, quàm vita, dicenda ſit. Quod his verbis ſapienter docet Auguſtinus: *Ipſum diu viuere quid aliud eſt, quàm ad finem currere? Habuiſti heſternum diem, habere vis & craſtinum diem. Sed cum dies iſte tranſierit & craſtinus, minus illum habes. Ideo optas vt luceſcat dies, vt appropinquet tibi quo non vis peruenire. Optat tibi amicus multos annos, vis nempe vt veniant anni & anni, & non vis vt veniat finis annorum. Studia tua contraria ſunt. Ambulare vis, & peruenire non vis. Ipſi dies non ſunt, & quomodo tu cum illis vis ſtare?* Hæc ille. Morimur ergo viuendo, vt bene moriendo viuamus verè. Quare alibi de hac vita dicit: *Mortalem dicam vitam, an mortem vitalem, neſcio.* Sed & in ipſis Scripturis ſanctis hanc vitam mortem potius quàm vitam vocari, idem ſapientiſſimus Doctor animaduertit. Nam ſuper illa Chriſti verba, *Et in iudicium non veniant, ſed tranſeant de morte ad vitam*, dicit: *In hac vita, quæ nondum eſt vita, hinc tranſimus à morte ad vitā.* Quod mox ex aliis Chriſti verbis

Iob 14. Moral. lib. 11. c. 27.

Vita præſens mors quædam perpetua. De verbis Domini, Ser. 39.

Conf. li. 1. ca. 6. Ioan. 5. Tract. 22. in Ioan.

A verbis probat: *Si enim vita esset ista, non diceret Dominus cuidam, Si vis venire ad vitam, serua mandata. Non enim ait illi: Si vis venire ad vitam æternam, non addidit æternam; sed tantùm dixit, vitam. Nec vita nominanda est, quæ non est vera. Quæ est vera vita, nisi quæ est æterna vita?* Quod & statim ex Apostoli verbis ostendit, vbi de diuitibus dicit: *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Profectò ista, in qua erant, falsa vita est. Nam vt quid velis apprehendere veram, si iam tenes veram? Si autem apprehendenda est vera, migrandum est à falsa.* Hæc ibi ille. Matth. 19. 1. Tim. 6.

Et ne quis existimet, vitam hanc præsentem ideo tantum à Scripturis & à sancto Augustino negari esse veram vitam, quia mala est, & peccatis fœdata, miseriisque obnoxia; sed vt intelligamus, ideo præterea non esse veram vitam, sed falsam, adeóque mortem potius quandam, quã perpetuus ad mortem cursus, vnde & ideo æternæ opponitur; ex alia S. Augustini disputatione ostẽdetur. Sic enim scribit: *Ex quo quisque in isto corpore morituro esse cœperit, nunquam in eo non agitur vt mors veniat: quoniam quicquid temporis viuitur, de spacio viuendi demitur, vt omnino nihil sit aliud tempus vitæ huius, quam cursus ad mortem, in quo nemo vel paululum stare, vel aliquanto tardius ire permittitur, sed omnes vrgentur pari motu, non diuerso impelluntur accessu. Neque enim, cui vita breuior fuit, celerius vitam duxit, quàm ille cui longior; sed cum æqualiter æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quò non impari velocitate vterque currebat. Aliud est autem amplius vitæ peregisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo vsque ad mortem productiora spatia temporis agit, non lentius pergit, sed plus itineris conficit. Porrò si ex illo quisque incipit mori, hoc est, esse in morte, ex quo in illo agi cœperit ipsa mors, id est, vitæ detractio, quia cum detrahendo finita fuerit, post mortem iam erit non in morte, profectò ex quo esse incipit in hoc corpore, in morte est.* Hæc ille, manifestè probans, vitam hanc præsentem mortem quandam esse & vitam. *In vita enim* (inquit paulò pòst) *homo est in qua viuit donec tota detrahatur: in morte autem, quia iam moritur, cui vita detrahitur. Si enim non est in vita, quid est quod detrahitur? si non est in morte, quid est ipsa vitæ detractio?* Est ergo hæc præsens vita, vita quædam falsa, sed non vera; quia adiunctã habet, quæ non omnibus apparet, perpetuam quandam mortem, id est, sui perpetuam diminutionem absque noua reparatione. Vnde appositè D. Gregorius: *Quid aliud est quotidianæ nostræ corruptionis defectus, quam quædam prolixitas mortis?* August. de Ciu. Dei, lib. 13. c. 10. Simile.

Si fons vnde flumen scaturit, perennis non esset, flumen currendo aresceret; & quo velocius curreret, eo citiùs; & sic tale flumen verè diceretur fluere, verèque aresceret & exiccari. Sed quia fontem perennem habet, vnde quod modò fluxit, statim reparatur, noua semper fluente aqua; ideo flumina verè currunt, & non arescunt; verè viuunt, & non moriuntur, saltem stante hoc sæculo. Atqui hominis vita, quia nihil perenne habet, vnde perpetuò restauretur, sed potius ex contrarijs elementis & corruptibilibus constans, sui detrimenti perpetui in se causam habet, ideo viuit quidem, sed vita moriente, & ad vitæ C terminum incessanter currente. Quare quum nemo vigilans & dormiens, languens & sanus, dolens & gaudens simul & semel & iuxta idem dici possit; quodam tamen naturæ miraculo, homo simul, & viuens & moriens rectissimè dicitur. Quamuis enim, iuxta communem loquendi modum, tria hæc verè dicantur, *homo viuens, homo moriens, & homo mortuus*, quasi tria distincta, quia moriens non dicitur, nisi qui morti proximus animam exhalat; tamen etiam ipse moriens adhuc viuens est: nisi enim adhuc viueret, iam mortuus diceretur, non moriens. Viuendo ergo per totam vitam morimur; sed quia in fine vitæ id magis apparet, tunc demũ mori communiter dicimur, vt quum dicimus, Ille moriens hoc legauit. Sed vt eleganter dixit Seneca, *sicut clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid antè defluxit; sic vltima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola cõsummat.* Est igitur hæc vita mors potiùs quædam, quàm vita; & falsa vita, non vera: quia nihil habet firmum ac stabile, & in eodem statu non permanet. Simile. Aug. ibid. cap. 11. Epist. 24. Simile.

Sed & *quasi flos egreditur, & fugit velut vmbra*, ait S. Iob. In vltimis verbis duo dicuntur. 1. quòd fugit: 2. quòd in modum vmbræ. Fugit, propter vitæ breuitatem: in modũ vmbræ, propter vmbraticas & falsas eius voluptates. Vtrumque his verbis docet S. Chrysostomus: *Dicet aliquis, Hominis illius magna est potentia; verùm duratura in posterum vsque diem, & paulò pòst interitura: quod ita esse ex longè olim potentioribus patet, qui nusquam in præsenti apparent. Nec secus se habet hæc vita quàm somnium aliquod ac scena, qua sublata, rerum illæ omnes varietates dissoluuntur. Et vt radiante sole tolluntur insomnia, sic in fine vitæ cuncta euanescunt. Et arbor quidem plantata, domusque ædificata diutius perstant: faber autem qui ædificauit, & agricola qui plantauit, cito abeunt & corrumpuntur.* Hæc ille. Quare vt sapienter scripsit S. Augustinus, *Ipsa longa hominis vita tanta breuitate constringitur, ad vniuersi sæculi latitudinem, quasi si vna gutta ad vniuersum mare comparetur.* Quid, quod vt sua natura, atque in tota sua latitudine, non nisi breues dies hominis sunt, & vita breuis; ita præterea ipsa vitæ breuitas mille casibus breuior fiat, nec ad qualemcunque illam suam longitudinem pertingat, sed ea ipsa nihil sit incertius? Quemadmodum enim vasa fictilia æquè sunt obnoxia periculo, siue sint noua, siue diuturna: sic homines æqualiter sunt mortales, & interitus periculis expositi, siue sint adolescentes, & in ætate florenti; siue sint senes, & ætate progressi. Si in figulinam ingressus, videres mensam fictilibus vasis refertam, quibusdam recentibus, quibusdam verò antiquis, alijs magnis, alijs autem paruis; & à figulo quæreres, quodnam ex illis est prius frangendũ, certè tibi responderet, quod aliquo prius casu in terram decideret: ita ex hominibus ille prius è Ser. de vã. & breu. vitæ, tom. 5. Similia. D De verb. Domini ser. 40. Similia.

vita decedet, non qui fuerit antiquior, sed quem aliquis casus ad sepulchrum traxit. Nihil est aliud hoc seculum totum quàm figulina quædam, nósque in ea quædam vasa fumus fictilia, vt A

Psalm. 2. sæpe Scriptura loquitur. Sic Propheta Regius: *Tanquam vas figuli cõfringes eos.* Sic Esaias: *Esaiæ 30.* *Commi-*
nuetur sicut conteritur lagena figuli. Sic Apostolus: *1. Cor. 4.* *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Ac deni-
Apoc. 2. que D. Ioannes: *Tanquam vas figuli confringentur.* Nihil ergo hac vita incertius, sicut vasis fictilibus
Similia. nihil fragilius. Quemadmodum qui iter faciunt, de solis occasu aliquando non cogitant, & eos
1. nox opprimit incautos; sic mors multos aggreditur, de illa minimè cogitantes. Prudens est ille
2. seruus, qui, quum se à domino dimittendum videt, prior ipse sponte recedit: hoc enim magis honestum, & rebus suis ita meliùs ac maturiùs consulet. Quum igitur hæc vita certissimè nos
3. deseret, & fortè inopinatos, satius est, vt, eius amore deposito, ad eam relinquendam semper parati simus. Hoc enim & honestius nobis erit, & saluti nostræ multo consultius. Si quis pecuniam creditam soluere creditori molestè ferat, eam præsertim cuius vsum gratuitum acceperit, nonne vir iniustus habebitur? Dedit tibi Deus vitæ spacium, & gratuitò dedit, & ad vsum tuum dedit, & quidem ita, vt, ea si rectè vtaris, vitam postea æternam consequaris. Si suo iure vsus, creditum, quando vult, & citiùs quàm putabas, reposcit; nec iniquè ferre, nec prorsus mi-
4. rari deberes, sed cum magna animi alacritate, naturæ auctori, naturæ debitum reddere. Sicut apes, quum vehementer inter se tumultuantur, iactu pulueris componuntur: sic nos turbulentis passionibus concitati, memoria pulueris in quem sumus conuertendi, & mortis recorda- B
tione, omnes animi motus componere ac sedare poterimus. Quare sapienter Diuus Basilius
In qq. fusè disput. resp ad q. 6. crucem Christi, vel crucem suam post Christum tollere, (quod omnes qui post Christum venire volunt, & ad gloriam, quam ipse intrauit, intrare, facere necesse est) definiuit esse *præparationem ad mortem, & ad hanc præsentem vitam affectum non esse, sed ad omne vitæ periculum pro Christi nomine*, id est, pro omni iustitia *suscipiendum sedato animo accedere.* Sed de mortis incertitudine,
Dõ. 15. post Pent. tex. 2 ac memoria huiusque recordationis varia vtilitate, iam in alia dominica copiosè diximus, quæ & huc conferri possunt. Hoc loco etiam ista adiicere, propter huius argumenti singularem fructum, visum est.

3. *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius.*

Verecundè ad Deum accedendũ. Oseæ 4. LOcus moralis de verecundia & timore, quo ad Deum peccatores accedere par est, vt sanentur. Hæc enim profluuio sanguinis laborans, graues peccatores denotat, & peccata peccatis addentes, iuxta illud Prophetæ: *Sanguis sanguinem tetigit.* Hoc enim vt inferret, dixerat prius: *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Sanguinis ergo fluxũ spiritualem patitur, qui vel multis peccatis deditus est, ambulans post concupiscẽtias suas; vel vnius peccati cuiuspiam consuetudine victus, idem sæpe peccatum repetit. Vterque enim cupiditatis fluxum patitur. De
Psalm. 72. vtroque verum est quod Scriptura dicit. *Transierunt in affectum cordis*: quia, pecudum more, non rationis ductum, sed cupiditatis impulsum sequuntur. Qui cæco impetu præcipites in flagitia rapiuntur, nec vllis doctrinæ medicamentis ab hac praua consuetudine reuocantur, isti cupiditatum fluxum patiuntur. Sic affecti, & qui nullis humanis medijs, nec institutis Philosophicis, nec proprijs naturæ viribus, sanari poterunt, vt ad Christum animarum Medicum accedãt, huius mulieris verecundiam ac timorem in principio conuersionis imitari debent. *Retrò accedere*, non audacter Deum coram compellare: *Non enim iustificabitur in conspectu eius omnis viuens. Vultus*
Psal. 142. 33. 90. Esaiæ 38. Psal 83. *enim Dei est super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* A tergo verò, vt *scapulis suis obumbret nos, vt proijciat post tergum suum omnia peccata nostra.* Si enim peccator *viderit faciem Dei, non erit salua anima eius.* Quare Dauid sic Deum orat: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem filij tui.*
Exempla Lucæ 7. Sic Magdalena peccatrix, accessura ad Christũ, retrò pedes eius accessit, eos osculãs, lauans, in- D
Lucæ 18. ungens. Sic publicanus non audebat ad cœlum oculos leuare, stetitque à longè. Sic Dauid pec-
Psalm. 61. catores hortatur: *Effundite coram illo corda vestra.* Agnoscite vos vacuos, omnique venia ac fauore indignos. Hoc est retrò accedere. Deinde *tangere fimbriam vestimenti eius.* Nec Christum comprimere cum turba rudi & indeuota, nec ipsum tangere, nec totum vestimentum eius, sed fimbriam tantùm, & extremam atque infimam vestimenti partem. *Tangit Christum fides paucorũ, premit eum turba multorum*, ait sanctus Augustinus. Tangit fides, tangit deuotio, tangit humilitas.
Ser. 6. de ver. Dom. Moral. in Iob l. 3. c. 15 *Multi Dominum comprimunt* (ait Gregorius) *& vnã tangit: quia carnales quique in Ecclesia eum premunt, à quo longè sunt; & soli tangunt qui huic veraciter humiles adiunguntur. Premit turba carnalium, & nõ tangit, quia & importuna est per præsentiam, & absens per vitam.* Tangit anima fidelis, humilis, & deuota, quia & præsens est pietate, & grata est præsentia. Maior tamen humilitas peccatoris, qui, vt Christum confidentius tangat, eius se primum fimbriæ submittit. Quod quale sit, his verbis diuus Bernardus exponit: *Homini peccatori profluuium sanguinis patienti nequaquam per seipsum conuenit*
Bernar. in l. Alleg. ad Lucæ c. 28. *ad Christum accedere, sed tangere si quam inuenerit eius fimbriam, hoc est, considerare hominem quem humiliorem viderit in Ecclesia, quæ est vestis Christi. Eum, inquam, qui elegit abiectus esse in domo Dei, oportet cõsiderare: quoniam is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam spiritualis vnguenti descendens à capite copia tota decurrit. Hunc si beneficijs aliquibus, vel prece humili, aut confessione pura tetigerit, vt affectũ*

eius

A *eius erga se moueat ad compatiendum sibi habeat fidem, sine dubitatione saluabitur.* Hæc ille. Hunc superni Iudicis timorem docuit Sanctus Iob, dicens; *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*: actu videlicet, & delicta non relinquenti. Debet hic timor, quasi ostiarius quidam, prauas cogitationes abigere, viam & aditum pœnitentiæ patefacere, & sicut acus filum, sic charitatem cæteráſque virtutes introducere. Optandum esset, eam nos peccatores humilitatem in peccatis nostris habere, quam sancti in suis virtutibus habent. Centurio, vir tantæ fidei quantam in Israël Christus non inuenit, dixit: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Multo magis peccator hoc dicat, & sic per fimbriam vestis Christi per iustorum intercessiones, aditum sibi ad Christum faciat. *Iob 9.* *Matth. 8.*

4. *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero.*

LOcus moralis de fiducia in Deum, eiusque bonitatem. Singularis admodum fuit istius mulieris fiducia, spes admirabilis, fides robustissima, quæ, nulla accepta promissione, nullo inuitata præcepto, nullo prouocata exemplo, ex solo fimbriæ Christi contactu, saluam se fore non dubitabat. Postea quidem huius mulieris exemplo & beneficio admoniti alij, *obtulerunt Christo male habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent*, Sed prima B quæ hac fide ad Christum accessit, hæc mulier fuit. Vnde & eius hanc admirabilem fidem tres Euangelistæ diligenter descripserunt, alij postmodum imitati sunt, Christus non facto tantum, in momento illam sanans, ipsoque vt sperabat contactu suæ fimbriæ saluam faciens, verùm etiam verbis misericordia plenis honorauit, dicens: *Confide filia. Fides tua te saluam fecit.* De hac fiduciæ in Deum virtute iam decies diximus. Tamen quia vna hæc est ex illis primarijs virtutibus, quas frequenter commendat & inculcat Redemptor noster, aliqua hic addemus, prout Deus dabit. Scripturæ sacræ omnem fiduciam extra Deum acerrimis verbis reprehendunt & damnant; & in Deum fiduciam amplissimè commendant. Ne in diuitijs quisquam confidat (præter ea quæ aliàs diximus) monet Sapiens, dicens: *Qui confidit in diuitijs suis, corruet.* Et alibi quum dixisset, non quid fieri debeat, docens; sed quid fieri soleat, narrás; *Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circundans eum*: statim subiunxit; *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur.* Stulti in diuitijs confidentes, exaltantur, vt pereant: iusti confidentes in deo, sic se humiliant, vt à Deo exaltentur. Mulier hæc Euangelica humiliauit se, per fiduciam, vsque ad fimbriam vestimenti, & sana facta est. Sed opera medicorum duodecim annis vsa, & in diuitijs suis confisa (erat enim diues & nobilis, vt ex statua ænea, quam postea in huius beneficij memoriam illustrem erexit, coniici potest) sanari tanto C tempore non potuit. Alij in magnatum fauore & gratia fiduciam ponunt. Sed illis vide vt Scriptura loquitur: *Væ filij desertores, dicit Dominus, qui ambulatis sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia Ægypti in ignominiam.* Sanè sicut paries nouus, & ex lapidibus politis, sibique inuicem aptè cohærentibus, hederæ, vt in altum ei adhærens conscendat, sustentaculum non præbet, sed paries, per quem hedera crescat, rudis & inæqualis, rimis ac foraminibus plenus esse debet, vt experientia docet: sic omnino non iusti & timentes Deum, recti & simplices, sed rudes coram Deo & impoliti, scelerum rimis ac rupturis pleni sunt, per quos hederæ infructiferæ, alij homines impij fiduciam in illis habentes, ad opes, honores, & dignitates in hoc sæculo conscendunt. At horum hominum subsidia, qui Deo inimici sunt, firma ac stabilia esse non possunt. Quare iterum Scriptura ad huiusmodi dicit: *Nolite confidere in Principibus, nec in filijs hominum, in quibus non est salus.* Rationem subiungit: *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Solet elephas certis arboribus ad dormiendum inniti, quas obseruant venatores, & eo absente ita serra diuidunt, vt ad primum bestiæ nixum cadant; capto mox elephante, qui se sustrigere nequit, quum neruos & iuncturas cæterorum animantium non habeat. Tales arbores sunt huius sæculi potentes (vt Nabuchodonozori in visione ostensum est) quibus stulti innitentes cadunt, Deo illas succidente; & ita cadunt, vt erigere se vix queant: quia veræ in Deum fiduciæ neruis, veroque charitatis diuinæ nexu carent. Quare veram & solidam fiduciam Propheta Regius mox in subsequentibus subnectit: *Beatus cuius Deus Iacob adiutor ipsius, spes eius in Domino Deo ipsius; qui fecit cœlum & terram: & omnia quæ in eis sunt;* id est, qui omnipotens est, & cuius potẽtia minui non potest. *Qui custodit veritatem in sæculum*, verax D & fidelis est in eo quod promisit. *Facit iudicium iniuriam patientibus*; ne, qui in eum confidunt, ab inimicis opprimantur. *Dat escam esurientibus*, necessaria subministrat. *Dominus soluit compeditos*, si fortè aut carcere, aut peccati vinculo detineantur. *Dominus illuminat cæcos*, lumine gratiæ suæ. *Dominus erigit elisos*, in peccatum fortè prolapsos. *Dominus diligit iustos*, amplissima virtutis præmia retribuit. Adeò nihil ei deesse potest, vel ad inopiam subleuandam, vel ad copiam suppeditandam, cuius Dominus spes ac fiducia est. Certè omnes penè hymni Dauidici hanc virtutem prædicant; & vix vllus reperitur, qui non virtutis huius aut fructus, aut laudes, aut exempla contineat. Prorsus enim ita se res habet. Pro mensura huius fiduciæ, sua nobis munera Deus largitur. Ait Esaias: *Seruabis pacem Domine; pacem, quia in te sperauimus.* Sic

Fiducia in Dei bonitatem.

Matth. 14. *Marc. 6.*

Vide Dō. 4 post Pent. text. 5. & loca illic annotata.

Fiduciæ falsæ.

Prouer. 11. *Prouer. 18.*

Euseb. l. 7. c. 14. hist. Eccles.

Esaiæ 30.

Simile.

Psal. 145.

Simile.

Daniel. 5.

Vbi suprà.

Esaiæ 25.

Psal.32.& 21. Dauid: *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.* Et alibi: *In te speraverũt* A
Epist. ad Donatum. *Patres nostri: speravervnt, & liberasti eos.* Hinc D. Cyprianus: *Quantum vas fidei capacis afferimus, tantum gratiæ mandatis haurimus.* Huc illa promissio pertinet, (vt se credere affirmat D. Bernardus)
Ser. de 4. modis orandi. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Pede calcamus, quicquid firma fide ac fiducia in Deum apprehendimus. De Susanna ait Scriptura: *Erat cor eius fiduciam habens in Domino.* Vnde & mirabiliter liberata est.

Deut.11. Daniel.13. Ratio autem cur tantum apud Deum fiducia valeat, hæc esse videtur, quia illa maximè virtute Deum glorificamus, multóque magis, quàm vllis verborum præconijs. Qui ex fiducia in Deum ardua aggreditur, in pericula se coniicere non veretur, in rebus etiam deploratissimis optimam de eius bonitate ac potentia spem atque fiduciam concipit, ille profectò plus quàm verbis vllis enarrari queat, Deum glorificat. Pharmacopola, qui theriacæ suæ virtutem & efficaciam non verbis tantum commendat, sed deuorato coram serpente, moxque accepta theriaca, venenum expellit, suam proculdubio theriacam efficacissimè commendauit: sic glorificatur à nobis Deus, quum de facto propter fiduciam eius nominis ardua aggredimur. Atqui Deus

Simile. 1.Reg.2. dicit: *Qui glorificaverit me, & ego glorificabo eum.* Sic à contrario Moyses, etsi Dei amicissimus, tamen quia per vnam diffidentiam Deum apud aquas contradictionis inhonorauit, bis videlicet

Num. 20. petram percutiens, & prius populum obiurgans quàm percutiens; cum si verbis Dei eam quam oportuit fidem habuisset, nec populum prius obiurgasset, & vnico ictu aquam eduxisset, ab ingressu terræ promissionis excluditur, dicente statim ad illum & Aaron Deo: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* B

Simile. Sicut amantem patrem grauiter offendit filius, qui tristis semper & mœrens in familia incedit, de patris sui benignitate ambigens, & de rebus necessarijs diffidens: sic in Deum ille grauissimè peccat, qui tristis & pusillanimis in Ecclesia Dei versatur, de eius bonitate diffidens. De huiusmodi

Mich. 4. Scriptura sic loquitur: *Et nunc quare mœrore contraheris? Nunquid non Rex est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor vt parturientem?* Dei potentia & prouidẽtia securos nos facere de-

Idem. 8. Exemplũ. bet. Et per alium Prophetam: *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Habemus Christum Medicum, & Sacramentorum eius resinam;

4.Reg.6. de cicatricibus peccatorum curandis dubitare nefas est. Ioram quidem Rex Israël, dum grauiter Samaria obsideretur, & ad eum mulier quædam clamaret, *Salua me ô Rex*, respondit; *In quo te possum saluare, de area, vel de torcular?* Omnia enim ei subsidia tam vini quàm frumenti defecerant.

Psal. 146. Talia sunt humana auxilia. Sed area & torcularia Dei nostri non deficiunt, *qui parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum: qui dat iumentis escam ipsorum*: multò enim C

Dõ.14.post Pent. text. vlt. Prou.vlt. fortius hominibus, & maximè eum colentibus, vt in alio Euangelio nos docuit, nosque expliCauimus. Mulier fortis in Scripturis laudata, *misit manum suam ad fortia, & digiti eius apprehenderũt fusum.* Colo implicatur stamen, quod adhuc torquendum manu seu ducendum est. Fuso circũdatur, quod iam ductum & extractum, filũq; factum est. Digiti ergo eius apprehendunt fusum, qui ex bonis operibus, iam factis cõfidit in Deo. Colum cum penso tenet, qui cum proposito bene semper operandi sperat in Deo: & ille demum mittit manum ad fortia, pietatis opera heroica atque illustria producit.

Vera fiducia quæ. Sed hoc in loco ne veræ fiduciæ loco vel hæretica fides specialis, vel (quod idem ferè est) Epicurea præsumptio irrepat; obseruandum diligenter, fidem seu fiduciam, & hic à Christo, & in tot alijs Scripturis tam vehementer commendatam; non esse fidem aliquam mortuam, informem, aut cum peccati actu coniunctam, sed viuam esse, bonis operibus aut fœcundam, aut certè grauidam. De fiducia impetrandi à Deo quicquid petimus (quæ maxima pars eius est) di-

1.Ioan. 3. cit disertè S. Ioannes: *Si cor nostrum non reprehenderit nos*, id est, si secundum interiorem hominem non obedimus peccato & carni (vt exponit sanctus Augustinus) *fiduciam habemus ad Deum;*

Lib. de perfect. iustit. *& quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* Vides huius generis fiduciæ conditionem bis luculenter positam. Sic Diuus Paulus, positis priùs Hebræorum bonis o-

Hebr.10. peribus, de quibus dixit, *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis;* D infert, *Nolite ergo amittere confidentiam vestram.* Rursum de fiducia salutis æternæ & gloriæ quum

Rom.5. dixisset Apostolus, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*; & adiecisset, *Spes autem non confundit;* huius spei fundamentum, & causam subnectit: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* Charitatis ergo præsentia, quæ opere probatur, (*Diligere* enim *debemus non lingua & verbo tantùm, sed opere & veritate*) fiduciæ fundamentum est. Hac de causa Diuus Iacobus

1.Ioan.3. Iacobi 2. *hominem inanem* vocat, cuius fides non habet opera. Quod explicans Sanctus Augustinus, scripsit: *Discerne fidem tuam à fide dæmonum, qui timent, & spem non habent. Adde ergo fidei spem. Et quæ spes est, ni-*

De verbis Apost. ser. 16. *si de aliqua conscientiæ bonitate? Adde ergo spei charitatem.* Hæc ille, veram spem & fiduciam docens. Rursum diuus Paulus, quum diuites iussisset *non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo,*

1.Tim.6. *qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*; qualis hæc spes esse debeat, & in quo fundata, docet, subiungens; *diuites fieri in bonis operibus*, quod postea vocat, *thesaurizare sibi bonum fundamentum.* Sic & ad Titum scribit. *Vt curent bonis operibus præesse qui credunt Deo*: alioqui videlicet frustra

Tit.3. & inaniter crediturí. Quare & vetus scriptura dicit: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Do-*

Psalm.4. *mino.* Illud præcedat, vt hoc sequatur. Sic beatus Iob: *Quæ spes hypocritæ si auarè rapiat? Nunquid*

Iob 27. *Deus audiet clamorem eius?* Quare necesse est fieri, quod scripsit iuxta tot Scripturas sanctus Augustinus:

A guſtinus: *Qui vult habere bonam ſpem, habeat bonam conſcientiam. Hãc vt habeat credat, & operetur.* quod enim de vno virtutis ac pietatis genere Paulus dixit: *Qui benè miniſtrauerint, gradum bonum acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu*; hoc de omni pietatis opere intelligendum eſt. Mulier hæc in iſto Euangelio, vt Chriſtum cum fiducia tangeret, multas adiũctas virtutes habuit. Habuit verecundiam, timorem, humilitatem, *retro accedens*. Habuit operis laborem, vt per turbas ad fimbriæ tactum perueniret. Habuit pudoris ſui confeſſionem, quum *procidens ad pedes Chriſti, omnem illi veritatem diceret*, vt ſcribit Marcus. Habuit de potẽtia & bonitate Chriſti fidem & charitatem, quæ eam, vt ſic accederet, compulerũt. Hac fiducia acceſſit, & hæc eam fides ſaluam fecit. Tam hæreticorum hodie fiducia & ſpecialis fides, ſeu certitudo gratiæ quam ponũt, quàm quorumlibet impiorum Epicurea præſumptio, premit Chriſtum cum turba, & nullũ ex eo fructum capit. At fiducia Catholica, & orthodoxa, & pia, cum timore & tremore, cum bonis operibus & vitæ innocentia coniũcta, ſic tangit Chriſtum, vt virtutem ab illo exeuntem capiat. Talem fiduciam commendant Scripturæ: & hæc illa eſt, cui ampliſſimæ promiſſiones de perpetuo Dei adiutorio repoſitæ ſunt.

Præfat. enarr. in Pſalm. 31. 1. Tim. 3. Hæmorrhoiſſæ fiducia plena virtutibus. Marci 5. Locus cont. hæreticos.

5. *Et deridebant illum.*

B LOcus moralis de mundi huius ludibrijs circa pietatis opera prorſus contemnendis. Iſti tibicines, & reliqua turba popularis, quæ exanime corpus circunſtabant, audito Chriſti verbo, planè diuino ac myſtico; *Non eſt puella mortua, ſed dormit*; craſsè rem intelligentes, quod ignorant, derident. Chriſtus nihilominus illis loco iectis, quia non erant margaritæ proiiciendæ ante porcos, in pio ſuo opere progreditur, & puellam mortuam reſuſcitat. Ioſeph à fratribus ſuis ſomniator, per contumeliam & irriſionem, vocatur. Is nihilominus in ſumma auctoritate, & rerum affluentia poſitus, indigentibus fratribus, diraque fame oppreſſis, liberaliter & amanter ſubuenire non deſtitit. Dauidem ante arcam Dei totis viribus ſaltantem deridet Michol. At ille ei reſpondit: *Viuit Dominus, quia ludam, & vilior fiam, plus quam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Populus alienigena Iudæos templum reædificantes derident, & omnibus quibus poſſent modis impediunt. Illi tamen *vna manu opus faciebant, altera gladium tenebant.* Iuſti enim vna manu operantur, altera patientiam tenent. Vox impiorum de iuſtis eſt: *Nos vitam eorum reputabamus inſaniam.* Et apud Apoſtolum inter cæteras iuſtorum cruces hoc ponitur: *Alij ludibria & verbera experti.* Non eſt lucis vitium, quòd lucifugæ illam fugiunt, ſed laus. Temerarium eſt iudicare non audita vtráque parte. Mundani voluptates & ineptias mundanas præferunt continentiæ & grauitati ſpirituali, quia nihil adhuc de Spiritu guſtauerunt. Si de Spiritu

C guſtaſſent, *& eius voces audiſſent*, mundum certè maximè deriderent, & pro ſpiritu contra carnem iudicarent. Nunc verò homini carnali tota ratio iudicandi eſt conſuetudo cernendi. Quare proprium eſt malorum, bonos irridere. Sic docet Scriptura: *Ambulans rectò itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via.* Et iterum: *Abominantur impÿ eos qui in recta via ſunt.* Sed totum hoc nihili pendendum eſt. Nullam habet auctoritatem illa cenſura, vbi, qui damnatus eſt, damnat. Quum mali bonos de rectè factis irridẽt, idem eſt, ac ſi cæci videntes, claudi rectè incedentes, ægroti ſanos irriderent. Non eſt vituperium ſolis, ſi noctua eius lucem, vel non aſpiciat, vel deſpiciat. Imò à populari turba & ſæculi amatoribus laudari, vituperij loco vir ſapiens habebit. Vnde Antiſthenes Philoſophus, quum ſe à populo vehementer laudari, ab amicis intelligeret, reſpondit. *Quid enim mali feci?* Ezechias Rex Iudæis præcepit, ne reſponderent Aſſyrijs, qui irridebant Deum & populum eius, ne in grauiores blaſphemias prolaberentur. Quemadmodum enim aqua frigida in ollam bullientem coniecta, eius æſtum & feruorem comprimit: ſic ſilentium & neglectus improperij irriſorum contumelias & blaſphemorum malitiam intercludit. Vnde Eccleſiaſticus: *Non incendas carbones peccatoris.* Et Regius Propheta: *Cum conſiſteret aduerſum me peccator, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Nec enim ſic Olympiæ porticus Heptaphonon dictus, ſuum echo ſepties replicat, ſicut irriſor contumelioſus, niſi ſilentio comprimatur, maledictis maledicta congerit. Contemnenda igitur impiorum hominum ludibria, non ſolùm quia vana ſunt, ſed etiam vt modus illis imponatur, páxque noſtra conſeruetur.

Mundi ludibria deſpicienda. Exempla. 2. Reg. 6. 1. Eſdr. 4. Sap. 5. Hebr. 11. Similia. Ioan. 3. Prou. 14. Prou. 29. Similia. Laert. li. 6. Apophth. Eſaiæ 36. Simile. Eccli 8. Pſal. 38.

Certè vt ſcientia neminem habet inimicum, niſi ignorantem; ſic nec virtus, niſi vitijs indulgentem. Quum Chriſtus de contemptu mundi & diuitiarum diſſereret, *Phariſæi hæc audien-*

D *tes eum irridebant, quia auari erant.* Alias quoque, quum contra hypocryſim multa dixiſſet, & illi, *audito hoc verbo, ſcandalizati eſſent*, dicit ſuis Chriſtus: *Sinite illos. Cæci ſunt, & duces cæcorum.* Rurſus diſſerente eo de bono paſtore & mercenario, ac de nouo ouili, dixerunt Iudæi: *Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?* Quum Apoſtoli, accepto Spiritu ſancto, loquerẽtur varijs linguis magnalia Dei, multi *irridentes, dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti.* Paulo coram Feſto præſide de Chriſto mediatore, & reſurrectione mortuorum diſputante, *Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam adduxerunt.* Sed & de tota doctrina religionis Chriſtianæ dicit D. Paulus: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Et iterum: *Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt.* Quare & illi Athenis in Areopago Chriſti fidem an-

Exempla. Lucæ 16. Matth. 15. Ioan. 10. Actor. 2. Actor. 26. 1. Cor. 1.

nuncians,& resurrectionem mortuorum docens,à plerisque irridetur,dicentibus: *Quid sibi vult seminiuerbius hic*?quasi dicas,nugator,garrulus.Denique propter superbas infidelium contumelias & irrisiones,scribens ad Romanos dixit:*Non erubesco Euangelium*,vtcũq;videlicet à permultis itrideatur.Quum Propheta à Deo missus ad Principem Iehu cũ alijs magnatibus considentem veniret,eum in Regem vncturus;dicunt ei cæteri magnates à Propheta redeunti: *Quid venit insanus iste ad te*? Ita viri Dei huius mundi magnatibus insanire videntur. *Parentes & cognati Tobiæ irridebant vitam eius,dicentes:Vbi est spes tua,qua eleemosynas & sepulturas faciebas*? Adeò verùm est quod dixit sanctus Iob: *Deridetur iusti simplicitas*. Sicut & ipse se dixit derisum ab amicis suis. Prorsus igitur contemnent pij,si ab impijs deridentur, dicentes cum bono Tobia: *Nos filij sanctorum sumus,& vitam illam expectamus, quam Deus daturus est ijs, qui fidem suam nunquam mutant ab eo*. Ad hũc locum referri possunt, quæ de vano & temerario mundi iudicio , de contumelijs & maledictis patienter ferendis, de maleuolo impiorum iudicio, de lingua maledica & detractione , de conuitijs proximo illatis, de hypocritica & maleuola reprehensione in variis iam * Euangelijs deprompta sunt.

Actor.17. Rom.1. 4.Reg.9. Tobiæ 2. Iob 12. Tobiæ 2. * Dom.3 Aduent. text.1. Dom.Pass. tex.3.& 6. Dominic.3 post Pent. text.2. Dominic.5 post pent. text.3. A

6. *Et exijt fama hæc in vniuersam terram illam.*

B

LOcus moralis de operibus & beneficijs Dei summa laude prædicandis.Christus quidem (vt est apud diuum Lucam) suscitata à mortuis puella, *præcepit parentibus ne alicui dicerent quod factum erat*:documentum præbens, à nobis quidem gloriam fugiendam,vanæq; laudis ostentationem omnibus modis abdicandam esse. Hic tamen apud Matthæum miraculi fama percrebuit,& Christi nomen ac laudem per vniuersam regionem illam publicauit: quo docemur,aliorũ bona opera, maximè autem Dei in nos beneficia accuratè laudare, & quauis data occasione passim prædicare.Sic S.Dauid Dei beneficia & opera mirabilia,quæ maioribus suis in Ægypto,in deserto, in terra Chanaan; quæ sibi etiam affluenter contulerat in varijs Psalmis studiosè commemorat, copiosè prædicat, & maximis extollit laudibus. Sed & alios ad id pietatis genus cohortatur:*Narrate* (inquit) *omnes mirabilia eius*.Et de seipso ait: *Narrabo mirabilia tua*. Et iterum: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*.Et rursum:*Venite & audite omnes qui timetis Deum , & narrabo quanta fecit animæ meæ*. Sic Moyses narrauit Iethro cognato suo omnia quæ fecerat Deus populo Israël. Sed & Deus Iudæis in mandatis dedit, vt narrarent mirabilia Dei , & præcepta eius filijs suis, ac posteris suis. Sic Angelus Raphaël ad Tobiam : *Vos autem benedicite Deum cœli , & narrate omnia mirabilia eius. Sacramentum enim Regis abscondere bonum est:opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est*.Paulus & Barnabas in concilio Apostolorum & Seniorum *narrabant quanta fecisset Deus signa & prodigia in Gentibus per eos*. Hinc & in Ecclesia Catholica sanctissima manauit consuetudo,vt passiones martyrum,& mirabilia opera eorum, tum in Ecclesijs publicè recitarentur;tum etiam certis ad hoc constitutis Notarijs in registris & scrinijs Ecclesiæ publicis conseruarentur; quod Romana Ecclesia studiosissimè semper obseruauit:quod suo tempore,& in sua diœcesi negligentiùs factum, à se correctum fuisse,scribit S.Augustinus: *Apud nos* (inquit) *hæc nunc cœpit diligentia,vt libelli eorum qui beneficia percipiunt, recitentur in populo*. Cantica Moysis , & Mariæ sororis eius,Deboræ,Esaiæ,Ezechiæ,Annæ,Iudith,Tobiæ,Abacuc,Zachariæ,Simeonis, atque ipsius beatissimæ Virginis, nihil aliud sunt,quàm cantica laudum,& enarratio mirabilium Dei, quæ ad eius amorem nos prouocent.

Domin 16. post Pent. text. 2. Dei opera laude prosequenda. Lucæ 8. Psal. 104: 9.21.65. Exod. 18. Deut.9. Tobiæ 12. Actor. 15. Cõc. Carth. 4. Can. 41. Cyprian. l.3. epist.6. De Ciuit. Dei lib.22. cap.8. C

EVAN-

D

A

EVANGELIVM DOMINICÆ XXIV.

POST PENTECOSTEN.

CVM videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem vt non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio *Matth. 24*
B mundi vsque modò, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita, vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidente, ita erit & aduentus Filij hominis. Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur: & tunc parebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate. Et mittet
C Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas. Ita & vos, cum videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

PERICOPE moralis huius Euangelij.

1. *Tunc qui in Iudea sunt, fugiant ad montes.* De bonitate & clementia Dei erga suos, qui in tribulationibus auxilium adfert oportunum
2. *Orate vt fuga vestra non fiat in hieme, vel sabbato.* Contra frigidos & ignauos qui persecutionis aut mortis tempore pereunt.
3. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet.* De admirabili iustitia & vindicta Dei contra peccatores ingratos.

D
4. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* De fidei constantia in quauis persecutione; maximè hæreticorum & Antichristi, retinenda.
5. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.* De Dei benignitate, quæ nos malorum ceruicibus nostris impendentium admonet.
6. *Et tunc parebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* De extremi iudicij apparatu, maximè in signo sanctæ Crucis, impiis terribili.
7. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute magna & maiestate.* De supremi Iudicis aduentu supremo.

1. *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.*

Tribulationi auxiliũ adiungitur

LOcus moralis de bonitate & clementia Dei erga suos, qui in tribulationibus auxilium adfert oportunum. Hæc enim verba Christus dixit ad consolationem & instructionẽ eorum, qui ex fidelibus Hierosolymis tunc, atque in Iudæa essent, quando abominatio desolationis à Daniele prædicta staret in templo, id est, quando seditiosi Zelotæ, duce Eleazaro, templum armati occuparent, multaque in eo indignissima ac nefanda perpetrarent, Cestio Romanorum Duce cum suo exercitu Hierosolymam obsidente, vt latè apud Iosephum videre licet. Monet enim, vt tunc propter appropinquantem desolationem ciuitatis fugerent, & ex verbis Diui Lucæ hæc verba iuxta litteram intelligenda esse manifestè patet. Ait enim apud Lucam Christus: *Cum videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quoniam appropinquauit desolatio eius.* Cestio enim cum exercitu obsidente Hierusalem, sed incassum & frustra, eo recedente, seditiosorum creuit audacia, vt templum ipsum contra suos populares quasi arcem occuparent, & Ananum summum pontificem, inde eos cum populari manu exturbare volentem, occiderent: vnde paulò pòst à Tito sic obsidebatur, vt penitus excinderetur. Sed de hoc medio tẽ- B pore dicit Christus: *Tunc qui in Iudæa sunt* (vniuersam enim illam paulò pòst Vespasianus vastauit) *fugiant ad montes*: id est, ad terram montosam vltra Iordanem, in ciuitate Pella, vbi Agrippa Iudæorum amicus, & Romanorum socius, dominabatur. In hac enim ciuitate seruati sunt, quotquot ex Iudæis seruabantur, seu iam Christianis, seu fortasse futuris. Docet ergo hic locus ad litteram, Dei nostri bonitatẽ & prouidentiam suauiter omnia disponentem, qua sic iustos tentat, & ad tribulationes vocat, vt tamen remedia & consolationes, refugia & receptacula illis paret. Sic quum bonus Iacob cum tota sua progenie numerosa, solus tunc Dei populus, in terra Chanaan fame periturus videretur, prospexit ei de Ioseph (quem periisse putabat) qui in vniuersa Ægypto dominaretur, patrémque suum, fratres, & paruulos eorum abundè pasceret. Hanc Dei bonitatem ipse Ioseph, à fratribus suis iniquissimè venditus, illis exposuit: *Præmisit me* (inquit) *Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti.* Sic ipsi Iosepho, quum fratres eius Ismaëlitis illum vendidissent, statim parauit Putipharem, virum nobilem, qui illum diligeret, & totam ei familiam committeret. Ionas cum in tribulationem & tempestatem incidit, parauit illi Dominus cete grande, vt illum exciperet & custodiret. Elia Iesabelem fugiente, & in speluncis se abdente mandauit Deus coruo, qui pasceret eum. Dauidi potentiam Saulis per aliquot annos fugienti, C nunquam defuerunt speluncæ, loca tuta, vires & auxilia, quibus se à potentissimo & acerrimo hoste tutaretur. Sed quod illi vni dixit prudens fœmina Abigail, de omnibus iustis afflictis verũ est: *Erit anima tua custodita quasi in sacculo viuentium apud Dominum Deum tuum: porro impiorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.* Sicut enim corpora rotunda, quum sint figuræ sphæricæ, in omni loco sedent, & situm habent; sic iusto & forti omne solum patria est. Deus enim manum ponit, vt sedem illi commodam faciat, iuxta illud Psalmistæ: *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Et rursum alius Propheta ait: *Dicite iusto, quoniam bene.* Siue in exilium, siue in carcerem eat, siue æger, siue sanus sit; siue ab hominibus honoratus, siue despectus; dicite illi, quoniam benè cum eo agetur. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Cum in Perside acerbissima esset persecutio Christianorum, in Oriente sub Imperatoribus Christianis tutissima perfugia habebant: adeò sanè, vt quum fugitiuos suos a Theodosio iuniore Rex Persarum repeteret; non solum eos illi negaret Imperator Christianus, sed & bellũ ea in causa cõtra Persas gereret, ac nobilissimas victorias reportaret. Cum in Oriente Imperatores hæretici Catholicos suis sedibus pellerent, in Occidente semper quo se tuto reciperent, habebant; adeo sanè, vt vnus Symmachus Romanus Pontifex, Episcopos 220. Africa pulsos, in Sardinia suis sumptibus aleret. Quo in genere etiam illustre illud est, quòd cum Henricus 2. Anglorum Rex, in odium fortissimi pastoris S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiscopi tunc in Gallia, eo quod Regis iniquissimis legibus consensum negauerat, exulantis; vniuersam cognationem eius, etiam à paruulis vsque ad senes, in exilium eiecisset, omnibus rebus nudatos; *tamen, præstante Domino, omnibus sic prouisum est in breui, vt inter illos egens nullus esset: plurimi etiam feliciùs in exilio, quàm in patria degerent, ipso Archiepiscopo eos per diuersas prouincias ac personas per literas commendante, neminemque commendatos respuente.* D

De bello Iudaico l. 2 ca. 14. & lib. 4. cap. 5 & seq. Lucæ 21.

Niceph. l. 3 cap. 3. Euseb. l. 3. cap. 5. & Epiphan. l. 3. hæres. vlt.

Exempla.

Genesis 45.

Genesis 37.

Ionæ 1.

3. Reg. 19. 1. Reg. 20. & seq.

1. Reg. 25.

Simile.

Psalm. 36. Esaiæ 3.

Rom. 9.

Socrat. l. 7. c. 18. hist. Eccles.

Paulus Diac. l. 15.

In Quadrilogo de vita eius l. 2. cap. 14.

Certè cum Christus in Euangelio suis dixerit, *Si persequuti vos fuerint de vna ciuitate, fugite in aliam:* prouidit haud dubiè semper ac prouidebit, ne vnquam aliqua ciuitas desit, ad quam fugerent. Nam & ideo subiunxit: *Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israël, donec veniat Filius hominis.* Quod vt de prædicatione verbi vsque ad finem sæculi dilatanda, atque prædicatorum persecutione intelligitur; ità de ciuitatibus refugij (ille enim sunt veræ ciuitates Israël, non secundum carnem, sed secundùm spiritum) intelligi debet. Certè de grauissima & vltima Ecclesiæ Dei sub Antichristi persecutione, docet nos diuus Ioannes, nec tunc quidem ciuitates perfugij fidelibus defuturas. Ait enim: *Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, &c. Et mulier fugit in soli-*

Matth. 10.

A *in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta*, quod est triennium cum dimidio persecutionis Antichristianæ. Sub Caio Rom. Pontifice plurimi Christiani cum Chromatio & Tiburtio viris potentibus secedebant, persecutionem declinãtes, quibus de necessarijs Deus prospexit. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsarienſis, cum graui oborta persecutione dira contra Christianos edicta emitterentur, populum suum in præaltum montem perduxit, vbi vsque ad persecutionis remissionem diuina eos prouidentia aluit, & conseruauit. Idem legere licet in vita S. Lupi Trecensis in Gallia Episcopi, & S. Priuati Episcopi Gabalitani. Antiocho Epiphane in Iudæa sæuiente, & gentilismum introducere conante, infinita Iudæorum examina (teste Diuo Hieronymo) cum Onia Pontifice in Ægyptum se receperunt, vbi eos Deus salua religione diu conseruauit. Certè Danielem ex fidelium communi sententia sic interpretatur idem Doctor sapientissimus, quod Antichristus Idumæã & Moabitas, & filios Ammon, id est, Arabiam relinquet intacta, quia illuc sancti ad deserta confugient. Sanè vna hodie Anglicana persecutio, iam per annos triginta sæuiens, documento esse potest, nunquam deesse montes, ad quos qui in Iudæa sunt, fugiant; quum & in hoc Belgio, & in Gallia, & in Hispania, & in ipsa vrbe Roma Angli pro fide exules, sedes & domicilia sua, Deo prouidente, vtcunque posuerint.

Apoc. 12.

In Gestis eius.

Greg. Nyss. in vita eius

Commẽt. in Daniel. 11.

B

2. *Orate vt fuga vestra non fiat in hieme, vel sabbato.*

LOcus moralis contra frigidos & ignauos, qui persecutionis aut mortis tempore pereunt. Etsi enim Christus hæc verba propriè de fuga Iudæorum corporali ex ipsa Iudæa, imminente Hierosolymæ obsidione loquutus est; monens eos, orandum, & diligenter curandũ esse, ne ad talem fugam imparati inueniantur; vel ex incredulitate quadã, vel ex ignauia & torpore (hiemẽ enim & sabbatum prouerbialiter & parabolicè Christus hic accipit, pro eo quod figuratiuè significant) tamen & ad quamcunque persecutionem, afflictionem, maximéque mortem ipsam, quæ vltimum discrimen est in hac vita (sicut Hierosolymæ excidium vltimum illud fuit, à quo suos fugere Christus hic monuit) applicari illa possunt, sanctique Patres applicauerunt. Sic S. Hilarius, *Orandum* (inquit) *ne in peccatorum frigore, aut in otio bonorum operum inueniamur, quia grauis vexatio incumbit.* Sic & sanctus Augustinus: *Orare nos iubet, ne in lætitia, vel tristitia rerum temporalium quis inueniatur in die illo*, ne vel amore habendi, vel tristitia amittendi bona temporalia teneamur. Tales enim ad fugam expediti esse non possunt. S. Cyprianus causas cõmemorans, cur in graui sui temporis persecutione tam multi remanentes domi suæ, nec vel ab
C infideli Principe fugere, vel carcerẽ & tormenta manentes subire volentes, lapsi fuerint, Christum abiurantes, inter alia hæc dicit: *Dißimulanda, fratres, veritas non est, nec vulneris materia & causa reticenda. Decepit multos patrimonij sui amor cæcus. Nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula; illæ catenæ quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa, vt serpenti, terram secundũ Dei sententiã deuoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus inhærerent.* Hæc ille. qui ergo ad fugam persecutionis expeditus esse vult, in ipsa pace ad eam se comparare debet, vt in alia quadam Dominica latius deduximus.

Contra ignauiam & procrastinationem.

Can. 25. in Matt.

Quæst. Euang. lib. 1. cap. 37.

Serm. 5. de lapsis.

Idem iudicium est de quauis tribulatione, qua in hac vita carere non possumus; & maximè de morte ipsa, ad quam nunquam imparati esse debemus: quę & est iudicium cuiusque particulare, cuius imago excidium Hierosolymitanum, de quo Christus hic loquitur, fuit. Vnde hæc Christi verba ad mortis necessariam præmeditationem S. Gregorius sapienter vertit. *Nos*, inquit, *nunc solicitè cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant; & tunc quæramus ad bene agendum viuere, cum iam compellimur de corpore exire. Mementote quid Veritas dicat: Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato. Ac si apertè dicat: Videte ne tunc quæratis peccata vestra fugere, quando iam non licet ambulare.*
D *Per legis quippe mandatum ambulare longiùs sabbato non licet. Hiems quoque ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium, torpor frigoris astringit. Illud ergo tempus quo fugere non licet, modò debet cogitari dum licet.* Hæc ille. Et certè verbis proximè præcedentibus in nostro Euangelio, Christus idem insinuauit, dicens: *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Non enim* (ait S. Hilarius) *de fœtarum onere Dominum admonuisse credendum est, sed animarum peccatis repletarum ostendisse grauitatem. Illud quoque, Væ illis qui nutrientur, infirmitatem animarum quæ ad cognitionem Dei, quasi lacte, educantur, ostendit. Et idcirco væ ipsis erit; quia ad fugiendum graues, & ad sustinendum imperitæ, nec peccata effugerunt, nec cibum veri panis acceperunt.* Hæc ille. Væ igitur illis, qui, instanti mortis agone, salutaris vitæ propositum concipiunt, existimantes posse se in media hieme in deuotionis frigidissimæ, & in summo otio atque torpore fugere à ventura Iudicis ira, fugere à peccato, fugere ex hac miseriæ valle ad portum beatæ mortis. Ante oculos semper illa beati Iob sententia tenenda est: *Si repentè interroget, quis respondebit ei?* Repentè Dominus interrogat, cum hominem in hora mortis imparatum, multisque sceleribus irretitum inuenit. Deinde vide an illud tempus ad fugam peccati, ad fugam sæculi, ad fugam cupiditatũ tuarum idoneum esse possit, quando te tot malis habitibus præoccupatum, grauatum, atq; deinctum horror mortis inuadet, dæmonum vexatio torquebit, conscientiæ apertus liber terribiliter accusabit; & ab altera parte

Præparatio ad mortem necessaria.

Hom. 12. in Euang.

Can. 15. in Matth.

Iob 9.

vxor deflet, paruuli plangunt familia perſtrepit, amici gemunt, medici vadunt & redeunt, in- A
grediuntur & egrediuntur, alia atque alia ſubinde medicamenta (quibus vana vitæ ſpes la-
ctatur, & conuerſionis neceſſitas retardatur) nihil profutura ſubminiſtrant, corporis denique
ipſius dolores, æſtus, cruciatus, ipſáque imbecillitas vſque adeo mentem occupatam tenet, vt
vix aliud cogitare poſſit, quàm quod in præſenti acriter pungit. Quiſquis hoc tempore pecca-
tum deſerere vult, is verè in ſabbatho atque in hyeme, hoc eſt, tempore valde difficili, fugam
meditatur.

Impœnitentes à Deo deſeruntur

Accedit ad hæc omnia terribile Dei iudicium, qui in tali demum articulo pœnitentes ple-
runque iuſto ſuo iudicio deſerit, vt in aliis iam Dominicis dictum eſt. Sed huius nunc rei exẽ-
plum vnum aut alterum ſatis illuſtre ſubiiciam. Antiochus Epiphanes, Aſiæ Rex, qui tot ac
tanta mala Iudæis, Dei populo, intulerat, templum ſpoliauerat, religionem vniuerſam, intro-
ducto Gentiliſmo, ſubuertere contenderat, acerbiſſimo tandem viſcerum & internorum do-
lore à Deo percuſſus, manifeſtámque Dei virtutem in ſeipſo conteſtans, ita vt miſeri corpore
vermes ſcaturirent, cum nec iam ipſe fœtorem ſuum ferre poſſet, morti ſe appropinquare vi-
dens, in has pœnitentiæ voces erupit. *Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſenti-*
2. Mach. 9. *re.* Deinde, *Ieroſolymam optat liberam reddere, Iudæos æquales Athenienſibus facere pollicetur, templum ſan-*
ctum optimis donis ornaturum, ſancta vaſa multiplicaturum, pertinentes ad ſacrificia ſumptus de reditibus ſuis B
ſe præſtaturum, ſuper hæc & Iudæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturũ Dei
poteſtatem. Quid ad huius Regis pœnitentiam adiici poſſe videtur? Et tamen dicit ſermo diui-
nus: *Orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Alterum exemplum ex diuo
Homil. 12. in Euang. Gregorio huc deſcribam. *Rem* (inquit) *fratres chariſſimi, refero, quam ſi attentè audire vult charitas*
veſtra, ex conſideratione illius vehementer inſtruetur. Quidam vir nobilis in Valeria prouincia, nomine Chri-
ſaurius, fuit, vir valde idoneus, ſed tam plenus vitijs quàm rebus, ſuperbia tumidus, carnis ſuæ voluptatibus
ſubditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accenſus. Sed cum tot malis Dominus finem imponere decreuiſ-
ſet, corporis languore percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens, eadem hora, qua iam de corpore erat exiturus,
apertis oculis vidit tetros & nigerrimos ſpiritus corã ſe aßiſtere, & vehementer imminere, vt ad inferni clau-
ſtra ſe raperent. Cœpit tremere, palleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque ſuum, nomine
Maximum (quem ipſe iam monachus monachum vidi) nimijs & turbatis clamoribus vocare, Maxime curre,
Maxime curre; nunquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me ſuſcipe. Turbatus mox Maximus, adfuit: lu-
gens & perſtrepens familia conuenit. Eos autem quos ille inſiſtentes ſibi graniter tolerabat, ipſi malignos ſpiritus
videre non poterant; ſed eorum præſentiam in confuſione, in tremore ac pallore illius qui trahebatur, videbant.
Pauore autem tetræ eorum imaginis, huc illúcque vertebatur in lectulo. Cumque conſtrictus nimis relaxari ſe
iam poſſe deſperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicens: Inducias vel vſque mane: Inducias vel vſque
mane. Sed quum hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus de habitaculo ſuæ carnis euulſus eſt. De quo conſtat, quia pro C
nobis iſta, non pro ſe viderit, vt eius viſio nobis proficiat, quos adhuc diuina longanimitas patienter expectat.
Hæc ille. Quemadmodum miles qui ſecuritatis tempore arma ſua ſtuduit & polita ſemper cu-
ſtodire, & ad manum parata habere, vocante vel ad pugnam, vel ad inſpectionem Ducis tuba,
Simile. lætus & expeditus currit; qui verò ſecùs facit, ſonante tuba ſeriùs feſtinat, quæritans vbi ſit
gladius, vbi lorica, vbi ſcutum, & tanquam inutilis à Principe exauctoratur: ſic omnino malus
Chriſtianus, qui ſanus adhuc & vegetus, non conſiderat opera ſua, quid facit, quid non facit,
quomodo credat, quomodo ambulet, nec cogitat quia venturus eſt dominus eius, vt malus &
inutilis ſeruus exhæredatur. Qui coram iudice cauſam pendentem habet, non nocte, non die,
non aliquo temporis articulo aliud cogitat, loquitur, agit, quàm quo modo cauſa procedat, &
vt bonum terminum conſequatur. Tota hæc vita nobis conceditur, vt de cauſa noſtra cogite-
2. Cor. 5. mus, quæ pendet *ante tribunal Chriſti, vbi aſtare oportet nos omnes.* Summa dementia eſt, tum pri-
Dõ. 20. poſt Pent. tex. 4 & aliis præcedentibus mùm de cauſa cogitare, quando ad iudicium mors vocat. De hac re in aliis Dominicis vide
plura.

3. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi*
vſque modo, neque fiet.

Vltio Dei contra ingratos. LOcus moralis de admirabili iuſtitia & vindicta Dei contra peccatores ingratos. Chriſtus D
enim hæc verba dixit de illa, poſt omnem hominum memoriam maximè admirabili, pe-
néque incredibili Iudæorum ſtrage & internecione per Romanos facta circa excidiũ vr-
bis Hieroſolymitanæ, & totius gentis deſolatione ſempiterna cõſecuta, qualis & hodie toto paſ-
ſim orbe conſpicitur. Hæc enim Iudæorum tribulatio talis ac tanta fuit, qualis in illa gente (nã
de illa ſola adhuc loquitur) nec vnquam antea fuit, nec erit poſtea. Et tamen fuit hic populus
longè Deo dilectiſſimus, & qui ab eo præ cunctis gentibus maxima acceperat beneficia. Quod
Iudæis fu- totum ad noſtram inſtructionem hoc loco breuiter explicandum eſt, tanquam diuinæ iuſtitiæ
ctæ gratiæ. atque vindictæ erga ingratos peccatores documentum ſempiternum. Beneficia huic populo
1. collata ex his conſtare poſſunt, quòd hunc ſolum ex omnibus alijs gratuito amore elegit, quòd
2. electum admirandis portentis conſeruauit, quòd ſæpenumero delinquentem in gratiam re-
3. cepit, quòd diutiſſimè terga vertentem, & horrendè peccantem ſuſtinuit, quod amantiſſimis
4. verbis

A verbis suum erga eos amorem expressit, quod varios subinde Prophetas ad eorum correctionem 5.
misit, quòd ex ipsis tandem nasci, & inter eos conuersari, omnémque cœlestis doctrinæ thesau- 6.
rum effundere Dei Filius voluit, quòd postremò post omnem impietatem erga ipsum Messiam 7.
perpetratam, totis adhuc quadraginta annis eorum emendationem expectauit, & non nisi in 8.
clementissimi, atque adeò religiosissimi Ducis manus eos incidere permisit. Quæ singula pau- 9.
cis explicabo. Gratuitam vocationem Moyses illis his verbis expressit: *Te elegit Dominus Deus* Deut. 7.
tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vin- 1.
cebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores; sed quia dilexit vos Do-
minus, & custodiuit testamentum quod iurauit patribus vestris. Et rursum alio in loco: *En, Domini Dei tui* Deut. 10.
cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea sunt, & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, &
amauit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos de cunctis gentibus. Hæc fuit gratuita electio. Por- 2.
renta admiranda arctissimæ dilectionis signa innumera fuerunt. Tota terra Chanaan fame ex-
tritícum inueniebatur. In Ægypto oppressos, vt ab illa seruitute eos liberaret in manu forti, & In Exod. &
brachio extento, vastauit vniuersam terram Ægypti, & decem plagis percussit, quarum vltima Iosue per
erat, vt omnia eorum primogenita occideret: postea per mare rubrum sicco pede deduxit, Pha- totum.
raone cum toto exercitu submerso. In ipso deserto præcessit eos per diem in columna nubis,
B per noctem in columna ignis, & castrorum locum ipse metabat. Pluit illis manna de cœlo, edu-
xit aquam de petra, nobilissimas victorias dedit. In terram demum promissionis, fluentem lacte,
& melle, ejecto populo potentissimo, vt introduceret, perpetẽ Iordanis meatum in fontem re-
torsit, muros Iericho ipse diruit, missis de cœlo grandinis lapidibus pro eis dimicauit, solem in
medio cœli stare fecit immotum, vt Duci victoriam concederet amplissimam. Illud denique
longè maximum, & nullo satis sermone prædicandum beneficium fuit, quòd cæteras gentes di-
mittens Deus ire vias suas, & in corrupto penéque extincto naturæ lumine volutari, huic soli
populo legem suo digito scriptam dedit, *vt omnis qui faceret eam, viueret in ea*, vita vtiq; sempiter-
na; quòd cæremonias, sacrificia, verique Dei cognitionem tradidit. De hoc amplissimo benefi-
cio sic ad eos Moyses: *Quæ est gens tam inclyta, quæ habeat cæremonias, iustaque iudicia, & vniuersam le-* Deut. 4.
gem, quam ego proponam hodie coram oculis vestris? Non enim fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nõ ma- Psal. 147.
nifestauit eis, ait Dauid. *Et quæ est natio tam grandis, quæ habeat deos suos ita appropinquantes sibi, sicut adest*
Deus noster cunctis obsecrationibus nostris? Hæc est enim vestra sapientia & intellectus corã populis, vt audiẽ-
tes vniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gẽs magna. His verbis magnificè & me-
ritò Moyses hoc amplissimum huius populi beneficium exornauit. Sed & de alijs suprà comme-
moratis beneficijs diuinissimè dixit: *Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui.*
C *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eos, &* Deut. 32.
portauit in humeris suis. Nihil significantius dici potuit. Iam verò quoties delinquentem, in gra-
tiam tamen pœnitentem recepit, vix breuiter explicari potest. Primùm in ipso deserto, fabri- 3.
cato vitulo aureo, & turpissimè clamante populo, *Hi sunt dij tui Israel*, &c. intercedente Moyse, Iudæi relapsi quoties
pepercit eis Deus. Deinde toties contra Deum & Moysen murmurantem, per totos quadra- reconciliati.
ginta annos Deum tentantem & prouocantem, non deseruit tamen, sed in promissam terram
introduxit. Introductos per fortissimũ Ducem Iosue, & post eius mortem citò ad cultum ido-
lorum relapsos, tradidit Deus in manus Regis Mesopotamiæ: sed post annos octo per Othonie-
lem eos liberauit. Secundò relabentes occupat & opprimit Eglon Rex Moab annis 18. Libe- Iudic. 3.
rantur secundò per Aod, qui transfixit Eglon. Tertiò peccantes Iabin Rex Chanaan sub iugo
mittit annis 20. donec per Deboram & Barach eos Deus liberauit. Quartò idololatrantes Ma-
dianitæ vastant annis 7. & per Gedeon in integrum restituuntur. Adhuc peccantes à Phili- Cap. 4.
stæis & filijs Ammon affliguntur annis 18. & per Iephte liberantur. Redeuntes ad idololatriam Cap. 6.
Philistæis subiiciuntur annis 40. vsque ad Sampsonem, qui eos in libertatem asseruit. Dein- Cap. 11.
ceps Sacerdotum iudicio subditi, non ita multo post grauiter Deum offendunt, Regem postu- Cap. 13.
lantes. Dixit enim Samuëli, qui vltimus Sacerdos iudicauit Israël: *Non te spreuerunt, sed me, ne* 1. Reg. 8.
D *regnem super eos: iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de terra Ægypti vsque ad diẽ hanc,*
sicut dereliquerunt me, & seruiunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi. Et tamen audiuit Deus vocem eo-
rum, & dedit illis Reges, qui postea in maxima gloria regnauerunt. Nihilominus sub tribus tã-
tùm primis Regibus in Dei cultu persistentes, sub quarto Roboam filio Salomonis, decem tri-
bus sub Ieroboa nouos sibi deos fabricant; & in sua idololatria ita perstiterunt, vt, etsi per E-
liam & Elisæum, aliósque Prophetas, per Basaa & Iehu ex noua stirpe Reges, ad veri Dei cultũ
illæ decem tribus subinde reuocarentur, ad saniorem tamen mentem redire noluerint; vnde in
Assyrios decem illæ tribus sub Osee vltimo Rege Israël, translatæ sunt. Lege 1. 4. Regum, capi-
te 17.

Sed nec duæ reliquæ tribus fratrum adhuc exemplo cauerunt. Quare hic, quod quarto 4.
loco diximus, eluceſcit. Decẽ enim tribus à regno Ieroboæ vsque ad regnũ Osee perpetuò per Iudæi ad
annos 240. idolis seruientes tolerauit, sustinuit, & ad pœnitentiam expectauit clementissimus pœnitẽtiam
Deus, *& testificatus est per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens: Reuertimini à vijs vestris* expectati.
pessimis, & custodite præcepta mea, &c. sicut misi ad vos in manu seruorum meorum Prophetarum: qui non 4. Reg. 17.
audierunt, sed indurauerũt ceruicem suam iuxta ceruicem patrum suorum qui noluerunt obedire Domino Deo

suo. Istis tandem abiectis, reliquas duas tribus, adhuc annis plurimis subinde ad idola similiter A colenda relabentes, similiter, imo magis tolerauit, nobilissimis Prophetis Esaia, Ieremia, Ezechiele, & aliis ad eos missis. De hac illorum intolerabili duritie & peruicacia sic per suos Prophetas conqueritur Deus: *Esaiæ 1.* *Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: populus autem meus me non cognouit.* *Esa. 5.* Et iterum: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Sed adhuc flebilius & acerbius apud Ieremiam: *Ierem. 2.* *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Transite ad insulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusce modi. Si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt dij. Populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Lege sequentia. Et paulò pòst: *Ierem. 3.* *Nunquid vidisti quæ fecit auersatrix Israël? Abijt sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & præuaricata est ibi. Et dixi quum fecisset hæc omnia. Ad me reuertere, & non est reuersa. Et vidit præuaricatrix soror eius Iuda, quia pro eo quod mœchata esset auersatrix Israël, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij; & non timuit præuaricatrix Iuda, soror eius, sed abijt, & fornicata est etiam ipsa: & facilitate fornicationis suæ contaminauit terram, & mœchata est cum lapide & ligno.* Et paulò pòst clamat per Prophetam: *Conuertimini filij reuertentes, quia ego vir vester, & assumam vos.* Et post multa huiusmodi subiungit: *Sed quo-* B *modo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israël, ait Dominus.* Eandem Dei sustinentiam, populique durissimi extremam ingratitudinem multis verbis describit Ezechiel sub *Cap. 23.* figura duarum sororum Oollæ & Oolibæ. Rursum per aliam Prophetam: *Esaiæ 65.* *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Sic Deus hunc populum *Esaiæ 1.* vsque ad tædium sustinuit, vnde alicubi dicit: *Esaiæ 43.* *Liberauit sustinens*, & iterum: *Veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in peccatis tuis.* Parum tamen hoc totum erat. A captiuitate Babylonica reuocauit: templum instaurauit: nouos Duces ac Pontifices dedit, sub quibus diu floruerunt: Christus tandem ad ipsos ex ipsis venit. Docet in parabolis, quàm mali essent agricolæ, qui, occisis seruis domini sui, etiam filium ipsum ad eos missum occiderunt. Clamat diser- *Matth. 23.* tis verbis: *Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas qui mittuntur ad te, quoties volui congregare te, sicut* *Luc. 19.* *congregat gallina pullos suos sub alis suis, & noluisti!* Rursum *flet super ciuitatem*, dicens: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & non relinquetur lapis super lapidē: eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Postremò & in hoc Euangelio prædicit, quanta illis mala impendent. Quantum ergo & quàm diu hunc populum tergaſemper vertentem Deus sustinuerit, ex his quæ dicta sunt, aliquatenus constare potest.

5. *Iudæos vt Deus amauerit.* Verbis autem quàm amantissimis suum erga eos amorem contestatus fuerit, ista declarant. C In Scripturis eos vocat populū suum: *Exodi 19.* *Populе meus, populе meus quid feci tibi?* peculium & partē suā: *Deut. 32.* *Eritis* (inquit) *in peculium mihi de cunctis populis.* Et Moyses de illis: *Esaiæ 5.* *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* Vocat vineam suam, & germen delectabile. *Exodi 4.* *Vinea Domini exercituum domus Israel est; & vir Iuda germē eius delectabile.* Vocat filium eúmq; primogenitum. Sic enim *Ierem. 2.* ad Pharaonem Moyses loqui iubetur: *Filius meus primogenitus Israel. Dimitte filium meum vt seruiat* *3. Reg. 2.* *mihi.* Et Ieremias dicit: *Esa. 43.* *Nunquid seruus est Israel, aut vernaculus?* Imo ad Dauidem Deus dicit: *Ego* *Esaiæ 49.* *ero ei in Patrem, & ille erit mihi in filium.* Quid quòd etiam honorabilem filiū, & tenerrimè dilectū vocat? Sic enim apud Esaiam loquitur: *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & glorioſus, ego dilexi te.* Sed & plus quàm paterna dilectione se eos prosequi profitetur. Ait enim: *Nunquid potest* *obliuisci mulier infantem suū, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamē nō obliuiscar tui.* *Ecce in manibus meis descripsi te.* Sed quale illud est, quod hūc populū ipsam animam suam dilectā *Ierem. 12.* vocat. Sic enim apud Ieremiam loquitur: *Reliqui domū meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam* *animā meam in manum inimicorum eius.* Hæc Deus de futura Iudæorū captiuitate loquens. Nihil huic amori addi potest. Reliqua de Prophetis ad hunc populū subinde missis, de Filio Dei ad ipsos tandē veniente, Christo Redēptore nostro, de quadraginta annorū expectatione ante extremū excidiū, partim ex præcedentibus patēt, partim ex se. Sub Tito enim & Vespasiano patre *Iosephus de bello Iudaico, l. 6. c. 11. lib. 7. c. 4. & 10. & 13 & 15. & 24.* imperantibus, anno Christi 73. capta, & direpta, & vastata penitus Hierosolyma fuit. In qua tamē vastatione illud diuinæ clemētiæ erga hūc populū non obscurū adhuc argumentum fuit, quòd D sub Tito clementissimo & religioso Imperatore obsessa vrbs fuit. Ille enim & ad se ex vrbe fugientes benignissimè excepit, ita vt ex populo seruarētur plus quā quadraginta millia, &, ne vrbs diriperetur, multis orationibus & legationibus apud obsessos egit, ac demum, ne templum exureretur, omnia media tentauit; ac postremo, vastatione facta, reliquos toto orbe Iudęos in pace viuere, & antiquis priuilegijs vti frui permisit, vt apud Antiochiam, à tota ciuitate multum aduersus eos, sed frustra solicitatus, fecit. Quæ omnia vide apud Iosephum. Et sic quidem hunc populum Deus dilexit. Hæc illi beneficia contulit: de quibus adhuc lege Ezech. cap. 16.

Iudæorum castigatio. Sic tamen dilectos, toties in gratiam receptos, tot beneficijs auctos, in sua semper impietate persistentes, acerrimè Deus castigauit. Ac primūm quidem hoc ita futurum à principio per Moysen prædixit: *Deut. 32.* *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima; deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Foris vastabit gladius, & intus pauor: iuuenem simul, ac virginem, lactentem*

lactentem cum homine sene. Et dixi, Vbinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Expende hæc singula. Videbis tot fulmina quot verba. Atque in captiuitate quidem decem tribuum, hæc omnia ex magna parte completa sunt, sic atteſtante Scriptura: *Quamobrem iratus vehementer Dominus Israeli, abstulit eos à conspectu suo. Proiecitque Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manus diripientium, donec proiiceret eos à facie sua.* Multo autem adhuc acerbius ad reliquas duas tribus loquitur, primum per Ieremiam: *Eijce illos à facie mea, & egrediantur. Quod si dixerint ad te, Quo egrediemur? dices ad eos: Qui ad gladium, ad gladiũ; qui ad famem, ad famem; & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Et visitabo super eos quatuor species: gladium ad occisionem, canes ad lacerandum, volatilia cæli & bestias terræ ad deuorandum & dissipandum, & dabo eos in feruorem*, hoc est, in feruentem diuexationem *vniuersis regnis terræ.* Deinde per Ezechielem semel atque iterum: *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua. Calicem sororis tuæ bibes latum & profundum: eris in derisum, & in subsannationem quæ est capacissima. Ebrietate & dolore repleberis, calice mœroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. Et bibes illum, & epotabis vsque ad fæces, & fragmenta eius deuorabis, vbera tua lacerabis, quia ego locutus sum, ait Dominus.* Hæc ille, verbis, opinor, satis significantibus. Nempe ita tandem, vt alia loquitur Scriptura, *Ascendit furor Domini in populum eius, & nulla fuit curatio.* Quod volens per Ieremiam Prophetam significantissimè, quasique ad oculum demonstrare Deus, sic ad illum loquitur: *Vade, & posside tibi lumbare lineum, & pone illud super lumbos tuos, & in aquam nõ inferes illud. Et possedi lumbare iuxta verbum Domini, & posui circa lumbos meos. Et factus est sermo Domini ad me secundo dicens: Tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, & surgens vade ad Euphraten: & abscõde ibi illud in foramine petræ. Et abij, & abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge, vade ad Euphraten, & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi vt absconderes illud ibi: & abij ad Euphraten, & fodi, & tuli lumbare de loco vbi absconderam illud: & ecce computruerat lumbare, ita vt nulli vsui aptum esset. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Sic putrescere faciã superbiam Iuda & superbiam Ierusalem multam; populum istum pessimum qui nolũt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis sui, abieruntque post deos alienos vt seruirent eis, & adorarent eos: & erunt sicut lumbare istud, quod nulli vsui aptum est. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri; sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt.* Hæc ibi. Docent hæc verba, quanto populus iste Deo erat per gratiam coniunctior, tanto acerbius à Deo percussum fuisse propter incredibilem ingratitudinem.

4. Reg. 19.

Ierem. 15.

Ezech. 23.

2. Paral. 36

Ierem. 13.

Hæc autem omnia à Prophetis prædicta, vt partim in captiuitate illa Babylonica completa fuere, ita multo magis Iudæorum crescente contra Christum ipsum, eius doctrinam atque personam, varia impietate, incredulitate, inuidia, blasphemia, falsa demum accusatione & condemnatione, atque in manus Gentium traditione; sic contriti & afflicti, & internecioni dati sunt, vt tanquam lumbare putridum nulli amplius essent vsui, nullam Rempub. gerere aut administrare, nullum templum, nulla sacrificia habere toto orbe potuerint, illa demum adueniente tribulatione, qualis antea nunquam fuerat, & desolatione extrema. Nam post varias clades à Romanis Ducibus per totam Iudæam acceptas, à Cæstio, ab Albino, à Vespasiano, multisque interemptis millibus, tandem à Tito Imperatore obsessa Hierosolyma fuit ipso Paschali tempore, *quũ velut in carcerem* (ait Iosephus) *tota gens fato conclusa est.* Colligit autem Iosephus ex hostiis in illo festo immolatis, fuisse in ciuitate *vicies centena ac septuaginta millia hominum, omnes sanctos & puros, absque inquinatis*, qui sacrificia participare non poterant. Ex hoc toto numero recenset Iosephus, *captiuorum quidem, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millia, mortuorum vero per omne tempus obsidionis vndecies centena millia.* Ad tantam stragem accessit varia & inaudita calamitas. Ciuitas seditiosis & factiosis hominibus plena, *quorum gladius multo plures quàm hostilis absumpsit*: fames post hominum memoriam maxima, adeo vt matres suos liberos manducauerint: capta ciuitate, *inuẽtæ sunt integræ mortuorum familiæ, & plena mortuis tecta, quos fames confecerat. Romani milites interficiendo defatigabantur.* Tandem ex multitudine superstite, *latrones & seditiosi occiduntur. Iuuenes lecti procero atque formoso corpore triumpho seruantur; ex reliqua multitudine septem & decem maiores annis vincti, ad Aegyptum mittuntur, operibus deputandi. Plurimos per prouincias Titus distribuit, in spectaculis ferro & bestiis consumendos. Qui infra decimum & septimum ætatis annum agerent, venditi sunt. Iisdem autem diebus, quibus ita secernebantur, mortui sunt fame viginti duo millia.* His autem omnibus accessit vix vnquam lecta calamitas. Ex transfugis in castra Romanorum, quàm plurimi sciscis ventribus, auri scrutandi causa, à militibus occiduntur. *Et hac ego clade* (ait Iosephus) *nullam credo fœuiorem contigisse Iudæis. Vna denique nocte duorum millium patefacta sunt viscera.* Quid quod eodem fere tempore, quasi totus orbis in Iudæorum necem conspirasset, variis quoque in locis extra Iudæam quasi pecora occiduntur. *Nam*, vt est apud Egesippum, *Cæsareenses repentino quodam impetu viginti millia Iudæorum deleuerunt, omnes fugarunt, vt totam vrbem exinanirent. Idem per totam Syriã, maximè Scithopoli factum est. Damasceni, nulla existente causa, octo millia Iudæorum strauerũt: Ascalonitæ duo millia quingentos. In vrbe Ptolemaide, cæsa duo millia. In Alexandriam inductus exercitus Romanus, sexaginta Iudæorum millia intra vrbem fudit.* Hæc ibi. Adeo verum fuit quod Veritas hic dixit: *Erit tunc talis tribulatio* (Iudæis scilicet) *qualis antea nunquam fuit, neque fiet.*

Iudæorum clades.

De bello Iudaico, li. 7. c. 17.

1. Ibid. c. 7. & 8. Cap. 16. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Li. 6. c. 15. De excid. vrbis Hierosol. li. 5. ca. 53.

Porro ex sola Dei virtute ac potentia hanc tantę vrbis direptionem Romanis cessisse, tum Iosephus ostendit, Iudęus ipse, tum victor Romanus fassus est. *Parte enim aliqua muri ciuitatis sub-*

Iudęorum excidium vltio diuina.

Li. 7. c. 16.

ruta, ſtatim propugnatores eius diffugerunt, & timor tyrannos neceſsitate maior inuaſit. Vnde & maximè quis A
virtutem Dei perſpexerit contra iniuſtos. Hęc Ioſephus. *Titus vero capta ciuitate intro ingreſſus, ciuitatis munitiones, ac turrium cautes miratus eſt, quas tyranni per dementiam deſeruerant. Conſpecta ſiquidem earum ſolida altitudine, itemque magnitudine, ſubtilique lapidum compagine ſingulorum, quantumque paterent, vel quantum erigerentur, Deo, inquit, planè adiuuante pugnauimus, & Deus erat qui detraxit ab iſtis munimentis*
Li.6.c.11. *Iudæos. Nam quæ hominum manus aut quæ machina ad iſtas valerent?* Hæc Titus Imperator Romanus. Sed & ipſi Romanorum exercitui Deum aquas miraculo ſuppeditaſſe, auctor eſt Ioſephus. Sic enim in oratione de muro habita, Iudæos obſeſſos alloquitur: *Tito nunc fontes vberiores profluunt, qui vobis aruerant. Nam ante eius aduentum ſcitis & Siloem, & omnes extra ciuitatem fontes adeo defeciſſe, vt ad vtrunque aqua mercaretur; nunc autem ita hoſtibus noſtris largi ſunt, vt non modo ipſis & iumentis eorũ, ſed etiam hortis ſufficiant.* Hæc fuit ergo populi Iudaici, populi olim ita Deo grati, totque beneficiis cumulati, propter impietatem & ingratitudinem acerbiſſima, ſed iuſtiſſima vindicta, diuinitus inflicta.

Hebr.2. Hæc omnia ad correptionem noſtram facta ſunt. *Propterea* (ait Apoſtolus) *abundantius oportet nos ea obſeruare quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo,* (in veteri videlicet tradenda Lege, & pacto conſtituendo) *factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia*
Hebr.9. *accepit iuſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Qui videli-
Rom.11. cet tanto Iudæis maiora à Deo beneficia accepimus, *in quanto melioribus repromiſsionibus teſtamentum nouum,* cuius nos filii ſumus, *ſancitum eſt,* quã illud vetus. *Si naturalibus ramis nõ pepercit;* multo
Ierem.25. minus nobis, qui ex oleaſtro inſerti ſumus, ſimiliter præuaricantibus, parcet. *Ecce in ciuitate, in qua*
Ierem.49. *inuocatum eſt nomen meum* (ait Deus) *ego incipio affligere, & vos eritis immunes? Non eritis immunes, ait Dominus.* Et iterum: *Ecce quibus non erat iudicium vt calicem biberent, bibentes bibent; & tu quaſi innocens relinqueris? Non eris innocens, ſed bibens bibes.* Hæc ſinguli ſibi dicta putent, vt quorum ingratitudinem & impietatem imitantur, eorum exitus perhorreſcant. B

4. *Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.*

C

Fides in quauis perſecutione retinenda.

LOcus moralis, de fidei conſtantia in quauis perſecutione, maximè hæreticorum & Antichriſti, retinenda. Deceptio enim per hæreticos, & Antichriſtum, cuius illi præcurſores ſunt, tanta erit in huiuſmodi ſignis & portentis, vt robuſtiſſimi de fide periclitentur, niſi, quod hic prædictum eſt, cauerint. Maxime quia tales *ante ſecũdum aduentum Chriſti* (ait diuus Chryſoſtomus) *erunt multo prioribus amariores;* ſicut & hodie cernimus. Tot enim ac tales horum tempo-
Ho.77.in Matt. rum hæreſes ſunt, vt Antichriſto proximæ merito videri debeant: quod & in oratione quadam
In Orat. quod li. 4. de hoc argumento demonſtrare conati ſumus. Signa autem & prodigia quæ dabunt pſeudo-
Præſent. hær. proximas eſſe Antichriſto. prophetę, vt maiorem electis tentationem inferant, ſunt quidem ex parte opera miraculoſa, de quibus Apoſtolus dicit, ipſum Antichriſtum venturum, *ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus*: vel ſanè quia non vera, ſed falſa erunt miracula, & potius mi-
2.Theſſ.2. randa quàm miracula, ac nil niſi pręſtigiæ atque oculorum deceptiones; vel quia, etſi vera ſint
1.Cor.11. prodigia, quoad actus ſupernaturales, non niſi mendacia tamen erunt, quia non niſi mendacio ſeruient. Certè ad maiorem fidelium probationem (*ideo enim hæreſes ſunt, vt, qui probati ſunt, manifeſti fiant*) etiam vera miracula non ſolum Antichriſtus ipſe, eiuſque proximi præcurſores, ſed quilibet hæretici, non ſecus quàm magi, Deo permittente operari potuerunt. Quod ſuper hæc Euangelii verba docet Auguſtinus, *Admonet,* inquit, *hic Dominus, vt intelligamus quædam miracula*
Li.8.quæſt. q.79. *etiam ſceleratos homines facere, qualia ſancti facere non poſſunt, nec tamen ideo potioris loci apud Deũ putandi* D
Hæreticorum miracula. *ſunt. Non enim acceptiores erant Deo quàm populus Iſrael, magi Aegyptiorum, quia non poterat ille populus facere quod illi faciebant, quamuis Moyſes in virtute Dei maiora potuerit. Sed ideo non omnibus ſanctis iſta attribuuntur, ne perniciosiſsimo errore decipiantur infirmi, exiſtimantes in talibus factis maiora dona, quàm in operibus iuſtitiæ, quibus vita æterna comparatur. Cum ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquã faciunt ſancti; diuerſo fine, & diuerſo iure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam ſuam, iſti quærentes gloriam Dei: & illi faciunt per quædam poteſtatibus* (ſic dæmones vocat) *conceſſa in ordine ſuo quaſi priuata commercia vel beneficia (dæmonibus enim diuina lege ſæpè conceditur, vt eis, quos ſibi ſecundum eorũ merita ſubiugauerint, priuato illo iure etiam miraculorum aliquid præſtent) iſti autem publica adminiſtratione, iuſſu eius, cui cuncta*
Similia. *creatura ſubiecta eſt. Aliter enim cogitur poſſeſſor equum dare militi, aliter eum tradit emptori, vel cuilibet donat aut commodat. Et quemadmodum plerique mali milites, quos imperialis diſciplina condemnat, ſignis Imperatoris ſui nonnullos poſſeſſores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non iubetur, extorquent. Ita nonnunquam mali Chriſtiani, vel ſchiſmatici, vel hæretici, per nomen Chriſti, aut verba, & Sacramenta Chriſtiana exigunt aliquid à poteſtatibus, quibus honori Chriſti cedere indictum eſt. Cum autem malis iubentibus cedunt, voluntate, ad ſeducendos homines cedunt, quorum errore lætantur. Quapropter aliter magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali Chriſtiani. Magi per priuatos contractus, boni Chriſtiani per publicam iuſtitiam, mali Chriſtiani per ſigna publicæ iuſtitiæ. Nec mirum eſt quod hæc ſigna valent* (apud malos Chriſtianos,

A ſtianos,ſchiſmaticos,hæreticos) *cum ab eis adhibentur,quando etiam cum vſurpantur ab extraneis, qui omnino ſuum nomen ad iſtam* Chriſti *militiam non dederunt;propter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris valent. Ex quibus fuit ille,de quo diſcipuli Domino nuntiauerunt, quod in nomine eius ejiceret dæmonia,quamuis cum eis eum non ſequeretur.* Luc. 9.
Hæc hactenus Auguſtinus,dilucidè explicans, quomodo magi,mali & boni Chriſtiani miracula faciãt.Dant ſigna & prodigia pſeudoprophetæ per operationem diaboli (permittente Deo) cui diabolo ſe per ſuperbiam & errorem ſubdiderunt;vel quia in hac parte diabolus illis gratificari,& in errore magis confirmare ad pœnam peccati permittitur;vel quia ipſo nomine Ieſu Chriſti,& Sacramentis eius quamuis à transfuga ſui ducis characterem adhuc tenente adminiſtrantur) cogitur interdum id præſtare diabolus. Sic & in hiſtoria Eccleſiaſtica Nouatianorum miracula , & apud Petrum Damianum Simoniacos Epiſcopos miracula in Chriſti nomine feciſſe legimus. Sozom.li.8 ca.24. Epiſt.15. ca.7.

Donatiſtæ quoque ſua miracula iactitabant,quibus ſic reſpondet ſanctus Auguſtinus: *Nemo dicat, Hoc ideo verum eſt,quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel* Pontius, *vel quilibet alius; aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum orant,& exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingũt,aut quia ille frater noſter,aut illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit,aut tale viſum dormiens ſomniauit. Remouenda ſunt iſta vel figmenta mendacium hominum,vel portenta fallacium ſpirituum. Aut enim non ſunt vera quæ dicuntur;aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt,magis cauere debemus:quod,cum dixiſſet Dominus,quoſdam futuros eſſe fallaces,qui nonnulla ſigna faciendo,etiam electos,ſi fieri poſſet,fallerent;adiecit,vehementer com-* De vnitate Eccleſ. ca.16. Matt. 24. 1.Tim.4.
B *mendans,& ait: Ecce prædixi vobis. Vnde & Apoſtolus admonet: Spiritus autem manifeſtè dicit , quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à fide,intendentes ſpiritibus ſeductoribus,& doctrinis dæmoniorum. Porro ſi aliquis in hæreticorum memoriis orans exauditur , non pro merito loci,ſed pro merito deſiderij ſui recipit, ſiue malum,ſiue bonum. Et multi Deo irato exaudiuntur;de qualibus Apoſtolus dicit: Tradidit illos Deus in deſideria cordis ipſorum. Nonne legimus ab ipſo Domino Deo nonnullos exauditos in excelſis montium Iudææ? quæ tamen excelſa ita diſplicebant Deo,vt Reges,qui ea non euerterent,culparentur;& qui euerterent, laudarentur. Vnde intelligitur,magis valere petentis affectum,quàm petitionis locum. Audiant etiam quæ narrent pagani de diis ſuis & templis mirabiliter vel facta,vel viſa:& tamen dij Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Exaudiuntur ergo multi,& multis modis,non ſolum Chriſtiani Catholici, ſed & pagani , & hæretici ,& Iudæi variis erroribus & ſuperſtitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel à ſpiritibus ſeductoribus (qui tamen nihil faciunt,niſi permittantur;Deo ſublimiter iudicante quid cuiq; tribuendũ ſit) vel ab ipſo Deo,aut ad pœnã malitiæ,aut ad ſolatiũ miſeriæ,aut ad monitionẽ quærendæ ſalutis æternæ. Ad ipſam vero ſalutẽ ac vitã æternam nemo peruenit,niſi qui habet caput Chriſtũ. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit,niſi qui in eius corpore fuerit,quod eſt Eccleſia.* Et paulo poſt: *Quæcunque miracula in Catholica fiunt,ideo ſunt approbanda, quia in Catholica fiũt: nõ ideo ipſa manifeſtatur Catholica,quia hæc in ea fiũt.* Rom.1.
Monet igitur Chriſtus hoc in loco,& vehementer monet,ne ad ſigna & prodigia pſeudoprophetarũ animũ attendamus, ſed
C in vna ſola Catholica Eccl. nos ipſos contineamus. Ideo adiecit,vt à partibus nos reuocaret: *Si quis dixerit, Hic eſt Chriſtus,aut illic,aut in deſerto,aut in penetralibus;nolite exire* (ab vnitate) *nolite credere* partiali falſitati: vt latius in altero Promptuario Catholico hæc Chriſti verba tractauimus. Quod de paganorum miraculis dixit Auguſtinus,vbi & multa commemorat; id de pſeudoprophetarum & hæreticorum ſignis atque prodigiis dicendum eſt. *Priorum miracula vel maiora,certiora,clariora eſſe,vel ratione finis quo diſcernuntur,incomparabiliter excellere.* De Ciuit. Dei,li.10. ca.16.
Solebat Lutherus dicere,quia miracula edere non poterat,quum ſæpius fruſtra tentaret,vt & Caluinus in ſuo Matthæo,Geneuæ verè mortuo,quum ſuſcitandus pro mortuo viuus ſupponeretur; maximum ſuæ religionis atque doctrinæ miraculum eſſe,quod tot ſectatores tam breui tempore haberet. Cui & ſapienter & feſtiuè reſpondit Thomas Morus: *Ad propoſitam vitæ libidinoſæ licentiam populum ruere , id habet tantam miraculi ſpeciem,quàm ſaxa deorſum cadere.* Staphylus Apolo. priori. In epiſt. aduerſi Pomeranũ.
Cui non abſimile eſt,quod Calliſtæ meretrici Socrates reſpondit. Iactitante enim illa ac dicente, Tu neminem ex amatoribus meis à me potes abalienare;ego,quum libitum eſt,tuos auditores omnes à te voco:reſpondit Sacrates, Mirum hoc non eſt:tu ſiquidem ad decliuem voluptatis tramitem omnes rapis,ego ad arduum virtutis callem cogo. Aelian. li. 13. var. hi.
Sed & talia miracula plerique omnes hęretici fecerunt, Arrius maximè,Manes,Neſtorius & Eutyches,quorum ſectæ & latiſſimè ſparſæ ſunt,& aliquot ſæculis durauerũt, vt alio in loco oſtendimus. Sed ſi aliqua fortè veri nominis miracula hæretici hodie proferre poterunt ab ipſis facta,fugiendi nihilominus ſunt vt ſeductores,propter ea quæ iam dicta ſunt: imo eo magis fugiendi,quo maior in eis conſpicitur Satanæ operatio. De Eccleſię Catholicæ, & fidei orthodoxæ vnitate tenenda,in altero Promptuario latè diximus,quæ & in hunc locum ſalubriter conferri poſſunt. Pincip.fid. lib.13. cap. Do.24.poſt Paſcha,& Do.2.poſt Pent.& Feria 3. Paſchæ.
D

5. *Sol obſcurabitur,& luna non dabit lumen ſuum,& ſtellæ cadent de cælo,& virtutes cælorum commouebuntur.*

LOcus moralis de Dei benignitate,qua nos malorum ceruicibus noſtris impendentium admonet. Hæc enim omnia hic commemorata,*ſunt* (vt diuus Lucas ſcribit) *ſigna in ſole,& luna,& ſtellis;* quibus adiiciuntur,*& in terris preſſura gentium,præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione ſuperueniente vniuerſo orbi.* In his ergo terribilibus ſi- Malorum admonet Deus. Luc. 21.

gnis extremum iudicium proximè pręcedentibus admonet benignè clementissimus Dominus, futuros tunc peccatores, vt facta vitæ emendatione, mala imminentia ceruicibus suis depellãt. A

Simile. Solennis Deo est hæc benignitas & clementia. Peccatores multis signis admonet, vt peccare desinant. Tonitru præcedit fulmen, sed nos prius fulmen quàm tonitru videmus. Prius nobis tonitrua mittit, ac si dicat: Caue ne te fulmen interimat. Nos tamen vt negligentes prius à ful-

Gen. 6. mine diuinæ iustitiæ ferimur, quàm eius sentiamus exhortationes. Priusquam Deus mundum aquis diluuii destrueret, prædicauit Noë Gentibus, vt ad Deum conuerterentur, pœnitentiam agentes. Hæc fuit diuina misericordia, quæ homines tamen in peccatis obduratos nihil flectit.

Gen. 10. Comedentes & bibentes diluuium oppressit. Loth Sodomitis incendium illius ciuitatis nunciauit. Sed ipsis videbatur quasi ludens loqui. Vides Dei misericordiam, & hominum pertina-

Exodi 4. & seqq. ciam. Priusquam Pharao cum toto suo exercitu in aquis periret, multis à Deo signis per Moysen admonitus fuit. Hanc Dei misericordiam Vates regius prædicauit: *Dedisti,* inquit, *metuentibus significationem, vt fugiant à facie arcus.*

Dissimile. Ac venator quidem non minatur leporem, nec terret; sed potius expectat donec quiescat, vt sic eum sagitta transfigat. Deus vero arcum manu tenens (*Arcum enim suum tetendit, & gladium suum vibrauit*) clamat, comminatur, priusquam feriat, quia

Ser. 4. de collectis & eleemosynis. *non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur ac viuat.* De hac Dei bonitate sic D. Leo Papa: *Cum ideo denunciata sit seueritas, vt misericordia quæreretur, in diebus præsentibus cum misericordiæ est largitate viuendum: vt homini post periculosam negligentiam ad pietatis opera reuertenti, possibile sit, ab hac sentẽtia liberari. Hoc enim agit potẽtia Iudicis, hoc gratia Seruatoris, vt relinquat impius vias suas, & ab iniquitatis suæ consuetudine peccator abscedat.* Hæc ergo signa licet in se terrorem adferant, tamen ex Dei misericordia ad fructum & salutem nostram destinantur. Hac de re in prima Dominica Aduentus plura diximus, ne imparati ad iudicium essemus. B

Certè quem tanta & talia signa, tanto horrore plena, non mouent, extra omnẽ salutis spem & viam se esse liquido demonstrat. Solent medici in grauioribus morbis septimum quemque

Simile. diem diligenter obseruare, quem illi criticum appellant, in quo aiunt naturam ipsam ad vim morbi repellendam acrius incitari. Quo fit, vt si eo die, quo aliquam spem salutis concipere poterant, æger nihilo melius valeat, periculosissimè illum ægrotare dicant. Quos ergo tam terribilia extremi iudicij signa non visa modo, sed etiam audita & intellecta non mouent, vt eius pœnam atque sententiam euitent, illos grauissimo, planéque incurabili peccati morbo laborare dubitari non potest. Appositè hac de re & sapienter diuus Gregorius:

Moral. in Iob, li. 21. ca. 16. *Fluctus quum tumentes desuper imminent, quumque eam quam deserunt mortem minantur, nulla tunc nauigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur: ea ipsa quoque ex naui proijciunt, pro quibus longa nauigia sumpserunt. Cunctæ res in despectum mentis veniunt amore viuendi. Tempestas autem cum oritur, prius leues undæ, & post modum maiora volumina concitantur* (&, vt nautarum experientia docet, ignei quidam globuli in superficie maris discurrere videntur, certa futuræ tempestatis magnæ prognostica) *ad extremum fluctus se in alta erigunt, & nauigantes quosque ipsa sua altitudine submergunt. Sic nimirum extrema illa properat, quæ vniuersum mundum subruat, tempestas animarum. Nunc enim bellis & cladibus, quasi quibusdam vndis, sua nobis exordia ostendit; & quanto ad finem quotidie propinquiores efficimur, tanto graniora irruere tribulationum volumina videmus. Ad extremum vero, commotis omnibus elementis, superueniens Iudex, qui finem omnium apportat. Quam scilicet tempestatem quia viri sancti vigilanter aspiciũt, quasi tumentes super se quotidie fluctus cum sancto Iob Deum expauescunt. Bene autem subditur apud Iob: Et pondus eius ferre non potui. Consideratione namque tanti terroris metu animus palpitat: & cum supernæ maiestatis vim ad iudicium venientis animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugiens, sese expauescit inuenire. Quare veram vitam desiderans, omnia despicit, quæ hic possidendo portat. Nam velut tempestate deprehensi pondus nauis abijcimus, quando ab oppressa mente desideria terrena remouemus: fitque vt subleuata nauis enatet, quæ mergebatur onerata.* Hæc ille. Hanc vt in nobis mentem, curam, prouidentiam, cautelam, terribilia extremi iudicij signa operarentur & excitarent; illa in hoc Euangelio Christus prædicere voluit. C D

6. *Et tunc parebit signum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.*

Iudicij extremi apparatus. Ioel. 3. LOcus moralis de extremi iudicii apparatu, maximè in signo sanctæ Crucis terribili. Nã præter personam Iudicis, de qua mox; ipse aduentus eius apparatus, vt præcedens Crucis signum in mediis mundi tenebris (sole obscurato, luna non dante lumen suum, stellis retrahentibus splendorem suum) fulgentissimum, soliſque loco mundũ illustrans, ineffabilem impiis terrorem adferre. *Sicut enim* (ait Origenes) *in dispensatione Crucis, sole deficiente, tenebræ factæ sunt super*

Tract. 30. in Matt. *terram; sic nunc signo Filij hominis apparente in cælo, deficient lumina solis, lunæ, & stellarum, quasi consumpta ex multa virtute signi illius. Signum enim Crucis hic intelligimus, vt videant, iuxta Zachariam & Ioannem, Iudæi quem compunxerant, & signum victoriæ.* Sicut & D. Chrysostomus: *Apparebit signum Crucis, vt Iudæorum inuerecundiam confutet. Aduenict enim Christus in iudicio, non vulnera solum, sed &*

Hom. 77. in Matt. *mortem exprobratissimam ostendens. Vnde sequitur: Et tunc plangent se omnes tribus terræ. Visa enim Cruce, considerabunt quod mortuo eo nihil profecerunt, & quoniam confixerunt eum, quem adorari oportebat.* Hæc ille.

A ille. Hoc igitur viso signo, plãgent nõ solũ Iudæi, etsi illi maximè; sed omnes tribus terræ, omnes terreni & carnales homines, omnes infideles & impij fideles. Infideles quidẽ, quia Crucem Domini blasphemarunt; mali vero fideles, quia tanto hoc beneficio atque remedio vti noluerunt. *Tanto enim* (ait Eusebius Emissenus) *erunt graviora humana delicta, quanto magis se extenderint diuina beneficia. Vnde credendum est, illam vocem resurrectionis Dominicæ, pretiosa Crucis vestigia protestantẽ, etiam in iudicio suo Dominum ad vasa iniquitatis prolaturum, atque dicturum: Infer huc digitum tuum, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ prote, & à te, impietas humana, perne dubio obijcienda seruantur.* Hæc ille. Quidni enim plangant inimici Crucis Christi, cum ipsa splendentis Crucis lux, impietatis impios condemnabit? Qui lucentem Crucem videbunt, propriæ conscientiæ tenebras deplorabunt. Si Deus gladium flammeum ante paradisum collocauit, vt homines ab eius ingressu arceret; quid mirum, si Crucem in cælo, meliori paradiso, Deus collocat, in qua illius gladii flamma extincta, & acies hebetata est? Si Duces, cum triumphant vrbe capta, victoriæ vexillum in summa arce constituunt; quid mirum, si Christus cæli arce capta per Crucem, Crucem in cælo collocat, omnibus mortalibus conspicuam? Profecto conuenit clauis ianuæ. Quadrat Crux cælo, per quam apertum nobis cælum est. Deinde restituit Christus Cruci honorem, quem mundus ei abstulerat, &, vt potentem se ostendat, mundi horrorem facit beatorum lætitiam. Hoc plangent omnes impii, quum cælo collocari videbunt, quod il-

B li vnicè despectui semper habuerunt. Virga Aaron in tabernaculo testimonii seruata est, in signum rebellionis filiorum Israel: sic Crux in iudicio apparet, in signum rebellionis peccatorũ. Et sicut recta regula metimur obliquum lapidis: sic Crucis regula omnium opera mensurabuntur: ideoque apparebit. Inter literas Hieroglyphicas, quæ in templo Serapidis Alexandriæ, sub Theodosio 1. Imperatore, plurimæ inuentæ sunt, fuit etiam in quibusdam signum Crucis lapidibus & lignis insculptum, quod ipsi Aegyptiaci magistri interpretabantur, significare allegoricè, *vitam æternam*: addentes fore, vt templum illud destrueretur, quum hoc signum publicè appareret. Cuius prima in fide credentium apparitio sic præcognita fuit, postrema quoque inspectio merito glorioſa apparebit. De hac Crucis apparitione in mysterio Dauid: *De cælo auditum fecisti iudicium, terra tremuit & quieuit.* Tremuerunt homines terreni propter peccata præterita: quieuerunt à futuris, intellecto hoc Dei iudicio, per visam in cælo Crucem. Tunc plangent omnes peccatores terræ, quia (vt ait Sapiens) *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso cogitationes eorum.* Nimirum iuxta illud Apostoli, *testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiã defendentibus, in die quum iudicabit Dominus occulta hominum.* Tunc plangent omnes tribus terræ. Plangent increduli dementiam suam, quod toto mundo credente, ipsi credere noluerint. Plangent voluptuarii, quod momentanea

C voluptate pœnas æternas mercati fuerint. Plangent auari, quod vnum nummum cælo prætulerint. Plangent superbi, quod Crucis humilitatem contempserint. Plangent hoc omnes, & maximè, quod, quum plangendi tempus fructuosum fuerat, plangere noluerint.

Tripart. hist. li. 9. ca. 29. Petr. Crinitus li. 7. ca. 2. *Psal. 75.* *Sap. 4.* *Rom. 2.*

7. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate.*

Aduentus Christi secundus terrore plenus.

LOcus moralis amplissimus, de supremi Iudicis aduentu terribili atque tremendo. Hic est ille aduentus, hoc illud tribunal, hoc iudicium, quod, & semper ante oculos habere, & nunquam absque timore & tremore cogitare, omnes oportuit; sed maximè peccatores, vt peccare desinant. Si fratres Ioseph perterriti sunt valdè, audientes eum dicere, & quidem in tanta potestate dicere, cum dominaretur in tota Aegypto, vbi illa verba dixerat, *Ego sum Ioseph*, memores videlicet iniquitatis præteritæ, qua eum, fratrem suum, alienigenis vendiderant, etsi huius eos facti iam pœnituisset, (*neque enim poterant respondere nimio terrore perterriti*:) quid facient peccatores illi, qui toties Deum vna voluptatula, vno lucello, vna gloriola vendiderunt, quum Christũ videant tot signis ac prodigiis non tam loquentem quàm tonantem (scribitur enim de hoc aduentu: *Intonuit de cælo Dominus*, & *Altissimus dedit vocem suam*) nec in Aegypto, sed in toto vniuerso dominantem in tanta gloria & maiestate, quum adhuc maneant peccatis onusti, quorum non pœnituerit? Si Hester corruit, & exanimata est in conspectu Regis Assueri, Daniel viso Angelo tremuit, custodes sepulchri in Christi resurrectione sunt territi, & facti sunt velut mortui,

D si Iudæi in hortum venientes armati, & ad capiendum Iesum, audita hac sola voce, Ego sum, ceciderunt retrorsum: quid faciet peccator veniente Christo in nubibus cum potestate magna, vt puniat peccatores? Si data Lege in monte Sina, propter sonitum tubarum, tonitrua, & fulgura in monte audita, sic territus est totus Israel, hominum trecenta millia, vt trepidi ad Moysen clamarent, *Loquere tu nobis; ne loquatur nobis Deus, ne fortè moriamur*: quis in hoc iudicio sine ingenti horrore accedet ad Christum, non iam leges dantem, sed legum transgressores seueriſſimè punientem? Si abscondit se Adam sub arbore, quum post primum peccatum ad iudicium à Deo vocaretur: vbi se abscondent peccatores, aut sub qua arbore, omnibus iam in mundo succensis, quando ad tot peccatorum examen & iudicium venient? *Veniet cum potestate magna & maiestate.*

Collationes è Scripturis. 1. *Gen. 45.* *Iudicis terror.* *Psal. 17.* 2. 3. 4. 5. *Hester 14.* *Dan. 9.* *Matt. 28.* *Ioan. 18.* 6. *Exodi 19.* 7. *Gen. 3.*

Act.1. Veniet ſuper nubem candidam,quemadmodum Apoſtoli, cęterique diſcipuli *cum viderant in* A *cælum euntem.* Veniet tota Angelorum curia comitatus,toto ſanctorum agmine ſtipatus. Veniet cum luce immenſa,& cum incredibili clangore tubarum ; vt videant impii quem contempſe-

Apoc.1. runt. Vnde D. Ioannes: *Ecce venit cum nubibus,& videbit eum omnis oculus,& qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ: etiam, Amen.* Plangent ſe ſuper Chriſtum iudicem omnes impii,quia vitæ & doctrinæ Chriſti per omnia contradixerunt. Planget ſe auarus,videns Iudicem, diuitiarum contemptorem. Planget ſe ſuperbus,videns Iudicem,maximum humilitatis Magiſtrum. Planget ſe ambitioſus,videns Iudicem qui fugit honores, & quum rapiendus in Regem eſſet. Planget ſe guloſus ſuper Iudicem felle & aceto potatum. Planget ſe malitioſus & inuidus ſuper Iudicem maximè mortalium omnium amantem,& miſericordem. Planget ſe luxurioſus ſuper Iudicem,virginitatis cultorem & hortatorem. Damnauit iam dudum Chriſtus Iudex omnem auaritiam,ſuperbiam,ambitionem, crapulam & ebrietatem, malitiam & odium, impudicitiam & luxuriam. Quą ergo temeritate talem expectant Iudicem his vitiis contaminati,nec ea exuere omnibus modis feſtinant? Nullus litigator ita demens eſt,vt coram eo Iudi-

Simile. ce cauſæ ſuæ deciſionem expectaret,quem certo ſciret in ſimili cauſa omnes ſemper litigantes condemnaſſe. Malam cauſam ſtatim deſereret,& alias vitæ ſuæ actiones inſtitueret.

Eſaiæ 42. Sed vide quomodo hunc Chriſti in maieſtate aduentum Eſaias deſcribat: *Dominus ſicut fortis* Iudicium *egredietur,ſicut vir prælior ſuſcitabit zelum, vociferabitur & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur:* B extremum *Tacui, ſemper ſilui,patiens fui;ſicut parturiens loquar,diſsipabo & abſorbebo ſimul.* Expendamus ſingula.
terribile. De primo Chriſti aduentu dixerat antè in eodem capite Propheta: *Iudicium Gentibus proferet,non*
Ioan.3. *clamabit,nec audietur vox eius foris.* Non enim venerat tunc,*vt iudicetur mundus, ſed vt ſaluetur mun-*
Simile. *dus per ipſum.* Nunc autem venit vociferaturus & clamaturus. Venit vt fortis,vt prælior. Quãdo Rex regnum ingreditur,veſte regali indutus,vt vxorem ducat,vel ad feſta celebranda, cum tota aula ſua lętus ac iucundus ambulat,ciues pacificè alloquitur,omnes ſalutat,omnibus arridet. At vero,ſi ad rebellem vrbem deuaſtandam procedit Rex,armis ſtipatus incedit, vultu ſeuero & minaci,flamma & ferro viam ſibi facit. Sic Chriſtus in primo aduentu Eccleſiam ſibi

Lucæ 1. ſponſam accepturus,venit manſuetus & humilis,canunt Angeli, *In terra pax hominibus bonæ vo-*
Pſal.96. *luntatis*: paſtoribus in agro fauſta noua annuntiantur. Nunc vero in ſecundo aduentu venit armatus & fortis. *Ignis ante ipſum præcedet,& inflammabit in circuitu inimicos eius.* Vultum eius & aſpectum minacem declarant præcedentia ſigna in ſole,& luna,& ſtellis,in mari,& in terra; de qui-

Pſal.13. bus iam dictum eſt. Deinde dicit Propheta: *Tacui,ſilui,patiens fui.* Sanè ſic nunc tacet,filet,ac pa- C
Pſal.21. tiens Deus eſt,vt multi quidem prouidentiam eius & curam rerum humanarum impiè negent,
Pſal.72. (quales erant Epicurei,omneſque *ſtulti illi & inſipientes,qui dixerũt in corde ſuo, Non eſt Deus*,& iterum: *Labia noſtra à nobis ſunt,quis noſter Dominus eſt?*) alij vero hanc eius prouidentiam valde dor-

Abacuc.1. mitare conqueſti ſunt,etiam boni ipſi & pij. Quorum illa vox erat: *Mei penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui ſuper iniquos,pacem peccatorum videns.* Et iterum: *Quare reſpicis con-*

Ioel.3. *temptores,& taces conculcante impio iuſtiorem ſe?* Sic nunc quidem, *Altiſsimus patiens eſt;* ſed ſequitur;
Ierem.25. *& redditor.* Sic hoc in loco, *Sicut parturiens loquar*: hoc eſt,ſilentium meum in rugitum ingentem exibit. Sic enim de hoc aduentu Prophetæ loquuntur: *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam,& mouebuntur cæli & terra.* Et iterum: *Dominus de excelſo rugiet, & de ſancto habitaculo ſuo dabit vocem ſuam: rugiens rugiet ſuper decorem ſuum: celeuſma quaſi calcantium concinetur aduerſus om-*

Exemplum *nes habitatores terræ.* Celeuſma nautarum vox eſt,ex longa nauigatione redeuntium: vel etiã agri-

Exod.17. colarum in meſſe ſua,aut grana triturantium, aut vina calcantium. Dei longanimitas in furorem conuertetur. Quando Iſraelitę profecti ſunt ex Aegypto per deſertum in terram promiſſionis,exiuit obuiam Amalec, animo dimicandi contra Dei populum. Tacuit tunc Deus, &

4.Reg.15. Amalec delere noluit, etſi aliqua ex parte percuſſerit. Atqui poſt quadringentos annos dicit
Simile. Sauli per Prophetam Samuelem, *Recenſui quæcunque fecit Amalech Iſraeli, quomodo reſtitit ei in via, quando aſcendebat de Aegypto. Nunc ergo vade,& percute Amalech,& demolire vniuerſa eius.* Sic parturiẽs D loquebatur. Mulier,vbi primum ſe grauidam ſentit,aliquos aduertit capitis aut ſtomachi dolo-

Exodi 17. res,ciboſque faſtidit. Sed nihil hæc ſunt præ illis quæ parturiens tolerat. Deus etiam in hoc intermedio curſu peccata ex parte flagellat;ſicut & hunc Amalech Moyſes, iubente Deo, ex parte percuſſit,pugnans contra eum. At illa percuſſio, & huius vitæ caſtigationes ludus & io-

1.Reg.15. cus ſunt præ illis gemitibus quos impii patientur, parturiente iram & vindictam ſuam Deo, ſicuti parua illa erat Amalecitarum clades,præ illa quam per Saulem, regno Iſraelis iam conſtituto, Deus intulit,vbi *vniuerſa eius demoliri* iubet, *omniaque interfici à viro vſque ad mulierem, paruulum & lactentem,bouem & ouem,camelum & aſinum.* Sic hoc aduentu, *cum virtute multa & maieſtate;*

Nahum 3. & in regno ſuo veniens Chriſtus,peccatorum vniuerſa demolitur. Omnia hactenus occultiſſi-
Ioan.8. ma,toti mundo patefient,iuxta illud Prophetæ: *Reuelabo pudenda tua in facie tua,& oſtendam in Gentibus nuditatem tuam,& regnis ignominiam tuam.* Quando Phariſæi mulierem adulteram in Chriſti conſpectum afferebant,tacebat: ſed interim in terra ſcribebat. Tacet nunc Deus,diſſimulat, fi-

Iob 14. let. Omnia nobis alba,omnia tuta videntur. Sed ſcribit interea Deus peccata noſtra, & quidem in ſacculo proceſſum noſtrum inſtructiſſimum tenet, dicente ſancto Iob: *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, & greſſus meos dinumeraſti.* Vide plura ad hanc rem in 1. Dominica Adnentus.

Multa

A Multa in Scripturis leguntur peccatoribus inflicta supplicia. Sed illa omnia *ad virgam Dei vigilantem*, castigantem, & emendantem pertinent, quam primo vidit Ieremias. Quæ nunc iratus iudex inferet, *ad ollam succensam*, quam secundo vidit Propheta, spectant. Olla succensa, vas vndique calore incluſum, inferni & gehennæ ignes sempiternos significat. Tauri, antequam patientiæ probationem Atqui in arenam producti, non fustibus modo, sed & hastis & gladiis petuntur, omnibusque cruentis telis confodiuntur. In hac vita impij veluti tauri castigantur, vt, si fieri potest, emendentur. Istud quum non succedit, in die iudicij in arenam producuntur omnibus suppliciis conficiendi. Sicut Noë iustus quum nudus iaceret in tabernaculo, impius filius Cham verenda patris detexit & irrisit, quæ boni filii texerunt, & fratris impietatem vigilanti patri narrauerunt; quam ille de somno euigilans, acerbissimè vindicauit, dicens: *Maledictus Chanaan; seruus seruorum erit fratribus suis*: sic Christi Redemptoris nostri crucem, patientiam, paupertatem, nuditatem, humilitatem, omnes impii, omnes auari, superbi, ambitiosi, contemptores Deum, hanc fratrum suorum impietatem constanter arguentibus, & apud Christum accusantibus, *zizaniaque eradicari cupientibus*; donec euigilans & exurgens in iudicio Deus, veniens nunc in virtute & maiestate, omnem hanc impietatem acerrimè castigabit, dicens: *Ite maledicti* B *in ignem æternum*. Hæc est enim *vox vigilis* apud Danielem *clamantis de cælo*: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius*. Tunc enim omnis impiorum fortitudo succidetur, omnis decor præcidetur; omnia verba (etiam otiosa) excutientur; omnia opera, vt nullius pretij in ventum dispergentur. Huius aduentus Christi virtutem, maiestatem, terrorem his verbis Propheta Regius describit: *Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu omnes inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota est terra*. Aderunt ergo in iudicio nubes, fulgura, ignes, & quicquid ad terrorem ac tormentum facere potest. Sedebit correcturus in iustitia & iudicio, non iam amplius in misericordia & miseratione. Quare Apostolus, vbi dixisset, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*; subiungit statim: *Scientes ergo timorem Domini* (id est, timorem quem veniens allaturus est) *hominibus suademus*, id est, bonum vitę exemplum præbere contendimus: *Deo autem manifesti sumus*. Ecce tantum Apostolum timor futuri iudicii, ad vitæ totius innocentiam coram Deo & hominibus integerrimè seruandam, vehementer excitauit. Quale nempe erit ab illo atrociter condemnari, quem, si tibi prospexisses, aduocatū, & amicum, & fratrē habere potueras! *Quā lugubre homini erit, Deū videre & perdere, & ante pretij sui perire conspectum!* Tantali tormentum fingitur, aquis ante C ora fluentibus, quas attingere non potest, perpetuo assidere: at hic videbunt impii gloriam & maiestatem Christi, per quem saluari poterant; nec ea frui licebit. Parum est frui non posse, parum est audire; *Ite, discedite à me*: additur, *maledicti*. Nam si cum benedictione dimitterentur, aliqua consolatio esset. Quid, quod ita maledicti abeunt, vt in *ignem*, in supplicium acerrimum abeant; eumque non momentaneum, non breuem, non certa aliqua mensura prolixum, sed *æternum*, qui nullum habiturus sit finem? Additur ad mali cumulum, execranda societas, *Cum diabolo & angelis eius*. Hæc est virtus, hæc potestas Iudicis, hæc eius maiestate & terrore plena sententia. A magnitudine tonitrui huius quis non formidabit? *Aut quis poterit magnitudinem tonitrui illius intueri?*

Ieremi. 1.

Simile.

Exemplum

Gen. 9.

Hebr. 6.

Matt. 13.

Matt. 25.

Dan. 4.

Psal. 96.

2. Cor. 4.

Matt. 25.

Iob 26.

Dominicarum Partis Æstiualis finis.

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.

PROMPTVARIVM

CATHOLICVM,

Ad instructionem Concionatorum contra hæreticos nostri temporis.

SVPER OMNIA EVANGELIA TOTIVS ANNI TAM DOMINICALIA, QVAM DE FESTIS.

IN QVO INVENIET CONCIONATOR, VNDE ex littera Euangelica, vel plerasque hæreses aptè refutet, vel contra hæreticorum hodie fraudes & mendacia, fidem Catholicam prætextu Euangelij plausibiliter ab illis impugnatam solidè defendat.

A

AMPLISSIMO, OMNIQVE VIRTVTVM HEROICARVM GENERE, CELEBERRIMO

Antistiti, R. D. Ioanni Sarazino ad D. Vedastum Atrebatensem Abbati dignissimo, & Majestati suæ Catholicæ, in Status Belgici intimo Senatu Consiliario prudentissimo, Thomas Stapletonus veram & perpetuam fœlicitatem pre-
B catur.

QVOD ad maiorem Dei gloriam, ad veritatis orthodoxæ contra modernos eius hostes infensissimos, nostræ ætatis hęret. illustriorem defensionem, & explicationem dilucidiorem, ad pub. (vt spero) Eccl. Cathol. Apost. Romanæ bonum atque honorem in lucem nunc emitto Prompt. Cathol. vt illud sub celeberrimo nomine tuo (Antist. grauiss. & prudentis.) prodiret, & post aliud opusculum de tribus Thomis ante paucos hos dies eidem Amplis. nomini tuo dicatum, easdem iterum fores pulsaret, non vel importunitas aliqua mea, vel aliorum celebrium amicorum penuria, sed nec continuata vel aucta potius quotidie tua in me merita effecerunt, verum & ipsius argumenti ratio, & peculiaris quædam erga R.P.V. circa hoc opus obligatio, huc me compulerunt, & hoc à me quasi debitum exegerunt. Quæ enim ad hæret. impiet. pro concione refellendas, fraudes populo aperiendas, calumnias palam abstergendas elaC boraui, quæ ad S. fidei nostræ defensionem, robur, & commendationem in publicum dedi, quæ formandis vel certè iuuandis verbi Dei concionatoribus annotaui & collegi, cui demum Antistiti Eccl. (& certè Eccl. potissimum debentur, quæ Ecclesiæ dogmata pertractant) aptius consecrari, sub cuius nomine auspicatius prodire, quo titulo illustrius commendari potuerunt, quã eius Antistitis, cuius in profligandis tota Artesia hæreticis, in restauranda in hoc Belgio fide Cathol. & orthod. tum olim labor, industria, prudentia enituit, totique Belgio conspicua à Reg. Cathol. Majest. amplissimè est honorata, tum hodie vsque zelus, studium, ardor admirabilis multis argumentis eluceścit? Quorum, vt cætera taceam, præclarum istud ciuici seminarij opus à R.P.V. multis iam ad id ingenti ære comparatis ædibus, maioribus adhuc dilatandum spatiis, magno animo cœptum multisque superatis difficultatibus omnino destinatum consiliorum vestrorum consciis ac ciuibus manifestum hoc & perspicuum facit, posteritati vero (Deo dante) ad perpetuam nominis vestri gloriam, ad incredibile vrbis Atrebatensis bonum, adeoque totius Artesiæ (quæ ex illa quasi Metrop. sua vel ornamenta capit vel detrimenta) ingentem fœliciD tatem, illustrius adhuc loquetur. Enimuero labores litterarij contra hęreticos susceptι, eos potissimum patronos & aptiss. sibi asciscunt ac deligunt, quos ipsis hæreticis infensos esse eorũ auth. cognoscunt, quos fidei Catho. propugnatores acerrimos animaduertunt. Talem ab annis iam multis R.P.V. quũ esse cognouerim, armarium hoc nostrum, vnde ad feriendos hæretic. tela tam multa nec opinor obtusa depromi queant, eius certè nomini libentissimè dicaui. Huc accedit quod ad hunc laborem, etsi non author vt susciperetur, at maximus certè instigator, vt susceptus absolueretur, tum verbis, tum literis T. mihi R.T. extitit. Ad cuius rei compendium, totum opus à suis religiosis pulchrè & nitidè describi (quia mihi amanuensis copia defuit) perhumaniter erga me, piè & religiosè erga causam communem R.T.V. fecit. Sed & vt ab hoc Typogr. typis pulchrioribus & accuratè euulgaretur, studiosè procurauit. Quæ ego omnia non tam ideo commemoro (quanquam & ideo quoque) vt R. P. V. minus miretur hoc alterum opus nostrum tam breui temporis interuallo sub vestro nomine in publicum emitti, quam vt lector intelligat,

quam præclarè de Cathol. relig. atque adeo de hoc labore noſtro R.P.V. merita ſit. Certè ar- A
dens huic orthodoxæ ſolius relig. zelus, aduerſæ odium, quo pectus veſtrum admirabiliter fla-
grat, fecit quoque vt gentis noſtræ doctos ac nobiles viros eiuſdem relig. cauſa extorres, ſingula-
ri beneuolentia complectatur, ad ſe venientes omni humanitate excipiat, fauore proſequatur, &
ab aliquot hiſce annis aliquem ſemper domeſticum Anglum in ampliſs. ſuæ familia aluerit. Vt
id R.P.V. hoc loco ac dignitate conſtituta faceret, ſola profecto cauſæ ob quam exulamus conſi-
deratio, ſola diuinæ relig. tenera dilectio effecit. Hanc ego pietatem veſtram, vt colo atque ſuſpi-
cio, ſic iterata hac noui laboris dedicatione, quantum in me erat, honorare volui. Sed & illud mi-
hi maximè conſentaneum videbatur, vt qui exiguum libellum noſtrum de trib. Tomis ad volu-
ptatem magis (piam tamen illam atque ſalubrem) quam ad ingentem aliquam vtilitatem com-
paratum, ambabus vlnis complexus, & beneuolentiſs. proſequutus fueris, maiori hoc opere, &
ad publicam vtilitatem in cauſa grauiſs. deſtinato, honorari quoque publ. deberes. Accipe igitur
Antiſt. digniſſ. ea qua ſoles doct. omn. pios maximè labores animi alacritate Prompt. hoc no-
ſtrum Cath. & pij ac docti Concionatores omnes, qui ſe his vig. noſtris, vel iuuari, vel delecta- B
ri ſenſerint, aut alius quiuis huius ope. lect. (cui, Cathol. modo fuerit, variam quoque vtilitatē
hic lib. adferre poterit, vt altera noſtra ad lectorē præfatio oſtendit) R.P.V. id magna ex par-
te acceptum ferant, cuius author. opus prodit, & ſedula adhortatione acceleratum fuit, & ſingu-
lari ſtudio ac beneuol. in hac commodiſs. forma, & typis elegantiorib. excuſum eſt. Deum ex
animo precor, vt R.P.V. tantum bonarum literarum Mæcen. & piorum lab. tam ſtud. fautor.
Eccl. ſuæ, huic Belg. & nobis quam diutiſsimè incolumem ac florentem conſeruet. Duaci apud
S. Amatum 15. *Cal. Aug.* 1588.

Ampliſſ. Domin.& R.P.V. ſtudioſiſſimus THOMAS STAPLETONVS.

C

D

A

PRÆFATIO AD LECTORÈM.

B DVAS esse prædicationis Euangelicæ partes, docere & exhortari, tum salutis ratio docet, quæ in fide per dilectionem operante quasi tota consistit, tum Apostolus satis clare expressit sic ad Timotheum scribens. *Hæc præcipe & doce*: iubensque *attendere lectioni, exhortationi, doctrinæ*. Et iterum paulo post. *Hæc doce & exhortare*. Præcipiuntur enim & exhortatione traduntur quæ ad mores pertinent. Docentur quæ ad fidem spectant: vt hæc Pauli verba Chrysostomus exposuit. Nec aliam fortè ob causam, quum inter charismata Ecclesiæ distinctè Paulus posuisset, *quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Euangelistas*, subiunxit non iam disiunctim, sed coniunctim, *alios autem Pastores & Doctores*: quam vt ostenderet vnius eiusdemque officij duas esse functiones: pascere & docere: pascere in iis quæ operi mandanda erant: docere in iis quę credenda. Porrò ex duabus hisce partibus potiorem esse doctrinã non obscurè idem Apostolus tradidit, quum propter duplicem hanc functionem *duplici honore dignos esse presbyteros* scribat, *qui bene præsunt*, moxque adiungat, *maxime autem qui laborant in verbo & doctrina*. Certè vt fides recta est virtus maxime necessaria & cæterarum omnium fundamentum: *sine qua Deo placere est impossibile*, sic huius explicationem prædicationis Euangelicæ partem esse maxime quoque necessariam dubitari non potest. Frustra enim cætera omnia addiscuntur, eo præterito, sine quo cætera non valent. Frustra de tecto imponendo cogitas, vbi fundamentũ adhuc nullum est. Frustra charitatem & cæteras virtutes doces, vbi fides adhuc, aut nulla, aut non recta tenetur. Sapienter Aug. *Ea ipsa opera quæ dicuntur ante fidẽ, quamuis videantur hominibus laudabilia, ita mihi vidẽtur esse, vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viã.* Vt ergo inaniter & ridiculè currit, qui extra viam currit: vt cassо labore nauigat, qui nescit quo tendat, aut in saxa, non in portum contendit. Vt frustra palmitem terræ mandas, plantas, irrigas, colis, cuius radix nulla est, sic irrito labore de bonis operibus solicitus est, qui rectam fidem non tenet. Celebre fuit & maxima laude dignum opus, quod Abraham iubente Deo filium suum immolandum obtulit. At nullus fuisset eius operis fructus nisi in fide factum fuisset. *Magnum opus* (ait August.) *sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter rectam fidem faceret, nihil illi prodesset, qualecũque illud opus esset.* Sed & ideo hæreticorum opera quæ videntur bona non prorsus infidelium tantum, nullum apud Deum, vel gratiæ vel meriti locum habent. Quod his verbis grauissimè scripsit Augustinus. *Extra Ecclesiæ vnitatem quicquid operantur hæretici, quamuis magna solertia, & diligentia fieri videatur, tamen nihil illis prodest aduersus iram Dei, non magis quam telæ aranearum possunt defendere à frigore.* Hæc ille, alludens ad illud Prophetæ: *Oua aspidum ruperunt: & telas araneę texuerunt. Qui comederit de ouis eorũ, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum. Telę eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.*

1. *Tim.* 4.
1. *Tim.* 6.
Homil. 13. *in* 2. *ad Timoth.*
Ephes. 4.
1. *Tim.* 5.
Heb. 11.
In præfat. enarrat. in Psal. 31.
Loco citato.
Contra Parmen. lib. 2. *c.* 3.
Esai. 59.

Oua aſpidum ſunt doctrinæ hęreticorum, quæ à primis magiſtris poſita, & à ſectatoribus rupta & confota, ſeu diligenter exculta erumpunt in regulos, in ſerpentes & baſiliſcos horrendorũ dogmatum. *Hęreſis enim* (ait Auguſt.) *quicquid animo errante cum ſuperbia, vel tumore cogitando imaginata fuerit, religionis nomine obſeruat.* Hæc illorum prima phantaſmata oua aſpidum ſunt, quæ dum ſectatores fouent & tractant, multa ex illis dogmatum portenta gignunt. Hodie ex ouis à Luthero poſitis, non ſolũ ipſę Lutheranorum ſectæ, ſed multi alij aſpides & ſerpentes enati ſunt. Zvvingliani, Anabaptiſtæ, Mamnonitæ, & aliæ ſectæ, vt ex ipſis Lutheri verbis diligenter annotauit, & collegit Fridericus Staphylus. Opera verò huiuſmodi hominum vtcunque in ſpeciem laudabilia, ſunt telæ aranearum, in quibus magna adhibetur diligentia, vtilitas inuenitur nulla, & vel minimo ſcopæ impulſu diſſolutæ pereunt. Opera omnia extra fidem rectam minimo diuinæ iuſtitiæ pulſu & prima eius conſideratione ſubuertuntur, & inutilia oſtenduntur, quia fundamento & radice vitali carent, quæ fides eſt. Primus enim motus gratiæ in anima, vt Deo copuletur, id agit, vt credat Deo, iuxta illud Apoſtoli, *Accedentem ad Deum oportet credere.* Illa ergo Euangelicæ prædicationis pars, quæ rectam fidem docet, vt maximè eſt neceſſaria, ita prima atque pręcipua illic eſſe debet, vbi vel fides necdũ ſuſcepta eſt, vel acceptæ fidei naufragium factum eſt, vel naufragaturæ fidei periculum eſt.

De vna vel cap. 37.

In apolo. Par. 3.

Hebr. 10.

Cauſæ huius operis.

Operæprecium igitur me facturum exiſtimaui, & laborem non inutilem nauaturus, ſi per omnia totius anni Euangelia tam in Dominicis, quàm in feſtis Chriſti, & Sanctorum legi ſolita, materias hoc tempore controuerſas, prout textus ipſe Euãgelij occaſionem iuſtam daret locis ſingulis annotarem, ipſãque loca pertractarem.

1. Exiſtimaui enim in pleriſque hodie prouinciis, vt in tota Germania ſuperiore, in Gallia, in Anglia (vbi id faciendi facultatem diuina miſericordia dabit) in hoc Belgio, atque in Heluetia non modò expedire, ſed & prorſus neceſſarium eſſe, vt horum temporum controuerſię tractentur: ſiue ad Catholicorum conſolationem, & corroborationem, ſiue ad hæreticorum, qui ſeu palã, ſeu occultè in illis graſſantur locis, conuerſionem, aut certè vtilem & neceſſariam refutationem. Sunt enim hi duo paſtoralis officij fines, datis Eccleſiæ paſtoribus & doctoribus *Ad conſummationem Sanctorum*, id eſt, confirmationem fidelium; *& ad ędificationem corporis Chriſti*, id eſt, ad collectionem in corpus eorum, qui ab eo ſegregantur, ipſiúſque corporis augmentũ.

Ephes. 4.

Hæreticos eſſe pro cõcione refutandos.

1. 2. 3. 4. 5. Qui autem hæreticos non pro concione refutandos, aut taxandos exiſtimant, ſed priuata tantum collatione, & catecheſi inſtruendos, ne illi grauiter & perniciosè errant. Quaſi verò doctrina fidei ad verbi Diuini tractatorem non pertineret. Quaſi in ea doctrina aliquid magis ſit neceſſarium quàm hæreſes refutare, illis maximè in locis, vbi vel graſſantur illæ vel dudum graſſatę fuerunt, nec dum penitus extinctę, vel ne graſſentur præcaueri debent. Quaſi ipſam cauſam Catholicam maximè non cõmendet atque illuſtret, vt hęretici pro concione ad populum egregiè traducantur, iuſtè taxentur, & ſolidè refutentur. Quaſi denique maiore vſquam id fructu fiat, quã multis audientibus, ſi dexterè & ſolidè id fiat. Deinde exempla Sanctorum Patrũ, quos Eccleſiaſtis officium optimè calluiſſe dubitari non debet, hoc ipſum valide confirmant. D. Auguſti. in ſuis enarrationibus in Pſalmos, & in D. Ioan. (quæ erant homiliæ ad populum) in cæteris quoque homiliis ac ſermonibus, perpetuò & quauis data occaſione, imò quæſita ſæpè, non data, contra ſui temporis hæreticos, Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos, Arrianos, & Eunomianos ſtudioſè excurrit. Chryſoſt. ſimiliter in ſuis ad populum homiliis, ſeu Matthæum, ſeu Paulum tractans, etſi minus ſæpe, facit id tamen non rarò. Leo Magnus contra Eutychetiſtas, & Manichæos nulla pene non in concione diſputat. D. Baſilius in ſuis homiliis in diuerſos Martyres, Mamantem, Gordium, Iulittam idem præſtat. Denique Gregorius Magnus, Euſebius Emiſſenus, & alii Patres, quorum homiliæ ad populum extant, paſſim id & magna diligentia præſtiterunt. Porrò non ſine maximo fructu hoc illos præſtitiſſe, illuſtre illud Ambroſianæ prædicationis exẽplum docere poteſt. Scribit enim

6.

S. Au-

A S. Augustinus se adhuc Manichæum, quum omni die Dominico Ambrosium verbũ veritatis in popularibus sermonibus tractantem audiret, ex eius concionibus didicisse. Manichæorum versutias & calumniarum nodos posse dissolui, verbum Dei vere incarnatum credere absurdum non esse, denique fidem Catholicorum veram & orthodoxam fuisse. Fuit igitur Ambrosiana prædicatio primus Augustino ad fidem Catholicorum veram & orthodoxam fuisse. Fuit igitur Ambrosiana prædicatio primus Augustino ad fidem Catholicam amplectendam aditus, & hoc prędicationis hamo tantum certe in Ecclesiæ rete piscator fœlix pertraxit. Nam & ideo diuini verbi tractatores, *piscatores hominum* vocantur, quia sua prædicatione non in moribus tantùm informant, sed ad fidei retia pertrahunt, & ex ignorantiæ fluctibus, ad veritatis lucem educunt. Est igitur ipsa verbi cęlestis prædicatio, & Euangelii apud populum è superiore loco perspicua explicatio, proprium & maximè efficax medium, hæreticos refutandi, & ex errorum latebris atque insidiis ad certam salutis viam pertrahendi. Iam verò accidit non rarò, vt concionatores maiori zelo quam eruditione prædiB ti infœliciter, & sine iudicio hæreticos pro concione perstringant, vel quia loco nõ suo & planè extra metas id faciunt, vel quia quum loci opportunitas datur, ieiunè ac steriliter id faciunt, maiori stomacho quã robore, & ardentius quam solidius, vel denique quia melius & prolixius hæreticorum errores & cauillationes proponunt quã soluunt, sicut notiores illæ esse solent, magisque vulgatæ, quam quid illis solidè, & dexterè responderi debeat. Existimaui igitur in horum gratiam, imò in causæ Catholicæ iustam defensionem, ne ex imbelli pugna noxiam victoriã reportet aduersarius, & deterior fiat vbi sanari debuerat, vtile fore, si (vt dixi) & ipsa loca annotarem, atque annotata pertractarem. Porrò & illud apud me cogitaui, ipsos non rarò doctos concionatores, & aduersus hæreticorum strophas vtcunque armatos & instructos, in iis quæ ad mores pertinent colligendis ita sæpè versari & delectari, vt vel non libeat, vel non vacet, vel ad manum & promptè nequeant res hodie controuersas tractare. Erit igitur huiusmodi hic noster labor, laboris compendium, vt prioribus illis subsidium necessarium. Sunt porrò multi Theologi & concionatoC res perdocti vel in solis scripturis, vel in sola scholastica Theologia, vel in vtrisque illis tantùm, vel etiam in Patrum quoque scriptis, & commentariis probè versati, qui tamen controuersias horum temporum non examinauerint, quique propterea non nisi magno adhibito labore, quem concionandi aliquando, vel repentina, vel quotidiana propemodum necessitas non admittit controuersias pro concione tractare possunt. Arbitratus sum igitur laborem hunc nostrum istis, nec ingratum, nec incommodum futurum. Quid, quod & ipsos doctissimos viros, & concionatores in ipsis controuersiis exercitatos, optiméque versatos opinabar hoc nostro labore quadantenus iuuari posse, quum præcipua hic loca ad manum notata habeãt, quasique fontes digito ostensos, vt vel illis ex sua copia addãt, vel ex nostris ac suis delectum faciant. His ergo maxime de causis argumentum hoc pertractandum suscepi, & hos maxime fructus hoc argumentum dabit.

Confess. lib. 6. c. 3. & seqq.

2. Causa.

3. Causa.

4. Causa.

5. Causa.

Sed & alias quoque, non vulgares, vtilitates ex huius libri lectione, tum diuini verbi tractator, tum Theologus quisque, addo etiam quilibet fidelis percipere poterit. Primum enim quot per totum annum in Ecclesia leguntur Euangelia, seu de tempore, seu de Sanctis, tot hic historiæ Euangelicæ textus, multõque plures (quum D in vno Euangelio plures interdum textus tractentur) vel contra hæreticos, & varias eorum Hæreses, vel pro fidei Catholicæ defensione tractantur, premuntur, explicantur. Vel tot igitur Scripturarum explicatio Catholica, tractatio popularis atque perspicua nonnullam Theologo eruditionis lucem, aliquam cuiuis fideli fidei suæ confirmationem afferre poterit. Deinde si verum est, imo quia verum est, quod scripsit S. Augustinus, *illas Scripturas quę contra hęreticos valent plurimum, memorię diligentissime commendandas esse*: vt sint videlicet quasi arma in promptu, quibus Ecclesiæ hostem, & à te propellas ne noceat, & salubriter ferias vt emendetur, habes hic huius-

Vtilitates huius operis variæ. 1.

2. In Epist. Ioan. Tract. 2.

modi Scripturarum & armorum ingentem & selectam supellectilem. Rursum quia A
3. Matth. 18. Ioan. 10. odium hæreticorum salutare imprimis est, vt iuxta Saluatoris præceptum, *attendamus ab illis*, atque adeo *fugiamus ab eis*, iustissimas huius odii causas, singula ferè Euangeliorum loca à nobis tractata suppeditabunt. Neque enim dissimulabo, me ad traducendos hæreticos, eorumque nequitias patefaciendas, non secus atque ad veritatē Catholicam stabiliendam, hoc in opere incubuisse, quum hostem hodie pestilentioré Ecclesia non habeat. Porrò causam Catholicam apud quemuis veritatis amantem illud egregiè commendabit, ipsumque populum scire expediet, pleraque horū temporum hæreses ex littera Euangelica refutari posse, nostræque Catholicæ Religionis fundamenta, ipsum maxime Euangelium complecti. Quo fiet vt illa multorum animis opinio eximatur, non minus impia quam iniqua, qua existimarunt hactenus, vel Scripturas Euangelicas pro hæreticis facere, vel certè ex Euangelio vix illas confutari posse. Quorum illud hæretici suis falso persuaserunt, istud qui Catholici esse voluerunt, sibi ipsis persuaserunt. Sed ex hac locorum Euangelicorum explicatione, & illorum impietas refutabitur, & istorum error atque ignorantia corri- B
4. getur. Docebit enim hoc opus euidenter atque perspicuè Scripturas Euangelicas adeò nihil pro hæreticis facere, vt omnia eorum dogmata, quæ ad locum aliquem Euangelicum referri poterant, ex illis quæ in Ecclesia leguntur Euangeliis,
5. manifestè refutentur. Docebit quoque eadem omnia Euangelia pro causa Catholica vbique pugnare. Erit denique hoc opus Antidotus necessaria, & saluberrima contra varia hæreticorum venena in suis super Euangelia totius anni postillis, aliisque tractatibus effusa. Enimuerò quum hæretici horum temporum, maxime in Germania, super Euangelia totius anni, postillas vt vocant, explicationes methodicas, & locos communes ita collegerint, vt magna passim diligentia, quicquid contra fidem ac religionem Catholicam facere posse videbatur, annotauerint atque studiose tra- C
ctauerint, quomodo nobis Catholicis in optima causa nostra parem diligentiam adhibere par & æquum non erat? Et optandum quidem fuit, vel ab annis iam plurimis huiusmodi aliquod opus prodiisse (quod an vsquam prodierit, mihi compertū non est) vel ab alio aliquo, magis in hoc genere versato argumentum istud vberius & accuratius elaboratum fuisse. Cæterum satius duxi serius id facere, quam nunquam, & à me, quàm à nemine fieri. Qui sanè eo confidentius hoc opus suscepi, quo diutius in hoc iam tricennali exilio nostro controuersiis horum temporum & priuatim examinandis operam dedi, & publicè explicandis per complures annos in hac Academia Duacena vacaui. Nam ex ijs quæ olim publicè docuimus, & non indiligenter digessimus, collecta sunt pleráque quæ huc attulimus, vt non vanè bonam ac soli-
6. dam supellectilem Catholicus hic lector expectet. Porrò ex hoc labore nostro illud perspicere licebit, hæreses horum temporum, omnium quæ vnquam fuerunt, & numero plures & magnitudine pestilentiores esse, quæ ex omnibus totius anni Euangelijs, vel quoad impiam doctrinam refutantur, vel quoad calumnias & impostura reiiciuntur. Adeo nullum legitur in Ecclesia Catholica Euangelium, in quo vel cō- D
tra has præsentes hæreses aliquod documentum Spiritus S. non expresserit, vel pro fide orthodoxa per illas impugnata, aliquod munimentum non suppeditauerit. Adeò hæ nouæ doctrinæ nihil minus sunt quam Euangelicæ, vt in singulis per annum Euangeliis grauiter illæ perstringantur, & vel falsa docuisse, vel falso calumniatæ
7. fuisse ostendantur. Adeo fides Cathol. Rom. est purè putè Euangelica, vt huic soli omnia totius anni Euangelia patrocinentur, eius causam agant, eius dogmata defendant. Postremò & illud tenebit concionator Catholicus, has contra hæreticos explicationes Euangelicas, non sola doctrinæ capita complecti, sed multa etiam, quæ ad mores faciunt, in illis contineri. Quoties enim in hac explicatione, de bonorū operum necessitate, virtute, merito, quoties contra solam fidem iustificantem, dogma moribus pestilentissimum, quoties de extremo iudicio, de gaudio cœlesti, de Sanctorum cultu, veneratione, festis, de ieiuniis, de oratione, de pœnitentia, de sacramētis,

& his

A & his similibus agetur (agitur autem de singulis non rarò) toties etiam quæ moralia sunt, & ad pietatem faciunt, pertractamus. Tales quippe sunt horum temporum hæreses, vt non solum doctrinam nefariè corruperint, sed & contra bonos mores multa impiè asseuerauerint.

Quia verò in singulis Euangelijs loca certa designo, vnde contra hæreticos depromi aliquid queat, & omnes explicationes ad certa loca redigo, ipsisque locis variam supellectilem subiicio, & non nisi contra hæreticorum vesana dogmata, idcirco totum opus Promptuarium Catholicum nuncupandum duxi. Fui autem in quibusdam Euangelijs breuior, in alijs prolixior, prout materiæ vel dignitas, vel copia postulabat. Breuior sæpe fui, quia nolui totam concionem solis hæreticis refutandis impendi,, nisi fortè vel auditores tales essent, quibus ille cibus salubrior, aut magis necessarius foret, vel subiectum Euangelij huiusmodi, quod ex professo contra hæreticos à Spiritu Sancto suggestum videatur, qualia sunt Euangelia Dominicæ 7. post Pentecosten, Dominicæ 5. post Epiphaniam, Dominicæ 24. post Pentecosten, feria
B tertia Pentecostes, & alia fortè quædam. Vbi prolixior fui, delectum faciet concionator, vt vel pauca, vel selectissima dicat. Certè hæreses ipsæ tales interdum sunt, tam pestilentes, tam impiæ, vt non nisi pluribus refutari vel commodè possint, vel salubriter debeant. Atqui ex Euangelijs illis loca deprompsi, quæ secundum vsum Romanum toto anno leguntur. Ego verò ingenuè hoc loco profitebor, quum ab ineunte ætate officium hoc concionatoris exercere plurimum desiderauerim, sed ne hactenus id facerem, peccatis ita meis exigentibus, vel propter exiliũ à naturali solo, quod vsque ad annum iam tricesimum extendi, vel propter alia vitę officia, ad quæ me Dei prouidentia interea vocauit, impeditus semper fuerim, accepi consilium, quod Propheta Dauid in causa non prorsus absimili cœpit. Voluntatis eius erat, planéque decreuerat, ædificare Templum Domino Deo suo. Sed quum respõsum illi esset, *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tãto effuso sanguine coram me*: præparauit omnes impensas eius, quæque ad ædificandam domum necessaria erant tam in auro & argento, quàm in omnis generis materia,
C collecta suppeditauit. Non aliter & ego, quia verè vir sanguinum, & plurimis peccatis contaminatus vixi, vnde non permisit Dominus, vt vel in patria mea (vbi sola hęresis loquendi potestatem habet) vel extra patriam ad alia semper vocatus & destinatus, ædificem templa nomini eius, domos spirituales extruam, animarum salutem immediatè procurando, hanc saltem materiam templis spiritualibus per alios ædificandis collegi, & vt pluribus relinquatur, in lucem dedi: qua vel ab hæresi plurimos reuocent, ædificando corpus Christi, & templa Spiritus sancti, vel in fide Catholica alios confirment, consummando sanctos, & templi Dei valuas, tecta, parietes corroborando. Sed & eandem ob causam similem operam, donante Deo, ad vitiorum fugam & pietatis studium per aliquod Promptuarium Morale in totius anni Euangelia nauare proposui. Deum Optimum Maximum suppliciter precor, vt hunc exiguum laborem nostrum clementer benedicat, eumque in Ecclesia sua fructum facere concedat, quem vnicum nobis ante oculos positum fuisse, ille scrutator cordis & renum videt. Illi soli omnis honor & gloria. Amen.

Duaci, 16. *Iunij* 1588.

A

SCRIPTVRÆ EVANGELICÆ

QVÆ IN HOC PROMPTVARIO CATHOlico, per singulas Dominicas, & Festa per annum contra hæreticos ex proposito tractantur.

Dominica prima Aduentus.

B

Lucæ 21. VNC videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.

Dominica 2. Aduentus.

Matth. 11. Quid existis in desertum videre?
Hominem mollibus vestitum?

Dominica 3. Aduentus.

Ioan. 1. Ego baptizo in aqua.

Dominica 4. Aduentus.

Lucæ 3. Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Dominica infra Octauas Natalis Domini.

Lucæ 2. Et ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël: & in signum cui contradicetur. C
Et erat Anna prophetissa & hæc vidua,&c. quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte.

Dominica 1. post Epiphaniam.

Lucæ 2. Ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ.
Ascendentibus illis secundum consuetudinem festi.
Fili quid feciſti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.
Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quod in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse?
At illi non intellexerunt verbum.

Dominica 2. post Epiphaniam.

Ioan. 2. Dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Dicit ei Iesus:
Quid mihi & tibi est mulier?
Haurite nunc & ferte Architriclino.

Dominica 3. post Epiphaniam.

Matth. 2. Vade & ostende te sacerdotibus, & offer munus tuum quod præcepit Moyses in testimonium illis.
Ostende te sacerdotibus.

Dominica 4. post Epiphaniam. D

Matth. 8. Quid timidi estis modicæ fidei?

Dominica 5. post Epiphaniam.

Matth. 13. Inimicus homo superseminauit Zizania.
Ne fortè eradicetis & triticum.

Dominica 6. post Epiphaniam.

Matth. 13. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.

Dominica Septuagesimæ.

Matth. 20 Conduxit operarios in vineam suam.
Voca operarios, & redde illis mercedem.

Dominica Sexagesimæ.

Lucæ 8. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.
Semen est verbum Dei.

Dominica Quinquagesimæ.

Lucæ 18. Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam.
Fides tua te saluum fecit.

Dominica

A *Dominica 1. Quadrageſimæ.*

Cum ieiunaſſet 40. diebus & 40. noctibus, poſtea eſurijt. *Matth. 4.*
Si filius Dei es, mitte te deorſum.
Scriptum eſt enim: Angelis ſuis mandauit de te,&c.

Dominica 2. Quadrageſimæ.

Hic eſt filius meus dilectus. Ipſum audite.

Dominica 3. Quadrageſimæ. *Matt. 7.*

In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

Dominica 4. Quadrageſimæ. *Luc. 11.*

Accepit Ieſus panes,& quum gratias egiſſet,diſtribuit diſcumbentibus. *Ioan. 6.*

Dominica Paſſionis.

Qui ex Deo eſt,verba Dei audit. Propterea vos non auditis ,quia ex Deo non eſtis. *Ioan. 8.*
Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes?
Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.
Dixerunt ergo: Nunc cognouimus quia dæmonium habes.
Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.
Dixerunt Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti.

B *Dominica Palmarum ante benedictionem Ramorum.*

Et poſuerunt veſtimenta ſua in via, & præciderunt Ramos de arboribus, & ſtrauerunt in via, *Matth. 21.*
&c.
Turbæ clamabant: Oſanna filio Dauid, Oſanna in altiſſimis.

Dominica Paſchæ.

Emerunt aromata,vt venientes vngerent Ieſum.
De feria 2. & 3. Paſchæ vide inter feſta part. 2. *Marc. 16.*

Dominica in Albis.

Cum ſerò eſſet & fores eſſent clauſæ venit Ieſus. *Ioan. 21.*
Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum.
Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.

Dominica 2. poſt Paſcha. *Ioan. 10.*

Erit vnus Paſtor,& vnum ouile.

Dominica 3. poſt Paſcha. *Ioan. 16.*

Quia vado ad Patrem.

Dominica 4. poſt Paſcha.

C Adhuc habeo multa vobis dicere,quæ non poteſtis portare modò. [..]
Quum autem venerit ille Spiritus veritatis. *Ioan. 16.*
Docebit vos omnem veritatem.

Dominica 5. poſt Paſcha.

Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioan. 16.*
Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis.

Dominica 6. poſt Paſcha.

Ille teſtimonium perhibebit de me,& vos teſtimonium perhibebitis. *Ioan. 15.*
Quia ab initio mecum eſtis.

Dominica Pentecoſtes.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum,& ad eum veniemus, *Ioan. 14.*
& manſionem apud eum faciemus.
quum venerit Spiritus veritatis, ille docebit vos omnia,& ſuggeret vobis omnia quæcunque
dixero vobis.
De feria 2. & 3. Pentecoſtes vide inter Feſta part. 2.

D *Dominica SS. Trinitatis.*

Docete omnes gentes. *Matth. 18*
Docentes eos ſeruare omnia.
quæcunque mandaui vobis.
Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.

Dominica 2. poſt Pentecoſten.

Compelle eos intrare. *Luc. 14.*

Dominica 3. poſt Pentecoſten.

Gaudium erit coram Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. *Luc. 15.*

Dominica 4. poſt Pentecoſten.

Aſcendens in vnam nauem,quæ erat Simonis. *Luc. 5.*
Dixit ad Simonem: Duc in altum.
Concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.
Ex hoc eris homines capiens.

Dominica 5. post Pentecosten. A

Matth. 5. Nisi iustitia vestra abundauerit plusquam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.

Dominica 6. post Pentecosten.

Matth. 8. Et habebant piscículos paucos & ipsos benedixit.

Dominica 7. post Pentecosten.

Attendite vobis à falsis prophetis.

Matth. 7. Qui veniunt ad vos.

In vestimentis ouium. Intus autem sunt lupi rapaces.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Nunquid colligunt ex spinis vuas, aut ex tribulis ficus?

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.

Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. B

Dominica 8. post Pentecosten.

Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Dominica 9. post Pentecosten.

Lucæ 19. Domus mea, Domus orationis vocabitur.

Domus orationis vocabitur.

Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Dominica 10. post Pentecosten.

Luc. 18. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.

Ieiuno bis in sabbato.

Descendit hic iustificatus ab illo in domum suam.

Percutiebat pectus suum.

Dominica 11. post Pentecosten.

Marc. 7. Apprehendens eum (mutum & surdum) de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Epheta. C

Dominica 12. post Pentecosten.

Luc. 10. Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum. In lege quid scriptum est? &c. Fac hoc & viues.

Curam illius habe, & quodcunque superogaueris, ego quum rediero, reddam tibi.

Dominica 13. post Pentecosten.

Luc. 17. Ite, ostendite vos sacerdotibus.

Dominica 14. post Pentecosten.

Matth. 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius.

Dominica 15. post Pentecosten.

Luc. 7. Quum appropinquaret portæ, ecce defunctus efferebatur, & turba ciuitatis multa cum illo.

Dominica 16. post Pentecosten.

Lucæ 14. Quum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum.

Dominica 17. post Pentecosten.

Matth. 22 In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.

Dominica 18. post Pentecosten.

Matth. 9. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. D

Videns fidem illorum.

Vt sciatis quia filius hominis potestatem habet remittendi peccata super terram.

Dominica 19. post Pentecosten.

Matth. 22. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?

Dominica 20. post Pentecosten.

Ioan. 4. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat, &c. & credidit ipse & domus eius tota.

Dominica 21. post Pentecosten.

Matth. 18. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Dominica 22. post Pentecosten.

Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

Dominica 23. post Pentecosten.

Matt. 9. Ecce princeps vnus accessit, & adorauit eum.

Si teti-

A Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero.

Dominica 24. poſt Pentecoſten.

Tunc ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.
Si dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. *Matth.24.*

EVANGELICI TEXTVS IN FESTIS Chriſti & Sanctorum.

In die S. Andreæ Apoſtoli.

VEnite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. *Matth. 4.*

In die S. Thomæ Apoſtoli.

Beati qui non viderunt & crediderunt. *Ioan.20.*

In die Natalis Domini.

B Pax hominibus bonæ voluntatis. *Lucæ 2.*

In die S. Stephani.

Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? *Matth.23.*

In die S. Ioannis.

Hic eſt diſcipulus quem diligebat Ieſus.
Quum ſenueris, extendes manus tuas, & cinget te alius, & ducet quò non voles. *Ioan. 21.*

In die SS. Innocentium.

Herodes iratus occidit multos pueros in Bethlehem. *Matth.2.*

In die Circunciſionis Domini.

Et vocatum eſt nomen eius Ieſus. *Lucæ 2.*

In die Epiphaniæ.

Venimus adorare eum cum muneribus.
Magi venerunt ab oriente Hieroſolymam. *Matth.2.*
Et procidentes adorauerunt eum.

C *In die Purificationis B. Virginis.*

Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerunt eum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino. *Lucæ 2.*

In die S. Matthiæ Apoſtoli.

Confiteor tibi pater, &c. quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. *Matth.11.*

In die Annunciationis B. Virginis.

Aue gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. *Lucæ 1.*
Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?

Feria 2. Paſchæ.

Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? *Lucæ 24.*
Cognouerunt eum in fractione panis.

Feria 3. Paſchæ.

Tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas. *Lucæ 24.*

D Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus à Hieruſalem.

In die S. Marci.

Orate Dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam. *Lucæ 10.*

In die SS. Philippi & Iacobi Apoſtolorum.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.
Tanto tempore vobiſcum ſum, & nondum cognouiſtis me? *Ioan.14.*
Nemo venit ad patrem, niſi per me.

In Inuentione S. Crucis.

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis. *Ioan. 3.*

In die Aſcenſionis Dominicæ.

Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderant. *Marc. 14.*
Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.
Dominus Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum.

Feria 2. Pentecostes. A

Ioan. 5. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Feria 3. Pentecostes.

Ioan. 10. Qui intrat per ostium, pastor est ouium.
Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo.
Fur non venit nisi vt furetur & mactet & perdat.

In die venerabilis Sacramenti.

Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

In die S. Ioannis Baptistæ.

Luc. 2. Ioannes est nomen eius.
Qui putas puer iste erit?

In die SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Matth. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.
Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.
Tibi dabo claues regni cœlorum.

In die visitationis B. Virginis. B

Luc. 1. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.
Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini ad me?

In festo S. Magdalenæ.

Luc. 7. Stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.
Fides tua te saluam fecit.

S. Iacobi Apostoli.

Matth. 20 Sedere ad dexteram, vel ad sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.

In Festo Assumptionis B. Virginis.

Luc. 10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

In Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Luc. 6. Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.

In Natiuitate B. Virginis.

Matt. 1. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus.

In Festo S. Matthæi Apostoli.

Matt. 9. Misericordiam volo, & non sacrificium. C

In Festo S. Michaelis Archangeli.

Matt. 18. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

In Festo SS. Simonis & Iudæ Apostolorum.

Ioan. 15. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.

In Festo omnium Sanctorum.

Matt. 5. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

Ioan. 5. Et ibunt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem iudicij.

His accessit.

De recidiua hæresis in Belgio Oratio.

ALIÆ

ALIÆ SCRIPTVRÆ EVANGELICÆ CONTRA Hæreticos in Promptuario Morali explicatæ, ad quas hic de nouo Lector ſuis in locis remittitur.

Dominica ſecunda Aduentus.

BEatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Matth. 11.

Dominica 3. Aduentus.

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Luc. 3.

Dominica 4. Aduentus.

Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Ioan. 1.

Dominica infra Octau. Natiu. Domini.

B Et in reſurrectionem multorum in Iſraël.

Dominica 2. poſt Epiphaniam.

Quodcunque dixerit vobis facite. Luc. 2.
Implete hydrias aqua. Ioan. 2.

Dominica 3. poſt Epiphaniam.

Filij regni eijcientur foras. Matth. 8.

Dominica 6. poſt Epiphaniam.

Cum autem creuerit, maius fit omnibus oleribus. Matth. 13.

Dominica Septuageſimæ.

Quia nemo nos conduxit. Matth. 20

Dominica 3. Quadrageſimæ.

Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Lucæ 11.

Dominica Paſſionis.

Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet. Ioan. 8.

Dominica 6. poſt Paſcha.

Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Ioan. 15.

Dominica 19. poſt Pentecoſten.

C Reliqui tenuerunt ſeruos eius & contumelijs affectos occiderunt.
Rex autem cum audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos. Matth. 22.

Dominica 22. poſt Pentecoſten.

Mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis. Matth. 22

A

PROMPTVARIVM CATHOLICVM, SVPER EVANGELIA DOMINICALIA TOTIVS ANNI.

B

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Luc.21.

C LOCVS proprius explicandi contra hæreticos, nostri temporis terrorem extremi iudicij & secundi Aduentus filij Dei. Hæretici hodie vt suam, solam fidem ac certitudinem gratiæ statuant, omnemque Diuinæ iustitiæ timorem hominum animis, & conscientiis penitus eximant (qui primus & potissimus Lutheri scopus fuit) quum has in Ecclesia turbas principio excitaret, vt alibi à nobis est explicatum: etiam hanc de extremo iudicio doctrinam corrumpunt. *Non modica certè est securitas* (ait Caluinus) *quod non ad aliud tribunal sistimur, quam Redemptoris nostri, à quo salus sit expectanda: tantum abest vt in condemnationem nostram tribunal sit consensurus. Ergo in hunc finem Pater filium honorauit, omne iudicium illi deferens, vt ira conscientiis suorum, terrore iudicij trepidis, consuluerit.* Hæc ille. Sic & alij hæretici hunc extremi iudicij locum frigidissimè tractant, vt soli sui fidei & fiduciæ perpetuæ consulant. *Qui crediderint* (ait Beza) *sicut ex fidei fructibus constabit, fieri Christi cohæredes.* Totum fidei tribuunt, ne iustitiæ examini, terrori, iudicio vllus locus sit.

De *extremo iudicio* In *præf. ad Lect. lib. de Iustific. præmisse.* *Inst. li. 2. c. 16. n. 18.* *Conf. fidei ca. 6.*

Docendus ergo diligenter hoc loco populus fidelis, quod in extremo iudicio Christus, non vt Redemptor, sed vt Iudex, non in humilitate, sed *in potestate magna*, non in paupertate humana, sed in *maiestate diuina*, venturus est. Quia terribilis aduentus erit, ideo signa terribilia præmittit. *Erunt signa in Sole & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi: Nam & virtutes cælorum commouebuntur*, id est, ait Chrysostomus, *ipsi Angeli trement, quia sicut vehementem iudicem cognoscent, vbi non tantum rei & conscij, sed & circunstantes innoxij terrentur constantia iudicis.* Sic de hoc iudicio Paulus. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios*, id est, D transgressores legis diuinæ, quos pro hostibus Deus habet. Vnde & Christus in die iudicii dicturus est, *Discedite à me qui operamini iniquitatem. Nescio vos.* Quare de hoc iudicii die quem ab omni terrore vacuum volunt fiduciarii hæretici, sic Prophetæ loquuntur. *Dies illa dies iræ, dies tribulationis & Angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos*, id est, super potentes peccatores, qui gloriantur in malitia & potentes sunt in iniquitate. De hoc die Dauid. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* De hoc Esaias. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignatione plenus, & iræ furorisque ad ponendum terrorem in solitudinem, & peccatores conterendos in ea.* De hoc die Ezechiel. *Finis venit, venit finis. Euigilauit aduersum te: ecce venit. Immittam furorem meum in te & iudicabo te iuxta vias tuas,*

De terrore diuini iudicij. *Sopho. c. 1.* *Psal. 9.* *Cap. 13.* *Bap. 7.* *Rom. 2.* *Psal. 74.*

Iudicium extremum peccatoribus terribile.

& ponam contra te omnes abominationes tuas. De hoc denique Paulus. *Cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ.* Vocat diem iudicij diem iræ, de quo Dauid. *Ego cum tempus accepero, iustitias iudicabo.* Est autem dies iræ, dies terribilis iudicii, dies furoris, &c. non propter incredulos tantum (vt volunt hæretici) sed propter peccatores. Examen terribile fiet non fidei (*qui enim non credit, iam iudicatus est*) sed operum bonorum & malorum. Sic apertè Paulus. *Omnes nos* (id est, fideles, & iam credentes in Christum) *astare oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore siue bonum siue malum.* Ascendet ergo tribunal suum ad condemnationem nostram (quicquid impostor Caluinus mentiatur) si bona opera non attulerimus, vtcunque fidem atque fiduciam retineamus. Quare disertissimè Christus in die iudicii propter bona opera ad vitā æternam credentes recipit, propter mala opera in ignem æternum etiam credentes abire iubet. Dicet enim, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.* Declarat Christus paratum quidem fuisse ab æterno electis regnū, sed causam subiungit, opera bona. Sic alibi Christus rogatus à matre Zebedæorum, vt duo filij eius, Iacobus & Ioannes, sederent ad dexteram & sinistram eius, proponit primo de bonis operibus. *Potestis bibere calicem quem ego bibituras sum?* Sed quid apertius iudicii extremi formam describit, quam alia verba Christi, vbi ad sanctitatem & perfectionem Christianam exhortans, docensque vnumquemque abnegare seipsum, tollere Crucem suam, & sequi Christum concludit. *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui, & tunc reddet vnicuique iuxta opera sua.* Hæc est forma futuri iudicij, quando veniet Christus in maiestate sua. Erit tunc iustus iudex, non misericors liberator. Tunc est tempus iudicij, nunc misericordiæ. Hanc temporum distinctionem Dauid disertè docuit, dicens: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Super quæ verba Augustinus ait: *Si per tempora distinguamus hæc duo, fortè inuenimus modo tempus misericordiæ, futurum autem iudicij. Ideo non sine causa eo ordine posita sunt, vt non diceret iudicium & misericordiam, sed misericordiam, & iudicium.* Sed hæc tempora distinguunt scripturæ. De tempore misericordiæ dicitur. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et rursum: *Quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.* De tempore iudicii per fatuas virgines docemur clamantes frustra, *Domine, Domine aperi nobis,* quum iam clausa esset ianua. In quem locum Gregorius: *Tunc regni ianua lugentibus claudetur, quæ modo quotidie pœnitentibus aperitur. Erit namque & tunc pœnitentia sed fructuosa iam non erit: quia nequaquam tunc veniam inueniet: qui modo aptum veniæ tempus perdit.* Hæc ille. Et rursum alibi: *Vitari terror iudicis non nisi ante iudicium potest. Modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum vero in illo tremendo examine sederit in maiestate sua, & videri potest, & placari iam non potest, quia facta prauorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus.*

Ioan. 3. Rom. 2. Matt. 25. Matt. 20. Matt. 19. Tempus misericordiæ, tempus iudicij. Psal. 100. In Enarrat. ibidem 2. Cor. 6. Esai. 55. Matt. 25. Hom. 12. sup. Euāg. Mora. li. 14 ca. 34. In lib. de Iacob & vita beata. li. 1. c. 6.

A B C

At ex S. Ambrosio citat Caluinus. *Sed metuis, ne iudex seuerior sit. Considera quem iudicem habeas. Nempe Christo dedit Pater omne iudicium. Poterit ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo se obtulit, cuius vitam suæ mortis mercedem esse recognoscit? Nonne dicet, Quæ vtilitas in sanguine meo, si damno quem ipse saluaui? Deinde consideras iudicem, non consideras aduocatum? Potest iste sæuiorem ferre sententiam qui interpellare non desinit, vt paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia?* Hæc Ambrosius. Ex quibus colligit Caluinus, Christum in extremo iudicio de credentibus in eum vtcunque peccatoribus, non vt terribilem, & iratum iudicem, sed vt clementem redemptorem atque aduocatum sententiam laturum. Sed Ambrosium Caluinus vel non intelligit, vel bene intellectum malitiosè peruertit. Loquitur enim disertè Ambrosius de non timenda seueritate Christi in extremo iudicio ab illis fidelibus qui in hac vita cum Christo moriuntur, cum Christo resurgunt. Sic enim in cap. præcedenti disputat. *Si in Christi morte dimittuntur nobis peccata, etiam peccatorum nobis passiones in illius morte moriantur, illius crucis clauis affixæ teneantur: Christus mortuus est, vt & nos peccato moreremur, Deo resurgeremus. Mortua est caro nostra, quid igitur peccato reuiuiscit? Quid igitur peccato obedit? Quid igitur peccatum regnat in mortuis, quum mors finis peccati sit?* Hæc & multa alia de verè in Christo renatis de bonis ac piis quum dixisset, docet in seq. cap. nihil illis formidandum esse: ne quidem extremum iudicium. Nempe quia Christus piis ac bonis non iudex seuerus, sed iustus remunerator erit, ideoque à talibus eius aduentus in maiestate non timendus, sed diligendus est, iuxta illam Apostoli doctrinam, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius:* id est, qui sic piè & inculpatè viuunt, vt eum diligere non formidare possint, sicut viri longo tempore absentis reditum casta coniunx diligit, adultera timet. Sic alio loco Ambrosius eas animas *in die iudicij exultaturas,* dixit, *quæ carnem vicerunt & illecebris eius inflexæ non sunt, quæ precio sedulitatis & innocentiæ suæ securitate potiuntur, quæ seruatæ à se legis diuinæ testimonio fulciuntur.* Sic Augustinus iudicium extremum *formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam,* scribit. Sic D. Gregorius exponens illa verba Ezechielis, *quasi aspectus crystalli terribilis,* eleganter docet Christum in extremo iudicio venientem in maiestate sua, esse hoc crystallum terribile. *Mirum,* inquit, *quomodo in hac crystallo conueniat pulchritudo cum pauore. Sed omnibus vera scientibus constat, quia redemptor humani generis cum iudex apparuerit, & speciosus iustis, & terribilis erit iniustis. Quum enim mansuetum aspicient electi, hunc eundem pauendum ac terribilem conspicient reprobi. Sed hunc ideo tunc electi terribilem non videbunt, quia modo terrorem illius considerare non cessant: & quotidie timendo agunt, ne quum venerit pertimescant.* Hæc ille. Sic alibi de fatuis virginibus disputans, quæ malos credentes repræsentant? *Tunc,* inquit, *velut incognitos dominus deserit, quos modo suos per vitæ meritum non agnoscit.*

Ambrosij verba explicantur.

2. Tim. 4 Lib. de bono mortis c. 11. Enar. in Psal. 100 Lib. 1. super Ezec. ho. 7. Hom. 12. sup. Euan.

D

Est ergo

A Est ergo Christus Dominus veniens in maiestate sua, & omnes iudicaturus, bonis ac piis mansuetus, impiis iratus & terribilis, sed omnibus iustus iudex. Neque vero ideo non erit seuerus iudex, quia misericors est & perpetuus Aduocatus. Habent quidem pij & pœnitentes vnde iustam consolationem accipiant, quod idem sit Aduocatus qui futurus est iudex iuxta illud D. Gregorij dictum. *Est nobis spes magna pœnitentibus, quia Aduocatus noster factus est Iudex noster.* Sed vt hoc præsens tempus non illud iudicii tempus est pœnitentiæ proprium, sic ad hoc præsens tempus non ad iudicii momentum hæc consolatio valet, hæc aduocati clementia referenda est. Clementia igitur Aduocati, & mansuetudo futuri Iudicis, quę vel hic pœnitentes vel in illo die iustos & pios tantum concernit, nihil ad hæreticorum hodie pestilentem fiduciam & præsumptionem facit, qui sola sua fide contenti ideo se in extremo iudicio propitium iudicem habiturum præsumunt, quia semel in eum crediderunt, quia semel per baptismum & fidem Deo reconciliati & iustificati fuerunt. De hac pernicioſisima hæreticorum fraude & necessaria iudicii extremi cum metu ac timore expectatione, docendus hoc loco populus. Nõ enim in extremo iudicio iuxta fidem, sed iuxta opera vnusquisque iudicabitur, non contra incredulos (*qui enim non credit, iam iudicatus est*) sed contra peccatores fiet illud iudicium. Denique non propter diffidentiam aut fidei defectum, sed propter iniquitatem & charitatis defectum illud iudicium instituitur, vt ex omnibus scripturis prius citatis liquido constat. Quibus adde quod Danieli in visione apparuit. *Iudicium* (inquit) *sedit, & libri aperti sunt.* Illi nempe libri de

B quibus clarius Ioannes in Apocalypsi. *Vidi thronum candidum & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inuentus eis. Et vidi mortuos magnos & paruos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erãt in libro secundum opera ipsorum: & dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Sic de operibus non fide dictum est. *Nolite iudicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Denique omnes scripturæ quæ de die Domini & extremo iudicio loquuntur, de operum examine & discussione loquuntur, non de fidei notis, signis & fructibus, vt non minus ineptè quam impiè docet cæcos suos cęcus Beza. Hanc ob causam Christus ipse totum sermonem suum de hoc extremo iudicio, & de suo glorioso aduentu in hoc ipso Euangelio his verbis concludit. *Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Postremo tam exactum & rigidum hoc iudicium futurum est, vt non solum operum, sed & verborum adeoque cogitationum omnium reddenda tunc sit ratio. De verbis enim dicit Christus ipse. *Dico vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* De cogitationibus Apostolus dicit. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusan-*

C *tibus aut etiam defendentibus, in die quum iudicabit Deus occulta hominum.*

Hom. 34. sup. Euan.

Christus perpetuo Aduocatus, sed quibus.

Ioan. 3.

Dan. 7. Apoc. 20.

1. Cor. 3.

Luc. 21.

Rigor extremi iudicij.

Matt. 12. Rom. 2.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

Quid existis in desertum videre?

Matt. 12.

LOCVS conueniens tractandi de peregrinatione ad loca sanctorum, vel de reuerentia exhibenda Sanctis in hac vita, seu eremitis, seu anachoretis, seu aliis religiosis, contra hæreticos nostri temporis, qui totum hoc genus deuotionis pro superstitione ducunt, atque adeo huiusmodi sanctas personas non ferunt, non magis sanè quam ipse Diabolus, infestissimus semper huiusmodi hominum hostis. Nam Christus hoc loco peregrinationem quandam ipsorum Iudæorum ad videndum Ioannem in deserto susceptam laudat, ipsumque Ioannis propositum, vitam in deserto eremiticam agentis, magnis laudibus prosequitur. Ait enim: *Quid existis videre?* Non ait, quem existis audire? Etsi enim etiam ad audiendum quoque Ioannem pœnitentiam prædicantem multi fortasse exiuerunt, fama prædicationis eius commoti, tamen in principio, haud dubiè ad videndum, non ad audiendum exiuerunt, nihil adhuc

D loquitur: non quod Ioannem audiuisse prædicantem laudabile etiam non fuerit, sed quod illo studio prætermisso (cuius laus & fructus euidens per se patet) hoc ipso eos laudare vult, quod etiam videndi illum causa exiuerint. Christus enim hoc loco personam Ioannis, vitæque eius sanctitatem sibi collaudandam suscepit, non tantum functionem ipsam & ministerium, de quo postea dicturus erat. Itaque in his Euangelii verbis totus est in laudibus Ioannis, primum propter vitam eremiticam: *In deserto*; deinde propter huius vitæ austeritatem, *Non mollibus vestitum*, in qua negatione intelligit *Pilos camelorum & Zonam pelliceam*: Rursum propter constantiam & fortitudinem, qua Herodis incesto restitit, ideoque in vincula cõiectus fuerat, negans illum es-

e *Arundinem vento agitatam*: *Denique quia Propheta erat & plusquam Propheta*: ac postremo *quia maior*

De peregrinatione ad loca Sanctorum

illo inter natos mulierum non surrexit. Laudat igitur Iudæos quòd hunc talem ac tantum virum videre, in desertum exiuerint, relictis domibus ac domiciliis suis ad eum videndũ profecti fuerint. Erat ergo hoc quoddam peregrinationis genus viro sancto exhibitũ, quale in historiis Ecclesiasticis frequenter legimus, in vitis S. Antonij per Athanasium, S. Hilarionis per Hieronymum, S. Arsenij per Simeonem Metaphrastem, & aliis permultis. Sicuti autem sanctos viuos inuisere, audire, reuereri laudabile est, ita etiam eorum iam defunctorum monumenta, memorias, reliquias visitare, ad ea peregrinari pium ac laudabile in Ecclesia Christi catholica semper existimatum est: idque ob tres causas, quas breuiter populo hoc loco exponere non erit inutile. A

Peregrinationis causæ.

1. Causa.

In hom. 7. De laudibus Pauli.

Hom. 8. in Epist. ad Ephes.

Hom. 5. in Iob tom. 1.

In epitaphio Paulæ ad Eustochium.

Amor & charitas erga Deum & sanctos singularis, pios mouet, vt quemadmodum ipsos, sic & ea quæ ipsorum sunt, quæque ad eos pertinent, libenter videre honoreque debito venerari cupiant. Tali amore erga Paulum flagrans Chrysostomus (in quo laudando nunquam sibi satisfacere ille sanctus Doctor potuit) optauit vehemẽter Romam peregrinari, vt eius illic reliquias inuiseret ac veneraretur. Sic enim scribit, quum iam Patriarcha esset Constantinopolitanus. *Si liberum mihi fuisset per curas Ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil vtique causatus fuissem, quo minus tanta suscepta peregrinatione catenas illas Pauli & carcerem vbi ligatus fuit, viderem.* Rursum in alio loco. *Vellem nunc* (inquit) *in illis locis versari quibus vincula illa manent, & catenas videre quas timuerunt quidem dæmones & horrent, Angeli autem venerantur. Si Ecclesiasticis curis essem vacuus, corpusque robustum haberem, nequaquam peregrinationem tantam ferre recusarem, quo catenas solum viderem & carcerem quo Paulus vinctus erat.* Hæc ille. Tali amore ardens Paula matrona Romana nobilissima quũ Hierosolymam venisset, *Hæc* (inquit) *requies mea quia Domini mei patria est. Hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam*, teste S. Hieronymo. Hic etiam amor multas ei lacrymas excussit, quum in spelunca Bethlehem & in monte Caluariæ Christum natum & crucifixum adoraret, vt ibidẽ Hieronymus narrat. Ex tali amore & Antonius Paulum eremitam viuentem longo suscepto itinere inuisit, & ipsius Antonii defuncti sepulchrum Hilarion visitauit, vt in vtriusque vita, Pauli & Hilarionis, S. Hieronymus copiosè describit. B

2. Causa.

Rursum suscipitur hæc à piis ad sanctorum monumenta peregrinatio propter honorem Dei & Sanctorum, quos frequentibus miraculis & beneficiis, Deus talibus in locis honorat. Hanc causam & considerationem Patres antiquissimi testatam nobis relinquunt. Chrysostomus de hac frequenti Christianorum pietate sic scripsit. *Vt regias quidem aulas viderit, nullus vnquam peregrinatus fuerit. Multi autem reges huius spectaculi gratia sæpe peregrinati sunt. Futuri namque iudicij signa & vestigia Sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, homines constringuntur & liberantur.* Hæc ille. D. Augustinus iuxta communem tunc Christianorum morem presbyteros quosdam suos ad dubii cuiusdam criminis explorationem quum vnus accusaretur, alter ad S. Fœlicis Martyris monumentum Nolæ in Campania situm peregrinari iussit: *vt certo* (inquit) *placito se ambo constringerent ad locum sanctorum se peregrinaturos, vbi terribilia Dei opera non sanam cuiusque conscientiam multo facilius aperirent.* Hæc ille. Sic de Romana peregrinatione testatur dicens: *Principes de sæculo credentes ad vrbem Romam venerunt. Non ierunt ad Templũ imperatoris, sed ad memoriam piscatoris.* Sic in sua Africa Reliquias S. Stephani protomartyris (propter frequentia illic miracula diuinitus exhibita) magno hominum concursu visitatas fuisse narrat in libro de ciuitate Dei. Sic Palæstini & Cyprii circa corpus S. Hilarionis sanctam contentionem habuerunt, apud vtros illud resideret, vt in eius vita narrat Sanctus Hieronymus. C

Hom. 66. ad po. Antioch.

Epist. 137.

Enarr. in Psal. 86.

Li. 22. c. 8.

3. Causa. Contra Faustum li. 20. c. 21. In epitaphio Paulæ

Tertio ad excitationem fidei nostræ erga Deum, & ad ostensionem communionis eiusdem fidei cum sanctis, frequens fit à populo Christiano ad Sanctorum loca peregrinatio. Hanc causam tradit Augustinus. *Ipsorum* (inquit) *locorum admonitione mator affectus exurgit ad acuendam charitatem, & in Sanctos quos imitari possumus, & in Deum quo adiuuante possumus.* Sic de Paula scribit B. Hieronymus, quod *prostrata ante Crucem Domini in monte Caluariæ, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Sic quum Reliquiæ Samuelis ex Iudæa Constantinopolim transferrentur; *omniũ Ecclesiarum populi à Palæstina vsque Calcedonem occurrerunt sanctis Reliquiis* (ait Hieronymus) *quasi præsentem viuentemque Prophetam cernerent, & in Christi laudem omnium voces resonabant, quia Christum in Samuele adorabant.* Sic de insigni miraculo facto ad Reliquias sancti Stephani, sanatis videlicet ex horribili morbo fratre & sorore, in Ecclesia S. Augustini ipso præsente. *Exultabant* (inquit) *in Dei laudem voces, & in cordibus exultantium fides Christi erat, pro qua Stephanus sanguinem suum fudit.* Hæc ille. Tali denique intentione optauit Chrysostomus omnia Apostolorum Acta diligentissimè conscripta fuisse, *quid diebus singulis gesserint, in quibus partibus vixerint, quam domum introierint, vbi applicuerint, &c. Quia*, inquit, *quum loca tantum cernimus vbi sederunt, seu vincti sunt, virtutes quoque illorum conspicimus, & expergiscimur, & promptiores euadimus.* Hæc ille. Has ob causas veteres Christiani ante annos 1200. ad sanctorum loca peregrinati, sanctorum monumenta piè ac religiosè visitare soliti sunt: vt hoc genus pietatis nec recens aliqua superstitio, nec inanis deuotio, sed & antiquissimus & grauissimus Dei cultus merito censeri debeat. Qua de re moneri hoc loco oportunè populus fidelis poterit, quum Christus in hoc Euangelio Iudæos laudet, quod ad Ioannem in desertum exibant, vt eum viderent. D

Aduersus Vigilantiũ De ciuit. Dei li. 22. ca. 8. In argu. epi. ad Philemonem.

Exist

A

Exiſtis in deſertum.

LOcus oportunus inſignem hodie hæreticorum noſtrorum ſycophantiam, impudentiam & in ſcripturis deprauandis audaciam populo Catholico demonſtrandi. Nolunt enim illi vllo modo vt Ioannes Baptiſta in deſerto propriè dicto, in eremo, in ſolitudine vixerit: ne eius tam nobile exemplum eremitis & anachoretis noſtris patrocinari videatur, ideoque contra expreſſum Dei verbum, & contra conſtantem omnium Patrum conſenſum, deſertum hoc multis modis exagitant, & in varium ſenſum detorquent. Centuriatores Magdeburgenſes ſic ſcribunt. *Deſertum hoc Ioannis non de aliquo antro ab hominum conuerſatione remoto accipiendum eſt, quaſi ibi velut vrſus, & miſantropus delituiſſet, ſicut paſtoribus temporibus eremitæ, & id genus homines ſuperſtitioſos ſibi finxerunt cultus, ſed in œconomia ſacrorum parentum eſt educatus, qui habitarunt in loco ad regionem montoſam ſito, qui vulgo deſertum vocabatur.* Et iterum. *Fuit Ioannes in deſerto, hoc eſt, in regionibus circa Iordanem vt pote quæ ad vicinos montes deſerta vocabantur, cum tamen in eo tractu circa Iordanem vt pote piſcoſo loco, pratis irriguo & paſcuoſo plurimi homines habitarent.* Hæc illi belli interpretes verbi Dei. Deſertum Ioannis volunt eſſe loca amœniſſima, piſcoſa & paſcuoſa iuxta montes ſita. Sed alii adhuc abſurdius, ſi quid tamen magis abſurdum dici poteſt. Hegendorphinus Lutheranus in cõ-
B menta ſuper Marcum, prædicare Ioannem in deſerto ſic interpretatur, vt ſit idem, quod in Iordane vel in ſynagoga Iudæorum prædicare. Zuuinglius deſertum hic appellat tribum Iuda, quę illius iudicio in montanis tunc habitabat. Beza ex hoc deſerto regionem ſaltuoſam fabricat. Caluinus ad tropos more ſuo confugit, exponens *vox clamantis in deſerto*, pro vaſtitate vel deformi populi ruina. Sarcerius Ioannem in deſerto vixiſſe ſic accipi poſſe cenſet, ac ſi dicas Ioannem priuatim vixiſſe & educatum fuiſſe. Bucerus ſcribit deſertum illud non fuiſſe omnino vaſtum, in quo nemo, ſed in quo ſparſim & rari habitabant, ſicut in Hercinia ſylua. Sic videlicet magiſtri iſti mendaces quiduis volunt præter veritatem. Atque clariſſima eſt ipſa veritas huius deſerti, eremum & ſolitudinem illam fuiſſe, in quam ſe Ioannes contulit. Tale enim Chriſti deſertum fuit in quod vt ieiunaret 40. diebus, poſteaque à Diabolo tentaretur, receſſit; de quo deſerto Marcus ait: *Eratque cum beſtiis, & Angeli miniſtrabant illi.* Non potuit diſertius deſerti proprietatem explicare. Sic Ioannes *comedebat mel ſylueſtre*, quia in ſyluis verſabatur & cum beſtiis, vt Chriſtus. Deinde Lucas diſertè opponit, deſertum Ioannis conuerſationi communi. Ait enim de illo. *Puer creſcebat & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.* Oſtenſio Ioannis ad Iſrael erat tempus prædicationis eius in regione Iordanis. Sed ante illam oſtenſionem erat in deſertis. Ergo deſerta illa, loca fuerunt à regione Iordanis planè di-
C ſtincta & diuerſa. Ideo poſtea Lucas expreſsè dixit. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem filium Zachariæ in deſerto: Et venit in omnem regionem Iordanis, &c.* Ecce poſt verbum Domini ad eum factum, poſt prædicationis officium ei iniunctum, venit ex deſerto in regionem Iordanis. Non ergo regio aliqua Iordanis hoc deſertum fuit, ſed locus ab ea planè diuerſus ac remotus. An vero dicent iſti hæretici Chriſtum ieiunaſſe in deſerto, hoc eſt, in locis piſcoſis & paſcuoſis circa Iordanem? Eſt hæc eorum impudentiſſima audacia, & mentiendi libido populo fideli diligenter explicanda. Patrum conſenſus hac in re luce meridiana clarior eſt. Origenes de Ioannis deſergiens *tumultum vrbium, populi frequentiam, viciniam ciuitatum, & abiit in deſerta vbi purior aer, & cælum apertius & familiarior Deus.* Chryſoſtomus de Ioanne ſic loquitur. *Statim vt natus eſt, in eremo viuit, in eremo nutritur, Chriſtum expectat in ſolitudine.* Hæc ille Hieronymus ſic ſcribit. *Viuebat Ioannes in eremo, & oculis deſiderantibus Chriſtum nihil aliud dignabatur aſpicere.* Euſebius Pamphili tractat ex propoſito illam quæſtionem, cur Ioannes non in vrbibus nec in ipſa Ieruſalem, ſed in deſerto ſibi ſuggeſtum ad prædicandum elegerit. Euthymius diſertè docet Ioannem ab infantia ſolitariam & eremiticam duxiſſe vitam. Cyrillus affirmat Ioannem ſemper eremum coluiſſe, qui robore animi carnem rationi ſubegerit, &c. Idem teſtatur Beda, Theophylactus, Caſſianus, omneſque Eccleſiaſticę hiſtoriæ ſcriptores, Sozomenus lib. 1. cap. 12. Nicepho. lib. 8. cap. 39. & alii. Sed hæc eſt hæreticorum hodie audacia contra euidentem Scripturam, contra communem omnium patrum conſenſum, quæcunque hęreſes ipſorum iuuare poſſunt, aut fidei Catholicę præiudicare, ea perfricta fronte, ſi tamen & fronte, aſſerere.

Hæretici hodie corruptores verbi Dei.
Deſertum Ioannis.
Cent. li. 1. ca. 10.
In ca. 1. Marci.
In annot. in ca. 3. Matt.
In ca. 3. Matt.
In harmonia Euangelica.
In primum ca. Lucę
In ca. 3. Matth.
Refutantur hæretici ex Scripturis.
Marc. 1.
Lucę 1.
Lucę 3.
Patrum conſenſus.
Hom. 11. in Lucam.
Hom. de Natiuit. Ioan. Bap.
Epi. 4. ad Ruſticum Demonſtr. Euan. li. 9. ca. 5.
In c. 11. Matt.
Theſaur. lib. 2. c.
Hom. in Vigi. Ioan. Bapt.
In c. 3. Matth.
Collat. 18.

D

Hominem mollibus veſtitum?

LOcus alius non minorem hæreticorum impudentiam cum egregia impietate coniunctam demonſtrandi. Laudat hic Chriſtus Dominus Ioannis Baptiſtæ veſtitum rudem, ſimplicem & auſterum, iuxta id quod Marcus habet. *Erat Ioannes veſtitus pilis cameli & zona pellicea circa lumbos ſuos*, vel vt habet Matthæus. *Habebat Ioannes veſtimentum de pilis camelorum.* Hanc in veſtitu & amictu auſteritatem vt duo Euangeliſtæ ſingulariter obſeruarunt, ita Chriſtus in hoc Euangelio inter cæteras Ioannis laudes commemorat. Sed hæretici vt libenter ipſi mollibus veſtiun-

De auſtera Ioannis vita.
Ca. 1.
Ca. 3.

Hæretici refutantur Cent.1.li. 1.c.10.

tur,& à cilicio non secus quàm à colubro abhorrent, ideoque asperum omne amictus genus religiosè assumptum superstitioni deputant: nolunt vllo modo hoc Ioannis vestimentum de pilis camelorum ad vllam vitæ austeritatem vel continentiam singularem pertinere. *Non est consentaneum* (aiunt Magdeburgenses) *crudas tantum pelles camelorum sic fuisse connexas (vt quidam opinãtur) sed vsitato genere vestitus, quali illi qui ad montosa loca habitabant, induebãtur.* Scilicet volunt isti D. Ioannem ab Euangelistis describi vt hominem quendam montanum, rudem, ab vrbano nitore alienum, ex natura loci, in quo agebat, non autem vt virum sanctum, continentem, seueritatis sectatorem, ex pietatis studio,& sui ipsius mortificandi causa, vt Prophetam decuit. Sic aperte Augustinus Marloratus in sua catena. *Non dubium est* (inquit) *quin hic montanum hominem describat Euangelista, ab omni vrbano nitore & lautitiis remotum.* Alii hæretici vestitum hunc vsitatum vestimenti genus volunt esse,& in communi tunc vsu receptum. Sic Victorinus Strigelius. *In Oriente*, inquit, *tenuiores homines vestiebantur panno contexto ex pilis camelorum.* Quasi vero duo Euangelistæ vulgarem aliquem vnius hominis vestitum ita singulariter obseruare voluerint, aut quasi Christus Dominus propter vulgarem pauperem vestem Ioannem laudauerit. Alii rursum hæretici nec vt hominem montanum, nec vt vulgariter vestitum, sed vt vrbanum & elegantem volunt Ioannem ab Euangelistis describi. Sic enim Dauid Chytreus. *Vestis* (inquit) *Ioannis erat contexta ex pilis cameli, similis ei quam hodie vulgo à camelis vocamus* kamol, *vel* Camelot (Anglicè Chamblet) *Latinè vndulatam. Non fuit sordida vestis, neque etiam valde pretiosa, sed mediocris &* κοσμίος (venusta ac decens) *& in his locis* εὐπρεπὴς, id est, benè congrua, vrbana ac ciuilis. O delicatos homines & acutos! qui vt ex eremo loca pascuosa & amœna, sic ex veste aspera vrbanam & elegantem norunt conficere! vel potius, ô homines impios, qui sic Scripturas sacras norunt peruertere! Hæc tam aperta petulantia,& tam clarè mendax audacia idoneis verbis populo aperienda & grauiter amplificanda est. Ostendendum præterea est quod ex odio vitæ monasticę scripturas peruertere non sunt veriti. Sic enim se suosque apertè prodidit Bucerus his verbis vsus: *Fuit Ioannes in deserto vilioribus, hoc est deserti incolis assuetis cibis & vestibus, panno ex pilis camelorum confecto vestitus, ne quis existimet in morem nostrorum monachorum peculiare sibi aliquod cibi & vestimenti genus delegisse.* Hæc ille, suo se vt sorex indicio prodens. Sed bene seres habet quod religionem Catholicam impugnare hodie hæretici non possunt, nisi cum aperta S. Scripturarum deprauatione.

In ca. 3. Matt. 2. In Marc. ca. 1.

In 3. ca. Matt.

Hæretici illudunt Scripturis In 3. ca. Matt.

A

B

C

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

DE scandalis hæreticorum hodie contra doctrinam Christi, vide Promptuarium Morale in hanc Domin. Tex. 6.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

Ioan. 1.

Ego baptizo vos in aqua.

Hæreticorum hodie turpissimus error circa Ioannis Bapt. Instit.li.4. ca.15. Num.7. Erroris causa.

LOCVS non incommodus obiter explicandi contra incredibilem hodie hæreticorum impudentiam, nec minorem impietatem, qualis erat Ioannis baptismus,& quanto inferior fuerit planeque distinctus ac diuersus à baptismo Christi. Hæretici enim hodie vnanimiter omnes Ioãnis baptismum quoad vim & efficaciam salutis ac gratiæ, eundem planè esse volunt cum Christi baptismo, Caluinus vero cum suis etiã idem prorsus ministerium vtriusque esse vult. Sic enim scribit. *Certissimum sit, idem fuisse prorsus Ioannis ministeriũ quod Apostolis postea delegatum est.* Hoc autem non ideo faciunt vt Ioannis baptismum extollant, sed vt Christi baptismum deprimant, nec vt illam remittendi peccata efficaciam Ioannis baptismo tribuant, quam in Christi baptismo Scriptura nos docet, sed vt illam infirmitatem & inefficaciam, nudãque ceremoniam in Christi baptismo esse doceant, quam in Ioannis baptismo fuisse manifestum est. Hoc autem tam impudens dogma sustinent, vt suam solam fidem modis omnibus tueãtur. Si enim baptismus Christi salutem, gratiam & remissionem peccatorum confert, necessario sequitur quod non sola fide homo impius iustificatur. Breuiter ergo ostendendum est ex Scripturis & Patribus, Ioannis baptismum à Christi baptismo toto genere distinctum fuisse, atque adeo hoc ipso distinctum, quod Ioannis Baptismus non conferebat gratiam, non dedit Spiritum sanctum, non tribuit remissionem peccatorum (vt Christi baptismus) sed ad hæc omnia præparabat, eratque totum eius ministerium præparatorium, sicut persona eius erat præcursor Christi, *parare viam Domino, &c.* Sanè hæc omnia Ioannes ipse clarè & luculenter affirmauit. Rogatus enim cur baptizaret, si nec Elias, nec propheta, nec Christus esset, respondit non solum quod in hoc Euangelio habetur, in quo D. Ioannes Euangelista ab aliis Euangelistis plenè

Cap.3.

D

descripta

A descripta studio prætermittit, sed etiam quod apud alios tres Euangelistas habetur. Apud Matthæum: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Apud Marcum: *Ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.* Apud Lucam: *Ego quidem aqua baptizo vos. Veniet autem fortior me: & ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Apertè & luculenter docet ipse Ioannes, aliud esse suum ministerium, aliud Christi; alium esse suum baptismum, alium Christi: in suo baptismo non esse Spiritum sanctum, & ignem, sed aquam tantum: in Christi baptismo præter aquam esse vtrumque, id est, esse remissionem peccatorum per Spiritum sanctum (cui remissio peccatorum appropriatur iuxta alia Christi verba, *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*) & esse ignem charitatis diuinę primum & proprium & præcipuum donum Spiritus sancti, iuxta illud Apostoli. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vide vtrumque hoc quod diximus apud Augustinum clarius explicatum prius de verbis Domini sermone 11. posterius de Baptismo contra Donatistas libro tertio capite decimosexto. Sed ad hoc discrimen baptismi Ioannis & baptismi Christi clarius populo explicandum, vtque intelligat populus audacissimos & impudentissimos esse nostri temporis hæreticos, qui rem in Euangelio tam claram & euidentem, audent tamen negare, & semel temerè negatam, postea in hunc vsque diem pertinaciter sustinere: Notanda sunt ex Euangelica littera tria. Primum quod Ioannes voluit ex industria ostendere suum baptismum à Christi baptismo differre. Causa enim huius sermonis & comparationis quam facit illa erat, quod Iudæi existimabant illum esse Christum & Messiam expectatum: ideoque mittunt ad illum Pharisæi qui rogarent an ipse esset Christus vel Elias vel Propheta. Quæ omnia negat, seque infra Christum ita dimittit, vt dicat se non esse dignum qui soluat corrigiam calceamenti. Rogatus ergo cur baptizaret, docet ex proposito suum baptismum à Christi baptismo longissimè differre, sicuti & eius persona à Christi persona maximè differebat. Secundo docet discrimen sui baptismi & Christi, in substantia & modo rei: *Ego* (inquit) *in aqua, ille in Spiritu.* Hoc est ego exterius, ille interius: Ego in aqua tantum sine Spiritu, ille in aqua & Spiritu: Ego corporalem tantum ablutionem adhibeo quæ præparet ad meliorem, ille spiritualem adhibebit. Tertio finem & totum fructum sui baptismi explicat dicens: *Baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, id est, vt ab eo baptizati pœnitentiam agerent peccatorum suorum. Nempè quum proprium officium Ioan. Bapt. esset, *parare viam Domino*, iuxta ipsius in hoc Euangelio responsum, *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini*: & iuxta Patris sui Zachariæ vaticinium. *Præibis ante faciem Domini parare vias eius, &c.* Via autem ad Christum, id est, ad remissionem peccatorum consequendam per Christum est pœnitentia. Vnde Petrus C in Actis vt Iudæos ad Christum adduceret, *pœnitentiam* (inquit) *agite & baptizetur vnusquisque vestrum.* Propterea hanc viam Ioannes & prædicando docuit: clamans, *Pœnitentiam agite: Appropinquabit enim regnum cælorum*: & in ipso genere vitæ suæ docuit. Cuius tanta fuit authoritas, iuxta historiam Euangelicam, vt scribat Chrysostomus, *mirabile erat in humano corpore tãtam patientiam videre*: & denique in hoc baptismo suo docuit: quia erat *quædam protestatio* (ait vene. Beda) *qua profitebantur homines ab eo baptizati se pœnitentiam acturos.* Idcirco enim omnibus ad eius baptismum accedentibus dicebat, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Eandem etiam ob causam, *Baptizabantur ab illo confitentes peccata sua.* Quæ tamen tota pœnitentia non erat ipsa remissio peccatorum sed præparatio ad illam quæ per Christum danda erat, ad quam ille baptizando & prædicando viam parabat, vt Paulus in Actis docuit dicens: *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent.* Quare & eodem loco Paulus eos de nouo baptizari iubet, qui non nisi Ioannis baptismum prius acceperant: nunquam illud facturus si baptismus Ioannis & Christi, idem fuisset baptismus, aut eandem virtutem habuisset. Nisi forte hæretici hodie Anabaptistarum furori, & Donatistarum insaniæ fauentes, repetitionem baptismi probare velint. Illi enim veteres hæretici ex hoc Pauli D facto suam hæresim stabilire conantur, quia Ioannis Baptismus & Christi vnus atque idem erat, & nihilominus à Paulo repetitus, quos copiosè S. Augustinus refutat, probans Ioan. baptismum à Christi baptismo toto genere differre. Denique hoc sensu scripsit Lucas, Ioannem *prædicasse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: Nempe in Christi baptismo accipiendam, ad quod gratiæ beneficium, pœnitentia præparabat. Non aliter sanè quàm Petrus docuit Iudæos sua prędicatione compunctos, vt *pœnitentiam agerent, posteaque baptizarentur in remissionem peccatorum.* Nam & nunc in tota Ecclesia Christi, actus pœnitentiæ est præparatorius, & necessaria dispositio in adultis, ad remissionem peccatorum. Hic totus finis ac fructus erat baptismi S. Ioannis vt pœnitentiam doceret, ac publicè protestaretur, atque per huiusmodi pœnitentiam ad Euangelii gratiam recipiendam suos Discipulos præpararet. Hoc respectu omnium ferè Patrum calculo, Ioannis baptismus vocatur præparatorius. Cyrillus Alexandrinus scribit Ioannis baptismum *non nisi præparationis vim obtinuisse respectu baptismi Christi.* Cui ad verbum subscribit S. Basilius in exhortatione ad baptismum. Gregorius quoque Nazianzenus in oratione de Epiphania. Damascenus de orthodoxa fide, & Leo Magnus. Sic D. Hieronymus vocat eum *Præuium Dominici baptismatis* in dialogo aduersus Luciferianos. Idem docuit Cyprianus ad Quirinum. Ambrosius in ca. 3. Lucę, & super Psal. 37. Chrysostomus in Matth. Augustinus

Cap. 3. *Cap. 1.*

Ioan. 20.

Rom. 4.

Ex tribus ostenditur baptismus Ioannis à Christi baptis. esse diuersus. 1.

2.

3. *Matt. 3.* *Ioan. 5.* *Lucæ 1.* *Pœnitentia ad Christum via.* *Act. 2.* *Matt. 3.* *Hom. 10. in Matt.* *Sup. Mar. c. 1.* *Matt. 3.*

Actor. 10

De bapt. cont. Don. l. 5. c. 10. *Lucæ 3.* *Act. 2.*

In Ioan. l. 2. c. 57. & 58 *Ser. 13. l. 4 c. 10. epi. 4.* *c. 6. l. 1. c. 12*

vero plurimis in locis. In enchyridio vbi vocat illum *præcursorium quoddam ministerium*, contra Donatistas de baptismo l.5.vbi dicit *in baptismo Ioannis spe dimissa esse peccata, re autem ipsa in baptismo Christi.* In comm.super Euang.Ioannis vbi ait: *Accepit Ioannes ministerium baptismatis in aqua pœnitentiæ parare viam Domino.* Et tamen in tanto tot celebratissimorum Patrum consensu, & contra tam euidentem S.Scripturæ doctrinam,non dubitant hæretici, planè contrarium sustinere. Est hęc eorum singularis impudentia & intolerabilis audacia populo explicanda: vt intelligat videlicet populus fidelis,hæreticos hodie verbo tenus scripturam sacram & Dei verbum prędicare,iactitare,& in ore semper habere,re autem ipsa scripturam ab illis penitus despici, & audacissimè peruerti,vbi contra ipsorum placita scriptura loquitur.

Hom.10. Cap.49. Cap.9.& 10. Tract.4.

Medius vestrum stetit quem vos nescitis.

QVomodo hodie hæretici Christum nesciunt qui medius nostrum stat,vide Prompt.Mor. in hac Dom.tex.7.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

Prædicans baptismum pœnitentię in remissionem peccatorum.

Lucę 3.

Pœnitentia necessaria ad remissio.peccatorum. Lucæ16. Act.19.

LOCVS idoneus ostendendi contra hæreticos horum temporum,pœnitentiam esse necessariam dispositionem in statu Euangelii ad remissionem peccatorum consequendam,& non sola fide remitti peccata;vt illi cum magno applausu (quia placentia loquuntur) sed cum certissima animarum peste (quia mendaciis nituntur) docent. Ioannes enim Baptista, *vsque ad quem lex & Prophetæ* veniens parare viam Domino, non solam fidem,sed fidem cum pœnitentia coniunctam docuit, vt Paulus disertè in actis loquitur. *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum,dicens in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent.* Vtrumque ergo simul coniunxit. Docuit eos credere in Christum, sed ita vt si remissionem peccatorum per illum consequi vellent, prius pœnitentiam agerent, adeoque *fructus dignos pœnitentiæ facerent.* Hanc viam & Petrus Apostolus in prima sua prædicatione tenuit. Quum enim Iudæi audita eius concione crederent. (*Compuncti enim corde dicebant, Viri fratres?*iubet eos *prius pœnitentiam agere, & postea baptizari in remissionem peccatorum*: vbi luce meridiana clarius docuit non esse expectandam remissionem peccatorum, per mortem & sanguinem Christi quacunque fide apprehensa, nisi prius non solum baptizemur,sed etiam pœnitentiam agamus. Sic Iudęi ad Christum conuersi, audientes ex Petro quod ex certo Dei mandato Cornelium gentilem cum suis baptizasset, glorificantes Deum dixerunt: *Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam.* Id est, ergo & gentilium hominum pœnitentia (haud dubiè cum fide coniuncta) valet coram Deo ad vitam & salutem, & iustificationem consequendam. Sed & idem de relapsis post baptismum docet scriptura, quod de prima ad Christum conuersione. Simoni enim mago credenti & baptizato, sed in graue crimen relapso, dicit Petrus Apostolus. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Sic fornicarium Corinthium Paulus ad pœnitentiam agendam cogit, ad totam illam Ecclesiam sic scribens. *Auditur inter vos fornicatio,* &c. *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Moxque ipse eum tollit de medio,id est, excommunicat eum, segregans eum de medio fratrum, & *tradens eum Sathanæ in interitum carnis,* id est,in vexationem & (vt Syriaca lectio habet) in exitium corporis, vt *spiritus saluus fiat.* Hoc autem quum esset,debitaque pœnitentia peracta,in altera epistola eos consolatur dicens. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundum Deum est, tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Hæc est ergo Christianæ Ecclesiæ praxis, salutem promittere seu primo ad Christum conuersis, seu in crimen postea relapsis, non per solam fidem, sed per legitimam pœnitentiam cum fide & charitate coniunctam.

Matt.3. Act.2. Act.11. Act.8. 1.Cor.5. 2.Cor.7.

Pœnitentia in Euãgelio quid significet.

Sed & de eo monendus hic populus,ne quum pœnitentiam in Euangelicis & Apostolicis litteris audiunt,hac voce nihil aliud intelligant quam nouam vitam vel mentis in melius mutationem,absque vero odio,vera detestatione & quadam etiam satisfactione peccatorum præteritorum, sicuti hodie suos docent hæretici, propter verbum ab Euangelistis & Apostolis vsurpatum, μετανοιαν,quod propriè nihil aliud significare volunt, quam resipiscentiam respectu futuri, vt de nouo amplius non peccent.Sed vt magistri mendaces,suos discipulos nequiter decipiunt. Semper enim vox illa, μετανοια vel verbum μετανοειν, vox pœnitentiæ,vel pœnitere,

in litteris

A in literis Euangelicis & Apostolicis significat actum mentis cum dolore & labore coniunctum, vel actus laboriosos, & tristes, quales propriè significat pœnitentia. Sic apud Matthæum, vbi dicitur, *Olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*, vox Græca, ἂν μετενόησαν. Idem eodem modo & apud Lucam legitur. Sic de Niniuitis dicitur, μετενόησαν. *Pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ*. Hoc autem factum fuit in ieiuniis, in sacco & cinere, in precibus & oratione. Sic Paulus pœnitentiam Corinthiorum vocat μετανοιὰν: suam autem de qua dicit, *si vos contristaui non me pœnitet*, vocat μεταμελιὰν, quæ propriè significat animi mutationem absque vllo necessario dolore. Denique quum dicit, *vt lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione*, &c. vtitur verbo Τῶν μὴ μετανοησάντων. Quam sanè pœnitentiam hoc loco ab Apostolo desideratam S. Augustinus exponit de magnis illis & publicis in Ecclesia pœnitentiis. Sed & sanctus Ioannes in Apocalypsi eodem verbo in hoc sensu vtitur, vbi ait, *Cæteri homines qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum* & μετενόησαν. Vox ergo pœnitentiæ quæ non secus in nouo quam in veteri testamento prædicatur, & necessaria esse ostenditur, quam Ioannes, quam Petrus, quam Paulus prædicauit & prescripsit, veri nominis dolores ac labores, opera verè pœnalia ad Deum placandum suscepta propriè in scripturis significat: De quo hoc loco moneri populus fidelis potest, vt de qua pœnitentia prę-
B sens Euangelium loquitur, verè intelligat. Plura vide in festo B. Magdalenæ.

Matt.11. Lucæ 10.

2. Cor.7.

Epist. 108. Apoc.9.

Erunt praua in directa & aspera in vias planas.

LOcus contra hæreticos de mandatorum Christi facilitate & de propria gratia noui Testamenti quam hæretici per suam imputatiuam iustitiam impiè sustulerunt: quem vide tract. in Prompt. Morali in hac Dom. text. 7.

DOMINICA INF. OCT. NAT. DOM.

Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. *Lucæ 2.*

C LOCVS vtilis monendi populum hanc Simeonis prophetiam non solum ad Iudæos & gentiles incredulos pertinere, de quibus Paulus dicit: *Christum crucifixum prædicamus, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*, verum etiam ad omnium ætatum hæreticos, & quidem singulariter ad nostros spectare. Omnibus quidem hæreticis Christus positus est in ruinam, quatenus nomen eius profitentes, corpus eius quod est Ecclesia, deserunt, ideoque certam sibi & æternam ruinam creant. Frustra enim in Christum credit, qui corpus eius quod est Ecclesia non tenet. Vnde Augustinus. *Ad salutem ac vitam æternam nemo peruenit nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Et rursum. *Qui membra Christi toto orbe diffusa in Euangelio non agnoscunt, cum membris Christi in iudicio non computantur.* Et iterum. *Extra Ecclesiæ vnitatem quicquid operantur hæretici, quãuis magna solertia & diligentia fieri videatur, tamen nihil illis prodest aduersus iram Dei.* Hoc ergo omnibus hæreticis commune est, quod Christi nomen gerentes, in ruinam tamen & condemnationem illis Christus est, quia corpus Christi non tenent, quod est Ecclesia vna, Catholica & Apostolica.

1. Cor. 1.

Hæreticis Christus positus in ruinam.

De vnitate Eccl. c. 16. li. 2. c. 25. cõt. Petili. li. 2. c. 3. cõt. Parm.

D Quod autem Simeon subiecit, *& in signum cui contradicetur*, nostris hodie hæreticis singulariter conuenit. Intelligit enim Simeõ signum seu vexillum dom. passionis, cui à Gentibus, Iudæis & hæreticis contradicitur: De quo signo seu vexillo scripsit Esaias. *In die illa erit radix Iesse quæ stat in signum populorum.* Vox signum Hebraicè vexillum significat. Nullum est autẽ incarnati filii Dei vexillum aliud quàm crucis suæ: De quo etiam signo suo Christus ipse dixit: *Tunc parebit in cælo signum filij hominis.* Quod de ipso crucis signo quod Christum in sua Maiestate venientẽ præcedet, exponũt veteres Patres, *a* Hilarius, *b* Euthymius, *c* Theophyl. & ante eum, *d* Chrysost. *Hoc signum* (inquit) *est ipsa Crux. Crux enim ipso sole fulgentior videbitur. Obscuratur enim sol, Crux autem apparet: quod fieri non posset, nisi solares radios splendore superaret.* Hæcille. Idẽ docet in sermone de latrone & cruce. S. quoque *e* Hieron. & ante eum *f* Origenes per signum illud, crucis vexillũ intelligunt. Item deniq; Hippolitus in orat. de consummatione mundi, *g* Ephrem in libr. de pœnitẽtia, *h* Damascenus de orthodoxa fide, & Cyrillus Hierosolymitanus in oratione ad Constãtium. Sed & hoc signum crucis tanquã salutis humanæ & redẽptionis per Christum factæ proprium insigne, magno illi Constantino primo imperatori, qui fidem Christi publicè professus est, diuinitus in cælo apparuit, cum hac voce: *In hoc signo vinces.* Sic illustri viro Procopio Alexandriæ

Signo crucis Hæretici contradicunt.

Esai. c. 11. Matt. 24.

a Can. 26. in Matt.

b c. in con. ad ca. 24. Matt.

d Hom. 77. in Matth.

e In com. in Matt. ca. 24.

f Ho. 30. in Matt.

§ *Cap. 3. h. Lib. 4. ca. 12. Euseb. de vita Constan. li. 1. ca. 22.*

Simeon Metaphrastes in vita eius apud Surium. 8. Iulii.

Duci adhuc ethnico,& ad Christianos ferro & flãma persequendos à Diocletiano missо, idem crucis signum in via apparuit,cum hac etiam voce cælitus emissa;*In hoc signo vince hostes, & pax mea erit tecum.* Quo viso & Christianus,& nobilissimus postea Martyr effectus est. Huic ergo signo,vt pii venerationem exhibent,ita impii contradicunt,Iudæi,Pagani, hæretici. Nostri autem hodie hæretici vel maximè. Sic enim contradicunt huic signo, vt eius aspectum ferre nequeant,vt illud è templis omnibus exturbarint,vt illud per vias publicas deiecerint, vt denique varia contumelia in multis,per Galliam & Germaniam locis illud affecerint.Nempe exercent se ad signum,vt postea rem signatam audacius contemnant.Signum crucis ex Ecclesiis eiiciũt, vt tandem Christum crucifixum è cordibus hominum eliminent. Cuius enim memoriam tollunt,eius denique amorem nullo negotio extinguent.Lutherani,Caluiniani,Puritani, Anabaptistę crucis signum sustulerunt in Germania,Gallia, Anglia. Horum soboles atque discipuli, Gregorius, Paulus,Luthomirius, Paclesius, Homanus in Polonia & Transsyluania, Christum crucifixum verum Deum prorsus negarunt.Sic isti vbi satis ad signum se exercuerunt, rẽ ipsam signaculũ vilipendere didicerunt.Scribit Guillelmus Paradinus in symbolis heroicis,ciues quosdam Mediolanenses qui in necem Sfortiæ Ducis conspirauerant, quum vultum eius & authoritatem ita reuererentur,vt aliquoties rem agressi,sola vultus quasi maiestate perculsi à cœpto desisterent (sicuti spiculator ad Marium occidendum missus, constanti eius vultu perterritus re infecta rediit) curarunt imaginem Ducis ad viuum in tabella depingi.Ad hãc imaginem pugionibus suis confodiendam & deformandam omnique alio opprobrii genere contaminandam,vbi se per aliquot dies studiosè exercuissent,tandem ad Ducem ipsum in ipso templo publicè occidendum intrepidi accesserunt,& audacissimè occiderunt.Ad eundem planè modum hæretici hodie signo filii hominis contradicentes , vexillum passionis Dominicæ contemptui habentes,vexillum regale Redemptoris nostri è templis,è viis publicis,è domibus priuatis, ex omni hominum memoria eliminantes,vel didicerunt ipsi,vel discipulos habuerunt, qui Christum ipsum crucifixum omni diuinitate spoliarent , & totum redemptionis nostæ beneficium ab eo nobis collatum,non obscuratent tantum,sed & penitus obliterarent. De hac impietate moneri hoc loco populus potest,vt intelligat,quomodo Christus respectu hæreticorum nostri temporis factus sit in signum cui contradicetur.

Mala Ducis Mediolanensis. A B

Signum crucis in Sacramentis.

Porro nostri hodie hæretici sic huic signo contradicunt, vt vel in vlla sacramentorum aut sacramentalium administratione illud adhibere, vel frontes suas more omnium Christianorum illo signare pro summa superstitione & dementia habeant,imo vt magiæ cuiusdam abominandæ maleficium execrentur,ipsi hoc nomine maximè execrandi.De hac igitur vtraque Catholicorum pietate pauca proferemus,quæ pro concione ad populum explicari latius poterunt.In sacramentorum & sacramentalium administratione, Crucis signum adhibitum semper in Ecclesia Dei fuisse,ex antiquissimis Patribus demonstrari potest.*Signo Crucis* (ait Augustinus) *consecratur corpus Dominicum,& omnia quæcunque sanctificantur cum inuocatione Christi nominis in hoc signo consecrantur.* Rursum alio in loco. *Quid est quod omnes nouerunt signum Christi nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur,siue frontibus credentium,siue ipsi aquæ qua regenerantur,siue oleo quo chrismate vnguntur,siue sacrificio quo aluntur,nihil eorum ritè perficitur.* Hæc ille , vbi in tribus sacramentis, baptismi, confirmationis,& venerabilis Eucharistiæ signum crucis adhiberi semper solitum atteslatur,& ita adhiberi, vt sine illo adhibito,nihil eorum omnium ritè perficeretur , id est , administratio ipsa sacramentorum debito ritu non fieret, nec vim illam spiritualem quam habent sacramenta consequeretur. In Græca quoque Ecclesia idem attestatur Chrysostomus. *In sacra,* inquit, *mensa, in corpore Christi, in mysticis cœnis fulget crux.* Et alio in loco. *Cum sacratissimo alimur cibo, crux adest & vbique victoriæ ad insigne nobis assistit. Omnia quæ ad salutem nostram conducunt, per crucem consummantur.* Quod eisdem penè verbis affirmat Iustinus Martyr in Apologia 2. Rursum alio in loco alias superstitiosas obseruationes refellens. Signi crucis quanta vis sit, & vt absque omni superstitione , imo cum præsenti malorum remedio illud adhiberi possit ac debeat , his verbis docet. *Superstitiosè illa remedia quæ ægrotis applicantur , etiam si mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt dicentes: Deum inuocamus & præterea nihil facimus , & Christiana hæc est anus & fidelis , quicquid eiusmodi prætendunt, idololatriam tamen sapiunt. Fidelis est? Crucis signaculo vtatur,hoc duntaxat habeat scutum , hoc solum pharmacum.* Et paulo post: *Quomodo non ridebunt nos Græci, quomodo non subsannabunt? Quando illis dicimus magnam esse Crucis virtutem , quomodo credent cum videant nos istis egere quæ ipsi deridet?* hæc ille. Atqui hodie, proh pudor, proh dolor, hæreticorum quidem opera crucis signum contemnitur : Impiorum autem studio magiæ gentilitiæ renouantur. Soli Catholici & pij signo crucis se munire & aduersantia repellere contenti sunt. Vide enim quam perpetua,manifesta , & constans omnium Christianorum deuotio hæc fuerit,signo crucis frontem signare, hoc signo Christianum sese profiteri,hoc signo contra omnia aduersa sese communire. De Christianismi professione hoc signo facta,sicuti nunc Catholicę fidei professio eodem signo fit (soli enim Catholici,quos papistas hæretici vocant) hoc signo crucis frontem signamus, ridentibus hæreticis & hanc Christianismi nostri professionem subsannantibus : vnde quam luculenter & constanter S. Augusl. scribat. *Vsque adeo de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa sacramenta aliter atque aliter accipimus , quædam ore vt nostis , quædam per*

Ser.181.de temp. Tract. 118 in Ioan.

In demonstrat. quod Christus est Deus. Et hom.55. in Matt. Ho.8.in c. 3.ad Colos.

Signo Crucis se signare, Religio Christianorum propria.

Enarr.in Psal.141.

A *per totum corpus. Quid vero in fronte erubescitur, ille quæ dixit, Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam illum coram Patre meo, ipsam ignominiam quodammodo, & quam Pagani dicent* (hodie dicent quam Lutherani & Caluinistæ dicent) *in loco pudoris nostri constituit.* Rursum alio in loco. *Si vis ambulare viam Domini; etiam in conspectu hominum spera in Deum, id est noli erubescere de spe tua. Quomodo viuit in corde tuo, sic habitet in ore tuo, quia non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquã in sede pudoris, ne de Christi opprobrio Christianus erubescat.* Hæc ille. Erubescunt autholici esse videantur. Omnium autem Christianorum hoc proprium fuisse ad omnem occasionem se crucis signo signare, antiquissimus Tertul. his verbis attestatur. *Ad omnem progressum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quocunque nos conuersatio exercet, frontem signaculo teramus.* Hæc ille. Sed & inter alia argumenta quibus vxori suæ persuadet, ne illo prius defuncto, ethnico nubat, hoc etiam adfert, quòd non die Catholici sustinent, qui vel in Germania vel in Anglia (sed in Anglia maximè) in hęreticorũ contubernio viuunt. In vita S. Afræ martyris quæ sub Adriano passa est, sic legimus. *Quærentibus satellitibus Narcissũ Episc.* (de quo scribit Eusebius in Hist. Eccl.) *cum Diacono suo, qui ad ædes Afræ in* B *vrbe Augustana diuerterat dixit vnus eorum, Ego cognoui eos Christianos esse: Semper enim frontes suas consignabant cruce in qua Christus eorum passus est.* Hæc ibi. Hoc exemplo manifestum fit veterũ Christianorum morem perpetuum fuisse signandi se cruce, eundemque ethnicis ipsis notissimum extitisse. Sane & hodie qui in hæreticorum conspectu, fronte se signo crucis signat, Papista esse cognoscitur, id est, Christianus Catholicus deprehenditur. Gregorius Nyssæ Episc. D. Basilii fratoculis, *& ori, & cordi suo signum crucis moriens apposuit. Eadem*, inquit, *iam mortua inuenta est habere signũ crucis ferreum, & annulum ex eadem materia, in qua particula ligni vitæ condita erat, ex collo ante pectus decrucis à matre sua impresso sanata fuit.* Hæc in vita Macrinæ sororis suæ Sanctus Gregorius Nyssenus. Hæc fuit veterum Christianorum ante annos 1200. deuotio; pietas, religio, à doctissimis illorum temporum Episcopis & Patribus laudata. Sane his omnibus antiquior Sanctus Cyprianus hanc S. crucis & signi eius virtutem, ex scripturis probat, eo in opere quo aduersus Iudæos S. Scripturarum testimonia pro tota Christianorum hominum religione congerit. Sic igitur eius operis libro 2. scribit. *Quod in hoc signo Crucis salus sit omnibus qui in fronte notentur apud Ezechielem dicit Deus, transi mediam Hierusalem, & notabis signum super frontem virorum qui ingemunt &* C *mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum. Item illic.* Omnem *super quem signum scriptum est, ne tetigeritis & ab ipsis Sanctis meis incipite. Et in Exod. Deus ad Moysen: Et erit sanguis in signo vrbis super domos, in quibus ibi eritis: & videbo sanguinem & protegam vos, & non erit plaga exterminij cum percutiam terram Aegypti. Item in Apocal. Et vidi, & ecce Agnum stantem in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & habebant nomen eius & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Hæc apud Cyprianum. Eandem apud Ezechielem Scripturam, & ante Cyprianum Tertullianus, & post Cyprianum Diuus Hieronymus, de signo Crucis in frontibus Christianorum assiduè pingendo exponunt. Tertullianus in libro aduersus Iudæos postquam de signo Tau hanc scripturam attulisset, addit, *huius signi sacramentum variis modis prædicatum est.* Quod ipsum explicat libr. 3. aduersus Marcionem. *Ipsa est enim littera Græcorum Tau, nostra autem Tau species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Hierusalem.* Hæc ille. Hieronymus ad illa Ezechielis verba sic commentatur, *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau littera, crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus impingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Hęc ille. Doceatur ergo populus fidelis, si in veterum Christianorum fide manere, atque in ea saluari volunt, quæ nobis qualis fuerit ex sanctissimorum & antiquissimorum Patrum testimoniis optimè con-
D stat, vt à nouis hæreticorum fallaciis planè dæmoniacis in hac parte attentè caueant: Signum crucis & venerentur, & frontibus impingant, & absque vlla verecundia hanc antiquissimam Christianismi notam retineant, quam & in baptismo omnes accepimus, & vetustissima Ecclesia vsurpauit, vt ex Dionysii Areopagitæ libro de Ecclesiastica hierarchia, ex Beato Ignatio & Martiale, viris Apostolicis, ac demum ex verbis Origenis apud Eusebium, in historia Ecclesiastica luculentissimè constat. Caueant ne qui baptismi sui solemnes ritus negligit atque contemnit, fidei quoque professionem his titibus adiunctam paulatim negligat, ac demum abijciat. *Elegit Christus Redemptor noster* (ait Sanctus Augustinus) *genus mortis, vt in Cruce penderet, & ipsam Crucem in frontibus fidelium figeret, vt dicat Christianus, Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Hæc ille. Videndum iterum atque iterum, ne dum Crucis signum in fronte figere, ab hæreticis seducti erubescimus, ipsum quoque Christum profiteri, nouis accidentibus seductoribus erubescamus. Intelligat fidelis populus, quomodò suos catechumenos & rudes Christianos sanctissimi veteris Ecclesiæ Patres instituebant. Cyrillus Hierosol. Epis. antiquissimus in hunc morem suos catechisat. *Non pudeat vos*, inquit, *Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis rebus omnibus. Crux fiat in panibus comedendis & in poculis bibendis, & in egressu & in ingressu, ante somnum, recumbendo,*

Enarr. in Psal. 30. Concil. 3.

In lib. de corona militis.

Libro 2. ad Vxorem Surius Tom. 4. li. 6. c. 8.

Testim. aduersus Iudeos li. 2. Chap. 22. Chap. 9. Exod. 12.

Cap. 11.

Li. 6. c. 43.

Tract. 43. in Ioan.

Catech. 13.

& surgendo, cundo & quiescendo. Magna est hæc custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter A
infirmos, quum à Deo sit hæc gratia, & timor dæmonum. Triumphauit enim de illis hoc signo. Ostẽta illis audacter. Quando enim viderunt crucem, recordantur crucifixi. Metuunt enim eum qui contriuit caput draconis.

Li. 3. ca. 16. Hæc ille. Est apud Theodoretum in hist. Ecclesiastica de militibus Christianis insigne exem-
Epist. 12. plum, qui cum ad omnem potum signarent poculum cruce, eo signo, quod Christiani essent, detecti sunt. D. Hieronymus ad suam Eustochium sic scribit. *Ad omnem actum, & ad omnem incessum manus pingat crucem.* An fortè scriptoribus ethnicis maiorem fidem habebunt hodie hæretici, quam Eccles. Catholicæ Patribus ac magistris? quos sanè non minus quam nos, papistas vocare poterunt. Audiant igitur & eorum hac de re testimonia. Lucianus ille derisor hominum
In Philopseudo. li. 23. c. 4. atque deorum, in quodam dialogo scribit, Eucratem hominem fide dignum quum annulum accepisset ex ferro, ex quadam cruce facto, aduersus prauos dæmones redditum esse securum. Plinius in sua naturali historia scribit: Magos quosdam sui temporis fragmento claui à cruce sublati, vel sparto à cruce accepto, ad morbos pellendos vsos fuisse. Et sanè si terrenorum Principum authoritas tanta est, vt res infimas & abiectas nobilitare queant, (sic enim subligaculum Reges Angliæ, Vellus ouium Duces Burgundiæ, Conchas marinas Reges Franciæ, per Equestrem ordinem illis rebus attributum honorari fecerunt) multo magis Sancta crux quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini accepit, & Sanctus Andreas Apostolus Mar- B
tyrii sui tempore professus est summa in veneratione haberi debet. Impiis ergo solis Paganis, Iudæis, Hæreticis crux signum est cui contradicetur. Piis autem Christianis & Catholicis, signum est quod in sacramentis exercent, in frontibus impingunt, summo in honore habent.

Erat Anna Prophetissa & hæc vidua, &c. quę non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte.

Ieiunia & orationes esse cultum Dei. LOcus perspicuus, quo contra hæreticos horum temporum ostendatur, ieiunia & orationes esse propriè & verè cultum Dei, quod de ieiuniis pertinacissimè negant. Propterea enim præcepta ieiunii non ferunt hæretici hodie, sed vt olim damnatus hoc nomine Aerius, libera illa esse volunt, Ecclesiam quoque Catholicam superstitionis Pharisaicæ arguunt, quod certis & præscriptis ieiuniis Deum coli & gratum Deo obsequium præstari doceat. *Error est pernitiosus* (ait Melanchthon) *ieiunia & similes* ἀσκήσεις *esse bona opera & cultus Dei. Cultus Dei est opus mandatum à Deo seu certo Dei testimonio institutum quo Deus pronuntiat se honore affici.* Hæc ille. Sic
In locis com. tit. de ceremoniis in Ecclesia. Caluinus de ieiunio disputans, *Alterum*, inquit, *malum summopere cauendum est, ne pro opere meritorio* C
Institut. 1. 4. ca. 13. nu. 19. *aut specie diuini cultus censeatur.* Atqui contra hos hæreticos disertè scriptura in hoc Euangelio dicit, quod Anna Prophetissa erat *seruiens die ac nocte in ieiuniis & obsecrationibus.* Vtitur autem Lucas verbo quod propriè Dei cultum notat, λατρεύθζα. Sicut enim Latria cultum significat soli Deo proprium, vt nobiscum hæretici fatentur, iuxta illud Deuteronomij à Christo repetitum, *Soli Deo seruies* λατρεύσεις, sic λατρεύειν *seruire Deo in ieiuniis*, est per ieiunia Deũ colere, hono-
Duo hæreticorum fundamenta contra cultus Ecclesiasticos. rare, opus illi gratũ & acceptũ facere: quod hic de hac sãcta vidua disertissimè Lucas profitetur.

Duo sunt cur hæretici hodie ieiunia & similia pietatis opera vel ab Ecclesia instituta, vel ex communi Christianorum pietate susceptа, ad Dei cultum pertinere nolint. Vnum est quia sola opera à Deo mandata, vel certo eius testimonio instituta (vt ait Melanchthon) cultus Dei habenda sunt. Alterum est quia (vt Caluinus loco citato subiungit) quum sint res per se me-
Primi refutatio 10. diæ, nec quicquam habeant momenti, nisi propter eos fines in quos respicere debent, pernicio-
Voluntarii cultus Deo grati. sissima superstitio est confundere cum operibus à Deo mandatis, & per se necessariis non alio respectu. Hæc ille. Sed vtrumque errorem sic breuiter refelles, & populum docebis ne propter friuolas hæreticorum cauillationes ieiunia Ecclesiastica, aut etiam voluntariè susceptа contemnant. Ad primum respondè, axioma esse falsissimum nihil ad Dei cultum pertinere, nullum opus Deo gratum esse quod non sit à Deo mandatum vel certo eius testimonio institutum. Nam ne longè abeas, hæc ipsa ieiunia quæ hæc vidua Anna exercuit, nullo Dei mandato, aut certo testimonio instituta fuisse leguntur. Sed & alia huiusmodi quam plurima in scri-
2. Reg. 18. Ierem. 35. Matt. 2. Lucæ 7. Marci 14. Ioan. 19. Marc. 11. Marc. 5. Act. 8. Act. 4. 1. Cor. 16. & Act. 15 Num. 30. pturis occurrunt. Abel, Noë, Abraham, Moyses, ante legem datam Deo altaria erigebant, & sacrificia offerebant nullo Dei externo mandato instructi. Sic Elias erexit altare super 12. lapides. Rechabitæ abstinebant à vino. Magi offerebant Christo munera. Magdalena vnxit pedes Christi, & effudit vnguentum pretiosum in caput eius (quod bonum opus Christus disertè laudauit) Nicodemus balsamo condiuit corpus Domini. Iudæi ferentes ramos palmarum & stratis per viam vestimentis Christum honorarunt. Hemorrhoissa tetigit fimbriam vestimenti Christi vt sanaretur. Christiani timorati fecerunt planctum magnum super Stephanum sepeliẽtes eum. Apostoli oblationes Iudæorum fidelium acceperunt, ipsiq; fideles sua omnia ad pedes Apostolorum posuerunt, vt essent omnia communia: denique collectas fieri in pauperes Iudęos alẽdos à gentibus fidelibus Apostoli statuerunt. Dauid dicit, Voluntariè sacrificabo tibi, Psa. 53. In lege spontaneæ oblationes permittuntur, Leui. 2. Ioan. Baptistæ abstinentia & vita eremitica. Iacobi Apo. perpetua abstinentia à carne, teste Egesippo Pauli spontanea castigatio, de qua dicit, Ego

castigo

A castigo corpus meum, &c. Voluntarij cultus erant. Hæc omnia sine vllo Dei mandato, sine vllo certo in scripturis testimonio à solo Spiritu S. edocti, tum Apostoli, tum alij fideles, tanquã bona opera Deo placentia, & ad Dei cultum & honorem ordinata fecerunt. Est ergo axioma falsissimum & definitio mendax cultum Dei esse opus mandatum à Deo, & contra tot scripturas quæ multa bona opera commendant, & Deo grata fuisse ostendunt absque vllo Dei mandato, externo videlicet & in scripturis expresso vt moderni hæretici semper intelligunt. Ad secundum respõdeo, ieiunium non esse rem per se mediam aut indifferentem, sed ad iustitiam Christianam pertinere, sicuti oratio & eleemosyna pertinent, sicuti Christus disertè apud Matthæum docet. Vbi enim dixisset: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, partes huius iustitiæ ponit, eleemosynam, orationem, ieiunium. Est autem verissimum ieiunia nihil apud Deum momenti habere, nisi ob debitum finem suscipiantur. Sed hoc etiam eleemosynis, orationi, alijsque omnibus bonis operibus externis, commune est, quæ nisi propter Dei amorem & honorem suscipiantur, ad cultum Dei non pertinent, nec Deo placere possunt. Quo sensu rectissimè scripsit Augustinus. *Deus non colitur nisi amando.* Et Ambrosius, *Affectus* (inquit) *tuus imponit nomen operi tuo: quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur.* Et de ieiunijs disertè sic contra Manichæos August. *Quærimus à vobis quo fine faciatis quod non vescimini carnibus. Finis enim si laudabilis fuerit, & opera ipsa laude digna erunt.* Nec aliter hodie in Ecclesia Catholica ieiunia laudantur, nisi vt ob Dei amorem atque honorem suscipiantur. Siue enim ad animum orationi publicæ melius præ- B parandum, siue ad carnem macerandam, siue ex Ecclesiæ præcepto, quod non nisi illa duo respicit, ieiunetur, totum hoc ad Dei cultum, siue ad Deum purius atque sincerius colendum destinatur. Sic Anna vidua frequenter ieiunabat, ieiunando Deum colebat, colendo Deum prophetico spiritu donata est, prophetando Christum videre, agnoscere, publicè confiteri digna habita est. Ideò eius hæc pietas in scriptura Euangelica proponitur & laudatur, vt contra Epicureos omnium temporum, maximè huius sæculi, intelligamus ieiunia frequentia, & orationes assiduas ad Dei cultum insigniter pertinere. Quod quidem vtrumque nostris hodie delicatis hæreticis vanum ac superstitiosum videtur. Qua de re diligenter hoc loco populus monendus ac instruendus est.

1. *Cor.* 9.

Secundi refutatio.

Matth. 6.

Epist. 29.

De offici lib. 1. c. 36.

Lib. de Morib. Manich. c. 30.

Et in resurrectione multorum in Israel.

LOcus contra hæreticos de spirituali nostra resurrectione per Christum ad veram vitæ nouitatem, quam illi sola remissione peccatorum nefariè ponunt. Vide Prompt. Moral. in hac Dominica text. 3. C

Luc. 2.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ. Ascendentibus illis secundum consuetudinem diei Festi.

LOCVS oportunus explicandi contra prophanos nostri temporis hæreticos piam ac religiosam festa Ecclesiæ celebrandi consuetudinem. Sicut enim Synagoga, sic multo magis Ecclesia Christi sua habet determinata festa, in quibus Deum publico indicto conuentu colit. Rationes enim propter quas in veteri populo (vbi semel formã Synagoga habuit) festa solemnia instituta fuerint, multo magis in Ecclesia Christi locum habent. Primum ad beneficiorũ Dei perpetuam memoriam, de qua causa, sic August. *Deo beneficiorum eius solemnitatibus, festis & diebus statutis dicamus sacramúsque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.* At beneficia Dei per Iesum Christum multo & ampliora & excellentiora sunt quàm olim per Moysem, aut alios quoscunque Prophetas, vel Reges, vel duces populi exhibita. De- D inde vt in Sabbato aliisque solemnibus diebus verba Dei legerentur, audirentur & explicarentur. Quam in Ecclesia Christiana causam explicat Euseb. Pamphili in demonstratione Euangelica. At nunc auctior est scripturarum Canonicarum liber, & multo legendi atque audiendi vberiorem materiam suppeditat quàm in Synagoga. Tertiò vt propter eos qui magis sæculo vacant quam Deo, & negotijs huius vitæ implicantur, certi congregationum dies constituantur, quam causam festorum, & Eusebius loco citato, & sanctus Hieronymus notauerunt. At vt maior est Christianorum numerus, sic maior harum congregationum necessitas. Quarto, vt iuxta Apostolum, *omnia honestè secundum ordinem fiant*, & (vt ait Hieronymus loco citato, & post eum S. Leo) ne inordinata populi congregatio fidem minueret in Christo. At quanto frequentior

De festorũ celebrat.

De Ciuit. Dei lib. 10 *Sap.* 4.

Li. 1. *sec.* 6.

In com. ad Gal. c. 4. 1. *Cor.* 14. *Epi.* 4. *c.* 2.

Ser. 4. de iciunio 7. mensis. Christianorum populus, tanto solicitius ab inordinata confusione cauendum fuit. Sunt & aliæ festorum causæ, deuotionis incrementum, *Tunc enim efficacior est sanctiorque deuotio* (ait S. Leo) *quando in operibus pietatis totius Ecclesiæ vnus est animus, vnus est sensus*: Obedientiæ meritum. *(Sacratius enim est quod publica lege celebratur, quam quod priuata institutione tenetur*, ait idem Leo) ac deniq; A

Ser. 3. ibi Li. 7. c. 36. lætitia spiritualis fidelium, de qua multa vide in Constitutionibus Apostolicis à D. Clemente collectis. In hoc ergo Euangelio, vt D. Virgo mater Christi ac Ioseph vir eius festa veteris legis diligenter custodisse perhibentur, & puerum Iesum secum ad templum duxerunt, sic nos Christianos decet festa Ecclesiæ Christianæ diligenter obseruare, quicquid hodie contrà hunc Catholicorum cultum impiè & ineptè hæretici deblaterent. Qua in re vt varia eorum impietas populo fideli manifestior fiat, operæpretium erit breuiter hoc loco exponere, quàm varias, & dissentientes hac de re opiniones spiritus dissensionis Satan (quo magistro vtuntur) eos docuerit. Quidam enim nulla festa excepto solo Dominico die, quem ita Sabbato succedisse putant, vt sub præcepto diuino cadat, celebrari debere defendunt. Hanc sententiam tenent hodie in Anglia Puritani iuxta ritum Geneuensis Ecclesiæ, authore Caluino Institut. libro 2. vbi de solo Dominico die celebrando disputat. Alij nec Dominicum diem obseruari volunt, ne Iudaismus foueatur, & aliqua dierum obseruatio fiat. Contra hos disputat acriter Caluinus loco citato, & videntur esse Anabaptistę. Alij rursum sola illa festa celebrari apud suos permittũt, quæ ad redemptionis nostræ beneficia recolenda faciunt: vt Natalem Domini, Resurrectionem & Ascensionem, itémque Pentecosten. Hanc sententiam sequuntur Helueticæ Ecclesiæ in sua confessione, & Illyricus in comment. ad Galat. cap. 4. Quarta opinio eorum est qui Sãctorum etiam festa admittunt quidem, sed eorum tantum quorum in Euangelio fit mentio, vt Apostolorum, B. Virginis, Ioannis Baptistæ, Magdalenæ & Stephani protomartyris. Hanc opinionem tenet Bullingerus minister Tigurinus in comment. ad cap. 14. ad Rom. Et illum morẽ seruant Ecclesiæ Tigurinæ. Quinta opinio eorum est qui aliorum præterea Martyrum & Sanctorum festa celebrant quidem, sed ex politia tantum Ecclesiastica, non ex religione, nec per modum cultus alicuius, id est, ad eum sanè finem, vt populus fidelis illis diebus ad audiendum Dei verbum conueniat, & ad imitationem sanctorum excitetur, nulla autem alia ex causa, ne aliquis hic sanctorum cultus aut vlla pars religionis statuatur. Sic Anglocaluinistæ sua festa colunt, aliæque mollium Lutheranorum Ecclesiæ. Contra quos politicos homines solum Augustini testimonium, quem totius Antiquitatis fidelissimum interpretem Caluinus vocat, sufficere potest, qui sic scribit. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa* (non politica) *solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem* (quod solum isti politici volunt) *& vt meritis eorum consocietur atque orationibus adiuuetur*. Hæc ille. Docendus ergo hoc loco populus festa ab Ecclesia præscripta religiosa solemnitate celebrare, piè ac deuotè colere, assiduè in istis Templa frequentare, vt parentes Christi in hoc Euangelio quotannis fecerunt: ab hæreticorum autem Babylonica confusione & dissensione circa festorum cultum toto pectore abhorrere, cultum denique Catholicum propter grauissimas causas hic citatas institutum, sicut bonos Ecclesiæ filios decet, reuerenter & obedienter exequi. Vnde S. Augustinus. *Rectè* (inquit) *festa Ecclesiæ colunt qui se Ecclesiæ filios esse recognoscunt*. Hinc videlicet hæretici, quia filij Ecclesiæ non sunt, sed hostes & rebelles, ideò non festa Ecclesiæ, sed festa sua & suo cuiusque iudicio approbata, ac denique suo quisque more colunt: vt ex eorum sententijs tam variis, iam enumeratis liquido constat. Porrò de consuetudinibus S. Ecclesiæ religiosè seruandis, quos in vniuersum hæretici hodie despiciunt, vide Prompt. Morale ad hanc Dom. text. 2.

Dissentientes hæreticorum sententiæ, de festorum celebratione. Cap. 8.

Cap. 4.

B

Cõt. Faust. lib. 20. c. 21

C

Ser. 253. de temp.

Et remansit puer Iesus in Templo, & non cognouerunt parentes eius.

D

B. Virgo defenditur Cent. 1. l. 1

LOcus necessarius defendendi Beatissimam Virginem matrem Dei ab impuris hoc loco hæreticorum hodie calumniis & criminationibus. Lutherani enim multi B. Virginẽ hoc loco graue peccatum commisisse volũt quòd filium suum amiserit. Sic Lutherus & Melanchthõ in postilla super hanc Dominicam, Brentius Homil. 19. in Lucam, Lossius in cap. 2. Lucæ, & Magdeburgenses docuerunt. Atque adeò cum Eua peccatrice propter hoc peccatum conferunt B. Virginem, & aiunt in perdendo Saluatore mundi sic hanc peccasse sicut illa in perdenda originali iustitia. Sic norunt isti hæretici sanctorum facta pessimè interpretari, & nequiter exaggerare. Non contenti beatissimam Dei matrem non venerari, etiam criminari homines impuri audent. Sed hanc criminationem ex destinata malitia profectã, & nulla ratione fundatam, ipsimet alterius sectæ hæretici vt barbaram & impiam explodunt. Zvinglius enim aperte dicit puerum Iesum in Templo remansisse, *non pueri contumacia nec parentum negligentia, sed singulari quadam Dei prouidentia*. Idem scribit Bullingerus. *Parentes* (inquit) *pueri curam satis diligentẽ habentes nihil hic peccarunt per negligentiam*. Et probat ex Euangelio: *Nam singularis parentum sedulitas, & vigilantia in eo relucet, quòd primo mox die diligenter inquirunt puerum: & eo non inuento vrbem repetunt, &c.* Sed & quis non videt, quòd ipse Euangelista ab omni culpa parentes ex industria liberat dicens, *Existimantes eum esse inter cognatos & notos*. Denique ipse Caluinus hos crassos Lutheranos

In 2. c. Luc
In Luc. c. 2

A theranos acutè refutat. *Ex pluribus inquit scripturæ locis constat turmatim iter facere solitos, quum diebus festis veniebant in Templum adorandi causa. Quare non mirum si primo die Ioseph & Maria de puero minus soliciti fuerint: postea verò se non pigritia, vel neglectu securos fuisse ostendunt.* Hæc ille. Quòd autẽ beatiss. Virginem hoc nomine cum Eua isti nouatores comparant, intolerabilis & insciția & malitia est. Certè SS. Patres longè aliam vtriusque comparationem instituunt, *Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit.* Hæc Augustin. Nec aliter Hieronym. *Mors per Euam, Vita per Mariam.* Sed vtroque antiquior Irenæus: *Eua seducta est, vt effugeret Deum. Maria suasa est vt obediret Deo, vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.* Et omniũ antiquissimus Tertullianus: *In Virginem adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis: In Virginem æquè introducendum erat verbum extructorium vitæ, vt quod per eiusmodi sexũ abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem.* His adiunge D. Bernardum: *Eua prius peremptrix quàm parẽs, prius peccauit quàm peperit. Maria prius reparatrix quam parens.* Quæ etiam est Iustini Martyris cõparatio. Sic norunt Patres Euam cum Maria comparare, in laudem, non in vituperium: ad excellẽtiæ commendationem, non ad similis infamiæ notam: idque iuxta Angeli encomium: *Benedicta tu in mulieribus.* Hic ergo cum S. Ambrosio merito exclamet concionator: *Claudat ora sua perfidia, obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio.* Sed hanc horum hominum impietatem sequentes adhuc circa hoc Euangelium criminationes magis docebunt.

In Harm. Euang.

Ser. 18. de Sanctis.

Epist. 22. ad Eustoc. lib. 5. c. 19.

In lib. de carne Christi.

Hom. 3. super Missus est.

In colloquio cum Tryphone.

Epist. 70.

B *Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*

LOcus alius improbas hæreticorum hodie calumnias abstergendi, & Sacratissimæ Virginis honorem tuendi. Hic enim iterum suam sanctos calumniandi libidinem exercent. Expostulant parentes (ait Bulling.) pro iure suo cum filio & non sine commotione rogant, cur ipsos coniecerit in tantum mœrorem. Sic Magdeburgenses, Pelicanus, Coruinus, Maior, & alij. Brentius, & Spangenbergius mirè hic rhetoricantur, & Matrem Christi introducunt de mandato Dei circa parentes honorandos à Christo violato, grauissimè & acerbissimis verbis expostulãtem. Sic & Lossius: Cur contra obedientiam quam nobis debes, mansisti Hierosolymis? Quẽ & sequitur Sarcerius. Contra quorum omnium petulantiam vtatur concionator verbis R. Patris Canisij in sua Mariana. Deum immortalẽ! An quiquam magis turbulẽtos & patheticos interpretes Euangelij sacri vnquam vel legit vel audiuit? Ira, odio, inuidia, aliisq; fœdis & insanis affectibus hos flagrare necessum est, qui tã fœda & ab omni humanitate aliena ab ipsis sanctis in Christi contumeliam dicta profundunt. An vero decet in scripturis hoc modo ludere, neque modò suspectũ, sed infamem Mariæ personam leuissima de causa omnibus reddere? Hæc ille. Sed omC nem hanc Lutheranorum sapientiam tanquam calumniam ineptissimam reiicit Caluinus in sua harmonia Euangelica. Et sanè si verũ est, quod falsum esse non potest, quod de hac B. Virg. scribit Augustinus, *Non potuit Maria diuinitati Christi non esse credula, quæ nouerat hunc se non virili semine, sed diuino spiramine, nunciante Archangelo concepisse*, fieri non potest vt vllam expostulationẽ acerbã hæc verba contineãt. Quare hæc verba Græcus hoc loco Scholiastes, dolorosam quandã inquisitionem quæ matrem decebat, non acerbam aut arrogantẽ expostulationẽ, fuisse exponit. *Miranda* (inquit) *Dei genitrix, maternis affecta visceribus quasi cum lamentis inquisitionem dolorosam ostẽdit, & omnia sicut mater fiducialiter, & humiliter & affectuosè exprimit.* Hæc ille. Sed & verba Euangelij hunc sensum apertissimè ostendunt. *Fili*, inquit, non dicit, ô puer! Amorem suum explicat, non authoritatem vel indignationẽ. Deinde addit; *Dolentes quærebamus te.* Non dicit: Meritò tibi offẽsi vel irati quæsiuimus te. In omnibus amorẽ & dolorem maternum exprimit. Et hic ergo locum habẽt illa Ambrosij verba de matre filiorum Zebedæi scripta, quum à Christo peteret quod nesciebat: *Nesciũt materna viscera patientiam. Error si est, pietatis est. Matrem considerate, matrẽ cogitate.* Hæc ille. Postremo docendi sunt isti ignari hæretici, docendus quoq; populus, ne ignarus ab ignaris decipiatur: potuisse B. Virg. rectissima voluntate filij præsentiam perpetuam & indiuisam expetere, & si Dei voluntas alia esset: sicut Dauid recta voluntate & in scripturis laudata voluit Tẽplum Deo ædificare, quod tamẽ Deus non ab illo, sed à filio suo ædificari voluit, sicut Paulus recta & sancta voluntate, *proposuit sæpe ad Romanos venire vt aliquem fructũ haberet in illis, sicut & in cæteris gentibus, sed* (inquit) *prohibitus sum vsq; adhuc. Rom.* 1. A quo verò nisi à Deo? sicut Actor. 16. prohibitum se à Spiritu S. scribit, ne iret in Bythiniam. Sic vxor mariti & filius Patris vitã recta voluntate velle potest, vtróq; ad mortem iustè damnato. Nã & ideò nullus tam barbarus Rex aut D Princeps est, qui vxoris aut filij, aut cuiusuis amici pro dãnato legitimè merito, patre aut amico intercessionẽ crimen læsæ iustitiæ interpretetur, aut puniendam censeat, sed contra quodam tacito iure naturæ admittit. Huius rei ratio est, quod tenemur quidẽ conformare voluntatẽ nostram diuinæ voluntati & Superiorum nostrorum, formaliter vt loquuntur Scholastici, id est, quatenus illa refertur ad commune bonum, quatenus considerat generalem ordinem, ac dispositionem rerum, quod quidem commune & generale bonum à Deo semper, à Regibus & Principibus in iustitia administranda vt plurimũ respicitur & spectatur. Non autem tenemur id semper facere materialiter, id est, apprehendendo & considerando quodcũq; particulare bonum in se, & nobis proportionatum. Sæpenumero enim quod nobis bonum est, generalitati, aut cõmu-

B. Virg. defenditur.

In c. 2. Luc. Cent. 1, l. 1.

In 2. c. Luc. In postillã In hanc dom.

Hom. 20. in Luc. Et super hanc Dom. In Luc. c. 2 Li. 4. c. 15. Serm. 1. de Assumpt. B. Virg.

Lib. 5. c. 5. de fide. Voluntati Dei quatenus nostra conformari debeat.

2. Reg. 3.

nitati, siue totius vniuersi, siue vnius regni aut Reipub. malum est: nobis illud sine vlla culpa A
nostra ignorantibus. Non ergo offenditur superior potestas in desiderio priuati boni cuiusque (nisi forte bonum commune nostro priuato contrarium nobis reuelaretur apertè, vt in exẽplo Dauidis superius allato, qui audita contraria Dei voluntate, quod non per illum, sed per Salomonẽ eius filium templum ædificaretur, acquieuit:) quod sit communi bono contrarium, quã diu certè generale illud principium integrum apud nos manet, si Deus voluerit, si Superiori potestati ita videbitur. Sic omnino in re proposita non vel minimum peccauit B. Virgo dolendo Christi pueri absentiam, & eius præsentiam desiderando, quod erat illi bonum, etsi Deus aliud tunc bonum illa nesciente voluerit, quia nec illam aliam Dei voluntatem illa sciuit aut scire tenebatur, nec hoc suum desiderium ita tenuit quin diuinæ voluntati in omnibus se conformaret, parata id velle quod propter commune & maius bonum Deus fieri vellet: Qualis erat hæc Christi in Templo absentia & cum doctoribus disputatio, vt sic puer Iesus qualis esset paulatim innotesceret, manente haud dubiè eius facti memoria vsque ad ætatem adultam, quando se palam manifestauit. Quare audita Christi responsione quòd, *in his eum esse oportebat quæ Patris eius erant*, id est, quod etiam in illa puerili ætate aliquod diuinitatis suæ testimoniũ & legationis suæ specimen exhibere debuit, sicut in ætate infantili varia testimonia exhibita fuerant, penitus acquieuit beatis. Virgo. Hæc fortasse non incommodè hoc loco explicari populo poterunt, vt intelligat B. Virginem sine vllo planè vitioso affectu, sine vlla leuitate muliebri, sine vlla Dei vel B
minima offensione, Christi filij sui absentiam doluisse, dolorémque suum verbis affectuosis expressisse. *Fili quid fecisti nobis sic?*

Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quod in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

B. Virgo defenditur. Hom. 20. in Lucam. Matth. 21. Marc. 21.

LOcus adhuc alius defendendi B. Virginis honorem & innocentiam contra petulantes & arrogantes Nouatorum hodie reprehensiones. Dicit hoc loco Brentius: *Christum parentes suos grauissimè obiurgasse, imò & penè abnegare voluisse.* Sed hoc est, *proijcere margaritas ante porcos*, committere Scripturas hæreticis tractandas, sanè *vt pedibus eas conculcent*, id est, vt suis sordidis affectibus eas subiiciant: & Christi sanctissima verba mysterij plena humanis passionibus polluant. Christus alio in loco ficui non ferenti fructum, quum sanè tẽpus ferendi fructum non esset maledixit tamen quod fructum non ferret: & sic maledixit vt statim arescceret. Qui nudam hic litteram respicit, & facti corticem tantum inspicit; existimabit absurdum aliquid Christũ fecisse. Sed mysterium & occulta quædam doctrina erat, quam Christus hoc suo facto (vt doctrinæ tenacior esset memoria cum tali facto coniunctæ) docere voluit. Nempè vt fidei vim ac virtutem doceret, qua si pollerent, non solum ficus arefacerent, sed & montes transferrent, sicuti mirantibus Apostolis Christus rem explicat. Sic omnino hoc in loco Christus sic respondens parentibus suis, non illos obiurgat, sed astantes docuit, atq; adeo nos vsq; hodie docet. Tria igitur his verbis docere voluit. Primùm & præcipuè aduentus sui in hunc mundum causam, iuxta illud
Ioan. 19. quod apertius postea Pilato dixit: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc in mundum veni, vt testimonium perhibeã veritati.* Sic in hoc Templo cum doctoribus disseruit, docens eos veritatem. Secundò docere voluit Dei cultum omnibus præferendum; etiam parentibus charissimis. Tertiò docet parentes non sic liberis suis indulgere debere, vt eorum salutem, aut Dei honorem impediant. Et has ob causas vtitur insolita dicendi libertate, vt doceat, quum causa Dei agitur, quum de Dei gloria fit quæstio, obedientiam parentibus debitam cessare.

At illi non intellexerunt verbum.

D

B. Virgo defenditur.

HIc rursum fœdam ignorantiam B. Virgini hæretici moderni impingunt, Lutherus, Spangenbergius, Lossius, locis citatis, quod videlicet mundanum & pompaticum Christi regnum cogitans, de vera eius & salutari in hunc mundum missione nihil sciuerit, oblita eorum omnium quæ ab Angelo & aliis audiuerat ac viderat. Sed petulantes hæretici vt stomachũ suum, sic & insciciam produnt, dum B. Virginem insciciæ accusant. Quod enim Euangelista dicit, *Non intellexerunt*, hunc sensum habet. Ad plenum non intelligebant sublimitatem diuinæ virtutis in
Luc. 18. Christo: nec modum adhuc sciebant quo munus suum obire vellet ad quod missus erat. Deniq; sic præ gaudio inuenti filij admirati sunt, vt non plenè caperent quod dicebatur, sicuti Apostoli præ dolore & tristitia non intellexerunt quæ Christus de sua morte & passione verbis tamen apertissimis illis prædixit. Itaque quod B. Virgo Christi verbum ad momentum non intellexe-
Culmãnus in Postilla in hac Dõ. rit, quum in Templo loqueretur, non arguit eius ignorantiam postea permanentem & stabilem, vt hæretici ex hoc loco stultissimè inferunt. Maria errauit, ergo Ecclesia potest errare. Atqui B. Virgo sic Christum intellexit & sic non errauit, *vt conseruaret omnia verba eius, conferens in corde suo*; si cuti in hoc Euangelio subiungit Lucas.

DOMI-

A

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.

Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Ioan. 2.

LOCVS illustris tam ad hæreticorum hodie petulantiam, arrogantiam, ignorantiam, & impietatem populo explicandam, quam ad B. Virginis Dei matris iustam laudem & innocentiam contra illos defendendam. Impuri hæretici quo in loco B. Virginis virtutes varias obseruare & iustis laudibus prosequi debeant, eo in loco varia & horrenda crimina illi impingunt, suæque stultitiæ, & impietatis Christum testem, & assertorem esse volunt. In his enim B. M. Virginis ad Christum verbis, *Vinum non habent,* nos Catholici obseruamus in B. Virgine primum beneficentiam & charitatem ac subueniendi promptitudinem, quòd deficiente in nuptiis vino, re ad honestatem etsi non ad necessitatem pertinente, necdum à quopiam rogata, defectum illum filio suo aperire & pro eo intercedere voluerit. Sed & ex eo colligimus, quòd multo magis in cœlis posita pro necessitatibus nostris apud filium suum intercedet vt certissima & promptissima aduocata. Neque hæc nostra collectio superstitiosa est, sed solida & firma, qualémque doctissimi in Ecclesia Patres iam ante mille annos fecerunt. Nam S. Hieronymus sic de S. Stephano colligit. *Stephanus* (inquit) *primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatus: & postquam cum Christo esse cœperit, minus valebit?* Sanctus Chrysostomus sic de D. Paulo colligit. *Si Paulus cum hic esset, vsque adeo dilexit homines, vt quum dissolui, & cum Christo esse cuperet, elegerit hic esse: multo magis illic feruentiorem amorem ostendet.* Sed & nos ita colligimus. Si B. Virgo pro vino in nuptiis nec rogata apud filium intercedere voluit, quanto magis in cœlo apud filium constituta pro veris & solidis bonis intercedere? Sed & illud obseruandum putamus, primum Christi miraculum, primum in terris gratiæ suæ beneficiū ad B. Virginis intercessionem factum fuisse. Vnde colligimus singularem illam pro humano genere aduocatam esse iuxta doctissimi & antiquissimi Patris Irenæi verba, *Virginis Euæ, V. Maria facta est aduocata.* Secundo notamus eximiam illic B. Virginis de Christo fidem. Nunquam enim hunc defectum ei proposuisset, nisi facilè eum ei mederi posse ac velle crederet. Vnde postea addidit. *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Tertiò modestiam & reuerentiam erga Christum singularem in B. Virgine obseruamus, qua paucissimis verbis defectum exponit. *Vinum non habēt,* reliquum Christi bonitati permittens. Quartò etiam prudentiam notare licet. Non enim rogat, vt vel hoc vel illo modo vinum adesse iubeat miraculi auida, sed Christi potentiæ non ignara, rem exposuisse contenta, cætera tacet. Atque has quidē egregias virtutes hoc in loco Catholici interpretes obseruare didicerunt. Nostri contra hęretici sicuti & veteres ex eodē flore venenum colligunt. Nā vt veteres hæretici suis hic hæresibus patrociniū quæsierūt, sic & hodie nostri Manichæi ex hoc loco B. V. non veram sed putatitiam tantum Christi matrē esse collegerunt, quia mulierem vocat, non matrem. Quibus Augustinus respondet. *Quomodo non obseruatis quod tottes in alijs locis Euangelista vocat eam matrem Iesu?* Sic hodie hæretici quia semel Paulus *panem* vocauit sacram Eucharistiam, non attendunt quod & ipse Paulus & Christus, *Corpus* appellant. Heluidiani ex hoc loco probare voluerunt, quod non virgo, sed coniunx & plurium liberorum mater erat in sensu Latino, quia mulier vocatur. Non defuerunt qui & parentum cōtemptum in fideli Christiano à Christo hoc loco doceri cauillarentur, de quibus Iustinus Martyr. Sic nostri hodie hæretici ex his verbis B. Virginis contemptum, contemptores ipsi, inferre voluerunt. Mulierē vocat per contemptum ait Lutherus, sicuti & Paulus ad Gal. 4. *factum ex muliere.* Alij nescio quæ horrenda vitia in hoc B. V. facto notant. Oecolampadius ambitionis vitium notat. *Hoc* (inquit) *vrget vt cæteri videant filium suum longè præstantiorem.* Brentius non veretur summam impietatem & diuini honoris appetentiam B. Virgini hoc loco impingere. *Maria* (inquit) *non eum tantum ambit honorem qui debetur parentibus, sed etiam ambit honorem Messiæ, & cupit esse quasi socia administrandi eius officij quod Christo diuinitus mandatum erat. Ibi tum Christus durissimè eam alloquitur, vt contineat ipsam intra terminos suæ vocationis.* Hæc ille impurissimus homo. Alij volunt B. Virginem hoc Christi responso propter eius audaciam acriter redargutam, & in ordinem redactam fuisse. Sic Melanchthon. *Christus* (inquit) *matrem reijcit, vt æquet alijs hominibus, cum inquit: Quid mihi tecum est mulier? Quasi diceret: quia mater es, ideò videris alicuius prærogatiuæ merito à me impetratura. Ideo scias te non plus esse, apud me, quam vel mulier peccatrix est, vel Syrophœnissa. Tantum impetrabis, quantum credes misericordiæ.* Hæc ille ineptus Philippus, & verè cæcus Magister, qui multos cæcos in foueam secum pertraxit. Refutat eum Caluinus ipse, & ab omni ambitione, & alio carnali affectu B. Virginem liberat, in sua Harmonia Euangelica. Exponat ergo hoc loco prudens concionator veras & solidas causas cur Christus in hunc modum matri suæ sic responderit, idq;

Variæ B. Virginis virtutes,

1.

Hæreticorum impiæ obseruationes.

1. *Tract. 8. in Ioan.*

2. *Hier. cont. Heluid.*

3. *Respon. ad q. 136.*

In Con. ad Gal. 4.

In cap. 2. Ioan. Hom. 21. in Euang. Ioan.

5. *Annot. in Euang. Ioan. circa cap. 2.*

Causæ cur Matri sic Christus respondeuit.

ex SS. Patribus desumptas, non ex malitioso cerebro deprõptas, vt faciunt hæretici, noui & veteres. Primum respondet Christus matri suæ, nihil mihi tecum in hac re cõmune est sicut illud: *Nihil tibi & iusto illi*, id est, nihil sit tibi cum illo negotij. *Quid mihi & vobis filij Sarniæ?* j. Quid mihi vobiscum? *Quid tibi & paci*, id est. Quid tibi cum pace? vt ostenderet B. Virginem non diuinitatis suæ per quam miracula facturus erat, sed humanitatis tantum matrem esse, ideoq; in hoc negotio nihil sibi cum illa commune esse. Sic August. exponit. *Miraculum exigebat mater. At ille tanquã non agnoscit viscera humana, operaturus facta diuina.* Sic Theophilus Alexandrinus: *Quia Deus erat faciens miracula & homo per Matrem humana tractans, mysterium operaturus nihil sibi cum matre commune habere ostendit.* Eandem causam reddit Euthymius in comment. ad hunc locum. Secundò sic respondit, vt ostenderet se miracula facere non debere ad petitionem amicorum & familiarium, sed ad Dei gloriam & hominum necessitatem. Sic Cyrillus: *Non à se neque non rogatus ad actionem miraculorum Dominus solet peruenire. Necessitati enim atque vsui hominum gratiam suam præbere solet.* Sic Chrysostomus. *Non sunt hæc liberius ad matrem loquẽtis sed diuinæ dispensationis verba, vt admoneret pro dignitate miracula facienda. Quæ enim familiarium precibus impetrantur, quamuis magna, rarò tamen magni fiunt. Indigentibus quod datur omni caret suspicione.* Hæc ille. Tertiò ad ipsius B. V. maius meritũ sic respondit Christus. *Ne* (ait Chrysost.) *si semper à filio honoraretur, & non tanquam Dominum illum haberet, non posset per humilitatem ad illam altitudinem euehi, ad quã euecta est.* Rursum propter nos & nostram doctrinam sic respondit. *Vt ad Dominum semel conuersi* (ait Bernardus) *de carnali propinquitate minus simus soliciti.* Docet nempè in causa diuini obsequij nullos carnales parentes Christianum habere. Sic Albertus Magnus. *Locutio est instructoria, quia in diuinis quæ Dei sunt matrem recognoscere non debemus.* Præterea durius Christus respondet matri, non vt eam repelleret, sed vt hac dilatione eius sapientiam manifestaret. Ostenderétque illam mysterij non fuisse ignaram, cuius gratia sic respondit; id quod ex sequentibus Euangelij verbis luculenter patet. Hoc enim accepto responso, illa tamen optimè filium intelligens, pergit ministris dicere, *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Nunquam certè hoc dictura, si vel iratum sibi hoc responso filium existimasset, vel sese ab ipso obiurgatam iudicasset, vel petitionem suam reiiciendam putasset, vel deniq; de filij sui benignitate ac potentia quicquam dubitasset, vel postremo, hæc Christi verba prudenter non intellexisset. Notant etiam hanc causam veteres Patres. *Venerabilis Maria* (ait S. Maximus) *verè vt mater Domini futura præscens ac Dominicam præuidens voluntatem, solicitè ministros admonuit dicens: Quodcunque dixerit vobis facite. Sciebat profectò mater sancta, obiurgatione illa Domini filijque sui non irascentis offensam prætendere, sed miserantis portare mysterium.* Sic & ante eum Gaudentius Brixiensis Episcopus S. Ambrosio contemporaneus: *Ipsa* (inquit) *Beatissima Maria, agnito responsionis huius profundo mysterio intellexit non suggestionem suam præsentem aspernanter acceptam, sed secundum illam spiritualem rationem in mysterio tunc dilatam. Alioqui non mandaret ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite, nisi Spiritu S. post partum diuinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognouisset, verum etiã futuri ab eo tunc ex aqua vini vniuersum ordinem præuidisset.* Hæc ille. Postremò nec illa causa absurda est quam assignat Albertus Magnus Theologus doctissimus. *Non hoc Christus ex ira dixit, &c. Sed humillimus noluit detegere Virginitatem matris, ne per hoc glorioſus in conspectu hominum appareret, antequam per miracula manifestaretur.* Durius ergo etiam propter hoc respondit, ne aliud quam communis mater adhuc putaretur. Hæ causæ à veteribus & SS. Patribus annotatæ magis Christianum & Christo dignum docent sensum, quàm petulantes & improbæ hæreticorum cauillationes, quæ totæ malitiam spirant.

Matth. 27. 2. Reg. 16. 2. Reg. 19.

1. Tract. 9. in Ioan.

Allegoria in Ioã. l. 2.

2. Li. 2. c. 25. in Ioan.

Hom. 20. in Ioan.

3. Ibidem.

4. Serm. 2. in Euang. Ioan. c. 2.

5. In eis quæ Dei sunt parentes recognoscere non debemus. Homil. in Epiph.

Tract. 2. Delect. Euãg. huius.

In Euang. Ioan. c. 8.

Quodcunque dixerit vobis, facite.

LOcus tractandi contra hęreticos integram & plenam omnium Christi mandatorum obseruationem, iuxta egregium hoc B. V. documentum, quam illi hodie impossibilem esse orc blasphemo aiunt: quem vide tract. in Prompt. Morali ad hanc dom. in text. 2.

Implete hydrias aqua.

LOcus contra hæreticos de cooperatione nostra ad Dei beneficia consequenda necessaria, quam illi in sola fide absurdissimè ponunt: quem vide prolixè tract. in Prompt. Morali ad hanc Dominicam.

Haurite nunc & ferte Architriclino.

Conuersio aquæ in vinum transubstantiationis documentum.

LOcus obseruandi contra hæreticos aquam hanc in vinum mutatam sola Christi voluntate, nullis aut verbis aut ceremonijs adhibitis. Si enim solo nutu ac sola voluntate, nullis prolatis verbis, vel significantibus, vel operatorijs, nullo adhibito contactu, nulla benedictione, nulla gratiarum actione præmissa (nisi fortè hæretici nostri hoc loco vt hoc argumentum declinent,

A declinent, dicere velint, hæc omnia Christum in hoc miraculo feciſſe, etſi Euangelium ea non commemoret, atque ita hac nunc vice illud principale axioma ſuum deſerent, quo ſuſtinent nihil credendum, niſi quod ſcriptum eſt) conuertit aquam in vinum, idque præſtantiſſimum, & in magna copia, quare ijdem hæretici non credũt (quod tota credit Eccleſia) Chriſtum tot verbis, tot ceremonijs, tantáque & tam clara aſſeueratione vſum, panem in corpus ſuum vertiſſe? Illic & prædixit diſertè. *Panem quem ille daturus erat carnem ſuam eſſe, quam pro mũdi vita daturus erat:* & ante ipſum opus præfatus eſt, ſe *deſiderio deſideraſſe hoc Paſcha manducare cum diſcipulis ſuis*, hoc inquam Paſcha quo pro Agno Paſchali verus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, manducandus erat: & opus aggrediens panem in manus accipit, acceptum benedicit gratias agens, de accepto & benedicto pane dicit, *Hoc eſt corpus meum*: Addit quoque vt intelligant eum non myſticè, ſed propriè loqui, *Quod pro vobis tradetur*: Subiungit quoque, ne pro miraculo ſemel duntaxat facto rem acciperent. *Hoc facite in meam commemorationem*. Hic verò in hoc miraculo nec prædixit aquam in vinum vertendam, nec præfatur aliquid quaſi rem nouam facturus, imò macellenti oſtendere, nec ipſam aquam, vel in manum accipit vel benedicit, vel vinum fieri, aut iubet, aut aſſerit; ſed ſola (vt dictum eſt) voluntate aquam in vinũ conuertit: & creditur vera fuiſſe ac realis cõuerſio, non figuratiua, non myſtica. Multo igitur magis; multo certiùs credere de-

B bemus Chriſto dicenti, *Hoc eſt corpus meum*, ita ſe verè rem habuiſſe, vt dixit, illudque quod in manibus tenebat, etſi panis videretur oculis, corpus tamen ſuum verè fuiſſe, & ſic ab Apoſtolis creditum eſſe. Nec eſt hoc noſtrum argumentum. Sic Cyrillus Hieroſolymit. argumentatur: *Chriſto* (inquit) *confirmante ac dicente, hic eſt ſanguis meus, quis vnquam dubitet ac dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum quod eſt ſanguini propinquum in Cana Galilææ, ſola voluntate, & non erit dignus cui credamus quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus ſtupendum miraculum operatus eſt, non multo magis corpus, & ſanguinem ſuum filijs ſponſi dediſſe eũ confitebimur.* Hæc Cyrillus. Hanc quoque aquæ in vinum conuerſionem ad tranſſubſtantiationis quam credit Eccleſia confirmationem adfert Paſch. Abbas Corberienſis ante ann. 700. Eſt ergo hoc loco hæreticorum hodie incredulitas taxanda.

Catech. Myſtagog. 4. In lib. de corpor. & ſang. Dõ.

Ferte Architriclino.

Matth. 8.

LOcus obiter notandi contra hæreticos horum temporum Chriſtum Dominum, ideo hoc iuſſiſſe, ne ordinem in Repub. poſitum in ipſis ſuis miraculis perturbaret. Sicut enim alibi ſanatis à ſe leproſis dixit. *Ite & oſtendite vos Sacerdotibus*, ne ordinis Sacerdotalis apud

C Iudæos ius & priuilegium violaret, & vt ordinem à Moyſe conſtitutum non diſſolueret, ſic & hoc in loco, vinum quidem per miraculum creat & præſtantiſſimum, vt tamen lex conuiuialis, vel domeſtica ſeruetur, iubet ferri Architriclino, vt ab eo probetur antequam conuiuis apponatur, vt potè cuius erat in eo conuiuio de cibis ac potibus diſponere ac iudicare. Qua in re docet Saluator ſic ſe extra ordinem operari, vt ordinem vel in Eccleſia, vel in Repub. poſitũ non perturbet. Inſaniunt hodie hæretici, qui toto ordine Eccleſiæ violato ſeſe à Deo vocari impudentiſſimè iactitant. Paulus extra ordinem à Chriſto adeóque de cœlo vocatus eſt. Nihilominus ad Ananiã mittitur, vt ab eo fidei doctrinam & Sacramentum acciperet, quod diligenter notauit Auguſt. Sed & poſtea per manuum impoſitionem ad opus prædicationis emittitur, vt in Actis Apoſt. diſerte legimus. Si flagris & crucibus digni illi ſunt, qui contempto magiſtratu ad prætenſam libertatem aditum ſibi parant, quid iſti merentur, qui à nemine miſſi contempta Eccleſia, nec extra ordinem à Deo vocantur, nec etiam ſi vocati eſſent, ordinis Eccleſiaſt. vllam rationem habent: quod in ipſis tamen Iudæis Chriſtus reueritus eſt; An Chriſtum imitari pudet: aut Paulo meliores iſti ſunt? Quidquid enim de Eccle. Romana, libet illis impiè blaſphemare, dete-

D riorem tamen ſynagoga Iudaica, Chriſto veniente corruptiſſima, fingere illam non poſſunt. Qualemcunque ſibi vocationem impudentiſſime & mendaciſſimè venditant, magis extraordinaria, magis illuſtris eſſe non poteſt, quàm fuit Pauli de cœlo vocati.

Ordo in Eccleſia ſeruandus

In quæſt. Euang. l. 2. q. 40. Actor. 14.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Matth. 8. *Vade & ostende te Sacerdotibus, & offer munus tuum quod præcepit Moyses in testimonium illis.*

Leuit. 14. LOCVS tractandi contra hæreticos nostri temporis dignitatis & ordinis Sacerdotalis præeminentiam & reuerentiam. Lex erat Mosaica, quæ ex Sacerdotibus Leuitici generis prærogatiuam dedit, vt nemo leprosus à lepra sua liberatus iudicaretur; aut in Templum & commercium hominum, à quo durante lepra, ex iudicio Sacerdotis excluſus extra castra agere debuit) admitteretur, nisi ostenderet se Sacerdoti, isque eum non amplius leprosum pronunciaret. Hanc legem Christus in leproso à se mundato obseruari voluit: non quia post Christi opus Sacerdotis cuiusquam approbatione opus erat, sed vt ordo Mosaicæ legis (ea necdum abolita) seruaretur. Sic S. Chrysostomus. *Qua de causa iussit leproso Christus, vt seipsum ostenderet Sacerdoti, &c. vt legem vtique rursus impleret. Non enim illam vbique resolsit, nec vbique seruauit, sed nunc quidem illud, nunc istud.* Sic & Apostoli, *inueniuntur aliquando quidem legem custodire, aliquando verò transcurrere.* Si ergo Christus Sacerdotium vetus in multis honorauit, præposterè hodie hæretici, qui Ecclesiam Catholicam (à qua se sic recedere fingunt, sicut Christus & Apostoli à Synagoga) in nulla re prorsus honorare volunt, sed in omnibus etiã planè indifferentibus propter maiorem eius contemptum, atque odium ei contraria facere; maximè Caluinistæ, & in Anglia Puritani. Si Catholici ad Orientem orant, illi ad Occidentem orabunt. Sic in festis, in ieiunijs alijsque ritibus & ceremonijs ex industria alia festa, alia ieiunia, alios ritus suis præscribunt, quam ex Ecclesiæ Catholicæ more ac consuetudine. At Christus synagogam contaminatissimam eorúmque Sacerdotes honorat, vt (quemadmodum super hoc Euangelium scribit Chrysostomus) *De signis suis iudicandi potestatem illis tribuerit.* Certè Caluinus hoc nomine furiosos Anabaptistas acerbè taxat, quòd hoc Christi exemplum non imitantur. *Christi* (inquit) *& Apostolorum seculum quale fuit? Neque tamen impedire potuit desperata illa Phariseorum impietas, & quæ tunc passim regnabat dissoluta viuendi licentia, quin eisdem sacris cum populo vterentur, & in vnum cum reliquis Templum ad publica religionis exercitia conuenirent.* De hoc argumento, vide plura in Promptuar. Moral. in hac Dominica text. 4.

Hom. in Mat.

Vbi supra.

Instit. l. 4. c. 1.

Num. 19.

B

C

Ostende te Sacerdotibus.

LOcus alius Sacerdotalem potestatem à Christo honoratam explicandi contra hæreticos hodie qui eam impiè ab Ecclesia tollunt. Dicit Apostolus de veteri populo, *omnia in figura contingebant illis.* Vetus igitur Sacerdotium Ecclesiastici ministerij typus erat. Lepra illorum peccata nostra præsignabat. Nihil certè aptius peccati naturam præfigurare potuit, quàm lepra corporalis. Vt enim lepra nihil horribilius in corpore, ita lethali peccato nihil horribilius in mente. Vnde scriptura, *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.* Vt coluber vitæ corporis, sic peccatum animæ interitum adfert. Rursum vt lepra reddit corpus tardum, & inhabile ad omnem actionem, sic ex peccato fastidium virtutis oritur & paulatim odium. De quo Propheta. *Omnis qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius.* Præterea vt lepra inficit alios, sic *modicũ fermentum totam massam corrumpit*, dixit Apostolus de fornicario bonis fidelibus admixto, & necdum excommunicato. Et Sapiens dixit: *Amicus stultorum similis efficietur.* Deinde leprosi habitus fœdo suo odore molestissimus est. Ideò in lege veteri iubebatur, *Habere os veste contectum.* Peccati odor pessimus est, *Odor mortis* in mortem. Ex impuro corde omnia procedunt mala, vt Christus in Euangelio docet: & de peccatoribus Propheta dicit: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Postremò leprosus est extra castra eiiciendus. In primæua Ecclesiæ disciplina, tantus erat peccati mortalis horror, vt eo infectus cum fidelibus conuersari prohiberetur. Sic enim iubet S. Apostolus. *Si is qui frater nominatur & fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Est igitur peccatum lepra. De sola lepra iudicabat olim verus Sacerdos, non de alio aliquo corporis morbo, & Christus in Euangelio solos leprosos à se mundatos, non cœcos, surdos, mutos, paralyticos, ad Sacerdotes mittit. Huius rei causa est, quia de solo peccato cognoscere etiam ad Sacerdotes suos pertinere Deus vult. Sed cognitio lepræ, sic ad veteres Sacerdotes pertinebat, non vt eam verè sanarẽt, verum vt sanatum pronuntiarent tantùm. Atque Sacerdotibus Ecclesiæ Christianæ ipsa peccata remittendi potestas datur, non solum (vt hæretici hodie impiè docent) remissa à Deo pronũtiandi. Hoc discrimen disertè expressit S. Chrysost. scriptor Catholicus iuxta Cathol. Ecclesiæ fidem

Peccatum lepra. 2. Ierem. 31. 1. Cor. 5. Prou. 13. 4. Leuit. 13. 5. 1. Cor. 5.

l. 3. de Sacerdotio.

A fidem ante annos 1200. in hæc verba: *Corporis lepram purgare, seu verius dicam, laud purgare quidem, sed purgatos, probare, Iudæorum Sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis conquireretur? At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est, quare iudicio quidem meo, qui istos contemnunt, multò sceleratiores maiorique supplicio digni fuerint, quàm Dathan, cum suis omnibus.* Hæc ille. Quòd si ergo Christus verus Sacerdotium sic honorauit, cuius circa corporis tantum lepram iudicium versabatur, neque ad eam sanandam, aut purgandam, sed ad ostentionem tantùm iam purgatæ lepræ, quanto magis nouum in Ecclesia sacerdotium honorari vult, cuius potestas in ipsis peccatis tollendis consistit, iuxta eius apertissima verba. *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Si enim ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. Si quod euacuatur per gloriam est, multo magis quod manet in gloria est.* Rursum si Christus corporis lepram à seipso sanatam sacerdotibus tamen ostendi, ab illis approbari, & iudicare iubet, nec quicquam suæ gloriæ per hoc detractatum est: quanto magis etsi Deus per Christum in Ecclesia peccata remittat (ille enim est) *Agnus Dei qui tollit peccata mundi, & illum proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*) tamen quibus ità Deus peccata remittit, vult eos ostendere se sacerdotibus, & ab ijs tanquam Christi in hac parte vicarijs ac locum tenentibus hanc ipsam peccatorum per Christum remissionem accipere iuxta illam à Christo ipso Sa-
B cerdotibus datam potestatem in verbis præallegatis: nec per hoc Christi gloriæ quicquam detrahi credendum est, sed Sacerdotali ordini eum honorem tribui, quem propter certas & graues causas Christus in sua Ecclesia perpetuo tribui voluit. De hac re vide plura in Dominica hæreticorum calumnias depellendas, & impostoras detegendas, non incommodè poterit. Vide plura Dom. 13. post Pentecosten.

Ioan. 10.
2. Cor. 3.
Ioan. 1.
Rom. 3.

Filij regni eiicientur foràs.

LOcus contra hæreticorum certitudinem gratiæ qua ponunt semel filios adoptionis factos à gratia excidere non posse, quem vide ex Scripturis tract. in Promptuar. Moral. hac Dom. tex. 9.

C

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Quid timidi estis modicæ fidei? Matth. 8.

LOCVS ostendendi contra hæreticos horum temporum fidem Christianam suos habere gradus, neque in omnibus æqualem & indelebilem esse. Caluinus enim vafer hæreticus, vt doceat solam fidem necessario saluare, & esse in quolibet fideli certitudinem gratiæ ac salutis quæ amitti non possit: ideóque non ex bonis operibus quæ valdè incerta sunt & in pauciissimis diu perdurant, vllam coram Deo iustitiam expectandam esse, sed totã salutẽ in fidei firmitate consistere: docet consequenter fidem esse indelebilem in quocunque est, nec semel acceptam amitti posse, & esse in omnibus ratione firmitatis prorsus æqualem. *Vnicam* (inquit) *piorum fidem vt scriptura docet agnoscimus & prædicamus.* Et paulò
D pòst: *Vt solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, vt nunquam dispereat semen vitæ eorum cordibus insitum, ita solidè in illis obsignat adoptionis suæ gratiam, vt stabilis ac rata est.* Et iterùm: *Hic tenendum est quantumuis exigua sit, ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est, ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius sculpturam.* Hæc ille impius vt suam indelebilem & solam electorum fidem statuat. Sed in hoc Euangelio discipuli ipsi quos de numero reproborum esse, nec ipse Caluinus dicere ausus fuerit, qui de numero electorum certissimè erant, tamen ita delebilem & fragilem, & iam iam perituram fidem habebant, ipso quoque Christo eis præsente, vt nisi ab eo promptam opem accepissent, fidem in Christum amisissent. Clamant Christo in eadem naue nauigante, *Domine salua nos, perimus.* Sciebãt se perire non posse, nisi Christo etiam qui in eadem naui erat pereunte. Sciebant Christum quem iam filium Dei credebant, tali casu perire non posse: & tamen clamant se perire. Vnde & Christus eos grauiter redarguit dicens: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Timorem arguit fiduciæ contrarium; quam fiduciam veri nominis fidem esse hæretici volunt. Si ergo timidi erant & fiducia carebant, fides quoque eorum iam exciderat, iuxta hæreticos, qui fidẽ & fiduciam pro eodem habent. Rursum modicæ fidei eos vocat, imperfectæ videlicet, non satis firmæ, ac validæ, sed vacillantis, & ad defectum atque incredulitatem propendentis. Non est igitur quorumlibet electorum fides, semper & perpetuo firma, fortis & indelebilis. Certè si talis disci-

Fidem habere gradus, & amitti posse.

Instit. l. 3. c. 2. n. 9. 11. & 12.

Apostolorum fides vacillabat.

pulorum hic fides fuisset, neque tantus timor eorum animos occupasset, neque eorum modi- A
cam fidem Christus sic arguisset, nec denique Christi consolatione opus illis fuisset. At verò nō
hoc tantum in loco, sed & alijs non paucis fides cum suis defectibus, & incrementis in Euange-
Matt.6. lio describitur. *Quanto magis vos modicæ fidei?* Contra nimiam rerum necessariarū solicitudinem,
Matt.14. quæ ex incredulitate nascitur. Item ad Petrum in fluctibus trepidantem, *Modicæ fidei, quare du-
bitasti?* Cœperat enim super aquas ad Christum ambulare cum magna fide: sed illa vacillante
cœpit mergi. Non enim vi fluctuum, sed incredulitati Petri hoc eius periculum Christus im-
putauit. Quod ergo in electis ipsis minuitur, & defecit, quis dubitat, quin etiam deleri pos-
sit? Certè de filio prodigo per pœnitentiam reuerso dicitur, *Mortuus erat & reuixit.* Lucæ 15.
Priùs ergo per fidem filius fuit, priùs per gratiam vixit. Alioqui scriptura non diceret, *Reui-*
Matth.8. *xit.* Sic D. Basilius in Homilia de pœnitentia. Sed & in hoc Euangelio laudatur fides Centu-
rionis magna & firma, *Non inueni tantam fidem in Israel.* Sic mulieri Chananeæ dicitur: *O mulier
magna est fides tua*: quæ omnia intelliguntur, per intentionem dicta, non per extentionem, id
est, de ipsa fide in se mentisque assensu firmo, vel infirmo: non de ijs quæ creduntur pluribus,
aut paucioribus.

*Fidē quo-
uis pecca-
to non a-
mitti.*

Ex eisdem porrò scripturæ locis, & hoc Euangelio euertitur magnum illud Lutherano- B
rum & impium axioma, fidem per quoduis peccatum mortale excuti & amitti. Quod ideò frau-
dulenter dicunt, vt videantur, quum solam fidem iustificare, & saluare asserunt fidem intellige-
re cum virtute & bonis operibus necessario coniunctam. Sed loca prædicta hoc axioma subuer-
tunt. Si enim per quoduis peccatum mortale excutitur fides, debet in quodlibet esse æqualis fi-
des. Nunc autem plerique non nisi sæpius peccando, & sæpius recidiuando eò tandem perue-
niunt, vt & fidem ipsam amittant, iuxta illud. *Impius quum in profundum venerit, contemnit.* Quem-
admodum certè si arboris propagines omnes suppullulare incipientes euellas, radix tandē are-
scet. Pauciſſimi autem aut fortè nulli sunt, quorum tam debilis fides est, vt vno tantum scelere
perpetrato vtcunque flagitioso statim excutiatur, & in apertam blasphemiam conuertatur, si-
cut certè vix vlla arbor tam debili radice nititur, vt vno abscisso palmite arescat: aut radicis be-
neficio nouos surculos propagare desinat.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Inimicus homo superseminauit zizania.

Matth. 13. C

*Nouitas
doctrinæ
hæresim
arguit.*

IESVS proprius & necessarius populum fidelem diligenter docendi, atque mo-
nendi, falsæ doctrinæ, & hęresibus hoc esse proprium vt posterius existat, vt an-
tiquitate cadant, vt nouitate laborent: contra verò Catholicæ & orthodoxæ doctri-
næ hoc esse proprium vt prius existant, vt antiqua sit, & post seminatum semen Domi-
nicum, id est, propagatum Euangelium, nunquam amplius noua. Hoc enim totum Christus in
hoc Euangelio disertè docere voluit. Comparat enim regnum cœlorum, id est, statum mili-
tantis Ecclesiæ homini seminanti bonum semen in agro suo, id est, ab initio docenti per Apo-
Luc.8. stolos eorúmque coætaneos bonam & sanam doctrinam in cordibus fidelium suorum (*Semen
enim verbum Dei*) quum autem dormirent homines, quum negligentius agerent pastores, inimi-
cus homo, Diabolus videlicet, superseminauit zizania in medio tritici: id est falsas & impias do-
ctrinas verè immiscuit, vt omnes hæretici faciunt, qui Christum penitus non negant, sed Chri-
stianæ doctrinæ suas hæreses commiscent. Ostendit ergo non quidem simul & eodem tempo-
re bonum semen & zizania in agro Dominico seminata fuisse, nec prius zizania & postea trити-
cum, vel bonum semen, sed seminato prius bono semine atque adeo in triticum iam enato à dia-
bolo superseminatum fuisse zizanium, hoc est postea nasci hæreses. Zizaniorum enim nomine
hæreses indubiè significantur, quia bonum semen doctrina intelligitur, vt apud Lucam Domi-
nus exponit. *Semen est verbum Dei.* Et hunc sensum confirmat Augustinus ex eo quod in hac pa- D
Luc. 8. rabola Dominus *agrum ipsum non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatur. Hæretici autem non societa-
te vnius Ecclesiæ, sed solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis.* Nam mali Catholici pa-
*Iu qu. ex
Mat. q. 11.* lea potius vocandi sunt quàm zizania. Palea enim habet fundamentum ipsum cum tritico radi-
cémq; communem. Huic igitur Euangelio conformiter SS. Patres diligenter docuerunt anti-
quitatem veræ doctrinę, nouitatē & posteritatē falsæ doctrinæ, notā esse certissimā. *Hæreses omnes*
*Antiqui-
tas veræ
doctrinæ
Nota.* (ait Aug.) *de Ecclesia exierunt tanquā sarmēta inutilia de vite præcisa, ipsa autē manet in radice sua.* Sic suos
Catechumenos S. ille Episcopus docuit. Sic & ipsos paganos, alio in loco de vera Ecclesia cog-
noscenda instruit. *Videtis* (inquit) *multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ quidem societas cer-
ta per orbem propagatione diffunditur: Hos autem præcisos de sola figura originis sub Christiano nomine quasi
De Symb. ad Catec. lib. 1. c. 5.* *arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses & schismata nominamus.* Hæc ille, Ecclesiam radici, hæreses
sarmentis præcisis comparans. Est autem radix suis sarmentis natura & tempore prior. Hanc
Epi. 42. quoque notam contra sui temporis hæreticos obseruauit Cyprianus. *Constat* (inquit) *Nouatianos*

cum

A *cum corpore Ecclesiæ non conuenire: Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et quum hæreses & schismata post modum nata sunt, dum conuenticula sibi aduersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.* Hæc ille, per veritatis caput, atq; originem ipsam radicem Ecclesiam intelligens. Sic enim seipsum eodem in libro exponit. *Rami* (inquit) *arboris multi, sed robur vnum tenaci radice firmatum. Sic Ecclesia ramos suos in vniuersam terram extendit, vnum tamen caput est & origo vna.* Eodem prorsus modo hæreticum à Catholico discernendum docet Optatus. *Videndum* (inquit) *quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis cathedram sederit, alteram quæ ante non fuerit, & quis altare contra altare erexerit.* Hæc illi ex Africa nobilissimi scriptores & Ecclesiarum Episcopi. Sed his omnibus antiquior Tertullian. Affert quoque & ipse ipsa Euangelij nostri verba eo quo diximus modo contra sui & omnium temporum hæreticos tractauit. *Reuertar* (inquit) *ad principalitatem veritati & posteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primo constituit: auenarum autem steritis fœni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum quod sit prius traditum, id autem extraneum & falsum quod sit posterius immissum.* Hæc ille, iuxta quam regulam ex præsenti Euangelio perspicuè haustam contra omnes sui temporis hæreticos, sic arguit idem Tertullianus contra Marcionitas, sic: *Ergo* (inquit) *meum Euangelium dico verum, Marcion suum. Quis inter nos determinabit nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitatio-*
B *nem quod posterius reuincetur? In quantum enim falsum est corruptio veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum.* Contra Hermogenem hæreticum sic. *Solemus* (inquit) *hæreticos compendij gratia de posteritate præscribere. In quantam enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreses pronuntiauit, in tantum posteriores quæque doctrinæ hæreses præiudicabuntur.* Contra Praxeam hæreticum sic. *Quo percunque posterius.* Atque hæc illi patres Africani, quibus & ex alijs orbis partibus alij eiusdem sententiæ adiungi possunt. D. Hieronymus contra Origenistas hoc argumento vtitur. *Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nesciuimus vsq; ad hunc diem, sine ista doctrina mundus Christianus fuit?* Similiter contra Luciferianos. *Breuem tibi apertámque animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia esse permanendum quæ ab Ecclesijs fundatur, vsque ad hanc diem durat. Alij verò omnes hoc ipso quod postea instituti sunt, hæreticos se esse indicant.* Hæc ille. Eodem modo contra Apollinaristas Gregorius Nazianzenus. *O miram absurditatem! Absconditam post Christum sapientiam nobis annuntiant. Res lachrymis digna. Si enim* 30. *his annis fides originem habuit cum* 400. *ferè anni ab eo tempore fluxerunt, quo Christus palam conspectus est, inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra. Et martyres quidem frustra martyrium subierunt, frustra etiam tales tantique antistites populo præfuerunt.*
C Nec aliter S. Hilarius aduersus Arianos disputandum censuit. *Cogitemus* (inquit) *tot Sacerdotes sanctos & iam quiescentes. Quid de nobis Dominus iudicabit, si nunc anathematizantur à nobis?* Sed omnium accuratissimè facit hoc S. Irenæus vetustissimus scriptor, Episcopus & martyr, contra Valentinia. & Marcionitas. *Non fuit* (inquit) *apud eos congregatio neque doctrina aliqua instituta. Ante Valentinum enim non erant qui sunt à Valentino, neque ante Marcionem qui sunt à Marcione.* Et paulò pòst. *Omnes hi posterius, mediantibus iam Ecclesiæ temporibus insurrexerunt in suam apostasiam.* Hæc ille. Sic videlicet omnes isti Patres ex hoc Euangelio didicerunt propriam quandam esse veritatis orthodoxæ notam, quod in agro Dominico prius fuerit seminata: propriam quoque hæresis notam, quod posterius insurrexit. Ratio quoque Tertulliani noranda. *Falsum est corruptio veri.* Sequitur ergo ipsum verum. Omnis enim priuatio post habitum inducitur. Hæresis est priuatio veræ doctrinæ: ea igitur posterior est, vt cœcitas visu, surditas auditu, & sic in alijs.

In lib. de vnit. Eccl.

Contra Parmen. libro. 1.

De Præsc. contra hæret. cap. 31.

Luc. 8.

L. 4. aduersus Marc.

In principio libri contra Hermogē.

In lib. contra praxeum.

In Epist. ad Pammachium & Cicanum.

In finedialogi contra illos.

Epist. 2. ad Cledonium.

In lib. de Synodis. Li. 3. c. 4.

Sinite vtraque crescere vsque ad messem.

D

LOcus docendi contra hæreticos veræ doctrinæ & consequenter veræ Ecclesiæ, in qua sola vera doctrina prædicatur, perpetuitatem vsque ad finem seculi. *Messis enim est finis seculi*, ait Christus hanc parabolam exponens. Monendus autē populus ex hoc loco est non solū veram doctrinam veram Ecclesiam perpetuo esse (quod nunc vix vllus hodie hæreticus amplius negat, etsi ab initio huius schismatis Lutherus, Brentius, Caluinus & alii defectionem Ecclesiæ apertè docerent) sed sic perpetuo esse vt ipsa vera doctrina perpetuo crescat in agro Dominico, id est, perpetuos habeat operarios, de quibus Christus dixit de suo tempore *Messis quidem multa, sed operarij pauci. Orate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suā.* Docendus quoque populus hos operarios mitti à Domino in messem suam, vt hic Christus loquitur, quod & Apostolus repetijt dicens. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Mitti denique hos operarios, hos prædicatores, hos pastores animarum non à Christo tantum, qui Apostolis dixit conuersatus cum illis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, sed post Christi in cœlos ascensionem, ab ipsa Ecclesia per impositionem manuū: sicut Paulus & Barnabas à Presbyteris Antiochenis, imponentibus illis manus missi sunt, sicut Paulus Timothæum misit per impositionem manuum suarum, sicut denique omnes omnium ætatum Episcopi & Presbyteri per impositionem manuū legitimè sibi

Matth. 13. *Ecclesiæ Catholicæ perpetuitas.* *Ioan.* 4. *Rom.* 10. *Ioan.* 20.

Coloss.1. Deunitate Eccles.c.5. inuicem succedentes missi sunt. Sic & in hunc modum crescit bonum semen in agro Dominico vsq; ad messem. Non de nouo seminatur, sed quod semen seminatũ est, perpetuò crescit. *Verbũq; Euangelij* (vt Apostolus ad Coloss. scribit) *fructificat & crescit in omni mundo, ex qua die auditum est. Hæc Apostoli verba* (vt ait August.) *conueniunt cum Euangelio vbi dictum est, simile est regnum cælorũ homini seminanti bonum semen in agro suo. Crescit autem vsque ad finem, quia vsq; ad messem. Messis enim est finis sæculi. Dicent ergo non solũ Colossenses ad quos data est, sed etiam cæteri omnes apud quos legitur hæc Epistola, vbi per Apostolicas litteras constat bonum semen esse seminatum, etiam tunc crescere & fructificare cœpisse, quid nobis adfertis nouum? Nunquid iterum seminandum est bonum semen, quando ex quo seminatum est crescit vsq; ad messem? Si dicitis periisse in illis locis quod erat per Apostolos seminatũ* (sicut sanè hodie hæretici per totum orbem catholicum periisse blasphemant) *& ideo esse rursus ex Africa seminandum* (vel vt isti dicunt, ex Vvittẽberga vel Geneua de nouo inchoandũ) *respondetur; legite hoc nobis ex diuinis oraculis. Quod profecto legere non poteritis, nisi prius ostenderitis falsum esse quod scriptũ est, semen illic ante seminatum crescere vsq; ad messem. Et quia nullo pacto sibi diuina eloquia contradicunt, nullo modo in eis inuenietis quod contra hoc tam manifestũ recitare possitis. Restat ergo vt non ex diuinis libris, sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissimè respondebitur. Anathema sitis. Tenent enim Ecclesiæ Apostolico labore fundatæ cum quanta cura sibi prædictũ sit. Si quis vobis euangelizauerit præterquã quod accepistis, Anathema sit.* Hæc August. Omnibus igitur hodie Protestantibus qui in deserto Ecclesiam quærũt, qui quasi deperdita illa quã Apostoli incipientes à Hierosolyma cœperunt & plantauerunt, ab alio secundo initio propagandam & de nouo plantandam Ecclesiã docent, quia quod per Apostolos seminatũ fuit perijt, ideóq; rursus ex Vvittemberga, vt Lutherani, ex Geneua, vt Caluiniani seminandũ esse aiunt, Anathema dicit Catholica & vera Christi Ecclesia. Volunt enim isti vt mendax ipsa veritas inueniatur, quæ dicit semen Euangelij crescere vsq; ad messem. Nunc autẽ mentiuntur illi (Magistri enim mendaces sunt) & verũ est Euangelium. Crescit vsq; ad messem, vsq; ad consummationẽ sæculi vera doctrina, & ita crescit, vt non eradicetur vnquam. Docet enim Christus etiam ipsa zizania potius toleranda esse, quã ita tollenda, vt eradicetur triticum. Omninò igitur bonum triticũ non eradicabitur. Nunquam ita abundabunt, aut prævalebunt zizania, vt eradicetur triticum. Nunquam ita falsa doctrina Ecclesias Christianorũ occupabit, vt vera doctrina extinguatur. Mentiũtur igitur hodie & huic Euangelio disertè contradicunt omnes horum temporum hæretici, qui asserunt per Antichristũ Romanum (sic enim de Christi vicario Rom. Pont. blasphemè loquũtur) veram doctrinam fuisse his multis sæculis obliteratam, sepultam, atque extinctam. De his omnibus moneri hoc loco populus potest, vt ab impiis Nouatoribus in perpetuum sibi caueat.

Ne fortè eradicetur & triticũ.

B

Ne fortè eradicetis & triticum.

C

Hæreticos esse eradicandos. LOcus obseruandi quod in hoc Euangelio non simpliciter prohibet Christus ne tollatur zizania, ne extirpentur hæreses, ne etiam extrema morte puniantur hæretici (vt ex hoc Euãgelio ipsi hæretici docere voluerunt, quia Christus de zizanijs ait, *sinite crescere*) sed totũ hoc fieri tunc prohibet Christus quando periculum est eradicandi quoq; & triticum, quando sine schismatis, aut maioris mali periculo illud fieri non potest. Quod sapienter vidit S. Augustin. quum huius Euangelij verbis citatis, alijsque eo pertinentibus, quale illud est. *Non vt inimicum eum existimetis, sed corripite vt fratrem*, & exẽplum Christi qui Iudam quem sciebat *diabolum esse* vsque ad passionem pertulit, móxq; aliis quæ oppositum sonare videntur, quale illud est. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, & illud: *Auferte malum ex vobis ipsis*, scribit tandem atque concludit hunc in modũ. *Nos ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ex vtriusque testimonijs totam sententiam moderari, vt & canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ tolleremus, & canibus sanctum vbi pax Ecclesiæ tuta est, non demus.* In istis autem zizanijs hæreticis eradicandis doceri populus potest nihil à mansuetudine Christiana eos recedere, qui pœna mortis hæreticos puniunt. Primũ hæresis scelus est morte dignum, vt docet August. hoc argumento. *Si schisma feci sti impius es: si impius, vt sacrilegus morieris quum pro impietate puniris.* Secũdò pœnam mortis hæretico ciuilis potestas iustè infligit, *quia minister Dei est vindex in iram ei qui male agit.* Est ratiocinatio S. August. cõtra Donatistas, qui hoc negabant vt hodie hæretici. Tertiò expetit interdum huiusmodi pœnis, hæreticos plectere, videlicet quum mitiores pœnæ, exilij, carceris, aut pecuniariæ non sufficiunt. *Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum*, vt scribit in hac ipsa causa August. Quartò coërtio hæreticorum corporalis & externa maior vel minor ex prudentia eorum qui in Ecclesia gubernant imponitur: nulla autem certa & constans est. Causa huius est, quia omnis in Ecclesia potestas, *ad ædificationem data est, non ad destructionem.* Quando igitur coërtio hæreticorum ædificat, quando vtilis Ecclesiæ est vel necessaria, eo casu non modò legitimè fit, sed etiam sine scelere prætermitti non potest: quod exemplo Maximini cuiusdam Episcopi Catholici in Africa luculenter docet Augustinus, imò exemplo S. Pauli, qui iniustè vexatus à Iudæis, Romanas leges vt ciuis implorat, & ad Cæsarem appellat. Hæc populo aperiri possunt, vt intelligat hæreticorum punitionem esse iustissimam. Vide plura in Dominica 2. post Pentecosten.

Hæreticos esse eradicandos.
2. Thess. 3.
Ioan. 6.
Matth. 18.
De fide & operibus. c. 3. & 5.
Hæresis morte punienda.
1. Li. 2. c. 23. contra Petili.
2. Lib. 1. c. 7. contra Parmen.
3. Epist. 50.
4. 2. Cor. 13. Epist. 50. Actor. 22. & 25.

DOMI-

A

DOMINICA VI. POST EPIPH.

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis. Matth. 13.

IOCVS ostendendi contra hæreticos nostri temporis, iudicium & examen de doctrina Fidei non esse penes populum & totam congregationem popularem (vt plerique illorum volunt) sed penes Ecclesiæ magistros, qui parabolas exponent populo, vt hic Apostoli turbis. Notat enim disertè Euangelista, neque id sine graui causa Christum *ad turbas omnia in parabolis & sine parabolis nihil loquutum fuisse*: Easdem autem parabolas postea Christus Apostolis seorsum exponit, & addit. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum*. Nempe ad vos qui magistri Ecclesiarum futuri estis proprie pertinet nosse mysteria & secretiorem fidei doctrinam: sed in eum finem vt quod à Deo illi immediatè acceperunt, postmodum populum doceant, qui non nisi per vocem Ecclesiæ docendus est. Hãc ob causam postquam Christus varias istas parabolas de zizaniis agri dominici, de thesauro in agro abscondito, de sagena Apostolis seorsum exposuisset (*dimissis enim turbis venit in domum Iesus, & accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, Edissere nobis parabolam istam &c.* Addit in fine. *Intellexistis hæc omnia? dicunt ei: Etiam Domine. Ait illis, Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.* In quibus verbis Christus Dominus manifestè ostendit, ideo se in parabolis ad turbas loquutum fuisse, ideo seorsim discipulis parabolas exposuisse: ideo eos omnia intellexisse, vt illi postea tanquam scribę docti in regno cælorum, tanquam magistri eruditi, *in Ecclesia Christi vera Catholica*, vt exponit Augustinus tanquam boni patresfamilias, *quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam suam*, quæ est domus Dei, proferrent de thesauro diuinæ sapientiæ illis concreditæ noua & vetera, cibum solidum & cibum infirmorum, *scientes dare in tempore tritici mensuram*, vt alibi Christus loquitur. Christus igitur in hoc Euangelio futuram in Ecclesia docendi formam obseruauit, docens turbas in parabolis, & ipsas parabolas Apostolis exponens. Sic Apostolos de futura sua morte & resurrectione, de futuro iudicio, de futuris ante iudicium hæreticis, de mittendo paracleto, seorsim à populo docuit. Eadem de causa quum resurrexisset à mortuis, *manifestum se fecit non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo per 40. dies apparuit* solis discipulis, *docens eos de regno Dei*, non toti populo, vt hoc suo facto & exemplo doceret, eam fore in Ecclesia sua doctrinę cælestis dispensationem, vt paucos quidem immediatè per Spiritum suum doceat, ab illis autem paucis tanquam testibus à Deo constitutis & ordinatis reliquus fidelium populus discat. Et quidem constituta Ecclesia Christi ac per Apostolos propagata, hic ordo, hæc dispensatio, hoc discrimen luculenter apparuit. Magistris dicitur, *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus S. regere Ecclesiam Dei*. Populo dicitur. *Obedite præpositis vestris & subiacete illis*. Illis dicit Christus. *Qui vos audit, me audit*. De populo dicit. *Quæ dicunt facite*. De illis Apostolis dicit: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* De populo dicit, *Quomodo audient sine prædicante?* Insana igitur, superba, & rebellis est hodie hæreticorum audacia, qui omnem Scripturam ab vnoquoque legi & intelligi posse ac debere sustinent, qui de omni fidei doctrina vnumquemque iudicare & cognoscere volunt, qui ordinem in Ecclesia positum confundentes, omnes parabolas, omnia mysteria, omnia dogmata controuersa omnibus patere, solo Spiritu Dei suggerente, neglecto & contempto veræ Ecclesiæ Dei ministerio, affirmant. Et hoc in loco multa non incommodè dici possent de magisterio Ecclesiæ necessario, quamque multis modis Ecclesia Catholica Mater fideliũ censeri debeat. De qua re lege opusculum nostrum de principiis fidei doctrinalibus. Huc etiam adferri possunt quæ Apostolus de corpore naturali, cui corpus Christi quod est Ecclesia assimilatur, disputat ad Romanos, Corinthios & Ephesios. *Multi vnum corpus sumus in Christo. Non omnes prophetæ, non omnes doctores. Habemus donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes*. Hæc autem gratia differens vocationi differenti respondet. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Vide opusculum prædictum. Hæreticorum hodie vox, Ecclesiæ magisterium reijcientium est illa Chore, Dathan & Abiron dicentium contra Moysen & Aaron. *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populum Domini?* Sed hæc vox quantum Deo displicuit, vide ibidem.

Ecclesiastica docendi potestas. Matt. 13. Matt. 13. Matt. 13. *Act.* 20. Luc. 12. Matt. 13. 24. Ioan. 14. *Act.* 10. Luc. 24. *Act.* 20. *Heb.* 13. Luc. 10. Matt. 23. Rom. 10. *Hæretici refutantur.* *Li.* 8. *c.* 19. Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephes. 4. *Li.* 10. *c.* 7. Num. 16.

B

C

D

Cum autem creuerit, maius fit omnibus oleribus.

LOcus de incremento fidei per bonorum operum exercitia, vt sic in arborem frondosam & fructuosam crescat, contra solam & aridam hæreticorum hodie fidem. Vide Promptuarium Morale in hac Dominica & ad hęc verba, Textu 2.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Conduxit operarios in vineam suam, &c.

Bonorum operum necessitas.

LOCVS latè tractandi contra hæreticos horum temporum necessitatem bonorum operum contra solam fidem quam vnicè necessariam ad salutem impiè docent. Operantibus enim in vinea, id est, custodientibus mandata, excolentibus vineam Domini, quæ vel proprie cuiusque anima est, vel communitas animarum & Ecclesia fidelium, (excolitur autem vtraque virtutibus & operationibus sanctis) non credentibus tantum, datur in hoc Euangelio denarius, id est, vita æterna. Est quidem fides opus Dei iuxta id quod Christus apud Ioannem dicit, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille*: quia opus intellectus ac voluntatis est, quo obsequenter, *captiuamus intellectum in obsequium Christi*, vnde & *obedientia fidei*, actus fidei vocatur. Attamen per vniuersam Scripturam opera distinguuntur à fide, & operarij à credentibus, sicut fructus à radice. Quanquam non vnica radix fides est: Nam & *in charitate radicamur atque fundamur* (vt loquitur Apostolus) & omne bonum opus Deo placens, non secus à charitate quam à fide proficiscitur, imo magis propriè bonorum operum radix charitas est quam fides, quia principium operationis magis consistit in voluntatis imperio quàm in intellectus dictamine. Quicquid enim dictet aut faciendum doceat intellectus fide illustratus, nihil fit, nullum opus producitur, nisi voluntas charitate incitata factum imperet. Solet igitur sacra Scriptura operum nomine non ipsam fidem, sed virtutes omnes à charitate Dei & proximi profectas signare. At vero in isto Euangelio operarij manifestè denotant virtutum cultores & operum factores, quæ cum labore coniuncta sunt. Nam & otiosis opponuntur dicente Patrefamilias, *Vt quid hic statis tota die otiosi?* Et qui operarii fuerant dicuntur, *pondus & æstum diei sustinuisse*, id est, diu ac multum in bonis operibus laborasse. Vnde & Apostolus laborem atque opera pro eodem accipit. Quod enim alicubi dixit, *Reddet Deus vnicuique secundum opera sua*. Hoc alibi dicit: *Recipiet vnusquisque secundum laborem suum*. Hanc etiam ob causam, *boni operis patientiam*, à Deo retribui docet Apostolus, *Iis qui secundum boni operis patientiam, gloriam, honorem & incorruptionem quærunt vitam æternam*. Nec aliam ob causam de iis qui ex semine verbi Euangelici recepto fructum bonorum operum producunt, dicit Christus, quod *fructum afferunt in patientia*. Et rursum alibi Apostolis. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Ac denique illud. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Hæc enim omnia ideo dicuntur, quia bona opera quibus ad salutem æternam peruenitur, opera sunt laboris plena, & in quibus exequendis magna sit opus patientia, adeoque in quibusdam vim sibi quandam quisque inferre debet: verbi gratia, in castitate, continentia, temperantia seruanda, in odio & iniuriarum vindicta reprimenda: in auaritia, ambitione, superbia fuganda & edomanda. Ad hæc & alia vitia quum natura procliues sumus, & vinci tamen illa debent (quia qui *talia agunt, regnum Dei non possidebunt*) magna nobis fortitudine & patientia, magna constantia opus est, vt illa vincamus, & contrarias illis virtutes quę propriè bona opera vocantur, acquiramus. Tales igitur operarios, non sola fide cõtẽtos, in vineã suam conduxit Deus. Rursum operarios conduxit non solum qui à malo declinent (quod certè labore non vacat) sed etiam qui bonum faciant, vnusquisque videlicet secundum sua talenta & dona à Deo accepta, de quibus dicitur. *Ite & negotiamini donec veniam*. Et iterum. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?* In quibus verbis non solum ipsos nummularios, pastores, doctores, principes, diuites huius sæculi vt bonis acceptis ad Dei gloriam & proximi vtilitatem vtantur, sed etiam populum ipsum vniuersum vt aliorum seu laboribus, seu eleemosynis, seu quibusque beneficiis, ad fructum ac salutẽ suam vti debeant, grauissimè Christus onerat. Illos enim vult pecuniam suam ad mensam dare, ab istis eandem pecuniam cum vsuris exigit. Tales itaque rursum operarios Christus in suam vineam & Baptismum (vbi huic militiæ nomen dedimus) conduxit. Operari nos vult (bona haud dubiè opera) non sola fide aut fiducia niti. Iam vero diligenter hoc loco notandum contra hæreticos, quod hæc bona opera, hunc bonum vsum gratiæ & talentorum à Deo acceptorum Christus à suis in Euangelio flagitat, non solum vt congrua quædam bonis filiis opera, aut vt

Ioan. 6. *2. Cor. 10.* *Rom. 16. v. 19.* *Opera distinguuntur à fide.* *Ephes. 2.* *Operar. Euãgelici.* *Rom. 2.* *1. Cor. 3.* *Rom. 2.* *Lucæ 8.* *Lucę 21.* *Matt. 11.* *Opera Euangelica laboriosa.* *Galat. 5.* *Luc. 19.* *Matt. 20.* *Orig. tra. 10. in Matt.* *Bona opera necessaria ad salutem*

gratiarum

A gratiarum actiones (sicuti hæretici cauillari solent,& infinitas animas cauillando perdere) sed vt prorsus ad salutem necessaria. Christus enim de seruo pigro qui talentis acceptis non quidem male vsus,sed sine debito fœnore abusus fuerat,sic loquitur. *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores.* Non impium,non flagitiosum,non criminosum eum vocat,sed *Inutilem* tantum, id est,à bonis operibus quæ facere potuerat & debuerat,cessantem:& hoc solo cessationis nomine in tenebras exteriores eiicit. Impudens euasio est magni hæretici Martini Chemnitii qui Concilij generalis superbam agere censuram non erubuit,qua scribit,*inutilem seruum*,à Christo hic vocari qui omnia præcepta seruauit,iuxta alia Christi verba: *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus.* Manifestum enim est,inutilem seruum à Christo vocari in illa parabola de talentis,non qui omnia Domini præcepta fecit,sed qui hoc vnum Domini præceptum non fecit de pecunia eius ad mensam ponenda. Sic enim Christus dixit: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? &c.* Idcirco igitur inutilis vocatur & tanquam inutilis, in barathrum protrudendus dicitur, quia, *abscondit talentum Domini sui*, quia *nihil superlucratus est*, quia *in vacuum gratiam Dei recepit.* Alioqui qualis ille dominus esset, qui seruum suum omnia eius præcepta facientem hoc ipso nomine eiiceret in tenebras exteriores? Porro inutiles serui vocantur,qui omnia Domini præcepta fecerunt,quia Deo quidem ipsi tales inutiles sunt: *Bonorum enim nostrorum non indiget*, vt eleganter scribit Augustinus (*nec fonti qui profuisse se dixerit, si ex eo biberit,nec luci si viderit*) sibi autem inutiles non sunt. Talibus enim dicitur: *Euge serue bone & fi-*
B *delis,quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.* Sed hæc est hæreticorum hodie in manifestis Scripturis impiè eludendis impudentia singularis:quę hoc loco taxari potest.

Matt.25.

Impudentia hæreticorum.

In examine Conci. Trident. Par.1.

Luca 7.

Matt.25.

21.Cor.6.

Psal.15.

De ciuit. Dei li.10. ca.5.

Matt.15.

Quia nemo nos conduxit.

LOcus de mercede bonis operibus proposita,quam à Deo retribui hæretici hodie negant, in sola fide omnem salutis rationem collocantes, & operibus omnibus tanquam coinquinatis iustam mercedem negantes. Vide Promptua. Morale ad hanc Dominic.tex.6.

Voca operarios & redde illis mercedem.

LOcus docendi populum Catholicum sic in Domini vineam operarios vocari,vt operis sui mercedem vnusquisque recipiat. Impii hodie hæretici vt solam fidem statuerent, vt bonorum operum necessitatem tollerent, vt hæc esca carni iucundissima homines carnales in
C suum schisma pertraherẽt,negant bonis operibus vitam æternam,vt mercedem retribui, nosque Catholicos *Mercenarios* vocant,qui bonis nostris operibus mercedis retributionem expectamus. Sed in hoc Euangelio denarius vitæ æternæ, qui operantibus in vinea Domini sub finem sæculi redditur,vocatur merces,& reddi operibus dicitur. *Redde illi mercedem.* Sed & iusta merces vocatur. *Quod iustum fuerit dabo vobis.* Hoc ergo loco docendus populus etiam ex aliis scripturis vitam æternam iustam esse bonorum operum mercedem; & à Deo reddi tanquam huiusmodi. Abrahæ Patri credentium dicit Deus. *Ego merces tua magna nimis.* De iustorum laboribus & mercede dicitur, *Iusti in perpetuum viuent,& apud Dominum est merces eorum*: vtique vitæ perpetuæ:est enim posterior particula explicatio prioris. Ideo enim iusti in perpetuum viuent, quia vita perpetua vt merces à Domino iustis redditur. Sed & de cæde innocentum, quos in Christi aduentu occisurus erat Herodes,Ieremias prædixit,hanc illis cædem,glorioſam martyrij mercedem fore. Quum enim dixisset,*Vox in excelso audita est lamentationis,luctus & fletus Rachel plorantis filios,suos;&c.* quæ verba Matthæus eo tũc tẽpore adimpleta scribit,subiũgit statim Propheta. *Quiescat vox tua à ploratu & oculi tui à lachrymis,quia est merces operi tuo,ait Dominus.* Sed qualis hæc merces sit,apertius in Euangelio Christus docuit. *Quum maledixerint vobis homines, &c. Gaudete & exultate,quia merces vestra copiosa est in cælis.* Quumque de Christo venturo diceretur, *Ecce Dominus in fortitudine veniet,& brachium eius dominabitur,merces eius cum eo,& opus illius cum illo.* Hanc mercedem explicat in Apocalypsi Ioannis qualis illa futura sit,in persona Christi dicens. *Ecce venio cito & merces mea mecum est,reddere vnicuique secundum opus illius.* Opus autem Chri-
sti cum illo de quo ibi Esaias,est opus seueræ iustitię contra impios, sicuti merces eius respicit iustos. De quo opere sic alibi Esaias,extremi iudicij terrorem describens. *Sicut in monte diuisio-*
D *num stabit Dominus* (vbi Dauid recenter vnctus fudit Philistæos) *sicut in valle quæ est in Gabaon irascitur* (vbi Iosue Chananæos sole stante profligauit) *vt faciat opus suum,alienum opus eius,vt operetur opus suum,peregrinum est opus eius*,id est,vt faciat in impios iustitiam, deponit ad tempus misericordiam, quæ proprium est Dei opus. Christus ergo ad iudicium veniens reddet impiis, quid? opus iustitiæ rigidæ punientis,piis vero & iustis opus iustitiæ misericorditer retribuentis. Est enim iustitia diuina retribuens bona non secus ac mala. Sic vitæ æternæ retributionem vocat Paulus, suis laboribus reddendam. *Bonum* (inquit) *certamen certaui, fidem seruaui, cursum consummaui,de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Diligit autem aduentum Domini quem

De mercede & merito bonorũ operum.

Gen.15.

Sap.5.

Ierem.31.

Matt.2.

Matt.5.

Esai. 40.

Apoc.22.

Esai.28.

2.Reg.5.

Iosue 10.

Iustitia Dei retribuit bona non secus ac mala.

vigilantem Dominus inuenit,qui in bonis operibus vixit vt diligat, diem illum non formidet, A
2.Tim.4. Domin.1. Aduentus Hebr.6. de quo supra in alia Dominica diximus.Redditur corona iustitiæ à iusto iudice,quia vita æterna est vera merces bonorum operum. Sic ad Hebræos Paulus. *Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri,& dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius qui ministrastis sanctis & ministratis.* Et ad Thessal.disertissimè scribit iustitiã Dei æquè versari circa bonorũ operũ retributionem æternã, quã circa impiorũ vindictã æternã, ipsosq; iustos regnũ Dei vt dignos promereri. Sic enim ait. *Gloriamur propatientia vestra & fide,& in omnibus persecutionibus vestris,& tribulationibus quas sustinetis*
2.Thess.1. *in exemplum iusti iudicij Dei* (id est,vt appareat iustum iudicium Dei bonos remunerantis & malos punientis) *vt digni habeamini regno Dei,pro quo & patimini. Si tamen iustum est*) id est, quia iustũ est) *apud Deum retribuere,retributionem iis qui tribulant vos,& vobis qui tribulamini requiem nobiscum in reuelationem Domini Iesu de cœlo cum Angelis virtutis eius.* Apertissimè docet Christum in postremo & glorioso aduentu suo,iustis & pro Christo tribulatis regnum Dei, & requiem æternam retribuere,quia iustum id est, & quia digni fuerunt regno Dei. Sic de sanctis alia scriptura dicit.
Sap.3. *Deus tentauit illos,& inuenit eos dignos se.* Ad Colossenses quoque Apostolus in hunc sensum scri-
Coloss.1. bens,quum hortatus esset,*vt ambularent dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes &c.* concludit tandem:*Gratias agentes Deo & Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*:scilicet per bona illa opera præcedentia,quæ Deus per Christum in nobis operatur. Sic
Apoc.3. denique in Apocalypsi de iis *qui non inquinarunt vestimenta sua*,id est,virgines erant, dicitur. *Am-*
Coloss.3. *bulabunt mecum in albis quia digni sunt.* Tale est & illud Apostoli ad Colossenses,*Scientes quod à Do-* B
Gal.6. *mino recipietis retributionem hæreditatis,Christo Domino seruite.* Ad Galatas quoque, *Qui seminat in Spiritu,de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes.* Hoc est,vocare operarios ad mercedem accipiendam. Sic hanc Christi parabolam Paulus intellexit.Sic alibi dixit: *Pietas promissionem habet vitæ præsentis & futuræ.* Cui subscri-
1.Tim.4. bens Beatus Ioannes ad suos ita scribit,*Videte vosmetipsos,ne perdatis quæ operati estis, sed vt mer-*
Epist.2. *cedem plenam accipiatis.* Ex his scripturis doceri populus potest vitam æternam esse mercedem bonorum operum,& operariis reddi atque retribui tanquam iustam mercedem.

Neque vero his tam multis ac manifestis scripturis, quicquam repugnat quod alibi Paulus scripsit.*Gratia Dei vita æterna*:& iterum.*Non sunt condignæ passiones vitæ huius ad futuram gloriam,quæ*
Rom.6. & 8. *reuelabitur in nobis*:sicuti ex his duobus maximè locis imperitorum oculis maximam caliginem offundunt hodie hæretici.Nam quod ad primum locum attinet,vita æterna vocatur & est Dei
Vita æterna & merces est & gratia. gratia,& gratuita retributio,quia bona opera quibus vita æterna retribuitur,ex gratia Dei non ex solis naturę nostræ viribus perfecta sunt. Sic hunc Pauli locum explicat Augustinus gratiæ
De gratia & li. arbitrio c. 8. diuinæ contra Pelagium assertor maximus. Sic enim scribit. *Quia vita bona nostra nihil aliud est* C
quam Dei gratia,sine dubio,& vitæ æternæ,quæ bonæ vitæ redditur, est gratia. Et ipsa enim (vita æterna) *gratis datur, quia gratis data est illa* (gratia) *cui datur. Sed illa* (gratia) *cui datur* (vita æterna) *tantummodo gratia est. Hæc autem* (vita æterna) *quæ illi* (gratiæ) *datur præmium est & gratia pro gratia, tanquam merces pro iustitia:vt verum sit quoniam verum est, quia reddet vnicuique Deus secundum opera eius.* Hæc ille. Rursum alio in loco paulo clarius. *Vita æterna meritis sanè præcedentibus redditur.*
Epist.105. *Tamen quia eadem merita quibus redditur non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam,etiam ipsa* (vita æterna) *gratia nuncupatur:non ob aliud* (certè) *nisi quia gratis datur. Nec ideo gratis,quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Hæc ille. Simile est, si quis pecunia ei ab aliquo data,ab eodem postea ex eadem pecunia prædium emeret. Venditio
Lucæ 19. enim ista & iusta esset, quia commutatio iusta, & tamen gratuita quia suæ ipsius pecuniæ præ-
1.Cor.15. dium suum redderet. Sic enim Deus dat vnicuique talenta gratię, vt inde negociemur vitam æternam.Sic Paulus bonus negociator de seipso dixit:*Gratia Dei sum id quod sum:& gratia eius in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus laborauit:non ego autem sed gratia Dei mecum.* Vide vt sermonem temperat. Sic totum gratiæ tribuit,vt seipsum tamen & suam cooperationem liberam non excludat. Sic se laborasse ait,& gratiam Dei in vacuum non recepisse, vt tamen non
D solus aut suis solius viribus id fecerit,sed gratia Dei cum ipso. Vtrumque ergo prædicandum, vtrumque docendum est,non propter vnam veritatem altera veritas neganda est, quod faciũt
De gra.& lib.arb.c.9 hæretici. Vita æterna est gratia Dei,quia opera nostra bona sunt ex gratia. Vita æterna est iusta merces operum nostrorum,quia opera nostra bona,sunt actus iustitiæ, placentes Deo, & me-
Rom.6. rentes vitam æternam. Vtrumque his paucis explicat Augustinus. *Ideo Deus coronat nos in miseri-*
Lib.eodem ca. 8. *cordia,non quia corona bonis operibus non redditur, sed quia ex eius miseratione bona operamur quibus corona reddetur.* Hæc ille. Hanc igitur ob causam quum dixisset Apostolus hoc loco ab hæreticis citato,*Stipendium peccati mors*,non intulit stipendium iustitiæ vita æterna (*quod tamen rectè potuisset Apostolus dicere*,ait Augustinus loco iam citato) sed intulit,*Gratia Dei vita æterna,vt videlicet intelligamus* (ait Augustinus cap.præcedenti) *ipsa bona opera quibus æterna vita redditur,ad Dei gratiam pertinere.* Hæc est S. Augustini clara doctrina,qui contra Pelagianos (quibus propter operum merita nos similes esse hæretici calumniantur) fortissimè pugnauit. Ham vtramque & totam ve-
Sess.6.c.16 ritatem sacram hodie Concilium Tridentinum his verbis proposuit credendam. *Proponenda est vita æterna,& tanquam gratia filiis Dei misericorditer promissa, & tanquam merces meritis bonorum operum reddenda.* Hæc illi Patres iuxta scripturas sanctas,& optimum earum interpretem, in hac maximè causa Augustinum.

Ad

A Ad alterum ex Paulo locum breuiter respondè, Apostolus quum dixisset nos fore cohæredes Christo, *Si tamen compatimur vt conglorificemur*, ne conditionem istam duram esse aliquis existimaret (vt certè delicati hæretici existimant, qui sine vllo suo labore saluos se fore præsumunt) adiunxit *passiones huius temporis non esse condignas*, id est, non æquiualere, non respondere, non esse pares gloriæ æternæ, sed infinitis modis illis esse inferiores: ideoque conditionem duram videri non debere. Non tamen ait huiusmodi passionibus vitam æternam iustè & merito & condignè non retribui, sed illud docet quod valde excedit gloria quę iustos manet, ipsas iustorum pro Christo passiones: iuxta illud quod alibi dixit. *Quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Agit ergo Apostolus non de condignitate meriti, sed de condignitate æqualitatis inter passiones presentes & gloriam futuram, docetque pro paruis laboribus maximum præmium retribui, verè tamen & iustè retribui. Sic hunc locum exponunt Chrysostomus, Theodoretus, & Oecumenius. Augustinus quoque de ciuitate Dei lib. 5. ca. 18. Sic Christus fideli seruo dicturus est, *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Rom. 8.

2. Cor. 4.

In cõment. ad hunc locum.

B

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Luc. 8.

IOCVS explicandi contra prædestinationis doctrinam ab hæreticis hodie exaggeratam, & in fatalem quandam actionum nostrarum necessitatem non minus impiè, quam absurdè commutata esse atque inuersa, verba hæc Saluatoris proposita. Non enim hæc verba Christi eum sensum habent, vt Deus quosdam sua mera voluntate in sua ignorantia relinquat, & ex proposito non nisi per ænigmata doceat, vt sic necessario ex parte Dei errent, & errantes pereant: quod quidem hæretici ex Dei electione atque prędestinatione inferũt, & necessario consequi affirmãt, qua doctrina nihil à Dei bonitate alienius, nihil ad homines in barathrum vel præsumptionis vel desperationis præcipites pellendos aptius. Illa enim imbuti aut de Dei necessaria vocatione & illuminatione præsumunt, quicquid ipsi interim, vel agãt vel non agant: aut propter eius necessariam excæcationem & desertionem desperant. Hanc autem detestabilem & pernicioſissimam doctrinam, vt ex aliis scripturæ locis malè intellectis, ita ex præsentis Euangelij verbis citatis peruersè colligunt. Ait enim Christus Apostolis & Discipulis suis vocatis & electis: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Cæteris autem*, puta Iudæis & reprobis, *in parabolis, vt videntes non videant*: hoc est, aiunt illi ideo in parabolis, ideo obscurè, quasique in ænigmate vt videntes verba non videant sensum, vt audientes litteram non intelligant spiritum. Et hic horum hominum sensus videtur ex Matthæi verbis hanc ipsam Christi responsionem referentis posse confirmari. Referens enim illa Christi verba, *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum*, addit Christum dixisse. *Illis autem datum non est.* Vbi non solum ponit Dei donationem in electis, sed etiam Dei negationem in reprobis. Sed sunt hæc Christi verba sanè intelligenda & dextrè exponenda, profecto sicut ea Sancti Doctores ante multa sæcula exposuerunt, atque adeo sicut ipsa scriptura seipsam exponit. *Nosse* igitur *mysterium regni cælorum* certo quodam modo solis electis datum est, & solis reprobis negatum est. Nempe efficaciter, id est, sic vt doni effectus sequatur, fides videlicet & salus æterna. Causam autem cur in multis hoc donum gratiæ non sit efficax, cur multi efficaciter lumen fidei non accipiant, sed vt Christus dicit, *Videntes non videant, & audientes non intelligant*, est ipsorum hominum praua voluntas, non ipsius Dei vlla absoluta voluntas: qui vtique *non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*, qui etiam *vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire*: qui denique *non est acceptor personarum, sed in omni gente qui facit iustitiam* (id est, qui rectè vtitur donis & gratia Dei) *acceptus est illi.* Quare optimè Chrysostomus illud Christi, *vt videntes non videant*, sic exponit. *Quia volentes oculos claudebant. Ideo Christus non simpliciter dixit, non vident, sed videntes non vident: vt à praua illorum mente cæcitatis originem esse intelligamus.*

Prædestinationis doctrina ab hæreticorũ corruptelis vindicata.

Matth. 13.

Ezech. 18. 1. Tim. 2.

Act. 10. Hom. 46. in Matt.

C D

Sed cur igitur Christus hic apud Lucam sic loquitur, quasi ideo in parabolis quibusdam loqueretur, vt videntes non videant, &c. Videtur enim obscurà illa locutio seu doctrina Dei (siue sit exterior siue sit interior) causa esse cur multi reuera non videant, etsi videre putentur, & reuera non intelligant corde, etsi aure audiant. Ad hoc respondeo illam particulam, *vt* non causam dicere, sed consecutionem, id est, non significare cur non videant, sed quod de facto non videant, sicut alibi frequenter, *Vt impleretur quod dictum est per Prophetam*: Non enim ideo Christus fugit in Aegyptum vt talis prophetia impleretur, quasi illa prophetia necessitatem fugiendi iniecerit Christo, sed Christus de facto fugiendo ostendit consequenter illam prophetiam esse

Obiectionis refutatio.

Matt. 2.

veram. Vel ſic: ex Chriſti fuga conſequebatur illam prophetiam eſſe veram. Sic apud Ioannem. A
Propterea non poterant credere, quia dixit Eſaias. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum vt non videant oculis. Ioan. 12. Non eſt ſenſus quod illa prophetia eſſet cauſa cæcitatis Iudæorum, ſed cæcitas Iudæorum oſtendit illam prophetiam eſſe veram. Quare illud, *quia dixit*, exponendum eſt conſecutiuè non cauſaliter. Sic in hoc Euangelio. Et hunc ſenſum Matthæus multo clarius expreſſit. Sic enim refert Chriſtum dixiſſe. *Ideo in parabolis loquor eis quia videntes non vident: & audientes non audiunt, neque intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicens, Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis.* Matth. 13. Eſaiæ 6. Et cauſam ſtatim ſubiungit propheta. *Incraſſatum eſt enim cor populi huius & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur & ſanẽ eos.* Hęc verba apud Matthæum apertè docent.
1. ideo Deum in parabolis quibuſdam loqui quia etiam abſque parabolis videre nolũt veritatem,
2. vt propterea illis vel parabolas exponere, vel abſque parabolis apertè & clarè prædicare eſſet labor inanis & irritus. Rurſum docent in reprobis Iudæis de facto adimpleri Prophetiam Eſaiæ,
3. quando Chriſtus eos in parabolis docuit, non autem ideo ſic Chriſtum docuiſſe, vt adimpleretur, cauſaliter intelligendo. Tertio docent Iudæos, ideo audire & non intelligere, quia incraſſatum eſt cor eorum, ſcilicet propria malitia, & quia ipſi clauſerunt oculos ſuos. Quarto docẽt
4. Dei voluntatem eſſe vt conuertantur, & ſanet eos, ſed ipſoſmet conuerti & ſanari nolle, videlicet propter duritiem cordis ipſorum. Notandum igitur & docendus populus hoc loco contra
1 *Cur voluntas Dei volens omnes ſaluari in omnibus non eſt efficax.* neceſſitatem illam præſcientię diuinæ, quam hæretici perniciosè docent, donum gratiæ & voluntatem Dei volentis omnes ſaluare, non eſſe efficacem in omnibus duabus ex cauſis, vel quia oblatam gratiam non acceptant, ſed recuſant, vel quia gratiam ſemel acceptam in vacuum recipiunt, & ea rectè non vtuntur. Primum pertinet ad duritiam cordis, alterum ad negligentiam, B
In primo genere excellebant Iudæi, vt omnium reproborum typus ac figura clariſſima. Illos Paulus vocat *filios ſubtractionis in perditionem*, quia videlicet *obdurauerunt corda ſua in deſerto.* 1. Cauſa. Heb. 10. & 3. Act. 7. Deut. 9. Illis Stephanus iuſtiſſimè reprobat: *vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* Hebr. 3. De illis veriſſimè Moyſes ſcripſit quod *duriſsimæ ceruicis populus eſſet.* Pſal. 94. Sed quod Moyſes alibi dixit, *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes & aures audientes vſque in præſentem diem:* illud neceſſario intelligitur de dono efficaci ex ipſorum culpa. Ideo Apoſtolus dixit, quod *obdurauerunt corda ſua in deſerto.* Et Dauid ſui temporis Iudæos ſic alloquitur. *Nolite obdurare corda veſtra, ſicut in die exacerbationis, quando tentauerunt me Patres veſtri*, &c. Nempè quum duæ cauſæ concurrant ad effectum gratiæ, ad fidem, ad charitatem aliaſque virtutes, & eorum opera bona in nobis producenda, Dei donum ſeu gratia, noſtrumque liberum arbitrium; ſcriptura defectum fidei, obedientiæ & aliarum virtutum interdum tribuit Dei gratiæ negatæ, interdum noſtro libero arbitrio repugnanti. In C
vtroque enim eſt cauſa defectus. Sed vel Deus ideo quibuſdã non dat, eo quod nihil profuturam ſuam gratiam præuidet, vel ſi dat, ideo in ſcriptura non dare dicitur (vt Deuteronom. 29. iam citato loco) quia efficaciter non eſt data, ſed fruſtra & ſine effectu. Sic apud Matthæum. *Illis autem datum non eſt.* Matt. 13. 2. Cauſa. 2. Cor. 6. De 2. cauſa non efficacis gratiæ dicit Apoſtolus. *Hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Auguſtini doctrina prędeſtinationi hæreticæ contraria. De pecca. mer. & rem. li. 21. cap. 17. Lege totũ c. de prędeſt. & gratia. c. 6. De ciu. Dei li. 12. ca. 6. Matt. 13. Cur Chriſtus diſcrimẽ ponit in dono Dei, non in voluntate humana. Ioan. 3. 1. Cor. 3. 1. Cor. 15. Marc. 13. Act. 4. Rom. 9. Matt. 11.

Sed & illud moneri hoc loco populus poteſt, D. Auguſt. quem ſolum ex Patrib. hæretici hodie huius grauis erroris Patronũ prætexunt, id planè & diſertè docere quod nos iam diximus: prauã videlicet cuiuſque voluntatem in cauſa eſſe cur Dei gratiã vel non accipiat, vel acceptam in vacuum accipiat. Ille enim celeberrimus gratiæ contra Pelagianos aſſertor, etſi doceat, quibuſdam in locis, diſcrimen cur alij credunt, alij non credunt, hoc eſſe, quod aliis datum eſt, aliis datum non eſt vt credant, ſecreto quidem, ſeu iuſto Dei iudicio, tamen tum eiſdem in locis, tum alibi docet, aliud quoque diſcrimen eſſe liberum voluntatis arbitrium. Ait enim. *Cur non ſit homo ſine peccato in hac vita, poſſem facillimè & veraciter reſpondere quia homines nolunt.* Rurſum alio in loco. *Ecce miſericordia & iudicium, miſericordia in electione, iudicium in eis qui excæcati ſunt. Et tamen illi quia voluerunt, crediderunt: & iſti quia noluerunt, non crediderunt.* Sic alibi, propoſito exemplo duorum in pudicitiæ virtute æqualiter affectorum, quorum vnus conſpecta muliere concupiſcit, D
alter non concupiſcit, diſcriminis cauſam eſſe ait, *quia alter à caſtitate deficere voluerit, alter noluerit.* Hæc Auguſt. ſententiam manifeſtam efficiunt. Quod ſi quis hoc miretur aut dubitet cur Chriſtus dixerit, *Vobis datum eſt noſſe, cæteris autem in parabolis*, id eſt, vt Matthæus eundem Chriſti ſermonem refert: *Illis autem datum non eſt*, hoc eſt diſcrimen ponat in dono gratiæ, & non in voluntate humana, neque dicat, Vos voluiſtis noſſe myſterium, illi noluerunt; quod certè etiam verum eſt, quia vt de eiſdem reprobis Ioannes ſcribit: *Dilexerunt magis homines tenebras quàm lucem*: ad hoc reſponde. Quia gratia eſt ſuperior, & principalior & excellentior cauſa cognoſcendi Deum, ac videndi veritatis lucem, ideo inferior cauſa propriæ voluntatis taecetur: imo aliquando etiam negatur: non quia non adeſt, ſed quia minor & inferior eſt: vt in his ſcripturis. *Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Et tamen paulo poſt Apoſtolus dicit, *Dei adiutores ſumus*: & iterum: *Non ego ſed gratia Dei mecum.* Rurſum alibi. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et tamen de eiſdem in actis dicitur. *Loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Denique & illud. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Et tamen alibi dicitur. *Quoties volui congregare vos, ſicut gallina congregat pullos ſuos, & noluiſtis?*

Semen

A

Semen eſt verbum Dei.

LOcus obſeruandi contra hæreticos, qui verbum Dei nihil niſi ſcriptum verbum eſſe volũt, ſiue ſcripturam vtriuſque teſtamenti, verbum Dei accomparari hoc loco ſemini, quia eius propria natura eſt prædicari, & annunciari viua voce, vt audiatur, non ſcribi in codicibus vt legatur. Seminare enim eſt prædicare, & illi ſuper quos ſeminatur, dicuntur in hoc Euangelio, illi qui audiunt verbum Dei. *Primum cecidit ſecus viam: hi ſunt qui audiunt*, &c. Ideo *fides eſt ex auditu*: non ex lectione: *Quomodo enim credent, quem non audierunt, & quomodo audient ſine prædicante?* Diſciplina ergo fidei eſt per auditum verbi Dei prædicati & annunciati ab iis qui ad prædicandum legitimè miſſi ſunt. *Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?* ait ibidem Apoſtolus. Seminis natura eſt ſpargi ab agricola in terram, nec recipi à terra niſi ſpargatur. Vel monſtrum, vel miraculum eſt, terram ſine agricultura bonum triticum producere. Sic vel monſtrum eſt hæreticum, vel miraculi prærogatiua ſingularis, cognoſcere verbum Dei ſine miniſterio Eccleſiæ. Vbi illa prærogatiua miraculi eſt, ſigna quoque ſingularia diuinitus exhibentur, vt quos Deus in deſertis, in eremis, in ſpeluncis, in cauernis, in exiliis, flagrante perſecutione per ſeipſum docet inſpira-
B tione ſpirituali: quæ omnia extraordinaria ſunt. Sed ordinariè loquendo verbum Dei eſt ſemẽ, & verbum euangelizatum. Sic ab Apoſtolo vocatur, *verbum auditus fidei. Euangelium quod accepiſtis*, &c. à Petro quoque *verbum Domini manet in æternum, hoc eſt autem verbum quod euangelizatum eſt in vobis.*

Verbum Dei eſt propriè verbum prædicatũ non ſcriptũ Rom. 10. Galat. 1. 1. Pet. 1.

Rurſum *Semen* eſt quia creſcit vſque ad meſſem in agro Dominico: nec extinguitur vnquã: de quo ſupra in alia Dominica. Præterea verbum Dei ſemen eſt, quia immutabile eſt in natura & ſubſtantia ſua, etſi propagatione & explicatione varium. Quare nulla eſt vera & orthodoxa doctrina, quę noua eſt. Vnde D. Baſilius. *Non alias fidei doctrinas poſt alias matureſcente ratione aſſumpſi, ſed tradita principia abſolui, & ad perfectionem deduxi: ſicut ſemen dum creſcit, maius quidem è modico fit, non immutatum genere, ſed perfectum ex incremento.* Sic & Vincentius Lyrenenſis. *Chriſtianæ religionis dogma has ſequitur profectuum leges, vt annis conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat.*

Dom. 5. poſt Epiph. *Epiſt. 79. Cap. 29.*

C

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam.

LOCVS obſeruandi contra hæreticos, qui totum opus bonum, aut conuerſionis ad Deum à ſtatu peccati, aut progreſſionis ad virtutem in ſtatu gratiæ ſolius eſſe Dei opus volunt, hominem vero nihil cooperari, vt ſic ſectatores ſuos egregiè ſecuros & otioſos reddant, totum Deo relinquentes, Chriſtum in Euangelio neminem ſanaſſe niſi volentem, niſi deſiderantem, niſi ſua voluntate eaque ardenti cooperantem. Vt doceret certè ſua beneficia gratiæ (quorum externæ iſtæ ſanationes ſigna & formam gerebant) non niſi volentibus & cooperantibus dari. Sic in hoc Euangelio non contentus oratione & clamore cæci, rogat diſertè. *Quid tibi vis faciam?* Sic apud Ioannem languido illi qui 38. annos habebat in infirmitate & nihil adhuc à Chriſto rogauerat, dicit Chriſtus præueniens eum, & voluntatem eius excitans, (quæ luculentiſsima forma fuit diuinæ gratiæ voluntates peccatorum quotidie præ-
D uenientis & excitantis) *Vis ſanus fieri?* Si rurſum apud Matthæum duobus cæcis clamantibus ſecus viam poſt Chriſtum, dicit eis, *Quid vultis vt faciam vobis?* Vnde vt horum omnium voluntates exploret & excitet, quia neminem Deus niſi volentem ſanat. Huc pertinent omnes illæ Scripturæ quæ peccatores ad voluntariam conuerſionem prouocant. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et alibi. *Hodie ſi vocem eius audieritis* (videlicet excitantis vos vel per externam doctrinam vel per internum gratiæ ſuæ motum) *nolite obdurare corda veſtra.* Rurſum. *Proycite à vobis iniquitates veſtras, & facite vobis cor nouum.* Et in Euangelio. *Facite arborem bonam. Facit autem homo arborẽ bonam* (ait Aug.) *quando Dei accipit gratiam*, eum ſcil. præuenientẽ, ſicut languidus roganti Chriſto an ſanus eſſe vellet, reſpondit ſe hoc maximè velle, ſed non habere qui eum adiuuet. Iterum *Aperi os tuum & adimplebo illud.* Et alibi. *Hominis eſt præparare cor.* Quæ pſalmi poſtrema verba exponens Aug. ait. *Quamuis niſi adiuuante illo ſine quo nihil poſſumus facere, os non poſſumus aperire, tamen os aperimus illius adiumento & opere noſtro. Nam quid eſt præparare cor & os aperire, niſi voluntatem parare? & tamen præparatur voluntas à Domino & dicitur, Labia mea aperies. Itaque vt hoc faciat homo, adiuuat Deus.* Hinc in Scriptura Deus adiutor noſter dicitur, eiuſque adiutorium frequentiſsimè imploratur. Quod quoties fit, toties nos ipſos Deo ad ſalutem noſtram cooperari Scriptura docet. Vnde Auguſt. *Si dicis Deo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, tu aliquid agis: Nam ſi tu nihil*

De liberi arbitrij cooperatione in conuerſione ad Deum. Ioan. 5. *Matt. 20.* *Zach. 1.* *Pſal. 64.* *Ezech. 18.* *Matt. 7.* *De gratia Chriſtic. 19* *Pſal. 80.* *Prou. 16.* *cont. 2. epi. Pelag. li. 2. ca. 8.* *Pſal. 26.* *In enarr. ibidem.*

agis, quomodo ille adiuuat? Rursum alibi. *Adiutor noster Deus dicitur, nec adiuuari potest nisi qui sponte aliquid conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Docendus ergo populus non sic gratiam & præscientiam Dei prædicandam, sicut eam hodie hæretici prædicant & prædicando peruertunt, vt liberum hominis arbitrium tollatur, vt voluntatis cooperatio negetur, vt nihil nos ipsi cum Deo agere existimemur, ideoque totum Deo relinquentes ipsimet sola fide contenti ab omni bono opere torpeamus. Proferendæ igitur hoc loco & aliæ Scripturæ quæ dementissimum hunc & pestilentissimum errorem penitus profligant. Christus apud D. Ioannem in Apocalypsi ait. *Ego sto ad ostium & pulso: si quis apperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo.* Pulsare est gratiæ, aperire est liberi arbitrij gratia adiuti: Item in epistola ipsius Ioannis. *Omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut ipse sanctus est.* Super quæ verba sic disputat Augustinus. *Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceret, sanctificat se. Quis nos sanctificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem non sanctificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, sanctificas teipsum. Sanctificas te non de te, sed de illo qui venit vt habitet in te. Tamen quia ibi aliquid agis voluntate, ideo & tibi aliquid tributum est.* Hæc ille. Tota ergo veritas contra hæreticos hodie tenenda, non ex vna veritate alia destruenda, quod hodie faciunt circa gratiam nostri hæretici, sicut olim fecerunt circa liberum arbitrium Pelagiani. Dicebant enim Pelagiani, *Non est liberum arbitrium si Dei indiget auxilio*: Dicunt hodie Protestantes, Non est Dei gratia si aliquid agit liberum arbitrium. Sic enim Caluinus. *Quum Deus dicitur efficere voluntatem, iam extra nos quicquid in ea bonum est locatur.* Sed vtramque dementiam refutans Augustinus, sic sapienter disputat. *Si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?* (quod est cõtra nostros hæreticos.) *Si nõ est Dei gratia, quomodo saluat mundum?* quod est contra Pelagianos. Etenim quemadmodum nec præmia bonis nec pœnam malis iustè decerneret Deus, nisi & illi libera voluntate bene agerent & isti liberè peccarent, sic nullius liberi arbitrii opera saluare hominem possent, si Dei gratia illud non præueniret, excitaret, adiuuaret, ac denique coronaret. *Nemo ergo* (ait Augustinus) *Deum causetur in corde suo, sed sibi quisque imputet quum peccat. Nec dum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc speranda est boni operis merces.* Hæc ille. Hæc est ergo clara, perspicua & manifesta S. Scripturę doctrina ab ipso quoque Augustino diuinæ gratię prædicatore & assertore grauissimo luculenter tradita, *sic Deum operari in nobis & velle & perficere*, vt tamen ipsimet tum volendo tum perficiendo Deo cooperemur. Vnde hæc Apostoli verba exponens Augustinus, sic scribit. *Non quia dixit Apostolus, Deus est qui operatur in nobis velle & perficere, ideo liberum arbitrium sustulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset: Cum timore & tremore operamini salutem vestram. Quando enim iubentur vt ipsi operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium.* Et alibi paulo plenius. *Deus quidem non solum posse nostrum donauit & adiuuat, sed etiam velle & operari operatur in nobis, non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni nec agimus.* Denique hoc ipsum quod Deus dicitur *operari in nobis velle*, non esse aliud quàm adiutorium Dei vt velimus, idem Augustinus his verbis apertè docet. *Non est homo bonus si nolit, sed gratia Dei ad hoc adiuuatur vt velit, quoniam non inaniter scriptum est, Deus est qui operatur in nobis velle.* Quare concursum Dei nobiscum & nostrum cum Deo, in fide & bonis quibusque operibus disertissimè docet Augustinus (quem Caluinus in hac causa gratiæ contra liberũ voluntatis arbitrium totum suum esse mendacissimè iactitat, vt ex locis iam citatis luculenter patet) his verbis. *Vtrũque tam credere quàm bonum operari, & nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrunque tamen datum est propter Spiritum fidei & charitatis.* Et paulo post. *Vtrumque Dei est quia præparat voluntatem, & vtrũque nostrum est quia non fit nisi volentibus nobis.* Postremo hanc cooperationem nostram cum Deo in omnibus gratiæ beneficiis, eleganter docet modus in Scripturis reuelatus quo Deus benefica sua miracula operatus est. Deus per ministerium Moysis miracula facturus, vsus est virga eius. *Quid est quod tenes in manu tua?* Hac ergo virga Moysaica serpentes fecit, aquam in sanguinem conuertit, cyniphes excitauit, mare rubrum diuisit, aquas è petra eduxit. Elizeus rogatus à vidua vt eam à creditoribus vexatam iuuaret, ait illi: *Quid habes in domo tua?* moxque è modico quod habebat oleo multa vasa impleuit. Christus in miraculo conuersæ aquæ in vinum, iubet ministris *implere hydrias aqua.* Lazarum resuscitaturus, iubet eius amicos *tollere lapidem.* Hæc docent Deum velle vt in operibus gratiæ id quod habemus in manu & domo nostra, propriæ voluntatis arbitrium, ad opus conferamus, vt materiam ipsi disponamus: vt impedimenta gratię tollamus: non quidem solis naturæ viribus & absque eius adiutorio, sed ita tamen à Deo adiuti vt liberè quod nostrum est faciamus. Postremo notet hoc loco concionator, hęreticos negando liberam nostram cooperationem in bonis operibus tollere illum articulum in Symbolo, quo iudicabit Deus viuos & mortuos.

De pecc. mer. & remiss. li. 2 c. 5.

Liberum arbitrium probatur. Apoc. 3. 1. Ioan. 3. Tract. 4. in epist. Ioan.

August. epist. 106. Instit. li. 2. ca. 3 nu. 9. Epist. 46.

De gratia & li. arb. ca. 2.

Philip. 2. De grat. & lib. arb. c. 9.

De gratia Christi ca. 25.

Cont. 2. epist. Pelag. li. 1. ca. 18. Instit. li. 2. c. 3. n. 8. De præd. sanctorum li. 1. c. 3. & Retract. li. 1. c. 23. Exod. 4. 7. 8. 14. 17.

4. Reg. 4.

Ioan. 2. & 11.

Fides tua te saluum fecit.

Fides sola saluum non facit.

LOcus docendi contra hæreticos, quod etsi sanitas hoc in loco à Christo fidei tribuatur, non tamen soli (vt illi suis persuadent) sed tali fidei qualem hic cæcus habuit. Non enim dixit

A dixit Chriſtus, fides te ſaluum fecit, ſed dixit, *Fides tua*: id eſt, qualem tu iam oſtendiſti, orando, inclamando, & perſeuerando in oratione. *Quum enim increpabant eum, clamabat multo magis.* Fuerunt hic ergo multa bona opera præter ipſam fidem, qua credidit ſe poſſe à Chriſto ſanari: fuit oratio. *Ieſu fili Dauid miſerere mei*, fuit perſeuerantia: *Qui præibant increpabant eum vt taceret, ipſe vero multo magis clamabat.* Fuit profeſſio fidei externa. Profitetur enim Chriſtum eſſe filium Dauid, Meſſiam videlicet repromiſſum ex ſemine Dauid. Fuit charitas & ſpes, ſine quibus nec filium Dauid confiteretur, nec miſericordiam ab eo orando peteret. Qui enim diligit, confitetur, & qui ſperat, orat. Plura ad hanc rem pertinentia vide infra in Dominica 18. poſt Pentecoſten ad illa verba. *Videns Ieſus fidem illorum, &c.* Quo in loco cur fidei tribuat Chriſtus ſalutem, etſi aliæ virtutes adeſſent, copioſè explicatur. Quæ etiam ſit illa fides quam Chriſtus hic in cæco laudat, aliiſque in Euangelij locis, eodem in loco ſtudioſè aperitur.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

B *Et cum ieiunaſſet 40. diebus & 40. noctibus, poſtea eſurijt.* Matt. 4.



OCVS proprius & neceſſarius explicandi populo ieiunij Quadrageſimalis obſeruantiam legitimam, laudabilem ac ſalutarem eſſe contra Epicureos, & libertinos atque Anomæos noſtri temporis hæreticos, qui vel omne ieiunium vt ſuperſtitioſum cultum reiiciũt, vel eius præceptum atque obſeruantiam ab Eccleſia mandatam, tanquam doctrinam dæmoniorum homines dementiſſimi condemnant. Quorum omnium inſania ſic commodè & breuiter refelletur, ſi cauſas ipſas grauiſſimas Quadrageſimalis ieiunij inſtituti ex SS. patribus depromptas populo concionator proponat: poſteaque ipſius ieiunij cauſas ſaluberrimas, & fructus ampliſſimos ex eiſdem commemoret. Quibus explicatis, nec cultum eius ſuperſtitioſum, nec præceptum eius libertati Euangelicæ contrarium eſſe facilè oſtenderit. Cauſas inſtituti ieiunij Quadrageſimalis ab ipſo Apoſtolorum tempore has apud patres obſeruaC uimus. Prima cauſa eſt ad Chriſti Saluatoris noſtri imitationem & exemplum. Si enim patiens & moriens pro humano genere, *exemplum dedit nobis vt ſequamur veſtigia eius*, quidni etiam ieiunans? Rident hæretici hodie hoc argumentum: Chriſtus ieiunauit 40. diebus, ergo & nos ſimiliter ieiunare oportet. Sed ridiculi homines quare hoc rident? Quia, inquiũt, ergo & Chriſtum miracula facientem imitari nos oportebit. At vero ab vno extremo in aliud dilabuntur ſtultorum in morem, iuxta illud. *Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.* Neque enim vel nihil in Chriſto eſt imitandum, (quod contradicit Petri verbis citatis, imo & Chriſti dicentis: *In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilexeritis ad inuicem ſicut ego dilexi vos*, vbi ſuam dilectionem in nobis imitandam proponit) vel omnia, quod vires noſtras ſuperat. Quid ergo in Chriſto imitandum ſit, quid non, docere nos debet Eccleſia per doctrinam Sanctorum Patrum, nõ ſuperba hæreſis. Patres ergo audiamus. Sic ſcribit Auguſt. *Quadrageſima ieiuniorum habet authoritatẽ & in veteribus libris* (ex ieiunio Moyſis & Heliæ) *& ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit.* Sic Ambr. contra ſui temporis Aërianos, damnatos hæreticos, & noſtrorum hodie Proteſtãtium in hac parte maiores. *Quia iſti ieiunandum negant, qua cauſa Chriſtus ieiunauerit adſtruant, niſi vt nobis exemplo eſſet eius ieiunium?* Rurſum alio in loco. *Quadragenarius ieiunij numerus non ab hominiD bus conſtitutus, ſed diuinitus conſecratus eſt, nec terrena cogitatione inuentus, ſed cæleſti maieſtate præceptus eſt.* Sed omnium antiquiſſimus S. Ignatius D. Ioannis Apoſtoli diſcipulus hanc cauſam vt ab ipſis Apoſtolis conſideratam adfert. *Quadrageſimam* (inquit) *nolite deſpicere. Imitationem enim habet conuerſationis Chriſti.* Denique S. Clemens in conſtitutionibus ipſis Apoſtolicis hanc rationẽ adfert. *Ieiunium quadrageſimæ continet memoriam conuerſationis & legislationis Domini.* Ieiunat igitur Eccleſia quadraginta diebus ad exemplum Chriſti, non quidem ſimpliciter quia Chriſtus ſic fecit, ſed quia eius exemplo ſic faciendum eſſe, & in hac parte eius veſtigia ſequenda eſſe, Eccleſia catholica ab Apoſt. tempore docuit. Neque vero propterea Chriſtum non imitamur, quia ſicut ille totis 40. diebus ieiunamus, vt ſtultè cauillantur hæretici. Sed ſicut Chriſtum imitamur diligendo nos inuicem, etſi non tam perfectè inuicem diligimus ſicut ipſe dilexit nos: ſic Chriſtũ imitamur per 40. dies aliquatenus ieiunando, etſi non ſic continuè ieiunemus vt fecit ille. Alia cauſa à Patribus aſſignatur, vt Chriſti Saluatoris paſſioni hoc tẽpore repreſentatę cõpatiamur dicente Apoſtolo. *Si compatimur & conglorificabimur.* Et iterum. *Spes noſtra firma eſt pro vobis, ſcientes quod ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Quæ vt de ſuis paſſionibus Apoſtolus dixit, ita ne quis hoc nihil ad Chriſti paſſiones pertinere cauilletur (quum tamen à fortiori paſſionum Chriſti participatio multo plus valere debeat quàm Pauli) ſeipſum Chriſti

De ieiunio quadrageſimali.

1. *Cauſa ieiunij quadrageſimalis inſtituti.* 1. Pet. 2.

Ioan. 13.

Epiſt. 119.

Epiſt. 82. Ser. 36.

Epiſt. ad Philipp. Li. 5. c. 13. Conſt. Apo.

Cauillatio hæretica repellitur.

2. *Cauſa.* Rom. 10.

2. Cor. 1.

passionum imitatorem paulo superius dicit,& ideo etiam consolationum. *Sicut abundant Christi* A
passiones in nobis (quatenus videlicet similia patimur) *Ita & per Christum abundat consolatio nostra.*
Philip.3. 2.Cor.4. Vnde & alibi desiderat Paulus,*cognoscere societatem passionis Christi, configurari morti eius.* Et alibi: *Mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferre.* Imitatione videlicet & compassione,quæ non solum in mortificatione vitiorum consistit,sed etiam in corporis castigatione externa,ad quam sequitur vitiorum mortificatio.Hæretici hodie mortificationem vitiorum docent verbotenus, sed media huius mortificationis non docent:ieiunia,orationes assiduas,vitæ victusque asperitatem aspernantur,& irridentAt vero Ecclesia Catholica, vt semper quidem Christo nos compati & Christi crucem quotidie tollere nos docet atque hortatur, ita media quædam nobis proponit quibus id assequamur: Alia alias, tempore autem Christi passionem proximè præcedente ieiunium Quadragesimale,vt aliquatenus Christo patienti conformemur. Vnde S. Au-
Epist.119. ca.15. gustinus. *In qua* (inquit) *anni parte congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contigua Dominicæ passioni?* Hanc etiam causam Chrysostomus notauit. *Eccl. sta* (inquit) *ob gra-*
Ser.1. de ieiunio. Ser.9.de Quadrag. *tiam ieiunat, Iesu opus agnoscens, vtpote cum crucifixo crucifixa,& vt dum patitur cum Domino,cum Domino glorificetur:non vt Dominum lugeamus, sed vt dispensationis confiteamur beneficium.* Eandem notauit Leo Magnus. *Merito à sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus S.maiora hæc sunt ordinata ieiunia,vt per commune consortium crucis Christi,etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit,ageremus, sicut Apostolus* B
In Matt. ca.15. *ait. Si compatimur & conglorificabimur.* Hoc etiam obseruauit S. Hilarius disputans de ieiunio Catechumenorum,qui in Paschate baptizandi erant. *Vt verborum sponsionem* (quibus videlicet passionem & resurrectionem Domini se credere confitebantur) *quædam rerum ipsarum veritas cõ-*
In compendiaria doctrina. *sequatur,toto in ieiuniis passionis Dominicæ tempore demorantes,quadam Domino compassionis societate iunguntur.* Denique & hanc considerationem expressit S.Epiphanius, *non vt gratiam aut beneficium exhibeamus ei,qui pro nobis passus est,ieiunium nobis constitutum est: sed vt confiteamur ad nostram salutem Domini passionem quam pro nobis ipse suscepit, & vt pro peccatis nostris ieiunia nobis apud Deum supputentur.* Atque hæc illi Patres tam Græci quàm Latini,tam ex Oriente quàm Occidente.

3.Causa. Aliam adhuc causam ieiunij quadragesimalis assignant Patres,vt ad Resurrectionem Dominicam celebrandam (in qua generalis est omnium fidelium deuotio, vt nemo à sacra Sinaxi tunc abstineat) dignius ac diligentius præparemur,quasique per ieiunium vitiis expurgatis, &
In con.ad Matt.c.5. Ser.3.de Quadra. expiatis, tanto purius ad sacratissima mysteria illa accedant, qui non nisi raro accedere solent. Hanc causam notat Sanctus Hieronymus. *Ecclesiæ consuetudo ad Passionem Domini & Resurrectionem per humilitatem carnis venit, vt spirituali saginæ ieiunio corporis præparetur.* Sic & Leo Magnus. *Quia non desinit antiquus hostis tunc maximè contrà Christi membra sæuire,quando ab eis sunt celebranda*
Ser.63.de tempore. *sacratiora mysteria,merito doctrina Spiritus Sancti hac eruditione imbuit populum Christianũ, vt ad Paschale festum quadraginta dierum continentia se præpararet.* Hæc ille. Eandem causam diligenter expen- C
dit S. Augustinus. *Vt sacramenta* (inquit) *redemptionis nostræ dignius celebremus, saluberrimè nos* 40. *dierum ieiunio præparamus. Non enim ij tantum qui in nouam vitam baptismo sunt regenerante venturi* (vbi & consuetudinem illam de ieiunio quadragesimali Catechumenorum commemorat, de
Hom.16. super Euangelia. qua supra Hilarius meminit) *sed & omnes populi renatorum vtiliter & necessario præsidium sibi huius sanctificationis assumunt. Illi vt quæ nondum habent accipiant,isti vt accepta custodiant.* Hæc ille.Sed & obi-
4.Causa. ter hanc notat. Gregor. Magnus his verbis.*Carnem nostram decimamus,vt ad sanctum Pascha securi peruenire possimus.*

Hom.16. ex 40. in Euang. Porro & hoc in Quadragesimali ieiunio notant Patres,quod cum hic numerus dierum decima sit anni pars,& rerum omnium decimas Deo dare iubeamur,id præceptum in hoc ieiunio impleamus. Vnde Sanctus Greg. *Dum per 365.dies annus ducitur, nos autem per 36. dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus:vt qui nobismetipsis per acceptum annum viximus, Authori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus.* Hæc ille.Neque vero huic speculationi quicquam obstat,quod decima anni pars non sit præcisè numerus 40.sed numerus 36.vt posuit Gregor. loco iam citato,quia Scripturę normam & consuetudinem hac in parte Ecclesia sequitur.Solet autem Scriptura omnẽ numerum qui quamlibet decadem ita transit, vt ternarium excedat, non præcedenti decadi sed ei ad quam tendit deputare,vtpote cui vicinior & propinquior est. Cu-
Gen.11. ius rei exempla videre licet in Genealogia filiorum Noë. Sic ergo decima anni pars 36. dies ad 40.referuntur,& in ea decade complentur. Quanquam & aliam ob causam hæc anno decimi in numero quadragenario nõ autem 36. completa est,quia numerus 40.proprium est quoddam pœnitentiæ & afflictionis tempus,vt ex Scripturis deducit S.Hieronymus exponens illa verba Ezechielis Prophetæ.*Non habitabitur quadraginta annis.Hic numerus*, inquit, *semper afflictionis &*
In com.in c.29.Eze. *pœnæ est.Vnde & Moyses & Helias & ipse Dominus 40.diebus ieiunauerunt & noctibus,& per 40.annos populus erat in solitudine:& quadringentis annis (qui faciant 40.decadas) populus seruiuit in Aegypto.Pluuiæ quoque diluuij 40.diebus i[illegible]erunt orbi naufragium.* Hæc ille. Porro hanc anni decimationem in ie-
Ca.36. Collat.21. cap.29. iunio quadragesimali obseruarunt præter Gregorium Magnũ,Isidorus Hispalensis lib.1.de Ecclesiasticis officiis,& Cassianus in collationibus Patrum.Cassiani verba sunt. *Quadragesimæ legem illis qui per totum anni spatium delitiis vel negotiis secularibus implicãtur, Ecclesiarum principes statuerunt, vt vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino cogerentur,ac dierum vitæ suæ quos totos quasi fructus quosdam fuerant voraturi, vel decimas Domino dedicarent.* Hæc ille. Atque hæc de ieiunij quadragesimalis causis grauissimis (etsi sola Ecclesiæ Authoritas

hæc

A hac in parte cuiuis fideli ſatisfacere debuit) contra prophanos, animales & inſenſatos horum temporum hæreticos, qui nihil ſpirituale aut religioſum ſapere poſſunt, proferri apud populum non incommodè poterunt.

Nunc de ipſius ieiunij cauſis ſaluberrimis & fructu ampliſſimo, aliquid etiam ex ſcripturis & patribus annotabitur. S. Chryſoſtomus ſcripturæ doctrinam ſequutus, in vna ſententia quatuor cauſas & fructus complectitur. *Ieiuna* (inquit) *quia peccasti, Ieiuna ne pecces, Ieiuna vt accipias, Ieiuna vt accepta custodias.* Ex his quatuor cauſis, duas priores, quas maximè negant hęretici, in vna etiam ſententia Sanctus Auguſtinus complectitur. *Illi*, inquit, *ſit longum & faſtidioſum ieiunij tempus* (de Quadrageſimali loquitur) *qui nec orat de culpa nec ſperat de venia.* Sed 4. Ieiunij fructus à Sancto Chryſoſtomo notatos nunc ex ſcripturis oſtendamus. Ieiuniis placare Deum & expiari peccata, docent exempla Niniuitarũ, qui ad prædicationẽ Ionæ, *ieiunauerunt Domino, & vidit Deus opera eorum.* Et Achab Regis, qui audita comminatione Prophetæ, *ieiunauit & dormiuit in ſaccо*: Dixitq; poſtea Dominus. *Quia humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.* Ioël clamat ad populum peccatorem. *Conuertimini ad me in ieiunio & fletu & planctu.* Samuel Deum in Maſphat placaturus ieiunium indicit. Ieiuniis impediri peccata & caueri diſertè docet Apoſtolus. *Licet is qui foris eſt noſter homo corrumpitur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem.* Et alibi. *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne dum aliis prædicauero ipſe reprobus efficiar*: quę eius verba

B de vi & virtute ieiunij Apoſtolici contra Vercellenſes profert Sanctus Ambroſius. Porro hanc ieiunij virtutem ad edomandas peccatorum libidines multis verbis amplificant Patres, quos inſpicere licet: Diuum Ambroſium Serm. 34. Leonem Magnum Sermone octauo de ieiunio 10. menſis, Diuum Baſilium Homilia 1. de laudibus ieiunij, Sanctum Chryſoſtomum Sermone 1. de ieiunio. Illud ſingulariter hoc loco obſeruandum, quod de Saluatoris noſtri ieiunio in hodierno Euangelio ſcripſit Sanctus Ambroſius. *Saluator volens nos aduerſus Diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt ſciremus quia aliter illecebras mali non poſſemus vincere.* Hæc ille.

Ieiunij cauſæ & fructus.

Ser. 1. de ieiunio.

Ser. 69. de tempore.

1. Ieiuniis placatur Deus.

Ionæ. 3.

3. Reg. 21.

Cap. 1.

1. Reg. 7.

2. Ieiuniis cauentur peccata.

1. Cor. 1.

1. Cor. 9.

Epiſt. 12.

Epiſt. 82.

Tertius ieiunii fructus eſt, vt beneficia impetremus & gratiam. Huius rei exempla ex ſcripturis commemorat Ambroſius, eaque contra ſui temporis hæreticos noſtris hodie ſimillimos, vrget his verbis, *Moyſes ieiunans legem accepit. Petrus ieiunans edoctus eſt noui teſtamenti gratiam, quum videlicet ieiunanti & oranti de baptizandis gentibus reuelatum eſt myſterium. Daniel ieiunii merito ora claſit leonum, ieiunio eluimus peccata, ſicut ſcriptum eſt. Ieiunium & eleemoſyna liberant à peccato. Qui ſunt ergo hi præceptores noui, qui meritum excludunt ieiunii?* Hæc Ambroſius. Certè Chriſtus in Euãgelio, quædam dæmonia non niſi in ieiunio & oratione eiici poſſe affirmauit. Sic Samuel, Heſter, Iudith, Machabæi ieiuniis obtinuerunt contra hoſtes ſuos victoriam.

3 Fructus.

Epiſt. 82.

Act. 10.

Dan. 4.

Tob.

Matt. 17.

C Quartus fructus eſt vt accepta cuſtodiantur, id eſt, in bono perſeueretur. Sic Leo Magnus. *Ieiunia omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.* Quibus ita poſitis, quomodo cultus eius ſuperſtitioſus eſſe poterit, cuius & cauſæ ſunt tam multæ ac tam graues, & fructus tam ampli & varii? Sed ſupra in alia Dominica oſtendimus contra hæreticos noſtri temporis, ieiunia eſſe cultum Deo gratum & acceptabilem. At diſplicet magnopere noſtris hæreticis, quod ſub præcepto ponatur hoc ieiunium: quod prohibeat Eccleſia certa ciborum genera in diebus ieiuniorum comedi, denique fideles ad talia obliget, ſub pœna peccati. Iſta enim vel doctrinas eſſe dæmoniorum, de quibus Paulus ad Timothæum ſcribit dicens: *In nouiſſimis temporibus futuros qui attendant doctrinis dæmoniorum prohibentium abſtinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione*: Vel certè libertati Euangelicæ repugnare, quæ in operibus pietatis libera eſſe debet, & non iterum ſub iugo ſtare. Sed ad hanc duplicem cauillationem reſpondeat dextrè Concionator, & hæreticorum partim impietàtem, partim ineptiam dilucidè populo exponat, hunc in modum. Quod ad doctrinas dæmoniorum attinet, ex ipſo Apoſtolo apertè liquet doctrinam dæmoniorum circa prohibitionem ciborum illam eſſe, quæ ſic cibos prohibet, vt res immundas, & non à Deo creatas. Cum enim Apoſtolus dixiſſet, *Abſtinentes à ci-*

D *bis quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus*, ſecutus ait, *& iis qui cognouerunt veritatem, quoniam omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Hæc autem ſunt* (infert contra Manichęos Aug.) *quæ negatis: hoc anno, hac voluntate, hac opinione, ab eſcis huiuſmodi temperatis, quod non ſignificatione* (vt in veteri lege) *ſed natura malæ & immundæ ſunt. Qua in re creatorem earum ſine dubio blaſphematis: hoc eſt, quod pertinet ad doctrinam dæmoniorum. Nolite ergo mirari hoc de vobis tanto ante à S. Spiritu prophetatum.* Hæc ille: ex quibus patet doctrinã quidem Manichæorum fuiſſe doctrinam dæmoniorum, quia ſic prohibebant comedere carnes quaſi à malo Deo eſſent omnes creatæ: Doctrinam autem Eccleſię non eſſe doctrinam dæmoniorum, quia talem ſenſum damnat & execratur, & ſolum propter corporis caſtigationem, alioſque ieiunij fructus commemoratos, abſtinentiam carnium præcipit. Non enim ſimplex prohibitio, ſed prohibitio in ſenſu Apoſtoli eſt doctrina dæmoniorum. Alioqui ipſi Apoſtoli & Paulus cum aliis doctrinam dæmoniorum docuiſſent, quum prohiberent *comedere ſuffocatum & ſanguinem.* Quare in eodem loco, quo ſenſu Catholica Eccleſia abſtineat à certis cibis docet Sanctus Auguſtinus his verbis. *Chriſtiani non hæretici, ſed Catholici, edomandi corporis cauſa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa immunda eſſe credant, non ſolum à carnibus, verum à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut*

Præceptũ ieiunij non eſſe doctrinam dæmoniorum.

1. Tim. 4.

Contra Fauſtum li. 30. c. 5.

Act. 15.

Auguſt. ibidem.

Augustini verba exponuntur de libertate ieiunii.

1.
2.

Moderatio Ecclesiæ in ieiuniis. Ho. ex 40.

Ser. 3. de ieiunio. 10. mensis, ser. 61. de tempore.

Hom. 10. in Gen.

Ieiunium sub præcepto tempore Augustini.

Ser. 60. de temp. Epist. 119. cap. 15.

Epist. 86.

Epist. 86. Ser. 34.

Ser. 1. de ieiunio 7. mensis. Hom. 2. De laudibus ieiunij. Hom. 10. in Leuit. Can. 19. Con. Eaui. 30. ca. 5. l. 2. Con. Iouinia. Diuin. decret. epi. tom. ca. vltimo. Epis. 86. Li. 1. c. 22. Epist. 9. & 13.

pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quanto magis A *quisque vel minus, seu voluerit, seu potuerit?* quæ postrema verba non ita dicit Augustinus quasi liberum tunc esset Quadragesimæ ieiunium & absque præcepto, vt insulsi hæretici ex illis verbis colligunt, affirmantes in sæculo Augustini Ecclesiam Catholicam hoc nunquam admisisse, vt iuberentur fideles abstinere: sed ideo ita loquitur, quia ipsa abstinentia, vel magis, vel minus à fidelibus assumitur, & ab Ecclesia indicitur, quanto magis vel minus vnusquisque abstinere, vel voluerit, vel potuerit, nempè vel à carnibus & fructibus terræ, vel à carnibus & non fructibus. Vtrumque enim Augustinus posuit. Deinde quantitatem abstinentiæ dicit poni in arbitrio & potestate ieiunantis non ipsam qualitatem. *Quanto quisque magis vel minus*: Ecclesia videlicet neque tempore Augustini, neque hodie vel infirmos, vel vlla rationabili causa impeditos cogit ieiunare, sed maxima hac in re moderatione vtitur, neque quemquam vltra id quod cõmodè potest abstinere compellit. Sic & alij Patres docuerunt. *Quadragesimæ* (inquit Gregorius Magnus, ducentis ferè post August. annis) *summa obseruantia seruanda est, vt ieiunium in ea (nisi quem infirmitas impedierit) nullatenus soluatur.* Sic Leo Magnus Papa. *Nihil à quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec aliquid nobis quod vires nostras excedit, indicitur. Sciunt singuli quid possint, quidue non possint. Ipsi modulum suum pendant.* Sic ipse alibi Augustinus de Quadragesimali ieiunio disputans. *Si infirmitas non prohibet, quotidie ieiunate.* Denique docet ipse diligenter August. quid ille B facere debeat, qui cõmunem ieiunij Ecclesiastici legẽ seruare non potest. *Qui ieiunare non valet, secretius sibi soli præparet quod accipiat, nec alios ad prandium inuitet. Cum gemitu autẽ & suspirio mandacet* (non cum risu & cachinnis & contemptu Ecclesiæ, vt hodie hæretici faciunt) *quod aliis abstinentibus ipse ieiunare potest. Pro eo quoque quod non potest ieiunare, amplius debet pauperibus erogare.* Sic & D. Chrysost. *Dilecte*, inquit, *si ob corporis imbecillitatem non potes ieiunus diem producere, nullus qui sapit, propter hoc te arguere poterit. Dominum enim habemus mansuetum & misericordem, & nihil supra vires nostras à nobis exigentem. Igitur qui cibum accipit & ieiunare non valet, largiorem det eleemosynam, frequentior sit in precibus, maiorem habeat alacritatem in audiendis diuinis eloquiis.* Hæc fuit semper Ecclesiæ Catholicæ moderatio in ieiuniis ab ea indictis. Quare & disertè ab illis excipiuntur pueri, senes, prægnantes, ægroti, peregrinantes & laborantes ex graui & iusta causa. Propter hanc moderationem, sic Augustinus, sic alij Patres loquuntur.

Nihilominus tamen ieiuniũ quadrag. Augustini tẽpore ab Ecclesia præceptũ fuisse (quod negant hæretici propter verba prædicta) ex ipso August. aliisque ei contemporaneis patet. Sic. n. scribit Aug. *Dicente Domino, vnge caput tuũ & faciẽ laua, ne videaris hominibus ieiunans: nos ergo contra præcepta Christi facimus, qui publicè ieiuniũ indicimus, & vidente toto populo pariter cum ipso ieiunamus? Non, sed in hoc sensu oportet intelligi, vt nemo pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia, vel pro misericordia diuina ieiunet.* Rursum alio in loco. *Quadragesima* (inquit) *ieiuniorum habet authoritatem, & in* C *veteribus libris ex ieiunio Moysis & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit: in qua ergo anni parte congruentius obseruatio Quadragesimæ constitueretur nisi confini atque contigua Dominicæ passionis? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa cui opus est continentia, &c.* Ecce agnoscit Augustinus ieiunia publicè indicta & quadragesimale ieiunium in certa anni parte constitutum: vtique ab Ecclesia & solius Ecclesiæ authoritate. Nam in alia Epistola idem Augustinus dicit. *Quibus diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum* (in scripturis videlicet de quibus ibi loquitur) *non inuenio definitum.* Restat ergo vt hoc publicè dictum atq; constitutum ieiunium quod agnoscit S. Aug. non nisi ab Ecclesia indictum, & constitutum, siue præceptum agnouerit. Testatur porro idem Ecclesię in hac parte præceptum S. Ambr. qui Augustinum baptizauit, vt ipsemet testatur in eadem epistola. *Reliquo* (inquit) *anni tempore ieiunare præmium est in Quadragesima non ieiunare peccatum est. Illa voluntaria ieiunia, ista necessaria. Illa de arbitrio veniunt, ista de lege. Ad illa inuitamur, ad ista compellimur.* Idem præceptũ agnoscit Leo Magnus. *Res est* (inquit) *præcipui operis quam ex authoritate indicimus, & ex charitate suademus, vt paululum edendi libertate compressa castigationi corporum, & pauperum studeamus alimoniæ.* Sed ante hos omnes S. Basilius, de quadragesimali ieiunio omnibus indicto atque precepto scribit. *Ieiunium quidem vtile est per omne tempus illis qui sponte illud suscipiunt: sed multo magis hoc tempore quo per vniuersum terrarum orbem vndique denunciatur ieiunij præconium. Nec vlla est insula, nec vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij edictum.* Denique adhuc antiquior Origenes: *Habemus*, inquit, *Quadragesimæ dies ieiuniis consecratos.* Postremo in Concilio Gangrẽsi antiquissimo & diu ante Augustini ætatem, anathemate feriuntur, qui præscripta ieiunia violant. *Si quis* (inquiunt eius Concilij Patres) *eorum qui religionis exercitio student absque necessitate corporis insolescat, & ieiunia in commune tradita, & ab Ecclesia obseruata dissoluat, improbans apud semetipsum, & abrogãs præcipuam sententiam, Anathema esto.* Ex his testimoniis Antiquitatis manifeste patet contra hæreticos, præceptum fuisse ab Ecclesia ieiunium quadragesimale, non vt Manichæi teste Augustino; non vt Marcionitæ teste Hieronymo, non vt Encratitæ teste Theodoreto aut Priscillianistæ, quos hoc nomine Manichæis similimos Augustinus vocat, nec vt Saturnius (de quo Irenæus) nec vt Ebion cum suis, (de quo Ignatius) ipso Apostolorum tempore tradiderunt, quasi creaturæ immundæ carnes essent, sed propter causas superius ex Patribus citatas.

Porro delectum aliquem ciborum, adeo nec doctrinam dæmoniorum, nec superstitioni vlli affinem esse quando edomandi corporis causa assumitur, ipsa Sanctorum Apostolorum exẽpla docere

docere nos poſſunt, qui à vino & carnibus vt plurimum abſtinuiſſe leguntur. Sanè de Petro Apoſtolo ſcribit Gregorius Nazianzenus, ipſum lupinis minuto aſſe veneuntibus famem pellere conſueuiſſe. De Iacobo fratre Domini, nec carnes vnquam in cibum, nec vinum in potum adhibere ſolitum, Hegeſippus author antiquiſſimus affirmat. De Matthæo Apoſtolo etiam hæc eadem Clemens Alexandrinus his verbis affirmat. Matthæus Apoſtolus ſeminibus, baccis, & oleribus abſque carnibus vtebatur. Paulum Apoſtolum planè abſtemium fuiſſe, & à vino (ſaltē poſt conuerſionem) perpetuo abſtinuiſſe, argumento eſt, quod poſtera die qua Hieroſolymam ex Aſia venit, Iacobi conſilium ſequutus, purificationem in templo expleuerit, donec offerretur pro eo, & alijs quos aſſumpſerat, oblatio. Atqui in lege cautum erat, vt ante huiuſmodi oblationem purificandi cauſa à vino abſtinerent & caput raderent. Tempus vero abſtinendi à vino in lege non expreſſum à Ioſepho Iudæo memoratur fuiſſe triginta dies. *Mos eſt* (inquit) *orare per triginta dies, antequam immolarent hoſtias, abſtinere quoque à vino & capillos radere.* Paulus igitur qui ſtatim poſt aduentum ſuum in Hieruſalem non ſtudio præmeditario, ſed Iacobi hortatu ſe in templo ritu Moſaico purificauit, ſi prius abſtemius non fuiſſet, & à vino pro conſuetudine non abſtinuiſſet, purificationis legem tam citò & verè explere non potuiſſet. Sanè Timotheum diſcipulum Pauli à vino pro more abſtinuiſſe manifeſtum eſt: quum moneat eum Paulus, vt *non amplius* (μηκέτι) id eſt, *aquam bibat, ſed propter frequentes infirmitates, & propter ſtomachum, modico vino vtatur.* Eſt ergo delectus ciborum edomandi corporis cauſa aſſumptus, non doctrina dæmoniorum, ſed pietas & religio ipſorum Apoſtolorum.

In orat. de cura pauperum. *Apud Euſeb. l. 2. c. 22.* *Pædag. l. 2. cap. 2.* *Actor. 21.* *Num. 6. c.* *De bello Iudaico l. 2. c. 15.* *2. Tim. 5.*

Præceptum verò iſtud non magis libertati Euangelicæ repugnat, quam alia quæuis aut Dei, aut Eccleſiæ præcepta. Libertas Spiritus ad quam vocati ſumus, non eſt vt nullis ſubiiciamur legibus, ſed vt ſeruiliter non ſubiiciamur metu pœnæ. Ideò ſumus non ſub lege, ſed ſub gratia, quia liberaliter ex charitate Dei, & noſtri ipſius ſpiritualis boni, præcepta ſeruamus. Sed hæc carnalis libertas quā hodie noſtri vendicant, eſt vetus Aëtianorū hæreſis, de quibus ſic Epiphanius: *Ieiunium* aiebat Aëtius, *non erit ordinatum. Hæc enim Iudaica ſunt, & ſub iugo ſeruitutis. Si verò volo omnino ieiunare, quemcunque diem eligam à meipſo, & ieiunabo propter libertatem.* Hæc ille, quem idcirco inter hæreticos ponit Epiphanius, Damaſcenus, Auguſtinus, & quotquot de hæreſibus ſcripſerunt.

Vide hac de re plura in feſto SS. Simonis & Iudæ. *Hær. 75.* *Ibidem.* *Lib. de hæreſ.* *Hær. 33. ad Quoduultdeum.*

Si filius Dei es, mitte te deorſum.

LOcus obſeruandi perpetuam Diaboli vocem in hæreticis loquentem quoties ab Eccleſiæ Catholicæ vnione, ad ſua conuenticula fideles ſuadendo abſtrahūt. Suadēt enim vt ab altiſſimo & eminentiſſimo monte te præcipites, in ſpelūcā latronū caſurus. Eccleſia eſt, *Ciuitas ſuper montem poſita*, vt Chriſtus ſuis Apoſtolis dixit. Omnia hæreticorum conuenticula ſunt ſpeluncæ latronum. *Qui non intrat per oſtium in ouile, fur eſt & latro.* Qui fidelibus populis præeſſe contendit, eos docere, paſcere, ſacramentis imbuere ſine legitima vocatione & impoſitione manuum à Chriſto inſtituta (quod omnes hæretici faciunt) ſunt fures & latrones, latentes quoque ſunt, obſcuri & pauci ſicut in ſpeluncis. quum igitur fideles Catholicos à totius orbis communione ad ſuas ſectas abducunt, dicunt illis. *Mitte te deorſum.* Hoc eſt (ait Vincentius Lyrenenſis) *ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione te dimitte.* Sic & Auguſt. hunc locum tractans ait. *Diabolus caput noſtrum ſurſum aſcenſurum, deorſum volebat deijcere. Vos autem* (hæreticos Donatiſtas alloquitur) *corpus eiuſdem capitis, quod per totam terram diffuſum eſt, ad exiguam partem vultis redigere.*

Hæreticorum voces diabolicæ. *Matth. 6.* *Ioan. 10.* *Cap. 37. Cont. petil. lib. 2. c. 51.*

Scriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

LOcus neceſſarius & accommodatiſſimus diligenter monendi populum fidelem, vt ab hæreticis caueant ſcripturas perpetuò in ore habentibus, & non niſi ex ſcripturis perpetram tractatis (vt hic contra Chriſtum ipſum facit Diabolus) fideles ſeducentibus. Do-cendus ergo & diligentiſſimè monendus eſt hoc loco populus fidelis. Primum in cauſa & doctrina fidei aduertere eos debere, non quid illis dicatur, ſed quis ille ſit qui loquatur: Deinde perpetuum eſſe hæreticorum morem ſacris Scripturis ad ſuam & illorum perniciem abuti: Poſtremo non ex ſola littera & textu ſcripturarum, ſed ex eius ſenſu recto & orthodoxo fidē aut fidei doctrinam & conſolationem eſſe petendam. Quod ad primum attinet, in omni quidē humanarum rerum ſcientia ſpectandum potius quid dicatur, quam quis loquatur, quia cū ſola ratio ſit totius veritatis humanæ regula & principium: ratio neceſſariò eſt ſemper vera, ſiue illam Diogenes, ſiue Socrates, ſiue paruus, ſiue magnus, ſiue indoctus, ſiue doctus pronunciat. At verò in doctrina fidei quia eius regula eſt authoritas non ratio (*Quod enim aliquid ſcimus rationi, quod credimus authoritati debemus*, ait ſanctus Auguſtinus) propterea neceſſario diſpiciendum quis & qua authoritate præditus, vel vt minimum qua fide ac religione imbutus ſit qui de fide diſputat,

Hæretici per ſcripturas decipiunt. 1. 2. 3. *Non quid dicatur ſed quis loquatur conſiderandum in cauſa fidei.* *De vtilit. cred. ca. 12.*

aut ſcripturas eo pertinentes profert. Sed & præterea ordo in Eccleſia à Chriſto inſtitutus hoc A
1.Cor.12. Rom. 10. idem nos docet. *Non enim omnes Prophetæ, non omnes Doctores.* Et rurſum. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Et iterum. *Ipſi currebant, & ego non mittebam eos.* Sicuti ergo non omnes ſunt doctores,
Ierem.22. ita neque omnium eſt docere in cauſa fidei. Quod ſi non docere, nec ex Scripturis diſputare.
Matth. 18. & 24. Nihil enim magis quaſi doctorale eſt. Hanc ob cauſam iubet Chriſtus diligẽter, *attendere à falſis Prophetis. Et de futuris pſeudoprophetis monet*, & de huiuſmodi ait: *Oues meæ alienũ non ſequuntur, nec vocem eius audiunt, ſed fugiunt ab eo.* Paulus quoque monet cauere *à lupis rapacibus qui abducunt diſcipulos poſt ſe*, id eſt, poſt ſuũ ſenſũ: *& à Pſeudo-apoſtolis operarijs ſubdolis.* Petrus quoq; *de magiſtris mendacibus* præmonet: & Ioannes *non omni ſpiritui credere.* Monendus ergo populus ſcripturam perpetuo eos monere de perſonis quas audiunt. Hanc etiam ob cauſam Diabolum etiam vera dicentẽ Chriſtus Saluator in Euangelio non tollerat. Dicente enim Satana, *Scio te quia ſis Sanctus Dei, increpauit eum Chriſtus dicens, obmutеſce*: & paulò pòſt, *clamantibus & dicentibus Dæmonÿs, Quia tu es filius Dei, increpans ea non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Quod ſanè documentum & Paulus ſecutus eſt, *clamante poſt illum puella ſpiritum Pythonem habente, iſti ſunt ſerui Dei altiſſimi. Quum enim hæc ſæpè fierent multis diebus dolens Paulus præcipit ſpiritui exire ab ea.* Cur autẽ Chriſtus hoc faceret, nec Diaboli etiam vera dicentis teſtimonium admitteret, egregiè notat & exponit Chryſoſtomus. *Diabolus* (inquit) *ipſe veritatem aliquando dicit: primum vt rerum ordinem confundat, deinde vt auferat Apoſtolorum dignitatem: poſtremo vt multitudini perſuadeat ſibi attendere. Quæ ne fierent etiam vera dicentium Dæmonum ora obſtruxit Chriſtus.* Quod autem in Diabolo Chriſtus, B
& Paulus fecerunt, hoc in omnibus hæreticis faciendum eſſe (qui profecto eiſdem de cauſis è
In Epiſt. de Synodis Arim. & Seleuciæ. Scripturis loquuntur, ob quas Diabolum loqui notauit Chryſoſtomus, vt ordinem confundãt, vt Eccleſiæ dignitatem imminuant, vt multitudinem poſt ſe trahant) docent diligenter S. Patres. Sic Athanaſius contra Arianos. *Hæreticus* (inquit) *tametſi voces ſuas è ſacris litteris mutuetur, nihilominus ſuſpectus animoque corruptus audiet à Spiritu S. Quare tu enarras iuſtitias meas, &c. Contra B. Paulus etſi ex alienis litteris loquatur, vt illud, Cretenſes ſemper mendaces, tamen Sanctus quum ſit, Magiſter*
Hom. 3. in Lucam. *gentium eſt in fide & veritate, & quæ loquitur cum pietate loquitur.* Hæc ille. Sic ante illum Origenes. *Si quando teſtimonia de Scripturis audieris, vide ne ſtatim loquenti acquieſcas, ſed conſidera illum qui loquitur, cuius ſententiæ, cuius voluntatis ſit. Si enim ſententia hæreticus eſt, & ſub ouis pelle lupus latitat, Diabolus in eo loquitur. Nihil ad eum Scripturæ pertinent.* Hæc ille. Cui planè conformia eo adhuc anti-
In præſcriptionibus aduerſus hæreſes. quior ſcripſit Tertul. *Diſpici debet* (inquit) *cui competat profeſſio Scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit.* Et paulò pòſt. *Ordo rerum hoc deſiderabat, illud prius proponi, Quibus competat fides ipſa: cuius ſint Scripturæ, à quo & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, quia fiunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, illic erit veritas Scripturarum & expoſitionum & omniũ* C
traditionum. Et paulò pòſt: *Si hæretici ſunt, Chriſtiani non ſunt. Ita non Chriſtiani nullum ius capiunt Chriſtianarum litterarum.* Hæc ille. Hoc autem totum tum ex Scripturis præallegatis, tum maximè ex his Pauli verbis doctiſſimi illi Patres didicerunt, quibus ſuperbos quoſdam pſeudo-prophetas, qui ſibi videbantur Prophetæ & ſpirituales, reiicit ac retundit, dicens. *An à vobis verbũ*
1.Cor.14. *Dei proceſſit, aut ad vos ſolos peruenit?* Docet eos nec magiſtros eſſe Eccleſiarum, à quibus prædicatio verbi proceſſit, nec etiam ad ipſum populum fidelem eos ſolos pertinere, ad quos ſolos illa prædicatio peruenerit, vt liceat illis ſolis aliquid ſapere, ideóque omni modo à prophetandi ſeu verbum Dei & ſcripturas interpretandi poteſtate eſſe eos remouendos. Eodem ſanè iure & titulo noſtri hodie Proteſtantes hæreticique omnes ab omni Scripturarum tractatione remouendi ſunt, nec etſi Scripturas proferant, vllo modo audiendi, non magis quam rebelles ſequẽdi ſunt qui vexilla & arma regia in manus ſuſcipiunt, & vſurpant. Sic enim diabolus in hoc Euãgelio, ſic eius membra hæretici Scripturas ſacrilegè vſurpant, vt veritati fucum, fidelibus iniuriam faciant. Hoc medio vti concionator poteſt, vt populum moneat hæreticis vtcunq; Scripturas proferentibus magnáq; induſtria accumulantibus, aurem tamen non magis præbere, quàm Diabolo ſimile facienti.

Hæreſes omnes ex ſcripturis malè intellectis. Aliud medium quo ipſum perſuadeat, iſtud eſſe poteſt, quod omnis hæreſis non niſi ex D
Scripturis malè intellectis ortum accepit, ideoque rem eſſe periculi plenam nouo alicui magiſtro ſolas Scripturas proferenti auſcultare. *Non ob aliud fiunt hæretici* (ait S. Auguſtinus) *niſi quia Scripturas non rectè intelligentes ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſſerunt.* Ambro-
De Gen. ad lit. l. 7. c. 9. ſius verò ex eo hæreticum quaſi definit. *Hæretici* (inquit) *illi ſunt, qui per verba legis legem impugnant*
In cõment. ad Tit. 2. *& proprium ſenſum verbis aſtruunt legis, vt peruerſitatem mentis ſuæ legis authoritate commendant.* Potro ſi
Matth. 22. Antiq. lib. 13. cap. 28. rectè aduertimus, hoc idem Saluator docuit, dicens Sadducæis ſectæ hæreticæ Iudæorũ. *Erratis neſcientes Scripturas neque virtutem Dei.* Non enim Sadducæi textum Scripturarum non legerant (imo illas ſolas legebant, & legendas eſſe aſſeuerabant, omnibus reiectis traditionibus, vt de illis commemorat Ioſephus) ſed ideo eos errare dicit quia, *neſciebant*, id eſt, nõ intelligebãt *Scripturas*;
Matth. 7. ideoque adiunxit: *neque virtutem Dei*, id eſt, ſenſum & conſilium Dei, quod latet in Scripturis. Sed hæc Scripturarum verbalis prolatio, eſt illa ouina pellis ſub qua latent lupi rapaces, id eſt, falſi prophetæ à quibus attendere iubet Saluator. Quod his verbis non minus verè quam elegan-
Cap. 36. ter expreſſit Vincentius Lyrinenſis. *Quid eſt* (inquit) *veſtitus ouium niſi Prophetarum & Apoſtolorum proloquia? Qui ſunt lupi rapaces niſi ſenſus hæreticorum feri & rabidi qui caulas Eccleſiæ ſemper inficiũt, & gregem Chriſti quaqua poſſunt dilacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant manente luporum feri-*

tate

A *tate deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententijs, velut quibuſdam velleribus obnoluunt.* Sed & Petrus Apoſtolus hanc hæreticorum lupinam rabiem, & propriam illis *aſtutiam atque nequitiam qua circunueniunt in errore* (vt Paulus de eiſdem loquitur) ſatis perſpicuè annotauit. Quùm enim dixiſſet, *indoctos & inſtabiles* (quales propriè ſunt hæretici) *deprauaſſe quædam in Epiſtolis Pauli*, addit generalem clauſulam: *Sicut & cæteras ſcripturas ad ſuam perditionem.* Vbi generalem hunc omnium impoſtorum morem notat, vt fallere volentes, non niſi ex Scripturis fallant, quorum vt maximam eſſe ſciunt authoritatem, ita facilè ex eis decipere ſe poſſe norunt, ſi pro ſuo libito (remota Eccleſiæ authoritate ac fide) eas interpretari ipſis permittatur. Alios Patres in hãc ſententiam aduocare qui volet, legat & proferat pro concione, Irenæum lib. 1. c. 1. Cyrillum Alexandrinum Epiſt. 28. Lactantium li. 4. c. 30. de vera religione. Ambroſ. lib. 4. in Lucam, Hieronymum in com. ad c. 23. Eſa. ad c. 13. Ezech. & ad c. 7. Michææ & Epiſt. ad Domnionem: Hilarium in lib. ad Conſtantium, Origenem Homil. 31. in Exodum, Tertullianum & Athanaſium locis citatis, & Auguſt. adhuc ſemel ita loquentem. *Non aliunde natæ ſunt hæreſes & quædam dogmata peruerſitatis illaquiantea, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur.*

Ephes. 4.

2. Pet. 3.

Cur ex ſcripturis fallunt hæretici.

Tract. 18. in Ioan.

Tertium medium à nobis propoſitum quo ab hæreticis Scripturas proferentibus diligenter cauere populum fidelem docere concionator poterit, illud eſt, vt doceatur populus non ex ſola littera & textu Scripturarum, ſed ex eius ſenſu recto & orthodoxo fidem, & fidei doctrinam
B peti debere. *De intelligentia enim hæreſis eſt, non de Scriptura: ſenſus non ſermo fit crimen*, vt S. ſcripſit Hilarius. *Non putemus* (ait S. Hieronymus) *in verbis Scripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu. Non in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis.* Et alibi. *Scripturæ non legendo, ſed intelligendo conſiſtunt.* Alioqui diabolus in hoc Euangelio Scripturam attulit, ſed à vero ſenſu longiſſimè abfuit. Iudæi quoque ex Scripturis conantur oſtendere Chriſtum non eſſe Meſſiam. Dicebant enim. *Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem venit?* Phariſæi quoque ipſi Nicodemo dicunt. *Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Quid, quòd & morte Chriſtum dignum eſſe ex Scripturis probare Iudæi volebant? *Nos* (inquiunt) *legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Sed cum his omnibus Scripturis turpiſſimè errabant. Nonne & hodie totum vetus inſtrumentum Iudæi tenent, legunt, credunt, & in ore perpetuo habent? Tamen in illis Chriſtum non vident. Nempe litteram tenent vt omnes hæretici, ſenſum non aſſequuntur. Hæretico igitur ex Scripturis loquente, ad Scripturas prouocante, per ſolas Scripturas controuerſias tractante, nihil periculoſius, nihil peſtilentius. *Littera enim occidit, Spiritus eſt qui viuificat.* Ille verò audiendus qui cum Scripturis intelligentiam adfert, iuxta regulam fidei, iuxta expoſitiones SS. Patrũ, iuxta Conciliorum decreta, & alia interpretandi media à nobis alio in loco ſtudioſè explicata. Alio-
C qui vide quid Lutheranis ſcripturam vrgentibus Caluinus ipſe reſpondeat. *Excipiunt* (inquit de Lutheranis loquens) *ſe verbum Dei habere, quo palàm facta eſt Dei voluntas. Nempè ſi illis conceditur donum interpretationis ex Eccleſia profligare quod verbo lucem adferat, fateor illos habere verbũ, ſed quale olim Anthropomorphitæ, quum Deum corporeum fecerunt: quale Marcion & Manichæi, quum fingerent Chriſti corpus vel cæleſte, vel phantaſticum. Citabant enim teſtimonia.* Hæc ille contra Lutheranos, & tantumdem Lutherani contra illum, donum interpretationis ſibi ſoli vſurpantem.

Senſus ſcripturarum ſpectandus non littera.

Lib. 2. de Trinit.

In cõment. ad Gal. c. 1.

In dialog. contra Luciferianos.

Ioan. 7.

Ioan. 19.

2. Cor. 4.

Princip. fidei lib. 11.

Inſtit. l. 4. cap. 17.

Num. 25.

Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

LOcus obſeruandi diabolicum in hæreticis mutilandi & truncandi ſcripturas morem, ſicut diabolus hoc loco contra Chriſtum fecit. Totus enim & integer pſalmi locus eſt. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*: quæ intermedia verba diabolus prætermiſit, pergens ad ſequentia: *In manibus tollent te*, &c. At illa intermedia verba maximè ad rem pertinebant. Docent enim fore vt ſiue Chriſtus, ſiue membra eius cæteri fideles Angelorum ſeu miniſterio, ſeu patrocinio defendantur, ſed cum hac moderatione, vt vias ſuas vnuſquiſque ambulet, non per præcipitia: vt per media à Deo ſuppeditata pia opera faciat, non abſque mediis Deum tentet. Vnde eleganter Bernardus hunc locum tractans. *Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Non dixit, in præcipitijs. Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere ſe deorſum? hæc eſt via Luciferi cadentis è cælo.* Rurſum torquet hanc Scripturã ad ſolum Dei filiũ & Meſſiã, quæ de quo-
D libet Sancto intelligenda eſt, vt ibidem annotauit Bernardus, & ante eum S. Chryſoſtomus & Origenes. Tertiò id quod immediatè ſequitur detruncat, quod eum manifeſtè confutabat, vt eodem in loco notauit Origenes. Iſtud ſcilicet. *Sub aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Quibus vltimis verbis diabolus à Chriſto ſuperandus prædicitur. Hæc omnia in citandis Scripturis faciunt hæretici à diabolo hoc loco edocti. Poſtremi vnum ex multis exemplum ponam. Proferunt illi quàm ſæpiſſimè vt imputatiuam in Chriſto iuſtitiam ſtatuant, & bonorum operum ad ſalutem neceſſitatem tollant, illud Pauli. *Nihil damnationis ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu*: & tacent ſemper atque præſcindunt quod ſequitur, quum ſit totius ſententiæ membrum neceſſarium, *ijs qui non ſecundum carnem ambulant*: quod eos difertiſſimè refutat. Illi enim in

Hæreticorũ conſuetudo deprauãdi ſacras ſcripturas.

Ser. 15. in Pſalm. 90. 2.

Hom. 5. operis imper. in Mat. Hom. 31. in Lucam.

3.

Rom. 7.

Christo baptizati & renati non damnantur qui opera carnis non faciunt, sed fidei in Christum bona opera adiungunt. A

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Matth.17.

Hic est filius meus dilectus, &c. Ipsum audite.

Quomodo solus Christus audiendus.

LOCVS necessarius admonendi fidelem populum vt ab insigni hæreticorum fraude & impostura circa hæc Euangelij verba sibi caueat. Hæretici enim hodie ex hoc potissimum loco suadere volunt, nec Ecclesiam, nec Patres, nec Concilia, nec vllam in terris authoritatem in causa religionis audiendam esse, sed ea sola quæ Christus viua voce docuit, posteáque Euangelistæ & Apostoli scripserunt. *Non temere* (ait Caluinus) *filium singulari prærogatiua nobis doctorem pater ordinauit: ipsum non hominum quempiam iubens audiri. Paucis quidem verbis eius nobis magisterium commendauit, quum dicit, Ipsum audite, sed quibus ineſt plus* B

Instit. l. 4. cap. 8. Num. 7.

quiddam ponderis ac energiæ quàm vulgo existimetur. Perinde enim est, ac si ab omnibus omnium doctrinis abductos huic vni nos sisteret: ab vno omnem salutis doctrinam petere iuberet: ab vno pendere, in vno hærere, denique (quod verba sonant) vnius voci auscultare. Et sanè quid iam ab homine, aut expectari aut expeti debeat, vbi verbum ipsum vitæ familiariter se nobis ac coram explicauit? Quin omnium hominum ora clausa esse conuenit, postquam semel loquutus est ille in quo cœlestis pater omnes scientiæ & sapientiæ thesauros voluit esse absconditos. Et sic quidem loquutus est, vt & Dei sapientiam (quæ nulla in parte hiulca est) & Messiam (à quo omnium reuelatio sperabatur) decebat: hoc est, vt post se nihil alijs dicendum reliquerit. Esto igitur hoc firmum axioma, Non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm & prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur: nec alium esse rite docẽdi in Ecclesia modum nisi ex eius verbi præscripto & norma. Hæc omnia Caluinus. Sed nefarius impostor simplicem lectorem turpissimè fallit, dum ex antecedente propositione multis verbis amplificata, conclusionem facit nullo modo cohærentem. Sic enim colligit. Christus audiendus: ergo præter Christum nemo audiẽdus.

Caluinus refutatur.

Matth.18. Quæ collectio si bona est, erit etiam & ista. Ecclesia audienda. *Si enim Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, dixit Christus ipse. Ergo authore Christo, nec ipse, nec pater eius, C

nec Spiritus S. audiendus erit, sed sola Ecclesia. Quòd si verò sic colligeret Caluinus, Christus audiendus, ergo contra Christum nemo audiendus, optima esset collectio. Rursum si sic Christus audiendus, ergo nemo alius nisi qui cum Christo conueniat, aut ab eo ipso missus est, & loquendi authoritatem accepit, optima rursum esset collectio. Hoc enim modo nec Spiritus S. excluditur, qui haud dubiè distincta persona à filio Dei est, & tamen ipso Christo asserente, *multa docturus* erat Apostolos quæ Christus ipse non docuit: *quia non poterant portare modò*: nec Ec-

Ioan. 16. Matth. 28.

clesia excluderetur quam misit Christus ad loquendum, prædicandum, *docendum omnes gentes*. Moneatur ergo hoc loco diligenter populus fidelis contra impostura Caluini & aliorũ, ipsum filium Dei audiri, quoties vel Spiritus S. aliquid Ecclesiam docet quod Christus non docuit (vt Christus fore prædixit, *ille docebit vos omnia*, vt Apostoli ipsi diserte fatentur in primo suo decreto, *Visum est Spiritui S. & nobis.*) Vel Ecclesiæ pastores & magistri à Christo missi aliquid docent. Quod adeò verum est, vt Christus ipse disertissimè dixerit (hanc nefariam & pestilentem

Ioan. 14. Act. 15. Luc. 10. Cyprianus l. 4. epist. 9 & S. Basil. Constit. Monast. c. 23. hæc Christi verba ad omnes Ecclesiæ præpositos pertinere docent.

hæreticorum impostura præuidens & præcauere volens.) *Qui vos audit, me audit.* Ecce ipso filio Dei attestante, qui Apostolos audit, qui eorum legitimos successores audit (nunquid enim solos Apostolos in mundũ Christus misit?) ille filium Dei audit. Nempè in filio Dei erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ: sed eosdem thesauros filius Dei Ecclesiæ aperuit & communi- D

cauit. *Vos* (inquit) *amici mei estis, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo annunciaui vobis.* Et Ioannes vnus ex illis idem affirmat. *Vnigenitus de sinu patris ipse enarrauit nobis.* Hac de causa Paulus vocat Ecclesiam *columnam & firmamentum veritatis*: quia videlicet omnis veritas reuelata eius Authoritate nititur, quam à filio Dei ipsa accepit in verbis modò citatis: & rursum quum diceret. *Euntes docete omnes gentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quæ Christi verba nullam esse restrictionem ad ea sola quæ Christus viua voce docuerat (vt volunt hæretici) in alia Dominica ostendimus. Sed ad illa verba Lucæ. *Qui vos audit, me audit*, cauillantur hęretici, hoc nihil aliud esse, quàm qui vestrum verbum audit, meum audit, quia nihil nisi meum verbum loquimini. At

Ioan. 17. Ioan. 1. Matth. 28. Dom. 25. Trinitatis.

verò Christus eo in loco non præscribit Apostolis quid loquantur, nec restringit eos ad sui solius verba, sed Apostolorum in dicendo authoritatem demonstrat: quod & ex adiunctis verbis manifestum fit. *Qui vos spernit, me spernit.* Vult nempe docere quanta fides Apostolorum & Ecclesiæ in perpetuum prædicationi adhibenda sit, sanè tanta quanta ipsimet. Illis enim alibi dixit. *Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.* Rursum sic illis astantibus patrem alloquitur. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.* Nempè Deus pater dixit, *Audite filium.* Deus filius dixit. *Audite Ecclesiam meam.* Deus pater misit filium in mũdum. Deus filius mittit Apostolos suos, mittit alios in perpetuum verbi

Cauillatio hæretica refellitur. Luc. 10. Ioan. 15. Ioan. 17.

prædicatores

A prædicatores in mundum. Eadem & par eſt Eccleſiæ & Chriſti authoritas, quia eãdem Chriſtus ei communicauit, & quia profectò eadem ſemper per omnes ætates neceſſaria fuit, *ne circumferemur omni vento doctrinæ*. Propter hoc enim dedit Chriſtus *Apoſtolos, Prophetas, Paſtores, Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij*, nec ad tempus tantùm, ſed *donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei*, id eſt, vſque ad finem ſæculi abſque vlla intermiſſione, ſicuti & ipſemet alibi diſertiſſimè promiſit. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Eſt ergo Caluini collectio ſceleratiſſima & impietatis plena, qua propter Chriſtum audiendum, totã excludit Eccleſiam adeóque ipſum Spiritum S. ſi quid fortè doceat quod Chriſtus viua voce non docuerat, poſteáque in ſcriptum Apoſtoli retulerunt. Sed nec Chriſtus aliquid vnquam ſcribi ab Apoſtolis iuſſit, nec ad ſola ea quæ ſcriberentur vnquam ſuos alligauit, nec ipſi Apoſtoli ſe omnia ſcripſiſſe fatentur: ſed contra Paulus qui vnus plurima ſcripſit, iubet tamen *teneri traditiones quas acceperant, ſiue per Epiſtolam ſcriptas, ſiue per Sermonem* viua voce traditas & non ſcriptas. In Chriſto igitur audiendo non excluduntur omnes homines, vt vult Caluinus, ſed illi tantùm homines quos ille non miſit: quales ſunt omnes hæretici, qui à nemine miſſi, à nemine ordinati, à nemine vocati, ſeipſos intrudunt. Videat qui volet plura ad hanc rẽ pertinẽtia in alio quodã opuſculo noſtro. Certè cauillatio illa prædicta contra manifeſtiſſima ea Chriſti verba, *Qui vos audit, me audit*, quã ſit vana & impia ex altera ei ſimili apparebit. Pone regẽ aliquẽ qui prætorem conſtituens ei dicat: Qui tuã ſententiam audit, meam audit: & qui tuam ſpernit meã ſpernit. Si

B hic rebellis aliquis aut pertinax litigator audiat contra ſe prætoris ſententiam ferri, quæ tamen non ſit ipſa lex ſcripta regalis, ſed legis ipſius expoſitio prætoria, aut etiam fortè lex aliqua regalis non ſcripta, ſed iuxta poteſtatem ei datam ex æquo & bono prolata, quæro an litigatoris, aut rebellis hic eſſet bona exceptio dicentis, Tua interpretatio, vel ſententia me obligare non poteſt, ſed regis tantùm imperium & viua vox, quia ipſum tantùm audire teneor. Quod enim tibi Rex dixit, Qui tuam ſententiam audit, meam audit, ideo dixit quia tu non debes niſi verba regis & leges regias loqui. Quare niſi rex ipſe ſuis propriis verbis me condemnet, adhuc mea cauſa bona eſt. Certè vt nemo eſt hodie opinor hæreticus alicuius cerebri & modeſtię qui nõ apertè videat ingenuéq; agnoſcat hãc cauillationem friuolam eſſe, & meram improbi hominis euaſionem vt prætoris authoritatem declinet, vt impunè delinquat, vt cauſam quantumuis peſſimam tueri valeat: eodem planè modo hæretici non aliam ob cauſam ſolum Chriſtum audiendum vrgent, & ſola Chriſti verba per Eccleſiam pronunciata obligare volunt, quàm vt omnem Eccleſiæ authoritatem ſiue in exponenda Scriptura, ſiue in Apoſtolica traditione aſſerenda, ſiue denique in legibus ferendis & cenſuræ diſciplina conſeruanda, penitus abrogent: atque ita doceant illi quicquid libeat, Scripturas ſanctas peſtilenter exponent, ſine vllis legibus ac diſciplina viuant. Hoc illi totum ex huius Euangelij verbis, *Ipſum audite*, impiè detortis, colligũt hodie: cuius peſtilentis fraudis, ac impoſturæ, non importunè hoc loco moneri fidelis populus

C poteſt.

Ephes. 4.

Matth. 28

Princ. fidei l. 8. c. 18 & l. 12. c. 9.

2. Theſſ. 2.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dęmonia. *Luc. 11.*

LOCVS oſtendendi hæreticorum hodie ſimilem perfidiam, qui tot ætatum miracula ad Reliquias, & per inuocationem Sanctorum in Catholica Eccleſia facta, dæmonum illuſioni tribuunt. Aiunt enim diſertè Magdeburgenſes, quòd *in Eccleſia Romana fuerunt multis his ſæculis edita miracula virtute diaboli etſi nomine Chriſti, vt ſanationes morborum quæ accidunt in colentibus imagines & vouentibus ſanctis*. Hæc illi. Addunt alij vt Rom. Pontificem Antichriſtum eſſe probent, iſta miracula ad Sanctorum monumenta, fuiſſe ſigna & prodigia mendacia, quæ operaturum Antichriſtum Apoſtolus prædixit. Ad hanc blaſphemiam & horrendã calumniam retundendam, primum illud notari poteſt, nihil aliud hic facere hæreticos, quàm quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ hoſtes facturos prædixit. *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quãto magis domeſticos eius?* Quod enim in Chriſto auſi fuerunt Iudæi, hoc in Eccleſia audent hæretici. Deinde calumniantibus illis more Iudæorum reſpondendum, vt Chriſtus hic reſpondit. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur: & ſi Satanas Satanam eiicit, quomodo ſtabit regnum eius?* Romana enim Eccleſia omnes hæreſes etiam in ſtatu Antichriſtianiſmi quem ponunt hæretici, damnauit, eiecit, & profligauit: nec ſolùm illas quas hæretici hodie pro veritate Euangelica habent, vt Berengarij, VValdenſium, Albigenſium, Almarici, Abailhardi, & aliorum, ſed etiam alias quas ipſimet pro hæretica doctrina condemnant: vt Græcorum hæreſim contra proceſſionem Spiritus Sancti varia quoque Huſſitarum, VVicleffi & ipſorum Albigenſium atque VValdenſium dogmata, quæ illi ipſi reprobant, ac denique omnes veteres hæreſes. Nam VValdenſes

De miraculis SS. in Eccleſia Catholica. Cent. 1. l. 2. c. 4. p. 436.

D

1. *Matth. 10.* 2.

magni Proteſtantium magiſtri, erant prorſus certum genus monachorum, ſed quale ſedes A- A
In Chron. ad an. 1212 l. 4. p. 2c. 35 poſtolica approbare noluit, vt Abbas Veſpergenſis commemorat. Docuerunt etiam omnem carnalem commixtionem eſſe licitam, vt ſcribit Guido Carmelita in ſumma de hæreſibus, & Ioann. de Turrecremata. Albigenſes vbiquitatem Brentij tenuerunt: quam & Caluiniani, & 35. de Eccl. lib. 6. cæteri Lutherani execrantur, teſte Paulo Æmylio in hiſt. gallica. Huſſitæ & VVicleffiſtæ docuerunt neminem in mortali peccato exiſtentem, vel Regem, vel Epiſcopum, vel alicuius nominis magiſtratum eſſe poſſe, aliáque multa ipſorum Proteſtantium iudicio nefanda. Si omnes has hæreſes, quæ ſunt opera Diaboli, virtute Diabolica Romana Eccleſia damnauit, Satanas Satanam eiecit. Quomodo ergo tot ſæculis ſtetiſſe potuit regnum Romani Antichriſti, vt hæretici blaſphemant? Tertiò reſponde hæreticos hodie *Sanctorum miracula ideò non credere, quia Sanctorum fidem non tenent*: vt de Arianis ſcripſit Ambroſius. At alio Spiritu præditi Sancti Patres, miracula ad Sanctorum monimenta & inuocationem facta *atteſtari fidei noſtræ* docuerunt, *ideoque fieri vt fides noſtra in vnum Deum proficiat*: vt ſcribit Sanctus Auguſtinus. Poſtremò ſi apud Sanctos Chriſti, & nomine Chriſti, virtute tamen Diaboli, miracula fierent, vt blaſphemant hæretici, quid aliud ſequeretur, quam vt vel diabolus ſua virtute Chriſtum & Sanctos honoraret, vel ad Chriſti nomen inuocatum Diabolus virtutem ſuam exerceret? quorum altero nihil abſurdius, altero nihil magis impium dici aut cogitari potuit. Nam iuxta prius Diabolus ſeipſum deſtrueret, eorum cultum promouens quibus nullum exhiberi vellet, & iuxta poſterius operationi diabolicæ Chriſti nomen ſubſeruiret. B

In cõc. Cõſt. ſeſſ. 12. & ſeq. Tho. Valdenſ. doctr. fidei l. 1. c. 34. 38. 42. 3. Epiſt. l. 10. Epiſt. 85. De ciu. Dei l. 22. c. 9. & 10. 4.

Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

LOcus contra hæreticos de neceſſaria obſeruatione verbi Dei & mandatorum eius ad veram beatitudinem conſequendam; quem vide tractat. in Promptuario Morali in hac Dominica text. 7.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Accepit Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. C

Ioan. 6.

Incredulitas hæreticorum. IOCVS arguendi & acriter taxandi hæreticorum hodie incredulitatem impiam, & impietatem incredulam. Huic enim multiplicationi panum in inſtanti factæ per Chriſtum credunt. Ei autem dicenti, *Hoc eſt corpus meum*, non credunt. Obſeruet ergo hoc loco fidelis & prudens verbi diſpenſator, tum cauſam, tum modum huius miraculi, vt ex ijs Catholicorum fidem adiuuet, hæreticorum perfidiam conuincat. Cauſa huius miraculi erat, vt Iudæi doctrinam de carne Chriſti manducanda crederent. Ideò enim poſt hanc panum multiplicationem ſequenti die de carne ſua manducanda & ſanguine bibendo coram turbis Iudæorum diſſeruit, vt notauit in hunc locum Sanctus Chryſoſtomus. Ideò D. Ioannes Apoſtolus hoc miraculum de multiplicatione panum à Matthæo & Luca, antea commemoratum præter morem ſuum ſuo Euangelio inſeruit. Solet enim ab alijs commemorata (aliorum enim Euangelia ipſe viderat) ſtudio prę terire, & ab illis prætermiſſa narrare, pauciſſimis exceptis, vt hoc vno miraculo, & hiſtoria Paſſionis Dominicæ. Sed hoc miraculum ideò recitat, quia iſagoge & introductio erat ad illam doctrinam Chriſti poſtridie datam, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Nempè vt crederent Iudæi quòd panem in carnem ſuam conuertere, atque in ea ſpecie manducandam dare poſſit, pridiè huius doctrinæ ex paucis panibus 5000. hominum paſcit. Neque enim minus hoc miraculum eſt, nõ minus humani ſenſus iudicium excedit, & naturæ vires ſuperat ex vno pane mille in inſtanti producere, ſine vlla alterationum ſucceſſione (quod Chriſtus hic fecit) ſiue per ſimplicem multiplicationem nulla addita quantitate, ſiue per conuerſionem alicuius materiæ extrinſecæ aliunde aſſumptæ, quã panem in corpus ſuum conuertere. Rurſum hanc ob cauſam Euangeliſta temporis circunſtantiam in hoc miraculo ſingulariter notauit. *Erat* (inquit) *proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum*. In quo videlicet proximo & poſtremo Iudaico Paſchate, *antiqua obſeruantia nouo tolleretur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſiret, ſanguinem ſanguis excluderet, & legalis feſtiuitas dum mutatur impleretur*, vt eleganter ait Leo Magnus. Cauſa igitur & operatio huius miraculi erat fides doctrinæ Euchariſtiæ. Modus quoque hos panes multiplicandi & ceremoniæ adhibitæ planè eædem ſunt cum illis quibus poſtea in vltima Cœna vſus eſt. Nam non ſolùm, *accepit in manus & gratias egit* (vt hic breuitatis ſtudio contractius ſcripſit S. Ioannes) ſed *aſpiciens in cælum benedixit* (ait Matthæus) *illis*, (addit Lucas) videlicet panibus ac piſcibus, *& fregit & dedit diſcipulis ſuis, diſcipuli autem turbis*. Nempe eiſdem ceremonijs vtrobiq; vtitur, vt doceat vtrobiq, ſe miraculum facere, & aliquid

Cõfirmatio doctrinæ de Euchariſt. Hom. 45. in Ioan.

Cauſa miraculi.

Ioan. 6.

Ioan. 6. Ser. 7. de Paſſ. Dom.

Modus miraculi.

Matth. 14. Luc. 9.

D

ſupra

A ſupra naturæ vires operari. Benedictionem adhibet ſicut in Cœna, vtique operatoriã. Dei enim benedicere ad creaturas relatum, ſemper eſt aliquid operatorium circa illas. *Deus ſua bonitate ſemina benedixit vel benedicendo conſtituit*, ait Auguſt. *Maior vis benedictionis quàm naturæ* (ait Ambr.) *quia benedictione ipſa natura mutatur.* Accipit in manus, gratias agit, frangit, dat diſcipulis. Totus agendi modus idem. Cur igitur hæretici de hac multiplicatione panum nullam quæſtionem mouent de corpore Chriſti in cœna tam acerbè litigant? Cur vnum credentes, alterũ non credunt? Iudæi quidem miraculum hoc crediderunt, quia viderunt & comederunt de panibus, hæretici verò myſterium cœnæ credere nolunt, quia non vident aliud quàm panem? Sanè impius Caluinus hoc ipſum ſatis apertè inſinuauit. Reſpondens enim argumẽto de conuerſione virgæ Moyſis in ſerpentem, ait. *Sed quid ſimile aut vicinum reperiunt inter illuſtre miraculum, & fictitiam illorum illuſionem* (Tranſſubſtantiationem dicit) *cuius nullus in terra oculus teſtis eſt*? Hæc ille. Ergo oculos Caluine non fidem adfers ad Sacramenta religionis? At Chriſtus nos docuit. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Hæreticorum igitur impia incredulitas & incredula impietas amplificari hoc loco, & acriter taxari meretur, vt ad eos id dicamus quod ad Manichæos dixit S. Auguſt. *Qui in Euangelio quod vultis creditis, quod non vultis, hoc non creditis, non Euangelio ſed vobis ipſis creditis.* Sic enim illi faciunt. Vide plura in Dominica 6. poſt Pentecoſten.

De pec. origin. cap. 40

De iis qui init. myſt. c. 9.

Inſt. lib. 4. c. 17. ſ. 15.

Ioan. 20.

Cont. Fauſt lib. 16. c. 3.

B

DOMINICA PASSIONIS.

Qui ex Deo eſt verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. *Ioan. 8.*

LOCVS obſeruandi ideò hæreticos Eccleſiam non audire, quia ex Deo nõ ſunt. Idem enim eſt de doctrina Eccleſiæ hac in parte iudiciũ, quod de doctrina Chriſti, vt patet ex verbis S. Ioannis alio in loco. *Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Inſignis locus eſt. Duo docet. Primum doctrinam Apoſtolorum & ſucceſſorum eſſe doctrinam Dei, vocem eorum vocem Dei. Secundò ex hoc propriè Catholicum & orthodoxum ab hæretico diſcerni, quod ille Eccleſiæ præpoſitos audit, iſte non audit.

Hæretici cur Eccleſ. non audiũt

1. Ioan. 4.

C

Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

LOcus notandi eandem hodie hæreticorum maleuolentiam contra Eccleſiam, quæ fuit Iudæorum contra Chriſtum. Non ſolum maledicunt, ſed & rectè ſe facere maledicendo iactitant. Aiunt enim. Nonne bene dicimus nos quia Papa veſter Antichriſtus eſt, & vos membra eius? Et tamen certiſſimè ſciunt, vnum certum hominem Antichriſtum eſſe, non longam perſonarum ſucceſſionem: Item Papam credere in Ieſum Chriſtum, totum ſymbolum, totas Scripturas, omnia Sacramenta tenere, quæ omnia negabit, & profligabit Antichriſtus. Iudæi certò ſciebant Chriſtum Samaritanum non eſſe ſed Galilæum. Et tamen aiunt. *Nonne bene dicimus, &c.*

Maledicentia hæreticorum.

D

Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.

LOcus appoſitus obſeruandi, contra hæreticos, vitam æternam obſeruationi mandatorum repromitti, & tribui, non ſecus quàm alijs in locis fidei tribuitur. Vnde notabit prudens concionator, ſicuti in hoc loco non excluditur fides, quaſi obſeruatio mandatorũ ſine illa ſaluare poſſet, vt quidam olim pagani exiſtimarunt, de quibus vide Auguſt. ſic in illis locis vbi fidei ſalus, iuſtificatio, vita æterna tribuitur, nõ excludi bona opera. Vide de hac re plura in Dominica 12. poſt Pentecoſten.

Bonorum operum merces. In præfat. Pſalm. 31.

Dixerunt quod nunc cognouimus quia dæmonium habes.

LOcus explicandi hæreticorum hodie maleuolentiam in ſenſu doctrinæ Eccleſiaſticæ peruerſe traducendo, qualem hic Iudæi in ſenſu verborum Chriſti exercuerunt. Quum enim eadem ferè verba Samaritanæ mulieri, docili & ſimplici dixiſſet IESVS. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*, nec calumniatur nec inuidet, etiam ſi non intelligeret quid

Hæreticorum ſycophantia.

diceretur, sed simpliciter respondet, *Domine da mihi hanc aquam vt non sitiam neque veniam huc hau-* A
rire. Tanto plus valet indocta simplicitas quã proterua calliditas. Similiter hæretici hodie quia Ecclesia præcipit & præscribit ieiunia, & ad sacros ordines non admittit nisi cælibes, clamant impij: Nunc scimus quòd dæmoniacas doctrinas traditis prohibentes nubere, & abstinere à cibis quos Deus creauit, &c. Attamen ante annos 1200. huic rancidæ calũniæ respondente Aug.

Cont. Faust lib. 30. cap. 5. & 6. *Ecclesiam edomandi corporis causa hoc facere, non quia immunda illa esse credunt, à quibus abstinent*: Item, *illum prohibere nuptias qui hoc malum esse dicit, non illum qui huic bono aliud melius anteponit*, blasphemant tamen semper Ecclesiam, vt Iudæi Christum.

Si ego glorifico meipsum gloria mea nihil est.

Hæretici hodie seipsos glorificant.

LOcus accommodatus acriter perstringendi hæreticorum hodie improbam audaciam, & impietatem præsumptuosam, qua sine legitima, & ordinaria vocatione ad ministeriũ verbi, & Sacramentorum sese intruserunt. Huiusmodi enim seipsos glorificauerũt homines superbissimi, quod Christus ipse facere noluit. Christus vt homo à seipso authoritatem non accepit, sed à Deo missus est cum testimonijs maximè illustribus: Ioanne Baptista, voce de cœlo B
in baptismo, operibus admirandis quæ fecit in nomine patris sui. Vnde Apostolus. *Hebr. 9.* *Christus nõ se-*
Ioan. 8. *metipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.* Et in hoc Euangelio paulò superiùs. *Ego si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Nempe si ego solus. Alioqui (quod hæreticorum superbia magis aggrauat) Christus potuerat verè & legitimè seipsum glorificare si voluisset. Vnde paulo ante dixerat. *Ego si testimonium prohibeo de meipso, testi-*
Ioan. 8. *monium meum verum est*: Et causam subiungit, *quia scio vnde veni & quo vado.* Nempe quia à Patre
1. processit, Patri per omnia æqualis. Tamen hoc non facit propter tria. 1. propter exemplũ quod
2. futuræ Ecclesiæ relicturus erat. 2. Propter scandalum quod Iudæi inde accipere poterant. 3.
3. Quia opus non erat vt prædictum est. Sic Paulus, etsi de cœlo à Christo vocatus, & vt ipsemet
Act. 9. *Gal. 1.* scribit, *neque ab homine, neque per hominem, sed per Christum.* Tamen ne seipsum videretur glorifica-
Dõ. 5. post Epiphan. lib. 5 c. 16. re, ab Ecclesia ordinationem accepit per impositionem manuum presbyterij. Vide hac de re plura infra alia Dom. & in opusculo nostro de Princip. fidei doctrinalibus: Item in festo S. Andreæ, & S. Marci, & in feria 3. Pentecostes.

Dixerunt, Iudæi ad eum. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti.

C

Cauillationes Iudaicæ & hæreticorum hodie consimiles.

LOcus alius & oportunus cauillationes hæreticorum contra Ecclesiam planè consimiles Iudaicis contra Christũ obseruandi & explicandi. Non dixerat Christus quod ipse Abraham viderat, sed quod Abraham illum. Hoc ille fide potuit, quatenus venturum videbat, etsi Christus illum ne quidem vt Deus vidisset. Deinde non dicit Christus quòd Abraham illũ vidit, sed *quòd diem eius vidit*: id est facta eius glorioſa in spiritu vidit. His ergo cauillantur, vt locum calumniæ facerent. Sic hodie hæretici contra notissimam Ecclesiæ doctrinam. Dicũt Ca-
1. tholici. Non extat præceptum de Dei verbo scribendo. Peruertunt illi. Contra voluntatẽ Dei
2. esse dicitis quòd Apostoli aliquid scripserint. Dicunt Catholici traditiones Apostolicas extra & præter scripturas, etiam pari cum fide, ac authoritate recipiendas esse. Peruertunt illi. Dicitis traditiones humanas, & pontificias contra, & supra scripturas esse admittendas. Dicunt Cathoi-
3. *Gal. 5.* lici hominem iustificari fide & operibus, siue *per fidem quæ per dilectionem operatur*, vt Apostolus loquitur. Peruertunt & cauillantur illi. Dicitis hominem iustificari per proprias qualitates, tanquã per causam efficientem iustitiæ, non per Christum qui est iustificatio nostra, id est, causa efficiẽs illius. Sic quòd de causa formali dictum est, ad efficientem trahunt: Sanato aliquo ægro partim potione accepta, partim aliquo corporis proprij exercitio, qui diceret ægrum iam sanum ex bona corporis habitudine sanum esse in qua iam est, non negat ex illis præcedentibus causis effectiuè sanatum fuisse. Aliud enim sanitas, aliud sanatio. Aliud iustitia, aliud iustificatio. Vide multo plura harum cauillationum exempla, quibus doctrinam Catholicam maleuolè peruertunt, vt D
hic Christi verba. Quære in oratione quadam nostra Quodlibetica, cui titulus est, *Vtrum hæreti-*
In posteriori editione Princip. fidei doct. p. 595 *corum hodie maior sit nequitia, quàm astutia.* Et apud Gal. Lindanum in concordia discordi pag. 197.

Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet.

LOcus contra hæreticos de honorandis Sacerdotibus, & de pœna eorum qui eos inhonorant, quem vide tract. in Prompt. Morali in hac Dom. text. 4.

DOMINICA

A

DOMINICA PALMARVM ANTE BE-nedictionem earum.

Et posuerunt vestimenta sua in via, & præciderunt ramos de arboribus, & strauerunt in via, &c. Matth. 21.

LOCVS ostendendi contra hæreticos, externas ceremonias Ecclesiæ, ornamenta Altarium & Templorum propter præsentiam venerabilis Eucharistiæ, & propter Dei cultum, ac sacrificium, rem esse Deo gratam, & laudabilem, sicut Christo grata fuit, & acceptabilis hæc Apostolorum, & totius populi erga eum deuotio externa, & reuerentia exhibita. Placent Christo obsequia externa. Magdalenæ deuotionem laudauit, & hospitem suum Simonem Pharisæum de non exhibito honore admonuit. *Aquam pedibus meis non dedisti. Osculum non dedisti mihi. Caput meum oleo non vnxisti. Hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Rursum in domo Simonis leprosi defendit mulierem, quæ vnguentum pretiosum effuderat super caput eius, dicens. *Quid molesti estis huic mulieri? bonum opus operata est in me. Vbicunque prædicatum, & cætera.* Laudat Apostolos quod debitum ei honorem præbeant. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Grata fuit Deo Dauidis voluntas, quòd eum pudebat in domo cedrina habitare, & arcam Domini sub pellibus esse. Nec eum pudebat saltare ante arcam Domini discoopertum & si propter hoc Michol eum in corde suo despexit, vt typus hæreticorum: qui piorum deuotiones irridentes, ideóque steriles sunt tam bonorum operum, quàm etiam propagationis diuturnæ. Iuliani Apostatæ quæstor ad vasa Templi Antiocheni diripienda missus. *Ecce* (inquit) *quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur.* Similem hodie spiritum hæretici habent. Vide plura in festo Sancti Matthæi Apostoli.

Externæ ceremoniæ Deo gratæ.

Luc. 7.

Matth. 26. Ioan. 13. 2. Reg. 7.

2. Reg. 6. Michol typus hæreticorum. Theodor. lib. 3. ca. 11. hist. Eccl.

C *Turbæ clamant, Osanna filio Dauid, Osanna in altissimis*, & paulò post. *Pueri clamant in Templo, Osanna.*

LOcus ostendendi contra hæreticos, quòd laudes Dei & preces etiam non intellectæ placent Deo. Nec turba hæc popularis, nec pueri intelligebant quæ dicebantur, Christus tamen puerorum factum laudat, & turbæ voces non redarguit. Tanto pretio dignus est libellus pretiosus in manu eius qui pretium ignorat, quanto in manu optimi mercatoris. *Plerumque* (inquit sanctus Augustinus) *precis vitium superat dicentis affectus. Multi irruunt in preces non solùm ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem, non eas valentes discernere, vtuntur eis, arbitrantes quòd bonæ sunt. Nec quod in eis peruersum est, euacuat illa quæ ibi recta sunt.* Hæc ille. Quanto magis preces piæ proderunt non intelligentibus? Sic Origenes. *Si vides aliquando legi Scripturas in auribus tuis, quas non intelligis, interim hanc primùm scias te accepisse vtilitatem quòd solo auditu velut præcantatione quadam noxiarum virtutum, quæ te obsident, & quæ tibi insidiantur, virus depellitur.* Lutgardis virgo quum nec Psalmos intelligeret, nec quicquam de Scripturis, dum tamen ruminaret versum illum: *Deus in adiutorium meum intende*, videbat dæmones multo cum horrore diffugere, & à malis suggerendis cessare. Surius, tomo tertio pagina 669.

Preces non intellectæ placẽt Deo.

De bapt. cont. Donat. lib. 6. cap. 25.

Hom. 20. in Iosue.

A

DOMINICA RESVRRECTIONIS SEV PASCHÆ.

Marc.16. *Emerunt aromata vt venientes vngerent Iesum.*

De cultu & veneratione externa Sanctorum aut Reliquiarum.

LOCVS non incommodus admonendi populum fidelem contra prophanas hæreticorum irrisiones, & subsannationes, quibus deuotionem populi Catholici maximè mulierum circa cultum & deuotionem, & pia alia obsequia in honorem Sanctorum Christi Martyrum & Confessorum exhiberi solita excipiunt. Si quis enim Catholicus Sancti alicuius Martyris, aut personæ Religiosæ, quæ cum magna sanctitatis opinione decesserit è vita, vel recenter defuncti corpus, vel ab Ecclesia in numerum sanctorum relati, Reliquias aliquas, aut floribus ornarit, aut luminibus accensis, aut suffitu fumigarit, aut pretioso aliquo ornamento vestierit; totum hoc irrident, & subsannant hæretici, & ad Paganorum, vel Iudæorum superstitiones pertinere clamitant. At in hoc Euangelio tres istæ mulieres Christi defuncti corpus (quem vt Prophetam & Sanctum virum colebant, nec adhuc verum esse Messiam, atque resurrecturum credebant) emptis aromatibus vngere parant. Huius rei mandatum à Deo non habebant. In facto quoque ipso errabant, & errorem ipsum Angeli illis exponere videntur, dicentes, *quid quæritis viuentem cum mortuis?* Et tamen adeò hoc deuo-
Luc.24. 1. tionis & voluntarij cultus factum Deo placuit, vt Angelorum visione, ac consolatione dignæ
2. fuerint, vt Christus ipse eis redeuntibus domum, in via appareuerit, ac denique vt (quod Mag-
3. dalenæ soli negatum fuerat) tres pariter cùm essent, eum tangere, & osculari pedes permissæ
Matth.28 fuerint. Sic enim Matthæus scribit. *Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno currentes nunciare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis dicens, Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt*
4. *pedes eius, & adorauerunt eum.* Sed & Christus hoc illas honore dignatus est, vt primas resurrectionis suæ nuncias, & testes, quasique Apostolorum ipsorum hac in re magistras constituerit. *Ite* (inquit) *nunciate fratribus meis.* Docet nos hoc exemplum deuota fidelium obsequia circa corpora mortua Sanctorum, aut aliquas corporum Reliquias, aliáve monimenta, pia intentione facta, Deo planè placere, & pergrata esse. Sic rem Ecclesia Catholica semper intellexit, & similem suorum pietatem. Deo etiam signis approbante collaudauit. Laudatur, & celebratur in historia Ecclesiastica Eusebij Assyrius vir nobilis, quòd *Sancti Marini Martyrio defuncti corpus su-*
Li.7.c.14. *stulit, splendida, ac pretiosa obtexit veste, humeris impositum è loco supplicij deportauit, ac demum magnifico ac sumptuoso linteo inuolutum decenti sepulchro condidit.* Narrat prolixè Gregorius Nyssenus
In orat. de S. Theod. quanto & quàm magnifico honore Sancti Theodori Martyris corpus fideles eius tempore
De ciu. Dei lib.22.c.8. (hoc est ante annos 1200.) prosecuti fuerint. Diuus Augustinus memoriam Sancti Stephani in Africa floribus ad altare depositis honoratum fuisse, ipsósque flores ex altari sublatos medelam attulisse his verbis commemorat. *Vir primarius nomine Martialis æuo iam grauis, à Religione Christiana abhorrens filiam fidelem, & generum baptizatum habuit. Qui cum ægrotantem multis, & magnis precibus & lachrymis rogarent, vt Christianus fieret, prorsus abnuit. Visum est genero eius ire ad memoriam Sancti Stephani, & illic pro eo quantum posset orare, &c. fecit hoc ingenti fletu & gemitu, & synceriter ardente pietatis affectu: Deinde abscedens aliquid de altari florum quod occurrit, tulit; eique quum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur. Veniunt eo absente Presbyteri. Credere se profitetur, baptizatur. Non multo post in illis S. Stephani verbis, Christe accipe spiritum meum, cum hæc vltima sancti Stephani verba esse nesciret, defunctus est.* Hæc D. Augustinus. Hæc tam repentina conuersio vt suorum potius pietati, ac precibus (quibus Deus flectebatur) tribuenda potius est, quàm floribus ex altari sancti Stephani sublatis, capitique ægrotantis appositis: sic manifestè ostendit hoc genus pietatis quo illi tunc Christiani reliquias S. Stephani prosequebantur, floréque & altari imponere solerent, & inde sublatos capiti ægrotantis supponerent, non fuisse Deo ingratam, & vanam aliquam atque odiosam superstitionem (sicuti hæretici de toto hoc genere deuotionis iudicant) sed Deo egregiè placuisse, vt veræ religionis actionem piam atque laudabilem. Alioqui actum superstitiosum, tam insigni miraculo Deus nunquam cohonestasset. Narrat eodem in loco Diuus Augustinus: *aliam quandam fœminam cæcam quum ad Episcopum Reliquias S. Stephani portantem vt duceretur rogasset, floresque quos secum tulerat dedisset, recepisset, oculisque admouisset, protinus vidisse.* Si Martyrum Reliquias floribus ornare, superstitiosum esset, nec illud factum tanta sanitas statim consequuta fuisset, nec huius sanitatis miraculum tantus doctor, tam diligenter commemorasset. Vide plura huius generis in
Dō.23.post Pentecost. alia Dominica. Hæc enim & alia innumera antiquitatis testimonia hodiernam Catholicorum pietatem circa Sanctorum corpora, & Reliquias vario cultu, ac veneratione prosequendas, cōtra omnes hæreticorum cachinnos & conuitia solidè defendunt, firméque corroborant. Nihil enim planè aliud Catholici in toto illo cultus genere, circa Dei amicos faciunt, quàm quòd tres istæ mulieres, circa Christi corpus mortuum, quē pro magno Propheta, & viro sancto habuerunt,

habuerunt, facere conabantur, & conantes magnum pietatis testimonium, ac præmium locupletissimum reportarunt. Huiusmodi sanè vt etiam in sacra Euangelij historia, ad perpetuam rei memoriam omnes 4. Euangelistæ illud commemorare voluerint.

DOMINICA IN ALBIS.

Cum sero esset, & fores essent clausæ, venit Iesus. Ioan. 21.

LOCVS ostendendi Christi corpus diuinitati coniunctum non teneri naturæ legibus, sed æquè posse pluribus in locis simul esse, atque alterum corpus penetrare. Locus etiã Caluini impudentiam retundendi, qui non clausis, sed patefactis per se ianuis (contra apertam scripturam) Christi corpus ingressum ait, miraculum miraculo substituẽs. Et rebus potius insensatis quàm Christi carni vim diuinam ac supernaturalem tribuens. Sed Caluino opponuntur patres. Chrysost. ait. *Admirandũ est quòd phantasma esse non sunt suspicati: clausis enim foribus, & repente est ingressus.* Augustin. dicit. *Moli corporis vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inuiolata permansit.* Sic & Cyrill. *Clausis foribus repente Dominus omnipotentia suæ natura rerum superata ad discipulos ingressus est.* Idẽ habet Greg. Hõ. 26. in Euang. Caluinus eadem impudentia ait Christum super aquas solidatas per modum pauimenti ambulasse, & in Christi resurrectione lapidem sepulchri loco cessisse, & mox ad eundem sponte rediisse. At verò tum hic tum alibi, vbi *Iesus transiens per medium Iudæorum ibat*, loci circunstantijs bene perpẽsis, apparet Christi corpus supra naturalium corporum vires vel inuisibiliter transijsse, vel ipsam multitudinem penetrasse, quæ eum præcipitatura denso agmine circundabat.

Caluinus refutatur. *Instit. l. 4. cap. 17.* *Num. 29.* *Hom. 89. in Ioan.* *Tract. 121. in Ioan.* *Li. 12. c. 53. in Ioan.* *Vbi suprà.* *Luc. 4.*

Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum.

LOcus ostendendi contra hæreticos potestatem Ecclesiæ in remittendis peccatis. Duo præmittit fundamẽta Christus. 1. Missionem qua datur potestas, vt ex officio & legitimè, & absque vsurpatione hoc faciant. Nam & Christus ipse *non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, &c.* 2. facultatem & virtutem qua efficaciter faciant quod legitimè faciunt. Nempe Spiritum S. Nam sicut in naturalibus non solum est inclinatio naturę, per commune auxilium, sed etiam cuiusq; rei propria forma, quæ est actionis principium. Et sicut in moralibus non solùm est potentia ad volandum, sed etiam habitus potẽtiam inclinans, sic in Ecclesiæ præpositis non solùm est authoritas vt legitimè, sed etiam Spiritus S. gratia vt rectè, & debitè, & efficaciter peccata remittant.

Ecclesiæ potestas in remittendis peccatis. *Heb. 5.*

Quorum remiseritis peccata, &c.

LOcus explicandi contra hæreticos, veram & realem eámq; iudicialem potestatem remittendi peccata Ecclesiæ datam, & non solum nudum ministeriũ annunciandi, vel prædicandi factã antea per Christum, aut per solam fidem remissionẽ peccatorum. Verba Christi aperta sunt, & illa vrgeri debent. Deinde patres proferri poterunt. Chrysost. *Corporis leprã non purgare, sed purgatam ostendere & probare Iudæis sacerdotibus datum est. At nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verũ animæ sordes, non dico purgatas ostendere, sed purgare prorsus concessum est.* Hæc ille disertè contra hæreticos nostros. Sic Cyrillus. *Quomodo quod solius Dei est homines faciunt? Respondet. Quia absurdũ non est peccata ab illis remitti posse qui Spiritum S. habent in semetipsis.* Sic Ambros. de pœnit. l. 1. c. 2. *Ipsum munus Spiritus S. fit nunc officium sacerdotis. Ius autem Spiritus S. in soluendis ligandisque peccatis est.* Sic & Augustin. *Dedit Ecclesiæ suæ Spiritum S. vt quicunque in eo peccata dimitteret, dimitterentur ei.* De iudiciali potestate, Hilarius, qui vocat illam *immobile seueritatis Apostolicæ iudicium*: Et iterum de Petro. *Cuius terrestre iudicium est præiudicata authoritas in cœlis.* Sic Augustin. exponens illud Apocal. 20. *Vidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est*, ait. *Iudicium datum nullum melius accipiendum videtur, quàm quod dictum est, quæ ligaueris in terra, &c.* Sic & Greg. Magnus. *Superni iudicis principatum sortiuntur, vt vice Dei, quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* Præclarè quoque Chrysost. *A terra principalem iudicandi authoritatem sumit cœlum. Iudex enim sedet in terra, Dominus sequitur seruũ, & quicquid hic in inferioribus iudicauit, hoc ille in supernis cõprobat.* Rursum alibi. *Pater omne iudicium dedit filio: sed hoc totum video à Dei filio sacerdotibus traditum.* De confessionis sacramentalis necessitate quæ ex hac iudiciaria potestate consequitur, vide multa contra hæreticos nostri temporis disputata in Prompt. Morali in hac Dom. text. 4.

Iudicialis potestas remittendi peccata. *Lib. 3. de Sacerdotio* *In Ioan. l. 12. c. 56.* *Lib. 1. c. 2. de pœnit.* *Ser. 11. de verb. Dom.* *Can. 18. & 16. in Mat.* *De ciu. Dei lib. 20. c. 9.* *Hom. 26. in Euang.* *Hom. 5. in Esai.* *Lib. 3 de Sacerd.*

A

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ioan.10. *Erit vnus Pastor, & vnum ouile.*

De vnitate Ecclesiæ. LOCVS differendi contra hæreticos de vnitate Ecclesiæ qui eam in varias sectas distrahunt. Est autem Ecclesia vna multis modis. Est vnum ouile ratione principij vitalis, quale cor est in homine, quia ab vno Spiritu animatur, ideóque contraria dicere non potest. *Vnum corpus, & vnus spiritus. Omnes in vno spiritu potati sumus.*

Ephes. 4. 1. Cor. 12.

Est vnum ratione ordinis omnium membrorum ad vnum caput Christum. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Est enim Christus caput omnium, & ratione ordinis, *quia primogenitus est ex multis fratribus*, quatenus omnes illi assimilari debent, & ratione perfectionis, quia est *plenus omni gratia*, sicut in capite naturali vigent omnes sensus, & denique ratione virtutis, seu efficaciæ, quia *de plenitudine eius omnes accepimus: & ille vitis est, nos palmites.* Est vnum ouile ratione connexionis omnium membrorum ad inuicem, per operationes mutuas, licet diuersas. *Multi vnum corpus sumus, alter autem alterius membra.* Hæc vnitas, pacem animorum facit, & schisma tollit. Est vnum ouile, & vnus pastor, quia vnam personam mysticam vtrúmq; constituit: cuius personæ caput est Christus & corpus est Ecclesia. Hoc sensu Apostolus de Ecclesia dixit. *Quæ est corpus & plenitudo eius. Hoc est sacramentum magnum:* & arcta coniunctio. Viderint qui ab Ecclesia se separant. Est vnum ouile vt totum quoddam continuum, etsi per totum orbem diffusum. Vnde Cyprianus. *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem terrarum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est quod vbique diffunditur: sicut arbor magna longè latéque ramos extendit, vna tamen radice fulcitur, vno robore fidei sustentatur.* Hoc sensu vocatur in scripturis, *Vna Ciuitas, & Domus magna.*

Ioan. 1. Ioan. 19.

Rom. 12.

Ephes. 1. & 5.

In lib. de vnitate Ecclesiæ.

Matth. 9. 1. Tim. 3.

Est vnum ouile vt totum quoddam fluens, & successiuum propter perpetuitatem quam habet. Cyprianus. *Sicut de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine: sic Ecclesia profluentes largitur riuos, latius expandit, vna tamen mater, fœcunditatis successibus copiosa.* Hæc ille. Secundum hos duos postremos vnitatis modos, sola Ecclesia Cath. est vna, quæ & omnium gentium Christianarum communionem tenet, & à tẽpore Apostolico perpetua successione propagata est. Nulla hæresis sic vna est. Quum autẽ tot modis Ecclesia sit vna, docendus oportunè populus quanto studio hæc Ecclesiæ vnitas seruãda sit, quanto & quã certo cũ salutis æternę detrimẽto hæc Ecclesiæ vnitas deseratur. Triplici autẽ ex capite docere id concionator poterit. Primũ quia arctissima est Christi & Ecclesiæ vnitas, quã Apostolus vocat, *Magnum Sacramentum*, quia sicut vir & coniunx sunt duo in carne vna, sic Christus & Ecclesia sunt duo in vno Spiritu, & idcirco Ecclesia nõ solũ corpus, sed *& plenitudo Christi* ab Apostolo vocatur, quia videl. nec sine sua Ecclesia Christus plenus est, plenus inquam & perfectus mediator, capútq; perfectũ, ita nec Ecclesia plena est sine Christo, quia inquã arctissima & perfectissima hæc vnitas est, propterea Christianus esse non potest qui ab Ecclesiæ vnitate diuellitur. Expressit hoc totũ his verbis August. *Totus Christus caput & corpus est. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicunque de ipso capite ab scripturis S. dissentiunt, etiam si in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicunq; de ipso capite Scripturis S. consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt.* Hæc ille. Quorum prius vel ad paganos Christianis cõmixtos (vt tempore August. adhuc fiebat) vel ad quosdam hæreticos circa Christi personam errantes, quales innumeri fuerunt, Marcionitæ, Manichæi, Ariani, Nestoriani, Monothelitæ & alij, pertinet. Posterius propriè ad schismaticos omnes, vel alios etiam quosuis hæreticos, qui vt hæresim suam teneant, Ecclesiæ vnitatẽ deserũt, quales sunt omnes hodie nostri temporis hæretici. Quã posteriorẽ particulam paulo clarius & plenius idẽ August. paulò pòst expressit his verbis. *Quicunque credunt quidem quòd Christus Iesus in carne venerit de Virgine Maria ex semine Dauid, & in eadem carne in qua natus & passus est resurrexit, & ipse sit filius Dei, Deus apud Deum, & cum patre vnum, & incommutabile verbũ Patris per quod facta sunt omnia,* (in quibus quasi fundamentũ fidei nostræ consistit, totáq; illa veritas quam veteres hæretici ante August. impugnauerant) *sed tamen ab eius corpore quod est Ecclesia ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto quacunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est eos nõ esse in Catholica Ecclesia.* Hæc rursum ille, quæ etiam contra illos valent & multũ hodie notanda sunt, qui dicũt parũ referre cui se Christianorũ societati aut sectæ adiungant, modò fundamentum teneãt. Totũ enim fidei fundamentum, imò & omnes eius appendices, & tota Catholica veritas firmiter retenta & credita nihil tamen ad salutem valẽt, si ab Ecclesiæ vnitate quis segregetur. Quod alio in loco his verbis idem clarissimus doctor docuit. *Extra Ecclesiã Catholicam totum habere potest hæreticus præter salutem. Potest habere honorem secundum Ecclesiasticum ordinem, potest habere Sacramentum, potest cãtare Alleluia,*

Ibidem.

Inser. super gestis Emeriti Donat.

Cause seruandæ vnitatis Eccl.

Ephes. 5. Ephes. 1.

De vnit. Eccl. cap. 4

B

C

D

A *Alleluia, potest respondere Amen, potest Euangelium tenere, potest in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti, fidem & habere & prædicare: Sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem poterit inuenire.* Hæc ille. Horum autem omnium causa est, quia Christi & suæ Ecclesiæ nexus est indiuiduus, & vinculum indissolubile. Hinc celebre illud Sanctorum Patrum dictum. *Non potest Deum habere Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.* Quod his verbis docuit Cyprianus. *Vna est mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu eius animamur. Hæc nos Deo seruat: hæc filios regno quos generauit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habeat matrem.* Hęc ille. Sic & post eum Augustinus. *Propterea* (inquit) *Symboli conclusio per sanctam Ecclesiam terminatur, quoniam si quis absque ea inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Nec enim Deum habebit patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Hæc ille. Esse igitur filius Dei non potest, qui Ecclesiæ filius esse recusat. Pater eum pro filio non habebit, qui matrem non agnoscit. Christus sibi Ecclesiam desponsauit per omnes gentes diffusam, quam & suo sanguine acquisiuit. Qui ab hac sponsa segregatur, ad sponsum pertinere non potest.

In lib. de vnit. Eccl.

De Symbolo ad Catech. li. 3 ca. 10. & li. 4. c. 10.

Altera ratio vnitatis Ecclesiæ necessario retinendæ est, quod extra corpus Christi Spiritus Christi esse non potest. Christus est *Caput super omnem Ecclesiam.* Omnis Ecclesia est corpus Christi. Sicut caput naturale non mouet, non dirigit, non influit nisi in suum corpus eiusque membra: sic Christus caput vitale Spiritus sui gratiam non influit, non instillat nisi in corporis
B sui membra, id est, nisi in Ecclesiæ filios & Ecclesiæ suæ vnitate fidei, animorum, & sacramentorum coniunctos: eorum videlicet qui Ecclesiæ fidem tenent, qui Ecclesiam diligunt, qui Ecclesiæ sacramentis communicant. Agnouit hoc vetustissimus & doctissimus Irenæus. *Vbi* (inquit) *Ecclesia, ibi & Spiritus: & vbi Spiritus Dei, illic Ecclesia.* Quod ita se habere hoc quasi argumento probat Augustinus. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis qui est hostis vnitatis. Non habent ergo Spiritum Dei qui sunt extra Ecclesiam.* Et rursum alibi. *Non habet Dei charitatem qui Ecclesiæ non diligit vnitatem: ac per hoc recte intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Ecclesia Spiritus sanctus.* Et adhuc alio in loco apertius. *Accipimus & nos Spiritum sanctum si amamus Ecclesiam, si vnitate compaginamur, si catholico nomine & fide gaudemus. Credamus fratres: quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum.* Hęc ille. Sanè propter hanc causam de hæreticis pronuntiat Apostolus Iudas eos Spiritu Dei penitus destitui. *Qui seipsos segregant, animales sunt, Spiritum Dei non habentes.* Quod & Paulus etsi obscurius his verbis expressit. *Habentes formam quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes,* id est, habentes professionem Christianitatis & sacramenta Christi, sed Spiritum atque virtutem Dei non habentes, vt Augustinus his verbis exponit. *Potest esse visibilis forma palmitis etiam præter vitem, sed*
C *inuisibilis vita radicis haberi non potest nisi in vite. Proinde corporalia sacramenta quæ portant & celebrant etiam segregati ab vnitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis. Virtus autem pietatis inuisibilis & spiritualis ita in eis non potest esse, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum quando amputatur à corpore.* Hæc ille. Multum ergo docendus & monendus populus fidelis, Christum esse caput, nos membra, sed in vno corpore quod est Ecclesia vnita, Christum esse vitem, nos palmites, sed ab vna arbore pendentes, ab vna radice enatos, vno trunco incisos. Quare grauissima illa S. Augustini admonitio illis proponenda & inculcanda est, qua dicit. *Nihil sic formidare debet Christianus quàm separari à corpore Christi, quod est Ecclesia vtiq; vna Catholica. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius. Si non est membrum eius, non vegetatur Spiritus eius. Quisquis autem Spiritum Christi non habet* (ait Apostolus) *hic non est eius.* Hæc causa diligenter amplificata ad vnitatem Ecclesiæ mordicus retinendam, plurimum mouebit. Ex hoc enim capite promanat, quod nulla sacramenta, nulla bona opera quæcunque cum fructu & merito vitæ æternæ suscipiuntur, extra Ecclesiæ vnitatem. Nam quod ipse baptismus ab hæreticis administratus infantibus ad salutem valet, nec sic valeret nisi cum intentione Ecclesiæ hæreticus baptizaret, ideoque etsi ex vtero Agar tamen voluntate Saræ filius Abrahæ nascatur (vt sapienter docet Augustinus) nec ita prorsus valet quin ad adultam ætatem perueniens paruulus Ecclesiæ Catholicæ per impositionem manuum reconciliari debeat. Nam adultus ab hæretico si extra necessitatem baptizetur, sacramentum quidem accipit quod repeti non debeat, cæterum fructu Sacramenti caret, nisi Ecclesiæ iungatur, vt diligenter alicubi docet Augustinus. Cæterum omnia alia Sacramenta extra vnitatem Ecclesiæ accepta non nisi ad damnationem valent. Nullum enim perfidiæ & apostasiæ argumentum clarius, quam ab hostibus Ecclesiæ, sacramenta petere Ecclesiæ atque percipere: quippe quum propria religionis vincula sint sacramentorum consortia, & ad hoc
D instituta vt certo signaculorum vinculo homines in vna religione colligarentur, vt docet Augustinus.

Tract. 27. in Ioan.

Tract. 12. in Ioan. Euang. De bapt. con. Donat. li. 6. c. 5.

Contra Faustum li. 19. c. 11.

Alia adhuc causa vnitatis Ecclesię firmissimè retinendæ, nec quantolibet proposito discrimine deserendæ ea est, quod in ea sola, veritas orthodoxa & sana fides, sine qua salus non est, inuenitur. Hæc enim est (vt Apostolus loquitur) *columna & firmamentum veritatis.* Huic ergo inniti, ab hac confirmari & sustentari fidelem quemque oportet, vt saluus fiat. Vnde præclarè Augustinus. In ventre Ecclesiæ veritas manet. *Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est vt falsa loquatur. Necesse est inquam vt falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.* Hæc ille. Rursum alibi paulo plenius. *Si errans in aliquo, quare non redis ad lac matris?*

3. *Causa.* *Ephes. 1.*

Li. 3. c. 40. Epist. 50.

Cap. vnico. 2. *Tim. 3.*

Ser. 11. de verbis Domini.

Euarr. in Psal. 57.

A

Enarr. in Psal. 130. *Quia si non extollimini, si non exaltetis cor vestrum, si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed humiliter sentitis sicut qui ablactatus est super matre sua, reuelabit vobis Deus quod aliter sapitis. Si autē hoc ipsum quod aliter sapitis, defendere vultis & pertinaciter asserere, contra patem Ecclesiæ, fit vobis maledictum quod dixit Propheta. Ita fiat retributio in anima mea. Quia adhuc sub matre cum estis, foris à lacte separabimini, foris à visceribus matris fame moriemini.* Hæc Augustinus, docens omnem de doctrina fidei dubitationem ac difficultatem, ex iuditio & determinatione matris Ecclesiæ resoluendam esse, quia adhuc paruuli Ecclesiæ filij, & oues ouilis Dominici, sumus ab illis pascendi quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei. Nempe hæc illa sponsa & amica est, cui sponsus Christus quæcunque audiuit à patre suo, nota fecit. Hæc est (vt scribit Irenęus) *amplum quoddam & diues depositorium, in quod Apostoli omnia quæ sunt veritatis plenissimè contulerint, vt omnis quicunque velit, ex ea potum vitæ sumat.* Huic ergo Ecclesiæ adhærendum, qui à veritatis tramite deflectere non cupit. Data illa est *ad consummationem sanctorum, id est, fidelium, ad ædificationem corporis Christi, ne circumferamur omni vento doctrinæ.* De hac re in alio Euangelio plura.

Act. 20. *Ioan. 15.* *Li. 3. c. 4.* *Ephes. 4.*

In Dom. 4. post Pasc. & in festo B. Mathiæ

Has igitur tres causas diligenter tractare Ecclesiastes debet, aliasque quæ occurrent adiungere, vt Ecclesiæ vnitas quàm planè sit ab omnibus necessario retinenda, & sub æternæ salutis discrimine seruanda, populus intelligat.

B

DOMINICA III. POST PASCHA.

Ioan. 16. *Quia vado ad Patrem.*

Ascensio Christi nō repugnat presentiæ in Eucharistia.

IOCVS obiter docendi populum Christianum, Christi Domini in cælos ascensionem, de qua hic loquitur, nihil planè repugnare veræ & reali eiusdem præsentię in venerabili Eucharistia, sicuti hodie hæretici fabulantur. Christus enim secundum propriam formam & naturalis existentiæ modum in cælo est, ad dexteram patris sessurus, vsque ad diem iudicij. At vero sicut Christi caro propter diuinitatem adiunctam non semper ad naturalem existentiæ modum restricta fuit, sed præter, & supra naturæ leges multa fecit, super aquas ambulauit, clauso sepulchro resurrexit, clausis ianuis ad discipulos ingressa est. Sic planè supra naturæ ordinem, idem Christi corpus, quod in cælo est per modum existentiæ naturalis, est in altari per modum existentiæ sacramentalis. Christus per modum existentiæ naturalis discubuit ad mensam cum diceret, *Hoc est corpus meum*: sed eodem temporis puncto, idem corpus suum, per alium existentiæ modum in manibus suis tenebat, quum diceret, & verum diceret de eo quod in manibus tenebat, *Hoc est corpus meum*. Sic nempe *ferebatur in manibus suis*, vt exponit Augustinus. Non magis repugnat diuinæ potentiæ, vt glorioſum filij sui corpus pluribus in locis simul existat, quàm vt solida corpora penetret, sicuti fecit clauso sepulchro resurgens, & clausis ianuis ad discipulos ingrediens. Penetratio corporum non minus est naturæ impossibilis quàm locorum multiplicitas. Augustin. docet sanè diligenter Christum *secundum formam carnis, quam hic visibiliter egit, non esse vbique diffusum*: hoc enim veritatem corporis auferret, si iuxta formam naturalem nullo certo loco consisteret, sed omnia loca occuparet. Hoc est illud quod in Epistola ad Dardanum impugnat. Rursum de visibili, & naturali, & familiari præsentia sua, & de talis honoris capacitate qualem Magdalena illi exhibuit, quum vnguento pretioso caput eius perfunderet, dixit Christus. *Me non semper habebitis*: non autem hanc sacramentalem existentiam in vltima cœna instituta negauit. Et de hac naturali præsentia carnis Christi, hunc locum exponit Augustinus quum scriberet. *Secundum id quod de virgine natus est, non semper nobiscum est. Habuit* (inquit) *Christum Ecclesia, secundum præsentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt.* Ocularem & sensibilem carnis Christi præsentiam negat non sacramentalem. At his August. locis ad suam hæreticam illationem confirmandam abutuntur hodie hæretici.

Con. 1. in Psal. 33. *Epist. 57.* *Ioan. 12.* *Tract. 50. in Ioan.*

C

D

DOMI-

A

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo. Ioan.16.

LOCVS proprius & insignis ostendendi contra hæreticos nostri temporis Christum viua voce non docuisse omnia, sed multa per Spiritum S. postea Apostolos docuisse, quæ tunc portare, id est, capere & æquanimiter tolerare non poterant. Sic Origenes. *Habebat quidem illis dicendum, quæ sit vera lex, quarum rerum cælestium vmbris, & signis constet cultus Iudaicus, quorum bonorum futurorũ vmbras contineret lex de cibis & potibus, de festis, Nouilunijs, Sabbatis. Huiusmodi multa erant quæ habebat eis dicere, sed videns perdifficile esse ex animo reuellere penè connata, & vsque ad grandem ætatem coalita dogmata, &c. distulit hanc doctrinam in tempus oportunius post passionem & resurrectionem suam.* Hæc ille. Eorum autem quæ Christus post passionem ac resurrectionem docuit, nihil habemus scriptũ. Vel igitur docuit non per se, sed per Spiritũ S. vel non omB nia quæ docuit, scripta sunt. Vtrumque hodie negat hæreticus. Disertè autem docet Cyrillus Christum hæc sublimiora, non per se docuisse, sed per Spiritum S. hunc ipsum locũ exponens. *Quando* (inquit) *per Spiritum S. in alios viros euadetis, quando legales figuras illius patrocinio aspernabimini, quando supernaturalis cultus pulchritudinem illius ope vmbris anteponetis, tunc mysterij de me omnem vim cognoscetis.* Hæc ille. Denique Chrysostomus plura Spiritum S. Apostolos docuisse, quàm Christum ait, *Ideo Spiritui S. maior doctrinæ portio seruata est, ne putarent illum aliqui minorem filio.* Certè Gregorius Nazianzenus inter hæc quæ Christus Apostolos non docuit, putat fuisse ipsam Spiritus sancti diuinitatem, quem ideo Eunomiani vocabant, *non scriptum Deum*, τὸν ἄγραφον θεὸν.

Doctrina non scripta

Contra Celsum li. 2

Li. 10. c. 45. in Ioan.

Hom. 1. in Acta.

De Theolog. li. 5.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis.

LOcus obseruandi contra hæreticos, Spiritum S. tunc in scripturis vocari Spiritum veritatis, quãdo Ecclesiæ, vel eius præpositis ac magistris promittitur, vt hoc loco, & supra Ioan. 14. ver. 17. *Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et iterum Ioan. 15. ver. 26. *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre Spiritum veritatis, qui à patre procedit: ille testimonium perhibebit de me.* Veritas enim infallibilis non alicuius priuatę personæ, sed C totius Ecclesiæ, & præpositorum eius propria est. Vnde Augustinus. *Veritas tua Domine nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea.* At vero Spiritus S. vt cuiuis in particulari datur, vel absolutè, sic in scripturis vocatur, propter aliquid eius donum indefinitè acceptum; vel ex aliqua particulari virtute denominatur, vt *in charitate & Spiritu mansuetudinis, det vobis Spiritum sapientiæ, &c.*

Veritas toti Ecclesiæ commanis non priuatæ.

Conf. li. 2. ca. 25.

1. Corint. 4. Ephes. 1.

Docebit vos omnem veritatem.

LOcus insignis docendi populum, quod apud Ecclesiam, id est, Apostolorum successores omnis veritas habeatur: quod Spiritus S. docet Ecclesiam semper (ait enim Christus, Ioannis 14. *Vt maneat vobiscum in æternum*) per omnes ætates, non vnam aut alteram, sed omnẽ protsus veritatem. *Qui omnem veritatem dicit* (ait Ambrosius) *nihil præterit, non diem neque horam, nõ præterita, non futura.* Vnde ex hac perpetua Spiritus S. doctrina, infert Irenæus dicens. *In Ecclesiam tanquam in amplum, & diues depositorium, omnia quæ sunt veritatis, Apostoli contulerunt.* Ponderanda vero, & expendenda sunt Christi verba, quibus alio in loco hanc eandem promissionem facit. *Rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Et paulo post addit. *Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Tria dicit Saluator, id est, quod dabitur Apostolis, id est, Ecclesiæ Spiritus S. qui maneat cum illis, id est, cum Ecclesia (neque enim Apostoli, sed Ecclesia perpetuo manet) in æternum. D Hæc verba omne tempus complectuntur, & fanaticam illam quorundam hodie hæreticorum opinionem excludunt, qui docent per interualla Deum Ecclesiæ suæ adesse, vt aliquando vera doctrina in Ecclesia obscuretur, aliquando demum restauretur, &c. Secundo dicit quod hunc Spiritum S. *mundus non capiet*, id est, impii, infideles, & hæretici: sed vos cognoscetis eum, id est, veri Apostolorum successores. Vera Ecclesia cognoscet vocem Spiritus sancti, quia apud veram Ecclesiam manebit, & in illa erit: iuxta illud Esaiæ. *Spiritus meus non recedet de ore tuo, neque de ore seminis tui, nec seminis seminis tui, amodo, & vsque in sempiternum.* Tertio dicit quod omnia partim docebit, id est, de nouo inspirabit, quum aliqua difficultas orietur, vt fecit Actorum 25. circa legalium obseruationem: partim suggeret, id est, oblita in memoriam reuocabit, vt

Veritas in Ecclesia. Li. 2. c. 12. de Spir. S.

Li. 3. c. 4.

Ioan. 14.

Triplex promissio veritatis.

1.

2.

Cap. 59.

3.

quando de veterum, & maiorum traditione atque iudicio dubitatur. Atque ex his verbis patet, nullum fore in Ecclesia errori locum. Sed & illud quoque ex his verbis patet, Spiritus sancti officium in Ecclesia non ad ea tantum restringi (quod impiè Caluinus asserit, *hancque restrictionem attentè notandam monet*) quæ Christus viua voce docuit, vt illa suggerat, sed etiam vt doceat alia multa, quæ Christus ideo non docuit, quia Apostoli illa tunc portare non potuerũt. Christus Petrum non docuerat de cessatione legalium viua voce: sed hoc eum Spiritus sanctus docuit *in visione animalium omnis generis, iubens eum nihil immundum iudicare quod Deus creauit.* Quæ Paulus de prædestinatione æterna, de lege carnis, & membrorum, de liberante gratia, de peccato originali, de iustitia fidei, de cessatione legalium, tam multa disputat, non ex Christi viua voce (quem nunquam dicentem audierat) sed ex Spiritu S. didicerat. Quæ denique Ecclesia Christi contra Marcionem, Montanum, Valentinum, Sabellium, Atrium, Macedonium, Eutichetem, Iouinianum, Pelagium, Berengarium, aliosque innumeros hæreticos, vel scripturas interpretando vel noua fidei vocabula, vt *filij Dei homousion, Spiritus S. processionem, hypostases tres* in vna substantia, Patrem *ingenitum, transsubstantiationem*, & alia tradendo docuit, ea omnia ex Spiritu sancto accepit, qui docet omnem veritatem. Si contra vnum aliquem (vt puta Berengarium) decernendo errauit, vt volunt hodie hæretici, profecto, & contra omnes errare potuit. Vnde sequitur, vt (quod contra sui temporis hæreticos scripsit Tertull.) *Dei villicus* (id est Spiritus sanctus) *officium suum non fecerit*, sed Ecclesiam suam aliquam veritatem, eamque necessariam celauerit.

Instit. li. 4 ca. 8. Num. 8.
Caluinus refellitur.
Act. 10.
Ad Rom. & Gal.
Noua fidei vocabula.
In Præscr.

A

B

DOMINICA V. POST PASCHA.

Ioan. 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Inuocatio Sanctorum defenditur

LOCVS obseruandi contra hæreticos orationes Ecclesiæ quibus Sancti inuocantur, nihil repugnare aut derogare huic inuocationis formulæ, quam Christus Saluator hoc loco proposuit, sicuti ipsi inuidiosissimè calumniantur. Primum quia nihil petitur à sanctis ab Ecclesia tanquam per eos implendum; sed solummodo tanquam per eos impetrandum. Cum autem Christus hoc loco dicit, *Si quid petieritis patrem in nomine meo*, docet nos posse ampliſſima beneficia à Deo patre petere implenda per Christum: hoc enim est, *in nomine eius*, id est, in potentia, & virtute eius, concedi quod petimus. Sicut enim olim orabant veteres, *Deus in nomine tuo saluum me fac*, sic nunc in noua Ecclesia oramus, Deus in nomine filij tui saluos nos fac. Secundo quia omnis Ecclesiæ oratio, etiam qua inuocantur sancti, terminatur hoc modo, *Per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quare exactissimè hęc formula à nobis seruatur. Insulsa est autem hic Caluini replica, qua dicit *nõ minus profanari Christi intercessionem, dum mortuorum* (sic Sanctos vocat) *precibus & meritis miscetur, quàm si ea penitus omissa soli mortui in ore essent.* Si enim profanatur Ecclesiæ oratio mixta sanctorum intercessione, profanabitur etiam admixta precibus, & intercessioni viuorum. Quam tamen idem Caluinus iuxta clarissimam Apostoli doctrinam admittit coactus. Tertio etsi petendo Patrẽ in nomine Christi, Christo tanquam intercessore, & aduocato, & mediatore vtimur: non tamen adhibendo Sãctos intercessores, & aduocatos, & quodammodo mediatores, contra hæc Christi verba peccamus. Primum quia Christus est mediator redemptionis nostræ vnicus & solus, vt Paulus docet, non autem solius intercessionis. Etsi enim sacerdotio redemptionis in Christo coniunctum est officium intercessionis, non tamen è contra cuilibet officio intercesionis coniunctum est sacerdotium redemptionis, quod in viuentibus manifestum est, quum alter pro altero intercedimus. Deinde Christus est vnus mediator & vnus aduocatus per modum intercesionis excellenter, quia propria virtute intercedit, eiusque oratio iustitiæ nititur. Sancti non nisi per Christum intercedunt, & non nisi per Christum inuocantur, eorumque oratio gratiæ & misericordiæ innititur. Denique Christus est mediator immediatus, *per seipsum interpellans pro nobis.* Sancti mediante Christo accessum habent ad patrem. Sic *vnus Magister Christus*, & multi *doctores dati Ecclesiæ à Christo.* Vna *lux mundi Christus*, qui dedit Apostolis vt ipsi essent *lux mundi. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*: & tamen idem *posuit verbum reconciliationis in Apostolis.* Postremo quod de Angelis fatetur Caluinus, Deum per eos sua nobis beneficia dispensare non ex necessitate, sed ad solatium nostræ imbecillitatis: idem de Sanctis iudicandum: per quos Deus nobis beneficia confert, non quia per Christum non potuit, sed quia ad consolationem & exhortationem nostram Sanctos sic honorare voluit.

1.
2.
Instit. li. 3. cap. 20. Num. 21.
3.
Christus vnus Mediator non excludit Sanctos.
1.
2.
3.
Heb. 7. & 9.
Matt. 22.
Ephes. 4.
Ioan. 8.
Matt. 5.
2. Cor. 5.
Instit. li. 1. ca. 14. Num. 11.

C

D

Ipse

A

Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.

LOcus egregius & manifestus ad euertendam imputatiuam iustitiam quam fingunt hodie hæretici, dicentes nos esse iustos coram Deo non propter aliquam iustitiam aut virtutem nobis inhærentem, sed propter Christi iustitiam nobis membris eius imputatam. Hic enim Christus diserte affirmat, Christianos qui Christum amant, id est, qui eius mandata seruant, (*Si quis enim, diligit me, sermonem meum seruabit*, ait alibi Christus: & iterum. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*) ideo diligi à patre, hoc est, ideo coram Deo iustos & gratos & amicos esse, quia ipsi Christum diligunt, id est propter dilectionis Dei virtutem quæ in ipsis est, & non solum quia Christus diligit illos, vt hæretici impiè nugantur, & cum maximo pietatis præiudicio docent. Docendus ergo populus non satis illis fore quod Christus diligat illos siue per electionem ab æterno, siue per vocationem & iustificationem primam in tempore, nisi ipsi vicissim Christum diligant, & diligendo mandata obseruent, vt sic à patre cælesti ad vitam æternã consequendam diligantur. Gratuita enim certè est electio, gratuita est vocatio, gratuita est prima iustificatio, per quam videlicet peccatorum remissione gratis accepta, ex impiis & filiis iræ, iusti & filij Dei efficimur. Qui sensus est totius disputationis Paulinæ in Epist. ad Rom. & ad Ga-
B latas, vbi fide nos iustificari non ex operibus docet. At dilectio patris cælestis ad augmenta gratiarum & ad consecutionem ipsam vitæ æternæ non est merè gratuita, sed per modum mercedis iam iustificatis & filiis Dei retribuitur: ipso *patre amante nos, quia nos amamus eum*, vt Christus hic dicit: Quod & docuit Apostolus dicens de iam iustificatis: *vnusquisque accipiet propriam mercedem secundum laborem suum*: id est, secundum laboriosa virtutum opera quæ amor Dei & Christi producit.

Imputatiua iustitia refellitur.

Ioan. 14. & 15.

1. Cor. 3.

Rursum docet hic locus quod multa beneficia gratiæ accipimus à Deo, non propter solam fidem, non solum quia filij Dei sumus & membra Christi, sed etiam propter dilectionem, & (quæ inde semper sequitur) obseruationem mandatorum: & inter cætera hoc magnum beneficium, vt à Deo preces nostræ exaudiantur. Dicit enim in hoc Euangelio Christus. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit*, id est, vt abundetis magis in gratia. *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis*: id est, non propter meam solam intercessionem exaudiet vos pater: vel non sic debetis à mea sola semper pro vobis intercessione pendere, vt interea vestras orationes vel vt superuacuas vel vt inanes futuras prætermittatis. Ipse enim pater amat vos, & exaudiet vos rogantes in nomine meo, quia vos ipsi grati illi estis, & ideo grati quia amatis me & sermones meos seruatis: & non solum *quia credidistis in me quod à patre exiui, & ad patrem redeo.* Quare mul-
C tum hoc loco notandum quod Christus consolari volens Apostolos suos, simulque declarare eos Deo gratos & acceptos esse, id est verè iustos ac sanctos (Deus enim *diligit diligentes se, & odio habet impium & impietatem eius*) non ex hoc solo capite id declarat, quod in filium Dei crediderunt, eiusque promissionibus fidem haberent (in quo solo omnem acceptationem nostram coram Deo ponunt hodie hæretici) sed etiam ex eo quoque capite, quod Christum dilexerant, & diligendo mandata eius omnia seruare paratissimi essent. Idem nobis statuendum, non ex sola fide aut fiducia, vt impiè garriunt hæretici, sed præterea ex dilectione Dei, & mandatorum obseruatione, nos à Deo ad vitam æternam diligi, & multa beneficia gratiæ consequi, vt Catholica habet fides.

Contra solam fidem.

Ioan. 16.

Prouer. 8. Sap. 14.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Ille testimonium perhibebit de me & vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis. Ioan. 15.

D OCVS appositus ostendendi contra hæreticos nostri temporis, externum Ecclesiæ testimonium & authoritatem cum interno Spiritus sancti testimonio ordinariè concurrere ad fidem Christi animis hominum ingenerandam. Vtrumque enim hoc loco dicit Christus. Primum quod Spiritus sanctus testimonium perhibebit de eo, id est, docebit internè corda credentium. Vnde Ioannes. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Et Paulus. *Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei*, Ioannes quoque Baptista. *Qui accepit testimonium filij Dei, signauit quia Deus verax est*, id est, suo consensu obsignauit & confirmauit, loquentis in se Dei verbum verax esse. Tota enim ratio verę fidei, quæ Dei donum est loquentis & cor tangentis ac mouentis & illuminantis interius, hæc est, quia Deo reuelanti, loquenti in corde & mouenti credimus, tanquam testi infallibili, & qui mentiri non potest. Hoc totum nobiscum fatentur hæretici, qui ex illis intelligunt. At vero alterum quod dicit hic

Ecclesiæ testimoniũ generat fidem.

1. Ioan. 5. Rom. 8. Ioan. 3.

Christus, agnoscere nolunt. Nempe quod Apostoli & eorum successores testimonium quoque perhibebunt Christo, id est omni doctrinę de Christo: per externam videlicet prædicationem fidei, cuius profecto testes sunt à Deo cõstituti, ideoque huiusmodi vt eorum testimonio credere debeamus. Vnde Paulus vnus ex his testibus. *Ministerium* (inquit) *quod accepi à Domino Iesu testificari Euangelium gratiæ Dei.* Sed & Christus Apostolis suis disertè ita loquitur. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Videlicet prædicando Euangelium, & docendo eà omnia quæ de Christo credere oportet. Est ergo diligenter hoc loco obseruandùm, tam pro institutione Catholicorum quàm contra hæreticos, firmitatem fidei nostræ ex vtroque consistere, ex interno Spiritus sancti & externo Ecclesiæ testimonio, sicut vtrumque hoc loco ponit & connectit Christus, quasi nexu semper indiuiduo copulatum: ideoque conscientiæ cuiusque non id satis esse quod se dicat hoc credere ex Spiritus sancti instinctu vel testimonio (vt solent hæretici dicere, reijcientes & negligentes Ecclesię vocem & testimonium, per cuius ministerium Spiritus sanctus loqui semper solet) sed ad fidei securitatem & firmitatem, vtque certo constet ex Spiritus sancti instinctu quempiam credere, & rectam de Christo fidem habere, Catholicæ quoque Ecclesiæ testimonium & authoritatem concurrere oportere. Ad quod magis intelligendum plurimum valebit ex Christi verbis docere, verbum Dei, & verbum Ecclesiæ pro vno & eodem accipi. Nam hanc ob causam Christus in postremo sermone ad discipulos habito, orat patrem pro Apostolis, & pro fidelibus illis qui per verbum Ecclesiæ credere didicerunt. Ait enim. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro illis qui per verbum illorum credituri sunt in me.* Ex quibus verbis prolixè docet Augustinus, *verbum fidei & verbum Apostolorum, credere Deo & credere Ecclesiæ prorsus idem esse.* Vide plura in festo Ascensionis, & in festo S. Thomæ Apostoli. Quod autem Christus addit, *Quia ab initio mecum estis*, non intelligit firmitatem testimonij Apostolici ex eo pendere quod ab initio prædicationis eius lateri illius adhæserint (sic enim nec Marcus, nec Lucas, nec Paulus ipse, nec infiniti alij legitimi testes fuissent) sed hanc subiungit quasi propriam & inseparabilem veræ Ecclesiæ suæ notam, videlicet, *Successionis perpetuitatem.* Docet ergo illorum testimonio credendum esse qui ab initio Christi fidem tenuerunt, & de manu in manum tradiderunt. Bonum enim semen crescit vsque ad messem. Vide de hac re plura Dominica quinta post Epiphaniam, & feria tertia Paschæ.

Act.20.
Act.1.

Firmitas fidei ex duobus consistit.

Ioan.17. Tract.109 in Ioan.

A

B

2. *Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.*

C

LOcus de hæreticorum persecutionibus & varia crudelitate tractandi, quarum hæc tempora in Gallia, in Anglia, & in hoc Belgio horrenda & innumera exempla suppeditarunt. Hunc locum tract. vide in Prompt. Mor. in hac ipsa Domin. tex. 2. Porro in vniuersum persecutores fidei quantæ impietatis rei sunt, quæ & quanta pœna eos consequatur, & hactenus semper consecuta fuerit, vide explicatum in eodem Prompt. Mor. Dom. 19. post Pentec. tex. 6. & 7. In qua etiam Dom. locus idoneus erit contra hæreticorum modernam rabiem, & nominis Catholici odium latè differendi, ad textus prædictos.

DOMINICA PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Ioan.14.

D

Charitatis commendatio.



LOCVS vtilis explicandi populo, quantopere dilectionem Dei, Christus suis discipulis commendauerit, contra hæreticos nostri temporis, vel hoc solo nomine pestilentissimos, quod solam suam specialem fidem & fiduciam in promissiones Christi de gratuita remissione peccatorum, ita semper inculcant, docent, vrgent, ita solam ad salutem necessariam esse impiè & mendaciter affirmant, vt Charitatem Dei necessariam ad salutem negent, eiusque admirabiles virtutes quas in hoc Euãgelio Christus luculenter expresit, vel dissimulent & taceant, vel solius fidei commendatione obscurent, & contemptibilem reddant. At Christus in hoc Euangelio & in verbis iam positis quatuor insignes Charitatis virtutes ponit, & quæ contra præsentes hęreses singulæ valent. Primum dicit. *Si quis diligit me, sermones meos seruabit.* Hic docet ex charitatis virtute consequi obseruationem mandatorum Christi, quam partim impossibilem affirmant hæretici, partim per fidem non per charitatem illa impleri docent. Vtrumque docuit Lutherus in lib. de libertate Christiana, & sustinent hodie quàm plurimi. At disertè

Charitas facit impleri mandata.

A At disertè Christus dicit, *Si quis diligit me, sermones meos seruabit.* Hæc est dilectionis meæ vis & facultas, hic fructus, hęc efficacia, vt qui me diligit, mandata mea custodiat. Quæ Christi verba dilectus eius discipulus Ioannes sic explicasse videtur. *Hæc est charitas Dei vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* Duo dicit. Primum charitatem Dei hoc habere, vt mandata Dei custodiat contra eos qui dicturi erant sola fide omnia impleri, quasi vel sola fides sub præcepto caderet, vel propter solam fidem omnia quæ non fierent facta deputarentur, vt hodie hæretici dogmatizant. Alterum est mandata Dei non esse grauia, contra eos qui hodie dicunt ea esse impossibilia. Sed eleganter Augustinus. *Ei mandata Deo sunt grauia, qui donum charitatis nondum accepit, vnde fiunt leuia.* Idcirco Ioannes negat esse grauia, quia charitati nihil est graue. Vnde & alia Scriptura. *Valida est vt mors dilectio.* In quæ verba sic Augustinus. *Quemadmodum morti resisti non potest quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras, sic contra violentiam charitatis nihil potest. Econtrario similitudo data est de morte. Sicut enim mors ad auferendum violentissima est, sic charitas violentissima est ad saluandum.* Quod quomodo fiat, alio in loco explicat. *Merito dicta est fortis sicut mors, siue quia nemo eam vincit, siue quia in hac vita vsque ad mortem est mensura charitatis, siue quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentiis carnalibus.* Hæc ille. Hoc autem in turpi & impuro amore facilè cernitur, ad quanta facinora amor impellat, quantis se laboribus subdere, quàm ingentia aggredi, quàm nihil formidare aut recusare soleat. Quis vero B dubitet maiorem esse diuinæ charitatis vim, ad opera virtutum peragenda, quàm sit amor carnalis ad opera carni consentanea? Etsi enim natura corrupta propẽsius ad praua feratur & deorsum tendat, tamen fortior est gratia quàm natura, charitas Dei quàm amor terrenus, Deus quàm Diabolus. Idcirco igni comparatur charitas, cui nihil resistit. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* De hoc igne charitatis alia Scriptura. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quę verba quasi explicans Augustinus ait. *Charitatis ignem nulli fluctus sæculi, nulla tentationum flumina extinguunt.* Nemo ergo hæreticos hodie sequutus, frigidam hanc excusationem adferat, mandata Dei esse grauia, præcepta Ecclesiæ esse difficilia, salutem ex bonis operibus esse rem arduam & fortè impossibilem. Omnia ista contradicunt Christo dicenti, *Qui diligit me, sermones meos seruabit.* Et ne putes perinde esse ad salutem siue diligas siue non diligas, sed satis esse, vt fortiter credas tibi remissa esse peccata per Christum, ecce Christus ipse te talia dicentem pro suo non agnoscit. *In hoc* (inquit) *cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et Ioannes qui hoc retulit, in alia epistola scribit. *Qui non diligit, manet in morte.* Et iterum. *Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus Charitas est.* Frustra ergo de sola sua fide sibi placent hæretici. Impiè solam suam fidem aliis commendant hæretici. Ecce ipsa fides absque charitate nihil illis C prodest, dicẽte Apostolo, *Si omnem fidem habuero, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quæ verba non per hyperbolen nec per impossibile, sed iuxta litteram perspicuè intelligi debere ante has hæreses natas docuit Sanctus Augustinus exponens illa Christi verba citata. *In hoc cognoscent omnes,* &c. *Tanquam,* inquit, *diceret Dominus. Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei: non solum naturam, vitam, sensus, rationem, & eam salutem quæ hominibus pecoribusque communis est, sed etiam linguas, sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & cætera: sed quoniam charitatem non habent, nihil illis prodest, nihil sunt. Non ergo in illis quamuis bonis muneribus meis quæ habere possunt etiam non discipuli mei, sed in hoc vos cognoscent, quod dilectionem habetis, &c. O sponsa Christi pulchra inter mulieres, quàm bene cantatur tibi in illo Cantico canticorum tanquam in epithalamio tuo, quia charitas in deliciis tuis!* Hæc ille. Est ergo charitas Dei propria filiorum Dei nota, ideoque virtus necessaria. Hanc qui habet, seruat mandata Christi. Est igitur & ipsa mandatorum obseruatio ad salutem necessaria. Hæc ex primis Christi verbis docere potest concionator Catholicus.

1. Ioan. 5.

In lib. de perfectione iustitię.

Cant. 8. Enarr. in psal. 47.

Epist. 29. ad Hieron.

Luc. 12. Cant. 8. Enarr. in psal. 47.

Ioan. 13. 1. Ioan. 3. & 4.

1. Cor. 13. Ioan. 13. Tract. 65. in Ioan. Euang.

Secundum quod de charitate in hoc Euangelio Christus dicit, istud est, *Et pater meus diliget eum.* Ex his verbis euidenter necessario colligitur, ex charitate quoque ac mandato- D rum obseruatione nos iustificari, & non ex sola fide, vt volunt hæretici. Quos enim Deus propter aliquid diligit, hos propter illud pro iustis & sibi charis habet. Deus pater eos diligit, qui Christum diligunt, seruantque sermonem eius, id est qui Christi fidem ac nomen profitentes eum colunt eiusque præcepta exequuntur. Diligere ergo Christum, eius sermonem seruare, est res Deo patri grata (non opus immundum nec ita imperfectum vt legis sit transgressio, quippè quæ plenam & perfectam obseruationem requirit, quæ omnia dicunt hodie hæretici) est opus dilectione Dei dignum, est pars iustitiæ Christianæ. Neque enim vel propter opera indifferentia, vel propter opera immunda & imperfecta, multo minus propter peccata, sed propter opera iustitiæ Deus homines diligit, gratos & acceptos habet. Non minor ergo charitatis virtus ad hominem coram Deo iustificandum, quàm fidei est. Non minus Deus diligentes se & sermonem eius seruantes, quàm credentes in eum aut filium eius, diligit, iustificat, saluat. Quod adhuc in sequentibus huius Euangelij verbis dilucidius apparet.

Charitas nos Deo gratos facit & iustificat.

Tertium ergo quod in laudem charitatis & obseruationis mandatorum Dei in hoc Euangelio addit Christus, istud est. *Et ad eum veniemus.* Quid hoc Dei venire est, nisi per gratiam accedere? Nisi per augmentum gratiæ iam credentes & diligentes Deum eiusq; mandata

Charitas affert augmentum gratię.

seruantes magis ac magis iustificare, omnibusque gratiæ muneribus exornare, nouis donis ac beneficiis, nouis collustrationibus illustriores reddere? Quos Deus deserit, castigat, odit, ab illis se auertere dicitur atque recedere. Quibus seipsum aperit, reuelat, familiarem facit, ad illos venit. Oramus quotidie vt *Adueniat regnum Dei*. Quod nihil aliud est quàm vt Deus ad nos veniat & in nobis regnet. Vnde Ambrosius. *Tunc venit in nos regnum Dei, quando sumus gratiam eius consecuti: Ipse enim ait. Regnum Dei intra vos est.* Nec aliter Augustinus. *Optare & orare vt veniat regnum Dei, nihil est aliud quàm optare ab illo vt dignos nos faciat regno suo: ne forte quod absit veniat, & non nobis veniat.* Hinc ergo obseruare licebit quanta sit charitatis virtus. Impetrat hoc videlicet quod quotidie petimus. Facit vt aduenias Regnum Dei. Facit vt pater æternus cum filio suo vnigenito ad nos veniat. Nunquid autem vacui venient, aut propter hanc dilectionem Dei ad iudicium venient? Neutrum profecto. Nam pro consolatione suorum Christus hoc dixit, vt ad eum diligendum animos suorum excitaret. Venient ergo ad diligentem Deum pater cum filio, nec vtique absque Spiritu sancto, quia opera B. Trinitatis respectu creaturarum vnita semper sunt & separari nequeũt: veniet tota Trinitas ad animam illam quæ Christum diligit & sermones eius seruat. Veniet inquam cum omnibus suis gratiis, donis & muneribus. Hoc diligenter amplificandum est in laudem charitatis, quam Christus dominus hoc loco ex industria commendare voluit: quam hodie hæretici nefariè deprimunt & obscurant; dum & omnia eius opera immunda asserunt, & ad salutem eam necessariam negant, & soli fidei totam salutem tribuunt.

De Sacr. li. 5. c. 4. *Luc. 17. Ho. 42. ex hom. 50.*

A

B

Quartum quod in charitatis laudem Christus hoc loco dicit, est. *Et mansionem apud eum faciemus.* Hoc est, in eo qui me diligit & seruat mandata mea, requiescet Spiritus Dei, ille erit habitaculum & templum Domini. Obseruandum igitur contra hæreticos, non solum *per fidem habitare Christum in cordibus nostris*, sed multo magis per charitatem, & mandatorum obseruationem. De hac enim dicit Paulus. Vos estis templum Dei, sicut dicit Deus. *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Hæc autem promissio veteri populo facta fuit, hac conditione præmissa. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis & feceritis ea.* Deus ergo promittit & Christus in hoc Euangelio repetit, fore vt in illis maneat, inhabitet, inambulet, id est, eorum actiones semper dirigat, cum illis conuersetur, illorum animos possideat, eos ad fœlicitatem æternam perseueranter perducat, qui diligunt Christum & sermones eius seruant: non secus sanè quàm veteri populo loco allegato omnem fœlicitatem repromisit, si in præceptis eius ambularet & faceret ea. Manet ergo in statu Euãgelij obligatio seruandi mandata, sicut manet promissio retributionis obseruantibus ea. Quod ex hoc Euangelio oportunè, & fructuosè contra hæreticos demonstrari poterit, planè sicut Iudæis tẽporalia bona Deus abstulit transgredientibus mandata eius, vt tota vetus historia commemorat, sic Christianis æterna bona (quorum figura & typus erant illa temporalia) Deus auferet non seruantibus, dabit vero & conferet seruantibus mandata eius. Nam vt apud illos, promissio illa, *Ero illorum Deus & ipsi erunt mihi populus*, conditionem habebat obseruandi mandata, sic ad nos eandem eodem modo pertinere Apostolus loco citato docuit, & Christus in hoc Euangelio confirmat. Apostolus enim hac veteri promissione prolata, & aliis quibusdam adiunctis ex Isaia & Hieremia, subiungit. *Has ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Docet apertissimè ex promissionibus eisdem ex parte Dei (quia & ad nos quoque illi pertinent & extenduntur) eandem obligationem ex parte nostra, vt omni deposita iniquitate, omnem perficiamus sanctificationem, idque in timore Dei, non in fiducia hæretica solas promissiones apprehendendo, & mandatorum obseruationem à negotio salutis & iustificationis coram Deo, excludendo atque prætermittendo. Idem facit Christus in hoc Euangelio. Antequam promittat, *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*, quod perinde valet atque illud vetus, *ero illorum Deus & ipsi erunt mihi populus*, præmisit. *Qui diligit me, sermones meos seruabit*, &c. impiè ergo hæretici solam fidem prædicãt, frustra fiduciam & specialem illam fidem suam iactitant, inaniter apprehensionem promissionum somniant, nefariè charitatem & obseruationem mandatorum à causa salutis necessaria excludunt. Pater diligit eos, pater & filius veniunt ad eos, & manent, siue ad gratiam, siue ad gloriam, qui diligunt Christum & seruant mandata eius.

Charitas facit filium Dei & tẽplum Spiritus S. *Ephes. 3.* *Leuit. 26.*

Ioan. 14. *Leuit. 26.*

C

D

Paracletus Spiritus S. quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

Spiritus S. duplex officium. *Instit. li. 4 ca. 8 n. 8.*

LOcus obseruandi duplex & plenum officium Spiritus sancti quoad veritatis doctrinam, contra singularem Caluini suorumque blasphemiam, qui ex his duobus alterum prorsus Spirituisancto demit, & ad alterum astringit. Sic enim scribit impius ille. *Illa restrictio attentè notanda est, vbi partes Spiritui S. assignat, suggerere quæcunque ante ore docuit.* At Christus hoc loco non solum dixit, *Suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*, ex quibus verbis, etsi falso id quoque, hanc suam restrictionem blasphemus hæreticus colligit, sed etiã dixit. *Ille vos docebit omnia.*

Caluini blasphemia *Ioan. 16.*

Docet

A Docet enim Spiritus sanctus multa quæ Christus ore & viua voce non docuit, ipso Christo hoc affirmante ac dicente. *Adhuc habeo multa vobis dicere, quæ non potestis portare modo.* De qua re in alia Dominica satis multa diximus. Suggerit præterea siue in memoriam reducendo, siue ad intelligentiam mentes illuminando, quæcunque Christus dixerit: id est, vel olim dixerat viua voce Apostolos docens, vel postea dicturus erat per Spiritum sanctum Ecclesiam perpetuis sæculis docens, Christus enim in Spiritu sancto nos vsque hodie docet. Vnde alio in loco Christus. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Quæ omnia non eum sensum habent quem impius ponit Caluinus, Spiritum S. nihil aliud docere quàm quod prius Christus ore suo docuerat, quasi ministrum & legatum Christi, sed ideo hoc dicit Christus, quia Spiritus sanctus Spiritus eius est & ab ipso quoque procedit, & sicuti ab ipso est, ita & ex ipso loquitur. Hæretici hodie vt impium suum sensum astruerent abusi sunt turpiter verbis Theophilacti in hunc locum. Quum enim in Christi verba sic commentetur, Τὸ ὅλα ἀκούσῃ ἅττα δηλοῖ· τὸ μηδὲν ἕκλοσθαι τῆς διδαχῆς τοῦ Χριστοῦ διδάξαι: ea verba sic Oecolãpadius vertit. *Quum dicit, quæcunque audierit, hoc significat, quod nihil docturus sit extra ea quæ Christus docuit.* Moxque ponit in margine ne fortè oscitanti lectori sententia excideret. *Spiritus nihil aliud docet quàm quod Christus docuit.* Atqui corruptio est manifesta. Græca enim Theophilacti hunc sensum habent. *Quod dicit, quæcunque*
B *audierit, hoc significat, quod nihil docturus sit extra ea quæ Christi sunt.* Et statim subiungit. *Sicut igitur & Dominus ipse dicens de se, quæcunque audiui à patre loquor, non vt discipulum se aut puerum introducit, sed quod nihil sciat vel doceat quàm quæ pater, ita & de Spiritu dicendum.* Non vult ergo Theophylactus dicere, Spiritum S. nihil aliud docere quàm quæ Christus viua voce docuit, vt eum contorquent hæretici, sed Spiritum S. nihil aliud docere, quàm quæ ipsius Christi sunt, quod à Cyrillo didicerat, qui hunc locum sic exponit. *Non aliam & diuersam quàm Dominus docuit disciplinam sequetur. Nec alias leges feret, sed quum quasi mens Christi sit, ea quæ Christi sunt reuelabit.* Hæc tã nefaria Caluini & Oecolampadij corruptio, quam cæteri hæretici sedulo sequũtur, populo exponi non incommodè poterit. Quomodo autem Spiritus S. Ecclesiam perpetuo doceat etiam multa quæ Christus non docuit, in alio Euangelio dictum est.

Dominica 4. post Pascha.

Ioan. 16.

Oecolampadius

falsarius & corruptus interpres.

In Ioan. li. 10. c. 41.

Dominica 4. post Pascha.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

C *Docete omnes gentes.* Matt. 28.

LOCVS ostendendi magisterium Ecclesiæ circa doctrinam fidei. Christus accepta omni potestate in cælo, & in terra dixit. *Euntes ergo docete omnes gentes,* id est, Quia mihi vt homini potestas data est, & ego ex terris abeo, vobis meã potestatem committo. Ego hactenus docui Iudæos, vos nunc docete omnes gentes. Meam doctrinam qui ex Iudæis crediderunt, tanquam discipuli audierunt. Vestram doctrinam volo, vt omnes gentes audiant. Ecclesia igitur doctorum loco constituitur, id est Ecclesiæ magistri Apostolorum successores. Necesse est igitur vt cæteri se discipulos agnoscant. Præter hanc docendi potestatem Apostoli obedientiam exigebant. *Gratias ago Deo quod obedistis ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis.* Rursum. *Si quis non obedit verbo nostro, hunc notate per epistolam, & ne commisceamini cum illo.* Et iterum. *Obedite præpositis vestris & subiacete illis.* Præclarè ad hanc rem Augustinus. *Aures Catholicæ eruditæ sunt in gremio matris Ecclesiæ.* Notanda & explicanda populo hęc sunt propter superbos hæreticos, *qui dum nolunt esse discipuli veritatis, fiunt magistri erroris,* vt eleganter scripsit
D Leo Magnus. Dum contemnunt Ecclesiam docentem, *volentes ipsi esse legis doctores, non intelligunt neque quæ* loquuntur, neque de quibus affirmant. Sed sunt de numero eorum de quibus Apostoli dicunt. *Quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus.*

Ecclesiæ magisteriũ circa fidem.

Rom. 6. 2. Thess. 3. Hebr. 13.

Tract. 39. in Ioan.

Epist. 10. ca. 1. 1. Tim. 1.

Act. 15.

Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.

LOcus ostendendi magisterium Ecclesiæ circa præcepta morum. Ecclesia enim hic accipit potestatem docendi nos quæ sunt mandata Dei, vt ea seruemus. Locus etiam ostendendi obseruationem mandatorum esse baptizato cuilibet necessariam. Ideo Christus postquam dixit, *baptizantes eos*, &c. hoc adiunxit *docentes seruare quæcunque mandaui.* Obserua ergo ex hoc loco contra hæreticorum solam fidem saluantem, quod quemadmodum *circumcisus debitor est vniuersæ legis Mosaicæ faciendæ*, vt Paulus ait, ita baptizatus debitor est omnium mandatorum Christi obseruandorum. Hanc ob causam Petrus quibus baptismum prædicauit, eosdem non solum pœnitentiam docuit de præteritis dicens, *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum*, verumetiam adiunxit de fugiendo peccato in posterum,

Ecclesiæ magisteriũ circa leges morum.

Gal. 5.

Act. 2.

& de ſeruandis mandatis Dei dicens, *Eripite vos ab hoc ſæculo nequam.* In his enim verbis (ait Auguſt.) *erat mortuorum operum condemnatio, qui nequiter agunt huius ſæculi dilectores, & nouæ vitæ commendatio quam teneant ac ſectentur, qui ſe ab hoc ſæculo prauo eripiunt.* Hęc enim omnia quæ breuitatis cauſa, Lucas tacuit, Petrus tunc docuit, ipſo etiam Luca atteſtante. *Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos dicens, Eripite vos ab hoc ſæculo nequam.* Vide plura in feſto SS. Simonis & Iudæ.

De fide & operibus ca. 8. Act. 2.

A

Quæcunque mandaui vobis.

Calumnia hæretica repellitur. Inſt. l. 4. c. 8. nu. 4.

LOcus monendi auditores hæc verba non eſſe aliquam reſtrictionem Apoſtolicæ vel Eccleſiaſticæ poteſtatis circa præcepta morum, quaſi nihil aliud ſeruandum docere poſſint Apoſtoli & eorum ſucceſſores quàm quæ Chriſtus viua voce Apoſtolis mandauit, ſicut ex hoc loco colligit Caluinus: cuius hæc ſuperba vox eſt. *Nempe ſi Apoſtoli ſunt, ne garriant quicquid collibitum fuerit, ſed mandata eius & quo miſsi ſunt bona fide perferant.* Hęc ille. Aliter illa intellexerunt Apoſtoli, nempè generale quidem eſſe mandatum, vt omnia Chriſti præcepta ab eius ore accepta ſeruanda docerent, non autem reſtrictiuum eſſe mandatum, & vt illa ſola ſeruanda docerent, quæ Chriſtus viua voce docuerat. Meminerant enim ipſum Chriſtum illis dixiſſe, quod Spiritus ſanctus multa illos poſtea progreſſu temporis doceret, quæ illo adhuc cum illis conuerſante portare non poterant. Quamobrem multa de facto mandarunt Apoſtoli, quę non ex ore Chriſti, ſed dictante Spiritu ſancto didicerant, vt illud. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, non aliud vobis imponere, id eſt, mandare, quam hæc neceſſaria.* Sed & Paulus ſolus. *Cæteris* (inquit) *ego dico non Dominus. Si quis forte vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Et paulo poſt viduis dicit. *Beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.* Denique ſuas ordinationes quaſdam, non iam per modum conſilij, ſed etiam vt Domini mandata præſcribit, dicens. *Si quis videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini mandata ſunt.* Poſtremo D. Auguſtinus hanc Apoſtolorum, & Eccleſiæ poteſtatem plura præcipientem quàm Chriſtus viua voce mandauit, exponit eſſe illam ſupererogationem Euangelicam quam in parabola ſtabularij docuit Saluator, dicens. *Si quid ſupererogaueris, dum rediero reddam tibi. Si quid* (inquit Auguſt.) *ſuper Euangelium meum tanquam miſericordiam conſecutus, vt eſſes fidelis, ad eius vtilitatem ſapueris, dum rediero iudicaturus mundum, reddam tibi.* Idem ex eadem parabola docet eleganter Optatus contra Parmenianum.

Ioan. 14.

B

Act. 15. 1. Cor. 7.

1. Cor. 14.

Luc. 10. Hypogn. Lib. 3. Lib. 6.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.

C

Enarr. in Pſal. 47. Perpetua Chriſti aſſiſtentia cũ ſua Eccleſ.

LOcus inſignis obſeruandi contra hæreticos perpetuam Chriſti aſſiſtentiam cum Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, *non enim* (ait Auguſt.) *hoc ſolis Apoſtolis loquebatur, qui vſque ad conſummationem ſæculi non erant, ſed illis loquebatur & nos ſignificabat:* docentibus omnes gentes, baptizantibus eos, & docentibus ſeruare mandata eius, id eſt, Chriſtus eſt ſemper omnibus diebus (non per interualla & interruptiones) vſque ad finem ſæculi (non vſque ad aliquot centenarios annorum) cum Eccleſia ſua ſacramenta adminiſtrante, verbum Dei docente, & mandata Dei explicante. Vnde ſequitur nec in doctrina verbi, nec in præceptis morum, id eſt, nec in adminiſtratione ſacramentorum, errare vllo vnquam tempore, vel die Eccleſiam poſſe. Illud enim, *vobiſcum*, ad ſuperiora refertur, & pro ſuperiorum confirmatione adiicitur, ne fortaſſis Apoſtoli tam ampla poteſtate & commiſſione accepta, de ſuis viribus diffiderent, aut deſperarent. Ideo ad attentionem eos monens, & animos eorum noua quædam alacriter profundere volens, præmittit huic dulciſſimæ promiſſioni, illud *Ecce*, dicens. *Ecce ego vobiſcum ſum, &c.* Vobiſcum inquã baptizantibus, vobiſcum docentibus, vobiſcum mea mandata ſeruare iubentibus. Et quia ego vobiſcum ſum perpetuo, nolite quicquam dubitare. Ego enim mea ſpiritali præſentia, mea gratia, mea inſpiratione, ſic vobis adero, vt nec in Sacramentis, nec in doctrina fidei, nec in præceptis morum præſcribendis, vllo vnquam tempore, vlla ætate, vllo die errare poſſitis. Hæc eſt vis verborum Chriſti ab omnibus Chriſtianis diligentiſſimè retinenda, vt in Eccleſiæ Catholicæ gremio ſic à Chriſto Saluatore ſolidatæ & communitæ, ſecurè ſe & indubitanter contineant.

D

DOMINICA

A

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Compelle eos intrare. Lucæ 14.

LOCVS obiter ostendendi hæreticorum punitionem & coactam obedientiam esse legitimam, atque Euangelio consentaneam. Quãuis enim primo & principaliter Christus loquatur de infidelibus in extremo orbe ad fidem compellendis, non vi armorum, sed assidua prædicatione, singulari vitæ sanctitate, miraculis & huiusmodi, tamen, etiam de cõmpulsione hæreticorum, vt eo intrent vnde exierunt, intelligit hunc locũ S. Aug. Sic enim scribit. *Putas, neminem debere cogi ad iustitiam, cum legas patremfamilias dixisse seruis. Quoscunque inueneritis, cogite intrare? Cum legas etiã ipsum primo Saulum postea Paulum ad cognoscendam & tenendam veritatem magna violentia Christi cogentis esse compulsum?* Hæc ille. Rursum alio in loco idem Augustinus. *Vbi est quod isti clamare consueuerunt, Liberum est credere, vel non credere: Cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum & postea docentem, prius cæcitate ferientem, & postea verbo veritatis consolantem. Mirum est autem quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit.* Hæc ille. Neque vero hæreticos relapsos ad Ecclesiæ vnitatem compellere, est ad fidem cogere, sed est perfidiam & apostasiam castigare. Vnde idem Aug. *Ad fidem nemo cogendus est, sed perfidia castiganda est. Mores optimi libertate voluntatis eliguntur: tamen mores pessimi legis integritate puniuntur. Quæ igitur aduersus hæreticos leges constituuntur, non per eas benefacere coguntur, sed male facere prohibentur.* Hæc Augustinus, hæresis crimen est æterna morte dignum, ideo & temporali. Est argumentum Augustini. His verbis. *Iuste hæretici patiuntur* (de mortis passione loquitur) *quum ex altissimo Dei præsidentis, & ad cauendum æternum ignem talibus flagellis admonentis iudicio patiuntur & merito criminum & ordine potestatum.* Et paulo post. *Cur in veneficos vigorem legum exerceri iuste fatentur, in hæreticos autem atque schismaticos impias dissensiones nolunt fateri, quum in eisdem iniquitatis fructibus authoritate Apostolica numerentur.* Rursum alio in loco. *Si schisma feciſti, impius es. Si impius es, vt sacrilegus morieris quum pro impietate puniris.* Præterea pœna mortis temporalis minus damnum affert quam hæresis: ergo iustè infligitur pro hæresi. Valet consequentia, quia nulla est iniustitia vbi minus patitur malefactor quàm fecit: imo iustitia exigit vt par pari reddatur. Patet antecedens, quia hæresis eorum animas occidit quos capit. Est argumentum Augustini contra Parmenianum Donatistam. *Nihil* (inquit) *tale hæretici patiuntur quale faciunt: nisi quia hominum multitudo non in corde cor habet, sed in oculis. Nam si sanguis exit de carne mortali, quisquis aspicit exhorrescit. Si à pace Christi præcisæ animæ in hæresis sacrilegio moriuntur, quia non videtur non plangitur.*

Hæreticorum iusta punitio.

Epist. 48.

Epist. 50.

Li. 2. c. 83. contra lit. Petil.

Lib. 1. c. 7. con. Parm.

Contra Petil. li. 2. ca. 23.

Li. 1. c. 7.

Sed & Caluinus hoc loco sancto Augustino ita subscribit (iam quippe Geneuæ dominari cœperat) vt in sua Harmonia Euangelica ita scribat. *Non improbo, quod Augustinus hoc testimonio contra Donatistas sæpius vsus est, vt probaret piorum Principum edictis ad veri Dei cultum & fidei vnitatem licere cogi præfractos & rebelles: quia etsi voluntaria est fides, videmus tamen ijs mediis vtiliter domari eorum peruicaciam, qui non nisi coacti parent.* Hæc ille. Hæreticorum tamen nuncupationem studio vitat hoc loco Caluinus, quia ipsemet talis erat. Solum prefractos & rebelles nominat.

D

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

LOCVS ostendendi contra hæreticos, actiones nostras omnes seu bonas seu malas, seu peccata seu pœnitentiam à peccatis, Angelis Dei, & sanctis omnibus, quorum eadem est conditio (dicit enim Christus de sanctis; *Erunt sicut Angeli Dei*) esse cognita & explorata. Nisi enim cognoscerent conuersionem & pœnitentiam peccatoris, de illa non gauderent. Cognoscunt autem Angeli & Sancti actiones nostras, ideoque & preces ac desideria nostra sciunt (quod negant hæretici) vel quia in Deo omnia vident, iuxta illud, *Sequuntur agnum quocunque ierit*, vt ex illo loco colligunt Sanctus Hieronymus & Sanctus Gregorius Rom. cuius hæc sunt verba: *Quid de his quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia, vident?* Vel singulari quodam Dei munere & reuelatione, vt censet Gregorius Nazianzenus in oratione funebri fororis Gorgoniæ: & August. in lib. de cura pro mortuis gerenda. De cura autem &

Angeli & Sancti cognoscunt nostra. Luc. 20. Apoc. 14. Epist. 2. contra Vigilant. Moral. l. 12 ca. 13. Cap. 16. Soliloq. ca. 27.

affectione Angelorum erga nos, quomodo diligunt diligentes Deum, deserunt deserentes Deum, &c. vide Aug. Docet autem satis clarè & apertè S. Scriptura tum vnicuique genti, tum etiam vnicuique personæ certos ac peculiares Angelos à diuina bonitate ad custodiam esse deputatos. Apud Danielem & *princeps Persarum qui 21. diebus restitit Michaeli, & princeps Græcorum*, & ipse Michael (quem *principem Iudaicæ gentis* appellat Dionysius Areopagita) commemorantur. In Euangelio tum de paruulis dicit Christus, *Angeli eorum vident faciem patris mei qui est in cælis*, tum in Actis Apostolicis legitur, Petro ex carcere elapso quum ad domum Mariæ matris Ioānis venisset, eos qui in domo erant non credentes Petrum pulsasse, dixisse: Non est ille, *sed Angelus eius*. Ex qua forma loquendi patet fidem credentium tunc fuisse, certum fuisse vnicuique Angelum. Alioqui nunquam dixissent, *Angelus eius est*: sed Angelus aliquis est. Neque Christus dixisset, *Angeli eorum vident, &c.* nisi cuilibet paruulo, aliisque similiter (non enim magis paruulis quàm grandibus assignatur angelus, quum in periculis peccati magis hi quàm illi versentur) certus & proprius Angelus esset. Hæc breuiter hoc loco contra hæreticos qui hanc Angelorum peculiarem custodiam plerique negant, obiter afferri poterunt. Plura vide in festo Sancti Michaelis.

Dan. 10. Celest. Hierar. c. 9 Matt. 18. Act. 12.

A

2. *Quàm super 99. iustis, qui non indigent pœnitentia.*

B

QVùm Christus hoc loco iustos dicat non indigere pœnitentia Caluinistarum error manifestè refellitur, qui sustinent solos iustos posse agere pœnitentiam: nec ad agendam pœnitentiam idoneos esse posse, nisi qui iam per fidem specialem, qua sola hominem iustificari volunt, coram Deo iustus sit: vt docet accuratè Caluinus Institut. libro 3. Quam impiam sententiam refutatam, vide in parte Quadragesimali, in Sabbato hebdom. 2.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Luc. 5. cap.

Ascendens in vnam nauim quæ erat Simonis.

Petri Prærogatiuę.

IOCVS obseruandi contra hæreticos, vnum inter alia illustre Christi factum quo vnius Petri futuram prærogatiuam demonstrat.

Primum quum multæ aliæ essent naues, non nisi in Simonis Petri nauem conscendit, docturus populum, significans fore vt ex vna Petri nauicula Christus semper doceret, & in ea tanquam vna principali Cathedra veritatem perpetuam collocaret. Sic Patres agnouisse videntur. Inter quos S. Cyprianus. *Christus* (inquit) *vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno Petro incipientem sua authoritate disposuit. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & vna Cathedra monstretur.* Idem alibi vocat Petri cathedram *principalem cathedram, vnde vnitas sacerdotalis exorta est.* Sic Optatus. *Cæteri Apostoli singulas quisque cathedras habuerunt. Petrus habuit singularem & vnicam Cathedram, & principalem, vt in illa vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur.* S. Hieronymus hanc principalem Cathedram agnoscens sic scribit. *Ego Cathedræ Petri communione consocior. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est.* Sic ferè Arnobius: *Petri Cathedra est exitus aquarum in sitim, vt quicunque foras ab illa exierit siti pereat.*

In lib. de vnitate Ecclesiæ. Lib. 1. Epist. 3. Lib. 2. Epist. ad Damas. com. 2. in Ps. 106. Vide Princip. fid. doctr. li. 4. ca. 21.

C

Quomodo autem ex vna Petri nauicula Christus semper docuerit, id est, ex Petri Ecclesia, quæ Romana est, eiusque auspiciis fidem per orbem terrarum propagauerit, documento sunt vniuersæ istæ Occidentalis, vel potius Septentrionalis orbis prouincię Rom. Pont. opera, & auspiciis ad Christum conuersæ. Item hodie tot vtriusque Indiæ ampliſſima regna Christi fidem complexa.

Dixit ad Simonem, Duc in altum.

Li. 4. c. vl. in Lucam.

D

SEcundo cum omnibus nauicularijs, diceret Christus, *Laxate retia vestra in capturam*, soli Petro dixit, *Duc in altum*, id est, *in profundum disputationum*, ait Ambrosius. *Quid enim tam altum quàm altitudinem diuinitatis videre, scire Dei filium & professionem diuinæ generationis assumere?* Hoc nempe primus & solus Petrus à patre cælesti edoctus fecit: & hæc sublimis doctrina in Cathedra Petri nunquam defuit. *Duc in altum*, quia in vna Petri cathedra omnes de fide difficultates & quæstiones subtiles dissoluuntur. Sic Epiphanius. *In Petro* (inquit) *omnes minutissimæ, & subtilissimæ quæstiones quæ ad fidem pertinent, explicatæ inueniuntur.* Nec aliter S. Basilius in Epist. ad Rom. Pont. per Sabinum Diaconum data. *Quia* (inquit) *tuæ pietati datum est, quod adulterinum est à legitimo, & puro discernere, ac fidem patrum sine vlla subtractione prædicare.* Quare ab hac Cathedra Petri petit S. Hieronymus vt per epistolas Damasi Rom. Pontif. *siue tacendarum siue dicendarum hypostaseon illi detur authoritas.*

In Anchoratu.

Concluserunt

A *Concluserant piscium multitudinem copiosam. Ex hoc eris homines capiens.*

TErtiò per hanc copiosam piscaturam, ducente Petro in altum, ostendit & significat Christus qualis tandem hominum piscator Petrus futurus esset: qualis & quantæ Ecclesiæ pastor ac magister: certè Ecclesię Catholicæ per omnes gentes longè latéque diffusæ. Sic alibi quum iubente Christo in dexteram nauigij rete mitterent, nec valerent illud trahere præ multitudine piscium, *ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus* 153. Sic postea non iam pisces, sed hominum Petrus vno iactu, vna prædicatione 3000. cepit. Ostendit hoc facto Christus suam Ecclesiam, in qua Petrus piscatur, in qua Romanus Pōtifex sedebit, nec paucorum nec latentem, sed vniuersalē fore, vt in symbolo profitemur. *Idcirco in symbolo dicimus* (ait Augustinus) *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, id est, toto orbe diffusam, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ ideò Catholicæ non dicuntur, eo quòd per loca & per suas quæque prouincias continentur: hæc verò ab ortu solis vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur.* Hæc ille. Quem sequutus venerabilis Beda. *Liquido* (inquit) *patet inde Catholicam vocari Ecclesiam, quòd per totius mundi partes in vna pace, in vno timore Domini ædificetur.* Hoc autē probauerat ex illis Christi verbis, *Eritis mihi testes vsque ad vltimum terræ. Idem sæpè probat Augustinus ex illis Christi verbis: prædicare oportet in nomine eius pœnitentiam, &c.*
B *per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem.* Denique ex Esaiæ verbis idem probat alio in loco, cōtra Gaudentium hæreticum disputans. *Addis* (inquit) *furori tuo verba blasphemiæ, & audes dicere Ecclesiam Catholicam humanum esse figmentum, cui Deus dicit, Dominabitur tui qui fecit te: Dominus exercituū nomen eius. Et vt sciamus ipsam esse, sequitur & dicit, Et redemptor tuus Sanctus Israël, Deus vniuersæ terræ vocabitur. Tenentes ergo Ecclesiam, quæ dilatatur per omnes gentes, non figmentum sequimur humanum, sed promissum factúmque diuinum.* Hæc ibi ille. Describitur igitur vera Christi in terris Ecclesia, tum alijs in locis, tum in hoc Euangelio, vt multitudo piscium copiosa, vt Catholica & per omnes gentes diffusa multitudo, non vt paucorum schisma separatum & secta reuulsa: vel (vt loquitur Pacianus) *vt insolens portiuncula tubérque collectum.*

Ioan. 21.

Act. 2.

Serm. 181. De tempore

In cō. super Cant. c. 6. Act. 2. Luc. 24. De vnit. Eccl. cap. 9 Lib. 2. c. 25 cont. Gaudentium. Esa. 54.

Epist. 1. ad Sempronianum.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Nisi iustitia vestra abundauerit plusquam Scribarum & Pharisæorum,
C *non intrabitis in Regnum cœlorum.* Matth. 5.

IOCVS obseruandi contra hæreticos sine iustitia bonorum operum neminem (qui vt ea faceret ætatem habuit, nam adultos Christus alloquitur) intraturum in Regnum cœlorum. Inter cæteras enim falsas Pharisæorum iustitias, vna erat cognoscere legem & profiteri, sed non facere. Hanc Christus notauit dicens. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis seruat eam?* Et D. Paulus similiter. *Qui in lege gloriaris, per præuaricationem Deum inhonoras.* Sic hæretici per solam fidem se Deum cognoscere & omnes scripturas tenere gloriantur, bona autem opera quasi nihil ad salutem necessaria contemnunt. Docet autem hoc loco Christus non solùm professionem & cognitionem, sed etiam obseruationem legis esse ad salutem necessariam: Docet non solum occidere, sed nec irasci, vel maledicere. Docet non solū non mœchari, sed nec concupiscere mulierem. Docet ergo iustitiam operum ad salutem esse necessariam, eámque exactiorem & perfectiorem, quàm in veteri lege præscriptam fuisse opinarentur Pharisæi.

Bonorum operum necessitas. Ioan. 7. Rom. 2.

Locus etiam defendendi Ecclesiam Catholicam ab ingenti hoc loco, & varia calumnia hæreticorum. Quia enim vna iustitia Pharisæorum erat mera superstitio, qua videlicet ex propijs quibusdam politijs & obseruationibus, extra & contra Dei mandata sine vlla iusta authoritate introductis Deum colebant, verámque in illis iustitiam quærebant, vt *non manducare nisi lotis manibus, neglecta parentum cura oblationes in templum inferre, varia baptismata calicum, vrceorum, æramentorum & lectorum frequentare,* calumniantur hæretici propter similes superstitiones & traditiones non scriptas in verbo Dei Catholicorum iustitiam esse Pharisæis similem. Sed verò iustitia Chtistianorum, quæ super hanc Pharisęorum abundat, non est omnem Ecclesiasticum & religiosum Dei cultum in scripturis non expressum prorsus repudiare (sic enim: *Dum vitant stulti vitium in contraria currunt,*) sed est iuxta Dei & Ecclesiæ Catholicæ traditiones (non iuxta priuatas opiniones) cum vera fide & interna pietate Deum colere. Habet Ecclesia Christi suas traditiones Seniorum, de quibus scriptura dicit. *Perambulabat Paulus cōfirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Et de traditionibus seu constitutionibus Apostolicis octo libros conscripsit Clemens. Alias postea pro ratione temporum & personarum Concilia Episco-

Calumniæ hæreticorū repellūtur. Matth. 15. Mar. 7.

Act. 15.

porum ſtatuerunt, quibus ſingularem authoritatem & reuerentiam antiquitas ſemper tribuit. A
Li. de Spir. S. cap. 29. Vnde D. Baſilius. *Apoſtolicum* (inquit) *arbitror eſſe etiam in non ſcriptis traditionibus perſeuerare. Laudo*
2. Theſſ. 2. *enim* (inquit Apoſtolus) *vos quod omnia mea meminiſtis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones cõ-*
Hõ. 4. in 2 ad Theſſ. *tinetis, & obtinetis traditiones quas accepiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam.* Quæ Apoſtoli verba
De bapt. cõ. Donat. l. 2. cap. 7. tractans Chryſoſt. Hinc patet (inquit) *quod non omnia per Epiſtolam Apoſtoli tradiderint, ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt tam illa quàm iſta. Itaque traditionem Eccleſiæ fide dignam eſſe putamus: Traditio eſt. Nihil quæras amplius.* Hæc ille. Sed & de his Auguſt. *Multa* (inquit) *non inueniuntur in litteris Apoſtolorum, & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Hæc ille.

Luc. 11. Rurſum quia Phariſæorum iuſtitia erat in minutioribus ceremonijs ingentem curam ponere, maiora autem mandata licenter tranſgredi, *mentam & rutam & omne olus decimare, iudicium autem & charitatem Dei præterire*, hæretici hodie calumniantur Phariſaïcam eſſe iuſtitiam, ſi quis ieiunium ſtrictius obſeruet, preces canonicas præterire non audeat, Miſſam non audire die conſtituto pro piaculo habeat. Sed non aduertunt quòd Chriſtus Phariſæis dixit. *Hæc oportuit face-*
Matth. 23. *re, & illa non omittere.* Phariſæorum ergo iuſtitia erat parua ſeruare, maxima negligere: Chriſtianorum & Catholicorum iuſtitia eſt magna ſeruare, & parua non negligere. Hæreticorum
Lib. 2. c. 27 contra Gaudentij Epiſt. 2. iuſtitia eſt, nec parua, nec magna ſeruare, ſed per ſolam fidem ſalutem ſibi rectam promittere. Denique talis eſt eorum iuſtitia qualis olim Donatiſtarum fuit, de qua ſic Auguſtinus ait. *Ha-* B
betis res magnas, quas inter veſtras iuſtitias ventiletis, diuiſionem Chriſti, reſciſſionem Sacramentorũ Chriſti, deſertionem pacis Chriſti, bellum contra membra Chriſti, criminationes in coniugem Chriſti, negationem promiſſorum Chriſti. Hæc ille, quæ omnia in noſtros hodie hæreticos ad amuſſim quadrant. Per ſchiſmata enim diuidunt Chriſtum. Per nouas doctrinas reſcindunt Sacramenta Chriſti, dum ſeptem ad duo reſtringunt, & illa duo varijs hæreſibus contaminant. Deſerunt pacem Chriſti, recedendo ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ. Bellum gerunt contra membra Chriſti, perſequendo Catholicos, vi & armis & cruentis legibus, vbi ſuperiores eſſe poſſunt. Criminantur coniugem Chriſti, falſis accuſationibus Eccleſiæ prælatos traducendo: denique negant promiſſa Chriſti, de perpetuitate, firmitate, claritate, propagatione, & amplitudine Eccleſiæ ſuæ, de ſtabilitate fidei Petri, de perpetua Spiritus Sancti aſſiſtentia, aliáque permulta.

Luc. 11. Rurſum quia Phariſæorum iuſtitia erat hypocriſis, & per externas quaſdam obſeruationes
Matth. 23. Deo ſeruire, neglecta interna cordis iuſtitia, iuxta illud Chriſti. *Vos Phariſæi, quod deforis eſt ca-*
Matth. 5. *licis & catini mundatis, quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate:* & rurſum. *Similes eſtis ſepulchris dealbatis, &c.* Hæretici hodie omnem externam ſanctimoniam, pro iuſtitia Phariſaica traducunt, & in alterum exttemum, id eſt, in apertam iniquitatem, ne fortè hypocritæ fiant, dilabuntur. Sed Chriſtus non ſimpliciter externam ſanctimoniam damnat. (Vult enim
Ioan. 21. *opera noſtra bona lucere coram hominibus, vt glorificetur pater noſter qui in cælis eſt.*) At externam condemnat, qui interna caret. Sed & illud notandum, vbi hypocriſis eſt multa, ibi haud dubiè, & multa eſt pietas, non quidem in ipſis hypocritis, ſed in alijs quibus ſe ſimiles hypocritæ fingunt. Neque enim fingitur, niſi quod honoratur: vt denſa ſylua, & herba mala multum excreſcens fœcunditatis terræ argumentum eſt: ſic latè patens hypocriſis vitium, veræ pietatis apud alios obtinentis argumentum eſt. Hæretici verò, vt hypocriſim fugerent, veram pietatem ludibrio paſſim haberi fecerunt. Ita ne apud paucos vigeat hypocriſis, apud omnes aut certè pleróſque regnat impietas.

Peccatorũ diſcrimen.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. D

LOcus appoſitus docendi contra hæreticos, manifeſtam peccati venialis & mortalis, ex ſcripturis diſtinctionem: quam idcirco illi impiè negant, vt dum populo perſuadent omnia peccata ex ſua natura eſſe mortifera, & æternæ damnationi obnoxia, ex Chriſti autem gratia per ſolam fidem eſſe venialia, id eſt, veniam conſequi, tres peſtilentiſſimos errores eo-
Tres impij hæreticorũ errores ex negata peccatorum diſtinctione. Inſtit. li. 3. c. 4. nu. 28. rum animis inſtillent. Vnum, vt hac ratione nullam eſſe bonorum operum iuſtitiam conuincãt. Si enim abſque peccato nemo eſt, & omne peccatum mortale eſt, neceſſariò ſequitur neminẽ I
ratione operum extra ſtatum damnationis eſſe. Alterum, vt ſatisfactionem omnem pro peccato, qualem à pœnitentibus ſcriptura requirit, tanquam impoſſibilem tollant. *Si enim ſingula, & quotidiana peccata* (ait Caluinus) *mortalia ſunt, ideoque ſatisfactione expianda, quem tandem ſatisfaciendi exitum inuenient homines in tanto peccatorum cumulo?* Hæc ille. Tertium, vt quum omnia peccata æquè ſunt per Chriſti gratiam venialia, & æquè ex ſua natura mortalia, frigidi quidem & improbi Chriſtiani peccata vitare contemnant, quaſi omnia venialia, infirmi verò & pietatis amatores, ad deſperationem virtutis adigantur, quia omnes qualeſcunque defectus peccata ſunt mortalia. Docet autem præſens Euangelium manifeſtam eſſe peccatorum diſtinctionem, &

quædam

A quædam quidem *gehennæ obnoxium* facere, ideóque mortalia esse, quædam verò non *gehennæ, sed iudicio vel concilio*, quod discrimen quale sit, patres explicant. Augustini explicatio hæc est. *Quid interest inter reum iudicio, & reum concilio, & reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum grauissimum est, & admonet quosdam gradus factos à leuioribus ad grauiora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideò sicut leuius est reum esse iudicio, quàm reum esse concilio, ita leuius est reum esse concilio, quàm esse reum gehennæ ignis. Itaque oportet vt leuius esse intelligatur irascì sine causa fratri, quàm dicere Racha, & rursus leuius esse dicere Racha, quàm dicere Fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur.* Hæc ille. Et paulò pòst: *Gradus itaque sunt in istis peccatis. In primo ira sola, in secundo & ira & vox quæ iram significat, in tertio & ira & vox quæ iram significat, & in voce ipsa certæ vituperationis expressio.* Ad eundem modum Gregorius Magnus. *Per gradus culpæ creuit ordo sententiæ, quia in iudicio adhuc causa discutitur, in concilio autem iam causæ sententia definitur. In gehenna verò ignis, ea quæ de concilio egreditur, sententia expletur.* Aliæ verò scripturæ, quæ hanc mortalium, & venialium peccatorum differentiam explicant, hæ sunt. *Eÿce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris sui. De his loquitur* (ait Hieronymus) *qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt.* Similiter Augustinus. *Festuca in oculo ira est. Trabes in oculo odium est. Multum interest inter peccatum irascentis & crudelitatem odio habentis. Festuca turbat, Trabes extinguit.* Rursum quod Paulus ait quosdam *ædificare super fundamentum*, id est, super fidem Christi, *aurum, argentum, lapides pretiosos*, id est, bona opera: *alios verò ædificare ligna, fœnum, stipulas*, id est, peccata,
B vtrosque tamen saluos esse de peccatis venialibus exponunt Patres. Vt August. De ciuit. Dei, lib. 21. cap. 26. Vbi hoc ait esse *amare vxorem & alia terrena non tamen sic vt Christo præponantur.* Gregorius Magnus. *Pensandum solicitè est, quia illum per ignem dixit posse saluari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs vel plumbum ædificat, id est peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam insolubilia, sed ligna, fœnum, stipulam, id est peccata minuta, atque leuissima, quæ ignis facile consumat.* Vide plura de hac peccatorum venialium & mortalium distinctione in Opusculo nostro de iustificatione.

De serm. Domini in monte. lib. 1. c. 19.

Moral. l. 21. c. 5.

Matth. 7.

In Cõment. ibidem.

Hom. 16. de verbis Domini.

1. Cor. 3.

Dialog. l. 4 cap. 39.

Lib. 12. c. 6. & seqq.

3. *Si offers munus tuum ad altare, &c.*

DIcit hoc loco Caluinus, *Christum pro illius sæculi ratione de sacrificijs loqui, hodie dissimilem esse nostram conditionem.* Sed vt Christi doctrina eadem ac perpetua omnibus sæculis sit, nec ad illum solum tempus restringatur, quo Iudæorum sacrificia ad Dei cultum pertinebant (quo nihil magis absurdum) necessario fatendum est, non solum in quolibet pio opere ad Dei cultum destinato, hanc legem valere (qui tantum tropologicus est huius loci sensus) sed Christum ad
C litterã de futuro in Ecclesia sua sacrificio externo (quod hæretici hodie agnoscere nolint) hanc legem tulisse. Nam & nos *habemus altare, de quo edere non possunt, qui deseruiunt tabernaculo*, ait Paulus: de quo etiam sacrificio dicit, *probet seipsum omnis homo, & sic de pane illo edat*, &c. Summa autem probationis pars est, vt omnis cum fratre simultas penitus aboleatur: quod hic imprimis Christum spectasse veteres interpretes annotarunt. Sanctus Chrysostomus Homilia decima sexta, vbi ait: *Audiant hi qui sacris mysterijs initiati cum inimicitijs ad communionem altaris accedunt.* Rursum Homilia vndecima operis imperfecti; Hilarius & Augustinus lib. 1. cap. 20. de Sermone Domini in monte.

Sacrificiũ altaris habet Ecclesia

Heb. 13. 1. Cor. 11.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Et habebant piscículos paucos, & ipsos benedixit, &c.

Marc. 8.

D LOcus oportunus obseruandi contra hæreticos Christum Dominum in suis miraculis, & multiplicatione creaturarum, non solum Deo patri eleuatis oculis gratias egisse (vt volunt hæretici) sed etiam ipsas creaturas eleuatis manibus benedixisse, & sua benedictione ipsas creaturas sanctificasse ac multiplicasse. Nam in hoc Euangelio S. Marcus sicut de panibus dicit, *Accipiens septem panes gratias agens fregit*, sic de piscibus dicit, *ipsos benedixit, & iussit apponi.* Affirmat ergo ipsos pisces à Christo benedictos fuisse, vel ipsis piscibus Christum benedixisse. Eodem sanè modo quo idem Marcus cap. 6. narrans aliud miraculum de quinque panibus & duobus piscibus, dicit. *Acceptis quinque panibus & duobus piscibus intuens in cælum benedixit & fregit panes.* Quo in loco non est dubium quin benedictio & fractio ad panes referatur. Si quis tamen dubitare velit, omne dubium tollit Lucas, qui idem miraculum scribens sic ait. *Acceptis quinque panibus & duobus piscibus, respexit in cælum & benedixit illis, & fregit & distribuit discipulis suis.* Christus igitur in vtroque miraculo tam quinque panum, & duorum piscium Marc. 6. & Luc. 9. quàm septem panum & paucorum piscículorum in præsenti

Benedictio creaturarũ

Mar. 6.

Luc. 9.

Luc. 14.

Euangelio, benedixit panibus, benedixit piſcibus, idque eleuatis manibus ſuper eos, ſicuti aſcẽ- A
dens in cœlum, *Eleuatis manibus ſuis benedixit* diſcipulis, (eandem enim benedictionis formam,
Chriſtum Dominum vbique ſeruaſſe dubitari non poteſt) gratias quoque egit Patri eleuatis
oculis in cœlum. Vnde notandum eſt, quòd etſi apud Euangeliſtas duæ illæ voces Græcæ εὐλο-
Marc. 14. γεῖν & εὐχαριστεῖν *& gratias agere* promiſcuè accipiantur, vnde Marcus & Matthæus Cœnam Domi-
ni deſcribentes de pane dicunt, *benedicens fregit*, de calice dicunt, *Gratias agens dedit eis*, rẽ ean-
Matth. 26. dem vtrobique ſignificans (non eſt enim dubium quin & panem dederit gratias agens, vt Lucas
Luc. 22. & Paulus ſcribunt, *Accepto pane gratias egit & fregit, accepit panem & gratias agens fregit & dixit*: &
1. Cor. 11. calici quoque benedixerit dicente Paulo, *Calix benedictionis cui benedicimus*. Paulus quoque de
1. Cor. 10. eadem re loquens vtroque vocabulo vtitur quum dicit, *Si benedixeris ſpiritu*, ἐὰν εὐλογήσεις, *quomo-*
1. Cor. 14. *do qui ſupplet locum idiotæ reſpondebit amen, ſuper tuam benedictionem*, εὐχαριστίαν?) tamen non propter-
ea hoc fit, quia benedicere nihil aliud ſignificat quàm Deo gratias agere, vt volunt hæretici:
Manifeſtum enim eſt, quia ipſas creaturas, panes & piſces, calicem & diſcipulos, Chriſtus bene-
dixit iuxta Lucam & Marcum & Paulum,) ſed quia ipſa gratiarum actio non fit ſine benedi-
ctione aliqua creaturis impertita, nec benedictio creaturarum ſine gratiarum actione Deo præ-
ſtita. Iſta diligenter contra hæreticos obſeruari poſſunt, qui ab omni creaturarum benedictio-
ne (genus hominum hoc nomine maledictum) prorſus abhorrent, non ſolum propter huius
Euangelij claram intelligentiam, ſed etiam propter actiones Chriſti in vltima cœna factas circa B
Hom. 5. de paſch. venerabilis Euchariſtiæ inſtitutionem clarè quoque perſpiciendas. Illic enim *accepto pane bene-*
dicens fregit, vt hic acceptos piſciculos benedixit: Illic panem benedictione ſanctificauit, & in
De iis qui initiantur myſt. c. 9. ſuum corpus conuertit, ſicut hic paucos piſciculos benedictione multiplicauit. Sic Euſebius
Emiſſenus. *Quanta vis diuinæ benedictionis vt in Chriſti ſubſtantiam diuina clementa commutentur?* Sic
In Hom. de prodit. Iudæ. D. Ambroſius. *Maiorem*, ait, *eſſe vim benedictionis quàm naturæ: quia benedictione etiam natura muta-*
tur. Sic Chryſoſtomus. *Quemadmodum* (inquit) *benedictio illa ſemel dicta, Creſcite & multiplicamini,*
præſtat perpetuum generationi effectum, ſic hæc vox ſemel dicta, hoc eſt corpus meum, per benedictionem prola-
ta per omnes menſas Eccleſiæ præſtat ſacrificio firmitatem. Quemadmodum ergo credimus ex quinque
illis panibus & paucis piſciculis, Chriſti benedictione multiplicatis, 4000. hominum ad ſaturi-
tatem manducaſſe, ita par eſt credere panem & calicem Chriſti benedictione, illud facta eſſe,
quod illa eſſe pronunciauit; *Corpus ſcilicet & ſanguinẽ eius*, apoſtoloſque ea accipientes verè mã-
ducaſſe corpus & bibiſſe ſanguinem Chriſti. Rurſus quemadmodum ſi hoc miraculo de quinq;
panibus peracto, Chriſtus dixiſſet Apoſtolis ſuis, *Hoc facite in meam commemorationem*, nemini
Chriſtiano dubium fuiſſet quin Apoſtoli poteſtatem accepiſſent multiplicandi panes, ſeruata
illa benedictionis & gratiarum actionis forma, qua Chriſtum vſum fuiſſe viderant: ſic omnino C
nemo verè Chriſtianus vnquam dubitauit, quia Chriſtus facta illa admirabili conuerſione pa-
nis in corpus & vini in ſanguinem ſuum, mediante illa benedictione & gratiarum actione, di-
xit poſtea Apoſtolis ſuis, *hoc facite in meam commemorationem*, quin Apoſtoli & eorum ſucceſſores
poteſtatem tunc acceperint conficiendi ex pane & vino corpus & ſanguinem Chriſti, ſeruata
illa benedictionis & gratiarum actionis formula, qua Chriſtum tunc vſum fuiſſe viderant. Sic
ſemper hactenus per omnes ætates credidit Eccleſia. Sed & Chriſtus hoc ipſum miraculum de
quinque panibus quod D. Ioan. recitat, cap. 6. ideò fecit paulò ante doctrinam ſuam de futura
manducatione corporis ſui, vt eſt apud S. Ioannem, quia voluit ex hac panum multiplicatione
auditores ſuos docere, & introducere ad ſublime illud aliud miraculum credendum de pane
quem ipſe daturus eſſet in mundi vitam dicens. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Sic
Hom. 45. in Ioan. de hoc miraculo & conſequenti ſtatim Chriſti doctrina prædicta anno tauit Sanctus Chryſoſto-
mus. *Cur* (inquit) *Iudæi abierunt retrò auditis illis verbis, Panis quem ego dabo, &c. hoc propter eorum ſtul-*
titiam. Quando enim ſubit quæſtio, quomodo aliquid fiat, ſimul ſubit & incredulitas. Nam ſi hoc (ô Iudæe) in-
quiris, quomodo poteſt hic nobis ſuam carnem dare ad manducandum, cur non idem in quinque panum miracu-
lo dixiſti, quomodo eos in tantum auxit? Sed res ipſa tunc docuit, inquies. Ergo ex eo & hæc credere oportuit ei
Dom. 4. Quadrag. *facilia factu eſſe. Propterea id prius fecit miraculum, vt per illud non eſſent amplius increduli his quæ poſt-* D
modum diceret. Hæc omnia Chryſoſtomus. Vide plura ſuprà in alia Dominica, & in ipſo Chry-
ſoſtomo.

Audiamus hic tamen quomodo hoc loco Caluinus & Beza non tam eluctari quã aperto
In Harm. Euang. ad Mat. c. 14. Dei verbo reluctari conantur. *Benedictio hoc loco*, ait Caluinus, *vt alibi ſæpe, pro gratiarum actione ca-*
pitur. Sed eadem hiſtoria apud Lucam poſita hanc expoſitionem manifeſti erroris conuincit, ni-
ſi fortè ipſis panibus ac piſcibus gratias egiſſe Chriſtum dicere velit Caluinus. Nam Luc. 9. ſic
legimus. *Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, reſpexit in cœlum & benedixit illis & fregit*. Mani-
feſtè dicitur, quod Chriſtus ipſis panibus & piſcibus benedixerit, id eſt, benè precatus fuerit
aſpiciens in cœlum, vt poteſtatem hanc benedicendi & per benedictionem multiplicandi à cœ-
In annot. in Nouum Teſt. lo ſe accipere profiteretur. Porrò idem Caluinus in c. 19. Matth. ad illa verba. *Oblati ſunt & paru-*
uuli vt imponeret eis manus, ait, *Chriſtum oblatos ſibi paruulos ſolemni benedictionis ritu Deo Patri cõſecraſſe*.
Beza cõtra litteram Euangelicã pugnat. Beza in hunc Matthæi locum benedictionem quoque interpretatur gratiarum actionem, quia
Matth. 15. & Ioan. 6. in ſimili miraculo, ponitur vox εὐχαριστήσας gratias egit, non autem εὐλογήσας,
benedixit. Cæterum Luc. 6. vbi non ſolum repetitur verbum εὐλόγησε *benedixit*, ſed additur re-
latiuum αὐτοῖς *illis*, ſcilicet panibus: in hunc modum cauillatur Beza. *Non dubium eſt* (inquit) *quin*

εὐλογεῖν

A εὐλογεῖν *hoc loco significet* τὸ εὐχαριστεῖν, id est, *gratias agere. Quia tamen additur relationum* αὐτῶς *& nimis absurdum fuerit cogitare Christum egisse panibus gratias, aut precatum esse panes ac pisces, emolienda est hæc interpretatio. Dicitur ergo panibus benedixisse, id est, de his panibus ac piscibus gratias egisse Deo Patri, & simul eum precatus, vt tantilla panum ac piscium copia tantam multitudinem pasceret. Denique vt totum hoc conuiuium ad Dei gloriam referretur.* Hæc Beza contra apertam veritatem Euangelicam pertinaciter contendens, & contra stimulum frustra calcitrans.

Hæc enim expositio sensum litteræ prorsus euertit. Nam de panibus gratias agere Deo, nō est ipsis panibus benedicere, sed Deo. At Lucas, dixit: quod *ipsis panibus benedixerit* Christus. Deinde precari Deum pro multiplicatione panum, est rursum actio ad Deum relata, non ad panes. At Lucas dicit, ipsis panibus benedixisse Christum, vt benedictionis actio ad panes ipsos referatur. Denique vt totum conuiuium ad Dei gloriā referatur, finis certè benedictionis esse potuit, sed non ipsa actio, quæ ad ipsos panes referebatur, si vera narrat Lucas. Sed impudentes hæretici clamant sempet & postulant scriptum verbum & litteræ contextum: Ipsum tamen verbum & contextum audacissimè peruertunt.

Hæretici scriptum verbum flagitant, sed illud pro suo arbitratu corrumpunt.

B

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite vobis à falsis Prophetis.

Matth. 7.

LOCVS proprius & insignis diligenter docendi populum fidelem quantoperè sibi ab hæreticis cauere debeat. Mandat hic Saluator *attendere*, id est, diligenter cauere ab illis. Sic Chrysostomus. *Non dixit aspicite, sed, attendite. Aspicere enim est simpliciter videre. Attendere autem est cautè considerare. Vbi enim certa res est & indubitabilis, aspicitur: vbi autem incerta & dubitabilis, attenditur. Attendere autem iubet non corporali aspectu, sed vigilantia spirituali.* Hæc ille. Sic S. Ioannes. *Nolite omni spiritui credere, sed probate an ex Deo sint.* Probare & attendere, examen & discussionem significant diligentem. Hic igitur taxanda plurimorum hodie negligentia inexcusabilis, qui nouis magistris & hæreticis tam faciles aures præbuerunt. Sic Paulus iubet eos obseruari & declinari, dicens. *Rogo vos fratres vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis.* Est autem hæc doctrina multum necessaria,

Hom. 19. Cauendi hæretici, operis imperfecti in Matth.

1. Ioan. 4.

Rom. 16.

C quia difficile est hæreticum magistrum à Catholico, falsum Prophetam à vero, lupum à pastore discernere, nisi attendas, nisi probes, nisi obserues. Adulatorem à vero amico, hypocritā à viro iusto, vetisimile à vero, difficilius est discernere & distinguere, quàm apertum hostem, manifestè impium, & euidenter falsum cognoscere. Et tamen sicuti qui bene attendit probat & obseruat, illa omnia facilè discernit, sic & in falsis prophetis accidit.

Quomodo ab hæreticis attendendum est, & quas ob causas vide plura in Prompt. Morali in hac Dominica text. 1.

Titillauit autem hic locus Caluinum vehementer, & perstrictum se sentiens, in hæc verba prorumpit. *Nimis putidi sunt Papistæ, qui conflandæ nobis inuidiæ causa illam Christi vocem præcisè iactant, à pseudo-prophetis cauendum esse: ac suis clamoribus efficiunt, vt imperiti causa incognita temere à nobis abhorreant.* Et paulò pòst: *Nimis improbe Christi mandatum abrogant Papistæ, qui iniecto falso metu miseras animas ab inquisitione deterrent. Sit igitur hoc primum, eos qui trepidando incognitam doctrinam respuūt vel fugiunt, perperam hoc & minime ex Christi mandato facere.* Hæc lupus ille, vt oues Christi à trepidatione & metu lupi reuocet, & ad inquisitionem nouæ doctrinæ adducat. Nihil quippe magis displicet lupo quam trepidatio ouium, & quod tam cito fugiunt ab eo. Atqui Christus Pastor noster fugere docuit à lupis, non cum illis disceptare. *Oues* (inquit) *pastorem sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo. Atqui* (inquit Caluinus) *iudicium de pseudo-prophetis à fructibus eorum facere iubet Christus. Inquirenda igitur & discutienda doctrina eorum est, non ipsi fugiendi sunt.* Hæc iterum lupus ille. Cæterum Christus ad Apostolos quidē & magistros Ecclesiarum hæc verba dicit, *ex fructibus cognoscetis*, vt illi in eos diligenter inquirant: *Oues autem*, & simplicem populum *fugere* iubet, non inquirere. *Imo* (inquit Caluinus) *discretionis spiritu vbi*

In Harm. Euang. in Matth. c. 7.

Caluinus egregie lupum agit.

Ioan. 10.

D *opus est: nunquam destituuntur fideles, qui modo sibi diffusi, & proprio sensu valere iusso, totos sese illi regendos tradunt.* Atqui meminisse Caluinus debuit discretionem spirituum non esse vulgare donum aut fidelibus commune, sed paucorum, iuxta illud Pauli: *Alij discretio spirituum, alij genera linguarum.* Deinde hoc donum discretionis spirituum esse proprium magistris & doctoribus Ecclesiarum: *Non enim omnes Prophetæ, non omnes Doctores*, quorum est de doctrina iudicare. Tertio iudicium quoddam discretiuum esse sanè penes fideles circa ea quæ sunt fidei: sed hoc iudicium in generali tantum esse, non in particulari. Nempè vt facilè discernant an doctrina quæ asseritur noua sit, & præter eam quam acceperunt: vt sic eam fugiant ac detestentur: sicut Paulus & Ioannes docuerunt. Non autem vt doctrinam in particulari ex causis & fundamentis suis exa-

1. Cor. 12. Discretionis spiritus in quib. sit. Gal. 1. Ioan. ep. 1.

minent, vt sic proprio iudicio discutiant, quid verum, quid falsum sit: quod proprium est Eccle- A
Actor. 15. siarum magistris: vt in prima de fide controuersia factum vidimus. *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Addit adhuc Caluinus: *Interea meminerimus ad verbum Dei exigendas esse omnes doctrinas: & ideo in iudicandis pseudoprophetis fidei analogiam dominari.* Hæc quidem vera sunt, sed nec verbum Dei sola scriptura est, vt hic Caluinus accipit, nec hoc verbum Dei vulgus fidelium tam exactè intelligit, vt de quauis noua doctrina ex verbo Dei, atque in causis & fundamentis suis iudicare possint: denique fidei analogia dominatur, quatenus nulla noua doctrina recipienda est, quæ analogiæ fidei, id est, receptæ iam & approbatæ in Ecclesia fidei repugnet, quod contra omnes nouas doctrinas, adeóque Caluinum ipsum fortissimum argumentum est. Adeo volens esse legis Doctor, nescit quæ loquitur, neque de quibus affirmat. Addit tertio Caluinus: *Deinde spectandum est, quid Deus Prophetis suis verbique ministris iniungat, quia inde, fidelitas facilè dignosci poterit.* Sed hoc totum, & quid sit Pastoris officium, non oues ipsæ & vulgus fidelium, sed alij Pastores, & tota Pastorum communitas, vel maximè caput Pastorum Christi in terris vicarius, iudicare & cognoscere debent. Alioqui nulla esset in Christi Ecclesia sacra Hierarchia, sed planè prophana & ethnica monarchia. Sed exemplo rem illustrare Caluinus vult: *Quemadmodum exempli gratia, si nobis proponimus quæ Paulus in Episcopis requirit, sola illa descriptio ad damnandam totam Papatus colluuiem sufficiet, quia videntur data opera Papales sacrifici contrariam ideam velle exprimere.* Dixit, & abiit. Nam post tam atrocem calumniam in vniuersam Catholicæ Ecclesiæ B
hierarchiam ne vno quidem verbo in particulari docet, quomodo descriptio Episcopi Pauli-
In Antid. Apost. na violata sit. Cauillator impotens, calumniæ suæ simpliciter assertæ credi vult, descriptio Apostolici Episcopi in eo fortasse à Catholicis Episcopis negligitur, quia non est nunc amplius Episcopus, *vnius vxoris vir*, sed cœlibem vitam agit. Sic opinor. Nam & sic ad illum Apostoli locum garrit Caluinus: cui ad eundem locum respõdimus. Tenemus interim quam egregiè lupus Caluinus, pro lupis non fugiendis, sed audiendis, contra Christum disputauit.

Qui veniunt ad vos.

Hæretici veniunt, nõ mittuntur. Rom. 10. DVo in his verbis Saluatoris contra hæreticos notanda. Primum quod dicit. *Veniunt.* Hæretici enim non mittuntur legitima superiorum authoritate, vt veri Ecclesiæ Catholicæ Episcopi & Pastores, iuxta illud Apostoli, *quomodo prædicabunt nisi mittantur?* sed veniunt sua spõte suáque sola authoritate freti, nemine vocante, nemine mittente: De quibus cõqueritur per
Hier. 23. & 14. Prophetam Deus. *Non mittebam Prophetas & ipsi currebant: non loquebar ad eos & ipsi prophetabãt.* Et C
Ezech. 23. iterum. *Falsi Prophetæ vaticinantur in nomine meo & non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Et dicunt, ait Dominus, quum Dominus non miserit eos.* Sic hoc loco, *veniunt ad vos*, quum Dominus non miserit eos. Sic Ioannes. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne Aue ei dixeritis.*
2. Ioan. Ioan. 8. Sic de ipso Antichristo, cuius præcursores omnes hæretici sunt, ait Christus. *Alius veniet in nomine suo, hunc accipietis.* Omnes hæretici veniunt in nomine suo, à nemine missi, vocati, vel ordinati, vt lex ecclesiastica iuxta apostolicam traditionem in scripturis reuelatam iubet. *Furesveniunt vt mactent & perdant.* Sic hęretici vt ouile dissipent.
Ioan. 10.

Alterum notandum est quod dicit Christus, *ad vos.* Hæretici enim non nisi ad iam Chri-
Hęretici Christian. peruertũt. Ioan. 10. stianos & Catholicos veniũt, vt eos subuertãt. Non ex hœdis oues faciunt, ex paganis Christianos, sed iam factas oues mactant & produnt, vt Saluator docuit. Non colligunt in Ecclesiam, sed *abducunt discipulos post se*, id est, separant ab Ecclesia ad sectam suam, vt Apostolus lupos rapaces
Act. 20. describit. Sunt Apostolis ex diametro contrarij. *Illi enim* (ait Tertullianus) *de mortuis viuos suscitabant; isti de viuis mortuos faciunt.* Hæc ille. De illis dicitur. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, vt vi-
In præscr. cont. hæret delicet, congregent dispersos Israël in vnum: isti contrà iam congregatos & collectos dispergunt. *Negotium est hæreticis* (ait Tertullianus) *non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi: hanc magis gloriam captant si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.* Hæc ille. Denique sunt D
Rom. 10. Ibidem. eius ministri, qui *in agro Dominico sua zizania superseminauit.* Isti enim nunquam seminant vbi Dei
Matth. 13. verbum non erat, sed superseminant, vt Dei verbum prius seminatum suffocent. Ista est
Ioan. 17. *perdix quæ congregat, quòd non peperit, faciens diuitias non suas*, & alienis ouis incubat, vt de hæreticis ex Ieremia docuerunt sanctus Hieronymus in comment. ibidem, & sanctus Augustinus contra Faustum, libro 13. capite 12. Hoc totum significare voluit Christus dicens de hæreticis, *veniunt ad vos.*

In vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.

Hæretici hodie quot modis lupi rapaces sub veste ouium Homil. 19. operis imperfecti in Matth. 2. Rom. 16. LOcus necessarius ostendendi causam quare diligenter sunt hæretici ab omnibus cauendi, causa est, quia aliud videntur esse & aliud sunt. Chrysostomus. *Oues propriè Christiani dicuntur: vestimentum autem ouile est species Christianitatis.* Sic isti Christiani dicuntur, sed hæretici sunt. Rursum sermo blandus & mollis ouilem mansuetudinem refert. Sic hæretici (ait Paulus) *per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum.* Verbum Dei proferunt, Euã-

gelium

A gelium loquuntur, dulces Christi promissiones sola fide apprehendendas ostentant, suauem & facilem saluti viam demonstrant. Sed verbum diaboli est quod proferunt, dum sensum Diabolicum Dei verbo affingunt. Præsumptio est non fides quod docent, & præcipitium non via salutis quam demonstrant. Rursum Scripturas sacras venditant, & Scripturarum sese assertores, ac vindices esse clamitant. Hoc est vestimentum ouium. Sed deprauata expositio est lupina rabies, qua gregem Domini dilacerent. Pulchrè Vincentius Lyrinensis. *Quid est vestitus ouium nisi Prophetarum & Apostolorum eloquia? Qui sunt lupi rapaces nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt dilacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum feritate deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis velut quibusdã velleribus obuoluunt.* Hæc ille. Rursum vox ouis est. *Christum Iesum prædicamus.* Sed lupina rabies est, à Christo exire & *abducere discipulos post se*, vt præmonuit tum Christus ipse, tum Apostolus Paulus. Christus quidem quum diceret. *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Hæc signa & prodigia sunt nouæ & subtiles verbi Dei expositiones ad seducendos homines idoneæ. *Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire.* Quæ verba explicans Origenes ait. *Dicit ille qui seducere nos voluerit, Ecce hic est Christus, demonstrans verbi gratia, hunc Euangelij locum. Alterius autem erroris author dicet, Ecce hic est Christus, offerens ad exemplum alterum textum.* Hæc ille. Sic hodie Luthera-

B nus rigidus vt in vener. Eucharistia panem cum corpore adesse doceat, profert illud, *factum est.* Vt quemadmodum cum vera diuinitate coniuncta fuit caro Christi, sic in hoc Sacramento sit cum vero corpore Christi, verus panis. Lutheranus mollis vt significationem ex parte panis statuat, non ipsam veritatem corporis, profert illud, *Petra erat Christus*, quæ tamen nihil aliud quàm significatio Christi erat. Zvvinglianus qui omnem Christi corporis præsentiam tollit, profert illud. *Caro non prodest quicquam.* Ideóque non esse manducandam Christi carnem nisi spiritualiter tantùm & per fidem. Caluinus qui acerrimè hoc dogma taxat, manducare in hoc Sacramento nihil esse aliud quàm credere, volens aliquid cæteris subtilius dicere, & vna cum pane, aliquam corporis quoq; participationem ponere, realem quidem quia spiritualem & energicam, non tamen naturalem & veram, profert illud. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam. Corporis* (inquit) *appellatio pani tribuitur ea ratione, qua Spiritum sanctum Ioannes columbã vocat.* Hæc omnia quum Scripturæ verbum proferunt, vestimenta & voces ouium sunt: sed quum ad sensus tam peregrinos, tam impios, & nefarios ea trahunt, lupina rapacitas est, qua ab Ecclesiæ communione ad suas sectas fideles pertrahunt: quod Apost his verbis præmonuit. *Intrabunt post discessionem meã lupi rapaces non parcentes gregi. Exurgent ex vobis ipsis viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Rursum vox ouis est. Euang. profitemur. Sed lupina rabies est,

C quod non verũ, non antiquũ, nõ receptum & tot annis creditũ, sed aliud quoddã nouum & hactenus inauditũ Euang. prædicant, de quibus sic Paulus, *Miror quòd tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiã Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud nisi sunt aliqui qui vos conturbãt, & volunt conuertere Euangelium Christi. Isti enim impostores*, (ait Chrysostomus) *fraudi suæ prætexebant Euangelij nomen.* Rursum vox ouis est. Pauli Epistolas proferimus, Pauli doctrinam de fide Euangelica, & saluifica vrgemus. Sed lupina rabies est, quod hoc faciunt deprauando verba Pauli difficilia, quia vel indocti ex ignorantia, vel instabiles in fide ex malitia hoc faciunt, vt Petrus prædixit. *In quibus* (Epistolis Pauli) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* De talibus etiam ipse D. Paulus sic scripsit. *Ne deterreamini per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Nempè quia in priori ad eosdem Epistola dixerat, *Tunc nos qui viuimus simul cum illis rapiemur in nubibus obuiã Christo*, &c. Rursum vestimentum ouium est, Reformationem Ecclesiæ profiteri, reformatores abusuum, qui irrepserunt se dicere, ac denique reformatam Ecclesiam se vocare. Hoc enim dum dicunt, aliquam veteris & purioris Ecclesiæ formam agnoscere videntur, ad cuius exemplum prætensam hanc reformationem delineent. Hoc enim sonat ipsa reformationis vox, quæ se-

D cundam aliquam formam significat, & priorem præcedentem supponit. Sed lupina rabies est, quòd sub reformationis specie deformationem & abolitionem totius formæ Ecclesiasticæ introducunt. Hoc autem inde manifestè apparet, quòd nullius sæculi politiam & formam Ecclesiasticam admittunt, quòd omnium sæculorum ritus & ceremonias damnant, quòd cõtra vba ipsorum Archihæreticorũ audietis. De oratione pro defunctis publicè in Ecclesijs celebranda sicait Caluinus. *Cum mihi obiciunt aduersarij ante mille & trecentos annos vsum hoc receptum fuisse, respondeo veteres illos hac in re & mandato Dei & legitimo exemplo destitutos fuisse, abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi imperitiæ dederunt.* Rursum de pœnitentiæ & satisfactionis forma ait. *Parum, me mouent quæ in veterum patrum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidẽ eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè, ac durè loquutos.* Eadem audacia de reseruatione vener. Eucharistiæ. *Habent* (inquit) *veteris Ecclesiæ exemplum, fateor: sed in re tanta nihil est tutius quàm ipsam veritatem sequi.* De aliis quoque circa hoc venerab. Sacram. ritibus disputans, vt de pane azymo, de eleuatione & similibus, *Si quis* (inquit) *vetustate tueri huiusmodi inuentiones velit, nec ipse ignoro, quàm vetustus sit chrismatis, & insufflationis in baptismo vsus, quàm non longè ab Apostolorum ætate Cœna Domini tacta rubigine fuerit: Sed*

In lib. con. profanas hæret. nouitates c. 36. 4. Matth. 24

Hom. 29. in Matth.

Ioan. 1.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

In harmonia Euang.

5. Act. 20.

Gal. 1. In cõ. ibid.

6.

2. Pet. 3.

2. Thess. 2. 1. Thess. 4.

7. Reformatores lupi.

Instit. li. 3. c. 5. nu. 10. Li. eodem c. 4. num. 38. Instit. l. 4. c. 17. n. 39.

Ibid. n. 43.

isthæc scilicet humanæ confidentiæ procacitas est, quæ se continere nequit quin semper in Dei mysteriis ludat & A
lasciuiat. Hæc ille. Deinde de tota forma Missæ ait. *Sed & veteres quoque illos video alio hanc totã Do-*
Instit.li.4. c.18.nu.11. *minicæ memoriam detorsisse, quàm institutioni Domini conueniebat. Quin & in actionis modo peccauerunt.*
Imitati sunt enim propius Iudaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Christus aut Euangelij ratio
Instit.li.4. c.13.nu.17 *patiebatur.* Sic de castitatis proposito ac voto. *Fateor* (inquit) *antiquitus quoque receptum fuisse hunc*
morem. Sed eam ætatem sic ab omni vitio liberam fuisse non concedo, vt pro regula habendum sit quicquid tunc
factum est. Et paulatim irrepsit inexorabilis illa seueritas, vt post conceptum votum nullus pœnitentiæ locus fie-
ret. Quod ex Cypriano constat. Hæc ille, vt non nisi de summa antiquitate eum loqui intelligas. Vi-
xit enim Cyprian. annis tantum 250. post Christum. Idem de alijs veterum ritibus formáque Ec-
In com. ad 1.Cor. c. 3. clesiastica iudicium habuit Melanchthon. *Statim* (inquit) *initio Ecclesiæ, scriptores veteres obscurauerunt doctrinam de iustitia fidei, & auxerunt ceremonias, & finxerunt esse peculiares cultus: fuerunt duriores quàm oportuit in præcipiendo cælibatu, miscuerunt adhuc aliquam verecundam mortuorum inuocationẽ.* Rur-
In com. in 1.Tim.c.3. sum alibi. *Multum stipularum* (*quæ contagia opinionum Apostolus nominat*) *August. & alij SS. super fundamentum extruxerunt circa ceremonias.* Hęc ille. Et idem repetit in locis com. tit. De Ecclesia. Po-
Cent.2.c.6. stremò Magdeburgenses Centuriastæ veteris Ecclesiæ formam circa cultum & politiam grauiter taxárunt. Aiunt enim *quosdam Episcopos* (*initio secundi sæculi*) *rerum habenis potito, simplicẽ & vul-*
garem consuetudinem immutasse. Et in alijs quidem Ecclesijs aliquas acceßisse ceremonias & traditiones, tamẽ B
nusquam plures, quã in Ecclesia Romana. Rursum ijdem de forma quarti sæculi (in quo tamen præcipui doctores floruerunt, Athanasius, Hilarius, Optatus, Basilius, Nazianz. Hieron. Ambrosius,
August. Chrysost. Cyrill. Epiphanius, Theodoret.) sic scribunt. *De ceremonijs hoc primum in genere*
Cent.4.c.6 *lectorem monemus, vt attentè conferat cum superioribus sæculis, & obseruet, quantum hoc sæculum à primitiuæ Ecclesiæ simpliciori statu degenerauit, cumulatis & in Ecclesiam inuectis tum Gentilitũ, tum Iudaicis ritibus, & subinde, alijs atque alijs ex inscitia, superstitione, κακοζηλία, traditionibus humanis, excogitatis, approbatis, & vsu receptis.* Hæc illi. Hæc est lupina rabies omnium pestilentissima, quà dum reformatores se dicunt, nullam veterem formam agnoscunt, ideóque puri sunt Nouatores.

Nemo ad fidem cogendus donec ipsi possint cogere.

Rursum, vestimentum ouium est, quòd nemo debeat ad fidem cogi, quia fides est donum Dei, ideóque liberè est acceptanda. Sic docuit Lutherus art. 33. inter eos qui à Leone 10. damnati sunt & quos refutauit S. Martyr Roffensis Episcopus, hanc assertionem multi Lutherani etiam editis libellis propugnarunt, vt Brentius & Castalion, Brunfelsius quoque in pandectis, & Vrbanus Regius in locis communibus. Sed lupina rabies est, quod vbi ipsi fortiores esse cęperunt, non solùm Anabaptistas capite plectendos esse docuerunt, vt Henricus Bullingerus, l.5. c.8. & 9. contra Anabaptistas, Ioannes Brentius in libello de pœna Anabaptistarum, sed etiam Catholicos crudelissimè persecuti sunt, vt in Gallia & in Belgio Caluinistæ, legibus quoque atrocissimis afflixerunt, vt in Anglia, ac denique editis libellis puniendos docuerunt, vt C
Theodorus Beza tum in confess. fidei cap. 5. num. 44. tum etiam libro huius argumenti proprio contra farraginem Martini Bellij an. 1554. Caluinus quoque qui Seruetum Arianum non solũ ignis supplicio afficiendum curauit, sed etiam Geneuensis magistratus factum edito libello defendit. De hoc ouium vestimento & lupina rabie intus latente sic S. August. scriptum reliquit.

Cont. Petil. lib.2.c.83. *Quia vel ipsas leges, vel inuidiam formidatis, vel ad resistendum impares estis, etiam de mansuetudine gloriamini:* (Donatistas alloquitur) *quòd ad vestram partem neminem cogitis. Isto modo & miluus quũ pullos capere territus non potuerit, columbum se nominat. Vbi enim potuistis & non fecistis? vnde ostendistis quod plura faceretis si possetis.* Hæc ille. Rursum alibi breuiter. *Sanire vos nolle dicitis: ego non posse arbitror.* Amplificari apud Anglos hic locus potest, qui omnium hodie teterrimè sæuierunt contra omnis ordinis & sexus personas.

Epist. 48.

9. *Paupertas cleri donec ipsi loca cleri occupent*

Rursum vestimentum ouium est, Apostolicam paupertatem profiteri, contra Ecclesiasticorum possessiones & opimam fortunam clamosis vocibus debacchari, Euangeliũ gratis esse ponendum, vel certè Euangelistam paucis contentum esse debere declamare. Hæc ministrorum in Anglia vox in principio erat. Lupina rabies est, vbi principem fauentẽ nacti sunt, summa ambitione honores Ecclesiasticos appetere, summa auaritia adeptis incubare, summa rapacitate ditescere, &c. vt longa iam in Anglia experientia clarissimè docuit.

10. *Promissiones Christi extollere, vt virtutis studium destruant.*

Rursum vestimentum ouium est fidem & fiduciam de promissionibus Christi déque eius gratuita propitiatione extollere, nostrisque operibus & qualitatibus tanquam immundis, & D
semper contaminatis omnem salutis rationem tollere. Hæc enim doctrina ad Christi gloriã plurimum facere videtur. Sed lupina rabies est sub huius vanæ fidei & fiduciæ prætextu à debita pœnitentia ante reconciliationem, & à studio bonorum operum post reconciliationem homines auellere. Prima quidem nostra iustificatio, prima peccatoris impij recõciliatio cum Deo, est merè gratuita sine vllo merito præcedenti ex parte nostra, id est, Deus peccata remittit gratis propter filium Iesum. Tamen nemini remittuntur peccata propter Iesum nisi credenti in Iesu, nisi amanti Iesum, nisi parato obedire mandatis Iesu, nisi pœnitenti & contrito de præcedentibus peccatis. Promissiones enim Christi non sunt absolutæ, sed conditionatæ. Videlicet credentibus, pœnitentibus, diligentibus, & mandatis obedire volentibus. Sic Paulus. *Christus per*
ad Heb.5. *passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Obtemperamus autem illi
credendo, quòd ille *venit à Patre & transiuit ad Patrem*, quòd homo factus pro nobis mortuus
Ioan. 15. est, & resurrexit, &c. Obtemperamus illi faciendo voluntatem eius. *Vos amici mei estis, si feceritis*

quæ

A *quæ ego præcipio vobis.* Obtemperamus pœnitentiam agendo. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Obtemperamus diligendo. *Qui non diligit, manet in morte*: & iterum; *In hoc cognoscēt omnes quod discipuli mei estis, si dilexeritis ad inuicē sicut ego dilexi vos.* Sic obtemperantibus est causa sola. Luc. 13. 1. Ioan. 3. Ioan. 13.

Similiter iam reconciliati cum Deo per Christum, & remissione peccatorum facta, non per fossione, sed per opera dilectionis in fide facta saluamur. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Morimur peccato per baptismum, morimur per pœnitentiam. Sequitur noua vita bonorum operum, vnde Apostolus. *Si Christus in vobis est*, vtique per fidem, per baptismum, per pœnitentiam ab operibus mortuis, *corpus quidem mortuum est propter peccatum* (quia moriendū necessariò est) *spiritus verò viuit propter iustificationem. Ergo si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Rursum. *Nolite errare. Neq; fornicarij, &c.* quæ sequitur, *regnum Dei possidebunt. Et hoc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis*, scilicet vt non iam in vlla immunditia, aut malitia, sed *in iustitia, & sanctitate seruiamus illi omnibus diebus vitæ nostræ.* Rom. 6. Rom. 8. 1. Cor. 6. Luc. 1.

Rursum, vestimentum ouium est, Christum propitiatorem pro peccatis nostris, Christum iustitiam, redemptionem & sanctificationē ita prædicare & docere, vt solius Christi iustitia nobis imputata nostra sit iustitia. Hæc enim doctrina & dulcis est, dum ab omni iustitiæ compa- 11. Redemptiō nē per Christum in vnō amplificare in alijs negare.

B randæ labore nos liberat, & Christo Domino videtur gloriosa, dum eius passionem & mortē, qua *sola nos in sempiternum sanctificauit*, vehementer extollit: vt qui gloriatur non nisi in Domino glorietur. Sed lupina rabies est, impia & horrenda blasphemia, contra virtutem & efficaciā passionis Christi: qua dum vnum ei tribuitur, alterum quod æquè debetur, adimunt. Christi enim passio sacrosancta non solùm fuit propitiatio contra pœnas peccato debitas, quas in corpore suo pertulit, *vulneratus propter iniquitates nostras, portans dolores nostros*, nec solùm fuit redemptio peccatorum præteritorum in ijs quos semel iustificat remittendo peccata, iuxta illud Pauli, *Quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine eius propter remissionem præcedentium delictorum*: Et iterum: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secūdum diuitias gratiæ eius*, quæ duo tanquam vestimenta ouium, & doctrinam dulcissimam hæretici hodie semper in ore habent: sed propterea Christi passio fuit redemptio à seruitute peccati, & Apostatæ Diaboli in ipsis iam credentibus & iustificatis, quæ duo isti lupi rapaces intus retinent, tacēt, dissimulāt, & nunquam fidelibus proponunt. Docent autem hæc duo sacræ Scripturæ apertissimè: & nemo magis quàm ipse Paulus. Quod ad primum attinet ait. *De peccato damnauit peccatum in carne* (scilicet per mortem carnis suæ in cruce) *vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui secundum spiritum, non secundum carnem ambulamus.* Hoc est post remissionem peccatorum *ambulare in nouitate vitæ, & spiri-* Heb. 9. Esa. 53. Rom. 3. Ephes. 1. Duo Passiones Christi beneficia occultant hæretici. Rom. 8.

C *tu facta carnis mortificare.* Rursum, *Reconciliauit vos in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso.* Iterum. *Tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt eam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Denique ad Titum. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorē bonorum operum.* Hic ergo effectus, fructus, ac finis maximè proprius & excellens Dominicæ passionis est, vt credentes in ipsum meritò sanguinis sui gratiam, & *charitatem cordibus nostris infunderet*, cuius operatione ac virtute redimamur ab omni iniquitate, id est, à seruitute peccati, (*qui enim facit peccatum seruus peccati est,*) & mundemur in populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Sic de Christi sanguine ad Hebræos Paulus disputat, longissimè illum discernens à sanguine veterum sacrificiorum. *Quanto magis* (inquit) *Sanguis Christi mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Coloss. 1. Rom. 4. 2. Pet. 2. Cap. 9.

Quod ad secundum attinet, sic Paulus. *Vt per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperiū*, id est, diabolum, *& liberaret eos qui timore mortis obnoxij erant seruituti*, peccati scilicet, in quo *captiui teneantur impij ad ipsius voluntatem.* Hanc liberationem expressit Zacharias dicens de Christo. *Da-* Hebr. 2. 2. Timot. 2

D *turum se nobis, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ.* Denique S. Ioannes. *Qui facit peccatum ex Diabolo est. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli*, id est, vt per gratiam suam faciat nos non peccare: iuxta illud Pauli. *Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege* (scilicet iubente tantum & terrente, non adiuuante) *sed estis sub gratia*, scilicet adiuuante, & viuificante. Gratia enim sub qua sumus, est *Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per spiritum S. qui datus est nobis*: in quo videlicet *clamamus Abba Pater, quia spiritum* dilectionis accepimus, non autem *spiritum seruitutis in timore.* Hos duos admirabiles, certos, & præcipuos Dominici aduentus ac passionis fructus, lupina rabies hæreticorum hodiè è cordibus fidelium rapuit & penitus obscurare atque extinguere contendit, dum alios solum duos effectus tanquam vestimenta ouium semper proponunt, assidue inculcant & vnice perurgent. Luc. 1. Rom. 6. Rom. 5. Rom. 8. 12. Pacem conscientijs prō mittere, & eas in præcipitiū præsumptionis conijcere.

Aliud vestimentum ouium est, quod certam & firmam consolationem hominum conscientiis afferre se dicunt, per illam certitudinem gratiæ quam ponunt; docentque vnumquemque vere Christianum certum esse de sua salute, idque fidei certitudine cui subesse falsum non potest: de hac enim Lutheri noua doctrina sic gloriantur ipsi Lutherani. *Hæc sententia nos fide reconciliari Deo* (est autē Lutheranorū fides: qua quis certo statuit se in gratia Dei esse & de numero In Apolog. Confess. Aug. art. XI

electorum) *multas pias mentes erexit,& initio maximam commendationem apud omnes bonos viros Lutherо attulit,quoniam ostendit certam & firmam consolationẽ conscientijs,quia antea tota vis absolutionis oppressa erat doctrinis operum.* Hæc Augustanæ confessionis socij. Sic Chemnitius sine hac certitudine gratiæ relinqui, ait conscientias in tristissimis dubitationibus, & perpetua conscientiarum carnificina. Sed lupina rabies est, vel detestabilis præsumptio, vel manifesta impietas quæ intus latet. Si enim cum hac certitudine gratiæ aliqua bona opera admittere volunt, vt Lutherani docent, detestabilis præsumptio est, *seipsum iudicare ante tempus*, & certitudinem salutis aut iustitiæ sibi polliceri, quod hæc Apostoli verba luce clarius demõstrant. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare. Quoad vsque veniat Dominus.* Tribus modis ostendit Apostolus neminem in hac vita certum esse posse de sua fideli dispensatione (de hac enim loquebatur) & multo minus de tota sua iustificatione, vtpote ad quam plura requiruntur quàm ad fidelem dispensationem mysteriorum Dei. Primũ ne quis hac præsumpta certitudine vsurpet, vel perueniat, siue quoad ipsũ, siue quoad alios diuinum iudicium, Dominus est enim qui nos iudicat. *Solus Dominus scrutatur corda, & renes.* Secundò quia nec ipsum testimonium conscientiæ (quæ tamẽ mille sunt testes) ad talem certitudinem, & ad tale de sepso iudicium sufficit, sed multa eam latere possunt iuxta illud. *Ab occultis meis munda me Domine.* Tertiò quia nemo sibi placere debet, sed expectare illud tempus, *quando veniet Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc laus erit vnicuique à Deo*, ait Apostolus. Sin verò cum hac certitudine gratiæ nullam bonorum operum necessitatem ponunt, sed eam ex sola fide pendere volunt, vt Caluinistæ asserunt, manifesta impietas est, & (vt Chemnitius Lutheranus scribit) *Epicurea persuasio pollicens sibi in perseuerantia scelerum impunitatem.* At sic apertè Caluinus docet. Ait enim. *Si ex operibus æstimandum est qualiter affectus erga nos sit Dominus, id ne tenui quidem coniectura assequi nos posse fateor; sed quum simplici & gratuitæ promissioni respondere fides debeat, nullus ambigendi locus relinquitur. Nam quali (obsecro) fiducia armabitur, si hac conditione ratiocinemur Deum esse nobis propitium, modo id vitæ nostræ puritas mereatur.* Hæc Caluinus. Satis se prodit lupina rabies.

A

In Exam. Conc. Trident. p. 1.

1. Cor. 4.

1.

Psalm. 7. 2.

Psalm. 28. 3.

B

Instit. l. 3. c. 2. nu. 38.

Aliud vestimentum ouium est, libertatem Euangelicam prædicare, Euangelium esse statum libertatis; hominem Christianum nullis Ecclesiæ legibus teneri: id solum nobis incumbere, vt Dei solius mandata in Scripturis sacris reuelata exequamur, iuxta illud Apostoli. *Vbi Spiritus Domini ibi libertas.* Rursum, *nolite fieri serui hominũ*: & iterũ. *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Ex his enim verbis consequi volũt nullis humanis legibus, seu Ecclesiæ (quod omnes tenẽt) seu etiam principum (vt quidam volunt) in conscientia nos teneri. Sed lupina rabies est, sub hoc prætextu libertatis, omnes leges Ecclesiasticas, stata ieiunia, præscripta festa, ritus ac ceremonias omnes colendi Deum abolere. Nec hoc solùm, sed & omne virtutis studium extinguere. Hæc enim persuasio bona opera non esse ad salutem necessaria, frigidos & infirmos Christianos (quorum maxima turba est) ad bonorum operum contemptum inducit. Quippe vt rem non necessariam libenter deponunt. At verò Apostoli, qui libertatem Euangelicam optimè intellexerunt, non solùm ad bona opera tanquam ad salutem necessaria sæpissimè hortati sunt: vt Paulus. *Si secundum carnem vixeritis; moriemini. Si spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis*, vt Petrus. *Satagite per bona opera certam vocationem vestram facere*: vt Iacobus, *fides sine operibus mortua est, &c.* Verùm etiam leges morum ipsi tulerunt de fornicatione fugienda, de abstinendo à suffocato & sanguine: ritus quoque & ceremonias constituerunt, vt in constitutionibus Apostolicis per Clementem collectis manifestissime apparet, & vt illud Pauli. *Cætera quum venero, disponam:* itémque illud Tito, *vt quæ desunt, corrigas sicut dispositi tibi*, patres intellexerunt. Sanè Paulus tum ipse cum Barnabá, *circumibat docens seruare præcepta Apostolorum & Seniorum*, tum de seipso sic ad Thessalonicenses scribit. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum*, id est, per authoritatem ab eo acceptam. Rursum ad Corinthios. *Laudo vos quod sicut tradidi vobis præcepta mea, tenetis.* Libertas Christiana est, libertas spiritus non libertas carnis. Libertas spiritus est, *liberè seruire iustitiæ*, vt Apostolus loquitur, id est, *non ex timore quasi sub legis iugo premente, sed ex charitate quasi sub gratiæ adiutorio ducente, seruare mandata*, vt exponit Augustinus. Libertas carnis est, & credere & facere quod libet, id est, proprium spiritum sequi tam in credendo quod placet admittere quàm in operando quantumlibet operari. Talem carnis libertatem docent hodie lupi isti sub vestimento libertatis Euangelicæ.

13. Libertatem Euang. docere, & omnem pietatẽ tollere.

2. Cor. 3.

1. Cor. 7.

Gal. 5.

Rom. 8.

2. Pet. 1.

Iacob. 2.

Act. 15.

1. Cor. 11.

Tit. 1.

Act. 16.

1. Thess. 4.

2. Cor. 11.

Rom. 6.

Tract. 41. in Ioan.

De spir. & lit. cap. 16.

C

D

Aliud vestimentum ouium est, cultum & obseruantias Ecclesiæ Catholicæ tanquã superstitiones Pharisaicas irridere, & apud imperitum populum traducere. De qua fraude & impostura latius in alia concione diximus. Sed lupina rabies est, quòd sub prætextu superstitionis abolendæ, vniuersum externum religionis cultum exterminant, vt in oratione quadam quodlibetica olim latè ostendimus: Nullam videlicet esse apud horum temporum hæreticos religionẽ, Videlicet homines planè irreligiosi, nullo timore affecti, sed perpetua fiducia seu confidẽtia ac præsumptione inflati, homines prorsus libertati carnis dediti, quibus nec orare, nec ieiunare, nec certa aliqua forma Deum colere libet, homines denique ab omni externo Dei cultu alieni, quibus altaria toto genere displicent, templa non multum placent, superstitionem ac hypocrisim se taxare clamant. Non aliter quàm si prodigus auaritiam fugere, luxuriosus se sordes cauere, gulosus & ebriosus ab inedia sibi prospicere diceret.

14. Superstitionem tollere & impietatem substituere.

Dõ. 5. post Pentecost. Edit. poster Princ. fidei pag. 621.

Aliud

A Aliud vestimentum ouium est, quòd idololatriam se extirpare aiunt, & idola persequi ac diruere profitentur, quũ Christi, & SS. imagines in omnibus Ecclesijs demoliuntur. Sed lupina rabies est, quod sub idolorum prætextu (quum certissimè sciant imaginem ab idolo longissimè differre, sanè non minus quàm à dæmonibus Angelos beatos, vel à falsis dijs gentium, Ioue, Iunone & alijs, Christum Dominum, B. Virginem, SS. Apostolos, Martyres, & alios) omnem Christi Saluatoris & SS. eius memoriam, omnia religionis nostræ oculata monimenta, impiè nobis eripiunt, cultúmq; ac venerationem Christo ac SS. eius debitum impiè tollunt. Vide Nic. Sanderum de typica & honoraria imaginum adoratione. 15. *Idola subuertere, dũ Christi, & Sanctorum imagines deturbant.*

Vestimentum ouium est, quòd vnius Antichristi tyrannidem se excutere aiunt, dum Rom. Pont. authoritatem saluberrimam indignissimè violant, & Sedis Apost. dignitatem maximam spurcissimis opprobrijs lacerant, mendacijs onerant, & omni contumeliarum genere proscindunt. Hæc enim omnia pro zelo suo in Antichristum iustissimo, sanctè ac piè admodum facere, & sibi & suis videntur. Sed lupina rabies est, quòd Christi Vicarium Antichristum vocant, quòd vnius personæ nomen plurimorum Pontificum successioni tribuunt, quòd per supremi Pontificis latus, omnes alios Ecclesiasticos ordines, qui ab eo, vt à capite membra dependent, *trãsuerberant*. Quòd contra Petram illam, contra quã Christus *portas inferi non præualituras* promisit, Antichristum præualuisse blasphemant, quod *fidem Petri* quam *non defecturam* Christus asseruit, illi B defeciisse affirment, vt non sit amplius aliquis in terris Petrus qui *Fratres suos confirmet*: quod pastorem illum pro ipso Antichristo habeant, cui Christus *oues & agnos*, paruos & magnos in vniuersum *pascendos commisit*. Deniq; quòd hac ratione sublato pastore, supremo ac generali, licentius illi in vniuersum ouile grassari, & lupinam hanc suam rabiem potentius exercere valeant. Vide Princip. fidei doctrinal. lib. 6. 16. *Antichristum persequi, dum Christi Vicarium pro sequuntur.* 1. 2. 3. 4. Matth. 16. Luc. 22. 5. 6. Ioan. 21.

Vestimentum ouiũ est valde suaue ac molle, posse vnumquemq; de doctrina fidei iudicare, spiritum intelligendi scripturas sibi vendicare, ac deniq; de pastore, & magistro quocunque in Ecclesia Dei liberum iudicium ferre. Hoc enim aiunt in hodierno Euangelio Christum docere, *Attendite vobis, &c.* Item Ioan. in illis verbis, *Probate spiritus an ex Deo sint, &c.* Hoc nempe vestimento induti, Lutherus, Melanchthon, Brentius, & alij maximam superbis hominibus voluptatem attulerunt, vt contemptis concilijs, Patribus veteribus, ac Episcopis pastoribúsq; modernis, id libere quisque crederet, & teneret de fide quod vellet. 7. *Cap. 2. & seq.* 17. *Spiritũ sibi quemque vẽdicare & Spiritũ Dei in Ecclesia spernere.*

Sed lupina rabies est eadémq; pestilentissima & rapacissima, quòd sub hoc prætextu, & hoc posito fundamento sicuti Lutherus Ecclesiam, sic Lutherũ in quibusdam Melanchthõ, in multis Brentius, in pluribus Caluinus deseruerit: sed & ipsum Caluinum, Seruetus, Valentinus, Stãcarus, Osiander, Franciscus Dauid, & qui in Polonia, ac Transsyluania, non solũ Trinitarij, sed & C Ariani sunt, adeóq; vix iam amplius Christiani magis deseruerunt, vt manifestum fit ex insigni libello doctissimi P. Antonij Possevini, de Atheismis Lutheri, Melanchthonis, &c. maxime ex refutatione duorum librorum quos Ministri Transsyluaniæ pestilentissimos ediderant. Quis sit autem verborum Christi & Ioannis sensus mox infrà dicetur. Ex hac lupina rabie Puritani in Anglia & omnes nouæ sectæ exortæ sunt. *Matth. 7.* 1. *Ioan. 4.*

Vestimentum ouium est, quum docent bona opera liberaliter tantùm, & per modum gratiarum actionis præstari debere tanquàm à filijs non ingratis. Nos autem Catholicos sordidos esse mercenarios, qui non nisi per modum meriti, & spe certæ mercedis bene operari volumus. Sed lupina rabies est, quòd dum perfectissimum operandi modum, qui ex puro Dei amore fit, solum & vnicum proponunt, ipsos etiam alacres Christianos ad quandam desperationem adigunt, qui quum quod perfectissimum est, & tamen solus bene operandi modus, se assequi non vident, ab omni bene operandi studio deiiciuntur: Alios verò, bonorum operum mercede sublata, ad bene operandum prorsus pigros ac frigidos reddunt. *Virtus* (ait Lactantius) *mercedem suam à Deo iudice accipiet: quam si tollas, nihil potest in vita hominum tam inutile, tam stultum videri quàm virtus.* Sic enim aliqui veteres Philosophi quia virtutis præmia quæ sunt æterna non videbant, ipsam iustiD tiam pro stultitia habebant, vt Carneades apud Ciceronem disputat. At verò quantum ad virtutem stimulum futurę mercedis consideratio afferat, S. scriptura clare docet. Sic Paulus. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus*, (id est si mercedem à Christo post hanc vitam non speramus) *miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Sic Dauid. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Sic Moyses *respiciebat in remuneratorem*, fugiens aulam, & honores Ægypti. Sic Abraham exiens de terra sua Deo iubente, *expectabat fundamentum habentem ciuitatem cuius artifex Deus* .i. cœlestem Ierusalem. Sic denique Christus ipse *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Quare & Hebræos hortatur Paulus, *vt per patientiam currant aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum*, & gratias agit Deo de bonis operibus Colossensium *propter spem quæ reposita est illis in cælis.* Opus autem mercenarium, & quod non consistit cum charitate, sed vt seruile Deo displicet, saltem apud Deum nihil meretur, illud opus est, quod vel mercedem respicit temporalem, quæ non est per se bona & honesta, nisi ex recto tantum eius vsu, qualis merces non est vita æterna, vel ipsam vitam æternam sub ratione mercedis primò & principaliter, aut etiam solam respicit, idque positiue & formaliter, præponendo videlicet beatitudinem ipsam amori diuino, & operans bonum, vel hunc solùm ob finem, vt beatus sit, & non propter amorẽ Dei, (quod est plane vitiosum) vel principaliter ideo, vt beatus sit, minus autem principaliter propter 18. *Mercenarios operarios taxare & operum necessitatẽ tollere.* *Diuinarũ Instit. l. 3.* *Lib. 3. de Rep. apud Aug. de ciuit. Dei l. 2. c. 21.* 1. *Cor. 15.* *Psal. 118.* *Heb. 11.* *Heb. 12.* *Coloss. 1.* *Opus mercenarium quale.*

amorem Dei. Dixi positiuè & formaliter, quia solus mercedis intuitus negatiuè, id est, nec excludendo nec postponendo amorem Dei, sed non cogitando de illo, solam autem mercedem cogitando, vt fit idiotis, qui de puro Dei propter se solum amore vel nihil didicerunt, vel non satis aduerterunt, non est vitiosus nec propriè mercenarius. A

19. *Linguavulgari officia diuina peragere & vera Dei inuocatione populum spoliare.*

Vestimentum ouis est, exhibere populo officium diuinum, & preces omnes publicas, lingua cuiusque vernacula & vulgari. Hoc enim quum ad populi instructionem factum videatur, populóque tum rei nouitate, tum apparenti facilitate mirè placeat, ipsi Protestantes quidem magnã apud rudem populum gratiam inierũt, veteri autem Ecclesiæ, & clero ab altera parte, quasi qui tam necessaria ac iucunda instructione populum hactenus summa cum fraude spoliassent, maximam inuidiam conflauerunt. Sed lupina rabies est, quod hac ratione primum in manifestũ schisma populum pertraxerunt, effeceruntq;, vt relictis Catholicæ Ecclesiæ sacris ad nouas hæreticorũ precandi formas, sine vlla legitima authoritate introductas, populus conflueret, ideóq; vera Dei inuocatione, quæ in sola vnitate animorum consistit, populum spoliarunt. Deinde ab

1. 2.

omni precandi studio, & deuotione populum fraudulenter & impiè auerterunt. His enim quæ in vernacula leguntur, attenti, aut cũ alijs cantillare compulsi, priuatæ deuotioni vacare, nec

3.

commodè possunt, nec à Ministris permittũtur. Præterea prorsus inani spe intelligendi ridiculè & vanè lactantur. Neq; enim rudis populus scripturæ sacræ loca infinita, vtcũq; vulgari lingua B legantur & recitentur, vllo modo per se intelligere potest, etsi sensum sibi aliquem pro suo

4.

quisq; cerebro fingat. Deniq; populo occasionem dederunt ipsas Scripturas ad libitum interpretandi, & non Ecclesiæ tantùm, sed & suorum quoq; ministrorum expositionem contemnen-

5.

di. Postremò quũ promiscuè vniuersam Scripturam populo legant magnam subindè populo scandali & peccati occasionem dederunt, circa nonnullas veteris Testamenti historias illis prælectas & recitatas. Vide Ioan. Ledesma de Sacris Scripturis & diuinis officijs vernaculè legendis.

20. *Gratiã Dei exaggerare & liberum arbitrium tollere.*

Vestimentum ouis erat gratiæ Dei efficaciam & potentiam sic exaggerare, vt quicquid boni operis ab homine fiat, id totum Dei gratia in illo, non autem ipse aliquid faciat. Sed lupina rabies est, totum hominis liberum arbitrium contra manifestas scripturas, & perpetuum Ecclesiæ consensum hac ratione tollere. Vt sic peccatum homini necessarium & ineuitabile, ideóque facilè excusabile facerent: virtutis autem studiũ prorsus extinguerent, quia iuxta hoc dogma sic totum est Deo relinquendum, vt frustra aliquid ipsi conemur. Vide Opusculum nostrum de Iustificatione l. 4. c. 3.

21. *Christum Mediatorẽ extollere vt Sanctos intercessores negent. Christus quomodo vnus Mediator.*

Vestimentum & balatus ouis est, vnũ solũ Mediatorem Christum Iesum profiteri: Sed lupina rabies est, sub hac propositione verissima sensum statim falsissimũ nefariè contra Sanctorũ patrocinia, intercessiones, inuocationes, quasi vel sic vnus Mediator esset Christus, vt nullo sen- C su alij mediatores esse possint, vel sic, & eo sensu Sancti mediatores & intercessores habeantur, quo ipse Christus vnus Mediator est. Norunt enim optimè Catholicos Christum cum Apostolo vnum, & solum mediatorem agnoscere, qui per se, qui immediatè, qui virtute sua, qui plenariè, & ex iustitiæ rigore patrem interpellet pro nobis, Sanctos autem omnes non per se, sed per Christum; non virtute sua excludendo Christum, sed virtute donorum Christi, (quia merita ipsorum dona Dei per Christum erant) non immediatè & proximè, sed mediante Christo capiti cuius membra sunt, non plenariè, sed ex parte, & certa proportione, qualis inferiori mẽbro competit ratione capitis, nec deniq; ex rigore iustitiæ absolutæ, sed ex diuina misericordia, qui

1. 2. 3. 4. 5.

coronauit eos in misericordia & miserationibus, sic & exaudit eos intercedere Deũ pro nobis, & esse quosdam mediatores, vt veteres ipsi patres de sacerdotibus militantis Ecclesiæ, multo magis de SS. triumphantis loquuntur, Greg. Nazianz. in Apologetico, Chrysost. de sacerdotio lib. 6. & in Esai. Hom. 5. Cyprianus, Hieronymus, Augustinus.

l. 1. Epist. 3. in c. 1. Malach. Epist. 59.

Vestimentum & balatus ouis est, quòd solũ & purũ Dei verbum scriptum pro regula fidei & norma admittũt, & quòd Ecclesiam quidem libenter audiunt, sed si iuxta Dei verbũ doceat. Catholicos autem accusant, quòd Ecclesiam etiam præter, & extra Dei verbum loquentẽ audire

22. *Solam Scripturã vrgere & Eccl. magisteriũ excludere. Instit. l. 4. c. 8. nu. 15. Act. 1. Hebr. 1.*

volunt. Hanc ouinam vocem his verbis Caluinus edidit. *Hoc* (inquit) *discrimen est inter aduersarios & nos. Illi Ecclesiæ authoritatem extra verbum Dei collocant, nos volumus verbo annexam, nec ab eo separari patimur. Sponsa ac discipula est, quæ sponso ac Magistro suo semper subijcitur. Non ergo ex se sapiat Ecclesia, sed* D *sapientiæ suæ terminum statuat; vbi ille loquendi finem fecerit.* Hæc Caluinus ouis speciem & vocem egregiè referens.

Sed lupina rabies est, quòd superbus hæreticus non vult Ecclesiam simpliciter audire, vt testem legitimam à Deo constitutam (*vos eritis mihi testes*, &c.) nec Ecclesiæ simpliciter obedire (dicente tamen Apostolo, *Obedite præpositis vestris*, &c.) sed vt liberè semper eligendi potestatem habeat, quid vel credere, vel non credere debeat (quod propriè hæresis est, quæ electionem sonat) non nisi sub hac conditione vult Ecclesiã audire, si ex verbo Dei doceat, id est, verbi Dei testem & interpretem legitimam remouet, séq; ipsum tam Ecclesiæ, quam verbi Dei iudicem cõstituit. Vult enim iudicium ferre an Ecclesia ex verbo Dei rectè iudicet necnè. Nos autẽ Catholici Ecclesiam Dei simpliciter audimus, non quidem siue verbũ Dei sequatur siue non, sed siue hoc nobis constet, siue nõ: Scimus enim nos ouium de numero esse, non pastorum. Scimus dictum de Ecclesia esse: *Qui vos audit, me audit.* Scimus Deum per Ecclesiam loqui, & *fidẽ ex auditu*

Luc. 16.

Ecclesia

A *Ecclesiæ esse*: ideoque Ecclesiam sine verbo Dei nunquam loqui siue scripto, siue tradito, siue etiã contra nouas difficultates inspirato, vt in Conciliis contra hæreses collectis factum credimus. Vide plura in Princip. fidei doctrinal. li. 8. c. 10 18. 19. & 24. *Rom. 10.*

Vestimentum ouium est & magna pietatis species, quod circa legis obseruationem Dei iustitiam exaggerant, asserentes Deum ab hominibus exigere exactam legis obseruationem, tum quoad omnia mandata seruanda, tum quoad modum illa adimplendi, ideoque quamlibet trãsgressionem esse peccatum mortale, neque ex operibus quemquam coram Deo iustificari posse, nisi & vniuersa legis præcepta adimpleuerit, & charitate perfectissima Deo obediuerit. Sed lupina rabies est, quod sic falso exaggerando legis obedientiam, omnem ex bonis operibus iustitiam tanquam impossibilem impie & nefariè excludunt. Certum autem est ex Scripturis multos in hac vita etiam ex operibus bonis iustos coram Deo fuisse. De Zacharia & Elizabeth dicit Lucas: *Ambo iusti erant apud Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Dauid vocatur *vir secundum cor Dei faciens omnes voluntates eius.* De Aza Rege dicitur, quod *cor eius perfectum fuerat coram Domino omnibus diebus suis.* Similiter de Iosaphat, & de Ezechia & Iosia regibus scribitur 2. Paral. 17. 4. Reg. 18. 2. Paral. 34. Et tamen horum omnium quædam peccata in Scripturis commemorantur. Zacharias incredulus Deo mutus factus est. Dauidis adulterium & homicidium nota sunt. Iosaphat reprehenditur à propheta *opem ferens impio Achab.* Ezechias *cecidit in elatione cordis sui.* Iosias peccauit vt apparet 2. Paral. 34. Sunt ergo iusti B & qui mandata obseruant, & qui cor perfectum coram Deo habent, etsi nec semper ac perpetuo iustitiam teneant (quod voluerunt Pelagiani, ad quos hac in parte hæretici hodie accedũt) sed aliquando à iustitia excidentes iterum per pœnitentiam resurgunt, nec in ipsa sua iustitia aliquo tamen peccato leuiori careant, nec denique sic totis viribus Deum ament, quin & alia inferiora pariter diligant, non quidem sic vt illa Deo præferant, (quod peccatum mortale est) sed tamen sic vt illa simul ament, ideoque Deum nec perfectè nec solum ament: quod vel imperfectio sola est sine peccato, vel certè peccatum veniale quod impedit actum charitatis, non tollit eam. Vide Opusculum nostrum de iustificat. lib. 6. cap. 10. & seqq.

23. *Legis obedientiam exaggerare vt obediẽdi impossibilitatem inferant.* *Luc. 1.* *Act. 13.* *3. Reg. 15.* *Luc. 1.* *2. Reg. 11.* *2. Paral. 19. & 32.* 1. 2. 3.

Vestimentum ouium est & honesta admodum oratio se propter occultas immunditias & vagas libidines, cœlibatum cleri ipsumque Monachismum in vniuersum è medio tollere, omnesque & singulos ad honorabile coniugium adhortari, adeoque impellere. Sed lupina rabies est, & carnis patrocinium manifestum, Christoque Saluatori ex diametro aduersum, qui *laudat Eunuchos se castrantes propter regnum Dei.* Apostolo quoque contradicunt, qui *vult omnes esse sicut seipsum*, & hortatur *viduam sic permanere*, & affirmat *virgines si non nubant, melius facere.*

24. *Matrimonium suadent, vt virginitatem tollant* *Matt. 19.* *1. Cor. 7.*

Vestimentum ouium est corruptionem naturæ per peccatum originale inuectam vehementissimè exaggerare, idque ita vt homo semper peccet, ipsaque concupiscẽtia eiusq; primus C motus verè peccatũ sit, vt sic hominem deijciãt, ne de seipso aut suis viribus glorietur. Sed lupina rabies est, quod ex hac pestilenti doctrina & baptismi gratiam euacuant, & Christi medicantem gratiam negent quasi insanabilis esset natura nostra, & denique consequenter omnem bene operandi facultatem ex altero fundamento euertant. Vide opusculum nostrum de iustificatione lib. 2. & 3.

25. *Concupiscentiam exaggerãt, vt Christi gratiam negent.*

Vestimentum ouium est merita bonorum operum negare, quasi hoc esset Christi meritis derogare, nostris qualitatibus & operibus salutem nostrã attribuere, ex lege velle iustificari, quod toties condemnat Apostolus ad Rom. & ad Gal. Denique velle causã salutis nostræ cũ Christo partiri, vt non in solo Deo per Christum, sed etiam in nobis ipsis salutis nostræ causam ponamus, & consequenter meritorum Christi insufficientiam statuere, quod blasphemũ est. Hæc enim sunt quæ prætexere & obijcere solent. Sed lupina rabies est, quod hoc pestilenti fuco, non solum virtutis studium extingunt, sed & ipsius Christi morti ac meritis quæ amplificare velle videntur, vehementer detrahunt, maximamque iniuriam inferunt. Mortis enim ac passionis Christi gloria hæc est, quod non solum pro nobis meruit, sed etiam quod nobis nostrisque operibus merendi vim & efficaciam præbuit: videlicet Spiritum gratiæ suæ, seu quod idem est donum charitatis, per Spiritum S. suum cordibus nostris infudit, & infundi promeruit, cuius doni beneficio & iustè operamur legemque implemus, & implendo legem iustéque operando apud Deum meremur. *Cum paracletus venerit, quem ego mittam vobis à patre meo, ille testimonium perhibebit de me:* scilicet per opera gratiæ non tantum miraculosa, sed etiam virtuosa, quæ virtute S. Spiritus facietis. Nam de hoc spiritu gratię per Christum donando Christus ipse sic loquitur. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dixit de spiritu quem accepturi essent credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus,* id est nondum per passionem clarificatus. Nempe gratia Spiritus S. quæ est radix operum nostrorum est *aqua viua saliens in vitam æternam*, id est, efficax ad meritum vitę æternæ. Sed hanc gratiam Christus per *passionem confirmatus* (Hebr. 5.) & *exaltatus à terra* (Ioan. 12.) *& clarificatus* (quod de se Christus pronunciauit, quum ad eum tradendum Iudas à Cœna surgeret & exiret) nobis prouiderit *omnia trahens ad seipsum*, id est, ad fidem & cultum nominis sui: & *dans semetipsum pro nobis, vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Nec hoc est partiri cum Christo, sed totũ Christo dare, cuius dona sunt nostra merita: vnde non nostris operibus vt ex nobis & tantummodo nostris, sed vt ex gratia Christi, ideoque origine Christi proprietate nostris, salutem seu vitæ

26. *Merita bonorum operum negant, vt studium bonorum operum tollant.* 1. 2. 3. 4. 5. *Ad 1.* *Ioan. 15.* *Ioan. 7.* *Ioan. 4.* *Ioan. 13.* *Ioan. 12.* *Tit. 1.* *Ad 4. & 2.*

Ad 3. Rom.10. æternæ coronam tribuimus. Nec denique ex lege iustificamur in sensu Apostoli, id est ex sola A
Ad 5. Hebr.5. doctrina legis sine fide in Christum, & sine adiutorio gratiæ Christi, vt Iudæi volebant. *Ignorantes propterea Dei iustitiam & suam volentes constituere.* Nec postremo vllam in meritis Christi in-
2.Petr.1. Matt.11. sufficientiam ponimus, sed cum Apostolo agnoscimus *Christum per passionem consummatam causam salutis fuisse omnibus obtemperantibus sibi*, id est, credentibus in eum, obedientibus ei, seruantibus mandata eius, *per bona opera certam suam vocationem facientibus*, ac denique per *vim & violentiam cælum rapientibus*, id est, legitimè contra carnem, mundum & diabolum certantibus, vt coronam gloriæ accipiant. *Neque enim coronabitur nisi qui legitimè certauerit.*

Scripturas vulgo tradunt, & vulgus per illas perdunt. Vestimentum ouium est Scripturas sacras vernacula lingua legendas populo promiscuè tradere. Magno enim cum applausu dicunt scripturas esse librum fidelium & cibũ animæ spiritualem, omnibus necessarium, ideoque omnibus communicandum. Catholicos vero prælatos qui promiscuam Scripturarum lectionem populo fidei negant, aiunt partim ipsam Scripturam infamare quasi materiam falsi, partim plebem Christianam accusare quasi ad hæreses propensam, partim denique tollere à populo clauem scientiæ, vt olim Pharisæi faciebant, *nec ipsi introeuntes, & eos qui intrare volunt, prohibentes*, postremo proprio hac in re honori & commodis consulere, vt semper ab ore ipsorum populus famelicus pendere cogatur. Hæc hodie hæretici magno cum rudis populi applausu, magno pietatis prætextu; magna cum ouinæ mansuetudinis opinione amplificant.

1. Sed lupina rabies est, quod sub hoc prætextu primùm occasionem populo dederunt, pro B
suo sensu vnumquemque scripturas exponere, quo vno malo nihil est in Ecclesia Dei pestilen-
2. tius, quia vnitatem fidei & animorum illa licentia prorsus subuertit. Secundo effecerunt vt Ecclesiæ interpretationem circa Scripturas populus contemneret: & sic omnem obedientiam fi-
3. deli populo necessariam (oues enim sunt non pastores, & audire iubentur non docere) sustulerunt. Tertio etiam contra ipsos ministros, & superintendentes nouos, populi linguas & iudicia acuerunt. Scripturas enim promiscuè legentes, & pro suo quisque arbitratu interpretantes nec

Ad 1. De fid. ad Reg. l.3. ca.7. Ad 2. Ad 3. Rom.7. Ad 4. 2.Petr.3. suos Ministros audire dignantur, vnde sectarum & schismatum & hæresum quotidie semina iacta sunt. Est autem Scriptura liber fidelium, sed non omnium, quasi ab omnibus intelligi possit, vnde sapientius S. Ambrosius vocat Scripturas *librum Sacerdotalem.* Est cibus animę sed per ora pastorum & doctorum distribuendus. Illi enim sunt prudentes dispensatores, *quos constituit Dominus super familiam suam, vt dent illis in tempore tritici mensuram.* Scriptura non est materia falsi per se sed per occasionem, sicut *lex est causa peccati* & auget pręuaricationem, licet *mandatum per se sit sanctum & bonum.* Plebs fidelis, non accusatur, vt procliuis ad hæreses, sed multi in plebe accusantur, non à nobis sed à S. Petro in scripturis sacris, *vt indocti, vt instabiles qui deprauant Scripturas ad suam perditionem.* Denique *non est ipsa Scriptura clauis scientiæ* (vt docet Origenes) *sed donum Prophetiæ & interpretatio quam accepit Ecclesia in suis magistris* (*neque enim omnes Prophetæ, sed quosdam dedit Christus prophetas, pastores, doctores*, &c.) *est illa clauis*: & hanc isti lupi sub specie ouina tollunt à

Ad 5. De princip. l.4.c.2 1.Cor.12. Ephes.4. Ad 6. populo, dantes illis Scripturam quæ est scientia clausa, & tollentes Ecclesiæ interpretationem, quæ est clauis spiritualis, & vna ex clauibus regni cælorum, quam Ecclesia in Petro accepit. Postremo nec suo honori, nec suis commodis hac in re prælati consulunt, sed saluti ipsius populi, cui non magis expedit Scripturas promiscuè in vulgari legere, quàm pullis & paruulis enses ac cultros committere. Quibus displicet quod ab ore pastorum populus fidelis pendeat, arguant & illi Christum ipsium qui hunc ordinem constituit vt pastores & doctores essent, qui

Nu. 16. 28. populum pascerent, docerent, regerent. Sed horum magistri sunt Dathan & Abiron igne cælesti consumpti, quorum illa contra Moysen vox erat. *Omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus.*

Vestimentum ouium est, quod aiunt se Sactas Scripturas non solum nobiscum, sed & magis quàm nos venerari. Rabiem tamen luporum intus alunt, quod non totum corpus Scripturarum Canonicarum nobiscum agnoscunt, sed varias partes prout illis libitum fue-

In princip. fid. li.9.c.5 rit è canone sacrarum Scripturarum resecant, vt libros Machabæorum, Ecclesiasticum, Epi- D
stolam Iacobi, Secundam Petri, & alia quædam more veterum hæreticorum, vt plurimis exemplis alibi ostendimus. Sanè teste Tertulliano in præscriptionibus, & D. Hieronymo in proœmio Commentar. in Epist. ad Titum: *Omnium hæreticorum iste mos est, quidquid contrarium suo dogmati videtur vel eradere, vel etiam integra repudiare.* Quare nihil à suis maioribus alienum nostri hodie faciunt.

29. Vestimentum ouium est, quod aiunt se omnium Christianorum more Symbolum Apos-
Symbolum profitentur & Symboli varios articulos negant. tolorum credere, tenere & profiteri. At rabies lupina est, quod varios huius Symboli articulos re-
1. ipsa negant. Neque enim credunt sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam. Non cre-
2. dunt per omnes ætates à Christo passo Christi Ecclesiam in orbe terrarum extitisse, & visibiliter floruisse. Non tenent communionem omnium gentium, nec illam Ecclesiam credunt, quę
3. per orbem terrarum & hodie diffunditur, & per omnes ætates plus minus diffusa fuit. At hæc duo significat vox Catholica. Rursum non credunt illam Ecclesiam quæ origine sua Apostolica est, hoc est, quæ per continuas pastorum & populorum successiones ad aliquem Apostolorum suam originem referre potest. Deinde non credunt remissionem peccatorum, nec illã quæ in Ecclesia per claues Ecclesiæ fit (docent enim Apostolorum successores non verè soluere

peccata,

A peccata,sed tantum declarare solutos per Euangelii prædicationem) nec illã quæ ab ipso Deo fit. Docent enim imputatiuè tantum non verè remitti peccata,ideoq; omnia opera nostra esse semper peccata. Præterea non credunt Christum descendisse ad inferos. Exponunt enim hoc factum fuisse,quum in cruce pendens,pœnas damnatorum Christus sustineret,quod omnibus Christianis hactenus inauditum fuit. Vide de hoc articulo elegantem & doctissimũ tractatum Henrici Vici. Postremo non credunt communionem Sãctorum,aut eorum qui in terris sunt, à quorum communione recesserunt, & vniuersum ferè cultum in quo hæc communio maximè relucet,violauerunt,nec eorum qui in cælis sunt,quorum nec preces,nec charitatem, nec merita vllo modo nobis prodesse dogmatizant,atque adeo omne nostrum cum illis commercium impiè & prophanè tollunt. 4. 5.

Vestimentum ouium est,quod Sacramenta Christianorum retinere se fingunt. At lupina rabies est,quod ex septem duo tantum retinent, & illis duobus omnem efficaciam gratiæ demant,nec per sacramentum,sed per fidem Sacramenti remitti peccata & conferri gratiam dogmatizant,quod totum auribus Christianis nouum & inauditum est. Tot modis & multo pluribus hæretici horum temporum sub vestimentis ouium lupi rapaces sunt,quod vt omnes intelligant,operæprecium est. 30. *Sacramenta verbo tenent,re vera negãt*

B *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

LOcus proprius docendi populum vnde hæretici cognosci queant. Docet Saluator ex fructibus eorum illos cognosci,quia ex mala arbore nemo colligit bonos fructus, nec ex bona arbore malos fructus. Videndum igitur diligenter qui sunt proprij fructus hæreticorũ quatenus talium. Nam vt ex mala arbore,quatenus mala est,nunquã colligitur bonus fructus: verbi gratia ex spinis vel radice spinarum nõ nascitur vua,nec ex bona arbore quatenus bona malus fructus colligitur,vt verbi gratia,vitis non producit baccas spinarum, attamen nulla est arbor tam mala;quin aliquid boni producat,& ad aliquid sit vtilis,quia ipsa ligna spinarũ ad multa conducunt,nec aliqua arbor tam bona est, quin per accidens aliquid mali coniunctum habeat (nam & ipsum triticum producit paleam) sic omnino & eodem modo, nec vllus hæreticus tam perfidus aut improbus est,vt non aliqua vera doceat,& aliqua bona faciat (hæc enim sunt vestimenta ouium,quibus induuntur,vt melius fallant) nec vllus Catholicus pastor, tam vel in doctrina vel in moribus purus ac syncerus est, quin aliquando vel hallucinetur vel peccet:tamen hæreticus in quantum hæreticus nunquam bonum doctrinæ fructum profert: nec Catholicus pastor quatenus talis,id est,Cathedræ quam tenet doctrinam proferens, vnquam impiam doctrinam docet. Ob quam causam Christus de malis sed Catholicis pastoribus dixit. *Super Cathedram Moysi sederunt*,&c. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Hæreticorum igitur hoc loco fructus ex quibus cognosci debent,nec sunt aliqua vera quæ docent, (illa enim à nobis Catholicis acceperunt,non ex seipsis loquuntur) nec sunt semper ipsa opera quæ faciunt seu bona seu mala (bona enim non ex radice hæresis procedunt, sed per accidens illi insunt,& sunt quasi botri inter densa spinarum pendentes:cautè mitte manum ne dũ vuam boni operis colligere vis,spina hæresis te pungat,mala vero non semper ex ipsa hæresi, sed aliquando ex personæ improbitate proueniunt) sed sunt partim dogmata ipsa hæretica, falsa & impia quæ singulis hæreticis sunt propria,& à singulis archihæreticis (de quibus hic potissimũ Saluator loquitur) propriè adinuenta,partim etiam quædam mala opera hæreticis propria, & ex ipsa hæresis radice pullulantia. Talia enim sunt proprij eorum fructus,vtpote quæ illos proprios authores & parentes habent. Quod ad prius attinet, Arij proprius fructus erat negare Christum patri consubstantialem : Macedonij proprius fructus erat negare Spiritumsanctum patri & filio coæqualem. Hodie Lutheii,Caluini & aliorum Archihæreticorum proprii fructus erant,propriæ eorum hæreses & propria dogmata nouiter introducta:vnde qui talia dogmata tenent,Lutherani vel Caluiniani vocantur. Quare Theodoretus sic Christi verba exponit. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Impia enim & execranda dogmata per se sufficiunt ad suum patrem ostendendum.* Attamen quod ad dogmata attinet,diligenter hoc loco aduertendum,non quæuis impia dogmata fructus illos hæreticorum esse,vnde à populo fideli cognoscantur,de qualibus hic Christus loquitur. Neq; enim populus fidelis de ipsis dogmatibus iudicare potest, qualia sint in seipsis, quibusve fundamentis vel argumentis aut euerti possunt ab orthodoxis aut
D stabiliri à suis. Hoc enim artis & industriæ est, qua populus etiam fidelis caret. Sed duobus modis potest populus fidelis ex falsis dogmatibus,vt ex propriis fructibus hæreticos cognoscere. Primum ex doctrina ipsa generaliter accepta,videlicet inquantum noua est,& inaudita, & præter notissimam fidei regulam quam iam olim acceperunt. Sic enim hortatur Scriptura populum fidelem,quando de cauendis hæreticis agit. *Si quis euangelizauerit vobis præterquam quod accepistis, Anathema sit.* Rursus. *Obseruate eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis* Iterum. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Deinde. *In eadem permaneamus regula.* Et ad Timothæum. *Profanas vocum nouitates deuita.* Denique S. Ioannes. *Quod audistis ab initio in vobis permaneat.* Hæc omnia docent fideles attendere à falsis Prophetis,

Hæreticorum fructus proprij.

Matt.23.

Proprij hæreticorũ fructus duplices.

1.genus.

Hæret.fab. lib.3.

Ex fructu falsæ doctrinæ dupliciter hæreticum cognoscere populus potest.

Gal.1. Rom.16. Hebr.13. Philip.3. 1.Tim.6. 1.Ioan.2.

& probare Spiritus an ex Deo sint, non per examen &c. discussionem particularem ipsorũ dog- A
Hebr.5. matum in se, & in causis suis (hoc enim pastorum & doctorum est, qui *pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali,*) sed per hoc quod noua est & peregrina, quod præter id quod accepimus & audiuimus ab initio, quod præter doctrinam quam didicimus, & contra re-
1.Cor.10. gulam in qua permanemus. Hoc autem iudicium quiuis fidelis adhibere potest, quia fidei iudicium est, quod omnibus commune est. Sic Apostolus assumens pro argumento propositionem
de Genes. quandam fidei, ad ipsum Corinthiorum fidelium iudicium se refert. *Vt prudentibus* (inquit) *lo-*
ad lit.l.12. *quor, vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne participatio sanguinis Christi est?*
c.14. De hoc etiam iudicio fidei sic scribit Aug. *Non magnũ est tunc discernere spiritũ, quũ ad aliqua peruenerit vel perduxerit quæ sunt contra bonos mores, vel contra Regulã fidei. Tũc enim à multis discernitur.* Hæc ille. Sic his nostris temporibus quum hæreticus negaret esse septem Sacramenta, Cõfessionem peccatorum Sacerdoti faciendam, Missę sacrificium, inuocationem Sanctorum, Orationes pro defunctis, & similia, facilis erat cuiuis è populo fideli, ex tali fructu falsum Prophetam cognoscere, ideoque ab illis diligenter cauere, & attendere. Quod quicunque non fecerunt, contra Christi mandatum in hoc Euangelio peccauerunt. Alio modo ex falso dogmate tanquam proprio fructu hęreticus cognoscitur, quando ex ipso dogmate mala opera nascuntur, vel quando ipsum dogma ad vitæ morumque improbitatem homines perducit, vt hodie hæreticorum nostrorum valde multa sicuti supra ostendimus. Videlicet dogma de sola fide iustificante, de im- B
putatiua iustitia, de certitudine gratiæ, contra merita bonorum operum, de corruptione naturæ per peccatum originale & alia multa. Tale etiam illud Lutheri dogma erat, *Si non vult vxor, veniat ancilla. Item non magis à copula carnali quàm à sputo eijciendo abstinere virum posse.* Item, *Dei mandata esse impossibilia. Omnia opera nostra esse immunda, & in omni bono opere hominem peccare. Denique omne peccatum esse mortale.* Ex his enim sceleratis dogmatibus tanquam ex pessimis arboribus variæ impietatis pessimi fructus enati sunt. Tales autem fructus facilè cognoscuntur, quia con-
Mala quędam opera propriį hæreticorum fructus. tra bonos mores faciunt, sicut præcedentes contra regulam fidei, quæ duo statim discernuntur, vt supra dixit Augustinus.

Quod ad posterius attinet, mala opera hæreticis propria, & ex quibus propterea tanquam ex proprijs eorum fructibus cognosci possunt, sunt superbia non vulgaris, sed specialis quædam contra Ecclesiæ præsentes prælatos, & antiquos omnes doctores. Item odium non huius aut illius, sed totius Ecclesiæ, aut certè præpositorum eius, pertinacia, inuidentia, inobedientia, am-
2.Tim.3. bitio, auaritia & hypocrisis quædam singularis. Denique quæ ex his consequi solent, direptio & vastitas Ecclesiarum, subuersio regnorum & Rerump. totius populi dissolutio. Hos fructus hæreticorum tum Scriptura nos docet, tum tota antiquitas obseruauit. Sic Apostolus, *Erunt* C
Rom.16. 2.Cor.11. 1.Tim.4. 2.Pet.2. Tit.1. *homines seipsos amantes, elati, superbi, &c. habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes,* id est, Euangelium in ore, charitatem in lingua, sed odium Ecclesiæ in corde, sacrilegia in opere, superbiam in pectore. Rursum, *Non Domino, sed ventri suo seruientes, per dulces sermones seducunt corda innocentium.* Et iterum. *Eiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi.* Sic ad Timotheum, *discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.* Denique Petrus. *In auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Ac po-
De vtil. credendi ca.1. Nic.l.4.c. 4.hi.Eccl. Euseb.l.5. ca.15. Nic.l.4. c.7.c.20. & Ambr. li.1.c.15. de pœnit. Nic.li.5. ca.13. Li.8.c.7. li.14.c.32. Socr.li.2. c.2?. Theod.hæ- ref.fab.li.4 stremo ad Titum Paulus. *Docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.* Ex huiusmodi fructibus cognoscuntur lupi sub vestimentis ouium, & hęretici, sub titulo verbi ministrorum. Quare sic hæreticum definit Augustinus. *Hæreticus est qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratia falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur.* Omnis enim hæreticus, vel propter temporale commodum, vel propter nominis sui gloriam comparandam, Catholicæ Ecclesiæ vnitatem ac fidem destruit. Exempla sunt hæc. Tatianus Encratitarum author, *tumore disciplinæ inflatus tanquam aliis scientia superior, peculiarem cœpit promulgare doctrinam.* Thebutes vnus è septem primis Hæresiarchis, *Ecclesiam antea virginem deprauauit, eo quod in Episcopatus petitione repulsam tulisset.* Montanus, *Asiæ primatus immodica cupiditate captus nouam hæresim introduxit.* Florinus, & Bla- D
stus similiter eo quod Romæ ad presbyterij ordinem admitti non poterant. Nouatus Romæ presbyter quia pontificatum Ecclesiæ Romanæ adipisci non potuit ab Ecclesia se segregauit proprios cœtus colligens. Idem scribit de Valentino Tertul. in præscript. hæret. & de Aërio Epiphanius, hæres. 75. Arius contempto Episcopo suo Alexandro ad eam superbiam proue-
Contra epist. Fundam. c.12.li.5. ctus est, *vt nullos ex veteribus Ecclesiæ pastoribus secum conferendos existimaret.* Nestorius *expedita linguæ volubilitate elatus, animum ad veterum scripta non intendit, sed seipsum omnium præstantiorem esse duxit.* Aëtius Clementem, Affricanum, Origenem, viros omni doctrinæ & sapientiæ genere excellentes prorsus reiecit. Eiusdem vox erat, *se Deum non minus quàm semetipsum cognoscere.* Manichæus T
se, *Apostolum Christi* nominauit, & de creatione primorum parentũ disputaturus, vt (inquit) *veritas istius rei sese habet, ab vniuersis ferè gentibus ignoratur, & ab omnibus qui etiam de hoc diu multumque disputauerunt.* Hæc ille apud Augustinum. Denique de omnibus hęreticis hoc notat Irenæus.
Li.3.c.2. Li.1.c.5. *Qui relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt.* Et iterum. *Vnusquisque fictionem quam à semetipso adinuenit, illam esse sapientiam dicit, seque indubitate & incontaminatè, & sincerè absconditum scire mysterium.* Et rursum de cuiusdam Marci discipulis, ait. *Perfectos semetipsos vocabant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quendam Apostolorum.* Elchesæi librum quendam componebant, quem dicebant descen-

disse

A dissе de cælo teste Theodoreto. Sic hodie Lutherus in lib. contra Regem Angliæ. *Certus sum me mea dogmata habere de cælo.* Et ille passus repulsam in promulgatione indulgentiarum prælato illi Ioanni Tetzelio Dominicano cœpit contra Ecclesiam insanire. De hæreticorum nostri temporis propriis fructibus vide Prompt. nostrum Mor. in hac ipsa Dom. tex. 2. *Hæret. Fab. li. 2.*

Nunquid colligunt ex spinis vuas, aut ex tribulis ficus?

QVos fructus intelligat Christus, ex parte explicat subiungens. *Nunquid colligunt ex spinis vuas aut ex tribulis ficus?* Si prædicator docet vnitatem & charitatem, argumentũ veri prophetæ est. Vuarum enim racemus multa grana vni pediculo adhærentia coërcet. Ficus grana multa vni pedamento coniuncta continet. Hæretici non vnitatem, sed dispersionem, nec charitatem sed odium totius Ecclesiæ docent. Rursum vuæ; & ficus fructus sunt dulcissimi & suauissimi. Hæreticorum opera, & fructus sunt odia, inimicitiæ, lites, bella, fraudes, luxuria, licẽtia. Tertio ficus, & vuæ calent, vt Galenus author est, si prædicator teporem licentiamque prædicet, falsus Propheta est, qualis olim erat Iouinianus, de quo sic S. Hieronymus scripsit. *Egregia sanè vox, quam audiat sponsa Christi. Raro ieiunate, crebrius nubite. Qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest.* Hæc olim Iouinianus: hæc hodie nostri hæretici prædicant. Quarto ficus & vuæ pin-
B gues reddunt edentes, eodem authore Galeno in lib. simplicium alimentorum. Bonus prędicator pinguiores reddit animas audientium. Hæreticorum hodie doctrina & prædicatio quales suos effecerit auditores, tum experientia ostendit, tum ipse Lutherus fassus est, in Sermone Dominic. prim. Aduentus, aliique post eum Ministri multis verbis conquesti sunt, vt Musculus in lib. de prophetia Christi, & maximè conciones de planetis excusæ Tubingæ an. 75. Aiunt suos decies sub Euangelio deteriores factos quàm sub Papatu erant. *Paulus à Palatio in Matt. c. 7.* *Li. 2. con. Iouinian.* *Vide Mart. Eisengrinũ in sua Enthanasia.*

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.

LOcus idoneus defendendi à praua hæreticorum hodie interpretatione, hunc textum, ex quo videlicet impiè colligunt omnes etiam in Christo renatos semper peccare, semper esse propter carnem immũdos, semper facere fructus malos, quia semper sunt arbores malæ, propter naturam corruptam & sanitatem per Christũ inchoatam quidem per fidem, sed non ita perfectam per gratiam, vt possit veræ iustitiæ opera, & in Dei iudicio accepta proferre. Hæc illi ex hoc loco ratiocinantur. Quibus sic responderi potest. Arbor mala quæ non facit fructus
C bonos, nec est natura nostra quasi malum quoddam à malo principio creatum (vt Manichæi dicebant teste Augustino) nec coniugium, vt volebant Pelagiani eodem referente Augustino contra Iulianum, nec malus minister Sacramenti (vt Donatistæ, cauillabantur apud eundem Augustinum contra Petilianum li. 3. c. 44.) nec denique est ipsa caro aut vetustas corruptæ naturæ relicta, vt isti docent, Manichæis hac in parte valde affines, sed est ipsa hominis voluntas: quod Christus ipse aliis verbis in Euangelio clarè docuit, quum diceret. *Aut facite arborem bonam & fructus eius bonos, aut facite arborem malam & fructus eius malos: siquidem ex fructu arbor cognoscitur.* Nemo certè facit naturam suam bonam vel malam, sed voluntatem suam quisque vel in bonum, vel in malum liberè flectit, indeque opera producit vel bona vel mala. Sic apud Ezechielem legimus. *Facite vobis cor nouum. Quæ quidem verba non sunt contra gratiam Dei* (ait Augustꝰ) *quam prædicamus. In voluntate quippe hominis est mutare voluntatem in melius, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur.* Renatus ergo in Christo propter bonam voluntatem est arbor bona. *Gratia enim sanat voluntatem, vt sancta voluntas impleat legem,* ait Augustꝰ. in lib. de spiritu & lit. Ob quam causam quum primum appareret in mundo medicus noster, cecinerunt Angeli, P*ax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc bona voluntas profert fructus bonos, de quibus Apostolus dicit. *Fructus spiritus* (habẽt autem renati spiritũ Dei) *est charitas, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, bonitas, &c.* Deniq; bona arbor & mala arbor, hoc loco est bona & mala voluntas propter bonam & malam in ea radicem. In bona voluntate radix bonorum operum est. *Charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* In mala voluntate *radix omnium malorum est cupiditas.* Hæ duæ radices, hi duo amores similes sibi fructus proferunt, dissimiles proferre non possunt. Ostendunt ergo cuiusD que opera qualis sit eius voluntas, quæ intentio, quis animus, sitne hypocrita, an iustus, sicuti fructus ostendunt qualis sit arbor, ficusne an spinetum. Hoc Christus in isto Euangelio docere voluit, & voluntatis non naturæ vel prauitatem vel bonitatem ostendere, *Hæreticorum impia expositio refutatur.* *In lib. de hæres. hære. 46. li. 1. c. 3* *Non natura, sed voluntas nostra praua est.* *Matt. 12. Cap. 18. Retract. li. 1. c. 22. Cap. 9. Luc. 2. Gal. 5. Rom. 5. 1. Tim. 6.*

Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

Necessitas bonorum operum.

LOcus insignis, euidens, & manifestus contra hæreticorum hodie solam fidem, & pro bonorum operum necessitate ad salutem, in iis qui per ætatem operari possunt. Nemo enim dicit Christo, Domine Domine, nisi qui credit in Christū. Multi etiam infideles dicūt, Domine Domine, quia nulla natio est, quæ non aliquem Deum colat. Sed nemo dicit Christo, Domine Rom. 10. Domine, nisi qui credit in Christum. *Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt? & Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.* Et notandum quod non dicit Christus, Non omnis 1. Cor. 12. qui dicit, Domine Domine, sed *non omnis qui dicit mihi, Domine Domine*, id est, non omnis qui credit in me, & inuocat nomen meum, intrabit in regnum cælorum, *sed qui facit voluntatem patris mei.* Non sola fides, vel sola inuocatio nominis mei saluabit credentem vel inuocantem, sed *facere voluntatem Dei*, facere bona opera quæ Deus vult vt faciamus, illud demum salutem ad- 1. Thess. 4. & 5. feret. *Hæc est autem Dei voluntas sanctificatio vestra.* Et alibi post multa bona opera commemora- Heb. 10. ta. *Hæc est* (inquit) *voluntas Dei in Christo Iesu.* Et rursum iuxta huius Euangelii verba ait. *Patientia* B *vobis necessaria est, vt facientes voluntatem Dei reportetis repromissiones.* Vbi diligenter notandum cōtra hæreticos, quod promissiones Dei non sola fide nituntur, sed faciendo voluntatem Dei reportantur & acquiruntur. Omnes hodie hæretici per suam fiduciam & specialem fidem dicunt Christo, Domine Domine, & credunt firmiter se per hanc solam fidem saluandos: credunt se per Christum, per propitiationem per illum factam, & per fidem qua promissiones Dei apprehendunt, sine vllo dubio saluos fore. Sed hanc detestabilem præsumptionem & falsam fidem Christus Dominus in hoc textu Euangelico prorsus condemnat, & prorsus negat, quod hæretici pertinacissimè affirmant. Quare multum vrgeri & amplificari hic locus potest ac debet. Docet enim hic locus non solum præsentiam bonorum operum aut congruentiam, quam moderatiores hæretici admittere videntur pariter cum fide, sed docet quoque necessitatem bonorum operum: docet solam fidem & inuocationem nominis Christi non sufficere. Docet factorem & operatorem bonum saluari.

C

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Eleemosynæ meritū & Sanctorum patrocinia.



OCVS insignis ad duo fidei nostræ capita contra horum temporum hæreticos ostendenda. Primum ad meritum Eleemosynæ, quod vt cæterorum omnium bonorum operum negant hæretici. Secundum ad patrocinia Sanctorum in altera vita, quod etiam odiosissimè negāt. Docet enim Christus Dominus diuites omnes, vt exēplo prudentis villici, ex eleemosynis erga pauperes, eos sibi amicos faciant, *id est, patronos* (ait Gregorius Magnus) vt quum defecerint, id est, quum ab hac mortali vita recesserint, (sic enim omnes interpretes exponunt, Augustinus de Ciuit. Dei l. 21. c. 14. Cyprian. in Serm. De eleemosyna, Chrysostomus Hom. 33. ad pop. D Anti. Hieron. q. 6. ad Algasiam, Theophylactus & Euthymius in hunc locum) partim sua intercessione, partim etiam operis merito eos in vitam æternam perducant. *Sic nobis amicos de terrestribus lucris* (ait Cyprianus) *prouida operatione facimus, qui nos postmodum in æterna tabernacula suscipiant. Iusti enim & Sancti* (ait Augustinus.) *significantur hoc loco qui eos introducunt in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona communicauerint. De quibus etiam dicit, quod si quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Hæc Augustinus. *Est enim quædam fidelium vita non tam bona* (ait alibi Augustinus.) *vt ad beatitudinem cælestem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis quos amicos per eleemosynam fecerunt, misericordiam consequantur.* Hæc ille. Vbi etiam huic Dominicæ sententiæ illam aliam Domini sententiam simillimam esse dicit. *Qui recipit prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Rursum huic sententiæ Dominicæ similis & illa Apostoli est (sicuti notauit S. Gregorius loco citato) qua dicit. *Ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*, id est, vt abundantia meritorum in sanctis pauperibus (nam de sanctis & bonis pauperibus loqui hoc loco Christum, docet & probat S. Augustinus ex aliis Christi verbis. *Quod vni ex minimis istis feciſtis, mihi feciſtis, vbi per minimos intelligit voluntariè pauperes*) suppleat inopiam

Moral. li. 21. c. 14.

Ibi supra. L. Euang. li. 2. q. 34.

De ciuit. Dei li. 21. ca. 27.

Matt. 10. 2. Cor. 10.

Ser. 34. de verbis Domini.

A inopiam meritorum in diuitibus (quorum videlicet vita non est tam bona, vt ad salutem sola sibi sufficiat, sicut idem supra docuit Augustinus) sicut ipsorum diuitum abundantes diuitiæ supplent præsentem inopiam pauperum. Porro hanc eleemosynarum retributionem in hodierno Euangelio insinuatam apertius explicat in alio Euangelio Christus, vbi formam iudicij extremi describens, futurum ait vt bonis ac iustis dicatur: *Possidete paratum vobis regnum, &c. Esurijt enim & dedistis mihi manducare, &c.* Vbi causa possidendi regni explicatur esse ipsum opus bonũ Eleemosynæ, non quibuslibet, sed Christi fidelibus & propter Christi amorem factæ. Porro eleemosynę meritum & vim maximam etiam ad placandum Deum, & ad redimenda peccata, id est, ad pœnas peccatorum mitigandas perspicuè docuit Daniel propheta sic Regẽ Nabuchodonosor alloquens. *Consilium meum ô Rex placeat tibi: peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Forsitan ignoscet delictis tuis.* Quæ Scripturæ verba apertissima & huius Euãgelii verbis maximè consentanea hęretici horum temporum penitus peruertere plurimum sategerunt, idque ex textus Hebraici, vel crassa ignorantia vel corruptione malcuola. Aiũt enim nec vocem צדקה propriè eleemosynam significare, sed iustitiam, nec vocem פדק propriè significare redimere, sed conterere, ideoque sic verti debere. *Peccata tua iustitia contere.* Sed in vtroque vocabulo, vel turpissimè hallucinantur, vel impiè cauillantur. Quod ad prius enim attinet, in libro Hebraico vetusto qui inscribitur *Sententiæ Ben Syræ*, in trilingui dictionario Munsteri, in dictionario 7. linguarum, & in comm. Aben-Ezræ super decalogũ צדקה significat propriè eleemosynam. Certe Sebastianus Munsterus in suis annotationibus in Euangelium Matt. 6. docet hanc vocem צדקה Hebræis significare & iustitiam & eleemosynam. Syrus paraphrastes noui Testamenti pro eleemosyna ponit Syriacè זדקוך *Eleemosyna tua*: quæ ab Hebræa voce deducitur, mutata prima צ in ז: & vltimo ה in א; quod hic propter affixum deficit. Certè in Talmud in tractatu Sanedrim collectores eleemosynarũ dicuntur passim גבא צדקה. Quid, quod in libro Tobiæ Hebraico nuper Constantinopoli inuento & à Paulo Fagio in latinum verso, pro voce eleemosyna (cuius ibi frequens fit mentio) ponitur semper צדקה? Quod ad posterius vocabulum attinet, Chaldæi (quorum lingua scriptit Daniel) pro redimere nullum aliud verbum habent præter פדק: vt apparet ex Chaldæis Paraphrasibus quibus mos est Hebræorum נאל exponere per radicem פדק. Saluator noster in nouo testamento Syriaco appellatur פדוקא redemptor: & ibidem pro λύτρωσις receptio Syriacè legitur פורדנא. Nec aliam ob causam impius Mahomet suas blasphemas nænias appellat Arabicè אלפורקן, id est, ipsa redemptio. Postremo etiam Hebræi in hac significatione hoc vocabulo vsi sunt, vt patet euidenter ex Ps. 136. (iuxta computationem Hebræam, vel vt nos computamus, 135. ver. 24. vbi pro eo quod nos habemus, *Et redemit nos ab inimicis nostris*, textus Hebręus habet, &c. ויפרקנו à rad. פרק. Ista hoc loco paulo curiosius exposuimus, quia hunc tam expressum & difertum locum pro eleemosynæ virtute ac merito omnes hodie hæreticæ versiones flagitiosè peruertunt, & ingentem verbo Dei iniuriam faciunt, lectorique imperito turpiter illudunt atque imponunt. Quorum hominum non minus crassa in hac parte ignorantia, quàm superba & inanis iactantia, hoc vno exemplo illustrari poterit (si ita videtur, & auditores idonei adsunt) ex huius Euangelici textus iusta occasione hoc in loco aperiri, verbisque idoneis amplificari.

B C

Ad vtramque tamen doctrinam cauillatur Caluinus. Ad priorem, quia Christus humano more loquitur, nostram videlicet humanitatem oportuni refugii nobis instar fore, sicut aduersos casu perculsus ab illis sustentari solet, quibus in prospera fortuna benefecit. Ad posteriorem, quia hoc modo periret omnis eleemosyna, quæ indignis impenditur. Illi enim pro nobis intercedere possunt. Sed vtraque cauillatio insulsa est. Prior, quia Christus non solum humano more loquitur de aliquo refugio oportuno humanitati nostræ reddendo, sed diuino præterea more ac modo loquitur, promittens beneficentiæ nostræ non quodlibet refugium, sed ipsam vitam æternã. Docet illos quibus benefecimus recipere nos in æterna tabernacula, id est, Christum propter illos, non solum ratione operis ipsius, sed etiam ipsis intercedentibus, reddere vitam æternam, vt clare docet Aug. de Ciuitate Dei libro 21. ca. 27. Sane S. Ambrosius non solum eos quibus benefecimus, sed & alios Sanctos pro eleemosynariis intercedere affirmat. Sic enim hunc locum exponit. Ideo ait: facite vobis amicos de mammona, vt largiendo pauperibus, Angelorum cæterorumque Sanctorum gratiam comparemus. Vnde posterior Caluini cauillatio diluitur. Nam & quum indignis præstatur eleemosyna, non solum ratione operis fit retributio, sed iuxta Ambrosium Sanctorum gratia comparatur, videlicet vt pro nobis intercedant. Quanquam Christus præcipuè pios pauperes intelligit, quando eleemosynis tantam mercedem repromittit, vt causa ab illo subiuncta manifestum facit. *Quicquid enim vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Manet ergo firma Catholica doctrina, Caluini cauillationibus nequicquam impugnata.

D

Caluini cauillatio diluitur.

Matt. 25.

Dan. 4.

Paris. 1584 apud Ioan. Benenatium.

Lib. 7. in Lucam.

Matt. 27.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Luc.19. *Domus mea Domus orationis vocabitur.*

De tẽplis, Christianorum & eorum vsu. Cap.23.

LOCVS appositus differendi contra hæreticos horum temporum de templorum & necessitate & recto ac proprio vsu. Aliqui enim hodie hæretici templis omnino carere voluerunt, vt Anabaptistæ ac puriores Caluiniani. Alij vero omnes circa templorum rectum ac proprium vsum multa impiè docuerunt, & populi Christiani pietatem ac deuotionem debitam in multis labefactarunt. Primum enim templa in auditoria cõuerterunt, & prædicationi verbi primas ac secundas partes, orationi & precibus vix tertias dederunt. Sic apertè Confessio hæretica præscribit. B *Templa potissimũ ad orandũ instituta.* *Cedant potiores partes in cœtibus sacris doctrinæ Euangelicæ, caueaturque ne nimis prolixis precibus fatigetur in cœtu populus.* At Christus in hoc Euangelio *Domum suam*, id est, tẽplum eius cultui consecratum, vocat *Domum orationis*, non domum prædicationis, id est magis primario ad orationem quàm ad doctrinam institutum. Sic Apostoli, orationem doctrinæ prætulerũt, *Act.6.* quum dicerent. *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Vnde Chrysost. grauissimè cõqueritur de auditorum suorum in verbo quidem audiendo maxima diligentia, in orationis autem *De intõprehensib. Dei nat. hom.30* ac precum studio, summa negligentia, his verbis. *Ingentem & penè inauditam hanc populi multitudinem quæ modo affluxit, tantaque cum attentione sermonem audit meum; sæpenumero tempore illo perhorrendo* (tempus publici Sacrificij dicit) *requisiui, & tamen nunquam videre potui, atque ita me vehemens cepit suspirium, quod cum ego disputo vester conseruus, studium adhibetis & ingenium, contenditis animum, alter alterum impellit & iactat, vt ipse propius adsit, frequentes vsque ad finem dicendi patientissimè perseueratis. Cum autem ipse Christus communis Magister, & Dominus semet in sacris mysteriis ostensurus est, vacua desertaque Ecclesia redditur. Proh fidem hominum Christianorum! quo pacto isthæc veniam consequentur?* Hæc ille. Deinde ab ipso templorum exordio quæ in Dei cultum extincta sunt primarius ac præcipuus eorum vsus erat, vt orationum, vt sacrificiorum, vt precum loca essent. Tabernaculum à Moyse in deserto erectum, templum à Salomone Deo vero exædificatum manifestè hoc demonstrant, vbi sacrificare, orare & Deum inuocare Sacerdos cum C populo & populus cum Sacerdote debebat. Quod quum non fieret, profanari suam domum *Ierem.7. Esa.56.* Deus per Prophetas conquestus est, vt apud Ieremiam. *Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum? &c.* Et iterum per Esaiam affirmat Dominus, *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Quo in loco singulariter notandum est quod quum Christus Dominus cruentam oblationem quæ semel erat facienda sub dio faceret, sui corporis oblationem, quæ in alterius memoriam perpetuo renouanda erat, non nisi in domo constituit: cuius etiam figura agni paschalis manducatio, non nisi in domibus, vel tabernaculis, vel demum in templo fiebat.

Instit. li.3. ca.20. Num.30. Secundo persuaserunt populo horum temporum hæretici æquè Deo gratam, æquè vtilem ac salutarem esse orationem domi, vel in agro factam, quàm quæ in templis Deo sacratis, & in communi orationis loco fit. *Cauendum est* (ait Caluinus) *ne secretam nescio quam templis affingamus sanctitatem, quæ sacratiorem apud Deum orationem reddat. Vera enim Dei templa quum simus ipsi, in nobis oremus oportet si in templo sancto suo Deum volumus inuocare. Illam vero crassitiem Iudæis aut gentibus relinquamus, qui præceptum habemus de inuocando citra loci discretionem, in spiritu, & veritate Domino.* Hæc Caluinus. Sed hæc Massilianorum vetus etiam hæresis fuit, qui teste Damasceno, *cæteris suis hæresibus adyciebant templorum & ararum contemptum, & quod spirituales viri contenti esse deberent precibus quas in sacellis & oratoriis priuatis explerent. Similis quoque illius magni schismatici Ieroboam* vox erat, quum peccare fecit Israel, vt commemorat Iosephus. *Viri* (inquit) *populares notum vobis existimo quod nullus locus Deo est vacuus, & quod is nullo certo loco includitur, sed vbique vota exaudit, vbique cultores suos respicit.* Hæc ille. At Christus in hoc Euangelio affirmat, *domum suam esse domum orationis*, id est, locum in quo propriè & peculiariter magis Deus orandus est. Neque vero sacratiores in templo orationes aboleuit Christus quũ doceret suos *in spiritu & veritate adorare.* Primum quia in ipso templo non voce ac lingua tantum, sed & spiritu ac veritate, corde & affectu, piè ac sincerè Deus inuocandus est. Alioqui vt acutè scripsit V Valdensis, *si quia in spiritu & veritate, ideo non in templo, ergo etiam nec in terra, nec in aere, nec in nemore, nec in domo, nec in cubiculo, nec in loco quouis corporeo Deum orare oportet, quia in spiritu & veritate.* Quod si adorare in spiritu & veritate non repugnat nemori, non repugnat cubiculo, quomodo repugnat templo, quomodo repugnat Ecclesiæ? Deinde quia Apostoli ipsi qui Christi verba optimè intellexerunt, quum adhuc templa Christianorum propria non essent, ipsum Iudaicum templum orationis causa petiuerunt. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Quare notat

Hæres.80. *Iosephus Antiq. Iudaic.l.8. ca.3.* D *In templo sanctius quam extra colitur Deus.* *Ioan.4. 1. Tom.3. ca.142. 2.*

A re notat Augustinus, quod tam Apostoli quàm alij primi credentes *in templo veteri Deo seruiebant.* Et notum est D. Iacobum Apostolum & Hierosolymorum episcopum, multis annis post Christum in ipso templo Iudaico assiduis precibus Deum coluisse, vtpote cui soli concessum erat in ipsa sancta sanctorum ingredi, *& cuius tanta fuit orandi in templo assiduitas, vt genua eius callum obduxerint,* teste tota antiquitate. D. quoque Ioannes Apostolus, ità deuotè & assiduè in Ecclesia orabat, vt in vltima iam senectute per *discipulorum manus ad Ecclesiam deferri soleret,* teste Hieronymo in catalogo. Isti sancti Apostoli illud Christi præceptum de adorando Deum in spiritu & veritate sic intellexerunt, loci tamen discretionem contra Caluinum, & Templi frequentationem probarunt: nec crassitiem Iudaicam, sed pietatem Christianam esse iudicabant Deum in templis consecratis orare. Quis enim Christianus ad Ecclesiam non pergat solicitè sanus & robustus, quo tantus Apostolus Ioannes deferri voluit decrepitus & semimortuus? huc pertinet quod Anna prophetissa vario pietatis nomine in Euangelio laudata, hinc etiam commendatur, *quod non discedebat de templo, &c.* Tertio quia Spiritus illis verbis, non templa toto orbe Deo sacrata, exclusit, sed vnicum templum Hierosolymitanum ad omnia Christianorum templa extendit: quod his verbis apertè & pulchrè docet Sanctus Basilius. Quum enim ostendisset in veteri populo certa loca diuino cultui dedicata fuisse, subinfert. *Nobis quoque periculum est malè obiti mandati, si loci rationem neglexerimus: maximè si Sacerdoty mysteria in locis prophanis celebraueri-*

B *mus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante: offendiculum quoque generaret pro varietate affectionum multifariarum, propter variam multorum in rerum diuinarum scientia infirmitatem. Si vero quisquam obijciat. Quid igitur est, quod Apostolus dixit, volo viros precari in omni loco, ob id quod Dominus ipse potestatem dedit adorandi Deum in omni loco, vbi dixit: Neque Hierosolymis posthac, neque in monte isto adorabitur pater? &c. Hoc dicendum est, quod illud, in omni loco, non comprehendit eos locos qui humanis vsibus, rebusque immundis & prophanis deputati sunt, sed dilatat ac deducit adorationem ab arcto Hierosolymæ ambitu in omnem totius orbis locum, eum videlicet, qui iuxta Sacrificij doctrinam & rationem accuratè Deo consecratur ad sacerdotium glorioſi mysterij obeundum.* Hæc ille. Vbi nota quod postrema verba, *eum videlicet, &c.* quæ iuxta Græcam veritatem sic nos vertimus, interpres hæreticus eum in modum peruertit, vt sensum Basilij catholicum nobis eriperet, nec obiectioni propositæ satisfaceret, & denique sensum planè confusum & imperfectum lectori redderet. Vide locum. Deum porro in templis facilius exaudire, & piorum preces cæteris paribus, magis in Ecclesia quàm in domo cuiusque Deo placere, magis vtiles ac salutares esse, Sancti patres ac doctissima Ecclesiæ lumina crediderunt ac docuerunt. Sanctus Chrysostomus sic scribit, & nostri temporis hæreticos vel etiam frigidos Catholicos doctissimè coarguit. O

C *frigidam excusationem quam à compluribus reddi audio! Orare vel domi possumus, dicunt: sed homiliam doctrinamque audire non nisi in Ecclesia possumus. Te homo decipis & magno in errore versaris. Nam etsi & domi quoque orandi datur facultas, tamen fieri non potest, vt domi tam bene ores quam in Ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor fælici societate excitus ad Deum immortalem referatur. Non pariter exoras quum Dominum solus obsecras atque tuis cum fratribus.* Et paulo post. *Tempore illo* (tempus oblationis & sacrificij dicit, quo Christi corpus & sanguis consecrantur) *mi frater charissime, non solùm homines clamorem illũ horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant: habent sibi tempus idoneum, habent sacram oblationem in fauore.* Hæc ille. Duas causas adfert cur in templo, orationes factæ plus apud Deum valeant. Vna est propter coniunctas plurium fratrum orationes, quod paulo post confirmat exemplo primorum credẽtium, qui pro Petro in vinculis soliciti, communes preces faciebant: & exemplo Pauli, qui Corinthios rogat, vt pro eo simul ac cõmuniter orent. De hac primorum Christianorum deuotione sic Tertullianus. *Coimus* (inquit) *in cœtum & aggregationem, vt ad Deum quasi manu facta ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Hic est publicæ orationis fructus. Cui subscribit S. Leo. *Tunc est efficacior sanctiorque deuotio quando in operibus pietatis totius Ecclesiæ vnus est animus, & vnus est sensus.* Altera est propter sacrificij & oblationis in Missa præsentiam.

D *Multo enim vehementius* (vt doctè scripsit Petrus Cluniacensis Abbas doctissimus) *ad admirandum atque amandum Christum accendit eius demonstrata præsentia, quàm prædicata absentia.* At in communi sacrificio si Catholicus Christianus es, præsentem Christum habes, & ideo præsentem vt tibi propitietur, vt te sursum corda eleuantem (quod te facere profiteris respondens, *habemus ad Dominum*) vberiori sua gratia repleat. De quo sic iterum Chrysostomus. *Dum conspicis Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, preces fundentem, totam vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine quasi intingi, etiamne in terra versari atque inter mortales consistere te censes? An non carnis cogitationes abijciens nudo animo, mente pura circumspicis quæ in cælo sunt?* Hæc ille. Vnde nihil mirum si hæretici sacrificio hoc eliminato, nullum orationis publicæ gustum sentiant, nec magis in templo quàm in sterquilinio moueantur.

Tertiam adhuc causam affert Leo Magnus, cur plus valeant publicæ in Ecclesia orationes quàm domi priuatæ. Nempe quia ex obedientia & præcepto Ecclesiæ fiunt. *Diuinarum* (inquit) *reuerentia sanctionum inter quælibet spontaneæ obseruantiæ studia habet semper priuilegium suum, vt sacratius sit quod publica lege celebratur, quàm quod priuata institutione tenetur.* Hæc ille, de ieiunio quidem: sed in oratione quoque publica quæ ieiunio publico semper coniuncta fuit, etiam hoc sensisse dubitari non potest. Porro certo certius est, idcirco diaboli astu à templis orandi causa adeundis multos auocari, ne opus publicæ cuiusdam

Act. 3.
Li. de doct. Christiana li. 3. c. 6.
Hieron. in Catalogo virorum illustr.
Luc. 2. 3.
De bapt. ser. 2. c. 8. hom. 3.
Deum in templo facilius exaudire. Hom. 3.
De incompreh. Dei natura.
Act. 12.
2. Cor. 1.
In Apolog. c. 29.
Ser. 4. de ieiunio 7. mensis. Contra Henricianos.
Lib. 3. de sacerd.
Serm. 3. de ieiunio 7. mensis.

obedientiæ faciant, loca & horas orandi constitutas obseruando. A

Tertio circa hæc verba, *Domus mea, Domus orationis est.* Duplici ratione populo Christiano hæretici huius temporis imposuerunt. Primum persuadendo simplicioribus, Catholicorum opinionem & doctrinam esse quod Deus peculiariter sic habitet in templis, quasi vel ibi includatur, & comprehendatur, vel alibi à piis non inueniatur. Sic Caluinus nos calumniatur. *Cauendum est* (inquit) *ne templa (quemadmodum sæculis aliquot haberi cæperunt) propria esse Dei habitacula ducamus, vnde propius nobis aurem admoueat.* Hæc ille. Et hunc in finem citant illud Stephani dictum, *Deus in templis manufactis non habitat*: & illud Isaiæ. *Quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus. Cælum & terram ego impleo.* Sed abutuntur hęretici, tum simpliciorum ignorantia, tum sacris ipsis Scripturis. Simpliciorum ignorantia abutuntur, quum in templis Deum habitare illo sensu nos aiunt quo illi finxerunt, quasi videlicet templis includeretur: Quemadmodum qui in domo habitant in ea comprehenduntur, hoc nullo vnquam sęculo, vt mendax ait Caluinus, à Christianis creditum fuit. Scripturis abutuntur, quia sic illas citãt, quasi nullo vero sensu Deus in templis habitaret, & sic alias scripturas mendaces faciunt, atque adeo hoc ipsum Euangelium, vbi Christus vocat templum *Domum suam*, qui vtique Deus erat, & alibi. *Domum patris sui*, qui etiam Deus est. Domus autem eius est qui eam inhabitat. Sed & alibi Christus sic loquitur. *Qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in illo.* Vbi Deum habitare in templo Christus apertè docet. Vult enim dicere eum in Deo iurare qui in templo iurat. An vero Christus exactam notitiam non habuit eorum quæ Deo conueniunt? Aut mentitus est Salomon vel blasphemauit quum diceret, *Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum*? Aut præter veritatem dixit Deo Dauid. *Mons Sion in quo habitasti in eo?* Et iterum. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus?* In illis nempe duobus locis primum in Silo vsque ad Samuelẽ, deinde in Sion per Dauidem arca testamenti collocata hæsit: per *quam arcam* (ait Augustinus) *sacratior, & commodatior quædam præsentia Domini accipi potest.* Est ergo aliquo sensu verũ quod Deus habitat in templis manufactis, & quod templa sunt propria Dei habitacula, vt de Sion dicit Dauid. *Elegit eam in habitationem sibi.* Sed non est hoc verum in eo sensu, quo hoc negauit Stephanus, scilicet vt in templo tanquam in loco Deus comprehendatur. Non est verum in eo sensu quem etiam apud Athenienses negauit Paulus: videlicet quasi templo indigeret Deus sicut homo indiget domo sua. Quare quum dixisset illis, *Non in manufactis templis habitat*, subiecit, *indigens aliquo*, quem etiam sensum repulit Esaias in loco citato. Denique non est verum in eo sensu quem præsumebant Iudæi: videlicet quod in templo Deus exaudiet quoscunque, & quomodolibet impios peccatores. Quem eorum sensum Ieremias grauiter repellit his verbis. *Hæc dicit Dominus. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras & studia vestra, &c. habitabo vobiscum in loco isto, &c.* Sed hoc sensu verum est Deum in templis habitare, vt Scriptura loquitur, quia in templis tanquam locis eius cultui consecratis, ideoq; ei magis acceptis, preces suorum facilius exaudit; quã in alio quouis loco cæteris paribus, id est, si pari pietate, studio, fide, (quas virtutes ipsa loci circunstantia, & ea quæ in templis aguntur, plurimum excitant atque confirmant) Deus illic immoretur. Hunc sensum hæretici hodie impiè negando, alio adhuc modo populo Christiano imposuerunt. Hunc sensum Spiritus S. in Scripturis nobis reuelauit, quum primum in orbe templum dedicaretur. Sic enim per Salomonem in ipsa templi dedicatione loquutus est. *Vt sint oculi tui aperti super domũ hãc die ac nocte, super domũ de qua dixisti. Erit nomen meũ ibi; vt exaudias orationem quam orat in loco isto ad te seruus tuus. Vt exaudias deprecationem serui tui & populi tui Israel, quodcunque orauerint in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo.* Quam orationem à Deo exauditam & acceptam fuisse eadem Scriptura commemorat. Sic & pater eius Dauid spiritu prophetico de futuro templo dixit. *Te decet hymnus Deus in Sion, tibi reddetur votum in Hierusalem. Hæc fuit insignis promissio,* (ait Caluinus) *& his verbis admonet propheta nunquam irritas esse Ecclesiæ preces.* Et ne ad solos Iudæos hanc promissionem pertinere quis existimet, vide quod idem Caluinus eodem loco subiiciat. Nullum enim pulchrius veritatis testimonium contra hostes veritatis, quàm quod ab ipsismet proficiscitur. Ait igitur. *Etsi cessarunt legales vmbræ, quia tamen hac ceremonia* (templorum scilicet & publicorum conuentuum) *inter nos quoque fidei vnitatem Deus fouere voluit, non dubium quin ad nos pertineat eadem promissio, quam & Christus ore suo sanciuit* (in hoc videl. Euangelio dicens, *Domus mea, domus orationis*, vel alibi vbi ait, *Si duo aut tres conuenerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*) *& Paulus perpetui vigoris esse docet.* Hæc ille. Impius tamẽ & vafer hęreticus in proxima sectione, negat templa esse propria Dei habitacula, vnde propius nobis aurem admoueat, id est, negat Deum procliuius in tẽplis & conuentibus sacris suos audire quàm domi in cubiculo. Sed vt illud prius diceret, vel veritas illi extorsit, vel species aliqua pietatis, qua lectorem more suo ludificaret, incitauit. Vt hoc posterius diceret, hæretica libido eum impulit. Enimuero quemadmodum *Spiritus S. habitat in cordibus fidelium*, nec ibi conclusus, nec illa habitatione indigens, nec ita illis alligatus vt ad impietatem relapsis cohabitet (*neque enim habitat in corpore subdito peccatis*) sed quia in illis suam gratiarum donorumque supellectilem disponit, ita planè Deus in templis Christianorum habitat, nec conclusus, nec indigens, nec infallibiliter astrictus illis, sed in illis potissimum gratiarum suarum dona distribuens, quando fideliter & piè inuocatur. Sic templa sunt domus Dei, & cum S. Iacob verè dicere

Hæreticorũ duplex calumnia. *Instit. li. 3. c. 20. n. 30.* *Act. 7.* *Esai. 66.* *Deus in templis habitat.* *Matt. 13.* *3. Reg. 8.* *Psal. 73. & 77.* *ad Simpl. l. 2. qu. 4.* *Psal. 131.* *Sensus falsi.* 1. *Act. 7.* 2. 3. *Ierem. c. 7.* *Sensus verus.* *3. Reg. 8.* *Instit. l. 3. c. 20. n. 29.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Matt. 7.* *Rom. 4.* *Sap. 1.*

A dicere possumus, *Verè Dominus est in loco isto.* Vt ergo hunc locum concludamus, templa ad hoc Gen. 28.
instituta sunt, non vt Deum capiant quasi localiter inhabitantem, sed vt nomen Dei inhabitet
ibi (vt Salomon loquitur) id est, vt notitia Dei ibi manifestetur, partim per ea quæ ibi ex parte
Dei fiũt, siue per Dei beneficia erga homines, partim per ea quæ ibi ab hominibus erga Deum
fiunt, qui propter reuerentiam loci, id est, scientes locum talem diuino cultui esse consecratum,
maiori reuerentia illuc accedunt, maiorem ibi deuotionem exhibent, maiori cum religione il-
lic versantur: Quæ propriè causa est cur diabolus hodie hæreticis horum temporum, ad tem-
plorum vel subuersionem, vel certè contemptum ac profanationem incitauerit, omnemque
templorum sanctitatem ex animis fidelium eximere conatus fuerit. Præterea veluti si rex ali-
quis liberalis domum aliquam constitueret ad largiendum quo omnes confluerẽt, & quicquid
vellent peterent, certè illa domus, domus largitionis regiæ merito vocari posset: Sic Deus volẽs
in templis potissimum sua bona largiri, vocat *domum suam domum orationis*, in qua orantes & pe-
tentes omnia accipimus. De qua re seorsum, nunc aliqua dicemus.

Domus orationis vocabitur.

B LOcus explicandi populo primarium & præcipuum templorum vsum. Oratio hoc loco vt *Templum sacrificij locus.*
omnem precandi rationem complectitur, ita maximè & propriè sacrificium significat. Si-
cuti in veteri lege tabernaculum ac postea templum maximè ac potissimum ad sacrificia varia
illic offerenda erecta & consecrata sunt, ita templa Christianorum maximè ac potissimum ad
illud vnum & singulare sacrificium, *quod veteribus illis omnibus succesit* (ait Augustinus) celebrandum *De ciuit. Dei li. 10. c. 17.*
instituta sunt. Nam orare quidem & apud Iudæos licuit, & apud Christianos licet, quouis in
loco, & vt Paulus ait, *In omni loco leuare manus puras*: at sacrificium offerre non nisi in tabernaculo, *1. Tim. 2.*
vel templo Iudæis ordinariè fas erat, nec nisi in templo vel loco consecrato Christianis ordi-
nariè fas est. Quare *Domus Dei domus orationis* propriè propter sacrificia vocatur, quæ non nisi in
illa domo fieri licuit. Sic Tertullianus author vetustissimus librum quem *de oratione* inscripsit, *De Orat. ca. 14.*
partim de Oratione Dominica vbiuis recitãda, partim de sacrificio Christianorum composuit,
vt in posteriori eius parte manifestum legentibus est, maximè vbi sic scribit. *Quæ oratio cum di-*
uortio sancti osculi integra? quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est à quo sine
pace receditur? Hæc ille. Sic Augustinus, quas Apostolus vocat *Orationes*, προσευχὰς, quum dicit: *1. Tim. 2.*
Obsecro autem primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, &c. interpretatur pro ipso sacrificio *epi. 59. q. 5.*
altaris. *Orationes* (inquit) *intelligimus, quum id quod est in Domini mensa, benedicitur, sanctificatur, & ad*
distribuendum comminuitur. Et paulo post: *Si vsitatius in scripturis votum appellatur* εὐχὴ, *excepto nomine*
C *generali orationis, ea propriè intelligenda est oratio, quam facimus ad votum: idest* προσευχὴν. *Vouentur au-*
tem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio. Hęc ille. Est autem προσευχὴ, verbum
quo in hoc Euangelio Lucas vtitur. Hæretici ergo horum temporum domum Dei, non fa-
ciunt domum orationis, vtpotè qui proprium illud Christianorum sacrificium prorsus execrã-
tur, aliud vero externum nullum in suis conuentibus habent: vt vel hoc potissimum nomine
execranda sint eorum conuenticula, quia in illis, nec sacerdos est, nec sacrificium, nec altare.

Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

LOcus non importunus obiter explicandi populo fideli, quomodo hæretici horum tempo-
rum domos Dei, & domos orationum verè verterunt in speluncas latronum, quum Ca-
tholicorum templa & cathedras sicut latrones occupant. Non enim intrauerunt per ostium le- Ioan. 10.
gitimè vocati & ordinati, sed *ascenderunt aliunde*, à seipsis missi, *tanquam fures & latrones*. Sed & fa- Act. 20.
cta latronum faciunt, *mactant ac produnt: abducunt discipulos post se, post sua ipsorum priuata & noua dog-* *Chrys. epi. 1. ad Innocentium.*
D *mata*, Christique ouile, quod Ecclesia Catholica est, in sectas innumeras dilacerarunt. Præterea
tanquam robusti & strenui latrones maxima in Ecclesiis Dei latrocinia exercuerunt. Mona- *Optatus li. 6. con. Parm.*
steria penitus diripuerunt. Templa omnia omnibus sacris monimentis & ornamentis spoliarũt. *Theod. l. 3. cap. 11.*
Altaria cum veteribus Arianis suffoderunt, cum Donatistis expoliauerunt. Vasa Ecclesiastica *Victor. li. 1. persecut. Vandal. de Proculo Mauro.*
cum Iuliani Apostatæ assectis profanarunt. Imagines sacras cum veteribus Iconoclastis confre-
gerunt. Ornamenta sacra cum Vandalis Arianis diripuerunt, & in profanos vsus conuerterunt:
Vt profecto templa Christianorum quæ illi occuparunt, non iam speluncam latronum, sed ca-
ueam sacrilegorum effecerint. Rursum in ipsis Ecclesiis & domibus orationum immania parri-
cidia exercuerunt, sacerdotes plurimos iugularunt, innoxium sanguinem fuderunt. Vide
Claudium de Sanctes de Ecclesiarum in Gallia direptione.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Luc. 18. *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut & hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo.*

Iustitia bonorum operum defenditur.

LOCVS necessarius defendendi contra hæreticos nostri temporis, iustitiam bonorum operum, quam illi per Christum hoc loco penitus reprobari, impiè & ignorâter docent. Aiunt enim Pharisæum hoc loco reprobari, & quod in iustitia bonorum operum etiam quam Deo acceptam referebat, (gratias enim Deo illorum authori agebat) gloriabatur. Etsi enim hic Pharisæus Pelagiano vel Iudæis tunc communi errore non laborauit, vt suis viribus bona B opera tribueret, nec de illorum numero erat qui *volentes suam iustitiam constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti* (quod Paulus Iudæis impingit) sed gratiâ Dei humiliter agnouit: tamen (aiunt hodie hæretici) quia ex ipsis bonis operibus etiam in gratia factis iustificari volebat, ideo reprobatur, & miser publicanus ab omni bono opere vacans, pro iustificato laudatur. Sed turpiter errant & alios in errorem mittunt. Non enim ideo reprobatur Pharisæus, quia de iustitia bonorum operum, quæ etiam per gratiam fierent, gloriabatur. Alioqui & B. Virgo reprobari debuisset, quum ab Elizabeth laudata & prædicata eo quod credidisset, statim Deum in donis suis magnificè glorificabat, dicens. *Magnificat anima mea Dominum, &c. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.* Paulus quoque reprobari debuerat, quum diceret. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, &c. conuersati sumus in hoc mundo.* Ezechias quoque Rex pius adhuc magis reprobandus erat, quum diceret. *Memento Domine quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, &c.* Quam tamen eius orationem à Deo statim exauditam fuisse, & sanitatem ei redditam, S. Scriptura commemorat. Sed ex aliis tribus causis reprobatum fuisse Pharisæum S. Patres docuerunt. Primum, quia sic in iustitia suorum operum confidebat, vt *quasi eius iam plenitudine saturatus* (ait Augustinus) *nihil sibi addi ad iustitiam peteret.* Et propter hoc vitium taxandum hanc parabolam intulit Saluator, vt habet hodiernum Euangelium. *Dixit autem ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti*, id est, qui sibi C iam satis iusti & sancti videbantur. Nam & ideo (vt alibi notauit Aug.) *quære in verbis eius quid rogauerit Deum, & nihil inuenies.* Secundo quia sic de sua iustitia gloriabatur vt alios contemneret, & aliis se præferret, quod erat magnæ arrogantię vitium, & quæ sola cætera eius bona opera omnia coram Deo euacuaret. *Non sum* (inquit) *sicut cæteri homines, & velut iste Publicanus.* Hanc etiam causam locis citatis notauit Augustinus. *Publicano iam esurienti ac sitienti iustitiam se velut insultans præferre gestiebat.* Propter hoc quoque vitium taxandum hanc parabolam induxit Christus, vt habet hodiernum Euangelium. *Dixit ad quosdam qui aspernabantur cæteros, parabolam hanc.* Tertiam causam addit quoque alio in loco August. *quia Deum tantum vsque ad se diuitem esse volebat, nec vt aliis esset misericors, quicquam orabat.* Nempe de sua tantum iustitia gloriabatur, de proximi iustitia nullam curam gerebat. Non ergo Christus hoc loco vel ipsam bonorum operum iustitiam condemnat, vel de operum iustitia sanctam gloriationem & humilem, qualis in beata Virgine, in Apostolo Paulo, & in pio rege Ezechia, fuerat, à vera iustificatione remouet, sed illam iustitiam operum condemnat, quæ cum vana plenæ iam iustitię acquisitæ præsumptione, & cum impia & superbâ aliorum contemptione coniuncta est, ac denique quæ pura charitate & dilectione proximi vacua est. Egregiè Chrysostomus. *Duas bigas in stadio positas Euangelium præsens proponit. In altera quidem iustitiam cum superbia, in altera peccatum cum humilitate: & vides bigam peccati superare iustitiam, non propriis viribus, sed humilitatis coniunctæ: illam vero deiectam non fragilitate iustitiæ* (vt hæretici hodie colligunt) *sed modo & tumore superbiæ.* Hęc ille. Quo- D modo autem etsi bona opera valeant ad meritum, & veræ iustitiæ præmium, nemo tamen in suis meritis confidere, aut illa iactare debeat; vide opusculum nostrum de iustificatione lib. 10. cap. 14.

Rom. 10.

Gloriari in bonis operibus laudabile interdum.

2. Cor. 1.

4. Reg. 2.

Pharisæus in suis operibus gloriatus cur reprobatur

1.

De pecc. mer. & rem. l. 2. c. 5

2.

Serm. 36. de verb. Domini. Hom. 2. ex ho. 50.

Ho. de Public. & Pharisæo tom. 1.

Ieiuno bis in Sabbato.

Ieiunia repetita defenduntur

LOcus aptus notandi contra quosdam huius ætatis hæreticos, quod ieiunare bis vel ter in hebdomada (hoc enim significat hoc loco Sabbatum) non reprehenditur hic à Christo, vt Pharisaicum aut superstitiosum. Sic enim etiam decimas dare omnium quæ quis possidet in eleemosynas pauperum, esset quoque vitiosum & superstitiosum, sed damnat Christus iactantiam Pharisaicam propter ieiunia & eleemosynas quas fecit. Quemadmodum enim si quis

A si quis toto reliquo corpore nudus, & vno tantum brachio pulchra aliqua veste contextus, manicam illam suam semper præ oculis haberet, seque propterea egregiè vestitum putaret: ac iactitaret, merito omnibus ridiculum se præberet, non propter pulchram manicam, sed propter reliquam nuditatem vanámq; iactantiam: sic hoc loco Pharisæus iste propter solum ieiunium, & eleemosynas se iactitans, reliquis tamen virtutibus planè vacuus, charitate, humilitate, orationis officio, proficiendi (vt ex præcedentibus apparet) merito à Christo reprobatur: non propter ieiunia aut eleemosynas, sed propter reliquam animi nuditatem vanissimámque iactantiã. Vnde Augustinus. *Non ideò Pharisæus damnatur, quia bis in Sabbato ieiunabat, sed quia super publicanum se tumidus extollebat. Quare bis in sabbato ieiunare in homine qualis fuerat ille Pharisæus, infructuosum est, in homine autem humiliter fideli vel fideliter humili, religiosum est: quamuis Euangelica scriptura non dixerit damnatum Pharisæum, sed magis iustificatum dixit publicanum.* Hæc ille. Epist. 86. ad Casul.

Descendit hic iustificatus ab illo.

LOcus conueniens ostendendi contra hæreticos horum temporum (qui hoc loco abutũtur, vt persuadeant in sola remissione peccatorum, dum humiliter peccata agnoscimus, iustificationem nostram consistere) illam impiam sententiam, & ab Ecclesia damnatam ex B hoc loco probari non posse. Publicanus enim hactenus impius, sine præcedentibus operibus bonis, iustificatur accepta remissione peccatorum, non sola, sed etiam interna renouatione per fidem, spem & charitatem. Quarum omnium virtutum ante acceptam iustitiam seu antequam iustificaretur, manifesta iudicia ostendit & actus exercuit. Neque enim absque fide Deum inuocasset, dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori. Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt?* Nec sine spe misericordiæ sic orasset. Qui enim non sperat, non orat. Nec sine charitate, qui amantem Deum redamaret, spem illam concepisset. Beneficium enim nisi ab amico sperare nõ possumus. Has igitur tres virtutes initialiter, & inchoatiuè habuit Publicanus iste, vt postea iustificatus haberet illas formaliter & per modum habitus permanentis. Habuit etiam & pœnitentiam seu dolorem peccati, ideò enim ab eo liberari petijt. Nec per solam remissionem peccatorum, sed etiam per harum virtutum dispositionem & præparationem iustificatus fuit, & iustificatur quilibet impius: quod his verbis contra omnes hæreticos luculenter docuit D. Augustin. *Neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab ijs quæ vnusquisque in vita propria mala congregat, quisquam liberatur & iustificatur, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius inspiratione fidei, & timoris Dei, impertito salubriter orationis affectu & effectu, donec sanet omnes languores nostros, &c.* Hæc ille. Cõcurrunt igitur ad impij iustificationem prẽter ipsam C remissionem peccatorum, præparationes istæ debitæ fidei, timoris, spei, charitatis, & orandi affectus. Sic de hoc Publicano alibi scribit idẽ Augustinus. *Vt iustificaretur Publicanus, peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus est vt iustificaretur, ac peccator esse desineret.* Hæc ille. Non ergo cum hæreticis horum temporum existimandum est, totam nostram iustificationem esse perpetuam quandam remissionem peccatorum, & ex illa sola (quantum est ex parte nostra) nos coram Deo iustificari, vel haberi iustos, sicuti de hoc publicano falluntur & fallunt, sed docet hoc publicani exemplum, in iustificatione impij (quæ tantum est exordium iustificationis nostræ seu prima iustificatio (vt Theologi loquuntur) præter ipsam gratuitam remissionem peccatorum, debere esse in nobis ad illam consequendam certas per Dei gratiam virtutes, vel potius actiones bonas, vt actum fidei, timoris Dei, spei veniæ, charitatis, pœnitentiæ, confessionis, orationis, non quidem vt illarum merito, sed certè vt per tales præparationes, quasi per materiæ legitimam dispositionem, ad ipsam peccatorum remissionem comparandam perueniamus.

Iustificatio non est sola peccatorum remissio.

Contra Parmẽ. l. 2. c. 8

Percutiebat pectus suum.

LOcus obiter obseruandi contra profanos horum temporum hæreticos, externam in oratione corporis compositionem, atque interni doloris significationem, quàm illi quidem irrident, & si quos demisso vultu, genibus flexis, pectora nudãtes in Ecclesijs conspiciãt, affatim insultant atq; subsannant, Christum in hodierno Euang. inter cætera pietatis exercitia, quæ in pœnitente publicano laudauit, etiã tunsionẽ pectoris enumerare & ponere: vtique D *nos docendo* (ait Tertullianus) *quà disciplina sit orandum.* Fit autem hæc externa pectoris tunsio, ad internam animi compunctionem significandam, qua quia hæretici moderni carent, perpetua fiducia pleni, & fide sua speciali omnia sibi semper salua præsumentes, minimè mirum est, si nec externam vllam eius significationem adhibent. *Publicanus verò pectus suum percutiebat* (ait S. Cyprianus) *peccata sua intus inclusa contestans.* Eiusdem omnium Christianorum morem his verbis testatur Augustinus, *Quomodo frangis, quomodo conteris cor tuum? confitendo, puniendo peccata tua. Quid aliud significat pectorum tunsio, nisi fortè putamus ossa nostra aliquid peccasse cùm cædimus, & tundimus pectus? Sed significamus nos cor conterere, vt à Domino dirigatur. Sanat enim contritos corde.* Hæc ille. Sed & ex eodem antiquissimo patre alibi apparet morem Christianorum fuisse (qualis & hodie est)

Externa corporis denotio defenditur.

Lib. 3. cõtra Marc.

In explicatione Orat. Dominicæ.

Enarrat. in Psalm. 146

quum fieret confessio peccatorum, vel recitaretur ad altare à Sacerdote *Confiteor, &c.* vt pectora tunderent. Semel enim hoc per errorem fecit populus eius, quum è superiori loco recitarentur verba Euangelij, *Confiteor tibi Pater, &c.* sic enim scribit. *Hinc admonenda fuit Charitas vestra confessionem non esse semper vocem peccatoris, quia mox vt hoc verbum sonuit lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri, audito scilicet quòd Dominus ait, Confiteor tibi Pater. In hoc ipso quod sonuit Confiteor, pectora vestra tutudistis. Tundere autem pectus, quid est nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc feciſtis, nisi quia audistis, Confiteor tibi Pater? Confiteor audistis: quis est qui confitetur non attendistis. Nunc ergo aduertite.* Móxque ostendit, *Confiteri*, hoc loco pro laudare, accipi, & sic Christum qui sine peccato erat confiteri. Ideóque non tunc opus fuisse, vt pectora tunderent. Interim consuetudo pietatis Catholicæ luculenter ex hoc loco demonstratur.

De verbis Dom. ser. 8 & 36.

A

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Marc. 7. *Apprehendens eum (mutum & surdum) de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Epheta, id est adaperire*

B

Ceremoniæ Sacramentales.

LOCVS insignis contra hæreticos nostri temporis pro ceremonijs externis, quæ in Sacramentorum administratione, varióque cultu Ecclesiastico adhibentur. Quemadmodum enim Christus hoc loco hunc mutum ac surdum non simplici voluntate (vt alias fecit leproso, dicens, *Volo, mũdare*) nec solo adiuncto verbo (vt quum clamauit, *Lazare veni foras:*) sed varijs adhibitis ceremonijs sanauit, primum, *apprehendendo seorsum*: secundo, *mittens digitos in auriculas*, tertio *expuens*: quarto *sputo tangens linguam eius*: 5. *suspiciẽs in cœlum*: 6. *ingemiscens*: 7. dicens *Epheta*, quasi forma præscripta vtens, vnde Euangelista Græcè scribens verbum Hebraicum retinuit, sic omnino Ecclesia Catholica spiritu Dei edocta, & ad capitis sui imitationem, quæ hoc in spirituali fidelium sanatione facit, quod Christus in corporali ac spirituali, pariter faciebat, non solo Dei verbo aut inuocatione per fidẽ, sed plurimis & varijs ceremonijs externis vtitur. Verbi gratia, in baptismo paruulorũ apprehendit eos seorsùm à turba, solis fideiussoribus astãtib., & post varias preces ac orationes mittit digitos in auriculas eius, sputo tãgit os eius, suspicit in cœlum, orat, ingemiscit, ac denique ipsum Christi verbum, *Epheta*, vsurpat circa baptismum, idque iuxtà ritum, qui à perpetuis Ecclesiæ temporibus in baptismo adhiberi est solitus. Hæreticorum autem scommata quibus has baptismi ceremonias subsannant, ideóque & in suis baptismis illas prætermittunt, planè & in hoc Christi factum quadrare possunt. Sed Diabolus primùm docet eos contemnere, & deridere Ecclesiam, docturus eos postea, Christum quoque deridere, & contemnere, quod nunc in Transsyluania noui quidam Ariani ex Lutheranis, & Caluinistis ad illum perfectionis gradum euecti (perfectionis inquam, qua profecerunt in peius) apertè faciunt. Porrò ceremonias prædictas in baptismo vsurpari ab Ecclesia solitas fuisse ex antiquissimo & doctissimo patre S. Ambrosio manifestè patet, cuius hæc sunt verba. *Ideò sacerdos tibi aures tetigit dicens, Epheta, vt aperirentur aures tuæ ad sermonem Sacerdotis.* Similiter exsufflari & exorcizari Diabolum, vt ab eius potestate baptizandus liberetur, his verbis attestatur Sanctus Augustinus. *In Ecclesia toto orbe diffusa, vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur & exorcizantur, quàm vt ab eis princeps mundi eiciatur foras.* Eundem ritum eiúsque finem testatur sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catech. mystagog. 2. Denique has omnes ceremonias in vetustissima Ecclesia agnoscit Caluinus & irridet, vt suprà ex eo citatum est.

Luc. 18.

Ioan. 11.

De Sacramentis, l. 1. c. 1.

De nupt. & concup. l. 2. c. 18. & lib. 1. c. 20.

Dō. 7. post 2. pentec.

C

D

Expuens tetigit linguam eius.

Sanctificatio per creaturas.

LOcus commodus ostendendi contra hæreticos per creaturas à Deo sanctificatas Deum interdum operari salutẽ, & non solo eius verbo, aut sola nostra fide interueniente: Christus enim hoc loco ostendere voluit etiam tactum carnis suæ benedictæ vim habere sanctificandi, atque adeo excrementum corporis sui, quale sputum erat, posse sanare, loquelã reddere, & auditum sicuti in hunc locum notauit Theophylactus. Hoc enim Christi factum nos docet credere, quod etiam per externas creaturas tanquam instrumenta voluntatis suæ salutem nostram operatur. *Quòd aqua baptismi corpus tangit & cor abluit*, vt ait August. *Quod caro oleo vngitur, vt anima consecretur: quod caro cruce signatur, vt anima muniatur, quod caro manuum impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur*: quæ omnia scribit antiquissimus Tertullianus. Christus nempè

In com. ad c. 7. Marc.

Tract. 80. in Ioan.

In l. de resurr. carnis

A nempè per creaturas & mediante vsu atque applicatione creaturarum gratiæ suæ beneficia nobis conferrre voluit tam in sacramentis quàm in Sanctorum suorum reliquijs, non sanè vt relicto Deo creatore ex creaturis salutem quæreremus, sed multas alias ob causas. In populo quidem Iudaico magnum huius superstitionis periculum fuit, quia seruilis adhuc & sub signis seruiens altius mentem & cogitationem extollere non potuit, vt etiam ipsorum signorum intelligentiam assequerentur. *Signa enim rerum spiritualium* (ait S. Augustinus) *pro rebus ipsis obseruabant nescientes quo referrentur, hoc tamen insitum habentes quòd tali seruitute vni Deo placebant.* Hic ergo maioris lucis causa, & vt populus fidelis intelligat nos Catholicos in vsu creaturarum non solùm à crassa idololatria, sed etiam ab omni superstitione Iudaica (quorum vtrumque propter ceremonias Ecclesiasticas barbari hæretici nobis impingunt) longissimè abesse, tres isti gradus in cultu & vsu creaturarum obseruandi sunt. Pagani sic signa colebant, vt in illis interpretandis non haberent exitum nisi in creatura quam condidit Deus, vt docet Augustinus lib. citato, & alibi. Iudæi signis quidem non intellectis seruiebant, non tamen premebantur seruitute, vt pagani, quia non nisi signa esse intelligebant, Deúmque in illis colebant ait Augustinus ibidem. At nunc (ait in lib. citato Augustinus) *signa rerum externarum* in vsu Religionis a Christianis assumpta, *nec seruiliter alligant, & exercent liberaliter animum*. Sic videlicet fidem nostram confirmant, & beneficiorum Dei quasi sigilla sunt, & *exercitatur animus in spirituali rerum intelligentia*, ait Augustinus lib. citato cap. 8. atque etiam ad euitanda superstitiosa exercitia, vt latè demonstrat Eu-
B sebius in demonstrationibus suis Euangelicis. Nempè (vt scribit Chrysostomus) *si tu ô homo incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tibi tradidisset. Quoniam vero corpori coniuncta est anima tua, in rebus sensibilibus tibi tradenda proponuntur.* Hæc ille. Hoc est, quod Cyrillus scripsit, *Sãctificationem Spiritus quam Christus attulit, immissam esse creaturis, Christúmque efficere, vt creatura ipsa & sit & duret in Spiritu sancto.* Hinc videlicet tot in sacramento baptismi ceremoniæ (quas hodie impiè contemnunt & omittunt hęretici) exorcismus, exsufflatio, vnctio, sal, sputum, ad exemplum Christi in hoc Euangelio: quæ omnia in antiquissima Ecclesia obseruata sunt, teste Augustino fidelissimo antiquitatis interprete, vt eum ipsemet vocat Caluinus. Nec hæ aut aliæ in alijs sacramentis ceremoniæ effectum Sacramenti ipsius principalem magis obscurant (vt cauillantur hæretici) quàm personam regiam satellites ipsius conspicuo habitu circunstantes, vt de baptismi figuris eleganter disputat S. Chrysostomus.

De doctr. Christ. lib. 3. cap. 6.

Cap. 5. & 7. & cont. Faustum lib. 20. c. Rom. 19. Cap. 9. Cap. 17. Lib. 1. c. 6. Hom. 83. in Matth. Lib. 11. ca. 25. in Ioan.

De nupt. & concup. lib. 2. c. 18. & lib. 1. c. 20. Hom. 35. in Ioan.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

C *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum. In lege quid scriptum est? &c. Fac hoc & viues.* *Luc. 10.*

IOCVS euidens ostendendi contra hæreticos, doctrinam de sola fide iustificante, & opera saluti necessaria negantem, expressè contradicere Christi doctrinæ. Hic enim rogatus de modo acquirendi vitam ęternam, remittit eũ ad præcepta legis, quæ quum se tenere diceret, iubet etiam facere. Respondet ad quæstionem de vita æterna, *Fac hoc & viues*, id est, fac legem & viues, serua mandata, & habebis vitam æternam. Sic apud Matthæum similem quæstionem roganti nec per modum tentãdi, vt hoc loco (vnde videri alicui potest fuisse Christi responsio potius ad hominem quàm ad rem) sed per modum discendi interroganti (*rogauit enim genu flexo, & intuitus eum Iesus dilexit eum*, ait Marcus) eodem modo respondet Christus. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Certò igitur, imò certissimè constat, necessarium esse ad vitam æternam consequendam, vt seruentur mandata. Nempè quum horum verborum (*fac hoc & viues*) manifestus & perspicuus hic sensus sit, hæc dilectio Dei proximi illa opera sunt quæ facere debes vt vita æterna viuas, vt sic quæstioni legisperiti satisfaceret Christus, qua quærebat, etsi animo tentandi, *quid faciendo*, id est, per quæ tandem opera vitam ęternam possidere, totum hunc sensum prorsus inuertit Caluinus, & vult, *concilium Christi fuisse calumniam diluere, quia sciebat apud rudes & indoctos se grauari quasi legem quatenus perpetua est iustitiæ regula e-*
D *uerteret.* Sed totum hoc merum figmentum est. Consilium Christi fuit non rudium & indoctorum calumniam diluere, de qua nihil in textu apparet, & à Caluino fingitur, vt alio lectoris animum auertat: sed istius legisperiti quæstioni satisfacere, qua tentare & experiri volebat, an legis Mosaicæ mandata Christus approbaret, de quo apud ipsos Scribas & doctos Iudæos sciebat se in suspicionem & calumniam trahi. Hoc falso posito fundamento, ait hoc loco Caluinus. *Non ideo nos gratis iustificat Deus, quia lex non ostendit perfectam iustitiam, sed quia in eius obseruatione deficimus omnes: ideoque nos ab ea vitam consequi negat Christus, quia infirma est in carne nostra.* Hæc ille. Non solum fabulam narrat à contextu Euangelico alieniſſimam, sed etiam si rectè attendatur, Christi verbis manifestè contradicit. Fabula est, & à contextu præsenti alie-

Contra solam fidem iustificantem.

Matth. 19.

Marc. 10.

nissima, cuius nec minimum in textu apparet vestigium, nec gratis iustificari à Deo, quia in A
lege deficimus omnes, & non quia lex non ostendit perfectam iustitiam. Nos autem à lege, id est, à legis obseruatione vitam non consequi, aut Christum hoc negare, disertissimis Christi verbis ex diametro contrarium est. Dicit enim Christus, *Hoc fac & viues*, id est, faciendo mandata legis viues. Ait Caluinus Christum dicere: *faciendo legem non viues*. Sic eius interpretatio
Caluinus Christo cõtradicit. textum destruit, & Christi verba penitus inuertit. Iam verò si hæc verba *hoc fac & viues*, non continent expressum Christi mandatum de faciendo quod lex iubet, & disertam affirmationem, quod eam faciendo vitam consequemur, tunc etiam illa alia Christi verba ad eundem legisperitum, *Vade & fac tu similiter*, non erit aliquod Christi mandatum de faciendo quod fecit ille Samaritanus, sed erit tantum regula iustitiæ ad imitandum quod nemo imitari potest. Vnde sequetur non nisi fabulam à Christo recitatam fuisse, & non solum talem aliquem Samaritanum non fuisse, sed nec esse potuisse. Nam si vnus Samaritanus sic facere potuit, cur non & alius quilibet idem possit facere? Ergo si *vade & fac tu similiter*, præceptum est eius quod fieri potest ac debet, illa verba, *hoc fac & viues*, præceptum similiter continebunt eius quod fieri potest ac debet, cum adiuncta promissione vitæ æternæ. Sic non solum perfectam iustitiam in doctrina legis contineri, sed & perfectam beatitudinem ex obseruatione legis possideri Christus docet. Quod autem in alijs scripturis, fidei salus tribuitur, dicente Christo, *Fides tua saluum te fecit*, hoc non magis derogat bonorum operum B
Heb.11. necessitati, quàm istud Euangelium derogat fidei. Nam quemadmodum ex eo quòd hoc loco
Iacob.2. tribuitur bonis operibus vita æterna, non excluditur necessitas fidei, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, sic nec alijs in locis vbi fidei salus & iustificatio tribuuntur, excluditur obseruatio mãdatorum, quia *fides sine operibus mortua est*. Nempe non omnia in omni loco Scriptura dicit, sed quum sint varia ad salutem requisita, modò hoc modò illud pro re nata scriptura profert, non
De fide & operibus. cap. 13. & 23. cætera excludendo quæ tacet, sed hoc asserendo quod dicit. Docet hoc perspicuè Augustinus, tractans illa verba Christi. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata, Nec tamen* (inquit) *quia hic de fide videtur tacuisse, morum tantummodo præcepta saluandis præscribimus. Vtraq; enim connexa sunt, seruare mãdata & habere fidem. Ideo autem aliquando alterum sine altero proplena doctrina inuenitur Scriptura commemorare, vt hoc modo intelligatur alterum sine altero esse non posse: quia & qui credit Deo, debet facere quod præcepit Deus, & qui propterea facit quia præcepit Deus, necesse est vt credat Deo.* Rursum alibi ait Christus, *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui autem malè egerunt, in resurrectionem iudicij. Hoc enim non est dictum qui crediderunt, & qui non crediderunt. Idem tamẽ intelligitur, quia inseparabilis est bona vita à fide quæ per dilectionem operatur.* Hæc ille. Alia exempla vide eodem lib. cap. 25. & de
Psalm.4. nat. & gratia, capite 68. Frequẽs est in Scripturis ista Synecdoche, vt parti tribuatur quod pro- C
priè, ac præcisè loquendo non nisi toti tribuendum esset. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. Qui loquitur veritatem in corde suo, &c.* Vbi pauca bona opera non omnia, & paucorum peccatorum fuga non omnium commemoratur, & tamen postea subiicitur. *Qui facit hæc, non commouebitur in æternum.*

Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego quum rediero, reddam tibi.

Opera supererogationis LOcus perspicuus ostendendi contra hæreticos opera quædam esse consilij & supererogationis, id est, quæ præter ea quæ Deus præcepit, piè & religiosè ei exhibentur: itémque talia seu consilia, seu etiam præcepta præter, & extra expressum Dei verbum in scripturis comprehensum, posse Ecclesiæ Prælatos ac Magistros fidelibus sibi subditis præscribere. Quum enim certo certius sit hæc Christi verba parabolã esse non historiam, vel si verè res gesta fuerit, parabolicè tantum non historicè hic à Christo illam referri; parabola hæc autem, D
vt in persona incidentis in latrones, totum humanum genus fraude Diaboli grauiter per peccatum originale sauciatum, & in persona Samaritani Christum significat, cuius gratia id facit, quod nec natura, nec lex facere potuit (*sanat enim gratia voluntatem. vt sanata voluntas impleat legem*, ait Augustinus) sic non minus certum est per stabularium intelligi Ecclesiæ Pastores, quibus Christus Dominus semiuiuum genus humanum, id est, naturæ quidem & rationis vsu adhuc valentem, sed gratiæ viribus spoliatum, sanandum & viuificãdum commisit, vt eius curam agerent. His autem pastoribus non solum dedit *duos denarios*, id est, duo testamenta, seu potius
2. Cor. 5. instrumenta vetus ac nouum verbi scripti, sed etiam addidit *supererogandi potestatem*, eique suam debitam mercedem (quum ad iudicium redibit, *redditurus vnicuique prout gessit in corpore bonũ, vel malum*) repromisit. Sic hanc parabolam sancti Patres intellexerunt, & contra hæreticos horum
Hypognost lib.3. temporum grauissima sua authoritate præoccupauerunt. Augustinus sic rem exponit. *Si quid* (inquit) *super Euangelium meum tanquam misericordiam consecutus, vt esses fidelis ad eius vtilitatem sapueris, dum rediero iudicaturus mundum, &c. reddam tibi. Quid est autem quod super legem & Euangelium plus Paulus erogauit? Illud puto quod ipse ad Corinthios ait, De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do.* Hæc ille, quod & repetit in quæstionibus super Euangelia. Optatus adhuc aper-
Lib.2.c.19. Lib.6.cont Parm. tius his verbis. *Stabularius ille Paulus Apostolus, cui confessis peccatorum vulneribus populus commendatus*

duos

A *duos denarios quos erogaret acceperat, duo scilicet testamenta, hæc per doctrinam quasi sumptus impendit: docuit quomodo coniugales Christiani debeant viuere. A quo quum quæreretur, quid de virginibus præciperet, respondit sibi de Virginibus nihil esse mandatum. Confessus est se duo testamenta, hoc est duos denarios erogasse. Explicati erant quodammodo sumptus. Sed quia qui saucium commendauerat, promiserat se redditurum quicquid in curam amplius erogasset, post impensos duos denarios, non præcepta sed consilium erogat Paulus ad virginitatem.* Hæc ille. Sic hoc Euangelium explicant alij patres. Ambros. l. 7. in Lucam. Chrysost. in Hom. de eo qui incidit in latrones tom. 1. Origenes in Lucam Hom. 34. Beda lib. 3. in Lucam cap. 3.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.

B OCVS vtilis ostendendi contra hæreticos nostri temporis Sacerdotum in Ecclesia Dei potestatem. Christus enim his verbis duo nos docet. Primum quicquid extra ordinem Deus in aliquo operatur, ad eius salutem, non tamē velle Deum ordinem in Ecclesia sua positum perturbari & violari, sed eum nihilominus diligenter agnosci. Christus hic extra ordinem per modum miraculi voluit sanare istos leprosos: qui haud dubiè sic sanati ab eo erant, sic perfectè, sic purè, vt nullo testimonio aut approbatione Sacerdotis iuxta legem Moysi opus esset. Voluit tamen ordinem iuxta legem, cuius vsus adhuc vigebat, exactè seruari: Sic in Ecclesia noui populi, quomodocunque Deus, vel aliquem à lepra peccati per internam gratiam & contritionis vehementiam iam prorsus sanauit: vel aliquem sic dono sapientiæ illuminet, vt per se scripturas legendo intelligat, vel etiam extra ordinem ad verbi prædicationem mittat: tamen in his omnibus & alijs quibuscunque, authoritatem quam Ecclesiæ dedit, violari non vult, sed vt ostendant se omnes Sacerdotibus: Quod ad primum attinet, sanatus à lepra peccati ostendere se debet sacerdoti, vt per confessionem eiusdem absolutionem accipiat, iuxta illa Christi verba, *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Per hæc enim verba, *nostris sacerdotibus* (ait Chrysostomus) *non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, vt Iudæis sacerdotibus, sed purgare prorsus concessum est.* Si ergo in illa tātummodo legali declaC ratione & approbatione, voluit tamen Christus, vt ab ipsomet mundati approbarentur, quanto magis in Euangelica peccatorum absolutione, etiam quibus Deus antea fortasse peccatum remiserit, vult tamen vt ab Ecclesia absoluantur? Sic Cornelius accepto Spiritu S. debuit tamen baptizari. Quod ad secundum attinet, quum Honoratus Manichæus Catholicos pastores audire recusaret, dicens se *scripturas, quum ipsemet legeret, satis intelligere, & diuina secreta certa ratione capere facillimè posse*, respondet ei Augustinus. *Etsi facto tibi nihil nocebis, nocebis tamen exemplo cæteris. Itaque ordo ille & ratio seruanda, quæ sine cuiusque periculo seruari potest. Quod quidem facilè fit, si etiam hi qui volare possunt, ne cui sit periculo exemplum, pauliſper cōgantur incedere, qua etiam cæteris tutum est.* Hæc est prouidentia verè religionis, hoc iussum diuinitus: hoc à beatis maioribus traditum: hoc ad nos vsq; seruatum: hoc perturbare velle atque peruertere, nihil est aliud quàm ad veram religionem, sacrilegam viam quærere. Quod ad tertium attinet, Paulus *neque ab homine, neque per hominem*, sed à Christo *de cælo vocatus*, tamen ordinatur ab Ecclesia per *impositionem manuum*. Nam vsque ad illud tempus *iuerat in Arabiam, quia nondum doctor, sed discipulus erat*, ait Chrysostomus, sed & præterea, *vt ostenderet se Sacerdotibus*, post annos 14. suæ prædicationis *ascendit Hierosolymam, & contulit cum Apostolis Euangeliū, ne forte in vanum curreret, aut cucurrisset.* De quo facto Apostoli sic scribit Augustinus. *Si non inuenisset Paulus in carne Apostolos, quibus communicando & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.* Idem etiam docet D. Hieronymus. Secundò repetit Christus hoc loco, & in sua Ecclesia futurum ostendit, quod lex iussit. Videlicet omnes leprosos à Sacerdotibus approbari debere, verè ne sint à sua lepra mūdati an non. Lepra autem vt alia peccata, ita maximè hæresim & falsam doctrinam significat: ideóque vera & falsa doctrina maximè ab Ecclesiæ præpositis discernenda est. Vnde Beda in hæc Euangelij verba. *Nullum Domi*D *nus eorum quibus hæc corporalia beneficia præstitit, inuenitur misisse ad Sacerdotes nisi leprosos, quia videlicet sacerdotum Iudæorum figura erat sacerdotij regalis quod est in Ecclesia. Et quisquis vel hæretica prauitate, vel superstitione Gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiam schismate fraterno quasi vario colore perfusus Domini gratia caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum quem acceperit, ostendat. Cætera vitia tanquam valetudinis & quasi membrorum animæ atque sensuum, per semetipsum interius in conscientia & intellectu Dominus sanat & corrigit.* Sic etiam hunc locum S. Augustinus exponit, à quo sua Beda accepit. *Nulla* (inquit) *falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinatè permixta in vna disputatione vel narratione hominis tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram. Hi tam vitandi sunt Ecclesiæ, vt si fieri potest longius remoti Christum interpellent.* Hæc ille. Sic & Origenes.

Sacerdotalis authoritas.

Ioan. 20.

Lib. 3. de Sacerdotio

Act. 10.

De vtilit. credendi, cap. 10.

Gal. 1. Act. 8. & 13. Gal. 2.

Hom. 21. in Act. Gal. 2. Cont. Faust lib. 28. c. 4. Ep. 11. inter epist. Aug.

Com. l. 5. c. 68. in Luc.

Quæst. Euang. lib. 2. q. 40.

Homil.8. in Leuit. Sicut autem leprosi extra castra semper esse debebant, nec in vlla ciuitate manere, sic hæretici extra Ecclesiam & societatem fidelium eijci debent per excommunicationem & per omne ciuile commercium interdictum. Sic docent Scripturæ. *Leuit.14.* *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* *Matth. 8.* Rursum: *Si quis aliam doctrinam adfert, in domum ne recipiatis, nec ave ei dixeritis.* S. Ioānes ingredi balneum noluit in quo erat Cerinthus hæreticus. *Epist.2. Ioan.* Polycarpus alium cum Marcione sermonem habere noluit, quàm istum, *Agnosco te primogenitum Sathanæ.* *Irenæ.l.3. cap.3.* Paulus ait. *Hæreticum hominem post vnam aut alteram correptionem deuita.* *Tit. 3.* Quantum autem Deo displiceat leprosum hæreticum in ciuitatem admittere, non expellere, &c. docere nos debet exemplum Osiæ regis leprosi. *2.Paral.26* Quia enim Sacerdotes hunc regem lepra percussum templo quidem eiecerunt, tamen in domo libera seorsum intra ciuitatem manere permiserunt, nullus toto tempore regni sui (qui tamen 52. annis regnauit) propheta apud Iudæos fuit, vt notarunt diligēter Sancti Patres: Chrysostomus in sextum caput Esaiæ: Orig. Hom. 6. in Esaiam explicans illud; *in anno quo mortuus est Ozias, vidi Dominum, &c.* S. Hieron. in Epist. ad Damasum. Præterea vt est in Leuitico, leprosus *Leuit.14.* debuit semper os clausum habere quum Sacerdos eum examinaret, totúmq; reliquum corpus discissa veste nudum scrutaretur: ne videlicet halitu oris, (si adhuc mundus non esset) inficeret. Sic hæreticis permitti non debet, vt disputent vel altercentur, quando ab Ecclesiæ magistris examinantur vel instruuntur. A B

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Matth. 6. *Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius.*

Contra solam fidem saluantem. HOCVS acriter taxandi nostri temporis hæreticos, qui docent suos *non quærere regnum Dei*, sed per solam fidem præsumere, *nec quærere iustitiam regni Dei*, sed solum regnum. Quærit regnum Dei, qui magno studio & conatu amissam per peccatum hæreditatē regni cœlestis inuenire contendit. Quærere enim laboris est, non solius fiduciæ. Quærimus amissa, expectamus promissa. Hæretici hodie solas Christi promissiones in sua speciali fide attendunt: Statuunt enim fidei iustificantis hoc solùm esse proprium obiectum, credere verbo promissionis. Non ergo quærunt aliquid sua culpa deperditum vt inueniant, sed quasi rē certissimè illis repositam (hinc enim ponunt certitudinem gratiæ, solius fidei prolem pessimā) expectant & præsumunt. At iubet nos Christus *quærere regnum Dei.* Quomodo autem, & quanto studio bonorum operum quærendum sit, alibi docet quum ait. *Matth. 11.* *Regnū cælorū vim patitur & violenti rapiunt illud.* Et rursum: *Conduxit operarios in vineam suam.* Operarios non fiduciarios, aut solifidianos. Et per Apostolum suum dicit. *Matth.20.* *Vnusquisque accipiet propriam mercedem secundum laborē suum,* Et rursum: *1.Cor. 2.* *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Hoc est quærere regnum Dei. Deinde sicut *2.Tim.2.* in hoc Euangelio prohibet, *ne solliciti simus quid manducemus aut quid induamur*, & à rebus corpori necessariis solicitudinem & anxietatem aufert, sic eandem solicitudinem regno Dei tribuit dicens. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius*, id est, de regno Dei, de salute vestra, de iustitia & sanctitate vitæ (qua ad hoc regnum peruenitur) solicitos & anxios vos esse volo. At in hæreticorum sola fide & certitudine gratiæ, nulla solicitudo, nulla cura, nullum salutis studium locū habet. Satis est fortiter credere, & sibi iam persuadent se de salute certos esse, etiam certitudine fidei, ideóque ab ea excidere non posse, quia scilicet electi sunt, prædestinati sunt, semel gustauerunt se fuisse in gratia, & receptos in numerum filiorum Dei, vnde postea cadere nō possunt: *Instit. li.3. cap.2.* quia *quos semel Christus in gratiam recipit* (ait Caluinus) *eos non ad tempus, sed in perpetuum recipit, & donum fidei iustificantis* (ait Beza) *In Confess. fid. c. 4. n.20.* *nunquam potest à dono perseuerantiæ diuelli, ideoque quando signa & effecta electionis, id est, bona opera in nobis non sunt, sed potius contraria, confugiendum est ad firmitatem æternæ nostræ electionis quæ nititur immutabili Dei proposito.* Sed hoc totū contradicit Christo dicenti. *Quærite regnum Dei & iustitiam eius.* Nec enim quærere opus est, de quo iam ex immutabili Dei proposito certi sumus. Neque iustitiam regni, id est vitę sanctitatem quærere opus est, quando illa absente manemus tamen certi de regno. C D

Iustitia Dei quæ. Rursum notandum est quod iubemur quærere *Iustitiam regni Dei*: & diligenter cōtra hæreticos explicandum quæ sit hæc *iustitia Dei*, quum in hoc Euangelio quærere iubemur. Illa autem est iustitia fidei quoad radicem, & iustitia bonorum operum quoad fructus, & veram eius formam: De qua Zacharias, *Vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.* *Luc.2.* Vocatur autem à Paulo hæc sanctitas & iustitia coram Deo, in qua vt seruiremus, filiū Dei *daturum se nobis*, Zacharias iam nato præcursore dicebat, *Iustitia Dei* nō nostra, *Iustitia ex fide*, non ex operibus, non quia vel solius Dei est nobis imputata, vel ex sola fide absque bonis operibus, vt peruersissimè fallunt & falluntur hæretici: sed vocatur iustitia Dei quia ex Deo est, non ex nostris viribus tantum: vocatur iustitia ex fide, quia eius radix & fundamentum fides est non

legis

A legis nuda doctrina aut sola voluntas humana sine adiutorio gratię. Vtrũque expressissimè docet ex ipso Apostolo S. Augusſt. *Dei* (inquit) *iustitia est qua nos ex eius gratia iusti sumus, vt ipsa Dei iustitia nos simus quum iuste viuimus.* Hanc autem expositionem probat ex ipsis Apostoli verbis, vbi dicit. *Ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Hoc in loco Paulus Dei iustitiam vocat quæ ex Deo erat, & ex Dei gratia per fidem Christi profecta. Suã vocat quæ ipsorum erat vel ex seipsis, ex solis videlicet naturæ propriæ viribus, audita tantùm doctrina legis. Hic enim erat Iudæorum turpis error, quo putabant audita & cognita lege se sibi ipsis sufficere ad bene operandum absque gratia Dei, quum per Christum datur, & per fidem in Christũ impetratur. Sic Augusſt. *Dei iustitiam Apostolus vocat, non qua iustitia Deus iustus est, sed quæ iustitia est homini ex Deo.* Mox ex alijs Apostoli verbis hunc sensum probat. *Et vt sciamus* (inquit) *hanc illam dixisse Dei iustitiam quæ homini est ex Deo, alibi seipsum Apostolus explicuit dicens: Non habens meam iustitiã quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ ex Deo est.* Quæ verba Apostoli mox explicãs Augustinus ait. *Quid est quod Apostolus dicit, non habens meam iustitiam quæ ex lege est, quam sua non ipsa sed Dei, nisi quia suam iustitiam dixit, quamuis ex lege esset, quia sua voluntate legem se posse putabat implere, sine adiutorio gratiæ quæ est per fidem Christi?* Hæc ille. Sic de Iudęis eodem in loco dicit, ideò Apostolum dixisse, quòd suam iustitiam volebant constituere, *quia eandẽ legem suis viribus se posse implere credebant.* Item quòd *iustitiæ Dei non sunt subiecti, hoc est gratiæ Dei non sunt subiecti.* Eandẽ ex-

B plicationem tradit multis alijs in locis. *Iustitia Dei per fidem est, quã dat homini Deus vt sit iustus.* Rursum. *Apparuit in Christo iustitia Dei, id est, quæ hominibus ex Deo est,* contra 2. Epist. Pelag. Item alibi: *Ignorans Dei iustitiam, id est eam quæ datur ex Deo.* Idem repetit de Spiritu & lit. c. 18. & 26. de gratia Christi cap. 47: Quærere ergo iustitiam regni Dei, est quærere illam iustitiam quam nobis Deus largitur per gratiam Christi, vt ad regnum Dei perueniamus. Hæc autem iustitia non est solius fidei iustitia, qua credimus in Christum & promissiones eius, (vt hodie hæretici pernicioſissimè docent) sed est iustitia bonorum operum in fide Christi, quæ Christus ipse per gratiam suã operatur in nobis, vt simus in eo noua creatura. Dicit Apostolus. *Gratia Dei salnati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ne quis glorietur.* Quo in loco ne Apostolus videretur bona opera à salutis nostræ medio planè excludere (vt ex hoc loco firmissimè se probare iactitãt hæretici) doceatur populus duo, primũ hæc ipsa Pauli verba bene intelligere, deinde quæ in Apostolo sequuntur bene expendere. Hæretici enim quia neutrum horum faciũt, seipsos & alios pestilenter fallunt. Sed vtrúmq; S. Augusſt. præclarè fecit his verbis. *Audi & intellige, non ex operibus ab Apostolo dictum, tanquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tanquam in his in quibus te Deus finxit, formauit & creauit. Nam ne homines putarent hoc ita dictum quasi necessaria non sint bona opera credentibus, sed eis fides sola sufficiat* (vt re vera hodie nostri dicunt) *&*

C *quia poterant homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi sufficiant, adiecit Apostolus, ipsius enim sumus creatura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Hæc cum Apostolo Augusſt. Habemus ergo iustitiam operum, non ex lege aut doctrina eius sola, non ex proprijs viribus, sed ex gratia Christi renouantis nos, vt simus noua creatura. Hac de causa idẽ Apostolus alibi docens in quo demum vera salus & iustitia consisteret, sic scribit. *In Christo Iesu* (id est, ad salutem in Christo habendam) *neque circuncisio neq; præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionẽ operatur.* Et paulò pòst. *In Christo Iesu neque circuncisio neque præputium aliquid valet, sed noua creatura.* Hanc nouam creaturam alibi exponit ipse, vt *in nouitate vitæ ambulemus, vt peccatũ amplius nobis non dominetur.* Hæc est enim Christi gratia nos iustificans & saluans, hic effectus redemptionis per eum, non solum vt credamus in eum (quod solum semper pestilenter vrgent hæretici) sed *vt emundaret conscientias nostras ab operibus mortuis: vt mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Denique *vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Hæc est iustitia Dei, iustitia fidei, iustitia Christiana, iustitia quam in hoc Euangelio Christus nos iubet primùm & ante omnia quærere. Huius iustitiæ partes sunt oratio, eleemosyna, ieiunium, vt Chri-

D stus ipse nos docuit, instruens nos quomodo *iustitiam nostram faceremus non coram hominibus, sed coram Deo. Pater* (inquit) *qui videt in abscondito, reddet vobis.* Docet in illis tribus bonis operibus, & veri nominis iustitiam esse, & veram iustitiæ mercedem rettribui. Ad hanc iustitiam Christus nos instruxit, quum docet nos *oleum semper habere in lampadibus nostris, vt luceat lux nostra corã hominibus: quum iubet fructum ferre cum patientia, triceſimum, ſexageſimum, centeſimum: quum nos palmites esse docet à patre purgandos, vt magis ac magis fructum afferamus: quum talenta data bene expendere, vigilare & orare, intrare per anguſtam portam, crucem vnumquemque ſuam quotidie tollere,* monet, hortatur, iubet. Hanc iustitiam bonorum operum in Christo docent omnes Epistolæ Apostolicæ, Paulus vbique exceptа priore parte Epist. ad Rom. vsque ad cap. 12. & ad Galatas, Petrus, Iacobus, Ioannes toti sunt in huius iustitiæ argumento. Quo magis detestandi hoc loco hæretici, qui solam fidei iustitiam malè intellectam inculcant.

Epist. 120.
Rom. 9.
De grat. & lib. arb. c. 12
Philip. 3.
Tract. 26. in Ioan. l. 3 c. 4.
Epist. 106.
Epheſ. 2.
De grat. & lib. arb. c. 8
Gal. 5. & 6
Rō. 6. & 8
Heb. 9.
Tit. 2.
Rom. 7.
Matth. 6.
Matth. 25. 6. & 11. Ioan. 15. Luc. 15. & 17.

A

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Luc. 7. *Cùm appropinquaret portæ, ecce defunctus efferebatur, & turba multa ciuitatis cum illo.*

De solemni & religiosa sepultura.

LOCVS per occasionem tractandi, de solemni & honorifica, atque etiam religiosa fidelium sepultura, iuxta Ecclesiæ Catholicæ ritum, cum clero, luminaribus & hymnis, quem morem hæretici hodie subsannant ac deridēt. Christus hoc loco morem sepeliendi Iudæorum, vbi turba multa funus sequebatur, & mater defuncti vidua flens comitabatur, suo occursu honorabat, & luctum matris populique confluxum celebri miraculo illustrabat. Iudæorum sepeliendi ritus quis fuerit, non B multum attinet hoc loco disserere. *Planctum magnum* eos semper adhibuisse, & magis luctum quàm laudes Dei, prosequi eos solitos fuisse,

Genes. 50. 2. Reg. 3. Act. 7. sepultura Iacob in terra Chanaan, Abner præsente Dauid, ac denique ipsius Sancti Stephani in recentibus adhuc Ecclesiæ Christianæ cunabulis (quum necdum certi ritus constituti, aut politiæ Ecclesiasticæ certa forma posita esset) satis clarè testantur. At Catholicus Christianorum sepeliendi ritus quis fuerit, talis videlicet qualem hodie obseruat Ecclesia, Antiquitatis testimonia nos docebunt. Quàm celebre fuerit B. Virginis Mariæ Deiparæ funus, cum luminibus, cum Hymnis & Canticis (de quibus etiam antiquissimus sanctus Dionysius Areopagita scribit) cum floribus & palmis copiosè describit Nicephorus in historia Ecclesiastica libro 2. capite 22. Centurio quem Diuus Petrus conuertit in ciuitate Scepsi (quam totam à gentilitatis errore liberauit) moriens, congregatis omnibus Christianis cum Eunomio Presbytero, cum cereis accensis & vario Hymnorum cantu sepelitur, vt narrat in eius vita Simeon Metaphrastes, apud Surium die 13. Septembris. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Olympium de morte sororis suæ Macrinæ, de Sacerdotum cum Psalmis & Canticis ad eius sepulchrum processu seorsim à reliqua turba (vt hodie fit) perspicuè narrat. Nec dissimiliter de Cæsarij fratris sui sepultura scribens Gregorius Nazianzenus. *Cum pompa* (inquit) *elatus est, sacris parentum manibus honoratus, cum mater luminaris prælatione calamitati pietatem opponeret.* Vocat *sacras parentum manus*, Sacerdotale officium, quod tam ipse Gregorius Sacerdos, quàm pater ipsius tunc Episcopus, in funere exequebantur. De hac Ecclesiæ notissima solemnitate sic in D. Chrysostomo legimus, qui ante annos 1200. scripsit. *Dic mihi* (inquit) *quid sibi volunt in funere lampades istæ festiuæ? Quid etiam hymni? Nonne vt Deum glorificemus? Pro quare, dic, Presbyteros vocas & psallentes? nonne vt consolationem recipias? Nonne vt honores defunctum?* Hæc ille. Vides hic omnes & singulas sepulturæ Catholicæ ceremonias. Vides lampades seu cereos. Vides Hymnos, seu Psalmos. Vides Presbyteros seu Sacerdotes. Vides denique psallentes seu clerum cantantem, sacerdotique succinentem. Vides postremò causas grauissimas. *Vt Deus glorificetur, vt defunctus honoretur, vt viui consolentur.* De sepultura Paulæ sanctissimæ fœminę sic S. Hieronymus. *Paula translata Episcoporū manibus & ceruicem feretro subijcientibus, cum alij Pontifices lampades cereosque præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia speluncæ Saluatoris est posita. Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit.* Sic in funere Pauli Eremitæ scribit Antonium solùm, *Hymnos & Psalmos ex Christiana traditione decantasse.* In sepultura S. Bauonis ante annos 1000. & cereis & psallentium choris funus eius curatum fuisse scribit in eius vita Theodoricus. In sepultura Danielis Stilitæ (quē Zeno Imperator *sui imperij miraculum* vocare solebat) etsi in ipsa basi & pede columnæ suæ sepeliretur, nec vsquam funus efferretur, tamen *præsente Euphemio Episcopo stabant ex vtraque parte tumuli, clerici qui faces ferrent, & lampades tenerent manibus, & ea canerent quæ cani solent in decessu.* Hæc in eius vita Simeon Metaphrastes. Hæc maximę Antiquitatis testimonia sufficere possunt ad superbas D hæreticorum hodie voces reuincendas, qui has omnes ceremonias despectui habent & rident.

Lib. de diuinis nominibus.

Orat. 7. C

Hom. 4. in ep. ad Heb.

Tom. 1. epist. 22. cap. 13. ad Eustochiū.

DOMINICA

A

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Phariſæorum, Sabbato manducare panem, ipſi obſeruabant eum, &c. Luc. 14.

LOCVS per occaſionem aperiendi populo, improbum, malitioſum, planéque Phariſaicum hæreticorum huius temporis morem, ac ſtudium obſeruandi Sacerdotum ac Monachorum, totiúſque cleri Catholici vitam, actiones & doctrinam, non vt diſcant aut meliores fiant, ſed vt carpendi ac calumniandi máteriam accipiant, ſicuti hoc loco Phariſæi *obſeruabant Chriſtum an vellet Sabbato curare*, vt inde eum tanquam legis tranſgreſſorem accuſandi, ac traducendi occaſionem caperent. Solent enim hæretici quicquid, vel in doctrina, vel in moribus Catholicorum deficere videtur, in calumniam auidiſſimè rapere, odioſè agitare, & mirificè exaggerare, aut laude digna, ſapienter dicta vel facta penitus diſſimulare, ſicut Phariſæi tot Chriſti miracula, tãta in populum beneficia, tam variam cæleſtis doctrinæ copiam videre & aduertere nolunt, ſed ſi quid prætet legis Moſaicæ præſcriptum fortè commiſerit, illud vnum ſtudioſè obſeruant & odioſè exagitant. Sic in hodierno Euangelio ſanatum à Chriſto hydropicum (quod erat non tantum inſigne miraculum, verumetiam illuſtre & ſingulare miſericordiæ beneficium) prorſus negligunt. Id vnum obſeruãt, *quod Sabbato curauerit.* Sed nec rogati à Chriſto, *an liceret Sabbato curare*, reſpondere dignantur homines maleuoli, verùm tacentes, planéque cupidè deſiderantes, vt aliquid contra ſabbati religionem committeret, expectare malunt vt per ignorantiam violet, quàm ne violet ignorantem docere. Diſſimulare malunt ſuum de obſeruatione mandati iudicium, quaſique tacendo Chriſto conſentire (quem Sabbato curare ſolitum antea audiuerant) vt ſic ille confidentius errorem quem putabant, ſuum manifeſtaret, quàm (quod tales Magiſtros imprimis decebat) ſuam ſententiam manifeſtando ab errore illum reuocare. Idque eam ob cauſam, vt aliquid in Chriſto iuſta reprehenſione dignum homines faſtu & malitia pleni explorarent. Hæc tam varia & multiplex Phariſæorum erga Chriſtum inuidia, maleuolentia, diſſimulatio, aſtutia, in noſtris quoque hodie hæreticis qui noui totius orbis Magiſtri eſſe volunt, ſupercilio obducto pluſquam Phariſaico manifeſtè conſpicitur. Primum obſeruant Catholicorum actiones, vitam & mores. Romam proficiſcuntur, non vt priſcam illam, & à patribus laudatam Romanæ vrbis pietatem in martyrum frequentiſſimis memorijs viſitandis inſpiciant: non vt opera illic charitatis Chriſtianæ innumera obſeruent, in tam varijs tamque opulentis Xenodochijs, Noſocomijs, & Ptochotrophijs erectis: non vt ſocietates, & confraternitates notent ad Dei cultum exactiorem piè inſtitutas: non vt frequentiſſimas, ac ardentiſſimas diuini verbi explicationes audiant, non vt grauiſſimum DD. Cardinalium ſenatum & ſapientiſſimum illud Collegium virorum in omni ſcientiarum genere, prudentia, pietate, nobilitate præſtantiſſimorum venerentur: non vt eum doctiſſimis omnium gentium qui illic verſantur familiaritate contracta, aliquem vel eruditionis, vel pietatis fructum referant: ſed tolerata illic in vno vrbis angulo lupanaria, tanquam fœtidæ ſues, ſimum aliquem in ampliſſimi & excultiſſimi cuiuſquam horti angulum conijectum obſeruant, ſcrutantur, ventilant. Monachorum inſtituta, totámque vitam monaſticam perluſtrant, & perquirunt diligenter, non vt ſanctiſſima illa paupertatis voluntariæ, obedientiæ, & caſtitatis vota intelligant: non vt diuini numinis aſſiduum cultum, victus ac veſtitus præſcriptam ſobrietatem, ſtudia, lectiones, & exercitationes pias videant atque cognoſcant, ſed in externa tantum oculos coniicientes & minutiora quæque conſectantes, habitum non vſitatum, geſtus corporis non politicos ſed religioſos, proprias quaſdam cuiuſque inſtituti ceremonias ac ritus, otium ac vacationem à publicis muneribus, homines carnales & animales (*quorum tota ratio intelligendi eſt conſuetudo cernendi*, ait Auguſtinus) obſeruant, irrident, lacerant, ac populo irridenda propinant. *Noſtri monachi* (ait Caluinus) *præcipuam ſanctimoniæ ſuæ partem in otio collocant.* Ita homo improbus & verus Phariſæus otium taxat, ſed hoc otium quàm ſanctis negotijs, non quidem mundanis, ſed cœleſtibus impenditur, aduertere non vult. Epiſcoporum, paſtorum, aliorúmque Sacerdotum pios pro Eccleſia Dei labores, vt verbi prædicationem, ſacramentorum adminiſtrationem, orationes & ſacrificia quotidiana, (ex quibus omnibus incredibilis ad totum populum fidelem fructus accreſcit, imò tota fidelium ſalus æterna dependet) non vident, non obſeruant hodierni hæretici. Sed ſi quis Epiſcopus, Paſtor, Sacerdos, aliquo fortè crimine maculetur, vt auaritiæ, luxuriæ, ebrietatis, & cætera hæc paucorum crimina obſeruant diligentiſſimè, odioſiſſimè exagitant, & mendaciſſimè exaggerant, vt totum ordinem, ordiniſque ſtatum apud imperitum & rude vulgus traducant. More ſanè veterum hæreticorum, de quibus ita Auguſt. *Ad quid aliud ſedent iſti, quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiã ipſi quum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proïciunt vxores ſuas, nec accuſant*

Hæretici obſeruatores Phariſaici.

Hieron. in præfat. l. 3. in epiſt. ad Gal.

Inſtit. l. 4. cap. 13.

Epiſt. 137.

matres suas. Cum autem de aliquibus qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel A
veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Et paulò pòst. *Hæretici non habendo quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè iactant, vt quia ipsam diuinæ scripturæ veritatem qua vbique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari, & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, possunt.* Hæc Augustinus de sui temporis Donatistis hæreticis. Sic videlicet obseruant hodie hæretici Catholicos pastores, sicut Pharisæi Christum obseruabant, in cuius doctrina quia nihil reprehendere poterant, in moribus & vitæ actione reprehendere studebant, *obseruantes eum an Sabbato curaret.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. B

Dilectionis Dei præceptum explicatur. In Harm. Euang. ad Matt. c. 22

LOCVS necessarius huius præcepti vim, & obligationem contra hæreticos explicandi. Nam propter hoc præceptum, & illud alterum huic simile, *Non concupisces*, legem obseruatu impossibilem esse, docere hoc tempore hæretici ausi sunt: & ad hæc verba hoc in loco Caluinus ita scribit. *Ex hoc compendio apparet Deum in legis præceptis non respicere, quid possint homines, sed quid debeant. Nam in hac carnis infirmitate fieri non potest, vt perfectus Dei amor regnum obtineat. Scimus enim quam propensi sunt ad vanitatem omnes sensus nostri.* Pernicioſa & pestilens hæc doctrina est, tam crudè & indistinctè posita. Deus quippe in præceptis legis non quidem respicit quid possint homines ex se, & ex naturæ suæ viribus, sed quid possint atque ideo debeant ex adiutorio suæ gratiæ perficere. *Ideo nobis præceptum est* (ait sanctus Augustinus) *vt Deum tota anima diligamus* (*quod non sit dum caro concupiscit aduersus animam*) *vt admoneremur quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.* Hæc ille. Est igitur hoc præceptum perfectionis, cui obstat concupiscentia, quæ quia in renatis culpabilis non est, absque culpa hac perfectione caremus: Perfectionem dico omnimodam, qualem sonat præceptum. Vnde alibi Augustinus. *Quamdiu est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus.* Ait non omnimodo C
ex tota anima diligi Deum. Nempe quia *minuitur ista delectio, & dilectatio spiritualis sanctarum mentium, dum ad alteram concupiscentiam debellandam occupatur bellantis animus*: vt contra Iulianum docet. Et hæc est illa carnis infirmitas & propensio ad malum, de qua hic Caluinus loquitur. Sed ea non obstante, *exercet gloriosa certamina miles Christi* (ait eodem loco Augustinus) *& verè diligit Deum ex toto corde, quia licet totam non assequatur charitatem, nullam tamen sequitur cupiditatem*, ait Augustinus de Spiritu & litt. cap. vltimo, vel vt expressius S. Thom. docet, licet totum cor actualiter in Deum non feratur semper, tamen habitualiter fertur, quamdiu nihil cõtra dilectionẽ Dei cor admittit. Et hoc sensu in præceptis legis respicit Deus quid facere debeamus: nempe vt legẽ quã tulit impleamus, sed tanquã viatores, non tanquã possessores, & hæredes vitæ æternæ: id est in carne adhuc viuentes, sed non secundum carnem viuentes. Christus quippe *in carne sua de peccato damnauit peccatum*, id est, per carnem suam, vt hostiam pro peccato oblatam, mulctauit peccatum, & sustulit dominium eius in omnibus filijs adoptionis, *in quorum cordibus diffusa est charitas per Spiritum S. qui datus est illi, vt iustificatio legis impleretur in illis*, seu ab illis, *qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.* Sicut ergo præceptum Dei est, quod seruare & debemus, & possumus, non ambulare secundum carnem (quia si *secundum carnem vixeritis moriemini*, ait Paulus) sic præceptũ est quod seruare & debemus & possumus, *Diligere Dominum ex toto corde*: id est, non ambulare secundum carnem: nullam sequi cupiditatem. Vnde Augustinus. *Prudentia carnis per Christum ablata & extincta, iustitia legis impletur, quum non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulamus.* Hæc prudentia carnis est sapere secundum carnẽ, & sequi cupiditates eius. Hoc per Christi gratiam tollitur, & ideo per Christi gratiam omnes cupiditates prauas superare & debemus & possumus, vt *non regnet peccatum in mortali corpore nostro, vt obediamus concupiscentijs eius*; etsi maneat peccatum, seu peccati propensio, quam hic Caluinus vrget, *sed regnet gratia per iustitiam*, vt Paulus loquitur, id est, regnet amor Dei perfectus, quod fieri posse impiè hic negat Caluinus, perfectus inquam iuxta viæ perfectionem, in qua adhuc sumus, quæ est, nullam sequi cupiditatem, *nõ obedire concupiscentijs carnis*, tametsi ipsa maneat in carne concupiscentia: denique *condelectari legi Dei secundum interiorem hominem*, quod est, *mente seruire legi Dei*, mente & animo Deum diligere, licet *caro seruiat legi peccati*, id est, licet caro & carnalis infirmitas concupiscere non desinat.

De Spir. & lit. c. vlt.

In lib. de perfect. iustitiæ.

Lib. 4. c. 2.

2. 2. q. 44. art. 4. ad 2.

Rom. 8.

Rom. 5.

Rom. 8.

Rom. 8.

In exposit. quarundã propos. in Epist. ad Rom.

Rom. 6.

Rom. 5.

Rom. 6.

Rom. 7.

Sed & alibi propter huius præcepti verum sensum non intellectum, hanc impossibilitatem seruandi mandata iterum docet Caluinus. Sic enim eadem verba apud Lucam tractans D

scribit.

A scribit. *Certum est in lege præscribi hominibus quomodo vitam formare debeant: vt salutem coram Deo sibi cõparent. Quod autem lex nihil aliud quam damnare potest, non fit doctrinæ vitio, sed quia impossibile nobis est præstare quod iubet. Ergo quanquam ex lege nemo iustificatur, continet tamen lex ipsa summam iustitiam: quia non falsò salutem promittit suis cultoribus, si quis planè obseruet quicquid mandat.* Hæc ille. Docet impostor in lege summam iustitiam describi, & legem suis cultoribus salutem promittere, sed sub conditione nobis impossibili. Hoc est dicere falso & ridiculè, Quis eum legislatorem iubeat, quod à nemine subditorum impleri posse optimè nouit? vt si sic pauperi & infirmo dicat, Si Regnum mihi proximum subiugaueris, mei regni te hæredem constituam. Alienum quidem regnum subiugare summa fortitudo ac virtus foret. Sed nunquid tamen Dominant hæretici se satis legi tribuere, quod summam iustitiam doceat, & salutem suis cultoribus promittat. Sed non vident se legislatorem & ridiculum & mendacem facere, quando à nemine docent legem impleri posse. Absurdum hoc eludere conatur Caluinus. *Hæc* (inquit) *docenti ratio nobis absurda videri non debet, quod Deus primò iustitiam operum requirat, deinde gratuitam offerat sine operibus.* Sed quare & quam ob causam absurda videri non debet? Attendamus rationem quam adfert. *Quia* (inquit) *necesse est homines iustæ suæ damnationis conuinci, vt ad Dei misericordiam confugiant. Ideo apud Paulum Rom.* 10. 5. *vtriusque iustitiæ comparatio ponitur, vt sciamus nos ideo gratis iustificari à Deo, quia propria iustitia destituimur.* Hæc ille: fallit improbè lectorem, &, vt ego sanè arbitror, ex composito. Lex est pædagogus ad Christum, quia conuincit homines non suæ damnationis, quasi nemo mortalium legem impleret, vt vult Caluinus, sed suæ infirmitatis, quia sine gratia Dei per Christum nemo illam implere potest, vt iuxta Scripturas perpetuò docet Aug. & ideo pædagogus est ad Christum. Paulus autẽ ad Romanos 10.5. iustitiam quæ ex lege est, opponit iustitiæ quæ ex fide est, quia illa quæ ex lege est, docet tantum quid facere debemus, sed illa quæ ex fide est, habet gratiam Christi in corde, quæ facit nos facere quod lex iubet: & sic docet nos *propria quidem iustitia destitui vt gratis iustificemur*, (vt hic Caluin. ait) respectu primæ iustificationis, qua ex impio aliquis fit iustus, aut qua impius Deo reconciliatur, de qua iustitia lex non loquitur, sed non docet nos illic Paulus propria iustitia destitui respectu illius salutis, quam lex suis cultoribus promittit, nẽpe vitæ æternæ, nisi quatenus propria illa iustitia intelligitur, quæ proprijs viribus ex sola legis doctrina comparatur, qualem Iudæi in Christum non credentes habere volebant, vt in fine præcedentis cap. Paulus docuit. Namverba Pauli in loco à Caluino notato planè & perspicuè docent, quod iustitia ex fide facit seruare legẽ Dei. *Quæ ex fide est iustitia sic dicit.* i. de iustitia ex fide sic Script. docet: *Ne dixeris in corde tuo quis*

C *ascendit in cœlum*, &c. id est, ne putes legem tibi credenti & conuerso ad Deum esse difficilẽ, aut vires tuas superare. *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo*,, id est, Res tota facilis est tibi iam conuerso & credenti, & diligenti Deum. Moyses enim à quo hæc verba Paulus desumpsit, quum primum dixisset, *Circuncidu Dominus Deus tuus cor tuum, vt diligas Dominum Deũ tuum* (quod ad credentes & conuersos loquitur) paulò pòst subiungit. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te neque procul positum, neque in cœlo situm, &c. sed iuxta te est valde sermo in ore tuo & corde tuo, vt facias illud.* Hæc ibi. Quare illa verba tractans August. ait. *Conuersus quisque sicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, mandatum Dei non habebit graue.* Sic ipse locus à Caluino notatus luculenter probat, quod Caluinus negat, nempe legem Dei non esse impossibilem: imò non esse grauem, sed facilem: sed credenti & conuerso. Manet ergo absurditas illa maxima iuxta doctrinam Caluini, Deum operum iustitiam primo quærere, & postea gratuitam offerre sine operibus.

Sed tota Caluini, & aliorum hæreticorum contra tam apertam veritatem lucta, est huius præcepti legalis praua intelligentia. Diligere enim Deum perpetuo actualiter, & sic ex toto corde, vt nihil præter Deum diligatur, & ille tantum diligatur, quantum diligibilis est, nemo in

D hac vita potest, & hoc sensu Augustinus vt supra ostendimus, & post eum Bernardus, docent hoc præceptum in hac vita non impleri, nec sub præuaricationis pœna obligare, sed per modũ doctrinæ, quo contendere debeamus ordinari. Verum diligere Deum habitualiter & per opera dilectionis extrema, in omni sua operatione retinendo habitualem Dei dilectionem, & sic toto corde vt præcipuè Deus diligatur, homo in hac vita potest & debet. Et sic intelligendum esse hoc præceptum illa alia Scripturæ verba manifestum faciunt. *Onus meum leue est, & mandata eius grauia non sunt.*

In Harm. Euang. ad Luc. 10.

Caluin. facit Deum legislatorẽ ridiculum.

Lex cõuincit homines suæ infirmitatis, non damnationis.

Iustitia ex lege quomodo opponitur iustitiæ fidei.

Caluinus ex Scriptura quam prosẽ adfert refutatur. Deut. 30.

De nat. & grat. ca. 69

Serm. 50. *in Cant.*

Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Matth. 22. 1. *Ioan.* 2.

HOc quoque præceptum suo fermento corrumpit Caluinus. Negat enim ordinem charitatis, quem perspicuè præceptum ponit, videlicet, vt dilectio respectu proximi incipiat à seipso. Sic enim scribit. *Quum proximos sicuti nos ipsos diligere iussit Moyses, noluit amorem nostri priori loco statuere, vt quisque seipsum prius amet, deinde proximos, quemadmodum Sorbonici sophistæ cauillantur, regulatum inferius esse sua regula, sed quum simus nobis nimium dediti, Moyses, vitium hoc corrigens*

proximos noſtros æquali gradu ſtatuit: ac ſi vetaret vnumquemque alijs neglectis habere ſui curam, quia charitas in vnum corpus omnes coniungit. Et φιλαυτίας *corrigens, quæ alios ab alijs ſeparat, ſingulos ad communem ſocietatem, & quaſi mutuum complexũ reducit.* Hæc ille. Homo reprehendẽdi auidus, reprehendit quod neſcit. Neſcit enim à Scholaſticis, quos hic Sorbonicos ſophiſtas vocat, maledicendi cupidus, communem illam ſocietatem & mutuum complexum omnium proximorum diſertè iuxta hoc præceptum doceri: ſed quia in ipſa ſocietate communi, caſus frequenter accidunt, vt omnibus ex æquo ſubueniri nequeat, diligenter ab illis quæri, quis ſit præcepti huius ſenſus in caſibus huiuſmodi. An te & proximo æqualiter periclitante, quum vtrique ſubuenire nequeas, prius ne tibi proſpicere debeas, an proximo? An etiam meliore te periclitante, te ipſo neglecto illum iuuare tenearis? *Proximus diligitur* (ait S. Thom.) *ſecundum rationem ſocietatis in bono*, id eſt, dilectio proximi docet ſocialem & communem eſſe debere dilectionem noſtram non priuatim in eo bono, quod ipſi rectè & ordinatè diligimus, videl. in Deo. *Conſociatio autem iſta eſt ratio dilectionis, ſecundũ quandam vnionem in ordine ad Deum. Vnde ſicut vnitas potior eſt quam vnio* (nam ab vnitate vnio incipit, & principium ſemper in ſuo genere cæterorum caput eſt) *ita quod homo ipſe participet bonum diuinum* (in qua participatione potiſſimum proximus diligitur) *eſt potior ratio diligendi ſeipſum, quam quod alius aſſocietur ſibi in hac participatione.* Hæc explicatio non tollit mutuum cõplexum in hoc præcepto poſitum, ſed in hoc complexu quis ordo ſit tenendus, præterea docet, vt fruſtra propter vnum aliud conuellere Caluinus conetur.

In Summa 22. q. 26. art. 4.

A

B

In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ.

Matth. 22.

LOcus luculentus peſtilentem hæreticorum hodie de ſola fide ſaluante ac iuſtificante doctrinam acriter taxandi, & perſpicuè refutandi. Docet enim Saluator diſertis verbis vniuerſam legem & Prophetas in duobus illis mandatis de duplici charitate Dei & proximi pendere, id eſt, compleri, & conſummari. Idem verò alio in loco diſertiſſimè quoque dixit. *Nolite putare quoniam veni ſoluere legem & Prophetas: non veni ſoluere ſed adimplere.* Et quo ſenſu venit legem adimplere, eodem in loco multis verbis expreſſit: vbi multa legis moralia præcepta cõmemorans, tantùm abeſt vt illa per doctrinam fidei atque Euangelij ceſſare doceat, quaſi ad ſalutẽ amplius non neceſſaria, vt contrà, eorundem præceptorum exactiorem & perfectiorem obſeruationem doceat. Nempe in lege homicidium prohiberi, à ſe verò omnem iram, omne conuitiũ atque maledictum. In lege mœchiam ſeu adulterium prohiberi, à ſe etiam aſpectum cum cõcupiſcentia mala coniunctum vetari: denique in lege periurium prohiberi, à ſe omne temerarium iuramentum è medio tolli. Quum ergo tota lex & Prophetæ, id eſt, omnia moralia mandata (nã de iſtis in hoc Euangelio agebatur) & omnia virtutum præcepta ac documenta quæ paſſim in lege & prophetis habentur, in duplici illo charitatis præcepto pendeant & compleantur, Chriſtus autem venit vt legem, & prophetas adimpleret euidentiſſimè contra impios huius temporis hæreticos ſequitur, duplicis huius charitatis præcepta in ſuo priſtino vigore permanere, & ad ſalutem æternam non minus eſſe neceſſaria quàm antea fuerunt, ideóq; tetterrimam & abominandam hæreſim eſſe, quòd ſola fides iuſtificet & ſaluũ faciat: quaſi in ſola fide vniuerſa lex penderet, & Prophetæ: quod Chriſtus hic apertiſſimè negat, aut quaſi lex & Prophetæ in ſuis moralibus præceptis amplius non obligarent, quod Chriſtus alio apud Matthæum loco nõ minus apertè pernegat dicens, *Nolite putare, &c.* vt ſuprà. Docet ergo hoc loco Saluator non ſolum alia morum præcepta in his duobus mandatis pendere, iuxta illud Apoſtoli, *qui diligit proximum, legem impleuit, & plenitudo legis eſt dilectio*, quia in hoc verbo, *diliges proximũ tuum ſicut teipſum* (quod *alteri mandato de diligendo Deo ſimile eſt*, ait in hoc Euangelio Saluator) *ſi quod eſt aliud mandatum, inſtauratur*, id eſt, ſufficienter & plenè obſeruatur: quia videlicet qui diligit proximum, nec mœchabitur, nec occidet, nec furabitur, &c. nec denique non poterit non Deum pariter diligere, quia non diligit proximum verè & vt oportet, niſi in ordine ad Deum diligat: ideóque neceſſariò diligendo proximum diligit Deum, nec poſſunt illa duo ab inuicem ſeparari, vt ex Chriſti verbis docent patres, Auguſt. Chryſoſt. Proſper, & alij omnes, verumetiam ipſam quoq; fidem in his duobus mandatis pendere Chriſtus hoc loco docet. Fidem enim in Chriſtum de ſemine Abrahæ ac Dauid, lex & Prophetæ paſſim prædicant ac docent. Sed hanc fidẽ charitas perficit, & ideo gratã facit. *Fides enim ſine operibus mortua eſt. Etſi omnem fidem habuero, ita vt montes transferã* (ait Apoſt.) *charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Multo minus iuſtificatus ſum, ſaluus ſum, vt hodie blaſphemant hæretici: ſolam fidem iuſtificantem docentes. Et rurſum. *Qui non diligit, manet in morte.* Quid ergo prodeſt fides non diligenti Deum .i. non operanti, & ſeruanti mandata? *Qui enim diligit me, ſermones meos ſeruabit: ait Chriſtus.* Docendus ergo diligenter populus Chriſtianus, quòd tota lex & Prophetæ .i. tota quæ tũc erat Scriptura, in duobus charitatis præceptis pẽdet, in illis completur, in illis, ſic vt oportet creduntur, & obſeruantur. Vnde S. Aug. ad hæc duo mandata tanquã ad ſuũ finem referri docet non ſolùm omnia alia præcepta, ſed etiam totam legem & prophetas, imò totum corpus Scripturæ. *Summa* (inquit) *eorum quæ diximus hæc eſt, vt intelligatur legis & omnium diuinarum Scripturarum plenitudo & finis eſſe dilectio rei qua fruendum eſt, id eſt, Dei, & rei quæ nobiſcum ea re frui poteſt .i. proximi. Quiſquis igitur Scripturas diuinas vel quamlibet earum*

Bona opera neceſſaria ad ſalutem.

Matth. 5.

Rom. 13.

De Trinit. lib. 8. c. 8.

Ad popul. Ant. homil. 34. c. de vita contemp. l. 3. c. 15.

Iacobi 2.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

Ioan. 14.

De doctr. Chriſt. l. 1. c. 25. & 26

C

D

partem

A *partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum Scripturas intellexit.* Hæc ille. Viderint ergo hodie hæretici quomodo Scripturas intellexerunt (qui se solos eas intelligere venditant) quum hanc geminam charitatẽ adeo non ædificent, vt eam destruãt penitus, docentes eam ad salutem æternam non esse necessariam. At Christus in hoc Euangelio docuit *in istis duobus mandatis totam legem, & Prophetas pendere*, id est, totam reliquam Scripturam nihil nos iuuare nisi hęc duo mandata obseruentur: ad hæc duo cætera omnia destinari: ideo nos credere quicquid de Christo lex & prophetæ prædixerunt, vt Deum diligamus, & in Deo proximum, diligentes autem salui fiamus: iuxta illud Christi: *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*, id est, diligendo saluabitur, & visione mea in æternũ fruetur. Hic est finis legis & prophetarum totiusque Euangelicæ doctrinę, quę legem non soluit sed adimplet. *Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo*, ait Paulus. Insaniunt hæretici qui per solam fidem se cognosci à Deo putant. Cognosci enim à Deo, est ei gratum & acceptum esse. *Nouit Dominus qui sunt eius.* Et in die iudicij dicetur, *Discedite à me operarij iniquitatis. Nescio vos.* Ergo nec Deum in scripturis nouit, nec à Deo cognoscitur, nec legem & prophetas tenet, qui hęc duo charitatis mandata non tenet. Vide plura in Promptuario Morali in hac Dominica, & ad hæc Christi verba text. 4.

Ioan. 14.

1. Cor. 8. 2. Tim. 2. Matt. 25.

B

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Et videns Iesus fidem illorum, dixit Paralytico, Confide fili. Matt. 9.

LOCVS idoneus & oportunus declarandi contra hæreticos nostri temporis, quam fidem Euangelium intelligit, quando varias sanationes, ipsãque remissionem peccatorum, vt hoc loco, à Christo collatam fidei tribuit. Non enim intelligit specialem fiduciam ab hæreticis hodie cõfictam & inuẽtam, sed intelligit fidem Catholicam & generalem, id est, firmum assensum mentis diuinitus datum circa Christi potentiam, quo videlicet credebant Christum posse eos sanare. Talem enim fidem Christus apud Marcum à patre lunatici flagitabat. Dicente enim ei patre, *si quid potes, adiuua nos misertus nostri: Iesus ait illi. Si potes credere* (me scilicet te posse adiuuare) *omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans* C *pater pueri cum lachrimis aiebat, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*: quam videlicet prius expresserat dicens. *Si quid potes, adiuua nos*: quæ vox erat incredula. Credere ergo hoc loco quod Christus postulat, non est habere fiduciam aut bene sperare, sed id quod propriè sonat, assentiri veritati de potentia Christi, cui opponitur incredulitas non timiditas aut diffidentia. Sed & hoc eodem capite apud Matthæum, clamantibus duobus cæcis, *Miserere nostri fili Dauid*, dicit eis Iesus. *Creditis quia hoc possum facere vobis? dicunt ei, Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens. Secundum fidem vestram fiat vobis.* Illam nempe fidẽ dicit qua credebant Christum posse illis misereri, & lumen oculorum dare. Talis erat fides Hemorrhoissæ hoc eodem capite: quã expressit quum diceret intra se. *Si tetigero tantum vestimenta eius, salua ero.* Hæc enim firma erat animi conceptio de virtute & potentia Christi: de qua Christus dixit, *Confide filia*, id est, sis bono animo de beneficio iam accepto, *Fides tua te saluam fecit.* Qua videlicet credidisti te ex tactu vestimentorum meorum saluam seu sanatam iri. Sanata enim iã es, & *sensi virtutem exisse de me.* Sed & hanc fidem ac credulitatem de Christi potentia leprosus ille sanari cupiens expressit dicens. *Domine si vis, potes me mundare.* Potentiam Christi diserte asserit, de voluntate trepidanter & dubitanter loquitur: sed Christus contentus fide, quæ adhuc carebat fiducia, promptè & benignè respondit. *Volo, Mundare*, id est, esto mundus. Denique fides Centurionis tantopere à Christo laudata, erat fides & assensus mentis circa potentiam Christi. Dixit enim. *Dic verbo, & sanabitur puer meus.* Postremo profitetur se in patria sua nullas virtutes facere potuisse propter incredulitatem suorum, id est, quia non credebant eum esse prophetam, &c. Huic ergo fidei de potentia ac bonitate Christi, qua credebant illum posse diuinas virtutes facere, tribuebat Christus ea quæ ab ipso petebantur beneficia, visum cæcis, gressum claudis, sanitatem ægris. Hanc fidem videns D Christus tum in paralytico, tum in amicis eius, dixit paralytico, *Remittũtur tibi peccata tua*: & paulo post, *Tolle grabatum tuum*: & propter hanc fidem vtramque & internam & externam sanitatem dedit. At fides specialis ab hęreticis hodie inuenta, quæ videlicet solas promissiones amplectitur, & illas sibi specialiter applicat, nec in hoc nec in aliis Christi miraculis vllum locũ habuit. Neque enim aliquæ Christi promissiones præcesserũt de sanandis omnibus qui ad eum accederent, quas isti cæci, claudi, paralytici, & alii seu ludæorum seu gentium ægroti, fide speciali conciperent. Quod est contra hæreticos hodie diligenter notandum. Quomodo enim tot illi à Christo sanati & peccatorum remissionem consecuti per fidem specialem, quæ iuxta doctrinam Protestantium promissionibus nititur & promissiones gratiæ apprehendit, illa consequi

Fides in Euangelio à Christo laudata, qualis fides

Mar. 9.

Matt. 9.

Luc. 8. Matt. 8.

Ibidem. Matt. 13. Mar. 6.

Specialis fides nullos saluos fecit in Euang.

potuerunt,quum tales promissiones nullæ antea præcesserint,aut vulgo Iudæorum vllo modo innotuerint? Docendus igitur populus fidelis Christum sua beneficia tam quoad animã quàm quoad corpus contulisse,propter fidem in sensu Catholico,id est,propter humilem assensum huic veritati præstitum,quod Christus erat magnus propheta Dei, & qui posset magnas virtutes facere,non propter fidem in sensu hæretico, siue specialem quoad solas promissiones, siue etiam fiducialem,quasi fides in toto Euangelio nihil nisi fiduciam significaret. A

Fides nec est fiducia nec semper coniuncta habet fiduciam.

Locus igitur alius est notandi hoc loco contra hæreticos,fidem illorum quos in Euangelio Christus sanauit,non fuisse quidem semper absque fiducia,imo aliquando cum certa & magna fiducia fuisse coniunctam,vt in muliere Chananæa,in Hemorrhoissa,in Magdalena & in Centurione,tamen nec semper tali fiducia ornatam fuisse,vt in leproso qui dixit, *Domine si vis, &c.* & in patre lunatici, qui dixit,*Si quid potes,adiuua nos*,nec ipsam fiduciam fuisse,sed virtute ab ea plane distinctam,& ex qua sequebatur fiducia. Nam ex fide nascitur fiducia. Qui Deum credit esse,& potentia maximum, & bonitate optimum, facilè de hac summa bonitate cum summa potentia coniuncta fiduciam concipit. Sic fides in Christum quem & Deum esse credimus, & humani generis amantissimum redemptorem parit fiduciam erga eundem. Vnde Apostolus. *In Christo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius.* Distinguit fiduciã à fide,& ostendit per fidem haberi fiduciam. Rursum. *Iustificati ex fide, pacem habemus apud Deum.* Pacem dicit bonam cordis confidentiam. Quod apertius ad Hebræos scripsit. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi* (quem videlicet credimus oblatum semel esse pro remissione omnium peccatorum) accedamus cum vero corde in plenitudine fidei: *teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Et rationem subiungit, *fidelis enim qui repromisit.* Apertè ex fide deducit fiduciam, tanquam ex causa effectum. Nam quia credimus Deum esse in suis promissionibus fidelem,ideo fiduciam assumimus,ideo bonam spem concipimus. Fiducia enim propriè loquendo,nec ipsa fides,nec ipsa spes est,sed vtriusque certus quidam gradus & modus: nẽpe spes bona & valida,vel vt loquitur Apostolus,*gloria spei*,id est,spes glorioſa ex opinione seu persuasione firmà ac certa. Sicut ergo fides non est ipsa spes,sed spei fundamentum iuxta illud Apostoli, *fides est rerum sperandarum hypostasis*, id est,basis,& fundamentum,sic non est ipsa fiducia sed fiduciæ magna causa & parens certa. Sequitur enim semper fiducia fidem, atque adeo gratiam & beneficium ipsum iam per fidem acceptum. Nam in præsenti Euangelio, in sanando paralytico,*Videns Iesus fidem illorum* (portantium scilicet atque eius qui portatur) *dixit paralytico. Confide fili. Remittuntur tibi peccata tua.* Hic enim iubetur paralyticus confidere & habere fiduciam gratiæ Dei,propter remissionem præcedentem per fidem, non vt per illam fiduciam remissionem cõsequeretur. Non enim dicitur illi. *Remittentur*,sed *remittuntur*,id est,remissa sunt. Sic Hemorrhoissę iam sanatæ dixit Dominus. *Confide filia,fides tua te saluam fecit*,manifestè docens post salutem ex fide comparatam;fiduciam esse concipiendam. Atque hac de causa Apostolus sæpissime ad fiduciam hortatur iam credentes,& iam per fidem iustificatos Ephesios, dicens, *In quo* (Christo) *habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius: propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis,&c.* Hebræos,dicens. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ,&c.* Et iterum. *Nolite amittere confidentiam vestram.* Non ergo est ipsa fides fiducia, neque qui ex fide iustificatur, ex fiducia iustificatur,sed qui iam iustificatus per fidem est, ad fiduciam exhortandus est. Parit enim fides fiduciam,& sine fide præsumptio est. Hæc ideo notanda sunt & populo explicanda, vt intelligant fidem in Euangelio toties circa Christi miracula commendatam, (vt in præsenti Euangelio) non esse fiduciam hæreticorum,qua sibi certo promittunt vel gratiam Dei vel vitam æternam,sed esse fidem propriè dictam,id est,pium & humilem assensum veritati,quo credebant Christum esse prophetam magnum & posse eos sanare. Quo intellecto cauebũt multa falsa hæreticorum argumenta,multas fraudes & impostura, quibus ex istis miraculis imperitos decipiunt, astruentes & dicentes per solam fidem sic nos hodie Christum iustificare, sicut olim per solam fidem tam multos sanabat. B C

Ephes.3. Rom.5. Hebr.10.

Hebr.3.

Matt. 9.

ἀφέωνται-σοι.

Ephes.3. Hebr.4. Hebr.10.

Fides quæ saluos fecit non fuit sola.

Luc.7.&8

Locus adhuc alius hic erit docendi populum contra hæreticos horum temporum, fidem huius paralytici vel illorum qui eum per tegulas in grabato demiserunt, vel aliorum quorumcunque quos à Christo sanatos legimus, fidem inquam, quam toties Christus laudauit,& de qua aliquando dixit, *fides tua te saluum fecit*,non fuisse solam vt hæretici hodie simplicibus persuadent, volentes suam solam fidem ex huiusmodi Scripturis stabilire, sed fuisse cum aliis virtutibus coniunctam,vt cum spe,cum fiducia,cum dilectione, cum obedientia, cum precibus, cum lachrimis, aliisque piis & Deo gratis operibus. Nam in præsenti Euangelio amici huius paralytici præter fidem,magnam & ingentem ostenderunt spem atque fiduciam, qui eũ alia via non pateret,ascendentes in tectum per tegulas suum ægrum demiserunt. Aderat etiam in hoc facto magna proximi dilectio: adfuit labor & industria. Adfuit ardens desiderium iuuandi, vt per aliena tecta & cum damno alterius suum infirmum ad Christi pedes adducerent. In muliere Chananæa præter ingentem fiduciam aderant preces feruentes, humilitas maxima, quum se *catellis assimilaret*: perseuerantia egregia,quum semel atque iterum reiecta persisteret. In Hemorrhoissa præter fidem & fiduciam magna humilitas, *ad fimbriam se dimittens*: multa verecundia *factum abscondens*: ingens tremor se deprehensam videns,profunda pietas *ad pedes Christi procidens*: ingenua confessio acceptã sanitatem agnoscens. In Centurione similiter præter fidem D

1. 2.3.4. *Matt.13. Matt. 9. Luc. 8.*

Matt.8.

erat

A erat maxima humilitas. *Domine non sum dignus, &c.* Erat singularis spes ac fiducia, *Dic verbo & sanabitur puer meus.* In Magdalena porro, cui etiam Christus dixit, *Fides tua te saluam fecit*: ardentissima dilectio, de qua Christus dixit, *dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Amarissima pœnitentia, quia *lachrimis rigauit pedes eius*: profundissima humilitas & sui abiectio, quum capillis suis (quibus antea meretriciam artem exercens nihil pretiosius habuit) pedes eius abstergebat. Sic in cæcis & in leprosis sanatis præter fidem erat instans oratio, fortis fiducia, & firma perseuerantia. Nusquam erat sola fides. Quare & Christus nunquam dixit simpliciter, fides te saluum fecit, vel sola fides, sed dixit, *Fides tua te saluum fecit*, id est, talis fides, qualis tua est, tot aliis virtutibus ornata. Quod autem Archysinagogo dixit, *Noli timere, tantummodo crede*: non sic dixit quasi propter solam fidem patris sananda esset filia (quanquam si solam fidem patris ad sanandam filiam Christus requireret, iustificationem internam per solam fidem fieri hoc non probaret) sed sicut medicus ægro dicere solet, Sis tantum bono animo & conualesces: quum tamen præterea diætam seruare & medicamenta accipere ex præscripto medici oporteat. Sed cur ergo Christus non nisi fidem laudat in omnibus à se sanatis: cur nonnisi fidem Euangelium disertis verbis in singulis istis miraculis commendat? Luc. 7. Luc. 18. Matt. 9. Mar. 5.

Locus igitur alius erit docendi hic populum à Christo & ab Euangelistis fidem laudari, non alias virtutes (etsi dilectionem Magdalenæ diserte & accuratè Christus laudauerit) propter duas causas. Primum, quia fides est radix & origo omnium virtutum quæ Deo placent. Sic *Cur fides salus tributur.*

B solet laudari arbor, cuius fructus est bonus. Sanè fructus per se bonus est, & per se placet. Laudamus tamen sæpe arborem vel hortum in quo crescit arbor, vel etiam hortulanum ipsum aut dominum horti, prætermissa laude fructus ipsius. Nempe superioribus causis merito amplius tribuitur. Sic Iacobus laudat obedientiam Abrahæ in immolando filio, quia huic eius operi fides cooperabatur. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius*, id est, radix & principium operum eius erat fides. Vnde August. *Magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidem fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem certã faceret Abraham, nihil illi prodesset qualecunque illud opus esset.* Laudatur ergo fides, & fidei tribuuntur etiam aliarum virtutum opera, quia radix omnium virtutum est, recta fides. Nulla opera placẽt adeo nisi in fide facta. Alia causa fidei à Christo & Euangelistis commendatæ est, quia fidei efficacia, dignitas & virtus tum à Christo tum ab Euangelistis & Apostolis in illa prima Iudæorum & gentium conuersione præcipuè prædicanda erat. In omni disciplina, via & ratione tradenda, à principiis tutis ordiendum est. Sic Christus, sic Euangelistæ facere volentes, fidem à qua ordiendum erat, ante omnia laudant, inculcant, prædicant. Prius fundamentum ponunt, vt postea bonorum operum structuram egregiam superædificent. Sic Aug. *Si volumus* (inquit) *amicos ad rectè viuendum frigidos & pigros Christianis exhortationibus excitare & accendere, primitus exhortemur* C *ad fidem qua Christiani fiant & eius nomini subjciantur, sine qua salui esse non possunt. Si autem iam Christiani sunt, & rectè viuere negligunt, verberentur terroribus & præmiorum laudibus erigantur.* Laudatur ergo fides in Euangelio ac si Grammatica laudaretur in puero. Denique fides tua saluum te fecit, eum sensum habet, quem id quod Apostolus scribit, *Iustus ex fide viuit.* Quæ verba ter ab Apostolo repetita, triplicem apud eum sensum habent. Primus est ad Rom. 2. & fidei iustificanti proprius, qualem Christus in Euangelio commendat. Ait enim Paulus. *Iustitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem*, id est, prædicatio Euangelica manifestauit toti mundo (erat enim eadem iustitia fidei in veteribus iustis, sed occulta in typicis sacramentis, nondum reuelata) illã Dei iustitiam, quæ non in solis operibus, sed quæ ex fide incipit, & per fidem progreditur, & quicquid iustè ac rectè operatur in fide facit. *Iustus enim ex fide viuit*, id est, vita ac salus hominis iusti ex fide, id est, sine fide esse non potest. Sic enim licet dicere: ex pane viuit homo, quia non sine pane: non tamen ex solo pane. Hoc sensu iustum ex fide viuere, multis in locis docet Augustinus: in lib. de perfectione iustitiæ, & de sermone Dom. in monte, & contra 2. epist. Pelag. Vbi ait: *Catholica fides iustos ab iniustis non lege operum, sed ipsa lege fidei discreuit, quia iustus ex fide viuit: per quam discretionem fit vt homo ducens vitam sine crimine, cum suis tamen velut laudabilibus moribus si in Deum rectam fidem & Catholicam non teneat, ex hac vita damnandus abscedat, alius habens quidem opera bona ex fide recta, non tamen vt ille benè moratus, saluandus emigret, propter rectam fidem, quæ illi est in Deum, ex qua iustus viuit.* Hæc ille. Sic iustus ex fide viuit, & fides nos saluos facit, quia nulla operum iustitia quæ ad vitam æternam valeat, nulla salus sine fide esse potest. Alio sensu, *Iustus ex fide viuit, quia in lege nemo iustificatur*, id est, vita iusti est ex gratia, quam fides implorat, non ex sola doctrina legis: vt hæc verba exponit Aug. ser. 15. de verb. Apost. & cont. 2. ep. Pelag. Tertius sensus est ad D Hebr. 10. Iustus meus ex fide viuit, id est, non ex præsentibus bonis, sed ex fide futurorum. Vnde statim Apost. definit fidem non qua impius iustificatur sed hominis iam iustificati, quæ habet pro obiecto res speratas, & respicit Deum vt remuneratorem in futuro, & adiutorem in præsenti, vt exponit Aug. in l. de Spiritu & lit. & de ciuit. Dei l. 19. Tot etiam modis fides nos saluos facit. Primum quia sine fide nulla salus. Secundo, quia ex gratia Christi omnes saluantur, non ex sola legis doctrina aut qualicunque obseruatione. Tertio, fides quæ sperat & expectat futura, saluat credentes, quia spe salui facti sumus, quam fides sustentat vt columnam basis iuxta Apostoli metaphoram. Gal. 5. Li. 3. c. 1. Cap. 3. Cap. 4.

A

Videns fidem illorum.

Aliena fides prodest ad salutem Matt.8.

LOcus appositus docendi populum contra hæreticos horum temporum fidem & deuotionem aliorum nobis plurimum prodesse, quod directè militat contra illorum solam fidem saluantem & iustificantem. Centurionis fides profuit puero eius paralytico ad eum sanandum. Chananęæ fides sanauit filiam suam. Archysinagogi fides requiritur vt filia eius curetur. Et hic aliorum fides sanauit paralyticum, adeoque peccatorum remissionem obtinuit, non quidē per formam meriti aut causæ necessariæ, sed per modum suffragij. Egregiè de hac aliorū fide Cyrillus Hierosolymitanus. *Tantam habet virtutem fides, vt non solum ille qui credit saluetur, sed etiā aliis credentibus alij saluentur. Non erat fidelis ille paralyticus in Capharnaū, sed qui ferebant illum & per tectum funibus demittebant, illi credebant. Et ne me putes illum accusare, Euangelium ipsum dicit, Videns Iesus fidem non illius, sed illorum, &c. Illi qui ferebant credebant, & paralyticus potitus est salute.* Hæc ille. Sic D. Hieronymus & Ioannes Episcopus à Diuo Thoma in Catena citatus, hunc Matthæi locum explanant. Sic per fidem sororis resuscitatus est Lazarus. Quum enim Martha nonnihil dubitare & diffidere cœpit, dicens, *Domine iam fœtet: quatriduanus est*, respondet ei Christus, *Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Ioannis Episcopi verba sunt. *Quantum apud Deum valet fides propria apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra sanaret hominem?* Idem censet circa hoc factum Ambrosius. *Magnus* (inquit) *Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis, & dum alios probat, aliis relaxat errata.* Quæ tamen omnia non ita sunt intelligenda, vt absque propria fide adultus aliquis saluetur, sed quod aliena fide & deuotione alius interdum saluatur, quia aliena fides impetrat ei fidem qua saluetur, (quod Paulo impetrasse Stephanum aliqui doctores putant) & aliena deuotio atque oratio impetrat alteri gratiam qua credat, & diligat Deum, impetrat inquam, non meretur. Nam vt mereri vel sibi vel alteri primam gratiam nemo potest, ita eundem alteri impetrare nulla Scriptura contradicit. Certè Aug. manifestè id docet. *Si qui* (inquit) *sunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur: & accipiant gratiam, qua fiant electi.* Et alio in loco. *Deus vt omnia futura sua in prædestinatione præsciuerit sic illa disposuit, vt quosdam non credentes ad fidem suam orationes credentium pro eis exaudiendo conuertat:* quod ex publicis Eccl. orationibus confirmat, in quibus pro infidelibus oratur. Denique Paulus apertè iubet 1. Tim. 1. *Obsecrationes & orationes fieri pro omnibus hominibus: Deo enim hoc acceptum esse, qui vult omnes homines ad cognitionem veritatis peruenire*: nempe per orationes fidelium.

Thomas in Catena.

Ioan.11.

Lib.5 in Lucam.

Aug. epist. 207. & de bono perseuerantiæ c.22.

B

C

Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem remittendi peccata super terram.

Remissio peccatorū in Ecclesia Ioan.20.

LOcus ostendendi contra hæreticos nostri temporis potestatem remittendi peccata in Ecclesia esse relictam, eosque hanc potestatem negantes his Pharisæis esse persimiles. Quam enim Christus vt homo potestatem à patre habuit remittendi peccata in terris, eandem prorsus Apostolis suis eorumque in Ecclesia successoribus dedit, dicens eis. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remissa sunt, &c.* Iudæi autem dicunt Christum blasphemare, quia dixerat paralytico, *Remittuntur tibi peccata tua.* Hęretici tantundem de Ecclesia dicunt, quod & ipsa blasphemet dicens in sacramento pœnitentiæ, *Ego te absoluo, &c.* Non propter formam verborum diuersam (quum nec ad certam formam Christus alligari debuit, nec re vera aliud significet forma verborum quam Ecclesia tenet, quàm verba Christi significabant, nempe quod ipse remitteret peccata, vt satis intellexerunt Pharisęi, nec illum eorum intellectum Christus reprehendit) sed quia solam declarationem factæ remissionis, non autem veram aliquam remissionem ab Ecclesia fieri pernegant, sed de vera ac efficaci peccatorum remissione per Ecclesiam facta. vide supra in alia Dominica. Mendaces solum hæreticorum calumnię sunt hoc loco repellendæ. Aiunt Ecclesiam quod solius Dei est sibi arrogare, dicente Propheta. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas.* Ad hoc respondę, quod patres, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, respondent, verbis super citatis. Aiūt nos vrgere quod est impossibile, omnium peccatorum recitationem. Mentiuntur. Recitatio requiritur eorum quorum meminisse possumus debita adhibita diligentia. Aiunt hanc debitam diligentiam infinitos scrupulos cōscientiæ inijcere semper dubitanti an debitam adhibuerit. Respondę. Christus iubet vigilare, iubet orare. Sed quis nouit quando debitè hoc fecit, & vt oportuit? Cæterum nec Christus propterea, nec Ecclesia scrupos & laqueos conscientiæ iniicit, sed homines ratione præditos & pietate imbutos monet, vt piè ac rationabiliter vtrumque prętent: reliquos defectus, tum hic, tum in aliis officiis Dei misericordiæ per Christum relinquendo. Aiunt nos negare cæli ingressum, si quis confiteri negligat, vt à sacerdote soluatur. Resp. Si neglectus ille merus cōtemptus fiat, verissimum est, quia claues à Christo datas contemnit. Si negligentiam intelligunt ex necessitate indictam, mentiuntur. Obiiciunt scire sacerdotem non posse an verè eum pœniteat

Dominica in Albis.

1. *Esai.43. Dom.in Albis.*

2.

3. *Caluini calumniæ mendaces. Institut. li.3.c.4.*

4.

5.

D

qui

A qui confitetur, ideoque nescire an absoluat: & per consequens rem incertam facere. Respondeo primum si hoc argumentum valet, ergo neque Ministri hæretici possunt declarare absolutos, sicut illi docent. Nesciunt enim an verè Deus illos absoluerit. Deinde resp. sensum horum verborum, Ego te absoluo, hunc esse. Beneficium absolutionis tibi impendo, si ea indiges necdum satis contritus; vt in illis: *Ego te baptizo*, adultum scilicet si fictè non accedis.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Amice quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? Matt. 22.

B LOCVS euidens demonstrandi contra hæreticos nostri temporis necessitatem bonorum operum ad salutem æternam consequendam. Hæc enim vestis nuptialis, qua qui caruit mittitur in tenebras exteriores, id est ab æterna salute excidit, est ipsa charitas, bonorum operum mater & altera radix, vel est ipsorum bonorum operum aggregatio & mandatorum obseruatio. Hoc ita se habere, & euidenti demonstratione ex contextu præsentis Euangelii petita, & ex aliis scripturis, ac demum ex authoritate veterum interpretum probatur. Ex contextu hoc patet, quia quatuor hominum genera hæc parabola proponit. Primum genus eorum est, qui vocati & inuitati ad nuptias cœlestes, *Nolebant venire*. Hi sunt Iudæi, per primos seruos, id est prophetas, ad Christi Mediatoris fidem vocati, inuitati, edocti. Secundum genus eorum est, qui per alios seruos, id est Apostolos, & eorum successores vocati ad nuptias, id est ad Ecclesiã & fidem Christi, partim neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam, id est prædicantibus Apostolis propter mũdi amorem Christianam religionem, quæ mundi contemptum docet, amplecti noluerunt, vt plurimæ gentes vel ex gentilibus plurimi fecerunt, partim tenuerunt seruos eius & contumeliis affectos occiderunt &c. quales erant per multas ætates persecutores religionis Christianæ. Tertium genus eorum est qui venerunt ad nuptias & discubuerunt, id est per fidem & sacramenta Ecclesiæ Christianæ membra se profitebantur. Quartum genus in isto designatur, qui etsi discumberet & amicus esset, etsi fidem amplexus, & Ecclesiæ incorporatus ad Christi corpus mysticum pertineret, tamen carebat veste nuptiali, id est ornamento aliquo præter fidem necessario. Fide enim ipsa & professione Christiana si caruisset, ad nuptias agni nunquam in-
C gressus fuisset, & multominus discubuisset, id est sacramentorum particeps effectus non esset. Docet ergo ipse contextus euidenter vestem nuptialem hoc loco, non ipsam fidem, vt hæretici volunt, sed hominis iam per fidem in Ecclesiam recepti, aliquod ornamentum, & indumentum necessarium significare. Iam verò quale hoc sit indumentum necessarium, quæ sit hæc vestis nuptialis necessario requisita, (quippe sine qua in tenebras proiicitur exteriores) apertè & disertè aliæ scripturæ nos docent. Sic enim in Apocalypsi legimus. *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi* (id est vxori Agni quæ est Ecclesia) *vt cooperiat se byssino splendenti & candido.* Hæc est vestis sponsæ, vestis nuptialis totius Ecclesiæ militantis. Sed vide quid per hanc vestem significetur. Sequitur. *Byssinũ enim iustificationes sunt Sanctorum.* Hæ iustificationes sunt bona opera Sanctorum, & mandata Dei à Sanctis, id est, à fidelibus obseruata, iuxta phrasim Scripturæ. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* De Zacharia & Elizabeth dicitur. *Erant iusti ambo ante Deum credentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* De hac veste nuptiali dixit Apostolus. *In hoc ingemiscimus superindui cupientes, si tamen vestiti & non nudi inueniamur.* De credentibus loquitur, quos nudos bonis operibus esse non vult. Alioqui qui de sola fide iactitat, vt hodie hæretici, dicentes solam fidem esse amplissimas diuitias, edocti videlicet à Luthero, cuius hæc sunt verba: *Tam diues est homo baptizatus, vt etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere*: audiat illud Ioannis in Apocalypsi. *Dicis quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurũ ignitu probatum,* (id est, feruentem charitatem) *vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* Est ergo vestis nuptialis, vestis fideli Christiano propria, vestis ad salutem
D necessaria, ipsa charitas seu bonorum operum aggregatio. Est autem nuditas & confusio solius fidei hæretica hodie prædicatio. Sic huic Euangelio cęteræ Scripturæ conformes sunt. Sic autem & SS. Patres hunc locum semper intellexerunt. Gregorius sic scribit. *Quid debemus intelligere per vestem nuptialem, nisi charitatem, quia hanc in se Dominus habuit, quum ad sociandæ sibi Ecclesiæ nuptias veniret?* Hilarius sic exponit. Vestis *nuptialis est gratia Spiritus sancti & candor habitus cælestis, qui bonæ interrogationis confessioni* (in baptismo) *susceptus integer est reseruandus.* Alludit ad candidam innocentiæ vestem in baptismo susceptam, & abrenunciationem eodem tempore factam. Hieronymus sic hunc locum interpretatur. *Vestis nuptialis præcepta sunt Domini, & opera quæ complentur ex lege & Euangelio, nouique hominis efficimur vestimentum, quod qui in die iudicij inuentus fuerit*

Bonorum operum necessitas.

Vestis nuptialis est charitas.

Cap. 19.

Psal. 118. Luc. 1.

In lib. de cap. Babyl. Apoc. 3.

Hom. 38. in Euang.

Can. 22. in Matt.

In comm. ad hunc locum.

sub nomine Christiano non habere, statim corripitur, &c. Origenes eodem modo intelligit : *Non solum reiectus est à naptiis, sed ligatur, &c. Qui nullum opus bonum impleuit condemnatus in loco ab omni lumine alieno.* Monendus diligenter populus, vt horum Patrum antiquissimorum & doctissimorum expositiones potius audiat, quàm nouas horum temporum corruptelas, contra & ipsius Euangelii euidentem contextum, & aliarum Scripturarum sensum conformem. A

Tract. 20. in Matt.

Sanè vnus Caluinus hunc locum exponens in omnem se partem versat, variaque pertentat, ne vllam bonorum operum necessitatem ingenuè & apertè profiteatur: aut solius iustificantis fidei naufragium ante oculos positum videre, & agnoscere cogatur. Totam eius explicationem subiiciam. *De veste* (inquit) *nuptiali frustra certatur, sitne fides an sancta & pia vita: quia neque fides à bonis operibus separari potest, & bona opera non nisi ex fide procedunt.* Hæc est prima tergiuersatio, & superbi hæretici inanis lucta: demus enim fidem à bonis operibus separari non posse. Quod tamen falsitatis ac dementiæ plenum esse plurimæ Scripturæ docent, vt suis in Paulum locis docebimus. Verum sit quod verum est, bona opera non nisi ex fide procedere. An propterea frustra quæritur de veste nuptiali hoc loco, sitne fides an sancta & pia vita? Ad posterius quod attinet, expeditum & clarum est, tametsi ex fide bona opera procedunt, sicut ex radice fructus, tamen sicuti radix frequentissimè caret fructu, sic fides carere potest operibus bonis, ideoque data fide, non sequi bona opera. Vnde merito hoc loco quæritur, an hæc vestis nuptialis fuerit radix, an fructus, fuerit fides, an vitæ puritas. Sed ad prius quod attinet, eo quidem concesso à nobis, quod concedere opus non est, nec nisi vberioris disputationis causa, & vt maior reluctantis hæretici absurditas eluceseat, concedimus, probabilior videri potest Caluini assertio, sed falsa nihilominus, & absurda est. Tametsi enim fides à bona vita separari non posset, tamen quum negari nequeat quod res sunt inter se distinctæ credere & operari, sicut radix à fructibus distincta est, etsi talis radix esset, quæ semper germinaret, merito queri potest, an vestis nuptialis hoc loco fidem ipsam significet, an vitæ puritatem, radicem, an fructum. Tametsi inquam, inseparabilia concedimus, tamen diuersa & distincta esse nec ipse Caluinus negabit. Hominem & risibilem esse inseparabilia sunt, & ex principiis speciei humanæ profluit, quod homo solus risibilis sit, sicut ex fide promanant opera verè & coram Deo bona. Distincta nihilominus sunt homo & risibile. Illud enim naturam, hoc accidens designat. Vnde non quicquid tribuitur homini hoc etiam risibili quatenus tali tribuendum. Quum ergo distincta & diuersa sint fides & vitæ puritas, esto inseparabilia sint, tamen non quicquid vni tribuitur, idem tribuitur alteri, nec defectus vnius est defectus alterius. Pone inquam, vno deficiente alterum deficere, & vbi primum cessat fides cessare opus bonum, & è contra. Alia tamen & distincta peccata sunt, suasque habent distinctas pœnas in Dei iudicio, non credere promissionibus Dei (vt in sensu Caluini de fide loquamur) & non diligere proximum, vel alio quocunque modo contra secúdam tabulam delinquere. Sicut ergo distincta virtus est fides à vitę puritate, & distinctum peccatum est, non credere promissionibus Dei, & non facere quæ Deus iubet, sic increpante nos Deo, quod vestem nuptialem non habemus, merito quæri potest, an hæc increpatio defectum fidei, vel defectum charitatis notet, & an ipsa vestis nuptialis sit ipsa fides, an charitas fidei adiuncta.

In harm. Euang. ad Mat. c. 22. Vestis nuptialis quid significet merito quæritur

B

Præterea eo magis hæc necessaria quæstio est ; quia tametsi hæretici velint fidem à bonis operibus separari non posse, & vtrumque in eo qui saluantur adesse affirment, tamen salutem aiunt ex vna fide pendere, non ex bonis operibus, quæ nihil aliud quàm notæ & testimonia sint præsentis fidei: sicut fructus notæ & argumenta sunt viuentis arboris. Hoc enim ita constituto, tametsi demus fidē & bona opera nō separari, tamē quia in hac Scriptura increpatur & damnatur à Deo Iudice, qui veste nuptiali caruit, meritissimè quæritur, vtrum hæc vestis nuptialis fidē significet, an bona opera: vt ita videlicet intelligamus, vtri damnatio inflicta fuerit, an fidei defectui, & quia non credidit, an potius bonorum operum defectui, & quia nullis bonis operibus vestitus fuit. Frustra ergo Caluinus hanc quæstionem fugit, in qua se causa casurum facilè prę-

C

Caluinus quæstionē fugit, in qua se causa cadere vidit.

uidebat. Vestis quippè nuptialis nomine ipsam charitatem & bonorum operum studium ac vitæ puritatem necessario intelligi, tum parabolæ ipsius tota connexio, tum aliæ Scripturæ, tum veterum Patrum consentientes sententię luculenter probant, sicut iam satis probatum & olim explicatum dedimus. Quod autem frustra, & inaniter, etsi callidè & veteratoriè, hanc quæstionem fugit Caluinus, familiari exemplo docebo. Pone me aliquem interrogare: Quomodo huc intrasti nihil videns? Quamuis enim certum sit vt homo videat varia requiri, oculi bonitatem, medium dispositum, ac lumen, & hæc non sepatari in eo qui videt, merito tamen quæri potest, quo sensu interrogauerim, cur nihil videns ingressus sit, an quia cęcus omnino erat, aut oculis læsus, an quia lumine caruit; an etiam quia nec cæcus, nec læsus, nec lumine carens, casu tamen aut vi aliqua iniecta videre non potuerit, sed idcirco Caluinus quærere noluit, ne quærendo aut apertam veritatem negare, & iustissimæ reprehensioni patere, aut ipsam veritatem, suæque solius fidei apertum ante oculos naufragium conspicere & deplorare cogeretur. Omnes igitur veteres interpretes quærunt, & quærendo concludunt vestis nuptialis nomine ipsam bonorum operum vestem, qua indutus, & ornatus esse debet, qui in Christum credit, significari, qua qui caret, & quia illa caret, proiicietur in tenebras exteriores.

Præterea si fides à bonis operibus separari nō potest, ideoq; frustra quæritur, sitne hæc vestis

nuptialis

A nuptialis fides,an pia sanctaque vita,de vtroque igitur loquetur Christus, & vtrumque significabit vestis nuptialis. Si vtrumque significat,ergò vtrumque ad salutem necessarium est. Hac enim veste nuptiali qui caret,id est,illo vtroque qui caret, qui inquam fide & bonis operibus caret (separari enim ista non possunt) *ille ligatis manibus ac pedibus proijcitur in tenebras exteriores.* Pręclarè igitur Caluinus suam solam saluificam fidem tutatus est. Præclarè bonorum operum necessitatem, quam ex hac veste nuptiali iam necessaria colligunt inuictè Catholici, remouit. Dum enim de neutra quæri vult, vtramque posuit, vtramque stabiliuit. Sic iterum concesso eo quod falsissimè ponit, nihil contra orthodoxam sententiam, sed totum contra insanas suas hæreses concluſit. Videamus quæ in eo sequuntur. *Caluinus à seipso refutatur.*

Subiungit quid Christus hac interrogatione dicere voluerit. *Christus* (inquit) *hoc tantum voluit, hac lege nos à Domino vocari, vt spiritu renouemur in eius imaginem, ideoque vt perpetuo domi eius maneamus, veterem hominem cum suis inquinamentis exuendum esse, ac meditandum nouam vitam, vt vestitus tam honorificæ vocationi respondeat.* Hæc ille. Notanda fraudulenta doctrina. Ait quidem exigi his verbis à Christo totius vitæ puritatem & sanctitatem (hoc est enim *Spiritu renouari in imaginem Christi, & exuere veterem hominem cum inquinamentis suis*) sed ideo exigi, *vt vestitus talis tam honorificæ vocationi respondeat*, id est, non quia talis vestitus sit ad salutem necessarius, sed quia cõgruum *Caluini fraudulenta doctrina*

B est filios Dei per adoptionem gratuitam factos, piam ac sanctam vitã ducere Filiis Dei dignam, & *quæ tam honorificæ vocationi respondeat.* Hoc enim totum est, quod hæretici hodie vitæ puritati ac sanctitati tribuere volunt, vt bona opera sint quidem Christianis hominibus digna, sint notæ & signa fidei ac vocationis nostræ, sint opera quædam Eucharistica, vt ostẽdamus nos non ingratos esse gratuitæ iustificationi nostræ per Christum: sed nullo modo esse ad salutem & iustitiam necessaria, aut quæ nos coram Deo iustos & gratos faciant, vel denique vt ex eis iustificemur aut saluemur. Atqui totum hoc pestilentissimum eorum commentum hic vnus locus subuertit; qui *vestem nuptialem*, quam ipse iam Caluinus ponit in totius vitæ puritate, videl. in renouatione spirituali, & in veteris hominis dispositione, non solum *vt vestitum honorificæ nostræ vocationi respondentem*, quod solum Caluinus hoc loco dicit, hunc fucum lectori faciens, vt vitæ sanctitati aliquid magnum tribuere videretur, sed præterea vt vestitum penitus ad salutem necessarium: quando qui eo caruit, hoc ipso nomine *proijcitur in tenebras exteriores.*

Vidit hanc huius loci consequentiam, & hanc difficultatem Caluinus, vidit priorem fucum non penitus satisfacere nasuto & cordato lectori. Sibi igitur hanc difficultatem mouet, subiũgens. *Sed quæritur, qui conueniat mendicum atroci pœna mulctari, quia nuptialem vestem non attulerit, quasi vero nouum sit miseros qui victum in compitis quæritant laceros ac deformes conspici.* Proponit vafer hæ-

C reticus quæstionem, quasi de mendico & corporali amictu ageretur, non autem de vocato ex gentibus ad fidem, adeoque iam in conuiuio nuptiali discumbente, id est credente & in sacramentis participante, ideoque non fide tantum, sed & bonis operibus (separari enim ista possunt iuxta Caluinum) aut induto aut certè induendo. De isto enim certè quæritur cur tã atroci pœna mulctatur, si bonorum operum vestis ad salutem necessaria non est. *Respondeo* (ait Caluinus) *hic non tractari vnde vestis petenda sit.* Neque id hoc loco quæritur vnde vestis hæc petenda sit, sed quare hæc vestis tam rigidè exigitur, vt ea qui caret, *proijciatur in tenebras exteriores.* Declinat improbus hæreticus, & fugit verum statum quæstionis. *Caluinus statum quæstionis declinat.*

Pergamus tamen, & totam eius responsionem audiamus. *Nam Dominus* (inquit) *quoscunque inuitat simul etiam vestit: ac in omnibus impletur, quod dicit Ezechiel* 16. 7. (vbi videlicet indumẽta bonorum operum, & dona gratiæ Dei præclarè explicantur) *quum nihil Deus inueniat in nobis præter miseram nuditatem & fœtidas sordes, ornare nos splendido vestitu. Scimus etiam non aliter reformari nos in imaginem Dei, nisi dum Christum induimus.* Hæc omnia vera sunt, quia vestis nuptialis, quæ hic desideratur, tametsi nostra sit, nosque ea indui oportet, non tamen ex nobis est, sed ex multiformi gratia Dei. Sed hoc totum huic quęstioni adhuc παρεργον est: & nihil ad rem præsentem pertinet. Concludit tamen statim Caluinus: *Non ergo pronunciat Christus, eiectum iri miseros homines qui pre-*

D *tiosam vestem ex arca sua depromptã non attulerint: sed qui reperti fuerint in suis sordibus, vbi Deus ad examen de conuiuis suis habendum aduenit.* Duo dicit Caluinus in hac cõclusione, quorum prius nihil ad præsentẽ causam facit, posterius etsi timidè ac parcè prolatũ, ad causam tamen obtinendam contra Caluinũ sufficit. Verũ quidem est, non id Christum hoc loco pronũciare vt omnes dãnentur, qui ex propriis naturæ suæ viribus, fidem & bona opera non habent, neq; ea de re vlla hic vertitur quæstio. Cæterum id agit Christus, quod tandem ægrè agnoscit Caluinus, *quando Deus ad examen de suis conuiuis habendũ aduenit* (siue id in iudicio cuiusq; particulari & mortis articulo fiat, siue (quod probabilius est) in iudicio omnium generali) *illos eiectum iri in tenebras exteriores, qui in suis sordibus reperti fuerint*, id est, qui in peccatis suis (à quibus semel purgati per baptismũ, Christum in eo induti fuerint) adhuc reperiantur, abiecta stola prima in baptismo accepta, nec per pœnitentiam recepta, vt ille filius prodigus mediante pœnitentia à Patre misericordiarum recepit, dicente Patre: *Cito proferte illi stolam primam, &c.* id est, quam prius in baptismo acceperat, vt præclarè docet Sanctus Basilius in homilia de pœnitentia. Summa ergo disputationis Caluinianæ est, quod ad tantam lucem verborum Christi attonitus, primum de veste nuptiali quæri non vult, fidemne an bona opera significet, deinde bona opera pro honore vocationis nostræ requiri non inficiatur, sed ne ad salutem necessaria videantur (quod hæc *Luca 15. Caluini tergiuersationes contra apertam veritatem.*

veſtis nuptialis tam vehementer neceſſaria inuictè conuincit) nouam quæſtionem proponit,nõ ideo damnari homines,quod hanc veſtem ex ſua arca non depromant,ægrè tandem vno minimo verbo agnoſcit,*homines in ſuis ſordibus repertos damnari*.De veſte nuptiali,qualis illa ſit,quàm ad ſalutem neceſſaria, perfidus interpres nihil apertè dicit,ſed implicata illa & varia diſputatione tenebras & caliginem veritati offundere ſtuduit. Exemplo eſſe poteſt hæc vna Caluini tergiuerſatio,quàm perfida & cauteriata conſcientia Scripturas tractent noſtrorum temporum hæretici,ſed omnium maximè Caluinus ipſe. A

Reliqui tenuerunt ſeruos eius,& contumeliis affectos occiderunt.

LOcus de acerba hæreticorum perſecutione,quem vide tractatum in Prompt. Morali hac Dom.tex.6.

Rex cum audiſſet,iratus eſt,&c.

LOcus de pœna perſequentium hæreticorum,iuſtaque in eos Dei vindicta, quem vide tractatum ibid.tex.7. B

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Ioan.4. *Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus,& ibat,&c. Et paulo poſt. Et credidit ipſe & domus eius tota.*

Contra vnicam electorum fidem. Inſti.li.3. ca.2.

LOCVS idoneus oſtendendi contra Caluinum eiuſque ſectatores, qui niſi vnicam electorum fidem agnoſcunt, eamque perfectam, atque indelebilem fidem ſua habere initia,progreſſus & incrementa,ideoque nec vnicam eſſe,ſed augeri poſſe,nec ſemper perfectam, ſed aliquando infirmam eſſe,nec denique ſic indelebilem eſſe, Caluinus de ſua vnica & indelebili fide ſic ſcribit.*Vnicam piorum fidem agnoſcimus.Solos electos Deus ſemine incorruptibili in perpetuum generat,& ſolide in illis obſignat adoptionis ſuæ gratiam. Et quia Spiritus Dei certa in illis archa eſt ac ſigillum ſuæ adoptionis; nunquam ex eorum cordibus deleri poteſt eius ſculptura.* Et paulo poſt:*Vbi primum vel minima fidei gutta mentibus noſtris inſtillatur, iam faciem Dei placidam & ſerenam nobiſque propitiam contemplari incipimus, procul quidem & eminus, ſed ita certo intuitu,vt ſciamus nos minime hallucinari.* Hæc tota nouella & hæretica doctrina in præſenti Euangelio ſubuertitur. Regulus enim iſte,qui pro filio ſuo apud Chriſtum interceſsit,in primo ſuo congreſſu cum Chriſto,rogat eum *deſcendere prius quàm moriatur filius eius*: ex quibus eius verbis *apertè cognoſcimus* (ait Sanctus Gregorius) *quod in fide dubitauit.Minus enim in illum credidit,quàm par erat,quem non putauit poſſe ſalutem dare niſi præſens eſſet & corpore.* Sic & Chryſoſt. *Iſte adhuc imperfectus erat, & nondum nouerat manifeſte quod Chriſtus abſens curare poterat.* Poſtea dicente ei Chriſto, *Vade filius tuus viuit,credidit homo ſermoni,& ibat.* Hic auctior facta eſt eius fides, vt etiam abſentem ſanare poſſe crederet.*Non tamen integrè,neque ſanè,* ait Chryſoſtom. Quare rurſum occurrentibus ei ſeruis. *Rogat horam ab eis in qua melius habuerit. Volebat enim ſcire* (ait Chryſoſt.) *vtrum caſu vel ex præcepto Chriſti hoc factum eſſet.* Vnde ſequitur.*Cognouit ergo Pater quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus,filius tuus viuit.Et credidit ipſe,& domus eius tota.Si ergo propterea credidit* (ait in hunc locum Auguſt.) *quia nunciatum eſt ei quod filius eius eſſet ſanus,quando rogabat,nondum credebat.Vnde datur intelligi* (ait Beda) *in fide gradus eſſe,ſicut in aliis virtutibus,quibus eſt initium,incrementum atque perfectio.Huius ergo fides initium habuit quum filij ſalutem petijt:incrementum,dum credidit ſermoni Domini: perfectionem nunciantibus ſeruis.* Hæc Beda.Si ergo fides etiam Chriſto non ingrata (ſi enim diſplicuiſſet,aut nulla,aut mala fuiſſet,qualis erat ſuorum vbi natus erat incredulitas,hoc miraculum non feciſſet,ſicut in patria ſua propter incredulitatem facere noluit) augetur & perficitur, certè nec vnica electorum,nec ſemper perfecta eſt fides,vt Caluinus dogmatizat, ad ſuam certitudinem gratię ponendam, ſed infirma, & modica,& auctior ſubinde eſt : vt ex hoc Reguli exemplo SS.Patres citati diligenter docuerunt. C D

Hom.28. in Euang. Hom.34. in Ioan.

Tract.16. in Ioan. In comm. in hunc locum. Marc.6.

DOMINICA

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Matt. 18.

EVCVS inuictus & euidentissimus ad confutandam pestilentem hæreticorum hodie doctrinam, qua sustinent bona opera nō esse ad salutem æternam necessaria: qua item asserunt & defendunt, tum principem iustificationem quam vocant, id est, primam reconciliationem nostram cum Deo, qua ex impio fit iustus) tum etiam ipsam beatitudinem æternam, sic ex sola fide nobis à Deo conferri, vt illa sola sit ad hæc duo necessaria, charitas autem reliquaque bona opera, nec ad prius, nec ad posterius sit absolutè necessaria. Nam hic docet Christus Dominus verbis clarissimis, nullam peccatorum remissionem consequi, id est, nec iustos, nec beatos nos esse posse, absque fraterna dilectione. Docet fore vt Pater noster cælestis omne à nobis vetus debitum reposcat, id est, peccata vel non remittat, vel remissa reuocet, & gratiam semel factam rescindat, si nos confratribus nostris ex toto corde non remittimus, si veram & sinceram dilectionem fraternam non retinemus. Est ergo fraterna dilectio prorsus necessaria ad peccatorum remissionem consequendam. Nec Christi sanguis pro nobis effusus, nec fides in mediatorem & propitiatorem Christum, quicquam nobis ad salutem proderit, si fraterno odio laboramus. Nulla erit remissio peccatorum, vtcumque fide promissiones Christi apprehēdamus, nisi ex cordibus nostris vnusquisque fratri suo remittat. Sicut in Deum credere, & Christum propitiatorem pro peccatis nostris fide complecti debemus, sic omnino & Deum & proximum diligere oportet. Vtrumque est æquè ad salutem necessarium. Sicut de fide dictum est, *Sine fide est impossibile placere Deo*, sic de charitate dictum est. *Qui non diligit me, manet in morte.* Vtrumque Spiritus S. dixit: Vtrumque æquè à nobis credendum est. Nec hæretici solam fidem, nec nos solam charitatem, aut solа bona opera, vrgere debemus. Nec fides meretur remissionem peccatorum, nec charitas: sed vtraque est necessaria dispositio ipsius peccatoris. Beatitudinem æternam nec fides sine operibus meretur, nec opera sine fide. Nam vt de fide dictum est. *Iustus ex fide viuit*: sic de bonis operibus dictum est. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Sicut de fide dictum est, *qui non crediderit, condemnabitur*: sic de carnis mortificatione dictum est. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Tota scriptura æquè clarè bonorum operum necessitatem pronuntiat, & proclamat atque ipsius fidei. Fingunt hoc loco hæretici ad hanc dilectionem fraternam, ignoscentiam & condonationem offensionum proximi, gratitudinis ergo tantum obstrictos nos esse, non autem alia necessitate. Sed inepti cauillatores non vident, eadem ratione dici posse, fidem quoque, sine qua peccatorum remissionem non consequimur, gratitudinis tantum ergo Deum à nobis requirere. Sic videlicet Deum per Christum nobis omnia remittere, vt per modum tamen gratitudinis credere in eum debeamus, eiusque promissiones fiducialiter amplecti. Quod si vero absurdissimum hoc illis videtur, vt & reuera est, quare eandem absurditatem non vident in dilectione fraterna? De fide & dilectione eodem modo Scriptura loquitur. Vtramque eadem verborum forma commendat, exigit, iubet. Quare ergo nō eādem vtriusque necessitatem, & vim agnoscunt? Sola est peruersitas & prauitas hęretica, sola pertinacia & animositas, qua volunt suam solam fidem semel à Luthero temere assertam, perpetuo sustinere & defendere, quæ ad hanc eos dementiam impellit. Instruendus ergo populus fidelis est contra fraudes & cauillationes hæreticorum, quibus hanc bonorum operum ad salutem necessitatem sic euidenter in Scripturis prædicatam impiè eludere conantur.

Contra solam fidem.

Dilectio fraterna necessaria ad salutem

Hebr. 11. *1. Ioan. 3.*

Rom. 1. *Matt. 19.* *Marc. 14.* *Rom. 8.*

Cauillationes hęretica diluuntur.

Dicit Flaccus Illyricus, & cum eo cæteri Protestantes, *coniungi quidem in Scripturis bona quædam opera cum conuersione & reconciliatione sequente, vt illud, Dimittite & dimittetur vobis* (quod huic parabolæ præsentis Euangelij conforme est) *sed non ita coniungi, vt illud huius propria ac vera causa sit, nec propter illud opus, puta fraternæ dilectionis, sed propter Christum reconciliationem cum Deo consequi. Alioqui nihil esse hoc aliud quàm Christum cum sua passione sepelire. Quare quum bonis operibus nimiū quidam effectus ac laudes* (sic enim loquitur ille hęreticus) *atque adeo ipsa salus in Scripturis tribuitur, iudicandum est hoc illis ascribi quod illis nequaquam conuenit, nec ascribendum est, si exactè, verè ac propriè loquendum est.* Hæc ille non minus impiè quam impudenter. Docendum igitur hoc loco quædam bona opera conuersionem nostram & reconciliationem cum Deo præcedentia, vt (verbi gratia) dilectionem fraternam in hoc Euangelio positam, esse verè & propriè causas nostrę cum Deo reconciliationis, sicut ipsa fides est, nempè dispositiuas seu præceptorias, adeoque ex hac parte necessarias, vt disertissimè Christus hic docet. Et blasphemum est dicere Scripturas sacras quando de bonorum operum necessitate, efficacia, digni-

In clauo Script. part. 2. tract. 6. tit. de varia bonorū operū prędicatione.

tate loquũtur, *nimiàs illis laudes tribuere, nec exactè, nec verè ac propriè loqui.* Hęc eſt ſcil. hæreticorũ hodie erga ſacrum Dei verbum reuerentia. Nempè vbi illorum placitis repugnant, falſa eſt, & imperita, & indocta, quia *nec verè, nec propriè, nec exactè loquitur.* Exaggeranda eſt diligenter apud populum hæc tam aperta improbitas, maximè quia videri volunt Dei verbi ſtrenui eſſe aſſertores. Quod ad rem ipſam attinet, bona opera, vt fides, dilectio Dei ac proximi, ſpes venię, pœnitentia, &c. ſunt veræ ac propriæ cauſæ reconciliationis noſtræ cum Deo, quia diſponentes cauſæ ſunt, non tamen ſolæ ſunt cauſæ quaſi Chriſtus excludatur, nec principales ac perfectæ cauſæ quaſi Chriſti paſſio euacuetur. Chriſti paſſio eſt cauſa efficiens & meritoria noſtræ reconciliationis. Chriſti paſſio eſt etiam cauſa meritoria, cur noſtræ prædictæ operationes ſint diſpoſitiuæ, vel diſponendi vim habeant ad reconciliationem, iuxta illud Apoſtoli. *Chriſtus per paſsionem conſummatus factus eſt cauſa ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi.* Id eſt, apud Deum meruit Chriſti paſſio, vt bona opera obedienter à fidelibus facta, & iuxta præcepta atque doctrinam Chriſti, valerent ad ſalutem. Nulla ethnicorum opera quantumcunque laudabilia ad ſalutem valẽt, non quidem diſponendo ad gratiam primam, quia etſi ex ſeipſis hoc habent, vt ſint ordinabilia ad Deum & referri ad eum poſſint, ideoque peccata non ſint, ſed veræ virtutes, licet imperfectæ, tamen non habent immediatum ordinem ad primam gratiam ſeu reconciliationem cum Deo, ſed intercedit inter habitualem gratiam & opus pure morale, opus ſpecialis gratiæ Dei, vt fides, dilectio, pœnitentia, ſeu dolor peccati, aliæque virtutes, quibus ad Deum conuertimur. Hæ igitur virtutes, quæ ex ſpeciali Dei gratia, & ex fide in Chriſtum fiunt, diſponunt ad iuſtitiam, cooperantur ad primam gratiam ſeu reconciliationem, præparant ad amicitiam Dei & ſalutem, non per ſe ſeorſim, ſed virtute & merito paſſionis Chriſti: quæ in illorum bonis operibus operatur, qui vel per fidem ad illum accedunt, vel etiam per ſacramentum baptiſmi illi iam incorporati ſunt, eiuſque membra facti. Sic dilectio fraterna & ignoſcentia mutua remiſſionem peccatorum (vt Chriſtus in hoc Euangelio docet) eſt cauſa neceſſaria, ſeu diſpoſitio neceſſaria, ſine qua nulla erit remiſſio quantumcunque in Chriſtum credat, eiuſque paſsionem fide apprehendat: quia videlicet ignoſcendo fratri, obtemperas Chriſto hoc te iubenti, & ille factus eſt *cauſa ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi.* Hoc perſpicuè & planè doceri populum conuenit, ne impoſturis hæreticorum decipiantur, vel ſub ſpecie & prætextu amplificãdæ paſsionis Chriſti, à bonorum operum neceſsitate fidelium animos ſatis per ſe ad peccatum proclines penitus auellant, & à pietatis ſtudio auulſos in omnem impietatem adeoque certæ perditionis barathrum præcipitent. Plura de hac bonorum operum ad ſalutem neceſsitate, maximè quoad primam conuerſionem & remiſsionem peccatorum conſequendam, vide in opuſculo noſtro de Iuſtificatione in prolegomenis lib. 5. prolegom. 1. lib. 6. ca. 9. & lib. 8. cap. 34.

Hæretici Scripturis illudunt.

Hebr. 5.

Hebr. 9.

A

B

C

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Matt. 22.

Mittentes diſcipulos ſuos cum Herodianis.

LOCVS contra hæreticos de mutua conſpiratione & ſyncretiſmo omniũ ſectarum contra Catholicam Eccleſiam: quem vide tractatum in Prompt. Morali in hac Domin. tex. 2. Sed lepidum eſt quod in ſimili Saducæorum facto (qui etiam ad tentandum Chriſtum aſſerunt) Caluinus id de Catholicis obſeruandum monet, quaſi præuentione vſus, quod contra ſe & ſuos optimo iure notandum eſſe aduertit. *Hic* (inquit) *videmus vt Satan impios omnes, quibus alioqui peſsimè inter ſe conuenit, ad oppugnandam Dei veritatem ſimul colligat. Nam quum duabus iſtis ſectis hoſtilis eſſet diſſentio* (Phariſæis & Sadducæis) *tamen aduerſus Chriſtũ conſpirãt. Ita hodie videmus omnes Satanæ copias, quãuis alioqui aliæ aliis contrariæ ſunt, vndique tamen in Chriſtum inſurgere.* Veriſsima hæc ſunt & in omnibus hodie hæreticis ac ſectariis, qui omnes vnanimiter contra Catholicam Doctrinam ſcriptitant, prædicant, verbo & calamo pugnant, veriſsimum hoc eſſe conſpicitur: quod & nos alio loco latius oſtendimus. Sed Caluinus ſcabiem ac turpitudinem ſuam ac ſuorum aliis affricare vult. Ait enim. *Et tam infeſto odio flagrant Papiſtæ contra Euangelium, vt Epicureos, Libertinos, & alia huiuſmodi portenta libenter foueant, modo ad aliud labefactandum vtantur his auditoribus.* Mutato nomine de te, deque tuis Caluine, fabula narratur. Epicurei & Libertini quos nominat Caluinus, quales homines ſint, aut quos illa nomina perſtringant, diuinandũ lectori relinquit. Quomodo Eccl. Cath. huiuſmodi portenta foueat, aut quomodo illis adiutorib. cõtra Caluiniſmũ, quem Euang. hic vocat Caluinus, Catholici vtantur, nihil explicat, nihil dicit. Sicuti doloſi verſantur ſemper in generalibus, & quum certa criminis ſpecies deficit, in genere debacchantur improbæ meretriculæ, ſic Caluinus hoc loco nec à maledicendo tẽperare ſibi potuit, quia improbus eſt, & non niſi in genere maledicere voluit, quia doloſus eſt. Clarum autem eſt, totiq; mundo notiſsimũ contra vnam Catholicam Eccleſiam

In Harmonia Euan. in Matt. c. 22. In Prompt. Mor. Dom. 22. poſt Pent. tex. 2.

Caluinus alios accuſat, vt ſuũ crimen tegat.

D

A Ecclesiam eiusque fidem sacrosanctam, antiquam, Apostolicam, omnes hodie quascunque se-
ctas, Caluinistas, Lutheranos, Anabaptistas & quosuis alios operosissimè scribere. In Anglia cō-
tra solos Catholicos, tam Caluinopapistæ vt à Puritanis vocantur, quam Puritani vt ab aliis
nuncupantur, persecutionem acerbissimam mouent, fouent, & accendunt. Cogimur in scriptis
nostris pro fide orthodoxa, modo Lutheranorum, modo Caluinistarum, modo Caluini, Bezæ,
Bullingeri, modo Chemnitij, Melāchthonis, Magdeburgensium argumenta soluere, maledictis
respondere, mendacia detegere. Nunc bonus Caluinus, ne hanc suam, & suorum turpitudi-
nem in hac Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum contra vnum Christum pugna
quisquam aspiceret auertit lectoris oculos ad vmbras quasdam à se confictas Episcoporum &
Libertinorum, qui vna cum Catholicis Principibus, Pastoribus ac Scriptoribus Caluini Caca-
gelion infesto odio persequuntur. Callidè quidem, sed crassius, quam vt vel à lippis oculis non
cernatur.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

LOcus necessarius explicandi contra hæreticos nostri temporis, maximè Anglocaluinistas, *Potestas*
B Brentianos & Helueticos quosdam dogmatistas, catholicam doctrinam, de distincta po- *Ecclesiasti-*
testate Ecclesiastica & politica, quam Christus hoc loco disertè docet, & prædicti hæretici ne- *ca ad reges*
fariè ac turpiter confundunt. Pharisæi sanè quum Christum viderent ea cum authoritate do- *non perti-*
centem, vt à suis Discipulis & auditoribus fidem & obedientiam exigeret, tentare eum volue- *net.*
runt, an sic authoritatem illam in rebus fidei ac religionis sibi vendicaret, vt etiam politicis se re-
bus immiscere ac politicæ potestati derogare vellet. Quibus ille sic respondet, vt non solū præ-
sentes Pharisæorum insidias eluderet, & regiam authoritatem in iis quæ ad Regem pertinent
disertè agnosceret, dicens. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, sed etiam contra futuros hæreticos
nos præmuniret, & spiritualem potestatem tam suam quam eorum quos missurus esset, à Re-
gia ac politica distinctam stabiliret, addens. *Et quæ sunt Dei Deo.* Id est, Cæsari tributum concedi- *Ioan. 19.*
te, mihi, *qui ex Deo veni vt testimonium perhibeam veritati*, aures & fidem præbete. Reddere enim
quæ sunt Dei Deo, est Dei vocem in iis quæ docet, quæ iubet, quæ præscribit audire, siue per
se, siue per Ecclesiam doceat, iubeat, præscribat. Dixit enim Apostolis suis & per eos perpetuis
Ecclesiæ pastoribus: *Qui vos audit, me audit. Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* At hodie hæretici *Luc. 10.*
prædicti Cæsari, id est, Regibus & Magistratibus non solum ea quæ eorum sunt, sed etiam ea
quæ Dei sunt reddere volunt. Sustinent enim Regum esse iudicare de fide, cognoscere de
C doctrina, discernere veros prophetas à falsis, instituere pastores & ministros verbi, de toto cul-
tu & politia Ecclesiastica leges ferre, denique (vt Anglocaluinistarum habet barbarum iura- *Anglocal-*
mentum) *Regem seu Reginam in omnibus causis Ecclesiasticis supremum esse caput, Gubernatorem seu Gu-* *uinistarum*
bernatricem non secus atque in politicis & temporalibus. In vtramque enim potestatem sub eadē ver- *fœdum iu-*
borum generalitate iuratur. *ramentum*

Docendus ergo hoc loco populus, hanc insanam & paralyticam hæresim ex hoc Christi ver-
bo luculēter confutari: sicuti etiam ante aliquot sæcula eadem Christi verba doctissimi & san-
ctissimi Patres intellexerunt, & contra hæreticos quosdam Imperatores, in rebus diuinis plus
quam par erat sibi arrogantes, protulerunt. Quo tempore Constantius Imperator Arianus S.
Athanasium Episcopum & doctorem maximè Catholicum, communibus Episcoporum suffra-
giis deponi vellet, & ad hanc animi sui libidinem explendam, Episcopos vehementer vrgeret,
atque inter cæteros Hosium Cordubensem Episcopum, virum maximæ tunc authoritatis, per *Apud Ata-*
litteras ad hoc tentaret, respondit ei in hæc verba Hosius. *Ne te misceas Imperator rebus Ecclesia-* *nasium in*
sticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ *Epi. ad so-*
sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum qui imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diui- *lit. vitam*
D *næ, ita & tu caue ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt* *agentes.*
Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo: Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum
& sacrorum potestatem habes imperator. Hæc quidem ob curam tuæ salutis scribo. Hæc Hosius, quem pa-
trem Episcoporum vocat Athanasius propter ætatem & confessionem illustrem sub Maximia-
no huius Constantii auo. Hæc eadem Christi verba contra Valentinianum Iuniorem à matre *Epist. 33.*
Iustinia hæresi Ariana infectum, & propterea in ciuitate Mediolanensi Ecclesias Arianis con- *ad sororem*
cedere volentem, profert doctissimus & sanctissimus Ambrosius. Sic enim ei respondit. *Noli te* *In Epist.*
grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt imperiale aliquod ius habere: Noli te extollere. Scriptum *vbi supra.*
est. Date quæ sunt Dei Deo, quæ Cæsaris sunt Cæsari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Eccle-
sia. Hæc ille. Certè Athanasius maximus ille Arianorum antagonista, tam indignè tulit Con-
stantij Ariani imperatoris arrogantiam de causis Episcoporum cognoscere volentis, vt eum
hoc nomine Antichristum vocet. *Quid hic* (ait) *quod Antichristi sit omisit? Siquidem iam de-*
nuo in locum Ecclesiasticæ cognitionis suum Palatium tribunal earum causarum constituit, seque ea-
rum litium summum principem & authorem facit. Et paulo post. *Quis videns eum in discernen-*
do principem se facere Episcoporum, & præsidere iudiciis Ecclesiasticis, non merito dicat illum eam
ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est? Nam quum circumamictus
sit Christianismo, & in loca sancta penetret, & inibi consistens deuastet Ecclesias, abrogans Ca-

nones, vt cogens vt sua obtineant: quis, inquam, audebit dicere, hoc tempus Christianis paratum esse, & non potius persecutionem esse à Daniele prædictam? Si hæc tunc temporis Athanasius, quanto hodie plura & acerbiora diceret: si Angliæ persecutionem & gubernantem in Ecclesia fœminam per suos κατασκόπους hoc est exploratores & vastatores potius quam Episcopos videret: Eundem Constantium huius arrogantiæ nomine (quam hodie sic defendunt Anglocalviniastæ, vt in eam iurare omnes cogant) Hilarius Galliarum decus, in lib. contra eundem, & Leontius Tripolitanus Episc. ac Martyr, apud Suidam accerrimè perstringunt. Vnde eorum verba, multaque alia huc pertinentia in opere nostro de Principiis fidei doctrinalibus lib. 5. capite 18. A

Iam vero ex his Christi verbis, *Reddite quæ sunt Dei Deo*, mirabile corollarium infert Caluinus, vt dexteri sunt hæretici (si scripturas tractandi potestas illis datur, à quo imprimis arceri debebant tanquam hospites & aduenæ, imo tanquam hostes & aduersarii fidei, iuxta antiquissimi Tertulliani saluberrimas præscriptiones) ad omnem scripturam in sensus suis placitis congruos detorquendi & obtorto collo pertrahendi. Ad hęc quippe verba sic scribit Caluinus. *Hoc discrimen tenendum est, quum Dominus ad regendas animas vnicus legislator esse velit* (ecce iam Christus *legislator*, erit, quum id Caluino commodum est, qui in eodem hoc suo commentario ad cap. 5. Matth. fortissimè id negauit, vt in parte Quadragesimali videre licet) *non aliunde eius colendi petendam esse regulam quàm ex ipsius verbo, atque in solo puroque cultu, qui illic præscribitur, manendum.* Hæc ille. Verbi Dei nomine semper scripturam & scriptum verbum intelligit Caluinus, licet apertè ita loqui nolit, vt absurda eius doctrina minus lectori pateat, & vt probabilius loqui videatur. At vero in his verbis. *Reddite quæ sunt Dei Deo*, nec de seipso Christus propriè ac distinctè loquitur, nec de verbo scripto intendit loqui, & omnium minimè de solo verbo Dei scripto Christus Iudęis & eorum prępositeræ superstitioni respondit, qui vt Caluinus ipse hoc loco commemorat, *violari ius Dei & læsa tus cultum existimabant, si quoad externam politiam Romanis parerent. Videtur igitur eorum hypocrisim perstringere, ac si dixisset. Valde soliciti estis, si tributum soluatur Romanis, ne quid ex Dei honore decedat. Atqui potius danda opera est, vt Deo cultum exhibeatis quem à vobis requirit: interea hominibus etiam reddatis quod suum est.* Hæc ipse Caluinus. Docet igitur Christus Iudæos his verbis, Deum esse purè ac sincerè colendum, eaque prestanda omnia, quæ ad Dei cultum atque obsequium spectant. Non docet hoc loco, vel ea omnia præstanda quæ ipse docet: multo minus quæ postea in scripturas Euangelicas, vel Apostolicas redigenda erant. Hæc quidem omnia vera sunt: sed hæc isto loco non docentur. Non esse autem aliunde petendam colendi Dei regulam quam ex solo Dei verbo eoque scripto, nec hic dicitur, nec ex Christi dictis vllo modo consequitur. Quę enim ista tandem consequentia est? *Date Deo quæ Dei sunt.* Ergo iuxta solas Scripturas diuinas Deus colendus est: non iuxta aliquam doctrinam non scriptam. Planè qualis ista est. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Ergo solus Deus diligendus est, non proximus, non parentes, non quos tibi præfecit Deus. Sicut enim mandatum de diligendo Deo, non probat solum Deum esse diligendum, nec excludit dilectionem proximi, quia diligendo proximum vt oportet, Deum quoque diligimus, & simile est huic mandatum alteri, sic mandatum de colendo Deo etiam si intelligatur secundum solas Scripturas colendum esse Deum, nec excludit traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas nō scriptas, quia seruando illas, & colendo Deum iuxta illas, secundum Scripturas Deum colimus, quæ traditiones non scriptas retinendas esse docent ipsæmet, & similis est ratio traditionum Apostolicarum & Ecclesiasticarum, atque Scripturarum, quia in vtrisque Deus loquitur & vtræque à Deo sunt. Ita frustra, fraudulenter ac impiè corollarium hoc & appendicem Christi hoc loco doctrinæ substernere Caluinus voluit.

In feria 6. in capiciuni. *Caluini astutia.* *Caluiniana consequentiæ absurditas*

B C G

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Matt. 9. *Ecce princeps vnus accessit, & adorauit eum.* D

De verbo adorandi. Marc. 10.

LOCVS commodus obseruandi contra hæreticos, si verbum adorandi propriè hoc loco accipiatur pro cultu latriæ soli Deo debitæ, hunc principem rectè adorasse Christum & diuinum ei honorem exhibuisse, etsi non ideo Christus in mundum venerit, vt adoraretur à mortalibus, sed potius vt humiliaretur, iuxta id quod dicit ipsemet. *Non veni ministrari, sed ministrare.* Vnde & sequitur venerabilem Eucharistiam in qua Christum præsentem credit fides catholica, rectissimè à catholicis adorari, etsi non erat illa instituta vt adoraretur, sed vt manducaretur. Atque ita contra præcipuum ferè hæreticorum argumentum, quo venerabilis Eucharistiæ adorationem, etiam posita corporis & sanguinis Christi veritate, solent impugnare, hoc vno loco fidelis populus facilè armabitur. Nam & sic cæcus restitutus credens Christum esse filium Dei, procidens adorauit eum. Ioan. 9. & D. Thomas Apostolus

A Apostolus agnoscens Christum Dominum & Deum suum, adorauit eum. Quod si verbũ adorandi non propriè, sed largo modo accipiatur, pro veneratione quadã ciuili, aut etiam religiosa, tanquã viro sancto & magno Prophetæ Dei exhibita, quæ quoad externum gestum nihil à vera latria differret, alius locus erit obseruandi contra hæreticos, extra culpam & reprehensionẽ esse Catholicos: si sanctos & eorum imagines adorandas esse doceant, atque adorent sensu & modo consimili: videlicet non cultu latriæ soli Deo delatæ, non sic vt Sanctos vel eorũ imagines pro Deo colamus, aut tanquam summum bonum nostrum veneremur, etsi quoad externũ corporis gestum veneratio illa interdum nihil à diuina differat, sicut princeps ille *Christum adorauit procidens in terram ad pedes eius*: sic enim habet Marcus. Sic etiam hemorrhoissa coram Christo fecit. Sic Abraham cucurrit in occursum Angelorum, *& adorauit in terra*. Sic Loth eosdem *adorauit pronus in terram*. Sic Iacob *adorauit Esau fratrem suum pronus in terram septies*. Sic fratres *adorauerunt Ioseph proni in terram*. Sic Dauid *adorauit Ionatham pronus in terram tertiò*. Sic filij prophetarum *adorauerunt Elizæum indutum iam spiritu* Heliæ *proni in terram*. Et omnibus his in locis vox Hebraica illa est quæ latriam & adorationem Deo debitam significet. Quoties verò in Scripturis adoratio prohibetur, intelligitur illa, quæ non solùm externa sed & interna est, cum intentione supremæ excellẽtiæ, vt iam dictum ex. Sic petiit diabolus à Christo adorari. Sic Angelus à Ioanne, qui eum Deum putabat, noluit adorari. Sic Petrus Cornelium nec dum in fide instructum adorare prohibuit. Sic Aman impius à Mardochæo voluit adorari. Ait enim Mardochæus. *Videns eius superbiam timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem. Alioqui libenter pro salute Israël etiam vestigia pedum eius deoscularer.* Docendus ergo populus, ne propter hæreticorum ludibria & cauillationes à debita & religiosa SS. atque imaginum veneratione abstineat, neque vllam externam ab Ecclesia approbatam adorationem vereatur, dummodo ab interna soli Deo propria abstineat, quando Sanctos aut imagines vel reliquias eorum veneratur.

Marc. 5. *Ibidem.* *Gen. 18. 19. 33. & 43.* *2. Reg. 20.* *4. Reg. 2.* *Matth. 4.* *Apoc. 9. & 22.* *Act. 10.* *Ephes. 3.*

B

Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero.

C

LOcus oportunus docendi populum, nec superstitiosum nec inanem esse Ss. Reliquiarum cultum atq; contactum, sed Deo gratum & fructuosum, contra profanos & insensatos horum temporum hæreticos. Hæc enim hemorrhoissa non vt superstitiosa à Christo repellitur, quòd cogitauerit se, *vel tactu vestimenti eius saluam fore*: sed contra hæc eius fides, deuotio, & pia cogitatio præsenti sanitate remuneratur. Docet nos ergo Christus, piam & Deo gratã illã esse deuotionem, qua non tantùm Deum ipsum, sed & prophetas ab eo missos ac Sanctos eius, (qualem esse Christum credidit hæc hemorrhoissa) nec tantũ personas ipsas sanctas, sed & quicquid ipsorum est atque ad eos pertinet, cum fide & pietate ordinata, cõplectimur, veneramur, atque ad beneficia cõsequenda assumimus. Nempè ad hominem pertinet non solùm quod est, sed etiam quod circa illum est, vel quod ipsius est. Et sic ad reliquias alicuius Sancti pertinet, nõ solùm quælibet sui corporis particula, sed etiam vestes ipsæ aut aliquid aliud quo vsus fuerat. Talia vt per se considerata & in natura sua specifica, nullam venerationem merentur, nec vllã benefaciendi virtutem habent, (qua sola consideratione circa Reliquias Sanctorũ vtuntur hodie hæretici, dum illas vel vilipendunt, vel nullo honore dignas, omni virtute vacuas, esse declamitant) sed considerata vt talium personarum sunt, primùm sanè vt reuerenter tractẽtur & custodiantur veneratione quadam vulgari, ex sola erga eos dilectione & pio affectu merentur, sicut paternam vestem, aut annulum pius erga patrem filius libẽter gestat. A qua reliquiarum veneratione, quæ adhuc ciuilis magis est quàm religiosa, non abhorrent quidam molliores hodie & moderatiores Lutherani. At verò easdem reliquias altius considerando, relatiuè videlicet, & per earum contactum aut visum, intentionem nostram ad ipsos Sanctos referendo, eodem sanè cultu, eadem veneratione ipsas Reliquias prosequimur, qua ipsos Sanctos: idem beneficium, eandem virtutem mediantibus Reliquijs assequimur, quã per ipsos Sanctos assequeremur. *Petri* non solùm corpus, sed & *vmbra infirmos sanauit*. Pauli non solum vox aut fides, aut oratio, sed *ipsa eius sudaria & semicinctia de corpore eius sublata virtutes fecerunt*. Sic in hoc Euangelio Christus non solùm voce, vt quum diceret leprosis. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, aut contactu, vt *quum cæci oculos tangeret*, nec solùm voluntate & imperio, vt quum diceret, *Adolescẽs surge, Lazare veni foras*, sed solo fimbriæ contactu mulierem sanauit fide præsupposita. *Qua in re* (ait Hilarius) *magna virtutis Dominicæ admiratio est, cùm potestas intra corpus manens, rebus caducis efficaciam adderet sanitatis, & vsque* D *in vestium fimbrias operatio procederet*. Hæc ille. Hanc relatiuam considerationem non solum hoc illustri facto, sed etiam verbis disertis Christus in Euangelio nos docuit. *Quisquis* (inquit) *potũ dederit vobis aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, non perdet mercedem suam*. Datur merces non propter aquam, non propter Prophetam, aut Apostolum, sed propter Christũ. *Quia Christi estis*, ait Marcus, id est, quia ad Christum pertinetis. Sic Reliquias Sanctorum, quia ad Sanctos pertinent, & ipsos Sãctos, quia Christi sunt, veneramur. Ex tali affectu & relatiua consideratione desiderauit ardenter Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus Romæ esse, vt Pauli Reliquias veneraretur. *Quis* (inquit) *mihi nunc dabit circunfundi corpori Pauli, affigi eius sepulchro, videre puluerem corporis illius?* Et paulò pòst. *Hoc corpus vrbem hanc* (Romam dicit) *munit, quod quauis turri*

De cultu & contactu Ss. reliquiarum.

Act. 5. *Act. 19.* *Luc. 17.* *Matth. 8.* *Luc. 7.* *Ioan. 11.* *Cano. 9. in Matth.* *Marc. 9.* *Hom. vlt. in epist. ad Rom.*

innumerisque mœnibus ac vallis est tutius, & cum isto corpus etiam Petri. Ex tali affectu & consideratione sic scripsit Augustinus. *Tract. 3. in Ioan.* *Nonne quando martyres commemoramus, inardescimus amore? Quid in illis amamus fratres? membra laniata à feris? Quid fœdius si oculos carnis interroges? quid pulchrius si oculos cordis interroges?* Denique tali affectu & consideratione dixit Ioannes Baptista de Christo. *Luc. 3.* *Matth. 3.* *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Vel vt Matthæus ait, *portare calceamenta eius.* Videlicet propter venerationem personæ Christi, quæ etiam ad ipsam corrigiã calceamenti, & ad ipsum terræ puluerem quem calcabat, se extendebat: dicente Propheta. *Psalm. 131.* *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Postremò ex hoc affectu & consideratione relatiua ipsas SS. Reliquias Ecclesia Catholica eodem cultus genere quo ipsos Sanctos prosequitur, quum eos in altari collocat, quum reuerenter circumgestat, quum externa veneratione, vt genuflexione, honorat, quum denique deuotè contingit, & osculatur. Totus hic cultus ex fide & charitate erga Deum semper proficiscitur, propter quem sanctos & ea quæ illorum sunt honoramus. Quanto hæc fides & dilectio erga Deum maior est, tanto est etiam erga sanctos eius, qui pro fide illa vel in fide illa mortui sunt, deuotio maior: & quanto erga sanctos ipsos affectio maior, tanto & circa earum Reliquias maior veneratio. Hæretici hodie quia nec Deum purè diligunt, nec integram in eum fidẽ tenent, ideò nec sanctos eius venerantur, nec aliquid quod illorum est veneratione dignum ducunt. Sed Reliquiarum venerationem ex pura fide in Christum proficisci, antiqua & perpetua *De ciu. Dei l. 22. c. 8. & 9.* fidelium deuotio docet. Narrat S. Augustin. quum in sua Ecclesia seipso præsente, duo fratres tremore horribili membrorum laborantes, ad cancellos memoriæ S. Stephani, vbi certæ eius reliquiæ asseruabantur; sanati essent, populum præsentem maximè commotum fuisse. *Tantus* (inquit) *ab vtroque sexu admirationis clamor exortus est; vt vox continuata cum lachrymis non videatur posse finiri. Exultabant in Dei laudem voces sine verbis tanto sonitu quantum aures nostræ ferre vix possent.* Sed vide quid addat. *Quid* (inquit) *erat in cordibus exultantium nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est? Cui nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus? Pro hac fide præcessit martyrũ mira patientia, vt in his miraculis tanta ista potentia sequeretur.* Hæc ille. Deus ergo sanctorum Reliquias frequentibus miraculis illustrans, nostram erga illum fidem excitat atque corroborat. Fideles quoque SS. Reliquias visitantes, ac venerantes, suam in Deum fidem exercent, eiúsq; testimonium bonum alijs præbent; non solùm ab omni superstitione alieni, sed etiam pia & egregia deuotione conspicui. Non superstitio, sed religiosa fides priscorum fidelium adeóque Episcoporum erat, qua *S. Iacobi Apostoli cathedram per aliquot secula conseruarunt, eãdémque in magna ve-* *Li. 7. c. 15.* *neratione habuerunt*: quod vsq; ad sua tempora factum fuisse memorat Eusebius Pamphili in historia Ecclesiastica: Non superstitiosus, sed pius ac religiosus erat doctissimus ille Athanas. qui *S. Antonij pallium sibi in morte eius donatum magno cum honore seruauit*, vt ipsemet in vita huius san- *In vita S. Antonij.* cti commemorat. D. Basilius tractans illa verba, *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius*, multis verbis docet, quanto in honore nunc sint sanctorum martyrum Reliquiæ. *Super Psalm. 115.* *Olim* (inquit) *pro legis Iudaicæ ritu si qui moriebantur, horum morticinia habebantur abominationi. Contrà nunc mors si cuipiam irrogatur Christi nomine preciosæ censentur Reliquiæ sanctorum eius. In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazareis illud. Non contaminabitur super vllo mortuo. Et si quis tetigerit cadauer, immundus erit. Nũc è diuerso, Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps.* Hæc ille. Huius discriminis causa est, quia Sanctorum animæ Dei clara visione post Christũ glorificatum fruuntur. Docendus ergo hoc loco populus quæ fuerit primæ & antiquissimæ Ecclesiæ fides; quæ etiam Sanctorum Patrum concors hac de re sententia. Præter iam citatos patres *Serm. 93.* de hac Reliquiarum veneratione sic scribit Ambrosius. *Si dicas mihi quid honoras in carne iam resoluta, atque consumpta? respondeo. Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod dæmones reuerentur, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo* *Orat. 1. in Iulianum.* *regnabit in cœlo.* Hæc ille. Gregorius Nyssenus Episcopus frater S. Basilij in oratione in Theodorum Martyrem prolixè admodum describit Christianorum sui temporis deuotionem circa Re- *De curat. Græc. affect. lib. 8.* liquias martyrum visitandas & contrectandas. Gregorius Nazianzenus Theologus dictus, *sola* (inquit) *corpora Sanctorum idem nunc possunt quod animæ sanctæ, siue manibus contrectentur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ atque exigua passionis signa id possunt quod corpora.* Theodoretus narrat prolixè morem Christianorum veterum, quòd sanctorum corpora, non singula singulis monimentis conderentur, sed per ciuitates, oppida, & pagos in partes diuisa seruarentur. Tenues enim, ac tantillæ particulæ toti corpori parem virtutem habent. Vide plura apud Euseb. Emis- *Euseb. l. 7. cap. 14.* senum in Homilia de S. Blandina, Cyrillum Catech. 8. Paulinũ in natali 3. S. Fœlicis, & D. Hier. toto lib. contra Vigilantium, & in Epist. ad Marcellam. Omitti hoc loco non debet, quod hæc *Sozomenus lib. 5. c. 20.* ipsa Hemorrhoissa à Christo per fimbriæ contactum sanata ad perpetuam rei memoriam in ciui- *Niceph. lib. 6. c. 15.* tate Phœnice statuã Christi æneam erexit, iuxta quam & ipsa genu flexo effingebatur: quũ autem iuxta statuã Christi, herba quædam crescere permitteretur, vbi primum hæc herba fimbriã statuæ attingebat, varias & ipsa curationes fecit. Hanc statuam postea Iulianus apostata deiecit. Est nempe hoc Hemorrhoissæ factum, luculentum eius doctrinæ documentum, quam ex altero eius facto Euangelico ad S. Reliquiarum cultum meritò colligimus.

Cæterum non abs re erit, attentè dispicere & expendere quantopere vnus Caluinus contendit, omnémque mouet lapidem vt hoc nobis tam illustre argumentum eripiat. Primùm

disputatio

A disputat rem vtcunque laudabilem in exemplum trahi non debere. *Quod* (inquit) *mulier cogitat, si modo tetigerit Christi vestem, se protinus fore sanam, singularis quidem fuit Spiritus S. impulsus, neque ad communem regulam trahi debet. Scimus, quam proterue ludat superstitio in stulta & inconsiderata æmulatione Sanctorum. Atqui simiæ sunt non imitatores, qui singulare aliquod exemplum absque Dei mandato, & proprio magis sensu, quam Spiritus directione vsurpant.* Hæc ille, factum quidem laudans, sed quod ab alijs imitandum non est, quia singularis in eo fuit Spiritus sancti impulsus. Sed primũ vnde probat Caluinus, aut quis illi dabit singularem hunc fuisse Spiritus sancti impulsum, id est, huiusmodi vt rem ex sua natura vitiosam & superstitiosam, neque in exemplum trahendam, in illa tamen muliere fecerit laudabilem, quale quid de Sampsone existimatur, qui vt Philistæos magno numero interficeret, semetipsum cecidit? aut de Moyse, qui absque vllo Dei mandato, vel iusta authoritate, occidit Ægyptium, & abscondit in sabulo qui Iudæo iniuriam fecerat. An sicut hæc facta ex se iniusta fuerunt, ex singulari tamen Spiritus S. impulsu laudabiliter fieri potuerunt, si hæc mulieris cogitatio quod ex tactu vestimenti Christi sanitatem recuperaret, vitiosa per se & stulta cogitatio erat? Supponit quidem hoc impius Caluinus, sed non probat. *Iudic. 16.* *Exod. 2.*

Deinde etiam si singulari Spiritus sancti impulsu illa mulier sic cogitasset, quia nouum illud sanitatis consequendæ experimentum erat, quomodo probat Caluinus ad communem regulam trahi non debere? quum illius cogitationis fidem & sententiam Christus tam illustri mi-
B raculo remunerauit? Sed Caluinus suum ipsius paralogismum refutabit, qui in hoc ipso capite de duobus cœcis visu donatis, quorum fidem valde imperfectam & mancam censet, à Christo tamen remuneratam, sic concludit. *Tametsi hic beneficium duobus cæcis præstitum narratur, tamen ex Christi dicto, iuxta fidem vestram fiat vobis, generalem elicere doctrinam conuenit nos, modo ex fide precemur, nunquam in votis nostris repulsam passuros.* Hæc ille. Si ergo illorum fides Caluini iudicio imperfecta (de qua in sequentibus plura dicemus) beneficium optatum à Christo impetrans, generalem doctrinam facere potest, vt & nos ex fide precantes semper exaudiamur, quanto magis huius mulieris cogitatio à Spiritus S. singulari impulsu profecta, generalem quoque doctrinam faciet, quod similes piorum cogitationes circa sanctorum Reliquias similia beneficia à Christo impetrabunt?

Deinde supra c. 8. ad verba Centurionis dicentis Christo, *tantum dic verbo & sanabitur puer meus*, hinc ait Caluinus, *colligi potest generalis regula, certitudinem salutis nostræ ex verbo Dei petendam esse.* Quam rectè hoc colligat Caluinus hic non disputo, sed quam facilè generalem regulam ex vno Centurionis facto colligat, ostendimus. At huius mulieris factum, non secus fuit à Christo remuneratum, quam illud Centurionis. Ex eo igitur & nos, imò Catholica iamdudum Ecclesia generalem doctrinam optimo iure colligit. Quare impius Caluinus sero iam nimis hoc suum
C commentum obtrudit, quum & hanc huius mulieris cogitationem per se laudabilem fuisse, & similes piorum cogitationes Deo semper placuisse, à tot retro seculis tota Ecclesia Catholica indicauerit, & experimentis innumeris probauerit. Hæc igitur prima cauillatio nullius momenti est. *Caluinus à seipso refutatur.*

Quare & ipse Caluinus eam suspectam habens, ipsum mulieris factum exagitat, & cogitationem hanc non ab aliquo Spiritus S. impulsu, sed à zelo inconsiderato manasse disputat. Ait enim: *Quod in veste hæsit potius quam vt se illi sanandam precibus offerret, fortè zelo inconsiderato paululũ à via deflexit.* Ecce audet præsumptuosus hæreticus factum illud incõsiderati zeli arguere, quod Christus ipse ita approbauit, vt sanitatem confestim illi concesserit. Sed addit pro aliqua præsumptionis suæ ratione. *Præsertim quum paulò pòst ostendit dubitanter & perplexo animo id tentasse.* Sed hoc est apertè & perfricta fronte Euangelio contradicere. Nam & Christus ipse hoc eius factũ ex fide profectum fuisse affirmat, dicens, *fides tua te saluam fecit*: & sanitas confestim ex hoc facto consecuta (vt Marc. 5. & Luc. 8. euidentissimè constat) ex optima & firma fide eam hoc cogitasse, Christique vestimentum tetigisse, manifestè demonstrat. Quod autem postea *tremens accessit*, ad Christum, vt Marcus & Lucas narrant, non id fecit propter aliquam dubitationem aut animi perplexitatem circa primum illũ fimbriæ contactũ, sed quia Christo interrogante, *Quis tetigit vestimenta mea? & adhuc circumspiciente vt videret eam quæ hoc fecerat*, cœpit timere ne offendisset ita furtim tangendo, & furtiuam sanitatem consequendo. Quare (vt est apud Lucam) *videns mulier quia non latuit, tremens venit & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum* (vbi suam cogitationem & factum aperuit) *indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit.* Cui statim Christus dixit: *Filia fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Quid clariùs, quàm prioris facti fidem à
D Christo laudatam & præsenti sanitate remuneratam fuisse? præsentem autem tremorem huius mulieris postea accessisse, non quod aliqua dubitatione factum prius tentauerit, sed quod facti sui rationem coram omni populo indicare coacta fuerit? Quod sanè Christus studiosè fecit, vt sancta illa eius cogitatio, factúmque fide ac religione plenum publicè innotesceret: & vt omnes astantes doceret, quantopere factum tam religiosum illi placeret: eadémque opera, tum illos, tum omnes fideles moneret simili fide ac religione, etiam ea quæ minima sunt Christi, ac sanctorum eius, prosequi, ac venerari. Impius tamen Caluinus totam hanc historiam Euangelicam corrumpere maluit, quàm superbam ceruicem suam Catholicæ fidei circa sanctorum venerandas Reliquias submittere.

Quare adhuc addit,& omnem mouet lapidem,vt tam celebre argumentum Eccleſiæ Catholicæ è manibus extorqueat. *Iam verò vt demus hoc illi à Spiritu fuiſſe dictatum, manet tamen fixa regula fidem noſtram priuatis exemplis huc & illuc circumagi non debere: quia Dei verbo penitus affixam eſſe oportet, iuxta illud Pauli Romanorum* 10. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei.* Cui ſtolidæ cauillationi facilè reſpondetur. Auditus fidei eſt verbum Dei, ſed prædicatum ab Eccleſia, vt tota Apoſtoli eo loco diſputatio manifeſtè demonſtrat,nóſq; alibi accuratè oſtendimus. Prædicatio autem Eccleſiaſtica hoc ſemper tenuit, Sãctorum Reliquias eſſe ex fide venerandas: plurimiſque experimentis ſenſit talem ex fide venerationem,multa à Deo beneficia impetraſſe,ſicut hæc mulier Euangelica impetrauit. Quare hoc exemplo fides noſtra huc illuc non circumagitur (ſectæ Caluinianæ aliiſque ſectis hæreticis omnibus hoc proprium eſt, vt ventis nouæ doctrinæ homines huc illuc circunferant) ſed in ſolida Eccleſiæ Catholicæ fide, quæ *columna & firmamentum veritatis eſt*, firmiſſimè ſolidatur. Deinde huius mulieris Euangelicæ exemplum,priuatum exemplum non eſt,quaſi in angulo geſtum, vel incerta fide relatum,aut obſcurè commendatum, ſed publicum & celeberrimum in ipſa ſcriptura Euangelica à tribus Euangeliſtis diligenter commemoratum, & à Chriſto Domino non ſolùm præſenti ſanitate remuneratum, ſed & publica interrogatione, quaſi inquiſitione facta propalatum, & commendatum; denique ita celebre & publicum hoc exemplum eſt, vt aliquot poſtea ſæculis eius memoriam perpetuo miraculo Deus honorare & commendare voluerit, vt videre eſt apud hiſtoriæ Eccleſiaſticæ authores,Euſebium, libro 7. capite 14. Sozomenum, libro 5. capite 20. & Nicephorum libro 6. capite 15. Scelerata impietas eſt, & aperta ad Atheiſmum via, aliquod exemplum in diuinis ſcripturis commemoratum & commendatum, tanquam priuatum reijcere, quum non ſolum dicta, ſed & facta Chriſti, vel à Chriſto commendata, quid facere & credere debeamus nos doceant.

In defen. cont. VVitakerum lib. 2. c. 10. ſect. 5.

A

B

Confide filia.

Caluinus Chriſti verba peruertit.

VEllicat hic rurſum,& modis omnibus infamare cõtendit hoc hemorrhoiſſæ factum proteruus Caluinus. Ait enim ad hæc verba: *Fidei imbecillitas hoc verbo arguitur. Niſi enim vitioſa eſſet trepidatio, non eam corrigeret Chriſtus hortando vt animum colligat.* Nihil eſt hoc hæretico impudentius. Quod in ſingularem fidei in hac muliere laudem atque cõmendationem dixit Chriſtus,hoc illud ad fidei eius reprehenſionem trahit. Chriſtus enim dicens, *Confide filia*, & confeſtim adiungens: *fides tua te ſaluam fecit*, manifeſtiſſimè voluit illo verbo eius fidem ſingulariter commendare. Quid eſt enim, *Confide filia*, niſi eſto bono animo filia? Et quare iubet eſſe bono animo? *Quia* (inquit) *fides tua te ſaluam fecit*, id eſt, quia fides tua, qua me tetigiſti, mihi tãtopere placet, tam firma & valida ac ſancta fuit, vt illa te ſanauerit, vt propter illam tuam fidem, non propter ſimplicem contactum, ſanitas tibi reſtituta fuerit. Propter hanc fidem tuam, per quam conſecuta ſanitatem es, eſto bono animo. Noli metuere quod te vocauerim, & ad facti cõfeſſionem coram tota hac multitudine compulerim. Non ad tui reprehenſionem, ſed ad tui commendationem hoc feci. Non vt fidei tuæ imbecillitatem corrigerem, ſed vt fidei tuæ firmitatem atque præſtantiam toti huic multitudini, propalarem. Quis non videt hunc eſſe manifeſtum Chriſti verborum ſenſum: quando præcedenti capite Chriſtus dixit paralytico, *Confide fili: Remittuntur tibi peccata*: an dicet Caluinus, quod fidei eius imbecillitas hoc verbo arguebatur? An non potius eius fides diſertiſſimè commendatur, quum ſtatim ſubiungit Chriſtus, *Remittuntur tibi peccata*? Nam in illis verbis, *videſ Ieſus fidem illorum, ſynecdoche eſt*, ait ad illa verba Caluinus, *quia non ita reſpexit Chriſtus eos qui paralyticum ferebant, quin eius quoque fidem intuitus fuerit.* Hæc ibi Caluinus.

Matth. 8.

Caluinus à ſeipſo refutatur.

Eodem modo aduertere debuit Chriſtum hoc loco, quum dicit, *Confide filia*, moxque adiungit, *fides tua te ſaluam fecit*, antecedentem fidem Chriſtum reſpexiſſe, qua eum tetigit, eamque ſingulariter commendaſſe.

C

D

A

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Matth. 24.

LOCVS proprius monendi & docendi diligenter populum Catholicum, vt à sectis hæreticorum & priuatis conuenticulis sibi caueat, vtque illam solam Ecclesiam teneat, quæ non hic aut illic Christum profitetur, sed quæ vbique & per omnes gentes Christi fidem docet. Nam de futuris hæreticis Christum hic loqui, & de priuatis hæreticorum sectis ac partibus Christum nos hic præmonere, verba Euangelij proximè subsequentia luculenter docent, vbi ait. *Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite* B *exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Prædicit ergo diserti ssimè Christus, ne adueniente aliqua persecutione Ecclesiæ, & surgentibus Pseudoprophetis, magni illius Antichristi præcursoribus, siue circa finẽ sæculi iam aduentante extremo iudicio, (de quo tempore propriè hoc Euangelium loquitur) siue in aliqua alia nouorum dogmatistarum colluuie (sunt enim omnes hæreses dispositiones & præparationes ad maximam illam sub Antichristo futuram à fide Apostasiam, ideóque vt eiusdem generis sic & consimilis rationis censeri debent) particulam aliquam occultam, aut priuatam sectam teneamus, relicta generali, vniuersali, & Catholica ac nominatissima Christianorum Ecclesia, idcirco repetit rem eandem Christus serióque prædicit, *Ne hic aut illic, ne in deserto, vel in penetralibus illum quæramus.* Hæreses autem omnes sunt, hic aut illic, sunt in deserto, sunt in penetralibus. Sola catholica Ecclesia nec hic aut illic, sed vbique & per omnes gentes, vbi nominatus est Christus: nec in deserto, *sed in ciuitate super montem posita*, nec in penetra- Matth. 6.
libus, vel occultis traditionibus, & opinionibus inauditis, sed in publica & notissima fidei doctrina cognoscitur, tenetur, & creditur. Sic hunc locum contrà veteres Donatistas Ecclesiã catholicam negantes, vt hodie nostri negant hæretici, & particularem sibi Ecclesiam constituentes, vt hodie nostri constituunt hæretici, (Lutherani in certa Germaniæ parte, Caluinus in certa Sabaudiæ parte, & aliquot Heluetiarum pagis & in certis Galliæ ciuitatibus, alijsque quibusdã in locis, aliique hæretici alibi) sic diligenter exponit & tractat Augustinus. *Quod Christus dixit,* C *Ecce in deserto, significat, quasi vbi non est frequentia multitudinis: quod ait, Ecce in penetralibus, significat* Cap. 20.
quasi in secretis traditionibus atque doctrinis. Hæc ille in lib. de vnitate Ecclesiæ. Et in eodem libro alibi. *Præmunire voluit Christus aures nostras aduersus eos quos præcedentibus temporibus exsurrecturos esse prædixerat & dicturos. Ecce hic est Christus, ecce illic. Quibus ne crederemus, admonnit. Nec vlla nobis excu-* Cap. 10.
satio est, si crediderimus contra vocem pastoris nostri tam claram, tam apertam, tam manifestam, vt nemo vel obtusus, vel tardus corde possit dicere non intellexi. Quis enim non intelligit, Sic oportebat Christum pati & resurgere tertia die & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Ierusalem? Quis non intelligit, Eritis mihi testes in Ierusalem, & in Iudæa & in Samaria & vsque ad vltimum terræ? His dictis elevatus est, &c. Quomodo ergo effugiemus iræ Dei si vel non credentes vel contemnentes repulerimus verba nouissima Domini nostri ac Saluatoris? &c. Habeo manifestissimam vocẽ pastoris mei commendantis mihi & sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam per omnes gentes diffundendam: mihi imputabo si per verba hominum seduci atque ab illa aberrare voluero. Hæc Augustinus. Rursum alibi, quum Donatistæ sibi solis veram Ecclesiam vendicantes, Episcopos catholicos vocarent lupos rapaces sub vestimentis ouium, vt hodie faciunt hæretici horum temporum, respondet illis Augustinus ex his Christi verbis in hoc Euangelio positis, docens & nos idem respondere. Sic enim apud illum legimus. *Petilianus Donatista dixit. Monet etiã Christus Dominus. Cauete à Pseu-* Lib. 2. c. 16 contra Petilianum.
doprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces: ex fructibus eorum cognoscetis eos. Augustinus respondit. Si abs te quæram quibus nos fructibus lupos esse rapaces cognoscatis, dicturus es peccata aliena nec in eis quorum esse dicuntur vnquam probata. Si autem tu à me quæras quibus fructi- D *bus vos potius esse lupos rapaces cognoscamus, obijcio schismatis crimen, quod tu negabis, ego autem statim probabo. Neque enim communicas omnibus gentibus & illis Ecclesijs Apostolico labore fundatis. Hic dicturus es: Non communico traditoribus & homicidis. Respondet tibi semen Abrahæ: Hæc sunt illa crimina, vel non vera vel non mea. Sed hæc interim sepono. Tu ostende Ecclesiam: Iam vox illa mihi sonabit, quam in Pseudoprophetis vitandam Dominus monuit, ostendentibus partes, & ab vniuerso alienare conantibus. Ecce hic est Christus, ecce illic. Sed vsque adeo putas veràs oues Christi cor non habere, quibus dictum est, Nolite credere, vt lupum audiant dicentem, Ecce hic est Christus, & pastorem non audiant dicentem, Per omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem?* Hæc ille. Docendus igitur hoc loco populus certam hanc esse omnium hæreticorum & schismaticorum notam, vt per modum partis se semper habeant, dissectæ & diuisæ à toto corpore Christi, vt nunquam omnia loca vbi Christus nominatur occupent, sed hic

Catholica Ecclesia tenenda.

& illic Christum prædicent,in deserto,in penetralibus, id est , extra multitudinis frequentiam A
respectu catholicæ Ecclesiæ per totum orbem dispersæ. Nempe vt ex hoc Euangelio aliisque
Scripturis docet diligenter & frequenter contra sui temporis hæreticos Augustinus, sic se ha-
bet vera Ecclesia catholica,Apostolica,orthodoxa respectu omnium sectarum & hæresum , vt
vbicunque sint ipsæ hæreses ibi semper sint catholici,non autem è contra , vbicunque sint ca-
tholici Christiani,ibi sint hæretici;sed in quamplurimis locis ac gentibus sint catholici Christia-
ni,vbi nulli plane sint hæretici. Et hoc sensu proprium est omnibus hæreticis dicere , *Ecce hic est*
Christus, ecce illic,Ecce in hac prouincia,ecce in hac ciuitate,ecce in illa. Solis autem catholicis
commune est,non hanc vel illam gentem,sed omnes gentes & omnium gentium communionẽ
ostendere,omnium inquam vbi Christi fides tenetur. Hoc discrimen ex hoc Euangelio aliisq;
Scripturæ locis sic Augustinus explicat. *Si sanctæ Scripturæ in Africa sola designauerint Ecclesiam, &*
De vnit. Eccl.cap.3. *in paucis Romæ Rupitanis vel Montensibus , & in domo vel patrimonio vnius Hispanæ mulieris quicquid de*
chartis alijs aliquid proferatur,non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ. Si in paucis Mauris prouinciæ Cæsarien-
sis, eam S. Scriptura determinat,ad Rogatistas transeundum est. Si in paucis Tripolitanis & Byzacenis &
Prouincialibus,Maximianistæ ad eam peruenerunt (erant isti Rogatistæ & Maximianistæ sectæ Donati-
starum diuersæ:) *Si in solis Orientalibus,inter Arianos & Macedonianos & Eunomianos, etsi qui illic alij*
sunt, requirendum est. Quis autem possit singulas quasi hæreses enumerare singularum gentium? Si autẽ Christi
Ecclesia Canonicarum Scripturarum diuinis & certissimis testimonijs in omnibus gentibus designata est,quic- B
quid attulerint & vndecunque recitauerint,qui dicunt: Ecce hic est Christus,ecce illic,audiamus potius,si oues
eius sumus, vocem pastoris nostri dicentis, Nolite credere. Illæ quippe singulæ hæreses in multis gẽtibus vbi ista
Catholica est non inueniuntur. Hæc autem quæ vbique est etiam vbi illæ sunt inuenitur. Hæc August. Ac-
commodemus hæc ad præsentes hæreses & dicamus: Si Scriptura in sola Geneua, in quibusdã
Helueticorum pagis,& in Comitatu Palatino Rheni , & Britanniæ insula Ecclesiam fore de-
scripsissent, soli Caluinistæ eam obtinerent: si VVittembergiæ, Lipsiæ , Magdeburgi , ad solos
Melanchthonicos , seu molliores , seu Electorales Lutheranos transeundum esset : si in su-
periori Saxonia vt Lubecæ & Hamburgi,&c. soli eam tenent rigidi Lutherani & Ecclesiæ Sa-
xonicæ. Si in Ducatu VVittembergensi, soli Vbiquitarij : si in Prussia,soli Osiandrini : si in Si-
lesia, soli Suenkfeldiani : si in Morauia & in quibusdam inferioris Germaniæ pagis , soli Ana-
baptistę Ecclesiam habent.Cæterum si nec hic nec illic (vt Christus hic disertissimè docet) sed
vbique & per omnes gentes,vt alibi clarissimè asseruit,nulli certo loco alligatam aut inclusam
fore Ecclesiam Scripturæ prædixerunt, soli illam habent Christiani qui vbique sunt,& qui pro-
pterea ab ipsis hæreticis catholici, quasi ad vniuersum corpus pertinentes, nuncupantur. Fides
enim quæ catholica dicitur, in omnibus locis prænominatis reperitur. Imò ante has notas hæ- C
reses per multa sæcula reperta & stabilita fuit. Reliquæ hæreses non in omnibus Christianorum
populis, non in Hispania,non in Italia, non in Sicilia, Sardinia,Corcyra, non in Bauaria, Tiro-
lis,Austria, non in amplissimis illis Indiæ tam Orientalis ,quàm Occidentalis regionibus & re-
gnis, non in Africa , non in toto Oriente , non in Armenia, non in Æthiopia (quibus om-
nibus in locis catholicorum maximus est numerus) inueniuntur , sed vnaquæque suis certis
locis grassatur.Sunt igitur certissimè illi qui dicunt,*Ecce hic est Christus, ecce illic* : ideóque obser-
uandum & faciendum diligenter quod Christus adiecit,*Nolite credere.*

Ad quæ Christi verba clarius adhuc intelligenda alius Augustini locus insignis in medium
Lib.de Pastor.c.8. produci potest,vbi sic scribit. *Hæretici sunt oues errantes super omnem faciem terræ.Non quidem omnes*
hæretici super omnem terram, sed alij hic alij ibi.Alia secta in Africa, alia hæresis in Oriente , alia in Ægypto,
alia in Mesopotamia. Sic diuersis in locis sunt diuersæ. Sed vna mater catholica omnes habet Christianos toto
orbe diffusos. Verbi gratia. Est in Africa pars Donati.Eunomiani non sunt in Africa: sed cum parte Donati est
hic catholica. Sunt in Oriente Eunomiani: ibi autem non est pars Donati, sed cum Eunomianis ibi est catholi-
ca. Illa est enim tanquam vitis crescendo vbique diffusa. Isti tanquam sarmenta inutilia agricolæ falce præci-
sa.Et ista quidem vbi præcisa sunt, ibi remanserunt,crescere & se diffundere nequiuerunt. Illa verò tanquam D
vitis crescens per omnia,& sarmenta sua nouit quæ in illa adhuc manserunt, id est, malos , & iuxta se habet
quæ de illa præcisa sunt,id est,hæreticos. Hæc Augustinus,ex vnius ouilis,& vitis crescentis similitu-
dine Ecclesiam catholicam vbique diffusam docens,hæreticos verò ouibus errantibus , atque
sarmentis præcisis,quia hic & illic Christum ostendunt, aptissimè comparans. Rem eandẽ , alia
ex Scripturis petita similitudine, alio in loco idem celeberrimus doctor explanat his verbis.
Tract.1.in Epist.Ioan. *Ecce mons implens vniuersam faciem terræ: ecce ciuitas de qua dictum est, Non potest ciuitas abscondi super*
montem posita. Donatistæ offendunt in montem; & quum eis dicitur, ascendite, non est mons dicunt: & faci-
lius illuc faciem impingunt, quàm illic habitaculum quærunt. Esaias hesterna die lectus clamauit. Erit in no-
Esa.2. *uissimus diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & eleuabitur super colles , & fluent ad*
eum omnes gentes. Quid tam manifestum quam mons? Sed fiunt & montes ignoti, quia in vna parte terrarum
positi sunt. Quis vestrum nouit Olympum montem? Quomodo ibi qui habitant, Chiddabam nostrum non noue-
Dan.2. *runt. In partibus sunt isti montes, ille autem mons non sic,quia impleuit vniuersam faciem terræ. Nonne lapis*
iste qui præcisus est de monte sine manibus, Christus est de regno Iudæorum sine opere maritali ? Nonne ille la-
pis confregit omnia regna terrarum, id est, omnes dominationes idolorum & dæmoniorum ? Nonne ille lapis
creuit & factus est mons magnus,& impleuit vniuersum orbem terrarum ? De illo ergo dicitur, præparatus in
vertice montium. Mons est super cacumina omnium montium. Et fluent (inquit) *ad eum omnes gentes. Quis*

errat

A *errat in hoc monte? Qui frangit faciem offendendo in illum, qui ignorat ciuitatem super montem constitutã. Sed nolite mirari quia ignoratur ab istis qui oderunt fratres, qui oderunt Ecclesiam. Nam ideò in tenebris ambulant & nesciunt quo eunt: separauerunt se ab orbe terrarum: odio excæcati sunt.* Hæc hactenus Augustin. Ideò nempe hæretici omnes quasi palpando dicunt, ecce hic & ecce illic est Christus. *Nonne isti* (ait alibi Augustin.) *palpant in meridie quasi in media nocte? Quod quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestissimam in lucem omnium gentium constitutam videre non possunt; extra cuius vnitatem quicquid operantur, nihil illis prodest aduersus iram Dei.* Hæc ille. Quo autem sensu sit verum veram Christi Ecclesiam semper esse multitudinem per omnes gentes diffusam latius explicatur in Opusc. nostro de Princip. fidei doctrinalibus: quum tamen nec hodie nec vllo vnquam tempore totum mundum simul & semel Ecclesia Christi occupauerit. *Lib. 2. c. 3. cõt. Parm. Lib. 2. c. 5.*

Si dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire, Ecce in penetralibus, nolite credere.

B LOcus proprius docendi populum fidelem contra huius tẽporis hæreticos, veros Prophetas, veros Christi ministros, veros Ecclesię Magistros ac præpositos, non in deserto, non in penetralibus Christum prædicare, id est, non esse occultam aliquam aut latitãtem cũ grege sibi subdito Ecclesiam, sed esse, vt alibi Christus docet, *Ciuitatem super montem positam quæ abscõdi non potest.* Hæretici hodie quia suam Ecclesiam ante hæc tempora ostendere non possunt, quia nullam pastorum successionem proferre queunt, quia nulla religionis suæ templa, nullas cathedras, nulla loca conspicua designare valent, docent absurdissimè veram Christi Ecclesiam esse multitudinem latitantem & fugientem conspectum hominum, *quia nouit Dominus qui sunt eius*, & verã Ecclesia (vt scripsit Lutherus in libro de seruo arbitrio) *margaritum est absconditum, ne impius videat gloriam Dei*, & in Apocalypsi Ioannes docet quod *statim à partu mulieris*, id est statim à principio parientis Ecclesiæ *mulier ipsa fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo.* Ex his enim colligunt Ecclesiam Christi in deserto latitare, & persecutionẽ semper pati, & esse semper sub cruce. Sed tota hæc blasphema hæreticorum hodie imaginatio in his Christi verbis & prędicitur & disertissimè refellitur. Docet disertè pseudoprophetas qui sunt hæretici sic aliquando dicturos, *Ecce in deserto Christus est: ecce in penetralibus.* Sic hodie Lutherus scripsit, sic Melanchthõ docuit, sic disertè locum Apocalypsis iam citatũ Gul. Fulco Anglocaluinista detorquet, vt probet veram Christi Ecclesiam esse cœtum fidelium latitantem, mundo incognitum, soli Deo & quibusdam spiritualibus viris notum. Ex hoc ipso ergo quod sic docent, pseudoprophetas se illos esse demonstrant, quos in hoc Euang. Christus venturos prædixit. Ac *nouit quidem Dominus qui sunt eius*, quia multi in Ecclesia sunt qui non sunt eius. *Multi enim vocati, pauci electi: & in magna domo* (vt statim Apostolus post illa verba subiecit) *non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliã.* Quæ Apostoli verba non de mũdo hoc vniuerso (vt voluit Nouatianus teste Ambrosio in comment. ad hunc locum) sed de vera Christi Ecclesia dici & intelligi debere, docet diligenter August. in lib. de baptismo contra Donatistas, post Cyprianum & Ambros. quos ibidẽ citat. Nouit ergo Dominus in ipsa vera Ecclesia sua, qui sunt eius & qui non sunt eius, id est, qui sunt finaliter electi, iusti, prædestinati, & qui sunt ad tempus quidem credentes & iusti, sed in tempore tentationis recedentes à via iustitiæ, & finaliter in ea persistentes, ideóque non perfectè & finaliter ad Christi ouile pertinentes. Hæc notitia Dei quoad electionem, non tollit notitiam nostram quoad vocationem. Imò Ecclesiam vocatorum, inter quos sunt electi necessariò semper cognitam esse debere, multæ & grauissimæ causę demonstrant, quas vide in Opusculo nostro de Princip. fidei doctrin. lib. 2. c. 6. & 7. Innumeræ etiam Scripturæ docent, quas in eodem opere diligenter collectas vide lib. eodem per quatuor prima capita.

Ecclesia verã semper visibilis. *Matth. 5.* *1. 2. Tim. 2. 2. 3.* *Apoc. 12.* *Ad 1. Matth. 16.* *2. Tim. 2.* *Lib. 4. c. 2. & l. 7. c. 51* *Nota.*

D Nunc verò paucis sed firmis argumentis ostendetur, illam Ecclesiam quæ errare non potest, & ad quam propriè pertinent elogia in Scripturis posita, quæque corpus Christi, & sponsa est, esse Ecclesiam vocatorum, id est, huiusmodi quæ ex reprobis & malis non secus constet quã ex electis & bonis, ideóque non esse talem, vt propter solos electos latitans aliqua, & in penetralibus posita Ecclesia (quod hæretici maximè volunt) censeri possit. Ecclesia Christi, quam Paulus vocat *columnam & firmamentum veritatis*, vocatur ibidem *Domus Dei viuentis.* De eadem domo dicit idem Apostolus. *In magna domo quædam sunt vasa in honorem, & quædam in contumeliam.* Hi sunt electi & reprobi: quos idem Apostolus alio in loco vocat *vasa misericordiæ, & vasa iræ apta in interitum.* Rursum Ecclesia Christi propria illa est, *contra quam portæ inferi non prævalebunt.* Sed in illa sunt huiusmodi homines quibus & soluenda & liganda sunt peccata, vt ex potestate Petro ibidem data manifestissimè patet. Soluũtur autẽ electorum peccata (nam *de ijs qui fòris sunt Ecclesia non iudicat*) ligantur reproborum qui pœnitentiam non agunt. Præterea Christus veram Ecclesiam designauit, quum diceret, *Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ergo in vera Ecclesia tales futuros esse præmonstrauit, qui per pertinaciam non audientes Ecclesiam eiiciendi erant vt reprobi, audientes verò lucrarentur vt electi. Rursum Paulus veræ Ecclesiæ membris dixit. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus S. regere*

Ecclesia nò errans, est Ecclesia vocatorum. *1. Tim. 3. 2. Tim. 2. Rom. 9.* *Matth. 16* *1. Cor. 5.* *Matth. 18* *Act. 20*

Ecclesiam Dei. Sed ibidem adiecit. *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Tales sunt hæretici. Ergo illius & veræ Ecclesiæ membra tunc ad tempus erant, qui postea à fide defecturi erant, ideoq; reprobi. Postremò vera Ecclesia est multitudo per omnes gentes diffusa, non paucitas hic & illic posita, vt suprà ex alijs Christi verbis ostensum est. *Multi autẽ vocati, pauci electi.* Paucitas electorum est multitudo vocatorum. Ecclesia à vocatione nomẽ suũ accipit, non ab electione. Nihil ergo contra notam, illustrem, & conspicuã Christi Eccl. semper facit illud, *Nouit Dominus qui sunt eius.* Neque verò res cara aut pretiosa margarita est tota Ecclesia Dei, vocatorum videlicet multitudo veram religionem profitentium. Sed qui quod profitentur in Ecclesia vocatorum, sanctè exequantur more electorum, illi sanè comparatione cæterorum rari sunt & pretiosa margarita. Qua de re sic eleganter & expressè August. *Pauci quidem sunt qui veritatem accuratè norunt, & secundum eam religiosè viuunt, sed ij pauci authoritate sua multitudinem tenent, vnde se in illa secreta expedire, & quasi eliquare paucitas possit.* Et paulò pòst: *Verissimus ac sincerissimus Dei cultus quamuis sit apud paucos, apud eos tamen est quibus multitudo quanquam cupiditatibus inuoluta, & à puritate intelligentiæ remota, consentit.* Hoc autem & idoneo rerum humanarum exemplo confirmat atq; illustrat. *Nonne videmus quàm pauci summam eloquentiam consequantur, cum per totum orbem rhetorum scholæ adolescentium gregibus perstrepant? Hæc appetunt omnes quæ maiorum authoritate firmata sunt. Eadem imperitorum turbæ discere moliuntur quæ à paucis doctis discenda recepta sunt. Assequũtur autem perpauci, agunt pauciores, clarescunt paucissimi. Tale quiddam est vera religio.* Quod in eodem opere paulo post latius explicat. Cùm enim ostendisset imperitum vulgus Christianorum in multis diuersisque gentibus, & credere & extollere ieiuniorum, virginitatis, & voluntariæ paupertatis supremos & intensissimos gradus. *Pauci* (inquit) *hoc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt, sed populi probant, populi audiunt, populi fauent, populi denique suam imbecillitatem quòd ista non possunt, nec sine proiectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant.* Hæc ille. Sic ergo veritas & pietas in Ecclesia paucorum sunt & pretiosa margarita, qui purè intelligunt & verè amplectuntur. Eadem verò multorum sunt professentium & approbantium, atq; consentientium. Qui sanè multorum consensus ipsa fama & opinione sui futuram excellentium paucitatem attrahit: attracta verò paucitas ipsa multitudinem in officio continet. Hæc est Ecclesiæ Catholicæ facies, & forma in multis vocatis & paucis electis.

Matth. 20 Nota.

De vtilit. cred. c. 7.

Cap. 17.

Apoc. 12.

Iam vero quod ex Apocalypsi adfertur de *muliere in desertum profugiente, vbi locum habet paratum sibi à Deo*, pro latitante hæreticorum Ecclesia nihil facere potest. Primũ, quia verba huius Euangelij disertè repugnant, iubente Christo vt si ad desertum nos aliquis inuitet, ei non credamus, quod de ecclesia latitante dictum S. Augustinus constanter exposuit locis citatis. Mulier enim in desertũ profugiens, etsi fortè intelligatur esse Ecclesia Christi tẽpore Antichristi in locis desertis latitans, in speluncis, in latibulis, quo sancti se recipient, tamen neque eo tunc tempore quæretur Ecclesia in deserto in sensu Christi in hoc Euangelio. Illa enim deserta tempore Antichristi non erunt hic & illic, sed erunt vbique per omnes gentes, per quas Christi nomen propagatum est, & in quibus Christi nomen profligabit quantum poterit Antichristus. *Talis enim est dilecta ciuitas, & talia sunt castra sanctorũ quæ soluto diabolo cingentur à Gog & Magog*: id est, *Ecclesia Christi toto terrarum orbe diffusa ab omnibus inimicis suis* (quia & ipsi in omnibus gentibus cum illa erunt) persequutionis illius *immanitate cingentur, vt alium* Apocalypsis locum ca. 20. exponit August. Christus autem in hoc Euangelio docet non esse in deserto illo quærendam Ecclesiam de quo dicetur, ecce hic est Christus, ecce illic, id est, sic hic & illic vt non vbique, non in communione omnium gentium, non in Catholica multitudine per orbem vniuersum dispersa, sed in hæretica paucitate hic & illic per partes & scissuras diuisa atque disiuncta. Nempe disertè Christus in verbis proximè præcedentibus vbi dixerat. *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus aut illic, nolite credere,* subiungit statim, *Surgent enim pseudo-christi & pseudo-prophetæ*, nempe qui hoc ipsum dicturi sunt, ecce hic est Christus, ecce illic. Vna hæresis hic, altera illic. Vna secta Geneuæ, altera secta VVittembergæ, &c. Móxque iterum addit Christus. Ecce prædixi vobis. *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, ecce in penetralibus*, id est, ecce hic, ecce illic, *nolite exire, nolite credere.* Quæ verba exponens Sanctus Hieronymus, ita scribit. *Si quis promiserit vobis quod in deserto gentilium, & philosophorum dogmate Christus moretur, aut in hæreticorum penetralibus qui Dei pollicentur arcana, nolite exire, nolite credere.* Sed & hunc sensum (hoc est de hæreticorum latebris se loqui) Christus Dominus in verbis proximè subsequẽtibus docet. Ait enim. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente & paret vsque in Occidentem, sic erit aduentus filij hominis.* Sensus enim hic est vt exponit sanctus Hieronymus. *Nolite exire, nolite credere quòd filius hominis vel in deserto gentium sit, vel in penetralibus hæreticorum, sed quod ab Oriente vsque in Occidentem fides eius in catholicis Ecclesijs fulgeat.* Docendus ergo hoc loco populus fidelis, ne propter illam in Apocalypsi prophetiam, quæ non de latibulis hæreticorum hic & illic Christum prædicantium, sed de totius Ecclesiæ statu in illa acerbissima Antichristi persecutione vbique terrarum ad momentum latitante loquitur (quod est desertum quoad loca tantum) ab hac grauissima Christi admonitione diuelli se patiatur, qua docet nos à priuatis & diuulsis hæreticorum conuenticulis, sectis, ac partibus studiosissimè cauere, nempe nec exire, nec credere illis. Non exire ab Ecclesia Catholica, non credere vlli sectæ particulari, hoc est enim desertum quoad sectas à Christo hoc loco prænonitũ. Distinguendum desertum quoad loca, in quo Deus fugientes pios donec transeat persecutionis tẽpestas

Mulier in desertũ fugiens quomodo ad Ecclesiam pertinet.

Aug. de ciuit. Dei lib. 20. c. 11

In cõ. ad c. 24. Matth.

Ibidem.

conseruat

A conseruat iuxta Apocalypsis verba, ab alio deserto & penetralibus quoad sectas & partes hæreticas, ad quas prohibet Christus prorsus exire.

Rursum ille locus Apocalypseos de breui admodum quadam persecutione loquitur, & quidem vt videtur in ipso exordio Ecclesiæ futura, quia statim post partum mulieris illa describitur. Sed siue in exordio, siue in fine futuram persecutionem illa prophetia describat, non nisi ad tres annos eum dimidio eam duraturam Ioannes dicit. *Vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis à facie serpentis*: hoc est ad tres annos cum dimidio. Neque verò breue tempus pro longiori hoc loco intelligi potest, quia videlicet (vt quidam cauillantur) breue tempus in Scripturis vocatur æternitatis respectu, & coram Deo mille anni tanquam annus vnus est: vel quia tota hæc Ecclesiæ post Christum in cœlos assumptum peregrinatio breue tempus dicitur, quum tamen tot sæcula comprehendat, iuxta illud Petri, *Non tardat Dominus promissionem suam, &c.* propter varias causas. Primum, quia de hac persecutione Antichristi (quam hoc loco intelligi hæretici volunt) disertè dicit Christus breuiandum esse ipsum tempus his verbis. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi*. Non igitur longiores futuri sunt, quàm prædicitur, sed potius breuiores. 2. *Apoc. 12. Tempus latitantis mulieris in deserto longũ esse non potest.* 2. Pet. 3. Matth. 24.

Secundò, quia non indefinitè prædicitur breue tempus, vt in alijs illis Scripturis quæ ad æternitatis comparationem loquuntur, sed certũ & definitum tempus præscribitur: *tempus & tempora & dimidium temporis*: & paulò superiùs in eodem capite Apocal. *Mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta. Qui numerus tres annos cum dimidio conficit*. Quod igitur tam disertè, tam certo & præscripto numero dicitur, atque repetitur, planè nos docet de tempore definito, aut certè quod hanc mensuram non excedat necessariò intelligi debere. B 3. Apoc. 12.

Tertiò hæc eadem Ecclesiæ persecutio à Daniele descripta eodem certo ac definito dierũ numero describitur. *Sermones* (inquit) *contra excelsũ loquetur & sanctos altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare tempora & leges: & tradentur in manu eius vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis*. Quod ergo toties in certo & definito futurum tempore prædicitur, profectò vltra eius temporis mensuram extendi non potest. Nihil ergo ille Apocal. locus pro latitante Protestantiũ Ecclesia, aut pro deserto & penetralibus hæreticis facere potest. Latitans enim & fugitiua Protestantium Ecclesia ab aliquot iam sæculis latuit, tot profectò, quot illi Papatui tribuunt, siue à 500. siue à 600. siue etiam (vt plerique statuunt) à mille annis. Dan. 12.

Præterea locus ille Apoc. nõ loquitur de perpetuo statu, cursu, & progressu Ecclesiæ, sed de certa quadam eius persecutione. Ecclesia enim quum simpliciter describitur, vt corpus illustre, manifestũ, & visibile describitur: iuxta plurimas Script. easque manifestas, non obscuras, quales C omnes prophetiæ sunt, maximè quæ in Apocal. continentur, *cuius tot sunt sacramenta quot verba*, vt sapienter scripsit sanctus Hieronymus. Eas Scripturas ex bona parte hic subiiciemus, vt habeat in promptu concionator catholicus quibus hoc portentum latitantis Ecclesiæ facilè exterminet, & Christi doctrinam in hoc Euangelio, locis cognitis illustret atque confirmet. Dicit Dauid de Christo, *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, ait August. *non in occulto, non quæ lateat, non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum*. Dicit iterum Dauid de Ecclesia Filij Dei. *Magnus Dominus & laudabilis nimis: in ciuitate Dei nostri, in monte Sancto eius. Hæc est ciuitas* (ait August.) *in monte posita, quæ abscondi non potest. Hæc est lucerna quæ sub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata. Sequitur enim. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera aquilonis ciuitas regis magni*. Rursum Propheta Esaias de Christo & Ecclesia. *Ibunt populi multi & dicent, Venite & ascendamus ad montem Dei* (qui est Christus) *& ad domum Dei Iacob*, quæ est Ecclesia. Quomodo autem populi sic ad eam domum confluent, nisi conspicua & manifesta sit? Hunc locum habes superius ex Augustino explicatum. Vbi etiam cauillationi Gul. Fulconis Anglocaluiniſtæ sanctus ille doctor occurrit. Cauillatur ille Anglocaluinista. *Ciuitatem* (inquit) *super montem exædificatam omnibus per vniuersum terrarum orbem aspicabilem esse nemo sanus dixerit, sed his solum qui non admodum* D *longè positi sunt. Sic Ecclesiæ doctores his quos docent sunt conspicui, non tamen omnibus alijs*. Respondet autem Aug. loco citato hunc montem super quem ædificatur Ecclesia esse montem qui impleuit vniuersam terrã, Christũ videlicet iuxta Esaiam & Danielem, quos illic producit, ideóq; etsi cæteri montes, vt Olympus in Græcia, Gildaba in Africa solis Græcis & Afris contiguis noti sint, Christum tamen & Ecclesiam super illum ædificatam toto orbe notissimam esse. Relege locũ & expende. Sed & vrgenda hoc loco verba Christi manifestissima, quæ ad Apostolos suos dicit qui tunc Ecclesiam repræsentabant. *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Nemo accendit lucernam & ponit sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt*. Ecclesiam vocat lucem mundi, quia toti mundo conspicua est, sicut sol ipse qui est in alio genere lux mundi: & sicut Christus ipse qui principaliter est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, est conspicuus toti orbi. Sicut inquam Christi nomen omnibus gentibus notum & diffamatum est, sic vera Ecclesia Christi quæ per participationem lux mundi est, omnibus gentibus est nota & conspicua, hoc est, quod Christus hic dicit. Et ratio vrgentissima est, quia Christus non nisi in vera Ecclesia cognoscitur, caput non nisi in vero suo corpore conspicitur. Debuit ergo necessario Ecclesia esse lux mundi à Christo illuminata, & toti mundo cõspicua, sicuti Christus ipse lux mundi est illuminans omnes. Non enim Christus, nisi per suam 4. *In epist. ad Paulinum. Scripturæ quæ visibilem Eccles. describunt.* Psalm. 18. *Enar. ibid.* Psalm. 47. *Enar. ibid.* *Esaiæ 2. Tract. 1. in ep. Ioan.* Matth. 5 *Ecclesia lux mundi* Ioan. 1.

Ecclesia ciuitas super montem posita. Luc. 24. Ecclesiam homines illuminat. Rursum, est *Ciuitas super montem posita*, id est super Christum ædificata, ideóque *quæ abscondi non potest*. Hoc est, quæ nusquam terrarum latere aut ignorari potest, vbi Christus prædicatur, *prædicatur autem nomen eius per omnes gentes incipiendo à Hierusalem*, id est, non simul & semel, sed per ordinem & successiuè. Vnde sic sanctus Augustinus. *Propter metum parvulorum in fide qui possunt seduci ab hominibus, non manifestata claritate Ecclesiæ*, (id est, ne gentilis Christianus fieri cupiens in sectam aliquam hæreticam loco veræ Ecclesiæ incidat) *Dominus prouidens ait, Non potest Ciuitas abscondi super montem posita, quia vtique iuxta Hieremiam sedes gloriæ exaltata est sanctificatio nostra*, id est, Ecclesia in qua Christus tanquam caput in corpore sedet, & gubernat, & cuius ministerio sanctificamur, illustris est, & conspicua: *Vt non audiantur illi, qui ad scissuras religionum, & partes traducunt dicentes, Ecce hic, aut ecce illic.* Hæc ille. *Cont. Faust lib. 13. c. 13. Ierem. 17.*

Li. 3. c. 5 cō. Parmen. Nempè vt alibi scribit idem doctor celeberrimus. *Nulla est securitas vnitatis* (qua videlicet ab hæresi conseruemur) *nisi ex promissis Det Ecclesia declarata quæ super montem constituta abscondi non potest. Et ideò necesse est, vt omnibus terrarum partibus nota sit.* Hæc rursum sanctus Augustinus. Quam certè ob causam & propter horum Christi verborum vim hoc breui argumento probat Donatistas Ecclesiam Christi non esse. *Non estis* (inquit) *in montibus Sion, quia non estis in Ciuitate super montem constituta, quæ certum signum hoc habet quòd abscondi non potest. Nota est ergo omnibus gentibus. Pars autem Donati ignota est pluribus gentibus. Non est ergo ipsa.* Hęc ille. *Li. 2. c. 104 cō. Petiliā.*

Matth. 6. Ecclesia lucerna accensa. Apoc. 1. Rursum Christus vocat suam Ecclesiam, *lucernam accensam, super candelabrum positam, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Lucernæ sunt Pastores & Doctores, Magistri Ecclesiarum. Candelabra sunt loca in quibus pascunt, & præsunt, iuxta illud Apocalypsis: *Candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt*, Asiaticæ videlicet illic nominatæ, Ephesina, Smyrnensis & aliæ. Docet igitur Pastores & Episcopos Ecclesiarum nunquam latitare sub modio (vt hæretici hodie dogmatizant) nunquam esse fidelibus incognitos: sed perpetuò lucere doctrina & exemplo omnibus qui in domo Ecclesiæ sunt. Vnde sequitur *non in deserto, non in penetralibus*, non in aliqua latitāte & occulta Ecclesia, quæ suos Pastores proferre non potest, quærendum esse Christum & fidem Christi, sed in illa sola Ecclesia quæ lucet, quæ suos Pastores & Episcopos proferre potest, *quæ suarum Ecclesiarum originem edere, suorum Episcoporum ordinem euoluere potest*: ad quod meritissimè omnes hæreticos prouocauit Tertullian. prouocamus & nos. Hæc aut ex his aliqua ex huius Euangelij occasione proferre concionator potest, vt non nisi in Catholica Ecclesia, quæ successionem pastorum sola profert, Christiano homini manendum esse suadeat atque persuadeat. *In Præscript.*

Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

QVia hæretici hodie deserta penitus Ecclesia Christi catholica per totum orbem dispersa, occultas quasdam & latentes Ecclesiæ Reliquias scrutari & vendicare coguntur, putauit Caluinus inter alias Scripturas eo detortas, hunc quoque locum ad hanc rem accōmodatum esse. Primùm igitur conuenire ait hunc locum cum illo Esaiæ 9. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, fuissemus sicut Sodoma & Gomorrha.* Quod quidem quoad seruatas Iudæorum Reliquias, quæ prædicantibus Apostolis in Christum crediderunt, verum est. Sed ab eo quod fingit Caluinus alienissimum est. Mox enim ex illis credentium Iudæorum reliquijs in vastissima illa aliorum Iudæorum incredulitate, infert & concludit homo impius similem in Ecclesia Christi per omnes gentes diffusa fore vastitatem, & ait. *Est hoc insigne diuini iudicij documentum, vbi visibilem Ecclesiam sic affligit vt funditus videatur perdita: & tamen ad seruandum aliquod semen, suos electos, & quidem paucos numero mirabiliter ab interitu eripit, vt præter spem è gurgite mortis emergant. Sic enim terrentur hypocritæ, ne Ecclesiæ titulo, & specie freti vanam spem impunitatis fingant, quia modum inueniet Dominus, quo Ecclesiam suam liberet, ipsis in exitium traditis.* Hæc ille. Homo impius ex casu Synagogæ quæ tota typica, pædagogica, & localis erat, visibilis Ecclesiæ Christi, quæ ipsa veritas est, status perfectus, & toto orbe diffusus, casum & interitum deducit. Non est hoc diuini iudicij documentum, quo pereat visibilis Christi Ecclesia seruatis paucis Caluinistis, sed est diuinæ Scripturæ manifesta corruptio, quæ diuinas promissiones mendacij arguit, quæ veritati figuram, Euangelio legem, generalitati partem, perpetuitati temporaneum, perfectioni imperfectum, Christo Moysem adæquat. Quæ denique omnibus nouis & occultis hæreticis fenestram defensionis aperit. Christi enim Ecclesia visibilis, vt non vnius gentis, sed omnium erat, (*Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe*) vt non vmbras amplius, sed res ipsas pertractat (*vmbram quippe habuit lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*) *vt non pædagogum agit, sed ad virum perfectum in Christo ædificat*, vt denique non Moysem, sed Christum legislatorem, ac *Magistrum*, habet, ita non definiti cuiusdam temporis est, sicut Synagoga, *cuius diminutio diuitiæ gentium, & amissio reconciliatio mundi erat*, sed perpetuæ stabilitatis est, contra *quam portæ inferi non præualebunt, quam Spiritus Sanctus docet omnem veritatem in æternum*, & cum qua Christus est, *omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*: Visibilis inquam, Ecclesia, quoad suos Pastores ac Præpositos, maximè quoad summum eius Pastorem, talis est. Nam de Ecclesia super summum Pastorem ædificanda Christus loquebatur dicens.

Caluini cōsequentia ter impia.

Ecclesiæ & Synagogæ lata differentia.

Matth. 24. Heb. 10. Galat. 3. Ephes. 4. Matth. 23. Rom. 11. Matth. 6. Ioan. 14. Matth. 28.

A dicens, *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Apostolis suis, & baptizatis ac prædicaturis Euangelium Christus promisit Spiritum veritatis in æternum, suámq; præsentiam vsque ad consummationem sæculi. Non sunt igitur nouæ expectandæ reliquiæ pereunte visibili Christi Ecclesia, sed est in ea firmiter permanendum qui saluus esse vult. Neque enim ad Christum pertinere potest, qui in Christi corpore non est.

Dabunt signa magna & prodigia.

QVia hic seductorum prodigia taxantur, existimauit Caluinus ad suum institutum hoc imprimis facere, vt propter falsa seductorum signa, Ecclesiæ Catholicæ vera miracula traduceret, idque eo magis, quod se suosque sectarios tam falsis prodigijs, quam veris miraculis carere cerneret. Sed ipsius disputatio talis est, vt ipsa semetipsam perspicuè euertat. Sic enim scribit. *Quum Antichristos & mendaces Prophetas Dominus miraculis armatos fore pronuntiet, non est cur tantoperè superbiant Papistæ hoc obtentu, vel ipsorum iactantia territemur. Miraculis suas superstitiones confirmant: nempe quibus prædixit filius Dei labefactandam esse multorum fidem. Quare tantum apud prudentes momentum habere non debent, vt per se sufficiant ad probandum hoc vel illud doctrinæ genus.* Hæc qui- *Miracula Catholicæ Ecclesiæ defenduntur.*
B dem ille. Sed quum hactenus nihil nisi nugari se aut blasphemare potius animaduerteret, quum contra vera miracula tam Christi, quam Christianorum omnium hæc disputatio faciat, quibus Christus dixit, *Maiora horum facietis.* Et iterum: *Signa autem eos qui crediderunt hæc sequentur, ægris manus imponent, & bene habebunt, serpentes tollent,* &c. Idque in testimonium, & approbationem veritatis, de quo dixerat, *Spiritus testimonium perhibebit de me,* quum inquam hanc expeditã contra se obiectionem præuideret, eam conatur soluere. *Si excipiãt* (inquit) *hoc modo euerti, ac in nihilum redigi miracula, quibus tam legis, quam Euangelij sancita fuit authoritas, respondeo certam Spiritus notam illis insculptam fuisse, quæ dubitationem & errandi metum fidelibus eximeret. Neque enim quoties ad suos confirmandos virtutem suam exeruit Deus, ita confusè operatus est, quin vera extaret nullique fallaciæ obnoxia distinctio.* Hæc quidem ille, sed quæ sit hæc Spiritus nota, & quæ distinctio, dolosus hæreticus nihil dicit, sed generalem calumniam suam, excusatione generali probabilem facere contendit, quod eorum est, qui fallere lectores suos volunt, non docere. Hæc igitur adhuc responsio ac satisfactio nulla est. Pergit igitur, magisque lectorem ludificat. *Adde quod doctrinam sic obsignant miracula, vt illa quoque vicissim præluceat & discutiat omnes nebulas, quibus simplices mentes obfuscat Satan. Denique si ab impostoris cauere placet, sit apud nos individua signorum, & doctrinæ coniunctio.* Hæc ille. Sed non aduertit impostor, aut certè id simplicem lectorem aduertere non posse præ- *Ioan. 15.* *Marc. 14.* *Ioan. 15.*
C sumit, tum de ipsa doctrina quantumcunq; luculenta & pura dubitari posse non secus quam de miraculo, tum miracula ad doctrinæ confirmationem, *& ad eius faciendam authoritatem,* sicut ipse Caluinus obiecit, adferri solere. Christi doctrina maximè haud dubiè præluxit, & cum miraculis, quæ fecit coniuncta erat, tamen doctrinam ipsam suam miraculis confirmari voluit. *Si mihi* (inquit) *non creditis, operibus credite. Si opera ego facio quæ nemo alius facit, quare mihi non creditis?* Non ergo sufficit prælucere doctrinam nouam, & inauditam, & ex sese incredibilem, nisi miraculis confirmetur. Caluinus igitur impotens & insulsus hæreticus, catholicorum miracula impotenter conuellit, vera miracula à falsis distinguere insulsus non potest. Quanto melius in schola catholica didicimus seductorum signa & prodigia à veris miraculis distinguere, vel à personis seductorum, qui non legitimè vocati sese ingerunt, vel à fine quem obtendunt, *vt post se discipulos abducant,* vel ab ipsis in se miraculis aut fallacibus & meris præstigijs, quæ nisi deceptionẽ oculorum habent, aut si veris, prorsus inutilibus & ad ostentationem factis, non beneficijs, qualia omnia sunt veri nominis miracula. *Cum talia faciunt magi qualia nonnunquam faciunt sancti* (ait Augustinus) *diuerso iure fiunt.* Et paulò pòst: *Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani. Magi per priuatos contractus, boni Christiani per publicam iustitiam, mali per signa publica iustitiæ.* De- *Ioan. 8. & 10.* *Lib. 83. qq. q. 79.*
D nique alibi scribit, *piorum miracula vel maiora, certiora, clariora esse, vel ratione finis quo discernuntur, incomparabiliter excellere.* Sunt igitur falsa prodigia à veris miraculis distinguenda, vel ex personis facientium, vt quo iure fiant attendamus, vel à fine ad quem collimant, vel à modo & cursu quem tenent, ex quibus falsum à vero non ita difficulter discernere illi possunt, ad quos ista discernere ac dijudicare propriè pertinet.

Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.

TAmetsi ad literam nihil aliud Christus hic dicat, quàm futurum vt eo veniente ad Iudiciũ, omnes Sancti veluti aquilę ad cadauer quod longissimè prospiciunt, velocissime congregabuntur, vt in hac sententia celerrimam iustorum ad se collectionem doceat, sicuti in præcedenti sententia celerrimum suum aduentum docuit quomodo exponunt hunc locum Hieron. Hilarius & Origen. tract. 30. in Matthæum, tamen satis aptè & accommodatè ad eam iustorum cum Christo vnionem, quæ in huius vitæ militia per fidem & charitatem fit, hic locus applicari potest. Quam applicationem secutus Caluinus, pessimum inde corollariũ in schisma-

ticorum omnium fauorem ac patrocinium deducit. *Sensus* (inquit) *est. Quibuscunque artificijs conetur Satan huc & illuc distrahere filios Dei, in ipso tamen Christo sacrum esse vnitatis vinculum, quo deuinctos teneri conueniat. Vnde enim dissipatio nisi quia multi à Christo diffluunt, in quo solo sita est nostra firmitas? Ergo hic modus præscribitur fouendæ sanctæ coniunctionis, ne errorum distractiones corpus Ecclesiæ lacerent: nempè si in Christo defixi manemus.* Hæc ille. Sensus iste, vti diximus, non displicet, quia pius ac verus est, tametsi non litteralis. Sed quid inde impostor colligat, sequentia eius verba docebunt. *Quod diligenter notandum est. Neque enim vel ad Romanæ Sedis primatum, vel ad alias nugas nos astringit Christus: sed hoc vnico nodo Ecclesiam suam colligat, si ad ipsum vnicum caput omnes vndique respiciant. Vnde sequitur. Quicunque ei pura fide cohærent, extra schismatis esse periculum. Eant nunc Romanēses & schismaticos esse clament, qui se à Christo alienari non sinunt, vt latroni fidem suam mancipent.* Totus hic inanis verborum strepitus vno pene verbo solidè compescitur. Christo capiti ille solus vnitur, qui Christi corpori, quod est Ecclesia, vnitur. Nemo Christo pura fide cohæret, qui ab eius corpore, quod est Ecclesia, diuellitur. Ad vnicum caput, quod Christus est, vnicum scilicet vitale, respicere non potest, qui capita populi ab ipso constituta, *Pastores & Doctores quos dedit in consummationem fidelium, & in ædificationem corporis sui*, non respicit. Illos enim *pepsuit regere Ecclesiam sanguine suo acquisitã.* Illos ita omnes vndique respicere iubet, vt *qui eos audit, Christum audiat, qui eos spernit, Christum spernat.* Denique astringit nos Christus non solum ad se vnum, *tanquã vitæ authorem, quo solo verè pascimur*, vt postea Caluinus dicit, sed ad eum quoque nos astringit, cui dixit, *Pasce oues meas*, & sic ad Romanæ Sedis primatum disertè nos astringit, quia in illa sola sede ille vsque hodie sedet, qui Petri locum tenet, *cui pascendas oues suas per vniuersum mundum concredidit*, ait sanctus Chrysostomus. Eat nunc Caluinus, & extra schismatis periculum se esse clamitet, quia Christo sese adhærere dicit (quod omnes semper hæretici dixerunt, & nisi Christi nomine palliati, Christianos fallere nunquam potuerunt) & illi adhærere recuset, imo illum hoc loco, *latronem*, cauillator insulsus vocet, à quo si ouis Christi esse vult, pasci & regi necessario debet. In his enim verbis. *Pasce oues meas*, vni Petro *primatum gubernationémque per vniuersum mundum à Christo concreditum esse*, scribit sanctus Chrysostomus Episcopus Græcus, adeóque Patriarcha Constantinopolitanus: nec Petro tantùm, sed & *Petri successoribus oues suas pascendas Christum commisisse*, idem scribit sanctus Chrysostomus. In eandem sententiam alij scribunt antiquissimi Patres, Origenes, Arnobius, Gregorius Magnus, Augustinus, Theophylactus, & alij, quorum verba alibi recitauimus. Schismaticos illos esse, & non in Ecclesia definit, latéque probat sanctus Augustinus, tam *qui de ipso capite Christo Scripturis sanctis consentiunt, & de Christo credũt quæcunque credenda sunt, sed vnitati Ecclesiæ non communicant, & in vna parte separata inueniuntur* (sicuti Caluinus cum suis) *quam qui in Ecclesiæ communione inuentus, ea tamen de Christo sentit ac sapit, quæ secundum sanam fidem sapere & sentire non debet, quia videlicet totum Christus caput & corpus est.* Iam verò quia ad vnionem fidelium cum Ecclesia, sicut Aquilæ ad cadauer congregantur, aliquos catholicos hunc locum applicasse Caluinus vel aduertit, vel fingit, eos sibi carpendos iudicauit. Ait enim: *Quod Papistæ ipsi pro eorum societate accipiunt, qui vnam fidem profitentur, & Aquilas allegoricè exponunt pro acutis & oculatis, nimis insulsum est.* At quare tandē? *Quum* (inquit) *aliud non fuisse Christi consiliũ palam sit, quã ad se vocare, & in se retinere Dei filios vbicunq; sint dispersi.* Præclara sanè refutatio. Nimis insulsus Caluinus est, qui quos Christus ad se vocat & in se retinet, eos Eccl. Christi vniri & corpori eius adiungi debere docet. Atqui non insulsus modò, sed & impius Calu. est, qui ita Christo vniri vult, vt corpus Christi contemnat, ab eius Eccl. discedat, eius vnionem & cõiunctionem negligat. Qui *corpus* hoc loco pro Ecclesia & *aquilas* pro acutis & oculatis acceperũt, Christum imprimis tanquam huius corporis & Ecclesiæ caput spectauerunt, vt propterea nihil illi insulsum dixerint, sed nimis insulsus Caluinus fuerit, qui hoc non aduerterit, vel certè nimis proteruus, qui quod bene aduertit altè dissimulauit, vt reprehensioni locus esset. Pergit adhuc, & alios interpretes mordet Caluinus veluti rabidus quidam canis in omnes sibi obuios insiliẽs. *Neque etiam satis solida est aliorum argutia, qui odoriferam esse Christi mortem dicunt, vt electos Dei alliceret.* Atqui hunc sensum sequuti sunt doctissimi in Ecclesia Patres, Origen. tract. 30. in Matth. Hieronymus & Hilarius in hunc locum. Horum iudicium contemnit & argutiæ taxat Caluinus. Sed quamobrem, aut quo argumento ductus? *Non* (inquit) *meo iudicio ratiocinari voluit Christus à minori ad maius. Si tanta est in auibus sagacitas, vt ex remotis locis ad cadauer vnum multæ conueniant, turpe esse fidelibus non aggregari ad vitæ authorem, quo solo verè pascuntur.* Primùm homo arrogans, vt Patrum expositionem reijciat, *suum iudicium*, quasi regulam veritatis interponit: quod illi frequens ac solemne est. Deinde hæc ratiocinatio à minori ad maius non minus quadrat expositioni Patrum de Passione Christi, quam expositioni Caluinianæ de persona Christi. Imò quia vox, *corpus*, hoc loco propriè cadauer significat, quod ex Hieronymo & alijs Patribus acceptũ notauit hoc loco Caluinus, ipsam Christi mortem ac passionẽ cadaueris nomine, annotari probabilius Patres citati existimarunt. Aquilæ quoque hoc loco ad acutos, & oculatos significandos accommodatè sumuntur. *Imò* (ait Caluinus) *Aquilis nihil tribuit Christus quam quod apud nos coruis, aut vulturibus congrueret pro regionis quam incolimus natura*, vbi dupliciter errat Caluinus. Nam coruos ac vultures nõ minus in Palæstina versari, quam apud nos, sola lex Mosaica docere Caluinum potuit, quæ hæc volatilia tanquam immunda vetat comedi, ridiculè hoc vetitura, si in illa regione non inuenirentur: vt non propterea coruos aut vultures tacuerit, Aquilas autem posuerit,

Schismata defendit Caluinus ipse schismaticus.

Ephes. 4.

Act. 20.

Lucæ. 10.

Ioan. 21.

Hom. c. 5. in Matth.

Hom. 87. in Ioan.

Hom. 1. de Pœnit.

Li. 2. de Sacerdotio.

De prin. fidei. l. 6. c. 9. & 15.

In l. de vni. Eccl. c. 4.

Caluini putida cauillatio.

Caluinus canis rabidus.

Leuit. 11.

Iob. 39.

A posuerit, quia in illa regione corui ac vultures non essent, Aquilæ essent. Deinde valde probabile est Christum hoc loco ad propriam Aquilarum naturam respexisse, & ad illa verba Iob alluisse, vbi earum natura describitur. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, statim adest.* Ad hæc postrema verba Iobi Christum alluisse valde probabile est, & docere voluisse, electos ac sanctos peracutissimos fidei suæ oculos, vel Christi passionem ac mortem longè prospicere, & contẽplari, vt citati Patres exponunt, vel Christum ad Iudicium venientem (de quo Iudicio hoc loco disputatur) celerrimè cognoscere, & ad eum, resumptis vndequaq; corporibus suis admirabili promptitudine aduolare & congregari. Vtcunque est, vt in priori sua exceptione insulsus, & impius, ita in hac posteriori reprehensione stultus & temerarius Caluinus fuit.

Tunc parebit signum filij hominis in cœlo.

HOc signum filij hominis, id est Christi, quod eo ad iudicium veniente in cælo comparebit, ipsam esse venerandam Christi crucem, quæ suo fulgore mundum illuminabit, sole
B tum & luna cæteriſque syderibus sua luce priuatis, summo & vnanimi consensu docent Patres. Origenes tractatu 30. in Matthæum, Hilarius, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus in commentar. in hunc locum. Hippolytus in orat. de consummatione mundi. Ephrẽ in libro de pœnitentia, cap. 3. Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 12. Cyrillus Hieros. in oratione ad Constantium, & Eusebius Emissenus in lib. Allegoriarum. Quorum Patrum fidem & apertũ huius loci sensum sequuta Ecclesia in officio publico fideliter canit, *Hoc signum crucis erit in cælo quum Dominus ad iudicandum venerit.* Quam profecto ob causam toto hoc intermedio tempore crucis signum merito veneramur. Nam nisi signum crucis communiter fidelibus in Ecclesiis & domi interea temporis proponeretur, illius aspectus in die iudicij non magis moueret, quàm signum lanceæ, aut flagelli, aut spongiæ, aut alterius cuiuspiam rei ad Christi passionem pertinentis. Vnde hæretici tollendo hodie passim ex hominum conspectu *Crucis signum*, & nusquam illud defigi permittentes, id imprimis agunt, vt eius aspectus in die iudicij nihil prorsus eos moueat: nisi fortè ad blasphemiam aut confusionem. Caluinus igitur hoc loco de signo crucis altum silentium tenens, hæc Christi verba *de signo filij hominis quod parebit in cælo*, ad alium longè sensum detorquet. *Sequitur* (inquit) *signi illius explicatio quod filium hominis videbunt super nubes venientem, qui sub habitu serui contemptibilis tunc in terris agebat.* Atqui tanquam distincta hæc & diuersa Matthæus narrat. Primum, *tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, &*
C *videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli.* Tria dicit Matthæus, primum de signo filij hominis apparente in cælo, deinde de planctu infidelium, qui signum illud eo vsque contempserunt (Crux enim Christi *Iudeis scandalum, Gentibus stultitia* erat) tertio quod Christum videbunt venientem in nubibus. Distincta hæc sunt & diuersa, nec vnum alterius explicatio est. Aliud est signum filij hominis, aliud ipse filius hominis in persona propria: aliud signum præcedens, aliud res signata subsequens. Aliud in cælo apparere & fulgere, aliud in nubibus cæli venire cum virtute multa, & maiestate. Ridicula igitur & insulsa Caluini euasio est, & litteræ Euangelicæ repugnans. Communis tot Patrum intelligentia cuiuis insano hæretico, nedum Caluino anteponenda est.

Crucis signum in cælo.

Crucis signum cur à fidelibus frequenter conspiciendum.

Dominicarum totius anni finis.

LAVS DEO.

PROMPTVARIVM

CATHOLICVM,

SVPER EVANGELIA FERIALIA TOTIVS QVADRAGESIMÆ.

IN QVO VNIVS CALVINI VARIA IMPIETAS in multis, eisdemque grauissimis fidei dogmatibus aperitur, & accuratè refutatur.

AVGVST. ENARRAT. IN PSAL. 36.

Tanto magis debemus commemorare vanitatem hæreticorum, quanto magis quærimus salutem eorum.

PROMPTVARIVM

CATHOLICVM

SVPER EVANGELIA

FERIALIA TOTIVS

A

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. AVDOENO Ludouico, Episcopo Cassanensi, &c. Thomas Stapletonus perpetuam fælicitatem precatur.

B POSTVLAT à me (Reuerendiss. in Christo Pater) & virtutum tuarum quædam ἐπιχλοπαθεία, & amicitia nostra perantiqua, vt post alia nostra opuscula diuinæ gratiæ beneficio in lucem emissa, hunc exiguum fœtum nostrum, quasique alterius Operis nouam appendicem Reueren. tuo & dulcissimo mihi Capiti consecrarem. Effecit tua varia ac multiplex virtus, in vtriusque Iuris vastissimis spatiis solida ac summa eruditio, admirabilis in rebus agendis industria, prudentia, grauitas, totius vitæ puritas, ac singularis semper in Deum pietas, quam præclaræ illæ dotes ingenij acutissimi, fælicis memoriæ, cum suauissima morum comitate coniunctæ, plurimum exornarunt, vt postquam in Academia Duacena maxima cum laude ius Sacrum aliquot annis docuisses, ad Metropolim Cameracensem sola eruditionis fama euocatus, & in collegium illud venerabile cooptatus, ius ibi populo dixeris; inde ab illustrissimo Archiepiscopo in vrbem destinatus grauissimi negotij conficiendi causa, ab annis iam viginti aut circiter, sic in illo nobilissimo totius orbis theatro te
C gesseris, vt negotio ex animi sententia confecto, noua illic dignitate auctus, S. Sedis Referendarius constitutus, vbi tua diligenti opera & industria Seminarij in vrbe gentis nostræ fundamenta iacta essent, non ita multo post à Sapientiss. ac Sanctæ memoriæ Pontifice, Gregorio XIII. Illustris. ac Reuerendis. Cardinali Borromæo, Mediolanensi Archiepiscopo, nostri temporis Ambrosio, traditus fueris, qui in tota eius ampliss. Prouincia Vicarium generalem ageres, cui Sanctissimo Præsuli ad mortem vsque adhæsisti, indéque in vrbem rediens, ad Episcopatum Cassanensem euectus, postquam illum gregem aliquantisper tua præsentia sanctè ac sapienter rexisses, Seminario quoque illic Cleri Cassanensis erecto, in vrbem reuocatus, tum à Gregorio XIV. fœlicis memoriæ ad Helueticos Nuncius Apostolicus designatus, tum à Sanctiss. Domino, qui clauum nunc Ecclesiæ tenet, Clemente VIII. in visitandis Ecclesiis quasi alter Barnabas aut Silas assumptus, quotidianam operam præ-
D bes. Atque hæc quidem eiusmodi sunt, vt nostrum hoc potius opusculum tuo nomini dicatum splendorem inde & commendationem accipiat, quàm ex eo T. Dign. aliquis splendor accedat: magisque ego audacia & temeritate peccare, quam ex hoc officio aliquid tibi tribuisse videri possim. Cæterũ amicitia nostra talis ac tãta est, tam antiqua, tam suauis, tot mutuis officiis à tenera vtriusque ætate firmata, vt & audaciam, si qua est, facilè condonet, & hoc studium nostrum tibi periucundum efficiat. Sanè in schola VVichamica pariter enutriti, in Academia Oxonienſi eiusdem collegij socij, hic Louanij simul exules, in Academia Duacena collegæ & Professores coniuncti in vrbe postmodum arcta familiaritate coniunctissimi, eo necessitudinis vinculo ab annis iam 40. & amplius colligati fuimus, vt tam diuturnum hunc ac suauissimum semper amorem nostrum, ego quidem hoc qualicunque testimonio toti

orbi testatum facere voluerim; tu vero pro tua in nos integerrima beneuolentia, A
non nisi animo gratissimo accipies. Virtutes animi nobilissimas & cætera in te Dei
dona veneror & suspicio. Beneuolentissimum in me semper animum tuum colo &
amplector. Communem parentem nostrum nobiliss. memoriæ Guillelmum VVi-
chamum, Episcopū Vintoniensem, duorum ampliss. collegiorum (quorum vnum al-
terius seminarium est) ante annos ducentos & amplius munificentissimum ac splē-
didissimum fundatorem, è cuius Scholis in hoc deplorando patriæ nostræ schisma-
te, ad causæ catholicæ defensionem prodiisti tu, prodiit Nicolaus Harpsfildus, Dia-
logorum contra Magdeburgenses, qui sub nomine Alani Copi editi fuerunt, au-
thor; Nicolaus Senderus, Thomas Hardingus, Ioannes Rastellus, Guillelmus Regi-
naldus, aliique complures, & ego omnium minimus: Hunc, inquam, parentem no-
strum, in huius operis dedicatione, quadamtenus honorare, eiusque memoriam
sempiternis laudibus dignam, posteritati refricare, (cui mea prima studia debeo)
perlibenter volui. Accipe igitur Reuerendissime Antistes, siue B. memoriæ Patris
nostri Guillelmi VVichami, siue alumni eius Stapletoni tui nomine, Promptuarii B
nostri Catholici partem Quadragesimalem, tuo auspicatissimo nomini dicatam, &
veteris amici officium boni consulito.

In hac sanè parte Quadragesimali vnum Caluinum calamus noster potissi-
mum petit, tum quia impostor ille Scripturam Euangelicam (cuius hic verba tra-
ctamus) vnus omnium pestilentissimè corrupit, deprauauit, adulterauit: tum quia vt
in Gallia iamdudum, sic nunc in excæcata Anglia nostra, magnaque Germaniæ par-
te, illa vna pestis potissimum regnat. Non sunt quidem ista vel in Episcopatu vestro,
vel in vrbe necessaria. Sed aliis ista scripsit qualiscunque industria nostra, quæ vni
tibi dicata voluit amicitia nostra. Annus iam agitur quintus, quum in reliqua Euan-
gelia totius anni, tam Dominicalia, quam de Festis, Promptuarium Catholicum in
lucem emisi. Opusculo illo hoc interea temporis iam quater edito, à compluribus
enixius rogatus fui, vt Euangelia per ferias Quadragesimales legi solita, simili studio C
explicarem. In quinta igitur operis editione prodit hoc auctuarium, ad Dei gloriam
& veritatis Orthodoxæ qualemcunque explicationem: illis sanè in locis, vbi grassa-
tur hæresis, maximè vbi pro magno habetur Caluinus, non inutilem (vti spero) fu-
turam. Sed & tibi, è schismate patrio quasi è flammis erepto, non iniucunda erit eo-
rum lectio, quæ quantis è malis ereptus fueris, ad oculum demonstrant. Ardet qui-
dem Sodoma de cælo, omniaque apud nos hæresum flammæ depascuntur. Sed quia
necdum extinctus ille ignis est; quin crescit adhuc magis, viresque acquirit eundo,
planè vt alios inde eripiamus, néue adhuc latius sese diffundat hæc flamma, respicere
licebit, imo & expediet. Respeximus ergo & nos, tametsi Dei beneficio in tuto po-
siti, non quidem oculo carnali, vt illa vxor Lot, quasi de rebus illic nostris iamdu-
dum deperditis & absumptis soliciti, sed (diuina adiuuante gratia) oculo spirituali,
oculo charitatis: vt fratres nostros vel necdum penitus deploratos, sed quasi ambu-
stos ab hæreticis illis flammis eripiamus, vel adhuc sanos & intactos, ne illis se com- D
mittant ignibus, tempestiuè moneamus, atque in fide, in qua stant, pro nostro mo-
dulo roboremus. Hic totius huius Promptuarij Catholici, hic huius partis Quadra-
gesimalis, hic aliorum nostrorum pro fide Catholica operum ac laborum, vnicus
semper scopus ac finis fuit, vnicus deinceps scopus ac finis (in iis quæ adhuc medi-
tamur) erit. Deus autem misericordiarum Reuerendiss. Dom. Tuam, & nostros
qualescunque labores sua benedictione impertire dignetur. Amen.

Louanij Calend. Ianuarij. 1594.

SCRIPTVRÆ

A

SCRIPTVRAE EVANGELICAE QVÆ IN HAC PARTE QVADRAGESIMALI per singulas ferias contra corruptelas hæreticas, sed imprimis Caluinianas, ex proposito tractantur.

B

IN FERIA QVARTA CINERVM.

1 CVM ieiunatis, nolite fieri tristes sicut hypocritæ. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. *Matt.6.*
2 Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
3 Thesaurizate vobis thesauros in cælo.

In feria 5. post caput ieiunij.

Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. *Matt. 8.*

In feria 6. post caput ieiunij.

Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: Benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. *Matt. 5.*

In Sabbato post caput ieiunij.

1 Domine si tu es, iube me venire ad te. *Matt.14.*
2 Deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant. *Marc.6.*

C

In feria 2. hebdom. 1. Quadragesimæ.

Venite benedicti Patris mei possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi, Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. *Matt.25.*

In feria 3. hebdom. 1. Quadragesimæ.

Domus mea domus orationis vocabitur. *Matt.21.*

In feria 4. hebdom. 1. Quadragesimæ.

1 Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? *Matt.12.*
2 Quicunque facit voluntatem Patris mei, hic frater meus & soror & mater est.

In feria 5. hebdom. 1. Quadragesimæ.

1 Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes; Dimitte eam, quia clamat post nos. *Matt.15.*
2 O mulier magna est fides tua.

In feria 6. hebdom. 1. Quadragesimæ.

1 Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur *Ioan.5.*
D infirmitate.
2 Vis sanus fieri?

In Sabbato hebdom. 1. Vide Dominicam 2. Quadragesimæ.

In feria 2. hebdom. 2.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. *Ioan.8.*

In feria 3. hebdom. 2.

1 Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite. *Matt.23.*
2 Qui maior est vestrum, minister vester erit.

In feria 4. hebdom. 2.

1 Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. *Matt.20.*
2 Et dare animam suam redemptionem pro multis.

In feria 5. hebdom. 2.

Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.16.*

In feria 6. hebdom. 2.

Matt.21. 1 Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A
2 A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

In Sabbato hebdom. 2.

Luc.15. In se autem reuersus dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

In feria 2. hebdom. 3.

Luc.4. Nemo propheta acceptus est in patria sua.

In feria 3. hebdom. 3.

Matt.18. 1 Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.
2 Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.

In feria 4. hebdom. 3.

Matt.15. 1 Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?
2 Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?
3 Sine causa me colunt docentes mandata & doctrinas hominum.
4 Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem. B

In feria 5. hebdom. 3.

Luc.4. Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

In feria 6. hebdom. 3.

Ioan. 4. 1 Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
2 Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.
3 Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.
4 Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.

In Sabbato hebdom. 3.

Ioan.8. Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.

In feria 2. hebdom. 4.

Ioan.2. Dixerunt ei Iudæi: quod signum ostendis nobis quia hæc facis?

In feria 3. hebdom. 4.

Ioan.7. 1 Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.
2 Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. C

In feria 4. hebdom. 4.

Ioan.9. 1 Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit luto oculos eius, & dixit ei. Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur, missus.
2 Iterum ergo interrogauerunt eum Pharisæi, quomodo vidisset.

In feria 5. hebdom. 4. Vide Dominicam 15. post Pentecosten.

In feria 6. hebdom. 4.

Ioan.11. 1 Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.
2 Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire.

In Sabbato hebdom. 4.

Ioan.8. Tu testimonium perhibes de teipso: testimonium tuum non est verum.

In feria 2. post Domin. Passionis.

Ioan.7. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.

In feria 3. post Domin. Passionis.

Ioan.7. Neque enim fratres eius credebant in eum. D

In feria 4. post Domin. Passionis.

Ioan.10. 1 Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.
2 Pater & ego vnum sumus.

In feria 5. post Domin. Passionis.

Luc.7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

In feria 6. post Domin. Passionis.

Ioan.11. 1 Hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.
2 Hoc autem à semetipso non dixit; sed quum esset Pontifex anni illius, prophetauit.

In Sabbato

In Sabbato post Dom. Passionis.

1 Benedictus qui venit in nomine Domini.
2 Accesserunt ad Philippum,& rogauerunt eum dicentes: Domine volumus Iesum videre. Ioan. 12.
3 Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora.

In feria 2. hebdomadæ Sanctæ.

1 Maria accepit libram vnguenti nardi pistici,& vnxit pedes Iesu,& extersit pedes eius capillis capitis sui. Ioan. 12.
2 Pauperes semper habebitis vobiscum. Me autem non semper habebitis.

In feria 3. hebdomadæ Sanctæ.

1 Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, &c. Marc. 14.
2 Accepit Iesus panem & benedixit.
3 Hoc est Corpus meum.
4 Hic est Sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

In feria 4. hebdom. Sanctæ.

Quod pro vobis datur,&, qui pro vobis fundetur,&, Pater, si vis, transfer à me calicem istum. Luc. 22.

In feria 5. hebdom. Sanctæ.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ioan. 13.



PROMPTVARIVM CATHOLICVM SVPER EVANGELIA FERIALIA TOTIVS QVADRAGESIMÆ.

B

IN FERIA QVARTA CINERVM.

1. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Matt. 6.

LOCVS hic opportunus, nec ab hoc Quadragesimalis ieiunij capite & exordio alienum esset, de ieiunij præcepto, fine, fructuque amplissimo contra licentiosos & laxos horum temporum hæreticos differendi, nisi in Dominica prima Quadragesimę, tum in hoc Catholico, tum in altero morali Promptuario iamdudū ea de re latius disseruissem. Nunc hæc Christi verba (quæ quum ieiunandi modum doceant, quin ieiunium ipsum, vt rem imprimis laudabilem, Deoque gratam, manifestè commendent, dubitari non potest) ab hęreticorum hodie corruptela vindicare, operæpretium erit. Caluinus Euangelicæ scripturæ corruC ptor maximus (quod, fauente Deo, tum in his Euangeliis per ferias Quadragesimales legi solitis, tum alio in loco plenius explicatum dabimus) ieiunium hic à Christo ab externa hypocrisi & simulata quadam ac tetrica vultus compositione reuocatum, mirabili metamorphosi ad victus moderationem à lautitiis & delitiis renouatum, transfert. Sic enim in illa verba, *vnge caput tuum, & faciem tuam laua*, scribit. *Non iubet Christus simulare lautitias, nec indulget delitias in vnguentis & vestitu, sed simpliciter nos hortatur ad tenendam moderationem, in qua nihil sit vel nouum, vel affectatum: ac si diceret ita ieiuniis vacandum esse, vt in consueta vitæ ratione nihil mutemus.* Hæc ille. Secundū igitur Caluini Euangelium, sic loquitur Christus. Tu quum ieiunas, vide vt de consueta vitæ ratione nihil mutes, sed eam moderationem teneas, in qua nihil sit vel nouum vel affectatum. Ieiunium definit, victum moderatum, & consuetam vitæ moderationem tenere.

In Antidotis Euāgelicis & Apostolicis.

In com. Harmoniæ Euang. ad Matt. c. 6.

Ieiunium Caluinianî victus moderatus.

Quæ nouella explicatio, quàm absurda & impia verborum Christi sit corruptela, paucis populo aperiendum est: tum vt ieiunij vera ratio teneatur, tum vt tam nefarius impostor merito traducatur. Ac primum quod Christus iubet faciē vngere, & caput lauare, hoc nec ad victum, nec ad vestitum pertinet, vt somniat Caluinus, sed tantummodo ad externum corporis cultum, Iudæis familiarem, qui non solum faciem lauare, sed & caput vngere in more habebant: in quo nihil mutare nos Christus vult. Iubet quum ieiunamus, non esse tristes sicut hypocritas, non esD se vultu tetrico, externam austeritatem præ nobis non ferre: *non exterminare facies nostras*, seu affectato pallore venustatem naturalem obscurare aut corrumpere, quod totum hypocritæ faciunt, vt videantur rigidi ieiunatores: sed econtrà faciem lauare, & caput vngere, id est, vsitata vultus hilaritate ac honestate in publicum prodire. Nihil hoc totum ad victus rationem, nihil ad vestitum pertinet. Bene pastus ac saginatus domi composito ad austeritatem vultu, nec lota facie, nec vncto capite, nec compta & polita veste, in publicum prodire potest; sicuti barbati ministri caperata fronte & galeato late capite, veluti hypocritæ maximi, sæpè prodeunt. Absurda igitur imprimis est hæc corruptela Caluini.

Christus quomodo tristitiam in ieiunio prohibet.

Ieiunij Caluinian impietas.

Iam vero vt glossæ Caluinianæ summa impietas luce clarius & compendio appareat, si ieiunium hoc loco nihil nisi moderationē victus consuetam significat, ergo Apostoli & discipuli Christi moderationem victus non tenebant: quia Christum sequentes *non ieiunabant sicut discipuli Ioannis frequenter*. Ergo & Paulus quum inter cæteras tribulationes & exercitia dicit, *In ieiuniis multis*, intelligendus est dixisse: multoties moderatum victum tenuit: aliàs vero & frequentius in lautitiis & delitiis vitam egi. Ergo rursum Prophetæ & Doctores illi Antiocheni, qui

Luc. 5.

2. Cor. 11.

Act. 13.

ieiunantes & orantes imposuerunt manus Paulo & Barnabæ, intelligendi sunt tunc quidem moderationem victus tenuisse in qua nihil nouum fuit aut affectatum, alias vero lautitiis & delitiis ac genio indulsisse. Denique quoties aut veteris populi Duces ac Reges, aut Sancti Prophetæ publica prædicauerunt ieiunia, vel vt iracundiam Dei placarent, vel vt noui aliquid à Deo beneficii impetrarent, nihil aliud ille populus faciebat, quàm vt de consueta victus ratione nihil mutans moderationem victus teneret, in qua nihil nouum aut affectatū esset. Atqui tota Scriptura reclamat, quum illa veteris populi ieiunia, quæ Christus hic ab hypocrisi reuocat, nouam & affectatam valde afflictionem coniunctam haberent, & de consueta victus ratione plurimum detrahebant. Achab pœnitentiam acturus, *operuit cilicio carnem suam, ieiunauit & dormiuit in sacco.* Audientes filii Israel terribilem potentiam Holofernis, *humiliauerunt animas suas in ieiuniis.* Ipsa autem Iudith toto tempore viduitatis suæ *ieiunauit omnibus diebus præter sabbata & neomenias, & festa domus Israel.* An autem in illis sabbatis ac festis moderatione victus abiecta, in delitiis vixit? *At vidua in deliciis viuens, mortua est*, ait Apostolus. Hæc vero *erat in omnibus famosissima, quia timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Sed quid erat veteribus ieiunare, vna Hester pro populo suo Regem interpellatura demonstrat. Sic enim scribit Mardochæo. *Congrega omnes Iudæos qui in Susis sunt, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Triduanum ieiunium vocat toto triduo nec comedere nec bibere. An hic de consueta victus ratione nihil mutatum est? Rursum quum Niniuitæ crediderunt in Deum, & prædicauerunt ieiunium, quale illud erat, paulo post explicatur. *Homines & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam.* Tale ieiunium docet Scriptura diuinitus reuelata Moderationem victus tenere, & de consueta illa vitæ ratione nihil mutare, philosophica quædam & moralis sobrietas est ab omnibus semper tenenda. Ieiunium pœnitentiæ pars est, in Dei cultum, animæque salutem ordinatum. Sed malunt in hac parte hæretici morales esse, si tamen tales, quàm iuxta morem populi & Christianæ religionis normam, veris ieiuniis operam dare. Quum tota vetus Ecclesia, diebus Dominicis, & toto tempore inter Pascha & Pentecosten ieiunia relaxarent, an dicet Caluinus, quod illis diebus in crapula & ebrietate, in lautitiis ac deliciis viuerent? Sed de ieiunio Caluiniano, plura diximus in Dominica infra Octauam Natalis Dom. in editione quinta Promptuarij Catholici.

Ieiunia in Scripturis commendata.

5. Reg. 21.
Iudith 4.
1. Timot. 5.
Hester 4.
Ioue 3.
Augusti. epist. 86. & 99. c. 15

A

B

Matt. 6.

2. *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

LOcus populum docendi ieiunium piè ac sincerè absque hypocrisi susceptum, virtutem esse Deo imprimis gratam, nec laude tantum, sed & mercede dignum: denique non edomādi tantum corporis fructum habere, sed sua quoque apud Deū retributione compensari. quemadmodum enim de eleemosynis, & de precibus hoc eod. c. Christus dixit, fore, vt *pater qui videt in abscondito*, id est, qui rectam cuiusque videt intentionem, *reddat illis*, vtique mercedem iustam, sic de ieiunio eisdem verbis idem affirmat. Cauillatur tamen & inuertit hoc totum Caluinus his verbis. *Quod ieiuniis mercedem à Deo promittit Christus, impropria locutio est, vt supra de precibus dictū est. Ieiunium enim per se opus medium est; non autem ex eorum genere, quæ Deus requirit, & probat, vt sunt eleemosynæ.* Hæc ille. Scilicet quę in Scripturis Sanctis hæreticorum placitis repugnant, impropriè dicuntur. Sed improprie hoc loco dici probare Caluinus vult, quia quum de precibus antea Christus idem dixerit, illud impropriè dictum fuisse à se probatum existimat. Videamus ergo quam eo loco huius rei probationem attulerit. *Quum dicit Christus* (ait Caluinus) *mercedem rependi precibus nostris, satis declarat quicquid mercedis passim Scriptura nobis promittit, non tanquam debitum solui, sed gratuitum esse.* Sed quare istud? Aut vnde sequitur, merces precibus promittitur, ergo quicquid alibi mercedis nomine Scriptura promittit, gratuitum est, non debitum? Quæ tandem est, & quàm insulsa consequentia? Esto: quum precibus merces promittitur, impropria sit locutio. An propterea in tota Scriptura aliis bonis operibus promissa merces impropriè semper accipienda erit? An quod semel impropriè dicitur, semper impropriè accipi oportet? *Cæli enarrant gloriam Dei*, impropria locutio est: ergo impropriè quoque & illud dicitur. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Rursum. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, impropria locutio est, quoad carnem & sanguinem: & significantur illi qui secundum carnem & sanguinem viuunt. Ergo illæ voces nunquam propriè in Scriptura accipiuntur? Iterū, *cibus meus est facere voluntatē Patris mei qui misit me*. Cibus hic impropriè accipitur: ergo in reliqua Scriptura propriè non accipitur? Hæc est insulsa cauillatoris Caluini cōsequentia, quæ sexcentis exemplis redargui potest. Deinde negamus mercedem precibus promissam impropriè promitti, quod dicere Caluino satis erat, quia probare nō potuit. Tametsi enim preces quidē nostræ non impetrant per modū iustitiæ, sed per modum misericordiæ id quod à Deo petimus, ideoq; hac ratione non debitū, sed gratuitum est quod precibus nostris largitur Deus, vnde & absque iniustitia negat sæpè, quod etiam piè ac laudabiliter petitur (quæ vna consideratio exceptioni Caluinianæ fauere potest) tamen pio & debito orandi modo (quem Christus hic docet) aliquid semper Deum retribuere manifestè hæc Christi verba affirmant. Quam autem passim Scriptura bonis iustorum operibus mercedem promittit, debiti & iustitię rationem habere Paulus perspicuè docet, dicens: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illo die*

Ieiunium opus meritorium.

In com. Harm. Euangel. ad cap. 6. Matt. Christus Caluino impropriè loquitur.

Caluini insulsa consequentia.

Psal. 18.
Psal. 49.
1. Cor. 15.
Ioan. 4.

Merces precibus promissa non est locutio impropria.

2. Tim. 4.

C

D

A *die iuſtus iudex.* Imo eam mercedem non reddere, iniuſtum eſſe idem Paulus docet. *Non enim (inquit) iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis.* Quod autem Caluinus mercedem ieiunio impropriè promitti, ex eo probare contendit, quia ieiunium per ſe opus medium eſt, nec ex eorum genere, quæ Deus probat aut requirit, vt ſunt eleemoſynæ, vanum ac falſum eſt. Quum Chriſtus dixit de ſuis diſcipulis, *quando ſponſus auferetur, tunc ieiunabunt*, nonne apertè docet ieiunium à ſe probari atque requiri, adeoque in genere iuberi? Eſt quidem ieiunium per ſe medium opus, niſi ad honeſtum aliquem finem referatur. Sed inter alios fines vnus hic eſt, vt in cultum Dei atque obſequium aſſumatur. Diſertè enim teſtatur Scriptura Deum ieiunio coli. De Anna Prophetiſſa, quæ Chriſtum paruulum in templo confitebatur, dicit Lucas. *Non diſcedebat de templo, ieiuniis ac obſecrationibus ſeruiens Deo die ac nocte*, vtitur verbo λατρεύσα quod proprie ſignificat cultum ſoli Deo debitum. Vide hac de re Dominicam infra Octauam Natalis Domini, textu ſecundo. Hebr. 6. Matt. 12.

3. *Theſauriſate vobis theſauros in cælo.* Matt. 6.

B LOcus pro certa & ampla bonorum operum mercede in cælis repoſita, & per opera pietatis acquirenda, contra hæreticorum hodie ſummam impietatem, qui bonorum operum merita in cælo conferri negat, qui ſola fide ſalutem ac vitam æternam comparari dogmatiſant, qui pietatis in Deum principium ac fundamentum tollunt. Principium enim religionis eſt, quod *accedentes ad Deum* tenere oportet, vt credant, *quia Deus eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt.* Tam negat Deũ qui eum eſſe, quã qui negat remuneratorẽ eſſe. Poſterius negant hæretici, quia præmia bonorum operum, quæ omnia immũda ſtatuunt, à Deo retribui nolunt. Prius quoque eadem opera negant: quum Deo ſua bonitas, qua iuſtis remunerat, tam intrinſeca ſit, quàm ipſa eſſentia ſua. Huc reſpiciens hoc loco Chriſtus, & profuſiſſimam in Deo remunerationem docere volens, iubet ſuos huius mundi theſauros ac diuitias negligere, nec ad mundi præmia ſuas actiones collimare, ſed *theſauros ſibi in cælo theſauriſare*, per eleemoſynas, pias preces, ieiunia, de quibus diſputauerat. Vocat futura in cælo, (non in hac vita tãtum) pietatis præmia, *theſauros*, propter vberrimam & effuſiſſimam Dei largitionem, & ipſam præmiorum magnitudinem. Iubet *theſauriſare*, quia noſtra quoque induſtria, noſtra cooperatione, diuinæ ſemper gratiæ auxilio adiuta, hic theſaurus comparatur. Non dicit, ſperate, exſpectate, credite futuros theſauros, quanquam ad illos aſſequendos & ſperare & credere oportet, ſed dicit, *theſaurizate*, Merces bonorum operum. Heb. 10.

C vt intelligamus præter fidem & ſpem actione & labore opus eſſe. Quemadmodum qui ſceleratè viuunt, & Dei bonitate ac benignitate, qua eos ad pœnitentiam abducit, abutuntur, *ſecundum duritiam & impœnitens cor ſuum theſauriſant ſibi iram in die iræ*, id eſt, impiis ſuis operibus accumulant ſibi grauiſſimas pœnas in die vindictæ diuinæ; ſic qui piis operibus operam dant, eos affirmat hoc loco Chriſtus, *theſauriſare ſibi theſauros in cælo*, id eſt, accumulare ſibi ipſis ingentia virtutum præmia in die retributionis, *qua reddet vnicuique Deus ſecundum opera ſua.* Rom. 2.

Hic eſt proprius, germanus. & apertiſſimus verborum Chriſti ſenſus, quem totum penitus inuertit Scripturæ Euangelicæ corruptor Caluinus. *Theſaurum*, inquit, *ſuum in cælo reponere dicũtur, qui expediti huius mundi laqueis, curas ſuas & ſtudia ad cæleſtis vitæ meditationem conferunt.* Et paulo poſt. *Quia durum eſt atque acerbum hominibus ſe proprijs facultatibus nudare* (apud Lucam enim dixerat: *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis*) *leuandæ huius moleſtiæ cauſa, amplam & magnificam ſpem compenſationis proponit; quod ſcilicet theſauros ſibi in cælo reponant, qui in terra ſubueniunt fratrum egeſtati, iuxta illud Salomonis, Qui erogat pauperi, fœneratur Domino.* Exponit theſauriſare in cælo, eſſe cæleſtem vitam meditari, & repoſitam in cælis mercedem vertit in cæleſtis vitæ meditationem: Cæterum theſauros in cæ- In com. Harmon. Euang. ad Matt. 6. Luc. 12.

D lo, de quibus Chriſtus loquitur, non eſſe præſentis vitæ actionem, ſed futuræ vitæ mercedem, Paulus clariſſimè docet, quum enumeratis piis pro pietate laboribus ſuis, *bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*, ſubiungit. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex.* Hic eſt theſaurus in cælo, quem Paulus ſibi theſauriſauit. Deinde cæleſtis vitæ meditatio non eſt *theſaurus in cælo*, ſed actio pietatis in terra: non eſt corona in cælo, ſed labor in terra. Sic cælum in terram, mercedem in laborem transfert Caluinus. Rurſum non tantum *proponitur ampla ſpes compenſationis leuandæ moleſtiæ cauſa*, vt comminiſcitur Caluinus, ſed proponitur & promittitur certa fruitio ampliſſimæ mercedis propter ipſa pietatis opera, quæ hanc mercedem promerentur, quia per illa theſauriſatur hic theſaurus, comparatur hæc merces. Theſauriſare, θησαυρίζειν eſt εἰς τὸ ἄδηλον πιθέναι: in craſtinum recondere, ſicut in loco Pauli ad Rom. 2. iam citato, *theſauriſant ſibi iram*, notare potuit Beza, ideoque verbum *theſaurizare* in textu illo retinuit. Sed hoc in loco vbi vox eadem græca eſt, nec Beza, nec Caluinus retinere voluerunt. Ille *congerite*, iſte *reponite & recondite* conuertit. Ait ergo Chriſtus de theſauro in futurum colligendo, non de meditatione vitæ cæleſtis aut ſpe ampla, ab actione virtutis & pietatis ſtudio (de quibus hic nihil Caluinus) ſeiuncto. Sed & D. Lucæ verba ſenſum orthodoxum, quem attulimus, gregiè confirmant. Ait enim apud illum Chriſtus, *non ad leuandam moleſtiam in faciendis eleemo-* Caluiniana corruptio explicatur. 2. Tim. 4. Beza in Annotat. in c. 2. ad Rom.

Caluini alia corruptio. *Luc. 12.*

synis vsque ad agrorum, si opus est, alienationem, vt fingit Caluinus, sed ad certam futuræ mercedis A retributionem: *facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo.* Quod Matthæus Græcus dixit, θησαυρίζετε, hoc Lucas dixit, ποιήσατε θησαυρὸν ἀνέκλειπτον, *facite thesaurum non deficientem.* Qui facit thesaurum, non meditatur tantum vitam cœlestem, nec tantum spem bonam futuræ compensationis apprehendit, sed ipsam futuram compensationem opere acquirit, ipsam mercedem operando promeretur. Hoc est enim *facere thesaurum*, operari mercedem, idque in cœlo sempiternam; non in hac vita quantumcunque spiritualem, quæ semper deficere potest, dum adhuc in via sumus. Vrgenda est igitur proprietas verborum Christi, contra hæreticorum corruptelam & deprauationem. Sanè obseruatione dignum est, quando de impiorum

S. Scripturæ affectata corruptio per hæreticos.

iusta mercede Scriptura loquebatur ad Roman. 2. loco iam citato, verbi proprietatem retinere & explicare diligenter hæreticos. Sed quum eadem vox hoc loco ad bonorum operum mercedem asserendam ab Euangelista ponitur, nec verbi proprietatem vllo modo ab hæreticis explicari, nec ipsum proprium verbum ab illis retineri. Est autem hic thesaurus in cælo, *incorrupta, & immarcescibilis illa corona*, quam nos in agone pietatis contendentes apprehendimus, vt suos

1. Cor. 9.

Corinthios docet Paulus: & suum Timothæum apertius, idem inculcans clarius, quod hic breuius & obscurius Saluator dixit. *Præcipe diuitibus huius sæculi, bene agere, diuites fieri in operibus bonis,*

1. Tim. 6.

facilè tribuere, id est nõ parcere pecuniis, *communicare*, id est, aliis liberaliter impertire quibus ab- B undant, *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurũ*: id est, charitatis & eleemosynæ merita multa congerere, quæ futuræ gloriæ fundamentum bonum sunt. Vocat eleemosynas diuitum, fundamentum ipsis bonum, ad futuram in cœlo mercedem consequendam, quia bene fundatur illa spes & expectatio vitæ, quæ charitatis æternæ operibus per Christi gratiam factis, & ex Christi amore profectis innititur. Sic iubet Christus electos propter misericordiæ opera *possidere regnum*. Sic monet diuites, *vt faciant sibi amicos ex mammona iniquitatis, qui cum ipsi defecerint, introducãt eos in æterna tabernacula*, quæ verba alio in loco tractauimus. Hoc est *thesaurizare sibi thesauros in cœlo.*

Diuitiarũ bonus vsus thesaurus.

Matth. 22.

Luc. 16.

Dom. 8. post. Pent.

IN FERIA V. POST CAPVT IEIVNII.

Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

Matth. 8.

Verbi prædicatio cur & quomodo ab hæreticis amplificata.

LOCVS asserendi hæc Centurionis verba à Christo summopere laudata, à peruersa admodũ corruptela & deprauatione Caluiniana. Caluinus, sicut omnes ferè alij hodie fidei Catholicæ desertores, partim vt verbi prædicationem mirificè extollerent, vel quia in eo genere hominum hæreticorum more loquaces & garruli plurimum se præ cæteris valere posse confidebant, vel quia hæc esca proposita, per dulces sermones & benedictiones, plurimos ad se attrahere & hæresis hamo irretitos tenere sperabant, partim vt Sacramentorũ efficaciæ ac virtuti detrahendo, cultum omnem Ecclesiæ externum inuerterent & innouarent; partim denique vt solam fidem amplificarent; cui omnis alia eorum disputatio subseruit; nouũ & inauditum in Ecclesiam Christi paradoxon introduxerunt; in verbi Euangelici prædicatione omnem salutem nostram administrari; in prædicatione verbi remitti peccata; deniq; vt Lutherani quidam voluerunt, idem tribuendum verbo prædicato quod Sacramento suscepto: vt Caluinus autem voluit totum verbo, nihil Sacramento nisi acceptæ iam prius in verbo iustitiæ obsignationem quandam & confirmationem. Hanc insanam sententiam, qua & Sacramenta deiiciuntur, & simplici annunciationi verbi omnia tribuuntur, & pœnitentia imprimis ad remissionem peccatorum obtinendam exploditur; vt ex varijs Scripturis iniquissimè deprauatis (quod suo tempore in singulis Deo fauente ostendemus) sic ex his verbis Centurionis à Christo magnopere laudatis stabilire conatur Caluinus. Sic enim in hunc locum scribit. *Hoc præsertim nomine fidem Centurionis commendat Christus, quòd acquiescat in nudo verbo. Quid feciſſet vel vnus ex Apostolis? Veni Domine, vide & tange. Hic neque aduentum corporalem, neque tactum desiderat, sed tantum efficaciæ credit inclusum in verbo, vt inde certam famuli salutem expectet. Hoc autem honoris non hominis, sed Dei verbo asserit, qui Christum statuit non priuatum esse hominem, sed Prophetam diuinitus missum.* Placet hæc tota explicatio, vt quæ fidem Centurionis iuxta rei veritatem elucidat. Sed nunc venenum aspergit suum. *Atque hinc colligi potest generalis regula. Quamuis salutem nostram in carne Christi perfici Deus voluerit, & Sacramentis quotidie obsignet, eius tamen certitudinem ex verbo petendam esse. Nisi enim hæc verbo defertur authoritas, vt statuamus simulac loquutus est Deus per Ministros, remissa nobis esse peccata, nosque restitutos esse in vitam, tota salutis fiducia concidit.* Hæc ibi Caluinus. Si de verbo Sacramentali in Sacramento Absolutionis, in Baptismo, in Eucharistia ista dicerentur, vera & orthodoxa esset doctrina. Nam propter verbum Christi, *Quorumcunque remiseritis peccata remittũtur eis*, dicente Ministro Christi legitimo, *Ego te absoluo, &c.* statuendum est remissa nobis esse

In cõment. Harmon. Euang. ad c. 8. Matth.

Ioan. 20.

peccata:

A peccata: dicente baptismi ministro, *Ego te baptizo*, statuendum est abluta esse peccata nostra: dicente sacerdote, *Hoc est corpus meum, &c.* statuendum est adesse corpus Christi: hæc verba Euãgelica in Sacramentis prolata inania non sunt, sed vi ac virtute sua propter institutionem Christi efficacia & operatiua, vbi nec ex parte recipientis, nec ex parte ministri impedimentum vllũ est. Caluinus autem de verbo prædicationis per ministros prolato loquitur, destinguẽs illud disertè à Sacramentis. Ait enim *Sacramentis quidem salutem nostram obsignari, eius tamen certitudinẽ ex verbo petẽndam esse.* Atqui ex fide Centurionis hanc generalem regulam de verbo prædicationis inferre non potest. Non enim verbũ Christi prædicatum erat, quod credidit Centurio vt puer eius sanaretur, sed verbum promissionis erat. *Sicut credidisti fiat tibi.* In sacramentis singulis includitur aliquo modo verbum promissionis, quo addixit Christus singulis effectum suum. In verbo prædicationis talis promissio non includitur. Rursum verbum Christi, cui credidit Centurio tanquã efficacissimo, non generauit in Centurione fidem, sed inuenit. Verbum prædicationis iuxta Caluinum generat fidem, ipsámq; peccatorum remissionem. Demũ Centurio credidit verbũ Christi esse efficax, non tanquam generaliter annuncians omnibus audientibus & credentibus salutem, sicuti prædicationis verbum efficax esse fingit Caluinus, sed tãquam in particulari efficax eius quod iussit aut voluit fieri, *Dic* (inquit) *verbo & sanabitur*: id est iube tantum sanari puerum meum, & sanabitur. Hoc enim sensu Centurionem loquutum esse, ea quę subiunxit Centurio
B manifestum faciunt. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub mẽ milites, & dico huic vade, & vadit: & seruo meo fac hoc, & facit.* Nihil ergo commune aut affine habet verbum ministri prædicatum, cum verbo Christi quod credidit Centurio.

Verbũ cui credidit Centurio quale.

Sed & tota hæc Caluini ac suorum speculatio, quòd ex verbo prædicationis certitudo salutis petenda sit, prorsus vana & impia est. Verbi Euangelici prædicati proprium est annunciare voluntatem Dei, seu veritatem omnem docere, circa ea quæ aut credenda, aut facienda sunt: atque ita vel generat fidem primo auditum & creditum, vnde Apostolus, *fides ex auditu*, vel fidem antea generatam auget & confirmat: quo sensu Apostolus *spem* habuit *crescentis fidei* Corinthiorum. Sed vtroque sensu verbum prædicatum comparatur semini, quod vel plantatur in primo sensu, vel rigatur in secundo, vt de se & de Apolline Paulus loquitur: semper tamen per modũ seminis se habet (*Semen est verbum Dei*:) & est materia fidei, non organum aut instrumentum. Ipsi quidem prædicatores verbi instrumenta sunt plantantes & rigantes: sed ipsum Dei verbũ materia tantum & obiectum fidei est, & quatenus creditur, non quatenus prædicatur salutiferum est. *Euangelium enim virtus Dei est ad salutem omni credenti*: non omni audienti. Neque Spiritus S.
C magis debet dici efficax per verbum prædicatum, quàm Deus dici potest efficax per semen in terra seminatum. Deus enim facit omnia germinare, primum verbo illo suo, in prima rerum creatione prolato vt principali agente, deinde per humidum & calidum quod sol & pluuia generant, quasi per media germinandi apta. Semen autem ipsum cuiuscunque plantæ est materia germinis & in potentia est fructus vel germen ipsum. Sic verbum Euangelij est materia salutis & in potentia salus humana, seu potenter salutiferum ex Dei gratia, quatenus creditum vna & prima causa salutis est.

Verbo prædicationis non generatur certitudo salutis *Rom.* 10. 2. *Cor.* 10. *Luc.* 8. 1. *Cor.* 3. *Rom.* 1.

Cæterùm quia hæc fortè explicatio populari captui ita accommodata non est, ex ipsa praxi & doctrina Apostolica vanitatem hanc Caluinianam refutabimus. Petrus annunciaturus Iudęis verbum Euangelij & salutis, proponit eorum peccata, quòd impiè Christum crucifixerunt. Docet veritatem, quòd *Dominum & Christum*, id est Messiam *fecit* eum *Deus hunc Iesum quem illi crucifixerunt.* Mox verbum promissionis & gratiæ non tacuit, dicens: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Hac prædicatione facta, *his auditis, compuncti corde dixerunt ad Petrum: Quid faciemus viri fratres?* Ecce totam vim prædicationis, vt esset externum medium mouendi & excitãdi corda ad fidem, ad pœnitentiam, ad salutem: verbum auditum & creditum (nisi enim credidissent, compũcti non fuissent, sed blasphemassent potius, aut Petrum irrisissent;) nullam illis attulit salutis certitudinem, vt Caluinus vult, ac ne salutem adhuc vllam: sed salutis viam aperuit, & aui-
D dos quærendæ salutis fecit. Quare dicentibus illis. *Quid faciemus viri fratres*, nõ respõdit Petrus, Credite in verbo quod audistis, & ex hoc verbo certitudinem salutis accipite, statuentes vobis iam credentibus in Christũ pro vobis crucifixum remissa esse peccata: quod sanè iuxta doctrinã Caluini & sectariorum respondere Petrus debuit; sed alia præter fidem verbi prædicati adiecit. *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorũ.* Apertissimè docet, si remissionem peccatorum consequi volunt, non vt statuant sibi esse remissa peccata; simul ac Petrum Dei ministrum loquentem audiuissent, vt hic Caluinus admodum impiè docet, sed vt pœnitentiam agant & baptizentur. Baptizentur inquam non ad obsignationem salutis promissæ, vel acceptæ (Caluini figmentum) sed ad ipsam salutem accipiendam, ad remissionẽ peccatorum consequendam. Sic postquam Philippus euangelizasset Eunuchio, & postquam ille *toto corde credidisset verbo* per Philippum euangelizato, non sic dimittit eũ Philippus, iubens ex verbo quod credidit certitudinem salutis petere, vt Caluinus loquitur, sed *baptizauit eum*, vt credens & baptizatus saluus fieret, iuxta Christi verbum, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Paulus quoque ipse per verbum è cœlo sonans ad fidem vocatus & credens verbo, ac dicens, *Domine quid me vis facere?* vt salutẽ consequeretur, mittitur ad Ananiã, qui illi dixit. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine Iesu.* Si prius per auditum verbi remissionem pec-

Act. 2. *Act.* 8. *Act.* 9. & 22.

catorum consequutus fuit,& hoc sibi certò statuere debebat,propter fidem verbo datã, falsum A
planè erat quod dixit ei Ananias,*Ablue peccata tua,&c.* Caluini igitur hoc loco paradoxum hæc sola praxis Apostolica tribus his exemplis illustrata, satis supérque mendacij & vanitatis conuincit. Ex alijs argumentis facilè conuinci posset: Sed hæc ad populi captum accommodata sufficere pro concione possunt.

IN FERIA VI. IN CAPITE IEIVNII.

Matth. 5. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum? Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.*

B

LOCVS hæreticam hoc loco corruptelam duplicem explicandi, simúlque populum fidelem de vero & orthodoxo verborum Christi sensu quoad proximi dilectionem salubriter informandi. Vna corruptela est, Christum toto hoc Matthæi capite quinto, nulla noua præcepta ferre, neque legem veterem corrigere, sed aliquas tantummodo eius interpretationes adferre. Nolunt enim hæretici hodie Christum legislatorem vllo modo agnoscere, ne doctrina Euangelica Christi propria (quam doctrinam esse volunt de solà gratuita per Christum peccatorum remissione, & iustitiæ quæ in Christo erat gratuita imputatione,) circa mandatorum obseruationem tãquam ad salutem necessariã,aliqua ex parte versari videatur. quare superbus Caluinus in huius capitis explicatione,sine fronte affirmat,*deceptos esse multos veterum Patrum* (sanè vt eos post tot demum secula Caluinus suæ ferulæ subditos erudiret) *qui putarunt has Christi voces, aliquoties repetitas, Audistis quia dictum est antiquis, ego autem dico vobis: esse legis correctionem, ac Christum suos discipulos in altiorem perfectionis gradum extollere, quàm potuerit Moyses populum suum.* Moxque multis verbis garrit,*legem in se perfectam fuisse, nullosque legis defectus hic à Christo corrigi.* Postremò concludit, *non esse fingendum Christum nouum legislatorem, qui ad æternam Patris sui iustitiam aliquid addat, sed tanquam fidum interpretem audiendum esse.*

In com. in Harm. Euang. inc. 5. Matth.

C

Christus verè Legislator.

Cæterùm Christum verè legislatorem fuisse,& ad æternam Patris sui iustitiam aliqua mãdata addidisse, vt veteres Patres ipso agnoscente & contemnente Caluino docuerunt,tum forma loquendi qua Christus hic vsus est,tum aliæ Scripturæ manifestè docent. Ad prius quod attinet,forma loquẽdi qua Christus vtitur,*Ego autem dico vobis*,qua nemo antea in Scripturis vsus fuit,sed tum Moyses,tum alij omnes Prophetæ quum Dei mandata promulgant,aiunt,*Hæc dicit Dominus*:ita perspicuè præcipiendi authoritatem sonant,vt ipsemet Caluinus suorum mẽdaciorum immemor,quum ad reliqua huius capitis membra: *Audistis quia dictum est antiquis,non occides, non mœchaberis,non peierabis,*& ad singula illa subiiciente Christo. *Ego autem dico vobis*, negauerit Christum aliquid præcipere aut mandare,sicuti iam ex eo cõmemorauimus,ad hæc tandẽ huius Euangelij verba,*Audistis quia dictum est,diliges proximum tuum,&c. Ego autem dico vobis,&c.* contrarium prorsus vrgeat his verbis. *Dicendi verbum quod denunciare vel præcipere hoc loco significat, perperam pro consulere exponitur.* Cur hoc demum loco sensum contrarium amplexus fuerit, mox apparebit. Nunc id tantum obseruo Caluinum,quum illi commodum videbatur,aduertere potuisse, formam illam verborum Christi,*Ego dico vobis* vim præcepti habere, & *dicendi verbum denunciare, seu præcipere*,significare. Christum autem per modum præcipientis non hoc loco tantum, vbi de dilectione proximi agitur,sed toto hoc capite 5. toties repetiisse. *Ego autem dico vobis,&c.* cõclusio totius sermonis Christi,qua vtitur Euangelista,perspicuum facit. Ait enim:*Cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens,& non sicut Scribæ & Pharisæi.* Illud,*potestatem habens*, ἐξουσίαν ἔχων vertit Beza, *authoritatem habens*,& exponit eam talem esse quæ conueniat αὐτοκράτορι, id est, *illi cui merum est imperium*: & addit. *Talem se hic præstitit Christus in doctrina cælesti promulgãda, se planè Deum ostendens à quo lex ipsa esset perlata, quique pro suo iure, de vita & morte dissereret.* Hæc ille,magistri sui Caluini ignorantiam corrigens, & suam præcedentem expositionem,mendacij arguens. Ad illa enim verba,*Ego dico vobis*,in eodem luto hærens cum Caluino, Christum legislatorem esse pernegat; quum tamen in fine 7. capitis ad verba iam iam citata obseruet pro eo quod Prophetæ dicũt,*hæc dicit Dominus*, Christum dicere solere,*Amen amen dico vobis*. Atqui cur non eandem vim habent,*Ego autem dico vobis*? deinde quod addit Euangelista Christum docuisse, *non sicut Scribas & Pharisæos*, manifestè docet Christum non vt legis interpretem, sed vt legislatorem ac Dominum docuisse. Scribæ enim interpretes erant legis Mosaicæ, quæ per sabbata in Synagogis legebatur: vt latè docet Epiphanius. Et vocantur Hæbraicè Sopharim quasi litterati,à verbo Sepher,Græcè γραμματεῖς,& in

Caluinus seipsum refutat.

Cap. 7.

Beza Caluini ignorantiam corrigit.

D

Hær. 15. 1. Paral. 23

Euangelio

Euangelio *legis doctores & legis periti*. Christus ergo quum non sicut Scribæ & Pharisæi (quos etiam interpretes legis à verbo *Pherussim* vocari putat Caluinus, etsi erranter, quia potius à verbo *Phares*, quod separationem significat ita dicti sunt) doceret, profectò non vt interpres tantum legis, sed vt legislator ac Dominus docuit. *Matth. 23.* *Christus quomodo legis interpres.*

Verum quidem est, quod legem in quibusdam interpretatur in hoc cap. 5. Matth. Christus: Sed tum hanc ipsam interpretationem tanquam legislator promulgat, (est enim legislatoris non tantum leges ferre, sed etiam eas interpretari) tum in quibusdam etiam corrigit legem veterem; *vt de non dimittenda vxore nisi fornicationis causa*, quum in ea liceret quauis ex causa dimittere dato libello repudij, item de non ducēda altera vxore, superstite repudiata etiam quacunque ex causa, quum illic alteram statim superinducere, ipsique repudiatæ alteri nubere permitteretur. Rursum de non iurando omnino, quum illic iuramenta per quaslibet creaturas non obligare legis interpretes docerent, & id solùm vrgerent, vt iuramenta Deo promissa præstarētur. Deinde de diligendo inimicos, quum illi legem dilectionis proximi de solo affine aut cognato intelligerent. Quædam porrò veteris legis mandata ipse similiter mandat & iubet. Quale illud est: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut ego dilexi vos.* Et iterum sua mandata sic vrget, vt dicat, *vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Postremò Apostolicæ legationis hæc summa erat. *Docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quare hanc insanam Caluini arrogantiam negantis contra veterum hoc loco doctrinam Christum esse legislatorem, Concilium Tridentinum iusto anathemate percussit. Alias huius rei probationes qui videre volet, legat Andream Vegam de Iustificatione. Atque hæc de priori hoc loco Caluini corruptela hactenus. *Christus in quibus veterem legē corrigit.* 1. 2. 3. 4. *Ioan. 13.* *Ioan. 15.* *Matth. vlt.* *Sess. 5.*

Altera huius loci corruptela, & ad populi instructionem magis necessaria est circa præceptum de diligendis inimicis. Nam contra Scholasticam hoc loco doctrinam de dilectione inimicorum inflatis buccis inuehitur Caluinus. Est quippe communis Scholasticorum sententia, & imprimis D. Thomæ Scholasticorum facilè Principis, dilectionem inimici in generali quidem esse de necessitate charitatis, & in præcepto, id est, vt in generali dilectione proximi inimicus non excludatur, sed habeatur pro proximo non secus atque amicus aut sanguine coniunctus. In quo Iudæi turpiter errabant, existimantes proximi nomine non designari, nisi amicum aut affinem aut cōtribulem: eò quod vox Hebraica רע vel רעה quæ ponitur pro proximo, propriè significat amicum, aut aliquo necessitudinis vinculo coniunctum. Vbi non aduertebant ipsum inimicum, saltem naturæ, interdum etiam eiusdem fidei ac religionis vinculo esse coniunctum. Quem illorum errorem Christus hic corrigere vult, docens præceptum dilectionis etiam ad inimicum se extendere. Sic sensum Christi & intentum optimè tenuerunt Scholastici, iuxta receptissimam in Ecclesia Catholica doctrinam. Docent nihilominus ijdem Scholastici, vt rudium & infirmorum conscientiæ melius informarentur, dilectionem inimicorum in speciali, id est, vt externa dilectionis signa, ipsósque effectus quauis data occasione proferas, nō esse de præcepto, sed de consilio. Necessitate tamen aliqua vrgente, in præparatione quoque animi necessarium esse, vt externos dilectionis fructus exhibeas. Denique quod interna dilectio inimici talis & tam affectuosa esse debet, vt semper paratus sis in aliqua necessitate etiam inimico subuenire, & de facto subuenias, quando facultas datur. Quia ergo aliquam dilectionis inimici partem in consilio ponunt Scholastici non in præcepto, insurgit hic vehementer Caluinus, & dicit. *Monachi & similes rabulæ* (hæc est modestia Caluiniana) *finxerunt hæc fuisse Christi consilia, non præcepta, eo quod hominum viribus metiebantur qui Deo & legi ipsius debeant.* Hæc ille. Nempe vult homo impius Deum præcipere nobis impossibilia, vt quum Dei mandata ostenderit esse impossibilia, ab illorum obseruatione securus viuat. Atqui si proculdubio intelligenda sunt Dei mandata, quatenus à nobis præstari possunt, ne vel ridiculum legislatorem, vel crudelem Dominum ac tyrannum Deum esse fingamus. *Lib. 11. c. 7.* *D. Tho. 2. 2. q. 25. art. 8. & 9.* *Dilectio inimici quomodo intelligenda.* *In Harm. ad cap. 5. Matth. Caluini impietas.*

Disputat tamen contra Scholasticorum sententiam Caluinus, in quo audiendus est. *Quàm de consilijs* (inquit) *præposterum sit, insulsumque commentum, primò inde patet, quia non sine Christi iniuria dicitur suasisse ipsum discipulis, non pro imperio mandasse quod rectum erat.* Respondē nullam esse Dei aut Christi iniuriam quædam suadere, quæ recta sunt, & non mandare, fatetur alibi Caluinus, in *lege nusquam præcipi, vt omnia vendamus ac demus pauperibus.* Tamen vel Christus hoc suadet Matthei 19. vel si aliquid mandat, quod in lege non est, ergo nouus & verus legislator Christus est, quod modò pertinacissimè negauit Caluinus. Quod etiam si ita est, sub præcepto tenentur omnes sua vendere & dare pauperibus. Disputat quidem illo loco Caluinus, salutem *finem legis esse vt homines ad sui abnegationem deducat.* Ideóque Christum hoc illi iuueni dixisse, vt animi eius morbū, videlicet amorem diuitiarum tangeret: sicque ostenderet eum reuera legem non implesse. Sed vt concedamus contemptum diuitiarum etiam in lege præcipi, quatenus eò lex hominem deducit, an tamen finis & intentio legis est, vt quicunque amant diuitias, omnia sua bona vendāt, dentque pauperibus? Nihil hoc absurdius, quum ad amorem diuitiarum extinguendum tamet-si earum abdicatio esset necessaria (quod generaliter verum esse nisi temere affirmari non potest) non tamen aut venditio aut distributio in pauperes, vel ipso iudice Caluino, necessaria esse cogitari potest. Quum aliæ viæ ac modi honestissimi sint eas à se abdicandi, vt vel in Dei cultum, vel in Reipublicæ commodum aut subsidium. *Caluinus seipsum refutat. In Harm. ad cap. 19. Matth.*

Pergit Caluinus. *Deinde pluſquam inſulſum eſt libera facere charitatis officia, quæ ex lege pendent.* Primùm ſi inſulſum eſt libera facere charitatis officia, quæ ex lege pendent, quàm inſulſa planéque impia eſt alia Caluini doctrina, quæ libera facit omnia charitatis officia, non ſolùm quæ ex lege pendent, ſed quæcunque lex iubet? Legis enim præcepta neminem in Chriſto renatũ obligare, nec ad ſalutem eſſe neceſſaria, ſed eſſe operas Euchariſticas & gratuitas perpetua Caluini doctrina eſt. Idque adeo, vt cum legis moralis tres vſus accuratè doceat, quorum tertium fidelibus eſſe proprium vult, totum illum tertium vſum in eo ponit, *vt vel doceat quid ſit faciendum, ac dirigat intellectum, vel etiam exhortetur ad faciendum.* De præceptorum obligatione nec verbũ facit. Sic libera & gratuita facit omnia charitatis officia, non ſolùm quæ ex lege pendent, ſed etiam quæ lex diſertiſſimè mandat. Eſt ergo pluſquam inſulſus Caluinus, ipſo iudice Caluino. Deinde hoc charitatis officium, quo inimico extra caſum neceſſitatis benefacio, ex lege pendere negamus. Sumit ſibi hoc Caluinus, & principium petit: de eo enim ipſo nunc inquiritur. Addit adhuc Caluinus. *Dicendi verbum quod denuntiare, vel præcipere hoc loco ſignificat, perperam pro conſulere exponitur.* Primùm ſi verbum dicendi præcipere hoc loco ſignificat, ergò Chriſtus hic præcepta dat, & legiſlator eſt, ſeque ipſum mendax magiſter, ſed mendaciorum ſuorũ parum memor, refutat. In hoc enim idem caput Matth. 5. illud fortiter negauit, vt ſuprà accepimus. Deinde ponit hic quidem præcepta Chriſtus, ſed ſimul cum conſilijs. Præcipit quippe diligere inimicum, & habere pro proximo. Quæ autẽ de officijs charitatis ſpecialibus in particulari ſubiungit, *Benefacite ijs qui vos oderunt, &c.* in neceſſitate laborantis inimici, præcepta ſunt, & eum qui benefacere poteſt, obligant, extra neceſſitatem conſilia ſunt, & perfectionis officia, quod Chriſti hoc loco concluſio manifeſtum facit: *Eſtote ergo & vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* B

In Harm. ad cap. 1. Luc. ad cap. 22. Matth. & alibi ſæpe. Inſtit. li. 2. c. 7. nu. 12. & ſeqq. Caluinus ſeipſum refutat.

Dicit poſtremò Caluinus: *Diſertè ſanciri quod neceſſariò præſtandum eſt, nullo negotio ex Chriſti verbis probatur, dum addit. Vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Quum diſertè pronunciet non aliter quemquam fore Dei filium, niſi qui oſores ſuos diliget, quis iam dicere audet nulla huius doctrinæ neceſſitate nos obſtringi? Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet. Quiſquis cenſeri volet Chriſtianus, inimicos diligat.* Ad rem reſpondeo, planè neceſſarium eſſe, vt diligantur inimici, ſi filij Dei eſſe volumus, ſed eo modo, quo iam explicatum eſt: contra quem diligendi modum nihil hoc argumentum facit: atque ita contra Scholaſticos orthodoxos nihil adhuc Caluinus concluſit.

Sed nunc hæc Caluini diſputatio quàm præclarè contra ipſum militet, ipſiúſque iugulum rectà petat, diſpiciemus. Si dilectio inimicorum neceſſaria eſt, vt filij Dei ſimus, quod hic Caluinus fatetur & perurget, ergo ſola fides non ſufficit, vt filij Dei ſimus, vt alia perpetua Caluini doctrina habet. Præuidit facilè hanc ſuam contradictionem Caluinus, & vt ei occurrat, ſubiungit. *Neque tamen intelligas fieri nos beneficentia noſtra Dei filios, ſed quia Spiritus Dei, qui gratuitæ noſtræ adoptionis teſtis eſt, arrha, & ſigillum, prauos carnis affectus charitati repugnantes corrigit, ab effectu probat Chriſtus non alios eſſe Dei filios, niſi qui ipſum manſuetudine & clementia referunt.* Hæc ille. Sed verò Chriſti verba longè amplius vrgent. Ait enim Chriſtus. *Vt ſitis filij Dei,* ὅπως γένησθε υἱοί. Vbi verbũ γένεσθαι, idem valere quod εἶναι Beza notauit. Docet ergo hoc modo fieri & eſſe filios Dei, nõ hoc modo innoteſcere tales. Sanè dilectionem proximi non notam aut effectum, ſed cauſam ſalutis eſſe diſertè D. Ioannes docuit. *Qui non diligit, manet in morte.* A contrario igitur ſenſu, vt non diligere eſt cauſa mortis; ſic diligere eſt vna cauſa vitæ. Porrò Spiritus S. qui corrigit prauos affectus carnis charitati repugnantes, id eſt, qui facit, nos diligere ipſos inimicos, *diffuſa charitate in cordibus noſtris*, quatenus hoc facit, non teſtis, ſed cauſa & effector eſt ipſius charitatis in nobis. Nec aliter arrha aut ſigillum gratuitæ adoptionis noſtræ eſt Spiritus S. quã per ipſa opera charitatis, quæ in nobis operatur, vt alibi contra Caluinum explicatum dedimus. Ipſa etiam opera, & fructus Spiritus S. non hunc ſolum vſum aut effectum habent, vt teſtimonia ac notæ ſint inhabitantis Spiritus S. & quod ſumus filij Dei, ſed alios præterea effectus habent, vt *glorificent Patrem noſtrum qui in cælis eſt*, vt *proximum ædificent*, vt *Deo*, item *placeant in odorem ſuauitatis*, ac demũ, vt *certam noſtram vocationem atque electionem faciant*, ac mereantur *coronam iuſtitiæ*, vt Scripturæ docent. Deinde & contra fidem, cui omnia Caluinus tribuit nonne eodem modo cauillari licet, quoties Scriptura fidem prædicat neceſſariã? Sicut enim Spiritus S. prauos carnis affectus charitati repugnantes corrigit, vt diligamus etiam inimicos ipſos, ſic idem Spiritus S. omnem errorem & duritiam intellectus fidei repugnantes ſua luce diſpellit, vt credamus etiam ea quæ alioquin incredibilia videntur. Dicemus ergo cum Caluino quoties Scriptura dicit nos *iuſtificari ex fide fieri filios Dei, & habere vitam æternam eos qui receperunt Chriſtum, & credunt in nomine eius*, non eſſe intelligendum fieri nos filios Dei per fidem, nec ſaluari aut iuſtificari ex fide, ſed ab effectu probare Chriſtum non alios eſſe Dei filios, nec alios ſaluari aut iuſtificari, niſi qui credunt: vt ſic nec fides ſit ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria, ſed nota tantùm ac teſtimonium filiorum Dei, ſicuti bona charitatis opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed notam tantum ac teſtimonium filiorum Dei eſſe Caluinus cum ſuis affirmat. Ita ſuam doctrinam non minus inſulsè tuetur Caluinus, quàm Scholaſticorum doctrinam improbè calumniatur, dum ita concludit. *Horribile ſanè portentum, quod mundus tam denſis tenebris per tria vel quatuor ſæcula obrutus fuerit, vt non videret diſertè iuberi quod quiſquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur.* Hæc ille. Videat hoc loco, & obſeruet C D

In annot. noui Teſt. in hunc locum. 1. Ioan. 4. Dilectio cauſa ſalutis. Rom. 5. De Iuſt. lib. 8. c. 25. Matth. 6. Rom. 15. Epheſ. 5. 2. Pet. 1. 2. Cor. 4. Fides iuſtificans Caluini argumento refellitur. Rom. 3. Ioan. 1. & 3.

vel

A vel indifferens quisque Lector. Vt falsò calumnietur Caluinus, & Scholasticorum doctrinam acerbissimè perstringat, imò Christianum orbem à 400. annis crassæ ignorantiæ condemnet, aggrauat præcepti vim de diligendis inimicis, & necessitatem salutis in eo retinendo. Vt autem suam impiam doctrinam de sola fide tueatur, eandem dilectionem simplex facit testimonium salutis & notam, vt in præcedentibus ostensum est. Obseruet iterum hoc loco Lector, Caluinũ denuò secum pugnare. Nunc enim dilectionem inimicorum necessariam esse salutis causã eius verba affirmant, etsi animus ac reliqua doctrina repugnet. Quis enim negare potest necessariam salutis causam esse, *Quam quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur*, vt ipsemet Caluinus loquitur? Sanè hoc loquendi in Scripturis modo, fidem necessariam esse salutis causam ex Scripturis conuincimus, *qui non crediderit condemnabitur. Sine fide impossibile est placere Deo. Qui non credit, iam iudicatus est*: & multa huiusmodi. Sed proteruus Caluinus ad orthodoxam doctrinam impugnandam attentus & ferox, sic impotenter in illam partem fertur, vt suis se placitis pugnantia dicere, & apertum hosti latus ab altera parte relinquere non aduertat.

Caluinus seipsum refutat.

Marc.14. Hebr.11. Ioan.3.

B

SABBATO IN CAPITE IEIVNII.

1. *Domine si tu es, iube me venire ad te.* *Matth.14.*

TAMETSI hæc verba in huius diei Euangelio (quod ex Marc. capite 6. desumitur) non legantur, tamen quia illustre Petri factum concernunt in eadem illa Christi super aquas apparitione & discipulorum in mari iactatione gestum, quod Diuus Marc. more suo (vt notat Chrysostomus) ideo prætermittit, quia ad singularem D. Petri commendationem & authoritatem magnoperè faciebat, sicuti cætera omnia studio tacet, quæ Diui Petri prærogatiua S. Matth. cap. 16. & 17. & D. Ioan. cap. 21. narrant, non *permittente modestiæ causa ipso Petro, qui Marci Euangelium vidit, & suo calculo approbauit, vt talia per eum scriberentur*; & quia in nullo alio Euangelio, quod vel in Dominicis, vel in Festis per annum (nisi in Octaua D. Petri, quæ publicè festa non est) vel in Ferijs hisce Quadragesimalibus hæc historiæ
C Euangelicæ pars legitur, ac demum, quia totum hoc D. Petri factum impius Caluinus suggillat, & historiam hanc Euangelicam nefariè corrumpit, his tribus de causis.

Chrysost. hom. 59. in Matth.

Locus oportunus erit singularem D. Petri præ cæteris fidem, simúlque mysterium hoc facto velatum, ac nefariam Caluini corruptionem populo catholico aperiendi. Sanè quum Petri fidem hoc loco omnes interpretes orthodoxi, & veteres Patres vehementer admirentur ac laudent, ipsáq; res gesta & Christi approbatio idem proclament, quod is videlicet solus cæteris omnibus alijs Apostolis ac discipulis præ timore attonitis, adeóq; exclamantibus, Christum alloqui, ab eo facultatem tam inusitati & periculosi operis expetere, & de facto super aquas ad tempus ambulare ausus fuerit, quum præterea singularem ex hoc facto Petri prærogatiuam supra cæteros Apostolos, quod is omnium solus super aquas ambulauerit, & ambulãs ad Christum peruenerit, DD. ijdem Patres obseruent, S. Chrysostomus quidem & D. Ambrosius quod Moysi quidem aquæ cesserint, & Eliæ & Elisęo, Petrus vero ipsas aquas calcauerit, vt ipsis quidem impedimenta cesserint, & sublata fuerint, Petrus verò impedimenta & difficultates calcaueritac superauerit; Bernardus autem quod Petrus super aquas ambulans, non vni populo quasi vni nauigio, sed cunctis populis præesse deberet, quia aquæ multæ, populi multi; vnus CaluiD nus, qui cũ alijs hodie hæreticis omnia Petri præclara facta & dicta vel traducere, vel extenuare conatur, neglecta historiæ Euangelicæ veritate, detorta in alium sensum Christi approbatione, contempto veterum Patrũ sensu ac iudicio, incredulitatem pro fide, temeritatem pro fortitudine D. Petro impingit. Incredulitatis Petrum arguit, quia postquam Christus dixerat, *Ego sum*, vel, vt Marcus plenius narrat, *Confidite, ego sum, nolite timere*, Petrus tamẽ (ait Caluin.) *dubius & perplexus dicat, Domine si tu es*. Atqui hanc Petri vocem non dubitantis fuisse, sed maximè credentis & confidẽtis, illud à Petro subiunctũ: *Iube me ad te venire super aquas*, manifestè ostendit. Nec enim aut Petrus si vel minimũ dubitasset Christũ esse qui loquebatur, ad eius vocem aquis se cõmittere voluisset, aut fortius fidei suæ argumentũ dare facilè potuit, quàm iubente Christo, aquis se committere, vt super eas ambulet. Nec vllus opinor hodie hæreticus, qui solam fidem semper venditat, à Christo iussus hoc facere, idem tentare vellet. Quare illud: *Si tu es*, significat, *Quia tu es*, & affirmantis, non dubitantis vox est, vt sæpè alibi in Scripturis, *Si ita est causa hominis*, i. quia sic se res habet in matrimonio, vt dicis: *Si tamen iustum est, vt Deus retribuat, &c.* i. quia iustum est. *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum*: i. quia vel quod passibilis erat Christus, &c. Deinde si verba illa, *Si tu es*, propriè & conditionaliter accipiantur, non tamen dubitantis animum, sed maioris habendæ certitudinis effectum demonstrant. Quale illud est Beatissimæ

Hom. 57. in Matth. Exod. 14. 4. Reg. 2. Ambrosius serm. 47. Bern. li. 2. de consider. ad Eugeniũ Caluini arrogantia & ineptia. Marc. 6. In comm. Harmon. Euang. ad Mat. c. 14. Incredulitatis Petrus falsò accusatur. Matth. 19. 2. Thess. 1. Act. 5.

Luc.5. In comm. Harmon. Euang. in Luc. cap.5.

Virg. *Quomodo mihi fiet istud?* Ad quæ verba ipse Caluinus ita scribit. *Sciendum est non ita dubitare vel suscitari Virginem, vt sensibus suis Dei potentiam vel subijcere, vel æquare velit: tantùm subita admiratione perculsa ad mouendam hãc quæstionẽ rapitur.* Hæc ille. Eodẽ in Petri verbis candore vti oportuit. Videns enim tam inusitatum spectaculum, Christum super aquas ambulare, dicendo. *Si tu es,* non ita dubitauit, vt sensibus suis Dei potentiam, qua homo super aquas ambularet, vel subijceret, vel æquaret: tantùm subita illa admiratione perculsus (erant enim omnes in naui turbati, & *præ timore clamauerunt, existimantes phantasma esse*:) ad experimentum istud præsentiæ Christi rapitur: vt cæteris sanè fortior ac firmior in fide, non vt præ alijs magis dubitans. Quare falsò iterum subiunxit Caluinus. *In fide tam exigua & debili erumpit parum considerati voti ardor. Iube me venire super aquas.* Christus enim hoc non vt inconsiderati voti ardorem reprehendit, sed vt præstantissimæ fidei præclarum testimonium approbauit, iubens eum ad se venire super aquas: quod & de facto Petrus præstitit, ambulans super aquas, vt ad Christum veniret. Cæterum ad hanc tam luculentam Christi approbationem, vide quid cauilletur Caluinus, *Deus plerumque nobis melius prospicit, negando quod petimus, aliquando autem nobis est facilis, vt ipsa experientia stultitiæ nostræ nos melius conuincat.* Hæc ille: vt doceat ideo Christum voto Petri facilè annuisse, vt ipsa postea experientia stultitiæ suæ Petrum conuinceret: nempe quia paulò pòst submergi cœpit. Sed primùm aduerte hoc cauillandi modo omnia piorum vota, quibus Deum annuisse in Scripturis legimus, temeritatis quoque damnari posse: nempe si cum Caluino dicamus, *Deum facilè illis annuisse, vt ipsa experientia stultitiæ suæ eos conuincat.* Cæterùm tenendum est Deum tametsi electorum suorum pijs ac laudabilibus votis non semper annuat, (quod consilij sui secretum est, qui infinitè melius nouit, quid nobis, & quando, & quomodo expediat, quàm nos ipsi:) stultis tamen & ineptis votis nullo modo annuere. Illud enim esset stulta vota approbare. Vnde etiam sequitur hanc ambulationem Petri super aquas, quam Christus primo verbo concessit, & quæ per se non nisi curiosa & inutilis actio videtur, aliquid mysticum, & in ipso Petro singulare denotare debuisse, prout Patres supra notati obseruarunt. Neq; verò Petri postea periculum quando submergi cœpit, prioris voti inconsiderantiam, aut prioris fidei imbecillitatem arguit, sed propter nouam, ingentem ac vehementem tantationem, nouam fidei defectionem atq; imminutionem demonstrabat. *Videns enim ventum validum* (ait textus) *timuit*: id est, à priori sua confidentia defecit, & sic mergi cœpit. Quare Christus eum *modicæ fidei* appellat: Modicæ videlicet respectu prioris, quæ multò maior erat: quando nec vndas, nec ventos, nec præsentem tempestatem formidauit, ambulans super aquas. Tentatio quippe fidem probat, an constans & firma permanere velit. Nec qui tentationi succumbit, nullam propterea aut modicam semper fidem prius habuisse conuincitur: sed in fide non permansisse plerunq; ostenditur. Aliqui totiustorũ, & qui per fidem operati sunt iustitiam peccata in Scripturis non legeremus. Cæterùm totam hanc nouam procellam, nouámq; tentationem, propter quam timuit Petrus, dissimulat prorsus impius Caluinus, vt hunc Petri timorem & periculum subsequens ex priore incredulitate & timore ortum accepisse persuadeat. Ait enim, quod *temeritatis suæ pœnas dare hic Petrus incepit.* Dicit *dubitationem eius fuisse directè fidei contrariam*: deniq; *vanum eius peruersumque timorem vocat.* Sic totam hanc historiam Euangelicam, ne aliqua singularis fidei commendatio in Petro appareret, homo impius corrumpit atq; peruertit. Quod tamen ad singularem eius commendationem Matth. scripsit, Marcus modestiæ causa prætermisit, doctissimi Patres vt magnum circa Petri prærogatiuas mysterium annotarunt: quæ omnia suprà accepimus.

Præ timore clamauerunt, existimantes phantasma esse.

In fide tam exigua & debili erumpit parum considerati voti ardor.

Petrus inconsiderati ardoris falso accusatur.

Cauillatio Caluini quàm absurda.

Temeritatis suæ pœnas dare hic Petrus incepit.

Dubitationem eius fuisse directè fidei contrariam.

Vanum eius peruersumque timorem vocat.

Hist. Euangelicã corrumpit Caluinus.

Marc.6. Matth.14.

2. *Deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.*

LOcus insignem hæreticorũ hodie pertinaciam exponendi, & doctrinam præterea impiã, qua Reliquias SS. nulla veneratione dignas esse dogmatizant, perspicuè refutandi. In huius enim loci tractatione, tum ille prophanus error refellitur, tum eorũ pertinacia manifestæ veritati reluctantiũ ostenditur. Sanè vni Caluino hæc historia Euangelica ita vehemẽter displicuit, vt quantum ex commentario quem adfert, coniicere licet, si Matthæi aut Marci loco fuisset, eam penitus dispunxisset, altóq; silentio inuoluisset. Sic enim ad hæc verba in Harmon. sua Euangelica scribit. *Credibile est superstitione aliqua fuisse implicitos, quum ad tactum vestis restringerent Christi gratiam: saltem illum fraudabant honoris sui parte, quum nihil virtutis sperarent ex simplici eius verbo. Sed ne linum fumigans extinguat, sese accommodat eorum ruditati.* Hæc ille, pessimo suo fermento totam historiæ huius Euangelicæ massam corrumpens. D. Matth. qui paulò pleniùs hãc eandem historiam scribit, volens ex proposito ostendere, quanta iam esset Christi Redemptoris nostri existimatio & fama, quantáque populi illius loci circa lacum Genesareth, vbi plurimum versabatur, fides & deuotio erga Christum, sic de illis scribit. *Et cum cognouissent viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eũ, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent*: &c. Quid? An impius Caluinus hoc quoque superstitioni deputabit, quod mittentes in vniuersam regionem obtulerunt Christo omnes malè habentes? An de istis quoq; dicet, quòd simplici eius verbo absentes contenti non essent, ideo illum parte honoris sui

Caluinus Euangelio contrarius.

Populus cui Christus benefecit, superstitiosus non erat.

A sui fraudarũt? At D. Petrus hoc in singularem Christi commendationem commemorauit prædicans fidem Centurioni & eius familiæ, gentium primitijs, *quòd pertranſijt benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Quod si vero prior narrationis pars factum commemorat superstitione carens, quomodo posterior pars factum narrabit superstitione plenum? *Act.10.*

Deinde, an solet Christus aliorum ruditati sic se accommodare, vt facta superstitiosa non solùm toleret, sed etiam miraculis beneficis honoret? An vel in vllo magistro tolerandum hoc esset, vt factum superstitiosum beneficio commendaret? An Christus, qui omnem in Pharisæis superstitionem acerrimè semper taxauit, eandem in populo non solum dissimularet, sed & diuinis beneficijs cohonestaret? Dubitari absque impietate non potest, Christum Redemptorem non nisi virtutem supplicantium, maximè fidem ipsam in omnibus suis miraculis ac beneficijs remunerasse. Quo in genere valde illustre est, quod rogatus à quodam de turba, *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem,* quia petitio illa non fidem, aut pietatem vllam, sed auaritiam redolebat, penitus recusauit, dicens. *Homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?* móxque ad illos dicebat. *Videte & cauete ab omni auaritia,* &c. Non secus Christo odio est superstitio, quàm auaritia, maximè veritatis magistro, qui omnem imprimis superstitionem eliminare debet. Qui ergo horum duorum auaritiæ accommodare se noluit, quomodo tam multi populi superstitioni accommodare se voluisse existimabitur? An moralis tantum Magister *Christi honor contra Caluinum defenditur.* *Luc.12.*

B erat Christus, & non potius veritatis ac cultus diuini doctor præcipuus, qui *ideo ſe in mundum veniſſe* dicit, vt testimonium veritati præberet? ita hæc Caluini accusatio etiam in Christi iniuriam redundat. *Ioan.18.*

Sed & superstitionis suspicio, quàm hic comminiscitur Caluinus prorsus vana & iniqua est. Ait illos *ſuperſtitione implicitos, quia ad tactum veſtis reſtringerent gratiam Chriſti.* Sed planè contra se res habuit. Non enim ad tactum vestis restringebant gratiam Christi, sed extendebant. Tanta quippe illorum fides erat, vt crederent non solùm verbo, aut contactu, vel impositione manus Christum sanare potuisse, (quod sæpius aut viderant, aut audiuerant) sed etiam solo vestis, adeóque fimbriæ vestis contactu sanare posse. Itaque vsq; ad ipsam fimbriam Christi gratiam extendebant, non restringebant. Vnde in hunc locũ Chrysostomus. *Non ſimiliter vt prius ad domos trahebant, & tactum manus inquirebant, ſed cum maiori fide eum accedebant.* Erat ergo fidei profectus nõ defectus, quod ipsam Christi fimbriam ad sanitatem conferendam valere credebant. Id quod etiam Euangelistæ verba bene perpensa manifestũ faciũt. Non enim dicit, Rogabant eũ vt solam fimbriam tangerent, quasi eo solo modo Christum sanare posse existimarent, (quod fuisset planè ridiculum, & Euangelicæ historiæ commemoratione indignum) sed dicit: *Rogabant eũ, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent,* ἵνα κἂν: vel, vt est apud Matthæum: ἵνα μόνον ἅψωνται: vt so- *Superſtitionis crimen diluitur.* *Marc.6.*

C lummodo tangerent. Nempe vt vel hac minima ac facillima ad Christum accessione sanari eos permitteret, quem multis alijs modis sanare posse credebant. Addit Caluinus, *Quod Chriſtũ parte ſui honoris fraudabant, quum nihil virtutis ſperarent ex ſimplici eius verbo.* Alia est & insulsa calumnia. Non enim hoc dicit Euangelista, quòd verbo Christi diffiderent, aut verbi Christi virtutem negarent, sed ostendit eorum fidem tantam fuisse, vt non expectato eius iubente verbo, (quod in tam conferta multitudine singuli difficilius impetrare potuerunt, quia singuli eum alloqui & responsum accipere non nisi difficillimè valuerunt) vel fimbriæ contactu contenti essent. Quod inusitatius & rarius erat, credebant multò magis quod frequentius erat credidisse dubitari non debet. Frequentius verbo aut impositione manus Christus sanabat, quàm solo fimbriæ cõtactu. Rursum quod obscurius & ignobilius videbatur, à Christo fieri posse credebant. Multo magis quod illustrius & celebrius erat, haud dubiè crediderunt. Multò autem illustrius atq; nobilius, Deóq; quodammodo dignius erat, verbo aut manu sanare, quàm solo fimbriæ contactu furtiuã quasi gratiam concedere. Hanc igitur quasi furtiuam, raram, ac specialem gratiam ex firma & speciali in eum fide sibi fieri postulabant: quam & Christus vt laudabilem, fidéque plenam concessit. Si quis à peritissimo & expertissimo aliquo medico, quẽ vna aliqua sola & simplici potio- *Caluini insulsa calũnia.* *Matth.14.*

D ne sanare posse confideret: quod alij medici non nisi varijs adhibitis medicamentis, & multa cura sanarent, vel quod idem medicus communiter ac frequentius, maioribus & pluribus additis remedijs accuratius & operosius sanare solet rogaret enixius, vt vel illam solam ac simplicẽ potionem suam ipsi ministraret, an iste totam reliquam huius medici artem aut contemnere, aut negligere diceretur? An nõ potius ostendit se de hoc medico magnificè sentire, & propter singularem de arte & peritia eius opinionem hoc vno & simplici medicamento contentum fore? Eodem plane modo in facto præsenti se res habet.

Sed nunc cur in hoc facto superstitionis notam hærere tam studiosè Caluinus velit, videamus. Adiungit præcedentibus, vt totum animi sui morbum aperiat. *Interea non eſt quod inde ſibi placeant, qui gratiam Dei in ligno aut clauis, aut veſtibus quærunt, quum diſertè pronunciet Scriptura nefas eſſe quicquam nunc concipere de Chriſto, niſi ſpirituali cœleſtique eius gloria dignum. Tolerata fuit ad tempus eorum infirmitas, qui neſcientes Chriſtum eſſe Deum, propius ad eum accedere optarunt. Nunc quum odore gratiæ ſuæ cœlum & terram impleat, fide, non manibus, vel oculis apprehendere docet, quàm è cœlo offert ſalutem.* Hæc ille. Sub falsa pietatis imagine, veræ pietati insidiatur. Qui enim Reliquias aut Christi aut Sanctorum eius venerantur, nihil spirituali aut cœlesti Christi gloria indignum concipiũt. Imò de ea tanto magnificentiùs sentiunt, quanto certiùs credunt non illum solùm, sed & quicquid *S. Reliquiarum cultus defenditur.*

eius est, opitulari nobis posse: siue Sanctos eius, eorúmue Reliquias, siue Crucis lignũ, aut ter- A
ræ contactum, vbi passus est. Eodem insidioso prætextu Regiæ Maiestatis gloria indignum aliquid patrasse censebitur, qui vel purpuratos & patricios eius, vel litteras ac diplomata, aut denique thronum regni eius aliquo honore prosecutus fuerit. Rursum non est illis infirmitas toleranda, quasi eorum, qui Christum esse Deum nesciunt, sed est pietas maximè laudanda, & eorum, qui Christum esse Deum maximè credunt, qui non fide tantùm è cœlis salutem expectant, sed manibus etiam atque oculis eum apprehendere, quatenus in terris apprehendi potest, cu-
Matth. 10. & 24. Luc. 10. piũt atq; contendunt. Christus in terra manibus atq; oculis apprehenditur, quando *vni ex minimis eius poculum aquæ frigidæ porrigimus*, quando *Prophetam ab eo missum in nomine Prophetæ accipimus*, quando eum in pauperibus *esurientem pascimus, nudum vestimus, captiuum aut ægrum inuisimus & consolamur*: quando eos quos mittit audiendo & honorando, *ipsum audimus*, ipsum honoramus. Postremò quando de pane illo edimus, & de calice bibimus, de quo dixit, *Hoc est corpus meum: Hic est*
1. Cor. 10. *sanguis meus*. Ex quibus omnibus manifestum est, vanam & impiam esse Caluini speculationem, quod oculis & manibus apprehendi Christus non debeat. Deinde an illi pij fideles Christũ esse
Act. 5. & 19. Deum nesciebant, qui *ex vmbra Petri*, & ex *contactu sudariorum Pauli* salutem quærebant? An non tunc Christus in cœlesti sua gloria gratiæ suæ odorem in terras spargebat? Planè vel maximè tũc eam spargebat. Sed inter variũ diuinæ illius gratiæ odorẽ, etiam hoc quoq; spargebat Christus, B
Act. 7. & 4. quod per Apostolorum & aliorum Sanctorum suorum manus *prodigia faciebat in plebe*: quod de vno S. Stephano imprimis legimus, & quod *manum suam extendebat ad sanitates & signa & prodigia facienda per nomen sanctum suum*: de quo vno singulari beneficio magnas Deo gratias egerũt Apostoli & cæteri fideles in vnum congregati. Sed impius Caluinus hoc totum pietatis genus ad superstitionem relegat, & propter infirmitatem eorum, qui Christum adhuc esse Deum nesciebant, toleratum à Christo tantisper fuisse somniat: serò sanè iam post annos 1500. hanc nouam nobis & prophanam cantilenam occinens. Sanctissimi quippe ac doctissimi in Ecclesia Dei Patres in Sanctorũ, ac maximè Crucis Christi Reliquijs toto hoc tempore magnam veneratione posuerunt, variáq; à Deo beneficia senserunt: August. videlicet Ambros. Hilarius, Basil. Chrysost. Athanasius, Gregor. Nazianz. Gregor. Nyss. Theodoretus, Euseb. Emissen. Cyrill. Paulin. Hieronymus: quorum omnium vel verba citamus, vel loca annotauimus in hoc ipso opere, Dom. 23. post Pentecost. Hos omnes impio Caluino opponimus, & summo iure longè latéq; anteponimus. Sanè vt idem Caluinus similem fidem ac pietatem mulieris hemorrhoissæ per contactum fimbriæ Christi sanatæ, exagitauerit, in eadem Dom. in quinta huius operis editione, copiosè explicatum dedimus.

G

FERIA II. HEBDOMADÆ I. QVADRAGESIMÆ.

Venite benedicti Patris mei: Possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.
Matth. 25. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.*

Merces bonorum operum vita æterna.

MAGNA & singularis est huius loci euidentia, quod vita æterna intuitu bonorum operum à Deo confertur. Quum enim iam in possessionem mittendi sunt iusti, quum ipsam hæreditatem cœlestem adeunt, vocat illos Iudex Christus ad capiendam possessionem, & ad hæreditatem adeundam, (*Possidete* enim hoc loco, κληρονομήσατε, significat, iure adoptionis in hæreditate accipite) quia opera misericordiæ fecerunt. Et quidem magis vulgaria, quæque penè à quolibet præstari possunt, recenset Christus, tum vt suam immensam benignitatem ostendat; tum vt non prómerentes hanc mercedem magis inexcusabiles reddat, tum deniq; vt doceat, maiora virtutũ opera certissimè esse remuneranda. In vniuersum autem, pro causa adeundæ hæreditatis, ponit opera iustorum bona. Pupugit vehementer hic locus Caluinum bonorum operum hostem iuratum. In D
In Harm. Euang. ad Matt. c. 25 omnem itaque se partem versat ac reuersat, vt in tam euidenti & clara luce, tenebras lectori offundat, seq; ipsum per tenebras eripiat; imò in æternas tenebras coniiciat: *Si hic* (inquit) *disputatio esset de salutis nostræ causa, non malè colligerent Papistæ nos bonis operibus vitam æternã mereri: Sed quũ nihil aliud propositum sit Christo, quàm suos ad benè rectéque agendum hortari, perperam ex eius verbis elicitur, quid valeant operum merita.* Primùm non soli Papistæ, id est, catholici moderni, sed omnes in
Serm. 1. de Septuages. vniuersum Patres, qui hunc locũ tractarunt, (vt ex eorum commentarijs in hunc locum patet) ex bonis operibus nos vitam æternam promereri collegerunt: Augustinus maximè, qui disertè
Bona opera causa salutis, sicut mala opera causa exitij contra Caluinum ita scribit. *Quære causas vel tantæ mercedis, vel tanti supplicij, percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare illi perceperunt regnum? Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Quare isti ituri in ignem æternum? Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Hæc ille. Sic igitur cum Augustino contra Caluinum arguimus. Si Christus in his verbis, *Percipite regnum*, &c. *Esuriui enim*, &c. non

tractat

A tractat de cauſa ſalutis noſtræ, ſed hortatur tantum ad bene agẽdum, ergo ſimiliter in illis verbis. *Ite maledicti in ignem æternum*: *Eſurijui enim, & non dediſtis mihi manducare*, non tractat de cauſa damnationis impiorum, ſed deterret eos tantum à peccatis. Sed falſum ac impium iſtud: ergo & prius. Deinde particula vtrobique cauſalis, *Eſurijui enim*, &c. manifeſtè oſtendit, de cauſa ſalutis & damnationis vtrobique agi.

Sed occurrit hic Caluinus, & dicit. *Quod in cauſali particula inſiſtant, infirmum eſt. Scimus enim non cauſam ſemper, ſed conſequentiam potius notari, quum vita æterna iuſtis promittitur.* Sed ô quàm infirma, imò inſulſa hæc euaſio eſt! Eſto enim non ſemper cauſam, ſed conſequentiam potius illa particula notari. Si non ſemper cauſam, ergo aliquando cauſam notat. Si aliquando cauſam notat, cur non hoc loco? Imò ſi in vna parte ſermonis, ad maledictos quod attinet, cauſam neceſſariò notat, cur non in altera parte ſermonis, ad benedictos quod attinet, cauſam quoq; notabit? Cæterùm hanc ſcientiam Caluini negamus, & falſam eſſe opinionem certò cognoſcimus, quod particula cauſalis, quando vita æterna iuſtis promittitur, aliquando conſequentiam, nõ ſemper cauſam ſignificat. Probare hoc vel vnico exemplo debuit Caluinus. Sed facilius illi fuit fortiter aſſerere quod falſum eſt, quàm illud probare quod probari non potuit. Huius igitur reſponſi ſumma infirmitate perſpecta, ad aliam confugit.

B *Quanquam alia eſt clarior ſolu: . . Neque enim bonis operibus mercedem promitti negamus, ſed gratuitam, quia ex adoptione pendet.* At hæc ſolutio nihilo melior eſt. Merces enim bonorum operum gratuita quidẽ eſt ex parte radicis, quia principium eorum gratia eſt ab authore gratiæ gratuitò data; debita tamen nihilominus & vera merces eſt, quatenus cũ illa Dei gratia homo liberè cooperans, opera facit verè bona, laudabilia, Deo placentia, & ex Dei liberalitate iuſta mercede digna. Quod totum ex eo quod ipſe Caluinus ſubiungit, manifeſtè probatur. Sic enim proſequitur. *Gloriatur Paulus ſibi repoſitam eſſe coronam iuſtitiæ. Sed vnde illi fiducia, niſi quia Chriſti membrum erat, qui vnicus eſt hæres regni cæleſtis?* Atqui de hac fiducia nihil ibi Paulus, ſed contrà, vnde fiduciã acceperit, clariſſimis his verbis præmiſit, *Bonum certamẽ certaui, fidem ſeruaui, curſum conſummaui. Repoſita eſt mihi corona*, &c. Hæc erat cauſa fiduciæ in Paulo hoc in loco, tametſi vtrum quoque ſit alibi eum gloriari, quod membrum ſit Chriſti. Sequitur in Caluino. *Reddendam ſibi à iuſto iudice prædicat coronam illam. Sed vnde illud præmium, niſi quia & gratis adoptatus eſt, & iuſtitia donatus, qua ſumus omnes vacui?* Rogat Caluinus vnde. Nec videt Paulum ipſum diſertiſſimè docuiſſe, vnde. Tacet, ſilet, diſſimulat impoſtor nefarius totã illã bonorum operum ſuorum enumerationem à Paulo factam, vnde illud præmium ſibi retribui, idq; *à iuſto iudice*, i. per modũ veræ iuſtitiæ, Paulus prædicat. Tacet illa verba, *bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, curſum conſummaui*: & quærit vnde coronam iuſtitiæ expectauerit. Illa autem quæ Caluinus ponit, *quia gratis adoptatus eſt, & iuſtitia donatus*, id eſt, Dei gratia donatus, vnde operetur iuſtè, cauſæ quoque ſunt redditæ coronæ, ſed cauſæ remotiores, non proximæ. Cauſas proximas poſuit illic Paulus, opera ipſa iuſtitiæ. Cauſas proximas ponit in hoc Euangelio Chriſtus, opera ipſa miſericordiæ. Impoſtor Caluinus vrget remotiores cauſas, vt tollat proximas. Vnam veritatem premit, vt alteram deſtruat. Vtraque veritas tenenda eſt, vt tota veritas teneatur.

2. Tim. 4.

Caluinus ex Scriptura quã pro ſe adfert, refutatur.

Audiamus adhuc Caluinũ. *Hæc igitur duo tenenda ſunt vocari fideles ad poſſeſſionem regni cæleſtis, bonorum operum reſpectu, non quia illud promeriti ſunt operum iuſtitia, vel quod eius acquirẽdi ſibi fuerint authores, ſed quia Deus iuſtificat quos elegit.* Iſtud prius duorum quæ tenenda ponit, mera impoſtura & vafricies eſt. Fatetur iam demum vocari fideles ad poſſeſſionem regni, bonorũ operum reſpectu, ſed non quia illud promeriti ſunt, verũ quia Deus iuſtificat quos elegit. Atqui hæc duo optimè conſiſtunt, ſi iuxta Scripturarũ ſenſum Caluinus loquitur. *Deus iuſtificat quos elegit*, id eſt, Deus ex impijs facit iuſtos quos elegit, & ſic eos iuſtificat: Iuſtificati autem, ſeu iuſti facti, *ambulant in operibus bonis, quæ Deus* per aliã gratiã ſuam *præparauit in illis*, per quæ promerentur vitam æternã. Prima inquam iuſtificatio impij, quàm Deus facit, mere gratuita, nihil pugnat cum retributione iuſtorum verè iuſta. Vocantur igitur fideles in poſſeſſionem regni cœleſtis, prius quidem à Deo iu-

Caluini cauillationes inſulſæ.

Epheſ. 2.

D ſtificati gratis per Ieſum Chriſtum, ſed intuitu præterea bonorum operũ, quæ iam iuſtificati operati ſunt. Quod autem Caluinus ait, *eos non promereri operũ iuſtitia*, puerilis cauillatio eſt, quaſi quãdo merita operum prædicamus, *operum iuſtitiã*, quæ iuſtitiæ fidei à Paulo opponitur, prædicaremus. Non ignorauit Caluinus, merita operum à catholicis doceri, quæ ſunt opera iuſtitiæ fidei, ideſt, *illius iuſtitiæ, quæ ex fide eſt, quæ ex Deo eſt*, quæ ex gratia eſt, non quæ ſunt ex iuſtitia operũ ſine gratia & fide Chriſti, contra quæ Paulus diſputat. Deinde quòd addit Caluinus, *vel quod eius acquirendi ſibi fuerint authores*, putidior adhuc & inſulſior cauillatio eſt. Quando Chriſtus promittit hic regnum cœleſte intuitu bonorum operum, vel quando catholici docent iuxta hæc Chriſti verba intuitu bonorum operum promereri iuſtos vitam æternam, non faciũt ipſos iuſtos acquirendi regni ſibijpſis authores, ſed faciunt eos diuinæ gratiæ, & huius tantæ mercedis cooperatores. Vnde D. Bernardus. *Ibi Deus benignè homini merita conſtituit, vbi per ipſum, & cum ipſo boni quippiam operari dignanter inſtituit. Hinc coadiutores Dei & cooperatores Spiritus S. promeritores regni nos eſſe præſumimus.* Hæc ille. Quia cooperatores Spiritus S. ideo promeritores regni. Cooperatores, non authores. Per Chriſtum, & cum Chriſto bonum operamur, non ex nobis ipſis, vt authores vel vnici, vel præcipui bonorum operum.

Philip. 2.

In tract. de gratia & libero arb.

Audiamus nunc ſecundum quod teneri iubet Caluinus. *Deinde quamuis duce Spiritu ad*

ſtudium iuſtitiæ aſpirent, quia tamen Legi Dei nunquam ſatisfaciunt, nullam illis mercedem deberi, ſed mercedem vocari, quod gratis donatur. Quot verba, tot vel mendacia, vel impoſturæ. Chriſtiani fideles
Rō.6.& 7 ductu Spiritus S. non ſolum ad *ſtudium iuſtitiæ aſpirant* (quod ſolum vafer Caluinus ait) ſed ipſam
1.Ioan. 3. iuſtitiam exercent & operantur. Duce Spiritu *facta carnis mortificant, ambulant ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem, ambulant in nouitate vitæ, non dominatur illis peccatū, condelectantur Legi Dei ſecundum interiorem hominem, faciunt quæ Deo placita ſunt*: ſic ipſam iuſtitiam exercent. Deinde ſatisfaciūt
Rom.13. Legi Dei, quod negat Caluinus. *Dilectio proximi implet legem*, ait Apoſtolus. Aut ergo nemo diligit proximum, aut aliqui implent legem. Quod ſi implent legem ſatisfaciunt ei. Quod autem concludit mercedē vocari, quod gratis donatur, nihil aliud quàm diuinas Scripturas corrigit, adeoque falſi arguit. Paulus enim *coronam iuſtitiæ* hanc mercedem vocat, & *à iuſto iudice reddi* ait.
2.Tim.2. Sic ergo vita æterna merces eſt vt iuſtè reddatur, non ſolum gratis donetur. Gratia quidem eſt vita æterna, & gratis donatur quatenus radix & principium totius iuſtitiæ noſtræ Dei gratia eſt, ſed ratione operum, quæ ex hac radice pullulant, verè & propriè merces eſt, & iuſtè redditur vt *corona iuſtitiæ*: quatenus videlicet iuſtitia noſtra cooperationem liberi arbitrij verè noſtra eſt. Vtrumque Scriptura docet vt ſupra accepimus, & alibi latius diſputatum eſt. Fruſtra igitur & inaniter Caluinus contra hunc ſtimulum calcitrauit. Omnem quidem mouit lapidem, vt euidentem veritatem eluderet. Sed fortis eſt veritas, & vincit.

FERIA III. HEBDOMADÆ I. QVADRAGESIMÆ.

Matth.21. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

VVM hoc Euangelium in Dom.9. poſt Pentec. legatur, petat ex illa Dom. Concionator Catholicus, quæ ad hæc ipſa verba in parte Dominicali huius Prompt. contra Caluinum diſputauimus. Nūc vno verbo attingemus, quomodo in Harmonia ſua Caluinus ad hunc Matth. locū ſuo adhuc fermento Phariſaico hæc verba inficere voluerit. Quum enim hæc Chriſti verba rectum & proprium templorum vſum (quibus & Chriſtiani carere non poſſunt, vbi pax Eccleſiæ tuta & acies ordinata conſpicitur) manifeſtè deſcribant, loca videlicet eſſe vni Deo conſecrata, (ideo enim *Dei domum* vocat Propheta, quo Iudæi conueniebant) & ad Dei cultum ſpecialiter ordinata (*orationis quippe voce*, (ait ipſe hoc loco Caluinus) *totus Dei cultus à Propheta notatur*) qui & precibus & ſacrificijs conſtat, voluit vno verbo Caluinus Chriſtianorum templis hoc totum eripere, ſuúmque obiter venenum inſpergere. Ait enim: *Hodie quanquam ad ſacros conuentus agendos templis vtimur, diuerſa tamen eſt ratio: quia ex quo exhibitus eſt Chriſtus, nobis externa & vmbratilis eius imago minimè proponitur, ſicut olim Patribus ſub Lege.* Hæc ille. Verum quidem eſt vmbratiles illas Chriſti imagines, vitulorum & hircorum victimas, panes propoſitionis, & aſſeruatum manna, in noſtris templis non proponi. Sed quia templa quoque noſtra Deo, Deique cultui, precibus, ſacrificijs, ſacramentorúmque adminiſtrationi, ad demum verbi prædicationi deſtinantur & conſecrantur, planè hac ex parte eadem illorum ratio eſt; Domus Dei & domus orationis non ſecus ſunt, quàm templum Iudæorum. Imò tantò excellentius hoc ſunt, quantò magis non vmbræ, aut imagines rerum, ſed res ipſæ olim adumbratæ in illis exhibentur.

Templorū eadem nūc ratio, quæ olim.

FERIA IV. HEBDOMADÆ I. QVADRAGESIMÆ.

Matth.12.

1. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?*

IOCVS Beatiſſimæ Virginis honorem ab hæreticorum hodie indigniſſimis cauillis vindicandi. Ait ad hunc locum Caluinus. *Non dubium eſt quin his verbis carpatur Mariæ importunitas: & certè præpoſterè curſum doctrinæ eius abrumpere tentabat.* Hæc ille. Atqui dubio procul certiſſimum eſt, Caluinum carpendi auidum, importuno cauillo B. Virgini præpoſteram importunitatē, temerè, & falsò impingere. Meminiſſe Caluinus debuit, quod paulo ante hunc locū ſcripſerat. *Negari non poteſt quin Deus Mariā filio ſuo matrem eligens, ac deſtinans, ſummo eam honore dignatus ſit.* Si ſummo honore Deus eam dignatus eſt, nec Chriſtum eius honori

In Harm. Euang. ad Math. c.12 Ad Luc. c. 11. verſ. 27. B. Virginis Mariæ honor defenditur.

A honori hac publica increpatione,(eius importunitatem præposteram publicè coram turbis carpendo) detrahere voluisse existimandum est,nec hac importuna reprehensione superbus Caluinus eius honorem violare debuit. Nos sanè qui cum S. Augustino, totaque Ecclesia Catholica iudicamus,idque *propter honorem Domini*, vt Augustinus loquitur, absque vllo peccato hanc purissimam Virginem vitam duxisse,adduci nullo modo possumus aut debemus, vt aliquid eam commisisse existimemus reprehensione filij sui, eaque publica & coram turbis dignum. Non igitur hic Christus aliquam matris suæ importunitatem carpit,nec aliquam eius præposteram interpellationem taxat,quæ haud dubiè ex pietate & iusta causa processit, siue vt aliqui interpretes existimant cibi capiendi causa,sermone iam Christi diutius protracto,siue, vt Lucas habet,*volens eum videre*,& vt nostrum habet Euangelium, *quærens ei loqui*, vt eius diuinorum sermonum ipsa quoque particeps esset,*quia præ turba adire eum non poterat*, vt Lucas narrat;sed præsentis tantum negotii,in quo versabatur,executionem vrget,& doctrinæ Euangelicæ, quã tradebat,necessitatem & dignitatem (quod locus ille & tempus postulabant) hac data occasione amplificat. Hic Christi scopus,hoc propositum fuit,quum illa verba diceret, *Quæ est mater mea, & qui fratres mei?* vt diuinæ voluntatis executores & cultores summo honore afficeret,maximoque apud se in pretio esse ostenderet: non vt matrem aliquo dedecore afficeret, aut coram turB bis (*sedebat enim turba circa eum*,ait Marcus,quum hæc diceret) de importunitate præpostera,vt ait Caluinus,carperet. Si in fraterna correptione aliter nos facere docuit Christus,vt peccante in nos fratre,*primum inter nos & ipsum solum corripiatur,posteaque coram testibus*,si primæ correptioni non acquieuerit,quomodo Christus in materna correptione, & quidem talis matris, eo ordine neglecto,ad primum delictum publicè coram tam multis testibus eam carperet & taxaret? Sed prophana hęreticorum pectora,stupore & liuore plena,omnia in pessimam partem rapiunt, nec vllius vel Sancti vel Apostoli,vel ipsius matris Dei honori parcunt.

De Nat. & gratia, ca. 26.

Matt. 18.

Hæreticorum prophana pectora.

2. *Quicunque facit voluntatem Patris mei,hic frater meus,& soror,& mater est.*

QVum hic locus bonorum operum studium,quo facimus voluntatem Dei, & ea quæ sunt placita coram Deo, *ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus eius*, vt de iustis loquitur Scriptura,mirificè amplificet,ita vt non solum quomodolibet Deo gratos ac iustos, huiusmodi pietatis cultores esse doceat,sed etiam Deo gratissimos, intimèque coniunctos demonstret; vt iam eos nec pro seruis tantum, *facientibus ea quæ facere debuerant*, nec pro Filiis tantum, *quia Spiritu Dei aguntur*, quæ dilectionis quidem verba sunt, cum nota tamen subiectionis maC gnæque imparitatis coniuncta,sed altius adhuc consurgendo,*pro fratribus & sororibus*,imo etiam *pro matre* habeat,id est,in intimam quandam familiaritatem recipiat, summoque dignetur honore; totam hanc tam emphaticam pietatis & obedientiæ mandatorum Dei commendationem vno *fidei* verbo impius Caluinus eludere se posse confidit. Sic enim scribit. *Eos intelligit facere voluntatem Patris, non qui exactè totam Legis iustitiam implent* (*nam ita in neminem competeret fraternum nomen,quo hic suos discipulos insignit*) *sed fidem præcipuè commendat,quæ sanctæ obedientiæ fons est & origo: simulque defectus & carnis vitia tegit,ne imputentur.* Homo impius ad vnam fidẽ tanquam radicem obedientiæ omnia refert,nec videt à Christo hoc loco non radicem, sed fructus laudari,non eos qui credunt, sed qui faciunt. Rursum non videt, sanctæ obedientiæ fontem & originem non esse solam fidem, sed multo magis charitatem. Nam vt fides intellectum purificat,quo videat quid sit agendum,& in quem finem actiones dirigendæ,& vnde agendi vis ac facultas petenda est,sic charitas voluntatem accendit,vt quæ agenda vidit, in actionem proferat,vt ad propositum finem currat,vt quæ petenda didicit,ardenter petat. Nam fides apprehendens Christum in sensu Caluini,nullius obedientiæ fons est,sed cerebri Caluiniani spectrum, Scripturis diuinis incognita. Verum quidem est, totius legis exactam obseruationem à Christo hic non requiri,vt faciat quis voluntatẽ Patris sui,& fortè de facto neminem adhuc fuisse (Beatissimam Virginem propter honorem Domini semper excipio) qui totam legem exactè impleuerit,id est,sine peccato fuerit: sed aliud extremum est omnem necessariam legis obedientiam excludere,& in sola fide totum ponere. Facere voluntatem Dei,nec totam & exactam poD stulat obedientiam,nec nullam quasi credere sufficiat; sed obedientiam flagitet & significat, qualis in hanc vitam cadit,vt *ambulantes secundum spiritum,non secundum carnem*, meliora mandata exequamur,minores & quotidianos defectus oratione quotidiana purgemus. Quod autem Caluinus totum in sola fide ponat,probatio quam subiungit; manifestum facit. *Nota est enim* (inquit) *Christi sententia*, Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris mei, vt quicunque videt Filium, & credit in eũ, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vult ergo non nisi fidem à Christo commendari,vt faciamus voluntatem Patris,quia qui credit,non peribit. Sed aduertere impius hæreticus debuit, vnam hic salutis causam poni non totam. Qui credit,non perit, quia qui credit alia gratiæ præsidia accipiet,quibus saluetur: de quo vide Prompt. Cathol. fer. 2. Pentecost. Deinde aduertere debuit alias Scripturas de voluntate Dei. *Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei*

Luc. 2.

Luc. 18.

Rom. 8.

Voluntatem Dei facere, fructum notat, non radicem.

Obedientiæ radix sola fides nõ est.

Obedientia exacta, & sola fides duo extrema.

Ioan. 3.

bona & beneplacens & perfecta. Videte fratres vt caute ambuletis non quasi insipientes, sed vt sapientes, re- A
Ephes.5. *dimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas*
Ephes.6. *Dei. Et nolite inebriari vino,* &c. *Serui obedite Dominis* &c. *vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex*
Coloss.4. *animo, cum bona voluntate seruientes, vt sitis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Hæc est voluntas Dei*
1.Thess.4. & 5. *sanctificatio vestra. In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.*
Hebr.10. *Patientia vobis necessaria est vt facientes voluntatem Dei reportetis promissionem. Deus pacis aptet vos in*
Hebr.13. *omni bono vt faciatis eius voluntatem. Vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est*
1.Petr.4. *viuat temporis.* Denique illud Ioannis : *Mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit volun-*
1.Ioan.2. *tatem Dei, manet in æternum.* Quis dubitare potest quin his omnibus in locis facere voluntatem Dei, nihil aliud significet, quàm facere Dei mandata & bonis operibus operam dare? Quod si facere voluntatem carnis, necessario in Scripturis significet, facere ea quæ caro suggerit, expetit & iubet, vt apud Paulum, quum de maximè impiis loquitur, *Conuersati sumus in desideriis*
Ephes.2. *carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum,* cui dubium esse potest quin facere voluntatem Dei Patris sit ea facere quæ Dei Spiritus suggerit, quæ Deo placita sunt, ac demum quæ Deus in sua lege fieri mandat ac iubet. Totam ergo Christi doctrinam penitus hoc loco inuertit, & in sensum alienissimum contorsit, Scripturæ Euangelicæ corruptor impius Caluinus. B

FERIA V. HEBDOMADÆ I. QVADRAGESIMÆ.

Matt.15. 1. *Accedentes discipuli eius rogabant eum dcentes, Dimitte eam, quia clamat post nos.*

INTERCESSIO hæc discipulorum pro muliere Chananæa à Christo prima vice nihil impetrante, exemplum esse potest inuocationis Sanctorum, vt pro nobis apud Deum intercedant, quùm à Deo confestim non exaudimur: ad maiorem videlicet fidei, patientiæ, ac perseuerantiæ nostræ probationem; sicuti cum Chananæa Christus hic egit, tantisper eam exaudire differens, donec sæpe atque identidem clamasset, ipsosque Apostolos vt pro ea apud Christum intercederent, compellasset. Atqui quum totam C
hanc huius loci applicationem exagitet Caluinus, videamus an quicquid ille contra disputat, huiusmodi sit, vt eam propterea repudiare debeamus. Diuinis enim Scripturis ad fidei nostræ confirmationem piè ac religiosè vtimur, nisi vel ratio vel authoritas perspicua contradicat. *Puerile* (inquit ille) *figmentum fuit, quod hoc prætextu conati sunt Papistæ Sanctos,*
In Harm. Euang. ad Matt.c.15. *qui mortui sunt, nobis inducere patronos. Nam vt demus hanc fœminam petijsse à discipulis aliquid suffragationis aut gratiæ (quod tamen ex textu elici non potest) alia tamen est mortuorum ratio quàm viuorum. Adde quod fastidiosè eam audiunt discipuli; atque vt animus illis fuerit patrocinio suo eam leuare, nihil tamen impetrarunt.*

Hæc ille: partim pluspuam pueriliter, partim etiam impiè respondens. Pluspuam puerile
Caluini puerile figmentum. Caluini figmentum est, Chananæam hanc mulierem à discipulis Christi fastidiosè auditam fuisse. Neque enim tanti magistri tanto iam tempore discipuli, tamque humilis ac mitis magistri, ipsimet quoque pauperes tam fastidiosi fuerunt, vt fastidiosè ac molestè piam matris pro filia petitionem audiuerint. Huiusmodi superba de discipulis Christi iudicia superbis hæreticis cõueniunt. Alio iudicio S. Chrysostomus discipulorum interpellationem intellexit. Ait enim
Hom.53.in Matt. in hunc locum. *Æstimo discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos, sed tamen non sunt ausi dicere, da ei hanc gratiam, sed, dimitte eam, sicut & nos cum voluerimus alicui persuadere multoties contraria dicimus.* D
Caluini mendacia. Hæc Chrysostomus. Deinde falsum est quod addit Caluinus nihil eos impetrasse. Christus
1. enim mulieris fide paulo adhuc amplius probata fecit quod Apostolorum interpellatio postulauit, non solum dimittens eam, sed etiam voti compotem & lætissimam dimittens. Nec minus
2. falsum est quod affirmat *ex textu elici no posse, hanc fœminam à discipulis Christi vllam gratiam petiisse.* Quid enim clamabat post Apostolos, nisi vt tacente Domino, aliquod ab eo benignum responsum ipsi impetrarent? *Clamauit enim post illos*, non vt inanis dimitteretur, sed vt à Domino exaudiretur. Ideoque dicentibus Christo Apostolis, *dimitte illam*, respondit Christus, *non sum missus nisi ad oues domus Israel* : Manifestè docens Apostolos petiisse à Christo, vt illius precibus annueret. Alioqui hæc Christi responsio nihil ad rem faceret.

Sancti non sunt vocãdi mortui. Cyrillus l. 6. contra Iul. Iam vero impia est tota Caluini responsio, qua infert pro patrocinio Sanctorum hoc exemplum facere non posse, quia alia est mortuorum ratio quàm viuorum. Impium est & ethnicum Sanctos in cælo cum Christo regnãtes mortuos vocare, & phrasis propria infidelium. Sic Iulian. Apostata Martyres Christi *homines mortuos* vocauit, & tota gentilitas Christianos qui Martyres defunctos colerent hoc nomine subsannauit, quod mortuos colerent. Sed totam hanc Caluinianam impietatem vno verbo Christus refutauit, dicens Deum, qui Deus Abraham,

Isaac

A Isaac & Iacob vocatur, *non esse Deum mortuorum, sed viuentium.* Sic Deus Sanctorum in cælo regnantium non est mortuorum Deus, sed viuentium: vnde non sunt mortui vocandi, sed viuentes: ideoque ad patrocinia non minus idonei quàm cum in terris viuerent; imo multo magis idonei, vt Patres docent. *Matt. 22. Hier. cont. Vigilant. Chrys. Ho. vlt. in epi. ad Rom.*

2. *O mulier magna est fides tua.*

QVum hæretici hodie totam fidei naturam, proprietatem, virtutem & magnitudinem in eo ponent, vt generales Dei promissiones quod credentibus in eum per Christum propitius futurus sit, vnusquisque sibi in particulari applicet, certoque credat quod sibi peculiariter Deus propitius sit, quæritur an hæc mulier huiusmodi fidem habuerit, & magna eius fides à Christo laudata, an talis aliqua fides extiterit. Certissimè constat eius fidem nihil simile aut affine habuisse. Mulier erat Chananæa, gentilis, verbi Dei & promissionum eius, quæ penes solos Iudæos tunc erant (illis enim solis *credita fuerunt eloquia Dei* ait Paulus) penitus ignara, in doctrina legis non educata, extra fœdus populi Dei, vnde eam Christus canem vocat, quasi extra B numerum filiorum. *Non oportet* (inquit) *sumere panem filiorum, & dare canibus.* Quomodo ergo generales Dei promissiones in verbo, quas ignorabat, quæ ad illam non pertinebant, sibi applicare potuit? fidem tamen habuit, eamque magnam, non sanè quæ vllis promissionibus in verbo nitebatur, sed quia de Christi potentia, virtute, bonitate firmissimè conceperat. Talem quippe fidem ab illis exigere solebat Christus, qui aliquod ab eo salutis beneficium expetebant. *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Magna quoque fides erat, quia firma, inconcussa, constans, & perseuerans, quâ quasi in spem contra spem, toties repulsam passa, ac tandem veluti cum contumelia reiecta, tenuit tamen firmiter nec deponere voluit. Talem eius fidem Scriptura Euangelica nobis describit. Specialis fidei ab hæreticis hodie inuentæ nullum hic vestigium apparet. Laborat nihilominus vehementer Caluinus vt vel prorsus tacente, vel etiam reluctante Scriptura, huiusmodi aliquid hoc loco eliciat. Primum ait. *Quanquam à grege Domini extranea erat hæc mulier, gustum tamen aliquem pietatis imbiberat.* Hoc quidem res ipsa manifestè loquitur. Neque enim talem de Christo fidem animo concipere sine aliquo pietatis gustu, imo sine speciali Dei gratia potuit. Sed addit adhuc. *Nam sine aliqua promissionum notitia Christum nõ vocasset filium Dauidis.* Hoc iam de suo cerebro depromit Caluinus. Equidem aliqua illam circa venturũ Messiam fide imbutam fuisse, & eius promissionis quod de semine Dauid venturus erat Iudaici populi Propheta magnus, non ignaram fuisse, probabile est. Sed promissionum iuxta Caluini sen- C sum, videlicet quod per Christum venturum Deus illi propitius futurus esset, quodque ipsa de numero electorum foret (huiusmodi enim promissionibus specialis Protestantum fides nititur) illam aliquo modo notitiam habuisse, penitus falsum & absurdum est. Neque enim tunc illam Christus à numero filiorum separasset, & canibus annumerasset. Addit adhuc Caluinus: *Quanquam mulier hæc à nullo magistro familiariter edocta erat, fidem tamen de Christo non temere sibi fabricauit, sed concepit ex lege & Prophetis.* Homo insulsus sibi ipsi contradicit. Si enim à *nullo magistro edocta erat*, & (vt antea dixit) *non educata fuit in legis doctrina*, quomodo mulier gentilis, indocta, rudis, ex lege & prophetis fidem concipere potuit? Quomodo inquam ex libris illis, quos nec audiuit, nec legit, fidem concepit? Nec tamen temere hanc sibi fidem fabricauit, sed ex fama miraculorum Christi, & ex vicini populi frequenti tunc opinione vel aduentare vel aduenisse gentis illius prophetam magnum & Messiam, hanc fidem illam concepisse, diuino intus cooperante spiritu, multo probabilius est. Sed Caluinus vt aliquam promissionum fidem in hac muliere fuisse contendat, quod in aliis suis scriptis perpetuo negat, & pro *crassa & affectata ignorantia* condemnat, eiusque discipulus aut sodalis Beza *diabolicam ἀνεγνοίαν* vocat, fidem, inquam implicitam, nunc ingenuè fatetur & agnoscit. *Secundum hunc* (inquit) *sensum non nego quin possit interdum aliqua esse fides implicita, cui scilicet non constat diserta distinctaque sanæ doctrinæ cognitio: modo hoc teneamus fidem semper ex verbo Dei nasci, & principium suum ex veris rudimentis habere, vt semper ad aliquam scientiæ lucem annexa sit.* Ecce quam alibi semper negat & explodit, nunc in hac Chananæa agnoscit implicitam fidem, quia explicitam aut claram atque distinctam rerum D diuinarum fidem in illa probare non potuit. Cæterum nec explicitam, nec implicitam promissionum Dei in verbo scripto fidem habere hæc mulier potuit, cui aliqua scientiæ lux annexa esset, quæque ex verbo Dei nasceretur, quum (vt Caluinus antea concessit) *nec in legis doctrina educata, nec ab vllo magistro edocta, & à grege Domini extranea esset.* Frustra ergo & insulsè laborat Caluinus, vt vllam promissionum fidem seu explicitam seu implicitam (quam nunc in huius mulieris gratiam agnoscere vult) in ista muliere inueniat. Laudauit in ea Christus fidem, non cuius obiectum aliqua promissio aut generalis aut specialis illi facta esset, sed quæ circa ipsum Christum, eiusque admirabilem potentiam tot antea miraculis probatam, & insignem beneficentiam ac bonitatem tam multis erga alios beneficiis compertam versabatur. Sic fides catholica, qua diuinæ alicui veritati firmiter assentimur, non hæreticorum specialis aliqua fides in hac muliere Chananæa à Christo laudatur.

Fides qualis à Christo laudata

Rom. 3. Matt. 15.

Matt. 9.

Caluinus sibi contradicit.

Inst. li. 3. c. 2. n. 2. Annot. in c. 1. ad Rom. ver. 17.

Fides implicita à Caluino contra seipsum agnita.

A

FERIA VI. HEBDOMADÆ I. QVADRAGESIMÆ.

Ioan.5. 1. *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.*

Doctrina non scripta

LOCVS varia notandi & obseruandi contra nostri temporis hæreticos. Primum quod hoc tantum miraculum in tota veteri Scriptura non commemoratur, quum tamen vt rem longo tempore vsitatam ac vulgarem Euangelista commemoret. Iste vnus languidus nunc sanatus totis 38. annis aquæ motum expectauerat, nec nisi diutissima experientia miraculo fidem dedisset, aut ille aut tot præterea languentes, cæci, claudi, aridi tam diu & tot annis expectassent aquæ motum. Valet hoc contra eos qui nihil volũt credere nisi scriptum. Huius enim rei aut origo, aut promissio, aut præceptum, quibus illi ad sanitatem quærendam moueri possent, nusquam in Scriptura legitur. B

2. Secundo, quod virtus supernaturalis & miraculosa ipsis creaturis, vt hîc aquæ ab angelo motæ, sine vlla diuini honoris diminutione tribuitur, contra eos qui omnem efficaciam creaturarum Deo derogare, & magici cuiusdam exorcismi speciem habere existimant. Deus quippe pro suo arbitrio liberè elementis vtitur: quamuis operis effectus non nisi Deo tribuatur. Tertio quod talis virtus rebus sanctificatis tribuitur. In hac enim aqua pecora sacrificata ablui solebant, & ideo in commendationem sacrificiorum hoc miraculum Deus operabatur, vt notat D. Hier. in tract. de locis Hebraicis. Non fortasse quod eo in loco quo sanationes hæ fiebant pecora sacrificanda primum lauarentur (quia in conchis, ad hoc à Salomone constructis in ipso templo primo lauabantur) sed aquis istius piscinæ lauarentur: in quam postquam in templo lotæ carnes essent, omnes aquæ è conchis emittebantur, & per vias subterraneas aut aquæ ductus effluebant. Erat enim ad radices montis, in quo templum situm erat, hęc piscina. Quam sententiam sequitur Aristeas vetustissimus author in libro de septuaginta interpretibus. Valet autem hoc contra hæreticos, qui Sacramentorum & sacramentalium virtutem aliquam aut efficaciam, à Deo illis ad religionis commendationem communicatam & impertitam credere non possunt. C Quarto quod hæc virtus non semper, sed certo aliquo tempore operabatur. Erat enim hoc paschale tempus ad festi ipsius commendationem. Valet contra eos qui nullum dierum discrimen ponunt; negantque Deum gratiæ suæ beneficia diebus in honorem Dei festis ac celebribus liberalius elargiri, quàm quouis alio tempore. Sanè Christus potissimum diebus sabbati & festis Iudæorum opera sua benefica exhibebat. Quinto quod non nisi eum iuuabat hæc aqua qui primus post turbatam aquam ingredi potuit. Hoc enim nos docet, quod non sola fides aut interna deuotio semper sufficit (quanquam illa imprimis requiruntur, & vbi necessitas externa tollit remedia, illa sola sufficere possunt) vt solent hęretici dicere, Deum vbique iuuare, nec plus vno quàm alio loco inuocantibus eum opitulari, sed quod aliquando per externa loca & media iuuare vult Deus, plusque in vno loco quàm in alio opitulari: Plus apud certam alicuius Sancti memoriam orantes exaudire quàm vel apud aliorum Sanctorum, vel apud eiusdem Sancti alias memorias. Qua de re sic sapienter scribit Sanctus Augustinus. *Vbique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in Spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet ac coronet. Veruntamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant?* Moxque duabus citatis Sanctorum memoriis, Sancti Fœlicis Nolæ in Campania, & D Sanctorum Martyrum Mediolani in Gallia Cisalpina, vbi quotidiana tunc pene fiebant miracula, addit. *Nunquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri.* Sed optimam statim ex diuinis Scripturis huius secreti rationem clarissimus doctor subiungit. *Sicut enim quod Apostolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.* Sic non nisi in hac piscina, nec nisi ad certum aquæ motum, nec olim nisi in Iordane sanari Naaman leprosum, nec hodie nisi ad certas Beatissimæ Virginis in omnibus ferè prouinciis catholicis memorias (quas alibi in hoc opere recensuimus) varia tam externa quàm interna beneficia deprecantibus largitur Deus. Sexto notari potest, quod ad huius miraculi operationem ministerio Angeli Deus vtitur, qui descendens aquam turbaret. Hinc enim discimus non esse à Dei sapientia & prouidentia alienum, quod Angelorum aut Sanctorum suorum ministerio vel patrocinio in certis locis vtatur ad varias gratiæ suæ opitulationes fidelibus conferendas. Sanè vnam miraculorum & opitulationum causam, quæ in certis Sanctorum memoriis fiunt hanc adfert Sanctus Augustinus, quod *Deus merita Martyrum per eorum memorias commendare solet, quia hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem, pro qua illi Martyres passi sunt.* Sic docet

Creaturarum efficacia Deo nõ derogat.

3.

2. Paral. 4

Sacramentorum & sacramentalium virtus.

4. Festorum dierum discrimen.

5.

Locorum aliquando discrimen ad beneficia impetranda. Epist. 137.

Infesto Natiuit. B. Virg.

6. Sanctorum patrocinia.

A cet in libro de cura pro mortuis gerenda, & lib. 22. de Ciuit. Dei. Hæc ex huius Euangelicæ historiæ doctrina annotare & tractare latius eruditus Concionator poterit. Valent enim singula contra delicata Nouatorum hodie & superba ingenia. *Cap. 16. Ca. 9. & 10*

2. *Vis sanus fieri?*

LOcus pro libera hominis cooperatione in omnibus diuinæ gratiæ beneficiis recipiendis, quam semper impius Caluinus negat. Hac enim interrogatione nobis significat Dominus se hominis libero arbitrio in salute conferenda vti. Saluat quippe & iustificat Dominus homines indigentes & impotentes, & longa sæpe peccatorum ægritudine languentes; (qualis hic maximè languidus erat) in quibus sanè sanandis maiori gratiæ latitudine & efficacia opus est; sed non nisi sanari volentes, suaque libera cooperatione excitanti, & quocunque tandem modo operanti gratiæ Dei consentientes. Et quia ipsum primum velle sanari gratiæ Dei est, propterea hac sua interrogatione ad hoc ipsum languentem hunc excitat. Quo excitanti Christo consentiente, suumque desiderium exponente, eadem gratia quæ languentem excitauit, con- B sentientem confestim sanauit. Christus enim interrogando, suaque interrogatione (quæ præueniens eius gratia erat) eum excitando *paratiorem eum reddidit* (ait in hunc locum Sanctus Cyrillus) *ad sanitatis gratiam suscipiendam.* Qui enim Dei gratia ad bonum excitatus, ei se morigerum præbet, & ab eo se duci patitur, ab eadem adiuuatur vt plenè ac liberè consentiendo, eidem ad suam salutem cooperetur. Contra docet impius Caluinus. *Mouet voluntatem Deus, non qualiter multis seculis traditum est & creditum, vt nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiare necesse est. Quem trahit volentem trahit. Quo insinuat Dominum porrecta tantum manu expectare, an suo auxilio iuuari nobis adlubescat. Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, vt potuerit ad alterutram partem inclinare. Sed quum suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit posit, quid fiet nobis si ad eum modulum suam gratiam nobis impertiat? Imo nos ipsi eam obscuramus & extenuamus nostra ingratitudine. Non enim docet Apostolus offerri nobis bonæ voluntatis gratiam si acceptemus, sed ipsum velle in nobis efficere: quod non est aliud nisi Dominum suo Spiritu cor nostrum dirigere, flectere, moderari, & in eo tanquam in possessione sua regnare. Nec vero per Ezechielem promittit se daturum electis Spiritum nouum hoc tantum fine, vt in præceptis suis ambulare possint, sed vt reipsa ambulent. Neque secus accipi sententia Christi potest, Omnis qui audiuit à Patre meo venit ad me, quàm vt efficacem à seipsa Dei gratiam doceat: quemadmodum & August. contendit in lib. de prædest. sanctorum.* Hæc hactenus Caluinus, vt do- C ceat Christi gratiam non sanare eos qui volunt sanari, vt hoc Euangelio dicit, sic videlicet vt operanti gratiæ cooperetur homo per suam voluntatem à Deo excitatam & adiutam; sed sanare eos quos gratia per seipsam efficax efficaciter sanare vult. Totam eius disputationẽ quàm sit Scripturis aduersa, paucis ostendemus. Primum sententiæ suæ absurditatem & impietatem prodit ipsemet, dum diserte profitetur *his multis seculis aliter traditum & creditum fuisse.* Fatetur ergo efficacem à seipsa gratiam quam ponit, nouellum esse, suique cerebri commentum. Dignum sanè dogma quod ab homine tam impio inuentum viri docti complectantur. Dicit repudiandam esse hanc Chrysostomi sententiam, *Quem trahit Deus volentem trahit.* Et quare? Quia (inquit) hoc modo insinuat *Deum porrecta tantum manu expectare an suo auxilio iuuari homo velit.* Atque si per *porrectam Dei manum*, præuenientem Dei gratiam intelligit Caluinus, quæ non solum pulsat ad ostium cordis, sed & stat ad ostium cordis parata vlterius adiuuare, si homo per consensum cor suum Deo aperuerit, per consensum inquam à Deo excitatum & adiutum, nihil absurdi dicitur Deum sic parata manu expectare interdum an homo ab ipso excitatus, auxilio illo Dei iuuari velit. Hoc enim nihil aliud est quàm quod disertè Deus in Scriptura dicit. *Ego sto ad ostium & pulso: Si quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Deus enim porrecta manu gratiæ suæ ostium cordis humani pulsat, ac pulsando stat, id est expectat, vtrum aperiatur ei, id est, vtrum homo auxilio Dei oblato iuuari velit, vt quę fuit gratia præueniens, fiat gratia adiuuans: cooperante iam porrectæ gratiæ libera hominis voluntate. Et quia porrecta hac gratiæ diuinæ manu, Deoq; expectante, an eius gratiæ auxilio iuuari homines velint, multi D reuera iuuari nolunt, sed (vt Paulus loquitur) *gratiæ Dei desunt*, non cooperantes illi, nec ea iuuari volentes, propterea ad tales Scriptura dicit. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Et iterum. *Patienter agit Deus propter vos* (id est, propter omnes homines conuersionem suam differentes) *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Apud hos enim omnes Deus porrecta manu expectauit, & diu expectauit, an auxilio suo iuuari vellent. Si autem Caluinus per *porrectam tantum Dei manum*, & per terminum illum restrictiuum dolosè additum, intelligat docere Chrysost. aut alios catholicos, homines à Deo semel per solam præuenientem gratiam excitatos (hæc enim est *porrecta tantum Dei manus*) vlterius à Deo non adiuuari, sed facta illa cordis excitatione Deum expectare an homines sibi postea relicti, Dei pulsum sequi velint, repudianda illa doctrina est, quasi quæ non nisi præuenientem Dei gratiam ponat, & gratiam Dei perpetuo adiuuantem neget. Quod certè nec Chrysost. nec vllus catholicus vnquam dixit aut sensit. Omnes enim cũ Aug.

Liberi arbitrij cum Dei gratia cooperatio.

Li. 2. c. 12. in Ioan.

Instit. li. 2. c. 3. n. 10.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.

1.

2.

Gratia Dei præueniens expectat volentem.

Apoc. 3.

Heb. 12. Rom. 2. 2. Petr. 3.

docent, *ideo totum Deo dandum esse, quia hominis voluntatem adiuuat præparatam, & præparat adiuuandam.* Præparat adiuuandam porrecta manu: sed præterea adiuuat præparatam non retracta manu, *sed stando ad ostium vt aperiatur ei.* Neque vero in eo discrimen est gratiæ Dei inter hominem stantem & lapsum, quod ille à Dei gratia excitatus ad alterutram partem inclinare se potuerit, hic vero non possit, ideoque efficaci Dei gratia indigeat, qua Deus in ipso velit & possit, id est, vt in præcedentibus Caluinus docuit, vt velle & operari bonum in homine lapso sit solius Dei efficaciter operantis opus, non etiam humanæ volũtatis liberè Deo cooperantis; sed quũ vterque tam primus homo ante lapsum quàm quilibet homo lapsus à gratia Dei excitatus ad alterutram inclinare se possit (nam de homine lapso dicitur, *posuit eum Deus in manu consilij sui: Apposuit illi aquam & ignem, ad quod voluerit porriget manum suã*: & maximo peccatori Cain dixit Deus, *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*:) in hoc tamen differt gratia primi hominis à gratia Christi homini lapso data, quod illa quidem dedit illi posse bonum si vellet, hęc autem huic dat non solum posse, sed & velle & perficere: id est non solum adiuuat vt possit bene facere, sed etiã adiuuat vt velit atque perficiat. Deus enim facit nos velle & perficere, non mutando voluntatem malam in bonam suo solo opere, suaque sola efficaci gratia, vt docet disertè Caluinus, sed adiuuando vt velimus bonum atque vt perseueremus in bono, si ipsimet volumus, & adiuuãti Deo collaboramus. Hæc est clara & perspicua S. Augustini doctrina, à quo hãc efficacem gratiam doceri Caluinus affirmauit. Ille quippe doctissimus Pater docet Deum iuxta Apostoli verba *operari in nobis velle & perficere*, non efficaciter totum operando, sed misericorditer totum adiuuando. *Non est* (inquit) *homo bonus si nolit. Sed gratia Dei ad hoc adiuuatur vt velit, quoniam non inaniter scriptum est, Deus est qui in nobis operatur velle & perficere.* Ecce non inaniter Deus operatur in nobis velle, quia gratia sua adiuuat vt velimus. Rursum alio in loco. *Deus non solum posse nostrum donauit & adiuuat* (quæ fuit gratia primo homini data) *sed etiam velle & operari operatur in nobis: non quia nos non volumus aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Ecce iterum operatur Deus in nobis velle, quia sine eius adiutorio non volumus. Deus ergo non quidem *ad illum modulum* (vt loquitur Caluinus) *suam gratiam nobis impertit*, quem Adamo impertiuit. Non solum dat posse si volumus, sed etiam dat vt velimus, quia adiuuat vt velimus. Adiuuat inquam *potentiori gratia*, vt loquitur Augustinus, quia tali nunc indiget carnis nostræ corruptæ infirmitas, rixa, rebellio. Potentia autem hæc diuinæ gratiæ est perpetua eius protectio, directio & opitulatio, *Facile quippe* (ait Augustinus) *succumberet voluntas humana nisi infirmitati eius subuentum esset, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur.* Sed hæc indeclinabilis & inseparabilis Dei operatio, est quidem perpetuum gratiæ adiutorium (*Adiutorium enim gratia propriè vocatur gratia*, ait idem Augustinus) sed non est *gratia ex seipsa efficax*, vt Caluinus loquitur, quæ sola totum operatur, & cum qua nos liberè non cooperamur. Adiuuat enim nos Deus, *quia nos cum illo aliquid agimus adiungendo voluntatem nostram Deo*, vt idem clarissimus doctor, *cum quo se bene conuenire* Caluinus iactitat, perpetuo docet. Denique sic cum Deo indeclinabiliter & inseparabiliter agente nos agimus, vt illo agente agamus nos si volumus, non agamus si nolimus. *Vtrumque enim hoc verum est*, ait Augustinus. *Deus Pater attrahit ad Filium homines, & dimittit homines vt quis quod voluerit eligat.* Rursum. *Posse habere fidem est naturæ hominum: habere fidem est gratiæ fidelium. Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino.* Iterum alio in loco. *In potestate hominis est mutare voluntatem in melius, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur.* Ecce disertissimè docet hic celeberrimus doctor, sic Deum ad se trahere per gratiam, sic præparari voluntatem à Deo, sic dari à Deo potestatem vt filii Dei simus, denique sic habere nos fidem ex Dei gratia, vt homo quod velit eligat, vt in arbitrio voluntatis sit credere & non credere, vt suam voluntatem in melius mutare in ipsius hominis potestate sit. Sic potentior Dei gratia lapsis data, liberam lapsorum voluntatem, qua gratiæ ductum sequantur, ipso iudice Augustino, non excludit.

Quibus ita positis, ad reliquam Caluini disputationem nullo negotio respondetur. Quod Apost. dicit ipsum velle Deum in nobis efficere, *non est aliud* (ait Caluinus) *nisi Dominum suo Spiritu cor nostrum dirigere, flectere, moderari, & in eo tanquam in sua possessione regnare.* Vera sunt hæc omnia, si intelligimus hæc omnia fieri salua hominis libera voluntate. Dirigit suo Spiritu, flectit, moderatur, *vt homo quod velit eligat*, si Augustino credimus, vel (vt Scripturæ verbis vtamur,) *vt homo ipse faciat arborem bonam, & faciat sibi cor nouum*, quia agente, flectente, & moderante Dei Spiritu, pedissequa voluntas sequitur si velit, non sequitur si non velit. *Visorum quippe suasionibus* (ait Augustinus) *agit Deus vt velimus & vt credamus, siue extrinsecus siue intrinsecus. Et his modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, profecto & ipsum velle credere Deus operatur in hominibus. Consentire autem suasioni aut vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.* Sic Deus dirigit, flectit, & moderatur suo Spiritu corda hominum, vt eo dirigente, flectente, moderante, propriæ hominum volũtatis sit, directioni, moderationi, vocationi, suasioni diuinæ obedire vel nõ obedire, consentire vel dissentire. Hæc est clara & perpetua Sancti Augustini doctrina iuxta illas Scripturas, quæ non secus nos iubent nos ipsos ad Deum conuertere, quã docent Deum ad sese nos trahere. *Dictum est in Scriptura* (ait Augustinus) *dabo vobis cor nouum, & dictum est, facite vobis cor nouum, quia dat quod iubet*, (dicendo, dabo:) *& adiuuat cui iubet*, dicendo, facite. *Sic facit homo arborem bonam* (ait idem Augustinus) *quando accipit Dei gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum*

3. *Gratię Dei discrimen ante hominis lapsum & post.*

4.

A

B

C

D

De pec. mer. & remiss. li. 2. ca. 17.
Eccl. 15.
Gen. 7.
Deus facit velle & perficere adiuuando
Philip. 2.
Li. 1. c. 18. con. 2. epi. Pelag.
De grat. Christi ca. 25.
De correp. & grat. ca. 12.
Gratia in homine lapso potentior, non tollit liberam electionem.
De gratia Christi ca. 42.
Lib. & ca. eod. nu. 8.
Tract. 4. in ep. Ioan.
Ser. 13. de verb. Apost.
De pec. mer. & remiss. li. 2. ca. 5.
Contra lit. Petil. li. 2. c. 84.
De pręd. sanct. ca. 5.
Retract. li. 1. c. 22.
Cor humanum quomodo Deus dirigit, flectit, moderatur.
Matt. 7.
Ezech. 18.
De Spiritu & lit. c. 34
De grat. & li. arb. ca. 1.
De gratia Christi ca. 19.

A *ſum facit, ſed ex illo & per illum & in illo qui ſemper eſt bonus.* Deo igitur dirigente, flectente, moderante, homo ſeipſum ex malo bonum facit, non quidem per ſeipſum, ſed ex Deo & per Deum; facit tamen & ipſe, quia *accipit Dei gratiam* quam abiicere poterat: conſentit vocationi Dei, cui diſſentire poterat: poterat inquam non potentia remota propter naturalem libertatem adhuc relictam, ſed potentia proxima, qua ad vtrunque liber eſt, ſicut Adam ante lapſum fuit, ſiue ad bonum adiutus à gratia, ſiue ad malum neglecta gratia. Agens quippe voluntarium ab agente naturali in hoc differt, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis, iſtud quidem neceſſario agat, illud vero vel agat vel non agat, prout voluerit.

Homo quippe gratia iuuatur (ait Auguſtinus) *ne ſine cauſa voluntati eius inbeatur.* Fruſtra enim iuberetur facere (in hoc operum genere) niſi à Deo iuuaretur vt faceret. Falſo etiam & mendaciter iuuaretur, ſi nihil ipſe faceret. Sed quia iuuatur, agit & ipſe cum Deo ſicut rationalis creatura agere ſolet, & ſicut ille agere debet, qui bene agendo meretur, id eſt, cum libera prorſus vtriuſque partis electione. Porro *regnat Deus in cordibus piorum quaſi in poſſeſſione ſua* (vt ait Caluinus) ſed regnat & dominatur in hominibus liberis non ſeruis. Sicut regnat peccatum *in mortem*, (ait Apoſtolus) *ſic gratia regnat per iuſtitiam in vitam æternam.* Sed peccatum regnat in ſeruis, quorum tamen ſeruitus cum quadam libertate coniuncta eſt, quia nec coacti, nec vlla abſoluta neceſſitate conſtricti peccato ſeruiunt. Gratia regnat in liberis, quia in filiis Dei, qui liberè ſer-
B uiunt iuſtitiæ, *obedientes in corde* (ait Apoſtolus) *in eam formam doctrinæ in qua traditi ſunt.*

De grat. & lib. arb. ca. 4.

6. Deus in cordibus piorum quomodo regnat.

Rom. 5.

Rom. 6. 7. 8.

Iam vero vt cum Caluino pergamus, *dat Deus ſpiritum ſuum non ſolum vt in præceptis eius ambulare poſſimus, ſed vt reipſa ambulemus*, quia non in ſolo poſſe nos adiuuat, ſed & in velle & perficere: vt iam ſatis ſuperque explicatum eſt. *Sic omnis qui audiuit à Patre venit ad Chriſtum, non per efficacem à ſeipſa Dei gratiam* (vt ait Caluinus, & Auguſtinum hoc docere mentitur, nullo certo deſignato loco) ſed libera ſua voluntate, loquenti & vocanti Deo Patri, conſentiendo. *Trahi à Patre ad Chriſtum nihil aliud eſt*, (ait Auguſtinus) *quàm donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum.* Quod ex aliis Chriſti verbis manifeſtè alibi probat, vbi Chriſtus dixit, *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Iam vero hoc donum Patris quo ad Chriſtum trahimur, non eſt *efficax à ſeipſa Dei gratia*, (vt Caluinus dicit) ſed eſt efficax, ſuumque effectum ſortitur, non ſecus à libera voluntatis cooperatione, quàm ab ipſa Dei operatione, tractu, & dono. Hoc niſi ipſe Auguſtinus doceat, vincat Caluinus cum ſua efficaci gratia, & liberum tollatur arbitrium. Sin vero hoc ille clariſſimus Doctor apertè doceat, impudentiæ & mendacii conuincatur Caluinus, omneſque ſequaces eius, qui cum Auguſtino in hac cauſa ſeſe conuenire, & *hanc efficacem à ſeipſa gratiam* ab Auguſtino doceri affirmant. Donum Dei & donum à Patre non ſecus eſt, *caſtrare ſeipſum propter regnum cælorum*, quàm credere in Chriſtum vt ſalui ſimus. De hoc autem do-
C no Auguſtinus explicans illa Chriſti verba, *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*, ita ſcribit. *Vt hoc verbum quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberum arbitrium.* Similiter ergo donum illud à Patre, quo ab eo tracti credimus in Chriſtum, non ab omnibus capiatur, ab aliquibus capiatur, & donum Dei eſt liberum arbitrium. Si ergo vtriuſque eſt, non ipſius gratię à ſeipſa efficacis eſt, ſed gratiæ cum libero arbitrio efficacis eſt. An fortè de dono caſtitatis hoc Auguſtinus docet, ſed de dono fidei, quo Pater nos trahit ad Chriſtum hoc non docet? Alia igitur eius loca recolamus. In libro de prædeſtinatione Sanctorum, quem ipſe pro ſua efficaci gratia citat Caluinus, nullo deſignato libri capite, de ipſo credere in Chriſtũ & operari iuxta fidem Chriſti ita ſcribit. *Vtrumque noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei & charitatis.* Iterum in eodem opere. *Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed præparatur voluntas à Domino:* nempe per donum illud à Patre quo trahimur ad Chriſtum. *Trahimur enim ad Chriſtum* (ait alibi Auguſtinus) *non quia violentia adhibetur* (quam ſanè docet Caluinus, docentque omnes qui liberam electionem excludunt) *ſed quia voluntas excitatur.* Trahi ergo à Patre ad Chriſtum, iuxta claram Auguſtini doctrinã, quam ad ſuas partes mendax Caluinus trahit, non eſt aliqua *gratia à ſeipſa efficax*, ſed eſt gratia excitans
D voluntatem, cui illa liberè cooperatur vel non cooperatur, quia capere hoc donum quo à Patre trahimur, & Dei donum facit & liberum arbitrium, vt ſupra ex Auguſtino accepimus. Quod adhuc alio loco repetit, dicens. *Quis non videat & venire quemque ad Chriſtum & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit*, (poteſt eſſe ſolum dicit, quia aliquando etiã quando non venit, non eſt ſolum, ſed gratia adiutum, quam proterue abiicit) *non autem poteſt niſi adiutum eſſe ſi venit.* Manet ergo ſalua electionis noſtræ libertas: & quum ſanat Chriſtus, eos ſanat qui ſanari volunt, per excitantem gratiam vnumquemque interrogans, vt noſtrum habet Euangelium, *Vis ſanus fieri?* Plura quidem pro ſua impia ſententia diſputat Caluinus, & aliis Scripturis in hanc rem abutitur. Sed & hæc præcipua ſunt, & illa alia, ſi qua occurrit occaſio, non ſecus donante Deo, refutabuntur. Pro huius Euangelii explicatione hæc pauca ſufficere poſſunt.

De præd. Sanct. li. 1. ca. 8. Cont. 2. epi. Pelag. li. 1. c. 3.

Trahi à Patre ad Chriſtum quid ſignificet.

Matt. 19.

De grat. & lib. arb. ca. 4.

Cap. 3.

Tract. 26. in Ioan.

De gratia Chriſti ca. 14.

A

Euangelium Sabbati in Dominica prima Quadrageſimæ.

(QVod eſt de Transfiguratione Domini) legitur in Dominica ſequenti. Proinde quod ex illo Euangelio contra noſtri temporis hæreticos dici aut diſputari poteſt, videat in Parte Dominicali concionator.

Matt. 17.

FERIA II. HEBDOMADÆ II. QVADRAGESIMÆ.

Ioan. 8. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

LOCVS explicandi inanem & infructuoſum hæreticorum laborem (qualis Iudæorum erat & eſt, quem Chriſtus hic futurum prædicit) in quærendo Chriſtum, quem inuenire non poſſunt, ſed in peccato incredulitatis ſuæ moriuntur, ſicut Iudæi increduli vſque hodie. Prænunciat Iudæis Chriſtus ſe quidem quoad corporalem & naturalem eius præſentiam, iuxta modum naturalem, migrare & *tranſire de hoc mundo ad Patrem*: eoque iam ab eorum conſpectu ſublato, fore vt quærant eum non inuenturi, ſed in peccato ſuo, id eſt, pertinaciæ & incredulitatis (hoc enim Iudæorum proprium & maximum peccatum erat, morituri. Iudæi autem, Chriſto iam in cœlum recepto, quomodo quærebant eum, & adhuc Meſſiam ſuum quærunt, niſi in Scripturis ſuis, in lege, in pſalmis & prophetis? Quas quidem per ſingula ſabbata legunt; quas eorum magiſtri & Rabbini commentariis ſuis illuſtrare conantur; in quibus denique quæ Dauid, quæ Eſaias, quæ alii Prophetæ de futuro Meſſia clariſſimè prædixerunt, illi ne ad Chriſtum verum eorum Meſſiam vllo modo pertineant, inſigniter peruertunt, de regno Meſſiæ temporali, de ipſo Dauide, Salomone, Ezechia, aliiſque eorum piis Regibus diuini cultus inſtauratoribus, ea omnia explicantes, quæ de Chriſto propriè dicuntur: ideoque verum Meſsiam, quem quotidie ſtudiosè quærunt & auidiſsimè expectant, nunquam inueniunt, ſed in peccato pertinaciæ & incredulitatis ſuæ miſerè moriuntur. Improperauit hoc ipſum illis Chriſtus dicens. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ quidem ſunt quæ teſtimonium perhibent de me, ſed non vultis ad me venire vt vitam habeatis.* Ait illos de facto ſcrutari Scripturas, non tamen ad Chriſtum venire per lectionem Scripturarum, quia Chriſtum in illis videre nolunt. Quærunt in illis Chriſtum, & non inueniunt, ſed in peccato pertinaciæ ſuæ moriuntur. Idem Paulus de Iudæis obſeruauit. *Vſque in hodiernum diem quum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Legunt Moyſem, legunt alias Scripturas, ſed propter velamen incredulitatis, & quia litteræ occidenti inhærent, inuenire Chriſtum non poſſunt.

B

C

Ioan. 13.

Iudæi quærunt Chriſtum in Scripturis & non inueniunt.

Ioan. 5.

2. Cor. 3.

Idem in omnibus quidem omnium temporum hæreticis accidit, quum *non aliunde natæ ſint omnes hæreſes* (ait S. Auguſt.) *quàm quia Scripturæ bonæ intelliguntur non bene*: ſed in noſtri temporis hæreticis potiſsimum id accidiſſe videmus. Scripturas hodie, ſolaſque Scripturas legunt, tractant, vertunt, exponunt, commentariis, poſtillis, ſcholiis, annotationibus, negotioſiſsimè exagitant. In illis ſe vitam æternam habere, ex illis ſolis omnem veritatem petendam eſſe clamitant, prædicant, ſcriptitant. Hactenus tamen in illis Chriſtum inuenire non potuerunt. Studium eorum non reprehenditur, ſicuti nec Iudæorum reprehendit Chriſtus. Hoc in illis deploramus, quod in Iudæis futurum prædixit Chriſtus. Quærunt Chriſtum in Scripturis, ſed non inueniunt, in peccato ſuo morituri. Quærunt videlicet, non qualē Scripturæ deſcribunt, ſed qualem illi volunt, ſibique finxerunt. Non quærunt Chriſtum, ſuos fideles & electos verè ſanctificantem & iuſtificantem, ſed ſuam illis iuſtitiam (illis inquam impiis adhuc & iniuſtis) gratuito imputantem. Non quærunt Chriſtum obedientiam mandatorum & bonorum operum ſtudium à ſuis electis neceſſario flagitantem, ſed ſola fide abſque legis obligatione ſuos iuſtificantē. Non quærūt Chriſtum bonis iuſtitiæ operibus ampliſsimam vitæ æternæ mercedem promittentem, ſed in huiuſmodi promiſsionibus ſolummodo adhortantem, & id agentem, vt intelligant ſe non fruſtra laborare. Non quærunt Chriſtum in ſacramento quod inſtituit verè & realiter præſentem, ſed quærunt illum tam procul ab illo abſentem quàm cœlum à terra diſtat. Non quærunt Chriſtum in aliis ſacramentis ſanctificantem, ſuæque gratiæ dona impertientem, ſed acceptas iam gratias obſignantem; ſolique fidei confirmandæ ſubſeruientem. Denique non quærunt Chriſtum in Eccleſia ſua Catholica & Apoſtolica, non in Paſtoribus & Doctoribus quos dedit, ſed in ſeipſis, ſeipſos prædicantes, ſuum ipſorum in omnibus iudicium ſequentes.

D

Hæretici hodie quærunt Chriſtum in Scripturis, & non inueniunt.

Cauſa cur non inueniunt.

1.
2.
3.

Sic Calu. in Harmonia ſæpè.

4.
5.
6.

Iudæorum & hæreticorum hodie Chriſtū in Scripturis fruſtra quærentiū comparatio

Poſtremo (vt paulo explicatius aliquid dicamus) ſicut Iudæi quærentes Chriſtum in Scripturis, ideo eum non inueniunt, quia nō talem Chriſtum aut Meſsiam quærūt, qualem Scripturæ exhibent, ſed qualem iuxta carnales affectus ſuos deſiderant; id eſt, non eum quærunt, qui in humilitate

A humilitate venturus, multa acerba & indigna paſſurus, per humilitatem & paſſionem exaltandus, regnum ſpirituale erigeret, & in libertatem ſpiritus à diaboli poteſtate omnes in eum credentes aſſereret, & hoc modo toto orbe regnaret; (qualē Scripturæ propheticæ ac legales manifeſtè eum deſcribunt) ſed eum quærunt, qui in gloria & potentia mundana venturus, omnes Iudæorum hoſtes manu forti debellaturus, & ipſos Iudæos in ſummam libertatem aſſerturus, fœlicitatem illis terrenam, longéque ac latè patentem dominationem conferret, qualem ipſi ſibi finxerunt, omnes in Scripturis promiſſiones illis factas non niſi carnaliter intelligendo, ideoque niſi bona carnalia ſomniando; eodem prorſus modo hæretici hodie quærentes Chriſtum & veritatem eius Euangelicam in Scripturis, ideo ea non inueniunt, quia non illum Chriſtum, nec illam veritatem Euangelicam quærunt, qualem Scriptura Prophetica & Euangelica exhibent, ſed qualem ipſi iuxta carnales ſuos affectus hac demum ætate noſtra ſibimetipſis fingentes exoptant: id eſt, non quærunt Chriſtum, qui *ideo ſemetipſum nobis dedit*, ideo docuit, *ideo venit, vt diſſolueret opera diaboli, vt liberaret nos à ſeruitute peccati, vt mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*, vt ſublato timore & ſpiritu ſeruitutis extincto, *ſpiritum adoptionis filiorum Dei*, ſuum ipſius ſpiritum *mitteret in corda* credentium, *diffuſa charitate in cordibus eorum per Spiritum Sanctum*, (qui illius Spiritus eſt) *qui datus eſt nobis*, vt ſic *Lex Spiritus vitæ liberaret nos à lege peccati*, vt ſic facti *noua creatura in Chriſto*, & *creati in illo* ſeu per illum *in operibus bo-*
B *nis, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram Deo omnibus diebus vitæ noſtræ*, vt ſic *abnegantes omnem impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, piè ac iuſtè in hoc ſæculo viuamus*, vt ſic *non regnet amplius peccatum in corpore noſtro*, nec dominetur nobis, ſed *regnet gratia* per *iuſtitiam in vitam æternam*, *quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia*; imo *abundantiam gratiæ & donationis iuſtitiæ accepimus*, vt ſic denique *in timore & tremore ſalutem noſtram operantes*, per *patientiam boni operis*, per *iuſtitiam Dei in Euangelio reuelatam*, per *bonum & legitimum certamen*, *in fide & charitate radicati*, ac *ſpe* futurorum bonorum *ſalui facti*, *coronam iuſtitiæ à iuſto iudice*, *mercedem* veram & *copioſam à remuneratore Deo* percipiamus, qualem Scripturæ Euangelicę & Apoſtolicæ nobis luculentiſſimè deſcribunt; ſed eum Chriſtum quærunt, qui in eius nomen credentes partim per ſolam peccatorum remiſſionem abſoluens, & hoc modo iuſtificans, partim ſuam illis iuſtitiam & obedientiam imputans, & hoc modo eos iuſtos coram Deo declarans, eos interim quoad ſeipſos prorſus *iniuſtos & impios in ſeipſis* relinquit: quia etſi inchoatam quandam in illis ſanctificationem ipſemet per ſuum Spiritum in illis operetur, atque ita operetur, vt hoc *ſolius diuini Spiritus opus ſit per gratiam ex ſeipſa efficacem*, nullo cooperante libero hominis arbitrio, tamen pro-
C pter peccati reliquias in illis manentes, propter concupiſcentiam carnis, & legem membrorum, quam penitus in hac vita excutere non poſſunt, *rem coram Deo damnabilem*, hæc ipſa ſanctificatio inchoata, & hoc ipſum ſolius diuini Spiritus opus, mera eſt immunditia, meræ ſordes, vnde veri & immundi peccatores ſemper manent *in ſeipſis iniuſti & impij*, *nullam in ſeipſis inhærentem iuſtitiam habentes*, *Legem Dei nunquam implentes*; ideoque Chriſtum à credentibus in eum non niſi ſolam fidem & ſpecialem confidentiam ad ſalutem & iuſtificationem neceſſariam requirere, ad mandatorum obſeruationem (vtpote ipſis regeneratis impoſſibilem) non obligare: bona quæ dicuntur opera (quanquam ſolius Dei in nobis ſint opera) nullam iuſtitiæ rationem habere coram Deo, nihil promereri, nedum vitam æternam: ſed ea quum à credentibus præſtantur, *gratitudinis tantum ergo*, *& quia ſic filios docet præſtari*: Denique Chriſtum quærunt, qui in eius promiſſiones gratuitas credentes certos ſemper ac ſecuros de ſalute eſſe iubeat, quia nec à fide accepta excidere poſſunt, qui ſemel crediderunt, nec alia fides niſi promiſſionum Dei certa perſuaſio credentem propriè iuſtificat, *nec ad ſalutis certitudinem vllaprorſus operum habenda ratio eſt*. Talem Chriſtum Caluinus in Scripturis quærit, talem reliqui huius ætatis hæretici, vt ſic in ſolam fidem ac diuinæ beneuolentiæ perſuaſionem recumbentes, peccati victoria, vitæque puritate & integritate deſperata, vel carnis ſuæ deſideriis liberas prorſus laxent habenas, vel certè eius mortificationem rem minimè ad ſalutem neceſſa-
D riam, nec niſi ex abundanti & liberaliter à iam iuſtis, Deoque per fidem reconciliatis ſuſceptam, frigidiſſimè exerceant. Sic Chriſtum quærunt, qualem nulla deſcribit diuinitus inſpirata Scriptura. Quærunt, & non inueniunt, ſed in peccato ſuo moriuntur: quodque deterius eſt, & Iudaica perfidia deteſtabilius, innumeras animas ſecum in mortis exitium trahunt. Iudæi quippe vt apertè perfidi, ſeipſos tantum perdunt. Iſti Chriſtiano nomine velati, innumeris Chriſtianis mortem & interitum attulerunt. Quæ autem hic de hæreticis diximus, tametſi nota ſint & peruulgata eorum axiomata, verè tamen de illis, & nimis verè dici, ex noſtris Antidotis Euangelicis & Apoſtolicis, quæ meditamur, per ipſorum verba, quæ in medium proferentur, & Deo dante refutabuntur, cuilibet lectori perſpicuè conſtabit.

Iam verò & alia ratio eſt, cur hæretici quærentes hodie Chriſtum in Scripturis, eum non inueniunt: ſeque ipſos & alios longiſſimè à Chriſto abducunt, in peccato ſuo moriētes, alioſq; ad mortē pertrahentes. Quærūt quippe quod amplius quærere non debebant, quod iamdudum inuentum & cognitum credere debebant, non quærere. Doctrinam & fidem Euangelicam in Scripturis quærunt, quam à tot retro ſæculis inuentam, exploratam & creditam, quęrere iā non debebant, ſed credere. Pulchrè hac de re Tertullianus tam noſtri temporis, quā ſui hæreticos, de hac temeritate, & ipſo quærendi peccato reuincens. *Vnius* (inquit) *& certi inſtituti* (quale im-

Eſai. 52. & 53.
Tit. 2.
1. Ioan. 3.
Luc. 1.
Rom. 8.
Gal. 5.
Rom. 5.
Rom. 8.
Gal. 5.
Ephes. 2.
Luc. 1.
Tit. 2.
Rom. 6.
Rom. 5.
Rom. 6.
Rom. 5.
Philip. 2.
Rom. 2.
Rom. 1.
Ephes. 1.
Rom. 8.
2. Tim. 4.
Matt. 5.
Hebr. 10.
Beza in Annot. ad Rom. 4.
Caluinus Inſtit. li. 2. c. 3. n. 2. & 10.
Idem ibid. li. 3. c. 3. nu. 13.
Caluinus in Harm. ad ca. 7. Matt. & in ca. 1. Luc.
Caluinus Inſtit. li. 3. c. 19. n. 2.
Hæreticè Iudæis peiores.
Hæretici quærunt quod quærere non deberent, ſed credere

In libel. Præscript. contra hæreses ca.9.

primis fides Euangelica est) *infinita inquisitio non potest esse. Quærendum est donec inuenias, & credendum vbi inueneris: & nihil amplius nisi custodiendum quod credidisti.* Quærunt igitur hæretici hodie Christum,& non inueniunt,quia omnino quærere non debebant, sed in Ecclesia catholica à tot retro sæculis inuentum Christum & creditum, credere quoque & ipsos (si Christiani esse volunt) oportebat;quodque maiores sui crediderunt,credere & custodire,non quærere & altercari. Porro si quærendum adhuc aliquid circa Christum erat,hæc inquisitio *in tribus articulis* (ait Tertullianus) *consistit. In re, vt quid sit quærendum consideres: In modo,vt quouisque. In tempore, vt quando.* Ad rem quod attinet, qui fidem quærit, fidem negauit. *Nemo enim quærit, nisi qui aut non habuit,aut perdidit.* Quare de huiusmodi quærentibus,propriéque hæreticis Apostolus dicit, *Eos esse semper discentes,& nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.* Ad modum quod attinet,si quærendum circa fidem aliquid est,*in nostro* (ait Tertullianus) *& à nostris,& de nostro quærendum est,idque duntaxat,quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire.* Nihil ergo mirum tam innumeros hodie Christum quærentes eum non inuenire, quia non in Ecclesia, sed vel apud seipsos, vel apud alios hæreticos eum quærunt:nec salua fidei regula quæstiones difficiliores indagant,sed contra fidei regulam propositiones absurdissimas confingunt: quarum postea confirmationem in Scripturis quęrunt, & non inuenientes, diuinas Scripturas indignissimum in modum torquent, contorquent,adulterant,deprauant,& placitis suis subseruire compellunt.

Ibid.c.10. Fides aut non quærenda,aut quomodo. 2.Tim.3. Cap.12.

Ibid.c.10. Quærendi finis esse debet.

Ad tempus quod attinet, *vbi erit finis quærendi* (ait Tertullianus) *vbi statio credendi,vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit. Quærite & inuenietis. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit. Et Hebion,& Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes,me sibi adducant. Ero itaque nusquam,dum vbique conuenior.* Hæc ille. Demus ergo nostri temporis hæreticis quærendum esse hodie in Scripturis Christum quasi hactenus non inuentum; Demus post 1600.iam pene annos veram & Euangelicam latuisse fidem: quod vt illi impiè & absurdissimè asserunt,ita eius impietatem & absurditatem in alio huius Promptuarij loco patefecimus. Vbi erit finis quærendi? vbi tandem inueniemus Christum in Scripturis,vt semel inuentum non amplius quæramus,sed credamus, & quod semel credidimus, firmiter teneamus? Apud Lutherum, qui primus Christum tot sæculis sub scamno latentem inuenisse videtur? Sed adhuc proponit Zvvinglius quærendum esse melius Christum, errante Luthero. Apud Zvvinglium? Reclamat Caluinus,quo iudice Zvvinglius quid sit manducare in Cœna Dominica Christum necdum inuenerat. An apud Caluinum? Non acquiescit vel ipse Beza,qui in variis Scripturis intelligendis,aberrasse à scopo Caluinum ostendit, vt in nostris Antidotis patebit. An apud Bezam, aut totam sectam Caluinisticam? Opponit se formaliter tota Anabaptistarum colluuies. Opponunt se omnes per totam Germaniam Lutherani, qui contra hanc sectam bellum calamarium iam à multis annis gesserunt, geruntque adhuc hodie. An apud ipsos Anabaptistas? Contradicunt fortissimè noui in Polonia & Transsiluania Trinitarij & Ariani: quiadeo nec Lutherum,nec Caluinum, nec Romanum Anabaptistarum patrem Christum adhuc in Scripturis inuenisse contendunt, vt Lutherus quidem (ipsorum iudicio) Romanæ Ecclesiæ tecta nonnihil patefecerit,tegulas & lateres longè proijciendo, Zvvinglius vero & Caluinus Ecclesiæ parietes magna vi demoliti fuerint, isti autem malleis & ligonibus, omnique ferramentorum genere armati,ad ipsum Ecclesię fundamentum eruendum, totamque domum euertendam summa vi nixi incubuerint. Quis ergo,aut quando tandem erit quærendi Christum finis? Sanè apud hæreticos nostri temporis nullus. Qui vbi semel abiecta maiorum suorum,totiusque Ecclesiæ catholicæ fide,Christum,quasi necdum inuentum, quærere cœperunt,nullum quærendi finem fecerunt;sed quod illis accidit, qui via regia & tuta derelicta,nouas quærunt semitas,quæ rectius contendere,& breuius ac facilius viatorem ad itineris finem conducere videntur, vt in auia & deuia longissimè aberrantes, quo diutius ambulant, eo se implicatius implexos & impeditos cernant, vt tandem nec quo vlterius pergere, nec quà se ab horridis illis auiis expedire, nec vnde reuertendi in viam initium capere possunt, videre aut aduertere queant, idem prorsus & in istis vsuuenit. Relicta enim catholica Christi Ecclesia,desertis atque contemptis totius veteris Ecclesiæ Patribus, Magistris ac Doctoribus, derisis sacrosanctis Conciliis,publica & notissima Christianorum fide abiecta, nouas quærendo semitas, nouas cudendo de die in diem Confessiones, Apologias, Christianæ fidei Institutiones, (scripserunt enim Lutherani suam Augustanam Confessionem,scripserunt Zvvinglriani suam Helueticam,scripsit Beza suam propriam, scripsit suas Institutiones Caluinus, scripsit & suas Bullingerus, scripserunt Lutherani varias) vt magis expeditam & breuiorem ad cœlum viam, per solam iustificantem & saluantem fidem adinuenirent, in omnes illas quas diximus sectas, multoque plures, horrenda eorum auia, longius & longius aberrando inciderunt, vt nunc qui Lutherani primo fuerunt, posteaque Caluinistæ, proficientes semper in peius, id est,quærendo semper quod non inueniunt, Trinitarii, Tritheitæ, aut Ariani facti, alii tres esse deos doceant,alii tres esse personas in vno Deo negant, alii Christi diuinitatem penitus reiiciunt,alii & Spiritum Sanctum in ordinem redigant,solum Deum Patrem confitentes,veterumque Patrum omnium consensum non secus repudient in illis Scripturis interpretandis, quæ contra veteres Sabellianos, Arianos, Macedonianos, & alios prolatæ fuerunt, quàm eorundem Patrum consensum & expositiones Lutherani & Caluiniani repudiant circa doctrinam

In Annot. in ca.2. Luc.in c.6 ad Rom. & alibi.

In Colloquio cum nouis Arianis habito Petricouiæ in comitiis regni Poloniæ, ann. 1566. Hæretici hodie quærendo quã procul aberrarunt.

A doctrinam liberi arbitrij, iuſtitiæ bonorum operum, cultus Sanctorum, totius doctrinæ de Sacramentis, de vera Eccleſia, eiuſque authoritate & hierarchia. Prorſus enim & iſti non minus quærere voluerunt, quàm alii. Non minus ſibi licere arbitrati ſunt veterem fidem circa Deum & Chriſtum à tergo reiicere, vt ſuo quoque iudicio atque arbitrio veritatem in Scripturis quærerent, quàm priores illi ſibi fas eſſe exiſtimarunt, tota conculcata & deſpecta maiorum fide, circa articulos & materias prædictas, nouam in Scripturis fidem & Euangelicam veritatẽ quærere. Cęterũ vt quæſierunt quidem omnes, ſed ſuo ipſorum iudicio non omnes inuenerunt, quia quærendi finem plerique non fecerunt, atq; adeo adhuc à quàm plurimis in Anglia, Germania, Gallia quæritur, quid credi debeat, quærunt Puritani, quærunt Superilluminati, quærũt Anabaptiſtæ; ſic qui iam inter eos quærere deſierunt, (ſi qui tamen tales ſunt) quaſique inuenta pura puta veritate Euangelica, in ea ſibi conquieſcendum firmiter ſtatuerunt, vana prorſus & inani ſpe ſeipſos lactauerunt. Sero quippe, ac nimis ſero quærere cœperunt. Nec vlla maior ratio eſt cur primo quærentibus credatur, quàm cur ſecundo aut tertio quærentibus. Si enim poſt 1500. annos necdum inuentus fuit Chriſtus, cur iam credam à Luthero inuentum fuiſſe, aut cur magis à Luthero quàm à Caluino, & ſic à cæteris eum ſubſecutis, & de nouo ſemper quærentibus? Cæterum ſtat firma ſententia Chriſti. Nec Iudæi loquente ſemel Chriſto, eiuſque Euangelio propagato, quærere amplius debuerant, ſed Euangelio credere; nec vlli poſtea hæ-
B retici, (nedum noſtri hodie poſt tot ſæcula,) fide Euangelica ſemel propagata, ſtabilita, per totum mundum creditá, certiſſimęque inuenta, vllam nouam fidem quærere, ſed à maioribus acceptam credere, & creditam cuſtodire debuerunt. Alioqui iuxta Chriſti verbum, *quærent illum, & non inuenient, ſed in peccato ſuo morientur.*

FERIA III. HEBDOMADÆ II. QVADRAGESIMÆ.

1. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quęcunque dixerint vobis, ſeruate & facite,* Matt. 23.



C OCVS pro neceſſaria obedientia Eccleſiæ Magiſtris ac Præpoſitis præſtanda, tum vt ſeruentur & credantur ea quæ docent credenda, tum vt fiant ea quę præcipiunt facienda. Ait enim Chriſtus vtrunque. *Seruate & facite.* Torſit hic locus Caluinum, omneſque hęreticos torquet, *qui cathedram contra cathedram, & altare contra altare erigunt*, vt veteres piè & grauiter loquuntur. Docet quippe diſertiſſimè Chriſtus audiendos eſſe qui cathedram tenent, id eſt, qui poteſtatem docendi legitimam habent, vtcunque aliter ipſi viuant quàm docent: quod illis quidem ſummum dedecus ac vituperium eſt, ouibus autem & ſubditis nullum impedimentum eſſe debet, quo minus rectæ & orthodoxæ eorum doctrinæ acquieſcant. Verſat ſe hic in omnem partem Caluinus. Nec apertam veritatem diffiteri potuit, nec à loci tamen corruptela abſtinere voluit. *Sedet* (inquit) *in cathedra Moyſis, qui non ex ſeipſo, vel proprio ſenſu, ſed ex Dei authoritate & verbo præcipit.* Rectè hoc quidem. Sed quia quilibet magiſter mendax, qui non niſi ex ſeipſo loquitur, venditare id ſibi poteſt & ſolet, quod ex Dei authoritate & verbo præcipiat, ægrè quidem adiecit, ſed neceſſario adhuc adiiciendum vidit, de legitima docentis vocatione, quæ propriè ad cathedram Moyſis vel Chriſti pertinet. Addit igitur: *Simul tamen legitima vocatio hic notatur: quia ideo audiri Scribas iubet Chriſtus quod publici eſſent Eccleſiæ Doctores* Rectiſſimè. Cur igitur Caluine publicos Eccleſiæ Doctores deſpexiſti? Cur
D abſque legitima vocatione electo prius Epiſcopo, qui cathedram illi tenebat, Geneuæ poſt Farellum ac Viretum, qui primi erant, docendi munus tibi arrogaſti? Cur denique eorum communionem deſeruiſti, *quos per orbem terrarum ſucceſſionis ordinem cuſtodientes, ſedere in ſedibus epiſcopalibus vel vidiſti, vel audiſti,* & Donatiſtarum impietatem hac in parte imitari voluiſti? Pupugit hic ſcrupus Caluinum, & ſibiipſi malè conſcius, tantum facinus à ſeſe amoliri ſtudioſè contendit. Subiungit igitur. *Papiſtis ſatis eſt titulo præditos eſſe ac locum occupare, qui leges imponunt. Huc enim torquent verba Chriſti, quaſi neceſſe ſit obedienter recipere quicquid mandant ordinarij Eccleſiæ Præſides.* Ecce agnoſcit Catholicos locum occupare qui leges imponunt, & ecce ordinarios Eccleſiæ Præſides, non tamen recipiendum eſſe quicquid mandant. Nonne igitur Chriſto & ſibiipſi contradicit? Chriſto, qui de huiuſmodi dixit. *Quæcunque dicunt, ſeruate & facite*: ſibiipſi, qui dixit, *Audiri iubet Scribas Chriſtus, quod publici eſſent Eccleſiæ Doctores*? Aut ergo malè iubet hoc Chriſtus, aut Chriſto contradicit Caluinus: Iubet audiri Chriſtus, Non eſt neceſſe audire, ait Caluinus. *Obedienter* quippe *recipere quod mandant*, audire eſt in ſenſu Chriſti, id eſt, *ſeruare & facere ea quæ dicunt.* In quas ſe hic anguſtias compegit Caluinus, qui vt ſchiſmatis ſui fœditatem quoquo modo obtegeret, eodem penè habitu pugnantia protulit?

Optatus l. 1

In Harmõ. Euang. ad c. 23. Matt.

Auguſt. epiſt. 163.

Caluinus Chriſto & ſibi contradicit.

Sed placuit illi magis poſterior aſſertio, quam vt aſtruat, Chriſtum quoque ſibi contradicere

bonus interpres monstrare vult. Addit enim: *Atqui satis superq; hæc calumnia refellitur, altero Christi edicto, vbi à fermento Pharisæorum cauere iubet.* Calumniam vocat ipsam Christi doctrinam de audiendis Scribis & Pharisæis, super cathedram Moysis sedentibus. Hanc ab ipso Christo, per alterum eius edictum satis superque refelli ait. Nonne bellus interpres Caluinus, qui Scripturas inter sese committit, qui Christi doctrinam calumniam vocat? qui Christi hoc loco doctrinam ipso Christi edicto refellit? Sed quomodo tandem refellit? Sequitur. *Si reijcere authore Christo non tantum fas est, sed etiam oportet, quicquid puræ legis doctrinæ de suo Scribæ admiscent, certè non sine delectu & iudicio amplecti conuenit, quicquid ipsis mandare libuerit.* Hæc ille. Cæterum quo sensu à fermento Pharisæorum Christus cauere iusserit, & quod illud Christi edictum huic eius mandato nihil repugnet, ad illa ipsa verba (Matthæi capite 16.) contra Caluinum demonstrauimus. Summa est, quando ex cathedra loquuntur, qui cathedram legitimè tenent, id est, quando iuxta doctrinam à maioribus suis continua successione acceptam docent, audiendos illos esse, vt Christus hîc mandat; quando verò non à maioribus acceptam, sed suam aliquam, nouam, & propriam doctrinam adferunt, quasi fermentum pessimum reiiciendam esse. Atque hoc modo quatenus super cathedram sedent, seruare & facere oportet quæ dicunt, obedienter recipere necesse est quicquid mandant: quatenus fermenta admiscent, cauendi sunt: An autem fermēta admisceant, necne, non populi, aut cuiusuis è populo, sed Superiorum Prælatorum aut Synodalis authoritatis est discernere ac iudicare. Hoc hæreticorum schisma nihil iuuat. Hoc legitimę Præpositorum Ecclesiæ authoritati nihil derogat.

Matt. 16. Caluinus sic Christū exponit, vt eum sibiipsi contradicere faciat.

In Antid. Euang. ad c. 16. Matt. Scribę quomodo audiendi, & ab eorū fermento cauendum.

A

B

Pergit tamen Caluinus, vt Ecclesiæ magistris obtemperandum non esse doceat. *Deinde* (inquit) *si hominum præceptis suorum conscientias hic Christus obstringeret, falso alibi pronūtiaret frustra Deum coli hominum mandatis.* Ecce rursum probare vult, non esse audiendos Ecclesiæ Doctores, quos Christus audiri iubere dixerat. Rursum & sibi & Christo contradicit. Hæc hæreticorum hodie nefaria impietas est, apertissima Scripturæ verba, ex aliis eius verbis iniquissimè detortis, peruertunt & corrumpunt. Quo sensu Christus dixerit, *frustra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum*, infra suo loco latè explicabimus, & illa verba huic Christi mandato nihil aduersari, contra Caluinum demonstrabimus. Concludit Caluinus. *Hinc apparet Christum eatenus populum hortari vt Scribis pareat, quantisper in pura & simplici legis interpretatione manent.* Christus non hortatur tantum, sed & iubet populum (*seruate, & facite.*) Scribis parere, non quidem quatenus legis interpretationem puram tradunt, de qua populus iudicare non potest, purane sit & simplex, an impura & adultera sit, sed quatenus in cathedra Moysis sedent, id est, quatenus traditam sibi & acceptam à maioribus doctrinam administrant: de quo Populus iudicare, & nouane an vetus doctrina sit quam adferunt, discernere facilè potest populus iam orthodoxus ac fidelis: qualem hic Christus alloquebatur.

Hæreticorum hodie impietas. In fer. 4. heb. dom. 3.

Sed pulchrum est, quod ex S. Augustino quædam profert Caluinus, quasi stimulo veritatis adactus, quæ & hunc locum appositè elucidant, & luctam hanc & recalcitrationem Caluini inanem atque impiam fuisse demonstrant. *Scitè enim Augustinus* (ait Caluinus) *& appositè ad Christi mentem Scribas super cathedram Moysis sedendo Legem Dei docuisse exponit: ideoque oues debuisse vocem pastoris per ipsos audire tanquam per mercenarios. Quibus verbis continuo post subijcit, Deus ergo per illos docet. Sua verò si docere velint, nolite audire, nolite facere.* Tract. in Ioan. 46. *Cui sententiæ respondet quod idem tradit lib. 4. de doctrina Christiana. Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deū obedienter audiunt, ideo vtiliter audiuntur, qui etiam non agunt. Cathedra ergo non Scribarum, sed Moysis cogebat eos bona docere, etiam non bona facientes. Sua enim agebant in vita sua, docere autem sua cathedra eos non sinebat aliena.* Hic præter solitum circa Scripturæ Euangelicæ sensum Augustinum proferre Caluinus voluit, sed contra caput suum tantum Doctorem protulit. Vterque locus de fermento malæ vitæ in doctore veritatis, non de fermento doctrinæ propriæ in falso magistro loquitur, & quidem, vt fatetur Caluinus, *appositè ad mentem Christi hoc loco.* Neque enim hic Christus aliud docet, quàm doctores veritatis secundum veritatem non ambulantes, in eo quod docent audiendos, in eo quod malè ambulant non sequendos esse. Quæ doctrina contra aliam Caluini & Caluinistarum hæresim plurimum valet, quapropter peccata Pontificum & cleri catholici (quæ quam possunt studiosissimè exaggerant) nec Pontificibus, nec clero catholico obediendum esse vociferantur. Sed Caluini sensum schismaticum, quod sedentibus in cathedra obedire non sit necesse, Augustini verba nulla ex parte insinuant. Imo si posterioris loci verba integrè posuisset Caluinus, illum apertè refutassent. Sic enim habent integra Augustini verba, à Caluino artificiosè mutilata. *Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim & non faciunt, ideo audiuntur vtiliter, qui etiam vtiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus priusquam de talibus, quod commemorauit diceret, præmisit, Cathedram Moysi sederunt. Illa ergo cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua, docere autem sua Cathedra non permittebat aliena.* Hæc Augustinus, ex cuius verbis callidè resecuit Caluinus, *Sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit.* Hæc quippe verba ipsam causam attingunt, cur qui cathedram Christi tenent, sua docere non audent, ideoque necessario ab omnibus audiendi sunt. Nempe quia *de loco loquuntur*

De doctrina Christ. li. 4. c. 27.

Auguſt. à Caluino artificiosè mutilatus.

C

D

A *loquuntur Sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit.* Non quia qui illum locum tenet docere falsa non possit, sed quia qui falsa docet illum locum tenere nequeat. Illum enim locum *sana doctrina constituit*: quam qui non docet, ab illo loco depellitur, vt Nestorius, Eunomius, Eudoxius, alijque plurimi Ecclesiasticæ sedis loca tenentes, à suis locis depulsi sunt, quia sanam doctrinam deseruerunt. *Cathedram Ecclesiasticam*, (ait Augustinus) *sana doctrina constituit*: id est, cura & prouidentia Dei de Ecclesia sua factum semper est, fit & fiet, vt quum contra eius Ecclesiam portæ inferi prævalere nequeant, & sine legitimè vocatis Pastoribus portæ inferi prævalerent, legitimi Sacerdotes Pastores nunquam desint. Vnde alibi S. Augustin. *Cælestis magister de malis Præpositis securam suam plebem fecit, ne propter illos doctrina salutaris Cathedræ desereretur: in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra vnitatis posuit doctrinam veritatis.* Hæc ille. Vide eundem in libro de Pastoribus capite 10. & contra Petilianum, libro 2. capite 61. *Epist. 166.*

2. *Qui maior est vestrum, minister vester erit.*

B QVum doceat hic locus, cûmque semper Ecclesia sic intellexerit Catholica, summam in Ecclesia dignitatem, non imperium esse tyrannicum aut prophanum, vbi stat pro ratione voluntas, sed ministerium ad vtilitatem populi Dei, ideóq; summus in Ecclesia Dei minister, aptissimo titulo à multis iam sæculis professus fuerit, vocans se *seruum seruorum Dei*, profanus Caluinus, cui omnia Catholicę Ecclesiæ displicent, hunc ipsum titulũ hoc maximè Christi verbo fundatum, ore rabido arrodit. *Quid* (inquit) *prodest, quod Papa tyrannicis legibus oppressurus miseras animas, se seruum seruorum Dei præfatur, nisi vt palam insultet Deo, & hominibus probrosè illudat?* Hæc ille. Quid verò prodest quod superbus & malesanus hæreticus Caluinus, tam innumeris Scripturæ Euangelicæ corruptelis oppressurus miseras animas, se ministrum verbi venditat, & supremo in Ecclesia Christi Sacerdoti impuro ore maledicit, nisi vt palam insultet Christo qui Petro dixit, *Pasce oues meas, & in vna Petri Cathedra vnam Ecclesiam suam monstrauit*, & omnibus hactenus Christianis probrosè & impiè illudat, qui à tot iam sæculis huius Sedis Apostolicæ primatum constanter & vnanimiter agnouerunt? Quomodo autem intelligenda sunt illa Christi verba, *Qui maior est vestrum, minister vester erit*, commodius in Euangelio proximè sequentis Feriæ explicabitur, vbi latius eadem doctrina à Christo traditur.

Caluini procacitas in Sũmum Pontificem retunditur.

Ioan. 21. Cyprian. in l. de vnit. Eccles.

C

FERIA QVARTA HEBDOMADÆ II. Quadragesimæ.

LEGITVR huius diei Euangelium in Festo Diui Iacobi Apostoli. Quare in secunda parte de Festis, habes illa verba contra hæreticos tractata, *Sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à Patre meo.* Hic tamen aliæ duo loca ex eodem Euangelio à Caluino corrupta adiiciemus.

1. *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* *Matth. 20.*

D TOtum hoc loco Christi institutũ atque doctrinam inuertit Caluinus, vt omnem in Ecclesia Christi prælaturam subuertat, seque & suos ab omni obedientiæ vinculo ac necessitate eximat. *Ostendit Christus* (inquit Caluinus) *primatum, qui certaminis inter discipulos causa erat, in regno suo nullum esse.* Et paulò pòst. *Ecclesiæ Pastoribus nihil plus Christus detulit, quàm vt ministri sint, à dominio autem prorsus abstineant. Quare notandum est magis de re ipsa quàm de affectu haberi sermonem.* Hæc ille. Cæterùm euidenter patebit Christum de solo ambitionis affectu, non de re ipsa prælaturæ aut primatus in se hoc loco disputare. Christus enim duobus hic exemplis vtitur, vt hanc discipulorum contentionem de primatu compescat. Vnum proponit Regum & Principum huius mundi, quod fugere debent: Alterum proponit de seipso, quod amplecti debent. Neutrum exemplum primatum tollit, sed vtrumque exemplum fastum & ambitionem in primatu condemnat. Separat Christus Apostolos à Regibus, non quia nullum illi primatum exercere

Prælaturæ affectus nõ res à Christo prohibetur.

debeant, sed quia fastuosè dominari non debent sicut Reges terræ, quia pro suo libito aut commodo præesse non debent, sicut Reges terræ præesse solent. Verum quidem est Regibus quoque non licere sese efferre inaniter, nec iustè ac legitimè dominari, nisi suorum commodis seruiant, (quæ duo hic notat Caluinus) sed non in hoc Apostolos à Regibus seiungit Christus, vt fingit Caluinus, quasi Apostolis nulla planè prælatura, nullus primatus conueniat; nec illã moderationem, quæ Regibus adesse debet, docet hoc loco Christus, quasi in Apostolis quomodocunque moderatum ac temperatum primatum inhibere; sed contrà, ambitionem & vanitatem, quæ Regibus inesse solet, proponit ob oculos Christus, vt illam penitus Apostoli fugiant. *Principes gentium* (inquit) *dominantur eorum*, κατακυριεύουσι, id est, dominium exercent contra suos, hoc est enim κατακυριεύειν, quum simpliciter & legitimè dominari sit κυριεύειν. Notauit huius verbi vim hoc loco Beza, & vertit: *Dominari in eas. Hoc enim* (inquit) *vocabulo* κατακυριεύουσιν, *& eo quod proximè sequitur*, καὶ ἐξουσιάζουσι, *non quæuis dominatio significatur, sed cum imperiosa quadam acerbitate cõiuncta, quam prohibet Paulus ad Ephes.* 6. vers. 9. *Vbi monet dominos remittere minas, seu non minaciter dominari*: Sic accipitur verbum κατακυριεύω, Actor. 19. *vbi dicitur, de maligno spiritu*, Dominatus amborum inualuit contra eos: κατακυριεύσας αὐτῶν. Sic 1. Petr. 5. *accipitur, non dominantes in cleros*: μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τοῦ κλήρου. *Ideo etiam interpretatus sum*, κατεξουσιάζουσιν αὐτοῦ, *licentia vtuntur aduersus eas: quum alioquin soleamus* ἐξουσίαν *interpretari authoritatem. Videtur enim licentia plerunque poni in vitio. Nam alioquin fideles verbi Dei ministri authoritate funguntur minimè omnium contemnenda, quã paucis explicat Paulus* 2. Cor. 10. Hæc hactenus Beza, magistri sui Caluini ignorantiam ex proprietate verborum Christi luculenter patefaciens. Ex his quippe liquido constat non de re ipsa & legitima authoritate Principum huius mundi Christum disputare, vt Caluinus affirmat, sed de prauo affectu & imperiosa dominatione, qua vti solent, quod Caluinus negat. Hunc prauũ & secularem typhum remouet à suis Apostolis Christus, non omnem penitus primatum & authoritatem legitimam, quam in loco Pauli à Beza annotato, aliisque in locis iam dudum annotauimus.

Caluinus sensum verborũ Christi inuertit

In Annot. in nouum Test. ad ca. 20. Matth.

Caluini ignorantiam Beza patefacit.

1. Timot. 3. Prælatorũ Ecclesiæ officium.

Docet Christus, qui inter discipulos eius maior esse voluerit, id est, *qui Episcopatum desiderat*, vt Paulus loquitur, (velle enim hoc loco non prauam cupiditatem, sed laudabile institutum animique propositum significat, ideóque verbum θέλω ponitur hoc loco, non βούλομαι, quod impetu quodam ferri significat, vt illud Pauli, *Qui volunt diuites fieri* οἱ βουλόμενοι πλουτεῖν, *erit vester minister*: id est vestris commodis seruiet, non suis, & vestrum honorem quæret, non suum. Et hunc perspicuum litteræ sensum, quem penitus inuertit Caluinus, sequentia Christi verba, & alterum de seipso exemplum luculenter confirmant. Ait enim. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis*, id est, Sicut in me videtis quòd non ideo in mundum veni, vt mihi à pluribus ministraretur, vt essem Magister ac Dominus, tametsi reuerà à plurimis mihi ministratum fuit tam viris quàm mulieribus, & inter vos fui tanquam *Magister & Dominus*; sed potissimum veni propter bonum aliorum, vt illis verbum vitæ administrarem; & animam meam pro salute omnium ponerem, sic vos ad Ecclesiasticas prælaturas vocati & missi conscendere debetis, non honoris & emolumenti vestri causa, tametsi vtrumque vobis debeatur. (*Qui enim bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt*) sed vt tanquam boni Pastores aliorum curã habeatis, & quidẽ parati *animas vestras ponere pro ouibus vestris*, vt alibi plenius Christus docet. Hic est totius doctrinæ Christi hoc loco sensus germanus & proprius, quem impius Caluinus voluit inuertere, vt legitimam in Ecclesiæ Prælatis authoritatem, ad quam adhuc Geneuæ pertingere non potuit, penitus conuelleret. Nam & ideo postea Beza eandem authoritatem hoc loco tuetur, quia iam Geneuæ dominari Caluinus cœpit, ipséque Beza ad dominium illud aspirabat, quod & post Caluinum consequutus est.

1. Tim. 6.

Ioan. 13.

2. Timot. 5 Ioan. 10.

2. *Et dare animam suam redemptionem pro multis.*

CAluinus hoc loco temperare sibi non potuit, quin documento huic saluberrimo aliquid veneni inspergeret. Sic enim scribit: *Apte scitéque vis & fructus mortis Christi exprimitur, dum vitam suam pretium nostræ redemptionis esse affirmat. Vnde sequitur nobis gratuitam esse reconciliationẽ cum Deo: cuius non alibi quàm in morte Christi pretium reperitur. Itaque hac vna voce auertitur quicquid de putidis suis satisfactionibus garriant Papistæ.* Hæc ille; putido admodum argumento vsus, & ridiculè garriens, nec papistas, sed totam Antiquitatem scurriliter perstringens. Putidum & insulsum argumentum est, Vna Christi mors precium est reconciliationis nostræ gratuitæ cum Deo. Ergo omnes satisfactiones, quas Catholici docent, putidæ sunt, & hac vna voce refelluntur. Satisfactiones enim quas post totam Antiquitatem Catholici hodie docent, nec reconciliationis nostræ cum Deo pretium aliquod esse docentur, nec eiusdem causæ omnino vllæ ponũtur. Satisfactio enim eorum est, qui iam Deo reconciliati per Christum sunt, non autem vt Deo reconciliemur adhibetur. Homo impius Deo reconciliatur & iustificatur, seu ex impio iustus fit, per gratuitam remissionem peccatorum, pretio sanguinis Christi illi concessam. Vt hæc peccatorum remissio obtineatur, alia sanè ex parte hominis iustificandi requiruntur, fides imprimis,

Caluini putidum argumentum

Satisfactiones pœnitentium non repugnant redemptioni per Christum.

A primis, amor Dei, ſpes veniæ, dolor de præteritis, emendationis propoſitum & huiuſmodi: quæ omnia nec pretium nec cauſæ, ſed diſpoſitio tantum neceſſaria ſunt ad remiſſionem peccatorum gratuitam conſequendam: At vero ſatisfactio, quæ relapſis propria eſt, homini iam reconciliato imponitur, non vt peccatorum remiſſionem conſequatur quam iam habet, eamque gratuitam beneficio mortis Chriſti: ſed vt peccatorum pœnæ temporales ſubeantur. Qui reconciliatur Deo à pœna peccatorum æterna liberatur, regnique cœleſtis hæres conſtituitur: Cuius tamen poſſeſſionem prius adire non poteſt, niſi iuſtitiæ Dei, qui pœnas temporales expoſcit, ſatisfiat. Quod totum multis Scripturæ exemplis Catholici luculenter probant, nóſque ex parte attigimus in huius Operis parte ſecunda. Ridiculè igitur garrit Caluinus, qui ſatisfactiones, quas Catholici docent per gratuitam reconciliationem refutari affirmat, quum ad illam reconciliationem nihil prorſus illæ pertineant, ſed eam iam factam, & completam ex alio capite conſequantur. Papiſtarum verò nomine totam Antiquitatem ſcurriliter perſtringit, quorum ſententia de Satisfactione vna pœnitentiæ ſalutaris parte, tam clara & copioſa eſt, vt Caluinus eam negare non auſus, contemnere tamen non ſit veritus. Sic enim ſcribit. *Parum me mouent quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes ferè quorum libri*
B *extant, aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè ac durè loquutos.* Hæc ille. Non igitur de ſatisfactionibus garriunt Papiſtæ, ſed totâ garrit Antiquitas, niſi & veteres omnes Papiſtas eſſe velit: quod libenter amplectimur: quia & verum eſt.

In die Animarũ.

Caluinus Papiſtarum nomine totam Antiquitatem flagellat.

Cæterùm, quia ſub honeſtiſſimo hoc fuco & prætextu *Redemptionis* per Chriſtum factæ, omnes in vniuerſum ſatisfactiones pœnales pro peccatis ſubeundas, alij hodie hæretici omnes, non ſolum vt ſuperuacaneas, ſed etiam vt impias, & gratiæ Chriſti contumelioſas penitus condemnant, eorum ignorantia vno verbo docenda eſt, quomodo cum pleniſſima per Chriſtum redemptione & ſatisfactione, noſtræ tamen neceſſariæ ſatisfactiones conueniunt. Sic CHRISTVS ſatisfecit pro omnibus, ſicuti mortuus eſt pro omnibus. Per ipſam enim mortem ſatisfecit Deo Patri pro peccatis omnium. Mors autem Chriſti non reddit Deum Patrem omnibus hominibus de facto propitium, ſed vtcunque interueniente illa morte, in arbitrio Dei Patris relictum eſt, quibus & quatenus, & quomodo eius beneficium applicare velit. Vnde Chriſtus profitetur, *ſic Patrem ei omnis carnis poteſtatem dediſſe, vt omne quod dedit ei Pater, det eis vitam æternam.* Solutionem itaque omnium pœnarum in morte Chriſti, quæ illis omnibus præponderauit factam, Deus Pater non ſimpliciter pro omnibus acceptauit, (infiniti enim ſunt quibus illa mors non prodeſt, ſed potius in ruinam fuit) ſed ſimpliciter, & abſolutè, & efficaciter pro quibuſdam tan-
C tum; quos hic multos Chriſtus vocat. *Vt daret animam ſuam in redemptionem pro multis*: & alibi, de ſanguine ſuo dicit: *Qui pro multis effundetur*: & apud Eſaiam, *Qui tulit peccata multorum*. Hos autem multos quis dubitat eſſe credentes in Chriſtum, pœnitentes vitæ anteactæ, obedientes denique mandatis, & voluntati Dei? Dicente luculenter Paulo de Chriſto, *Per paſſionem conſummatus, factus eſt cauſa ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi*. Quum igitur aliæ ſacræ Scripturæ voluntatem Dei Patris hanc eſſe doceant, non ſolum vt Deo ſemel reconciliati per Chriſtum in eum ſemper credamus, ſed etiam vt piè, ac ſanctè viuamus (*hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra*) ac demum, vt offenſo per peccatum Deo pœnitentiam agamus, qualem ille Corinthius fornicarius egit, tantam & talem, vt iam timendum Paulo fuerit, ne *nimia triſtitia abſorberetur*, ad qualem relapſum Simonem Magum Petrus, & relapſum Epiſcopum Epheſinum Ioannes hortantur, ac præterea ab ipſo Deo inflictas propter peccatum pœnas (*quam diſciplinam filijs neceſſariam*, vocat D. Paulus: *& iudicium Dei, quod à domo Dei recipere debeat*, vocat D. Petrus) neceſſariò ſubire debeamus, luce meridiana clarius eſt, ſatisfactiones pœnales pro peccatis ſubeundas, ſiue voluntariè ſuſceptas, ſiue à Deo, vel ab eius Eccleſia impoſitas, ſatisfactioni & redemptioni per Chriſtum factæ non magis præiudicare, detrahere, contradicere, quam fidem & obedientiam vniuerſam Deo nihilo ſecius præſtandam.

Inſtit. lib. 3. ca. 4 nu. 38.

Satisfactiones redemptioni per Chriſtum non repugnant.

Ioan 17.

Luc. 22.

Eſaiæ 53.

Hebr. 5.

1. Theſſal. 4.

2. Cor. 2.

Act. 8.

Apocal. 2.

Heb. 12.

1. Pet. 4.

FERIA QVINTA HEBDOMADÆ

II. Quadrageſimæ.

Luc. 16. *Factum eſt vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.*

LOCVS ab hæreticorum hodie corruptione neceſſariò vindicandus. Quũ enim duo hic loca diuerſa ab Euangeliſta recenſeantur, *locus tormentorum diuitis in inferno, & deportatio mendici in ſinum Abrahæ*, poſteriorem hunc locum deprauant, ne inter cœlum & locum damnatorum medius aliquis locus ſtatuatur, in quo defunctorum animæ vel ante Chriſti aduentum, ſi iuſti & pij erant, requieſcerent; vel tam ante quàm poſt, ſi aliquas peccatorum ſordes expiandas ſecum deferrent, *pœna quadam* (vt Auguſtinus loquitur) *emendatoria* purgarentur. Volunt quippe hunc ſinum Abrahæ ipſum eſſe cœlum, vbi animæ fruuntur viſione Dei, & non quendam inferorum locum, quem limbum Patrum veteres Patres appellauerunt. Quare impius Caluinus, diſtinctum hunc tam à cœlo, quàm ab inferno damnatorum locum impudenter & procaciter fabulam vocat. Sic enim ſcribit. *Neſcio qui factum ſit vt infernum, ad quod Chriſtus in Symbolo dicitur deſcendiſſe, poſteritas locum putaret eſſe ſubterraneum, cui affinxit nomen limbi. Sed hæc fabula tametſi magnos authores habet, & hodie quoque à multis ſeriò pro veritate defenditur, nihil tamen quàm fabula eſt.* Hæc ille. Iam verò non ſolùm à loco ſubterraneo, ſed & ab omni penitus loco hunc ſinum Abrahæ remouere contendit. *De loco* (inquit) *non minus inepta & futilis eſt quæſtio, quando ſcimus non eam eſſe animæ dimenſionem quam corporis. Quod ſinus Abrahæ dicitur beata ſanctorum ſpirituum collectio, nobis abundè eſt ex hac peregrinatione excipi à communi fidelium Patre, vt nobiſcum fidei ſuæ fructum communicet.* Vult ergo Caluinus hunc ſinum Abrahæ, in quem anima Lazari per Angelos deportata fuit, nec ſubterraneum, nec vllum alium locum fuiſſe, ſed tantummodo ſtatum quendam animæ beatæ illo verbo ſignificari. Sed hoc eſt toti huic Euangelio bellum apertum decernere, & in eius euerſionem machinas in omnium conſpectu erigere. Certè ſi ſinus Abrahæ certus locus non erat, nec ipſe infernus, quem *locum tormentorum* Chriſtus vocat, locus vllus erit. Hæc enim duo Chriſtus ſibi inuicem opponit, & diuitem quidem *in loco tormentorum* fuiſſe, Lazarum verò *in ſinum Abrahæ deportatum* fuiſſe affirmat. Motum localem deſcribit Euangelium miniſterio Angelorum factum, vt de loco dubitare non liceat. An verò etiam & infernum damnatorum nullum eſſe certum locum infidelitas Caluiniana dicet? Sanè argumentum quod facit, æquè illud conuincit atque alterum. *Futilis* (inquit) *eſt quæſtio de loco quando non eſt ea animæ dimenſio quæ corporis.* Ergo nec animæ damnatæ in inferno tanquam in loco erunt. Quòd ſi *locus tormentorum*, qui hic infernus dicitur, locus certus non erit, nec locus beatorum, de quo Chriſtus dixit, *Vado parare vobis locum*, veri nominis locus erit. Ita impius Caluinus dum medium locum omni ſtudio & conatu tollere molitur, eodem conatu & molimine, ſupremum & infimum locum cœlum & infernum eripit, & ineptam ac futilem eſſe quæſtionem cõcludit de huiuſmodi locis diſputare. An nõ ad apertũ atheiſmũ hæc inſania tendit, vt nec cœlũ, nec infernus vlla iam loca habeãtur, ſed certi ſtatus imaginarij, aut quietis, aut pœnarũ? Animæ verò ſeu beatorũ, ſeu damnatorum tametſi non habeant locum qualis eſt corporibus, habent tamen etiam ſuum quendam locum, quum nec infinitæ ſint, aut vbique ſicut Deus, ſed ſubſtãtiam habeant circunſcriptam ſicut Angeli, nec in hoc mundo, ſed extra illum verſentur. Erit igitur ſinus Abrahæ locus aliquis, in quem Patrum veteris Teſtamenti animæ receptæ fuerũt, tum à cœlo, quod nemini ante Chriſtum glorificatum patuit (per illum enim *propalata eſt via ſanctorum*, & ille primus per *ſuum ſanguinem ingreſſus eſt ſancta ſanctorum*, vt alios poſtea eo attraheret, nam & hoc erat *parare nobis locum*) tum ab inferno damnatorum loco, quo veteres ſanctos deſcendiſſe nec ipſe Caluinus affirmauerit, prorſus diſtinctus. Quam ſanè diſtinctionem localem Euangelii verba luculentius docent, vbi dicitur *inter Abraham & diuitem magnum hiatum firmatum eſſe, vt qui velint hinc tranſire ad damnatos non poſſunt, neque inde huc tranſmeare.* Quæ ſanè verba tametſi quoad voluntatem beatorum tranſeundi ad damnatos impropriè dici poſſe videantur, quia talis in eos non cadit, tamen locorum diſtinctio non niſi propriè accipienda eſt, ſicut ſtatus eorum propriè diſtinctus eſt, nec fieri poſſit, vt diſtincta loca non occupent, quorum ita diuerſus ac diſtinctus eſt ſtatus. Quod ipſe tandem Caluinus penitius aduertens in commentariis ad hunc locum, tametſi rurſum repetat, *neceſſe non eſſe certum hic locum imaginari*, poſtea tamen locum ipſe deſignat. Ait enim fideles poſt mortem in Abrahæ ſinum colligi, *quia eodem in cœlis domicilio fruuntur*: móxque clauſum illum tranſitum, de quo modo dictum eſt, exponit, *ſi quis è cœlo ad inferos deſcendere velit.* Iam ergo ponit ſinum Abrahæ in ipſis cœlis, & certum ei locum deſignat,

Enarr. in Pſalm. 37. B

Inſtit. lib. 2 cap. 16. n. 9

Inſtit. lib. 3 cap. 25. n. 6

Sinus Abrahæ locus ſubterraneus & medius. Caluinus dum medium locum negat, cœlum & infernũ tollit. Ioan. 14. C

Heb. 9. & 10. D

Caluinus à ſeipſo refutatur.

A desígnat, sibi ipsi contradicens, nisi fortè & cœlum ipsum beatorum domicilium locum esse negare velit: quod si negat, infernum quoque *locum esse tormentorum* negare, textúmque præsentis Euangelij expungere, & eradere debet.

Nunc ergo contra impium Caluinum ostendetur sinum Abrahæ, & certum locum fuisse, & non in cœlis, sed in inferis, locóque subterraneo suum situm habuisse. Ac primum facilè est aduertere, ipsum nos sensum docere, sinum à quo metaphora sumpta est, rem esse continentem non contentam, sicuti dicitur sinus hominis & sinus maris: quæ vtráque locum & receptaculum quasi solatij alicuius & quietis significant. Et ab istis metaphoris dictum esse sinum Abrahæ Patres exponunt; de priori Augustinus & Chrysostomus, de posteriori Theophylactus. Nam locum quietis hoc nomine significari, illa Euangelistæ nostri verba testãtur, de Lazaro in hunc sinum recepto, *nunc hic consolatur*. Fuit ergo hic sinus Abrahæ locus quietis quidem & solatij, sed apud inferos ante Christi aduentum, vt de ipsis beatis ac iustis, aperte Scriptura demõstrat. Petrus enim apertis verbis affirmat, *Dauidem non ascendisse in cœlum*, neque de illo intelligi potuisse, quod dixerat, *Non derelinquas animam meam in inferno*. Vnde planum fit, Dauidis animam derelictam esse in inferno, quum à communi aliorum conditione non exciperetur. At in inferno damnatorum illum propterea fuisse, aut in sinum Abrahæ receptum non fuisse, nec ipsi hæ-

B retici dixerint. Est ergo sinus Abrahæ nec ipsum cœlum, nec infernus damnatorum, sed infernus quidam medius ab vtroque loco distinctus. Rursum quum Iacob dixit, *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, non hoc dixit de inferno damnatorum, tum quia tantam desperationem illi Sancto Patriarchæ non licet ascribere, tum quia filium suum Ioseph in damnatorũ numerum retulisse arbitrandum non est, nec dixit de sepulchro aut fossa, vt male feriati quidam homines ita textum peruertunt, tum quia filium suum à fera pessima deuoratum existimans, de sepulchro eius cogitare non potuit, tum quia etsi vox Hebraica שאול aliquando & perrarò fossam significet, tamen nec Græca vox LXX. interpretum ἅδης, nec infernus apud Latinos in illa significatione vnquam accipitur. De illo igitur inferno loquitur, qui erat sinus Abrahæ Patris sui, ad quem se descensurum dixit. Nam & iusti ipsi cum luctu ex hac vita migrant, vtcunque meliorem statum firmiter expectantes, quia (vt Paulus dixit) *cupiunt superuestiri, non expoliari*. Similiter quod alio loco idem Iacob dixit, *deducetis canos meos ad inferos*, de seipso loquens, nec de sepulchro intelligi potest propter posteriorem causam superius allegatam, quæ & hic locum habet, quum eadem hic vox sit; nec de inferno damnatorum, ne iterum tanto viro desperationẽ adscribamus. Infernum igitur intelligit sinum Abrahæ, & locum illum solatij ac quietis, quem veteres iusti interim expectabant, donec aduenientе Messia ad cælestia & supra conscendere daretur. Vnde disertè dixit Dauid. *Redimet Deus animam meam de manu inferni quum acceperit me.*

C De inferis semper loquuntur veteris Testamenti Patres, non de superis, quando statum iustorum post hanc vitam designant, quia non ad cœlum adhuc conscendere, sed in inferno tantisper detinendos se esse credebant. Quare Dauid generaliter, etiam de ipsis iustis dixit. *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferni?* Vbi generale receptaculũ notat, pijs & impijs commune. De quo etiam & Iob dixit. *Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti.* Quibus in locis, sepulchrum intelligi non potest, vt volunt hæretici, quum innumeri varijs casibus tollantur; qui carent sepultura. In hoc inferno erat Sanctus Propheta Samuel, vnde mulier Pythonem habens, Deo ita permittente, eum extraxit. Hic est igitur medius ille & subterraneus locus, non quidem in profundo inferni, qui est locus damnatorum, & tormentorum, in quem diues epulo coniectus est, sed superior eius inferni limbus seu extremitas, ad quem *oculos suos eleuans* diues epulo describitur: quasi, quia altior & superior erat, Lazarum ibi cum fideli Abraha quiescentem videre potuerit: non quod oculorum organo hoc actũ fuerit, sed sola notitia & scientia, ad maiorem diuitis pœnam ipsi reuelata. Ipsa tamen ei reuelata notitia ita describitur; vt locis vtriusque, damnati diuitis & beati pauperis, conueniat. Quæ explicatio veritati & historiæ Euangelicæ conformis (*non enim parabolam hic proponi, sed rem gestam narrari* ipsemet Caluinus agnoscit) diligenter retinenda est: vt hoc exemplo locum esse medium intelligamus inter statum beatorum & damnatorum, qualis tum Purgatorij locus est, tum ille infernus erat, in quem Christus post mortem descẽdit, vt piorum animas inde eriperet. Quod vtrumq; hodie hæretici impiè negant, eúmq; ob finem huius Euangelij textum deprauare con-

D tendunt. Sed Christum ad hunc infernum, vbi erat sinus Abrahæ & limbus Patrum, verè descẽdisse, nec locum illum fabulam esse, vt profanus & impius Caluinus garrit, ad illum Petri locum, *In quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit*, in nostris Antidotis Apostolicis explicatum est.

Cur autem, aut qua ex causa, fabulam id esse Caluinus affirmat? *Nam* (inquit) *concludere in carcere puerorum animas puerile est. Christi autem animam illuc descendere vt eas manumitteret, quid opus fuit?* Duo dicit. Sed causæ aut rationis vim neutrum habet. Dicit primùm puerile esse, vt puerorum animæ in carcere concludantur. Dicit hoc, sed non probat. Rogat secundò quid opus fuit Christum in infernum descendere, vt puerorum animas manumitteret. Neque hæc vlla probatio est, sed simplex interrogatio. Ita neutrum quod dicit probat, sed contra vtrúmq; aliquid obiectat, quasiq; velitat. Ita Caluinus in reiicienda antiquitate audax & impudens est. In eo quod asserit legitimè firmando magis mutus quàm piscis est. Ad vtramque verò velitationem suam

Probatur sinũ Abrahæ fuisse locum mediũ & subterraneum.
1. *Argum.* *Tract.* 3. *Ioan.* *Hom. de diuite.* *Comment. in hunc loc.* *Actor.* 2.
2. *Argum.* *Genes.* 37.
2. *Cor.* 5.
3. *Argum.* *Genes.* 44.
Psalm. 48.
4. *Argum.*
Psalm. 88.
Iob 30.
5. *Argum.* 1. *Reg.* 28.
1. *Pet.* 3.
Instit. lib. 2 *c.* 16. *n.* 9. *Caluini putida cauilla refelluntur.*
Caluinus audax in reiiciendo; putidus in probando.

respondè. Si puerile est puerorum animas in carcere concludere, puerile quoque fuit, illos ve- A
1. Petr. 3. terum Patrum spiritus in carcere concludere, de quibus Petrus dixit, *in quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit.* Puerile quoque erit animas damnatorum in inferni carcere, quē *locum tormentorum*, Euangelium nostrum vocat, concludere. An fortè virorum animas carcere concludi Caluinus affirmabit, puerorum negabit? Ad quid magis puerile aut ineptum fuerit? Deinde Limbus ille Patrum, quem fabulam vocat Caluinus, non puerorum tantum, sed & omnium Patriarcharum & veteris Testamenti iustorum locus erat. Excipit tamen ille de pueris tantùm, vt puerile figmentum esse scommate magis quàm argumento vsus concluderet. Quod autem rogat quid opus fuerit Christum eo descendere vt eas manumitteret, non ignorabat hanc causam fuisse, vt pei deinceps visione gauderent qua prius carebant, & sic semper cum Domino essent. Hanc causam impugnare debuit, non dissimulare, nisi quod dissimulare facilius & honestius erat quàm impugnare. Quanta autem cum blasphemia, alium Christi ad inferos descensum excogitauerit, infrà plenius dicetur. Cæterùm nunc Caluinum ipsum Caluino opponimus. *Limbum Patrum & hunc inferni locum qui sinus Abrahæ erat, tametsi magnos Authores habeat, fabulam, & nihil quàm fabulam esse* affirmat. Atqui eodem in libro & capite, numero præce-
Infer. 4. Hebdom. sanctæ. Instit. li. 2. c. 16. n. 9. denti, de descensu Christi ad inferos disputans ita scribit. *Id extra controuersiam est, ex communi piorum omnium sensu hunc Christi ad inferos descensum desumptum fuisse, quando nemo est Patrum, qui non* B
Ibid. nu. 8. *in suis scriptis eum commemoret, tametsi interpretatione diuersa.* Nunc igitur quia Caluino non displicet
Caluinus à seipso refutatur. descensus Christi ad inferos, saltem aliquo sensu & modo, Patrū ea de re consensus tanti apud eum momenti est, vt ex eo concludat extra controuersiam esse, ex communi piorum sensu desumptam hanc sententiam fuisse. Atqui quia Caluino displicet limbus Patrum, tametsi illa res magnos authores habeat, & Patrum similiter consensu firmetur, fabula nihilominus erit, & nihil quam fabula. Sic sunt Caluino candida vel nigra, non quæ huiusmodi in seipsis sunt sed quæ oculis eius huiusmodi videbuntur. Denique hominis affectus totius illi regula veritatis est. Quod populo fideli patefacere non abs re erit, vt hæreticorum ingenia cognoscāt. Patres autem qui locum testantur à Caluino negatum, hi inter cæteros sunt. Paulinus in Panegyrico Celsi, Irenæus lib. 4. cap. 19. Eusebius demonstrat. Euang. lib. 10. cap. 8. Nazianzenus orat. 2. de Pascha, Chrysostomus in demonstratione quòd Christus sit Deus. Epiphanius hæresi quadrag. sexta. Ambrosius de myst. Pasch. cap. 4. Hieronymus in cap. 9. Zachariæ. Augustinus Epist. 99. & de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 15. & de anima & eius origine libro 4. cap. 6. Cyrillus in Ioan. l. 12. cap. 36. Gregorius lib. 6. Epist. 179. Omnes isti Caluino fabulatores & nugigeruli videntur, rerúmque diuinarum penitus ignari. Hæc videlicet est modestia hodie hæretica. Sic illi Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi sunt. C

Vt portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

LOcus obseruandi contra hæreticos huius temporis piorum animas Angelorum ministerio ad quietis suæ loca deportari, quum è corpore migrant. Ex eo quippe manifestum fit,
Sanctorum patrocinia in hora mortis. Sanctos quoq; in cœlo regnantes, quorum patrocinia in vita deposcimus, pijs morientibus adesse, eorúmque animas sua commendatione & apud Deum intercessione quasi in cœlum leuare, quatenus transitum illum faciliorem & expeditiorem faciunt. Neque enim vel hæc Angelorum deportatio corporale quid fuit, sed misericordiæ diuinæ erga illum pium pauperem executio, vel inferiori, aut apud Deum loco aut erga homines charitate sanctæ beatorū animæ sunt
Lucæ 20. quàm Angeli: Dicente Christo de huiusmodi, quod *Angelis æquales erunt.* Porrò si certa & comperta res est, morientibus hominibus, etiam pijs ac fidelibus, malignos spiritus adesse, eisque insidiari, & eorum in cœlum transitum modis omnibus impedire (quod in Promptuario Morali
Dom. Pēt. text. 7. pluribus exemplis confirmatum dedimus) dubitari non debet beatorum Spiritus ab altera parte eisdem adesse, & patrocinium impendere. Nam & hanc maiorum nostrorum fidem fuisse, va- D
ria antiquitatis testimonia demonstrant. Scribit Origenes tam de Angelis, quàm de cæteris beatorū spiritibus, *eos ne vocatos quidem vltrò Deum vna comprecari, generique huic nostro adesse, & cum dæ-*
Lib. 8. contra Celsum. *monibus certamen inire, quos viderint eorum impugnare salutem, qui se Deo permiserunt.* Est autem maximum contra nos, in hora mortis dæmonum certamen. Quare & in eo maximè articulo Sanctorum patrocinia inuocantur. Sophia Romana Sanctæ Anastasiæ Martyris mater, sic eam inuocat.
Ora. ad S. Anastasiā. In monodia in S. Basil. Serm. de Mart. *Esto mihi in hac breui & caduca vita bona nutrix senectutis, & pro me ad æternam vitam transmigrante intercedas, communem mihi placans Dominum.* Similiter & Gregorius Nazianzenus, Episcopus doctissimus Theologus cognominatus, suum defunctum Basilium illum magnum his verbis inuocat. *Cum emigrabimus, nos ibi tuis excipe tabernaculis.* Sic Sanctus Ephrem Martyres omnes oratione compellat. *Nunc ô beatissimi viri, ô gloriosissimi Martyres Dei, me miserum vestris iuuate precibus, vt in illa hora misericordiam consequar, quando manifesta erunt occulta hominum.* Hæc autem hora mortis est: Nam in die extremi iudicij nullus intercessioni locus erit. Sic Sanctus Paulinus Sanctum Fœlicem Martyrem suæ ciuitatis patronum implorat.

Tunc

A *Tunc demum placidos pietate laboris alumnos*
Absoluas mittente manu, positaque tuorum
Ante tuos vultus animas, vectare paterno
Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora. Natal. 3.

Quare & S. Maximus Episcopus de SS. gentis suæ patrocinio & tutela ita scribit. *Semper nobiscum sunt, nobiscumque morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt & de corpore recedentes defendunt.* Eadem fide ac pietate imbutus Euthymius monachus & multorum Monachorum Pater, sic B. Virginem Deiparam alloquitur. *Itaque vt dum hic quidem manemus, nos protegas supplicamus: rursus autem vt cum excedemus, in ædibus semper viuentibus & luminosis habitemus, deprecamur.* Docent hæc exempla Sanctorum patrocinia non in reliqua tantũ vita, & ad alia diuinæ gratiæ beneficia impetranda à pijs & fidelibus expeti, sed & in hora mortis, & ad fœlicem animæ de corpore exitum, vt contra dæmonum insidias in transitu defendatur, piè ac studiosè implorari. Nã & sic non secus à beatis Sanctorum spiritibus, quàm hoc loco ab Angelis, in sinum Abrahæ deportantur piorum defunctorum animæ. Quæ quanto magis hæretici hodie deridենt ac subsannant, eo studiosius explicari hoc loco poterunt. Sane ex hoc, vt videtur, Euangelio didicit Ec-
B clesia pro defunctorum animabus orare, vt in sinum Abrahæ (quæ nunc cœlestis beatitudo est) eas Angeli deducant. In Nata. SS. Mar. Tauric. Encomio in B. Virg. Mariam.

FERIA SEXTA HEBDOMADÆ

II. Quadragesimæ.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Matth. 21.

C LOCVS abstergẽdi fœdam & acerbam calumniam, quam ad hæc verba in totam Catholicam Christianorum Ecclesiam horum temporũ hæretici impiè coniiciunt. quum enim hæc prophetia, eiúsq; per Christum applicatio liquidò & perspicuè doceãt Architectos ipsos Synagogæ Iudaïcæ Principes sacerdotum Scribas ac Pharisæos Synagogæ magistros Messiã aduenientem reprobaturos, arripit hoc exemplum auidè Caluinus, & suæ suorúmq; ab Ecclesia Christi apostasiæ nobile patrocinium hoc esse posse confidit. *Prodigij* (inquit) *simile est reijci salutis authorem non ab extraneis, sed à domesticis: neq; à stulta plebe, sed ab ipsis Principibus qui gubernacula Ecclesiæ tenent.* Et paulò pòst: *Hinc colligitur vtilis admonitio, non obstare legitimam vocationem, quo minus impij sint ac scelerati Christi hostes, qui ministri esse debuerant. Certè legale Sacerdotium diuinitus erat ordinatum & Leuitis permissa erat à Domino potestas regendæ Ecclesiæ. An ideo fideliter suo munere functi sunt? An illis obedire pios docuit ad Christum negandum? Eat nunc Papa cum suis cornutis Episcopis, & sibi fidem in omnibus habendam esse iactent, quia pastorum locum occupant.* Hæc ille. Schismatis hodierni insulsa & impia defensio.

Hæc vtilis Caluini admonitio, est futilis & insulsa collectio, est impia & insana disputatio. Pharisæis Synagogæ magistris nihil profuit legitima vocatio, quo minus Christum negarent: Ergo Catholicæ Ecclesiæ Episcopis & Pastoribus fides habenda non est, quia pastorum locum occupant. Age valeat interim consequentia, & in simili concludatur, Ergo ministris & Pastoribus Geneuensibus, Bernatibus, Tygurinis, VVittembergensibus, alijsque in Germania, in Scotia, in Anglia, fides habenda non est, quia isti omnes pastorum quoq; loca occupãt, & permittitur illis regendæ Ecclesiæ potestas. Rursum. Seniores populi & tota quoque popularis Iudæorum turba & stulta plebs (quod stultè hic negat Caluinus) Christum clamoribus pertinacibus reiecerũt, ac ad necem postularunt. Ergo nihil vel magistratuum, vel totius populi Christiani consensus in causa religionis valere debet. Non videt insulsus Caluinus eodem argumento aduersus seipsum totúmque corpus fidelium concludi posse, quod aduersus Papam & Episco-
D pos ac Pastores Ecclesiæ Catholicæ illi concludit. Deinde quàm impia hæc disputatio est? Principes veteris Synagogæ Christum prædicantem repulerunt: ergo tota Catholica Ecclesia tam Pastores quàm populus Christianus vniuersus totis his 1500. annis Christum ignorauit, deseruit, reiecit. Meminisse Caluinus debuit firmiores Ecclesiæ quàm Synagogæ promissiones esse: Synagogæ debuisse succedere Ecclesiam Christi; transferri legem, transferri sacerdotium, interire Synagogam, vt plenitudo gentium intraret, oportuisse. Ecclesiæ Christianæ nihil aliud succedit quàm mundi consummatio, dicente Christo Ecclesiæ suæ. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Non erit translatio Euãgelij, sed per totum orbem dilatatio, *donec impleantur tempora gentium.* Non interibit Ecclesia Christi, sed sic permanebit *vt portæ inferi non poterint præualere aduersus eam.* Eat nunc Caluinus cum suis barbatis & galeatis ministris, & Ecclesiam Christi interiisse blasphemet, quia Synagoga cecidit. Affirmet mentiri Paulũ qui ait, *Pastores & Doctores, datos esse à Christo in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec*

Caluinista pidum argumentum

Caluiniani argumenti impietas.

Matth. 28

Matth. 25. *Matth.* 16. *Ephes.* 4.

occurramus omnes in agnitionem filij Dei, quia Synagogi architecti Christum reſpuerunt. Hæc eſt A
inſani hominis diſputatio inſana. Cum enim Papam cum ſuis Epiſcopis dicit, vniuerſam Eccleſiam Catholicam dicit vniuerſis Epiſcopis adhærentem, & vni ſupremo in terris Capiti coniunctam. Reliqua nunc dementiſſimi hominis verba proferemus vt eorum quoque appareat turpitudo. *Vt demus* (inquit) *ritè ad Eccleſiæ regimen vocatos, fruſtra tamen plus ſibi arrogant quàm ſe titulares eſſe Eccleſiæ Præſides*. Putida & mera calumnia eſt impudenter aſſerta, nullo argumento munita. Sequitur: *Atqui ne vocationis quidem titulus illis ſuppetit*. Cur ergo dediſti ad Eccleſiæ regimen eſſe ritè vocatos? modò ais modò negas. Homo inſtabilis neſcit vbi pedem figat. Ferire vult, ſed quo ictum deſtinet, incertum habet. Hoc tamen poſterius probare nititur. *Nam* (inquit) *vt ſe in hanc tyrannidem attollerent, euerti neceſſe fuit totum Eccleſiæ ordinem*. Homo inſulſus probare ſe exiſtimat, quando ſtrenuè bacchari & fortiter conuitiari poteſt. Quæ enim hæc tyrannis ſit, aut quomodo euerſus Eccleſiæ totus ordo fuit, nec vno verbo demonſtrat, dixiſſe & maledixiſſe contentus. Pergit adhuc: *Verùm vt iuriſdictionem ordinariam ſibi merito vſurpent, ſi tamen euertunt ſacram Dei domum, non niſi nomine tenus architecti cenſendi ſunt*. Hoc quidem verum eſt. Sed quòd Catholicæ Eccleſiæ toto orbe Epiſcopi ac Paſtores ſacram domum Dei euerterint, id Caluino ſtrenuè probandum, non impiè ſupponendum fuit. Nihil ergo aliud hæc tota Caluini declamatio, quàm fanaticum hominis ingenium & ſpiritum vertiginoſum prodit, maledicendi auidum, firmis & bonis argumentis deſtitutum. B

Caluini ingenium fanaticum.

2. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

DEclamitat hic rurſum Caluinus, & illuſtrem hanc prophetiam de gloria Meſſiæ, quem Synagoga reiecit, ad hodiernæ apoſtaſiæ nouitatem & incrementum homo impius trãsfert: verbis quidem non ita perſpicuis & claris, vt de ſeipſo ſuiſque Geneuenſibus loqui velle videatur (ſic enim omnes Lutheranorum ſectas quæ validæ tunc erant, & totum reliquum ſodalitium in ſe vnum concitaſſet) ſed ſic vt à ſuis facilè intelligatur. Quæ Caluini frequens aſtutia eſt, quam euidenter prodit in commẽt. ad 1. Corinth. 11. vbi quum Chriſti corpus & ſanguinem in ſacra Cœna *realiter exhiberi & ſumi* dixiſſet, *verbis* (inquit) *vulgaribus vtor, ſed me mei intelligunt*. Nempe quod nihil minus cogitaret, ſed realis exhibitionis nomine, Catholicos & Lutheranos ludificare vellet, quum realem ipſe non aliam quam ſpiritualem, & quæ fide fit intellexerit. Non diſſimiliter in genere hic declamat Caluinus de admirabili ac ſtupendo noui Euãgelii exortu, reſtitutione, ac ſtatu. De quo Euangelio nouiter exoriente ac reſtituto loquatur non explicat, nec reliquas ſectas ab ipſo ſeiunctas, quæ ſibi ſingulæ hunc nouum exortum & reſtitutionem Euangelij venditant, grauiter offenderet; ſed à ſuis intelligitur de ſola Geneuenſi Eccleſia, alijſque ab ea ſeductis, eique adhærentibus loqui. Sic enim in hunc locum ſcribit. *Meminerimus quoties de Eccleſiæ ortu, reſtitutione, ſtatu, totáque ſalute agitur, non eſſe conſulẽdos ſenſus noſtros, ſed tribuendum virtuti Dei honorem, vt abſconditum eius opus miremur. Reuocamur enim hic à ſtulta hominum reuerentia, quæ ſæpè Dei gloriam obſcurat. Acſi dixiſſet Propheta, quemlibet ſplendidis titulis polleant homines, peruersè tamen fieri, ſi quis illos Deo opponat. Quo refellitur diabolica Papiſtarum impietas, qui laruatæ ſuæ Eccleſiæ determinationem Dei verbo præferre non dubitant*. Hæc ille: torquendi, deprauandi, & adulterandi verbi Dei mirus artifex. Vide enim vt præſentem prophetiam miſerè torqueat & impiè deprauet. De caſu Synagogæ, & veterum Sacerdotum perfidia, Chriſtique, & Euangelii eius exaltatione dictum eſt, *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*. Ergo quandocunque aliqua noua ſecta exurgit contra paſtores & doctores, *quos Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ & quos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, nulla eſt habenda Paſtorum reuerentia, nec curandum quàm ſplendidis titulis polleant, ſiuè Apoſtoli, ſiue Prophetæ, ſiue Euangeliſtæ, ſiue Paſtores, & Doctores, ſiue Epiſcopi & Præpoſiti Eccleſiarum, ſiue Preſbyteri & Seniores vocentur. Valet enim ſcelerata Caluini collectio & prophetiæ huius deprauatio, non ſolum contra præſentes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos & Paſtores, ſed etiam contra Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, & alios quoſcunque ſplendidos in Eccleſiæ regimine titulos. Nec minus iuxta Caluini collectionem licuiſſet Iudaizantibus illis Chriſtianis, Apoſtolus & Seniores in Cõcilio Hieroſolymitano collectos, & omnia ferè legalia abolentes, ex alto deſpicere, quantũuis ſplendidis titulis pollerent, diceréq; ſe verbo Dei per Moyſen ſcripto inhærere, illos verò (licet architectos Eccleſiæ) verbum Dei reprobantes, minimè mirum facere, quia *à Domino factũ eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*, vt illis non ſecus errent, quàm Phariſæi & Scribæ in Chriſto reiiciendo errauerunt: non minus, inquam, hoc illis licuiſſet dicere ac facere, quàm hic ſibi licere Caluinus vult, ſuam ab Eccleſia apoſtaſiam eodem fuco tegere. Lutherani, Anabaptiſtæ, Seruetiani, aut alia quælibet hodie ſecta non ſecus contra Caluinum, omneſque Eccleſię Geneuenſis miniſtros, Paſtores, Seniores, vbi de aliqua Scripturæ interpretatione aut cenſura Eccleſiaſtica oritur quæſtio (quales inter eos ſunt innumeræ) hoc eodem modo excipiet, quo Caluinus cõtra omnes Eccleſiarum Præpoſitos excipiendum docet. Splendidis quidem titulis polletis, miniſtri verbi, Paſtores populi, Seniores Conſiſtorij vocamini. Veſtrum in Scripturis exponendis iudicium

Schiſmatis hodierni in ſulſa & impia defenſio.

Caluinus adulterandi verbi Dei mirus artifex.

Epheſ. 4. Actor. 20.

Caluiniane collectionis impietas.

Eiuſdem abſurditas

A iudicium interponitis: (Perpetuum enim Caluino ac Bezæ est, reiectis Patrum sententijs, dicere: *Ego sic iudico. Ego sic sentio. Ego hunc esse sensum non dubito*, & cætera) Penes vos censuram esse dicitis. Vos pro architectis & Præsidibus Ecclesiæ venditatis. Sed peruersè facitis, quod Deo vos opponitis. Verbum Dei nos aliud docet. Titulos vestros non curamus. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*. Manifestè hic refellitur vestra Diabolica impietas, qui laruatæ Ecclesiæ vestræ determinationem verbo Dei præferre non dubitatis. Quam enim Caluinus Catholicis impietatem impingit, eandem quælibet alia secta Caluino & suis merito impingere potest. Quælibet enim alia secta Geneuensem Ecclesiam pro laruata, non vera habet. Quelibet alia secta verbum Dei pro suis dogmatibus facere affirmat, & credit.

Sed quî fit quòd cæteris omnibus sectis prætermissis, solam veram & Catholicam Ecclesiam hic perstringit Caluinus? Cur solos Catholicos (quos Papistas vocat) diabolicæ impietatis arguit, quod suæ Ecclesiæ determinationem verbo Dei prætulerint: Subiungit aliquid, quod id probare contendit, quod dissimulandum non est. *Vnde enim* (inquit) *secundum eos pendet verbi Dei authoritas, nisi ab hominum placito, vt Deo nihil plus sit iuris residuum, quàm quod ab Ecclesia precariò accipit? Longè aliter hoc loco nos instituit Spiritus Sanctus. Nempe simul ac in medium prodit maiestas*
B *Dei, silendum esse toti mundo.* Hæc ille. Multum haud dubiè laborauit Caluinus, vt post tam atrocem criminationem, quod Catholici *suæ Ecclesiæ determinationem verbo Dei præferre non dubitauerint*, certam aliquam tantæ accusationis notam, certum & illustre aliquod argumentum subiiceret, ac dogma aliquod proferret à Catholica Ecclesia determinatum, cui verbum Dei manifestè repugnaret. Hoc enim esset propriè ac verè suam determinationem verbo Dei præferre. Nunc autem nihil tale profert, sed huiusmodi aliquid, quod si verum crimen esset, conficeret tamen, non aliquam Ecclesiæ determinationem, sed ipsam Ecclesiam determinantem verbo Dei præferri. Ait enim secundum Catholicos *verbi Dei authoritatem non nisi ab hominum placito pendere, & eam totam ab Ecclesia precario Deum accipere.* Nempe quia quid sit pro verbo Dei, & Scriptura Canonica habendum, Ecclesia suo iudicio determinat. Hoc enim intelligit, hoc vult dicere Caluinus, licet obscurè loquatur, vt à rudiori lectore Catholico vix intelligatur. Satis ei erat quod à suis suorúmque scriptorum lectoribus intelligeretur. Sic quippe alibi scribit. *Pendet (inquiunt Papistæ) ab Ecclesiæ determinatione, & quæ Scripturæ reuerentia debeatur, & qui libri in eius catalogo censendi sunt.* Moxque paucis interiectis infert. *Quibus impiorum fannis subijcietur fides nostra, si credatur hominum beneficio non secus ac precariam habere authoritatem?* Huic obsoletæ & rancidæ calumniæ, quam hic Caluinus vt cramben sæpe recoctum regerit, iam olim respondimus, tum in Opere nostro de Principiis Fidei, tum vberius multò in Defensione nostra contra VVhi-
C takerum, qui Caluini vanitatem maiori vanitate & ineptia tueri frustra conatus est. Summa est mentiri Caluinum, quando ait, sententiam Catholicorum esse; quod ab Ecclesiæ determinatione pendet, quæ Scripturæ reuerentia debeatur. Hoc enim Ecclesia non determinat, sed vt rem per se notissimam, penitus indeterminatam relinquit. Determinat quidē qui libri pro Scriptura Canonica habendi sint, sed non determinat quanta fides & authoritas ipsi Scripturę Canonicæ adhibenda sit. Quæ duo quàm longè latéque inter se discrepent, in vtroque opere prænominato, sed magis in posteriori, latè & copiosè explicuimus. Vana ergo & friuola, scelerata & impia est tota hoc loco Caluini declamatio. Quæ tamen impietas maxima in postremis eius verbis clarius conspicitur, vbi ait, *Spiritum Sanctum hic docere, simul ac in medium prodit maiestas Dei, silendum esse toti mundo*, id est, vbi aliqua noua secta exoritur, silendum esse toti Ecclesiæ. Suam enim Sectam, sui noui Euangelij exortum & restitutionem, pro quo hoc loco pugnat, homo blasphemus designat, quum *Dei Maiestatem in medium prodire* fingit; sicuti Ecclesiæ Pastores, ac Præpositos negligendos designat, quum *toti mundo silendum* affirmat. Hæc est Caluini hoc loco laruata blasphemia, quam detracta larua, omnium oculis in propria forma conspiciendam subiicere, operæprecium duxi.

Caluini argumentum aliud concludit quàm petit.

Instit. lib. 1 cap. 7. n. 1.

Lib. 9. c. 3.

Lib. 3. c. 12.

Defens. cō. VVhitak. lib. 1. c. 2. ad sect. 6.

Calu. blasphemia.

IN SABBATO HEBDOMADÆ

II. Quadrageſimæ.

In ſe autem reuerſus dixit. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant
Luc. 15. *panibus, ego autem fame pereo? Surgam & ibo ad Patrem meum, &*
dicam ei. Pater peccaui in cœlum & coram te. Iam non
ſum dignus vocari filius tuus: Fac me ſicut
vnum de mercenarijs tuis.

LOCVS explicandi veram & legitimam pœnitentiæ formam ab hæreticis hodie, Caluino maximè, penitus deprauatã. Chriſtus in hac parabola de filio prodigo, vt hominem peccatorem Dei in ſe dona diſſipantem, & Deum miſericordiſſimum deſcribit, ſic pœnitentem inter vtrũq; mediũ ante oculos ponit. Pœnitentem peccatorem, & à Dei gratia relapſum (filium enim, non extraneum introducit) eo modo loquentem & agentem proponit, vt in eius verbis ac factis tota pœnitentiæ virtus (neq; enim de ſacramẽto hic agitur) deſcribatur. Et primũ de fide in Deum nihil dicitur, ſed præſupponitur, quia *filius & do-*
In Hom. de pœnitentia. *meſticus erat*, vt notauit S. Baſilius, ideóq; baptizati iam & antea adoptati perſonam gerit. Neque
In Harm. in hunc locum. etiam abſq; fide & gratia ſupernaturali, motus illos animi habere potuit filius ille prodigus, quales hic exprimuntur. Vnde putidum Caluini cauillum conuincitur, qui contra pœnitentiæ ad
Pœnitentiæ primus motus odium peccati. veniam conſequendam neceſſitatem ſic hoc loco diſputat, quaſi eam ſine Dei gratia fieri ſtatueretur. Primus ergo poſt fidem, & ex fide motus erat, *In ſe reuerſus*. Hoc enim eſt dicere. Suã iam miſeriam & calamitatem agnoſcens: Quæ agnitio ſine odio & deteſtatione peccati eſſe nõ potuit. Calamitatis quippe & miſeriæ cauſa, qua non ſolũ à Deo, ſed & à ſeipſo elongatus, & extra ſeipsũ, extra rationis ac pietatis limites euagatus fuerat (niſi enim à ſeipſo, qualis priùs erat, abiiſſet, ad ſe reuerſus dici non potuit) ſolum peccatum erat. Vnde Scriptura primum hoc peccato-
Eſaiæ 46. ribus inclamat. *Redite præuaricatores ad cor. Recordamini prioris ſæculi, quoniam ego ſum Deus, & non eſt vl-*
Eſaiæ 59. *tra Deus, nec eſt ſimilis mei.* Iubet peccatores & ad ſeipſos, & ad Deũ redire. Ad Deum, quia *peccata diuiſerunt inter ipſos & Deũ*. Ad ſeipſos, & ad cor ſuum, quia *malitia mutauit intellectum eorũ*. Pri-
Sapien. 4. mus igitur pœnitentiæ motus in eo qui fidem habet, eſt odiũ peccati, & ſuæ miſeriæ, qua à Deo & ſeipſo procul receſſit, agnitio. Poſt odiũ peccati, ſpes veniæ ſuccedit, ne nimia præſentis miſe-
Secundus motus ſpes veniæ. riæ cõſideratio ad deſperationẽ adigat, vel, vt Apoſtolus loquitur, *ne nimia triſtitia abſorbeat*. Mox
2. Cor. 2. igitur hic pœnitens prodigus, bonitatis paternæ ſpe concepta, ait. *Quanti mercenarij in domo Patris*
mei abundant panibus? id eſt, quã multi ſunt qui non propter hæreditatẽ cæleſtẽ, ſed propter mercedem temporalẽ abſtinent à peccato, & Deo ſeruiunt, quibus tamen Deus multa ſua bona largitur? *Ego autem fame pereo?* i. propter enormia peccata totus à Deo ſeparatus, nullã Dei benigni-
Ioan. 8. tatẽ percipio. Nõ modo filius amplius non ſum, ſed nec ſeruus in domo, qui etſi *nõ maneat in do-*
Tertius motus emẽdationis propoſitum. *mo in æternum*, manet tamen ad tẽpus, & variã Dei benignitatem ſentit; qua tandem adductus, & in melius proficiens, ex ſeruo fit filius & hæres. Hac ſpe benignitatis diuinæ concepta, ait: *Surgam*
Eſaiæ 24. *& ibo ad Patrem meum*. Quũ dicit, *Surgam*, oſtendit emendationis propoſitũ, iuxta illam Scripturã,
Epheſ. 5. *Nunquid qui cadis, non exurges?* & rurſum. *Surge qui dormis*, ſ. in peccato, *& illuminabit te Chriſtus*. Quũ
4. Inuocationis deſiderium & executio. dicit, *Ibo ad patrem meũ & dicam, Pater peccaui*, &c. oſtendit inuocationis deſideriũ. Deniq; *ſurgens*
venit ad patrem ſuum, i. ad veniam à patre petendam (relicto peccato) & inuocationis propoſitæ executionem de facto aggreditur. Per hos igitur gradus, & debita tandem atque humili diuinæ miſericordiæ inuocatione, animo firmiter propoſita, etiam antequam in vocem erupit confeſſio, præſto adeſt Dei miſericordia, vt hic latè Euangelium deſcribit.

Maxima Dei miſericordia pœnitentiæ motus requirit. Obſeruandum igitur præſentiſſimam & maximam Dei miſericordiam (qualis in hoc Euãgelio deſcribitur) non priùs adeſſe, nec Deum ſibi priùs peccatorem conciliare, quã præter fidem, tum odium peccati, tum ſpes veniæ, tum emendationis propoſitum, tum demum inuocatio deliberata, firmitérque animo inſtituta, iam iámq; executioni mandanda præceſſerit. Hæc inquam vt minimum in virtute pœnitentiæ præcedere debent, vt ex pura Dei miſericordia peccator in gratiam recipiatur. Neq; enim Chriſtus pœnitentiam in Eccleſia ſua ordinariam, iuxta quã peccata ſoluantur, aut totam eius formam hoc loco deſcribit; ſed Dei erga peccatores miſericordiam ſingulari exemplo propoſito in medium adducit: ex eo oſtendens quanta ſint diuinæ miſericordiæ viſcera erga peccatores pœnitentes, vt nimirum confirmaret quod priùs apud Lucam dixerat, *Gaudium eſſe coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Atque hæc quidem eſt de debita peccatoris pœnitentia, quæ gratuitam cum Deo reconciliationem præcedat, Euangelica doctrina, in hac parabola Euangelica dilucidè tradita.

Luc. 15.

Nunc

A Nunc quomodo hanc totam doctrinam impius Caluinus peruertat ac deprauet, explicandum est. Planè totum rei ordinem inuertit, & ipsam pœnitentiæ naturam cum quotidiano iustorum profectu confundit. Totum rei ordinem inuertit, quia ante pœnitentiam, peccatorem sola fide Deo reconciliari statuit, vt iam reconciliatus, déque sua salute securus, ad pœnitentiæ meditationem animum applicet. Sic enim scribit. *Pœnitentiam non modò fidem continuo subsequi, sed ex ea nasci, extra controuersiam esse debet. Quum enim venia, & remissio per Euangelij prædicationem ideo offeratur, vt à tyrannide Satanæ, peccati iugo, & misera seruitute vitiorum liberatus peccator, in regnum Dei transeat, certè Euangelij gratiam nemo amplecti potest, quin ex erroribus vitæ prioris in rectam viam se recipiat, totúmque suum studium applicet ad pœnitentiæ meditationem. Quibus autem videtur fidem potius præcedere pœnitentia, quàm ab ipsa manare vel proferri tanquam fructus ab arbore, nunquam vis eius fuit cognita, & nimium leui argumento ad id sentiendum mouentur, Christus (inquiunt) & Ioannes in suis concionibus populum ad resipiscentiam primùm hortantur: deinde regnum cœlorum appropinquasse subijciunt. Tale prædicandi mandatum accipiunt Apostoli: talem ordinem sequutus est Paulus, quemadmodum Lucas refert. Atqui dum in syllabarum contextu superstitiosè hærent, non animaduertunt quo sensu inter se verba illa cohæreant. Nam dum in hunc modum concionantur Christus Dominus, & Ioannes, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: annon resipiscendi causam ab ipsa gratia & salutis promissione ducunt? Perin-*

B *de ergo valent eorum verba, ac si dicerent, Quoniam appropinquauit regnum cœlorum, ideo resipiscite. Nam Matthæus vbi sic prædicasse Ioannem narrauit, impletum in ipso fuisse Isaiæ vaticinium docet de voce in deserto clamante, Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Verùm apud Prophetam illa vox iubetur à consolatione & læto nuntio inchoare. Neque tamen, quum resipiscentiæ originem ad fidem referimus, spatium aliquod temporis somniamus, quo ipsam parturiat: sed ostendere volumus, non posse hominem pœnitentiæ seriò studere, nisi se Dei esse nouerit. Dei autem se esse nemo verè persuasus est, nisi qui eius gratiã prius apprehenderit.* Hæc Caluinus. Studiosè probare vult adeò pœnitentiam non nisi post reconciliationem & remissionem peccatorum factam, suscipi debere, vt affirmet nullum pœnitentiæ studere posse, *nisi qui prius se Dei esse nouerit*, id est, (vt ipsemet exponit) *nisi qui prius gratiam Dei apprehenderit*: in qua per fidem apprehensione totam peccatoris iustificationem ponit Caluinus. At-

Caluinus totum pœnitentiæ ordinem inuertit.

Instit. lib. 3 c. 3. num. 1

Matth. 3. & 4. Act. 20.

Luc. 15.

que ita vbi Christus dicit *iustos non indigere pœnitentia*, cum Caluino contra dicendum est, solos iustos idoneos esse ad pœnitentiam agendam. At verò vel sola parabola hæc Euangelica totam hanc impiam doctrinam (quid enim magis impiè doceri potest, quam ante pœnitentiam peccatorem iustificari?) luce meridianá clarius subuertit. Hic enim, antequam pater accurrat, vt filium peccatorem in gratiam recipiat, variam & veram pœnitentiam agit peccator. In se reuertitur, suam turpitudinem & miseriam agnoscit. Odit peccata præterita, propositum surgendi à peccato, sesèque emendandi concipit. Benignitatis paternæ spem habet. Inuocationem & ve-

C niæ supplicationem animo proponit. Ad eam exequendam tendit. Ac sic demum accurrit pater misericordiarum, & tota illa præeunte pœnitentia, in gratiam recipit, peccata condonat, *primáque stola reddita*, id est, renouatione interna, quam in baptismo acceperat, ei restituta, hoc demum modo iustificat, ex impio iustum, ex filio iræ filium Dei, *ex immundo mundum facit*. Est quidem aliqua fides, quæ pœnitentiam præcedit, & ipsius pœnitentiæ fundamentum, mater & radix est. Ea videlicet qua credimus Deum esse bonorum ac malorum remuneratorem. Ab hac enim incipit omnis nostra salus & iustificatio coram Deo. Vnde Apostolus, *Accedentem ad Deum credere oportet quia est, & quia inquirentibus se remunerator est*. Sed hanc fidem nec hoc loco, nec omninò agnoscere vult Caluinus in Iustificationis negotio. De fide illa loquitur, qua sola iustificari impios arbitratur, id est, de fide apprehendente gratiam Dei, sibique firmiter persuadente, quod Deus iam illi propitius est, eúmque in gratiam recipit suam. Nam nec pœnitentiã agere, *nisi qui Dei filium se esse iam nouerit*, nec Dei se filium esse persuadere sibi quenquam posse, *nisi prius Dei gratiam apprehenderit*, Caluinus affirmauit. Vult ergo ante omnem pœnitentiam certum quemlibet esse debere de Dei gratia, de salute, de reconciliatione facta. Hoc totum, vt dixi, ista parabola manifestè confutat. Sed & illæ quoque Scripturæ, quas sibi opponit Caluinus, leuissiméque soluit vel dissoluit potius, penitúsque corrumpit, luculentissimè idem docent. Ac primùm notandum est, quanto contẽptu verba Scripturæ reiicit. Eos enim qui verba Scripturæ in hac parte manifestissima premũt & vrgẽt, ait nefarius impostor, *in syllabarum contextu superstitiosius hærere*. Ita nunc diuinæ Scripturæ verba *syllabarum contextus* æstimanda sunt, & illa religiosè

D premere, superstitio erit. Sic scilicet Scripturas veneratur Caluinus, quoties præposteris eius placitis aduersantur. Verba Christi iam *syllabæ* erunt, & eorum ordo atque progressus, puerilis erit & alphabeticus *contextus*, quẽ abecedarii faciũt, vt dictiones integras componant. Hac rhetorica extenuatione, his flosculis ac schematibus, homo impius Sacram diuinarum Scripturarum veritatem eludit, & deridendam proponit.

Iob. 14. Fides pœnitẽtiæ radix quæ & quomodo. Hebr. 10.

Iustificationem ante omnem pœnitentiam ponit Caluinus.

Caluinus Scripturæ contemptor quando cõtra ipsum facit.

Sed videamus tamen cur ordinem verborum in Scriptura propositum, negligi à nobis velit, & quare *superstitiosè* illis nos *inhærere* declamitet. *Non animaduertunt* (inquit) *quo sensu inter se illa verba cohæreant*. Docebit nos igitur opinor. *Nam dum in hunc modum concionantur Christus Dominus & Ioannes: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cœlorum, resipiscendi causam ab ipsa gratia & salutis promissione ducunt. Perinde ergo valent eorum verba, ac si dicerent, Quoniam appropinquauit regnum cœlorum, ideo resipiscite.* Videat vnusquisque & attendat vafri hæretici fraudes & impostura. Quia appropinquat regnum cælorum, ideo resipiscendum, & agenda pœnitentia est, causaque

agendæ pœnitentiæ est gratia & salutis promissio: ergo fides gratiam & salutis promissionẽ certò apprehendens, in qua iustificationem omnem ponit Caluinus, ipsam pœnitentiam præcedere debet. Hoc enim est quod Caluinus hic probare contendit. Duplex hic impostura & fallacia est. Prima, quia causam finalem ponit pro causa efficiente, quæ effectum debet præcedere. Appropinquatio regni cœlorum, quam Christus & Ioannes prædicarunt, causa finalis est ipsius pœnitentiæ, quam prædicant. In hunc quippe finem iubet eos pœnitere, vt regnum cœlorum, quod in proximo iam erat, consequerentur. *Causa* igitur *pœnitentiæ ab ipsa quidem gratia & salutis promissione ducitur*, vt Caluinus arguit, sed causa finalis, non efficiens. Disputat autem Caluinus efficientem & præcedentem pœnitentiæ causam, esse ipsam gratiam & salutis promissionem: idque adeo iam fide apprehensam & obtentam. Ait enim *non posse hominem seriò pœnitentiæ studere, nisi se prius Dei esse nouerit*. Sic causam vrgens, sed finalem, fallit imperitum lectorẽ, qui inter causas distinguere nescit. Alia impostura & fallacia est, quod nunc pœnitentiæ causam ponit, *gratiam & salutis promissionem*, non adiiciens, *fide apprehensam atque obtentam*. Quod tamen hoc loco probare contendit. Hanc adiectionem & perspicuam argumenti formam studio celat, vt argumenti absurditas minus appareat. Minus enim absurdum est dicere, *pœnitentiæ causam esse salutis promissionem* (quum certè talis promissio & spes consequendæ salutis magnus sit ad pœnitentiam agendam stimulus, ideóque vera causa, sed finalis,) quàm si pœnitentiæ causam esse dixisset, *gratiam & salutis promissionem iam fide apprehensam, atque ita certissimè obtentam*: Mox enim cuiusq; animo occurreret, hoc pœnitentiæ agendæ causam esse non posse, quum hoc ipsum finis & effectus pœnitentiæ sit, vt gratiam à Deo & salutem promissam consequamur: neque iam de medio laborandum esse, vbi finem adeptos nos esse cernimus. Finis quippe omnis pœnitentiæ est, vt à Deo veniam peccatorum impetrantes, eique reconciliati, eius gratia & promissa salute fruamur. Hac de causa vafer hæreticus totum animi sui sensum, totúmque venenum, vt simplici lectori imponat, aperire noluit.

Caluinus causas confundẽs fallit.

Caluinus impostor callidus.

Subiungit, *vocem illam Ioannis in deserto, Parate vias Domini*, &c. *à consolatione & læto nuncio inchoare debere*. Verum hoc est, tanquam causam mouentem & stimulantem ad pœnitentiam agẽdam, & ad parandas per pœnitentiam vias venienti gratiæ, talem consolationem & lætum nuntium proponi. Non autem vt ante pœnitentiæ actum, eo se frui, idque iam possidere se quisquã existimet; quod illa consolatio, & illud bonum nuntium proponit. Atque hæc ille de verbis Christi & Ioannis, Matth. 3. & 4. disputat.

Sed quum fateatur Apostolos simile prædicandi mandatum accepisse, & Paulum eum ordinem sequutũ fuisse, vt testatur Lucas, Actor. 20. 21. quî fit, quod nec Pauli, nec alterius cuiusquam Apostoli verba Caluinus profert, vt illis quoq; aliquid respondeat? An omnia illa nihil aliud sunt, quàm *syllabarum contextus abecedarius*, cui hærere superstitiosum sit? Sed versutus hæreticus tacere illa maluit, quàm ad maiorem turpitudinis suæ demonstrationem illa pertractare. Proferemus ea igitur in lucem, vt quomodo impius hæreticus totum pœnitẽtiæ ordinem in Scripturis descriptum inuerterit, magis ac magis intelligatur. Mandatum prædicandi quod Apostoli acceperunt (ad hanc rem quod attinet) huiusmodi fuit. *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, quum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia*, &c. & paulò pòst: *prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*. Hoc mandatum repetiit Petrus. *Hunc Deus exaltauit ad dandam pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum*. Semper præcedit remissionem peccatorum pœnitentia, vt causa suum effectum, & medium suum finem. Illum ordinem seruauit Petrus, seruauit Paulus, seruauerunt & alij Apostoli. Petrus in prima sua cõcione, *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum*. Hic rursum causa quidem finalis agendæ pœnitentiæ & suscipiendi baptismi est remissio peccatorum, sine qua nulla est iustificatio per fidem. Sed causa remissionis peccatorum præcedens, & ad eã disponẽs est pœnitentia, sicut causa efficiens instrumentalis est baptismus. Quemadmodum absurdissimè diceretur in hac propositione medici ad ægrum, cape hoc pharmacum, aperiatur tibi vena, potionem hanc vtcunque amaram epota, vt sanitatem recuperes, quod sanitatis recuperatio illa omnia præcedit, quia causa cur illa omnia subeuntur, sanitatis recuperatio est; sic omnino absurdissimè disputat Caluinus, quia remissio peccatorum est causa agendæ pœnitentię, ideo hanc illam præcedere. Rursum sicut absurdissimè dicitur, nemo potest curandæ ægritudini operam seriò dare, nisi prius sibi persuadeat se esse sanum, sic absurdissimè à Caluino dicitur, *nemo potest pœnitẽtiæ seriò studere, nisi prius se Dei esse nouerit, veréque hoc sibi persuadeat*. Sicut enim amaris medicamentis curatur ægritudo, vt sanitas consequatur, sic medicus animarum nostrarũ Christus, eiúsque post eum Apostoli, amarum pœnitentiæ medicamentum peccatoribus præscribũt, vt remissio peccatorum consequatur. Sic Paulus commemorat apud Agrippam se & Iudæis, & gentibus annunciasse *vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes*. Conuersioni ad Deum anteponit pœnitentiam, eámque condignam, non per *superstitiosum syllabarum contextum* (vt impius Caluinus loquitur) sed ordinem prædicationis suæ & conuersionis peccatorum commemorans. Sic alibi: *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis*. Pœnitentiam præponit non solùm remissioni peccatorum & iustificationi, sed etiam ipsius veritatis cognitioni & fidei: quia ne ipsa veritas cognoscatur, fidésque recta animo concipiatur, ipsa sæpenumerò peccata præpediunt. Sic

Luc. vlt.

Act. 15. 31.

Pœnitentia remissionẽ peccatorum semper præcedit.

Actor. 2.

Actor. 26.

2. Tim. 2. 25.

verbi

A Verbi gratia de animi ſuperbia in Phariſæis dixit Chriſtus, *Quomodo poteſtis credere qui gloriam ab* Ioan. 5.
inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? vnde profitetur Paulus alio in loco, ſe
prius pœnitentiam quàm fidem prædicaſſe. *Docui* (inquit) *publicè & per domos, teſtificans Iudæis at-* Act. 20. 21
que gentilibus pœnitentiam in Deum & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et manifeſtè apud Marci 1.
Marcum Chriſtus. *Pœnitemini, & credite Euangelio.*

Quæ verba duplici cauillo conatur eludere Caluinus. *Quæri* (inquit) *poteſt, quum ex Euan-* *In Harm. ad Marc. c. 1.*
gelio pendeat pœnitentia, cur eam Marcus ab Euangelij doctrina ſeparet. Primum non Marcus, ſed Chri- *Pœnitentia præcedit fidem.*
ſtus hæc verba dixit; Deinde Chriſtus pœnitentiam ab Euangelij doctrina non ſeparat, vt fingit Caluinus, ſed ad fidem Euangelio præbendam, ſeu ad credendum Euangelio, viam ac præparationem neceſſariam eſſe pœnitentiam docet. At ſi ita eſt, *quomodo ex Euangelio pendebit pœnitentia?* ait Caluinus: id eſt, quomodo erit meum paradoxum verum, quod prius oportet credere Euangelio, & per illam fidem Deum ſibi habere certo propitium, vt ſic pœnitentiæ ſerio ſtudeatur? *Duplex* (inquit) *ſolutio eſt. Nam Deus interdum ſic nos ad reſipiſcendum inuitat, vt tantum dicat* *Caluinus Scripturæ Euangelicę corruptor.*
mutandam eſſe in melius vitam, poſtea conuerſionem & vitæ nouitatem Spiritus ſui donum eſſe oſtendit: vt
ſciamus non tantum nobis præcipi quod officij noſtri eſt, ſed obſequendi gratiam & virtutem ſimul offerri. Hic
Caluinus ex parte falſum narrat, ex alia parte qua verum dicit, ſuis placitis contradicit. Falſum
eſt, *Deum interdum ad pœnitentiam ſic inuitare, vt tantum dicat in melius mutandam eſſe vitam.* Semper
B enim peccati præteriti odium, & propter offenſum Deum triſtitiam ac dolorem Scriptura à
pœnitentibus flagitat. Quod autem dicit & verum dicit, vitæ nouitatem Spiritus S. donum eſſe, Deumque non ſolum præcipere, ſed etiam obedientiæ & exequendi facultatem conferre, *Caluinus ſibi contrarius. Inſtit. li. 3. c. 17. n. 2. & c. 1. n. 1. & ſeqq.*
alteram Caluini hæreſem funditus euertit, qua docet Dei mandata obſeruari non poſſe, nec ad
ea nos obligari, nec Spiritum Chriſti in adiutorium nobis dari, vt *ad iuſtitiam conſequendam nos*
iuuet, nec vt per eum adiuuemur ad iuſtitiæ ſummam, ſed *vt beneficio Chriſti in cordibus noſtris obſignet*, ip-
ſéque Chriſtus tota noſtra ſanctificatio ac iuſtitia ſit.

Sed pergamus cum Caluino hoc in loco. *Si hoc modò accipimus* (inquit) *quod Ioannes concionatus*
eſt (de pœnitentia agenda in remiſſionem peccatorum) *ſenſus erit. Dominus vos ad ſe conuerti iubet.* *Scripturã corrumpit Caluinus.*
Quia verò id non poteſtis propria induſtria, Spiritum regenerationis promittit. Quare hanc gratiam fide amplecti vos oportet. Omnia confundit & peruertit Caluinus. Ioannis Baptiſtæ prædicatio (de qua tamen hic non agitur, ſed de Chriſti) illa erat, vt pœnitentiam ante omnia agerent, non quidem propria induſtria, & ſolis naturæ viribus, ſed ex ſpeciali diuinæ gratiæ adiutorio, quo nec veteris legis iuſti, nec qui tunc erant fideles Iudæi carebant. Spiritus regenerationis, quæ vitæ nouitatem inducit, promittitur quidem pœnitentibus, vbi Deo reconciliati peccatorum remiſſionem conſecuti fuerint: non quia fide illam apprehenderunt, (ſomnium hoc Caluini eſt) ſed
C quia credentibus & pœnitentibus, *dignaque pœnitentiæ opera facientibus* (vt Paulus concionari ſolebat) ille Spiritus regenerationis per Chriſtum confertur: pariter & vna cum remiſſione peccatorum. Et hoc modo pœnitentia ſemper præcedit ipſam regenerationem, & remiſſionẽ peccatorum, quam Euangelium docet, *Spiritus regenerationis fide apprehenſus*, vt Caluinus loquitur, *Regeneratio fide apprehenſa non facit pœnitere.*
id eſt, credere quod pœnitenti ille Spiritus à Deo impertietur, non facit vt homo ritè pœniteat, nec quicquam in eo operatur, in quo nondum eſt, & cui nondum collatus eſt, vt ſic propriæ induſtriæ defectum ille ſuppleat, iuxta Caluini figmentum, ſed ſpecialis Dei gratia, quæ
hominem ad pœnitentiam excitat (eſt enim & illa donum Dei ſingulare) humanæ induſtriæ impotentiam ſupplet, facitque vt homo veram & legitimam pœnitentiam agat.

Sed hic Caluinus memor ſe Spiritui regenerationis & nouitati vitæ plus tribuiſſe, quam aliàs ſolet, aut quam ſolius fidei iuſtificantis doctrina permittit, ſeipſum tempeſtiuè corrigit, & dicit. *Quanquam fides, quam haberi Euangelio Chriſtus poſtulat, minimè ad donum renouationis reſtringi debet, ſed præcipuè ad peccatorum remiſſionem ſpectat. Coniungit enim Ioannes pœnitentiam cum fide, quia ſe ideo Deus nobis reconciliat, vt tanquam Pater à nobis ſanctitate & iuſtitia colatur.* Præoccupatione hac vtitur Caluinus, quia perpetua eius & ſuorum doctrina eſt fidei iuſtificantis obiectũ nihil aliud
D eſſe quàm gratuitam peccatorum remiſſionem in Euangelio prædicatam à fide apprehenſam. Nunc autem affirmat ſpiritum quoque regenerationis per fidem quam in Euangelio habemus, apprehendi, vt fide iuſtificemur. Reſpondet autem *non ad hoc donum renouationis reſtringi fidem, ſed præcipuè ad remiſſionem peccatorum ſpectare.* Quæ reſponſio tametſi in forma recipiatur, ſatis adhuc eius altera ſententia refutatur. Satis enim nobis eſt, quod ad hoc donum renouationis fides ſpectat. Non volumus ad hoc donum fidem reſtringi. Planè volumus ad remiſſionem quoque peccatorum fidem ampliari. Sed volumus, & vult Scriptura, vt ad vtrunque fides ſpectet: iuxta illud Pauli. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis* (vbi peccatorum remiſſio innuitur) *& renouationis per Spiritum Sanctum quem effudit in nos abundè.* Satis nobis eſt Deum ſe nobis ideo *Tit. 3.*
reconciliare, vt poſtea colamus eum in ſanctitate & iuſtitia, quod hic fatetur Caluinus. Sic *Caluinus ſeipſum refutat.*
enim non in ſola remiſſione peccatorum, nec in ſola fide eam apprehendente, ſalus & iuſtitia noſtra conſiſtit) quod aſſiduè Caluinus docet, & conſtanter Catholica damnat Eccleſia) ſed
præterea in Spiritu regenerationis & vitæ nouitate, quæ altera & potior eſt Chriſtianæ iuſtitiæ pars. Sed hoc in prioris ſolutionis ſuæ gratiam ponere & concedere coactus eſt Caluinus.

Poſterior ſolutio eſt, *Credere Euangelio* in his Chriſti verbis *tantundem valere atque gratuitam*

iustitiam amplecti. Sæpe enim in Scripturis specialem istam inter fidem & remissionem peccatorum relationem occurrere: sicut quum docet nos fide iustificari. Hæc altera solutio per se absurdissima est, vt eius confirmatio penitus insulsa. Absurdum & impium est *credite Euangelio* hunc sensum habere, *Gratuitam iustitiam amplectimini*: quasi Euangelium eiusque prædicatio nihil aliud credendum fidéque amplectendum contineret, quàm gratuitam iustitiam, maximè in sensu Caluini, qui per gratuitam iustitiam non plus intelligit, quàm gratuitam remissionem peccatorum, quæ initialis & minima pars iustitiæ Christianæ est, sanè vt priuatio veteris formæ inter principia rei generandæ minimum & maximè impropriè principium est. *Credere Euangelio*, est omnia credere quæ Euangelium de Deo, de Christo, de tota fide ac salute humana docet. Solutionis confirmatio insulsa est; Hæc enim eius vis & consecutio est. *Occurrit sæpe in Scripturis inter fidem & remissionem peccatorum relatio*, id est, sæpe in Scripturis remissionem peccatorum credere docemur, ergo hoc in loco *credere Euangelio*, significare debet *credere gratuitam iustitiam*, quæ est (in sensu Caluini) remissio peccatorum. Insulsa & friuola hæc consecutio est: primum, quia etsi sæpe ita se res habeat, quum etiam sæpe aliter se res habeat, & aliis in locis sæpissimè fides alia quàmplurima obiecta respiciat, nulla est consecutio, vt hoc in loco ad illud vnum obiectum fides restringatur. Deinde Euangelium multo plura in se complectitur quàm gratuitam peccatorum remissionem. Non ergo sequitur: Credere gratuitam remissionem peccatorum sæpe Scriptura docet. Ergo quum dicitur, *Credite Euangelio*, idem & non aliud docere putandum est.

Euangelio credere quid.

Caluini insulsa cõsequentia.

Sed quomodo hoc ipsum Caluinus probat, quod fides sæpenumero in Scripturis ad peccatorum remissionem refertur. *Sicuti* (inquit) *quum docet nos fide iustificari.* Egregia scilicet probatio, quę sola nouella S. Scripturæ corruptela nititur. Nam fide iustificari in Catholica hactenus Ecclesia, nunquam illum sensum habuit, fide amplecti gratuitam iustitiam. Nouella hæc est & horum temporum corruptela pestilens. Fide iustificamur in sensu veterum Ecclesiæ Patrum, maximéque Sancti Augustini, (loquendo de ipsa in se fide) quia totius iustificationis nostræ coram Deo fides, qua in Deum & Christum eius credimus, fides (inquam) sana & orthodoxa, omnia credens, quæ diuinitus ad credendum reuelata sunt, radix, principium, & fundamentum est: nec sine illa iustificari quisquam potest. Aut certè fide iustificamur (loquendo de perfectione eius) non qualibet, sed (vt Paulus docuit) *Fide per charitatem operante.* Ita vtraque Caluini solutio contra tam perspicua Christi verba, quibus pœnitentiam fidei vt medium fini anteponit, varia impietate & absurditate plena est.

Fide iustificari quid.

Galat. 5.

Redeamus nunc ad principale institutum nostrum. Sanè in tota Scriptura vbicunque prædicatur pœnitentia, remissioni peccatorum & conuersioni ad Deum, ipsique reconciliationi & iustificationi peccatoris, vt causa suo effectui & medium suo fini anteponitur. Sed totum hunc pœnitentiæ ordinem inuertit impius Caluinus, vt solam suam iustificantem fidem, absque vlla precedentis pœnitentiæ necessitate, sustineat. Dicat forte aliquis. Nullam ergo Caluinus pœnitentiam agnoscit peccatoribus necessariam, vt *ad Deum conuertantur & sanentur*, quam toties & tam euidenter Scriptura commendat ac mandat? Certè Caluinus ipse in tractatione Scripturarum quę pœnitentiam prædicant, vt ad Deum peccator conuertatur, eandem aliquando docet & tradit. Sed memor huius suæ doctrinæ, eam in sua Institutione, quam omnibus nefariis & pestilentibus dogmatibus refertam esse voluit, temperat ac moderatur hoc modo. *Diximus* (inquit) *& nos quodam loco nunquam sine pœnitentia obuenire peccatorum remissionem, quod nulli nisi afflicti & peccatorum conscientia vulnerati Dei misericordiam implorare sincerè possunt, sed simul adiecimus, pœnitentiam non esse causam remissionis peccatorum. Illa quoque animarum tormenta sustulimus, quod debita præstanda sit.* Agnoscit se docuisse aliquando pœnitentiem ad remissionem peccatorum esse necessariam, sed doctrinam illam duplici moderatione restringit. Vna est, quod non sit remissionis peccatorum causa: altera quod debitam pœnitentiam præstari debere non docuerit. Vtrumque Scripturis ex diametro aduersatur. Pœnitentiam esse remissionis peccatorum causam, non sanè efficientem aut meritoriam, (gratuita quippe est omnis peccatorũ remissio, qua ex impio aliquis fit iustus) sed causam sine qua non, vt loquuntur Dialectici, & necessariã (quia necessaria est ad veniam consequendam dispositio) omnes Scripturæ superius citatæ perspicuè docent: maximè illud Petri. *Pœnitentiam agite, in remissionem peccatorum.* Similiter ad impium Simonem Magum. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & Deum roga, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Rursum debitam pœnitẽtiam esse præstandam, (quod se sustulisse gloriatur Caluinus,) ex diametro repugnat illis Ioannis Baptistæ verbis, *facite fructus dignos pœnitentiæ*: & illi Pauli doctrinæ, quam Iudæos & gentes docuit, vt *digna pœnitentiæ opera facerent.* Hæc enim digna pœnitentiæ opera, & fructus pœnitentiæ digni, debitam illam pœnitentiam præstandam docẽt, quam tradunt accuratè SS. Patres, & post eos doctores Scholastici, & quam se sustulisse gloriatur Caluinus. Nec minus animarum tormenta adfert, qui *digna pœnitentiæ opera* docet, quod Paulus fecit, quàm qui debitam præstandam pœnitentiam affirmat; quod Ecclesia docet, docuitque his multis sæculis, vt ipsemet fatetur Caluinus. Cæterum vt proteruus æger necessaria corporis medicamenta tormẽta corporis vocat, & medicum crudelitatis accusat, sic proteruus & impius Caluinus, aliique horum temporum hæretici, *digna pœnitentiæ opera*, quæ animabus curandis Apostoli adhibuerunt, & post illos Ecclesia, *animarum tormenta* vocant, & asperitatis ac seueritatis nimiæ Ecclesiam accusant, non præsentem modo, sed & antiquissimam, omniumque

Instit. li. 3. ca. 4. n. 3. Pœnitentiam remissionì peccatorũ necessariã quomodo Caluinus docet.

Pœnitẽtia necessaria dispositio ad iustificationem.

Act. 2. Act. 8. Mat. 3. & 4 Lucæ 3. Act. 26.

Animarũ medicinã non tormenta pœnitentia Ecclesiastica adfert.

post

A poſt Chriſtum ætatum partes. Sic enim Caluinus ſcribit: *Parum me mouent, quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſsim occurrant. Videò quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter, omnes ferè quorum libri extant) aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſpere ac dure loquutos.* Sic ille ſuos medicos accuſat. *Inſtit. li. 3. c. 4. n. 38.*

Sed vt ad præcedentia Caluini verba redeamus, ſicuti Scripturis ſanctis (quod iam oſtenſum eſt) apertè aduerſatur, ſic & ſecum ipſe apertiſſimè pugnat. Supra enim dixerat. *Oſtendere volumus non poſſe hominem pœnitentiæ ſeriò ſtudere niſi ſe Dei eſſe nouerit: Dei autem ſe eſſe nemo verè perſuaſus eſt, niſi qui eius gratiam prius apprehenderit.* Hoc autem loco dicit. *Nulli niſi afflicti & peccatorum conſcientia vulnerati miſericordiam Dei implorare ſincere poſſunt, & hanc eſſe cauſam cur ſine pœnitentia peccatorum remiſsio non obueniat.* Hæc inter ſe pugnare quis non videt? Qui iam ſe Dei eſſe nouit, & hoc verè perſuaſus eſt, eiuſque gratiam fide apprehendit, ille profecto ſummam conſcientiæ pacem obtinet, ille peccatorum conſcientia nec vulneratur, nec affligitur, quia illa iam ſibi remiſſa eſſe, & Dei filium iam ſe eſſe certiſſimè credit. Rurſum qui vulneratur & affligitur conſcientia peccatorum, ille ſe adhuc Dei eſſe, Deique gratiam apprehendiſſe aut penitus ignorat, aut certè dubitat. Idcirco enim affligitur, quia Deum ſibi iratum propter peccata aut ſentit aut timet. Contraria igitur hæc & pugnantia apertè ſunt. De vtriſque tamen Caluinus dicit quod ſoli tales pœnitentiæ operam dare, Deique miſericordiam ſincerè implorare poſſunt. Sed ideo *Inſtit. li. 3. c. 3. n. 2.* *Inſtit. li. 3. c. 4. n. 3.* *Caluinus ſibi ipſi cõtradicit.*

B hęc ita pugnantia Caluinus ſcripſit ac docuit, quia vno in loco vult pœnitentiam ex fide iuſtificante naſci, & hominem ſola fide iuſtificari, iuxta proprium ſuum dogma; alio in loco pœnitentiam peccatori neceſſariam vult docere, iuxta manifeſtas Scripturas. Dum ergo quæ iuxta Scripturas alibi docuit moderari & temperare vult, tam diuinis Scripturis quàm ſibi ipſi manifeſtè repugnat & aduerſatur. Et ſic quidem Caluinus totum pœnitentiæ ordinem inuertit, qui in præſenti Euangelio luculenter docetur.

Nunc ipſam pœnitentiæ naturam ac rationem totam quomodo ſubuertat ac tollat, contra huius Euangelii apertam doctrinam, paucis explicandum eſt. Sanè eam, vt dixi, cum quotidiano iuſtorum profectu confundit. Nam poſt longam de pœnitentia diſputationem, quam duabus partibus conſtare vult *mortificatione carnis, & ſpiritus viuificatione*, quæ duo in illis verbis contineri affirmat, *Deſine à malo, & fac bonum*, tandem concludens dicit. *Vno ergo verbo pœnitentiam interpretor regenerationem: cuius non alius eſt ſcopus niſi vt imago Dei, quæ per tranſgreſsionem Adæ fœdata, & tantum non obliterata eſt, in nobis reformetur. Sic docet Apoſtolus: Renouamini Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate. Item alibi. Induentes nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius qui creauit illam.* Hæc Caluinus. At quis dubitat, quis ignorat Apoſtolum iſta ſcribere non ad infideles & impios, quibus *Deus dat pœnitentiam* C *vt conuertantur & ſanentur*, ſed ad credentes & iuſtificatos, quibus dixit: Epheſis quidem; *Nõ eſtis iam hoſpites & aduenæ, ſed ciues Sanctorum & domeſtici Dei?* Coloſſenſibus autem, *Gratias agimus Deo pro vobis & cæt. audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in Sanctos omnes.* Non ergo iſti de numero pœnitentium erant, nec pœnitentiam docuit Paulus, quum illa ſcriberet. *Pœnitentiam cum profectu iuſtorum quotidiano confundit Caluinus. Inſtit. li. 3. c. 3. n. 8. Ibid. n. 9. Epheſ. 4. 23 Coloſſ. 3. 10 Epheſ. 2. Coloſſ. 1.*

Rurſum quis dubitat, quis ignorat, renouationem illam, ad quam Paulus ibi hortatur filiorum Dei eſſe, & perpetuum iuſtorum profectum, quo de die in diem renouantur? Quid quod Caluinus ipſe hanc regenerationem & renouationem eodem modo ibidem deſcribit? *Hæc*, inquit, *inſtauratio non vno momento, vel die, vel anno impletur, ſed per continuos, imo etiam lentos interdũ profectus abolet Deus in electis ſuis carnis corruptelas, repurgat eos ſordibus, ſibique in templa conſecrat, ſenſus eorum ad veram puritatem renouans.* Hæc eſt quotidiana ipſorum iuſtorum renouatio, profectus quotidianus, quo de virtute in virtutem ambulant, quo legitimum certamen certant poſiti in agone, quo denique ſeruiunt iuſtitiæ, & exercent eam, ambulantes in via iuſtitię, & facientes voluntatem Dei, vt propterea abſurdiſſimè præcedentibus verbis adiungat Caluinus: *quo ſe tota vita exerceant in pœnitentia.* Non enim hæc eſt peccatorum pœnitentia, ſed eſt iuſtorum in via *Ibid. vbi ſupra.*

D Domini ambulatio & in mandatis eius exercitatio. De qua ſic Auguſtinus. *Hæc eſt in hac peregrinatione iuſtitia noſtra, ad illam perfectionem plenitudinemque iuſtitiæ, vbi perfecta charitas erit; ipſiuſque curſus rectitudine & perfectione tendere, caſtigando corpus, eleemoſynas dando, orationibus inſiſtendo, & hoc faciendo in doctrina ſana.* Hęc ille. Hoc quippe modo, vt alibi idem docet, *perfecti eſſe poſſumus iuſtitiæ poſſeſſores, ſi recto itinere fidei, de die in diem noſtra renouatione perficientes, iam perfecti fiamus eiuſdem iuſtitiæ viatores.* Abſurdiſſimè igitur Caluinus, quotidianum illum iuſtorum profectum, qui iuſtitiæ Chriſtianæ curſus eſt, cum impiorum hominum pœnitentia confundit. Chriſtus apertiſsimè hæc duo diſtinxit, quum diceret *iuſtos non indigere pœnitentia*: indigent enim ſanè quotidiano profectu. Sed ille quotidianus iuſtorum profectus peccatorum pœnitentia in Scripturis vocari non ſolet. Sub perſona filii prodigi ſuppliciter ad patrem redeuntis, hominem pœnitentem deſcribi, & hanc parabolam proximæ Chriſti doctrinæ de pœnitentia peccatorum confirmationem eſſe, ipſemet Caluinus in Harmonia hoc Euangelium explicans profitetur. Atqui in huius pœnitentia, quæ renouatio, quis profectus, quis in virtute progreſſus apparet? Quis non videt peccatorem deſcribi à veteri vita reſurgentem, non regeneratum aliquem in via iuſtitiæ proficientem? Quanta igitur Caluini dementia, in ea re pœnitentiæ vim ac rationem ponere, quæ non peccatoribus, ſed iuſtificatis propria, nihil prorſus cum veri nominis pœnitentia *In lib. de perf. iuſtitię. De pec. me. & remiſſ. li. 2. ca. 13. Luc. 15.*

aut reſipiſcentia commune habet? Cæterum hoc paradoxum Caluino placuit, primum vt veri A nominis pœnitentiam (ne animarum aliqua ponerentur tormenta) penitus è medio tolleret: Deinde vt illa ſublata, ſoli iuſtificanti fidei facilior pateret via. Tum vt tota iuſtorum renouatio per Chriſti gratiam facta, non aliqua coram Deo iuſtitia, ſed perpetua quædam pœnitentia cenſeretur. Tandem vt hoc modo nouam quandam & ſingularem ſcholam, non à Catholicis modo vniuerſis, ſed ab ipſis Lutheranis, aliiſque horum temporum ſectis diuerſam, homo audax & improbus aperiret. Quam variam eius impietatem, (qua ſtante tota huius Euangelii doctrina corruit,) populo fideli (quantum expedire videbitur) aperire, & merito execrandam proponere operę precium erit.

FERIA II. HEBDOMADÆ III. QVADRAGESIMÆ.

Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.

Luc. 4.

Gratia Dei cur ſuum ſemper non ſortitur effectum.

LOCVS explicandi veram & propriam cauſam non efficaciter operantis gratiæ Chriſti, ſeu quoad miracula externa ab ipſo facta, ſeu quoad dona ac motus animorum internos: id eſt, cur Chriſtus ſua alicubi miracula operetur, alibi non operetur; ſuæq; gratię effectus in quibuſdam producat, in quibuſdam non. Eadem quippe eſt vtriuſque operationis diuinæ ſuum aliquando effectum non ſortientis ratio, quum ad humanam ſalutem vtrumque Deus operetur: maximè vero donorum gratię, quæ in cordibus ipſis hominum ſuam ſedem habent: & quæ ſic in homine Deus operatur, vt actiones inde emanantes humanę ſint, ideoque liberæ, vel ſaltem vt hæretici concedunt, ſpontaneæ: de eo enim hoc nunc loco non laboramus. Si ergo defectus operationis diuinæ ſuum effectum non ſortientis in ipſis miraculis, quæ extra hominem Chriſtus operabatur, ſoliuſque Chriſti opera fuerunt, non ab ipſo Chriſto, ſed ab hominibus in quorum gratiam fiebant, cauſam accepit; multo magis gratiæ internæ ſuum aliquãdo effectum in duris hominum cordibus non ſortientis cauſa, non in Deo, ſed in ſolis hominibus ponenda erit. Eſt autem hæc explicatio hoc loco vtilis & oportuna, propter hæreticorum huius temporis, maximè Caluini, variam hac in parte corruptelam & impietatem. Ille enim vtriuſque generis gratias & beneficia Chriſti, ita partim ex abſoluta Dei voluntate, cui reſiſti non poſſit, partim ex gratia per ſeipſam efficaci, quam humana voluntas abiicere nequit, profiſci & promanare docet; vt tam in quibus illæ gratiæ de facto & efficaciter præſtantur, quàm in quibus non præſtantur, ſola vel præſtandi vel non præſtandi cauſa Deus ipſe ſit, qui vbi efficaciter præſtantur, *totum ſolus facit*, vbi non præſtantur, ſolus etiam in cauſa eſt: quatenus *impiorum corda excæcat, ſtupore percutit, voluntates excitat, & conatus firmat.* Quorum duo priora in Harmonia, duo poſteriora in peſtilenti ſua Inſtitutione ſcripſit: & adhuc iſtis tetriora, vt in opere noſtro de Iuſtificatione olim latè oſtendimus. Atqui in hoc præſenti Euangelio docet Chriſtus cauſam, cur in ſua patria, & in ciuitate Nazareth, in qua nutritus erat, nulla miracula faceret, ipſorum ciuium ſuorum incredulitatem, arrogantiam, Chriſtique contemptum fuiſſe. *Dicetis* (inquit) *mihi hanc ſimilitudinem, Medice cura teipſum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Ad hanc eorum obiectionem, qua conqueruntur quod in ciuitate Nazareth miracula non faceret, ſicuti in Capharnaum plurima & ſtupenda fecerat, vide quid reſpõdeat. *Amen dico vobis, quia nemo Propheta in Patria ſua*, id eſt veſter mei contemptus, qui inter vos humili loco natus videor, huius rei cauſa eſt. Quod expreſſius diuus Matthæus & Marcus poſuerũt: apud quos Chriſtus in ſimili cauſa & eiſdem ciuibus ſuis dixit. *Non eſt Propheta ſine honore niſi in* D *patria ſua & in domo ſua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Imo ait Marcus, *non poterat ibi vllam virtutem facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorum.* Quæ ſanè diui Marci verba, ita perſpicua veritate Caluini oculos perſtrinxerunt, vt mendaciorum ſuorum aliis in locis immemor (nominatim quæ ad caput decimũ tertium Matth. ſcripſerat, ad illa verba, *vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis datum non eſt*, vbi dicit Deum doctrinæ ſuæ luce priuare homines, *non ſolum ænigmaticè loquendo, ſed etiam quum apertè loquitur, eorum ſenſus hebetando & ſtupore percutiendo, vt in plena luce cæcutiant*, quam impiã ſuam ſententiam aliis ibi Scripturis firmare contendit) ad hæc tamen Marci verba ita ſcribit. *Sanè ita res ſe habet. Dominus vbi videt virtutem ſuam à nobis non recipi, tandem eam ſubducit: & tamen interea cõquerimur eius opem nobis deeſſe, quam noſtra incredulitas procul arcet ac repellit. Marcus autem negans Chriſtum etiam potuiſſe inter eos virtutes facere, eorum culpam amplificat, à quibus impedita fuit eius bonitas. Nam certè increduli quantum in ſe eſt Dei manum ſua contumacia conſtringunt. Non quod Deus quaſi inferior vincatur, ſed quia illi non permittunt virtutem ſuam exequi.* Hæc Caluinus, præcedentem ſuam impiam ſententiam ipſemet refutans, alterius huius loci perſpicuitate conuictus. Et optimè quidem dicit, *Deum à nobis quaſi inferiorem non vinci, quando eius manum noſtra contumacia conſtringimus,*

Inſt. li. 2. c. 3. n. 6. & ſeqq.

In Matth. c. 13.

Li. 2. c. 4. n. 3.

Li. 11. c. 4. & ſeqq.

Incredulitas cauſa non videdi miracula. Matt. 13.

Marc. 6.

Calu. ſibi contrarius

In Harm. Euang. ad Marc. c. 6.

Caluinus ſeipſum refutat.

A *mus*. id eſt, quando eius bonitatem & gratiam præuenientem & ſufficienter excitantem repellimus, ſed cauſam huius rei non ſatis explicat. Cauſa quippe hæc eſt, ideo in huiuſmodi caſu Deum ab hominis praua voluntate quaſi inferiorem non vinci, quia ipſa praua voluntas non vincit in hoc caſu, ſed deficit. Quicunque vincitur à vincẽte vincitur. Praua voluntas Dei gratiæ reſiſtendo nihil vincit, ſed ſuam impotentiam, & defectum oſtendit. Non benefacere deficere eſt, non conſentire vocanti Deo voluntatis defectus eſt. Deum non poſſe peccare, non arguit in Deo aliquam impotentiam, ſed ſummam perfectionem. Quare ita? Quia ipſum poſſe peccare defectus eſt & impotentia. Eodem modo, poſſe reſiſtere gratiæ Dei, poſſe impedire bonitatem eius, nulla eſt prauæ voluntatis victoria aut potentia, ſed ſumma miſeria & impotẽtia. Ac per hoc Dei gratia à praua voluntate nõ vincitur. Deinde Dei gratia ſicut & hæc Chriſti miracula non procedunt ab abſoluta aliqua Dei voluntate & infallibili, quaſi videlicet quomodocunque diſpoſitos Deus ſanare vellet, & apud quoſcunque & quomodolibet diſpoſitos Chriſtus ſua miracula præſtaret; ſed procedunt à voluntate Dei antecedente, qua paratus eſt Deus ſanare, & paratus fuit Chriſtus miracula facere, vbi à parte voluntatis humanæ impedimentum non erat. Quare Chriſtus in patria ſua inueniens hoc impedimentum, id eſt, *propter incredulitatem ſuorum, nullas virtutes fecit*. Eandem ob cauſam vbi virtutes fecit, fidei & credulitati ipſorum tribuit, quibus ſua beneficia præſtitit. Quod illud toties repetitum, *fides tua te ſaluum* B *fecit*, luculenter demonſtrat. Deus ergo ab hominum incredulitate non vincitur, quia ſtante incredulitate Deus virtutes facere non intendit. Similiter Dei gratia à praua hominis voluntate conſenſum negante non vincitur, quia ſtante illa prauitate Deus per ſuam gratiam hominem conuertere non intendit.

Gratia Dei cur à praua voluntate non vincitur.

Gratia & miracula Chriſti nõ procedunt à voluntate Dei abſoluta.

Dices gratiam idcirco dari, vt ex praua voluntate bonam faciat. Verum ſanè id eſt, nam & miracula ideo fiunt vt homines credant. Sed vtrumque fit cum ipſius voluntatis libera cooperatione; quæ propter ſuam libertatem, etiam ſemetipſam conuertere, & ſeipſam ex mala bonam facere dicitur. Ait enim diſertè Auguſtinus. *In poteſtate hominis eſt mutare voluntatem in melius: ſed ea poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur*, nempe niſi à Dei gratia præueniente accipiatur. Atqui (dicet aliquis) idem Auguſtinus docet *Dei gratiam à nullo duro corde reſpui, quia ideo data eſt vt cordis duritia primitus auferatur*. Verum quoque hoc eſt, quia durum cor ab excitante & præueniente gratia neceſſario mouetur, & hoc ſenſu penitus non reſpuitur: duritia tamen tota cordis, vt à Deo motum ſeipſum quoque moueat, actum conuerſionis eliciendo, non ſemper aufertur; quia mouente cor durum Dei gratia, homo ſeipſum liberè mhuet vel non mouet ad eliciendum actum Dei gratiæ conformem: vt aliis multis in locis apertiſſimè Auguſtinus docet. Quare etſi ideo data ſit gratia vt duritia cordis auferatur, quia tamen hic effectus diuinæ gratiæ operationi C conſequens quidem eſt, non autem proximus & immediatus, vt prior ille iam dictus, idcirco infallibiliter & perpetuo non ſequitur, ſicuti prior effectus, de quo Auguſtinus dixit, *à nullo duro corde reſpuitur*. Conſequentis enim effectus intentio proximi effectus certitudinem neceſſario præſupponit. Deus enim intendens peccatorem conuertere, ſi ipſe velit conuerti, tangit cor eius certiſſimè vt conuertatur ſi velit. Hæc apud idoneos Auditores explicari hoc loco poterunt, vt omnes agnoſcant, non in Deo aut gratiam neceſſariam ſubtrahente, aut ſufficientem denegante, ſed in ſeipſis cauſam eſſe, cur aut miracula hodie non fiant, ſicut olim (maximè in tanta hodie Martyrum copia, quos Anglicana perſecutio dedit) aut ad Deum homines à peccatis vel hæreſi non conuertantur. In ſeipſis inquam, quia aut oblatam Dei gratiam improba voluntate reſpuunt, aut orthodoxam veritatem luculentiſſimè hodie defenſam vanitati hæretici ad oculum demonſtratæ poſtponunt; aut ne illa gratia omnino offeratur, ne hoc ſæculo miracula per tot Martyres fiant, & ipſorum præcedentia peccata, & præſens incredulitas in cauſa fuerunt.

Gratia quomodo voluntatẽ ex mala bonã facit. Retract. li. 1. c. 22. De præd. Sanct. c. 8. De correp. & grat. c. 2 Conc. 27. in Pſal. 118. Enar. in Pſal. 78. & 77. Ser. 13. de verb. Apo. De nat. & grat. c. 32.

D

FERIA III. HEBDOMADÆ III. QVADRAGESIMÆ.

I. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* *Matt. 18.*

LOCVS obſeruandi frequentem in Scriptura loquendi modum vt effectum totum partialibus cauſis, & eiſdem infimis non raro tribuat. Lucrari enim animam perditam, præcipuè quidem Deo, eius gratiæ & Chriſti merito tribuendum eſt, partim quoque ipſius conuerſi pœnitentiæ, lachrimis, fidei, fiduciæ, orationi, aliiſque ex libero eius arbitrio cum ſpeciali Dei auxilio profectis conatibus. Hoc tamen in loco tribuitur correptioni fraternæ, quæ non niſi externum quoddam medium eſt, idemque inter externa infimum, quum Paſtoris prædicatio & correptio magis ſit ordinarium & excellens medium, quia ex vnctione loquitur. Docere hic locus hæreticos hodie debet, ne blaſphemiam putent, ſi Beatam Virginem aut alios Sanctos, *vitam, ſpem ac ſalutem noſtram* interdum vocamus: quatenus videlicet, vitæ,

Cauſis partialibus totus tribuitur effectus

ſpei ac ſalutis noſtrę partiales cauſæ ſunt,tametſi nec primariæ nec integræ. Docere etiam hic A
locus hæreticos debet,non ſtatim vni cauſæ totum effectum tribuere,quia vnius interdum cauſæ mentio in Scripturis fit,vbi totus effectus conſequi dicitur: vt in variis illis ſententiis: *fides tua te ſaluum fecit*,in Euangelio:&, *fide iuſtificamur* in Epiſtolis Paulinis. Quum enim de ſpe, & charitate & obſeruatione mandatorum ſimiles ſententiæ legantur,vt illis quoque ſalus & iuſtificatio tribuatur,non magis ſoli fidei totus ille ſalutis & iuſtificationis effectus tribuendus eſt,quàm ſoli ſpei,aut ſoli charitati,aut ſoli obſeruationi mandatorum. De ſpe Paulus dicit. *Spe ſalui facti ſumus*. De charitate dicitur. *Charitas operit multitudinem peccatorum. Dimiſſa ſunt ei peccata multa,quia dilexit multum. Qui manet in charitate,manet in Deo,& Deus in illo. Si quis diligit me,ſermonem meum ſeruabit,& Pater meus diliget eum,& ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus.*
Rom.8. 1.Pet.4. Luc.7. 1.Ioan.4. Ioan.14. Multaque alia huiuſmodi,quæ diuus Ioannes tum in Euangelio ſuo,tum in Epiſtola prima de charitatis laude,neceſſitate,virtute ampliſſimè ſcribit. Denique de vno illo charitatis actu huius Euangelii,quo per fraternam correptionem lucramur animam fratris noſtri dicit diuus Iacobus. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ,ſaluabit animam eius,& operiet multitudinem peccatorum*. De obſeruatione mandatorum diſertiſſimè Chriſtus dicit. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Et Paulus ad eundem ſenſum. *Circumciſio nihil eſt,& præputium nihil eſt,ſed obſeruatio mãdatorum Dei*. In his omnibus ſententiis,partialibus cauſis totus tribuitur effectus,quia veræ cauIacob.5. Matt.19. 1.Cor.7. ſæ ſunt,tametſi non integræ. Quod contra hæreticorum impoſturas, ex huius occaſione ſen- B
tentiæ obſeruare operæprecium erit.

Matt.18. **2. *Quod ſi non audierit eos,dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.***

Hæreticorum variæ ſententiæ de Eccleſiaſtica cenſura. LOcus explicandi contra horum temporum hæreticos, penes quos eſt cenſura ac diſciplina Eccleſiaſtica hic à Chriſto inſtituta: Diſciplinam enim & cenſuram Eccleſiaſticam à Chriſto hoc loco inſtitui omnes intelligunt. Sed Eccleſiæ nomine quid intelligi debeat, non omnes rectè aſſequuntur. Hęretici hodie vt Eccleſiaſticam diſciplinam, quam à Prælatis Eccleſiæ exerceri videbant,penitus ſubuerterent, ſéque ipſos à cenſuris Eccleſiæ, ipſaque maximè excommunicatione immunes ſeruarẽt,nouas huius loci interpretationes commenti ſunt.
1. Sentent. De tota congregatione. Caſtalio. Quidam enim toti congregationi hanc authoritatem tribuunt,tum quia Eccleſia congregationem & multitudinem ſignificat,tũ maximè quia publica cenſura his verbis ſignificatur. Chriſtus enim (aiunt illi) gradatim aſcendit à priuata admonitione ad teſtes duos,aut tres:à teſtibus C
2. Sentent. De Senioribus populi. Caluinus. Beza. ad Eccleſiam:quæ niſi plures quàm duo aut tres eſſent,non eſſet gradatio,ſed deſcenſio. Totam igitur fidelium congregationem intelligunt,non quidem toto orbe diſperſam,ſed illius loci ac parœciæ,cui frater corripiendus ſubiicitur:quia actor ſequitur forum rei. Hæc fuit prima Lutheranorum ſententia,adeo vt quidam illorum verterit hæc Chriſti verba,*dic Reipublicæ*,vt annotauit hoc loco Beza. Sed hos omnes turpiter errare idem ſtatim affirmat. Caluinus igitur cum ſuis exponit hæc verba,*dic Eccleſiæ*,id eſt,dic Senioribus populi. Nam ad hunc quidem locum ita ſcribit. *Legitimam Eccleſiæ gubernationem presbyteris iniunctam fuiſſe conſtat,non tantum verbi miniſtris, ſed qui ex plebe morum cenſores illi adiuncti erant*. Hæc ille hoc loco. Idem accuratè docet Inſtitutionum libro quarto capite tertio numero octauo,& Eccleſiæ nomine intelligendos eſſe ait *Seniorum Senatum* ſeu Conſiſtorium,vt nunc vocant. Theodorus Beza in hunc locũ eodem ferè mo-
Conſiſtoria Caluinian. do:*Euangeliſta* (inquit) *pro Seniorum collegio Eccleſiã dixit*. Lucas autem c.22.ver. 66. Seniores populi τὸ πρεσβυτέριον τῦ λαῦ, quæ verba ille vertit, *Ordo Seniorum populi*. Idem in Confeſſ.fidei c.5.
3. Puritanorum ſententia. ſect.32. *Seniorum ſenatum à Chriſto hoc loco intelligi* affirmat:& in præfatione confeſſionis Heluticæ in hunc Senatum Seniorum viros principes ac nobiles,qui authoritate valeant, eligendos
4. Anglo-Caluiniſtarum ſententia. Muſculus Bernenſis & Gualterus Tigurinus contra Caluin. monet. Hinc erexerunt Caluiniſtæ per totam Galliam,& in Hollandia, ſicut & Anabaptiſtæ, ſua Conſiſtoria ſeu Seniorum ſenatum ex laicis hominibus Paſtori adiunctis confectum; pe- D
nes quos eſt omnis poteſtas & iuriſdictio Eccleſiaſtica,non ſolum quoad cenſuras & diſciplinas,ſed etiam quoad collectas pecuniarias faciendas,quoad leges morum,quoad ceremonias in cultu diuino,& quoad dubia de fide definienda. Puritani in Anglia Caluini ſententiam ſequuntur,niſi quod ex ſolis Eccleſiaſticis viris ſeu potius miniſterialibus,& iis qui ad Miniſterium vocati ſunt hunc Seniorum Senatum conſiſtere volunt. Anglocaluiniſtæ ſeu Caluino-Papiſtæ à tota hac Caluini forma ex voluntate Principis diſſidentes,docent & ſuſtinent contra Puritanos in locum horum Seniorum Magiſtratum ciuilem ſucceſſiſſe. Quare apud illos, *dic Eccleſiæ*, ſignificat,*dic magiſtratui ciuili*. Ex hac ſententia Muſculus in locis commun.in cap.de magiſtratibus hæc Caluiniſtarum Conſiſtoria & Seniorum Senatum multis verbis confutat. Gualterus quoque Tigurinus acerbè in illa inuehitur in comment.in 1.ad Corinth. capite 5. Quare Hel-
Confeſsio Heluetica. ca.17. uetica confeſſio,cui Tigurini ſubſcripſerunt,presbyteros & ſeniores confundit,ac pro eodem habet. Nam & electos ad miniſterium à Senioribus ordinandos,& peccantes à Senioribus corripiendos docent. Sic varia & confuſa eſt hæreticorum hodie circa hæc Chriſti verba ſententia. Omnes tamen in eo conueniunt,ne Eccleſiæ nomine Prẹlati Eccleſiæ,vt vnus Paſtor,aut Epiſcopus,aut ſummus Pontifex vllo modo intelligatur.

Vno

A Vno autem argumento præter ea quæ iam dicta sunt, omnes innituntur. Christus (inquiũt) censuræ & disciplinæ formam hoc loco accepit ex ipsa Synagogæ consuetudine, in qua tunc erat Synedrion, seu Seniorum populi tribunal, quorum arbitrio omnis disciplina subiacebat, ad exemplum Moysis, qui causis & litibus componendis 70. Seniores præfecit. In hoc ergo iudicio, *dic Ecclesiæ*, intelligit Christus Seniores populi, non vnum aliquem Pastorem. Hoc argumẽtum multis verbis hoc loco prosequitur Caluinus, & breuiter perstringit Beza. Sed vtrique breuiter respondeo. Tametsi probabile sit iuxta formam loquendi, ad Seniorum Senatum, qui apud Iudæos erat Christum allusisse, ideoque *Ecclesiæ* vocabulo, quæ multitudinem significat vsum fuisse, tamen certum est quod sensus verborum eius non ad Iudaicæ, sed ad suæ Ecclesiæ futuram politiam respiciebat: quæ quia nec democratica, vt populus regat; nec aristocratica, vt pauci Seniores gubernent; sed monarchica instituta est, (*Dedit enim Apostolos, Prophetas, Doctores, & Pastores in ædificationem corporis sui, &c.*) non nisi de vno Ecclesiæ Præposito intelligi possunt: vt Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, & alii hoc loco intellexerunt. Sic quæ Christus Matth. 23. Scribis & Pharisæis ad litteram dixit, *Quæ dicunt facite &c.* de Præpositis Ecclesiæ totum intelligendum est: vt docet Augustinus, Chrysostomus, & Origenes. Sed & Caluinus ipse vt primam Lutheranorum sententiam refutet, quæ Ecclesiæ nomine totam credentium mul-
B titudinem intelligi vult, ideoque exemplo disciplinæ apud Paulum, qui Corinthium incestum non ab aliquo delecto numero Seniorum, sed à toto piorum cœtu excommunicari iubet, hunc in modum respondet. *Quia tunc nulla adhuc Ecclesia erat, quæ Christo nomen dedisset, nec talis ratio de paucorum delectu adhuc constituta, ipse autem Dominus tanquam de more vsitato receptoque loquitur, non dubium est quin ad veteris Synagogæ ordinem alludat; quia absurdum fuisset Ecclesiæ, quæ adhuc nulla erat, iudicium proponere.* Hęc ille. Eodem modo ipsi Caluino de Seniorum Senatu, quem confinxit, respondendum. Quia necdum Ecclesia Christi, aut futura eius politia constituta erat, Dominus vsitato more loquens ad veteris Synagogæ ordinem alludit, quia absurdum fuisset Ecclesiæ, quæ adhuc nulla erat, iudicium quale futurum erat proponere. Sicuti ergo ex his verbis *dic Ecclesiæ*, Democratia in Ecclesia Christi poni non potest, propter vocem *Ecclesiæ*, quæ multitudinem significat, vel propter exemplum Paulus qui in primis Ecclesię rudimentis illa forma vsus videtur; sic nec Aristocratiam aut seniorum consistoria ponere oportet, propter morem Iudaicum, ad quem Christus allusit: sed *Ecclesiæ* nomine illi intelligi debent, quibus postea omnem disciplinæ Ecclesiasticæ potestatem commisit. Neque enim Christus in his verbis, *dic Ecclesiæ*, dat aliquam authoritatem Ecclesiæ, sed præsupponens illam authoritatem futuram, ostendit quanta & qualis esse debeat. Penes autem quos futura esset, non his verbis *dic Ecclesiæ*, sed se-
C quentibus illis, *Quæcunque alligaueritis super terram &c.* explicat Christus. Nam de Ecclesiæ Præpositis, & de vno sententiam ferente, hæc verba intelligi, non solum Patres omnes semper intellexerunt, sed & ipsi hodie Caluinistæ agnoscunt, qui ipsam excommunicationis sententiam, quæ est alligare super terram, non nisi à ministro seu Pastore pronunciari debere vnanimiter docent.

Exod. 18.

In Harm.

In Annot. Ecclesiast. censura probatur esse penes Ecclesię Prælatos. 1.

Ephes. 4.

Ser. 49. de verb. Do.

Ho. 85. in Ioan.

Ho. 7. in Ezech. 2.

1. Cor. 5.

Caluinus Lutheranis respondens, seipsum refutat.

Postremo quid sit dicere Ecclesiæ, vel non audire Ecclesiam hoc loco, satis perspicuè Christus docuit, quando non populo aut Senioribus populi, sed solis Apostolis, eorumque successoribus dixit. *Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit.* Dicit ergo Ecclesiæ qui dicit Præposito Ecclesiæ, & audit Ecclesiam qui audit Præpositum Ecclesiæ. 3.

Matt. 18. 4.

Luc. 10. 5.

Neque tamen propterea Christi gradatio hoc in loco manca aut mutila, sed prorsus perfecta & plena est. Plus enim est vni dicere, seu apud vnum querelam deponere, penes quem Authoritas est alligandi in terra quæ erũt ligata in cælo, quàm vel priuatim vel coram testibus corripere qui refractarium per excommunicationem aut aliam censuram puniendi potestatem non habent. Denique sicut in veteri populo per totum populum & totam Synagogam intelligebantur Seniores populi, vt habes Exodi 4. Iosuę 20. & 1. Paralip. 13. quia penes Seniores populi erat gubernatio, sic in nouo statu & hoc in loco per Ecclesiã intelliguntur Præpositi & Pastores, quia hos *Spiritus sanctus posuit regere populum Dei.* Frustra ergo Caluinus, Beza, Musculus, omnesque ferè huius ætatis hæretici, ex Christi verbis, *dic Ecclesiæ*, Monarchicam in Catholica Christi Ecclesia politiam perpetuo obseruatam subuertere conati sunt. Sanè quum Theo-
D dorus Beza pro suo Seniorum collegio seu Senatu, consuetudinem temporis Apostolici allegaret dicens, *Quod ad nostras Ecclesias attinet, profitemur maximè nobis probari puritatem Ecclesiarum quæ sub ipsis Apostolis viguit*, respondet ei Musculus in locis commun. *Si reuocas temporum illorum mores, primum conditiones & status quoque illorum temporum reuoca.* Et rursum. *Distinguendum est inter statum Ecclesiarum qui tum erat, & inter eum qui nunc est.* Hæc ille, admittens quidem pro vero quod Beza affirmat, (quum tamen sit penitus falsum, vt vel ex his quæ dicta sunt, satis apparet) consequentiam tamen quam Beza facit penitus reiiciens.

Argumẽt. hæreticorũ respõdetur.

Act. 20.

Conf. fidei c. 5. sect. 20 Ca. de Magistratibus.

A

FERIA IV. HEBDOMADÆ III. QVADRAGESIMÆ.

Matt.15.

1. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?*

IOCVS diligenter explicandi, quæ & qualis hæc Phariſæorum interrogatio fuerit, & cur eam Chriſtus reprehenderit. Videtur enim hæreticis, & imprimis Caluino, ex hac interrogatione à Chriſto reiecta, omnes penitus traditiones humanas atque Eccleſiaſticas ipſas vt rem ſuperſtitioſam; procul ablegari, penituſque damnari. Quare multus & copioſus in hoc capite Caluinus eſt, vt iuſtiſſimas Phariſæorum reprehenſiones in eo comprehenſas, in Eccleſiam Catholicam transferat. Ac primum, ad hunc locum quod attinet, cauillationem hanc & ſuperſtitionem Phariſæorum in eo conſiſtere vult Cal. *quod ceremoniam lauandi manus, rem per ſe liberam & indifferentem, ſic vrgebant contra diſcipulos Chriſti, qui eam prætermiſerunt, quaſi rem neceſſariam, & ad Dei cultum pertinentem, quum in lege Dei præſcripta non eſſet, ſed ab illis verbo Dei aſſuta. Idem affirmat de aquæ benedictæ ceremonia Eccleſiaſtica, quia ad exorciſmos illam applicamus, & vt rem neceſſariam vrgemus, & vnicum baptiſmum toties iterando quantum in ſe eſt obliteramus.* Quod poſtremum ab eo ineptiſſimè obiici vel quælibet anicula Chriſtiana aduerteret; quę aquæ benedictæ vſum à baptiſmo longiſſimè diſtingui ſtatim reſponderet. Nec ſecundum quod ponit vel vllus idiota Catholicus ignorat merum mendacium eſſe, quum omnes videant in eorum vſu nullam neceſſitatem poni, ſed libere vel aſſumi, vel non aſſumi: modo abſit contemptus, qui non in ceremoniam, ſed in Eccleſiæ Præpoſitos, qui eam inſtituerunt, imo in Chriſtum cadit, dicente ad illos Chriſto, *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Primum quod obiectat, apertam Caluini inſaniam demonſtrat; iuxta illud Sancti Auguſtini. *Quod tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Ad cauillationem Phariſæorum quod attinet, ſi rectè expendatur textus; de diſcipulorum facto nihil in alteram partem reſpondet Chriſtus, ſed in ipſos Phariſæos grauiora crimina retorquet, vt tranſgreſſionem mandati Dei in decalogo propter quandam eorum traditionem in auaritia fundatam, item hypocriſim eorum, de qua poſtea dicetur. Sed factum diſcipulorum, qui non ſeruabant traditionem illã Seniorum de lauandis manibus, Chriſtus apertis verbis nec defendit, nec damnat: vt propterea traditionum Eccleſiaſticarum contemptum ex hoc facto diſcipulorum Chriſti deducere hæretici nullo modo poſſint. Cæterum vtcunque hac in re diſcipuli vel peccauerint, vel non peccauerint (Chriſtus enim eorum factum nec damnat nec defendit) traditiones illas Seniorum cum traditionibus Eccleſiaſticis nullam planè affinitatem habere duabus maximè ex cauſis notandum eſt. Primum, quia tota ratio cultus diuini apud Iudæos in ipſa lege Moſaica exactiſſimè & ſcrupuloſiſſimè tradita fuit, diſertéque vetitum, ne quid ei adderetur; dicente Moyſe, *Non addetis ad verbum quod ego vobis loquor, &c.* Quare reliquis Prophetis aut Sacerdotibus poſt Moyſen nulla eſt data poteſtas nouas ceremonias inſtituendi. Atqui de cultu nouæ Eccleſię, quam Chriſtus erexit, Chriſtus ipſe excepta Sacramentorum inſtitutione & vnica precandi formula nihil ordinauit, nec in hiſtoria Euangelica vlla prohibitio extat, vt ad verbum Euangelii ſcriptum nihil addatur; ſed cõtra Chriſtus iuſſit ſuos Apoſtolos *ſicut ſemetipſum audiri*: Miſit illos cum ampliſſima poteſtate *ſicut pater ipſum miſerat*; promiſit & poſtea miſit *Spiritum ſanctum qui eos omnia doceret.* Denique ipſi *Apoſtoli & Seniores præcepta* varia *promulgarunt*, & *obedientiam* aliis *Præpoſitis deferendam* præſcripſerunt. Reliquerunt denique nobis *traditiones partim ſcriptas in epiſtolis, partim non ſcriptas*, vt Paulus teſtatur. Hæc eſt igitur vna latiſſima differentia cur Seniorum traditiones non ſcriptæ in lege à diſcipulis Chriſti negligi potuerint, traditiones tamen Eccleſiaſticæ non ſcriptæ in Euangelio vel litteris Apoſtolicis contemni à Chriſtianis non debeant. Altera ratio eſt, quod hæ traditiones Seniorum ad nullam populi Iudaici ædificationem, ſed onus inutile, nec ad diuini cultus augmentum, aut tanquam medium mèlius colendi Deum, vt affirmat Caluinus, ſed ad eius corruptelam potius faciebant (vnde illa omnia *aniles fabulas* Paulus vocat, vt docet Auguſtinus contra aduerſar. legis & Prophetarum) & à recentibus Scribis ac Doctoribus paulo ante Chriſti aduentum ortum habuerunt, vt latè deſcribit Epiphanius in hæreſi Ptolomeitarum, & D. Hieronymus variis in locis, in cap. 8. Eſaiæ: in cap. 3. Epiſt. ad Titum, in Epiſtol. ad Algaſiam qu. 10. Vide quoque Irenæum lib. 4. cap. 25. & 26. Traditiones autem Eccleſiaſticæ, quas exemplo diſcipulorum Chriſti contemnere volunt hæretici, ſunt traditiones Apoſtolicæ & totius antiquitatis teſtimoniis firmatæ, non recenter inuentæ, omnéſque ad Dei cultum & populi ædificationem inſtitutæ. Quare nullam, vt dixi, affinitatem traditiones Eccleſiaſticæ cum Seniorum traditionibus, quarum tranſgreſſio à Phariſæis obiicitur, affine aut commune habent. Inepta igitur & inſulſa cauillatio eſt propter Phariſaicas reprehenſas, Eccleſiaſticarum traditionum contemptum concludere.

B

C

D

Cauilla Caluini puerilis & putida.

Luc.10. Epiſt.118. ca.5. Traditionum Eccleſiaſtic. cõtemptus ex phariſaicarum reprehenſione non ſequitur.

Traditionum Eccleſiaſtic. à Phariſaicis diſcrimen duplex.

1. Diſcrimẽ Deut.4.

Luc.10. Ioan.15. & 16. Act.15. & 16. Heb.13. 2.Theſſal.2

2. Diſcrimen.

1.Tim.1. Li.2.c.1.

A

2. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?*

LOcus obſeruandi hæreticos interpretes hoc loco omnes, verbis quidem generalibus hoc idem crimen Catholicæ Eccleſiæ impingere, ſed in nulla Eccleſiaſtica traditione hoc hactenus probare potuiſſe. Crimen Phariſæorum his verbis à Chriſto obiectum, non illud erat, quod certas traditiones extra verbum Dei ſcriptum ſeruarent, ſed quod illis ſeruandis ita præpoſterè & ſuperſtitioſè, adeoque impiè inhærerent, vt propter illas ſeruandas Dei mandata in Lege ſcripta aut negligerent, aut penitus violarent, aut peruerſis expoſitionibus eluderent, vt in textu apparet, circa mandatum *de honorandis parentibus*. Propter hanc enim præpoſteram & ſuperſtitioſam, adeoque impiam ſuarum traditionum obſeruationem, illud Eſaiæ vaticinium in illos merito contorquet, quo dixit Propheta. *Sine cauſa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.* Quare Marcus illis verbis propheticis ſtatim ſubiunxit. *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones veſtras.* Hanc igitur ob cauſam per doctrinas & mandata hominũ fru-
B ſtra & in vanum Phariſæi Deum coluerunt, aut potius colere ſe Deum exiſtimarunt, quia ſua illa mandata, ſuaſque illas traditiones ita vnicè deperibant, ita aliis obtrudebant, vt Dei interim mandata propter hæc humana, vel negligerentur, vel violarentur, vel etiam peruerſis interpretationibus eluderentur. Fuit ergo Phariſaica hæc (vt ipſe Caluinus agnoſcit) *non ex profeſſo, ſed obliqua tranſgreſsio Legis Dei, quum officia diuinitus coniuncta ſecurè omitti patiebantur. Scribæ enim ſuis placitis ita addictum tenebant populum, vt intendere verbo Dei non vacaret.* Hæc ille, & alia quædam, ſatis rectè Phariſaicam tranſgreſſionem qualis eſſet deſcribens. Sed mox impiè & inſulsè admodum in Catholicam Eccleſiam idem crimen contorquet his verbis. *Nunc pro ſe quiſque expendat, an non hodie magis hæc prauitas in Papatu graſſetur, quàm olim apud Iudæos. Non negat quidem Papa quin ſit obediendum Deo. Sed vbi ad rem ventum eſt, quia non ſecus ac capitale crimen deteſtantur modicum carnis guſtum, quibus furtum vel ſcortatio veniale delictum eſt, propter ſuas traditiones euertunt Legem Dei.* Hæc eſt licentia Caluiniana & omnium hæreticorum hodie, non niſi putidis mendaciis Catholicam doctrinam traducere, ſuoſque miſeros diſcipulos meris mendaciis paſcere. Non modicum carnis guſtum (qui aliqua ex cauſa etiam ieiunio ſeruato legitimus eſſe poteſt) ſed iuſtã ex carne refectionem tempore ieiunii, non ſemper & ſimpliciter vt capitale crimen deteſtatur Eccleſia, (nam vel infirmitas ab omni peccato, vel obliuio aut ignorantia diei ab omni crimine liberare poteſt) nec tam in ipſa ſimplici comeſtione capitale crimen ponit, quàm in contemptu
C legis Eccleſiaſticæ, vel in ſcandalo aliorum. Furtum vero vel ſcortationem pro veniali delicto Catholica Eccleſia nunquam habuit, niſi aut furtum intelligat, vbi materiæ exiguitas à mortali excuſat, vel de ſcortatione loquatur, quæ ſola cogitatione concipitur, abſque conſenſu vel actu criminis. Quæ ſanè duo nec furtum, nec ſcortatio ſimplici ſermone appellanda ſunt. Sed aliter quàm mentiendo docere Caluinus non potuit.

Phariſæorum crimẽ circa traditiones ſuas.

Caluini criminatio putida & mendax.

3. *Sine cauſa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.*

LOcus hæc verba à fermento Caluiniano aſſerendi & repurgandi. Iam in duobus præcedentibus locis oſtenſum eſt, nec traditiones Eccleſiaſticas cum Phariſaicis aliquid commune habere, nec ipſas Phariſaicas ſimpliciter à Chriſto damnari, ſed propter certas circunſtãtias illis adiectas, quas in ſecundo loco aperuimus. Ait tamen adhuc Caluinus hæc verba exponens, *à Chriſto in vniuerſum reprehendi, quod homines peruersè Deum colant ſuo arbitrio.* Qui ſanè ſenſus de priuatis hominum cultibus acceptus verus eſt, ſed nec à Chriſto hic intentus, vt ex adiectis circunſtantiis iam oſtendimus, nec ad traditionum Eccleſiaſticarum reprehenſionem vllo modo pertinens: quæ ipſum Deum authorem habent, non priuatos homines, vt oſtenſum quoque ſuperius eſt. Addit poſtea Caluinus docere his verbis Chriſtum, *non alium eſſe rationalem Dei cultum, quàm qui ad regulam verbi eius formatus eſt.* In hunc ſenſum multa Caluinus in principio huius
D capitis diſceptauit: quorum omnium vanitatem breuiter explicabo, vt habeat concionator, non ſolum quo Caluinum traducat, Euangelicæ doctrinæ corruptorem maximũ, ſed imprimis quo calumnias acerbas Eccleſiæ Dei ab illo impoſtore intentatas clarè aperiat, & ſolidè refutet. *Videmus* (inquit) *quanta in ratione & modo colendi Deum ſit hominis proteruia. Nouos enim cultus ſubinde confingunt, & quo quiſque videri vult ſapientior ſuum acumen in hac parte oſtentat.* Hęc ille pro ſuo libito garriens. Mox de quibus loquatur, oſtendit. *Non de extraneis loquor, ſed de ipſis Eccleſiæ domeſticis, quos Deus peculiariter hoc honore dignatus eſt, vt pietatis regulam ore ſuo dictatam habeant.* Catholicos ergo accuſat, & ipſos imprimis Eccleſiæ magiſtros. Vbi ſic obiter Caluinum premo. Si *Eccleſiæ domeſticos, & ex quorum ore pietatis regulam dictari Deus voluit*, eos eſſe agnoſcis quos accuſas, qua eos fronte accuſare audes? & à vera Eccleſia quare te ſubtraxiſti? Si tales non ſunt, ſed Antichriſti, non Eccleſiæ membra, cur ita ſtultus es, vt contra caput tuum, eos Eccleſiæ & domeſticos & capita profiteri volueris? Sed hoc eſt perdere ſapientes in ſapientia ſua. Ad rem

Caluini putida diſputatio contra cultus non ſcriptos.

redeo. Nunc accusationis fundamenta sequuntur. *Præscripsit Deus quomodo à nobis coli velit, ac perfectam sanctitatem lege sua complexus est.* Hoc Caluino negamus, quod totam rationem cultus diuini in particulari Deus in Scriptura Euangelica vel Apostolica nobis præscripsit. Hanc enim Scripturam per Legem Dei significare debet, nisi ad legales ceremonias cultum Dei hodie reformandum iudicet. Causas cur hoc negari debeat, ex ipsis Scripturis ostendimus in prima parte huius operis in Dominica infra octau. Natalis Dom. circa ieiunia Annæ Prophetissæ, & in festo Simonis & Iudæ. Prosequitur suam accusationem Caluinus. *Bona pars quasi res sit leuis & friuola obsequi Deo, ac seruare quod præcipit, multa additamenta hinc inde sibi accersit.* Generalis accusatio qua facilitate obiicitur, eadem negatur: & dolosus versatur in generalibus. Sequitur. *Qui authoritate pollent, commenta sua in hunc finem obtrudunt, quasi aliquid habeant perfectius verbo Domini.* Insulsa calumnia est hominis impotenter maleuoli. *Obrepit deinde tyrannis, quia vbi semel iubendi licentiam sibi sumpserunt homines, rigidè exigunt suarum legum obseruationem, nec sustinent vel minimũ apicem vel contemptu, vel etiam negligentia omitti.* Alia rursum hæc est, & generalis calumnia, à tetro maleuolentiæ pectore profecta, vt facilè ostendat Caluinus, *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis* se fuisse, quum hæc euomeret. Videamus tamen frequentia, an aliquid sobriè dicturus sit. *Porro mundus quum legitimi imperij sit impatiens, maximéque ad iugum Domini ferendum contumax, laqueos tamen vanarum traditionum facilè ac libenter induit: imo talem seruitutem videntur multi appetere.* Scilicet non contentus Ecclesiæ Catholicæ magistros tyrannidis accusasse, nunc totum populum Christianum affectatæ superstitionis accusat. Bene habet. Hominis insani maleuolentia & facundia canina nemini vult parcere. Sed nunc quam laruam obtendat, sequentia demonstrant. *Interea vitiatur cultus Dei, cuius principium ac caput est obedientia. Eius imperio præfertur hominum authoritas, morosè adeoque tyrannicè cogitur vulgus totum suum studium ad nugas applicare.* Laruam obtendit de vitiato cultu Dei, sed totum desinit in accusationem Præpositorum Ecclesiæ, quibus *obedire & subiacere* quum Apostolus iubeat, hoc totum bonus Caluinus morositatem & tyrannidem vocat. Hæc quasi præfatus Caluinus, vt apud suæ farinæ homines, lectoris beneuolentiam captaret, ad doctrinam huius loci descendit.

Act. 8.

Caluini criminationes in totam Ecclesiam.

Heb. 13.

Docet (inquit) *hic locus primum omnes fictitios cultus minimè Deo placere.* Verum hoc est de omni cultu priuata authoritate aut superstitione inuecto, idque contra Dei legem, qui propriè fictitius cultus est hoc loco damnatus. Talis enim Pharisæorum hæc traditio erat, quod filii offerẽtes dona in templo, & parentum necessitati non subuenientes, mandatum Dei de honorandis parentibus satisfacerent. Sed an tales fictitios cultus Caluinus intelligat, sequentia docebunt: *Quia* (inquit) *se vnum audiri Deus vult, vt nos ad veram pietatem suo arbitrio formet ac instituat.* Cultum ergo fictitium Caluinus definit, qui ab vno Deo non instituitur. Cui respondeo. Aut vnius Dei nomine eos quoque complectitur, quos Deus mittit, vt eius nomine ad pietatem homines instituant, & sic Ecclesiæ Magistros, Pastores ac Doctores agnoscit, qui *dati sunt ad consummationem Sanctorum, & ad ædificationem corporis Christi,* quæ duo cultus quoque diuini rationem continent, & contra præcepta atque authoritatem Ecclesiæ nihil dicit; aut vnius Dei nomine alios omnes præter Deum excludit, & sic egregiè & impiè mentitur, quum ait, *se vnum audiri Deus vult.* Christus enim Deus ipse aliter dixit, Apostolos suos alloquens, *Qui vos audit, me audit.*

Deus solus quomodo audiendus.

Ephes. 4.

Luc. 10.

4. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

LOcus hæreticas in hæc verba cauillationes breuiter & dexterè soluendi. Omnes enim aut pene omnes hodie hæretici his verbis abusi sunt, vt ieiunia aut delectus ciborum ab Ecclesia præscriptos, res liberas esse, & nihil ad pietatem facere, quia violatum ieiunium, aut quilibet sine delectu cibus coinquinare hominem non potest. A quorum etiam stultitia temperare sibi Caluinus non potuit, quin illud etiam hoc loco annotaret. Nam circa huius parabolæ explicationem, quam Christus postea facit, ait. *Hic Christus fusius exponit, quod prius attigerat, regnum Dei non esse positum in cibo & potu, sicuti etiam Paulus docet Rom. 14. Nam quum res externæ natura puræ sint, liber quoque ac purus est earum vsus. Nec vero ex bonis Dei creaturis contrahitur immundities.* Hæc ille: cui stolido hæretico iam millies à Catholicis responsum est, cibum quidem vetitum quatenus cibus est, & quatenus in os intrat, non coinquinare, sed præcepti Ecclesiastici contemptum, & ipsum cibum quatenus vetitus est multum coinquinare. Caro porcina si eam comederet Iudæus vigente adhuc lege, quatenus comesta non coinquinabat, sed quatenus vetita ita coinquinabat, vt sancti illi Machabæi, senexque Eleazarus mori potius voluerit, quàm illam comedere. Dicit Apostolus. *In vino est luxuria.* Haud dubiè vinum quatenus bibitur & intrat in os, non generat luxuriam, nec coinquinat, sed immoderatè sumptum, luxuriam generat. Sic ergo in cibo vetito est peccatum, sicuti in vino immoderato est luxuria. Pauli verba ad Romanos 14. quam vim habeant, ibi explicuimus. Rerum externarum tametsi in se puræ sunt, non est tamen vsus purus semper ac liber: sed sicut immoderatus vsus impurus atque illicitus est, sic vsus earum legitima authoritate vetitus ac prohibitus, impurus quoque atque illicitus est.

Delectus ciborum defenditur In Harm. Euang.

2. Mach. 7. Ephes. 5.

In Antid. Apostolicis

FERIA V.

A

FERIA V. HEBDOMADÆ III. QVADRAGESIMÆ.

Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. *Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Luc. 4.

LOCVS, non eſſe audiendos hæreticos; *Satanæ miniſtros, & in Angelos lucis ſeſe transformantes*, tametſi vera dicentes, & veram ex parte fidem aliquando profitentes. Nam vt Chriſtus hoc loco vtilem & neceſſariam doctrinam tradit, nullum nobis cum dæmonibus commercium habendum, nec vllam ab illis veritatem exquirendam (quod contra horum temporum magos & maleficos incredibiliter exundantes obſeruari poteſt) ſic etiam docet cum hominibus hæreticis, qui miniſtri Satanæ & organa ſunt, & per quorum ora ac lin- 1. Cor. 11.
B guas *filios ſubtractionis, indoctos & inſtabiles* Chriſtianos fallit ac cœpit, ſicut olim per ora pſeudoprophetarum Iſraelitas incredulos decepit. (Dicebat enim, *ego ero ſpiritus mendax in ore Prophetarum, vt decipiam Achab*:) nullum eſſe habendum commercium, nec vllam ab illis veritatem exquirendam. Profitebantur hic dæmonia Ieſum eſſe Chriſtum, id eſt, Meſſiam à populo fideli expectatum: & hoc ſe ſcire aiebant. Et aliud immundum dæmonium hoc eodem in capite *exclamauit voce magna, dicens. Scio te qui ſis, Sanctus Dei*: ὁ ἅγιος θεοῦ. Ille Sanctus Dei. *Increpauit tamen illum Ieſus, dicens. Obmutеſce.* Noluit ab eo teſtimonium accipere. Hoc quoque in loco *increpans non ſinebat ea loqui*, aut profiteri, quod ſcirent ipſum eſſe Chriſtum. Chriſtus quidem aliis in locis tum diſcipulis ſuis, tum iis quos ſanauerat, præcepiſſe legitur, ne dicerent illum eſſe Chriſtum. Sed illud ſimplex præceptum erat ſine obiurgatione, idemque magis humilitatem ſuam docens, quàm alios obligans; vnde & eo non obſtante, *quanto magis præcipiebat eis*, (ait Marcus) *tanto magis plus prædicabant*. Quare illis in locis vtuntur Euangeliſtæ verbo διεστείλετο; Sed hoc in loco vtitur Lucas verbo ἐπετίμησε, quod ſignificat cum imperio increpare, & cum increpatione imperare. Nam & eodem verbo vtitur hoc eodem capite Lucas, quum de Chriſto dicit. *Imperauit febri*, ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ: quod Beza vertit, *obiurgauit febrim*. Chriſtus ergo increpans hoc loco dæmonia, & non ſinens ea loqui, imperio & præcepto vtitur cum obiurgatione & reprehenſione coniuncto. Cur autem hoc fecerit, docet egregiè Sanctus Chryſoſtomus. *Diabo-* Matth. 16. 20. Mar. 8. 36.
C *lus* (inquit) *veritatem aliquando dicit, primum vt rerum ordinem confundat, deinde vt auferat Apoſtolorum dignitatem: poſtremo vt multitudini perſuadeat ſibi attendere. Quæ ne fierent, etiam vera dicentium dæmonum ora obſtruxit Chriſtus.* Hæc ille. Tres cauſas ponit, quæ hæreticis ad amuſſim quadrant. Garrit hæreticus, & veritatis amicus aliqua ſemper ex parte videri vult: vel vt Eccleſiæ ordinem confundat, in qua *non omnes Prophetæ, non omnes Doctores*, ideoque non omnes audiendi ſunt: vel vt Præpoſitorum Eccleſiæ authoritatem ſibiipſi vendicet, & inuadat gregem lupus rapax; vel denique vt ſibi attendere indoctos & inſtabiles faciat, *abducens diſcipulos poſt ſe*, & ponens ſibi nomen in terra, vt impietatis nomine inclareſcat. Paulus Chriſti exemplum imitatus, clamante poſt Paulum & Silam puella ſpiritum pythonem habente, *Hi ſunt ſerui Dei altiſſimi* (quod haud dubiè veriſſimè dicebat) *dolens præcepit ſpiritui exire ab ea*. Doluit Paulus, non quia vera dicebantur, & quidem tum cognitu neceſſaria (expediebat quippe publicè ſcire Paulum & Silam veritatem Euangelicam prædicantes, ſeruos Dei altiſſimi fuiſſe:) ſed quia à diabolo dicebantur, cuius teſtimonium ne quidem verum & vtile, vllo modo tolerandum, nedum recipiendum eſſe ſciebat.

Hæretici nullo modo audiēdi Heb. 11. 2. Pet. 3. 3. Reg. 22. *Hæreticus non eſt legitimus teſtis veritatis.* Act. 20. In Præfat.

At quæ tandem huius rei cauſa eſſe poteſt? An rerum veritas à perſonis loquentium, ac non potius à rebus ipſis ſuam certitudinem accipit? An aliquid propterea falſum eſt, quia Satanas id dicit, ſi per ſe verum eſt? aut ideo verum eſt quod Angelus dicit, ſi per ſe falſum eſt? nihil planè horum, ſi ad humanas diſciplinas & earum veritatem oculos conuertas. Quum enim non authoritas, ſed ratio totius veritatis humanæ regula ac principium ſit, non ibi quis dicat,
D ſed quid dicatur attendendum eſt. At vero in cauſa fidei, quæ authoritate, non ratione nititur, longè aliter ſe res habet. Nam doctrina fidei, quia priuato iudicio, ſenſu, ingenio nõ acquiritur, ac neque priuatis reuelationibus & afflatibus nititur, ſed iuxta ordinem à Chriſto inſtitutũ, ab aliis diſcenda eſt; nec à quibuſuis aliis, ſed à ſolis Eccleſiæ magiſtris *quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei*, hinc fit vt in quæſtione fidei neceſſario ante omnia quærendum ſit de poteſtate docentis, & de perſona loquentis, ac denique an veritatis quam adfert, teſtis idoneus ac legitimus ſit: talis videlicet, cuius teſtimonio tuto & rectè acquieſcere debeam. Talis Satanas, talis hæreticus nullus eſt. Nec à Satana, nec ab hæretico Satanæ miniſtro veritatis diuinæ teſtimonium petendum eſt. Non eſt ab hoſte veritatis quærenda veritas. Nihil ad illos Scripturarũ pertractatio pertinet, quia nec ipſas Scripturas aliter poſſident, quàm Imperatoris ſui ſigna miles transfuga. Appoſitè & eruditè Tertullianus: *Diſpici debet cui competat poſſeſſio Scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit*. At quis dubitabit illis ſolis eam competere, cui ipſa

fides & nominis Christiani vera possessio competit? Illis inquam, à quibus, & per quos tradita A
est disciplina, qua fiunt homines Christiani. Idem monet Origenes, idem Athanasius, idem
Hom. 31. in Lucam. alii Patres. Idem ipse Paulus nos docet. Volens enim superbos quosdam pseudoprophetas re-
In epist. de Synodis Arim. & Seleuc. tundere, qui volebant esse Legis Doctores, quum ad hoc vocati non essent, sic eos alloquitur,
An à vobis verbum Dei processit, aut ad vos solos peruenit? id est, An vos fidei Christianæ magistri fui-
stis, aut vos soli, vestrique sodales Christianas litteras possidetis? Quorsum hæc, nisi vt doceat,
1. Cor. 14. non à quolibet veritatem sacram addiscendam aut accipiendam esse, sed ab illis tantum, qui
eius aut magistri sunt, ac Doctores, aut certe communes discipuli & sectatores: quorum neu-
trum aut Satanas, aut eius ministri hæretici sunt: qui videlicet *seipsos segregauerunt* vt Iudas Apo-
stolus loquitur, & seorsim colligunt. His accedit, quod quemadmodum Satanas, sic & omnis
hæreticus, si qua vera dicit, vel ipsis veris multa falsa permiscet, & de facto fallit, vel malo fine
illa asserens, in fine seducit. Quod de quodam hæretico ab Augustino obseruatum, nobis quo-
De nupt. & concup. li. 2. c. 13. que documento esse debet. *Hæc omnia* (inquit) *quæ dixit, rectè diceret, si in eis Catholicum sensum de-
fendere niteretur. Quia vero scimus quid ex his moliatur efficere, profecto dicit etiam recta peruersè.* Tenen-
dum igitur Saluatoris nostri hoc loco documentum his profecto temporibus saluberrimum.
Loquente nobis hæretico veritatem aliquam sacram, & quantumcunque salutarē (quid enim
sacratius, quid salutarius, quàm Christum esse illum Sanctum Dei, & filium Dei?) increpemus B
illos, non sinamus eos loqui, dicamus illis: Obmutesce, Vade Satana. *Quæ enim participatio luci cum
tenebris, aut quæ societas Christi & Belial?* Timeo Danaos & dona ferentes. Suspecta mihi hæretici
1. Cor. 6. vox est, etiam vera dicentis. *Oues Christi alienum non sequuntur*, imo non audiunt; *sed fugiunt ab eo.*
Sic in tuto fides erit, sic suus Christo honor (qui in illis quos misit, honoratur) illibatus ma-
Ioan. 10. nebit.

FERIA VI. HEBDOMADÆ III. QVADRAGESIMÆ.

Ioan. 4.

I. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Inst. li. 3. c. 15. n. 3. & c. 17. n. 3. In Comment. in hunc locū. Tit. 2.

LOCVS explicandi vim & dignitatem operum gratiæ, quæ procedunt C
à Spiritu Sancto contra impios horum temporum hæreticos, qui hanc
vim & dignitatem adeo negant, vt omnia opera Spiritus sancti *in filius
Dei quantumcunque perfectis penitus immunda*, adeoque *peccatis potius, quàm
virtutibus accensenda* (sunt impii Caluini verba) esse pronuntient. Loqui-
tur Christus de Spiritu sancto, quem daturus est credentibus: quod &
ipse hoc loco Caluinus agnoscit. *Aqua* (inquit Christus) *quam ego dabo
ei*, supple bibenti ex illa, & Spiritum Dei in se accipienti (quem per *la-
uacrum regenerationis effundit abundè*) *fiet in eo fons aquæ*, id est, fons donorū

Spiritus S. aqua vitæ fontana & gratiarum. (Duas enim aquas ponit, vnam fontanam, seu fontis instar, quia principiū & ple-
nitudo gratiarum omnium est, ipsum videlicet Spiritum sanctum, alteram ab eo deriuatam ac
fluentem, quam alibi vocat *flumina aquæ viuæ* fluentia in cordibus credētium, quæ sunt ipsa do-
na virtutum & gratiarum, quibus filii Dei donantur) *salientis in vitam æternam*: id est, quæ gra-
tiarum & donorum aqua cordibus piorum infusa, saliet in vitā æternam. Quærimus hic ab hæ-

In Comm. in hunc locum. reticis horum temporum: Quid est *salire in vitam æternam?* Caluinus nihil aliud illis verbis signi-
ficari vult, quam huiusmodi gratiarum ac donorum perpetuitatem ac stabilitatem. *Cōtinua* (in-
quit) *notatur irrigatio, quæ in hac mortali & caduca vita cælestem in illis æternitatem fouet. Non ergo ad bre-
ue tempus in nos fluit Christi gratia, sed se vsque ad beatam immortalitatem diffundit, quia fluere non desinit,
donec vita incorruptibilis, quā inchoat, suis omnibus numeris compleat.* Sed iuxta hūc sensum, nō erat di-
cendum, *salientis in vitam æternam*, sed salientis, vel fluentis potius in æternū. Sic enim perpetuū D
& stabilem eius fluxum notaret. Deinde in priori sententia stabilitas hæc & continua irrigatio
gratiarum Christi significata est, vbi Christus dixit. *Qui biberit ex aqua, quā ego dabo ei, non sitiet in
æternū.* Ad quæ verba Caluinus, *Vult* (inquit) *Spiritum sanctum scatebram esse perpetuo fluentem, nec es-
se periculum vt exaresçant, qui spirituali gratia renouati sunt.* Aut ergo in his posterioribus verbis plus
dicit Christus, aut priorum verborum inanem & insuetam repetitionem facit. Et quidem mul-
to plus eum dicere ipsa verba conuincunt. Illic enim de effectu aquæ quam daturus erat quo-

Quomodo Spiritus S. tollit sitim ad eius perpetuitatem, dixit, *non sitiet in æternum*: quia acceptus semel Spiritus sanctus, quantum
ex se est, tollit sitim in perpetuum: sitim, inquam, siue peruersam ac præposteram rerum noxia-
rum (qualis febricitantium est) terrenarum videlicet & carnalium, siue rectam & ordinatam
rerum diuinarum & spiritualium, quatenus ad salutem necessaria sunt. Nam sitis & desiderium
maioris perfectionis in hac vita non extinguitur: nec etiam prorsus in altera vita, vbi satietas
non est, quæ fastidium parit, sed cum aliquo semper desiderio coniuncta, quę ipsam sitim iucū-
diorem facit. Illic igitur in prioribus verbis docet Christus Spiritum sanctum tollere sitim,

qualem

A qualem dixi, in perpetuum, quantum ex se est. Nam quantum ex parte hominum est, quorum lubrica & incerta voluntas est, quia illi redeuntes frequenter ad vomitum, excutiunt Spiritum sanctum, redit iterum illa sitis, aut peruersa, aut ordinata, quã dixi, vbi *profugus à patre filius in seipsum reuerti* incipit. Hic verò, & in his verbis docet Christus alium effectum aquæ quã daturus erat, nempe vt fieret in bibente illam *fons alterius aquæ*, non solùm perennis & cõtinuus, sed admirabilis præterea efficaciæ, *salientis* videlicet *in vitam æternam*: id est, eum in quo est salire facientis, (neque enim ipsa dona per hanc secũdam aquam significata per se saliunt aut operantur, sed operari faciunt, & operationum sanctarum principia sunt, tametsi, vt sic loquar, principiata & secundaria) *in vitam æternam*, id est, talia opera & virtutes sanctas producentis, quæ hominem ad vitam æternam perducant: siue per modum meriti, siue per modum simplicis iustitiæ, hoc loco non inquirimus: Satis nunc erit ostendere, aquam salientem in vitam æternam ex fonte Spiritus Sancti profluentem, esse aquam, quæ eum, in quo est, salire facit, id est, efficaciter perducit ad vitam æternam. Vsus est Christus verbo *saliendi*, vt ostenderet huius aquæ efficaciam certissimam, quæ non solùm pertingit, aut de facto peruenit ad beatitudinem, sed quæ sua quadam energia, efficacia, & impetu (qualis in salientibus est longè alia quàm in ambulantibus, aut quoquo modo incedentibus) ad eam hominem perducit. Ab impetu quippe & virtute principij seu fontis sui, Spiritus sancti, cui nos hæc alterius aquæ dona coniungunt, habet
B hęc aqua, habent hæc dona & gratiæ credentibus infusæ, vt eos ad Deum perducant, Deóq; ac vita æterna dignos faciant. Sumpta est metaphora ab aqua materiali, quæ tantũ ascendit, quanta est altitudo principij à quo emanat. Sic dona Spiritus S. qui ab eo procedunt, ad eum ipsum, eiúsque fruitionem hominem conscendere faciunt.

Luc. 15.

Salire in vitam æternã quid significet.

Gratiarum dona credentibus infusa, perducunt ad vit. æternã

Sed erunt hæc omnia clariora, & ad fidelis populi captum magis accommodata, si quas ob causas ipse Spiritus sanctus à Christo in hoc Euangelio aquæ comparatur, & aqua viua nuncupatur, paucis explicemus. Sic enim apparebit cur ex hoc fonte aquæ viuæ, alia scaturiat aqua viua saliens in vitam æternam. Quam vtramque vna iterum sententia complexus est Christus, quum diceret. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit* (ait Euangelista) *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondũ erat glorificatus*. Hic ergo iterum *Aqua viua* Spiritum sanctum significat: flumina de ventre credentium fluentia, sunt dona gratiarum ipsius Spiritus sancti, quæ totum interiorem hominem abundè irrigant: vt docet in hunc locum Chrysostomus. Vtramque iterum aquam D. Paulus vna itidem sententia expressit, dicens. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (hæc est aqua manãs & fluens, saliénsque seu salire faciens in vitam æternam, quia opera omnia pietatis producit, quæ perducũnt hominem in vitam æternam) *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Hic
C est fons aquæ salientis, de quo hic Christus loquitur. Et ideo cum ista Samaritana vberius loquitur, quia inter alias hæreses, Samaritani Spiritum sanctum esse negabant, vt docet Epiphanius.

Ioan. 7.

Homil. 50. in Ioan.

Rom. 5.

Hæres. 9.

Sed nunc (vt dixi) cur aquæ viuæ ac salienti tam ipse Spiritus sanctus, quàm eius dona (quia non nisi per sua dona nos inhabitat, nósque irrigat Spiritus sanctus) comparantur, explicandum est. Hanc autem explicationem ex commentario doctissimo Ioannis à Toledo in hunc locum magna ex parte accipiemus. Primùm sicut aqua materialis lauat corpora, sordésque ac maculas aufert, sic Spiritus sanctus per sua dona, suámque operationem aufert peccata, & quicquid animam coram Deo immundam constituit. Sed longè id excellentius facit in anima quàm vlla aqua materialis in corpore: idque quatuor modis. Primum, quia ablutam & repurgatam animam non solum in sua munditie naturali relinquit, sicut aqua materialis corpus, nullam illi præterea munditiem conferens, sed munditiem etiam imprimit supernaturalem, sic faciens nouam creaturam, vt per *pretiosa dona*, quæ impertit, *eam faciat consortem diuinæ naturæ*, vt D. Petrus affirmat: ideóque *super niuem dealbet*, vt cecinit Prophęta Regius: *Lauabis me, & super niuem dealbabor*: id est, supra naturalem munditiem nouam spiritualem accipiam ipsa niue can-
D didiorem. Secundò, quia aqua corpus abluit quidem, sed non reddit formosum, in pristina illud forma relinquens: Spiritus sanctus sic abluit animæ sordes, vt nouam illi formam, ac decorem adferat, qua iam Deo mirè placeat, iuxta illud: *Concupiuit Rex speciem tuam*: & per alium prophetam ad populum dilectum dicit Deus. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus, ego dilexi te*. Tertiò, quia aqua dum corpus abluit, idem tamen debilitat, & frequentius adhibita, corrumpit ac destruit. Spiritus sanctus sic lauat vt roboret, & quò diutius animam inhabitat, eò robustiorem facit: quod sanctus Paulus sentiens dixit, *Omnia possum in eo qui me confortat*. Quartò, quia aqua sic lauat corpora, vt ablutione facta recedat, nihil amplius conferens. Spiritus sanctus sic abluit, sic ornat, sic roborat, vt semper permaneat: inhabitans corda & corpora nostra, idque adeo, vt templa eius simus, ipseque in nobis loquatur quæ dicenda sunt, postulet quæ petenda sunt, operetur quæ facienda sunt. *Apud vos manebit, & in vobis erit*, ait Christus: *Vos estis templa Spiritus S.* ait Paulus, *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis*, ait iterum Christus: *Ipse Spiritus postulat pro nobis*, ait iterum Paulus: addens in alio loco, *Qui operatur in vobis qui credidistis*. Atque tot quidem modis aquæ materiali comparatur Spiritus sanctus quatenus abluit, ac mundat.

Spiritus S. cur aquæ cõparatur.

1. Causa.

Animæ omnem immunditiem 4. modis aufert Spiritus S.

1. 1. Pet. 2.

Psalm. 50. 2.

Psalm. 47. Esaiæ 43. 3.

Philip. 4. 4.

Ioan. 14. 1. Cor. 6. Matth. 10. Rom. 8. 1. Thess 2.

Iam verò quatenus aqua terram fœcundat & fructificare facit, sic etiam illi Spiritus sanctus

2. Causa.

Spiritus S. animam fœcundat. Galat. 5.

assimilatur, quia animas credentium ita mirabiliter fœcundat, vt non solum plurimos, sed & optimos fructus ex ea producat. De quibus Apostolus: *Fructus* (inquit) *Spiritus, est charitas* (vt omnium prima ac cæterorum radix) *gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Sed in hac fœcunditate ac varia fructificatione, quam aqua facit iuxta variam aut subiecti & materiæ dispositionem vt ipsius terræ, aut rerum ipsarum insitam vim, cuique propriam, vt in plantis, arboribus ac seminibus, longè excellentior est diuini Spiritus in cordibus credentium fœcunditas, multóque copiosius incrementum. Primùm enim aqua florentes quidem arbores, & terram bonam fœcundat, sed nec arbores mortuas reuiuiscere facit, nec terram sterilem fœcunditate donat. Atque Spiritus sanctus animas peccato mortuas ad nouam vitam restaurat, iuxta illud de filio prodigo pœnitente Patrique reconciliato, *mortuus erat, & reuixit*: & pigros & steriles pijs actionibus nouo feruore accensos fœcundat: iuxta illud Prophetæ. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Secundò aqua quæcunque fœcundat, ad mensurã & modum naturæ cuiúsq; quam non excedit, fœcundat, vt vnaquæque seu planta, seu arbor non nisi sui generis fructus, aut flores, aut herbam proferat. Vnde fit vt cuius arboris fructus amari sunt, eos dulces reddere, nulla aquæ fœcunditas possit. Atqui Spiritus sanctus sic animas credẽtium irrigat atque fœcundat, vt qui prius *fructificabant morti*, (vt Paulus loquitur) *nunc fructificent Deo.* De qua admirabili mutatione, non sine admiratione exclamauit Propheta, *Et dixi. Nunc cœpi. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi*: Hanc immutationem filiorum iræ in filios Dei, vasorum contumeliæ in vasa misericordiæ, qua publicani fiebant Apostoli, meretrices auditores Christi adulteri, fures, maledici, auari, ebrioſi, *abluti, sanctificati, iustificati sunt*, & casti, veraces, modesti, sobrij, liberales facti, idque in *Spiritu Dei nostri*, vt Paulus dicit, exprimere volens Esaias, de ea sic scribit. *Vitulus & vrsus pascentur simul, & catuli leonum requiescent, & leo & bos comedet palcas.* Talem in seipso mutationem factam eleganter scribunt Beatus Cyprianus, & Beatus Augustinus. Sic barbaras & truces gentes per Euangelij prædicationem susceptam, ad omnem modestiam ac pietatem conuersas fuisse adnotauit Eusebius. Deniq; Origenes Christianæ religionis vnam hanc esse vel maximam commendationem, & veritatis, quam docet, eximium argumentum, quod Spiritu S. donati in alios viros mutantur, contra Celsum paganum luculenter ostendit. Vide quæ in hanc rem congessimus in Promptuario nostro morali.

1. *Luc. 15.* *Esaiæ 40.* 2. *Rom. 7.* *Psalm. 76.* *1. Cor. 6.* *Esaiæ 15.* *Lib. 2. ep. 2 Confess.* *lib. 9. c. 1.* *Demonst. Euang. lib. 7. c. 9.* *Lib. 2. Domin. 4. Aduent. text. 5.* *Dō. Pasch. tex. 5. & 6.* *Dō. 6. post Pent. tex. 3*

In hac ergo tanta Spiritus sancti in filijs Dei efficacia & operatione, qua credentes in Christum sic abluit ac mundat, vt non solùm sordes auferat, sed & nouam munditiem conferat, nouo decore illustret, nouis viribus corroboret, ipsósque permanenter inhabitet, in eis loquens & operans, sic etiam fœcundat & irrigat, vt vberrimos fructus proferat, vt mortuos vita steriles fœcunditate donet, ac denique in alios prorsus viros immutet, palpandam se offert execranda hæreticorum hodie doctrina, qua (dissimulata hac tota diuini Spiritus operatione) docent homines in Christo per Dei Spiritum regeneratos, nulla veræ iustitiæ opera præstare posse, ad mandata Dei exequenda non obligari, opera bona quæ faciunt, non nisi immunda proferre, denique manere eos in seipsis semper immundos & impios, vt sola Christi iustitia illis imputata, quam sola fides apprehendit, sic & non aliter coram Deo iusti aut sancti appareant. Ita Christi verba hoc loco de Spiritus sancti in credentibus efficacia, impia ac detestabilis illa eorum doctrina (in qua tamen totius noui Euangelij cardo vertitur) penitus eludit, falsique arguit.

Hæreticorum impia doctrina contra efficaciam Spiritus S.

Instit. li. 3. cap. 1. n. 2. *Caluini sententia de Spiritus S. efficacia in cordibus credentium* *Num. 3.* *Esai. 55. & Ioan. 7.* *Ezech. 36.* *1. Ioan. 2.* *Luc. 3.* *Ioan. 4.* *Actor. 11.* *Calu. impostura singularis.* *Num. 4.* *Caluinus totam priorem doctrinam retractat.*

Quod quomodo vnus Caluinus inter cæteros, ac præ cæteris faciat, aduertere & intelligere operæprecium est. Impostor ille de arcana operatione Spiritus sancti in filiis Dei ex professo disputans, & vnum de hoc vno argumento caput integrum, sed breuissimum scribens, docet primum Spiritum sanctum, *Spiritum sanctificationis* seu sanctificantem & viuificantem dici, non solùm quia *in spem æternæ hæreditatis nos colligit, eiusque signaculum est*; (quod alibi tantùm premere solet) sed etiam quia *cœlestis vitæ in nobis semen ac radix est.* Addit, quia *arcana sua irrigatione ad germina iustitiæ proferenda nos fœcundet, vocari in Scripturis aquam*: quas ibi aliquas recensет, sed non huius Euangelij locum, qui hanc Spiritus sancti operationem luculentissimè expressit. Affirmat *à purgandi quoque ac mundandi energia* aquæ nomine nuncupari. Fatetur, *quia gratiæ suæ liquore perfusos in vitæ vigorem restituit ac fouet*, inde nomen obtinere olei & vnctionis. Rursum *quia concupiscentiæ nostræ vitia assiduè excoquendo & exurendo, corda nostra incendit amore Dei & studio pietatis*, ab hoc quoque affectu meritò ignem appellari. Denique *fontem esse vnde cœlestes ad nos manant diuitiæ, Dei manum esse qua suam potentiam exercet, quia virtutis suæ afflatu diuinam nobis vitam sic inspirat, vt non iam agamur ipsi à nobis, sed eius actione ac motu regamur, vt si qua sunt in nobis bona, fructus sint gratiæ ipsius.* Hæc ille omnia, diuini Spiritus operationem & efficaciam in filijs Dei iuxta Scripturas orthodoxè describens. Sed enim non nisi mera impostura hoc totum est, quam in omnibus alijs pene dogmatibus hodie controuersis exercet: vt multa videlicet orthodoxè primum dicat, quasi lac & mel porrigens, postea que omnia aspersо suo veneno inficiat, & allectum prima veritate lectorem, in suam nassam facilius trahat. Nam in sequenti disputatione, primò *præcipuum Spiritus S. opus fidem esse, & ad eam magna ex parte referri, quæ ad vim eius, & operationem exprimendam passim occurrunt, statim disputat*: mox de ipsa fide, eiúsque definitione, officio, effectu, per multa capita longissimè disputans, tandem ei cap. 11. quod de Iustificatione fidei est, contra inhærentem

A hærentem iuſtitiam totis ingenij viribus pugnans, pro quâ nihil euidentius facit, quàm hæc interna Spiritus ſancti efficacia ab ipſomet iuxtà Scripturas tradita, totum tandem pectoris ſui vlcus aperit, & dicit: *Non negamus quin reformet nos Deus Spiritu ſuo in vitæ ſanctitatem & iuſtitiã. Sed primò videndum eſt, faciatne hoc per ſe & immediatè: an verò per manum filij ſui, penes quem omnem plenitudinem Spiritus ſancti depoſuit, vt ſua abundantia membrorum inopiæ ſubueniret.* Ecce iam negat deũ ſpiritu ſuo immediatè & per ſe in nos agere, nóſque reformare, ſed per manum Chriſti, cuius abundantia omnem noſtram inopiam ſupplet: id eſt, nobis per fidem imputatur. Hic enim eſt verus Caluini ſenſus, vt ex ſequentibus apud eum magis eluceſcet. Mox enim adducit in medium illud Pauli, *nos vnius hominis obedientia iuſtos eſſe*, videlicet nobis imputata, vt apud Paulũ exponit. Deinde paulò pòſt, *falli Catholicos*, ait, *quòd gratiam Dei non gratuitæ iuſtitiæ imputationem, ſed Spiritum ad ſanctitatis ſtudium adiuuantem interpretantur.* Móxque Petrum Lombardum nominatim taxat, *quod Dei gratiam præcipuè in iuſtificatione conſideret, quatenus ad bona opera per Spiritus ſancti gratiam dirigimur.* Tandem eodem in loco Auguſtinum reprehendit, *quod gratiam ad ſanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem per Spiritum regeneramur.* Poſtremò in alia ſequenti diſputatione diſertè affirmat *vnicum Chriſtum pro iuſtitiæ complemento à Paulo aſſignari*, & ex *fide Chriſti omnes iuſtificari, non vt adiuuentur ad iuſtitiæ ſummam, ſed vt ex ipſa fide iuſtificentur.* Nunc ergo Caluinus detracta larua, qua orthodoxus videri voluit, Spiritus S. internã & efficaciam & operationem in nobis docendo, totam ſuam impietatem aperuit, eandem efficaciam penitus denegando. Nũc
B enim negat Deum Spiritu ſuo nos reformare, aliqua operatione ipſius Spiritus S. per ſe & immediatè, ſed ſolummodo per manum Chriſti, & per abundantiam Spiritus S. in Chriſto, quæ nobis imputatur.

Cap. 11. num. 12. *Num. eod.* *Rom. 5.* *Cap. eodem* *Num. 15.* *Num. eod.* *Num. eod.* *Lib. eodem cap. 17. n. 2.*

Vbi aduertat lector prorſus contrarium in Scripturis doceri. Videlicet Chriſtum per ſuum Spiritum nos reformare & ſanctificare, non autem Spiritum ſanctum per Chriſtum id facere. In hoc ipſo Euangelio Chriſtus dat nobis Spiritum vt fontem aquæ ſalientis in vitam æternã. *Aqua quam ego dabo, &c.* Non ipſe Spiritus dat nobis Chriſtum. Sic Chriſtus aſcendens *mittit nobis Spiritum veritatis, qui inducat nos in omnem veritatem.* Non Spiritus Dei illum mittit: *Deus Pater miſit Spiritum filij ſui in corda noſtra, in quo clamamus Abba Pater.* Non filius mittitur in corda vt nos reformet, ſed Spiritus Patris & Filij ab vtroque mittitur, vt vterque locus iam citatus docuit. Sic iterum Paulus. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, (etiam intelligendo illam quam ſemper Caluinus intelligit de charitate, qua Deus nos diligit, nóſque gratos & charos habet) non per manum filij, per imputationem gratiæ, *ſed per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Datus inquam nobis, non imputatus, intra nos, non extra nos, quem in nobis accepimus (dare enim & accipere correlatiua ſunt) non quem in Chriſto per fidem apprehendimus. Poſtremò quum idẽ
C Paulus dixiſſet, *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, ne quiſquam per manum Chriſti immediatè iſta fieri cogitaret, adiecit, & *in Spiritu Dei noſtri.* Plurima ſunt huiuſmodi apud Paulum loca, vbi immediatum omnis iuſtitiæ in nobis authorẽ, Spiritum ſanctum facit, non manum Chriſti. Chriſti enim eiúſque mortis merito datur nobis Spiritus ſanctus, iuxta illud Ioannis: *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Ieſus glorificatus.* Sanè Chriſtus ad remiſſionem peccatorum cõſequendam nobis datus eſt, immediatè, factus pro nobis redemptio per precium ſanguinis ſui. Sed ad ſanctificationem ſpiritualem, quæ noſtra in Chriſto regeneratio & renouatio eſt, non Chriſtus, ſed Spiritus ſanctus datus eſt nobis, nec per manum Chriſti, ſed per operationem Spiritus ſancti illa ſanctificatio, ſeu renouatio nobis confertur: Dicente iterum Paulo: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.* Renouationem dicit Spiritus ſancti, quam ipſe Spiritus ſanctus facit, & quia eius opus eſt: idque quatenus *in nos effunditur*, non quatenus eius plenitudo apud Chriſtum depoſita eſt, vt fingit Caluinus. Sumus quidem *in Chriſto*, & per Chriſtum *noua creatura creati in illo* & per illum *in operibus bonis*; ſed mediante ipſo Spiritu ſancto de quo ſtatim adiecit Apoſtolus, *quæ præparauit Deus, vt ambulemus in illis.* Spiritus enim ſanctus eſt qui præparat cor-
D da noſtra per gratiæ ſuæ auxilium, & dona vt bene operemur. Totum igitur ſanctificationis noſtræ ordinem inuertit Caluinus, vt ex reali & inhærente, imputatitiam & denominatiuam tantùm illam efficiat.

Non per Chriſtum Spiritus S. ſed per Spirit. S. Chriſtus nos ſanctificat. *Ioan. 4.* *Ioan. 14.* *Galat. 3.* *Rom. 5.* *1. Cor. 6.* *Ioan. 7.* *Chriſtus per ſe redemit, per Spiritũ S. ſanctificauit.* *Tit. 2.* *Galat. 5.* *Epheſ. 2.*

Simili impoſtura, ac fraude eodem adhuc in libro vtitur. Quum enim dixiſſet. *Non ſomniamus fidem bonis operibus vacuam, aut iuſtificationem quæ ſine ijs conſtet*, quod ab illo orthodoxè & certiſſimè dici quilibet orthodoxus & pius exiſtimaret, totum fucum in ſequentibus ſtatim ipſe detergit. *Hoc tantum* (inquit) *intereſt, quod quum fidẽ & bona opera neceſſariò inter ſeſe cohærere fateamur, in fide tamen, non in operibus iuſtificamur.* Tranſeat interim iſtud (quia ad rem præſentem non facit) tametſi duplici mendacio onuſtum. Audiamus qua tandem ratione fidem iuſtificantẽ bonis operibus vacuam eſſe neget. *Id* (inquit) *qua ratione facilè explicare promptum eſt, ſi ad Chriſtum conuertamur, in quem dirigitur fides, & vnde totam vim accipit? Quare ergo fide iuſtificamur? Qua fide apprehendimus Chriſti iuſtitiam, qua vna Deo reconciliamur? Hanc verò apprehendere non poſſis, quin & ſanctificationem ſimul apprehendas. Datus eſt enim nobis in iuſtitiam, ſapientiam, ſanctificationem, redemptionem: Nullum ergo Chriſtus iuſtificat, quem non ſimul ſanctificet. Vis ergo iuſtitiam in Chriſto adipiſci? Chriſtum antè poſſideas oportet. Poſſidere autem non potes quin fias ſanctificationis eius particeps, quia in fruſta diſcerpi non poteſt. Ita liquet quàm verum ſit nos non ſine operibus, neque tamen per*

Lib. 3. c. 16. num. 1. *Calu. impoſtura notabilis, quod non iuſtificamur per fidem bonis operibus vacuam.*

Sanctificationem imputatã docet Caluin.

opera iustificari quoniam in Christi participatione qua iustificamur, non minus sanctificatio, quàm iustitia. Hæc omnia Caluinus. Summa est, fidem iustificantem non esse sine bonis operibus, scilicet A Christi nobis per fidem imputatis, sed bene sine vllis bonis operibus nostris. Rursum habere nos sanctificationem, sed quæ in Christo sit, & nobis imputetur sicut iustitia Christi fide imputatur, non quæ in nobis sit, ex vlla Spiritus sancti operatione & efficacia in nobis. Sic iterũ quod antèa de Spiritus S. operatione iuxta manifestas Scripturas stabilierat, nunc per imputatam sanctificationem penitus subuertit. Eadem ex causa in verbis prius citatis gratiam Dei voluit esse *gratuitæ iustitiæ imputationem, non Dei Spiritum ad sanctitatis studium adiuuantem.* Rursum in eodem loco negat quod *ad bona opera per Spiritus sancti gratiam dirigimur,* quum primo loco à nobis citato dixisset, *nos diuini Spiritus actione ac motu regi, vt si qua sunt in nobis bona, fructus gratiæ ipsius sint.* Denique quum eodem in libro dixisset: *Deum virtutem Spiritus subministrare, qua superiores in certamine contra peccatum victoresque simus,* quod conforme illis alijs eius verbis est, quibus dixerat, *Spiritum sanctum concupiscentiæ nostræ vitia assiduè excoquendo & adurendo corda nostra incendere amore Dei & pietatis,* totum quoque hoc consequenti alibi doctrina funditus euertit. Ait enim *reliquias peccati,* quæ sunt concupiscentiæ vitia contra quæ pugnamus, *in nobis non dominari, nec regnare, si promissionem in baptismo nobis à Deo datam fide tenemus,* id est, si remissionem peccatorum & iustitiam Christi cum sanctitate eius coniunctam fide firma apprehendimus. Hæc est manifesta Caluini impietas, omnibus hodie aut pene omnibus hæreticis communis, qua totam operationem, & B efficaciam Spiritus sancti in hoc Euangelio luculenter à Christo credentibus promissam, quæ opera iustitiæ in nobis profert ad vitam vsque æternam consequendam pertingentia, penitus & pertinaciter negant: nisi quòd Caluinus cæteris astutior & nequior, illud totum operationi & efficaciæ Spiritus S. vno in loco dare videtur, quòd alijs in locis, vt suis hæresibus consequẽter doceat, penitus negat, aufert & destruit. Quæ eius tam impietas, quàm astutia ad veritatis gloriam & tanti impostoris aperiendam nequitiam, necessariò mihi hoc loco excutienda videbatur. Magis tamen eam in Antidotis nostris Apostolicis, fauente Deo, excutiemus.

Ex *cap.* 12. *num.* 15. *Caluin. sibi contrarius.* *Lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 11. *Instit. l.* 4. *cap.* 51. *n.* 11

2. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.*

SS. *Patrũ testimonia & exempla piè proferri.*

LOcus Catholicorum religionem saluberrimam & necessariam in SS. Patrum testimoniis & iudicio studiosè inquirendis ac proferendis contra putidas Caluini calumnias defendendi. Quia enim hæc mulier Patrum veteris testamenti factum de cultu Dei in mõ- C te Samariæ contra Christum præposterè protulit, bonus Caluinus pulchrum sibi argumentum nactus visus est, vt omnem in vniuersum Patrum & magistrorum Ecclesiæ Christi authoritatẽ labefactaret, nostrámque in illorum factis ac dictis vel imitandis, vel in veritatis antiquæ testimonium proferendis, diligentiam in vniuersum condemnat. Qua in re perinde facit ac si nullas Scripturas pro veritate proferendas quisquam diceret, eo quod diabolus illas contra Christum impiè & præposterè protulit. Sed audiamus superbi hominis ad hunc locum hac de re verba. *Hic locus* (inquit) *insigni documento est, quàm præposterè faciunt, qui posthabito Dei mandato, se cõformãt ad Patrum exempla.* Illi haud dubiè præposterè faciunt, qui Dei mandatum patrum exemplis postponunt: quod nemo Catholicus facit. Cæterùm Catholici Patrum exempla imitantes, nõ illa Scripturis, aut Dei mandato anteponunt, sed quid doceant Scripturæ, & quid iubeat Deus, malunt à Patribus discere, quàm à Caluino, ab Ecclesiæ magistris antiquissimis & tam eruditionis quàm sanctitatis nomine celeberrimis, quàm ab nouello hæretico & indocto (quòd frequẽtes eius contradictiones demonstrant) & impio, quod detestandæ eius hæreses, maximè de Deo Authore & impulsore peccati, (vt olim demonstrauimus) ad oculum loquuntur. Audiamus tamen petulantis hominis accusationem, & si quid ea ponderis ac momenti habeat, dispiciamus. *Notandum* (inquit) *est quot modis hic peccare soleat mundus.* Bonus Caluinus aut extra mundũ, aut D de mundo non est: nisi fortè & idem peccet, sicut solet mundus. *Sæpè* (inquit) *contingit vt sine delectu pro patribus maior pars sequatur, qui minimè omnium habendi erant Patres.* Si qui ita peccant, Patrum authoritati nihil hoc derogat, sed eorum temeritatem arguit, qui pro Patribus habẽt, qui non habendi erant. Multi olim pro Scripturis habebant quę apocrypha erant: quod Scripturarum iustam authoritatem nihil imminuit. *Ita hodie Papistas videmus, quum inflatis buccis Patres decantant, nullum Prophetis & Apostolis locum dare.* Putidum mendacium impostore hæretico dignũ. Sic Patres allegant Catholici vt Scripturis Propheticis & Apostolicis primum semper locum concedant. *Vbi autem paucos nominarunt honore dignos, coaceruare ingentem hominum sui similium cateruam, vel saltem descendere ad corruptiora sæcula, quibus etsi nondum tam crassa barbaries inualuerat, religio tamen & doctrinæ puritas multum declinauerant.* Bene est quòd saltem aliquos Patres honore dignos censere dignatur. Quæ sit alia ingens caterua, coniiciendum lectori relinquit, ne si eos nominaret, in promptu esset exceptio. Cui hoc vnum respondemus, in illa caterua non alios esse nisi qui Patres illos honore dignos, in eadem doctrina ac fide imitati fuerunt. De sæculis corruptioribus quod garrit, in nullis sæculi Patribus vera hactenus vacillauit fides: nisi aut nullam tunc Christi Ecclesiam, aut sine legitimis Patribus Ecclesiam fingat. Est autem hodiernũ

In commẽ. ad hunc locum.

De Iustificat. lib. 11.

Caluinus.

1.

Caluinus. Mendaciũ Caluini putidum.

Caluinus.

Patrum discrimen à Caluino vanè confictum.

sæculum

A ſæculum omnium quæ hactenus fuerunt, ad fidem ac religionem quod attinet, propter graſſantes ſine numero hæreticos, corruptiſſimum. *Ergo tenendum eſt ſedulo diſcrimen, ne Patres cenſeãtur, niſi quos conſtabit fuiſſe Dei filios: Deinde qui pietatis ſuæ excellentia hunc honoris gradum promeriti ſunt.* Tenendum quoque ſedulò diſcrimen eſt, ne Scriptura Canonica cenſeatur, niſi quam conſtabit diuinitus fuiſſe inſpiratam: Deinde quæ doctrinæ ſuæ excellentia hunc honoris gradum promerita ſit. Sed nec propterea aut Patrum aut Scripturæ ea quæ cuique debetur labefactatur authoritas. *Caluinus.*

Frequenter etiam in eo peccatur, quod temerè ex Patrum factis communis lex ſtatuitur. Frequenter quoque in eo peccatur, quod ex Sanctorum factis in Scriptura commemoratis communis lex ſtatuitur. Nam quia Elias ſacerdotes Baal magno numero interfecit, licere ſibi hodie Caluiniſtæ putant ſacerdotes Catholicos mactare: & quia Abraham cum ancilla Agar cõſentiente Sara coniuge concubuit, Caluinianæ ancillæ moroſas ſe habere dominas conqueruntur, quòd quum illæ ſteriles aut vetulæ ſint, cum heris ſuis dormire non permittantur. Nihil fingo, ſed quod in noſtra Anglia geſtum ſcio. Taceo alia pudoris & modeſtiæ cauſa. Nihil hoc tamen vel Scripturarum, vel Patrum iuſtam reputationem imminuit. *Vulgus enim non ſatis honoris ſe Patribus habere putat, niſi eos eximat hominum numero.* Sic quidam Euangelici fratres non ſatis honoris ſe diuinis Scripturis habere putant, niſi omnia in illis conſcripta ipſi quoque ſine diſcrimine imitentur. *Ita dum nobis in mentem non venit homines fuiſſe qui labi poterant, vitia virtutibus promiſcuè miſcemus: Vnde ſequitur peſſima in viuendi ratione confuſio. Nam quum ad legis regulam examinanda ſint omnia hominum facta, trutinam ipſam ſuis ponderibus ſubÿcimus. Denique vbi tanti ſit patrum imitatio, impune poſt eos ſe peccare mundus putat.* Totum hoc ex præpoſtera quoque Scripturarum lectione accidit interdum, vt vix pro vitijs habeantur, quæ à Sãctis viris vel malè perpetrata, vel in figura geſta legunt, aut ab alijs lecta audiunt. Sic propter Dauidis adulterium & homicidium electorum peccata excuſantur: & duas ſorores ducere exemplo Iacob, aut ſeipſum interficere exemplo Sampſonis, aliqui malè ſani hæretici ſe poſſe arbitrati ſunt. Nec tamen vel Scripturarum lectio, vel Sanctorum Patrum pia & prudens imitatio propterea explodenda eſt. Et Patres quidẽ homines fuerunt, qui labi poterant: Caluinus ſimiliter & Lutherus homines, opinor, fuerunt, qui multo probabilius & labi & decipi, & toto cœlo à veritate, ac pietate aberrare poterant. Caluinus tamen vt eum ſui imitentur, adeo libenter ſemper tulit, vt neminem ſibi contradicentem ferre potuerit. Lutheri verò illa ſuperbiſſima vox eſt, *Ego in hoc libro non contuli; ſed aſſerui & aſſero: & penes nullum volo eſſe iudicium, ſed omnibus ſuadeo vt præſtent obſequium.* Item illud: *Scio me mea dogmata habere de cælo. Tertium vitium eſt* (ait Caluinus) *praua æmulatio, vbi ſcilicet nec eodem præditi ſpiritu, nec eodem inſtructi mandato, trahimus in exemplum quod aliquis Patrum fecit.* Quid hoc tertium à ſecundo differat quod proximè poſuit, nec ipſe Caluinus diſtinguet vnquam, niſi quod ibi imitationem dixit, hic æmulationem prauam vocat. Sed quid ex eo inferat videamus. *Ex hoc fonte fluxiſſe bonam partem veteris monaſtices fatebuntur, qui prudenter veterum ſcripta expendent.* Laudo Caluini ingenuitatem. Si enim veteres monachi à ſuis maioribus ſua inſtituta acceperunt, eóſque imitati ſunt, profectò nec res noua eſt monaſticæ vitæ inſtitutum (vt clamare ſolent hæretici) nec veteres monachi ſua aliqua inuenta amplexi ſunt: ſed à probatiſſimis Patribus ea hauſerũt. Laude hoc dignum, non vituperio, nemo æquus negabit. *Ergo* (ait Caluinus) *niſi ſponte errare libeat, ſemper videndum eſt quo quiſque Spiritu donatus ſit, quid ferat cuiuſque vocatio, quid ſingulis cõueniat, & quid ſingulis ſit mandatum.* Bonus Caluinus quod ſemper in Eccleſia Catholica accuratè ſeruatum eſt, nunc demum quaſi nouus de cœlo magiſter, alios ſe docere poſſe arbitratur. Quis neſcit Eccleſiã Catholicã ordinem hierarchicum eſſe, vt ad pietatis ſtudium quod attinet, nec nouum aliquod inſtitutum à pluribus ſuſcipiendum ſine iuſta authoritate & ſtricto examine approbatum aliquando fuerit, nec priuatæ perſonæ ſingulare aliquod vitæ genus ſine Patrum ſuorum ſpiritualium ac ſuperiorum approbatione aggredi vnquam potuerint? Nihil ergo ad rhombum hæc omnia: videamus reliqua. *Huic tertio vitio affine eſt aliud, confuſio ſcilicet temporum, dum poſtert in Patrum exemplis occupati diuerſam agendi legem ſibi à Domino præſcriptam eſſe non cogitant.* Hoc ſi ita eſt, iam ad primam accuſationem redit; ne de ijs qui poſthabito Dei mandato ad Patrum ſe exempla conformant. Cui quod antea reſponſum eſt, hic quoque ſatisfaciet. Sed aliquid in ſpecie dicturus Caluinus eſt. Audiamus. *Huic* (inquit) *inſcitiæ acceptum referri debet immẽſa ceremoniarum congeries, quibus obruta eſt Eccleſia ſub Papatu.* Hæc adhuc indefinita accuſatio eſt, quia nec ceremonias deſignat quæ ſpirituali huic viro diſplicent, nec ex qua parte ſtet illa cõgeries oſtendit. Sed doloſus verſatur in generalibus: & Caluino magis ex re viſum eſt dolo agere quàm *in ſinceritate veritatis & honeſtatis.* Audiamus adhuc cætera. *Statim ab Eccleſiæ exordio ex hac parte peccari cœptum eſt, quia plus valuit ſtulta Iudaiſmi affectatio, quam decebat. Habebant Iudæi ſua ſacrificia. Ne tali pompa carerent Chriſtiani, inuentus eſt immolandi ritus. Quaſi verò deterior futura eſſet Chriſtianæ Eccleſiæ conditio, ſi ceſſaſſent omnes vmbræ, quibus offuſcari poterat Chriſti claritas.* Hic inſtituitur veteris Eccleſiæ accuſatio. Sed primùm totam actionem reiicimus vt nefariam conſpirationem, iuri humano atque diuino repugnantem. Non eſt audiendus filius contra Patrem, aut ſeruus contra Dominum, in ijs quæ ius paternum, aut Domini prærogatiuam concernunt. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, neque ſeruus maior Domino ſuo.* Caluinus aut filius & membrum Eccleſiæ eſt, aut extraneus hoſpes & aduena. Si filius, aut membrum, non eſt audiendus

Bolſecus in vita Calu. Luth. in fine l. de ſeruo arbit.

Veteris Eccleſiæ accuſatio. Matth. 10.

1. *Caluinus.*
2. *Caluinus. 3. Reg. 18.*
Caluinus.
B *Caluinus.*
Gnoſtici & Circumcelliones.
C
3. *Caluinus, Caluinus. Monaſtices inſtituta antiquiſsima. Caluinus.*
D *Caluinus.*
Caluinus.
1. Cor. 5. Caluinus.

contra Patres & capita Ecclesiarum Christi. Si extraneus, & aduena, eius accusatio contra domesticos fidei multò magis reijcienda est. Deinde iuxta Apostoli regulam : *Aduersus* A
1.Tim.5. *Presbyterum accusatio recipienda non est, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Caluinus ergo contra totum Presbyterium veteris Ecclesiæ solus arguens & absque testibus, non audiendus, sed castigandus est. Rursum actio sequitur forum rei. Si veteris Ecclesiæ Patres reos constituere Caluinus vult, non eos apud tribunal suum, sed apud tribunal Christi, quod in terris aliud non est quàm Ecclesia Christi, conuenire debet. Nunc homo impius & audax, actorem & iudicem agit: accusat & condemnat. Nullam Ecclesiam, sed seipsum audit. Postremò quid erit in religione firmum, quid constans, quid certum, si totius veteris Ecclesię, *ab ipso eius exordio* (sic enim loquitur) praxis, idque in toto externo cultu, post tot sæcula, argui, reprehendi, superstitionis & affectati Iudaismi damnari possit? An non eadem libertate quilibet alius hæreticus quolibet fidei dogma, quantalibet omnium Patrum ab ipso Ecclesiæ exordio consensione firmatum, conuellere, arguere, & condemnare poterit? Sanè sic noui Ariani in colloquio Petricouiæ habito cum Protestantibus anno 1566. Patrum testimonia & veteris Ecclesiæ consensum eadem fiducia circa Christi diuinitatem reiecerunt, qua reliqui Protestantes & hic Caluinus circa Sacrificium Ecclesiæ eiúsque ceremonias eandem veterem Ecclesiam reijciunt. Quare hac in re Caluinus nihil nisi suam dementissimam insaniam pio, & prudenti Lectori prodidit. *De illis enim dubitare* (multò magis illa affectati Iudaismi dam- B
nare) *quæ tota per orbem frequentat Ecclesia, insolentißimæ insaniæ est*, ait Sanctus Augustinus, vir (ni fallor) Caluino modestior, & fide dignior. Sic ipsam, vt dixi, actionem, vt improbi hominis nefariam conspirationem, meritò reiicimus. De re verò ipsa mox in alio huius Euangelij loco dicetur. Iam ad recentioris Ecclesiæ accusationem descendit, & ait.
Caluinus. *Sed postea longius erupit, ac sine modo grassatus est furor.* Furiosa est, & nihil aliud, quàm insani cerebri declamatio, nulla ratione subnixa, nullo argumento firmata. Concludit tandem. *Ergo ne hic labamur, semper ad præsentem regulam attentos nos esse oportet.* At quæ est hæc præsens regu-
Caluinus. la? Attendat Lector, ne se inanibus verbis falli patiatur. *Olim* (inquit) *suffitus, luminaria, vestes sacræ, altare, vasa, & similes ritus Deo placebant. Nempe quia obedientia nihil habet gratius, vel magis pretiosum. Nunc à Christi aduentu mutata est ratio.* Qui sic Caluine, aut vnde id probas? Ne vno quidem verbo probat impostor à Christi aduentu mutatam esse rationem, vt nunc ceremonijs externis in cultu Dei externo non sit opus. Sed suam nudam ac simplicem assertionem, totius accusationis fundamentum ponit. Suam nudam ac simplicem assertionem,
Caluinus declamando, nō probando totam Eccles. accusat. *præsentem regulam* vocat, *ad quam attentos nos esse oportet.* Post omnem declamationem, tam contra veterem quàm contra præsentem Ecclesiam, quum ad rem & punctum venitur, quo ac- C
cusationis totius causa, ratio, fundamentum constitui debet, nihil adfertur aliud, quàm nuda & simplex affirmatio. Atqui qua ille facilitate mutatam iam esse in Christi aduentu rationem affirmat, vt altaria, quæque eo pertinent locum amplius in Ecclesia Christi habere non debeant, eadem facilitate hoc totum nos illi negamus: & negantem habemus nobiscum vniuersam Ecclesiam Christi, tam veterem ab ipso eius exordio quàm præsentem. Nec negamus tantum, sed & ex Apostolo probamus, disertis verbis dicente, *Habemus altare, de quo edere non*
Heb.13. *habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* Si altare, suffitus quoque, luminaria, vestes sacras, vasa, & similes ritus eò pertinentes. Cæterùm de re hic non disputamus, nec disputandi locus est. Caluini tantùm aduertenda improbitas, impudentia, impietas, qui post tam longam accusationem, tam in genere, quàm in particulari, tam grauem, tam acerbam, quum ad causæ firmamentum venitur, nihil quàm Lectorem ludificat. Perpetuus hic illi mos est. Audacter asserit, confidenter accusat, copiosè concludit. Nihil omnino probat, nihil confirmat.
Ephes.4. Hoc est impostorem ac seductorem agere, & vt Apostolus dicit, *in astutia & nequitia circumuenire.*
Caluinus. Quare iterum post nudam & simplicem assertionem suam fortissimè concludit. *Ergo quid nobis in Euangelio præscribat Christus, considerandum, ne temere sequamur quod sub lege Patres seruarunt. Nam quæ tunc fuit pia sacrorum obseruatio, hodie sceleratum sacrilegium foret.* Quid in Euangelio præ- D
scribat Christus, & quàm latè patet docendi potestas Ecclesiæ magistris in Euangelio data, & quatenus externis ritibus Deus colendus sit, ipsa nos Ecclesia docere debet & docuit, non Caluinus, non alius quilibet post tot sæcula nouellus magister. Lippis ac tonsoribus in Ecclesia Catholica notum est ceremonias Ecclesiæ non ex imitatione Iudaica magis quàm Ethnica, sed ex Apostolorum & Apostolicorum virorum pia institutione promanasse. De qua re mox plura dicemus in postremo huius Euangelij loco. Nam de ipsa SS. Patrum saluberrima & ne-
Lib.7.c.12 & seqq. lib.11.c.5. cessaria authoritate, & quatenus ea valeat, & quousque se extendat, in opere nostro de Principijs fidei iam olim latè diximus.

3. Vos

A

3. *Vos adoratis quod neſcitis. Nos adoramus quod ſcimus.*

LOcus impotentem Caluini calumniam, qua Catholicos ad hæc verba grauat paucis repellendi. *Hoc* (inquit) *fulmine concidunt bonæ omnes intentiones quas vocant. Habemus enim homines nihil poſſe quàm errare vbi ſua eos regit opinio ſine verbo aut mandato Dei. Nam Chriſtus perſonam & cauſam gentis ſuæ ſuſcipiens, Iudæos longè à Samaritanis diſtare docet, & hoc vno eos præſtare, quod æternæ ſalutis fœdus cum illis pepigerat Deus: & quòd non incognitum aliquod numen, ſed Deum vnum adorant, qui ſe illis patefecit, & à quo ſunt in populum adoptati.* Obſeruanda eſt collectionis Caluinianæ abſurditas pariter & impietas. Abſurda & inſulſa hæc collectio eſt. Samaritani quia cum vero Deo falſos deos colebant, nec vllam habebant religionis ſuæ certam regulam ac normam, videlicet nec Scripturas (niſi ſolum Pentateuchum) nec ſacerdotes legitimos & à Deo miſſos, nec certa legitima ſacrificia aut feſta à Deo inſtituta, ſed in 4. ſectas (Sebuæos, Corthenos, Doſitheos, Eſſenos) diuiſi tam ſacrificia immutabant, quàm feſta transferebant, prout cuique ſectæ viſum erat, & à ſolo diuini cultus loco ac templo abhorrebant, has & alias ob cauſas, *adorabant*
B *quod neſciebant*, id eſt, in toto Dei cultu aberrabant: ergo Chriſtiani Catholici nullas bonas intẽtiones habere poſſunt, niſi quæ in Dei verbo aut mandato ſcripto continentur. Hæc eſt enim ex illis verbis, *vos adoratis quod neſcitis*, Caluini concluſio. Cuius abſurditas in ſimili apparebit. Qui ambulat in tenebris, ambulat quo neſcit: ergo qui ambulat, in lumine niſi lucernam manu gerat, ambulat quoque quo neſcit. Chriſtiani quippe Catholici & fide iam ac ſpiritu Dei donati, ambulant in lumine, *aguntur Spiritu Dei*, habent ductores, quos Deus illis dedit. Scripturarum lucerna non ſemper opus habent. Multa pietatis opera, vel ex Spiritus Sancti ſolo inſtinctu, vel iuxta ductorum ſuorum ac Paſtorum conſilia, abſque expreſſo in Scripturis mandato Dei, piè ac laudabiliter exequuntur. Quorum niſi in ipſis Scripturis multa occurrerent exempla, (quæ in alio huius operis loco enumerauimus) fingi hoc à me videri poſſet. Nunc autem ex bonis filiorum Dei intentionibus (quibus ſe hoſtem Caluinus profitetur, tum hoc, tum alijs in locis) quæ vel non expectato Dei mandato ſpontaneas Deo oblationes & hoſtias ſpirituales faciũt, vel præter & vltra ipſum Dei mandatum in Scripturis poſitum (quod frequenter neceſſaria ſola præſcribit) opera ſupererogationis præſtant, innumera bona opera Deo gratiſſima procedũt. De quibus in Promptuario noſtro Morali ſemel atque iterum diſſeruimus. Vt ipſemet Caluinus hunc ſuum comm. in Euang. Ioann. in Harm. trium Euangeliſt. in omnes Apoſtolicas Epiſt. conſcriberet, in quo quæſo verbo aut mandato Dei ſcripto fundatur? Aut vbi mandatum
C in Scriptura accepit? An negabit tamen, aut videri ſaltem non volet, ex bona intentione ad Dei gloriam & proximi vtilitatem ſe ea omnia ſcripſiſſe? Negare etiam poterit abſque vllo Dei verbo aut mandato in Scripturis poſito ad illa opera animum applicuiſſe? Cur ergo cœcus hæreticus in alijs tam multis piorum bonis operibus ac laboribus, eaſdem bonas intentiones non aduertit? Cur eas reprehendit, & hominum impiorum, qui verum Deum ignorant, cœco curſui aſſimilat? Omnes à vero Dei cultu alieni, vt iſti Samaritani, vt Pagani, vt hæretici, *adorant quod neſciunt*: nec eos iuuare poſſunt bonæ aliquæ intentiones, quia *ſine fide impoßibile eſt placere Deo, & ſpiritum Dei* non habent, *à quo agantur*. At verò pij & Catholici Chriſtiani, Chriſto capiti in ſuo corpore, quod eſt Eccleſia, adhærentes, ideóque Spiritum Chriſti, qui in corpore eius eſt, & extra corpus eius non eſt, in ſeſe habentes, id *adorant quod ſciunt*, in Dei cultu non aberrant, tametſi extra Scripturæ terminos multa bona in Scripturis non præſcripta operentur, & eorum bonæ intentiones plurimum eos iuuant, multáque præclara opera Deo grata, proximis vtilia proferunt. Ex quibus efficitur non abſurdam modo, ſed & impiam (vt dixi) collectionem hanc Caluinianam eſſe. Quare quod iterum hoc loco repetit & ingeminat, eadem impietate laborat. *Quantũuis* (inquit) *in ſua pertinacia ſibi blandiantur & plaudant, qui ex ſenſu ſuo, vel hominum traditionibus adorant Deum, hæc vna vox de cælo detonans, quicquid ſe habere putant diuinum & ſanctum, proſternit. Itaque vt Deo probetur noſtra religio, neceſſe eſt vt in ſcientiam ex eius verbo conceptam recumbat.* Quadrant hæc verba optimè in ipſum Caluinum, omnéſque ſectarios, qui ex *ſenſu ſuo* (non ex ſenſu Eccleſiæ, non ex ſenſu, & conſenſu SS. Patrum, contra quos modò Cal-
D uinus declamauit, non ex ſenſu SS. Conciliorum) *& ex hominum traditionibus*, Lutheri, Bucери, Zvvinglij, & aliorum placitis, Deum adorant, Scripturas exponunt, dogmata fabricãt, cultum inſtituunt. Iſti omnes adorant quod neſciunt. Iſtorum religio non recumbit in ſcientiã ex verbo Dei conceptam, ſed in ſcientiam ex proprio cuiúſq; cerebro conceptam, ad quam poſtea Dei verbum contorquent, vt in noſtris, fauente Deo, Antidotis Euangelicis & Apoſtolicis toti orbi manifeſtum fiet. Catholici verò, quorum hic bonas intentiones extra ſcriptum verbũ impugnat Caluinus, *nec ex ſenſu ſuo, nec ex hominum traditionibus*, ſed ex ſenſu Spiritus Dei, quem acceperunt in corpore Chriſti, & ex hominum quos Deus miſit, ſuæque Eccleſiæ præfecit, & eam docere ac regere iuſſit, doctrina & præceptis Deum colunt: Religionem quoq; tenẽt non à ſeipſis recenter inuentam, vt Caluinus cum ſuis, ſed ex verbo Dei conceptam, iuxta perpetuã Catholicæ Eccleſiæ fidem, & Sanctorum probatorum expoſitiones orthodoxas: quas contra omnes quocunque tempore exurgentes hæreſes paſtores Eccleſiarum; qui pro tempore fuerunt,

Caluiniana collectionis abſurditas. Epiphan. hær. 9.

Bona opera in Scripturis nõ præſcripta. In Dõ. inf. Oct. Nat. Domini.

Dõ. 1. poſt Epip. tex. 1 Dom. Paſchæ tex. 2. Dõ. 4. poſt Pent. tex. 2

Heb. 10. Rom. 8.

Caluiniana collectionis impietas.

Senſum ſuũ & traditiones humanas non Catholici, ſed hæretici ſequuntur.

De Princ. fid. l. 7. c. 12

summa religione & diligentia sequuti & imitati sunt, vt alio in loco ostendimus. Iam verò abA
sterſa hac Caluini in Ecclesiam Catholicam calumnia, videamus quàm hæc responsio, *vos adoratis quod nescitis*, in ipsum maximè Caluinum, omnésque hæreticos, rectè ac meritò retorqueri debeat. Samaritani adorabant quod nesciebant, quia nec verum Deum cognoscebant, nec

Hæretici hodie Samaritanis similes.

eum rectè colebant. Non cognoscebant verum Deum, quia quem pro Deo colebant, illius solum terræ Samaritanæ, non vniuersorum, Deum esse credebant. Non eum rectè colebant, quia nec ritus à Deo præscriptos tenebant, & præterea multos falsos Deos adorabant. Temporis denique progressu etiam templum magnum in monte Garizim extruebant, quod templo Hierosolymitano ex Dei mandato extructo æmulum foret. Sic templum contra templum, altare contra altare, erigebant, séque veros Dei cultores venditabant. Eorum originem his verbis describit Scriptura. *Abductis decem tribubus in Assyriam*, (quarum tota possessio Samaria tunc vocabatur) & in eorum locum ac possessiones Assyrijs translatis, *Nuntiatum est regi Assyriorum, & dictum: Gentes quas transtulisti & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ pro filijs Israël, ignorant legitima Dei terræ, & immisit in eos Dominus leones: & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ri-*

4. Reg. 17.

tum Dei terræ. Præcepit autem Rex Assyriorum, dicens, ducite illuc vnum de Sacerdotibus, quos inde captiuos abduxistis, & vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ. Semper vocant eum quem colere intendebant *Deum terræ*, quasi illius terræ proprium quendam Deum, & non totius vniuersi conditorem. *Igitur quum venisset vnus de Sacerdotibus his qui captiui ducti fuerant in Samaria,* B
habitauit in Bethel (hic est ille mons, in quo Iacob adorabat, & de quo hæc mulier in hoc Euan-

Genes. 33.

gelio loquitur, extructo tunc illic templo magnificentissimo) *& docebat eos quomodo colerent Dominum. Et vnaquæque gens fabricata est Deum suum: posueruntque eos in phanis excelsis quæ fecerant Samaritæ, gens & gens in vrbibus suis, in quibus habitabat. Viri enim Babylonij fecerunt Socothbenot: viri autem Cuthei fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Asima. Porrò Heuæi fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharuaim comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech dijs Sepharuaim, & nihilominus colebant Dominum, fecerunt autem sibi de nouissimis Sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in phanis sublimibus. Et cùm Dominum colerent, dijs quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam. Vsque in præsentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent Dominum, neque custodiunt ceremonias eius, atque iudicia & legem & mandatum quod præceperat Dominus filijs Iacob.* Hæc est Samaritanorum origo, hæc eorum adoratio, hic cultus. Sic adorabant quod nesciebant. Vide nunc an non in nostri maximè temporis hæreticis eodem modo se res habeat, vt verissimè adorent quod nesciant. Samaritani colebant Dominum in Bethel,

Ioseph. Antiq. lib. 11. cap. 8.

in quo postea loco Manasses homo Iudæus ducta in vxorem Sanabaletis filia, qui Darij nomine Iudææ præfuit, ne fratre summo apud Iudæos pontifice esset inferior, magnificum templum C
extruxit, & *Sacerdotem se illic creauit, ac quoscunque potuit apostatas* (vt ait in hunc locum Caluinus) *præmijs ad se pellexit*, soceri videlicet sui fretus potentia. Sic autem in hoc monte Dominum colebant, vt vnaquęque gens in aliis excelsis & phanis sua idola, suis propriis ritibus cole-

Comparatio Samaritani templi & schismatis cum hodierno schismate.

rent. Omnino pari ratione, hæretici hodie Christiani Catholici quũ essent, ipse imprimis Martinus Lutherus, Monachus, Sacerdos, & Doctor, ne quodam alio fratre suo, cui Indulgentiarum publicatio (res tum lucrosa) commissa fuit, inferior esset, (eandem quippe modis omnibus ambiuerat) fretus Saxoniæ Ducis authoritate ac potẽtia, cuius nouellæ filiæ, Academię VVittembergensi primarius professor ascitus fuerat, nouum in Germania & peramplum latè patentis schismatis templum Ducis sui potentia fretus erexit, altare contra altare, cathedram contra cathedram instituit, Romanæ Sedis legitimam authoritatem omnibus modis conuellẽs, Sacerdotem se illic nouum Euangelistam, & Prophetam, Apostolum creauit: & vt Caluini verbis vtar, *quoscunque potuit apostatas ad se pellexit.* Mox Lutherani quasi noui Samaritæ crescere & multiplicari cœperunt. Cæterùm qui Luthero ad momentum adhæserunt, & cum eo Dominũ colebant, id est, Christiani vocari semper volebant, confestim suos quisque deos, sua idola, sui cerebri phantasmata colebant, alij rigidi, alij molles, alij extrauagantes Lutherani: & inter hos alij Zvvingliani, alij Anabaptistæ, alij Osiandrini, alij demũ Caluinistæ, vt multo plures sectæ breui momento exortæ sint, quàm apud Samaritas gentes erant diuersos deos colentes. Qui quidem omnes sicut Samaritæ Dominum in Bethel coluerunt, sic iuxta nouum Euangelium à D
Luthero restauratum se Dominum colere protestantur. Lutherum enim pro viro Dei & magno Propheta omnes adhuc sectæ reuerentur: & illorum Bethel VVittemberga est. Interim tamen alius Geneuæ, alius Tyguri, alius in Anglia partim Protestantium qui Regiæ voluntati se accommodant, partim Puritanorum cultus est, alia politia, varia & diuersa dogmata. Omnibus hoc commune est, vt cum Samaritis illis, *non custodiant ceremonias, iudicia atque mandata Dei*, iu-

Matth. 28

xta eorum præscripta, quibus Christus dixit, *Docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæcũque præcepi vobis*: iuxta Ecclesiæ Catholicæ & Præpositorum eius doctrinam & traditionem. Sequitur vnusquisque sua placita tam in Sacramentorum administratione, quàm in verbi prædicatione, totóque cultu atq; doctrina, *Sic adorant quod nesciunt*: in tenebris ambulant. Ab eis lumen accipere nolunt, quibus Christus dixit, *Vos estis lux mundi.* Ab eo pasci nolunt, cui Christus dixit,

Matth. 5. Ioan. 21. Lucæ 10. Hebr. 13.

Pasce oues meas. Eos audire nolunt, quibus Christus dixit, *Qui vos audit, me audit.* Illis obedire nolunt, de quibus Paulus dixit, *Obedite præpositis vestris.* Suam quisq; lucem sequi vult, semetipsos pascere, solum Christum in Scripturis loquentem audire, nemini obedire volũt. *Sic adorant quod nesciunt,*

A *nesciunt*, & ambulant quò nesciunt. Nam cum veteribus quoq; Samaritis *faciunt sibi ex nouissimis Sacerdotes excelsorum*. Homines mechanicos, illiteratos, audaces, temerarios, ministerio verbi præficiunt. Hos cœcos duces alij cœci sequuntur, vt adorent quod nesciant.

Sanè contentione illa Samaritanorum cum Iudæis, propter extructum illud templum longius progrediente, re tandem ad iudicium Ptolomæi regis delata, & acerrimè à cuiusq; partis aduocatis examinata, ex hoc imprimis argumento, quod Iudæi templi sui antiquitatē multò maiorem, Sacerdotum in eo perpetuam successionem, Prophetarum qui illi adhæserunt prædicationem ostenderent, quibus omnibus Samaritæ carebant, causa ceciderunt Samaritæ. Pronunciatum est eos adorare quod nesciebant. Iudæos illud adorare quod sciebant, id est, totius cultus sui certam scientiam, certa fundamenta, normam & regulam certam habere. Eundem planè in modum nullo negotio conuincentur hæretici hodie adorare quod nesciunt, quia in eorum Bethel, nec Antiquitas est, nec Sacerdotum successio, nec Prophetarum prædicatio: demonstrabitur verò nos Dei beneficio Catholicos hæc omnia habere, apud nos esse totam antiquitatem, ex cuius testimonijs fidem nostram roboramus, esse Pontificum & sacerdotum successionem, *quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam suam*: esse Sanctorum Doctorum & Patrum vnanimem consensum, *quibus Ecclesia* (vt Augustini verbis vtar) *plantatoribus, rigatoribus*, *ædificatoribus*, *pastoribus, nutritoribus creuit*: ideóq; nos adorare quod scimus. Et sicut olim *salus ex Iudæis erat*, quia Christus salutis author, & Euangelica doctrina, & Lex, & promissiones ex ipsis erant, quatenus eis prædicta & promissa, & à Christo (qui ex eis erat) impleta fuerunt; sic nunc salus ex Catholicis est, & in sola Ecclesia Catholica Apostolica Romana, quia Christus salutis author non nisi in illa Ecclesia, quæ corpus eius est, loquitur, quia tota Euangelica doctrina & Lex Dei, & quæcunq; Dei promissiones in ea & ex ea sunt, quatenus eius ministerio docentur, & non nisi in ea, eiúsq; vnitati adhærentibus, adimplentur & possidentur. Et sic quidem omnes horū temporum sectæ & hæreses hoc vno fulmine concidunt. *Vos adoratis quod nescitis*: & hæc vna vox de cœlo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum prosternit.

Ioseph. Antiq. lib. 13. cap. 6.

Cont. Iul. lib. 2. Ioan. 4.

B

4. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

LOcus corruptionem & deprauationem hæreticam necessariò reformandi. Ex his quippe verbis fortiter pugnant hæretici, noui testamenti cultum, & Euangelij statum, omnibus externis ceremonijs vacuum esse debere, nec nisi spiritualem, nudum, ac simplicem. Spi-
C ritum enim hoc loco interpretantur, vt à corpore distinguitur, & actum animæ tantū spiritualem significat. Vnde Caluinus. *Deum colere in spiritu & veritate, est ablatis veterum rituum inuolucris simpliciter retinere quod spirituale est in Dei cultu. Nam veritas diuini cultus in spiritu consistit, ceremoniæ autem quiddam erant aduentitium*. Et iterum: *Omnibus sæculis fide, precibus, gratiarum actione, puritate cordis & vitæ innocentia coli Deus voluit: sed erant in Lege variæ accessiones, vt Spiritus & veritas sub inuolucris lateret*. Sic spiritum & veritatem exponit, quatenus externis omnibus ritibus & ceremonijs opponitur quibus spiritualis cultus adumbratur & significatur. Sic omnes ceremonias quæ aliquid spirituale adumbrant aut significant, pro Iudaicis habet Caluinus. Quare mox ceremonias Ecclesiasticas pro huiusmodi habens, in eas inuehitur. *Hoc* (inquit) *discrimen in Papatu non modò confusum, sed penitus euersum fuit. Neque enim illic minor est vmbrarum densitas, quàm fuit olim sub Iudaismo*. Sed fallit lectorem impostor. Ceremoniæ Iudaicæ non ideo vmbræ fuerunt, quia spiritualem & interiorem cultum adumbrabant, aut significant, sed quia rerum veritatem, quas Christus completurus erat, vel quæ in Christo compleri debebant typicè & figuratiuè adumbrabant. Neq; enim sacrificia animalium & ceremoniæ Iudæorum exteriores, data & instituta à Deo erant, quasi actus exteriores ex interiori virtute procedentes: neq; ea iussit fieri, quasi illa ipsius fidei, dilectionis, & interiorum virtutum actus essent (quamuis qui ea fide & dilectione exhibuissent, rectè, & in Spiritu facere dicti fuissent, nec sic legale opus exercuissent, sed Euangelicum, nouiq; testamenti proprium) sed vt essent figuræ ac repræsentationes quædam eorum, quæ per Christum futura erant, cuius venturi fidem illa exercendo protestati sunt. Et in
D hoc Iudæorum cultus à gentilium cultu latissimè differebat. Non enim gentes sua holocausta & ritus faciebant, quasi futurorum signa, sed quia grata Dijs suis existimabant. Iudæus non sic habuit à Deo mandatum: imò expressè eos docuit Deus quod holocaustis & sacrificijs nō delectaretur. Quare non ea instituit, quasi quæ in se, & per se placerent, nec vt eorum tantum obedientiam exercerent, vt putat Caluinus, qui ideo hæc Deo grata fuisse ait, quia ab ipso mandata & præscripta fuerunt: sed vt figura eorum, qui illi placebant, & vt pædagogia quædam ad rerum pro salute humani generis futurarum notitiam eos manu ducens. *Adorare* igitur *in spiritu & veritate*, non est nullis externis ceremonijs Deū colere, ne etiam eadem opera omnes etiam externi pietatis actus excludantur; sed est non amplius, aut falsitate adorare, sicut fecerūt Samaritani (vt supra explicatum est) aut sacrificijs figuratiuis ac ceremonijs vmbraticis, quæ alterius cuiusdā veritatis vmbræ ac repræsentationes sint, verū in veritate rectæ fidei sanæq; doctrinæ, & in operibus ex Spiritu procedentibus, seu actibus cum interna pietate coniunctis, Deum adorare. Si

Ceremoniæ Iudaicæ quo sensu vmbræ fuerunt.

Adorare in spiritu & veritate quid.

Duo adorationis genera alijs duobus oppositа, verum falso, perfectum imperfecto.

enim rectè aduertimus, hæc duo alijs duobus Christus oppoſuit. Quum enim dixiſſet, *Venit hora quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem*, interiecta aliqua diſtinctione vtriuſque adorationis, & Samaritanorum adoratione reiecta, Iudæorum defenſa, ſubiungit repetens. *Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Iudæorum adorationi, id eſt, toti cultui externo qui in tẽplo Hieroſolym. fiebat (de eo enim erat tunc ſermo) opponit adorationem ex Spiritu, id eſt, cultum non legalem, ſed Euangelicum, non carnalem, ſed ſpiritualem, non in ſacrificijs & ceremonijs futurarum rerum figuratiuis & vmbraticis, ſed in actibus ſeu merè internis ac ſpiritualibus, vt pura fide, dilectione, ſpe, ſeu etiam externis, ſed ex ſpiritu procedentibus & ab alijs illis virtutibus aut elicitis aut imperatis, ideóque ſpiritualibus quoque. Samaritanorum adorationi, quæ tota falſa erat & cœca (*adorabant enim quod neſciebant*) opponit cultum Dei *in veritate*, in ſana fide, & recta Dei notitia: vt veritas errorem excludat, quo Samaritani laborabant, ſicut Spiritus ceremonias legales & carnales excludebat, ex quibus cultus Iudaicus conſtabat. Et hic ſenſus à doctiſſimis Eccleſiæ Patribus traditur, vt mox docebitur. A

Caluini ignorantia docetur.

Sed vt ad Caluini commenta reſpondeatur, non eſt quidem dubitandum, *omnibus ſæculis fide, precibus, gratiarum actione, puritate cordis, & vitæ innocentia ſe Deum coli voluiſſe, & ſpirituales Iudæos ita Deum verum piè ac ſtudioſè coluiſſe.* Sed non erat ille legalis cultus, verùm Euangelicus, nec templo Hieroſolymitano proprius, cui adoratio in Spiritu opponitur, ſed quem quouis in loco ac tempore quilibet verus Iſraëlita, ſeu alius quicunque Dei cultor exerceret: *Acceſsiones verò ceremoniarum Iudaicarum* non ideo adhibebantur, *vt in illis inuolucris Spiritus ac veritas lateret*, vt Caluinus affirmat; Spiritus, inquam, & veritas, ſicuti hoc loco à Chriſto accipiuntur, vt ſupra ſatis oſtendimus; ſed ad futuras veritates adumbrandas, vt iam dictum eſt, docétque latè in Epiſtola ad Hebræos Paulus. Quod ergo Caluinus addit *hoc diſcrimen in Papatu eſſe cõfuſum, adeóque euerſum, quia non eſt illic minor vmbrarum denſitas, quàm olim ſub Lege fuit*, vel putida cauillatio, vel craſſa ignorantia eſt. Nullas enim vmbras Papatus habet, nullas ceremonias vmbraticas, quæ videlicet futurarum rerum vmbræ & figuræ aut repræſentationes ſint, quales ceremoniæ Iudaicæ erant, dicente Apoſtolo. *Vmbram habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtijs quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere.* Noſtra ſacramenta, noſtrum ſacrificium à Chriſto inſtitutum, non ſunt futurorum bonorũ vmbræ, ſed ſunt præſentium bonorum, quæ nobis conferuntur, inſtrumenta & ſigna efficacia. Noſtræ ceremoniæ circa Dei cultum, noſtra templa, altaria, veſtes, ac vaſa ſacra, luminaria, ſuffitus, noſtræ genuflexiones, & quicunque externi ritus, nihil futurum adumbrant, ſed vel actus exteriores ſunt ex interiori virtute procedentes, quæ per ſe Deo placent; vel actus reuerentiæ erga Deum, atque etiam ad excitandam mentis deuotionem, & ad rerum ſpiritualium, quas tractamus, aliquam expreſſionem, ac denique interni cultus noſtri atteſtationem, quæ omnia ſpiritualis cultus adiumenta ſunt. B C

Vmbratiles ceremoniæ amplius non ſunt. Hebr. 10.

Ceremoniæ Eccleſiaſticæ cur adhibentur.

Videamus an hoc ipſum Caluinus & ſequaces eius interdum non atteſtentur. Sanè Caluinus tum in definitione ſacramenti ait, *nos in ſacramentis, pietatem noſtram erga Deum tam coram eo, & Angelis, quam coram hominibus teſtari*, tum poſtea explicans ſacramenti naturam ait diſertè *ſacramenta ceremonias eſſe, quibus Deus exercet populum ſuum ad teſtandam apud homines religionem*: tum denique in vniuerſum de ceremonijs dicit, *gentilitias illas initiationes in ſua ſacra & cæteros degeneres ritus, tametſi erroris erant ac ſuperſtitionis pleni, tuditio tamen fuiſſe, non poſſe in profeſſione religionis homines externis huiuſmodi ſignis carere.* Theodorus quoque Beza in confeſſione fidei ſuæ ita ſcribit. *Chriſtus veteres illas vmbras ſuo fulgore ita diſpulit, mundúmque ita docuit in Spiritu & veritate Deum colere, vt tamen nihilominus craſſæ & rudis noſtræ naturæ habuerit rationem, ideóque ſigna exteriora adiunxerit.* Habemus claram & perſpicuam aduerſariorum confeſſionem. Quæ ſi ad certa ſacramenta, certáſque ceremonias, quales Caluino placent, piè retinendas valet; quanto magis ad illa ſacramenta, ceremonias, ac ritus omnes, quæ tota per orbem frequentat Eccleſia, piè ac laudabiliter retinendas valere debet? Ineptè igitur, & quod ſuæ ipſius doctrinæ ex diametro aduerſatur, addit hoc loco Caluinus: *Quibuſcunque elabi cauillis conentur, in externa tantùm forma nos eſſe Patribus diſsimiles conſtat, quia illi ſpiritualiter Deum colentes ceremonijs aſtricti erant, quæ Chriſti aduentu ſunt abolitæ.* Habemus quippe & nos ceremonias ac ritus (teſte Caluino) *ſine quibus religionis profeſsio nõ ſubſiſtit*, &, vt ait Beza, *quæ craſſa ac rudis noſtra natura poſtulat.* Non ergo Iudæis in externa forma ideo diſſimiles ſumus, quod illi ceremonijs aſtricti erant, nos nullis aſtringi debemus; ſed in hoc planè plurimũ diſſimiles ſumus, quod illi per ſuas ceremonias Deum ſpiritualiter non colebant (quod hic aſſerere videtur Caluinus) ſed aliud quid agebant, vt ſupra explicatum eſt. Tales vmbratiles ceremoniæ Chriſti aduentu abolitæ ſunt: Ceremoniæ Eccleſiaſticæ, quales ſupra deſcripſimus, abolitæ non ſunt: ipſomet teſte & approbante Caluino. Fruſtra igitur hoc loco, atq; etiam paulò ſuperius, contra veteres Patres, ceremoniarum cultores, planéq; ſuæ ipſius doctrinæ repugnanter declamitauit Caluinus. D

Caluinus ſeipſum refutat.

In huius Euang. text. 2.

Nunc ſenſum verborum Chriſti quem dedimus, quatenus adoratio in Spiritu & veritate, adorationi Samaritanorum & Iudæorum à Chriſto opponitur, ex Patribus aliquot doctiſſimis confirmabimus. Tractans hunc locũ Ambroſ. ait: *Spiritus hic ponitur pro gratia ſpirituali, in qua adoratur Deus, ſicut adoratur etiam in veritate. Non enim adorat, niſi qui veritatem diuinitatis eius pio hauriit affectu.*

Inſtit. l. 4. c. 14. n. 19.

Caluinus ſeipſum refutat. Ca. 4. n. 30

De Spir. S. lib. 3. c. 12.

A *affectu*. Veritatem igitur opponit errori circa verum Deum, quo laborabant Samaritani: Spiritũ, ſeu ſpiritualem gratiam ceremonijs Iudaicis, qua illæ carebant, & quæ Euangelio propria eſt. Idem clarius & expreſſius D. Cyrillus in hunc locum. *Præſens aduentus ſui tempus Chriſtus ſignificat, in quo figuras legis in veritatem, & vmbram in cultum ſpiritualem & placentem Deo Patri viuendi normam per Euangelicam doctrinam tranſmutari inſinuat. Spiritualis enim adorator Dei gratus eſt, qui non forma & figuris Iudaicis ad pietatem obumbratur, ſed Euangelica virtute refulgens, recta dogmatum diſciplina verã peragit adorationem*. Cultũ ſpiritualem opponit figuris Iudaicis, & veritatem exponit rectam dogmatum diſciplinam. Nec multum aliter Hilarius qui in his duobus verbis, *in Spiritu & veritate, libertatem ac ſcientiam adorantium oſtendi* ait: *Libertatem*, quia vmbratico cultui non adſtringitur, nec vlli certo loco, vt vtriq; putabãt, tam Samaritani, quàm Iudæi. *Scientiam*, vt errorem ac falſitatem, qua laborabant Samaritani, à veris adoratoribus remoueat. Sic igitur adoratur Deus in Spiritu & veritate, vt quemadmodum actus pietatis externos, & opera charitatis erga proximum, quibus Deum colimus, Deóq; ſeruimus in iuſtitia, hæc adoratio non excludit; ita nec vel ſacramẽta, vel ceremonias Chriſtianas excludat, quibus cultus Dei externus adminiſtratur, vel ad Dei gloriam, vel ad noſtram in Deum fidem ac pietatem magis ac magis excitandam.

In Ioan. lib. 2. c. 93.

De Trinit. lib. 2.

B

SABBATO HEBDOMADÆ III. Quadrageſimæ.

Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat. *Ioan. 8.*

LOCVS quidem hic moralis eſt, nec accuſatores, nec Iudices, nec executores iuſtitiæ idoneos illos eſſe, qui vel eiſdem criminibus, vel alijs laborant, quorum pœnas à delinquentibus depoſcunt, vel quæ in aliis inflatis buccis reprehendunt aut damnant. Sed noſtri temporis hæreticis imprimis hæc quadrant: omnes enim eorum & libri, & ad populũ conciones, cleri Catholici, maximéq; Romanorum Pontificum vitia & flagitia crepant. quod vt alibi quauis data occaſione impius & impurus Caluinus facit, ita nec in hoc Euangelio temperare ſibi potuit, quin eandem ſuam impetiginem proderet. *Notanda* (inquit) *circunſtantia eſt, quæ hic exprimitur, vt quiſque eorum honore alios antecedebat, reatu ſuo citius tactum fuiſſe. Audientes quippe quod Chriſtus dixerat, Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat, vnus poſt alium exibant incipiendo à ſenioribus. Atque vtinam ſaltem in Scribis noſtris, qui hodie ſuam operam ad Chriſtum oppugnandum* (id eſt, ad Caluinum, & alios eius farinæ homines, horum temporum hæreticos refutandos) *Papæ venditant*, (id eſt, Eccleſiæ Dei conferunt, quorum maxima pars Papam non vidit vnquam, nec aliquod ab eo beneficium vel accepit vel expectauit) *tantum eſſet verecundiæ. Sed adeò ipſos depuduit, vt flagitijs omnibus infames eo ipſo glorientur, quod probroſis impunè eſſe liceat*. Hæc hoc loco Caluinus, non S. Scripturarum interpretem, ſed veteris comediæ ſcurram agens. Eadem modeſtia in ſua Inſtitutione vſus, de toto ordine Eccleſiaſtico ſcribit, *Nihil hodie fingi poteſt hoc ordine magis effræne ac diſſolutum, ac eò licentiæ prorupit, vt totus orbis vociferetur*. Cæterùm, qui non in vnum hominem, ſed in totum ordinem Eccleſiaſticum, non lapidem mittit; ſed tam ingentia ſaxa deuoluit, an ille ſine peccato eſt? an ita caſtus & purus, vt nullo incontinentiæ vitio tactus fuerit: Inſpiciantur etiam adhuc hodie ciuitatis Nouiodunenſis in Picardia ſcrinia & rerum geſtarum monimenta; in illis adhuc hodie legitur Ioannem hunc Caluinum Sodomiæ conuictum, ex Epiſcopi & magiſtratus indulgentia, ſolo ſtigmate in tergo notatum, vrbe exceſſiſſe. Nec eius familiæ honeſtiſſimi viri adhuc ſuperſtites, impetrare hactenus potuerunt, vt huius facti memoria, quæ toti familiæ notam aliquam inurit, è ciuicis illis monimentis ac ſcriniis eraderetur. Sed & quum Geneuæ dominaretur Caluinus, (adeò ſanè, vt aliquot annis vrbis claues penes illum eſſent,) Adonidem quoq; ſuum eum habuiſſe, & occultis libidinibus operã dediſſe, teſtatur pueri ex domo Caluini fuga, tota argentea Caluini ſupellectile onuſti, quem nec ex fuga retrahere, nec vllo modo inueſtigare Caluinus voluit, vt in eius vita ſcribit Bolſecus. Vbi & alia multa commemorantur impuri huius & improbi nebulonis inſignia ſtratagemata. De Theodoro Beza, qui Caluino ſucceſſit, & in totum clerum Catholicum perſæpè debacchatur, multos & magnos in eum lapides mittens, atque incontinentiæ redarguens, vnicum ipſius Bezæ de ſua turpitudine prœconium ſubijciam. Eſt quippe in tanto hæreſiarcha affectatæ turpitudinis ſempiternum teſtimonium. Sic ſuos amores decantauit:

C

D

In Comm. in hunc locum.

Caluini procax criminatio in totũ ordinem Eccleſiaſticum.

Lib. 4. c. 12. num. 22.

Caluinus Sodomitã.

Bolſecus de vita Caluini.

A

THEODORVS BEZA DE SVA IN CANDIDAM & Andebertum beneuolentia.

Abeſt Candida, Beza quid moraris?
Andebertus abeſt, quid hic moraris?
Tenent Pariſij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores,
Et tu Vezelijs manere pergis,
Procul Candidulaque, armoribuſque,
Et leporibus, Andebertuloque?

B

Immò Vezelij procul valete,
Et vale pater, & valete fratres,
Namque Vezelijs carere poſſum,
Et carere parente, & his, & illis,
At non Candidula, Andebertuloque.

Sed vtrum rogo præferam duorum?
Vtrum inuiſere me decet priorem?
An quenquam tibi, Candida anteponam?
An quenquam anteferam tibi, Andeberte?
Quid ſi me in geminas ſecem ipſe partes,
Harum vt altera Candidam reuiſat,
Currat altera verſus Andebertum?

C

At eſt Candida ſic auara, noui,
Vt totum cupiat tenere Bezam,
Sic Bezæ eſt cupidus ſui Andebertus,
Beza vt geſtiat integro potiri:
Amplector quoque ſic & hunc, & illam,
Vt totus cupiam videre vtrunque,
Integriſque frui integer duobus,
Præferre attamen alterum neceſſe eſt,
O duram nimium neceſsitatem!

Sed poſtquam tamen alterum neceſſe eſt,
Priores tibi defero, Andeberte:
Quod ſi Candida fortè conqueratur,
Quid tum? baſiolo tacebit vno.

D

Quid hoc nefario homine aut impudentius, aut impurius? Audet tamẽ & ille omnes qui cœlibatum vouent, infamis incontinentiæ arguere. *Nullum* (inquit) *eſt tam horrendũ libidinis genus, quo non ſeſe mutuo polluant, qui voto continentiæ ſeſe aſtrinxerunt.* Hæc ille. Impuriſſimus nebulo ſuã ſcabiem alijs affricat, & vt alter Nero, neminem putat caſtè viuere, quum fuerit ipſe in omni horrendo libidinis genere libidinoſiſſimus: quod præter infame carmen ſuperius poſitum, alijs adhuc ſuis elegijs obſcœniſſimis de ſua Publia & Candida toti orbi teſtatum voluit.

Cõfeſſ. fid. c. 5. ſect. 39

Eleg. 3. & 4.

In vita Maximini Imperatoris ſcribit Iulius Capitolinus, quum ad Heliogabalum imperantem veniſſet, operam ſuam Reipub. offerens impuriſſimum Heliogabalum ſic eum excepiſſe; *Maximine, 20. aut 30. milites diceris aliquando laſſaſſe: potes tricies cum muliere perficere?* Spurciſſimus Heliogabalus omnes ſui ſimiles exiſtimans, quem virum fortem eſſe audiuerat, libidinoſũ quoque fuiſſe libenter audit. Sic impurus Beza, quum omni horrendo libidinis genere ſeſe polluiſſet, eaſdem turpitudines omnibus caſtitatis amatoribus perlibẽter impingit, alios ſuo pede metiri volens. Meminiſſe debuit hircus iſte, & petuclus nequam, huius Euãgelij documentũ: *Qui veſtrum ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat.* Iam verò non vnius aut alterius magiſtri,

ſed

A ſed totius in Anglia nunc miniſterij quanta ſit turpitudo, quàm fœda & procax incontinentia, tametſi coniugibus copulentur miniſtri, (quorum conciones in veteris cleri & Curiæ Romanæ reprehenſione vt plurimum totæ verſantur) ex eorum numero quidam edito libello euulgauit, & vernaculo ſermone ſcribens, prælaturæ Anglicanæ maculatorem ſeſe inſcribit. Maximas quippe & turpiſſimas illi maculas inſpergit, factorum ſpecies ita enumerans, loca & perſonas ita deſignans, vt nihil eſſe illo Anticlero & coniugato miniſterio fœdius aut impurius demonſtret, ſiue incontinentiam, ſiue auaritiam & rapinas, ſiue omne immanitatis genus ſpectes. Vnius Lutheri, qui in lib. de Papatu, & alibi ſæpe, ſpurciſſimis lædoriis omnes Eccleſiaſticos onerat, variam, & execrandam vitæ turpitudinem vide in hiſtoria parallela recenter edita, de comparatione Martini Lutheri, cum Sancto Martino Turonenſi Epiſcopo. *Martin. Marprelat.*

Sed nihil à veterum hæreticorum more atque vſu Caluinus & Beza faciunt, qui omnium impuriſſimi quum eſſent, Eccleſiæ ſemper Catholicæ Epiſcopis ac Presbyteris incontinentiæ crimen impingere modis omnibus ſtuduerunt. Apud Victorem Vticenſem Epiſcopum in Vãdalicæ perſecutionis hiſtoria legimus, Vandalos illos Arianos correptis ſanctimonialibus, & ſacris omnibus in vnum congregatis virginibus, *poſtquam eas crementes graui ſuſpendio atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mammillis & lateribus appoſuiſſent, inter tormenta illis dixiſſe, Dicite quomodo Epiſcopi veſtri vobis concumbunt, & Clerici veſtri. Quæ tamen quum fierent, nihil inueſtigari potuit, vnde Chriſti Eccleſiæ macularentur.* Hæc ibi. Inter cæteras calumnias, quas B Athanaſio maximo & potentiſſimo Arianorum Antagoniſtæ grauiſſimas machinabantur Ariani, etiam hæc vna erat, mulierem à ſe muneribus corruptam, vt ſuam cum ipſa libidinem expleret: noctuque præterea inuitam compreſſiſſe. *Sed vbi mulier, coram Epiſcopis Arianis in iudicium vocatis, hæc obiceret, Timotheus presbyter Alexandrinus qui aſtabat Anaſtaſio (ſic enim inter eos clam conuenerat) ita affatur mulierem. Egone te per vim compreſſi? Tum illa, an non tu quæſo, inquit? tempuſque & locum in quo compreſſa fuerat, oſtendit.* Sic ridicula, calumniæque plena deprehenſa accuſatio eſt. Similibus calumniis multi ſancti Epiſcopi à veritatis hoſtibus vexati ſunt, Euſtathius Antiochenus, vt apud Theodoretum, Chryſoſtomus, Panynus, Brixius, vt in eorum vitis apud Surium videre eſt. Nec moderna deſunt exempla, ſiue quæ Hugonotica rabies in Gallia patrauit, ſiue quę Anglicana iam 30. & amplius annorum perſecutio contra catholicos machinata eſt, in memoriam reuocentur. *Hæret. veterũ praxis ad Clerum Catholicũ diffamandum. De Perſecutione. Vãdal. l. 2. Sozom. li. 2. c. 24. Theodor. li. 1. c. 21.*

Iam vero quid Caluino in mentem venerit, vt in hoc Euangelium catholicæ Eccleſiæ Theologis impingeret, adulterii impunitatẽ, ne ipſos quidem Caluiniſtas aut ſcire, aut coniicere poſſe arbitror. Sic enim ſcribit. *Hæc papalis eſt theologia, Chriſtum hoc loco Legem gratiæ attuliſſe, qua detur adulteris impunitas.* At quis vel idiota vel ſimpliciſſima anus in Eccleſia Catholica Ro- C mana neſcit, adulterium grauiſſimis pœnis tam Eccleſiaſticis quàm humanis puniri? Eadem impudentia dicere potuiſſet iuxta papalem theologiam, Chriſtum gratiæ legem attuliſſe, qua totius decalogi tranſgreſſoribus impunitas detur. Sed videamus an theologia Caluiniana hoc ipſum non doceat. Si enim nullis legibus, nec humanis, nec diuinis Chriſtianos obſtringi libertas Euangelica patitur, ſi ideo ſumus ſub gratia, non ſub lege, quia legis rigori, quæ tranſgreſſores acerbè punit, obnoxii non ſumus, ſed ſub gratia, quæ nos à Lege manumittit, ſi mandatorum Dei obſeruatio (inter quę eſt, *non mœchaberis*) ad obſeruandum impoſſibilis eſt, quæ omnia Caluinus & Caluiniſtæ omnes conſtantiſſimè docent, ad quæ autem non aſtringimur, quarum legum rigori obnoxii non ſumus, quæ præcepta ſeruare non poſſumus, eorũ haud dubiè tranſgreſſio pœnam non meretur, an non luce meridiana clarius eſt, Caluinianam theologiam eſſe quod Chriſtus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impunitas? Dicit quidem hoc loco Caluinus. *Nos tenemus ſic remitti à Chriſto hominibus peccata, vt politicum tamen ordinem non ſubuertat, iudicia & pœnas legibus conſtitutas non aboleat.* Atqui impunitatem adulterij hoc non adimit, quando adulteria occulta ſunt, & politico magiſtratui incognita qualia haud dubiè pleraque & maxima ex parte ſunt. Ergo ex ipſa Caluini confeſsione, coram Deo & in occulta ſcortatione da- D tur adulteris impunitas. Clarum igitur & perſpicuum eſt, non papalem, ſed Caluinianam theologiam eſſe, quod *Chriſtus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impunitas.* Ita (vt dixi) quid Caluino in mentem venerit, vt tam fœdam & infamem doctrinam Eccleſiæ catholicæ impingeret, quæ ex ipſius propriæ doctrinæ principiis neceſſario conſequitur, nullum arbitror Caluiniſtam coniicere poſſe: niſi quod iuſto Dei iudicio cæcitate mentis percuſſus, ea contra Chriſti ſponſam expuerit, vnde ſuam ipſius turpitudinem propalandi iuſtam aliis occaſionem daret. *Caluini putida calumnia in caput ſuũ redundans. Caluiniana theologia, quod lex gratię adulteris impunitatem dedit.*

Illud poſtremo in hoc Euangelio animaduerſione dignum eſt, circa totius huius hiſtoriæ veritatem Canonicam duo præcipua Caluiniſticarum capita penitus diſſentire. Caluinus enim ita in hunc locum ſcribit. *Satis conſtat hiſtoriam hanc olim Græcis fuiſſe ignotam. Itaque nonnulli conijciunt aliunde aſſutam eſſe. Sed quia ſemper à Latinis Eccleſiis recepta fuit, & in plurimis vetuſtis Græcorum codicibus reperitur, & nihil Apoſtolico Spiritu indignum continet, non eſt cur eam in vſum noſtrum accõmodare recuſemus.* Ab altera parte Beza in hunc modum. *Ad me quod attinet, non diſſimulo mihi merito ſuſpectum eſſe, quod veteres Græci vel reiecerunt, vel ignorarunt. Deinde quod narrat Ieſum ſolum fuiſſe relictum cum muliere in templo, neſcio quàm ſit probabile.* (Ex eadem præpoſtera ſuſpicione totã Chriſti cum muliere Samaritana apud puteum diſceptatione, vbi ſolus cum ſola agebat, homo im- *Caluinus & Beza circa Scripturæ partes diſſentiunt. Ioan. 4.*

purus improbabilem quoque poterit asserere,) *& quod scribit Iesum digito scripsisse in terra, nouum mihi & insolens videtur, nec possum conijcere quomodo possit commodè explicari* (explicauit tamen ipse Caluinus satis commodè:) *Tanta denique lectionis varietas facit, vt de totius istius narrationis fide dubitem.* Hæc illa bestia. Sed postrema coniectura quam adfert, multas alias Euangelicę historiæ partes, quas duo aut tres Euangelistæ aliter atque aliter referunt, in dubium quoque vocabit: verbi gratia, totum sermonem Domini in monte, vt apud Matthæum videtur, vel in loco campestri, vt Lucas narrat; aliis quoque atque aliis verbis habitum: Item de Centurionis puero sanato, quem ad Christum accessisse Matthęus, non venisse, sed alios misisse Lucas narrat. Ipsam denique resurrectionis Dominicæ historiam, quoad ipsum quo surrexit tempus, in quo varia videntur dicere Euangelistæ: & alias adhuc partes quàm plurimas, in quibus tanta varietas & apparens dissonantia est, vt S. Augustinus duos libros integros de consensu Euangelistarum scripserit, & alij multi Scriptores in Concordia Euangelica concinnanda plurimum & piè sudauerint. Sed hæc est hæreticorum hodie petulantia, vt multorum iam sæculorum fide firmata, pro suo cuiusque cerebro etiam circa ipsas diuinæ Scripturæ partes in dubium de nouo reuocare audeant. Admittit Caluinus. Reprobat Beza. Cur ita? Quia pro suo libito vterque decernere, neuter Ecclesiæ docenti aurem præbere vult. Docet hoc exemplum, quàm sit detestanda Nouatorum hodie petulans arrogantia.

A

Matt. 5. & seq. Lucæ 6. Matt. 8. Lucæ 7.

Hæreticorum hodie petulantia.

B

FERIA II. HEBDOMADÆ IV. QVADRAGESIMÆ.

Ioan. 8. *Dixerunt ei Iudæi: quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?*

IOCVS quem suggerit ipse Caluinus, ne in hoc Euangelio, quod contra præsentes hæreses accommodatè dici posset, non haberemus: Iudæis quippe signum & miraculum aliquod à Christo petentibus, nos esse similes ait, quia à Caluino, Luthero, aliisque hodie nouis magistris, nulla authoritate præditis, à nemine missis, seipsos ad docendi ac prędicandi munus ingerentibus, nouaque & inaudita hactenus dogmata in mundo spargentibus, noua facinora patrantibus signa petimus, & miracula, quibus hanc suam vocationem nobis probent atque confirment. *Testimonium aliquod* (ait Caluinus) *diuinæ virtutis habere Iudæi volunt: Interea nihil admittunt quod non hominum modulo respondeat. Sic hodie Papistæ miracula flagitant, nõ quod locum daturi sint Dei potentiæ. Nam illis fixum est homines præferre Deo, nec vnguem vnũ ab eo deflectere quod vsu & consuetudine receptum habent. Sed ne absque ratione videantur Deo esse rebelles, colorem hunc prætexunt suæ peruicaciæ.* Hæc ille. Sed huic impostori respondendum est, si nos Iudæis similes sumus, qui à nouis magistris miracula petimus, Caluinum Christo similem esse debere, à quo ista petuntur. Si Christo similis Caluinus esse vult, ostendat se esse in Scripturis prædictum, à populo Christiano expectatum, magnum denique Prophetam ad consolationem populi Dei, qui noua faciat omnia præfiguratum, sicuti Christus seu Messias populo Iudaico in Scripturis promissus erat, ab illis auidissimè expectatus, etiam eo ipso tempore quo venit, ad consolationem plebis Israel, qui omnia instauraret. Deinde si similes Iudæis sumus à Christo hoc loco signum petentibus, facere Caluinus debuit, quod prius Christus fecit: diuinam suam virtutem ostendere eum oportuit, sicuti Christus in templo iam ostenderat, homo solus & inermis eiiciens de templo vendentes & ementes, adeoque flagellis eos ignominiosè abigens: vt sic inique ab illo signũ peti doceat, sicuti à Christo Iudæi (accepto tanto signo tantoque diuinæ cuiusdam potentiæ argumento) inique & absurdè signum flagitabant. Petebant ab illo potestatis suæ argumẽtum, qua fretus hoc faceret, (*quod signum ostendis nobis quia hæc facis?*) quum ipsum per se factum potestatis suæ ac potentiæ diuinæ argumentum euidens & luculentum esset. Nunc Caluinus Dogmatista nouus, & pro nouo Propheta se iactitans, (scribit enim *se vnum ex illis esse, quorum opera Euangely doctrinam Deus mundo restituit*) nullo dato potestatis suæ argumento, sed in lacu suo Geneuensi latitans, quod ab eo, eiusque similibus miracula flagitentur, simile quid ab eo flagitari clamitat, quale Iudæi hoc loco à Christo flagitabant. Sed quid in vtroque discriminis sit, ad hunc locum quod attinet, hæc pauca satis demonstrant.

In com. ad hunc locũ.

Miracula an rectè à Nouatoribus postulentur.

In epist. præfixa com. in epi. ad Timot.

C

D

Iam vero non iniquè, nec aut fastu aut incredulitate Iudaica, sed æquissimè & fide ac religione Christiana, à Luthero, Caluino, & aliis horum temporum nouis magistris, ad vocationis suæ penitus extraordinariæ (cucurrerunt enim nemine mittente) nouæque doctrinæ confirmationem miracula & signa expeti & flagitari posse (nam de facto hoc ab illis flagitare paucos arbitror, quum ipsa eorum impia & scelerata doctrina satis superque seipsam prodat) paucis demonstrabitur. Nouos se esse magistros & nouam doctrinam adferre, his aliquot sæculis incognitam adeoque damnatam, non solum de facto demonstrant veterum Patrum in Scripturis exponendis iudicia, & in controuersis hodie dogmatibus vnanimem consensum apertè respuẽtes, (cuius rei varia exempla alibi ex Caluino protulimus) sed etiam disertis verbis profitentur.

Miracula à nouis hodie hæreticis iustè petuntur.

Quod

A Quod noui sint & extra ordinem vocati magistri, his verbis profitetur Caluinus, *Apostolorum* (inquit) *officium fuit, vt orbem à defectione in veram obedientiam reducerent. Euangelistæ officio illis proximi sunt, adeoque vices eorum gerunt. Hi non sunt perpetui in Ecclesia sicuti Pastores & Doctores, sed ad id modo tempus instituuntur, quo erigendæ sunt Ecclesiæ, vbi nullæ antea fuerant. Quanquam non nego quin Apostolos, postea quoque vel saltem eorum loco Euangelistas interdum excitarit Deus, vt nostro tempore factum est. Talibus enim qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent, opus fuit. Munus autem hoc extraordinariũ appello.* Hæc Caluinus. Nec multo aliter illi in hac parte conformis Beza. *Indigni sunt Ministrorum nomine, qui sese falso ministros vocant, quum à Domino non sint vocati, id est, qui vel ritè non sunt electi ab Ecclesia, (si quis est in Ecclesia legitimus Ordo constitutus) vel à Deo non sunt extra ordinem excitati, sicut nostro quoque tempore accidit, rebus ita collapsis, vt ordinariæ vocationi nullus esset locus relictus.* Hæc ille. Vterque apertè fatetur & disertè profitetur vocationem suam extraordinariam esse, & tanquam nouos restaurandi orbis Apostolos aut saltem Euangelistas esse. Idem agnoscit Musculus in locis communibus in cap. de Ministris Ecclesiæ, & Brentius in prolegomenis contra Petrum à Soto. Doctrinam quoque se nouam & orbi Christiano incognitam attulisse, non agnoscunt modo, sed & gloriantur omnes. Inter alios Beza his verbis, de Iustificatione ex fide disputans. *Illi* (inquit) *per quos nostra ætate Dominus veluti sepultum Christi beneficium in lucem reuocauit, quũ viderent, &c.* Rursum de vi & effectu sacramentorum disputans, *Hanc* (inquit) *interpretationem si*

B *quis contulerit cum ijs quæ non Origenes modo, sed nonnulli etiam ex Patribus, alioquin pietate & eruditione clarissimis in hunc locum scripserunt, comperiet profecto quantam veritatis lucem Dominus in nos omniũ hominum maximè indignos nostra memoria effuderit.* Planè ita nouam ac recentem suam suorumq; doctrinam esse affirmat, vt sepultum Christi beneficium de iustificatione nostra in lucem reuocauerit, & nouam veritatis lucem circa Sacramentorum doctrinam in eos Dominus effuderit. Ab istis nouis magistris, nouãque doctrinam afferentibus, ab istis nouis Apostolis aut saltem Euangelistis ab Antichristi defectione orbem reducentibus, & collapsas toto orbe Ecclesias restaurantibus merito rogamus. Quod signum ostenditis nobis, quod rectè & bono iure hæc facitis? Christus Dominus omnia restauraturus multa signa ostendit, eaque vehementer vrget. *Si mihi non vultis credere, operibus credite. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius facit, peccatum non haberent.* Ac denique discipulis suis ait. *Alioquin propter opera ipsa credite.* Nunquid meliores Christo sunt? Petrus, Paulus, cæterique Apostoli, *fecerunt signa & prodigia magna in populo*, vt illis crederetur. Nunquid Apostolis maiores sunt? Moyses nouas leges populo Iudaico promulgaturus, multis & admirabilibus signis à Deo commendatur. Nunquid Moyse excellentiores esse volunt? Quum Christus alio adhuc tempore, paulo ante passionem, simili in re hanc eandem potestatem exerceret, eiiciens vendentes & ementes de templo, dicunt ei iterum Iudæi, *In qua*

C *potestate hæc facis, aut quis tibi dedit hanc potestatem?* Tametsi post tot à Christo miracula & signa toto iam triennio in conspectu Iudæorum exhibita, importuna & friuola hæc erat expostulatio, quod vnus Nicodemus magister in Israel eos docere potuit, qui sic Christum affatus est, *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo*; tamen contra alios nouos magistros, templa Christianorum (vt hodie Caluinistæ fecerunt) partim spoliantes ac deprædantes omniaque sacra in eis monimenta demolientes, vt in Gallia & in hoc Belgio, partim à fundamentis subuertentes, vt in Scotia, nullo legitimo signo (nisi forte spoliis ac rapinis) suam vocationem & tam immania scelera, ac sacrilegia confirmantes, eadem expostulatio prorsus æquissima & necessaria est. Nam vt ipse Caluinus ad hunc locum ait; *Non armantur hic proterui homines qui sine vllo mandato sed priuata audacia publicum sibi munus vsurpant.* Eodem modo nec in hac præpostera Iudæorum postulatione, *quod signum ostendis nobis quia hæc facis*, in Christi facto proposita, *armantur proterui homines* noui pertinaces magistri, lupi & seductores noui, *qui sine vllo mandato*, à nemine missi, *sed priuata audacia*, & extraordinaria sui ipsorum intrusione, *publicum sibi docendi, prædicandi, Scripturas exponendi, munus vsurparunt.* Denique tales nouos & extraordinarios magistros vt vocationis suæ rationem reddant, & potestatis quam vsurpant, signa ostendant, vrgendos & premen-

D dos esse, ipse imprimis docuit Lutherus. Sic enim ad Senatum Mulhusium contra clãcularium concionatorem scripsit. *Accersat eum ad se Senatus, etiam præsente omni populo, si fieri potest, & quæratur ex eo, Quis eum huc miserit aut vocauerit ad docendum? Id procul dubio Senatus non fecit. Quod si tum dicat se à Deo atque ipsius Spiritu missum esse sicut Apostoli* (hoc autem dixit Caluinus, dixit Beza, dixit Musculus, dicunt & alii omnes noui hodie magistri) *probet hoc signis & miraculis editis, vel nolite pati vt concionetur. Nam vbicunque Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit.* Hæc Lutherus. Eat nunc Caluinus, & non Papistas, sed Lutherum arguat quod exemplo Iudæorum audeat à nouis concionatoribus, qui extra ordinem à Deo se mitti dicunt, signa & miracula efflagitare. Denique aut seductor Caluinus est, qui hoc factum conqueritur; aut impostor Lutherus est, qui ad id faciendum hortatur. Sed hic contra caput suum stolidè & imprudenter: ille contra apertam veritatem impiè & impudenter scripsit.

Inst. li. 4. c. 3. n. 18.

Conf. fidei c. 5. n. 28.

In Annot. ad Rom. 3. ver. 20.

Annot. ad Rom. 4. ver. 12.

Ioan. 10. 38
Ioã. 14. 24
Ioan. 13. 11.
Act. 5. 12.

Matt. 21.

Ioan. 3.

In Har. ad c. 21. Mat. Caluinus à seipso refutatur.

To. 2. operũ Germ. Ieneˢ editorum fo. 455. b. & 456. a.

Calu. cum Luthero cõmittitur

A

FERIA III. HEBDOMADÆ IV. QVADRAGESIMÆ.

Ioan.7.

I. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*

Ecclesiæ docentis authoritas
Ioan.17.
Ioan.20.
Lucæ 10.
Marc.14.
Matt.18.
Ioan. 8.
Act.1.

IESVS pro Ecclesiæ seu Præpositorum Ecclesiæ, per quos Christus loquitur, docet, & omnem veritatem credentibus aut crediturisannuntiat, suprema quadam in terris authoritate. Quemadmodum Christus fuit missus à Patre vt manifestaret nomen suum hominibus, sic Christus misit Apostolos & eorum successores vt illi idem officium præstarent. Ait enim Deo Patri. *Sicut tu me misisti in mundum, sic & ego misi eos.* Ait illis ipsis. *Sicut Pater misit me, ita & ego mitto vos.* Et rursum. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: Et iterum. *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui non crediderit*, scilicet *vobis prædicantibus, condemnabitur.* Item. *Docete omnes gentes, &c.* Deniq; sicut Christus profitetur. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc in mundum veni, vt testimonium perhibeam veritati*, sic illis dixit. *Eritis mihi* (qui veritas sum) *testes in Iudæa & in Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Sicut ergo Christus à Patre missus in hoc Euangelio dicit, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*, scilicet Patris mei: sic Ecclesia potest veraciter dicere, Nostra doctrina non est nostra, sed Christi qui misit nos. Christus vtrumq; dicit, *mea & non mea*, quę contraria videntur, sed non sunt. Suam doctrinam vocat, quia illam vt homo habebat, non suam sed Patris, quia à Deo Patre illam accepit: sicuti Ambrosius & Augustinus hunc locum iuxta sermonis Christi contextum exponunt. Rursum non suam vocat, sed Patris, quasi non solùm suam, quia ratione eorum quæ docuit eadem fuit doctrina Patris & sua, propter identitatem videlicet eorum, quæ docebat. Quæ enim docuit Christus vt homo, sunt eadem cum his quæ docere vult Pater. Eodem planè modo doctrina Ecclesiæ, & ipsius est & non ipsius. Ipsius est, quatenus illam ipsa docet, loquitur, testificatur. Non ipsius est, quia non à seipsa, sed à Deo, à Christo qui illam misit, à Spiritu sancto qui loquitur in illa, *& docet illam omnem veritatem*, illam accepit. Disputauit nuper insulsus quidam hæreticus, vt Ecclesię authoritatem imminueret, planeque deiiceret. *Alius est qui loquitur, aliud per quod loquitur. Si Deus ergo per Ecclesiam loquatur, hoc non Ecclesiæ est, sed Dei potius testimonium. Quod si Dei ipsius testimonium sit, sequitur Deum non Ecclesiam Scripturæ, etiã quoad nos, authoritatem dare.* Hæc ille. Sed hic locus Euangelicus insulsi hominis stupiditatem conuincit. Quemadmodum enim aliud est Deus, aliud Christus quatenus homo, quo sensu doctrinam quam tradidit dixit esse non suam, solius videlicet, & quia à seipso non loquebatur (vnde postea subiunxit: *qui à semetipso loquitur propriam gloriam quærit*, id est, qui quod à Deo accepit, sibiipsi tribuit, suam propriam, non Dei per quem loquitur gloriam quærit) & tamen quia ille quoque eam doctrinam verè in se habuit, ille verè eã docuit, tradidit, testificatus est, eiusque testimonium accipere Iudæi debebãt, ideo vocauit eam suam quoque, dicens, *Mea doctrina*; (non dicens, hæc doctrina quam auditis) sic omnino aliud quidem est Deus aut Christus, aliud Ecclesia, quo sensu dicere potest Ecclesia doctrinam quam docet non esse suam, solius videlicet, & quia à seipsa non loquitur, sed aliunde accepit tum potestatem loquendi missa à Christo, tum omnem veritatem quam loquitur (accepto Spiritu sancto, quem Christus illi promisit ac dedit *vt eam induceret in omnem veritatem*) & tamen quia eandem doctrinam & veritatem Ecclesia ipsa in se habet, docet, tradit, testificatur, eiusque testimonium accipere iubemur. (*Qui enim vos spernit, me spernit*, ait Christus Ecclesiæ suæ) verè vocatur & est, Ecclesiæ doctrina & testimoniũ: vt quicquid Ecclesia nos docet ad fidem spectans: siue has esse Scripturas Canonicas, siue hunc esse Scripturarum sensum, siue hoc & illud credendum esse, hæc doctrina, prædicatio, testificatio ipsius Ecclesiæ dicenda sit non solius Dei, & ipsi Ecclesiæ obediendum sit, non soli Deo: sicuti Iudæi Christo obedire debebant, eiusque testimonium accipere, non solius Dei per Moysem & alios Prophetas loquentis. Non aduertunt hæretici causam efficientem principalem & causam instrumentalem, mediam & secundariam, tametsi reipsa distinguantur, vt aliud quiddam hæc sit aliud illa, ratione tamen effectus quem coniuncta & simul producunt, vnam integram ac totalem causam facere: sicut aggregatum quoddam ex partialibus causis. Vna est extra nos videndi causa siue vnum medium quo videmus, aër lucidus: vbi tamen duo res sunt, lux ipsa quæ primaria est videndi causa, & aër medius per quem lux ad nos defertur, & sine quo medio lux ad nos non pertingeret. Similiter vna est extra nos disciplinæ causa, magister doctus: vbi tamen duo res sunt, ipsa ars & scientia magistri quæ primaria est extra nos ipsos disciplinæ causa quam capessimus, per cuius videlicet intelligibiles species ad nos delatas formaliter docti & scientes efficimur, sicuti per lucis species ad nos delatas formaliter videmus, & ipsa vox magistri, quæ causa instrumentalis & media est, per quam ad nos scientia eius defertur. Sic enim & fides & omnis disciplina ex auditu est, illa per verbum Christi prædicatum, hæc per verbum magistri pronunciatum. Dico in vtroque exemplo, extra nos, quia intra nos & organum esse debet dispositum in primo exemplo, & capacitas

De fide li. 2. ca. 4.
De Trin. li. 1. c. 12.
Gulielm. Whitakerus in disputat. de S. Scrip. qu. 3. c. vlt. argum. 13.
Ecclesiæ doctrina quomodo & illius sit, & non illius.
Ioan.7.
Ioan.14.
Lucę 10.
Causę distinctæ quoad effectum coniunctæ sunt.

B C D

A pacitas ſeu docilitas in ſecundo: ſine quibus nec viſus nec diſciplina eſſet, aut certè perfectè non eſſet. Eodem modo vna eſt extra nos credendi cauſa, ſiue vnum medium quo credimus, *Deus per Eccleſiam loquens*. Vbi tamen duæ res ſunt Deus, & Eccleſia. Ac Deus quidem vt cauſa principalis credendi, à quo videlicet lumen ſuum Eccleſia accipit vt ritè doceat, & poteſtatem vt cum authoritate doceat. Eccleſia medium externum eſt, per cuius miniſterium doctrina fidei ad nos defertur. Et quemadmodum vt lux per aërem delata illuminet, Deus generali ſuo concurſu ſemper adeſt; ſic vt doctrina fidei per Eccleſiæ miniſterium tradita à nobis credatur, non generali tantum (quia effectus iſte credendi ſupernaturalis eſt) ſed ſpeciali concurſu & auxilio Deus docenti Eccleſiæ cooperatur, vt alibi latè oſtendimus. Rurſum, quemadmodũ vt magiſtri docentis doctrina à diſcipulo cum fructu & effectu audiatur, neceſſe eſt, vt qui audit & capax ſit, & docilis, id eſt, vt tum poſſit, tum velit intelligere quod docetur, ſic vt Eccleſiæ docentis doctrina cum fructu audiatur & credatur, neceſſe eſt vt verbum fidei in terram bonã cadat, in cor docile quod ſit docibile à Deo. Sed quia effectus credendi ſupernaturalis eſt, ideoque nemo ex ſeipſo terra bona eſt aut docibilis à Deo, neceſſe eſt vt præter loquentem Deum per Eccleſiam (quod tantummodo ad ipſam Eccleſiam pertinet vt ſit vera & infallibilis fidei magiſtra) adſit interna Spiritus ſancti in corde audientis operatio, quæ terram bonam & cor docile efficiat. Quæ tamen conſideratio ad rem præſentem impertinens eſt; niſi quod ſicuti nõ ſequitur, cauſa diſciplinæ & omnis ſcientiæ eſt eorum qui diſcunt, viuacitas ingenij & induſtria
B propria, ergo magiſter docens nulla cauſa doctrinę eſt; ſic non ſequitur, cauſa credendi Scripturis aut cuicunque obiecto fidei eſt internum diuini Spiritus teſtimonium, donum fidei, lumen gratiæ, ergo Eccleſia docens ſiue Eccleſiæ teſtimonium nulla eſt cauſa fidei: aut ergo dici non debet nos propter Eccleſiam credere; quæ antedicti inſulſi hæretici frequens eſt argumentatio.

Vnum extra nos credendi medium.

In defen. contra V Vita. li. 1 ca. 3. & c. 11. ſect. 4.

Ad cauſam præſentem notandum eſt, quod Deus Pater per Chriſtum docens, Chriſtus per Eccleſiam loquens, lux per aerem illuminans, magiſter ex ſua ſcientia docens, vnam integram cauſam ſuorum effectuum conſtituunt: vt propterea negari nõ debeat, Eccleſiam eſſe quæ nos docet, Eccleſiæ vocem audire, Eccleſiæ teſtimonio acquieſcere nos oportere. Sanè Rex per ſuum vicarium Prætorem, aut quemlibet magiſtratum ius dicit & iuſtitiam adminiſtrat. Deus quoque per reges quaſi per ſuos miniſtros regnat, iubet, ordinat. Sicuti igitur Prætori nihilominus aut cuilibet magiſtratui parendum, non ſoli Regi in perſona loquenti; & ſicuti ipſi & ſublimioribus omnibus poteſtatibus ſubditos nos eſſe oportet, nõ ſoli Deo cuius miniſtri ſunt; ſic Eccleſiæ docenti, teſtificanti, iubenti parendum nobis eſt, non ſoli Deo in verbo ſuo ſcripto, quaſi in perſona propria loquenti, vt hæretici volunt. Tam Eccleſia ex Deo loquitur, vt ideo
C maior ſit Dei authoritas; quàm Deus per Eccleſiam loquitur, vt ideo aliqua etiam ſit, & in terris maxima atque certiſſima in iis quæ ad Deum pertinent, Eccleſiæ authoritas. Tam Reges ex Deo regnant, (dicit enim Scriptura, *Per me Reges regnant*,) vt ideo maior ſit authoritas Dei quã Regum; quam Deus per ipſos reges gubernat, (dicit enim alia Scriptura, *Miniſtri Dei ſunt*) vt ideo aliqua ſit etiam eademque magna Regum authoritas. Non dico maxima aut certiſſima. Latum enim hic diſcrimen eſt, ex quo multo maior ac certior Eccleſię præſtanda obedientia ſequitur, quàm Regibus. Quia enim omnis terrena poteſtas ſubordinatur ſpirituali, vt nihil illa iubere poſſit Deo ac diuinis legibus contrarium, vnde in tali caſu Regibus obtemperandũ non eſt, ideo authoritas in terris maxima non eſt. Rurſum quia in poteſtatis ſuæ executione, à Dei Spiritu infallibiliter non regitur, ſed frequenter errare poteſt & errat (nec enim tale Dei auxilium ſpeciale aut illi promiſſum eſt, aut promitti neceſſarium fuit, quum errores Regum ad iuſta Dei iudicia populumque merito plectendum frequenter pertineant) ideo certiſſima eius authoritas non eſt. Atqui Eccleſia ne in doctrina fidei aliquando erret, ſingulares à Chriſto qui fallere non poteſt promiſſiones accepit: & accipere profecto debuit, vt certus eſſet in terris Dei cultus, certa notitia, certa & perpetua obedientia. Sed de Deo per Eccleſiam loquente, &
D Eccleſiæ teſtimonio propterea audiendo, in defenſione noſtra contra hæreticum antedictum plura diximus.

Eccleſiæ cur & quomodo parendum.

Rom. 13.

Regum authoritas cur non in terris maxima ſicut Eccleſię. Authoritatis Eccl. defenſio contra V Vita. li. 3. c. 13.

Prou. 8. Rom. 13.

2. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.*

LOcus inſignis de pietate ac puro Dei cultu ad doctrinam fidei capeſſendam imprimis neceſſario. Hunc locum & hæc verba in alia huius operis parte latè tractauimus. Hic tamen propter inſulſas Caluini cauillationes pauca addemus. Nempe verbum illud Chriſti, *Si quis voluerit voluntatem eius* (Dei Patris) *facere*, miro artificio inuertit, & à vero ac genuino ſenſu longiſſimè lectorem abducit. Quid ſit voluntatem Dei facere, & hoc nihil aliud eſſe quã Dei mandata, quæque ille vult & iubet opere præſtare, contra alias Caluini corruptelas, iam in alio huius partis Euangelio ex diuinis Scripturis oſtendimus. Et illo quidem in loco dicente Chriſto, *Qui facit voluntatem Patris mei, hic frater meus & ſoror & mater eſt*, in ſola fide, quę ſanctæ obedientiæ fons eſt, & carnis defectus tegit, diuinæ voluntatis executionem ponit Caluinus. Alios

In feſto SS. Simonis & Iudæ

Sup. fer. 4. hebd. 1. Quadr. Matt. 12.

quoque ſenſus corruptos eiſdem verbis affingit ad cap. Matth. 5. & 7, vt in noſtris Antidotis videbit lector. Hæc enim verba *facere voluntatem Dei Patris*, nunquam in recto ſenſu accipere aut admittere voluit Caluinus: quando ei ſtetit ſemel ſententia, voluntatem Dei, (faciendo quæ ei placita erant) nullo modo facere, ſed mandatorum Dei obſeruatione deſperata, in ſola ſua fide conquieſcere. Sed hoc loco, *quia facere voluntatem Dei Patris*, ponitur à Chriſto vt medium & via ad ipſam fidem conſequendam, vetus illa cantilena, quod huiuſmodi verbis fides commendatur, locum habere non potuit. Hic enim dicit Chriſtus, *Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoſcet de doctrina vtrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar*: id eſt, fidem doctrinæ meæ adhibebit, tãquam diuinæ, & non à me tanquam homine priuato, ſine Dei mittentis mandato, & ſine Dei ſuggerentis Spiritu adinuentæ. Docet ergo Chriſtus voluntatem & pium deſiderium faciendæ voluntatis Dei, voluntatem inquam non otioſam, deſidem, fluctuantem, ſed firmam, alacrem & actiuam obſequendi Deo in omnibus mandatis eius, medium, & diſpoſitionem eſſe egregiam ad fidem Chriſti verbis adhibendam. Quod enim dicitur, *cognoſcet*, ſignificat eũ ad cognoſcendum rectè diſponi, nec impedimentum habere cognoſcendi. Voluntatem igitur hominis praua, ira, odio, inuidia, ſuperbia, aut prauis quibuſque cupiditatibus obſeſſam graue impedimentum eſſe docet Chriſtus, quo minus cæleſtem & diuinam eſſe Chriſti doctrinam cognoſcat: ſicuti doctiſſimi olim Interpretes Cyrillus & Chryſoſtomus hoc loco annotarunt. Voluntas autem recta & diuinæ voluntati conformis medium & diſpoſitio eſt accõmodatiſſima, ad cognoſcendam doctrinam Chriſti ex Deo eſſe, id eſt, ad certam & firmam fidem illi adhibendam. Cognoſcere enim pro credere accipitur: ſicut in hoc Euangelio alibi. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcãt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Apertus & luculentus hic eſt Chriſti verborũ ſenſus. Nunc vt ea corrumpat Caluinus videamus. *Excipit hic Chriſtus* (ait Caluinus) *rectum iudicium manere ex timore Dei & reuerentia. Ideo ſi animos habent ad timorem Dei compoſitos, facile agnituros an verum ſit necne quod prædicat.* Verum quidem eſt timorem Dei & reuerentiam illis neceſſariam eſſe qui de rebus diuinis rectè iudicare volunt, & (quod poſtea dicit) *pietatem & ſtudium obſequendi Deo*: ideoque *ſi parati ſumus in Dei obſequium, minimè illum nobis defuturum, quin Spiritus ſui luce affulgeat, vt diſcernere liceat inter veritatem & mendacium: præfractos autem & indociles iuſtam ſuæ hypocriſis pœnam ſuſtinere quoties illis illudit Satan.* Hæc ſanè omnia vera & bona ſunt, & animi demiſſionem atque humilitatem docent, ad diuina capeſſenda neceſſariam: De quo argumento in feſto S. Matth. Apoſtoli in ſecunda huius operis parte multa deprõpſimus. Sed verba Chriſti multo plus dicunt, & non ſolum reuerentiam quandam erga Deum, aut ſtudium obſequendi Deo ſignificant, quo quis videlicet paratus ſit ea credere quæ Deus dicit, (de hoc enim ſolo obſequendi ſtudio loquitur Caluinus, quum illud animo præfracto & indocili opponat) ſed præterea ſtudium ac voluntatem faciendi mandata Dei, id eſt, vitam ab omni crimine & affectu peccati puram, quod nec vno verbo attingit Caluinus ne bonorum operum iuſtitiam aut ſanctitatem hoc loco commendari lector aduerteret. Atqui ſtudium aut *voluntas faciendi voluntatem Dei Patris* (ſicut Chriſtus hic loquitur) non eſt tantum ſtudium obſequendi Deo, vt docileſ ſimus verbi eius auditores, ſed eſt præterea ſtudium obſequendi Deo, vt obedientes & aſſidui ſimus legis eius factores. Lex enim Domini, voluntas eius: & factor legis Dei voluntatem Dei facit, vt ſupra ex Scripturis docuimus. In hoc ergo lectorem fallit Caluinus, Chriſtique verbis abutitur, quod quæ Chriſtus de ſtudio & voluntate faciendi mandata Dei dixit, vt ſimus legis factores, hoc ille de ſtudio & voluntate obſequendi verbo Dei exponat, vt ſimus dociles eius auditores.

Caluino nunquam placuit voluntatẽ Dei facere.

Sup. fer. 4. hebd. 1.

Porro Chriſtum de illa voluntate faciendi voluntatem Dei loquutum fuiſſe, quę ad legis diuinæ executionem pertinet, verba ſtatim ſubſequentia demonſtrant. Volens enim oſtendere Iudæos talem voluntatem non habuiſſe, ideoque de doctrina eius cognoſcere non potuiſſe, ait illis, *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?* Id eſt, minimè mirum eſt ſi tantum abeſt vt doctrinam meam ex Deo eſſe cognoſcatis, vt etiam me interficere quæratis, quum nemo veſtrum legem ſeruet quam Deus per Moyſem dedit, quum faciendi voluntatem Dei Patris qui hanc legem dedit, nulla in vobis voluntas, nulla cura ſit. Sed ſi vera in vobis pietas eſſet, vera voluntas obſequendi Deo & cuſtodiendi legem eius, nec me vllo odio proſequeremini, & meam doctrinam ex Deo eſſe facilè cognoſceretis. *Si quis enim Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit* (dixit ille cœcus à Chriſto tam animo quàm corpore illuminatus) *hunc Deus exaudit*: eius cor ſuo Spiritu illuminat. *In animam quippe maleuolam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Quum igitur doctrinam Chriſti ex Deo eſſe cognoſcere Iudæi non poterant, nec poteſt quiſquam abſque fide, quæ Spiritus ſancti donum eſt, Spiritus autem S. hypocritas fugiat, & legis diuinæ tranſgreſſores (illi enim corpora habent ſubdita peccatis) inhabitare, (hoc eſt, ſua luce & gratia donare) recuſet; accommodatiſſimè Iudæos Chriſtus ad mandatorum Dei piam ac ſedulam obſeruationem reuocauit, vt cognoſcerent de doctrina eius quod ex Deo eſſet. Voluntas quippe faciendi voluntatem Dei, ſtudioſa ac ſedula eſt mandatorum Dei executio. Quum Chriſtus diceret, *Cibus meus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius*, nonne ardentiſſimum deſiderium ac voluntatem ſuam expreſſit opere exequendi munus ſibi iniunctum, docendi, prædicandi, operibus beneficis & admirandis homines ad fidem alliciendi? An timorem tantum ac reuerentiam

Li. 4. c. 43. in Ioan. Hom. 48. in Ioan.

Ioan. 15.

In com. in c. 7. Ioan.

Caluinus verba Chriſti corrumpit.

Voluntas obſequendi mandatis Dei eſt via ad credendum.

Ioan. 9. Sap. c. 1.

Ioan. 4.

vel

A vel animum docilem his verbis expreſſit Chriſtus? Clarum & perſpicuum eſt de illa Dei voluntate facienda loquutum illum eſſe, quę ad mandatorum quæ à Patre accepit executionem ſpectabant. Idem eum hoc loco ſenſiſſe dubitandum non eſt, vt & noſter quoque cibus atque ardens deſiderium ſit, faciendi voluntatem Dei, & obſequendi mandatis eius, vt ſic idonei ſimus ad cognoſcendam & amplectendam doctrinam eius. A vero igitur ſenſu longè Lectorem ſuum abduxit Caluinus, ne obſeruationis mandatorum Dei aliqua hic doctrina tradi videretur.

Caluinus vbi in genere Lectorem ita ludificaſſet, ad quaſdam facti ſpecies deſcendit, vt ludificet magis. *Hinc* (inquit) *apparet quàm perperam & ſtultè hodie permulti, dum errandi periculum metuunt, hac trepidatione ſeſe impediant ab omni diſcendi ſtudio, quaſi fruſtra dictum ſit, Pulſate & aperietur vobis.* Arripit occaſionem impoſtor, vbi nulla planè datur, vt tanquam verus ſeductor & ſtudioſus ab auita & recepta multorum ſæculorum fide Chriſtiana homines Chriſtianos abducat, & vt poſt ſtabilitam an. 1500. doctrinam, poſt tot Martyrũ confeſſiones, poſt tot Concilia, tot Patres, tot Paſtores & Doctores, iterum adhuc quæramus, quid credendum ſit: vt errandi periculum non metuamus, quia ſemper pulſandum, ſemper quærendum, nunquam in certa aliqua & firmata fide acquieſcendum eſt. Si enim in vlla tandem fide acquieſcendum, cur non
B poſt tot ſæcula fidei Chriſtianæ toto orbe propagatæ, cur non poſt tot Concilia, tot & tam illuſtres Eccleſiæ Doctores, tot Epiſcopos, tot Paſtores? Aut ſi nunc de nouo quærendum & pulſandum eſt, Authore Caluino, vbi iam cum eo ad tempus inſaniuimus, an etiam eo ſublato, adhuc cum alio neſcio quo nouo hæreſiarcha inſanire oportebit? Iterum pulſare & quærere debemus, *quia fruſtra dictum non eſt, Pulſate & aperietur vobis*? Ecce poſt Caluinum docent nunc in Polonia & Tranſſiluania noui magiſtri, nec Chriſtum eſſe verum Deum, nec in tribus perſonis vnum Deum eſſe adorandum, adeoque Trinitatis vocabulum eſſe explodendum. *An omni erroris metu abiecto*, (vt hic ſuadet Caluinus) iterum ab his magiſtris nouis diſcemus quæ ſit rei veritas, *quia fruſtra dictum non ſit, Pulſate & aperietur vobis*? Ad hoc omnis erroris præcipitium, ad hanc dementiam & furorem Caluini conſilium nos impellit, vt quia Iudæis incubuit cognoſcere de doctrina Chriſti, vtrum ex Deo eſſet, an à ſeipſo loqueretur, nobis quoque perpetuo incumbat omnibus nouis magiſtris aurem præbere, & ab illis diſcere, vtrum eorum doctrina ex Deo ſit, an à ſeipſis loquãtur. Cæterum vnum nos Chriſtum nouimus, non plures. *Ille vnus magiſter noſter eſt*: alios non quærimus. Vnam *legis translationem nouimus*, vnum redemptorem, *qui omnia inſtauraret*, non frequentes translationes, non aliam vllam religionis inſtaurationem. Quam ille ſemel doctrinam tradidit, illam aliis poſtea docendam concredidit, cum quibus *vſque ad conſummationem ſæculi omnibus diebus ſe affuturum promiſit*: Illam Eccleſiam
C condidit, *contra quam portæ inferi nõ prævalerent*. Illos Paſtores & Doctores dedit, qui ſanctos eius conſummarent, & corpus ædificarent, *donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei*. Denique illos ad docendum miſit, quibus Spiritum S. daret, *qui eos doceret omnem veritatem in æternum*. Amplius igitur quærendi aut pulſandi, aut ab aliis quàm quos ipſe ab exordio miſit, quique iis ad noſtra vſque tempora perpetuo ſucceſſerunt, diſcendi locum non reliquit. Quum noui exurgunt magiſtri, qui prẽter acceptam à Paſtoribus noſtris fidem, nouam doctrinã adferunt, quos *hæreticos, & lupos & latrones, & falſos Prophetas* Scriptura vocat, didicimus à Chriſto non ab illis diſcere, nec ad eorum fores pulſare, (vt lupus ipſe Calu. hic hortatur) *ſed ab illis fugere, eorum voces non audire, ac neque illis Aue dicere*. Poſtremo quomodo & quatenus in cauſa religionis quęrendum nobis eſt, iam in alio huius partis Euangelio ex parte diximus.

Sed addit adhuc Caluinus quædam, quibus impium ſuum ac deteſtabile conſilium lectori reddat probabile. *Nos potius* (inquit) *ſi Deo toti in obſequium ſimus addicti, Spiritum diſcretionis ab eo nobis datum iri non dubitemus, qui perpetuus ſit dux ac director: Si aliis fluctuari libet, ſentient tandem quàm vani ſint ignorantiæ ſuæ prætextus*. Suadet ſeductor impius, vt adhuc pulſemus & quæramus quid in nouis de fide controuerſiis (tales enim poſtea recenſet de orando pro defunctis, & de purgatorio) ſentiendum ſit, quia in hac inquiſitione Spiritum diſcretionis Deus nobis dabit. Atqui populus fidelis, quem hic alloquitur Caluinus, non Spiritum diſcretionis à Deo expectare, ſed Spiritum obedientiæ & ſimplicitatis fidei à Deo precari debet. Spiritus diſcretionis, quo poſſint probari Spiritus an ex Deo ſint, non penes totum populum, ſed penes illos eſt, *quos poſuit*
D *Spiritus S. regere Eccleſiam ſuam*. Populi fidelis eſt *Præpoſitis ſuis obedire & ſubiacere*, vt Paulus docet, ac diligentiſſimè cauere, *ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus illorum, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. Dedit Chriſtus Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum*, id eſt, ad corroborandos fideles, *ne circumferantur omni vento doctrinæ*. Illos ergo audire, illis adhærere, illis obedire debent, vt ab omni errore immunes ac liberi ſint, non ſibiipſis Spiritum diſcretionis vendicare, aut illum à Deo expectare. Vox hæc Caluini, *Pulſate & quærite intrepidè, Spiritum enim diſcretionis dabit Deus*, eſt illa diaboli vox: *Mitte te deorſum: Angelis enim ſuis mandauit de te vt non offendas ad lapidem pedem tuum*. Mittit ſe deorſum, qui catholicę Eccleſiæ magiſtris quos Chriſtus poſuit derelictis, ad nouos ſectarios quos Satanas mittit, ab illis veritatem exploraturus tranſit. Quare quod adhuc ſubiungit Caluinus, diabolicæ tentationis peregregia confirmatio eſt. *Certè* (inquit) *quicunque hodie hæſitant & dubitationem ſuam fouere malunt, quàm legendo vel audiendo ſerio inquirere vbinam ſit Dei veritas, eos in generalibus principiis ſecurè*

Caluinus ſeductor ſtudioſus.

Caluiniana doctrinæ præcipitiũ.

Quærenda amplius noua fides non eſt.

Matt. 13. Heb. 7. Epheſ. 1. Matt. 28. Matt. 16. Epheſ. 4. Ioan. 14. Ioan. 10. 2. Epiſ. Ioan. Fer. 2. heb. 2. Quadr.

Spiritus obedientiæ non diſcretionis populo fideli neceſſarius Act. 20. Hebr. 13. 2. Cor. 11. Epheſ. 4.

Cal. vox diaboli vox. Matt. 4.

Deum contemnere videmus. Dicit hic se pro mortuis precari, quia ingenio suo diffusus, quod de purgatorio commenti sunt peruersi homines, damnare non audeat. Ille negabit sibi tantum esse acuminis, vt inter puram Christi doctrinam & adulterina hominum figmenta distinguere possit. Interim & ille scortari, & hic furari ac peierare non cessabit. Hæc Caluinus. Homo impius ad blasphemandos sanctos natus, scortari omnes, fures ac periuros esse debacchatur, quotquot in fide fundati, ac radicati, nouis doctrinæ ventis circumferri nolunt, nec ad cuiusuis hæretici strepitum commoueri, siue ille Lutherus sit, siue illi ex diametro contrarius Caluinus, siue ab vtroque hostiliter dissentiens Rotmanus Anabaptistarum Pater, siue hos omnes ex alto despiciens Gregorius Paulus Tritheitarum dux, aut Franciscus Dauid sanctissimæ Trinitatis oppugnator ter impius. Vult quippe Caluinus Epicureos omnes & omnium flagitiorum mancipia esse, scortatores, fures, periuros, qui contenti antiqua maiorum suorum, totiusque Ecclesiæ Christianæ per tot sæcula continuata fide, doctrina, religione, in nouas istas sectas inquirere nolunt, nec ab oratione pro defunctis in Christo fidelibus cessare. *Securè Deum contemnunt*, Caluini iudicio, *qui legendo vel audiendo serio non inquirunt vbinam sit Dei veritas.* Quasi videlicet hodie primum Christus mundo innotescceret, quasi hodie Dei veritas patefieri cœperit, quasi nulla hactenus in Christum fides, nulla veritatis doctrina, nulla religio Deo grata, apud homines toto orbe Christianos, agnita aut credita fuerit. Atqui si scripturis credimus, non Caluino, ille Deum securè contemnit, ille vt ethnicus ac publicanus quasi Deum ignorans viuit, *qui Ecclesiam non audit*: Ille *Christum spernit* & pro ludibrio habet, qui Præpositos Ecclesiarum à Christo datos spernit. Ille *sermonem Christi non seruat*, sed despicit, *qui sermonem eorum quos ille misit seruare negligit.* Quo constituto, nouis hæresiarchis aut hæresum magistris (qui contra stabilitam in Ecclesia Dei fidem noua garriunt, spargunt, obtrudunt) aurem qui præbet, qui an apud illos sit Dei veritas inquirit, expressum Dei mandatum securè contemnit, ordinem à Christo institutum superbus violat, certis & euidentibus Christi promissionibus incredulus contradicit, Christi veritatem ac Dei prouidentiam in dubium reuocat, fidem ac salutem suam certo discrimini exponit, hæsitans in fide fidelis esse desinit, toti Christianorum societati iniuriam facit, ouicula gregis Christi amplius non est, ex hædis in sinistra collocandis est, reprobus & subtractionis filius in certam perditionem factus est. Hic Caluiniani consilij finis & exitus est. Hoc ille venenum ex Christi verbis suxit: *Qui voluerit facere voluntatem Dei, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit.*

A

B

Calu. ad blasphemandos sanctos natus.

Matt. 18. Luc. 10. Ioan. 15. Caluiniani præcipitij exitus.

FERIA IV. HEBDOMADÆ IV. QVADRAGESIMÆ. C

1. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit luto oculos eius, & dixit ei: Vade laua in natatoria Siloe, quod interpretatur, missus.*

Ioan. 9.

Luc. 18. Matt. 8. Sacramentales materiæ instrumenta gratiæ. Inst. li. 4. c. 17. Calu. displicet veterum patrum doctrina de effectu Sacramentorum. Tract. 80. in Ioan. Contra Fau. li. 19. c. 11. & 17. In c. 3. Luc. Li. 2. c. 2. de pœnit. Li. 2. c. 42. in Ioan.



LOCVS ostendendi contra hæreticos, non esse absurdum, vel ridiculum, vel à diuina operatione alienum, quod per varias ceremonias externas in Sacramentis & sacramentalibus animarum nostrarũ salutem Deus operatur, quum hoc loco Christus, qui solo verbo aut etiam voluntate cæcum sanare potuerat, vt aliàs fecit solo tactu oculorum, & leprosum solo verbo sanans, tot tamen & tam varias externas ceremonias adhibuit. Non possunt in animum suum inducere horum temporum hæretici Deum per creaturas quasdam, & materias sacramentales, aquam in baptismo, oleum in Confirmationis & Vnctionis Sacramentis, manuum presbyterij impositionem in ordine sacro, aliquos effectus spirituales producere, aut aliquam gratiam conferre. *Cauendum* (ait Caluinus) *ne in errorem nos abducant, quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem paulo magnificentius à veteribus scripta sunt: vt scilicet arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis adnexam affixamque esse, quo ipsa per se Spiritus S. gratias nobis conferant, quemadmodum vinũ in cratere propinatur.* Hæc ille. Quare displicet illi, & magnificentius quã oportuit scriptum putat, quod scripsit Sanctus Augustinus. *Quæ tanta vis aquæ vt corpus tangat & cor abluat?* & quod alibi scriptum reliquit. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum.* Et rursum in eodem opere. *Aqua & omnis illa actio corporalis, quæ agitur tum cum baptizamus, fit, & transit: virtus tamen quæ per ista operatur, iugiter manet, & donum spiritale æternum est.* Displicet Caluino quod scripsit Chrysostomus, *eam virtutem ex Christi carne baptismum consecutum esse, vt eius aqua Christo pariat animas.* Et quod scripsit Sanctus Ambrosius: *Impossibile videbatur vt aqua ablueret peccatum: sed hoc fecit Deus possibile: qui tantam nobis donauit gratiam.* Item quod scripsit Cyrillus Alexandrinus. *Quemadmodum viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter vrit quàm ipse ignis, sic Spiritus sancti operatione aqua qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam.* Vbi pulchrè insinuat, aquam à Spiritu sancto motam eandem habere potentiam quam

D

A quàm ipſe Spiritusſanctus reſpectu animarum noſtrarum. Denique quod vetuſtiſſimus Tertullianus de variis Sacramentis ſcribit. *Caro abluitur vt anima emaculetur, Caro vngitur vt anima conſecretur, Caro ſignatur vt anima muniatur, Caro manuum impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur.* Hæc tota veterum doctrina Caluino diſplicet, quaſi magnificentius quàm oportuit Sacramentorum dignitatem amplificans. Ait quoque eos *qui iuſtitiæ cauſas à Sacramentis ducunt, miſeras hominum mentes hac ſuperſtitione illigare, vt in ſpectaculo rei corporeæ potius quàm in Deo ipſo acquieſcant.* Sic totam doctrinam de Sacramentorum efficacia in Eccleſia Dei (vt tot celeberrimorum & antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis conſtat) receptiſſima, Caluino ſuperſtitioſa videtur, hominesque à Deo ad creaturarum venerationem adducere. Atqui idem Caluinus hoc tam illuſtri facto Chriſti admonitus, vbi tam variis adhibitis creaturis per eas maluit viſum cæco dare, quàm ſolo diuinæ ſuæ voluntatis verbo, aduertere potuit huiuſmodi creaturarum vſum, nec ſuperſtitionis cauſam eſſe, nec à Deo homines abducere, ſed contrà Dei potentiam maximè illuſtrare, & religionis incremento ſubſeruire. Sic enim ad hunc locum ſcribit. *Neque in luto, neque in aqua Siloe quicquam ad ſanandos oculos fuiſſe virtutis certum eſt. Sed Chriſtus liberè externis iſtis Symbolis ſua miracula non ſemel ornauit, ſiue vt fideles aſſuefaceret ad ſignorum vſum; ſiue vt oſtenderet ſuo arbitrio ſubeſſe omnia, ſiue vt teſtatum faceret tantum eſſe potentiæ in ſingulis creaturis, quan-*
B *tum ipſe dare velit.* Pulchrum & præclarum aduerſus ſemetipſum teſtimonium dedit. Si enim in luto & aqua ſupernaturalem hanc virtutem viſum cæco à natiuitate conferendi collocare Chriſtus voluit, *vt ſuos fideles ad ſignorum vſum aſſuefaceret*, certè in variis Sacramentis ſuis ſupernaturalem virtutem ponens, non ſuperſtitione aliqua eorum mentes alligat, ſed ſuos fideles ad ſignorum vſum, haud dubiè religioſum ac pium, aſſuefacit. Rurſum ſi hoc ſuo facto oſtendere Chriſtus voluit, *ſuo arbitrio ſubeſſe omnia, & teſtatum facere tantum eſſe potentiæ in ſingulis creaturis quantum ipſe dare velit*, profectò doctrina Eccleſiæ tot Patrum teſtimoniis roborata de Sacramẽtorum Chriſti virtute & efficacia, nec magnificentius quàm oportuit de Sacramentis loquitur, nec ad rei corporeæ ſpectaculũ potius quàm ad Deum adducit, ſed Dei gloriam amplificat, *Dei arbitrio omnia ſubeſſe oſtendit*, & creaturarum ſpectaculo nihil, ſed Dei potentiæ totum tribuit, *teſtatum faciens tantum eſſe potentiæ in creaturis quantum ipſe dare velit.* Voluit Deus, ſi vera narrat Paulus, *per lauacrum regenerationis ſaluos nos facere.* Credendum igitur illi lauacro vim regenerandi ineſſe, *tantum ſcilicet potentiæ quantum ipſe dare voluit.* Nempe ſicut in hoc cæco ſanando per lutum & aquam fecit Chriſtus quantum facere voluit, & hoc lutum & aqua, quaſi inſtrumenta à Chriſto ſeparata cum eius humanitate ac diuinitate concurrebant, ſicut in ſcribendo ſcriptoris manus cum calamo concurrit, ſic in omnibus Sacramentis per illas creaturas, quas pro earum materia aſſumere Chriſtus voluit, *facit in illis quantum facere vult tantum illis potentiæ ineſſe te-*
C *ſtatur, quantum dare voluit*, & creaturæ illæ, aquæ, olei, & cæterarum rerum ſacramentalium, quaſi inſtrumenta à Chriſto ſeparata cum eius humanitate ac diuinitate ad effectus gratiæ cuique ſacramento proprios cõcurrunt. Sic in multis aliis operibus miraculoſis facere Chriſtus voluit, vt hac frequenti creaturarum cooperatione ad ſacramentorum ſuorum vim intelligendam nos quaſi manu duceret, &, vt Caluinus dixit, *ad ſignorum vſum fideles aſſuefaceret*. Sic per fimbriam & per corpus & per Deitatem Chriſti mulier illa hemorrhoiſſa ſanitatem conſecuta eſt. Nam ad tactum fimbriæ, quæ erat inſtrumentalis cauſa ſeparata, *exiuit virtus* de Chriſti corpore, vt inſtrumento coniuncto, ſed de diuinitate vt principali ac propria cauſa. Sic in ciuitate Naim vnicum matris filium verbo oris ſui reſuſcitauit. Sic digitis & ſputo loquelam & auditum reddidit dæmoniaco. Sic Archiſynagogæ filiam & manus contactu & verbo ad vitam reuocauit. In quibus omnibus & rebus ſacramentalibus, illud obſeruare oportet, quod ſicuti per ſe mota vel ab alia quapiam creatura agitata, nullum ſupernaturalem effectum producere poſſunt, ſic tam illæ, quàm aliæ quæcunque creaturæ à Deo aut Chriſto motæ quemlibet effectum operari poſſunt, quem per illas operari Deus velit: idque adeo vt effectus naturali operationi ſuæ contrarios, Deo illas applicante, producant. Nam & in hoc cæco ſanando lutum viſui conferendo maximè ex natura ſua ineptum erat, ſicut alias aqua lepræ ſanandæ (qua tamen ablutus Naaman Syrus à lepra liberatus eſt) & maſſa ficorum vlceri ſanando (qua Ezechias Rex per Prophetam Dei ſanitatem recuperauit) prorſus ex ſeſe ſuaque vi
D non inepta tantum, ſed & aduerſa erant. Hæc igitur explicatio ad omnium hodie hæreticorum incredulitatem conuincendam ſufficit, qua pertinaciter negant, ex Sacramentorum Chriſti perceptione vllam fidelibus ſpiritualem gratiam conferri: eaque ad nihil aliud inſtituta eſſe dementiſſimè aſſerunt, quàm vel ad teſtificationem quandam gratiæ conferendæ, vt Lutheranis placet; vel ad obſignationem gratiæ iamdudum collatæ, vt Caluino libuit; vel ad ſolam fidem roborandam & confirmandam, vt ferè omnes volunt. De quibus alio in loco diximus.

In lib. de Reſurrect. carn. c. 8.

Inſt. li. 4. c. 14. n. 14.

Creaturarum operatio non abducit homines à Deo.

In com. in c. 9. Ioan.

Caluinus ſeipſum refutat.

Tit. 2.

Luc. 8.

Luc. 7. Matt. 9. Marc. 7.

Creaturæ à Deo motæ effectus etiam naturæ ſuæ contrarios producunt. 4. Reg. 5. Pſal. 38.

A

2. *Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi,quomodo vidiſſet.*

LOcus obſeruandi impiorum hominum manifeſtæ veritati recalcitrantium pertinaciam & obſtinationem. Iam prius dixerat reſtitutus cęcus Phariſæis, quomodo viſum recepiſſet, & clariſſimis verbis dixerat. *Ille homo qui dicitur Ieſus,lutum fecit,& vnxit oculos meos, & dixit mihi, vade ad natatoriam Siloe,& laua. Et abij,& laui, & vidi.* Quid magis clarè,diſtinctè aut perſpicuè dici potuit? Et tamen *iterum interrogant quomodo vidiſſet.* Sed & poſtea vocant parentes cæci reſtituti,*& interrogauerunt eos,an eorum filius eſſet,an cæcus natus,& quomodo nunc videat?* Deinde nec his contenti, *Vocauerunt rurſum hominem qui fuerat cæcus,& dixerunt ei,Da gloriam Deo.* Qui quum adhuc in veritate perſiſteret,quod olim cæcus nunc videat,iterum *dixerunt ei,Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* Homines pertinaces & ad meridianam lucem caligantes, quod verum eſſe nolebant,odio & inuidia contra Chriſtum in tranſuerſum acti,hoc videre, hoc intelligere,hoc credere noluerunt. Similis eſt omnium hæreticorum, ſed hodie maximè contra Euangelicam & orthodoxam veritatem furor,odium,pertinacia. Friuolas eorum putidaſque calumnias,quibus centies reſponſum eſt,ſubinde tamen perfricta fronte ingerere non deſinũt. Quid ergo nobis agendum? Nempe quum locus datur, quantum in nobis eſt,refellenda eſt eorum B improbitas, qui falſa inuidia Eccleſiam catholicam grauant & infamant. Si nulla quantumuis iuſta defenſio os illis obturet,non eſt quod fatiſcamus:ſed magno & intrepido animo obſtinata hæc maledicendi libido,qua veritatem orthodoxã opprimere volunt,calcanda eſt. Axiomata ſumunt,quæ libenter illis concedimus, ſub Antichriſti iugo non eſſe ſeruiendum, idola eſſe fugienda,mortuos non eſſe colendos,vnum mediatorem Chriſtum eſſe : ab eo nos gratis iuſtificari,verbum Dei audiendum eſſe,non hominum commenta. Sed quod præcipuè diſcutiendum erat,& quod dilucidè mille locis expoſuimus,diſſimulanter prętereunt, Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem non Antichriſtum, ſed Chriſti Vicarium eſſe, cui tota ſemper Antiquitas,totaque Chriſtianorum ſocietas,in quæſtione fidei, & Eccleſiæ gubernatione primatum detulit,idque iuxta manifeſtiſſimas D. Petri prerogatiuas in Euangelio comprehenſas, cuius ille Sedem tenet: Sanctorum imagines cum idolis nihil habere commune. Sanctos in cælo regnantes,mortuos vocari non debere, quum Deus non mortuorum, ſed viuentium Deus ſit:eorum cultum diuinis Scripturis non refragari. Chriſtum quidem vnum eſſe mediatorem, quoad redemptionem, & cui per ſe ipſum,qui immediatè,qui virtute ſua, qui plenariè, & ex iuſtitiæ rigore Patrem interpellet pro nobis: Sanctos autem ſic mediatores noſtros eſſe,vt nec C per ſe,ſed per Chriſtum,nec virtute ſua excludendo Chriſtum, ſed virtute donorum Chriſti, non immediatè & proximè, ſed mediante Chriſto capite, cuius membra ſunt, non plenariè, ſed ex parte,& certa proportione,qualis inferiori membro competit ratione capitis, nec denique ex rigore iuſtitiæ abſolutæ, ſed ex diuina miſericordia intercedant pro nobis. A Chriſto quoque nos gratis iuſtificari, quia ad primam iuſtificationem noſtram, qua ex impio fit iuſtus, ſeu ad remiſſionem peccatorum nulla ex parte noſtra cauſa concurrit vel meritoria, vel efficiens,tametſi ad ſubiecti diſpoſitionem varia requiri Scripturę doceant,imprimis ipſam fidem, & totam pœnitentiæ virtutem:aliud vero eſſe iuſtificari impium,aliud coronari vita æterna iuſtum;quæ corona ſic ex miſericordia & miſerationibus Domini eſt, vt tamen iuſtitiæ quoque corona ſit, *quam reddet in illa die iuſtus iudex.* Denique verbum Dei audiendum eſſe, ſed ex ore Eccleſiæ,non ex ore diaboli,ex ore eorum, quos Chriſtus ad docendum miſit,non ex ore eorum, quos miniſtros Satanæ Paulus vocat, & hæretici ſunt: quæ autem Eccleſia, vel Eccleſiarum Præpoſiti & paſtores nos docent, non eſſe mandata hominum, ſed mandata Dei: quia qui illos audit, Chriſtum audit, & qui illos ſpernit, Chriſtum ſpernit. Hæc toties ac tam ſolidè à catholicis ſcriptoribus explicata, & maximè in plenario Concilio Tridentino cum aliis permultis definita, huiuſmodi ſunt, vt furioſa hæreticorum petulantia nunquam effectura ſit, quin ſemper prævaleat catholicæ Eccleſię veritas Euangelica. Phariſæi quoque contra Chriſtum hoc loco plauſibile axioma ſumebant. *Non eſſe à Deo, qui ſabbatum* D *non ſeruabat*:ſed iniquè & falſo opus Dei in ſanando cæco iactabant eſſe ſabbati violationem. Talia ſunt contra fidem orthodoxam hæreticorum hodie axiomata plauſibilia, ſub quibus veluti veſtimentis ouium iſti lupi rapaces ſeſe obtegunt. Sed hæc eorum veſtimenta in alia huius operis parte conuulſimus,& laruas detraximus. Nunc de horum hominum pertinacia tantum agimus,qui toties ac tam ſolidè à nobis refutati,interrogant ſemper, ſicut hic Phariſæi, quomodo ſunt vera,quæ in Papatu à maioribus accepta ſunt,quomodo veteres illi talia docere potuerunt?

Hæreticorum axiomata,in vanum iactata.

Do.7.poſt Pent.

In Com. ad c.9.Ioan.

Conqueritur hoc loco Caluinus (cuius querelam contra veritatem nos contra hæreticam prauitatem imitati ſumus) *Axioma noſtrum eſſe,non audiendos eſſe qui ab Eccleſia diſceſsionem faciunt, & abrumpunt fidei vnitatem. Hoc illis* (inquit) *libenter concedimus. Sed quod præcipuè diſcutiendum erat, & quod dilucidè mille locis expoſuimus, diſsimulanter prætereunt. Papa cum ſua caterua nihil minus quàm Eccleſiam eſſe.* Atqui à multis Catholicis ſcriptoribus,tum adhuc viuente Caluino,tum poſtea luculentiſſimè demonſtratum eſt, ſolam veram Chriſti Eccleſiam illam eſſe, ſolam

Catholicam

A Catholicam & Apoſtolicam, quæ Romano Pontifici vt Capiti eius vicario his multis ſæculis adhæſit, hodieque adhæret. Quod vnum argumentum vt maximi ponderis, & de quo tamen minimè dubitandum fuit, nos quoque pro noſtro modulo ante annos quindecim tractauimus, quibus nullus adhuc Caluiniſta, quod ſciam, vel verbum reſpondit. Sed hæc eſt, vt dixi, hæreticorum pertinacia, ſemper interrogare, ſemper quærere, ſemper altercari, *ſemper diſcere, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenire*. Sed ſatius fortè erit aliqua in particulari huius eorum incredibilis pertinaciæ exempla in medium adferre. Proponam igitur hoc loco quanto breuius potero, quæ & quanta ab origine ſchiſmatis moderni, tum Lutheri, tum Caluini, quæ duæ faces orbem Chriſtianum maximè incenderunt, incredibilis pertinacia, & contra apertam veritatem infatigabilis altercatio, quæ ad ſummum tandem non totius tantum Eccleſiæ, ſed ipſius Chriſti ac Dei contemptum progreſſa eſt.

In opere de Princ. fid. lib. 4.

Hæreticorum pertinacia in particulari deſcribitur

Quum contra Eccleſiam Catholicam latrare primum Lutherus cœpit, ad eius rabiem cõpeſcendam, quót media tentata, quot viæ calcatæ & tritæ, ſed fruſtra & inaniter fuerunt? A doctis viris cum eo publicè diſputatur, Lipſiæ, VVittembergæ, VVormatiæ. Sedes Apoſtolica articulos eius 41. publico decreto damnauit. Ad comitia Imperialia Auguſtæ Vindelicorum euocatus, omnibus melioribus rationibus vt reſipiſcat inducitur. Academię in Germania Heidel-
B bergenſis, Moguntina & Colonienſis, in Belgio Louanienſis, in Gallia Pariſienſis, nouam hominis dementiam editis articulis patefecerunt. Omnium gentium docti viri ſcriptis libris errores eius fœdiſſimos eruditè confutarunt. In ipſa Germania Eckius, Pighius, Coclæus, Groperus. In Belgio Latomus, Driedo, Tapperus. In Hiſpania Soto & Alphonſus. In Gallia Ioannes Faber, & alii. In Italia Sadoletus & Contarenus. In Anglia Ioannes Roffenſis, & Thomas Morus. Sed ſuperbi hominis inſolentia his omnibus officiis magis intumuit, & creuit pertinacia.

Lutheri ſalus quot modis quæſita.

Quæ adhuc eius & ſectatorum ipſius pertinacia vt qualis ac quanta fuerit clarius populo aperiatur, eam paucis explicabo. In exordio ſchiſmatis & apoſtaſiæ ſuæ Lutherus ſolos Scholaſticos doctores reijciebat, atque vnicum Concilium Conſtantienſe, vt apparet tum ex propoſitionibus ſuis ad diſputandum propoſitis, quæ in primo tomo operum eius leguntur, tum ex colloquio VVormatienſi anno 1523. habito. Prouocauit enim ibi à Scholaſticis doctoribus ad Eccleſiaſticos Patres, & decretales Romanorum Pontificum. Atqui non longè poſt quum ipſos Eccleſiaſticos Patres & Decretales Pontificum non minus clarè & abundè quàm Scholaſticos contra ſe facere animaduerteret, illos quoq; cum decretalibus prorſus repudiauit. Nam poſt emanatum Sedis Apoſtolicæ decretum, in præfatione ad aſſertiones ſuas apud Roffenſem diſertè proteſtatur, *Se nullius Sancti Patris authoritate cogi velle, niſi quatenus iudicio diuinæ Scripturæ fuerit probatus*. Decretales vero, & vniuerſum ius Canonicum homo furioſus publicè fecit con-
C cremari, idque vt dicebat, *cum fiducia, tanquam impios & Chriſto aduerſarios*. Nẽpe ſi Lutherus Chriſtus eſt. Non enim Chriſto, ſed Luthero aliiſque hæreticis Eccleſiæ canones aduerſantur. Huius exemplum alij ſequuti, non ſolum Conſtantienſe, ſed & omnia alia Concilia, ſolis primis quatuor, Nicæno I. Conſtantinopolitano I. Epheſino & Chalcedonenſi exceptis (quod fecit Caluinus in ſua Inſtitutione, & priora Anglicani ſchiſmatis comitia) in dogmatũ iudicio prorſus repudiarunt. Neque vero in hac moderatione vtcunque tenuiſſima diu perſtiterunt: ſed paulo poſt ipſa quoque cum aliis valedicere iuſſerunt, & certos errores in Cõcilio Nicæno primo, & in Chalcedonenſi taxarunt: ideoque nullis iam Conciliis certam fidem adhibendam, ſed ſolis Scripturis innitendum eſſe cenſuerunt. Quin & ipſas Scripturas quum aliquam eorũ partem clariorem eſſe contra ſe viderent, quàm vt vllo fuco diſſimulari veritas poſſet, potius negare & tollere, quàm de ſuo dogmate quicquam immutare voluerunt. Hinc enim epiſtolam diui Iacobi *ſtramineam eſſe, & nihil Apoſtolico Spiritu dignum habere* pronunciauit Lutherus, quia ſolius fidei inanem ſine operibus iactantiam nimis apertè aſſeruit. Machabæorũ quoque libros, quia orationes pro defunctis nimis clarè docent, expungit, Epiſtolam quoque ad Hebræos, quia pœnitentiam acrius commendat, durum nodum habere, & Pauli Apoſtoli non eſſe affirmat. Neque vero etiam hic horum hominum pertinacia ſubſiſtit. Alia enim Lutheri ſoboles & ſecta ita in ſuis hæreſibus defendendis pertinax eſt, vt ne in aduerſum Scripturis corrigantur, omnibus etiam Scripturis valedicant: ex ſolis enthuſiaſmis & afflatibus immediatis (id eſt, ex ſolo ſuo malè ſano cerebro) omnem religionem petentes. Tales erant Suenckfeldiani, vel, vt Lutherus
D eos vocauit, cæleſtes Prophetę, &, vt Caluinus eos nuncupat, vertiginoſi, ſuntque hodie in Anglia qui & Superilluminati dicuntur: fecit ergo Lutheri & ſuorum hodie pertinacia, vt primum Scholaſticos, poſt etiam Eccleſiaſticos doctores ſeu Patres, mox & decretales omnes Rom. Põtificum, deinde Concilia, primo vnum aut alterum, poſt omnia poſteriora (quatuor primis exceptis) mox vero & ipſa quatuor prima: tandem & Scripturarum certas partes: poſtremo vniuerſam Scripturarum contemnere potius, & à iudicio dogmatum remouere, quàm à concepta ſemel opinione vel latum vnguem recedere voluerint.

Lutheri progreſſus quo ſemper in peius proficiebat.

Li. 4. c. 9. nu. 8.

In præf. in nouũ teſt. & in præf. in eu. Iacobi in nouo teſtam. Germ. Vide Geſnerum in bibliothec. fol. 504.

In alio adhuc exemplo ſimilem pertinaciam oſtendam. Hæretici hodie & incredduli fratres, ne ſuas aliquando hæreſes excuterent & reſipiſcerent, ſingulari Satanæ conſilio Eccleſiæ vocem contẽnendam, ideoque Eccleſiæ Chriſtianæ errorem & lapſum atq; interitum, neceſſario ſibi ponendum iudicarunt. Sed in hoc Eccleſiæ errore conſtituendo quanta vſi ſint pertinacia, operę precium eſt aduertere. Lutherus primo à tempore tantum Conſtantienſis Concilij,

Pertinaciæ hæreticorũ hodie aliud exemplum.

1. quod paulo amplius quàm centum annis eum præcessit, Ecclesiam defeciſſe, in Comitiis VVor- A
Eccl. defectio quam variè à Protestantibus asseritur. matiensibus anno 1522. confessus est. Sed postmodum anno 1551. Authores repetitionis Confes-
sionis Augustianæ à trecentis annis erraſſe à vera fide Ecclesiam volunt. Quanquam Lutherus
ipse in posterioribus suis scriptis, seipso semper peior factus, vel vt cum Apostolo loquar, *proficiens in peius*, totos fere sexcentos annos huic defectioni tribuit, vt videlicet post annum salutis
milleſimum cœperit ista quam supponit Ecclesiæ eclypsis. Et in hac quidem sententia initio hu-
2. ius schiſmatis aliquot annis perduratum est, quia infra hæc sæcula & Scholastici scripserunt,
Lib. contra Papatum so. 7. & multa Concilia collecta fuerunt, & pleræque huius temporis hæreſes contra Berengarium,
Albigenses, VValdenses, VVicleffi, alioſque huius farinæ sectarios condemnatæ leguntur.
Cæterum quùm & superiora sæculà non minus apertè ipsis aduersari cernerent, non (quod
3. oportuit) veteri Ecclesiæ acquiescere, sed suam semper sententiam pertinaciter tueri voluerunt. Quare Lutherus ipse in nouiſſimis suis libellis, vt in Captiuitate Babylonica, & in supputatione mundi, Caluinus quoque passim in Prophetas minores, & in epistola ad Sadoletum,
Melanchthon etiam in locis communibus primis editis, bene mille annis erraſſe Ecclesiam, &
primos tantum quingentos, aut ad summum sexcentos annos veritati concedunt. Hæreticorum hodie hac de re varias sententias alio in loco produximus. Sed nec hæc sententia homini-
4. bus in sua hæreſi pertinacibus diu placere potuit. Quum enim primorum sæculorũ Patres suis
quoque dogmatibus aduersari viderent, rem hanc magis coarctandam putarunt: paulatim ta- B
De Princ. fid. l. 3. c. 4. men & pedetentim, sicut nemo repentè fit turpiſſimus. Melanchthon igitur in locis communibus posterius editis, rem tentandam ratus, solos trecentos post Christum annos puræ doctri-
næ tribuit, illud videlicet tempus, quod Constantinum I. Imperatorem Christianum, qui pa-
5. làm id profiteretur, præceſſit, & sub cruce perpetuo fuit: ideoque non ita clara fidei noſtræ teſtimonia veriſſimiliter proferre potuit. At enim quum & hi trecenti anni per ora vetuſtiſſimorum Patrum Dionyſij Areopagitæ, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Clementis Alexandrini, Arnobij, & aliorum præsentes hæreſes damnarent, & orthodoxæ fidei illuſtria teſtimonia perhiberent, non puduit tandem vniuersam Ecclesiam, & omnes ætates ab ipsa Apostolorum prædicatione erroris, ignorantiæ, impietatis & blaſphemiæ arguere & condemnare. Quare Lutherus in postrema sua ætate libellum de seruo arbitrio scribens ait, *Patres tot sæculorum plane*
6. *omnes cæcutire, imperitiſsimos fuiſſe sacrarum litterarum, de libero arbitrio animo peregrinante scripſiſſe, denique tota vita errantes niſi ante mortem reducti fuerint, neque sanctos fuiſſe, neque ad Ecclesiam pertinere.* Hæc ille. Hunc sequutus Melanchthon in epistolam priorem ad Corinth. ait, *Statim initio Ecclesiæ scriptores veteres obscuraſſe doctrinam de iuſtitia fidei*, &c. Caluinus vero plurimis in locis,
& in pleriſque hodie controuerſiis vetuſtiſſimæ Ecclesiæ iudicium perfricta fronte penitus re- C
In ca. 3. De Princ. fid. li. 3. c. 4 & in orat. quolibet. ijcit. Loca ipsa ex eo collecta in aliis noſtris opuſculis videri poterunt. Vnicum hic subiungam. In quæstione de oratione pro defunctis, Inſtitut. suæ lib. 3. cap. 5. num. 10. *Cum* (inquit) *mihi obijciunt aduersarij ante mille & trecentos annos vſu hoc receptum fuiſſe, respondeo veteres illos hac in re & mandato Dei, & legitimo exemplo deſtitutos fuiſſe, abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi imperitiæ dederunt.* Hæc ille, iam apertè & audacter impius. Sic sanè & Magdeburgenses
Proteſtantes non esse Reformatores. à secunda Centuria, id est, ab ætate Apostolis proxima *Inclinationem doctrinæ* quam vocant, id est, errores Ecclesiæ distincto capite annotare ac recensere incipiunt. Huius farinæ est Puritanorum hodie secta in Anglia, vel potius totus illic Anglocaluiniſmus. Quid vero, quod Theodorus Beza Caluini Geneuæ succeſſor, vt aliquid supra magistrum sapere videretur, etiam sub ipso D. Pauli tempore Antichriſtum veniſſe, de quo ad Theſſalonicenses scribit, id est, Ecclesiam à veritate defeciſſe (nam in Ecclesia sedere hunc Antichriſtum volunt) prorsus iudicat?

In explicat. method. in 2. Theſſal. 2. Caluini ſuprema pertinacia. Caluinus tamen ne in impietatis progreſſu à quoquam post terga relinqueretur, etiam hãc Bezanam impietatem superauit, & suæ pertinaci incredulitati aliquid adhuc amplius adiecit. Non solum enim Patres, Epiſcopos, Concilia reijcit, & suo examini subijcit (vt mox dicemus) verum & ipsos quoque Apostolos in ordinem cogit. Non enim eos permittit aliquid de fide docere aut tradere, niſi quod prius Christus Dominus viua voce eos docuerit. *Nempe* (inquit) *ſi Apoſtoli ſunt, ne garriant quicquid collibitum fuerit, ſed mandata eius, à quo miſsi ſunt, bona fide perferant.* An huic pertinaciæ aliquid addi potuit? Nunc enim si fortè vel in Actis, vel in Epistolis Apoſto- D
Inſt. li. 4. c. 8. n. 4. Caluinus Apoſtolos in ordinem cogit. licis aliquid Caluino displicet, reijciendi id totum poteſtatem habet, niſi in vno ex quatuor Euangeliſtis idem Christum viua voce docuiſſe, demonstrari possit. Et tamen ab hac pertinacia ad maiorem adhuc transiliuit. Nam & ipsum quoque Spiritum sanctum nõ alia permittit in Ecclesia docere, quàm quæ Christus ipse viua voce docuerat: & hoc idcirco, nec Ecclesia circa ea quæ in Euangelio scripta non sunt, à Spiritu sancto edocta credatur. Ait enim. *Illa reſtrictio attentè notanda eſt, vbi partes Spiritui ſancto aſsignat Chriſtus, ſuggerere quæcunque ante ore docuit.* Vult nempe
Inſt. li. 4. c. 8. n. 8. Caluinus SS. poteſtatem reſtringit. vt suggerat tantum Spiritus sanctus quæ Christus ore docuit, non vt ipse aliquid nouũ doceat, reuelet, suggerat. Postremo vt huius nefarii hæretici pertinacia prorsus inuicta fuiſſe intelligatur, hac tanta blaſphemia non cõtentus, adhuc vlterius progreſſus est. Dico vlterius, etsi supra Spiritum sanctum, qui Deus est, nihil sit, quia ad magis adhuc manifestam pertinaciam proceſsit. Quum enim totus iste neglectus & contemptus Doctorum Patrum, Conciliorum, Apoſtolorũ, ac demum ipsa S. Spiritus restrictio propter vnius Christi Saluatoris reuerentiam eius animo incediſſe videatur, vt videlicet Christi Domini Euangelicam cæleſtemque doctrinam eius

diuina

A diuina voce traditam extolleret, & pro fidei noſtræ regula amplectendam doceret, tamen ea fuit eius pertinacia, vt ne Chriſtum ipſum, verbáque Chriſti apertiſſima reuereri voluerit, vbi eius hæreſibus illa aduerſari videret. Diſputans enim contra Lutheranos vrgentes verba Chriſti manifeſtiſſima & valde categorica, *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*: vt tropum Caluini excludant, mox homo pertinaciſſimus in hæc verba erumpit. *Vtcunque verborum Chriſti reuerentia tangi ſe quiritentur, quo minus figuratè intelligere auſint, quæ apertè ſunt dicta, non eſt tamen hic ſatis iuſtus prætextus, cui omnes quas contra obijcimus rationes ita reſpuant.* Hæc ille. Nempè vt de Patribus, Epiſcopis, Concilijs, alio loco dixerat, *Nulla Conciliorum, Paſtorum, Epiſcoporum nomina nos impedire debent, quo minus omnes omnium ſpiritus ad diuini verbi regulam exigamus, & verbo Domini examinemus*, ita prorſus nunc nec ipſa Chriſti verba eum impedient, quo minus illa ad ſuarum rationum momenta exigat, & ſuis rationibus, ſuóque examini ſubijciat. Vult enim contra *Chriſti verba vtcunque apertè dicta, ſuas quas contra obijcit, rationes audiri.* Non vult *reuerentiam verborum Chriſti ſatis iuſtum eſſe prætextum, cur rationes ab ipſo prolatæ reſpuantur.* Vult ergo ipſa Chriſti verba ſuis rationibus ſubiicere, ad ſui examinis regulam exigere, nec Chriſti verborum authoritate, ſed ſuorum argumentorum pondere homines moueri. Huic opinor pertinaciæ nihil vnquam addi poterit. *Ita impius quum in profundum malorum venerit contemnit.* Ita non minus impia pertinacia inuicta eſt, & neſcit cedere veritati, quàm fortis veritas inuicta eſt, & neſcit credere falſitati.

Inſtit. li. 4. ca. 17. n. 20

Inſtit. l. 4. c. 9 n. 12. & 9.

Caluinus Chriſti verba ſuis rationibus ſubiicit.

B Neque verò ſolus Caluinus ad extremam hanc & ſupremam pertinaciam excreuerat. Diſcipuli eius & ſectatores in eundem impietatis & pertinaciæ gurgitem ſeſe quoque præcipitare & irruere voluerunt. Potius enim ipſis Euangeliſtis & Apoſtolis fidem detrahere, potius Euangelium & Epiſtolas Apoſtolicas in dubium vocare, quàm à ſuis conceptis opinionibus, vel latum vnguem recedere volunt. Vtriuſque exemplum ponam. Inter Anglocaluiniſtas & Puritanos in Anglia magna controuerſia eſt circa politiam Eccleſiaſticam. Anglocaluiniſtæ nō miniſtros tantum atque Paſtores, ſed Epiſcopos & Archiepiſcopos habent, & diſtinctos hos in Eccleſia gradus eſſe atque eſſe debere ſuſtinent. Puritani negant, & nihil à miniſtro, ſeu Paſtore, ſeu Preſbytero Epiſcopum differre cum Caluino aſſerunt. In hac concertatione quum ſcriptis libris pugnarent, & Ioannes quidem VVhitgift Anglocaluiniſta diſcrimen prædictum ex D. Hieronymo, atque adeo ex D. Marco doceret, Thomas Carteronitus Puritanus in ſua contra illum Replica his vtitur verbis ex Anglico idiomate in Latinum traductis. *Vtcunque ſit, certũ eſt D. Marcum inter Epiſcopum & Presbyterum non diſtinxiſſe* (quod tamen de eo referre videtur Hieronymus in Epiſtola ad Euangelium) *nec inter ea diuerſitatem poſuiſſe, quæ Spiritus S. pro eodem haberi voluit. Alioqui* (*quod abſit*) *Euangelica hiſtoria, quam ſcripſit, ſuſpecta quoque nobis redderetur.* Hæc ille. Vi-

In repli. con reſpon. Ioann. VVhitgift p. 82. ſect. 4.

C des hunc Puritanum malle potius de S. Marci Euangelio dubitare, illúdque ſuſpectum habere, quàm diſcrimen illud in Eccleſia, & tota Antiquitate receptiſſimum, de Epiſcopo & Preſbytero à S. Marco traditum agnoſcere. Theodorus Beza ſimiliter contra traditiones non ſcriptas pertinaciter pugnans, his verbis vtitur. *Si vniuerſam ſalutis doctrinam Apoſtoli integram quidem voce annunciarunt, ſed editis libris aliqua tantùm ex parte explicarunt, quis tandem meritò in eorum doctrina acquieſcet?* Vides vt velit potius doctrinæ Apoſtolicæ authoritatem conuellere, quàm aliquid ab ipſis ad ſalutem neceſſariam ſine ſcripto traditum fuiſſe; in animum ſuum inducere. Hæc eſt hæreticorum hodie inuicta pertinacia. Niſi videant ipſi, tangant ac palpent, nihil credere volunt. Nec Patres, nec Pontifices, nec Concilia audiunt, niſi ipſi rem ita ſe habere ſuo proprio iudicio videant, ſuo digito tangãt, ſuis manibus palpent: ſicut in Euãgelio S. Thomas Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe, nec mulieribus, nec diſcipulis, nec coapoſtolis ſuis omnibus, qui eum rediuiuum ſe vidiſſe affirmabant, credere voluit, niſi ipſe quoque videret fixuram clauorum, tangeret loca clauorum, & palparet manibus latus lancea percuſſum. Sic enim Caluinus ſcripſit. *Nulla Conciliorum, Epiſcoporum, Paſtorum nomina impedire nos debent, quo minus omnes omnium ſpiritus ad regulam verbi Dei exigamus.* Non dicit vt exigantur (quod aliquo ſenſu verum

In pref. ad Confeſſ. fid. c. 5. nu. 17. p. 176. Theodori Bezæ pertinacia.

Ioan. 21.

Inſtit. l. 4. cap. 9. n. 9.

D eſſe poteſt) ſed, *vt exigamus*, id eſt, vt ſuo quiſque iudicio exigat, & ipſemet imprimis. Vnde ſic eodem in loco addit. *Chalcedonenſes & Epheſinos patres in iudicando ſequimur, vt verbum Dei, quod illis præluxit, nobis quoque præluceat*: id eſt, quando illud nobis ex Scriptura rectè colligi apparet, quod illis apparuerat. Si ergo Conciliorum diſputatio vel collectio ex Scriptura Caluino diſplicet, & ipſius proprio iudicio non ſapit, nulla Concilijs adhibebitur fides. Hoc videlicet eſt: *Niſi videro, non credam.* Sic doctrinam Catholicam de Tranſſubſtantiatione in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento reiicit, quia *nullus* (inquit) *in terris oculus huius mutationis teſtis eſt.* Hoc eſt rurſum: *Niſi videro, non credam.* Sic denique omnes hodie hæretici Eccleſiam ſe audire, eiúſque vocì ac doctrinæ ſe credere aiunt, ſi ex verbo Dei probat, quod docet. *Nos* (inquit Caluinus) *verbo Dei annexam eſſe Eccleſiam volumus, nec ab eo ſeparari poſſe.* Tunc autem eſt verbo annexa, & tunc ex verbo Dei probat quod docet, quando ipſis ita probare videtur. Hoc eſt iterum, *Niſi videro, non credam.* Sic ſuus cuiq; animus author eſt, quid, quáq; in re ad fidem pertinente probet aut improbet. Atque hæc de noſtrorum hodie hæreticorum incredula pertinacia & pertinaci incredulitate, nec incommodè, nec infructuosè hoc loco tractari, & fideli populo aperiri atque exponi poterunt.

Num. 12.

Caluinus niſi viderit non credit. Inſtit. l. 4. c. 17. nu. 15. Inſtit. li. 4. c. 8. nu. 13.

Veterũ hæretic. alia exempla.

Veterum quoque hæreticorũ vnum aut alterum exemplum ſubiiciam, vt quã ſit hic proprius

Hæreticorum morbus, quo ferè omnes laborant, atque vnde adeò propriè fiunt hæretici, & sine quo hæretici non essent, omnes intelligant. S. Dominicus, qui ad conuertẽdos hæreticos operam & laborem, & studia sua potissimum impendit, quædam fidei documenta & argumẽta scripserat in chartula, cámque hæretico cuidam tradiderat, vt de obiectis deliberaret. Ea nocte hæretico isto cum suis sodalibus ad ignem considentibus, & chartula prolata, vt in commune deliberarent, ad veritatis probationem, qualem ipsi expetebant, chartulam in ignem coniiciunt. Generatio enim incredula signa petebat & prodigia: Deo tamen illis miserante, proiecta in ignem chartula post aliquantam moram nihil læsa profilijt. Nihil istud magis eos mouit, quàm Christi signa & opera Iudæos mouerunt. Vnus enim cæteris obstinacior, mittatur (inquit) in ignem secundò, & patebit veritas. Obtemperatum est illi; sed iterum charta resilijt. Stupentibus alijs, obduratus ille hæreticus idem tertiò vult fieri: sed tertiò factum nihil chartulæ offecit. Tanto autem, & toties repetito miraculo conspecto, non sunt compuncti, sed contra sese inuicem iuramento obstringunt, ne factum hoc Catholicis vllus indicet. Attamen miles quidã qui facto interfuit, & ad fidem Catholicam recipiendam flecti cœpit, rem totam Catholicis patefecit. Istorum quoque vox erat, *nisi videro, non credam*: nec tamen videntes credũt. Aliud exemplum accipe. Defuncto diuino Saba multorum monasteriorum Patre, & hæreticorum insigni antagonista, vt qui ipsi imperatori Anastasio tam per litteras, quàm præsens restitit, hæretici Seueriani securibus & dolabris, aliisque instrumentis ad diruendum aptis, maximam Sabæ laurum, id est, primarium eius monasterium aggressi sunt, vt vel eam funditus euerterent, vel sua peste corrumperent. Illi autem tenebris & profunda caligine diuinitus percussi, quum totà die ac nocte circa locum ambulassent, eum inuenire non potuerunt: sed proxima luce in alio quodam monasterio longè remotissimo se esse conspexerunt. Hoc tamen tanto & tam euidenti miraculo nihil illi penitus permoti fuêre, sed in suis hæresibus propagandis, & in illud monasterium capitale quoquo modo inferendis, nihilominus pertinaciter perrexerunt. Hæc ibi. Adeo res difficilis est conceptas semel opiniones, & altius animo impressas deponere. Huius pertinaciæ superbia sola radix, & causa est. Illa hæreses gignit & natas fouet. Exempla vide in prima parte huius operis. Quibus adde quod de Petro Abailhardo scribit D. Bernardus. Dicebat ille hæreticus. *Omnes Doctores nostri post Apostolos in hoc conueniunt: sed nobis aliud videtur*: cui sic vir sanctus respondet. *Quid in his verbis intolerabilius iudicem? Blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non iustius os loquens talia fustibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nonne omnium meritò in se prouocat manus, cuius manus contra omnes? Omnes* (inquit) *sic: sed non ego sic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid subtilius inuenis? Quid secretius tibi reuelatum iactas, quod tot præterierit sanctos, tot effugerit sapientes?* Hæc ille. Hæc videlicet vna animi arrogantia, hic fastus & superbia, qua laborans imprimis ac tumens Caluinus. *Nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina impedire eum debere* aiebat, *quo minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam ipse exigat, & verbo Domini ipse examinet*, quæ omnium est etiam hæreticorum hodie vox impudens, vnica & propria causa est pertinaciæ incredibilis, qualem in illis ostendimus. Sicuti Pharisæi in hoc Euangelio fastu turgidi visum cæco à Christo restitutum, tametsi rem in oculis omnium positam, credere nolebant; ideóque & cæcum, & parentes eius iterum atque iterũ hac de re interrogabant, ac tandem à veritatis confessione recedere nolentem è Synagoga eiiciebant; eodem planè modo hæretici hodie elati ac superbi, quæ semel contra Christi Ecclesiam noua & insana dogmata imbiberunt, tametsi millies mendacij atque erroris conuicti, altercari tamen semper & apertæ veritati reluctari non desinunt, seque ipsos à totius Ecclesiæ Christianæ, quæ hactenus in terris visa est, consortio ac societate pertinaciter abdicant.

In vita S. Dominici lib. 7. c. 9.

Invita eius apud Sur. t. 6. p. 794

Dõ. 7. post Pentecost.

Epist. 190. ad Innocent.

Pertinaciæ in hæreticis causa.

FERIA QVINTA HEBDOMADÆ IV. Quadragesimæ.

HAVIVS diei Euangelium de adolescente viduæ matris vnico filio defuncto, à Christo misericorditer resuscitato in Dominica 15. post Pentecosten legitur. In ea Dominica videat Concionator quid contra huius temporis hæreticos ex hoc Euangelio disputare possit.

FERIA

FERIA SEXTA HEBDOMADÆ

III. Quadrageſimæ.

1. *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum.* Ioan. 11.

LOCVS petulantiam,& arrogantiam Caluinianam, contra apertam Scripturam, & doctiſſimorum Patrum expoſitiones annotandi. Quæ etiam annotatio explicandis poſtea alijs corruptelis Caluinianis erit neceſſaria. Docet apertè hic locus, docéntque doctiſſimi Patres, turbationem hanc quam Chriſtus hic oſtendit, non fuiſſe in eo ſicut in nobis frequenter eſt, inuoluntariam, ſed liberam liberéque pro tempore & loco à ſeipſo certa deliberatione aſſumptam. Dicit enim textus: *turbauit ſeipſum*; non dicit turba- *Chriſtus humanos affectus liberè ſuſcepit.*
B tus eſt. Sic inſtante paſſione, *cæpit contriſtari & mæſtus eſſe*; id eſt, quando voluit & ante vllam iniectam neceſſitatem, liberè ſuos affectus ad triſtitiam & dolorem voluntarium, propoſito ſibi imminentis paſſionis obiecto, excitauit. Quare D. Hier. ad illum locum. *Aliud eſt contriſtari, aliud incipere contriſtari, quia propaſsio in Domino erat, paſsio humana non erat.* Sic D. Auguſt. in hunc ipſum locum. *Turbaris tu nolens, turbatus eſt Chriſtus quia voluit: Eſuriuit Ieſus, ſed quia voluit: dormiuit, ſed quia voluit. Contriſtatus eſt, ſed quia voluit: mortuus eſt, ſed quia voluit. In illius poteſtate erat: ſic vel ſic affici vel non affici. Anima & caro Chriſti cum verbo Dei vna perſona eſt, vnus Chriſtus eſt. Ac per hoc vbi ſumma poteſtas eſt, ibi ſecundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc eſt, turbauit ſemetipſum.* Matth. 26. In com. ad cap. Matt. 26. Tract. 49. in Ioã.
Hæc Auguſtinus. Et adhuc alio in loco: *Ipſe Dominus Ieſus in forma ſerui agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum, affectiones humanas adhibuit, vbi adhibendas eſſe iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus. Cum ergo eius in Euangelio iſta referuntur, quod ſuper duritia cordis Iudæorum cum ira contriſtatus ſit, quod dixerit, gaudeo propter vos, vt credatis, quòd Lazarum ſuſcitaturus etiam lachrymas fuderit, quod concupierit cum diſcipulis ſuis manducare Paſcha, quòd propinquante paſsione triſtis fuerit, non falſo vtique referuntur, verùm ille hos motus certæ diſpenſationis gratia, ita cum voluit ſuſcepit animo humano, vt cum voluit factus eſt homo.* De ciu. Dei lib. 14. c. 9.
C Et paulò pòſt: *Habemus nos humanas iſtas affectiones ex humanæ conditionis infirmitate. Non autem ita Dominus Ieſus, cuius & infirmitas fuit ex poteſtate,* id eſt, ex libera illarum aſſumptione quoties voluit, ſicuti ex libera naturæ noſtræ aſſumptione factus eſt homo quando voluit. In hanc quoque ſententiam ſcribit D. Gregorius: *Non ſicut nos qui puri homines ſumus, irruente ſæpe tentatione concutimus, ita Redemptoris noſtri anima tentationis eſt neceſsitate turbata. Qui etſi quando turbatus ſpiritu infremuiſſe dicitur, ipſe tamen diuinitus diſponebat, quantum ipſe humanitus turbaretur.* Moral. in Iob l. 3. c. 13. Docet cum Auguſt. vbi ſumma poteſtas erat, ibi ſecundum nutum voluntatis tractari infirmitatem: vt videlicet affectiones in Chriſto tametſi humanæ & veræ eſſent, non tamen inuoluntariæ & prorſus per modum naturæ ſicut in nobis frequenter, ſed ſemper liberæ & ex certa ac deliberata diſpoſitione fierent.

Totam hanc Sanctorum Patrum doctrinam, verbis huius Euangelij *turbauit ſe ipſum*, conformem vellicat & impugnat Caluinus. *Abſurdum* (inquit) *quibuſdam videtur, ſi Chriſtũ dicamus tanquam vnum aliquem ex hominum numero fuiſſe humanis paſsionibus ſubiectum. Nec aliter exiſtimãt vel doluiſſe, vel gauiſum eſſe, niſi quia affectus iſtos quoties viſum eſt, arcana quadam diſpenſatione in ſe recepit. In hanc ſententiam Auguſtinus ab Euangeliſta dictum putat quod turbauerit ſeipſum, quum alios rapiant ſui affectus. Senſum ergo eſſe putat, quod Chriſtus alioqui ſedatus & ab omni paſsione immunis, fremitum & dolorem* In com. in Ioan. 11.
D *vltrò accerſiuerit.* Hæc ille.

Hæc planè Auguſtini, hæc Hieronymi, hæc Gregorij, hæc aliorum Patrum & omnium Theologorum de Chriſto ſententia eſt, ipſo Chriſto digna. Quid ad hæc Caluinus? *Atqui* (inquit) *meo iudicio magis conſentanea erit Scripturæ hæc ſimplicitas, ſi dicamus filium Dei quum carnem noſtram induit, ſponte etiam humanos ſimul affectus induiſſe, vt nihil à fratribus, excepto peccato, differret.* Atqui hoc & Auguſtinus docuit, alijque Patres docuerunt. Sed humanos affectus non eodem modo induit, quos nos eos aut habemus aut exercemus. Habet eoſdem affectus, ſed liberos & cũ plena deliberatione, liberáque diſpoſitione elicitos, quos non frequenter planè inuoluntarios patimur magis quàm exercemus: ideóque in nobis paſſiones ſunt vitioſæ (vt loco poſterius citato docet Auguſtinus) in Chriſto non ſunt paſſiones inuoluntariæ, ſed affectiones liberæ, ſicuti Chriſti gloriæ, & puritati conueniebat. *Imò* (ait Caluinus) *hoc modo nihil derogatur Chriſti gloriæ, quum voluntaria tantùm dicitur fuiſſe ſubmiſsio, qua factum eſt, vt in animæ affectibus nobis ſimilis eſſet: Cæterùm poſtquam ab initio ſe ſubmiſit, non putandum eſt ab illis vacuum fuiſſe aut immunem.* Idem Patres docent quòd humanæ infirmitatis affectibus ab initio conceptionis ſuæ voluntariè ſe ſubmiſit, ſed non inordinatis aut inuoluntarijs, verùm quos liberè exercet, non quos contra voluntatem pateretur vt nos illos patimur. Quia vt ſapienter dixit doctiſſimus Auguſtinus, *vbi ſumma* *Caluinus ſuum iudicium Patrũ conſenſui anteponit.*

potestas erat, ibi secundum nutum voluntatis tractari infirmitas debuit. Hunc liberum in Christo voluntatis nutum, & hos liberos affectus negat contra Patres procaciter Caluinus, nec vno verbo refutat, satis habens suam singularem & arrogantem opinionem, quam simplicitatis vocabulo vestit, absque vllo argumento, aut ratione opponere. Quare quod in sequentibus addit Caluinus, passiones in Christo vitiosas non fuisse sicut nostræ sunt, *eo quod neque intemperanter ferebantur, & vltra modum, neque absque iusta & legitima causa in illo oriebantur*, hoc totum nec Patrum sententiam refutat de libera affectuum nostrorum susceptione Christo propria, neque Christi puritatem, & gloriam satis defendit. Vitiosæ quippe passiones sunt, non solum quia modũ excedunt quoad effectum, & sine iusta causa exercentur quoad obiectum, sed etiam quæ inuitis nobis erumpunt quoad principium earum, quæ sæpe quum nolumus insurgunt, & sæpe quum volumus deficiunt: quæ tota vitiositas originalis peccati corruptio est: à qua quum Christus prorsus immunis fuerit, non potest puritati eius congruere, huiusmodi passionibus subiectum fuisse. Ita Caluinus absq; vlla ratione, causa, argumento, solùm vt singulariter sapere videatur, suisque alijs de Christo nefandis blasphemijs (de quibus postea) viam substerneret, doctissimorum Patrum cõsentienti iudicio arroganter & petulanter contradicit: ac sententiam sustinet, non solum Christi gloria indignam, sed & eius puritati repugnantem. A

Sed quid ad Scripturam præsentem huius Euangelij respondet, quæ dicit, *Turbauit semetipsum*, vnde colligit Augustinus quòd liberè & voluntariè hanc turbationem in se admisit? Ad hanc Scripturam hoc solùm respondet: *Turbauit quidem seipsum Christus & vehementer commotus fuit, sed ita vt se continuerit sub Patris voluntate.* Hoc quidem verum est, sed hoc nihil contra S. Augustini & aliorum Patrum expositionem facit: hoc etiam non explicat, cur dixerit Euangelista, *turbauit seipsum*, non autem dixerit, turbatus fuit. Nam vt homines boni ac prudentes omnes tametsi turbentur interdũ ex improuiso, & inuoluntariè per motus obreptitios vitiosos, frequenter tamen sub Dei voluntate se continent: motus illos ad pietatis & rationis nutum refrænant. Nec tamen de huiusmodi dici possit, *Turbauerunt seipsos.* Petulans ergo iste & audax hæreticus, nec Scripturarum sensum à Patribus vult discere, nec quod Patres docent potest refutare. Ita & doctissimos Patres arroganter contemnit, & diuinas Scripturas legitimo sensu spoliat, ne suũ illis iudicium submittat. Hæc eius temeritas & arrogantia & insciti (quam in alijs locis quam plurimis etiam circa dogmata non controuersa exercet, nouásq; interpretationes indesinenter affectat) fideli populo exponi potest, vt à tali impostore quàm diligentissimè sibi caueãt, veráſq; & orthodoxas Sanctorum Patrum expositiones, propter eius singulare iudicium, nulla ratione, nullo argumento suffultum nequaquam reiiciant. B

Caluinus apertis Scripturæ verbis suũ submittere iudicium non vult.

C

Ioan. 11. 2. *Dixit eis Iesus, soluite eum, & sinite abire.*

Caluini cauillum ter ridiculum.

LOcus aliũs Sanctorum Patrum piam & legitimam huius loci applicationem à Caluini cauillis eximendi & repurgandi. Sic enim in hæc verba garrit. *Ter ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui auricularem confessionem inde eliciunt. Christus, inquiunt, postquam Lazarum vitæ reddiderat, à discipulis suis solui volait. Ergo non satis est reconciliari nos, nisi Ecclesia quoque peccata nobis remittat.* Hæc ille. Sed quum Papistas propter hanc applicationem de absolutione per Ecclesiam necessaria (nam ad peccatorum confessionem auricularem hæc verba Catholici non applicant, mẽdacium id Caluini est) ter ridiculos vocat, antiquos & doctissimos Patres hac fœda labe aspergit, & per Catholicorum hodie latera alios transuerberat. Sic enim in hunc locum scribit sanctus Augustinus. *Processit Lazarus & adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus iaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo te manifestare? Sed vt confitearis Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus, soluite illum & sinite abire. Quid est, soluite & sinite abire? Quæ solueritis in terra soluta erunt & in cælo.* Hæc hactenus Augustinus. Rursum Homil. 27. ex Homilijs 50. *Lazaro procedente, quia impleuit Dominus misericordiæ suæ bonum, perducere ad confessionem mortuum latentẽ, putentem, iam cætera implet Ecclesiæ ministeria. Soluite illũ, & sinite abire. Ecclesiæ enim suæ dixit, Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo.* Hæc ille. Non ausus est Caluinus Augustinum ter ridiculum vocare: vocauit Papistas. Vnde aut Augustinum inter Papistas numerat, aut quod hodie Papistæ docent, ab Augustino eos accepisse, ignorauit. Similem applicationem videre est apud Cyrillum Alexandrinum lib. 7. in Ioan. cap. vltimo. Sed & Gregorius ille Magnus, Pontifex & Doctor Ecclesiæ celeberrimus in huius Euangelij verba ita scribit. *Causæ pensandæ sunt, & tunc ligãdi atque soluendi potestas exercenda. Quod bene quatriduani mortui illa resuscitatio significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocauit & viuificauit dicens, Lazare veni foras: & postmodum is qui viuus egressus fuerat, à discipulis est solutus: sicuti scriptum est, Cúmque egressus esset qui fuerat ligatus instítis, tunc dixit discipulis, soluite eum & sinite abire. Ecce illum discipuli iam viuentem soluunt, quem magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fœtorẽ magis ostenderent quàm virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem authoritatem soluere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.*

Calu. mendacium. Papistarũ nomine Patres lacessit Tract. 49. in Ioan.

Hom. 26. in Euang.

D

Hæc

A Hæc Gregorius. Et hunc doctiſſimum Pontificem ac virum ſanctiſſimum ter ridiculum vocare Caluinus non verebitur? Sed moriatur anima mea morte horum iuſtorum, & ſit pars & hæreditas noſtra in terra viuentium, in conſortio Sanctorum in cœlo regnantium. Lupus Caluinus abducat diſcipulos poſt ſe quos poteſt: cœcus cœcum ducat, & ambo in foueam cadant. Verè enim poſt ſe abducit diſcipulos, qui ſuum proprium iudicium ſequutus, Sanctos Patres non ſolùm non audit, ſed & ter ridiculos vocat. Verè cœcus eſt, & nihil videns, ſed in media luce palpans, qui lumina Eccleſiæ, quos *lucem mundi* Chriſtus vocat, veteris Eccleſiæ Paſtores celeberrimos penitus deſpiciens, ſuam propriam lucem, id eſt, tenebras deprauati cerebri ſui, in omni Scripturarum interpretatione ſequitur. *Matth. 5.*

SABBATO HEBDOMADÆ IV. Quadrageſimæ.

B *Tu teſtimonium perhibes de teipſo, teſtimonium tuum non eſt verum.* *Ioan. 8.*

LOCVS authoritatem Eccleſiaſticam à cauillatione hæretica huic Phariſaicæ contra Chriſtum conſimili defendendi & aſſerendi. Sicuti enim dicente Chriſto, *Ego ſum lux mundi, &c.* inferebãt Phariſæi, quod de ſeipſo teſtimonium perhiberet, ideóque verum non diceret, ſic quia in Symbolo Apoſtolico, quod ab Eccleſia traditum tenemus, ipſa ſibi teſtimonium perhibet, ſéque ipſam credendam proponit, in illo articulo, *Credo Eccleſiam catholicã*, quia & illa quoque lux mundi eſt, argumentatur hodie quidam hæreticus, hunc in modum: *Quæro quomodo & propter quid, Eccleſiam ſe in Symbolo credere Papiſtæ aiunt. Si dicunt propter Eccleſiam à qua Symbolum accepimus, tum idem propter idem credimus. Ad hæc nulla probatio eſt.* Eſt planè argumentum Phariſaicum. Cui eodem modo reſpondendum eſt, ſicut hic Chriſtus Phariſæis reſpondet: *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo teſtimonium meum verum eſt*, id eſt, non eſt abſurdũ, vt ego qui ſum lux mundi, qui omnes alios illuminare debeo, meipſum quoque dum id facio demonſtrem. Omnis enim lux tam ſeipſam demonſtrat quam alia: imò prius ſeipſam quàm alia, quum ſuam lucem in alia diffundat, nec lucida apparere ſine ipſa luce poſſint. Sic quum Eccleſia ſit lux mundi in ſuo genere, videlicet à Chriſto illuminata vt alijs lucem adferat, ſicuti quæ à ſole illuſtrantur non ſolùm lucida in ſeipſis ſunt, ſed & in proxima lumen deriuant, eáque illuſtrant, vnde Paulus de ſeipſo ait, *mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi, &c.* non ſolum alios docendo illuminat, ſed & ſeipſam docendo manifeſtat: imò prius ipſa cognoſci, & lucere debet, quam alijs poſſit lucem doctrinæ afferre: niſi fortè perinde ouibus ſit, ſiue alienum & lupum ſequantur, ſiue proprium, & verum paſtorem. Eccleſia igitur quia ſui cognitio ouibus eſt neceſſaria, ſicuti Chriſti notitia Iudæis erat neceſſaria, inter alia quæ docet, ſuam quoque quam gerit perſonam demonſtrare debet, ſicuti hic Chriſtus ſe eſſe lucẽ mundi Iudæis adhuc incredulis profitetur. Denique de ſeipſa teſtimonium perhibens, verum nihilominus & neceſſarium teſtimonium præbet. Nempe quemadmodum Chriſtus teſtimonium perhibens de ſeipſo, verum nihilominus teſtimonium perhibet, propter certas & grauiſſimas cauſas, quæ in alijs locum non habent, ſic & Eccleſia de ſeipſa teſtimonium perhibere poteſt, profitendo ſicut Paulus profeſſus eſt, *fecit nos Deus idoneos miniſtros noui Teſtamenti* (quando talis profeſſio propter incredulos & hæreticos neceſſaria erit, vt hic propter Iudæos incredulos, & ibi Paulus propter Corinthios quoſdam ſuperbos fecit) ſuámque legitimam authoritatem à Chriſto acceptam, quod ſint *lux mundi, teſtes veritatis, Paſtores dati in opus miniſterij & cætera. Præpoſiti Eccleſiarum*, quibus ſubiacere ſubditi debent, ſibi optimo iure vendicare, & erit nihilominus teſtimonium eius verum propter certas quoque & grauiſſimas cauſas quæ in alijs locum non habent. Sanè propter eaſdem cauſas, licet non in eodem excellentiæ gradu, propter quas Chriſtus hoc fecit. Chriſtus enim de ſeipſo teſtimonium perhibens verum nihilominus perhibuit teſtimonium propter duas maximas cauſas, quas in hoc ipſo Euangelio expreſſit. Primam his verbis, *quia ſcio vnde veni & quo vado*: altera in illis verbis, *ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater.* Prior cauſa duplicem rationem continet. Vnam, quia filius Dei erat & dignus cui fides adhibeatur, ideóque ſicut *Deus per ſemetipſum iurat, quia neminem maiorem habet*, ſic ſibi ipſi teſtimonium perhibet, quia vt filius Dei neminem maiorem habet; alteram, quia ex certa ſcientia hoc teſtimonium protulit, non ex ignoratione, qua Iudæi laborabant. Poſterior cauſa erat, quia nõ ſolus ſibi teſtimonium perhibuit, verùm etiam Pater qui miſit eum. Omnes hæ cauſæ in Eccleſia militant. Eccleſia enim meritò ſibi teſtimonium perhibere poteſt, tum quia nullum in terris maiorem habet, ideóque Symbolo fidei proximo poſt Deum loco ponitur, *quaſi templum poſt*

Eccleſiæ authoritas defenditur
V Vitarerus in diſp. de S. Scrip. q. 3. cap. 1.

Epheſ. 3.
Eccleſia ſuam ipſius authoritatem neceſſario demonſtrat.

2. Cor. 3.

Matth. 5.
Act. 1.
Epheſ. 4.
Heb. 13.

Ioan. 8.

Hebr. 6.
Eccleſia cur ſibi teſtimoniũ perhibere poteſt.
In Enchirid. cap.

habitatorem ſuum, vt notat Auguſtinus, vnde fide eſt digniſſima, tum quia ex certa ſcientia hoc dicit, non ex ignoratione aut præſumptione, vt hæretici, qui lupi ſunt aliunde irrumpentes, nõ paſtores intrantes per oſtium: tum denique quia non ſola ſibi teſtimonium perhibet, ſed Chriſtus qui miſit eam in verbo ſuo ampliſſimum ei teſtimonium dedit: *Vos eſtis lux mundi*: *Qui vos audit, me audit, &c.* Sic Deus Pater Chriſto teſtimonium è cœlo dedit, *Ipſum audite*. Sicut ergo abſurdum non fuit, ſed propter incredulos Iudæos neceſſarium, vt Chriſtus de ſeipſo teſtimonium perhiberet, dicens: *Ego ſum lux mundi*, ſic abſurdum non fuit ſed ad fidem initio propagãdam, & propter futuros hæreticos neceſſarium, vt Eccleſia Apoſtolica in Symbolo fidei ſibi ipſi teſtimonium perhiberet: & inter ea quæ credenda ſunt, hoc etiam poneret, *Credendam eſſe Eccleſiam Catholicam*: ac demum ſuccedens Eccleſia eundem articulum perpetuo repeteret, & contra rebelles hæreticos ſemper vrgeret. Neque magis abſurdum eſt in hac cauſa, idem per idem probare, quàm abſurdum eſt, vt lumen per lumen oſtendatur, & eadem lux per eandem demonſtratur. Hæc quum ad Eccleſiæ authoritatem elucidandam (argumentum hoc tempore maximè neceſſarium) aliquo modo faciant, hoc in loco obſeruare voluimus: & ad hunc locum aliqua dicere concionator poterit. Alia quàm plurima ad hoc argumentum pertinentia videre, qui volet, poteſt in Authoritatis Eccleſiaſticæ defenſione noſtra contra Gulielmum VVhitakerum iam ante biennium edita.

Matth. 5. Lucæ 10. Matt. 17. Ioan. 8.

A

B

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ioan. 7. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

LOCVS de abundantia donorum gratiæ Dei & variarum virtutum verè nobis inhærentium, & fructus admirabiles proferentium, contra imputatiuam & nominalem quandam, ab hæreticis hodie confictam iuſtitiam. De his donis diuini Spiritus ſupra in alia feria contra Caluinum latè diſputauimus. Hic tamen pauca addemus prout Deus dabit. Ac primum illa *flumina aquæ viuæ* ipſemet hoc loco intelligit Caluinus, quæ non ſolùm dona quædam viſibilia Spiritus S. primis fidelibus data ſignificant (vt Beza in hunc locum affirmat) ſed (quod à ſuo *optimo parente & præſtantiſsimo theologo* Caluino) vt eum vocare ſolet (diſcere Beza debuit) quæ ad regenerationem credentium & vitæ nouitatẽ ſpectant. *Prorsùs* (inquit) *hic agitur de virtute Spiritus, qua renaſcimur in Chriſto, ac efficimur nouæ creaturæ.* Et ſanè quum de illa virtute Spiritus Sancti Chriſtus loquatur, non quæ momentanea eſſet, & ad prima fidei rudimenta commendanda daretur, ſed quæ credentibus in eum perpetuò largienda eſſet, & quam filij Dei ſitiunt, (præmiſerat enim, *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat*) ſitiunt autem filij Dei non dona illa miraculoſa, ſed iuſtitiam & ſanctitatem, iuxta illud Chriſti, *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*, extra omnem controuerſiam eſſe debet, *per flumina aquæ viuæ* hoc loco, illa gratiarum Dei fluenta intelligi, quæ in Chriſtum credentes & in eo regenerati, ad vitæ nouitatẽ induendam, largiter & copioſè accipiunt, *effuſo Spiritu Sancto abundè & per abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ*, vt Paulus loquitur. Hæc flumina aquæ viuæ deſignauit Eſaias, quum diceret: *Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* Et iterum: *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam* Sunt promiſſiones gratiarum, quas Spiritus Sanctus credentibus in Meſſiam, & nouo populo infundet. De quibus iterum idem Propheta dixit: *Omnis vallis implebitur*: quia ſicut ad valles & loca depreſſiora copioſiſſimè aqua defluit, ſic in *humiles & trementes ſermones Dei*, quales credentes ſunt, *captiuantes intellectum in obſequium Chriſti*, Spiritus Dei largiſſimè ſua dona infundit, ita vt (iuxta Pauli verbum) *impleantur in omnem plenitudinem Dei.* Quam plenitudinem per fructus Spiritus Sancti in credentibus idem Paulus, aliqua ex parte cõmemorat. *Fructus* (inquit) *Spiritus eſt, charitas* (quaſi omnium aliorum radix) *gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*. Hæc ſunt *flumina aquæ viuæ*, dona gratiæ Spiritus Sancti, *fluentia de ventre credentium*, id eſt, cor & interiora hominis replentia, indéque ad opera cuiuſque virtutis promanantia. Atqui ſi hæreticis horum temporum credimus, qui omnia opera hominis regenerati & credentis in Chriſtum, immunda & peccato contaminata eſſe affirmant, adeóque *peccatis magis quàm virtutibus accenſenda* (vt impius Caluinus ſcribit) profectò de ventre credentium in Chriſtum non fluunt flumina aquæ viuæ, ſed flumina aquæ fœtidæ, obſcenæ, & turbidæ: & manet ſuper eos maledictio Prophetica: *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam: & quid*

Fer. 6. hebdom. 3. *Beza Caluino contrarius.* *In com. in hũc locum.* *Gratiarum Dei flumina.* *Matth. 5.* *Tit. 2.* *Rom. 5.* *Cap. 41.* *Cap. 44.* *Cap. 40.* *Luc. 3.* *Eſaiæ 44.* *Epheſ. 3. 19* *Galat. 5.* *Chryſ. homil. 50. in Ioan.* *Inſtit. l. 3. cap. 17. n. 3.* *Ierem. 2.*

C

D

A *quid tibi cum in via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Volunt isti hæretici homines iam in Christum credentes, & ex Spiritu Dei regeneratos, quasi in captiuitate adhuc vel Ægyptiaca, vel Babylonica, id est, in diaboli captiuitate adhuc constitutos, seruos peccati esse, bona opera Deo placentia operari, & legem Dei seruare non posse, nihil nisi peccare. Sic de aqua turbida regeneratos libere, & in illa semper impietate eos manere volunt, de qua Propheta eodem loco dicit, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Sic mendacem hic faciunt Christum disertè promittentem, quod *qui credit in eũ, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Sed & aliam quoque de hac Spiritus sancti in credentibus efficacia promissionem Propheticam huic Euangelio conformem mendaces isti magistri, planè mendacem constituunt. Dicit enim alius Propheta. *Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.* Dicunt hodie hæretici. Homo regeneratus non potest in præceptis Dei ambulare, nec iudicia Dei custodire, nec legem mandatorum seruare, quia impossibilis illa est, ideóque nullis operibus bonis, aut ex vlla obseruantia legis possumus Deo placere, aut coram illo iusti censeri: sed sola Christi iustitia, obedientia, sanctitate nobis imputatis, & iustificamur & sanctificamur coram illo. At con-

B trà dicit Scriptura, Spiritum Dei in medio credentium, *facere vt in præceptis Dei ambulent, & iudicia eius custodiant.* Dicit Scriptura: *Dabo vobis cor nouum.* Dicunt hæretici, manet cor vetus. Dicit Scriptura: *Ponam spiritum meum in medio vestri.* Dicunt hæretici. Spiritus nouus in medio nostri, id est, nobis inhærens nullus est, sed in solo Christo est, in *quo plenitudinem sui Spiritus Pater deposuit*, ait Caluinus, *nobis imputandam.* Dicit Scriptura: *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneũ.* Dicunt hæretici, manet adhuc cor lapideum, ad omne opus bonum, durum & ineptum & inflexibile. Quid est enim cor vetus, & cor lapideum nisi veteris hominis immunditia & ad omne pietatis opus duritia, difficultas, impossibilitas? Hanc adhuc ponũt in regeneratis hæretici, quoties legẽ Dei ab illis seruari non posse, neq; vnquã ab aliquo seruatam fuisse impiè dogmatizant. Negant igitur prorsus hæc flumina aquæ viuæ, hæc dona gratiarum Dei, de ventre credentium fluentia, id est cordibus credentium inhærentia, veréq; infusa & permanentia. Negant cor nouum, spiritũ nouũ, spiritũ facientem in præceptis Dei ambulare. Caluini impias hac in re sentẽtias in alia feria produximus. In Antidotis Apostolicis, tam ipsius quàm Bezæ, qui inter Caluinistas principes habentur, plures Deo dante proferemus; Interim diligenter notandæ, & studiosè pro concione premendæ sunt illæ diuinarum Scripturarum sententiæ, quæ efficacem Spiritus S. in cordibus credentium operationem, & infusa illis gratiarum dona, ex quibus opera Deo grata filij Dei producunt luculenter docent. Nihil enim magis solam iustificantem fidem

C & imputatiuam iustitiam, aut efficacius subuertit. Illis autem euersis, totum corruit Euangelicorum hodie nouum & proprium Euangelium.

Hæretici hodie Scripturis contradicunt circa bonorum operũ puritatem.

Ezech. 36.

Antitheses hæreticę.

Instit. li. 3. c. 11. nu. 12.

In Fer. 6. hebdom. 3. text. 1.

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Neque enim fratres eius credebant in ipsum. *Ioan. 7.*

D LOCVS Christianorum erga Beatam Virginem pietatem, ac reuerentiam, etiam quatenus mater Dei est secundum carnem, à Caluini calumnijs & accusatione vindicandi. Arripit enim hoc loco occasionem Caluinus Catholicæ Ecclesiæ erga hanc Beatam Virginem singularem reuerentiam acerbè taxãdi. *Hinc* (inquit) *colligimus quàm nihili sit carnalis propinquitas. Perpetuam enim infamiæ notam Spiritus inurit Christi cognatis, quod tot operum testimonijs conuicti, ne tum quidem credebant. Quo magis ridicula est Papistarum superstitio, qui in Virgine Maria, posthabitis omnibus alijs, solum sanguinis honorem efferunt: quasi non reprehensa ab ipso Christo fuerit mulier, quæ ex media turba clamabat, Beatus vterus qui te gestauit, & vbera quæ te lactarunt. Respondet enim Christus: Quin potius, Beati qui audiunt verbum Dei.* Hæc ille in hunc locum. Est ergo hoc Caluini argumentum. Quia cognati Christi secundum carnem increduli erant, ridiculi iudicandi sunt, qui in Matre Christi solum sanguinis honorem efferunt. Sed non videt cœcus hæreticus, vbi plures causæ honoris deferẽdi concurrunt, ibi maiorem honorem meritò deferri: eámque ob causam Beatissimæ Virgini Mariæ, quæ non solùm credidit Angelo à Deo misso, non solum conseruabat & conferebat in corde suo omnia quæ circa Christum paruulum gerebantur, non solùm de toto mysterio redemptionis nostrę diuinissimè prophetauit Christo necdum nato, non solũ Cruci Christi fugientibus Apostolis magna animi constãtia ac singulari fide astitit, non solùm in die Pentecostes Spiritum sanctum accepit (quæ sanè omnia pietatis & fidei

B. Virginis honor & excellentia defenditur.

In B. Virg. præ cæteris honoranda plures cause concurrunt.

Luc. 1. & 2. Ioan. 19.

in Deum præclariſſima teſtimonia, cum alijs vel Apoſtolis vel ſanctis illi erant aut eſſe poterãt communia) ſed præter hæc omnia, ipſa Chriſti, imò filij Dei mater fuerit, filium Dei incarnatum in vtero geſtauerit, aluerit, & omne in eum matris officium exercuerit, propter tot cauſas in illa ſola concurrentes, in maximo quodam & ſingulari ſupra reliquos Sanctos omnes honore, à nobis catholicis optimo iure haberi. A

B. Virginis honor ſingularis probatur.

Quid? an ſeriò iudicant Caluiniſtæ *propter ſolum ſanguinis honorem*, nullam Beatiſſimæ Virgini reuerentiam deberi? An Caluinus puero Chriſto maior & melior videri volet? At dicit Scriptura de Ieſu Redemptore iam duodenni, & de parentibus eius: *Ipſe erat ſubditus illis*. An in hac ſubiectione ipſum ſanguinem maternum Chriſtus non honorauit? Imò putatitium illum ſuũ patrem Ioſeph propter paterni ſanguinis imaginem tantùm, illa quoq; ſubiectione nonne honorauit? quod ergo Chriſtus ipſe in ſua matre honorauit, quis tandem Chriſtianus honore dignũ eſſe negabit? An non hoc ipſum ſancta illa mulier Eliſabeth & Spiritu ſancto plena ſingulariter in Beata Virgine venerata eſt, quum diceret, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vẽtris tui*; id eſt, ideo benedicta, quia tantam prolem habitura es? Nam & Angelus quum hanc Beatam Virginem eodem titulo exornaſſet, & inter *mulieres benedictam* prædicaſſet, illáque pro ſua modeſtia & humilitate, *hac audita ſalutatione*, non inflatã, ſed *turbata eſſet*, eius ſalutationis rationem reddens Angelus ſubiunxit: *Ne timeas Maria. Inueniſti enim gratiam apud Deum*. Et quam gratiam tandem, vt propter illam benedicta prædicetur? Sequitur: *Ecce concipies in vtero, & paries filium. & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & cætera*. Ecce ideo ab Angelo, poſteáque à ſancta Eliſabetha, Angeli verba ex afflatu diuino repetente, benedicta nũcupatur & prædicatur, quia talem, ac tam benedictum fructum paritura erat. Rurſum an non hoc ipſum eadem Eliſabetha præcipuo affectu venerabatur quum, diceret, *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* Non dicit, vnde hoc mihi vt quæ gratia plena eſt, quæ Angelo credidit, in quam Spiritus S. ſuperuenit, & virtus Altiſſimi obumbrauit, veniat ad me. Quæ tamen omnia verè & piè dicere poterat. Sed hæc omnia tacens, & quod in ea ſummo honore dignum erat attingere volens, dixit: *Vnde hoc mihi vt mater Domini mei veniat ad me?* Non ſolum, ipſum in matre Chriſti ſanguinem veneratur, ſed illud vnum præ cæteris omnibus veneratione dignum iudicat. Age enim. Mater Domini noſtri eſt. quis igitur huius Domini ſeruus, eam vt Domini ſui matrem, hoc ipſo quod mater Domini ſui eſt, præcipuo quodam & ſingulari honore afficiendam eſſe, dubitare poterit? An quiſquam ſubditus eſt, qui Regis ſui matrem, hoc ipſo quod mater eſt, ſingulari aliquo honore proſequi recuſabit? Quid? An matrem Domini eſſe ſecundum carnem, res ipſa per ſe ſumma veneratione digna non eſt? Quum illud canticum diuiniſſimum B. Virgo pronunciaret, *Magnificat anima mea Dominũ, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, quod aliud beneficium ipſi in particulari à diuina bonitate impenſum prædicat, quàm quod filii Dei ſe matrem eſſe, vt Eliſabetha profeſſa eſt, cerneret? Quando adiecit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, cur ex hoc, cur ab eo tempore, niſi propter id quod ſequitur? *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius?* Et quæ illa magna erant, quæ fecit illi potens Deus, quàm quod iuxta Angeli verbum, & filium Dei paritura erat? Hæc ſunt magna quæ fecit huic Virgini Matri Deus. In hoc reſpexit humilitatem huius Virginis. Ex eo demum tempore beata ab omnibus generationibus prædicabitur, quia mater Domini omnium eſt. Hanc ſibi factam ineffabilem gratiã exultans in Deo ſalutari ſuo, his verbis prædicauit. Cætera quæ in hoc Hymno ſequuntur, ad totius humani generis beneficium ac redemptionem pertinent. Sed in primis illis verſiculis, quæ illi magna fecit Deus, & quomodo ipſius humilitatem reſpexit, & cur ipſa beata prædicanda eſſet, quia videlicet Mater filij Dei futura erat, aut iam erat potius, cum ingenti ſpiritus exultatione deprædicat. Quod ergo tanta exultatione & gratiarum actione dignum, puriſſima hæc Virgo iudicauit, & Spiritus ſanctus in Scriptura diuinitus reuelata conteſtatum relinquere voluit, videlicet quod mater Domini omnium eſſet, hoc ipſum quoque nos cum ſumma animi exultatione non prædicabimus? De hoc ipſo nos Deum noſtrum non magnificabimus? Ex hoc ipſo nos Beatam eſſe hanc Virginem non profitebimur? Ipſa nos Virgo Mater, ipſum Euãgelium ipſe Spiritus Dei, ſi ſecus facimus, ſummæ nos & ingratitudinis, & impietatis arguet. D

1. *Luc. 2.* 2. 3. 4. 5. 6. B C

Beata, quia mater filij Dei.

Solum ſanguinis honorẽ in Matre Chriſti honorare non ſuperſtitio, ſed pietas eſt. Caluini putida calumnia.

Sed vnus Caluinus homo impius & ingratus, eos qui *hunc ſolum ſanguinis honorem* in Beata Virgine Chriſti matre efferũt, *ridicula ſuperſtitione* laborare iudicat. Dico *ſolum ſanguinis honorem*, quem ſolum puer Ieſus in illa venerabatur, quem ſolum ſancta mulier Elizabetha prædicabat, quem ſolum ipſamet Beata Virgo Maria diuino ſpiritu excitata ſolemni cantico celebrabat. Solum inquam non quaſi aliud nihil in hac Beata Virgine, aut honorandum cenſeremus, aut non honoremus, ſed ſolum, quia ſeorſim & per ſe hoc vnum conſideratum, præcipuè quodam honore dignum eſſe aſſerimus. Addit quidem Caluinus, *poſthabitis omnibus alijs*. Sed illa additio non niſi ad putidam calumniam inferitur. Nos enim Catholici quum B. Virginem Chriſti matrem præcipuo quodam honore proſequimur, ipſum quidem in ea ſanguinis honorem efferimus, & hoc ipſum quòd mater Domini noſtri fuit, magnopere honoramus, non tamen *poſthabitis omnibus alijs*, non contemptis aut neglectis alijs in ea virtutibus: Virginitate perpetua & illibata, fide fortiſſima, humilitate & obedientia, charitate, totáque vitæ puritate illa Virgine digna, quæ *plena gratia* ab Angelo ſalutari meruit: Non inquam iſtis aut neglectis, aut poſthabitis,

ſed

A sed vnâ cum istis, ipsum in ea sanguinis honorem efferimus: quem adeo non effert Caluinus cũ suis, vt eum efferri, aut prædicari non debere, ex alijs Euangelij verbis probare contendat. *Reprehensa* (inquit) *fuit à Christo mulier quæ ex media turba clamabat, Beatus venter qui te portauit.* Esto: fuerit à Christo reprehensa quæ sic clamabat. An verò illa reprehensionis causa fuit quòd matrẽ Christi quasi matrem Domini sui beatam prædicauit, sicuti nos Catholici in B. Virgine sanguinis honorem efferrimus, quia mater Domini nostri, mater Redẽptoris mũdi, mater filij Dei fuit? Nihil minus. Certũ est illam mulierem si reprehensa fuit, ideo reprehensam fuisse, vel quia vulgari mulierũ more audita Christi sapientia, fœlicem illam matrem dixerit quæ tantæ sapientiæ filium genuerit, nihil amplius de eo vel de matre eius cogitans quàm quæ de viro aliquo sapiẽte qui parentum suorum honor sit, (*honor quippe Matris filius sapiens*) vulgus hominum cogitare solet, vel quia tempore & loco non suo in huiusmodi verba prorupit, quũ Christo tunc apud populum concionante, nec matris suæ, nec ipsius laudibus extollendi, sed doctrinæ cœlestis quam concionabatur audiendæ, operibúsq; exequendæ tempus esset. Nam & sic quũ aliàs eo concionante diceretur, *ecce mater tua & fratres tui te foris expectant*, respõdit, *quæ est mater mea, & qui fratres mei, nisi qui voluntatem Patris mei faciunt?* vbi non negauit matrẽ aut fratres suos id esse quod erant, sed doctrinam suam cui tunc instabat, & obedientiam mandatorum Dei suis auditoribus com-

B mendare voluit. Atqui Catholici Christiani quũ hæc verba tam in Christi quã in matris suæ laudem recitant, decantant, prædicant, *Beatus venter qui te portauit, &c.* nec tam exiles cogitationes habent, nec aliqua importunitate Christi negotia perturbant. Catholici hæc verba imitantes dicunt: *Beata viscera Mariæ V. quæ portauerũt æterni Patris filiũ.* Planè cum Angelo Gabriele, *benedictã inter mulieres* Mariam prædicant, *quæ concepit in vtero & peperit filium, qui filius Altissimi* vocaretur. Si enim Angelus antequam adhuc conciperet (ait enim *concipies & paries*) benedictam illam deprædicat propter partum futurum, quidni multo magis post tam benedictæ prolis partũ, & propter illum iam de facto præstitum, benedictam illam prædicamus? Rursum cũ S. illa Elisabetha benedictam illam prædicamus, propter benedictum fructum ventris sui. Quare tametsi hęc mulier clamans de turba quum concionabundus Christus populum doceret, à Christo reprehẽsa fuisset, nullo modo tamen ad catholicorum hodie pietatem illa reprehensio pertineret.

B. Virg. laudans mulier cur reprehenditur.

Matth. 12.

B. Virgin. cur Catholici prædicant.

Iam verò nec à Christo reprehensam hanc mulierem fuisse, aut aliquid superstitiosè dixisse (vt vult Caluinus) sed verba pietatis plena protulisse, multi doctissimi Patres eadem acclamatione vsi satis supérq; docent. Simili quippe vtitur Gregorius Nyssenus his verbis. *O beatum vterum illum qui bonitatis præstantia ad se animi traxit bona! In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus Sancti præsentiam capit: hic autem caro fit Spiritus receptaculum.* Simili vtitur eadémque sæpe repetita Epiphanius. *O vterum impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te verè*

C *comprehensum portasti! O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O vterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ!* Nec dissimili vtitur Augustinus. *O Virgo Dei genitrix gloriosa, ô sublimis puerpera, cuius visceribus author cæli terræque committitur.* Et rursus. O *fœmina super fœminas, quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circundedit!* Et quid miramur si hunc ipsum sanguinis honorem in hac beatissima Dei Matre Patres venerantur & laudibus efferunt, quando ipse Spiritus Sanctus in Scriptura diuinitus inspirata, rem eandem quasi summa admiratione & veneratione dignam, aliquot ante sæculis prædixit? Clamat Ieremias Propheta. *Creauit Dominus nouum super terrã, fœmina circumdabit virum.* Hoc nouum & inauditum Dei opus, quod ipse sua infinita potentia creauit, quòd fœmina circumdaret virũ, id est, prolem in vtero haberet, quæ perfectus vir erit, antequam nascatur, perfectus inquam non mole corporis, sed vnione diuinitatis, quis negare poterit, vt summa admiratione, ita pari veneratione dignum esse? Mulierem ergo, quæ in Euangelio exclamauit, quum huius viri cœlestẽ sapientiam audiret, *Beatus venter qui te portauit*, si ex fide verborũ Christi, & non ex affectu humano illa verba dixit, nullo modo à Christo reprehensam fuisse existimari debet. Sanè ipsa Sybilla Tyburtina, quam de Christo, sicut cæteras Sybillas, spiritu prophetico vaticinatas fuisse nullus dubitat Christianus eisdem ferè verbis Messiæ matrem deprædicat.

Patrũ voces in laudem. B. V. Serm. in Nat. Dom. In serm. de laud. Virg.

Ser. 35. de Sanct. & 9 de temp.

Ierem. 31.

O nimium fœlix cælo dignissima mater,
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem!

D

Quæ sanè carmina cum aliarum Sybillarum vaticinijs si quis nouatorum Sybillina esse negauerit, agat contra Xystum Betuleium eiusdem farinæ hominem, qui ea in lucem euulgauit. Sanè Venerabilis Beda hæc verba apud Lucam exponens, ita scribit: *Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Phariseis Dominum tentantibus simul & blasphemãtibus, tanta eius incarnationem sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, & vt præsentium procerum calumniam, & futurorũ hæreticorum confundat perfidiam.* Sed & doctissimus Augustinus, quem imitari solet Beda, hanc mulieris confessionem ita probat, vt non suo tantùm, sed & aliorum piorum nomine eam ab illa factam fuisse affirmet.

In Luc. l. 4 cap. 49.

Tract. 10. in Euang. Ioan.

Sed ad Caluinum redeamus, qui omninò reprehensam à Christo propter hæc verba mulierem fuisse affirmat. Quomodo hoc probat? Ait: *Respondit enim Christus. Quin potius beati qui audiunt verbum Dei.* Primum impostor iste verbum Dei corrumpit. Non enim dixit Christus, *Quin*

Caluinus textũ corrumpit.

potiùs, sed: *Quinimo*: quod etiam verbum in sua translatione apud Lucam retinuit Caluinus: & A
Beza vertit: *Imò verò*: vbi nulla est comparatio aut auxesis (quasi μᾶλλον δὲ Lucas scripsisset) sed simplex adiectio: quam vox Græca ἀλλὰ γε manifestè insinuat, vult enim dicere Christus nō solùm beatus venter qui me portauit, sed & reuera beati illi sunt, qui audiunt verbū Dei, & custodiunt illud. Tu me, matrémq; meam beatam prædicas. Sed hæc prædicatio huius temporis ac loci non est. Ego illos beatos prædico, qui verbū Dei audiunt & custodiūt. Impius tamen Caluinus textum corrumpens, pro *Quinimò*, legit, *Quinpotiùs*, pro simplici assertione non præcedenti sermoni aduersatiua, aut quæ præcedentem corrigeret, sed alterius sermonis affirmatiua, ponit comparationem: quasi diceret Christus magis beatos, aut magis honorandos esse qui custodiunt auditum Dei verbum, quam vel ipse, vel mater eius. Hæc enim mulier non matrē tantùm Christi, sed & ipsum Christum laudare voluit, imò magis Christum quàm matrem, quia propter Christum laudat matrem; propter filium laudat vterum, laudat vbera. Vnumquodque autem propter quid & illud magis.

Verbi Dei custodia facit magis perfectum, sed non magis honoratum. In lib. de S. Virgne. c. 3

Non est quidem negandum, magis beatam, id est, in causa salutis adipiscendæ magis Deo gratam esse personam illam quæ Dei verbum custodit, quàm quæ carnalem habet quantumuis intimam cum Christo affinitatem, quia illa beatitudo, essentialis quædam perfectio, & rectitudo, & iustitia est ad salutem conferens: Intima autem cum Christo secundum carnem coniunctio, res quidem summæ est dignitatis & honoris, non autem summæ virtutis aut perfectionis, B
aut quæ ad salutem ex se conferat. Et hoc sensu verissimè Augustinus dixit, *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi*: Imò quod adiicere non veretur, *materna propinquitas nihil Mariæ profuisset*, scilicet ad salutem & iustitiam coram Deo, *nisi fœlicius Christum corde quàm carne gestasset*. Sanè fœlicius ad salutis quæstionem, & ad essentialem perfectionē quod attinet. Sed non fœlicius, ad honoris & dignitatis quæstionem quod spectat. Ad dignitatē quippe & excellentiam incomparabilem B. Virginis hoc imprimis spectasse, quod mater filij Dei fuerit, iam ex diuinis Scripturis perspicuè demonstrauimus. Tametsi igitur in his Christi verbis aliqua correctio esset & comparatio, vt illud, *Quinimò*, significaret, *quinpotius beati*, id est, magis beati sunt *qui custodiunt Dei verbum*, tamen nec illa correctio alteram matris Christi beatitudinem negaret, quod in vtero Christum gestasset (non enim quia illud melius, propterea hoc non bonum est) nec illa comparatio dignitati & excellentiæ B. Virginis aliquid detraheret, sed alterius generis beatitudinem (vt iam explicatum est) commendaret.

1. Reg. 20. 3.

Sanè in alia Scriptura, vbi Dauid amico suo Ionathæ dicit: *Quinimo viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum gradu ego, mórsq; diuidimur*: illud, *Quinimo*, nihil nisi constantem asseverationem significat. Quare Vatablus linguæ sanctæ peritissimus, illud *Quinimo*, vertit, *& profecto*: Cæterum vtcunq; se hæc res habeat, B.V. Mariam hoc ipso, quod Christum in vtero gestauit, & mater Domini nostri esset, summo honore ac veneratione singulari prosequendā esse, summæq; dignitatis & excellentiæ habendam esse non solùm ex Scripturis iam allegatis, sed
In festo Visit. B. Virg præterea ex sapientissimorū Patrum elogijs manifestè constat, quæ in altera parte huius Promptuarij (iuxta editionem Antuerpianam) bono numero congessimus: quæ idcirco hoc loco non repetimus.

Illud vnum hoc loco annotabimus, Beatissimam hanc Virginem Mariam, ex eo quod Mater Christi fuit, hac maximè ex causa maximo honore dignam prædicari, quia vt talis mater esset, & tanto filio concipiendo ac pariendo idonea, maxima gratiarū vbertate donata, maxima totius vitæ puritate imbuta, & ad altissimum perfectionis gradum euecta fuerit: quum dubitari nequeat, Deum qui ad tam excellentem finem illam ordinauerat, media quoque suppeditasse, quæ ad talem finem vllo modo desiderari possent. Quare quum matrem Christi veneramur, & beatam esse prędicamus, quæ filium Dei in vtero gestauit, illam cum vniuersa illa perfectione tantæ matri collata considerabamus, & non vt vulgarem matrem, quæ carnæ tantùm gestarit, ad quod gestandum magis idonea non esset, quàm quæuis alia mulier. Quibus ita explicatis, Caluini hoc loco cauillationes quàm inanes ac futiles, addo etiam impiæ fuerint, satis perspicuum euasit.

Luc. 11. Caluinus homo audax, sed ineptus.

Sed operæprecium erit, & ad pietatem catholicam in Beatissimæ Virginis debita vene- D
ratione fortius asserendam, ac deffendendam accommodatum, ea etiam in hunc locum conferre, quæ ad ipsum B. Lucæ Euangelium hac de re impius iterū Caluinus disputat. Nihil enim certè illo impostore audacius, sed nihil etiam ineptius, quum attentè excutiuntur quæ scribit. Ad eadem apud Lucam verba, *Beatus venter qui te portauit*, &c. hunc in modum disputat. *Hoc in loco extollere voluit mulier Christi excellentiam. Non enim Mariā respexit, quam fortè nunquam viderat. Sed hoc non parum amplificat Christi gloriam, quod vterum in quo gestatus est, nobilitet ac beatum reddat.* Glossam hanc excogitauit Caluinus, vt plenius Catholicos argueret, qui hanc Euangelij partem in honorem Beatæ Mariæ Virginis & decantare, & proferre solent. Cæterùm dum id facit, semetipsum maxima absurditate inuoluit, & manifestæ impietatis conuincit. Si enim his verbis Christi excellentiam extollere mulier voluit, non respiciendo matrem eius, sequitur iuxta Caluinum, ipso Christo magis beatos esse, *qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*. Vult enim illud, *Quinimo*, tantundem valere, ac *Quinpotius*, vt iam audiuimus: & hoc rursum in loco *correctionem esse* vult, *& obliquam reprehensionem*, qua mulieris imprudentia à Christo taxatur. Aut ergo vox illa,

Caluiniana expositionis absurditas.

illa. *Quinimò*, correctio non est, aut qui verbum Dei custodiunt ipso Christo meliores sunt. Ab hac vel absurditate, vel impietate expediat Caluinũ quicunq; hodie potest Caluinista. Pergit Caluinus, & quia ad matrem quoq; Christi hæc mulieris verba referri necessarium videbat, homo leuis, & qui certi nihil quod dicat habet, subiũgit: *Neque etiam negari potest quin Deus Mariam filio suo matrem eligens ac destinans, summo eam honore dignatus sit.* Vide iam vt sibi ipsi contradicat. Si enim Deus ipse Mariam summo honore dignatus est, hoc ipso, quod filio suo eam matrem elegerit, quare Catholicorũ pietatem, qui summo honore matrem Christi, quia mater eius est prosequuntur, *ridiculam superstitionem* (vt supra vidimus) vocauit? An ridicula superstitio est, illam summo honore afficere, quam Deus ipse summo honore dignatus est? Hæc igitur alia eius ineptia est, suique contradictio. *Caluinus sibi contradicit.*

Addit Caluinus: *Christi tamen responsum adeo verbis mulierculæ non subscribit, vt potius contineat obliquam eius reprehensionem. Imo* (inquit) *Beati qui audiunt verbum Dei. Videmus vt ferè pro nihilo ducat Christus, quod vnum extulerat mulier.* Vide iterum quàm parum sibi cohærentia scribat. Si mulier hic à Christo obliquè reprehenditur, & ferè pro nihilo ducit Christus, quod vnum illa in Maria extulerat, sequitur necessariò, aut falsum esse quod prius dixit, hãc mulierem in his verbis Mariam non respexisse, quam fortè nunquam viderat; aut ideo reprehensam mulierem fuisse, quia Christi excellentiam hac voce extollere voluit. Deinde si transit nunc à Christo ad Mariam, & quod prius dixerat, retractat Caluinus, quomodo rursum cum eo quod posterius dixit, ista cohærebunt? videlicet, *negari non posse, quin Deus Mariam filio suo matrem eligens, summo eam honore dignatus sit?* Quomodo enim reprehendi potuit mulier Mariam hoc nomine & hoc respectu extollens, quo nomine & quo respectu summo illam honore Deus dignatus est? Sed Caluinus vt Ecclesiam reprehendat, quæ ad B. Mariæ laudem hæc verba prolata fuisse iudicat, de Christo non de matre eius illam mulierem dixisse affirmat. Mox tamen vt ipsam mulierem à Christo reprehensam probet, quam non fuisse reprehensam Patres citati docent, ad B. Mariæ laudem dixisse mulierem ait. Ita dum vndique Ecclesiastici sensus reprehensioni incumbit, sibi ipsi variè contradicit. *Alia Caluini cõtradictio.*

Sed pergit adhuc in culpanda hac muliere, & ait: *Et certè quod præcipuum putabat Mariæ esse decus, alijs gratijs longè inferius erat.* Illud ex mulieris huius verbis probari non potest, quod præcipuũ B. Mariæ decus esse putauerit, Christum in vtero gestasse: *si præcipuum decus* pro summa perfectione accipias, vt Caluinus hic accipit. Subiungit enim: *Maioris enim præstantiæ fuit, regnitam esse Christi spiritu, quàm Christi carnem vtero suo concipere: Christum habere spiritualiter in se viuentem, quàm eum vberibus lactare.* Hæc omnia quoad præstantiam & perfectionem inhærentem vera sunt, vt ante explicauimus: nec quicquam obstat, quo minus idem hæc mulier senserit. Saltẽ eius verba hoc non negant, sed beatam, id est, fœlicem, magnóq; honore dignam eam pronũciat, quod Christum in vtero gestârit: de alterius generis præstantia nihil dicens. Sed Caluinus ista nesciens distinguere, subiungit: *Denique summa Sanctæ Virginis & fœlicitas & gloria in ea sita fuit, filij sui membrum esse, vt eam cœlestis Pater inter nouas creaturas censeret.* Hic toto cœlo errat Caluinus, nõ distinguens inter gloriam seu fœlicitatem, quæ extrinsecum quid est, & in ipsis malis residere potest, & veram hominis præstantiam, de qua antea loquutus est, seu perfectionem inhærentem. Summa gloria, summus honor, summa dignitas & propria Beatæ Virginis erat, quod filij Dei mater esset, in qua dignitate & gloria nulla illi mortalis creatura comparari potest. Alia præstantia & perfectio ex diuini Spiritus donis & gratiis illi inhærentibus alterius generis est, & cum alijs Sanctis omnibus, tametsi non eodem excellentiæ gradu communis. Sicut de hac illa mulier nihil dixit, ita nihil tunc dicere necesse habuit. Illud prædicauit, quod vera laude & sũmo honore in alio genere dignum erat. Principũ virorum maior est gloria, quàm priuatorum, sed non semper maior præstantia, virtus, perfectio. Illo nomine iure honorãtur illi, hoc nomine coram Deo meliores sunt isti. Nonne dij in Scripturis vocantur, qui suo imperio tyrannicè abutebantur? *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem deos dijudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Frustra ergo hactenus Caluinus hæc mulieris verba de collaudata B. Maria intellecta, exagitauit. Frustra etiam & insulsè postea concludit: *Mirus verò Papatus stupor, quòd in Mariæ honorem cantillant hæc verba, quibus tam disertè refellitur eorum superstitio.* quàm disertè & dexterè Caluinus hoc ostenderit, & quanto stupore Ecclesiam stuporis arguerit, ex ijs quæ diximus, satis luculenter apparet. Homo varius & versipellis, *& qui duplici graditur via* (quod abominatur Scriptura) super huius diei Euangelium ad textũ D. Ioannis, quem tractamus, studiosè affirmat mulieris huius verba B. Mariam respicere, & in eius honorem prolata esse, *ideóq; à Christo reprehensam fuisse, quod solum sanguinis honorem in ea extulerit.* Nũc verò textũ D. Lucæ enarrans, eadem mulieris verba non B. Virginem, sed Christum respexisse affirmat, & nunc in conclusione stuporem Ecclesiæ obiectat, quòd in B. Virginis honorem illa verba decantat. Ita dũ Ecclesiæ stuporem obijcit rebellis spurius, ipsemet maiori stupore sibiipsi contradicit. Nam hæc verba de B. Virginis honore intellecta, ad præcipuam B. matris Dei gloriam pertinere ita perspicuè ex diuinis Scripturis ostendimus, vt mirus sit Caluini stupor, qui illud non aduerterit. Cæterùm ita modis omnibus obstupefieri eum decuit, qui pro sua libidine sacrum Dei verbum data opera profanat. *Caluini ignorantia.* *Psalm. 82.* *Caluin. Ecclesiam stuporis arguit maiori stupore. Eccl. 2.*

Addit tandem & aliam accusationem. *In agendis verò gratijs, mulierculæ vocem detorquent*

Caluini calumnia mendax.

omissa correctione: Quinimò, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Primũ mentitur in agẽdis gratijs nos huius mulieris verba vsurpare. Illa enim verba, de quibus loquitur, *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium*, multò plus dicunt, quàm hæc mulier dixit, vt supra annotatum est, & potius ex aliquo Patrum desumpta videntur quàm ex huius mulieris verbis. Deinde etsi ad horum verborum, quæ clamauit mulier, imitationem, in agendis gratijs illa benedictio vsurpetur, quæ tamen sequuntur, absque vllo piaculo omittuntur. Nam neque præcedentium correctionem illa sequentia in se continent, vt iam ostensum est, neq; quicquam ad rem præsentem facit, vt in agendis gratijs, vbi Deum pro acceptis beneficijs benedicimus & laudamus, de audiendo & custodiendo verbo Dei Christi præceptũ adiiciatur. Christus inter concionandum illa verba dixit, & à concionatore verbi frequenter illa dici & inculcari conuenit. Omnia suum tempus & locũ habent. Interserit adhuc Caluinus hoc loco aliam disputationem, vt mulieris verba quasi de Christo pronuntiata, & ad illum solum spectantia, à Christo reprehensa fuisse doceat. Sed hoc totum ad nihil aliud, quàm ad maiorem huius hominis vertiginem & sui contradictionem manifestius conuincendam facit.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ioan.10.

1. *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

In com. ad hũc locum.

LOCVS hæc verba Euangelica à corruptela & deprauatione hæretica vindicandi, simúlque certitudinem salutis nostræ ex quibus causis pendeat, contra certitudinem, quam ponunt hæretici, salubriter explicandi. Colligit ex hoc loco Caluinus semel Christo per fidem incorporatos, à salute excidere non posse. *Incomparabilis* (inquit) *fructus hic fidei est, quod certos & securos esse nos iubet Christus, quum fide in suum ouile sumus aggregati,* & paulò pòst: *Insignis locus quo docemur non minus certam esse electorum salutem, quàm inuicta est Dei potentia.* Inter has C duas Caluini propositiones magnũ discrimen est. Posterior quippe propositio vera omnino est, & illa ipsa, quam Christus hic docet, *de ouibus suis*, i. de electis suis loquens, *quæ audiũt vocem eius, & ille cognoscit eas, ipsæ quoque sequuntur eum.* Tales oues, tales electos nemo rapiet de manu Christi. Quia nimirum perpetuus eorum custos, adiutor ac defensor Christus est. *Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.*

Sapien.3.

Habet quidem diabolus varias nocendi artes, habet & mundus. Ab vna quidem parte tyrannos armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, virgas, secures, eculeos, exilia, mortes, (quæ omnia & singula tormenta experti sunt hodie sancti in persecutione Anglicana) & quicquid præterea constantibus animis terrorem solet immittere. Habet ab altera parte voluptates, honores, dignitates, & quicquid animos quamlibet incorruptos solet corrũpere. De qua mundi corruptela ait quædam Scriptura: *ecce in pace amaritudo mea amarissima*: quod alibi latius exposuimus. Sed contra hæc omnia & alia quæcũq; electorum saluti insidiantia, stat *turris fortissima nomen Domini*, & quod Christus hic dicit, *Nemo rapiet eas de manu mea.* Itáq; posterior Caluini propositio verissima est, & præsenti Euangelio conformis.

Esaiæ 38.

Prouer.18.

Certitudo gratiæ, quã ponunt hæretici, Scripturis repugnat.

Rom.11.

Sed verò prior Caluini propositio nec cum Christi hoc loco verbis, nec cum tota Euangelica doctrina aliquid commune habet. Nec Christus hic docet, nec vlla Scriptura affirmat, fidei hunc fructum esse, quod semel Christo per fidem aggregati certi ac securi esse iubeantur. Imò vna illa Scriptura Apostolica manifestè contrarium docet, qua Paulus, Gentiles credentes al- D loquens dicit: *Tu fide stas, noli altũ sapere, sed time.* Si timere debet qui fide stat, certè cũ illa sua fide qua stat, securus & certus esse non potest. Quid enim securitati magis repugnat quàm timor? Sed quare timere debet? Audiamus Apostolum: *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè, nec tibi parcat*, id est: Si Deus populo Iudaico qui semel stetit, & propter carnalem propagationem de semine credentis Abrahæ, quædámq; fidei principia, & eloquia Dei apud illos depositа, in propinqua potentia ad firmiter standum, Christóq; venienti credendum erat (vt sapienter differit sanctus Augustinus) tamen propter incredulitatem non pepercit, vide ne, & tibi vtcunque iam *insertus in oliuam* es per fidem, *& socius radicis ac pinguedinis factus*, id est, omnis diuinæ gratiæ particeps, quæ Christo per fidem incorporatis dari solet, propter tuam quoque incredulitatem, si in eam incideris, Deus quoque non parcat: *Si enim illi propter incredulitatem fracti sunt, tu qui iam fide stas, noli altum sapere*, noli tibi hoc nomine placere, noli alijs iacentibus insultare, *sed time*, id est, iterum atque iterum caue, ne & tu excidas à fide, ac propter incredulitatem frangaris. *Vide ergo* (ait Paulus hanc causam studiosissimè persequens) *bonitatem & seueritatem*

De doctr. Christ. l.3.c.6.

Dei:

A *Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Quid clarius, quid disertius contra Caluini hoc loco paradoxum, omniumque hodie hæreticorum communem cum eo in hac parte dementiam, dici aut disputari potuit? Dicit Caluinus. *Qui fide in Christi ouile aggregatus est, certum ac securum esse iubet Christus.* Dicit Paulus. *Qui fide stat* (quod plus est, quàm fide aggregatum esse) *timeat, ne & ille excidatur.* An Paulus Christo contrarius est? An facilius non est Caluinum mentiri, quàm Paulum Christo contrarium esse? *Caluinus Paulo contradicit.*

Atqui Christus dicit de ouibus suis. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Dicit hoc quidem Christus, sed de illis ouibus suis, quę per electionem & prędestinationem æternam tales sunt: non de omnibus Christi ouibus, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis* recedunt, *qui fide stant*, & adhuc *à fide excidere possunt.* Sunt oues Christi veri credentes, veri coram Deo iusti, & iustificati & sanctificati, qui postea desinunt esse tales. Non credit quidem hoc Caluinus, & quia certitudinem gratiæ & salutis, quæ ex fide talis sit, ponere vult, talis autem certitudo constare nobis in hac vita non potest, nisi ex fide semel accepta constet, (fides enim Caluiniana, & firma persuasio diuinæ beneuolentiæ ita concipi potest, vt de ea concepta constare videatur) vult omnino hanc fidem semel acceptam excidere non posse, sed ex ea, eiusque beneficio certos ac securos nos esse debere. Sed contradicit illi Apostolus, qui iubet timere, & hoc ipsum timere, *ne* B *& tu excidaris*, & propter hoc ipsum timere, quia fidem deserere aut abijcere potest. Ait enim: *Si permanseris in bonitate.* Ex quo verbo duo sequuntur. Primum quod bonus erat cui loquitur, deinde quod ab ea bonitate excidere potuit. Neque enim permanet in bonitate, nisi qui prius bonus fuit: neque dici alicui, nisi admodum ridiculè potest, *si permanseris*, qui indubitatè permanebit, aut qui cadere omnino non potest. An dici iam sanctis in cælo regnantibus, nisi admodum ridiculè potest, videte in vobis bonitatem Dei, si permãseritis in bonitate, alioquin & vos excidemini? Caluinus enim, & tota secta Caluiniana tantam in illis, qui semel fidem acceperunt, salutis certitudinem ponunt, vt de ea accepta nunquam excidere queant, nõ magis sanè quàm beati in cælo de accepta beatitudine. Volunt enim hanc certitudinem de fide esse. Fidei vero tanta certitudo est, vt non solum falsum illi non subsit, sed nec subesse possit: non solum nõ fallat, sed nec fallere queat: ideoque de quo ex fide certi sumus, tam certi & securi de eo sumus, quàm de sua beatitudine beati in cælo. Hoc suum insanum paradoxum Caluinus, quod in Institutione sua longa disputatione stabilire conatur (quam olim ex parte refutauimus) ex his Christi verbis confirmare voluit, *Oues meas nemo rapiet de manu mea*, quæ verba de solis electis intelligenda sunt, non de quibuscunque & omnibus Christi ouibus: inter quas multæ sunt, quæ ex propria incredulitate, excidentes à prima fide, in qua stabant, rapi se à diabolo passæ C sunt, vt iam ex Apostolo ostendimus.

Luc. 8. Rom. 11. Iusti possunt à iustitia excidere.

De Iustif. li. 8. c. 24. & seqq.

Qui autem oues electæ sunt, qui non sint, non ex fide semel accepta iudicari debere, sed ex fidei perseuerantia constare oportere tum Apostolus in verbis citatis, tum Christus aperte docuit, dicens. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hæc autem perseuerantia vsque ad cursum consummatum omnes latet, tam electos quàm reprobos. Propter hoc dicitur, *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Propter hoc ait etiam ipsis electis Apostolus. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Quis enim dubitat quin inter Philippenses, ad quos scribit, aliqui electi fuerint? Propter hoc rursus ad Hebræos idem ait Apostolus. *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse.* Hortatur ne quum Iudæi per incredulitatem perierint in deserto, nec in terram promissionis introire potuerint, vt nos quoque timeamus & soliciti simus, (quod Caluinianæ securitati ex diametro contrarium est) *ne relicta*, id est, neglecta & obliuioni tradita vitæ cælestis promissione, *existimetur* aliquis deesse, id est, ita se gerat, vt videatur deficere aut defecturus in via. Hanc enim ob causam dixit Beatus Petrus eodem spiritu quo Paulus. *Cui præsto non sunt hæc*, id est, qui cum fide & cognitione Christi varias illas virtutes non habet, quas ibi enumerauerat, *cæcus est, & manu tentans*, id est, verè adhuc D Christum nescit, per incerta & vaga seu mundi seu carnis desideria ambulans, *obliuionem accipiẽs purgationis veterum suorum delictorum*, id est, accepti in baptismo beneficij, & hæreditatis cælestis, in quam ibi adoptatus fuit, penitus oblitus. *Quapropter fratres magis satagite*, id est, in hoc imprimis & diligenter incumbite, *vt per bona opera* fidei & vocationi vestræ adiuncta, *certam vestram vocationem & electionem faciatis*, id est, vobis ipsis & aliis quasi certum & firmum appareat, vos à Deo ad fidem vocatos, & ad gloriam electos esse. Nam & *inter multos verè vocatos pauci electi*, & ipsa aliquando vocatio non nisi ficta & hypocritica fuit. Sed bonorum operum studium fidei adiunctum vtrique certitudinem adfert: studium inquam perseuerãter adhibitum, vt aliæ Scripturæ docent. De qua perseuerantia quum nemo adhuc in cursu suo certus ac securus esse possit, impiè affirmant hæretici, solius fidei hunc fructum esse, vt illa nos certos ac securos reddat, vt hic Caluinus affirmat.

Oues electæ vnde constare possunt. Matt. 24. 1. Cor. 10. Philip. 2. Hebr. 4. Electionis argumentũ non fides sed perseuerantia. 2. Petr. 1.

Matt. 20.

Subiungit enim paulo post, non tam contra catholicos hodie, quàm contra doctrinam Apostolicam iam prolatam, & ait. *Hinc etiam colligimus, quàm insana sit Papistarum fiducia, quæ in liberum arbitrium, in virtutem propriam & operum meritã recumbit.* Vocat nefarius impostor *liberum arbitrium & virtutem propriam*, quæ nec liberi arbitrij solius, nec virtutis propriæ opera, sed liberi arbitrij diuina gratia adiuti, & virtutis non humanæ, sed diuinæ opera sunt. Talia bona opera, & talium

Calu. criminatio mendax.

operum merita ponunt catholici, nec tamen sic ponunt, vt *in illa recumbant*, quod iterum impostor mendax affirmat, sed vt iuxta Diuum Petrum *per bona opera certam suam vocationem & electionem faciant*. A
2. Petr. 1. Philip. 1. Non confidunt in meritis catholici, sed *in Domino confidunt*, qui *operatur in illis & velle operari pro bona ipsius voluntate*, sanctoque beneplacito. Insanam illam fiduciam, qua in solam fidem recumbit Caluinus, & quam ex hoc Euangelio, veluti ex dulci flore venenum, haurire voluit, Scripturæ à nobis citatæ luculenter refutarunt.

Imo si rectè aduertimus, in hoc quoque Euangelio Christus illam refutat. Ait enim de ouibus suis: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Audire Christum hoc loco, est ei credere & obedire. Alioqui audiebant illi externo auditu, qui oues eius non erant. Has oues cognoscit Christus, id est, amat, & gratas habet. Istæ quoque oues *sequuntur Christum*, id est,
Ioan. 8. mandatis eius obediunt, *Qui enim sequitur me* (ait alibi Christus) *non ambulat in tenebris*, id est, non
Fides sola non facit ouem Christi. facit opera tenebrarum, quæ sunt opera diaboli principis tenebrarum. Aliud enim est, esse in tenebris, quod illorum est, qui Deum ignorant, & fide recta carent: Aliud ambulare in tenebris, quod operationem significat malam & impiam. *Qui enim malè agit, odit lucem*, amat tenebras, & ambulat in tenebris. Qui autem oues Christi sunt, & sequuntur illum, tanquam *filij lucis ambulant in dilectione: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Abijciunt opera tenebrarum, & induunt arma lucis, sicut in die honestè ambulantes.* Oues igitur Christi, & sequentes illum optimè sciunt, non ex sola fide certos & securos de salute se esse posse, sed totius vitæ puri- B
1. Ioan. 3. tatem præterea esse amplectendam, vt *si cor eorum eos non reprehenderit, habeant fiduciam apud Deum.* Non satis habent fide fuisse aggregatos ad Christum, vt securi sint de salute, sed ad tantam fiduciam concipiendam, sequi se Christum debere, opera tenebrarum fugere, cor irreprehensibile
Luc. 2. habere, *ambulare in iustificationibus Domini sine querela*, optimè norunt. Neque ita tamen certos & securos de fide esse, sed fiduciam bona spe plenam concipere se posse ex Scripturis didicerunt. *Domus Christi sumus nos*, (ait Paulus) id est, ad Christi ouile pertinemus, *si fiduciam & gloriam spei*
Hebr. 3. *vsque ad finem firmam retineamus.* Sed hæc fiducia & gloria spei in quo fundetur, paulo post aperit dicens. *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Neque vero hæc eo tantum dicta sunt, vt tanquam boni filii Deum Patrem non offenda-
Instit. li. 3. c. 2. n. 26. mus, nosque non ingratos acceptis beneficiis demonstremus, per quam rimam elabi conatur
Caluini rima occluditur. Caluinus, sed præterea, ne Deum Patrem offendentes à salute promissa vel etiam dari cœpta excidamus. Quod his verbis D. Petrus docet, *Si patrem inuocatis Deum qui sine acceptione personarum*
1. Pet. 1. *iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.* Docet Deum Patrem non secus filios castigare quàm seruos & à prima vocatione relapsos sine acceptione personarum iudicare, ideoque cum timore diuini iudicii in hac peregrinatione nostra viuẽdum C
esse. Hæc omnia fiduciam Caluinianam, quam ex hoc Euangelio stabilire voluit, penitus subuertunt.

Cap. 4. sect. 20. Et videte quàm hæc Caluiniana doctrina scelerata & impia est. Theodorus Beza Caluini Geneuę successor, in sua fidei confessione, quam vocat, ita scribit. Affirmo *eum qui vel semel tota sua vita senserit certum veræ fidei testimonium securum esse debere de ea non modo permanente, sed etiam permãsura ad finem vsque, tum quoque quum ea tempora inciderint, quibus abesse penitus veræ fidei testimonium videatur.* Hæc ille. Veræ fidei testimonium vocat, bona opera sanctificationis nostræ per Spiritum
Certitudo hæretica, quã scelerata & flagitiosa. Sanctum effectus. Hoc testimonium penitus abesse censet, quando in horrenda peccata incidunt electi, sicut Dauid adulterium atque homicidium perpetrans, ac Petrus Christum negans, quos pro exemplo in medium adfert, & ait *illos quum sic fœdissimè lapsi essent, incubuisse veluti anchoræ illi testimonio quod Spiritus sanctus testabatur ipsorum spiritui: eos nimirum quamuis fœdissimè lapsos, tamen in numero filiorum Dei censeri, ac proinde remissa esse illis peccata.* Hæc ille ibidem. Hæc est ergo fides & fiducia Caluiniana. Vt certus & securus sis te ouem esse Christi, & ex numero electorum, quos nemo rapiet de manu eius, satis esse si semel in tota vita veræ fidei testimonium, videlicet bonum aliquod opus & sanctificationis effectum in teipso sentias. Talis enim vera fides qua sola iustificaris, ad finem vsque permanebit, etiam tum quando fœdissimè lapsus fueris. D
Adhuc enim testabitur tuo spiritui Spiritus sanctus, quia semel hoc testatus est, te esse filiũ Dei, & proinde remissa tibi esse peccata. An vlla esse potest magis epicurea, magis impia & athea
Doctrina Bezana è schola Caluiniana. sententia quàm hæc est? Si enim vel semel in tota vita cum recta in Christum fide, eiusque pro te beneficia ac promissiones suauiter recolens, aliquod opus bonum ac sanctum præstiteris, puta semel Orationem Dominicam deuotè recitaueris, aut vnam pauperi eleemosynam propter amorem Christi erogaueris, omnia tibi salua ac tuta sunt, nec nisi salua esse possunt. Tametsi cũ Dauide adulteres, aut cum Petro Christum neges, aut cum Beza Candidam simul & Audebertulum in tuo sinu foueas, certus es de salute, certus es de remissis tibi peccatis: certus es te esse filium Dei, & hoc Spiritus sanctus tuo spiritui testatur. Te adulterum Spiritus sanctus filium Dei esse dicit. Nec gemitus Dauidis, nec lachrymæ Petri necessariæ tibi sunt. Semel fuisti filius Dei per fidem & Spiritum sanctificantem. Dubitare non debes quin huiusmodi semper
2. Thess. 2. permaneas etiam fœdissimè lapsus. Hoc certè iam non mysterium iniquitatis est, sed voces illius sunt, qui hoc mysterium operatur, qui *homo peccati & filius perditionis* ab Apostolo vocatur, voces Antichristi sunt. Quid enim ille homo peccati & ad peccati regnum stabiliendum aptius & accommodatius adferre poterit, quam hæc doctrina adfert? Quid filius ille perditio-

nis

A nis ad perdendas animas efficacius proferet, quàm quod iste Caluinista protulit? Bellis tamen, vt sibi videtur, similibus doctrinæ suæ turpitudinem fucare, & imprudentis lectoris oculos perstringere conatur. *Qui colligunt* (inquit) *falsam esse fidem nostram, quia certo tempore eius effecta non apparent, perinde argumentantur, ac si quis colligeret nullum esse verum ignem vbicunque nulla flamma collucet, vel hyeme non viuere arbores, quoniam nec folia, nec fructus edunt.* Atqui non hic agitur de effectis fidei aliquando non apparentibus, sed de effectibus veræ fidei, in sensu Bezæ, id est fidei cum vitæ sanctitate coniunctæ planè contrariis, eamque penitus tollentibus. Ignis ardere potest sine flamma, sed non ardet extinctus. Arbor in hyeme viuit sine foliis, & fructu, sed nõ viueret si stirpitus euulsa iaceret. Adulter, homicida, abnegans fidem, dum hos actus exercet, Spiritum sanctum in se penitus extinxit. *Neque enim habitat in corpore subdito peccatis*: est arbor radicitus euulsa, quia *charitatem non habens*, quæ radix salutis est, apud Deum *nihil est*, dicente Apostolo, *Si charitatem non habuero nihil sum.* Deinde non de momentaneo bonorum operum defectu, aut etiam in graue crimen prolapsu hic agitur, sed de perpetua (vnico tantum per totam vitam excepto pietatis actu) flagitiosæ vitæ impuritate. Cum illa enim stare salutem posse ac certo stare Beza vult. Alia adhibet similia non minus inepta vel insana potius. Nam post illa fœdissima verba, primo loco à me citata, subiungit. *Neque enim infans recens natus idcirco non est præditus anima rationis participe, quod nullum eius vsum experiatur, neque ebrium hominem dicimus ratione & intelligentia spoliatum, etiam si neque mens neque pes in eo officium facit: neque vitalis omnis facultas eum deseruit, qui est ad*
B *tempus mortuo quàm viuo similior.* Hæc ille, quasi de eo fideli ageretur, qui ab opere bono interdum cessaret, nullum interea crimen perpetrans : in quem tamen nec ista similia per omnia quadrarent, quod latius hic explicare extra propositum esset. Atqui Beza suum electum fidelem, qui semel tantum in vita veræ fidei testimonium in se senserit, nec vt infantem sine vsu rationis fingit, nec vt hominem ebrium ponit, qui ad tempus nescit quid faciat, nec vt aliquem qui apoplexia tactus mortuo similior quàm viuo ad tempus appareat describit, (nec enim in tota vita tanto stupore suos electos affici dicere volet) sed in suo fideli & electo ponit fœdissimos lapsus, quales Dauid & Petrus perpetrarunt, qui bene vigiles suique compotes ea commiserunt, & quales tota vita homines scelerati committunt, nec veluti ebrii, nec veluti infantes, nec veluti mortui, sed ad actiones impias, quas proferunt vigilantissimi, astuti, seduli, viuaces, nec in eis ad tempus, sed per totam vitam (vnico excepto pietatis actu) persistere ponit.

Nempe volunt Caluinistæ electi Dei, quum eos rapere, furari, sacrilegia, rapinas commit- *Cal*
tere videmus, quum scortari, inebriari, occidere, mentiri, fallere, omnem denique siue in Deum *qua*
impietatem, siue in homines iniustitiam exercere cernimus, vt toto illo tempore eos pro filiis *De*
C Dei iustis & sanctis coram Deo nihilominus habeamus, ea vero quæ perpetrant, quasi somno *volunt.*
cuidam & ecstasi, qua correpti interea sunt, tribuamus. Lepidi homines dum opera diaboli faciunt, filii Dei esse volunt.

Vnum adhuc simile profert Beza, quod dissimulandum non est. *Sciant* (inquit) *isti qui hanc do-* *Beza vbi*
ctrinam oppugnant, quasi aditum patefaciat ad peccandi licentiam, se non aliter id colligere, quàm si dicerent *supra.*
homines instrui ad abstinendum à cibo & potu, vel ad otium instituí, quum certum esse ac præfixum vitæ no- *Epicuream*
stræ terminum affirmamus, qui præteriri non poterit. At vero quàm ista collectio alteri sit dissimilis, sta- *suam do-*
tim apparebit. Qui dicit certum esse cuique vitæ suæ terminum à Deo præstitutum, non docet *ctrinã quo*
eum à cibo & potu abstinere, quia media illa nota & necessaria quum hoc dicit non tollit. Imo *fuco hone-*
quia terminus cuique talis vitæ est, nec sine cibo & potu transigi vita potest, certum & indubi- *stat Be-*
tatum est, eum qui vitæ terminum præscripsit, pariter facturum vt vsque ad illum terminum alimentum victuro non deficiat. Sic dicunt sanè catholici omnes saluandos, ad ipsam salutẽ ab ipso Deo infallibiliter prædestinari. Sed dum hoc dicunt, pariter docent huius diuinæ prædestinationis effectum, non solum vitam æternam, sed ipsa quoque media esse, quibus ad eam peruenitur: Nempe fidem, charitatem, aliaque pietatis opera, sine quibus vita æterna adultis & operan-
D di tempus habentibus non datur. Docent quoque impios in impietate finaliter perseuerãtes de numero huiusmodi prædestinatorum esse non posse. Et ad hanc quidem sanam & orthodoxam doctrinam similitudo à Beza allata optimè quadrat: neque ad peccandi licentiam illa aditũ patefacit, sed totius pietatis ac sanctitatis necessitatem in omnibus prædestinatis ponit. At vero Bezana doctrina à simili proposito longissimè abest: & vt in eadem materia maneamus, hæc eius recta & genuina similitudo est. Quemadmodum qui alicui diceret, Charissime, vitæ tuæ terminus à Deo prescriptus est, qui præteriri non poterit. Quare siue cibo & potu continuo vtaris, siue non vtaris (modo semel in vita illis vsus fueris) ad illum vitæ terminum certissimè peruenies, iste haud dubiè eum ab abstinentia cibi & potus reuocasse, & interitus corporis qui inde necessario sequeretur causa fuisse, merito iudicaretur; sic omnino Theodor. Beza & tota schola Caluiniana, quæ sic Christianum alloquitur; dilecte frater si vel semel in tota vita tua senseris te vita gratiæ viuere, & veræ fidei testimonium habere, opera videlicet bona & sanctificationis tuæ fructus, certus sis & securus te illam fidem perpetuo habiturum vsque ad finẽ vitæ, ideoque saluandum, vtcunque illius fidei fructus & testimonia per reliquam vitam non appareant, per hanc impiam doctrinam ad peccandi licentiam aditum patefaciunt, & electorum suorum peccata nihil illis ad salutem obesse, quia vel statim remittuntur, vel non nisi quasi dormientes

illa perpetrarunt,impiè docent:ideoque illis qui hanc eorum doctrinam amplectuntur æternę perditionis causam dedisse merito censendi sunt. A

Et ad hoc quidem certissimum æternæ perditionis prȩcipitium Caluiniana & Bezana præsumptio necessario trahit.Cuius tamen apertã temeritatem,ipsius Caluini alia disputatio manifestam facit.Disputans ille contra fiduciam specialis auxilii diuini,in his qui castitatẽ vouent (quos ideo ait temerè vouere,quia de dono illo certi & securi esse non possunt) sic scribit. *Non est quod causentur se non nisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare. Quum enim Deus non omnibus dare pronuntiet,* (hoc enim ex eo consequi putat,quod Christus dixit,*Non omnes capiunt verbum hoc*) *fiduciam specialis doni concipere nostrum non est.* Atqui eodem modo multoque verius contra hãc certitudinem peculiaris electionis,quam statuit Caluinus, nos arguimus. Non est quod causetur Caluinus, Beza,aut alius quiuis illorum pessimo fermento deprauatus,se non nisi diuinæ beneuolentiæ promissionibus fretos,*indubitatam salutis expectationem præsumere* (sunt verba Caluini) & hanc *electionis suæ particularis certitudinem audacter sibi vendicare*, vt Beza loquitur. Quum enim disertè dixerit Christus, *non omnes vocatos esse electos*,nec omnes *ingredi angustam portam quæ ducit ad vitam*,imo contra *paucos tales esse*,hanc indubitatã salutis expectationem præsumere,aut hanc particularis electionis fiduciam animo concipere,nec concipere tantum, sed & firmissimè sibi persuadere,profecto multo minus nostrum est. Hæc,vt dixi, Caluini disputatio, certitudinem hanc,quam ponit,manifestè subuertit. B

Inst.li.4. ca.13.n.17. Caluinus à seipso refutatur. Inst.li. 3. c.2.n.16. Matt.20. Matt.7. Castitatis donum nõ vanè præsumitur.

Est tamen longè alia ratio in concipiendo fiduciam doni castitatis, quàm in præsumendo donum electionis particularis. Ratio enim cur omnes non capiunt donum castitatis, ex bona parte in nobis ipsis est,quia nolumus hoc donum habere, non adimus Dominum precibus, vt illud nobis largiatur,non alia media adhibemus,quibus illud vel impetrari, vel conseruari potest,vt ad illa Christi verba alibi contra Caluinum disputauimus. Ratio cur non omnes electi sunt,in solo Deo est,qui pro suo beneplacito elegit quos ipse voluit ante constitutionem mũdi,nec in nostra potestate vllo modo est,vt de numero electorum simus, si ex eo numero in diuina electione non sumus:tametsi vt inter electos eius deputemur,& cum electis ab eo coronemur,nostrum omnino sit omnem operam legitimè certando dare,*& nostram electionem per bona opera certam facere*,certam dico non Deo,sed nobis: quia certum ex diuinis Scripturis est eos qui *mala agunt regnum Dei non possidere,& nisi qui legitimè certauerit neminem coronari.* Quæ tamen tota certitudo nostra,spei est,non fidei:*Gloriamur in spe gloriæ filiorum* Dei:quæ gloriatio tunc firma & certa est,quando id quod sequitur in nobis locum habet;*Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.Si enim compatimur & conglorificabimur.* Sed nullas conditiones admittunt hæretici. Certi & securi esse volunt. Non est illis satis anchoram spei firmam tenere,quam Deus proposuit timentibus eum. Nouos sibi certitudinis fidei funes fabricauere: sed quibus suffocantur,non sustentantur,& qui laqueus ad ruinam sint, non solatia ad salutem. Diuinæ electionis certitudinem & nullam esse in hac vita,& optimis ex causis nullam esse debere, sapienter docet his verbis S.Augustinus. *Quis ex multitudine fidelium,quamdiu in hac mortalitate viuitur,in numero prædestinatorum se esse præsumat?quia id occultari opus est in hoc loco,vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satanæ angelum ne extolleretur tantus colaphizaretur Apostolus.Hinc & Apostolis dicebatur, Si manseritis in me,dicente illo qui vtique illos sciebat esse mansuros.Et per Prophetam.Si volueritis & audieritis me,cum sciret ipse in quibus operaretur & velle.Et similia multa dicuntur propter huius vtilitatem secreti,ne fortè quis extollatur,sed omnes etiam qui bene currunt timeant,dum occultum est quo perueniant.Propter huius ergo vtilitatem secreti credendum est quosdam de filiis perditionis,non accepto dono perseuerandi vsque ad finem,in fide quæper dilectionem operatur,incipere viuere,& aliquandiu fideliter ac iustè viuere,& postea cadere; neque de hac vita priusquam hoc eis contingat auferri.Quorum si nemini contigisset,tam diu haberent homines istũ saluberrimum timorem,quo vitium electionis opprimitur,donec ad Christi gratiam qua piè viuitur,peruenirẽt: deinceps iam securi nunquam se ab illa casuros.Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit,vbi tanta est infirmitas vt superbiam possit generare securitas.* Hæc Augustinus. Quæ omnia contra Caluinianã præsumptionem plurimum valent. Tametsi enim Caluiniana securitas superbiam non generat, de qua Sanctus Augustinus loquitur,nempe de vitæ puritate & sanctitate,quam Caluinus non requirit,tamen aliam superbiam generat multo deteriorem,nempe qua præsumit homo totus impius se esse filium Dei propter solam fiduciam diuinæ beneuolentiæ. Si enim ad elationis vitium opprimendum necessarius est perpetuus timor,& peculiaris electionis ignoratio,quanto magis ad tam impiam præsumptionem opprimendam idem necessarium erit?Si quos certo constabat Christo electos esse,eosdem ad perseuerantiam fidei & charitatis hortatur Christus (hoc est enim manere in Christo) quanto magis quos ex nulla reuelatione constat electos esse, seipsos perpetuo hortari & solicitè contendere debent vt maneant in Christo,non fide tãtum & fiducia,sed charitate & faciendo voluntatem eius? Sed contra hanc execrandam securitatem & certitudinem electionis particularis,quam ex hoc Euangelio stabilire Caluinus voluit, propter illa Christi verba (*Nemo rapiet oues meas de manu mea*) quum alia innumera vtiliter dici & adferri possent,his paucis contentus ero:tum quia hæc pauca pro concione fortasse sufficient, tum quia de hoc argumento latius alibi disputauimus. C D

2.Petr.1. Galat.5. Rom.5. Rom.8. Salutis cõditiones nullas admittunt hæretici. De correp. & grat. ca.13. Electionis certitudo in hac vita nulla. In opere de Inst.li.9.

A

2. *Pater & ego vnum sumus.*

LOcus vtilis populum fidelem admonendi, quàm impius seductor Caluinus fuerit, qui præter huius temporis hæreses ab eo studiosissimè defensas, etiam veteribus hæresibus ab ipsomet (saltem verbotenus) damnatis fenestram aperiat, & hoc quidem in loco Arianæ hæresi manifestè patrocinetur. Quum enim hæc verba *Pater & ego vnum sumus*, tum ex ipsa contextus consequentia, tum ex doctissimorum & vetustissimorum Patrum expositionibus, vnitatem substantiæ & existentiæ diuinæ in Christo cum Deo Patre luculenter doceat, impius Caluinus, & rem ipsam hoc loco negat, & veteres Patres disertè reprehendit. Sic enim in hunc locum scribit. *Abusi sunt hoc loco veteres vt probarent Christum esse Patri ὁμοούσιον, consubstantialẽ. Neque enim Christus de vnitate substantiæ disputat, sed de consensu, quem cum Patre habet: quicquid scilicet geritur à Christo, Patris virtute confirmatum iri.* Sic iterum quum Iudæi propter hæc Christi verba melius intellecta quàm intelligere voluit Caluinus, *dicerent eum blasphemare, quia cũ homo esset faceret seipsum Deũ*, Christusque eorum intelligentiam non corrigeret aut reprehenderet, sed comprobaret & confirmaret dicens, *Si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre*, (ad quæ verba statim quærebant eum apprehendere, quasi iterum repetentem se
B Patri æqualem esse) hæc rursum verba luculẽtissima in fauorem Arianæ hæresis deprauat Caluinus, dicens. *Idem repetit Christus quod supra aliis verbis dixerat: Ego & Pater vnum sumus. Pater, inquit, in me est, hoc est, diuina virtus se in me profert. Et ego in Patre sum, hoc est, nihil ago nisi auspiciis Dei, ita vt mutua sit inter me & Patrem coniunctio. Neque enim hic de essentiæ virtute sermo habetur, sed de manifestatione diuinæ potentiæ in Christi persona, vnde constabat diuinitus missum esse.* Hæc ibi. Eodem adhuc modo eademque impietate, eadem Christi verba in postremo ante passionem sermone studiosè repetita, vt discipuli eum id crederent esse quod erat, Deum verum Deo Patri æqualem, deprauat iterum Caluinus. Dicenti enim Philippo, *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, *respondit ei Iesus. Philippe qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quod ego in Patre & Pater in me est?* Et rursum. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter ipsa opera credite. Hæc verba* (ait Caluinus) *non ad diuinam Christi essentiam refero, sed ad modum reuelationis. Nec simpliciter disputat Christus quid sit in se, sed qualis debeat agnosci à nobis. Virtutis potius quàm essentiæ elogium est.* Hæc ille ibi. Luculentissima diuinæ Scripturę verba, quibus Christus verus Deus & Patri quoad substantiam æqualis probatur, & contra impios Arianos à doctissimis Patribus probari semper solet, homo procax & superbus, vel vt Arianæ hæresi fenestram aperiret nouam, vel vt
C præter ac supra veteres eruditissimos ac sanctissimos Patres aliquid singulariter sapere videretur, penitus deprauat.

Caluinus hæresi Arianæ resuscitandæ fenestrã aperuit.

In com. ad hunc locũ.

1. Ioan. 10.

2.

Ioan. 14.

3.

Et primum quidem ex ipso contextu, de vnitate substantiæ & non voluntatis Christum dixisse, *Ego & pater vnum sumus*, ipsa causa dicendi manifestè docet. Quum enim electos vocasset *oues suas*, & *se eis vitam æternam dare* affirmasset, addens quoque *quod nemo raperet eas de manu eius*, quia hæc omnia diuinę solius potestatis essent, ideoque Iudæis hæc à Christo nimis arroganter dicta videri possent, duplici argumento potestatem suam confirmat. Primum, quia vt homo à Deo Patre summam potestatem, ipsamque diuinitatem naturæ suæ humanæ hypostaticè coniunctam accepit, *Pater meus*, (inquit) *quod dedit mihi maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris*: Vbi intelligitur conclusio: ergo nec de mea. Alterum argumentum est, quia ipsemet Deus quoque est, & eiusdem cum Deo naturæ ac potestatis. Propter quod dicit. *Ego & Pater vnum sumus.* Sic hunc locum tractat diuus Basilius libro primo contra Eunomium. Eodem modo interpretatur Ambrosius libro tertio capite decimo octauo de Spiritusancto, & de fide libro primo capite primo. Chrysostomus quoque homilia sexagesima in Ioannem, vbi notat optimè inferri. *Si vnius sunt potentiæ & virtutis, esse etiam vnius & eiusdem substantiæ.* Quare hunc
D imprimis locum oppoſuerunt Patres Arianis, vt Filium Patri nec ὁμοιούσιον, nec σωούσιον, sed ὁμοούσιον, id est, nec similis tantum naturæ (vt olim Eunomius) nec simul habentem essentiam, quasi radicalem ac primatiuam à seipso, (vt hodie Caluinus) sed consubstãtialem, siue eiusdem planè substantiæ cum Patre, id est, à Patre, non à seipso, quia Dei filius est. Sic Athanasius sermo. 4. contra Arianos, & aliis multis in locis, & Hieronymus ad Esaiam cap. 6. Glossa autẽ Caluini, quod de consensu volũtatis, non de vnitate essentiæ Christus illa verba dixit, ipsissima fuit Arianorum euasio, vt refert Augustinus, eamque refellit contra Maximinum Arianorum Episcopum lib. 2. cap. 12. & lib. 3. cap. 22. Hanc sanè ob causam noui hodie Ariani in Transsiluania & Polonia, in publica disputatione cum ipsis Lutheranis & Caluinistis habita, circa huius loci sententiam Caluinum Iudicem appellarunt, & ab ipso Caluino Arianam se accepisse doctrinam profesi sunt. Quare in Transsiluania sicuti ex catholicis fiunt Lutherani, ex Lutheranis Caluinistæ, sic ex Caluinistis fiunt noui Ariani: & sicut Caluinistę multa à Luthero se accepisse ostendunt, propter quæ deserto Luthero sua singularia dogmata ipse Zvvinglius ac Caluinus orbi obtruserunt, sic Ariani multa se tam à Luthero quàm à Caluino accepisse profitentur, propter quæ desertis vtrisque Ariani esse malunt quàm catholici Christiani. Inter cætera autem hic vnus locus & alia à me citata tanto studio à Caluino deprauata hanc audacibus & im-

Refutatur Cal. Arianismus.

Basilius.

Ambr.

Chrysost.

Athanas.
Hieron.
Calu. glossa Arianorũ euasio.
Anton. Possevinus de atheismis hæret. Calu. nouorum hodie Arianorum magistet.

piis hominibus occasionem dedere. Quo nomine rectè & meritò Caluinistas accusat primarius quidam Lutheranus, Iacobus Andreas Smidelinus Tubingensis Academiæ, vt seipsum scribit, A
In præf. Refut. blasphemę Apolog. Danæi. anno 1583. Doctor & Cancellarius. *Minimè* (inquit) *mirandum est ex Caluinianis in Polonia, Transsiluania, & Hungaria aliisque in locis, quàm plurimos ad Arianismum, quosdam etiam ad Mahometismum accessisse, quorum impietati hæc Caluiniana doctrina viam parat.* Hæc ille, citatis quibusdam Caluini in Christum blasphemiis & diuinæ Scripturæ deprauationibus. Vix enim apud Ioannem (qui diuinitatem Christi maximè astruebat propter ipsum Cerinthum, qui eam negabat) vllus locus est qui Christum esse Deum doceat, quem suo fermento Caluinus non corrumpat.

Præter loca superius citata, pauca adhuc adijciam. Ad illa Christi verba, *Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit*, Patres reprehendit, qui ex his verbis Christi diuinitatem astruũt.
Alia Scripturæ loca in fauorem Arianorũ à Caluino deprauata. Ioan. 5. Cyrillus li. 2. c. 137. in Ioan. Aug. tra. 21. in Ioan. Dicitur enim Pater demonstrare filio omnia quæ facit, quia cognitionem quã habet filius, Pater dat. Communicat enim Pater filio scientiam cum essentia, & hoc est demonstrare: sicut filium discere à Patre, seu videre faciẽtem Patrem, est accipere cognitionem à Patre sicut & naturam. Sic hæc verba exponunt doctissimi Patres, Cyrillus Alexandrinus, & Sanctus Augustinus in suis ad hunc locum commentariis. Sed hic bonus Caluinus magis Arianis fauens, quàm doctissimis Patribus deferens, ait. *Quàm dura sit & coacta veterum expositio nemo non videt.* Quod autem ille adfert ita durum & coactum est, vt Christi disputationem, qui se hic Deo æqualem ostendere voluit, prorsus inanem faciat. Simili arrogantia & impietate vtitur in illis Christi B
Calu. in fauorem Arianorũ SS. Patres taxat. Ioan. 6. Aug. trac. 25. in Ioan. Hilar. li. 8 de Trinit. Cyril. l. 3. c. 29. in Ioã. Ioan. 5. Ser. 20. in psal. 118. Tract. 21. in Ioan. Ho. 38. in Ioan. Li. 2. c. 146 in Ioan. Calu. propria hæresis, quod filius Dei à seipso Deus est non à Patre. verbis: *Hunc enim Pater signauit Deus.* Causam illic reddit Christus non solum cur filius hominis cibum vitæ æternæ dare possit, sed etiam cur caro ista secundum quam erat filius hominis, cibus possit esse vitæ æternæ: quod vtrumque in præcedentibus dixerat. Nempe quia *hunc Pater signauit Deus*, id est, huic homini pater velut sigillo diuinitatem impressit & vniuit. Sic hunc locũ exponunt Sanctus Augustinus, Sanctus Hilarius, & Sanctus Cyrillus Alexandrinus, omnes hæreticorum sui temporis antagonistę fortissimi, & Scripturarum interpretes diligentissimi. Sed horum sententiam in fauorem Arianorum rursum taxat Caluinus. *Perperam hunc locum veteres ad diuinam Christi essentiam torserunt, quasi signatus dicatur quia character est & expressa imago patris.* Hæc est rursum hominis arrogantia qua Patres taxat, & impietas qua catholicos cõtra Arianos exarmat, & fortissima diuinarum Scripturarum tela è manibus eripit. Sed non est hic impietatis eius finis aut arrogantiæ modus. Quum illa Christi verba, *Non possum ego à meipso facere quicquam*, studiosè admodum exponant SS. Patres, vt diuinæ eius naturæ nihil præiudicent, ideoque tam secundum diuinam naturam, quàm secundum humanam illa intelligi posse doceant, secundum diuinam quidem, quia sicut essentiam, sic omnem operationem à Patre accepit, cuius filius naturalis est, (in quem modum Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, & Cyrillus hæc verba C interpretantur) secundum humanam vero, quia iuxta illam à Deo totum accepit quod habuit, sicuti & nos, vt idem Cyrillus & Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos accipi posse iudicant, totam hanc SS. Patrum diligentiam & iudicium Caluinus pro more suo flocci faciens, magisque Arianis patrocinari, quàm doctissimis Ecclesiæ luminibus subscribere volens, ad eũdem locum ita garrit. *Superuacuum foret hic subtiliter disputare, à seipsone, an aliunde possit filius Dei quod ad æternam eius diuinitatem spectat. Neque enim talibus argutiis nos occupare voluit. Proinde nulla erat causa cur se tam anxiè torquerent veteres in repellenda Arÿ calumnia.* Hæc idcirco homo impius facit, vt suã peculiarem & nouam αὐτοθεότητα, in filio Dei, qua vult filium Dei à seipso Deum esse, nõ à Patre, aliquo modo stabiliat. Quam eius nefariam hæresem, vt & alias permultas circa Beatissimæ Trinitatis ac Christi diuinitatis mysteria, ex ipsius Caluini scriptis diligenter collegit, doctéque refutauit. Et Franciscus Feuardentius minorita Gallus, vir de fide catholica præclarè meritus. Vnum adhuc exemplum adijciam, quo Caluini impietas luculentior apparet. Celebris est ille sermo quo Christus dixit, *Pater maior me est*, nec in ore Arianorum aliquid frequentius. *Illi enim* (ait ad hæc verba Caluinus) *vt Christum probarent quendam esse secundarium Deum* (sic ille Arianorum sententiam refert, quasi ideo hæresis damnati essent, quod filium Dei à Patre & ex Patre esse, ac ratione originis secundam in diuinis personam dicerent, quod reuera Caluinus negat, D
In Dialog. contra 174 hæres. Cal. Ioan. 14. vt modo dictum est, quum potius ideo hæretici fuerint, quia Christum esse Deum omnino negabant, & creaturam esse, quamuis non sicut cæteras creaturas, impiè asserebant) *obijciebãt minorem esse Patre. Patres orthodoxi vt tali calumniæ ansem præciderent, dicebant hæc verba debere ad humanã naturam referri. Atqui vt impiè* (nempe in sensu Caluini iam explicato) *hoc testimonio abusi sunt Ariani, ita nec recta, nec consentanea fuit Patrum solutio. Hic enim neque de humana Christi natura, neq; de æterna eius diuinitate sermo habetur.* Hæc ille impius: quasi Christus hoc loco disertissimè de sua exaltatione non sit loquutus. *Vado* (inquit) *ad Patrem, quia Pater maior me est*: id est, vado exaltandus & glorificandus deposita iam exinanitione ac humilitate mea, completa dispensatione quam suscepi. Patres tamen diligentissimè hæc verba expendunt ac trutinant; & vel ratione originis Patrem se vt Deo maiorem vocasse Christum exponunt, vt aliquando Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Hilarius, Origenes: vel ratione humanitatis, quod clarum ac perspicuum est, vt idem Hilarius libro nono, & Diuus Augustinus tractatu 78. & Leo Magnus, sermo. tertio de Pentecoste: idem quoque Athanasius in disputatione contra Arianos in Concil. Nicæno, & corã Probo Iudice, ac demum Cyrillus in Ioan. libro 10. cap. 9. Neutrum tamen admittit Caluinus, magis eligens Arianorum causam in medio relinquere, quasi necdum satis refutatam, quàm gra-
Orat. 2. contra Arianos. Li. 4. cõtr. Eunomiũ. Orat. 4. Theolog. Lib. 9. & 11. de Trin. Ho. 2. in diuersos.

uissimorum

A uissimorum Patrum iudiciis sese accommodare. Minus nunc miretur quisquam si in dogmatibus hodie controuersis tam procaciter Caluinus cum suis, vniuersæ Antiquitatis testimonia ac iudicium reiiciat, postquam in eo dogmate, quod nobiscum amplecti videri vult, Patrum tamen expositiones penitus negligit atque contemnit. Sic nempe nouis Arianis latissimam fenestram aperire Caluinus voluit.

FERIA QVINTA POST DOMINICAM PASSIONIS.

B IX huius diei Euangelio in secunda huius Operis parte aliqua contra huius temporis hæreticos disputauimus, circa pœnitentiam Magdalenæ mulieris peccatricis, de qua hic agitur. Quare illa materia prætermissa, maximè quia in alia feria huius partis, de tota pœnitentiæ doctrina per Caluinum inuersa & deprauata, aliqua diximus, alium nunc huius Euangelii locum à Caluino corruptum vero & genuino suo sensui restituemus.

Luc.7. In festo B. Magdalenæ. In Sabb. hebd.2. Quadrag.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. *Luc.7.*

LOcus de mediis ac dispositionibus ad remissionem peccatorum consequendam ex parte nostra requisitis. Inter quæ vt fides in Deum, spes veniæ, odium peccati, oratio, sui humiliatio, & similia in Scripturis commendantur, sic imprimis actus electionis in hoc Euangelio à Christo laudatur. Huic enim peccatrici mulieri, quę plurima se debere agnouit, ideoque maiori cum dilectionis feruore ad medicum accessit, propter ipsam dilectionem valde magnam multa remissa esse peccata Christus profitetur. Laudatur hic illa multa dilectio, id est, actus dilectionis multæ, non autem habitus infusus, quo formaliter iustus est quicunque coram Deo iustus est, non sanè vt causa aliqua efficiens aut meritoria consequentis remissionis ac venię, sed vt actus bonus ex speciali Dei gratia procedens, ad hanc remissionem disponens. Hæc quippe dilectio à Christo hoc loco laudata pœnitentis adhuc dilectio erat, non personæ iustæ aut iustificatæ. Pœnitentis personam hic agit hæc peccatrix, & pœnitentis opera exercet, vbertim lachrymando, suisque lachrymis eximium

Dispositiones ad remiss. pecc. in adultis necessariæ.

C de peccatis dolorem demonstrando. Sed negat hoc totum fortiter Caluinus, & ait. *Mirum est plerosque interpretes tam crasse hallucinatos esse quasi hæc mulier veniam lachrymis, vnctione & osculis pedum promerita sit.* Primum cauillator putidus pro eo quod interpretes dicunt, *consecuta est*, ait eos dicere, *promerita est.* Nemo vel veterum interpretum, vel recentium, verbo promerendi vsus est: aut si aliquis eo vsus est, aliter non intellexit, quàm consecutionem de facto. Sed probare Caluinus vult, nec meritum, nec causam vllam subsecutæ remissionis fuisse, quæ hic Magdalena pręstitit. *Nam* (inquit) *argumentum quo vtitur Christus non à causa, sed ab effectu sumptum est, quia & prius ordine est beneficium accipere, quàm habere gratiam, & causa mutui amoris hic notatur gratuita remissio.* At contra Patres exposuerunt, argumentum Christi ab effectu, non à causa sumptum esse, quia prius ordine est pœnitentiam agere quàm remissionis beneficium à Deo accipere, & causa acceptæ remissionis hic notatur multa dilectio, causa inquam non meritoria, sed ad eam disponens. Est quidem prius ordine beneficium accipere quàm habere gratiam, id est, gratias agere: sed illa quæ fecit hæc mulier, non erant de accepto beneficio gratiarum actio aut mutui amoris, quem gratuita remissio excitauit, declaratio, sed ideo fiebant vt remitterentur peccata. *Quare fecit illa omnia* (ait Augustinus) *nisi vt sibi dimitterentur peccata? Et tu quoque plurimum dilige* (ait Ambrosius) *vt & tibi remittantur peccata. Incendit plenè peccati rubiginem* (ait Gregorius) *quia ardet validè per amoris ignem. Tanto nempe amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concremat ur.* Sic Diuus Bernardus, *Sine vllo interuallo* (inquit) *coniunguntur & lachrymæ peccatoris & misericordia Saluatoris.* Quare ineptè & absur-

In Harm. Euang. ad Luc. c.7.

Caluinus textum Scripturę inuertit.

Magdalenę lachrymę pœnitentis erat, non gratias agentis.

Hom.33. ex hom.50. Lib.6. in Lucam. Hom.33. in Euang.

D dè Caluinus, quicquid hic Magdalena fecit, adeptæ iam iustitiæ signa fuisse, & ad testandam suam gratitudinem exhibita affirmat. Multo quoque ineptius & impudentius post eum Beza. *Qui hoc loco* (inquit) *abutuntur ad euertendam* gratuitam *ex sola fide iustificationem, non modo summam impudentiam, sed etiam infantiam suam patefaciunt.* Quî sic bone Beza? *Negat enim* (inquit) *Christus hanc esse peccatricem, sicut iste Pharisæus temere iudicarat.* Si hoc negat Christus, ergo mentitus est Lucas, qui de ea dicit, *Mulier peccatrix attulit alabastrum vnguenti*: Nam Lucam eam sic nominasse quia talis tunc erat, non quia talis olim fuerat, contra Erasmum ipse Caluinus docet. *Erasmo placuit* (ait Caluinus) *tempus verbi plusquampræteritum, ne quis putaret eam tunc adhuc fuisse peccatricem.* Sed *à gemino sensu discessit. Voluit enim notare Lucas qualis esset mulieris conditio, & quid de ea omnes sentirent.* Hæc contra Erasmum Caluinus: qui tametsi postea idem dicat quod hic Beza (sibi vt solet contrarius) pariter tamen cum illo errauit. Primum, quia Lucas eam designat qualis tunc erat. Deinde quia Simon non ideo à Christo redarguitur quod malè

In festo B. Magdal. In Annot. noui Test. ad hunc locum. Bezę impudentiæ.

iudicasset illam esse peccatricem, sed quod peccatricis pœnitentiam non aduerteret: Nam hãc A
ob causam singulos nobilissimæ pœnitentiæ actus sigillatim ei commemorat: & per parabolam ostendit ideo illam tot dilectionis signa ostendisse, quia plurimum se debere sciebat. Sic Aug. loco citato. *Quare dilexit multum, nisi quia debebat multa?* Eandem quoque ob causam non contentus Christus remissionem peccatorum illi cõferre, dicens, *Remittuntur tibi peccata tua*, siue in præsenti, siue in præterito illud verbum exponas, quod certè in præsenti intelligebant qui illud audiebant, (statim enim dicebant, *quis est hic qui peccata dimittit?*) adiecit præterea, *quia dilexit multum*: vt intelligeret Pharisæus hanc mulierem ex humili agnitione debitorum suorum, multaque propterea dilectione, peccatorum remissionem consecutam fuisse.

Sanè dilectio Dei tam necessaria est ad peccatorum remissionem consequendam, vt dicat diuina Scriptura. *Qui non diligit manet in morte*, id est, vitam gratię & gloriæ nunquam cõsequetur. Sed & pœnitere de peccato, odium aliquod peccati concipere, eius emendationem ac fugam proponere nullo modo potest, qui Deum vt omnis iustitiæ ac bonitatis fontem prius non diligat. Quia sanè ex Dei amore odit peccatum quicunque id rectè odit. Ex Dei amore propositum conuersionis in melius arripit, quicunque id rectè & piè arripit. Magdalena igitur quæ maximo feruore Deum diligens, peccati quoque odium maximum (quod lachrymæ eius testantur) & placendi Deo desiderium ardens (quod eius in Christum tam varia officia loquuntur) conceperat, multorum quoque peccatorum remissionem ex ipsius Christi testimonio as- B
sequuta est. Hanc igitur imitari & amplecti (non specialem hæreticorum fidem) quisque Christianus debet, vt à peccatis resurgat, veniamque à misericordia Dei consequatur.

1. Ioan. 4.

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

1. *Hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.*

Ioan. 11.



Contra Politicos nostri temporis. Pharisæorum discursus politicus quã cæcus fuit.

OCVS aptus & accommodatus ad Politicorum huius temporis deplorandam impietatem (qui orthodoxæ fidei hostes iam magis pernicio- C
si sunt quàm aperti hæretici) fideli populo aperiendam: vt à tanta peste immunes seruentur, qui eius contagio adhuc attacti non sunt. In his quippe verbis Euangelicis Pharisæi, suæ dignitatis & incolumitatis conseruationem cælestis doctrinæ veritati, quam Christus attulit, anteponentes, eius famam ac prædicationem discursu hoc politico impedire, sibique ac rebus suis consulere volebant. Fuit quidem hic discursus politicus multis modis vitiosus ac cæcus, tum quia visis tot signis ei potius credere quàm de eo occidendo consilium capere debebant, tum quia eum occidendo putabant fore vt nemo in eum crederet, quum post Christi mortem ac resurrectionem magis aucta & propagata eius nominis fides fuerit, tum etiam quia per tot signa admirabilia potius Romanos & cæteras gentes ad Christum colendum & in admiratione habendum persuasos fore (sicuti eorum vaticinia clarè prædixerunt) quàm vt propter tantum Prophetam Iudæos è medio tollerent, tum denique quia si Danielis Prophetias rectè aduertissent, non viuo Christo, sed occiso Christo, venturos Romanos qui locum & gentem tollerent, facilè intellexissent. Cæcus igitur & vitiosus fuit his de causis discursus iste Pharisæorum politicus. Cæterum magis fuit impius quàm cæcus. Finem enim medio postposuerunt, & temporalia spiritualibus prætulerunt, qui proprius est hodie politicorum nostri temporis discursus, non solum cæcus & ineptus, vt exitus rerum sæpè demonstrat, sed planè impius & abominandus, vt semper D
necessario se habet. Perpende enim quæso politicum hunc discursum. O *omnes credent in eum, & venient Romani & tollent locum nostrum ac gentem.* Aut enim existimabant veram esse Christi doctrinam, & illum esse Messiam ac Redemptorem mundi; aut non esse veram eius doctrinam. Si prius, apertè temporalia spiritualibus prætulerunt, *quod est summa peruersio*, ait alicubi Augustinus, & Reipub. suæ incolumitatem totius populi æternæ saluti prætulerunt. Si posterius, non erat sanè dicendum, *venient Romani, &c.* sed dicendum fuit, vera in Deum religio corrumpetur, populus à via salutis seducetur, proprius Dei cultus violabitur, & huiusmodi. Nunc autem in hoc politico discursu suo, ita vnicè ac primario loci ac gentis suæ paci atque incolumitati prospexerunt, vt siue vera, siue falsa esset Christi doctrina temporalem pacem ac prosperitatem religioni diuinæ anteponerent. Qua ex parte impius & abominandus fuit eorum discursus. At vero huiusmodi planè est Neopoliticorum hodie discursus, similis cæcitas, eadem impietas. Quod olim à nobis multis audientibus pronunciatum, hoc iam loco inseram, vt quæ tunc per auditorum aures celeriter effluxerunt, nũc ad omnium lectorum vtilitatẽ magis firma

Idem quã impius.

De doctri. Christ. li. 4 ca. 27.

& fixa

A & fixa permaneant. Quædam huc pertinentia in Promptuario nostro morali in medium adduximus, quę propterea hoc loco prætermittimus. Quæ autem olim in plena concione diximus, maxima ex parte hæc sunt. *Do. 19. post Pent. tex. 8*

Non alia malorum hodie omnium, perturbatæ tam diu religionis, & crescentis magis indies, quàm quoquo modo sese remittentis calamitatis publicæ, causa propria ac legitima dari potest, quàm falsi, ficti & simulati Christiani; qui nec Christiani, nec catholici, quum vtrumq; egregiè simulent, sed Politici sunt: Politicorum & nomine gaudent, & factis exultant, & virtutem profitentur. Politici & ciuiles homines, elegantes & suaues, prudentes & cordati, ipsam sacrosanctæ religionis causam, politicè & ciuiliter tractari volunt, aliorum rusticam simplicitatem irrident, qui ad quemuis falsæ doctrinæ sonitum, ad quemlibet violatæ religionis motum, zelo statim exardescunt, & viis omnibus ac modis integritatem fidei illæsam & illibatam conseruare contendunt. Contra enim politici isti, multa esse tempori concedenda, multa esse pro tempore dissimulanda, publicæ pacis causam ante oculos semper habendam, non esse irritandos crabrones, hæreses istas vel debellari non posse, quia potentes; vel ex animis hominum euelli non posse, quia pertinaces hæretici sunt; vel tantis conatibus impugnari non esse necesse, quia de rebus leuiculis contenditur; vel postremo tanti illas non esse, nec tantam in vniuer- *Politicorum voces.*

B sum religionis curam nobis incumbere, vt pacem publicam communesque fortunas, vel ad illas reprimendas, vel ad hanc conseruandam, periclitari sinamus. Quinimo prudentis ac politici viri esse, patriæ, & ciuium suorum commodis ante omnia prospicere, suis rebus consulere, Principum placitis sese accommodare, inuidias aut simultates superfluas religionis causa non subire, illam curam vel solis clericis ac monachis, vel etiam ipsi Deo relinquere, qui suas iniurias, si quas per noua hæc dogmata acceperit, ipsemet vlcisci ac vindicare valeat. In summa id agendum, ne quid res vel publica vel priuata detrimenti capiat: suam sibi cuiusque conscientiam absque istis certaminibus sanam ac saluam esse posse. Habetis politicorum hodie hominum voces, principia, axiomata, quibus illi confisi Religionis causam negligenter tractant, laboranti Ecclesiæ patrocinium turpiter deserunt, fidem catholicam hostibus nefariè produnt, & penitus profligandam relinquunt.

Atqui huiusmodi politicum, qui Religionis causam atque defensionem, suis fortunis aut commodis, vel etiam Reipub. paci & incolumitati postponit, imo qui eam omnibus rebus non anteponit, Christiani hominis loco habendum non esse affirmo. Quid enim quæso hominem Christianum ab ethnico discernit, nisi nominis Christi fides, cultus, religio? In quo enim nulla est Christiani nominis religio, cultus, reuerentia, amor, hunc religionis Christianæ nomine ab aliis non Christianis discerni quisquam existimabit? At quæ est tandem in illo homine Christia- *Politicus pro homine Christiano habendus non est.*

C ni nominis religio, quis cultus, qui amor, quæ reuerentia, qui adeo illud non colit, non amat, non reueretur, vt res quaslibet illi anteponat, vt ad eius defensionem nec pedem mouere, nec aliquod discrimen subire, nec vel vultum vel verbum asperum sustinere velit, vt eam denique nullo loco ducat, totamque eius curam vel in Dei prouidentiam, vel in solos togatos homines, si tamen & in illos, reiiciendam iudicat? Mali sanè Christiani & peccatores, qui vitam turpiter ac flagitiosè ducunt, hoc certè Christiano nomine indigni sunt, & ad illos Christus dicturus est, *Nescio vos*. Cæterum tamen isti non nisi practicam adhuc virtutis cognitionem amiserunt, & fide ac religione imbuti, quod verbo tenent, factis negant. Atqui Politici isti non practica tantum, sed & speculatiua virtutis cognitione exciderunt. Non solum religionis vsum & praxim malè viuendo, sed & ipsam in se religionem malè sentiendo abiecerunt. Nullam enim ille tenet religionem, qui nihil ad se attinere religionem putat. Quare de illorũ numero sunt, de quibus Propheta regius ait. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Et videte obsecro, an non ita se res habeat. Magno cum applausu vox illa apud Comicum excepta est. *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Si ergo homo non est qui humani aliquid à se alienum putat, si homo non est, qui reliquorum omnium hominum velut quidam μισάνθρωπος curam & affectionem animo omnem deposuit, si homo non est, qui humanitatem exuit, qui tandem obsecro Christianus erit, qui religionem Christianam (vnde propriè Christiani sunt) nihil ad se pertinere, stetue cadatue existimat, qui omnem religionis curam animo eiecit suo, ideoque & omnem Christianitatem exuit? 2. *Politicus quouis malo Christiano deterior.* 3. *politicus Christianitatem exuit.*

D Dixerat Zeno Stoicus, *iram non esse in Deo, vt puniat malefacta, veluti indignam Deo passionem. Assumpsit Epicurus. Si ira in Deo non est, nec gratia etiam aut beneficentia vlla, atque ita nec mala puniens, nec benefacta remunerans, rerum humanarum curam non habet, sed seipso solo beatus est. Ex hac Stoicorum propositione & Epicuri assumptione, concluserit Diagoras & Theodorus Cyrenæus. Ergo non est Deus. Si enim nullo affectu mouetur, quod intelligibilis naturæ est proprium, prorsus non est.* Hæc apud Lactantium illi. An non vero & eadem inductio nostros quoque Politicos concludit atheos? Aiunt illi. Zelus iste & feruor religionis hominem ciuilem ac politicum non decet. Sublato zelo, quem vel in paucos reiiciunt, vel ab omnibus animo deponi volunt, cura omnis & affectio religionis tollitur. Concludit ergo apud se Politicus. Zelus religionis furor & amentia est. Cura eius & affectio inane quid & superfluum est. Nihil ergo est hoc totum, quod religio vocatur: *magisque ad morem, quàm ad rem pertinere iudicanda est, & illam Sapiens seruat tanquam legibus iussam, non tanquam Deo gratam*, sicut olim Seneca virtutis moralis cultor egregius, sed Senator in hac parte politicus, de 4. *Lactan. in li. de ira Dei.* *Politici athei.* *Apud August. de Ciu. Dei li. 6. c. 10.*

Romanorum Religione, quam in templo cum aliis colebat, sed animo contemnebat, dixit. Paci ergo Reipubl. (aiunt isti) præsentibus commodis & emolumentis prospiciendum est: valeat religionis causa quantum valere potest. Siue rectè, siue secus ea colatur, quid ad nos? Imo (vt Sceuola Pontifex olim aiebat) *expedit falli in religione ciuitates*, quia nō nisi ad homines in metu quodam & officio continendos illam introductam esse iudicandum est. At audi (ô Politice) Christianorum hominum voces, & vide an Christianorum in numero haberi debeas. *Ego si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*, ait Vas electionis. *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus*, ait Princeps Apostolorum. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quod agant*: ait Apostolorum magister, Princeps Pastorum, Christus ipse. O voces politicis nostris execrabiles: qui non nisi hominibus placent, neglecto Christo, non nisi hominibus obediunt, contempto Deo: non nisi homines timent, timore Dei abiecto: qui vt hominibus placeant, vt Iesabeli obediant, vt malis Principibus se accommodent atque conforment, *veluti canes regij*, (sicuti Aristippum insignem Politicum vocauit Diogenes) vt vxorem, liberos, familiam ad momentum temporis incolumes conseruent, religionem, fidem, cultumque Dei vniuersum & despectui habent ipsi, & pessum ire, penitusque profligari permittunt. *Ex principibus multi crediderunt in Christum* (ait Diuus Ioannes) *sed propter Pharisæos non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* Tales hodie principes nostri politici sunt, qui in Republ. principatum vel obtineant, vel conseruent, religionem, quam corde credunt, ore confiteri erubescunt. Sed ô homines nihil minus quàm Christianos, qui nec Apostolorum Christi, nec ipsius Christi sanctissimas voces sustinent, sed omni quo possunt conatu illis contradicunt. An vero Christo per omnia non contradicunt? Videte ergo quot modis id faciunt. Dicit Christus. *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei.* Contradicunt isti. Demus omnia Cæsari, omnia Principibus, omnia præsentium rerum oportunitati. Deo nihil demus; sed si quæ sunt Dei, ipsi Deo curanda relinquamus: Dei cultum, Dei religionem curent alii, qui volent. Nihil ea ad nos pertinent. Dicit Christus. *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia* (quæ ad cibum & vestitum, ad victum & amictum pertinent) *adijcientur vobis.* Contradicunt isti. Primum, & ante omnia corporis, familiæ, ciuitatis, ac Reipublicæ nostræ curam agamus. Ad regnum Dei quod attinet, quærant alii. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Nec primo, nec postremo regnum Dei quæremus, nisi primum & ante omnia de pace, de incolumitate, de florenti Reipub. statu nobis constet. Iterum dicit Christus. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pacem cum Deo, pacem in Deo, pacem in conscientia bona, pacem cum proximo ego relinquo vobis. Non mundi pacem, non vitæ præsentis gaudia, non rerum terrenarum affluentiam ego do vobis, nisi quatenus illa omnia cum altera mea pace vobis relicta conueniunt. Contradicunt isti. Nos mundi pacem quærimus, pacem in substantiis nostris, pacem in Rep. pacem in fortunæ bonis, in rerum omnium affluentia, in quiete, & copia domestica. Ad pacem Christi quod attinet, ea demum tunc in considerationem veniet, quando cætera omnia in tuto erunt. Rursum dicit Christus. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius*: id est, Non sic veni, non sic Euangelium salutis æternæ vobis adfero, non sic ad nominis mei professionem vos voco, vt in alta rerum temporalium pace, in perpetuo & suaui vestrorum conuictu, hoc tantum beneficium conseruari semper à vobis & retineri possit. Tempora enim erunt, in quibus ad hoc beneficium conseruandum pace hac & fruitione temporali carere debeatis: & ita carere, vt propter nomen meum illa omnia despiciatis. Quare sic statim Redemptor noster prosequitur. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*, & alia quæ sequuntur. His vero Christi verbis fortissimè contradicunt omnes nostri temporis Politici. Nolumus (aiunt) à nostris parentibus aut pignoribus religionis causa separari. Nolumus fortunarum aut rerum nostrarum discrimen ad conseruandam religionem adire. Pacem volumus, non gladium. Pacem in ciuitate, pacem in Republ. pacem in substantiis nostris, quicquid de Christi nomine, cultu, religione fiat. Qui tot modis, tam apertè, tam flagitiosè Christo contradicunt, tamenne in Christianorum numero habendi erunt? tamenne Christiani homines à quoquam vocari possunt? A nemine arbitror, nisi qui ipse Christianus non est. Sed cætera videamus.

Vbi supra li. 4. c. 27. Christianorum hominum voces. *Galat. 1.* *Act. 5.* *Luc. 12.* *Laert. in Aristippo.* *Ioan. 12.* *Politici Christo per omnia contradicunt.* *Matt. 22.* 1. *Matt. 6.* 2. *Psal. 113.* 3. *Ioan. 14.* 4. *Matt. 10.*

Luc. 16. *Politici filii huius sæculi sunt*

In Euangelio filii huius sæculi nonne filiis lucis manifestè à Christo Domino opponuntur? *Prudentiores* (inquit) *sunt filii huius sæculi in generatione sua, quàm filii lucis.* At qui tandem filii sæculi sunt, si nostrorum temporum Neopolitici non sunt? qui sæculo huic per omnia conformantur, qui tempori seruiunt, qui in secularibus desideriis toti occupantur, qui huius sæculi bona, fortunas, pacem, eo animi impetu, eo studio consectantur, conquirunt, ambiunt, vt quod filio lucis proprium, & intrinsecum est, Religionem & cultum veri Dei penitus negligant? Rursum qui sunt filii lucis nisi soli Christiani? Audi Apostolum. *Eratis tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filii lucis ambulate.* Audi Euangelistam. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt*, id est, Christum veram lucem filii huius sæculi non receperunt. Audi denique Christum ipsum. *Ego lux in mundum veni. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Soli ergo filii lucis Christiani sunt. Politici igitur

Ephes. 5. *Ioan. 1. & 3.* *Ioan. 8.*

non

A non filii lucis, sed filii huius sæculi Christiani non sunt. An filius lucis esse potest, qui per omnia luci contradicit? Christianus erit, qui Christi religionem non tenet? Aut tenere ille putandus est, qui qualibet occasione eam dimittit? Nec maritus dicendus est, qui quolibet coniugii incommodo motus, à coniuge diuortium quærit: nec ciuis habendus, qui in quouis ciuitatis discrimine societatis ciuilis fœdus abrumpit, & defensioni se subtrahit: nec Christianus existimandus, qui periclitantem aliquando religionem penitus deserit. Haud secus quàm olim Samaritæ hi faciunt: qui, vt refert Iosephus, hoc ingenio erant, vt in rebus Iudæorum afflictis, negarent se cognatos, veritatem tunc dicendo; cum vero affulgere eis fortunam viderent, confestim in societatem irruebant. Quod eo maximè tempore faciebant, quo Alexãdrum Magnum Iudæis fauere, magnaque illis priuilegia concedere animaduerterent. Tales hodie nostri Politici sunt. Catholicorum partes quum illis commodum est, tuentur: quum incommodum aut minus commodum, vel deserunt, vel etiam cum aliis impugnant. His adde quod dicente Christo; *qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, spargit*, non alio loco Politicum, qui cum Christo non est, nec cum Ecclesia stat, quàm hæreticum, qui Ecclesiam odit & persequitur, habere debes. Aequè non est Christianus contemptor religionis quàm hostis.

Similia.

Antiq. lib. 11. c. 8.

Politici Samaritanis similes

Matt. 12.

Sed vt isti Neopolitici quàm nihil minus sint quã Christiani, magis adhuc & magis eluceſcat, B eorum maiores & nobiles antecessores in hoc prudentię ac politiæ genere qui fuerint, annotabimus. Si enim nisi omnium maximè scelere & maleficio insignes huiusmodi olim Politici fuerunt, quid de his nostris iudicandum sit, in promptu est. Ieroboam ille, qui decem tribubus veteris populi propter peccata Salomonis à Deo præpositus & Rex cõstitutus, magnus in hoc genere Politicus fuit, qui vt regnum suum sibi confirmaret, *duos erexit vitulos in duobus excelsis montibus, quos populus adoraret*, ne Hierosolymam ascendentes, vt vera religio præscripserat, ad Roboam Regem Iudæ redirent. Sic Politicus ille regni sui statum religioni anteponens, totum penè illum populum ad idololatriam pertraxit. Achaz Rex Iudæ videns se à Syris deuictum, quum id peccatis suis imputare deberet, & ad Dei auxilium confugere, politicè agere maluit, dicens: *Dij Regum Syriæ opitulantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi.* Sic iste Politicus Deum suum & religionem suam vtilitate metiebatur. Eos eligit deos quos sibi vtiliores fore arbitrabatur, sicuti illam hodie religionem tenent Politici, quæ vel maximè vtilis, vel minus damnosa videtur. Sed & totus ille Iudæorum populus, qui in Aegyptum fugerat capta Hierosolyma à Rege Assyriorum, politicè agere maluit sacrificans idolis, quàm Ieremię verba audire, vt veri Dei cultum retinerent. Aiebat enim Ieremiæ. *Facientes faciemus, vt sacrificemus Reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & Patres nostri, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare Reginæ cæ-* C *li, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus.* Isti quoque suam religionem ex rerum præsentium affluentia metiri voluerunt, quod hodie Politici faciunt, eam ob causam catholicæ Ecclesiæ defensionem deferentes, & cuiuslibet hæresis liberum exercitium vel dissimulantes, vel admittentes, quia ex eo tempore, quo hæreticos diuexare cœperunt, magna suarum rerum detrimenta, iacturas graues acceperunt. Sed maximè insignis & nobilis Politicus Achab ille impius Rex Israel fuit, qui Patrum suorum religione penitus abiecta, quum solus tunc aut certè potissimum Elias Propheta eam zelaret, & ita zelaret, vt in pœnam perfidi Regis, illi in os diceret, *nec rorem, nec pluuiam aliquot annis futuram, nisi iuxta oris sui verba*, post triennii siccitatem occurrens tandem Eliæ Prophetæ, ait illi. *Tune es ille qui conturbas Israel?* Vide Politici vocem. Turbant Rempublicam ipsius iudicio, qui zelo religionis tacti, Dei causam fortiter agunt. Sed quid ad hæc Elias? *Non ego* (inquit) *turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim.* Neopolitici sunt, desertores religionis sunt, qui turbant Israel, qui turbant, imo perdunt Rempub. Christianam. Verus Israelita erat Elias. Impius Politicus erat Achab; qui vt vxori Iesabel morem gereret, veram Dei Religionem cõtempsit. Sic veri Christiani sunt Zelatores fidei & Religionis Christianæ: Impii Politici eam despectui habent, vt suis cupiditatibus morem gerant. Quid vero? Iudas ille proditor, nonne vnus ex nostris politicis erat, quum viso vnguento pretioso in Christi caput effuso, clamauit furcifer: *Vt quid perditio hæc? venundari istud poterat, & dari pauperibus.* Quæ ille *vt latro dixit*, (ait S. Ioannes) *quia loculos gerebat, non quod ad eum de pauperibus pertineret.* Sic hodie Politici D omnes sumptus in bello sacro ad Religionis Catholicæ defensionem factos, Regisque nostri potentissimi & pientissimi Philippi II. (quem honoris causa nomino) Hispaniarum, & vtriusque Indiæ Monarchæ, arma in hæreticos conuersa, thesauros amplissimos largissima manu in eum finem effusos, *Perditionem* vocant. *Vt quid* (inquiunt) *perditio hæc?* vel ad sua in Belgio recuperanda, vel ad Turcam perdomandum, vel ad Imperii fines propagãdos tam immensi sumptus conuerti poterant. Ita non secus isti perire existimabant, quicquid in corpus Christi, quod est Ecclesia, confertur, nec ad ipsorum vertitur commodum aut honorem quàm totum perire existimauit Iudas, quod in Christi personam conferebatur, nec ad eius loculos quos portabat, delatum est. Sed nec tales desunt Politici, qui ad præsentes hæreses animo non affecti, vt luculentum tamen emungant lucrum, causam catholicam produnt, in acie hæreticorum stant, & vendunt iterum Christum, sicut idem Iudas Pharisæorum malitiæ subseruiens, non quod illos diligebat, sed quod ad offam pinguem inhiabat, dixit ad illos, *Quid vultis mihi dare, & ego*

Achab.

3. Reg. 18.

Iudas proditor insignis Politicus.

Matt. 26. Ioan. 12.

Matt.26. *tradam eum vobis? Et constituerunt illi triginta argenteos.* Bonus sanè politicorum nostrorum Pater, A
Pilatus politicus. præclarus antecessor, qui multos nunc in Gallia (proh pudor, proh dolor) imitatores habet. Sed
Luc.23. & Pilatus, nonne vt Politicus Christum damnauit, & *voluntati Iudæorum tradidit*? illo videlicet
Ioan.19. clamore territus & perculsus. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Denique Iulianus ille insignis
Iulianus apostata. Apostata, non quum imperium adeptus est, tum primum apostata fuit, sed adhuc viuente Cō-
Socrates li.3.c.1. stantio patruo suo, cuius imperium formidabat, & per quem ad imperium aspirabat, non verus apostata fuit, sed politicus, Christianam religionem adeo simulans, quia Christianus erat Constantius, vt & vitæ monasticæ studium præ se tulerit, & in ordinem clericorum se ascribi passus fuerit. Isti sunt Politicorum nostrorum pręclari parentes, splendidi maiores, antecessores amplissimi, Ieroboam, Achab, & Achaz reges impii, vetus populus idololatra, Pharisæi Christum persequentes, Iudas proditor, Pilatus perditissimus Iudex, Iulianus apostata. Si veræ religionis cultores isti erant, Christiani quoque sunt Politici nostri: Sin nulla horum hominum religio fuit, sed atheismus quidam Politicus, nec nostrorum hodie Politicorum vlla religio est, nedum Christiana. Quorum enim fœdissima facta imitantur, in eorum ordine consistere, numero ac loco censeri debent.

Matt.11. Et vt summatim multa cōplectar, isti sunt *arundines vento agitatæ*, qui ad omnē se religionem conformāt, quia nullā religionē admodū ad rem pertinere iudicant. Isti *scandalizantur* in Chri- B
sto, eiusq; sanctissima religione, vt quę eorū cupiditatibus contradicat. Istis Christus factus est
in ruinā, & in petrā scandali, prorsusq; & *cū gentibus stultitia, & cū Iudæis in scandalū* Crux Christi illis
Luc.2. est, omnisque pro Christo ferenda aduersitas, voluntque (quod propriū terrenæ ciuitatis, quæ
1.Cor.1. ciuitati Dei opponitur, esse docet Augustinus) *vti Deo, & frui mundo*; vti ad suum commodū re-
De Ciu. Dei lib.15. ca.7. ligione, frui & conquiescere in bonis terrenis. Quo in genere laudat Politicus Bodinus varios
De Republ. li.3.c.7. Imp. qui ipsi catholici quū essent, hæreticis tamen liberos conuentus concesserunt. Sed vt multa mentitur, de Constante videlicet & Theodosio Magno & Valentiniano maiore, qui Arianis
Bodinus politicus refutatur. libertatis aliquid nunquam concesserunt, sic quod de Valente Imperatore Ariano, & de Anastasio Eutychiano profert, quorum ille à Gothis in bello victus, in tugurio cum suis concrematus est, hic igne de cælo tactus fuit, nihil ad rem facit: nisi fortè quorum exitus tam horrendos
Amm. Marcel. hist.li.31. & infames hæreses omnes Principes merito exhorrescunt, eorum impia facta Christianos Prin-
Paul.Diac. hist.li.15. cipes imitari vellet. Et quod idem Anastasius Concionatores verbi fortes, & pro veritate con-
Euagr. li.3 ca.30. stantes in exilium relegasse à Bodino dicitur, hoc in eius summum vituperium, & detestan-
Niceph.li. 16.c.26. dam ignauiam atq; irreligionem notandam, qui præpostero pacis studio nullum cuiuscun-
Hist.Eccl. li.5.c.20. que religionis zelatorem tolerare voluit, ab historicis Ecclesiasticis commemoratur, non in
Alij Politicorum maiores. exemplum bonis Principibus proponitur, vt catholici quum sint, concionatores catholicos C
Dei causam fortiter agentes ipsi similiter in exilium pellant, vt magnus ille nugator Bodinus inferre voluit. Certè illud Anastasij fœdum facinus, sicut & proximi eius antecessoris Zenonis edictum ἑνώτικον seu pacificatorium (quod etiam citat Bodinus) totum Orientem perdidit, teste Euagrio, innumerisque hæresibus repleuit. Valens quoque Arianus quum omnibus sectis libertatem daret, & solis catholicis negaret, id effecit, vt cultus idololatricus passim inualesceret, vt scribit Theodoretus. Tanto cum iudicio sua exempla profert, suosque authores citat Bodinus, & Politicum agens, hostem se Christianitatis prodit. Sed vt ad Politicorum nostrorum maiores redeamus, Politici erant amici illi Tobiæ iusti, qui sic ei lo-
Tob.2. *2.Mach.6* quebantur. *Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quàm Regem, rapiebat corpora occisorum fratrum suorum, & sepeliebat ea.* Politici erant qui Eleazaro seni suadebant, vt carnes lege vetitas manducare se si-
In vita eius apud Surium 12. April. mularet, sicque vitæ suæ & fortunis consuleret: quod ille recusans facere, pro religione Patrum suorum mortem oppetere maluit. Politici erant, qui sanctum Sabam Martyrem in eandem simulationem inducere volebant, primum carnes non immolatas pro immolatitiis (quas ethnicus proposuit persecutor) supponendo, deinde iurare volentes, neminem in suo pago Christianum esse. A qua tota simulatione politica vir sanctus alieniissimus exclamauit, *Nemo pro me iuret, Christianus ego sum, nec idolis immolata manducabo.* Talis ille verè Chri- D
stianus, tales illi Politici, & non Christiani fuerunt. Sed exemplorum & argumentorum fortasse iam satis, quæ nostros Politicos nihil minus Christianos homines esse luce meridiana clarius euincant.

Ethnicorū religio Politicos cōdemnat. Li.14.c.7. Surgant ethnici & infideles, qui Politicos nostros de hoc religionis contēptu condemnent. Senatus Romanus totius orbis tribunal supremum sic religionis causam omnibus rebus antetulit, vt in singulis consessibus, de diuinis rebus prius quàm de humanis ad Senatum referretur; quam etiam ob causam non nisiin templo aliquo conuenire, & qui eo die Senatum habuit, immolare prius hostiam auspicarique debuit, vt author est M. Varro apud Aulum Gellium. Sic isti terrarum domini religionis causam etsi vanissimæ, non nisi primo semper loco habendam, cæ-
Liu.Dec.4 lib.10. terisque rebus omnibus præferendam censuerunt. Idem igitur Senatus Numæ Pompilii libros
Aelius Lāpridius in vita eius. in agro quodam dum cultores altius moliuntur terram, inuentos, quia Prætor lectis rerum summis, plæraque in illis dissoluendarum religionum esse aduertat, idque iureiurando affirmare paratus erat, statim in conspectu populi cremari iussit. Adeo religionis quam tenebant, vel minimam reprehensionem non ferendam censuerunt. Alexander Seuerus Imperator

ethnicus

A ethnicus audita controuersia inter Christianos & gentiles quosdam, de fundo & loco quodam publico, quem Christiani orandi in eo causa occupauerant, asserentibus cauponibus & popinarijs eum ad se locum olim pertinere, pronunciauit, *Quoquo modo sit, satius esse eo in loco Deum coli, quàm cauponas exercere, locúmque Christianis adiudicauit.* Non sic ille Imperator optimus de religione exiliter sensit, aut ita eius causam flocci fecit, vt nostri hodie prudentes scilicet Politici.

Quid quod Turcarum Princeps Mahometicam suam & absurdissimam religionem ita religiosè tenet ac colit, vt quoties cũ suis proceribus deliberat, Professor legis Mahometicæ adesse semper iubeatur, qui attentè obseruet, ne quid in Mahometicæ religionis præiudicium statuatur. Proh Deum immortalem sic impurus ille & spurcus Mahometes cum sua vxorum pluralitate, & alijs absurdissimis legibus, nihil nisi carnem & libidinem spirãtibus, religiosè colitur, vt in supremi Principis intimo Senatu, contra eius leges nihil statui queat, nullum adferri præiudicium debeat, primus honor, prima cura illis deferatur, & Christi Iesu castissima religio, in cuius sanctissimum nomen totus orbis terrarum à tot iam sæculis iurauit, ita à quibusdam nouis politicis, qui se Christianos vocant, flocci pendetur, ita pedibus proteretur, vt vel nullo, vel non nisi infimo atque postremo loco ab illis habeatur? *Albertus Nouicampianus in Orat. ad Hũg. Princ. Mahometana religio quanto studio conseruatur.*

Sed dic mihi obsecro bone Politice, Ais te catholicum quidem & esse, & viuere ac mori catholicum velle: hócque tibi homini priuato satis esse, si tuam ipse animam serues, nec neces- *Politicorũ impietas pressius demõstratur.*
B se tibi esse, vt in has te turbas imprudenter des. Laudarem prudentiam tuã, si illa prudentia esse posset, quæ cum impietate coniuncta est. Sed nunc vide quàm prorsus absurdè loquaris. Nonne absurdissimus, & tum patriæ, tum ciuis nomine indignissimus esses, si ciuitate tua ab hostibus obsessa, pro tuis quidem fortunis, pro vita ac salute tua paciscerere, quibus saluis ciuitatem hosti traderes, atque ita liberos ac posteros tuos omnes patria ac paterna hæreditate spoliares? Neminem arbitror sic malè Politicum, qui huiusmodi ciuem non inferis omnibus ac diris daret, nec ciuem, sed proditorem patriæ vocandum diceret. Atqui tu Politice Christiane, ita tibi religionem tuam saluam esse vis, vt ciuitate ac patria tua hæreticorum potestati relicta, & liberos, & ciues, & posteros tuos omnes fide ac religione Christiana in perpetuum spolies. Hoccine politicè factum putas? Hoccine christianè & catholicè factum existimas? Non vides te sceleratissimum esse fidei ac religionis tuæ proditorem? te fidem negasse, abnegationi fidei causam multis dedisse, & infideli deteriorem esse, id facere quod nullus infidelis faceret?

Si in causis ciuilibus, & in bonis fortunæ ac corporis, non nobis tantùm nati sumus, sed patriæ & ciuibus, quanto magis in causa religionis & in bonis animi ac salutis æternæ, non nobis tantùm renati in Christo sumus, sed toti Ecclesiæ, cuius membra sumus, toti Christianæ Societati, cuius filij & fratres sumus, maximè verò illi Christianorum societati, illi Ecclesiæ particu-
C lari in qua agimus? Sicut in corpore naturali non sibi oculus videt, aut pes ambulat, sed toti corpori, & ad bonũ totius, sic in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, nemo sibi tantũ Christianus est, sed toti Ecclesiæ: iuxta illud Apostoli: *Nemo nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur.* Et rursum: *Non potest oculus dicere manui: opera tua non indigeo: aut caput pedibus, non estis mihi necessarij: sed idipsum pro inuicem solicita sunt membra: & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Si ergo, ô Politice! membrũ Christianæ societatis es, quomodo illa laborãte, & tot ac talia ab hæreticis patiente nihil compateris? quomodo vt tuo priuato commodo prospicias, fratrum tuorũ omniũ salutem negligis? Quam ergo nobis maiores nostri sacrosanctam religionem integram & sanam in patria aut ciuitate nostra reliquerunt, eam, si Christiani sumus & Reipublicæ Christianæ boni ciues, posteris quoque nostris, quantũ in nobis est, integram & illibatam relinquere debemus. Qui aliter sentit, qui aliter faxit, eum vt tuber deforme, & collum obduratum à reliquo corpore resecare, vt pestem publicam detestari, vt portentum quoddam in vltimas terras deportandum fugere, & abominari oportet. Solon hanc politiam suos ciues docuit vt mala pu- *Rom. 14. 1. Cor. 12. Stob. serm. 41.*
D blica non secus quàm propria omni studio curarent. Rogatus enim quo tandem modo fieri posset, vt nullum in ciuitate scelus perpetraretur, respondit: *Si tam indignarentur illi, quibus non est facta iniuria, quàm quibus facta est.* Sic vnius Leuitæ concubinam à Gabaonitis nefariè violatã, omnes vndecim tribus Israël in prælium congregatæ vltæ sunt. Timõ rogatus cur homines odisset, respondit, *Improbos odi, quia improbi sunt. Bonos odi, quia improbos non oderunt.* Certè vrbem Romam, in qua tã multi boni Christiani erant, à Gothis captam atque direptã fuisse, ipsósque bonos cũ malis acerbam illam calamitatem perpessos fuisse, quia boni malos tolerabãt, & propter humanum diem, linguámq; blandientem ab alijs reprehendendis, multo magis corrigendis abstinebant, scribit grauiter & doctè S. Augustinus. Athenienses profectò melius hac in re instituti, quã nostri hodie Politici in schola Machiauelliana, hanc politiam didicerant, vt Themistoclis consilium de succendenda Lacedæmoniorum classe, quæ inducarum tempore in quadam eorum statione constiterat, etsi Reipublicæ suæ vtilissimum, tamen quia turpissimũ, prorsus reijcerent. Vel hoc plebeium iudicium politicos nostros doceat, vt publicam honestatem, ac multo magis pietatem, vtilitati, seu publicæ, seu priuatæ anteponant. Sed ad nostra redeamus. Valentiniano iuniore imperante, Symmachus Præfectus vrbis Romæ homo ethnicus potestatem sacrificandi & idololatriæ liberum exercitium petijt. Erant in Imperatoris Aula Politici, qui hoc tanto viro concedendum suaserũt. Sed S. Ambrosius Mediolanensis nunc Episcopus quid Imperatori scripserit, audiamus: *Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non* *Maximus serm. 26. De ciu. Dei lib. 1. c. 9. Plutarc. in Aristide. Lib. 5. Epist. 30.*

conniuentiam, sed fidei studium & deuotionis impendit. Ipsis gentilibus displicere consueuit præuaricantis affectus. Liberè enim debet defendere vnusquisque fidele mentis suæ & seruare propositum. Quod si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa nõ fallant. Quisquis hoc facit, sacrificat idolis, & quisquis hoc statuit. Hoc ille sanctus & clarissimus Ecclesiæ Doctor. Ecce idololatra est qui idololatriam concedendam suadet. Hæreticus quoque est qui aliquid hæreticis tribuendum sentit in sacrosanctæ fidei nostræ præiudicium. Omnis hæresis nõ nisi per tales politicos profecit. Ignauia & cessione Catholicorum, vis & potentia creuit hæreticorum: & vt D. Hieronymus de suo tempore dixit: *Barbari fortes fiunt: nostris vitijs Romanus superatur exercitus*, sic hodie nostris politijs Catholicus superatur exercitus, Catholicæ franguntur vires, & vexatur religio. Alia veterum fuit & piorum Imperatorum fortitudo ac pietas. Heraclio Imperium recenter adepto, & inducias à Persarum Rege (qui tota Syria Imperiũ spoliauerat) postulante, *responderunt impij hostes non prius se Romanis pacem daturos quã Christum abnegasset Imperator.* Quo accepto responso adeò excanduit pius Imperator, etsi maximis nuper cladibus acceptis, vt ingentibus copijs in hostem ductis, & amissa recuperauerit, & totã Persidem igni ferróq; vastauerit. Politici hodie nostri huic Principi à consilijs si fuissent, Christi profectò abnegationem ad pacem publicam conseruandam non ægrè concessissent. Quid enim interest Christũ abnegare & vniuersam eius fidem orthodoxam prodere & prostituere? Nobile sanè hoc pietatis exemplum fuit & Imperatore Christiano dignũ. Sed agebatur de Capite, & totius Christianitatis iugulum petebatur. Nobilius erat Theodosij iunioris, Imperatoris alioqui maximè pacifici, ac plenum pietate pectus, qui ne Persas Christianos in grauissima persecutione ad eius Imperij loca confugientes, barbaro Persarum Regi traderet, qui ita eos sibi reddi postulabat, vt ni id fieret, bellum indiceret, cum acerrimo hoste bello potius decernere, & fœdus abrumpere, quàm Religionis causa profugos tyranno tradere maluerit. Bellum itaq; maximum ea de causa concitatum est, in quo sæpe victis & fusis Persis à postulato desistere Barbarus coactus est. Hic optimus Princeps si Politicus esse voluisset, quales hæc ætas Politicos videt, omnes Religionis causa exules & profugos ad primum statim tyranni postulatum reddere debuisset. Sed nec minimam voluit Christianæ Religioni quam profitebatur maculam inferre, aut eius defensionem in re vel minima ad momentum deserere. Nunc verò alia consilia hic orbis vidit. Cætera fortiter & studiosè curanda sunt. Sola religionis causa aut tepidè & molliter, aut non omnino curanda. Sic per nouos Politicos causa hodie agitur Ecclesiæ: imò non agitur, sed agitatur, & agitata deseritur, deserta subuertitur. Sinonis consilium dant, vt pacis causa equus Græcorum armato milite plenus quasi Palladi sacrũ Troiam introducatur, etiam mœnibus disruptis. Sic enim per Ecclesiæ ruinas hæreticos in Ecclesiam, pacis ac religionis causa intromittũt. Et vt olim C. Cæsar Catilinæ coniuratione detecta, Senatui misericordiam suasit, quia & Patritij viri participes eius erant; sic isti hæresum iam turpitudine & impietate detecta, clementiã Principibus & magistratibus suadent, quia magnos viros & honestiore loco natos ciues his hæresibus implicatos vident. Sed si audiantur, non secus Ecclesiæ libertatem hæretica tyrannis è medio tollet, quàm Romanorum libertatem sustulit Cæsar: cuius tunc consilia non aliò spectabant: popularem auram & Patritiorum gratiam hoc suo consilio captans. Sed de horum hominũ impietate & quantæ Reipub. Christianæ pestes sunt, pro huius temporis breuitate satis dictum est: pro rei indignitate satis nunquam dici potest. Vnum quum adiecero, finem faciam.

In Epitaph Nepotiani.

Bapt. Egnat. in Herac.

Socrat. l. 7 cap. 18. & Trip. li. 11. cap. 15.

Sinonis cõsilium dant Politici.

Saluſtius.

Parricidij accusatum rectè defendit orator maximus, quòd ante eius criminis suspicionem vir bonus semper habitus fuerit: & addit, eum qui parricidij quẽpiam accusat, oportere eius qui in crimen vocatur & audaciam singularem ostendere, & mores feros immanémque naturam, & vitam vitijs flagitijsque omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata atque perdita. Neque enim tale flagitium in aliũ cadere posse, quàm cuius tota vita scelere & maleficio contaminatissima est. Politicos igitur contemptæ & desertæ proditæq; religionis sanctissimæ conuictos, cui demum sceleri affines non esse, à quo flagitio temperare se posse, cui nõ crimini addictos & obnoxios esse existimabimus? Si enim pietas erga parẽtes non sine graui scelere lædítur, si magna vis humanitatis est, si multum valet communio sanguinis, si portentum atque monstrum certissimum est esse aliquem humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt per quos hanc suauissimam lucem aspexit eos, indignissimè luce priuarit; quanto magis, quanto verius, quanto fortius, pietas erga Deum non sine immani scelere violatur, nec violatur modò, sed & despicitur; nec despicitur tantùm, sed vt abiectissimum quiddam rebus omnibus postponitur? Magna est vis religionis, multũ valet societas fidei, arctissimum est Christianæ charitatis vinculum: portentum atq; monstrum certissimum est, esse aliquem Christiani nominis, fide, professione Christianum, qui per cuius religionis Sacramenta renatus est, & factus filius lucis, vocatus in admirabile lumen Dei, illam religionem indignissimè luce priuare, nefariè prodere, deserere, contemnere, vilissimo loco habere non pertimescit.

Ci. pro Roscio Amerino.

Depromet ex his omnibus pius Concionator ac prudens, quæ pro loco & tempore vtiliter depromi posse iudicabit: simulque addat quod sicuti Pharisæi isti meritò aduertere debebant, veræ doctrinæ defensionem ne quidem temporali eorum paci ac prosperitati obfuisse vnquam aut obesse potuisse, quando nunquam Deus illum populum, Dei leges ac mandata seruantem in manus gentium tradiderit, vt vel ex historia Achior meminisse poterant, notátque ad hunc

Iudith 5.

locum

A locum D. Chrysostomus sic omnino Politici hodie Christiani, si tamen Christiani, meminisse & aduertere imprimis debuerunt, in hoc quoq; statu Euangelico Deum nec suos, nec causam suam aliquando deserere. Qui de Ecclesia sua dixit, *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*, & suis fidelibus dixit, *capillus capitis vestri non peribit*, satis luculenter docuit tum Ecclesiam totam, tum singulos fideles ita sibi curæ esse, vt confidentes in eum sub vmbra semper alarum suarum protegat ac defendat. Sed quis ab illis fidem in Deū postulet, qui fidei causam rebus omnibus posthabendam censet? Quare vbi huiusmodi hominibus plena sunt omnia, nihil mirum si fiat illis secundum fidem illorum: si Deus illos deserit, & perpetuis calamitatibus exagitat, qui non in recto Dei cultu eiúsque prouidentia ac promissionibus, sed in sua quam putant prudentia, in dextera & brachio suo, spem omnem suam collocant, nec in Dei numine ritè colendo, sed in carnis cura & sæculi desiderijs perfruendis, puppim ac proram fœlicitatis suæ ponunt: si deniq; quod semper timent id illis accidat, *vt veniant aliqui Romani & tollant locum ac gentem*, sicuti Iudæis accidisse populus ille toto orbe hodie dispersus & Romano imperio per aliquot post sæcula subditus, ad oculum loquitur. Notat in hunc locum sapienter Augustinus, quòd Iudæi, *quia temporale regnum spirituali prætulerunt vtrumque amiserunt*. Idem politicis quibusdam magnatibus in Anglia & hoc Belgio accidisse videmus, dum illi Principi, hi populo applaudẽtes catholicæ religionis, quam animo tenuerunt, patrocinium deseruerunt, & fide postea orthodoxa exciderunt, & capite mulctati sunt. Videant atque iterum videant Politici magnates in Gallia ne hæretico adhærentes, & pietatis causam paci (vt existimant) temporali anteferentes, & ipsa pietate paulatim excidant, & ab ipso quem tuentur hæretico iustas perfidiæ pœnas luant. Placet hosti proditio, sed proditor nunquam placuit. Meminerint iustum illud iudicium;

Hom. 64. in Ioan.

Matth. 16. Lucæ 21.

Tract. 49. in Ioan.

B

At tu dictis Albane maneres.

Si enim sociale fœdus ab homine inter homines initum tantam vim habet, vt eius violatio tam acerbo supplicio plecteretur; quid non apud Deum & homines merebitur sacrosanctæ fidei, qua Deo & Ecclesiç omnis Christianus astringitur, vinculum & fœdus abruptum? Sed alterius loci hæc consideratio est. Hæc eò tantùm à nobis dicta sunt, vt qui hac peste adhuc attacti non sunt, ab ea se immunes conseruent; & Christiani nominis tantam labem, qua nulla atrocior est, à se suisque omni studio & conatu auertant.

2. *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.*

C

LOcus ostendendi per impios & prauos ministros veram subinde doctrinam Deum administrare. Solent hodie hæretici more veterum omnium, vt catholicam doctrinam in odium atque inuidiam vocent, in eius ministros ac doctores quæcunque vel fingere, vel amplificare libet, crimina conijcere: *Non nisi hominum crimina* (ait Augustinus de sui tẽporis hæreticis) *colligere affectant: & ea ipsa plura falsissimè iactant: vt quia ipsam diuinæ Scripturæ veritatem, qua vbique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mentem venerit, possunt.* In hunc finem colligunt & corradunt summa diligentia hæretici hodie quicquid de malorum Pontificum ac Sacerdotum vita seu verum seu falsum, vel à posteriorum temporum historicis memoriæ traditum, vel incerta & mendaci fama relatum inuenerunt. Nec apud populum seducendum, qui illorum primarius scopus est, validiora afferunt argumenta, quàm quæ ab huiusmodi criminationibus petũt. Cæterùm *nec paucorum crimina, orbis Christiani crimina sunt, cui nos communicamus*, (vt eisdem hæreticis respondet Augustinus) *sed ad quosdam illa crimina pertinent, non ad vniuersum orbem Christianum*, nec in quibus illa vera sunt, authoritate propterea legitima, aut veritatem Euangelicam docẽdi firmitate exciderũt. An fortè inter illos magis impius quisquam fuit quàm Caiphas iste Iudæorum Pontifex, qui vnus consilium dedit perdendi Christũ, idq; non ob doctrinæ vitium quam docuit, sed *ne venirent Romani & tollerent locum eorum & gentem*? Per os tamen huius impij Pontificis prophetare, maximúmq; fidei mysterium pronunciare Spiritus S. voluit: *prophetauit* (ait D. Euangelista) *quod Iesus erat moriturus pro gente*, scilicet Iudaica, *& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, in vnum congregaret*. An non hoc maximum fidei nostræ ac diuinissimum mysterium est, totius mundi Redemptorem esse Iesum Christum? illum esse pacem nostram, *qui fecit vtraque vnum, vt medium parietem maceriæ soluens duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso*. At hoc totum prophetauit Caiphas. Dicẽte quippe illo *mori pro populo*, Iudaici populi salutem per Christi mortem Spiritus S. insinuauit: addente, *ne tota gens pereat, filios Dei qui erant toto orbe dispersi* Spiritus S. intelligi voluit. Ita Pontifex impijssimus & prophetauit, & prophetiam diuinissimã ore licet impuro eructauit. Sed quare hoc ille, & non alius quã ille, homo totus politicus & impius? *Quia erat Pontifex anni illius*, ait Euangelista. *Vides* (ait Chrysostomus) *quanta sit pontificalis potestatis virtus? Os tantùm gratia, non etiam scelestum cor attigit. Hoc quippe* (ait D. Augustinus) *in eo egit propheticum*

Epist. 137.

Sacerdotũ impietas veræ doctrinæ non officit. De vnit. Eccles. c. 2.

Ephes. 2.

Hom. 64. in Ioan.

Cõt. Faust. l.16.c.32. *chrisma, vt prophetaret; hoc impia vita, vt nesciens prophetaret.* Et in hunc ipsum locum. Quod prophetauit impius Caiphas, *diuino Sacramento tribuit Euangelista, quia Pontifex fuit.* Aliud quippe dixit & A
Tract.49. in Ioan. sensit Caiphas, aliud per illum dicere & docere voluit Spiritus S. Et quare hoc aut quomodo? Rationem reddit D. Ambrosius: *Alia sunt verba delictorum, alia Sacramenta salutis; non præiudicat verba virtuti. Suis viribus substantia diuina fulcitur. Homo auditur, Deus in operibus agnoscitur.* Idem docet
In Psal.39. D. Chrysostomus, *Quicquid concreditum habet Sacerdos, solius Dei donum est; & vbi humanam exercet sapientiam minor illis gratia apparet. Deus omnia facit. Sacerdos linguam & manus præbet.* An verò illi quos
Hom.85. in Ioan. Paulus dixit *per occasionem & per inuidiam, adeóque per contentionem Christum prædicasse existimantes se præsuram suscitare vinculis eius*, impij planè & scelerati homines non erant? De eorum tamen prædicatione ait Paulus, *in hoc gaudeo, sed & gaudebo*: non sanè gauisurus, sed quantũ in ipso erat modis omnibus restitutus, si homines impios veritatis Euangelicæ ministros esse nõ posse iudicasset. Hominum ergo crimina, Pontificum & Sacerdotum vitam interdum parum laudabilẽ, vitiosam, contaminatam, contra ipsius quam prædicant doctrinæ veritatẽ, frustra & inaniter ventilant hæretici. Aduertere debuerunt, Deum qui per Ecclesiam docentem loquitur, non solùm per bonos, sed etiam per malos ministros, non quæ ipsorum, sed quæ sua sunt loqui, nec propter illos (quorum ibi causa non agitur) sed propter fidelem populum, quorum saluti aliorum ministerio Deus prospicere voluit, veritatis doctrinam tradere. Facilè hoc vident & aduertunt hæ-
Hæreticorũ improbitas retici quum sui ministerij dignitatem tueri volunt: idque sibi perneceſſarium agnoscunt, quũ B
ipsorum hodie Ministris nihil iam sit ferè fœdius, nihil in omni vitiorum genere contaminatius. Sed in Catholicæ veritatis doctoribus hoc aduertere nolunt, videre & agnoscere detrectant.

Reluctatur hoc loco Caluinus defensioni nostræ, quam in suis non minus libenter quàm
In com. in hunc locum Caluini putidum cauillum. necessariò admittit: *Plusquam ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui ex hoc Caiphæ exemplo colligunt habendum esse pro oraculo quicquid Romano Pontifici effutire libuerit.* Sanè plusquam ridiculus est Caluinus, qui talem Papistis sententiam affingit. Non id ex hoc loco colligunt Catholici, Põtifici Romano aut cuilibet Episcopo seu Pastori credendũ esse quicquid effutire libuerit. Putida hæc Caluini calumnia est, quam illi plusquam ridiculè effutire hoc loco libuit. Quod Catholici ex hoc loco colligunt, istud est. Nec Romani Pontificis, nec cuiuslibet alterius Episcopi, aut Sacerdotis vitam impuram impedire, quo minus Cathedram & potestatem docendi legitimè occupãs, veram doctrinam tradat, Christúmq; verè & vtiliter prædicet. Hunc totum inuertit cauillator Caluinus, vt putidæ calumniæ locum faciat. Addit huic putidæ calumniæ, argumentationẽ in-
Caluini argumẽtatio insulsa. sulsam: *Primùm* (inquit) *vt illis demus Prophetam semper esse quisquis est summus Sacerdos, probare tamẽ necesse habebunt Romanum Pontificem Dei mandato creari. Nam Sacerdotium vnius hominis Christi aduẽtu* C
abolitum fuit, neque vsquam legimus diuinitus præscriptum fuisse, vt vnus quispiam toti Ecclesiæ præesset. In
1. hac insulsa argumentatione tam multa propemodum sunt vitia quot verba. Primũ, summum Sacerdotem Prophetam semper esse (quod ille se nobis dare dicit) nemo catholicus à Caluino sibi dari postulat, quia & nemo catholicus hoc asserit. Summum Ecclesiæ Christianæ sacerdotem in doctrina fidei non errare asserimus, Prophetam semper esse, vt videlicet quicquid libuerit affirmet (quomodo Caluinus loquitur) non dicimus. Nec ipse Caiphas quamuis vt Põtifex
2. prophetauit, Propheta tamen fuit, vt semper vera diceret, qui nisi hoc fortasse temporis articulo, prophetauit nunquam. Deinde Romanum Pontificem Dei mandato creari probare necesse non habemus, nisi apud hæreticos: apud quos etiam Christum esse verum Deũ probare necesse
3. est, quando negare id volent, vt olim Ariani, hodie in Transsyluania Franciſci Dauidis, & Georgij Blandratæ Ministri faciunt. Addit Caluinus *Sacerdotium vnius hominis Christi aduentu abolitum fuisse.* De legali sacerdotio & quoad munus propriè sacrificale verum est. Non enim vnus iã, sed
4. omnes sacerdotes idem diuini sacrificij munus æqualiter peragunt. De Ecclesiastica prælatura,
Hæretici in Scripturis non legunt quod credere nolunt. quam nisi sacerdotes exercent falsum est. Imò ait Caluinus: *nusquam legimus diuinitus præscriptum fuisse, vt vnus quispiam toti Ecclesiæ præesset.* Opinor sanè Caluinum hoc nusquam legisse, quia quod legerat intelligere noluit. Eutyches in Scripturis duas Christi naturas se nunquam legisse Cõ- D
cilio Chalcedonensi respondit. Alij omnes hæretici nũquam id in Scripturis legunt, quod credere in Scripturis nolunt. Nos verò catholici hoc perspicuè in Scripturis legimus, Sanctiq; ante nos Patres legerunt, dicente Christo ad Petrum, & ad solum Petrum præsentibus alijs Apostol. & ad illum de maiori sua dilectione ter interrogatum, Pasce agnos meos, Rege oues meas, Pa-
De Princ. fid. l. 6. c. 10. & 11. sce oues meas. Βόσκε τὰ ἀρνία μου: Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου: Βόσκε τὰ πρόβατά μου. Quæ verba tam variè & distinctè à Christo prolata quantum valeant, alio in loco discussimus. Sed Caluinus ista non legit, quia quum legeret, ineptissimè maluit ex priuato suo sensu contra illa cauillari (vt eodem in loco ostendimus) quàm apertam & dilucidam Christi mentem cum Catholicæ Ecclesiæ sensu & consensu amplecti. Pergit adhuc ineptire hoc loco Caluinus: *Vt hoc quoque secũdo illis demus, ius & honorem Pontificis ad Rom. Episcopum translatum esse, videndũ quid sacerdotibus profuerit quod*
Caluini stupida ratiocinatio. *Caiphæ vaticinium amplexi sunt. Vt subscribant illius sententiæ, conspirant in mortem Christi. Procul verò à nobis faceſſat talis obedientia, quæ nos ad horribilem apostasiam, filium Dei abnegando impellat. Eadem voce blasphemat & simul prophetat Caiphas. Qui eius dicto obsequuntur, contempta prophetia blasphemiam arripiunt. Idem ne contingat, nobis cauendum, si Romanum Caipham audiuerimus: alioqui similitudo claudicaret.* Totam impostoris sententiam posui, vt ad eius tandem conclusionẽ peruenirem. Hæc quippe

conclusio

A conclusio totam præcedentem disputationem vanam & friuolam conuincit: *Alioqui* (inquit) *similitudo claudicaret*, hoc est, nisi hæc absurda quæ colligo in re præsenti locum habeant, *similitudo claudicaret*. Atqui similitudinem claudicare quid quæso absurdi est? aut quid necesse est vt exẽplo prophetantis Caiphæ, mali ministri doctrina vera approbetur, ministri doctrinam prophetiæ Caiphæ per omnia similem esse? Ex hoc exemplo nihil aliud aut amplius colligimus quàm quod collegit Euangelista. Prophetauit homo impius, quia Pontifex erat. Colligitur inde. Vera docere possunt homines impij, quia Pontifices sunt, quia ministri Ecclesiastici locum tenẽt: quia (vt ipse Caluinus hoc loco affirmat) *Deus Sacerdotium à se institutum potius respicit quàm hominis personam*. In hoc tenet similitudo, in hoc non claudicat, sed in causa ministerij Ecclesiastici non secus valet, quã in veteri illo Sacerdotio vmbratili valuisse videmus. Cætera in facto Caiphæ aduentitia nec in exemplum trahuntur, nec ad similitudinem ab ipsis hæreticis quã à nobis collectam vllo modo pertinent. Dicit hoc loco Caluinus. *Eodem modo per os Balaam, quem Spiritu prophetiæ Deus donauerat, populo suo benedicere voluit.* An vult Caluinus vt hæc similitudo per omnia teneat, nec in vllo claudicet? An vult vt cum isto Balaam idola colamus: vt vitulos & arietes super aras immolemus, vt mercedẽ iniquitatis amemus, vt filios Dei peccare doceamus? Hæc omnia fecit iste Balaam etiam cum populo Dei benediceret. Sed sicut Balaã homo impius populo Dei benedicens, exemplũ sanè est eorum in Ecclesia ministrorũ Dei, qui impiè viuentes vera docent, ad alia tamen quæ ille fecit ac docuit, quæq; ex eius pessima doctrina consecuta sunt, similitudo
B non valet: sic Caiphas homo impius beneficium mortis Christi prophetans exemplum quoque eiusdem rei est, ad talia tamen, quæ vel ille impiè sensit, vel ex eius impio consilio sequuta sunt similitudo trahenda non est: Nempe prophetauit vt Pontifex; consilium interficiendum Christum quod cæteri sequuti sunt, non dedit vt Pontifex, sed vt homo impius. Atq; hic Caluiniana collectio non claudicat tantum, sed & penitus deiecta iacet.

Caluinus à seipso refutatur Num. 23. 2. Pet. 2. Iudæ 11. Apoc. 2.

Addit adhuc Caluinus modis omnibus satagens, vt hoc exemplum infirmet, hoc est, vt Euangelistę annotationem inanem & friuolam esse doceat. *Quæro præterea* (inquit) *an quia semel prophetauit Caiphas, singula Pontificis verba totidem semper sint prophetiæ. Atqui paulò pòst summum ac præcipuũ fidei nostræ caput blasphemiæ damnauit. Vnde colligimus quod nunc Euangelista refert, extraordinariũ fuisse, ac præpostèrè in exemplum trahi.* Hæc ille. Quæro & ego à Caluino an prophetia Balaam quã benedixit populo Dei, nõ fuerit extraordinaria. Sanè ita extraordinaria fuit, vt ille nec Propheta, nec Sacerdos Dei, nec etiam de populo Dei, sed idololatra & ariolus fuerit. Si ergo hoc factum tam extraordinarium, in exemplum tamen trahitur, quo docemur Deum per impios ministros loqui (nam & ipse Caluinus hoc loco, *Eodem modo* (inquit) *per os Balaam, quem spiritu prophetiæ donauerat, populo suo benedicere voluit Deus*) quanto magis Caiphæ prophetia, quãtumuis esset extraordinaria in simile exemplum trahitur? Ille enim & de populo Dei, & summus Sacerdos fuit, nec extraor-
C dinario aliquo spiritu prophetiæ donatus sicut Balaam, sed vt ipse Euangelista affirmat, *quia Põtifex erat anni illius*, id est, propter ordinariam Pontificalis gratiæ virtutem, prophetauit. Quare hæc eius prophetia non fuit, vt Caluinus vult, extraordinaria vel extra ordinẽ & præter rationem vocationis & muneris eius: sed quod postea fecit, quódq; Caluinus allegat, quum præcipuũ fidei nostræ caput blasphemiæ damnauit, videlicet de venturo Christo in maiestate sua ad iudicium, hoc planè extraordinarium fuit, & præter ordinem ac dignitatem illius sacerdotij, ideóq; singulariter à prophetis veteribus prædictum. Quum enim ordinaria veteris Synagogæ institutio hæc esset, *ex ore sacerdotis legem requires*, & iterum: *Qui non obedierit summo sacerdoti, qui pro tempore fuerit, morte moriatur*: aliáq; in veteri Scriptura permulta, quæ Christus ipse in Euangelio confirmat, dicens: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Quæcunque ergo dicunt facite*: tandem verò veniente Messia, & quum translatio legis, & Sacerdotij veteris abolitio immineret, ipsa Synagoga suo merito reprobãda esset, Prophetæ hoc ipsum quasi rem præter ordinem, & vt minus crediturі Iudæi scandalizarentur, prædixere, idq; verbis ordinariæ constitutioni diuinæ cõtrarijs: *Lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus*, Et iterum: *In illa die peribit cor Regis & cor Prin-*
D *cipum, & obstupescent Sacerdotes*. Et adhuc alius Propheta: *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione*. Hæc omnia valde extraordinaria erant, & præter primam Sacerdotij legalis institutionem. Denique *mysterium* hoc vocat Paulus, *quod cæcitas ex parte in Israël contigit, vt plenitudo gentium intraret*. Vide nunc ergo impiam & præposteram Caluini disputationem, cui applaudunt Caluinistæ omnes: Caiphæ prophetiam & doctrinam veritatis ordinariam, *quia Pontifex erat anni illius*, tametsi impius ipse erat, nec quod prophetaret intelligeret ad exemplum trahi Caluinus non patitur, quo ostendatur impios pontifices ac sacerdotes veram nihilominus doctrinam tradere, quàm diu cathedram vnitatis tenent. Eiusdem autem Caiphæ blasphemiam extraordinariam, & Sacerdotum Synagogæ (cadẽte iam illo statu, vt melior exurgeret) lapsum ac errorem, in exemplum trahi homo impius vult, vt totius Ecclesiæ catholicæ per aliquot iam sæcula apostasiam ac ruinam conueniens & sodalibus suis persuadeat. Hoc enim studiosè facit in Institutione sua innumeris mendacijs, paralogismis, blasphemijs referta, quod alio loco protulimus & refutatum reliquimus. Atq; hæc de his Euangelij verbis, impiáque & vana Caluini tergiuersatione hactenus.

Caluinus contra Euangelistam disputat. Calu. iterũ à seipso refutatur.

Caiphæ prophetia non fuit extraordinaria.

Malach. 2. Deut. 17. Matth. 23.

Ezech. c. 7 Hierem. 4. Mich. 3.

Rom. 11.

Calu. impia & præposterа disputatio.

Lib. 4. c. 9. num. 7. De Princ. fid. l. 2. c. 12

A

SABBATO POST DOMINICAM PASSIONIS.

Ioan. 12.

1. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

In com. in hunc locũ. Vocatio legitima Ministrorum verbi. Caluinus in caput suum disputat.

IESVS, de quo nos admonet Caluinus, cõtra hæreticos omnes & pseudoministros verbi, qui non veniunt in nomine Domini, sed in nomine suo: *In nomine Domini venit* (ait in hæc verba Caluinus) *qui non temere se ingerit, neque honorem falsò vsurpat, sed ritè vocatus Deum habet actionum suarum ducem & authorem. Competit elogium hoc in omnes legitimos Dei ministros.* Et paulò pòst: *Iã quia Pseudoprophetæ superbè nomen Dei iactant, & fallaci hoc prætextu se venditant, quum tamen diaboli impulsu ad perdendam Ecclesiam ferantur, subaudienda est antithesis, vt Dominus eos dissipet, ac in nihilum redigat.* Probè sanè hæc omnia, & in caput suum egregiè B Caluinus disputauit. Quis enim Caluinum misit vt Geneuæ Dei nomine doceret, & pro legitimo Dei ministro se vẽditaret? Cui Episcopo successit? Aut quis illi Episcopus manus imposuit? Cuius ille Cathedram nisi vnius Farelli tenuit? Ipse Farellus cui successit? Nonne ejecto eodem die & Episcopo ciuitatis illius, & Principe loci legitimo Sabaudiæ Duce, tam in cathedram Episcopalem Farellus se ingessit, quàm in loci principatum rebellis populus se intrusit? Quàm pulchrè igitur Caluinus & seipsum & alios omnes huius ætatis hæreticos, qui legitimam vocationem suam hactenus probare nunquam potuerunt, hac sua annotatione maledictos, à Deo dissipandos, & in nihilum redigendos docuit? hanc enim antithesim subaudiri vult. Iam in alia huius Operis parte luculenter ostendimus hæreticos horum temporum vocationem suam legitimam probare non posse, eorum missionem non nisi imaginariam esse, eos non intrasse per ostiũ, sed aliunde. Cur igitur hoc loco crimen illud taxare & exaggerare voluit Caluinus quo ipse maximè tenetur reus? An vt de illo minimè suspectus haberetur? Sanè hic textus nullam huiusmodi suspicandi materiam suppeditabat, qui ita propriè ad Christum pertinet, vt ad aliũ transferri nequeat. Clamabat enim populus: *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël:* quòd soli Christo competit. Cæterùm quia illa sententia ex psalmo desumpta Regis Israël mentionẽ non C facit, ideóq; ad alios Prophetas, Pastores, Reges à Deo missos accommodari potest, Caluin. suæ sibi vsurpationis conscius propter antithesim, quam includi videbat, iuxta rudem illum, sed verum versiculum, *Conscius ipse sibi de se putat omnia dici*: ex aliorum accusatione hanc à se amoliri suspicionem voluit. Nec eo contentus, etiam in alios idem crimen contorquet. Addit enim præcedentibus verbis:

In festis S. Andreæ, et S. Marci, & fer. 3. Pentecost.

Calu. cæca maledicentia in Summũ Pont.

Ita benedicere Christo non possumus, quin maledicamus Papæ, & sacrilegæ tyrannidi, quam aduersus Christum erexit. Sua quidem anathemata non secus ac fulmina, magno impetu in nos vibrat, sed quæ securè cõtemnere velut inanes ampullas licet. Ex aduerso autem Spiritus S. horribile anathema hic nobis dictat, quo vsque ad vltimos inferos cum toto suo splendore & pompa mergatur. Hæc Caluinus. Quis hic Caluinũ disputare, & sacrum Dei Euangelium explicare, ac non potius rabulam aliquem indoctum ac bene potum in medio foro debacchari existimet? *Spiritus* S. (inquit) *horribile anathema hic nobis dictat, quo Papa vsque ad vltimos inferos mergatur.* Vbi verò, aut in quibus verbis hoc horribile anathema continetur? *In illis* (inquit) *Benedictus qui venit in nomine Domini.* At quis non iudicaret beatã potius & optabilem benedictionem illa verba pronuntiare? *Sed subaudienda est* (inquit) *antithesis, pseudoprophetas omnes, qui superbè iactant Dei nomen, à Domino dissipari, ac in nihilum redigi.* Esto: sit ita, demus hanc antithesim subaudiri, ne singula excutiendo nimis in Caluinum rigidi videamur. Quomo- D do Papa in hac antithesi includitur? aut quid ad eum hæc antithesis? Hic vt procedat Caluini disputatio, rursum subaudiendum est, Papam esse pseudoprophetam. Atqui non debemus tam liberales esse, vt hoc quoque illi concedamus. Postulamus igitur vt hoc doceat. Sed quid ab illo hoc præstari postules, quod ille nunquam præstando erit, quod ille supponit semper, probat nũquam, quod hoc in loco ne vno quidem verbo ostendit? Qualis igitur ista conclusio est, quàm furiosa, quàm absurda, quæ Spiritum S. id dictare affirmat, quod nec apertè dicitur, nec tacitè insinuatur, nec nisi ex duobus præsuppositis infertur, quorum vnum si des causam nihil iuuat, alterum nec dari debet, nec probari potest?

Caluini cõclusio furiosa.

Papam non esse pseudoprophetam.

Itáne verò, Papa pseudopropheta erit, quia Caluinus hoc præsupponit? Rogo igitur Caluinum & Caluinistas hodie omnes, quis iste Papa est, quem pseudoprophetam vocãt? Norũt hoc non personæ, sed officij nomen esse. Designẽt ergo in hoc officio quam personam intelligant. Si omnes qui eo officio functi sunt, ergo & ipsum D. Petrum, omnésq; eius in Sede Romana successores, *in hoc horribili anathemate, quo vsq; ad vltimos inferos mergantur*, includere debent. Si eò vsque insanire velint, soli opinor insanient: nisi fortè Turcam aliquem Mahometanum, aut paganum barbarum, aut Iudæum incredulum insaniæ suæ comites nanciscantur. Si non omnes, sed aliquem

A aliquem aut aliquos, hos vbi designauerint, ostendant necesse est, quomodo pijs antecessoribus succedere pseudoprophetæ potuerit. Aut enim talis successor populum sibi subditum, omnésq; alios illi Sedi adhærentes nouis hæresibus seduxit, & huius seductionis, quæ sine tumultu esse nõ potuit (nisi in gratiam hæreticorum dicamus totum Christianum orbem quasi vno momento attonitũ, derepente relicto Christo, Antichristo manus dedisse) aliqua apud historicos memoria, aliqua vestigia necessariò supersse debent: aut solus in sua dementia manens alios seducere non potuit: & quo modo, aut qua mente fingere hæretici possunt, talis seductoris & pseudoprophetæ tot alios per totum orbem Ecclesias cõmunionem tenuisse, eiq; vnitas, adeóq; subditas fuisse? Hæc & his plura longè absurdissima & fingere & asserere hæretici debent, vt Papam esse pseudoprophetam probent. Quare horribile anathema, de quo Caluinus loquitur, non est à Spiritu S. dictatum, vt ille dicit, sed est à spiritu nequam, à spiritu mendacij, à Satanico Caluini cerebro adinuentum, vt res ipsa loquitur. Hanc hominis furiosam impietatem lectori patefacere, & Sedem Apostolicam Ecclesiarum omnium matrem ac matricem à tam furiosi nebulonis rabida calumnia asserere ac tueri, operæprecium duxi.

B 2. *Accesserunt ad Philippum & rogauerunt eum, dicentes, Domine volumus Iesum videre.*

LOcus putidæ & insulsæ calũniæ Caluinianæ breuiter refellendæ, simũlq; crassi mendacij circa SS. Inuocationem vno verbo refutandi. *Hoc* (inquit Caluin.) *reuerentiæ signum est, quod gentiles isti Christum non compellant, sed per Philippũ cupiunt sibi patefieri accessum. Reuerentia enim modestiã semper ex se gignit.* Vera & bona sunt hæc. Nunc fermentum apponit suum: *quod autẽ hinc colligunt Papistæ inuocandos esse mortuos, vt nobis apud Christum & Patrem sint patroni, magis ridiculum est quàm vt refutatione indigeat.* Primũ tamen collectionem ab aliquo catholico factam nunquã hactenus audiui, & tam mendaci magistro temere credendũ non est. Deinde collectio omnino absurda non est. Reuerentiæ signum esse agnoscit Caluinus quod gentiles isti per interpositam Philippi personam accessum sibi ad Christum patefieri cupiunt. Cur nõ etiam Reuerentiæ signũ erit, quòd per interpositas SS. preces, accessum nobis ad Deum patefieri cupimus? Tertiò longè alijs testimonijs, rationibus, exemplis nititur catholicæ Ecclesiæ pietas, vt Sanctorum suffragia & patrocinia imploret. quartò tametsi hoc argumentum, seu hæc collectio nullius momenti esset, tamẽ non magis ridiculi vocandi sunt, qui ea aliquando vsi fuêre, quàm varij hodie Caluinistæ ridiculi censendi sunt, imò & Caluinus ipse, qui ex illis Christi verbis, *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*, hanc collectionẽ intulerunt. Ergo Christus non adest realiter in venerab. Eucharistia: de qua inepta & ridicula consequentia in proxima feria infrà dicemus. Iã verò quod de inuocãdis mortuis loquitur, & addit: *Qui mortuos inclamat, à quibus est separatus, quid habet simile cum eo quod Græci coram Philippo loquuntur?* quàm ineptè, addo etiam impiè loquatur, in alio Euãgelio huius partis satis explicatum est, vbi contra similem collectionem catholicorum, simili verborum ineptia & impietate vtitur. Quare hic nihil repetere necesse est. Addit Caluinus: *Sanctorum inuocationem temere commenti sunt Papistæ ex suo cerebro.* Hoc mendacium, quàm crassum, impudens, & quasi digito palpandũ sit, innumera totius Antiquitatis testimonia de Inuocatione Sanctorum ab Apostolorum tempore huc vsque loquuntur: quibus libellum impleuit Ioannes Garetius: nisi fortè etiã totius Antiquitatis Patres ac DD. pro Papistis habeat Caluinus. Quod vt illi nos concedimus, sic in eo tamen mentitur, quod illos ex suo cerebro hãc Inuocationem cõmentos fuisse scribat. Designet si potest qui primus hoc commentus est. Tũ doceat quî factum sit, vt vnius commentum tot sæcula sequuta fuerint. Sanè in altera huius Prõ-
D ptuarij parte, doctissimorum & sanctissimorum Patrum, Chrysostomi, Origenis, Augustini, Gregorij Nazianzeni, Hieronymi, Theodoreti, Basilij, Gregorij Nyssæni, Ambrosij, Paulini, Prudẽtij, ac demũ totius Concilij Chalcedonensis General. 4. testimonia & praxim pro Inuocatione Sanctorum produximus, cum quibus Papistæ censeri & haberi libenter volumus. Sed Lectorem fallit Caluin. Papistarum commentum vocans, quasi hoc demũ sęculo & hac ætate, qua ab hæreticis nouis, catholici veteres Papistæ vocari cœperũt, Inuocatio hæc SS. adinuẽta fuerit. Rudes quoq; & miseri Caluinistæ hoc sibi seriò persuadẽt, omnia esse recentia Papistarũ cõmenta, quę ipsorũ magistri contra catholicam Eccles. hodie negant & damnãt. De qua tota impietate & fraude breuiter hoc loco annotata commonefacere fidelem populum concionator poterit.

Caluini putida calumnia.

C *Ioan. 12. Matth. 26.*

Feria 5. Hebdom. 1. Quadrag. Calu. mendacium luculentum.

In festo omnũ Sanct.

3. *Nunc anima mea turbata est: Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora.*

LOcus diuinam Scripturam & Christi Redemptoris puritatem à corruptela & blasphemia Caluiniana vindicandi. Caluinus quippe siue ex veræ Theologiæ ignorãtia, siue ex innata quadam illi impietate, totum hunc locum perperam admodum exponit, & Christo indigna eiúsq; puritati ac sapientiæ nullo modo conuenientia, Christo attribuit. Ait enim ad illã verba, *& quid dicam? in vltimas angustias redactum Christum, neq; verba inuenisse quibus exprimat doloris vehementiã, neq; consilium secundum hominem.* Deinde ad sequentia verba, *Pater saluifica me ex hac*

Caluini in Christũ blas phemia.

hora, ait: *Votum Christo inconsideratè fluxisse, cui statim renunciandum erat vt Patri obediat.* Sic ponit apertè in Christo motus inuoluntarios, qui rationem præueniant, passiones, & desideria inconsiderata, quæ postea corrigi debeant: Atqui ista solis peccatoribus conueniunt, qui peccati originalis corruptionem pœnalem circumferunt. Ait quidē Caluinus ad superiora illa verba, *Nunc anima mea turbata est, voluntariam hanc fuisse turbationem*, sed addit, *quia non coactus timuit, sed timori sponte se subiecerat.* Sic voluntarium vocat quatenus spontaneum, & quatenus coactioni opponitur, quale sanè voluntarium etiam brutis conuenit: negat verò affectus istos in Christo turbationis, & timoris, propriè voluntarios fuisse & liberos, liberéque ab ipso quando voluit, & quantum voluit susceptos, sicuti contra Caluinum veteres Patres magno consensu docuisse, supra in hac parte quadrag. ostendimus. Quare illa superior ratio vtcunque honesta videatur, has eius posteriores assertiones nihil excusat. Impium est in Christo ponere, vel consilij defectum secūdum hominem, vel vota inconsiderata quæ corrigi debeant. Caluinus tamen non hoc tantum in loco ita loquitur, sed & alibi. Tractans enim Christi orationem in horto habitam, vbi dixit, *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste*, primùm dicit, *abruptum hoc fuisse votum*, móxque docens *fidelium preces non semper æquabile temperamentum seruare, sed implicitas & perplexas secum aliquādo confligere*, de Christo quoque affirmat, *sic hoc loco metu perculsum & anxietate constrictum fuisse, vt necesse illi foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare.* Addit demum, *quod votum suum subitò elapsum castigat ac reuocat.* Tandem concludens dicit: *Nō fuit igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio.* Et paulo post: *In primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi, quia mediatoris officio defungi quantum in se est renuit ac detrectat.* Ponit ergo in Christo desideria inconsiderata, vota abrupta, eadémque alternantia, ac vacillantia, subitò erumpentia quæ corrigi debeant, denique orationes non meditatas, sed impetu doloris extortas, ac placidæ postremò moderationis vacuas. Sed hæc omnia Christi puritate indignissima, & quæ in solos peccatores peccato originali corruptos, ac deprauatos cadunt, ex veræ Theologiæ ignorantia, & animi contumacia Caluinus ponit, nolens videlicet in Christo agnoscere humanorum istorum affectuum, gaudij, timoris, & cæter. liberam susceptionem, quam diserte Patres docent. Quum enim liberè seipsum turbaret, & liberè mortis horrorem ante oculos suos proponeret, liberè quoque & mediatè, tam in hoc Euangelio dixit, *Pater saluifica me ex hac hora*, quàm apud Matthæum & Lucam: *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste.* Nullum hic votum inconsideratum, nullum abruptum, nullum subitò elapsum fuit: vota Christi & oratio meditata erant cum placida moderatione cōiuncta. Sed hæc vota erant naturalia, ex libera illa susceptione affectus naturalis, id quod naturale erat spectantia. Voluntas quippe humana in Christo, quum vna esset potentia seu facultas sicut in nobis, ratione tamen diuersorum obiectorum duplex erat, modò naturalis, quæ etiam sensualitas vocari potest, vt appetitum sensitiuum, quæ potentia naturalis est, significat; modò deliberata. Naturalis voluntas dicitur, quæ fertur in rem aliquam secundum seipsam consideratam: deliberata verò, quæ fertur in rem non solam, sed cum circumstantijs suis per intellectum propositam. Illa per naturæ modum se habet; hæc rationis est; & electio dicitur. Et vt in præsenti materia maneamus, mors ipsa & passio considerari dupliciter potest. Vno modo in seipsa simpliciter considerata, & sic habet rationem mali: est enim quoddam pœnæ malum, nec secundum se appetibile est. Vnde de ipsa morte alijsq; rebus aduersis aptè dicit sanctus Augustinus: *Iubes nos Domine ea tolerare, non iubes amare. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat.* In hac consideratione voluntas humana (siue appetitum sensitiuum hoc nomine accipias, siue voluntatem rationalem, sed per modum naturæ consideratam) auersatur mortem & renuit eam. Alio modo considerari potest mors cum appōsita circumstantia, nempe hanc mortem secundum diuinam volūtatem, eámque vel mundi esse redemptionem vt in Christo, vel ad Christi gloriam fideique professionem vt in Martyribus, vel materiam meriti ac ianuam melioris vitæ in quolibet iusto patienter eam sustinente: & hac ratione habet rationem boni, & voluntas ordinata, siue quæ per modum rationis se habet eam acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis, quia rem in sua natura cōsiderat: hæc deliberata, quia per rationis discursum considerat circumstantias adiectas. Christus igitur vt non tantùm affectu sensitiuo & passione corporali (de facto tolerando pœnas) sed etiā affectu rationali, seu passione animali (eas præmeditando) pro nobis pateretur, & vt timorem ac tristitiam propter nos in seipso excitaret, vtebatur hac voluntate naturali, id est, liberè & præmeditatè proponebat animo res eas quæ timoris & tristitię causæ atq; obiecta erant, & hac ratione *cœpit contristari, turbauit semetipsū, turbata est anima eius*, voces naturales emisit, *saluifica me ex hac hora: Transfer à me hunc Calicem.* Vt autem Patri se per omnia cōformaret, vtebatur voluntate deliberata. Verba igitur huius Euang. sunt hominis positi in hac agonia, qua seipsum turbare Christus voluit. *Quid dicam?* verbum quidem hominis est positi inter duas voluntates, quæ in contraria tendunt, (naturali enim voluntate mortem auersabatur, deliberata eandem acceptabat) sed nō *inter violentos tentationum fluctus* positi, vt ait Caluinus, *& alternis votis alternantis.* Nullā tentationē à seipso passus est Christus vt vacillaret, ac dubitaret circa mortem & passionem suam, subire ne eam deberet an nō. Sed adhuc inter duas illas voluntates hærebat hinc inde agitatus. Vox autē illa Christi, *Saluifica me ex hac hora*, vox est naturali voluntate procedens, non, vt absurdè & impiè Caluinus dicit, qua *Mediatoris officio defungi quantum in se erat renueret ac detrectaret;* Mediatoris quippe

Infer. 6. hebdom. 4. Christi affectus erāt omnes deliberati & liberi.

In Harm. Euang. ad Matth. 26. ver. 39.

Caluini vaniæ in Christum blasphemiæ.

Voluntas humana in Christo duplex.

Confess. l. 10. c. 28.

Caluini vox impiissima in Christum.

A quippe officium, mortem dicit cum ſuis circumſtantijs conſideratam, mortem videl. quæ eſſet redemptio mundi. Hanc autem ita conſideratam quia bonũ erat, Chriſtus quantũ in ſe erat renuere non potuit. Sed eſt vox qua mortem & paſſionem acerbam in ſeipſis conſideratã auerſabatur. Voluntas autem Chriſti deliberata illa erat quam ſubiunxit hoc loco: *Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuũ.* Similiter in verbis in horto prolatis, prius votũ erat vox voluntatis naturalis, *Pater, ſi fieri poteſt, transfer à me calicem hunc.* i. ipſam paſſionem & mortem. Poſterius votum erat voluntatis deliberatæ, *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Vtrumq; votum meditatum erat & liberè ſuſceptũ: prius illud vt in parte rationali pateretur, ſéq; ipſum ipſa mortis præmeditatione turbaret: poſterius, vt diuinæ voluntati humanã ſuam per omnia conformaret. Hæc neſciens diſtinguere Caluinus ea de Chriſto pronunciat, quæ in ſolis peccatoribus reperiuntur, & Chriſti puritate ſunt indigna.

Vidit Caluinus hanc ſuam doctrinam non ſolùm veterum Patrum, & omnium Theologorum, ſed & ſuæ ipſius doctrinæ alijs in locis traditæ penitus aduerſari: *Quum nuper* (inquit) *dictũ fuerit rectè compoſitos fuiſſe omnes Chriſti affectus*, ſic enim ad Matth. cap. 6. dixerat, *Chriſtus communem nobiſcum habuit ſenſum, non autem appetitus incompoſitos*, & in hoc ipſo Matth. 26. capite ver. 37. *Chriſtum*, ait, *manſiſſe compoſitum ad veram temperantiæ regulam*) *quomodo nunc ſeipſum corrigit? cur primus* B *motus, quem frænari antequam longius excurreret oportuit, non fuit temperatus, vt decebat?* Hanc obiectionem, quam contra ſeipſum mouet, vt verè pugnantia docentem, ſic ſoluere conatur: *Reſpondeo* (inquit) *non poſſe in hac naturæ noſtræ corruptione perſpici affectuum feruorem cum temperie, qualis in Chriſto fuit: ſed hunc dandum eſſe honorem filio Dei, ne eum æſtimemus ex nobis.* Atqui hæc reſponſio nulla eſt: more ſuo poſtquam pugnantia dixit, quæ ſimul eſſe vera impoſſibile eſt, ait rem à nobis intelligi non poſſe. Quod autem intelligi non poteſt, niſi de fide credendum proponatur, affirmari non debet. Caluinus verò ſuas contradictiones quum intelligi nequeant, recipi tamen & credi vult. Sic in alijs dogmatibus, maximè quum Deum authorem peccati ſtatuit, lectores ludificat. *Affectuum feruor cum temperie à nobis perſpici non poteſt*, ait Caluinus. Ita ſanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, ſimul & ſemel in eodem conſiſtere à nobis intelligi non poſſunt, ideóque à nemine ſanæ mentis affirmantur. Ipſa ergo Caluini reſolutio ſuam abſurditatem prodit. Quid enim abſurdius quàm pugnantia docere, móxque ipſam repugnantiam, quia intelligi nequeat, credendam obtrudere? Hic eſt Caluini ludus. Sic quod ex ſuo cerebro commentus eſt, vt ſibi fallacem ex verbo Dei prætextum conciliet, corrumpit ac lacerat Scripturam, ac indignis eam ludibrijs exponere non dubitat. Hi ſunt audaciæ hæreticæ fructus, poſtquam ſemel extra Eccleſiaſticæ doctrinæ metas vagati ſibi permittit. Tenendum interea eſt Chriſtum Redemptorem noſtrum, nec aliquod incõſideratum votum emi- C ſiſſe, ſic enim ſapiens non fuiſſet; nec correctione dignum aliquid dixiſſe, ſic enim peccaſſet; nec preces non meditatas Deo obtuliſſe, ſic enim temerarius foret; nec voces vi doloris extortas protuliſſe, ſic enim appetitui ſuo dominari nequiuiſſet; nec poſtremo placida vnquam moderatione caruiſſe, ſic enim paſſionibus vitioſis, quæ rationem præueniunt, ſubditus fuiſſet: ac propterea Caluinum, qui illa omnia de Chriſto Redemptore noſtro pronunciauit, hominem impium, nec fide, ſed furca dignum, omnium piorum iudicio pronuntiandum eſſe.

In Harm. ad Matth. cap. 26. 39.

Caluinus ſuas cõtradictiones defendit, quia intelligi non poſſunt.

FERIA SECVNDA HEBDOMADÆ SANCTÆ.

D

1. *Maria accepit libram vnguenti nardi piſtici, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit pedes eius capillis ſuis.* Ioan. 12.

LOCVS non incommodus oſtendendi placere Deo ſumptuoſos cultus & ornatum ſplendidum, quum in Dei honorem & cultum illa impenduntur, ſiue in templorum ornatu & magnificentia, ſiue in Sacramentorũ adminiſtratione ſolemni. Hoc enim pretioſum vnguentum corpori humilitatis ſuæ impenſum ita probauit Chriſtus, vt apud Matthæum & Marcum contra murmurántem Iudam dixerit, *Opus bonum operata eſt in me.* Si opus bonum erat corpus Chriſti mortale, & quatenus mortale, videlicet propter ſepulturam ſignificandam (dixit enim Chriſtus, *ad ſepeliendum me fecit*, id eſt, meam imminentem mortem ac ſepulturam hoc facto ſignificauit, tametſi neſciens) pretioſo vnguento inungere, quis dubitare poteſt, opus bonum, Deóque gratum illos operari, qui vel templa, quæ *Domus Dei* in Scripturis vocantur, & in quibus Deus præcipuè colitur, ſumptu pretioſo ædificant, vel altaria ornamentis ſplendidis exornant, vbi Corpus Chriſti verum in Paſſionis ſuæ Sacro-ſanctæ commemorationem & conſecratur, & adminiſtratur? Voluit Chriſtus in *cœnaculo ſtrato grandi*, id eſt, in loco amplo & ornatiſſimo Cœnam illam ſuam celebrare, in qua Sacro-ſancta Cor-

Templorũ ornatus defenditur.

Matth. 26 Marc. 14.

Matth. 26.

poris & Sanguinis ſui myſteria primùm diſpenſauit. An non ſatis inſinuauit, in loco ſemper de- A
centiſſimo id fieri ſe velle, de quo tunc dixit: *Hoc facite in meam commemorationem?* Sed vt ad noſtri Euangelij textum redeamus, placuit Chriſto & laudatur à Chriſto cultus corporis ſui morituri & ſepeliendi. Quanto magis placebit cultus corporis ſui iam glorificati, & in glorioſæ ſuæ paſſionis memoriam, noſtrámq; perpetuam ſalutem, verè nobis & realiter, tametſi Sacramentali modo adminiſtrati? Non obſtitit forma ſerui, & ſtatus externus humilis, quo minus hoc pretioſo vnguento vngeretur. Nec obſtare debent ſpecies Sacramentales, res vulgaris, quo minus Chriſtũ in eis velatũ, veréq; contentum, omni cultu & veneratione proſequamur. Maria vngens neſciebat ſe ad ſepeliendum Chriſtum hoc facere, id eſt, futuram eius breui ſepulturam hoc ſuo facto ſignificare, & officium illud atque obſequium præuenire, quod poſt mortem fruſtra tentatura eſſet. Volens enim iam ſepultum vngere, eum ſurrexiſſe inuenerat. Laudatur nihilominus à Chriſto, quia ex alia intentione bona hoc fecit, eum videlicet vt magnum Prophetam & hoſpitem omni honore dignum exiſtimans. quanto magis populus hodie fidelis, optimè ſciens quem honorat, & in quem finem honorat, à Chriſto laudabitur, quum locum illum ſplendidè exornat, in quo Chriſtum accepturi ſunt, non vt hoſpitem externis & corporalibus officijs excipiendum, ſed vt animarum ſuarum hoſpitem dulciſſimum, qui carne & ſangui- B
ne ſuo illos paſcet? Itáne verò Chriſtũ in menſa recumbentem pretioſo vnguẽto honorare Maria potuit & laudatur? Chriſtum in menſa ſacra nobis apponendum fidelis populus ſi pretioſo loci ornatu honorat vituperabitur? Sed hæc eſt hodie hæreticorum ſtupida & craſſa inſcitia, vt quia interno cultu Deus præcipuè colitur, idcirco externum omnem ab ipſo reſpui & condẽnari exiſtiment. Quod perinde eſt, ac ſi dicerent. Præcipuus honor qui parenti à filio debetur, eſt amor & affectus filio dignus: ergo externa aliqua reuerentia parentem proſequi, neceſſarium non eſt.

Hæreticorum hodie ſtupida inſcitia.

Inter alios hæreticos ſic in hunc locum garrit Caluinus: *Vnctio, quam Iudas culpabat, hoc nomine defenditur, quòd ſit ſepulchralis. Ergo non probat Chriſtus, quaſi ordinarium cultum, & cuius communis in Eccleſia eſſe debeat vſus.* Primùm non hoc ſolo nomine hanc vnctionem probauit Chriſtus, quod eſſet ſepulchralis, ſed hanc huius vnctionis myſticam ſignificationem eſſe docuit. Sanè ſi nulla alia ex cauſa eam probaſſet, Mariæ vngentis, quæ illam ſignificationem non intellexit, nulla laus eſſet, aut certè non tanta, vt quaqua verſum Euangelij prædicatio innoteſceret, *diceretur quod hæc fecit in memoriam eius*: ſicuti Chriſtus futurum dixit. Nam eandem fuiſſe vnctionẽ, quam in hoc Euangelio Ioannes & Matth. ac Marc. commemorant, ipſemet Caluinus diligẽter hoc loco aſtruit. Laudat autem Chriſtus pietatem Mariæ, & honorem illi exhibitum. Sic C
enim poſt murmur diſcipulorum eam defendit Chriſtus: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim bonum operata eſt in me.* Hoc opus ex parte mulieris bonũ non fuiſſet, nec illa bonũ operata fuiſſet, niſi bonam aliquã in hoc opere intentionem habuiſſet. Aliam verò illam habuiſſe, quàm vt Chriſtum honoraret (nam vt vngere capita Iudæi ſolebant, quum hilarius excipi volebant, vnde Simoni Phariſæo hoſpiti ſuo exprobrauit Chriſtus, *oleo non vnxiſti caput meum*) intelligi nõ poteſt. Deinde illatio Caluini futilis eſt. Quis enim vnctionem ſimilem quaſi ordinarium cultũ aut Chriſto adhibitum fuiſſe dicit, aut nunc adhibet, aut eius in Eccleſia vſum quis vnquam vidit? Quare & id quod adiecit prorſus ridiculum eſt: *Nam ſi quotidie tale ſibi officium præſtari vellet, quid uis potius dixiſſet, quàm hoc ſepulturæ ſuæ datum.* Tale nunc officium, nec quotidie, nec vnquam Chriſto præſtatur: nec ſoli ſepulturæ datum fuit, vt iam dictum eſt.

In com. in hunc locũ. Caluini aſſertio falſa, & illatio futilis.
Matth. 26
Marc. 14.
Luc. 7.

Pergit ineptire Caluinus: *Et certè Deus externas pompas non moratur.* Cultus ergo diuini ignarus erat Dauid, quum diceret, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Sed & tota illa ſplendidiſſima tabernaculi in deſerto, poſteáque templi in loco quem elegerat Dominus, extructio, an præter Dei voluntatem facta erat? Sanè ita, ſi plus mendaci Caluino quã Scripturis diuinis credimus. Addit adhuc quaſi bellum Deo indicens: *Imò quum nimis procliuè ad carnales ritus hominis ingenium eſſe videat, ſubinde nos in illis parcos & ſobrios eſſe iubet.* Rectiſſimè feciſſet Caluinus, ſi vbi, & quando Deus hoc iuſſerit, alicunde oſtendiſſet. Nunc iubere Deum Caluinus dicit, quod non Deus iubet, ſed Caluinus ſuadet. Hæc eſt proteruia hęretica, ſuis placitis Dei nomen affingere. Deinde vt ad carnales ritus procliue eſt hominis ingenium, ita abſq; ritibus & ceremonijs friget hominis in Deũ pietas, quod ex ipſo Caluino ſupra accepimus. Adde quod ritus ac ceremoniæ Chriſtianorum carnales ritus non ſint, quũ neq; ad carnis iuſtitiam, neq; ad vmbratilem ſignificationem, vt olim Iudæorum, ſed ad Dei gloriam, eiúſq; nominis honorem, & ad pietatis flammas magis accendendas (quòd ipſa pios experientia docet) inſtituãtur. Concludit tandẽ Caluinus: *Quare præpoſteri ſunt interpretes, qui ex Chriſti reſponſo inferunt, placere Deo ſumptuoſos & magnificos cultus: quum potius Mariam excuſet, eo quod extraordinarium ſibi officium præſtiterit, quod ad perpetuam colendi Dei normam exigi non decebat.* Non eſſe præpoſteros, ſed legitimos interpretes, qui ex Chriſti reſponſo inferunt, placere Deo ſumptuoſos & magnificos cultus, diſputatio noſtra præcedens demonſtrauit. Nec Mariam Chriſtus excuſat de officio extraordinario ſibi præſtito, ſed poſtquam eius opus bonum, quatenus ipſa operata erat laudaſſet extraordinariam eius ſignificationem explicauit, vt eo magis diſcipulorum murmur comprimeret, & de inſtanti ſua paſſione doctrinam inculcaret.

Pſalm. 23.

1.
2.
Infer. 6. hebdom. 3. 3.

Abſterſa nunc & diluta tota Caluini in hunc locum cauillatione, non niſi inanibus paralogiſmis

A logiſmis (qualia eius ſunt omnia) referta, de re ipſa, quam hoc exemplo aſtruimus, de templorũ magnificentia, & eorum, quæ ad externũ cultum pertinent ſplendore, in Eccleſia Catholica perpetuò approbatis contra nouatores iſtos pauca in medium antiquitatis teſtimonia proferemus. Sanè vt creuit ac floruit magis Chriſtiana religio, ita templorũ decor & magnificentia. Tẽpore Conſtantini Magni, qui primus Chriſtianam religionẽ publicè profeſſus eſt, oratoria Chriſtianorum à tyrãnis deſtructa, clariora & celſiora conſurgebant, & pro humilibus conuenticulis excelſa templa eleuata ſunt, idq; cum ingenti omnium Chriſtianorum lætitia, vt narrat Euſebius teſtis oculatus. quo in genere Conſtantij eiuſdem Conſtantini filij pietatem laudat Athanaſius, de extructa Alexandrię tam ingenti Baſilica, vt ea ſola capere poſſet populum, quem aliæ prius capere non poterant. Quũ autem eodem tempore à Gallo & Iuliano baſilica S. Martyri Mauræ maximis ſumptibus extrui cœpiſſet, Gregorius Nazianz. ſcribit, *munus id Galli* (nam Iulianus nõ niſi hypocriticè & politicè ad idem opus concurrebat) *Deo acceptiſsimum fuiſſe, vt quondam fuit ſacrificium Abel.* Eodem tempore Greg. Nyſſenus templum S. Theodori Martyris magnificentiſſimum, varijſque picturis & ſculpturis ornatiſſimum deſcribens, aperte laudat hoc genus pietatis in erigendis magnificis templis. Sed & Reginas Theodoſij iunioris matrem & coniugem hoc nomine eximiè prædicat Cyrillus Alexandrinus, quod ſumptuoſiſſima Chriſto tẽpla erigerent,

B *& hoc illarum animabus à Deo conceſſum gratulatur.* Sed & alter Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus de Regum ſui temporis pietate ita ſcribit. *Iſti qui nunc ſunt Reges, pietatis ergo argento induentes, & auro ſanctam hanc Eccleſiam Reſurrectionis, in qua nunc ſumus, extruxerunt, & argenteis monimentis ſplendidam effecerunt.* Porrò de Apoſtolorum templis & Martyrũ baſilicis magnificentiſſimis ita meminit S. Chryſoſt. *Seruorum Crucifixi ſepulchra regijs aulis ſunt clariora, non magnitudine & pulchritudine ædificiorum (nam & in hoc ſuperant) ſed, quod multò maius eſt, conuenientium ſtudio.* De ipſis fortaſſe Antiochenis templis (nam Antiochiæ iſta dicebat) loquitur, quorũ ſacra vaſa Iuliani apoſtatæ quæſtor olim diripiens, eorum magnificentiam conſpicatus, dixit: *Ecce quam ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtratur.* Tantundem cum ſuis Hugonotis, qui Eccleſias Gallicanas diripuerunt, dicturus haud dubiè Caluinus erat, qui contra ſumptuoſos & magnificos Dei cultus tam accuratè diſputauit. Hæc pauca, ſed ſummæ Antiquitatis & doctiſſimorum Patrum teſtimonia contra prophanam hoc loco Caluini ſententiam ſufficere poſſunt. Vnum adiiciam D. Auguſtini, cuius eruditionem & pietatem præ cæteris venerari ſolet Caluinus. Diſputans ex inſtituto Auguſtinus contra ſimulacra gentium & ornatum eorum, quo in loco externam iſtam in templis Chriſtianorum pompam reprehendere & culpare potius debebat quã laudare, ſi aliquid reprehenſione dignum in illis eſſet, de illa externa & ſumptuoſa pompa, à cultu carnali diligenter eã diſtinguens, ita ſcribit: *Simulacra gentium argentum & aurum: ſed Deus fecit argentum & aurum. Ipſa*

C *tamen ſimulacra opera manuum hominum. Hoc enim venerantur homines quod ipſi ex auro argentoque fecerunt. Sed enim & nos pleraq; inſtrumẽta & vaſa ex eiuſcemodi materia vel metallo habemus in vſum celebrãdorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur, in eius honorem, cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur. Et ſunt profectò etiam iſta inſtrumenta, vel vaſa quid aliud quam opera manuum hominũ. Verũtamen nunquid os habent & non loquentur? Nũquid oculos habent & non videbunt? Nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?* Hæc Auguſtinus, quem fideliſſimum vetuſtatis interpretẽ vocare Caluinus ſolet. Docet & teſtatur ex more Chriſtianorum eſſe, vt in templis ſuis habeant inſtrumenta & vaſa aurea atq; argentea. Non ad vſum prophanum, ſed, *ad vſum celebrandorum Sacramentorũ*, baptiſmi imprimis & Venerabilis Euchariſtiæ. Non enim niſi hæc duo ab Auguſtino pro ſacramentis haberi dicere ſolent hæretici. Et certè frequentiſſimè illa duo commemorat, de aliis tamen aliquando etiam mentionem faciens. Sed ad horum maximè vſum vaſa & inſtrumẽta aurea atque argentea (quæ quid aliud eſſe poſſunt, quàm ad baptiſmi quidem vſum, baptiſterium ipſum, aut peluis aliqua vel vrceoli, ad Venerabilis autem Euchariſtiæ celebrationem, calices, altaria, candelabra, patinæ, vrceoli, thuribula, & ſimilia:) in templis haberi affirmat. Docet hæc ipſo miniſterio conſecrata ſancta vocari, nempe *ab hominibus laicis non contingenda*, vt magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus ſcribit, nec niſi in ſumma Eccleſiæ neceſſitate profananda, quod Ambroſius piè ſe feciſſe commemorat, & extra neceſſitatem factum Patres Arelatenſes anathemate notant. Docet porrò Auguſtinus, *in Dei honorem, cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur*, hæc in Eccleſijs haberi: ac denique nos *per illa Deo ſupplicare.* Non diſſimiliter de vaſis & ornamentis Ec-

D cleſiaſticis ſplendidis ac ſumptuoſis, ſcribunt alij PP. S. Baſilius in regulis breuioribus, Patres Concilij Laodiceni, Optatus lib. 6. contra Parmenianum, Theophylactus in c. 14. Marci, vbi & Iudæ ſimiles eos eſſe docet, qui vt ſacra Eccleſiæ vaſa viliora ſint, pauperum curam prætexunt. Prudentius in hymno de S. Laurentio, vt in hoc opere ad ipſum diem S. Laurentij recitauimus. Quæ omnia Antiquitatis teſtimonia ad prophanam hodie hæreticorum barbatiem refutandam ſufficiunt: qui nudis parietibus, & ſellis ligneis Deum ſuum colunt: quaſi aut non maiori honore dignus ille foret, aut ad honorem Domus Dei externus decor & apparatus nihil faceret. Quẽ animi ſenſum tota hactenus Chriſti Eccleſia, vt excitatis teſtimonijs, vetuſtiſſimiſq; adhuc extantibus templis patet, penitus condemnauit. Ita quantum diſtat cœlum à terra, tantum Eccleſiæ hactenus Chriſtianæ cogitationes à cogitationibus hæreticorum hodie diſtant.

Antiquitatis teſtimonia pro templorum ornatu.

Hiſt. Eccl. lib. 9. c. 10.

In Apolog. ad Conſtãtin.

Orat. 1. in Iulianum.

Orat. in S. Theodorũ.

In lib. de recta fide ad Reginas in princip.

Catech. 14.

Hom. 66. ad popul. Ant.

Theodoretus lib. 3. cap. 11.

Enarrat. in Pſalm. 113. Conc. 2.

In Orat. ad Arian. & de ſeipſo, & in Apologet. Ambr. Offic. l. 2. c. 28

Conc. Arelat. 1. c. 13.

Ad quæſt. 310. cap. 21

A

2. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.*

AButuntur his verbis hæretici, vt Chriſti iam in cœlos aſſumpti, non aliam in terris præſentiam quàm ſpiritualem, qua Spiritus ſui gratia credentibus adeſt, probent: & conſequenter in Sacramento Corporis & Sanguinis ſui quod inſtituit, eum realiter & verè præſentem eſſe non poſſe confirment. Nec ab hoc ſtupore vel ineptia ipſe Caluin. abſtinet. Sic enim in præclara ſua Inſtitut. ſcribit: *Diſertè exprimit Chriſtus ſe cũ diſcipulis non ſemper fore in mundo.* Vbi notatur in margine Mat. 26. b. 11. Cuius loci hæc ſunt verba quæ tractamus. Affingit autẽ ſtatim ſolutionem quam conuellat, & dicit: *Hoc autem dictum pulchrè ſibi diluere videtur, quaſi neget Chriſtus ſe pauperem & miſerum ſemper fore, vel neceſſitatibus caducæ vitæ obnoxium.* Atqui non eſt hæc plena & integra catholicorum ſolutio. Reſpondent catholici Chriſtũ hæc verba dixiſſe de corporali ſua præſentia in corporali & viſibili forma, qua tunc conuerſatus cum diſcipulis fuit, quæ humanæ vitæ neceſſitatibus obnoxia foret, & illis officijs humanitatis ac honoris indigeret. Nunc quid Caluinus replicet videamus. *Atqui* (inquit) *circumſtantia loci palam reclamat: quando non agitur de egeſtate & inopia, vel miſero terrenæ vitæ ſtatu, ſed de cultu & honore. Vnctio diſcipulis non placebat, quòd putarent ſupernacuum & inutilem eſſe ſumptum & luxuriæ affinem: ideóque in pauperes impenſum maluiſſent pretium. Reſpondet Chriſtus, ſe non ſemper fore præſentem, vt tali honore colatur.* Hæc ille, non ſoluens, ſed firmans quod catholici reſponderunt. Agitur enim ſanè hic de cultu & honore, quem ſibi deinceps exhibendum Chriſtus negat: ſed agitur (vt Caluinus contra ſeipſum bene concluſit) *de tali honore*: quo videlicet corpus eius viſibile pretioſo aliquo vnguento, amplius vngatur. Negat igitur Chriſtus tum ſui præſentiam, tum honorem & cultum. Sed ſicuti negat præſentiam non omnem, verùm in viſibili & mortali forma, ſic negat honorem & cultum ſibi deinceps impendendum non omnem, ſed qualis viſibili & mortali corpori impendi ſolet. Quare hæc verba nec Sacramentalem Chriſti præſentiam excludunt, nec honorem tam venerabili Sacramento debitum remouent. Solutionem tamen ſuam ex Diuo Auguſtino confirmat Caluinus, qui hæc eadem verba tractans ita ſcribit, *Quum diceret Chriſtus, me non ſemper habebitis vobiſcum, loquebatur de præſentia corporis.* Et paulò pòſt: *Secundum præſentiam maieſtatis ſemper habemus Chriſtum, ſecundum præſentiam carnis rectè dictum eſt, me autem non ſemper habebitis. Habuit enim Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt.* Quæ poſtrema Auguſtini verba ab ipſo Caluino citata, docere Caluinum poterant, quo ſenſu Auguſtinus corporis & carnis Chriſti præſentiam his verbis negari doceat. Negari docet illam præſentiam carnis, *quam paucis diebus Eccleſia habuit*, viſibilem videlicet & mortalem, vt catholici reſpondent. Rurſum negat iam *oculis videri carnem Chriſti*: quia videlicet ſub viſibili ſpecie amplius non conſpicitur. Ocularem carnis præſentiam negat, non Sacramentalem, quæ etſi vera & realis & corporalis ſit, non tamen modus exiſtendi eſt corporalis, ſed ſpiritualis, ideóque fide, non oculis etiam in hoc Sacramento tenet Chriſtum Eccleſia. His igitur Chriſti verbis contra veram & realẽ Chriſti in Sacramento præſentiam fruſtra Caluinus in ſua Inſtitutione abuſus eſt, fruſtra abutuntur & alij horum temporum hæretici. Quod ita verum eſt, vt ipſemet Caluinus vel ſuorum mendaciorum parum memor, vel mutata in melius ſententia, hæc ipſa verba apud Ioannem exponens; contra Chriſti præſentiam in Sacramento illa non valere diſertè doceat. Sic enim ſcribit in hunc locum. *Quod ſe negat Chriſtus cum diſcipulis ſemper fore, ad genus præſentiæ referri debet, cui carnalis cultus & ſumptuoſus honor conueniat. Nam quod Spiritus ſui gratia & virtute nobis adeſt, quod habitat in nobis, quod nos etiam carne & ſanguine ſuo paſcit, nihil ad corporeos cultus.* Hæc ille. Fatetur illam ſui præſentiam à Chriſto negatam non obſtare, quò minus carne & ſanguine ſuo nos paſcat. Non obſtat ergo quò minus in illo Venerabili Sacramento, in quo ſolo nos ita paſcit, Sacramentali modo præſens ſit vt paſcat. Sic autem præſens quum ſit, corporeo cultu, & externa omni veneratione Chriſtum eſſe proſequendum, honorandum (quod & Lutherani contra Caluiniſtas rectiſſimè ſentiunt) in altera huius operis parte oſtendimus. Bene ergo ſe res habet. Ridiculum Caluini argumentum ex his Euangelij verbis deſumptum, ipſemet Caluinus refutauit.

Li. 4. c. 17. num. 26.

Caluini ſolutiones fingit, quibus facilè ſatisfaciat.

Caluinus contra ſeipſum concludit.

Tract. 50. in Ioan.

Caluinus ſeipſum refutat.

In com. in Ioan. c. 12.

In feſto venerabilis Euchariſt.

B

C

D

FERIA

A

FERIA III. HEBDOMADÆ SANCTÆ.

1. *Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, &c.* Marc.14.

VT tota Christi actio & doctrina in mysterio Eucharistico, quod hic Marcus, aliique Euangelistæ, Matthæus ac Lucas, mira verborum breuitate, sed magna rerum ac mysteriorum copia describunt, ad populi fidelis captum pro concione tradi & explicari possit, singula historiæ Euangelicæ verba, quę huius diuinissimi Sacramenti Institutionem concernunt, ex Marco, cuius hodie textus legitur, aliisque simul Euangelistis, breuiter, & vt litteræ contextus germanus ac genuinus teneatur, explicabo. Primum igitur, & ante omnia notandum est, Christum hac vltima nocte mortalis vitæ suæ triplicem Cœnam peregisse. Primam, qua stando paschalem agnum comedebat, iuxta legis præscriptum, de qua discipuli dixerunt, *vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Secundam communem & familiarem, in qua discu- B buit cum discipulis suis, quam variis interpositis sermonibus de proditore, vt hoc loco, de alia quadam contentione, vt apud Lucam, diu protraxit: & in qua poculum bibatorium more gentis illius omnibus suis propinauit, de quo Lucas ita scribit. *Accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Ad quam etiam secundam cœnam pertinent verba Matthæi, *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illū, cum illud bibam nouum in regno Patris mei.* Hæc enim verba prioribus simillima, Christum ante Cœnam Eucharisticam dixisse, ex Luca manifestè patet. In hac secunda cœna surrexit, & discipulorum suorum pedes lauit, vt est apud Ioannem: *Et cœna facta*, supple, Paschali: & paulo post, *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua*, &c. id est, surgit à communi & familiari cœna, quam more omnium Iudæorum, finita solemnitate Paschali, cum suis celebrabat. Nam post hāc ablutionem pedum iterum recumbit in cœna eadem, & turbatus spiritu, de proditore suo verba facit, vt prolixè narrat in sequentibus Ioannes, qui de tertia & Eucharistica Cœna nihil quidem scribit, eo quod cæteri tres Euangelistæ ante illum eam plenè descripsissent. Addit tamen de Iuda, *Cum accepisset buccellam, exiuit continuo.* Quod ad Cœnam Eucharisticam pertinere nemini dubium est, qui Iudam Dominici corporis participem fuisse agnoscet, quod clarè docent Augustinus & Chrysostomus. Quum autem hunc de proditore sermonem C Matthæus & Marcus diserte ante cœnam Eucharisticam, Lucas vero post illam ponat, duos priores Euangelistas verum ordinem seruasse, Diuus Ioannes postremo scribens quasi arbiter definiuit, narrans Iudam *accepta buccella continuo exiuisse.* Quod ergo Matthæus dicit, *Cœnantibus illis*, & Marcus, *Manducantibus illis, accepit Iesus panem*, &c. intelligendum est peracta iam secunda cœna familiari ac communi, quod expressius posuit Lucas dicens, *Similiter & calicē postquam cœnauit dicens*, &c. id est, absoluta cœna communi. Quod in altera quoque huius Sacramenti parte factum fuisse dubitari non debet: tum quia diuelli vna pars ab altera non debuit, tum quia Lucas dicit, *Similiter & calicem.* Illud enim *similiter*, non solum ad benedictionem & distributionem calicis, sed & ad temporis rationem ac similitudinem necessario referendū est. Hæc diligenter annotanda sunt, tum quia alii aliter exponunt, omnium Euangelistarum contextu non satis expenso, tum quia ad alia circa hoc mysterium intelligenda cōducunt. Sic enim non solum à cœna paschali noua Christi cœna, à figura veritas distinguetur, verum etiam à cōmuni cœna, & communi pane & vino, nouum & augustissimum mysterium seiungetur. Sic alia hæreticorum absurda refellentur, vt mox videbitur, maximè illud, & quod obiectare solent, *Nō* Matt.26. D *bibam amodo de hoc genimine vitis*, quod de vino cōmuni in familiari cœna propinato dictum fuisse, explicatio iam facta demonstrat.

Christus in vltima nocte triplicē cœnam peregit.

Cap.22.

Cap.26.

Cap.13.

Tract.26. in Ioan. & Ser.11.de verbis Domini. Chrysost. hom. de proditione Iudæ.

2. *Accepit Iesus panem, & benedixit.*

NOtanda hic duplex circunstantia in facto Christi, vt postea de verborum sensu certius constet. Prima est, quod cœnam Eucharisticam, & nouum Pascha auspicaturus, de quo apud Lucam dixerat, *desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*, (vt illa verba Tertullianus lib.4.aduersus Marcio. & Chrysosto.homil.83.in Matthæum exponunt) *accepit panem.* Accipiendo quippe hoc elementum docet se in re accepta aliquid operaturum, non in sola mente aut speculatione præsentium discipulorum. Sic multiplicaturus septem panes, *accepit eos in manus.* Sic rursum multiplicaturus quinque panes, similiter *accepit in manus.* Sic hoc loco, *panem & calicem in manus accipiens*, ostendit se circa ea ipsa aliquid operaturum, non solum distribuendo, frangendo & dando discipulis, sed etiam benedicendo. Altera igitur circūstantia est, quod pani & calici benedixit. Quod diligentissimè ante omnia aduertendum est, propter

Lucæ 22.

Acceptio in manus quid significat.

Matt.15. Ioan.6.

Hæretici verba Institutionis Cœnæ corrumpunt.

horum temporum hæreticos,qui verborum Christi horrendam corruptelam,in huius circunstantiæ corruptione potissimum fundant. Benedixit apud Matthæum & Marcum ad verbum panis est εὐλογήσας, ad verbum calicis est εὐχαριστήσας, sicut & apud Lucam ad verbum panis: εὐχαριστήσας ἔκλασε. Neutrum verbum ad panem & calicem transferri patiuntur hæretici, sed ex verbis transitiuis verba faciunt absoluta seu intransitiua, *Matthæum & Marcum ex Luca intelligendum esse*,ait hoc loco Caluinus,videlicet quod Deo gratias Christus egerit, accepto pane & calice:*ridiculos vero esse Papistas,qui signo crucis benedictionem exprimunt, quasi exorcismo Christus esset vsus*. Sed exorcismo indigent isti hæretici,vt principe tenebrarum expulso,clarissimam huius loci veritatem apertis oculis intueantur. Dicit Matthæus, *accepit panem;benedixit,ac fregit, deditque*, &c.Sicut accipere,frangere,dare,ad panem refertur, ita benedicere ad eundem referri necessarium est. Quod autem in elemento calicis,verbo gratias agendi,Matthæus,Marcus & Lucas vtuntur,idem prorsus significare,luculenter Paulus docet his verbis. (Τὸ ποτήριον ὃ εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν.) *Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est* ? Verbum benedicere, εὐλογεῖν, transitiuè sumitur, & ad calicem ipsum transfertur. Sic ipse panis & calix benedicuntur. Vnde Cyprianus vocat *calicem benedictione sacratum*, in sermone de Cœna Domini. Iustinus Martyr vocat panem (εὐχαριστηθέντα) *eucharistizatum*,id est,super quo gratiarum actio peracta sit. Sic Iren. *Panis in quo gratiæ actæ sunt*, & plenius lib. 5. *quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei*. Notanda igitur hæc circumstantia diligenter, Christum benedicendo panem & calicem,aliquid in illis ipsis operari voluisse,sicut Marci & Lucæ 9. benedicendo piscibus,multiplicauit illos. Fallunt imperitos hæretici in verbo,*gratias agere*,quod non nisi ad Deũ referri posse vrgent. Sciendum enim est,hæc duo verba,*benedicere & gratias agere*, in Scripturis Euangelicis promiscuè,& vnum pro altero quasi indifferenter accipi; quod non solum ex verbis huius mysterij iam citatis patet,sed ex vna sententia Pauli. *Si* (inquit) *benedixeris spiritu,quomodo,qui supplet locum idiotæ,respondebit Amen super tuam benedictionem* ? Quum dicit benedixeris, vtitur verbo ἐὰν εὐλογήσῃς : cum dicit benedictionem, vtitur verbo, εὐχαριστίαν. Quum tamen ita promiscuè accipiãtur,gratiarum actio potius pro benedictione creaturarum accipitur,cui semper gratiarum actio adiungitur quàm benedictio pro gratiarum actione Deo facta. Quare Patres circa hoc mysterium benedictionem à Christo factam vehemẽter vrgent,gratiarum actionem non vrgent. Vide D. Ambrosium de iis qui initiantur mysteriis cap. 9. Eusebium Emissenum homil. 5. de paschate. Chrysostomum hom. de proditione Iudæ. Cyprianum serm. de cœna Domini. Nyssenum in serm. catechetico cap. 37. & Iustinum Mart. apolog. 2. Omnes isti benedictionem Christi circa ipsa elementa diuine operatoria vrgent & tractant. Recolenda hic sunt quæ in prima & secunda parte huius Operis latius hac de re disputata sunt. Vide quoque Clau. de Sainctes in opere Eucharistico Repet. 7. cap. 4. Verba Iustini antiquissimi Doctoris clara sunt. *Per verbum precationis eucharistizatam à Christo alimoniam illius esse carnem & sanguinem didicimus*. Quod autem de signo crucis in symbolorum benedictione à Papistis vsurpato garrit hic Caluinus, eodem conuitio doctissimos Patres ferit, qui sine Crucis signo nihil in mysteriis istis ritè ac legitimè fieri ex communi Christianorum fide docent. Vide Augustinum serm. 181. de temp. & tract. 118. in Ioan. Chrysostomum in demonstratione quod Christus est Deus, & homil. 55. in Matt. & Iust. Marty. apolog. 2. Verba horum Patrum citata vide in prima parte huius operis. Postremo quod secundum nos *Christum exorcismo vsum fuisse* ait,in ipsum Christum blasphemia vox est. Verba enim ex Christi pectore & ore deprompta, incantationis magicæ nemo accusare potest, quin eiusdem cum dæmonibus commercij Christum accuset. De qua hæreticorum hodie blasphemia vide Claudium de Sainctes in opere Eucharistico, Repetit. 7. cap. 6.

Do. 6. post Pent. & in die Ascen. Dom.

Caluinus Papistas taxans, veteres Patres taxat.

In Do. inf. Oct. Nat. Do. edit. 3. Calu. blasphemia in Christum.

A B C

3. *Hoc est corpus meum.*

Literalem sensum verborum Cœnæ tenendum esse.

1.

2. *Tropum in verbis Christi quã variè hæretici ponunt.*

D

TOta digladiatio circa sensum horum verborum inde nascitur, quod relicta vera & naturali proprietate verborum Christi ad figuratiuam aliquam recurritur. Duo igitur hic docebimus. Primum,sensum verborum litteralem necessario tenendum esse. Tum quis ille sensus litteralis sit,explicabitur. Horum verborum litteralem sensum tenendum esse,primum probat, id est quod præcedit, *Accipite & comedite*. Hæc enim sunt verba aliquid externis exhibentis & largientis. Quid autem externis exhibeat & quid largiatur,his verbis exponit. *Hoc est corpus meum*, litteralis igitur & proprius horum verborum sensus,qui rem externam & præsentem demonstrat,tenendus est,vt sciamus quid illud sit quod exhibet & largitur. Alioqui nihil certi habebis quod accipias & comedas. Si nec accipiendi nec comedendi facta prius mentio fuisset,illa verba à Christo prolata,*hoc est corpus meum*, ad figuratiuas aliquas locutiones excogitandas mouere nos potuissent. Nũc vt proprio modo loquendi præmittit,*accipite & comedite*,sic proprio sermone subiungit,*Hoc est corpus meum*. Deinde contextus sermonis Christi nullum tropum admittit. Alij ponunt tropum in verbo *corpus*: sed hic tropus à Luca excluditur, *Quod pro vobis datur*. Non enim signum,aut symbolum,aut pignus, aut virtus,aut energia aliqua vel efficacia corporis Christi, sed ipsum naturale corpus eius pro nobis datum est. Debet autem re-

latiua

A latiua ſuo antecedenti per omnia reſpondere,vt ſi hoc propriè ſumatur,illud impropriè intelligi nequeat. Alii ponunt tropum in copula eſt,id eſt,ſignificat. Sed hoc eodem redit. Si enim reſoluas copulam in ſuas partes,& dicas, hoc eſt ſignificans corpus meum, ſignum ſtabit à parte prædicati,non copulæ.Sic iterum huic relatiuo,*quod pro vobis datur*, antecedens erit ſignum corporis mei.Occurrunt hic alii,& dicunt metonymiam eſſe figuram reciprocam,& rem ſignificantem poni pro ſignificato,non ſecus quàm rem ſignatam pro ſigno:vt ideo non iam corpus accipiatur pro ſigno corporis Chriſti,ſed panis qui illud ſignificat.Sed tunc hic ſenſus erit. Hic panis ſignum corporis mei *eſt corpus meum quod pro vobis tradetur*,vel certè ſic. Hic panis ſignũ corporis mei eſt ſignum corporis mei, quod pro vobis tradetur. Quæ omnia vel non niſi in ſigno Chriſtum pro nobis datum,vel panem pro nobis datum impiiſſimè docent. Contextus igitur ſermonis Chriſti non niſi litteralem ſenſum permittit.

Hic autem litteralis ſenſus luculentiſſimè patet. *Hoc eſt corpus meum*, ex comparatione aliarum Scripturarum,ſic debet intelligi, vt quemadmodum in aliis Scripturis,ſic in iſta, tale intelligatur ſubiectum,quale deſcribitur à ſuo prędicato. Dicente Adam, *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, hoc, non innuit coſtam Adæ vnde mulier facta eſt,ſed ipſam mulierem exiſtentem. Quũ
B pluereteManna,dicentibus Iudæis,*manhu,quid eſt hoc?* reſpondit Moyſes,*Iſte eſt panis quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.* Pronomen *iſte*, non aliud ſignificat quàm panem expreſſum de quo quærebant.Moyſes aſpergens populum hyſſopo ſanguine imbuto,dixit.*Hic eſt ſanguis teſtamenti quod mandat ad vos Deus*, non deſignat hyſſopum vnde ſanguis eiaculabatur, ſed ipſum ſanguinem. Vox Patris,*hic eſt filius meus dilectus*,perſonam filii hominis demonſtrat,nõ vnde filius hominis factus eſt. Sic in re præſenti. *Hoc eſt corpus meum*,pronomen hoc nihil aliud ſignificare poteſt,quàm quod prædicatum enunciat. Erit hoc clarius,ſi textus Hebraicus & Syriacus, quorum alterutro Chriſtus vſus eſt,expendatur. In Matthæo Hebræo ſic legimus, זה שהוא גופי *Hoc eſt corpus meum*. In Matthæo Syro (exeditione Pariſienſi apud Ioan. Benenatum anno 1584. (ſic legimus, הנופכרי quod verti poteſt,*hæc ſubſtantia corporis mei eſt*, vel הכי *ecce corpus meum* ; ſicut in cruce eadem voce vſus Matri dixit,*ecce filius tuus*. Sed Marcus Syrus adhuc expreſsius loquitur,hoc modo, הנאאיתוהי פכרי *hoc reuera eſt corpus meum*.Additur hic in Marco qui Syris prædicabat, & cuius Euangelium authenticum Syriacè ſcriptum Syri adhuc hodie retinent, particula איהוהי *reuera*, quæ etiam addita eſt in Ioanne Syro,ad illa verba,*Erat lux vera*.Græci porro Euangeliſtæ Marcus & Lucas & D.Matthæi interpres Græcus, articulis Græcis hanc emphaticam verborum Chriſti veritatem expreſſerunt. Nam apud omnes hos tres,& etiam apud Paulum legitur, τοῦτό ἐϛι τὸ σῶμά μȣ. *Hoc eſt illud ipſum corpus meum.* Beza & alii hæretici in illis verbis,*hic*
C *eſt agnus Dei,qui tollit peccata mundi*,&,*hic eſt filius meus dilectus*,articulum ὁ adiunctum valde emphaticum eſſe docent,non ſolum ad diſtinctionem,ſed etiam ad dignitatis commendationem. Idem hoc loco imprimis valere debet,quum articulus ille emphaticus nunquam omiſſus fuerit,ſed tum à 3.Euangeliſtis,tum à Paulo adiectus. Docet igitur hic articulus de corpore ſuo Chriſtum hic loqui,non ſolum vt ab omni figura ſecernitur,ſed etiam vt eius ſingularem præeminentiam notat. Docet non ſolum veritatem, ſed etiam excellentiam ; nempe illud ipſum eſſe corpus quod pro omnium hominum ſalute datur. Verba porro hæc Euangelica ab omni ſymbolica locutione venditare volens Paulus,ſic ea effert,vt dicat , τοῦτό μȣ ἐϛὶ τὸ σῶμα, *hoc meum eſt corpus*,quaſi dicat,hoc non eſt aliud quàm meum corpus. Quare in Pauli verbis ſi pronomen *hoc*,ad panis ſubſtantiam pertineret, pronomen quoque meum ad eandem referri deberet,& ſic ſenſus eſſet. *Hic meus panis eſt illud corpus meum,quod pro vobis tradetur.* Debent igitur hæc verba ad litteram intelligi vt ſonant tam ſignificanter à Chriſto prolata & ab Euangeliſtis recitata. Probatur porro litteralis eorum ſenſus expreſſa neceſſitas ex variis loci circumſtantiis. Primum à perſona loquentis,tum quia Deus eſt,tum quia quod hic ſe dare dicit, antea ſe daturum promiſit. Secundo à tempore quo loquitur,videlicet inſtante morte,& volens omnibus figuris finem imponere. Tertio à perſonis audientium qui non de turbis,ſed ſoli Apoſtoli
D erant,quibus Chriſtus abſque parabolis loqui ſolet. Quarto à ratione Sacramenti quod hic inſtituitur,cuius verba ſacramẽtalia propriè & perſpicuè efferri debent,nõ obſcurè & figuratiuè. Sed alia adhuc cauſa cur iuxta litteram hæc verba intelligi debeant,hæc vna imprimis eſſe poteſt,quod vbi primum littera deſeritur,& tropus quæritur, infinitæ & abſurdiſſimæ opiniones gignuntur,& ſingulorum hæreticorum ſuperbis ingeniis, quaſi tortoribus & eculeis Chriſti verba ſubiiciuntur : Quod ita hodie accidiſſe breuiter hoc loco commemorabimus. Primus Caroloſtadius auſus eſt dicere,Chriſtum dicendo,*Hoc eſt corpus meum*,digito ſuo ad pectus oſtẽſo ſeipſum demonſtraſſe diſcumbentem,vt illud,*hoc eſt*,ſignificet, *hic ſedet corpus meum*, *quod pro vobis tradetur*.Refert Sleidanus commentariorum libro quinto,& Muſculus in Locis Communibus capite de Cœna Domini.Eum ſequutus Zvvinglius,verbum,*eſt*,exponit *ſignificat*, Tomo ſecundo Commentariorum de vera & falſa religione capite de Euchariſtia. Mox Oecolampadius relictis in ſuo ſenſu verbis illis,*hoc eſt*,ait,*corpus* pro corporis figura accipiendum. Alii ſic hæc verba contorquent. Accipite & comedite corpus meum. Quod pro vobis tradetur, eſt hoc.Sic prima Chriſti verba (*hoc eſt*) in vltimum locum tranſponunt. Refert Lutherus in defenſione verborum Cœnæ. Alii rurſum in hunc modum inuertunt.Corpus meum, quod pro vobis dabitur, in ordine rerum ſpiritualium eſt hoc. Refert Muſculus in Locis Communibus,

3. *Probatio à comparatione ſimilium locutionũ.* *Gen.2.* *Exod.16.* *Exod.24.* *Matt.17.*

Mat.Heb. à Ioan. Mercero ſine punctis edit.

Ioan.1.

1.Cor.11. *Ioan.1.* *Matt.17.*

4. *Probatio ex variis loci circũſtantiis.* 1. 2. *Ioan.6.* 3. 4.

5. *Probatio quia relicto ſenſu litterali innumeri coniecturis laceratur Scriptura.* 1. *Caroloſt.ad. Fol.78.* 2. *Zvvingl.* 3. *Oecolamp.* 4. 5.

in cap. de Cœna Domini, num. 2. Rursum idem Zvvinglius in his verbis, *Hoc est corpus meum*, af-
6. firmat nomine corporis passionem & mortem in corpore suscipiendam intelligi oportere. Sed A
7. alio rursum in loco, corpus Christi vocari vult, memoriam & recordationem immolati corpo-
ris eius. Denique alibi non aliud esse quàm diuinam quandam & verè modestam panegyrim
8. populi fidelis vt Deo gratias agant: Hæc de illo VVestphalus in apologia confess. de Cœna
Pag. 62. & seqq. Domini. Verum alio adhuc loco idem Zvvinglius, quod Paulus dicit, *Panis quem frangimus,*
9. *nonne communicatio corporis Christi est?* ait de corpore Christi, quod est Ecclesia intelligendum esse.
Pag. 157. Tom. 2. ad Matth. Rutlingium. Ioannes à Lasco, *Hoc est corpus meũ*, exponit: Hæc forma seu actio
10. cœnæ est corpus meum seu participatio eius per fidem. Refert VVestphalus loco citato. Post
11. hos omnes sacramentarios Caluinus non simplicem hic figuram aut signum ponit, quod esse
Caluinus. potest sine re signata, sed metonymiam statuit, hoc modo, *Hoc est corpus meum*, id est, sub symbolo
panis continetur corpus Christi: sed ita continetur, vt quantum cælum distat à terra tãtum cor-
pus Christi distet à pane vel à Cœna: contineri tamen, quia manducantes hunc panem, per fi-
dem in cælum conscendimus, & inde ad nos deducimus, non ipsum Christi corpus, sed quãdam
eius vim viuificam, qua animæ nostræ pascuntur. Interea Lutherani qui veritatẽ corporis Chri-
sti cum pane subsistere volunt, multos absurdos sensus confingunt. Primum ipsum panem esse
12. 13. corpus Christi; vbi res natura disparatæ de se inuicem prædicantur; deinde sub pane esse cor-
pus Christi, quod non nisi in figuram resoluitur; mox cum pane esse corpus Christi, vbi vnio- B
14. 15. nem coguntur fingere quasi hypostaticam inter panem & corpus Christi; tandem in pane sic es-
se corpus Christi sicut in aliis omnibus rebus est per omnipotentiam & diuinitatem suam, quæ
Vbiquitariorum propria insania est. Ita relicto proprio litterali verborum Christi sensu, tam
varias & repugnantes expositiones cœca hominum temeraria ingenia pepererunt, idq; vsque
ad numerum 84. vt sigillatim recenset Claudius de Sanctes Repetitione 1. cap. vlt.

4. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

HÆc sacratissima verba diligenter expensa & bene intellecta ad omnes veritatis Eucharisticæ hostes penitus fugandos atque fundendos sola sufficiunt. Dicit Christus de porrecto calice; id est, de eo quod erat in calice, non solum, *hic est sanguis meus*, sed addit, *noui testamenti*. Profitetur ergo hoc quod in calice bibimus, esse *noui testamenti sanguinem*, id est, esse illum sanguinem quo nouum testamentum conditur, & dedicatur, idque *propter remissionem peccatorum.* C
At nouum testamentum, cuius proprius effectus est remissio peccatorum, & bonorum operum
gratia, iuxta clarissima Hierem. verba, non nisi in ipso Christi sanguine dedicatur & confirma-
tur, vt Paulus ad Hebræos 10. perspicuè docet: *quia sine sanguine non fit remissio peccatorum.* Hic in
Ierem. 31. omnem se torquet partem tortuosus ille serpens per ora hæreticorum. Primum acriter vrgent,
non de eo quod erat in calice, sed de calice ipso dici quod sit nouum testamentum in sanguine
Christi, calix autem seu poculum non nisi metonymicè, & figuratiuè hoc dici potest, quatenus
continet vinum: ergo nec quod in calice erat alio sensu quàm figuratiuo sanguis noui testa-
menti vocabitur. Ait hoc loco Caluinus, *Non dicit Christus, hoc est sanguis meus, sed hic est calix, ergo*
In Har. ad Luc. ca. 22. *& calix conuertetur in sanguinem.* Nempe vrget verba Lucæ, qui sic habet, *Hic est calix nouum testa-*
mentum in sanguine meo. Sed calicem hoc loco pro eo quod in calice erat iuxta notissimum tro-
pum accipi, id quod Lucas adiunxit, manifestè conuincit, *Qui pro vobis fundetur.* Hæc adiuncta
verba quia veritatem Sanguinis in calice præsentis luculenter docent, impius Beza audet di-
Beza verba Script. expungit. cere, *vel quum in margine stetissent, in textum postea irrepsisse, vel manifestum esse solœcismum,* & legen-
dum esse participium in ablatiuo seu datiuo casu græco, quod Lucas ponit in nominatiuo.
Nempe τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, & non, vt omnes græci codices habent, τὸ ἐκχυνόμενον. Nam
in nominatiuo positum, conuenit cum calice, in ablatiuo positum conuenit cum sanguine. Sed D
Diuus Lucas posuit (vt omnes codices habent, quod ipse Beza fatetur) in nominatiuo, vt cõ-
ueniret cum, *hic calix*, τὸ ἐκχυνόμενον: vt sic intelligeremus in ipso calice esse sanguinem noui te-
stamenti; quod apertius Matthæus & Marcus dixerunt, *Hic est sanguis meus noui testamenti.* Scri-
Calu. verba Script. negat. ptura ergo vtrumque dicit, *hic est calix noui testamenti in meo sanguine* apud Lucam, &, *hic est san-*
guis meus noui testamenti apud Matthæum & Marcum. Solum alterutrum agnoscit Caluinus, im-
pudentissimè negans quod apud Matthæum & Marcum est. Quorum etiam verba corrupit
Beza iterũ corrumpit textum. Beza vertendo apud vtrunque, *Hoc est sanguis meus noui illius testamenti &c.* vt sanguis de poculo
prædicetur, atque ita metonymia necessario intelligatur, *Si legamus, hic est sanguis meus,* (ait Be-
za) *nullum erit huius propositionis subiectum præter ipsum sanguinem, qui Christi esse dicatur.* Atqui homo
impius aduertere debuit totam Ecclesiam Latinorum hactenus semper ita legisse, quia ex cer-
ta fide credebant non aliud huius propositionis esse subiectum, quàm id quod enunciat prædi-
catum, videlicet sanguinem Christi. Sed probare conatur, vinum esse subiectum in hac Chri-
sti propositione, quia Lucas dixit, *Hic calix est nouum testamentum &c.* Calicis autem nomine id
quod in calice erat intelligendum esse, vinum videlicet. Atqui vt textum Matthæi & Marci
corrumperet ex verbis Lucæ, ipsa Lucæ verba solœcismi arguere impudentissimus hæreticus

ausus

A ausus est, vt iam diximus. Stante quippe grammatico & congruo sensu verborum Lucæ, vt in græco habentur, vbi calix ipse effundi dicitur in remissionem peccatorum, necessario calicis nomine non vinũ in calice, sed sanguis in calice intelligendus est, iuxta verba Matthæi & Marci. Citat Beza Basilium legentem Lucæ verba in ablatiuo casu, Regula vigesima prima. Sed Basilius non citat verba Lucæ in forma quum sic legit, verum eis vtitur tantum explanans verba Euangelistæ.

Premunt adhuc hæretici, quod Lucas & Paulus non sic referant Christi verba vt dicant de calice, *hic est sanguis meus noui testamenti*, sicut Matthæus & Marcus dicunt, sed sic, *Hic est calix noui testamenti in sanguine meo*. Hic enim quasi triumphans Caluinus ita scribit hoc loco. *Hinc colligere promptum est quam superstitiosi sint Papistæ & similes* (Lutheranos intelligit) *dum verba mordicus arripiunt. Quamuis enim crepent, hæc Spiritus sancti expositio reyci nõ potest, quod calix vocetur sanguis quia testamentum est in sanguine. Atqui eadem est panis ratio. Vnde sequetur vocari corpus, quia testamentum est in corpore. Non est tum cur fidem simplicibus Christi verbis habendam esse contendant, extraneis vero commentis claudendas esse aures. Christus est ipse qui loquitur, quem idoneum sui sermonis interpretem esse non negabunt. Atqui palam ostendit non alia ratione se panem vocasse corpus suum, & calicem sanguinem suũ, nisi quia* B *nobiscum fœdus æternum pepigit vt sacrificio semel oblato spiritualiter nunc epulemur, quia fœdus hoc non nisi spirituali corporis manducatione & sanguinis potione sancitur vt firmum sit & efficax.* Hæc Caluinus. Cæterum duo hic explicanda sunt, primum quæ sit causa discriminis in verbis Lucæ ac Pauli à verbis Matthæi ac Marci. Deinde an ista spiritualis manducatio & potio, sufficiant ad noui testamenti pactionem, quam hic in Cœna fieri Christus affirmat.

Calu. disputatio pro sua metonymia refellitur.

Ad prius quod attinet attendendum est, Euangelistas in hac historia Cœnæ Eucharistiæ tria nos docere, tametsi paucissimis verbis. Primũ quid Christus illic dedit in cibum & potum, nempe corpus & sanguinem suum. Deinde in quem finem illa dedit, nempe ad sanciendum nouum fœdus ac testamentum. Tertio quomodo hoc fœdus perficiatur, nempe ea distribuendo in esum & potum. Horum trium primum Matthæus & Marcus luculenter expresserunt in illis verbis, *Hoc est corpus meum, & hic est Sanguis meus noui Testamenti.* Secundum Luc. & Paulus exposuerunt, dicendo de calice, quod esset *nouum testamentum in sanguine* Christi, id est, per sanguinem eius: vbi causam & instrumentum condendi tunc fœderis exprimunt. Planius enim & plenius causam fœderis exprimunt hæc verba; *Nouum testamentum in sanguine, quam sanguis noui testamenti.* Nam sanguis noui testamenti dici potest, quod quoquo modo ad nouum testamentum pertinet, siue per modum signi, siue per modum materiæ, siue etiam causæ. Sed *nouum testamentum in sanguine*, ostendit calicem porrectum non solum noui testamenti aliquo modo C esse, sed esse ipsum nouum testamentum, fœdus ac pactum per sanguinem Christi, id est, in hũc finem illic in calice iisti, vt per eum nouum testamentum ac fœdus ineatur. Idem vero & in corpore Christi fieri non negamus, nisi quod illud est corpus victimæ, quo solo præsente fœdera percuti non solent, sanguis vero effusus, aspersus, & communicatus est tota materia fœderalis & percutiendi fœderis complementum. Quæ causa est cur ad sanguinem, non ad corpus noui testamenti mentio ab Euangelistis fiat. Tertium vero de modo hoc fœdus ac nouum testamentum ineundi ac perficiendi describunt Matthæus & Marcus in illis verbis, *bibite ex hoc omnes*, vbi etiam Marcus addit: *& biberunt ex eo omnes.* Iam enim hac actione bibendi adimpletum fuit ex parte Apostolorum nouum testamentum cum Deo, sicut aspersione sanguinis in populum quam Moyses fecit, dicens, *hic est sanguis testamenti quod pepigit vobiscum Deus*, completum fuit ex parte populi fœdus eius cum Deo. Propterea in Matthæo, quum dixisset Christus, *bibite ex hoc omnes*, subiunxit, vt causam bibendi: *Hic est enim sanguis meus noui testamenti*, id est, ideo bibite, quia bibendo perficietis ex parte vestra nouum testamentum, & eritis populus Dei hac tessera fœderali accepta. Ex hoc tertio modo elucescit secundum quod hoc loco explicandum duximus, nempe ad nouum testamentum ac fœdus, de quo hic Christus loquitur inter nos & Deum perficiendum non sufficere spiritualem aliquam manducationem aut potionem cor- D poris & sanguinis Christi, vt vult Caluinus, sed plane requiri externam, realem & corporalem vtriusque sumptionem. Quod Christus in calice porrexit, erat *nouum testamentum in sanguine eius*, quatenus bibebatur ab Apostolis sanguis ille, non quatenus in sanguinem illum credebãt. Dixit illis Christus, *Bibite ex hoc, hic est enim sanguis noui testamenti.* Non dixit, credite in hoc, hic est enim & cæt. Alioquin absque vsu symbolorum & totius Sacramenti credimus in sanguinem Christi pro nobis effusum, & spiritualiter Deo arctissimè coniungimur. Deinde vetus fœdus percutiebatur *aspersõ in populum sanguine*, & omnia fœdera externis notis ac ritibus ob oculos positis percutiuntur. Sic hic externa sanguinis Christi exhibitione, & interna per bibendum aspersione nouum fœdus conditum & sancitum est. Nam illa verba, *qui pro vobis effundetur*, in præsenti tempore legenda sunt iuxta omnes Euangelistas in textu græco, & senius est, qui pro vobis nunc distribuitur, & reali participatione singulis vestrum intimè effunditur & aspergitur: vt videlicet, veritas responderet figuræ. Quam quum Moyses administraret, *accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit dicens. Hic sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus.* Rursum quum Christi verba de pane, *Accepit, fregit, ac dedit*, item de calice, *accipiens gratias egit, ac dedit*, externam Christi actionem euidenter exponant, necessarium est vt alia verba Christi hinc dependentia, & ex

Cur aliter Lucas & Paulus verba Cœnæ referunt, quã Mat. & Mar.

Nouum testamentum seu fœdus non sancitur sola manducatione aut potione spirituali.

Hebr. 9.

illis consequentia, *Accipite, comedite, bibite*, externam quoque acceptionem ac potationem rei datæ exprimant. Sicut enim externè accepit & dedit, ita à suis externè accipi & bibi voluit. Est igitur necessaria corporis & sanguinis Christi externa acceptio, manducatio, bibitio ad fœdus & testamentum nouum in Christi corpore & sanguine sanciendum. A

Calu. vox impia.

Quibus ita explicatis, Caluini impudentia facilè retunditur. Clamat *stultè superstitiosos esse qui verba Christi mordicus arripiunt.* Qua voce nihil non impudentius tantum, sed nec magis impium dici potuit. Eadem quippe voce omnes armantur hæretici, vt diuinæ Scripturę verbis conuicti, clament stultè superstitiosos esse fideles, qui Scripturæ verba mordicus arripiunt. Armatur Arius, vt si verbis illis, *verbum Caro factum est*, prematur, respondeat, stultè superstitiosos esse qui verba Euangelistæ mordicus arripiunt. Armatur Pelagius, vt si quis vrgeat, *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est*, respondeat impius, stultè superstitiosos esse qui verba Pauli mordicus arripiunt. Armatur Manichæus, vt si quis ei obiiciat Apostoli verbum de filio Dei, *qui factus est ex semine Dauid secundum carnem*, authore Caluino cito se expediat dicens, stultè superstitiosos esse qui verbum Apostoli mordicus arripiunt. Armantur denique omnes in vniuersum hæretici, vt quoties luculento & aperto Dei verbo premuntur, vrgentur, refutantur, hoc vnum cum Caluino perfricta fronte respondeant, stultè superstitiosos esse qui Dei verbum mordicus arripiunt. Hic est videlicet honor, hæc reuerentia quam diuinis Scripturis deferunt hæretici, quas solas omnem & vnicam esse veritatis normam obtendunt, vt quum ipsorum placitis illæ reluctantur, pro stulta superstitione habendum sit, si eorum verba mordicus arripiantur. Hæc Caluini hoc loco audacia, impietas, impudentia. Nos vero verbis Christi mordicus adhærebimus, & adhærendum esse in Ecclesia catholica didicimus, nec vlla Caluini insolentia ab hac sapientia & pietate piorum animos poterit auellere. Non stultè superstitiosus, sed sapienter pius ac fidelis est, qui ita mordicus diuinæ Scripturæ verba arripit, vt nulla hæreticorum, vel astutia, vel nequitia ab illis se diuelli, id est, à luce ad tenebras (*lucerna enim pedibus meis verbum tuum*) à veritate ad mendacium (*qui enim ex propriis loquitur, mendacium loquitur*) à verbo vitæ ad hominum commenta (*verba enim vitæ æternæ Christus habet*, quod nisi commenta hominum hæreticorum glossæ sunt) abduci se patiatur. Scilicet non debemus Christi verba mordicus arripere. Et quare? vt Caluini verbis mordicus adhæreas. Hæc est execrabilis hoc loco huius hominis impietas. B

Psal. 118. Ioan. 8. Ioan. 6.

Sed aliquid fortè graue & consideratione dignum est, quod à tanta impietate Caluinum liberet, & quod eum mouere potuit, vt Christi verba mordicus arripienda non esse iudicaret. Audiamus quid dicat, *Quamuis* (inquit) *crepent, hæc Spiritus sancti expositio reiici non potest, quod calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine.* Vide iterum maiorem aut certè non inferiorem hominis impudentiam. Vocat Spiritus sancti expositionem, quæ non Spiritus sancti, sed ipsius Caluini est. Spiritus sanctus apud Lucam & Paulum dicens: *Hic calix est nouum testamentum in sanguine meo*, non exponit quod apud Matth. & Marc. Christus dixit, tenens in manu calicem, *hic est sanguis noui testamenti.* Nec Paulus, nec Lucas aliorum Euangelistarum verba exponunt quando hæc scripserunt, sed dictante Spiritu sancto Christi verba plenius & in alium finem expresserunt. Matt. & Marc. simpliciter verba Christi ponunt, quibus quid daret, significabat. Nempe *corpus & sanguinem suum.* Lucas & Paulus, illa Christi verba ponunt, quibus significabat, in quem finem corpus & sanguinem dedit, nempe ad sanciendum nouum fœdus ac testamentum cum nouo populo, vt iam explicatum est, & vt ipse Caluinus agnoscit. Nec Lucas, nec Paulus causam narrat, cur calix vocetur sanguis, sed cur vocetur ab aliis Euangelistis, *sanguis noui testamenti.* Nempe quia in illo sanguine esset nouum testamentum; in illo inquam accepto & hausto. Nulla igitur in verbis Luc. à Pauli verborum Matth. ac Marc. expositio est quoad nuncupationem sanguinis, sed bene quædam ampliatio, qua quorsum Christus Sanguinem suum dedit, Christum dixisse plenius commemorant; itemque quædam expositio cur *sanguis noui testamenti* vocatus à Christo fuerit. Illam ergo expositionem non iam Spiritus sancti sed nefarii Caluini penitus reiicimus, qua dicitur, *quod calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine.* Nam ideo calix vocatur *sanguis Christi*, quia verè in calice est sanguis Christi. Ideo autem vocatur *calix nouum testamentum in sanguine*, quia in calice non solum ipse Christi sanguis est, sed etiam est per modum sanguinis fœderalis seu testamentarii; id est, in eum finem datus, vt fit sanguis fœderis noui testamenti acceptus & haustus, sicut sanguis quo Moyses totum populum aspersit, fuit fœdus & testamentum Dei cum veteri populo. Non ergo hic posterior sermo prioris illius sermonis ratione vocabuli sanguinis vel causa, vel expositio est, sed aitiologia est & ratio reddita in quem finem sanguis datur, quem prior sermo datum esse affirmat; & quare noui testamenti sanguis vocatus est. Ergo verbis Christi mordicus inhærendum est, tam iis quæ Matth. & Marcus, quàm iis quæ Lucas & Paulus scripserunt. C

Caluini extrema impudētia

Vtrobique *simplicibus Christi verbis habenda est fides*, quod nos *contendere non oportere*, ait Caluinus. Et cur obsecro? *Christus* (inquit) *ipse est idoneus sui sermonis interpres.* Optimè, *At ille palam ostendit non alia ratione se panem vocasse corpus suum & calicem sanguinem suum, nisi quia nobiscum fœdus æternum pepigit, vt sacrificio semel oblato spiritualiter nunc epulemur.* Atqui hæc interpretatio non Christi, sed Caluini est. Obseruandum diligenter hæreticos istos, & Caluinum maximè Christi verba & Christi interpretationem vocare, quæ ipsorum verba & ipsorum interpretatio sunt, non Christi. D

Hæreticorum impostura.

A Christi. Astuti serpentes Deum hoc dicere aiunt, quod ipsi dicunt, non Deus. Christus nec palam, nec omnino ostendit *se non alia ratione panem vocasse corpus suum & calicem sanguinem, nisi quia nobiscum fœdus pepigit &c.* Ostendit sanè Christus se ideo dedisse corpus & sanguinem suum, vt per illa nobiscum fœdus æternum pangeret. Ideo enim de calice expressè dixit (quod & de corpore quoque intelligi aliquo modo posse non negamus) *hic est nouum testamentum in meo sanguine.* Sed nec ostendit se panem vocasse corpus suum, quod Caluini mendacium est (non enim dixit, hic panis est corpus meum, sed dixit, *Hoc est corpus meum*:) nec in specie panis ostendens corpus suum, & in calice demonstrans sanguinem suum, dixit. Hoc non alia ratione est corpus & sanguis meus, nisi quia hoc est nouum testamentum meum in illis, sed iuxta Matthæum & Marcum designauit, adesse & sisti illic corpus & sanguinem suum; iuxta Lucam & Paulum palam ostendit, sanguinem sic adesse & sic sisti, vt in illo sit nouum testamentum, id est, vt per illum & illius sumptionem nouum iniretur fœdus ac testamentum. Ideo enim adiecit, *accipite, comedite, bibite.* Non adiecit, *istis immolatis in cruce spiritualiter epulemini.* Hoc Caluini *extraneum commentum est, cui claudendæ sunt aures Christianorum.* Christi inquam verba attendere debemus, qui sui sermonis idoneus interpres est, non Caluini commentum: quod ille statim absurdissimo paradoxo confirmat, quum ait. *Quia fœ-* B *dus hoc non nisi spirituali corporis manducatione & sanguinis potione sancitur.* Sancitur quippe hoc fœdus, vt iam ostendimus, reali manducatione, de qua Christus dixit, *Accipite, & manducate*, item reali potione, de qua Christus dixit, *Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic est enim calix &c.* vt suprà satis explicatum dedimus. Ita impius Caluinus *stultè superstitiosos vocans qui Christi verba mordicus arripiunt*, & iterum dicens, *Non esse cur simplicibus Christi verbis fidem habendam esse contendamus*, manifestè, perspicuè, clarissimè à simplicibus Christi verbis, ad suam astutam & mendacem glossam Lectorem abducit, Christi verba peruertit, sensum corrumpit, & ad suum impium commentum orbi obtrudendum Christi interpretationem ac nomen mutatur. Christi denique interpretationem & sensum non in Christi verbis, *Accipite, comedite, bibite*, sed in sui cerebri figmento, *spiritualiter epulamini*, ponit. Hæc eius impietas, audacia, impudentia maior & execrabilior est quàm vt vllis penè verbis explicari queat. Vnde & ad eam simpliciter patefaciendam paulo pluribus verbis vti necesse fuit. Hominis summam impietatem amplificabit pius & eruditus concionator.

Caluini mendacium.

Caluini paradoxum absurdum.

C

FERIA IV. HEBDOMADÆ SANCTÆ.

Quod pro vobis datur: &, Qui pro vobis fundetur &, Pater, si vis, transfer à me calicem istum. Luc. 22.

D BENEFICIVM & fructus Passionis Dominicæ Christianis omnibus hactenus notissimum & indubitatum in priori sententia continetur. Christi videlicet corpus in cruce pro nobis morti traditum, & Christi sanguinem pro nobis, nostraque redemptione, in Cruce effusum fuisse. Sic omnium Christianorum fides hactenus contestata est, sic diuinæ Scripturæ apertissimè docuerunt. Primum Christus ipse sic profitetur & promittit, *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Itidem de sanguine suo affirmat, *quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* At vbi hanc carnem pro mundi vita dedit, aut vbi hunc sanguinem in remissionem peccatorum effudit, nisi quum in Cruce corpoream morte pro mundi salute obiuit? Dixerit hic aliquis. Et quis demũ Christianus hac de re dubitat? Aut huius rei demonstrationem quorsum tandem instituis? Sanè ante nostra opinor tempora nemo, vt arbitror, vel nefandissimus hæreticus Christiani nomen portans & Sacramentis imbutus, hanc liquidissimã veritatem in dubium vocauit. Nec ante nostra tempora huius rei accurata aliqua demonstratione opus fuit, tametsi omniũ & Apostolorũ scriptis, & Patrũ sermonibus, & Pastorum omniũ publicis vocibus hæc dulcissima veritas summa diligentia explicata & inculcata fuerit. Verũenimuero vnus hodie Caluinus, monstrum hominis, & portentum execrabile, hoc negare ausus fuit, aliudque redemptionis nostræ preciũ è suo insano & Satanico cerebro natum, statuere non est veritus. Hæc quippe eius sunt verba verè Satanica. *Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus: sed operæ simul preciũ erat, vt diuinæ vltionis seuèritatem sentiret; quo & iræ ipsius intercederet, & satisfaceret iusto iudicio. Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copiis æternæque mortis horrore quasi consertis manibus luctari.* Et paulo post, *Non modo corpus Christi in pretium redemptionis fuit traditum, sed aliud maius & excellentius pretium fuit, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.* Varias execrandas blasphemias his in verbis euomuit, ob quas solas, si nihil aliud in pestilentissimo illo opere Institutionis Caluinianę contra Deum & fidem Christi inueniretur (vt inueniuntur quàm plurima)

Ioan. 6. Matt. 26.

Instit. li. 2. ca. 16. n. 10. Calu. blasphemiæ in precium redemptionis nostræ.

sempiternis flammis addici ille liber debuit. Quem tamen librum in nostra misera & excæcata Anglia tanto esse in precio audio, vt tum Anglicè exactissimè versus in singulis Ecclesiis à parochis legendus appendatur, tum in vtraque illic Academia, cursu philosophico absoluto, futuris Theologis hic primum & ante omnia prælegatur. Hæc si ita sunt, grauior illi genti pœna à Deo vix infligi potuit. Est quippe derelictionis diuinæ maximum argumentum, cæcitate mentis percuti, & pestilentibus doctrinis delectari, vt sic in cogitationibus suis euanescant, & pro fide perfidiam, pro luce tenebras, pro Christo Belial, hoc est Caluinum amplectantur. Quod vel hic vnus locus ad oculum demonstrabit. Expendamus enim nunc execranda illa quæ posuit axiomata. Prius est, *nihil actum fuisse, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus.* Hoc est dicere, corporea mors Christi, qua corpus suum morti tradidit, & sanguinem fudit, nihil egisset, nihil ad salutem profecisset, si illa sola defunctus Christus fuisset. Sola mors Christi nihil per se effecit. *Aliud* (inquit) *maius & excellentius redemptionis nostræ pretium fuit.* Quale illud sit, postea expendemus. Nunc id tantum teneamus, Caluini sententiam esse, quod mors Christi corporea tantum nihil effecit, & quod aliud maius & excellentius pretium redemptionis nostræ fuit, quàm illa erat. Non solum aliud precium præter illam, sed aliud maius, idemque excellentius statuit. Hoccine Christianæ aures ferre possunt? Primum & ante omnia ipsum Caluinum Caluino oppono. Vt satisfactiones in Ecclesia taxet, ait, *Gratuitæ reconciliationis nostræ cum Deo non alibi quàm in Christi morte pretium reperitur.* In Harmon. in Matth. ca. 20. ver. 28. Hoc si verum est, imo quia verissimum est, quantus nequam sibique contrarius Caluinus est, qui præter Christi mortem, aliud nunc ponit, idemque excellentius Redemptionis nostræ precium? Sed ex Scripturis agamus nunc. Si sola morte Christi nihil actum fuisset, quomodo de illa sola dixit Christus, *Caro mea est quam dabo pro mundi vita?* quomodo dixit Paulus, *Mortuus est propter delicta nostra, Tulit chirographum quod erat contra nos, & affixit illud Cruci, expolians principatus & potestates, traducens illos in semetipso?* Quomodo *proposuit Deus Christum propitiationem per fidem in Sanguine ipsius*, si ille sanguis non est propitiatio nostra, sed aliquid aliud eo maius & excellentius? Quomodo Paulus dixit, *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*, si aliquid aliud maius pretiũ & excellentius erat? An non illi alteri excellentiori iniuriã fecit Paulus, qui illo prætermisso, in sola Cruce se gloriari pronũtiat? Et quomodo in sola Cruce gloriatur, si sola crux. i. si sola mors Christi in Cruce, redemptionis nostræ precium non fuisset pleniſſimum? Rursum quum dixit, *Ego me nihil arbitror scire nisi Iesum Christum & hunc crucifixum*, nonne in sola Cruce & morte Christi totum redemptionis suæ precium posuit? An non penitus exclusit illud aliud maius & excellentius quod Caluinus sibi finxit? Aut fortè sciuit hoc Caluinus & ignorauit Paulus? Deinde quomodo (quod idem Paulus ait) *commendauit charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, si non* in sola morte Christi, aut certè in illa præcipua hæc Dei in nos charitas commendata fuisset? Quæ hæc diuinæ in nos charitatis commendatio tam excellens aut singularis fuit per mortem Christi, si aliud adhuc maius & excellentius erat, per quod illa Dei charitas commendaretur? An iterum hoc vidit Caluinus quod ignorauit Paulus? Rursum si (vt Paulus ait) Christus *vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*, & adhuc apertius, *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*, quàm impius & detestandus Caluinus, qui hac vna oblatione corporis Christi semel per mortem, siue per solam mortem corpoream, *nihil pro nobis actum* fuisse blasphemat? *Vna oblatione corporis Christi semel omnes sunt in sempiternum sanctificati*, ait Paulus, *Vna Christi morte corporea nihil actum fuit*, ait Caluinus. Quis hodie hæreticus magis isto detestabilis, qui in præcipuo fidei nostræ capite, in ipso redemptionis nostræ precio, diuinis Scripturis apertissimè contradicit? Sed adhuc iterum dicit Paulus de Christo. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Imo ait Caluinus, *aliud maius & excellentius redemptionis nostræ precium fuit, & hæc tantum morte corporea*, vbi proprium sanguinem Christus largiter effudit, *nihil actũ fuisset*, nec in sancta intrasset, nec redemptionem vllam pro nobis inuenisset. Hic necesse est aut Paulum mentiri, aut Caluinum blasphemare. Et quid pluribus opus est ad hanc nefariam scelerati Caluini blasphemiam iugulandam? An non hæc vna eius furiosa dementia, omnes illas diuinæ Scripturæ voces manifesti mendacii arguit, quibus dicit iterum Paulus, *habere nos redemptionem per sanguinem Christi, remissionem peccatorum, secũdum diuitias gratiæ eius*, & iterum: *quod per Christum reconciliauit Deus omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*, quibus dicit Petrus, *redemptos nos esse pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati*, quibus dicit Sanctus Ioannes, *quod sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato*, & iterum in sua Apocalypsi, *quod lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, & adhuc semel, *Redemisti nos Deo in sanguine tuo?* Quomodo enim hæc omnia vera sunt, quomodo non falsa & fabulosa erunt, si, vt impius Caluinus docet, *mors Christi corporea*, in qua hic pretiosus sanguis effusus est, *nihil pro nobis egit*, si aliud adhuc, *eo maius & excellentius redemptionis nostræ pretium erat*? An aliud maius aut excellentius redemptionis nostræ precium dari potuit, quàm sanguis Agni immaculati & vnigeniti filii Dei? Aut Sancti Apostoli Paulus, Petrus, Ioannes, redemptionis nostræ pretium toties inculcantes, alia vlla in re quàm in sola Christi morte ac pretioso sanguine, illud constituunt? An tota Pauli disputatio toto capite nono & decimo ad Hebræos alium scopum aut finem habet, quàm vt doceat Christum in sui corporis

tabernaculo

Ioan.6. *Rom.8.* *Coloss.2.* *Rom.3.* *Mors Christi precium redemptionis nostræ.* *Galat.6.* *1.Cor.2.* *Rom.5.* *Hebr.10.* *Calu. Paulo in præcipuo fidei capite apertè contradicit.* *Hebr.9.* *Ephes.7.* *Coloss.1.20* *1.Pet.1.18* *1.Ioan.1.7.* *Apoc.1.5.* *Cap.5.9.*

tabernáculo per sui corporis victimam semel factàm,& per suum Sanguinem semel effusum introisse in cælum,& veteribus omnibus sacrificiis finem imposuisse, vt hæc vna & perfectissima hostia vnica actione perpetuam Redemptionem operaretur? Quàm ergo detestabile Caluini pectus,quod aliud excogitare potuit,idemque maius atque excellentius? Hic pro Caluino respondeat,quicunque potest,siue in Gallia,siue in Anglia,siue in Germania,Caluinista.

Sed videamus nunc tandem quod sit hoc aliud maius & excellentius redemptionis nostræ precium,quàm Christi mors in cruce corporea. Dixit loco citato, præter illam mortem corpoream,*operæ simul precium fuisse,vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret,quo & ira ipsius intercederet & satisfaceret iusto iudicio*.Sed quid? An non hoc totum per ea quæ in corpore passus est, per sanguinem pretiosum effusum,per *obedientiam vsque ad mortem,mortem autem crucis*, cumulatissimè præstitit? Sanè Pauli iudicio ita se res habet,qui illam Christi obedientiam & humiliationem vsque ad mortem,mortem autem crucis commemorans,statim adiecit,*Propter quod & Deus exaltauit illum,& dedit illi nomen quod est super omne nomen*,&c. Sed Caluini iudicio non ita se res habet. Quid ergo aliud flagitat Bellua? *Oportuit* (inquit) *eum cum inferorum copiis æternæque mortis horrore quasi cõsertis manibus luctari*. Quid hoc monstri,quid portenti est? Sed audiamus eum hoc suum portentum clarius adhuc & explicatius in medium proferentem,suisque omnibus coloribus totã eius horribilem effigiem ad viuum depingentem,*Propheta* (inquit) *quum scribit Christum propter scelera nostra à Patre percussum,& attritum propter nostras infirmitates, significat in locum sceleratorum sponsorem, vadem,adeoque instar rei submissam,qui dependeret ac persolueret omnes,quæ ab illis expetendæ erant pœnas, vno hoc duntaxat excepto,quod doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad inferos descendisse dicitur,nihil mirum est,quum eam mortem pertulerit,quæ sceleratis abirato Deo infligitur*. Quæ hic non prophanæ tantum, sed portentosæ;nec portentosæ modo, sed satanicæ sunt verborum nouitates? Audiamus tamen adhuc reliqua,vt totam insani hominis dementiam intelligamus, *Maius* (inquit) *& excellentius pretium redemptionis nostræ fuit, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit*. Ait igitur præter corpoream Christi mortem in cruce,animam quoque Christi damnati hominis cruciatus pertulisse, omnes damnatorum pœnas quasi sponsorem & vadem pro illis submissum (vna excepta perpetuitate pœnarum) persoluisse, & hoc modo cum inferorum copiis,æternæque mortis horrore consertis manibus luctatum esse. Sed qui sunt isti damnati hominis cruciatus,quis iste æternæ mortis horror,quem Christus in anima pertulit, vt sic cum inferorum copiis luctaretur, nec sola morte corporea, sed hoc etiam modo (vt ille vult) excellentiori nos redimeret? De mortis temporalis metu ac timore, qui & qualis in Christum cadebat, iam in alio Euangelio explicuimus, & Caluini illic errorem aperuimus. Sed nunc æternæ mortis horrorem, & damnati hominis cruciatum in Christo commemorat Caluinus. Quid ista sibi volunt? Explicat paulo post,& dicit,*Christus* (inquit)*cum clamore valido & lachrymis orans,à metu suo exauditur* (sic enim legit pro eo quod nos legimus,*pro reuerentia sua exauditus est*) *non vt à morte sit immunis, sed ne absorbeatur vt peccator, quia illic personam nostram gerebat*. Sed quid est hoc,*absorberi vt peccatorem*? Non enim totam suam impietatem propriis, & apertis verbis seductor callidus explicatè tradere vult. Pergit tamen, & dicit, *Et certè nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quàm sentire te à Deo derelictum & alienatum, & quum inuocaueris, non exaudiri, perinde ac si in tuam perniciem ipse conspirasset*. Hic ergo fuit iuxta Caluinum in Christo æternæ mortis horror, qua metuebat ipsam æternam mortem & derelictionem à Deo: id est, quod metuerit damnari. Nam quod Deus Pater dilectum filium dereliquerit (vt postea sua verba moderatur Caluinus) sed quod talis derelictionis signa Christus senserit;& metum atque horrorem damnationis æternæ conceperit,*Omnia* (inquit) *irati & punientis Dei signa expertus est*. Et paulo post,proposita sibi hac obiectione,*quamuis mortem timuerit Christus, maledictionem tamen & iram Dei,à qua se tutum esse nouerat,non timuisse,cauillum*,hoc vocat:multisque verbis ostendit multos sceleratos homines mortem intrepidè adire, & *pudendam in Christo mollitiem esse debuisse, si ab communis mortis formidine ita torqueretur,vt sanguineo sudore difflueret,ideoque asperius aliquid & magis arduum Christo fuisse certamen,quàm cum morte communi*: nempe cum ipsa maledictione & ira Dei, quam formidabat,sicuti obiectio,quam cauillum vocat,ponebat. Quare statim subiungit, quũ Christus in horto sic oraret, quod hoc *exordium fuit descensus eius ad inferos. Tunc enim* (ait Caluinus) *diros & horribiles cruciatus perpessus fuit, quum se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostra causa*. Sic aliquo modo suam nobis impietatem patefecit. Audiamus tamen quæ adhuc alibi dicit, vt totam eius non tam sententiam quàm dementiam teneamus. Illa Christi in cruce verba pertractans,*Deus Deus meus,quare me dereliquisti*? ita scribit,*Vt pro nobis satisfaceret Christus,reũ ad Dei tribunal sisti oportuit. Nihil autem magis horribile quàm Deum sentire Iudicem, cuius ira mortes omnes superat. Ergo quum species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti, ipse autem mirifica Spiritus virtute victor emersit. Nec vero fictè vel theatricè conqueritur se à Patre relictum. Nam interior animi mœstitia vi & ardore suo eum coegit in clamorem erumpere. Nec tantum ocularis fuit redemptio, qua defunctus est, sed vt se vadem pro nobis obtulerat, verè Dei iudicium subire loco nostro voluit*. Vult Caluinus in his verbis, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Christum vera & vehementi tentatione correptum fuisse, *quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus*,id est,damnandus,& quod *interior animi eius mœstitia vi & ardore suo eum coegit in hunc clamorem erumpere*. Hic est ergo ille *timor maledictionis & iræ Dei*,quem, vt

Instit. li.2 c.16.n.10

Philip. 2.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

In Sabb. post Dom. pass.tex.3. Ibid.n.11. Hebr.5.7.

Christum damnationem timuisse vult Caluinus. Ibid.n.12.

In Harm. in Matt.c. 27.ver.46

supra vidimus,in Christo posuit.Hæc est illa *formidabilis abyssus*,qua sensit *se à Deo derelictum & alienatum*; Et de qua subiunxit ibi Caluinus,*Christum eo fuisse deiectum,vt coactus fuerit,vrgente angustia,exclamare,Deus Deus meus*,&c. A

Inst li.2. c.16.n.11.

Expendamus nunc hoc totum quid & quale fuerit. Primum in eo grauiter errat Caluinus, quod tum super Matthæum,tum in sua Institutione,ait Christum *vi mœstitiæ, & vrgente angustia coactum in hunc clamorem erupisse*. Verba enim ista,sicut & illa,*Pater mi si fieri potest, transeat à me calix iste*,animo penitus sedato & composito pronuntiauit Christus, nec vllus vel mœstitiæ vel timoris motus in Christo rationem eius præuenit,sed hos affectus humanos veros & verè in se suscepit,pertulitque,non vt nos inuoluntarios,aut,vt hic Caluinus dicit,*coactos*,sed penitus liberos,quando,& quomodo,& quoties voluit,vt supra in aliis Euangeliis ostendimus:ideoque hoc loco non repetimus. Hæc igitur verba, *Deus Deus meus*, &c.nec ex aliqua noua angustia eum cogente,nec ex propria angustia aut mœstitia tunc primum inuenta vel extorta,sed olim de eo prophetice prædicta Christus vsurpat. Tota enim hæc oratio seu exclamatio præmeditata & præcognita illi fuit, vt ipsa mors, passio,omnesque eius circunstantiæ fuere. Hic ergo primus Caluini fœdus error est, quod has voces vi doloris coactum emisisse Christum arbitratur.

Inferia 6. heb.4.tex. 1.& in sabba. post Dom.Pass. text.3.

Alter & multo grauior error est,quod illa verba *ex tentatione illi obiecta,quod à Deo desereretur, quod exitio deuoueretur,quod Deus ab illo auersus & alienatus,illi irasceretur*, Christum protulisse affirmat. Id solum his verbis Christus dicere & ostendere voluit,humanam suam naturam sibi fuisse derelictam,absque cõsolatione diuinitus ei impertita;vt videlicet omnes intelligerent,quãtum in corpore veri doloris & pœnarum pro humano genere perferret. Non timet vllam vel minimam à Deo,quoad animæ statum derelictionem,sed negatam præsentibus corporis pœnis consolationem his verbis expressit,idque ideo, *vt notum faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi,sed sæuientium manibus derelinqui,hoc est, Saluatorem mundi fieri,& omnium Redemptorem nõ per miseriam,sed per misericordiam,nec amissione auxilii,sed definitione moriendi*, ait B. Leo. Certum est multos Martyres in mediis pœnis tanta diuinitus consolatione perfusos fuisse, vt illa consolatio omnem propemodum doloris sensum illis eripuerit. Noluit hac consolatione frui Christus. Voluit sicut omnem contumeliam & ignominiam, ita omnem corporis dolorem & cruciatum perpeti, qui in id genus mortis cadere potuit. Vt autem hos dolores verè eum pro nobis pertulisse, & quanti Christo nostra salus constiterit, omnes in eum credituri intelligeremus,hanc dolorum suorum acerbitatem & negatam interius consolationem his verbis expressit. B

In Matt.c. 27.& Inst. li.2.c.16. nu.11. Christus cur exclamauit in Cruce. Ser.17.de Pass.Dom.

C

Quomodo vero cuiquam credibile esse potest, diuinæ maledictionis aut desertionis vel minimam suspicionem in Christum (quum hæc diceret) cadere potuisse,quum non solum antea sponte hostibus occurrerit,magna animi securitate eos allocutus fuerit, sua potestate prostrauerit,Petrum passionem eius impedire volentem acriter increpuerit,12.legiones à Patre se impetrare posse confidenter dixerit,accusatoribus & persecutoribus suis venturum se in maiestate pronunciauerit;denique pergens ad crucifixionis locum flentibus mulieribus dixerit, *Nolite flere super me*,&c.quæ verba (ait Caluinus) testantur quàm excelsa animi fortitudine præditus fuerit Christus; verum etiam eodem ferè temporis momento,& pro crucifigentibus eum Patrem oraret,& latroni paradisum promitteret,& matrem discipulo commendaret, & statim post hæc verba dicto *Sitio*,quod etiam mysticè dicebat,*& aceto potatus,sciens quia omnia iam cõsummata essent*,ideoque dicens,*Consummatum est,Patri commendans spiritum suum*,expirauerit. Nonne omnia in Christo,quæ hæc eius verba,*Deus Deus meus*,&c.præcesserunt ac sequuta sunt, animi sedati,imo animi diuini & filio Dei digni verba fuerunt? Pro crucifigentibus orare, misericordiæ sedatissimæ fuit. Latroni paradisum promittere,diuinæ potestatis fuit. Matris curam habere,animi compositi,minimèque turbati fuit. Cætera subsequentia verba,*Sitio*, *Consummatum est*,*Pater in manus tuas*,&c.quam vel minimam habent timoris,formidinis, aut perturbationis speciem? Ergo morti proximus inconsideratum verbum protulit, & *vox illi desperationis elapsa fuit*. Sic enim ait Caluinus,vt mox videbimus. Nunc id tantum dicimus & vrgemus,nullum iræ diuinæ aut maledictionis metum Christum in his verbis concepisse. Quod nunc pressius contra nefandam Caluini impietatem,ipso Christo donante,ostendemus.

Derelictionis diuinæ nullus metus in Christũ cadere potuit.

1.2.3.4. 5.6.7 8. 9.10.11. 12.13.

Ioan.19.

D

In Har. in c.27.Mat. Inst.li.2.c. 16.nu.11. In Annot. ad Luc. c.22.

Docet Caluinus,& post illum Beza,Christum in horto ex iræ diuinæ & maledictionis metu atque horrore lachrymas illas & sudorem sanguineum profudisse,*ibi fuisse exordium descensus Christi ad inferos*,vt Caluinus loquitur,*& inferorum atria tunc ingressum esse Christum*,vt Beza loquitur.In his autem verbis, *Quare me dereliquisti*, quasi in profundissimo inferni abysso *desperationis tentatione vexatum fuisse*. In his omnibus non solum execrabiliter,sed & crassè ac turpiter Caluinum cum suis errare manifestè ostenditur. Quid Christus in horto orans metueret,ipsa eius oratio docere nos debet. Hæc autem fuit oratio Christi,*Pater mi,si fieri potest,transfer à me calicem istum*,vel,vt alius Euangelista habet,*si possibile est,transeat à me calix iste*. Iam vero quid aliud est *calix iste*,quem Christus deprecatur,quàm ipsa mors corporea? Quis de hoc dubitare potest? Non dicit, transfer à me calicem iræ & indignationis, & maledictionis tuæ: sed, *calicem istum*. Et quem istum,nisi de quo postea Petro dixerat,quum gladio percutiens, mortem Christi impedire vellet, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* An aliud hic Christus quàm

In Harm. in ca.27. Matt. Christus in horto quid metuerit. Luc.22. Marc. 14.

Matt.26.

mortem

mortem corpoream, ad quam subeundam tum capiebatur, intellexit? Rursum quum Ioanni & Iacobo Christus prædixerat, *Calicem quidem meum bibetis*, an dicet Caluinus, istos quoque Apostolos calicem mortis damnatorum bibisse, & horrore illo diuinæ maledictionis correptos fuisse, quem in Christo fingit? Atqui dicit super Matthæum Caluinus, huius diuinæ maledictionis horrorem talem ac tantum fuisse, *quo centies cuncti mortales fuissent absorpti*: Aut ergo isti Apostoli hoc horrore non sunt correpti, aut si correpti eo fuerunt, absorpti, ideoque damnati sunt. Iam si eo non correpti fuerunt, & tamen calicem Christi biberunt, calix quem Christus in horto deprecatur, hic horrot diuinæ maledictionis esse non potuit, sed mortis corporeæ & persecutionis pro fide calix, quem vterque Apostolus bibit, ille gladio occisus, iste in feruentis olei dolium detrusus. Deinde quum similem orationem Christus antea fecisset, dicens, *Nunc turbata est anima mea. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora*, solam mortem corpoream ante oculos suos Christus proposuit, & eam solam deprecatus est, vt tum in illum locum Caluinus non diffiteretur, tum sermo Christi præcedens, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, &c. manifestè demonstrat. Præterea tota illa tristitia, quam in horto Christus conceperat, qualis fuerit, ipse claris verbis ostendit, dicens. *Tristis est anima vsque ad mortem*, id est, propter mortem propinquam, de quo paulo ante dixerat, *Filius hominis vadit, veruntamen væ homini illi per quē tradetur*. Propter hanc mortem corporeā contristatus est Christus, propter illam ante à turbatus, quum se à gentibus quæri audiret, pro quorum salute passurus erat. Hanc in horto deprecatus est, non voluntate deliberata, sed naturali, vt antea explicatum est.

Matt. 26.

Caluinus à seipso refutatur.

In c. 27. in Matth.

Ioan. 12.

Luc. 12. Matt. 26.

Sed hæc, ait Caluinus, *pudenda fuisset in Christo mollities, si ob communis mortis formidinem ita torqueretur, vt sanguineo sudore profluueret*. Et hunc sanguineum sudorem valde amplificat Caluinus, & post eum Beza: & quod Lucas ait, *quasi guttas sanguinis*, ille vocat guttas, quas Beza vertit *grumos*, id est, globos collectos sanguinis, quum vox græca, θρόμβοι, æquè guttas simpliciter significet, quàm grumos. Eadem quoque ex causa, pro *Angelo* consolante, *Angelos*, ponit Caluinus, Scripturæ deprauationem nihil veritus.

Inst. li. 2. c. 16. n. 12. In Annot. ad Luc. ca. 22.

Cæterum cur Christus Redemptor noster ter repetita oratione mortem deprecatus fuerit, non voluntate aliqua deliberata (vt antea explicatum est) sed naturali tantum, & cur eadem voluntate naturali mortem ita apprehenderit, *vt factus in agonia, sudorem sanguineum emitteret*, atque ab angelo consolationem acceperit, præter liberam ex parte Christi huius doloris & agoniæ susceptionem (de qua antea diximus) vt non solum in corpore, sed etiam in parte rationali, pro nobis pateretur, (quam ob causam non obstupefecit sensum suum, nec permisit vt redundaret ex parte superiore gaudium in partem inferiorem, sed contra de industria, & vt copiosior esset redemptio, defixit mentem in omnia tormenta impendentia) etiam ex parte naturæ Christi humanæ ratio reddi potest. Christus quippe, qui solus omnia & singula futura tormenta sua exactissimè præuidit, voluitque omnium & singulorum grauitatem ante oculos suos proponere, (exercens in eo summæ fortitudinis & charitatis actus) naturaliter debuit ex illis vehementissimum timorem ac metum, simulque animi tristitiam concipere. Nos mortales alacriter sæpenumero res arduas aggredimur, quia omnes & singulas difficultates ac molestias in illis postea suscipiendas ac deuorandas exactè non præuidemus. Quæ nobis ignorantia vtilis est, quum indubitatum sit, plurimos res maximè arduas perficere, quarum singulas difficultates & cruces si præuidissent, eas nunquam vel minimo digito attigissent. Hoc vnum ergo in Christo singulare fuit. Addamus nunc alterum. Christus quum esset persona nobilissima, pariterque innocentissima, & qui genti illum ad mortem tradituræ innumera beneficia contulisset, tam ignominiosam & crudelem, & à tam ingratis hominibus inferendam mortem naturaliter debuit refugere, expauescere, & deprecari, volens eam semel ante oculos suos in sua simplici natura considerandam proponere. Regem aut Reginam vel à suis subditis, vel ab alienis, qui nullam in eos potestatem habent, mortem ignominiosam pati, (cuius barbarum admodum & truculentum exemplum hæc ætas vidit, quum Maria Stuarta Scotiæ Regina, filia, coniunx, & mater Regis, Princeps innocentissima, ab Elizabetha Angliæ Regina, cognata, & hospite, per publici carnificis manum obtruncata fuit) parentem à propriis liberis, aut amicum ab amico interfici, grauiorem haud dubiè doloris acerbitatem adfert, quàm sola communis mors in seipsa considerata. Hæc igitur consideratio Christi naturaliter debuit tristitiam & agoniam vehementissimam in Christo generare: An fortasse talem cōsiderationem Christus nō habuit? Quid ergo illud sibi vult, quod Apostolus dicit? *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes*. Quæ erat ista cōtradictio, quam Christus aduersus semetipsum à peccatoribus sustinuit, nisi quam nunc attigimus, quod filius Dei, qui peccatum non fecerat, ab hominibus, iisque peccatoribus, ac tandem Iudæis, mortem & crudelem, & ignominiosam pateretur? Sanè postremum hoc à Christo consideratum fuisse, illa Christi verba ad Iudæos prolata satis indicant, *Multa bona opera operatus sum inter vos. Propter quod eorum vultis me interficere*? Priorem quoque considerationem Christus in ipsa passionis actione expressit, dicens Pilato, *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper*. Quia Pilatus suam potestatem in Christum iactitabat. Respondit Christus, Pilatum, quantumuis Prouinciæ Præsidem, nullam tamen aduersus eum potestatem habiturum fuisse, nisi de cælo, vnde ipse veniebat, ei datum fuisset, idque singulari quadam diuina dispositione, qua &

Cur Christus mortē deprecatus fuit.

1.

2.

3.

Indignitas mortis Christi naturaliter eum turbare potuit semel animo suo liberè proposita.

Hebr. 12. Ioan. 10. Ioan. 19.

Deus Pater hoc voluit,& ipse Dei Filius in hoc consensit, vt humanæ potestati subiiceretur. A
Non de generali potestate loquitur Christus, quam omnes Præsides & Magistratus à Deo habent,sed de potestate in ipsum singulariter data. *Non haberes potestatem aduersum me*,ait Christus. Alioqui satis fuisset dicere. Non haberes potestatem. Sed quia Pilatus dixerat, *potestatem habeo crucifigere te,& potestatem habeo dimittere te*,voluit Christus eum docere,quod nec talem,nec vllam in se,vel aduersum se potestatem haberet,nisi hoc singulariter illi fuisset à Deo cõcessum. Vnde statim infert Christus, *Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet*. Id est, quia ego sum de cælo,& quia potestas quam tu habes in me,de cælo singulariter est,ego vero nec tibi subditus, nec nocens sum,propterea Iudæi isti & Pontifices,qui me tibi tradiderunt, tibi inquam vt potestatem habenti,& me nec subditum,nec nocentem,maius & grauius peccatum habet. Quorum verborum sensum & grauitatem capiens Pilatus,*exinde quærebat dimittere eum*, ait Sanctus Euangelista: quæsiturus potius eum crucifigere,si Christum existimasset contra potestatẽ suam in genere aliquid in illis verbis dixisse. Sed quia sciebat Christum illis verbis tam suam innocentiam,quàm etiam excellentiam professum fuisse,*exinde magis quærebat dimittere illum*. Christus ergo in sua Passione & morte imminente,etiam hanc summam indignitatem ante oculos suos posuerat,quod talis ac tantus ab huiusmodi tum impiis,tum ingratis,tam acerbam, & tam B
ignominiosam mortem passurus erat. Hæ naturales causæ esse poterant, cur mortem hanc & calicem hunc naturaliter ita exhorruerit.

Ser.16.de Pass. Dom. Sed siue has,siue alias ob causas mortis calicem iamiam propinandum Christus ita exhorruerit, *vt videlicet hoc suo timore voluntarie susceptο,nostræ fragilitatis timorem, quem necessario sustinemus,corrigeret ac sanaret* (quam causam assignat Beatus Leo) vel quia mortem illam genti Iudaicæ,quam vnicè diligebat,interitum & vastationem perpetuam allaturam videbat, vt *super quam ciuitatem* hoc nomine semel *fleuit*,pro ea nunc, totaque gente lachrymas acerbiores funderet, *Luc.19.* siue denique vt se verum esse hominem,eumque purissimæ complexionis, cui omnis corporis dolor naturaliter acerbior est,ostenderet,siue,inquam,has,siue alias ob causas (quas certe curiosius scrutari,quàm diuina Scriptura reuelauit,necessarium non est) illud certissimum est,*nec ex vlla pudenda mollitie*, vt impius Caluinus obiectat, ipsam mortem exhorruisse, nec id quod Caluinus fingit,& loco mortis corporeæ substituit,vllo modo timuisse.

Christus iram Dei timere non potuit. Non timuit (inquam) Christus,siue in oratione in horto habita,siue in Cruce dicens, *Quare me dereliquisti?* vllam Dei iram,maledictionem,iudicium. Si hoc aliquando vel ad momentum timuit Christus,quomodo verum est,quod in eius persona,& de eius futura passione Scriptura dicit. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* C
Psal.15. *Propter hoc lætatum est cor meum,& exultauit lingua mea. Insuper & caro mea requiescet in spe,quoniam nõ relinques animam meam in inferno,nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem?* Omnia hæc de Christo, eiusque passione, morte, resurrectione dici, Diuus Petrus in Actis nos docuit. Si ergo *Act.2.* Christus patiens Deum semper in conspectu suo habebat,qui illi à dextris esset,ne commoueretur,quomodo Dei maledictionem timuit? Dico, si semper, vt Scriptura dicit. An non aduersa fronte cum Scripturis pugnat Caluinus,Christumque Redemptorem nostrum,*in quo Patri* semper *bene complacuit*,fœdissima & atroci iniuria conspurcat? Quomodo verum esse potest, *Calu. Scripturis apertè contradicit.* quod Christus dixit, *ego præcepta Patris mei seruaui,& maneo in dilectione eius*,si (quod Caluinus dicit) iram & maledictionem Dei timuit,& *vox illi desperationis elapsa est*? Si præcepta Dei semper *Ioan.15.* seruauit,certè iram Dei timere non potuit,nisi etiam Deum quoque iniustum Caluinus fingat, vt Christum desperatione tentatum probet. Rursum si mansit semper Christus in dilectione Patris,quomodo eius maledictionem timere potuit? An fortè quem Deus diligit, ei etiam maledicere & irasci potest? Aut qui Deum diligit,cum sibi irascentem & auersum poterit vnquam sentire? Quæ magis pugnantia aut dici,aut cogitari possunt? Et tamen aut hæc pugnantia dicere, aut cum Scripturis pugnantia docere Caluinum necesse est. Iam vero (vt vno breui ar- D
gumento summam Caluini impietatem demonstrem) si Christus orans, *Transfer à me calicem istum*,intellexit iram & maledictionem Dei,ne absorberetur vt peccator,tunc in verbis sequentibus; *Veruntamen non mea voluntas,sed tua fiat*, intelligendum est Dei Patris voluntatem fuisse, Christumque ei sese conformasse,vt Christus maledictionem & iram Dei incurreret,eaque absorberetur vt peccator.

Caluini euasiones futiles. Caluinus vt tantæ rei indignitatem,tamque horrendam in Christum blasphemiam nonnihil attenuet,& aliquo modo probabilem reddat,hoc fuco vtitur. *Sciendum* (inquit) *est talem fuisse tentationem ex doloris & metus sensu,quæ cum fide non pugnaret: quia se quasi derelictus à Deo sentiens,* *Inst. l.2.c. 16.n.12.* *ne tantillum quidem deflexit à bonitatis eius fiducia.* Et alio in loco,proposita sibi hac obiectione, *absurdum videri Christo elapsam esse desperationis vocem. Solutio* (inquit) *facilis est,quanquam sensus carnis exitium apprehenderet,fixam tamen stetisse fidem in eius corde qua Deum præsentem intuitus est, de cuius absentia conqueritur. Quare nihil obstat, quo minus Dei alienationem mente conceperit Christus prout sensus* *In Matt. c. 27.ver.46.* *dictabat,& simul fide retinuerit, Deum sibi esse propitium.* Hanc quoque euasionem probare vult ex ipsis illis verbis,ex quibus hũc diuinæ maledictionis metũ probare conatur. *Quod satis clarè patet ex duobus querimoniæ membris. Nam antequam tentationem exprimat, præfatur se ad Deum confugere, tanquam Deum suum* (dicens, Deus meus, Deus meus) *atque hoc clypeo fidei fortiter repellit illam, quæ se ex opposito ingerebat, derelictionis speciem. Denique in hoc diro cruciatu illapsa fuit eius fides, vt se*

relictum

A *relictũ esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio confideret.* Hæc ille. Sed totus hic fucus, totáque euasio, quàm variè futilis sit, attendat lector. Primùm verba illa, *Deus meus, Deus meus*, & similiter, *Patermi*, sicuti Caluinum docuerunt, fiduciam Christi (quã ille fidem impropriè vocat) stetisse semper illæsam, ita etiam docere debuerũt, nullam hic fuisse derelictionis diuinæ tentationem, nullum æternæ mortis horrorem, aut damnati hominis pœnam, nullã desperationis vocem, nisi fortè existimet Caluinus ipsos etiam damnatos, fidem ac fiduciam retinere posse, qua Deũ sibi propitiũ esse credant, & qua exclament, *Deus meus, Deus meus*. Deinde an non multò facilius est, Christiq; puritati conuenientius, totam Christi orationem tam breuem, tam succinctam, sibi similem & conformem facere, sanctáq; fiducia, quoad Dei in eum bonitatem plenam, & derelictionem (de qua loquitur) ad instantem mortem referre, à qua Christus naturaliter hic abhorrebat, sicut in horto; quã ad iræ & maledictionis diuinæ metum? Hæc enim duo optimè consistunt, vt manente fixa & immobili diuinæ bonitatis fiducia, siue Christus siue aliquod mẽbrum eius temporalem mortem naturaliter refugiat, aut aliquod aliud malum pœnale. Sed manente bonitatis diuinæ fixa fiducia, vt eiusdem bonitatis metus & diffidentia in aliquo oriatur, etiam in quouis homine, nedum in Christo, non magis possibile est, quàm vt manente feruido calore aliquis frigeat. Fixæ quippe fiduciæ (quam in Christo manere Caluinus ponit) nõ minus repug-

B nat iræ & maledictionis diuinæ metus, quã feruido calori quodlibet frigus. Maluit tamen Caluinus sensum in illis verbis penitus pugnantem statuere, quàm cum omnium fidelium consensu sensum verbis conformem agnoscere.

Deinde non satis est agnoscere in Christo firmam & fixam diuinæ bonitatis fiduciã, à qua vt Caluinus nunc dicit, *ne tantillum quidem deflexit*, sed etiam talem, quæ tentari, aut cõmoueri non potuerit. Ait enim disertè de seipso Christus. *A dextris mihi dominus est, ne commouear.* Nõ fuit ergo in eo genere ne tentatus quidem. Nullam *Dei alienationẽ mente concepit* Christus, vt hic loquitur Caluinus. Talis quippe alienatio mente concipi sine motu mentis quomodo potuit? At ne commotus quidem fuit, vt Deum à se alienum aliquando cogitaret. Scripturæ igitur diuinæ manifestè repugnat impium Caluini commentum, sicuti cum seipso pugnare docuimus. Imò ait Caluinus, *Spiritus Dei hæc duo simul conciliat, Christum fuisse tentatum per omnia sicut nos, & tamen absque peccato.* Atqui Scripturam deprauat, & textum corrumpit. Non enim dicit Paulus Christum tentatum per omnia, *sicut nos*, quasi etiam vitiosos affectus haberet, & desideria praua, *sicut nos*; sed Paulus dicit, *pro similitudine*, siue iuxta similitudinem, videl. carnis peccati, vt alibi dicit, *filiũ suum mittens in similitudinem carnis peccati*, nõ autem iuxta similitudinẽ nostram, vel sicut nos. Quæ duo

C plurimum differunt. Christus enim habuit tentationes, quæ similitudo carnis peccati proferre potest, sed non quas caro peccati (qualis nostra est) proferre solet. Ideo Paulus adiecit, *absq; peccato*, i. absq; illis tentationibus, quæ ex peccato nascũtur. Metus iræ diuinæ & maledictionis Dei (qualem hic ponit Caluinus) est tentatio propria carnis peccati, & hominis in peccatis nati, adeóq; veri peccatoris. Non enim nisi peccatis irascitur Deus, nec iram Dei sic timet iustus. Metus mortis & aliorum pœnalium cadere potuit in similitudinem carnis peccati, quia sine peccato, naturali tantũ voluntate, illa refugiuntur. Sic hic locus adeò Caluinum non iuuat, vt eum perspicuè refutet. Ponit enim hic locus in Christo tentationes similitudinis carnis peccati, & negat in eo tentationes carnis peccati: quæ non sunt, nisi ex peccato.

Deinde, si timor, quem Christus in horto, & in Cruce habuit, quum verba quæ nunc tractamus diceret, fuit timor & metus maledictionis & iræ Dei, profectò non fuit momentanea tentatio, cum qua fixa & illæsa mansit fiducia bonitatis diuinæ (vt hic Caluinus rem extenuat) sed fuit permanens tentatio ac timor cum assensu eóq; insigni. Humi quippe prostratus, *cum lacrymis & clamore valido*, idq; *ter repetita oratione*, orabat prolixius Patrẽ, vt calicem instantem à se transferret. Si calix ille, quem sic exhorruit, fuisset iræ & maledictionis diuinæ calix, quo tunc æstuabat, & quẽ tunc à se remoueri tanto feruore orabat, profectò *plusquam tantillum à fiducia bo-*

D *nitatis diuinæ deflexisset*, & toto illo tempore cum insigni assensu in illo maledictionis diuinę metu mansisset, & sic absque insigni peccato non fuisset.

Cæterùm vbi Caluinus in Christum Dei ore sacrilego dixit, quæcunque scelerato animo collibitũ fuit, nunc istis exceptionibus atrocem suam blasphemiam colorare & fucare nititur. Quod re ipsa perinde est ac si quis vbi narrauisset aliquẽ esse mẽtitum, esse calumniatũ fratres, infidelem & blasphemum euasisse (quibus vt per se malis semel admissis, nulla moderatio affectuũ medeatur, vt non sint peccata) adiiceret: sed ita tamen vt ne tãtillum quidem à veritate dicenda deflexerit: vt charitas nihilominus & fides totáque veritas fixa in eo atq; illæsa permanserint: nisi quòd istud tanto sceleratius & magis ridiculũ est, quanto filius Dei homini peccatori præstat. Præterea, si in tota hac lucta & certamine seu agonia Christi in horto, itẽq; in illis verbis in Cruce prolatis, *Quare me dereliquisti, Christus ne tantillum quidem à diuinæ bonitatis fiducia deflexit, Christi fiducia in Deum fixa & illæsa permansit, si Deum præsentem intuebatur, fide semper retinuerit Deũ sibi esse propitium*, (quæ omnia hic Caluinus dicit) quomodo vera sunt illa alia portẽtosa eius verba, Christum in his duobus locis, *diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse, cũ inferorum copijs æternæq; mortis horrore quasi consertis manibus luctatum fuisse, formidabilem illam abyssum ingressum esse, qua se à Deo derelictum & alienatum sentiret, idque perinde ac si in ipsius perniciem Deus conspirasset; denique sceleratorum pœnas omnes, quæ ab illis expetendæ erant, perpessum esse, hoc vno excepto, quod huius-*

Instit. l. 2. c. 16. n. 2.

Heb. 4.

Caluinus diuinæ Scripturæ textum deprauat.

Rom. 8.

Caluin. ex Scriptura, quã pro se adfert, refutatur.

Luc. 22.

Calu. artes pessimæ.

Instit. l. 2. c. 16. n. 10. & cap. 11.

modi doloribus teneri non poterat? quorsum hæc tam tragica verba, si totus ille, quem fingit diuinæ maledictionis metus & conceptio sic momentanea, imò sic nulla erat, vt fiduciam diuinæ bonitatis nunquam amiserit, vt reuera Deum sibi iratum non timuerit, vt eum semper præsentem sibiq; propitium, fixa & illæsa fide tenuerit? quàm sunt hæc secũ pugnantia, quàm absurda, quàm ridicula? Sed hæc est consueta & ordinaria Caluini partim impietas, partim impudentia. Vbi summam impietatem euomuit, eam summa impudentia rursùm negat. A

Calu. artes pessimæ.

Sed an ista consistere queant, adhuc expendamus magis. Hic enim confictus in Christo animæ cruciatus tanti à Caluino eiúsq; sectatoribus fit, vt eo prætcrito, *multum ex morte Christi fructum deperire*, imo vt in eo *Redemptionis nostræ pretium maius atq; excellentius esse*, affirmet Caluinus quam in morte & sanguine Christi: vt Beza etiam scribat, *in eo posità esse nostræ pacis & cum Deo reconciliationis summam*. Expendamus igitur adhuc nonnihil doctrinæ huius Caluinianæ summã & extremam impietatem. *Christus* (ait Caluinus) *cum æternæ mortis horrore conflixit: diros cruciatus damnati & perditi hominis sustinuit. Sceleratorum pœnas omnes persoluit, excepto quod æternæ non erant. Mortem quæ ab irato Deo sceleratis infligitur perpessus est.* Examinemus paululum hæc singula. Horror æternæ mortis & pœna hominis damnati, includit essentialiter desperationem salutis non momẽtaneã, sed fixam, sicut beatitudinis præmium includit certitudinem salutis nũquam amittendæ. Si ergo damnati hominis cruciatus sustinuit Christus, profecto non solùm *desperationis vocẽ emisit*, nec sola *species tentationis ei obiecta est, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus*, sed ipsa desperatione laborauit, & de salute sua quum in horto & in cruce illa verba diceret ad tempus desperauit. Deinde si *sceleratorum pœnas omnes, excepto quòd æternæ non erant, in anima persoluit*, ergo & ignem illũ infernalem sensit, de quo Christus dixit, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, hoc vno duntaxat excepto, quod ille ignis Christo æternus non fuit. Hęc est enim propria pœna sceleratorum æterna. Rursum si *mortem Christus pertulit quæ ab irato Deo sceleratis infligitur*, ergo mortem secundam, quæ propriè stipendium peccati est, propter quod Deus irascitur, pertulit. At illa propria est damnatorum pœna. Omnino, ait Caluinus, talem pertulit, *qui in locum illorum tanquam sponsor vadis & rei instar submissus est*. At vnde hoc tandem, prophanum & inauditum in Ecclesia Dei verbũ, accepit Caluinus? *Hoc* (inquit) *significat Propheta in illis verbis, disciplina pacis nostræ super eum, percussus est propter scelera nostra, attritus propter infirmitates nostras*. Atqui hoc totũ de pœnis, quas sustinuit Christus in corpore suo super lignum, intellexit semper Ecclesia Dei. An non sic Apostolica Scriptura apertè nos docuit? *Mortuus est* (ait Paulus) *propter delicta nostra iuxta Scripturas*. An non docet hic locus Scripturas propheticas, quæ de Christi pœnis loquuntur, eas designare, quas per mortem corpoream pertulit? Sanè ipse Caluinus in hunc Pauli locum inter alias Scripturas, quæ Christum pro peccatis nostris moriturum prædicunt, etiam hũc Esaiæ locum ponit, móxq; addit *mortem Christi fuisse sacrificium pro expiandis peccatis nostris, fuisse pœnã satisfactoriam, per quam Deo reconciliaremur, fuisse vnius damnationem ad impetrandam nobis absolutionẽ*. Vt quid ergo impius Caluinus tam aduersus Scripturas quã aduersus seipsum, nunc *morte corporea Christi nihil actum esse* affirmat, & Scripturã, quæ de morte Christi corporea, & cruciatibus circa illam corporeis apertè loquitur, ad animę desperantis, vel de salute sua dubitantis ac diffidẽtis, ad damnati hominis pœnas, & æternæ mortis horrorem, impiè trahit? Nónne Scriptura illa prophetica, vt non nisi de pœnis corporeis sermonem illic fieri intelligeremus, totã illam prophetiã his verbis concludit, *& liuore eius sanati sumus*? Liuor autẽ iste quis dubitat quin corporeus fuerit, quem tot flagella, alapæ, spinea corona, crucis baiulatio, ac demùm precioſi sanguinis copiosa effusio pepererunt? Deinde nonne D. Petrus, quasi hunc Esaiæ locũ exponens, ostendit percussionem illam, de qua Propheta loquitur, ad corpus Christi pertinere? *Peccata* (inquit) *nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, & paulo post: *Cuius liuore sanati estis*. Quod Esaias dixit, *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*, hoc totum explicauit Petrus in corpore Christi super lignum præstitũ fuisse. Vnde & Caluinus ipse in hunc locum Petri fatetur ex Esaia, *qui pluribus vtitur loquendi formis huius doctrina summam Petrum sumpsisse*. Et addit Caluinus, tota Esaiæ sententia enumerata, *idem exprimere voluisse Petrũ hoc verbo, Super lignum, nempe hac lege nos fuisse Deo reconciliatos, quia apud eius tribunal Christus se vadem ac reum pro nobis constituit, vt pœnam solueret, cui obstricti eramus*. Hæc ibi Caluinus, suam hoc loco impietatem ore proprio perspicuè damnans. Si enim Christus iuxta Esaiæ sententiam, quam Petrus expressit, constituit se vadem ac reum pro nobis apud tribunal Dei, quatenus *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, quæ est sententia Petri; mẽdax & blasphemus Caluinus est, qui in eisdem Esaiæ verbis significari affirmat, *Christũ sic ad tribunal Dei sponsorem ac vadem, adeóque instar rei submissum esse in locum sceleratorum, vt cum inferorũ copijs æternæque mortis horrore quasi consertis manibus confligens damnati & perditi hominis pœnas omnes, excepto quod æternæ esse non poterant, persolueret:* idq; non iam in corpore super lignum, sed in anima adhuc orans in horto, *irã ac maledictionem diuinam timens*, & in ipso crucis ligno non tantũ in corpore, sed etiã *in anima formidabilem illam abyssum sentiret, derelictum & alienatum se à Deo esse, idq; adeo quasi in eius perniciẽ Deus conspirasset*. Hæc teterrima verborum monstra, non solùm diuersa, sed planè contraria illis sunt, quæ Esaiam Prophetam significare Caluinus voluit, si tamen Petro & Paulo plusquam Caluino credimus. Sed si ita singula examinemus, nullus refutandi finis erit. Reliqua breuius percurram, præsentis instituti memor.

Instit. l. 2. cap. 16. n. 8 & 10.

In Annot. in Luc. cap. 22. ver. 44

Calu. blasphemiæ pressius examinantur.

In Matth. cap. 27. B

Instit. lib. 2 c. 16. n. 20.

Esaiæ 53.

Scripturas indignissimè torquet Caluinus.

1. Cor. 15. 3

In com. ad 1. Cor. 15. 3 C

Caluinus à seipso refutatur.

1. Pet. 2.

Caluinus à seipso refutatur. D

Duobus

A Duobus adhuc abutitur Scripturæ diuinæ locis Caluinus, vt probet Christum pœnas infernales in anima pertulisse. Prior est D. Petri sententia, qua de Christo dixit, *Quem suscitauit Deus solutis doloribus inferni*, (vel vt ille legit, *mortis*) *iuxta quod* (Caluinus legit, *à quibus*) *impossibile erat teneri illum ab eo*. Hic glossat Caluinus. *Non simpliciter nominat mortem, sed filiũ Dei implicitum fuisse doloribus exprimit, quos parit maledictio & ira Dei, quæ origo mortis est*. Sed contra hanc nouam, impiam, & blasphemam Caluini glossam doctissimi & sanctissimi Augustini ante annos mille sententiam opponimus, qui duplicem horum verborum sensum adfert, quorum posterior non solum probabilis, sed & certus videtur, alijsq; Scripturis conformis. Prior sensus hic est: *Facilè* (inquit) *est intelligere sic solutos esse à Christo dolores inferni, quemadmodum solui possunt laquei venantium ne teneãt, nõ quia tenuerunt*. Nam & ideo Petrus subiunxit, *impossibile fuisse ab inferni doloribus, vel ab ipso inferno teneri Christum*. Soluti igitur erant, quia irriti facti sunt. Posterior, quem subiungit, sensus hic est: *Potest & sic intelligi, vt eos dolores Christum soluisse credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed quibus alij tenebantur, quos ille nouerat liberandos*. Hic sensus eo certior & verior videtur, quia cum alijs D. Petri verbis optimè conuenit, in quibus docet *Christum his qui in carcere erant spiritibus venientem prædicasse*. Quæ verba ad solutos dolores inferni, eorum qui in limbo erant Patrum, propriè pertinere, in nostris Antidotis ad eundem locum docebimus. De doloribus veri inferni, non imaginarij

Act. 2.24

Instit. lib. 2. c. 16. n. 11.

D. Petri verba explicantur.

Epist. 99. ad Euodiũ.

1. Pet. 3.

B quoad animam cum corpore viuentem, nec Christi proprijs, sed alienis omnes Patres hunc locum exponunt, qui infernum hic legunt, non mortem, vt Græci codices habent. Nã Græci Patres, Chrysost. Oecumenius & alij, qui *dolores mortis solutos* legunt, victoriam mortis à Christo partam exponunt, ad Caluini insaniam nemo accedit. Deinde dolores mortis esse diuinæ maledictionis sensum eo quod ira Dei mortis origo fuit, tam absurdè à Caluino dicitur, quã si diceret dolores mortis fuisse in Christo sensum peccati, quia magis propria origo & causa mortis peccatum est quàm ira Dei, *Per peccatum mors intrauit in mundum*, ait Paulus. Et sicut suspendij propter latrocinium magis propria causa est latronis delictum, quàm Iudicis sententia, quia hæc ex illo nascitur, nec Iudicis voluntas, sed delicti necessitas talem sentẽtiam peperit, sic mortis magis propria origo peccatum est quàm ira Dei, quia hæc ex illo orta est, nec Dei voluntas, *qui non vult mortem peccatoris*, sed peccati iniquitas mortis sententiam introduxit. Quare si dolores mortis, quibus Christum implicitum fuisse Caluinus vult, fuerunt dolores quos parit maledictio, & ira Dei, id est, apprehensio & timor maledictionis diuinæ, quia illorum origo ira Dei est, multo magis dici potest, dolores mortis, quibus Christus implicitus fuit, fuisse dolores quos parit peccatum, i. conscientiæ cruciatus & carnificina, qualem peccatores sustinent, quia mortis origo, & causa magis propria & proxima peccatum est.

Caluini absurditas magna. Rom. 5.

C Deinde si huiusmodi doloribus implicitus fuit Christus, quos parit maledictio & ira Dei, vel quos parit cruciatus & carnificina conscientiæ peccati, iam dicere debet Caluinus Christũ verè fuisse à Deo maledictum, & verè fuisse peccatorem. Quomodo enim tantorum malorũ dolores sentiret, adeóq; illis implicitus esset, nisi ipsa in se mala haberet? Dolor mali præsentiã mali præsupponit. Dolor febrilis ex ipsa febri nascitur. Dolor conscientiæ peccato grauatæ, peccatum peractum præsupponit. Dolor ex Dei maledictione conceptus, ipsam adesse maledictionem ostendit. Dolor inquam *quo aliquis iam implicitus est*, vt Caluinus loquitur, non dolor quem futuri aut possibilis mali metus generare potest, etiam in constanti viro. Quamquã maledictionis diuinæ possibilis metum in Christum cadere non potuisse ante ostensum est. Multò magis blasphemum est quod nunc Caluinus dixit, *huiusmodi maledictionis dolore & sensu implicitum Christum fuisse*.

Caluinus constituit Christum verè peccatorem.

Alius quo abutitur Caluinus, Scripturæ locus est, vbi Apostolus de Christo dicit, *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésq; ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*. Ex his verbis colligit Caluinus Christum in horto, & in Cruce orantem, *à metu suo* (sic enim textum Apostoli peruertit) *exauditũ fuisse, non vt à morte sit immunis, sed ne absorbeatur vt peccator: quia illic personam nostram gerebat*. Incredibilis est huius sententiæ Paulinæ corruptio, quam facit Caluinus. Primũ res certa est, vocem Pauli ἀπὸ τῆς εὐλαβείας ἑαυτοῦ, *quod à metu suo*, vertit Caluinus, non metum pœnæ aut maledictionis, sed timorem filialem seu reuerentiam significare. Idem Paulus in eadem Epistola hoc verbo sic vtitur, *Habemus gratiam per quam seruiamus placentes Deo cũ metu & reuerentia*: μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας, duobus verbis rem eandem expressit, metum filialem seu reuerentiã religiosam. Ab hoc vocabulo veri iusti timorati in Scripturis vocantur: *Simeon vir iustus, & timoratus. Sepelierunt Stephanum viri timorati*: ἄνδρες εὐλαβεῖς. An isti ita vocati sunt quia timebant maledictionem & iram Dei? Sic viri religiosi vocantur à Luca ἄνδρες εὐλαβεῖς. Deinde exauditus sanè fuit Christus orans Deum cum lacrymis, idque pro sua reuerentia, de qua ipse Christus Patri dixit, *Scio quia semper audis me*, non circa metũ mortis naturalem, nec circa aliquem metum maledictionis diuinæ, sed in deliberata & absoluta sua voluntate, in qua semper fuit exauditus. Absoluta autem Christi voluntas in horto, vbi cum lacrymis orabat, non erat, vt mortem fugeret, sed vt mortem subiret: qua dixit: *Veruntamen non sicut ego volo*, i. sicut caro mea vult, *sed sicut tu vis*. Sanè quum Christus semper fuerit à Patre auditus, vt apud Ioannem loco citato profitetur, & Paulus dicat, Christum *clamore valido orantẽ exauditum fuisse*, in voto autem transferendi calicis auditus non fuit, necesse est verba Pauli nõ de aliquo metu, aut horrore mortis æternæ intelligi posse, quẽ Caluinus à Christo exprimi voluit,

Heb. 5. 7.

D

Scripturã nequiter corrumpit Caluinus.

Heb. 12.

Luc. 2. Act. 8. Act. 2.

Ioan. 11. Christus quomodo semper exauditus.

in illo clamore,& in illis Christi lacrymis in horto effusis, itémque in illis verbis, *Quare me dereliquisti?* sed de illa Christi oratione intelligi debere, quàm ex voluntate deliberata fecit, nõ mortem deprecans, sed mortem exoptans, sicuti antea sæpè fecerat: *Pater venit hora, clarifica filium tuũ, vt filius tuus clarificet te.* Et iterum: *Pater clarifica nõmen tuum.* Et rursum: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud?* In his votis & precibus ex volũtate deliberata profectis exauditus fuit Christus pro sua reuerentia. A

Ioan.17. Ioan.12. Luc.12.

Christus personam nostrã quomodo in cruce gesserit

Præterea, quomodo timere potuit Christus, *ne absorberetur vt peccator?* *Quia* (inquit Caluinus) *illic personam nostram gerebat.* Sed quid? An sic personam nostram gerebat vt peccatorum nostrorum sibi conscius, diuinam maledictionem & æternam mortem peccatis debitam timeret? Quomodo à tanta impietate animus Christianus non abhorret? An nõ sensus fidelium hoc hactenus semper tenuit Christum personam nostram in cruce gessisse quatenus pœnas nostras portabat? De pœnis nostris illi impositis Scripturæ loquuntur: de peccatis nostris Christo imputatis (nisi quoad illorum pœnam subeundam) vt Christus tanquam peccator coram Deo habitus diuinam maledictionem & absorptionem formidaret, nulla Scriptura loquitur. Blasphemia hæc Caluiniana est, diuina maledictione digna. Vnam in Scripturis Christi mortẽ legimus, non duas; corporis sui mortem, non corporis & animæ.

Calui. opinio nefaria de duplici morte Christi.

Hebr.9.

Putat Caluinus, quia nos per peccatum mortem corporis & mortem animę, cui debetur maledictio Dei, incurrimus, Christum aliter Redemptorem nostrum esse non posse, nisi vtrãq; mortem pro nobis luat, corporis in cruce, & animę cum æternæ mortis horrore luctantis. Sed nec illa mors animæ conuenire Christo potuit, vt ex præcedentibus patet; & præterea vnã Christi mortem, eámq; corpoream & super lignum docet Scriptura, *qua vna* (ait Paulus) *oblatione, & per oblationem corporis sui semel eon summauit in sempiternum sanctificatos.* Hæc vna corporis Christi oblatio & mors Redemptionis nostræ precium vnicum & sufficientissimum fuit, nec alia Christi morte opus erat. *At* (inquit Caluinus) *nisi pœnæ particeps fuisset anima, corporibus tantum fuisset redemptor.* Sed verò quis tam non à ratione tantùm, sed vel à sensu communi alienus, vt non intelligat, adeóq; sensu non deprehendat, ipsum per se corpus non sentire, (quẽ enim doloris sensum cadauer habet?) & patiente corpore totum hominem pati? Quanquã Christum non passione tantùm corporali, quæ ad animam redũdat; sed ipsa quoq; passione animali, qua ipsa Christi anima tristis & turbata fuit, passum pro nobis fuisse suprà accepimus. Quum verò Caluinus animæ pœnam in Christo ponat, nec quæ ex corpore patienti oriebatur, nec quam mortis temporalis apprehensio, sed quam iræ & maledictionis diuinæ horror generabat, negari non potest quin Caluini sententia Christum cõstituat verum peccatorem fuisse, & diuinam maledictionem verè timuisse. Si enim ex vera corporis pœna ac morte Christus verè passus & mortuus pro nobis dicitur, profectò ex vera animæ pœna, *damnati inquam ac perditi & scelerati hominis pœna*, quoad animã (quam totam Caluinus omnino in Christo poni vult) Christus verè damnatus, perditus ac sceleratus (horreo dicere) pro nobis factus fuisse dici debet. Hæc est maximè detestabilis & execrabilis Caluini blasphemia, à qua nullus eum Caluinista excusare vnquam & abluere possit. Et tamen tam execrabilem blasphemiam voce magis execranda dicit, esse *pretium redemptionis nostræ maius & excellentius*, quàm fuerit mors corporea & sanguis Christi in cruce effusus. Sed huc dementiæ prolabi oportuit hæreticos Satanæ mancipia, vt palam sacrilego contemptu sacra Dei oracula calcarent. His quippe teterrimis blasphemijs etiam si omnes veteres hæretici, ipséque Mahometes ab orco resurgerent, atq; filium Dei certatim blasphemarent, quid addi, aut quid atrocius dici possit, non video. Eas tamen aperire & paulo operosius refutare ad Christi Redemptoris mei gloriam, tantique & tam detestandi hæretici perpetuam infamiam, operæprecium duxi. B C

Caluini duplex blasphemia sũmè execrabilis.

Caluin. cur tantas blasphemias expuerit.

Miraris fortè Lector, cur has infernales pœnas Christo adhuc viuenti Caluinus tribuat? Tota hæc blasphemia Caluino excidit, vt Christũ doceret, non aliter ad inferos descendisse, (quod in Symbolo nos profiteri credimus) quàm per istas, dum pro nobis pateretur, pœnas infernales; quã *per horrorem hunc mortis æternæ, quo cum inferorum copijs quasi consertis manibus luctatus est; quàm per pœnam damnati ac perditi hominis*; deniq; quàm *per sceleratorum pœnas omnes persolutas, quas dãnati persoluere debent*, vel, vt loquitur, *quæ à damnatis expetendæ erant, vno hoc excepto, quod illis detineri non poterat.* Christũ verò ad inferos verè descendisse negat, ne tertium locum præter cœlum & dãnatorum infernum, quem olim limbum Patrum veteres vocauerunt, nunc Purgatorium Ecclesia catholica vocat, vllo modo agnoscere cogatur. Sic vno absurdo admisso, in hæc horrẽda & maxima dilapsus est. Errorem Caluini de negato hoc tertio loco in alia feria supra refutatum dedimus. D

Infer.5. Hebd.2.

Descensus Christi ad inferos qualem Caluinus fingit, esse non potuit.

Inst. lib.2. c.16.n.17.

Alius error quòd descensus Christi ad inferos in Symbolo repositus, nihil nisi pœnas animæ Christi infernales, quas adhuc viuens in horto, in cruce pertulit, significet (quanquam horrendæ hæ blasphemiæ, quas ex sensu tam portentoso consequi iam demonstrauimus, ad illum plenissimè refutandum vel solæ sufficere debent) duplici argumento breuissimè refutabitur. Prius ipse Caluinus nobis suppeditabit. Est enim mendax iste magister, sicut & alij esse solent, mendaciorum suorũ non satis memor. Tractans illam Symboli partem, quod Christus sit Iudex viuorũ & mortuorum, & exponẽs viuos ac mortuos simpliciter intelligi debere tam eos qui Christo viuente supersunt, quàm qui dudum mortui fuere, ita scribit: *Sunt qui secus viuorum ac mortuorũ hic vocabula*

A *vocabula accipiant. Sed ille sensus, vt planus est & dilucidus, ita Symbolo longè conuenientior est quod populariter scriptum esse constat.* Hæc ille. Eodem argumento contra Caluinum vtimur. Quod in Symbolo de Christo dicitur, *mortuus, sepultus, descendit ad inferos, &c.* in plano & simplici sensu intelligi debet, *quia populariter scriptum esse Symbolum constat*, i. verbis ita perspicuis, vt à toto populo fideli prima statim facie intelligi possit. At quàm procul à populari captu & iudicio hic sensus est? *Christus descendit ad inferos*, i. pendens in cruce siue orans in horto, pœnas infernales in anima persoluit. Quis tandem non è populo tantũ, sed vel è doctorum numero sensum hunc portentosum animo aliquando conciperet? Valet autem hoc argumentum tanto fortius, quàm in alia particula, *viuorum & mortuorum*, quem veteres variè exposuerunt, quia descensum Christi ad inferos veteres omnes populariter intelligendo vnanimi consensu exposuerunt, vt in alia Feria supra annotauimus. Alterum argumentum erit, quòd hæc portentosa Caluini expositio totum ordinem Symboli in alijs omnibus articulis accuratè seruatũ penitus perturbat & inuertit. Si enim Christus adhuc viuens descendit ad inferos, debuisset in Symbolo ita dici, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, descendit ad inferos, mortuus & sepultus est*, vel potius sic: *Passus, descendit ad inferos, crucifixus, &c.* Nam quum in horto oraret, pœnas infernales Christũ persoluisse blasphemat Caluinus. Vocat quidem Caluinus *hanc exceptionem friuolam atque adeo ridiculam.* Sed sic ille loqui solet, quũ
B argumento validissimo se premi videt, vt quod firma ratione soluere nequit, quasi sublato cachinno friuolum & ridiculum proclamet. In vsu hoc illi ac more positum est. At verò nulla ratio est cur in omnibus alijs ad vnum Symboli articulis, omnia quæ de Christo credenda proponuntur, iuxta ordinem rerum gestarum collocẽtur, hic solus articulus, *descendit ad inferos*, morti & sepulturę postponatur, qui vtrũmq; præcessit, & ita præcessit, vt (si Caluino credimus) hic descensus Christi ad inferos ante mortem, *maius & excellentius Redemptionis nostræ precium fuerit*, quã ipsa Christi mors. Quomodo igitur hic vnus articulus, qui maximum redemptionis nostræ precium exprimit, tum verbis obscurissimis maximèque improprijs proponitur, tum loco & ordine prorsus alieno collocatur? Sed absurditatum Caluini non est finis, & hæc disputatio alterius loci est. In qua qui plura desiderat, legat tractatum doctissimum Henrici Vici de descensu Christi ad inferos. Manet interea firmum, præsentis Euangelij verba, & præcipuum fidei nostræ caput de Redemptione per Christum facta, ab impio Caluino tanta impietate deprauata esse, vt aliquid magis impium vix vlla à Christo nato ætas audiuerit.

Caluinus à seipso refutatur.

Feria 5. Hebd. 2.

Instit. l. 2. c. 16. n. 10. Calu. artes pessimæ.

C

FERIA QVINTA HEBDOMADÆ SANCTÆ.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ioan. 13.

AD hæc verba Caluinus præclaram sibi occasionem dari ratus, in Ecclesiasticã hodie consuetudinem, qua in hac feria pauperum aut inferiorum pedes à Prælatis Ecclesiasticis lauari solent, impotenter incurrit. Sed vt ad eam accusationem descendat, aliam præmittit. Totum insulsi cauillatoris delirium proferemus: *Notandum est* (inquit) *quod Christus se exemplum dedisse admonet. Neque enim omnia eius facta promiscue ad imitationem trahi conuenit. Papistæ se Christi exemplo quadragesimale ieiunium seruare iactãt. Atqui videndum in primis erat, an exemplum prodere voluerit, ad cuius normam se discipuli formarent. Nihil verò legitur tale. Quare non minus peruersa est æmulatio, quàm si in cœlum volare tentarent.* Hæc prior ac-
D cusatio est, cuius plenam refutationem videre licet in prima parte huius Operis. Summa est, tũ alias esse ieiunij Quadragesimalis graues causas præter exemplum & imitationem Christi, tum quia nec omnia Christi facta in exemplum trahenda sunt, nec nullum: quid eius generis sit, vt in exemplum trahi possit ac debeat, Ecclesia catholica mater fidelium; *columna & firmamentũ veritatis* docere nos debet, non superba & garrula hæresis. Latiorem hac de re contra Caluini cauillationes varias disputationem Antidota nostra Euangelica suppeditabunt, ad Mat. cap. 4. Posterior accusatio, & huic Euangelio propria, apud Caluinum his verbis sequitur: *Adde quod vbi Christum sequi docebat, simiæ fuerunt magis quàm imitatores. Quotannis theatricam pedum lotionem instituunt, ita inani nudáque ceremonia se pulchrè defunctos esse putant. Defuncti sibi permittunt fratres cõtemnere. Neque id modò, sed postquam duodecim hominibus lauerunt pedes, omnia Christi membra crudeliter lacerant: adeóque in faciem Christi ipsius conspuunt. Quare nihil quàm fœdum Christi ludibrium est comica illa põpa. Nec certè Christus hic anniuersarium ritum commendat: sed nos tota vita paratos esse iubet ad lauandos fratrũ pedes.* Hæc ille. In his verbis vnum est quasi à ratione ductum argumentum, cætera hominis sũt non ratiocinantis, sed furentis ac debacchantis. Argumentum quod aliqua ratione niti videtur, istud est. Christus lauans pedes discipulorum suorum, posteáq; dicens, *Exemplum dedi vobis, &c.* non commendat anniuersarium ritum, ergo simiæ potius quàm imitatores sunt, qui ad eius exẽplum pedes fratrũ lauant. Sed accidit huic hæretico, quod alijs hæreticis accidere solere scribit

In com. ad c. 13. Ioan. vers. 15.

In Dom. 1. Quadrag.

Cap. vnico Pedum lotio quare in Ecclesia seruatur.

D. Iudas: *Quæcunque autem ignorant blasphemant.* Non enim ideo Prælati Ecclesiastici alijsque superiores pauperum aut subditorum pedes lauant, quasi his verbis talem anniuersarium ritũ Dominum præcepisse intelligerent (humilitatis enim hoc esse documentum, non externum ritus præceptum catholici semper intellexerunt) sed ideo hunc ritum celebrant, vt tantæ humilitatis Christi exemplum renouent, & ob oculos ponant, deuotéq; colant, & ad humilitatem omnium animis fortius imprimendam, non verbo tantùm ac prædicatione, sed facto etiam ipso adhortẽtur. Nam & ideo Christum hanc actionem externam adhibuisse intelligunt, vt ea ob oculos posita, discipulis suis Ecclesiarum Præpositis futuris humilitatis virtutem imprimis necessariam, certiori documento & validius commendaret. quem Christi finem & scopum hoc loco fuisse, docet vno atque altero in loco Basilius. Non tam igitur factum, quàm finem & intentionem Christi circa factum, proposuit sibi in hoc ritu Ecclesia. Nam & hic verum est illud quod ex naturæ lumine poëta cecinit. A

Moral. lib. Reg. 70. c. 10. & 24.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Sed Caluinus non tam hospes & aduena, quàm hostis & alienigena, ab Ecclesiæ Christi consortio sese abdicans nihil mirum si mysteriorum Ecclesiæ ignarus, & ea tantùm quæ ante oculos sunt videns, de ijs quæ ignorat perperam iudicat, & inde calumnię materiam struit, vnde disciplinę Christianæ documentum haurire debuit: *Propria enim Christianorum disciplina humilitas est,* ait S. Augustinus, quam quia superba hæresis capere non potest, eius documentũ libentius carpere, quàm amplecti & imitari contendit. B

Epist. 56.

Caluini declamatio bacchica.

Furentis hic & debacchantis Caluini verba nec refutatione egent vlla, nec reprehensione nostra. Suam ipsa turpitudinem & furorem clara voce loquuntur: *Prælatos quippe Ecclesiæ postquam duodecim hominibus pedes lauerunt, omnia Christi membra crudeliter lacerare,* non membra tantùm, sed *omnia membra*; nec lacerare tantùm, sed, *crudeliter lacerare*, ac deinde, *in faciem Christi ipsius cõspuere*, nihil aliud quàm spiritum nequam, qui in Caluino loquitur, quique illum captiuum tenuit ad voluntatem suam, palam demonstrant, quasique in theatro conspiciendum ante omnium oculos sublimem ponunt. An experimẽtum quærimus eius, qui in Caluino loquitur, Belial? Hic illud habemus luculentissimum. Hic furit, hic debacchatur, hic tragico correptus œstro, ipsa Ecclesiarum Christi capita, ipsam pupillam oculi eius, non tangit modò temere culpando (nihil veritus vel illud Prophetæ, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*: vel illud Dauidicum, *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*) sed quantum in ipso est atrocissimè criminando iugulare, confodere, transuerberare contendit. Hic ille Caluini spiritus se prodit, non quo aguntur filij Dei, sed quo agitantur filij diaboli, cuius summa voluptas est Pastores à Christo datos, quia Christum ipsum non potest, mentiendo, criminando, calumniando, in odium & contemptum adducere, omnibus non deridendos modò, sed & conculcandos ac proterendos obiicere. Sed perijt cum suis furijs Caluinus. Viuit, viuétque in æternum Sponsa Christi Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, cuius vt fidem tenemus, ita honorem & debitam ab ouibus Christi reuerentiam ab omnibus tenendam, libenter docemus. C

Zach. 2. Psal. 104.

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.

PROMPTVARIVM

PROMPTVARIVM

CATHOLICVM

SVPER EVANGELIA

IN FESTIS SANCTORVM

TOTIVS ANNI.

A

PROMPTVARIVM CATHOLICVM SVPER EVANGELIA

B

IN FESTIS SANCTORVM TOTIVS ANNI.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4.

C LOCVS appositus, explicata Apostolorum vocatione hic per Christum facta, & missione futura repromissa, demonstrandi hæreticorum nullam esse hodie vocationem legitimam, ideoque non Apostolorum successores Christique ministros, sed *fures & latrones esse, non per ostium intrare sed aliunde*, non ideo venire vt Ecclesiam colligant, *vt dispersa congregent*, (quod de Christo ab Esaia prædictum Diuus Ioannes in Euangelio repetit) sed *vt mactent & perdant*, & congregata dispergant. Apostolos enim Christus primum ad se vocat, *Venite* (inquit) *post me*. Sed hæc ad doctrinam, ac disciplinam tantum vocatio erat, non ad magisterium. Quum dicit, *Venite post me*, discipulos suos illos facit. Sed quum addidit, *Faciam vos fieri piscatores hominum*, promittit illis Magisterium & Apostolatus dignitatem ad luerandas animas. Quod quum postea faceret, tum paulo ante passionem, tum statim post resurrectionem, tum etiam instante glorioſa ad patrem Ascensione, sic eos mittit & piscatores hominum facit, vt suam ipsius mittendi authoritatem, & faciendi piscatores potestatem disertis verbis semper præmitteret. Ante passionem quidem in concione in horto habita sic illis præsentibus patrem alloquitur: *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Manifestaui nomen tuum hominibus, & cætera.* Móxque præmissa oratione pro D Apostolis, & dicens: *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est*, subiungit statim, *Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.* Statim verò post resurrectionem vnam eámque præcipuam potestatis Ecclesiasticæ partem (remittendi videlicet peccata) illis daturus, præmittit primum: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*: statimque subiungit, *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Instante denique glorioſa ad patrem Ascensione, vbi præmisisset, *Omnis potestas data est mihi in cælo & in terra*, statim subiungit, *Euntes docete omnes gentes, &c.* Hic modus faciendi piscatores hominum à Christo tam diligenter obseruatus duo nos docet. Primum mittere alios ad prædicandum vel facere potestatem piscandi homines neminem posse, nisi qui ipse missus antea ad idem opus fuerit, ipsámque mittendi potestatem accepit. Alterum neminem piscari homines posse, nisi qui hanc piscandi potestatem acceperit, idque ab eo acceperit qui dandi facultatem habuerit. Christus enim ipse non mittit Apostolos nisi missus ipse à patre, nec potestatem docendi dat, nisi omni potestate prius à patre accepta, adeóque vtrumque disertè protestatus. At verò superbi hodie & insani hæretici quod Christus ipse facere noluit, facere audent, *Non enim seipsum clarificauit vt pontifex fieret, sed qui dixit ad eum, Filius meus es tu, &c.* Non à seipso se veniſſe, sed à patre missum esse profitetur. Rursum quod in

Ioan. 10. Esa. 56. 8. Ioan. 11. 52

Christus quũ mittit suam mittendi authoritatem allegat.

Ioan. 17. 4. 17. 18.

Ioan. 20.

Matth. 28.

Hebr. 2.

Hæretici hodie plus sibi arrogãt, quam Christus ipse arrogauit.

Apostolis suis permittere noluit, isti hæretici sibi arrogant & præsumũt. Non permittit vt Apostoli sua propria authoritate aut voluntate docendi officiũ assumant, non vult vt seipsos faciant piscatores hominum, *Ego* (inquit) *faciam vos fieri piscatores hominum.* Non dicit faciam vos piscatos hominum, id est, aptos & idoneos vos faciam ad piscandum, ad docendum, ad prædicandum, mea scilicet audita doctrina, meóque exemplo vobis præstito, sicuti doctus aliquis, & peritus concionator verbi rudem aliquem in hoc genere instituens, dicere posset, Faciam te concionatorem, sed dicit, *Faciam vos fieri piscatores hominum*, id est, dabo vobis potestatem piscandi, dabo authoritatem legitimam qua fiatis Doctores Ecclesiarum: sicuti si Episcopus priuato Sacerdoti diceret, Faciam te fieri pastorem animarum. At verò hæretici hodie ad vnum omnes vel à nemine missi sunt ad prædicandum Dei verbũ, vel ab illis missi sunt qui nullam alios mittendi potestatem habuerunt, ideóque omnino missi non sunt, sed seipsos fecerunt fieri piscatores hominum. Quod quidem ita se habere, ex ipsorum propria confessione ostendi potest. Hic enim probationis modus ad eos in hac parte reuincendos maximè mihi idoneus visus est, quum alijs præterea medijs probari hoc posset. Confitentur autem hoc ipsum de se ipsis omnes hodie hæretici, quia quum suæ vocationis rationem dant, nullam aliam hactenus dederunt, quàm huiusmodi: ex qua euidenter consequitur illos vel à nemine missos fuisse, vel certè ab illis qui potestate mittendi caruerunt. Hæretici enim hodie omnes tribus modis suam vocationem (quam nos nullam esse dicimus) legitimam esse ostendere voluerunt. Aliqui & sanè plerique illorum aiunt & scribunt, vocationem & electionem Ministrorum verbi, vbi Ecclesiæ sunt semel constitutæ, debere quidem ab hominibus vocantibus & eligentibus fieri. At verò vbi nullæ amplius Ecclesiæ supersunt, sed Antichristi tyrannide omnes oppressæ iacent (vt hodie factum est) sufficere immediatam à Deo vocationem. Hanc sententiam tradunt ad verbum Caluinus, Beza, Brentius & Musculus. Isti igitur omnes adeò apertè fatentur se à nemine missos fuisse, vt hanc vocationem & electionem per homines factam hodie & in præsenti casu minimè esse necessariam affirment. Seipsos ergo faciunt piscatores hominum. At verò doceatur populus primùm istos Protestantes non esse meliores Apostolis, ideóque ostendere eos debere, qui eos fecit fieri piscatores hominum. Secundò neminem sic immediatè à Deo vocari, quin debeat tamen per Ecclesiam legitimè mitti & ordinari. Paulus immediatè vocatus à Christo de cœlo, ab Anania tamen (iubente Christo) baptizatus fuit; & per impositionem manuum iubente Spiritusancto segregatus in ministerium verbi. Non sunt meliores Paulo. Tertiò quod impiè supponunt nullas Ecclesias supereße posse à quibus ordinentur. Hoc enim contradicit Christo, & mendacem eum facit, dicentem Apostolis baptizantibus & euangelizantibus, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Sunt ergo semper aliqui Apostolorum successores baptizantes, euangelizantes, & cætera. Quartò quod hac exceptione semel admissa, quilibet hæreticus & nouus Magister populi, idem prætexens, & eandem immediatam à Deo vocationem venditans, omnésque alias Ecclesias collapsas asserens, similiter audiri deberet. Sic nihil esset in Christiana Religione certum. Hæc pauca ad populum sufficiant contra hanc primam hæreticorum excusationem. Alij horum temporum hæretici dicunt legitimè se vocatos esse, eóque eorum ministerium à veris presbyteris & Doctoribus Ecclesiæ ortum habuit, videlicet, à Martino Luthero presbytero & doctore Theologo, à Bucero, Zvvinglio, Oecolampadio similiter presbyteris. Nihil enim differre presbyterum ab Episcopo. Quos igitur illi miserunt, legitimè missi censendi sunt. Hanc viam sequitur strenuéque defendit Philippus de Mornan Caluinista Gallus in tractatu de Ecclesia, & aliqui in Anglia Puritani, qui contra alios Anglo-caluinistas sustinent nihil ab Episcopo differre presbyteros, ideóque æquè posse à presbytero ordinari quem quam atque ab Episcopo. Sed qui hoc paradoxum sustinent, euidenter ostendunt se omni legitima vocatione carere. Primùm enim Lutherus, & alij prænominati si veri erant presbyteri & ideo mittendi alios potestatem habuerunt, necessario sequitur Romanam Ecclesiam veram esse Dei Ecclesiam, & alios mittendi potestatem habere. Lutherus enim & isti alij à Romana Ecclesia presbyteri creati sunt, nec vllam post schisma suum ordinationem nouam acceperunt. Quare aut Romana Ecclesia quæ illos misit, vera est Ecclesia, (& sic illi sunt hæretici qui ab ea exiuerunt) aut si ab illa hanc potestatem non acceperunt, immediatè à Deo missos se fuisse dicere debent: & sic ad primam sententiam iam refutatam recidunt. Secundo Romana Ecclesia quæ illos presbyteros creauit, nullam illis alios mittendi potestatem dedit, ac neque dare se posse simplici presbytero profitetur. Ergo rursum à seipsis hanc sibi potestatem arrogarunt isti presbyteri, ideóque ab illis omni legitima missione carent. Tertio si hæc sententia vera esset, omnes adhuc Caluinistæ excludantur, qui nullam à Luthero, aut etiam Zvvinglio missionem, vel acceperunt, vel accipere volunt, quum ab vtriusque placitis longissimè recesserint. Quarto si quam alios mittendi potestatem presbyteri Romanæ Ecclesiæ habent, illam totam ab Ecclesia Romana recedendo amittunt. Merito enim hac ipsa eos potestate Romana Ecclesia priuaret: & vnitatem Ecclesiæ qui deserit, non Ecclesiæ amplius, sed sibi & suo schismati filios parit. Quinto Lutherani ipsi apud Imperij ordines egerunt, vt ab Episcopis Misnensi & Numburgensi ministri eorum ordinarentur, ipsique adhuc hodie Bohemi latenter & simulatè ad ordinationes Episcoporum Catholicorum irrepunt, vt commemorat Franciscus Turrianus in libello de Ecclesia & ordina-

Hæretici hodie fecerunt seipsos piscatores hominum.

Hæreticorum vocatio tribus modis defensa.

Inst. lib. 4. c. 3. n. 18.

Cõfess. fid. c. 5. n. 28.

In prolegomenis.

In locis comm.

1. *Contra 1. defensionẽ.*

Act. 8. & 13.

3. *Matth. 28.*

4.

Cap. vlt.

Contra 2. defensionẽ.

1.

2.

3.

4.

5.

Lib. 2. c. 3.

A

B

C

D

tione

A tione ministrorum. Sexto tota antiquitas vnanimiter docet Presbyterum ab Episcopo in hoc clarissime distingui, quod mittere & ordinare ad ministerium verbi solius Episcopi sit, nunnunquam autem presbyteri. Sanctus Hieronymus ipse, quum acerrime contenderet de æquando presbytero cum episcopo, ait tamen, *Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod non faciat presbyter?* Chrysostomus similiter: *Sola ordinatione episcopi superiores sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Aërius inter hæreticos à sancto Augustino & Epiphanio recensetur hoc nomine, quod ipsam ordinandi potestatem presbyteris tribueret. Idem discrimen docet sanctus Dionysius Areopagita, & sanctus Clemens Romanus Apostolorum ipsi discipuli. Hæc igitur missio adhuc nulla est. Tertia ab hæreticis hodie prætensa vocatio est, quod à suo magistratu, vel principe mittantur, & ab illis potestatem ministerij accipiant. Sed (vt alia taceam) hãc alios mittendi potestatem nullus Magistratus, aut Princeps sæcularis à Christo in Scripturis, vel à Deo alioqui vnquam accepisse legitur. Vanum igitur & præsumptuosum hoc totum est. Vide plura huc pertinentia in alia Dominica super illa verba, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c.* Quum igitur his tantum tribus modis vocationem suam hæretici horum temporum defendũt, in nullo autem istorum legitimam missionem ostendere possunt, euidenter sequitur, omni vera missione illos carere, nec à Christo factos illos esse piscatores hominum, sed seipsos tales fecisse.
B Currunt nemine mittente, piscantur nemine iubente; ascendunt non per ostium sed aliunde, vt nihil sit mirum, quod in vanum currunt, quòd piscando non capiunt sed decipiunt homines, quod non pascunt sed mactant & perdunt.

In epist. ad Euagrium & in com. ad Tit. 1. Har. 53. & 75. Eccl. hier. cap. 5. Const. Apost. l. 2. 3. Contra 3. defensionẽ. Dom. 22. post Pent.

IN DIE S. THOMÆ APOSTOLI.

Cum sero esset, & fores essent clausæ, venit Iesus. *Ioan. 20.*

Vide de clausis ianuis Dominicam in Albis.

Beati qui non viderunt & crediderunt.

C

LOCVS commodus hæreticorum errorem taxandi, qui vt ex alijs Scripturæ locis perperam intellectis, sic ex isto præposterè inferunt ex sola fide beatos nos esse. At Christus hoc loco neq; ex sola fide beatos nos esse pronunciat, neque ideò simpliciter beatos quia credimus, sed docet beatiores illos esse, & in comparatione aliorum, non qui simpliciter viderunt, & crediderunt (alibi enim ipsis Apostolis eum videntibus dixerat, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & cætera*) sed qui sic viderunt vt non aliter crederent nisi vidissent. Beati igitur sunt, id est, magis beati qui quod non vident credunt tamen, quàm illi qui non credunt nisi videant: quales hodie hæretici sunt, qui Christi corpus in Vener. Sacramẽto realiter adesse ideò non credunt, quia non vident, vt alio in loco ex Caluini verbis ostendimus. Beati autem catholici, qui Christum in Ecclesia oculis corporeis non vident, & tamen secum ibi & videre & tangere & accipere oculis fidei certissimè credunt.

Contra solius fidei beatitudinem. Matth. 13. Domin. 4. Quadrag.

Rursum notandum hoc loco incredulitatem D. Thomæ in hoc à Christo coargui, quòd cæteris referentibus Christum à se visum veréque resurrexisse, credere tamen noluerit, *Dixe-*
D *runt ei alij discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis. Nisi videro in manibus eius, &c. non credam.* Hanc ergo incredulitatem ei Christus exprobrauit, dicens: *Noli esse incredulus sed fidelis*, & rursum: *Quia vidisti me, credidisti*, quòd Apostolus referentibus, quòd Ecclesiæ voci credere noluerit. Rursum quum dicit, *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, Catholicæ Ecclesiæ fidem Christus commendat: eam videlicet qua Ecclesiæ eius, & testibus ab eo missis atque ordinatis credimus. Sic apud Marcum iterum Christus *exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quòd ijs qui viderant eum resurrexisse, non crediderant.* Sic rursum generaliter de tota fide loquens, ita ad patrem orat, *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui per verbum eorum credituri sunt in me.* Orat pro fidelibus qui non per Scripturas proprio sensu intellectas, sed qui per verbum Apostolorum, per verbum Ecclesiæ credunt in Christum & quæcunque de Christo credenda sunt. Vnde sanctus Augustinus in hunc locum: *Per verbum* (inquit) *Apostolorum vt & nos crederemus, verbum Christi ad nos vsque peruenit vbicunque est eius Ecclesia, & peruenturum est ad posteros.* Hæc ille. Est ergo verbum Christi verbum Apostolorum, & verbum Apostolorum, verbum Ecclesiæ in suis Magistris, & Apostolorum successoribus. Credit Christo qui credit Apostolis, qui credit Ecclesiæ Apostolicæ. Beatos igitur in hoc Euangelio eos demum Christus pronuntiat, qui non ideò credunt quia viderunt, quia clarè hoc atque perspicuè, vel sensu, vel ratione, vel argumẽto apodictico

Ecclesiæ fides à Christo cõmendata. Marc. vlt. Ioan. 17. Tract. 10. in Ioan.

perſpexerunt (vt hodie hæretici credere volunt) ſed qui non viderunt & crediderunt, qui Eccleſiæ vocem audierunt,& per verbum docentis Eccleſiæ Chriſto crediderunt,quæ propria eſt A
Catholicorum fides,& verè Chriſtiana. Vide plura quæ huc pertinent in die Aſcenſionis Dominicæ.

IN DIE NATALIS DOMINI.

Luc. 2.

Pax hominibus bonæ voluntatis.

Inſtitut.l.3 c.2.n. 7. Contra certitudinem gratiæ,falſam hæreticorum pacem. Rom.5.

LOCVS idoneus explicandi contra hæreticorum impoſturas, quæ ſit vera pax quam Chriſtus natus in mundum attulit. Hæretici in ſola fide, & perpetua fiducia erga promiſſiones à Chriſto factas hanc pacem ponunt. Fidem enim ipſam definit Caluinus eſſe, *diuinæ erga nos beneuolentiæ firmam certámq; cognitionem, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata per Spiritum S. & reuelatur mentibus noſtris & obſignatur.* Volunt pacẽ cõſcientiarum & animorum noſtrorum in hac perpetua, firmá & certa diuinæ erga nos beneuolentiæ cognitione conſiſtere: vt fide apud eos iuſtificari nihil ſit aliud quàm certitudinem gratiæ perpetuam retinere. Ideò quod nos apud D. Paulum legimus, *Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus apud Deum*, illi malunt legere, *pacem habemus apud Deum*, vt ſanè hoc ipſum fide iuſtificari, ad hanc pacem habẽdam ſufficiat, imò hoc ipſo pacem apud Deum nos habere quod fide ſumus iuſtificati, nobis cõtrà credentibus ex fide quidem nos iuſtificari, id eſt, principium iuſtitiæ conſequutos eſſe, vt ſic poſtea *pacem habeamus apud Deum per Chriſtum per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam*: id eſt, per cuius fidem vnum paſſum fecimus ad gratiam hanc conſequendam. Et hanc Catholicorum fidem Angelica hæc prædicatio noto Chriſto luculenter confirmat. Denuntiat enim *pacem hominibus bonæ voluntatis*. Bona autem voluntas multo plura deſiderat quàm fidem in Chriſtũ aut fiduciam in promiſſiones eius. Bona voluntas illa eſt quæ Dei voluntati conformis eſt, quæ non vult niſi quod bonum eſt, quæ per Chriſti gratiam ſanata eſt, vt Dei voluntatem legémque mandatorum impleat. Idcirco oramus *vt Dei voluntas in nobis fiat ſicut in cælo ita & in terra*. C
In cœlis autem (ait Sanctus Chryſoſtomus) *omnia æqualiter fiunt, & non alia audiunt Angeli, alia contemnunt, ſed in omnibus planè obſequuntur.* Sic nobis eſt faciendum. Nam *qui delinquit in vno factus eſt omnium reus*. Rurſum hæc eſt *voluntas Dei ſanctificatio noſtra*. Hanc bonam voluntatem qui habet, ille demum pacem in Chriſto habet, pacem quam Chriſtus in mundum allaturus venit, obtinet. Impij horum temporum hæretici docent pacem & fiduciam & certitudinem & ſecuritatem perpetuam, nullo habito bonæ voluntatis reſpectu, ſed ſolum Chriſtum reſpiciendo. Sic Caluinus ad verbum docet, *Si* (inquit) *teipſum conſideras, certa damnatio eſt: Sed quoniam Chriſtus tibi cum omnibus ſuis bonis ſic communicatus eſt, vt omnia eius tua ſiant, vt fias eius membra, adeóque vnum cum ipſo, iuſtitia eius tua peccata obruit, ſalus eius tuam damnationem abolet, ipſe ſua dignitate intercedit, ne in conſpectum Dei veniat tua indignitas.* Hęc ille. Quare in eodem loco Lutheranos quoſdam *ſemipapiſtas* vocat, *& peſtilentiſsimam philoſophiam docere* ait, quia docent nos indignitatis noſtræ intuitu fluctuare & hæſitare poſſe. Et paulo poſt in eodem capite apertius ſuum venenum effundit: *Perniciosum* (inquit) *eſt illud ſcholaſticum dogma, nos de gratia Dei erga nos non aliter ſtatuere poſſe quàm ex coniectura morali, prout ſe vnuſquiſque non indignum ea reputat. Equidem ſi ab operibus æſtimandum ſit qualiter affectus erga nos ſit Dominus, id ne tenui quidem coniectura poſſe nos aſſequi fateor. Sed quum ſimplici & gratuitæ promiſsioni reſpondere fides debeat, nullus ambigendi locus relinquitur.* Hæc ille. At vero contra hanc peſtilentiſſimam hæreſim vel ſola hæc vox Angelica nato Chriſto decantata valere & ſufficere debet, *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Sed & aliæ Scripturæ luculenter docent pacem, fiduciam, ſecuritatem,& quietem conſcientiæ, nullam eſſe poſſe aut debere, niſi vbi bona volũtas, bonæ conſcientiæ teſtimonium, bonorum operum conſideratio adeſt. *Gloriamur in ſpe gloriæ*, ait Apoſtolus,& addit. *Spes non confundit*, ſed cauſam ſubiungit quam hæretici aduertere nolunt. *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ qui datus eſt nobis.* Amor igitur Dei,& bona opera quæ producit (*probatio enim dilectionis eſt exhibitio operis*, ait ſanctus Gregorius) efficiũt ne ſpes confundat, ne varia ſit fiducia, vt firma ſit gloriatio & pax conſcientiæ. Rurſum *Spiritus Sanctus perhibet teſtimonium ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei*, ſed hoc teſtimonium Spiritus ſancti eſt ipſa dilectio, ipſa charitas, quæ nihil aliud eſt quàm bona voluntas. Sic rem exponit Diuus Ioannes: *Videte qualem charitatem dedit nobis pater vt filij Dei nominemur & ſimus.* Et paulo poſt: *In hoc* (inquit) *ſcimus quoniam manet in nobis Dei filius, de Spiritu quem dedit nobis.* Iam vero quis eſt iſte Spiritus, niſi dilectionis Spiritus, vnde filij Dei nominamur & ſumus niſi ex dilectione? Totum hoc docet idem S. Ioannes: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* Eſt ergo ipſa charitas

Ibidem.

Bona volũtas quæ.

Hom.10. in Matth. Iacob.4. 1.Theſſ. 4.

Hęretico rum falſa pax. Inſtit. li.3. c.2.n.22.

Num.

Nulla pax vera abſq; bona conſcientia. Rom.5. Hõ.30.ſuper Euang. Rom. 8. Charitas eſt teſtimonium inhabitantis Spiritus S. 1.Ioan.3. 1.Ioan. 4.

A charitas & dilectio (*quæ implet legem*) testimonium præsentis in nobis Spiritussancti. Sic Aug. rem explicat. *Vnde cognoscit vnusquisque accepisse se Spiritum* S. *Interroget cor suum, si diligit fratrem: manet Spiritus Dei in illo.* Hæc ille. Rursum hoc testimonium Spiritussancti in nobis est, *si Spiritu*, (id est diuini Spiritus adiutorio) *facta carnis mortificamus. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur* (ait Paulus) *ij sunt filij Dei.* Agi vero Spiritu est (quod in præcedenti sententia posuit) *Spiritu facta carnis mortificare.* Non est ergo pax, nõ est securitas, nõ est certitudo gratiæ, non est testimoniũ Spiritus sancti in nobis, nisi vbi bona voluntas, charitas Dei & proximi, carnisque mortificatio adest. Quare Paulus de seipso ita pronuntiat. *Gloria nostra* (in qua videlicet pacem teneo & conquiesco) *est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Hæc fuit pax bonæ voluntatis. Sic D. Ioannes. *Si cor nostrum* (inquit) *non reprehenderit nos fiduciam habemus apud Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mãdata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Hæc est vera & sancta fiducia, vera & solida pax, qua S. Apostoli nos docuerunt, qui vtique Christi in nos beneficia optime intellexerunt. Christus non datur impiis, nec tantum credentibus in eum, *sed obtemperantibus sibi factus est causa salutis*, ait Paulus. Hanc pacem & certitudinem docet nos etiam S. Petrus. *Satagite vt per bona opera certam*, (id est firmam, fiducialem, pacificam) *vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Sic & Paulus Hebræos suos hortatur. *Cupimus* (inquit) *vnumquemque vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei* (id est, vt firma sit spes & fiducia) *vsque in finem, vt non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones.* Iuxta hanc Apostolicam doctrinam sic scripsit August. *Quæ spes esse potest sine aliqua conscientiæ bonitate?* Et paulo plenius S. Chrysost. *Vnusquisque nostrum nulla in re alia spem suam nisi post Dei misericordiam in morum sanctitate constituat.* Hæc ille. Pax igitur & vera pax hominibus bonæ voluntatis. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Iustitia Christi nostra peccata non obruit, salus eius nostram damnationem non abolet, nec dignitas eius nostram indignitatẽ tegit, & impie docet Caluinus, sed gratia Christi ipsam impietatem è cordibus nostris fugat. *Peccatum nobis non dominabitur, quia sumus sub gratia, Christus venit vt dissoluat opera Diaboli*, quæ sunt peccata, non vt tegat quasique foueat illa. *Sanguis eius emundat corda nostra ab operibus mortuis*, non relinquit ea semper immunda, vt eius precio immunditiam tollat. Denique *dedit semetipsum pro nobis Christus, vt nos redimeret ab omni iniquitate* (nec hoc tantum, sed) *& mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Sic Christus se totum nobis communicat, quia gratias suas nobis impartit, *quia de plenitudine eius accepimus omnes*, quia *de Spiritu suo dedit nobis.* Sic pacem attulit mũdo hominibus bonæ voluntatis. Caluinistæ *decipiunt populum Dei, dicentes pax & non est pax. Deus ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.* Deus per Christum facit nos nouã creaC turam, quæ est, vt Paulus eam vocat *fides quæ per dilectionem operatur.* Impius Caluinus liniuit eam sola fide absque bonis operibus. Lutum mixtum paleis firmum parietem facit; absque paleis quauis pluuia dissoluitur, quouis vento impellitur. Sic fides per charitatem operans veram facit iustitiam & pacem, *fides sine charitate* quauis tentatione concutitur, & *inanis & mortua est*, teste Iacobo.

Rom.13. Tract.16. in epist. Ioan. Mortificatio testimonium Spiritus. Rom.8. 2.Cor.2. 2.Ioan.3. Hebr.5. 2.Pet.1. Hebr.6. Ser.15.de verb.Do. Ho 5.in Matt. Esaiæ 48. Caluiniana pax refutatur. Rom.6. 1.Ioan.3. 1.Ioan.1. Tit.2. Ezech.13. Gal.6. Iacob.2.

Sed quum tota hæc Euangelica doctrina nostri temporis hæreticis admodum displiceat, hanc electionem nostram ab Erasmo admoniti, vitiosam & corruptam esse clamitant. In Græco quippe non in genitiuo, sed in nominatiuo legitur illa vox quam noster interpres vertit, *bonæ voluntatis*: εὐδοκία. Sed & ipsam vocem græcam negant prorsus, authore Erasmo, significare in Scripturis bonam voluntatem in homine, sed vel ipsum Dei beneplacitum erga homines, vel certè mutuam quandam inter homines amicitiam, idque rarissime. Sed non omnia vidit Erasmus, quẽ hoc in loco infœliciter quidam sequutus est interpres catholicus, diserte affirmans, hanc vocem nunquam tribui hominibus respectu Dei. Nam ad Philipp. ca. 1. vbi legimus, *quidam propter bonam voluntatem Christum prædicant*, (quæ haud dubie bona voluntas fuit respectu Dei, & propter honorem Dei) græcè est, διὰ εὐδοκίαν: & ad Rom. 10. vbi Paulus dicit, *voluntas quidem cordis mei, & obsecratio pro illis fit ad Deum*, vbi sua bona voluntate puraque erga Iudæos charitate non amicitia humana loquitur, græcè est, ἡ εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας. Falluntur ergo, qui Erasmum sequuti vocem Græcam hoc loco, non bonam in homine voluntatem, sed Dei tantum erga homines beneplacitum, significare volunt. Exclamat quidem hoc loco Caluinus, & dicit, *vnde factum sit vt obreperet genitiuus casus nescio. Certè lectio vulgata quæ habet, hominibus bonæ voluntatis, non modo tanquam adulterina repudiari debet, sed etiam quia totum sensum corrumpit.* Sed contra Caluinum Beza ipse sic scribit, *Ad me quod attinet, quamuis in omnibus exemplaribus Græcis legerim* εὐδοκίας, *in nominatiuo, & ita sim interpretatus: tamen Origenis, Chrysostomi, veteris interpretis authoritatem, ipsam denique rationem sequutus, non recusem legere* εὐδοκίας, *in genitiuo, & totam hanc orationem in duo membra partiri hoc modo. Gloria in cælis altissimis Deo, & in terra pax in hominibus dilectis vel complacitis.* Hæc ille, exponens verbum εὐδοκίας, de bona voluntate & beneplacito Dei erga homines, non de bona voluntate in ipsis hominibus. Cæterum Græci illi Patres à Beza citati, Origenes hom. 13. in Lucam, & Chrys. hom. 36. in Matt. in sermone de Ascensione Domini, & hom. de Natiuitate Domini, quibus adde eundem Origenem hom. prima in Matthæum, & contra Celsum libro 1. & eundem Chrysostomum, homil. 1. in Matt. operis imperfecti, & homilia 35. de Natiuitate Christi, D. quoque Hieronymum in cap. 2. Esaiæ, & Augustinum ad Simplicium

Beza contra Calu.

libro 2.quæſt.2.non ſolum in genitiuo legunt,ſicut noſter textus habet ,ſed præterea de bona A
voluntate in hominibus exponunt,docentes pacem quam Chriſtus attulit,non niſi in bonæ voluntatis hominibus reſidere , quia iſta bona voluntas in credentibus effectus eſt pacis , quam Chriſtus attulit. Sanè in genitiuo caſu omnes veteres Latini Patres conformiter hæc verba legunt,quoties hunc locum tractant,vt ipſemet fatetur Beza.Non igitur lectio vulgata,ſed impius Caluinus aliique nouatores totum huius loci ſenſum corruperunt.

IN DIE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Quoties volui congregare filios tuos,ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti?

Matt.23.

Liberum arbitrium defenditur

LOCVS perſpicuus docendi contra hæreticos noſtri temporis omnes, eſſe in homine poſt peccatum primi parentis liberum arbitrium,quo poſſit recuſare adeoque reſiſtere gratiæ Dei ſi velit , ideoque Dei gratiam voluntati B
humanæ vim non facere,neque hominem vel inuitum vel coactum Deo vocante obedire,ſed ſponte ſua,adeoque prorſus libera electione gratiam Dei vel acceptare vel reſpuere.Hoc enim totum hæretici hodie negant,vt totius meriti radicem tollant:nec vt Dei aut Chriſti gratiam amplificent,ſed planè vt eandem impiè deprimant,eiuſque & vim & efficaciam in cordibus fidelium infirment. Maior enim eſt Chriſti gloria,maior gratia,maior ipſius gratiæ benignitas,quod ipſam quoque voluntatem hominis (qua nihil ad flectendum durius) ſuauiter tamen trahit & flectit,eamque in ſua conditione relinquit,non cogit,non impellit,hominemque liberè bene agere , atque ita ad ſuam ipſius glorificationem concurrere permittit,(vnde eleganter Chryſoſt.ait,*Volens Deus hominem glorificare:tentat eum,non vt eum magno iudicio glorificet , ſed vt ne ſine cauſa glorificet*) ac denique iuſtè eum iudicandi cauſam non tollit, (*ſi enim non eſt liberum arbitrium quomodo iudicat mundum?*ait Auguſtinus,id eſt,nullus relinqueretur vel peccatorum pœnis vel operum præmiis iuſtitiæ locus) quam ſi,vt hæretici volunt,totum in nobis ageret, homineſque ad bene operandum violenter cogeret,aut etiam eorum voluntates efficaciter determinaret. Docet autem apertiſſimè hoc Euangelium Iudæos , populum duræ ceruicis,diuinæ gratiæ libera ſua, ſed im- C
proba voluntate reſtitiſſe. Docet eos abiectos fuiſſe, non quia Deus eos volentes conuerti deſeruit, ſed quia ipſi (Deo omnia tentante & procurante ſalutis media) conuerti noluerunt. *Quoties* (inquit) *volui vos congregare,& noluiſtis*? Nempe Chriſtus ſanè venerat, vt *diſperſos filios Iſrael congregaret in vnum*, ſicuti de eo propheta prædixerat, & Ioannes Euangeliſta confirmat. Venit vt *moreretur pro tota gente & populo,vt Caiphas prophetauit*. Sed noluerunt congregari. *Dilexerunt magis tenebras quam lucem*:& vt Stephanus illis in os obiecit, *ſemper reſtiterunt Spiritui* S. Denique vt vetus Scriptura commemorat, *obdurauerunt corda ſua*. Horum hominum exemplo manifeſtiſſimè nos docet,& poſſe & ſæpè ſolere improbos homines diuinæ gratiæ reſiſtere. Ipſemet *Pharao contra miſericordiſſimam Dei veritatem libero pugnauit arbitrio*, ait Auguſtinus. Plura in hanc ſententiam vide in aliis duobus Euangeliis ſuper Dominicas totius anni. Certè Iudæi viſis ſtupendis Dei miraculis & eximiis acceptis beneficiis,ſic tamen rebelles permanebant , vt Deus ad Moyſem exclamet. *Vſquequo non credent mihi*?& per alium Prophetam.*Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi*.Et adhuc rurſum,*Vocaui & renuiſtis*: & de impio dicitur, *Noluit intelligere vt bene ageret*. Nihil his Scripturis apertius. Eſſe igitur prorſus in humana voluntate poſitum , velitne gratiã oblatam acceptare an repudiare, ſemelque acceptam retinere an abiicere,in Scripturis ſacris bene verſato dubium eſſe non poteſt. Vnde iterum apud Ioannem,multis ex Chriſti diſcipulis retro abeuntibus , eumque deſerentibus in quem prius crediderant,ſoliſque duodecim apud eum perſiſtentibus, dixit illis Chriſtus,*Nunquid & vos vultis abire?*In quæ verba ſic ſcribit B.Cyprianus.*Seruat ſcilicet legem,quæ homo ſuæ libertati relictus,& in arbitrio proprio conſtitutus , ſibimetipſi mortem appetit vel ſalutem*.Hæc ille.Retinẽda eſt igitur,& ex hoc Euangelio luculenter oſtendenda liberi noſtri arbitrii facultas,quam impiè tollere hæretici ſtudent:impiè ſanè,quia ea ſublata, & peccandi neceſſitate conſequenter introducta,habent in promptu excuſationes in peccatis,eoque tendunt,vt omnium peccatorum noſtrorum Deum ipſum authorem & impulſorem doceant.Quod perfricta fronte docuit Caluinus,vt alio in loco ex eius verbis perſpicuè oſtendimus,ſimulque refutauimus. Qui quidẽ impoſtor ſingularis, quia hæc Chriſti verba, contra duo ſua paradoxa manifeſtè facere aduertit, eorum ſenſum ſtudioſè peruertit. Vidit ex hoc loco arbitrii libertatem ſtabiliri , quæ vocanti & volenti Deo repugnet,quia eo volente congregare , homines congregari nolunt. Vidit ex hoc loco non omnem hominis circa ſalutis opus voluntatem ex Dei electione pendere , ſicuti ille ſingulariter docet, affirmans omnes qui credunt & conuertuntur ex prædeſtinante Dei gratia conuerti,neminem iuſtificari niſi electũ;& nunquã perire qui ſemel iuſtificatus eſt:vt ſic

apud

Liberum arbitrium defenditur
1. Libertatis relictæ cauſæ.
2.
3. Hom.14. in Matt. operis imperfecti.
4. Epiſt.46.
Eſaiæ 56. Ioan.11. Ioan.3. Act.7. Pſal.94. De præd. & gratia li.1.c.15. Do.Sex.& Quinq. Nu.14. Eſai.65. Prou.11. Pſal.35.
Ioan.6. Li.6.epi.5. Liberum arbitrium cur negant hæretici.

A apud eum nulla sit sufficiens aut adiuuans Dei gratia, sed sola operans & efficax. Quæ omnia docet Instit. lib. 3. cap. 24. *Quod* (inquit) *hic locus ad probandum liberum arbitrium & arcanam Dei prædestinationem abolendam à sophistis arripitur, facilis est solutio. Respondeo voluntatem Dei, cuius hic fit mentio ab effectu esse considerandã. Quia videlicet verbo prædicationis omnes ad se promiscuè vocat, merito dicitur omnes ad se colligere.* Et paulo post. *Miror quosdam ita præfracto esse cerebro vt* ἀνθρωποπαθῆ *quæ passim in Scripturis occurrens, nihil offendit, tantum hæc in parte non admittant.* Mox alibi dicit se hoc argumentum copiosè tractasse. Id vero fecit loco præallegato. Sed ad hunc locum nihil aliud respondet, quam, *Sicut in aliis Scripturis Deus dicitur irasci, brachia & manus extendere, quia quod humanum est ad Deum transfertur, sic & in hoc loco se rem habere.* Censet ergo Caluinus voluntatem Dei hoc loco non propriè & formaliter, sed metaphoricè accipi, vt illud dicatur velle quod ab effectu aliquo vocationis externæ videtur velle, sicut dicitur irasci ab effectu vindictæ, quam homines cum infligunt irasci solent, quam Dei voluntatem aliqui voluntatem signi vocant. Cæterum contra Caluinum certo tenendum est, voluntatem Dei hoc loco propriè & formaliter accipiendam esse, non metaphoricè. Nam & ipsa voluntas signi in Deo quæ præcipit, prohibet, permittit, consulit & operatur, à melioribus Theologis non metaphoricè & ab effectu, sed propriè & formaliter dici intelligitur. Propriè enim & formaliter Deus vult ea quæ præcipit, &
B sulit fieri, volens quoque permittit ipsa mala, volens operatur præueniendo multa bona quæ suum effectum non sortiuntur. Hoc autem loco ipsa Dei voluntas, quæ beneplaciti vocatur prorsus intelligitur non quidem absoluta & efficax, seu consequens quæ semper impletur, & cui non resistitur, sed antecedens, & conditionata. Deus quippe veræ voluntatis suæ effectu, vera bonitate & misericordia sua, voluit & frequenter voluit Iudaicum populum ad idola & alias impietates diffluentem, ad sese reuocare, & in sinum gratiæ suæ recolligere, sicut gallina vero & tenero affectu vagantes suos pullos vult ad se recolligere, ne à miluo vagantes rapiantur. Hunc sensum ipsa Christi allata similitudo à nobis extorquet, & sine tali sensu falsa erit similitudo proposita, Non enim metaphoricè, sed propriè vult suos ad se pullos gallina colligere. Nec sequitur tamen quod Deus efficaciter & absolutè hoc velit, quia gallina vult absolutè suos ad se pullos colligere, eo quod Deus sic misericorditer vult congregare dispersos, vt cum iudicio & iustitia id faciat, non impetu & impulsu aliquo naturali. Dei autem iudicium hoc habet, vt rationalem creaturam pro modo conditionis eius ad se colligat, volentem scilicet, & diuinę voluntati ac vocationi liberè acquiescentem. Quare causa hoc loco cur hæc Dei voluntas impleta non fuerit adiicitur: *& noluistis.* Hanc quoque voluntatis humanæ repugnantiam liberam fuisse à seipso perfectam, pœna subsequens demonstrat. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Porro & sic liberam fuisse ad malum, vt potuerint quoque sese con-
C uertere ad bonum, eadem verba demonstrant. Non enim pro eo quod facere non poterant tanta pœna plecterentur. Fuit ergo in hac Dei voluntate gratia sufficiens, tametsi non efficax: sufficiens inquam vt possent congregari, sed non efficax vt vellet, quæ vt deesset, ipsi in causa fuerunt, quod illa Augustin. sententia docet. *Gratia Dei adiuuat hominum voluntates*, nimirum quãtum in se est, & antecedenter *qua vt non adiuuentur* (scilicet efficaciter & cum effectu) *in ipsis itidem causa est, non in Deo*, id est, quia ipsi nolunt hoc fit, non quia Deus non vult; qui (vt alibi Augustin. docet) *sic omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum, vt omnes homines possint si velint ad Dei præcepta seruanda se conuertere.* Vnde & rursum dicit. *Verum omnino est homines ad Dei præcepta complenda sese conuertere posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis vt possint.* Hanc Dei erga Iudæos præcipuè gratiam adiuuantem ac sufficienter præparantem, sed eorum sola culpa inefficacem, Christus hoc loco ad futuræ in eos vindictæ iustitiam demonstrandam commemorat. Idem facit apud alium Prophetam. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, non es mundata à sordibus tuis.* Et ne hęc Dei voluntas velleitas
D tantum quædam, & metaphoricè dicta putetur, addit Propheta. *Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem.* Docet Deum multam illis & copiosam gratiam dedisse vt à peccatis suis mundarentur, illos tamen mundari noluisse. Non igitur à Dei electione, vt vult Caluinus & absoluta eius voluntate, sed à Dei bonitate & libera hominum cooperatione pendet hominis voluntas bona, vt ad Deum conuertatur, quod & perspicuè Augustin. docet, vbi concludit contra Manichæos, in potestate hominis esse mutare in melius voluntatem: sed addit contra Pelagianos *hanc potestatem nullam esse nisi à Deo detur.* Id est, nisi Deus velit congregare, voluntatem præparare, adiuuare, &c. Caluinus vt Pelagianismum excutiat, in Manichæorum dementiam incurrit. Denique sic hunc locum explicat Caluinus, vt quum Christus hic dicat, *voluisse se congregare*, &c. Ille dicat Christum hoc non voluisse, sed signum aliquod voluntatis suæ dedisse quasi hoc voluerit, sicut Deus quum punit signum dat iræ, quæ in eum non cadit. Sed quum ex hac expositione sequatur aut Euangelium hic mentiri, aut Deum rem eandem velle ac non velle, hunc modum Caluinus his verbis abrumpere conatur. Solutio alibi à nobis adducta sufficit, quamuis *multiplex sit Dei voluntas quoad sensum nostrum, non tamen eum hoc & illud in se velle, sed pro sapientia sua variè multiplici attonitos reddere sensus nostros; donec cognoscere nobis dabitur, mirabiliter eum velle quod nunc videtur esse voluntati eius aduersum.* Hæc ille. Concludit hoc loco sic Christum voluisse congregare quod reuera non voluit, sicut alibi docet Deum mirabiliter velle peccata impiorum, quæ nunc propter præcepta eius

Num. 7. Voluntas Dei congregandi peccatores, qui tamen non congregantur qualis. Vide Lud. Molinam. q. 19. art. 6 disput. 1. de Concord. gra. & li. arb.

De pec. mer. & remiss. li. 2. ca. 7.

De Gen. cont. Manic. li. 1. cã. Retra. li. 1 ca. 10.

Ezech. 24.

Retract. li. 1. c. 22.

Caluinus Christo contradicit

Instit. li. 3. c. 24. n. 17.

Instit. li. 1. c. 18. n. 3.

in contrarium voluntati eius aduersa videntur. Et hanc blasphemiam docens, iubet nos sta- A
re attonitos, & Dei sapientiam mirari, sui cerebri spectrum Dei sapientiæ nomine pallians. Sic more suo vbi summam impietatem aut stultitiam euomuit, eam summa impudentia tuetur.

IN DIE S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

1. *Hic est Discipulus ille quem diligit Iesus.*

Charitatis commendatio.

LOCVS idoneus taxandi vehementer hæreticos, qui solam fidem perpetuo amplificant, charitatis vero paruam aut nullam in negotio iustificantis rationem habent, quum hic dilectus Christi Discipulus, & eius consiliorum maximè conscius, qui eius diuinitatem solus perspicuè patefecit, qui tot & tanta B
mysteria in sua Apocalypsi scripserit, tum in Epistolis suis per totum, tum in permultis Euangelij sui locis charitatem, & dilectionem assiduè inculcet, maximè necessariam, maximè excellentem virtutem esse demonstret. Quo in genere illustre est quod de eius perpetua familiari doctrina D. Hieronymus commemorat.

Li.3.in c.6 ad Galat.

Quum Ephesi (inquit) *B. Ioannes moraretur vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli diligite alterutrum. Tandem Discipuli & fratres qui aderant tædio affecti, quod ea-*

Rom.13.

dem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? qui respondit dignam Ioanne sententiam, Quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit. Hęc ille. Nempe certe homini iam Christiano & bene catholico sola charitas sufficit, quia teste Paulo, *Dilectio proximi implet legem.* Et iterum: *Plenitudo eius dilectio.* Barbari autem hodie & insulsi hæretici, ac si nunc primum credere orbis inciperet, solam fidem clamitant. Atqui vt Paulus in exordio Eccl. fidem in epist. ad Rom. & Galat. studiosè docuit, etsi non solam, quum in eiusdem epist. charitatis & bonorum operum documenta confertim afferat, sic tum idem bonorum operum necessitatem diligenter inculcat, tum S. Ioan. suos Discip. iam dudum in fide fundatos dilectionem perpetuo docuit. Merito di- C
lectus à Iesu Discip. dilectionis virtutem assiduè inculcauit, Hæretici Deo exosi solam fidem sic amplificant, vt nullam dilectionis aut charitatis ad salutem necessitatem admittere velint.

2. *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo non voles.*

Petri Romæ martyrium.

LOcus non incommodus breuiter ostendendi, D. Petrum, de cuius glorioso martyrio Christus Dominus eum tam speciatim in hoc Euangelio præmonere dignatus est, in ipsa vrbe Roma eadem perfunctum fuisse. Hæretici enim hodie, nominatim Beza in suis annotationibus ad hunc locum, negant prorsus hæc verba ad martyrium Petri pertinere, ne sanè gradus aliquis hoc esset ad probandum quod Romæ extensus, & ligatus & crucifixus fuerit. Sanè Romæ, *ducebatur quo non voluit*, quando instante passione eius, vrbe excessit, Christusque illi exeunti occurreret, vt narrat Author Apostolicus Egesippus, Petroque roganti, *Domine quo vadis* respondit, *vado Romam iterum crucifigi.* Sed & Euangelium hoc ipsum satis ostendit passionem Petri his verbis Christum prædixisse. Addit enim, *Hæc autem dicebat significans qua morte clarificaturus esset Deum. Qua morte*, id est, *quo genere mortis*, vt exponit Chrysostomus: & expressius Augustinus, *iam precio pro te Petre fuso, nunc est, vt sequaris Redemptorem & sequaris omnino vsque ad mortem crucis.* Aperte ostendit Petrum pro Christo crucifixum fuisse, & hoc ei mortis genus Christum hoc loco prædixisse postea docet. Sic enim paulo post Christi verba exponit. *Extendes*, inquit, *manus tuas, id est crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te cinget & ducet non quo vis, sed quo non vis. Prius dixit quod fieret, & deinde quo modo fieret.* Hæc Aug. quem omnino hunc in locum sequitur ven. Beda. Petrum autem Romæ crucifixum fuisse, contra impudentiam hæreticorum, qui hoc vel negant, vel in dubium vocant, grauissimi & antiquissimi authores vnanimiter attestantur, Egesippus Apost. contemporaneus loco citato. Origenes 3. tom. comm. super Genes. & ex eo Euseb. in historia Ecclesiastica, cuius hæc sunt verba. *Petrus ad extremum quum Romæ versaretur, capite deorsum statuto (sic enim perpeti cupiebat) cruci suffixus est.* Tertullianus eleganter, *Petrus*, inquit, *passioni Dominicæ Romæ adæquatur.* Et rursum alio in loco, alludens ad Euangelii huius verba. *Orientē fidem Romæ primus Nero cruentauit: Tunc Petrus ab altero cingitur cum cruci astringitur.* Idem attestantur cæteri scriptores veteres ferè omnes, Dorotheus Tyrius in Synopsi, Hierony. in catalogo

Li.3.c.1. In præfer. c.26.

Li.4.aduersus Marcionē.

scriptorum.

A ſcriptorum Eccl. Oroſius l. 7. c. 3. & alii. Eſt ergo ſingulariter fideli populo hoc commendatum, quod inter cætera vnius & ſolius Petri priuilegia (de quibus vide in die Petri) etiam mortem eius ſolius, adeoque genus mortis Chriſtus Dominus prædicere voluit. Hæreticorum verè impudentia vel inſania potius vehementer hoc loco taxanda, qui rem omnibus hiſt. teſtatiſſimam, & in præſenti Euang. iuxta Chryſoſt. Aug. & Tertul. ſatis luculenter inſinuatam, negare tamen, vel in dubium vocare non erubeſcunt.

IN DIE SANCTORVM INNOCENTIVM MARTYRVM.

Herodes iratus mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius à bimatu & infra. Matt. 2.

B LOCVS commodus explicandi ſingularem Eccleſiæ Dei à Spiritu S. edoctæ authoritatem circa Dei cultum, & de rectè factis ſanctorum decernendi, contra hæreticos horum temporum, qui Eccleſiam ſe non audituros proteſtantur, niſi ex ſcripto Dei verbo loquatur. Ecce enim horum Innocentium mortem Eccleſia ſine vllo ſcripto Dei verbo, & quidem contra apparentem humanam rationem. (*Quale enim poteſt eſſe innocentiæ meritum antequam quiſque nocere aliquid poſſit*, vt de paruulorum mortibus vel cruciatibus ratiocinatur Auguſtinus) vt Martyrii meritum honorat, ipſoſque paruulos Martyrum numero habet, ac denique illorum occiſionem Feſto publico totum per orbem celebrat. Eccleſiæ, inquam, ſolius iudicio & authoritate hoc fit, quam videlicet ſic Spiritus S. docuerit. Et Auguſt. quidem acriter diſputans de origine animarum, multumque quærens quomodo ſi animæ ſingulis de nouo infuſæ & creatæ ſunt, ideoque puræ & innocentes in paruulorum corporibus crucientur, ex horum innocentum gloria, quos ſic Eccleſia honorat, colligit paruulos inique cruciatos à Deo in altera vita compenſari. *Quis* (inquit) *nouit quid ipſis paruulis in ſecreto iudiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſeruet Deus? Quoniam quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid iſta perpeſi ſunt. Non enim fruſtra etiam infantes illos qui ab Herode occiſi ſunt in honore Martyrum receptos commendat Eccleſia.* Hæc ille authoritati Eccl. horum celebritatem tribuens, & ex ea authoritate dubium in fide reſoluens. Eandem Eccl. auth. circa horum Martyrum celebritatem declaratam agnoſcit Origen. ſcriptor vetuſtiſſimus: *Paruuli*, inquit, *ab Herode occiſi ad memoriam æternæ laudis à B. Euangeliſta in* S. *Euang. conſcribuntur. Horum & memoria ſemper vt dignum eſt in Eccleſiis celebratur ſecundum integrum ordinem ſanctorum, vt primorum Martyrum pro Domino occiſorum: & vt ipſa Bethleem primitias Domino Martyrum, in qua natus eſt ipſe Saluator obtuliſſe videatur.* Hæc ille.

Eccl. authoritas circa feſta Sanctorũ. *De li. arb. l. 3. c. 23. & epiſt. 28.* *Vbi ſupra* *Hom. 3. in diuerſos.*

IN DIE CIRCVNCISIONIS.

Et vocatum eſt nomen eius Ieſus. Luce 2.

D LOCVS vtilis inſenſatos horum temporum hæreticos acriter taxandi, & piam Catholicorum deuotionem defendendi circa cultum & veneratio-nem nominis Ieſu. Catholici enim propia & debita erga hoc venerabile & dulciſſimum nomen affectione ſua, illo audito vel caput aperiunt, vel genu flectunt. Hæretici vt neutrum faciunt, ita alios id facientes effusè ridendent. Docendus ergo populus hoc loco & cur hoc nomen catholici aſſiduè venerentur, & quare hæretici hanc venerationem irrideant. Nomen Ieſu non temere, ſed ex mandato Dei impoſitum Chriſto eſt. *Vocabis nomen eius Ieſum.* Hoc quoque mandatum non ex ſola voluntate imponentis, ſed ex cauſa & effectu ſignificationis, factum fuit. Addit enim Angelus. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum.* Nec ſignificationis effectus vulgaris, aut mediocris eſt, ſed omnium qui vnquam ſacris nominibus adiuncti fuerunt, longè excellẽtiſſimus. Nempè Saluator humani generis. Hoc ergo ſupremum & maximum redemptionis noſtræ beneficium in hoc nomine Ieſu, recolimus: recolendo amamus: amando veneramur. Nominis porrò ipſius admirabilem vim & efficaciam vt magis populus intelligat, docendus eſt hoc nomen illi etiam homini impoſitum fuiſſe, qui Chriſti Ieſu expreſſiſſima figura fuit, edu-

De nomine Ieſu. *Luce 1.* 1. 2. 3. *Ori. hom. 1. in Exod.*

Terr.li. aduerſ. Iudæos, & 3. contra Marcionẽ & Iuſtin. Martyrin Dia.cum Trip.Aug. l.16.ca.19. cõt.Fauſt. Num.13.

cendo populum Iſraël ex deſerto in terram promiſſionis, ſicuti ſolus Ieſus educit ſuos ex hoc mundo in cœlum. Hic enim *primus introiuit in ſancta æterna redemptione inuenta.* Hic *vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* Per hunc *propalata eſt via ſanctorum.* At ille alter Ioſue dictus, vel Ieſus filius Naue ideo ſic dictus eſt, quia populum Iſraël, vnicum tunc populum & peculiũ Dei, in terram promiſſionis realiter introduxit. Nam à principio quidem & antequam ad hoc opus aſſumptus eſſet, non Ioſue aut Ieſus (quod idem eſt, eiſdémque Hebraicis litteris ſcribitur, ſed aliter atque aliter à nobis pronunciatur, vt multa alia nomina Hebraica) ſed Oſee, vel Auſe dictus eſt. Atqui quum à Moyſe deſtinaretur vt pariter cum alijs terram promiſſionis exploraret, huic ſoli Moyſes ſpiritu prophetico nomen mutauit, & quum Oſee יהושע prius vocaretur, Ioſue יהושע nuncupauit. Sic enim in libro Numerorum legimus. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaan, &c. Fecit Moyſes quod imperauerat Dominus mittens principes viros quorum hæc ſunt nomina*: & paulò pòſt: *De tribu Ephraim Oſee* (vel vt Græci legunt, Auſe) *filium Nun.* Et iterum paulò pòſt omnibus enumeratis, ſequitur, *vocauitque Oſee filiũ Nun Ioſue.* Addendo videlicet primam litteram, י. vnam ex diuini nominis characteribus, ſicuti & in nomine Abrahæ literam: ה quia ſanè ad miniſterium prope diuinum electus erat, vt in terram promiſſionis filios Iſraël educeret: & quia noſtrum Ieſum, verum Deum, verum liberatorem, verum ducem humani generis ad regni cœleſtis ingreſſum, præfigurauit. Huius tamen Ioſue vel Ieſu Naue nomen non veneramur, quia nec nobis Chriſtianis, ſed veteri populo beneficium contulit, nec ipſum beneficium ille contulit, ſed miniſter tantum illius erat: nec ſolidum ac ſempiternum, ſed temporale & exiguum erat beneficium cuius miniſter fuit. At verò noſter Ieſus nomen eſt veneratione omni digniſſimum, quia ſalutem æternam humano generi collatam ſignificat. De re controuerſum non eſt. Sed cur (inquit hæreticus) ipſi nomini honorẽ defertis, quaſique ſyllabas & ſonum veneramini? O ſtupide hæretice. Nunquid huius vocabuli ſonus auribus fidelium inanis ſonus eſt aut vacuus? Nunquid ita Chriſtiano ſonat ſicut pagano? Nonne pariter cum ſono rem ipſam comprehendimus quotquot fideles ſumus? At inquies: rem ipſam quantum voles venerare: ſed cur ſonum hoc honore dignum cenſes? Non ſonum, non ſyllabas, per ſe & ſolitariè ſumptas, ô hæretice veneramur, ſed pariter cum ſono & ſyllabis rem ipſam contentam & ſignificatam. Vtrumque quidem, ſed vnum propter aliud. Tu quum Ieſu nomen audis & rem contentam non meminiſſe non potes: honorem rei prætermittis impiè, ne nomini honorem exhibere videaris ſuperſtitioſè. Hæc eſt tua ſcilicet religio. Dic ergo obſecro, an ſuperſtitioſus Paulus erat, quum diceret: *In nomine Ieſu omne genu flectetur cælestium, terreſtrium & infernorum*? Secundum tuam impietatem dicere debuiſſet. Non in nomine Ieſu in ſola redemptione per Ieſum facta, omne genu flectatur. At Paulus nihil tuam inſaniam moratus, audacter dicit. *In nomine Ieſu omne genu flectetur*, non rem ſignificatam excludens, ſed ipſum quoque nomen ſignificans pariter includens. Et ne nomen hic pro re ipſa aut virtute ſignificata poſitum dicas, vt alibi interdum, *Deus in nomine tuo ſaluum me fac*: & ſimilia, Paulus diſertè de nomine ipſo perſonæ impoſito loquitur dicens: *Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Hoc ergo nomen Ieſu datum filio Dei incarnato, hoc inquam nomen, eſt ſuper omne nomen, & *in hoc nomine omne genu flectetur*, id eſt, flecti debet, etſi tu ad tempus illud hæretice non flectas, quod & dæmones in ſuis arreptitiis ad tempus facere recuſant, donec vi exorciſmorum cogantur id facere. Propter hanc ipſius nominis venerationem dixit iterum Paulus. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto*, id eſt, ea qua par eſt reuerentia & amore debito efferre nemo poteſt, niſi ex ſpeciali gratia Spiritus ſancti. Hæretici quia Spiritum ſanctum non habent (vnde Iudas de illis dicit, *animales Spiritum non habentes*) ideo nulla cum reuerentia hoc nomẽ proferunt & audiunt. Sed dicat aliquis: Cur potius nomen Ieſu quam nomẽ Chriſti hoc modo veneramur? Reſpondeo, quia Chriſtus non proprium nomen, ſed nũncupatio regni ac poteſtatis eſt: Ieſus autem proprium nomen, quod maximo ſuo labore emit, & vt laboris præmium accepit. Etſi enim nunc in ipſa Circunciſione hoc ei nomen impoſitum fuit, & in conceptione promiſſum, tamen ideo eſt vtrumque factum, quia ſuo tempore facere debuit, quod nomen ſignificat, videlicet, *ſaluum facere populum ſuum*. Paulus igitur aſſerit propterea hoc nomen illi datum, quia maximo labore ſuo hoc de facto præſtitit. *Humiliauit* (inquit) *ſeipſum factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propterea quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, &c.* Datur ergo hoc nomen honorificentiſſimum, quia promeruit: Nomen ipſum ab omnibus honoratur, quia hunc honorem promeruit. Moneatur ergo populus fidelis, quoties nomen Ieſu genu flectendo nos Catholici honoramus, toties honorem illi debitum atque promeritum & magno precio emptum exhibemus: toties facimus quod facere debemus atque tenemur, non ſolum ex congruo propter beneficii in nos collati magnitudinem, ſed etiam ex debito propter æterni Patris voluntatem atque præceptum, qui ideo *hoc nomen filio ſuo dedit, vt in hoc nomine omne genu flecteretur*, vt hoc nomen omnes venerarentur, & venerando confiterentur, *quia Ieſus eſt in gloria patris*. Quoties autem hæretici hoc nomen non venerantur, quoties genu flectere, & venerari recuſant, quoties alios venerantes & genu flectentes irrident: toties Dei Patris præceptum atque voluntatem violant: toties Dei filio iniuriam faciunt & honorem debitum negant, toties Apoſtolo Paulo contradicunt, toties denique Eccleſiam Dei ſcandalizant, poſtremo toties diabolo rem gratiſſimam faciunt, qui

Ieſu Naue nomen cur non honoratur.

Hæretici refutantur

Philip.2.

Ca.vnic. Lact.l.4. Cur Ieſu nomen, non Chriſti veneramur Philip.2.

1. 2. 3. 4. 5.

A qui hoc eos specialiter docuit. Certè exempla huius venerationis & amoris erga nomen ipsum Iesu dulcissimum, habent catholici & plurima & maxima, quorũ hic aliqua proferemus. Sanctus Ioannes dilectus Christi discipulus, hoc nomen Iesu in singulis propè versiculis quũ de Christo agit, apponit: & in suo Euangelio plusquam ducenties vicies Iesum repetit. Paulus similiter in suis epistolis plusquam ducenties vicies Iesum nominat. Moriens autem pro Christo & capite iam abscisso ter nomen Iesu repetiit, & tres fontes ad triplicem capitis saltum repente exorti sunt, quos & hodie prope Romam vidimus, & gustauimus lacteum quendam gustum habentes, maximè primum ex tribus. De his fontibus exclamat Chrysostomus: O *quales fontes!* Diuus Ignatius amantissimus dilecti Ioannis discipulus & B. Virgini charus, hoc nomen Iesu sic viuẽs dilexit, vt in corde morientis sculptum cerneretur. S. Antonius dæmonum phalanges prolato nomine Iesu abegit: dicente enim illo, *Iesus tuas funditus subruit vires*, tota dæmonum cohors disparuit, vt author vitæ eius grauissimus & indubitans S. Athanasius commemorat. In maximo terræ motu vel potius frequentibus terræ motibus Antiochiæ, domus illæ omnes ad quarũ ianuas scripta erant hæc verba, *Iesus nobiscum est: nemo loco moueatur*, firmæ constiterunt. Experimẽto comprobatur quotidiano in Ecclesia catholica ad nomen Iesu dæmones fugari: & scribit Alciatus ipse Iureconsultus etiam eo in libro vbi sagas ne igne comburantur defendit, quum
B in dæmonum choro illæ saltitarent, prolato obiter à quadam fœmina pertranseunte, *Iesu nomine*, totum illum chorum dissolutum esse, dæmonesque penitus disparuisse. Idem commemorat Ghirlandus de sortilegiis. Iustinus quoque Martyr aduersus Iudæos in nomine Iesu dæmones fugari docet. Lactantius à Christianis spiritus inquinatos affirmat excludi, *& nomine Magistri sui, & signo Passionis*. Porro de huius nominis Iesu mysterio, & virtute ex Scripturis sanctis & illud obseruatione dignum est, quod hoc nomen *Iesus*, Deus suum nomen vocat. Sic enim Deus Moysi loquitur de primo illo Iesu filio Naue, nostri Iesus certissimo typo; *Ecce*, inquit, *ego mittam Angelum meum qui precedat te & custodiat in via, & introducat in locum quẽ præparaui. Obserua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo*. Hæc verba de Iesu filio Naue, qui populo Israeli dux erat quum in terram promissionis duceretur, Deum eo loco dixisse, antiquissimi Scriptores, Iustinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, & alii contra Iudæos docent. Iustinus sic scribit. *In libro Exodi nomen Dei etiam Iesum fuisse quod ait Abrahamo enunciatum non esse nec Iacobo, à Moyse in mysterio & obscurè similiter expositum fuisse nos quoque intelleximus*. Moxque citatis Exodi verbis præallegatis, infert. *Qui in terra maiores vestros introduxerit, tandem aliquando intelligite eum fuisse qui hoc nomine appellatus est Iesus, qui antea Anses vocabatur. Si enim hoc intelligatis, nomen etiam eius qui Moysi dixit, nomen enim meum in eo est, Iesum fuisse intelligetis*. Hæc ille. Est ergo nomen Dei proprium, in persona filii, Iesus.

Ç Certè apud eundem Iustinum Tryphon ille Iudæus agnoscit se inductum fuisse, vt crederet Iesum Christum esse verum Messiam, propter nomen Iesus, quo Naue filius liberator populi appellatus fuit. Tertullianus vero ad verba Exodi allegata sic scribit, *Angelum eum dixit qui præcederet faciem populi, &c. Propter magnitudinem virtutum quas erat editurus, & officium Prophetæ nuntiantis scilicet diuinam voluntatem. Iesum autem ob nominis sui futuri Sacramentum. Identidem nomen suum confirmauit, quod ipse ei indiderat, quia non Angelum, nec Ansem, sed Iesum eum iusserat exinde vocitari*. Hæc ille. Merito igitur hoc nomen Iesu honoramus, nomen filii Dei proprium, nomen quod os Domini nominauit, nomen tanto ante, tam variè, tam celebriter prædictum. Nam & hoc illud est quod Abacuc prędixerat dicens, *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*. In quæ verba Augustinus, *Quæram*, inquit, *à Iudæo cur tunc Moyses successori suo nomen mutauerit, & appellauit eum Iesum qui prius vocabatur Anse, quando ex conualle Pharan præmisit eum ad terram quo erat populus ipso duce venturus. Dicit enim verus ipse Iesus, Etsi iero & præparauero vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad me. Quæram etiam vtrum non huic figuræ attestatur propheta dicens,*
D *Deus ex Africo veniet & sanctus de Pharan: tanquam diceret: Eius nominis veniet Deus Sanctus; cuius nominis erat ille qui venit ab Africo de Pharan, id est, Iesus*. Hæc ille, moxque paulò post tractans locum Exodi præallegatum, vbi Deus de hoc Iosue seu Iesu dicit, *Mitto Angelum meum, &c. Nomen meum est in illo*, ait. *Quærat Iudæus in hominibus quis Moysi successor introduxerit populum; & inueniet Iesum, non hoc ab initio vitæ suæ, sed nomine mutato appellatum. Qui ergo dixit, Nomen meum est in illo Iesu, ipse est verus* Iesus, *rector & ductor populi in hæreditatem vitæ æternæ, &c.* Hæc ille. Rursum hoc nomen Iesus à Sibylla Cumana spiritu prophetico imbuta non solum disertè prædicitur, Saluatoris mundi proprium futurum, sed & quale sit eius mysterium litteris Græcis expressum, diligenter enucleat. Nomen enim istud, Ιησους quod ex sex litteris constat habet Octonarium numerum (qui beatitudinis perfectionem sonat, vt latè docet Augustinus) triplicem seu tribus modis expressum. Habet enim & in se continet octo monadas, octo decadas & octo centurias, 888. Tres igitur continet octauas, quia *Iesus* suos ad beatitudinem perducit in Deo trino & vno consummatam. De hoc Iesu nomine dictum est, *Oleum effusum nomen tuum*, vt latè explicat Diuus Bernardus. Diffunditur per omnes gentes. Est lux illuminans omnes. Vngit sua gratia quia de eius plenitudine omnes accepimus. Pascit quia caro eius verè est cibus, &c. Est medicus animarum nostrarum. Est nomen super omne nomen. Est victima Patri in odorem suauitatis. Est purus absque omni peccato. Venit ignem mittere in corda, vnde & accendit ea, lenit dolores peccatorum condonans ea, & reprimit timorem superbiæ, docẽs humiles nos esse

Exempla veneratiõnis nominis Iesu.

Hom. 8. in Epist. ad Ephes. & hom. 5. in Iob.

In vita S. Antonij.

Niceph. li. 17. ca. 3.

De parergis lib. 8.

Qu. 7. art. 26. & 27.

In Dial. cum Tryphone, li. 4. ca. 27.

Nomen Iesus nomen Dei.

Exod. 23. & 20.

Li. 2. Testimoniorũ

In dialogo contra Tryph.

Aduersus Marcionẽ li. 3. c. 16.

Abac. 3.

Contra Faustum li. 16. c. 19.

Ioan. 14.

Mysterium nominis Iesu.

Orac. Sybil. li. 1.

Epist. 119.

Ser. 15. in Cant.

Proprietates nominis Iesu.

ſicut ipſe erat. Has & alias olei proprietates habet: cuius virtutes hæ ſunt, vt penetret ac ſe diffundat, vt luceat, vt vngat, vt paſcat, vt medeatur, vt ſupernatet omni liquori, vt odoriferum ſit, vt purum ac ſimplex ſit, vt ignem foueat, vt lenitiuum ſit atque ad reprimendos tumores idoneum. Nomen igitur Ieſu tam diuinum ac Deo proprium, tam nobile, efficax, tam charè emptum, tanti myſterij, tantæ virtutis, nos catholici ex officio veneramur: qui non venerantur vel hæretici ſunt ex malitia, vel pagani aut infideles ex ignorantia. A

IN DIE EPIPHANIÆ.

Et venimus adorare eum.

Matth.2.

LOCVS appoſitus tractandi contra hæreticos horum temporum de peregrinatione, & viſitatione locorum Sanctorum & perſonarum. Erat enim hæc trium Magorum ad puerum Ieſum profectio vera peregrinationis religioſæ forma. Venerunt enim adorare, non venerunt videre: religionis non curioſitatis cauſa. Et venerunt cum muneribus ſicut in peregrinatione catholica nemo vacuus venit ad loca ſancta. De hoc pietatis genere prædixerunt prophetæ, *Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* Hoc enim pars fidei eſt, ait S. Hieronymus in Epiſt. ad Deſiderium, *Erit ſepulchrum eius glorioſum*, id eſt, ab omnibus adorabitur, ait S. Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam, *Locum pedum meorum glorificabo*, ait iterum apud Eſaiam Dominus, *Illa enim eſt terra, vnde ſi afferatur, adorant Chriſtiani*, vt de ſuo tempore ſcripſit S. Auguſtinus. Animales hæretici non habentes Spiritum Dei, nullum huius pietatis ſenſum habent. Olim (vt ſcribit Auguſtinus) *principes ſæculi ad vrbem Romam venerunt, non ad templum imperatoris, ſed ad memoriam piſcatoris.* At hodie curioſi hæretici Romam interdum proficiſcuntur, non vt loca Sanctorum religioſè adeant, orent, adorent, ſed vt vitia cleri & curiæ explorent, vel certè vt Ciceronis domum è regione rupis Tarpeiæ, aut Horatii domum Tiburi monſtratam viſitent. De hac materia peregrinationis vide quæ latè diximus in Dominica 2. Aduentus. B

Peregrinatio ad loca Sancta.

Pſal.131. Eſa.11. Eſa.60. Epiſt.171. Enarr.in Pſal.86.

Magi venerunt ab Oriente Hieroſolymam.

De tribus Magis tribus regibus Centur.1. li.1.c.10.

LOcus neceſſarius propter calumnias & cachinnos hæreticorum hodie oſtendendi iſtos Magos, & tres fuiſſe, & reges ſicuti à fidelibus paſſim creditur. Quam fidelium opinionem his verbis irrident Centuriaſtæ Magdeburgenſes, *Fabuloſas & ſtolidas ineptias in tenebris regni Antichriſti natas nulla confutatione putamus indigere, vt quod hi Magi fuerint reges & quidē numero tres.* Hæc illi arroganter, ineptè, & contumeliosè. Arrogantia eſt furioſa communem fidelium opinionem, etiam ſi certis teſtimoniis probari non poſſet, maximè huiuſmodi quæ ad maiorē Chriſti honorem & Dei gloriam faciat, *fabuloſas & ſtolidas ineptias* vocare. Ineptiſſimum eſt planéque muliebriter factum acerbè illud taxare quod nec vno verbo confutare queas. Contumelioſum eſt, & conuitium propriè hæreticum, lucem catholicæ Eccleſiæ, *tenebras regni Antichriſti nūcupare.* Sed quod iſti tam celebres Proteſtantes confutare non poſſunt, nos idoneis teſtimoniis confirmabimus, & horum tenebrionum tenebras Antiquitatis luce fugabimus. Ac primum Reges vocantur à multis patribus antiquiſſimis, iuxta propheticum illud: *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Hanc enim *prophetiam Magos impleſſe* (ait Chryſoſtomus) *euidenter agnoſcimus.* Quod ſi verum eſt, certè aut Reges fuerunt aut mentitur propheta. Sic & Sanctus Hieronymus ſuper eadem pſalmi verba, *Hanc* (inquit) *Prophetiam ex Magorum muneribus intelligimus inchoatam.* Certè Cyprianus diſertè appellat eos Reges his verbis, *Non ſatis eſt quod Angeli locuti ſunt paſtoribus, quod apparuit ſtella regibus*, &c. Tertullianus illam de Chriſto per Magos adorando Prophetiam contra Iudæos tractans, *De hoc*, inquit, *auri munere Dauid dixit. Et dabitur illi de auro Arabiæ.* Et iterum, *Reges Arabum & Saba munera afferent illi. Nam & Magos Reges ferè habuit Oriens, & Damaſcus Arabiæ retro deputabatur, cuius tunc virtutem Chriſtus accepit, accipiendo inſignia eius, aurum ſcilicet & odores.* Hos igitur Magos Reges Orientales vocat. Hos ſequutus Iſidorus vetuſtus ſcriptor hos Magos Reges appellat. Certè Perſarum Rex nemo eſſe poterat niſi Magus, id eſt philoſophus teſte Cicerone li. 1. de diuinatione. Reges autē vocantur & ab his patribus & à fidelibus, non ideo fortaſſe quod magni ac potentes Reges eſſent, vt hodie pauci ſunt, ſed more Scripturæ, quod viri potentes ac reguli ſeu principes eſſent. Sicut illud Dauidis, *Aſtiterunt Reges terræ & Principes terræ conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius*, de Herode & Pontio Pilato exponit D. Petrus: qui tamen reguli potius quàm Reges erant. Iſte enim Herodes tetrarcha tantum fuit & Galilææ ſolius Princeps, non totius Iudeæ Rex, vt pater eius, quo regnante Chriſtus naſcitur. Pilatus quoque non Rex, ſed Romanorum prætor aut præfectus prouinciæ tantum. C

Quod Reges fuerint Pſal.71. Hom.1.ex 27.in Mat. Super pſal. 71. In Ser.de baptiſmo Chriſti. In li. contra Iudæos c.9. & l.3. aduerſus Marcionem c.13. In præfat. Miſſæ Mozarabum. Pſal.2. Act.4. D

Tres

A Tres autem istos Magos fuisse Leo Magnus suo tempore creditum esse testis satis locuples est. *Hic ille dies est* (inquit) *quo ad cognoscendum adorandumque Dei filium tres Magos præuia stella perduxit.* Et in toto illo sermone quoties de Magis loquitur, tres illos nuncupat. Sic & S. Augustinus non nisi tres agnoscit. *Imo*, inquit, *quod tria a Magis munera offeruntur, Trinitas intelligitur. In eo vero quod tres sunt, & singuli singula afferunt, in Trinitate vnitas declaratur.* Idem obseruat Remigius episcopus Antisiodorensis in hunc Matthæi locum. Sed & hos tres Magos à D. Thoma Apostolo fuisse postea baptizatos scribit Chrysostomus in opere imperfecto super Matthæum. Non est ergo fabulosum & in tenebris Antichristianis inuentum, sed est recepta & certa veritas, à veræ Ecclesiæ luminibus tradita, Magos istos qui Christum adorauerunt, & Reges fuisse & tres Reges.

Quòd tres fuerint. *Ser. 5. de Epiph.* *Ser. 1. de Epiph.* *Hom. 2.*

Turpiter sanè in hunc locum impingit Caluinus, qui vt opinionem de tribus Magis impugnet, Authorem operis imperfecti in Matt. apud Chrysost. profert, dicentem, quod hi Magi 4. essent, tum quia non nisi ex fabuloso libello rem narrat, tum quia non tot Magos ad Christum veniisse, sed tot Magos ex longa successione hanc stellam expectasse scribit.

Et procidentes adorauerunt eum.

B LOcus aptus ostendendi contra incredulos nostri temporis hæreticos Christum rectissimè adorari in venerabili Eucharistia, sicut hic tres Magi Christum puerum adorauerunt in præsepio: nec eos peccare qui adorant, sed illos grauiter offendere qui non adorant, vt hac ipsa de re loquitur S. Augustinus. Christus certè non nascebatur vt adoraretur, sed potius vt humiliaretur, iuxta sua ipsius verba. *Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare.* Christus non se dedit in venerabili Sacramento vt adoraretur, sed vt manducaretur, vt in cibum nobis esset, non vt nos illi honorem latriæ exhiberemus. Et tamen nihil obstante hoc primario instituto, tum olim Magi rectissimè Christum adorarunt adhuc in cunabulis positum, tum hodie fideles rectissimè Christum adorant in Sacramento exhibitum. Quare S. Chrysostomus ab hoc Magorum facto & exemplo adorandum à nobis in altari Christum perspicuè docet. *Hoc* (inquit) *corpus in præsepe reueriti sunt Magi, & viri impij & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem barbaros, nos qui cælorum ciues sumus. Illi enim quum id præsepe & tugurium tantum, neque eorum quicquam, quæ tu nunc intueris viderent, summa accesserunt reuerentia & horrore. Tu vero non in præsepe id, sed in altari: non mulierem quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentē & Spiritum perabundè super propositio diffusum sacrificio vides. Nec simplex vt illi corpus intueris, sed & eius potentiam & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras, & diligenter*
C *initiatus es in omnibus. Excitemur igitur horreseamusque, & maiorem quam barbari illi præ nobis feramus pietatem.* Et paulo post. *Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam. Nam quemadmodum in regijs, non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens, omnium præstantissimum est, ita quoque in cælis regium corpus, quod nunc in terra tibi videndum proponitur. Neque Angelos, neque Archangelos, non cælos, non cælos cælorum, sed ipsum horum omnium tibi Dominum ostendo. Animaduertis quonam pacto quod omnium maximum est atque præcipuum, in terra non conspicaris tantum sed tangis, neque tangis solum sed comedis, & eo accepto domum redis.* Hæc Chrysostomus docens non minus in Sacramento altaris adorandum esse Christum, quàm in præsepio à Magis adoratus fuit: quia videlicet non minus in altari cernitur quàm in præsepio videbatur. Neque enim Magi diuinitatem Christi quam adorabant in præsepio videbant, sed hominem tantum eumque infantili ætate, infirmitate, paupertate circundatum, nec catholici species quas vident adorant, sed totū Christum sub ipsis contentum, quibus videlicet exclusa inhærentia intimè coniungitur. Sed Magi
D oculis fidei non carnis in hac adoratione vtebantur. Cæcus restitutus Christum filium Dei esse credens, statim *procidens adorauit*: non sanè hominem qui ei dixit, *Et vidisti filium Dei, & qui loquitur tecum ipse est*, sed Deum qui *habitu inuentus vt homo* in illa humana natura loquebatur. Latro in cruce non oculis carnis qui nihil nisi omnia contemptu plena cernebant, sed oculis fidei vsus, Christum confitebatur & inuocabat. Simeon puerum Iesum tenet in vlnis, & oculis carnis nihil nisi puerum videt: sed oculis fidei vidit *Salutare mundi.* Hos oculos fidei quia hæretici non habent ideo non adorant, ideo non nisi quod vident, id esse credunt: vt de Caluino alibi docuimus. Nempe (vt sapienter scripsit Augustinus) *Homini carnali tota ratio credendi est consuetudo cernendi.* At patres & tota fidelium Ecclesia oculis fidei adhibitis Christum præsentem adorant. Sic Dionysius Areopagita. O *diuinum mysterium nostros spirituales oculos singulari lucis tuæ fulgore imple.* Sic Eusebius Emissenus. *Sacrum Dei tui corpus & sang. fide respice, honora, mirar.* Sic Augustinus. *Nemo Christi carnem manducat, nisi prius adorauerit.*

De Christo adorando in ven. Eucharist. *Enarr. in Psal. 98.* *Marc. 16.* *Hom. 24. 1. Cor.* *Ioan. 9.* *Philip. 2.* *Matt. 27.* *Luc. 2.* *Dom. 4. Quadrag. Serm. 147.* *de temp.* *Eccl. hier. ca. 3. p. 3.* *Hom. 5. de Pascha.* *Enarr. in Psal. 98.*

A

IN DIE PVRIFICATIONIS BEATÆ VIRGINIS.

Luc.2. *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt eum in Hierusalem vt sisterent eum Domino.*

De ceremonia candelarum. LOCVS necessarius explicandi solennitatis hodiernæ causas, & institutæ rationes, contra hæreticorum hodie maledicas contumelias, qui vel hoc festum non celebrant, vel ceremoniam luminarium prætermittunt, eamque solidam esse superstitionem suis persuadent: maximè vt intelligat fidelis populus præsenti Euangelio ceremoniam hanc aptissimè conuenire. Prima causa est vt Iesu Christi Saluatoris nostri ingressum in templum primum hac illustri luminarium accensorum prægestatione Ecclesia lætanter & gloriosè commemoret. De hoc quippe Christi in templum ingressu luculenter prædixit Malachias. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Hic erat Ioannes Baptista, de quo in templum introducto sic ore prophetico pater Zacharias pronunciauit. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Moxque sequitur in Malachia: *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Hunc ergo ingressum Domini in templum statim nato præcursore factum, & tam luculenter à Prophetaprædictum, luminibus accensis (quæ gaudium & gloriam significant) celebrat Ecclesia. Vnde Græci patres hoc festum vocant ὑπαπάντη, *occursum Domini*, de quo multas conciones ediderunt. De hoc occursu Domini prædixit Dauid. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Hodie enim in ipso templo primum huic misericordiæ Dei, & diuinitati Christi nati testimonium publicè datum est per Simeonem senem, & Annam viduam prophetissam. De hoc quoque Christi in templum ingressu Aggæus Propheta euidenter prædixit. *Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco isto, dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Hæc ille de secundo templo post captiuitatem Babylonicam reparato, cuius certè non erat tanta gloria, tantus splendor, tanta magnificentia quoad aurum & argentum, templique ipsius vel structuram vel ornatum, quanta erat sub Salomone. Sed ideo maior huius templi gloria fuit, quia in hoc templo Messias expectatus apparuit. Sed neque sub hoc templo *vel Prophetas habuerunt vt prius, vel sub Regum suorum libera potestate amplius agebant, ab alienigenis afflicti & multis cladibus attriti*: vt demonstrat Augustinus. Hodie igitur maior fuit gloria templi Hierosolymitani secundi quàm primi, quia puerum Iesum *tulerunt*, hodie parentes *in Hierusalem vt sisterent eum Domino*, id est, in templo præsentarent. Hanc primam adeoque solennem, & à Prophetis prædictam, & in lege decretam, prout huius Euangelii verba ostendunt, Christi in templo præsentationem, accensis & rutilantibus cereis celebrat Ecclesia. Quo tempore Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus Patriarcha ab exilio suo incredibili plebis studio reuocaretur, populus Constantinopolitanus vt gaudium suum venerationemque erga talem episcopum ostenderet, *vniuersus obuiam illi prodiit, cereos accensos ferens.* Non absimile studium & venerationem multo maiorem Christo factura Ecclesia, cereos hodie accensos fert, eamque historiam commemorat, qua in templum primo receptus, à Simeone sene Spiritusancto pleno & Anna Prophetissa nobilissima confessione honoratur. Hæc igitur vna atque primaria causa huius ceremoniæ est. Alia causa est honor Beatæ Virginis, quæ hodie ritum purificationis legalis obseruauit, cui tamen obnoxia non erat, nec ex parte filii, nec ex sua. Legale enim illud præceptum, *Omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur*, Christum non tangit, qui clauso vtero Virginis exiuit, iuxta illud Ezechielis. *Porta hæc clausa erit. Non aperietur, & vir non transiet per illam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa*: vt & S. Hieronymus hunc locum exponit, multique alii patres idem docent, Ambrosius epist. 81. Chrysost. in homil. de Ioanne Baptista. August. Serm. 2. & 14. de Nat. Domini. Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. c. 15. Eusebius Emissenus de Nat. Domini hom. 1. Origenes homil. 8. in Leuiticum. Illud quoque legale præceptum, *Mulier si suscepto semine peperit masculum, erit 7. diebus immunda*, &c. B. Virginem contingere non potest, quæ non humano sed diuino semine suscepto peperit suum primogenitum. Rectissimè igitur Augustinus, *non ex necessitate sed ex consuetudine legis hanc oblationem* à B. Virgine factam esse scribit. Sicut ergo B. Virgo Christum præsentauit in templo nō vt ipsa purificaretur, sed vt vulgarem purificandi morē seruaret, sic fideles externa cereorū

ceremonia

Malach. 3. Luc. 2. Psal. 47. Aggæi 2. De ciu. Dei li. 18. c. 45. Nic. Eccl. hist. lib. 13. c. 16. Ezech. 44 Exod. 34. Quæst. 40. in Leuit.

1. Causa. 2. Causa.

A ceremonia hanc Purificationem celebrant, non vt per istos cereos accensos illuminentur ipsi aut sanctificentur, sed vt adeptam iam per Christum sanctificationem & fidem in illum cum Simeone sene testificentur. Cerei quos manibus gestamus, Christi carnem fragilem repræsentant, & quidem de purissima Virgine natam, sicut cera ex apum labore conficitur, quæ sine vlla commixtione nascuntur. Lucem autem superferri videmus, quæ Christi diuinitatem præsentat. Non secus quàm Simeon carnis infirmitatem in vlnas accepit, sed oculis fidei salutare mundi vidit. Si Ioannes Baptista natus ex muliere erat, *Lucerna ardens & lucens*, multo magis Christus natus ex Virgine lucernæ ardenti comparari potest. Cereus ergo ardens quem portamus & Christum ipsum & fidem nostram in eum, quam ipse nobis contulit, repræsentat. Hodie enim apparuit salutare mundi quod parauit Deus ante faciem omnium populorum, vt esset *Lumen ad reuelationem omnium gentium, quia populo sedenti in tenebris lux orta est*, hoc excellens beneficium vt in templo hodie apparuit, sic in templis hac illustri ceremonia recolimus. Sed quia ceremoniarum doctrinam & vsum irridentes hæretici, quasi Iudaicum quiddam hoc sit vel gentilitium, respondeatur illis ex Dionysio Areopagita D. Pauli discipulo, qui cur Apostoli ceremonias instituerint, his verbis docet. *Principes nostri visibilibus signis cælestia sacramenta texerunt, & sub humanis imaginibus res diuinas tradiderunt, & in matertali figura maiestatem spiritualem repræsen-*
B *tarunt, vt pro modo ac ratione captus nostri figuris visibilibus quasi adminiculis quibusdam ad mysteriorum augustiorem intelligentiam subueheremur.* Hæc ille. Quod si spirituales isti Protestantes his se adminiculis non indigere asserant, sinant tamen his vti populo. *Si alioqui volare possent*, (ait elegan-ter Augustin.) *tamen ne cui sit periculo incitamentum, pauliſper cogantur incedere qua cæteris tutum est, ne etsi sibi facto non noceant, noceant tamen aliis exemplo.* Certè sicut folia arbores ornant & cortex sustentat, etsi fructum non proferant, sicut ligna vitem sustinent, & sepes non nutrit plantas sed seruat, sic ad pietatem & religionem conseruandam atque fouendam ceremoniæ externæ mirificè conducunt, etsi per se actus pietatis non sint. Porro & alia causa huius institutæ solennitatis à quibusdam veteribus assignatur, ad abolendam & obliterandam turpissimam huius temporis consuetudinem apud Romanos. Solebant enim initio mensis Februarii, Februo, id est, Plutoni accensis cereis sacrificare, & ciuitatem lustrare ex ordinatione Numę Pompilii qui hunc mensem illi dicauit. Hæc lustrandi consuetudo vt penitus tolleretur, Sergius Papa anno Domini 690. sub Iustiniano secundo, (cui & illam Durandus tribuit) cereos accensos in publica supplicatione deferendos statuit, ex ipsa historia Euangelica sumpta occasione. Eodem sanè modo quo & eadem Romana Ecclesia ad superstitiones Calendarum Ianuarii abolendas, Circuncisionis Dominicæ quæ eodem die accidit, Festum celebrandum instituit. Itemque ad varias superstitiones Calendarum Augusti extirpandas, in quibus Augusto
C Cæsari, vt in Ianuario Iano epulas & inferias consecrabant, festum vinculorum B. Petri quæ eo tempore Romam allata sunt, commodissimè ordinauit. Quæ enim olim gentilitiæ superstitioni seruiebant, vt eadem veræ pietati cultuique veri Dei seruiant, nemo Christianus culpare, imo non maximè non laudare poterit. Nam & æmulus rerum diuinarum Satan semper est, vnde & sua habet sacrificia, templa, sacerdotes, virgines, martyres, baptismum quoque ipsum & panis mysteria (vt ex Tertulliano, Iustino Martyre, Eusebio Pamphili, S. Hieronymo alio in loco latè ostendimus) & spoliandi sunt Aegyptii vt tabernaculum Domini adornetur. Non igitur quia cereis accensis sua sacra Plutoni Romani hoc tempore faciebant, propterea nobis non liceat absque superstitione Christum Saluatorem & B. Virginem matrem eius eadem ceremonia colere & honorare, sed contra idcirco maximè licere hoc debet. Cuius sanè rei æquitatem & congruentiam ipsemet Caluinus, quando commodum illi erat, nec dissimulare potuit, nec diffiteri voluit. *Hanc* (inquit) *necessitatem certo aliquo signorum externorum consortio homines colligandi quum Deus prouideret, ea postea Satan ad superstitiosos cultus transferendo deprauauit.*
D *Hinc illæ gentilitiæ imitationes in sua sacra & cæteri degeneres ritus: qui tametsi erroris erant ac superstitionis pleni, indicio tamen ipsi quoque simul erant, non posse in professione religionis homines externis huiusmodi signis carere.* Hæc ille.

Ino Carnotens. in Ser. huius Festi.

Ioan. 5.

Luc. 2. Esa. 9.

Ceremoniarũ vsus Eccl. Hierarch. c. 1.

De vtilit. cred. c. 20.

3. Causa. Beda li. de temp. Alcuinus de officiis Ecclesiast. S. Eligius Serm. 2. Durandus Ration. diuin. l. 7. Superstitiones gentilitiæ ad Dei cultũ conuersæ. In præscri. & Apolog. c. 47. Apolog. 2. De præparat. Euãg. l. 4. c. 7. Li. 2. cont. Iouinianũ. De princi. fid. l. 12. c. 14. Inst. li. 4. c. 14. n. 17.

A

IN DIE SANCTI MATTHIÆ APOSTOLI.

Matt.11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Cur hæretici errant.

LOCVS egregius obseruandi contra hæreticos, idcirco illos à veritate catholica aberrare, quia paruuli esse nolunt, sed apud seipsos sapientes. Christus Dominus in hoc Euangelio *exultans in Spiritu*, vt est apud Lucam, confitetur, id est, gratias agit Deo patri quod doctrina cœlestis quam ipse attulerat, à sapientibus absconderetur, paruulis autem reuelaretur. Sapiẽtes autem & prudentes hic à Christo vocantur, qui apud semetipsos tales sunt, superbi videlicet & fastuosi: paruuli vero humiles intelliguntur. Sic Augustinus. B

Luc.10.

Ser.8.de verb. Do. Mor.li.27 c.9. Ps.114

Nomine (inquit) *sapientum & prudentum superbos intelligi posse, ipse exposuit, cum ait. Reuelasti ea paruulis. Quid enim est paruulis nisi humilibus?* Sic & Gregorius: *Quod enim non subiunxit, reuelasti ea stultis sed paruulis, tumorem se damnasse innuit, non acumen. Vnde & alias dicitur. Custodiens paruulos Dominus. Humiliatus sum & liberauit me.* Eodem modo & S. Hilarius. *Cœlestium verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & paruulis reuelantur: paruulis malitia non sensu, sapientibus vero stultitiæ suæ præsumptione, non prudentiæ causa.* Docet igitur Christus superba & elata ingenia non esse cœlestis doctrinæ capacia, humilibus autem & obedire ac discere paratis, non ad docendum inflatis, illam reuelari. Hoc est quod Dauid aliis verbis dixit. *Testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis.* Hoc est: Sacra veritas quam Deus nobis fideliter & firmiter testatur, atque reuelat, sapientes facit non quosuis sed paruulos, id est, obedientes voci Dei. Nempe fidelium & credentium propria & necessaria virtus est obedientia verbo Dei præstita, quod Paulus vocat, *Captiuare intellectum in obsequium Christi.* Hæc autem obedientia fidei est obedire voci Ecclesiæ, quæ est vox Dei & ipsius Christi: vt in quadam Dominica clarè ostendimus, super illa verba, *Ipsum audite.* Nam & sic Apostolus de se suique similibus scribit, & captiuandum intellectum ministerio Ecclesiæ docet. *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum* (id est vt exponit Chrysostomus, *Fastum Græcorum sophismatum & syllogismorum robur*) *consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Docet se suique similes in captiuitatem redigere omnem intellectum, in obsequium Christi, quia doctrina eius obedienter erat audienda cum submissione intellectus, non refractarie cum superba reluctatione, aut curiosa inquisitione, vnde & addit. *In promptu habentes omnem vlcisci inobedientiam, quum impleta fuerit vestra obedientia.* Vlciscitur autem Ecclesiasticus Pastor omnem inobedientiam, vel *excutiendo puluerem pedum* in eos qui Euangelium non recipiunt, id est ipsos infideles diuinæ maledictioni relinquens, vel Euangelii desertoribus vt hæreticis anathema pronunciando: quod & Galatis fecit. *Licet*, inquit, *nos aut Angelus de cælo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.* Obserua eum dicere, *quod Euangelizauimus*, nos scilicet Ecclesiarum magistri & præpositi, non autem dicit *quod Euangelizatum est*, quasi perinde sit vnde Euangelium acceperint. Ideo iterum subiungit repetens. *Præter id quod accepistis*, scilicet à nobis prædicantibus. Vnde Sanctus Augustinus per apostrophem catholicam Ecclesiam alloquens, *Appello*, inquit, *paruulos tuos, teneros fœtus tuos, ne garrula curiositate seducantur abs te, sed potius anathement si quis eis Euangelizauerit præterquam id quod acceperunt in te.* Hæc ille. Dicit, *in te*, quia obedientia fidei est obedire doctrinæ acceptæ ab Ecclesia. Quare Paulus obedientiam fidei eam vocat, D vrget, requirit, mandat, quæ Ecclesiæ præpositis datur. *Si quis* (inquit) *non obedit verbo nostro, hunc per Epistolam notate.* Et in alia Epistola, quum dixisset, *Sicut prædiximus vobis & testificati sumus*, subiungit. *Itaque qui hæc spernit, non homines spernit sed Deum*: iuxta illud Christi ad Apostolos. *Qui vos spernit, me spernit.* Sic laudans Romanorum fidem, obedientiam eam vocat. Quum enim in exordio Epistolæ dixisset, *fides vestra annuntiatur* in vniuerso mundo, in fine idem repetit dicens. *Vestra obedientia in omni loco diuulgata est.* Qualis vero hæc esset obedientia in eadem Epistola explicat. *Gratias ago Deo quod obedistis ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis*, id est in qua instituti & edocti estis ab iis qui vobis euãgelizauerunt. Obedientia ergo fidei & obedientia verbo Ecclesię præstita. De qua vide plura in opusculo nostro de principiis fidei.

Obedientia fidei.

Dom.2. Quadrag.

Gal.1.

Contra Faustum l.15.c.3.

2.Thess.3. 1.Thess.4. Luc.10. Rom.1. Rom.16. Rom.6. Li.8.c.8. 9. & 10. Hebr.13.

Iam vero hanc obedientiam fidei nec Deo nec Ecclesię (cuius necessitatem Paulus vno illo in loco luculenter expressit, vbi scribit. *Obedite præpositis vestris, & subiacete illis. Ipsi enim pernigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*) præstare potest nisi qui paruulus est, & humiliter de seipso sentiens. Hoc in isto Euangelio Christus nos docet. Hoc Paulus disertè etiam explicat,

Humilitas ad credendum necessaria.

propriam

A propriam quasi indolem hæreticorum his verbis describens: *Si quis aliter docet, & non acquiescit sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ*, (id est, qui Ecclesiasticã doctrinam deserit, &c.) *superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum. Superbus* (inquit) *est nihil sciens*: nempè ideo nihil sciens quia superbus. Sic alio in loco. *Erunt* (inquit) *homines seipsos amantes, cupidi, elati, &c. semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes*. Docet superbos indociles esse in fide, multa discere, multa quærere, sed circa quæstiones languere, nihil proficere, ad veritatis cognitionem non peruenire. Contrà verò vt Catholici simus & vnitatem fidei Catholicam retineamus, humilitatem spiritus induendam idem Apostolus docet. Sic enim ad Romanos scribit. *Idipsum inuicem sentientes*: hoc est, vnitatem fidei retinere: sed quomodo? addit modum. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*. Nempè ita demum vnitas fidei seruatur, ita populus pastoribus, & pastores ad inuicem consentiunt, si non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, id est, si humiles Ecclesiæ discipuli & paruuli esse non desinunt: si per se non sapiunt, sed sapiunt ad sobrietatem, id est, iuxta mensuram fidei illis datam, quæ quidem vnicuique datur iuxta vocationem suam. Vnde Paulus: *Dico per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos non plus sapere, quàm oportet*
B *sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sicut enim in corpore multa membra habemus, omnia autem membra eundem actum non habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differenter.* Hæ autem donationes differentes fiunt iuxta locum quem quis tenet in corpore mystico Christi. Si enim in corpore naturali absurdissimum esset, vt pes capitis officium faceret, vel manus oculi, non minus absurdum est, vt in Ecclesia quæ corpus Christi mysticum est, ouis faciat officiũ pastoris, vel minister Episcopi. Quare Apostolus describit Ecclesiam esse *totum quoddam corpus sub capite Christo compactum & connexum per omnem iunctturam subministrationis*, (id est, subministrati, & suppeditati Spiritus Dei) *secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri*. Videlicet ita vt Spiritus Dei subministretur quidem omnibus ad operandum, sed non æqualiter omnibus, verùm pro mensura & capacitate cuiusque. Idque in hunc finem, vt (quod apud Apostolum sequitur) *augmentum corporis faciat in ædificationem sui in charitate*. Vnumquodque enim membrũ auget corpus Ecclesiæ & seipsum ædificat, id est tam toti communitati quam sibi vtilis est quisq; fidelis, quando toti adhæret & operatur iuxta mensuram sibi, vt tali membro datam, idq; *in charitate. Nisi enim charitate quæ non inflatur, colligati fuerimus* (ait S. Chrysostomus) *Spiritus subministrationem non capiemus*. Nisi paruuli simus suo quisque loco contenti & gradu, diuini Spiritus qui totum Ecclesię corpus animat, participes non erimus. *Non enim satis est* (ait ibidem Chrysostomus)
C *vnitum esse corpori, sed oportet præterea & proprium locum obtinere, vtpote qui nec vnitus esse queas, nec Spiritum accipere si loco cesseris*. Ideo Apostolus vocat *iunctturam subministrationis*. Nam & in toto hoc vniuerso elementa locum suum egressa vitam amittunt, & in quocunque corpore naturali membrum aliquod loco suo motum operatione caret. Locum autem suum quisque tenet in corpore Ecclesiæ, & locum suum tenendo diuini Spiritus particeps fit, cœlestémque doctrinam quæ in ea & per eam traditur haurit, quam diu paruulus est & humilis Ecclesiæ filius, nulla noua singulari opinione inflatus. Huius rei illustre & memorabile documentum S. Augustinus de seipso præbuit, quod certè populo explicare, valde expediet. Adolescens necdum baptizatus, sed Manichæorum hæresi imbutus & auditor eorum, philosophus tamen & rhetor egregius sic de seipso scribit: *Institui animum intendere in Scripturas sanctas, vt viderem quales essent, & ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris*, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysterijs. Et non eram ego talis, vt intrare *ad eam possem*. Causam subiungit, *Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Nam illa erat quæ creseret cum paruulis, sed ego dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu mihi grandis esse videbar*. Hæc ille. Tales sunt hæretici. Legunt Scripturas, sed vt grandes & turgidi fastu, non vt paruuli: ideóque eas non intelligunt, sed deprauant ad suam & aliorum perditionem. Ideo autem deprauant quia sensum suum, vt sibi
D sapientes, non sensum Ecclesiæ, vt filij & paruuli sequi volunt. Vnde de Pelagianis Augustin.) *Quia Scripturas secundum sensum suum legunt, profectò nec in illis quæ aperta sunt continentur*. Et alibi de omnibus hæreticis ita scribit: *Multa de Christo inueniuntur in Scripturis ita dicta, vt impias hæreticorum mentes prius volentes docere quam nosse, in errorem miserint*. Causam dicit, quia prius volunt docere quàm nosse. Sic Apostolus de hęreticis, *Volentes esse legis doctores non intelligunt neque quæ loquũtur, neque de quibus affirmant*. Sed vt eleganter scripsit Fulbertus Carnotensis: *dum fieri nolunt discipuli veritatis, fiunt magistri erroris*. Hæc ille. Sed vt in exemplo Augustini pergamus, non solùm adolescens intelligere Scripturas non potuit, quia adhuc superbus & apud se sapiens erat, verum etiã vir factus & veritatis cupidus, hæreticus adhuc tamen indocilis erat quia superbus. Quũ enim Episcopus quidam doctissimus à matre eius Monica instantissimè rogaretur, vt cum Augustino colloqui eiúsque errores refellere vellet, recusauit. *Respondit enim* (ait Sanctus Augustinus de seipso) *me adhuc esse indocilem eo quod inflatus essem nouitate illius hæresis*, Manichæorum scilicet. Qua in re prudentiam Episcopi laudat. At verò idem Augustinus ab hæresi Manichæa liberatus, & amator Catholicæ fidei factus, ideóque vt humilis & paruulus discere paratus legens Epistolas Pauli intelligit, *omnémque eius textum cum testimonijs legis & prophetarum congruere videt*, vt ipsemet de se scribit. Non ita tamen vt penitus iam securus esse aut priuato spiritui indulgere voluerit,

1. Tim. 6.

2. Tim. 3.

Rom. 12.

Rom. 12.

Ephes. 4.

Hom. 11. ad Ephes. 4.

Exemplum illustre. Confess. l. 3 cap. 5.

De gratia Christi, cap. 42.

De fide & Symb. c. 9.

1. Tim. 1.

Epist. 1.

Confess. lib. 3. c. 12.

Confess. l. 7 cap. 12.

sed etiam Episcopus factus in explicando principio Geneseos laborat & clamat: *Intelligam ea pater bone. Da mihi hæc subterpositio,* (id est humiliter sapienti) *quia subterpositis solidasti ea.* Tanti viri, & tam celebris in Ecclesia doctoris exemplum docere nos potest, quum verum hoc sit quod in hodierno Euangelio Christus dicit, cœlestem doctrinã abscondi à prudentibus & reuelari paruulis. Quare pulchrè ac planè diuinè Augustinus alio in loco scripsit, *Nisi pietas & pax quædam mentis accedat, de fide nihil prorsus intelligi potest.* Ratio in promptu est, quia fides donum Dei est, nõ scientia aliqua acquisita; Deus autem superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Nicodemus adhuc Magister in Israël, & inflatus Christum de regeneratione baptismali dicentem intelligere non potuit, quia credere noluit, sed rationes quærere: *Quomodo* (inquit) *potest homo nasci, quum sit senex?* Et iterum: *Quomodo possunt hæc fieri?* Vt grandis & sapiens rationem reposcit. Vt paruulus & humilis credere recusat. Ideò recessit inanis. Rursum de his prudentibus & paruulis iterum differens Christus ait, *Ego in iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident,* (id est, cœcitatem & ignorantiam suam humiliter agnoscunt, séque duci ab alijs patiuntur) *videant: & qui vident* (id est, existimant se videre) *cæci fiant.* Móxque dicentibus Pharisæis secta quadam Iudæorum, qua nihil erat superbius, *Nunquid & nos cæci sumus? dixit eis Iesus. Si cæci essetis,* (id est, *si vos cæcos esse aduerteretis,* vt exponit Augustinus, si ignorantiam vestram agnosceretis) *non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet,* id est, corrigi non potest. Hoc est quod Apostolus dixit, *Scientia inflat, charitas ædificat. Si quis autem se existimat aliquid scire* (scilicet in rebus fidei tanquam ex seipso sine magistra & duce Ecclesia) *nondum cognouit quomodo oporteat eum scire.* Charitas enim quæ ædificat, id est, quæ facit hominem pertinere ad ædificium totius domus Dei, & ædificari in corpore Christi, vnum alijs membris est, charitas Ecclesiæ & dilectio vnitatis fraternæ. Adeo sanè vt D. Augustinus charitatem Ecclesiæ vocauerit, *vnctionem illam quæ docet nos omnia.* Vnctio enim Spiritus S. non docet nisi humiles & paruulos in schola Christi, paratos discere & audire eos quos Christus in sua Ecclesia audiendos præposuit. Monendus ergo hoc loco populus fidelis, vt paruuli & humiles esse nunquam desinant, si veritatem cœlestem, & fidem orthodoxam retinere cupiunt. Hoc est, vt Ecclesiæ docenti tanquam Matri fidelium sicuti filios decet & paruulos, semper obediant atque auscultent. Si quis paruulus, id est, infirmus adhuc in fide est, non capiens altiora mysteria, non intelligens Sacramẽtorum & sacramentalium causas & rationes, à matre Ecclesia lactari debet, sicuti à Paulo Corinthij lactabantur, *Ego fratres non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam. Nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis,* id est, infirmi quatenus spiritualibus, id est, perfectis vox illa opponitur, non quatenus carni deditum, vt alibi apud Paulum significat: *Huiusmodi autem* (ait Augustinus) *nisi fidei quodam lacte teneantur, & inuisibilia quæ non vident & intelligibilia quæ nondum intelligunt, credant: facile ad vanas & sacrilegas fabulas promissione scientiæ ducuntur.* Paruulus ergo & infirmus in fide debet esse paruulus quoque in spiritu, vt saltem firmiter credat quod nondum intelligit. Postea intellecturus, vbi fortior euaserit: & humiliter credendo fortior esse meruerit. Nam vt prophetа dicit, *nisi credideritis non intelligetis,* sic sapienter Augustinus scribit, *Fides præcedere debet intellectum, vt sit intellectus fidei præmium.* Similiter dubius in fide & fluctuãs (qui primus ad hæresim passus est) ab Ecclesia iterum parturiri debet, & formari vt in fide firmetur. Sic ad Galatas in fide fluctuantes, & in aliud Euangelium transferri incipientes scribit Paulus: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* In persona matris Ecclesiæ loquitur Apostolus, suadetq; Galatas, vt se ab illa formari patiantur, non vt sibi ipsis sapientes & prudentes, docentem Ecclesiam contemnant. Sic hæc verba exponit eleganter Augustinus: *Expecta* (inquit) *formari. Noli tibi tribuere iudicium quod forte nosti. Carnalis es adhuc. Conceptus es eo ipso quo accepisti nomen Christi. Sacramento quodam natus es in visceribus matris. Bonum est, vt formatus exeas, ne abortiuus exeas. Generet te mater, non abortiat. Si patiens fueris vsquequo formeris, vsquequo in te certa sit doctrina veritatis, continere te debent materna viscera. St autem impatientia tua concusseris latera matris tuæ, cum dolore quidem excutit te foras, sed magis tuo malo quam suo.* Hæc ille. Rursum alio in loco: *Si erras in aliquo, quare non redis ad lac matris? Quia si non extollimini, si non exaltatis cor vestrum, si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed humiliter sentitis, sicut qui ablactatus est super matre sua, reuelabit vobis Deus quod aliter sapitis. Si autem hoc ipsum quod sapitis defendere vultis & pertinaciter asserere contra pacem Ecclesiæ, fit vobis maledictum quod dixit Propheta. Ita fiat retributio in anima mea. Quia adhuc super matre cum estis, id est, paruuli portandi à matre necdum ablactati, foris à lacte separabimini, foris à visceribus matris fame moriemini.* Hæc ille. Quandiu igitur adhuc paruulus in fide quispiam est, vel infirmus, vel dubius, non à seipso neque per se sapere, sed humiliter ab alio discere, nec à quouis alio, sed à sola Ecclesia Catholica, vt vnica fidelium matre, doctrinam fidei accipere debet. Non enim nisi paruulis & humilibus Deus pater suam doctrinam reuelat. Monendus quoque populus, ideò hæreticos fieri & persistere innumeros, quia sibi sapientes & prudentes esse volunt, paruuli esse recusant. Per seipsos Scripturas intelligere, omnem de fide controuersiam suo quisque iudicio ex Scripturis à seipso explicatis terminare vult. Hinc hæretici & fiunt & permanent. De philosophis Apostolus dicit, *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* De eisdem Prosper. *Qui semetipsis ducibus vtebantur, nihil inuenerunt.* Idem de discipulis Socratis notauit Sanctus Augustinus. Sic de hæreticis Irenæus: *Qui relinquunt præconem Ecclesiæ, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes quanto*

Confess. l. 13. cap. 25. A

De vtil. cred. c. 18.

Superbus diuina intelligere nõ potest.

Ioan. 3.

Ioan. 9.

Tract. 44. in Ioan.

1. Cor. 8.

Charitas quomodo ædificat. B

Tract. 6. in epist. Ioan.

Infirmi in fide quomodo firmãdi.

1. Cor. 3.

Tract. 98. in Ioan. C

Esa. 7.

De verb. Dom. ser. 5

Gal. 4.

Enarr. in Psalm. 57.

Enarr. in Psalm. 130 D

Hæretici cur tales permanent

Rom. 1.

Cont. Collat. c. 26. de Ciu. Dei lib. 8. c. 3.

Lib. 5.

pluris

A *pluris sit idiota religiosus quam impudens sophista. Tales sunt omnes hæretici & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant*. Denique superbiam matrem esse omnium hæreticorum in alia Dominica late ostendimus, super illa verba, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Hæc aut ex his aliqua salubriter doceri populus fidelis poterit, multúmque moneri vt hanc propriam verorum fidelium, & impiorum infidelium notam attentè obseruet, fidelium quòd sunt paruuli & humiles in doctrina fidei capessenda, infidelium hæreticorum quòd sunt superbi & sibi ipsis sapientes ad noua dogmata excudenda. *Domin. 7. post Pent.*

IN DIE ANNVNTIATIONIS

B. VIRGINIS.

B *Aue maria gratia plena, Dominus tecum, &c.* *Luc. 1.*

LOCVS oportunus defendendi contra hæreticorum calumnias & cachinnos, Catholicorum pietatem, & consuetudinem circa huius Salutationis Angelicæ frequentem repetitionem in forma rosarij vel coronæ. *De frequẽti repetitione Salutationis Angelicæ.* Hæretici enim hodie ad vnum omnes vix aliquid in tota Religione Catholica maiori ludibrio habent, quàm huius Angelicæ Salutationis repetitionem prædictam. Hic ergo illorum ridicula fundamenta propter quæ vsum catholicum ridendo, seipsos ridiculos præbẽt & impios probant, breuiter & dilucidè sunt euertenda. Nam si absque vlla iusta causa catholicam hanc pietatem reprehendunt, firma manebit catholica deuotio, quam aduersarius infirmare non potest, & vniuersæ Ecclesiæ consuetudo confirmat. Aiunt igitur hæretici hanc salutationem angelicam non esse orationem aut aliquam inuocationis formulam, nisi velimus dicere quòd Angelus Gabriel quum eam his verbis salutaret, illam inuocabat: quod est ridiculum. Vnde concludunt ineptè nos facere qui hanc salutationem repetendo, orare nos dicimus. Scribit porrò Caluinus duplicem esse hac in re superstitionem catholicorum. Vnam, quòd alienum munus vsurpent. Hoc enim soli Angelo Gabrieli Deus iniunxit, vt his verbis Virginem salutaret: alteram quòd absentem salutamus, quod planè ridiculum esse ait, & magici cuiusdam exorcismi instar. Addunt alij quicquid sit de ipsa salutatione in se, certè repetitionem illam esse superstitiosam. Vult enim in multiloquio Deo placere, quod Christus improbat: & idcirco ad certum numerum & pensum illa recitatur. Hæc sunt quæ illi contra salutationis angelicæ & rosariorum vsum disputant vel blaterant potius. Ad singula solidè & cordatè respondet concionator. Ad primum dicet. Orationis duæ sunt partes, precatio & gratiarum actio. Sic Paulus & Silas laudantes Deum orasse dicuntur: *Media nocte orantes laudabãt Deũ*, & multi Psalmi Dauidici qui solas gratiarũ actiones continent, ad orationes tamen Ecclesiasticas pertinent etiam hæreticorũ iudicio. Sic igitur salutatio hæc Angelica per modum gratiarũ actionis, & vt maximi redemptionis nostræ beneficij commemoratio, oratio quædam censeri debet. Hinc S. Athanasius hanc salutationem esse dicit, *voces naturæ sua laudatorias, quibus in encomium Virginis vtimur*. Deinde etiam ex parte precationis, oratio est per modũ insinuationis: sicut illa verba à sororibus Lazari ad Christũ per nunciũ missa, *Domine, ecce quem amas, infirmatur*. His enim verbis (vt etiam exponit S. Aug.) rogabant Dominum vt veniens sanaret ægrotũ. *Nõ dixerunt veni. Amanti enim tantummodo nunciandum fuit. Non ausæ sunt dicere, veni, & sana. Non ausæ*
D *sunt dicere, ibi iube & hic fiet: sed tantummodo, Domine ecce quem amas infirmatur. Sufficit enim vt noueris. Non enim amas & deseris*. Hæc ille. Sic & illa cœci verba ad Christum, *Domine si vis potes me mundare*, oratio fuit & vera precatio, etsi non expressa tamen tacita: & quidem talis vt Christus mox responderit: *Volo, Mundare*. Non aliter profecto in salutatione angelica recitanda, ipsam B. Virg. tacitè precamur vt nostri curam habeat. Postremò adiungit quoq; Ecclesia in fine salutationis huius, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis*: Vt sit etiam formalis oratio ex parte precationis. Orat igitur, & B. Virginem orat, atq; inuocat fidelis populus, dum hanc salutationem angelicam repetit, etsi Angelus eadem verba recitando, salutauerit eam tãtũ non etiam orauerit. Eadem quippe actio ex diuersa intentione, & fine, diuersum sortitur nomen ac naturam, iuxta illud axioma philosophorũ: *Actus accipit speciem ab obiecto*. Petrus confitetur Christum filiũ Dei, & laudatur. Dæmones confitentur & dicũt, Scimus quia tu es filius Dei, & iubentur tacere. Atq; hæc contra primam obiectionem. Ad secũdã respondeo, quod non vsurpamus munus alienũ: neq; enim vsquam legitur soli Angelo hanc salutationem Deũ iniunxisse. Fingit id ex suo cerebro Caluinus, vt alia innumera quæ petulanter affirmat, & nũquam probat. Contrà vero Athanas. scribit, *omnes cœlestis hierarchiæ Spiritus splendidissimũ hanc & capacissimũ hymnum* (sic enim loquitur de hac salutatione) *incessanter in cœlo canere, & B. Virginẽ celebrare*. Adeo

Reprehensiones hæreticorum.
1. *In Harm. Euang.*
2.
3.
4. *Matth. 6.*
Ad. 1.
Act. 16.
In Euang. de Sanctiss. ima Deipara.
Matth. 8.
Matth. 16. *Luc. 4.*
In Euang. de Sanctiss. Deipara.

soli Gabrieli hoc iniunctum fuisse, falsum credidit. Deinde vt alienum munus non vsurpat, sed pias aliorum voces rectè imitatur, qui illud Angeli Raphaëlis quod Tobiæ dixerat, vsurparet: *Gaudium tibi sit semper, pax tibi, &c.* aut illud Angelorum Christo nato canentium, *Gloria in excelsis Deo*: sic in Euangelica hac salutatione repetenda non alienum munus vsurpamus, sed Angelicas voces rectissimè imitamur: quòd & omnes fideles ac terrestres hierarchias in B. Virgine collaudanda ad imitationem cœlestium hierarchiarum facere S. Athanasius loco iam citato copiosè docet. A

Tob. 5. & 12. *Luc. 2.*

Ad 3. respondemus absentem B. Virginem non salutare nec inuocare, sed prorsus nobis & nostris precibus præsentissimam. Nisi fortè Paulus Corinthiis præsens non erat, quum diceret: *Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu iam iudicaui vt præsens eum qui hoc operatus est, &c. tradere Satanæ*: aut Elizeus mentitus est quũ diceret Giezi suo, *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui?* aut falsum narrat Scriptura, quæ refert eundem Elizeũ *indicasse Regi Israël omnia verba quæcunque loquutus erat Rex Syriæ in conclaui suo*? Quod si viuentium Sanctorum spiritus absentes nobis non sunt, sed Deo reuelante longè dissita norũt, quanto magis Sanctorum in cœlo regnantium & Deum videntium (quod ipse Caluinus non negat) actiones nostras vel Deo reuelante, vel quia in Deo omnia vident, *sequentes Agnum quocunque ierit* (vt Sancti Patres docent) actiones nostras cognoscunt, & preces exaudiũt? Sed profanus Caluinus ac si Christianus non esset, sed gentilis aliquis, sic Sanctorum spiritus (quod mortuos vocare solet) nihil cum pijs viuentibus commercij habere, sed quasi somno sopitos omnia ignorare existimat. Aliter Ecclesia credit, aliter SS. patres docuerunt, aliter Scriptura ostendit. Si enim animæ Sanctorum *æquales sunt Angelis Dei*, vt Christus affirmauit, & Angeli nostra cognoscunt (alioqui sua circa nos ministeria exercere non possent) manifestum est & Sanctos nostra cognoscere, nobisque spiritu præsentes esse.

1. Cor. 5. *4. Reg. 5.* *Reg. 6.* *Apoc. 14.* *Greg. Moral. l. 12. ca. 13.* *Hier. cõtra Vigilantiũ* *Matth. 22.* B

Ad 4. respondemus quod illa frequens repetitio huius salutationis Angelicæ & quidem ad certum & præscriptum numerũ, nihil est aliud quàm orationis sanctæ continuatio sancta. Christus *eandem orationem ter* in horto *repetyit*, passioni proximus. Multo magis eandem precationem centies nos repetere decet. D. Hieronymus in Epistola ad Furiam: *de Scripturis* (inquit) *sanctis habeto fixum versuum numerum: Istud pensum Domino tuo redde*. Sic nos catholici rosarij pensum Deo & Beatę Virgini exoluimus. Nec multiloquium, vbi est multa deuotio. Vnde Augustinus. *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Multum loqui est in orando rem necessariam superfluis verbis agere.* Hæc ille. Aliud igitur est multum loqui, aliud multũ precari. Illud Christus in Pharisæis taxauit. Hoc Christus à nobis exposcit, dicens *oportere semper orare, & non deficere*. De hac eiusdem orationis repetitione vide insignem disputationem in Lactãtio. His ergo paucis vanæ hæreticorum cauillationes contra Angelicæ huius salutationis repetitionem à catholicis vsitatam, satis refutatæ iacent. Quod si vero etiam ad piam hanc & laudabilem consuetudinem commendandam aliquid adiicere libeat, explicari populo potest, hanc salutationem esse maximè propriè Euangelium, id est, faustum fœlixque redemptionis nostræ nuntium. Ideò enim tam magnificè ab Angelo salutatur B. Virgo, quia futura erat mater redẽptoris nostri. Hanc igitur salutationem repetit libenter & in ore frequenter habet fidelis populus, siue in gratam recordationem incarnati filij Dei, siue in laudem benedictæ Matris eius. Si Iudæi quotidie in suis Synagogis nomen Christianorum anathematizant, vt refert Beatus Hieronymus, ad cordis sui malitiam explendam: quanto rectius Christiani quotidie exordium hoc sui Christianismi piè recolunt, ad cordis sui dilectionem erga Christum & matrem eius, exprimendam? In hoc enim rosario præcipua redemptionis nostræ mysteria recolimus: videlicet, B. Virginis gaudia quinque, Conceptionis in vtero, Visitationis cognatæ Elisabeth, partus, Adorationis Magorum, confessionis Simeonis & Annæ in templo: dolores quoque quinque, pueri circuncisi, fugæ in Ægyptum, pueri in templo amissi, Christi in cruce pendentis, eiusdem à cruce depositi & sepulti: ac demum quinque glorias, Christi filij sui resurgentis, in cœlum ascendentis, Spiritumsanctum in eam cum Apostolis, è cœlo mittentis, suæ in cœlum Assumptionis, atque ibidem glorioſæ coronationis. Hæc enim omnia ad Christum ipsum eiúsq; in genus humanum beneficia vel proximè & immediatè, vel certè consequenter pertinent: quia quæ ad matrem eius propriè spectant, à filio aliena esse non possunt. Communia haud dubiè sunt filij & matris gaudia, dolores quoque communes & gloriæ. Si enim Christus in quolibet suo membro vel patitur iuxta illud, *Saule quid me persequeris*? vel lætatur & beneficium accipit, iuxta illud: *Quod vni ex his minimis feciſtis mihi feciſtis*, quanto magis in matre, & tali matre, vel dolente, vel gaudente, vel honore & gloria sublimata, Christus ipse doluit, gauisus est, & gloriam accipit? Christum ergo colimus, & Christi beneficia recolimus, dum in Rosarij vsu B. Virginis vel gaudia, vel dolores, vel etiam honores in vna salutatione angelica meditamur, meditando commemoramus, commemorando celebramus.

Luc. 11. *Epist. to. 1. Epist. 121. ad Probam viduam.* *Luc. 18.* *Li. 4. c. 28.* C

Salutationis Angel. vsus salutaris. *In comm. ad Esai. c. 5* *Act. 9.* *Matth. 25.* D

A

Gratia plena.

LOcus necessarius, hanc beatissimæ Virginis iustam & excellentem laudem, adeóque singularem prerogatiuam, ore Angelico pronunciatam, ab hæreticorum hodie corruptelis vindicandi, simúlque populum docendi cur merito hanc B. Virginem Ecclesia Sanctorum præ cæteris colit, admiratur, inuocat. Hæretici enim pro his verbis *Gratia plena*, Græcè κεχαριτωμένη, vertunt & legunt, modò *gratiosa seu pulchra*, iuxta primam Erasmi corruptionem, quam noster Læus grauiter, & doctè refutauit, modò *liberè dilecta*: Illi quidē quasi vulgaris hæc esset salutatio quo homines vti solent, *Salue pulchra puella*. Ait enim profanus Erasmus amatoriam quandam & nescio quid procorum præ se ferentem hanc Angeli salutationem fuisse. Isti verò quasi electa aliqua vna de multis B. Virgo ab Angelo vocaretur. Docendus igitur populus Græcum illud verbū, quo B. Lucas Angeli verba Hebraicè, vel Syriacè potius dicta expressit, propriè & verè id significare quod Latina versio habet *Gratia plena*, ipsúmq; Angelū his verbis singularem, propriam & excellentem quandam huius Virginis prærogatiuam his verbis si-
B gnificasse. Verbum nempè χαρίω, à quo deriuatur illud κεχαριτωμένη, propriè significat non solum gratifico, sed gratia impleo, vt in Græco lexico illud verbū exponi & verti notauit Edouardus Læus, etsi Basileensia & Geneuensia lexica postea impressa Erasmi corruptelam sequātur. quare sanctus Chrysostomus huius verbi χαριτόω vim esse longè maiorem quàm verbi χαρίζομαι, quod propriè gratifico significat, luculenter docet exponens & tractans illud D. Pauli, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. *In qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* Sic enim exponit illa D. Pauli verba οὐκ εἶπεν ᾗ ἐχαρίσατο, ἀλλ' ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς. *Non dixit qua gratificauit* (*& si noster interpres minus perfectè sic illud verterit*) *sed qua gratiosos nos fecit*, vel qua gratia nos repleuit. Sic enim ibi prosequitur: *Quemadmodum enim si quis scabiosum quendam peste, morbo; senio, paupertate pariter, ac fame corruptum nactus, formosum mox adolescentem reddat, qui quosuis venustate superet, vehementem splendorem ex genis emittat, ipséque fulgura oculorum repercussionibus obscuret, quem deinde & in ipsum ætatis florem constituat, atque insuper & purpura & omnigeno mundo vestiat atque diademate exornet, non aliter animam nostram Deus elaboratam & pulchram, & desiderabilem ac dilectam reddidit. Nec solùm peccatis liberauit* (vt hæretici verbum *gratificare* reddunt) *sed & dilectos amicos effecit. Nam & Angeli, & Archangeli, & omnes Sancti ad huiusmodi animam introspicere desiderant. Ita videlicet no. ſ gratiosissimos fecit* (ἐπιχαριτᾶλας)
C *& sibi ipsi desiderabiles. Concupiscet enim* (inquit) *Rex speciem tuam.* Hæc ille, móxque in particulari ostendens quanta gratia pleni sunt fideles, vocat verba illa fidelium, quibus diabolo renunciant, cœlestia admirantur & laudant, ῥήματα κεχαριτωμένα; verba gratiosa, seu gratia plena. Nouerat videlicet eloquentissimus hic doctor Græcus magnum discrimen verbi χαριτόω, vnde κεχαριτωμένη, à verbo χαρίζομαι, cuius vulgaris est apud Paulum vsus, sed verbi χαριτόω non nisi hoc loco. Theophylactus quoque docet verbum istud κεχαριτωμένη per illud quod Angelus subiecit, *Inuenisti gratiam apud Deum*, exponi. Τοῦτο γὰρ ἐστὶ τὸ κεχαριτωσθαι, τὸ εὑρεῖν χάριν παρὰ τῷ θεῷ τουτέστιν ἀρέσαι θεῷ. Illud nempe (ait) gratiosam factam esse, idem est quod inuenire gratiam apud Deum, hoc est, placere Deo. Hæc ille. Verbum ergo illud nec pulchram, nec liberè dilectam, sed gratiosam, seu gratia plenam, seu desiderabilē valde, & placentem Deo significat iuxta ipsos Græcos Patres: quos Greci verbi vim maximè tenuisse dubitari non potest. Sed & præterea vtrumque verbum illud χαρίω non plus significaret quam simpliciter gratifico, (quod tamen ex disputatione Diui Chrysostomi falsum esse luculenter probatum est) tamen in hoc participio positam abundantiam & plenitudinem sui verbi vnde deriuatur, perpetuò notat. Sic Christus apud D. Paulum vocatur ἠγαπημένος dilectissimus patri. Et ad quos scribit vocat ἀδελφοὺς ἠγαπημένους, fratres dilectissimos. Sic apud Lucam Lazarus
D vocatur, ἑλκωμένος à verbo ἑλκόω: vlceribus plenus. Denique Homerus verbum nostrum κεχαριτωμένος, pro vnicè dilecto vsurpat? ἐμῷ κεχαριτωμένῳ θυμῷ: animo meo dilectissimè. Quare Latini Patres omnes vocis proprietatem secuti, non nisi *Gratia plena*, semper legerunt. Certè D. Hieronymus Origenis interpres, ponens in textu, κεχαριτωμένη, vertit, *Gratia plena*. Denique diligenter exponunt cur præ cæteris omnibus Sanctis hæc sola B. Virgo gratia plena ab Angelo pronuncietur: *Bene sola, gratia plena, dicitur* (ait B. Ambr.) *quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat consecuta est, vt gratiæ repleretur authore.* Sic & sanctus Hieronymus: *S. Maria* (inquit) *quæ conceperat eum in quo omnis diuinitatis plenitudo habitat corporaliter, plena gratia salutatur.* Nec aliter vtroque antiquior & Græcus Pater Athanasius. *Spiritus S.* (inquit) *in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, ideóque gratia plena cognominata est, quia omnibus gratijs abundabat.* Eūdem quoque sensum tradit S. Augustinus. Quum enim de B. Virgine dixisset, *O verè gratia plena. Quis hāc gratiam explicet? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat?* Paulò pòst subiungit: *Caro fit verbū, sed caro accedit ad verbum, non perit in carne verbum. O gratia vt hoc haberemus quid digni eramus!* Intelligit ideo plenā gratia B. Virg. quia gratiæ fontem, redemptorem nostrū in vtero tulit. Hos omnes sequutus Anselmus sic scribit. *Nos de plenitudine filij Dei accepimus. Hæc Virgo ipsam plenitudinem accepit, concepit, peperit.* Vocatur ergo ab Angelo singulariter & specialiter plena gratia, quia (vt postea addit) *eam gratiam apud Deum inuenit vt conciperet & pareret in vtero filium Altissimi, superueniente in eam Spiritu S.*

Edouard. Læus cōtra Annotat. Eras. Annot. 31. in Lucam.

Ephes. 1. Hom. 1. ad Ephes.

In com. ad Luc. c. 1.

Ephes. 1. Coloss. 3. 1. Thess. 1. 2. Thess. 2. Luc. 16.

Cur B. Virgo gratia plena. Lib. 1. c. 2. in Lucam. In epist. ad Principiā tom. 3. In Euang. de Sanctiſ. Deipara. Hom. 44. ex hom. 50. In lib. de excellentia gloriosiſſ. Virginis.

Luc. 1. Quæ quum ita sint, monendus diligenter populus quàm scelerate hęc Angeli verba peruerterint & corruperint hęretici, non solùm ad B. Virg. sed etiam ad Christi redemptionis iniuriam: A vtpotè cuius conceptio & partus futurus in illis manifestatur.

Iam verò ne ex hac interpretatione in fauorem hæreticorum colligi posse videatur B. Virginem conceptione hac & partu filij Dei consummatis, non amplius existimari debere, vel à nobis vocari & salutari, *Gratia plenam*, quia huius plenitudinis causa citò transijt, nato semel Christo, obseruandum & illud est, B. Virginem tum ante hanc Angeli vocem, tum post Christi partum, alio quoq; & singulari respectu plenam gratia fuisse, & semper perstitisse. Hæc enim Angeli verba *Gratia plena*, non solùm prænunciantis sunt, quid in ea mox futurum erat, vt iam explicatum est, sed etiam affirmantis quid iam ipsa esset: omnibus nempe gratiæ donis atq; virtutibus plena. Vnde Augustinus. *Dignum erat vt regali onustanda partu, prius cœlestis regis sanctificaretur ingressu.* Sic ex singulari plenitudine gratiæ iam antequam Angelus loqueretur, Deo se dicauerat Virginem. quod his verbis idem docet Augustinus: *Ipsa eius virginitas gratior & acceptior Deo erat, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conseruaret ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam de qua nasceretur elegit.* Quæ postrema verba notanda sunt. Docent enim B. Virginem non ideo solum plenam & Deo gratam fuisse, quia illam gratiam, seu fauorem inuenit apud Deum, vt Dei mater esset, (quod solum volunt hæretici) sed præterea antea Deo gratam, Deo dicatam illam fuisse, ideóque vt talem à Deo electam, vt filij mater esset. *Inuenerat enim gratiam apud Deum*, id est, tam grata Deo inuenta est, tam bene placens, tam pura, & sancta virgo, vt apta & idonea esset (non sanè ex se sed ex Dei gratia speciali, vt cæteri iusti, & sancti omnes) quæ filium Altissimi conciperet & pareret. In hoc sensu scripsit S. Bernardus: *Verbum Dei antè factus est Magister Virginis quàm filius, & qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inuẽtus est esse cum Virgine.* Et certè summa ratio non aliter fieri debuisse ostendit. Quum enim ordinaretur, vt esset mater Christi, (vnicuique autem datur gratia iuxta eum finem ad quem ordinatur, sicuti vnicuique membro ea vis & facultas quæ vsui eius in corpore & fini competit) debuit supra reliquos sanctos omnes esse plena gratia. Multo enim excellentius, multóque maiorem pietatem & puritatem exigit, esse matrem filij Dei non fide aũt charitate tantum, sed & natura, quàm sola fide & charitate, vt cæteri boni fideles aliquo modo sunt. Fuit ergo hæc B. Virgo etiam ante Angeli salutationem, *Gratia plena*: eámque vt talem iam existentem Angelus ita nuncupauit. Enimuerò multo magis post Christi partum plena gratia permansit. Quum enim vnumquodque quo magis appropinquat principio, & radici alicuius causæ, eo magis participat effectum causæ, vt aqua fonti proxima palmes radici vicinior, calidum igni propinquius, Christus autem seu filius Dei incarnatus sit principium omnis gratiæ instrumentale & fons, C vnde *de plenitudine eius accepimus omnes*, dubitari non debet quin B. Virgo quæ propinquissima fuit Christo secundum humanam naturam, vtpotè quæ ex visceribus suis eum genuit, eum inquam Deum & hominem, gratiæ Christi (post partum eius) magis particeps fuerit quàm quisquam alius. Maximè quia non solùm carne peperit, sed fide etiam vt nemo magis Christum tenuit. Fide enim dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Propter fidem dixit ei Elizabet: *Beata es quæ credidisti.* Propter fidem, *conseruabat omnia verba de Christo conferẽs in corde suo*: propter fidem in filium Dei sola ferè ex Christi discipulis cum dilecto Ioanne *astitit Christo in cruce pendenti.* Denique propter fidem eius in illam cum cæteris Apostolis descendit Spiritus S. in die Pentecostes. Quare de hac perpetuitate gratiæ in B. Virgine sic Athanasius: *Neque hoc temporarium fuit, sed per omnia tempora hoc illi datum est, vt in æternum sit plena gratia.* Vnde ab Angelorum omnium in cœlo agminibus, hoc titulo B. Virg. prædicari & collaudari, ibidem scribit, & in fine Orationis his eam verbis inuocat: *Retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex diuitijs gratiarum tuarum, tu quæ gratia plena es.* Manet ergo B. Virgo etiam hodie, & in æternũ gratia plena, quia magnis gratiarum diuitijs abundat, quibus deuotos illi fideles perpetuò iuuat. qua de re & speciali huius B. Virginis inuocatione & gloria, in Festo Visitationis, & Assumptionis huius plura dicemus. D

Gratia plena etiam ante verba Angeli.

Serm. 9. de tempore.

De Sancta Virg. c. 4.

Hom. 3. super Missus est.

S. Thom. 3. p. q. 27. art. 4.

Gratia plena post partum.

S. Thom. 3. p. q. 27. art. 5.

Ioan. 1.

Luc. 1. & 2.

Ioan. 19.

Act. 1.

In Euang. de Sanctiſ. Deipara.

Quomodo fiet mihi istud, quoniam virum non cognosco?

De voto virginitatis.

De Sancta virginitate c. 4.

LOcus appositus ostendendi contra carnales & petulcos nostri temporis hæreticos, in ipsa persona beatiss. Virginis matris Dei, verum virginitatis votum, quod illi omnibus modis subsannant & explodunt. Sic enim hæc huius Euangelij verba explicat S. Augustin. *Virginitatem Mariæ Deo dicatam indicant verba quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit, Quomodo* (inquit) *fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret nisi Deo Virginem se antè vouisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa iam vouerat. Quanquam etiam si hoc solùm dixisset; Quomodo fiet istud, nec addidisset, quoniam virum non cognosco, non quæsisset vtique promissum sibi filium, quo modo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset.* Nẽpè siue desponsata, siue non desponsata fuisset, postea & desponsari, & viro copulari atque sic parere potuisset. Nunc autem quia desponsata quidem erat, virũ tamen non cognitura (alioqui si de præsenti aut de præterito tantũ intelligeret, quũ *virũ non cognosco*, diceret, ineptè & nihil ad rem respondisset) miratur & quærit, non dubitans de facto,

sed

A sed facti modum scire cupiens, *Quomodo fiet mihi istud?* Móxque sanctus Augustinus ostendens hanc B. Virginem sua sponte & absque vlla expectatione futuri partus filij Dei, Virginitatẽ suã Deo consecrasse,& hoc multo excellentius in ea fuisse, quàm si vel iubente Deo post partum filij Dei Virgo maneret,vel accepta talis partus, seu promissione, seu donatione, sic Virginitatem suam per modum mercedis, vel ante partum, vel post Deo consecraret, in hunc modum verbis prioribus subiungit: *Poterat & iuberi Virgo permanere, in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura Virginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolẽ etiã sine concubitu concipere meruisset, Virginitatem Deo dicauit, quum adhuc quid esset conceptura nesciret, vt in terreno mortaliq; corpore cœlestis vitæ imitatio, voto fieret non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiẽdi. Ita Christus nascendo de Virgine, quæ antequam sciret quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit quam imperare.* Hæc Augustinus. Docet ex Euangelij verbis necessario consequi B. Virg. suam Deo virginitatem vouisse. Docet hoc votum virginitatis magis congruum & conueniens fuisse quã præceptum. Docet denique Christum hoc eius votum singulariter approbasse. Hic ergo locus contra petulantes hæreticos vehementer vrgeri debet, tum ad propriam & insignem huius B. Virg. gloriam defendendam, quòd prima mortalium suam Deo virginitatem voto consecrasse legatur, tum ad ipsum virginitatis votum iuxta Ca-
B tholicam doctrinam defendendum. *Vbi supra.* 1. 2. 3.

Recalcitrat hic tamen Caluinus, & ait: Quod *ex eius verbis suspicati sunt quidam, perpetuæ virginitatis conceptum habuisse votum, nimis infirmum est, imo prorsus absurdum. Perfidè enim passa fuisset se marito collocari, sanctúmque coniugij fœdus non sine Dei ludibrio spreuisset, Nec ipsi Papistæ permittunt vxori continentiam vouere suo arbitrio. Deinde puerile commẽtum est monachismum fingere inter Iudæos.* Hæc ille. Sed ad hoc totum argumentum variè olim responderunt Patres, quos contemnit Caluinus, vt homines absurdos & pueriles. Nullum inter Iudæos fingunt monachismum, nec Beata Virgo ex more Iudæorum continentiam vouit, sed ex diuini Spiritus impulsu, & singulari sua pietate ac puritate hoc fecit, nesciens se Dei matrem futuram, sed ex puro Dei amore pura eius sponsa fieri desiderans. Totum hoc pulchrè docet sanctus Augustinus: *Quia* (inquit) *virginitatis votum Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro suo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Poterat quidem iuberi virgo permanere in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet, sed exemplo satis futura virginibus virginitatem Deo dicauit, quum adhuc quid esset conceptura nesciret.* Desponsata igitur Beata Virgo, & tamen continentiam vouens, nec ipsi coniugio, nec viro suo iniuriam fecit, vt colligit Caluinus. Non viro, quia illo planè conscio, & consentiente hoc fecit, qui illam non nisi ad virginitatis custodiam accepit. Non ipsi coniugio, quia ad essentiam coniugij non copula carnalis, vt puta-
C re videtur Caluinus, sed obligatio mutua pertinet. Ideóque coniuges esse non desinunt, qui ex consensu à copula carnali siue ad tempus, siue in perpetuum abstinent. De quo lege Augustinum lib. 1. capite 11. de nuptiali & concupiscentia: deinde si fœdus coniugij violauit B. Virgo vouens continentiam, vt Caluinus ait, debuit secundum eum etiam post filij Dei partum viro copulari. Atqui hoc ipse Caluinus non admittit, qui eius perpetuam virginitatem asserit. Videre ergo debuit, quod sicuti conscio & consentiente viro perpetua virgo fuit de facto, sic eodem conscio & consentiente hanc perpetuam virginitatem vouit, sicuti eius ad Angelum verba manifestè conuincunt. quid ergo ad hæc verba Caluinus? *Soluendum* (inquit) *est obiectũ illud, quod Virgo in futurum tempus respiciat; ideo significet nullam sibi fore cohabitationem cum viro. Hæc verò coniectura & probabilis est, & simplex quod rei magnitudo, vel potius maiestas virginem pertulerit, vt sensus omnes admiratione ligatos haberet, ac constrictos. Quum audit nasciturum esse Dei filium, aliquid non vulgare concipit, atque hæc ratio est cur coitum virilem excludat. Hinc attonita exclamat, quomodo erit istud?* Hæc Caluini (vt vocat) coniectura aliquid probabile sonaret, si tantummodo dixis-
D set, *Quomodo mihi fiet istud?* hæc enim admirantis vox est, & ad magnitudinem futuri partus referri potest, quem quia diuinum fore audiebat, merito interrogare potuit, quomodo illa creatura simplex & vulgaris Dei filium, & in domo Iacob regnaturum, parere posset. Nunc autem non hoc tantum dicit, *Quomodo mihi fiet istud?* Neque ibi terminatur interrogatio, sed in causa admirationis, quam subnectit. Addit enim suæ admirationis causam, *Quoniam virum non cognosco.* Non dicit, quia pauperi & vulgari viro despõsata sum, quasi quæ tã nobilẽ partũ generare se posse admiretur, sed dicit quia viro non sum copulanda, nec viri coitum expertura. Quomodo igitur cõcipiã & pariam? Et ad hanc quęstionem respondet Angelus, ostendens quod loco virilis seminis *superueniet in eam* & illabetur *Spiritus S.* & loco virilis amplexus, *obumbrabit* & complexabitur *illã virtus Altissimi*: vt sit propterea de sua virginitate secura: cui soli metuebat purissima Virgo audita partus mentione, & conseruandæ virginitatis studio hanc quæstionem proposuit; quasi quæ nec propter filij Dei partũ futurum, virginitatis suæ propositũ violare libenter voluerit. Assensum itaq; suum cohibuit ac suspendit, donec de eius conseruatione aliquid certum haberet. Quam quidem virginitatem suam vbi ex Angelo integram sibi mansuram intellexisset, quia viri officiũ Spiritus S. & virtus altissimi suppleret, ipsóq; Elisabethæ sterilis & vetulæ exẽplo proposito, etiam virginem parere posse intelligeret, confestim absque vlla alia difficultate assensum suum præbuit, dicens: *fiat mihi secundum verbum tuũ.* Non ergo *magnitudo partus*, aut ipsius magni-

In Harm. Euang. ad c. 1. Lucæ.

Vouit virginitatem B. Virgo.

Lib. de sancta Virg. cap. 4.

In Harm. Euang. ibi.

tudinis admiratio, *ratio est, cur coitum virilem excludit*, vt Caluinus comminiscitur, ne sanctæ Virginitatis propositũ in purissima Virgine fateretur, sed partus ipse futurus, quem sine coitu virili fieri posse necdum intellexerat, ratio fuit cur coitum virilem à se remoueat, dicẽs: *Quoniam virũ non cognosco*, i. virum non sum cognitura: vt Beza hoc loco vertit. Nuptura igitur erat sine proposito consummandi matrimonij. Sic efficaciter & necessario probat hic locus votum virginitatis à B. Virgine conceptum, firmitérque decretum fuisse, antequam eam Angelus salutaret, & conuincuntur impij hæretici, qui huiusmodi votum à nemine emitti posse, aut debere dogmatizant. A

Beza Caluinum hoc loco se sequi profitetur, quem &, *optimum suum parentem, & præstantissimum Theologum* vocat, & hunc esse sensum ait: *Quandoquidem in eo quod polliceris, nullus locus est vulgari & consuetæ matrimonij coniunctioni, age qua tandẽ ratione fiet quod narras?* Fingit ergo Beza B. Virg. de noua partus ratione interrogare, eo quòd in tam excellenti partu, vulgari & consuetæ matrimonij coniunctioni locus non sit. Atqui nec hic sensus Caluini commento parum conformis, verbis B. Virg. quadrare potest. Non enim quærit nouam partus rationem, sed omnẽ à se futurũ partum excludit. Non dicit, quomodo sine viri copula pariam? quæ est consueta matrimonij coniunctio: sed dicit, quomodo concipiam in vtero & pariam filium, quia viri copulã non sum expertura? Notandũ quod dicit Virgo, *Quomodo fiet istud*, id est res ipsa quã narras, partus quem mihi annuncias. Non dicit, Quomodo fiet tale, talis partus, aut tantæ prolis conceptus. Dicit τοῦτο non τοιοῦτο. Simpliciter de partu interrogat, sicut causa interrogationis subiuncta demõstrat: *Quia virum non sum cognitura*, i. quia ab omni partu sum aliena. Nam B. Virginem de aliquo alio partus genere, quam de virili & consueto adhuc cogitasse, inanis plane & subtilis coniectura est. B

Deinde si de nouo partus genere præter virilem & consuetum interrogaret, non fuisset opus addere, *Quia virum non cognosco*. Nihil enim hoc ad rem faceret. Siue enim virum cognitura fuerat, siue non, nouus ille partus præter viri commercium, locum habere potuisset. Ita planè B. Virginis quæstionem, dum verum eius & germanum sensum peruertunt hæretici, subtilem & absurdum & impertinentem sensum habere conuincunt. Quam etiam quæstionis absurditatem innuere vult Caluinus, dum ait, *Virginem ita perculsam & attonitam fuisse, vt sensus suos omnes admiratione ligatos & constrictos haberet*. Vult ergo illam quasi vix sui compotem, sine sensu & iudicio quæstionem proposuisse. Hęc est Caluini impietas, quam sese libenter imitari profitetur Beza. Talem enim certè quæstionis sensum excogitarunt, qui nihil ad rem præsentem faciẽs, minimèque cohærens, verè sine sensu prolata videatur. Cæterum Beatissima Virgo absque vlla sensuum constrictione, prudenter & sensatè interrogauit, cui propterea Angelus grauiter & diuinè respondit, non ita responsurus, si illam sine sensu & iudicio aliquid interrogare perspexisset.

Hæretici B. Virg. sine sensu & iudicio Angelo respõdisse fingunt.

C

Est apud Apostolum alius euidens & illustris pro viduitatis voto locus, quod non secus, quàm Virginitatis impugnant hæretici: quo tamen posito, tanto fortius hoc sequitur, quo difficilius est viduam manere quàm Virginem, iuxta illud Ambrosij: *Quodammodo Magisterium Virginitatis viduarum valescit exemplis*. Verba autem Pauli hæc sunt, *Adolescentiores viduas deuita. Quũ enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerũt.* HOC in loco per *primam fidem*, propter quam violatam, damnationem incurri Apostolus dicit, viduitatis, & cœlibatus votum intelligitur. Sic Sancti Patres, adeóque Patrum Concilia hæc verba semper intellexerunt: nec aliter intelligi posse verba ipsa apertè ostendunt. Damnationis enim causam in eo ponit Apostolus quòd primam fidem irritam fecerunt quædam viduæ. Hãc autem primam fidem in eo irritam ostendit, quòd nubere volunt. Sic enim vnum per alium exponit. NON enim viduis nubere velle damnãbile esset, nisi hoc faciendi primam fidem, id est promissionem priorem de non nubendo factam irritam feciissent. Sed nunc Patres & Concilia proferamus. Quæ enim viduæ promiserunt (ait Epiphanius) vidualem continentiam & reprobauerunt, damnationem habent: quæ verò non promiserunt, sed coniunctæ sunt in secundis nuptijs propter debilitatem, damnationem non habent. Sic Tertullianus, *Habentes iudiciũ quòd primam fidem rescinderunt; illam videlicet à qua in viduitate inuentæ & professæ eam, non perseuerant, id est in eo quod primò vouerant non steterunt*. Apertissimè verò sanctus Augustinus: *Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt*. Et alio in loco, *Quæ* (inquit) *rectè vouentur quum homines vouerint, nulla ratione rumpenda sunt quæ sine vlla conditione vouerunt. Quia & hoc Dominum præcepisse intelligendum est vbi legitur, Vouete & reddite. Vnde Apostolus de quibusdam quæ continentiam vouent, & postea nubere volunt, quod eis antequam vouissent, vtique licebat, habentes inquit damnationem quia primam fidem irritam fecerunt*. Hæc ille. In eandem sententiam hæc Apostoli verba tractat S. Basilius. Quum enim ostẽdisset Virgines quæ post professionem & votum emissum *ad coniugij vmbram* (sic enim vocat) se recipiunt, in scelerato adulterio vitam agere, ad id probandum hunc textum adfert, dicens: *Nec sanè incongruè his quæ sunt eiusmodi illud Apostol cum aptari potest. Quoniam quum fornicatæ à Christo fuerint, nubere volentes habent damnationem quia primam fidem irritam fecerunt, non coniugium sed adulterium malè consummantes*. Eodem modo & S. Chrysostomus optimus D. Pauli interpres hæc verba exponit: *Fidem pactum dicit Apostolus. Contra veritatem mentitæ sunt, Christum irritauerunt, & pacta inita violauerunt*. Nunc ad verbum cæteri post eum Græci patres in suis ad hunc Pauli locum commentarijs

In lib. de viduis. 1. Tim. 5. Votum viduitatis ex Apostolo probatur.

Hær. 48.

In lib. de Monogamia.

De S. Virg cap. 33.

De adulterin. coniugiis l. 1. cap. 24.

In l. de vera Virgin.

Hom. 15. in 1. ad Tim.

D

A commentarijs sequuntur Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. D. quoque Hieronymus contra Iouinianum & in Epistola ad Gerontiam. Sed & in plenis Concilijs eadem Pauli interpretatio traditur. Sic enim patres Carthaginenses, inter quos erat ipse Augustinus expresse decreuerunt: *Si quæ viduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate à viro relictæ se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerunt, postea verò ad nuptias sæculares transierunt, secundum Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere ausæ sunt.* Hæc illi patres. Idem de viduis castitatem professam violantibus pronunciat Concilium Arausicanum primum ante annos plus mille. Patres quoque Concilij Toletani decimi idem decernunt. At verò hunc Apostoli locum Innocentius primus Romanus Pont. D. Augustino contemporaneus etiam ad votum virginale rectissimè applicat: *Si Apostolus* (inquit) *quæ à proposito viduitatis decesserant, dixit eas habere condemnationem quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis Virgines quæ pactionis suæ fidem minimè seruauerunt?* Hæc ille. Idem in constitutionibus Apostolicis à D. Clemente editis legere licet. Manet ergo firma doctrina Apostolica Euangelio huic nostro conformis, de voto seu Virginitatis à B. Virgine ante Angeli salutationem emisso, seu etiam Viduitatis. Quæ autem contra hunc Apo-
B stoli locum, tam clarum, tam illustrem, tot patrum testimonijs illustratum, cauillantur tamen incredibili impudentia hæretici, alio in loco à nobis excussa & refutata sunt. Quicquid autem contra huius Euangelij locum blaterant, sola S. Augustini expositio à nobis prolixè recitata satis supérque, si diligenter prematur, refutauerit.

Lib. 1.

Conc. Carthag. 4. Can. 104.

Can. 27.

Cap. 4.

Epist. 2. c. 13.

Constitut. Apost. l. 3. cap. 1.

De Princ. fid. doctr. lib. 11. c. 11.

FERIA SECVNDA PASCHÆ.

Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? *Luc. 24.*

C LOCVS conueniens ostendendi contra hæreticos, non per solam fidem, sed etiam per patientiam tribulationum, & tentationum aliáque opera pœnalia, ieiunium, orationes, vigilias intrare nos oportere regnum Dei. Oportuit Christum filium Dei naturalem: quanto magis oportet filios adoptiuos? Non solùm congruum est, sed oportet sic fieri. Hæretici hodie opera tantùm Eucharistica, seu per modum gratiarum actionis à bonis filijs Deo exhibita docent. At vide quid Apostoli doceant: *Paulus & Barnabas confirmabant animas discipulorum exhortantes, vt permanerent in fide, & quoniam* (nota vtrumque) *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Christi.* Idem disertè Christus nos docuit: *Si in viridi ligno facta hæc sunt, in arido quid fiet?* Si in eo qui peccatum non habuit, sed à primo conceptionis instãti floruit omni virtute, plenus gratia, quanto magis in nobis qui semper ferè peccamus, aridi & vacui gratia? Sic iterum Paulus docet: *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cũ in forma Dei esset, &c. humiliauit semetipsum vsque ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen, &c.* Hoc est quod in Euangelio hic dicitur: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Docet autem Paulus idem de nobis ipsis esse sentiendum. Sic & Petrus, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Rursum non solùm à minore ad maius, & ratione exempli, sed planè ex parte finis, id est, beatitudinis æternæ, debemus pati vt Chri-
D stus passus est, vt sic intremus in gloriam nostram, sicut ille in suam intrauit. Vnde Paulus, *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur vt & conglorificemur.* Nota conditionẽ iuri hæreditatis appositam. Hæredes sumus non quia filij, sed quia boni filij: Quod vt melius intelligatur, Christi glorificatio secundum humanam naturam clarius poterit explicari. Etsi enim anima Christi fuit in instanti glorificata per vnionem verbi, vt secundum principium meriti statim perfectus esset, tamen corpus non fuit simul glorificatum: sed passibile relictum: nec animæ gloria in corpus redundare permissa est: quia quum instrumentum tantum esset meriti, corpus debuit per modum meriti beatificari, non per simplicem vnionem verbi. Multo magis homo, & anima & corpore beatificari debuit, non per simplicem adoptionem, & vnionem mysticam per fidem in Christum, (vt hæretici volunt) sed per modum meriti, & cooperationis compatiendo, vt glorificetur. Dicet hæreticus. Quomodo ergo Christi passio fuit *propitiatio totius mundi?* Resp. Hoc modo quem Paulus explicat. *Christus per passionem consummatus factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Si autem obtemperare volumus, faciendum quod iubet dicens: *Qui vult venire post me* (scilicet in gloriam meam) *tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Nimirum Christi obedientia, mors, &c. est causa meritoria, cur nostræ passiones vitam æternam mereantur: quæ alioqui nisi in Christo fierent. Vtcunque millies susceptæ ad vitam æternam nihil prodessent. Hoc est enim (vt Diuus Paulus scribit) *Sacramentum voluntatis Dei, quod secundum beneplacitum suum proposuerit omnia instaurare in CHRISTO,*

Opera pœnalia ad salutem necessaria.

Act. 14.

Luc. 23.

Philip. 2.

1. Petr. 2.

Rom. 8.

B. Tho. 3. p. q. 49. art. 6.

Passionis Christi fructus.

Heb. 2.

Luc. 9.

Ephes. 1.

Ioan. 1. id est: quemadmodum per filium Dei *facta sunt omnia & sine ipso factum est nihil, sed quicquid factũ est in ipso vita erat*, id est, per filium Dei viuebat, & esse suum accipiebat, sic omnino per idẽ Dei verbum incarnatum omnia reficere & instaurare Deus voluit. Nostræ igitur passiones, tribulationes, bona opera vel pro Christo, vel in Christo & in fide eius susceptа iam Deo ad meritũ placent, quia eius membra sumus, & per eius gratiam nobis communicatam ea facimus, in quo Matth. 3. Ephes. 1. Coloss. 1. *Deo patri complacuit, per quem omnia instaurauit & reconciliauit*. Christus igitur passus est, multáque patientiæ documenta & iustitiæ opera fecit, non vt nos nihil pateremur: non vt eius passio nobis nihil patientibus (quando patiendi facultas & occasio datur) sed solùm credentibus & fiduciam habentibus imputaretur, sed vt nostræ quoque in hac vita passiones, afflictiones, tribulationes, omniáque pietatis & iustitiæ opera à nobis susceptа Deo per Christum prius patiẽtem & sua patientia nobis hanc gratiam promerentem, placerent: Deo grata & accepta essent: atque ita accepta vt per illa intratemus in gloriam nostram, gloriam, *quam Deus præparauit diligentibus se*, sicuti per similia Christus intrauit in gloriam suam. A

1. Cor. 2. Matth. 10. Ioan. 13. *Non est discipulus supra magistrum, neque seruus maior Domino suo*. Si Christus Dominus, & Magister debuit tam dura pati, & sic intrare in gloriam suam, quales sunt illi discipuli Christi, quales serui Dei, qui non solùm pro obtinenda æterna gloria operari recusant, sed & præterea nullis bonis operibus, nulla malorum patientia regnum cœlorum obtineri posse dogmatizant? B

Et factum est dum recumberet, Accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis: & aperti sunt oculi eorum.

De communione sub vna specie. LOcus conueniens ostendendi contra importunos horum temporum hæreticos Sacram Communionem sub vna panis specie, porrigi posse, exemplo Christi hoc in loco. Quem enim in manus acceptum panem, benedictum ac fractum, duobus istis discipulis porrigebat Christus, non nisi ipsum Sacramentum corporis sui fuisse, perspicuè ostendi potest. Primùm quia eisdem hic ceremonias adhibuit, quas in vltima cœna quum corpus suum se ipsis tradere profitebatur, quásque in multiplicatione quinque panum adhibuit paulo ante doctrinam de futura carnis suæ manducatione, sicuti in alia dominica latè explicauimus. Idem enim agendi modus eundem actionis effectum, maximè in Christo, qui nihil temere feciſſe iudicãdus est, satis ostendit. Deinde quia in huius sic porrecti panis acceptione, *aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum in fractione panis*. Talis enim & tam admirabilis effectus ex vulgari pane consequi non potuit. Et notantum quòd isti discipuli postea suis retulerunt, *se cognouisse Dominum in fractione panis*. His enim verbis non nisi ipsum Sacramentum Lucas exprimere voluit, sicuti idem Author in Actis perpetuò loquitur, quoties de huius Sacramenti vsu verba facit: *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus*. Et iterum alio in loco: *Vna Sabbatorum cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, & cætera*. Postremò Sancti patres sic hoc Christi factum intellexerunt, ne à nobis confictum hunc sensum hæretici cauillentur. Diuus Chrysostomus in opere imperfecto super Matthæũ ita scribit: *Quod Sacerdos de manu sua dat, non solùm sanctificatum est, sed etiam Sanctificatio est: quoniam hoc non solùm datur quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur. De sanctificato ergo pane licet & animalibus iactare, & infidelibus dare, quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset quod de manu Sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarẽt, & nemo de manu Sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via, non solùm benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ & socio eius. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum, quia non solum sanctificatum, sed etiã sanctificatio est, & sanctificat accipientem*. Hæc ille, satis luculenter docens panem quem Christus hic porrexit, fuisse ipsam Sanctificationem, id est, venerabile corpus eius quod sanctificat accipiẽtem. Hunc sequitur more suo Theophylactus, dum hanc historiam in commentarijs suis exponit. Ait enim: *Significat etiam hic & aliud, videlicet quod accipientibus benedictum panem aperiuntur oculi, vt cognoscant Christum. Magnã enim & ineffabilem vim habet Domini caro*. Probat nempè ex effectu apertionis oculorum eorum non vulgarem, sed Eucharisticum hunc panem fuisse quem Christus porrigebat istis duobus in via. Ex eodem quoque argumento idem probat & ostendit Sanctus Augustinus: *Oculis* (inquit) *eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est, vsque ad fractionẽ panis, certi mysterij causa, vt eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerẽt. Pro merito quippe mentis eorum adhuc ignorantis quod oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, &c, ne quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ, cuius vnitatem in Sacramento panis Apostolus commendat dicens: vnus panis & vnum corpus multi sumus: vt quum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum*. Et paulo post: *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus. Sed tamen à Christo facta est permissio vsque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentũ inimici, vt Christus possit agnosci*. Rursum alio in loco, quasi de re certissima

1. 2. Luc. 24. Act. 2. Act. 20. 3. Hom. 17. In com. ad c. 24. Luc. De consensu Euang. lib. 3. c. 29. C D

A certissima & indubitata, sic de hoc huius loci sensu scribit, *Quod ab illis duobus in fractione panis Christus est agnitus, Sacramentum esse qua nos in agnitionem suam congregat, nullus debet ambigere.* Hæc ille. Nec aliter hunc locum venerabilis Beda Augustini sensum suo more sequutus, exponit. Epist. 59. q. 8.
Quum igitur ex horum patrum vnanimi sensu & consensu, atque ex causis prædictis, satis liquido constet, Christum hoc loco duobus illis discipulis Sacramẽtum corporis sui tradidisse, nullam autem alterius speciei mentionem hic à quoquam fieri, ideóque iuxta ipsam hæreticorum regulam credendum hoc non esse quod Scriptura non dicit, manifestè consequitur illustre hoc exemplũ esse communionis sub vna specie, nec Christi institutioni aut factis repugnare Ecclesiam catholicam, quæ suis subditis vnicam speciẽ porrigit. Illud enim certè facit Ecclesia quod in hoc Euangelio fecit Christus. Et quemadmodum quum Apostolis idem Sacramentum traderet, quia eo tum tempore non sacramentum dabant tantùm, sed & *sacrificiũ noui Testamenti instituit* (vt clarè docet Irenęus) & illis hoc dabat, quos eodem temporis puncto huius Sacramenti ministros esse voluit, ideóq; addidit, *Hoc facite, &c.* idcirco sub vtraq; specie dedit, docẽs non aliter in sacrificio accipi posse: sic contra hoc in loco quia discipulis non Apostolis hoc dedit, sub vnica specie dat, docens inferiori populo sub vnica specie dari posse. Li. 4. c. 43.

B

FERIA TERTIA PASCHÆ.

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Luc. 24.

LOCVS necessarius admonendi populum fidelem contra superbam & vulgarem omnium hæreticorum hodie præsumptionem. Scripturas sacras non esse librum cuiuis perspicuum & obuium atque intellectu facilem & apertum, vt illi sibi ac suis temerè persuadent, atque ita persuasi non expectato Ecclesiæ interpretãtis iudicio, singuli audacter eas legunt & pro suo quisque arbitrio, etiã mulierculæ ipsę parum in bonis litteris institutæ, eas exponunt: sed esse librum multis mysteriis, & difficultatibus plenum, quique absque multis & magnis gratiæ, & naturę adiumentis intelligi nequeat. Ecce enim Apostoli ipsi qui toto triennio Christi lateri adhæserãt, ac specialiter de eius morte ac resurrectione cũ prædicantẽ non semel audiuerãt, Scripturas tamen in lege, psalmis & prophetis eo pertinentes necdũ intelligere poterant donec Christus aperiret illis sensum vt eas intelligerent, id est, non solum ipsas Scripturas aperiebat & exponebat, sicuti paulò antè eodẽ die duobus discipulis eũtibus in Emaus (*tunc enim interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ erant de ipso*) sed etiã Apostolorum ac discipulorum præsentium sensum seu mentem & intelligentiam (τὸν νοῦν) aperiebat vt Scripturas intelligerent. Vtitur enim Lucas verbo νοῦς non διάνοια, & de sensu Apostolorũ non de sensu Scripturarum à Christo adaperto hoc in loco loquitur. Opus est ergo ad Scripturas intelligendas non tantum multa & longa seu lectione, seu auditione earũ (audiuerant enim Christum docentem Apostoli, & audiuerant in Synagogis suis textũ Scripturarũ legi, per annos satis multos) sed etiam diuina quadam sensus & mentis apertione. Qua de re sic eleganter & sapienter S. Hieronymus: *Lex Spiritualis est, & reuelatione opus habet, vt intelligatur ac reuelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti litteras vt legat, respondebit tibi, non possum. Signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras, & tenẽt signatum librum, nec aperire possunt nisi ille reserauerit qui habet clauẽ Dauid, qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit?* Mox exemplũ adfert Eunuchi in Actis, in quo non defuit aut studium & diligentia, aut ardor & desiderium. *Et tamen quum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labijs personaret, ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus. Ostẽdit ei Iesum, qui clausus latebat in littera.* Hæc Hieronymus. In legendis ergo Scripturis opus est aliquo qui aperiat nobis sensum, tum nostrum intrinsecus, tum ipsarum Scripturarum extrinsecus. Crassus & fœdus eorum error est, qui per seipsos, suo studio, ingenio, labore, Scripturas sacras intelligere se posse præsumunt, vt vulgus hæreticorum. Liber est sacer & diuinus, non nisi diuino quodam Spiritu accepto, intelligi potest. Hic Dei Spiritus non nisi in Ecclesia vera, non nisi in corpore Christi habetur. Fit enim subministratio Spiritus in membra Christo capiti coniũcta & inter se inuicem cõpacta & vnita, vt supra in alio quodã festo explicuimus. qui ergo intelligere Scripturas vult, & sensum sibi aperiri cupit, vt eas intelligat, ante omnia ad Iesum veniat, corpori eius mystico quod est Ecclesia se adiungat. Extra enim corpus suũ caput non inuenitur. Non fit infidelis, paganus, Mahometista, hæreticus. Nulli horum quãdiu tales sunt & permanẽt, sensum aperit Iesus. Nam & hic solis Apostolis alijsq; discipulis iamdudum in Christũ credentib. Christus post suam resurrectionem aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas. Ad illos solos venit, illos solus docuit, illis solis apparuit, non cæteræ turbæ Iudæorum incredulæ. Illis ergo apetitur sensus, vt intelligant Scripturas, quibus iam Iesus per fidem familiaris factus est. Primus

Scripturæ sacræ ad intelligendum difficiles.

C

Luc. 24. Opus est aliquo qui aperiat sensum.

In Epist. ad Paulin.

D

Act. 8.

In Festo S. Matthiæ. Vt sensus aperiatur, fide præmia orthodoxa opus est.

gradus ad sensum aperiendum qui Scripturas intelligat, est fides in Christum eáq; orthodoxa & catholica. De Iudeis dicitur, *Quũ transierint ad Dominũ, auferetur velamen.* De gentibus infidelibus dicitur: *Ambulant gentes in vanitate sensus sui, obscuratum habentes intellectum, &c.* De hæreticis dicitur: *Volentes esse legis doctores, non intelligunt neque de quibus affirmant:* Et rursum, *Elati, superbi, semper discentes & nunquam ad veritatis agnitionem peruenientes.* Ac postremò: *Indocti & instabiles depravãt Scripturas ad ipsorum perditionem.* Indocti sunt qui nesciunt regulam fidei. Instabiles qui in ea firmiter fundati non sunt, sed *circunferuntur omni vento doctrinæ.* Hac de causa, vt sensus nostet aperiatur ad intelligendas Scripturas, fidem rectam esse ante omnia necessariã ipsæ Scripturæ nos docent. Esaias dicit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ex quibus verbis contra varios hæreticos & infideles Sancti patres argumentantur, vt Scripturarum in illis ignorantiæ causam ostendant. Cõtra Manichæos sic Augustinus: *Sed vos ista non intelligitis, quia sicut propheta dixit, Nisi credideritis non intelligetis. Non enim estis eruditi in regno cælorum, id est, in Ecclesia Christi vera Catholica.* Hæc ille: vbi obiter aliam Scripturam insinuat quæ docet fidem rectam ad intelligendas Scripturas necessario prærequiri: dicente Christo: *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est patrifamilias qui profert de thesauro suo vetera & noua.* Non satis est enim quomodocunque doctum esse, sed *in regno cælorũ*, hoc est, in Ecclesia Catholica, vt August. suprà exposuit, in fide & dogmatibus catholicis bene versatum esse oportet, cuius à Deo sensus aperiatur, vt Scripturas intelligat. Contra Iulianum Apostatam verba Esaiæ prælegata sic tractat sanctus Cyrillus Alexandrinus. *Subtilis* (inquit) *valde & profundus hic sermo est, & errantium cogitationibus non comprehensibilis. Vnde Propheta Esaias inquit, Nisi credideritis, non intelligetis. Principium enim intelligentiæ, fides.* Hæc ille. Móxque idem probat ex illis Christi verbis, *Nolite sancta dare canibus, neque margaritas proijcite ante porcos.* Quid enim sacrosanctis Scripturis sacrosanctius? Non has vel carni infideli & hæretico vel porco vitæ flagitiosæ revelat Christus, neque huiusmodi hominum quamdiu tales sunt sensus aperit, vt earum mysteria intelligant, ne vel contra propriam doctrinam faciat. Contra Iudæos sic ex hoc loco disputat S. Cyprianus, *Nihil posse intelligere Iudæos de Scripturis, nisi prius crediderint in Christum, Esaias docet dicens, Nisi credideritis, non intelligetis.* Denique & Beatus Prosper sic ex hoc loco ratiocinatur, *Populus* (inquit) *credere debet vt quæ doceatur intelligat: dicente Propheta, Nisi credideritis, non intelligetis. Vnde datur intelligi, quòd non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat, nec qui intelligit credat, sed qui credit intelligat.* Porrò idem quod Esaias, apertè etiam docuit Christus: quũ murmurantibus Iudæis & verba Christi non intelligentibus, adeóque dicentibus, *Durus est hic sermo, & quis possit eum audire?* subintulit, causam murmuris & non intellecti sermonis dicens: *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est, spiritualiter intelligenda sunt, vt vitam adferant. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Ad quæ verba sanctus Augustinus: *Non dixit. Sũt quidam ex vobis qui non intelligunt: sed causam dixit quare non intelligunt. Sunt enim quidam in vobis qui non credunt, & ideò non intelligunt, quia nõ credunt. Propheta enim dixit. Nisi credideritis, non intelligetis. Per fidem copulamur, per intellectum vinificamur. Prius hæreamus per fidem, vt fiat quod vinificetur per intellectum.* Hæc ille. Nempe vt alio in loco docuit: *Fides debet præcedere intellectum, vt intellectus sit fidei præmium.* Porrò hunc sanæ fidei defectum causam esse cur hæretici Scripturas non intelligant, Apostolus quoque luculenter docuit, *Si quis* (inquit) *aliter docet & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ* (id est Regulæ orthodoxæ fidei) *superbus est nihil sciens, sed languens circa pugnas & quæstiones verborum.* At contra fidem rectã esse propriũ & necessarium medium ad Scripturas intelligendas satis idem Apostolus docuit. Quum enim Timothæo suo dixisset, *Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem*, addidit statim. *Per fidem quæ est in Christo Iesu.* Non enim possunt instruere ad salutem nisi per fidem. Subseruiunt potius ad perditionem, vt Petrus suprà citatus dixit, vbi est instabilitas in fide vel ignorantia fidei. Frustra igitur, temere & impudenter, addo etiam impiè & sacrilegè hæretici nostrorum atque adeò omnium temporum Scripturarum cognitionem sibi arrogant: frustra Scripturas legunt, tractant, pertractãt, claue eas intelligẽdi, quę est recta fides, destituti. Per illam enim Christus aperit, sine illa non aperit. Suis videlicet aperit non alienis: fidei cum eo copulatis, non per schisma & hæresim ab eo seiunctis. Rursum *fide purificatur intellectus*, teste Petro, qua absente obscuratur intellectus. Hæc populo diligenter suggerenda sunt, vt sciat si Scripturas intelligere desiderat, in Catholica & orthodoxa fide manendum esse: vt sciat inanem esse hæreticorũ, adolescentulorum, mulierculorum & quorumcunque Ministrorum iactantiam de Scripturarũ cognitione, quibus Christus sensum non aperit, nec pro legitimis Scripturæ tractatoribus agnoscit. Qua de re sic pulchrè Tertullianus: *Dispici debet cui competit possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eandem cui nullo modo competit.* Et paulo post, *Ordo rerum hoc desiderabat, illud prius proponi quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturæ, à quo & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina qua fiũt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, illic erit veritas Scripturarum & expositionum, & omnium traditionum.* Et paulo post: *Si hæretici sunt, Christiani non sunt: Ita non Christiani nullam ius capiunt Christianarum litterarum.* Non aliter Origenes de hæreticis scripsit: *Nihil ad eos Scripturæ pertinent, vt ex illis doceant.* Non mirum igitur si Christus eis sensum non aperiat, vt Scripturas intelligant.

2. *Cor.* 5. *Ephes.* 4. 1. *Tim.* 1. 2. *Tim.* 3. 2. *Pet.* 3. *Ephes.* 4. *Esa.* 7. *Con. Faust. Mã. l.* 4. *c.* 2 *Matth.* 13. *Contra Iulianum l.* 7. *Matth.* 7. *Lib.* 1. *c.* 5. *aduersus Iudæos.* *De vita cõtemplatiua cap.* 19. *Ioan.* 6. *Tract.* 27. *in Ioan.* *De verb. Dom. ser.* 5. 1. *Tim.* 6. 2. *Tim.* 3. *Act.* 15. *In l. Præsc. cont. hæret.* *Hom.* 31. *in Lucam.* *Hæreticorum sensus Christus non aperit.*

Deinde Christus non aperit sensum nisi paruulorum & humilium, quales quia hæretici nunquam sunt, nunquam eis aperit. Reuelantur enim ista paruulis, vt in Festo D. Matthiæ

suprà

A supra copiosè explicatum est. Moneantur igitur hæretici, vt si Scripturas intelligere volunt, ad Iesum veniant, ad Ecclesiam redeant, rectè fidei regulam prius teneant. Dicatur illis quod Manichæis dixit Augustinus: *Ab errore correcti pietate catholica petite vt accipiatis, querite vt inueniatis, pulsate vt intretis.* Dicatur quod Donatistis idem doctor dixit. *Si turbari in intelligendis Scripturis nõ vultis, ad catholicum refugite intellectum: quia non inuenietis exitum responsionis, dũ irretiuimini crimine schismatis.* Dicatur quod de Pelagianis idem doctor scripsit. *Quia scripturas secundum sensum suum legunt, profecto nec in illis quæ aperta sunt continentur.* Qui secundum sensum suum legunt, eorum sensum Christus nunquam aperit. Sic autem legunt omnes hæretici, ideoque errant & deuiant miserrimè. *Intuere* (inquit Chrysostomus) *quomodo ex immoderatione omnes hæretici ceciderunt: alij quidem modum semper excedentes, alij autem infra modum se coarctantes.* Quod quum variis exemplis docuisset, subiungit. *Propter hoc fidem suscepimus, vt non cogamur innumeris hæresibus adhærere, negotiumque cum illis habere: sed si quid addere aut detrahere fidei aliquis molitus fuerit, hoc nothum esse indicemus.* Nempe vt hæretici errant in Scripturis intelligendis, quia sensum suum non fidei regulam sequuntur, sic econtra catholicus fidem rectam tenens in eis errare non potest. Vnde Augustinus scripsit, *hominem in catholica fide bene instructum & verapietate munitum, in scripturis intelligendis decipi non*
B *posse.* Quare alio in loco laudat Ecclesiæ catholicæ disciplinam & sapientiam: *quæ* (inquit) *nos inuitat prius credere quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante atque illuminante.* Deus enim iam credentes firmat atque illuminat, vt Scripturas intelligant. Manente autem hæretica & falsa persuasione nihil in Scripturis intelligi potest. Exemplum illustre ex Augustino de Manichæis afferri huc potest. Dixerat Faustus Manichæus, *quod omnẽ Moysεos Scripturam scrutatus, nullas ibi de Christo prophetias inuenit. Cui cito respondeo,* ait Augustinus, *quia non intelligit. Et si cur nõ intelligit, quisquam quæsierit, respondebo, quia inimico, quia auerso animo legit: quia non ideo scrutatur, vt sciat, sed quod nescit scire se putat. Hæc præsumptio tumidæ arrogantiæ oculum cordis vel claudit, vt omnino nõ videat, vel distorquet vt peruersè videat, & aliud pro alio probet aut improbet.* Hæc ille. Sic & olim & hodie hæretici omnes quia regula fidei abiecta, sua ad Scripturas præiudicia attulerunt; veritates catholicas in Scripturis inuenire non potuerunt. Sic hodie nostri Sacrificium Missæ, Sacramenti Eucharistici veritatem, Baptismi virtutem, bonorum operum necessitatem, merita, mercedem, iustitiam inhærentem, Petri primatum, Ecclesiam ipsam eiusque amplissimam potestatem, quæ omnia euidentissimis Scripturis commendãtur, videre hactenus in Scripturis non potuerunt. Causa eadem est ob quam Manichæus videre Christum in Moysaica Scriptura nõ potuit. At vero contra vbi fidei regula ad Scripturas affertur, nec ab ea vel latum vnguem defle-
C ctitur, ibi sensum legentis aperit Christus, vt intelligat. Quomodo omnes patres, maximè Sanctus Augustinus, hac potissimum via Scripturas scrutati fuerint, late à nobis alibi explicatũ est. Ex huius ergo Euangelii loco, hæc tria populus saluberrimè doceri poterit. Primum, non esse Scripturas tam facilè intelligibiles, quam hæretici eas hodie faciunt, passim eas lectitando earumque sibi cognitionem venditando: sed opus esse vt sensus legentium, diuinitus aperiatur. Secundo sensum legentium non aperiri nisi qui Christo per fidem primo adhęserunt: ideoque hæreticos, Iudæos, paganos à Scripturarum intelligentia excludi. Tertio fidem catholicam & orthodoxam ad omnem Scripturarum intelligentiam necessario prærequiri, nec sine ea præhabita à quoquam illas salubriter intelligi posse: atque adeo facilem ad intelligendas Scripturas viam esse, ipsam fidei Regulam bene ante omnia receptam & creditam. De qua lege Augustinum de doctrina Christiana lib. 1. cap. vlt. & lib. 2. ca. 7. vbi pietatem catholicam facit secundum gradum ad intelligendas Scripturas.

Contra Faustum li. 3. c. 4. Cõtra Par. li. 2. c. 10. De gratia Christi ca. 42. Ho. 8. in c. 5. ad Heb.

De agone Christiano c. 4. Contra epi. Fundamẽti ca. 4. Contra Faustum li. 16. c. 14.

Princ. fidei doctr. li. 1 ca. 3.
1.
2.
3.

Et prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus à Ierusalem.

D

LOcus explicandi contra nostri temporis hæreticos, Ecclesiæ catholicæ amplitudinem, claritatem, & successionis seriem à Christo hoc loco repromissam. Hæretici enim hodie quia ad veram Ecclesiam catholicam & Apostolicam in Scripturis declaratam se pertinere nõ possε homines tam pauci, tam noui, tam obscuri, vident, aliam sibi fingunt Ecclesiam non omnium, gentium à Christo passo, sed paucorum admodum gentium à Luthero nato, nec quæ à Ierusalem incipiens, sic in omnes mundi partes propagata fuerit, sed quæ ab VVittemberga (vt volũt Lutherani) vel à Geneua (vt volunt Caluinistæ) incipiens apud quosdã populos hæserit: Nec denique illustrem & perspicuam in qua prædicata fuerit pœnitentia in Christi nomine, sed occultam & latitantem, mundo incognitam, paucis tantum spiritualibus (quos fingunt) viris patentem. At vero Christus Dominus in hoc Euangelio affirmat debere deinceps prædicari, id est publicè & apertè doceri (iuxta id quod alibi, suis dixit, quod *in aure auditistis prædicate super tecta, in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum*, id est ea omnia doceri quæ homines possint ad pœnitentiam adducere, & ad remissionem peccatorum consequendam instruere, nempè fidem, sacramenta, charitatem, & quicquid præterea ad veram religionem attinet. Docet hoc debere fieri *per omnes gentes*: Docet denique certo ordine hæc debere fieri, *incipiendo à Hie-*

De vniuersali & conspicua Christi Ecclesia.

Matth. 10.

rusalem,& sic ad alia loca pergenda. Hæc est forma futuræ Ecclesiæ Christi, idque iuxta ea quæ scripta fuerant *de Christo in Moyse, psalmis, & prophetis, quæ omnia necesse est impleri*, ait hic Christus. A
Luc.24. At perfidi hodie hæretici negant ista impleri, negant hanc veræ Ecclesiæ formam esse. Quæ eorum impietas & pestilentissima fraus (hoc enim modo à veræ Ecclesiæ vnitate, extra quam solus non est, infinitas animas abduxerunt) vt magis ac magis intelligatur, operæprecium fuerit, alias huc Scripturas adferre quæ idem docēt, atque adeo causas ipsas notare, cur talis Christi Ecclesia esse debuerit. Et quidem in alia Dominica multa pro amplitudine & claritate Ecclesiæ veræ, prolata sunt, quæ etiam hic dici poterunt. Nunc alia quædam eodem pertinentia proferemus. Et primum de clara & perspicua & cognita semper vera Ecclesia Christi omnes illæ Scripturę efficaciter loquuntur quæ Christi gloriam prædicant, absoluta semel humani generis redemptione: gloriam dico etiam in hoc sæculo. Hanc enim non nisi in Ecclesia sua habet Christus, hoc est in illa hominum societate quę in Christum credit, suisque bonis operibus & tota professione Christum glorificant. De hac Christi gloria apertissimè Dauid. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Hoc enim ad regnum Christi in Ecclesia militante pertinere satis quæ sequuntur ostendunt. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion* (quia *de Sion exibit lex, & incipientibus à Hierusalem*:) *Dominare in medio inimicorum tuorum*, id est, florere semper & regnare in medio semper siue paganorum, siue hæreticorum: & (vt Augustinus loquitur) *frustra circumlatrantibus hæreticis, authoritatis culmen obtinere*. B Hæc autem psalmi verba de regno Christi in Ecclesia sua (de quo regno Angelus B. Virgini dixit, *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*) necessario intelligi optimus interpres Apostolus Paulus docet. *Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, deinde finis, &c. Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors*. Finem dicit extremum iudicii diem: vsque ad quod tempus regnare oportere Christum docet, vt omnia subiiciātur sub pedibus eius. Quæ quidem subiectio non est alia quàm obedientia populorum Christo credentium: de qua idem Apostolus alibi. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus est in gloria patris*. Et iterum ad Ephesios. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quæ est corpus eius & plenitudo eius*. Hæc est gloria noui Testamenti. Hæc virga virtutis Christi, hæc inimicorum eius subiectio, hæc Ecclesiæ plenitudo, manifestatio, propagatio: vt sanè Christus caput sit, non obscurum obscuri corporis, non ignobile latitantis & fugitiuæ Ecclesiolæ, sed illustre, conspicuum, glorioſum, & huiusmodi quod regnet. Ideo Ecclesia *regnum cælorum* vocatur, & Christus in eo regnare dicitur. *Regnum eius regnum sempiternum. Regni eius non erit finis. Gens & regnum quod non seruierit illi, peribit*. Et est quidem regnum hoc spirituale non mundanum, sed tamen ita spirituale vt ex hominibus constet non ex spiritibus: & sic ex hominibus vt illi homines sacramenta habeant visibilia, prædicationem verbi externam, cultum externum, conuentus frequentes, templa, prædicatores, Concilia, multaque alia quæ non nisi in visibili congregatione exerceri possunt, nec sic exerceri vt lateant. Quare Scripturæ sic Christi Ecclesiam describunt, vt populum constituat frequentem, copiosum, illustrem, ipsique Christo glorioſum. Hinc illę voces, *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius*. In quæ verba Augustinus. *Hæc est ciuitas in monte posita, quæ abscondi non potest. Hæc est lucerna quæ sub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata*. Sequitur enim in psalmo. *Fūdatur exaltatione vniuersæ terræ mons Sion. Latera Aquilonis, ciuitas regis magni*. Rursum in alio psalmo. *Laudis eius plena est terra, & laus mea in Ecclesia magna*: id est, *catholica*, ait Augustinus, *in qua quia Donatistæ non sunt, ideo Deum non laudant*. Propter has & alias Scripturas sic infert Augustinus, *Quomodo confidemus ex diuinis litteris accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisque ansas & vncos aduersus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut Anathema erit qui annunciauerit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, sic erit Anathema quisquis annunciauerit Ecclesiam præter communionem omnium gentiū, quia eadem veritate vtrumque consequenter accepimus in illis verbis, Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma*. Est ergo perinde impium & execrandum negare Christi Ecclesiam per omnes gentes diffusam, in qua prædicatur pœnitentia & remissio peccatorum (i. in qua sacramentorum fit administratio, & verbi prædicatio) & cuius exordium sit ex Ieruſalem, quàm est impium & execrandum negare Christum passum tertia die resurrexisse. At illud alterum hæretici hodie negant, & pertinacissimè sustinent: impij igitur & execrabiles perinde sunt ac si Christum cum Iudæis aut paganis negarent.

Deinde aduertendum est Christum Dominum in hoc Euangelio sic vtrumque hoc coniunxisse, suam videlicet passionem & resurrectionem cum Ecclesiæ suæ illustri propagatione, vt ex altero alterum consequi ostenderet, ex merito passionis & resurrectionis, gloriam propagandæ per vniuersum orbem illustris Ecclesiæ. Verissimè enim vnum ex altero consequi plurimæ Scripturæ docent. Primū Christi ipsius verba ad Iudæos. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad meipsum. Deinde* D. Ioan. verba de Christi gratia. *Non fuit Spiritus datus, quia Iesus nōdum fuit glorificatus*. Multæ quoque veteres prophetiæ, Esaiæ imprimis. *Ideo dispertiam ei plurimos, (vel* vt Augustinus legit, *ideo hæreditate possidebit multos) & fortium diuidet spolia, pro eo quod trāditus in*

mortem

Dan.7. *Luc.2.* *Esai.66.* — *Scripturæ conspicuā Ecclesiam describunt.* — *Psal.47.* *Enarrat.* *ibidem.* *Psal.21.* *Enar.ibid.* *Epist.48.* — *Dom.24. post Pent.* — *Eccl. propter Christi gloriam debet semper esse mundo conspicua.* *Psal.109.* *Esai.2.* *Luc.24.* *De vtilit. cred. c.17.* *Luc.2.* *1.Cor.15.* — *Philip.2.* *Ephes. 4.* — *Regnum Christi in Ecclesia sua.* — *Eccl. illustris propagatio est merces passionis Christi.* *Ioan.12. & 4.* *Esai.53.*

A *mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus est.* Illud quoque Ezechielis. *Scient gentes quoniam ego sum Dominus quum sanctificatus fuero in vobis coram eis.* Quod in passione factum est. Tunc enim Christus *sanctificauit semetipsum* in oblationem Deo per manus Iudæorum & Gentium. Sed omnium apertissimè Apostolus Paulus. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem &c. Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus est in gloria Dei patris.* Hæc est catholicæ fidei confessio per omnes gẽtes & linguas & populos, iuxta illud Danielis. *Omnis tribus, populus, & lingua illi seruient.* Quod & Dauid prædixit incarnato filio Dei largiturum patrem. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, possessionem tuam vltimos fines terræ.* Est ergo illustris & copiosa Christianorum Ecclesia, propria Christi gloria, merito incarnationis & passionis eius ei à Deo patre retributa. Hac eum gloria, hac propria passionis mercede spoliant Christum nostri hodie hæretici (qui tamen Christum & eius passionẽ maximè illustrare videri volunt) ponentes Ecclesiam latitantem & obscuram, negantes illam esse Christi Ecclesiam, quæ sola omnium gentium communionem tenuit, docentes vel perire, vel certè apud paucos obscurè latitare veram Christi Ecclesiam, idque adeo per multa sæcula pos-

B se. Contra hanc veterum olim Donatistarum, sed hodie nostrorum quoque hæreticorum impietatem, sic egregiè scribit S. Optatus. *Si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam, si vniuersas subducitis gentes, vbi erit illud quod filius Dei meruit? Vbi erit quod libenter largitus est ei pater, dicens, dabo tibi gentes hæreditatem tuam? Vt quid tale infringitis promissum, vt à vobis mittatur quasi in quẽdam carcerem latitudo regnorum? Quid tantæ pietati obstare contenditis? Quid contra Saluatoris merita militatis? Permittite filium possidere concessa. Permittite patri promissa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites?* Hæc ille, quę totidem verbis nostris hodie hæreticis dici possunt, & tanto iustiore quanto diuturniorem & ampliorem Ecclesiæ casum atque eclipsim impiè imaginantur atque affirmant. Illa quoque D. Hieronymi disputatio aduersus Luciferianos hic locum habet. Conuersum enim iam schismaticum sic alloquitur. *Gratulor tibi, & Christo Deo meo gratias ago, quia animo bono à falsitatis ardore ad totius orbis te saporem contuliſti: nec dicis more quorundam, Domine saluum me fac, quoniam defecit Sanctus. Quorum vox impia crucem Christi euacuat: Dei filium subiugat Diabolo, & illam comploratione quæ à Domino de peccatoribus prolata est, de vniuersis hominibus dictam intelligit. Sed absit vt frustra Deus mortuus sit. Alligatus est fortis & vasa eius direpta sunt. Allocutio patris impleta est. Postula à me & dabo tibi gentes, &c.* Et paulo post: *Vbi quæso sunt isti nimium religiosi, imo nimium profani qui plures synagogas asserunt esse quàm Ecclesias?* Nam & hodie si nostris hęreticis credatur, plures profecto Iudæorum synagogæ per hos annos mille atque hodie in orbe fuerunt, & sunt quàm Christia-

C norum Ecclesiæ. Sed si hoc ita esset. *Quomodo* (vt Hieronymus prosequitur) *destructæ sunt diaboli ciuitates, & in fine hoc est in sæculorum consummatione idola corruerunt? Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet* (sic enim isti Luciferiani dicebant) *nimium pauper factus est. Ensi Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, barbaras nationes, & totum semel mundum possidet Satanas, quomodo ad angulum vniuersa terræ crucis trophæa collata sunt?* Hęc ille. Crucis igitur trophæa, gloriã, mercedem propriam euacuant, & negant prorsus nostri hodie hæretici, dum Ecclesiam negant catholicam, toto orbe diffusam, conspicuam & cognitam, aliamque fingunt & obtrudunt à mille & amplius annis latitantem, obscuram, incognitam, ac paucorum nescio quorum vel vbi. Atque hæc pro manifesta prædicatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum, pro illustri & conspicua Ecclesia dici poterunt.

De Ecclesia Christi per omnes gentes diffusa, vt plurimæ Scripturæ in alia Dominica citatæ, ita maximè & clarissimè Esaias in hæc verba loquitur, *Lætare sterilis, quæ non paris, &c.* (quæ verba de Ecclesia gentium exponit Apostolus) *dilata locum tentorij tui*: & multa quæ sequuntur. Concludit tandem, *Redemptor tuus sanctus Israel, Deus vniuersæ terræ vocabitur.* Hic est Deus catholicæ Ecclesiæ. Christi Redemptoris Ecclesia, est Ecclesia omnis terræ, omnium gẽtium, catholica. Aliam quia fingunt hæretici, alium sibi Redemptorem quærãt oportet. Quare sapien-

D ter & appositè B. Prosper. *Generali Ecclesiæ communicans Christianus & catholicus. Ab hac segregatus est hæreticus & Antichristus.* Nemo videlicet veræ Ecclesiæ membrum se esse scire potest, nisi eam Ecclesiam teneat quæ est à Prophetis prædicta, & à Christo Saluatore promissa, vt in hoc Euangelio, *Per omnes gentes.* Vnde sapienter S. Augustt, *Nulla securitas vnitatis est nisi ex promissis Dei declarata Ecclesia, quæ super montem constituta abscondi non potest, & ideo necesse est, vt omnibus terrarum partibus nota sit.* Quam ob causam hac nota veros fideles à falsis alii quoque patres semper discreuerunt. Sic Theodoretus. *Iis qui colunt veritatem plena quidem est terra, pleni quoque sunt fines orbis terrarum. Vera enim est Dei prædictio, quam fecit per linguas prophetarum.* Vbi quibusdam enumeratis, *Hæ*, inquit, *omnes prædictiones per Ecclesiam finem accepere. Hæreticorum autem doctrina partim radicitus euulsa est, partim à semiaridis arboribus nihil differens, in paucis vrbibus & vicis manet.* S. Basilius orthodoxum se esse probare volens, & veræ Ecclesiæ filium, hoc communionis vniuersalis argumento vtitur, *Episcopi* (inquit) *totius orbis litteras ad nos mittunt: ei vicissim à nobis recipiunt, ex quibus cognoscere potestis quod vnanimes omnes eodemque sensu præditi sumus.* Ex hac quoque nota Optatus se esse veræ Ecclesiæ membrum probat. *Cum manifestum sit & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot prouincias nobiscum esse, tam videtis vos in parte vnius aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.* Eodem

Ezech. 36.
Ioan. 17.
Philip. 2.
Dan. 7.
Psal. 2.
Hæretici detrahunt Christi passioni.
Li. 2. Cont. Parmen.
In dialogo aduersus Luciferianos.
Mar. 3.
Eccl. Christi est vniuersalis. Cap. 62. Gal. 4.
De promiss. & prædict. ca. 5. Contra Parmen. l. 2. c. 5. Heretici. Fabul. li. 3.
Epist. 75.
Lib. 2. Con. Parm.

Tract.3.in epist. Ioan. argumento probat Augustinus Donatistas ab Ecclesia exiuisse. *An ipsi* (inquit) *à nobis exiuerunt, an nos potius ab ipsis? Sed absit vt nos ab ipsis. Tenemus enim hæreditatem Christi, illi non tenent. Non communicant orbi terrarum: Non communicant vniuersitati redemptæ sanguine Domini. Securi sumus de vnitate hæreditatis. Quisquis huic hæreditati non communicat, foras exiit.* Hæc ille. Ecclesia ergo omnium gentium est hæreditas Christi. Talẽ hæreditatẽ hoc Euang. sonat. *Prædicari per omnes gentes.* Ex huius hæreditatis possessione suos hortatur Basilius, vt illi Ecclesiæ se adiungant, quæ toto orbe diffunditur. Sic enim ad Euaisenos scribit. *State in fide. Ipsum orbem inspicite, & videte quàm modica sit ea portio quæ hoc morbo laborat: Reliqua vero vniuersa Ecclesia, quæ ab orbis finibus vsque ad fines Euangelium recepit, sanam hanc & rectam doctrinam sectetur, à cuius communione, vt ne excidatis petimus: simulque precamur, vt partem nobiscum percipere mereamini in die Domini N. Iesu Christi.* Hæc ille Ecclesiæ Græcanicæ lumen singulare. Postremo vt Ecclesia Christi veram, non nisi catholicam esse, vt in symbolo profitemur, vniuersalem, omniũ gentium, toto orbe diffusam, magis adhuc populus intelligat, proferri hic poterit illustre illud exemplum, Athanasii Alexandrini Patriarchæ, omniumque episcoporum patriarchatus eius, Ægypti, Thebaidis & Lybiæ, qui omnes in vnum congregati, & ad Imperatorem nouiter electum Iouinianum scribentes; vt eum rectæ fidei defensorem haberent, Arianis autem non faueret, hoc maximè argumento eum inducũt, quod illi fidem teneant omnium gentium, Ariani autem sint pauci. *Huic* (inquiunt) *nostræ fidei, omnes vbique Ecclesiæ assensæ sunt, vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes Ecclesiæ Africæ, Sardiniæ Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Isauriæ, & Ecclesiæ Aegypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, & regionum finitimarum, Orientis denique Ecclesiæ, exceptis paucis quæ sectæ fauent Arianæ. Nam istarum omnium re ipsa exploratè cognitam habemus sententiam, literasque ab illis accepimus, proque certo scimus Auguste sanctissime, quod quamuis pauci huic fidei contradicant, non tamen præiudicium inde potest orbi terræ fieri vniuerso.* Hæc illi. Adeo videlicet apud fideles obtinuit, tantam vim habuit quod Christus in hoc Euangelio, remissionem peccatorum in nomine suo *per omnes gentes*, prædicandam esse asseruit iuxta ea quæ in lege, psalmis, & prophetis de eo prædicta fuerant.

Theod. hi. Eccl. l. 4. c. 3.

A B

Vnicum exordium Ecclesiæ Christi.

Nunc etiam quantum id contra hæreticos, valeat quod adiecit Saluator, *Incipientibus à Hierusalem*, explicandum nobis est. Valet enim certè plurimum. Nempe ostendunt hæc Christi verba, vnicum & certum exordium esse propagandi Euangelii sui: quod videlicet perpetuo postea crescens in mundo, non nisi hoc initium haberet. Vnde sequitur omnem sectã quæ suæ prædicationis exordium ab alio aliquo loco auspicatur, ab alia origine deducit quàm à Hierusalem, ad Christi Euangelium non pertinere. Et notandum bene quod Christus ait, *Prædicationem à Hierusalem incipere*: Ait enim, *Prædicabitur pœnitentia, &c. incipientibus* sup. ipsis prædicatoribus, *à Hierusalem*. Hæretici enim hodie cauillantur illi quidem se eam doctrinam tenere quæ incepit à Hierusalem, quia Apostolicam se tenere aiunt: Sed quia hoc dicit omnis hæreticus, & nihil est facilius quàm hoc dicere, Christus Dominus posuit non doctrinæ, sed prædicationis exordium esse à Hierusalem. Tum quia non nisi ex prædicatione doctrina cognoscitur (*Fides enim est ex auditu, & quomodo credent quem non audierunt, quomodo autem audient sine prædicante?*) tum quia prædicatio certior & illustrior est quàm ipsa doctrina. Per prædicatorem enim cognoscit populus veram doctrinam: non per doctrinam discernere populus potest verum prædicatorem. Ipsi quidem inter se mutuo prædicatores ex vera doctrina quam adferunt cognoscuntur & discernuntur, vel vt sic legitimè mittantur à suis collegis, vel vt iam missi retineantur. Sed oues ipsæ & populus fidelis ex prædicatore & pastore doctrinam sanã accipere, cognoscere & discere debet, magisque considerare quis sit qui loquitur, quàm quid sit quod loquitur: vt in quadam Dominica explicatum dedimus. Notandum igitur diligenter prædicationis Euangelicæ originem & exordium vnicum esse, Hierosolymam. Quod quia singulariter notandum fuit, aliæ quoque Scripturæ idem inculcarunt. Sic enim Dauid prædixit, *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, vt supra explicatum est. Et rursum, *Vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum. Ex Sion species decoris eius.* Initium Ecclesiæ toto orbe diffusæ ex Sion illustrabitur. Sic & Esaias. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Hoc est quod Christus hic dixit, *Incipientibus à Ierusalem.* Et rursum ordinem propagandi Euangelii sui Christus in hæc verba describit. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & in Samaria vsque ad vltimum terræ.* Hic ordo, hæc series, hæc successio est prædicationis Euangelicæ. Hunc ordinem seruarunt Apostoli, vt tandem ad gentes & nationes Euangelium adferrent. Hinc vocatur vera Ecclesia Christi, Apostolica: quia ab Apostolis incepit, & quia ad ipsos Apostolos vel aliquem Apostolicum virum, vnaquæque Ecclesia catholica suam originem referre potest & debet. Qua de re sic præclarè scripsit Tertullianus, *Apostoli apud vnamquamque ciuitatem Ecclesias condiderunt. Ab his autem ciuitatibus seu Ecclesiis ab Apostolis constitutis, traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne enim genus ad originem suam censeri debet.* Et paulo post hæreticos ad sui Euangelii originem ostendendam his verbis prouocat. *Edant origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordines Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseueraverint, authorem habuerit & Antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Eodem quoque modo Irenæus contra sui temporis hæreticos.

Hæreticorum euasio reiicitur.

Rom.10.

C

Prædicationis Euãgelicæ verũ exordium. Psal.109. Psal.49. Esa.2.

D

Act.1.

Propagandi Euang. ordo.

In præscr. contra her.

A cos. *Habemus enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos qui nihil tale docuerunt.* Sic & Optatus Donatistas prouocat. *Vestræ* (inquit) *cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis S. Ecclesiam vendicare.* Est ergo omnium Ecclesiarum vna origo, vnum principium. Apostolica prædicatio Hierosolymis facta, ac postea per eosdem Apostolos in varias gentes ac ciuitates diffusa. Nunc autem post tot sæcula, etsi cæterorum Apostolorum Ecclesiæ perierint, vnius tamen Petri principis Apostolorum singulari Dei beneficio Ecclesia manet, Romana videlicet, vbi & per multos annos docuit, & vitam denique finiuit. Ab hac igitur originem nostram nos catholici ostendimus, quia & Petrus ipse in Ierusalem omnium primus prædicauit. Ab hac sede etiam quum aliorum Apostolorum sedes adhuc starent, vt omniũ tamen præcipua Irenæus, Optatus, Augustinus, Epiphanius, & Tertullianus, suæ Ecclesiæ originem contra sui temporis hæreticos deduxerunt. Quæ quum ita sint, moneri diligenter populus fidelis debet ne nouis hæreticis aurem præbeat, quorum sectæ à paucis annis cœperunt; & non ab Hierusalem, non ab aliquo Apostolo, vel Apostolico viro, sed vel ab VVittemberga, vel à Geneua, vel alio loco consimili, authore etiam nouo aliquo, vt vel Luthero vel Caluino, vel alio nescio quo initium suum acceperunt: quique propterea secundum exordium & nouã collapsæ Ecclesiæ reparationem (quam tamen reformationem vocare malunt) statuunt, cõtra huius Euangelii præscriptam formam, quæ vnicum ponit exordium, *Incipientibus ab Hierusalem.* Contra hanc hæreticorum impietatem prolixè disputat S. Augustinus his verbis, *Perscrutentur Scripturas, & contra tam multa testimonia quibus ostenditur Ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundi, (vel vnum proferant tam certum & tam manifestum quàm illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi periisse de cæteris gentibus, & in sola Africa* (vel vt nostri hodie volunt, in sola Geneua aliisque locis perpaucis ei adhærentibus) *remansisse, tanquam ab alio initio, non ab Hierusalem, sed à Carthagine* (vel vt nostri hodie dicunt ab VVittemberga Saxoniæ) *vbi primo Episcopum contra Episcopum leuanerũt.* Hæc ille. Et in eodem libro paulo post, c. 10. *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, vnde cæptura & quousque peruentura esset, cæptura scilicet ab Hierusalem & peruentura in omnes gentes.* Hæc ille. Nempe omnes qui fingunt Ecclesiam periisse, aut latuisse sic vt prædicatores verbi qui fuerint, cognosci nequeat, illi secundum exordium nouæ Ecclesiæ necessario debent ponere. At Christus Dominus ideo vnum exordium nominatim posuit, ne vnquam postea alia noua exordia quærerẽtur, ne nouis Ecclesiis vllus amplius locus esset, denique vt suam Ecclesiam vnam & vnicam esse perpetuo vsque ad finem sæculi permanentem ostenderet. Nam & ideo alibi docuit semen veræ doctrinæ crescere vsque ad messem. Ex quibus verbis sic contra nouatores, & noui exordii nouæque reparationis authores disputat Augustinus. *Quid nobis adfertis noui? Nunquid iterum seminandum est bonum semen, quando ex quo seminatum est, crescit vsque ad messem? Si dicitis periisse in omnibus illis locis, quod erat per Apostolos seminatum, & ideo rursus ex Africa esse seminandum, respondemus: Legite nobis hoc ex diuinis oraculis. Quod profecto legere non potestis nisi prius ostenderitis falsum esse, quod scriptum est semen illic antè seminatum crescere vsque ad messem.* Hæc ille, nihil absurdius iudicans aut Scripturis magis contrarium, quàm collapsæ Ecclesiæ nouã & secundam reparationem fingere, quod tamen omnes hodie hæretici faciunt, qui à catholica Rom. Ecclesia defciuerunt: adeoque sustinent habere suas eclipses Ecclesiam, & veram doctrinam subinde instaurari, quæ subinde extincta iacuerit, sicut ante paucos annos accidisse affirmant, donec Lutherus lucem orbi attulisset. Quæ omnia impietatis plena esse, huius Euangelii verba dexterè tractata, manifestum populo facere possunt.

Li. 3. c. 3. *Lib. 2.* *Li. 3. c. 3.* *Lib. 2. Epist. 165. Hær. 27.* *In præscr.* *Reparatio collapsæ Eccl. contradicit Christo.* *De vnit. Eccl. c. 4.* *De vnit. Eccl. c. 15.*

IN DIE S. MARCI EVANGELISTÆ.

D *Orate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* *Luc. 10.*

LOCVS oportunus differendi contra hæreticos nostri temporis de necessitate legitimæ vocationis & missionis ad operandum in vinea vel messe Dominica: qua videlicet illi penitus carent, vt in alio Festo explicatum est. Christus enim in hoc Euangelio tum mittit ipse binos & binos ante faciem suã, tum præterea iubet orare, non vt veniant operarii, quasi liberum cuique esset operari in hac messe qui vellet, sed *vt mittat Dominus operarios in messem suã.* Docet igitur mitti debere operarios idque à Domino messis, à Deo ipso, non à principe, non à populo, non à seipsis. Sic Apostolus: *Nemo sumit sibi honorem nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Vocari igitur & mitti oportet, idque à Deo, à Christo. Hoc est enim *intrare per ostium*, qui Christus est. Nunc autem populo ostendendum est, eum mitti à Domino messis, eum intrare per ostium, eum vocari à Deo tanquam Aaron, qui eo modo & ordine mittitur quem Christus in Ecclesia sua constituit. Christus dedit Apostolos, Prophetas, pastores, doctores. Isti postea alios dederunt, alios qui sibi in officio succederent miserunt. Et vt ista missio clara &

In die S. Andreæ. *De vocatione legitima prædicatorum verbi.* *Hebr. 10.* *Ioan. 10.*

certa esset, totique populo comperta, adhibita est solennis ceremonia, *Manuum impositio.* Sic Paulus ab Ecclesia ordinatur. *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus, &c. Illi autem ieiunantes & imponentes illis manus dimiserunt illos.* Paulus ipse sic dimissus & missus, pari ceremonia mittit Timotheum, *Admoneo te* (inquit) *vt resuscites gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.* Timotheus similiter alios ad operandum mittens, manus quoque illis imponit, quod vt prudenter faceret, his verbis eum monet Paulus, *Nemini cito manus imposueris, neq; communices peccatis alienis.* Hæc quoque manuum impositio, qua mittebantur semper in Ecclesia Christi operarii, non ab alio quam ab iis qui iam antea per manuũ impositionem missi ipsi fuerant, aut facta vnquam fuit aut fieri potest. Hanc ob causam in canonibus Apostolicis & in Cõciliis antiquissimis cautum diligenter est, ne ab aliis quàm ab Episcopis illa fieret. Tales nempe erant qui Paulo manus imponebant, talis ipse Paulus Timotheum mittens, talis & Timotheus aliis manus imponens. Hæc manuum impositio tam certa & necessaria forma est legitimæ missionis ad operandum in vinea Domini, vt ipsemet Caluinus vi veritatis victus idipsum confitere & agnoscere compulsus fuerit. Primum enim ordinationem esse necessariam his verbis fatetur, *Vt ab hominibus designentur Episcopi, omnino ex ordine legitimæ vocationis esse, nemo sobrius inficiabitur, quando in hanc rem tot extant Scripturæ testimonia.* Et paulo post de impositione manuum. *Licet nullum extet præceptum de manuum impositione, quia tamen fuisse in perpetuo vsu Apostolis videmus, illa tam accurata eorum obseruatio, præcepti vice nobis esse debet.* Deniq; hanc impositionem manuũ non à quibusuis, sed à solis Episcopis factam ibidem agnoscit his verbis, *Hoc postremo habendum est non vniuersam multitudinem manus imposuisse suis ministris, sed solos pastores,* quos videlicet Caluinus pro Episcopis habet, & ministros pro Presbyteris nostris. Valeat igitur ipsorum confessio contra ipsos. Nemo legitimè mittitur nisi ab Episcopo per impositionem manuum mittatur. Hac missione carent hodie hæretici. A nullis enim Episcopis missi sunt. Etsi enim nunc quidem apud Caluinistas & Lutheranos plerosque mittantur ministri per manuum impositionem, tamen quia primi Magistri à nemine ipsimet mittebantur, tota hæc imaginaria missio merum nugamentum est. Quod enim in radice vitiatum est, & à principio nihil fuit, progressu temporis firmari aut rectificari non potest. Neque enim hîc præscriptio locum habet, quia Dei præceptum (vt Caluinus ipse agnoscit) violatur. Isti ergo (vt de schismaticis sui temporis scribit S. Cyprianus) *sine diuina dispositione sese vltro apud temerarios conuenas seu sodales præfecerunt: se præpositos sine vlla ordinationis lege constituerunt, & nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumpserunt.* Quo in loco notandum nostros hæreticos veteribus multo esse impudentiores, eoque nequiores. Illæ enim olim sectæ quæ nullos Episcopos habebant, sacramenta administrare aut alios ad ministeriũ ordinare non præsumebant. Sic de Acephalis secta Monophysitarum scribit Nicephorus, *Acephali* (inquit) *dicti sunt quia sub Episcopis non fuerunt. Proinde Episcopis & Sacerdotibus apud eos defunctis neque baptismus neque sacrificium, neque ministerium Ecclesiasticum amplius celebratum est.* Sic & apud Luciferianos contigisse narrat S. Hieronymus. *Hilarius* (inquit) *cum diaconus de Ecclesia recesserit, & iam mortuus sit, cum homine pariter interiit & secta, quia post se nullum clericum potuit ordinare. Ecclesia autem non est quæ non habet sacerdotium.* Hęc ille. Sic & Sanctus Cyprianus. *Ecclesia* (inquit) *in Episcopo est, & qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non sunt, frustraq; sibi blandiuntur quod latenter apud quosdam communicare se credunt.* Et alibi definit, *Episcopum esse qui Apostolis vicaria ordinatione succedit.* Quare D. Augustinus hanc ordinatam in Ecclesia Episcoporum successionem, id est, hanc missionem Dominicam operariorum in messem vocat radicem Christianæ societatis. Sic enim ad quosdam paganos scribit, docens eos qui inter Christianos, verè tales essent & catholici, qui non tales essent sed hęretici. *Videtis multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per sedes Apostolorum & successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine quasi arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses & schismata nominamus.* Dicit societatem Christianam per successiones Episcoporum certa propagatione diffundi: hæc certa propagatio est legitima ordinatio. Ab hac propagatione & radice præscinduntur hæretici, tum quia omni potestate mittendi & propagandi carent, tum quia nullos apud se habent à quibus propagentur & crescant. Hęreticos igitur vel ex hac vna nota certissimè deprehendi Optatus docet, quod radicem certæ successionis & legitimæ missionis abruperint. *Videndum* (inquit) *quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis Cathedram sederit alteram quæ ante non fuerit, & quis altare contra altare erexerit.* Tales autem sunt vt omnium temporum sic & nostri temporis hæretici, qui (vt loquitur Irenæus) *absistunt à principali successione & quocunque loco colliguntur:* qui cathedram sedent alteram, qui cum toto orbe in radice non manserunt: quorum videlicet operarii, Ministri, Superintendentes, seniores, à Domino messis missi non sunt: per certam propagationem suis antecessoribus successerunt, sed illis abiectis & damnatis, semetipsos ipsi eorum loca intruserunt. Sic enim pulso Geneuæ Episcopo, primo Farellus, postea Caluinus, & hodie Beza cathedram occupant. Sic contempto Lipsiæ Episcopo, Lutherus VVittembergæ nouam cathedram tenuit, post Lutherum Melanchthon, post Melanchthonem Georgius Maior. Sic isti ad Ecclesiam Christi, ad operarios Dei pertinere non possunt. *Si enim* (vt scribit Beatus Cyprianus) *grex vnus est, Ecclesia vna, quomodo potest gregi annumerari qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero pastore & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente) nemini succedẽs, & à seipso incipiẽs, alienus sit & profanus, Dominicæ pacis ac diuinæ vnitatis inimicus?* Tales alieni,

Manuum impositio necessaria ceremonia. *Act.13.* *2.Tim.1.* *1.Tim.5.* *Can.1. Cõc.Nic.1* *Can.4. Con. Carth.4. Can.21* *Inst.l.4. c.5.n.14. Num.16.* *Hæreticorum hodie imaginaria missio nihil est.* *In li. de vnit.Eccl.* *Hæretici hodie veteribus impudentiores.* *Li.15.c.45 hist.Eccl.* *In dialogo aduersus Luciferianos.* *Li.1.Epi.5* *4.Epi.9* *Successio ordinata radix Christianæ societatis.* *Epist.42.* *Li.1. cõtra Parmen.* *Li.4.c.43.* *Li.1.Epi.6* *Hæreticorum hodie magistri, describuntur.*

A alieni, profani, Dominicæ ac diuinæ vnitatis inimici fuerunt Caluinus, Lutherus, omnesque hodie in Anglia sunt Pseudoepiscopi, qui veris Episcopis ad vnum omnibus potestate regia eaque fœminea erectis & in vincula coniectis, Episcopis inquam qui in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidebant, nemini succedentes, sed à seipsis incipientes, à nemine manus impositionem accipiebant: ne quidem à Germanis vel Gallis aut alicuius reformatæ (vt vocãt) Ecclesiæ pastoribus. Fuerunt igitur Caluinus & Lutherus, sunt in Anglia Pseudoepiscopi hodie omnes teste Lipiano profani & alieni, de quibus Christus, *Alienum non sequuntur oues, sed fugiunt ab eo.* Sunt sicut Optatus de Victore primo Montensium Donatistarum Episcopo scripsit, *Filii sine patre, tyrones sine principe, discipuli sine magistro, sequentes sine antecedente: inquilini sine domo, hospites sine hospitio, pastores sine grege, Episcopi sine populo.* Denique sunt portenta nostri temporis & pestes Ecclesiæ Dei. Monendus igitur hoc loco populus, vt Deum ac Dominum messis diligenter oret, vt exterminatis istis profanis & alienis, lupis istis atque latronibus, *Mittat operarios in messem suam*: legitimos Ecclesiæ præpositos præficiat, *Messis enim multa est, operarij pauci.* Multi sub hæreticorum tyrannide gemunt, qui catholici fierent, si abactis lupis, legitimi Pastores restituerentur. Vide plura huc pertinentia supra in Dominica 7. post Pentecosten, ad illa verba, *Qui veniunt ad vos.* Et in die S. Andreæ, & infra in feria 3. Pentecostes. Ioan.10. Lib.1.

B

IN DIE SS. APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI.

In domo Patris mei mansiones multę sunt. Ioan.14.

IOCVS appositus obseruandi contra hæreticos distinctionem meritorum in hac vita & mercedis in altera, quam illi quidem per suam imputatiuam iustitiam impiè tollunt, & negant, patres vero ex hoc loco euidenter colligunt. Et hæretici quidem quum in sola remissione peccatorum per Christum quam fide apprehendimus, Christique iustitia nobis per fidem imputata omnem nostram iustificationem ponant, omnibus autem æqualiter remittantur peccata, & omnibus æqualiter imputetur Christi iustitia, volunt om-

C nes omnino æqualiter coram Deo iustos esse, atque in hoc sensu vnum denarium omnes æqualiter accipere. Hinc illa Lutheri vox, *vnumquemque Christianum æquè esse sanctum ac fuit B. Virgo.* Cuius rigidus sectator Flaccus Illyricus in vltima iam sua ætate, ante paucos hos annos scripsit, *Summam esse blasphemiam negare perinde fuisse iustos mulierem peccatricem in Euangelio, & latronem, quàm erant Ioannes Baptista, vel Euangelista, quia vtrisque æqualiter peccata Christus condonauit, & suam plenissimam iustitiam imputauit.* Hæc impius ille. Sed contra has blasphemias & profanas vocum nouitates (quid enim magis profanum quàm omnes æqualiter esse coram Deo iustos?) vel hic huius Euangelii locus fidelem populum satis instruere atque armare poterit. Ait enim Christus, in domo patris sui mansiones multas esse: Quod quale sit, Sancti patres exponunt. Et primum Sanctus Gregorius diligenter explicat quomodo omnes in vineam conducti vnum denarium accipiunt, & tamen mansiones, hoc est mercedes multæ & variæ in cælo sunt, *Quoniam* (inquit) *electis Dei in hac vita est discretio operum, in alia quoque vita erit procul dubio discretio dignitatum. Vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Vnde in Euangelio Veritas dicit, In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Et paulo post, *Et quidem apud patrem mansiones multæ sunt: & tamen eundem denarium*

D *dispares laboratores accipiunt, quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ.* Hæc ille. Rursum alio in loco: *Apud patrem mansiones multæ sunt, quia in illa beatitudinis vita non dispari, vnusquisque iuxta dispar meritum locum disparem percipit.* Sed adhuc alio in loco clarius & expressius hoc ostendit, *Si dispar retributio in illa æterna beatitudine non esset, vna potius mansio quàm multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus & distincti bonorum ordines, & propter meritorum consortia communiter lætantur, & tamen vnum denarium omnes laborantes accipiunt. Qui multis mansionibus destinguuntur, quia & vna est beatitudo quam illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas quam per opera diuersa consequuntur.* Hæc S. Gregorius. Similiter & D. Hieronymus. Quum enim Iouinianus hæreticus qui meritorum distinctionem negauit, vt hodie hæretici negant, hunc Euangelii locum quem pro hac distinctione facere videbat, insigniter peruerteret, absurdissimè dicens, multas illas mansiones apud patrem, Ecclesias esse toto orbe diffusas, contra eum sic disputat. *Locus & mansiones quas præparare se dicit Christus Apostolis, in domo vtique sunt patris, id est, in regno cælorum, non in terra, in qua ad præsens Apostolos relinquebat. Simulque sensus Scripturæ intuendus. Si quo minus, inquit Christus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: si non mansiones multæ essent apud patrem, hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei* (intellige sola, vt hodie intelligunt hæretici nulla habita meritorum ratione) *sed ex propriis operibus præpararet. Et ideo non est meum*

De merito & mercede bonorum operum.

In ser. de Natiuit. B. Mariæ.

In defen. contra Tiletanum c.6.an.67.

Quomodo vnus denarius & multæ mansiones. Mor. li.4. c.vlt.

Mor. li. vlt. c.24. Dialog. li.4.c.35.

Li.2. contra Iouinianũ.

parare vobis locum sed vestrum, quia & Iudæ nihil profuit paratus locus quem suo vitio perdidit. Iuxta quem A
Matt. 20. *sensum & illud intelligendum quod ad filios dicitur Zebedæi, quorum alter à sinistris, alter cupiebat sedere à dextris. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem à dextris meis siue à sinistris non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à patre meo. Si non est filii dare, quomodo est patris præparare? Paratæ, inquit, sunt in cælo diuersæ & plurimæ mansiones, plurimis diuersisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Frustra ergo à me petitis quod in vobis situm est, quod pater meus illis parauit qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sint dignitatem.* Hæc S. Hieronymus sapienter & diserte probat ex aliis Christi verbis, adeoque textu præsentis Euangelii, sic multas esse mansiones in cælo, vt & diuersæ sint ac diuersis virtutibus præparatæ, neq; eas simpliciter Deum ex sola electione præparasse, sed respectu meritorum in hac vita eas ab vnoquoque parari & acquiri. Nempe hoc ipsum est quod Apostolus dixit, *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum.* Duo dicit, id est, quod propria & peculiaris & certa est vnicuique merces. Proprium enim est quod aliis commune non est. Propria merces est distincta merces. Secundo dicit, quod illa merces appropriatur vnicuique *secundum laborem suum*, id est, pro rata laboris & *patientiæ boni operis* (vt alibi loquitur) in hac vita: & vt iterum scribit, *prout gesserit quisque in corpore suo.* Quo in loco aduertendum quod Apostolus ponit parem Dei retributionem in bono & in malo. *Omnes nos* (inquit) *oportet astare ante* B
2. Cor. 5. *tribunal Christi, vt accipiat vnusquisque prout gessit in corpore siue bonum siue malum.* Si ergo de malis certum est, quod non omnes æqualis pœna manet (quo quid esset iniustius) sed iuxta Dei verba,
Apoc. 18. *Quantum se glorificauit in deliciis, tantum date ei tormentum & luctum:* quis dubitare potest æquè certum esse quod non omnes æqualis merces manet, sed pro varietate meritorum in hac vita erit merces in altera? Quare & D. Augustinus hunc Euangelii nostri locum de hac disparitate mercedis ex meritorum diuersitate cum cæteris patribus citatis intellexit, *A perturbatione* (inquit)
Tract. 67. in Ioan. *recreantur Apostoli certi ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros: quia etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea iubet dari omnibus: quo vtique denario vita significatur æterna, vbi amplius alio nemo viuit: sed multæ mansiones diuersas*
1. Cor. 15. *meritorum in vna vita æterna significant dignitates.* Hæc ille, moxque ex alia Scriptura idem probãs, subiungit, *Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim ab stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum: tanquam stellæ sancti diuersas mansiones, diuersas claritates tanquam in cælo sortiuntur in regno: sed propter vnum denarium nullus separatur à regno.* Hęc Augustinus. Sunt ergo C
Apoc. 22. vt mansiones & retributiones multæ in cælo, sic varia vitæ merita in terra: ideoque nec ex sola fide, sed ex ratione quoque bonorum operum, nec æqualiter sed alius alio magis (vnde & Scriptura dicit, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*) nec ex Christi iustitia nobis imputata, sed ex sua quisque iustitia quam per Christi gratiam adeptus est, coram Deo in hac vita iustificatur, & apud Deum in altera vita coronatur.

Tanto tempore vobiscum sum, & nondum cognouistis me?

Hæreses modernæ quàm sunt impiæ.

LOcus iustus exclamandi contra horrendas huius temporis hæreses & fidei corruptelas, in quas hæreticorum fraude populus Christianus adductus fuit. Horum enim nequitia & impietate iam factum est, vt præter alia quamplurima fidei capita abnegata & violata etiam ipsi Articuli Symboli nostri corrupti & in dubium vocati fuerint post annos iam 1500. & amplius. Iam enim negatur Ecclesia catholica Apostolica, & alia substituitur particularis noua, nec locis catholica, nec tempore & successione Apostolica. Iam negatur communio Sanctorum, tam eorum qui in cælo sunt per preces & intercessiones eorum pro nobis, perque venerationem D
nostram erga illos, quàm eorum qui hac vita defuncti in pœnis purgatorii ingressum beatitudinis expectant, quos precibus iuuare impium aut certè ineptum & vanum esse affirmatur. Iã doctrina de remissione peccatorum horrendè contaminatur, siue tollendo claues Ecclesiæ per quas remittuntur, siue negando veram & imputatiuam supponendo remissionem, siue in sola illa tali quali totam nostram coram Deo iustificationem constituendo. Hæc inquam omnia, vt Ecclesia docet contaminãtur, & vt ipsimet negare non possunt, vt minimum controuertuntur, in dubium vocantur, vt res incertæ de nouo examinantur. Merito igitur & nobis Christus dicere potest, *Tanto tempore vobiscum sum, & nondum cognouistis me?* Post annos 1500. de meæ doctrinæ præcipuis capitibus, de fidei communis articulis, de Sacramentis, de Euangelio ipso, de iustitia fidei, controuertitis, litigatis, inquiritis? Necdum post tot sæcula me & corpus meum, Ecclesiã meam, vocem meã, doctrinam meam, nondum cognouistis? Merito quod Hebræis olim Apo-
Hebr. 5. stolus exprobrauit, id multo fortius nobis exprobrare poterit, *Quum deberetis Magistri esse propter tempus, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei.* Exordia sermonum Dei sunt, articuli symboli Christiani, Ecclesia & eius Authoritas, Sacramenta, cultus externus, institificatio coram Deo. At hæc fidei nostræ principia propter importunas hæreticorũ contradictiones & blasphemias de nouo ostendere, probare, statuere, stabilire nos catholici cogimur, & per Dei gratiã solidè facimus. Sed væ hæreticis, per quos hæc facere cogimur: per quos principia

ipsa

A ipsa fidei nostræ in dubium vocantur: per quos tot sæculorum Ecclesia Christiana erroris, ignorantiæ, adeoque fœdæ idololatriæ accusatur, *Ergo tanto tempore nobiscum Christus fuit, & nondum cognoueramus eum.* Sed reiicienda penitus & prorsus execrãda est hæc hæreticorum impietas, quæ tot sæculorum in catholica Christi Ecclesia errorem ponit. Exclamandum cum S. Polycarpo, *O Deus in quæ me tempora seruasti, vt hæc blasphema sustineam?* Et tamen exigui temporis (erat enim D. Ioannis Apostoli auditor) traditionem Apostolicam contemni viderat. Dicendum cum sapientissimo Theologo Gregorio Nazianzeno, *Si ante hos 30. annos fides incepit, quum 400. fere anni sint ex quo manifestatus est Christus, certè Euangelium tanto tempore fuit inane.* Hæc ille post annos 400. quanto magis nos post annos 1500. dicendum cum S. Hieronymo, *Cur post 400. annos docere nos niteris quod ante nesciuimus? vsque ad hunc diem sine ista doctrina* (Protestantium noua) *mundus Christianus fuit.* Dicendum quoque cum Tertulliano, *quomodo tot & tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Ergo villicus Dei* (sic Spiritum S. vocat) *officium non fecerit.* Vide plura huc pertinentia in alia Dominica. Quod si enim propter triennii ad summum disciplinã arguuntur Apostoli quod tanto tempore Christum non cognouerint, nempe quod nescierint quia *ille in patre & pater in ipso erat*, quod si non ex doctrina (quam tamen sæpè antea inculcauerat, vt apud Ioannem patet) saltem ex operibus eius cognoscere debebant, sicuti in hoc Euangelio Christus arguit di-

B cens, *Alioquin propter opera ipsa credite*, quanto magis arguendi hodie Christiani, qui post 1500. annorum traditionem & disciplinam, adhuc nesciunt quod Christus in Ecclesia sua est, & Ecclesia in Christo: quod Ecclesia est vna & vnica Christi sponsa, *corpus eius & plenitudo eius*, quod extra hanc Ecclesiam nulla est salus: quia illa est, *columna & firmamentum veritatis*, quod profecto si non ex doctrina Christi Euangelica didicissent (rẽ tamen in litteris Euangelicis perspicuã) saltem ex operibus Christi in hac Ecclesia, vel ex operibus huius Ecclesiæ in Christo cognoscere hoc debebant: ex tot gentium in ea conuersione, ex tam celebri & per orbem totum propagata Christiani nominis confessione, ex religionis Christianæ monimentis in ea amplissimis, templis, collegiis, monasteriis, Academiis & aliis infinitis. Scilicet tanto tempore Christiani fuimus & iam primum Christiani esse incipimus? *An sic didicimus Christum, si tamen illum audiuimus & in illo edocti sumus.* Amplificanda sunt ista.

In Epi. ad Pammach. & Oceanũ.
In præfer. Do. 5. post Epiph.
Ephes. 1. 2. Tim. 3.
Ephes. 4.

Nemo venit ad Patrem nisi per me.

LOcus contra corruptelas & imposturas hæreticorum sanè & orthodoxè populo fideli explicandus. Hæretici enim ex hoc loco euertere se posse putant omnem Sanctorum pro

C nobis intercessionem, nosque præterea grauiter accusare quod alios quasi mediatores quæramus, quum Christus hic apertè dicat, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*: Et paulo post, quod ille est, *via, veritas & vita.* Non igitur quærendi alii per quos ad Deum veniamus. Sed breuiter, aperte, & solidè dicendum, Christus est vnus Mediator inter Deum & homines principalis & immediatus seu proximus, qui alios tamen mediatores minus principales seu secundarios & mediatos non excludit. Paulus hoc apertissimè docet, *Deus* (inquit) *erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Hic ponitur Christus reconciliator & mediator mundi principalis. Sed vide quid addat Apostolus, *Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Paulus ergo seipsum ponit reconciliatorem hominum cum Deo per modum ministerii. Sicuti ergo *Christus est vnus Magister noster*, & tamen dedit *alios doctores*: Christus est *vnus pastor bonus*, & tamen dedit *alios pastores*, vtique bonos: Christus est *lux mundi*, & tamen Apostolis dixit, *vos estis lux mundi*: sic est vnus Mediator, principalis videlicet & per seipsum, alii tamen sunt ex parte mediatores. Nam & eo ipso in loco quo dixerat Paulus; *vnus mediator hominum Iesus Christus*, obsecrat tamen fieri per Ecclesiæ præpositos, *obsecrationes, orationes, pro regibus, &c.* Vbi alios secundarios constituit pro hominum salute mediatores & intercessores. Rur-

D sum Christus est via immediata & proxima, Sancti & Ecclesiarum præpositi qui pro fidelibus apud Deum intercedunt, non nisi per Christum & mediante Christo ad Deum patrem accedunt. Non enim suo, sed Christi nomine petunt quæcunque petunt. Nemo igitur venit ad Deum nisi per Christum, quia quocunque alio medio peruenire ad Deum contendimus, quando rectè contendimus, illud medium Christo est subordinatum. Sed his verbis excluditur Iudæorum incredulitas qui per sua legalia excluso Christo, philosophorum vana sapientia, qui per suas prærogatiuas virtutes sine fide in Christum, omnium denique infidelium & hæreticorum vana contentio, qui extra Christum, id est extra Ecclesiam & corpus Christi ad Deum se venire posse præsumunt.

Quomodo, Christus est vnus mediator.
2. Cor. 5.
Matt. 23. Ephes. 4. Ioan. 10. Ephes. 4. Ioan. 8. Matt. 5. 1. Tim. 2.

A

IN INVENTIONE S. CRVCIS.

Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet & filium hominis exaltari.*

De S. Crucis adoratione.



LOCVS conueniens explicandi iustam & sanctam catholicæ Ecclesiæ pietatem, tam in hoc inuentæ Crucis festo celebrando, quàm in vniuersa S. Crucis per omnia Christianorum templa adoratione contra hæreticorum hodie insanas blasphemias, quibus vtroque nomine catholicos onerant, fœdæque idololatriæ accusant. Sanè Christus his verbis apertè docet non secus crucem in qua exaltatus est; à fidelibus Christianis, vt signum salutis studiosè contuendam, quàm serpens in deserto exaltatus aspicientibus olim salus fuit. De serpente in deserto B

Num. 21. exaltato dicit ad Moysem Deus, *Fone eum pro signo. Qui percussus aspexerit eum, viuet.* Non dicit qui tetigerit eum, qui amplexus fuerit, sed qui aspexerit eum, *Sic exaltari oportet filium hominis.* Haud dubiè in Cruce, vt qui percussus à serpente, qui peccato læsus aspexerit hoc signum oculis fidei Christum crucifixum intueatur, vita viuat. Ideo enim adiecit in

Ioan. 12. Ser. 8. de Passione. hoc Euangelio Christus, *Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hoc iterum multis Iudæis præsentibus Christus repetiit, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quæ verba expendens B. Leo sic exclamat, *O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis! Traxisti enim Domine omnia ad te, & cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, confitendæ Maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit.* Est nempe Crux Christi seu signum Chri-

Cur crucis signum honoratur. Matt. 24. Dom. 1. Aduentus Apoc. 7. Mar. 16. 1. Cor. 1. 1. Cor. 2. sti crucifixi, omni veneratione & honore dignum, quia sola Crux, Christi pro humano genere exaltationem, & redemptionem per Christum factam nostris oculis ad viuũ repræsentat. Ideo hæc propriè Crux, vocatur *signum filii hominis*: de quo dicitur quod apparebit in cælo, Christo ad iudicium veniente, vt alio in loco explicuimus. Et in Apocalypsi vocatur, *Signum Dei viui.*

Cruces materiales cur honorantur. Psal. 131. In com. ibid. De orthod. fidel. 4. c. 12. 1. Reg. 4. In demõst. cont. gentes. De visitat. infirm. c. 3 Li 6. cõtra Iulianum. Li 4. c. 26. Hom. 55. in Matt. Epist. 11 ad Seuer. de incarn. Dom. sacr. ca. 7. In epitaphio eius. In carm. de pass. Domini. In carm. pascali. In demonstrat. quod Christus sit Deus, to. 5. Crucis signum vbique positum. Sed & hoc propriè epitheto Christus in Scriptura insignitur, postquam salutis nostræ mysterium consummatum erat. Angelus mulieribus dixit, *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum.* Pauli C vox est, *Prædicamus Christum crucifixum.* Et iterum paulo post, *Non iudicaui me aliquid scire nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* Hanc ob causam ipsa Crux in qua Christus pendebat, ex precioso contactu Christi sanctificata & sanguine eius aspersa, sed & cuiuslibet materiæ Crux à fidelibus honoratur: quia inquam non instrumentum tantum (vt lancea, claui, & alia) passionis Dominicæ, sed signum & imago quædam est Christi crucifixi, ipsumque Christum in maximo suo erga nos amore & beneficio repræsentat. Neque quicquam honori debito detrahit, quod cruces istæ materiales quas Ecclesia veneratur, à Christi corpore & contactu absint longissimè: Nã & litteras regias & purpuram regiam exutam, & ipsam cathedram regiam vacuam (vt in Anglia fit) variæ gentes etiam Christianorum sine vlla superstitionis nota variè venerantur. Sed & huc facit quod propheta dicit, *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*: non solum vbi stant pedes eius. Adeoque hunc locum de S. Cruce S. Hieronymus, & post eum Damascenus. Sanè Dauid, *percussit cor suum quod tantum oram chlamydis Saul regis abscidisset.* Exuta tamen tunc iacebat in terra, ipso Saul opus naturæ agente. Denique catholicis sufficere debet, quod tota SS. patrum antiquitas hoc signum crucis piè ac studiosè venerata semper fuerit. Propterea à Chry- D sostomo vocatur, *Argumentum multæ benedictionis*: ab Augustino, *venerabile monimentum*, à Cyrillo Alexandrino, *salutare, pretiosum & venerabile lignum*: à S Ephrem in Serm. de pœnitentia, *viuificum signum*: à Lactantio, *cœlestis nota, maximum & immortale signum*, à S. Chrysostomo, *Signum salutis nostræ*, à S. Paulino *pignus æternæ salutis.* D. Ambrosius eius venerationem disertè docet, *Nunquid quum in Christo imaginem Dei, crucemque eius veneramur, diuidimus eum?* S. Hieronymus Paulam fœminam sanctissimam laudat, quod *prostrata ante crucem adoraret.* Lactantius sic cecinit.

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Sed & Sedulius poëta Christianus & antiquus similiter.

Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam.

Sed omnium pulcherrimè & latissimè Chrysostomus, antiquitate & eruditione celeberrimus pater ipsque Græcus, cuius totam orationem hic inseram. *Hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, crux diadematibus & coronis clarius factum est. Neque enim sic regia corona ornatur caput vt cruce, quæ omni cultu dignior: & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt. Atque adeo vbique ea inuenitur: apud principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud seruos, apud liberos, subinde omnes ea se signant inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra, quasi in columna quotidie figuratur. Sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis & insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in sympositis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis,*

A *picturis, in corporibus brutis male affectis* (ad ea sananda) *in corporibus à dæmoniis obsessis* (ad ea liberanda) *in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus. Adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira hæc est gratia. Nullus confunditur, nullius erubescit, cogitans quod maledictæ mortis symbolum fuerit: sed omnes ipso magis ornantur quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non solum non fugitur, sed & desideratur & adamatur, & omnes de ea solliciti sunt: & vbique fulget, & sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis qui inhabitantur, & non habitantur. Vellem audire à pagano, vnde symbolum tàm maledictæ mortis ac supplicii omnibus tam desiderabile, si non magna crucifixi virtus?* Hæc S. Chrysostomus de ipso signo crucis eiusque honore, ab omnibus personis, in omnibus locis, in sacramentis, habito. Subiungit paulo post de ipso ligno crucis Dominicæ in hæc verba, *Ipsum lignum, in quo positum sanctum corpus Domini & crucifixum est, quarenam habere totus orbis ita contendit, vt qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includant tam viri quàm mulieres, & ceruicibus suis aptant, hinc valide honestati & magnifici, muniti & protecti, licet condemnationis fuerit lignum. Sed qui omnia operatur & præparat, qui orbem terrarum à peccato tanto transfert, & terram cælum facit, etiam rem hanc licet contemptam, & omnibus mortibus turpiorem, supra cælos eleuauit. Hæc igitur omnia præuidens propheta dicebat. Et erit requies eius, honor.* Vel vt nos legimus iuxta Hebræum, *Et erit sepulchrum eius glorioſum.* Hæc ille. Videmus hic descriptam veterum Christianorum pietatem, quam hodie inflatis buccis subsannant prophani hæretici, luculenter descriptam. Crucis signum in frontibus signabant, locis omnibus publicis erigebant, vasis domesticis insculpebant, in parietibus figurabant, in sacramentorum celebratione, ad morborum curam, ad dæmonum expulsionem adhibebant: denique lignum ipsum S. crucis auro includebant & collo circumgestabant. Hæc olim Christianorum summa fuit religio. Hoc hodie cæca habetur superstitio, & quidem in Anglia hæretica læsæ Maiest. crimen (proh pudor) iudicatur. Hoc enim solo nomine, quod cruces argenteas vel aureas circũferebant, multi catholici dirè vexati, bonis spoliati, in vincula coniecti fuere. Sed his absurdissimis hominibus relictis, veterum Christianorum fidem ac religionem circa S. Crucis venerationem adhuc magis inspiciamus, vt illorum Barbara impietas magis eluceſcat. De efficacia signi crucis contra dæmones hunc in modum scripsit Lactantius scriptor antiquissimus, *Quanto terrori sit dæmonibus signum crucis, sciet qui viderit quatenus adiurati per Christum de corporibus quæ possederint, fugiant. Nam sicut ipse quum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus & nomine Magistri sui & signo passionis excludunt. Nam quum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant. Et hæc sæpe causa præcipua iustitiam persequendi malis regibus fuit.* Hæc ille. Nota est historia Iuliani Apostatæ qui visa dæmonum specie inter sacrificia (hoc enim desiderauerat) spectaculo perterritus quum cruce se signaret, more Christianorum, ex quibus olim fuerat, disparuerunt dæmones. Scribit Gregorius Nyssenus D. Basilii frater & Episcopus ipse doctissimus de sorore sua Macrina virgine sancta, quum iam defuncta esset, inuentam fuisse habere ferreum crucis signum & anulum ex eadem materia, in quo particula ligni vitæ condita erat, ex collo ante pectus dependens & cordi semper adhærens. Hanc deuotionem fuisse veteribus communem, vt antea ex Chrysostomo ostendimus, alio adhuc exemplo vetustiori docebo. Quum Lysias sub Imperatore Diocletiano dux exercitus milites in campo recenseret, Orestes quidam vir Christianus ad nomen vocatus & ordinem astitit Lysiæ: qui eius specie collaudata iussit eum pilum torquere ad scopum. Cum is vero manum direxisset, & arma concussisset, quæ ab eo ferebatur in pectore crux aurea è veste eius excussa extrinsecus apparuit, ita vt omnes eam cernerent, & ipse etiam Lysias. Quo eum interrogante cur hoc gestaret, & an Christianus esset, Sum, inquit, seruus crucifixi Domini Dei mei, & hoc gesto amuletum ad omnia mala euertenda quæ mihi ingruunt. His dictis in vincula coniicitur, & paulo post glorioſum martyrium obiit. Plura ad hanc rem pertinentia, vide in Dom. 1.

D Aduentus & infra Octauas Nat. Domini. De inuentione S. crucis per Helenam Constantini Magni matrem lege Ruffinum in historia Ecclesiastica Eusebio adiuncta, & Nicephorum.

Lignum crucis Dominicæ quàm pretioſum.

Anglicanę hæresis barbaries.

Li. 4. c. 27 Signi crucis efficacia.

Greg. Nazian. orat. 1. in Iul.

In vita S. Macrinæ.

In vita S. Eustrelij mart. & sociorum eius.

Cruces collo circungestatæ ante annos 1200.

Li. 1. c. 7.

Li. 8. c. 29. hist. Eccl.

Vt omnis qui credit in eum non pereat, &c.

VIde in feria 2. Pentecostes, vt moneatur populus solius fidei iustificantis doctrinam ex his verbis nullo modo colligi posse. Fidei quippe necessitas absoluta, quia *qui non credit in filium Dei, iam iudicatus est*, non sufficientia omnimoda docetur. Omnis qui credit non peribit, quia soli credentes non peribunt. Soli sanè credentes salui erunt, sed non omnes, *Non enim omnis qui dicit mihi Domine, Domine* (quæ est vox credentium) *sed qui facit voluntatem Patris mei, intrabit in regnum cælorum*: ait alibi Christus.

Ioan. 3.

Matt. 7.

A

IN DIE ASCENSIONIS DOMINICÆ.

Marc. vlt. *Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderant.*

Ecclesiæ voci credendum.

LOCVS taxandi incredulitatem hæreticorum, qui non credunt voci Ecclesiæ in rebus fidei, qui eius testimonium non admittunt, nisi ex Scriptura prout illi iudicant intellecta suum testimonium probent. Apostoli enim & cæteri Christo credentes Ecclesiam quæ tunc erat fidelium constituebant, vt ipsimet hæretici docent, Magdeburgenses Centuriastæ, Melanchthon & alii: His Christus resurgens apparuit, hos testes suæ resurrectionis prædicauerat, vt diserte Petrus affirmat, *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.* Christus ergo quum iam per dies 40. conuersatus cum suis esset, quibusdam apparens, quibusdam non apparens, arguit hoc loco illos qui eo quod ipsi Christum non viderant, cæteris eum vidisse testantibus, non crediderant. Et hoc vltimum documentum, iam iam ad patrem ascensurus, suis reliquit: docens profecto hanc esse Christi voluntatem, vt credamus in eum, & quæcunque alia credenda sunt, per testimonium Ecclesiæ suæ, per vocem Apostolorum suorum & successorum: per prædicationem & testificationem eorum, quos in Ecclesia sua dedit, pastores & doctores ad consummationem sanctorum, & in opus ministerii. At hodie hæretici Ecclesiæ credere recusant, nisi quod affirmat ex Scripturis Ecclesia, idem probet: id est, nisi ita probet ex Scripturis, vt hæc ipsa probatio hæreticis probetur. Quod quid est aliud, quàm vt ipsimet videant claréque intelligant ita se rem habere: sicuti in hoc Euangelio quidam discipuli Christum resurrexisse ex aliorum testimoniis credere nolebant, nisi ipsimet eum vidissent, quod illis Christus grauiter exprobrauit, eis hoc nomine *& incredulitatem & duritiam cordis*, merito impingens? Sic (exempli causa) Ioan. Caluinus Conciliorum generalium definitiones ideo se acceptare profitetur, quia ex Scripturis eas rectè disputasse ipsemet vidit & intellexit, *Sanctos* (inquit) *illos viros sic in iudicando sequimur, vt Dei verbum quod illis præluxit, nobis nunc quoque præluceat.* Hæc ille. Quod si ergo Dei verbum Caluino non præluceret, si aliter ille Dei verbum intelligeret, Concilium generale etiam antiquissimum ille flocci non faceret. Hæc enim verba scripsit de Concilio Chalcedonensi general. 4. in quo plusquam 600. Episcopi ante annos 1100. collecti fuerant. Sic eodem in loco de omnibus Synodis profitetur, *vt* (inquit) *omnes verbo Dei examinemus.* Hæc est hodie superbia hæreticorum omnium, hæc eorum incredulitas & duritia cordis, quod voci Ecclesiæ neque in Sanctis patribus, neque in generali Concilio vllam fidem adhibere volunt, nisi ipsi postea examinent, an iuxta verbum Dei docuerint. Sic de Conciliis definiuit Aristarchus Caluinus, *Concily*, inquit, *definitio sit instar præiudicii, ita tamen vt examen non impediat.* Et adhuc paulo post multo generosius, id est, arrogantius, *Nulla* (inquit) *Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina nos impediant, quo minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, quo probemus num ex Deo sint.* Profitentur ergo diserte ista ætatis nostræ portenta (nullus enim vetus hæreticus tã impudenter loquutus legitur) se nolle Ecclesiam audire, nisi ipsam Ecclesiam ad Dei verbum ipsimet examinent. Loquitur enim in prima persona Caluinus, *Vt verbo Dei examinemus: vt ad diuini verbi regulam exigamus.* Nolunt credere nisi ipsi videant ita se rem habere. Aliis qui hoc viderunt & intellexerunt, fidem dare recusant. Hæc est illa incredulitas & duritia cordis, quã Christus hoc loco reprehendit. Contra vero Christi voluntas, & sancta ordinatio est, vt pastoribus & Episcopis ab eo missis (quos tam fastuosè reiicit Caluinus, & quorum omnium se iudicem constituit) humiliter obediamus & credamus. Hanc suam voluntatem in hoc ipso hodierno Euangelio patefecit. Postquam enim aliorum incredulitatem taxasset, authoritatem in sua Ecclesia perpetuam ponit, quam audire, cui credere omnes iubet, *Euntes* (inquit) *in mundum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Qui non crediderit vobis prædicantibus, condemnabitur. *Quomodo enim credent, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicãte?* Qui vestram vocem, vestrum testimonium non receperit, condemnabitur. An non vero & prius quum ad solos Iudæos suos mitteret, tantundem non dixerat? *Quicunque non receperint vos, nec audiuerint vos, excuntes inde excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis*, id est, in condemnationem eorum. Vnde & Matthæus addit, *Amen dico vobis. Tolerabilius erit terræ Sodomæorum & Gomorrheorum in die iudicii, quã illi ciuitati.* Et vero qualis illa missio Apostolorũ & Discipulorum à Christo tunc fuisset, si cuilibet auditori liceret prædicationem eorum ad veteres tunc Scripturas examinasse? At Christus auditori non examen relinquit, sed fidem imperat. Quanto magis absurdum foret, pastores & Episcopos in Ecclesia

Act. 10.

Hæretici volunt videre Christum, non credere.

Instit. li. 4 c. 9. n. 9.

Cap. eodem num. 8.

Cap. eodem num. 12.

Hæreticorum hodie portentosa arrogantia

Christus docet credendum esse voci Ecclesiæ.

Marc. vlt. Rom. 10.

Marc. 6.

Matt. 10.

A Ecclesia Christi, in Luce Euangelij, in plenitudine Spiritus Sancti, non aliter apud suas oues & subditos fidem habere in his quæ docent, nisi omnia ex Scripturis probent, & ita probent, vt ipsi subditi bene & sufficienter probata esse singula, videant, intelligant, approbent? An non hoc est constituere vnumquemque sui Pastoris & Episcopi iudicem? id est, totum ordinem à Christo in Ecclesia positum funditus subuertere? Sed contra hanc arrogantiam & incredulitatem, tum in hoc Euangelio Christus acriter nos monuit, tum alijs multis in locis luculenter armauit: sicuti alio in loco huius operis à nobis explicatum est: quibus tamen nunc pauca adiiciemus. *Dom. 2. Quadrag.*

Deus nempè in hoc statu Euangelico quùm non per se vel per Angelos, sed per Ecclesiam suam loquatur, & illam testem posuerit omnis veritatis, debet illa vt testis legitima simpliciter audiri in omnibus quæ docet. Illa testimonium perhibet Scripturis nostris, has demum veras esse atque canonicas. Illa Scripturarum sensum nobis tradit certum & indubitatum. Illa docet nos multa non scripta, sed ab Apostolis tradita Ecclesiæ: id est, Ecclesiæ præpositis & futuris Magistris dixit Christus in persona Apostolorum: *Vos eritis mihi testes vsque ad vltimũ terræ. Mittam vobis à patre Spiritum veritatis. Ille testimonium perhibebit de me*: tum docendo vos omnem veritatem, tum per miracula exterius confirmando, tum per suggestionem internam corda illustrando: *Et vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* Quem locum alio in loco tractauimus, atque ostendimus testimonium Ecclesiæ externum ad internum Spiritus S. testimonium (ordinariè loquendo) semper & necessariò requiri. Hanc testificandi potestatem sibi datam Apostoli diligenter agnoscunt, proferunt, & venditant. Petrus suo & suorum nomine dixit: *Huius rei omnes nos testes sumus.* Rursum, *Præcepit nobis prædicare populo & testificari.* Duo dicit. Non solùm prædicare, sed & testificari. Paulus similiter de se suique similibus dicit: *Si non est resurrectio mortuorum, inuenimur falsi testes.* Et ei in Actis à Christo dicitur: *Ad hoc apparui tibi vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti.* Non solum ministrum sed & testem. Non nudũ ministerium habet Ecclesia, sed & testimonium. Sic D. Ioannes: *Vita manifestata est, & vidimus, & testamur & annunciamus vobis.* Duo rursum dicit, testari & annunciare. Et quidem hæc duo multum differunt. Si enim pastor aut Episcopus Ecclesiæ, simplex esset narrator & annunciator, & prædicator eorum quæ docet, quasi referens tantum mandatum Domini sui (quale esse Ecclesię ministerium, & non aliud, hæretici hodie ignoranter affirmant) nulla esset certitudo doctrinæ quam adfert: ideóque liberum esset auditori credere, vel non credere, nisi ea probaret quę diceret. At Ecclesiæ præpositus non solùm annunciat, prædicat, narrat, sed & testificatur ea quæ dicit, loquitur vt testis veritatis à Deo constitutus: ideóque ei simpliciter credendum. Quid enim? An contra testes à Deo missos & constitutos vllus erit exceptioni locus? An non hoc est Deo repugnare? In causis humanis quia ad veritatem explorandam ex arbitrio partium testes assumuntur, est exceptioni locus. At in veritate diuina, quia non ex arbitrio partium, non ex hominum voluntate, sed à Deo tanquam iudice testes assumuntur, eliguntur, segregantur, ordinantur, non magis iam contra illos quàm contra Deum excipi potest, iuxta illud Christi, *Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit.* Hoc discrimen inter testari & dicere ac docere his verbis docet Augustinus: *Non sumus* (inquit) *apud quoscunque loquimur, eorum quæ loquimur testes; sed apud eos quibus expedit, & debetur per nos cognoscere aut credere veritati.* Móxq; vtriúsq; exemplum ponit: *Sicuti est Iudex in iudicando ne erret* (huic enim expedit per testes veritatem explorare) *aut qui docetur doctrina religionis: ne videlicet erret in fide, aut in ipsa doctoris authoritate dubius fluctuet.* Hæc ille. Fuit igitur necessarium vt Ecclesia tanquam testis mitteretur, vt de eius authoritate nullus relinqueretur ambigendi locus. Christus profitetur se, *ideò in mundum venisse, vt testimonium perhiberet veritati.* Christus rursum ita mittit Apostolos in mundum sicuti ipse missus erat. *Sicut misit me pater & ego mitto vos.* Et apertius: *Eritis mihi testes vsque ad vltimum terræ.* Sicut ergo displicuit Christo in hoc Euangelio quòd Apostolis testibus præordinatis cæteri discipuli Christum resurrexisse non crederent, sic displicet semper Christo, & magnũ peccatum in ipsum Christum est, quod Apostolorum successoribus reliquis populus in tota doctrina religionis non credat, non obediat, non acquiescat. Talem obedientiam exigit à suis Paulus, non tamen de numero eorum qui viderant Christum, ne quis putet eos solos testes fidei esse. *Creditum est* (inquit) *testimonium nostrum super vos in die illo*: & paulo post repetens ac in memoriam reuocans quædam præcepta antea illis tradita. *Sicut* (inquit) *prædiximus vobis, & testificati sumus.* Statimq; subiungit, vt huius testificationis vim agnoscas: *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum.* Tale est Ecclesiæ testimonium. Propter hanc testificandi vim indubitatam, & infallibilem vocatur Ecclesia ab eodem Apostolo: *Columna & firmamentum veritatis.* Columna cui innitantur fideles, firmamentum in quo fundentur, firmentur & conquiescant. Egregia verò columna esset & baculus siculneus, si in docendo & testificando errare posset, ideóque non ei aliter credere tutum esset, nisi omnia quæ docet probaret, atque ita probaret, vt qui credere debeat, recte rem esse probatam intelligat. Egregium esset firmamentum, in quo nihil esset firmitatis.

Ecclesia est testis omnis veritatis loco Christi. *Act. 1. Ioan. 15.* *Domin. 6. post Pasch.* *Act. 2.* *Act. 10.* *1. Cor. 15.* *Act. 26.* *1. Ioan. 1.* *Testari plus est quàm annunciare.* *Luc. 10.* *In l. de mẽdacio c. 17.* *Ioan. 19.* *Ioan. 20.* *Act. 1.* *Peccant in Christũ qui Ecclesiam simpliciter non audiũt* *2. Thess. 1.* *2. Thess. 3.* *1. Tim. 3.*

Deinde dicant mihi velim isti Gigantes superbi, nostri temporis hæretici. Aiunt se Ecclesiæ vocem non suscipere nisi ex Scripturis sic omnia probet, vt ipsi re bene examinata idem approbent. Quæro ab illis. Populus indoctus quem ipsi postea docebunt, an patientur vt nõ alia lege illos audiat, quàm qua isti Ecclesiam audiunt? An patientur, vt populus ipsorum doctrinã *Absurditas hæreticorũ hodie.*

ad regulam Scripturæ examinet? Si sic, quando id populus præstare poterit, totius Scripturæ ignarus? An non erit necesse vt indoctus populus doctioribus credat, doctrinã Ecclesiæ esse Scripturis conformem? Si non, (quod est verius) quis non videt hos hæreticos ideò Ecclesiæ authoritatem infirmare, ideò Pastores, Episcopos, &c. audire nolle, vt tota Ecclesiæ & Pastorum authoritas ad ipsos postea tranferatur? Porrò hanc testificandi authoritatem, in Ecclesia à Christo positam esse authoritatem planè diuinã, & qua maiorem Deus ipse in causa fidei non habet, idcóq; attestanti Ecclesiæ simpliciter credendum & acquiescendum nobis esse, in alio quodam libro nostro copiosius videre potest, qui plura videre desiderat. A

Princ. fid. doctr. li. 8. c. 3. & 10.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

De baptismo paruulorum in fide Eccles. non sua propria.

LOcus illustris ad duplicem hæreticorum hodie impietatem seu impiam huius Scripturæ peruersionem populo fideli aperiendam, vnam circa paruulorum baptismum, alterã circa baptismi effectum. Prior impietas est, eáque absurdissima, quòd vt Ecclesiæ fidem in qua credunt & baptizantur paruuli euertant, docere eos non pudeat, paruulos quum baptizantur, actualem fidem habere non secus atque adulti habent, & actu credere sicut credunt adulti: alioqui baptizari eos ad salutem non posse. Sic in sua captiuitate Babylonica docuit Lutherus & post eum Chemnitius in examine Conc. Trident. ad Canonem 13. Ideò autem hoc docent, ne in fide Ecclesię paruulos credere & baptizari agnoscant. Hoc enim, tanquam dogma non scriptum: & quia propriã cuiusq; & specialem fidẽ promissiones apprehendentem euertit, ferre nõ possunt. Sed tum eorum sententiam absurdissimam esse, tum Ecclesiæ dogma firmum esse breuiter ostendetur. Sententiæ hæreticæ absurditas ita per se patet, vt de ea sic scribat S. Augustin. *Scire diuina paruulos* (actu autem credere est per fidem scire) *qui nec humana adhuc nouerint, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris videamur facere iniuriam, quando id loquendo suademus, vbi omnes vires officiúmque sermonis superat euidentia veritatis.* Hæc ille tam absurdum iudicans dicere quòd paruuli actu credant, vt pudeat quemquam hoc suadere velle. Sanè si propter hæc verba, *Qui crediderit, &c.* paruulos baptizandos actu credere & propriam fidem habere necessariò sequeretur, sequetur quoque eisdem prædicari Euangelium debere vt credãt. Ait enim Christus: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit*, prędicationi scilicet, *& baptizatus fuerit, saluus erit.* Vtrúmque ante baptismum ponit Christus, prædicationem verbi ex parte Ecclesiæ, & fidem ex parte audientium, vt sequatur baptismus salutem adferens. Si ergo in paruulis, vt ad salutem baptizentur fides propria & actualis requiritur, auditus quoque Euangelij ex parte ipsorum necessariò requiretur. At est hoc per se absurdissimum: ergo & alterum similiter. Iam verò Catholicum dogma paruulos, vt ad salutem baptizentur, credere, sed fide aliena nõ propria, perspicuè & frequenter docet Augustinus, idque tanquam dogma in Ecclesia receptissimum. Dogmatis quoque Catholici veritatem nihil habere absurdi inde ostendit, quia paruulus non peccauit in se, sed in alio, primo scilicet parente, nec proprium habet peccatum actuale, sed originale: quod sanè origine alienum est, proprietate suum. Sic enim hac de re scribit: *Scriptum est, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Propter quod in Ecclesia Saluatoris, per alios paruuli credunt, sicut ex alijs ea quæ illis in baptismate remittuntur peccata contraxerunt.* Et rursum alibi. *Piè rectéque creditur prodesse paruulo eorum fidem à quibus consecrandus offertur* (hoc est à parentibus & patrinis) *& hoc Ecclesiæ commendat saluberrima authoritas.* Hæc ille. Rursum alio in loco: *Absit vt ego dicã non credentes infantes. Iam superius disputaui. Credit in altero, qui peccauit in altero. Dicitur credit* (scilicet à patrinis) *& valet: & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet authoritas matris Ecclesiæ.* Vide vt semper confirmat suam sententiam ex authoritate matris Ecclesiæ. Rursum. *Sicut* (inquit) *paruulos* renasci per ministerium *baptizantium, ita & eos etiam credere per corda & ora gestantiũ confitemur.* Credunt ergo paruuli & credentes baptizantur, sed fide illud fit aliena, sicut hoc ministerio aliorũ. Denique Ecclesiæ fidem applicari paruulis dum baptizantur, & in fide non sua, sed Ecclesiæ illos credere & baptizari & saluari clarissimè multis in locis idẽ docet Augustinus: *Mater Ecclesia* (inquit) *cor maternum paruulis præstat vt sacris mysterijs imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Nec ideò tamen eos quispiam fidelium fideles appellare cunctatur, quod à credendo vtique nomen est: quamuis hoc non ipsi, sed alij pro eis inter Sacramenta respõderint.* Hæc ille. Hoc autem quomodo fiat, quomodo fides matris Ecclesiæ applicetur paruulo & profit paruulo, alio in loco perspicuè docet: *Vt paruulus* (inquit) *regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus possit, facit hoc vnus Spiritus ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate aut offerentium vel ministrantium fide, sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Aqua igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiæ, & spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Christo ex vno Adam generatum. Regenerans ergo Spiritus in maioribus offerentibus, & paruulo oblato renatoque, communis est. Ideò per hanc societatem vnius eiusdémque Spiritus prodest offerentium voluntas paruulo oblato.* Hæc ille. Ne tamen à solis specialiter offerentibus paruulum seu parentibus, seu patrinis hæc fides paruulo applicata, quoad fructum fidei scilicet, proficisci videatur, paulò clarius in eadem Epistola rem totam his verbis aperit postea Augustinus: *Offeruntur paruuli ad percipiendam spiritualem*

Paruuli nullam habent fidem actu propriam. Epist. 57.

Paruulos aliena fide credere, vt baptizentur. Cont. 2. ep. ad Pelag. lib. 1. c. 19. De lib. arb. lib. 3. c. 23. Ser. 14. de verb. Apost. Epist. 105.

De peccat. merit. & remiss. l. 1. c. 25.

Epist. 23.

A B C D

A *spiritualem gratiam non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt:) quàm ab vniuersa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus nempè rectè offerri intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur: & quorum sancta atque individua charitate ad communicationem Sancti Spiritus adiuuantur. Tota ergo hoc mater Ecclesia quæ in sanctis est facit, quia tota omnes, tota singulos parit.* Hæc Augustinus. Ex quibus satis constat Catholici dogmatis sensus & veritas, *Paruulos aliena fide credere, & baptizari*, quod hæretici hodie ferre non possunt. Altera hæreticorum hodie circa hæc Christi verba impietas, seu doctrina impia & quæ infinitis animabus perniciem attulit; hæc est, quod ex his Christi verbis colligunt & inferunt, baptizatos relapsos non per pœnitentiæ remedium quasi per secundam post naufragium tabulam, sed per baptismi semel accepti solam cum fide recordationem, saluari & in integrum restitui. Sic enim hæc verba Christi exponunt: *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, id est, quisquis iam baptizatus credit, in ipsam scilicet promissionem de salute hic factam, eámque fide apprehenderit, hic *saluus erit*: id est, per illam fidem quæ semel datam in baptismo salutem respicit, eámque recordatur, perpetuò saluabitur. Volūt enim isti hæretici, Lutherus in Captiuitate Babylonica, Chemnitius in examine ad Can. 3. & 10. sess. 7. de Baptismo, Caluinus in sua Institutione, nos sic in omnem vitam baptizari, vt per baptismū non solùm peccata præterita, sed etiam omnia subsequentia deleantur; quoties per fidem re-

B currimus ad pactum & promissionem hanc Christi in baptismo cuiusque factam. Ideóque pœnitentiam quidem adesse oportere, eam videlicet, quę in terrore & pauore conscientiæ consistit, non tamen per aliquod pœnitentiæ Sacramentum, non per contritionem, confessionem, & satisfactionem peccati, vt Ecclesia docet, sed per fidem baptismi seu promissionis & pacti à Deo nobiscum in baptismo initi vnumquemque saluari: quia videlicet Christus semel dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, id est, qui semel baptizatus postea credet in baptismum præteritum, *ille saluus erit*, per talem fidem quæ baptismum præteritum apprehendit. Hæc est hæreticorum hodie doctrina carni dulcissima, sed spiritui perniciosissima, ex his Christi verbis sceleratè corruptis hausta, qua infinitas animas prodiderunt, pœnitentiæ Sacramento hac vna impia persuasione sublato. Sed & ex S. Augustino hāc corruptissimam doctrinam sese accepisse aiunt. Eius enim hæc verba citat Chemnitius: *Ea regeneratione quæ nunc fit per sacrum lauacrum vsque in finē cūcta mala hominis sanantur atque purgantur. Sic enim accipiendam est quod ait Apostolus, Christus mundauit Ecclesiā suam lauacro aquæ in verbo, &c. Vt eodem lauacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus hominum regeneratorum mala sanentur atque mundentur: non solùm peccata quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur. Non vt baptisma*

C *quoties peccatur repetatur, sed quia ipso quod semel datur fit vt non solùm antea, verum etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Hæc Augustini verba huc vsque citat Chemnitius, sed ea quæ sequuntur dolo malo prætermittit, in quibus Augustinus quo sensu hoc totum dixerit, manifestè declarat: quæ mox proferemus. Sed vt prius tota hæreticorum sententia declaretur, illi ex his Christi verbis sic, vt iam diximus peruersè explicatis, & ex hoc Augustini loco affirmant, ad omnia peccata delenda & ad plenam salutem consequendam solam baptismi cum fide & pœnitentia recordationem sufficere. Sed pœnitentiam adiungunt non veram, cæterū terrores quosdam conscientiæ, quibus vbi peccator concussus fuerit, mox recolendo baptismum refocillatur, reconciliatur, saluatur. Sic Caluinus docet: *Non est* (inquit) *existimandum baptismum in præteritum duntaxat tempus conferri, vt nouis lapsibus post baptismum quæ danda sint alia noua expiationis remedia in alijs nescio quibus Sacramentis, perinde ac si illius vis absoluta esset. Sic autem cogitandum est quocunque baptizemur tempore, nos semel in omnem vitam ablui & purgari. Itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit memoria baptismi, & hac armandus animus vt de peccatorum remissione certus securúsque sit. Nam etsi semel administratus præterijsse visus est, posterioribus tamen peccatis non est abolitus. Puritas enim Christi in eo nobis oblata est: ea semper viget: nullius maculis opprimitur: sed omnes nostras sordes obruit & exter-*

D *git.* Hæc ille totum suum effundens venenum, quod tamen, vt melle aliquo obliniat, & ne omnem prorsus pœnitentiam excludere videatur, subiungit statim: *Neque hinc tamen peccandi in futurum licentia captanda est: sed hæc doctrina ijs tantùm traditur, qui vbi peccauerunt, sub peccatis suis fatigati & oppressi gemunt, vt habeant quo se erigant ac consolentur, ne in confusionem ac desperationem ruant.* Hæc ille. Nempè isti hæretici si aliqua asperior subeunda esset pœnitentia, delicati homines desperarent. Sic & Lutherus docet: *In omnibus* (inquit) *conscientiæ terroribus & pauoribus* (quos profectò etiam sceleratissimi homines inuiti patiuntur sæpè) *si stet vel redeat fides in promissionem in baptismo factam, in momento absorbentur omnia peccata: idque propter hanc promissionem baptismo annexā.* Qui *crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Hæc ille. Hæc est illorum pestilentissima doctrina in his Christi verbis pessimè intellectis fundata. Docebit ergo hoc loco populum pius concionator, vel vt hanc pestilentem doctrinam eorum animis eximat, si ea infecti sunt, vel vt hæreticos traducat atque in iustum odium pertrahat, si ea attacti non sunt, vel certè vt Christi verba ab hæreticorum corruptione vindicet, hæc tria: Primùm quod Christi verba hunc nouitium sensum nullo modo ferunt. Secundo quod hæc noua doctrina Euangelicæ ex diametro repugnat. Tertio quod S. Augustini verba citata eam non iuuant quicquam. Quod ad primum attinet, manifestum est in his verbis, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, Christum docuisse primum fidem, postea baptismum ad salutem necessario requiri: iubet enim Apostolos *Euangelium prædicare vniuersæ creaturæ.* Deinde adiungit. *Qui* vobis prædicantibus Euangelio *crediderit*, & fide

Peccata post baptismum non remitti per baptismum.

Lib. 4. c. 15 Num. 3.

Pestilentissima hæreticorum doctrina.

In exam. ad Can. 10. sess. 7. De nuptijs & concup. lib. 1. c. 33.

Loco iam citato.

In captiu. Babylon.

Verborum Christi explicatio.

accepta *baptizatus fuerit* (hoc enim Sacramentum & externum signum fidei coniungi volo) ille *saluus erit*. Agit de fide baptismum præcedente non subsequente: *Credere* hoc loco non significat baptismum præteritum credere, vel credendo apprehendere aut recolere, aut recordari (vt isti hæretici insulsissimè volunt) sed significat ad baptismum futurum sese disponere. Loquitur Christus de fide adhibenda Euangelio annunciato, non de fide adhibenda promissioni in dicto verbo factæ: quam certè nisi baptizandus haberet nunquam baptismum peteret. Agit enim disertè hoc loco Christus de prima fidelium vocatione & initiatione. Docet Apostolos quid illi primò & ante omnia facere debeant, *Prædicare Euangelium*. Docet omnes gẽtes quid illæ audita prædicatione facere debeant. *Credere & baptizari*. Non docet quid homines iam baptizati, iam fideles, iam credentes facere oporteat, sed primam saluti ianuam, primum aditum Christus hoc loco docet, addens apud Matthæum quid iam baptizati ab Apostolis doceri, quid ipsi facere debeant, ac dicens: *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis*. Hoc incumbit iam credentibus & baptizatis, vt seruent mandata Dei in fide recta, quam in baptismo professi sunt. Hunc quoque esse apertum, genuinum, necessarium verborum Christi sensum tota praxis Ecclesiæ docet (quam etiam ipsi hæretici hodie violare non sunt ausi) vt à baptizandis fidem ante omnia requireret, ac sic postea baptizarent. Interrogantur, *Credis?* & respondent, vel per se vt adulti, vel per alios vt paruuli, *Credo*. Facta fidei professione baptizantur. Non ergo ille sensus nouellus stare potest, quò Christum hoc loco de fide baptismum subsecuta loquutum esse affirmant: ideóque tota illa speculatio de apprehensione & recordatione baptismi præteriti in his verbis fundata funditus corruit. Catholici sensus, non in Ecclesiæ praxi tantum, sed & in ipsis Scripturis exempla manifesta sunt. Eunucho postulanti baptismum respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet tibi baptizari*. Iudæis primam Petri concionem audientibus, iam *compunctis corde*, id est, credentibus verba D. Petri, alioqui non compungerentur, sed ioculārentur & irriderent ea, ait Diuus Petrus; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*. Sic Ananias conuersum iam & orantem ideóque credentem Paulum baptizauit. At nouellus hæreticorum sensus omni prorsus exemplo, & in Scripturis, & in Ecclesia caret. At dicet hoc loco hæreticus, Etsi fortè verborum Christi sensus talis non sit quem diximus, tamen quia credentibus baptizatis Christus salutem promittit, debet certè illa promissio firma & immota manere, ideóque quùm in peccata prolapsi, & de peccatis per dolorem compuncti sumus, ad huius promissionis firmitatem recurrere debemus, eáque nos consolari, ac reficere. Nam baptismus est solennis obsignatio, & perpetuum sigillum, atque testimonium nos admissos esse in participationem beneficiorum Christi, & cætera. Hoc autem fœdus semel à Deo nobiscum initum, nunquam irritatur iuxta illud Esaiæ: *In misericordia sempiterna miserius sum tui*. Hæc quidem eorum vana speculatio est, qua se & alios decipiunt. Sed illa promissio salutis facta credenti & baptizato, non aliter firma & perpetua est nisi si innocentiæ stolam in baptismo acceptam integram conseruet: *Nisi omnia quæcunque mandauit Christus custodiat*. Hanc legem, hanc conditionem Christus baptizatis apud Matthæum posuit, vt alio in loco latius ostendimus. Pactum semel à Deo initum ex eius parte firmum & immotum est, sed ex parte nostra heu nimis facilè & frequenter violatur. Deinde hæc verba, *saluus erit*, duplicem habere sensum possunt. Primùm, salutem, id est, remissionem peccatorum consequetur: qui certè proprius est & litteralis. Sic enim Ananias Paulo disertè dixit: *Surge & baptizare, & ablue peccata tua*. Sic Petrus ad Iudæos: *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Sic Paulus scribit, *in baptismo donata esse nobis omnia delicta*. Ista autem remissio fit tantùm præcedentium peccatorum, non autem eorum quæ postea sequentur: dicente Paulo disertissimè. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati*, id est, baptizati (vt omnes veteres intellexerunt) *& prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*, id est, baptismi beneficio rursus gaudere. Secundò, hæc verba, *saluus erit*, significare possunt: salutem consequetur æternam. Et hoc etiam verum est si cætera ad salutem hanc necessaria compleuerit: hoc est, *si omnia quæcunque mandauit Christus seruauerit*, & relapsus in peccatum non fuerit. Vterque igitur sensus sententiam hæreticam refellit, & fœdissimam deprauationem verborum Christi subuertit. Quod nunc ex secundo partitionis factæ membro eluceſcet. Prolapsis enim post baptismum non ipsius baptismi præteriti, aut promissionis in eo factæ fidem ac recordationem, sed bonam pœnitentiam proprium remedium esse, Scriptura clarè docuit & Ecclesia hactenus nemine dubitante semper credidit. Simoni Mago iam baptizato & relapso, quid quæso dicit Petrus? An quod diceret Lutherus, vel Caluinus? Memineris te esse baptizatum, & in baptismo salutem consequutũ. Crede nunc eandem salutem tibi certam & repositam esse. Nihil tale Petrus: sed apertè dicit: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Et quidem hoc dixit Simoni iam tremefacto & concusso. Dicebat enim Simon: *Precamini vos pro me ad Dominũ, vt nihil horum veniat super me*. Sic Ioannes in Apocalypsi Episcopo Ephesino, qui charitatem primam reliquerat, *Memor* (inquit) *esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*. Rursum in Euangelio filius perditus typus est baptizatorum qui in peccata grauia relabuntur, vt studiosè docet S. Basilius. Ille autem per pœnitentiam patri reconciliatur, non per fidem prioris substantiæ & gratiæ à patre acceptæ, quam viuendo luxuriosè dissipauerat. Hoc vnicum & proprium pœnitentiæ remedium omnes vno ore patres docent. Certè hæc pestilens doctrina alia Christi

Math. vlt.
Act. 8.
Act. 2.
Act. 9.
Hæreticorum alia speculatio.
Esa. 54.
Eadem eruitur.
Dom. SS. Trinitatis.
Act. 22.
Act. 2.
Coloss. 2.
Heb. 6.
Math. vlt.
Relapsi post baptismum pœnitentia sanantur, non ipso baptismo præterito.
Act. 8.
Apoc. 2.
In hom. de pœnitẽtia.

verba

A verba prorsus euacuat, & claues Ecclesiæ datas penitus confringit: illa sanè, quibus dixit: *Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* De qua potestate remittendi peccata Ecclesiæ data in alijs Euangelijs tractauimus. Iam verò quod tertiò dicendum posuimus, Augustini verba citata nihil prorsus hanc hæreticam sententiam iuuant. Docet quidem Augustinus, baptismum non pro eo solùm tempore quo administratur & cõfertur, sed & in omnem vitam valere, sic vt totius vitæ peccata lauacro regenerationis tollantur. Sed non alio sensu dicit quam quia ipsa pœnitentia, oratio, eleemosyna, aliáque peccatorum remedia, quibus relapsi baptizati in integrum restituuntur, non nisi baptizatis possunt prodesse, ideóque ipsum baptisma aliquo modo facit, vt peccata postmodum commissa condonentur. Hunc suum sensum in verbis proximè subsequentibus manifestè ostendit. Sic enim scribit, *Quid enim prodesset, vel ante baptismum pœnitentia nisi baptismus sequeretur, vel postea nisi præcederet? In ipsa quoque Dominica oratione, quæ quotidiana est, nostra mundatio quo fructu, quo effectu diceretur, dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis qui baptizati sunt diceretur? Itémque eleemosynarum largitas & beneficentia quantalibet cui tandem ad sua peccata dimittenda prodesset, si baptizatus non esset? Postremò regni cœlorum ipsa fœlicitas vbi nullum amplius vel concupiscentiæ, vel aliud malum erit, quorum erit nisi baptizatorum?* Hæc Augustinus, in quibus apertissimè docet baptismum ad peccata postmodum tollenda ipsámque vitam æternã consequendam valere, non vt hæretici imaginati sunt, per fidem aut recordationem baptismi, vel promissionis in eo factæ, sed hoc solum sensu ac modo, quia baptismus est horum omnium bonorum ianua, aditus, principium: quia non nisi baptizati ad hæc bona perueniunt. Baptizatus quippe & per baptismum Christo incorporatus, vel vt Apostolus loquitur, *Christum indutus*, ad cætera Dei & gratiæ beneficia participanda ius quoddam habet, sicuti videlicet non iam hospes & aduena, sed ciuis & domesticus, adeóque filius Dei. Ius inquam habet, nõ quidem, vt cum Dei offensa & in peccatis manens hæreditatem accipiat, sed vt noua adoptione opus nõ habeat, vtque remedia reconciliationis quæ relapsis ordinantur iure suo accipiat. Infideli aut non baptizato beneficium absolutionis in Ecclesia, participatio corporis Dominici, cuiuslibet denique Sacramenti vsus prorsus negatur. Infidelis aut non baptizati pœnitentia, oratio, eleemosyna, ad remissionem peccatorum nunquam valebit. Sed facit fides & Sacramentum fidei, quod est baptismus, vt hæc singula ad salutem prosint, tanquam membris iam corporis Christi: palmes à suo trunco recisus, vtcunque terræ infigatur, vtcunque irrigetur, colatur, nunquam virescet. Inseri oportet Christo, vt Christi beneficia, sacramenta, charismata participare quis possit. Hæc est ergo baptismi vis, per quem Christum induimus, vt eo accepto, omnia postea bona opera nostra apud Deum sint efficacia: nostra pœnitentia, oratio, eleemosyna, &c. coram Deo valeant ad remissionem peccatorum, augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ. Hoc est illud quod Augustinus loco citato docuit. Quod quia hæretici non intellexerunt, ideò & se & alios deceperunt. Sola filiorum Dei bona opera (non paganorum, Iudæorum, hæreticorum) merentur vitam æternam, non quia esse filium Dei vel esse in gratia sit causa proxima aut vnica aut sufficiens, producens meritum, sed quia est radix meriti tantum. Sic omnino baptismus est radix & fundamentum non causa proxima, sola, sufficiens, aut operans, beneficiorum omniũ quæ baptizatos consequuntur. Simile videre licet in ciuilitate quam vocant, quæ facit ciuem. Illa enim non est quidem causa proxima aut sola totius lucri quod in ciuitate consequi aliquis potest artem suam exercendo, sed est certè radix & principium illius, quia eo quòd ciuis est, vel natus, vel adoptatus, ius habet suam artem in tali ciuitate exercendi, quale ius hospes & aduena non habet. Hæc explicatio non solùm ad hæreticorum pestilentem doctrinam aperiendam, & refutandam, sed etiam ad ipsius baptismi vim melius intelligendam, & ad hęc Christi verba plenius exponenda, vtilis & accommodata esse poterit.

Domin. in Albis, & Dom. 18. post Pent. Augustini verba suprà allegata exponũtur.

Incorporatio per baptismum quantum valeat. Gal. 4. Ephes. 5.

Baptismus radix non causa proxima beneficiorũ per Christum.

D *Dominus Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cœlum.*

LOcus esse potest in modo & circunstantijs Ascensionis Dominicę explicandis, illam circunstantiam seu ceremoniam attingendi quam D. Lucas adiecit, dicens: *Et eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis & ferebatur in cœlum.* Hæc enim circunstantia tam diligenter à D. Luca expressa, & in ipso Ascensionis Dominicæ puncto à Christo adhibita, nec præteriri debet, & contra hæreticos horum temporum commodissimè tractari potest. Barbari enim hodiè hæretici & omni spirituali gustu destituti, hac benedictionis ceremonia nec vtuntur ipsi, & Ecclesiam Catholicã quæ illa frequenter vtitur ludibrio habẽt. At Christus in hoc Euangelio, suis dilectissimis discipulis, *Benedixit, & eleuatis manibus benedixit, & ascendens in cœlum* benedixit, *& benedicendo ab eis recessit*: benedicendo valedixit. Quem nõ moueat postrema in terris Christi actio, postrema ceremonia, eáque ab Euangelista tam diligenter expressa? Non solùm ait Lucas, *Benedixit eis*, sed addit: *dum benediceret illis recessit ab eis, & ferebatur in cœlum*: vt intelligeremus postremam prorsus Christi in terris actionem, hanc fuisse benedictionem. Deinde ne quis putaret vocalem aliquam comprecationem hanc fuisse tantùm, addit Lucas, *eleuatis manibus*, vt non dubitemus eam fuisse benedicendi formam, quã postea Apostoli cõspecta hac Christi benedictione, eiúsq; forma, ipsimet vsurparũt, suisq; successoribus & posteris

Luc. 24.

De benedictionis ceremonia.

1. 2. 3. 4.

Leuit.9. tradiderunt. Fuit & in veteri lege benedictionis externæ vsus: *Moyses & Aaron egressi tabernaculũ benedixerunt populo. Aaron extendens manum ad populum* (.i. versus populum) *benedixit ei.* Sic Iacob: A
Gen.49. *extendens manus benedixit duobus filijs Ioseph, Ephraim & Manasses.* At verò post Christum & ex hoc Christi exemplo, tum in sacris mysterijs, tum in priuatis congressibus Ecclesiarum præpositi Apostolorũ successores hac benedictionis ceremonia religiosè semper sunt vsi, populúsq; Christianus reuerenter eam accepit. De benedictione sacerdotali in sacris mysterijs ita scribit Au-
Epist.59. ad q. 6. gustinus: *Cum populus ad altare benedicitur, tunc Antistites velut Aduocati susceptos suos per manuum impositionem misericordissimæ offerunt potestati.* Nempè sicut Christus ex hoc mundo recedens suis Apostolis & discipulis per manũ impositionem benedicens, eos, Dei patris misericordiæ obtulit & commendauit, sic postea Christi vicarij, Ecclesiarum antistites faciunt, & potissimum ad altare faciunt. Huius in sacris Missæ mysterijs, Sacerdotalis benedictionis mentionem faciunt anti-
Can.47. quissima Concilia, Agathense & Aurelianense primum. Benedictionẽ verò Episcopalem in pri-
Can, 28. uatis congressibus veteri quoque Ecclesiæ in vsu fuisse, vno aut altero exemplo cõmonstrabo. D. August. commemorans se cum alijs (quum necdũ Episcopus ipse esset) ægrotum quendam amicum, vbi & præsens Episcopus loci erat visitasse, ac visitatione peracta discessisse, ait: *Accepta ab Episcopo benedictione discessimus.* Hæc videl. Christianorum tunc religio ac deuotio erat. Similiter in Ecclesia Græca, quo tempore Constantinopolitanum Conciliũ primum Constantinopoli celebraretur, Nectarius ciuis Tarsensis (qui & eodem tempore atque adeo ex huius facti oc- B
casione Archiepiscopus Constantinopolitanus factus est) reditum in patriã cogitãs, venit prius ad Diodorum Tarci Episcopum, Dioceſanum suum, *vt ab eo cum precatione benedictionem acciperet.*
Dectu. Dei lib. 22. c. 8. Niceph. hist. Eccl. lib. 12. c. 12 Psal. 108. At verò hæc Episcopalis benedictio quantum vim habeat, illustre exemplũ S. Antonini Archiep. Florentini docere potest. Dederat ei munusculum quoddam rusticus aliquis. Episcopus datori benedixit dicens, *Retribuat tibi Deus.* Rusticus alterius generis mercedem expectãs, quum iratus discederet, Episcopus eo reuocato, iubet afferri bilancem, & Rustici donum in vna lance reponi, suam verò benedictionem cum verbis citatis in chartula conscriptam in altera lance, vt quid cui præpõderaret, probaretur. Mira res. Benedictionis Episcopalis chartula donũ rustici grauiter deprimebat. Voluit hoc crasso exẽplo docere Deus, quanta esset benedictionis Episcopalis vis. Quod ad hæreticos attinet qui ista vel non credũt, vel non curant, accidet haud dubiè illis quod Propheta imprecatur: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Nobis Catholicis, Christi Saluatoris exemplum, & perpetua antiquissimæ Ecclesiæ praxis, & consuetudo contra omnes eorum
Inuita eius apud Sur. infideles cachinnos sufficere meritò potest & debet.

C

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Contra solam fidem hæretic. LOCVS oportunus explicandi populo contra hæreticorum fraudes & imposturas, verum & germanũ sensum dulcissimæ huius erga homines dilectionis diuinę. Ineffabilis enim certè hic Dei patris amor erat, quo sic mundũ dilexit, vt vnigenitum suum daret, hoc est in mundum mitteret, carnẽ assumere, hominem fieri, nasci, pati ac mori voluerit, *Vt omnis qui credit in eũ nõ pereat, &c.* Sed hoc ineffabile beneficium peruertit hæreticus, & planè reddit infructuosum, dum eius vim atque effectum peruersissimè exponit, verbáque Christi Redemptoris in sensum alienissimum detorquet. Quia enim Christus Dominus hoc loco dixit D
Hæretici capiunt Christum in verbo. huius beneficij eam esse vim, eum finem ac fructum, *Vt omnis qui credit in hunc vnigenitum nõ pereat, sed habeat vitam æternam*, isti importuni homines, quasi capientes Christum in verbo suo, inferunt hoc ipso & solo quòd quis credat in filium Dei saluum esse vnumquemque, & ad vitam æternam per Christum consequendam, solam fidem sufficere, solam fidem esse propriè necessariam: Christum denique credentibus in eum, non operantibus, pœnitentibus, &c. vitã æternam promittere. Omnis (inquiunt) qui credit in eum non peribit. Ergo ne pereamus satis est credere in eum. An non hoc est Christũ in verbo capere? & rigorem verbi rigidè premere? Ergo
Matth. 19. ô hæretice alia Christi verba non attendis, vbi mandatorum obseruationem postulat dicens. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ergo Christi verba commodè interpretari non permittis, vt
Omnis qui credit in Christum non perit: quo modo verum. fidei hoc in loco non sufficienti ãomnimodam, sed necessitatem absolutam eius verba doceant. Planè omnis qui credit in Christum non peribit, sed habebit vitam æternam, quia profectò quicunq; credit in Christũ alia quoq; gratiæ præsidia accipiet à Christo quibus saluetur, vt sic credens non pereat. Sed quia illa alia præsidia nemo nisi credens accepturus est, & nemo saluabitur per Christum, nisi ante omnia credat in eum, idcirco dicit Christus, *vt omnis qui credit in eum non*
Ioan. 6. *pereat.* Credendo nempe cætera accipiet vnde saluetur. Sic postea apud eundem Euangelistam Christus.

Christus: *Qui credit in me, non sitiet vnquam.* An verò putas statim quòd solùm credendo ad tantam perfectionem peruenies? Nihil minus. Sed primum aditum ad satietatem æternam docet esse fidem: iuxta illud Apostoli: *Habemus accessum per fidem in gratiam istam.* Propterea Christus iterum in Euangelio dixit: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes.* Ecce hic vides præsidia gratiæ credentibus data, quibus adiuti salui erunt. Hæc enim aqua viua est gratia Spiritus S. quem effudit in nos abundè. Et vbi vel quando? Certè in baptismo, in Sacramento fidei, tunc quum Christo primùm initiaremur. Sic docet Paulus, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè.* Porrò hæc effusio Spiritus S. quid aliud est quàm donum charitatis, *per quam fides operatur,* id est perficitur, & fit fides saluifica? Sic Paulus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis.* Omnis ergo qui credit in Christum non peribit, quia credentibus in eũ diffunditur in corde charitas, quæ otiosa non est sed mandata seruat, *Qui enim diligit me, sermonem meum seruabit,* ait idem Christus. Rursum, qui diligit Deum, diligit proximum, *Dilectio autem proximi implet legem.* Non ergo solùm credere in Christũ dat vitam æternã, sed credere in Christum facit primum aditum ad vitam æternã, impetrat alia media quibus comparatur vita æterna. Sic sæpe Augustinus, *Fides impetrat gratiam qua lex impleatur.* Et rursum, *Violentia fidei Spiritus S.* B *impetratur, cuius gratia lex impleatur.* Dicit iterum apud Ioannem Christus: *Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* An ergo ne in tenebris maneamus, satis erit credere in Christum? At idem Ioannes contrarium docet: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suũ odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Ecce idem Euangelista perspicuè docet, ne in tenebris maneamus, dilectionem proximi retinendam esse. An Christo contrarius est, qui dixit, omnem qui credit in eum, in tenebris non manere? Minime sanè. Sed Christus primum lucis gradum docuit, & maximè necessarium, & quo mediante, ad cæteros gradus peruenitur. Ioannes alium gradum apposuit, æquè ad lucem & vitam necessarium atque est ipsa fides. *Qui enim non diligit, manet in morte,* ait idem ibidem. Cur autem Christus. Dominus non nisi fidem in his locis omnibus commendauerit, & in alijs Euangelij locis fidei salutem perpetuò quasi attribuit, quomodo etiam Scripturę sæpe totum effectum vni causæ tribuant, quum aliæ causæ plures sint quas taceat, in alijs Dominicis explicuimus, quæ & huc afferri possunt.

Fides est primus aditus ad vitam. Rom. 5. Ioan. 7. Tit. 3. Gal. 5. Rom. 5. Ioan. 15. Rom. 12. De Spiritu & lit. c. 22 De fide & operib. c. 21 Ioan. 12. 1. Ioan. 2. *Fides primus gradus lucis.* 1. Ioan. 5. Dominica Quinquag. & 18. post Pentecostẽ.

Præterea credere in Christum, si quis ipsa verba vrgere vellet, non est simpliciter fidem habere de Christo, sed est credendo tendere in Christum, & in eius beneficia animum intentũ C gerere. Et hunc sensum ipsa Christi verba proximè præcedentia confirmant. quum enim Nicodemo dixisset, *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam,* subiunxit statim quasi confirmando quod dixerat, *Sic enim Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, & cætera,* id est, qui credendo attendit in filium Dei crucifixum, sicuti Iudæi in serpentem exaltatum attendere iubebantur, vt attendentes saluarentur. Sic hunc locum explicat S. Augustinus: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo, vnde sanarentur qui in illo deserto à serpentibus mordebantur, & illum exaltatum attendere iubebantur, & quisquis attenderet sanabatur, sic oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum, id est, qui attendit exaltatum, qui non erubescit crucifixum, qui in cruce Christi gloriatur, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hæc ille. Iam verò *attendere exaltatum,* est ea *quæ sursum sunt sapere, non quæ sunt super terram.* Non erubescere crucifixum, est *mortificationem Iesu Christi circumferre in corpore nostro.* In cruce Christi gloriari est, vt Paulus fecit, quum diceret, *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Sic ergo credere in Christũ non est specialem hæreticorũ fidem, vel fiduciam potius habere, ac neq; solam orthodoxam fidem tenere, sed est credendo *sequi vestigia Christi, & ambulare sicut ille ambulauit, & configurari morti eius.* Vt litteræ Apostolicæ nos docent. Hanc ob causam, credere in Deum D distinguit diligenter Augustinus, ab eo quod est credere Deo: & exponit quid sit: *Hoc est* (inquit) *credere in Deum, credendo adhærere ad bene cooperandum bona operanti Deo.* Qui sic sane credit in Christum, vt ei adhærendo & ab eo adiutus bene operetur, non peribit sed habebit vitam æternam.

Credere in Christum quid. Ioan. 3. Serm. 14. de verbis Apostoli. Colos. 3. 2. Cor. 4. Gal. 6. 1. Pet. 2. 1. Ioan. 2. Philip. 3. Enarrat. in Psalm. 77.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

Qui intrat per ostium, Pastor est ouium.

Ioan. 10.

De *legitima vocatione ad ministeriũ verbi.*



OCVS proprius ostendendi contra hæreticos nostri temporis, certam & legitimam vocationem necessariam esse, vt quis Pastor ouium in Ecclesia Christi censeatur. Debet enim intrare per ostium, qui Christus est, hoc est ab illo mitti. Mittitur autem à Christo, qui ab illis missionem accepit quos Christus misit. Christus autem non omnes suos discipulos & auditores misit, sed (vt ait Paulus) *quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Hi rursum à Christo missi alios miserunt. *Paulus & Barnabas, Lystram, Iconium, & Antiochiam Pisidiæ pertranseuntes, constituerunt illis per singulas Ecclesias Presbyteros.* B

Act. 14.

Petrus pastores in Ponto, Galatia & Bythinia constituit, quos sic alloquitur. *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Paulus reliquit Titum Cretæ, *vt constitueret per ciuitates presbyteros sicut ipse disposuit ei.* Similem Timotheo à se potestatem datam his verbis testatur: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* D. Ioannes Euangelista rediens ab exilio in Pathmos, per varia gentiũ loca constituit Episcopos, teste Eusebio in historia Ecclesiastica. Denique de omnibus Apostolis scribit Irenæus, *Ecclesiam quæ vnoquoque loco est*, id est Catholicam, *per successionem Episcopis regendam illos tradidisse.* Hunc ordinem, hanc rationem in Ecclesia Christi perpetuò futuram, vt non nisi per ostium intrarent pastores ouiũ, & Propheta Esaias prædixit, & Christus alijs verbis repetijt. Esaias de Christo Saluatore perspicuè sic loquitur: *Quum venerit redemptor Sion, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum.* Ostendit verbum Dei & Spiritum Dei, hoc est sensum verbi, perpetua successionis serie in ore pastorum (nam verba sua in ore pastorum posuit Deus) permanere. Sed vt seminis nomine hoc loco non nisi ipsos pastores eorúmque successores accipiendos esse certò intelligas, perpende illa Christi verba in vltima sua apud Apostolos habita post Cœnam vltimam & prolixa oratione. Dicit Christus: *Orabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Hoc est quod Esaias dixerat: *Spiritus meus qui est in te.* Deinde addit postea Christus patrem alloquens: *Verba quæ dedisti mihi, eis dedi, & ipsi acceperunt.* Hæc erat tota cœlestis doctrina, quam Christus eos toto ferè triennio docuerat: & hoc est quod Esaias dixerat: *Verba mea quæ posui in ore tuo.* Subiungit postea adhuc Christus: *Pater sancte serua eos in nomine tuo*: & prius dixerat de illo Spiritu veritatis, quòd *maneret cum illis in æternum.* Hoc est quod Esaias dixerat: *Non recedent de ore tuo.* Addit postremò Christus: *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui per verbum eorum credituri sunt in me.* Hoc est quod Esaias adiecit, *Et de ore seminis tui.* Semen enim Apostolorum sunt qui in Cathedra Apostolica doctrinam Apostolicam retinent, & alijs tradunt. Vnde illud Dauidis: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, id est, *pro Apostolis Episcopi*, ait sanctus Augustinus. Sequitur enim: *Constitues eos principes super omnem terram*: vt de filijs eum loqui intelligas, qui respectu antecessorum filij sunt, sed simpliciter & respectu officij quod gerunt Principes & Pastores sunt. Deinde quum Christus Apostolis suis dixit, *Qui vos audit, me audit*, nonne perpetuam quandam pastorum (quorum vox audienda esset) successionem demonstrauit? Certè & ipsa ratio hoc euincit, quia nec Apostolos audire omnes potuerunt, nec nisi illis auditis, qui tanquam Christus ipse audiendi sunt, ad fidem peruenire gentes poterant, (*quomodo enim credent quem non audierunt, & quomodo audient sine prædicante?*) & Sancti Patres antiquissimi atque doctissimi sic hunc locum intellexerũt. Diuus Cyprianus scribit Christum *per Apostolos ad omnes præpositos* hæc verba dixisse, *qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt.* Sic & sanctus Basilius. *Quod Apostolis* (inquit) *dixit, Qui vos audit, me audit, intelligendus est in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores.* Atque hinc diserte scripsit S. Irenæus: *Eis in Ecclesia Presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis: reliquos verò qui absistunt à principali successione*, id est Apostolica, *& quocunque loco colliguntur, suspectos habere, &c.* Vide plura huc spectantia in Dominica 7. post Pentecosten, in Festo S. Andreæ, & in Festo S. Marci Euangelistæ.

1. Pet. 5. Tit. 1. 2. Tim. 2.

Li. 3. c. 23. Li. 3. c. 63.

Certa successio Pastorum.

Esai. 59.

Ioan. 14.

Psalm. 44. in Enarr. ibidem.

Luc. 10.

Succesio pastorum à Christo declarata.

Rom. 10.

Lib. 4. Epist. 9.

Const. Monast. cap. 23

Li. 4. c. 43.

Ad illa verba. Qui veniũt ad vos.

C

D

Alienum

A

Alienum nòn sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.

LOcus illustris, proprius & necessarius ingentem populi Christiani errorem, atque adeo fundi nostri calamitatem, perspicuè explicandi & grauiter exaggerendi, quem hoc in loco Christus ne fieret præmonuit, & à veris ouibus alienissimum esse ostendit. Ait enim de veris ouibus, de fideli populo: *Oues vocem pastoris audiunt, & pastorem sequuntur, quia sciunt vocem eius: alienum autem non sequuntur sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocẽ alienorũ.* Pastores sunt qui legitimam vocationem per manuum impositionem adepti aliis in Ecclesia pastoribus succedunt: vt in festis S. Marci, & S. Andreæ suprà probatum satis est. Alieni sunt nostri temporis hæretici & noui Magistri, qui absque vlla successione, aut ordinatione legitima prædicandi sibi potestatem arrogarunt, vt eisdem in locis ostensum est. Hic fuit ergo populi Christiani error grauissimus, quod quum alieni isti & prophani homines, à nemine missi aut ordinati, aut certè non ab Ecclesia missi, nec à pastoribus aliis instituti (quod omnibus erat manifestum) voces suas prophanas ederent, nouas doctrinas prædicarent, tantum abest vt ab eis non fugerit (quod facere debebat) quod etiã eos sequuti fuerint. Qua in re se veras oues Christi non fuisse apertissimè ostenderũt. Veræ enim oues (ait hic Christus) *alienũ non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* Veræ oues non solum non sequũtur, non auscultant, non consentiunt, non applaudunt, verũ etiã fugiunt ab alieno, à lupo, à latrone, ab hæretico. Non solũ eorũ dogmata & mysteria ignorant, non solũ curiosè scire & audire non desiderant, sed nec vocẽ audire sustinẽt. Tales sunt veræ oues Christi: Tales debebãt esse veri Christiani. Sed proh pudor, proh dolor, quã innumeri tales hodie nõ fuerunt! Quã innumeri hęc Christi verba non attẽderunt! quã innumeri non attẽdẽtes perierũt! At ne peritẽt Christus his verbis suas oues præmonuit. Eisdem quoque verbis veteres prophetæ populum Iudaicũ instruxerunt. Clamat Ieremias. *Nolite audire verba pseudoprophetarũ, qui prophetant vobis & decipiunt vos.* Iubet ne audire quidem. Sic sapiens ille Salomon de fornicaria hæresi quæ aduersatur sapientiæ, scribens: *Longè* (inquit) *fac ab ea vias tuas, & ne appropinques foribus domus eius.* Iubet ne appropinquare quidem, hoc est fugere ab ea. Sed quare sic iubet? subiungit causam. *Omnes qui ingrediuntur eam, non reuertentur nec apprehendent semitas vitæ.* Nempè hæc est illa spelunca latronum, de qua verè possis dicere, *Vestigia cerno, Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.* Hæc est illa Circe, hi Sirenum cantus; quos vt cuites, præternauigare obturatis auribus debes. Hi sunt enim illi

C de quibus Apostolus dicit: *Sermo eorum tanquam cancer serpit*: Et iterum, *Rogo fratres vt obseruetis eos qui dissentiones & offendicula faciunt præter doctrinam quam dedicistis, & declinate ab illis.* Declinare te vult, & non omnino accedere. Quamobrem verò? Rationem periculi certissimam adiungit: *Huiusmodi enim per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum.* Actius verò adhuc præcipit D. Ioannes: *Si quis veniet ad vos* (veniunt enim alieni isti, non mittuntur) *& hanc doctrinam non adfert* (veterem videlicet, Apostolicam, & iam receptam) *nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Vides tantùm abesse, vt docentem ac prædicantem alienum, hæreticum, nouum magistrum audire permittaris, vt eum ne salutare quidem debeas. Hoc est ergo præceptum prophetarum vetus, Christi & Apostolorum nouum, homines alienos, prophanos, hæreticos, homines qui pastorum sibi officia arrogant, sed pastorum loca non tenent, quia legitimè vocati & ordinati non sunt, quia non intrant per ostium, sed ascendunt aliunde, tales inquam homines penitus declinari debere, tales non sequi, à talibus fugere veras Christi oues oportere. Est autem hoc præceptum nec durum, nec superuacaneum. Durum non est, quia

D ad hæresim cauendam hæc via facillima est. Superuacaneum non est; quia hæc via tutissima est adeóque necessaria. Durum non est, quia id quod facilius est iubetur, vt quod periculosius est vitetur. Facilius est lupanaria non adire, cum meretricibus non conuersari, spectatorẽ formarum non esse, denique non concupiscere, quàm vbi hæc omnia feceris, concupiscentiam vincere: & tantis mali occasionibus resistere, eásque superare. Sicut ergo in cautela vitæ & morum iussit Saluator ad vitanda periuria, *non iurare omnino*: ad vitanda homicidia, *non irascit fratri*: ad vitanda adulteria, *non concupiscere*: sic planè in cautela fidei ad vitandas hæreses iubet hic Christus, *alienorum voces fugere*, & alibi dicit de huiusmodi: *Nolite exire.* Iubet Paulus *eos declinare*: Iubet D. Ioannes *ne Aue quidem eis dicere.* Est enim profectò omnis hæresis quædam circa religionem fornicatio: vnde Apostolus hæreticos vocat *adulteratores verbi Dei.* De hoc autem peccati genere dicit Apostolus, *Fugite fornicationem.* Reliqua enim vitia, vt odium, superbia, auaritia, vincuntur resistẽdo, quia quanto magis circa illa particularia quis tractat atque considerat, tanto minus in eis inuenit vnde delectetur. Ostendit enim ratio diuturna & diligenti habita consideratione, quàm vanè superbitur, quàm ineptè pecunia amatur, quàm temerè vindicta appetitur. At verò in luxuriæ vitio, quanto magis particulare obiectum cogitatur, tanto magis accenditur. Vincitur autem fugiendo, & omnem de illis rebus cogitationem primo quoque tempore deponẽdo. Nec aliter se in hæresi res habet. Excutienda est vt vipera, fugienda vt pestis, abominãda vt certa pernicies est, nullo modo expendenda, tractanda, considerãda. Illam enim expendere

Hæretici prædicantes non audiendi.

Causa primaria grassantium hæresum.

Ierem. 34.

Prouerb. 5.

Rom. 16.

Epist. 2.

Præceptum non audiẽdi hæreticos facile.

Matth. 5.

2. Tim. 2.

2. Cor. 2. & 4.

1. Cor. 6.

(nisi docendi causa, quod omnium non est, sed perpaucorum) est de fide dubitare, indéque in A
hæresis præcipitium derepentè prolabi. Non ergo durum, sed & facillimum & saluberrimum
hoc Christi præceptum est: *Oues meæ alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo.*

Præceptum non audiẽdi hæreticos necessarium.

Iam verò qui superuacaneum hæc esse seu præceptum, seu consilium existimet, séque satis in fide vel instructum & doctum vel robustum & fortem putat, vt etsi eos audiat, nihil tamen sibi inde periculi metuat, sed probare eos se posse & cauere speret aut præsumat potius, primùm illud Apostoli meminerit, *Qui se existimat stare videat ne cadat*: Itémque illud Sapientis: *Qui amat periculum, peribit in illo*: deinde iterum atque iterũ consideret an S. Polycarpo Martyre & D. Ioãnis discipulo aut fortior aut doctior sit, qui Marcionem hæreticum ne alloqui quidem dignatus est, vt refert Irenæus, & commemorat ex eo Eusebius? móxque addit. *Hæc fuit Apostolorum & discipulorum religio & timor, vt neque verbo tenus communicarent ys qui adulterant veritatem.* Religio (inquit) & timor. An quisquam illis aut religiosior aut fortior sibi videri poterit? Aut erit qui sibi D. Ioanne prudentior videbitur, *qui balneum in quo Cerinthus hæreticus lauerat, ne ingredi quidem voluit?* vt idem meminit Irenæus. Quod Apostoli factum imitati sunt Samosateni Catholici, qui *quum ad balneum venissent in quo lauerat Eunomius hæreticus, illo egresso omnem aquam à balneis per cuniculos in cloacam emittunt, & recentem parari iubent*, vt refert Theodoretus. Certè Antonij Eremitæ sanctissimi illa morientis ad suos vox erat, vt eius vitæ indubitatus Author Athanasius scribit: *Zelum meũ contra hæreticos omnes & veritatis hostes tenete. Scitis quia nihil vnquã illis molliter aut pacificè loquutus sum. Itaque venena illorum & colloquia prorsus vitate.* Nec dissimilis erat S. Basilij ad suos quoque subditos admonitio: *Congressus* (inquit) *hæreticorum subdolos & ad subuersionem audientium instructos declinetis.* Móxque huius rei tres causas subiungit, quæ singulæ à concionatore amplificari hoc loco poterunt. Primam: *Vt dilectionem* (inquit) *erga nos sinceram custodiatis.* Nemo enim pastorem suum colere, Ecclesiam diligere, & cum hæretico libenter conuersari aut alieno aurem præbere potest. Secundò ponit: *vt patrum fidem infractam & sanam seruetis.* Ab ea enim semper hæreticus diuellit, & maiorum fidem atque authoritatem, & ipsemet eorum loco audiatur, semper studiosè imminuit atque infringit. Tertiam addit: *Vt apud Dominum tanquam probati veritatis amici deprehendamini.* Nempè iuxta illud Apostoli: *Oportet hæreses fieri, vt qui probati sunt in vobis manifesti fiant*, id est, vt firmi & validi in fide innotescant. Quare qui alienum sequitur, qui nõ fugit ab eo, sed auscultat eum, & quid noui adferat curiosè explorat, is iam amplius vera ouis Christi non est. Is nec pastorem suum Christi loco diligit, nec maiorum suorum fidẽ reueretur, nec firmus ac probatus est veritatis amicus. Talis enim si esset, certè alienum non sequeretur, sed fugeret ab eo. Nunc autem hodierni temporis grauissimum schisma nihil magis peperit, fouit, aluit, quàm populus ipse indisciplinatus, populus instabilis & væcors, populus ad omnem nouitatem præceps: *Prophetabant Prophetæ mendacium*, Lutherus, Caluinus, Latimerus, & alij: *Sacerdotes applaudebant manibus suis.* Multi etiam mali pastores consentiebant: *Et populus meus dilexit talia.* Hinc illæ lachrymæ, hinc schismatis origo, progressus, incrementum: *Populus ad iracundiam prouocans* erat, *& filij mendaces: filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Factum est nostro tempore, quod inter Christianos futurum Apostolus prædixit, *Erit* (inquit) *tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabũt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Isti nempè sunt qui pastores suos deserunt, & alienos magistros sequũtur. Hæc populi Christiani libido, leuitas, instabilitas, hodierni tanti schismatis causa fuit, & omnium ferè in Ecclesia schismatum olim causa extitit. qua de re sic sapienter & veraciter scribit S. Augustinus: *Sic fiunt hæreses & schismata quum dicit plebs carnalis quæ in charitate Dei fundata non est, Ibo post amatores meos, cum quibus vtique siue per fidei corruptionem siue per elationem superbiæ turpiter fornicantur. Nisi enim seductores isti à plebibus seductis vicissim seducerentur, quum eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant potestatem talia dicendi & sibi talia vendicandi, vt eorum error veritas appelletur, & scelus eorum iustitia putetur, propter Sacramenta & Scripturas quas tenent ad speciem non ad salutem, nunquam profectò ipsi seductores hæc sibi tanta ac talia arrogarent.* Hæc ille. Moneatur igitur grauiter hoc loco populus, vel vt à simili in posterum leuitate diligenter caueant, vel vt leuitatis perpetratę seriò eos pœniteat. In causa fidei leuem se ostendere, & *quouis vento doctrinæ circũferri*, non leue peccatum, sed grauissimum crimen est: Nempè contra obedientiam fidei, (qua nihil homini fideli magis necessarium) & contra obedientiã Ecclesiæ, imò Christi (qui per Ecclesiam loquitur) tale crimen committitur. Satis esse deberet cuiuis è populo quòd Ecclesia Catholica, & Pastores eius eos moneat tales esse hæreticos, ideóq; non audiendos, iuxta illam Augustini argumentationem: *quibus obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio, cui eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo?* In lib. contra Epist. Fundamenti: cap. 5. Euangelio enim hodie creditur non propter testimonium hæreticorum, sed propter testimonium Catholicæ Ecclesiæ. Vide hac de re plura super Dom. 7. post Pentecosten, ad illa verba, *Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos, &c.* & super Dominica 2. Quadragesimæ.

Lib. 3. c. 3.

Lib. 3. c. 13.

Lib. 3. c. 3.

Lib. 4. c. 14 Hist. Eccl.

In vita S. Antonij.

Epist. 73.

Tres causæ non audiendi hæreticos.

1. *Cor.* 11.

Populi curiositas & instabilitas hæresum hodie causa.

Ierem. 5.

Esai. 30.

1. *Tim.* 4.

De baptis. cõt. Donat. lib. 3. c. 19.

B

C

D

Quia

A

Quia non nouerunt vocem alienorum.

LOcus notandi causam grauissimam, ob quam fugiendi hæretici Magistri sunt, non audiendi. Causa est quia non nouerunt, id est, nosse non debent, si veri fideles sunt, vocem alienorũ. Qui enim verus Christianus Catholicus est, vocem Iudæi, vocem pagani, vocẽ hæretici, noua quædam dogmata afferentis, & præterquã id quod iam acceperat euangelizantis, profectò vt de facto nescit, quia noua sunt, ita nosse nõ debet quia perniciosa sunt. Vera ouis si lupi vocem audit, non curiosè auscultat, sed naturæ instinctu celerrimè ad pastorem currit, ei adhæret, apud eum se tutam ac saluã fore confidit. Tales oues Christus nos esse voluit. Ideò oues nos vocauit, & se suósq; Vicarios Pastores nuncupari voluit. Pastoribus adhærere, auscultare, obedire, alienos autem fugere suos Christus voluit, quia oues sunt, & ea fidei simplicitate præditi esse debent, vt nullius vocem in causa fidei nisi Pastoris sui intelligant. De his ouibus gregis Christi, de fideli populo sapienter scripsit August. quòd *quum sinceriſsima Dei sapientia apud paucos spirituales sit, reliquam turbam non intelligendi vinacitas, sed credendi simplicitas tutam faciat.* Simplicitas ergo fidei quæ in populo Christiano esse debet, vna causa est, quòd voces alienorum veræ Christi oues non nouerunt. Alia causa est ipse Dei Spiritus, ipsa vnctio interna quæ in vnoquoque fideli est. Hic enim Dei spiritus inhabitans corda fidelium, & *purificans corda eorũ*, hoc est, illuminans circa verum, sicut simplicem facit intellectum circa falsum, causa efficiens est, vt voces hæreticorum voces alienorum tanquam *peregrinæ doctrinæ* (vt Paulus eas vocat) non agnoscantur. Sic Christus in Euangelio: *Omnis qui natus est ex Spiritu, audit vocem Spiritus.* Hoc est, fidelis Christianus renatus in Christo ex aqua & Spiritu Sancto, audiens proximum Christianè loquentem, agnoscit communem Dei Spiritum, qui etiam in seipso seu corde suo loquitur: ex vnctione videlicet Spiritus S. & ex testimonio Dei quod in se habet. Et ne hac *vox Spiritus*, sola interna Dei inspiratio à quoquam putetur ac non etiam externa Ecclesiæ vox. D. Ioannes in quo Spiritus Dei ad docendum erat, sic scribit: *Qui nouit Deum, audit nos. Qui non nouit Deum, nõ audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris*, i. spiritum veritatis capacem, & spiritum errore captum. Qui nouit Deum & habet spiritum veritatis, est docilis veritatis auditor, ille audit Ecclesiam, nouit vocem Ecclesiæ, vocem Pastoris, vocem reliquarum ouium & Confratrum suorum, non autem nouit voces alienorum. Qui autem non nouit Deum, & habet spiritũ erroris, de quo Paulus dicit (*mittet illis Deus operationem erroris*, id est, spiritus mendaces qui docent errores, *vt credant mendacio*) & est procliuis ad noua dogmata, ille non audit Ecclesiam, nec
C nouit vocem eius, non amat, non approbat, non credit, sed nouit voces alienorum, amat illas, approbat, amplectitur. Horum sensus (vt loquitur Paulus) *corrupti sunt & exciderunt à simplicitate quæ est in Christo, alitmque spiritum acceperunt.*

Verus Catholicus vocem Hæretici non nouit, id est nosse non debet.

Cur populus Christianus oues & Magistri, Pastores à Christo vocati.

Contra Epist. Fundam. c. 4.

Spiritus Dei facit vocem hæretici odiosam.

Act. 15.

Heb. 13.

Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

2. Thess. 2.

2. Cor. 11.

Fur non venit nisi, vt furetur & mactet & perdat.

LOcus insignis veram & certam notam furis ac latronis, alieni & profani, Magistri hæretici, populo explicandi, sicut Christus hic eam proponit. Propriũ enim hæreticis, & nouellis Magistris (quos fures hic Christus vocat, quia *non intrant per ostium, sed ascendunt aliunde*, vt antea explicatum est) esse docet, vt furentur alienas oues, vt mactent quæ vixerunt, vt perdant quæ inuenta fuerant: i. vt iam Christianos atque Catholicos hæreticis doctrinis à grege Christi abducant, suósq; faciant discipulos qui Ecclesiæ fuerant. Vnde Paulus *Vt abducãt discipulos post se*,
D id est, post sensum & spiritum suum. Omnes enim hæretici (vt verissimè scripsit Irenæus) *seipsos prædicant veritatis regulam deprauantes.* Nã à cõmuni & recepta fidei regula abductos ad sua noua particularia dogmata pertrahunt: *Veniunt in nomine suo*, vt Christus dixit, de suo sensu & spiritu loquũtur, deniq; vt diabolo Christus dixit, *ex proprijs loquuntur.* Itaq; ad se & sua dogmata propria alienas oues, Ecclesiæ Catholicæ videlicet, furantur. Paganos & Infideles ad Christi fidem non conuertunt, sed oues Christi rapiunt, illas mactant & perdunt: vt in alio iam loco ostendimus ad illa verba Christi, *Inimicus homo superseminauit zizania*, & rursum ad illa, *veniunt ad vos*: quæ in hunc locum conferri possunt. Sed hic addemus pauca. Hanc hæreticorum proprietatem descripsit Ieremias Propheta dicens: *Clamauit perdix: quæ non peperit congregauit, faciens diuitias nõ suas.* Vel vt alia lectio habet, *sine iudicio.* Ad quæ verba sic D. Hieronymus: *Aiunt scriptores naturalis historiæ, Aristoteles, Theophrastus, Plinius secundus, hanc perdicis esse naturam, vt oua alterius perdicis furetur, & eis incubet foueátque, cúmque fœtus adoleuerit, auolare ab eo & alienum parentem relinquere. Hoc ad hæreticorum personam referendum est: quòd perdix iste diabolus clamauerit per principes hæreticorum, & congregauerit quæ non peperit, & deceptorum sibi multitudinem collegerit, quæ postea dimittet eum: & omnium iudicio stultissimus comprobetur.* Hęc ille. Sic quoque D. Augustinus, sed Paulo clarius & vberius hunc locum tractauit: *Congregant hæretici quæ non pepererunt. Christianos enim quos maximè Christi nomine seducunt iam per ipsius Christi Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias suas: non sanè cũ iudicio, sed cum temeritate inconsiderata. Non enim intelligũt ibi esse verã & salubrem & quodammodo germanam atque*

Hæreticorum proprium studes subuertere.

Act. 20.

Lib. 3. c. 2.

Ioan. 5.

Ioan. 8.

Dom. 5. post Epiph. & 7. post Pentec.

Ierem. 17.

In cõment. ibidem.

Cont. Faustum l. 13. c. 13.

radicalem Christianorum societatem, vnde istos separauerunt quos ad suas diuitias congregauerunt. Hæc Au- A
guſtinus.

Hæreticorum hodie tota doctrina ablatiua est.

Rurſum in hodierna hæreſi ex alio capite manifeſtiſſima eſt hæc latronum nota quam Chriſtus ponit: *Venire eos vt mactent & perdant.* Tota enim hæreticorum doctrina hodie quanta quanta eſt, negatiua eſt, ablatiua eſt, deſtructiua eſt: affirmatiua, poſitiua, ædificatiua nulla eſt. Omnis veræ Eccleſiæ *Poteſtas data eſt ad ædificationem non ad deſtructionem.* Omnis hæreticorum poteſtas permiſſa, & præſumpta eſt ad deſtructionem, non ad ædificationem. Paſtores in Eccleſia à Chriſto dati ſunt *ad conſummationem ſanctorum*, id eſt, ad corroborationem & perfectionem fidelium, *& ad ædificationem corporis Chriſti.* Sed iſti latrones hæretici veniunt non niſi *ad ſubuerſionem auditorum*, vt Diuus Paulus loquitur, ad deſtruenda ea quæ ædificata fuerant, ad diſſipationem eorum quæ vnita erant. Hoc faciunt eorum dogmata planè negatiua, hoc probant eorum facta egregiè ablatiua. Dogmata negatiua ſunt hæc. Non eſſe veram Eccleſiam quæ dicitur Catholica. Non eſſe Romanum Pontificem Chriſti Vicarium & ſupremum Eccleſiæ caput. Non eſſe recipiendas traditiones extra Scripturas. Non eſſe ſeptem Sacramenta. Non conferre illa gratiam. Non eſſe in Sacramento Altaris verè & realiter Corpus & Sanguinem Chriſti. Non eſſe baptiſmum ad ſalutem neceſſarium. Non remitti peccata per baptiſmum. Non eſſe communicandum ſub vna ſpecie. Non eſſe faciendam peccatorum confeſſionem Sacerdoti. Non eſſe ſuſcipiendas pro peccatis ſatisfactiones. Non eſſe in Miſſa verum ſacrificium. Non eſſe illud propitiatorium. Non eſſe conſecranda Templa, Altaria, veſtes, eóque pertinentia. Non eſſe vllum meritum vitæ æternæ. Non obligari fideles vllis Eccleſiæ legibus. Non eſſe ex præcepto ieiunandum. Non eſſe ex Eccleſiæ præſcripto celebranda Feſta. Non eſſe orandum pro defunctis. Non eſſe inuocandos Sanctos. Non eſſe peregrinandum religionis ergô. Non eſſe reuerendas Sanctorum Reliquias. Non eſſe honorandas imagines Chriſti & Sanctorum. Non eſſe emittenda vota perfectionis. Non eſſe lingua Latina Officia diuina peragenda. Non eſſe liberum arbitrium. Non iuſtificari aliquem ex bonis operibus. Nihil valere indulgentias. Hæc & alia multa ſunt eorum dogmata negatiua. Facta ablatiua ſunt hæc inter alia. Auferre è medio, deſtruere, demoliri Religioſorum Monaſteria, pauperum Xenodochia, Sacerdotum Collegia, Chriſtianorum Templa, Templorum Altaria, & quicquid denique ad externum Dei cultum ex veteri Chriſtianorum vſu & religione attinet. quòd ſi fures illi & latrones qui pecunijs, pecoribus, aut ad ſummum vita hac corporali ſpoliant, extremis ſupplicijs digni ſunt, quid iſti demum noſtri temporis fures commerentur, qui tot ac tantis dogmatibus fidem ac religionem Chriſtianam ſpoliarunt? Deinde hoc latrocinium hæreticorum hodie, proprium illum habet Antichriſti characterem, ἀρνᾶσθαι. Nego. Eſt doctrina negatiua & ablatiua religio. At dicat hic fortè aliquis: vtcunque in his iam commemoratis Articulis omnia ſint negatiua, habere tamen reformatas iſtas Eccleſias (ſic enim vocari volunt, quum nihil minus ſint, vt in oratione quadam quodlibetica olim oſtendimus) alia certa dogmata partim his negatiuis affirmatiuè contraria, partim alterius generis. Cui reſpondeo habere ſanè illas vtriuſque huius generis dogmata affirmatiua: ſed nihilominus, tot & tanta iam enumerata ab illis negari, ideóque robuſtos latrones ex hac parte illos eſſe, & præterea in illis ſuis affirmatiuis dogmatibus non modò nihil ſanum, ſed omnia veneno plena, vt æquè per illa mactent ac perdant, ſicut per alia latrocinantur, ſed etiam nihil certum, nihil conſtans aut conſtitutum habere: ideóque meras eſſe negationes, mera latrocinia, illam eorum doctrinam, in qua omnes conueniunt: quæ ſanè propria hæreticorum huius temporis doctrina vocari debet. Hoc autem quod dixi eos nihil in doctrina conſtans habere, nimis eſſet & prolixũ, & operoſum hoc loco oſtendere: neque adeo neceſſarium, quum in oratione quadam quodlibetica iſtud à nobis olim perſpicuè comprobatum & oſtenſum fuerit: ad quam lectorem remitto. Multis ergo modis furantur, mactant & perdunt animas fidelium horum temporum hæretici, nullo modo paſcunt, nullam fidem docent, nihil certò credendum ponunt, vt veriſſimè fures ac latrones eos eſſe, ex ipſis fructibus cognoſceremus. Hæc circa hoc Euangelium explicare & amplificare pius & orthodoxus concionator poterit.

Ephes. 4.

2. Tim. 2.

Dogmata, Proteſtantium negatiua.

Facta hæreticorum ablatitia.

In Ora. Non eſſe Proteſtantes Eccleſ. reformatores.

In Orat. Nulla apud hæreticos hodie conſtans doctrina.

B

C

D

IN DIE

A

IN DIE VENERABILIS SACRAMENTI.

Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Ioan.6.



LOCVS necessarius veritatem Corporis & Sanguinis Christi in ve- *De veritate Corp. & Sang. Christi in Eucharistia.*
ner. Eucharistia contra infideles nostri temporis hæreticos clarè & per-
spicuè ex his Euangelii verbis demonstrandi. Ad quod faciendum duo
tractari posse videntur. Primum, vt euidenter ostendatur hæc verba
Christum de hoc Sacramento præloquutum fuisse, quod Ecclesiam
credere, ex hodierni Euangelii lectione manifestum fit. Deinde vt ho-
rum verborum sensus & vis explicetur. Quod ad prius attinet, ex S. Pa-
B trum testimoniis luculenter probabitur. Hoc enim populo persuaden-
do magis videtur conuenire. Rationes varias quæ idem probant, vide-
re licet apud varios authores. In tractatu super cap.6. Ioan. Nicolai Sanderi: in Alano Car- *Cap.3.6.7. & 8.*
dinali de Eucharistia: in dialogis Petri Michaelis de Eucharistia: in opere Eucharistico Claudii *Li.1.c.31.*
de Sainctes: & apud Ioan. Roffensem contra Oecolampadium. Debet autem istud tanto dili- *Cap.5.*
gentius exponi, quanto pertinacius & furiosius hæretici hoc totum negant. Lutherus suo mo- *Repetit.6. ca.5.*
re debacchatur in Ecclesiam Romanam, quæ *sanctissimum Christi corpus hac anniuersaria celebrita-* *In fine proœmii lib.5.*
te colat, in eoque hoc Ioannis caput sextum sacrosanctæ Eucharistiæ accommodet, & diuinæ iracundiæ atque *Verba huius Euang. ad Eucharistiam pertinere.*
implacabilis odij indicium esse arbitratur, quod patiatur Papistas in Scripturæ sensu tum turpiter errare, diui-
naque verba inexpiabili scelere peruertere. Hæc impurus ille in Sermone de corpore Christi. Sed cō-
tra hunc nefarium hæreticum Sancti Patres & antiquissimi audiantur. Origenes sic scribit, *An-* *Super Num. hom.7.*
tea in ænigmate fuit baptismus in nube & in mari. Nunc autem in specie regeneratio est in aqua & Spiritu S.
Tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit, quia
Caro mea verè est cibus. Hæc ille. Quis dubitat quin vt de baptismo sic etiam de Sacramento car-
nis Christi Origenes hic loquatur, idque iuxta verba nostri Euangelii quæ citat? Cyprianus
periculum excommunicationis ab hoc Sacramento & fructum in illo ex verbis huius capitis
C ostendit, *Vt manifestum est* (inquit) *eos viuere qui corpus Christi attingunt, & Eucharistiam iure com-* *In ser. de Orat. Do.*
municationis accipiunt, ita contra timendum est, & orandum ne dum quis abstentus separetur à Christi cor-
pore, procul remaneat à salute: comminante ipso & dicente; Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habe-
bitis vitam in vobis. D. Hilarius ex his verbis Ioan.6. probat contra Arianos Christum in nobis na- *Ioan.6. Li.4.& 8. de Trinit.*
turaliter permanere, *De Sacramento* disputans *communicandæ carnis, & de mysterio sub quo verè carnem* *In Synops. De Sacr. li.6.c.1.*
corporis Christi sumimus. Athanasius disertè scribit Christum in hoc 6.c. Ioannis differere de my- *De fide li. 4.c.5.*
steriis. Ambrosius de Sacramentis agens, *vera* (inquit) *est eius caro quam accipimus, & verus eius san-* *De iudicij die li.5.*
guis quem potamus, ad hæc huius Euangelii verba alludens. Rursum alio in loco post hæc ipsa ver- *Ad Hebdiam qu.2.*
ba citata, infert, *Carnem audis, & sanguinem audis. Mortis Dominicæ Sacramenta cognoscis.* S. Ephrem *In Ioan. Ho.44.45 & 46.*
de Sacramentali Christianorum manducatione dicit, *Cum manducamus corpus & sanguinem bibi-*
mus, & ipse in nobis est & nos in eo. D. Hieronymus coniungit hoc sextum caput Ioannis cum ver-
bis Christi in cœna: his verbis, *Panis qui de cælo descendit, corpus est Domini, & vinum quod discipulis de-*
dit sanguis illius est. Et postea, *Nec Moyses dedit vobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conuiua &*
conuiuium, ipse comedens & qui comeditur. D. Chrysostomus in tota explicatione huius capitis di-
ligenter docet illa verba, *Panis quem ego dabo*, & quę sequuntur, de Christi corpore intelligi. Ra-
tionem reddit cur de mysteriis hic Christus egerit. Negat eum parabolicè esse locutum, &
D omnia loca distinguit, vbi Christus in hoc capite de spirituali tantum, & vbi de spirituali & sa-
cramentali manducatione differit. Idem facit D. Cyrillus Alexandrinus in suis commenta- *In Ioan. li.3.& 4.*
riis, & mysticam benedictionem sæpissimè nominat, & illa Christi verba, *Ego resuscitabo eum*, cla- *Dialog.1. Ho.5.in Pascha.*
rissimè exponit, *Corpus meum quod comedetur, suscitabit eum.* Theodoretus de mysteriis tractans
cum verbis cœnæ etiam illa coniungit, *Et panis quem ego dabo caro mea est.* Eusebius Emissenus
quum de mysteriis agens dixisset, *necessarium erat vt nobis Sacramentum corporis & sanguinis sui con-* *Ser.6.in ieiun. mens.7.*
secraret, adiecit postea, *Vnde merito cælestis authoritas confirmat, quia caro mea verè est cibus, & sanguis*
meus verè est potus. Leo Magnus sic scribit, *Dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis,*
&c. (hoc autem non dixit nisi hoc 6.ca. Ioannis) *sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil pror-* *Hist. Eccl. li.4.c.11.*
sus de veritate corporis & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur. Theodoretus ex
hoc capite refutat Messalianos negantes fructum aliquem percipi ex manducatione Euchari-
stiæ. Interpretes græci in hunc locum, Euthymius, Theophylactus, suos maiores Cyrillum &
Chrysostomum sequuti: Latini quoque interpretes Sedulius, Primasius, Haymo, Beda, Ru-
pertus, suos maiores Augustinum, & Ambrosium sequuti, verba huius capitis cum verbis Cœnę
coniungunt, & de Sacramento Eucharistico exponunt. D. Basilius tractans illa verba huius ca-
pitis, *Ego viuo propter patrem, & qui manducat me viuet propter me*, prioris partis sensum esse dicit, *vt* *Epi.141.ad Cæsar.*
vitam eam Christus dicat quam etiamnum viuit, verbum Dei habens in seipso. Et quod (inquit) *hoc ipsum sit*

Vide huius loci explicationem apud Sanderum trac. citat. cap.13. De baptis. li.1.c.3. Ioan.6. Matt. 26. 1.Cor.10.

quod innuitur, ex eo quod subiungitur sciemus, vbi dixit. Et qui edit me, viuet propter me. Carnem namque ipsius edimus ac sanguinem bibimus consortes seu participes effecti verbi ac sapientiæ per incarnationem & sensibilem ipsius vitam. Vbi tria docet Basilius. 1. nos edendo carnem & bibendo sanguinem Christi, hoc implere quod Christus dixit, *Qui manducat me.* 2. nos sic edendo & bibendo fieri participes vitæ Christi, & sic impleri quod Christus adiecit, *Viuet propter me.* 3. per Christi incarnationem hoc fieri: quia nisi incarnatus fuisset, carnem quæ comedi posset non haberet. Rursum alio in loco vbi dedita opera de Sacramentis tractat, postquam de baptismo disputasset, de hoc Sacramento tractat afferens illa verba, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c.* Moxque verba Cœnæ, *Accepit Iesus panem*: ac deinde verba Pauli, *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, &c.* Et simul omnia coniungens, quum duo posteriora ad hoc Sacramentum pertinere nemo vnquam dubitauerit, quin & primum quoque eodem Basilii iudicio pertineat dubitari non potest. Augustini iudicium hac in re (quod aliqui tamen alio trahere voluerunt, quia mysticam verborum intelligentiam more suo sequitur interdum) luce meridiana clarius est. Primum diserte notat quum ad historiam Cœnæ Dominicæ ex Euangelist. consensu pertractandam venit, D. Ioanne de hac Cœna Domini hoc in loco nihil dixisse, *sed* (inquit) *plane alibi multo vberius hinc Dominũ locutũ esse testatur.* Alio in loco docet verba illa huius capitis: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mũdi vita, esse sacrificiũ non secundũ Aaron, sed secundũ ordinem Melchisedech.* Rursum illa verba, *Nisi mãducaueritis carnẽ filii hominis, &c.* de ipso corpore & sanguine Domini, vnico sacrificio nostro Dominũ dixisse ait, etsi Apostolus hoc ipsum malè vtentibus pernicioſum fieri doceat, dicens: *Quicunque mãducauerit panem, &c. indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Sed & adhuc alibi, *Dominũ* (inquit) *audiamus de Sacramento mensæ suæ dicentem, nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c.* Denique tractatu 11. in Ioannem longa disputatione ostendit ad Catechumenos non pertinere illa verba, *Nisi manducaueritis carnem filii hominis*, sed ad solos baptizatos. In alio tractatu super Ioann. distinguit apertè sacramentum à virtute sacramenti quoad manducationem de qua fit mentio apud Ioan. Denique super psalmos confert verba huius capitis cum verbis Cœnæ, quasi res omnino eadem. Constat ergo clarissimè Augustinum cum cæteris patribus hac in re conuenire. Accedet postremo ad omnes hos patres Concilii generalis Ephesini authoritas. Abuti voluit Nestorius hæreticus, qui duas in Christo personas constituit, his Christi verbis, *Qui manducat meam carnem, &c. Non ait qui manducat meam diuinitatem.* Et tamen Christus manducatur. Dicit enim ibidem, *Qui manducat me, viuit propter me.* Ergo Christus manducatur absque sua diuinitate, & diuiditur homo à Deo. Hæc illè hæreticus. Patres Ephesini huic respondentes non excipiunt contra eum dicentes, hæc Christi verba de Sacramentali manducatione non intelligi, sed sola spirituali, (quod certè fuisset facillimum & peremptorium) sed agnoscũt de sacramento hæc verba dici: non tamen Nestorium iuuare. Ideoque sic respondent, *Sicut incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificii seruitutem, sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes facti corporis & pretiosi sanguinis Christi, non vt communem carnem percipientes (quod absit) nec vt viri sanctificati, &c. sed verè viuificatricem & ipsius verbi propriam factam. Et ideo quamuis dicat, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c. non tamen eam vt hominis vnius ex nobis existimare debemus, sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus.* Hæc illi patres. Huius ergo generalis Concilii, & tot præterea Sanctorum patrum authoritas, eruditio, pietas, cuiuis Christiano sufficere debet, vt indubitanter credat verba huius Euangelii, *Caro mea verè est cibus, &c.* non nisi ipso Sacramento Eucharistico Christum Dominum loquutum fuisse.

De consensu Euang. li.3.c.1. De ciuit. Dei li.17. ca.5. Contra Cresc. li.1.c.25. De peccat. mer. & remiss. li.1. ca.20. Tract. 26. Enarr. in psal.33. & 98.

In epist. ad Nestorium in Conc. Ephes.

Hoc iam posito, per se clarum est, in venerabili hoc Sacramento corpus & sanguinem Christi verè & realiter contineri, sicut Christi verba sonant, *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus*, nobisque verè & realiter, non figuratiuè aut sub signo nudo manducare corpus & bibere sanguinem Christi. Ecce enim Christus iam ante institutionem huius Sacramenti, hic apud Ioan. prædixit fore, vt caro eius verè manducaretur, & sanguis eius verè biberetur. Vnde Hilarius, *De veritate carnis & sanguinis Domini non est relictus dubitandi locus: Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est & verè sanguis est. Ipse enim ait, Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Anne hoc veritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum Deum esse negant.* Sed & D. Chrysostomus hæc Christi verba in Commentariis exponens, probat ideo Christum hac forma verborum & asseueratione vsum fuisse, atque etiam repetitione, ne cuiquam videretur parabolicè loqui, sed propriè & litteraliter, *Quid* (inquit) *significat, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus?* Respondet, *Aut quid is est verus cibus qui saluat animam, aut vt eos in prædictis confirmet, ne obscurè locutũ in parabolis arbitrarẽtur, sed scirent omnino necessarium esse, vt corpus comederent.* Doceri igitur populus debet, qua occasione hæc verba Christus dixerit. Quum enim dixisset Christus, *Panis quem ego dabo* (nempe in Cœna: hoc est enim proprium Christi donum futurum, vtpote qui antea dederat se nobis quoad incarnationem) *caro mea est quam ego dabo* (nempe in cruce) *pro mundi vita, litigabant* ad hæc verba *Iudæi dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? &c.* Sed Christus nihil mutans, persistensque in cœpta doctrina, repetit idem dicens, adeoque iuramento confirmans, *Amen Amen dico vobis. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*: & addit clarius, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Bis ergo docet manducandum & bibẽdum esse, primum comminando, vt doceat necessitatem, deinde promittendo, vt doceat efficaciam atque

Probatur ex verbis Euangelii realis præsentia corp. & sang. Li.8. de Trinitate.

Hom. 46. in Ioan.

Occasio verborum huius Euangelij. Ioan.6.

virtutem.

A virtutem. Quæ quum docuisset, confirmat illa dicendo, *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c.* Docet se de vera & reali manducatione ac bibitione prius loquutum fuisse, quia caro eius verè esset cibus, & sanguis eius verè potus, *Distinguit rursus* (ait Cyrillus hæc verba exponens) *inter mysticam benedictionem & manna, inter aquarum fluenta & calicis sancti communicationem. Ita iterum eadem repetit, ne magis mannæ miraculum admirarentur. Manna non erat verus cibus, id est panis de cælo. Sanctum vero Christi corpus ad immortalitatem & vitam æternam nutriens cibus est. Non erat potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi quo radicitus mors euertitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturali vitæ coniunctus vita effectus est. Propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterij ipsum filium Dei suscipimus.* Docet ergo Christus quod suum donum vetus illud mannæ donum in hoc excedit, quod manna erat cibus corpus tantum nutriens, at panis quem ille daturus erat, caro eius esset, & quidem caro ipsas animas nutriens, viuificans, & ad vitam æternam perducens. Hoc enim demum est hominem qui ex corpore & anima consistit, verè pascere, si & animo & corpore pascatur. Ait ergo Christus, *Caro mea verè est cibus*, id est, ipsa caro mea ore manducata est animæ cibus. Non solum doctrina mea, non solum gratia mea, sed ipsa caro mea, quia propria verbi est, instrumentum erit pascendi & viuificandi animas eorum qui illam manducant. Nempe sicuti in corporibus hominum

B sanandis, & in mortuis resuscitandis Christus non sola voluntate, vt illud, *Volo: mundare*: nec solo verbo, vt illud, *Tabitha cumi, & Lazare veni foras*, se etiam tactu sacratissimæ carnis suæ in vtroque vsus est, vt *tangendo oculos cæci, & faciens exsponto lutum quo oculos cæci liniuit, & feretrum tangendo in quo adolescens mortuus efferebatur*: sic omnino docet hoc in loco Christus, quod per tactū & manducationem carnis eius animæ nostræ pascantur, & corpora in resurrectione ad vitam æternam resuscitentur. Obseruauit hoc totum quod diximus S. Cyrillus Alexandrinus, *Quoniam* (inquit) *Saluatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta viuifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis. Hac de causa in exuscitandis mortuis non solummodo verbo atque imperio vtebatur vt Deus, verum etiam carnem suam cooperatricem nonnunquam adhibebat, vt reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse: atque suum doceret non alterius corpus esse. Sic Archysinagogæ filiam resuscitans manum eius apprehendit. Quod si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus qui carnem illam & gustamus & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui.* Hæc Cyrillus. Docet autem hæc explicatio, tum veritatem carnis in hoc Sacramento, tum veritatem cibationis in ea manducanda, verumque & genuinum sensum horum verborum, *Caro mea verè est cibus, &c.* quod

C si vt hęretici volunt, non ipsa caro Christi manducata esset animæ verus cibus, sed panis tantum manducatio corporalis, & carnis Christi in cælo positæ manducatio per fidem spiritualis, tunc hæc Christi propositio non esset vera, nec caro Christi esset verè cibus, aut sanguis eius verè potus: id est nec verè illa manducaretur, nec verè iste biberetur. Sed vel panis ille esset hic cibus, & vinum potus (quo nihil est absurdius, & de quibus Christus hic nihil loquitur) vel caro Christi non esset verè cibus, quia verè non manducaretur, sed crederetur, vel cogitaretur tantum: nec sanguis Christi esset verè potus, quia non verè biberetur, sed crederetur, vel cogitaretur tantum cum grata eius effusi recordatione. Et fides quidem talisque meditatio, & suauis recordatio, adeoque commemoratio mortis Dominicæ in hoc sacramento, est vsus ipse, fructus & finis huius Sacramenti, sed non est ipsum Sacramentum, *Facite hoc in meam commemorationem.* Actus sacramentalis est, *manducare hunc panem & bibere hunc calicem: manducare carnem filij hominis, & bibere sanguinem eius: Caro enim eius verè est cibus*: id est verè & realiter in cibum comedenda est, *Sanguis eius verè est potus*, quia verè & realiter bibendus est. Quo in loco notandum plus dixisse Christum dicendo, *Caro mea verè est cibus*, ipsamque carnis suæ manducationem clarius & efficacius expressisse, quàm si dixisset, Caro mea verus est cibus. Quod enim verè est cibus verè manducatur. Scriptura est verus cibus animæ, propter proprietates pascendi animum,

D sed non verè cibus. Christus erat *vera vitis*, secundum proprietates ipsius vitis, quas eo loco describit, sed non erat verè vitis, iuxta naturam vitis. Christus de cælo descendens erat verus panis, *Ego sum panis verus qui de cælo descendi*, id est, vera salus credentibus. Et hoc erat donum patris, qui *dedit vnigenitum suum mundo, vt omnis qui credit in eum non pereat.* Sed donum proprium Christi est, de quo dixerat, *Panis quem ego dabo, caro mea est*: & de hoc dicit, *Caro mea verè est cibus*, docens (ait Chrysostomus) *omnino necessarium esse, vt corpus comederent.* Christus ergo in Sacramento nostro, non solum est verus cibus per fidem saluificus, sed etiam est verè cibus, per manducationem viuificans. Sic Paulus de viduis. Viduas (inquit) *honora, quæ verè viduæ sunt.* Et paulo post: *Quæ autem verè vidua est & desolata.* Vocat Paulus verè viduam, non solum quæ caret, viro, sed etiam quæ caret solatio. Hoc enim ad naturam viduæ Ecclesiasticæ pertinebat. Vidua in deliciis viuens, quam mortuam Apostolus vocat, erat vera vidua secundum communem loquendi modum, sed secundum Apostoli & Ecclesiæ sensum, non erat verè vidua, non erat Ecclesiæ subsidio iuuanda. Vnde postea: *Vt non grauetur Ecclesia, sed iis quæ verè viduæ sunt sufficiat.* Sic in hoc Euangelio, manna erat verus cibus quia corpus nutriebat iuxta communem cibi acceptionem, sed non erat verè cibus, quia totum hominem non pascebat. Caro Christi est verè cibus, tum quia verè manducatur, tum quia totum hominem nutrit. Sic rem intellexerunt & exposuerunt patres supra citati Chrysostomus & Cyrillus, aliique omnes qui hunc cibū panem

Li. 4. c. 16. in Ioan.

Verè cibus

Luc. 18. Ioan. 11. Luc. 7.

In Ioan. li. 4. c. 14.

Hæreticorum expositio refutatur.

Verè cibus verè manducatur.

Matt. 28.

Verè cibus plus sonat quàm verus cibus.

Ioan. 15. Ioan. 6. Ioan. 3.

Hom. 46. in Ioan. 1. Tim. 5.

Manna verus cibus, sed nō verè cibus

nostrum quotidianum exponunt: quia videlicet verè nos nutrit in omni gratia spirituali. Sic Cyprianus, *Panem nostrum vocamus, quia Christus noster (qui corpus eius contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie poscimus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto à cæleſti pane prohibeamur.* Sic Ambrosius, *Si quotidianus est panis, quare post annum sumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit.* Sic Leo Magnus, *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm vt in id quod sumimus transeamus, ipsumque per omnia & carne & spiritu gustemus.* Sic rursum Cyrillus Alexandrinus, *Sicut parum fermenti totam massam fermentat, sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet, & hoc modo in nobis manet Christus, & nos in ipso.* Sic ergo Christi caro verè est cibus, & sanguis eius verè est potus, quia manducando carnem, & bibendo sanguinem (non credendo tantum) verè pascimur & nutrimur augmento gratiæ: veréque manemus in Christo non per fidem aut charitatem, aut spiritualiter tantum, sed *naturali vnione*, vt docet Cyrillus, & *naturali participatione*, vt probat Hilarius, ac *reipsa & corporaliter*, vt ostendit Chrysostomus, idemque Cyrillus libro 10. cap. 13. in Ioann. Hæc pro veritate corporis & sanguinis Christi in hoc venerabili Sacramento dici possunt.

Ser. 6. de Orat. Do. De Sacr. li. 5. c. 4.

In Ioan. li. 4. c. 17.

Li. 11. c. 26 & 27. in Ioan.

Li. 8. de Trin.

Ho. 45. in Ioan.

A

De adoratione venerabilis Eucharistiæ.

B

Hæreticorum execrabile mendaciũ.

POstulat hæreticorum hodie execranda impietas contra venerabile hoc Sacramentum, & immanis blasphemia contra hodiernam solennitatem, qua idololatricum cultum à nobis hodie committi blasphemant, vt de pia ac legitima vener. Eucharistiæ adoratione populus graviter moneatur & accuratè doceatur. Quo in loco illud ante omnia monendus populus, execrabile hæreticorum mendacium esse, quod Romana Ecclesia docet suos adorare panẽ. Quod enim illa adorat suosque adorare docet, credit esse corpus Christi non panem: in qua sua fide si fortè deciperetur, adoraret quidem per errorem panem pro Christo, sed tamen non doceret adorandum esse panem. Deinde docendus populus, incredibile esse, quod Ecclesia Christi tot gentium & tot sæculorum sic errauerit, vt panis idolũ coluerit. Ratio est, quia per aduentum Christi omnia idola gentium, etiam inter ipsos gentiles per quos Apostoli transierunt, sublata erant iuxta Prophetas, Esaiam, Ieremiam, Ezechielem, Micheam, Zachariam, & de facto sic ostendunt scriptores primorum sæculorum, Tertullianus in Apologetico, Eusebius Pamphili de præparat. Euangelica lib. 11. Chrysostomus in orat. contra Gentes. Theodoretus de curat. Græcarum affectionum lib. 10. Nicephorus hist. Eccles. lib. 1. cap. 17. Tertio docendus populus nihil obstare, quod adoretur Eucharistia, etsi ad manducandum fuerit instituta, non ad adorandum, quod in aliis Euangeliis supra explicuimus. Quarto docendus populus hanc adorationem huius Venerabilis Sacramenti etiam in Scripturis esse prædictam, vt sic hæreticorum impietas & cæcitas clarius eluceſcat. In illo psalmo quem ad Christum pertinere Christus ipse asseruit, proferens eius initium in cruce, *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* sic de hoc Sacramento legimus. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes & saturabuntur, laudabunt Dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in sæculum sæculi. Adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.* Et paulo post, *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Sic hæc verba exponunt patres, *Vota mea reddam, id est* (ait Hieronymus) *Mysterium corporis & sanguinis mei offeram, cum his qui in eius timore hoc celebrant.* Sic & Augustin. *quæ sunt vota tua? Sacrificium quod obtulit Deo. Nostis quale sacrificium. Norunt fideles quæ vota reddit coram timentibus eum.* Sic ille de hoc mysterio propter astãtes concioni catechumenos, idque more veteris Ecclesiæ, vt alibi docuimus. Sed apertius Beda, qui temporibus vixit magis Christianis, *Vota quæ feci cum meipsum in ara crucis obtuli, illa reddam in Ecclesia magna, id est, iterum per quotidiana sacrificia meorum in sacramentis offeram.* Christo igitur vota sua per ministros suos in altari offerente (ipse *enim est qui nunc operatur, ipse qui perficit, ipse qui sanctificat & transmutat*, (ait Chrysostomus) fideles id faciunt quod propheta subiungit, *Adorant in conspectu eius. Manducant & adorant.* Sic Augustinus, *Manducauerunt* (inquit) *corpus humilitatis Domini sui diuites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt.* Et alibi apertius, *Venerunt etiam diuites terræ ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantum non etiam saturantur, quia non imitantur.* Quo etiam in loco verba illa, *vota mea reddam*, clarius expositit his verbis, *Vota sua Dominus vult sacrificium corporis sui intelligi. Ideo subiungit, Edent pauperes, &c.* Sic denique hunc psalmi locum exposuerunt, Arnobius, Basilius, Theodoretus. Rursum ex alio psalmo, *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, colligit post Ambrosium Augustinus Christum carnem in hoc sacramento adorari, *Per scabellum*, inquit Ambrosius: *terra intelligitur, per terram autem caro Christi quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.* Augustinus in hæc verba, *Suscepit Christus de terra terram, de carne Mariæ carnem. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat nisi prius adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, vt non solum non peccemus adorando, sed etiam peccemus non adorando.* Hæc ille. Iam vero Apostolus ipse hanc adorationem huius Sacramenti docuit, quum diceret: *Iudicium sibi quosdam manducare non diiudicantes corpus Domini.* Hoc enim ideo dixit, quia Corinthii non quidem scelerum consci-

2. *Idololatria in Eccl. Christiana impossibilis.* *Esa. 2. Ierem. 50. Ezech. 30. Mich. 1.*

3. *Zach. 13.*

In festo Epiph. & Dom. 23. post Pent.

4. *Adoratio Eucharist. prædicta.* *Psal. 21.* *In comm. in psal. 21.* *Enarr. in psal. 21.* *In Apologia recentioris Eccl.* *Ibidem in comment.* *Hom. 83. in Matt.* *Enarr. in psal. 21.* *Epist. 120. ca. 27.* *In comm. Li. 3. c. 12. de Spir. S.* *Enarr. in psal. 98.*

1. Cor. 11.

C

D

A conscii,sed irreuerenter accedebant,& quia (ait Augustinus) *hoc non discernebant à cæteris cibis veneratione singulariter debita.* Nempe quod cum epulis accedebant,quod non ieiuni,quod ad pompam ac denique ad luxum accedebant. Diiudicatur corpus Domini dupliciter in hoc Sacramento,id est,ex parte gratiæ & effectus quem inde consequimur. Ad hoc requiritur,*vt probet seipsum omnis homo ne accedat indignè*,2. ex parte rei ipsius seu sacramenti:de quo Ambrosius in hūc locum, *Qui digne hoc mysterium accipit,iudicare debet quod ipse est Dominus, cuius sanguinem in mysterio bibit.* Sic & Chrysostomus respectum hunc ex parte rei tractans, *Non diiudicans* (inquit) *corpus Domini,id est,non inuestigans,non considerans,vt oportet magnitudinem propositorum,non reputans muneris magnitudinem. Si enim didiceris diligenter qui sit propositus,& quis cui seipsum exhibet,nullius alterius indigebis ratione,sed hoc tibi ad omnem sobrietatem sufficiet,nisi sis omnium ignauissimus.* Apostolus ergo docens eos iudicium sibi manducare qui non diiudicant corpus Domini, docet eos grauissimè peccare qui debita cum veneratione non accedunt. Hæc autem debita veneratio, vt alia multa requirit,sic etiam adorationem externam,cōsiderata præsentis Christi maiestate. Quæ ex Apostolo & patribus collectio ne cuipiam malè catholico aliena aut extorta videatur, Lutheranum doctorem hic proferemus,qui cum suo Magistro realem præsentiam agnoscens, etiam ex hac Apostoli doctrina venerationem externam confirmat. Is est Martinus Chemnitius in hæc ver-
B ba scribens,*Ad veram confessionem pertinet,vt fidem,deuotionem,celebrationem publicè quoque testemur,& voce & aliis externis significationibus,quibus ostendamus quid de huius Cœnæ substātia & fructu sentiamus: qua animi reuerentia & deuotione accedamus,qualem ibi cibum nos credamus accipere. Tali externa confessione seiungimus nos à Sacramentariis & Epicureis* (nos quoque catholici multo magis) *horum mysteriorum contemptoribus:excitamus alios ad reuerentiam,ne qua detur occasio, vel simplicibus ad profanas cogitationes, vel porcis ad conculcanda hæc mysteria. Externa enim irreuerentia signum & profanæ mentis, & non diiudicantis corpus Domini,quod dicebat Paulus de quibusdam, quia id in Cœna Dominica non maiori reuerentia tractabant quàm vulgares concœnationes.* Hæc ille Lutheranorum hodie facilè princeps. Sic ergo ex ipsis Scripturis huius venerabilis Sacramenti externam adorationem didicimus.

Epist. 118. Duplex diiudicatio corporis Domini. 1.Cor.11. In comm. ibid. In comm. hom.28. Lutherani ad orationem Euch. ex Script. probari agnoscunt. In exam. Cōc.Trid. par.2.

Sed multo clarius ex veteri Christianorum more ac religione illud perspeximus: quod populo fideli diligenter explicandum est, vt intelligant non posteriorum horum sæculorum (vt garriunt hæretici) sed antiquissimæ ac primitiuæ Ecclesiæ hanc pietatem, hunc sensum fuisse, vt in his tremendis mysteriis Christum præsentem adorarent. Dionysius Areopagita D. Pauli discipulus diuinum hoc Sacramentum his verbis inuocat. *Sed ô diuinum penitus sanctumque mysterium obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens,nobis palam atque aperte lucesce, nostrosque spirituales oculos singulari & aperto lucis tuæ fulgore imple.* Hæc ille. Qui inuocat diuinū hoc
C sacramentum,procul dubio adorauit illud,quum maxima adorationis pars sit inuocatio, adeoque plus sit inuocare quàm adorare. D. Gregorius Nazianzenus, Theologus nuncupatus, simili inuocatione vsus est,sic loquens. *Sed ô pascha magnum & sanctum pascha, nostris necessitatibus opem fer:* vt ad illum Dionysij locum commemorat Græcus Paraphrastes Pachymeres. Porro & de sorore sua Gorgonia idem Nazianzenus refert,quod ægritudine graui laborans, ad hoc Sacramentum confugerit, *Ante altare* (inquit) *cum fide procubuit,ac illum qui super illud adoratur*, Τον ἐπάνω τῶ πμῶμενον ἀναχαλᾶμενη, *magna voce inclamans, eique miracula cuncta quæ olim fecerat in memoriam reuocans,tandem impudentia quadam pia imitata illam quæ per fimbriæ tactum à fluxu sanguinis est sanata,super altare caput inclinat,& cum lachrymarum profluuio opem implorat,moxque vbi manus ex venerando corporis & sanguinis Christi antitypo aliquid recondiderat*, εκ τῦ τπῶν ἀντιτύπων τ πμίᾶ σώματος ἢ χειρὲ ἐκαυρησε, *hoc miscens lachrymis discessit,& (ô miraculum) confestim corporis salutem adepta est.* Hæc ille ex adoratione & contactu huius Sacramenti (quod Græcorum more antitypum vocat) sororis sanitatem recuperatam demonstrans. Hunc perpetuum & antiquissimum Christianorum morē, an-
D tiquissimus Origenes his verbis attestatur, *Quando sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando manducas & bibis corpus & sanguinem Domini,tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians teipsum imitare hunc Centurionem,& dicito,Domine nō sum dignus,vt intres sub tectū meum.* Hæc ille,morem catholicorum præsentem ante sæcula iam quatuordecim exprimens. Sed omnium apertissimè & copiosissimè hanc Christianorum adorationem tradit docetque S. Chrysostomus:cuius verba produximus suprà in die Epiphaniæ. Porro non à fideli tantum populo, sed & ab ipsis angelis adorari,hoc mysterium consecrationis & oblationis tēpore idem docet Chrysostomus, *Per id* (inquit) *tempus & angeli sacerdoti assident,& cælestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet,vel ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur.* Hæc ille. Cuius collectionem illud Apostoli confirmat, *Mulieres in Ecclesia velatas esse oportere,etiam propter Angelos.* Si enim communi orationi fidelium angeli intersint (vt hic Apostolus docet) quanto frequentius in illa sacratissima hora adesse putandum est? Vnde Ambrosius, *Non dubites assistere angelum quando Christus assistit,Christus immolatur,adolentibus nobis altaria, &c.* Certè Chrysostomus eodem in loco visionem sancti viri commemorat,qui circa oblationem mysteriorum, *vidit Angelorum multitudinem altare circundantem,& capite inclinatos,ac si milites præsente rege starent:quod* (inquit) *verū esse mihi ipsi persuadeo.* Hanc populi Christiani adorationem solennem Eusebius Emissenus Augustino contemporaneus his verbis testatur, *Cum ad reuerendum altare,* salutari cibo potuque, *reficiendus accedis, sa-*

Vetustissima Eccles. Christū in Eucharist. adorauit. Eccl. Hier. c.3. par.3. 1.Cor.11. Lib.1.in Lucam. Hom.5.de Pascha. Orat.in funere sororis Gorgoniæ. Hom 5. in diuersos Euāg.locos Ho.24. in 1 ad Cor. Li.6. de sacerdotio.

crum Dei tui Corpus & Sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge cordis manu suscipe, & maximè hausto interiore assume. Sed & in eadem homilia, hoc Sacramentum non solum ad cibum, sed A
Ibidem. etiam ad cultum relictum à Christo fuisse perspicuè docet, *Quia* (inquit) *corpus assumptum Christus ablaturus erat ex oculis nostris & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum Corp. & Sang. sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium, & perennis victima semper viueret in memoria, & semper esset in gratia.* Hæc ille. Sic nobilis author græcus
Li. 4. c. 14. de fide Orthodoxa S. Damascenus dum fidem orthodoxam docet, fideles monet, *Cum omni* (ait) *timore & conscientia pura & indubitata fide accedamus, & omnino fiet nobis quod credimus: Et veneremur ipsum omni puritate corporis & animi. Accedamus autem in desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes*, (vide adorationis græcanicæ formam à Iudæis acceptam) *Crucifixi corpus suscipiamus.* Hæc ille. Theodore-
Dialog. 3. tus ex hac Sacramenti receptissima adoratione probat contra Nestorianum totum Christũ esse adorandum, *Non solius* (inquit) *hominis corpus, sed Domini nostri Iesu Christi vnigeniti filij Dei corpus salutem nobis procurauit. Sin autem id tibi paruum & vile putatur, quomodo eius typum ac figuram venerabilem & salutarem existimas? Cuius enim typus adorandus & venerandus, ταῦτόσημός τε καὶ σεβάσμιος, quemadmodum est ipsum exemplar ἀρχέτυπον, vile & aspernandum?* Hæc ille probans Christum totum venerandum esse, Deum & hominem, nec diuidi oportere, quia Sacramentum Corporis & Sang. B
eius, quod typum ac figuram propter externas species vocat, venerandum & salutare est. Hæc antiquitatis testimonia (quibus Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Arnobium, Bedam suprà citatos adiunge) sufficere possunt, ad catholicorum hodie deuotionem solide confirmandam, & ad hæreticorum impietatem perspicuè refutandam.

De venerabilis Sacramenti deportatione in processionibus publicis.

POstulat hodierna solennitas, à catholicis quidem summa pietate ac religione obseruata: ab hæreticis vero etiam iis qui reali Corporis & Sanguinis Christi præsentia agnita, eius quoq; adorationem in ipso vsu ac sumptione agnoscunt, acerrimè reprehensa & horrendæ idololatriæ condemnata: vt certas eius ac firmas rationes populus intelligat. Ac primum quidem suf-
Princip. fid. li. 6. & 8. ficere debebat homini sobriè Christiano Ecclesiæ catholicæ vniuersalis consuetudo ante annos 300. recepta, & à sede Apostolica sedente Vrbano 4. præscripta: iuxta ea quæ alibi disputauimus ex Scripturis de Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ in rebus ad religionem pertinentibus decernendis firmitate infallibili. Si enim ea quæ tribus totis sæculis concordi sensu circa diuinum C
cultum vbique & semper ab omnibus obseruata sunt, ea impietatem & blasphemiam contra
Dom. SS. Trinit. & Do. 4. post Pascha. 2. Deum continerent, profecto mendax esset Christus in illis verbis, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*: Et rursum in illis, *Cum venerit Spiritus sanctus ille docebit vos omnem veritatem.* Quæ verba Christi in hoc opere latius tractauimus. Deinde etsi festum hoc Corporis Christi non nisi ab annis 300. institutum fuerit, tamen processiones publicæ, in quibus venerandum hoc Sacramentum circunferebatur, honoris & adorationis causa, etiam ante mille annos in vsu fuerunt. Locupletissimum huius rei testimonium est, Braccarensis Concilii de-
Braccar. Syn. 3. Can. 5. Circungestatio venerab. Sacramenti. cretum anno Domini 654. in quo quendam quorundam Episcoporum circa hanc ceremoniam abusum, illi patres corrigunt his verbis, *Bonares est diuina sacerdotibus contrectare mysteria. Sed cauendum ne hoc ad suæ quisque prauitatis vsum detorqueat, vnde soli Deo bona conscientia placere debuerat. Vt enim detestanda quorundam Episcoporum præsumptio nostro se cœtui intulit dirimenda, quosdam ex iis agnouimus in solennitatibus Martyrum progressuros, reliquias collo suo imponere* (non Martyrum reliquias, quas suprà vocant *diuina mysteria*, & ex vsu veteris Ecclesiæ, Eucharistia, *sacrificij reliquiæ seu residuum* vocari solebat) *vt maioris apud homines fastus gloria intumescant, & quasi ipsi sint reliquiarum arca, Leuitæ albis induti in sellulis eos deportant. Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet,* D
ne sub sanctitatis specie simulata, vanitas sola præualeat, si modum cuiusque ordinis suum reuerentia non agnoscat. Et ideo antiqua hac in parte solennisque consuetudo seruabitur (vbi obserua quod etiam eo tunc tempore *antiqua* hæc erat *& solennis consuetudo*) *vt in festis quibusque diebus Arcam Domini cum reliquiis, non Episcopi, sed Leuitæ in humeris gestent. Quod si Episcopus reliquias per se deportare elegerit, non à Diaconis ipse vehatur in sella, sed eo potius vna cum populo pedestri progressione ad conuenticula sanctorum Ecclesiarum progrediente, Sanctæ Dei reliquiæ* (quo nomine reliquiæ sanctorum nunquam vocantur, sicut nec *Arca Domini*, vt suprà) *per eundem Episcopum portabuntur.* Hæc ibi: de hac etiam solenni gestatione vener. Sacramenti eiusdem temporis scriptor Gregorius Turonensis diser-
In lib. de gloria Mart. c. 26 tè meminit, vt Galliæ & Hispaniæ vetus consuetudo ex his appareat. Certè quum apud Græcos consuetudo esset, per totam Quadragesimam non nisi Dominicis & Sabbatis consecrare
Conc. Laod. can. 49. mysteria (vt ex concilio Laodiceno patet manifestè) ideoque aliis diebus non nisi de præsanctificatis sacrum fieret, vt Synodus generalis in Trullo disertè explicat, illa præsanctificata, id-
Syn. Trull. can. 52. est, mysteria prius consecrata & asseruata quum ex sacro armario ad altare deportarentur, magna procedebatur cum veneratione procũbente populo in adorationem, luminariaq, ac suffitus antecedebant, quemadmodum Nicolaus Cabasila author Græcus latè describit, in suis ad hãc
Cap. 24. Synodũ scholiis. Deniq; quum Sanctorum Martyrum reliquiæ magna cum solẽnitate ab ipsis Episcopis deferri solerent, vt clarè patet ex D. Augustino, qui narrat Lucillũ Episcopũ populo

præcedente

A præcedente ac sequente memoriam S.Stephani solenniter gestasse, eaque gestatione sanatum fuisse, dubitari non debet venerandum hoc Sacramentum non minus honorificè (vbi occasio tulit) circungestatum fuisse. *De ciuit. Dei l.2.c.8*

His accedit honor & veneratio huius Sacramenti figuræ ac typo in veteri testamento exhibita, Arcæ videlicet & quæ in ea continebantur. Hæc enim solenniter circunducta circa Hierichontis muros, ciuitatem subuertit. Et istud quidem ex Dei præcepto fiebat, sed quod in castris contra Philisthæos circũferebatur, nullo Dei præcepto, sed ex pio populi desiderio fiebat. Neque hoc exemplum propositio nostro contradicit, quia capta tunc fuit Arca Dei, & per hostes religionis abducta, vt hæretici hic cauillantur, tum quia non ipsa eius circungestatio huius calamitatis causa fuit, sed sacerdotum impietas qui gestabant, Ophni & Phinees, tum etiam quia maiori postea cum gloria eadem Arca apud hostes religionis custodita ac demum restituta fuit, vt sacra historia demonstrat. Sed & Dauid rex absque vllo Dei præcepto hanc Dei Arcam ex domo Obededom in suam deduxit, maxima cum solennitate, *in canticis & citharis, variisque instrumentis musicis*, ipso quoque Dauide *totis viribus saltante ac tripudiante coram Domino*. Et Dauid quidem vt hoc faceret, tantumque honoris Arcæ Domini deferret, ex duobus metitur. Primum ex comparatione cum apparatu regio, quod Dei dignitas omnes post se reges longo
B interuallo relinquat. Sic enim postea ad Nathan dixit, *Vides ne quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium?* Deinde ex consideratione beneficiorum Dei: tum quia vidit quod Dominus benedixerat domui Obededom Gethæi propter Arcam quæ in ea habitauit, tum etiam quia rex à Deo constitutus fuerat, reprobato Saul: de quo sic ad Michol loquutus est, *Ludam ante Dominum qui elegit me potius quàm patrem tuum & quàm omnem domum eius, vt essem dux super populum Domini, &c.* Tales considerationes Ecclesiam mouerunt, vt huic diuinissimo Sacramento omne honoris genus deferrent: tum propter rei subiectæ dignitatem maximam, tum propter beneficiorum Dei commemorationem: ob quam etiam hoc mysterium institutum fuit: dicente Christo, *Hoc facite in meam commemorationem*. Neque vero sequitur, quia hoc sacramentum dum offertur & manducatur, in Christi commemorationem adhibetur: ergo quum publicè circungestatur, & adoratur, ad talem commemorationem applicari non debet, vel non potest. Neque enim principalis institutio ad certum finem, alia media ad eundem finem consequendum, vel prohibet semper vt illicita, vel excludit vt impossibilia. Mors Domini commemoratur, non solum quum manducatur corpus & bibitur Sanguis Christi, sed etiam quum verbo prædicationis eadem annunciatur & explicatur, & quum *in baptismo, Christo com-*
C *morimur, & consepelimur*. Vt ergo extra Sacramentum hoc per baptismum & per prædicationis medium mortis Domini fit commemoratio, ita etiam in Sacramento ipso per eius circunstantias omnes non per solam sumptionem mors Christi annuntiatur. Neque vel Christus quum dixit, *hoc facite in meam commemorationem*, vel Paulus quum dixit, *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, per solam præcisè sumptionem Sacramenti id docent fieri, sed illis verbis totam actionem liturgicam comprehenderunt, consecrationem, oblationem, eleuationem seu ostensionem, ipsiusque populi adorationem & inuocationem. Omnia enim ista pertinent ad mortem Domini in hoc Sacramento commemorandam. Consimiliter & solennis ista circungestatio. Excitat enim hæc publica pompa, & processio animos fidelium ad maiorem Passionis Dominicæ in hoc Sacramento venerationem, recordationem, gratiarum actionem, & sanctam imitationem. Sed sunt noui Micholitæ, qui hanc populi deuotionem coram hac Arca Domini, in quibus non manna vetus, sed Christus ipse præsens adest, muliebriter derident. Sunt noui Israelitæ, qui splendorem & magnificentiam harum processionum inanes esse sumptus clamitant. Quibus illud Tertulliani responderi debet, *Pietas est pro pietate sumptus facere*. Item illud Ambrosij de facto Helenæ, circa crucem
D Domini & clauos, *Non est insolentia ista, sed pietas quod defertur redemptioni*. Sed vt ad figuram veteris testamenti, Arcæ deportationem redeamus, illud contra hæreticos hoc loco valet plurimũ, si moneatur populus, ipsos hæreticos in causa multo grauiori hoc argumenti genere penè solo certè præcipuè vsos fuisse. Baptismum paruulorum nulla scriptura præcipit, sed vero prohibere potius videtur, quum non nisi credentes baptizari iubeat, credere autem paruuli per ætatem nequeant. Caluinus & alii horum temporum hæretici, quia Scripturæ præcepto vel exemplo penitus carent, nec tamen Ecclesiæ traditionem in baptizandis paruulis agnoscere volunt, ne rem tam necessariam sola traditione niti fateantur, ex Circuncisione quæ figura erat baptismi, & quæ in paruulis octauo post partum die fiebat, paruulorum baptismum necessario & firmo argumento se colligere asseuerant. Hinc Caluinus, *Constituere* (inquit) *licet quicquid circuncisioni conuenit ad baptismum simul pertinere, excepta visibilis ceremoniæ differentia*. Sic ille. Atqui manna verum fuisse typum panis huius cælestis, tota Christi disputatio Ioan.6.cap. manifestum facit. Arca fœderis, in qua Manna seruabatur, siue sacramenti ipsius siue ciborii in quo reconditur verum Manna expressissima figura est. Constituere igitur licet quicquid Arcæ & Mannæ conueniebat, ad hoc sacramentum simul pertinere, excepta visibilis ceremoniæ differentia: quia (vt Augustinus) *Spiritualem escam eandem manducauerunt veteres, corporalem alteram. Nam illi manna, nos aliud*. Illa autem per Dauidem absque Dei præcepto, Deo tamen approbante, & ridentem Michol sterilitate percutiente, circunferebatur quasi in triumpho honorificè.

Iosue c.6. *1.Reg.4.* *Obiectionis remotio 1.* *2.* *2.Reg.6.* *Duæ causæ honorandi Arcam.* *2.Reg.7.* *2.Reg.6. & 7.* *Eadẽ causæ venerãdi Eucharistiam.* *Obiectionis refutatio.* *Rom.8.* *Matt.26.* *1.Cor.11.* *Noui Micholitæ.* *In Apolo. c.1.39.* *In obitu Theodosii.* *Argumẽtum ex figura validum.* *Marci vlt.* *Inst.li.4. c.16.n.4.* *Tract.26. in Ioan.*

Et ergo Sacramentum per Ecclesiam absque Dei præcepto, Deo tamen approbante & irridẽtes hæreticos seuere puniente, in triumpho honorificè deferri potest. A

Hæreticorum contra hæreticos testimonia.

Atque vt hæreticorum armis hæreticos ipsos magis opprimamus, quæ ipsi contra suos hac in re disputarunt, proferemus. Hæreticorum enim de hoc venerabili Sacramento quum diuersæ fuerint sententiæ, circa cultum quoque eius diuersè senserunt, aliosque aliter sentientes acriter taxarunt. Hussitæ sic præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in hoc sacramento agnouerunt, vt etiam hodiernam ceremoniam diligenter obseruarint, & in publicis processionibus honorificè Sacramentum more catholico detulerint. Lutherani sic eãdem præsentiam agnoscunt, vt festum quidem hodiernum studiosè celebrent, à publica tamen processione abstinendum putent, eamque condemnent. Sacramentarii & Caluinistæ, vt præsentiam negant, ita neutrum ferunt. Quibus ergo verbis, Hussitæ, Lutheranos, & Lutherani Sacramentarios refutarunt, eisdem & à nobis refutari possunt. M. Ioannes Rotecsana Hussita Bohemus, sic contra sui temporis vel sacramentarios vel companatores scribit, *Omnes sacerdotes & clerici cæteri debent suas orationes & psalmodias frequentare in præsentia, vbi est Corpus Christi, Rex & Dominus omnis creaturæ, vbi angelorum frequentia. Vnde grauiter peccant & duriter arguentur, qui ad hoc deificum corpus in hoc Sacramento leuiter se habent, & Domini Dei sui ibi verè existentis obliuiscuntur.* Et paulo post, *Vnde nosci tur error inaniter & fatuè irridentium accensionem luminum coram Domini corpore in Sacramento, ac dicentium Deum lucem esse nec egere lumine. Nam & in veteri lege, Domini* B *quoque mandato, lumina, lucernæ, candelabra coram panibus propositionis, qui figura tantum erant Corporis Dominici, in sanctuario dispositæ exardebant, multo decentius idem in tanti sacramenti præsentia fieri.* Hæc ille contra eos qui hoc Sacramentum extra vsum & sumptionem ipsam nullo honore affici volunt, vt hodie Lutherani. Nunc Chemnitium Lutheranum audiamus pro ipsa festi hodierni celebratione contra Sacramentarios, *Sicut* (inquit) *ordinis gratia totus annus distributus est in certa quædam festa, quæ vtiliter ad ædificationem apud nos seruantur, vt scilicet præcipui articuli fidei ordine aliquo populo per annum proponi, repeti & contra quas uis corruptelas retineri possint, vtque fideles moneantur & excitentur ad considerandα beneficia Dei, &c. Ita nulli piorum improbaretur, si præterquam quod semper omnibus diebus illud fieri debet, ordinis gratia, certo anni tempore Ecclesia frequentius conueniret, & in illo conuentu doctrina de Cœna Domini iusta tractatione simpliciter & clarè proponeretur, omnes corruptelæ puritatem illius doctrinæ contaminantes refutarentur: admonerentur homines, quantum thesaurum Christus Ecclesiæ in testamento suo legarit, pro beneficiis illis quæ Cœna Dominica exhibet, & confert, Christo Saluatori gratiæ in Ecclesia magna agerentur, taxata negligentia incitarentur homines ad crebriorem Eucharistiæ vsum per totum annum. Hoc modo Ecclesia verè tanquam victrix, de mendacio & hæresi publicum quasi triumphum ageret. Et si hæc esset ratio huius festi, petulantia quædam esset celebrationem eius odiosè exa-* C *gitare.* Hæc ille. Quare in ipso & aliis tam Lutheranis quàm Sacramentariis petulantiam esse asseueramus, quod tantopere festum hoc infectentur, quum non alias causas Vrbanus papa aut vllus catholicus proponat, quam quas ipse allegat. Tantum discrepamus, quod in festo ea fiunt quibus illorum hæreses percelluntur, sed ideo à nobis adhibentur vt percellantur, quum eò festum pertineat, vt publico triumpho hæreses profligentur. Istæ videlicet, Christum à Sacramento abesse quod aiunt Caluinistæ. Christum in solo vsu præsentem esse, quod affirmant Lutherani. Duplicem speciem esse necessariam, quod vtrique sustinent. Eucharistiam denique non esse adorandam, quod Sacramentarii docent. Has nostri temporis hæreses hodierna solennitas quasi in triumpho captiuas ducit, fidemque catholicam & orthodoxam ad Christi gloriam & ad tanti beneficii gratam recordationem illustri ceremonia confirmat.

Cochlæus in historia Hussitarũ.

In examine Cõc. Trid. par. 2.

IN DIE SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ.

D

Luc. 1. *Ioannes est nomen eius.*

De impositione nominum in baptismo.

LOCVS ostendendi nominum impositionem, vt olim in Circunciſione, sic hodie in baptismo, certa & sancta religione fieri, eaque imponi nomina quæ vel futuram excellentiam diuinitus notant, vt hic in S. Ioanne, cuius nomen Dei gratiam significat, & in nostro Saluatore Iesu (vt in die Circunciſionis ostendimus) vel ad futuram pietatem atque virtutem excitent. Quam ob causam Ecclesia catholica Euangelii exemplum diligenter imitata, curauit suorum liberis non nisi Sanctorum vel Apostolorum, vel Martyrum nomina imponi, idque duplici ex causa. Vna erat, vt nominis similitudine ad virtutis, & sanctitatis imitationem excitarentur. Altera, vt cuius nomen quis præfert, eum sibi patronum & aduocatum apud Deum inuocet. Priorem causam Dionysius Alexandrinus antiquissimæ Ecclesiæ testis luculentus his verbis commemorat, simulque primorum Chri-

stianorum

A stianorum morem quem diximus atteſtatur, *Ioannis* (inquit) *Apoſtoli multos fuiſſe gentiles arbitror, qui propter ſingularem amorem quo erga illum affecti erant, propter admirationem quam de eo habebant, & propter æmulationem qua ad illum imitandum flagrabant, & quod à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam iſtam appellationem amplexi ſunt. Quemadmodum nomina Petri & Pauli fidelium liberi crebro ferunt.* Hæc apud Euſebium Dionyſius. Poſteriorem conſiderationem & cauſam Theodoretus peruetuſtus & doctiſſimus ſcriptor his verbis atteſtatur, *Philoſophi* (inquit) *præclarique Oratores obliuioni iã dati ſunt. Imperatorum vero ac magnorum ducum ne nomina quidem multi hodie norunt. Cum tamen Martyrum nomina, magis quàm familiarium cuncti mortales ſciant. Quin etiam naſcentibus filiis ea imponi curant, ita cuſtodiam illis tutelamque certiſsimam comparantes.* Hæc ille. Hæc fides, hæc religio, hæc pietas veterum Chriſtianorum fuit ab ipſis Eccleſiæ cunabulis ad nos vſque deriuata, vt primum Apoſtolorum, deinde & Sanctorum martyrum nomina fidelium liberis iam naſcentibus imponerentur, non tantum ad imitationem excitandam (quod ipſi fortaſſe hæretici non admodum negabunt) ſed etiam ad cuſtodiam atque tutelam, vt patronos & interceſſores habeãt, quorum nomina gerunt, *Sunt enim Sancti Martyres* (vt eodem in libro ſcribit Theodoretus) *verè hominum duces, principes, propugnatores, cuſtodes, per quos à nobis infortunia auertuntur, proculque arcentur quæ à dæmonibus inferuntur mala.* Hoc genere pietatis moti veteres Chriſtiani eos Sanctos præ
B cæteris colebant, eorum virtutes admirabantur, quorũ in baptiſmo nomina acceptabant. Sic Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus vitam ſcripſit Sancti Ioannis Damaſceni, quæ extat in noua Damaſceni verſione per Abbatem Billium. Sic Gregorius præsbyter vitam ſcripſit Sancti Gregorij Nazianzeni, quæ extat apud Surium. Vterque nominis conſortio permotus Diuus Chryſoſtomus reprehendit eos parentes, qui *cum filio nomen imponendum eſt, omiſſa ſanctorum appellatione, quemadmodum maiores noſtri primum faciebant, eius nomine filium appellant, quem diutius vixiſſe animaduerterunt, vnde & eum diuturnius victurum coniectantur.* Hæc ille iuxta Græcam veritatem. Eſt hoc igitur contra hæreticos hoc loco obſeruandum, qui vt à catholicorum pietate ſeſe in omnibus alieniſſimos oſtendant, ſuorum liberis, ex veteri potius teſtamento & Synagoga Iudaica nomina accipiunt, quàm ex nouo & ex Eccleſia Chriſtiana: vt videlicet quia veteris teſtamenti patres & prophetas Eccleſia Chriſti colere aut inuocare non ſolet aut certè parciſſimè id facit, idcirco eorum nominibus filios ſuos potius inſigniant, ne vllam eos ſpecialiter inuocandi occaſionem accipiant more catholico. Apoſtolorum enim & Sanctorum Martyrum feſta colit Eccleſia, Patriarcharum & Prophetarum non colit. Prouocantur autem fideles in feſto Sancti cuius nomen gerunt, & eius exempla diligentius attendere, & eius patrocinium
C ardentius expetere, ac denique Deum in illo Sancto feruentius colere. Hæretici vero vt ab hac religione ſuos quàm longiſſimè arceant, & ne vel per accidens Sanctos Dei colant, quoduis potius nomen etiam ethnicum interdum, barbarum & inſolens, infantibus ſuis imponi volent, quàm vel Apoſtoli vel Sancti cuiuſquam Martyris. Sic innumeros nunc habemus Abrahamos, Iſaacos, Adamos, Tobias, Noacos, & in altero ſexu, Penelopes, Sibyllas, Dianas, & neſcio quos alios: vt vel Iudaico vel gentilitio ſpiritu ſe duci iſti homines oſtendant potius quam Chriſtiano nedum catholico. Porro de Sanctorum inuocatione & patrociniis, tum aliqua ſuprà diximus, tum plura poſtea dicentur, in feſto omnium Sanctorum loco proprio.

Apud Euſebium hiſt. Eccl. lib. 7. ca. 20.

Lib. 8. de curat. Græc. affec.

Ibidem.

Hom. 12. in 1. Cor.

Quis putas puer iſte erit?

LOcus excurrendi in laudes Sanctiſſimi præcurſoris & Baptiſtæ Chriſti, vitàmque eius eremiticam, auſteram, rigidam, contra molles & delicatos & carnales horum temporum hæreticos plenius explicandi, ſimulque quæ in huius auſteræ vitæ laudem Chriſtus ipſe pe-
D rorare dignatus eſt, in hunc locum conferendi, & contra varias hæreticorum cauillationes de vita eius eremitica, de victu & veſtitu aſpero, (quæ omnia eludere illi plurimum ſatagerunt) diligenter defendendi. Illa omnia ſuprà confecta habes in Euangelium Dominicæ 1. Aduentus.

Dom. 5. poſt Paſcha & in die SS. Philippi & Iacobi

IN DIE SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

Matt.16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

De Primatu Petri in scripturis fundato



LOCVS illustris, proprius, & necessarius D. Petri principis Apostolorum supremam in terris dignitatem & potestatem verbo Dei perspicuo stabilitam, contra nefarios & rebelles horum temporum hæreticos solidè & perspicuè explicandi. Primum igitur causa & occasio horum Christi verborum aperienda est. Christus hoc loco, accepta confessione Petri nobilissima, qua dixit, & primus mortalium dixit, & solus ex Apostolis dixit, & ex speciali reuelatione dixit, *Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*, eaque collaudata, quod non B

Occasio verborum Christi ad Petrum.

caro & sanguis, sed pater cælestis eam ipsi reuelauerat, volens huius confessionis amplam mercedem dare, & eum ædificandæ fidei primarium pastorem constituere, qui fidem ipsumque fidei nostræ fundamentum (*Christum filium Dei incarnatum*) primus & à Deo accepit & palam confessus est, dicit Petro, *Et ego dico tibi, tu es Petrus, &c.* id est, mercedis loco ei retribuit eam prærogatiuam quam verba sequentia complectuntur. Sic omnes in hunc locum veteres interpretes annotauerunt, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Hilarius, Hieronymus, in suis ad hunc locum commentariis. Et Chrysostomus diligenter docet duo hic fuisse Petro data. Vnum patris donum, reuelationem incarnati verbi. Alterum proprium filii donum, *vt sit Ecclesiæ Petra.* De quo dono honorifico imprimis sic alio in loco Hilarius, *Petrus vltra humanæ infirmitatis modum supereminentem beatæ suæ fidei confessione gloriam promeruit.* Sic etiam & Cyrillus Alexandrinus, Græcus, *Si B. Petrus tam nobiles honores consequutus est, filium Dei viuentis illum confessus, &c.* Causa igitur & occasio horum Christi verborum hæc est, vt Petri confessionem certo honore remuneret. Hinc sequitur sequentia verba necessario ad ipsam Petri personam pertinere debere, non ad fidem eius secluſa persona, & multo minus ad Christum ipsum, vt aliqui erranter docuerunt. Ad quod melius intelligendum (quia futuræ C explicationis fundamentum est,) obseruandæ adhuc aliæ verborum Christi circunstantiæ. Primo iubet Petrum & alios omnes aduertere quis ei loquatur, sic præfatus, *Et ego dico tibi.* Deinde eum nouo nomine hic primum compellat dicens: *Tu es Petrus.* Quæ circunstantia magni ponderis est. Nam antea promiserat quidem Christus hoc illi nouum nomen, primo ipso die quo Petrus ad eum venit, dicens, *Simon, tu vocaberis Cepha*, id est, Petrus. Nam idem prorsus vtrumque valet, quum Petra Chaldaicè Cepha dicatur. Hoc quoque nomen ei antea impositerat, vt est apud Marcum, *Vocauit ad se quos ipse voluit, & fecit vt essent duodecim cum eo: & imposuit Simoni nomen Petrus.* At vero quod nomen antea promiserat, posteaque imposuerat, eo primum nomine iam compellat, dicens: *tu es Petrus*: Ego imposui tibi nomen Petrus. Sed nunc cur id fecerim, & quid hoc nomen tuum nouum significet, explicabo, *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc occasio verborum Christi, & hæ circunstantiæ coniunctæ euidentissimè docent verba sequentia insignem aliquam ipsius Petri prærogatiuam, quæque ad ipsum propriè pertinet, complecti: quod tamen ex sequentibus magis adhuc eluceſcet. Nunc ergo quæ illa sit, explicandum est.

Hom.55.in Matt. Li.6.de Trinit. Li.4.dial. Circumstantiæ verborum Christi. Ioan.1. Mar.3.

D

Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

In his verbis Christus promittit Petro fore, vt illum Ecclesiæ suæ totius primum Architectum & supremum pastorem constituat. Quod vt perspicuè & inuictè ostendatur, singula Christi
1. verba expendentur. Primum quanta sit vis illius verbi, *Aedificabo.* Secundo quantum valeat
2. quod dicit, *Super hanc Petram.* Tertio quàm latè illud pateat, quod addit, *Ecclesiam meam.*
3. Singula enim vim magnam habent.

Aedificabo.

1.Tim.3. Matt.6. Ephes.4. 1.Tim.1. 1.Cor.14.

AEdificatur Ecclesia, & fit *Magna domus Dei*, vt Christus loquebatur, dum vel collecta pascitur, docetur, regitur, vel pascenda & regenda colligitur. Hoc sensu dixit Apostolus, Christum *dedisse Apostolos, prophetas, pastores, &c. ad ædificationem corporis Christi.* Sic per doctrinam rectæ fidei dicimur *ædificari Deo*, & hortatur Apostolus, *vt omnia ad ædificationem fiant.* Sic videlicet vt per ea quæ fiunt, vel alieni colligantur in corpus Ecclesiæ, vel domestici retineantur in ea.

Quod

A Quod ergo Christus dicit se ædificaturum Ecclesiam suam, significat se aliquam potestatem & gratiam collaturum ad colligendam & regendam Ecclesiam suam. Deinde & illud circa hoc verbum attente notandum est, quod non dicit Christus Petro, tu ædificabis Ecclesiam meã, nec dicit ædificabitur super te, sed dicit, *Aedificabo*, i. me ædificante & te Petrum semper in fide solidante (propter quod statim subiungit, *Portæ inferi non prævalebũt aduersus eam*, & alio in loco: *Oraui pro te ne deficiat fides tua*:) vt sis verè immobilis Petra, me agente tibique semper cooperante, ædificabitur Ecclesia mea. Ad quod exactius intelligendum, notandum est, quod Christus vt Deus, est Agricola ipse sicut pater, iuxta illud, *Pater meus agricola est*. Et alio in loco, *Dei agricultura, Dei ædificatio estis*. Sed Christus, vt Deus homo factus, *est vitis vera, & nos palmites*, id est caput vitale corporis sui, *Ipsum enim dedit Deus caput super omnem Ecclesiam*. Et hoc sensu Deus per Christum quasi per instrumentum coniunctum, ideoque vitale (quale brachium vel manus est corpori naturali) ædificat, plantat & rigat Ecclesiam suam. Vnde Apostolus, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Sed idem Christus vtitur aliis instrumentis separatis per quæ ædificat, plantat, & rigat, regitque Ecclesiam suam, sicuti manus per calamum scribit. De hoc genere ædificationis loquitur hic Petro Christus: & ait. Ego qui sum vitalis architectus totius Ecclesiæ, sed soleo per alios operari & ædificare, *ædificabo super hanc Petram*, id est, super te Petrum, te videlicet instru-
B mentaliter agẽte, & tua lingua tanquam calamo scribæ velociter scribentis, veritatem omnem prædicante, sed me semper vitam & gratiam agendi tibi subministrante, me mouente & cooperante. Hic est verus & litteralis sensus verbi, *Aedificabo*.

Matth. 16. Luc. 22. Ioan. 15. 1. Cor. 3. Ioan. 15. Ephes. 1. 2. Cor. 5.

Et super hanc Petram.

HIs verbis Petri persona intelligitur, vt ex præcedentibus patet. Rursum ex copula coniunctiua. Dicit enim Christus, *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, scilicet quæ tu es. Alioqui enim coniunctio illa, vel est otiosa, vel falsa. Nam si seriò & verè apponitur (quod nemo Christianus negabit) debet rem eandem quæ Petrus est, significare. Deinde etsi Latinè Petrus & Petra differunt, tamen Hebraicè vel potius Chaldaicè (qua lingua Christus loquebatur) ne quicquam differunt. Præterea quia Petri personam hoc loco intelligi omnes vnanimi cõsensu patres docent, Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus, Euthymius in commentarium ad hunc locum. Augustinus in psalmo contra partem Donati ex versibus Ambrosij. Ambrosius
C sermone 68. & 47. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. cap. 12. in Ioan. Cyprianus in libr. 2. de vnitate Ecclesiæ copiosè, item lib. 1. epist. 3. & lib. 4. epist. 9. Athanasius in epist. ad Fœlicem Papam. Tertullianus in præscript. Origenes homilia 5. in Exodum. Basilius in cap. 2. Esaiæ. Epiphanius in Anchoratu. Tot patrum consensus nulla prauitate hæretica turbari debet. Iam vero per hęc verba docet Christus Petrum fore non quemlibet architectum aut pastorem Ecclesiæ suæ, sed planè primarium & fundamentale quoddam in genere suo, quale Christus est in alio genere. Christus enim vt homo est caput & fundamentum vitale, absolutum, per se: Petrus vero hic declaratur futurus (nam postea quod hic promittitur præstitum est) quũ Christus ascensurus ad patrem Petro dixit, & soli Petro dixit, & plus cæteris diligenti dixit, & tertio dixit, *Pasce oues meas*) sed hic declaratur futurus caput, & fundamentum Ecclesiæ ministeriale, mediante Christo, & per participationem. Hoc ex his Christi verbis tribus modis probari potest. Primum quia vocat eum non simpliciter Petram, sed *hanc Petram*, id est ministerialem & participatiuè dictam. Christus enim absolutè est Petra, & fundamentum Ecclesiæ. Petrus est *hæc Petra*, id est quædam Petra per participationem. Vnde S. Basilius, *Christus vero est immobilis Petra, Petrus autem propter Petram*. Idem ex Basilio (vt multa alia) repetit Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 2. & addit
D alio in loco, *Consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis: & pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur*. Sic Leo Magnus, *Petrum in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, quod ipse erat Christus voluit nominari*. Similiter & Tertullianus, *Christus Petrum ita vocat, quia & lapis & Petra ipse est. Itaque affectauit charissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare*. Sed & iterum Leo Magnus, hæc Christi verba ad Petrum sic metaphrasticè exponit, *Tu Petra es qui mea virtute solidaris, vt quæ mihi sunt potestate propria, sint tibi mecum participatione communia*. Nec aliter Prosper de vocatione gentium, *Hæc fortissima Petra ab illa principali Petra communionem & virtutis sumpsit & nominis*. Ex his tot & tam claris SS. patrum testimoniis liquido constat Petrum à Christo in his verbis declarari Petram quandã, participatiuè talem quale Christus est absolutè. Hoc est, Petrum in terris vicarium Christi esse, & caput Ecclesiæ ministeriale. Alio modo probatur hoc ipsum, quia propter hæc Christi verba patres vnanimi consensu vocant Petrum fundamentum Ecclesiæ, quo certè titulo neminem Apostolorum prẽterea designant. Hilarius super hæc verba sic admirans exclamat: *O in nuncupatione noui nominis fælix Ecclesiæ fundamentum!* Sic Cyprianus, *Petrus super quem fundauit Christus Ecclesiam*: quã phrasim identidem repetit. Hieron. ita loquitur, *Super vnum Petrum ædificat Ecclesiam suam Christus*. Eodem ad verbũ modo alij patres loquuntur. D. Basilius in 2. cap. Esaiæ, Origenes hom. 5. in exodum, Cyrillus in Ioan. li. 6. ca. 12. Theodoretus lib. 5. hæreticarum fabularum cap. de pœnitentia. Chrysost. homil. 26. ex variis in Matthæum locis. Certè isti tot & tam celebres patres, quum non ignorarent Christum domi-

Hæc Petra persona Petri.

Ioan. 21. Petrum promitti caput Eccl. 1. probatio. Hom. de pœnitentia Ser. 47. Epist. 80. Li. 1. c. 13. contra Marcion. Ser. 2. in Natali S. Petri. Li. 2 c. 28.

2. Probatio Can. 16. in Matt. Li. 1. epi. 3. Ser. de patientia & alibi. In cap. 26. Ieremiæ, & in c. 2. Esaiæ.

A

1.Cor.3. num primarium esse,& per se atque absolutè fundamentum,iuxta illud Pauli, *Aliud fundamentum nemo potest ponere quàm quod positum est,Iesus Christus*,quia tamen ex his Christi ad Petrũ verbis intellexerunt Petrum esse secundarium quoddam ministeriale, & ministeriale fundamentum, (quod non est aliud aut diuersum à Christo,sed ei subordinatum, vtpotè ab ipsomet hoc loco constitutum,ideoque alterum quidem,sed non aliud) idcirco non dubitarunt illum quoque Ecclesiæ fundamentum nuncupare & diserte scribere,quod super Petrũ fundaretur Ecclesia. Tertio hoc ipsum probatur ex vera ratione fundamenti,seu Petræ per metaphorã dictæ: habet quippe fundamentum tres conditiones necessarias & proprias,quæ omnes Petro ratione Ecclesiæ competunt. Prima est,vt sit fortissimum,immobile,& tale cui firmiter inniti possit tota ædificii moles. Secunda est,vt primum locum in ædificio obtineat, nam à fundamento incipit domus. Tertia est,quod à nulla ædificii parte ipsum dependeat,sicuti cæteræ partes,sed ipsummet sit tota ratio sustinendi alia,quum ipsum à nulla alia parte sustineatur. Hæc autem omnia in Petro hic locum habent. Nam primum propter fortitudinem fidei vocatur à Christo Petra, *Petrus Petra dicitur* (ait Ambrosius) *eo quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat*. Sic & Euthymius,*Tu es Petrus,vt qui fidei Petra futurus es,& super hoc robur ædificabo Ecclesiam meam*. Ideo videlicet firmitatem accipit à Christo semper ædificante, vt suprà dictum est. Ideo Christus hic adiecit: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Ideo postea ei dictum est & ei soli,& in communi omnium periculo,*Rogaui pro te vt fides tua non deficiat*. Ideo denique adiecit Christus, *Et tu conuersus confirma fratres tuos*. Hoc enim quomodo faceret,si ipse firmus non staret? Quare Augustinus ad hæc verba oculos coniiciens de Petri sede dixit, *Ipsa est Petra quam superbæ non vincunt inferorum portæ*. Hoc quoque rectissimè intelligens Chrysostomus, ait Christum hoc loco id agere,*vt homo piscator quauis Petra firmior reddatur, vniuerso orbe terrarum reluctante*. Iuxta secundam fundamenti conditionem Petrus primus mortalium fidem, adeoque totius fidei nostræ fundamentum (Dei filium incarnatum) hoc loco professus est,posteaq; primus pastorum omnium,eandem fidem docuit,tum Iudæos,tũ gentes. Vnde notat Ambrosius, ideo eum Petram esse dictum,*eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit*, & Diuus Chrysostomus Petrum fidei ostium reclusisse, & negotio principium dedisse scribit. Nempe sicut Abraham ab Esaia propheta,Petra Synagogæ vocatur, *Attendite ad Petram vnde excisi estis, attendite ad Abraham patrem vestrum*,& à Deo vocatur *Pater multarum gentium*, quia primo illi reuelatum est de nascituro ex semine eius Messia,& primus hoc credidit,vnde & hæc fides singulariter *ei reputata est in iustitiam*, sic omnino Petrus, est Petra Ecclesiæ hoc in loco & Pater Christianorum,quia illi primo reuelatus est Christus à patre,ille primus hoc credidit, & primus cõfessus est, & hæc eius fides ac confessio reputata est ei in magnam iustitiam, magnamque mercedem reportauit, & denique ille primus (in quo Abraham longissimè superat) Christum & Messiam orbis Iudæis,& gentibus prædicauit. Merito igitur in ædificanda Ecclesia Christi, rationem fundamenti Petrus habet,quia (vt ait Hilarius) *ille subiacet ædificationi Ecclesiæ*, ille primus credit,vt ad ædificium primus pertineat,& primus docet,vt ædificium primus incipiat D. Ignatius in epist. ad Magnesianos,primos Christianos Antiochiæ nominatos *Petro fundatore*,ait. Iuxta tertiam fundamenti conditionem Petrus immediatè à Deo hanc fidem accepit, ipso patre reuelante,quod Christus hoc loco profitetur,& eum hoc nomine beatum nuncupat. Itaque in ratione credendi à nomine mortalium dependet,sed à solo Deo edoctus fuit. Notat hoc singulare Petri priuilegium D. Epiphanius,*Ioannes* (inquit) *quum à filio didicisset, Apocalypsim seu reuelationem suam scripsit. Petrus vero à patre instructus est,certitudinem fidei fundaturus*,id est, stabiliendæ fidei fundamentum futurus. Petrus ergo ad structuram Ecclesiæ primus ponitur in ædificio, idque ipsius primarii Architecti seu Agricolæ manu,Dei patris,nullo hominum ministerio fidem edoctus,& sic à nulla ædificii parte ipse dependet,quod proprium est fundamento. Hic est ergo sensus verborum Christi quum de Petri persona dicit,*Super hanc Petram*, hoc saxum, hoc fundamentum,*ædificabo Ecclesiam meam*.

B

C

D

Lib.6.de Trinitate.

3. Conditio fundamẽti In Ancoratu.

1. Conditio fundamẽti Ser.47. In com. ad hunc locũ.

Luc.22.

In psl. com. par. Dona. Hom. 55. in Matt.

2. Conditio fundamẽti Act. 2. & 11. Serm.47. in com.2. ad Galat. Esai.51. Gen.17. Gen.15.

3. Probatio ex ratione fundamẽti

Ecclesiam meam.

Hom.55. in Matt. In orat. de Transfigurat. Domini. In com.in 1.Timo.3.

HÆc verba indefinitè dicta significant totam Ecclesiam Christi,& Petrum totius Ecclesiæ primarium pastorem fore. Vnde Chrysostomus exponens quodnam sit proprium filii donum Petro hic datum, *Pater* (inquit) *ad Ieremiam dicebat. Sicut columnam ferream,& sicut murũ æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni pater,hunc autem vniuerso orbi Christus præposuit*. Hæc ille. Sic Damascenus vocat Petrum propter hæc Christi verba, Τῆς ἐκκλησίας παγκοσμίου κοσμήτορα: *Ecclesiæ per vniuersum mundum gubernatorem*:& iterum Chrysostomus,*totius orbis magistrum*, Homil. 87. in Ioan. Sic D. Ambrosius vocat Damasum Petri successorem,*Rectorem domus Dei*,illius videl. quã Apostolus,*columnam & firmamentum veritatis* nuncupauit: quæ nisi vniuersalis esse non potest. Sic à D. Augustino vocatur *alter pater familias*,sicut Christus: propter illa Christi verba ad ipsum, *Solue pro me,& pro te*,quia ad totam Ecclesiam vice Christi gubernandam à Christo electus est. Sic hæc Christi verba,*Ecclesiam meam*,Sancti patres intellexerunt.

Quæst.in nouum testam.q.45.

Sed quia contra hanc horum verborum expositionem prorsus litteralem, multa cauillantur hæretici,

A hæretici, breuiter ea sic refutari poterunt. Quòd patres interdum illud, *Super hanc Petram*, fidem & confessionem Diui Petri exponunt, nihil facit contra personam Diui Petri. Neque enim Diuus Petrus est fundamentum Ecclesiæ absque fide: nec illa fides, vel extra subiectum aliquod Ecclesiam firmat, vel à quouis, aut agnita, aut prædicata Ecclesiam firmat atque ædificat, sed illa fides in persona Petri eiúsque successorum immobilis & indefectibilis, vocatur à patribus fundamentum Ecclesiæ, quia Petrus Petrique successor eam indefectibiliter tenens tale fundamentum est. Quòd Christus vocatur *fundamentum extra quod aliud poni non potest*, nihil facit contra rationem fundamenti in Petro, vt suprà explicatum est. Sicut Christus est lux mundi, bonus Pastor, vnus Magister, & tamen nihilominus Apostolis dixit, *vos estis lux mundi, & alios dedit Pastores atque Doctores*, ministeriales videlicet, & per participationem talis dignitatis: sic Christus vnicum fundamentum principale, Petrus ministeriale, &c. Quòd omnes Apostoli vocantur à Paulo fundamenta, *Superædificati super fundamenta Apostolorum, &c.* intelligitur quoad reliquam Ecclesiam, & subditos populos, sed non respectu Apostolorum, & Pastorum inuicem, quorum caput Petrus erat, vt à SS. patribus perpetuò vocatur. *Princeps noster Petrus*, ait Optatus Episcopus. Vertex & Coryphæus Apostolorum, ait Chrysostomus: imo κορυφαιω Τατα, ait Epiphanius. Cæterorum caput ait Hieronymus. Quare soli Petro Christus dixit,
B *Confirma fratres tuos*, id est, coapostolos & coepiscopos. Et iterum, non solum *pasce agnos meos*, populum qui sic pascitur, vt non pascat alios, sed etiam *pasce oues meas*, quæ sic pascuntur ab vno Pastore, vt suos tamen agniculos pascant: id est, ipsos Pastores, & Episcopos ouium mearum. Rursum omnes Apostoli erant fundamenta, sed non omnes Petræ, id est, non tam valida fundamenta: ideóque solius sedis Petri fides non defecit. Quod aiunt nos ædificare Ecclesiam super homine, & *esse maledictum qui spem ponit in homine*, nugamentum est. Nec Petrus per se est fundamentum, sed à Christo in fide fundatus ac corroboratus, nec ipse Petrus sic fundatus per se Ecclesiam ædificat, sed Christus illam ministerio Petri perpetuo ædificat, vt suprà explicatum est.

Cauillationes hæreticorum refutantur. 1. 2. 1. Cor. 3. Matth. 5. Ephes. 4. 3. Ephes. 2. Lib. 2. contra Parm. Hom. 87. in Ioan. In Anchoratu. Lib. 1. contra Iouin. Luc. 22. Ioan. 21. 4. Ierem. 3. 1. 2.

Sed vnus Caluinus, vt omnium acerrimè, ita stupidissimè hæc Christi verba peruertit. Totum enim hunc locum nouo commentario penitus peruertit. Ait Simonem, *Petrum vocari quia viuus in Templo Dei lapis stabilitatem retinebat. Super hanc Petram*, exponit esse *Christi fidem super quam non tantùm Simon, sed & omnes alij fundati, sancto consensu in spirituale ædificium aptantur: & quicquid piorum in mundo futurum erat Petro aggerare Christum voluisse. Non prævalebunt aduersus eam*, exponit de Ecclesiæ quidem inuicta firmitate intelligi, sed quod de corpore Ecclesiæ dicitur, *ad singula eius membra pertinere, quatenus vnum sunt in Christo, vt quicunque in Christo uniti Christum mediatorem agnoscunt, in finem vsq; ab omni noxa tuti manebunt.* Hæc ille. Ita insigni impostura ac fraude to-
C tum hunc locum peruertit. Quæ Christus de vnius Petri & successorum eius persona dixerat, ad quemlibet fidelem trahit. Quæ de totius Ecclesiæ firmitate Christus promisit, ad specialem fidē & certitudinem salutis in quolibet credente contorquet. Ita non solum verum sensum peruertit, sed & impio dogmati de vnica piorum fide inamissibili, hanc scripturam subseruire facit. Verum autem & genuinum, supra ex Patribus depromptum horum verborum sensum, totiúsque loci vim & doctrinam vel dissimulat astutus, vel ignorauit indoctus, vel contempsit superbus. Iam vero hæc verba, *Tibi dabo claues regni cælorum*, vni Petro singulariter dicta, ad omnes Euangelij ministros transfert Caluinus, & totam clauium potestatem in verbi ministerio ac prædicatione ponit. Contra quam duplicem huius loci corruptelam sufficere ea possunt quæ in præcedentibus diximus.

In Harm. Euang. in Mat. c. 16. Caluinus scripturam Euang. corrumpit.

Cæterùm quia Caluinus facta sua expositione hæretica, Catholicam vult impugnare, disputationem eius breuiter examinabimus: *Ait se velle putidas Papæ calumnias breuiter diluere*, quum tamen quæ postea diluere conatur, non Papæ, sed veterum Patrum & Doctorum Ecclesiæ af-
D fertiones & explicationes sint, *fingit* (inquit) *Petrum vocari Ecclesiæ fundamentū*: Respondeo Hoc Papa non fingit, sed Patres magno consensu docent, quos iam superius magno numero produximus. Sed quomodo hanc interpretationem refutet videamus: *Quis autem non videt quod transfert ad hominis personam, de Petri fide dictum esset?* Hoc non est veritatē refutare, sed fortiter quod falsum est affirmare. Quomodo autem de fide quoque Petri Patres hoc exponunt, supra etiam explicuimus. Deinde si nunc de Petri fide hoc dicitur Caluine, cur prius de omnium in Christum credentium fide hæc verba exposuisti? Sequitur: *Idem fateor apud Græcos significant Petrus & Petra, nisi quod prius nomen Atticum est, alterum verò communis linguæ. Sed hæc varietas non temerè à Matthæo posita est: quin potiùs consultò mutatum est genus, vt diuersum aliquid exprimeret: nec dubito quin tale discrimen notauerit Christus sua lingua.* Atqui hic Caluinus propter ignorantiam linguæ sanctæ egregiè fallitur. Nam in Matthæo Hebræo, qui nunc extat, sine vlla mutatione generis legitur, & vtrobique idem nomen est, hoc modo, אתה כיפה וצל הכיפה. In Matthæo quoque Syro vtrobique est באפא sine vlla variatione. Quare Beza ipse magistrum suum corrigens in hunc locum ait, *Dominus Syriacè loquens, nulla vsus est agnominatione, sed vtrobique dixit Cepha.* Græcus autem interpres Attica voce priori loco vsus est, quia genus masculinum homini magis conueniebat. Secundo autem loco petram posuit, quia tametsi ad hominem & personam Petri illa vox pertineat, non tamen ad hominem, aut Petri personam simpliciter sicut ipsa nuncupatio Petri, sed ad hominem in fide roboratum, & ad personam Petri à Christo stabilitam pertinet: quæ

Beza Caluino contradicit. De princ. fid. l. 6.

alibi latius explicata sunt: vt planè ridiculus sit hoc loco Beza, qui posteriori loco Petram non Petrum ab interprete positum nugatur, vt Christum qui Petra est secundo loco designaret. Christus enim tametsi Petra certè est, non tamen est *hæc Petra*, ad quam ibi Christus loquitur. A

Probare tamen vult Caluinus ex Augustino, *Prudenter itaque Augustinus non Petram à Petro, sed Petrum à Petra dici admonet, sicut à Christo omnes sumus Christiani.* Quo sensu ista, & quibus de causis August. ita in hunc locum disputat, accuratè explicatum vide in opere nostro de Principio fidei lib.6.cap.3.

Pergit Caluinus: *Porro ne longior sim, quum illud Pauli inter nos pro certo & confesso habendum sit, non alibi posse fundari Ecclesiam quam in Christo solo, non sine sacrilega blasphemia aliud fundamentum Papa commentus est.* Sed huic putidæ ac tetræ obiectioni vberius quidem loco iam postremo citato, breuiter verò, & in præcedentibus hoc loco satis fecimus. Quæ calumniando, vel eadem, quæ dixerat repetendo nuda semper affirmatione vtens prosequitur Caluinus, vt inania, ac nugatoria prætermittimus. Dicit tandem aliqua disputandi specie: *At Christus Petrum vnum nominatim alloquitur.* Rectissimè hoc obseruat, sibique obiicit Caluinus. Nunc quid respondeat attende: *Nempè sicuti vnus omnium nomine Christum confessus fuerat Dei filium, ita vicissim ad vnum dirigitur sermo, qui tamen peræquè ad alios pertinet.* Atqui hæc responsio obiectionem magis confirmat. Luce enim meridiana clarius est, Petrum non omnium nomine, sed ex fide sibi soli reuelata, Christum confessum fuisse Dei filium. Idcirco enim non dixit illi Christus, *Beati estis quia Pater meus vobis reuelauit*, quod certè dicere debuisset, si omnes idem credidissent, & omnium nomine loquutus Petrus fuisset, sed dicit illi vni singulariter, *Beatus es Simon Barjona quia pater meus reuelauit tibi. Sed & ego tibi dico, & cætera.* Deinde quando Petrus alio in loco omnium Apostolorum nomine loquitur, id satis exprimit numero plurali vtens, vt dicente Christo, *Nũquid & vos vultis abire?* Respondit omnium nomine Petrus, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Denique omnes ferè Patres contra vnum Caluinum, vnius Petri, non omnium Apostolorum hanc confessionem fuisse, concorditer docent. Quare sicut solus confessus est, ita ad illum solum dirigitur sermo. Ad aliam responsionem confugit Caluinus: *Nec verò spernenda est illa quæ à Cypriano, & alijs adducitur ratio, Christum in vnius persona loquutum esse omnibus, vt Ecclesiæ vnitatem commendaret.* Respondet Cyprianum docere quidem claues Ecclesiæ, sic vni Petro esse datas, vt & alijs Apostolis dari intelligantur, ideò autem vni, vt Ecclesiæ vnitas cõmendaretur, sed addit Cyprianus, quod fraudulenter Caluinus silentio premit, *vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit*: Et rursum, *Exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna Cathedra monstretur.* Hæc ille. Pergit Caluinus: *Excipiunt alijs omnibus præferri cui hoc peculiariter datum est. Hoc vero perinde est ac si magis fuisse Apostolum contenderent quam suos collegas. Neque enim ab Apostolatu magis diuelli potest ligandi & soluendi potestas quàm à sole calor vel lumen.* Nihil ineptius inferri potuit. Sic enim Caluini procedit argumentum. Ligandi & soluendi potestas ab Apostolatu diuelli non potest. Ergo Petrus si in potestate clauium præfertur alijs Apostolis, erit magis Apostolus quam cæteri. Huius argumenti absurditas in simili apparebit. A locum tenente regio diuelli non potest iudicandi potestas. Ergo si locum tenens Regius in potestate iudicandi cæteris iudicibus localibus aut certarum ciuitatũ Prætoribus antefertur, erit magis Iudex quam cæteri. Sicut enim hic locum tenens Regius maior quidem & superior Iudex est, vt Regis Vicarius, & localium Iudicum ac prætorum primus, qui ipsis etiam Iudicibus præferatur, & illorum sub Rege caput sit, non tamen magis Iudex est, sed alij in suo districtu æquè bene Iudices sunt veréque & efficaciter iudicant, quando officium suum legitimè exequuntur, de quo si dubitetur ad locum tenentis tribunal fit appellatio, sic omnino Petrus Apostolus alijs præfertur in potestate clauium vt supremus Apostolus, Christi Vicarius, cæterorũ caput & coryphæus (vt Patres de eo loquũtur) non tamen magis Apostolus est, vt cauillatur Caluin. sed alij Apostoli respectu subditorũ suorũ non minus Apostoli sunt, nec minus verè & efficaciter ligant ac soluunt suos subditos quam Petrus, quando clauis non errat, de quo si dubitetur ad Petri tribunal fit appellatio. Quomodo autẽ Petrus ipsis Apostolis ratione clauium prælatus fuerit, vide latius à nobis explicatum in opere de Princip. fidei. Cauillatur adhuc Caluinus: *Cæterum vt demus Petro concessum plus aliquid fuisse quàm reliquis, vt inter Apostolos excelleret, stulte tamen inferunt Papistæ, datum illi fuisse primatum, vt vniuersale esset totius Ecclesiæ caput. Nam & aliud est dignitas quam imperium: & aliud inter paucos summo honoris gradu pollere, quam sub vlnas suas colligere totum orbem.* Hæc ille. Primum quod de dignitate distinguit & imperio, pueriliter nugatur. Petri & successorum eius primatus dignitatem quidem aliquo modo significat, quatenus veri nominis prælatura est, & quidem in summo honoris genere, quia & Christi locum tenet, & super animas hominum potestatem habet, quoad illas vel soluendas, vel ligandas. Imperium autem illa vox non significat: Imperium huius mundi Regibus & Imperatoribus tùm Petrus tùm successores eius respectu officij pastoralis reliquerunt. Puerile, & caninæ facundiæ est, sed Caluino vsitatissimum, in Sacratum Scripturarum tractatione grauissima, intemperanter maledicere, & verbis odiosis veram facti speciem inuertere: Denique vel pueriliter ludere, vel muliebriter rixari. Alteram responsionis partem in sequentibus vult confirmare. *Et sanè* (inquit) *non plus illi oneris imposuit Christus quam obire posset. Iubetur regni cælorum esse ianitor,*

Petrus non omnium nomine confessus est Christum. B

In lib. de vni. Eccl.

Petrus caput Apost. non magis Apost. C

Lib.6.c.7.

Caluini pueriles ineptiæ. D

A *ianitor, iubetur ligando & soluendo dispensare Dei gratiam, eiúsque iudicium in terra exequi. Nempè quatenus se extendit mortalis hominis facultas.* Vult igitur Caluinus, spiritu planè ethnico & impio, potestatem à Christo Petro datam, ad mortalis hominis facultatem metiri. Potuit iuxta illum Petrus cæteris Apostolis & paucis illis hominibus præesse, sed non potest toti orbi præesse, quia hoc *mortalis hominis facultatem excedit.* In quo vide multiplicem hominis dementiam. Primùm si Petrus paucis illis Apostolis præfuit, multo magis eorum subditis præfuit: At illi toto orbe prædicauerunt, *& in totum orbem exiuit sonus eorum*: Ergo Petrus hoc ipso quod illis præerat, toti orbi præfuit. Deinde non potest dici quod propter solas personas Apostolorum Petrus primatum acceperit: quia quum iste primatus ad schismatis occasionem tollendam & ad vnitatem in Ecclesia seruandam datus fuerit, hoc primatu sanctissimi Apostoli minimè omnium indiguerunt. Ergo primatum accepit propter ipsos potissimum reliquorum Apostolorum subditos toto orbe dispersos. Rursum si mortalis hominis facultas spectetur, quis demum est qui vel vnius miserimæ paræciæ præesse, imò qui suam solius animam seruare potest? Spectandum hic ergo nõ quid mortalis hominis facultas, sed quid Christi gratia valeat, qui quibus iubet dat id quod iubet. Vide plura in opere nostro de Princip. fidei. Quare Caluinus contra seipsum quasi vertigine labõrans concludit: *Ergo quicquid ei datum est, ad mensuram gratiæ restringere conuenit qua donatus*
B *est ad Ecclesiæ ædificationem.* Planè contra seipsum & contra præcedentem disputationem cõcludit. Si enim quod Petro datum est, ad mensuram gratiæ qua donatus est, restringendũ est, quare prius Caluinus id quod Petro datũ est, ad mensuram facultatis mortalis hominis restrinxit? An putat Caluinus mensuram gratiæ, mortalis hominis facultatem non excedere? Aut si hoc non putat, mortalis hominis facultatem mensus est, nunc verò ad mensuram gratiæ restringit? Atqui aduertere Caluinus debuit, mortalis hominis facultatem in potestate rerum spiritualiũ nullam esse: iuxta illud Christi: *Sine me nihil potestis facere*: mensuram autem gratiæ ad quælibet præstãda facultatem dare, iuxta illud Pauli: *Omnia possum in eo qui me confortat*: verè igitur quicquid Petro datũ est, non ad mortalis hominis facultatem vt prius disputauit, sed ad mensuram gratiæ qua donatus est, vt nunc disputat, expendendũ est. Christus autem qui ampliſſimam potestatem Petro dedit, gratiæ quoq; mensuram copiosam ei dedisse credendus est. Nam idcirco vni Petro postea dixit, *Ego rogaui pro te, vt fides tua non deficiat.* Ex hoc ipso in loco Christus ei dicit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Christus seipsum ædificaturum dixit. Illo igitur ædificante super Petrum, stabit Petrus & stabit ædificium. Si enim Dominus ædificauerit ciuitatem, non frustra laborant qui ædificant eam.

Caluinè spiritus ethnicus.

1. *Rom.* 10.

2.

3.

Li. 6. *c.* 10. *Lib.* 6. *c.* 16 *Caluinus seipsum refutat.*

Ioan. 15. *Philip.* 4.

Luc. 22. *Matth.* 16.

Nunc tamen post tam insulsam disputationem vide quantum triumphũ agat Caluinus. *Ita concidit immensum illud imperium quod illi arrogant Papistæ.* Triumphum sanè cecinit, sed ante victo-
C riam. Quare adhuc in omnem se partem vertens alia rem aggreditur via. Primum disputat Petri primatum ad successores transire non posse: quod multis tamen argumentis necessarium esse alibi demonstrauimus. Deinde Romanum Pontificem Petri non esse successorem declamitat, contra omnem antiquitatem affirmans Petrum Romæ Episcopum non fuisse. quam demẽtiam refutauimus ad illa Petri verba in fine Epist. 2. *Salutat vos Ecclesia quæ in Babylone est.* Tertiò ac postremo quod debacchatus in Romanos Pontifices horum temporũ, quod officium non faciant, ideóque inter Petri successores non habendos. quæ tota oratio contumelijs plena, & argumentis vacua, seipsam satis abundè refutat.

Calu. triũphus ante victoriam.

In Antid. Apostol.

Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

D LOcus insignis & dulcissimus pro doctrina & consolatione Catholicorum contra hæreticos, vt omnes ita maximè huius temporis. Docent enim hæc verba firmitatem perpetuã, & perpetuitatem firmam veræ Ecclesiæ Christi. Docent quòd nec hæreses vllæ, quas per portas inferi hoc loco multi patres intelligunt, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Hieronymus in commentarijs ad hunc locum, & D. Epiphanius in Anchoratu, nec persecutiones principum, nec denique vis vlla humana vel diabolica, contra Ecclesiam Christi in Petro fundatã prævalebit. Docent singularem Ecclesiæ noui testamẽti (quod *in melioribus repromissionibus sancitum esse* Apostolus scribit prærogatiuam præter & supra Synagogam, quòd illa pereunte, & per varias idololatrias & corruptelas tum eclypses multas atque interruptiones passa, tum tandem penitus abolita, hæc tamen Christi Ecclesia non euertetur vnquam, non corrumpetur, quia nihil prorsus contra eam prævalebit. Ideò enim portas inferi nominauit Christus (quibus videlicet nihil validius) vt doceret nihil prorsus contra suam Ecclesiam prævaliturũ. Atque vt hæc Ecclesiæ Christianæ perpetua & inuicta firmitas omnibus indubitata constaret, tum Christus ipse viua voce aliis adhuc verbis id promisit, tum Prophetæ veteres clarissimè prædixerũt. Christus quidem dicens: *Ego rogabo patrem & alium paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiscũ in æternũ, Spiritum veritatis, quẽ mundus non potest accipere.* Atque iterum iam iã suis valedicens: *Ecce* (inquit) *ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ sæculi.* Quæ verba in Dominica SS. Trinitatis tractauimus. Inter Prophetas clarissimè Esaias: *Spiritus meus non recedet de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternũ.* Quæ verba tractauimus

Ecclesiæ Christianæ firmitas & perpetuitas

Hebr. 9.

Ioan. 14.

Matth. 28.

Esai. 59.

Ezech. 37. Feria 3. Pentecoſtes. Sic & Ezechiel: *Percutiam cum illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit cum eis, & fundabo & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et ego ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Et ſcient gentes quia ego Dominus ſanctificator Iſraël, cùm fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Quæ ſanè prophetarum verba tam perſpicuè oſtendunt Eccleſiã gẽ- A

In cõment. ad cap. 59. Eſaiæ. tium nunquam perituram, aut à diuina veritate aberraturam, vt ipſemet Caluinus in Eſaiã ſcribens hoc ipſum fateri, & agnoſcere compulſus fuerit. Dicit enim ad verba Eſaiæ ſuprà citata: *Promittit propterea inæſtimabili hoc bono Eccleſiam nunquam priuatam iri, quin Spiritu S. regatur, & fulciatur cæleſti doctrina. Parum enim eſſet nobis, ſemel offerri Euangelium, nóſq; Spiritu donari, niſi apud nos perpetuò reſideret.* Et paulo poſt, *Promiſsio eiuſmodi eſt, Dominum ſic affuturum Eccleſiæ, ſicque eius curam habiturum, vt eam vera priuari doctrina nunquam ſinat.* Hæc ille. Ex his ergo Chriſti Saluatoris, & Prophetarum verbis, ipſáque aduerſarij confeſſione, Eccleſiæ Chriſtianæ perpetua firmitas, & firma perpetuitas, luce clarius eluceſcit.

1. Hæretico rum commentum de Eccleſia penitus collapſa. In locis cõ. In repetit. cõfeſſ. Aug Inſtit. l. 4. cap. 3. n. 18. Cõfeſſ. fid. c. 5. nu. 28. Nunc autem quid hodie hæretici? Certè in varias ſe formas verterunt. Aliquando omniũ horum obliti, & ſuam nouitatem ante oculos habentes, ſtatuunt & affirmant Eccleſiam Chriſti aliquot his ſæculis intercidiſſe. Hinc Melanchthon, Deus (inquit) *ita ſemper gubernat Eccleſiam ſuam, vt quum obſcurata eſſet doctrina, eam rurſus accendat.* Et iterum: *Deus* (inquit) *reliquias aliquas ſeruat, & ſubinde miniſterium inſtaurat.* Hinc Caluinus ponit collapſas Eccleſias, ideóque non fuiſſe B hodie in ſe ſuiſque ſocijs neceſſariam vocationem & miſſionem ordinariam, *Non nego* (inquit) *quin Apoſtolos, poſtea quoque, vel ſaltem eorum loco Euangeliſtas interdum excitarit Deus, vt noſtro tempore factum eſt. Talibus enim qui Eccleſiam ab Antichriſti defectione reducerent opus fuit.* Hinc Beza ſimiliter excipit contra vocationem ordinariam: *Falſo* (inquit) *miniſtros ſe vocant, quum à Domino non ſunt vocati, id eſt, qui vel ritè non ſunt electi ab Eccleſia (ſi quis eſt in Eccleſia legitimus ordo conſtitutus) vel à Deo non ſunt extra ordinem excitati: ſicut noſtro quoque tempore accidit, rebus ita collapſis, vt ordinariæ vocationi nullus eſſet locus relictus.* Hæc ille. Sic & Muſculus contra vocationem ordinariam excipit, quia

In locis cõ. ca. de Miniſtris. Eccleſ. intercidit Eccleſia: *Cogitandum eſt* (inquit) *vbi corruptus eſt Eccleſiæ ac religionis ſtatus, alium quærendum eſſe modum rebus conſulendi, quàm is qui vſitatus fuit in Eccleſijs, quum omnia eſſent ſalua & integra.* Iſti igitur omnes exponunt vniuerſæ Eccleſiæ defectionem. Si enim collapſæ fuiſſent Eccleſiæ, aut corruptus ſtatus religionis, in aliqua tantùm parte orbis Chriſtiani, potuerant & debebant iſti noui Magiſtri ad ſanas illas Eccleſiæ partes tranſire, & ab illis ordinationem ſuam accipere. Sicuti nos Angli quia ab annis iam ferè 30. corruptus eſt in Anglia religionis ſtatus, & omnia hæretici occupant, propterea qui docendæ, aut regendæ Eccleſiæ operam nauare C volumus, ad alias orbis Chriſtiani partes ſanas & orthodoxas migrauimus, & in Belgio, Gallia, ipſáque Italia & vrbe Roma per ordinariam vocationem, & manuum impoſitionem, in Preſbyterorum, Paſtorum atque Doctorum numerum coaptati fuimus, & munera Eccleſiaſtica ritè atque legitimè adminiſtramus. Sed hæretici hodiè hoc facere nuſquam potuerunt, quia, vt ipſimet fatentur, collapſæ ſic res erant, & ita corruptus religionis ſtatus, *vt ordinariæ vocationi* (ait Beza) *nullus eſſet relictus locus.* Iſti ergo diſertiſſimè fatentur totam intercidiſſe Eccleſiam. Vbi enim nulli paſtores relicti erant, quomodo oues aliquæ eſſe potuerunt? Hac rurſum de

Princ. fid. lib. 4. c. 18. & ſeqq. In locis comm. Inſt. lib. 4. c. 2. nu. 12. cauſa, totam Eccleſiam Romanam cum omnibus ei adhærentibus (quæ quidem ſola fuit viſibilis, nota, & conſpicua in orbe terrarũ Eccleſia, ideóq; ſola, vt alibi oſtendimus) Muſculus quidẽ vocat, *ſcortum Antichriſti, mancipium malorum ſpirituum, officinam omnis generis mendaciorum.* Caluin. verò *omnia in ea ſic perturbata fuiſſe, vt Babylonis potius quã Ciuitatis Dei ſanctæ facies illic appareat.* Hanc denique ob cauſam, defectionis huius, qua tota viſibilis Eccleſia à veritate Euangelica defecit, certa quædam initia & exordia ponunt: ſed (vt in omnibus ſuis alijs dogmatibus miſeri homines faciunt) maxima inconſtantia & varietate: dum alij à 300. tantùm, alij rurſum à 600. mox alij à mille annis, quidam quoque ante annos 1200. ac deniq; nonnulli ab ipſo Apoſtolorũ tempore, *exitialibus doctrinis* (ſic enim loquuntur) *depranatam in Eccleſia Chriſti veritatem fuiſſe*, audaciſſimè affirment. Singularum opinionum authores & authorum verba alio in loco recenſuimus. Et ſic quidem iſti, quos omnes hodierni Euangelij verba & alia quæ adiunximus, clariſſimè refutant. D

Princ. fid. doct. lib. 3. cap. 4.

Cont. Par. lib. 1. c. 1. Aliquando rurſum his Euangelij verbis alijſque ſcripturis vehementer commoti, (vt de Ticonio Donatiſta ſcripſit Auguſtinus) *Sanctarum ſcripturarum vocibus circuntuſi euigilant, & vident Eccleſiam Dei toto orbe diffuſam*: quo præcepto aſſerunt Eccleſiam Chriſti nullo vnquam tempore intercidiſſe. Sed dum hoc aſſerere, & aſtruere volũt, maiora adhuc abſurda eáq; ineuitabilia incurrũt, quæ hic breuiter & dilucidè proponemus, fauente Chriſto. Primò fingũt in ipſa vera Eccleſia errores, & tenebras reperiri: *Totus mundus* (ait Muſculus) *ſiue in Eccleſia ſiue extra in mendacijs & errore fluctuat.* Similiter Apologia Proteſtantiũ: *Prædixit* (aiũt) *vox diuina non ſolum multos extra Euangeliũ oppugnaturos eſſe, vt Ethnicos & ſimiles, ſed in ipſo cœtu qui titulum habet Eccleſiæ Dei, magnã fore multitudinẽ prauis opinionibus faſcinatã, & à vera inuocatione aberrantem.* Hoc ſenſu ſcripſit Lutherus, *Diabolum habere iuxta Eccleſiam Dei ſacellum ſuum ipſa Eccleſia maius & amplius.* Hęc illi. Sed hoc totũ, aut eſt falſiſſimũ, aut Chriſti promiſſio vera non eſt. Si enim ipſa Eccleſia in eius vnitate, in corpore eius, tales errores & mendacia docentur, profectò nec Spiritus S. docuit eam omnem veritatem, ſed aliquam tantũ partem, nec Chriſtus fuit ſemper cũ ea, ſed eam deſeruit, quũ ipſe ſit veritas & lux mundi, nec vllum ſit commercium luci cum tenebris: & poſtremò portæ inferi ex

2. Commẽtũ de Eccl. errante. In locis cõ. Apol. Prot. Cõc. Trid. exhibita. Intract. de nouis Eccl.

multo

A multo maiori parte prævaluerunt contra eam. Alij fingunt non quidem ipsam Ecclesiam his erroribus laborare, sed esse tamen in ipsa Ecclesia qui sic errent, reprobi videlicet & impij, qui titulo tantùm & numero in Ecclesia sunt: veram autem Ecclesiam & ad quam hæ Christi promissiones spectant, ex solis electis & bonis constare, qui tamen permiscentur malis & reprobis. Sic Musculus: *Hæ* (inquit) *Scripturæ intelligi debent de illa vna Catholica & Orthodoxa Ecclesia, quæ est communio Sanctorum in toto orbe conctis sæculis Christo credentium, sed Ecclesias particulares quæ mixtæ sunt bonis & malis errare posse & sæpius errasse.* Sic alij distinguunt militantem & visibilem Ecclesiam posse errare, sed Catholicam non posse: in qua soli videlicet electi reperiantur. Atqui hoc figmentum scripturæ quoque citatæ manifestè refellunt. Promissio enim Christi tam in hoc Euangelio, quàm apud Ioannem de illa Ecclesia loquitur, in qua sunt boni & mali, electi & reprobi. Quũ enim in hoc Euangelio dixisset, *Portæ inferi non prævalebunt aduersùs* eam, subiunxit: *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quod solueris super terram erit solutum & in cælis, & quod ligaueris super terram, erit ligatum in cælis.* Ostendit igitur contra illam Ecclesiã portas inferi non prævalituras, in qua essent, quibus & soluenda & liganda peccata forent. Tales autem sunt mali, & reprobi. Soluuntur enim malorum peccata, qui pœnitentiam de peccatis agunt, ligantur reproborum, qui pœnitentiam agere recusant: *De ijs enim qui foris sunt non iudicat Ecclesia.* Rursum quũ
B dixisset Saluator, Spiritum veritatis mansurum cum suis in æternum, officium S. Spiritus postea explicans addit: *Ille vos docebit omnia.* Docet autem Spiritus S. & bonos & malos per ministerium bonorum & malorum, adeóq; reproborum dicente Apostolo: *Castigo corpus meum, ne fortè cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Et iterũ: *Si inuitus euangelizauero, dispensatio mihi credita est.* Quòd si nulli reprobi & inuiti, id est, hypocritæ & carnales docerent, frustra hoc Apostolus timeret. Alij distinguũt inter genera errorũ, *vt vnum genus sit quando veritas Dei prorsus deseritur: aliud quando ex ignorantia, sic tamen vt non discedatur à vera fide in Christum. Illud genus in reprobis, posterius etiam in electis & vera Ecclesia reperiri, donec tempus perfectæ cognitionis adueniat.* Hæc Musculus. Statuũt ergo hodie demũ prædicante Luthero tempus aduenisse perfectæ cognitionis, sed ante Lutherũ tenebras errorum totam Ecclesiam occupasse, in reprobis quidem qui veritatem audire non sustinebant, primi generis errores, in electis posterioris generis: *qui in singulis ætatibus condonantur,* (ait Melanchthon) *tanquam stipulæ super fundamentum bonum iactæ, & næui in pulchro corpore.* Sed verò etiam in hoc sensu Christi promissio fuisset euanida, & portæ inferi aduersus Ecclesiam prævaluissent. Errores enim primi generis sunt reproborum extra Ecclesiam, & propriè hæreticorum, qui à veritate ad fabulas aures auertũt, attendentes spiritibus erroris. Non ad ciuitatem Dei, sed diaboli pertinent. Sũt *purgamenta Ecclesiæ*, non partes eius: sunt *sarmẽta præcisa de vite*, non palmites eius infrugiferi: sunt *canes circumlatrantes Ecclesiam*, non canes in Ecclesia
C turbantes pacem. Denique pertinent, *ad nouam fabricam ante murum*, non sunt vltra veteris fabricæ parietes: postremò *nec sunt in domo Dei vt boni, nec ex domo vt mali Catholici*, sed prorsus extra domũ vt veri hæretici: iuxta varias D. Augustini phrases, quibus vel à malis Catholicis hæreticos discernit, vel ipsos hæreticos describit. Et profecto si in ipsa Ecclesia Catholica militante veritas Dei prorsus deseritur, idq; à maiori parte (sic enim semper intelligunt) certè portæ inferi aduersus eam egregiè prævaluerũt. Posterioris generis erroris inueniũtur in membris Ecclesiæ infirmioribus, *quibus est opus lacte, non solido cibo*, & qui interdum *aliter sapiunt quàm oportet, in eadem tamen permanentes regula*, sed nec in tota Ecclesia, nec in maiori parte. Sunt enim semper in Ecclesia *Spirituales, qui instruant infirmos in spiritu lenitatis.* Sũt perfecti, de quibus Apostolus dicit: *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus*: & horum opera imperfecti, vel corriguntur, vel tolerantur, non donec tempus perfectæ cognitionis adueniat, vt isti homines fingunt, id est, donec nouus aliquis Lutherus, aut Caluin. aliúsve Pseudopropheta exurgat, sed donec ipsis infirmioribus, vel Deus reuelet, vel Spirituales in Ecclesia lucem adferant, quorũ vtrúmq; Apostolus
D posuit. Rursum nũc hæretici ne Christi promissiones negare videantur, fingũt leues & veniales errores, stipulas, & næuos doctrinę in Catholica Romana Ecclesia. At verò ijdem homines aliàs quum singula dogmata examinantur, crassissimos errores, & damnatissimos Ecclesiæ Catholicę obiiciunt: Hac fraude simplicibus imponunt.

Alij finxerunt Ecclesiam Catholicam Romanam (quam solam in orbe extare viderũt) non quidem esse veram Ecclesiam, sed habere tamen in se quasdam Ecclesias, vel saltem quasdam reliquias per omnes ætates in suo corpore habuisse, qui veritatem protestantiũ tenerent: & propter illas reliquias Dei verbũ vacuũ non fuisse, Christi promissiones firmas & solidas perstitisse. Sic scribit Calu. *In summa, in papatu Ecclesias esse dico, quatenus populi sui reliquias vtcũque miserè dispersas ac desertas illic mirabiliter Dominus conseruat. Sed quòd è conuerso deletæ sunt illic notæ veræ Ecclesiæ, dico vnumquemque cœtum & totum corpus carere legitima Ecclesiæ forma.* Sed hoc Caluini commentũ quod cum multis etiam Lutheranis est commune, est longè omnium absurdissimũ & talibus magistris dignum, *Fuerunt* (inquit) *in papatu Ecclesiæ, sed ipse papatus nõ erat Ecclesia.* Si Ecclesiæ fuerũt, cœtus aliqui & societates fideliũ fuerunt. Tales societates aut in communione eius fuerunt, aut non. Si sic, non poterant esse boni fideles qui infidelibus, qui Antichristo, qui idololatris communicabant: *Quæ enim societas luci ad tenebras, quæ conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Aut qui consensus tẽplo Dei cum idolis?* Aut quomodo seruabant præceptũ Apostoli? *Nolite iugũ ducere cũ infidelibus.* quòd si non communicabant, certè extra papatum erant, non in illo, sicut & hodie

3. Commentum de solâ electorum Ecclesia. In locis commun.

Ecclesia duratura semper, habet reprobos & electos. Matth. 16.

1. Cor. 5.

Ioan. 14.

1. Cor. 9.

4. Commentum de varietate errorum & errantiũ. In locis commun. In locis com. tit. de Ecclesia. Aug. li. de vera rel. c. 5. li. de Pastor. c. 8. li. de vtilit. cred. c. 17. & orat. 5. de hæres. de bapt. cont. Donat. l. 7 c. 51. 1. Cor. 3. Philip. 3. Gal. 6. Philip. 3.

Hæreticorum politica & mutabilis doctrina.

5. Commentũ de reliquijs veræ Ecclesiæ in Romana. Inst. lib. 4. c. 2. in fine.

2. Cor. 6.

multi hæretici qui inter Catholicos simulate viuũt. Ergo si fuerũt in papatu, ab illius matris ve- A
ro prodierunt, eius sacris communicabant, ab eius pastoribus verbũ Dei audiebant. Nec enim
in papatu esse poterant, nisi ista præstitissent, sed tanquam hæretici electi fuissent. Rursum si ve-
ræ reliquiæ fidelium erant in papatu, necessario sequitur ipsum Papatum esse veram Ecclesiam.
2. Fideles enim alibi esse non possunt quàm in ipsa Ecclesia. Neq; enim quemadmodum, *in agro*
Matth.13. *dominico inimicus homo superseminat zizania*, sic in agro zizaniorum seminat bonum semen paterfa-
milias, sed tantùm in agro domini sui. Nec quemadmodum in ouili grassantur lupi, ita inter lu-
pos aluntur oues, sed tantum in ouili sub pastore suo aluntur, *& eius tantum vocem audiunt*. Deus
Ioan.10. per falsam Ecclesiam non operatur vel in verbo, vel in sacramẽtis, sed in sola vinea filij sui. Nec
pascit nisi in ouili suo, *in quo posuit Episcopos regere Ecclesiam suam*. Filij regni apud extraneos hære-
Act.20. ditatem non consequũtur. Qualis verò paterfamilias, qualis pastor Christus fuisset, si per tot sæ-
cula suos electos, suos fideles, suas reliquias, nõ nisi in regno Antichristi, nõ nisi apud idololatras
pastores conseruasset, & oues suos lupo cõmisisset? Necessario igitur si in Papatu erant Ecclesiæ,
erant fideles, si erant reliquiç, ipse Papatus erat Ecclesia. Præterea istæ reliquiæ baptizatæ sunt à
3. ministris Romanæ Ecclesiæ, vt hæretici fatentur, & agnoscunt omnes præter solos Anabaptistas.
At ijdem hæretici docent baptismum non posse administrari non nisi à vera Ecclesia, adeóque B
Inst.lib.4. non nisi à ministris ipsis veræ Ecclesiæ, adiuncta quoq; vera Euangelij prædicatione. Sic docet
cap.14.n.4 accuratè Caluinus contra Anabaptistas. Imò & paruulos à suis diaconis baptizatos, Caluinistæ
Les fausses rebaptizari fecerunt, vt testatur Matthæus de Launay Minister quondam Caluinista, in libello
suppositiõs, quodam Gallico. Ergo vel Romana Ecclesia fuit vera & sola Dei Ecclesia, vel hoc commẽtum
liu.2.ch.6. de reliquijs vanissimũ est. Rursum istæ Ecclesiæ seu reliquiæ sic fuerunt in Papatu, vt illę tamẽ
4. *sub Papæ tyrannide* (ait Caluinus) *manserint, & ita manserint vt has sacrilega impietate profanarit, imma-*
Inst.lib.4. *ni dominatione afflixerit, malis & exitialibus doctrinis corruperit*. Hoc si ita est, quomodo non est verũ
cap.2.n.12 quod portæ inferi prævaluerunt aduersus eas, id est, aduersum veram Caluini Ecclesiam? Hoc
si ita est, quomodo potuit Romana Ecclesia esse ciuitas tota rebellis, & aliquos habere fideles,
qui tamen cum cæteris rebellent: esse grex luporum & aliquas habere oues, sed quæ luporum
quoq; rabie imbuantur, esse denique totum corpus mortuum, cuius tamen aliqua pars viuere
dicatur, sed ita vt nullo vitæ officio fungatur? Quid istis absurdius? Præterea quale hoc portẽ-
5. tum est, esse in Papatu Ecclesias, sed non esse ipsum Papatum Ecclesiam? perinde enim est ac si
quis diceret, esse prolem in parentis domo, non tamen ad parentem pertinere domum: esse di-
scipulos in tali schola, ipsam tamen non esse scholam: esse ciues in tali vrbe, ipsam tamen vr- C
bem non esse, sed dissipatum nescio quid: esse membra hominis in corpore, hominem tamen nõ
habere corpus: esse denique partes in tali toto, ipsum tamen in quo sunt partes, non esse totum.
6. Postremò non quæritur de Ecclesijs sed de Ecclesia, ad quam vnam omnes pertinent Ecclesiæ,
& cuius vnius corporis omnes aliæ sint membra. Christus *ædificauit Ecclesiam suam super Petrã*, non
Matth.16. Ecclesiarum reliquias. Iubet *audiri Ecclesiam* non Ecclesiarum reliquias. Paulus ait *Ecclesiam*, non
& 18. Ecclesiarum reliquias, *esse columnam & firmamentum veritatis*. Nisi ergo Ecclesiæ, quæ vna est, &
1.Timot.3. corpus integrum ac plenitudo Christi, vt Paulus loquitur, stabilitatem & perpetuitatem hære-
tici hodie agnoscant, ostendant, teneant, profectò mendacem & euanidam Christi promissionẽ
faciunt. Sed stat illa immota & inconcussa, ideóque omnia hæc hæreticorum nugamenta & e-
uasiones concidunt.

6. Sunt adhuc hodie alij qui propter has Christi promissiones, & propter solius Catholicę Ro-
Commentũ manę Ecclesiæ visibilem conspectum & florentem tot sæculis statum, affirmant Ecclesiã Chri-
delatitante sti non perire, & perpetuò fuisse, sed latitasse in deserto, habuisse quoque non solum reliquias
Ecclesia. quasdam Romanæ adhærentes, quas alij absurdissimè posuerunt, sed veræ Ecclesiæ formam &
politiam externam, habuisse pastores & verbi ministros, qui sacramenta administrauerint, qui
verbum prædicauerint, qui disciplinam exercuerint, qui denique omnia verè Ecclesiæ officia D
exercuerint: sed qui in desertum ab Antichristo compulsi, ibi latitauerint, i. toto orbe dispersi
mundo incogniti fuerint, extiterint tamen & suis inter se satis noti atque conspicui. Hoc impu-
dentissimum paradoxum vnus effrons in Anglia hæreticus, sine omni pudore & fronte, solus
quod sciam inter omnes huius ætatis hæreticos, scripto sustinet, quem in l. 13. Principiorũ fidei
Editione2. olim confutauimus. Et quidem hæc impudentia per seipsam palpandã præbet. Quid enim impu-
dentius dici, quid audacius fingi, quod splendidius mendacium efferri potest, quàm Ecclesiã in
mundo affirmare, cuius nullũ in mundo vestigiũ apparet? Sed huius tenebrionis tenebriosa Ec-
clesia, fugitiua meretrix, & latitans in deserto, omnibus illis Scripturis iugulatur, quæ Ecclesiã
Christi visibilem & conspicuum semper in terris corpus esse affirmant, quas in Domin. 24. post
Pentecosten, & in Feria tertia post Pascha, textu secundo produximus. Omnibus illis ra-
tionibus euertitur, quæ Ecclesiam Christi semper, & necessario visibilẽ esse conuincunt, qua-
1. les hæ sunt. Vt externa prædicatio verbi & Sacramẽtorum administratio fiat. Vt infideles ad fi-
2. dem vocentur, sciántque à qua Ecclesia fidem discant. Vt vnitas in Ecclesia conseruetur, sciánt-
3. que fideles cui se corpori adiungere debeant. Vt disciplina & censura morum exerceatur,
4. constétque qui à quibus corrigendi sint. Ac demum vt Christi gloria non obscuretur, sed no-
5. minis eius confessio conspicua, & illustris apud nationes terræ fiat. Certè hæc Protestantium
hodie doctrina de oppressa per Antichristum Romanum Ecclesia, de occultis & paucis reliquijs

quæ

A quæ finguntur, sed non ostendũtur, de latitantibus & incognitis per omnes ætates pastoribus, denique de casu & interitu veræ doctrinæ per multa sæcula, apertissimè his Christi verbis contradicit, ideóque ex eisdem solidissimè euertitur, quibus de sua Ecclesia dicit, *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Prævaluit enim secundum omnem hanc doctrinam Romana Ecclesia, quam illi blasphemè Antichristianam vocant, contra perpetuos tot sæculorum fideles: qui vel non fuerunt omnino, sed finguntur fuisse tantum (& sic nulla alia ostenditur Ecclesia, quàm Romana) vel si fuerunt, oppressi semper iacuerunt, & ab hac Ecclesia Romana pro hæreticis damnati (sicut omnium aliarum sectarum hæretici) ab omni Christianorum societate electi, ab omni Sacramentorum participatione repulsi, ab omni verbi prædicatione remoti, ab omni populorum collectione impediti fuerunt. Quare contra eos, hoc est, contra fideles quos ponunt, & contra veram Ecclesiam, quam asserunt, prævaluit Antichristus. Nulla Ethnicorum persecutio per totos annos 300. contra primitiuam Ecclesiam sic prævalere potuit, quin ea non obstante floruerit & conspicua fuerit Ecclesia Christi toto orbe dispersa, adeò sanè vt habeamus adhuc hodie illorum temporum scriptores illustres, possimus proferre illorum temporum Episcopos & Pastores, non Romanos tantum (vbi tamen maximè semper viguit persecutio) sed &
B aliarum Ecclesiarum: denique & Synodos illorum temporum, quæ & vbi conuenerint, quid egerint, ostendere valeamus. Quod totum alio in loco à me præstitum est. Quod si ergo his posterioribus sæculis id potuit Antichristus Romanus, quod primorum sæculorũ persecutio ethnica non potuit, quis non videt secundum horum blasphemiam, Antichristum contra Ecclesiã prævaluisse? Quid enim est contra Ecclesiam Christi prævalere, quàm vel eam prorsus è medio tollere, vel ita opprimere vt nullum in ea Christianismi vestigium appareat, nec vllum Christianæ religionis officium exercere valeat? Hæc autem tanta contra Christum blasphemia est, & huius Euangelij promissionem tãta cõtradictio, vt eam seriò sustinere, sit Christũ abnegare, eiúsque in hunc mundum pro salute humana aduentum prorsus mendacem facere: à cuius rei vel minima cogitatione abhorrere animus Christianus deberet. Atqui hæc blasphema hæreticorũ positio fecit hodie nõ solùm, vt cogitauerint hoc multi, & de tota fide in Christum idcirco dubitauerint, sed etiam vt id aliqui asserere nõ sint veriti. Cuius rei memorabile exemplum est, Dauid ille Georgius Hollãdus, homo primũ ex Christiano Lutheranus, ex Lutherano apostata impijssimus, qui seipsum Christum esse & Messiam ac Saluatorem mundi à prophetis promissũ affirmare & prædicare cum nõ modica secta quæ ei Basiliæ cõuixit, nõ est veritus: idque propter hanc Christi promissionem euanidam & falsam. Sic enim ratiocinatus est, vt in libello de hista-
C ria eius ad verbum habetur: *Si Christi* (inquit) *doctrina & Apostolorum eius vera atque perfecta doctrina fuisset, profectò Ecclesia quam illi plantauerunt, suáque doctrina formarunt, debuisset necessario persistere, nec vnquam perire dicente Iesu, quod portæ inferi non prævalerent aduersus eam. Nunc verò manifestum est quod Antichristus doctrinam Apostolorum & extructam ab illis Ecclesiam penitus subuerterit: sicut patet in papatu. Fuit ergo Apostolorum doctrina falsa & imperfecta, &c.* Hæc ille impius & impurus Apostata. Sed tota hæc impietas ex præcedenti hæreticorum doctrina necessario sequitur. Huius enim ratiocinationis quum maior propositio ex hodierno Euangelio perspicuè sit vera, minor vero propositio apud istos hæreticos partim sit confessa, certè ex eorũ doctrina necessario cõsequatur, cõclusionem illi euitare non possunt. Adeo ad paganismum ducit hæreticorum hodie sententia, qua Ecclesiam Romanam regnũ esse Antichristi statuunt. Adeo est necessaria promissionis Christi in hoc Euangelio, quod *portæ inferi non prævalebunt aduersus Ecclesiam suã*, firma & inconcussa fides. Adeo deniq; nobis visa est huius dulcissimæ promissionis prolixior paulo & accuratior explicatio, ad hæreticorum blasphemias aperiendas, fidémque Catholicam stabiliendam necessaria.

Princ. fid. li. 38. c. 10.

Historia Dauidis Georgij Antuerpiæ impressa ann. 1560. Ratiocin.

Tibi dabo claues regni cælorum.

D

LOcus hoc tempore necessarius, explicandi ampliſſimam potestatem à Christo Saluatore his verbis personæ Petri eiúsq; successoribus promissam: propter impios & importunos huius ætatis hæreticos, qui ex hac negata in Ecclesia suprema potestate, omnibus suis hæresibus fenestrã aperuerunt & fundamenta posuerunt. In his quippe verbis totius Ecclesiasticæ potestatis plenitudo designatur. Tota enim & adæquata potestas clauiũ regni cœlorum, est tota & plena potestas supra regnum cœlorum, i. supra Ecclesiam militantem, quę regni cœlorũ nomine in Euangelio passim vocatur. Clauium enim potestas propria est aperire & claudere, quocunque tandem modo id fiat. Clauditur autem & aperitur regnum cœlorũ in tota & completa gubernatione Ecclesiastica. Aperitur videl. quando vel ad communionem Ecclesiæ militantis aliquis primo introducitur per prædicationẽ verbi aut per sacramenta: vel in eadem cõmunione conseruatur per eandem prædicationem, per sacramenta varia, & per legum salutariũ cõstitutionem, vel denique quando præficiuntur aliqui qui vtrũque hoc officium Ecclesiæ præstẽt. Clauditur vero regnum cœlorum, quando ab eadem communione aliquis excluditur, vt per excommunicationem à Sacramentorum communione, per suspensionem ab exercitio alicuius officij spiritualis, per depositionem & degradationem ab ipso officio, vel denique per ligamen peccatorum quæ est absolutionis negatio. Hanc variam apertionem regni cœlorum docent

Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ Petro promissæ.

1. Tim. 4. Scripturæ & Patres. De apertione per doctrinæ prædicationem dicit Paulus: *Attende tibi & doctrinæ: insta in illis. Hæc faciens & teipsum saluum facies & eos qui te audiunt.* Vnde & D. Hieronymus A
In cõment. in c. 14. Esaiæ. scripsit, *Apostolos soluere homines sermone Dei & testimonijs Scripturarum & exhortatione doctrinæ.* Eodẽ sensu scripsit Tertullianus D. Petrum tum in primo baptismo. Act. 2. tum in disceptatione illa
In lib. de Pudicitia. de non seruanda lege veteri, Act. 15. *reseraſſe aditum ad regna cælorum.* Ad hoc genus videlicet pertinet clauis scientiæ in Magistris Ecclesiæ: qua quidem claue quia Magistri veteris Synagogæ
Luc. 11. abusi sunt, taxat eos hoc nomine Christus dicens: *Tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui*
Luc. 24. *introibant prohibuistis.* Hanc clauem Christus exercuit, quum aperiret scripturas duobus discipulis post resurrectionem. Hanc totam potestatem Petro Christus hoc loco promiserat. Vnde S.
In Anchoratu. Epiphanius: *Iuxta omnem modum in ipso Petro firmata est fides, qui accepit claues regni cælorum.* Sic Optatus affirmat: *Solus Petrus claues accepit.* Notat quoque diligenter Origenes discrimen Petri à cæ-
Lib. 1. contra Parm. teris, quòd alij claues cœli, sed solus Petrus claues cælorum, id est, totius Ecclesiæ accepit. *Quo-*
Tract. 6. in Matth. *niam* (inquit) *oportebat aliquid maius habere Petrum, ideò illi quidem sic dicit. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis. Non ergo modica differẽtia est, quòd Petro quidem sint datæ claues non vnius cœli, sed multorũ cælorũ: vt quæcunque ligauerit super terram, sint ligata nõ tantũ in vno cælo, sed in omnibus cœlis, ad eos autem qui multi sunt ligatores, & solutores in terra sic dicit, vt soluant & alligent non in cœlis sicut Petrus, sed in vno cælo: quia nõ sunt in tãta perfectione sicut Petrus.* Hæc ille. Hanc sanè ob causam quando de potestate ligandi & soluendi omnes Apostolos, & in illis
Matth. 18. omnes futuros Episcopos & Pastores alloquitur, sic ait: *Erunt ligata & in cælo, erunt soluta & in cælo.* Sed quum Petro similem potestatem seorsim & particulariter dedit, in plurali loquitur: *Clau-*
Matth. 16. *es regni cælorum, erit ligatum & in cælis: erit solutum & in cælis*: quod sapienter notauit Origenes ad ampliorem Petri potestatem explicandam pertinere. Vnde & Beatus Leo. *Petro* (inquit)
Epist. 89. ad Episc. prouin. Viennens. *præ cæteris est tradita soluendi, atque ligandi potestas.* Propter hanc singularem in Petro clauium potestatem, vocatur à SS. Patribus Beatus Petrus solus & propriè cœli ianitor. Sic Hilarius de illo: *Beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur.* Eadem phrasi vtuntur, & eo-
Can. 16. in Matth. dem titulo S. Petrum ornant, Cyrillus Hierosolymitanus in catechesibus, Sanctus Hippolitus in orat. de consummatione mundi: & Theodorus Studites in Epistola ad Paschalem primum,
Catech. 6. & 17. vt ex eo refert Franciscus Turrianus in lib. pro Epistolis Pontificijs. Augustini testimonia postea proferemus.

Lib. 2. c. 6. Claues in Scriptura quid signent. Huc accedit S. Scripturæ analogia, & modus loquendi alijs in locis. Etenim clauium nomine summa potestas designari in Scriptura sacra solet: *Dabo* (inquit Dominus Eliachim summo sacerdoti qui typum Christi gessit) *clauem domus Dauid super humeros eius, & aperiet, & non erit qui claudet, & claudet, & non erit qui aperiet.* Hic autem per clauem domus Dauid, talem potestatem in Ec-
Esai. 22. clesia denotat, vt quod ab ea constitutum est, ratum apud omnes & firmum esse debeat. Hanc C
clauem Christus præstantissima ratione habet. Ipse enim *sanctus ille & verus est* (ait Ioannes) *qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Petro igitur vices suas in hac vsurpanda claue, hoc est, summam post ipsum authoritatem in terris promisit, quum se illi claues regni cœlorum traditurum promittit: *Largitur enim Christus sua axiomata alijs, suas dignitates & non euacuatur, sed habens dat*, ait S. Basilius. Ac sanè in politicis id obtinere videmus, vt cui regendæ ciuitatis summa authoritas tribuitur, huic tanquam eius dignitatis symbolum quoddam claues ciuitatis tradantur. Vnde & Christus qui ex rebus vulgò vsitatis loquendi formam accipere solitus est, ex hac receptissima consuetudine hanc clauium metaphoram mutuatus fuisse existimari debet.

Quia contra hunc verborum Christi sensum prorsus genuinũ, & litteralem ex Scripturis, & patribus dilucidè confirmatum, quędam tamen cauillãtur hæretici, ea breuiter refutabimus.
Cauillationes hæreticorum refutantur. Quòd aiunt per claues regni cœlorum nihil aliud intelligi, quàm ligare & soluere peccata, quia Christus exponens illas subiunxit, *Et quodcunque ligaueris super terram, &c.* hanc autem ligandi,
1. & soluendi potestatem omnes Apostoli alibi à Christo æqualiter acceperunt, Matth. 18. & Ioã. 20. hac responsione diluitur. Verba illa, *Et quodcunque ligaueris, &c.* non sunt præcedẽtium expo-
D sitio, sed res planè distincta: quod vel sola particula coniunctiua demonstrat. Sicut enim cætera præcedentia per coniunctionem distinguuntur: *Et ego tibi dico: Et super hanc Petram: Et portæ inferi non præualebunt: Et tibi dabo claues*: sic & postremum istud eodem modo prolatum, *Et quodcunque ligaueris, &c.* per coniunctionem distinguitur Christus multa coniunxit, quæ diuersa & distincta erant. Est autem distinctum hoc, vt pars potestatis clauium, non tota & adæquata potestas earum. Porrò Apostoli omnes potestatem ligandi & soluendi æqualiter accepisse à quibusdam patribus dicuntur, à D. Hieronymo, & D. Cypriano, ratione Apostolatus temporanei, &
2. quoad sibi subditos, non autem ratione officij pastoralis perpetuo per successores duraturi, &
Lib. 1. aduersus Iouinianum. in respectu mutuo ad se inuicem. De quo respectu mutuo ad se inuicem idem D. Hieronymus eodem loco dicit, *Petrum cæterorum caput constitutum esse, vt schismatis occasio tolleretur*, & D. Cypria-
In li. de vnit. Eccles. nus eodem loco dicit, *Petro primatus datur, vt vna Ecclesia monstretur.* Denique etsi in potestate ligandi & soluendi æquales fuerint Apostoli, non tamen in tota potestate clauium quę soli Petro à Christo promittitur, & ideo verè data est, non cæteris Apostolis, aut vlli eorum. Quod rursum aiunt claues hoc loco non Petro, sed Ecclesiæ in persona Petri datas fuisse, ideóque S. Augustinum disertè docere Petro datas esse claues, non quia personæ eius datæ sunt, sed quia

toti

A toti Ecclesiæ datæ sunt, cuius ille figuram atque personam gerebat: sic enim illũ scribere. *Quando ei dictum est, tibi dabo claues, vniuersam significabat Ecclesiam.* Resp onde claues quidem ipsi quoque Ecclesiæ datas esse in persona Petri,& in *Petri personam totam esse significatam Ecclesiam, cuius ille personam in figura gestabat,* vt alibi idem Augustinus dicit, sed ideò figuram gestabat Ecclesiæ, & ideò in persona eius tota Ecclesia claues accepit,quia princeps & caput Ecclesiæ erat: quod ab Augustino eisdem in locis dictum aduertere hæretici noluerunt. Ait enim priori loco citato, *propter Apostolatus sui primatum totius Ecclesiæ figurata generalitate gerebat personam.* In posteriori loco citato ait. *Propter primatum quem in discipulis habuit, Ecclesiæ personam in figura gestabat.* Accepit ergo Ecclesia, id est tota communitas prælatorum (sic enim in locis citatis intelligit Augustinus) in persona Petri claues, tanquam in persona capitis: sicuti Respubl. in persona principis, vel Magistratus supremi. Talis acceptio non excludit personam Petri, aut principis in Repub. sed maximè & potissimùm includit. Ille enim non solùm cum cæteris accipit, sed etiam præ cæteris inquantum caput est cæterorum. Sic Rex in persona regni propter primatum quem gerit, accipit à Deo gladium quem portat. Accipiunt quoque eundem gladium alij iudices & prætores etiam ex ordinatione Dei,sed per manũ Regis,& immediatam eius potestatem. Ita Petrus accipit claues in persona omniũ Apostolorũ propter primatũ (ait Augustinus) quas postea cæ-

B teri quoque Apostoli accipiunt,& quidem à Christo,sed per Petrũ:cui soli propterea illis præsentibus Christus illas promisit; posteaque eisdem vel certè quibusdam ipsorum præsentibus (Ioanne, Iacobo, Thoma, primarijs post Petrum Apostolis) de facto illi contulit, dicens illi soli plus cæteris diligenti, *Pasce agnos meos, Pasce oues meas.* quæ Christi verba vide à nobis alibi luculenter explicata. Quod adhuc aiunt has claues vocari à patribus,maximè ab Augusst. passim, *Claues Ecclesiæ,* non claues Petri,imò Augustinum dicere, *Si hoc Petro tantum dictum est, tibi dabo claues, non hoc facit Ecclesia,* Respondeo vocari has claues Ecclesiæ communiter,non claues Petri,quatenus Ecclesia pro toto corpore fidelium accipitur: quia datæ quidem sunt & illi hæ claues, sed ratione finis non formaliter,quia propter fideles,non propter Petrum datę sunt, verè tamen & formaliter ipsi Petro. Vnde Paulus Corinthijs: *Nos serui vestri per Iesum.* Et rursum: *Omnia vestra sunt. Vos autem Christi.* Vocantur quoque claues Ecclesiæ,accipiendo Ecclesiam pro tota communitate prelatorum eo sensu quo suprà dictum est.

Singularem hoc loco cauillationem adfert Caluinus,quam & sequitur Philippus de Mornay,in pestilenti libello gallico de Ecclesia,quæ cõmodè hic refutari poterit. Ait Caluinus claues hoc loco nihil aliud significare nisi potestatem prædicandi Euangelium communiter omni-

C bus Ecclesiæ ministris datam. *Habemus* (inquit) *potestatem clauium esse simpliciter in illis locis* (Math. 16.& Ioan.20.de ligandis & soluendis peccatis) *Euangelij prædicationem, nec tam potestatem esse quã ministerium, si ad homines respicimus.* Et paulo ante quæ sit hæc Euangelij prædicatio exposuit. *Summi* (inquit) *Euangelij hæc est,* quòd per *Christum à peccatis redemptionem accipimus.* Hoc in prędicatione verbi dum annunciantur, soluuntur peccata vel ligantur: *Peccatorum remissio quam annuntiant vera Dei promissio est, damnatio quam pronuntiant certum est Dei iudicium.* Vult ergo totam potestatem clauium nihil esse aliud quàm potestatem annunciandi salutem credentibus, denunciandi interitum incredulis. Et hanc distinctam esse vult à potestate iurisdictionis, quæ est excommunicatio personalis, vel reconciliatio de qua Matth. 18, agit Christus. Hæc interpretatio (ait Caluinus) non arguta,non coacta,non distorta est,sed germana,fluẽs,obuia: Sic ille. Sed certè hæc interpretatio adultera est,violenta, impia. Primũ enim prædicatio Euangelij est tantùm vna pars potestatis clauium,vt suprà ostensum est,non tota eius potestas. Secundò tota sũma Euangelij non est redemptio à peccatis per Christum in sensu Caluini, id est, sola condonatio & remissio peccatorum, sed etiam redemptio à seruitute peccati, vt peccatum nobis non

D dominetur amplius, vt simus populus acceptabilis,sectator bonorum operum,& cætera, vt in alio huius operis loco ostendimus. Tertio annunciatio Euangelij non remittit peccata, sed absolutio in pœnitentiæ sacramento,vt etiam in alio Euangelio ostensum est. Hæc Caluini, & sociorum eius doctrina est vetus Nouatianorum resuscitata hæresis,quippè quæ potestatẽ remittendi peccata in foro interiori ab Ecclesia tollit,vt Nouatus fecit. Quarto impius Caluinus maximè necessariam remittendi peccata potestatem in Sacramento pœnitentiæ tollit,vt sic ab omni pœnitentiæ labore se suósq; expediens peccati regnum confirmet, solam excommunicationis potestatem Ecclesiæ ministris concedit externæ disciplinæ causa. Ita suorũ authoritati prouidet, animas perdit,postremo noua & maioribus nostris hactenus inaudita, & sensui Sãctorum Patrum contraria hæc interpretatio est: adultera igitur non germana, violenta non fluens, & profana non obuia.

Quod si quis hoc loco concionator, id etiam populum docere cupiat, totam hanc Petri prærogatiuam & potestatem supremam in hoc Euangelio explicatam, ad ipsos quoque Petri successores descẽdere, his paucis rationibus,breuiter & solidè præstare id poterit. Ecclesia semper est ædificanda super hanc Petram. Illud enim Christi *ædificabo*, perpetuitatem notat: atque vt egregiè Diuus Chrysostomus docuit,tantam vim habuit verbum illud ad perpetuam Ecclesiæ propagationem, quantam ad humani generis perpetuam generationem, verba illa, *Crescite, & multiplicamini.* Debet ergo semper esse aliquis Petrus, super quem illa ædificetur eo sensu quo iam dictum est. Rursum finis propter quem Petrus accepit à Christo primatum supra alios

Tract.13. in Ioan.
Enarr. in Psalm.108
Ioan.21.
Princ. fid. lib.6.c.10.
4. Tract. 50. in Ioan.
2.Cor.5.
1.Cor.3.
5. Cal.Instit. l.4.c.11. num.1.
Philip.c.7
Vide Ambrosium in li.de pœnit.
Petri potestas ad successores eius derivata.
1. In demonstratione quod Christus est Deus.
Gen. 1. 2.

A

Apostolos fuit conseruatio vnitatis, & confirmatio fratrum. Sed hæc duo perpetuò sunt in Ecclesia necessaria. Ergo & alter Petrus: quia posita necessitate finis, ponuntur media ad eum ordinata. Tertiò potestas Petro hic promissa fuit tunc collata quum Christus ei diceret, *Pasce oues meas*. Tunc enim supremus pastor constitutus est. At pastoris officium ordinarium est, non vt Apostolatus extraordinarium: quòd & ipse Caluinus disertè docuit. Habet ergo in hoc officio successorem ordinarium. Et quis hoc singulariter hodie non videt atque obseruat, omnes aliorum Apostolorũ Sedes & Ecclesias in manus infidelium peruenisse, solam Petri sedem Christum docere & profiteri? Certè Chrys. doctor Græcus disertè scripsit: *Christum ouiũ suarum curam cum Petro, tũ Petri successoribus commisisse*. Quartò quia Synagogæ summum Sacerdotium in Aarone nominatim constitutũ est, ideò non nisi in filijs eius supremi Sacerdotij successio conseruata est. Similiter ergo quia soli Petro nominatim claues Ecclesiæ, & pascendi potestatem supremam Christus contulit, perpetua illa potestas esse debet in eius successoribus.

3.

Lib. 2. de sacerdotio.

4.

Num. 18.

IN DIE VISITATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

B

Luc. 1. *Benedicta tu in mulieribus & Benedictus fructus ventris tui.*

De B. V. Maria honoranda.

LOCVS obseruandi contra hæreticos, qui B. V. Mariam suis mulierculis comparare, adeóq; interdum (si loquaculæ, & in textu Scripturæ, aut aliquo linguarũ gustu versatæ sunt) postponere non verentur, quanto affectu, quo studio, quibus verbis, quã honorificis & diuinis, in laudem & admirationem B. Virg. hæc sancta mulier B. Elisabetha proruperit? Fuit illa ipsa fœmina sanctissima, de qua hoc honorificũ testimonium perhibet Scriptura, quòd *iusta erat ante Deum incedens in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*. Fuit maximi Prophetæ, & plusquam Prophetæ, teste Christo, mater. Et sterilis, & senex non sine magno miraculo peperit: & denique iam adueniente B. Virgine, repleta est Spiritu sancto. Talis ergo & tanta fœmina optimè sciens, quanto tamen esset B. Virg. inferior, & quod (iuxta D. Hieronymi dictum) *cæterarum omnium sanctarum mulierum quasi syderum igniculos clarum Mariæ lumen abscondit*, magnificis verbis eam prædicat: & quidem ante partum, antequam ipsa prædixisset fore, vt *Beatam eam dicerent omnes generationes*, antequam *Angelorum iubila*, *Pastorũ nuncia*, *Magorum munera* accepisset: antequam qualis post partum futura erat, quomodo *verba omnia in corde suo conseruaret*, quomodo pro *indigentibus apud filium suum intercederet*, quomodo *Cruci ipsi sola fœminarum astaret*, quomodo & ipsa *cum Apostolis Spiritum S. de cælo acciperet*, quicquam cognouisset, denique antequã per totum Christianum orbem, vt Regina cœli & mater gratiæ coleretur, antequam beneficiorum magnitudine & multitudine quantum apud Deum posset, innotesceret. Deinde verba ipsa expende. Primũ Angeli verba resumit, quasi & ipsa de cœlo tacta, certè Spiritu S. repleta, & dicit: *Benedicta tu in mulieribus*: Deinde de suo addit: *Et benedictus fructus ventris tui*. Vbi & Virgini gratulatur, & Messiam agnoscit, & humanæ generationis veritatem exprimit. Mox admirabunda exclamat: *Et vnde hoc mihi, vt veniat ad me Mater Domini mei?* Indignã se existimat quæ à matre Domini sui visitetur. Matrem Dei profitetur cõtra veteres hæreticos. Se eius præsentia & salutatione vulgari mirificè consolatam, & honoratã fuisse profitetur cõtra nouos hæreticos, qui hodie nec illam salutare dignantur. Subiungit enim: *Ecce enim vt venit vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*. Postremo addit: *Beata es quæ credidisti*, sermonem in benedictione concludens sicuti ab eadem incæperat. Erubescant & cõfundantur hic omnes hæretici, qui B. Virg. Mariam, post ipsum glorioßissimum filij Dei partum, post tot & tanta sanctitatis eius in Scripturis testimonia, post tam luculentam Spiritus sancti vocem, *Beatam me dicent omnes generationes*, post tam luculentas patrocinij eius in terris testificationes, post concordem totius Ecclesiæ fidem & praxim, adhuc eam venerari detrectant, adhuc (quod execrabilius est) petulanter & contumeliosè de ea loquuntur. Exultent vero in Domino Catholici omnes, qui hanc B. Virginem quotidie reuerenter salutant. Si ad vocem salutationis eius exultauit infans in vtero matris, cur non ad vocem salutationis Angelicæ ad eã factæ exultabit spiritus in ergastulo carnis? Si salutationis officium cognatæ factũ tantã vim habuit, quidni salutatio fidelium tantæ virgini præstita, & quidem ex Ecclesiæ fide ac consuetudine, maximã quoq; vim habebit? Si concepto tantum Christo sic B. Virginem tanta & tam sancta fœmina tam studiosè laudauit, quis fidelium pietatem in huius laudibus occupatam reprehendat, nisi ipse infidelis? *Si repleta Spiritu Sancto* Elisabeth has primas voces emisit, vt B. Virginem studiosissimè prædicaret, quis dubitare potest, quin opus sit Spiritus Sancti proprium, hanc

C

D

Luc. 1.

Præfat. in Sophoniam

Tempus.

Luc. 1. & 2

Ioan. 2. & 19.

Verborum consideratio.

1.

2.

3.

4.

5.

Laudes B. Virg. quã laudabiles.

1.

2.

3.

4.

Virginem

A Virginem collaudare,& prædicare,vt facit Ecclesia? Si beata prædicatur B. Virgo, quia credidit,quanto nunc beatior erit,atque eo nomine à nobis prædicanda beata,quæ amplissimos fidei sui fructus iam acquisiuit,quæque fidem illam tunc inchoatam tantùm, multis & miris modis postea adauxit,maximè tunc quum filium pro salute mundi in Cruce pendentem præsens videre,ipsique cruci assistere voluit? Hæc & his plura pius concionator tam contra hæreticorum hodie seu furorem, seu petulantiam in despectu tantæ Virginis, quàm pro tuenda & asserenda Catholicorum pietate in hac B. Virgine perpetuo colenda & inuocanda & prædicanda, ex hoc Euangelio depromere poterit. 5°

2. *Et vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me?*

LOcus contra hæreticos de Beatæ Virginis Mariæ, quam illi nullo præ cæteris in honore habent,honore suprà cæteros mortales omnes longè excellentissimo. Hoc enim vno verbo,quo *Matrem Domini sui* hanc B. Virg. vocat,quàm multa,quàm magna,quàm mirabilia dicit? Matrem Domini sui, id est,Matrem Dei vocat. Neque enim alium Dominum hæc sanB cta mulier Elisabetha coluit, quam Deum verum,Deum Patrum suorum. Hoc nempè illud est, quod de hac vna Virgine, ac Dei Matre tot figuræ adumbrabant, tot Prophetarum vaticinia prædicabant, tot Scripturæ veteris elogia cõmendabant. Idcirco Aaronis virga,vellus Gedeonis,virga Iesse apud Esaiam, porta clausa apud Ezechielem,hortus cõclusus,fons signatus,thronus & templum Salomonis, ipsáque Arca testimonij, denique pulchra vt Luna, electa vt Sol, imò mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, hæc vna beatissima Virgo à patribus exponitur, & intelligitur, quia Mater Domini nostri est. Aaronis virga arida & sine cortice vna nocte floruit,floréque & nuces protulit. Sed *qui fecit virgam sine humore folia germinare, ipse fecit filiã Dauid, sine semine generare*, ait Sanctus Augustinus,*& qui propter typicum Sacerdotium Virgæ dedit præter naturam fructum ferre, ille ad summum Sacerdotem & Pontificem animarum nostrarum generandum, Virgini dedit Domini sui Matrem esse*, ait Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus. Denique *idcirco virga potuit contra naturam nuces educere, vt nos doceremur, quod & virgo possit contra naturæ iura Dei filium generare*: ait iterum Sanctus Augustinus. Iam verò Gedeonis vellus, in quod solum ros cecidit, quum in omni reliqua terra siccitas esset, hanc Domini Matrem præsignificauit, in quam sicut pluuia in vellus descendit Dei filius,quod sic eleganter explicat Sanctus Ambrosius. *Rectè*
C *Maria velleri comparatur,de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est: siquidẽ de molli eius sinu agnus egressus est,qui & ipse matris lanicinium, hoc est, carnem gestans molli vellere cunctorum operit vulnera populorum*. Virgam de radice Iesse apud Esaiam Mariam esse, ex cuius radice flos Christus ascendit, & ortum cœpit; Portam clausam apud Ezech. *per quam vir non transiuit, quia Dominus Deus Israël ingressus est per illam, & erit clausa principi*, non nisi Mariam intelligi solius Dei Matrem, & à solo Deo cognitam, *quoniam virum non cognouit*, explicatione à Patribus opus non habet, quum alium sensum illa loca prophetica non admittant: *Hortus conclusus, fons signatus* Maria in Canticis designatur, quia ille summus ille hortulanus *inter lilia pascit,& cubat in meridie*, & ex illa aquarum exuberantia plenitudo illa gratiarum profluxit, de qua plenitudine accepimus omnes. Nec incongruè thronus & templum Salomonis Maria mater Dei, quandoquidem in ea plusquam Salomon requieuit: in ea Deus habitaculum suum fecit, *quum Spiritus Sanctus in eo requiesceret, & virtus Altissimi obumbraret eam,& quod ex ea nascebatur, sanctum erat*: imò Sanctus Sanctorum erat. Nec arca testimonij minor est, in qua non Manna de Cœlo cadens, sed *panis de Cœlo verus, mundi vita*, clausus in vtero tenebatur. Postremo pulchra vt Luna, electa vt Sol, quæ lucem illam peperit, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun*D *dum*: qualem nec Sol per diem, nec Luna per noctem, dare potuit. Imò mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, vt pulchrè explicat diuus Bernardus: *Defectus* (inquit) *omnis sub ea, & quicquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis, vt meritò sub pedibus eius Luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbitur, vt sit Luna ista sub pedibus eius, quam super omnes Angelorum choros, super Cherubin quoque & Seraphin exaltatam esse nefas est dubitare. Sed & iure perhibetur amicta Sole, quæ profundissimam diuinæ sapiẽtiæ vltra quam credi valeat penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione, creaturæ conditio patitur, lucí inaccessibili videatur immersa*. Hæc Bernardus. Sed ex eo vno elogio verissimo, quod Mater Domini nostri est, quantam & quam variam excellentiam, quot & quam ingẽtes prærogatiuas SS. patres annotauerint, succinctè commemorabo. Mater Domini nostri est, ergo *non solum de plenitudine filij Dei, vt nos, sed ipsam plenitudinem accepit, concepit, peperit*, ait Anselmus. Mater Domini nostri est: ergo *sola hanc gratiam consecuta est, vt gratiæ repleretur Authore*, ait sanctus Ambrosius. Mater Domini nostri est, ergo *sic plena gratia, vt eum conceperit in quo diuinitatis plenitudo habitat corporaliter*, ait sanctus Hieronymus. Mater Domini nostri est, ergo *in eam Spiritus S. descendit cũ omnibus suis essentialibus virtutibus*, ait Athanasius. Mater Domini nostri est, ergo *iam Deo dicatam omnique virtute plenam, de qua nasceretur, Dominus elegit*, ait Augustinus. Mater Domini nostri est, ergo omni illa puritate, sanctitate, perfectione imbuta fuit, quæ in ea desideratur, quam ad tam excellentem finem Deus ordinauerat, vt disputat appositè S. Thomas. Mater Domini nostri

Num. 7.
Ser. 14. de Nata. Dõ. Catec. 17.
Ser. in Domin. ante Nat. Dom.
Iudic. 6.
Psalm. 17.
Serm. 13. de Nat. Dom.
Esa. 10.
Ezech. 24.
Luc. 1.
Cant. 2.
Luc. 12.
Ioan. 6.
Ioan. 1.
In serm. de V. Maria.
De excel. B. V. c. 8.
Lib. 1. c. 2. in Lucam.
In ep. ad Princip.
In Euang. de SS. Deipara.
Lib. de S. V. c. 4
3. p. q. 27. art. 4.

A est, ergo quum vnumquodque magis appropinquat principio & radici alicuius causæ, eo magis participat effectum causæ, hæc B. Virgo arctissimè propinqua Christo secundum humanã naturam, secundum quam instrumentaliter principium omnis gratiæ Christus fuit, gratiæ omnis magis particeps fuit, quàm vlla alia creatura particeps esse potuit: vt idem S. Thomas rectè disputat. Mater Domini nostri est: ergo *plus gratiæ accepit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*, ait rursum S. Augustinus. Mater Domini nostri est, ergo *honoratior Cherubin, glorioſior incõparabiliter Seraphin*, ait Sanctus Chrysostomus. Mater Domini nostri est; ergo *totius orbis thesaurus, per quam cœlum exultatur, per quam Angeli & Archangeli lætantur*, ait Cyrillus Alexandrinus. Mater Domini nostri est, ergo *vincit omnes cœlitum ordines, Regina, Domina, generis humani gaudium*, ait Gregorius Nazianzenus. Mater Domini nostri est: ergo *reuera facta est Domina omnium creaturarum, quæ conditoris omnium effecta est mater*, argumentatur Damascenus. Mater Domini nostri est, ergo *mons ille vnde lapis sine manibus excisus est. Mons inquam, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit, & meritorum verticem super omnes Angelorum choros euexit*, ait Gregorius Magnus. Denique Mater Domini nostri est: ergo *plus omnibus liberatis impendere potest suffragium, quæ pro omnibus liberandis meruit proferre precium*, ait Fulbertus Carnotensis Episcopus. Postremò Mater Domini nostri est, ergo & omnium seruorum eius. Quid? An quenquam pudebit Mariã matrem habere, eam sibi patronam ac Dominam profiteri, quæ Mater Dei fuit? An Christianorum omnium Mater B non erit, quæ Christi M. erat? Quod si M. omnium, ergo & omnium Domina, Patrona, Aduocata. Matres honoratæ à filijs suis Dominæ vocantur. Est ergo hæc Mater honoratissima sic mater nostra, vt & Domina sit. Hæc contra hæreticos proferri possunt, vt cultum, obsequiũ, deuotionem Catholicorum in hac B.V. singulariter inuocanda & colenda (ad cuius etiam honorem multi in multis celebribus Academijs & vrbibus, in sodalitium certum B.V. sese scribunt, magnúmque inde & pietatis in Deum, & varij spiritualis fructus incrementum accipiunt) concionator Catholicus solidè defendat.

Ibid. a. 5.

De nat. & grat. c. 36.

In liturg. Hõ. 6. con. Nestor.

In tra. Christi patiens.

De orthod. fid. l. 4 c. 15

Dan. 2.

In lib. 1. Reg. c. 1.

In serm. de fest. Assumpt.

Sodalitia B. V.

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENÆ.

Lucæ 7.

Stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. C

Pœnitẽtiæ doctrina orthodoxa.

LOCVS oportunus explicandi, qualis debeat esse peccatoris ad Deum conuersio, vt remissionem peccatorum obtineat, contra hæreticos horum temporum, qui hanc doctrinæ Euangelicæ partem maximè necessariam, & latissimè patentem, pestilenter corruperunt. Docent enim illorum aliqui, vt Lutherus & eius sectatores rigidi, solam emendationem in posterum requiri, absque dolore de præteritis, iuxta illud quod dici solet (ait in articulis damnatis Lutherus) *Optima pœnitentia noua vita*. Imò ait in quadam concione *ex huiusmodi dolore & contritione affectata hominem hypocritam fieri, magisque peccatorem, ideóque nihil condonandum relinquere*. Hæc eius absurdissima hæresis fuit. Melanchthon docet quidem terrores, & pauores conscientiæ ex lege perterræfactæ, & in illis totam vim pœnitentiæ ponit: dolorem ex charitate profectum propter Deum patrem offensum, qui verè filialis dolor est, & veræ contritioni proprius non docet. Sed eo neglecto, & pœnitentiæ operibus prætermissis, statim ad fiduciam & specialem fidem suos se conferre docet, vt non dubitent sibi propter Christum peccata remissa. Quod certè est per saltum velle iustificari: sed saltum huiusmodi, qui præcipitium adferat. Caluinus homo suauis docet Patres hortari peccatores pœnitentes ad gemitus, & planctus, & lamenta aliáque opera pœnalia, *Non* (inquit) *vt his verbis quid esset pœnitentia docerent, sed vt pœnitentes hortarentur ne in pristina vitia relaberentur*. Quod quàm sit crassum mendacium mox ex Patrum citatis verbis ostendetur. Atque hæc quidem illi. At vero in hoc Euangelio Beatæ Mariæ Magdalenæ pœnitentia, & per quam Christum ad misericordiam flectere, veniámque peccatorum impetrare volebat, longè aliud nos docet, illud sanè quod aliæ Scripturæ, quod Sancti Patres olim, quod Ecclesia Catholica hodie docet. Magdalena lachrymatur, & inter epulas lachrymatur, & sic effusè lachrymatur, vt lachrymis suis pedes Domini rigauerit. Addit lachrymis oscula pedum, humilitatis, simul ac dilectionis illustre argumentum. Nec osculatur obiter, sed incessanter: *Hæc ex quo intrauit* (ait Christus) *non cessauit osculari pedes meos*. Osculari satis non potuit. Obsequium iungit, in fœmina & tali fœmina peccatrice, longè maximum. Capillis suis, quibus fœminæ omnes decorem, sed peccatrices etiam voluptatem quærunt, pedes Domini tetigit. His lachrymis, his osculis, huic obsequio adiungit munus precioſum, liberalitatẽ exercet. Vnguẽto vngit. Hæc omnia

Art. 6. apud Roffensem.

In Apolog. confess. August.

Instit. li. 3. cap. 4. n. 1.

Magdalenæ pœnitentia.

1. 2. 3. 4.

A omnia acerbi doloris, & maximæ dilectionis argumenta sunt. Vnde & Christus profitetur dilectionis magnitudinem (ex qua certè dolor ille intensus exoriebatur, dolor enim peccati respondet amori Dei in quem peccauimus) remissionis peccatorum causam fuisse, his verbis, *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quæ quo modo intelligi debeant, postea dicemus. Deinde hęc mulier pœnitens, in quibus peccauerat, per ea seipsã castigat, legem pœnitentiæ seruans. Quod his verbis describit Gregorius, *Oculis terrena concupierat, sed hos tam per pœnitẽtiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat,* & lasciuis osculis sæpius peccauerat, *sed pedes Domini osculans hos in Redemptoris sui vestigia figebat. Vnguentum sibi pro odore carnis suæ exhibuerat. Quod ergo sibi turpiter exhibebat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum: vt totum Deo seruiret in pœnitentia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa.* Hæc ille. Hæc igitur pœnitens legem pœnitentiæ ab Apostolo descriptam exactissimè seruauerat, *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ ad sanctificationẽ.* Hæc fuit Magdalenæ pœnitentia, cui Christus remissionem peccatorum ex tempore largitus est, quam Christus studiosè coram omnibus collaudauit, cuius singulas partes, lachrymas, osculum, vnguentum, Christus in mẽsa recensuit,
B vt officia illi longè acceptissima, atque gratissima: atque ideo subiungens, *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Quantus impostor Lutherus, qui hæc omnia doloris argumenta, & pœnitentiæ officia, hominem hypocritam facere magisque peccatorem cõstituere docuit? Longè aliud hoc nos Euangelium docet, & Christi Saluatoris studiosa commendatio, & singularis gratia huic pœnitenti præstita. Sed nunc ad alias Scripturas, & Sanctorum patrum dicta veniamus.

5.

Luc. 7. 6.

Hom. 33. in Euang.

Pœnitentiæ lex.

Rom. 6.

Docent disertissimè Scripturæ sacræ, tum verbis tum exemplis, homini pœnitenti, & ex peccatis ad Deum se conuertere volenti, ac peccatorum remissionem consequi desideranti, dolorem imprimis eumque acerbum & intensum necessarium esse. Petrus abnegato Christo *exiuit foras, & fleuit amare*: posteaque in signum veniæ factæ, Christus à mortuis resurgens ei inter primos apparet. Ieremias suorum pœnitentiam ita describit, *Ploratus & vlulatus filiorum Israel, quia iniquam fecerunt viam suam.* Dauid expertus profitetur, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Quare huic pœnitentiæ studio sese diligenter daturum ait, *Lauabo per singulas noctes lectum meum & lachrymis meis stratum meum rigabo.* In quæ verba Ambrosius, *Qui sui solicitus gubernator est, atque ingemiscens & dolens superioris lapsus offensam quærit quomodo abluat fluctibus pœnitentiæ, hic lauat per singulas noctes lectum suum.* Et huius suæ pœnitentiæ fructũ expertus Dauid, veniamque consecutus gratias agit dicens, *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.*
C *Illæ enim legationem solent suscipere pro delictis*, ait alibi Sanctus Ambrosius. Vnde & Ieremias, *Postquã ostendisti mihi* (peccatum meum me videre fecisti) *percussi femur meum: quod plangentis & super errore pristino plorantis indicium est*, ait Sanctus Hieronymus in commentarium ibidem. Ioël quoque similiter, *Conuertimini ad me in planctu & fletu.* Sed & in ipsa Apostolica doctrina (ne quis vel veteris populi pœnitentiam per Euangelii gratiam aboleri existimet, quod nullus hæreticorum hodie apertè adhuc dicere ausus fuit: vel Magdalenæ & Petri lachrymas, pias quidem sed non necessarias arbitretur) luculenter apparet dolorem acerbum pœnitenti esse necessarium. Audito enim Corinthii fornicarii flagitio, primum taxat Paulus totam Corinthiorum congregationem, quod ad pœnitentiam hominem non compulerint, *Vos*, inquit, *inflati estis, & nõ magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Postea vero quum officium feciſſent, tam ipsos quàm eum qui deliquerat, collaudat, & consolatur, pœnitentiæ susceptæ vim & fructum ostendens, *Gaudeo* (inquit) *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundum Deum* (id est propter amorem & offensam Dei susceptа) *tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Sæculi autem tristitia mortem operatur.* De ipso autem pœnitente superius dixe-
D rat, *Sufficit ei qui eiusmodi est obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt econtrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est.* Hic ergo fornicarius, vt ante tristitiam & dolorem pro peccato susceptum grauiter ab Apostolo arguitur, & quidem ita, *vt eũ Satanæ tradat in interitum carnis*, sic postea dolens, & contristatus de peccato erigitur, veniaque donatur, *Cui*, inquit Apostolus, *aliquid donastis & ego.* Et rursum, *Obsecro vos vt confirmetis in illum charitatem.* Hoc illustre exemplum doloris pro peccato in pœnitentia peccatoris & necessitatem certam, & fructum præstantem contra omnes hæreticorum hodie cauillos & euasiones luculenter demonstrat. Sanctorum patrum doctrina non minus est hac in re clara & perspicua, quam certè ex istis Scripturis hauserunt, & ex fide publica Ecclesiæ scripserunt. Cyprianus lapsos in persecutione his verbis hortatur, *Agite pœnitentiam plenam: dolentis & lamentantis animi probate mœstitiã.* Clarius Augustinus, *Non sufficit mores in melius commutare, &c. nisi de his quæ facta sunt satis fiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium.* Similiter & D. Gregorius, *Nequaquam satisfacimus si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quas dileximus, appositis lamentis insequamur.* Quæ duorum clarissimorum Ecclesię doctorum verba tam Lutheri insaniam, quã Caluini ridiculam euasionem superius positam manifestè iugulant. Sed & rationem subiungit Gregorius, ob quam necessaria sit hæc pœnitentiæ pars, *Neque enim* (ait) *Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrariis medetur.* Quod vt melius intelligatur, illud te-

Dolor pœnitentię pars præcipua & necessaria.

Luc. 22.
Ierem. 3.
Psal. 50.
Psal. 6.
In Ps. 118. cõc. 7. n. 7.
Psal. 55.
In psal. 37.
Ierem. 31.

2. Cor. 7.

2. Cor. 2.

1. Cor. 5.
2. Cor. 2.

Ser. 5. de lapsis.

Hom. 50. ex 50. Curæ Past. Par. 3. Admõ. 31.

nendum est, proprium peccati remedium esse ipsum de peccato dolorem. Quod his verbis ele- A
Hom. 5. de pœnit. & 7. ad pop. Antioc. ganter docet S. Chrysostomus, *Mulieri minatus Deus dicensque, in dolore paries filios tuos, ostendit dolorem peccati fructum. Sed ô magnum donum. Quod in pœnam dedit, in salutem vertit. Peccatum dolorem peperit, dolor peccatum contriuit. Et quemadmodum vermis in ligno natus idipsum comminuit, sic dolor de peccato natus peccatum contriuit per pœnitentiam inductus*, id est, voluntariè assumptus. Quomodo autem dolor animi sit remedium peccati à Deo confectum, idq; solius peccati non alicuius alterius mali, vide Chrysostomum qui hoc ex Apostoli verbis, *Tristitia secundum Deum salutem stabilem operatur*, elegantissimè deducit. Vide etiam eundem lib. 2. de compunctione cordis. Certè D. Augustinus in tota actione pœnitentiæ, qua ad Deum peccator conuertitur, huius doloris maximam rationem habendam docet, *In actione* (inquit) *pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis quàm doloris.* Vnde & Chrysostomus, *Qui proposito excitato feruet, breui temporis momento longæui temporis peccata delere poterit.* Cuius certè exemplum B. Magdalena fuit. Postremo hãc ipsam ob causam (vt ex ipsa quoque veteris Ecclesiæ praxi refutentur hæretici) diuturnæ illæ certorum annorum pœnitentiæ in veteri & primitiua Ecclesia pro magnitudine doloris, in pœnitente ex arbitrio Episcopi relaxabantur. Sic Nicænum Concilium primum proposita decennali pœnitentia, *Sed in his omnibus* (inquit) *propositum & speciem pœnitentiæ conuenit explorare. Quotquot enim metu* B
Hom. 15. in 2. ad Cor. *In Enchirid. c. 65.* *& lachrymis atque patientia conuersionem suam non simulationem demonstrant, de his licebit Episcopo aliquid humanius cogitare.* Sic Concilium Neocæsariense, *Conuersatio eorum & fides tempus abbreuiabunt.* Sic
Cap. 12. patres Concilii Ilerdensis, *Maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare.* His ergo omnibus instructus Concionator, saluberrimam hanc pœnitentiæ doctrinam exemplo B. Magdalenæ in hoc Euangelio proposito
Can. 3. Can. 5. luculenter tradere & contra pestilentes horum temporum hæreticos solidè confirmare poterit. Hæc autem pœnitentiæ pars illa est quam contritionem Theologi vocant, & remissionem
Contritio non meretur remissionem peccatorũ, sed disponit ad eam. peccatorum præcedit, non vt causa meritoria aut efficiens, sed vt necessaria dispositio. Quo etiam sensu intelligendum quod Christus dixit hoc loco de Magdalena, *Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum.* Non enim docet dilectionem præcedentem causam effectricẽ aut meritum fuisse consecutæ remissionis peccatorum, sed fuisse egregiam peccatricis dispositionem & præparationem, quam Christus misericorditer respexit. Quæ enim necessaria sunt, habent modum causæ sine qua non. Actus fidei, dilectionis, timoris, doloris, spei, orationis, aliarũque virtutum quas ex præueniente Dei gratia peccator exercet, disponunt eum, redduntque idoneum cui Deus remittat & condonet. Neque enim absque illis condonabit, *Sine fide impossibile est placere Deo. Qui non diligit, manet in morte. Qui sine timore est non poterit iustificari. Vos inflati estis,* C
Heb. 10. 1. Ioan. Eccl. 1. 1. Cor. 5. Psal. 40. *& non magis luctum habuistis. Sentite de Deo in bonitate. Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi.* Hæc omnia docent media quædam & principia ad condonationem necessaria hæc singula esse, non autem ipsius condonationis merita, sicuti bona opera hominis iam Deo grati & reconciliati, ac Spiritusancto donati merentur apud Deum mercedem vitæ æternæ. Hæc explicatio non est importuna propter hæreticos qui cauillantur, & calumniantur doctrinam hac in parte
Calumnia hæretica repellitur. catholicam, quasi has præuias remissioni peccatorum pœnitentiæ partes ita doceremus, vt vi ac virtute & merito earum, id est, aiunt illi, qualitatum & operum nostrorum, Deum nobis remittere peccata assereremus. Qua in re dupliciter mentiuntur. Primum quod in his pœnitentiæ
1. 2. exordiis meritum remissionis nos ponere aiunt: deinde quod vocant hos actus pœnitentiæ, qualitates nostras, & opera nostra, eo sanè sensu quasi ex nobis essent sine speciali Dei gratia. Hoc catholica Ecclesia nunquam docuit. Hoc in ea nos nunquam didicimus. Virtutes morales ethnicorum, dolores interdum peccati quos sustinent, inuocationẽ qua vtuntur diligentissimè distinguimus à fide, dilectione, timore, odio peccati, spe veniæ, quæ in peccatore pœnitente & vel iam Christiano sed relapso, vel in non Christiano, sed vt minimum Catechumeno, & qui Chri- D
stianum se fore profitetur, ponimus. Hæc enim omnia à præueniente & speciali Dei gratia in illis proficisci, siue membra Christi iam sint saltem per fidem, siue non: illa vero à solis naturæ viribus oriri docemus. Atque ita nullum habere ad gratiam remissionis peccatorũ ordinẽ immediatum: hæc autem habere, quia gratię opera sunt, & à Deo principium habent. Vide plura in parte quadragesimali feria 5. post Dominicam Passionis.

Capillis suis tergebat, & osculabatur, & vnguento vngebat.

In Dom. Palm. DE his externis pietatis officiis, quibus B. Magdalena Christum variè in hoc Euangelio
Externa pietatis officia. persequuta est, idque absque vllo Dei præcepto, sed solo diuini Spiritus instinctu & ex abundantia dilectionis in Christum, vide quæ contra hæreticos omnem Dei cultum non scriptum condemnantes in alio loco disputauimus. Et obserua Simonem Christi hospitem virum (vt apparet) minimè malum, sed qui à Magdalenæ dilectione longè aberat, quique totam hanc Magdalenæ deuotionem improbabat, vel saltem superfluam existimabat, eam videlicet suo in Christum amore qui tenuis & vulgaris erat metiens, eos homines ad viuum repræsentare, qui quum erga Christum & Sanctos eius tenuiter afficiantur, ideoque tenui admodum aut fortè nulla eos veneratione externa persequantur, frigidè festa colant, raro templa adeant, oscitanter

orationi

A orationi incumbant, monimenta & reliquias visitare negligant, aliorum pietatem, deuotionem, feruorem circa Christum & Sanctos eius, pro ardentiori qua in eos flagrant dilectione, vel deridենt & subsannant tanquam superstitiosam (vt hæretici) vel certè superfluam ducunt, vt mali catholici, qui quando eos vident Christi & Sanctorum festa religiosè colere, eorum reliquias & monimenta studiosè visitare, ad ea peregrinari, ea muneribus & donis exornare, aliqua reliquiarum fragmenta secum apportare, collo circungestare, reuerenter tractare, in Ecclesiis diutius, & feruentius lachrymabundè orare. Sed sunt hæc omnia dilectionis in Christum & Sanctos argumenta Deo & Sanctis gratissima, & quæ sua mercede non carebunt: imo propter quæ haud dubiè & huiusmodi dicet Christus, *Remittuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum.* Et (vt ait Petrus) *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Petr. 4.

Fides tua saluam te fecit.

LOcus hæc verba dexterè explicandi, atque ostendendi quod pro hæreticorum sola fide nihil planè faciat: sicut habes explicatum in Dominica Quinquagesimæ & Dominica 18. post Pentecosten. Sed fidei hoc in loco salus tribuitur, quia fidei commendatio maximè nunc
B ad rem faciebat præsentem, propter illorum murmur qui à Christo remitti peccata non credebant. Quum enim variæ causæ ad vnum effectum concurrunt, illa causa à sapientibus magis exprimitur & commendatur, quæ rei præsenti maximè subseruit. Alioqui & charitati quoque peccatorum remissio prius attribuitur. *Fides cur commendata.*

IN FESTO SANCTI IACOBI APOSTOLI.

Sedere ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Matt. 20.

C  OCVS oportunus docendi contra hæreticos hodie, distinctas in cælo coronas (de quibus in festo SS. Philippi & Iacobi egimus) non fie à sola Dei largitate aut præelectione ac prædestinatione pendere vt eorum qui coronabuntur necessariam cooperationem, labores & merita excludat. In hoc enim Euangelio postulantibus filiis Zebedæi singulares in regno Christi coronas & honores, primum & ante omnia de laboribus quibus eò peruenitur necessariis proponit, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Hoc enim eos interrogabat non ignorans quod re vera bibituri essent, sed *ideo interrogat* (ait Chrysostomus) *vt omnes audiamus quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem Christi fuerit imitatus. Res enim preciosa non nisi precioso precio comparatur. Passionem autem Domini dicimus non solum persecutionem gentilium, sed omnem violentiam quam patimur contra peccata certantes.* Hæc ille. De hac imitatione necessaria passionum Christi, vt intremus in gloriam in alio festo egimus. Deinde addit, vt huiusmodi laborum & passionum necessitatem magis confirmet, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.*
D Hoc est: Nolite putare rem hanc esse simplex donum, aut à sola donantis voluntate pendere, quia nec meum est dare vobis, vt filius hominis sum à quo ista petere videmini, (hæc enim verba in forma serui dicit, vt exponit Augustinus) nec pater meus simpliciter hoc dat, sed quibus paratum est, id est, qui apti & digni sunt vt accipiant. Nõ enim est aliis paratum, iuxta illud Apostoli, *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Vnde in hæc verba Diuus Hieronymus, *Regnum cælorum non est dantis* (tantummodo scilicet & simpliciter) *sed accipientis. Non enim est personarum acceptio apud Deum: sed quicunque talem se præbuerit, vt regno cælorum dignus fiat, hic accipiet quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis qui consequamini regnum cælorum, quod pater meus victoribus præparauit, vos quoque accipietis illud.* Hæc Hieronymus. Adeo nempe ab operibus non à personis electis hæc res pendet, adeo meritis & laboribus non simplici & soli electioni vita æterna tribuitur, vt sensum Christi ad istos duos discipulos hoc modo Chrysostomus exponat, *Si aliquis alius venerit, cum martyrio ampliorem virtutem possidens, non quia vos amo, illum expellam & vobis dabo primatum. Ideo non simpliciter dicit Christus, Non est meum dare, sed non est meum vobis dare, sed quibus paratum est, his scilicet qui ab operibus possunt fieri clari.* Hæc ille. Sic & Origenes vtroque antiquior, *Quoniam huiusmodi donum solius Dei est qui super omnia est, conspirantis, & cooperantis & confirmantis in huiusmodi eminentia quos viderit aptos, ideo dixit eis, Nescitis quid petatis. Non est meum dare vobis.* Nempe hoc est quod Christus alibi apertissimè dixit, *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Verum nihilominus est quod *quos Deus prædestinauit, hos & vocauit, iustificauit, glorifica-*

Vita æterna non personis præordinatis, sed merito personarũ confertur. *Hom. 35. in Matt. in opere imperf.*

De Trin. li. 1. c. 11. *2. Tim. 2.* *In com. ad hunc locũ.*

Hom. 66. in Matt.

Tract. 12. Matt.

Matt. 11. Rom.

uit. Sed contra hæreticos aduertendum est, in ipsa prædestinatione & electione diuina, non solum finem ipsum & vitam æternam, sed etiam media ad hunc finem necessaria includi, vt fidē, bona opera, patientiam, & cæteras virtutes. Quibus certè mediis ipsa prædestinatio iuuatur & completur. quod in exemplo Rebeccæ docuit ex Scriptura S. Gregorius his verbis, *Omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinauerat: & tamen scriptum est, deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit* (iuxta illud, *in Isaac vocabitur tibi semen*) *cur coniugē sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impletur: quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit vt filios habere potuisset.* Hæc Gregorius. Ad hunc igitur modum paratum est regnum cælorum à Deo patre, prædestinatione quidem æterna, sed sic vt eadem prædestinatio fide & bonis operibus compleatur, nec aliis paratum sit quàm qui per huiusmodi media eò contendunt, & sterilem suam naturam precibus iuuant, rectoque diuinæ gratiæ vsu in bonis operibus fructificant. Alia duo huius Euangelii loca vide explicata Feria 4. hebdomadæ 2. quadragesimæ.

Dialog. li. 1 ca. 8.
Gen. 25.
Gen. 21.

A

B

IN DIE SANCTI LAVRENTII MARTYRIS.

Si quis mihi ministrauerit, Pater meus honorificabit eum.

Ioan. 12.

HOCVS esse potest, (siue quia in hoc Euangelio de iis qui speciali modo Christo ministrant, honorificè Christus loquitur, siue quia in eius festo hoc Euangelium recitatur, qui egregius Christi minister fuit; tum officio, & vocatione quia diaconus erat: tum virtute & merito, quia potius quàm diaconatus sui & ministerii Ecclesiastici munus desereret, instrumenta proderet, acerbissimam mortem pati maluit) de ipso ministerio Ecclesiastico eiusque in prisca Ecclesia variis ad Dei cultum ornamentis aliquid obiter differendi, cōtra prophanos & barbaros horum temporum hæreticos, qui in suo ministerio circa Dei cultum ab omnibus externis Ecclesiæ & altarium ornamentis, non secus quàm à summa quadam superstitione abhorrent. In vita quippe & martyrio S. Laurentii, qui circiter annum salutis 260. passus est, cuiusque historiam multi antiqui patres in suis sermonibus exornarunt, Sanctus Ambrosius, S. Augustinus, S. Leo, Eusebius Emissenus, & alii, memoriæ proditum est, B. Laurētium Diaconum S. Sixti Romani Pontificis, (accepto ad hoc ab eodem S. Pontifice mandato quum ad martyrium duceretur,) amplos admodum Ecclesiæ thesauros, vestes sacras, vasa aurea, aliaque ornamenta Ecclesiastica, pauperibus Christianis distribuisse per varias vrbis Romæ regiones, vbi vel in cryptis vel in ædibus piorum collecti Christiani latitabant. Ex qua historia patet habuisse tunc etiam illo persecutionis tempore, & quidem in primis quasi Christianæ fidei annis, Ecclesiam ipsam fideliumad Ecclesiastici ministerii vsus, thesauros, & ornamenta varia, de quibus sic Prudentius, poëta Christianus antiquissimus, in passione S. Laurentij cecinit.

De ministeriis Ecc. ornamētis.

Lib. 1. Offic. c. 41.

Vasa & ornamenta Ecclesiast.

C

Hymno 2. in li. περὶ στεφανῶν.

Hunc esse vestris orgiis,
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis
Libent vt auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt,
Firmare sacrum sanguinem:
Auroque nocturnis sacris,
Adstare fixos cereos.

D

Offic. li. 2. cap. 28.

De his quoque Ecclesiæ ornamentis, vasis videlicet aureis, in quibus ad altare sacrificabatur, à Diuo Laurentio erogatis sic scribit Ambrosius, *Laurentius qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quàm persecutori reseruare, sacram martyrii accepit coronam. Nunquid dictum illi est? Non debuisti vasa sacramentorum vendere.* Et paulo post enumeratis causis quibusdam piis ob quas vasa Ecclesiæ alienare liceat, *in his* (inquit) *tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata*, id est, consecrata, *confringere, conflare, vendere licet. Opus est, vt de Ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad vsus nefarios sacri calicis ministerium transferatur.* Hæc ille. Cui conformiter Concilii Arelatensis patres diu ante Ambrosij tempora decreuerant in hunc modum, *De his qui Scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa Dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis vt quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus,*

Cōc. Arel. 1. an. 320. Can. 13.

A *tectus, ab ordine cleri amoueatur.* Hæc illi. Sed & hæc vasa Ecclesiastica *prophanis manibus non attrectanda esse,* scribit maximus Græcorum Theologus Gregorius Nazianzenus. Idem & Chrysostomus græcus pontifex, *Non vides sacra illa vasa? Non ad vnum illa semper vsurpantur? Audetne quisquam illis ad aliud quicquam vti?* Hæc ille. Hom. 14. in Epist. ad Ephes. Atq; hæc maiorum nostrorum perpetua religio ac pietas fuit. Soli vel ethnici, vel hæretici, vel alioqui veræ religionis hostes, hanc religionis partem contempsere, & in supellectile Ecclesiastica spolianda ac prophananda dexteri fuerunt, quemadmodum nostri hodie hæretici ad hoc impietatis & sacrilegii genus fuerunt dexterrimi. Ariani (vt in loco citato refert Nazianzenus) *templa & orationis loca in sepulchra verterunt, supellectilem rei sacræ ministerio dicatam flagitiosis manibus exposuerunt. Altaribus dilectis* (*vt loquitur Scriptura*) *contumeliosè protritis iuuenes eorum turpiter cantillantes insultarunt. Denique magnum atque augustum mysterium prodiderunt, ludibrioque habuerunt.* Hæc de Arianis Nazianzenus, quæ de nostris hodie Lutheranis & Caluinianis eum dixisse putes. Sed & sub Iuliano Apostata, quæstor quidam ab eo submissus ad sacra vasa templi Antiocheni diripienda, magnificentiam eorum conspicatus, *Ecce* (inquit) *quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur.* Huiusmodi ludibriis & hodie hæretici contra sacrificalia vasa & ornamenta vsi sunt. Nec luserunt tantum verbis, sed amplis detractis spoliis cum Nabuzardam coquorum principe & impio Balthazare
B in poculis ab altari ereptis, nefariè perbacchati sunt. Quod si similes cum Balthazare pœnas hactenus non luerunt, nec insontes se nec immunes propterea arbitrentur, sed illud recordentur, quod tarditatem vindictæ grauitate compensat. Et illud Ecclesiastici, *Altissimus patiens est redditor.* Olim certè quum non tanta essent peccata populi vt adeò à Deo deseri mererentur (deseritur enim ille seu populus seu particularis quisque qui in horrendis peccatis nullam sentit à Deo vindictam) huiusmodi sacrilegia subita & celerrima consequebatur vltio diuina. Narrat Theodoretus, *Thymelicum quendam saltatorem, quum emptam fortè sacram vestem, in theatro gestaret, subito expirasse.* Proculus à Genserico Ariano principe ad Ecclesiam spoliandam missus, *rapaci manu* (ait Victor Vticensis in historia Vandalicæ persecutionis) *cuncta depopulatus, de pallis altaris* (*proh nefas*) *femoralia sibi & camisias faciebat. Qui tamen postea, frustratim sibi comedens linguam, in breui turpissima morte consumptus est.* De Donatistis qui in hoc genere sacrilegii nostris hodie hæreticis non multo erant inferiores, sic scribit Optatus Augustino antiquior, *Quid tam sacrilegum quàm altaria Dei frangere, radere, remouere: in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt?* Et paulo post. *Hoc tam immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam Calices Christi sanguinis portatores. Quorum species reuocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes. Passi etiam estis comburi manus vestras, quibus ante nos eosdem calices tractabatis.* Hæc ille. Quod si hæretici hodie similia Arianis, Donatistas, paganis facientes, similia non patiuntur, nec se propterea innocentes existiment, nec im-
C punè tanta sacrilegia laturos sperent. Dicemus illis quod Donatistis dixit Optatus, *An quia cessat talis modo vindicta, ideo tibi cum tuis vindicas innocentiam? Ad exemplum præsens pœna compressit: secundam iudicio reseruauit.* Certè S. Laurentius ministerii sui memor, in quo Deum honorificari didicerat, acerbissima potius tormenta pati voluit, quàm Ecclesiæ thesauros fidei suæ commissos persecutori tradere. Sic ille Christo fideliter ministrauit, sic illum Deus pater singulariter honorificauit, vt inter omnes Latinæ Ecclesię Martyres, huius solius martyrium per totam Ecclesiam Latinam festo publico celebretur. Multum ergo tanti martyris pietas, & religio ad hæreticorum hodie sacrilegam impietatem retundendam valere debet.

In orat. ad Arianos & de seipso

Ibidem.

Theodor. hist. Eccl. li. 3. c. 11.

Eccl. 5.

Vltio diuina in sacrilegos. Hist. Eccl. li. 5. c. 37.

Lib. 1.

Li. 6. cõtrà Parmen.

Lib. 3.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ

D

VIRGINIS.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

LOCVS latè explicandi populo glorioſam glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Assumptionem in cælos, quam hodie celebrat Ecclesia, quam nulla hodie celebrat secta, quam antiquissima Ecclesia agnouit, ad quam denique etiam hæc Euangelij verba optimè accommodari possunt. Nam & hæc B. Maria multo magis quàm Maria Magdalena, *sedens secus pedes Domini audiebat verba eius.* Hæc enim illa est de qua testatur B. Lucas, *quod conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*: quod quemadmodum de iis quæ à pastoribus dicebantur, quum nasceretur Christus, & de Christi verbis postquam in templorum doctoribus disputasset, Lucas commemorat, sic de omnibus aliis Christi verbis ac factis verum esse dubitari nõ debet. Hæc enim diligentissimè *conferebat facta Christi cum prophetiis veteribus*, ait vener. Beda. Hæc docente in terris Christo tacuit & auscultauit: Christo assumpto alios docuit *facta magistrorum magistra*, ait Rupertus. Hanc propterea D. Ignatius discipulus S. Ioannis, & B. Virgini contemporaneus, vocat eam *religionis nostræ Magistram.* Denique tam sedulo Christi verba audiebat,

Euangelij accommodatio. Vide Eusebium Emiss. in hoc festum, Luc. 2. v. 19. & 51. In ca. 2. Lucæ. Li. 1. com. in Cant. In epist. ad Ioan.

Christi facta notabat,& cõseruabat in corde suo hæc B. Virgo,vt ne quidẽ in passione ipsa à la- A
tere Christi diuelli potuerit,Christo in cruce pendenti astans,& dulcissima illic,ac diuinissima
prolata verba corde recõdens. Adeo plusquã Maria Magd. sedit,permansit,perseuerauit hæc B.
Maria Virgo ad pedes Domini audiens verba eius. Iã vero quis dubitat quin hæc *B. Virgo optimã*
partem elegerit,quæ sic soli Deo adhæsit,vt mundi vincula,carnis illecebras,& omnem sæculi or-
natum ab ipsa infantia abiecerit,voto Virginitatis emisso,vt alio in loco ostendimus? Hanc etiã
In festo Annunc. ob causam (vt certa traditione accepit Ecclesia) hæc B. Virgo à teneris annis vitam in templo
duxit,Deo consecrata,nec coniugalem statum nisi propter necessarium tunc communis vitæ
prætextum assumpsit. Postremo in hac B. Virgine verissimum illud est quod hodiernum Euan-
gelium adiunxit,*Et non auferetur ab ea.* Adeo enim quod elegit Maria,non aufertur ab ea, adeo
non diuellitur à Deo cui soli adhærere semper pro summo bono habuit,adeo à Christo non se-
iungitur,cuius verba tam sedulo audiebat,& facta notabat, conseruans & conferens in corde
suo,vt hæc sola mortalium,& anima & corpore Christo in cælis assistat: quod hodie propriè ce-
lebrat Ecclesia. De qua eius in cælo peculiari gloria sic D. Athanasius, Patriarcha Alexandri-
nus,antiquissimus & doctissimus pater, qui Concilio Nicęno primo interfuit, qui Arium co-
minus illic confligẽdo profligauit,qui vnus fidem in Oriente orthodoxam per annos fere 40.
Assumptio B. Virg. in corpore. In Euang. de Sanct. Deipara, sub finem. fortissimè sustinuit,latè & copiosè scribit,in hæc verba,*Virgo hæc & mater Dei nunc vt Regina assi-* B
stens à dextris filii Dei vbique regnantis,quasi in vestitu deaurato,incorruptionis,& immortalitatis circũami-
cta varietate,sacris & solennibus verbis celebratur: non quod secundum Spiritum tantum,quasi sine corpore &
carne assistat,(notentur verba) *sed quod induta sit quantum spectat ad sanctissimam eius carnem incorru-*
ptibilitate & immortalitate. Circumamicta varietate rursus est, quantum attinet ad ossa sanctissima quæ
eius carnem suffulciunt. Nam ex carne eius & ossibus eius veluti ex vetere Adamo nouus iste Adam (Chri-
stus) *vt vicem eius expleret,costam sibi finxit,nimirum istam incarnationem,eamque semel indutam perpetuo*
gestat. Ac proinde noua ista Eua mater vitæ appellatur, circumamictaque varietate permanet ad primitias vi-
tæ immortalis omnium viuentium. Hæc ille,& multo ibi plura quæ videre, & consulere possit stu-
diosus concionator. Obseruandum autem quod in postremis verbis dicit, hanc B. Virginẽ al-
teram esse Euam,quia vt illa mater erat omnium viuentium quoad hanc vitam temporalem,sic
ista est mater omnium viuentium vita immortali & cælesti. Mater autem non generatione, &
productiuè sicut Eua (ne quis hic cauilletur hæreticus) solus enim Christus est *primogenitus mor-*
tuorum,quia eius resurrectio causa etiam quædam est resurrectionis nostræ: sed mater est ordi-
ne,quia prima fidelium hanc immortalem vitam anima & corpore participat, ideo signanter
Athanasius,& vt theologus acutus, *primitias vitæ immortalis omnium viuentium*, eã appellat, quia C
prima hanc completam fœlicitatem accepit,ordine videlicet non causa. Iam vero hanc B. Vir-
ginis glorioſam Assumptionem multis verbis celebrat S. Damascenus scriptor Græcus & per-
In sermone de dormitione Deiparę. Niceph. li. 2. c. 21. & sequent. antiquus, totius Assumptionis historiam his verbis commemorans: quam etiam totidem ferè
verbis Nicephorus in historia Ecclesiastica refert,*Ex antiqua* (inquit) *traditione accepimus,quod tem-*
pore dormitationis B. Virginis vniuersi quidem Sancti Apostoli qui orbem terræ ad salutem gentium percur-
rebant, momento temporis in sublime elati,conuenerunt Hierosolymis: cumque illic essent, eis viso apparuit
Angelica,& audita est psalmodia cælestium potestatum: & sic cum diuina gloria in manus Dei sanctam tradi-
dit animam. Eius autem corpus quod Deum susceperit,ineffabili quadam ratione, cum Angelica & Apostolica
hymnodia elatum (quam etiam pulchrè describit Dionysius Areopagita in epist. ad Timotheum)
in loco fuit depositum Gethsemane,quo in loco Angelorum chorea & hymnodia mansit tres dies perpetuos. Post
tres autem dies Angelico cantu cessante, qui aderant, Apostoli (*cum vnus Thomas qui abfuerat post tertiũ diem*
venisset,& quod Deum susceperat corpus adorare voluisset) *loculum aperuerunt: sed omni ex parte sacrum eius*
corpus nequaquam inuenire potuerunt. Cum ea autem tantum inuenissent, in quibus fuerat compositum, &
ineffabili qui ex iis proficiscebatur essent odore repleti,loculum clauserunt. Eius mysterii obstupefacti miracu-
lo, hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex Maria Virgine carnem sumere,& hominem fieri & nasci, D
quum esset Deus verbum & Dominus gloriæ,quique post partum eius incorruptam seruauit Virginitatem, ei-
dem etiam placuit,& ipsius postquam migrauit immaculatum corpus,incorruptum seruatum translatione ho-
norare ante communem & vniuersalem Resurrectionem. Hæc ibi Damascenus,quæ omnia in oratio-
Vide nouã editionem damasceni ne eloquentissima quam de Assumptione B. Virginis scripsit,& recenter è Græco Iacobus Bil-
lius vertit,repetit,verbisque amplissimis exornat. Narratque ex historia Euthimiaca lib. 3. ca. 40.
quam citat, totam hanc historiam referente Iuuenali Hierosolymorum Episcopo tempore
Chalcedonensis Concilij: additque vacuum B. Virginis loculum cum vestimentis, quę inerãt,
fuisse tunc Hierosolymis Constantinopolim translatum,& Marciano Imperatore atque Pul-
cheria coniuge in æde B. Virginis in Blachernis reconditum. In ea oratione magnam ad hanc
Assumptionem amplificandam supellectilem concionator inueniet. Scripserunt & S. Hiero-
nymus siue apud eum Sophronius, D. Augustinus, & D. Bernardus, & Eusebius Emissenus de
Ser. 32. de Sanctis. hac gloriosa B. Virginis Assumptione sermones. Qui veteres quamuis Assumptionem cor-
poris non asserant,negare tamen etiam nolunt,sed rem dubiam relinquunt. Vnde Augustinus
in sermone qui eius esse dicitur (nam non esse verè eius inde apparet, quod Isidorũ citat Gre-
gorio Magno æqualem) ita loquitur,*Vera de Assumptione Mariæ sententia hæc esse probatur, vt secun-*
dum Apostolum,siue in corpore siue extra corpus ignorantes,assumptam super angelos eam esse credamus. Sed
quod Latini scriptores adhuc dubitabant, Græci pro comperto habebant,sicuti ex eorũ verbis

suprà

A suprà citatum est. Temporis tamen progressu etiam Latinis, vt D. Bernardo & eius antecessoribus etiam corporalis Assumptio credita fuit. Qua de re breuem sed elegantem tractatum scripsit Augustinus (quicquid censor Erasmus sine vllo prorsus argumento aliter sentiat) & multis rationibus confirmat cur ipse credat, & alii piè credere debeant non anima tantum, sed & corpore B. Virginem assumptam in cælos fuisse. Illas rationes in breue conferam, quæ latius apud ipsum August. videri poterunt, *Si voluit Christus integrũ Mariæ Virginitatis seruare pudorem, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore? Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere singulari saluatione eam in morte & speciali gratia honorasse.* Rursum paulo post, *Christus in cælos ascendit, & carnem quam de matre suscepit super astra transuexit, honorans omnem humanam naturam, sed multo magis maternam. Si igitur natura matris est filius, conueniens est vt sit & filii mater: non quantum pertinet ad æquam administrationem, sed quantum pertinet ad eandem reciprocam substantiam, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ & substantiæ.* Hoc autem argumentum egregiè confirmat ab vnitate omnium fidelium cum Christo, *Si vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ* (de qua Christus dixit: *quos dedisti mihi volo, vt sint vnum sicut & nos:*) *quanto magis vbi gratiæ vnitas & corporis est specialis natiuitas?* De his autem qui per gratiam vniuntur Christo, dixit iterum Christus, *Pater quos*
B *dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego & illi sint mecum.* Vnde infert Augustinus: *Si igitur eos secum habere vult, & hoc potest qui omnia potest, quid æstimandum est de matre, vbi digna sit haberi nisi in præsentia filij?* Rursum à dignitate & præstantia naturæ ipsius Beatę Virginis sic argumentatur, *Tanta sanctificatio, qua mater Dei fuit, dignior cælo est quàm terra. Quoniam thronum Dei, thalamum Domini, domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse vbi ipse est. Tam preciosum thesaurum dignius est cælo seruari quàm terra. Tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur. Illud sacratissimum corpus de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, escam vermibus traditum, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimèsco.* Moxq; aliud ex Scripturis sanctis argumentum adfert. Dicit Christus, *Vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Si hæc est generalis sententia omnium per fidem, & bonam operationem Christo ministrantium, quanto magis quodammodo & specialius est Mariæ? Mariam namque operis exhibitione, & fidei ridigissima veritate ministram fuisse Christi, omnis qui sanè sapit intelligit. Si ergo ibi non fuerit, vbi Christus ministros suos esse vult, vbi erit? Et si ibi erit, nunquid æquali gratia? Etsi æquali gratia, vbi æqua Dei censura, quæ vnicuique reddit secundum sua merita? Si ergo merito Mariæ viuenti præ omnibus donata est gratia, mortuæ erit minuenda? Absit. Quia si omnium sanctorum mors est preciosa, Mariæ sanè est preciosissima, quam tanta co-*
C *mitata est gratia, vt mater Dei dicatur & sit.* Hæc ille siue Augustinus, siue alius quicunque author. Rationes enim per se bonæ & firmæ sunt quemcunque authorem habuerint. Et profecto vt alias Scripturas expendamus, *Si mirabilis est Deus in sanctis suis*, vt etiam supra condignum honoret, quomodo non erit mirabilis in matre sua, vt pro eo quod dignum ac conueniens est, eam sublimet? Si de omnibus Sanctis dicitur, *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*, quomodo mater Dei nimis honorificata non erit, eiusque principatus & gloria supra cæteros confortata? Si de omnibus verum est quod Apostolus dixit, *Si compatimur & conglorificabimur*, certè B. Virgo quæ plus cæteris omnibus Christo compassa est, siue quia mater filio, siue quia ipsi cruci astitit penè sola, siue quia sic astitit, vt doloris gladius animam eius pertransierit, plus cæteris omnibus glorificata credi debet. Si necessario verum est quod Christus dixit, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*, certè hæc B. Virgo qua nihil fuit humilius, maximè & supra omnes exaltata creditur. Hæc enim quum mater Dei futura ab Angelo nunciaretur, humillimè respondit, *Ecce ancilla Domini.* Et verè de seipsa dixit, *Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.* Verè inquam, quia & verè respexit Dominus, & vera erat eius humilitas, & verissima humilitate hanc solam à Deo respici fatebatur, tacens Virginitatem, tacens orationis studium, tacens denique tot & tantas alias virtutes suas. Fuit ergo
D maximè suprà omnes in cælis exaltata, quæ maximè & supra omnes in terris sese humiliauerit, id est, de sese humiliter senserit, & in omnibus humilitatis officiis sese semper exercuerit.

Nunc igitur in hac glorioſissima B. Virginis Assumptione ad eius maiorem gloriam, plurimorum patrum encomia quibus illam prosequuntur, in hunc locum compendiosè congeram, vt contra petulantias, & stupida hodie hæreticorum corda (qui hanc B. Virginem vel contumeliosè tractant, vel certè nullo dignantur honore) illa concionator depromat, quæ nostræ quidem catholicorũ deuotionis testimonia sint illustria, hæreticæ vero prauitatis clara sit condemnatio. Primum ergo sic eam in cælos assumptam affatur doctissimus pater Athanasius, *Decet te matrem regeneratricem, heram ac Dominam cognominari, eo quod ex te prodiit Rex, Dominus ac Deus noster. Primitias tuæ laudis Archangelus contexuit, quum splendidissimum ac capacissimum illum hymnũ ederet, Aue gratia plena: &c. Sic te prædicat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubim & Seraphim constat. Sic secũda hierarchia, quæ Dominationes, Virtutes & Potestates complectitur. Sic & tertia acies Archangelorũ & Angelorum. Ab istis deinde nos terrestris hierarchia siue edocti, siue admoniti, exaltàmus te magna & canora voce, dicentes, Aue gratia plena Dominus tecum. Intercede hera & Domina, & Regina, & mater Dei pro nobis.* Sic eam compellat B. Chrysostomus, *Verè dignum & iustum est glorificare te Deiparam, & semper beatissimam & penitus incontaminatam matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubim, & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim.* Sic eam collaudat B. Epiph. *Tu virga de radice Ieſſe, tu tabernaculũ de quo ſponſus egreditur* (psal.)

In lib. de Assumpt. Mariæ to. 9. l. 2.

Rom. 8.

Luc. 14.

Luc. 1.

Patrum encomia de B. Virgine

In Euang. de Sanctiſ. Deipara.

In liturgia.

In orat. de laudibus Virg.

tu candelabrum aureum & facula ſuper ipſum (Zach. 4.) *tu lucerna parata Chriſto noſtro* (Pſalm. 131.) *tu mons vnde lapis ſine manibus exciſus eſt.* Dan. 2. A S. Ephrem vocatur, *ſublimior cælicolis, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim.* S. Cyrillus Alexandrinus Græcorum facilè doctiſſimus ſic eam in concione compellat. *Tu totius orbis theſaurus, per quam cælum exaltatur, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam per totum orbem fundatæ ſunt Eccleſiæ.* Gregorius Nazianzenus theologus cognominatus ſic eam affatur, tragœdiam ſuam de Chriſto patiente his verbis concludens. *O puella gratia æquanda nullis, mater & virgo, ſupra omnes decora Virgines, & maxima! quæ vincis omnes cælitum ordines, Regina, Domina, generis humani Gaudium. Amica ſemper eſto tu mortalibus, maximaque quouis in loco mihi ſalus.* Hæc ille. Damaſcenus ſic pro B. Virginis laude quaſi argumentatur, *Renera facta es Domina omnium creaturarum, quam conditoris omnium effecta es mater.* Atquæ hæc Græcorum patrum erga hanc B. Virginem pietas ac deuotio fuit. Nunc vt ad Latinos veniamus, D. Auguſtinus quum de peccato diſputat, eiuſque per omnes peruagata contagione, hanc B. Virginem propter honorem Domini diſertè ſemper excipi vult, *Vnde enim* (inquit) *ſcimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Rurſum de illa ſic alibi loquitur, *Præter ſanctam carnis integritatem, quæ alia ſint Mariæ merita quis ignorat?* S. Gregorius ſic de illa ſcribit, *Mons fuit quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit, & meritorum verticem ſuper omnes Angelorum choros euexit.* Antiquiſſimus Irenæus aliique patres hanc B. Virginem alteram à contrario ſenſu Euam & verè matrem fidelium eſſe docent. Irenæus his verbis, *Eua ſeducta eſt, vt effugeret Deum, Maria ſuaſa eſt vt obediret Deo, vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.* Sic Tertullianus, *In Virginem adhuc Euam irrepſerat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei verbum exſtructorium vitæ, vt quod per huiuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem.* Sic D. Auguſtinus, *Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit. Maria viuificando profuit. Illa percuſſit, iſta ſanauit.* Sic & D. Hieronymus, *Mors per Euam, vita per Mariam. Ideoque & ditius Virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina.* Sic poſtremo & D. Bernardus (vt Anſelmum, Chryſologum, Andream Cretenſem, alioſque innumeros taceam) *Eua prius peremptor quàm parens, prius peccauit quàm peperit, Maria prius reparatrix quàm parens.* Placuit S. patribus hæc comparatio inter Euam & B. Virginem Mariam, quia vt illa mater erat omnium viuentium ad peccati corruptionem, ſic iſta erat mater gratiæ, mater fidelium, mater & primitiæ immortalitatis, vt ſupra ex Athanaſio. Plura in laudem huius B. Virginis in feſto Natiuitatis eius dicentur.

De laudib. B. Virg. Hom. 6. con. Neſtorium.

In tragœd. Chriſtus patiẽs.

De orthodoxa fide li. 4. c. 15.

De natura & gratia cap. 36.

De bono coniug. ca. vlt.

In lib. 1. Reg. c. 1.

Lib. 5. Li. de carne Chriſti.

Ser. 18. de Sanctis.

Epi. 22. ad Euſtoch.

Hom. 3. ſuper Miſſus eſt.

IN FESTO SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Luc. 6. *Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis: quos & Apoſtolos nominauit.*

De poteſtatis Eccl. vocabulis.

LOCVS obſeruandi contra horum temporum hæreticos, Chriſtum hoc loco ex toto grege diſcipulorum ſuorum, certos, & certo numero elegiſſe, certaque & diſtincta appellatione eos nuncupaſſe, quæ quidem appellatio plus ſignificaret quàm ſonat, maiorem poteſtatem denotaret quàm vis verbi poſtulat: quum è contra noui iſti Magiſtri qui omnia prophanare contendunt, ad vulgarem & prophanam ſignificationem omnia Eccleſiaſticæ poteſtatis vocabula, & ſacræ functionis nomina reducere ſtudeant, vt ita Apoſtolus, Epiſcopus, Presbyter, non plus valeant quàm primæua & vulgaris horum verborum ſignificatio notat. Apoſtolum enim miſſum ſeu legatum, ſeu nuncium exponunt talem, qui Domini ſui mandata tantum referat, ideoque mandati limites non excedat. Sic enim impius Caluinus de Apoſtolis arrogantiſſimè ſcribit, *Suo*, inquit, *nomine præ ſe ferunt quantum ſibi in ſuo munere promiſſum ſit. Nempe ſi Apoſtoli ſunt, ne garriant quicquid illis collibitum fuerit, ſed mandata eius à quo miſſi ſunt bona fide perferant.* Hæc ille nefarius impoſtor, vt hac ſpecioſa impoſtura ac fraude lectori perſuadeat ipſos Apoſt. nihil aliud docere aut decernere potuiſſe quàm quod Chriſtus ipſis viua voce mãdauerat, atq; adeo in Scripturã noui teſtamenti redactum poſtea fuerat. Quod ſi de ipſis Apoſt. probari poteſt, quãto magis de tota reliqua Eccleſia verum id erit? Simili impietate Epiſcopum nihil aliud valere volunt, quã ſuperintendẽtem & vigilem aliquem, qui videat quidẽ quo ſuum quiſque officium faciat cum admonendi poteſtate ſeu miniſterio potius, nullam autem præterea ſpiritualem poteſtatem habeat: eo quod vox illa Epiſcopus Græcè nihil quàm ſuperintendentem Latinè ſonet. Presbyterum quoque hac ratione nihil aliud eſſe volunt quàm Seniorem, cuius officium ſit gubernationi tantum vacare & cenſuræ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ præeſſe, non autem vllum tale munus exercere, quale Eccleſia catholica Presbyteris, & noui teſtamenti ſacerdotibus ſemper attribuit. Sed iſti hæretici, vt in Apoſtoli vocabulo, ſic in Epiſcopi & Presbyteri,

Inſtit. li. 4 ca. 8. n. 4.

A presbyteri, toto cælo errarunt : quod nunc de Apostolis (quorum in hoc Euangelio propria tractatio est) breuiter ostendetur, *Suo nomine* (ait Caluinus) *præse ferunt quantum sibi in suo munere permissum sit.* Nomen autem Apostoli missum significat: ideoque *eius mandata à quo missus est bona fide perferre debet*, ait Caluinus, *non quicquid collibitum est garrire.* Præter arrogantis nebulonis petulantissima verba, qui Apostolorum doctrinam extra id quod Christus viua voce docuit, *garritus ad libitum* vocat, quæ pius concionator pro suo erga Apostolos, imo erga Christum zelo (*qui enim vos spernit, me spernit*, dixit Apostolis Christus) amplificare poterit, stupida eius ignorantia, & impia assertio facilè ex Scripturis ipsis refutatur. Apostolus (inquit ille) missum significat, ergo nihil nisi missum. At vide quot blasphemiæ & hæreses in religione orthodoxa ex tam insulsis argumentis consequuntur. Christus significat vnctum. Ergo nihil nisi vnctus est à Spiritu S. & non est Deus & homo, sed solum homo specialiter vnctus, Sacramentum apud Latinos iuramentum vel mysterium significat: ergo nihil est aliud, & non est signum alicuius diuini erga nos beneficii, aut rei sacræ. Fides est in præstandis promissis veritas: quia fit quod dictum est: ergo non significat assensum veritati diuinæ à nobis præstitum. Ecclesia est congregatio, ergo nihil differt à Synagoga quę tantundem significat. Præterea si Apostolos à Prophetis, pastoribus & doctoribus distinguit Paulus, & tamen omnes illi missi quoque sunt, profecto Apo-
B stolus in sensu Christi plusquam missum significat. Deinde si Apostoli nihil aliud quàm missi sunt, qui fit quod Septuaginta discipulos quos *misit Christus ante faciem suam binos & binos*, non vocauerit etiam Apostolos? Quare solos duodecim vocauit Apostolos, alios vero 70. non nisi discipulos, si nihil aliud Apostolus nisi missum significat? Atqui Apostolorum vt certa & specialis fuit denominatio, ita certa & singularis potestas, non quam vis appellationis expressit, sed quam voluntas appellantis conferre voluit, vt de Sacramenti vocabulo ipsemet Caluinus disputat Instit. lib. 4. cap. 14. Illa potestas erat non solum referens mandata Christi, sed eadem præterea *& docere*, id est, exponere, & sensum verborum Christi explicare, *& testificari*, id est cum authoritate legitima suis doctrinæ fidem facere. Et denique præcepta dare, extra & præter ea quæ Christus viua voce dedit. quæ fuerit Apostolorum docendi & testificandi potestas aliis in locis huius operis explicatum est. Quod præcepta dederint extra Christi mandata viua voce tradita, Acta Apostolorum luculenter declarant. Decretum enim illud Apostolicum, non esse gentes ad Iudaicas obseruationes compellendas, esse abstinendum à
C suffocato & sanguine, pręceptum vtique Apostolorum fuit. Aiunt enim, *Visum est nobis nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria.* Imponunt ista & pręcipiunt. Nec ideo imponunt, quia à Christo hoc didicerant, sed quia Spiritus sanctus hoc illis suggesserat. Aiunt enim, *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Non aiunt, Christus hoc nobis viua voce mandauit. Sed & Paulus, Apostolus quoque & ipse, etsi non vnus ex duodecim, Apostolatus sui vim & potestatem melius intelligens quàm Caluinus, disertè profitetur se quædam docere quæ à Christo mandata non erant, *Cæteris* (inquit) *ego dico non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, &
D hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Moxque de vidua, *Beatior erit si sic permanserit secundum consilium meum. Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.* Hic opinor bonus Caluinus Apostolum dixerit garrire ad libitum, monebit quoque vt mandata domini sui bona fide perferat. Adiiciet denique (quod loco citato subiunxit) *satis clara esse Christi verba quibus legationem Apostolorum terminauit, quum mandauit illis vt irent ac docerent omnes gentes quæcunque præceperat.* Dicet ergo Caluinus Apostolis omnibus: dicet Paulo, Vt quid mihi Spiritum Dei allegas? Profer mandatum à Christo, & credemus. Hic finis, hic terminus legationis tuæ est (non enim nisi missus & legatus es) vt ea doceas quæ Christus præcepit, non alia. Sic quidem impius Caluinus. Sic alii eius hodie discipuli & sectatores. Atqui Apostolis opinor ipsis ex Spiritu sancto se loqui profitentibus magis credendum est: etiam si de hac doctrina Spiritus sancti nihil Christus præ-
locutus fuisset. Nunc autem & hoc ipsum disertissimè prædixit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Spiritus autem veritatis quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Quæ Christi verba, simulque alia illa quibus Apostolorum legationem terminari Caluinus vult (docentes eos seruare, *quæcunque mandaui vobis*) in alio huius operis loco explicuimus, & nihil planè pro sensu hæreticorum facere perspicuè ostendimus. Apostolus igitur & Apostolatus longè aliud & amplius significat in sensu Christi, quàm simpliciter missum esse, aut missionem simplicem, quæ nihil nisi referat mandatum Domini sui.

Nempe Apostolis totam suam potestatem Christus plenissimè contulit: qui vt à patre missus erat, sic Apostolos misit, vt à patre potestatem omnem in cælo & in terra accepit, sic eandem in terris Apostolis dedit. De priori his verbis constat. Transiturus Christus ad patrem dixit, *Ego te clarificaui super terram. Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Manifestaui nomen tuum hominibus.* Moxque oratione præmissa pro Apostolis, dicensque, *Pater sanctifica eos in veritate : Sermo tuus veritas est*, addit, *Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.* De posteriori constat his verbis. Quum dixisset Christus, *Omnis potestas data est mihi in cælo & in terra*, subiunxit & intulit, *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Quæ verba quantum valeant, alio loco explicuimus. Fuerunt igitur Apostoli cum summa potestate à Christo missi sicut ille à patre. *At* (inquit Caluinus) *Christus à patre missus non alia docuit, quàm quæ à patre in mandatis accepit. Mea* (inquit)

Apostolorum dignitas defenditur cõtrà Caluinum.

Luc. 10.

Ephes. 4. Luc. 10.

Dom. SS. Trinit. & in festo Ascensionis Domini Decreta Apostolorũ propria. Act. 15.

1. Cor. 7.

Caluinus loco citato.

Ioan. 16.

Do. 4. post Pascha & Dom. SS. Trinitatis.

Apostoli cũ summa potestate missi. Ioan. 17.

Loco citato

Caluini stupidum argumentũ

doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris. Et iterum. Quæcunque audiui à patre meo hæc loquor. Apostoli ergo non alia debebunt docere quàm quæ à Christo audiuerunt. Sic quidem ille loco citato argumẽtatur, vt sibi videtur acutè, sed re vera stupidissimè. Christus quæ audiuit à Patre loquitur, quia vnum erat cum patre, eiusdem naturæ, eiusdem gloriæ. Apostoli vt non omnia audiuerunt à Christo corporaliter præsente (vnde ipsemet dixit, *adhuc multa habeo vobis dicere, &c.*) sic assumpto in cęlos Christo ab eo audire non poterant immediatè & viua voce loquente (vt vult Caluinus) quia vnum cum Christo ita non erant sicut Christus cum patre, sed mediante Spiritu sancto docuit eos Christus, docuit semper docetque hodie Ecclesiam. Hic Spiritussanctus quem promisit Christus & dedit Apostolis ac per illos toti Ecclesiæ (mediantibus certis sacramentis) docuit Apostolos multa quæ viua voce Christus non mandauit. Atque ideo Apostoli eorumque successores perpetui, ita sunt legati Christi, vt eorum legatio non in verbis & mandatis Christi viua voce datis tota consistat, sed in suggestione & doctrina Spiritussancti, quæ vtique doctrina etiam Christi est, iuxta illud, *Ille de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Quando ergo Apostoli loquuntur ex Spiritusancto, non excedunt fines mandati. Quando & Ecclesia loquitur ex Spiritusancto (habet enim semper Ecclesia Apostolorum apud se successores) Ecclesia non excedit limites, sed exercet partes potestatis suæ. Atque ita nec Apostoli nec Apostolorum successores simpliciter missi sunt in sensu Caluini, vt nihil aliud docere possint, quàm quæ Christus viua voce docuit, posteaque in Scripturas relatum est, sed sunt missi vt Spiritussancti organa & amanuenses. Sunt missi vt doceant tanquam Magistri orbis, *prout Spiritus dat eloqui illis.* Sunt missi vt prædicent verbum Dei quod Spiritussanctus illis suggerit tanquam *testes veritatis* : & sunt missi vt præcepta & decreta constituant tanquam præpositi Ecclesiarum, sicuti fecerunt in Actis *Paulusque & Barnabas circuibant præcipientes custodire decreta Apostolorum & Seniorum.* Sunt missi vt soluant & ligent peccata tanquam iudices. Sunt denique Apostoli specialiter missi vt vnusquisque eorum cum plena potestate quocumque terrarum loco verbum prædicaret, omnesque potestatis Ecclesiasticæ partes plenissimè exèrceret. Sic illi specialiter à Christo vocantur, *lux mundi, sal terræ, amici Christi, quia omnia nota fecit illis*, *fundamenta* denique fidelium : iuxta illud Pauli, *Aedificati super fundamenta Apostolorum & Prophetarum.* Fundamenta autem sunt (ait Augustinus) *quia eorum authoritas portat infirmitatem nostram.* Atque hoc speciali sensu non nisi duodecim Christus elegit Apostolos : & ita quidem vt præuaricante Iuda Matthias electus fuerit qui duodenarium compleret. Huius rei mysterium Augustinus his verbis exponit, loco citato, *Cum dicuntur duodecim portæ Hierusalem* (vt in Apocalypsi cap. 12.) *& vna porta Christus est & duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis ipse est. Et ideo duodenarius numerus Apostolorum. Sacramentum magnum huius duodenarij significatio est numeri. Sedebitis, inquit, super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Sacramentum est cuiusdam vniuersitatis, quia per totum orbem futura erat Ecclesia, vnde vocatur hoc ædificium ad Christi compagem. Et ideo quia vndique venitur ad iudicandum xij. sedes sunt: sic quia vndique intratur in illam, xij. portæ sunt. Partes enim mundi, quatuor sunt: Oriens, occidens, aquilo & meridies. Istæ quatuor partes assiduè nominantur in Scripturis. Ab omnibus istis quatuor ventis dicit Dominus se collecturum electos suos. Ab omnibus ergo istis quatuor ventis vocatur Ecclesia. Quomodo vocatur? vndique in Trinitate vocatur, per baptismum, in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Quatuor ergo ter ducta duodecim inueniuntur.* Hæc Augustinus. Extenditur tamen hoc Apostoli nomen & ad Paulum & ad Epaphroditum in Scripturis, & ad alios primos fidei fundatores, quia tales omnes ad portas xij. Hierusalem pertinent: & per illos intratur in Ecclesiam Sanctam. Latius ergo Apostoli nomen patet quàm vocis etymologia sonat. Sic Episcopi & Presbyteri vocabula similiter.

Legatio Apost. & Eccl. in quo cõsistit

Ioan. 16.

Matt. 5. Ioan. 17. Ephes. 2. Enarrat. in Psal. 86.

Duodecim Apostol. mysterium.

Matt. 19.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Matt. 1. *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus.*

Natiuitas B. Virginis cur celebratur. 1.

LOCVS idoneus explicandi causas cur Ecclesia catholica gloriosæ Virginis Mariæ Natiuitatem ipsam temporalem celebrat, quum & tot alia festa in honorem huius Beatæ Virginis celebrentur, & solius præterea Christi redemptoris, eiusque præcursoris, B. Ioannis Baptistæ Natiuitas solennis habeatur : idque contra hæreticos horum temporum barbaros & insensatos, qui propter has duas causas totum hunc cultum vel superfluum iudicant vel superstitiosum, ideoque hoc festum in nulla eorum secta obseruatur. Sanè postquam tum B. Matthæus in hoc Euangelio, tum B. Lucas in suo, totam B. Virginis prosapiam à capite recensuerit, ex parte coniugis, vt de tribu Iuda fuisse ostendatur,

A datur, neque enim vir de tribu Iudæ aliam coniugem quàm ex eadem tribu sortiri poterat iuxta legis Mosaicæ præscriptum) qua in re non solum Christi, sed & matris eius generationem explicare voluerunt: Ecclesia quoque non dissimili studio ortum auspicatissimum huius B. Virginis, tum in dictæ Virginis honorem, tum in tanti beneficii gratam recordationem, toto orbe recoli & celebrari voluit. Tanta enim erga Christum redemptorem animi gratitudine Ecclesia Sancta vti voluit, vt non tantum ipsius Natiuitatem longè auspicatissimam incredibili gaudio concelebrare, sed etiam matris eius purissimæ & beatissimæ ortum pari studio recolere voluerit. Profecto enim qui Christum amat, & colit, etiam ea quæ Christo coniuncta sunt non amare & colere non poterit? Quid autem Christo coniunctius, quid ad eius puritatem propius accedit, quàm Virgo illa purissima, ex cuius visceribus nasci voluit? His accedit quod quum veteres prophetæ huius B. Virginis ortum prædixerint, & figuræ variæ præsignificauerint, debuit profecto Ecclesia eundem ortum glorioſa commemoratione recolere, nec tam singulare humani generis bonum, tam sedulo prædictum, tam variè figuratum, tam demum fœliciter præstitum, vel ingrata obliuione sepelire, vel leuiter & obiter recordari, sed annua solennitate in perpetuas generationes celebrare. Docere quoque Ecclesia debuit ab eodem se Spiritu duci & administrari, qui olim in prophetis locutus est, vt quam illi perB nam à Deo tacti frequenter prænunciauere, hanc Ecclesia diuino instigante Spiritu frequenter quoque prædicaret & collaudaret. Sed & præter hæc omnia Ecclesia Sancta, quia hodierno die non Christo tantum redemptori suo, sed & sibi quoque matrem nasci meminerat, Christo quidem natura matrem, sibi vero gratia & fauore matrem, Matrem (inquam) Dominicam ac patronam singularem, propterea matris suæ, non Christi tantum Natiuitatem festiuam esse, magnoque cordis iubilo honorare voluit. Sunt ergo hoc loco hæc tria explicanda. Primum prædictiones illæ propheticæ de huius glorioſæ Virginis ortu proferendæ. Secundo figuræ veteres breuiter aperiendæ. Prolixius postremo & copioſius (propter contradicentes hæreticos) ostendendum, quàm singularis & admirabilis fidelium patrona ac verè Mater, hæc Beata Virgo semper extiterit.

De hac B. Virgine quæ illud repararet quod Eua perdiderat, vt in alio festo ex patribus ostendimus, statim à primo hominis lapsu scriptum est, *Dixit Deus serpenti, Ponam inimicitias inter te & mulierem. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Sic hunc locum interpretantur multi patres. Augustinus his verbis docet quomodo caput serpentis contriuerit, *Mater* (inquit) *generis nostri (Eua) pœnam intulit mundo. Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo.* Diuus C Bernardus hom. 2. & 3. super Missus est Angelus, &c. Et in sermone de verbis Apocalypsis, *Signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta sole, &c.* Andreas Cretensis Episcopus, in salutationem Angelicam, & Petrus Chrysologus Archiep. Rauennas serm. 141. in Euangelium de Annunciat. Dominica, ac demum Fulgentius in serm. de laudibus Mariæ, hanc prophetiam de B. Virgine exponunt, non quod ipsa per se, sed per semen suum benedictum, in quo benedicuntur omnes gentes, Christum redemptorem, contriuerit caput serpentis, & à seruitute diaboli nos eripuerit. Quo in loco vt ipsum redemptionis beneficium prænunciatum fuit, sic nec B. Virginem redemptoris matrem taceri placuit. Sed Esaias de hac Virgine verbis clarissimis ita loquitur. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Hoc est, Nascetur Maria de domo Dauid, & Christus nascetur ex ea. Et paulo ante idem propheta, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Nõ solum Messias prædicitur, Deus & homo futurus, sed etiam Maria prædicitur, virgo & mater futura. De hac quoque virgine Hieremias, *Nouum facit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* Quæ verba de B. Virgine sic exponit Augustinus, *O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino non nouit, & virum suo vtero circundedit! Circundat Maria virum Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo.* Ezechiel quoque de D hac B. Virgine his verbis prophetauit, *Porta hæc* (orientalis sanctuarii) *clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam: eritque clausa.* quæ verba de B. Virgine sic exponit Sanctus Hieronymus, *Hæc est porta orientalis, vt ait Ezechiel, semper clausa & lucida, operiens in se vel ex se proferens sancta sanctorum, per quam sol iustitiæ & pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur & egreditur.* Denique & Daniel, ne ex 4. maioribus prophetis vel vnus desideretur, de hac B. Virgine ac Matre hunc in modum prophetauit, *Abscissus est lapis de monte sine manibus*, quæ verba sic exponit Hieronymus, *Christus lapis prædicatur abscissus de monte sine manibus, significante propheta, virginem nascituram esse de virgine. Manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum.* Habemus ergo quatuor primarios prophetas eadem propemodum diligentia, certè eodem consensu, de Virgine Matre prophetantes, atque de Christo Virginis filio. Iam vero ad figuras propheticas quod attinet: Quod Moysi monstratum est in rubo & igne, quod Aaroni in virga florida nec humectata, quod Gedeoni in vellere & rore, hanc Virginem Matrem luculenter præsignarunt, vt copiosè explicat S. Bernardus.

Sed plenius nunc demonstrandum est, hanc beatiss. Virginem vt Christi, natura, sic omnium Christianorum, gratia & fauore Matrem, patronam quoque ac Dominã merito habendã, perpetuo habitam fuisse. Quæ fuerit huius B. Virginis gratiæ plenitudo & consequẽter supra cæteras creaturas omnes excellens dignitas, in duabus antea concionibus explicatum est. Ex illis facilè apparet quàm merito debeat, Christianorum mater, patrona ac Domina censeri. Quomodo

In festo Assumpt. Gen. 3. Prophetiæ veteres de B. Virgine Serm. 2. de Annunc. Domin. Esa. 11. Esa. 7. Hier. 31. Ser. 18. de Sanctis. Ezech. 44 In Apologia pro libris aduersus Iouin. ad Pammachium. Dan. 2. Epist. ad Eustochiũ de custodia Virginit. Exod. 3. Num. 17. Iudic. 6. Ho. 2. super missus est. B. Virgo Mater fidelium. In Annũc. & Assum. B. Virgin.

autem in Ecclesia Dei à maximis Ecclesiæ luminibus & patribus sanctitate atque eruditione præstantissimis sic habita fuerit, aliqua enumeratione facta commemorabimus, vt vel stupidas hæreticorum mentes tot & tantorum virorum exempla excitent, & veternum excutere compellant, vel saltem boni catholici id quod faciunt certissima se ratione facere intelligant. Atque vt à recentioribus incipiendo ad vetustissimos conscendamus, D. Anselmus librum de excellentia B. Virginis conscripsit, in quo, *eam se vt Dominam colere cum omni creatura*, profitetur. D. Fulbertus Carnotensis Episcopus in sermone de festo Assumptionis B. Virginis affirmat, *eã plus omnibus liberatis impendere posse suffragium, quæ meruit pro liberandis proferre precium.* Rupertus in fine Comment. super Cantica sic eam alloquitur, *Ad te præ cæteris montibus oculos leuamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus.* At vero hanc B. Virginem vt verè Matrem fidelium præ omnibus aliis Sanctis specialiter esse inuocandam luculenter docet D. Bernardus serm. 2. super Missus est: & serm. 2. Dominic. 1. post octauam Epiphaniæ. Andreas quoque Getensis Episcopus super Salutat. Angelicam, & Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 15. & Innocentius 3. super Assumptione B. Virginis. Gregorius Turonensis in lib. de gloria Martyrum cap. 10. *Mariam sine labore suis auxilium proferre docet.* Georgius Nicomediensis Archiepiscopus apud Simeonem Metaphrastem in orat. de exitu Deiparę vocat eam *murum firmissimum totius multitudinis Christianorum.* Multa de singulari eius patrocinio scribit Petrus Chrysologus Archiepiscopus Rauennas ser. 140. in Euangelium de Annunc. Dominica, & vener. Beda in homelia de S. Maria. Quàm singulari denique erga eam deuotione S. Thomas Aquinas maximus ille Theologus affectus fuerit, legi potest in opusculo 4. inter opuscula eius: de S. Bonauentura similiter in lib. 25. memorabilium, & in speculo B. Virginis quæ inter eius opuscula leguntur: de S. Dominico in vita eius apud Surium lib. 2. cap. 13. & de S. Francisco in vita eius per S. Bonauenturam, cap. 9. Nunc vt ad veterem Ecclesiam ascendamus, Gregorius Magnus in Epist. inserta Synodo Nicænæ 2. Act. 4. *Christianorum propugnatricem & Dominam* vocat Germanus patriarcha Constantinop. in oratione de zona & fasciis Deiparæ, quæ tempore Concil. Chalcedonensis eo allatæ fuerant, vt suprà ex Damasceno ostendimus, *omnes qui affliguntur ad eam confugere docet.* Gregorius Nazianzenus in tragœdia, *Christus patiens*, ab hac Virgine petit, *vt quemadmodum omnibus mortalibus, sic illi imprimis præsidio esse velit.* Cyrillus Alexandrinus vocat eam *totius orbis thesaurum*, propter admirabilem patrocinii sui tutelam. S. Chrysostomus in sua liturgia & in homilia in occursum Domini, Athanasius in Euangelium de Sanctissima Deipara, & D. Basilius in sua liturgia, inuocant B. Virginem *tanquam Dominam omnium fidelium & reginam cæli.* Diuus Ambrosius in præparat. 2. ad Missam, B. Virginis suffragia petit. Diuus Hieronymus in Epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, docet *Beatam Virginem morientibus succurrere & occurrere.* Sed & ante Nicænam Synodum primam & in proximis Apostolorum temporibus S. Methodius Martyr, B. Virginem deuotissimè inuocat, in serm. de laude Deiparæ, quem citat Hieronymus in catalogo Scriptorum. Cyprianus Martyr siue Carthaginensis ille siue Antiochenus alter per inuocationem B. Virginis ad Christianam fidem perductus est, vt narrat fidelissimus author Gregor. Nazianzenus in orat. in Cyprianum, & Nicephorus histor. Ecclesiast. lib. 5. cap. 27. Irenæus lib. 5. ca. 19. vocat Mariam *Euæ*, hoc est, humani generis, *Aduocatam*: quæ etiam verba imitatur Augustinus serm. 2. de Annunciat. Dominica, vbi multis verbis deuotissimè eam ipse inuocat. Denique in liturgia Beati Iacobi Apostoli, & Sacerdos & totus populus Beatam Mariam inuocare iubetur. Postremo singularem hanc Beatæ Virginis præ cæteris omnibus Sanctis inuocationem docent innumera toto orbe Christiano, & per omnes ætates templa in eius honorem extructa. Non solum enim hæc postrema ætas tot illi templa dedicata vidit, nec tantum ante 300. annos aut 400. Henricus secundus Imperator, Stephanus Hungariæ Rex, Vdalricus Episcopus Augustanus, & Conradus Constantiensis sub Othone 1. & Rupertus Apostolus Bauariæ, multique alii proceres, vt Carolus Magnus & Ludouicus Pius, sed à mille iam annis Iustinianus Imperator valde multa, vt narrat Procopius in lib. de ædificiis Iustiniani, & ante eum Leo 1. Imperator, & ante vtrunque Pulcheria Theodosii soror, & ante illos omnes Constantinus Magnus cum Matre sua Helena per varias orbis partes varia & splendidissima templa Beatæ Virgini erexerunt, vt meminit Eusebius lib. 3. de vita Constantini. Sed & ipso primarum persecutionum tempore S. Calixtus Papa & Martyr templum Beatæ Virgini Romæ extruxit, vt in eius vita narrat Damasus. Accedunt ad hæc omnia specialis & potentissimi patrocinii in hac Beata Virgine argumenta, frequentissima ad eius inuocationem præstita toto orbe beneficia, & innumera opitulationum miracula. Quorum quædam magis memorabilia hoc etiam loco subiiciemus, vt facies & frons hæreticorum magis erubescat, si tamen frontem habent, quod eos habere Augustinus negat, si hoc nomine non corporis membrum, sed pudorem intelligimus. Andreas Chius quum antea cælibatum B. Virgini vouisset, vt ex morbo grauissimo liberaretur, à Turcis postea deprehensus quasi qui in Mahometem peccasset, ideoque aut Christum abiurare, aut extrema pati coactus, post ingentia & varia ac sæpius repetita tormenta, in singulis clamans, Virgo Maria iuua me, omnibus superior illustre martyrium compleuit vt describit eleganter Georgius Trapezuntius in vita eius apud Surium tomo 7. Ioannes Damascenus magnus Theologus quũ ex iniusto iudicio manus dexteræ amputationem passus esset, eandem à B. Virgine restitutam accepit: vt narrat prolixè Ioannes patriarcha Hierosolymitanus

B. Virginis specialis inuocatio. Cap. 8.

Veteris Eccl. pietas erga B. Virginem. In fine trag. Ho. 6. con. Nestorium

Templa in honorem B. Virginis

Contra Iulianum li. 4. c. 3. Miracula magis illustria per B. Virginem. Maij die 29.

A Hierosolymitanus in vita Damasceni græcè scripta, quam olim Oecolampadius, hodie iterum Abbas Billius vertit. Theophilus Oeconomus Antiochenæ Ecclesiæ in Cilicia quũ se per syngrapham diabolo totum dedisset, atque vouisset, postea B. Virginem inuocans eius intercessione & precibus & peccati remissionem impetrauit & syngraphã sibi restitutam toto spectante populo accepit. Est illustris historia quæ extat quidem apud Surium mense Febr. die 4. tom. 1. citatur autem ab Antonino in Summa par. 4. tit. 15. & ab Honorio ser. 1. de Assumpt. B. Mariæ: Maria Ægyptiaca cuius festum colit Ecclesia, B. Virginem inuocans ex meretrice turpissima ad Deum conuersa, & eremum petens vitam egit sanctissimam. Apud Surium April. 9. to. 2. S. Rupertus Abbas Tuitiẽsis quum propter tarditatem ingenij totus indocilis esset, B. Virginem suppliciter inuocans mirabile ingenij acumen impetrauit, & in magnum Theologum euasit, vt eius scripta testantur. Author est Trithemius. Iustina Virgo ad B. Mariã confugiens à Cypriani tunc magi amore illicito & à dæmonis magia liberatur, vt scribit Gregorius Nazianzenus. Theodorus Heraclij Imperatoris frater ingentem barbarorum exercitum parua manu conscidit, B. Virginem implorans, vt refert Paulus Diaconus in historia Longobardica. Sunt alia huius rei illustria exempla apud bonos historicos innumera. In prato spirituali per Ioannem Moscũ scripto ante annos 900. Extat liber in Bibliotheca Patrum tom. 2. Apud Marsilium Ficinum in lib.
B de religione Christiana. Apud Baptistam Fulgosum de Francisco Sforcia Duce Mediolanensi, qui captam bello puellam sed viro desponsatam, & in cubiculum introductam vitiare quũ vellet, illáque conspecta fortè B. Virginis imagine, quæ ad lectulum ducis pendebat, plorans oraret ducem pro amore B. Virginis, vt eam intactam dimitteret, mutato consilio fecit, & propter amorem Dei & B. Virginis integram viro reddidit. Plura vide apud Nicephori historiam Ecclesiasticam, & apud Vincentium Beluacensem in speculo historiali lib. 7. à c. 81. vsque ad c. 104. & apud Petrum Canisium in sua Mariana l. 5. c. 21. & sequent. ac demum in lib. Collat. sacrarum lib. 2. Horrum porrò miraculorum seu potius beneficiorum B. Virg. amplissimorum (quorum commemoratio esset infinita) illustria testimonia sunt celeberrimæ per orbem Christianũ Ecclesiæ B. Virgini sic specialiter dicatæ, vt in illis specialiter locis Diua Virgo inuocata, specialiter patrocinari soleat: idque in singulis ferè Christiani orbis regnis. In Italia S. Maria de Laureto. In Liguria S. Maria de Sauona. In Hispania S. Maria de Monte-Serrato. In Francia S. Maria Clerensis. In hoc Belgio S. Maria Hallensis prope Bruxellas. In Anglia olim dum fides illic stetit Christiana, S. Maria de V Valsingham, & de Ipsvvich. Sed potissimum in vrbe Roma, in qua (vt de suo tempore notauit Hieronymus) sic etiam hodie maior deuotio, & simplicitas fidei ab Apostolo in Romanis laudata maximè viget, diuersæ sunt Ecclesiæ à diuersis
C effectibus quotidianis & illustrib. cognominatæ. Vt S. Maria de consolatione, cuius & parietes, & columnæ omnes tabellis affixis plenè penéq; coopertæ conspiciuntur, quibus accepta Beatæ Virginis precibus beneficia leguntur. S. Maria liberatrice. S. Maria de populo. S. Maria de planctu. S. Maria de miraculis. S. Maria de Angelis. S. Maria de niue, præter adhuc viginti alias Ecclesias in honorem huius B. Virginis extructas, multáque facella aliarum Ecclesiarum, seu imagines miraculosæ B. Virginis (sic enim vulgo ab effectu vocantur) numero etiã viginti, quotidianis ferè miraculis, id est, gratijs & beneficijs nobilitatæ. Sunt hæc omnia contra nostri temporis Nestorianos, Heluidianos, Antidicomarianos, aliósque Beatissimæ Virginis hostes & contemptores (quales omnes hodie nostræ ætatis hæretici sunt) luculentissima testimonia, & argumenta certissima, tum diuinæ virtutis ac gratiæ, qua matrem suam honorantes Christus Dominus donare & honorare dignatur, tum priscæ, & auitæ fidei maiorum nostrorum, qua hanc Beatissimam Virginem, per omnia tempora, & loca deuotè colebant, assiduè inuocabant, ac denique pro vera fidelium matre, patrona, ac Domina speciali vnanimiter agnoscebant.

D Quòd si vel in hoc, vel in alio quopiam B. Virginis festo glorioſos eius titulos quibus illam Ecclesia Catholica ornat & inuocat, contra hæreticorũ rabidos morsus & calumnias acerbas tueri concionator desiderat, id paucis explicatum dabimus. Inuocatur hæc B. Virgo ab Ecclesia Catholica, vt Regina cœli, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra: maris stella & fœlix cæli porta. Hęc omnia hæreticis hodie blasphema videntur, quia soli Deo & Christo tales tituli conueniunt, qui est *Rex cæli, pater misericordiarum, via & vita nostra, per quem habemus accessum ad Deum*, Spes nostra, &c. Respondè quædam esse epitheta seu attributa quæ soli Deo sic conueniunt, vt nulli creaturæ vllo in sensu attribui possunt, quia ipsi diuinitati sunt propria. Vt, Omnipotens, æternus, infinitus, creator, finis & principium rerum, Dominus vitæ & mortis: vel soli Christo propria: vt Saluator, iustificator, siue iustitia, sanctificatio & redemptio nostra. Alia verò sunt Epitheta, quæ Deo quidem & Christo eius per excellentiam, Sanctis tamen per participationem & analogicè conueniunt: Vt, bonus, iustus, sanctus, sapiens. Item *Pater, Magister, pastor, lux, Petra, fundamentum*, quæ omnia Apostolis tribuuntur. Sic Virgo mater misericordiæ, vita, spes & dulcedo nostra vocatur, non quia per excellentiam & per se talis est, sed quia per participationem talis est, quatenus tales effectus non in toto sed ex parte, nec ex se, sed per interceſſionem suã nobis procurat. Sic Regina cœli, porta cœli, fenestra cœli, stella maris, Domina Angelorum vocatur, non quòd per se talis est, sed quòd ad hunc honorem à Deo euecta est, vt supra Angelos exaltata, ex parte quidem dignitatis propriæ quia mater Dei, Regina &

Apud Sur. t. 3. 6. Maij & in opertbus Damasceni nouis

In l. de monast. Hirsagiensi.

In Oratain B. Cypriã. Lib. 18. Cap. 46. & 47. c. 10

Lib. 4 c. 4. Rerũ memorabiliũ.

Li. 17. c. 25 & l. 18. c. 33

Speciales Ecclesiæ B. Virginis

In præfat. l. 2. com. ad Gal.

B. Virg. tituli gloriosi defenduntur.

Dom. 4. 2. Cor. 1. Ioan. 14. 1. Tim. 1.

1. Cor. 4. ad Ephes. 4. Matth. 5. & 16. Ephes. 2. Apoc. 21.

Domina creaturarum, vt ſuprà ex Damaſceno & alijs patribus protulimus: ex parte verò efficaciſſimæ interceſſionis, porta & feneſtra cœli & ſtella maris vocetur, quia ſuis precibus cœlum nobis aperit, & calamitates depellit. Hic autem loquendi modus ex Scripturis & vetuſtiſſimis patribus deſumptus eſt. Quibus eleemoſynas præſtitimus, dicuntur *nos recipere in æterna tabernacula*: & eatenus ſunt nobis quaſi porta cœli: *Qui orat pro fratre non peccante ad mortem dabit ei vitam*, ait S. Ioannes. Et ſic talis eſt vita fratris: *Qui conuerti fecerit peccatorem à vijs ſuis malis, ſaluabit animam eius à morte*. Et ſic talis eſt ſalus peccatoris: *Qui corripit fratrem ſuum, audientem & obſequentẽ, lucratur eum*, ait Chriſtus. Timotheo dicit Paulus: *Hoc faciens teipſum & alios ſaluos facies*: & de ſeipſo dicit: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem*. Denique fideles à ſe conuerſos vocat *ſpem ſuam, gaudium & coronam gloriæ*. Hæc omnia Chriſto nihil derogant, qui per excellentiam eſt ſalus noſtra, ſpes noſtra, gaudium & corona noſtra: ſed oſtendunt cauſas noſtræ ſalutis ſubalternas, eſſe ſanctos Dei, per quos noſtram ſalutem Deus operari dignatur. Irenæus ſcribit & poſt eum Auguſtinus, B. Virginem Angeli voci obedientem vniuerſo humano generi cauſam ſalutis fuiſſe. Hoc tamen Paulus ſoli Chriſto tribuit: *Factus eſt omnibus cauſa ſalutis æternæ*. Ambroſius in oratione de funere Theodoſij de B. Virgine prædicat, quòd Satanam vicerit triumphatorem: quod etiam Chriſto Apoſtolus ibidem tribuit. Irenæus vocat B. Virginem Euæ aduocatam, & Gregorius Nazianzenus in tragœdia citata, Aduocatam glorioſam. Hoc Chriſto tribuit Ioann. *Aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum*. Sed in his omnibus ſenſus eſt quem diximus. Et hunc ſenſum impius ipſe Caluinus in Chriſti merito agnoſcit, quando cum Dei miſericordia coniungitur, vt ex vtroque ſaluemur: *Regula* (inquit) *vulgaris eſt: Quæ ſubalterna ſunt, non pugnare: ideóque nihil obſtat quo minus gratuita ſit hominum iuſtificatio ex mera Dei miſericordia, & tamen ex Chriſti merito, quod Dei miſericordiæ ſubijcitur*. Hæc ille. Eodem omnino modo in iſtis glorioſis B. Virginis titulis & honoribus, nihil obſtat quo minus Deus ſit ſalus noſtra, vita, dulcedo, ſpes, & miſericordia noſtra, ex mera Dei bonitate, potentia, virtute: & tamen eadem nobis ſalus, vita, dulcedo, ſpes & miſericordia conferatur ex B. Virginis interceſſione, quæ Dei miſericordiæ ſubijcitur, id eſt, tanquam inferior & ſecundaria cauſa ei ſubalternatur: idque ex proportione, non ex æqualitate. Hæc hæretici hodie ſi vel intelligere, vel aduertere vellẽt, pias Eccleſiæ voces Scripturis & patribus conformes, tam impiè & odioſè non exagitarent. Sed & multi tituli B. Virgini attribuuntur, qui cæteris Sanctis tribui non poſſunt propter honorẽ Chriſti cui eſt coniunctiſſima. Et in talibus id ſemper cogitandum eſt, quòd ſæpe repetit D. Bernardus: *Quicquid in laudem matris proferimus, id ad filium pertinere*: Et rurſus. *Quum filium honoramus, nos à gloria matris non recedere*.

Luc.16. *1.Ioan.5.* *Iacob.5.* *Matth.18.* *1.Tim.4.* *1.Theſſ.2.* & *Philip.4.* *Lib.3.c.23.* *Serm.18. de Sanctis.* *Hebr.5.* *Lib.5.* *1.Ioan.2.* *Inſtit.l.2. c.17.n.1.* *Serm.4. ſuper Miſſus eſt.*

A B C

IN FESTO SANCTI MATTHÆI APOSTOLI.

Matth.9.

Miſericordiam volo & non ſacrificium.

De externo Dei cultu.

LOCVS idoneus explicandi contra hæreticos horum temporum, externum Dei cultum, ſiue per ſacrificia ſeu per ſacramenta, his verbis Chriſtum non reprobare, non reſpuere, vt illi hoc loco abuſi ſimplicioribus imponunt. Hæretici enim hodie nullum in Eccleſia Chriſti externum eſſe ſacrificium volunt, ſacerdotium nullum, ſed miniſterium tantum, & ſacrificia quædam Euchariſtica, vt ſunt preces & laudes Dei, omniáque charitatis officia: externa enim illa Synagogæ eſſe propria, cuius ſacrificia omnia, totúmque Sacerdotium in vno Chriſti ſacrificio in cruce peracto ita prorſus deſierunt, vt in nouo teſtamento ſola interna locum habeant. Sic ſtudioſè docet Caluinus, & addit veteres Patres, quia in Cœna Domini adminiſtranda ceremonias multas adhibebant, altari vtebantur, ſacrificium agnoſcebant, & ſacerdotes vnctos & conſecratos habebant, *imitatos eſſe propius Iudaicum ſacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Chriſtus, aut Euangelij ratio ferebat*. Et paulò pòſt: *Menſam nobis dedit Chriſtus in qua epulemur, non altare ſuper quod offeratur victima. Non ſacerdotes conſecrauit qui immolent, ſed miniſtros qui ſacrum epulum diſtribuant*. Hæc autem ita ſe habere volunt, quia omnem externum cultum ad ritus Iudaicos & ſuperſtitiones Phariſaicas pertinere iudicant, dicente Chriſto, *nunc horam eſſe quando veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & veritate*: & in hoc Euangelio, *Miſericordiam volo, non ſacrificium*. Hoc videlicet tempus eſſe cultus Euchariſtici, non propitiatorij, *& nihil amplius nunc ad Dei cultum pertinere, niſi vt nos ipſos anima & corpore in templum ſanctum Domino conſecremur, per preces, laudes, gratiarum actiones & charitatis officia*. Sic enim Caluinus ſtatuit. Eſt igitur hoc loco oſtendendum Chriſtum his verbis, *Miſericordiam volo & non ſacrificium*, externa vel Eccleſiæ, vel Iudæorum ipſorum ſacrificia nullo modo excludere, reprobare, reiicere.

Inſtit.l.4. c.18.num. 11. & 12. *Ioan.4.* *Vbi ſuprà num.16.*

D

A reiicere. Sunt certè illa verba Oseæ Prophetæ, quæ eo tempore ab illo dicta sunt, quo tempore sacrificia Mosaica ex Dei mandato non legitimè tantùm, sed & necessariò fiebant. Sed & quum Christus hæc verba repeteret, sacrificabant in templo Iudæi, & templum Christus frequentabat, ad festa templi ascendebat, in ipso templo frequenter docebat. Non ergo vel propheta tunc vel Christus nunc, sic misericordiam, id est, opera charitatis se velle dicebat, & sacrificia se nolle, vt prorsus sacrificia Iudaica repelleret. Quid ergo vult, quum dicit, illud volo, hoc nolo? Exponit Sanctus Augustinus: *Nihil aliud quàm sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi, quoniam illud quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij. Misericordia autem verum sacrificium est. Talibus enim hostijs placatur Deus.* Hæc ille. Docuit ergo Propheta, docet hic Christus, docuit ex his Scripturis edoctus Augustinus, sacrificia externa Deo nunquam simpliciter displicuisse (maximè ab eo instituta & præcepta) sed interna magis placuisse, quia videlicet nõ nisi interni sacrificij, id est, verę pietatis in Deum, misericordiæ in proximum, signa sunt externa. Reprehendit igitur, & meritò taxauit tum sui temporis Iudæos Oseas Propheta, tum præsentes Pharisæos Christus, quod quum sacrificia & cætera legalia exactissimè obseruarent, vera interim pietatis & charitatis opera, Deo multo gratiora, prætermitterent. Sic alio in locõ. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentam & anethum & cyminum, & reliquistis quæ* Matth. 23.

B *grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem.* Non reprehendit quod minora faciebant, sed quod maiora prætermittebant. Ideo subiunxit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Quod si etiam minutissima illa non erant prætermittenda, quanto magis sacrificium? Vult ergo Deus sacrificium, sed non vult sacrificium sine misericordia, non vult externum cultum sine interno. Imo absque interno cultu, absque vera charitate & pietate, externa omnia hypocrisis sunt, non Dei cultus: peccata sunt non virtutes. Atqui hæretici sic hypocrisim sustulerunt, vt impietatem substituerint. Sic internum prædicant, vt externum auferant. Sic Pharisæi esse nolunt, vt infideles fiant. Sic Christum in verbo capiunt, vt Christo contradicant. Christus vtrúmque flagitat, & internum cum externo, & externum non absque interno. Solet dici, *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* Sic hodie hæretici, dum vitant hypocrisim, incidunt in impietatem. Dum inania signa persequuntur, signa prorsus subuertunt. Signum absque re inane est. Sed à re tamen signum abesse non debet, quod rei significandæ institutum est. Sacrificium in Ecclesia Christi externum, sacramenta, ceremonię, externa sunt tum pietatis nostræ erga Deum, tum diuinæ erga nos gratiæ, & beneuolentiæ signa. An quia pietas interdum deest, & multi prophanè signis sacris vtuntur, signa ipsa subuertes? Hoc igitur loco paucis doceri populus potest, cur etiam in Ecclesia Christi, & in hac luce Euangelij, signis adhuc externis, sacrificio, sacramentis, ceremonijs locus sit. Sunt huius rei variæ causæ. Primùm quia homines sumus, nec solo animo, sed

C & corpore constamus, vt aliquis esset etiam corporis cultus, externa signa instituta sunt. Hanc causam expressit S. Basilius: *Non ex dimidia tantùm parte, solo videlicet animo, sed etiam corpore philosophiæ operam dare debemus. Etenim si essemus extra corpus constituti, necessariò solo tantum animo optima, ac præclarissima quæque sequeremur. Verum quia ex duplici natura constamus, duplex quoque virtutis studiũ esse debet: idque, quum strenuitate corporis, tum animi etiam industria exerceri.* Hoc est autem adorare in Spiritu & veritate. Veritas enim non est, sed falsitas & hypocrisis, si vel quod foris ostenditur intus non geratur, vel quod intus geritur foris ostendi contemnatur: *Debemus prouidere bona non* Rom. 12. *solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Hoc ad externum etiam in Ecclesijs cultũ quidni pertineat? Maximè dicente Apostolo de fidelium conuentibus, *Omnia honestè & secundum ordinem* 1. Cor. 14. *fiant.* An verò ad ordinem & honestatem in conuentu fidelium non pertinet, vt varijs ceremonijs, vel sacra ipsa religiosè administrentur, vel populus ipse ad pietatem excitetur? Deinde externum cultum adhibemus, ad ipsius interni testificationem, tum Deo gratam, tum alijs exemplo vtilem, tum nobis ipsis vt magis excitemur accommodatam: *Orantes atque laudantes Deum* (ait

D Augustinus) *dirigimus significantes voces. Res autem ipsas in corde quas significamus offerimus.* D. Paulus *flectebat genua ad Deum patrem*: sed magis animo obsecrabat: *Christus cum clamore valido & lachrimis preces & supplicationes obtulit.* Erant hæc interni feruoris signa. Prophani hæretici externa non adhibent, quia internis carent. Apud illos enim genua in Ecclesia flectere, cum clamore & gemitu orare superstitiosum ducitur, contemptui habetur, Pharisaicum vocatur. At Deus (inquiunt) cor videt, animum scrutatur, externo hoc cultu non indiget. Respondet Augustinus: *Non solùm pecore vel qualibet alia re terrena & corruptibili, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum est: totúmque quod rectè colitur* Deus, *homini prodest non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse si biberit, vel luci si viderit.* Deum igitur externis gestibus & ceremoniis colimus, non quòd eis ille indigeat, sed quod hoc modo obsequium Deo gratum nobisque perutile exhibemus. Rursum Deus ipse per externa quædam signa salutem nostram operari voluit, & sub certis sacramentis, vt per huiusmodi nostræ infirmitati consuleret: *Si tu* (inquit Chrysostomus) *incorporeus esses, vnde ipsa dona incorporea tibi tradidisset: quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.* Signis externis nos docere, signis fidem nostram & excitare, & exercere, & confirmare, & corroborare voluit. Propter has igitur & alias causas (de quibus plura diximus in Dominica 11. post Pentecosten) externus adhuc in Ecclesia noui testamenti cultus locum habet. Misericordiam, veritatem, iudicium sic Christus laudat, vt externa non reprobet, vt sacrificij & sacramentorum doctrinam ne quidem apud Iudæos, multo

Cur in luce Euangelij signa externa retinentur.

1. Constitut. Monast. cap. 5.

Deciu. Dei l. 10. c. 5.

2.

Deciu. Dei l. 10. c. 19. Ephes. 5. Heb. 5.

Deciu. Dei l. 10. c. 5.

3.

Hom. 83. in Matth. & Hõ. 60. ad pop. Ant.

Domin. 9. post Pent. minus in Ecclesia sua (de qua hic nihil disputabat) propterea aboleret. Quomodo nũc hora sit, A vt in Spiritu & veritate adoretur Deus, in alio Euangelio diximus. De sacrificio externo, Christianorum proprio, qui velit hoc loco aliquid apud populum solidè dicere, eiusque vel necessitatem, vel fructum amplissimum obiter explicare, legat diligenter tractatum doctissimum Cardinalis Alani de eo argumento, maximè c.8. & seq. de eius institutione: & c.29. ac seq. De vario eius atque amplissimo fructu.

Lib.2. de Eucharist. sacrificio.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Matth. 18.

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. B

De Angelorum custodia & veneratione.

LOCVS proprius explicandi contra hæreticos horum temporum, quæ de Angelorum custodia, & veneratione docet ac tradit Ecclesia Catholica, ea S. Scripturis & veterum Patrum fidei prorsus conuenire. Hæretici hodie etsi Angelorum ministeria circa homines, quæ in Scripturis tam frequenter occurrunt, negare non possunt, specialem tamen custodiam erga vnumquemque vel negant, vel certè in dubium vocant: venerationem autem prorsus reiiciunt, ideóque hoc festum D. Michaëlis, vel vt alicubi vocatur, festum Angelorum, nec ipsi celebrant, & celebrantes superstitionis arguunt. Caluinus quum in Scripturis custodiam Angelorum manifestissimam & celeberrimam cerneret, & quædam etiam loca videret, quæ peculiarem custodiam vnius certi Angeli vnicuique assignatam perspicuè affirmant, maluit tamen pro sua contradicendi libidine dubitare, & rem dubiam relinquere, adeóque quibus potuit ratiunculis Scripturæ loca infirmare, quàm veritati catholicæ, & receptæ fidelium sententiæ manum porrigere. Nos igitur ex Scripturis hanc Angelorum custodiam primùm generalem, mox etiam peculiarem demonstrabimus, indéq; honorem ac venerationem illis debitam confirmabimus. Vniuersales sunt sententiæ quæ in primis ad Christum, Ecclesiæ caput, deinde ad omnes fideles pertinent: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Tale est & illud: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos.* Quibus ostendit Deus sese eorum quos custodiẽdos suscepit, tutelam Angelis delegare. Secundum hanc rationem Angelus Domini consolatur Agar fugitiuam. Pollicetur Abraham seruo suo, Angelum fore ducem itineris ipsius. Sic Angelus protegendis Israëlitici populi castris præfectus fuit: & quoties voluit Deus Israëlem redimere è manu hostium, Angelorum ministerio vindices excitauit. Eliam in spelunca Angelus pascit & consolatur. Ad eundem locutus est Angelus, vt descenderet ad Regem Ochoziæ ægrotum. Exercitum Sennacherib blasphemantem Dominum Angelus Domini vna nocte percussit. Est huiusmodi exemplis plena Scriptura vetus. Sed & in nouo testamento non minus frequenter occurrunt. Angelus salutat B. Virginem. Angelus Zachariæ sacerdoti filium prædicit. Angelus apparet in somnis Ioseph, vt fugiat in Ægyptum. Angeli nunciant pastoribus natum Christum. Angeli monent Magos ne reuertantur ad Herodem. Angeli ministrabant Christo finita & superata tentatione in deserto: & eundem consolantur in horto. Angeli apparent mulieribus in sepulchro docẽtes Christum resurrexisse. Angeli apparẽt Apostolis Christo in cœlum ascendente. Apostolos in custodiam publicam coniectos Angelus educit. Angelus mittit Philippum ad Eunuchum reginæ Æthiopum. Denique Petrum è carcere deducit Angelus. Propter has Scripturas & adhuc alias de Angelorum custodia & ministerio ad vsus maximè fideliũ apertissimè scribunt patres. Inter alios S. Augustinus his verbis clarissimè: *Angeli* (inquit) *sunt ciues superne Hierusalem, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiũt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus viis suis: confortent quoq; & moneant: & orationes filiorum tuorum* (Deũ alloquitur) *offerant in conspectu gloriæ Maiestatis tuæ. Diligunt nempè conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant. Ideoque magna cura & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te Domine: gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propensionem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes quàm piè, quámque honestè in medio prauæ nationis conuersemur, quantóque studio, & desiderio quæramus regnum tuum & iustitiam eius. Adiuuant laborantes, protegũt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus: compatiuntur patientibus: pro te, inquam, patientibus. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis dilectionis qua dilexisti nos.* Hæc plenissimè Augustinus. Atque hæc de custodia Angelorum in genere, quæ quanta & qualis sit, & quàm latè C D

Inst. lib. 1 c. 14. n. 7.

Custodia generalis Angelorũ.

Psalm. 91.

Psalm. 33.

Gen. 16.

Gen. 24.

Exod. 14.

3. Reg. 19.

4. Reg. 1.

Luc. 1.

Luc. 2.

Matth. 2.

Matth. 4.

Luc. 22.

Marc. 14.

Act. 1.

Act. 5.

Act. 8.

Act. 12.

Soliloquiorum ca. 27

Angelorũ custodia qualis.

patear,

A pateat, satis vnus Augustinus explicuit, Deo gratias agens de tanto, & tam singulari beneficio, vt in verbis proximè sequentibus apud eum videre licet.

Sed nunc de peculiari custodia, & an vnicuique fideli vnus certus Angelus in custodiam detur, dispiciendum est. Certè in hoc euangelio de paruulis dicitur. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei*. Vbi certos esse horum paruulorũ Angelos, quibus eorum cura demandata fuerat, satis clarè Christus insinuat. Alioqui enim non dixisset, *Angeli eorum*, sed Angeli simpliciter. Et certè *Angeli eorum*, id est horum paruulorum, quos Christus ibi præsentes designauit, nõ possunt intelligi nisi proprij & peculiares ipsis. Non enim verè vocaretur angelus Thomæ, verbi gratia, qui ad Thomam non magis quàm ad omnes pertineret. Quare D. Hieronymus ex his Christi verbis, vulgatam Christianorum hac de re fidem his verbis apertissimè expressit. *Magna* (inquit) *dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Quod & illo multo antiquior Origenes in hunc etiam locum tradidit. *Quidam* (inquit) *volunt ex eo dari hominibus Angelum adiutorem, ex quo per lauacrum regenerationis nati sunt infantes in Christo: Alij volunt mox quum fuerit natus, eorum qui præcogniti sunt à Deo accipere sibi præpositũ Angelum.* Sed siue hoc siue illo modo, dari vnicuique peculiarem Angelum nõ dubitat. Sed & Christi argumentum in hoc euangelio notandum est. *Videte* (inquit) *ne contemnatis vnum ex istis pusillis*. Et rationem subB iungit. *Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei.* Idcirco ergo cõtemnendi non sunt, quia Angelos custodes habent, qui contemptores eorum obseruant, & paruulorum gemitus apud Deum exponunt. Vnde Hilarius in hunc locum. *Periculosè ille contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad Deum æternum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio peruehuntur.* Quasi diceret Christus, Non solum paruulos in me credentes (nam de talibus supra loquebatur) contemnitis, sed & angelos eorum contemnitis, atque etiam irritatis, & ad vos accusandos, gemitúsque paruulorum ad patrem meum deferendos prouocatis. Hoc totum dignitatem paruulorum in Christum credentium demonstrat, quæ in hoc consistit, quod peculiares in sui custodiam deputatos Angelos habeant. Porrò hanc peculiarem custodiam & aliæ Scripturæ docent. Quum enim Daniel Angelum Persarum (quem vocat *principem regni Persarum*) & Angelum Grecorũ (quem vocat *principem Græcorum*) inducit, significat certos Angelos regnis ac prouinciis quasi præsides destinari. Quod etiam Moyses in diuino suo cantico expressit. *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando numerabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël:* pro quo Septuaginta interpretes habent: iuxta numerum Angelorum Dei. Et sic hæc Moysis verba Hieronymus & Theodoretus ad hunc Danielis locum explicandum applicant. Qui etiam locus propter hoc D. Michaëlis festum breuiter tractari potest. Orante enim Daniele, vt populus Israëliticus ex Persida in Iudæã reduceretur, Angelus captiuo populo præpositus quũ hanc C eius orationẽ Deo sistere vellet, restitit ei Angelus Persarũ, qui Iudæos adhuc in Persida subsistere optabat, propter multos Persas hac occasione ad veri Dei cognitionem perductos: & tam diu restitit, donec Michaël (qui erat tunc princeps populi Iudaici in ipsa Iudæa constituti, vt modo est Ecclesiæ Christianorum, *venit in adiutorium eius.* Hic enim quum esset *vnus de principibus primis*, vt Daniel loquitur, effecit ne Angelus Persarum Angelo Danielis diutius resisteret. Nam Angelos sanctos alijs interdum sanctis resistere docet Gregorius. *In Angelis sanctis non est simpliciter contrarietas voluntatum. Nam eorum voluntas diuinam sequitur voluntatem. Sed quando nesciunt futura, aliquando offerunt eorum quibus præsunt merita contraria. Et ita dicuntur alii aliis vicissim resistere. Sed intellecta diuina voluntate summa est inter illos concordia & consensio.* Vt ergo tunc S. Michaël populi Iudaici liberationem promouebat, sic hodie Ecclesiæ causas apud Deum specialiter commendat. Et sicut Persæ & Græci suos habuerunt præsides Angelos, sic vnusquisque fidelis suum habet custodem Angelum. Quod adhuc scriptura Apostolica luculenter ostendit. Nam quum Petrus è carcere eductus pulsasset fores domus in qua congregati erant fratres, quum suspicari nõ D possent eum esse dicebant. *Angelus eius est*, planè ex communi fidelium conceptione loquebantur, qua credebant vnicuique certum Angelum præsidem & custodem dari. Ad hunc locum ridiculè respondet Caluinus. *Nihil obstat quominus vnum quemlibet ex Angelis intelligamus, cui Dominus tunc Petri curam mandasset, neque tamen propterea esset perpetuus eius custos.* Hæc ille. Sed quomodo quæso hæc temporalis deputatio quam fingit Caluinus, istis in domo illa congregatis fidelibus potuit innotescere, vt dicerẽt, *Angelus eius est*? Imo quomodo poterãt verè dicere, *Angelus eius est* qui non eius peculiaris esset, sed ad illud tunc tempus tantum Petro deputatus, vt Caluinus nugatur? vel quare tunc magis ad Petri curam Angelus deputaretur, quam per totam reliquam vitam: quæ nunquam periculis, nunquam tentationibus caruit? Aut quomodo fideles illi in tam repentino casu, & aduentu Petri tam inexpectato, adeóq; nec credito, Angelum Petri extraordinarium imaginarentur, qui se Petrum esse diceret? In casibus enim repentinis & dubijs ea quę communiter fiunt, celeriter cogitamus & imaginamur, vt turbari mens desinat: sed extraordinaria aut rara nemo tunc cogitat. Cæterùm luce clarius est fideles illos ex communi conceptione, ex communi sententia locutos tunc fuisse, veréq; cogitasse, quia Petrum quem vinctum arctissimè sciebant, adesse non potuisse credebant, Angelum Petri fuisse, qui aliquid ad eos nuncij ex Petro vel de Petro adferret: ex quo constat creditum tunc apud fideles cõmuniter fuisse certum & proprium vnicuique dari Angelum custodem. At (inquit Caluinus cauillator strenuus) *cui hoc non satisfaciet, omnes cælestis militiæ ordines pro salute sua excubias agere, non video quid pro-*

De peculiari cuiusque Angelo custode.

In com. ad Matth. 18.

Tract. 5. in Matth.

Matth. 18.

Can. 18. in Matth.

Dan. 10. v. 13. & 20.

Deut. 32.

In com. ad Dan. c. 10.

Act. 12.

Inst. lib. 1. c. 14. n. 7.

Caluini ridicula euasio.

Cauillationes Caluini refutantur.

ficere ex eo possit, si intelligat Angelum vnum peculiariter custodem sibi datum. Atqui bone vir, non hic quæritur quid nobis satisfaciat, sed quid scriptura tradat, quid Ecclesia credat. Si nullos planè Angelos custodes haberent fideles, nihil haberent vnde contra Deum conquererentur, & satis illis esse deberet, quod Spiritum S. omnes acceperunt, *qui effusus est in nos abundè*, per varia scilicet eius dona & charismata. Sed scripturarum veritati insistimus, quam improbi hæretici depraua re student. Sed & illustrius est Dei beneficium, peculiares cuiq; fideli Angelos dari, quã sub generali custodia omnes relinqui. Maioris dilectionis Dei argumentum hoc est. Maior quoque animarum dignitas. Addit adhuc Caluinus: *Qui ad vnum Angelum restringunt, quum de vnoquoque nostrum curam Deus gerit, magnam sibi & omnibus Ecclesiæ membris iniuriam faciunt, ac si de nihilo promissæ essent illæ auxiliares copiæ, quibus vndique cincti & muniti animosius certemus.* Egregia scilicet argumẽtatio. Est quædam generalis Angelorum custodia, ergò iniuriam facit, qui peculiarem statuit. Simile est hoc argumentum. Deus suo diuino Spiritu nos docet, consolatur, *custodit corda & corpora nostra*: ergo iniuriam sibi & alijs facit, qui Angelorum custodiam seu generalem, seu peculiarẽ ponit, ac si de nihilo promissus fuisset Spiritus S. ac si de nihilo Christi gratia collata fuisset, ac si de nihilo fidem accepissemus, quibus vndiq; cincti & muniti animosius certemus, cõtra diabolum, mundum & carnem. Sicut enim Angelorum custodia non excludit Spiritũ S. nec Christi gratiam, nec fidem, nec sacramenta, nec alia quæcunq; salutis subsidia, ita nec peculiaris eorum custodia excludit generalẽ. Deinde qui singulis fidelibus singulos Angelos custodes dari dubitant, ipsis tamen prouincijs ac populis certos Angelos præsides ac præpositos constitui, vt ex Daniele constat, non dubitant. Atqui hoc argumentum & illos quoque excludit, si hilũ valeret. Sed hæc sunt siculnea & blitea Caluini argumenta quibus orthodoxas veritates homo audacior quàm doctior impugnat. Manet ergo manifesta sanctæ Scripturæ doctrina de custodia Angelorum tam generali quàm particulari.

Vbi supra.

Philip. 4.

A

B

Nunc ex patribus paulo; adhuc plura proferemus. De Angelis prouinciarum custodibus sic scribit Damascenus: *Angeli* (inquit) *prout à summo illo opifice destinati ac collocati sunt, certas quisque terræ partes custodiunt, gentésque & regiones tuentur, ac res nostras gubernant, nobisque opem ferunt.* Hæc ille. De Angelis Hierosolymitani populi custodibus, scribit Iosephus paulò ante Romanorum aduentum, vocem eorum auditam fuisse, *Migremus hinc.* Cuius etiam Cornel. Tacitus in historia meminit: *Audita* (inquit) *maior humana vox excedere Deos.* Gregorius Nazianzenus sedem & Episcopatum Constantinopolitanum relicturus, sic in oratione ad 150. Episcopos Constantinopoli congregatos loquitur, *Valete Angeli huius Ecclesiæ præsides, meaque præsentiæ & peregrinationis.* Nec ille tantus Theologus ita sentiret, nec in tanto Episcoporum Senatu aliter quàm sentiendum fuit loqueretur, si doctrina ista de peculiari Angelorum custodia vel incerta fuisset, vel vana. Illustre verò est quod de Virginis Eustochij Angelo custode refert S. Hieronymus.

De orth. fidel. 2. c. 3.

De bello Iudaico l. 7 cap. 12.

In orat. ad 150. Episc.

C

In Epist. ad Lætam.

Prætextata nobilissima quondam fœmina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij Virginis fuit, habitum eius cultúmque mutauit, & neglectum crinem mundanum more pexuit, vincere cupiens & Virginis propositum & matris desiderium. Et ecce sibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum (Virginis custodem) terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Tune ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput Virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Hæc Hieronymus. Sed & huc pertinet quod de 40. Martyribus narrat Basilius. *Custos dum hos obseruaret,* (martyres videlicet in stagno frigidissimo positos brumali nocte) *quosdam è cœlo descendentes Angelos, ac coronas singulis martyribus vno excepto distribuentes aspexit.* Isti enim descendentes cum coronis Angeli, quum numero martyrum responderint, proprij & peculiares cuiusq; meritò videri possunt. Certè Iudæi in sua cabala omnium veterum Patriarcharum peculiares Angelos etiam nominatim recensent, vt videre licet apud Reuclinum. Posita igitur hac Angelorum custodia tam generali quàm particulari, tanta, tam ampla, tam assidua (vt eam Augustinus suprà descripsit) necessariò & per se sequitur, veneratio & cultus quo Ecclesia eos hodie prosequitur. Rationes nempe eædem quæ Sanctorum cultum & venerationem statuũt (quas infrà explicabimus) Angelorum quoq; honorem & venerationem confirmant. Sed & ipse Caluinus honorem illis deberi non potuit diffiteri: *Neque enim æquum est* (inquit) *sine honore præteriri ea instrumenta, quibus Numinis sui præsentiam specialiter Deus exhibet. Quin etiam ob id non semel diÿ in scripturis nuncupantur, quòd in suo ministerio velut in speculo, diuinitatem aliqua ex parte nobis repræsentant.* Hæc ille de Angelis. Neque verò dum S. Michaëlis aut Angelorum festa celebramus, vel ipsis templa erigimus, id facimus in sensu Augustini, qui hoc Christianos facere negat, id est, non illis sacrificamus in templis, nec diuinum illis honorem exhibemus: sed vt Dei amicos colimus, eo honore & cultu qui Sanctis exhibetur, vt suo loco dicetur. Quæ D. Michaëlis templa vel altaria vocantur, idcirco ita vocantur quia ipsi Deo in illis sacrificatur ad memoriam & honorem S. Michaëlis, non alio sensu.

In Hom. de 40. Mart.

Reuclinus lib. 1. partis Cabalist. ex Comment. circa librũ Iethzira.

In festo omnium Sanctorũ. Instit. lib. 1 cap. 14. n. 5

In lib. de vera relig. cap. 55.

D

IN FESTO

A

IN FESTO SIMONIS ET IVDÆ.

Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum quoque seruabunt. Ioan. 15.

EVOCVS illustris duo salubertima doctrinæ capita contra hæreticos explicandi. Vnũ est de pręceptis Ecclesiæ seruandis. Alterum de causa grassantiũ hæresum, siue de causa desertę Ecclesiæ Catholicæ. Quod ad prius attinet, docet apertè Christus sermonem Apostolorum seruandum esse, & quidem non secus quàm sermonem suum. *Si* (inquit) *sermonem meum seruauerunt, & vestrum quoque seruabunt.* Si mihi obediunt, & vobis obedient. Si mea præ- De prȩceptis Eccles.
B cepta custodiunt, & vestra custodient. Planè Christus tanquam seipsum audiri suos vult: *Qui vos audit, me audit; Qui vos spernit, me spernit.* Quæ verba quantum valeant, alibi exposuimus. Certè Apostoli hanc sibi datam potestatem agnouerunt. *Scitis* (inquit Paulus) *quæ præcepta dederim vobis.* Sic de ratione & ordine prophetandi multa præcepta dedit. Rursum ordinat ne, vel neophytus, vel bigamus ordinetur in Episcopum. Apostoli in Concilio Hierosolymitano statuerunt decretum de abstinendo ab immolatitijs & suffocato, & sanguine: & hoc præceptum mandant, *Visum est* (inquiunt) *nobis nihil vltra oneris vobis imponere.* Imponitur ergo vt onus quidem ratione præcepti, sed vt onus leue ratione charitatis, quæ *omnia suffert*, & obedire parata est. Sed & postea *Paulus ac Silas perambulabant Syriam & Ciliciam confirmantes Ecclesias, præcipientes custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Denique ne solis Apostolis hæc potestas data fuisse videretur, sic D. Paulus ad Titum scribit: *Reliquite Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas*, & superordines. Hoc enim vox Græca sonat, ἐπιδιορθώσῃς, hoc est, pro noua rerum exigentia noua præcepta superaddas. Sed & de toto hoc genere sic ad Hebræos suos scribit: *Obedite præpositis vestris & subiacete illis.* Sanctissimè igitur Concilium Tridentinum *anathema illis* dicit, *qui aiunt hominem iustificatum per Christum ad obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ nõ teneri.* Et profectò quum Ecclesia potestatem regendi & pascendi à Christo acceperit (quod ip-
C si hæretici non negant) legum quoque ferendarum, & præcepta morum constituendi potestatem negare non possunt. Ad regimen enim & curam animarum multa quoad mores pro tempore, pro loco, pro personarum qualitate constituenda sunt. Vnde & Paulus quum dixisset, *Obedite præpositis vestris & subiacete illis*, hanc rationem subiecit, *Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hoc est, ipsorum est animas vestras curare, ideóq; bona & salutaria præcepta dare, vel quibus vitia reprimantur, vel quibus virtutes promoueantur, vel deniq; quibus Dei cultus augeatur. Obedite igitur, *vt cũ gaudio hoc faciant, non gementes*: id est, ne vel murmure, vel inobedientia, & duritia vestra turbati gementes ac tristes hoc officium exerceant, sed potius gaudeant & exultent in Domino videntes *profectum vestrum, ordinem vestrum, & firmamentum fidei vestræ*: de quibus ad suos Colossenses se gaudere Paulus scripsit: *Hoc enim non expedit vobis.* Graue enim scelus est non obedire Deo & ijs quos Deus mittit, sicuti de inobedientia Saulis erga suum (quod ex Deo acceperat) mandatum Samuel propheta dixit: *Quasi peccatum ariolãdi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Deo enim repugnat, qui Ecclesiæ præcepto obedire recusat: *Si enim sermonem meum seruauerunt* (ait hic Christus) *& vestrũ quoque seruabunt.* Qui Christi præcepta seruat, seruabit & Ecclesiæ per quam Christus loquitur, cui Christus omnem
D potestatem quam à patre accepit tradidit, vt alijs in locis huius Promptuarij ostendimus. Docẽt autem Scripturæ & rationes allatæ, Ecclesiam præcepta dare posse, non solùm determinando, vel exponendo ius diuinum, aut naturæ, sed etiam ea ferendo quæ ad ædificationem præsentem facere iudicat, siue ea in diuini iuris præscripto contineantur, siue non: qualia certè erant quæ de Apostolis & Paulo iam commemorauimus. Quod autem hæretici hodie aiunt, nos Catholicos tribuere potestatem Ecclesiæ ferendi leges etiam contra Scripturam, & contra Dei mandata (quod erat Pharisæorum graue crimen) docere quoq; plus obedientiæ præstandũ esse mãdatis Ecclesiæ quàm Dei, item per hanc doctrinã infinitam licentiam dari Ecclesiæ quiduis statuendi sine verbo Dei, deniq; asserere nos plura & præstantiora esse quæ mandatis Ecclesiæ cõtinentur, quã quæ in verbo Dei habentur: ac postremò de Ecclesiæ præceptis nulla ratione disceptandũ esse, aut considerandum an sint verbo Dei consentanea (etsi hoc vltimum fateamur non esse cuiusque, vt alibi docuimus) sunt quinque hæreticorum luculenta mendacia & putidæ calumniæ in hac materia cauendæ, & de quibus moneri populus hoc loco potest, nihil huiusmodi Ecclesiam Catholicam, de suorum Episcoporum, vel Conciliorum præceptis docere. Sed quia Ecclesiæ legibus obedire, videtur hæreticis libertati Euangelicæ repugnare, hunc quoque scrupum eximemus. Lex & mãdatum obligat conscientiam subditi duobus modis. Vno modo per viã coactionis & terroris: & hæc est obligatio seruilis, qualis in veteri lege fuit, qualis inter principes seculares & subditos, inter dominum & seruũ, inter pædagogũ & paruulum

Ioan. 14. De prȩceptis Eccles. Luc. 10. 1. Cor. 14. 1. Tim. 3. Act. 15. 1. Cor. 13. Act. 15. & 16. Tit. 1. Heb. 13. Sess. 6. Can. 20. Dominicæ Trin. In die Ascensionis. In die S. Marci. Cauillationes hæreticorum refutantur. 1. 2. 3. 4. 5. In die Ascensionis Dominicæ. Præcepti Ecclesiast. obligatio libertati Euangelicæ non repugnat.

eſt. Hoc ſenſu omnis lex onus graue & iugum durum eſt, vel ex parte rei quatenus quę præci- A
piuntur magis exercent obedientiam quàm vtilitatem adferunt: vt veteris legis cęremoniæ: vel
ex parte carnalis affectus ſubditi, qui inuitus omnia facit, aut certè ex timore pœnæ vt omnes fa-
ciunt qui ad vetus teſtamentum pertinent, id eſt, qui ſeruili adhuc timore premuntur, nec gra-
tiam noui teſtamenti propriam, amorem & charitatem Dei rerúmq; diuinarum perceperunt.
Alio modo lex obligat per viam liberæ ſubiectionis aut obediętiæ liberalis, & hæc eſt obligatio
filialis qualem filius patri exhibet. Talis eſt obligatio legum Eccleſiaſticarum: tam ex parte rerũ,
quæ etſi multæ ac variæ ſunt, tamen non niſi pro commodo & ſalute ſubditorum feruntur: quã
ex parte ſpiritualis affectus ſubditorum, qui ex dono Spiritus S. & affectu dilectionis ſic Eccle-
ſiæ legibus obediunt, vt ipſius Dei præcepta maximè ardua ſeruent, & (vt ait Dauid) *vias duras*
Matth. 6. *cuſtodiunt*. Qualia ſunt *diligere inimicos, orare pro perſequentibus, non aſpicere mulierem ad cõcupiſcendũ, nõ*
Galat. 5. *iraſci fratri, carnem crucifigere cum concupiſcentijs, omnibus pro Chriſto renunciare*, i. paratũ ſemper eſſe id
Luc. 14. potius facere & pati quàm in Deum mortaliter peccare, ac denique *ſic hoc vti mundo quaſi non vta-*
1. Cor. 7. *mur*: quæ omnia ſunt nouæ legis præcepta & Chriſti mandata. Talem obligationem adferũt Ec-
Matth. 11. cleſiæ præcepta & pertinent *ad onus Chriſti leue & iugum ſuaue*, propter donum charitatis *quæ dif-*
Rom. 5. *fuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*: quæ vtique charitas facit vt manda-
ta eius non ſint grauia. Denique prioris generis obligatio eſt ſub lege, poſterioris ſub gratia: quę
liberè ſeruit iuſtitiæ, & iuxta quam *ſerui ſumus obeditionis ad iuſtitiam*, vt Apoſtolus loquitur. Sic
Rom. 6. igitur præcepta Eccleſiæ non injciunt laqueum conſcientijs; ſic non faciunt vt ſimus ſub lege: B
1. Cor. 7. ſic per illa præpoſiti Eccleſiarum non dominantur fidei noſtræ, quia nec ſeruiliter obligant, nec
Rom. 6. ſubiectionem faciunt ſeruilem. His adde quod leges Eccleſiaſticæ non obligant ex ſola volun-
2. Cor. 1. tate legiſlatoris, vt diuinæ, ſed ex earum vtilitate & ratione; quando videlicet *nihil faciunt contra*
Epiſt. 118. *fidem & bonos mores*, ait Auguſtinus.

Locus alius idémq; valde inſignis & perutilis docendi populũ, fidelẽ in his Chriſti verbis,
veram notari cauſam omnis ſchiſmatis & præualentis hereticæ prauitatis: *Si* (inquit) *ſermonẽ meũ*
Impietas vitæ cauſa hæreſis. *ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt*. Si mihi obedientes mea mandata ſeruant, & veſtrum ſermo-
nem, id eſt, Eccleſiæ doctrinam non deſpiciẽt, Apoſtolos enim & in illis omnes Eccleſiæ præ-
poſitos Apoſtolorum ſucceſſores Chriſtus alloquitur. Dicit ergo, ſi meum ſermonem ſeruant,
ſi piè & iuſtè viuunt, ab Eccleſiæ vnitate non recedent. Sola enim vitæ impietas facit aberrare
à fide, facit in hæreſes procliuẽ, facit ſchiſmatis ſocium. Multæ Scripturæ hoc docent. Paulus
1 Trinit. 1. de quibuſdam ait: *Non habentes conſcientiam naufragauerunt à fide*. Chriſtus de ſua doctrina dicit:
ſom. 7. *Si quis voluerit voluntatem patris mei facere, cognoſcet de doctrina vtrum ex Deo ſit*. Vt ergo orthodoxã
fidem teneas & cognoſcas, facienda voluntas Dei, ſeruanda præcepta, pie, iuſtè, & ſobrie
viuendum. Ne à fide ſemel accepta naufragium facias, ſeruanda conſcientiæ rectitudo. I- C
dem rurſus D. Paulus docuit, quum diceret: *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt in vobis mani-*
1. Cor. 11. *feſti fiant*: id eſt, vt qui boni ac iuſti ſunt: pro talibus innoteſcant, adhærendo auitæ fidei, & noui-
1. Ioan. 2. tates hæreticas fugiendo. Hoc & D. Ioannes dicere voluit ſcribens: *Non erant ex nobis: Nãſi fuiſ-*
ſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, id eſt: Si viua & electa membra eſſent, habentes ſigna-
2. Tim. 2. culum hoc, *recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini: Si habitante Chriſto in cordibus eorum*
Epheſ. 3. *per fidem in charitate radicati & fundati fuiſſent*: permanſiſſent in Eccleſia, permanſiſſent cum Apo-
ſtolis & eorum ſucceſſoribus, non exiuiſſent ab illis, ſed ſermonem eorum ſeruaſſent. Inuocare
nomen Domini, id eſt, rectam fidem tenere, ſine qua inuocatio nulla eſt, non poteſt, niſi qui re-
cedit ab iniquitate. Hac de cauſa Chriſtus Dominus, poſtquam de cauendis pſeudoprophetis
Matth. 7. docuiſſet, ſubiungit hanc parabolam: *Qui audit verba Dei & non facit, hic ædificat domum ſuam* (id
eſt, fidem ſuam) *ſuper arenam*: id eſt, ſuper lubrica & caduca huius mundi, confirmans ſe huic
ſæculo nequam & viuens, *ex prudentia carnis, quæ legi Dei ſubiecta non eſt*. Et omnis huiuſmodi,
quum deſcendit pluuia & flauerunt venti, quum tentat pſeudopropheta, & nouæ doctrinę vẽtus ſpi-
Deut. 13. rat, *cecidit domus eius, & factus eſt ruina eius magna*: id eſt, ab ipſa fide & profeſſione Catholica
excidit. Hoc idem docuit in veteri populo per Moyſen Deus: *Si ſurrexerit* (inquit) *in medio* D
tui Propheta, & dixerit tibi, eamus & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis: (Hoc au-
tem dicunt illi omnes, qui ad nouos ſeductores audiendos, & ad noua dogmata quæ ignorauí-
mus amplectenda, Catholicos inuitant) *non audies verba illius: quia tentat vos Dominus, vt palàm*
fiat vtrum diligatis eum ex toto corde veſtro, an non. Quũ ergo doctrina hæretica aut error in religione
nihil ſit aliud quàm tentatio à Deo permittente immiſſa, tentatio inquam dilectionis noſtræ er-
ga eũ, manifeſtũ fit eos ſolos à tentatione hac vinci, eos ſolos in hæreſim incidere & erroribus
decipi, qui non diligũt Deũ ex toto corde: hoc eſt, Illi Eccleſiæ ſermones non ſeruãt, qui Chriſti
ſermones non ſeruauerunt. Sic nimirũ facit hæreſis, *vt qui probati ſunt*, qui ex toto corde Deum
diligunt, *manifeſti fiant*, vt ex Paulo modo audiuimus. Rurſum hac de cauſa, Saluator in Euãgelio
quũ de futuris hæreſibus dixiſſet, *Multi pſeudoprophetæ ſurgent & ſeducent multos, formidandam illã pro-*
Matth. 24 *phetiam* (vt loquitur S. Baſilius) adiecit, tanquam pręcedentis ſeductionis cauſam: *Quoniam abun-*
Epiſt. 77. *dabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum*. Seducẽtur multi, quia refrigeſcet charitas multorũ.
Si non niſi paucorũ refrigeſceret charitas, non niſi pauci ſeducẽtur. Seductio igitur ipſa, & quod
hæreſes præualeant (nam ex alia cauſa ſurgunt Pſeudoprophetæ, neque ſemper quoties ſur-
gunt, adeò multum præualent) fit propter peccata hominum. Quare rurſum Apoſtolus verbis

clariſſimis

A clarissimis docet, qui demum homines veritati resisterent, errores amplecterentur, & ab hæreticis seducerentur: *In nouissimis* (inquit) *diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, voluptatum magis amatores quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: & hos deuita.* Hæc Apostolus, satis clarè ostendens, quales homines futuri essent, quibus vitijs & sceleribus contaminati, qui resisterent veritati. Tales quippe sunt, qui Catholicam veritatem deserunt, & deserẽdo magis tales fiunt: *proficientes in peius*, vt de huiusmodi Apostolus dicit. Vnde statim subiungit: *Ex his enim sunt, qui penetrant domos* (vbi docet ipsos hæresum magistros esse semper homines vitæ deploratæ) *& captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis: quæ ducuntur varijs desideryis.* Vbi docet quales ab hæreticis capiuntur: móxq; de ipsis magistris errorum qui penetrant domos & venena sua occultè spargunt, subiungit: *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes & Mãbres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Hæc est Apostolica descriptio tam eorum qui falsas doctrinas spargunt, quàm eorum qui falsis doctrinis aurem præbent, verbis huius Euangelij planè conformis: *Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum quoque seruabunt.* Quia Christi mandata non seruant, nec Ecclesiæ, B vel doctrinam, vel mandata seruabunt. Vnde in hoc nostro Euangelio Christus præmisit: *Si me persecuti fuerint, & vos persequentur.* Non solũ enim tyranni Christum persequuntur fidem oppugnãdo, sed etiam omnes mali Christiani Christum persequuntur mandata transgrediendo. Tales enim *iterum Christum sibi crucifigunt & ostentui habent: sanguinem testamenti pollutum ducunt, in quo sanctificati sunt, & Spiritui gratiæ contumeliam faciũt*, vt Paulus nos docuit. Qui ergo prius Christũ male viuendo persequuntur, non mirum si Ecclesiam, eius fidem abiiciendo persequantur. Facilè corpus negligit, qui caput contempsit. Indiuiduo quodam nexu caput & corpus, Christus & Ecclesia coniunguntur. Necessariò igitur qui vnum persequitur, alterum persequetur: Qui vnius sermones seruat, & alterius seruabit. Hoc nos voluit in isto Euangelio Christus docere.

2. Tim. 3.

Ioan. 15.

Heb. 6. & 10.

Sed quod hactenus ex Scripturis demonstratum dedimus, nunc ex patribus ostendemus, ac postea exemplis illustrabimus. Videtur enim mihi hæc doctrina maximè cognitu necessaria, & populo diligenter inculcanda. D. Basilius quærens ex proposito causam tantæ suo tempore circa fidem dissensionis, tot grassantium hæresum, Arianorum, Macædonianorum, Eunomianorum & huiusmodi, sic scribit: *Cum in hac animi iactatione diu fluctuarer, causámque harum hodie dissen-* C *sionum cupidè, & anxiè perquisitigarem, venit mihi in mentem illud libri Iudicum, Vnusquisque quod sibi rectum videbatur, illud faciebat: simúlque etiam causa cur id ita fieret declaratur, his verbis paulo superius positis. In diebus illis non erat Rex in Israël. Horum igitur cum mihi in mentem venisset, illud etiam de rerum statu in quo nunc sumus, cœpi cogitare, quòd ex aspernatione rerum omnium præpotentis regis & Dei, magna hodie in Ecclesia dissensio pugnáque esset excitata: quod scilicet relicta vnusquisque Christi doctrina, rationes ac regulas quasdam propria sibi authoritate asserat, malitque contra Domini præcepta ipse imperare, quàm illi parere.* Et paulo post: *His adductus argumentis constare iudicabam, mutuam inter nos ipsos multorũ dissensionem inde originem deducere, quod nosmetipsos indignos reddiderimus qui à Domino regeremur.* Hæc ille, docens hæreses & dissensiones in Ecclesia ex contemptu mãdatorũ Dei ortũ accepisse. quod eodem ferè tempore paulò expressius & luculentius docuit Chrysost. his verbis: *Si opera iustitiæ facimus, & à nullo errore decipimur, & ipsi omnem aduertimus errorem. Nam ipsa res facit errare, quæ facit alterius errorem non cognoscere. Nam qui non cognoscit mendacium alterius, suam non intelligit veritatem. Ergo quamdiu bona opera facimus, ipsum lumen iustitiæ ante oculos nostros adaperit veritatem. Sic & peccata peccãtium sensus tenebrescere faciunt, vt non videntes mendacium cadant in illud. Nam & ab initio non error Diabolicus fecit homines malos, sed homines mali Diabolicum sibi fecerunt errorem. Prius enim peccatis plurimis excæcatur homo, & sic Diaboli seductione seducitur, & cadit in mortem. Quemadmodũ enim sole manente non* D *præualet nox, sic quàm diu lumen iustitiæ in homine fuerit, tenebræ erroris eũ non apprehendũt,* Hæc ille. Qui vult igitur ab hæresi & errore se immunem custodire, vitam piè ac sanctè instituat. Sic enim & lucem animi obtinebit qua errores perspiciet, & gratia Dei non carebit qua perspectos fugiat. Pariter non alios quàm impios & deploratæ vitæ homines ab hæreticis seduci his verbis grauiter scripsit Augustinus: *Ex his hominibus hæretici fiunt, qui si in Ecclesia permansissent, nihilominus errarent*: id est, per sceleratam vitam perirent, quod idem clarissimus Doctor alio in loco luculẽtius expressit, tractãs illa psalmi verba, Pluet super peccatores laqueos. Similes (inquit) generaliter Prophetæ, *intelliguntur siue boni, siue mali, qui etiam pseudoprophetæ nominantur, sic ordinantur à Domino Deo pseudoprophetæ, vt de his laqueos super peccatores pluat. Non enim quisquam in eos sectandos incidit, nisi peccator: siue ad præparationem extremi supplicij, si perseuerare in peccando maluerit, siue ad dissuadendam superbiam, si aliquando Deum cura sinceriore quæsierit. Nec prophetæ tantùm, sed omnes verbo Dei animas irrigãtes, nubes dici possunt: qui quum male intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos. Cum autem bene intelliguntur fœcundat pectora piorum atque fidelium. Sicut exempli gratia quod scriptum est, Et erunt duo in carne vna. Si ad libidinem quisque interpretetur, pluit laqueum super peccatores. Sin autem intelligas sicut ille qui ait, Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia, imbrem pluit super fertilem terram. Eadem autem nube, id est, diuina Scriptura, vtrumque factum est. Item Dominus dicit. Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit ab ore. Audit hoc peccator & gulam parat voracitati.* (Quod certe nostri temporis

In tractatu de iudicio Dei, seu proœmio in libros Moraliũ Iob.

Hom. 19. Operis imperfecti in Matthæũ.

De verâ relig. c. 8.

Enarr. in Psal. 10.

hæretici omnino fecerunt, qui hoc loco contra ieiunij & abstinentiæ virtutem atque præceptum turpiter abutuntur) *Audit hoc & iustus, & à ciborum discernendorum superstitione munitur.* (Ea scilicet superstitione quæ discernit inter cibos immundos & mũdos, qua laborabãt Manichæi.) *Et hinc igitur eadem Scripturarum nube pro suo cuiusque merito peccatori pluuia laqueorum, & iusto pluuia vbertatis infusa est.* Hæc hactenus Augustinus, iuxta illud Apostoli, *Quibusdam sumus odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem.* In quam etiam sententiam eleganter, & verissimè Cyprianus, *Nemo* (inquit) *æstimet bonos posse de Ecclesia recedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur.* Hæc ille conformiter Scripturis allegatis, & illis maximè Christi verbis, *Qui audit verba Dei, & facit ea assimilatur ei qui ædificat supra petram.* Hoc est, bonus Christianus, ita Christo capiti adhæret, vt nulla tentatione ab eius corpore, quod est Ecclesia, auelli queat. Atque hæc ex patribus. Exemplorum non est numerus. Iam in alio Euangelio ostendimus, omnes ferè hæreticos fuisse prius malas arbores, & pessimæ voluntatis homines, antequã malos fructus falsæ doctrinæ protulissent. Arianorum grassaturas hæreses præuidit S. Antonius Magnus ille Eremita, biennio antè, *quum videret calcitrantium mulorum feritatem, altaria calcibus demolientium, & in Ecclesia Sacra omnia proculcantium*, vt in eius vita grauissimus, & indubitatus Author Athanasius scribit. Hoc enim Arianorum impietas fuit, de qua tum in vulgo tunc Christianorũ, tum in ipsis Ecclesiarum Episcopis abundante, multum conqueritur Athanasius in dicta S. Antonij vita, & in Epistola ad solitariam vitam agentes, & non longè pòst, Gregorius Nazianzenus in suo Apologetico. Quum Ariana hæresis totam Africam per Vandalos perderet, tanta fuit populi Africani, & tam deplorata impietas, tot scelera, tot flagitia dominabantur, vt quamuis illa Vandalorum rabies fuerit longè truculentissima, tamen teste Saluiano Episcopo Massilienſi, minora passi fuerint quàm commeriti. Nostri temporis hæresiarchæ omnes flagitiosi & perditissimæ vitæ homines erant. Martinus Lutherus, Bucerus, Petrus Martyr, Oecolampadius, monachi apostatæ erant, & incestis nuptijs sese contaminauerunt. Ioannes Caluinus in sua ciuitate Noioduno, peculatus & Sodomiæ conuictus indulgentia Episcopi dimissus est, vt postea hæresiarcha fieret. Theodorus Beza beneficijs suis diuersis hominibus bis diuenditis, ex agro Parisiẽsi Geneuam profugit Caluino successurus, homo ita flagitiosè turpis, vt præposteram libidinem suam versibus toti mundo propalare eum non puduerit. Quales præterea in Germania, in Gallia, in Anglia harum hæresum Magistri, & Sectatores fuerint, vnusquisque hoc loco concionator, prout suæ gentis certam & exploratam notitiam habebit, commemorare poterit.

2. Cor. 2.

In l. de vnit. Eccles.

Matth. 7.

Dom. 7. post Pent. ad illa verba. Ex fructibus eorũ cognoscetis eos.

De prouidentia l. 7. & 8.

In vita Caluini per Bolsecum.

A

B

Certè in Anglia perditissimi ferè homines vel ad ministerium promouentur, vel post adeptum ministerium redduntur, vt anticlerus ille etiam à suis maximo iam contemptui habeatur, & à Puritanæ sectæ scriptoribus de varijs criminibus etiam populo notis accusetur. Illud & lepidum & verũ est, quod in Anglia nostra ante paucos annos accidit. Lecta est in tribunali Londinensi schedula per quendam verbi Ministrum Iudici Regio, sed per errorem porrecta (aliam enim ad causam pertinentem offerre decreuerat, quam in eodem sinu gestabat) in qua cuidam mulieri narrabat, quam ardenter in illam, dum concionaretur, exarserit, quam libenter oculos ad eius formam adiecerit, quã illi venusta, & altera Helena visa fuerit, & id genus amores suos, tali persona, loco, & spiritu dignos, multis verbis prædicabat, atque ad libidinem prouocabat. Huius quidem lasciuiæ hac Dei voluntate patefactæ vehementer puduit potentiæ regiæ administros: nisi quod ita iam peruulgata est Ministrorum impudentia, vt nullus esse locus animaduersioni videatur. Aliquid etiam Euangelio Caluinico dandum fuit, ne tam procax libido publicè animaduersa eius existimationi detraheret. Quod etiam consilio factum est, vt ad Sandæi Eboracensis pseudoarchiepiscopi adulterium in publico diuersorio cum matrefamilias perpetratum omnibus modis tegendum & protegendum oculatus rei testis equestris ordinis vir, quia quod viderat testari ausus erat, carceri mancipatus, omnium ferè fortunarum discrimen, graui ære mulctatus adierit. Sed huiusmodi rerum in Anglia vberior suo tempore prodibit hist. Materiam enim satis amplam suppeditauit Martini cuiusdam Puritani libellus in lucem nuper editus, de Cleri Anglicani flagitijs.

D. Rob. Staplet.

C

D

IN FESTO

A

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlo. Matth. 5.

LOCVS proprius & illustris explicandi populo vera fundamenta totius cultus, venerationis, & inuocationis Sanctorum, quam Christus his verbis ex parte insinuauit, docens martyribus suis (quos maximè celebrat Ecclesia) non mercedem tantũ vt omnibus iustis, sed *mercedem copiosã in cælo* esse repositam. Huius enim copiosæ mercedis in cœlo pars est accidentalis ista gloria, quæ militantis Ecclesiæ officijs illis impenditur. De qua sanctorũ gloria illorũ meritis debita, déq; toto cultu & honore illis ab Ecclesia Cathol. exhibito, vt breui compendio populũ fidelẽ contra modernas hæreticorũ insanias concionator catholicus instruere valeat, & solidè docere, tria hoc ordine pũcta proponemus, vt vel illa omnia si tempus ferat ac dicẽtis dexteritas præstare id valeat, vel saltem eorũ aliquod vel aliqua pro concione tractet. Quanquã & in quocũq; Sanctorum festo, quæ hic generaliter de honore Sanctorum producuntur, locum habere poterunt. Primũ Sanctos in cœlo regnantes esse à nobis in terris colendos & venerãdos. Secundò eorum festa religiosè à Christianis celebrari. Tertiò piè ac sanctè illos à fidelibus inuocari. Posse autem SS. in cœlo beatos, sua intercessione atq; etiam meritis nos iuuare, in explicatione causarum propter quas eorum festa celebramus, dicetur. Nam ipsos iustos ac Sanctos sibi ipsis pro merito bonorum operum & vitam æternam & glorioſas in cœlo mansiones promereri, iam in alijs Euangelijs est ex scripturis & patribus perspicuè demonstratum.

B

De veneratione & inuocatione SS.

Dominica Septuages. Dō. 8 post Pent. in festo Ss. Phil. & Iacobi; & in die S. Iacobi.

Sanctos esse honorandos cultu speciali.

C SAnctos in cœlo cum Christo regnantes (quod vix vllus hodie hæreticus disertè negauerit) singulari quodam honore & veneratione prosequendos scriptura docet: quia iustos hac vita defunctos magno à nobis in honore habendos perspicuè affirmat S. Dauid: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum*, Et iterũ: *Laudate Dominum in sanctis eius.* Et rursũ: *In memoria æterna erit iustus.* Sic Salomon eius filius: *Memoria iusti erit in benedictione.* quem sequutus Ecclesiasticus in particulari rẽ tractat: *Laudemus* (inquit) *viros glorioſos, & parẽtes nostros in generatione sua.* Et paulo post: *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. Similẽ illum fecit in gloria sanctorum.* Móxq; de iudicibus populi: *Et iudices singuli suo nomine, quorũ non est corruptum cor, qui nõ auersi sunt à Domino, vt sit memoria illorum in benedictione.* Hæc ibi, & alia multa, quibus veteres Sancti prolixè celebrantur. Quem imitatus S. Stephanus veterũ Sanctorũ quasi catalogũ texit, iamiam nobile pro Christo martyrium susceperus. Sed & D. Paulus verum Panegyricum veterum Sanctorum instituit. Et vt in cœlis quoque Sanctos noui Testamenti honorari sciamus, Angeli, in Apocalypsi Sanctos Martyres multis verbis celebrant: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine agni: Ideò sunt antè Thronum Dei, & cætera.* Rursum: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnũ quocũq; ierit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno, & in ore eorũ non est inuentũ mendaciũ.* Et iterum: *Vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Domini Iesu.* Hic celebrantur, hic honorantur, Martyres, Confessores, & Virgines, iuxta genera Sãctorũ, quos Ecclesia militans ad similitudinem triumphantis concelebrat. Iam verò Christus ipse Ioan. Baptistam pro veritate decollatum miris laudibus celebrat toto audiente populo. De quibus eius laudibus in alio Euangelio diximus. Sed & pium Magdalenæ factũ, quo caput eius pretioso vnxit vnguento, perpetuò celebrandum affirmat: *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.* Notanter, & signanter affirmat illustre hoc pietatis factum perpetuo, & vbique narrandum, *in memoriam eius*, id est, in laudem & honorem eius. Certè in cœlis quantus Sanctorũ honor futurus esset, Christus multis verbis expressit: *Vbi* (inquit) *ego sum, ibi erit & minister meus. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus.* Rursum: *Qui confitebitur me coram hominibus* (id est meum nomen prædicabit) *& ego confitebor eum coram patre meo*: id est ego cũ gloriosè prædicabo & collaudabo, cõram Deo, & vt addit Lucas eadem verba referens, *coram Angelis Dei.* Vt iste honor toto cœlo celeberrimus futurus intelligatur. Denique ait de seipso: *Amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Multis verbis amplificari tam varius hic honor poterit. Sed ad hæreticos quod attinet, quis non videt sũmam esse impietatem eos non honorare, quos ita Scriptura docet honorãdos, quos Angeli, quos Christus, quos Deus pater honorificat? Sed &

D

Psal. 139. 150. & 112. Prou. 10. Eccl. c. 44. 45. & 46. Act. 7. Heb. 11. Apoc. 7. & 14. & 20. Matth. 11. Marc. 14. Ioan. 12. Matth. 10. Luc. 12. Luc. 12.

ſumma ſtultitia foret exiſtimare hunc honorem ciuilem, aut humanum eſſe tantùm, qualis in terris peccatoribus defertur, aut impenditur. Honor igitur Sanctis debitus, vt melius intelligatur, & ab hæreticorum calumnijs certius defendatur, hanc explicationem ſubiicimus. A

Doctrina cultus legitimi.

Vt cultus omnis ac veneratio, vel legitima, vel ſuperſtitioſa iudicetur, conſiderari debet vel actus externus in ſe, vel intentio agentis, vel obiectum ipſum quod colitur. Si enim actus externi qui adhibentur vni Deo, deferantur, quales ſunt, ſacrificare, templa, altaria, ſacerdotia conſecrare, vota & preces offerre, oblationes, primitias & decimas inſtituere, (hæc enim omnia quando per ſe & propriè & directè exhibentur, religionis actus ſunt, & ſupremi dominij proteſtationes) & recta intentio adſit verũ Deũ colendi, latria eſt, legitimus cultus, atque ſupremus. Si actus adhibentur, non quidem vni Deo debiti, tamen affines, & qui per participationẽ creaturæ conueniũt, vt adoratio corporea (qualem in Scriptura non ſolùm Angelis, quod Abrahã & Loth fecerũt, *adorantes proni in terram*, ſed etiam honoratis perſonis exhibitũ legimus: Iacob enim *adorauit fratrem Eſau pronus in terram ſepties*: Ioſeph adoratur à fratribus ſuis *pronis in terram*: Dauid adorauit Ionatham *pronus in terram tertiò*) vel inuocatio per preces & vota (quod inter homines Deo charos fieri illa verba Patriarchæ Iacob manifeſtè docent: *Inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Iſaac*) non tamen cum illa intentione, vt ſupremam excellentiam ſimpliciter talem adoret (quo nefario ſenſu Aman, à Mardochæo adorari voluit: *videns* (inquit Mardochæus) *ſuperbiam eius timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem: alioqui libenter pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius deoſcularer*) nec ſic inuocet tanquam per ipſum quem inuocat implenda, ſed ſolùm impetranda, erit cultus legitimus, ſed diuino inferior: & vel ciuilis aliquis cultus quem obſeruantiam dicimus, vel maior aliqua ſubmiſſio, quæ ſeruitus, vel dulia vocatur. Eſt autem dulia propriè dicta qua ſeruus dominum colit, eique reuerentiam exhibet. Sed eſt dulia communiter dicta qua exhibetur reuerentia cuicunque homini, ratione cuiuſcunque excellentiæ, vel naturalis ſcilicet, vel etiam ſupernaturalis, vt in Sanctis. At verò ſi vel actus aliqui religionis proprij, & vni Deo debiti in creatura aliqua colenda quantũlibet excellenti exerceantur, vel alij etiam inferiores actus, cum intentione tamen diuini cultus ſupradicta adhibeantur, idololatria eſt: illa quidem ex parte actuum exteriorum, hæc ex parte obiecti: & ſi praua infidelitatis intentio, vel expreſſa adſit, vel antecedens, tam interna, quàm externa idololatria eſt: ſi tantùm tacita & implicita adeſt intentio, ſolùm exterior eſt idololatria. Quòd ſi verò nec tacita, nec expreſſa adſit intentio creaturam vt Deum colendi, etſi actus latriæ exteriores adhibeantur, poteſt aliud peccatum eſſe, ſed idololatria non erit. Ex his ergo diiudicandũ erit, an cultus & veneratio Sanctorum, qualis in Eccleſia Catholica exercetur, legitimus ſit cultus an ſuperſtitioſus aliquis. Manifeſtum eſt autem quòd nullos actus diuini cultus exteriores in Sanctorum cultu impendimus. Non enim illis ſacrificamus, nec altaria aut templa, aut ſacerdotia illis, ſed Deo ad memoriam eorum inſtituimus: nec illos vt Deos inuocamus, ſed vt interceſſores. Manifeſtũ eſt ex parte intentionis quòd nullam diuinam exiſtimationem illis conciliamus eos venerando, quia tota & ſúma eorũ veneratio, tam ex parte Eccleſiæ cuius intentionem ſequũtur fideles, quã ex parte ſingulorũ fideliũ, hunc ſcopũ habet, vt pro nobis intercedant: id eſt, quòd non ſunt dij, ſed amici Dei, nec ad largiendũ, ſed ad impetrandũ potentes. Aliam intentionem ſi hæretici obiiciũt, volũtariè calũniantur, & Dei partes blaſphemè ſibi arrogant, ſcrutantes corda & renes. Manifeſtũ eſt quòd ex parte obiecti non peccatur: quia nec idola, nec fictos diuos, ſed veros Dei Sanctos colimus, eóſque vt creaturas excellentes, non vt Deos, vt ex actibus ipſis, & intentione iam declaratis conſtat. Hæc explicatio docet nos venerari & colere Sanctos, abſq; idololatria, abſque ſuperſtitione, honore tamen pluſquam ciuili aut humano. Certè ſingularem & excellentem quendam honorem in ipſa primitiua Eccleſia Sanctis exhibitum fuiſſe, euidenti argumento eſt gentilium circa hunc Chriſtianorũ cultũ opinio & error, quo exiſtimabant Martyres à Chriſtianis pro diis coli, eo quòd in Martyrum feſtis ea omnia fieri cernebant, quæ in ipſis Chriſti natalitijs alijſque annuis ſolemnitatibus fiebant. Sic apud Euſebium, Polycarpi Reliquias negabant Chriſtianis, ne eum pro Deo colerent. Idem refert Ammianus Marcellinus tempore Iuliani Apoſtatæ factũ fuiſſe, circa martyres ſui temporis. Sed & hoc obijciebat Chriſtianis Iulianus Apoſtata: vt eſt apud Cyrillum in libris contra eundem. Idem obiiciebatur Auguſt. à gentilibus Africanis, vt in quadam Epiſtola refert. Hunc gentiliũ errorem diluit Theodoretus in opere de curatione Græcarũ affectionum, & Euſebius in hiſt. Eccleſiaſt. Honorem porrò ſingularem & maiorem quàm vlli terreno principi conferri ſoleat, Sanctis impenſum à fidelibus fuiſſe latè deſcribit Greg. Nyſſenus orat. in Theodorum Martyrem: Chryſoſt. in Sermone de Sanctis Iuuentio & Maximo. Gregorius Nazianzenus in oratione de Machabæis. Sed contra Manichæos Auguſtinus, & contra vnum Vigilantium Hieronymus hunc Sanctorum cultum tuentur. Et profectò ſicuti honor ciuilis debetur virtuti, ſapientiæ, potentiæ & nobilitati ciuili, ſic honor pluſquam ciuilis debetur virtuti, ſapientiæ, poteſtati ac nobilitati pluſquam ciuili, & ſupernaturali. Talis autem eſt in Sanctis, qui quoad virtutem confirmati ſunt in gratia pleni charitate, & peccare non poſſunt, quoad ſapientiam videntem omnia vident, quoad potentiam per merita & orationes ſuos plurimum apud Deum valent (vnde eleganter Auguſtinus ſcribit, *Martyres iam pro patientia in terris habere*

Gen. 18. 19 Gen. 33. & 43. *1. Reg. 20.* *Gen. 48.* B *Eſther 13.*

Cultus Sãctorum in Eccleſia ab omni ſuperſtitione liber. G

1. 2. 3.

Singularis Sanctorum cultus probatur. D

Hiſt. Eccl. l. 4. c. 14. *Hiſt. l. 22.* *Li. 6. & 10 Epiſt. 44.* *Lib. 8.* *Lib. 8. c. 6.* *Con. Fauſt. l. 20. c. 21.* *Deciu. Dei l. 22. c. 9.*

A *habere potentiam in cælis*) quoad nobilitatem sunt *æquales Angelis* in statu gloriæ, & beatitudinis æternæ. Ergo honor illis debetur supra humanum,& infra diuinum. Illam distinctionis causa vocant theologi duliam,quæ & latria inferior est (vt iam explicuimus) & honore tamen omni humano superior.

Sanctorum festa religiosè colenda.

ET de cultu quidem ac honore Sanctorum in genere hæc sufficere possunt. Nunc de festis eorum celebrandis qui contra hæreticos aliquid dicere volet, variam ei materiam suppeditabimus. Primum dissentientes hæreticorum sententiæ proponi poterunt. Secundo sensus Ecclesiæ catholicæ in Sanctorum festis celebrandis exponendus videtur. Tertio causas adferemus sensus & potestatis eiusdē. Quidam hodie hæretici nulla prorsus festa, excepto solo Dominico die (quem ita Sabbato succedisse putant, vt sub præcepto diuino cadat) celebrari debere defendunt. Hanc sententiam tenent hodie in Anglia Puritani iuxta ritum Geneuensis Ecclesiæ,& authore Caluino,qui de solo Dominico die celebrando disputat, quū Sab-
B bati præceptum tractat. Alii nec Dominicum diem perpetuo,& solemni ritu obseruari volunt, ne Iudaismus foueatur,& aliqua dierum obseruatio fiat,contra quos ibidem disputat Caluinus. Tertia eorum opinio est,qui sola illa festa celebrari volunt, quæ ad redemptionis nostræ beneficia recolenda faciunt, vt Natiuitatem, Resurrectionem,& Ascensionem Domini, itemque Pentecosten. Hanc sententiam sequuntur Heluetiçæ Ecclesię in sua confessione,& Flaccus Illyricus. Quarta opinio eorum fiunt qui Sanctorum etiam festa admittunt, sed eorum tantum quorum in Euangelio fit mentio,vt Apostolorum,B. Virginis,Ioannis Baptistæ,Magdalenæ & Stephani protomartyris. Hanc sententiam tenet Bullingerus in comment. ad cap. 14.ad Rom.& illum morem seruant Tigurinæ Ecclesiæ. Quinta opinio eorum est,qui aliorum præterea Martyrum & Sanctorum festa celebrant,sed ex politia tantum & ordine Ecclesiastico, non ex religione nec per modum cultus alicuius:id est,ad eum sanè finem,vt populus fidelis illis diebus ad audiendum verbum conueniat,& ad imitationem(fortè) Sanctorum excitentur,nulla autem alia ex causa,ne aliquis hic Sanctorum cultus,aut vlla pars religionis statuatur. Sic Anglocaluinistæ plura cæteris Protestantibus festa celebrant,aliæque Lutheranorum mollium Ecclesiæ,sed politicè (aiunt) non religiosè,sicut eos Caluinus docuit:qui ait,dies festos ad
C solam obseruationem disciplinæ,& ordinis bene compositi referendos esse. Atque hæc illorum discrepans discordia hodie effutiuit. Sed contra has omnes differentes & vanas opiniones sensus Ecclesiæ catholicæ,non hodie inuentus,vt prædictæ sententiæ,sed ab exordio Christianitatis receptus retinendus est. Ad quem certius intelligendum, quot modis Sanctorum festa, & celebritates peragi possint,distinguemus. Sanctorum festa sic celebrari poterunt,vt per ea colantur Sancti,sicut dii gentium coli solebant,quem sensum olim gentiles, hodie hæretici, Ecclesiæ impingebant:sic videlicet & eo modo,vt totus cultus ad eos referatur,id est,vt eis sacrificetur, & in sacrificio illorum nomina inuocentur. Sic enim gentiles sua idola celebrant, vt explicat Augustinus in libris de ciuitate Dei. Sic sacerdotes Baal *inuocabant nomen Baal, de mane vsque ad meridiem* sacrificantes illi. Sic idem Augustinus ad gentilium sui temporis opiniones falsas, hæreticorum hodie de nobis iudicio persimiles,respondens ait,nos Martyribus non sacrificare, sed soli Deo:nec à sacerdote sacrificante Sanctos inuocari, sed Deum cui sacrificat. Alio modo sic coli Sanctorum festa possunt,vt etsi non sacrificando illis,tamen sic inuocando illos, & honorando,ac eorum laudes celebrando,honoris illius,& inuocationis vltimus finis in ipsos Sanctos desinat. Sed neque sic Sanctorum festa colit Ecclesia: Sanctorum enim auxilia petit per
D Christum Dominum nostrum,vt omnes Ecclesiæ orationes terminantur. Sanctorum laudes celebrat, *Deo gratias agens de illorum victoria*, ait Augustinus. Sanctos denique honorat propter Deum cuius Sancti sunt,& pro cuius fide,vt Martyres, vel certè in cuius fide mortui sunt,vt cæteri omnes:*quia honor seruorum redundat in communem Dominum*,ait S.Basilius. Postremo Sanctos, vt Dei amicos honoramus, ait Theodoretus, ideoque propter Deum non propter se. Tertio modo sic festa Sanctorum coli possunt,vt sit tantum obseruatio politica non religiosa, & sine vlla erga Sanctos Dei religionis,aut cultus specie. Sed hanc politicam obseruationem Ecclesia catholica hactenus nescivit, & est hæreticorum nostri temporis propria. quarto modo & sensu festa Sanctorum celebrantur, in Dei quidem honorem præcipuè,ad quem omnes nostræ actiones referendæ sunt iuxta illud Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite*:sed tamen etiam in ipsorum Sanctorum honorem,idque propter causas grauissimas quas nunc subiiciemus. Primum quia hic honor etiam ipsis Sanctis,vt Dei amicis debetur. Vnde Augustinus, *Honoramus Martyrum memorias tanquam Sanctorum hominum Dei, &c. vt ea celebritate Deo vero de illorum victoria gratias agamus*.Hæc ratio cultum & actum religionis includit. Quare idem Augustinus contra politicos istos hæreticos disertissimè alibi scribit, *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat*. Sic S. Basilius. *Honor in bonos à conseruis collatus beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet*. Hæc ille. Certè enim qui Dei amicum non honorat, ipsum Deum non diligit. Conqueritur sanctus Ambrosius de quibusdam festa Apostolorum negligentibus.

Hæreticorū dissentientes sēntiæ de festis Sanctorum. 1.

Inst.li.2. ca.8. 2.

Num.33. 3.

Cap.2.4.in com.ad Gal.c.4. 4.

5.

Loco citato n.34.

Varii modi colendi Sanctos.

Li.8.c.27. & l.22.c. 10.

3.Reg. 18. Locis citatis. 2.

Li.8.c.27. de ciu. Dei

Hom. in 40.mart.

Li.8.curat.Græc. affect. 3.

4.

Sensus catholicus in Festis Sanctorum.

1.Cor.10. 1.*Causa.*

De ciu.Dei li.8.c.27.

Cōt.Faust. li.20.c.21.

Ser.6.de Margarita

Dolendum (inquit) *est sic vos salutis vestræ immemores fuisse vt beatissimis Apostolis Petro & Paulo honorificentiam minimè reddideritis*, docetque in sequentibus debere nos ipsis Martyribus certam honorificentiam pro sanguine quem pro Ecclesia fuderunt. Cyrillus respondens Iuliano Apostatæ hanc celebritatem Martyrum eodem spiritu quo hodie hæretici vellicãti, *Laudamus* (inquit) *Martyres summis honoribus, & perpetuis honoramus laudibus*. Alia causa huius celebritatis est amor ipse & ardens dilectionis affectio erga laudem & celebritatem Sanctorum. Hoc nimirum sensu scripsit Aug. *Nos Martyres colere cultu dilectionis & societatis*: quod ne quis putet à dilectione bonorum in hac vita nihil differre, addit: *Illos tanto deuotius quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus iã in vita fœliciore victores quàm in ista adhuc pugnantes*. Quare illos vt verè sanctos colimus: istos vt spe tales diligimus ac veneramur quoque, sed nulla solennitate religiosa, vt ibidē loquitur Augustinus. Hunc charitatis affectum in hac celebritate Martyrum exprimit S. Basilius his verbis, *Quis* (inquit) *modus, aut quæ satietas Martyrum memoriam prosequendi erit illi, qui eorum amore ac charitate tenetur? venerare igitur Martyres vt egregiæ tuæ voluntatis testem adducas*. Sic Nazianzenus. Ego hac in re admodum insatiabilis sum, & affectũ hunc meum magni facio, vt Martyrum oblecter honoribus. Hæc ille. Scribit de S. Ambrosio Paulinus, quod in celebritatibus Martyrum sicut in Dominicis diebus prandere soleret, alias non. Videlicet vt lætitiam animi declararet. Tertia causa ad imitationem excitandam, quam causam multis verbis prosequuntur patres. Basilius hom. in Gordium Martyrem. Chrysostomus in oratione in B. Philogonium. Dionysius Areopagita in Eccles. Hierarchia. Discipuli S. Polycarpi apud Eusebium. Hanc ob causam legi in Ecclesia passiones Martyrum in festis eorum natalitiis solebant, vt vetustissimus testis est Origenes. Idem decernit Conc. Carthag. 3. Sic Chrysostom. in orat. de Iuuentio & Maximo, de Philogonio, de Babyla Martyre: sic Gregorius Nazianzenus in orat. de S. Athanasio & Cypriano: sic Basilius in homeliis de Iulitta, de Gordio, de Barlaam, de 40. Martyribus: sic Ambrosius in serm. de Agnete, de Thecla, de Geruasio & Protasio historicas quasdam panegyres ad populi ædificationem in horum Sanctorum festis pronuntiarunt. Quarta causa erat, *vt orationibus Sanctorum adiuuemur*, quæ sunt August. verba loco citato contra Faustum. Eandem exprimit Origenes loco citato. Sic Nazianzenus sub finem orationis quam habuit de S. Cypriano, eum disertis verbis inuocat. Hanc causam Theodoretus de curat. Græc affect. lib. 8. & Basilius de 40. Martyribus luculenter tradunt. Quinta causa erat, vt eorum meritis consociemur, quæ etiam sunt verba August. loco citato contra Faustum, *Populus* (inquit) *Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur*. Sic & Basilius, *Venerare* (inquit) *Martyres vt sine persequutione, sine igne, sine verberibus ac tormentis eodem cum illis præmio dignus habearis*. Sic Nazianzenus, *Aliorum sint certamina & victoriæ, mihi autem curæ sint coronæ. Adeo gloriam illam præripio, adeoque recta facta mihi domestica facio*. Nempe hæc est communio Sanctorum quam in symbolo profitemur, communicatio quędam omnium bonorum inter nos qui sumus membra eiusdem corporis: vt nemo videlicet sibi tantum viuat aut mereatur, sed toti communitati fideliũ. Vnde Apostolus, *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*. Hinc & Dauid, *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. Sed maximè huc spectat quod Apost. ad Colos. scribit, *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia*. Duo dicit. Primum se communicare passionibus Christi, & supplere in carne sua tanquam membro corporis Christi mystici, quod in corpore Christi proprio defuit. Defuit inquam quoad hoc vt pateretur in membris. Non quod eius passio esset vllo modo insufficiens ad plenissimam satisfactionem pro humano genere. Sed quia Christus & Ecclesia faciunt vnam personam mysticam (vnde vocatur Ecclesia, *plenitudo Christi*) idcirco supplentur passiones Christi quando in membris suis patitur. Hoc enim solum illi deesse potuit quum in persona naturali pateretur. Alterum quod dicit Apostolus est, has ipsas suas passiones prodesse Ecclesiæ, *Pro corpore* (inquit) *eius quod est Ecclesia*. Ex quibus duobus tertium concluditur, Apostoli passiones fuisse aliis meritorias & satisfactorias. Ratio est, quia passiones Sanctorum sunt coniunctæ passionibus Christi tanquam vnius mysticæ personæ passiones, ideoque merentur & satisfaciunt pro aliis membris, sicut Christi propriæ: non quidem quoad æqualitatem, sed quoad participationem quandam & proportionem. Lege huius loci explicationem apud Anselmum in comment. ad hunc Pauli locum, & apud D. Augustinum in enarrat. Psal. 61. Hæc merita Sanctorum hac vita defunctorum quibus viui iuuantur, scriptura multis exemplis ostendit, *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me & propter Dauid seruũ meum*, id est, propter merita Dauid, *Quia fecit Dauid rectum in oculis Domini, &c.* Non propter fœdus, vt fingit Caluinus. Vnde ad hæc verba Esaiæ sic exclamat Chrysostomus, *O rem admirandam! Dauid mortuus est, & merita eius vigent*. Sic & alii patres hæc verba intellexerunt. Gregorius Magnus lib. 5. in 1. Reg. cap. 4. D. Hieronymus dial. 2. contra Pelagianos, & in comment. ad Ierem. cap. 15. Rursum Moyses sic orat Deum, *Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum*. Vnde Hier. in quæst. Hebraicis: *Abrahæ*, inquit, *merito sæpe de angustiis liberatus est Israel*. Quare hæc doctrina quod Sanctorum meritis viui adiuuantur, est apud antiquissimos patres receptissima. Chrysostomus sic habet, *Quoniam seipsis ad impetrandam populo veniam sufficere non credunt, ad patrum merita confugiunt*. Et iterum, *Sæpe quando non est inuentus iustus in præsenti vita, propter defunctorum virtutem Deus*

Li. 6. cont. Iul.

2. Causa. Loco citato cõt. Faust.

In hom. de 40. Martyribus.

In orat. in B. Cypr.

In vita eius 3. Causa.

Par. 3. c. 3. hist. Eccl. l. 4. c. 14.

Hom. 26. in nu. can. 48.

4. Causa. Hom. 26. in Num.

5. Causa.

Ho. de 40. Martyrib.

Orat. de S. Cypr.

1. Cor. 12.

Psal. 118.

Coloss. 1.

Ephes. 1.

Merita Sanctorũ viuis prosunt.

4. Reg. 19.

3. Reg. 15.

Hom. 2. in Ps. 50. & hom. 42. in Gen.

Exod. 32.

Hom. 4. in Matt.

A

B

C

D

A *Deus viuentium miseretur.* Nec dissimiliter Augustinus, *Cum merita nostra nos grauant ne diligamur à Deo, sciamus nos illorum meritis releuari posse quos Deus diligit.* Idem in lib. de cura pro mortuis gerenda, & super Psal. 108. *Deus* (inquit) *suorum merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximè per eorum memorias (quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi pro cuius illi confessione sunt passi:* quæ ratio notanda est) *mirabili bonitate commendat.* Denique idem clarissimus doctor alibi docet, *quandam esse vitam fidelium non ita bonam vt ad beatitudinem adipiscendam in eis ipsa sufficiat, nisi eorum merita quos amicos fecerint* (per eleemosynarum opera) *misericordiam consequantur.* Sed & iterum Chrysostomus in homil. post reditum exilij sui, de sancto Timotheo & Andrea, quorum corpora Constantinopoli erant, ait, *Credimus iuuari nos illorum meritis.* Hac ergo etiam de causa tanquam potentes Dei amicos & patronos beneficos honorat Sanctos Ecclesia.

Hom. 41. in Gen.

De ciu. Dei li. 21. c. 23.

Sanctos piè inuocari.

AD inuocationem Sanctorum quod attinet, nihil illa vel diuino cultui repugnat qui solus inuocandus videtur, vel fidem lædit in qua fundatur oratio, vel formæ inuocationis
B in scripturis traditæ qua Deus per Christum inuocandus docetur, contraria est, vel gloriã Dei offendit, *qui solus habet potentiam & gloriam,* vt in fine orat. dominicæ subijcitur, quia hæc omnia intelliguntur de illa inuocatione qua aliquid petitur per illum implendum quem inuocamus (quod soli Deo est proprium) non de illa inuocatione qua aliquid petimus ab eo impetrandum quem inuocamus. Quomodo autem Sancti inuocantur, vt præsidium, refugiũ, tutela fidelium, explicandum est per ea quæ diximus de titulis B. Virginis in Festo Natiuitatis eiusdem. Quomodo etiam intercessio Sanctorum nihil detrahit mediationi per Christum, aut precepto de petendo patrem in nomine Christi in aliis Euangeliis explicatum dedimus. Neque vero inuocantur Sancti tanquam magis propitii quàm Deus, sed tanquam minus honorandi quàm Deus. Peccata nostra diuidunt inter nos & Deum. Diuisi ergo per medios Sanctos ad Deum placãdum accedimus, non eius iram quasi implacabilem fugientes, nec Christum mediatorem postponentes, sed maiestatem Dei sic venerantes vt amicorum eius operam quia indigni sumus ipsi adhibeamus, eosque non nisi per Christum Dominum nostrum, in quo omnis nostra terminatur oratio. Sic ad amicos Iob dixit Deus, *Ite ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis, & faciem eius suscipiam.* Sic iratus Deus contra Abimelech Regem, *Redde* (inquit) *viro vxorem eius & ipse orabit pro te.* Si hoc diuino honori nihil detraxit, sed sanctos illos viros sic Deus honorare voluit vt nõ nisi per eos placari se sineret, & quum Sanctos inuocamus, sic se rem habere dubitandum non
C est, *Sic quum socrus Simonis magnis teneretur febribus, Petrus & Andreas orauerunt pro ea.* In quem locum Ambrosius: *Obsecrandi* (inquit) *sunt Angeli pro nobis, Martyres obsecrandi sunt.* Sic Centurio per seniores Iudæorum rogari Christum curauit. In quem locum Beda, *Summos Ecclesiæ viros qui nos ad Dominum præcesserunt, humiliter obsecrando patronos acquirere debemus, qui pro nostris apud Deum peccatis intercedant.*

Cauillationes contra inuocationem Sanctorum diluuntur.

Do. 5. post Pascha.

In die SS. Philippi & Iacobi.

Esa. 59.

Ca. vlt. Iob

Gen. 20.

Luc. 4.

In lib. de viduis.

In ca. 7. Lucæ.

Sed nunc huius inuocationis Sanctorum exempla ex tota antiquitate proferemus. In liturgia Chrysostomi, quam Ecclesia Græcorum retinuit & retinet, ad B. Virginem sic orat sacerdos. Quæ verum peperisti Deum Christo supplica, vt animas nostras saluet. Similiter B. Apostolos, S. Nicolaum, ac denique omnes Sanctos ibidem inuocat. Origenes Iob inuocat vt oret pro nobis. Idem in lamentatione sua omnes Sanctos flebiliter inuocat. Chrysostomus scribit imperatorem stare ad sepulchra Apostolorum supplicantem Sanctis, vt pro se ad Deum intercedant. Idem de Theodosio nominatim scribit Ruffinus. Idem affirmat August. in Sermone de S. Paulo. Sed & ipse alibi suppliciter inuocat Sanctos omnes in libro Meditationum, &
D alibi. Gregorius Nazianzenus in Monodia S. Basilii eum inuocat dicens, Tu sacrum ac diuinum caput ex alto nos respice, &c. Idem in orationibus de S. Athanasio, & de S. Cypriano, eosdem inuocat. Gregorius Presbyter in vita Nazianzeni ipsum quoque inuocat, vt eius sit memor. Sanctus Hieronymus in Epitaphio Paulæ eam inuocat. Cultoris (inquit) tui vltimam senectutem orationibus iuua. Theodoretus docet solere Christianos varia beneficia à Martyribus orando expetere, Qui (inquit) *prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi à Martyribus petunt. Qui vero ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri & mulieres, dari sibi filios petunt. Qui vero parentes sunt, integra sibi & propria custodiri quæ consequuti sunt dona. Item qui peregrè aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, vel potius itineris duces: qui vero iam sospites redierunt, gratias agunt acceptum beneficium confitentes. Non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres tanquam diuinos homines, intercessoresque sibi eos apud Deum aduocent ac precentur.* Hæc ille & multa alia de donariis in honorem Martyrum oblatis in testimonia inuocationis fructuosæ. Sic & Basilius de suæ ciuitatis 40. Martyribus, *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret, hic vt à malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis.* In homilia quoque de S. Mamante varia inuocationis eius beneficia in memoriam reuocat. Gregorius Nyssenus in oratione in S. Theodorum Martyrem eandem populi Christiani religionem multis verbis explicat. Sancti Ephrem in serm. de Martyribus eosdem prolixè inuocat. Ambrosius in oratione contra Auxẽtium docet Sanctos orationibus nostris aduocatos, populum fidelem custodire. Prudentius in

Inuocationis Sanctorum exempla.

Li. 2. in Iob.

Hom. 66. ad pop.

Ant. hist. Eccl. li. 11. ca. 33. c. 13.

li. de Spiritu, & anima, c. 59.

Lib. 8. de cura. grec. affect.

In hom. de 40. Mart.

hymno de S. Laurentio ſolennem eius inuocationem deſcribit, & in hymno de B. Vincentio
De bapt. con. Donat. li. 7. c. 1. eum inuocat. Sanctus Paulinus inuocat ſanctũ Fœlicem Natali 2. 3. & 8. Denique Auguſtinus contra ſententiam Cypriani ſcribens (de hæreticis rebaptizandis) eum tamen vt S. Martyrem inuocat, *Adiuuet nos orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, vt donante Domino quantum poſſumus bona eius imitemur*. Poſtremo & ipſa Concilia generalia hanc Sanctorum inuocationem nos docuerunt. In Concilio Chalcedonenſi Generali 4. clamant patres, *S. Flauianus Martyr oret pro nobis*. In concilio generali 6. vbi forma inuocationis præſcribitur, poſt orationem Dominicam & ſymbolum recitatum iubetur vnuſquiſque, ſolo Deo Creatore ſuo adorato, inuocare Sanctos vt pro ſe intercedere apud Deum dignentur. In Concilio gener. 7. docent patres poſtulare interceſſionem B. Virginis & cæterorum Sanctorum. Idem docetur in Concilio Florentino ſeſſ. 5. Hæc eſt ergo fides patrum, hæc fides maiorum noſtrorum, hæc fides catholicæ per totum orbem Eccleſiæ, vt Sanctos in cælo cum Chriſto regnantes piè ac religiosè inuocẽt. Optimè ſciebant hoc totum Deo vel Chriſto nihil derogare, qui ſolus ita inuocatur, vt per illum impleatur, & concedatur quod petitur, & Sanctos ſic inuocari, vt tantum ea impetrent quæ rogantur. Sic ergo hodie omnium Sanctorum feſtum religioſa ſolennitate Eccleſia catholica concelebrat, vt eos tanquam Dei amicos veneretur, eorum ſe precibus & meritis adiuuari indubitanter credat, ac demum eaſdem ob cauſas ſedulo ac confidenter inuocent.

Act. 11. Cap. 7. *Act. 3. & 6.* A B

IN COMMEMORATIONE OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Et procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitę: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.

Ioan. 5.

Bonorum operum ad ſalutem neceſsitas.

LOCVS perſpicuus obſeruandi contra hæreticos noſtri temporis Synecdochen Scripturis vulgarem, qua parti tribuitur quod niſi de toto intelligendum eſt, quam illi tamen in fidei Synecdoche apud Paulum & in Euangelio vſitata agnoſcere nolunt. Quemadmodum enim in hoc Euangelio, vita & iudicium in poſtrema reſurrectione, id eſt, ſalus & condemnatio æterna attribuuntur operibus bonis vel malis, non ſic tamen vt ſola bona opera hominem poſſint ſaluare abſque recta in Deum fide, ſic in aliis Euangeliis, vt quũ Chriſtus dicit, *Fides tua te ſaluum fecit*: Et rurſum, *vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitã æternam*: & Apoſtoli in Actis, *In hunc omnis qui credit, iuſtificatur*: & apud Paulum, *vnus eſt Deus qui iuſtificat circunciſionem ex fide & præputium per fidem*, attribuitur fidei iuſtificatio & ſalus, non ſic tamen vt ſola fides hominem iuſtificet vel ſaluet. Sed eſt vtrobique neceſſario intelligenda Synecdoche, & de parte dici quod de toto intelligendum eſt. Verè enim & fides & opera bona iuſtificant, quia ex parte iuſtificant, & pars noſtrę in Chriſto iuſtificationis ſunt. Omnis qui credit in Chriſtum non peribit, quia per fidem ex parte fit ne quis pereat. Qui bona egerunt, procedent in reſurrectionem vitæ, quia per bona opera ex parte fit, vt ad reſurrectionem vitæ procedãt mortui. Sed vt bona opera ſaluent, fides debet illis cooperari, & vt fides ſaluet, debet illa ex bonis operibus conſummari, vt docet D. Iacobus, cap. 2. Si quum de fide agitur, ſcripturas in verbo capere & litteram premere hæretici volunt, cur non & quum de bonis operibus eodem modo ſcripturæ loquuntur, eodem quoque modo in verbo illas capiunt & litteram premunt? Sed in hoc ſe verè hæreticos oſtendunt, id eſt, opinionum ſuarum amatores pertinaces, quia in ſcripturis non id videre volunt, quod perſpicua earum collatio neceſſario videndum docet, ſed id tantum vident quod ipſorum hæreſibus & præelectis opinionibus ſubſeruit. Vide plura hac de re in aliis ſupra Euangeliis.

C D

Ioan. 3. *Act.* 14.

Dom. 18. *poſt* Pent. *& Feria* 2. Pent.

In reſurrectionem vitæ & in reſurrectionem iudicij.

Medius locus præter cęlum & infernum damnatorum.

LOcus alius explicandi contra hæreticos noſtri temporis certum eſſe purgatorium ſeu medium locum in quo animæ certæ ante vltimam & generalem reſurrectionem purgantur, quamuis in hoc Euangelio duo tantum poſt hanc vitam animarum ſtatus eſſe videantur, vnus quoad vitam æternam, alius quoad iudicium, id eſt, damnationem æternam in corporum reſurrectione, animæ deſtinantur. Huiuſmodi enim ſcripturis quæ poſt hanc mortem certam vel damnationem, vel ſalutem promittunt, abutuntur hæretici, vt nullum interea medium purgationis locum eſſe conuincant. Sic ex illis locis, *Venite benedicti, ite maledicti*: Item, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*: & rurſum, *Qui credit, non iudicatur: qui non credit, iam iudicatus eſt*. Infert Brentius, *Non igitur locus vllus remanet purgatorio, quum duo ſolum ſint*

Matt. 25. Marc. vlt. Ioan. 3. In Confeſſ. V Virtẽb.

A *sint loca post hanc vitam.* Idem alii inferre volunt, ex eo quod Lazarus pauper describitur in sinu Abrahæ,& diues epulo in inferno. Item & ex his Euangelii nostri verbis consequi putant. Sed tum iniqua tum inepta valde est hæc hæreticorum hodie ratiocinatio. Iniqua est, qua colligũt, nullo in scripturæ loco extare purgatorium, quia in his locis nulla eius fit mentio. quid enim iniquius quam quasi præscribere quid quouis loco Spiritus sanctus debuerit tradere? Inepta valde est, in illis scripturis purgatorii mentionem desiderare, in quibus vel de extremo iudicio (post quod purgatorium esse non docent catholici, sed ante illud duntaxat) vel de æterna hominum aut salute aut damnatione disertè loquuntur. Locus enim ex Matthæo citatus & huius Euangelii verba expresse de extremo iudicio agunt. Reliqua loca allegata, de iis qui in perpetuum vel saluantur, vel damnantur apertè loquuntur. Quod etiam responderi potest variis SS. Patrum locis, qui post hanc vitam duos statuunt tantum vel vitæ vel interitus terminos. De æternis enim loquuntur, non de intermedia quorundam purgatione. Quam vt iuxta catholicæ Ecclesiæ fidem,& praxim hodie illustrem concionator catholicus fideli populo, dilucidè & solidè possit explicare, quatuor hoc loco explanabimus. Primum esse purgatorium seu locum in quo certè fidelium defunctorum animæ purgantur & expiantur. Secundo quæ sit huius purgatorii pœna. Tertio quales illi sunt qui hac pœna purgantur. Quarto viuorum precibus & piis B Ecclesiæ suffragiis (quæ hodierno die solenniter adhibentur) purgatorii pœnas relaxari, & animas defunctorum plurimum iuuari. Hæc enim singula tam contra hæreticorum hodie impietatem qui ea pertinaciter negant, quàm ad hodierni ritus & cultus catholici defensionem & intelligentiam, vt populus fidelis bene cognoscat, operæprecium est.

Luc.16.

Distributio

Ad primum quod attinet, purgatorium esse ex ipsis scripturis euidenti collectione ostendi potest. Deus enim remittit quædam peccata in futuro sæculo, quod dum facit, purgat peccata (sic enim de Christo dicitur, *purgationem peccatorum faciens*, id est, remittens peccata) in futuro sæculo. Atqui necesse est vt ea alicubi purget, quia quod nusquam fit, non fit. Igitur locus quidam est in futuro sæculo vbi Deus remittit siue purgat quædam peccata. Hic locus purgatorium à purgando dicitur, vt apud Ieremiam, fusfiatorium vocatur locus conflationi addictus. Iam vero locus ille in quo Deus purgat peccata in futuro sæculo, neque cælum est, quia *non intrabit in ciuitatem cælestem aliquid coinquinatum*: neque infernus damnatorum, quia locus ille, vt scriptura docet, *perditio est & locus iræ Dei magnus*. Ergo in loco aliquo tertio & medio purgat Deus in futuro sæculo peccata. Rursum Deus purgans peccata in futuro sæculo, neque purgat ea ante iudicium animæ contaminatæ, quod statim post mortem fit, quia talis vnusquisque illi iudicio sistitur, qualis hic egreditur, iuxta multas scripturas quas D. Gregorius in dialogis citat,& præterea iuxta Christi verba qui docet Deum in morte venire & quosdam inuenire vi- C gilantes, alios autem dormientes seu negligentes: neque in ipso iudicio quod in morte fit, quia eadem scriptura docet tales nos iudicari, quales sumus in morte: quia *vbi arbor ceciderit, siue in meridiem siue in Aquilonem, illic erit*: imo per iudicium nos tales apparemus quales re vera simus: igitur Deus remittit quædam peccata in loco executionis iudicii,& hic locus est purgatorius. Præterea Deus purgans peccata in futuro sæculo, iustè illud & rectissimo iudicio facit, *apud quẽ non est iniquitas*,& qui *retribuit vnicuique secundum opera eius*, eaque etiam minima, adeo vt *de verbo otioso reddituri simus rationem.* Minoribus autem & quotidianis iustorum peccatis pœna non debetur æterna, sed temporalis, cuius locus nec in cælo est, à quo omnis pœna abest, nec in inferno damnatorum, quia huius loci pœnæ sunt æternæ: ergo alius quidam locus est, in quo Deus punit,& purgat quædam peccata in futuro sæculo acerbitate pœnarum temporalium: & hoc est purgatorium.

Esse Purgatorii ex scripturis ostenditur.

Hebr.4.
1.Arg.
Ierem.6.
Apoc.21.
Iob.26. & 28.
Apoc.14.
2.Arg.
Li.4.c.39.
Marc.13.
Eccl.11.
3.Arg.
Rom.9.
Rom.2.
Matt.12.

Hæc tria argumenta quum huic vni fundamento nitantur, quod Deus in futuro sæculo purget & puniat peccata, illud nobis nunc erit ex scripturis demonstrandum. Hoc autem Christus D Dominus disertis verbis in Euangelio docuit. Dicit enim de peccato in Spiritum sanctum, illud eiusmodi esse, *vt non remittatur neque in hoc sæculo neque in futuro.* Hinc autem necessario sequitur quædam alia peccata esse quæ tum in hoc sæculo tum etiam in futuro remittãtur. Alioqui nihil esset speciale aut singulare in peccato blasphemię contra Spiritum sanctum: Et quemadmodum ex illis Christi verbis necessario sequitur quædam peccata remitti in hoc sæculo (quod nobiscum hæretici fatentur) eadem necessitate sequitur quædam peccata remitti in futuro sæculo, etsi illud nobiscum ex insita peruicacia fateri recusent. Deinde Christus hoc loco vtitur partitione quadam remissionis peccatorum, à cuius singulis partibus excipere vult peccatum in Spiritum sanctum. Volens enim docere peccatum in Spiritum sanctum esse planè irremissibile, ait illud neque in hoc sæculo, neque in futuro remitti posse. Et hunc sermonis Christi finem ac scopum Caluinus ipse agnoscit. Hac igitur partitione posita necessario sequitur, vt vnaquæque pars diuisionis toti respondeat. Alioqui non inepta tantum, sed & falsa esset partitio. Verbi gratia, quum Scriptura ait: *Et non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas*, necessario sequitur Deum his omnibus modis solitum esse respondere Israelitis. Quam sanè ob causam Sancti patres hæc Christi verba non solum sic intellexerunt, sed etiam sic necessario esse intelligenda docuerunt. Vnde Augustinus hæc verba tractans, *Non enim* (ait) *de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro.* Sic & Diuus Gregorius eadem verba tractans, *In*

Deum remittere peccata in futuro sæculo.

Matt.12.

Inst.li.3. c.5.n.7.

1.Reg. 28.

De ciu.Dei l.21.c.24.
Dialog. 4. c.39.

qua (inquit) *ſententia datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam vero in futuro poſſe laxari. Quod enim de vno negatur, conſequens intellectus patet quia de quibuſdam conceditur.* Sic cõtra ſui tem- A
poris hæreticos purgatorium etiam negantes ex hoc loco diſputat D. Bernardus, *Quærant ab eo*
Serm.66. in Cant. *qui dixit quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſæculo neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, ſi nulla manet in futuro remiſsio purgatiove peccati?* Sic & Iſidorus de diuinis officiis lib.1.cap.18. *Cum Dominus dicit, Qui peccauerit in Spiritumſanctũ non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, demonſtrat quibuſdam illic dimittenda eſſe peccata, & quodam purgatorio igne purganda.* Hic ergo locus perſpicuè &
inuictè demonſtrat quædam peccata remitti, & conſequenter quædam alia puniri (contrario-
In comm. in Matth. ic.12. rum enim eadem eſt ratio) in futuro ſæculo: hoc eſt poſt hanc mortem temporalem ante ex-
tremum iudicium. Nam quod cauillatur Caluinus per verbum futuri ſæculi, extremum mundi
1. diem notari, non autem tempus intermedium, prorſus vaniſſimum eſt, tum quod in extremo il-
2. lo die nulla planè fiat remiſſio peccatorum, ſed retributio præmiorũ bonis, ſuppliciorum ma-
Epheſ.1. lis, tum quia futurum ſæculum in Scriptura ſignificat intermedium hoc tempus quod vſque ad
3. extremi iudicii diem excurrit, vt apud Paulum quum dicit: *Chriſtũ conſtitui ſupra omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro*: tum denique quia in his Chriſti verbis nulla
mundi mentio ſit facta, ſed tantum hominum peccantium, vnde ſequitur comparationem fie- B
4. ri non huius ſæculi cum fine mundi, ſed huius ſæculi ſeu vitæ cum morte peccantiũ hominum:
Mar. 3. tum poſtremo quia Chriſtus hoc loco totam æternitatem à remiſſione peccati in Spiritumſanctum excludit, quod Marcus expreſſit, dicens, *Non remittetur in æternum*, æternitatis autem pars eſt illud ſpatium, quod inter mortem cuiuſque & diem extremum intercedit. Hoc ergo intermedium tempus, quod ſolum poſt hanc vitam gratiæ & purgationis tempus eſt, à ſolo peccato in Spiritumſanctum Chriſtus excluſit, tanquam partem æternitatis ab hoc ſæculo, & hac præſenti vita diuerſam, reſpectu defunctorum. Alias hæreticorum cauillationes, ſed inſulſas
Controu. to.1.contr. 6.l.1.c.4. valde vide in controuerſiis Roberti Bellamini, qui eas ſingulas refutat.

Alia probatio. Porro & aliam ex Scripturis demonſtrationem afferemus, qua probetur Deum in futuro ſæculo, & poſt hanc vitam ante ſupremi iudicii diem pœna temporali purgare peccata filiorum
1.Petr.4. ſuorum, id eſt iuſtorum. Apoſtoli quum tractant de diſciplina filiorum Dei, vt Petrus, quum dicit, *Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorũ qui non credunt Dei*
Hebr.12. *Euangelio?* item Paulus quum dicit, *Quis filius quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filii eſtis*, loquuntur non de vulgaribus & commu- C
nibus tentationibus, aut afflictionibus, ſine quibus etiam vita impiorum raro traducitur, ſed de
peculiaribus caſtigationibus, & propriis filiorum qui à Deo receſſerunt: quod ideo recedentes
corrigit, vel vt redeant, vel vt purgentur & expientur ab omni, tum culpa & macula, tum pœna
peccatis debita. Docent videlicet iuſtitiam Dei purgatiuam ad omnes ſe extendere etiam fi-
Eccl.12. lios Dei, imò ad eos ante alios. Idem aliæ Scripturæ docent, *Cuncta quæ ſunt* (ait Salomon in ex-
Iob.9. tremo fine ſui Eccleſiaſtis) *adducet Deus in iudicium pro omni abſcondito, ſiue bonum ſit, ſiue malum*
Rom.2. *ſit.* Et Iob dicit, *Omnia opera mea verebar, ſciens quod non parceres delinquenti.* Atqui in hac vita pec-
In 1.Dom. Aduentus. cata iuſtorum non ſemper puniuntur, imò perraro. Nunc enim tempus eſt miſericordiæ & diſ-
Iob 35. penſationis gratiarum, poſtea vero *fit reuelatio iuſti iudicii Dei*, vt alio in loco explicuimus. Et de
Hom.5.in ep.ad Heb. hoc tempore, ait Iob, *Omnipotens nunc non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur ſcelus valide.* Quare in
hac vita eſt potius quidam veluti guſtus iudicii Dei quàm exactum iudicium, vt copiosè oſten-
2.Theſſ.1. dit S. Chryſoſtomus. Vnde & Apoſtolus præſentes tribulationes iuſtorum vocat *exemplum* ſiue
oſtenſionem *iuſti iudicii Dei.* Neceſſario igitur ſequitur Deum in altera vita, idque ante extre-
mum iudicium, vbi non purgatio aliqua temporalis, ſed retributio æterna adhibetur, peccata
2.Para.19. iuſtorum purgare. Hoc fit in purgatorio. Et certè hæc diſciplina, & caſtigatio filiorum Dei
Act.10. niſi eſſet communis omnium qui ſunt de eius familia, tum eſſet apud Deum acceptio perſona- D
Rom.2. rum (quod toties Scriptura negat) tum alioqui ſpes ſupereſſet impunitatis, quæ coniun-
Coloſſ.3. cta cum ea qua nobis ipſis naturaliter fauemus, indulgentia, excluderet in pleriſque timo-
1.Petr.1. rem huius diſciplinæ, & quiſque præſumeret de numero impunitorum ſe fore. Neceſſario
igitur poſt hanc vitam adhibetur, quæ in hac vita adhibita non fuit partim peccatorum le-
uium expurgatio, partim pœnarum grauioribus peccatis, ſed condonatis debitarum exo-
lutio.

Chriſti ſatisfactio non repugnat Purgatorio. Neque vero huic purgationi, & expiationi peccatorum poſt hanc vitam magis repugnat pleniſſima Chriſti ſatisfactio in cruce perſoluta (cui nos nefariè derogare per hanc purgatorii doctrinam nefarii hæretici nequiter mentiuntur) quàm illæ quæ in hac præſenti vita à Deo infligi-
2.Reg.12. tur peccatorum pœna etiam eorum quæ iam remiſſa fuerunt, vt in Dauide poſt pœnitentiam, &
Gen.42. cõdonationem manifeſtam, vt in fratribus Ioſeph poſt viginti annos à peccato perpetrato (quo
toto tempore eos non pœnituiſſe quis audeat dicere?) vt in peccato populi contra Deum mur-
Num. 14. murantis in deſerto, cui ad preces Moyſis Deus pepercit, ſed ita, vt in pœnam murmuris nemo
illorum terram promiſſionis ingrederetur. Nam vt Deus in hac vita non ſolum ad exercitium
& exemplum aliorum (vt cauillatur Caluinus putans ſic euadere) ſed etiam iuſtè corripit & ca-
ſtigat filios ſuos delinquentes, iuxta Apoſtoli ad Hebræos, & D. Petri verba ſuperius citata, ne-
que hoc ſatisfactioni Chriſti quicquam derogat, ſic & in altera vita. Nempe Chriſti in cruce
ſatisfactio, etſi precium eſſet pro pœnis omnium totius mundi peccatorum ſufficiens, tamen

ſicuti

A sicuti incredulis seu infidelibus, credentibus quoque, sed sceleratis & impœnitentibus ea nihil prodest (quod hæretici ipsi confitentur) quia videlicet tantum illud precium talibus applicari diuina iustitia, quæ semper misericordiæ suæ comes est, nõ permisit, sic planè ipsis iustis & pœnitentibus, sed qui nullas vel non satis iustas suorum peccatorum pœnas exoluerunt, Deus noluit illud precium simpliciter applicare absque quadam propria cuiusque cruce, castigatione, & disciplina: quæ vt in hac vita non est iniusta, sic nec in altera vita: sed vtrobique iustissimè adhibetur, tum propter ingratitudinem relapsorum, quam vehementer in epist. ad Hebræos Paulus exponit, tum vt extaret disciplina in Ecclesia sua, eiusque timor perpetuus optima virtutum custos, tum denique vt verum illud semper esset, quia verum est quod Scriptura dicit, & solui non potest, *vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*. Atque hæc pauca pro concione sufficiant ad purgatorii veritatem etiam ex Scripturis stabiliendam. Alia multa loca sunt quæ idem probant, & illa vide apud Rob. Belarm. loco citato, & in tractatu doctissimo Henrici Vici de descensu Christi ad inferos, qui neruosè admodum hanc materiam tractauit, nosque ex eo plæraque desumpsimus. Iam vero totam veterem Ecclesiam Purgatorium agnouisse, hoc est, pro defunctis fidelibus diligenter orasse, *vt à peccatis soluantur*, iuxta fidem & consuetudinem veteris populi teste Scriptura, innumera testimonia probant, quæ mox proferemus.

Ca. 6. & 10. Prou. & Heb. 12. Psal. 5. Henricus Vicus de descensu Christi ad inferos, Antuerp. ann. 1586.

B Nunc quæ sit hæc Purgatorii pœna paucis dicendum est, quæ secunda fuit distributionis nostræ particula. Esse pœnam ignis omnes illi patres testantur, qui de hoc Purgatorio animarum scribunt, precesque Ecclesiæ ostendunt, quæ propriè pro refrigerio animarum orant, iuxta illud antiquissimi Tertulliani, *Pro anima eius oret* (defuncti mariti) *& refrigerium interim adpostulet ei*. Sic Paulinus ad Delphinum Episcopum commendans illi animã fratris sui, *Fac* (inquit) *vt orationibus tuis condonetur tibi, & vt illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gueta respergat*. Hæc ille alludens ad illud Euangelii, *Crucior in hac flamma*. Nempe quum pœna inferni & pœna Purgatorii, non specie, sed duratione tantum differant, vt eius pœna certissimè sit æternus, sic valde probabiliter huius pæna ignis est temporalis. Vnde Gregorius Nyssenus: *Non poterit à corpore egressus diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit*. Sic & Ambrosius, *Etsi saluos faciet Dominus seruos suos, & salui erimus per fidem, sic tamen quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen vremur*. Et apertissimè Augustinus, *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit: Saluus erit sic tamen quasi per ignem*. Nam Diuus Augustinus (quod hæretici imperitis persuadent) de purgatorio igne nunquam dubitauit, sed quum duobus in locis scribat, posse dubitari & quæri an

De pœna Purgatorij. In li. de Monogamia. Epist. 5. In orat. pro mortuis. In psal. 36. Ho. 16. ex 50. homil.

C post hanc vitam animæ torqueantur purgatorio igne, non dubitat de pæna animarum purgatiua, sed de modo & qualitate huius pænæ. Nam in priore qui est de ciuitate Dei, id solum dubitat an ignis purgatorius sit idem in substantia cum igne gehennæ, in quam tamen sententiam totus propendet libro eodem cap. 10. In posteriori loco qui est in Enchiridio dubitat, an post hanc vitam vrantur animæ igne illo doloris de amissione temporalium, quo hic vri solẽt, quum rebus valde dilectis carere coguntur. Alioqui constantissima est Augustini doctrina quodam igne purgatorio animas fidelium defunctorum expiari, *Qui fortè* (inquit) *agrum suum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnam æternam*. Rursum alibi, *Prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis*. Et alio in loco, *Totis viribus vnusquisque laboret, vt capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ita bonis operibus redimere, vt de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere*. Hęc ille & multa alia huc pertinentia in eodem sermone. Sed & super psalmos, tractans illa verba, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, ea sic exponit. *Domine ne in furore tuo arguas me, Non sim inter illos quibus dicturus es, Ite in ignem æternum, &c. Neque in ira tua corripias me*, (vel vt ille legit, *emendes me*) *vt in hac vita purges me, & talem me reddas cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem*. Et paulo post, *Et quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Grauior tamen erit ille ignis quàm quicquid potest homo pati in hac vita*. Hæc ille & multo illic plura, vt non dubites illum de igne purgatorio post hanc vitam scribere, eumque ignem constantissimè agnoscere. Sed nunc ad Augustinum, quem de igne purgatorio dubitare perfricta fronte iactitant Protestantes, alios iungamus patres. D. Hieronymus super Esaiam ita scribit. *Sicut Diaboli & omnium negatorum atque impiorum qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementia sententiam iudicis*. Hęc ille. D. Gregorius ille Magnus apertissimè, *De quibusdam* (inquit) *leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est*. Iterum alio in loco, *Scio futurum esse, vt post huius vitæ exitum, alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiã æternæ subeãt damnationis*. In eandem quoque sententiam scribunt Græci patres, & ignem purgatorium cum Latinis agnoscunt, licet recentiores isti schismatici Græci huiusmodi locum agnoscere nolint, pro defunctis tamen fidelibus nihilominus orent. D. Basilius super Esaiam sic scribit, *Si per confessionem detexerimus peccatum, iam succrescens gramen arefecimus*. Et infrà, *Non omnimodam internecionem & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem iuxta Apostoli sententiam: Ipse autem saluus erit quasi per ignem*. Post hunc Theodoretus paulo apertius tractans illam Apostoli sententiam, *Hunc* (inquit) *ignem purgatorium credimus, in quo animæ defunctorũ probantur & repurgãtur, sicut aurũ in*

Dialog. li. 4. c. 39. In Psal. 3. pœnitent. In ca. 9. Esaiæ. In comm. ad 1. Cor. 3.

D

conflatorio. Origenes etiam de hoc igne purgatorio Pauli verba intelligens sic scribit, *Qui saluus sit*, inquit, *per ignem, saluus sit, vt si quid fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & resoluat, vt efficiantur omnes aurum purum*. Postremo & Eusebius Emissenus Episcopus, *Hæc pœna infernalis illos manebit, qui amisso & non seruato baptismo in æternum peribunt. Hi vero qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt*. Tot ergo patrum Latinæ & Græcæ Ecclesiæ testimonio pœnam purgatorii ignem esse liquido apparet. quare & hanc pœnam esse omnibus aliis in hoc mundo pœnis longè grauiorem, multi patres tradiderunt: Augustinus imprimis, vt verba eius in Psal. 37. citata ostendunt. Et alio in loco, *Hic ignis* (de purgatorio loquens) *etsi æternus* (inquit) *non sit, miro tamen modo est grauis. Excellit enim omnem pœnam quam vnquam passus est aliquis in hac vita*. Et iterum alibi, *Dicet aliquis. Non pertinet ad me, quã diu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat fratres, quia ille purgatorius ignis durior erit quàm quicquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri*. Nec dissimiliter B. Gregorius Romanus, *Illum* (inquit) *transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem*. Beda quoque Augustinum sequutus in expositione Psalm. 37. nulla ait esse supplicia Martyrum, vel latronum cum illis purgatoriis pœnis conferenda. Idem scribit Anselmus in comment. in Paulum, ad 1. Cor. 3. cap. & Diuus Bernardus in sermone de obitu Humberti. Quæ tamen patrum verba sic intelligenda videntur, vt maxima sanè purgatorii pœna sit maior maxima quauis pœna huius vitæ: aliqua vero pœna purgatorii minor ac leuior reperiatur aliqua pœna huius vitæ: ne vel æqualis, vel semper acerbissima quorumlibet fidelium defunctorum pœna purgatoria esse cuipiam videatur. Ac de pœna purgatorii hactenus. De qua lege plura apud Franciscum Turrianum pro Canonibus Apostolorum libro 4. capite 12. 13. & 14.

Hom. 6. in Exodum. Hom. 3. de Epiphan. — De vera & falsa pœn. ca. 18. Serm. 41. de Sanctis In Psal. 3. pœnitent.

Nunc vt quales demum personæ purgatorio igne expiandæ sint, & consequenter qualibus defunctis orationes Ecclesiæ prosint intelligatur, tribus quasi verbis id explicabitur. Iste videlicet ignis expurgatorius, nec infideles, nec hæreticos aut schismaticos, nec impœnitentes catholicos, sed eos solos expiabit & purgabit, qui vel cum venialibus tantum peccatis moriuntur, vel cum reatu pœnæ grauioribus criminibus debitæ decedunt, culpis ipsis iam remissis & condonatis. De peccatis venialibus disertè Gregorius, *De quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est*. Et ante eum Diuus Augustinus, *Sacrificia siue altaris, siue eleemosynarum quum pro baptizatis defunctis offeruntur, pro non valde malis propitiationes sunt*. Nempe hæc leuiora peccata sunt, *ligna, fœnum & stipulæ, super fundamentum fidei in Christum ædificata*, quæ ignis iste purgatorius declarabit, vt illum Apostoli locum quàmplurimi veteres exposuerunt, Origenes, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, aliique supra citati. Vide hunc Pauli locum diligenter, & accuratè explicatum ab Henrico Vico in tractatu de descensu Christi ad inferos: & apud Robertum Bellarminum tom. 1. Controuers. Contro. 6. lib. 1. cap. 4. qui & omnes hæreticorum cauillationes contra hanc explicationem soluit & refutat. Porro de grauioribus peccatis, quibus per pœnitentiam deletis pœna tamen temporalis exoluenda manet, per hunc ignem purgatorium expiandis, sic scribit Theophylactus, *Hoc autem dico, propter oblationes & distributiones quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt, etiam iis qui in grauioribus delictis mortui sunt*. Sic & Sanctus Hilarius, *Nobis* (inquit) *est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauiora illa expiandæ à peccatis animæ supplicia*. Hæc expiatio animæ à grauioribus delictis, est exolutio pœnæ temporalis illis debitæ. De qua pœna exoluenda sic scribit D. Bernardus, *Volat fratres, irreuocabile tempus, & dum creditis vos cauere istam pœnam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter quæ fuerint hic neglecta redduntur vsque ad nouissimum quadrantem*. Sic & Petrus Damianus grauis ac doctus Author. *Non tibi blandiaris si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur, quum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quicquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus*. Hæc ille. Illos ergo pœna ignis purgatorii expiat, illi ab hac pœna orationibus Ecclesiæ, vt liberentur adiuuantur, quorum vel leuia fuerunt in hac vita peccata, vel grauia quidem & per pœnitentiam condonata, sed per pœnas temporales illis ex ordine diuinæ iustitiæ debitas nondum expiata.

Dial. l. 4. ca. 39. — Ad 8. Dulcitii quæst. q. 2. — 1. Cor. 3. Ho. 6. in Exod. & 8 in Leuit. — De Spiritu S. c. 15. — Li. 2. aduer. Iouin. — Ser. 20. in Psal. 118. — Conc. 3. in Psal. 37. — In Luc. c. 12. — In Psal. 118 ad illud, Concupiuit anima desiderare, &c. — Ser. de obitu Hũberti — Ser. 2. de S. Andrea

Quales animæ in purgatorio expiantur.

Nunc quod postremo loco demonstrandum suscepimus, an viuorum precibus, suffragiis, eleemosynis, iuuari defuncti fratres possint, vt hæc purgatorii ignis pœna, vel mitigari & relaxari, vel etiam penitus condonari illis possit dispiciendum est. Negant fortissimè omnes horum temporum hæretici. Crediderunt semper indubitatè omnium temporum catholici, vt nunc ex totius Antiquitatis luculentis testimoniis ostendetur, si prius apertissimum S. Scripturæ testimonium proferamus. Sic enim in lib. Machabæorum legimus, *Vir fortissimus Iudas facta collatione* 12000. *drachmis argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum*. Et paulo post, *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. In quibus verbis multa docemur. Primum posse mortuos post hanc vitam solui, & proinde esse purgatorium. Secundo non expiari semper in ipsa morte omnes peccatorum reliquias, vt Lutherus voluit. Nam isti pro quibus orari iussit Iudas, mortui erant morte violenta, eaque pro religione suscepta, tamen credebat eos adhuc non esse plenè purgatos. Tertio posse hominem sanctè & piè mori, & tamen habere debitum aliquod soluendum, vel propter peccata venialia in vita

2. Macha. 12.

1. 2. 3.

non

A non remissa, vel propter satisfactionem pro mortalibus remissis non planè expletam. Nam scriptura hoc loco dicit eos pro quorum peccatis iussit orare Iudas, *cum pietate dormitionem accepisse.* Quæ sanè tria confirmant ea quæ supra diximus in primo & tertio. Quarto sacrificia & orationes viuorum prodesse defunctis, quod huic loco proprium est. Quinto denique hęc omnia de fide esse, quia in Scriptura diuinitus inspirata reuelata sunt. Contra hunc locum quasi contra stimulum frustra calcitrant hæretici, dicentes hunc librum inter canonicas Scripturas non numerari. Quos luculenter mendacii arguit, tum ipsa Ecclesiæ Christianæ praxis, quæ hũc librum in missa & publico diuino officio, iam ab annis plus mille legit, vt patet ex Epistola Petri Cluniacensis contra Petrobrussianos: tum vetustissimæ Ecclesiæ testimonium. Numeratur enim in libris diuinis à Concilio Carthaginensi 3. ab Innocentio 1. & à Diuo Augustino ante annos 1200. qui & sic ait, *Libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*: qui & contra Gaudentium Donatistam eos defendit pro Scriptura canonica qui & alibi numerat eos inter libros canonicæ Scripturæ indubitatos. Citantur quoque vt diuinæ Scripturæ à patribus adhuc antiquioribus, Diuo Cypriano in lib. de exhortatione Martyrii: & lib. 1. epist. 3. à S. Gregorio Nazianzeno in orat. de Machabæis: & à S. Ambrosio lib. 2. de Iob, cap. 10. 11. 12. Quare nostri hæretici nimium nunc sero loquuntur de fide illis abroganda, ipsi hoc nomine

B omni fide, & nomine Christiano indigni, & cum Iudæis ac Donatistis hæreticis annumerandi.

4. 5. Can. 47. Epist. ad Exuperiũ c. vlt. De ciuit. Dei li. 18. c. 36. & l. 2. c. 23. cõtra Gaudent. & de doct. Christ. li. 2. c. 8. Cap. 11. Antiquitatis testimonia.

Sed nunc ad Antiquitatis Ecclesiasticæ testimonia veniamus pro hoc perpetuo, & generali totius Christiani populi vsu, circa orationes pro defunctis. Dionysius Areopagita D. Pauli discipulus ita scribit, *Accedens deinde venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eũque in luce statuat & regione viuorum*: quæ planè hodierna est Ecclesiæ oratio. Tertullianus in lib. de corona militis inter traditiones Apostolicas numerat suffragia pro defunctis. Eandem traditionem agnoscit D. Chrysostomus, *Non temere* (inquit) *ab Apostolis hæc sanctificata fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim multum illis inde contingere lucrum, vtilitatem multam.* Quod & multis aliis in locis repetit, vt rem populo Christiano exploratissimam. D. Augustinus vniuersæ Ecclesiæ consuetudinem hanc esse contestatur, *In Machabæorum* (inquit) *libro, legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in veteribus Scripturis legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, Authoritas: Vbi in precibus sacerdotis quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum.* Et rursum alio in loco, *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis, & sanguinis Christi communione defuncti sunt, quum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Est ergo Apostolica traditio, est fides vniuersæ Ecclesiæ pro defunctis sacrificium Missæ offerre, orare, eleemosynas facere, vt huiusmodi suffragiis à pœnis subleuentur, & (vt Augustinus loquitur) vt misericordius cum eis à Domino agatur. Quare ipse Augustinus ita hoc credidit, vt pro matre sua Monica non tantum oret ipse in confessionibus suis, sed præterea lectores suorum operum instãter roget, vt pro patre eius Patricio & matre Monica Deum orare dignentur. Sic S. Ephrem moriens commendat se orationibus suorum. Sic Theodosius iunior procumbens ad reliquias S. Ioan. Chrysostomi orauit pro animabus parentum suorum, Arcadii & Eudoxiæ iam defunctorum, vt commemorat Theodoretus. Sic Constantinus ille magnus in celebri templo sepeliri voluit, vt multarum orationum particeps foret, vt narrat Eusebius in vita eius. Sic S. Ambrosius Faustinum amicum suum de morte sororis contristatum his verbis hortatur, *Itaque non tam deplorandam quàm prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Deo commendandam.* Hæc veterum patrum fides, pie-

D tas, religio fuit. Hac pietate defunctorum animas plurimum iuuari certissimè credebant. Vnde Cyrillus Hierosol. *Denique pro omnibus oramus qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio Sancti illius & tremendi sacrificij.* Sic supra Chrysost. loqui audiuimus, sic & Theophylactum. Sic Gregorius Magnus, *Multum* (inquit) *solet animas etiã post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare, ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.* Cuius illic exempla subiungit. Certè apud D. Bernardum S. ille Malachias moriens, *Non parum* (inquit) *spei mihi repositum est in illa die, qua defunctis tanta à viuis beneficia impenduntur*: de hoc ipso die loquens, & commemorationem omnium defunctorum quæ hodie fit significans. De qua etiam præsenti solennitate sic Augustinus scriptum reliquit, *Non sunt prætermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorũq; sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus adista desunt parentes aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur pia Mater communi.* Hæc ille, vt hodiernam solennitatem non nouellam aliquam, sed prorsus antiquissimam esse, & ex causa singulariter pia quam hic S. Augustinus posuit, institutam fuisse importuni discant hæretici. Postremo tanti fiebat hæc Ecclesiæ pro defunctis oratio, maximè sancti sacrificii pro illis oblatio, vt ante annos 1300. tanquam singulari beneficio illis priuarentur qui grauiter in Ecclesiæ leges peccassent. Sic enim apud D. Cypr. legimus, *Episcopi antecessores nostri censuerunt, ne*

Ho. 69. ad pop. Antioch. Hom. 32. in Mat. 8. in Ioan. 3. in epist. ad Philip. 21. in Acta. Lib. de cura pro mor. ca. 1. De verbis Apost. ser. 34. Confess. li. 9. c. 13. In test. suo Hist. Eccl. li 5. c. 25. Li. 4. Li. 2. epi. 3 Catech. 5. mystagog. Dial. li. 4. ca. 55. In vita Malachiæ. De cura pro mortuis ger. c. 1 Li. 1. Epi. 9

quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Hæc ille ante annos 1300. & amplius. Quid ergo ad tã- A
tam totius Antiquitatis lucem, quid ad vniuersæ Ecclesiæ tam illustrem consuetudinem, quid ad traditionem ipsam Apostol. mutire, vel hiscere audent hodie hæretici, qui nec pro defunctis orant, ideoque hanc solennitatem penitus prætermittunt, & nos qui id facimus pro insigniter superstitiosis damnant? Non ignorant ante annos 1200. Aerium in catalogo hæreticorũ ab Epiphanio & D. Augustino locatum fuisse hac ipsa ex causa, quod orationem pro defunctis negaret, etsi alioqui Arianus quoq; esset, vt nulla ferè hæresis sola est. Sic enim de eo scribit Augustinus:

In lib. de hæres. hær. 53. *Aerius in Arianam hæresim lapsus propria quoque dogmata addidit nonnulla, dicens orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.* Nihilominus vt nihil his nostri temporis hæreticis pertinacius, nihil impudentius esse intelligeremus, recalcitrant & tergiuersantur, & cauillantur egregiè. Caluinus impudentissimè scribit, *Ante mille & trecentos annos vsu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis. Sed omnes in errorem abrepti sunt.* Ergo Caluine, per te tuamque blasphemiam mendax est Christus, de sua Ecclesia dicens: *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Vide quæ in hæc verba diximus in Festo S. Petri & Pauli. Si enim vniuersa Ecclesia in ipso Sacrificio & orationibus publicis, hoc est, ipsam inuocationem prophanauit & in cultu Dei errauit, certè prævaluerunt portæ inferi aduersus eam, Deo iam exosam & fœda superstitione prophanatam. Attamen vt tantorum virorum errorem & cæcitatem excuset, addit veteres orasse pro mortuis, non vt eos iuuarent, sed vt ostenderent erga eos pium affectum, *Agebant* (inquit) *illi memoriam mortuorum, ne* B
viderentur omnem de ipsis curam abiecisse: sed simul fatebantur se dubitare de ipsorum statu. Mendacium quoque & hoc est cote dignum. Iam enim frequentia testimonia audiuimus, planè ideo pro defunctis eos orasse vt animas defunctorum iuuarent, Deique erga eos misericordiã impetrarent. De statu ipsorum eatenus quidem dubitabant, vt an iam æterna beatitudine potirentur nescirent, ideoque vt eam citius adipiscendam iuuarentur orabant, sed de orationum suarum apud Deum effectu nihil dubitabant. Addit aliud mendacium, *De purgatorio certè adeo nihil asserebant, vt pro re incerta haberent.* Hoc enim mendacium arguunt omnia illa tot patrum testimonia superius allata de igne purgatorio, quibus animæ post hanc vitam expiantur. Rursum calũniatur dicens, *Quicquid de hac re legitur apud veteres, publico mori & vulgi imperitiæ fuisse datum.* Sanctos & doctissimos Ecclesiæ veteris magistros nefariè accusat. Non enim illi imperitam plebem, sed Apostolicam traditionem, & vniuersæ Ecclesiæ in sacris ipsis mysteriis peragendis consuetudinem, adeoque scripturæ sacræ exemplum à nobis prolatum, sequuta sunt, & sequutos se fuisse profitentur, vt ex verbis maximè D. Augustini suprà citatis ex lib. de cura pro mortuis, & ex serm. 34. de verbis Apostoli. An vero Episcopi veteres, orationes in ipso sacrificio publico Deo faciendas à populo didicerunt, aut ad populi imperitiam accommodarunt? An pastores primæ Ecclesiæ & C
Apostolis proximæ oues suas sequebantur, ac non potius oues ipsos sequutæ sunt? Sed nihil est tam absurdum, nihil tam impudens quod Caluinus effutire & asserere non sit veritus, & quod hæreticos omnes dicere prope necessarium est, quando totius & vniuersę Ecclesiæ robustissimæ consuetudini sese opponunt. Addit adhuc *ex gentilitia superstitione hanc pro mortuis orandi & sacrificandi consuetudinem irrepsisse, quam patres populo sese accommodantes retinuerint.* Atqui certissimum est veteres patres in ethnicorum ritibus profligandis diligentissimos semper extitisse Tertullianus & Cyprianus & Augustinus (quos huius consuetudinis disertissimos assertores protulimus) seuerissimi fuerunt castigatores omnis ethnicæ superstitionis: adeo vt Tertullianus acerrimè reprehenderit Christianos milites qui coronam gestarent more militum ethnicorum: Cyprianus vero in lib. contra Demetriadem superstitionibus ethnicis veram religionem subuerti scripserit, ac demum Augustinus tum in Epistola posteriori ad Ianuarium, tum alibi superstitiones gentilitias acerrimè semper persequutus fuerit. Quare nihil hac calumnia vanius. Postremo huiusmodi cauillationes Caluinianæ tales sunt, vt ad quemlibet Ecclesiæ catholicę cultum subuertendum, adeoque aduersus sacramenta ipsa à pertinaci aliquo hæretico similiter proferri possent. Quum enim gentiles sua habuerint templa, sacrificia, ieiunia, suos D
sacerdotes, suos baptismos, suam panis oblationem, & quicquid ferè in ritibus Christianorum Spiritus sanctus obseruandum tradidit. Sic Tertullianus ethnicarum superstitionum scientissimus, vt ex scriptis eius doctissimis apparet, *Diabolus* (inquit) *res sacramentorum in idolorum mysteriis æmulatur. Fingit & ipse quosdam vtique credentes & fideles suos. Signat in frontibus milites suos. Celebrat panis oblationem. Habet & Virgines, habet & continentes. Denique in Romanis illis sacerdotalibus officiis, insignibus & priuilegiis morositatem illam Iudæe imitatus est.* Hæc ille. Nempe vt alibi idem scriptor eruditè notauit, *Quantum Deo sanctitas placet, quum illam inimicus, Diabolus, adfectet? Non vtique vt alicuius boni adfinis, sed vt Dei Domini placita cum contumelia adfectans.* Hæc ille. Non igitur Ecclesia Christi gentilitiam superstitionem, sed veram religionem vana superstitio, & Deum simius Diabolus imitatur: qui & ideo cruentis sacrificiis delectatur, *non quia cadauerinis nidoribus, sed quia diuinis honoribus gaudet*, ait alicubi Augustinus. Sed vero hæretici nostri temporis non vt vanam superstitionem deuitent, verum quia veram religionem odio habent, pro defunctis fratribus more omnium Christianorum orare detrectant. Hæc illorum impietas tanta, tam manifesta pluribus verbis populo aperienda est & amplificanda: & circa hæc duo festa ita sibi coniuncta, de inuocatione Sanctorum in cælis, & de orando pro defunctis, quæ

In lib. de coronamilitis.

In Præscr.

Li. 1. ad vxorem.

De ciu. Dei li. 10. c. 19.

vtraque

A vtraque hæreticis nostris displicent, cum illis D. Bernardi verbis concludere licet, *Videte detractores, videte canes. Irrident nos quod oramus pro mortuis, quod Sanctorum suffragia postulamus. In omni genere hominum & in vtroque statu festinant proscribere Christum, in viuis & in mortuis.* Viuos enim suffragiis Sanctorum, mortuos suffragiis viuorum spoliare contendunt. *Serm. 66. in Cant.*

IN FESTO S. MARTINI CONFESSORIS ET EPISCOPI.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Luc. 11.*

ACVITVR his verbis hominũ ignauia, qui ad gubernandos affectus suos, mentis ac rationis oculos, quibus à Deo donati sunt, aperire nolunt, sed tenebras sibi sponte accersunt, ac si clausis oculis obiectum lumen fugiant; scientes ac volentes post suas concupiscentias ambulant. Ita fit vt oculo simplici, id est animi innato lumine abiecto, & sic (vt iungit Euangelista) lumine, quod in ipsis erat, in tenebras conuerso, non iam corpus lucidum, sed tenebrosum gerant, id est, animi actiones proferant, non quæ luminosæ, puræ, ac rationi B conformes sint, sed quæ tenebrosæ, vitiosæ, ac prauæ sint. Docet ergo hic locus in hominis potestate positum esse, vt rationis lumine sibi à Deo concesso, circa opera ciuilia ac mortalia libere vel in bonum, vel in malum vtatur. Quod ideo Christus disputat, vt doceat circa affectum diuitiarum aliarumque rerum terrenarum etiam ex ipso naturæ lumine, posse hominem temperare, ne ponat in illis cor suum: vnde sequitur multo efficacius per diuinæ gratiæ lumẽ naturæ superadditum, hominem regeneratum præstare id posse ac debere. Ab exemplo vulgari Christus more suo ad altiores sensus nos manu ducit. Sed hic insurgit Caluinus: & hanc in homine facultatem esse, vt affectus ipse suos temperet ac moderetur prorsus negat. Quod (inquit) *hic colligunt Papistæ pollere ratione & prudentia homines vt libera sit illis boni ac mali electio, friuolum est.* Et cur ita tandem? *Neque enim Christus* (ait Caluinus) *qua facultate præditi sumus hoc loco disserit, sed quomodo nos ambulare deceat, vt scilicet in certum aliquem scopum simus intenti.* Non solum differit quomodo nos *ambulare deceat*, sed etiã quomodo nos ambulare oporteat, *Vide* (inquit) *ne lumẽ quod in te est, tenebræ fiant.* Præcipientis hæc vox est, & id docentis quod fieri oportet. Obseruandum hoc semper in more Caluino esse, vt Dei præcepta ad solam congruentiam restringat: quibus videlicet docetur quid fieri deceat, sed non iubetur, quod à nobis fieri potest ac debet. Deinde tametsi de facultate qua præditi sumus, Christus apertè non differit, tamen quum hoc ipsum ambulare vt decet, vel potius vt oportet, & in certum scopum actiones suas dirigere, facultatem huiusmodi C necessario presupponat ac requirat, qua liberè & cum electione id fiat (nisi etiam bruta quæ electione carent, aut ambulare vt decet, aut in certum aliquem scopum suas actiones dirigere, cõtra omnem humanam ac diuinam sapientiam dicere velit Caluinus) profecto Christus, qui effectum hic docuit, causam quoque huius effectus, fontem & originem designasse negari nõ debet. Imo addit Caluinus, *Humanæ vitæ cursum ideo tenebrosum esse docet Christus, quia nemo sibi rectum finem proponat, sed omnes sibi ad malum cupide sectandum indulgeant.* Si omnes ita facere, & neminem sibi rectum finem proponere Christus docet, quare duo membra Christus posuit, vnum eorum, quorum oculus simplex & totum corpus lucidum erat: alterum eorum, quorum oculus malus seu vitiosus & totum corpus tenebrosum? An non Christo disertè contradicit Caluinus, qui non nisi vnum membrum agnoscit, non nisi totum corpus tenebrosum, & nullum corpus lucidum, quia omnis oculus malus, & nullus simplex est? Sic videlicet Christi doctrinam Caluinus exposuit, vt Christo manifestè contradicat, vt vnam doctrinæ Christi partem de oculo simplici & toto corpore lucido, falsi arguat.

Liberum hominis arbitrium defenditur.

In Harm. Euang. ad Matt. c. 6. ver. 22.

Cal. Christo contradicit.

D Subiungit adhuc Caluinus, *Fateor quidem naturam ingenitam esse hominibus rationem, qua discernant inter vitia & virtutes: sed ita peccato vitiatam esse dico, vt ad singulos passus deficiat. Interea nõ sequitur, quin tenebras sibi sponte accersant homines.* Hæc ille. Cæterum si sic peccato vitiata est ratio, vt ad singulos passus deficiat, quare Christus sub conditione ponit, *Si oculus tuus malus est*, & non potius definitè ac generaliter affirmat, *quia oculus tuus malus est*, vel, *Quia oculi omnium hominum mali sunt?* Sanè generalis illa humanæ naturæ vitiatio quã Caluinus ponit, ex huiusmodi propositionibus aliquo modo consequi posse videretur. Nunc autem Christus sub conditione loquens satis innuit, nec omnium oculos malos ac corpora tenebrosa esse, nec quorum tales oculi sunt necessario sic esse, sed contingenter liberaque cuiusque electione. Quod magis confirmatur ex eo, quod Christus in hoc Euangelio adiecit, *Vide ergo, ne lumen quod in te est tenebræ sint.* Perspicuè enim docet in hominum potestate esse, vt rationis ingenitæ lumen à peccati tenebris coerceãt. Quod autem Caluinus humanæ rationi hoc tantum tribuit, vt discernat inter vitia & virtutes, & arbitrandi libertatem habeat, sponteque feratur in id, quod discernit faciẽdum, nihil adhuc amplius hominibus tribuit quam brutis, quæ & discernunt paruulos suos ab alienis, nota ac domestica ab extraneis, Dominos suos, habitacula sua, denique pascua bona à malis, sponteque circa hæc omnia, non coactè feruntur. Naturæ autem per peccatum corruptio, quod peccandi libertatem non auferat, vide prolixè disputatum in opere nostro de Iustificatione, libro 2.

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.

TRES THOMÆ

SEV

RES GESTÆ

S. THOMÆ Apoſtoli.

S. THOMÆ Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris.

THOMÆ Mori Angliæ quondam Cancellarij.

AVTHORE

THOMA STAPLETONO ANGLO
Sacræ Theologiæ Doctore.

Additis duobus Indicibus, altero Capitum, altero Rerum.

De tribus Thomis hoc libro descriptis: per Authorem.

Tres Thomas libro quartus describit in isto:
Sed quàm vox rebus, tam tribus ille minor.
Tres tamen hos quisquis gaudet cognoscere lector,
Fortè oportet quartum his esse tribus similem.
Quidni? Sed quartus magis his se optauerit esse
Nomine dissimilem, sed pietate parem:
Det nisi fortè bonum communis Nominis omen
Hos stimulos animo quos dederat calamo.
Id quoque lecturis optauerit omnibus, vt sint
Nomine fortè alio, sed pietate pari.

A

Summa rerum Capita quæ in hoc Libello continentur.

1. DE S. Thomæ Apostoli vita, rebus gestis ac morte, Oratio.
2. De S. Thomæ Cant. Archiepisc. & Martyris Martyrio, eiúsque vera causa & modo, Apologeticum.
3. D. Tho. Cant. Archiep. in exilio constituti ad omnes Episcopos Anglię Epistola Apologetica, in qua doctè, disertè, fortiter, exilij sui causam defendit.
4. Eiusdem ad Episcopum Couent. Epistolium.
5. Eiusdem ad amicum in vrbe Epistola.
6. Eiusdem ad quendam Anglię Episcopum Epistola.
7. Petri Blesensis Epistola consolatoria in exilio D. Thomæ. B
8. Eiusdem alia consolatoria super morte pretiosa D. Thomæ, quæ etiam eiusdem Sancti præclaras virtutes copiosè describit.
9. Extractum ex Epistola Henrici 2. Regis Anglorum ad Alexandrum 3. Papam circa rebellionem in regno factam post martyrium D. Thomæ.
10. Alexandri 3. Papę Epistola ad Capitulum Cant. exulante D. Thoma.
11. Henrici 2. Regis ad Alexandrum 3. Papam Epistola circa exilium D. Thomæ.
12. Episcoporum Prouinciæ Aquitaniæ & Normannię Epistola ad eundem circa idem.
13. Alexandri 3. Papæ Epistola ad Henricum 2. priori respondens.
14. Petri Cellensium Abbatis ad D. Thomam tunc Cancellarium Anglię Epistola.
15. Eiusdem ad eundem iam Archiepiscopum Cantuar. creatum Epistola.
16. Eiusdem ad eundem iam in exilio constitutum Epistola.
17. Petri de eleemosyna ad D. Thomam Cant. Archiepiscopum.
18. Transumpta & descripta ex archiuis celeberrimi Archimonasterij Dompni Martini, aliàs S. Iudoci in nemore dicti, prope Hesdinium in finibus Artesiæ, Ord. Præmonstr. de varijs & illustribus ad D. Tho. Cant. Archiepisc. & Martyris illic memoriam, certáque reliquias, miraculis. C
19. Carmen rythmicum, historicum, allegoricum & morale, de illustri martyrio D. Thomę Cantuar. incerto authore, sed ei contemporaneo.

Vita

Vita Thomæ Mori in hæc Capita distribuitur.

PROOEMIVM.

1. GENVS, *educatio, studia.*
2. *Adolescentiæ mores, studia, actiones.*
3. *Quę munera in Rep. gesit, & quomodo.*

B 4. *De multiplici eius eruditione, & laboribus litterarijs.*

5. *De doctis & claris viris quos multiplex Tho. Mori eruditio familiares ei fecit.*
6. *De pietate morum & vitæ sanctitate.*
7. *Quantus honorum & laudis propriæ contemptor fuerit.*
8. *Quàm fortis pecuniæ ac diuitiarum contemptor extiterit.*
9. *Qualis Paterfamilias fuerit.*
10. *Quomodo liberos ac nepotes suos educauerit.*
11. *De Margareta Ropera filia Thomæ Mori primogenita.*
12. *Apophthegmata, sapienter & piè dicta Tho. Mori.*
13. *Acutè & facetè dicta vel responsa.*
14. *Origo persecutionis & offensionis regiæ contra Tho. Morum.*
15. *De prima Thomæ Mori vexatione & examinatione.*
16. *De eius incarceratione, variáque illic tentatione.*
17. *De duplici eius in carcere examinatione.*

C 18. *De accusatione & condemnatione.*

19. *De ijs quæ condemnationem & beatam viri mortem intercesserunt.*
20. *De beata morte & Martyrio eius.*
21. *Doctorum virorum iudicia de nece Thomæ Mori.*


Clarorum & Doctorum virorum varia Epigrammata in laudem Thomæ Mori.

DE SANCTO THOMA APOSTOLO COLLECTANEVM,

IPSO DIE NATALIS EIVS

IN ACADEMIA DVACENSI PVBLICE

recitatum, Anno 1586.



ON absque singulari diuini Spiritus instinctu scriptum reliquit Apostolus Paulus: *Mementote Præpositorum vestrorũ qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*. In quibus verbis monet Apostolus vt Ecclesiæ magistros ac prælatos defunctos (hoc enim patet ex illis verbis, *quorum intuentes exitum*) in memoria habeamus, cum honore ac veneratione tantis magistris debita recolamus, ac demum *religiosa solennitate* (vt loquitur Aug.) *celebremus*: eo tamen potissimũ fine, *vt intuentes exitum conuersationis imitemur & fidem*: i. vt toto vitæ & conuersationis eorũ cursu perspecto, imitatores simus fidei & doctrinæ quam prædicauerũt, *in eadem fidei regula permaneamus*. Sic sanè edocta Ecclesia Catholica sanctorũ memorias (iuxta Pauli verba) ita celebrat, vt eorũ res gestæ, labores, vincula, tormenta, mors pro Christi nomine susceptæ diligenter populo exponãtur. At verò cùm in omnium sanè sanctorum festis studiosè istud exequatur, & omnium sanctorum vita, conuersatio, & conuersationis exitus, tanquam virtutũ specula, vel potius nobilissima trophæa proponantur; tum verò in sanctis Apostolis Christi Domini, primis Ecclesiarum magistris, adeóq; fundamentis fidei nostræ, quin studiosissimè ac religiosissimè id exequi debeat, nemini dubium esse potest: *Superædificati enim omnes sumus super fundamenta Apostolorum & Prophetarum*. Et Christus dedit Ecclesiæ suæ *primo Apostolos, deinde prophetas, &c.* quare *Apostolos Ecclesiarum gloriam Christi* merito nuncupat Paulus. Et denique quod de præpositis in genere hic Paulus dixit, idem de Apostolis disertius Petrus monet quũ ait, *Vt memores sitis eorum quæ prædixi verborum, & Apostolorum vestrorum*. Quũ igitur in hodiernam diem memoria nobilissima Apostoli D. Tho. incidat, etsi propter celebritatem Aduentus Dominici, officium eius in crastinũ differatur; quúmq; huius Dominicæ Euang. ea quæ ad S. Ioan. Bapt. pertinent rursum complectatur, nec aliud ferè contineat quam quod de præcursoris huius excellẽtia in duabus superioribus Dominicis iam diximus, quúmq; de hoc sanctissimo Apostolo, déque eius rebus gestis vix vllus (quod viderim) Homilia sta aliquid dixerit, imo vix quicquam de eius prædicatione ac laboribus sane maximis vulgo doctorum innotescat, ideóq; quasi inter Apostolos obscurus habeatur; ac postremò quia cognominem mihi Apostolũ vt præcipuè colo, ita libentissimè (vt ingenue fatear) prędico (ideo enim ab ipsis Eccles. cunabulis Apostolorũ nomina filijs suis Christiani parentes imposuerunt, teste Eusebio, *vt quorum nomina præferunt, eorum se & patrocinijs iuuari, & exemplis informari debere intelligant*) ad huius sanctissimi Apostoli laudem, ad Christi gloriam, & ad nostram instructionem, breue quoddã de huius Apostoli rebus gestis sane ampliss imis collectaneum, à me vndiq; vt potui cõquisitũ, in medium afferam: & qualis ac quantus hic S. Apostolus fuerit, quæ vita, quæ conuersatio, quis conuersationis exitus extiterit, diuino auxilio, & vestra patientia ac beneuolentia fretus exponam. S. Apostolus Tho. *qui & Didymus* i. qui interpretatur Didymus (sic enim D. Ioan. qui solus ex Euangelistis ita loquitur more suo nomẽ eius exponit) etsi ex tribus primis illis Apostolis qui *videbantur columnæ esse*, vt loquitur Paulus, non

Hebr. 13.

Cõt. Faust. li. 20. c. 21.

Philip. 3.

Ephes. 2. & 4.

2. Cor. 8.

2. Pet. 3.

Li. 7. c. 20. Hist. Eccl.

Ioan. 11.

2. Gal. 2.

erat, illis tamen proximus,& cæterorum post illos fere primus ac præcipuus quòd fuerit,nõ le- A
ue argumentum est; quòd ab Ecclesia Romana tum in Canone Missæ,tum in Litanijs publicis,
proximo post Ioannem & quinto semper loco ponatur. Certe eo tempore quo Christus Domi-
nus suũ in terris Vicarium & supremum Pastorem declarare voluit (quæ vtiq; declaratio nõ nisi
solemnis admodum & coram testibus grauissimis fieri debuit) cum tres tantum Apostoli & tres
discipuli quasi in præsentia Episcoporum & Sacerdotũ,illi declarationi interessent,ex illis trib.
Ioan. 21. Apostolis Thomas erat: vt non otiosè sed pertinenter commemorauit S. Ioannes. Zelum porrò
Amor erga Christum & studiũ discendi in S. Thoma. & amorem erga Christum singularem,discendi quoq; ardorem & studium vehemens in hoc S.
Apostolo fuisse (quę duo vel maximè discipulum commendant) Euang. Ioannis, qui plura de
Ioan. 11. hoc Apostolo quàm cæteri commemorat,& specialius erga eum affectus videtur,manifestũ fa-
cit. Hic enim S. Apost. quum Christo ad Lazarum resuscitandum in Iudæam iterum ire volẽte,
cæteri discipuli ei dicerent: *Rabbi,nunc quærebant te Iudæi lapidare,& iterum vadis illuc?* Hic inquam
solus Thomas pro singulari suo erga Christum amore,& quidem vt alter Petrus,ad cõdiscipu-
Amor erga Christum eximius. Lib. 7. c. 17 in Ioan. los suos dixit,*Eamus & nos & moriamur cum illo*,quasi diceret,Postquam Dominus ac magister no-
ster in certum se vitæ discrimen coniicere constitutum habet,quidni cum eo ad cõmune peri-
culum pergimus,vitam cum eo ac sanguinem profundere parati? Sic enim malo hæc S. Aposto-
li verba cum doctiss. Cyrillo Alexandrino,& cum V. Beda in hunc locum intelligere,quàm cum
quibusdam Græcis trepidationi & incredulitati illa deputare. Neq; enim trepidantis illa vox est
sed amantis; nec deterrentis sed adhortantis; nec deniq; increduli sed planè maximè confiden- B
tis. Vnde nec minimo verbo Christus eum reprehendit,sicuti Petrum simili confidentia loquẽ-
Matth. 26 tem grauiter corripuit. Sanè Theophylactus dũ nimis acriter ridiculam quandam Origenis ex-
In cõ. ibid. positionem super hæc verba taxat, ipse satis absurdam protulit; vt rectè annotauit Cornel. Iã-
Ioan. 10. senius. Atq; zeli quidem & amoris erga Christum ardentissimi in hoc S. Apostolo argumentum
hoc vnicum satis amplũ fuerit: *Maiorem enim Charitatem nemo habet quam vt animam suam ponat quis*
Studium discendi. *pro amicis suis*. Studium discendi & proficiendi desiderium in hoc optimo Christi discipulo, ille
locus ostendit,vbi altissimum passionis suæ ac postea ad patrem Ascensionis mysterium Christo
Ioan. 14. exponente,atq; inter cætera dicente,*Et quo ego vado scitis,& viam scitis*,prudentissimè & appositè
subiecit Thomas,*Domine nescimus quo vadis,& quomodo possumus viam scire*? Quid enim certius &
exploratius quam eum in via necessariò errare,qui quo eundem sit nesciat,aut ab eo viã neces-
sariò ignorari qui viæ terminum ac finem prorsus ignoret? Quare ad hanc interrogationem tan-
to discipulo dignam, nobilissimam & diuinissimam responsionem Christus Dominus dedit,sen-
tentiámq; subiecit qua vix in toto Euangelio, aut sensu diuinior,aut gustu suauior, aut fructu
Christus quomodo via veritas ac vita. fœcundior inuenitur: *Ego sum* (inquit) *via, veritas & vita*. Videte enim quàm multiplicem & iu-
cundum & diuinum sensum, ex hac breui sententia SS. Patres tanquam ex purissimo flore se-
dulæ apes elicuerint. Christus nobis *via est per vitæ actionem, veritas per fidei rectitudinẽ, vita per san-* C
ctificationis fontem; ait Cyril. *Est via sanctæ conuersationis, veritas doctrinæ diuinæ, vita beatitudinis sem-*
In Ioan. lib. 9. c. 33. *piternæ* ait Leo Magnus: *Est via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio*, ait S. Bernardus. Nempe
Serm. 2. de Resurr. sic Christus via est in qua per charitatem ambulamus, veritas cui per fidem adhæremus, vita ad
quã per spem attolli debemus. Est via incipientiũ purgans eos per odiũ peccati, veritas perficiẽ-
Serm. 2. de Ascen. tium illuminans eos per exempla virtutũ: vita perfectorum vniens eos per puri amoris affectũ:
Tract. 69. in Ioan. *Rursum est via secundùm humanam naturam in qua ad nos venit & in qua ad patrem redyt. Veritas & vita*
In li. de essentia patris & filij. *est secundum diuinitatem*, ait Augustinus. Adhuc aliter Hilarius: *Nec ducit per erratica quia est via, nec*
illudit per falsa quia est veritas, nec in mortis relinquit horrore quia est vita. Si via duce alio non indigetis. Si
Hom. 72. in Ioan. *veritas, non loquor falsa, si vita, etiam morientes ad me venietis*. Hæc ille. Nec multum ab his diuersè
S. Chrysostomus: *Sum via quia per me venietis; sum veritas quia sine dubio hæc erunt quæ dixi. Sum vita*
quia neque ipsa mors prohibere poterit quo minus ad me perueniatis. Hæc ille. Iuxta hęc ergo pauca sed
diuinissima verba,quæ à S. Thoma oportunissimè mota quæstio nobis peperit, didicimus quod
Christus nobis est mediator, magister, exemplum: in quem credere,quem cognoscere, secun-
Prouer. 15. dum quem operari debemus. Adeo verum est quod dicit Scriptura: *Cor sapientis quærit doctrinam,*
& labia sapientum disseminabunt scientiam. Ex huius enim Sapientis interrogationis paruo semine
quanta scientiæ seges pullulauerit, ex parte iam audiuistis. At dicet quispiam; iste solus inter D
Ioan. 20. omnes Apostolos incredulus post resurrectionem fuit: Iste solus alijs credentibus credere no-
luit: *Nisi videro* (inquit) *in manibus eius fixuram clauorum,& mittam digitum meum in locum clauorum,*
De D. Th. incredulitate. *& mittam manum meam in latus eius non credam*. Quomodo ergo tam incredulum Apostolum, &
duri cordis discipulum, quasi vnum ex primis & præcipuis Apostolis, & nescio quid singulare
præ cæteris habentem prædicare audes? Iam enim vix Apostoli, imo vix discipuli nomen me-
retur, qui nec tam crebris magistri prædictionibus, nec tam constanti condiscipulorum testi-
monio acquiescere voluit. Ego vero, Auditores, etsi hæc sanctissimi Thomæ verba & ratione
& authoritate varia satis probabiliter defendere, & ab omni reprehensione liberare possem,
Lib. 10. in Lucam. etsi cum sancto Ambrosio, *non de Christi Resurrectione, sed de Resurrectionis qualitate eum dubitasse*; et-
Serm. 161. de temp. si cum sancto Augustino *eum hæc omnia dixisse, non quod ipse aliquid dubitaret, sed vt omnem suspicio-*
Serm. 156. de tem. *nem incredulitatis aliorum excluderet*, & rursum quod verba ista, *inquirentis erant non negantis,*
quia doceri voluit, confirmari desideranit: ideoque quod Domini responsum benignum & moderatum in A-
postolo suo non dubitationis vitium, sed solicitudinis instruxit affectum; vt idem ait Sanctus Augustinus,

etsi

A etsi *nimium amantis non ambigentis affectu* eum ista protulisse vt Simeon Metaphrastes exponit, etsi *verba illa desiderij non incredulitatis fuisse* cum Gaudentio Episcopo Brixiano, etsi denique cum Græcorum Doctissimo Cyrillo Alexandrino *eum vt sapientissimum Saluatoris discipulum temere credere quod adeo omnem rationem excedebat noluisse, nec ex infidelitate sed summo animi mœrore perturbatum eum ista dixisse, quia videlicet Dominum non viderat, nec an eum in hac vita amplius visurus esset, sciret,* affirmare possem; ne tamen quicquam affectibus dare videar, aut D. Chrysostomo alijsq; Græcis contradicere, qui satis asperè hæc Sancti Apostoli verba exagitant, dabimus incredulum eum ad momentum temporis fuisse; nimium suo vel amori, vel mœrori indulsisse; ac denique non ea qua Apostolum decuit fide & constantia, Domini sui resurrectionem accepisse. Cæterum hunc modici temporis lapsum, qualis posteà confessio ipsius, quanta vtilitas nostra compensauerit, attendite. Confessio certè talis tam diserta, tam nobilis consecuta est, qualem in Euangelio præterea non legimus: *Dominus meus* (inquit) *& Deus meus.* O nobilissimam! ô sinceriſſimam! ô Thomæ Apostolo dignam confessionem! Et Dominum dicit & Deum, & Dominum suum, ac Deum suum: & Dominum secundum humanitatem glorificatam (*Dominum enim & Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis*, ait Iudæis Petrus) & Deum quia Patri æqualis est. Hæc vt plenissima ita & apertissima fuit S. Thomæ confessio. Quid enim ô Thoma vidisti vt sic exclamares? cicatrices vulnerum Deum probant? aut mortuus resurgens Deus continuo erit? At Lazarum antea resuscitatum vidisti. Sed non quod vidit adorauit, *Aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, Deum credidit,* ait Sanctus Augustinus. Sed ex hac nobilissima cõfessione quanta fidei nostræ documenta doctissimus Cyrillus Alexandrinus eliciat, ex eius verbis audiamus: *Rectè* (inquit) *D. Thomas statim clamauit, Dominus meus, & Deus meus. Nam qui Dominus omnium natura est & Deus, hunc Deum quoque verum esse necesse est: & contra. Cum articulo autem dicitur vtrumque* (ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου) *ne quis nostra vel Angelorum similitudine, sed singulariter ipsum Dominum & ipsum Deum dici existimet. Sed & hæc dicentem discipulum non increpat Saluator, neque repellit, sed laudat & complectitur. Patet igitur quia non aliter quam Thomas confessus est, nos quoque confiteri Dominus vult. Illud etiam animaduerte; quia discipulus qui pedes & latus palpauit, ita eum confessus est, vt in duos filios partitus non sit. Vnum enim & eundem Dominum Iesum Christum cognouit cum carne.* Hęc Cyrillus. At talis quidem eius confessio fuit qua vna & Ariani & Marcionitæ, & Manichæi, & Nestoriani hæretici confossi iacent. Vtilitas porro & hæc maxima consecuta est, quod veritas resurrectionis Domini nostri (quo vno articulo nullus vel magis ad salutem necessarius vel ad spẽ & consolationem nostram accommodatior est) ex hac D. Thomæ dubitatione, planè nobis indubitata & inuictè roborata est: *Ego* (ait Sanctus Cyrillus) *per dispensationem puto permissum fuisse Thomam ad infidelitatis crimen incidere, vt nos per exquisitam fidem ipsius carnem Christi, quæ in cruce pependit, in vitam reuocatam fuisse credamus. Discimus ergo ex hac Thomæ dubitatione resurrectionis mysterium in hoc corpore nostro peragendum, & in Christo primo iam peractum fuisse: nec per apparentiam, aut per spirituale quoddam corpus, id est, aëreum ac tenue & aliud à carne. Ideo enim non simpliciter videre Dominum cupit Thomas, sed clauorum signa quærit & fixuras quæ in carne fuerant. Sic enim ille discit & nos docet quod verè Christus reuixerit.* Hæc Cyrillus. Idem & Leo magnus obseruauit. Ait enim, *ideo Christum vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimæ passionis signa Thomæ monstrasse, vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæque naturæ indiuidua permanere.* Hæc ille. Et alibi (vt citat S. Thom.) *sufficit Thomæ ad propriam fidem vidisse quod viderat*: Sed *nobis operatus est vt tangeret quem videbat.* Nec dissimiliter Sanctus Augustinus: *Quam bona ignorantia quæ erudiuit ignaros, quæ instruxit incredulos! Quam bona incredulitas quæ omnium sæculorum fidei militauit!* Sed omnium pulcherrimè S. Gregorius: *Nunquid casu gestum creditis, vt electus ille discipulus Thomas Domino veniente deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu sed diuina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitãs dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem quam fides discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.* Hæc ille. Nihil ergo hæc D. Thomæ vel dubitatio vel infirmitas vel perturbatio, vel etiam (si vultis) incredulitas eius iustissimis laudibus detrahet, nihil eius in Christum amorem, obseruantiam, fidem imminuet; quam & tam celebris ac nobilis cõfessio statim reparauit, & tanta fidei omnium nostrum tamque valida confirmatio consecuta fuit: *Tunc enim manus Thomæ ac digiti myrrham stillauerunt gentibus, cum omnium certissimè prædicare potuit, quod ipse ob aliorum vtilitatem dubitando palparat ac senserat,* vt egregie scripsit Philo Carpathij Episcopus in commentar. in Cantic. ad illa verba: *Surrexi vt aperirem fratri meo. Manus meæ stillauerunt myrrham.* Quam opinor ob causam à Catechistis doctioribus, Articulus ille Symboli Apostolici, *Surrexit à mortuis*, D. Thomæ tribuitur, quod & Sanctus Augustinus disertè testatur.

Sed nunc qualis post Christi Domini Ascensionem & post acceptum Spiritum sanctum, id est, qualis Apostolus fuerit, dispiciamus. Non enim discipulum Thomam & suas adhuc infirmitates circumgestantem (quibus nullus Apostolorum caruit) sed Apostolum Thomam nos prædicamus, & Ecclesia celebrat. Quanto vel D. Thomas, vel alij Apostoli, ante acceptum Spiritum sanctum infirmi, increduli, timidi & ignaui magis fuerunt, tanto est Christi gloria maior qui huiusmodi quasi peripsemata ac purgamenta mundi, piscatores, rudes, ignaros homines, ita

In vita S. Thomæ.
In tract. de dicat. Cõc.
In Ioan. l. 12. c. 57.
In com. ad hunc locũ.
Confessio D. Thomæ Ioan. 20.
Act. 2.
Li. 12. c. 59. in Ioan.
Confessionis D. Thomæ vtilitas.
Vbi supra c. 57.
Incredulitatis D. Thomæ fructus.
Serm. 1. de Resurrect.
3 p. q. 54. ar. 4. ad 2.
Ser. 156. de tem.
Hom. 26. in Euang.
In c. 5. Cã. Cant. 5.
Claud. Viexmõt. in suo Catechis.
Sixt. Sen. Biblioth. S. l. 2. Serm. Discipuli.
Serm. 6. de S. Thomã.
Serm. de tem. 115.

lauare, radere, & perpolire, ita cœlesti doctrina instruere, ita diuini spiritus igne inflammare, & actuosos efficere potuit, vt non solum ipsi tanquam cortices pomorum saccaro & melle conditi, optima essent condimenta ac diuinis virtutibus affluenter ornati; sed etiam sal terræ essent ad condiendos totius orbis populos. Ille enim demum summus artifex est, qui ex vilissima quauis materia, excellens tamen artis suæ opus producere valet. Nunc ergo signa Apostolatus eius videamus. Hæc sane tanta fuerunt vt *hic solus Apost. vniuersum orbē terrarum percurrerit*, vt ex Chrysologo affirmat Siluester in rosa aurea, nósque iam, fauente Deo, maxima ex parte, ex bonis authoribus ostendemus. Ac primum quidem statim post Domini nostri Ascensionem & acceptum Spiritumsanctum, Diuus hic Apostolus in Orientem profectus est, & *tres illos magos, qui Christum in præsepio adorauerant baptizauit, eosdémque prædicationis suæ socios ac adiutores fecit.* Scribit hoc antiquum Calendarium vt citat Hector Pintus dialogorum par. 2. Petrus quoque de Natalibus in fine Homiliæ de Epiphania. Sed & Ioannes Eckius in parua descriptione vitæ S. Thomæ quam ponit post Homiliam 2. inter Homilias de sanctis per annum. Sed ante hos omnes hoc affirmat Sanctus Chrysostomus in opere imperfecto super Matth. hoc nempe illud est quod tum Dorotheus Tyrius antiquissimus scriptor & ante Nicænum Conc. 1. in sua Synopsi de vitis Prophetarum & Apostolorum, & post eum adeóque ex eo Sanctus Hieronymus in suo Catalogo virorum illustrium affirmant Diu. Thomam: *Magis Euangelium prædicasse.* Eodem fere tempore hic idem Apostolus Thomas Thaddæum vnum ex 70. discipulis ad Abagarum Regem Edessenorum misit qui ei iuxta Christi ad eum per litteras promissum Euangelium prædicaret. Testes locupletissimi sunt Eusebius Pamphil. histor. Ecclesiast. lib. 1. cap. 13. & Niceph. lib. 2. cap. 7. Hinc Esseni D. Tho. maximè semper coluerunt; & illustre ibi templum D. Thomæ dicatum Socrates & Sozomen. testãtur. Hinc forte antiquitus creditũ est in Edessam corpus D. Thomæ relatum fuisse, vt Ruffinus, & Martyrologia affirmant: nisi mauis dicere non corpus sed aliquam corporis particulam eò delatam fuisse. Nam in India corpus eius adhuc haberi, multis mox argumentis ostendetur. Sed primæ tantum ac rudes velitationes laborum Apostolicorum hæ erant, præ immensis illis & pene incredibilibus, quos per omnes fere mundi plagas hic sanctissimus Apostolus postea exantlauit. Istis enim perfunctis primitiis ad septentrionales mundi partes se conuertit, & Germanis teste Dorotheo in Synopsi, quos Carmanos Hieronymus in Catalogo vocat, fidem prædicauit. Idem affirmat Sophronius; addens quod & Scythis quoque Euangelium prædicauit, vt ex eo citat Ioannes Auentinus Annalium libro secundo. Huic autem suffragatur & illud, esse adhuc in Germania vetustissimas Ecclesias, Vltraiecti ad Rhenum, Argentinæ, & alibi, D. Thomæ tanquam gentis Apostolo dicatas, vt obseruauit vir doctissimus Ioann. Ledesmus in libello de officijs vernaculè non legendis. Sanè Guilhelmus Lindanus vir vndequaque doctissimus in præfatione exhortationis suæ ad Hollandos demonstrat Diuum Thomam fuisse Apostolum Germanorum. Quid quod & in vltima Septẽtrionali regione, sub ipso fere polo Arctico, visuntur adhuc Ecclesiæ D. Thomæ Apostolo sacratæ, vt ipsæ mundi chartæ nobis demonstrant? Non debet ergo hac iusta & vera laude fraudari sanctissimus hic Apostolus, quin & Germanorum quoque Apostolus verè (quod erat) celebretur. Postquam in Septentrionem exiuerat huius Beati Apostoli sonus, iam in meridiem & Orientem longè latéque se diffundere voluit, & ad ipsam vsque Æthiopiam in vltimis ferè Africæ finibus constitutam permeare. Sed antequam eò pertingeret, plurimis circumquaque gentibus Euangelium salutis annunciauit, Parthis, Medis, ac Persis, Hircanis quoque & Bactris, vt certissimi testes sunt dictus iam Dorothæus in Synopsi, Hieronymus in Catalogo, & Sophronius, Eusebius, & Nicephorus in histor. Ecclesiast. Alij (inter quos est Iacobus Nauarcha in Epistola Asiatica) prius in Æthiopiam, posteáque in has alias gentes eum prædicandi causa commigrasse volunt. Vtvt sit, quo ordine ad tot gentes peruenerit, certissimè ex historiis constat ad omnes has gentes hunc Apostolum docendi causa peruenisse, & in eis docuisse. Quod in Æthiopiam delatus Abesinos docuerit qui nunc magno illi Preteianni subiiciuntur, & in hunc vsque diem fidem à S. Thoma acceptam retinent, præter manifestum Nicephori testimonium loco citato, ipsimet Abesini vsque hodie testantur, qui hunc S. Apostolum præ omnibus alijs sanctis (sola B. Virgine excepta) tanquam primum & proprium suæ gentis Apostolum, deuotissimè colunt, vt scribit Hieronymus Giglo Italus & post eum Antonius du Verdier in sua sylua variæ lectionis quam Petro Messiæ adiunxit. Sed & Chrysost. Homil. in 12. Apostolos, *Thomas* (inquit) *baptizauit Æthiopes*. Nempe Abesini sunt qui hodie Cophti vocantur, siue Christiani circuncisi & discipuli D. Thomæ nuncupantur, quos se inter alias Christianorum sectas, Romæos, Francos, Nestorianos, Iacobitas, Maronitas, Armenos, Hierosolymis vidisse ante annos circiter 50. scribit Petrus Belonius in suis obseruationibus. Cophtos enim nostri appellant qui alias Ægophti, vel Ægypti vocantur, vt notauit Andræas Masius in præfat. in librum Moysis bar Cepha de Paradiso, quod ex Syriaca lingua in Latinum vertit. Porro quàm Cophti isti ad Abesinos, atque Æthiopas pertineant, idem Masius in alia eiusdem operis præfatione commemorat. Sed quia de varia D. Thomæ Apostoli peregrinatione longe sane maxima, quædam studiosè collegit Iacobus Nauarcha supra allegatus, eius hic verba proferam, ne meis verbis aliquid præter veritatem proferre videar: *S. Tho.* (inquit) *in Æthiopiam delatus, Abesinos docuisse*

A

B

C

D

D. Thom. totum orbē percurrit.
Sil. Dom. 1 post Pasch.
Pintus p. 2 Dial. 4. cap. 21.
Petr. de Natal.
Ioan. Eckius.
S. Chrysost hom. 2. in Matth.
Dorothæus Tyrius.
D. Hieron.
Euseb.
Niceph.
Soc. l. 4. c. 14.
Sozom. l. 6 cap. 18.
Ruffinus lib. 2. c. 5.
Beda, Ado
Vsuardus.
Ioan. Auentinus.
Ledesim. cap. 7.
Lindanus.
D. Tho. Germanorum Apost.
Parthis, Medis, Persis, Hircanis, Bactris prædicauit
Lib. 3. c. 1.
Lib. 2. c. 40
D. Thom. Æthiopum Abessynorum Apostolus.
Anton. du Verdier, lib. 2. c. 1.
Petrus Belon. lib. 2. c. 85.
Andreas Masius.
Iacobus Nauarcha in Epist. Asiatica.

A *docuisse legitur. Inde in Zocotoram insulam ad Æthiopiæ promontorium, quod modo Guarda fumi nominant, non adeo procul à freto maris rubri positum traiecit, vbi & templum in ipsius memoriam extructum etiam hodie visitur: & insulani narrant suos maiores doctrinam fidei ab hoc Apostolo accepisse, vt late in Epistola sua anno 1555. P. Gonsalaus Rodoricus qui in Zocotora fuit, scribit. Hinc rectà in Persidem nauigasse videtur: inde in vicinam Mediam & Parthiam; quibus in locis omnibus ipsum verbum Dei proposuisse tenetur*, Eusebius in Historia Ecclesiast. ex Origen. tom. 3. explicat. in Genes. *Deinde per Hircaniam, Bactrianos & Sacos in Indiam Orientalem penetrasse affirmant Hieronymus in Epistola ad Marcellam, Metaphrastes in vita Thomæ, Isidorus de patribus noui Testamenti*, item Abdias: *peruenisséque vsque in Scythiam extra Imaum positam & Cataiam, & regnum Mangiæ* siue Sinarum populos *vsque ad Oceanum peruagatum esse crediderim*. Hæc Nauarchus. Certè Nicephorus scribit quod *in vniuersa extremi Orientis ora & ad vltimum Oceanum apud Insulam quoque Taprobanam gentemque Brachmanam (templis maximis exædificatis) verbum salutis prædicauerit*. His consonat quod F. Ioannes Gonzales de Mendoza Augustinianus, pœnitentiarius Apostol. in historia sua de Repub. Sinarum anno 1586. Barcælonæ edita scribit libro secundo, capite primo, multa hodie apud Sinas religionis Christianæ monimenta reperta esse à D. Thoma apud illos populos prædicatæ. In India autem pro-

B priè sic dicta iuxta Indum fluuium, D. Thomam Euangelium propagasse omnes ad vnum authores contestantur: Dorothæus Tyrius, Hieronymus, Sophronius, Eusebius, Nicephorus, Abdias, Isidorus locis citatis. Quibus adde Nazianzenum Gregorium in oratione ad Arianos, Gregorium Magnum Homil. 17. in Euangelia, Damascenum in vita Barlaam & Iosaphat, Metaphrastem in vita Thomæ, Gaudentium Episcopum Brixiensem in tractatu de dedicatione Ecclesiæ. Chronicon Viterbiense part. 14. Vincentiũ Bellouacensem in speculo historiali, Stephanum Cyprium in Basilico phylactirio, & Ioachimum Perionium in vitis Apostolorum. Operæprecium autem hoc loco fuerit eximia quædam in hoc Apostolo sanctitatis argumenta, quæ nostro iam tempore apud Indos Diui Thomæ Christianos animaduersa fuerunt, in medium adferre. Totius Indiæ propriè sic dictæ (quæ nunc Cambaia dicitur) Regnum vastissimum & maximum est Narsinga; ad huius regni ditiones pertinet prouincia Chiromandel cuius modica nunc ciuitas est, Malepur dicta. *In hoc oppidulo*, vt in suis litteris scribit P. Gaspar, *ad hunc vsque diem corpus Beati Apostoli Thomæ asseruari incolæ etiam ante nostra tempora Christiani asseuerant. Cuius etiam rei argumenta non obscura adferunt. In sepulchro Beati Apostoli inuentum corpus satis amplum, ac procerum suauissimum de se odorem spargit, quod & magna in hodiernum vsque diem in veneratione ab*

C *omnibus colitur, tam Christianis, quam etiam Gentilibus & Mahometanis: qui etiam eò deuotionis causa peregrinantur*, vt scribit ex Marco Veneto Nauarchus, *Hoc Apostoli sepulchrum* (vt addit Gaspar) *in rupe excisum est, in quo & sanguineas cernere est maculas, & crucem in eo exsculptam. Sunt etiam in eodem sepulchro æneæ tabulæ in quibus scriptum erat, Regem illius loci D. Tho. certam telluris dimensionem ad templũ extruendum donasse*, vt meminit Osorius: *Sed & huic sepulchro fidem faciebat ciuitatis præfectus lignum nobis ostendens* (ait P. Gaspar) *incredibilis magnitudinis, (quod Apostolus dum viueret è longinquis regionibus ad locum in quo palatium Regis extruendum erat* (Archio vocant) *mari miraculosè aduexisse ferunt; cuius ligni ea est vastitas, vt ne boum quidem copiosa multitudo id loco mouere queat*. Hæc in dicta Epistola P. Gaspar. Vnde colligere licet non esse penitus fabulam de D. Tho. ex Iudæa in Indiam missо, vt sub specie Architecti quem Rex quærebat, Euangelium illic annunciaret, sed rem vere gestam fuisse sicuti à permultis authoribus illa refertur: ab Abdia in S. Thoma, à Vincẽtio Bellouacensi loco citato, à Perionio, à Simeone Metaphraste, & ab omnibus ferè illis qui de D. Tho. scripserunt. Etsi enim veræ historiæ multa forte fabulosa & falsa postea admixta fuerint, vnde & Athanasius in Synopsi Circuitiones & Itinerarium D. Thomæ Apostoli (librum sic dictum) pro apocrypho repudiauit, & Augustinus similiter contra Faustum, tamen

D hunc S. Apostolum in India sub specie extruendi palatij ad regis notitiam Euangelium attulisse, ex authoribus iam citatis manifestissime constat; quæque Abdias & alij authores citati de rebus in India ab Apostolo gestis commemorant, satis vera esse probabiliter affirmari potest. Maximè cum Abdias ipse Itinerarium prædictum non omni ex parte probauerit, sed (vt ait) *superuacaneis omissis ea memorauerit quæ fide certa constant*. Huc accedit quod Beatus Clemens qui post Petrum Sedem Romanam rexit, Epistolam ab hoc Beato Apostolo Thoma de rebus à se in Parthia, Media, Perside, & India visis accepisse se memorat. Sed nunc ad D. Thomæ in India monimenta redeamus. In cruce illa quam in sepulchro D. Thomæ inuentam diximus, hæc verba insculpta erant: *Thomam diuinum virum fuisse, à Dei Filio, cuius erat discipulus, in eas oras Regis Sagami tempore missum, qui Dei notitiam illas gentes doceret: Ibique templum extruxisse, & res admirabiles effecisse, ac tandem cum genibus flexis ad crucem illam oraret, à quodam Brachmanno fuisse hasta transfixum. Crucem vero eiusdem sanctissimi viri cruore tinctam, ad memoriam illius viri sempiternam relictam fuisse.* Hæc Osorius. Est in Malauaria (in qua Calecutiæ regnum situm est) genus quoddam hominum qui ab ijs qui Sanctum Thomam occiderunt originem ducere dicuntur. De his scribit Marcus Venetus, qui illa loca omnia ante Lusitanorum illuc aduentum oculis perlustrauerat, *fieri non posse, vt eorum quispiam etiamsi à decem trahatur in templum ciuitatis Malapur* (vbi Beati Apostoli corpus vti diximus sepultum iacet) *inferatur. Confluunt eò non solùm Christiani, sed & Sarracẽni sancti opem implorantes, auferuntque secum puluerem loci qui rubricat vbi fuit Martyrio affectus; qui etiam varios morbos depellit*. Hæc Marcus. Cui rei consonum est quod scribit Simeõ Metaphrastes

Lib. 3. c. 18.

Isidorus de vita & obitu sanct. cap. 76.

Lib. 2. c. 4.

Li. 10. c. 6. Cap. 7.

Monimẽta apostolatus D. Thomæ.

Ex Goa ann. 1553. Sepulchrũ D. Thomæ.

Rerum Lusitan. lib. 3.

Lib. 12.

Osorius l. 8

Marcus Venetus in Rebus Asiaticis.

Gentiles Indi D. Tho. venerantur.

ex puluere loci vbi interfectus erat Apostolus, regis filium sanatum fuisse. Sed & illud quoque præclarum est & memoria dignum quod anno 1288. eodem loco contigisse scribit Marcus Venetus: *Princeps loci cum non sufficerent horrea, iussit orizam (qua fere sola vtuntur) in Xenodochium templi, ad peregrinos locum visitantes hospitio excipiendos extructum, inferri. Apparuit homini in somnis Diuus Thomas, minitans cum perituru nisi Xenodochium veteri vsui restitueret. Perterritus Princeps, & imperata facit, & publicè quod acciderat narrat.* Hæc ille. Denique tanta fuit Diui Thomæ apud populos illos etiam gentiles veneratio, vt (quemadmodum scribit Osorius, de rebus Gestis Lusitanorum) *in ciuitate Cranganor vrbe opulentissima Regi Calecutiensi fœderata indigenæ Gentiles in Diui Thomæ honorem diem festum quotannis agerent Calend. Iulij.* Neque verò illud hoc loco prætereundum, quod ex Edoardo Barbossa Lusitano scribit Belleforestius, in sua Cosmographia. Non longè à Caulano oppido (distat autem illud non adeo multum à Calecutio in tractu illo pulcherrimo qui Sinum Arabicum ab occasu solis respicit) in promontorio quodam admodum in mare protenso, arduo & sublimi, ingens quoddam & pulcherrimum videtur templum in D. Thomæ honorem extructum, idque ab ipso B. Martyrij eius tempore in memoriam recentis miraculi, quod illius loci Christiani adhuc in suis archiuis scriptum retinent, estque huiusmodi. Concionante ad populum B. Thoma, visa est in mari proximo ingens trabs lignea ad terram appellere. Rex loci illam & magnitudine & pulchritudine insignem videns, iussit in terram exponi, missis ad hunc finem multis, tum viris tum elephantis qui illam abducerent. Sed illis frustra hoc conantibus, Rex ipse ad ripam accedit vt sua præsentia suorum animos ac labores magis incenderet. Atqui quum nec ita quicquam succederet, Regisque desiderium magis accresceret, D. Thomas Regem adit, trabémque illam in terram sese eductum pollicetur, si vicissim Rex tantum ei telluris concedat, quantum extruendo templo sufficeret in honorem summi Dei (inquit) qui fecit cœlum & terram, quique me huc misit. Rex pauperem illum & abiectum videns; quomodo (inquit) huic operi par esse poteris & solus, & pauper, & tantis laboribus penè exhaustus? Illo respondente se in virtute Dei quem prædicabat id facturum: (Deus enim, inquit, meus omnes tuas & tuorũ vires superat,) Rex confestim quantum telluris petebat mensurari & consignari fecit. Móxq; vir Sanctus ad trabem accedens cingulo trabem alligans ad terram tempIiq; locum facillimè eduxit, non absque omnium stupore. Templo autem consummato Rex certos ei reditus ex pipere illius loci (quod est in agro Coulamensi vberrimum) in perpetuum concessit: quo etiam reditu ad hunc vsque diem Christiani veteres eius loci gaudent. Hæc ex Barbossa Lusitano scriptore Belleforestius.

Lib. 3.

Tom. 2. lib. cap. 21.

Trabs hæc illud lignũ esse videtur de quo sup. ex epist. P. Gaspar.

Illud verò quod nunc referam pene fidem superaret, nisi & multi & graues essent eius rei authores. Ioannes Patriarcha Indorum ann. salutis 1120. Romam peregrinationis causa veniens Calixto secundo Romano tunc Pontifici (Cardinalibus alijsque præsulibus præsentibus) in consistorio publicè declarauit Sanctum Thomam Apostolum omni anno communicare populum suum (vtor Authorum verbis) manu propria porrecta dignis, & retracta ab indignis. Huius rei authores ac testes habeo primum Helinandum Monachum frigidi montis in Chronica mundi quam ab initio vsque ad tempus suum maximo volumine per libros 48. digessit, vt scribit Antoninus par. 3. tit. 18. capite 5. ex Vincentio Belouacensi in speculo historiali libro 30. capite 108. & Gesnerus in sua Bibliotheca. Hoc autem ex Helinando citat Discipulus ille cuius sermones circumferuntur, sermone 6. de S. Thoma, & Dionysius Carthusianus sermone 3. de S. Thoma. Nauclerus quoque eandem historiam refert Generat. 38. Neque verò cuiquam hoc magis absurdum, vel mirandum videri debet quam quod de Sancto Chrysostomo scribit Nicephorus, corpus eius à Theodosio iuniore (cuius pater Arcadius eum in exilium egerat) Constantinopolim translatum, quum in Cathedra Episcopali situm esset, alta voce dixisse, *Pax vobis*: vel etiam quòd Deus per os asinæ Balaam loqui non est grauatus. Quãtò enim magis per corpora mortua Sanctorum suorũ vel loquetur, vel iudicia sua exercebit? Multa alia priscæ venerationis testimonia qua remotissimæ illæ gentes à multis iam sæculis D. Thomam colebãt adferri possent, sed ne sim æquo prolixior, illis prætermissis vnum recentissimæ memoriæ nõ tam miraculum quam diuinum planè sanctitatis in hoc Apostolo, & nobilissimum testimonium, etiam frequenter ostensum hoc loco afferam. Scribit Hieronymus Osorius de rebus gestis Lusitanorum libro tertio: *Crucem illam* quam in D. Thomæ sepulchro inuentam superius diximus, *in templum quoddam ad honorem D. Thomæ à Lusitanis Christianis in Malapur extructum illatam, & super altare ipsum collocatam fuisse, simulque institutum vt quotannis octo diebus ante Natalem Christi, res illic diuina fieret, & Christiani eò conuenirent. Hoc autem dum fieri cœpisset anno 1561. & iam octauo ante Domini Natalem die Euangelium de misso ad Virginem Angelo in missa legeretur; ecce tibi repente crux tota in nigrum colorem vertebatur: ita tamen vt splenderet, ac si oleo fuisset delibuta: simúlque instar roris guttæ liquidæ defluere cœperunt, quæ paulatim grandiores factæ, totam crucem humore largissimo compleuerunt. Cum autem Sacerdos re diuina peracta linteis Sacris crucem extersisset, lintea maculis sanguineis tincta reperta sunt. Hoc quotannis illic fieri, nec alio die, quam iam dicto, nec alio tempore quam cum Euangelium præditum recitatur, per Episcopum Cochinensem ad Regem Lusitaniæ cum publico ciuitatis testimonio perscriptum esse* scribit Osorius. Atque hæc quidem ad huius sanctissimi Apostoli ingentem gloriam, & ad laborum quos in ea orbis parte incredibiles suscepit, celeberrimum testimonium,

Helinãdus

Discipulus Dionysius Carthusianus.

Nauclerus Nicephor. Hist. Eccl. li. 14. c. 43.

Num. 22.

Crux D. Tho. sanguine aspersa.

placuit

A placuit diuinæ bonitati in fine hoc sæculorum exhibere. Ecce enim *adhuc Abel loquitur*, adhuc sanguis Thomæ clamat vindictam de malis, misericordiam bonis, sibi vero honorem & gloriam sempiternam. Alexander vsque ad Indos Imperium dilatauit. Traianus Persas & Scythas domuit. Antoninus de Germanis triumphauit. Sed horum omnium sepulchra vel nesciuntur, vel non coluntur, vel absque miraculis. D. Thomæ piscatoris sepulchrum & cognoscitur & colitur, & miraculis illustratur, nec solum à suis sed etiam ab alienis. Quantam autem & quam infinitam multitudinem in toto illo orientalis mundi amplissimo tractu ad Christum conuerterit, quàm innumera miracula fecerit, id est, beneficia surdis, cæcis, mutis, claudis, ægris, mortuis contulerit, quanta apud eos sanctitatis opinione vixerit, (adeo vt hodie vsque Indi etiam infideles D. Thomam sua vernacula lingua *Auariiam vocent, id est, virum Sanctum*) viuentem vero eum pro Deo colere aliquando voluerint, & effectum dedissent nisi vehementi quadam oratione eorum institutum & animos fregisset; quot reges baptizauerit, & regum proles ad Sanctæ Virginitatis institutum adduxerit, inter cęteras Pelagiam regis filiam quæ Andronopoli sepulta in monimento illi impositio, *Thomæ Apostoli filia* nuncupatur, apud Abdiam, Perionium, Vincentiũ Beluacensem, Simeonem Metaphrastem, Stephanum Cyprium, locis iam citatis legi potest. Penè prætermiseram quod non solum in toto hoc orbe cognito ad extremos vsque Garamantas & Indos laboriosissimus hic Apostolus, & vt verè eum Nicephorus vocat, *vehementiss. Christi amator* fidem propagandi causa penetrauerit, sed etiam quod in America ipsa & nouo illo occidentali orbe, Euangelium prędicauerit. Sic enim hac de re rescripsit ex Brasilia citeriori Americæ parte ann. Domini 1552. R. P. Emanuel Nobrega, *Habent*, inquit, *incolæ S. Thomæ notitiam quẽ Zome nuncupant* (mutãdo θ in Z. dialecto propria) *eumque hac iter feciſſe à maioribus acceperunt, & vestigia Apostolica etiamnum cerni prope quendam fluuium affirmant: quod vt certius cognoscerem, ipse ab ij, & propriis oculis inspexi quatuor pedum & digitorum satis alte impressa vestigia, quæ nonnunquam aqua excrescens cooperit. Ferunt autem ea relicta dum D. Thomas persecutores ipsum configere volentes fugeret, flumenque diuisum fuisse, per cuius medium ad vlteriorem ripam sicco pede profectus in Indiam abiit.* Pari modo narrant *sagittas quibus ipsum petebant in sagittarios reflexas, siluasque per quas gradiebatur cædentes viam præbuisse. Illum quoque pollicitum fuisse se aliquando has regiones reuisurum.* Hæc illa Epistola. Quomodo autem potuerit D. Thomas, etiam absque miraculo Americam cognouisse, multis argumentis docet Iacobus Nauarcha in Epist. sua Asiatica longè doctissima. Quæ cum ita sint, nullus ferè (vt videtur) orbis locus extitit in quem huius sanctissimi Apostoli sonus non exiuerit, labor, doctrina, prædicatio non peruenerit. Hæc sunt signa Apostolatus eius. Sic ille quo cæteris tardius Christo resurgenti credidit, eo cæteris feruentius Christi fidem propagauit. Sed quia in India postremo docuit, ibique pro Christo glorioſam mortem opetiit, ideo *Apostolus Indiæ* vulC go nuncupatur. Siue autem fuerit lanceis confossus, vt Isidorus, Nicephorus, & Sophronius locis iam citatis tradunt, siue gladio percussus obierit, quum nec lanceæ ignitæ nec fornax ardẽs ei nocere possent, vt Abdias, Vincentius, Perionius affirmant, locis etiam iam citatis, in India eum occubuisse & glorioſum hoc die pro Christi nomine Martyrium obiisse, omnes consentiunt. Certè Dorotheus Tyrius in Synopsi (quem D. Hieron. & omnes prioris sententiæ authores sequuntur) non propriè lanceis confossum D. Thomam scribit, sed *Calamo quem lanceam vocant, occisum ait*. Quod autem in Calamina vrbe eum & occisum & sepultum esse, hactenus creditum est, nos autem ex recentioribus in vrbe Malapur corpus eius repertum diximus, nullam necessariam contradictionem habet. Quæ enim hodie post tot sæcula Malapur dicitur, potuit eo tunc tempore Calamina dici. Atque hæc sunt, Auditores, quæ de huius sanctissimi Apostoli varia prædicatione, vita, laboribus, ac morte, litterarum hactenus monimentis tradita cõperire potui. Quæ sanè omnia vt in eius honorem ac Dei gloriam, cuius dona erant quæcunque præclare gessit, nos libenter commemorauimus, vosque beneuolè audiuistis, ita vt per eius sanctam intercessionem, tantorum meritorum participes, ac laborum eius imitatores esse possiD mus, sedulo Deum Opt. Max. orare, animoque ac viribus iuxta talenta cuiusque concessis, niti atque contendere omnes debemus. Sic enim præpositorum nostrorum maximè Apostolorum glorioſam memoriam dignè celebramus, si vt Paulus nos monuit, *eorum intuentes exitum conuersationis, imitamur & fidem*. Quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

Heb. 12.

Chrysost. in hom. de 12. Apostolis.

Li. 2. c. 40.

In America Christũ docuit D. Tho.

Cur Indiæ Apostolus dicatur.

A

DE VERA CAVSA MARTYRII S. THOMÆ CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI BREVE APOLOGETICVM.

B

OVVM anno ſuperiore in vetuſtos quoſdam manu ſcriptos codices incidiſſem, in quibus varias Epiſtolas reperi vel ipſius S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris ad diuerſos, vel aliorum ad ipſum aut potius de ipſo, pro illa qua ab ineunte ætate erga hunc ſanctum affectione fui, auidè tranſcripſi, & vt in lucem aliquando ederentur vehementer deſideraui, duas ob cauſas. Primum, quia hæretici Angli, vt in omnes ſanctos irreligioſi & impii ſunt, ita potiſſimum in S. Thomam glorioſiſſimum Martyrem contumelioſi ſunt. Quia enim hic Sanctus nefariis Henrici 2. Regis conatibus fortiter ſe oppoſuit, iſti autem in Anglia hæretici, (pene ſoli hodie Laicocephali) Regibus ſuis turpiſsimè adulantur; quia ille Sanctus Pontifex quæ Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſunt propria, Regem ſibi arrogare non permiſit, iſti vero fœdi paraſiti vniuerſam Eccleſiaſticam poteſtatem non ſecus atque temporalem Regibus Angliæ tribuendam affirmant, ſcribunt, iurant; neceſſe fuit vt tantam S. Thomæ lucem, fortitudinem, libertatem, tenebricoſi iſti imbelles & ſerui Hæretici non ſolum ſuſtinere non potuerint, ſed & omnibus modis obſcurare, lacerare & taxare debuerint. Hanc ob cauſam hũc ſanctiſſimum Martyrem quem innumeris miraculis domi foriſque Deus illuſtrauit, iſti ſuperbi gigantes Deo ipſi repugnantes, non alio nomine quam Becqueti proditoris dignantur. Becquet enim viro ſancto cognomen fuit. Hanc ob cauſam non ſolum martyrologio expungunt (quod enim Eccleſia probat, hoc debet ſemper hæreſis improbare, ſicuti quod Deus facit diabolus ferre non poteſt) ſed in quibuſdam ſuis Calẽdariis Anglicis ad diem S. Thomæ Cantuar. ponunt, *Becquet proditor.* Quibus bellis hominibus ſic breuiter propono. Si proditor Becquet eſt, vt quid in Calendario veſtro locum habet; niſi fortè proditores colatis? Si proditor non eſt, vt quid in Calendario veſtro tam ſplẽdidè mentiri libet, ne dicam blaſphemare; niſi fortè mendaces magiſtri quum ſitis; mendax etiam Calendarium habere vultis? Sed illis relictis ad rem. Hanc ob cauſam blaterant & cauillantur, contentionem huius Sancti contra regem ſuum *non de rebus fidei, religionis, veræ doctrinæ, ſinceræ diſciplinæ, ſed de rebus mundanis, poſſeſſionibus, libertatibus, exemptionibus, prærogatiuis & ſimilibus fuiſſe.* Sic enim Foxius ille mendax in ſuo pſeudomartyrologio. Denique hanc ob cauſam in imaginem D. Thomæ Cantuar. primum omnium ab hæreticis Anglis ſæuitum eſt, deiecta illa quæ ad pontem Londinenſem fuit, antequam in tota Anglia vlla alia deiiceretur, vt in operibus Anglicis Thomæ Mori inuenio. Poſtremo hanc ob cauſam Rex Henricus 8. publico ſed infami edicto hunc Sanctum è numero Sanctorum expungi voluit, eiuſque oſſa poſt annos 400. in honore habita, ſacrilegè effodit & effoſſa publicè concremauit. Edictum ipſum poſtea proferemus. Odium igitur hæreticorum noſtrorum contra hunc S. maximè pertinax & rabidum fecit, vt ea perlibenter in lucem ederem quæ ad huius Sancti maiorem gloriam & commendationem pertinerent. Alia cauſa fuit nonnullorum extra Angliam catholicorum, leuior quam par eſt, huius ſancti exiſtimatio & nõnullus etiam circa martyrii cauſam error. Cui occaſionem aliquam dediſſe poteſt Gulielmi Neubrigenſis hominis Angli de rebus Anglicis liber, circa tempora D. Thomæ ſcriptus, ſed ante ann. 20. Hæreticorum opera Antuerpiæ editus: qui hõmo, vt maxima tunc cleri pars, magis politicus fuit quam monachum aut clericum, aut etiam bonum Chriſtianum decuit. Quanquam nec quæ ille ſcribit, D. Thomæ ſanctitati vllam maculam inferunt, vt paulo poſt oſtendemus. Certè Ioannes Cocleus vir doctiſsimus & optimus catholicus ſcribit *hũc ſanctum Martyrem propter bona temporalia & priuilegia Eccleſiæ ſuæ, quæ auaro Regi tradere noluit occiſum fuiſſe: & addit Regem tantummodo petiiſſe vt de bonis temporalibus & priuilegiis opulentæ Eccleſiæ ſuæ nonnihil remitteret, atque ad manus ſæcularium traderet.* Poſtremo affirmat *Roffenſem & Morum S. Thoma Cantuar. ingenio & eruditione multo ſuperiores fuiſſe.* quæ vir ille veriſimiliter ex libris hæreticorum, maximè Ioannis Baleĩ ſpurci hæretici, qui de ſcriptoribus Anglicis catalogum edidit, vel de Ioannis

S. Thomas Cantuar. hæreticis Anglis cur inuiſus.

fol. 48.

pag. 935.

In ſcripto contra Samſonem

C

D

Foxii

A Foxii martyrologio falso dicto, hausit. Hæretici enim vt martyrii causam infamant, sic omnibus viri virtutibus detrahunt. Et extat quidem apud Laurentium Surium vita S. Thomæ Cantuar. 29. Decembris, à quodam Eduardo conscripta (quã tamen in compẽdium redegit Surius) in qua quæ ad viri sanctitatem nobileque martyrium spectant, satis multa habentur. Sed eiusdem Sancti vita multo copiosius & plenius, meliori methodo & ordine, maiori diligentia & fide, à quatuor viris doctissimis seorsim cõscripta & explicata fuit, videlicet ab Herberto de Hoschan eius indiuiduo comite postmodum Cardinali & Archiepiscopo Beneuentano: à Ioanne Salisburiensi, Episcopo Carnotensi, à Gulielmo Cantuariensi monacho, & ab Alano Abbate Teukesburiensi. Ex quorum quatuor libris, vnum volumen collectum fuit, & *Quadrilogus* nuncupatus: sub quo titulo Parisiis impressus fuit ann. Domini 1495. Hunc ego librum Romæ in hospitali gentis nostræ (quod nunc Seminarium est) ante annos 25. vidi & legi: moxque ex eo quædam proferemus. Horum 4. Authorum meminit in sua bibliotheca Gesnerus, & in suo martyrologio Molanus, & in scholiis suis ad martyrologium Romanum Baronius. Nam Benedictus Abbas S. Petri de Burgo in Anglia non vitam ipsam S. Thomæ (vt putauit Molanus dicens ex illis quinque concatenatam eius vitam esse) sed de miraculis S. Thomæ post mortem maximè illustribus scribit. Ideo quadrilogus non quinquelogus vocatur liber. Matthæus quo-

B que Parisiensis in suo chronico ad annũ Domini 1164. de vita & rebus gestis huius Sancti copiosè scripsit. Sed & extat huius Sancti vita M. S. in vetusto idiomate VVallonico vt historia Andegauensis testatur. Sed & de hoc S. Martyre Belleforestius in suis annalibus gallicis tom. 1. lib. 3. cap. 52. 53. & 56. frequentem & amplam mentionem facit. Porro sicuti ob causas prædictas, inuentas à me epistolas in lucem edere operæprecium duxi, sic eisdem epistolis breue aliquod commonitorium, vel si mauis, contra recentium hæreticorum calumnias breue Apologeticon de causa iustissima martyrii huius Sancti præmittere, necessarium putaui. Certè S. Thomæ Cantuariensis ingenium, eruditio, eloquentia qualis fuerit, vel vna eius epistola Apologetica ad omnes Cantuariensis prouinciæ (id est, tribus demptis totius Angliæ) episcopos manifestum lectori faciet. Cæteræ quoque epistolæ vel ad ipsum vel de ipso, quanti vir ingenii, quantæ sanctitatis fuerit, perspicuè docebunt. Sunt autem hæ paucæ ex multis quas in Bibliotheca vaticana Pontificia M. S. extare scribit Ioannes Cæsar Soranus in suis ad Romanum Martyrologium scholiis die 9. Decembris. Causa persecutionis acerbæ S. Thomæ Cantua-

C riensis talis fuit, vt neque propriam propriæue Ecclesiæ vtilitatem aut etiam dignitatem, sed totius cleri publicam spectaret, nec dignitatem atque vtilitatem tantum, sed ipsam à Christo datam potestatem ac iurisdictionem, quam neque sine scelere Episcopus deserere, nec sine sacrilegio Rex sibi arrogare potuit: nec denique ius istud vllo vel indiscreto zelo vel pertinaci animo, sed summa moderatione & qua maior esse non potuit, persequutus fuerit. Hæc tria quũ ostendero, sanctissimi martyrii causam grauissimam satis explicatam dedero, simulque omnibus vel hæreticorum calumniis vel etiam aliorum quorũdam falsis suspicionibus satisfecero. Rem igitur ab ouo sed breuissimè repetam. Vetus ille fuit Regum Anglorum morbus (maximè ab annis quingentis, quo ferme tempore Gulielmus Normaniæ Dux Angliæ regnum vi occupans, victoris ius sequutus, grauius id subiectum tenuit, quam vlli præcedentes Anglorum Reges) vt quemadmodum populi priuilegia ac libertates magis ac magis semper imminuebant; vnde in illo regno frequentissimi leguntur tumultus populares, & legum Regis Eduardi (quæ ante Gulielmum Normanum vigebant frequens flagitatio) sic etiam cleri immunitates, priuilegia & exemptiones, quibus videlicet ius suum regale violari existimabant, omnibus modis vel abrogarent, vel certè magis semper ac magis imminuerent. Hũc autem animi morbum in Regibus Anglorum auxit, vel procerum instigatio, & adulatio, vel ipsius cleri ignauia & timiditas, vel etiam interdum legatorum Sedis Apostolicæ nimia remissio & indulgentia. A qua certè huius

D mali originem profluxisse notauit Polydorus rerum Anglicarum scriptor accuratus. Rex Henricus eius nominis secundus, magni animi princeps & ciuilis iustitiæ Zelator egregius, si tamen modum in eo tenuisset, prædecessorum suorum vtriusque Guilielmi, Henrici primi, & Stephani vestigiis insistens (qui cleri immunitates sicut & populi multis modis violare conati sunt) *in Concilio Regio sanxerat vt cuncti etiam sacris initiati qui ceruos aut damas intra septa Regia seu saltus occidissent; à iudice prophano mulctarentur. Hanc legem Regiam Hugo legatus Pontificis in Anglia non abnuit ratam habere. Quæres* (ait Polydorus) *non modo tunc, sed in posterum quoque tempus ita ius infregit, vt etiam nunc sacerdotes in multis causis perinde ac cæteri apud prophanos Iudices conueniantur atque pro noxa puniantur. Adeo eius semel violatum facile dissoluitur: atque Ordo sic magnum fecit detrimentum.* Hæc ille. Rex enim iste quum vniuersam illam quam in animaduertendis clericis potestatem sibi vendicabat, contradicente Thoma Archiepiscopo obtinere non potuit; hanc saltem portiunculã post nobile D. Thomæ martyrium à legato põtificio impetrauit. Sed vt ad originem dissensionis inter hunc Regem & Archiepiscopum Thomam ortæ nunc veniamus, ea de re sic Polydorus scribit, *Cum Thomas Cantuariensis antistes; vir summa integritate atque prudentia* (*quem* propterea Cancellarium regni ante Episcopatum Rex creauerat) *cerneret Regem quotidie sacerdotes minus idoneos aut eligere Episcopos aut ad alia perducere sacerdotia, ac ex præscripto Normãnicarum legum, iure* (*vt ille aiebat*) *suo vtendo, nihilque à maiorum consuetudine atque concessis alienum faciendo, omnem sacerdotalis ordinis authoritatem dignitatemque frangere, & demum ius fasque conari trahere quo vellet, primo eum amicè*

Vitam S. Thomæ qui scripserunt.

Quadrilogus de Vita S. Thomæ.

Causa persecutionis S. Thomæ.

1.
2.
3.

Cur Anglorũ Reges libertates Ecclesiasticas violant frequenter

Polydorus Virgilius hist. Angli. li. 13.

Loco citato

admonuit vt de negotio desisteret, æquiusque se aduersus populum gereret; deinde in ea re cum se parum proficere animaduerteret; statuit suas non remissius agere partes vt de laboris præmio satis certum habens. Itaque A *omnis vitæ periculi oblitus, communis causæ tuendæ gratia, propalam Henrico resistere, multisque eum argumẽtis ab incœpto deterrere conatus est.* Hæc fuit prima Sancti Pastoris sancta fortitudo, vt Regem potestatis suæ fines excedentem, intra iustos limites coerceret: nec ius sacerdotale diuinitus ei datum atque commissum ignaue proderet: memor illius dicti Ambrosiani, *Ita ergo quadam adulatione curuamur vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum.* Nec aliter rem refert Guilielmus Neubrigensis eiusdẽ ferè temporis scriptor, etsi causæ D. Thomæ iniquior & in Regis causam propensior fuit, *Rege*, (inquit) *circa curam regni satagenti & malefactores sine delectu exterminanti, à Iudicibus intimatum est quod multa contra disciplinam publicam à clericis committerentur ad quos laicæ non posset iurisdictionis vigor extendi. Quamobrem acri motu turbatus in spiritu vehementi contra malefactores clericos posuit leges: in quibus vtique zelum iustitiæ publicæ habuit: sed feruor immoderatior modum excessit. Cum ergo ad discutiendos vel puniẽdos clericos noua quædam statuta fecisset, in quibus modum non tenuit, ita demum credidit fore rata si Episcoporum essent consensu roborata. Conuocatis ergo ad eliciendum quocunque modo consensum Episcopis, ita omnes vsque ad vnum vel pellexit blanditiis, vel infregit terroribus, vt Regiæ voluntati cedendum parendumque putarent, & nouarũ legum illarum conscriptioni propria sigilla apponerent. Vsque ad vnum dico. Nam solus Cantuariensis Archiepiscopus flexus non est, sed ad omnem impulsum stetit immobilis. Tunc vero tanto vehementius Regis in eum furor efferbuit, quanto ipse regali magnificentiæ ratione dati & accepti magis obnoxius videbatur. Vnde Rex* B *cœpit ei grauis existere, occasionibus eum vndecunque exquisitis pulsare, eorum quæ olim in regno Cancellarius fecerat, rationem exposcere. Ille intrepida libertate respondit se expleta sæculari militia Ecclesiæ à principe cui militauerat, absolutè fuisse dimissum, nec debere in se per occasionem magis quam veritatem vetera replicari. Cumque in dies Regii furoris causæ ingraueſcerent, eo die quo plenius responsurus erat obiectis, solenne illud officium de B. Stephano, scilicet, Sedebant Principes, &c. & aduersum me loquebantur, & iniqui persecuti sunt me, iussit coram se in celebratione sacrificii solemniter decantari: Mox curiam ingressus est, Crucem argenteam ante se portari solitam manu propria baiulans, volentibusque quibusdam Episcoporum qui aderant ministerium portandæ ante Metropolitanum proprium crucis suscipere; abnuit* (non enim eos dignos existimabat qui crucem Metropolitani ferrent, quum Crucem Christi portare recusauerãt, Regi turpiter adulantes, & Ecclesiasticam iurisdictionem ac disciplinam nefariè prodentes) *nec alium in illo cõuentu publico Crucis baiulum quantumcunque rogatus admisit. Iis tanquam excandescentis iam furoris fomitibus Rege supra modum inflammato, sequenti nocte clam profugiens transfretauit.* Hæc Neubrigensis, causam dissentionis inter Archiepiscopum & Regem non nisi in genere describens, sicuti & Polydorus. Cæterum quadrilogus ille de quo diximus, atque etiam vita eius apud Surium, & clarissimè Matthæus Parisiensis pag. 135. iuxta editionem Londinensem ann. 1571. ipsos articulos disertè ponit, quos leges illæ nouæ quas Rex promulgare studuerat, complectuntur. Quibus ex- C
plicatis euidenter apparebit, quam iusta D. Thomæ causa fuerit vt illis se totum opponeret, quam fœdè reliqui Episcopi officium neglexerint qui Regis voluntati morem gesserunt. Sex igitur potissimum articulos illæ leges habebant, qui non solum dignitati aut vtilitati aut etiam libertati & immunitati Ecclesiasticæ repugnabant, verum etiam Iurisdictionem propriè sacerdotalem à Christo Saluatore Apostolorum successoribus datam vehementer imminuebãt. Isti igitur articuli fuerunt. 1. *Quod non appelletur ad Sedem Apostolicam sine Licentia Regis.* Qui articulus paulo latius in Quadrilogo sic habetur, *Si emerserint ab Archidiacono debent procedere ad Episcopum, & ab Episcopo ad Archiepiscopum, & si Archiepiscopus defuerit in iustitiæ exhibenda, postremo ad Regem est perueniendum, vt præcepto ipsius in curia Archiepiscopi controuersia terminetur: ita quod non debeant vlterius procedere absque assensu Regis.* Hæc ibi. Si iste solus articulus inter Regem & D. Thomã controuersus fuisset, satis iustam causam habebat Regiæ constitutioni sese opponendi. Hæc enim constitutio Regi substituit summũ Pontificem, potestatem Sedi Apostolicæ propriam Regi attribuit, Concilio generali Sardicensi disertè contradicit, ipsum denique primatum pontificium Petro eiusque successoribus datum tollit. Secundus Articulus erat: *Quod non liceret Archiepiscopo & Episcopo exire de regno & venire ad vocationem Domini Papæ sine licentia Regis.* Quis non videt quam etiam hic articulus schismaticus & impius sit, & antiquissimis Ecclesiæ canonibus con- D
trarius, quibus cauetur vt Episcopi frequentius Romanam Sedem adeant, impedientes vero anathemate feriantur? Scilicet si vel Concilium generale celebrandum, vel alicuius in Anglia Episcopi opera vti volet Ecclesia, vel aliquis Angliæ Episcopus aut à suo primate aut à confratribus suis iniuria aliqua pulsetur, non licebit ei ad Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum matrem aditum habere nisi id placeat Regi. Et quid hoc aliud rursum est nisi vt Rex Angliæ sit apud suos Papa? Quid aliud hic Henricus secundus rectè postulauit, quàm quod Henricus 8. completa iam malitia, apertè sibi vsurpauit, vt Supremum Ecclesiæ Caput in Anglia esset? Sed videamus cætera. Tertius Articulus, *Quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem qui teneat de Rege in capite, vel* (vt est in Quadrilogo) *aliquem domesticorum ministrorum eius, nisi Rex prius super eo consulatur.* Hic vero Articulus nonne in Christum ipsum blasphemus est, & generalem potestatem ligandi peccata, Ecclesiæ datam; ad Regis iam beneplacitum coarctat? Nonne Christi verba corrigit hic articulus, & petulanter atque impiè abrogat? Quum enim Christus dixerit: *Dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, iste articulus sic iubet. Dic prius

Epist. 32.

Li. 2. c. 16

Sex articuli quos probare S. Thom. noluit.

1. Artic. Li. 5. c. 8.

Cap. 7.

2. Artic. 93. dist. Iuxta, & in decretis Zachariæ Papæ. In epist. Nicolai 1. ad Mich.

3. Artic.

Matt. 18.

Regi

A Regi;si ex ministris aut colonis regiis sit;& si Rege annuente Ecclesiam non audierit,sit tibi sicut Ethnicus.O superba huius Henrici Regis insolentia!ô fœda procerum tunc Anglorũ adulatio!O ignauia Episcop.tunc Angliæ diuinitus datæ potestatis proditio!Regius ergo minister, ô Episcope non æque Eccl.& tibi subditus est quam quiuis alius è plebe?Imo Rex ipse nonne tibi subiicitur?Nonne tui gregis ouicula est sicut cæteri? Audi ignaue & politice Episcope, ac per hoc Episcopi honore indigne : Audi illum egregium Episcopum & maximum theologum Gregor.Naz. quid Imp.totius orbis etiam præsenti & in os dicat,*Vos quoque potestati meæ meisque subsellijs lex Christi subiicit.Scio te esse ouem mei gregis,sacri gregis sacrã ouem.* Vide quid Ambr.fecerit Theodosio Magno Imp.nobilissimo:Nõne eum ipsum excõmunicauit propter cædem Thess. æquo grauiorem?ipseque paruit Imp.vt Christianum oportuit?Memineris Ioannem Chrysost. Imperatricem Eudoxiam quia vitẽ Callitropæ viduæ reddere noluit,ab Eccl.ingressu toto populo spectante prohibuisse.Et tu ignaue domesticum regis times?aut aliquem qui tenet à rege in capite excommunicare non audes?imo proh pudor,proh scelus,promittis & chirographo te obstringis,te nunquam huiusmodi excommunicaturum,nisi id fortè Regi videatur ! Scilicet vel docebit te Rex,an excommunicationem meruerit,vel tu sciens eum probè meruisse,Chri-
B sti tamen iudicium & mandatum voluntati regiæ subiicies:in vno Dux cæcus , in altero pastor impius.Vel hic solus Articulus iustissima martyrii causa fuit , quod non est hoc loco operosius explicandum. Quartus Articulus , *Quod non liceat Episcopo coercere aliquem de periurio vel læsa fide.* Quid ergo?periurium peccatum non est contra primam tabulam,contra Dei honorem , contra conscientiam? periurus ad sacramenta admitti potest aut debet nisi de tam infami scelere coercitus?Aut omnes iam canones contra periuros lati,in sola Anglia vigorem & vim non obtinebunt? Aut canones alius exequetur quam Episcopus?Aut Episcopi non erit de periurio cognoscere æque atque de adulterio,de fornicatione,de hæresi, de blasphemia, de aliis peccatis quæ vt à regno cælorum,sic à participatione sacramentorũ omnes excludunt? Pergat ergo Rex, & sicut in periurii causa,sic in aliis omnibus sceleribus,atque flagitiis cognitionem sibi & iudicium reseruet. Quod quum fecerit,sedeat in Ecclesia,absoluat & liget , claues Ecclesiæ exercet,diuina sibi vsurpet,ac postremo cum Lucifero dicat, *Similis ero Altissimo.* Sicut enim glorio-
C sus ille Angelus sua gloria,suo statu & ordine non contentus , Deus esse voluit ; sic ille Rex qui de periurio aliisque peccatis sibi soli cognitionem & coercendi vim reseruat,& potestatem Ecclesiasticam quæ diuina est,sua gloria regali,suo statu & ordine laicali non contentus,vsurpat,ille Deo æqualis esse vult. Optimo igitur iure Alexander 3. Pontifex sex istis articulis ei propositis,tres quidem eorum,primum, tertium & hunc quartum penitus condemnauit, etsi alios tres vt Regi quantum licuit condescenderet,sustinuit & tolerauit,videlicet secũdum iam dictum,de non exeundo regno sine licentia Regis,atque item quintum & sextum,qui isti sunt. *Quod clerici trahantur ad sæcularia iudicia. Quod Rex & alii laici tractent causas de decimis vel Ecclesijs.* Hos inquam tres dum pax & concordia inter Archiepiscopum & Regem iniretur,propter bonum pacis,& sperans fore vt in illis Rex eum modum teneret quem Christianum principem tenere par erat,Summus Pontifex tolerauit ad tempus & dissimulare non est grauatus,nunquam autem probauit,nunquam collaudauit, vt aliqui ex nostris erranter dicunt. Sed vero tres illos alios vt manifestè impios & pestilentes, maximéque in Christum & in totam hierarchiam Ecclesiasticam ab eo institutam contumelioſos prorsus & expressè damnauit:simulq; D.Thomæ iustam contradictionem veroque pastore dignam comprobauit. Isti igitur articuli in quibus tum primatus ipse Sedis Apostolicæ , tum Ecclesiastica potestas & iurisdictio ab ipso Christo Saluatore concessa,non vel ab Apostolis vel eorum successoribus ob necessariam politiam instituta (quod tamen tale esset vt à nullo rege violari deberet) grauiter vulnerata & violata fuit, odii & dissensionis inter D.Thomam & Regem Henricum causa extiterant. Propter hæc capi-
D ta,propter neruos ipsos Ecclesiasticæ disciplinæ,imo radices potius, quas isti articuli præscindunt,propter potestatem à Christo datam,quam bonus pastor asserere & tueri debet , non propter regum audaciam deserere & prodere , S. Thomas regiis cupiditatibus restitit, in exilium abiit,rapinam bonorum,& relegationem omnium propinquorum (nouo crudelitatis & barbaro exemplo) ac demum indignante semper Rege , impiorum gladios passus est. Non propter suas possessiones,exemptiones,libertates,non propter suæ Ecclesiæ priuilegia,non propter res mundanas,vt mendaces nostri magistri scribunt,sed propter totius Ecclesiæ iustam & necessariam potestatem,propter publicum Ecclesiæ ius,propter Deum & Christum eius cuius honorem tueri voluit , S. Thomas nobile martyrium subiit. Quamobrem verissimè Polydorus hac de re sic scribit, *Exilii Thomæ causam hoc loco omnino me puderet ostendere, si talis esset,qualem etiam nunc bene multi amentiæ pleni prædicant:qui inuidiosas opes,inanes honores,inutilem potentiam,lubricam dominãdi cupiditatem anteferunt veræ gloriæ, deblaterantes Thomam conseruandarum possessionum sacerdotalis ordinis causa tantum accepisse iniuriarum. At Thomas non in conseruandarum rerum copiam (qui apud Alexandrum Pontificem sponte se Episcopatu abdicauit) sed in dignitatem,in authoritatem sacerdotalem , in disciplinam bonorum morum tuendam incubuit:quo scilicet Henricus & alii principes eius imitatores non introducerent pessimos quosque in sacerdotum collegia , non imponerent illis suo iure,& arbitratu leges , non vterentur alienis opibus pro suis ; sed contenti suis imperiis , sinerent Episcopos ritè constitui & constitutos suas obtinere prouincias , officioque fungi.* Hæc Polydorus. At enim noster Neubrigensis , politicus

Orat.ad ciues & Imp.irascentem. Theod.l. 5. c.17.

In vita Chrys. per Palladium

4. Artic.

Polid.l.13.

5. & 6. Articuli.

Gulielmi Neubrigenſis iniqua & inepta cenſura.

monachus, ſuam hic cenſuram interponit & ait, *Ego planè in viro illo venerabili ea quæ ab ipſo acta ſunt, vt nulla exinde proueniret vtilitas, ſed feruor tantum accenderetur regius ex quo tot mala poſtmodum pullulaſſe noſcuntur, laudanda nequaquam cenſuerim, licet ex laudabili zelo proceſſerint: ſicut nec in beatiſsimo Apoſtolorum principe arcem iam Apoſtolicæ perfectionis tenente quod gentes ſuo exemplo Iudaizare coegit, licet eum conſtet laudabili hoc pietate feciſſe.* Hæc eſt audacis monachi cenſura, non iam politica ſed planè ethnica. Quid enim? An propter turbationem regis & regni veritas fuit deſerenda, Eccleſiæ ius prodendum? Cauſa tibi prius diſpicienda fuit, iuſtane an iniuſta, grauiſne an leuicula eſſet. Si illa iuſtiſſima & grauiſſima fuit, non propter furorem regium à tanto viro, à tanto Paſtore deſerenda erat. Scilicet Mercenarium non paſtorem eum eſſe voluiſti, vt veniente lupo fugeret. Ille quippe iuxta S. Auguſtinum *lupo veniente fugit, qui ex timore humano peccatum ouis ſuæ non arguit*; multo magis qui peccato conſentit, & adhuc magis qui peccatum approbat: Denique maximè qui non approbat tãtum, ſed & de peccato legem fieri permittit. Deinde qualis rerum æſtimator iſte monachus fuit qui ex præſenti turba momentanea & non ex totius Angliæ pace longiſſima poſtea conſecuta rem metitur? Propter enim ſolius Thomæ fortitudinem & conſtantiam, quam vſque ad mortem tenuit, & pro qua acerbiſſimum mortis genus ſuſtinuit (à quatuor impiis horrendè trucidatus in ipſo templo ſuo, ipſaq; precationis publicæ hora) toti Eccleſiæ Anglicanæ pax & libertas reſtituta fuit. Rex Henricus à ſuis impiis poſtulatis penitus deſtitit. Imo vt ſcribit Eraſmus, *per mortem B. Thomæ plurimum & authoritatis & opum acceſsit ſtatui Eccleſiaſtico apud Anglos*: Quod certè florentiſſimus poſtea per aliquot ſæcula cleri Anglicani ſtatus verum eſſe comprobauit. Sed & huic cauillo ipſe Sanctus in Epiſtola ad Angliæ Epiſcopos luculenter reſpondet, *Si nobis* (inquit) *recedentibus turbata ſunt omnia, ſibi imputet qui cauſam dedit, qui hoc procurauit, facientis procul dubio hæc culpa eſt non recedentis, perſequentis non declinantis iniurias. Damnum enim dediſſe videtur qui cauſam damni dedit.* Hæc ibi & plura quæ in ſequenti S. Thomæ Epiſtola videre licet. Atqui D. Petrus iuſtè fuit reprehenſus etſi laudabili pietate id fecit vnde reprehendebatur. Egregia ſcilicet comparatio. An vero D. Petrus pro illa ſua ſimulatione ex bono zelo profecta mortem ſuſtinuit, eiuſque mortem miraculis Deus illuſtrauit? An idem eſt peccare poſſe vel in aliquo labi etiam iuſtiſſimos, & in eo facto peccare & labi quod factum Deus illuſtribus miraculis comprobauit? Nam & ipſe Neubrigenſis ſic de miraculis D. Thomę poſtea ſcribit, *Porro beati Pontificis in conſpectu Domini quam pretioſa mors fuerit, quantaque facinoris in eum commiſsi atrocitas ratione & loci & temporis & perſonæ* (quidni maximè ipſius cauſæ?) *ſignorum ſequentium frequentia declarauit.* Hæc ille lib. 2. cap. 25. An vero ſolet Deus zelum indiſcretum cuiuſcunque perſonę ſignis ſequentibus eiſdemque frequentibus comprobare? zelus indiſcretus haud dubie vicium eſt & Deo diſplicet; cui etſi facile ignoſcatur, præmiũ tamen aut certè glorioſa merces non tribuitur. Sed iſte Neubrigenſis ſub Richardo rege huius Henrici filio & proximo ſucceſſore ſcribens, Principi ſuo placere voluit. Alioqui Rex ipſe Hẽricus poſt Martyrium S. Thomæ ita peccatum ſuum recognouit, vt non ſolum 1. maximo ſe ſtudio purgaret, & 2. pœnitentiam ſibi à Sede Apoſtolica iniunctam obedienter expleret, verum etiam multis aliis modis S. Martyri ſatisfacere ſtuduerit. Nam 3. & ſororem eius Mariam ſanctimonialem paulo poſt ampliſſimo fœminarum monaſterio Berkingenſi Abbatiſſam præfecit, & 4. identidem cum filio ſuo Henrico mauſolæum D. Thomæ ſupplex adiuit, (vt noſtri annales teſtãtur) & 5. ampliſſimis Donariis exornauit. Atque ex his manifeſtum ſatis euaſit, quod initio diximus cauſam martyrii S. Thomæ talem fuiſſe, vt neque propriam propriæue Eccleſiæ vtilitatem aut etiam dignitatem, ſed totius cleri publicam ſpectaret; nec dignitatem atque vtilitatem tantum, ſed ipſam à Chriſto datam poteſtatem ac iuriſdictionem: quam nec ſine ſcelere Epiſcopus deſerere, nec ſine ſacrilegio Rex ſibi arrogare potuit.

Tract. 46. in Ioan.

Mors S. Thomæ Eccl. Anglicanæ vtiliſsima.

Henricus Rex peccatum ſuum agnoſcit.

Ioan. Stowe an. 1176.

D. Thomæ nullum fuiſſe indiſcretum zelum.

S. Thomas Regi quãtum licuit placere ſtuduit.

Nunc igitur quod tertio loco poſuimus, tribus verbis explicatum dabimus. Nempe D. Thomam ius iſtud Eccleſiaſticum nullo vel indiſcreto zelo vel pertinaci animo, ſed ſumma moderatione & qua facile maior eſſe non potuit, perſequutum fuiſſe. Quid enim mitius, quid moderatius, quid prudentius reſpondere potuit, quum de legibus iſtis illi proponeretur, quàm quod Regi reſpondit, prima quidem vice ſe illas acceptaturum, *ſaluo ordine ſuo*? Quo reſponſo quum Regi non ſatisfieret, altera vice reſpondit, *Saluo honore Dei*. Quorum neutrum quum Regi placeret, ſed vt Pontifex abſolutè legibus illis ſubſcriberet à rege vrgeretur, fecit quod certè facere debuit. Approbare eas noluit. Et quid obſecro æquitatis apud illum Regem ſperari ab Epiſcopo poſſit, qui nec ordinis ſacerdotalis, nec honoris diuini in ſuis legibus ferendis conſiderationem haberi permittit? Aut quis ita malè Chriſtianus eſt vt aliquid à ſacerdote flagitet, ſiue ſaluo ſiue non ſaluo ordine ſuo & honore Dei? Certè ſacerdotis nomine indignus eſt qui illa duo quibuſcunque Regum mandatis non anteponit, vt maiora minoribus, vt cæleſtia terrenis, vt diuina humanis. At nihil aliud B. Thomas fecit. Hanccine igitur pertinaciam hęretice vocas, tu qui tam frequenter in ore habes (ſed tunc quum à corde tuo longiſſimè abeſſe debebat) *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*? Per illa enim verba cõmittis tu quidem Eccleſiam cum Scriptura, quaſi nõ idem Spiritus loqueretur per Eccleſiam qui loquitur in Scriptura: aut quaſi Eccleſiæ Chriſti Spiritus Chriſti certiſſimè datus in æternum non fuerit, ſicut *Spiritu Dei inſpirati loquuti ſunt homines ſancti Dei* Scripturarum noſtrarum ſcribæ. At hic iubente aliud rege, & aliud poſtulante ordine ſacerdotali, & honore Dei, veriſimè id locũ habet, *Obedire oportet Deo*, qui

Ioan. 14. & 17.

A qui hunc ordinem instituit, & cuius honor illi proprius est, *magis quam hominibus*, id est Regibus terræ, qui *humana sunt creatura* vt Petrus loquitur. Iam vero tantum abest vt S. Thomas in iustissima sua causa zelo aliquo indiscreto offenderit, aut asperius quàm par erat erga Regem se gesserit, vt planè in alteram partem nimio quodam non offendendi Regem desiderio peccauerit. Primum enim suadente quodam Abbate transmarino viro magnæ authoritatis & existimationis, vt verbo saltem leges à Rege propositas admitteret; & nihil amplius ab eo Regem petiturũ, neque contra ordinem Ecclesiasticum aliquid moliturum spondente; fecit id S. Episcopus, eum contentioni finem futurum sperãs, & Regis offensionem quoad eius fieri potuit, omni studio declinans. Sed postulante tunc Rege vt palam idem polliceretur, grauiter ingemuit deceptum se esse, & id facere recusauit. Paulo post tamen in eodem conuentu suadẽtibus rursum duobus templariis magni tunc nominis viris, & sub certa fide promittentibus, si verbo tantum coram tota Nobilitate leges regias se approbare diceret, Regemque verbo honoraret, Regem nec amplius postulaturum, nec illas leges vnquam executioni mandaturum, acquieuit, pacis quidem studio laudabiliter, sed ab illis deceptus imprudenter & indiscretè. Rex enim hoc eius verbo accepto, iubet vt quod verbo dixit, scripto confirmet, suosque Episc. idem facere præciperet. Quo audito sibi impositũ cernens vehemẽter indoluit, & verbo quod dixerat foreB titer reuocato, Regiis legibus vti prius se totũ opposuit, idque se facturũ propalam contestatus est. Sed & huius suæ noxæ grauem sibi pœnã inflixit, suspẽdens seipsum à celebratione & sacrificio, donec à summo Pontifice absolueretur: Cuius absolutionis Pontificiæ sententiam Matt. Paris. recitat. quibus ita constitutis, manifestũ fit nullum in D. Thoma pertinaciæ signũ, nullum indiscretum zelum, nullum animi contra Regem maleuoli indicium deprehendi posse. Solum Dei honorem & Ordinis sui debitam dignitatem & conseruationem legitimam præ oculis habuit. Quo magis barbara, fœda, & infamis illa sententia ne dicam in Dei Sanctum blasphema fuit, quam Henricus 8. triennio post Roffensis, Mori, aliorumque in Anglia crebra martyria, à Deo videlicet iam desertus & hostis Ecclesiæ factus, contra hunc celeberrimum martyrem anno regni sui 30. die 16. Nouembris, in palatio VVestmonasterienſi per edictum publicauit. Quo etiam anno & die vt nostri annales testantur, Dominicanorum ac Franciscanorum monasteria edicto quoque publico subuertit, vt scias quis illum Regem spiritus rexerit, quum hoc contra S. Thomam edictum promulgauit. Cuius hic tenorem, de verbo ad verbum subiicio, vt (quod initio dixi) quam pertinax hæreticorum gentis nostræ, in hunc Sanctum, odium fuerit; quanta rabie huius nobilissimi Martyris memoriam non obliterare modo sed & penitus C extinguere atque delere conati sed frustra fuerint, lectori catholico adhuc magis innotescat: simulque cognoscat omnis Ecclesia Sanctorum, non absque causa huius Sancti Martyris memoriam his paucis collectaneis à me illustrari, quem tam contumeliosè proscindunt, tam fœdè lacerant, tam impiè blasphemarunt impuri in Anglia hæretici, sub capite impurissimo. Est hic ergo illius sententiæ tenor, paucis sed necessariis antidotis intermixtus, ne quis forte toto veneno simul hausto, serius quam par est, medelam postmodum accipiat. *Porro quum manifestè nunc appareat* (nunc scilicet post quadringentos annos tam celebris martyrii in tota Ecclesia catholica tam celebriter honorati) *quod Thomas Becquet Cantuariensis quondam Archiepiscopus, qui sanctis legibus* (nimirum quàm sanctæ illæ leges essent, sex illi Articuli qui eas omnes complectebantur à nobis supra aliquo modo excussi satis toti orbi manifestum faciunt, docentque nihil his sanctis legibus magis impium aut sceleratum à rege Christiano iuberi potuisse) *contra cleri enormitates à Rege Henrico secundo pro bono publico, pace & tranquillitate regni factis repugnauit*: At illæ leges neque pro bono regni publico aut pace, sed pro Regis auaritia & ambitione, nec contra cleri enormitates aliquas, quæ non nisi paucorum erant, sed contra cleri Iurisdictionem vniuersam, sub prætextu iustitiæ in clerum dissolutum, ferebantur: vt ex præcedentibus apertè constat: Certè in dissolutos ac malè feriatos clericos nemo acerbius animaduertit quàm ipse D S. Tho. in quo post susceptum Episcopatum (vt in vita eius scribitur) *tantus erat iustitiæ zelus, vt nulli quantacunque dignitate is esset parceret, si quid contra iustitiam attentasset.* Sed & hanc ipsam ob causam Regi & Nobilitati infensus esse cœperat (vt ibidem scribitur) *quia ad præscriptum Canonum clerum populumque moderabatur*: Denique Regi postulanti vt ad sæcularia iudicia raperentur clerici, respondit vt Episcopum decuit: *Ego Dei ministros laicæ potestati non exponam: sed si peccent, ego eos sic puniam vt leges diuinæ ac patrum decreta sanxerunt*: sed & Rex ipse de seueritate Sancti Thomæ in litteris ad Alexandrum Papam (quas hic postea proferemus) acerbè conqueritur: *ne* (inquit) *venenum suæ excommunicationis in nos & alios effundat*: Postremo quam rigidus disciplinæ Ecclesiasticæ custos hic Sanctus Episcopus fuerit, tum ex quibusdam eius Epistolis hic sequentibus, tum in ipso Martyrii puncto facilè apparuit: quem ideo sicarii occiderunt quia quos Roman. Pontifex excommunicauerat, nec vllum adhuc pœnitentiæ signum dederant, ad Regis arbitrium absoluere noluit. Quibus ita positis, totum huius præclaræ sententiæ fundamentum quàm sit impudens mendacium facilè lector videt: (*& suapropria voluntate regno excedens in Franciam abiens, atque ad Rom. Pont. dictis enormitatibus patrocinantem sese recipiens, dictarum legum abrogationem impetrauit*:) Quidni vero ex illo regno excederet Episcopus, cuius Rex nec ordinis sacerdotalis, nec honoris diuini in suis legibus ferendis considerationem haberi permisit, vt supra ostensum est? Ad quem vero confugeret Episcopus iniuriis grauissi-

1. Pet. 2.

D. Thomas ad tempus cessit Regi

In vita eius apud Surium.

An. Domini 1538.

Sententia Hëriciana contra S. Thomam.

Apud Surii p. 1035

Ibidem.

Ibidem p. 1037.

mis à Rege affectus (vt in vita eius apud Surium patet) nisi ad supremum totius Ecclesiæ Christianæ Pontificem: ad quem tot retro sæculis ex Alexandria in Aegypto magnus ille Athanasius ex Adrianopoli Lucius, ex Gaza Asclepas, ex Ancyra Marcellus, ex Constantinopoli Paulus, ex Africa Fulgentius, ex Hispania, Gallia, Germania, reliquisque totius Christiani orbis prouinciis omnes semper Episcopi iniuria affecti confugere solebant: idque iuxta Niceni 1. Concilii Canonem in hæc verba, *Vt omnes Episcopi qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur & liberentur.* Hæc ibi Patres Niceni, quod in magno illo Sardicensi Concilio ex omnibus totius orbis prouinciis (vt commemorat sigillatim Theodoretus) congregato, aliis verbis repetitum fuit. Denique ad quem alium S. Episcopus confugeret, nisi ad eum de quo Christus dixit? *Tu conuersus confirma fratres tuos.* At enim & ipse Romanus Pontifex enormitatum cleri patrocinator fuit. Nempe quia impios illos articulos supradictos non contra enormitates, sed contra totam Iurisdictionem cleri à Rege propositos approbare noluit: etsi tamen tres ex illis sex, quorum vnus de corrigendis per laicos clericis erat, idem Romanus Pontifex Alexander tertius tolerauit ad tempus, adeoque in gratiam Regis ipsius, Sancti Thomæ manus ad tempus ligauit: vt ex eius ad Regem Epistola (quam postea proferemus) luculenter patet. Adeo impudens est hoc huius infamis Edicti mendacium. Sed libuit furiosis hominibus etiam Rom. Pontif. mordere, & in calumniæ partem propter odium Sedis illius nefariè pertrahere. Sed nunc in sententia pergamus, *Occasione cuius ingens in hoc regno tumultus exortus est.* Nempe quia veritas odium parit, & simultates odium generant, iuxta id quod Christus dixerat, *Non veni mittere pacem sed gladium*: quanquam de hac momentanea regni perturbatione supra satis diximus cum Neubrigensi responderemus. Sequitur: *Quumque mors eius, quæ hactenus martyrium habita fuit, à seipso occasionem acceperit, eo quod (vt scribitur) verbis contumeliosis respondit nobilibus illis, qui ei suadebant vt prauam suam opinionem moresque mutaret, ne populus amplius perturbaretur, & præterea non modo vnum ex illis leonem vocauerit, sed etiam alium quendam Tracy dictum sinu violenter apprehensum ita concusserit, vt fere in Ecclesiæ pauimentum deiecerit, vnde alio quodam eum idcirco percutiente, pugna quædam exorta fuerit in qua dictus Becquet per tumultum occubuit.* Hæc est alia huius mendacis & infamis edicti fabula mendax, quam scriptam esse dicunt: sed authore nullo. Quare ad eius plenam & certam refutationem necesse est hoc loco, totam & veram factæ occisionis historiam subiicere, vt à variis authoribus & certæ fidei refertur: primum ab Edouardo monacho qui S. Martyrem in vlnis suis tenebat donec altera à sicariis præcisa esset, interim dum Martyrium suum gloriosum obiret, qui & illius vitæ Author est quæ apud Surium extat: deinde in Quadrilogo à 4. illis authoribus prænominatis viris grauissimis: à Matthæo quoque Parisiensi chronico fidelissimo: qui liber etiam durante hoc schismate Londini impressus est anno 1571. Horum enim hæc est certa & fidelis relatio, à qua nec Polydorus, nec Neubrigensis, nec annales vlli nostri quos viderim (vidi autem varios) vel verbo aliquid discrepans narrant, *Reuersus domum Archiepiscopus cum summa animi deuotione ac puritate celebrauit Christi natalem: atque eo ipso die post concionem terribili sententia perculit vnum ex Regis ministris propter facinus quoddam & cæsos ministros suos: itemque Randulphum hominem scelestum totius malitiæ incentorem. Tandem adiecit, A Iesu Christo maledicti sint, & à cœtu sanctorum deleatur eorum memoria quicunque inter me & Dominum meum Regem odium & discordias seminabunt. Abierunt tum quidam magni viri ad Regem, & sanctum Martyrem apud eum detulerunt: ita vt Rex grauissimè commotus iteratis vocibus ita dixisse feratur: Inertes ac miseros homines enutriui & erexi in regno meo, qui nec fidem seruant domino suo, quem à plebeio quodam Clerico tam probrosè patiuntur illudi. Aderant ibi nobiles quatuor genere conspicui, & è familia Regis. Ij hæc verba ex ore Regis rapientes, sæuius ea quam Rex vellet interpretati sunt: moxque in necem sancti viri conspirarunt: nescienteque Rege, mare celerrimè traiecerunt. Rege vbi id comperit suspicante mali quippiam illos moliri, mittenteque nuncios, qui eos reuocarent: sed illi iam longius antecesserant quàm vt posset reuocari. Inuito quidem Rege cæsum ab illis fuisse Archiepiscopum vel inde satis liquet, quod vbi comperit crudelissimum facinus, incredibili dolore & horrore correptus fuit. Voluerat ille vel in carcerem conijcere aut alio modo coercere, vt à sententia illum deduceret. Sed illi homines nefarij postquam in Angliam venerunt, adiunctis sibi quibusdam ministris Regis, quos Archiepiscopus excommunicarat, & militum satellitumque coacta manu, mentiebantur se iussos à Rege tollere è medio Archiepiscopum. Itaque die illo qui sanctorum Innocentium festum sequitur, absoluto iam prandio, sese colligunt aduersus virum pium & innocentem, qui iam in interiorem domum secesserat cum domesticis de negotiis tractaturus. Soli autem quatuor cum vno satellite ingressi sunt, itumque illis obuiam est honorificè tanquam domesticis Regis. Illi iubent dici Archiepiscopo, velle se cum ipso Regis nomine colloqui. Annuit vir sanctus, vt introducantur. Introducti diu sedent taciti, & neque salutant, neque appellant Archiepiscopum. Tacet etiam ipse aliquamdiu: postea salutat pacificè. Illi pro salutatione reddunt maledicta, adeoque in necẽ eius ferebantur præcipites, vt nisi ostiarius Clericos, quos vir sanctus exire iusserat, reuocasset; hasta quadã quæ illic stabat, illũ confodere voluerint, vti postea ipsi confessi sunt. Intro autẽ reuersis clericis, qui primarius erat in his quatuor viris, ita ait, Rex cõtrouersijs omnibus consopitis, te ad tuã sedem remisit. Tu maleficiis beneficia cõpensans, eos, quorũ opera filius Regis coronatus est, à suo ministerio suspẽdisti, ministros Regis anathemate percussisti: vt satis appareat, te filio Regis, modo possis, coronam auferre constituisse. De his vtrũ corã Rege purgare te velis, edicito. Ea enim causa nos huc missi sumus. Respondit vir sanctus: Testis est Deus nunquã me filio Regis*

Hist. tripar. l. 4. c. 15.

In vita eius apud Surium.

In rescripto Iulii ad Orient. to. 1. Conciliorum.

Hist. Eccl. li. 2. c. 8.

Cap. 7. Luc. 22.

Matt. 10.

1.

2.

3.

Martyriũ S. Thomæ Cantuar.

Verba regis irati quæ necis causam dederunt.

Rex occidi Episcopum noluit.

Sicariorũ præceps malitia.

Mentiuntur egregiè

A *Regis coronam eripere voluiſſe, cui ego mallem tres alias adiungere cum regnis ampliſsimis, modo id rectè atque ordine fieri poſsit. Neque vero ego ſuſpendi à miniſterio Epiſcopos, ſed Dominus Papa id fecit: nec me decet abſoluere, vt vos vultis, quos ille ligauit. Tum illi: Iubet, inquiunt, Rex, vt cum omnibus tuis è regno exceDas. Contra Archiepiſcopus: Sed me deinceps ait, Deo propitio, nemo inter Eccleſiam meam & mare conſpiciet, Non veni vt fugerem. Hic me reperiet, ſi quis quæſierit. Illis obijcientibus, quod animi furore percitus, miniſtros Regis ex Eccleſia turpiter eiecisſet, vir ſanctus cum multo ſpiritus feruore illis reſpondit: Quiſquis auſus fuerit ſanctæ Romanæ ſedis inſtituta, vel Eccleſiæ Chriſti iura violare, nec vltro ſatisfecerit, non parcam, nec differam Eccleſiaſtica cenſura coercere peccantem. Hac illi viri Dei conſtantia perculſi propius accedunt, dicuntque ei: In capitis tui periculum hæc prolocutus es. At vir ſanctus: Non me (inquit) terrent minæ veſtræ, nec gladij veſtri promptiores ſunt ad feriendum, quam ego ad martyrium obeundum. Alium quærite, qui vos fugiat: me collato pede pro Domino meo præliaturum comperietis. Illis cum clamore & contumelijs exeuntibus, vir Dei ſuos conſolabatur, & vt nobis viſum eſt qui præſentes adfuimus, ita ſedebat imperterritus, ac ſi ad nuptias inuitatus eſſet ab illis. Mox reuertuntur illi loricati, accinctiq; gladijs, & ſecuribus armati. Fores autem clauſæ erant, nec pulſantibus aperiebatur. Tum illi occultiore via per pomarium ad ſepem ligneam diuertunt, ferroque & magna vi ſibi aditum parant. Eo horribili ſtrepitu miniſtri & clerici pene omnes terxiti fugerunt. Hortantibus illis qui remanſerant, vt vir ſanctus in Eccleſiam ſe conferret, plane recuſauit. Nõ enim talis caſu fugientem*

Sic Ambr. Valentin. ſatellitibus reſpondit epiſt. 33.

Reſponſio Epiſcopo digna.

Spiritus fortitudo Apoſtolica

B *dum eſſe, ſed dandum potius ſubditis exemplum, vt mallet quiſque feriri gladio quam videre legis diuinæ contemptum, & ſacrorum canonũ euerſionem. Inſtabant vero monachi: aiebant indecorum eſſe, à veſpertinis laudibus, quæ tum celebrabantur, ipſum abeſſe. Ille vero non ceſsit, veritus ſe priuatum iri optata martyrij corona, ſi in templum eſſet ingreſſus, cuius reuerentia arceri poſſent à tanto ſcelere parricidæ illi. Sane poſtquam ab exilio reuerſus fuit, ſic dixiſſe fertur, tanquam certus iam ſe per martyriũ hinc emigraturum: Habetis hic dilectũ Deo ac vere martyrem Elphegum: alium quoque vobis ſine mora diuina miſeratio prouidebit. Monachi quoque cum eum permouere non poſſent, valde inuitum abſportarunt in Eccleſiam: quam cum ingreſsi eſſent quatuor illi nobiles curſu rapidiſsimo ſequuti ſunt cum Hugone ſubdiacono deploratæ nequitiæ, quem malum clericum appellabant. Volentes autem Monachi obſerare fores Eccleſiæ, prohibiti ſunt à ſancto viro, qui tum præclare dicebat: Nos patiendo potius quàm pugnando ex hoſte triumphabimus: neque eo huc venimus vt repugnemus, ſed vt patiamur. Adſunt mox ſacrilegi carnifices, exclamantque furibundi: vbi eſt Thomas Becquet, Regis & regni proditor? Eo non reſpondente, maiori contentione vociferantur. Vbi eſt Archiepiſcopus? Tum ille plane intrepidus & imperterritus: Ecce adſum (inquit) non proditor regni ſed ſacerdos. Paratus ſum pro illo mori qui me redemit ſanguine ſuo. Abſit, vt propter enſes veſtros aut fugiam aut à iuſtitia recedam. At illi, Abſolue (inquit) quos excommunicaſti & ſuſpendiſti à ſuo officio. Nulla (ait vir ſanctus) ab illis exhibita eſt ſatisfactio,*

Non vult ad templũ quaſi locũ tutiorem ſe recipere.

Martyriũ ſuum prædicit.

Templi fores claudi non permittit.

C *itaque non abſoluam. Rurſus illi: Nunc igitur morieris, & recipies pro meritis: Ego vero, ait ſanctus martyr, pro Domino meo mori paratus ſum, vt Eccleſia meo ſanguine pacem & libertatem aſſequatur. Præcipio autem ex parte omnipotentis Dei, ne quenquam ex meis lædatis. Mox illi facto impetu, in eum irruunt, conantur extra fores extrahere, illic eum aut iugulaturi aut vinctum abſportaturi, vti poſtea confeſsi ſunt. Sed cum difficile poſſet loco moueri, & vnum ex eis acrius inſiſtentem à ſe remouiſſet, is terribili incenſus furore, enſem contra eius verticem vibrauit. Tum vero pius & ſanctus vir cernens adeſſe horam qua promiſſam perciperet martyrij coronam, ceruicem inſtar orantis inclinauit, iunctiſque & ſurſum erectis manibus Deo & S. Mariæ beatoque martyri Dionyſio ſuam & Eccleſiæ cauſam commendauit. Vix ea prolocutum, nefandus vir, metuens ne populus eum eriperet ex manibus ipſorum, coronam capitis eius, vulnere capiti inflicto, tanta vi amputauit, vt pariter ſecaret & præcideret brachium iſthæc referentis, qui ſolus, cunctis & monachis & clericis præ metu fugientibus, ſancto martyri conſtanter adhæſit; & inter vlnas eum continuit donec altera earum amputata eſt. Additus inde eſt alter ictus in ſacrum caput eius, & ille manſit immotus nihil ſe commouens. Tertio percußus genua flexit, dicens ſubmiſſa voce. Pro nomine Ieſu & Eccleſiæ defenſione paratus ſum mori. Tum vero tertius ex illis ſacrilegis percuſſoribus ita procumbenti graue inflixit vulnus, vt cum ſanguine pariter è capite cerebrum in eius faciem deflueret. Quartus interim abigebat ſuperuenientes vt cæteri poſſent in ea horrenda cæde liberius verſari. Quinto loco acceſsit is, quem ante diximus, Hugo ſubdiaconus exe-*

Nota veram martyrij cauſam.

Ceruicem offert percuſſoribus.

Vide patientiam incredibilẽ

D *crabilis, & poſito pede in collum ſanctiſsimi martyris, quod ſine horrore dici non poteſt, cerebrum cum ſanguine per pauimentum ſparſit, aitque ad illos quatuor: Abeamus hinc: iſte poſthac non reſurget*: Hæc eſt nobiliſſimi Martyrij vera hiſtoria. Iudicet nunc æquus lector an ſuæ ſibi mortis vllam vel minimam occaſionem dederit. Nullas hic audis Sancti Epiſcopi vel contumelias vel pugnas. Reſpondit quidem quod ad rem attinebat fortiſſimè: vt Epiſcopum decuit, integerrime: vt paratum ad extrema, intrepidè: vt Chriſto & Eccleſiæ deuotiſſimum, piè ac ſanctè. A Iuſtitia recedere, impiorum minis locum dare, oblatam martyrii occaſionem fugere non vult. Conſtantiæ, fortitudinis, pietatis & flagrantiſſimę in Deum charitatis argumenta ſunt iſta, *Sed loco moueri noluit*, è tẽplo ſe abduci paſſus non eſt: Ideo vnum ex ſicariis *acrius inſiſtentem à ſe remouit*, qui mox furore incenſus enſem contra eius verticem vibrauit. Hæc videlicet illa ſunt quæ hoc præclarum edictum amplificando, id eſt, de ſuo mendaciter adiiciendo ait Sanctum Epiſcopum *vnum ex eius ſinu violenter apprehenſum ita concuſsiſſe vt fere in Eccleſiæ pauimentum decciderit.* Atqui nec tanta violentia eum à ſe remouit, nec hanc vim primus ille intulit, ſed prius facto impetu in eum irruerant ſicarii; nec tumultuosè aut iracundè hoc fecit; ſed id tantum egit, ne è loco ſacro à prophanis hominibus traheretur, vel quia vt antea ex domo, ſic nunc ex hoc loco exire noluit ne fugæ ſpeciem res haberet, vel quia ex ſua Eccleſia Epiſcopus inuitum ſe abduci merito pati non debuit, vel denique quod hunc martyrio ſuo locum (ſi ita Deo videretur)

Impudentiſsimæ calumnię refutatio.

præelegit: Malens in ipsa Ecclesia pro Ecclesia sanguinem fundere, quàm extra Ecclesiam ab impiis sicariis aut obscure iugulari, aut captiuum abduci (quod etiam ipsi se postea facturos confessi erant si eum commodè è templo auellere potuissent) quo facto de eius morte fingere postea maleuoli homines quicquid libuisset potuissent. At vero facilè à sancto viro irritabantur, qui ad eum occidendum destinato venientes quamlibet eius rei occasionem rapiebant. Neque vero nouum aut insolens est sanctos Martyres certo quasi loco martyrium obire velle. Sancta Lucia virgo & martyr, quum eam ad lupanar abducere milites vellent, in loco iudicii immota perstitit, & non nisi eo in loco occidi voluit. Sanctus Ambrosius Imperiali mandato conuentus vt quo vellet abiret ex ciuitate, respondit *deferendæ Ecclesiæ sibi voluntatem subesse non posse, quia plus Dominum mundi quàm sæculi huius Imperatorem timeret.* Paratus videlicet erat sanctus Episcopus ne Arianis Basilicam traderet, in Ecclesia potius mori quam in exilium ire. Idem fecit Sanctus Thomas, sed vt maiorem vim passus quàm Ambrosius, ita fortius resistens. Reliquam vero sicariorum rabiem ac violentiam, tam inuicta animi fortitudine & admirabili patientia tulit, vt tres gladiorum ictus stans & immotus exceperit, nihil aliud quàm Deum piè precatus; de qua eius constantia sic in eius vita scribitur post verba iam citata, *In his omnibus incredibilem licebat Sancti Martyris videre constantiam, vt qui neque manum neque vestem opponeret percussoribus illis, nec vllum verbum vel clamorem ederet, imo ne gemitum quidem aut aliquam doloris significationem exprimeret, sed caput gladiis oblatum teneret immotum, donec cerebro cum sanguine erumpente, tanquam oraturus, corpus in terram, spiritum in sinum Abrahæ deposuit.* Hæc ibi. Ex quibus non tumultuantis pugnam, sed patientissimi Episcopi illustre martyrium deprehendere licet.

li. 5. epist. orat. in Auxentiũ

Sed nunc ad præclarum hoc Henricianum edictum redeamus, *Quin vero (quod amplius est) canonizatio ipsius non nisi ab Episc. Rom. facta est, idque ideo quia athletam se præbuit illicitæ potestatis eius vindicandæ, eumque hominem defendendi qui cleri flagitia toleraret maximè.* Hæc alia & vltima causa est huius præclari edicti. Displicet scrupuloso Regi quod non nisi à Romano Pontifice sanctus hic martyr in canonem & numerum Sanctorum relatus fuerit. At eadem opera omnes quos colit Ecclesia Sanctos, bonus hic Princeps è canone eradat. Neque enim alio Iudicio Sanctos recipit populus fidelis quàm Sedis Apostolicæ. Huius enim solius Sedis certum & infallibile iudicium agnoscit Ecclesia. An forte in Anglia hæretica illi soli pro Sanctis habendi quos Rex Anglorum tales esse voluerit? An quod olim Senatus Romanus sibi arrogauit, vt dii non essent nisi quos Senatus decerneret; ideoque postulante Tiberio Imperatore Christum in Deos referre recusauit, vt narrat Tertullianus: hoc sibi Senatus regius in Anglia hæretica arrogabit vt Sancti non sint nisi quos ipse decernat? Aut nullum in Sanctis recipiendis certum & supremum iudicium hæresis Anglicana agnoscere volet? Opinor sanè: quia nullos illi Sanctos venerari curant, quibus nihil est cum vera sanctitate commercii. At Romanus Pontifex ideo Thomam in Sanctorum numerum retulit quia potestatem pontificiam asseruit, atque ita in sua quasi causa iudex fuit. Quasi vero eodem argumento ethnicus quiuis Princeps contra Christianorum Pontifices vti non possit, & dicere. Isti Christianorum Pontifices pro Martyribus colunt qui nostris legibus restiterunt, qui athletas se præbuerunt eius fidei atque doctrinæ vindicandæ quam isti Pontifices tenent suosque subditos docent; ideoque in sua causa & pro seipsis non pro veritate pronuntiant. Neque enim certè magis absurdum est à Romano Pontifice Martyrem pronunciari, qui pro authoritate Pontificia asserenda occubuit, quam qui pro fide Christiana occisus fuerit: vtramque enim veritatem æque asserit atque tuetur Romanus Pontifex. Quanquam tamen Diuus Thomas non solum pro authoritate propriè Pontificia, aut ad primatum Roman. Pontificum propriè pertinente; sed etiam pro authoritate ac potestate necessaria totius ordinis sacerdotalis gladiis impiorum occubuit: vt ex Articulis supra memoratis apertè constat. Neque Romanus Pontifex Alexander tertius ideo D. Thomam in Sanctos retulit quia authoritatem primatus Pontificii vsque ad mortem defendit, sed quia pro totius Ecclesiæ libertate, adeoque iusta & necessaria authoritate, vsque ad mortem dimicauit: (Vnde sic orat Ecclesia, *Deus pro cuius gloriosus martyr & Pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit, &c.*) ac denique quia infinitis & illustribus miraculis Sanctum suum statim post mortem Deus glorificauit. Ideoque Romanus Pontifex diuinę potius voluntati hac in parte morem gessit, quàm desiderium vllum suum adimpleuit. Et vix certè vllius Martyris passio tam crebris, tam illustribus, tam recentibus miraculis glorificata legitur quàm huius beati Thomæ, sicuti omnes qui de eo scripserunt testantur, nosque paulo post proferemus. Vt videlicet quanto Martyrii huius vel causa incertior & odiosior, vel modus inusitatior & rarior, adeoque magis dubius fuit, eo clarius & illustrius, omnique dubitatione vacuum, per tot & tam præclara miracula Deus illud reddere voluerit. Quam etiam ob causam in Oratione de D. Thoma sic specialiter precatur Ecclesia: *Concede propitius, vt omnes qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum.*

Canonizatio S. Tho. per Rom. Pont. legitima.

In Apolog.

Cauillationis refutatio.

Veræ causæ Canonizationis S. Thomæ.

Sequitur in edicto, *Has igitur & alias vrgentes ob causas quas hic replicare longum esset* (scilicet si tot præmissis mendaciis, & in tam infami edicto, huic rhetorico schemati vlla fides haberi da esset) *visum est Regali Maiestati ex Consilii sui sententia expedire, vt dilectis suis subditis declaretur, quod hac non obstante Canonizatione nihil in vita & conuersatione eius appareat cur sanctus*

appellari

A *appellari debeat*: Quæ fuerit huius Sancti vita, quæ ab incunte ætate cõuersatio, quæ maximè post Episcopatum totius vitæ mortificatio; copiosè & ad miraculum vsque apparet in vita eius apud Surium, in Quadrilogo, & apud Matthæum Parisiensem & in Epistola quadam Petri Blesensis quam postea proferemus. Quanquam & Martyrii causa talis est, vt si nulla vitæ sanctitas præcessisset, sola tamen ad Sancti nomen ac rem adipiscendam sufficiat, *Maiorem enim charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et mirum est hos homines sola fide ad salutem contentos, vitæ nunc & conuersationis integritatem ad salutem & gloriam cælestem requirere. An forte quorum est apud eos vita & conuersatio sancta, eos pro Sanctis habent ac Sanctos vocant? Certè hactenus nullos Sanctos Anglia hæretica vel hæresis Anglicana declarauit. Aut igitur nullos hactenus habuit vita & conuersatione sanctos, aut hæc contra S. Thomæ vitam ac conuersationem (vt illi volunt) non sanctam, ridicula cauillatio est. Sed pergamus in edicto. *Sed potius æstimari debeat rebellis ac proditor fuisse contra Dominum & Regem suum.* Quantopere Diuus Thomas Regi suo Henrico secundo placere studuerit, quibus & quam piis atque necessariis conditionibus adiunctis leges Regias amplecti paratus fuerit, quanto studio Regis offensionem cauerit, quàm denique in ipsa causa inter ipsum & Regem, Regiæ voluntati ad tempus cesserit ac morem gesserit, quàm nihil animo præfracto, obstinato, rebelli egerit; quàm nullo indiscreto zelo Regis legibus obstiterit, in superioribus perspicuè declaratum est. Sed vero solenne est, vt qui in causa religionis Regum libidini seruire nolunt, rebelles & proditores à Regum parasitis & aulicis, id est, pessimis Christianis nuncupentur. Sic Diuus Ambrosius à Calligono eunucho *contemptor Imperatoris* vocatur, eo quod basilicam Arianis tradere iubente Imperatore noluit. Sic Decius Imperator Cornelium Romanum Pontificem quia Epistolas ad Cyprianum scripsit, ab eoque accepit, *contra Rempublicam peccasse* pronuntiat. Sic Iulianus Apostata Iuuentium & Maximum Martyres glorioſos *tanquam perduellionis reos tacita Christiana professione*, decollauit. Denique tales proditores omnes in Ecclesia Christi martyres fuerunt; qui *contemnentes iussa principum meruerunt habere coronas perpetuas.* Sequitur edicti conclusio, *Quare sua Maiestas iubet expresse & mandat, dictum Thomam Becquet deinceps nec haberi nec nominari nec existimari Sanctum, sed Episcopum Becquet: Imagines quoque eius & picturas omnes per totum regnum demoliri, eque omnibus templis ac sacellis aliisque locis auferri: dies quoque festos in eius honorem celebrari solitos amplius non celebrari, officia quoque, Collectas, Antiphonas, Orationes in eius memoriam factas, ex omnibus libris & codicibus deleri*: Hic agit Antipapam vel etiam Antichri-

C stum Henricus, qui quem Sanctum per annos 400. Ecclesia Catholica coluit, audet omni cultu ac veneratione priuare, quasique de cælo deturbare: quam insolentiam à nullo vnquam vel Gotho vel Vandalo, vel barbaro quouis Hæretico perpetratam fuisse facile quis vsquam legerit. Quod tamen sequitur magis adhuc impium, magis Antichristianum est, *Iubet etiam sua Maiestas alios dies festos iam abrogatos à nemine amplius celebrari: sed statuta & præcepta suæ Maiestatis desuper emanata obseruari: vt videlicet populus illi subditus amplius non decipiatur, & ab omni superstitione ac cultu idololatriæ liberetur, quo præteritis temporibus contaminatus fuit: idque sub graui indignatione suæ Maiestatis & pœna arbitraria.* quod in Diuum Thomam scelerato ausu Rex impius attentauit, id in omnes postea quotquot ei visum est Sanctos attentare non est veritus: tanquam videlicet supremum Ecclesię Anglicanæ Caput, qualem se scripsit. Non est hæc impietas pluribus hoc loco exaggeranda, quùm manifestam hæresim illa complectatur, & de nefaria hac atque absurdissima in causa religionis laicocephalia, vtcunque sit à nobis alio in libro disputatum. Sed vt ad Diuum Thomam redeamus, qui quod cum aliis etiam Sanctis ab hæretica Anglia profligetur, honorificum illi censeri debet, breuiter notabo, quanto maior fuerit & acerbior Henrici octaui quem Sanctus Thomas offendere non potuit, quam

D Henrici secundi qui offensus ab eo grauiter videbatur, in hunc Sanctum impietas. Henricus secundus etsi viuentem persequebatur vt eius libidini aduersum, tamen mortuum venerabatur vt supra paucis monstratum est, copiosius autem in vita Sancti Thomæ apud Surium videri potest. At Henricus octauus post annos ferè 400. Sanctum in tota Ecclesia habitum à tot Antecessoribus suis Angliæ regibus mirificè honoratum, tot ac tantis miraculis per totam Angliam illustrem, hoc infami edicto omni veneratione spoliauit. Henricus secundus percussores S. Thomæ defendere noluit, sed Romam ad pœnitentiam tam atrocis facti petendam ablegauit, vt scribit Neubrigensis, sed & totam huius Sancti necem omnemque eius causam à se ipso quanto potuit studio longissimè amouit; adeoque iniustè & nefariè occisum fuisse, multis modis declarauit: vnde & ipsemet quoque pœnitentiam à Romani Pontificis legatis iniunctam humiliter suscepit, vt refert Neubrigensis, eodem in loco. Henricus octauus in hoc edicto percussores iustificat, ipsum Sanctum suæ quodammodo mortis occasionem dedisse affirmat. Henricus secundus occisi Martyris reliquias magna humilitate veneratus est, multis lacrymis veniam persecutionis iniustæ deprecatus est. Henricus 8. rebellem eum ac proditorem proclamat. Henricus 2. certis reditibus annuis (vt est apud Matthæum Parisiensem & in Quadrilogo) memoriam S. Thomæ honorauit, & quibus potuit officiis factas Sancto iniurias reparauit; vt supra commemorauimus. Henricus octauus omnes illos reditus totumque monasterium Cantuariense sustulit atque subuertit. Henricus 2. omnesque eius successores Anglorum

Ioan. 15.

De Principiis fidei doctrinal. li. 5. c. 17. & sex. seq. Comparatio inter Henricum 2. & Henricum 8.

1.

2. *li. 2. c. 25.*

3.

4.

5.

Reges, memoriam ac Mausoleum D. Thomæ amplissimis & magnificentissimis donariis exornarunt & locupletarunt. Henricus 8. ea omnia vt prædo robustus expilauit. Henricus 2. leges
6. illas iniquas quas viuente S. Thoma mordicus extorquere contendit, post glorioſum eius martyrium ſtatim abrogauit, & Anglicanæ Eccleſiæ pacem optatiſſimam reddidit. Henricus 8. eaſdem iniquiſſimas leges aliaſque iniquiores reuocat, & earum nomine memoriam huius Sancti
7. obliterare, ſed fruſtra & inaniter, laborauit. Poſtremo Henricus 2. Dei & Eccleſiæ iudicio ceſſit: à Deo glorificatum, ab Eccleſia in Sanctorum numerum relatum, humiliter & vt Eccleſiæ filium decuit, honorauit & coluit. Henricus 8. poſt annos fere 400. oſſa huius Sancti, tanquam infamis alicuius vel hæretici vel malefici ſacrilege effodit; & flammis publicis (inaudito facinore) concremauit.

Exempla Sanctorũ Pontificum S. Thomas ſequutus eſt. Epiſt. 33.

Nunc vt ad D. Thomam redeamus, atque breue hoc Apologeticum noſtrum concludamus, nihil in Eccleſia Dei nouum, nihil à boni Paſtoris officio alienum fecit hic ſanctus Pontifex & martyr. Fecit quod clariſſimi & ſanctiſſimi Epiſcopi contra Principes & magiſtratus male feriatos non ſolum in cauſa fidei & dogmatum; ſed etiam in quæſtione politiæ & poteſtatis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſartæ tectæ conſeruandæ fecerunt. Fecit quod S. Ambroſius contra Valentinianum Iuniorem; eligens potius ſe occidendum militibus in Eccleſiam immiſſis obiicere, quàm Baſilicam vnam hæreticis tradere, aut coram Imperatore de fide diſputare. Sed & ipſum Imperatorem Theodoſium excommunicare non eſt veritus: vt iam dictum eſt. Fecit quod B
Theod. & Palladius vbi ſupra. Apud Surium in vitis ſingulorum.
S. Chryſoſtomus, eligens potius in exilium pelli, quàm vel Imperatricem Eudoxiã inique agẽtem & Callitropæ viduæ vineam per iniuriam rapientem non coercere, vel cõtra iuriſdictionem Eccleſiaſticam ab alienis Epiſcopis in ſua ciuitate iudicari. Fecit quod S. Anſelmus Cantuar. antiſtes Guilielmum Rufum Angliæ regem acriter increpans, quod ſedes Epiſcopales, ipſe interea fructibus gaudens, tam diu vacuas teneret: quod S. Edmundus Cantuarienſis etiam Archiepiſcopus contra Ioannem Regem huius Henrici 2. filium & ſimilia patri molientem: quod S. Dunſtanus Archiepiſcopus contra Edgarum Angliæ regem adulterantem: quod S. Lambertus contra Pipinum Auſtriæ Ducem cum ſua Alpaide ſimili ſcelere coniugale ius violantem: quod S. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus contra exactiones iniuſtas Richardi 1. Regis Anglorũ, qui miniſtros regios in ſuam diœceſim miſſos excommunicationis fulmine retrocedere coegit. Fecit quod S. Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus contra Boleſlaum Poloniæ regem adulterũ, paſſuſque ſimiliter ſicut ille: qui iuſſu regis ante altare interfectus eſt: quod S. Norbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis contra ciuium ſuorum inſolentiam, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeueritatem non ferentes; quorum medios furentium cuneos ingreſſus, furorem eorum ſua authoritate & præſentia non ſine aperto capitis diſcrimine repreſſit: quod S. Anſelmus Bellicenſis Epiſcopus, & S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus contra quoſdam Marchiones & magnates ius Eccleſiaſticum violantes facere non ſunt veriti. Fecit denique (vt commemorãdi finem faciam, etſi huiuſmodi exempla vix finem inueniant) quod S. Fredericus Epiſcopus Traiectenſis contra Ludouicum Regem Galliæ; quod S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus contra magiſtratum & populum Florentinum: qui quum duos ſacerdotes in crimine forte deprehenſos publica ignominia affeciſſent; eos primum excommunicatos, poſtea zona collo indita ad fores templi iuſſit procedere, ibique ſpectante populo, conuerberatos terga abſoluit. Fecit, inquam, non ſic in laicam poteſtatem animaduertens, ſed ſic ſacerdotale priuilegium defendens. Poſtremo fecit contra Henricum 2. Regem Sanctus Thomas, quod contra Henricum 3. Imperatorem ſacerdotalia iura inuadentem fecit S. Anno Colonienſis Archiepiſcopus; & contra Henricum 4. Imperatorem multa ſibi ſacerdotalia vendicantem, S. Benno Herbipolenſis Epiſcopus. Quorum omnium typus fuit ſummus ſacerdos Azarias; qui Oziam regem munus ſibi
2. Par. 26. ſacerdotale arrogantem templo expulit. Quod autem plerique horum ſicut & S. Thomas, ab his regibus extrema paſſi ſunt, illud etiam nouum nõ eſt aut ſacerdotali dignitate & gloria alienum, iuxta illud S. Ambroſii, qui Calligono Eunucho cubiculario Valentiniani Iunioris dicenti ei: *Tu me viuo Imperatorem contemnis? Tollo tibi caput*: reſpondit fortiter, *Tu facies quod ſpadonis eſt, ego patiar quod Epiſcopi eſt*. Sic S. Thomas paſſus eſt vt multi alii præclariſsimi Epiſcopi: atque vt Epiſcopum pro grege ſuo decuit. quatuor autem illi ſicarii quorum gladiis occubuit, fecerunt quod impiorum ſatellitum eſt, & vt paraſiti ac Gnathones regii facere ſolent: verbum videlicet ex ore Regis rapere, vt innocentes interficiant. Sed nunc ſatius eſt ipſum D. Thomam loquentem audire, ſuæque prouinciæ Epiſcopis, grauiſsimè & diſerte reſpondentem legere. Poſtea quæ de ipſo S. Thoma vel ad ipſum alii ſcripſere & ad noſtras manus peruenire potuerunt, ſubiicientur.
Epiſt. 33.

EPISTOLA

A

EPISTOLA

DIVI THOMÆ

B

AD EPISCOPOS ANGLIÆ APOLOGETICA:

IN QVA EXILII SVI CAVSAM docte, diserte, fortiter defendit.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis venerabilibus fratribus suis vniuersis Cantuariensis Prouinciæ Dei gratia Episcopis, si tamen vniuersi scribunt, salutem: & id agere quod nondum agunt.

Ex pernetusto M.S. Codice.

C FRaternitatis vestræ scriptum, quod tamen de prudentiæ vestræ consilio communi non facile credimus emanasse, nuper ex insperato suscepimus: cuius continentia plus videtur habere mordacitatis quàm solatij. Et vtinam magis esset emissum de pietatis studio, de charitatis affectu, quã de obedientia voluntatis: *Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.* Erat quippe de iure officij vestri, si veritatem habet Euangelium, (quod quidem habet) si rectè agimus eius officiũ, si fideliter eius negotiũ geritis cuius repræsentatis figuram, *magis eum timere qui potest animam & corpus mittere in gehennam, quam qui potest corpus occidere: magis obedire Deo quam hominibus*, patri quàm Domino: eius exemplo *qui factus est patri obediens vsque ad mortem*. Mortuus est vtique ipse pro nobis, *nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius*. Commoriamur ergo & nos ei. Ponamus animas nostras pro liberanda Ecclesia sua à iugo seruitutis, & oppressione tribulantis, quam ipse fundauit, eiúsque comparauit libertatem sanguine proprio: ne si secus egerimus, meritò comprehendat eos illud Euangelicum: *Qui amat animam suam plus quàm me non est me dignus*. Optimè nosse debueratis, quoniam si iustum est quod præcipit Imperator, eius debetis exequi voluntatem: si verò contrarium, respondè: *Quoniam oportet obedire Deo magis quam hominibus*. Vnum vobis dico, vt salua pace vestra loquar, multo tempore silui, expectans si fortè inspiraret vobis Dominus vt resumeretis vires, qui conuersi estis retrorsum in die belli: si fortè saltem aliquis ex omnibus vobis ascenderet ex aduerso, & opponeret se murum pro domo Israël: vel simularet saltem inire certamen contra eos qui non cessant quotidie exprobrare agmini Domini. Expectaui: Non est qui ascendat. Sustinui: Non est qui opponat. Silui: Non est qui loquatur. Dissimulaui ego: Non est qui vel simulatione certet. Reposita est mihi de reliquo querelæ actio, vt meritò clamare debeam, *Exurge Deus, iudica causam tuam*. Vindica sanguinem Ecclesiæ tuæ quæ euiscerata est, quæ facta est oppressione exanimis. Superbia enim eorum qui oderunt eius libertatem ascendit semper: nec est de cætero qui faciat bonum: non est vsque ad vnum. Vtinam fratres dilectissimi, is esset vobis affectus in defensionem libertatis Ecclesiæ, qui paret & propinatur nobis in eius confusionẽ in litteris vestris, vt credimus, minus legitimè appellatorijs. Verum fundata est ipsa supra firmã petram: nec est qui posset eam conuellere etsi concutere. Vt quid ergo quæritis me confundere, imò vos ipsos in me; imò & me vobiscum hominem qui suscepi in me omne periculum, sustinui tot opprobria, toleraui tot iniurias, expertus sum proscriptionem pro omnibus vobis? Expediebat quidem vnum affligi pro Ecclesia ista, vt vel sic eximatur à seruitute. Discutite men-

Monet Episcopos officij sui.

Ignauia Episcoporum grauiter culpat.

te simplici causam istam: examinate negotium: diligenter attendite quis debeat huius esse finis negotij; vt deducta Maiestate imperij, postposita penitus personarum acceptione, quarũ Deus acceptor non est, faciat ipse vos intelligere quidem quid egeritis, quidque quod intenditis agere. Auferat ipse Deus velamen de cordibus vestris, vt cognoscatis quid agere debeatis. Dicat ex omnibus vobis qui nouerit, si vnquam post meam promotionem alicuius vestrum tuli bouem vel asinum: si pecuniam, si causam alicuius iniquè iudicaui; si alicuius vestrum dispendio comparaui mihi compendium: Reddo quadruplum. Si verò non est quod offenderim, vt quid me solum derelinquitis in causa Dei? Quare vos ipsos vobis ipsis opponere curatis in causa ista qua nulla specialior est Ecclesiæ? Nolite fratres, nolite vos ipsos & Ecclesiam Dei confundere quantum in vobis est: *Sed conuertimini ad me & salui eritis* dicit Dominus: *Nolo mortẽ peccatoris quantum vt conuertatur* & viuat. State mecum fratres in prælio. Apprehendite arma & scutum, & exurgite in adiutorium mihi. Accingimini gladio verbi Dei potentissimi, vt simul omnes fortius & validius valeamus vnà resistere pro officij nostri debito aduersus malignantes, aduersus operantes iniquitatem; aduersus eos qui quærunt tollere animam Ecclesiæ quæ est libertas: sine qua nec viget Ecclesia nec valet: aduersus eos qui quærunt sanctuarium Dei hæreditate possidere. Festinemus ergo simul omnes id agere, ne ira descendat super nos tanquam super negligentes pastores & desides, ne reputemur canes muti non valentes latrare: ne exprobretur nobis à transeuntibus: *A senioribus Babylonis egressa est iniquitas*. Reuera si me audieritis, scitote quoniam Dominus erit nobiscum, & cum omnibus nobis in cunctis vijs nostris ad faciendam pacem, & defendendam Ecclesiæ libertatem. Alioquin iudicet Deus inter me & vos, & requiret Ecclesiæ confusionem de manibus vestris: quam velit nolit mundus necesse est stare firmiter in verbo Domini in quo fundata est, donec veniat hora eius vt transeat de hoc mundo ad patrem. Iudicabit quidem eò quod reliquistis me solùm in certamine: nec est qui velit mecum ascendere ad pugnam ex omnibus charis meis: solùm adeo, vt cogitet forte quilibet vestrũ, vel dicat: *Væ soli: quia si ceciderit non habet subleuantem*. Sed reposita est mihi hæc spes mea in sinu meo, quoniam solus non est cum quo Dominus est: qui *cum ceciderit non collidetur. Supponit enim ipse Dominus manum suam.*

Innocentiã suam cum Samuele & Paulo demonstrat.

Hortatur suos egregiè.

Libertas anima Ecclesiæ.

Thom. solus à suis relictus.

Causæ exilij.

Hæc facta sunt post reiectas leges Regias Locus obscurus.

Vt itaque veniamus ad rem, exciditne vobis, dicite fratres mei, à memoria vestra, quid a- A
geretis mecum & cum Ecclesia Dei, quum adhuc essem in Anglia; quid in exitu meo; quid post exitum; quid & agatur diebus istis? quid maximè apud Northamptoniam, quum iterum iudicaretur Christus in persona mea ante tribunal præsidis: quum arctaretur Cantuaria ob iniurias sibi & Ecclesiæ Dei passim illatas: & sine delectu Romanam audientiam appellaremus? Bona sua (malè dicimus sua quum sint bona pauperum, patrimonium crucifixi; quæ potius ei sunt cõmendata quàm donata) sub Dei protectione ponere & Ecclesiæ Romanæ? Quis vnquam (etsi aliquando iniustè proscriptam diuina declarauit clementia) vidit, audiuit Cantuariam, iudicari, condemnari, cogi ad fideiussionem in curia regis, à suis præcipuè suffraganeis? Vbi est inuenta iuris ista vel canonum authoritas aduersa, imò peruersa peruersitas? vt quid enormitas ista nõ parit vobis erubescentiam? Erubescentia enim immittit confusionem: confusio elicit pœnitẽtiam: pœnitentia excutit satisfactionem coram Deo & hominibus. Ob tot quidẽ & tantas Deo & Ecclesiæ suæ illatas iniurias, & mihi propter Dominum, quas sustinere non debui salua conscientia mea, nec sine discrimine vitæ meæ potui emendare, nec dissimulare sine animæ periculo; elegi potius declinare ad tempus, vt habitarem salubrius in domo Domini quam in tabernaculis peccatorum, donec completa esset iniquitas, reuelarentur corda iniquorum, & manifestarentur cogitationes cordium. Illa tot iniuriarum illatio fuit causa appellationis meæ. Hæc fuit occasio recessus mei quem dicitis inopinatum: qui magis secundum ea quæ proponebantur aduersum me, & quæ agebantur mecum (si veritatẽ loquimini qui nouistis) debuisset fuisse inopinatus; ne impediretur præscitus. Sed domino vertente casus aduertsos in melius, prospectum est Domini nostri Regis honori & suorum: ne quid fieret in me in ipsius ignominiam, & generationis suæ. Melius enim consultum his qui suspirabant in necem meam, qui sitiebant sanguinem meum, qui aspirabant ad fastigium Ecclesiæ Cantuariæ (vt vulgo dicitur & creditur) in nostram perniciem. Vtinam minus ambitiosè quàm auidè. Appellauimus & appellati sumus: & rebus Ecclesiæ Cantuariæ nostrisque & nostrorum (sicuti iuris exigit ratio) in tuto manentibus, nostram prosecuti sumus appellationem. Si nobis recedentibus & in discessu nostro, prout dicitis, turbata sunt omnia; sibi imputet qui causam dedit, qui hoc procurauit. Facientis proculdubio culpa hæc est, non recedentis: persequentis non declinantis iniurias. Damnum enim dedisse videtur qui causam damni dedit. Præsentauimus nos curiæ. Nostras & Ecclesiæ proposuimus iniurias. Aduentus nostri causam & appellationis exposuimus. Non affuit qui nobis responderet vel in aliquo. Expectauimus nec venit qui aliquid nobis obijceret. Nulla aduersum nos reportata sententia. Antequam veniretur ad Regem (nobis adhuc de more expectantibus in curia si fortè aliquid nobis opponeretur) ad nostros accessum est officiales. Interdictum est eis ne in aliquo super temporalibus nobis obedirent: ne nobis vel nostris quicquam ministraretur ab ipsis, citra mandatum Regis & conscientiam; te fratre Lũdoniarum cum Richardo VVelcestria, & Eboracensi (sicut dicitur) dictante sententiam. Festinatum est tamen ad Dominum Regem. Viderit ipse. In caput eius conuertatur qui hoc dedit cõsilium, sine iudicio.

Vt videtur ex Epistola Archiepiscopi ad Suffraganeos.

Voluit Rex Archiepiscopum obligare ne excederet regno.

Vide vitã eius apud Surium 29. Decembris

Causa fugæ grauissima

Recessus Sancti inopinatus ne impediretur præscitus.

Regi Archiepiscopum suis legibus cõtradicentem condemnante ad Sedem Apost. appellauit.

Episcopi contra Archiepisc. suam dictant sententiam.

Crudelitas Regis in absentem

D. Thom.

B

C

D

Sine

A Sine ratione, post appellationem, nobis etiam adhuc in curia morantibus, spoliata est Ecclesia. Spoliati sumus & nos cum nostris; proscripti & ipsi clerici cum laicis, viri cum mulieribus, mulieres cum infantibus in cunabulis. Addicta sunt fisco bona Ecclesiæ, patrimonium Crucifixi: Pars pecuniæ conuersa in vsus regios: pars in tuos frater Ludoniarum si vera sunt quæ audiuimus, & Ecclesiæ tuæ. Quod si ita est, exigimus à te, præcipiẽtes tibi in virtute obedientiæ quatenus infra quadraginta dies post istarum susceptionem litterarum quicquid inde tulisti, vel in vsus Ecclesiæ tuæ conuersum est, remota omni occasione & dilatione infra tempus prænominatum in integrum nobis restituas. Iniquum est enim & iuri valde contrarium Ecclesiam ditari de alterius incommodo. Si laudas authorem scire debes super rebus Ecclesiæ ablatis eũ non legitimè posse præstare authoritatem qui violentam facit iniuriam. Quo ergo iure peruerso, quo ordine canonum transposito potetunt se tueri raptores, sacrilegi, bonorum Ecclesiastico- tum inuasores, non restitutis ablatis Ecclesiæ? Opponentne appellationis obstaculum? Absit. Quæ noua, imo quæ iuri contraria introducitis in Ecclesiam istam? Videte quid agatis. Certè cudetur in vos faba ista & in Ecclesias vestras, si nõ melius vobis prospexeritis. Periculosè enim ageretur cum Ecclesia Dei si raptor sacrilegus alienorum bonorum inuasor, maximè Ecclesiæ, tutus esset aduersus eam appellationis auxilio. Frustra enim iuris implorat auxiliũ qui iuri non

Spoliatæ absente Archiep. Eccles. Cantuar.

B obtemperat, imò qui est contrarius Iuri. Suntne istæ iniuriæ quas addimus iniuriis? labores quos laboribus adijcimus, quia ista & alia enormia quæ fiebant & fiunt in Ecclesia ista non sustinuimus? quia grauati appellauimus? quia recessimus à curia? quia ausi sumus super iniurijs Ecclesiæ & nostris conqueri? quia super his omnibus non tacemus? quia ista parauimus corrigere? Periculosè certè affligitur cui saltem conquerendi solatium negatur. Vos amici mei qui altiora sapitis inter alios, qui geritis vos alijs prudentiores (quoniam solent filij huius sæculi prudentiores esse filijs lucis) vt quid decipitis fratres vestros? & subditos quare inducitis in errorem istum? Quæ authoritas, quæ scriptura contulit hanc prærogatiuam Principibus in Ecclesiasticis, quam vos vultis ei conferre? Nolite fratres, nolite iura regni & Ecclesiæ confũdere. Discretæ quidem sunt potestates istæ, quarum vna potestatem & vim sortitur ex alia. Legite Scripturas, & inuenietis quot & qui periere reges qui nisi sunt sibi Sacerdotale officiũ vsurpare. Prouideat ergo vestra discretio, ne ob istam pressura diuina vos atterat iniuriam: quam si venerit non effugietis de facili. Consulite etiam Domino Regi, qui eius comparatis gratiã Ecclesiæ dispendio; ne (quod absit) pereat ipse & domus eius tota, sicut ipsi periere qui in consimili deprehensi sunt delicto. Si verò ab hoc incœpto non destiterit, qua animi conscientia non puniemus ista? qua puritate conscientiæ ista dissimulabimus? Dissimulet quidem qui hanc habet dissimulandi authoritatem: non ego; ne veniat in animam meam ista dissimulatio. Innuitis

Spoliatores ab Archiepisc. excõmunicati appellant. Contradictionẽ suã defendit. Mali Episcopi Eccl. libertatem produnt.

Comparãt Regis gratiam Ecclesiæ dispendio.

C litteris vestris, imò apertè dicitis, me reclamante regno, Ecclesia suspirante & ingemiscente, fuisse promotum. Scitis quid dicit Veritas: Os quod mendacium scienter loquitur occidit animam, verba verò Sacerdotis semper debent comitem habere veritatem. Deus bone, Nũquid non erubescet aliquis de plebe ista dicere? Consulite conscientias vestras. Aduertite formam electionis: Assensum principis per filium suum & per eos qui ad hoc missi sunt Filij, & cũ omnibus regni primatibus. Si aliquis eorum contradixit, si reclamauit, vel in aliquo: loquatur qui nouerit: dicat qui conscius est. Si verò turbatus iam fuerit aliquis, non dicat pro sua molestia, toti regno & Ecclesiæ factam fuisse iniuriam. Litteras quoque Domini Regis, & omnium vestrum diligentius attendite, postulantes nobis cum magna instantia pallium & obtinuisse. Sic se habet rei veritas. Verùm si quem torsit inuidia, si quem afflixit ambitio, si cui tam pacifica, tam legitima, tam sine contradictione facta electio, dolorem & amaritudinem impressit animi, eatenus vt ob hoc machinetur & velit turbari omnia, indulgeat ei Dominus & non imputet, eóque suam minimè culpam taceat, suámq; animi indignationem in conspectu omnium publicè confiteri non erubescat. Dicitis me de exilii sublimatum ab ipso in gloriam. Non sum reuera at-

Promotio ad nem suam defendit.

D auis editus regibus. Malo tamen is esse in quo faciat sibi genus animi nobilitas, quã in quo nobilitas generis degeneret. Fortè natus sum de paupere tugurio. Sed cooperante diuina clementia quæ nouit misericordiam facere cum seruis suis, quæ elegit humilem vt confundat fortia, in exilitate mea antequam accederem ad Regis obsequium; satis copiosè, satis abundanter, satis honorificè sicut ipsi nouistis (prout abundantius inter vicinos meos & notos cuiuscúmq; conditionis fuerunt) conuersatus sum. Et Dauid de post fœtantes assumptus constitutus est, vt regeret populum Dei: cui aucta est fortitudo & gloria quoniam ambulauit in vijs Domini. Petrus vero de arte piscatoria electus factus est Ecclesiæ princeps, qui sanguine suo meruit pro nomine Christi in cœlis habere coronam & in terris nomẽ & gloriam. Vtinam & nos similiter faciamus. Successores enim Petri sumus non Augusti. Nouit Dominus quo intuitu nos ipse desiderauerit sublimari. Respondeat ei sua intentio: & nos respondebimus ei pro officij nostri debito: fidelius per misericordiam Dei in seueritate, quàm qui blandiuntur ei in mendaciis: *Meliora enim sunt verbera amici quàm fraudulenta oscula inimici.*

Ad obiectionẽ de generis ignobilitate.

Optat Martyrium. Seueritatis cultor.

Impingitis nobis ingratitudinis notam per quandam insinuationem. Credimus quia nullum peccatum criminale est quod importet infamiam, nisi processerit ex animo. Vnde si quis homicidium inuitus commiserit, etsi homicida dicatur & sit, non tamen homicidij reatum incurrit. Sic dicimus, Etsi Domino nostro regi obsequiũ debeamus iure dominij, etsi teneamur

Quod Regi non fuerit vel inobediens vel ingratus.

ad reuerentiam præstandam iure regio, etsi Dominum sustinuimus, si filium paterno affectu conuenimus, si in conuentu non auditi & dolentes necessitate officij seueritatis cẽsuram exercemus; plus credimus nos pro ipso facere & cum ipso quàm contra ipsum: plus ex eo promereri gratiam quam ingratitudinis notam vel pœnam; Sæpissimè certè beneficium confertur inuito. Vnde commodius prospicitur eius indemnitati qui, & non aliàs, vrgente necessitate reuocatur à perpetratione delicti. Præterea defendit nos ab ingratitudinis nota pater noster & patronus, qui est ipse Christus. Iure paterno tenemur ad eius obedientiam, qua non obseruata puniemur iusta exhæredationis pœna. Potest enim pater exhæredare filium ex certa causa. Ipse enim dixit: *Si non annunciaueris impio iniquitatem suam, & moriatur in delicto suo, sanguinẽ eius de manu tua requiram*. Ergo si delinquentem non conuenimus, si non audientem non corripimus; committimus in mandatum & tanquam inobedientiæ rei iure exhæredamur. Iure patronatus quo eius sumus liberti: quoniam *quum essemus serui peccati, facti sumus liberi iustitiæ* per eius gratiam, obligamur ei ad reuerentiam & obsequiũ. Vnde quoniam nemini nisi ei saluã fide tenemur obnoxij, si fit contra eũ in dispendium Ecclesiæ pertinaciter, merito si non punimus commissum, pro ea parte solicitudinis in quam vocati sumus, collatum reuocabit à nobis ob ingratitudinem solus ipse beneficium: ex quo verè apparebimus ingrati. Proponitis nobis periculum Ecclesiæ Rom. iacturam temporalium; periculũ quidem nostrum & nostrorum; nec fit mentio de periculo animarum. Intentatis nobis etiam comminatorium de recessu Domini nostri Regis (quod absit) à fidelitate & deuotione Ecclesiæ Rom. Absit inquam vt vnquam domini nostri regis deuotio & fides ob temporale commodum vel incommodum à fidelitate & reuerentia Romanæ discedat Ecclesię. Quicquid criminale & damnabile esset in priuato, nedum in principe qui multos secũ trahit post se. Absit etiam quod quis vnquam eius fidelis hoc vnquam cogitare debeat, nedum dicere: subditus aliquis, nedum Episcopus. Videátq; vestra discretio, ne oris vestri verba inficiant aliquem, vel plures in animæ suæ dispendium & damnationem, ad instar calicis aurei qui dicitur Babylonis interius, & exterius veneno illiniti: de quo quum quis biberit non timeat venenum quum viderit aurum; & sic in publicum veniat vestri operis effectus. Ille enim qui non fallitur, opus furtiuum producit in lucem, & machinationes denudat iniquas. In tribulatione quidẽ & sanguinis effusione consueuit Ecclesia crescere & multiplicari: *Proprium enim est Ecclesiæ vt tunc vincat quum arguitur; tunc obtineat quum læditur; tunc intelligat quum deseritur*. Nolite ergo fratres super ipsam flere, sed super vos ipsos: qui facitis vobis nomen sed non grande ex hoc facto, & dicto in ore omnium: qui prouocatis in vos Dei odium & vniuersorũ; qui paratis innocenti laqueum; qui cuditis nouas & ingeniosas rationes in subuersionem libertatis Ecclesiæ. Fratres per misericordiam Dei laboratis in vanum. Stabit enim ipsa Ecclesia, etsi sæpius concussa, in ea fortitudine & firmitate in qua firmiter fundata est donec veniat generale dissidium, donec filius ille perditionis surgat: quem non credimus de partibus occidentalibus ascensurum, nisi peruerse mutatus fuerit ordo rerum, & series scripturarũ. Si verò de temporalibus agatur, plus timere debemus iacturam animæ quàm temporaliũ. Scriptura verò dicit: *Quid prodest homini totum mundum lucrari, animæ verò sustinere dispendium?* Periculum vtique nostrum & nostrorum penitus abijcimus. Non enim timendus est ille qui corpus perdit, sed qui corpus & animam.

Iure paterno & patronatus Christo obediendum magis quã Regi.

Ad obiectionem de periculis.

Schisma Anglicanum parturiens per S. Thomæ constantiã abortum fecit.

Hilarius de Trinit. lib. 7.

O fortem & bonum Pastorem.

Arguitis nos super suspensione venerab. fratris nostri Sarisburiæ, & excommunicatione Ioãnis illius schismatici exdecani; prius (vt dicitis) inflicta pœnaliter quàm de cognitione processa legitimè, quàm de ordine Iudiciorum canonicè prodita. Respondemus quoniam vtrumque istorum iusta notauit pœnæ sententia: illum suspensionis, excommunicationis istum. Si perfectè tenetis negotij seriem, si rectè attenditis iudiciorũ ordinem, non erit vt credimus hæc vestra sententia. Hoc quidem habet authoritas quæ vos latere non debet, quoniam in manifestis & notorijs non desideratur ista cognitio. Perpendite diligentius quid actũ sit à Sarisburiensi super decanatu post Domini Papæ prohibitionem & nostram sub excommunicatione factam: & tunc rectius intelligetis, si de manifesta inobedientia suspensio rectè sequatur. Vnde B. Clemens: *Si prælatis suis non obedierunt cuiuscunque ordinis vniuersi, omnésque principes tam inferioris quam superioris ordinis atque reliqui populi, non solum infames, sed & extorres à regno Dei & consortio fidelium, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt*. De Ioanne de Oxenford dicimus quòd diuersis modis excommunicantur diuersi. Alij lege eos denũtiante excommunicatos. Alij sententia notati: Alij communicatione & participatione excommunicatorum. Illum verò quoniam incidit in hæresim damnatam, communicando schismaticis, & Domini Papæ excommunicatis, reatúmque & maculam excommunicationis in se contraxit, quæ pestis more lepræ inficit & intingit, consimiliq; pœna & facientes & consentientes confundit; & quoniam contra Domini Papæ mandatũ expressum & nostrorum sub anathemate, decanatũ Sarisburiæ excommunicatus vsurpauit, denuntiauimus, & excommunicauimus, & excommunicatum firmiter tenemus: & quod de eo factum est in decanatu & super decanatu cassauimus & cassatum tenemus; sicut & Dominus Papa iam ipsemet cassauit authoritate octauæ Synodi, cuius hæc est sententia. *Si quis palam, vel absconsè cum excommunicato locutus fuerit, aut iunctus communione, statim in se cõtrahat excõmunicationis pœnam*. Et Concilium Carthaginense dicit: *Qui communicauerit cum excommunicato, si clericus est deponatur*. Videat ergo discretio vestra ne quis vestrum cum eo communicauerit. Calixtus enim Papa dicit, *Excommunicatos quoúsque à Sacerdotibus nullus recipiat ante vtriúsque partis examinationem iustam:*

Ad obiectionem de quorũdam excommunicatione.

nec

A *nec cum eis in oratione aut cibo, aut potu aut osculo communicet : nec Aue eis dicat : quia quicunque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem & simili ipsi excõmunicationi subiacebũt.* Hic est ordo canonicus (vt credimus) incognitus, sed authoritate canonica fultus. Et ne miremini si quandoque condemnatur absens, legite Paulum; qui absens publicè fornicantem cum nouerca sua non conuictum testibus, non confessum, etiam absentem, cuius crimen omnes sciebant & non arguebant (sicut vos istius, quem non de iure defendit regia potestas) eiecit à cœtu fidelium *& iudicauit tradi eum Satanæ in interitum carnis vt spiritus saluus fieret*, sicut nos istum. Cæterum quia hoc tempore in partibus istis multa huiusmodi & satis grauia in absentia nostra fiunt enormia, quæ de cætero licet absentes corpore, præsentes tamen authoritate, salua animi nostri conscientia præterire non debemus nec possumus incorrecta, tibi frater Lundoniarum, qui nosse debueras illud Gregorij septimi; *Si quis Episcopus fornicationi presbyterorum, diaconorum, vel crimini incestus in sua parochia, precio, precibus siue gratia interueniente consenserit, vel commissum authoritate sui officij non impugnauerit, à suo suspendatur officio*; illúdq; Leonis: *Si qui Episcopi talem consequuntur Sacerdotem qualem esse non liceat, etiam si aliquo modo damnum proprij honoris euaserint; ordinationis ius vlterius non habebunt; nec illi vnquam Sacramento intererunt, quod iuramento præstiterunt*; quoniam in istorum sententiam canonũ sicut pro certo audiuimus deliquisti dupliciter; mandamus tibi, & in virtute obedientiæ mandando iniũgimus, quatenus si ita, & infra tres
B menses post nostrarum susceptionem litterarum, venerabilium fratrum nostrorum coepiscoporum consilio de tanto excessu sic studeas te offerre correctioni & satisfactioni; ne cæteri tuo exemplo in consimile delictum incidant; & nos pro negligentia tua debeamus tibi seuerius proponere mandatum.

Opponitis nobis contra metum grauaminum, non remedium per appellationem sed impedimentum, quo minus (sicut intelligimus) exerceamus aduersus malefactores, inuasores bonorum Ecclesiasticorum disciplinæ censuram Ecclesiasticæ, ne in Dominum nostrũ regem, vel terrã suam, in personas vestras & Ecclesias aliquid statuamus, & eo ordine quo progressi sumus contra Saresburiensem, sicut dicitis, & eius exdecanum. Absit à nobis vt aliquid in eum vel terram suam, in vos & Ecclesias vestras inordinatè statuerimus vel statuamus. Sed quid est si eo delinquatis modo vel consimili quo iam deliquit Sarisburiensis? Nunquid hac appellatione potestis suspendere authoritatem nostram ne in vos aut Ecclesias vestras seueritatis disciplinã exerceamus, si delicti enormitas hoc exigat? Aduertite diligentius, si hæc sit legitima appellatio, & quæ sit hæc appellationis forma. Scimus quia omnis appellãs aut suo nomine appellat aut alieno. Si suo, aut à grauamine quod ei infertur, aut quod timet sibi inferri. Certũ tenemus quod nullum grauamen vobis (Deo gratias) adhuc à nobis illatum est, vnde debeatis ad appellatio-
C nis confugere remedium. Nec credimus vos ad præsens habere causam aduersum nos aliquã, quæ specialiter vestra sit. Si contra metum grauaminum, ne quid de cætero statuam in vos, vel Ecclesias vestras, videte si sit iste metus qui debeat venire in homines cõstantissimos: Si hæc sit appellatio quæ debeat suspendere omnem authoritatem & potestatem nostrã, quã habemus in vos & Ecclesias vestras. Creditur verò à sapientibus, credimus & nos eam nullius esse momenti: tum quia formam appellationis habere non videtur, tum quia rationi consentanea non est; imò totius Iuris penitus auxilio destituta. Si alieno appellastis nomine, aut Domini regis, aut alterius. Si Domini regis, certè nosse debuerat discretio vestra, quoniam introductæ sunt appellationes ad pulsandam iniuriam non ad inferendam: ad subleuandos oppressos, non ad amplius opprimẽdos. Vnde si quis nõ cõfidentia iustæ causæ, sed causa afferendæ moræ, ne contra eum feratur sentẽtia appellauerit, huiusmodi appellationem censeo non esse recipiendam. Quis enim erit Ecclesię status si subuersa eius libertate, si rebus eius occupatis & detẽtis, Episcopis à sede propria expulsis, vel nõ pacificè cum omni securitate omniúmq; ablatorũ restitutione admissis, rap-
D tores, occupatores, inuasores, ne coërceantur licitè appellauerint, & se defenderint per appellationem? Quæ erit ista Ecclesiæ destructio? Videte quid egeritis, quidq; dicatis. Nonne vicarij Christi estis? Nonne vices eius in terra geritis? Nonne vestrum est conuenire, corripere, coërcere malefactores, vt vel sic desistant Ecclesiam Dei persequi? An non satis est si ipsi sæuierint in Ecclesiam, nisi & vos pro eis vobis ipsis & Ecclesiæ in eius perniciem opponatis? Quis vnquam audiuit hæc mirabilia? Et audietur, & prædicabitur in omni populo & gente, suffraganeos Cãtuarien sis Ecclesiæ, qui cum Metropolitano suo ob defensionem Ecclesiæ, eiúsq; libertatis deberent viuere & mori, omniáq; sustinere dispendia, velle ad mandatum regium quantum in ipsis est, suspẽdere potestatem ipsius & authoritatem, ne seueritatis disciplinã exerceat in delinquẽtes aduersus Ecclesiam. Vnum certè scio, Duorum personam simul gerere nõ rectè potestis, appellantium & appellatorum. Vos estis qui appellastis: vos estis aduersum quos appellatur. Nõne vna est Ecclesia? & vos de corpore eius estis? En certamen satis legitimũ, satis canonicum, vt qui membra sunt Ecclesiæ ineãt certamẽ cum capite suo quod est Christus. Timeo fratres, ne (quod absit) dicatur de nobis: *Isti sunt Sacerdotes qui dixerunt : Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt eam.* Præterea discretionem vestram latere non credimus, quoniam nõ solẽt audiri appellantes, nisi quorum interest, aut quibus mandatum est, aut qui negotium gerũt alienum. Interestne vestra vt non coerceantur delinquentes aduersus Ecclesiam? Absit. Imo certè contrarium. Si vero is qui subuertit Ecclesiæ libertatem, qui bona ipsius inuadit, & occupat, & in suos vsus cõuertit,

De appellatione Episcoporũ contra ipsum.

In quatenus a poteſt appellari.

Episcopi Angli appellarunt contra Archiepisc. suum in fauorẽ sacrilegorum & raptorũ. Nota.

Episcopi appellarũt contra seipsos. Qui admittuntur ad appellãdum.

in sui defensionem minimè super hoc auditur appellans, multo minus pro eo appellantes. Ergo nec domino regi suffragatur appellatio à vobis pro ipso edita, nec vobis prodest pro ipso emissa. Vnde si hoc casu appellare non potest nec mandare, sic nec vos super hoc mãdatum ab ipso accipere. Adiicimus & vos in parte ista nullatenus eius gerere posse negotium. Nemo enim Episcoporum alterius contra se negotium gerere potest: maximè in oppressione Ecclesiæ cuius ipse defensor est: & præsertim vt generaliter lædatur Ecclesiæ cõditio. Ergo si nec vestra interest appellare, nec super hoc mandatum valetis suscipere, nec alienum gerere negotium; non auditur appellatio vestra nec de iure tenet. A

Expostulat graviter cum suis suffraganeis.

Estne ista deuotio, & consolatio vestra? hiccine fraternæ charitatis affectus Metropolitano vestro pro vobis omnibus exulanti à fraternitate vestra exhibitus? Indulgeat vobis Deus hanc inclementiam. An ignoratis fratres quod chaos magnum in fraudem legis & canonum inter nos & vos firmatum sit, vt nõ possit aliquis de nostris sine discrimine capitis, vel captionis, vel truncationis membrorum ad vos trãsire? etsi de vestris aliqui liberius posset si vellet trãsmeare ad nos. Et idcirco miramur quem ordinem exigitis, vbi nullus ordo circa nos, circa Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, sed horror (qui vtinam sempiternus non sit) & iniuriæ obseruãtur, quum spoliati simus & nostri; quorum quidam tam clerici, quàm laici capti redempti sunt: cúmq; post istam quam dicitis appellationem edictum generale sit propositũ, sicut dicitur, vt nemo de nostris inuẽtus sit in terra ista qui non capiatur: nemo vestrum vel aliorum amicorum nostrorũ, litteras nostras vel nũtios audeat suscipere. Est hæc reuerentia Appellationi debita exhibita & obseruata? infra cuius tẽpus, si iusta est, nil innouari oportet? Vos ipsi videritis. Quo ergo iure, quo ordine desideratis à nobis litteras vestras & nũtios benignè susci pi & audiri? Non tamen hoc ideo dicimus quicquid vobiscum agatur & cum nostris, vt quicquam circa personã Domini regis vel terram suam, circa personas & Ecclesias vestras vnquam inordinate fecerimus, vel per Dei misericordiam facturi simus. Credebamus quidem si rectè intelligitis, si cupitis vtiliter Ecclesiæ subuenire, de nimis ordinata & longa patientia magis à vobis culpari, quam de seueritatis mora commendari. Mora enim trahit ad se periculum: quia nimis ordinata patientia plus habet remissionis quàm commẽdationis, plus vitij quam virtutis. Et inde est quod breuiter vobis dicimus & affirmamus constanter, Dominum nostrum regem nullatenus fore iniustè grauatum, si aduersus eum à Domino Papa & à nobis ipsis legitimè litteris & nuntijs ac sæpissimè cõuẽtum, satisfacere quum possit nolentem, seueritatis censura processerit. Nõ enim iniustè grauatur quẽ ius punit legitimè. Et vt omnia breuissimo fine cõcludam, certum tenete quia raptores, inuasores, occupatores bonorũ Ecclesiæ, eiúsq; libertatis subuersores nec tuetur Iuris authoritas, nec appellatio defendit. Propterea fratres, si cupitis ei prodesse, prout iustum est, quod & nos cupimus (nouit Deus qui scrutator est cordium) illo procurate ei subuenire modo quo nõ offendatis in Dominum, non in Ecclesiam, non in ordinem vestrum: quo & expeditius & salubrius animæ suæ periculum quod iam in foribus est, valeat euadere. Hæc iccirco dixerimus si inspirante ei diuina clementia de consilio vestro satis fecerit Ecclesiæ, quæ gaudebit de filij sui reuersione, & cum gratiarum actione ac deuotione multiplici parata fuit & est semper eum suscipere. Gaudebimus & nos. Iudicium verò vestrum quo dicitis eum satisfacere volẽtem, paratum etiam satisdare, si super aliquo de libertatibus Ecclesiæ inter ipsum & nos (sicut dicitis) orta est contẽtio (quod quidem satis miramur si alicui vestrum hoc est indubiũ, quum toti fere mundo sit notum) quia non est consentaneum rationi, imò penitus Iuri cõtrarium, si non suscipimus: imò quia non suscipimus, in quo delinquimus? Estne causa ista sufficiens, estne peremptoria, quo minus sæpissimè & canonicè conuentus non satisfaciens, iniurias addens iniuriis, seueritate diuina coërceatur? Absit. Scimus enim vos nulla ratione in hac causa, Iudicis officio inter ipsum & nos fungi posse: Tum quia aduersarij eius estis & esse debetis in ea, ob defensionem libertatis Ecclesiæ (cuius partis defendendæ officij vestri necessitate cura vobis commissa est & solicitudo credita, quam si negligenter omittitis, si periculosè dissimulatis, vos ipsi videritis) tum quia non legimus superiores ab inferioribus, Metropolitanos maximè à suis suffraganeis iudicari posse: tũ quia nobis & Ecclesiæ quidam vestrum suspecti sunt; vtinã non omnes, diuersis rationibus quas in præsenti tacemus. Audiat itáq; Dominus meus postulationem fidelis sui, consilium Episcopi, patris exhortationem, vt benefaciat ei Dominus & augeat dies suos & annos, & filiorum suorũ in tempora longa. Permittat Ecclesiam frui pace & libertate sub ipso tanquam sub rege Christianissimo, Ecclesiam Rom. vti iure & libertate in terra sua quam habere debet & habet in cęteris regnis. Restituat Cantuariæ Ecclesiæ & nobis iura sua & libertates, & omnia ablata cũ pace & securitate nostra vt libere & quietè possimus Deo militare sub ipso: & ipse debeat obsequio nostro vti prout ei placuerit: *salvo honore Dei & Ecclesiæ Romanæ & ordine nostro.* Istæ sunt dignitatis regiæ leges optimæ quas petere debet & obseruare Rex Christianissimus, quibus gaudere debet & florere sub ipso Ecclesia. Istæ sunt leges obtemperantes legi diuinæ, non derogãtes: quas qui non obseruauerit, inimicus Dei constituitur: *Lex enim Domini immaculata conuertens animas.* De legibus enim suis dicit Dominus: *Leges meas custodite.* Et Propheta: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt iniustitias. Vt opprimerent pauperes in Iudicio, & vim facerent causæ humilũ populi Dei.* Non erubescat ergo Dominus meus redire ad cor; humiliari in cordis contritione, & humilitatis mansuetudine coram Domino satisfacere ei & Ecclesiæ suæ de iniurijs illatis: *Cor enim*

Expostulat graviter cum suis suffraganeis. — B

Hortatur Regem ad resipiscentiam. — D

Iustissima S. Episcopi exceptio.

Episcoporũ friuola Regis excusatio.

Sustinet Regem coercendũ esse.

1. 2. 3.

C

A *enim contritum & humiliatum Deus non despiciet*, sed amplectitur sincerius: sicut & S. Dauid, qui cum peccasset, humiliauit se coram Domino, petiuit misericordiam & obtinuit veniam. Sic & Rex Niniue & ciuitas tota cum interminata esset ei subuersionis seueritas, quoniam in cinere & cilicio humiliauit se Domino, mutata sententia meruit vltionis censuram contritione cordis & lacrymarum compunctione redimere. Non enim hæc fratres vobis scribimus, vt facies vestras confundamus, sed vt lectis litteris nostris & intellectis valeatis, & velitis officij vestri necessitates fortius & validius exercere. Optamus vos de cætero melius agere, vt sit nobis pax celsior, & libertas amplior Ecclesiæ. Orate pro nobis vt non deficiat in tribulatione ista fides nostra, & securè possimus dicere cum Apostolo, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque aliqua creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ subiecit nos tribulatione, donec veniat, qui venturus est; qui faciet nobiscum misericordiam suam, & ducet nos in terram promissionis, terram fluentem lacte & melle, quam non dabit nisi diligentibus se. Valete omnes semper in Domino: & instantius oret (petimus) pro nobis tota Anglicana Ecclesia.

Thomas Dei gratia Cantuariensis Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus,
B *venerabili fratri Richardo Couentoriensi Episcopo, Salutem.*

De quorũdam Excommunicatione.

SCripseramus vobis & alijs fratribus nostris, vt suspenderetis denuntiationem excommunicatorum nostrorum, donec innotesceret an Nuntij Domini Papæ qui ad reformationẽ pacis Ecclesiæ venerant, possent eam iuxta formam quam Dominus Papa præscripserat impetrare à Domino Rege. Sed quia Dominus Rex mandatis Apostolicis non acquiescit, & Nuntii infecta pace reuertuntur, vobis in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus præfatos excommunicatos nostros, scilicet Gaufridum Cantuariensem Archidiaconum, Robertum Vicarium eius, Richardum de VVelcestria, VVilhelmum Giffart, Ioannem Cumin, Nigellum de Sacauilla, Richardum de Luci, Adam de Cerringis, Thomam filium Bernardi, denuntietis excommunicatos esse: & eos per Parochiam vestram, prout Canonum censura præscribit, præcipiatis ab omnibus fidelibus euitari. Similiter denuntiate excommunicatos esse qui Ecclesias, aut officia, vel beneficia Ecclesiastica contra sacrorum canonum institutionem de manu laicorum accipiunt; & qui Nuntios Domini Papæ, vel nostros ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt: & qui personas Ecclesiasticas diuina celebrare contra Prælatorum suorum obedientiam
C cogunt: quia omnes istos iusto anathemate Catholica & Apostolica damnat Ecclesia. Vale.

A

EX CODICE M. S.
EPISTOLARVM 194.
PETRI BLESENSIS
ARCHIDIACONI
BATHONIENSIS.

B

CONSOLATIO IN EXILIO B. THOMÆ
ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS.

Epist. 22. *Charissimo amico suo M. Ioanni de Sarisburiis Petrus Blesensis Bath. Archid. Salutem in Authore Salutis.*



VOTIES communes Ecclesię Anglicanæ pressuras Dominique vestri Thomæ Cantuar. Archiepiscopi exilium diligenter attendo, plurimum mihi cedit ad solatium quòd pro iustitia Dei, & pro Ecclesiæ libertate se murum opponit; & ex ipsa persecutione hac finem merebitur glorioſum. Video quia positi estis inter malleum & incudē; & assiduè supra dorsum vestrū fabricant peccatores. Veruntamen si in Christo, & pro Christo pugnatis, ipse non permittet vos tentari supra id quod potestis ferre; sed faciet cū tentatione prouentum: tollétq; Dominus virgam peccatorum desuper sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Si veritas non mentitur, vestræ persecutionis exitus beatitudo interminabilis erit: *Beati* (inquit Christus) *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Petrus Apostolus dicit: *Nemo ex vobis patiatur quasi homicida aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor.* Martyrium enim facit non pœna sed causa: sicut Apostolus ait: *Sed & si quid patimini propter iustitiam beati.* Donum quidem Dei est, sed & donum optimum pro Christo contumelias sustinere: *Vobis* (inquit Apostolus) *donatum est pro Christo, non solum vt in illum credatis, sed vt etiam pro ipso patiamini.* Vobis itaque congratulor quia iustitiam in iudicium conuertistis, quia iniquorum rebellionem atque contumaciam suspensionis animaduersione deprimitis, si tamen hoc facitis rationis & iustitiæ motu, non zelo vltionis, aut aliæ iniuriæ appetitu. Nihil quæso faciatis ex rācore vel odio: sed omnia vestra in charitate fiant. Nec enim ex persecutione hac salutis manipulos colligetis, nisi tota intentio vestra procedat ex intimo charitatis. Porro cum per clibanum iracundia siue persecutio in sacra pagina designetur; in leuitico docemur sacrificium, quod in clibano coquendum est, prius aspergere oleo charitatis ne comburatur. Illius enim animus qui ad tolerantiam persecutionis se præparat, prius demulcendus est oleo charitatis, vt nec in aduersis à charitate deficiat, nec aduersus fratrem suum zelo vltionis aut odio inardescat. Meritorium igitur vobis est atque apud Deum & homines commendabile, si inobedientiam subiectorum iustitia mediante compescitis: *Beati enim qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore.* In executione quidem iustitiæ non debet esse personarū acceptio aut delectio. Si sit frater, aut filius; si sit prælatus aut subditus; semper quæratur fructus iustitiæ: *semper iuste iudicent qui iudicāt orbem terræ.* Nam quum Leuitæ occidentes fratres & filios suos vlti essent peccatum idololatriæ, ait illis Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie; vnusquisque in fratre suo & in filio suo, vt detur vobis benedictio.* Plurimum quidem commendabile est in Domino vestro, quod sic solus ascendit ex aduerso, quod opponit se murum pro domo Israël; & arguit pro mansuetis terræ. IESVM habemus hodie singularem, & vnicum inter filios excussorum. Pro patribus nostris, natus est

Seueritas disciplinæ ex charitate exercēda

S. Thomæ fortitudo Episcopalis laudatur.

C

D

nobis

A nobis filius, qui exemplo Apostolorum solus hodie facit vindictam in nationibus, increpationes in populis. Et sicut illi principes populorum qui modo congregati sunt cum Deo Abraham pro iustitia Christi, tanquam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt; sic & honor istius, si in exhibitione iustitiæ perseuerauerit, eleuabitur in immensum. Quod enim tunc exulat, quòd multa in eius contumeliam attentantur, ei totum in gloriam beneficio patientiæ conuertetur: *Quod leue est, & momentaneum tribulationis nostræ* (ait S. Apostolus) *immensum gloriæ pondus operatur in nobis. Exhibeatis vosmetipsos tanquam Dei ministros in multa patientia.* Nam virtus est vidua quam non patientia firmat. Et quis à primitiuis Ecclesiæ cunabulis sine patientia triumphauit? Sanè licet plurimum habeat de spiritu fortitudinis Dominus vester, dicitur tamen quòd propter coronationem noui Regis Anglorum ab Eboracensi factam, atque ob quædam priuilegia, sicut dicunt, contra ipsum subreptitiè impetrata adeo turbatus est, quòd à pusillanimitate spiritus, & tempestate pene moti sunt pedes eius, pene effusi sunt gressus sui. Veruntamen vos qui estis manus Archiepiscopi & oculus eius, sanctis exhortationibus vestris, confortate manus dissolutas & genua debilia roborate. Non est mirum si turbetur à tribulationibus & pressuris. Veruntamen si totus innitatur, totus inhæreat ei qui in electis suis mittit radices, omnem
B ventum tentationis & turbinis securus excipiet. Certè patres antiqui quum essent quandoque inter angustias frequenter tædio sunt affecti. Vnde & fortis illa tolerantia passionum qua ferebant in Domino, tepere & torpere videbatur ad tempus donec induti virtute ex alto per gratiam diuinæ consolationis in spiritu fortitudinis resurgebant. Elias fugiens à facie Iesabel & affectus tædio huius vitæ proiecit se subter vnam iuniperum, petijtque animæ suæ, vt moreretur: *Sufficit* (inquit) *mihi, Tolle animam meam.* Apostolus etiam simili tædio intabescens, *Supra modum* (inquit) *grauati sumus ita, vt tæderet nos viuere.* Propheta hæc tædia frequenter expertus, dicit: *A fortitudine manus tuæ ego defeci, & tabescere fecisti sicut araneam animam meam.* Porro charitas in eis inualescebat ex tædio, & ex ipsa infirmitate fortitudo crescebat. Quod alicui fortè incredibile videretur, nisi Apostolus, qui frequenter hæc in libro experientiæ legerat, testimonium super hoc ferret: *Quando enim* (inquit) *infirmor tunc fortior sum.* Sed & ei dictum est, quia *virtus in infirmitate perficitur.* Si ergo propter ingruentiam malorum quæ sustinet Dominus vester, & pro suorum desolatione, & pro exilij huius diuturnitate, videritis ei torporem mentis obrepere; sitis ipsi solatio ne desperet; ne titubet. In proximo enim est tempus visitationis suæ. Nam si mirabiles sunt elationes maris, mirabilis est in altis Dominus qui procellam conuertit in auram, & indignationem regis in gratiam. Per legatos Apostolicæ Sedis intellexi, cũ qui-
C bus à Romana curia vsque ad Bononiam veni; vel Anglorũ Regi in proximo firmissimè reconciliabitur, vel ad maioris Patriarchatus eminentiam transferetur. Sane qualitercunque voluerit Dominus negotium eius disponere, si talis perseuerat qualis est hodie, securus expectet exitum huius pugnæ. Ideóque voces palpantium non attendat; sed sequatur spiritum Dei, qui in eo est: & quocunque ibit Spiritus, & rotæ pariter gradiantur. Scio enim quòd gloriosius erit sui certaminis cursus, si tantummodo perseueret in eo quem cœpit fortitudinis & constantiæ statu: *Qui enim legitimè certauerit coronabitur.* Quumque omnes virtutes currant ad brauium, sola perseuerantia coronatur. Rogo autem vos tanquam Dominum & Magistrum meum, vt me de vestro & ipsius statu frequenter instruatis. Nam quum aliud non possim, oro iugiter pro vobis, vt præueniente Altissimi gratia, Regis Anglorum gratiam, vestrarúmque rerum liberã administrationem obtinere possitis. Librum vestrum de nugis curialibus legi & mirabiliter me refecit. Nam & ibi optima forma eruditionis est, & propter artificiosam sententiarum varietatem, inæstimabilis materia voluptatis. Bene valete.

Noua offensio Archiepisc. exulis.

Idque in Prouincia Cantuar.

Sancti interdum in tribulatione deficiũt.

S. Tho. ad maiorem Patriarchatum euehendus.

Li. de nugis curialibus citat Gesnerus.

D CONSOLATORIA SVPER MORTE B. THOMÆ CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Epist. 27.

Charissimis fratribus & amicis suis Canonicis de VVello Mag. Petrus Blesensis Bathon. Archidiac. salutem & dilectionem.

DEcessit pastor animarum nostrarum, cuius obitum flere decreueram: sed recessit nõ decessit; abijt non obijt. Mors ei per quam mirificauit Dominus sanctum suum, non est mors, sed dormitio, portus mortis & porta vitæ: introitus in delicias cœlestis patriæ, in potentias Domini, in abyssum claritatis æternæ: *Peregre siquidem profectus saccum pecuniæ secum detulit, in plenilunio reuersurus.* Eius enim anima diues meritis recedens à corpore in resurrectione generali & plena ad antiquum hospitium reuertetur. Cum multas virtutes, quasi merces varias in vnum fasciculum comportauerit ad nundinas cœlestes profecturus, plena dierum vetula mors, sæculi scilicet anus improba, litigiosa, querula, importuna, inuida, inimica, & subdola

Epist. elegantissima diuinæ eloquentiæ plena.

Mors sæculi anus.

cœpit deuoluere sarcinulas eius, & scrupulosius explorare, si quid esset in illo meritorum inuolucro, quod ad ipsius Dominum pertineret. Ipse autem tanquam vir circumspectus, & prudens noluit vitæ suæ sustinere dispendium. Diu enim desiderauerat dissolui & esse cum Christo: & tunc vel maxime desiderabat exire de corpore mortis huius. Modicum itáque pulueris proiecit in os vetulæ, quasi vice tributi & nomine vectigalis. Inde cœpit falsus ille rumor populariter euagari & passim plebescere, quia *fera pessima deuorauit Ioseph.* Tunica siquidem qua spoliatus est, fallax nuncia mortis erat: *Ioseph enim viuit & dominatur in tota terra Ægypti.* Beata eius anima corruptibilibus exonerata exuuijs de puluere huius conuersationis libera euolauit in cœlum. Assumpta est ab eo qui dixit; *Vado parare vobis locum. Iterum autem veniam & assumam vos ad meipsum. Consummatus in breui expleuit tempora multa. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Vocatus est in cœlum quo mundus nõ erat dignus: nec est extincta lucerna hæc, sed flatu transitorio percussa est, vt luminosius splendeat, & iam sub modio nõ abscondita luceat omnibus qui in domo sunt: *Visus est oculis insipientium mori: sed vita eius abscondita est cum Christo in Deo.* Mors eum vicisse & absorbuisse visa est; sed absorpta est mors in victoria: *Desiderium cordis eius tribuisti ei Domine.* Diu enim militauerat tibi, *Propter verba labiorum tuorum custodiens vias duras.* Satis à primitiuis adolescentiæ moribus cœpit morum maturitate senescere, atque carnalis insolentiæ motus vigilijs, ieiunijs, disciplinis, cilicio & iugis continentiæ balthæo cohibere. Vocatus est itáque à Domino tanquam Aaron *ad dandam scientiam salutis plebi eius, reddere populum acceptabilem Domino, sectatorem bonorum operum, & parare Domino plebem perfectam.* Elegit eum Dominus in Sacerdotem sibi, vt esset in populo eius ductor & doctor, vitæ speculum, pœnitentiæ forma, & sanctitatis exemplum. Deus scientiarum Dominus dedit ei linguam eruditam, & infuderat ei abundanter spiritum sapientiæ, & intellectus, vt esset inter doctos doctior, inter sapientes sapientior, inter optimos melior, inter humiles socius, inter maximos maior. Erat præco verbi diuini, tuba Euangelij, amicus sponsi, columna cleri, oculus cœci, lingua muti, pes claudi, sal terræ, patriæ lumen, minister Altissimi, vicarius Christi, Christus Domini. Tota conuersatio eius erat scala honestatis, morũ ædificatio, & structura salutis. Erat in iudicio rectus, in dispensatione industrius, in præcipiendo discretus, in loquendo modestus, in consilio circunspectus; parcissimus in cibo recipiendo, in donando largissimus, in ira pacificus, in carne angelus, inter iniurias mansuetus, timidus in prosperis, securissimus in aduersis, in eleemosynis effusus, in misericordijs totus. Erat religiosorum gloria, deliciæ plebis, timor principum, Deus Pharaonis. De isto possumus fiducialiter dicere & cantare, *quia post aurum non abijt, nec speranit in pecuniæ thesauris*: qui nec acceptor munerum nec acceptator esse dignatus est personarũ. Cæteri in eminentiæ cathedralis apicem sublimati, statim curam carnis propensius agunt, circumspectius se diætant; non minus timent corporis ægritudinem quàm gehennam, & in omnibus spatium vitæ productioris affectant. Iste verò à primo suæ promotionis ingressu summo desiderio appetebat finem vitæ; imò vt verius loquar, viuendi principium. Nam sicut Salomon ait, *Cũ consummauerit homo tunc incipit.* Huius enim vitæ transeuntis egressus, ingressus est ad illam quæ non transit, nec desinit vitam. A tenerioribus annis incipiens, singulis ætatibus quasi singulis diei horis tanquam diligens cultor & strenuus in vinea Domini Sabaoth laborauit, & sic in consummatione sanctorum vitæ transitoriæ cursum clausit. Sane iam diu conuersatione cœlestis, & corpore peregrinans, anhelabat ad illas cœlestes delicias temporalis vitæ transitorio compendio. Ideo propositum & signum peregrinationis arripiens, de torrente in via bibit, propterea exaltatum est nomen eius in patria. Si Domini & fratres nostri monachi cathedrales pupilli facti sunt absque patre, Deus qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni Dominum Iesum Christum, ipse vt verbo Moysi vtar, prouideat virum qui sit super multitudinem hanc. Porro plurimi conqueruntur & impatientissimè ferũt, quod Christi tunica inconsutilis, inter eos & Episcopos terræ scissa est, nec tantum vacca & aries, sed turtur, & columba diuisæ sunt & altrinsecus separatæ. Ausa est irrumpere vsque ad religionis professores magistra illa discordiæ, odij fomes, & occasio scandalorum præsumptuosa: scil. vsurpatio seorsim & singulariter eligendi: vt contempta & abiecta Episcoporum & Abbatum deliberatione cõmuni, fieret electio clandestina & furtiua & consuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis & moribus reprobata. Cæteri omnes qui nunc iniuriam & contemptum suum deputant eã quam monachi fecerunt electionem, in personam quæ nominata est sua vota libenter & vnanimiter sine omni scissura & scandalo contulissent. Nuncautẽ vereor ne hæc electio (quod Deus auertat) sit eius deiectio; & hæc acquisitio vmbraticæ libertatis conuertatur Ecclesiæ Christi in materiam seruitutis. Sane pestis hæc & aliæ innumerabiles corpus Ecclesiæ generalis hodie inficiunt & corrumpunt. Irruunt laici in sancta sanctorum. Sanctuarij vero lapides disperguntur in capite omnium platearum. Conuertuntur hodie claustra in castra & fora: religiosi in Ethnicos, Pastores in lupos, lilium in spinam, aurum in scoriam, frumentum in lolium, vinum in acinũ; oleum in amurcam. Respiciat Dominus in faciem testamenti sui, & non det in conculcationem vineam quam plantauit dextera eius, Ecclesiam quam acquisiuit sanguine suo. Suscitet spiritum Moysi & erigat cornu illius vnicornis, Episcopi illius vnicè summi & singulariter generalis, quatenus arripiat iudicium manus eius: vt cornu suo ventilet Syriam, intonet contra Edom, fulminet contra vitulos Bethel, contra idola Ægypti, contra pingues Samariæ, contra

Tunica Ioseph mors sanctorum

S. Thomæ à prima ætate sanctitas

S. Thomæ virtutes ad mirabiles.

S. Thomas post Episc. solito sanctior sibiq; seuerior.

Ambitio cleri.

Rom. Põt. authoritas ad malorũ remedium imploratur

Sacerdotes

A Sacerdotes Baal, contra Paſtores paſcentes ſemetipſos, contra iudices qui iudicant iniquas leges, contra canes mutos non valentes latrare, contra amphoram Zachariæ, contra vaſa Paſtoris ſtulti, contra ambitionem Simonis Magi, contra tyrannidem ſæculi & ambitionem claustri, contra præuaricantes, contra arrogantes, contra oppreſſores pauperum, contra turbatores Eccleſiaſticæ pacis & fidei ſubuerſores.

Extractum ex Epiſtola 66. Petri Bleſenſis ad Gualterum Panormitanum Archiepiſcopum.

QVod autem de morte B. Martyris quæritis, in verbo Domini & in ordine diaconi vobis dico, me nullo modo habere in conſcientia Dominum Regem Anglorum huius rei culpabilem extitiſſe: huiúſque fidem pleniſſimam vobis facient, Dominus Thedimus Portuẽſis Epiſcopus, & Dominus Albertus Cãcellarius; qui propter hoc in partibus noſtris legatione fungẽtes explorauerunt & cognouerunt innocentiam viri, atque ſub vmbra illius hoc à quibuſdam attentatum fuiſſe, totámque hanc iniquitatem à ſanctuario proceſſiſſe. Accepta ſiquidẽ ab eis
B canonica purgatione illius, illi de mandato Summi Pontificis publicè ſententiauerunt eum ab hoc crimine coram Deo & hominibus eſſe innoxium; & in quoſdam magnates, quorum malitiam in hac parte manifeſtè conuicerant, notam infamiæ retorſerunt. Illud quoque nouerimus. Eadem ſiquidem die qua primum tumulum Martyris viſitauit, Regem Scotiæ perſecutorem & impugnatorem fortiſſimum captum vinculis carceralibus mancipauit: continuatóque deinceps fauore ſucceſſuum, ope Martyris de vniuerſis hoſtibus glorioſiſſimè triumphauit. Sciatis igitur certiſſimè quòd charitatem illam qua ſe olim Rex & Martyr mutuo dilexerunt, neque mors, neque gladius aboleuit. Fortis enim eſt, vt mors dilectio: & quum omnia tranſeant, charitas nunquam excidit.

Exſufatur Rex de morte S. Thomæ

Nota.

D. Thomas Patronus Regis.

Extractum ex Epiſtola Henrici 2. Regis Anglorum ad Alexandrum 3. Papam, inter Epiſtolas Petri Bleſenſis. Epiſt. 162.

C QVoniam ergo vos extulit Deus in eminentiam officij Paſtoralis, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, licet abſens corpore, præſens tamen animo, me veſtris aduoluo genibus, conſilium ſalutare depoſcens. Veſtræ iuriſdictionis eſt Regnum Angliæ, & quantum ad Feudatarij iuris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor & aſtringor. Experiatur Anglia quid poſſit Romanus Pontifex: & quia materialibus armis non vtitur, patrimonium B. Petri ſpirituali gladio tueatur. Contumeliam filiorum poteram armis rebellibus propulſare. Sed patrem non poſſum exuere. Et licet errata eorum quaſi mentis efferatæ me fecerint, retineo paternos affectus: & quandam violentiam diligendi eos mihi conditio naturalis importat. Excitet ergo prudentiam veſtram ſpiritus conſilij: vt conuertatis corda filiorum ad patrem. Cor enim patris pro beneplacito veſtro cõuertetur ad filios. Et in fide illius per quem reges regnant veſtræ magnitudini promitto me diſpoſitioni veſtræ in omnibus pariturum. Vos Eccleſiæ ſuæ Pater ſancte diu Chriſtus ſeruet incolumem.

Regnum Angliæ Rom. Põt. Feudatarium Rege Henrico 2. teſte.

Rex à filijs rebellibus afflictus. Rom. Põt. authoritatem agnoſcit, opem implorat.

Ex peruetuſto codice manuſcripto.

D ALexander Epiſcopus & ſeruus Dei dilectis filijs toti capitulo S. Trinitatis Cantuarienſis Eccleſiæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam Eccleſia veſtra ad ordinationem & diſpoſitionem venerabilis fratris noſtri & Archiepiſcopi veſtri principaliter noſcitur pertinere, ita quod priorem niſi quem vobis aſſignauerit Archiepiſcopus, non ſolebatis habere, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mãdamus, & in virtute obedientiæ iniungimus, quatenus illum quem vobis iam dictus Archiepiſcopus in Priorem ſecundum antiquam Eccleſiæ veſtræ conſuetudinem aſſignare voluerit, omni occaſione & appellatione poſtpoſita recipiatis, nec alium ibidem eligere, vel ad alicuius ſuggeſtionem ſeu aſſignationem ſuſcipere præſumatis. Datum Beneuenti xvij. Calend. Iunij.

Scripta eſt durante exilio S. Thomæ.

A

B. Thomæ Cantar. Archiepisc. ad amicum in vrbe Epistola.

GRatias non quas debemus, sed quantas interim possumus agimus dilectioni vestræ, quæ pro nobis, imo pro Ecclesia Dei multa sustinuit, & nos pro viribus consolata est in omni tribulatione nostra. Confessus est nuper Rex Anglorum coram Rege Christianissimo, Archiepiscopis, Episcopis, proceribus, & omnibus qui aderant, quòd nihil aliud quærit, aut quæsiuit à nobis, nisi obseruantiam consuetudinum; quarum plures Apostolicæ Sedis conuellunt maiestatem & Ecclesiæ præiudicant libertati. Qualiter autem res processerit latores præsentium plenè indicabunt. Et quia nolumus in consuetudines secundum verba simpliciter & absolutè iurare, discessit indignatus, non sustinens honoris Dei vel ordinis nostri, vel diuini iuris aliquam fieri mentionem. Supplicamus igitur bonitati vestræ de qua sicut de nobis ipsis confidimus, quatenus nobis assistatis in causa domini: & necessitatem nostram imò Ecclesiæ, quam à nuntijs audietis, sicut nostra & omnium spes est, apud Dominum Papam expedire studeatis.

Hoc appareret ex 6. Articulis in nostro Apologetico supra. Vide Regis importunitatem vt in Apologetico explicatum est.

B

B. Thomæ ad quendam Angliæ Episcopum Epistola.

VEstra fraternitas ignorare non debet quòd priuilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate. Vos autem sicut accepimus in alienis Episcopatibus Ecclesiarum vacantium oues soluere præsumitis & ligare: & petitione laicorum, aut aliorum quibus Sacramentorum dispensatio non incumbit, Ecclesias dedicatis, & exercetis alia quorum non accepistis ab Apostolica Sede, vel matre vestra Cantuariensi Ecclesia potestatem. Quod tanto credibilius videtur, quanto certius constat vos sine speciali mandato Rom. Pontificis dudum quod minimè licebat, quantum in vobis fuit, exsoluisse excommunicatos nostros, non obseruato tenore litterarum Domini Papæ. An hoc rectè feceritis vestra discretio prouidebit, quoniam oportebit super his reddere rationem. Nam persistentes in scelere & voluntate peccandi qui Ecclesiarũ bona diripiũt, & eis incumbunt violenter, nec ipse Petrus corã Deo posset absoluere. Ne ergo cuiusquam instinctu de cætero talia præsumatis, prohibemus in virtute obedientiæ, & in periculo dignitatis & ordinis, ne curam Pastoralem & Episcopale Officium extra proprium Episcopatum vlterius exerceatis, sed ea sitis potestate contenti quam vobis Ecclesia contulit in ordinatione vestra. Hoc autem vobis non interdicimus, quin ad preces Episcoporum vestrorum quibus communicare licuerit, vices eorum quum necessitas exegerit in rebus licitis impleatis. Sed vos ab Ecclesiarum vacantium & Episcoporum qui excommunicati sunt officio præcipimus abstinere, & curam pastoralem exercere, quatenus facultas affuerit, in proprio Episcopatu.

Arguit Episcopum de quibusdã delictis.

C

Epistola Henrici Regis Anglorum ad Alexandrum 3. Papam.

EPiscopos nuntios nostros ad pedes paternitatis vestræ direximus, rogantes & supplicantes quatenus querelis quæ inter nos & Cantuariensem vertuntur finem debitum iustitia mediante poneretis. Et tandem placuit Paternitati vestræ vt iuxta petitionem nostram de latere vestro legatos nobis mitteretis cum potestatis plenitudine, vt omnes controuersias nostras plenè decidere & determinare possent remoto appellationis obstaculo. qui quum in hac potestate sicut nuntij nostri ad nos reportauerunt, & litteris vestris continebatur expressum (quas adhuc penes nos habemus) missi fuissent, sicut per eosdẽ legatos quum ad nos peruenissent accepimus, potestas illa ad iniuriã nostram illis subtracta est. Vnde cum nos ad omnem iustitiam coram eis nos offerremus, præfatus Cãtuar. qui ita θ iniquè & malitiosè erga me se habet, sicut vobis & toti mundo innotuit, coram illis iustitiæ parere contempsit. Ob cuius defectum alios deinceps nuntios ad Maiestatem vestram trãsmisimus per quos litteras vestras recepimus, quas & ipsas adhuc penes nos habemus; in quibus terram nostram, & personas regni nostri à præfati Cantuariensis potestate eximebatis, donec ipse in gratiam nostram redijsset. Quod quum ante restitutionem gratiæ nostræ (nescimus ob quam causam) immutaueritis, dum alij inimici nostri in curia vestra adhuc morarentur, & antequam nouissimi legati vestri ad nos peruenissent, Viuianus scil. & Gratianus, ipse in personas regni nostri & in quosdam familiares & seruientes nostros qui singulis diebus nobis assistebant, excommunicationis sententiam promulgauit. Cũ verò prænominatos nũtios debito honore suscepissemus, qui tam per litteras vestras quàm viua voce protestabantur quòd ad honorem nostrum & regni exaltationem veniissent, primo loco de absoluendis excommunicatis tractauimus, qui non solùm ad nostram, verum etiam ad vestram & eorundẽ legatorum iniuriam videbantur excommunicati; petitionibus illis quas ex parte vestra proponebant nobis, quantum poteramus ob reuerentiam & amorem vestrum pio assensu condescendentes

Rom. Põt. melius informatus potestatem datam reuocauit. θ Iustitia causæ iniquitatem, moderatio D. Thom. malitiam omnem lõgissimè abfuisse luce clarius ostẽdunt. Vide Apologet. Sanctus Episc. censuræ Ecclesiast. disciplinam ne quidem in exilio remittit.

D

A condescendentes. Proponebant siquidem litteræ vestræ quatenus sæpefato Cantuariensi Archiepiscopatum suum, pacem & amorem nostrum redderemus. Nos vero proposito omni honore vestro, communicato consilio Burdegalensis & Rothomagensis Archiepiscoporum, Cenomanensis, Redonensis, Baiocensis, Luxouiensis, Constantiensis, Saguntini Episcoporum; Fiscamensis, Beccensis, S. V Vandereſil. Cadomensis, Troiartensis, Ceretiensis, Rieuallensis, Mortimariſ. Trionenſ. Belberenſ. & quorundam aliorum abbatum, nec non Gaufridi Antisiodorensis & quorundam aliorum religiosorum virorum, concessimus antedicto Cantuariensi (licet ipse sicut vobis multoties significauimus, absque conscientia nostra & coactione aliqua à regno nostro exierit) vt in bono & in pace rediret, & possessiones suas omnes haberet sicut habuit quando à regno exiuit, & ipse & omnes qui cum eo vel pro eo exierunt, ad honorem Dei & ob amorem vestrum *salua dignitate regni nostri.* Cumque nuntii vestri coram supra nominatis viris responsum hoc absque omni contradictione recepissent, excommunicatos illos qui præsentes aderant, absoluerunt. Conuenit autem inter nos vt alter eorum Viuianus scilicet pro excommunicatis illis qui in Anglia erant absoluendis transfretaret. Gratianus vero ad verba hæc sæpe nominato Cantuariensi transponenda rediret. Mane autem facto quum ab eis quibusdam negotiis nos (accepta prius ab eis licentia) trahentibus recessimus, nescimus cuius instinctu aut
B quo spiritu concessis stare recusauerunt, cassantes verbum illud quo nos *dignitatem regni nostri saluam* fore dixeramus. Quod tam nobis quam illis qui nobiscum aderant nullo iure ab eis cassari debere videbatur. Nos autem huius rei seriem ad vestram conscientiam referēdam esse duximus; de vestra semper discretione presumentes, quod vos in nullo honori nostro derogare velitis, *vel regni nostri dignitati:* obnixè serenitati vestræ supplicantes, quatenus attentè considerantes honorem & vtilitatem quam vobis & curiæ vestræ contulimus, & in futurum nisi per vos steterit conferemus, sic rem temperetis, ne tantum penes vos possint illius † perditi proditoris nostri malitiosæ blanditiæ, quantum euidentia tot & tantorum virorum testimoniis corroborata causæ nostræ merita: sed iuxta petitionem nostram eos qui excommunicati sunt absoluatis, & ne in alios venenum suæ excommunicationis effundere possit, prouideatis. Ne si minus in hac petitione nostra exauditi fuerimus, tanquam de vestra beneuolentia desperantes, aliter securitati nostræ & honori prospicere compellamur. Et quoniã singula quæ à nobis sunt dicta & proposita difficile scripto comprehendentur, transmittimus ad pedes paternitatis vestræ clericos & familiares nostros R. Archidiac. Salisbur. & Rich. Barre qui plenius vobis cũcta quæ hinc inde agitata sunt exponent. Quibus in cunctis quæ ex nostra parte vestræ sanctitati proponent, fidem indubitatam habeatis: de quorum reditu festinanter maturando vestra precamur & consulimus solicitè prouideat discretio: quoniam mora eorum diuturnior periculum &
C damnum intolerabile Ecclesiæ posset afferre.

Hæc exceptio omnes illas iniquissimas leges complectebatur quas Archiep. admittere recusauit.

Saluo certe honore Dei ordine Ecclesiastico & iure diuino.

† *Rex iratus nescit quid loquitur. Addit minãs.*

Ad Alexandrum 3. Papam Episcopi Normanniæ & totius Aquitaniæ.

POst nuntiorum vestrorum à Domino rege Angliæ decessum, ad ipsius curiam ab eo vocati venimus, ibi ex certa relatione Archiepiscoporum & aliorum terræ suæ qui ob hoc conuenerant magnatum accepimus, quod idem Dominus Rex nuntios vestros & litteras debita veneratione susceperat. quippe quæ ei promptam benignitatis vestræ gratiam promittere videbantur. Propositis siquidem ab eis petitionibus vestris de consilio prædictorum optimatũ suorum præfatum regem benignè respondisse asserebant quod pro amore vestro & honore Archiepiscopum Cantuar. ad Archiepiscopatum suum redire, & omnia quæ tenebat quãdo exiuit cum integritate recipere, & deinceps bene & in pace possidere ad honorem Dei, salua nimirum regni sui pristina dignitate concedebat. Asserebant etiam quod quum inter Dominum Regẽ & prædictos nuncios vestros super hoc tractatus prolixior haberetur, tandem vtrinque complacuit vt
D eos qui præsentes aderant statim absoluerent, & ad illos qui in Anglia erant absoluendos alter eorum M. Viuianus illico transiret; alter ad conditæ pacis executionem remaneret. Postmodum vero reuocato quem præbuerant consensu, verbum *conseruandæ in posterum regiæ dignitatis* admittere noluerunt: ea quæ vtiliter & prouidè ordinata fuerant exequi recusantes: tanquam in hoc verbo *Ecclesiasticæ dignitati aliquid derogaretur*: cum omnibus sanius & rectè intelligentibus videatur, quod dignitas regia Ecclesiasticam prouehat potius quàm minuat dignitatem: sicut versa vice Ecclesiastica libertas regiam adornat & veneratur maiestatẽ. Est enim in his duabus rebus firmissimus amicitiarum nodus & amica connexio: quum & regiam excellentiam dignitas Ecclesiastica prouehat, & pacem Ecclesiasticam *b* regia conseruet authoritas. Nos itaque paternitatis vestræ genibus obuoluti, quanta possumus supplicatione pietatem vestram oramus, ne in tanto rerum discrimine *c litterarum apices & verborum contentiones potius* quam ipsam amplecti velitis veritatem: sed iuxta datum vobis à Deo discretionis & consilii spiritum *d dormitet aliquantulum* apud vos seueritas disciplinæ, vt magis proficiat mansuetudo & benignitas gratię: *e & causa vnius* (sicut decet pium patrem) multorum aut certè innumerabilium periculorum discrimen præferatis.

Nituntur relatione patrum.

a *Dignitas regia vt illam Rex tunc intellexit maximè derogauit. Vide 6. articulos in nostro Apologet.*

b *Quando limites suos non excedit sed Ecclesiast. subordinatur.* c *Articuli controuersi non erant nudi litterarum apices.* d *Boni scilicet non Episcopi sed politici.* e *Non est vnius hæc causa sed totius Ecclesiæ ab vno defensę.*

A

Alexandri 3. Papę ad Henricum Angliæ Regem Epistola.

EXcellentiæ tuę nuntios, dilectos scilicet filios nostros electum S. Augustini Reginal. Archidiac. Satisbur. *& Rich. de Barre* & Regiæ sublimitatis litteras per eosdem nobis transmissas ea qua decuit benignitate admisimus : & illius feruentissimæ charitatis ardorem quem circa nos & Ecclesiam Dei à nostræ promotionis exordio magnificentia tua tam constanter exhibuit ad animum reuocantes sollicitè, his quæ nobis iam dicti nuntii ex parte celsitudinis tuæ discrete satis & cum omni diligentia intimauerunt, licet nimis ardua & difficilia essent, aurem benevolam curauimus adhibere. Illius siquidem honoris & reuerentiæ quam regia serenitas nobis instante necessitatis tempore, sicut excellentiæ tuæ nos sæpè intimasse meminimus, tota, prout maior pars christianitatis cognouit, deuotione impendit, non immemores existentes, ad petitionum tuarum *in quibus cum Deo possumus* promotionem vehementer accendimur. Nec aliquid nobis vnquam honoris vel gratiæ satis esse videtur qua celsitudini tuæ indulgere possimus. Verum attendentes quod tu, cui omnipotens Dominus inter filios hominum tot diuitiis abundare, tanta prudentia & discretione pollere concessit, contra eum cui seruire regnare est, pugnare non velis nec eius resistere voluntati, præsertim quum strenuitati tuæ toties contulit de hoste triumphum, de vniuersa illius bonitate confidimus, & speramus quod animum & voluntatem tuam circa Ecclesiam & eius negotia mitiorem efficiet; & ad id cor tuum quod beneplaciti sui fuerit inclinabit; licet memorati nuntii constanter assererent te tanta turbatione esse commotum, quod venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Cant. nullo modo in gratiam tuam reciperes, nec circa eum tuus poterat animus aliquatenus mitigari. Nos autem qui paternę circa personam tuam affectionis obliuisci non possumus, sed te sicut catholicum principem & regem Christianissimum in omnibus *quantum honestas permittit* honorare & exaudire optamus, credentes firmiter & sperantes quod discreta prouidentia tua in his quæ Dei sunt & ad Ecclesiæ negotia spectant, gloriosius esse suam vinci quàm vincere voluntatem nequaquã ignoret, præfato Archiepiscopo sub spe & fiducia, quod ille in cuius manu corda regum consistunt animum tuum mitigabit, dedimus in mandatis & omnino inhibuimus ne in te aut terram tuam vel in personas regni tui interdicti seu excommunicationis sententiam donec ipsum in gratiam tuam recipias & tibi reconcilietur, proferre vlla ratione attentet, aut in aliquo grauare præsumat. Et quoniam litteras illas quas magnificentiæ tuæ anno præterito per nuntios tuos vltimo destinauimus viribus de cætero constat carere, si prædictus Archiepiscopus interea te aut terram tuam vel personas regni tui in aliquo grauare præsumpserit, præsentes litteras poteris in argumentum nostræ voluntatis ostendere, & te & tuos à suis grauaminibus immunes ostendere. Quod autem in scriptis nostris vel legatis varietatem inueneris nullatenus admireris, cum & B. Paulus propositum suum sæpius mutasse legatur: licet nos in hac parte nostrum immutasse propositum minimè recolamus: quum nobis (etsi non ex parte tua) pro certo fuerit intimatum quod prænominatus Archiepiscopus illis mediantibus tibi deberet reconciliari: quod etiam ex quibusdam scriptis quæ nobis ostensa fuerunt visi sumus plenius concepisse. Vnde contigit quod eosdem legatos hac de causa iuxta verbum nuntiorum tuorum ad regiam sublimitatem transmisimus, quibus cum fiducia ista coram quibusdam fratribus nostris dum adhuc coram nobis præsentes essent, iniunximus in cognitione causarum inter te & Archiepiscopum ordine iudiciario nulla ratione procederent : præsertim cum de reconciliatione sicut diximus quasi certi essemus. Et ideo prudentia tua si taliter scripsimus & mandauimus in nullam debet admirationem deduci, nec alicui mutabilitati quod propter honorem tuum & sub spe tali fecimus imputare; præsertim cum homines simus & in multis decipi ac circumueniri possimus.

Hæc Epist. respondet litteris Regis Hẽrici præcedentibus.

S. Pontificis iusta exceptio. Monet Regem grauiter.

Papa suspendit Archiep. exulem ab excommunicatione, in hoc vno petitioni Regię acquiescens.

B

C

D

A D S.

A

AD S. THOMAM TVNC CANCELLARIVM REGIS ANGLORVM.

Ex codice manuscripto perueteris monasterii S. Amandi.

Domino & amico suo Charissimo Thomæ Cancellario Regis Angliæ, Frater Petrus Cellensium Abbas se & sua.

B QVEM fortuna non extollit propria, magis pro humilitate quàm pro sublimitate est admirandus. Gloria vobis cum prosperitate (vt accepi ab his qui viderunt & nouerunt) ambitiosius quam contentiosius contendit; nec confundit aliquando superata, nec vnquam insolescit de victoria. Cedit gloria prosperitati, sed glorioſæ sed prosperæ. Quælibet obtineat, humilitatem seu moderationem non amputat. Gloria accedit sed non superbia: prosperitas venit sed non effusa. Inde est quod de nube tantæ sublimitatis ad latibulum nostræ paupertatis misistis quia venire nō potuistis. Rogastis de familiaritate & amicitia. Quod rogastis si admitteretur, admirationi procul dubio habendum esset pro rogantis & rogati fortuna. Quæ enim proportionalitatis habitudo inter Abbatem Cellensem & Cancellarium regis Angliæ? Pene non est comparatio, vbi non est existimationis adaptatio. Secundum post regem in quatuor regnis quis te ignorat? Primum in miseriis fratrum nostrorum quis me non repusat? Dicam de compendio, quia quantum de vobis excellentiora, tantum de me sentio & scio viliora. Nullo ergo modo ad ingressum amicitiæ manum porrigo. Sed si vel de grege accidentalium amicorum fuero, bene mecum feciſſe dignationem vestram æstimabo. Primitias autem illas non mitto, quia ampliorem gratiam facere propero. Non habebam sermones illos magistri G, sed quæro: & statim scriptorem cum omni instantia huic operi ad opus vestrum designo. Vale.

S. Thomæ Cancellarii humilitas & modestia.

Thomas secundus post Regē in 4. regnis.

Domino & Patri Charissimo Thomę Archiepiscopo Cantuariensi & Apostolicæ sedis legato, F. Petrus Cellensis qualiscunque minister, seipsum

C FActi sumus sicut consolati in consolatione sanctitatis vestræ tam affectuosa, tam pia, tam plena dulcedine & charitate. Reddat vobis Spiritus paracletus consolationem suam, quia misericorditer respicere voluistis desolationem nostram. Suscitauit siquidem corda nostra etsi non emortua, iam tamen elanguida susceptio litterarum vestrarum. Dominis & amicis nostris hāc vestram dignationem & consolationem ostendimus, & in spe viua & consilio eorum, Martyrem vestrum peregrinari ad vos destinauimus. Excipite illum: & quia vix in terra sua habet vbi reclinet caput suum, interim sub vmbraculo vestro militet, & stipendia ad nos condigna reportet. Confidimus equidem in bonitate Dei & in liberalitate animi vestri, quam iam prægustauimus, quia quamuis in baculo suo transeat mare vestrum, tamen sit rediturus in turmis multarum benedictionū. Discretioni sanctitatis vestræ fratres nostros & nuntios disponendos committimus. Dominum quoque & confratrem in omni oratione & beneficio omnium nostrorum vos annumeramus. Valete.

Mittit quasdam reliquias Martyris ad S. Tho.

Pius Archiep. confratrem se facit religiosarum personarū.

D

Ad eundem in exilio constitutum.

Domino & Patri Charissimo Thomæ venerabili Cantuariensi Archiepiscopo. F. Petrus Abbas Sancti Remigij, ex toto corde deuotissimam salutem.

SOlicito reuoluens animo quam potius materiam assumam, quum vobis scribere volo, vix occurrit: non deficiente quid dicatur, sed Reuerentia eius comprimente manum cui dicatur. Nihil enim dignum vestri animi fortitudine dicere possum: nihil addere constantissimæ tolerantiæ vestræ: nihil denique docere omnia à longe prospicientem atque fines rerum & causarum futurarum plenissimè demetientem animum. Fœni atque palearum aceruum vt quid anteponerem præsepio cui adhęret bos adipe & pinguedine opulentissima saginatus & satiatus? Equidem hoc vnum mihi ad ministerium aliquod impendendum in obsequio vestro non indignè reseruatum reperio, si muscas abigere possem vestram sanctitatem oblatratione inuidiosa pungere volentes, vel saltem interpretatione peruersa denigrare sinceritatem fidei vestræ insistentes. Planè muscæ istæ morientes quæ in Aegypto abundanter Pharaonem Regem Aegypti

S. Thomæ exulantis laus.

tanquam virum muscarum circunc.nt Domino opitulante non perdent suauitatem vnguenti. A
Seruabitur namq; in diem sepulturæ Iesu,& prædicabitur in generatione & generatione quod
Archiepiscopus Cantuariensis murum se opponens pro domo Israel vestigia sanctorum anti-
quorum imitatur,dum Christum in cruce nudum pendentem nudus sequitur. Quomodo igi-
tur cum Abraham potero abigere easdem muscas contaminare volentes illibatum Domini
Obiectio contra constantiam S. Thomæ. sacrificium,nisi facto ventilabro de authenticis scripturis quo vel feriantur vel saltem effugen-
tur? Dicunt enim, Non debet Archiepiscopus tam instanter sua repetere à Rege Angliæ vt di-
mittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur specie veri vel adulatione falsi. qui
specie veri decipiuntur,instruendi sunt: qui adulatione falsi,repellendi. Simplicitas enim reuo-
canda est;malitia prorsus abiicienda. Certè pensandum est in omni tam contractu quàm actu
quid propter quid faciendum vel quid dimittendum sit. Pensanda etiam sunt tempora & di-
uersi status temporum,secundum quos mutantur merita causarum. Nam in primitiua Ecclesia
sola patientia locum habuit vt auferenti tunicam dimitteretur & pallium. Alius enim erat & ali-
bi,id est,extra Ecclesiam qui persequebatur: alius & alibi,id est intra Ecclesiam qui patiebatur.
Modo vero iam adulta Ecclesia,non licet filiis Ecclesiæ quod aliquando licuit inimicis. Decet
enim matrem corrigere filium,sicut decuit pupillo tolerare aduersarium. Distinctus namque
Eccl. principes Christianos corripit vt mater,ethnicos tolerat vt pupillus. sapphyris legitur venter sponsi;vt quemadmodum ante passionem suam dixerat Iesus, *qui non renunciauerit omnibus quæ possidet,non potest meus esse discipulus,*& similia;sic in passione dicat Aposto- B
lis, *Qui non habet gladium vendat tunicam, & emat.* Verba quidem bona, verba consolatoria non
immerito exigeret causa iusta in oculis Dei,in oculis autem insipientium dubia & infirma; nisi
virtus patientiæ omnem transcenderet consolationem;& plus gauderetis de cõsolatione quàm
malleus feriens proficeret de percussione. Ferrum ferro acuitur,& de malitia regis Angliæ vir-
tus vestra inuincibilis clarius illustratur. Quo fortius premit oliua torcular,eo profusius oleum
producit. Candelabrum ductile de auro purissimo non facit Beseleel in tabernaculo Domini
nisi productis laminis contritione limi & mallei. Nondum contritus est malleus vniuersæ ter-
ræ. Adhuc necessarius est vt suppleat quæ desunt passionũ Christi in corpore vestro. Sed quem
moneo? quem exhortor? cui calcaria adhibeo? Sine dubio qui freno indiget: qui paratus est plus
ambulare quàm via extendatur;qui etiam metas velociter transcurrere nullis retardatur peri-
culis. Procul enim odoratur bellum. Exilium reputat patriam; quia omne solum forti patria
est. Sine labore laborat: sine fame esurit: sine dolore patitur,sine amaritudine,felle & absynthio
cibatur. Vir est in millibus vnus. Cum gigantes gemunt sub aquis, ipse ridet & irridet fortu-
nam cum inuersione rotæ suæ. Vale.

Reuerendissimo in Christo Patri & Domino Thomæ Dei gratia venerab. Cantuar. Archiepiscopo F. Petrus de Eleemosyna & F. I. de curia Dei salutem & sinceræ dilectionis affectum. C

Epistola familiaris & commendatitia

A Nostris vtilitatibus non recedit quod vtiliter accrescit vsibus amicorum. Hoc enim ha-
bet amicitia proprium vt sit ei suauis & iucunda possessio quicquid à suis professoribus
possidetur. In sinu gratiæ vestræ dilatato corde & affectu prompto M. Girardum benignius col-
legisti. Vicissitudinem quam potuit retulit. Amicus fidelis inuentus est. Factus est strenuus pro-
pugnator;tristitiæ vestræ allegator insignis;assertor prouidus causæ vestræ; & operum vestro-
rum præconiator eximius. Nec sibi pepercit nec suis vt vobis proficeret: & totum se vestris sic
impendit vsibus,& gratiam rependit pro gratia,vt nihil sibi lætum proponeret nisi quod hono-
ri vestro militaret & nomini. Si à fructu magno circa vos fidelem eius operam torrens iniquita-
tis absorbuit,non est minori dignus amplexu si quod voluerit implere non valuit, quia quan-
tum potuit vtilis esse non destitit. Nunc igitur si in conspectu principis illius magnorum suffra-
gantibus meritis pacem potuit inuenire,esse non debet à cordis vestri conspectibus alienum:
sed vt credimus in mente vestra debet florere cum gratia; si apud eum gratiam receperit cum
quo familiarius & fidelius ad honorem & pacem vestram possit inire commercium. Qui enim D
amicus est omni tempore diligitur;& amicitia certa nulla vi,nulla necessitate excluditur. Ro-
gamus igitur dilectam nobis in Christo charitatem vestram, & benenuola persuasione consuli-
mus,vt fideli vestro nullius conditionis opponatur dura necessitas: quia sicut ait Ouidius,

Lenis alit flammas, grandior aura necat.

Et æterna Sapientia: quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, suauiter disponit omnia: & cum magna reuerentia disponit nos. Bene valeat semper in Domino vestra serenitas.

TRANSSVMPTA

A

TRANSSVMPTA ET DESCRIPTA EX ARCHIVIS CELEBERRIMI ARCHICÆNOBII DOMPNI MARTINI, ALIAS, S. IVDOCI IN nemore dicti prope Hesdinium in Artheſia diœceſis Ambianenſis, ordinis Præmonſtratenſium.

B

CVM Cantuariam profectus fuiſſet D. Henricus de Maingnieux tunc religioſus dicti monaſterii & paſtor Tortefontanus,ac poſtea Abbas,peregrinationis gratia, necdum primo anno præterlapſo poſt illuſtre martyrium D. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi,humaniter ſuſceptus fuit à Priore cœnobii Cantuarienſis,ab eoque accepit partem iuduſii dicti ſancti,& portiũculam veſtis pluuialis, & aliquid ex dalmatica. Non ita multo poſt alius dicti monaſterii religioſus Guillermus nomine aliuſque ſacerdos quidam detulerunt ex Anglia ad dictum monaſterium integrum rochettum dicti ſancti quo ipſo die martyrii ſui vſus fuerat,ſimulque cilicii partem quo ſuper nudo vtebatur, vtrumque ſanguine martyris ſic aſperſum vt nulla lotione elui ſanguis potuerit. Quumque ſeptimo Iulii die hæ C reliquiæ ad dictum monaſterium perlatæ fuiſſent, inde vſque ad D. Martini in hyeme feſtum paruo in honore habebantur, donec tandem in ſacriſtia cum omni reuerentia ea reponi cum aliis precioſioribus reliquiis Reuerendiſſ. tunc Epiſcopus Ambianenſis (in cuius diœceſi ſitum eſt dictum monaſterium) conſuluit. In feſto autem Pentecoſtes ſequenti quum antea peregrini certiores facti fuiſſent in monaſterio Dompni Martini latere rochettum & cilicium S. Thomæ, (re videlicet iam longius diuulgata) poſtquam peregrinationem ſuam abſoluiſſent apud S. Iudoci iuxta mare,monaſterium ordinis S. Benedicti,reuerſi ſunt maiore numero ad cœnobium Dompni Martini,minantes ſe fores effracturos niſi aperirentur ad inſpiciendas D. Thomæ reliquias:quas etiam ſacellanus quidam à Priore Cantuarienſi paulo poſt eo miſſus certas eſſe confirmauit;aſſerens ſe manicam dicti rochetti abſcidiſſe,quod ſanguinis gutta inde ablui ac deleri nulla quamuis frequenti lotione potuerit.Hinc arctiſſima & fraterna ſocietas inita eſt inter Cantuarienſes monachos & Martinienſes,atque deinceps crebris litteris confirmata.

Hæ S.Th. reliquiæ vſque hodie in dicto monaſterio habentur.

D *Sequuntur in dicti Monaſterij archiuis plurima miracula variis temporibus ad reliquias prædictas S. Thomæ Cantuar. diuinitus exhibita, numero 67. & per totidem capita digeſta. E quibus pauca illuſtriora ad Dei & Sancti eius gloriam excerpſimus, & ſubiecimus ſtilo nihil mutato.*

NE quis autem miretur ſanctos quandoque in certis locis velle honorari, exemplo ſit viſio cuiuſdam illuſtris & affecta ætate viri. Is enim Rumaldus nomine, cum ex pago ſuo Bermenſi aliis multis comitatus Cantuar. nauigaret,ſomno preſſus vidit D. Thomam ſibi ita loquentem: *Reuertamur quæſo filii chariſsimi:ego enim ſine dubio ad Archicœnobium S.Iudoci in nemore, quod Dompni Martini dicunt pergo:ibique die Dominico vſque in diem Martis reſidebo.* Interim ſocii dictum Rumaldum excitant,qui ob gratam viſionem interruptam eos increpans viſum aperuit,vt reuerterentur exhortans. Verum alii in nauigatione perſiſtentes Cantuariam appulerunt, ibique D.Thomæ honoratis exuuiis, cum pro more nullum ibidem ſpecimen miraculorum eius tum experti fuiſſent,ad Antiſtitium Dompni Martini reuerſi cum monachis & peregrinis vi-

Cap.14.

sionem indicarunt, & quod hisce diebus nulla signa à S. Thoma Cantuariæ fuissent exhibita, A
etiamsi adessent multi peregrini: contra ex peregrinis Dompni Martini didicerunt à supradicto
die Dominico vsque ad diem Martis crebra in cœnobio Dompni Martini miracula edita
fuisse.

22. *Cæca mulier sanatur.* Muliercula quædam altero oculorum vsu priuata Cantuariam sese contulit, Venerandi sacri corporis D. Thomæ gratia, quo tamen facto visum minime recepit. Hinc ad cœnobium Dõpni Martini profecta, fusis precibus, oblationibusque datis, in multorum præsentia visum recepit. Quamobrem in gratiarum actionem exclamans ad astantes ait, Nunc quidem compertum habeo hunc sanctissimum Martyrem hoc in loco hominibus varia statuisse conferre beneficia, quapropter huc cum omni fiducia accedite. Simili encomio quocunq; terrarum pergebat D. Thomam prædicabat. Nec enim ab eius laudibus cessauit, donec ad suam ciuitatem pertingeret in Burgundia sitam, vbi magis ac magis Martyris signa assiduè propalabat.

23. *Herculeo morbo vir illustris liberatur.* In Hesdinensi territorio seu Nomarchia nobilis quispiam nomine Eurardus nonnunquam adeo graui ac vehementi agitabatur morbo, vt 4. homines fortissimi ægre eum continerent. Verum hoc Herculano morbo aliquandiu correptus, tandem in Dompni Martini monasterio preces faciens ex applicatione sacrarum reliquiarum D. Thomæ (imprimis eiusdem byrri) vt ouis mansuetissimus effectus est, nec in posterum hanc sensit agitationem. quapropter multis deinceps annis quoad superuixit, sese ad hoc cœnobiũ conferebat & Deo & S. Martyri gratias actu- B
rus. Nam & singulis anniuersariis diebus festis dicti S. Thomæ quæ in postremam solennitatem post natalem Domini incidunt, illi cereum quinque librarum offerebat. In ipso autem recuperatæ salutis die, cereum vnum pro sui corporis pondere conflatum ad honorem martyris eidẽ Ecclesię donauit. Prætermitto alia amplissima beneficia & dona quibus idem Illustris vir Eurardus Ecclesiam Dompni Martini multum amplificauit.

28. *Eques torquatus à calculo liberatus.* Illustris quidam eques Atrebatensis non exiguas facultates pro extirpando calculo, qui vesicam ipsius excoriabat sæpius frustra impenderat. Itaque omnem medicorum industriam ac malagmata quæuis valetudini suæ parum prodesse animaduertens, D. Thomæ Martyri peregrinationem in Cantuariam & inde ad Dompni Martini Ecclesiam sanctè vouit. Quam cum persoluisset, domum reuersus dormiendo ingentem lapidem virili membro sine vllo plane dolore eiecit. Huius vastitatem cum omnes mirarentur, eum cum muneribus argento inclusum Cantuariam misit pro gratiarum actione. Porro Ecclesiæ Dompni Martini mappam insignem donauit, quæ deinceps summo altari ad Dei ac Martyris honorem accommodata est.

29. *Mortuus resuscitatus.* Mulier quædam necessitate pressa filium ad stipem emendicandam ablegarat. Is verecundia offusus, sub lignorum strue sese abscondit, sicque præ fame atque algore extinctus, eo quod domum non reuerteretur, à matre per vicos oppidi Fani S. Pauli vbi agebat diligenter inquisitus, mortuus sub lignis inuentus est, idque à tribus iam diebus vt coniiciebat mater. Hæc ita- C
que ad memoriam reuocans, quod vna cum filio superioribus festis Pẽtecostes sacras D. Thomæ reliquias visitasset, in quibus & sæpe sacrum fecisset & postremo Martyrium passus fuisset, Nunquid, ait, & meæ & filii deuotionis oblitus iam nos despicies? Iure fortassis ob mea crimina deserar, sed saltem obsecro filioli mei annos duntaxat decem nati miserearis. Noui equidem quod facile à Domino Deo eius resurrectionem impetrabis. Ideo vehementius tuum imploro subsidium. Hæc & huiusmodi flexis genibus precata cum surgere ab oratione vellet, humi prostrata ac sensu pene destituta ad tempus mansit, donec filius apertis oculis iam ore hiarat & labia moueret. Hinc mater Deum sanctumque Martyrem benedicens vna cum filio ducentis aut supra hominibus comitata, qui rem omnem viderant, in Ecclesiam Dompni Martini sese contulit ad inuisendum S. Thomæ byrrum, Deoque & Sancto gratias agendum. Sequenti anno ipse puer à mortuis excitatus supra quingentos iuuenes annum decimum sextum non excedentes ad inuisendas dicti religiosi Martyris reliquias in Archicœnobium Dompni Martini perduxit, insciis etiam puerorum parentibus. Cumque ex ephebis excessisset ipse iuuenis ex coniuge multos suscepit filios, quos annuatim in festis Pentecostes cum vxore ad Ecclesiam Dompni Martini conducens, quantum Deo displiceat parentibus filios non esse morigeros suo exemplo exponebat. Vnde & multi iuuenes oppidi S. Pauli, longè obsequentiores parentibus D
facti sunt.

33. *A scorpionis ictu mulier sanata.* Mulieri cuipiam nomine Mariæ Ambianensi erat filia à paucis annis viro matrimonio iuncta; quæ anguillarum vehementi desiderio tabescẽs in morbum inciderat; nec eius causam aperire præterquam matri ausa fuit. Hæc igitur vt hoc malo filiam subleuaret, celeri festinatione anguillas (in quibus erat & scorpio seu coluber) emptas dum ad coquẽdum præpararet à scorpione percussa sic est vt eius manus in tumorem & nigredinem illico verteretur. Interim domum reuersus maritus scorpionis spiculum incurabile esse non dubitans (quod nuper eo ictus quidam alius nulla medicorum opera sanari cum non posset è vita decesserit) & Dei & S. Thomæ auxilium implorat, cereos aliasque deuotionis oblationes præparat, currum cum vxore cõscendit vt S. Martyris byrrum & annulum inuiseret. Itaque iam itineri insistens, miratur etiam tunc coniugem remisso dolore in somnum præter solitum incidere. Hæc autem dormiens in curru Diuum Thomam Archiepiscopali veste ornatum videt, qui sublatis prioribus malagmatibus & emplastris atque linteolis alia plane manui suæ applicabat. Quæ somno soluta cum

visioni

A visioni rem omnino respondere miraretur,& longe melius quam antea se habere gratularetur, in posterum hęc D.Thomæ medicamenta variis læsionibus adhibuit: atque sanauit etiam eos qui apostematibus,læsionibus,cæterisque morbis vulgo Sancti Iuliani,& Sancti Fiacri appellatis laborabant. Denique, ad Ecclesiam Dompni Martini appulsa mulier cum manum Diui Thomæ malagmatibus denudasset,vt S.Martyris sacris reliquiis applicarentur, mirata est nullum in vulnere apparere vestigium. Cuius beneficii meritis S. Thomæ diuinitus accepti memores tam maritus nomine Philippus quam vxor Maria tribus aut quatuor annis postea inter nanibus valedixisset,& se & sua Dompni Martini Archicœnobio consecrarunt: quorum alter fratribus inseruiebat, coniux vero eorum vestes & linteamina atque indusia purgabat: sicque Deo ad honorem Sancti Martyris dicati, vitam sanctam vsque ad mortis articulum perduxerunt.

Quendam hominem defunctum linteo inuoluebat mater in pago Beaurainensi,alias Bello- 34.
renensi vulgo Beaurain;quæ cum filii vultum horridum plane & à viuente longè mutatum do- *Mortuus*
leret lachrymis offusa ad S.Thomam orationem conuertit, ad ipsius sacras exuuias peregrina- *resuscitatus.*
tionem promittens,si mortuo filio succurrere dignaretur: & ecce illico mortuus apertis ocu-
B lis,& è facie eius sudore irrumpente;Heu,inquit,quàm grauibus tormentis affectus fui,longéque vehementiora passus fuissem,nisi adfuisset mihi venerandus Archiepiscopus. Itaque vir excitatus à mortuis intelligens hunc fuisse S. Thomam martyrem, illico adiit Dompni Martini cœnobiarchiam;S.Martyris byrrum,annulum aliasque reliquias veneraturus. Vbi tanta deuotione erga benefactorem statumque religionis affectus est,vt & se & suam operam illis omnino dedicaret. Illic enim permanens vsque ad mortem pro suæ industriæ conditione & plumbum conficiebat,eoque tecta reficiebat atque vitreas fenestras imaginibus decorabat. Tantas vero cum lachrymis & Deo S. Martyri gratias agebat,tantoque ardore erga sanctum Martyrem inflammabatur,vt cum inter alia vitrea opera Diuam Agnetem pingere statuisset,miratus fuerit suum opus in imaginem Diui Thomæ transiisse, in cuius sacello diebus festis ardentissimè orabat,neque in posterum visus est ridere aut aliquo ludo se exercere. Atque his pietatis operibus ornatus demum ad cœlum emigrauit.

Heroina quædam nomine Aquilina aliàs Agnes Kieret Domina Donriher mortuum fœtum 37.
eiecit,etiam naturali forma imperfectum. Quamobrem matrona probatissima pergraui mœ- *Abortiuus*
rore confecta nullum plane solatii recipiebat subleuamen, vtcunque obstetrice prudentissima *vitæreditus, cum*
C asserente,eam esse Dei voluntatem ac prouidentiam talem cui impium foret resistere. Nihi- *insignibus*
lominus enim illa mœstitia pene consumpta lachrymas ad S. Thomam fundebat hoc modo *gratitudinis testi-*
eiulans: Noui equidem potentissime Martyr & Deo dilectissime te quicquid voles ab omni- *moniis.*
potenti Deo saluatore statim impetraturum. Iam enim sæpius ad aures meas peruenerunt tua illustrissima miracula,de quibus nulla ratione dubito.Noli igitur pati vt huius abortiui anima ad Limbum inferorum abeat. Et hoc quidem licet fortassis parentum flagitia exigant, ipse tamen infans nullius commissi reus,cur portabit iniquitatem patris, contra scripturę sacræ sententiam?Diuinam igitur clementiam exora vt & suæ amarissimæ passionis tuique martyrii meritis mei miserrimæ peccatricis misereri,huicque abortiuo vitam infundere dignetur.Hos & huiusmodi gemitus cum quædam eius familiarissima pedissequa audisset,omnem,inquit, metum ac solicitudinem in Deum repone,suffragium implorans Martyris: Ego statim imaginem ceream eiusdem cum hoc abortiuo ponderis ad byrrum & alias D.Tho.sacras reliquias deferam. Illa cum eo peruenisset fusisque precibus & donis oblatis eandem statuam porrexisset, illico inter brachia obstetricis abortiuus animam cum vita suscepit, labra mouens vertensque oculos cum palpebris. Ad hæc eidem accessit membrorum omnium perfectio,ita vt nulla plane in eo macula aut defectus appareret. Quamobrem ipsa velociter ad matrem recurrens puerum viuentem obtulit, lotumque ex more aqua tepida, in dies magis ac magis conualescere experta
D est. Itaque ne sacri baptismatis charismate frustraretur, & in gratiarum actionem filium viuificatum mater in monasterium Dompni Martini præmisit ad honorandas S. Thomæ reliquias, rogans imprimis dicti loci Abbatem Ancherium,vt ipsius pueri patrinus esse dignaretur. Quod ille non recusans eum in baptisterio Tortifontis regenerationis lauacro tinxit D. Thomæ nomine insigniens. Hinc cum ingenti gaudio ad matrem reductus est,quæ in accepti beneficii gratiam monasterium amplis muneribus affecit,quin etiam ad miraculi memoriam cubiculum castri in quo puer natus & resuscitatus est, sublime Dompni Martini nomen retinuit, vbi frequenter postmodum religiosi Martinienses humaniter excepti,multisque beneficiis affecti fecerunt. Quid quod non tantum ipsa piissima mater erga cœnobium Dompni Martini semper fuit optime affecta ac benefica,sed & eius omnes posteri? Ad hæc septennem filium generosissimo domus suæ equo insidere iussit, atque inde cereum equum cum puero ad pondus vtriusque cum effingi curasset & viuum & cereum equos Dompni Martini Ecclesiæ obtulit atque donauit ad Diui Thomæ honorem. Demum moritura vt in cœmiterio fratrum sepeliretur humillimè rogauit, sine vlla tamen pompa aut inscriptione vel cruce vel effigie vel marmore, modo nomen eius martyrologio ad nonum Martii hoc modo ascriberetur: *Commemoratio Aquilinæ Dominæ de Donriher.* Et ne vlla ratione suo nomine grauarentur religiosi, noluit

eos certis obsequiis pro se obstringi, satis contenta si communibus orationibus participaret; A
ne scilicet eius in hoc monasterium beneficia coram Deo extinguerentur. Porro filius vigesimum attingens annum deuotionis causa Hierosolymam adiit, ibique ob singularem bellicam virtutem & nominis claritatem eques creatur, sacrisque locis sanctæ Crucis Christi, & aliorum monimentorum passionis Dominicæ deuote adoratis in patriam rediit; vbi post reditum annis circiter quindecim ex hoc sæculo transmigrans corpus suum apud matris sepulturam pari humilitate collocari voluit: sui dominii hæredem faciens sororem vnicam.

45. *Visus nobilissimo iuueni restituitur.*

Vt Diui Thomæ nomen latius spargeretur, voluit etiam Dominus noster Iesus Christus eiusdem miracula ad remotiores prouincias peruenire. Erat enim quædam clarissima matrona nomine Argentila in ciuitate Nemoracensi Galliæ Celticæ vnicum habens filium nomine Odonem. Hic pustullis onustus videndi vsum perdiderat. Quapropter eius mater mortui mariti hæredem adeo grauiter afflictum dolens nullis parcebat expensis vt medicorum arte lucem recuperaret. Verum vt parum humana præsidia adesse vidit, ad diuinum recurrit auxilium, varias peregrinationes sanctorum per se aut per alios exoluens. Demum cum parum profecisset, à quibusdam peregrinis certior facta in cœnobio Dompni Martini D. Thomam recentem martyrem variis ac stupendis clarere miraculis, etiam hanc peregrinationem cum filio, famulo ac ministra, cum clerico comitata, non est verita suscipere. Ibique byrro & annulo Sancti Martyris reuerenter honoratis, donisque vltro oblatis post quatuor sui aduentus dies cum seruis domum B
repetiit relicto ibidem clerico cum filio; qui quotidie omnes horas canonicas tam diei quam noctis quindecim dierum spatio frequentabat in sacello D. Thomæ deuotissimè orantes. Decimo autem & tertio peregrinationis die cum ipse Odon natus annos circiter octodecim, iamque duorum oculorum lumine penitus priuatus sacrũ in sacello D. Thomæ audiret (quod ibidem singulis diebus celebrari suis expensis curabat) tempore eleuationis ven. Eucharistiæ vidit quandam albam rotunditatem, tum à clerico petens vtrum ibi non esset corpus Domini nostri Iesu Christi; quod postquam ita esse submissa voce à clerico accepit, in huiusmodi vocem (cum tamen nec presbyterum nec tædam accensam animaduerteret) irrupit: O mi creator sis obsecro benedictus: Laus tibi omnipotens Deus & tuo Sancto Martyri Thomæ! Hanc exclamationem cum audisset celebrans sacrum, non dubitabat de gratia Odoni diuinitus exhibita; ideoque sublimius ac prolixius solito sacram hostiam eleuabat. Deinceps vero indies vsque ad decimum quintum diem suæ peregrinationis clarius perspiciebat. Hinc ad matrem in patriam reuersus Deum ac sanctum Thomam magnis efferebat laudibus quod perspicacius quam vnquam in vita res omnes perspiceret. Nec in posterum de accepto beneficio ingratus fuit, sæpissime S. Martyris inuisens reliquias: successu autem temporis matrimonio iunctus atque suscepto ex coniu- C
ge filio & filia iisque coniugibus factis post vxoris mortem extremam senectutem in monasterio Dompni Martini transegit, eiusque Ecclesiæ non exiguis opibus traditis, sepulturæ locum elegit in claustro apud refectorium.

48. *Paralitici admiranda curatio.*

Vir quidam ex prefectura Bolonienſi iam duobus annis lecto decubuerat omnium membrorum vsu destitutus; quem vt recuperaret magnam iam dudum pecuniam in chirurgorum medicorumque expertissimorum expenderat operam ac industriam. Itaque cum iam nihil superesset in quo iuuaretur excepta Dei omnipotentis benignitate, iste infirmus dormitans vocem audit huiusmodi; *Heus heus Ludouice, surge, quid hic quiescis? Cur ad cœnobiarchiam Dompni Martini non properas vbi sanctæ reliquiæ D. Thomæ martyris coluntur? Quæ nunc supersunt opes ne dubites illius Ecclesiæ tradere fundationi atque ornamento, cum tantas iam frustra in Medicorum artes effuderis. Iam adest tempus vt abiectis hominum præsidiis ad diuina recurras. Quid de omnipotentis Dei virtute dubitas? Nunquid creberrima & stupenda miracula non intellexisti quæ fortissimus fidei Christianæ athleta D. Tho. Martyr quam latissimè operatus fuerit? Surge, excitare, itineri te accinge.* His dictis cum sonitu disparuit visio. Verum infirmus sibi persuadens quiescentis hanc esse phantasiam & inane somnium quod suis auribus suggestum fuerat, parum admodum curauit. Attamen Dei pietas per duas sequentes noctes eadem planè inculcauit. Demum audita tertia admonitione, excitatus ille miser infirmus D
dubia mente multa agitare cœpit, varieq; apud se disputans inter spem & metum ita loquebatur. Cum iam abhinc annis duobus lecto non exieris qua ratione illuc proficiscēris? Nam neque iter nosti quo ad Diui Martini Abbatiam sit eundum, neq; aliquod vehiculi genus adest quod te illuc vehat. Contra vero diuina instigante misericordia in spem se erigebat, nihil Deo & sanctis eius sciens esse impossibile. Quamobrem post tertiam visionis monitionem duos scipiones sibi parari iubet, atque à suis indutus itineri se committit cunctis amicis eius ob magnam infirmitatem quam in eo videbant laborem peregrinationis dissuadentibus. Verum ille spem omnem in Deum & Diui Thomæ suffragia collocans, profectionem dissuadentibus cum vixdum limen domus fuisset egressus cõfidenter respondit: Quid obsecro ab incœpto itinere me remoramini, cum sanis vnius duntaxat diei sit via, quæ vndecim horis confici queat? Nunquid eam vel saltem vno mense cõficiam? Quapropter hac de re quæso ne apud me plura verba faciatis. Ego hanc peregrinationem cum Dei præsidio & sancti Martyris tandem exequar, vel Deo ita volente moriar. Neque cuiusquam vestrum expoſco auxilium, nisi vt pro mei itineris suscepti successu orare dignemini. Sic Deo se commendans nunc sustentaculis innixus, nunc pectore procumbens

A procumbens aut genibus & cubitis se sustentans reptabat, corpusque infirmum vt potuit volutabat; sicque tandem duodecimo die suscepti itineris ad Ecclesiam Dompni Martini peruenit. Sequenti die parum solicitus exantlati laboris quem in via perpessus fuerat tunc sub dio dormitãs, nec fatigationem molestè ferens primum omnium reptauit in sanctuarium D. Thomæ, ibique omnium peccatorum suorum cum essent festa Pẽtecostes exomologesim fecit: tũ lachrymis perfusus coram imagine glorioſissimi Martyris statim sanitatis gratiam impetrauit. Cũ enim à peccato eum absolutum signo crucis confessarius reliquias S. Thomæ martyris manibus tenens consignasset, illico is qui ad instar globi iacebat, caput erexit cum magna veneratione ac cordis contritione reliquias glorioſi Martyris plorando honorans. Præterlapsa hinc semihora, alterum genu flexit, moxque alia media hora elapsa aliud quoque erexit. Atque ita vtrisque genibus insistens paulatim per singulas horarum medietates singulorum membrorum consolidationem ac firmitatem recepit. Demum in vesperis supradicto Reuerendo Abbate D. Anchiero Dompni Martini dicente, *Deus in adiutorium meum intende*, sublimi voce respondit cum aliis, *& ad adiuuandum me festina* (erat enim latinæ linguæ non ignarus) assidue D. Thomæ imaginem cum magna cordis contritione ac amaritudine animi contemplans. Deinde verbis hiſce gallicis sanctum Martyrem est allocutus: O

B *Monsieur sainct Thomas à moy ayder vueille toy haster; tu vois la miserableté de ma maladie & l'esperance de mon cœur. Et doncq soyez ententif à mon ayde.*

Tum celeberrimus martyr Diuus Thomas suæ spiritualis medicinæ pharmaca depromens, supplicem exaudiuit, viresque totius corporis ei planè integras, antequam vesperis finis imponeretur, restituit. In cuius rei testimonium scipionibus abiectis ibique relictis sese in pedes erexit: atque per templum ac claustra nullo baculo fultus liberrimè deambulauit. Tertio demum post die expeditè domum reuersus est, cum iam in eodem cœnobio omnes carnis impetigines ac scabies deposuisset, quibus integrum corpus scatens potius horrendi leprosi speciem quam alterius ægroti referebat. Ecce quantum potest sacri martyris meritum & suffragium.

58. *Duo Comites post longa intestina odia per S. Thomam mirabiliter conciliãtur*

Duo Alemaniæ comites, quorum vni Otho, alteri Hermes nomen erat, inueterato odio & graui bello inter se dissentiebant. Nihilominus vtrique summa erat erga D. Thomam Archiepiscopum deuotio; eum & mane & vesperi hac salutabant antiphona: *Opem nobis ô Thoma porrige, rege stantes, iacentes erige, mores, actus & vitam corrige, & in pacis nos viam dirige.* Versus. *Corona aurea super caput eius.* Resp. *expressa signo sanctitatis, gloria honoris & opus fortitudinis.* Oremus. *Deus pro cuius Ecclesia glorioſus Archipontifex Thomas gladiis impiorum occubuit, præsta quæsumus, vt omnes qui eius implorant auxilium petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Christum*, &c. Hinc accidit

C quinto festo Pentecostes (quod Diui Thomæ dicatum est) amicus Dei Diuus Thomas sanctissimæ memoriæ Archiepiscopus quondam Cantuariensis nocturna visione supradicto Othoni apparuit ita inquiens: Cur quæso eos odio persequeris quos amore prosequor? Nunquid tibi in mentem venit, quoties te bellantem contra paganos iuuerim? (sicuti etiam eius aduersario Hermeti adfuerat) hæc obsecro non solum ad mentem reuoca, sed & memineris me esse Thomam Archiepiscopum Cantuariensem; qui tibi serio iniungit, vt hoc die Iulij 7. infra annum coram me compareas in Ecclesia Dompni Martini in finibus Artheſiæ (quo sæpe venisti dum ex monasterio Sancti Iudoci ad mare redires) eoque deduces filium tuum Gosſonum vt melius ei sit. Hæc si non feceris quam grauiter Deum offendant qui iniusta bella gerunt statim experieris. Eadem verba in somno Hermeti Comiti fecit sanctus Thomas, præcipiens etiam vt filium suum Almaricum (quem Amoulry vulgo dicimus) conduceret. His autem comitibus erant duntaxat duo filij & totidem filiæ. Iamque supradictus Gosſonus vsum videndi perdiderat dum aprum in syluis venaretur, ramo quodam in oculum irrumpente, vixque annum decimum & sextum attigerat. Vt igitur ad dictum diem in cœnobium Dompni Martini appellerent ambo Comites, inscii tamen mutuæ visionis, itineri se accingunt. Prior Hermes illuc cum peruenisset sacrum in Diui Thomæ sacello audiebat: & ecce alter Otho etiam intrat Eccle-

D siam, certiorque factus de aduentu Hermetis aduersarii statim cingulum cum ense humi in templo deponit, nec vult sacellum Diui Thomæ ingredi ne Hermetis oratio interturbetur, famulis quoque suis interdicens ne quis eorum illum attingeret. Interim quidam ex famulis Hermetis adesse Othonem nunciat quidque de suo ense feciſſet. Tum Hermes erectis in cælum oculis: Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus ac sancto Martyri: Hic Otho nobis est gratiſſimus: pariterque depoſito cingulo gladium ad pedes imaginis sancti Martyris deposuit; atque missæ sacrificium ad finem vsque deuotè audiuit vna cum Othone qui è sacello prodeuntem Hermetem pileo depoſito honorificè salutauit, tanquam & Dei & Sancti Thomæ amicum ac famulum. Hunc cum humaniſsimè resalutasset Hermes eodem modo, eorundem filii eandem salutationem præstiterunt. Postea ambo duos enses in manu sancti Martyris collocarunt in signum pacis compoſitæ ac fœderis perpetui, etiamsi parui non essent precii. Deinde idem Otho cum Hermete alteri sacro interfuit, & ambo pariter cum filiis oblationem sacerdoti fecerunt manibus se complectentes eum summa deuotione. Mox supradictus Gosſonus oculum recuperauit. Nec ita multo post Gosſonus filiam Hermetis in vxorem duxit & Almaricus Othonis natam; quibus matrimoniis (vt erant hi duo filii ætate pares) etiam inter parentes firmior amicitia iuncta est. Verum vt ad eorum exitum è monasterio Dompni Martini

7. Iulii in Anglia celebrari olim soliti est Translatio D. Thomæ Cantuar.

redeam, non defuerunt tum latentes antiqui hostis insidiæ, qui cum horum principum sartam A
tectamque amicitiam effringere non posset, Othonis Comitis famulum (qui superioris discordiæ ac belli primarius auctor fuerat) in suos casses attrahere est conatus. Cum enim ambo Comites arctissimo familiaritatis vinculo iuncti portam ipsius monasterii egrederentur, dictus seruus hanc amicissimam reconciliationem iniquo adhuc, vt aiunt, ferens animo, vix dum ad lapidis iactum ab eodem processerat cœnobio, cum equo deiectus statim expirauit. Quamobrem pergraui mœrore affectus Otho, iuxta Hermetis consilium, inuocato D. Thomæ auxilio, ad imaginem & reliquias sanctissimi Martyris exanime corpus deportari fecit. Vbi cum vnius horæ spacio iacuisset orantibus pacificis Comitibus vna cum toto Monachorum cœtu, cum Dei misericordia tum sancti Thomæ suffragiis, non solum ad vitam reuocatus est dictus minister, sed etiam sacramento pœnitentiæ salutari à peccatis absolutus. Deinde cum suarum insidiarum technas Comitibus exposuisset, veniamque pro conceptis criminibus & ab eis & ab eorum filiis implorans fuisset consecutus, animam omnipotenti Deo reddidit. Comites vero cum summa familiaritate in patriam reuertentes Diui Thomæ martyris & Archiepiscopi Cantuariensis miracula & gesta maximis efferebant laudibus, glorificantes Deum qui talem potestatem dedit sanctis suis.

59. Cum in sanctis suis Deus omnipotens semper fuerit & sit mirabilis, & supradictis D. Thomæ stupendis, omnique admiratione dignis prodigiis ac signis non solũ se mirabilem præbuit, B
sed etiam toti Galliæ ac Angliæ, imo vniuerso pene orbi sanctissimum martyrem celeberrimum fecit, dum huius beneficia amplissima experti sunt cuiusuis status homines, cum nobiles tum ignobiles, sed & reges quoque & Episcopi atque Archiepiscopi. Nam vt ab Ecclesiasticis exordiamur; cum illa mulier de qua superius scriptum est abortiuo suo meritis S. Thomę apud Dompnum Martinum ad vitam reuocato, Landunum se inde recepisset, miraculiq; rumor ad aures Domini VValteri eiusdem vrbis Episcopi peruenisset, nolebat tamen hic vlla ratione sibi persuadere, etiam multis rei veritatem, cum eadem muliere, attestantibus, tanti miraculi specimen suffragiis ipsius martyris accidisse. Itaque in hac incredulitatis pertinacia ad decem pene dies

Incredulus Episcopus D. Thomæ miracula cogitur agnoscere.

persistens demum Deo ita disponente, decima post nocte tam vehementi siniſtri brachii frigore corripitur ab humeris vsque ad digitorum extremitatem, vt à nemine vllo fomento calefieri posset interius: Nam & palpantibus exterius adeo erat frigidum, vt tanquam gelu ac glacie rigidum à nullo tangi posset, qui prius ad ignem non apposuisset manus. Quin etiam quasi congelatum omnino foret nullis illud hominum viribus ad cubitum vel ad manus articulos complicari potuit. Quid tandem? Ab inimicis & vicinis ipsaque muliere consilium accipere Episcopus cogitur omni iam humano subsidio destitutus, qui ei suaserunt tandem vt Diui Thomæ sacris reliquiis peregrinationem cum veneratione promittat. Quam cum vouisset cereo brachio ad C
sancti Martyris honorem confecto, sequentis noctis quiete refocillatus iter aggreditur ad Dõpni Martini cœnobium in finibus Artesiæ, ibique corã rocheto cæterisque pretiosis Diui Thomæ reliquiis cum Dei clementiam exorasset omni dolore liberatur; adeo vt ad altare sancti Martyris ipso die sui aduentus missam liberrimè celebrauerit. Ne autem tanti miraculi memoria ex hominum memoria elaberetur, & vt ipsi Dompni Martini fratres animæ suæ salutem haberent commendatam, suum nomen Ecclesiæ illius martyrologio inscribi iussit quinto Octobris die, eo nimirum quo sanitatis gratiam à Deo sancti Thomæ precibus fuerat consecutus. Multis quoque muneribus ipsam Dompni Martini Ecclesiam affecit; singula à D. Thoma superius patrata approbans miracula, quorum & ipse particeps fuerat.

61. Excellentissima Domina & Princeps Ioanna Regina Castillæ & Leonis, Comitissa Pontinii,
audiens Radulphum venerabilem Archidiaconum Pontinensem morbo fistulari quem medici ac chirurgi antram vocant laborantem D. Thomæ meritis curatum fuisse, pro sanitate etiam

Regina Castillæ curatur.

muliebrium, Ecclesiam Dompni Martini adire non est grauata; vbi oblatis muneribus, peractaque deuotione, eam amplissimis donis auxit: siue ornamenta Ecclesiastica, siue vitreas feneſtras spectes quæ eiusdem insigniis decorantur; vnde & nomen ipsius cum celebri memoria martyrologio etiam inscriptum ad septimum & decimum diem mensis Martii, quia ita fieri petierat, sibique obsequium annuum eodem die celebrari. Simili ratione in eodem codice nomen dicti R. Archidiaconi Domini Radulphi celebratur decimo quarto Septembris, quo die ad Ecclesiã Dompni Martini aduenies S. Martyris subsidium perceperat: adeo vt in posterum nullo dolore grauatum se senserit. D

62. R. Episcopus Suessionensis nomine Goeslenus intentatam habens litem contra alium
potentiorem Episcopum cuius nomen erat Albero (sed loci titulus non exprimitur) quia potentia & facultatibus hunc superare non poterat, etiãsi æquitate præualeret, ad S. Thomæ præsidium recurrit; ei suæ Ecclesiæ Suessionensis æquam protectionem commendans, qua ad sanguinis effusionem Ecclesiæ Cantuariensis defenderat authoritatem. Vouit itaque ad D. Thomæ sacra pignora in cœnobio Dompni Martini peregrinationem & cereum tantæ longitudinis, quanta erat agrorum terræ de quibus erat controuersia. Sequenti nocte Alberoni Antistiti S. Thomas apparuit insom nis vt à controuersia desisteret: monens etiamsi effectum quem desiderabat sortiretur, ne tamen peruersa cordis auaritia deciperetur. Ad monentis S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi verba attonitus Albero cum stupore excitatus, etiamsi non

Duo Episcopi in concordiã redeunt.

agnouisset

A agnouisset hortantis vultum, nihilominus vt litem cum Episcopo Suessionensi componeret itineri statim sese accingit. Verum postquam audisset Suessionensem præsulem iam iter parasse ad Archimonasterium Dompni Martini in D. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis honorem, ad memoriam reuocans visionis grauitatem Archiepiscopalem, diutius de Archipræsule Thoma Cantuariensi minimè dubitans, etiam versus idem cœnobium viam dirigit, eoque vna ambo Episcopi appulerunt, vbi coram imagine ac sacris reliquiis D. Thomæ Albero Suessionensi Episcopo fateri culpam suam non est veritus: Goeslenumque vero & aperto Iuri inniti, quod ipse sanctissimus Archiepiscopus Thomas ipsi in somniis declararat. Nec plura addens Albero Goesleno Episcopo contestatæ litis expensas persoluit. Porro ipse Goeslenus cereum longitudinis quingentorum brachiorum (quantum scilicet circuitus capiebat ager controuersus) iuxta promissa in Ecclesiam Dompni Martini contulerat; quo etiam nudis pedibus & capite perrexerat ab vrbe Suessionensi per Corbeiam, iter nimirum triginta septem leucarum. Quod equidem graue admodum fuit viro tenero & huiusmodi laboribus insueto. Vt autem huius peregrinationis perpetua extaret memoria, huiusmodi Rmi. ac piissimi Episcopi nomen Martyrologio consecratum est ad vigesimum quintũ Octobris sanctis Crispino & Crispiniano dicatum; quo ipse domo adeo longam exorsus fuerat peregrinationem. Simili autem deuotio-
B ne ac labore videlicet nudis pedibus ac capite nudo vt peregrinationem absolueret ita reditum confecit: Deum Opt. Max. laudans & gratias agens quod nihil detrimenti suum ob hanc controuersiam cœnobium percepisset. Ideoque à reditu suo quotidianam adiecit abstinentiam à carnibus & piscibus quotidie ieiunans, diebus festis atque dominicis exceptis; multa quoque beneficia cœnobio Dompni Martini contulit. Ipso etiam die initæ concordiæ qui in tertium Nouembris incidit coram supradicta imagine Diui Thomæ Archiepiscopi, idem Albero nomen suum describi iussit in martyrologio eiusdem Ecclesiæ, cui non parua commoda deinceps attulit.

Philippus Illustris Comes Flandriæ secretiore quadam infirmitate agitatus, cùm à medicis nullum adiumentum posset consequi, ad honorem D. Thomæ & eius pignora quæ apud Dompnum Martinum honorantur, sui ponderis ac magnitudinis ceream statuam huic vouit Ecclesiæ; neque hac oblatione contentus adiecit & arma seu cataphractum equum cũ lancea & gladio atque non mediocrem summam pecuniæ. Cumque harum rerum latores sese itineri commisissent, melius sese habere cœpit Comes, paucisque postea diebus omnino conualuit: quod ipsemet verbis fratribus postmodum confirmauit, suam offerens liberalitatem si qua in re eius
C opera ac fauore monasterium Dompni Martini indigeret: atque in memoriam suæ sanitatis & gratiarum actionem, nomen suum in martyrologium referri voluit eo die quo sua oblatio D. Thomæ fuerat præsentata, hoc est primo die Iunii. Denique eandem Ecclesiam plurimis donis exornauit.

63. *Philippus Comes Flandriæ à secretiore morbo curatur.*

Illustrissima ac clarissima Regina Franciæ ac Nauarræ Domina, iam sex dierum spatio puerperii grauitatem pene intolerabilem perpessa fuerat frustra plane & medicorum expertissimorum arte, ac sapientum obstetricum industria adhibita, demum de vita prolis suaque salute vt ipsi confirmabant Medici desperabat, cum ecce ipsis ab ea recedentibus, Ducissa Nemoracensis aduenies, sereniss imæ Reginæ crebra miracula, quibus apud Dompni Martini Antistitium florebant S. Thomæ exuuiæ, cœpit exponere, imprimis ob oculos ponens admirabilem curationem cœcitatis cuiusdam pueruli (cuius mater Nemoraci tunc agebat) hoc domestico miraculo permota Regina statim præsentibus multis se eo peregrinantes missuram stipulata est cum statua pueruli argentea pondere trium Marcarum, quam sanctissimæ Trinitati atque D. Martyri dedicabat. Quarta hinc parte horæ vel circiter prolem absque cuiusquam adminiculo enixa est, quæ suscepto baptismate tribus diebus superuixit. Verũ filii morte vehementius afflicta Regina votum Deo & reliquiis Martyris factum neglexit. Vnde tempore promissionis factæ iam elapso, longe vehementius morbus in mãmilla eius exarsit; quæ cum nullius remedii
D vim posset admittere, tum demum promissi memor, constitutos peregrinos, vna cum oblatione promissa ad Abbatiam Dompni Martini transmisit, alium præterea adiungens, qui mãmillę speciem argenteam vnius marcæ ad reliquias S. Martyris deferret, quo facto sanitatem consecuta est. Quamobrem nomen quoque suum martyrologio inscribi curauit secundo Aprilis die, quo prolis grauedine exonerata fuerat, vt hac ratione fratrum Dompni Martini cùm in vita, tum post mortem orationibus commendaretur: quibus etiam amplissima fecit dona.

67. *Ioannæ Reginæ Franciæ puerperii dolore liberatur, &c.*

Cum superioribus capitibus quam plurima non tamen omnia in Monasterio Dompni Martini meritis D. Thomæ Archiepiscopi & Martyris patrata miracula in medium protulerimus, ne quis forsitan de eorum vel frequentia vel magnitudine in posterum vacillet, à quibus ea fuerint approbata & confirmata paucis dicemus. Sampson Carnotensis Ecclesiæ quondam Episcopus, & postmodum Rhemensis Archiepisc. circa ann. salut. 1139. teste Sigeberto creatus, cùm varia & stupenda S. Tho. miracula ex multis fide dignis viris audisset, de ipsis plenius volens informari, Richardum etiam Ambianensem & VValterum Landunensem, Gosselinum Suessionensem Reuerendissimos Episcopos alios que grauissimos viros tam illustribus familiis quã dignitatibus claros, atq; inferioris notæ homines probos audire super hac re voluit, ex quibus eadem quæ prius didicerat, confirmari audiuit. Particularius vero eximius quidã sacræ Theologiæ

68. *Miraculorum comprobatio.*

doctor & Rhemensis Ecclesiæ beatissimæ Virgini Marię dicatæ canonicus (quem ob vitæ sanctimoniam celebrant) nomine Ausculphus eidem Illustrissimo ac Reuerendissimo Archipræsuli Rhemensi exposuit; quantopere ipsemet quondam dolore colico, aliàs iliaco morbo vexatus, calculoque laborans, cum in sacello D. Thomæ Ecclesiæ Dompni Martini sub sacrosanctæ missæ sacrificium ab Hesdinensibus fundatæ oraret, supra semilotum calculorum ad instar arenæ marinę emiserit festis paschalibus, atq; his rationibus omni dolore liberatus, mediã partem calculorum Reuerendissimo atque Illustrissimo Archiepiscopo detulit. Quamobrem is plenius informatus cætera etiam sancti Martyris signa rata esse iussit atque confirmauit: maximè cũ Reuerendissimi prędules Ambianenses Dominus Richardus & Theobaldus (de quibus supra) diligentem super bis inquisitionem atque examen fecissent, nec non testimonium sanctissimum ac firmissimum exhibuissent. Siquidem Reuerendisimus Richardus imprimis ad cœnobiarchiam Dompni Martini profectus ex ore grauissimæ Angletæ Dominę Donrhier ac Domini Pontinii Dominæ Dompnipetrei, præfectæ castri Hesdinensis, mulieris quoque Ambianensis quam momorderat vipera, & Iuuenis Stephani Ambianensis, Assonis Brunensis, alteriusque viri Monstralensis aliorumque plurimorum affirmatione didicit superius narrata sine vlla dubitatione meritis Sancti Thomæ Archiepiscopi & Martyris cum in suis tum in aliis personis fuisse euidenter perpetrata, quod etiam coram dicto Reuerendisimo Episcopo Richardo ad Abbatiam Dompni Martini acciti testimoniis affirmarunt. Sed & ad alios absentes ministros suos misit idem Antistes. Quibus omnibus auditis, Illustrisimum Antistitem Rhemensem Dominum Sampsonem certiorem per litteras reddidit: qui hisce euidentisimis miraculis inflammatus, cœnobium Dompni Martini amplisimis muneribus auxit & exornauit. Quin etiam multorum compescuit insolentiam qui huic nonnulla incommoda inferre conabantur. Quapropter etiam martyrologio Ecclesiæ nomen eius insertum fuit ad festum Matthæi Euangelistæ, quod in vigesimum primum Septembris diem incidit; quia ipse fratrum suffragiis commendari exposcerat, atteștans supradicta omnia Diui Thomæ signa esse verisima. Deinceps autem Diui Thomæ Martyris ob celebritatem miraculorum fama per orbem volitante, etiam vsque ad Concilii Turonensis conuentum sub Alexandro quarto Pontifice Maximo habitum horum notitia peruenit. Cum enim ibidem interessent nonnulli religiosi Archicœnobii Dompni Martini, quidam etiam Archiepiscopi atque Episcopi, sed & varii Legati Regum Franciæ & Angliæ cum aliis multis prælatis harum rerum conscii, hi omnes ea certisima esse testati sunt. Quamobrem illud Antistitium quam plurimis dotibus exornarunt. Imprimis vero qui in se S. Martyris virtutes fuerant experti. Ideoque eius Concilii patres suum nomen illius Ecclesiæ Martyrologio inscripserunt, vt quotidianis piorum fratrum orationibus commendarentur. Quorum vt recentior sit memoria hic nomenclaturam faciemus.

1. Primum omnium ad vigesimum primum Septembris supradicti Reuerendisimi atque Illustrisimi Archiepiscopi Rhemensis Domini Sampsonis huic Martyrologio inscribitur nomen.
2. Secundo loco Archipræsul etiam Rhemensis eodem in codice celebratur Thomas nomine, decimo quinto Februarii.
3. Christianus Archiepiscopus 25. Augusti.
4. Galfridus Archipræsul 18. Iulii.
5. Esthilus Archiantistes 7. Septemb.
6. Anselmus Antistes Ambianensis 10. Maii.
7. Richardus Episcopus Ambianensis 23. Maii.
8. Theobaldus Ambianensis præsul 11. Maii.
9. Eurardus Ambianensis Antistes 28. Octob.
10. VValterus Episcopus Landunensis 5. Octob.
11. Gasselinus Suesionensis Antistes 25. Octob.
12. Albero Episcopus 3. Nouemb.
13. Galterus Episcopus 28. Iulii.
14. Godescalcus præsul 7. August.
15. Desiderius Episcopus 1. Septemb.
16. VValonus Episcopus 7. August.
17. Godescalcus secundus Episcopus 7. Septemb.
18. Astulphus Episcopus 19. Septemb.
19. Ioannes præsul Sabinensis 2. Octob.
20. Theodoricus Antistes 9. Nouemb.
20. Iordanis Episcopus ac fundator 7. Decemb.
20. Odo Episcopus Bellouacensis 27. Iunii.
21. Milo primus Abbas S. Iudoci in Nemore, quem nunc Dompnum dicunt Martinũ, postea Episcopus Teruanensis, descriptus est in Martyrologio ad 16. Iulii. Denique omnium supradictorum, quorum nomina in Martyrologium relata sunt numerus est quinque Archipræsulum & viginti duorum Episcoporum: qui omnes hanc Dompni Martini hæteriarchiam

A hæteriarchiam bonis & ſpiritualibus & temporalibus plurimum auxerunt, atque exornarunt.

Vt etiam orationum fratrum Monaſterij Dompni Martini participes fierent meritis ac ſuffragijs ſanctiſſimi Martyris D. Thomæ, tam Franciæ Reges ac Reginæ, quàm Illuſtres Comites Pōtinij, Flandriæ, Artheſiæ atque aliarum prouinciarum gubernatores qui huius S. Martyris, ac Archiepiſcopi Cantuarienſis virtutes ſenſerunt expertique fuerunt, hi inquam omnes ſua nomina ſupradicto Martyrologio conſecrarunt.

1. Imprimis Chriſtianiſſimus Rex Franciæ Philippus piæ memoriæ vt latius narratur in Martyrologio 15. Iulij.
2. Item Ludouicus Sereniſſimus Rex Galliæ 19. Septemb.
3. Item alius Ludouicus Franciæ Rex 28. Septemb.
4. Item piæ memoriæ Philippus Rex Galliæ 15. Iulij, pro cuius animæ refrigerio anniuerſarium cantatur annuatim.
5. Ludouicus alius Franciæ Monarcha 7. Nouembr. pro quo etiam obſequium perſoluitur annuatim.
6. Domina Conſtantia Franciæ Regina, de qua ſuperius, etiam Martyrologij ſcriptis celebratur ad 5. Octob.

B

7. Ioanna Regina Galliæ & Nauarræ 2. April. Martyrologio inſeritur.
8. Guilielmus Comes Pontinij inſcribitur Martyrol. 5. Octob.
9. Ioannes Comes Pontinienſis ac Berenſis vnà cum vxore relatus eſt in Martyrologium 1. Iulij, atque ambo anniuerſarijs honorantur.
10. Simon eorundem Comitatuum præfectus non ſolum Martyrologio 21. Septem. inſeritur, ſed etiam annuarijs precibus fratrum iuuatur.
11. Philippus Flandriæ Comes nomen ſuum etiam Martyrologio iuſſit inſcribi ad 1. Iunij. Hic & pro ſingularibus eiuſdem erga Monaſterium beneficijs, obſequio anniuerſario decoratur.
12. Margareta Flandriæ Comitiſſa & Artheſiæ ad 4. Ianuarij ſcribitur in Martyrologio.
13. Denique Simon Comes Montisfortis tanquam fundator in Martyrologio ſcribitur ac celebratur ad 25. Iunij.

Neque verò hi ſoli & Præſules & Reges ac Comites Sancti Thomæ Martyris virtutes experti ſuo teſtimonio ratas fecerunt, verùm & plurimi alij tam Eccleſiaſtica dignitate ornati quam ſecularis ſtatus viri probati ſua inquiſitione ac experientia comprobarunt, ſuorum etiam teſtimonijs vicinorum fide dignorum vtentes. Nam imprimis magiſter Guilielmus Poullain præ-

C fectus ac Dominus hoſpitalis ſeu Xenodochij Sancti Nicolai à Monſtrolio. Item Magiſter Guilielmus Machne, Paſtor Aubinenſis & Bonnienſis: necnon Thomas de la Couſture Curatus de Belrain, itémque Paſtor de la Contee ad Cancian. Dominus Matthæus Merchier, & dominus Iudocus Berſin Paſtor Salchoy & S. Remigij, qui omnes D. Thomæ ſanctuaria non ſolum apud Abbatiam Dompni Martini viſitarunt, verum & ob beneficia ab eo accepta, munera cum temporalia tum ſpiritualia obtulerunt. quod ſi ad plebeios deſcendamus, cum viri tum mulieres adhuc ſuperſtites: Rogerius à Loric Montriherenſis, alius item vir Torti fontis nomine Ioannes Tarquelin & Domicella Collaye à ſpina; alius inſuper homo Molinēſis cui nomen Ioannes le Caron, & Iſabella de Fontibus ex Ray oriunda, plurimique alij varijs gratiarum donis à D. Thoma ornati teſtimonium virtutum eius præbuerunt.

D

EXTRACTVM EX CHRONICO COMPENDIOSO omnium Abbatum Archicœnobij Dompni Martini ſeu D. Iudoci in nemore, verſibus conſcripto.

QVARTVS ABBAS.

ANſcherus ſequitur, Thomæ miranda Britanni,
Cuius adornarunt celebrem miracula mitram.
Proxima lux aderat qua magni armauit Olympi
Rector, Apoſtolicum linguis flammantibus agmen.
Tum memoraturus duri monimenta doloris
Myſtica, quo fulmen ſoboles æterna triſulcum
Eripuit ſummi manibus genitoris, ad aras,

Anſcherus ſtabat modulato gutture promens
Gloria cælicolis, & pax mortalibus; Ecce
Inclyta in ęde puer materna extinctus in aluo
Oſsibus admotus Thomæ (mirabile dictu) (∴)
Continuo æthereas hauſit diuinitus auras,
Atque animam populo vitámque ſtupente recepit.
Altera lux aderat non certis clara Calendis
Qua pater Anſcherus decantaturus auitò
Heſperias de more preces, hęc ore ſonabat: (∴)
Pronus in auxilium, cœlique ſolique Monarcha
Atque parens intende meum; Mirantibus ecce
Omnibus, ante ſacri profundens Martyris oſſa
Nullo vota ſono, ſublimibus ora reſoluit
Vocibus, ac monachis modulantibus aſſonat, omnes
Rumpe moras, laturus opem mihi: moxque ſalutem
Membrorum recipit, quorum priuatus ab annis
Munere iam binis fuerat, votiſque potentem
Martyra ſupplicibus cumulat, Diuumque parentem.
Huius reliquias ac oſſa ſalubria Thomæ
Anglia Diues opum Dompni tranſmiſit in ædem
Martini, magnoque ſolum decorauit honore.

Vide ſuprà Num. 39.

Vide ſuprà Num. 49.

117.

QVINTVS ABBAS.

ALeſtanus & hæc Hugo miracula Thomæ
Obſtupet; illo operante gradu veſtigia recto; (∴)
Figere colluſtrat claudos, & lucis egenos
Ac animæ veteris reuocari ad lumina vitę,
Ac varia mutilos donari membra ſalute.

AD DOMPNI MARTINI COENOBITAS DE Reliquiarum S. Thomæ Aduentu.

EPIGRAMMA.

THura pij, date thura, volent tua dona Sabæa:
Come ſerenatam, grex nemoroſe, comam.
Plaude manu, pia pange manu tibi pectora, luctum
Gaudia diſcutiant; lux veneranda venit.
Lux veneranda venit, niueoque notanda lapillo:
Pauper es? hac nimium mox opulentus eris:
Hoſpes ab extremo veniet tibi maximus orbe,
Anglia non iſthoc hoſpite digna fuit.
Is tibi fundet opes, & opem cuicumque beatus
Quem tanto dignum Principe, Chriſte facis.
Gaude igitur Martiniadum ſacra copia fratrum;
Ecce tibi Thomas aduenit. Aula micet.
Excute poſte ſeram, bipatentibus excipe portis
Tantum heroa: fores excute, rumpe ſeram.
Ille tibi magnas ſua per miracula vires
Suppetet, ille tuos nobilitabit agros:

Tanto

A *Tanto igitur gratare Duci. Veſtri eſſe parentem*
Cœnobij Thomam dicere iure potes.

ANNVS QVO D. THOMAS OCCVBVIT.

CEntum & mille hyemes, ſeptem quoque luſtra dabantur,
Anglorum Thomas cum cadit enſe decus.

Cuius gratia.

B *REgalis Thomas ſacer Archiepiſcopus vrbis*
Extremum charo pro grege calcat iter.

Dies ſuffocationis.

LVx aderat terris nato celeberrima Chriſto
Cum Thomæ incubuit ſanguinolentus eques.

Locus occiſionis.

VOta ſoluturus ſummam aſsiſtebat ad aram.
Ecce potens ferro noxia turba ruit.

Auctores cædis.

C *BRitto Richardus ouat, Moruilius Hugo cruentis*
Dentibus inſultans verbera crebra rotat.
Tracius hinc Guilhelmus adeſt. Reginaldus & vrſo
Sæuior inde ruit; tela, necemque ferunt.

Encomium D. Thomæ.

HIs igitur Thomas magnatibus occidit: illis
Non cedit virtus. Victor ad aſtra ſubit.
Aſtra ſubit victor, longum victurus in æuum,
Victuruſque alti fulmina prompta patris.

Aliud de Anno Martyrii D. Thomæ.

D *ANno milleno centeno ſeptuageno,*
Anglorum primas corruit enſe Thomas.

Perſona, Cauſa, Modus, Tempus, Locus.

QVis moritur? Præſul. Cur? Pro grege. Qualiter? Enſe.
Quando? Ipſo Domini Natali. Quis locus? Ara.

Authores cædis.

RIchardus Breton, necnon Moruilius Hugo
Guilhelmus Tracy, Reginaldus filius vrſi,
Thomam Martyrium fecere ſubire beatum.
Fortis & inuictus, his quatuor enſibus ictus
Primas Anglorum Thomas petit alta polorum.

A

DE MARTYRIO S. THOMÆ CANTVARIENSIS Archiepiscopi, Carmen Rythmicum, Historicum, Allegoricum & Morale.

Ex peruetusto Codice M. S.

ANte chaos iurgium indigestæ molis.
Adhuc hyle grauida fœtu magnæ prolis,
Necdum orto lumine Lunæ neque Solis,
Nec discretis aëre, terra, mari, polis.
In natura in serie rerum mundanarum
Prouidè dispositit dator gratiarum
Sub pressura grauium, onere curarum,
Post laborem requiem; Dulce post amarum.
Seth Abel lugentibus est leuamen natus.
Raptus Enoch requie curas est solatus:
Post vt Chaldaicum exul euocatus
Abraham in spe seminis Stellis est æquatus.
Post Agar ludibrium Saræ natus datur.
Post Lyam ad libitum Iacob vxoratur.
Ioseph luens somnium dum male tractatur,
Post malorum cumulum regno principatur.
Pressis Iacob filijs iugo Pharaonis
Patria promissa est repromissionis.
Multus in periculis maior fit in donis
Magnus Rex Dauid pater Salomonis.
Iob in damnis vnicus, vas electionis,
Post væ, carmen cecinit duplis auctus bonis.
Quos in aquis gratiæ lauit à peccatis
Palmis, costa, pedibus, in cruce foratis.
Regno his restituit illis prælibatis.
Præit calix culmina ob spem Maiestatis.
Culmina per calicis meruit amara
Thomas honor præsulum, gemma Deo chara
Nox in lucem claruit. Lux resplendet rara
Patens noui gaudij contra spem fit Sara.
Væ & carmen prætuli. Volo væ præire,
Vicem sequi carminis, carmen vocis diræ.
Sequor morem Comici. Scio vos hæc scire
Prius væ & tristia: post Euax & liræ.
Zelo domus Domini zeli dux accensus
Iuris est funiculo iura Dei mensus.
Hinc offensus furor est. Institit offensus,
Vt vel iustus diffluat, vel ruat intensus
Rus Hamptonis dicitur mansio regalis
Plaga rus cognominat septentrionalis:
Struxit hic concilium concio feralis.
Hic cum Christo Domini fit conflictus talis.
Rixis, minis, probris, est publicè pulsatus
Mitem furor impetit vt Iesum Pilatus.
Non tacet, non titubat, non est immutatus.
Non est ante Baalim timidè curuatus.
Cum Naboth legitimè mente stabilita,
Perdam, ait, potius vineam cum vita,
Quàm in hortum olerum sit me dante trita.
Et tutando vineam stat armatus ita.
Cum Iob patientia membris loricatis
Scutum sibi prætulit bonæ voluntatis
Munit illum lancea longanimitatis:
Cassis spei, gladius verbi veritatis.

Armis

A Armis fidit talibus vt inuictus Leo.
Nil leonis tumidi, nil ferinum in eo.
Solum id conaminis in hoc Nazaræo,
Mori siue viuere non offenso Deo.
Stat in petra firmiter firmi fundamenti.
Infirmare nequit hunc fluctus visve venti.
Deest pallor vultui, deest timor menti.
Danieli comes est feras non timenti.
Vt in agnum irruant lupi circumfusi,
Tractant de legifero legibus abusi.
Sed nox patrem liberat tutrix intercluſi.
Et venantur aërem vana spe deluſi.
Ne augmentet scandalum maior angaria
Se consultò transtulit fugæ fultus via
Implens Euangelium & præcepta Dia
Et furori regio cedens cum Helia.
B Sicut Saulis lanceam fugit manu fortis,
Sicut Iacob iniurias auidi consortis,
Sicut à fera pessima puer magnæ sortis
Tu Ioseph ereptus es, ab ipso puncto mortis.
Exit lucis Angelus ex Anglorum metis
Linquit ratis regimen flatibus & fretis.
Lupis oues, medicis ægros indiscretis.
quum pastor ipse quæritur, fugit fraudem retis
Ad hunc lucis exitum cessit vitæ vena.
Ad rapinam Satanas lupis laxat fræna.
Oues & ouilia duplex premit pœna,
Iugo subdens seruitus & vorax crumena.
Sanctum datur canibus, scurris dominatus:
Iacent iura Canonum, iacet præsulatus,
Est cum sanctuario clerus confiscatus.
Confiscatis omnibus Bel non est pacatus.
Addit scelus sceleri furor effrænatus,
C Suos iubet eiici nulli miseratus:
Exulat cum lectulo languidus sublatus;
Anu cum edentula puer recens natus.
O vindictæ nouitas, nouus modus iræ.
Vectos cunis exules lectulis abire,
Ægros, Anus, paruulos, persequi, sæuire,
Insontes & immeritos impiè punire.
Si cinsontes abstulit filios Rachelis.
In his Christum persequens, impius, crudelis,
Sine fuso sanguine, sine mortis telis
Alter hic Herodes dat locum querelis.
Iob in Thoma genuit series malorum
Et hic ventus turbinis, hic fraus Chaldæorum.
D Damnum hic familiæ, damnum hic bonorum.
Damna fert & videt innocens suorum.
Cœlum & non animum mutat transmarinus:
Constat hic vt alibi, magis plusquam minus,
Premit quicquid imprimit furor serpentinus.
Nullis malis frangitur vir planè diuinus.
Crucem ferre Simoni sciens nil prodesse
Vt vir prudens facit vel de necesse.
Illum palam cruciat crucis onus impressæ:
Palam hic & clàm vult crucis cultor esse.
Rem mirandam refero rem horroris miri,
Ab illis hoc edoctus qui nesciunt mentiri.
Premi morte iugiter fuit vita viri.
Multis morte grauius esset sic puniri.
Noctis ei requies somnus expers moræ
Hausta somni specie, preces mox in ore:
Fletu fessis oculis, genibus labore,
Auxit hæc præludia ludo grauiore.

Suo quodam ſubinde ſolo ſociante,
Flagris clàm affligitur illo flagra dante,
Fit in ſancto carnifex carnis ſacroſanctæ
Scutica vel rabidos equos edomante.
Libet in hac ſerie paululum morari.
Hanc amaritudinem dulce eſt profari.
Senſit quæ vix ſentiunt probitate rari.
Nec ſic ſolent indui nec ſic flagellari.
Explens in Canonico monachum beatus
Veſte ſe induerat vtriuſque ſtatus,
Sub his eſt cilicio duplici ſagatus.
Aptat hoc femoribus, veſtit illo latus.
His nudatus omnibus virtutis tantæ
A miniſtro ſcinditur ſcutica pulſante.
Sciſſa ſunt flebiliter in te pater ſancte
Collum, dorſum, humeri, vix intactæ plantæ.
Poſt flagrorum ferulas ſagis mox armatus
Poſt tam leuis ponderis roſeos ornatus
Mox in ſagi ciclade loris eſt arctatus.
Aſpero cilicio tegens cruciatus.
Reindutus ſplendidis, ſic honorans onus
Tali ſuis latuit verè latro bonus.
Iugis dum his inſtitit, annus fit octonus.
Ratum interſtitium, rarò rigor pronus.
Factus Thomas baiulus virgæ paſtoralis
Iugis his ſeptennio perſtitit in malis.
Quæque nox crucifera, rara non pœnalis.
Sola nox eſt libera feſti principalis.
Sæpè tortor intulit, ſiſtens à flagellis
Homicidam fieri pater me compellis.
Sæpè laxat eligens fieri rebellis.
Sæpè laſſum ſimulat pius verſipellis.
Poſt tot zelos nata pax non de pacis colo
Patrem natis reddidit & natali ſolo,
Cum vox pacem reſonat, & cor pacem nolo.
Pax eſt ea picea pacis ſono ſolo.
Sic blanditus eſt Ioab ſuo ſucceſſori
Ferro manum applicans dum os iungit ori.
Sic colluſit Iſmaël fratri Iuniori
Ludens ad ludibrium par perſecutori.
Vt poſt Scyllam mittitur in Charibdim nauis
Vt laxatis laqueis ineſcatur auis
Sic reuiſit exulem male pax ſuauis
Miſcens crucis poculum ſub verborum fauis.
Quidam terræ malleus ciuis Aquilonis
Venam ſoluit iurgij, fons ſeditionis,
Inſpirauit turbinem perſecutionis.
Póſtque odor Anglicæ fætet regionis.
Hæſit ei belliger contra virum ſanctum
Quidam de confinio choreæ gigantum
Complex eis additur ex te Trinouantum
Nouans in cognomine ſæcularum cantum.
Hinc ſunt fata ſemina per quæ turbo totus
Per quæ ventus turbanis eſt in væ permotus
Princeps ille ſibilus ſi ſit mero lotus
Si ſit raſus pumice non erit ignotus.
Ex tunc ſcelus auſa eſt militaris manus
Quo eclypſim pertulit ſol meridianus
Quo in patris filius cæde fit prophanus
Quo in ſacro perimit ſacrum Chriſtianus.
Reprobantem reprobos debitis ruinis
Inuaſerunt præſulem iurgijs & minis
Bini bis de finibus miſſi tranſmarinis.
Dedit hæc ſors prouida nomina bis binis.

Tres

A Tres ſunt: mortis villicus, Thrax & vrſo natus
Vt ſit tetras, tribus eſt Brito ſociatus.
Paria rebus nomina facit hic reatus,
Truces & mortiferos, brutos, vrſi ſtatus.
Iubent hic ſicarij præſulem laxare
Quos Sedes Apoſtolica iuſſerat ligare:
Sed impœnitenti veniam donare
Aut maioris vincula nequit retractare.
In ſua Metropoli in ſede ſua tentum
Irruit hic incitans ſibilus ſerpentum.
Sed in vanum incitant, ſibilant in ventum,
Se commaſſat azymis expuens fermentum.
Magnum nefas ratus eſt lutum deaurare,
Choré, Dathan, Abiron, iuſtos declarare,
Lazare te mortuum vinclis extricare.
Veni foras, prius eſt: poſt cuinculare.
B Canonum in ſerie ius eſt regulare
Suos ſibi præſules papam ſecundare,
Nemini quos alligat competit laxare.
Vt ſit eius ſoluere cuius eſt ligare.
Dum ad cædem confluunt, Aulæ mutans ſedem
Cum ſuis ſubierat Sanctam Sanctus ædem
Sub Nerone Senecæ nouant hi mercedem.
Sub Herodis legibus Sancti vatis cædem
Zachariæ ſub Ioa cædem & hæredem.
O fœlicem Thoma te quum huc tulisti pedem!
Patrem vt eriperet fratrum grex fidelis,
Oſtium obſtruxerat fiſus his cautelis.
Obſtans pater intulit: Eſt in his tutelis
Perſequens obſequium, pietas crudelis.
Seram fratres pellite, ſtudio cum rebelli:
C Lex eſt hic vim perpeti, non vim vi repelli.
Non in domo Domini lex aut locus belli.
Non erit me præſule templum arx caſtelli.
Se paſſurum prædicans Ieſus probra gentis
Sic errorem arguit Petri renitentis.
Thomæ vox hæc æmula vocis eſt ſequentis.
Vade retro Satana: Carnis ſunt quæ ſentis.
Imperat & impetrat patris vox ſeuera,
Cedunt oſtiarij, cedit pulſa ſera.
Intrant canes Stygij duce te Megæra.
Hominum in ſpecie canes ſunt rē vera.
Strictis intrant gladijs, efflant hic furorem.
Hoſtem regni quærimus Regis proditorem
Thomam temerarium, perfidum paſtorem.
Iam iam quem eſt meritus ſentiet dolorem.
Hic ſum, ait Pontifex Satanæ collegis,
Neque regno peſtifer nec ſaluti Regis
D Thomas ſum Dominici dictus paſtor gregis
Pro tutela perpeti promptus ſacræ legis.
Si me vnum quæritis, præcipiens dixit eis
Per vos quicquam pati nolo quemquam ex meis.
Ex vna cæde ſcilicet futuris ſatis reis.
Sic ſuis pie conſulens ſeipſum offert eis.
Non à facto ſermo eſt talis alienus
Quo in Chriſtum irruit cœtus dolo plenus.
Habet id quod legitur hoc loquendi genus.
Ego ſum quem quæritis Ieſus Nazarenus.
In facto & officio Ieſum imitatus
Seſe palam obtulit ſponte propalatus.
Hic eſt Chriſto obuius alter Iudæ reatus,
Hic à magiſtratibus miſſus grex armatus.
Inhiant & ineunt ſcelus ſcelerati
Membra, caput lacerant, Patrem necant nati

Homicidæ plurium qui in vno debent pati.
Monachi, Canonici, Præſules, Legati.
Res ſtupenda poſteris: horror hac ætate,
Non arcentur gladij loci ſanctitate.
Matrem orbant filij trucidato patre.
In Matre perimitur frater à confratre.
In macellum vertitur area altaris.
In altaris area ruit lux ſolaris.
Quinque paſſus impetus enſis militaris,
Tortus eſt Dominici prælo torcularis.
Vulnerum in numero formam fert Meſſiæ
Situ fert martyrij formam Zachariæ.
Thomas Thomæ Didymo par eſt fati die.
Quinto poſt & ante partum Matris piæ.
A feratum filijs fuſo iam cruore
Cerebrum diffunditur inhumano more
Aræ vernat area candido rubore.
Tanquam ornata liliis roſeo cum flore.
Nato Chriſto Iuſtus eſt propter Chriſtum ſtratus
Cœlitus eſt Stephano cum Ioanne natus.
Dignus Dei gratia dignè coronatus.
Et eſt innocentibus innocens litatus.
Enſem hic, tu aſciam Sancte Dionyſi
Paſſi pœna ſimili verticis præciſi.
Pares roſas additis horto paradiſi,
Eſtis pari precio pares mihi viſi.
Æquat ſe Pariſijs vrbs Cantuarienſis
Dum ſecuris aciem æmulatur enſis.
Geminum præputium nullis par impenſis.
O quam gratus crater eſt ſupernorum menſis!
Paſtor dum percutitur, ſparſæ ſunt ouillæ
Vt ſe fuga liberet, fugit hic & ille.
Fletus fit in populo, clamant flentes mille.
Noſtræ lucis meta eſt huius mors ſcintillæ.
Mira miris perſequar. Manibus piorum
Procurato mortuo more mortuorum
Vermes tot in veſtibus viſi ſunt ſagorum
Vt ſit cædes altera morſus tot tortorum.
Dicam quid hic ſentiam de hoc ſancto reo.
Cauda iuncta capiti ſe libauit Deo:
Finem dum conſidero, dum per vitam meo
Martyr eſt me iudice quæque pars in eo.
Quid nunc agis Moyſes deus Pharaonis
Vbi virga vigilans, crux correptionis?
Manna ſi ſuperfluit vermes interponis.
Mannæ virga ſocia normam dat patronis.
Ad radicem arboris ferrum non appones?
Blandè terret tonitrus ſibilo ſi tones.
Ioſue & Phinees pie pius non es,
Heli ſine verbere ſi tam reos mones.
Sed in cœlum ponere vereor os meum.
Neque reum dixero Pharaonis Deum.
Eos reos iudico dehortantes eum.
Filios ſanguiſugæ qui excuſant reum.
Manus, pedes, labia, ſi lauet Pilatus,
Per ſalutem Cæſaris mundum ſe teſtatus,
Si per aſtra Lucifer iuret adiuratus,
Non hæc reos expiant: non delent reatus.
Morem ſequens Comici, malis finem pono.
Flebile principium fine mutans bono.
Lyra mutet elegos dulci plaudens ſono.
Thomas ſedem carceris mutat celſo throno.
Ver proſcripſit hyemem; flores paruere.
Cete quem ſorbuerat viuit Ionas verè.

A

Noſtra ſentit Niniue ſanctum ſe habere.
Væ vertentem in Euax fletum in gaudere.
Ionæ iungit fœdera Thomas columbinus,
Quem liuoris ſorbuit furor ſerpentinus,
Iam in tuto reſidens, iam Deo vicinus,
Implet Dei laudibus noſtræ terræ ſinus.
Vicit Cantuaria Montepeſſulanum.
Victa eſt Salernia. Iactat ſe in vanum
Thomas nouus medicus dum apponit manum,
Signans inſanabilem mox reſignat ſanum.
Noua viri gratia digna recenſeri.
Viuis ſolet medicis, mortuis non mederi.
Omnem facit medicis mors operam deleri.
Facit hunc mors medicum, & operas augeri,
Non hic ſubeſt phyſicæ pæonis doctrinæ
Neque pulſum conſulit, neque vas vrinæ.
B Non eſt opus hominum modus medicinæ,
Medicinæ modus eſt opus vis diuinæ.
Thomas lapſu erigitur, incipit finitus,
Verè viuit mortuus ſignis inſignitus.
Qui dum Cantuariæ miros nouat ritus,
Fit hic geſtu dulcium paradiſi ſitus,
Hic nouauit vetera paradiſi iura,
Nouus Thomæ fluuius noſtra rigans rura,
Hic lecytus viduæ vaſa poſcens plura.
Hic vbertas olei ſtat non defectura,
Hic effectu multiplex Manna cœli panis
Hic emundans Naaman fluuij Iordanis.
Hic ocellus Syloë ſalus male ſanis,
Lumen cœcitatibus conferens humanis,
Donum Petri datur hic claudo ſpem habenti.
C Donum Dono Ditius auri vel argenti.
Hic dat potens Epheta, loqui non loquenti,
Surdus audit, effluunt morbi virulenti.
Hic eſt facta retegens nomen ars ſophiſtæ:
Hic inſanos leniens cythara pſalmiſtæ:
Hic das vitam mortuis vitæ dator Chriſte:
Hic ad Thomæ gloriam pellis omne triſte.
Hic deſcenſus Angeli, hic eſt aquæ motus.
Hic vitæ ſalutifer aquæ mixtæ potus.
Hic eſt quo ſpem refouent notus & ignotus.
Cum inſomni ſomnians, aſtans & remotus.
Sic ſuos ſibi ſupplices Thomas hic defendit:
Has gratias hæc munera Deus hic oſtendit,
Et per Thomæ ſanguinem quem pro eo impendit
Facit multos ſcandere quo Thomas aſcendit.

A

VITA

ET ILLVSTRE MARTYRIVM THOMÆ MORI,

B

ANGLIÆ QVONDAM
ſupremi Cancellarij.

PROOEMIVM.

QVOD à multis annis, multi doctiſſimi, clariſſimi, optimique viri, diu multúmq; deſiderarunt; quod alij non pauci ſed fruſtra tentarunt, vel morte præventi, vel alijs negotijs præpediti; quod ad Dei gloriam & lectoris ædificationem, addo etiam voluptatem ſingularem facit; vt Thomæ Mori viri clariſſimi, pietate, eruditione, morum elegantia & ſuauitate ornatiſſimi, vita, mores, res geſtæ, ac nobiliſſimum pro fide orthodoxa, Catholica, Apoſtolica, Romana ſuſceptum martyrium, deſcriberentur; illud ego diuini numinis auxilio fretus, atque adeo Mori ipſius precibus atque interceſſione confiſus aggredior. Non ſanè vt ipſius Mori gloriæ ac laudibus mea oratione aliquid accedat, cuius vt in cœlis tantus eſt ſplendor, quantus oratione capi, ac ne mente quidem concipi non poteſt, ita & in terris tanta eſt celebritas, vt eius viri virtutes, non dico exornare & amplificare, ſed vel percẽſere, ac commemorare vix queam. Cęterum ad hoc me ſcribendi argumentum perpulerunt; primũ certè ipſius Dei gloria & Eccleſiæ Catholicæ dilectio, quam ne Morus quidem vel ad momentum deſereret, extremum potius capitis ſupplicium ſubire voluit; deinde patriæ meæ nunc ſane & afflictiſſimæ & fœdiſſimæ (cuius dum viueret ſingulare decus & ornamentũ Morus fuit) iuſta commiſeratio; & bonorum quidem non modica conſolatio, improborum verò digna confuſio. Quum enim quantus vir Thomas Morus fuerit, quàm omnium & virtutum & ſcientiarum numeris abſolutiſſimus, conſtiterit; habebunt gentis noſtræ pij & boni vnde gaudeant, quõ imitentur, de cuius laudibus & ipſi glorientur; habebunt improbi & ſcelerati, fidei ac religionis deſertores vnde confundantur, de quo iniquiſſima morte ſublato ſempiterna ignominia afficiãtur. Sed ad hoc argumentum me perpulit deſiderium multorũ & eruditione & virtute præſtantium virorum, quibus in hoc diuturno exilio familiarem me eſſe contigit, qui de Thomæ Mori vita ac moribus, de martyrij eius vera cauſa, modo, forma, & ſingulis circumſtantijs certi aliquid & explorati habere vehementer cupiuerunt. Quam ſanc ob cauſam ante annos viginti, & amplius Ludouicus Pacæus Dominicanus Hiſpanus vir doctiſſimus & facundus, vt Tho. Mori vitam in lucem emitteret, plurimum laborauit; ſed ex hac luce ereptus, perficere quod ſtatuerat non potuit. Non diffitebor porro ad hoc me argumentum peculiari quodam affectu iam dudũ incitatum fuiſſe, vel quod conſortium nominis eum mihi chariorem reddidit, vt idcirco cum collectaneis noſtris de Diuo Thoma Apoſtolo, & de Diuo Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo & martyre Thomam Morum coniungerem; vel quia eodem me mẽſe & anno in hanc temporariam lucem educi & naſci contigit, quo in æternam lucem, nobili martyrio perfunctus, natus eſt Morus. Poſtremò de vita ac rebus geſtis Tho. Mori eo libentius & confidentius ſcribo, quo his de rebus certiora & plura ad meam notitiam peruenerunt: quæ memoriæ iam dudum mandata ne mihi exciderent, neue (me ſenio iam appetẽte citius ex hac vita ſublato) penitus interirent, huic ſcripto mandare & poſteritati tradere volui. Norunt fortaſſe alij de hoc ſancto & clariſſimo viro multa quæ me latent. Sed interim quæ mihi comperta fuere, ſatius duxi omnib. communicare, quàm vt quæ alij norũt fruſtra expectando, & à me collecta penitus intereant, & aliorum, ſi qua ſunt, in lucem non veniant. Nunc autem his noſtris in lucem emiſſis, ſi quid eſt à me prætermiſſum quod ab alijs habetur, dabitur illis iuſta occaſio, vel ſua noſtris addendi, vel alio prorſus, & meliori, & vberiori modo Thomæ Mori vitam ſcripto mandandi.

C

D

Ego

A Ego in hunc noſtrum commentarium ea referam quæ vel ex ſcriptis eius, tum Latinis, tum Anglicis (quæ numero & magnitudine Latina multum ſuperant) vel ex viua voce & relatione certa collegi, eorum qui per aliquot annos domeſtici eius fuerant, aut alioqui familiares ei exiterunt, poſteáque graſſante hoc nefario ſchiſmate in hoc Belgio alijſque orbis partibus pro fide nobiſcum exularunt. Ab illis enim quàm plurima audiui à Thoma Moro ſapienter dicta, & facta. Huiuſmodi autem fuerunt, Ioannes Clemens Doctor Medicus, cuius adhuc pueri meminit in ſua Vtopia Morus his verbis: *Nam & Ioannes Clemens puer meus qui adfuit, vt ſcis, vna, vt quem à nullo patior ſermone abeſſe in quo aliquid eſſe fructus poteſt, quoniam ab hac herba, quæ & Latinis & Græcis litteris cæpit euireſcere, egregiam aliquando frugem ſpero: in magnam me coniecit dubitationem.* Vxor quoque eius Margareta quam inter filias ſuas educatam Morus pro filia habuit, vt ex vltima eius ante martyrium ſuſceptum Epiſtola cõſtat, vbi his verbis ei valedicit: *Mitto iam dilectæ meæ filiæ Clementi lapidem ipſius arithmeticum, ipſique & filiolo meo, omnibuſque liberis eius, diuinam benedictionem, & meam impartio.* Ioannes item Harriſius cum vxore eius Dorothea Coly adhuc hic Duaci ſuperſtite, quorum ille Thomæ Mori ſecretarius intimus, hæc Margaretæ Roperæ filiæ primogenitæ Mori pediſſequa fuerat. Ioannes quoque Haiwodus quo per aliquot annos familiariter Thomas Morus vſus fuerat. Ac poſtremò Gulielmus Raſtellus Thomæ Mo-
B ri ex ſorore Eliſabetha nepos, vir grauiſſimus, ac regnante ſereniſſima Regina Maria, alter ex ſupremis Angliæ Iudicibus; ipſi autem Moro circa vltimam ætatem familiaris admodum, vt ex Epiſtola eiuſdem ad Thomam Cromvvellum patet. Ex horum omnium in hoc communi exilio noſtro conuerſatione familiari quæ mihi cum eis ante aliquot annos interceſſerat, plurima per occaſionem de dictis ac factis Thomæ Mori libenter audiui, diligenter retinui, & nunc fideliter collegi. Sed omnium maximè in hac me collectione iuuerunt Ioannis Harriſij hominis induſtrij, & in bonis litteris atque ipſa veterum patrum lectione egregiè verſati (à quo adeò Iacobus Pamelius in ſuo tum Cypriano, tum Tertulliano elucidando plurimis in locis adiutus fuit) ſcripta & collectanea, multæque Thomæ Mori Epiſtolę propria eius manu conſcriptæ, quæ mihi omnia defuncti vidua adhuc nobiſcum ſuperſtes communicauit. Euolui denique, & inſpexi non in diligenter omnes horum temporum ſcriptores, qui de Thoma Moro aliquid ſcripſiſſe videntur, Eraſmum imprimis eiúſque Epiſtolarum farraginem, aliáſque ſeorſim Thomæ Mori Epiſtolas per Epiſcopum Baſileæ impreſſas anno 63. Reginaldum Polum contra Hẽricum 8. Ioannem Cochlæum contra Sampſonem, Paulum Iouium de viris illuſtribus, Guilielmum Paradinum in exegemate de rebus Britannicis, varias denique doctorum virorum Epiſtolas, Gulielmi Budæi, B. Rhenani, Hieronymi Buſſidij, Petri Ægidij, Simonis Grynæi, & aliorum. Quæ poſtremò Polydorus Virgilius, Rouerus Pontanus in ſuo Indice rerum memorabilium, Ioannes Fontanus in ſua hiſtoria Gallica noſtri temporis, Onuphrius in Paulo tertio, & Laurentius Surius in ſuis commentariis hac de re ſcripſerunt. His ergo omnibus præſidiis inſtructus, de Tho. Mori vita, rebus geſtis, ac potiſſimum illuſtri Martyrio, non breuem modo commentarium, ſed fortè etiam iuſtam quandam hiſtoriam conficiam. Viſum eſt autem tum ad lectoris memoriam iuuandam, tum vt ordine ac methodo tota procedat narratio, per certa capita rem vniuerſam complecti & proſequi.

In epiſt. liminari ad Pet. Ægidium.

In fine operum Ang. Londini anno 1557.

In operib. Anglic. pag. 1422.

CAPVT. I.

Genus, educatio, ſtudia.

D THOMAS Morus Londini non celebri ſed honeſtõ loco natus, non ex prima nobilitate, nobilis tamen, patrem habuit Ioannem Morum equeſtris ordinis virum, de quo in ſuo Epitaphio (quod poſt patris mortem, & Cancellarij munus abdicatum ipſe ſibi confecerat) ſic ſcribit: *Ioannes Morus eques, & in eum Iudicum ordinem à principe cooptatus, qui regius conſeſſus vocatur, homo ciuilis, ſuauis, innocens, mitis, miſericors, æquus & integer, annis quidem grauis, ſed corpore plus quàm pro ætate viuido, poſt quàm eo ſibi productam vitam vidit, vt filium videret Angliæ Cancellarium, ſatis in terra iam ſe moratum ratus, libens emigrauit in cœlum.* Matris nomẽ neſcitur, quippe quæ adhuc infante Thoma Moro mortua eſt. Fratres nullos habuit; ſorores duas: Ioannam Richardo Stafertono viro nobili, & Eliſabetham Ioanni Raſtello etiam nobili nuptas. Mater eius prima nocte à contractis nuptijs (vt Thomam Morum ex patre ſuo referentem audiuit Ioannes Clemens) vidit in ſomnis quaſi in annulo ſuo nuptiali deſcriptum numerum prolium, quas habitura erat, & formas ſingularum, quarum vna tamen ſic obſcura erat, vt eam dignoſcere non poſſet (paſſa enim eſt poſtea de vna abortum) altera miro quodam ſupra cæteras ſplendore eluxit. Sed & nutrix eius dum flumen equo tranſmitteret, quum magno in mergendi periculo ſe videret, vt infantis incolumitati conſuleret, proiecit eum temerè à ſe vltra ſepem flumini propinquam: quem quum repeteret, inuenit ſupra omnem

In epitaphio quod in operibus Tho. Mori Latinis extat.

Præfagio.

A

fpem penitus illæ ſum, & omnibus ſuis membris incolumem: Sed & infans venienti nutrici arriſit. Fuerunt hæc non obſcura præſagia in magnum aliquando & excellentem virum, hunc puerum euaſurum. De S. Moronto non minus nobilitate (nepos quippe erat Erckenvvaldi tẽpore Sigeberti maioris domus in Francia) quã pietate illuſtri, (ſuis quippe ſumptibus collegium inſigne Sacerdotum extruxit atque dotauit ante annos iam ferè mille, quod hodiéque Duaci extat) prorſus ſimile narratur. S. Richardius qui hunc Morontum ex ſacro fonte ſuſceperat, quum matrem Moronti S. Rictrudem Cœnobij Marchenenſis fundatricem inuiſeret, eique equo conſcenſo valediceret, poſtulante matre vt filiolo (erat enim adhuc infans) in brachia accepto benedictionem ei ſuam abiens impartiret, hoc dum facere vellet, equo præter morem ferociente, & quaſi ſubito furore correpto exiliente, puerum in terram proximam deiecit; qui tamen caſu nihil læſus matri accurrenti & leuanti ſuauiter arriſit. Non abſimile præſagium Morus & Morontus habuere: vterque nobilis, vterque aulicus (hic Theodorico regi ſigillifer, ille Henrico regi ſcrinij magiſter) vterque ſanctus. Quum autem ad eam ætatẽ peruenisſet puer qua ſolent parentes filios ſuos ad ſtudia mittere, datus eſt Latinis litteris imbuendus in pædagogio regio Londinenſi ſub N. Hol tpræceptore non incelebri. Deuoratis autem primis Grammaticæs rudimentis, puer ad maiora adeóque maxima natus, Oxonium mittitur Academiam percelebrem, tum vt Philoſophiam audiret, tum etiam vt Latinis Græca adderet. Recens enim tunc ex Italia venerat Grocinus, qui primus ea ætate Græcas litteras in Angliam inuexerat, Oxonijque publicè profeſſus fuerat. A cuius ſodali Thoma Linacro Græcas litteras Oxonij didicit. De quo ſic in Epiſtola ad Dorpium ſcribit: *Quum ipſe iam olim Ariſtotelis opus audirem Græcè, prælegente mihi atque interpretante Linacro, libuit interdum, &c.* Pater interea, ſic puerum in bonis litteris educari voluit, vt frugi, ac ſobrius eſſe à prima ætate diſceret, nihilque aliud quàm litteras ac ſtudia ſua amare. Hanc ob cauſam ſic ei neceſſaria ſubminiſtrauit, vt ne quidem teruncium in ſua poteſtate eum habere permitteret, præterid quod ipſa neceſſitas poſtulabat. Quod adeò ſtrictè obſeruauit, vt nec ad reficiendos attritos calceos, niſi à patre peteret, pecuniã haberet. Solebat hoc Morus ipſe de ſuo patre ſæpè narrare, vehementérq; factũ laudare. Sic enim (inquit) factũ eſt vt nulli me vitio aut voluptati darem, vt horas meas noxijs & vanis luſibus non impenderẽ, vt quid eſſet luxus, vel luxuria neſcirem, vt pecunia malè vti non addiſcerem, denique, vt nihil niſi ſtudia mea amarem & cogitarem. Nempe fuit patri per totam vitam obſequentiſſimus, vt nunquam vel patrem ipſe offenderit, vel quocũque patris dicto, aut facto offenſus fuerit. Certè etiam Cancellarius regni factus non detrectauit publicè in palatio VVeſtmonaſterij (loco Iudiciorum publico) à patre flexis genibus, iuxta optimum gentis noſtræ morem, benedictionem petere. Solent enim apud nos liberi quotidie mane ac veſperi benedictionem flexo poplite ab vtroque parente petere. Qui mos ſi apud alias quaſdam gentes obtineret, haberent parentes filios magis morigeros, haberet Reſpublica ſubditos magis obſequentes, haberet Eccleſia fideles magis obedientes. Quo ſemel enim eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu. Tametſi vero etiam apud nos viri iam facti, & vel coniugati, vel ad aliquam, aut Eccleſiaſticã, aut ſæcularem dignitatem euecti, præſertim nobiles, hoc obſequij genus parentibus ſuis amplius non præſtent, aut certè rarius præſtent, tamen Thomas Morus pro inſita ſibi à teneris annis pietate & humilitate, etiam ſceptra Anglicani regni gerens, & primus poſt Regem, ſenem patrem hoc honore proſequi nõ recuſauit: Quem etiam domi ſuæ ſenem aluit, eique in ſumma dignitate conſtitutus oculos clauſit. Tanta videlicet erat Mori in patrem pietas & obedientia, tantus viciſſim honor amórque patris in filium; tam vera charitas inter vtrúmque; vt neſcias vter altero dignior fuerit, filius tali patre, aut pater tanto filio. Certè pater fœlicior qui tantum habuerit filium. Sed & hoc ad teneram Thomæ Mori educationem fœliciter acceſſit, quòd Cardinalis Mortonus Archiepiſcopus Cantuarienſis, nõ ſolùm dignitate ſed virtute ac eruditione Angliæ tunc Primas, & indole & profectu pueri adductus, eum in familiam ſuam adſciuit, apud ſe aliquandiu nutriuit, ac demum Oxonij aliquo tempore aluit. Qualis & quantus vir iſte Mortonus fuerit, ipſe Morus, Mecœnatis ſui, nec immemor, nec ignarus, his verbis in ſua Vtopia deſcribit. Sic enim Raphaëlem ſuum loquentem introducit: *Interea multum debui Reuerendiſs. Patri Ioanni Mortono Cantuarienſi Archiepiſcopo & Cardinali, ac tum quoque Angliæ Cancellario, viro mi Petre (nam Moro cognita ſum narraturus) non authoritate magis quàm prudentia & virtute incomparabili. Etenim ſtatura ei mediocris erat, nec ætati quanquam ſeræ cedens; vultus quem reuereare non horreas, in congreſſu non difficilis, ſerius tamen & grauis. Libido erat aſperius interdum compellendo ſupplicantes experiri, ſed ſine noxa, quid ingeny, quam animi præſentiam quiſque præ ſe ferret, qua velut cognata ſibi virtute, modo abeſſet impudentia, delectabatur, & vt idoneam ad res gerendas amplectebatur. Sermo politus, & efficax, Iuris magna peritia, ingenium incomparabile, memoria ad prodigium, vſque excellens. Hæc enim naturæ egregia, diſcendo, atque exercendo prouexit. Huius conſilijs Rex plurimum fidere; multum Reſpubl. niti videbatur; quippe qui ab prima fere iuuenta protinus à ſchola coniectus in aulam, maximis in negotijs per omnem verſatus ætatem, ac varijs fortunæ æſtibus aſſiduè iactatus, prudentiam rerum multis magniſque cum periculis didicerat.* Hæc in Vtopia ſua Morus. Quæ ideo tranſcripſi, vt ſub quanto viro Morus puer pietatem ac prudentiam imbiberit, lector intelligat. Luſit adhuc puer Epigrammata quædam non minus pia quàm feſtiua lingua vernacula, quæ magno volumini operum eius Anglic. initio pręponuntur. Sed & in domo paterna in tela depicta humanæ vitæ vanitatem

Beda hiſt. Anglic. l. 3. cap. 19. In Archiuis Eccl. colleg. S. Amati Duaci.

Pecuniæ ſuperfluus vſus pueris noxius.

Obedientia filialis in ſuprema dignitate.

In Vtopia Mori.

B C D

A vanitatem verſibus Anglicanis ſupra ætatem eleganter expreſſit, quibus in fine hos Latinos ſubiecit.

Has fictas quemcunque iuuat ſpectare figuras,
Sed mira veras quas putat arte homines;
Ille poteſt veris animum ſic paſcere rebus,
Vt pictis oculos paſcit imaginibus.
Namque videbit vti fragilis bona lubrica mundi,
Tam cito non veniunt quàm cito prætereunt.

Multa alia in eadem ætate contra fortunam luſit verſibus vernaculis. Certè (ſi Eraſmo credimus) progymnaſmata illa ſeu verſus è Græco in latinum verſos Thomæ Mori & Gulielmi Lilii, aliis eius epigrammatibus præfixos etiam puer luſit. Nam in Eraſmi ad Morum litteris anno Domini 1520. ſcriptis ait plæraque eius epigrammata ante annos 20. ab eo ſcripta, quo certè anno non niſi decimum ſeptimum ætatis annum Morus attigerat. Atque ex his quidem quaſi ex vngue Leonem, quanta ingenii magnitudo, quæ induſtria, qualis pietas futura erat, facile fuit
B coniicere.

CAPVT II.

Adoleſcentiæ mores, ſtudia, actiones.

THOMAS Morus poſt annos pubertatis exactos, vt primum in virum adoleſcere cœpit, maiora ſemper cum ætatis accremento, eruditionis ac pietatis documenta præbuit. Eruditionem ac in bonis litteris (quibus mirificè ſemper affectus fuit) profectum loquuntur varia eius eo tempore conſcripta epigrammata, ſiue ex Græco in Latinum conuerſa, ſiue à ſeipſo inuenta; quæ vt lepida ac iucunda admodum ſunt, ita nihil ſcurrile, nihil contumelioſum aut ſordidum habent. Sed ſatius eſt vt aliorum magis quam noſtrum hac de re iudicium lector audiat. B. Rhenanus in epiſt. ad Bilibaldum Pircheimerum de epigrammatibus
C Thomæ Mori ſic ſcribit. *Vtrobique mirus eſt Thomas Morus. Nam elegantiſsimè componit, & fœliciſsimè vertit. Quàm fluunt ſuauiter huius carmina? Quàm eſt hic nihil coactum? Quàm ſunt omnia facilia? Nihil durum eſt, nihil ſcabrum, nihil tenebricoſum. Candidus eſt, argutus, latinus. Porro gratiſsima quadam feſtiuitate ſic omnia temperat, vt nihil vnquam viderim lepidius. Crediderim ego Muſas quicquid vſquam eſt iocorum, leporis, ſalium, in hunc contuliſſe. Sunt autem huius ſales nequaquam mordaces, ſed candidi, melliti, blandi, & quiduis potius quàm amarulenti. Iocatur enim, ſed vbique citra dentem: ridet, ſed citra contumeliam.* In epiſt. præfixa epigrammatibus Mori.
Hæc Rhenanus. Idem fuit iudicium doctiſſimi poëtæ Leodegarii à Quercu, humaniorum literarum Lutetiæ profeſſoris regii. In ſelectis enim ſuis epigrammatibus quæ ex tam variis ſcriptoribus magno iudicio collegit, vnius Mori plura epigrammata ſuo Collectaneo inſeruit quàm cuiuſquam alterius ſcriptoris; quum tamen ſatis pauca Mori extēt, præ maximo epigrammatum numero quæ ab aliis in lucem ſunt edita. Huius ingenii fœlicitati inuidens Germanus Brixius ſcripſerat Antimorum, ſed ea cum gratia & commendatione vt Morum quidem enixiſſimè Eraſmus per litteras rogauerit, ne amicum ſuum Brixium ea quam merebatur reſponſione obrueret; de ipſo autem Brixio eiuſque inepto Antimoro in hæc verba ſcribit. *Audio poſt editum à*
D *Brixio; Antimorum quid eruditi loquantur de Brixio; quæ vt de illo non libenter audio, ita de te minus libenter audire velim. Quamobrem quùm ſentiam quàm arduum ſit tam virulento libello laceſſitum ſic attemperare reſponſum vt nihil indulgeas affectibus optimum certè ſentio ſi rem totam ita vt meretur negligas atque contemnas. Neque vero hæc tibi conſulerem, optime More, ſi quicquam eſſet in Antimoro quod tibi ſic labem aſperſiſſet vllam vt operæprecium ſit eam curare abſtergendam.* In farragine epi. li. 15
Hæc Eraſmus: ante cuius Epiſtolam iam Antimoro reſponderat Morus, ſuadentibus id grauiſsimis amicis, liberque in lucem editus fuerat; In epiſt. dedicatoria ad Thom. Ruthalum
& quædam exemplaria diſtracta: ſed in gratiam Eraſmi vt ſupprimeretur, Morus acquieuit. In eadem ætate quædam ex Luciano in Latinum verterat, quas vocat in Græcis litteris ſtudii ſui primitias. Sed & poſtea quum Luciani declamationem pro tyrannicida vertiſſet aliam quæ illi Lucianicæ reſponderet pro ingenii exercitio compoſuit, quæ quidem Lucianicæ nec inuentione, nec eloquentia quicquam cedit. Eodem etiam tempore Londini in Eccleſia D. Laurentii Auguſt. de Ciuitate Dei publicè docuit, non quidem eius operis Theologica diſcutiens, ſed Philoſophica tantum atque Hiſtorica, qualia ſunt priorum eius operis librorum ſola fere argumenta. Iſtud autem tanto hominum concurſu, tanta cum commendatione fecit, vt Grocino relicto, qui antea bonarum litterarum palmam tulerat, ad Morum audiendum omnes confluerent. Sic adhuc adoleſcens, & Poëtam ſe & Oratorem & Philoſophum atque Hiſtoricum inſignem oſtendit. Certè Ioannes Coletus vir acris exactique iudicii, (quo vitæ præceptore Mo-

rus adoleſcens vtebatur) in familiaribus colloquiis ſubinde dicere ſolebat (vt ſcribit Eraſmus in epiſt. ad Huttenum) Britanniæ non niſi vnicum fuiſſe ingenium, Morum deſignans, quum hæc inſula tot egregiis ingeniis floreat. Hæc Eraſmus. A

Sed nunc quam ab ipſa adoleſcentia pietatem coluerit exponendum eſt. Eruditio enim vtcumque multiplex & magna abſque pietate, eſt annulus aureus in naribus ſuis: nihilque abſurdius quàm gemmas pretioſas putrido ligno inſerere. In corrupto pectore male habitat ſcientia. quid, quod ipſe Plato ſcientiam abſque virtute, calliditatem potius quàm ſapientiam vocari voluit? Sed Thomas Morus adoleſcentiam ſuam non minus veris virtutibus & inſigni pietate quã præclaris ſtudiis excoluit; imo multo magis eſſe vir bonus quàm eſſe vir doctus ſtuduit. Adoleſcens quippe vſus eſt cilicio, humi cubabat, & vel in ſcamno frequenter vel trunco capiti ſuppoſito dormiebat: ſomnum vltra 4. vel 5. horas ad ſummum non protendebat. In vigiliis & ieiuniis frequens erat. Cum tamen tantæ virtutis eſſet, ita diſſimulabat omnia, vt in externo corporis habitu nihil horum eluceret. Meditabatur adoleſcens ſacerdotium cum ſuo Lilio. Religionis etiam propoſitum ardenter deſiderans, Minoritarum inſtitutum arripere cogitabat. Sed quum exercitiis illis prædictis adhibitis, motus carnis qui in iuuentutis flore & ardore accidere ſolent, euincere non poſſe ſibi videretur, vxorem ducere inſtituit. Solebat hæc ille poſtea narrare non ſine magna animi triſtitia & mœrore; dicebatque multo eſſe facilius legem carnis in cœlibatu vincere quàm in matrimonio: Quod ſanè Apoſtolicis illis verbis conforme eſt: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Sed vel non erant tunc illa tempora vt cum fructu illo quem deſiderabat, arctioris vitæ propoſitum amplecteretur (multum quippe à priſtina pietate religioſæ perſonæ apud nos tunc degenerauerant, quod vel ſubſequens ſtatim horrenda vaſtitas & totius ſtatus monaſtici in Anglia deſolatio ſatis oſtendit) vel ad maiorem ſuam gloriam in communi Laicorum vita, atque adeo per medios honores & Reipublicæ adminiſtrãdæ fluctus, ſeruum ſuum Deus integrum & illæſum conſeruare, imo ad veræ pietatis apicem & perfectionem perducere voluit. Certè quum ſtatum vitæ perfectiorem aſſequi ſe non poſſe exiſtimaret, id ſaltem ſtudioſè egit, vt Deum purè ac piè colere tota vita nunquam deſineret. Statuit igitur aliquem ſibi præclarum virum ex ordine Laicorum ante oculos ponere, ad cuius exemplum vitam ſuam conformaret. Omnibus itaque qui tunc vel domi vel foris pietatis & eruditionis nomine florebant, ad memoriam reuocatis, occurrit illi Ioannes Picus Mirandula Comes, de cuius ſanè multiplici & excellenti eruditione per totam tunc Europam fama celeberrima peruolitabat, qui etiam pietate & morum integritate non minus erat celebris. Huius vitam Thomas Morus Latine conſcriptam, Epiſtolas quoque eius, & duodecim bene viuendi præcepta in linguam Anglicam vertit: non tam vt aliis ea communicaret, (quanquam & id quoque) quàm vt ſibi ipſi magis familiaria illa omnia redderet. Hunc etiam ob finem in eadem ætate ſcripſit tractatum valde pium, ſpiritualem & eruditum de quatuor nouiſſimis, etſi imperfectum. Propter idem etiam pietatis ſtudium conciones diligentiſsimè frequentabat, non quidem quaſuis aut ſine delectu, nec verboſas illas & ex ſola vel elegantia vel doctrina laudatas, ſed vere pias ac ſpirituales, & quæ maximè ad cor loquebantur. Quo in genere quum eo tempore maximè floreret Ioannes Coletus apud D. Paulum Londini Decanus, vir non minus pius quàm litteratus (cuius vitam totam in quadam Epiſtola Eraſmus diligenter deſcribit) eum ſolum Morus ita aſſiduè & auidè audiebat, vt quum ex aliqua fortè cauſa diutius ab vrbe abeſſet Coletus, temperare ſibi non potuerit, quin pro eo quo audiendi verbi diuini flagrabat deſiderio, per litteras eum in vrbem reuocaret. Litteras ipſas quia excuſæ non extant, & pietatem adoleſcentis Mori luculenter loquuntur, hic ſubiicio.

Studium pietatis adhuc adoleſcentis.

Religionis deſiderium

1. Cor. 9. B

Extant in operibus Anglicis.

In farragine lib. 15. C

Thomas Morus Ioanni Coleto ſuo S. D.

Epiſt. Mori ad Coletũ.

Ambulanti mihi dudum in foro, & inter aliena negotia ocianti obtulit ſe puer tuus. Quem quum primum intuerer, vehementer ſum gauiſus; tum quod hic ipſe mihi ſemper charus extitit, tum præcipuè quod arbitrabar eum non ſine te veniſſe. At vbi ab illo didici te non modo non rediiſſe, ſed nec adhuc diu rediturum; dici non poteſt ex quanta lætitia in quantam mœſtitiam reiectus ſum. Quid enim mihi poteſt eſſe moleſtius quàm ſuauiſſima conſuetudine tua priuari? cuius prudentiſsimo conſilio frui, cuius iucundiſsimo conuictu recreari, cuius graui ſsimis concionibus excitari, cuius exemplis & vita promoueri; in cuius denique vultu ipſo ac nutu ſolebã conquieſcere. Itaque vt his præſidiis vallatis aliquando me ſenſi roborari; ita eiſdem deſtitutus languere mihi fermè videor abſolui. Et qui tua nuper veſtigia ſequutus iam penè ex ipſis orci faucibus emerſeram, nunc rurſum tanquam Euridice (contraria tamen lege; Euridice quidem quod illam reſpexit Orpheus, ego vero quia tu me non reſpicis) in obſcuras retro caligines neſcio qua vi ac neceſsitate relabor. Nam in vrbe quid eſt quod quenquam ad bene viuendum moueat, ac non potius ſuopte ingenio nitentem in arduum virtutis callem euadere, mille machinamentis reuocet, illecebris mille reſorbeat? Quocunque te conferas, quid aliud quam hinc fictus amor & blandè adulatorum mellita venena circumſonant; hinc odia ſæua & querulæ lites ac farenſes ſtrepitus obmurmurant? Quocunque tuleris oculos, quid aliud videas quàm cupedinarios, cetarios, lanios, coquos, fertores, piſcatores, aucupes, qui materiam ventri miniſtrant, ac mundo & principi eius diabolo? Tecta quinetiam ipſa neſcio quo modo bonam partem lucis eripiunt, nec cælum liberè ſinunt intueri. Aerem itaque non ἰσόπλευρος ille circulus, ſed domorum culmen determinat. Quo æquior tibi ſum ſi minimè te adhuc ruris pœniteat; quippe vbi ſimplicem turbam vides, & vrbicæ fraudis expertem: vbi quoquoverſus oculos intendas, blanda telluris facies iuuat, aeris grata reficit temperies, ipſe te cæli delectat aſpectus. Nihil ibi vides niſi benigna naturæ munera &

Ioannes Coletus.

D

ſancta

A *ſancta quædam innocentiæ veſtigia. Nolo tamen hic oblectationibus adeo capiaris, quin quam primum poſsis ad nos reuoles. Nam ſi tibi diſplicent vrbis incommoda, at Stephani rus (cuius etiam non minus debes eſſe ſolicitus) haud minora tibi commoda ſuppeditabit, quàm quod nunc incolis: vnde etiam in vrbem (vbi magna tibi merendi materia eſt) potes interdum tanquam in hoſpitium diuertere. Nam ruri quum ſint homines ipſi per ſe aut ferè innocui, aut certè non adeo magnis ſceleribus irretiti, cuiuſque medici manus vtilis eſſe poteſt. At in vrbe tum propter ingentem magnitudinem, tum ob inueteratam morborum conſuetudinem, Medicus omnis fruſtra niſi peritiſsimus acceſſerit. Veniunt certe in D. Pauli ſuggeſtum aliquando qui ſanitatem pollicentur. Sed quum ſpecioſè peroraſſe videntur, adeo vita cum verbis litigat, vt irritent potius quàm mitigent. Nō enim perſuadere poſſunt hominibus, vt quum ipſi ſunt omnium ægrotiſsimi, idonei credantur quibus alienarū ægritudinum cura merito committatur. Itaque morbos ſuos quum ab his tractari ſentiunt quos exulceratos vident, indignantur ilicet atque recalcitrant. At ſi (vt naturarum indagatores affirmant) is demum medicus ad ſanitatem appoſitus eſt, in quo ægrotus maximam habet ſpem; quis dubitet quin te vno ad curandam vniuerſam vrbem nemo poſsit eſſe ſalubrior? A quo quàm æquo animo vulnera ſua tractari patiantur, quantum confidant, quantum pareant; & tute antehac ſatis expertus es, & nunc apud omnes tui deſiderium atque incredibilis quædam expectatio declarat. Venias ergo tandem, mi Colete, vel Stephani tui gratia qui haud ſecus diuturnam tui gemit abſentiam quàm infantuli matris; vel patriæ tuæ cauſa cuius haud minor tibi cura eſſe debet quàm parentum. Poſtremo (quanquam hoc minimum ſit reducendi tui momentum) mei te reſpectus commoueat, qui me tibi totum dedidi, & in aduentum tuum ſolicitus pendeo. Interea cum* Grocino, Linacro, *&* Lilio *noſtro tempus tranſigam, altero (vt tu ſcis) ſolo (dum tu abes) vitæ meæ magiſtro; altero ſtudiorum præceptore; tertio chariſſimo rerum mearum ſocio. Vale: & nos, vt facis, ama. Londini* 10. *Calend. Nouembres.* Ex hac Epiſtola liquet, quàm beatus adoleſcens Morus fuerit. *Beati enim qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.* Hæc fames, hæc ſitis iuſtitiæ, pietatis, & morum integritatis hanc illi Epiſtolam extorſit. Ideo Coleti viri integerrimi & concionatoris ſancti præſentiam exoptauit. Ideo eius ſanctas conciones auidiſsimè expetiit. Ideo vrbicæ conuerſationis pericula tam diligenter expoſuit. Ideo eo abſente non niſi viris doctis & integerrimis adhæſit. *Hic Coletus* (ait Eraſmus) *ſingulis diebus, quod tunc nouum erat, in ſuo templo concionabatur, præter conciones extraordinarias quas nunc in regia nunc aliis atq; aliis locis habebat. In ſuo autem templo non ſumebat ſibi carptim argumentum ex Euangelio aut ex Epiſtolis, ſed vnum aliquod argumentum proponebat, puta, orationem Dominicam, Symbolum aut aliud ſimile, quod diuerſis concionibus ad finem vſque proſequebatur. Habebat auditorium frequens, in quo pleroſque primores ſuæ ciuitatis & aulæ regiæ. Nouam ſcholam extruxit in cæmiterio S. Pauli, puero Ieſu ſacram, opere magnifico, in quo agerent duo ludimagiſtri, quibus ſalarium deſignauit vt gratuito doceant.* De qua ſchola ſic in quadam ad eum Epiſtola Morus, *Neque valde miror ſi clariſsimæ ſcholæ tuæ rumpantur inuidia. Vident enim vti ex equo Troiano prodierunt Græci, qui barbaram diruere Troiam, ſic è tua prodire ſchola qui ipſorum arguunt atque ſubuertunt inſcitiam.* Hæc de illo Eraſmus. Tali vitæ ſuæ magiſtro vſus eſt Morus adoleſcēs. Grocinus quo (abſente Coleto) vtebatur etiam magiſtro, *præter Theologiæ profeſsionem in omni genere diſciplinarum vſque ad moroſitatem exactè verſatus eſt*: vt idem alibi ſcribit Eraſmus. Thomas Linacer (quem ſtudiorum præceptorem Morus hic vocat) ſic erat in vtraque lingua Græca & Latina excellenter doctus, vt tum Eraſmus eum præceptorem ſuum vocet, tum Budæus ex eius verſo Galeno ſe multum profeciſſe profiteatur. Gulielmus Lilius adoleſcentis Mori ſocius, Grammaticam egregiè methodicam & abſolutiſsimam (qua totâ iuuentus Anglicana ex eo tempore ſemper eſt vſa) conſcripſit. Habuit etiam adoleſcens Morus ſtudiorum ſocium Cuthbertum Tonſtallum virum doctiſsimum, frequenti legatione pro ſuo rege functum, Epiſcopum primo Londinenſem, poſtea Dunelmenſem; qui primitias ſtudiorum ſuorum, de arte ſupputādi libros quatuor Lutetiæ impreſſos anno 1529. Thomæ Moro dicauit, tanquam veteri condiſcipulo & amico familiariſsimo. Sic enim in præfatione loquitur, *Circumſpicienti mihi cuinam potiſsimum ex amicorum cohorte hæc collectanea dicarem, tu pro noſtra conſuetudine atque animi candore viſus es ex omnibus maximè idoneus: qui ſi quid in hoc opere placeret gratum habere, ſi quid eſſet ieiunius boni conſulere, ſi quid vſquam offenderet, ignoſcere paratus eſſes.* Hæc Tonſtallus tunc Londinenſis deſignatus Epiſcopus, (vt ex eadem præfatione patet) Thomæ Moro tunc Angliæ proquæſtori. Huiuſmodi præceptoribus ac ſociis ſtudiorum adoleſcens Morus vſus eſt; ob huiuſmodi vitæ probitatem, morum integritatem, variarum litterarum cognitionem, hauſit, accepit, didicit. Inter philoſophos Platonem & Platonicos maximè legit, & libentius euoluit, tanquam ad Rempub. regendam & ciuilem conuerſationem magis idoneos. Quare & in ſcriptis ſuis Platonicum ſcribendi morem imitatus eſt, vt in Vtopia, in Dialogorum libris quatuor de rebus in religione hodie controuerſis quos Anglicè ſcripſit: atque item in libris de conſolatione in aduerſis quos etiam per formam dialogi elegantiſsimè ſcripſit lingua vernacula. Præter Græcæ & Latinæ linguæ cognitionem, Gallicam edidicit futuris poſtea legationibus idoneus, partim ſuo ſtudio, partim frequenti illorum qui Gallicè nouerant conſuetudine & congreſſu. Nam etſi aliquando in Franciam videndę regionis gratia profectus fuerat, (quod nobilibus adoleſcentibus Anglis ſolenne eſt) tamen non ita diu illic hæſit. Muſicam, Arithmeticam, Geometriam tenuit; ſed & inſtrumento muſico, viola luſit, honeſtiſsimæ recreationis cauſa. Hiſtoricos, quos habere potuit, omnes fœliciter euoluit. Nam vt erat ingenio claro, prompto, & acri; ſic memoria erat fœliciſsima, quam tamen arte etiam iuuit. De qua ſua memoria ſic ipſe modeſtiſsimè loquitur, *Vtinam ſic ingenio atque doctrina aliquid eſſem, vt memoria non vſquequaque deſtituor.* Sed de eius animi dotibus alio loco expreſsius.

Eraſmus epiſt. li. 15. pag. 484.

Li. 23. epi. pag. 870.

Epiſt. li. 10 pag. 350.

In Epiſt. Vtopiæ præmiſſa.

In epiſt. ad Pet. Aegidium Vtopiæ prefixa

Adoleſcens prætèrea, vel quia ſic voluit pater, (qui eum ad Græcarum litterarum & Philoſophiæ ſtudium omni ſubſidio deſtituit vt ad iſtud induceret) vel quia poſtquam coniugalem vitam agere ſtabat ſententia, certus hic gradus erat ad Remp. iuuandam (quod ille vnicè ſpectabat vt reliquus vitæ curſus docebit) Iuri municipali (quod ſolum ferè in Anglia obtinet) ſeu legum Britannicarum ſtudio operam dedit; in eoque eos progreſſus fecit, vt tum in hoc Iure bis legerit, vacationum tempore, quod à feſto S. Ioan. Baptiſtæ vſque ad S. Michaelem excurrit (eſt autem hoc legendi munus valde apud noſtros ſplendidum, quod non niſi ſenioribus defertur, & non niſi à peritiſſimis exercetur, reliquis minus idoneis magnam quandam pecuniæ taxam lecturæ loco ſoluentibus) tum ex Iuris ſtudio varios & ampliſſimos honores in Repub. geſſerit, de quibus mox. Ac talis quidem adoleſcens Morus. Hæc eius adoleſcentiæ ſtudia, mores, actiones, pietas. A

CAPVT III.

Quæ munera in Rep. geſſerit, & quomodo. B

Aduocatus. THOMAS Morus quum viribus ingenii, variaque litteratura plurimum valeret, eo etiam loco ac genere natus, vt lux tanta latere non poſſet, vbi primum virilem togam induit, Reip. operam ſuam præſtitit. Ac primum quidem (quod Iuris municipalis peritis ſolenne eſt) cauſas agere & Aduocatus eſſe cœpit. Quo in munere nulli non dedit amicum, verumque conſilium, magis illorum commodis proſpiciens quàm ſuis: pleriſque ſolitus perſuadere vti litem componerent. Id ſi minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua poſſent quàm minimo diſpendio litigare: denique ita ſe incorruptũ geſſit, ea diligentia vſus eſt, vt nullã cauſam defenderet, cuius totum ſtatum prius accuratè non examinaſſet, totãq; veritatẽ exploraſſet. Ad eum igitur accedentes (ſiue ſuorum ſiue exterorũ aliquis eſſet, ſiue amicus, ſiue alienus, hoc enim illi planè perinde erat, vt mox exemplis docebimus) ante omnia monebat, vt à veritate facti nec leuiſſimè deflecterent. Quibus auditis, ſi ita eſt, inquit, vt retuliſtis, videtur mihi quod cauſã non cadetis. Quod ſi iniuſtam cauſam haberent, diſertè hoc illis affirmabat, hortabaturque vt deſiſterent ab illa. Nam neque ſibi, neque ipſis expedire dicebat huiuſmodi cauſæ patrocinium ſuſcipere. Qui ſi eum audire nollent, ad alios aduocatos eos remittebat, ipſe autem nullo modo eis adeſſe voluit. Vbi hæc initia inculpatè geſſiſſet, circa annum ætatis 28. electus eſt populi Londinenſis conſenſu, qui in ea celeberrima vrbe & totius Angliæ Metropoli pro Shyreuo Ius diceret. Sunt autem in illa vrbe annui magiſtratus tres, vnus Prætor quem Maiorem vocant, & duo Shyreui. Sed quia hi plerunque imo ferè ſemper Iuris dicẽdi imperiti ſunt, eſt vnus perpetuus (vt in Iure vocatur) Syndicus ciuitatis, qui pro iſtis Shyreuis (quos etiam Vicecomites aut etiam Conſules vocare licet) Ius dicit, Iudiciſque vrbani officio fungitur. Eſt hoc munus vt magnæ authoritatis & gratiæ, ita quod virum ſummæ integritatis, fidei, ac prudentiæ requirat. Omnes quippe ciuium cauſæ, ipſaque ciuitatis priuilegia, eius vel arbitrio decernuntur, vel induſtria conſeruantur. Hoc munus quanti Morus ipſe fecerit, non propter emolumenta quæ percipere potuit, ſed propter ciuium ſuorum charitatem, quorum commodis ſeruire voluit, ipſemet in quadam ad Eraſmum epiſtola his verbis exponit, *Mihi ex legatione Flandrenſi reuertenti penſio annua ab rege decreta eſt; eaque planè ſi quis honorem ſpectet ſeu fructum, neutiquam contemnenda: quam ego tamen hactenus recuſaui, videorque mihi perpetuo recuſaturus, quod ea ſuſcepta, præſens hæc mea in vrbe conditio (quam ego etiam meliori antepono) aut mihi foret relinquenda, aut quod minimè vellem cum aliqua ciuium offenſione retinenda: quibus ſi qua cum Principe (quod nonnunquam accidit) oriretur de priuilegiis quæſtio, minus me ſincerum ac ſibi fidum ducerent, tanquam annuis Principi mercedibus obſtrictum.* Hæc ille. Atqui non ita diu in hoc munere vrbico verſatus, vbi inſignem viri prudentiam, fidem, induſtriam Rex Henricus in vna atque altera legatione, primũ in Galliam de rebus repetundis, poſtea in Flandriam de fœdere confirmando probaſſet, eum ex vrbe in Aulam adſciuit, & in Conſilium ſuum ſupremum cooptauit; nec ita multo poſt fide, probitate, dexteritate, & prudentia viri in rebus gerendis magis ac magis ſpectata, Equitem auratum & totius regni Proquæſtorem (Quæſtor enim ſeu Theſaurarius regni ſupremus non niſi nobiliſſimus aliquis Dux, Comes, aut Baro eſſe ſolet) Morum declarauit. De quo duplici honore ſimul collato ſic ad Goclenium ſcribit Eraſmus, *Quum ſcribes ad Morum, gratulaberis illi & dignitatis & fortunæ acceſsionem. Nam quum antea Regi tantum eſſet à Conſiliis, nuper nec ambiens nec expetens, vltroneo fauore Principis humaniſsimi & Eques auratus factus eſt, & munus habet apud Britannos, cum honorificum in primis, tum etiam ſalarij non pœnitendi, quod appellatur à Theſauris.* Hæc ad Conradum Goclenium Eraſmus menſe Auguſto, anno 1520. In hoc autem munere quum per aliquot annos laudabiliter verſatus eſſet, Ducatus Lancaſtriæ (qui ob ſtirpis regiæ defectum ab ipſo Rege poſſidetur) Cancellarium, id eſt, Adminiſtratorem ſupremum conſtituit. Qui ſanè locus & honorificus,

Syndicus Londinẽſis

Inter epiſt. Eraſm. li. 2 epi. pag. 83.

Cõſiliarius Regius.

Eques auratus.

Proquæſtor regni.

In farrag. epi. li. 17. pag. 537.

Cancell. Ducatus Lancaſtriæ

C

D

A honorificus multum est,& ad rem familiarem ampliandam accommodatus. His in aula honoribus ac muneribus per annos circiter quatuordecim functus est,ita Regi gratus, & præ cæteris omnibus charus,vt eius vnius opera & domi & foris in rebus semper grauissimis Rex vsus fuerit. Legatione functus est ter quaterue,postremo vero Cameraci,quum pax illa celeberrima inter quatuor potentissimos huius orbis principes,Imperatorem Carolum Quintum, Ferdinandum Regem Romanorum,Henricum Angliæ,& Franciscum I. Francorum reges anno salutis 1529. solennibus pactis concludebatur. Rex ipse sic Morum adamabat,vt quum vacatione aliqua à rebus publicis impetrata,domi suæ in pago Chelsey qui ab vrbe Londinensi non nisi vno paruo milliari distat, sese cum familia sua recrearet, eum tamen (vt cuius conuictu ac consuetudine impensè delectabatur) derepente domi suæ inuisere,mensæ domesticæ sine vllo speciali apparatu accumbere, vno atque altero die cum Moro suo rusticare solitus interdum fuerit. Sed & discedens dicebat Rex: Quia iam hoc biduo te More à tuis auulsum mecum detinui, vide vt vltra ferias constitutas,aliud biduum adiicias. Nolo enim ex hac mea præsentia domesticæ tuæ recreationi aliquid decedere. Denique tantum Mori prudentiæ Rex tribuebat,sic eum diligebat,eam de eius integritate ac fide existimationem habebat, vt non contentus honoribus illis multis & magnis antea Moro delatis, supremum tandem totius regni Can- *Cancellarius Regni*

B cellarium (qui honos hactenus solis fere Ecclesiasticis viris,eisque supremæ dignitatis deferri solebat. Duo enim Archiepiscopi (quorum alter Cardinalis) Morum in hoc munere proximè præcesserant) Morum renunciauerit. Est autem in Anglia Cancellarius regni, proximus post Regem,omnesque alios quacunque dignitate fulgẽtes aut authoritate præditos præcedit. Ante eum prodeuntem à dextris gestatur sceptrum aureum,in cuius fastigio est corona aurea imperialis,ad læuam liber,quorum altero summa sub Rege potestas,altero legum prudentia designatur Sed & sigillum regium bursæ holosericæ inclusum solenni pompa ante eum defertur, & pro tribunali sedenti coram ponitur. Tribunal Cancellarii supremum est & à quo non appellatur,ne ad Regem quidem ipsum. Iudicat non ex legibus scriptis,sed ex æquo & bono. Ad illum à quouis alio Tribunali appellari potest. Hunc supremum Magistratum sicuti cum tanta totius regni gratulatione Morus susceptit,quanta ante illum alius nemo;ita maximo cum applausu docti & celebres ea ætate viri, quibus extra Angliam Mori virtutes atque eruditio iam innotuerant,eum prosequuti sunt. De quo sic Erasmus in Epistola ad Ioannem Fabrum Episcopum Viennensem. *Harum rerum tibi facile fecero fidem, si summorum virorum Epistolas proferam,* *Epist.li.27* *Reg. ,regno,sibi , atque etiam mihi gestienti cum alacritate de suscepto à Moro Cancellarij honore gratulan-* *pag.1071.* *tes.* Quin & ipse Cardinalis VVolsæus etsi Moro parum æquus esset, eumque metueret verius, quàm amaret,quum prospiceret tamen nullam spem esse reditus ad pristinam dignitatem, asse-

C uerauit in Anglia non esse illi oneri quempiam ita parem vt vnum Morum. Sed Regis ipsius Iudicium quo vno nemo penitius inspexerat,aut impensius amabat raras ac prope diuinas Mori virtutes,ingeniique dotes,quique ipse prudentissimus (necdum schismatis labe aut cęca cupidine infectus) optimum semper suorum hactenus delectum fecit, præstantissimum & sempiternum præbet, virtutibus Thomę Mori testimonium. Maximè quum *nemo vnquam ante illum* *Card. Polus li.3.* *eius ordinis, nemo ex Laica eaque inferiori nobilitate cum magistratum gesserit.*

Non est autem hoc loco prætereundum, quum hunc amplissimum Magistratum Morus iniret,quo extra ordinem honore Rex,totus tunc Moro addictus,illustrare eum voluerit ; qua modestia & prudentia hunc ei delatum Morus acceperit. Quo enim primum die inaugurari debuit,& toto spectante populo tribunal illud supremum,in Camera regia quæ à Stella nomẽ habet,conscendere,Dux Northfolciæ totius nobilitatis Anglicanæ facile princeps,& vir maximæ tunc authoritatis,iubente id & mandante Rege,Morum ad Cancellarii cathedram honorificè deduxit,eoque conscendente Orationem ad populum ex mandato regio in hæc verba fe-

D cit, *Regiam Maiestatem (quod ipsi Regno,totique populo Anglicano faustum fælixque sit) ad supremam Can-* *Oratio Ducis Northfolciæ in laudem Mori.* *cellary dignitatem, Thomam Morum virum iam ipsi Regi totique regno spectatissimum euexisse;non alia quidem ex causa neque respectu alio,quàm quia in hoc viro omnia illa gratiæ & naturæ præsidia inesse cerneret,quæ ad tantam dignitatem vel populus desiderare vel Rex ipse optare posset. Huius enim viri admirabilem prudentiam,integritatem,innocentiam,cum suauissima quadam ingenij facilitate coniunctam,non populo tãtum Anglicano vniuerso ab ineunte fere ætate, sed & ipsi Regi à multis retro annis spectatissimam fuisse. Illud Regem in multis magnisque negotiis domi foris que gestis,in variis quæ gessit muneribus ,in amplissimis quas obijt legationibus,in assiduis & quotidianis pene rerum agendarum consiliis,vberrimè expertum fuisse. Nihil hoc viro ad deliberandum prudentius,ad dicendum quod senserat integrius,ad ornandum quod diceret facundius animaduertisse. Regem itaque quia omnia à tanto viro summa expectaret,pro eo quo in Regni ac populi sui administrationem cum omni æquitate & iustitia,integritate & prudentia faciendam desiderio tenetur , eum suo populo ac Regno Cancellarium dare,quo Cancellario,populus omni pace ac iustitia frueretur , regno splendor & decus incomparabile afferretur. Nouum quidem videri posse huius ordinis virum,laicum,coniugatum ignobilem ad eam dignitatem assumi,quæ hactenus non nisi Ecclesiasticis ijsque primariis Prælatis,aut certe nobilissimis viris deferri solebat. Sed quæ ex hac parte desiderari posse cuipiam videantur, admirabiles huius viri virtutes,dotes ingenij ac naturæ incomparabiles plenissimè compensare. Regem itaque non quantus sed qualis vir esset,non splendorem sed meritum personæ, non ordinem sed virtutem spectasse. Denique in Thoma Moro ostendere se voluisse , non deesse suæ maiestati ex inferiori nobilitate atque ordine laico viros præstantissimos,*

qui Eccleſiaſticorum & nobiliſsimorum virorum munera exequi valeant. Quod quidem quanto rarius Dei be- A
neficium eſt, eo & ſua Maieſtas hoc habet excellentius, & populo ſuo iudicat fore gratius. Morum igitur Cancellarium bonis (inquit) auibus & lætis auſpiciis accipite; à tanto & tali viro ōnia & regno & vobis fauſtiſsima expectate. Hæc vbi Dux ille nobiliſſimus aliaque nonnulla peroraſſet, Thomas Morus etſi inexpectata hac Ducis oratione (nouum enim & inſolens id erat) vehementer perculſus varieque affectus fuerat, & quidem pro inſigni & conſueta ſua modeſtia totus ferè contremiſceret, nonnihil tamen ſeſe recolligens vt ille tum locus ac tempus poſtulabat, in hæc fere verba reſpondit. *Vir ampliſsime, voſque nobiles & humaniſsimi viri, etſi quæ Regia Maieſtas hoc iam loco & tempore de me dici voluit, quæque nobiliſsimus Dominus verbis ornatiſsimis amplificauit, à me, omnia tam longe abeſſe iudicem, quam ea mihi ſingula adeſſe ego nunc vehementer optarem, & iſte magiſtratus plurimum deſiderat, etſi hæc tota Oratio maiorem mihi metum incuſſerit quàm facilè verbis explicare queam; tamen non poteſt non gratiſsimus mihi eſſe Regiæ Maieſtatis fauor iſte incomparabilis, quo tam præclarè de me ſentire voluit, tam honorificè meam mediocritatem vobis commendari præcepit. Viro quoque nobiliſsimo non poſſum non magnas agere gratias, qui quæ paucis verbis ſua Maieſtas mãdauit, ornatiſsima & accurata oratione amplificare voluit. Sic enim accipio ſolum ſuæ Maieſtatis incomparabilem erga me fauorem, ſolam benignitatem & incredibilem regalis animi in me propenſionem (qua à multis iam annis me immeritum perpetuo proſequutus eſt) non vllum prorſus meritum meum, vel huic nouo honori vel his nouis laudibus cauſam dediſſe. Quis enim ego ſum aut quæ domus patris mei, vt hos mihi tot ac tantos honores, curſu quodam perpetuo, Regia Maieſtas* B
accumularet? Minor ſum omnibus beneficiis eius; hoc certe loco, hoc honore nec dignum me cenſeo, & vix parem fore confido. In ipſam aulam ac ſeruitium Regium (quod ſua Maieſtas profitetur) ſæpe inuitus veni. Ad hanc dignitatem inuitiſsimus acceſſi. Sed ea eſt Regiæ Maieſt. bonitas, ea benignitas, vt exigua ſuorum obſequia maximi faciat; & ſeruos ſuos non tam bene merentes quàm bene mereri cupientes (quorum certè è numero ſemper eſſe deſideraui, quandoquidem priorum in loco conſiſtere non potui) ſplendide remuneret. Quæ quum ita ſint quantum mihi & quàm graue onus incumbat, vt huic incredibili beneuolentiæ regiæ omni diligentia atque officio parem me geram, vt eius de me magnificæ expectationi reſpondeam, facile mecum omnes videtis. Mihi igitur tanto hæ laudes acerbiores fuerunt, quanto vt his laudibus non indignus appaream, grauiora mihi officia ſubeunda ſunt, & pauciora præſidia adeſſe conſpicio. Onus enim eſt humeris meis impar, non par meritis honos: cura eſt non gloria; ſolicitudo non amplitudo. Ferendum eſt illud, vt poſſum, ſtrenuè: expedienda ſunt iſta, quantum valeo, dextere. Sed erit mihi ingens ad hæc omnia ſtimulus, ſtudium ac deſiderium meum ardens, quo in omni vita nihil prius aut antiquius habui, quod habere me nunc maximè agnoſco, vt Regiæ Maieſt. ampliſsimis de me meritis omni qua fieri poteſt ratione ſatisfaciam. Iſtud vero eo mihi facilius fore confido, quo veſtras omnium erga me voluntates, quæ Regiam erga me munificentiam libentiſsimè complectuntur, C
eique ſeſe non granatè conformant, propenſiſsimas futuras nihil ambigo. Meum enim certè rem bene gerendi deſiderium, cum veſtra omnium propenſione coniunctum id profecto efficiet, vt quicquid à me geri poteſt, indubiè fiat; idemque vobis etſi exiguum ſit, magnum tamen atque præclarum videatur. Nam & quæ libenter facimus, fieri ſolent fæliciter; & quæ beneuolè accipiuntur, fieri videntur fæliciſsimè. Vos ergo de me vt ſperatis optima, ita ego vobis polliceor non quidem optima, ſed quanto poſſum meliora. Hæc & alia quum Morus dixiſſet, ad cathedram ipſam ſellamque curulem, vultum ac verba conuertens, hunc in modum progreditur. *At enim hanc ſedẽ dũ intueor, qui & quanti viri ante me eam occupauerint, dũ recordor; quis* hic poſtremo ſederit dum recolo, quàm incomparabilis prudentiæ vir, quàm in rebus maximis agendis dextere verſatus, quàm ſplendida & proſpera fortuna diu vſus, quàm demum acerbo caſu deiectus occubuit inglorius; habeo profecto in anteceſſore meo quod & hanc mihi prouinciam difficillimam reddat, & hunc mihi honorem parum gratum ac iucundum efficiat. Nam & tanti ingenij, prudentiæ, authoritatis, ac ſplendoris viro cum laude ſuccedere, eiuſque veſtigia paribus greſsibus ſubſequi difficillimum; (veluti ſi occidente Sole lychnum accendas) & ne hic mihi honor nimium placeat, neve ſplendor eius vano fulgore meos oculos perſtringat, inopinatus ac repentinus tanti viri caſus terribiliter me admonet. Sic igitur hanc cathedram conſcendo vt laboris quidem ac periculi plenam, ſolido autem ac firmo honore vacuam: quæ certè quanto ſublimior eſt, tanto mihi præcipitium magis cauendum video; non rei tantum natura, ſed & recenti exemplo admonitus. Ac niſi inter hæc omnia Reg. Maieſt. incredibilis erga me propenſio, veſtraque omnium (quam iucundiſsimus iſte conſpectus veſter mihi præ ſe fert) beneuolentia me reficeret ac recrearet, in ipſo hoc certe primo veſtibulo impingerem; forte & animo conciderem: nec hæc mihi ſuauior cathedra videretur quàm Damocli gladius ſeta equina ſupra caput ap-* D
penſus, dũ Dionyſii regis ſolium occuparet, honoribus & deliciis affluens. Id vnum ergo ſemper meminero, id ante oculos perpetuo habebo, hanc mihi cathedram ſic eſſe honorificam, ſic amplitudine & ſplendore plenam, ſic nouam & celebrem dignitatem; ſi omni cura ac vigilantia, fide ac prudentia hoc ampliſsimum munus adminiſtrare non deſino, ſi breuem & incertam eius fructum mihi fore perſuaſero. Quorum alterum meus mihi labor præſtare debet, alterum anteceſſoris exemplum docere me poteſt. Quæ quum ita ſint, quantam animo meo voluptatem vel hic ampliſsimus magiſtratus, vel nobiliſsimi Ducis effuſa mei prædicatio, vel ipſius in me Regis incomparabilis hic fauor afferre poſsit, facile omnes perſpicitis. Hæc & his plura cum omnium admiratione eo tum tempore ac loco Morus perorauit.

Oratio Thomæ Mori Cancellarii cathedram conſcendentis.

**Cardinalis VVolſæus, de quo vide Polydorum lib. vlt.*

Atqui præter has omnes in Repub. functiones (quod prius dictum oportuit) fuit etiam in plenis regni comitiis (quæ Parleamenta vocamus) Orator populi, & inferioris domus (vt nos loquimur) vbi totius populi & inferioris nobilitatis conſeſſus eſt, Dux verbi: cuius eſt quęſtiones & cauſas omnes in comitiis propoſitas, populi nomine prudenter, grauiter, copiosè vel admittere & approbare, vel reiicere & refutare. Ad quam prouinciam ille ſolus deligitur, qui & dicendi

Orator populi.

A dicendi facultate,& iuris ac rerum gerendarum peritia,& denique animi robore ac fortitudine ceteris omnibus præstat.

Sed nunc in tanto honorum cursu,qua fide,integritate,prudentia versatus fuerit, ex paucis illis quæ ad nostram notitiam peruenerunt,satis eluceſcet. Cum Iudicis officio fungeretur, solebat dicere nihil apud eum inter amicum & inimicum intereſſe. Id expertus eſt gener eius Aegidius Heron qui Cæciliam tertiam Mori filiam in vxorem duxerat. Cum enim litem iniuſtam coram ſocero ſuo inſtitueret,monuit illum Morus vt deſiſteret à lite. Quod quùm non faceret,tulit contra eum expedite ſententiam. Alias quum inimici cuiuſdam cauſa corã illo verſaretur,Iudicem ſe æquiſſimum,quaſique ſolito æquiorem præbuit. Rogatus cur id faceret,reſpondit,Hoſtis capitalis quantumuis læſerit,non committam vt ea res illi fraudi ſit in Iudicio; quod omnibus æquè debet patere. Cum ſic eſſet planè incorruptus & integerrimus, æmuli tamen eius aliquam reprehendendi anſam ſtudioſè captabant. Hoc quum animaduerteret quidã Pernel,ſiue vt aliis rem gratam faceret,ſiue vt ſuo dolori indulgeret,retulit cuidam ex Aula regia primario,Morum Cancell. à vidua Vaugham aduerſaria eius,poculum aureũ accepiſſe poſt ſententiam pro ea latam. Res ad aures Regis peruenerat,ſuggerente primario illo viro. Iubetur in diem certum adeſſe vidua. Ea præſente coram multis nobiliſſimis viris rogat Cancellarium
B Rex,an poculum aureũ ab illa vidua accepiſſet? Fatetur Morus. Hoc quum indignius Rex ferre videretur,orat Morus Regem,velit viduam rogare quid porro de poculo factum ſit. Vidua rogata agnoſcit,Cancellarium poculum quidem hilari vultu accepiſſe,magnaſq; de dono gratias egiſſe,ſed & conuocata familia, magnificis verbis donum prædicaſſe: (quæ omnia accuſationi conueniebant) attamen vino poſtulato,ipſi hilariter præbibiſſe,ſimulq; poculum reddidiſſe. Indignatur Rex ob rem tam futilem vel ſe interpellari,vel Cancell. vexari; calumniatorem poteſtati Mori permittit,primarium illum virum obiurgat,Morum collaudat. Iã vero induſtriæ Mori in ſummo & negotioſiſſimo illo Cancellariæ munere luculentum iſtud & ſempiterna memoria dignum argumentum eſt. Eſt tribunal illud cauſis & litibus ita prægrauatum, vt vix vnquam fiat,quin innumeræ cauſæ pendeant illic indeciſæ. Certè Moro magiſtratum hunc ineunte pendebant adhuc quædam cauſæ ante annos viginti cœptæ. Ille vero tam dexterè & fœliciter id munus geſſit,vt (quod nec antea nec deinceps vnquam viſum eſt) ſemel tribunal de more conſcendens,& cauſa quadam expedita,ſequentem proferri iubens,reſponſum acceperit,nullã illic amplius cauſam ſupereſſe. Deo igitur gratiis actis quod negotioſiſsimũ illud tribunal ſemel vacaret,lætus ſurrexit. Iubens interea publicis Cancell. regiſtris id inferri,in quibus adhuc le-
C gitur. Sed vero ſummæ eius in hoc munere integritatis & innocentiæ,non teſtimonium tãtum celebre & luculentum,verum etiam argumentum firmum & inuictum eſt,Regis ipſius Henrici 8. de Moro iudicium,poſtquam hoc ſummo Magiſtratu vt ſeſe abdicaret, à Rege impetraſſet: de quo eius facto plura ſuo loco. Sed quod ad rem præſentem facit,quale fuerit Regis de eo iudicium,ipſemet in quadã ad Eraſmum epiſtola propter quaſdam obtrectatorum calumnias his verbis exponit, *Expectaui iam Syndici tempus à geſto ac depoſito Magiſtratu: Nec adhuc quiſquam prodiit qui de mea integritate quæreretur. Aut tam innocens fui aut tam cautus ſaltem,vt æmulis meis neceſſe ſit,ſi me altero nolint,altero ſinant gloriari. Sed de hoc negotio Rex ipſe quum alias,tum priuatim ſæpe, tum bis publicè pronunciauit. Nam ſupra quam meus pudor pati poteſt vt recenſeam,per os Ducis illuſtriſsimi, Ducis inquam, Northfolciæ magni theſaurarii Angliæ,quum ſucceſſor meus homo imprimis egregius collocaretur in loco, honorificè iuſsit de me teſtatum reddere, quod ægrè ad preces meas me dimiſerit. Nec eo ſingularis Regis erga me bonitas contenta, recitari fecit idem denuo multo poſt in ſua præſentia, in ſolenni conuentu magnatum ac populi per os ſucceſſoris mei in oratione quam ex more primam habuit in Senatu: quem Senatum nos Parleamentum vocamus.* Hæc ad Eraſmum Morus. Sed & in litteris quibuſdam à Thoma Moro poſt abdicatum Cancellarii munus ad Regem ipſum ſcriptis,memorem eum facit verborum, quæ quum id munus deponeret ad eum Rex diceret, *Placuit* (inquit) *Maieſtati tuæ tunc ad me dicere, curaturum ſe vt propter officia hactenus à me præſtita* (*quæ quidem eo tempore longè ſupra id quod merebantur,laudare dignata eſt Maieſt. V.*) *omnibus in rebus quæ vel ad honorem vel ad commodum meum ſpectarent, ſi quid forte peterem,benignam ac propitiam erga me Maieſt. V. ſemper experirer.* Quæ ſanè pollicitatio & commendatio regia in tali articulo facta, luculentiſsimum fuit magiſtratus integerrimè geſti teſtimonium. Atque hæc de variis in Repub. muneribus à Thoma Moro geſtis,deque integritate & innocentia qua in illis verſatus eſt hactenus: etſi de hoc poſteriori quædam adhuc alia poſtea dicendi dabitur locus. Huius autem futuræ integritatis egregium ſpecimen adhuc iuuenis dedit quum Iuri municipali operam daret,regnante tunc Henrico ſeptimo. Quum enim in pleno Senatu (quem Parleamentum vocant,in quo liberè loqui quod ſentiunt omnibus permittitur) exactiones & vectigalia iniqua imponere populo Rex vellet,Thomas Morus (multis aliis tacentibus,& quod ſenſerant dicere non audentibus) liberè & fortiter Regis poſtulato reſtitit. Aegrè admodum tulit hoc Rex,maximè à Dudleo & Empſero eius rei authoribus inſtigatus. Suaſerunt tunc multi Moro,& inter alios Epiſcopus quidam, vt culpam apud Regem agnoſceret,veniamque precaretur: hac enim ratione Regem placari poſſe. Recuſat ille prorſus hoc facere,prudenter reſpondens,ſe nec culpæ alicuius ſibi conſcium eſſe,nec debere ibi culpam fateri vbi certus de venia non eſſet. Poſt ſeptem vel octo annos defuncto Henrico ſeptimo & Dudleo illo propter iniqua illa conſilia Regi ſuggeſta pœna capitis damnato, quum iam ad

Iudex integerrimus

Ridicula Mori accuſatio.

Expeditio cauſarum.

Inter epiſt. Eraſm. lib. 27. p. 1076

In operibus Anglicis p. 1423.

Morus iuuenis exactionibus regiis obſiſtit.

ſupplicium traheretur,accedens ad eum Morus,ecquid,inquit, domine Dudlee,in cauſa illa exactionis bene olim ſententiam dixi? Cui ille, O domine Thoma,inquit,bene te iuuit Deus quod culpam tuam apud Regem non agnoſceres. Hoc enim ſi feciſſes pœnam capitis haud dubiè ſubiiſſes. Sic ille & fidem ſuam erga Rempub.bene liberauit, & ſuæ ſaluti prudenter conſuluit. Erat quidem (vt iam dictum eſt) Iudex æquiſſimus,ſed contra improbos fortis & ſeuerus,& vt de ſeipſo in ſuo epitaphio ſcribendum curauit *furibus,homicidis, hæreticiſque moleſtus.* Maximè vero hæreticis,de quibus ſic ad Eraſmum ſcribit, *Quod in epitaphio profiteor hæreticis me fuiſſe moleſtum,hoc ambitioſè feci. Nam omnino ſic illud hominum genus odi,vt illis ni reſipiſcant tam inuiſus eſſe velim,quàm cui maximè:quippe quos indies magis ac magis experior tales, vt mundo ab illis vehementer metuam.* Neque tamen ita hæreticis moleſtus Morus fuit, vt ſub illo Cancellario quiſquam eorum capitis pœnam dederit;id quod & Eraſmus affirmat in epiſtola mox citata, & noſtri annales teſtantur. Quod ſi aliter ſenſit Sleidanus quum ſcriberet Thomam Morum qui Regis fuit Cancellarius,in ſuſpectos de Lutheraniſmo grauiter animaduertiſſe, (quæ vox iuridicè loquendo pœnam capitalem notat) mentitur,vt ſolet,ſplendidè.

Inter epi. Eraſmi vt ſupra. Lib. 9.

A

CAPVT IV.

B

De multiplici eius eruditione,& laboribus litterariis.

QVALIS in Rep. ſua ciuis,quibus honoribus & muneribus perfunctus,qua integritate,fide,prudentia in illis verſatus Tho.Morus fuerit,quantum ea de re cognoſcere potuimus,iam explicatum eſt.Nunc quàm fuerit idem litteratus,doctus,ſtudiis ac libris deditus;quos in eo genere labores tulerit,fructus fecerit,explicare conabimur.Quæ pueritiæ,& adoleſcẽtiæ ſtudia fuerint, in præcedentibus dictum eſt.Quod Poëta,quod Orator,quod Philoſophus extiterit,quod ſtilum & vocem in illa ætate ingenti cum laude exercuerit, ex illis liquet.Et quidem necdum ad Reip. adminiſtrationem vocatus, minimè mirum ſi vir tanti ingenii ocio adhuc abundans,otioſus eſſe non potuerit. Sed vero in tanta negotiorum & tam continua multitudine,quæ in officiis prædictis(quibus adde vitam coniugalem,familiæ curam) nunquam deeſſe poterant,quis expectabit,vt magni aliquid in litteris ac ſtudiis præſtare poſſit? Amant enim ocia Muſæ,& à forenſi ſtrepitu atque aulica cõuerſatione vel maximè abhorrent; denique quæ eſt noſtra ignauia,totum penè hominem deſiderãt. Et certè Morus ipſe vir totus ſuaptè ſponte litteris ac libris deditus,auocationes iſtas ſuas & interpellationes aſſiduas miſerè alicubi deplorat:Sic enim ad Petrum Aegidium Antuerpienſem amicum ſuum poſt elaboratã Vtopiam ſcribit,*Dum cauſas forenſes aſſiduè alias ago,alias audio,alias arbiter finio,alias Iudex dirimo; dum hic officii cauſa viſitur,ille negocii,dum foris totum ferme diem aliis impartior,reliquum meis, relinquo mihi,hoc eſt,litteris nihil. Nempe reuerſo domum,cum vxore fabulandum eſt,garriendum cum liberis,colloquendum cum miniſtris.Quæ ego omnia inter negotia numero, quando fieri neceſſe eſt. Neceſſe eſt autem niſi velis domi tuæ eſſe peregrinus. Et danda omnino opera eſt,vt quos vitæ tuæ comites aut natura prouidit, aut fecit caſus,aut ipſe delegiſti,his vt te quàm iucundiſsimum compares,modo vt ne comitate corrumpas, aut indulgentiæ ex miniſtris dominos reddas.Inter hæc quæ dixi elabitur dies,menſis,annus. Quãdo ergo ſcribimus? Nec interim de ſomno quicquam ſum loquutus,vt nec de cibo quidem,qui multis non minus abſumit temporis quam ſomnus ipſe qui vitæ abſumit ferme dimidium.* Hæc ille. Quid ergo tande mad ſtudia temporis ſuperfuit? Subiungit ſtatim,*At mihi hoc ſolum temporis adquiro quod ſomno cibo que ſuffuror:quod quoniã parcum eſt,lentè;quia tamen aliquid, aliquando perfeci,atque ad te mi Petre tranſmiſi Vtopiam.* Nempe in more habebat Tho.Morus non vltra 4.aut ad ſummum 5.horas ſomno dare.Hora ſecunda matutina ſurgere ſolitus,vſque ad ſeptimam ſtudiis & precibus ſe dabat;reliquum diei tempus negotiis.Scripſit ergo præter prius enumerata tum Latine tum maximè Anglico ſermone valde multa. Vtopiã ſuã ſcripſit,ſi Ioanni Paludano credimus,adhuc iuuenis : non tamen ita iuuenis quin virilem planè togam induerit.Scripſit enim illam à Flãdrenſi legatione reuerſus,vt in ipſa operis præfatione teſtatur,ſed certè necdum in Aulã à Rege vocatus,vt ex illa penſione liquet, quã finita legatione Rex ei obtulerat vt in præcedenti cap.retulimus. Cæterum hanc ſcripſit Vtopiã anno ætatis 34.vid.ann. Domini 1516.Paſſus eſt autem anno Domini 1535. & ætatis ſuæ anno 52.De operis autem ipſius præſtãtia,etſi, quia paſsim legitur,adeoq; in Gallicã,Italicam,& Flandricam linguam translatum,nihil me attinet dicere,quorundam tamen doctorum virorum iudicia ſubiiciam.Gul.Budæus in epiſt.ad Thomam Lupſetum. *Vtopiæ cognitionem Thomæ Moro debemus,qui beatæ vitæ exemplar ac viuendi præſcriptum ætate noſtra promulgauit; Hanc hiſtoriam ætas noſtra, poſteræque ætates habebunt velut elegantium vtiliumque inſtitutorum ſeminarium, vnde translatitios mores in ſuam quiſque ciuitatem importent & accommodent.* Ioannes Paludanus Caſsiletenſis in epiſt. ad Petrum Aegidium ſic ſcribit,*Quicquid ad Rempublicam bene inſtituendam pertinet, in Vtopia velut in ſpeculo liceat cernere.Multos certè eoſque inſignes in litteris viros Anglia habet.Nam quid de cæteris coniectandum eſt,ſi tantum præſtat Morus primum iuuenis, deinde publicis ac domeſticis negotiis adeo diſtractus: poſtremo*

C

D

In Epiſtola Vtopiæ præfixa.

Budæus de Vtopia Mori. Paludani.

A postremo quid uis profitens citius quàm litteras? Petrus Aegydius in epist. ad Hieronymum Buslidium Præpositum Arienſem de Vtopia ſic ſcribit. *Tantum hic occurrit vndique miraculorum, vt ambigã quid primum aut potiſſimum admirer; fœliciſſimæ memoriæ fidem quæ tot res auditas duntaxat penè ad verbum reddere potuit,* (ſic enim fabulæ ſeruire oportuit) *an prudentiam, qua vulgo ignotiſſimos fontes, vnde non minima Reip. vel oriuntur mala, vel oriri poſſent bona, ſic animaduerterit; an orationis vim ac facultatem, qua tanta ſermonis Latini puritate, tantis dicendi neruis, tot res complexus eſt, præſertim vnus in tot publica ſimul & domeſtica negotia diſtractus.* Hæc Petrus Aegidius. Sed nunc grauiſſimum viri grauiſſimi Hieronymi Buſlidiani Cæſareæ Maieſt. à Conſiliis iudicium apponam. Sic in epiſtola ad Morũ ipſum lecta Vtopia ſcribit. *In Vtopienſis Reipub. fœlici deſcriptione nihil eſt in quo vel ſumma eruditio vel abſoluta rerum humanarum peritia deſiderari poſsit. Tam ſiquidem multifaria polles doctrina, rurſum tam multa eaque certa rerum peritia, vt prorſus expertus affirmes quicquid ſcripſeris; doctiſſimè ſcribas quicquid affirmandum deſtinaueris. Mira profecto raraque fœlicitas, ac planè eo rarior quo magis ipſa ſeſe, inuidens plurimis, non præbet niſi raris: maximè iis qui ſicut candore velint, ita eruditione ſciant, fide queant, authoritate poſſint tam piè, rectè, prouidè in commune conſulere, ſicut tu iam facis probè; qui quod non ſolum tibi, verum etiam toti gentium orbi exiſtimas operæprecium, duxeris hoc tuo pulcherrimo merito vel totum ipſum orbem demereri: quod præſtare alia ratione neque rectius neque melius potuiſſes, quàm ipſis mortalibus ratione pellentibus eam Reipub. ideam, eam morum formulam, abſolutiſſimumque ſimulachrum præſcribere, quo nullo vnquam in orbe viſum ſit vel ſalubrius inſtitutum, vel magis abſolutum, vel quod magis expetendum videatur: vtpote multo quidem præſtante atque longo poſt ſe interuallo relinquente tot celebratiſſimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum, Athenienſium, Romanorum Reſpublicas.* Paulo poſt prudenter obſeruat & laudat, *quod Vtopienſis Reſp. à Moro formata non tam in condendis legibus, quàm in optimis magiſtratibus formandis elaborauit: ad quorum videlicet ſimulachrum, probitatis ſpecimen, exemplar morum, iuſtitiæ imaginem totus ſtatus & rectus tenor cuiuſuis abſolutæ Reipubl. ſit effingendus.* Hæc ille. Sed & de hoc laudatiſſimo opere ſic Paulus Iouius, *Mori nomen in Vtopia perenni conſtantiæ laude fruitur. In ea enim beatæ gentis regione optimis inſtituta legibus, ac opulenta pace florentem Rempubl. elegantiſsimè deſcripſit, quum damnatos corrupti ſæculi mores faſtidiret, vt ad benè beatéque viuendum commento periucundo, rectiſsima via monſtraretur,* Hæc ille. Certè hoc vnum Vtopię monimentum, facile legenti oſtendet veriſſimũ eſſe, quod Budæus, quod Eraſmus, quod Cochlæus, quod Rhenanus, quod Buſtidius, quod Tõſtallus, quod Regin. Polus Card.* omneſque qui Vtopiam legerunt, de eo ſcribunt, *incomparabile homine maius & prope diuinum fuiſſe hominis ingenium.* Nihil eo opere vel circa inuentionem iucũdius, acutius & artificioſius; vel circa orationis genus, elegantius, vberius, ornatius; vel circa præcepta vitæ ac morum grauius, ſolidius, prudentius. Eius lectio nec lectorem vnquam faſtidire, nec abſque ſingulari aliquo fructu dimittere poteſt, ſi attentus & proficiendi ſtudio legat.

Pet. Ægydi.

Hieron. Buslidianus de Vtopia Mori.

Paul. Iouius. In elogiis doctorum virorum tit 89.

* *Quod Paludanus, quod Huttenus, quod Viues, quod Graphæus, quod Zasius.*

Scripſit porro eodem fere tempore hiſtoriam Richardi Regis Angliæ eius nominis tertii Latinè, quam etſi exercitii tantum gratia conſcriptam & imperfectam & non relectam reliquit, ſermonis tamen elegantiam & nitorem vix in ea deſideres. Anglicè illã multo ante & plenius & elegantius deſcripſit. Iam vero quum an. Domini 1523. contra librum Henrici Regis de ſacramentis ſpurciſſimum libellũ ſpurcus Lutherus euomuerat, Tho. Morus ad eius conuitia reſponſionem emiſit: & procaci ac ſcurrili Lutheri libello eodem orationis filo reſponſionem parandam iudicauit, ipſumque eiſdem quibus intemperantiſſimè vſus erat in Regẽ, conuiciis obruendum: vt ſi quid male loquendo voluptatis cepiſſet, id rurſum malè audiendo amitteret. Cæterũ quum haud quaquam perſonam dignitatemque ſuam (erat enim tunc Eques & Cõſiliarius regius) laſciuos iocos & quandoque etiam immodeſtos decere intelligeret, non ſuo ſed Gulielmi Roſſei alieno nomine librum exire voluit. Hic autem Roſſeus eodem fere tempore Romam peregrinatus in Italia moritur, vt non incommode etiam ipſis Anglis Roſſeus author videri poſſit. Et hic quoque liber præter ſanam & ſolidam doctrinam contra impudentem hęreticum grauiter defenſam, facetiſſimum præterea & elegantiſſimum Mori ingenium luculenter exprimit. Denique facti ſui rationem quod cum ſcurra ſcurriliter agere compulſus fuerit, inituſq; hoc fecerit, in ipſo fine & vltimis libri verbis ſic exponit, *Quandoquidẽ Lutherus totum ſe deuouit inferis, & obdurauit in ſchiſmate; ſtatuere tamen ſecum debet aliquã ſaltem vt habeat ciuilis honeſtatis rationem, quo ſibi potius vendicet authoritatem Dogmatiſtæ, quàm vilis in hæretico ſcurræ. Quod ſi quando volet, ſi ſcurriliter diſceptabit ſerio, ſi mendacia ſua recantet ac ſycophãtias; ſi abegerit ſtultitias, furores, & hactenus nimiũ familiares furias, ſi merdas ſuas reſorbeat, & ſua relingat ſtercora quibus tã fœde linguã ſuam calamumq; cõſpurcat, non deerunt qui de re graui grauiter, quod decet, diſſerant. Verũ ſi ad iſtum quo cœpit modũ ſcurrari pergat & furere, ſi graſſari calũnia, nugari ſtultitia, inſanire dementia, ſcurrilitate ludere; nec aliud in ore geſtare, quã ſentinas, cloacas, latrinas, merdas, ſtercora; faciant quod volent alii: nos ex tẽpore capiemus conſiliũ velimuſne ſic bacchantem ex eius tractare virtutibus & coloribus ſuis depingere, an furioſum fraterculũ & latrinariũ nebulonẽ cum ſuis furiis & furoribus, cũ ſuis merdis & ſtercoribus cacantẽ cacatũq; relinquere.* Hæc vltima ad Luth. verba ſunt, quib. quaſi poſtremis bellariis tali nebulone dignis os eius perliniatur, & buccella palato cõgrua dulcoretur. Certè hic liber (vt refert Cochlæus) *mira dexteritate & facetè ludẽs, & grauiter obiurgans, certiſsimis teſtimoniis ita cõuincit Lutherũ, & in os eius improbũ omnia ipſius mendacia retruſit, vt is contra ne hiſcere quidem auſus fuerit.* Cum enim quotidie ſcriptitaret & omnibus reſponſitaret, Roſſeo lecto, magis mutus factus eſt quàm piſcis. Scripſit & aduerſus Ioan. Pome-

Roſſeus Mori.

Cur contra Lutherum ſcurriliter ſcripſerit.

In actis & ſcrip. Luth.

ranum Epistolam luculentam quæ seorsim excusa est. Hæc ferè sola (quæ quidem extant) Latino sermone scripsit libertate sua adhuc gaudens. Nam in carcere quum esset, scripsit tractatum prolixum de passione Domini, ex posteriori parte Latinum, vt in operibus eius Latinis extat, sed priori & multo maiori ex parte Anglicum, de quo postea. A

Nunc quæ sermone vernaculo vel contra hæreticos vel de rebus piis scripserit, commemorabo. De vita Pici Mirandulæ aliisque eiusdem opusculis Anglicè ab eo versis quum adhuc adolescens esset, supra diximus. Vitam Richardi tertii Regis Anglorum eloquentissimè scripsit eo tempore quo Londini causas agebat. Postquam in Aulam & Senatū regium assumptus est, quo demum tempore vitam maximè negotiosam egit, eo tamen tempore quàm plurima scripsit. Eques creatus & à Consiliis Regi, regnique Proquæstor scripsit tractatum insigniter pium & doctum de quatuor nouissimis: sed multo maior eius pars intercidit. Quum autem ex hoc Belgio in Angliam hæretici irrepere cœperunt (*ex Belgio enim*, ait Morus in Epist. quadam ad Erasmum, *quo se velut in portum aliquem omnes hæreses receperunt, libri hæretici in Angliam mittebantur*) Morus etsi tunc occupatissimus, vtpote & Consiliarius Regius, & Ducatus Lancastriæ Cancellarius, scripsit de rebus hodie controuersis Dialogorum libros quatuor opus prolixū, eruditum, elaboratum: in quo de Sanctorum inuocatione, de peregrinatione, de Reliquiis quum multa disputasset, ostendit tandem, variaque ratiocinatione demonstrat & quæ sit vera Ecclesia, & illam errare non posse. His Dialogis absolutis, quum eodem tempore hæreticus quidam librum edidisset, cui titulum fecit, *Pauperum libellus supplex* (quo id agebat vt Regi persuaderet, vnicum & præstantissimum ad pauperes subleuandos, aliasque Reip. necessitates iuuandas remediū esse, vt Monasticorum & Ecclesiasticorum bonorum vt minimum ex 4. partibus tres fisco addicerentur) scripsit Morus sequenti anno contra hunc libellum non supplicē, sed infamem, responsionem iustam cui titulum dedit, *Animarum in purgatorio libellus supplex*. quo in libro sub persona animarum adhuc in Purgatorio existentium, ad quarū pœnas piis suffragiis & sacrificiis subleuandas Ecclesiastici & Monastici reditus magna ex parte collati sunt, eleganter & eruditè docet tum fidem & doctrinā Ecclesiæ de orando pro defunctis, de Purgatorio, de vi suffragiorum solidam & orthodoxam esse; tum etiam monasteriis sublatis, & Ecclesiæ bonis imminutis, Regis potentiam minuendam, pauperum numerum augendū: quod & postea experientia stultorum magistra clarè docuit. Iam vero quum contra Dialogos præallegatos, Tindallus infamis hæreticus qui postea Vilfordiæ in Brabantia iustas impietatis suæ pœnas tulit, responsionē scripsisset, eam Morus etiam supremus tunc regni Cācellarius lōga scriptione refutauit. Sed quum illa refutatio nouem libros complectatur, tres priores scripsit Cancellarius regni, sex posteriores eo munere abdicato. Scripsit prēterea eodem anno qui depositum Cancellariatum & vincula eius vnicus interceſſit, cōtra Ioannem Frith Sacramentarium de veritate corporis & sanguinis Domini librum vnum, deinde Apologiam, mox Apologiæ suæ defensionem, sub titulo debellationis Solymorum & Byzantii. Ac postremo cōtra Anonymi hæretici librum de Cœna Domini libros quinque. Postremo in carcere constitutus scripsit de Consolatione in aduersis libros tres, opus elegantissimum, multa pietate & eruditione plenum, denique cui vix vllum in eo argumenti genere par inuenias. Scripsit etiam in carcere expositionem (vt vocat) historicam passionis Dominicæ iuxta 4. Euangelistas, incipiens ab eo loco, *Appropinquauit autem dies festus azymorum*: quam produxit vsque ad illa verba, *Iniecerunt manus in Iesum*. Tunc enim sic per arctam custodiam iniectæ illi manus sunt in carcere, vt amplius scribendi facultas non daretur. Est hic tractatus & prolixus atque accuratus, & multum spiritualis ac pius. In his autem omnibus vernacula lingua conscriptis, & regnāte Maria in vno magno volumine excusis, quæ ante 30. annos magna ex parte perlegi, deprehendi Thomam Morum in scripturis diligentissimè, in Patribus, adeoque in ipsa scholastica doctrina non indiligenter versatum fuisse. Citat etsi non adeo frequenter, appositè tamen & vbi opus est, Augustī. Hieron. Chrysost. Cyril. Hilar. Bernardū, Gersonem. Certè ipsemet ad sui purgationem quū postea suspectus Regi haberetur, affirmat se per totos 7. annos Patribus legendis operam dedisse, vt quæ esset illorum de Primatu Rom. Pont. sententia intelligeret. De quo lectionis fructu suo loco plura. Hinc interim constat quantum in Patribus proficere vir tanti ingenii & tam diuinæ memoriæ potuerit. Etsi enim vnū tunc legendo quærebat, quis tamen dubitat quin multa obiter contra præsentes hęreses annotauerit? Ego certè animaduerti multa nuper loca percurrendo, eū in dogmatica Theologia perdiscenda bonam operam posuisse, & quum de gratia, de libero arbitrio, de meritis operū, de fidei & charitatis aliarumq; virtutum natura & officiis, de peccato originali, de ipsa prædestinatione loquitur, ita calamū temperare suum, ita ad veræ Theologiæ normam loqui, vt accuratius & aptius professione Theologus loqui vix possit. Certè quod D. Thomam studiosè legerit, illud argumento esse potest quod de eo narrauit Ioannes Harrisius secretarius eius. Allatus est fortè ad Morum libellus hæretici nouiter excusus, quum iam in viam se per flumen daret, è domo sua Londinum versus. Potuit enim à pago Chelsey per aquas Londinum proficisci. Vbi aliquantulum legisset, loca quædam digito notata Harrisio suo ostendens: hæc, inquit, huius nebulonis argumēta sunt D. Thomæ obiectiones in 2.2. quæst. & art. tali: sed boni doctoris solutiones nequā dissimulat. Sed & disputationem eius quandam vidi cum P. Alphonso Minorita Confessario Catharinæ Reginæ Henrici Regis coniugis primæ, vbi de attritione & cōtritione sustinet sen-

Opera Anglicana. An. 1513.

An. 1522.

Lib. 27. Epist.

An. 1528. Dialogi.

B

An. 1529. Libellus supplex animarum in Purgatorio.

Contra Tindallū. An. 1532. & 1533.

C

Contra Frith. Apologia & eius defensio. De cœna Domini. Consolatio in aduersis

D

tentiam

A tentiam Scoti vt tutiorem magisque probabilem contra sententiam Occam: vt merito cuilibet mirum videri posset, hominem ciuilibus & aulicis negociis tota fere vita occupatum, in profana litteratura excellenter versatum, Theologica tamen adeoque scholastica ipsa non attigisse tantum, sed & tenuisse. Hæc autem opera eius de rebus controuersis vernaculè cõscripta, non solum eo tempore quo scripsit magnum fructum fecerunt, plurimis viris doctis & grauissimis ea ter quaterve relegentibus, sibique ad iuuandam memoriam indiculos colligentibus (vt ipsemet per occasionem scripsit) sed & diu post regnante sereniſſima Regina Maria catholica principe, iterum in lucem edita restauratæ tunc religioni catholicæ maximo adiumento fuerunt. Nec quicquam ferè toto illo lucido interuallo (quod singulari Dei beneficio inter duo schismatis tempora nobis datum fuit) causam catholicam magis promouit, illustrauit, confirmauit, quàm alia permulta Mori opera Anglicè edita, opera & labore ingenti D. Gulielmi Rastelli de quo in præfatione diximus. Porro alia permulta Mori scripta tam Latina quàm Anglica ob acerbã persecutionem quæ toti familiæ Mori eo sublato incubuit (de qua suo loco plura) interciderunt; & ista quæ habemus quasi è flammis erepta magna quadam suorum industria seruata sunt. Statim enim post mortem eius, vt reliquam supellectilem ita maximè bibliothecam Mori vniuersam & instructissimam Thomas Cromvvellus Regii sigilli custos, homo ad ministerium tyran-

B nidis natus, diripuit. Sed & illud infatigabile hominis studium demonstrat, quod quæcunque vel Latinè vel Anglicè per totam vitam in lucem emittenda composuit, sua propria manu ombonarum litterarum, seu politioris litteraturæ non deuotus tantum, sed & superstitiosus penè amator. Propter bonas litteras Erasmum sic deamauit, vt nemo magis: vicissim illum ac merito Erasmus. Fuit tamen amicitia Mori cum Erasmo ipsi Erasmo magis honorifica quàm Moro vtilis. Sed & crescente hac hæresi, cuius oua tam multa & mala Erasmus posuit, decreuit ac refrixit Mori erga Erasmum amor. Obiiciente quodam in loco Tindallo (quem Morus reprehenderat quod vocem Ecclesię in congregationem & Presbyteri in seniorẽ verterat) dulcissimum eius Desiderium Erasmum non aliter vertere, ideoque non aliter reprehensione dignum esse, respondet Morus, *Si dulcissimus meus Desiderius praua illa intentione sic vertisset qua vertit Tindallus, dulcissimus meus Desiderius ne quidem dulcis mihi amplius esset.* Amicè videlicet quum factum nõ potest, intentionem excusat. Denique Morus vbi sub finem vitæ suæ multa in scriptis Erasmi deprehendit necessario emendanda, monuit eum per litteras diligenter, vt Augustini exemplum sequutus omnia sua recognosceret & retractationes ederet, quod etiam & Ioan. Episcop. Rof-

C fensis fecit, vt patet ex Epist. Erasmi ad eum. Sed Erasmus qui ab humilitate Augustiniana tam multum abfuit quàm à doctrina, nec id facere voluit, nec has Mori litteras supereſſe passus est, vt Farragini cum cęteris inserentur. Propter bonarum litterarum impensum studium, factus est in Anglia cum suo Richardo Pacæo, viro nobili, docto, prudente (qui pro Rege Henrico nobilissimas legationes obiuit) bonarum litterarum patronus & aduocatus. Sic ad Academiam Oxonienſem luculentam orationem ex Aula scripsit, vt imprudentes quosdam concionatores reprimeret qui Græcæ & Latinæ linguæ studium pro suggestu traducebant. Sic quum coram ipso rege quidam concionator hoc tentaret, finita concione, instante Moro, veniam petere & suam temeritatem agnoscere concionator coactus est. Sic ad Martinum Dorpium bonarum ac Græcarum maximè litterarum ad tempus hostem, prolixam & eruditissimam scripsit Epistolam de necessaria linguæ Græcæ cognitione; quæ Basilææ excusa est per Episcopium anno 63. Sic denique cum illis arctissima necessitudine coniunctus est, qui eo tempore siue in Anglia siue extra, eloquentiæ & eruditionis laude floruerunt, vt proximo mox capite apparebit. Et in oratione quidem illa ad Academiam Oxonienſem scripta sic inter cætera loquitur, *Quanquam nemo negat saluum esse quenquam sine litteris non illis modo, sed vel vllis posse, doctrina tamen eaque secularis, vt ille vocat* (concionator scilicet quidam audacior quàm doctior) *animam ad virtutem præparat. Ne-*

D *nium. Quandoquidem rudem illam atque illiteratam virtutem quæuis bona mulier libros suos ipsa docere non pessimè posset domi. Præterea non quisquis ad vos venit, protinus ad perdiscendam Theologiam venit. Oportet vt sint qui leges calleant. Noscenda est & rerum humanarum prudentia, res adeo non inutilis Theologo, vt sine hac sibi fortasis intus non insuauiter possit canere, at certè ad populum ineptè sit cantaturus: quæ peritia haud scio, an alicunde vberius quàm è Poetis, Oratoribus atque Historiis hauriatur. Quin sunt nonnulli qui cognitionem rerum naturalium velut viam sibi qua transcendant in supernarum contemplationem præstruunt: & per Philosophiam & liberales artes (quas iste omnes secularis litteraturæ nomine damnat) iter faciunt ad Theologiam: spoliatis videlicet Aegypti mulieribus in Reginæ cultum. Ad quam Theologiam (quoniam hanc solam videtur admittere si vel hanc admittit) non video tamen quo pacto queat attingere, citra linguæ peritiam vel Hebrææ, vel Græcæ, vel Latinæ. Nisi fortè persuasit sibi homo suauis satis id librorum scriptum esse Britannicè: aut totam prorsus Theolog. putat intra septum illarum claudi quæstionum de quibus assiduè disputant. In quas noscendas pars exigua fateor linguæ Latinæ suffecerit. Verũ enimuero intra has angustias, augustam illam cæli reginam Theologiam sic coerceri, vt non sacras præterea incolat atque inhabitet Scripturas, indeque per omnes antiquissimorum ac sanctissimorum Patrum cellas peregrinetur; Augustini dico, Hieron. Ambr. Cypriani, Chrysost. Cyrilli, Greg. atque id genus aliorum, per quos Theologiæ studium stetit à Christo passo plus annis mille, priusquam istæ nascerentur quæstiunculæ, foret periniquum, addo etiam impium,*

In Apolog. cap. 3.

Bonarum litterarum quantus amator.

Confut. li. 2. pa. 422.

In Farrag. li. 22. p. 852.

A

Quorum opera Patrum quisquis à se iactat intelligi sine cuiusque eorum linguæ non vulgari peritia, diu id iactabit imperitus, priusquam ei periti credant. Hæc ibi Morus, quæ ex multis pauca ideo protuli, vt quantus bonarum litterarum defensor ac patronus extiterit, lector ex parte intelligat. Cæterum prolixa admodum eius epist. ad Martinum Dorpium, de necessaria linguæ Græcæ cognitione (cui malè Typographus titulum dedit, Apologia pro Moria Erasmi, quum id tantum obiter tractet) Basilææ per Episcopium excusa anno 1563. luculentissimè docet quàm in omni non prophana tantum, sed & in sacra litteratura versatus, quantus vtriusque Aduocatus contra eius temporis barbariem fuerit. Atque hæc de eius varia & multiplici eruditione ac laboribus litterariis, quantum ad meam notitiam peruenire potuit, hactenus.

CAPVT V.

De doctis & claris viris quos multiplex Thomæ Mori eruditio familiares sibi fecit.

B

QVOD de varia ac multiplici Thomæ Mori eruditione dicere voluimus, magis lectori innotesceret, si doctos eius ætatis viros domi foriſque quanti ipse fecerit, quam charos sibi habuerit, paucis recensemus. Est enim propria doctrinæ virtus, vt qui in ea excellit & facile inclaresçat, & multos etiam quos non vidit beneuolos sentiat: maximè doctos ipsos & claros viros quos studiorum societas in omni ætate ac conditione reddit familiares. Nec mediocre eruditionis argumentum est viris eruditissimis placuisse, aut parua fœlicitatis pars viris claris amicitia coniunctum fuisse. Alexander Macedo Achillis statuam cernens in Ilio quam Patroclus amicus eius erexerat, O te fœlicem, inquit, cui viuo talis amicus contigit! Certè si similitudo morum amicitiam conciliat, & pares cum paribus facile congregantur, tot viri docti & celebres Moro familiares & amici, virum illum fuisse doctissimum manifestè docebunt. Primum igitur à domesticis incipiam: postea externos proferam. Certè nullus in Anglia viuente Moro alicuius nominis doctus fuit (fuerunt autem in illa quasi bonarum litterarum herba, & renascente lanugine quàm plurimi) qui Thomæ Moro familiaris in primis non extiterit. Ac in prima quidem eius ætate familiares ei fuerunt, vt supra ostensum est, Ioannes Coletus, Ioannes Grocinus & Thomas Linacer, viri omnes excellentis & exquisitæ eruditionis, quos præceptorum loco habuit. Socios quasi studiorum habuit Gulielmum Lilium (de quo supra) Gulielmum Montioium virum illustrẽ ad quem variæ sunt Erasmi Epistolæ in Farragine, & Gulielmum Latimerum (non Hugonem Latimerum hæreticum illum sub Edouardo rege, sed alium catholicum) qui ad Erasmum de Moro sic scribit, *Morum ipse nosti quàm acutus sit, quàm vehementi ingenio, quantis, etiamsi cœperit, viribus incumbat: in summa quàm sit tui similis.* Alios in politiori litteratura amicos & socios habuit Morus. Thomam Lupsetum, ad quem variæ extant Erasmi Epistolæ, in quibus quanta fuerit eius & egregia eruditio & intima cum Moro amicitia euidenter apparet. De quo etiam in Epistola ad Erasmum scribit, *Lupsetus noster magno auditorio summa cum laude sua nec minore Scholasticorum fruge bonas litteras in vtraque lingua profitetur* Oxoniæ. *Successit enim Ioanni Clementi meo.* Thomam Eliottum scriptorem inter Anglos clarum, cuius etiam vxor in schola Mori (de qua postea) operam litteris dedit, atque Ioannem Crocum qui & Lipsiæ Græcas litteras primus docuit, & ipsi Regi Henrico elementa Græca tradidit. Ad hunc Crocum extat M.S. vna Mori Epistola, cuius hic bonam partem subiicio.

C

Coletus. Grocinus. Linacer. Lilius. Montioius Latimerus In Farrag. pag. 350. Lupsetus. Eliottus. Crocus.

D

Epistola Mori ad Crocum.

Quisquis is, mi Croce, fuit qui persuasit tibi mei in te amoris aliquid ob intermissionem tuarum ad me litterarum imminutum esse, aut ipse falsus est, aut te prudens fefellit. Ego certè quanquam ex tuis litteris eximiam voluptatem capio, tamen neque tam superbus sum, vt mihi tantum in te iuris vendicem tanquam seruitutem debeas quotidianæ salutationis, neque tam querulus ac morosus vt ob neglectum paulisper officium (etiamsi quid deberetur) offenderer. Quin iniquus mihi viderer, si alienarum litterarum acerbus exactor sim, quando mihi sum conscius in hoc officii genere quantus sim ipse cessator. Quamobrem quod ad hanc rem attinet, securus esto. Neque enim meus in te sic refrixit animus, vt assiduo litterarum flatu accendi oporteat atque foueri. Pergratum feceris si quum erit commodum, tum scripseris. Nam vt tantisper interrumpas meliora quibus in tuum ac Scholasticorum commodum tam continenter incumbis, dum tempus impartiendum lectionibus, in salutandis per Epistolas amicis consumas, hoc certè nequaquam suaserim. Alteram excusationis tuæ partem non accipio. Non est, mi Croce, quod meum nasum velut elephantis promuscidem reformides. Nam nec tuæ litteræ sunt eiusmodi quæ non quemuis intrepidè possint adire, nec ipse tam valde nasutus, vt vnquam formidolosus aut esse debeam, aut haberi velim. De loco tibi procurando quem postulas, & Dominus Paceus amantissimus tui, & ipse apud Regem pariter tentauimus: &c. Hæc Morus: in quibus non solum amicitiam erga Crocum, sed candidum ac beneuolum viri pectus erga litteratos & amicos suos facile prospicere licet. Fuit præterea inter amicos Mori Reginaldus Polus tunc iuuenis, postea Cardinalis amplissimus, qui de eius ac Roffensis amicitia & familiaritate his verbis exultat.

Reginaldus Polus.

Quod

A *Quòd si putas eò me dolorì tantùm indulsisse, quia mihi amici fuerunt, qui morte sunt affecti; ego verò agnosco & prædico libenter eos mihi amicos omnium charissimos fuisse. Nam qui hoc possum dissimulare, de quo ita mihi gratulor vt si Regũ & Principũ omniũ qui hodie viuunt, familiaritas mihi contigisset?* Hæc ille. Huius familiaritatis inter Morum & Polum (etsi in ætate vtriúsque magnũ esset discrimen) certa argumenta ex quibusdã Thomæ Mori Epist. propria manu conscriptis, deprehẽdi. Vnæ sunt ad Regin. Polum & Ioannem Clementem communes literæ, Oxonium (vbi tunc litteris operam dabant) ex Aula missæ, in quibus sic scribit: *Tibi mi Clemens habeo gratiam quod te tam valde video de mea meorúmque salute solicitum, vt cure habeas etiam absens admonere quosdam cibos nobis esse vitandos. Tibi verò mi Pole bis ago gratias; nempè quòd & tanti Medici consilium dignatus es perscribere, & nihilo tamen minus à matre tua, fœminarum optima atque nobilissima* (erat illa Sarisburiæ Comitissa regio sanguine prognata) *planéque tali digna filio rem impetrasti nobis & curasti confectam, ne viderere consilium quàm rem libentius impartiri. Operam igitur atque fidem vtriúsque vestrum probo atque amplector vnicè.* Hęc ibi. Aliæ litteræ in quibus Poli sui mentionem facit Morus, ad Margaretã filiam suam sunt, vbi sic scribit: *Explicare calamo non possum, vix etiam cogitatione complecti, quanta me voluptate perfuderunt elegantissimæ litteræ tuæ Margareta charissima. Aderat legenti iuuenis, vt nobilissimus, ita in omni litterarum genere doctissimus, nec virtute minus quàm eruditione conspicuus Reginaldus Polus. Huic miraculi vice fuerunt, etiam*
B *priusquam intellexit, quanta temporis angustia coarctabaris, quibus aduersæ valetudinis auocamentis distinebaris interea dum tam longam scribebas Epistolam. Vix etiam sibi persuaserat præceptoris tibi non corrogatam operam, quoad bona fide didicit, neque præceptorem quemquam esse domi nostræ, neque prorsus hominem quẽquam qui non in scribendis litteris tua magis opera egeat, quàm sua quicquam tibi possit commodare.* Hæc ibi. Ex his duabus Epistolis satis constat non vulgarem Thomæ Moro cum Reginaldo Polo, illustri Martyri cum Confessore nobilissimo, amicitiam intercessisse. Neque verò Edoardum Læum virum egregiè doctum & postea Archiepiscopum Eboracensem inter doctos Mori amicos prætermittam. Etsi enim hic Læus grauis esset Erasmi Antagonista, scripsitque eruditè & acriter & solidè contra Annotationes Erasmi super nouum testamẽtum (quod Moro, pacis & Erasmi amatori viribusque Læi diffidenti displicuit) tamen firmam cum eo amicitiam tenere non destitit. Sic enim ad eum scribit: *Quod verò, mi Læe, rogas ne quid amoris erga te mei imminuam, confide mi Læe mihi, etiamsi in hac causa æquior in eam partem sum quæ oppugnatur; at sic vt optem ab vrbe saluas abduci copias, te tamen amabo semper: & amorem abs te meum tanti fieri gaudeo. Nec in tuam rem sicubi causa postulet incumbam segnius quam in hanc inclino. Vsque adeo vt si certè quid ederis aliquando tuum (nam editurum te multa non dubito) si vel Erasmus in alienum opus curiosos iniecerit oculos, ac totum opposito conetur opusculo demoliri (quanquam aliquanto meliore loco videretur, quòd nisi retaliaret iniuriam) ipse tamen tecum quantũuis infirmis viribus, firmissima voluntate perstabo. Vale mi Læe charissime.* Fuerunt alij duo viri doctissi-
C mi & præclara Angliæ lumina, intimi Moro amici, Ioan. Fischerus Roffensis Episcopus, & Cuthbertus Tonstallus primum Londinensis, postea Dunelmensis Episcopus. Et priorem quidem (vt in Martyrio collegam,) sic multis antea annis familiarem imprimis habuit. Moro in Aulam & Consilium Regis assumpto, commendat suos Cantabrigienses Roffensis in quadam ad eum Epistola his verbis: *Sit per te quæso nobis Cantabrigiensibus apud Regem florentissimum aliqua spes, vt nostra iuuentus itidem beneficijs tanti Principis ad bonas litteras excitetur. Paucos in Aula fautores habemus qui rem nostram & velint & possint Regiæ celsitudini commendare: inter quos & tè præcipuũ numeramus, qui semper antehac (& quum inferioris ordinis esses) nobis fauisti plurimum. Nunc ergo in Equestrem sublimatus dignitatẽ & Regi tam intimus effectus (de quo sanè & tibi vehementer gratulamur, & nobis exultamus) ostendas quantum faueas. Iuua iuuenem istum qui & Theologiæ studiosus est, & assiduus apud populum declamator. Sperat enim & te tanta apud illustrissimum Regem authoritate pollere vt possis, & meam tibi commendationem adeo acceptam vt velis,* Hæc ad Morum Roffensis, cui sic respondet Morus, vt verè amicissimum rescribere intelligas: *Sacerdos hic R. Pater, quem proximum esse scripsisti consequendo Sacerdotio si apud Maiestatem Regiam strenuum quemquam precatorem esset nactus, effeci credo, ne stet per Principẽ*
D *quo minus consequatur.* Et in fine Epistolæ: *Apud Regem si quid possum (certè perparum possum) sed tamen si quid, id tuæ paternitati scholasticisque tuis omnibus (quorum ego tam egregijs inme affectibus quam ipsorũ ad me testantur litteræ, perpetuam debeo gratiam) non minus profectò liberè, quàm sua cuique domus patebit. Vale Præsul optime atque humanissime, méque, vt soles, complectere.* Rursum in alia quadam Epistola ad eundem, *Gaudeo profectò quantum non queo scribere, quum tua causa tum etiam patriæ eum esse paternitatis tuæ stilum, qui possit Erasmicus videri. Certè causam sic præterea tractasti, vt ne decem quidem Erasmi potuerint absolutius.* Et in fine Epistolæ: *Bene vale Præsul omnium doctrinæ & virtutis gratia maximè obseruande.* Sed omnium coniunctissima & arctissima erat inter Morum & Tonstallum amicitia, quem nunquam satis laudare, cuius præsentia nunquam satiari potuit, cuius litteris, ingenio, iudicio, virtute, pietate, supra quam dici potest delectatus videtur. De Tonstallo in suo Epitaphio dicit: *Quo viro vix habet orbis hodie quicquam eruditius, prudentius, melius.* Et in Vtopiæ suæ exordio sic loquitur: *Oratorem me legauit Rex in Flandriam, comitem & collegam viri incõparabilis Cuthberti Tonstalli, quem sacris scrinijs nuper ingenti omnium gratulatione præfecit: de cuius sanè laudibus nihil à me dicetur: non quod verear ne parum sinceræ fidei testis habenda sit amicitia, sed quod virtus eius ac doctrina maior est, quàm vt à me prædicari possit: tum notior vbique atque illustrior, quam vt debeat à me commendari, nisi videri velim solem lucerna, quod aiunt, ostendere.* Rursum in quadam ad Erasmum Epist. *In illa mea legatione quædam me impendio delectarunt. Primum tam longum ac perpetuum Tonstalli contubernium, quo vt nemo vñquam est omnibus*

De vita Eccl. lib. 3.

Epist. Mori ad Polũ & Clementem.

Epist. Mori ad Margaritam filiam.

Ioannes Roffensis.

Farrag. l. 2.

bonis litteris instructior, nemo vita moribúsque seuerior, ita nemo est vsquam in conuictu iucundior. Hæc ibi. A
Vidi ego varias Mori ad Tonstallum Epistolas manuscriptas, mutuæ amicitiæ maximique de eo viro iudicij luculenta indicia: ex quibus pauca subijciam. Sic in vna scribit: *Quanquam omnes litteræ, vir dignissime, mihi sint iucundæ quæ perferuntur abs te, tamen quas scripsisti proximè fuerunt longe iucundissimæ: propterea quod præter communes illas reliquarum commendationes ab elegantia, atque amicitia (quibus tuarum nulla non scaturit) hæ peculiarem quandam gratiam afferebant secum elogij tui de Repub. mea vtinam tam veri, quã candidi. Rogaueram Erasmum nostrum vt tibi inter confabulandum rem exponeret; ne legendam vero ingereret vetui. Non quod legi abs te nollem (quo nihil magis cupiebã) sed memor sapientissimi consily tui quo decreueras non ante nouorum quicquam in manus sumere, quam veterum authorum te lectione expleueras: quam rem si profectu metiare, iam dudum ætatem compleuisti, sin adfectu, nunquam perficies. Verebar itaque quem egregia aliorum multorum opera deuocare ad se non potuere, ne nunquam fieret vt libenter admeas nugas descenderes. Nec fecisses certè nisi te amor magis impulisset, quàm traxisset res. Quãobrẽ quod tam diligenter perlegisti Vtopiã, hoc est, quod amicitiæ nostræ tantũ laboris impendisti, maximas ago gratias: quod vero placuit opus, non minor es. Nã hoc quoque non minus amicitiæ tribuo, quã te habuisse in consilium loco censoriæ virgæ video. Quanquã vtcunque res habet, dici profecto non potest quanto hoc tuo tam candido suffragio gaudeam. Nam sentire te quæ dicis propemodum mihi persuadeo, quũ & te sciam ab omni fuco alienissimũ, & memet videam humiliorem quàm cui sit abs te palpandum, amantiorem tui quã cui sit illudendum. Quamobrem siue incorruptus vidisti verũ, lætor vehementer tuo iudicio; siue legenti tibi mei studiũ impossuit, non minus amore delector: quẽ necesse est esse vehementem qui iudicium suum Tonstallo possit abripere.* B
Hæc ad Tonstallum Morus, non minus (vt omnia) eleganter ac ingeniosè, quàm etiam (vt solet) humiliter & candidè. In alia quadam Epistola ad eundem Tonstallum sic scribit: *Quod in litteris tuis tam accuratè mihi agis gratias de meis officijs in causis tuorum tuendis, facis tu quidẽ perhumaniter, qui meum factum per se exiguum tua bonitate amplificas, sed pro nostra amicitia timidiuscule, si quicquã à me perfectũ tanquã debiturus accipias, ac non velut tuum potius ac tibi debitum officium tuo tibi iure desumas.* Et post multa: *Succinum quod ad me misisti pretiosum muscarum sepulchrum, multis nominibus mihi fuit gratissimum. Nam & materia ea est quæ colore & luce nullam gemmam non prouocet, & forma multo præstantior quæ cordis figura quasi symbolum quoddam amoris in me tui repræsentat; quem neque auolaturum vnquã & semper incorruptum fore ex eo te intelligi velle interpretor, quod muscam animal neque minus volatile quã est Veneris filius, neque magis durabile, sic tamen inclusam, atque implicatam succini visco video vt non possit effugere, sic aromaticis conditam succis vt non possit interire. Quod non habeo quo te redonẽ, non valde moueor. Scio enim te vicissitudinem non expectare munerum, & ego tibi etiã libens debeo. Sed hoc me angit aliquantulum quod quæ meæ facultatulæ tenuitas est, nunquã gerere me tam officiosè possim, vt non indignus tamen hac tanta amicitia tua significatione videar. Quamobrẽ cùm alijs approbare me non possim, necesse est mea conscientia tuáque contentus sim.* Hæc ibi. Extat huius Tonstalli de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia liber doctissimus. Etsi verò in prima illa concussione religionis in Anglia C
cessit hic Tonstallus tempori, regiæque voluntati morem gessit, sicut cæteri Episcopi tunc omnes, solo Roffensi excepto; tamen tum in omnibus alijs orthodoxam atque Catholicam fidem semper tenuit, & docuit, tum ad Elizabethæ vsque tempora nunc regnantis pertingens, quum illam videret hæreses denuo in Angliam inuehere velle, venit sponte Dunelmo Londinũ via longissima, vir senex & plus quàm nonagenarius; Elisabetham quàm è sacro fonte susceperat grauiter & fortiter de non immutanda religione admonuit, quam si facere præsumeret, nec diuina (inquit) benedictione gaudebis, nec mea. Ac denique non auditus, sed in custodiam datus, nobilem fidei suæ in extremis confessionem fecit, & contractã prius nefarij schismatis maculam vtcunque eluit. Atque hi quidem Mori in Anglia litterarum & eruditionis ergo amici fuere. Extra Angliam præter Erasmum quem ex singulari animi sui candore, & propter bonas
Externi amici. litteras, de quibus vir ille tunc optimè meritus fuerat, supra meritum Morus dilexit, amicos habuit litteratissimos & doctissimos non paucos: Budæum imprimis, ad quem sic in quadam E-
Budæus. pistola Morus scribit: *Nescio, mi Budæe, quæ valde cordi charáque sunt, an præstet vnquã possidere nisi possis retinere. Nam ego me putaui planè fœlicem fore si Budæum contingeret (cuius effigiem pulcherrimam lectio mihi deliniarat) coram aliquando cernere: & postquam voti sum factus compos, visus sum mihi ipsa fœlicitate fœlicior. Verum quum neque per vtriusque negotia licuerit tam sæpe congredi, vt meum illud desiderium colloquendi tecum posset expleri, & intra paucos dies (auocantibus Reges ditionum negotijs) nostra illa consuetudo vix iam cæpta simul abrupta sit; nosque (quos necesse erat suum quemque principem comitari) in diuersa distracti sumus, haud scio an vnquam reuisuri mutuo; quanto lætior occursus fuerat, tanto nimirum mihi ex hoc digressu maior est obortus mœror. Quem ita demum nonnihil potes leuare, si te digneris interim litteris præsentẽ reddere, quas tamen nisi vehementior me cupiditas vrgeret, non auderem petere.* Hæc ibi. Rursum in alia D
ad eundem Epistola: *Cùm omnia tuorum nihil obiter legam, sed inter solida & primaria collocem studia, Assem vero tuum sic attente perdisco, quomodo non quemlibet veterum. Nam ne transeunter intelligi possit, ipse delectis verbis, exquisitis sententijs, elaborata sermonis grauitate, postremo pondere & difficultate rerum tam altè petitarum penéque iam euanidarum vetustate prouidisti: quibus tamen si quis intendat oculos contineátque atque infigat pressius, eam adfudisti lucem, sic propemodum deleta refecisti, vt tua verba dum versat, omnibus interea præteritis sæculis interuersari videatur, & omnium regum, tyrannorum, gentium collustrare, numerare, velutque manucontrectare diuitias: quod ferè maius est, quàm vt quibuslibet auaris contingat in suis. Vix profecto numerare possum quàm multis te nominibus, mi Budæe, complectar, vel quod mihi tam impense faues,*

A *fanes, vel quod nemo mihi valde diligitur, quin bona sit fortuna factum, idem quoque vt vehementer ametur abs te; vel quod tam multas, tam egregias tibi virtutes inesse conspicio, vel quod animum tuum augurór prorsus haud abhorrentem à meo, vel quod hic tam vtilis labor in litteris, omnes tibi mortales obstringit, vel quod tam incomparabilis eruditio quæ peculiaris olim cleri gloria fuerat, tibi fæliciter obtigit vxorato. Nam λαϊκὸν appellare non sustineo, tam multis, tam egregijs dotibus, tam aliè subuectum supra λαὸν.* Hæc ad Budæum Morus. Ipsius autem Budæi de Moro iudicium in Epistola superius citata patet: vbi sic scribit: *Vtopiam Mori mihi donasti hominis imprimis acris, ingenióque amœno, & in rerum humanarum æstimatione veteratoris.* Sed & Martinum Dorpium virum excellentis eruditionis cum singulari pietate cõiunctæ plurimum dilexit Morus ab eo vicissim dilectus. De eo sic ad Erasmum scribit: *Martinũ Dorpium insalutatum præterire non potui, qui mihi mirum in modum cùm ob eximiam eruditionem, cùm multis etiam alijs nominibus placet, nec ideo in postremis, quod taxata Moria scribendæ tibi Apologiæ præbuit occasionem.* Ad hunc Dorpium scripsit Morus prolixam & eruditissimam Epistolam de necessaria linguæ Græcæ cognitione, quæ Basileæ excusa fuit anno 1563. per Episcopium f. vna cum reliquis Mori opusculis. Quæ sane Epistola quum Dorpio persuasisset, isque sententia mutata, (erat enim ingenio non minus candido quàm acuto, nec minus pietate quàm eruditione celebris) Græcarum studium litterarum, quod prius improbauerat, publicè defenderet & approbaret; scribit ad eum secundò Morus factum mirificè laudans. Est quidem Epistola longiuscula; nec hactenus excusa: sed quæ ad propriam Dorpij laudem eleganter à Moro illustratam pertinent, hic subijciam: *Prædiutnabam facilè aliter aliquando sensurum te quàm sentiebas. Verùm enimuero vt non resipisceres modo, sed edita quoque in id ornatissima oratione mutatum esse temet testareris, idque tã ingenuè, tam citra fucum vllum, tam nullis prorsus ambagibus, hoc verò quum expectationem meam, tũ omnem omnium spem ac ferme vota superauit: adeo res videbatur & incredibilis esse probitatis & absolutæ modestiæ. Nam vt nihil est tritius quàm vti eisdem de rebus alijs aliter sententijs, ita nihil est vsquam rarius, quàm vbi sententiam semel declararis, deinde asseueratione firmaris, postremò contentione defenderis; tum vela rursus agnita veritate vertere, atque in portũ vnde soluisti velut frustra nauigasses, remigrare denuo. Crede, mi Dorpi, mihi quod tu modestissimè fecisti, id ab istis frustra quos hodie mundus pro modestissimis habet exegisses. Ita sunt plerique omnes præpostero quodam pudore stupidi, vt esse potius sese stultos indicent quàm fuisse vnquam olim fateantur. Quanto tu, mi Dorpi, sanctius, cui quum illud acumen ingenij fuerit, ea doctrinæ copia, ea dicendi vis, vt si quid tueri liberet tibi, quod vel parum probabile videretur, vel omnino paradoxon, potens esses tamen approbare lectoribus; maluisti certe veritatis quam fuci cupidior omnibus declarare mortalibus falsum aliquando fuisse te potius, quàm perpetuò falleres. Quid quod eximiam hanc modestiam alia rursus*
C *modestia superasti, qui quod ingenij tui fælicitate contigit, vt verum quod esset ipse perspiceres, id aliorum tribuas admonitionibus atque etiam meis. Ita quum primus tibi sapientiæ gradus & debeatur, & omnium deferatur calculis, ipse temet solus in secundum detrudis; eruditorum certè vel cubitis retrudendus in primũ. Etenim quum meam illam Epistolam verbis magis quàm rebus vberem cum oratione tua tam eloquente, tam densis, tã efficacibus argumentis referta comparo; satis, mi Dorpi, satis meo cum rubore video quàm nihil illa momenti ad te mutandum attulerit, cui nunc vel ciuilitatis causa, vel modestiæ, tuam laudem cedis: sed quæ te rursum quo magis fugitur, magis haud dubiè sequitur. Itaque, mi charissime Dorpi, hoc tuum factum quo rarioris exẽpli est, eò plus tibi cogites veræ peperisse gloriæ, nec vllo vnquam sæculo intermorituræ.* Hæc ad Dorpium Morus: ex quibus apparet Morum iam antea ad Dorpiũ tũc Græcarũ litterarũ hostem, sic accuratè scripsisse & Græcarum litterarum cognitionem cuiuis docto, maximè Theologo & Philosopho necessariã firmis & solidis argumentis sic ostendisse, vt (quod Erasmus petulanter nimis in hũc Dorpium excurrens non grauiter differens efficere nunquam potuit) Dorpio planè persuaserit: etsi in his litteris hanc à se laudem à Dorpio agnitam studiosè amoliatur, & sancta quadam humilitate cum eo contendat. Ex quibus manifestum fuit, quantum bonas litteras, linguę Græcæ & eloquentiæ studium Tho. Morus non domi tantũ, sed & foris promouere studuerit. Vnde & in eadem Epist. quia Dorpiũ Louanij profitentem propter hanc animi sui mutationẽ Louanienses professione spoliasse audiuerat, sic de eis scribit: *Certè si qua cœperunt gnauiter intendant vta,*
D *bonas vt litteras opprimãt, atque extrudant è scholis, miram expecto mutationem breui: nempe vt vbilibet potius emergant eruditi: tum vt qui versantur in Gymnasijs publicis, quemadmodum actus indifferentes esse decernunt, sic ipsi tandem decernantur inter doctos & indoctos medij. Piget me, mi Dorpi, de rebus istis illorum quadam miseratione cogitare, qui paucorum factione pertinacium, in partem inuidiæ nihil merentes veniunt. De tua verò laude quàm illorum opprobrio multo magis libenter cogito.* Hæc ibi. Sed alios nunc doctissimos viros Mori amicos proferamus. Ioannẽ Lascarim, & Philippũ Beroaldũ in litteris ad Budæũ his verbis salutat: *Lascari viro optimo atque doctissimo plurimã ex me salutẽ dicito. Nam Beroaldum etiam non monitus opinor ex me salutasses; quem scis ita mihi charum esse quã debet is quo vel eruditiorem virũ, vel amicum iucundiorem vix vsquam quenquam reperi.* De Hieronymo Buslidiano, qui Collegiũ Trilingue Louanij erexit, cuius est ad Morũ elegans & grauis Epist. Vtopiæ in operũ editione præfixa, sic in Epist. quadã ad Erasmũ Morus loquitur: *Cæterũ in illa mea legatione quædam me impendio delectarunt: Primũ Tonstalli contuberniũ*, &c. vt suprà: *Deinde quòd cum Buslidiano mihi intercessit amicitia, qui me & pro egregia fortuna sua magnificè* (erat tunc Legatus & Consiliarius Cæsaris, & Præpositus Arienſis) *& pro animi bonitate comiter recepit. Domum tam singulari artificio excultam, tam eximia suppellectile instructam ostendit: ad hæc tot vetustatis monimenta quorum me scis esse percupidũ: postremò tã egregiè refertã bibliothecam, & ipsius pectus quauis etiam bibliotheca refertius, vt me planè obstupefecerit.* Mox

Mori ad Martinum Dorpium Epistola.

Morus Dorpium ad Græcarum litterarum studium induxit.

Ioannes Lascaris. Philippus Beroaldus Hieron. Buslidian.

etiam de altero singulari eius amico & viro doctissimo Petro Ægidio Antuerpiensi & ciue, & Pensionario sic ibidem scribit: *Sed in tota peregrinatione mea nihil mihi contigit optatius, quã Petri Ægidij Antuerpiensis consuetudo, hominis tam docti, faceti, modesti, ac verè amici, vt peream nisi eius vnius connectum libenter mihi velim bona mea rum fortunarum parte redimere.* De hoc Petro Ægidio sic in principio Vtopiæ suæ scribit: *Antuerpiæ dum versor, sæpe me inter alios, sed quo non alius gratior, inuisit Petrus Ægidius Antuerpiæ natus, magna fide & loco apud suos honesto, dignus honestissimo: quippe iuuenis haud scio doctior ne an moratior. Est enim & optimus, & litteratissimus: ad hæc animo in omnes candido, in amicos verò tam propenso pectore, amore, fide, affectu tam sincero; vt vix vnum aut alterum vsquam inuenias quẽ illi sentias omnibus amicitiæ numeris esse conferendum. Rara illi modestia; nemini longius abest fucus: nulli simplicitas inest prudentior. Porro sermone tam lepidus, & tam innoxiè facetus, vt patriæ desiderium ac laris domestici, vxoris & liberorũ, quorum studio reuisendorum nimis quàm anxiè tenebar, magna ex parte mihi dulcissima cõsuetudine sua & mellitissima confabulatione leuauerit.* Talibus amicis Morus sui similis coniũctus fuit.

Petrus Ægidius Antuerpiensis

Habuit etiã Morus amicum B. Rhenanum virum doctissimum, cuius ad Bilibaldum Pirchimerũ litteræ Mori laudatoriæ in operibus Latinis Mori extant, eius epigrãmatibus præfixæ. De quo etiam in Epist. quadã ad Erasmũ quæ in Farragine non extat, sic scribit: *Rhenanum mirè deamo, & honestissimæ præfationis gratia multum debeo: cui iam olim per litteras egissem gratias, nisi me ineluctabilis illa pigritiæ chiragra tenuisset.* His adiungendus est Ioannes Cochlæus insignis ille Lutheromastix, qui frequenter ex Germania ad Morum scripsit, & ad ipsum Morus. Inter cætera sic scribit. *Dici non potest, vir ornatissime, quantũ tibi me debere sentiã, qui me dignaris toties eorũ quæ isthic occurrunt certiorẽ reddere. Quæ nunc neque minus assidua & multo magis monstrosa parit nobis Germania quã olim solebat Africa. Nã quid monstrosius Anabaptistis, & quantũ eiusmodi pestium aliquot annis iam continuis exortũ est? Ego profecto, mi Cochlæe, quum hæc in hunc modum video quotidie in peius ruere, expecto propediẽ fore vt existat aliquis qui Christũ prorsus prædicet abnegandum. Nec potest exoriri tam absurdus nebulo, vt (qui nunc populi furor est) careat sectatoribus.* Hæc ille. Quã non vana fuerit coniectura, docuit paulò pòst exortus David Georgius Hollandus qui se Christũ prædicauit, & sectarios habuit Basilææ: Docent Trinitarij, noui Ariani, noui Sabelliani in Polonia & Transyluania. Rursum ad eundẽ Cochlæũ in alia Epist. *Hoc mihi velim credas pro amore nostro mutuo, charissime Cochlæe, multis annis nullas venisse amicorũ litteras ijs gratiores quas à te proxime accepi: quũ propter multa, tũ ex duabus nominatim causis. Priore quod in eis ingens mei studium perspexi, haud incognitũ antehac mihi, sed multis partibus solito auctius. Quod est eximiæ cuiusdam fœlicitatis instar. Vt enim merita tua seponã, quis non vel fauorem solum tanti amici plurimi faciat? Posteriore, quod eisdẽ litteris de Principum actis feceris me certiorem:* &c. Hæ Epist. vel potius harũ & aliarum Epist. Mori ad Cochlæũ fragmenta, per ipsum Cochlæũ in lucem emissa fuere Lipsiæ, an. 1536. Fuit porro inter Mori doctos & claros amicos, vir clarissimus & doctiss. Franciscus Craneueldius, Græcè & Latinè doctiss. cuius extat Procopij de ędificijs Iustiniani versio ex Græco in Latinũ elegantissima, & quædã S. Basilij similiter versa. Atqui propter egregiam legum peritiam, prudentiam & virtutem fuerat primum quidem Pensionarius Brugensis, postea Cæsareæ Maiestati à Consilijs. Hunc virum in Mori notitiam ac familiaritatem adduxerat Erasmus, quo nomine maximas Erasmo gratias Craneueldius egit per Epist. quæ in Farragine Epistolarũ Erasmi extat, vbi sic scribit: *Non possum non agere tibi gratias, vir vndecunque doctissime, quanquã ineptioribus meis litteris, pro tuo illo nuper in me collato beneficio, cuius erit apud nos sane memoria sempiterna: quod ego tãti æstimo, vt ne Cræsi quidem opibus redimi patiar. Quod inquis beneficiũ? Quod me ad suauissimum illum Morũ tuum, imo nunc nostrum deduxeris; apud quẽ post tuam abitionem frequens fui, vocante quidem illo: cuius ego nõ tanti facio τὰς τραπέζας ὑπὲρ τὰς εἰσικλία, quanti eruditionẽ, humanitatẽ, liberalitatem. Proinde plurimũ tibi me debere profiteor, cupióq; tibi grati animi signa demõstrare.* Et paulò pòst: *Morus absens δακτύλιον χρυσοῦν donauit vxori meæ, in quo verbis Britãnicis γέγραπται, Bona volũtate censeri omnia. Mihi vero vetusta numismata dedit, aureum argenteũq; in altero est Tyberij effigies: in altero Augusti. Quæ te scire volui, quia pro his etiã tibi me debere gratiã semper confitebor.* Hęc ad Erasmum Craneueldius de inita cum Moro amicitia, eiúsq; varia humanitate: cui in hæc verba respondet Erasmus: *Nimirum hoc est quod vulgo dici solet; vnica filiola mihi duos conciliauit generos. Agis mihi gratias cuius opera tibi contigerit Morus tam cãdidus amicus. At ille mihi vicissim gratias agit, per quẽ contigerit nosse Craneueldium. Sciebam illico, quæ morum & ingeniorum est similitudo, nascituram inter vos amicitiam si modo vterq; alteri innotuisset. Talium amicorum, vt est cum primis preciosa, ita rarissima est possessio.* Hæc ille. De hac quoq; Craneueldij cum Moro amicitia iam penitus coalita & intima in quadã ad Morum ipsum Epist. scribit Erasmus, vbi nouũ illi amicum Conradũ Goclenium commendat: *Maiorem* (inquit) *in modum probo laudoq; mentem istam tuam, More charissime, qui nulla re magis gaudeas ditescere quã fidis ac sinceris amicis; nec alibi præcipuã huius vitæ delectationem ponendam esse ducas. Alijs cautio summa est ne gemmis adulterinis deludantur. Tu talium opum contemptor abundè locuples tibi videris si tuis possessionibus accesserit amicus neutiquã fucatus. Nec vlli suauior est alea, latrunculi, venatio, Musica, quam tibi cum amico docto ingenuoq; libera confabulatio. Hoc opum genere cum vehementer abundes, tamen quoniam sciebam homini auaro nihil esse satis, & mihi tibiq; iã sæpe successit fœliciter, vnum etiam tibi traditurus sum in manum, quem tu totum totus, totoque pectore potes amare. Is est Conradus Goclenius gente VVestphalus, qui in Collegio Trilingui Louanij nuper (vt scis) instituto, Latinas litteras maxima cum laude, summo totius Academiæ fructu profitetur:* Móxque in fine Epistolæ. *Iam spero futurum vt simul atque Goclenium propius cognoris ab vtroque mihi gratiæ agantur, quod nuper accidit in Francisco Craneueldio qui vnum sic te totum possidet, vt propemodum inuideam.* Hæc

Beatus Rhenanus

Ioannes Cochleus Saxo.

Lib. 15. p. 474.

Mori amicitiã quanti fecerit Craneueldius.

In Farrag. epist. li. 17. pag. 536.

Morus amicorum auidus.

ad

A ad Morum Eraſmus. Subiiciam itaque hoc loco vnas aut alteras ad hunc Craneueldiũ Thomæ Mori litteras, mutuæ inter eos amicitiæ teſtes locupletes, quas eiuſdem filius vir humaniſſimus, V.I. Licentiatus adhuc Louanij viuens mihi perbenignè communicauit, ipſius Mori propria manu ſcriptas: Duobus id mihi procurantibus amicis, Ioanne Camerino V.I. Doctore, & Collegij Donatiani Louanij Præſide viro grauiſſimo; atq; Maximiliano Vignacurtio nobili Atrebate, adoleſcente docto & moribus incorrupto. In vnis ita ſcribit: *Quantum tibi debeam, mi Craneueldi, video & agnoſco. Ita nunquam intermittis id facere quod eſt animo meo rerum omnium iucundiſsimum, id eſt, de tuis rebus & amicorum ad me ſcribere. Quid enim Thomæ Moro, aut debet, aut poteſt eſſe, vel in aduerſis gratius, vel in lætis iucundius quàm Craneueldij τὰ φιλτατα ἀπὸ ξῶι ἀπάντων Epiſtolas accipere? niſi quis ipſius hominis colloquium præſtare mihi poſsit. Quanquam quoties tua ſcripta lego, ita ab illis afficior, vt coram tecũ interim colloqui ipſe mihi videar. Quãobrem nihil ita diſertè doleo quàm tuas litteras non eſſe longiores: quamuis & huic quoque malo qualecunque remedium inueni. Eas enim quas accipio perlego ſæpius; idq; lentè facio, vt ne citata lectio nimium cito voluptatem auferat, καὶ ταῦτα μεὶ δὴ ταῦτα. Quod de Viue noſtro ſcribis, καὶ τὸν ἐι γυνεκῶν διαλεγόμενος τῶν κακῶν dico, adeo tuæ ſententiæ accedo, vt ne cum optima quidem ſine omni incommodo viui poſſe putem, καὶ γὰρ εἰ τὴν οὐκ ἔχης γάμιν οὐκ ἀμίεμνος ἔσσεαι: veréque Metellus Numidicus mea opinione de vxoribus dixit. Verum id tum magis dicerem ſi non noſtrapte culpa praua magis redderentur plereque. Veruntamen Viues eo ingenio, eáque prudentia eſt; talémque eſt coniugem nactus, vt non ſolum omnem coniugij moleſtiam, quoad eius fieri poteſt, vitare queat, quin magnam quoque oblectationem ibidem percipiat. Porro iam omnium animi ſic publica cura tenentur occupati, dum belli furor ad hunc modum vbique ardeſcit, vt nemini vacet ad priuatas ſolicitudines reſpicere. Quocirca ſi quem domeſtica negotia ante grauarũt, ea communi malo obſcurata ſunt. Sed de his ſatis. Ad te redeo, cuius humanitas & amicitia erga me quoties ſubit mihi (ſubit autem ſæpiſsimè) omnem mihi triſtitiam excutit. De libello quem ad me miſiſti habeo gratiam: & gratulor tibi vehementer noua prole aucto: neque ſanè tua magis quàm Reipublicæ cauſa; quia refert plurimum qui parentes numeroſiſsima procreatione ipſam adaugeant. Ex te niſi optimum naſci non poteſt. Vale, & vxorem tuã optimam ex me diligentiſsimè atque officioſiſsimè ſalutas; cui fauſtam ac fœlicem valetudinem ex animo precor. Vxor mea & liberi ſalutem tibi comprecantur, quibus noſtra prædicatione non minus notus & charus es, quam mihi ipſi. Iterum vale. Londini quarto Idus Auguſti* 1524. Diuturnam porro hanc amicitiam, & non interruptam fuiſſe ex alijs litteris quadriennio pòſt datis quas hic ſubiiciam conſtare poterit. Sic enim ſcribit: *Pudefacit me ita me Deus amet, mi Craneueldi, tua iſta tam ingens humanitas erga me, qui me tam ſæpe, tam amanter, tam accuratè ſalutas, tam raro reſalutantem: præſertim quum tibi liceat non pauciores occupationes tuas prætendere, imò verò non pauciores allegare, quã licet mihi. Sed is eſt animi tui candor, ea conſtantia, vt quum in amicis excuſes omnia, ipſe tã perpetuo perſtes, & pergas in inſtituto tuo, vt nihil ceſſes quod tibi poſsit ignoſci. Sed hoc tibi, mi chariſsime Craneueldi, perſuadeas. ſi quid incidat in quo amici partes ſeriò ſint oſtendendæ, ibi me nunquam eſſe ceſſaturum. Dominam meam coniugem tuam (nam ordinem non audeo rurſus interuertere) quæſo vt ex me ſalutes cum tota familia tua, quam mea toto ſalutat pectore. Vale. Ex ruſculo meo* 10. *Iunij* 1528. Prætermittere hoc loco non poſſum inter amicos Tho. Mori virum optimum, & magnæ prudentiæ Antonium Bonuiſium Italũ, qui verè ſe amicum præſtans eo maximè tẽpore quo probari amicus ſolet, maximum ſe & integerrimum Mori amicũ oſtendit: eũ in carcere multis ac varijs modis fouens neceſſariáq; ſubminiſtrans. Ad hunc extat elegantiſſima Mori Epiſt. Latina paulò antè mortẽ carbone ſcripta; qua ſinceriſſimo amico & plurimas gratias agit, & ſuauiſſimè valedicit. Inſeritur hæc Epiſt. in fronte operũ T. Mori Latinorum, alioqui hic inſerenda. Deniq; ſic ad doctorũ ac bonorum virorum amicitiam propenſus erat Morus, vt quũ ad Germani Brixij amicitiam, qui Antimorũ contra quædam Mori Epigrammata ſcripſerat, Eraſmus eum hortaretur, in hæc verba elegantiſſimè & cordatiſſimè reſpõderit: *Iam quod ais eum eſſe Brixium quem ſi pernoſſem. intimus, eum ſentirẽ talẽ, quo nemo ſit amore meo dignior; equidem, mi Eraſme, nõ me pro tanto viro gero, vt tam tenui quenquam conditione videam quem indignum cenſeam amore meo, modo ne ſit improbus, qui non amari debeat à quoquam: eóq; Brixium facilè aſſentior non indignum eſſe qui maiorum ſit amore virorum dignus quã ipſe ſum. Nam omnino videtur aliquanto plus habere, non dico ſuperbiæ, ſed planè generoſi cuiuſdam ſpiritus & magnificentiæ, quã vt ad puſillam hanc atque humilẽ indolem meam poſsit vſquequaque congruere; niſi in amicitia tam malè copulari vellem; quã malè inæquales veniũt ad aratra iuuenci. Nec tamen eam, mi Eraſme, te conſulente recuſem.* Et paulo poſt: *Etſi nulla de cauſa ſic egit in me Brixius, vt planè declarauerit nihil ad meam perniciem præter vires defuiſſe ſibi; tamen quando tu, mi Eraſme, plus es mihi quam dimidium mei, plus apud me valebit in Brixio, quod ſit amicus tuus, quã quod ſit inimicus meus.* Hæc Morus. Atque hos quidem viros doctos, & amicos familiares habuit Morus, ipſe doctiſſimus. His domi foriſq; virtutis & eruditionis ergo, arcta neceſſitudine coniunctus eſt. Sed quod in viro tã religioſè Catholico, & Catholicæ fidei aſſertore tam ſtrenuo mireris, litteratos viros ſic coluit Morus, bonis litteris ita vnicè fauit, vt etiam ipſis hæreticis litterarum tamen nomine, fauere & gratificari non recuſauerit. Venit in Angliã Simon Grinæus notus Lutheranus eo tempore quo regni Cancellarius Morus erat, & ad Morũ venit ab Eraſmo vt vir doctus, Græcè peritus, in politiori litteratura egregiè verſatus, per litteras cõmendatus. Qua illũ fronte Morus exceperit, ipſe Grinæus loquetur. Opera Platonis Græcè cum certis Procli commentarijs Græcis, dicauerat Ioanni Moro, Thomæ Mori filio. In Epiſt. dedicat. ſic ſcribit: *Non ſolum ampliſsimus vir pater tuus, ac tum quidem conditione; per cætera verò, rebus omnibus egregijs facilè toto regno princeps, priuatum hominẽ ignotúmq; me, litterarum tãtum ergo, ad colloquiũ inter tot publica priuatáq; negotia admiſit, menſæ ſuæ ſceptra*

Mori ad Craneueldium epiſt.

Ludouicus Viues alius Mori amicus.

Alia Mori ad Craneueldium Epiſtola.

Antonius Bonuiſius.

In editione Louanienſi anno 1566 In Farrag. epiſt. Eraſ. lib. 15. pag.

regni gerens adposuit; in Aulam abiens, rediens, secum traxit, laterique adiunxit suo; sed omnem meam de re- A
ligione sententiam locis non paucis diuersam esse ab ipsius non difficulter præsentiens, placidè benignéque cognouit: ac quum ab illa non parum tunc quidem discreparet, opera consilioque sic iuuit nos tamen, vt omne mihi negotium sumptibus etiam suis confecerit. Nam & itineri comitem Ioannē Harrisium iuuenem doctum addidit, & Oxoniensis gymnasij proceribus sic litteris insinuauit, vt ad earum conspectum omnes nobis collegiorum omniū non solum bibliothecæ, sed studiosorum etiam animi velut Mercuriali quadam virgula tacti patescerent. Itaque Bibliothecas quas circiter viginti Schola insignis vetustissimis libris refertas habet, omnes euolui, ac commentationum Procli libros non paucos, quantum intra annum vnum alterumve excudi posse videretur, ipsis annuentibus auexi. De quibus veluti thesauro inuento gratulantem, pater tuus donatū liberaliter, ac beneficijs suis planè cumulatum in patriam remisit. Hæc in illa præfatione Simon Gryneus. Hæc fuit T. Mori erga litteratos humanitas; tanti ille bonas litteras faciebat; sic eruditioni fauit, cōsuluit, prospexit. Procli commentarios Græcos & ipsum emendatū Platonē huic Mori φιλοφροσύνη debent studiosi. Erat quippe vt μαλακοπολυμαθής, sic omnino δεινῶς φιλόμαθής. Alioqui quā parum huius Grynæi erroribus fauit, maximè tunc regni Cancellarius, in quo munere hæreticis se ex professo molestū præbuit & ex officio debuit, luculenter ostendit longa quædā cum eodem Grinæo Mori disceptatio domi suæ habita, posteáq; per litteras continuata (quā Anglicè à Moro ipso descriptā etsi imperfectam vidi) in qua à fœdis illis hæresibus eū abducere conabatur: ac præterea assidua hominis quum in Anglia esset, sub ciuilitatis & honoris specie custodia & obseruatio. Nunquam B
enim vel à latere Mori, vel à comitis ei assignati Ioannis Harrisij, quàm diu in Anglia versabatur, discessit: cauitque diligentissimè Morus, (de quo & eum diserte monuit) ne de rebus religionis vel verbum apud quenquam faceret. Subiiciam hoc loco (vt hunc concludā locū) quæ de suauissima, & amicabili Mori indole scribit Erasmus in Epist. ad Vldricum Huttenum: *Ad amicitiam* (inquit) *natus factúsque videtur Morus: cuius & sinceriſsimus est cultor, & longè tenaciſsimus. Nec ille metuit* πολυφιλίαν *ab Hesiodo parum laudatam. Nulli non patet ad necessitudinis fœdus. Nequaquam morosus in deligendo, commodiſsimus in alendo, constantiſsimus in retinendo. Si fors incidit in quempiam cuius vitijs mederi non possit, hunc per occasionem dimittit, dissuens amicitiam non abrumpens. Quos sinceres reperit, & ad ingenium suum appositos, horum consuetudine fabuliſque sic delectatur, vt in his rebus præcipuam vitæ voluptatem ponere videatur. Porro vt propriarum rerum est negligentior, ita nemo diligentior in curandis amicorū negotijs. Quid multis? Si quis absolutum veræ amicitiæ requirat exemplar, à nemine rectius petieris quàm à Moro. In conuictu tam rara comitas ac morum suauitas, vt nemo tam triſti sit ingenio quem non exhilaret; nulla res tam atrox cuius tædium non excutiat.* Hæc Erasmus.

Amicabilis Mori indoles.

CAPVT. VI. C

De pietate morum ac sanctitate vitæ.

THOMAM Morum hactenus vt bonum ciuem, & virum doctum descripsimus. Sed sic Cato aliquis aut Cicero describi potuisset. Nunc verò vt lector intelligat omnia in Thoma Moro summa extitisse, nec minus vera pietate, quam vel eruditione, vel rerum gerendarum peritia illustrem eum fuisse, de veris eius & solidis virtutibus, de Dei cultu, de charitate, de humilitate, de vitæ parsimonia, aliisque Christiano proprijs ea dicemus quæ ad nostram notitiā hactenus peruenerunt, quæque eius domestici & familiares in eo aduertere potuerunt. Nam præter eas virtutes quarum actio quum in aperto sit dissimulari non potest, non sine magna difficultate animaduerti cætera potuerant. Erat enim vt in doctrinæ suæ, sic & in virtutum dissimulatione magnus artifex. Quā singulari techna, quam artificiosè, quam probabili fuco, & qui bene nasutis imponat, Vtopiam suam quasi rei auditæ narrationē non inuentæ descriptionem composuerit, ipsa eius introductio, Petrique Ægidij præfatio (qui etiā simulationi Mori consentiens & fabulæ subseruiens, suas partes satis agit veteratoriè) manifestè nec sine ioco lectori ostēdit, & vt loquitur Paulus Iouius, *commento periucundo*. Eadem fœlicitate Rosseū introducit in Italia Luthero respondentem, hospite instigante, posteáque illo inscio, responsum publicante. Ita sane vt viuente Moro, nemo suspicatus aliud fuerit, quā nescio quem Rosseum illius operis authorem fuisse: quod & Lutherū non modicè torsit; quum & miserè se flagellatum videret, nec quem repercuteret sciret. Non minori artificio scripsit in carcere de Consolatione in aduersis libros tres, quasi opus in Hungaria conscriptum, primum quidem Hungaricè, postea ex Hungarico in Latinum traductum, ac nunc demum ex Latino in Anglicū. Quo in lib. quicquid ad Henrici Regis crudelitatem, ad presentem in Anglia rerum perturbationem, ad grassaturæ in Anglia hæresis metum & expectationem, ad bonorū contra huiusmodi, vel impēdentia mala, vel præsentia cōsolationem pertinet, ita tectè, probabiliter, artificiosè in persona hominis Hungari ad Turcarum Imperatoris acerbitatem, ad præsentes in Hūgaria motus, ac futurorum malorum metus transfert, vt iures propemodum rem seriam narrari & de sua Hungaria Hūgarū

Morus magnus dissimulandi artifex. D

non

A non de rebus Britannicis Morum loqui. Sed vt in huiusmodi technis merùs erat artifex & verè πανοῦργος, sic virtutes suas omnes quas potuit mira solertia dissimulabat. Homo enim in cõmuni vita semper positus, varijs in Rep. honoribus atq; officijs functus, vt videri quod erat foris nõ potuit, ita etiam suos domesticos magna ex parte latuit. Quæ tamen vel per se manifesta erant, vel domestici in eo & familiares aduertere potuerunt, quemadmodum ex eorum fideli relatione accepimus, fideliter hic referemus.

Primum itaque quod ad Dei cultum attinet, religiosam penè vitam ducebat. Singulis diebus ante alia negotia quæcunque studijs interdum valde matutinis exceptis) sacrum audiebat. Quod quidem quotidianum pensum ita defixum habebat strictéque obseruabat, vt à Rege ipso forte accersitus quum sacro audiendo intenderet, ad Regem iterũ & tertio vocatus, venire noluerit, donec totum absolutũ fuisset; vocantibus & vrgentibus eum vt relicto sacro Regẽ accederet respondit; se meliori Domino obsequiũ præstare & perficere prius oportere quod eius memorabile factũ, dum recolo, S. Ludgeri primi Episcopi Monasterienſis viri sanctissimi similẽ pietatem nec obliuiſci possum, nec prætereundam censeo. Euocatus hic Episcopus à Carolo Magno Imperatore ad Aulam quũ sub vesperam venisset, postridie primo mane misso ad eũ cubiculario ab Imperatore accersitur. Ea ipse hora persoluendis ex more horis Canonicis cũ suis
B insistebat. Cúmq; his expletis se venturum nuntio respondisset, & hoc Regi ille renuntiasset, secunda quoque & tertia vice ad eum accersendum misit. Sed ille diuinum officium cunctis alijs rebus anteponendum esse non ignorans, omnino venire distulit donec cœptam psalmodiam consummaret. Qua finita in conspectum Regis quum venisset, eum cur ad imperium suum venire contempsit, Rex interrogauit. Cui ille vultu intrepido, mente constantiore, *Ego* (inquit) *Imperator tuum semper præceptum ita in omnibus semper exequendum putaui, vt tamen Deum tibi vbique præferendũ esse non dubitarem. Ideo non propter Regiæ Maiest. cõtemptũ, sed propter tuam salutem quæ Deo debeam exoluere curaui.* Hac responsione delectatus Imperator, gratias, inquit, tibi habeo Episcope, quia qualem te esse credidi semper, talem te nunc esse expertus sum. Neq; hæc etiã Mori pietas in homine laico magis spectabilis & rara, Regi Henrico tunc pio & Deum timenti quicquã displicuit. Sed ad cætera pergamus. Recitabat quotidie preces matutinas ac vespertinas, quibus 7. Psalmos pœnitentiales & Letanias adiungebat. Addebat frequenter Cãtica Graduũ & Psalmum, *Beati immaculati.* Habebat etiam quasdam priuatas preces quæ in farragine operum eius Anglicè scriptorũ habentur, partim Latinæ partim vernaculæ. Fecit sibi etiam ex selectis Psal-
C mis (S. Hieronymum & alios imitatus) paruum quasi Psalterium, seu Psalmorum compendium, quod etiam extat cum cæteris iam dictis, quo frequenter vtebatur. Ex hoc impenso orationis studio non solum domi suæ in remotiori parte ædium, domunculam sibi secretiorem extruxerat, in qua vacabat studijs, orationi, meditationi, & in quam ex Aula regressus statim se contulit, vt excusso quasi rerùm Aulicarum puluere sese totum recolligeret; sed etiam in Ecclesia sua parochiali, in villa Chelsey sacellũ construxit, & rebus omnibus ad Dei cultum necessarijs, vel alioqui ad ornatum & decorẽ domus Dei pertinẽtibus, copiosè instruxit. Erat quippe in hoc genere pietatis valde liberalis; multáq; vasa aurea & argentea Ecclesiæ suæ contulit, dicere solitus, *Boni dant, mali auferunt.* Sed & in ipsa sua Ecclesia Sacerdoti canenti indutus superpelliciũ concinebat. Quod quũ etiam Regni Cancellarius faceret, mónitus à Duce Northfolcię qui aliquãdo superueniẽs eũ sic cũ superpellicio in choro canentẽ deprehenderat, hunc eius agendi morem Regi haud dubiè displiciturũ, vt nimis humilẽ ac dignitati qua fungeretur minus congruum respõdit: *Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino obsequiũ impendo.* Iã verò sacerdoti sacrificãti (supplẽs locum idiotæ) ad altare ministrabat: & interdũ in supplicationib. de more publicis, seu Parochiæ suæ, Crucẽ sacerdoti præferebat, vulgaris clerici, vel æditui officium facere nihil recusans, nihil detrectãs, nihil erubescens, imò vehemẽter gaudẽs, quasiq; cum Dauid tripudiãs ante arcã Domini & dicens: *Vilior fiam plus quã factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Fecit hoc assiduè nisi quum Regni Cãcellarius esset. Quo tamẽ tẽpore quum prolixæ illæ supplicatio-
D nes fierent in hebdomada Rogationum, in quibus procul fæpe itur multúmq; ambulandum est, monitus à suis vt propter dignitatẽ equo vehi vellet, recusauit dicẽs: *Nolo Dominũ meũ peditẽ eques subsequi*: quod propter Crucifixi imaginẽ in qua Dominum venerabatur dixit. Porrò Ecclesiam ingressus, etsi aliquot annis esset occupatissimus, nunquã tamen eo in loco vllum prorsus admittebat cuiusquam colloquium aut negotium: Quoties verò nouus aliquis magistratus ineundus, aut negotium aliquod arduum aggrediendum fuit, sacra se Synaxi præmuniebat. Peregrinabatur etiam nonnunquam ad sancta loca quæ 7. circiter milliaribus domo aberant; idq; pedes semper: quod in Anglia vix plebei faciunt. Ad hanc pietatem in Deum spectat impensus ille, quo flagrabat Morus, Catholicæ fidei contra hæreticos tuendæ & scriptis asserendæ zelus. Qua vna in re plus solus laborauit, quam vniuersus tunc Angliæ clerus, homo non tantum laicus, sed & Reip. negotijs impeditissimus, quo minus vacaret in summis honoribus constitutus quo minus liber. Quot & quanta pro fide descripserit, idque eruditè, acutè, facundè (eo certè facundius in lingua Anglicana vix alius vnquam scripsit) supra commemoratum est. Hæc quũ viderent hæretici, obiecerunt illi ignaui aduersarij, eum à clero amplis mercedibus ad hoc conductum esse. Quibus quid responderit, mox suo loco dicetur. Hunc suum zelum in Epistola quadam ad Ioan. Cochlæum ex abundantia cordis loquitur: *Vtinam* (inquit) *mi Cochlæe, ea*

Mori vita pene religiosa.

Apud Surium Mart. 26. cap. 32.

Cordata S. Episcopi responsio.

Preces eius quotidianæ.

Ministrat in Ecclesia

2. Reg. 6.

Zelus contra hæreticos.

Sup. cap 7.
Inf. cap. 7.

Inter epist. Cochlæi.

In farrag. li. 27. epist. ad Io Fabiū Epiſc. Viennenſē

mihi foret ſacrarum litterarum & Theologicæ rei peritia, vt contra peſtes eiuſmodi poſſem non fruſtra ſcribere. A De hoc Mori zelo ſic in quadam Epiſtola Eraſmus: *Odit ille ſeditioſa dogmata quibus nunc miſerè concutitur orbis. Hoc ille non diſſimulat ſic addictus pietati, vt ſi in alterutram partem aliquantulum inclinet momentum, ſuperſtitioni quàm impietati vicinior eſſe videatur.* Hæc ille.

Preces Mori quam apud Deum efficaces.

Ex hac denique pietate in Deum, maxima fuit eius orationum vis: plurimum apud Deum ſanctæ eius preces valuerunt. *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua*, & multũ exercita & operoſa, ἐνεργούμενη. Quod aliquot nunc exemplis in Moro oſtendemus. Gener Mori Gulielmus Roperus qui Margaretã filiam Mori natu maximã in vxorẽ duxerat, inciderat aliquãdo in hæreſim; à qua vt illum reuocaret, multũ & ſæpe cum eo diſſerebat Morus. Quum autem nihil ſe proficere diſſerendo videret, deinceps, ait, tecũ non diſputabo; ſed pro te Deum orabo. Paucis poſt diebus Roperus abſq; vlla diſputatione ſua ſponte Moro ſignificat, ſe nunc à ſuis quas ſuſtinebat hæreſibus abhorrere; & veritatis orthodoxæ lucem per Dei gratiam videre ac credere. Hinc in celebrem & optimũ poſtea euaſit virum; & vſq; ad decrepitam ætatẽ conſtantiſſime Catholicus, magnúſq; & liberalis Catholicorũ tam domi captiuorum quàm foris exulũ Mæcenas, ante hos paucos annos, fœliciter in Domino obdormiuit. Margareta Mori filia ſudore Britannico vehementiſſimè laborabat. Negligentia autem ſeu ſua ſeu ſuorũ factũ eſt, vt ſudor ille (cuius copioſus fluxus ſola ſalus eſt) ſe remitteret penitúſque ceſſaret: ex quo illa vniuerſo iam malo intus recepto, mente alienari quaſiq; phreneſi corripi cœpit. Vehemẽter indoleſcens Pater (illam enim ſupra cæteros liberos omnes diligebat) conſulto medico an clyſterium prodeſſet, & B accepto reſponſo paruam admodũ in eo remedio ſpem eſſe, nihil tamen nocere ſi tentetur, tentata res eſt; & Moro ſe confeſtim orationi dante, operatur clyſteriũ, ad mentem redit, nouus ſudor copioſè profluxit; maculæq; toto corpore quas ronchas vocãt, apparuerũt; quæ in alijs quidẽ vel mortis indicia certa, vel mortem ſubſequi ſolitæ; ſed in illa ſalutis ſigna erant; precũ magis paternarum quam artis medicæ vi, ipſo atteſtante medico. Altera Mori filia Eliſabetha Dãcæo nupta graui morbo laborans, quo & ſublata eſt, deliquiũ animæ aliquantò ante ipſam mortem paſſa eſt, ſatis diuturnum. Ad ſe rediens, cum lachrymis & eiulatu profitetur ſe grauiſſimas pœnas in eo exceſſu luiſſe; & niſi patris ſui preces ei gratiam impetraſſent (hoc autem poſt Mori martyrium contigit) in illis ſe fuiſſe perpetuò manſuram. Sed illuſtre eſt illud, & inſigne admodũ diuinæ gratiæ Mori pectus inhabitantis, precúmq; eius Deo gratiſſimarum argumentũ. Ciuis quidam Vintonienſis, grauiſſima deſperationis tentatione longo tempore ita afflictus & agitatus fuit, nullis vt conſilijs precibúſve, aut ſuis, aut ſuorũ eã excutere potuerit. Deducitur tandem per amicũ in colloquiũ Tho. Mori etſi tunc in ſumma dignitate conſtituti; qui caſum hominis acerbũ miſeratus, primum bonis & ſanis conſilijs egit; quæ quum non proficerent, precibus C apud Deum impetrauit, vt à dira illa tentatione liberaretur. Manſit ciuis ille ab omni huiuſmodi perturbatione immunis quàm diu Moro liberè agente, liber ad eũ acceſſus patuit. Vbi verò in carcerem coniectus Morus fuit, tentatio ad hominem rediit, eáq; ſolito vehementior. Miſer ille ciuis quàm diu Morus in vinculis tenebatur, extra omnem remedij ſpem triſtes agebat dies. Vbi autem intellexerat mortis ſententiam contra Morũ latam, Londinũ accurrit, vt ad ſupplicium prodeuntem quocũq; tandem ſuo periculo alloquatur. E carcere igitur ad patibuli locũ Moro exeunti occurrit hic ciuis per ſatellites irrũpens, & alta voce exclamans: An me (inquit) Domine More recognoſcis? Adiuua me quæſo: Nam tentatio illa ad me recurrit, nec ea carere poſſum. Cui ſtatim Morus, Optime te (inquit) recognoſco. Sed vade & ora pro me: atq; ego pro te ſedulò orabo. Abijt homo ille, nec in tota vita amplius tentationẽ huiuſmodi expertus fuit. Tãta vis fuit orationis & precum huius ſancti viri. Certe hoc in more habebat Morus, vt quoties, vel domi ſuæ, vel in toto pago ſuo aliqua in puerperio laboraret, ſtatim ſe orationi daret. Nec prius orare deſtitit, quàm de fœlici partu nuntium accepiſſet. Poſtremò feſta Eccleſiæ ea religione colebat, vt quũ in carcere ſolitarius degeret pulchriores veſtes in ſingulis feſtis afferi curaret quas indueret. Mirantibus quibuſdam cur id ibi ſolus faceret, reſpondit ſe non ad conſpectũ populi ſed ad Dei honorem feſta colere, & honeſtè veſtiri. Atque hæc de eius erga Deum pietate verè D Chriſtiana, quantum de ea nobis conſtare potuit.

Liberat à graui tentatione.

Charitas eius erga proximos.

Charitatem Mori erga proximos frequentes eius & liberales eleemoſynæ loquuntur. Solebat ipſe circuire obſcuras plateas & luſtrare familias pauperum, eáſq; liberaliter fouere, datis, non more communi obolis aut drachmis, ſed aureis 2. 3. & 4. prout indigentis neceſſitas requirebat. Quum vero ipſe propter dignitatem hoc obire non poſſet, mittebat ſuos qui fideliter diſpenſarent egenis familijs maximè aut morbo vexatis, aut ſenio confectis. Hoc munus ſæpè præſtitit Margareta Gyge, Ioan. Clementis vxor quam inter filias ſuas educauit Morus. Sed circa feſta anni præcipua potiſſimum mittebatur. Quin & pauperes vicinos frequentiſſimè menſæ ſuæ adhibuit, familiariter ac iucundè eos excipiens; diuites raro: nobiles ac magnates rariſſimè. Portò in Parochia ſua Chelſey conduxit domum in qua collegit multos debiles & pauperes, & ſenes, quos ſuis ſumptibus aluit. Horum curam abſente patre gerebat Margareta Ropera (hoc enim cognomẽ à marito ſuo more gentis noſtræ acceperat) filia eius natu maxima. Denique quandam viduam pauperculam Paulam nomine, quum omnes facultates ſuas expẽdiſſet in lite, in familiam recepit ſuam & ſuſtentauit. Omnibus poſtremò viduis & pupillis, quũ cauſas in foro ageret, gratuitam operam præſtabat. Ne autem vllum omnino proximum odio haberet,

A haberet, ſed plura charitate omnes & ſingulos diligeret (iuxta certiſſimam illam hominis verè Chriſtiani notam de qua Chriſtus dixit: *In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis ſi dilectionem ad inuicem habueritis*) ſpeculationem quandã inſignem ſibi compoſuerat, ipſa quaſi viua ac certa ratione nitentem: quam ex operibus eius Anglicis ad communem vtilitatem hic & huc transferam. Ille quidem carbone eam in carcere conſcripſerat: ego verò vt aureis litteris ſcribatur, dignam cenſeo: *Neminem* (inquit) *mortalium oderis. Aut enim bonus eſt aut malus. Si bonus eſt, tu malus es qui bonum odiſti. Si malus eſt, aut ſe emendabit & piè mortens ſaluabitur, aut malus perſeuerans damnabitur. Quòd ſi ſaluabitur, meminerim tunc fore vt me intimè ac ſempiternè diligat, egóq; eum viciſſim æterno amore complectar, ſi tamen & ego (quod quidem ſpero) ſaluus fiam. Cur ergo nunc ad tẽpus eum odio proſequar, qui me in æternum dilecturus eſt? Cur ab eo nunc ad momentũ odio diuellar, cui æterna dilectione poſtea contũgar? Quòd ſi damnabitur, tantos illic miſer cruciatus feret, tam graues pœnas luet, vt immanis plane ſim ſi non magis miſeryis eius compatiar, quàm perſonam odio proſequar. Quòd ſi hic quiſpiã dicat, poſſe nos tuta ac ſalua conſcientia homini malo malè optare ne bonis noceat, nolim quidẽ de ea re ſeriò nunc diſputare, (habet enim hæc quæſtio plures articulos quaſi radix palmites, bona & longa conſideratione dignos, quam vtà me commode deſcribi queant, maximè quũ non alio calamo quã carbone vtar) verùm hoc dicam, hoc bono cuique & pio conſilium dederim (niſi forte huiuſmodi ſit vt improbos punire ex officio ei incumbat) malos ac improbos, vt Deo ac publicæ iuſtitiæ relinquat, aliyſve ita pura charitate ac firma Deo coniunctis, vt nullus maleuolentiæ ſtimulus ſub*
B *zeli ac iuſtitiæ prætextu eis clãculum irrepere aut illudere & imponere valeat. Nos autem priuati & infirmi pro malis atque improbis ſedulò oremus: quo videlicet ſubſidio & nos ipſos, vel maximè indigere noſtra nobis dictat conſcientia.* Hæc Morus nõ minus piè ac ſanctè quàm prudenter, & (qualis ſemper erat) ſubmiſſe atque humiliter. Et talis quidem erga Deum & proximum Mori charitas fuit.

Ioan. 13.

Demõſtratio egregia neminem eſſe odio habendum

Nunc quam corporis ſui curam habuerit, paucis dicemus. Vno tantum cibi genere in menſa veſcebatur, quod vt plurimum caro bouina erat qua delectabatur: etſi ratione officij, loci, & familiæ cibaria multa apponerentur. In quodcunque autem cibi genus primũ inciderat, ex eo ſe ſolo reficiebat. Iuuenis multo tempore à vino abſtinebat, & ſenex non niſi dilutũ bibebat, quod & in Epiſt. ad Vldrichum Huttenũ notauit Eraſmus. Veſtitus minimam curam habuit. Dũ gereret publicos magiſtratus, ratione officij ſericis vtebatur. Alioqui ſimplicem amictũ geſtabat; cuius adeo nullam fere curam gerebat, vt eiſdem perpetuo vteretur niſi admoneretur à famulo. Habuit autem inter famulos vnum quem tutorem ſuum vocabat. Hic caligas illi, calceos, cæteráq; neceſſaria emebat. Accidit aliquando vt calceis valde attritis prodiret. Monitus ea de re ab Harriſio ſuo, Roga, inquit, tutorem meum, vt alios mihi emat. Deniq; in his quæ ad corporis
C curam attinebant, voluit vir plane ſanctus, religioſorum more, ſub aliorum regimine eſſe, & alterius imperio parere: ſiue vt ad res tam minutas excelſus eius animus non deuocaretur; ſiue (quod magis crediderim) vt primariã Chriſtiani hominis virtutem, humilitatem, exerceret. Hac etiam de cauſa, quum eſſet ipſe prudentiſſimus, in quibuſdam ſuis negotijs & ſtudijs conſiliũ à ſuo Harriſio (quo ſecretario & amanuenſi vtebatur) petebat: & ab eo ſi quid erratũ videret, moneri voluit. Erat enim Harriſius vir grauis, cordatus, Achate fidelior, & boni iudicij. Iſtud verò non iam boni tantũ Chriſtiani, ſed & viri religioſiſſimi erat, quod per totam vitam certis diebus ac temporibus cilicium gerebat, & ſeuerè ſeipſum flagellabat. Nempe ſingulis ferijs ſextis, præter Sanctorum vigilias & 4. temporum. Sedebat aliquando pro tribunali Regni Cancellarius cilicio indutus. Pridie mortis, ſeu paſſionis magis, miſit ad Margaretã filiam ſuam, ciliciũ ſuum, & flagellum cum paruo Epiſtolio carbone ſcripto, quod poſtea huic operi inſeremus. Nẽpe finito certamine arma depoſuit: tela remiſit. In illâ autem domuncula quam ſibi ſoli extruxit, de qua ſupra diximus, hanc diſciplinam faciebat: diu quidem ita occultè vt nemo reſciret, ne vxor quidem. Poſtea tamen ex pia ſuorum curioſitate res (ſed domeſticis tantum pauciſſimis) innotuit. Cilicium beati viri mihi oſtendit Margareta D. Clementis vxor ante annos plus quam viginti, quum Bergis prope Antuerpiam patrem meum piæ memoriæ, ipſum Doctorem Clementem, alióſq; nobiles Anglos qui ibi tunc domicilia ſua poſuerant, familiáſque alebant, inuiſerẽ. Fuit cilicium per modum reticuli valde nodoſum, magis ſanè quàm vulgaria religioſorum cili-
D cia eſſe ſolent, flagellum quorundam negligentia intercidit. Hæc eius erga Deũ pietas, erga proximum charitas, erga ſeipſum temperantia, frugalitas, mortificatio fuit. Sic ſobriè, iuſtè & piè in hoc ſæculo viuebat. Sic mortificabat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, circumferens in corpore ſuo mortificationem Ieſu Chriſti. Sed iſta magis adhuc eluceſcent, vbi de certis eius virtutibus particularius aliquid dicetur, vbi etiam qualis pater & paterfamilias fuerit, explicabitur.

De corporis cura.

Sub tutore fuit quoad corporis amictum.

Mortificatio corporis

A

CAPVT. VII.

Quantus honorum & laudis proprię contemptor fuerit.

VT Thomæ Mori quàm vera pietas, quàm ſolida virtus, quàm purus & verè excelſus animus fuerit, magis adhuc intelligatur, conſiderabimus quomodo erga illa adfectus fuerit, quæ hic mundus maximè admiratur; à quibus ille, vt in ſtultam admirationem traheretur, & quorum cupiditate inſana, vt abunde frueretur, maximas illi oportunitates & occaſiones mundus ſubminiſtrauit. Aulicam vitam multis annis geſſit. Varijs honoribus perfunctus eſt. Multa & varia literatura præditus fuit. Multa ſcripſit, multa perfecit, in multis negotijs amplam laudem reportauit. Diuitias ſi non collegit multas, certe potuit collegiſſe. Ingenio acutiſſimo, memoria fœliciſſima fuit. Naturæ dotes & fortunæ bona, vocationũ munera, ſic in eo ſingula excellebant, vt difficile ſit iudicare, plus ne naturæ debeat; B an fortuna contulerit; an ars & induſtria perfecerit. Hæc huiuſmodi ſunt vt animum è ſuo ſtatu deiicere, ad vana pellicere, aliqua labe inficere, non tam facile poſſint quã frequenter ſoleãt. Attamen, vt ex ſequentibus apparebit, fortem eius animũ & in diuina gratia ſolidatũ nihil horum emollire, aut inflectere potuit, vt vel tantillũ à vera Dei & ſui ipſius cognitione deflecteret: hoc eſt, vt Dei in ſe munera vnquam non agnoſceret, vt ſibi ipſi propter hæc omnia vel hilo aut maior aut melior videretur; ſed in altiſſima humilitate ſuiq; contemptu, quæ vere eſt Chriſtiana philoſophia, & diſciplina propria Chriſtianorũ, perpetuò conſiſteret, nec vel honorũ, vel diuitiarum vlla cupiditate tangeretur, ideóq; eorum acceſſione nihil à priſtina pietate quã puer imbiberat, adoleſcens tenuerat, immutaretur. Ex mediocri fortuna in Aulam aſſumptus & Regi à ſecretis conſilijs factus eſt, idque talis Conſiliarius, vt ſereniſſima Regina Catharina prima Henrici Regis vxor, prudentiſſima & pijſſima fœmina, inter tot Regis conſiliarios vnum Morum Conſiliarij rem & nomen obtinere, eóque loco dignum eſſe ipſi Regi aliquoties liberè dixerit. Vide tamen vt huic ſe vitæ generi ineptiſſimum exiſtimauerit, vt ab Aulica vita (quã tot male ſani homines auidiſſimè appetunt) totus abhorruerit. Gratulatus eſt ei aliquando Epiſcopus Roffenſis vir grauiſſimus, hunc in Aula ſtatum, fidémq; & authoritatem qua apud Regem pollebat, quæ ſane fuit maxima, vt aucti perpetuò honores per ſe loquuntur. Ad hæc reſpondet his verbis: *In Aulam (quod nemo neſcit & princeps ipſe mihi ludens interdum libenter exprobrat)* C *inuitiſſimus veni. In qua adhuc non minus male hæreo quàm quiſquam equitandi inſolens hæret in ſella. Sed princeps (à cuius intimo fauore longe abſum) tam comis eſt ac benignus vniuerſis, vt quiuis (cui paululum inſit pluſculæ ſpei) inueniat vnde poſſit ei ſemet interpretari charißimum: more matronarum Londinenſium quibus perſuaſum eſt Deiparæ Virginis imaginem quæ prope arcem viſitur, vbi preſtius intuentes eam adprecatæ ſunt, adridere. Sed ego neque tam fœlix ſum, vt tam beata ſigna conſpiciam, & abiectioris animi quàm vt ipſe mihi confingam. Cæterum tanta eſt virtus & doctrina Regis, & in vtroque quotidie velut de integro inualeſcens induſtria, vt quo magis ac magis eius Maieſt. video bonis veréque regijs artibus increſcere, eo minus minúſque ſentiam aulicam hanc vitam mihi ingraueſcere.* Hæc ille ibi. Fuit videlicet vita Aulica, vt per ſe Moro ingratiſſima, ita tantiſper & eatenus grata, quã diu virtutis & honeſtatis ſchola erat, qualis certe primis 20. annis quibus regnauit Henrici Regis Aula fuit. Qua de re ſic Eraſmus in epiſtola ad Henricũ Guilfordũ ſcribit lib. 13. epiſt. p. 427. *Fragrantia honeſtiſſimæ famæ qua nuſquam nõ diuulgat Aulam Britannicam, præter regem omnibus abſoluti principis dotibus egregiè cumulatum, & huic ſimillimam Reginam, tot inſuper integris, eruditis, grauibus, cordatiſque viris abundare, Principem Bergenſem excitauit vt Antonium filium non alteri ſcholæ tradendum iudicarit,* &c. anno 1519. Talis verò quum eſſe deſtitit, & virtus profligari, libido dominari cœpit, Aulæ atque honori in regno maximo renunciauit Morus. Quũ enim Regni Cancellarius per annos duos cũ dimidio fuiſſet (vt noſtri annales teſtantur) Aulæ tunc vitæq; Aulicæ pertæſus, quam vt antea nũquam dilexerat ita tunc odio habere cęperat munus illud ampliſſimũ vt reſignaret, & à tota ſeruitute Aulica manumitteretur, multis magniſq; à Rege precibus impetrauit: Impetratũ maximi & incõparabilis beneficij loco duxit. Et quidẽ quod precibus hoc à rege impetrauerit, geſtúmq; Magiſtratũ cum ſumma laude dimiſerit, in præcedẽtibus dictũ eſt. Nũc hanc reſignationem quanti beneficij loco duxerit, quo fine fecerit, quantę virtutis teſtimoniũ ſubſequutũ fuerit, hoc loco dicetur. De 1. & 2. ſic ad Eraſmum ſcribit: *quam rem ad hunc vſque diem à puero penè ſemper optaui, Deſiderii dulciſſime, vt publicarum rerum negotijs liberatus aliquid olim temporis viuere Deo duntaxat ac mihimet ipſi poſſem, id nunc tandẽ Dei Opt. Max. benignitate ac principis indulgentißimi beneficio conſequutus ſum.* Et poſt pauca quę de pectoris afflicta valetudine interſerit, ait: *Hæc ergo mecum verſans animo, quum aut deponendũ mihi Magiſtratum viderẽ, aut operam meam in eo gerendo claudicaturam, quando negotia quæ res poſcebat obiri, per me non poſſent, niſi mortẽ ipſe obire periclitarer, qua ſi defungerer, vel ſic omnino cum vita relinquendum mihi officium fuit, decreui mecum tandem alteri potius, quàm vtroque carere. Quamobrem vt & publicis rebus pariter*

Catharinæ Reginæ iudicium de Moro.

Ab Aulica vita abhorret.

Reſignat honores ampliſſimos.

Inter epiſt. Eraſmi li. 27. p. 1073.

A *pariter & meæ saluti consulerem, à clarissimi principis, & optimi benignitate supplex impetraui, vt magistratu isto quo me (quod tute scis) regni totius amplissimo, incredibilis eius in me fauor tam longè supra meritum quã supra spem ac votum omne meum honorauerat, nunc sub eius pondere fatiscentem dignaretur eius pietas exonerare. Superos igitur vniuersos precor, vt & istos indulgentissimos in me clarissimi Regis adfectus Deus qui solus potest, digna repensetgratia, & mihi quicquid temporis reliquum daturus est, ne per iners atque ignauum transigatur otium, non eam modo mentem donet, vt bonas horas bene collocare velim, sed eam etiam corporis addat firmitatem qua possem.* Hæc ad Erasmum. Nec dissimiliter ad Ioannem Cochlæum eodem tempore. *Valetudine aliquot superioribus mensibus non tam in speciem graui me intuentibus quàm sentienti mihi formidolosa vsus sum. Quam ne nunc quidem post impetratam omnium munerum vacationem satis possum excutere. Ita fiebat, vt Cancellarij obire officium haud satis possem nisi valetudinis malum sinerem indies magis magisq; crescere. Mouit ergo animũ meũ recuperandæ cura sanitatis. Sed multo magis publicæ vtilitatis respectus: quam multis modis remoraturus videbar, si homo valetudinis impeditæ, negocia publica sinata est; posthac studijs, & Deo constitui dedicare.* Hæc ibi. In Epitaphio quoque suo, quod post resignationem hanc in Ecclesia parochiali sua extrui fecerat sic loquitur: *Mortalium harum rerum satiatur, quam rem à puerò pene semper optauerat, vt vltimos aliquot vitæ suæ annos obtineret liberos, quibus huius*
B *vitæ negocijs paulatim se subducens futuræ posset immortalitati meditari, (si cœptis annuat Deus) indulgentissimi principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetrauit.* Hæc de seipso Morus. Quæ quantum haud dubiè verissima sunt; tamen nec solæ, nec præcipuè hæ causæ fuerunt, vt illi attestantur qui Moro tunc intimi fuerunt, cur honores omnes resignauerit, & ab Aula dimissionem petiuerit. Rex iam ducta in vxorem Anna Bolenia non solum contra consensum Mori (vt infra suo loco latius explicabimus) sed etiam Sede Apostolica repugnãte, in alium virum totus mutari cœpit. Perfractis enim semel pudoris & honestatis repagulis, in omnem se postea cupiditatẽ, ac libidinem præcipitem dedit. Postquam contra Sedis Apostolicæ supremum iudicium, suam voluntatem facere, suæque libidini seruire Rex præsumpserat, facile vidit Morus, suam in cæteris rebus omnibus voluntatem, aut cupiditatem potius Regem deinceps sequuturum: quicquid in diuersum Consiliarij totúsve Senatus sentiat. Videbat itáque vir prudentissimus se amplius Regi placere non posse, nisi Deo suo displiceret. Videbat Sede Apostolica contempta, causam fidei & Ecclesiæ authoritatem necessariò concutiendam, cui sub tali principe etiã Cancellarius mederi non posset. Videbat postremò cum Regis voluntate, suam (id est sanam) conscientiam conuenire amplius non posse. Maluit ergo dignitatis suæ quàm honestatis iacturã fa-
C cere; maluit honorem quàm conscientiam suam periclitari. Postremò magno desiderio tenebatur soli Deo sibique ac studijs vacandi, maximè contra hæreticos toto impetu & plenis velis excurrendi, contra quos iam antea aliquandiu in certamen descenderat. Has veras quoq; ac præcipuas causas amicis suis aperiebat. Nam quod ad valetudinem attinet, non ea sic afflicta fuit, quin toto sequenti anno, qui resignatos honores sequebatur (nam anno exacto in carceres conijcitur) varia illa & prolixa contra hæreticos opera euulgauerit, quæ superius sigillatim recẽsuimus. Nec erat tanta ætas quæ ferendis laboribus par non esset. Neque enim tunc annum quinquagesimum Morus excesserat. Passus enim biennio post paulóque amplius, annos 52. non expleuerat. Sed voluit vir admirabilis, & suarum virtutum occultator maximus, quod virtutis erat necessitati tribuere. Voluit sic Aulam deserere, vt nec Regem offenderet nec hominum laudem captaret. Nam quòd ea potissimum ex causa Aulam deserere & honoribus abdicatis Deo deinceps, ac sibi viuere instituerit, quia futuram Reipub. calamitatem cui ipse mederi non posset, seu vt vir prudens, seu vt Deo charus ac familiaris præuideret, variæ eius hac de re prædictiones argumento sunt. Adhuc Cancellarius regni quum esset, genero eius Ropero quo præ cæteris familiarius vtebatur, rerum tunc in Anglia statum plurimum collaudante, eo quod & florentissima tunc esset Respub. ipséque Rex Henricus domi suis omnibus, foris maximis principibus charus foret; Morus præsenti rerum facie nihil captus, respondit vtcunque belle nunc
D omnia procedere; sed orandum Deum ne Rex derepente in alium virum mutetur, & Consilia-rios parum fortes inueniat. Et quidem quod ad pietatis studium attinebat, quum idem Roperus quasi in Domino exultans gratularetur multum religionis orthodoxæ integritati, ipsiúsq; Regis in ea asserenda magnanimitati, addens vix vsquam tanto in precio diuini numinis cultum, orationis assiduitatem, vitæ puritatem haberi quanto tunc in Anglia habebatur; respondit Morus cum eo tunc fortè iuxta Tamesim inãbulans; Est quidẽ nunc ita vt dicis, mi fili: Sed veniet breui tempus quo totum hoc pietatis studium nósque & alios eius cultores passim contẽni & despici videbis, nec pluris fieri quam miseras istas formicas nos facimus; colliculum formicis scatentem qui forte in via occurrebat pede protinus calcans. Idem alias quum ex Aula domum rediens filias suas ac neptes orationi intentas inuenisset; orate nunc (inquit) filiolæ diligenter dũ hoc vobis studium adhuc gratum est; breui enim fiet vt (nisi magna animi fortitudine resistatis) hoc studio orandi nihil despicabilius esse existimaturæ sitis. Quod quidem à multis retrò annis in Anglia accidisse nemo Anglus ignorat. Abdicato verò iam Cancellarij munere, & priuatam vitam quum ageret, nuptiæque Annæ Boleniæ (quas integerrimus Senator nunquam approbare voluit) iam peractæ essent, referente ei quodam, Annam Boleniam in Aula incessanter tripudiare, die ac nocte choreas ducere, nihilque esse nunc Aulica vita iucundius; respondit

Epist. ad Cochlæum

Ex Epitaphio suo.

Cur Morus in florenti ætate Aulæ nũcium remiserit.

Mori prædictiones de Reip. Anglicanæ mutatione sequutæ.

1.

2.

3.

4.

Morus; Hæc Annæ Boleniæ tripudia alium longè ludum ſecum adferunt; Noſtris enim capitibus quaſi pila pedaria hæc eius tripudia ludunt: Sed & ipſius quoque caput eundem ludum ſubibit. Quod totum veriſſimè paulò pòſt ita factum eſt. Nam & inſtigante hac Anna (quæ ſuis ſaltationibus hunc nouum Herodem, Henricum VIII. prorſus incantauerat) multis magnis, & bonis viris capita ſublata ſunt, inter cæteros Ioanni Roffenſi Epiſcopo, & Thomæ Moro; & ipſa Anna Bolenia eodem ſupplicij genere, ſed ex cauſis longe alijs interempta eſt; vt poſtea ſuo loco latius dicetur. Reſignauit igitur ampliſſimos in Repub. honores Morus, tum ne Regis in omnem iam impietatem propendentis libidini ſeruiret, tum vt ſanctis ſtudijs, atque ocio honeſtiſſimo liberius vacaret. Vnde manifeſtè liquet nihil illum honoribus illis inflatum, nulla vana dominandi cupiditate infectum fuiſſe. Verum eſſe oſtendit quod quum adhuc in honore illo eſſet, ad filium eius Ioannem Morum Eraſmus ſcribit: *Quin & illud debet Philoſophiæ pater tuus quòd nec tanta dignitas tantillum illi addidit ſupercilij, nec negociorum vndique circunſtrepentium vnde quicquam de priſtina comitate diminuerint.* Hæc ille. Cui enim honor ſupercilium obducit, cui criſtas erigit, quem inani gloriola titillat, ne ille totius potius virtutis naufragium facere quàm honore excidere mallet: honore ſe abdicare nunquam in animum inducet. Impetrauit ergo, quod à ſuo principe Caſſiodorus, hoc ab Henrico Morus, vt honorum titulis renunciatis, ſolidæ pietati ac ſtudijs fructuoſis vacaret. Sed heroicum hoc Mori factum verbis idoneis laudare ſolus Morus vt vir prudentiſſimus, doctiſſimus, ita eloquentiſſimus poteſt. Ipſa ergo eius verba in medium proferemus. Non quibus hoc ſuum factum commendat (quid enim vanius?) ſed quibus alterius Cancellarij ſimilem reſignationem egregiè tunc laudauit, ſed magis egregiè poſtmodum imitatus eſt; & priores laudes verbo factas, poſtea in ſeipſo re & facto bis laudandus cõfirmauit. Non ante multos annos Gulielmus VVaramus Archiepiſcopus Cantuarienſis regni Cancellarius (cui ſucceſſit VVolſæus Archiepiſcopus Eboracenſis, VVolſæo Morus) Cancellarij munus depoſuerat, dimiſſione à Rege impetrata. De hoc eius facto ſic ad eum ſcribit Morus: *Semper quidem fœlicem paternitatis tuæ ſortem iudicaui; & dum Cancellariæ munere præclare fungereris, & nunc fœliciorem, poſtquam eodem defunctus in ocium optatiſsimum quo tibi poſsis ac Deo viuere, ſeceſsiſti. Ocium inquam non iucundius tantum quàm erant illa negotia, ſed omnibus etiam honoribus mea quidem ſententia magis honorificum. Nam gerere Magiſtratus id quidem plurimis contingit & interdum peſsimis. At quum habebas maximum, & qui quantum authoritatis habet ac licentiæ dum geritur, tantum depoſitus calumnijs obnoxius eſt; eum ſua ſponte deponere (quod tua paternitas magno labore vix impetrauit, vt liceret facere) niſi modeſto non libet, niſi innocens non audet. Quamobrem huius animi tui neſcio modeſtioris ne qui munus tam amplũ, ac magnificum voluiſti relinquere, an ſublimioris qui potuiſti contemnere, an innocentioris qui non metuiſti deponere, certè optimi ac prudentiſſimi, multos quidem ſed imprimis me ſuffragatorem & admiratorem habes: qui dici non poteſt huic tam raræ fœlicitati tuæ quàm impenſe gratuler, mihique tuo nomine gaudeam; quum tuam paternitatem videam procul ab ſæcularibus negotijs, procul ab forenſium tumultu rerum ſecedentẽ, & geſti magiſtratus, & poſiti honorifica fama rariſsima gloria frui; ac reliquum vitæ tempus anteactæ conſcientia lætum, clementer ac placidè in litteris ac Philoſophia traducere. Cuius tuæ conditionis dulcedinem indies magis ac magis illuſtrem, mihi mea reddit miſeria, qui quanquam nihil habeam negotij quod quidem memoratu ſit dignũ* (erat nihilominus quum hæc ſcriberet Conſiliarius regius, & regni Proquæſtor & frequenti legatione occupatus) *tamen vt imbecillæ vires facilè premuntur paruis rebus, ita diſtringor aſsidue, vt ne tantulum temporis habeam liberum, quo tuam paternitatem, vel inuiſam aliquando, vel prætermiſſum officium per Epiſtolam excuſem: adeo vt vix licuerit has parare litteras. Quibus haud ſatis lepidum hunc libellum tuæ dominationi commendarem* (Vtopiam ſuam dicit) *quem quum Antuerpienſis quidam amicus meus* (Petrus Ægidius) *elapſum potius quam elaboratum, amori indulgens ſuo, editione dignum putauit, atque inſciente me curauit excudendum, quamquam ipſe indignum vel hac dignitate tua, vel rerum vſu, vel eruditione tua cenſeã, tamen ſum auſus mittere; fretus videlicet tum benignitate tua, qua ſemper ſoles omnium ingenijs candidè fauere, tum experto tuo in me fauore confiſus: quo ſpero fore, vt ſi opus parum per ſe arrideat, Author tamen aliquid conciliet gratiæ. Vale Præſul ampliſsime.*

In præfat. in Ariſt. Græcum.

Epiſt. Mori ad Gul. VVaramũ Archiep. Cant. de abdicato Cãcellariæ munere.

Et ſic quidem Morus eo tempore ſapientiſſimi illius Archiepiſcopi nobile factum laudauit. Sed vt erat alienæ virtutis candidus admirator & ſedulus laudator, ſic eiuſdem erat fœlix imitator. Omnes igitur laudes Archiepiſcopo iſti verè attributæ, ipſi Moro veriſſimè competunt. Illud fecit quod niſi modeſto non libet, niſi innocens non audet. Animum oſtendit, neſcio modeſtioremne, qui munus tam amplum atque magnificum voluit relinquere, an ſublimiorem qui potuit contemnere, an innocentiorem qui non metuit deponere; certe optimum & præſtantiſſimum. Denique geſti magiſtratus & poſiti honorifica fama rariſſima gloria fruitur. Sed nunc ad alia.

Legationes multas obijt & quidem honorificas; in Galliam ſæpe de fœdere componendo & de rebus repetundis. Regem quoque Henricum in Franciam comitatus eſt, quum ille Rex, & Franciæ Rex Franciſcus primus ſeſe mutuò Ardææ inuiſerent, vbi & amicum ſuum Budæum ſuauiſſimè complexus eſt, ſicuti ex Epiſtolæ eius ad Budæum extracto ſuperius poſito patet. In Flandriam quoque duabus ſplendidis legationibus interfuit, iunctus comes & ſocius Cuthberto Tonſtallo. Sed hæ legationes quarum alij ſplendore oblectantur, modeſto & humili Mori ingenio vehementer diſplicuerunt. Sic ad Eraſmum in quadam Epiſtola ſcribit: *In negotijs iſtis principũ haud credas quàm inuitus verſer: neque poteſt eſſe quicquam odioſius quàm eſt iſta legatio.* Et in alia Epiſtola

An. 1519. A legationibus alieniſsimus fuit. In farrag. lib. 7. & 2

A epistola ad eundem, *Mihi nunquam admodum legati munus arrisit.* Rursum in Epistola quadam manuscripta ad Tonstallum, *In legationibus versari quanquam liberali atque in me propenso principe, tamen mihi non modo non ambienti, sed abhorrenti quoque ab auctoramentis aulicis quid potest esse lucri?* Vtopiam Mori quantopere omnes docti viri laudent, quanta laude sit dignus liber, in superioribus ostensum est. Hunc tamen librum nec in lucem emitti voluit, nec nisi paucis amicis, quasi lepidum commentum communicari; nec postea excusum suo vnquam calculo comprobare. De eo quid & quomodo ad Tonstallum suum scripserit, supra commemoraui. Amori tantum Tonstalli sui imputat quod nugas suas (sic Vtopiam vocat) legere, & lectas approbare voluerit. In alia Epistola sua manuscripta ad Antonium quendam virum doctissimum (neque enim cognomen apponitur, & ego diuinare nolim etsi fortasse possem) qui Vtopiam eius laudauerat sic scribit: *De me quod tale quicquam existimes, ex affectu potius quàm iudicio profectum suspicor. Offundit enim plerunque amor vbi altius insederit, hominum cogitationibus tenebras; quod tibi video contigisse: maximè quum Vtopia nostra tam impensè placuerit: quem ego librum plane dignum censeo qui in sua semper insula delitesceret.* Hæc ibi. Sed & in alia quadam Epistola ad primarium aliquem Aulæ Regiæ virum (neque enim nomen cuiusquam apponitur) sic de sua Vtopia scribit: *Ego Vtopiam meã vni Cardinali VVolsæo (si non eam ante meus Petrus me vt scis insciente multasset primum Virginitatis florem) animo desponderam; si modo cuiquam: ac non cælibem perpetuo apud me seruarem, aut vestæ forsan consecrarem; sacrisque eius initiarem ignibus.* Tam ille exiliter, tam demisse de sua Vtopia (quã totus admiratur orbis) sensit.

Vtopiam suam nulla laude vel luce dignã iudicat.

B

Iam vero qui vel illam Vtopiam, vel Mori declamationes aut versiones è Luciano, aut Richardi Regis historiam, aut variarum Epistolarum fragmenta à nobis hic prolata, magisque adhuc proferenda legit; negare certe non potest Morum eloquentia & dicendi vi atque elegantia singulariter excelluisse. Tamen pro innata sibi modestia, suam semper infantiam deprecatur. In Epistola ad P. Aegidium Vtopiæ suæ præfixa sic scribit. *Quod si exigeretur vt diserte etiam res, non tantum verè scriberetur; id vero à me præstari nullo tempore, nullo studio potuisset.* Hæc ille, qui tamen rem illam omnem vt prudenter adinuenit, sic disertissimè explicuit. In Epistola quadam ad Budæum sic scribit. *Litteras tuas quibus hanc absentiam tuam faceres mihi minus grauem, nisi vehementer me cupiditas vrgeret non auderem petere: quando vereor neque tibi nunc in Christianissimi Regis negocia pertracto multum superfuturum ocii; & mihi conscius sim in hoc officij genere meæ pigritiæ, quoties rescribendum sit ad quenquam. Ad te vero mi Budæe ne scribam, infantiæ meæ non nescius, eruditionis tuæ admiratione distineor vsque adeo, vt ne has quidem litteras extorquere potuerim à pudore meo, nisi eas alius extorsisset pudor. Nempe ne meæ litteræ quas nunc habes in manibus cum tuis euulgentur vna; quæ si incomitatæ exirent, satis superque conspicua deformitate viderentur, vt non tuarum splendor admotus mearum pudendæ formæ velut facem quandam claram præferat. Nam memini dum colloquebamur incidisse mentionem de* C *Epistolis meis olim scriptis ad te, quas videbaris editurus si id te putares mea voluntate facturum. Qua in re quoniam obiter tractata est, quid tum respondi nescio. Nunc vero quando rem cogito mecum, video tutius esse vt tantisper premas, quoad recognoscam saltem: non tantum ne quid insit fortè parum Latine dictum; verum etiam quia de pace, de bello, de moribus, de coniugatis, de sacerdotibus, de populo &c. quædam vereor ne non sint tam caute ac circumspecte scripta vt expediat obiici calumniatoribus.* Hæc ibi Morus. Vides vt suam scriptionem infra Budæi stilum longe deiiciat, vt suas Epistolas in publicum emitti nisi recognitas nolit, denique vt ab ipsa litterarum suarum latinitate (quibus tamen nihil est latinius) sibi metuat. Hæc animi moderatio & modestia singularis si in Erasmo, si in Georgio Cassandro, si in aliis sciolis fuisset, non esset opus illa scopa bibliothecaria, quam Indicem expurgatorium vocamus, Pontificia ac Regia Maiestate edita; nec tot in Ecclesia libelli vel inutiles & nugaces, vel scandalis & offensione pleni extarent. Iam vero quamuis esset omnium iudicio non minus Poëta elegans quàm Orator facundus, tamen sua ipsi poëmata nunquam ita placuerunt, vt in omnium ea conspectum prodire cuperet. Sic in Epistola quadam ad Erasmum scribit, *Mea epigrammata nunquam admodum animo placuerunt meo: id quod & ipse mihi Erasme conscius es: cui & quibusdam aliis nisi liber ille arrisisset amplius, quàm adblanditus est mihi, nusquam fortasis extaret hodie.* Sic ille vt honores publicos, ita laudem litterariam, non solum non venatus ambitiose vnquam, sed & D aspernatus est studio semper: etsi in vtroque genere summa se laude dignum præbuerit. Ita videlicet per summa honorum fastigia quasi per tectorum culmina illæsus ambulauit, nullo vanitatis præcipitio deiectus; quod fortis & cordati pectoris atque in Dei amore bene firmati erat.

Eloquentiæ laudem omnem sibi demit.

Ex epistola ad Budæum. s.

Poemata sibi sua non placent. In farrag. epist. li. 15.

A

CAPVT VIII.

Quàm fortis pecuniæ ac diuitiarum contemptor extiterit.

NVNC vt diuitias contempſerit, alterum in ſæculo præcipitium explicabimus. Illis muneribus in Republ. functus eſt, tam variis, tam amplis, tam compendioſis, tanto tempore; tantum apud Regem Henricum gratia & authoritate valebat, vt ſi Moro libuiſſet, aut illis viis ac rationibus inſtitiſſet, non dico quibus hodie inſiſtunt Aulici, præſertim in Anglia in hoc corruptiſſimo rerum ſtatu (vbi breuiſſimo tempore ampliſſimas ſibi opes, prædia, fundos conquirunt) ſed quibus in illa tunc mediocritate ipſi etiam boni ac moderati Aulici inſiſtebant, facile illi fuerit ita cenſum augere vt inter opulentiſſimos Angliæ nobiles numeraretur. Honeſto loco natus, vnicus patris filius, legum Britannicarum peritiſſimus, Actor cauſarum, Orator populi, Syndicus ciuitatis Londinenſis, Conſiliarius Regius in ſupremo Senatu, Legatus frequenter, Proquæſtor regni, Ducatus Lancaſtriæ Cancellarius, ac demum regni totius Cãcellarius, Regi gratiſſimus, vir prudentia, ingenio, eruditione clariſſimus; moribus iucundiſſimus; à prima ætate vſque ad annum vitæ quinquageſimum in Repub. verſatus, quas quæſo & quàm amplas opes, in tam opulento regno, congerere potuiſſet, ſi poſſidere voluiſſet? At in tota vita ſua non auxit cenſum vltra ſexaginta aureos annuos aut paulo amplius. Et viuit iam in Anglia fœdæ libidinis miniſter, qui talibus officiis infra 5. annorum ſpacium cenſum ad ſexaginta millia aureorum acquiſiuit. Porro (quæ ſatis iuſta cauſa augendi cenſus videri poſſet) aluit apud ſe domi ſuæ quatuor ſuas proles, filium vnum & filias tres cum vxore & maritis ac prolibus ſingulorum, quæ quidem proles antequam in carcerem duceretur vndecim erant: vt ex epitaphio eius conſtat. Annuam penſionem & honorificam & amplam ſibi à rege oblatam quum ex legatione quadam re bene geſta rediret, penitùs recuſauit, ne honeſtam tunc in ſua ciuitate Syndicatus conditionem minus compendioſam ſed magis Reipublicæ vtilem aut deſerere cogeretur, aut parum ſincere tractare videretur; vt eſt ſupra explicatum. Denique obiicientibus ei hæreticis quod ab vniuerſo clero magnis mercedibus cõductus, aduerſum eos tam multa ſcriberet (neque enim grauius aliquid ignaui aduerſatii obiicere potuerunt) reſpondet

Apol. c. 10 eis hunc in modum, verbis Anglicis quæ hic transfero. *Omnes mei in Anglia reditus & penſiones omnes (exceptis illis reditibus & penſionibus quæ Regia liberalitas mihi conceſsit) non attingunt quinquaginta libras annuas, hoc eſt 150. aureos: quod totum vel ex patrimonio, vel ex vxore, vel à meipſo acquiſitum, prouenit. Ex quo perſpicuum eſt quàm mihi nihil clerus contulerit. Deinde bigamus ſum ne me exiſtiment ad Eccleſiaſticam aliquam dignitatem defuncta coniuge aſpirare. Sed & quicquid mihi Regia Maieſtas donauit, ſua ſola liberalitate ac voluntate conceſsit, non ad Eccleſiaſtici alicuius viri preces aut commendationem. Denique à quo primum tempore contra hæreticos cœpi ſcribere, nullus mihi reditus, nulla penſio acceſsit. Attamen adhuc mihi obijciunt hi boni fratres, quod ab ipſo clero in parata pecunia magnam pecuniæ vim mercedis loco acceperim. Equidem non diffitebor quod res eſt, quoſdam è clero & viros bonos & honoratos, pecunia me donare voluiſſe ampliori quàm vel meruerim vel mereri poſsim, quaſi huius meæ in hac cauſa propenſionis ac laboris mercede. Sed Deum atque ipſos teſtes inuoco, nunquam mihi hactenus vel vnum teruncium obtrudere potuerunt. Quin illis apertè dixi, me potius pecuniam illam totam in Tameſim fluuium* (alluit ille domum Mori) *proiecturum, quàm ab illis denarium accepturum. Quamuis enim & boni & honorati ex clero eſſent qui mihi hoc obtulerunt, tamen merces mea Deus eſt, qui illos longe ſuperat, & in cuius gratiam non illorum qualemcunque hunc laborem aſsumpſi. Quod ſi qui tamen ex his bonis fratribus ſuis hac in re bonis patribus (à quibus iſta accipiunt) magis quam mihi credunt, exiſtimantque nihilominus me non ita ſanctulum eſſe vt oblatas pecunias reſpuam; nolo quidem hac in re multum cum illis contendere. Credant illi quod volent. Iſtud tamen confidenter ad meam defenſionem dicam, etſi me propterea & Phariſæum iactabundum, & Pelagianum operarium vocitent; me, quicquid de me iudicent, non ita prorſus improbum eſſe, quin ex quadam inclinatione naturæ, abſque ſpeciali ad hoc diuinæ gratiæ adiutorio, & ſuperbior ſim atque etiam ignauior, quàm qui velim ad eorum laborum mediam partem pecunia conduci, quos in ſcribendo contra hæreticos ſumpſi.*

Vide quam facetè ludat.

Gen. 4. Hæc ille non minus piè quàm feſtiuè. Hæc autem magnanimi Mori verba dum lego, videor mihi magnum illum Abraham ab internecione quatuor Regum redeuntem, & ſpolia ſibi oblata recuſantem audire dicentem. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cæli & terræ quod à filo ſubtegimus vſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt: ne dicas: Ego ditaui Abraham.* Videor mihi magnum illum Spiridonem Conſtantio Imperatori propter ſanitatem per manus eius impoſitionem ab eo acceptum, innumerabilem auri vim offerenti reſpondentem audire, *Non ſic oportebat Imperator odio remunerare amicitiam. Ego enim longum & aſperum iter confeci vt tibi parerem; & tu mihi aurum reddis quod eſt omnis mali cauſa.* Denique videor mihi Epheſtionem illum eremitam Aegyptium videre pecuniam iterum in fluuium proiicientem, quam nobilis matrona Melana in eius domuncula eo inſcio poſuerat, & ab Epheſtione reddere volente recipere recuſarat.

Apud Surium in vita Spiridonis to. 6.

Apud Surium in vita S. Melanæ tom. 1.

A recusarat. Hic erat in Moro pecuniæ contemptus, sic ille ditescere, quum facilè potuerit, nullo modo voluit. Huc etiam pertinet quod in tot muneribus atque officiis peractis ab omni prorsus munerum corruptela immunis fuerit: de qua instituta semel contra eum accusatione, in risum res versa est, vt supra commemorauimus. Sed & quam nihil fuerit ad diuitias congerendas attentus, quàm earum iacturam fortiter tulerit, copiam contempserit, non solum ipsa honorum omnium abdicatio, & nobilis postea sequuta confessio ob quam non opes tantum, sed & libertatem ac vitam præsentem perdidit; verum etiam casus quidam & infortuniũ (quod in Mori familia ad patientiam & fortitudinem viri probandam Deus fieri permisit) egregiè demonstrauit. Quum ex legatione quadam transmarina rediens apud Regem domo procul absens ageret, mense Augusto, culpa vicini cuiusdam sui, pars quædam domus eius & omnia horrea eius atque ea occasione vicinorum quædam proximè adiacentia iam nouo frumento plena repentino incendio conflagrarunt: Huius calamitatis noua quum mœsta vxor per generi sui litteras ei significasset, in hunc modum vxori suæ verbis Anglicis respondit, quæ nos hic Latina damus.

Domina Alicia, salutem plurimam. Quum ex genero meo Heron intelligam horrea nostra & quorundam vicinorum cum vniuerso frumento incendio periisse, tametsi (salua Dei voluntate) dolendum sit tantam bo- In operibus Anglic. p. 1419
B *ni frumenti iacturam accidisse, tamen postquam ita visum est Deo, debemus omnino non solum patienter sed & libenter hanc Dei manum super nos ferre. Quicquid amisimus Dominus dedit. Postquam hoc casu ea nobis eripuit, voluntas eius fiat. Nunquam super hac re murmuremus, sed æqui bonique consulamus, & Deo magnas gratias agamus æquè pro aduersis atque pro secundis. Forte enim maius est Dei beneficium hæc iactura, quàm fuisset lucrum. Quid enim nobis expediat, Deo magis quàm nobis est perspectum. Sis ergo, precor, bono animo, & tota assumpta familia ad Ecclesiam perge, Deoque gratias age tam de his quæ nobis donauit, quàm quæ nunc abstulit, quæque adhuc nobis reliquit: quæ quidem quum ei visum fuerit, facile augebit. Quod si etiam adhuc plura nobis auferre volet, sicut Domino placebit, ita fiat. Inquiratur, rogo, diligenter quam & quantam iacturam vicini mei subierint; moneanturque ne de ea re contristentur. Non enim patiar vt ex aliquo casu domestici infortunii, vicini mei lædantur; etiamsi vsque ad vnicum cochlear omnia mihi distrahenda forent. Sis obsecro læta in Domino cum liberis meis totaque familia. Da operam ex consilio amicorum qua demum melius ratione frumenti prouisio fiat quæ alendæ familiæ sufficiat, seminibusque iaciendis in annum proximum, si forte expedire videatur vt anno sequenti agros nostros ipsi colamus. Siue autem ita videatur siue non, expedire non iudico vt statim ab agricultura cessetur, & operariis dimissis prædium elocetur, donec maturius adhuc de toto negotio dispiciatur. Quod si tamen plures iam domi sint operarii quàm qui opus sit, & qui apud nouos do-*
C *minos commodè collocari queant, poterunt tales dimitti. Nolim quenquam subito dimitti, exiturum in incertum. Rediens ad Regem ita omnia disponi video, vt verisimile sit me apud suam Maiest. continuo hæsurum. Nunc autem propter istud infortunium, veniam forsan impetrabo proxima hebdomada ad vos redeundi: quo tempore communi consilio rem istam tractabimus. Vale. Ex Aula VVodstochii 13. Septembris ann. 1529.* Est hæc Epistola hominis plane cordati, de bonis huius mundi parum soliciti, boni patrisfamilias, optimi Christiani; qui & Dei voluntati se in omnibus conformat, & de proximorum damnis magis quàm de suis solicitus est. Et vide an non huic patientiæ sanctæ rerumque terrenarum contemptui ad modum alterius Iob, duplicia Dominus cito non reddiderit. Quum enim de hac iactura mense Septembri noua accepisset, & eo modo quo iam vidimus, respondisset; proximo mense Octobri, Cancellarius regni renunciatur, & nouam dignitatem accipit, non solum vnde vetera horrea restaurarentur, sed vnde si vellet noua veteribus horrea adiungerentur.

CAPVT IX.

D

Qualis Paterfamilias fuerit.

QVIA Thomam Morum virum coniugatum, virum honoratum, virum rei familiaris satis amplæ describimus, non est hæc pars œconomica prætermittenda; sed qualis in familiam, qualis in liberos fuerit, illam quo modo rexerit, hos quo modo instituerit, diligenter dispiciendum. Sane vt hactenus ciuem egregium, Senatorem prudentem, virum doctum, & pium in Moro describimus, sic nisi fallor, patrem familias excellentem, patrem optimum describemus. Ac primum quod ad familiam attinet, eam in genere describit Erasmus, prout ipse suis oculis viderat, in Anglia satis longo tempore dum ageret, & Mori limina subinde frequentaret. Eius hic verba subiiciam. *Extruxit Morus ad flumen Thamesin haud procul ab vrbe Londino, prætorium nec sordidum nec ad inuidiam vsque magnificum, commodum tamen. Illic agit cum* In farragine epist. li. 27.
intimo sodalitio, vxore, filio, & nuru, tribus filiabus & totidem generis, vna cum nepotibus iam vndecim. Vix alius viuit liberorum amantior, neque ille nescit discrimen inter anum (qualis tunc vxor erat) *& puellam. Sed ea est ingenii commoditas, imo vt melius dicam, ea est pietas ac prudentia, vt quicquid obuenerit quod*

corrigi non posſit, sic adamet quasi nihil fœlicius potuisset obtingere. Dicas apud illum esse alteram Platonis Academiam. Sed contumeliam facio domui illius, quum eam Platonis Academiæ confero, in qua disputabatur de numeris ac figuris geometricis, interdum de virtutibus moralibus. Hanc domum rectius dixeris scholam & gymnasium Christianæ Religionis. Nullus ac nulla illic est non vacans liberalibus disciplinis frugiferæque lectioni, tametsi præcipua primaque pietatis cura est. Nulla illic rixa, nullum petulantius verbum auditur, nemo conspicitur otiosus. Ac tantum familiæ disciplinam vir ille non supercilio iurgiisve tuetur, sed comitate ac beneuolentia. In officio sunt omnes: sed adest alacritas, nec deest sobria hilaritas. Hæc Erasmus. Sed quædam nos particularia recensebimus, prout tum in epist. ad Huttenum ipse Erasmus commemorat, tum ab eius domesticis accepimus. *Vxorem quum admodum puellam duxisset, eam & litteris instruendam curauit, & omni musices genere doctam reddidit. Illa quatuor liberos enixa, ex hac vita sublata, non ita multo post viduus viduam duxit magis curandæ familiæ, quàm voluptati. Quam etsi ad senium iam vergentem, ad hoc animi minimè mollis, postremo ad rem attentissimam, induxit, tamen vt cithara, testitudine, monochordo, tibiis canere disceret, & in hisce rebus quotidie præscriptum operæ pensum exigenti marito redderet. Consimili comitate totam familiam moderabatur.* De li erorum educatione postea. Sed quod ad famulos ac ministros domesticos attinet, habebat in eo magnam curam, ne (quod in nobilium & honoratorum ædibus, vbi magna est more gentis nostrę stipatorum & fabulantium copia, nimis frequenter contingit) vel otiosè vel ludos inhonestos exercendo, tempus aut perderent aut male collocarent. Quosdam itaque eorum qui eum foris comitabantur, horto colendo præfecit, distributo quasi in regiones horto, vt erat amplus, suaque cuique regione assignata. Quosdam cantare, alios in organis ludere voluit: nullum ne quidem nobilem alea vel chartis ludere permittebat. Castitatis eam curam habebat vt in diuersis habitaculis ministri & ancillæ cubarent, & rarius conuersarentur, nec nisi ob res necessarias fœminæ in eam partem domus proditent in qua agebant viri. In more habebat singulis noctibus quum domi esset, familiæ suæ bonam partem in Aulam domus conuocare, antequam cubitum iret, pariterque cum illis orare; & tres psalmos, omnibus genua flectentibus, recitare, vt, *Miserere mei Deus; Ad te Domine leuaui: Deus misereatur nostri.* His adiunxit, *Salue Regina*, cum collecta: & in fine, *De profundis*, pro defunctis. Hoc etiam Cancellarius regni facere non destitit. Non est passus quenquam suorum diebus festis à diuino officio abesse: & quidem vt principio interessent, fecit. Diebus magis solennibus, Natalis Domini & Resurrectionis, de nocte omnes surgere & toti officio adesse curauit. Quum aliquis suorum peccaret, ita obiurgabat & cum tanta lenitate, vt post obiurgationem magis amaretur. Narrare solebat Margareta Gyge vxor doctoris Clementis, quæ (vt sæpe diximus) vna cum filiabus Mori ab infantia pene educata fuerat, quod aliquando ex industria Morum offenderit, vt amicissima & suauissima eius frui possit correctione. Bis tantum in tota vita commotus fuisse videbatur. Curabat singulis annis in feria sexta Parasceue, conuocata tota familia, in ea parte domus quæ nouum ædificium vocabatur, cęteris amplior, Passionem Dominicam, totam per aliquem suorum (is vt plurimum fuit Ioannes Harrisius) cunctis audientibus legi: ipso interdum per modum piæ adhortationis aliqua interponente. Cancellarii munere abdicato, quum omnes famulos duobus duntaxat exceptis dimitteret, singulos vel apud nouos dominos bene collocauit, vel alioqui illis probè consuluit. *Quin huius domus* (vt scribit Erasmus) *fatalis quædam videtur fœlicitas, in qua nemo vixit, qui non prouectus sit ad meliorem fortunam: nullus vnquam vllam famæ labem contraxit.* Hæc ille. Ad mensam eius recitabatur aliquid de sacris litteris cum commentariis Nicolai Lyrani aut alterius cuiusquam ex veteribus. Legebat aliqua ex filiabus, idque (quum scriptura legeretur) intonando more prorsus Ecclesiastico vel potius monastico. Nam & subiiciebatur in fine, vt apud religiosos fit, *Tu autem Domine miserere nostri*: & legebatur quousque daretur signum. Post lectionem quærebat ab aliquo suorum quomodo hic vel ille locus intelligeretur, & fiebat amica quædam & familiaris collatio. Quod si aliquis vir eruditus mensæ adesset (quod frequenter fiebat) in commune conferebatur de lectione facta. Postea ipse prior excitabat leporem aliquem (in quo erat fœliciſſimus) & omnes mirè recreabat. Nam & tunc Henricus Patensonus Mori morio suas partes agebat: quem tamen quadriennio ante passionem suam, nempe ex quo factus est Cancellarius, à mensa sua amouit & patri dedit. Quatuor Mori liberi, filius & tres filiæ vnà cum Margareta Gyge per vices legebant in mensa, donec ille vxorem, reliquæ maritos accepissent. Nam tunc sola Gyge legebat. Denique ea cum pietate ac grauitate familiam rexit, vt ad eum postea in carcere constitutum filia eius Margareta sic scribat. *Quid esse arbitraris pater charissime, quod in hac absentia tua nos potissimum consolatur? Certè ipsa vitæ tuæ nobiscum anteactæ memoria, conuersatio tua sancta, consilia salutaria, exempla virtutum; spes ac fiducia fore vt hæc in te non perseuerent modo, sed & augeantur magis diuina astipulante gratia.* Et talis quidem paterfamilias Morus fuit, sic illam rexit.

Ex epist. Erasmi.

In epist. ad Vldrichū Huttenum

In operibus Anglicis pag. 1432.

CAPVT X.

A

CAPVT X.

Quomodo liberos ac nepotes ſuos educauerit:

NVNC qualis pater extiterit, quomodo liberos ſuos vir tantus ac talis inſtituerit, quantum ſcire potuimus, dicemus. Certè non aliter quàm virum litteratiſſimum & ſanctum decuit. Prima Mori in liberis ſuis educandis pietatis, proxima eruditionis cura fuit: ditandi aut in ſæculo euehendi vel nulla vel minima, *Fuit eius domus*, vt Eraſmus rectiſſimè ait, *ſchola & gymnaſium Chriſtianæ religionis*. Quàm primum igitur capaces litterarum eſſent vel ipſe eos docuit, vel præceptorem domi ſuæ inſtituendis liberis locauit. Fuerunt in domo Mori liberorum & nepotum præceptores tres potiſſimum. Primus erat Ioannes Clemens, poſtea Doctor Medicus celeberrimus & Græcæ linguæ peritiſſimus, cuius mentionem B facit in principio Vtopiæ ſuæ vt ſupra recitauimus. Hic poſtea Oxonii magna cum laude Græcas litteras profeſſus eſt: de quo ſic in Epiſtola ad Eraſmum non excuſa ſcribit, *Clemens meus Oxonii profitetur auditorio tanto quanto non ante quiſquam. Mirum eſt quam placeat, ac deametur vniuerſis. Quibus bonæ litteræ propemodum ſunt inuiſæ, tamen illum charum habent, audiunt, ac paulatim miteſcunt. Linacer qui neminem, vt ſcis, temere probat, tamen illius Epiſtolas ſic effert atque admiratur, vt ego quoque qui vnicè homini faueo, propemodum tamen tam cumulatis laudibus ab illo viro congeſtis inuideam.* Hæc ille. Hic Ioannes Clemens varia Græcorum monimenta è Græco in Latinum verterat. Inter alia multas Epiſtolas Gregorii Nazianzeni quæ non extant, & Nicephori Calliſti Συναξάριον ſeu homilias ſuper omnes ſanctos Græcorum iuxta illorum Calendarium. Quæ duo ab eo viro laborioſiſsimè & eloquentiſsimè tranſlata vidi, & verſionem vnà cum illo (ſic enim vt facerem me rogauerat) cum textu Græco contuli. In locis difficilioribus vxor eius Margareta & quondam diſcipula eius cum reliquis Mori filiabus; (quod quis vix credat) maritum iuuit, vt Græcæ dictionis proprietatem aſſequeretur. Huic Clementi in Schola Mori domeſtica præceptor ſucceſsit Gulielmus Gonellus vir doctiſsimus, & qui poſtea Cantabrigiæ diu vixit, docuit, præfuit. Gonello ſucceſsit Richardus Hirtius, qui nepotes docuit, filiabus iam in matrimonio collocatis. Inuenio etiam quendam Druum & alium Nicolaum liberorum aut C nepotum Mori præceptores fuiſſe, vt ex Epiſtolis Mori ſequentibus patebit. Docebant iſti non ſolum bonas litteras, Latinas & Græcas, ſed etiam Dialecticam & philoſophiam (qua in re per diſputationes ſe exercebant) mathematica quoque; interdum etiam aliqua ſanctorum Patrum ſcripta vt mox ex Epiſtolis Mori docebo. Linguæ Latinæ exercitia erant pene quotidiana. Anglicum in Latinum, Latina in Anglicum vertebant. Scripſerat Thomas Morus ad Academiam Oxonienſem pro bonis litteris quaſi Apologiam quandam Latine cuius fragmentũ ſupra poſuimus. Hanc per vnam ex familiabus in alium ſermonem Latinum, per alterã in Anglicum conuerſam vidi. Atqui vt lector intelligat & quanto ſtudio in huiuſmodi diſciplinis liberos ſuos Morus inſtituerit, & quare eos ſic inſtitui voluerit, Epiſtolam quandam ipſius Mori integram, necdum excuſam, ad Gulielmum Gonellum vnum ex præceptoribus ea de re ſcriptam, ſubiiciam, ſi prius Mori liberos & liberorum proles in domo Mori inſtitutas breuiter enumerauero: vt quos diſcipulos ſchola Mori habuerit non ſecus lector intelligat, quàm quos præceptores habuerit, iam intellexit. Habuit Thomas Morus ex priore coniuge (nam ex ſecunda quam viduam duxit nullos ſuſcepit liberos) filium vnum, Ioannem Morum, filias tres, Margaretam, Elizabetham, Cæciliam: Margareta nupſit Gulielmo Ropero, qui ex ea ſuſcepit duos filios, Thomam & Antonium: tres filias, Elizabetham, Mariam, Margaretam. Quarum Maria matris indoD lem proximè ſequuta fœmina fuit doctiſsima & Reginæ Mariæ pediſſequa honoraria. Vertit illa ex Latino in Anglicum illam expoſitionis partem in paſſionem Domini quã Thomas Morus Latine ſcripſerat, ita puro ac elegãti ſtilo vt difficulter ab aui ſtilo decernatur. Vertit eadem Euſebii hiſtoriam Eccleſiaſticam è Græco in Latinum, ſed propter exactiorem Chriſtophorſoni Epiſcopi verſionem non prodiit in lucem. Elizabetham ſecundam Thomæ Mori filiam duxit in vxorem Ioannes Damſæus, & ex ea habuit filios quinque, Ioannem, Thomam, Bartholomæum, Gulielmum, Germanum: filias duas, Aliciam & Elizabetham. Cæciliam tertiam Mori filiam vxorem habuit Aegidius Geron, & ex ea filios duos, Ioannem & Thomam: filiam vnicam, Annam. Ioannes Morus vnicus Thomæ Mori filius Annam Gryſacriam vxorem duxit, ex qua ſuſcepit filios quinque: Thomam, Auguſtinum, Edouardum, Bartholomæum & alium Thomã: filiam vnam Annam. Ex hac numeroſa ſobole, (de qua non immerito illud pſalmi dici poteſt: *Filii tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ*) quatuor liberi proprii & nepotes vndecim Scholam Mori, eo adhuc viuente in ea educati & inſtituti, continuarunt. Reliqui decem (nepotes enim viginti & vnũ habuit) paſſo Moro nati ſunt, vna cum his liberis ſuis educauit Margaretam Gyge poſtea vxorem Ioan. Clementis. Nunc ad Epiſtolã Mori ad ſuum Gonellum veniamus.

Schola Mori.

Ioann. Clem. laus

Præceptores in ſchola Mori.

Thomæ Mori progenies.

Epist. Thomę Mori sapientissima de liberorum suorum educatione

Accepi, mi Gonelle, tuas litteras quales esse semper solent, hoc est, elegantissimas, amorisque plenissimas. A *Affectum tuum in liberos meos ex tuis litteris perspicio, diligentiam ex ipsorum: quorum nemo fuit, cuius epistola mihi non perplacuerit. Sed illud super omnia quod Elizabetham sentio eam morum modestiam absente matre præstitisse quam non quæuis præsente solent. Eam rem facit intelligat gratiorem mihi quàm omnes omnium litteras esse mortalium. Nam vt doctrinam quæ cum virtute coniuncta sit, vniuersis regum thesauris antepono, ita si morum probitatem seiunxeris, quid aliud affert fama litterarum, quàm celebrem & insignem infamiam? præsertim in fœmina, cuius eruditionem, velut rem nouam & virilis ignauiæ redargutricem plerique libenter inuadent, & naturæ malitiam transferent in litteras: rati experitiorum vitiis inscitiam suam virtutis vice fore. Quod si contra quæpiam (id quod meas omnes opto, & spero certe te præceptore, facturas) egregiis animi virtutibus vel mediocrem litterarum peritiam adstruxerit, huicego plus acceßisse veri boni puto, quàm si Crœsi diuitias cum Helenes forma consequeretur. Non quod ea res gloriæ futura sit, quanquam ea quoque virtutem velut vmbra corpus comitabitur, sed quod solidius est Sapientiæ præmium, quàm vt vel cum diuitiis auferri vel cum forma deperire queat: vtpote quod à recti conscientia non ab aliorum sermone pendeat, quo nihil est neque stultius neque pestilentius. Nam vt infamiam vitare viri est boni, sic ad famam se componere non superbi modo verum etiam ridiculi miserique. Necesse est enim animus inquietus sit qui lætitiam inter ac mœrorem ex aliena semper opinione fluctuet. At inter egregia illa beneficia quæ doctrina confert hominibus haud aliud hercle duco præstabilius, quàm quod ex litteris docemur, in perdiscendis litteris non laudem spectare, sed vsum. Quam rem sane (quanquam nonnulli disciplinis velut cæteris bonis abusi sint in solum gloriolæ* B *ac famæ popularis aucupium) doctissimi tamen quique tradiderunt, philosophi præsertim, vitæ moderatores humanæ. Hæc ego, mi Gonelle, de non appetenda gloria perscripsi pluribus, propter ea verba quibus in Epistola tua censuisti, in Margareta mea altam illam & excelsam animi indolem non esse deiiciendam. Qua in sententia ipse quoque tecum, mi Gonelle, consentio. Sed is mihi, non dubito quin tibi quoque, deiicere videtur animi generosam indolem, quisquis assuescit vana atque inferna suspicere: erigere contra quisquis in virtutem ac vera bona consurgit, quisquis vmbras istas bonorum (quas omnes prope mortales inscitia veri pro bonis veris auidè captant,) sublimium contemplatione rerum supernè despexerit. Ego igitur quum hac via pergendum ducerem, non te modo, mi Gonelle charissime, quem pro eximio tuo in meos omnes adfectu sciebam tuapte sponte facturum; non vxorem meam (quam satis impellit multis explorata modis mihi verè materna pietas) sed amicos prorsus omnes oraui sæpe, vti liberos meos subinde admonerent vitatis vt fastus & superbiæ præcipitiis, per amæna modestiæ prata graderentur; ne ad auri conspectum obstupescerent; ne sibi deesse suspirent quæ per errorem admirentur in aliis: ne pluris ducant sese nitore cultus addito, neu quicquam minoris adempto: formam quæ natura insit, neglectu ne corrumpant, neque malis intendant artibus: virtutem primo, litteras proximo bonorum loco ducant: ex his eas maximè è quibus maximè possint pietatem in Deum, charitatem in omnes, in se modestiam & Christianam humilitatem discere. Ita fiet vt innocuæ vitæ præmium à Deo referant: cuius expectatione certa nec mortem horreant, & interim solido fruentes gaudio neque inanibus hominũ laudibus insolescant, nec iniquo sermone frangantur. Hos ego veros ac genuinos doctrinæ fructus esse censeo:* C *quos vt non omnibus fateor litteratis contingere, ita qui hoc proposito animum ad litteras appellunt, emergere facile atque in consummatos euadere contenderim. Neque referre arbitror ad messem, vir an fœmina semen-*

Gloriam ex litteris captare quam preposterum.

Aurea sententia.

Generosa animi indoles qua in re consistat.

Qualem philosophiã liberos suos Morus doceat.

Litterarũ peritiam fœminis optime conuenire.

tem fecerit. Quorum vtrique si hominis vocabulum conueniat, cuius naturam ratio distinguit à belluis, vtrique inquam ex æquo conuenit peritia litterarum qua ratio colitur, & velut aruum insertis bonorum præceptorum seminibus frugem progerminat. Quod si muliebre solum suapte sit natura malignum, & filicum quã frugum feracius (quo dicto multi fœminas deterrent à litteris) ego contra censeo tanto diligentius esse muliebre ingenium litteris ac disciplinis bonis excolendum, quo naturæ vitium corrigatur industria. Hæc censuere veteres viri prudentissimi itidemque sanctissimi. E quibus, vt omittam reliquos, Hieronymus atque Augustinus optimas matronas, honestissimas virgines, non hortati modo sunt ad capessendas litteras, verum etiam quo facilius promouerent, abstrusos scripturarum sensus eis diligenter exposuerunt, ac teneris virgunculis scripserunt tanta eruditione refertas Epistolas, vt eas nunc viri senes & sese doctores sacrarum litterarum professi vix bene legant, tantum abest vt intelligant. Quæ sanctorum virorum opera, Gonelle doctissime, pro tua bonitate curabis vt filiolæ meæ perdiscant. Vnde potissimum cognoscent; quem doctrinæ suæ scopum debeant destinare, fructumque sui laboris omnem in teste Deo & conscientia recti constituant. Ita fiet vt intus placidæ ac tranquillæ neque adulatorum laude moueantur, neque ridentium litteras illitteratorum mordeantur ineptiis. D *Sed iam dudum audire videor occlamante te hæc præcepta etiam si vera sint, esse tamen fortiora quàm tenera mearum capere possit ætatula: quando quotus est quisque virorum ætate grandium ac prouectorum disciplinis, qui vsque adeo certus animi atq; obfirmatus sit, vt nullo gloriæ pruritu titilletur. Ego, mi Gonelle, quo difficilius video superbiæ pestem excutere, eo magis enitendum censeo, vt id quisque statim meditetur ab infantia. Neque aliam causam puto, cur hoc malum tam ineluctabile pectoribus nostris inhæreat, quam quod prope simul ac nati sumus, mollibus animulis puerorum à nutricibus inseritur, fouetur à magistris, à parentibus alitur atque perficitur; dum nemo quicquam ne bonum quidem docet à quo non laudem iubeat protinus expectare velut hostimentum preciumque virtutis. Inde laudes diu sueti magnifacere, tandem eo venitur, vt dum pluribus, hoc est peioribus placere student, bonos esse pudescat. Quæ pestis quo longius arceatur à meis liberis, & tute mi Gonelle, & mater, & cæteri amici omnes occinant, inculcent, obtundant, abiectam ac despicabilem esse gloriolam: nec esse quicquam sublimius, quàm sit humilis illa toties à Christo prædicata modestia: quam prudens charitas sic præcipiet vt virtutem doceat libentius quam exprobret vitia, & amorem bonæ monitioni quam odium conciliet. Neque ad eam rem quicquam est cautius, quàm veterum eis Patrum præcepta legere; quos neque iratos sibi intelligunt; & quum sanctimoniæ gratia venerentur, necesse est vehementer eorum authoritate moueantur.*

Gloriæ fuga ab infantia instillanda.

Nihil sublimius humilitate Christiana

Cuiusmodi

A *Cuiusmodi quippiam si præter Saluſtianam lectionem Margaretæ meæ & Elizabethæ (nam hæmaturiores videntur quàm Ioannes & Cæcilia) prælegeris, & me simul & illas, iam ante tibi multum addictos, multo adhuc magis obstrinxeris. Præterea liberos meos naturæ primum iure charos, ac deinde litteris & virtute chariores, efficies eo doctrinæ ac bonorum incremento morum chariſsimos. Vale. In Aula pridie Pentecostes.* Hæc est Thomæ Mori de Institutione liberorum ſuorum Epiſtola verè paterna, philoſophica, Chriſtiana, deniq; Moro patre digna. Tales patres ſi multos Reſpubl. haberet; aut ita ſuos liberos in fuga gloriolæ, in amore virtutis, in ſtudio bonarum litterarum erudirent, non ſic regnarent vitia, non ſic dominaretur maledicta ſuperbia. Correxit hic pro ſua ſapientia Morus in liberis ſuis cõmunem illum parentum errorem; de quo ſic Auguſt. in lib. de diſciplina Chriſtiana cap. 2. *Chriſtiani parentes quum ad ſcholam filios ſuos mittunt, dicunt illis. Diſcite bonas litteras, Quare? vt ſis homo; id eſt, vt ſis eminens inter homines. At nemo illis dicit; vt habeatis vnde legere poſsitis codices Dominicos. Sed rem perituram, vt cum illa periremus, tanto labore didicimus.* Hæc ille. At non ſic Morus vt hęc vna Epiſtola manifeſtè declarat. Studium igitur Thomæ Mori fuit quum frequẽter domo procul abeſſet, Aulam & Regem ſemper ſequutus, & ad ſuam ſcholam ſæpe ſcribere, & à ſuis frequẽtes litteras accipere; hiſque reciprocis officiis ſuorum diligentiam acuere, ingenia exercere, profectum ſtimulare. Subiiciam exempli cauſa vnam aut alteram eius hac de re Epiſtolam. Thomas Morus

Epiſtol. Mori ad totã ſchola ſuam.

B toti Scholæ ſuæ ſalutem. *En quod compendium ſalutationis inueni; quo mihi temporis & chartæ diſpendiũ redimerem, quod alioquin erat in ſingulorum nominibus recenſendis in ſalutatione ſubeũdum. Qua in re meus labor eo ſuperuacaneus fuerit; quod quum mihi ſitis alius alio nomine chari, quorum nullum in ambitioſa ſalutatione omitti conueniebat, haud vllo tamen fere quiſquam charior quàm ſcholaſtico quiſque. Adeo me doctrinæ ſtudium vobis arctius propemodum quam ipſa ſanguinis neceſsitudo conſtringit. Gaudeo itaque D. Druũ rediſſe ſoſpitem, de cuius eram (vt ſcitis) incolumitate ſolicitus. Niſi vos tam vehementer amarem, inuiderẽ planè vobis tantam iſtam fœlicitatem, quibus tot & tanti præceptores obtigerunt. Sed D. Nicolaum nunc ſupereſſe vobis puto: ita quicquid habet aſtronomicarum rerum edidiciſtis. In quibus adeo vos prouectos eſſe audio, vt non iam polarem tantum ſtellam, aut caninam, aut aliud quiduis è gregariis aſtris, verum etiam (quæ res peritum & abſolutum Aſtrologum poſtulat) in præcipuis illis ac primariis ſyderibus, ſolem dinoſcatis à luna. Macte igitur noua iſta & admiranda peritia veſtra, qua ſic conſcenditis aſtra. Quæ dum aſsiduè ſuſpicitis, cogitetis interim ſacrum hoc ieiunii tempus admonere vos, atque auribus veſtris occinere carmen illud optimum ac ſanctiſsimum Boetii, quo docemini mentem ſimul in cælum ferre, ne animus Belluarum vita pronus feratur in terram corpore celſius leuato. Valete omnes chariſsimi. Ex Aula 23. Mart.* Ne vero iſtud ſcribendi ſtudium,

Ludit in ſeriis.

(quo ille quidem vir tantus & negotiis grauiſsimis ſemper præpeditus non grauatur ad ſuorum nænias deſcendere, quaſique illis colludere, tersè interim & eleganter ſcribens; illi vero litteris
C elaboratis induſtriæ ſuæ quiſque ſpecimen exhibebat) rarius cuipiam & caſu potius quàm conſilio factum videatur; alias ad ſcholam ſuam Mori litteras in lucem (etſi pene corroſas) proferã; quibus de toto hoc ſcribendi genere, de aſsiduitate, de inuentione, de diſpoſitione in litteris tenenda, diligenter ſuos monet, hortatur, docet.

Thomas Morus chariſsimis liberis ſuis ac Margaretæ Gyge quam inter ſuos numerat liberos S.P.D.

Epiſtola ad omnes ſuos liberos.

Litteras veſtras Briſtolienſis ille mercator poſtridie quàm à vobis tulit, ad me pertulit, quibus vehementer ſum delectatus. Nihil enim ab illa veſtra proficiſci poteſt officina, quantumuis rude ſit, quantumuis illaboratum, quin mihi plus voluptatis adferat quàm quicquid ſcripſerit alius accuratiſsimum. Ita meus in vos adfectus veſtra mihi ſcripta commendat. Quãquam & citra illam merito placere poſsint ſuis æſtimata virtutibus, lepore videlicet ac pura Latinitate ſermonis. Itaque nulla fuit Epiſtolarum veſtrarum quæ mihi non perplacuerit. Sed tamen vt ingenuè dicam quod ſentio, præcipuè mihi arriſerunt Ioañnis *litteræ, tum quod erant longiores reliquis, tum quod in eas pluſculum laboris ac ſtudii videtur impendiſſe. Nam non ſolum belle depinxit,*

Ioan. Mori ingenium paterno ſimile.

D *& caſtigatè ſatis eſt elocutus omnia, verum ſuauiter etiam & non ineptè ludit mecum, meoſque iocos non incõcinne retaliat: nec id amænè ſolum ſed etiam temperanter: quo ſe declaret memorem eſse ſe cum Patre ludere, quem ita ſtudeat oblectare, vt tamen vereatur offendere. Nunc expecto à ſingulis in ſingulos ferme dies Epiſtolas. Nec excuſationes has accipiam, ſi qua veſtrum (nam Ioannes nihil tale ſolet prætexere) vel temporis anguſtiam cauſabitur, vel præcipitem diſceſſum tabellarij, vel argumenti inopiam. Nam vobis adeo nullus obſtat ſcribentibus, vt etiam inhortentur omnes. Tabellarium vero ne quid remoremini; an non præuenire licet? biduoque ante peraratas atque obſignatas in promptu habere litteras, quam efferat ſe vobis quiſquam qui afferat? Materia porro quo pacto deeſſe vnquam poterit quam ſcribatis ad me? cui vel de ſtudiis veſtris vel de ludis audire libet: cui vel tum placebitis maximè, ſi quum nihil eſt quod ſcribatur, id ipſum ſcribatis effuſiſsimè: quo nihil eſt facilius vobis, præſertim fœminis, nempe natura loquaculis; & quibus aſsiduè*

Hortatur ad ſæpe ſcribendũ.

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

Verum hoc vnũ moneo ſeu ſeria ſcripſeritis, ſeu meraciſsimas nugas, omnia tamen diligenter & meditatè ſcribi volo. Neque nocuerit ſi primum Britannica *lingua ſcribatis omnia, quæ poſtea multo cõmodius, multoq; minore labore transferetis in Latinã, dũ animus ab inueniendi ſtudio liber, ſolo intẽdet eloquio. Quanquã vt illud arbitrii veſtri facio, ſic iſtud omnib. modis iniũgo, vt quicquid effeceritis, id priuſquã exſcribatis in mundũ, diligẽter examinetis; primũq; dato ordine cõſiderate sẽtentiã: deinde ſingulas partes excutiatis. Ita fiet vt ſi qui vobis*

Præceptõrem agit.

exciderint ſoleciſmi, facile deprehendatis: quibus ex punctis, & tota Epiſtola de integro exſcripta, tamen rurſus examinare ne pigeat. Nam ſolent interdum dum reſcribimus vitia quæ deleueramus irrepere. Hac diligentia eſſecerit is breui vt vel nugæ veſtræ ſeria videantur. Nam vt nihil eſt tam concinne ſalſum quod non reddat inſipidum futilis ac ſecura loquacitas, ita nihil ſuapte natura tam inſulſum quin meditando facile gratia & lepore condias. Valete liberi dulciſsimi. Ex Aula 3. Septembris. A

Oſtendit facile hæc Mori Epiſtola, quàm accuratè & diligẽter, quàm ſolicitè & ſtudioſè ſuos liberos in bonis litteris eorumque aſſiduis exercitiis inſtituerit. Non verbis hortatur modo vt pater, ſed docet vt præceptor, ſuis quoque elegantiſſimis Epiſtolis facem illis præfert, vt exemplo extimulet: & præſtet ipſe primus quod ſuos præſtare tam ardenter concupiſcit. Enimuero ſic hanc rem cordi habuit, ſic ſuorum ſanctæ & eruditæ inſtitutioni aduigilauit, vt quum paulo remiſſius, aut certè non ex animi ſui voto res illa procederet, ſtatuerit Aulam ipſam negotiaque publica potius deſerere, quam familiæ & liberorum ſuorum inſtitutioni, qualem deſiderabat, parum conſultum eſſe. Sic enim ſcribit ad Margaretam filiam ſuam vnicè dilectam, *Iucundæ mihi fuerunt litteræ tuæ, Margareta chariſsima, quæ me de Shai ſtatu reddidere certiorem: iucundiores futuræ ſi mihi tua fratriſque tui ſtudia recenſuiſſent: quid quoque die legitur inter vos, quam iucundè confertis, quæ componitis, & inter dulciſsimos litterarum fructus tranſigitis diem. Etenim quanquam nihil mihi iucundum eſſe non poteſt quod ſcribis tu, tamen iſta ſunt mellitiſsima quæ niſi à te fratreque tuo ad me perſcribi non poſſunt.* Et ſub finem Epiſtolæ. *Quæſo te Margareta, fac de ſtudiis veſtris quid ſit intelligam. Nam ego potius quàm meos patiar inertia torpeſcere, profecto cum aliquo fortunarum mearum diſpendio valedicens aliis curis ac negocijs, intendam liberis meis & familiæ. Quos inter nihil eſt mihi te dulciſsima filia charius. Vale.* Talis ille ac tam ſolicitus ſuorum pater ac paterfamilias erat. Nam ex ſuorum diligentia & induſtria quantam animo voluptatem ceperit, quàm mirè oblectatus fuerit, quantam in ea re ſola fœlicitatis præſentis partem poſuerit, quàm effusè eos bene rem gerentes laudauerit, ex vna adhuc alia Epiſtola ad filias ſuas omnes conſcripta apparebit: quam hic propterea integram ſubiicio.

Liberorum educationẽ omnibus aliis negotiis anteponit.

B

Thomas Motus Margaretæ, Elizabethæ, Cæciliæ dulciſsimis natis, & Margaretę Gyge haud ſecus ac ſi nata eſſet, charæ S.P.D.

Epiſtola ad filias omnes laudatoria.

Satis explicare non poſſum, puellæ iucundiſsimæ, quam vehementer mihi placeant elegantes Epiſtolæ veſtræ: nec illud minus quòd video vos in itinere quanquam ſubinde loca mutantes, nihil tamen omiſiſſe conſuetudinis veſtræ, ſiue in dialecticis exercitationibus, ſiue in conficiendis declamationibus, ſiue componendis carminibus. Iam plane mihi perſuadeo vobis vt par eſt, charum eſſe me, quando abſentis tantam rationem vos habere video vt ea certatim agatis quæ præſenti ſcitis voluptati fore. Quem ego animũ erga me veſtrum vt mihi iucundiſsimũ eſſe ſentio, ſic efficiam reuerſus vt eundem vobis ſentiatis vtilem. Nam hoc habete perſuaſiſsimũ nihil eſſe quicquã quod me inter hæc moleſta negotia magis reficit, quàm quum ea lego quæ proficiſcuntur à vobis. Quibus vera eſſe illa perſpicio quæ præceptor veſter amantiſsimus veſtri tã amanter ſcribit de vobis, vt niſi litteræ veſtræ ſtudium erga litteras egregium declararẽt, videri poſsit amori potius indulſiſſe quã veritati. Nũc vero ex his quæ ſcribitis fidem illi conciliatis, vt ea credam eſſe vera quæ propemodum ſupra fidem iactat, quàm pulchrè & quàm acutè diſſeritis. Itaque geſtit animus domum recurrere, vt diſcipulum noſtrum componamus audiamuſque vobiſcum: qui paulo ſegnior eſt hac in re, quod deſperare non poteſt quin vos inuenturus ſit citra præceptoris prædicationem ſubſiſtere. Quas ego ſpem concipio (vt noui pertinaces eſſe vos) præceptorem ipſum breui ſi non diſſerendo, certè litem non deſerendo ſuperaturas. Valete puellæ chariſsimæ. C

Schola Mori ab exteris laudata.

Docet hæc Mori Epiſtola, & quantum eius ſchola profecerit, & quàm præclara planeq; Academica exercitia habuerit, & quam ille ſtudioſè hanc rem curauerit, denique quanta animi lætitia ſuorum ſtudia ac profectus acceperit. In gratiã huius ſcholæ Morianæ Eraſmus, Ouidii nucem ſcholiis illuſtrauit eique dedicauit. De hac ſchola honorificam mentionem facit Ludouicus Viues in ſua Inſtitutione Principis ad Catharinã Caſtellæ Angliæ Reginam. Deniq; Ioan. Moro, Thomæ Mori filio vnico, tum Eraſmus Ariſtotelem Græcum, tum Simon Gryneus Platonem Græcum, tanquã iuueni Græcè doctiſſimo & philoſophicis pręceptis imbuto, dedicauit. Ex eorum Epiſtolis dedicatoriis quædam ſupra poſuimus. Sed & quædam alia ad hunc locum magis propriè ſpectantia ex Epiſtola Simonis Grynæi ad Ioannem Morum adiiciam. *Ad te* (inquit) *quum iure paternarum virtutum, omnium beneficiorum fructus redeat, magna neceſsitas fuit, cur hos Procli libros miranda doctrina refertos, noſtra quidem opera, ſed beneficio tuorum, in lucem prodeuntes tibi potiſsimum dedicarem. Tum quod ipſis quidem ornamento te, hos contra maximo tibi vſui futuros ſperabã, quem perpetua tanti patris conſuetudine, & ſororum omni doctrinæ genere excultiſsimarum conuictu, ad iſtas iã grauiores diſputationes ſatis inſtructum ſcirem. Quid autem cupidis natura pulcherrimarum rerum mentibus* (*tibi inquam & muſis iſtis ſororibus, quas diuinus animi calor, nouo ſæculi noſtri exemplo, tã procul, tam fœliciter in iſtud litterarũ pelagus egit, vt iã diſcendi philoſophandique difficultatem nullã ſupra ſe eſſe videant*) *actõmodus magis ſit quam is author, quo nemo implicatas res melius producere, profundas penitius inſpicere, amplas & copioſas facilius animo cõplecti potuit?* Hæc Gryneus in Epiſtola dedicatoria Platoni Græco præfixa ad Ioan. Morum vnicum Mori noſtri filium. Adiungã poſtremo loco vnam ad Margaretã ſuã Epiſtolam amoris pleniſſimam; in qua indulgentiſſimum patris affectum mira ſuauitate expreſsit.

Grynęus de ſchola Mori.

D

Nimium tu pudenter & timide mea Margareta, pecuniam petis, & à patre qui dare cupit, & quando tali nos

Epiſtola

A *Epistola salutasti, cuius ego non singulos versus singulis Philippis aureis (quod in Cherilo fecit Alexander) sed si facultas esset animo meo par, singulas syllabas vnciis auri binis compensarem. Nunc vero quantum popposcisti mitto, plus additurus, nisi quemadmodum dare gestio, sic & rogari me & blandiri mihi liberet à filia: abs te præsertim quam virtus & litteræ faciunt animo meo charissimam. Itaque hanc pecuniam quanto citius bene, quod soles, impenderis, quanto citius pro noua recurreris, tanto magis te scito gratificaturam patri. Vale charissima filia.* Sed de hac Margareta seorsim nobis aliquid & specialius dicendum est. *Epistola Mori ad Margaretam filiam*

CAPVT XI.

De Margareta Ropera Thomæ Mori filia.

B QVVM scriptura dicat, *filius sapiens lætificat patrem*, antequam hanc partem abrumpamus, in qua, qualis pater Morus fuit describimus, de vna eius prole dicemus quæ sapientissimum patrem ipsa sapiens quantũ lętificauerit, quantum sub tali patre profecerit, ex nonnullis ipsius patris ad illam Epistolis, & stili venustate (vt omnia Mori sunt) & rei nouitate lectu iucundissimis, perspicuum faciemus. Ex illis enim perspiciemus quantos in bonis litteris aliisq, disciplinis vna eius filia (quod in sexu illo vix credibile est) progressus fecerit. Vnde etiam facile constabit, quæ fuerit cæterorum omnium & quam fœlix educatio. De cæteris enim non ideo nihil dicimus, quia nihil dicendum erat, sed quia ad notitiam nostrã quod diceretur non peruenit. Sed de Margareta filia eius natu maxima Gulielmo Ropero virò grauissimo nupta quasdam Thomæ Mori litteras reperi, ex quibus qualis illa fuerit, obuium fuit cognoscere. Hæc Margareta liberorum natu maxima præter omnes alias Mori proles & statura corporis, & forma, & voce, & ingenio, & tota indole proximè ad patrem accedebat. Composuit Græcè Latinéque, soluta & pedestri oratione elegantissimè. Vidi ego duas eius declamationes Latinas exercitii causa scriptas, quæ vt stilo quidem ornatæ & facundæ erant, sic inuentione non ita multum patri cedebant. Et altera quidem declamatio quum Anglicè primum scripta esset, ab vtroque Latinè versa, à patre & filia ea elegantia ab vtroque vertitur vt nescias vtra alteri sit præferenda. Certè quum Thomas Morus librum suum de 4. nouissimis scriberet,
C dedit idem argumentum Margaretæ tractandum: quod quum feciſſet, affirmabat sanctè filiæ tractatum nulla ex parte suo esse inferiorem: vt profecto quod fuerat S. Augustino suus Adeodatus, cuius ingenium admirabile satis mirari non potuit, hoc fuerit Moro sua Margareta. De hac Margareta sic in suis ad Vincentium Lyrenensem commentariis vir doctissimus Ioannes Costerius scribit, *Quum Clemens medicinæ Doctor natione Anglus, vir ornatissimus, ac Græcarum litterarum peritissimus, mecum subinde pro sua humanitate de litteris conferret, atque harum occasione multa de præclarissimi viri Thomæ Mori, quo familiariter dum viueret, vsus erat, humanitate, pietate, prudentia, ac eruditione diceret, meminit quoque subinde Margaretæ Mori filiæ, cuius ingenium atque doctrinam mirificè prædicabat. Vt autem cognoscas, inquit, vera esse quæ dico, adferam tibi ex Cypriano locum deprauatum admodum, quem illa citra exemplaris subsidium sola ingenii sui fœlicitate restituit. Erat autem hæc sententia. Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam prophana facilitate dimittere, & nisi vos seueritatis, euersa fidei maiestate dissoluere.* Hunc locum ita corruptum vt nihil ex eo colligi queat, sic restituit Margareta, vt diceret, pro eo quod ibi legimus, *nisi vos seueritatis*, reponendum esse, *neruos seueritatis*: quo posito integrum & apertum sensum sententia habet, hoc modo, *Absit ab Ecclesia Romana vigorem suũ tam prophana facilitate dimittere, & neruos seueritatis euersa fidei maiestate dissoluere.* Hanc huius loci restitutionem à Margareta factam agnoscit Iacobus Pamelius in suis in Cyprianũ annotationib ad locum citatum. Ad hanc Margaretam extat vna Erasmi Epist. in farragine Epistolarũ eius li. 26.
D an. 1529. scripta tanquam ad fœminam non moribus tantum lectissimã sed & litteris ac eruditione præstantem. Hæc sola ex liberis Margareta patrem in carcere adeũdi facultatem à Rege obtinuit, hoc videlicet astu. Scripserat ad patrem (vt erat ingeniosa) litteras quibus eã hortari videbatur, ad Regis voluntatem animum vt inflecteret atque conformaret suum, nõ quod ita sentiret (vt quæ sola omnium eius consiliorum optimè conscia erat) sed vt illis litteris per custodem à senatu inspectis (vt plerunque fiebat) liberam accedendi patrem à senatu potestatem acciperet, quasi quæ eum ad Regis voluntati obsequendum inducere vellet. Hoc astu satis longo tempore liberè accedebat. Hoc accessu negato, frequenter hæc ad patrem scribebat & à patre litteras frequentius accepit: Cæterum de huius erga patrem officiis plura postea suo loco. Nunc (quod cœpimus) quos fructus in re litteraria fecerit, ex patris litteris ostendemus. Antea retulimus quantum Epistola eius quædam Latina Reginaldo Polo placuerit qui forte tũc Moro aderat quum traderetur. Nunc in eadem Epistola quæ proxime sequuntur adiungam. Quæ sane huiusmodi sunt, vt si nullum aliud Mori testimonium haberemus de huius filię suæ excellenti eruditione, hoc vnũ abunde sufficeret. Sic in ea Epistola post verba superius citata scribit, *Ego vero interea reputabam mecum quam id nimium verum esse comperiebam quod aliquãdo memini dixisse quasi per iocũ tibi, quũ id in tua fortuna miserebã quod ignoratio veri nõnihil esset de meritissima vigiliarũ*

In cap. 9. Vincentij.

Apud Cypr. li. 2. epist. 7. iuxta Pamel. epi. 31

Eruditio Margaretę qualem posteritas non credet

tuarum laude detractura, ſuſpicantibus qui tua lecturi forent in labores tuos alienæ aliquid operæ inſparſum A
atque impenſum eſſe: quum tu vna omnium minimè digna ſis de cuius laude debeat aliquid tali ſuſpicione decedere: quæ ne tantilla quidem vnquam ſuſtinere potuiſti vt te alienis plumis ornares. Sed tu Margareta dulciſſima longe magis eo nomine laudanda es, quod quum ſolidam laboris tui laudem ſperare non potes, nihilo tamen minus pergis cum egregia iſta virtute tua cultiores litteras & bonarum artium ſtudia coniungere; & conſcientiæ tuæ fructu & voluptate contenta, à populo famam pro tua modeſtia nec aucuperis, nec oblatam libenter velis amplecti: ſed pro eximia pietate qua nos proſequeris ſatis amplum frequenſque legenti tibi theatrum ſimus, maritus tuus & ego: qui viciſsim tibi quam maximo poſſumus affectu compreeamur, fauſtum iſtum ac facilem partum quem tibi tam cito ſcribis inſtare: quo faxit Deus ac Diua Virgo vt leniter ac fæliciter enixa prole familiam augeas matri per omnia præter ſexum ſimillima: quanquam vel fœmella certè; modo quæſit eiuſmodi vt quod ſexus ei conditione deteritur, id olim aliquando ſtudeat maternæ virtutis & eruditionis æmulatione rependere. Nam ego certe puellam talem pueris tribus prætulerim. Vale dulciſſima filia.

Ex hac ſane Epiſtola liquet Margaretam non vulgariter eruditam aut mediocriter litteratam fuiſſe, ſed ea ſcribendo elaboraſſe quæ in lucem emitti & omnibus communicari merebantur: etſi vel ſexus pudor, vel animi modeſtia, vel ipſarei vix credenda nouitas (vt hic Morus inſinuat) vt id aliquando fieret, non permiſerit. Quod ſi vero quis quam patris tantum de filia iudicium, cui amor forte impoſuerit, hoc eſſe exiſtimet (quanquam in tali viro quis hoc ſuſpicetur?) recolat quæ ſuperius de doctiſſimi tunc iuuenis Reginaldi Poli eadem aut etiam maiora ſentientis iudicio, ex alia occaſione in hunc commentarium intulimus: cui etiam ſi minor forte fides habeatur, alias hic Mori litteras proferemus, ex quibus quale de Margaretæ litteris, ſtilo, eruditione iudicium, doctiſſimus quidam Angliæ Epiſcopus expreſſerit, quam ſententiam tulerit, quantam admirationem habuerit, apparebit. B

Thomas Morus Margaretę filiæ ſuę chariſsimæ S. P. D.

Epiſtola tua dulciſsima filia, qua me voluptate perfuderit, ſuperſedebo dicere. Poteris opinor plenius æſtimare quam impensè placuerit patri, quum intelliges quos affectus excitarit alieno. Sedere mihi contigit hoc veſpere cum R. P. Ioanne Epiſcopo Exoniæ viro & literatiſsimo & omnium confeſsione integerrimo; quum inter confabulandum vt fit ſchedulam quandam quæ faciebat ad rem è loculo meo depromerem, Epiſtolã tuam extraxi caſu. Delectatus manu cæpit inſpicere: vbi ex ſalutatione deprehendit eſſe mulieris, legere cæpit auidius. Sic eum inuitabat nouitas. Sed quum legiſſet & (quod niſi me affirmante non erat creditarus) tuam ipſius manum eſſe didiciſſet, Epiſtolam vt nihil dicam amplius talem: (quanquam cur non dicam quod dixit ille?) tam Latinam, tam emendatam, tam eruditam, tam dulcibus refertam affectibus, vehementer admiratus C
eſt. Id quum ſentirem, protuli declamationem. Eam vero legens & ſimul carmina, re tam inſperata ſic eſt affectus, vt ipſe vultus hominis minime fucati facile planum faceret, animum eius verba, quanquam in tuas laudes effuſa, longe ſuperare. Protinus exemit è loculo nummum aureum Portugalenſem, quem his incluſum litteris accipies. Eum quin me reciperem ad te miſſurum pro ſigno ac monimento animi erga te ſui, nullo modo quiui declinare; quanquam id omnibus profecto modis conabar. Ea res impedimento fuit ne caterarum etiam litteras oſtenderem. Verebar enim ne videri poſſem in id oſtendiſſe, vt ſimili in cæteras quoque benignitate vteretur; qua ego vel in te vſum eſſe moleſtè ferebam. Sed eſt, vt dixi, talis vt ei placuiſſe fœlicitas ſit. Scribe ad eum gratias accuratè, & litteras quàm potes elegantiſsimas. Gaudebis aliquando tali viro placuiſſe. Vale. Ex Aula xj. die Septembris fere media nocte. Debuit profecto ſingularis fuiſſe huius Margaretæ eloquẽtia, eruditio, indoles, quam tantopere talis Epiſcopus non verbo tantum laudare, ſed & amplo munere cohoneſtare voluit. Eſt penes me declamatio quædam huius Margaretæ eloquentiſſima & ingenioſa admodum, omnibuſque veri oratoris numeris abſoluta, qua Quintilianum imitata vel æmulata potius reſpondet illi eius orationi quæ eſt de pauperis apibus in horto diuitis veneno floribus aſperſo necatis. Pauperis cauſam defendit Quintilianus. Diuitis tuetur Margareta. Quæ ſane cauſa quanto ad defendendum difficilior, tanto ars & eloquentia Margaretæ excellentior videri debet. Niſi prolixitatis hic tædium aut nimiam à propoſita Thomæ D
Mori vita diſgreſſionem metuerem, vtramque declamationem Quintiliani & Margaretæ vel hoc loco vel huic operi ſubieciſſem. Nunc vt alias Mori litteras prætermittam, in quibus ſupra quam dici poteſt Margaretam ſuam eruditionis nomine laudat (quæ tamen conditione minor erat quàm cui adulari, ætate tunc maior quàm cui adblandiri, charior quàm cui illudere, pater & talis pater voluerit) vt non illas proferam in quibus de carminibus Margaretæ ſuæ ait *ſe ſingulos eius verſus non ſingulis Philippicis aureis quod in Cherilo fecit Alexander, ſed ſi facultas eſſet animo par, ſingulas ſyllabas vnciis aureis binis compenſaturum;* denique vt cæteras omnes prolixitatis vitandæ cauſa, quæ ſupra opinionem meam excreuit, intactas relinquam, vnicas amplius tranſcribam, ſed certè tales quæ & admirabile Margaretæ ingenium & varium ac multiplex ſcholæ ſuæ exercitium magis adhuc & magis ob oculos lectoris ponent.

Margaretę eloquentiã admiratur & laudat.

Thomas

A

Thomas Morus Marg. filiæ dulciſsimæ S.P.D.

NOn erat cauſæ quicquam dulciſsima filia, cur vnum diem ſcribere diſtuliſſes, quod tibi nimis diffiſa vereris, ne non eius generis tuæ forent epiſtolæ quæ citra nauſeam nobis legerentur. Etenim ſi non emendatiſsimæ prodirent, tamen & ſexus honor à quouis impetraret veniam, & patri ſolet in liberorum facie vel nævus videri formoſus. Nunc vero iſtæ, mea Margareta, tuæ tam elegantes, tam politæ, adeo nihil habebant quamobrem formidare debebant parentis indulgentiſsimum iudicium, vt Momi quoque cenſuram contemnere quantumuis irati poſſent. Quod Nicolaus & amantiſsimus noſtri & aſtrologicarum rerum peritiſsimus, iterum vobis cœleſtium corporum ſphæram auſpicatus eſt, & illi gratias ago & vobis iſtam gratulor fælicitatem; quibus intra vnum menſem continget minimo labore pernoſcere tot & tam ſublimia Opificis æterni miracula, quæ tam multa tam præclara fereque ſupra mortalium ſortem ingenia, tot ſudoribus & ſtudiis, imo tot algoribus & ſub dio peruigilatis noctibus multarum ætatum decurſu repererunt. Placet igitur illud vehementer mihi quod te decreuiſſe tecum ſcribis, tam diligenter philoſophiæ nunc incumbere; vt quod antehac per negligentiam periit tibi, impoſterum diligentia reſarcias. Ego certè Margareta chariſsima, quum nunquam te ceſſaſſe deprehenderim, imo progreſſam gnauiter eruditio iſta tua minimè vulgaris, ſed ferme per omne litterarum

B *genus abſoluta prædicet, velut eximiæ in te modeſtiæ ſpecimen amplector, quod deſidiam potius accuſare falſo maluiſti, quàm verè iactare diligentiam. Niſi tua fortaſsis iſthuc ſpectet oratio, tam ſedulo poſthac incubituram te, vt præteriti temporis induſtria, quanquam & illa fuit egregia, tamen ſi cum futura comparetur, videri poſsit ignauia. Quòd ſi ita, mea Margareta, ſentis, (id quod plane te ſentire puto) nihil reor poſſe contingere aut animo meo iucundius, aut tibi dulciſsima nata, fælicius. Etenim vt totam fermè vitam reliquam vehementer opto te in rem medicam & literas ſacras impendere, quo nuſquam tibi deſint ad humanæ vitæ ſcopum adminicula (nempe vt ſit mens ſana in corpore ſano) quarum literarum & aliqua iam fundamenta ieciſti, & numquam deerit ſuperſtruendi facultas; ita primos aliquot annos efflorescentis adhuc ætatis, exiſtimem in humanis literis & liberalibus quas vocant diſciplinis, magno cum fructu collocari poſſe: quum quod hæc ætas commodiſsimè poteſt per eas difficultates eluctari; tum quòd incertum eſt, an alias vnquam futura ſit præceptoris tam ſeduli, tam amantis, tam eruditi copia: vt interim taceam quod ab his literis vel paratur, vel certe iuuatur iudicium. Liberet mea Margareta mihi diu tecum his de rebus colloqui: ſed ecce ſubitò nos interpellant auocantque hi qui iam iam cœnam inferunt; mihi certe, niſi aliorum eſſet habenda ratio, multò minus ſuauem quàm hoc colloquium tecum. Vale chariſsima filia, & coniugem tuum filium mihi dulciſsimum meo nomine ſaluta: qui quod eadem iam tecum legit, dici non poteſt quàm vehementer exulto. Iam qui ſemper tibi ſuadere*

C *ſoleo vt omnibus in rebus marito cederes, contra poteſtatem facio vt in pernoſcenda ſphæra maritum ſuperare contendas. Iterum vale, & totum ſaluta ſodalitium, ſed præceptorem in primis.* Atque ex his hactenus facilè perſpicere lector poterit, qualis erga liberos ſuos pater fuerit, quanta ſedulitate, quibus in ſtudiis, quanto cum affectu & perficiendi deſiderio eoque non plane vano (vt in vna apparet Margareta) eos inſtituerit Thomas Morus.

In omni literarũ genere verſata fuit Margareta.

CAPVT XII.

Apophthegmata, ſapienter & piè dicta Thomæ Mori.

D THomam Morum virum doctum, magni ingenii, pium ac religioſum in primis fuiſſe, ex iis quæ iam commemorauimus facile lector deprehendet. Cæterum vt eius ingenii, doctrinæ, pietatis, fructus aliquis in hac eius vita deſcribenda ad Latinum lectorem accedat, vtque ea qualia in Moro fuerint, non communibus tantum argumentis, ſed propriis & ad oculum demonſtretur, quaſique digito palpandum præbeatur, proferam hoc loco varia eius apophthegmata, ſapienter aut piè dicta: ſimilia quoque ex Anglicis eius operibus à me obiter collecta: non ſane omnia quæ maiori forte ſtudio colligi poterant, ſed quæ mihi ea nuper percurrenti occurrere potuerunt. Exiſtimaui enim iſtud non ad Mori tantum commendationem facere, ſed (quod magis ſpectabam) ad lectoris vtilitatem, & ædificationem facere poſſe. Neq; inſolens eſt in magnis aut ſanctis viris deſcribendis eorum præclara dicta & γνώμας recenſere. Sermo enim indicat hominem, & ex abundantia cordis os loquitur. Illa igitur ſine vlla connexione aut ordine (neque enim illud hic locus poſtulat) notatis tantum ex volumine Anglico locis ſubiungam. Ac primum ex libro de quatuor nouiſſimis. *Ne exiſtimes iucundum eſſe, quicquid inſani homines ridentes faciunt. Nam & phreneticum videas, quum caput parieti ſtrenuò impingit, affatim ridere.* Hoc de vulgi iudicio & opinione dicebat, à qua pendere ſtultiſſimum duxit. *Peccator ſpiritualem voluptatem ideo guſtare non poteſt, quia abiicienda prius carnalis eſt.* Rationem reddit cur multi nullum in oratione aut diuino cultu guſtum inueniunt. Cur mortem pauci recogitant neque formidant, hoc ſimili docuit. *Vt qui eminus aliquid videt, confuſè videt, neſciens homo ne an arbor ſit; ſic qui vitam ſibi longam promittens, mortem quaſi eminus & longiſsimè adhuc à ſe diſtantem reſpicit; ille eam qualis ſit, quàm terribilis & acerba, & horrenda, quos angores, quæ pericula adfert, non videt.* Vt in nulla ætate aliquis ſibi longam vitam

Pag. 73. Vulgi iudicium.

Pag. 74. Spiritualia cur nõ placent.

Pag. 79. Mortis memoria.

promitteret, hac hypotypoſi ſuaſit, *Sicut qui è carcere ad patibulum ducitur, quo duæ quidem viæ ducunt,* A
Pag. 82. Perpetua mortis expectatio. *vna per circuitum longa, alia recta & breuis, ſed vtraque ad patibulum ducto ignoratur, donec ad exitum ventum ſit; non habet exiens vnde longiorem ſibi promittat propter alterius viæ incertam longitudinem, ſic iuuenis non poteſt longiorem ſibi vitam promittere quàm ſenex.* Nempe ſtatuit (quod res eſt) omnem hominem propter peccatum originale naſci ad patibulum mortis damnatum: ad quod per circuitum ſenex, per diametrum iuuenis tendit: ſed neuter ſuam viam nouit donec mors veniat. Contra vanitatem honoris mundani dicebat, *Sicut vaniſsimus ille facinoroſus haberetur, qui è carcere ad patibulum ducendus in carceris veſtibulo aut valuis nobilitatis ſuæ inſignia collocaret; ſic vani ſunt omnes peccatores terræ qui in hoc mundi carcere magno ſtudio honoris & dignitatis monimenta relinquunt.* Ne quis in
Pag. 84.
Pag. 91. ſuperfluorũ iactura ſe lædi exiſtimet, hoc dilemmate vtebatur. *Qui rerũ iacturam patitur, bona quæ amiſit vel laudabiliter expendere voluit, & Deus volũtatem pro facto habet; vel nequiter abſumere; & eſt quod gaudeat materiam peccati ſublatã eſſe.* Vt ſtultitiam auari maximè ſenis ad viuum exprimeret, hunc
Pag. 92. apologum finxit, *Latrunculus accepta in craſtinum mortis ſententia, præcedenti die furatur. Cauſam rogatus reſpondit, quia vel vna nocte eius pecuniæ dominum eſſe, magna ei voluptas fuit. Sic auarus ſenex etiam in decrepita ætate cumulum augere non deſinit.* Hæc in illo imperfecto opuſculo, cuius ſi quod intercidit inuentum fuiſſet, multo haud dubiè plura ſapientiæ ſuæ & ingenii documenta in illo pio opere Morus reliquiſſet. Stultitiam atque adeo inſaniam eorum qui theſauris pecuniæ recõditis oblectantur, hac comparatione egregiè expreſſit. Scribit in perſona animarum defunctarum, & in
purgatorio exiſtentium, in libello ſupplici earundem de quo ſupra diximus. *Nos*, inquit, *hic in* B
purgatorio conſtituti, quũ auri & argenti ſacculos quos olim in ſæculo recondidimus, recordamur, non ſecus ſtultitiam illam noſtram etiam cum ſtomacho ridemus atque damnamus, quam olim viri riſimus ſacculos noſtros ceraſeis lapillis plenos, quos forte dum pueri eſſemus magno ſtudio in neſcio quo domus angulo repoſueramus, poſteaque viri facti caſu inueneramus. Sicut enim tunc puerilem ineptiam circa ceraſorũ lapillos riſimus & dãnauimus, ita nunc ineptiam virilem circa auri nummos reconditos ridemus & damnamus. Nunc ex libris de conſolatione in aduerſis, conſimilia proferemus. Ne aduerſis quis perturbaretur, hoc graue
Li. 1. c. 6. documentum quaſiq; paradoxon poſuit, *Tam cæca eſt mortalium mens & futuri incerta, tã etiam in ſuis affectibus inconſtans & mutabilis, vt vix acerbius hominem Deus punire poſſet, quã ſi ei omnia ex animi voto & ſententia ſuccedere pateretur.* Præſentis tribulationis fructũ hac erudita partitione demõſtrauit.
In inferno omnis pœna per modũ iuſtæ vindicationis tantũ infertur, quia purgationis ille locus non eſt. In pur-
Li. 1. c. 11. Tribulationis fructus. *gatorio omnis pœna purgat tantum, quia merendi locus ille non eſt. In hac vita omnis pœna & purgare poteſt peccatorem, & meritũ adferre iuſto, quia vtriuſque locus hæc vita eſt.* Eorũ vanitatem qui hanc vitã otiosè aut vanè tranſigunt hoc ſimili expreſſit, *Qui hoc peregrinationis tempore ocio & voluptati indulgent, ſimiles ei ſunt qui domũ iter faciens, vbi omnibus rebus abũdaret, in aliquo diuerſorio in gratiã cauponis ſtabularius eſſe vellet, vitamq; in ſtabulo finire.* Nẽpe in regnum cœlorũ tendimus; ſed interim vt cõger- C
Li. 1. c. 13. Voluptuariorũ error rone aliquo aut amiculo fruamur, terrenis inhæremus. Contra ignauos & molles animarũ curatores hac egregia hypotypoſi vtebatur. *Sicut aſtuta mater tenerũ paruulum qui nimiũ diu in lecto ſtertuit, & iturus ad ſchola plorat virgã metuens, blandis verbis & promiſsis emittit, omnia ei ſalua promittens,*
Li. 1. c. 14. *vel quia tã ſerum non eſt, vel quia præceptor hac vice indulgebit; nec quã pœnam in ſchola luat penſi habet modo hilari vultu cũ ſuo butyraceo eũ à ſe dimittat, ſic multi animarũ curatores diuitibus & voluptuoſis placentia lo-*
Paſtores placentia loquentes. *quuntur; ad mortẽ properantes, & à pœnis infernalibus ſibi metuẽtes vana ſpe lactant, omniaq; ſalua promittũt; vel quia non ita grauiter Deũ offenderunt, vel quia miſericors Deus facile indulgebit: necquas poſtea in inferno pœnas luant quicquã curant, modo eos in hac vita nõ contriſtent, ſed beneficos & liberales erga ſe ſentiãt.* Volẽs declarare vtra fortuna magis ab orando Deum hominem auocet, aduerſa ne an ſecũda, hoc diſcrimen ponit, *Impium quidẽ hominẽ tam in proſperis voluptas, quã in aduerſis afflictio ab oratione reuocat.*
Li. 1. c. 19. *Hoc tamen diſcrimen eſt quod afflictio etiã ab impiiſsimo aliquam interdũ oratiunculam extorquet, voluptas autẽ etiam mediocriter bonũ ab omni oratione auocat.* Cõtra impœnitẽtes, & vſq; ad vitæ finẽ emendationem procraſtinantes, hanc ſeu rem fictã ſeu rem geſtã narrat. *Impœnitens nequã qui per totam vi-*
Li. 2. c. 5. Sera pœnitentia. *tam ſceleratè viuebat, iactitare ſolebat ſe in vltimo articulo tribus tantũ verbis recitatis, ſaluũ fore. Hic tandem necdum adeo ſenex, equo pontẽ diffractũ tranſiens, titubante equo, quũ illum erigere conaretur nec poſſet, ſed neceſſario ſibi in aquas præcipitem cadendum videret, laxatis habenis cadens exclamat, Capiat omnia dæmon: atq; cum tribus ſuis verbis immerſus periit.* Inter veram & falſam viſionẽ hoc diſcrimen poſuit, *Qui vera* D
Li. 2. c. 16. *viſione perſuadetur, & qui falſa illuditur, ſic differũt ſicut vigilans à ſomniante.* Eorũ qui puſillanimes ſunt vanam formidinem hac ſimilitudine appoſitè demõſtrauit. *Sicut qui pontem ſublimẽ paulo anguſtiorẽ*
Ibidem. *trãſiens, formidine nonnunquã ſic tangitur, vt ex eius ſola apprehenſione cadat deorſum qui alioqui ſi nihil metueret, facillimè trãſiret illæſus, fortè & trãſcurreret: & ſicut tali formidine perculſo ſi aſtãtes acclamãt, Ecce ca-*
Puſillanimitatis error. *dis, ecce cadis, certiſsimè cadet, alioquin nõ caſurus ſi hilari vultu eũ aſtantes aſpicerent, nihilq; eſſe periculi aſſererent; eodẽ plane modo qui natura meticuloſus, puſillanimis & ſuſpicax eſt, diabolo in aurẽ cordis acclamãte, Dãnaris, damnaris, in barathrũ deſperationis ſe præcipitem dat; nõ ſic facturus, ſed omnem illã tentationem facile ſuperaturus; ſi vel natura paulo fortior eſſet, vel ſanis & ſalubribus bonorum cõſiliis ad meliorem ſpem erigeretur.* Res huius vitæ ſecundæ quam fluxæ & caducæ eſſent hac comparatione oſtendit. *Proſpera*
Ibidem. *huius mundi ſunt velut dies brumalis breuiſsima, noſque in ea quaſi ſagitta altè etaculata ad momentũ at-*
Proſperitas fallax. *tollimur, vbi quaſi aer calidior nobis aſpirat; ſed inde rursũ in momẽto in terrã cadimus, ibiq; fixi hæremus, ſatis*
Ibidem. *interdum vel ſordidi & infamiæ luto cõſpurcati, vel frigidi & plumis omnibus ſpoliati.* Diuitias & honores peccãdi quandã ſecũ neceſſitatẽ adferre his ſimilibus explicauit, *Sicut difficile eſt picem tangere &*

non

A *non inquinari ab ea; stuppam igni apponi & non comburi, colubrum in sinu alere & non morderi ab illo; sic difficillimum est diuitem & honoratum in sæculo superbiæ & ambitionis iaculo non feriri.* Hominẽ in summa dignitate constitutum, vt in vanam sui complacentiam non infletur; monet, vt existimet quemlibet etiam mendicum parem sibi ac socium esse. Ad hoc persuadendum hac hypotyposi vtitur: *Sint duo mendici qui simul diu mendicarunt; quorum alterum diues aliquis in domum suam recipiat, veste holoserica induat, multis pecunijs donet; ita tamen vt ei prædicat infra breue tempus domo illi exeundũ, omniáque illa deponenda ac reddenda esse. Si is interea in socium mendicum incidat splendide vestitus ipse, an eum pro socio non agnoscet: an propter paucorum dierum fortunam, meliorem se illo iudicabit?* Sic quippe omnes æque nudi in hunc mundum venimus: æque nudi hinc discedemus; sola Dei gratuita liberalitate, plus interea minusve induti. Auaritiam dicebat esse *igni similem, qui quanto plus lignorũ depascit, tanto sit feruentior ad plura depascenda.* Dicebat domicellæ quæ multo cum labore, atque etiam dolore crines complicabat vt frons lata esset, tunicámque constringebat, vt gracili corpore videretur; *Nisi Deus tibi pro hoc tuo tanto labore infernum reddat, magnam tibi profecto iniuriam faciet.* Affirmabat serio persuasissimum sibi esse *quam plurimos in hac vita eo labore infernũ mercari, cuius vel dimidio cœlũ lucrati fuissent.* De grassatura hæresi in Anglia (quod nimis vere præuidit & prædixit dicebat sub hypotyposi Mahometicæ blasphemiæ in Hungariã inuehẽdæ: *Sicut aduersus instantem* B *procellã exæstuat mare, & ventis necdũ spirantibus motus insolitos inquietũ excitat; sic videre mihi videor complures ex nostris, qui paucis annis hæretici, schismatici, Lutherani, aut Sacramentarij nomẽ audire non sustinebant; nunc id genus hominum æquo animo ferre: sed & nonnunquã aliquantulum laudare, ac paulatim (quantũ permitti sibi posse putant) Ecclesiã, clerum, ceremonias sacramenta, leges cupide reprehendere & libenter taxare.* Diuitias vocari non debere vt solent bona hoc argumẽto ostẽdit, *Si fortitudinem qui habet fortis est, qui calorem calidus, qui sapientiã sapiens, diuitias autem qui habet bonus illico non est, bona vocari diuitiæ non debent.* De honoribus in Republ. dicebat, virum honoratũ, quo sit in Rep. aliquis honoratior (quales omnes sunt excepto Rege) frustra sibi de honore placere: *Viginti enim* (inquiebat) *vel etiam centum aperto capite circumstantes non sic caput tuum à frigore defendant, sicut vnicus tuus pileus, quem coram superiore exuere necesse habes.* Istud verò pie admodum ac sanctè dicebat salubritérque tota vita ruminabat: *Nulla animi peior affectio, quàm ea re delectari, quæ nisi peccando obtineri non potest.* Ad quod etiam confirmandum addebat: *Qui cum Dei offensa bona mundi, vel acquirit, vel conseruat, certissimè sibi persuadeat, illa bona nunquam et bono futura. Nam vel cito Deus male parta auferet, vel ad maius malum conseruari permittet.* Contra tenaces & eleemosynas non facientes hoc simili absurditatem eorum ostendere voluit: *Sicut qui certo sciens fore, vt breui in exteram regionem compellatur, vbi natali solo relicto toto reliquo vitæ tempore agere debeat, ægrè tamen ferret bona sua in illam regionem exportare, & eis tantisper domi carere, vsurus postmodum semper, meritò insanire iudicaretur; sic plane insaniunt qui* C *stulta cupiditate illecti, bona sua penes se quàm possunt diutissimè retinendi, aut vano timore futuræ indigentiæ negligunt ea per eleemosynas aliósque bonos vsus in cœlum præmittere, vbi certissimè sciunt perpetuò se cũ omni affluentia & geminata mercede victuros.* Vt cæteris sui incommodum leuaret, dicebat totum mundum in quem homines ex paradiso eiecti ob peccatum deturbantur, nihil esse aliud quàm carcerem, vnde omnes ad causam dicendam suis singuli diebus euocarentur. Atque hæc ex libris eius moralibus moralia decerpsi. Ex familiari eius consuetudine quædam sapienter dicta animaduersa sunt. Inter quæ illud celebre est quod & frequenter in ore habuit: *Facile fieri potest, vt capite quis minuatur, nec quicquam tamen lædatur.* Nempe quum pro fide & iustitia id fit. Illud etiã eleganter dicere solebat: *Bene ac laudabiliter facta pro merito compensare mundus, hic nec ingratus solet, nec gratus potest.* De hæreticis dicebat. *Sustulerunt hypocrisim sed impudentiam substituerunt; vt qui ante religionem simulabant, nunc in impietate glorientur.* Orare sic solebat: *Domine Deus fac me in illis consequendis operam collocare, pro quibus obtinendis soleo ad te orare.* Quum domi suæ loco quo hospites excipere solebat, aliquem sermonem detractorium audiret contra honorem, vel Dei, vel principum, vel proximi, vt eum interrumperet, in more semper habebat dicere: *Dicant & sentiant cæteri vt volunt; mihi sanè videtur quòd istud ambulachrum est egregiè & valde cõmodè extractum*, atque ita ad alia sermonem deflectebat. Dicebat de ingratis: *Beneficia pulueri, si quid mali patimur marmori insculpimus.* Nunc ex operibus contra hæreticos elaboratis nonnulla proferemus. Quum hæreti- D ci rationis vsum in rebus fidei prorsus reiicerent, importunam illam & superstitiosam ineptiam sic reiecit: *Ratio* (inquit) *non est censenda inimica fidei, nisi forte inimicum iudices quisquis te melior, aut maior est qui tamen non noceat. Quo certe modo ex quinque sensibus tuis alter alteri inimicus fuerit, vt visus tactui, quia ad longissimè dissita ille pertingit, hic nisi ad proxima.* Móxque quo tandem modo fiat, vt ratio fidei non aduersetur, sed ad eam illustrandam multum valeat, hoc simili docet: *Sicut ancilla si laxatis habenis audacula esse & procaciter agere permittatur, non dubitabit dominæ contradicere & petulanter cum ea altercari; si vero in officio contineatur, morigeram se & obsequentem in omnibus præbebit, & vtile obsequium faciet; sic ratio humana vbi semel audax & arrogans esse cœperit, non dubitat in multis fidei cõtradicere, & de his quæ sunt fidei arroganter contendere: pia autem & humilis ratio facile se captiuabit in obsequium fidei, adeoque fidei dictata & præcepta iuuabit.* Erat certè Morus in similibus acute inueniendis & sapienter applicandis fœliciſsimus. Hæreticorum dissentientes sententias nihil aliud esse quã improborum omnium conspirationem quandam qua toti orbi illudatur, hac festiua comparatione expressit: *Ab hæreticis hodie veritatem velle exquirere non aliud esset quàm eam fortunam subire quæ alicui in deserto aberranti, & viam quærenti contingeret, si forte in nebulones quosdam incideret, qui de via*

Ibidem. Superbiæ absurditas

Li. 2. c. 17.

Ibidem. Impiorum labor.

Ibidem.

Lib. 3. c. 1. Prognostica futuræ hæresis.

Lib. 3. c. 5.

Lib. 3. c. 11.

Lib. 3. c. 14.

Lib. 3. c. 15.

In l. de vita Richardi Regis. Dialog. l. 1 cap. 23. Ratio & fides.

Ibidem.

In cõfutat. Tindalli pag. 707.

Hæretico-rum diſ-ſentiones. Cõtra Tindallum pag. 356. Apolog. cap. 4. *rogati, omnes ſe in circulum conijcerent, dorſo ad dorſum contrapoſito, quorum vnuſquiſque diuerſa & auerſa facie reſpiciens quærenti diceret, hæc quæ ante me iacet tua via recta eſt, digito demonſtrans quiſque quod illi obuerſatur viæ.* Vt enim iſtos nebulones certũ eſt quærenti illudere, ſic & hodie hæretici faciunt. Hæreticorum libros non eſſe ab indoctis legendos hoc ſimili ſuadet: *Deſiperet planè, qui ſciens, & prudens venenum prius exoptaret, vt poſtea Antidotum præſentem acciperet. Sapit qui veneno intacto, vel potius effuſo, illis Antidotum relinquit, qui illa opus habent.* De tranſlatione bibliorum hæretica dicebat: *Sicut æquè facile eſt telam de nouo texere, quàm telæ reticulatæ hiatus replere; ſic non minor eſſet labor biblia de nouo vertere, quàm corruptas hæreticorum verſiones emendare.* De non legendis hæreticorum verſionibus etiam correctis dicebat: *Nemo qui quicquam ſapit pane illo veſceretur quem ſciret ab inimico venenatum, quomodocunque ab amico poſtea abraſum & emundatum cerneret.* Maximè quum ad manum panis alius ſit nunquam infectus. Hac fœlicitate ingenij vſus varia hæreticorum argumenta rationibus à natura petitis ſæpe refutauit. Arguentibus hæreticis ſic. Deus pro ſua bona voluntate ſaluat nos, & voluntariè genuit nos in verbo veritatis; & fides eſt donum Dei non ex nobis: ergo nulla noſtra voluntate hoc fecit, neque prout nos voluimus, ſed tantum prout ipſe voluit, reſpondit Morus: *Quum multis precibus magnoque labore & induſtria aliquid impetramus indebitũ, non dubium quin qui beneficium confert pro ſua bona voluntate & voluntariè conferat. Quis tamen neget noſtram quoque voluntatem cooperatam fuiſſe, quæ niſi adfuiſſet, nec precibus, nec labore vſa fuiſſet?* Sic enim & pœnitentes veniam & iuſti multa gratiæ beneficia à Deo impetrant. Dicentibus hæreticis ieiunia non niſi ad edomandam carnem aſſumenda eſſe, reſpondit: *Hoc ſi ita eſt, nec coniugatos vnquam facile ieiunaturos qui aliud remedium in promptu habent, nec virgines ieiunare auſuras, ne impudici iuuenes aduertant à carnis illecebris eas titillari. Denique hoc nihil aliud eſſe quàm vt ſuam quiſq; libidinem probet.* Sed huius generis in ſequenti capite nonnulla proferemus. Dicebat, eum demum ad videndum Deum facilè à Deo admitti qui Deum videndi ingenti deſiderio tenetur. Contra vero neminem ad videndum Deum vnquam admitti, qui vt eo admitteretur diu multúmque non deſiderauit. Sed nunc contenti his paucis ſapienter & pie dictis, quaſi verbi gratia prolatis, è quibus quantũ doctrina, quantum ingenio, quantum pietate Morus valebat, facile eſt deprehendere; ad alia tranſeamus, vnde ingenij non pietate tantum & eruditione clari, ſed etiam acuti, lepidi, atque inoxie faceti documenta proferentur: vt ita totam quaſi naturam & indolem viri huius admirabilis perſpectam lector habeat.

Apolog. cap. 8.

Ibidem.

Contra Tindallum pag. 368.

A B

CAPVT XIII.

C

Acute & facete dicta vel reſponſa.

In præfat. ſui Eccleſiaſtis. THomas Morus cui *pectus erat omni niue candidius* (vt ſcribit Eraſmus familiaris eius amicus) vt vir erat prudentia grauis, moribus ſeuerus, conſilio altus; ita quoque erat in vitæ conſuetudine mire ſuauis, lepidus, ac facetus. Quam quidem ſuam grauitatem in ſupremis & variis Reipub. muneribus bene cõprobatã, perpetua quadam ſuauitate & lepore ita condiuit; vt neſcias an fuerit Senator grauior, an amicus iucundior. Rebus etiam grauiſſimis facetias ita intermiſcuit, vultus tamẽ totiúſque corporis externa grauitate nihil prorſus immutata; vt nec vnquam toruus, ſed ſemper iucundus, nec vnquam ſolutus aut leuis, ſed ſemper grauis ac ſibi conſtans videretur: adeo ſane vt quum meros iocos diceret, etiam à familiariſſimis ſerio loqui putaretur. Nam & quum fortiter aduerſario reſpondet, ipſa reſponſio ſæpenumero iocus eſt. Nuſquam tamen in eius ſcriptis ſarcaſmos, ſcommata, vel acerbas ironias videas. Ludendo hęreticum confutat, accuſationem diluit, obiectioni reſpondet. Denique quũ maxime premit vel premitur, aliquo lepore vel ferit vel ictum auertit; idque tanto ingenio tam acutè, vt neſcias quid mirere magis, ingenij fœlicitatem an morum facilitatem, acumenne an elegantiam. Sed ſatius eſt nunc vt harum rerum omnium exempla proferamus. Id autem fiet partim ex ſcriptis eius, partim ex iis quæ certa relatione didicimus. Sed primum quæ ex ſcriptis collegimus. Luthero poſtulante pro miraculo haberi quod tantus Chriſtianus populus tam breui tempore in ſectam eius cõceſſerit; reſpõdet Morus; *Ad propoſitam vitæ libidinoſæ licentiam populũ ruere, id habet tantã miraculi ſpeciẽ, quã ſaxa deorſum cadere.* Rursũ paulo poſt. *Monaſticũ vitæ genus ſi eſt, vt vos videri vultis, aduerſus Euangeliũ, oportet Euangelicã vitam huic eſſe contrariam: hoc eſt eſſe talẽ, vt ſe curet molliter, bene comedat, bene bibat, bene dormiat, libidinetur & voluptate diffluat.* Et iuſta & grauis, ſimulq; acuta & faceta reſponſio. Talis etiã eſt iſta. *Si bona ſunt opera quæ neceſſario producat fides* (hoc enim aiunt vt aliquo honeſto prætextu ſolã fidẽ retineãt) *quid aliud facitis diſputãtes aduerſus opera bona quam deblateratis aduerſus fructum fidei?* Rurſum & iſta. Quum hæretici tanquam mercenarios reiiciant qui bonorum operum mercedem ſtatuunt reſpondet Morus: *Iſti boni viri tam generoſo ſunt animo vt potius quam in vineam ſeſe conduci ſinant denario, extra vineam velint perire ſuſpendio.* Denique & illa. *Quum eo nomine ſoleatis inſectari Theologiam ſcholaſticam, quod illic cum periculo veritas*

In Epiſt. aduerſus Pomeranum.

Pag. 12. b. *Pag. 25. a.* *Pag. 29. b.* *Pag. 39. a.* *Pag. 13. b.*

trahatur

A *trahatur in dubium; à vobis falsum pro indubio aduersus verum asseritur.* Nunc ad Anglica scripta veniamus: nam cætera Latina in volumine Latino contenta omnium manibus teruntur. Quum hæreticorum libri ex breuitate commendarentur, respondit: *Scripta hæreticorum quum nihil concludant boni, vtcunque breuia hoc totum quod sunt, nimis sunt prolixa.* Rursum alio in loco elegantius: *Sicuti nemo breuiorem cursum conficit, quam qui vtroque pede caret, sic nemo breuius scribit quam qui tũ verbis aptis, tum materia iusta destituitur.* Dicente quodam hæretico non debere Morum eos scripto arguere, qui schismata & dissentiones excitant, nisi ipsemet eisdem remedium posset adferre, respondit, *hoc perinde dici ac si nemini liceret incendiarios taxare, nisi qui incensas ædes restaurare queat.* Sed acutius istud magisque facetum. Scripsit per contumeliam hæreticus quidam: *Debet hæc nobis Morus probare expresso Scripturæ verbo, non autem somnijs suis non scriptis.* Respondet Morus, *Equidẽ somnijs meis maiorem authoritatem tribuit, quam ego, vel somniare vnquam ausus essem. Quum enim ea solum reijcit, mea somnia quæ scripta non sunt, ostendit se ad ea credenda paratum, quæ scripto mandare vellem.* Dicebat hæreticos argumenta sibiipsis formare & fingere (tanquam Catholicorum) lubrica & debilia, quæ nullo negotio possent statim confutari: *sicuti* (inquit) *paruuli ex tegularum fragmentis domunculas sibi extruunt, quas mox cum magna voluptate subuertant.* De hæreticorum maledictis quibus eum obruebant dicebat: *Non sum ita rationis expers, vt ab omnibus rationi aduersis, aliquid ratione*
B *dignum expectem.* Istas & alias Mori facetias quum hæretici ægrius ferrent atque culparent, magis, vt opinor, ingenio eius inuidentes, quàm quòd læsos se sentirent, ipsas quoque facetias suas facete defendit. *Vix* (inquit) *crediderim me in scriptis meis nimis iucundum his bonis fratribus videri, quos hactenus non audiui in meis scriptis aliquid ipsis iucundum legisse.* De Theologis in scholastica tãtũ doctrina versatis, PP. & Scripturæ lectione neglecta, solo contẽtis vel Petro Lõbardo, vel Gratiano, lociscq; PP. apud eos citatis, vt eorum magnum errorem & defectũ ostenderet in Epist. ad Martinum Dorpium sic scripsit: *Qui sunt ex hac Farragine, qui neq; veterum quenquã, neque Scripturarum quicquam legunt, nisi in sententijs & earum commentarijs, perinde mihi videntur facere, ac si quis authoribus omnibus qui Latinè scripserunt, omissis; Constructionum præceptis ab Alexandro petitis, reliquum ex Perotti Cornucopia, & Calepino conentur ediscere: quod persuasum habeant, in his omnia linguæ Latinæ vocabula sese reperturos: & profecto reperient plurima eademque selectissima. Nẽpe vt apud recentiores Theologos piorum dicta authoritatis loco leguntur inserta, ita hic quoque veteres poëtæ atque oratores, aliquot etiam qui nunc nec extant quidem. Sed neque hæc vnquam facient Latinum, neque illa Theologum si sola sint.* Iam vero non in scriptione tantum, cui lepores tanquam condimenta quædam inserere sese aiebat, sed multo magis in rebus ipsis sermonéque familiari mira quadam gratia lepores insparsit, sæpe etiam quod offendere grauiter possit, adhibito lepore declinauit. Quum Cancellarius esset, effregerat carceres eius domesticos hæreticus quidam, Constantinus dictus. Vocato igitur con-
C festim ianitore *serio mandat vt carceres bene reficiat ac diligenter obseratos teneat, ne forte reuersus qui fugerat denuo eos ingrediatur.* Quumque hæretici de hac sodalis sui euasione iactabundi passim dicerent Cancellarium hoc errore ita turbatum fuisse, vt vix triduo post prę ira comederet, respondit: *Ego profecto ob hoc factum nequaquam eum reprehenderim. Nunquam enim ita morosus esse velim vt ei irascar, qui quum minus commode sedeat, surgit quum potest.* Quantum autem hæc animi perpetua serenitas (quæ haud dubie ex conscientia perpetuo innoxia ideóque læta processit) & coniũcta verborum suauitas ac lepor ingeniosus in causis grauissimis Morum iuuerit, & innocentiam eius atque constantiam, commodè tutata fuerit; aliquot nunc exemplis docebo, ex quibus facetissimum hominis ingenium cum magna animi libertate & serenitate coniunctum luculenter apparebit. Quum orator populi esset in pleno Senatu, seu Regni Comitijs quæ parleamenta vocamus, Cardinalis VVolsæi (qui vnus omnia tunc apud Regem poterat) iniquas quasdam propositiones magna facundia, prudentia, constantia subuertit. Soluto conuentu accersitur à Cardinali, Mori (vt putabat) audaciam sua authoritate repressuro, in palatium nouum quod idem Cardinalis magnificum sibi recenter extruxerat. Quum diu expectatus prodiret tandem Cardinalis, Moro in presentia multorum dixit, *Vtinam Thoma More, quum Orator populi in his comitijs declarareris, ad portas vrbis Romæ fuisses.* Cui extemplò Morus, *Illustriss. Domine, & ego certe illud quam*
D *maxime optassem. Vidissem enim profecto præclaram vrbem de qua multa audiui nec hactenus vidi.* Neque plura adiecit. Hoc inopinato responso accepto, diu tacuit Cardinalis cum Thoma Moro inambulans. Tandem Morus silentij illius in tot & tantorum virorum præsentia pudore quodã suffusus, indecorum putans nihil ab alterutro dici, in hunc sermonem erupit. Illustriss. Domine Celsit. V. magnificum hic certe & illustre palatium extruxit: quędámque alia in eam sententiam. Cardinalis viri constantiam videns (existimabat enim fore vt veniam deprecaretur Morus, seque totum in potestate Cardinalis fore diceret) nullo dato responso confestim se & festinanter in cubiculum proripuit. Constanter hoc & libere. quod autem sequitur non libere tantum, sed & ingeniosè acutissimèque responsum, ita quidem vt acerbam contumeliam cordatè reiiceret, non offenderet tamen. Thoma Moro in Concilium Regium recenter cooptato, Cardinalis idem VVolsæus Concilij Præses propositum erat in pleno Senatu expedire, vt Conestabilis aliquis erigeretur supremus & generalis in toto Regno qui Regis personam vbique repræsentaret (qualem magistratum raro videt Anglia) haud dubiè vt ipsemet ille Cardinalis declararetur: (vt erat homo ad patriæ suæ perniciem ambitiosus) quúmque multa in eam sententiam dixisset, totus Senatus qui tunc ex nobilissimis Ducibus, Comitibus, totiúsque Regni præcipua nobili-

Pag. 848.
Pag. 931.
Pag. 935.
Pag. 1117.
Pag. 1131.
Pag. 930.
Apolog. c. 1.
Pag. 902.
Ibidem.
Constanter & liberè responsum.

tate constabat, in Cardinalis sententiam pedibus ibat, nullo plane contradicente, aut nullum A
scrupum iniiciente; donec ad Morum ventum est. Is cui postremo loco dicendum erat, aliter
sensit; suámque sententiam ita multis & firmis argumentis probauit vt reliquus iam Senatus nu-
tare, nouámque deliberationem expetere videretur. Iratus Cardinalis sic Morum alloquitur.
Ante verò non pudet More, quum sis omnium & loco & dignitate infimus, sic solũ sapere & à
tot nobilissimis ac prudentissimis viris dissentire? Ostendis te plane ineptũ & stultum esse Cõ-
Cardatè responsum. siliarium. Cui eucstigio Morus. Enimuerò magnæ Deo gratiæ agendæ sunt quod Regia maie-
stas in hoc suo supremo Senatu vnicum tantum stultum habeat. Nec plura apposuit Deliberatio in aliud tempus dilata; Postulatum reiectum est. Hoc eius responsum nescias maioris ne fuerit prudentiæ an modestiæ: non sine sale tamen. Atque hæc quidem eius acutè responsa fuerunt.

Quod nunc referam etiam in pleno concessu factum non acutum modo sed & valde lepidum fuit. Nam & in ipsis tribunalibus, adeóque (vt mox dicetur) in carcere, in patibulo, à facetijs non abstinuit. Sedente pro tribunali Moro, latrunculi quidam ex illis qui sacculos pecuniarios & crumenas mira facilitate resecant, producuntur, præsentibus & iacturas suas grauiter deplorantibus illis quorum fuerant refectæ crumenæ. Hic ex assessoribus vnus, vir grauis, & senex ipsos innocentes acerrimè cœpit obiurgare quòd sacculos suos accuratius non seruarent, sed sua incuria & negligentia nebulonibus illis furti huius exercendi ansam præberẽt Mo- B
rus audita hominis importuna oratione, qua eos obiurgabat quibus iustitiam administrare debebat, reiecta in proximum conuentum huius rei cognitione, sequenti nocte vnum ex latrũculis istis clàm è custodia ad se adduci fecit. Agit cum eo vt in proxima sessione senis illius qui sic innocentes obiurgarat, crumenam sedenti pro tribunali resecaret. Quod si faceret, gratiam ab eo hac vice expectaret. Recipit se facturum latrunculus nec illibenter. Considente igitur cum suis assessoribus in proximo conuentu Moro, euocatus inter primos latrunculus ille vt obiecto crimini responderet; ait habere se quidem quo se facile purget; non tamen id facere posse, nisi secretum quoddam ad sui purgationem pertinens, vel supremo iudici, vel ex Assessoribus alicui prius aperire permittatur. Rogat itaque vt ei liceat id facere. Iubetur deligere quem velit ex omnibus cui hoc aperiat. Deligit senem illum. Ad quem accedens vt ei in aurem secretum suum demurmuret, eadem opera crumenam illi ad latus pendentem bene onustam celerrimè resecat: moxque finito sermone ad locum suum descendit. Morus accepto indicio rei bene gestæ, captata occasione alterius cuiusdã miseri in discrimine capitis constituti aliqua præsenti eleemosyna iuuandi, collectam publicam fieri permittit; capto à se & à suis initio. quũ ad senem primo fere ordine veniretur, eleemosynam daturus resectam sibi crumenã videt: móxque & ira & pudore plenus iurat sibi ad tribunal conscendenti crumenam adfuisse. Monens igitur eum Morus non esse obiurgandos quibus id infortunij accidit, reddi à latrunculo crumenã C
fecit: ridentibus qui aderant omnibus, Morique prudentiam & facetissimam grauitatem pleno ore collaudantibus. Hæc & huiusmodi in causa, opinor, fuere quod in suo de se Epitaphio posuerit Morus: *Neque nobilibus erat inuisus, nec iniucundus populo.* Morus enim quadam comitate, & suauitate omnibus gratus fuit, omnium sibi beneuolentiam conciliauerat. Porrò sic fuit ingeniosè facetus & innoxiè acutus, vt hominum interdum vanitatem miro lepore acutissime tamẽ patefaceret. Quum Bruxellis legatione apud Carolũ V. Imperatorem fungeretur, accidit vt in tam celebri Aula nescio quis glorioſulus affixa ad valuas charta in omni cuiuscũq; iuris quæstione, adeóque in humanæ litteraturæ scientia, omnes ad certamen prouocaret: paratũ se dicens cuicunque quæstioni respondere ac de quacunque disputare. Thomas Morus visa hominis petulanti vanitate, hanc ex iure Britannico quæstionem proposuit: *Vtrum animalia capta in VVithernamia sint irreplegibilia*: addẽs esse in familia Legati Anglici qui de ea disputaret. Ad hanc quæstionem quum nihil ille glorioſulus respondere posset, ac ne terminos quidem intelligeret; & suam ipse vanitatem ita generaliter omnes prouocantem agnoscere coactus est, & per totam celeberrimam illam Aulam non sine risu acceptus fuit. Iam vero vt in rebus maximis facetus & iucundus semper esse voluit, ita in medijs facetijs grauitatem sic retinuit, vt non solum alijs affatim ridentibus ipse non rideret, sed præterea ne vxor quidem ipsa, aut domesticus vllus per- D
cipere ex vultu potuerit, serióne an ioco aliquid diceret: sed ex rebus ipsis coniecturam capere
Lepidè dicta. 1. illos oportebat. Disputabat aliquando domi suæ instante hora prandij cum quodam hæretico: vbi ex certa sermonis habiti occasione, stercoris canini mentio iniecta est: quo verbo dicto ingressus minister monet omnia in mensa parata esse: cui Morus. At, inquit, vide prius vt honestior cibus nobis apponatur. Quod ille serio dictum accipiens, ad dominam accurrens, & alios cibos parari dominum velle nuncians, vxorem & familiam non modice turbauit, donec re intellecta, in risum omnes soluti sunt: Sed minutulum istud. Grauius hoc & quod viri non minus prudentiam ac moderationem egregiam, quam elegantiã ostendit. Resignato ampliſſimo Cancellarij munere, móxque domum suam Londino rediens, nemine rei gestæ conscio, Ecclesiam
Vxorẽ facete ludit. 2. rectà ingressus (erat enim officij vespertini hora) finito officio ad vxoris suæ sedem (quam seorsim & clausam honoris causa in templo habuit) veniens dixit ei (quod vnus quispiam ex ministris alias ei dicere solebat) placet ne egredi? Dominus enim Cancellarius abijt. Quod quũ eum ipsum loquentem videret, iocum putans; enimvero, inquit, Domine More sic iocari te libet.

Cui

A Cui ille. Imo ſerio loquor & quod res eſt dico. Dominus enim Cancellarius diſceſſit & non eſt hic. Cui amplius miranti & ſtatim ſurgenti quum rem totam aperuiſſet, illa quidem fœminarũ more de viri honore imminuto multum dolebat. Morus vero hac faceta rei ſignificatione, & ægrum vxoris animum delinire, & quantuli hunc ampliſſimum honorem fecerit, docere voluit. Quum duas vxores duxiſſet & vtrámque ſtatura modicam; rogatus cur ita feciſſet, quia (inquit) ex duobus malis minus eligendum. In vincula quum coniiceretur, carcerem ingreſſus, iuſſus vt ſupremam veſtem cuſtodi de more tradat, pileum porrigit. (Hæc enim, inquit, ſupremo plane loco conſiſtit) quum togam cuſtos intelligeret ac conſuetudo flagitaret. In carcere 3. quum ageret, & ad cuſtodis menſam pro ſua dignitate & ſtatu (ſicut moris ibi eſt) tractaretur, dicente aliquando ciuiliter cuſtode (qui vir nobilis & ex equeſtri ordine fuit éſtque fere in caſtro Londinenſi ſemper) ac rogante vt appoſitis contentus eſſe velit. Si quis hic noſtrũ (inquit 4. Morus, erant autem præſentes omnes concaptiui) his appoſitis contentus non ſit, hunc meo iudicio, domo abigito & in malam rem abire iubeto. Quum tandem in carcere arctius cuſtodiretur, ſublatique eſſent libri omnes & chartæ, cubiculi ſui feneſtras deinceps die ac nocte occluſit prorſus. Rogatus à cuſtode cur ſic faceret, reſpondit, Sublatis mercibus & inſtrumentis claudenda officina. Theatrum ſupplicij locum conſcenſurus, manum ſibi à quodam, vt facilius 5. B conſcenderet, porrigi petens; Iuua me (inquit) vt conſcendam. In deſcenſu nemini moleſtus 6. ero. Denique petente veniam carnifice, vt moris eſt, ego vero (inquit) tui miſereor qui in tam 7. curta ceruice præſcindẽda vix te poteris honeſtè expedire. Propter has & ſimiles facetias quales aliæ multæ circunferuntur (quas hoc loco omnes recenſere nec opus eſt, nec incerta quarũdam permittit relatio) hæretici & æmuli eius leuitatem & ineptiam illi obiiciebant quod ſic in rebus grauiſſimis ludere quaſique ineptire ſoleret. Inter quos eſt Edoardus Hallus annalium noſtrorum ſcriptor, qui Morum propterea vocat, vel ſtultum ſapientem, vel ſapientem ſtultum. Cuius leuiſſimi hominis inepto ſcommati & contumeliæ ſic reſpondit quidam ex noſtris.

Η ἐμὲ μωροσοφὸν μὴν ἂν εἴποις, ἢ σοφόμωρον.
Μῶρος γὰρ κόσμῳεμὶ, σοφὸς Θεῷ.

Quæ ſic alius quidam Latina reddidit.

Halle tibi Morus ſtultus ſapienſque videtur:
Stultus erat mundo, nempe, Deo ſapiens.

C

Morus quippe non ex aliqua animi leuitate, aut ineptia, ſed certo iudicio, & ingenij facilitate has facetias rebus etiam grauiſſimis inſperſit. Cuius rei cauſam ipſemet appoſita quadam ſimilitudine quodam in loco idoneam adfert: *Sicut* (inquit) *quidam ægroti non aliter medicamẽta ſumunt niſi admixto aliquo (quod multum appetunt) vtcunque aliquantulum noxio, idque permitti medicus quũ aliter fieri non poſſit; ſic quia multi ſeria, & grauia documenta non libenter audiunt niſi aliquo ioco aut fabella intermixta, adhiberi illa & ſerijs admiſceri recta ratio permittit.* Hanc ille cauſam adfert cur in grauiſſimis diſputationibus ſuis, apologos, iocos, facetias interponit; quod quidem ſatis frequenter facit. Cur autem etiam in communi ſermone hoc fecerit, aliam alibi cauſam ſatis iuſtã proponit. Dicebat enim *iocos & facetias condimenta quædam eſſe quibus animi tædia & labores reficiuntur vt maiori cum alacritate poſtmodum reſumantur. Quemadmodum autem ineptum & abſurdum eſſet conuiuium, in quo cibi parum, condimentorum magna varietas & copia apponeretur; inſipidum vero & inſulſum in quo nihil; ſic omnino peſſime profecto illa vita inſtituitur, quæ fructuoſi laboris parum, aut nihil aſſumeret, iocis autem & inani ocio tota vacaret; arida autem & ingrata, triſtis & moroſa illa vita eſt, cui nihil iucunditatis & leporis aſpergitur.* Quod quidem vt ſemper verum eſt, ita maximè in homine in communi vita poſito, coniugato, aulico, veriſſime locum habet. Atq; hæc de eius acute & facete dictis ac reſponſis hactenus ex multis pauca. D

Lib. 2. c. 1. de conſolat. in aduerſis.

In operibus Anglic. p. 1048.

Quæ ſane omnia, totámque reliquam Thomæ Mori vitam hactenus deſcriptam dum conſidero; dum quot in Republ. munera & quam præclare geſſerit, quantus in litteris variáq; eruditione, qualis poëta, orator, philoſophus, atque adeo Theologus extiterit, quam multa ſcripſerit; quanta virtute ac pietate præditus, qualis paterfamilias, qualis liberorum Pater, quantus diuitiarum & honoris contemptor fuerit; quam multa ſapienter, acute, facete dixerit: quanta vi ingenij, quam fœlici memoria, quam candidis moribus; quam comem, ſuauem, atque humilem in tantis donis, in tantis honoribus, in vita ſemper aulica ſeſe præbuerit, apud me recolo atque recogito; videor mihi de Thoma Moro ea omnia adeoque verius & grauius dicere poſſe, quæ de M. Portio Catone Cenſorio ſcribit Titus Liuius: *In hoc viro tanta vis animi ingenĳque fuit, vt quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur. Nulla ars neque priuatæ neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Vrbanas ruſticáſque res pariter callebat. Ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios virtus prouexit. Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit vt natum ad id vnum diceres quodcunque ageret.* In virtutis ſtudio vir religioſus magis quam aulicus. Idem in lit-

Dec. 4. l. 9

Comparatio T. Mori cum M. Catone.

teris scriptor clarissimus: *Si ius consideres peritissimus; Si causa oranda esset eloquentissimus. Nec is tantum cuius lingua viuo eo viguerit*, in rostris, in tribunalibus, in plenis regni comitijs, Actor, Iudex, Orator populi: *monumentum eloquentiæ nullum extet. Viuit imo vigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis*, Latinis, Græcis, prophanis, sacris. Legatio si obeunda, nemo dexterior, fœlicior nemo. In consilijs rerum maximarum nemo prudentior. In asserenda veritate nemo liberior: tam ab omni fuco & assentatione alienus, quam in sententia dicenda simplex, apertus, & semper tamen iucundus. Nam quod de Catone scribit Liuius, *Asperi procul dubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit, sed inuicti cupiditatibus animi & rigidæ innocentiæ, contemptor gratiæ & diuitiarum*; à Thoma Moro cui pectus erat omni niue candidius longissime aberat, discipulo videlicet Christi non Zenonis stoici, & à quo didicerat *mitis esse & humilis corde*; quia *non in spiritu grãdi, non in commotione Dominus*; *sed sibilus auræ tenuis*: de quo etiam dicitur: *Non clamabit, non erit tristis neque turbulentus*. Illa igitur animi asperitate, linguæ acerbitate & immodica libertate excepta, fuit etiam inuicti cupiditatibus animi Morus, fuit rigidæ innocentiæ, contemptor gratiæ & diuitiarum; vt præcedentia quidem hactenus declararunt; sed ex sequentibus declarabitur adhuc magis: quæ docebunt omnem principis sui gratiam, amplas opes, summos honores contempsisse Morum vt rigidus esset innocentiæ cultor, vt inuictum cupiditatibus animum, vt illæsam, vt illibatam conscientiam seruaret. Rursum Cato illa morum suorum asperitate *tot cum patricijs viris simultates exercuit, totque eum exercuerunt, vt non facile dixeris, vtrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem*. Contra vero Thomas Morus totus ad amicitiam & candorem natus, nec vllas vnquam vel priuatim, vel publice simultates exercuit, nec quenquam inimicum habuit, sed vt est in eius Epitaphio, *in maximo officiorum & honorum cursu ita versatus est, vt neque nobilibus esset inuisus, neque populo iniucundus: furibus autem, homicidis, hæreticisq; molestus*: Grauitatem igitur, integritatem, innocentiam rigidam Catonis sic tenuit, vitijs infestus, improbis molestus; vt hęc tamen perpetua morum comitate, suauitate, mansuetudine temperaret; imo etiam lepore, ac iucunditate morum reficeret, gratáque redderet: Catone propterea ingenio, eloquentia, scientia, virtute, & innocentia nihil inferior, morum autem suauitate & melior, & fœlicior. Sed ad maiora nunc & excelsiora Thomæ Mori dona transeamus.

Matth. 11. 3. Reg. 19. Esai. 42.

A B

CAPVT. XIV.

Origo persecutionis & offensionis Regiæ contra Thomam Morum.

C

VENIO tunc tandem, amice Lector, ad locum illum propter quem præcipuè totam hanc narrationem instituí. Neque enim vt nobilem, vt doctũ, vt ingeniosum virum summisque honoribus perfunctum, non vt bonũ patrem, prudentem patremfamilias, æquum iudicem, sapientem, elegantem describerem; sed vt virum sanctum & glorioſum pro veritate ac iustitia Martyrem litteris commendarem, Thomæ Mori vitam explicandam suscepi. Cætera enim quæ hactenus commemorata sunt eò pertinent, vt quantus vir, quam principi suo charus & gratiosus; quam prudens, iustus, vtilis Consiliarius; quantos in Repub. honores, domi forisque amicitias consecutus; quanta eruditione, quantis ingenij viribus præditus; qualium liberorum pater, quam suis pignoribus charus, quam impensus eorum amator; omnibus his relictis atque abiectis, pro veritate occumbere voluerit; illúdque Caput securi subiicere, quod per multos annos in patria sua eminebat; honore, gratia, authoritate valebat; per annos etiam plurimos valere & eminere poterat si vel latum vnguem à veritatis confessione recedere voluisset. Est quidem causa Martyrij tanta, tam glorioſa, tam illustris, tã Deo chara, vt in quouis etiam perditissimo & vilissimo, vere tamen & sincere ad Deum conuerso, mortémque pro veritate fortiter oppetente, sua iusta laude non careat; ab Ecclesia Dei honoretur; à Deo ipso copiosa mercede remuneretur. Atqui vt in triumphante illa Ecclesia *multæ mansiones sunt, stellâque à stella claritate differt*; sic & in hac militante Ecclesia, ordo meritorum, & discrimen honorum est: quantóque plures & maiores tentationes superatæ, quanto confessio illustrior fuit; tanto & meliorem spirauit odorem virtutis exemplo, & ampliorem consequitur laudem Ecclesiæ iudicio. Nec absque causa notauit Apostolus, *Non multos sapientes secundũ carnem, non multos potentes, non multos nobiles*, Christi crucem suo tempore amplexos fuisse. Quam etiam ob causam etsi omnes Martyres honoret Ecclesia, tamen in Lætanijs illis publicis & quotidianis nobiles illos maxime conspicimus, Sebastianum Ducem Diocletiano familiarem, Ioãnem & Paulum duos fratres nobilissimos, ideóque clanculum interfectos, Cosmam & Damianum medicinæ scientia claros, & Diocletiano ac Maximiano Imperatoribus familiariter notos, Geruasium,

D

Ioan. 14. 1. Cor. 15.

1. Cor. 1.

Viros illustres martyrio perfunctos magis honorat Ecclesia.

A Geruasium & Protasium viros nobiles, & in sæculo opulentos qui matrimonio pauperibus distributo & seruis domesticis libertate donatis persecutorem præuenire volebãt. Sic S. Paulinus quia vir nobilis, quia opulentissimus, quia ordinis Senatorij, omnibus relictis humilis Ecclesiæ minister esse, operámque suam Ecclesiæ nauare voluit, miris & magnificis laudibus ab Ambrosio, Augustino, Hierouymo eius contemporaneis celebratur. Tanto igitur hactenus diligentius Thomæ Mori in sæculo honores, litteraturam, gratiam, authoritatem, naturæ quoque dotes, & chariſſima pignora, persequutus sum, vt quæ postea pro sola Dei gloria & conscientiæ suæ pace ac salute, acerba sustinuit, tanto vt erant, illustria appareant. Sed neque illa tantopere in Moro, vnquam prædicassem, aut prædicanda putarem nisi omnia veritati seruijssent, nisi Dei voluntati ac vocationi omnia subiecissent: non solum quia finis coronat opus & fructus boni operis perseuerantia est; sed etiam qui ea demum hominis docti, litterati, prudentis, honorati, boni ciuis, boni Senatoris, boni patris-familias, addo etiam boni Christiani vera laus est, & solida gloria; si vt multa bona opera laudabiliter facere, sic multa aduersa fortiter tolerare potest. Nos enim Christiani & veri Dei cultores *in patientia nostra possidemus animas nostras, secundum laborẽ nostrum mercedem accipiemus*, & *beatos* illos agnoscimus *qui lugent, qui crucem suam post Christum ferunt, quo persecutionem pro iustitia patiuntur*, maxime qui pro iustitia sanguinem fundunt: *Maiorem enim*
B *charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, quòd si pro amicis, quidni pro Deo super omnia diligendo? Nunc ergo martyrem Morum, glorioſum atque illustrem martyrẽ describamus. Quia autem causa martyrem facit non mors, causam ipsam ante omnia diligenter exponemus: idque eo diligentius quo minus à Latinis & externis scriptoribus hactenus intellecta fuit. Rem itáque ab ouo auspicabimur, omnémque accusationẽ, vel potius accusationis speciem, totámque Mori innocentiam & integritatem luce meridiana clariorem ob oculos lectoris ponemus.

Epist. 36. Epist. 32. & de ciuit. Dei l. 1. c. 10. In Epist. ad eundem tom. 1. Luc. 21. 1. Cor. 3. Matth. 5. Luc. 14. Ioan. 10.

Quum circa annum Domini 1528. infausta illa quæstio de primis Henrici Regis nuptijs cum Catharina, Arthuri fratris relicta coniuge moueri cæpisset, Thomas Morus etsi tunc Regi à Consilijs, ad illius tamen causæ, nec discussionem, nec examen ã Rege fuit à principio adhibitus: sed per solos Theologos & Canonistas examinata res erat. In cuius rei examine quum multa hinc inde dicta ac disputata fuissent, ac primum quidem de bulla dispensationis, quasi per defectum certarum clausularum insufficienter, vel non satis iuridice concepta, ad quem defectum supplendum alij breue quoddam Apostolicum protulerunt; postea vero de ipsa Pontificis (non in vniuersum, sed) in hac materia potestate (quæ videbatur quibusdam propter ius diuinum in Leuitico contrarium non posse subsistere) disputatum esset, Thoma Moro tunc
C fortè in Flandrica legatione absente, plane inscio & ignaro omnia fiebant. Illo vero ex dicta legatione reuerso, & quæ acta fuissent referente, Rex ipse ei seorsim vocato aperuit hanc diuortij causam, ipsisque biblijs prolatis, & locis in Leuitico & Deuteronomio designatis, quid ipsum aliósque multos doctos viros moneret, ostendit; simúlque quid ei in ea causa videretur rogauit. Morus sic à Rege rogatus quid sibi de illo textu scripturæ videretur ingenuè aperuit. Quæ eius sententia quum Regi non placeret, clementer tamen (vt videbatur saltem) eam accipiens, iubet eum hac de re cum Nicolao Foxio Doctorẽ Theologo, postea Episcopo Wintonienſi, sed tunc eleemosynario regio conferre, simúlq; librum quendam qui de hac quæstione iam præ manibus erat, perlegere. Contulit, legit, iterúmque & secundo eandem suam sententiam (in qua prius erat) Regi exposuit. Rex paulò pòst in Palatio suo Hamptonienſi conuentũ Doctorum virorum satis numerosum celebrat: cui tamen Morus non interfuit. Nec ferè in eo conuentu aliud actum est, quàm quòd de modo & forma libri supradicti de huius diuortij causa conscribendi, aliquid tunc certi statuebant: qui quidem liber paulò pòst coram Cardinali Wolsæo, alijsque quibusdam Episcopis & viris Doctis perlectus est: quibus omnibus videbatur certas, & iustas causas continere, propter quas merito Rex scrupum aliquem de primis suis nuptijs concipere posset, ideóque rectissime facturum Regem si hunc scrupum Ecclesiæ iudi-
D cio eximendum curaret. Hoc facto processus fieri cœptus est, & Legati Apostolici confidebant. Quo sane toto tempore Morus nunquam se negotio immiscuit. Neque (vt ipsemet scribit) idoneus erat, quum totus processus coram Theologis & Canonistis penderet. Quin & legatis hac in causa confidentibus (Campegio Italo & Wolsæo Anglo) Morus iterum à Rege Legatus Cameracum mittitur ad pacem concludendam inter Carolum Imperatorem, Ferdinandum Regem Romanorum, Henricum Angliæ, & Franciscum Francorũ Reges, quæ & tunc fœliciter confecta fuit. Absente Moro, legati itarem & causam hanc ad aliquot menses protraxerunt (de quo vide Polydorum) vt indignatus Wolsæo Rex 18. Octobris anni 1529. eum Cancellarij dignitate priuarit, & eiusdem mensis die 26. Morum tunc à legatione Cameracensi re bene gesta recenter reuersum eadem dignitate ornarit. Cancellarium iam factum Morum iterum monet Rex, vt de hac sua causa matrimoniali rursum diligentius cogitaret; rémque totam indifferenter examinaret; quo in examine si animaduerteret posse se in diuortium consentire, vsurum se perlibenter eius opera in re cum alijs magnis viris quibus hoc negotium mandauerat. Sperabat nimirum Rex fore, vt hoc nouo & amplissimo honore auctum Morum omnino in suas partes traheret: *Certè ipse rerum exitus* (vt Cardinalis Polus scribit) *satis declarat illum hac de causa Cancellarium esse factum, quo hac quasi mercede corruptus, se eo trahi pateretur.*

Origo schismatis in Anglia. In operibus Mori Anglicis, pag. 1422. Morus de diuortio sententiam rogatus improbauit. Collatione facta secundo improbat. Morus Cãcellarius creatus iterum de diuortio interpellatur.

Addidit tamen tunc Rex (siue quia adhuc indifferenter se in hac causa gerebat, quod non est adeo probabile propter Wolsæum à dignitate deiectum, proptérque alia quæ mox dicemus, siue quia cum Moro viro integerrimo aliter se agere non posse videbat) addidit, inquam, vt in toto rei examine nihil aliud diceret, vel faceret Morus, quam quod ipsa eius conscientia dictaret; vtque Deum primo, postea regem præ oculis haberet. Quibus verbis Morus mirifice, vt par erat, ad totam rem exactissime indagandam instigatus, vehementer à Rege petijt, vt præter id quod proprio studio forte assequeretur, dignaretur sua Maiestas aliquos ei designare, quibuscum conferre rem tantam posset. Designati à Rege sunt Cranmerus paulò pòst Archiepisc. Cantuar. & Lœus paulo post Archiepisc. Eboracensis, Richar. Foxius, & Nicolaus Italus, omnes vel Theologiæ, vel Canonum Doctores. Morus igitur habita cum istis doctissimis viris diligenti collatione, legens ac perlegens quęcunque in eam rem scripta à quoquam fuerant, suo studio omnia quæ poterat perquirens, animo nulla ratione in alteram partem obfirmato, sed maxime indifferenter se gerens, & quantum ratio ferebat aliorum se iudicio conformãs (quod totum dictæ personæ honoratæ Regi testificatæ sunt) vbi post omnem operam nauatã in priori tamen sua sententia persistens, eam Regi iterum aperuisset, protestatus se multo libentius Regiæ voluntati hac in re gratificari voluisse, quam honores vllos, aut opes quantáscunque (siue quas iam adeptus esset, siue quas adhuc adipisci poterat) à sua Maiest. recipere; Rex seu vero vultu seu composito, per benigne Mori studium ac responsum accepit, eósque* solos deinceps ad causæ huius matrimonialis discissionem admisit, eorum tantummodo opera vsus est, quorum conscientias videbat diuortium istud sine vllo scrupo probare. Moro autem ipso, alijsque permultis quorum conscientiæ hoc probare non poterant, Rex in alijs Reipublicæ negotijs vtebatur; nullius adhuc conscientiam premens, nulli super hac re molestiam, aut negotium facessens. Morus hoc officio peracto, in causa diuortij ita se deinceps sincerum gessit, vt etsi libros pro diuortio editos omnes auidè legeret, tamen libros contra diuortium editos nunquam postea inspiceret; etsi multi tum domi Anglicè, tum foris Latinè contra diuortium scripsissent. Sed & librum quendam Episcopi Bathonienſis, quem contra diuortium ille scripserat eo tempore quo Legati Pontificij, hanc causam cognoscebant, Morus inter suas chartas postea inuentum Vulcano tradidit. Hæc omnia à me hoc loco recitata, Morus ipse post abdicatam Cancellarij dignitatem in litteris suis ad Thomam Cromvvellum Consiliarium tunc Regium scribit; & ego huc idcirco ex Anglico transtuli, vt intelligat Lector, quæ esse potuit prima causa offensionis Regiæ contra Morum (quæ tamen hactenus non apparuit) quamq; sincere, prudenter, cordatè Morus hactenus se gesserit, ne vel Regem offenderet, vel conscientiam læderet, denique quantum Rex contenderit, vt Morum in suam sententiam pertraheret.

Cancellarius factus rursum diuortium improbat.

** Hinc apparet Regem in diuortium sua sponte propendisse*

Toto tempore quo Morus Cancellarius erat, causa diuortij pendebat indecisa. Rege autem voluntatem suam vel libidinem potius continuante, & eam omnibus modis explere volente, Morus turbarum quæ sequutæ sunt facilè præscius, multis magnisque precibus à Rege impetrauit vt Cancellarij munere ac dignitate defungeretur, postquam duobus annis cum dimidio amplissimo illo munere integerrimè fuisset functus. Renunciatus enim 26. Octob. anni 1529. resignauit 15. Maij anni 1532.

CAPVT. XV.

De Prima Mori vexatione & examinatione.

Morus resignatis honoribus calumnijs impetitur.

1.

MORVS nunc igitur priuatam domi vitam agens, soli Deo & studijs vacans (quod ab ipsa ineunte ætate desiderauerat, vt supra explicatum est) mox futurus nobilis veritatis Confessor, & virtutis & fortitudinis speculum, varijs calumnijs appetitur: siue id Rege ipso per suos clàm procurante (cui hominis seuera integritas, iam fastidio esse cœpit) siue æmulis suis id agentibus, vt summum Regis odium innocentissimo viro conflarent. Primum quum paucis post mensibus, (mense Augusto eiusdē anni) defuncto Gulielmo Waramo Archiepiscopo Cantuariensi, & in eius locum suffecto Tho. Cranmero Annæ Boleniæ à sacris, homine ad voluntatem Regis facto, & toto ad adulandum composito; idem Cranmerus (vt latius videre licet in libello de origine schismatis Anglicani) illud tantopere à Rege desideratum, tantóque innocentum sanguine fœdandum, tam horrendi futuri schismatis fundamentum, diuortium pronunciasset, tanquam videlicet Angliæ Primas & Metropolita; postquam Sedem Apostolicam potius abnegare Regi in animo erat, quam concupitis suis nuptijs diutiùs fraudari: statim post diuortium factum, libellus prodijt authoritate Senatus Regij editus, qui huius diuortij causas redderet: vbi inter cætera dicitur Regem ideo Sedis Apostolicæ iudicium non morari, quia ab eo ad generale Concilium appellaret. Rumor statim

A ſtatim percrebuit Morum huic libello reſpondiſſe, eúmque refutaſſe. De hac calumnia purgat ſe diligenter Morus per Epiſtolam ad Thomam Cromvvellum Regi à Concilijs & magnæ, tunc authoritatis virum, affirmans ſe neque aliquid contra illum librum ſcripſiſſe, nec vnquam ſcribere voluiſſe, quod multis ibi argumentis etiam plane improbabile eſſe demonſtrat. Hac labe abſterſa, alia inſpergitur. Non ita multo poſt, monialis quædam Anna Bertona, ſpiritu vt videbatur diuino afflata, Regi & regno male ominabatur. In ſuſpicionem itáque læſæ Maieſtatis vocata poſt diuturna vincula, extremo tandem ſupplicio cum quibuſdam alijs religioſis perſonis afficitur. Huius rei inuidia in Thomam Morum qui illam iuſſu Regis examinauerat deuoluitur, quod præter examinationis tempora, ſecretò cum ipſa contulerit, quódque litteras ad illam miſerit, ab eáque acceperit. Iámque adeò in plenis Regni Comitijs accuſatur hoc nomine Morus, ipſo Procuratore Regio ſeſe per libellum porrectum inſcribente. Cæterum totam hanc odioſam & conuictam calumniam Thomas Morus ſcriptis iterum ad eundem Cromvvellum, prætereáque ad Regem ipſum litteris à ſe excuſſit: effecitque vt ab illa intentata in Morum calumnia in Comitijs deſiſteretur. Hac duplici calumnia vtcunque depulſa, etſi hæc poſterior animo Regis altius inſederat, cuius ſuſpicionem improbatum ſemper à Moro diuortium magis auxerat, Morus hactenus in iudicium non vocatur. Interea diuortio,
B vt dictum eſt, pronunciato, & per libellum illum Senatorium publicato, deſideratis nuptijs potitur Rex. Menſe ſiquidem Octobri Anni 1532. Rex Annam Boleniam clanculum in vxorem ducit, paucis conſciis. Neque vſque ad Paſcha proximum ſolenniter celebratæ hæ infauſtæ nuptiæ fuere. Anno igitur 1533. 12. Aprilis Anna Regina per edictum pronunciatur, & 5. Iulij anni eiuſdem Regina Catharina Arthuri principis vidua, per edictum etiam declaratur. Sub initium vero anni 1534. menſe Aprili Anna iam ante octo menſes prolem ſuam enixa, mali corui malum ouum, voluit Rex ad maiorem diuortij ſui confirmationem, vt exhæredata Maria principe, Catharinæ filia, omnes in verba Elizabethæ quam peperit Anna iurarent, velut quæ ſola proles iam Regis legitima eſſet, & Regni hæres; ſimúlque Romani Pontificis authoritatem in Regno Angliæ abiurarent. Hoc geminum iuramentum quum Londini proponi cœptum eſſet, totúſque Clerus ad certum diem coram Cranmero Cantuar. Archiepiſcopo, totóque fere Senatu Regio vocaretur, ſolus ex laicis Thomas Morus vocatur, primúſque ſententiam rogatur. Qua in re quid reſponderit, & quomodo ſe geſſerit, malo ipſius verbis huc tranſlatis quàm meis dicere. Sic ergo iam in carcere Caſtri Londinenſis conſtitutus ad filiam ſuam Margaretam ſcribit: *Quum Lambethum peruenissem, vbi Domini Commissarij conſederant, cauſa*
C *mihi explicata ob quam eo citatus eſſem (etſi plurimum mirabar me ſolum ex laicis eo vocatum fuiſſe) petij inſpectionem iuramenti quam mihi ſub ſigillo Regio maiori exhibuerunt; Mox etiam Statutum de noua ſucceſſione vt oſtenderent rogaui; quod mihi typis excuſum communicarunt. Vtroque ſecreto apud meipſum perlecto, & conſiderato, reſpondi, me quidem nec Statutum ipſum, aut Statuti authores, nec iuramentum ipſum, vel qui in id iuraſſent, culpare velle, nec cuiuſquam alterius conſcientiam reprobare. Quod ad me vero pertinebat, dixi bona fide iuxta meam ipſius conſcientiam, etſi non recuſarem in ſucceſſionem ipſam iurare, tamen iuramentum illud mihi tunc exhibitum, me præſtare non poſſe, niſi animam meam æternæ damnationis periculo obÿcere velim. Quod ſi dubitarent me ex ſolo conſcientiæ ſcrupulo iuramentum hoc recuſare, paratum me dixi hoc ipſum iureiurando affirmare: cui ſi fidem non adhiberent; quomodo eſſent de mea voluntate certi, etiam oblato mihi ab illis iuramento præſtito? At vero ſi crederent me hac in re vera iuraturum, ſperare me tanta eos benignitate erga me vſuros, vt altero illo iuramento me non premerent, quod niſi periurus eſſe vellem, præſtare non poſſem. Quum hæc dixiſſem, Dominus Cancellarius Regni, mihi reſpondit, magnopere præſentes omnes dolere me talia dixiſſe, ipſúmque iuramentum his verbis recuſaſſe. Addebant etiam omnes fidem ſuam conteſtantes, me eſſe omnium Anglorum primum, qui hoc iuramentum recuſauerit: quæ vna res Regiæ Maieſt. grauem contra me indignationem, & prauam de me ſuſpicionem prouocaret. Móxque Catalogum mihi oſtenderunt, totius nobilitatis & populi, qui omnes iuramento ſuſcepto nomina etiam ſua ſubſcripſerant. Quo non obſtante quia me ſic videbant hoc iuramentum recuſare, vt alios tamen qui iuraſ-*
D *ſent non culparem, iuſſerunt me in hortum tantiſper recedere. Interea vero totus clerus Londinenſis, Paſtores, Doctores, Presbyteri omnes & nonnulli Epiſcopi (inter quos Roffenſis) ad præſtandum hoc iuramentum vocati ſunt, omnéſque ad vnum (excepo Domino Roffenſi, & Doctore Theologo VVilſono) ſine vlla difficultate, aut mora iurarunt, & ſubſcripſerunt. Hac ſcena peracta, denuo vocor. Ingreſſo mihi oſtenſum eſt quot, quàm multi, & quanti viri interea temporis tam breui interuallo, ſine vlla hæſitatione iuraſſent, & ſubſcripſiſſent. Quo ego viſo neminem tamen reprehendere volui, ſed eo modo reſpondi vt prius. Iam vero quum & hoc tempore, & prius quoque pertinaciam & obſtinationem animi mihi ſæpius obiecíſſent, quòd nec iuramentum admittere, nec cauſas aliquas recuſationis meæ explicare volui; quod poſterius ideo me non facturum dixi, quia ſola iuramenti recuſatio ſatis magnam Maieſt. ſuæ erga me indignationem prouocaret; cauſas vero ipſas ſi aperirem, ſuam Maieſt. grauius adhuc aduerſus me concitarem, quod nullo modo facere vellem, neque Regem plus quàm neceſſitas ipſa me cogebat, offendere; quum* (inquam) *hac mea ſatisfactione accepta, vrgerent nihilominus ac identidem repeterent me animo tantum obſtinato & pertinaci cauſas explicare nolle; ego hactenus illis acquieui, vt potius quàm obſtinatus videri vellem, dicerem, caſu quo ſua Maieſt. id mihi facere permittat, aut (quod malim) iubeat, data mihi interim cautione idonea, hanc ipſam explicationem mihi præiudicio non futuram, neque cauſam meam inde deteriorem fore, me paratum eſſe cauſas ipſas ſcripto explicare: ſimúlque iuramento affirmare quod iuramentum iſtud principale mihi oblatum ex toto animo ſuſcipiã, ſi*

2. *In operibus Anglicis, pag. 1422. & 1423.*

In operibus Anglicis, pag. 1428.

Morus Anglorum primus qui iuramentũ contra Primatum Rom. Pont. recuſauit.

Hæc nominum ſubſcriptio eorum fuit qui Parlamento interfuerunt.

Cur cauſas explicare renuerit.

Morus ab omni pertinacia alieniſſimus. offert iurare cauſis ſuis refutatis.

causis illis ita à quoquam satisfieret, vt conscientiam meam quietam & contentam redderet. Huic meo responso replicatum est, etiamsi Rex litteris etiam patentibus talem mihi potestatem faceret, hoc tamen sufficere mihi ad indemnitatem, non posse contra Statuti vim, aut decretum Parleamentale. Cui ego rursum respondi, si litteras Regias obtinerem, me illis contentum fore, & de reliquo Maiest. suæ honori ac fidei rem totam me meo periculo commissurum. Interim illud mihi, inquiebam, ex his verbis vestris perspicuum fit, quòd si absque tanto periculo vt dicitis, causas explicare nequeo, profecto causarum explicationem detrectare, obstinati animi non est. Hoc autem in loco Archiepiscopus Cantuariensis (Cranmerus) memor eius quod dixerã, me eorum conscientias qui iurarunt, nec damnare, nec reprehendere, sic aduersum me inferebat: satis inde apparere, quòd hanc iuramenti recusationem necdum vt rem certam, constitutam, & exploratam haberem, sed potius vt rem dubiam, incertam, controuersam; Nunc autem (inquit) certum & exploratum tenes, oportere te Regiæ Maiest. obtemperare. Debes igitur, & omnino teneris id quod incertum est dimittere, quod autem certum est amplecti: Iuramenti recusationem vt rem tibi adhuc incertam abijcere; obedientiam erga Regem, vt rem certissimam exequi, & præstare. Hoc certe argumentum etsi non mihi videbatur prorsus concludere quod intendit, tamen ita mihi derepente subtile visum est, maximè à viro tantæ authoritatis prolatum, vt profectò nihil aliud ex tempore respondere potuerim, quam mihi adhuc videri me reluctante conscientia facere hoc non posse, quia ipsa mihi conscientia dictabat, causam præsentem eiusmodi esse in qua Regi non sit obediendum: quia videlicet quicquid alij in hac causa sibi persuadeant (quorum ego vel conscientias, vel eruditionem, aut damnare, aut iudicare præsumere nolim) ego certe mihi persuadeo ab altera parte veritatem stare. Qua etiam in re meam conscientiam, nec leuiter, nec subito informaui, sed longa prius atque diligenti inquisitione facta (sicut videlicet ex alia eius Epistola superius declaratum est) Et profectò si illud D. Cantuariensis argumentum validum ac bonum est, via nobis expedita & clara monstratur qua omnes quascunque magnas de religione quæstiones concludere liceat. De quacunque enim in re inter Doctores controuertatur, Regis in alteram partem assertio, omnem controuersiam dirimit. Hic vero R. D. Abbas VVestmonasteriensis me aggreditur dicens, mihi meritò metuendum esse ne mea hic conscientia erronea esset, quum videam vniuersum totius Regni Senatum diuersum non sentire tantùm, sed & decernere, ideoque reformandam hanc meam conscientiam esse: Cui respondi, Si ego solus hoc sentirem, nec quisquam alius à meis staret partibus toto Regni Senatu ab alia parte stante, merito multum metuerem meæ singulari sententiæ inniti à tam multis reprobatæ. Nunc vero si econtra in certis causis ob quas hoc iuramentum suscipere detrecto, habeo mihi consentientem (vt mihi sanè persuadeo) æquè magnum adeóque maiorem Senatum, non tunc teneor conscientiam meam reformare, nec vnius regni Concilio contra generale totius orbis Christiani Concilium eam cõformare. Hic quum Dominus Secretarius, qui mihi vnicè fauet, grauissimè se doleret, multisque verbis dolorem suum exprimeret, regiámque aduersus me indignationem vrgeret respondi, quicquid mihi hac in causa triste accideret, à me corrigi non posse, absque euidenti animæ meæ periculo. His dictis Dominus Cancellarius repetit Secretario quasi iam ad Regem ituro recusationem meam prædictam. Quam quum repeteret, adiecit expresse quod ad decretum de successione attinebat, me non recusare quo minus in id iurarem. Quod ego quidem statim me facturum repetij, ea conditione vt iuramentum illud eo verborum tenore & forma conciperetur, in quam salua conscientia iurare possem. Quo dicto adiecit Cancellarius. Vide igitur domine Secretarie, & aduerte quòd nec in ipsam successionem iurare valt, nisi sub certa verborum forma. Omnino domine Cancellarie, inquiebam ego; nisi prius iuramentum ita conceptum videro, vt ipsemet clarè videam me sic iuraturum, quo nec periurus fiam, nec aduersus conscientiam iurem. Hæc hactenus ad filiam suam Margaretam Morus. Hæc fuit prima eius examinatio; hoc persecutionis exordium; hic primus actus funestæ istius quoad Regem tragœdiæ, fœlicis quoad Morum comædiæ. Videt hic Lector quàm sapienter, cordatè, modestè ad singula responderit; quàm piè conscientiam non lædat; quam studiosè Regem non offendat; quàm appositè singulis (quasi ceruum canibus allatrantibus) satisfaciat; denique quàm piè & Christianè se gerat. Mira res, inter tot laicos litteris claros, prudentia cõspicuos, authoritate magnos, nobilitate illustres, solum Thomam Morum, & quidem ante clerum ipsum examinari, rogari, tentari. Antea apparuit quantum tentauerit Rex vt hunc vnum hominem in suam sententiam pelliceret. Nunc videmus totum Regis Senatum, Cancellarium, Archiepiscopum, Abbatem, Secretarium, & communiter & sigillatim in vno Moro pertrahendo frustra contendere. Ostendunt ista & maximæ authoritatis ac fidei Morum apud Regem, Senatum, ac populum fuisse, & virum tamen in causa Dei fortissimum, in veritate tuenda integerrimum.

Iudicum calumniã ex ipsorum confessis refellit.

Obiectio Cranmeri Cantuar. Archiep.

Responsio extemporanea.

Alia meditatior.

Abbatis VVestmonasteriẽsis obiectio.

Responsio.

Vt Morus ad persecutiones tolerandas sese præparauerit.

Hic verò operæ precium est, quo studio, qua pietate ad hoc se certamen athleta Christi fortissimus præparauerit, lectori ostendere Cancellarij amplissimo munere abdicato, domum suam se recipiens, ab aulicis videlicet & publicis negotijs quasi manumissus ac rude donatus, non solùm fidem Catholicam contra exorientes tunc in Anglia hæreses perpetua & doctissima scriptione defendit; sed etiam pietati, precibus, corporis sui mortificationi, solito arctius & seuerius incubuit. Morionem à mensa & conspectu suo remouit. Familiam magna ex parte imminuit, famulis tamen optime apud diuersos collocatis. Supellectilem omnem aureã & argenteam quam vsque ad 400. aureos & amplius habebat, diuendidit; ne (quod postea accidit) fisco regio præda esset. Liberos suos omnes iam coniugatos cum prolibus in singulas familias, alios alibi dispartijt, sola Margareta cum suo coniuge etsi non in eadem domo, attamẽ in eodem pago domicilium habente. Sæpe admodum (vt in quadam ad Margaretam Roperam ex carcere Epistola scribit) etiam in lecto ad vxoris latus cubitans, eique dormire visus, totas fere noctes

In operibus Anglicis pag. 1442.

insomnis

A insomnis duxit, omnia sibi quæ accidere poterant difficillima, etiam mortem ipsam præmeditando: multisque lachrymis & precibus carnis suæ (quam ita fragilem ac teneram alicubi esse 1448.
scribit, vt nec talitrum libenter sustineret) victoriam obtinuit. Singulare est illud quòd abdicato Cancellarij munere, apparitorem Regium seu ostiarium subornarit, qui hora prandij, quando cum suis omnibus se recreabat, pulsatis repente foribus & intromissus, eum nomine Regio citaret, coram Commissarijs Regijs die proximo compariturum. Quo repentino nuntio suos perculsos, & quosdam quidem gemitum & ploratum edentes, alios rem fortiter ferentes, hos studiosè collaudabat, illos acri oratione obiurgabat; hácque ratione & se, & suos ad futuram calamitatem prudentissime armabat. Quod eius insigne stratagema dum recolo, Ioannem illum Eleemosynarium Alexandrinum Patriarcham videre mihi videor, simili quodam stratagemate ad mortem ipsam sese præparantem. Iusserat sibi extrui monimentum, ei autem finem non imponi, sed sic imperfectum relinqui: deinde eos qui præfecti erant operi, quum esset festum aliquod insigne accedentes in conspectu omnium qui considebant, aperte dicere, Monimentum tuum in hodiernum vsque diem imperfectum est Domine. Iube ergo, vt id finem accipiat. Incerta est enim mortis hora. Quàm autem tota hæc præmeditatio & præparatio etiam in viro tanto fuerit necessaria, ipse rei exitus & adueniens tentatio comproba-
B uit. Erat fortè Morus Londini ipsa Dominica Palmarum cum genero suo Ropero, vt concionem ad Diuum Paulum audiret. Ea finita, quum ad domum Ioannis Clementis diuertisset, accedit ad eum Ostiarius Regius, qui in proximum mane eum citat, vt coram Regijs Commissarijs in Lambetho, palatio Archiepiscopali (vt iam dictum est) compareret. Mox igitur domũ rediens ea nocte omnibus suis penitus valedicens, proximo mane sumpta prius Venerab. Eucharistia, quum domo abeuntem vxor & liberi flentes comitari vellent vsque ad aquas, clauso ostio eos inclusit, solóque genero suo prædicto eum comitante Londinum nauigio venit, totus meditabundus, & tristis, quasique cum Christo in horto, pauens ac dicens, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Tandem tamen hilari & exporrecto vultu ad generum dixit: *Vicimus fili, bene se res habet*. Nempe in via ad accusationem suam tendens, vnde passionẽ consequi posse præuidebat, fuit & Morus in agonia ac prolixius orabat: sed Christi fretus auxilio, & propter verbum Christi, *Confidite ego vici mundum*, vicit quoque ille mundum. Nisi enim Christus prius vicisset, quomodo membra eius vincere potuissent? Imò *nec vicisset ille mundum, si eius membra vinceret mundus*, ait S. Augustinus. Eo quippe vincente nos vicimus, quia per illum vicimus. Hæc ergo prima persecutio, prima examinatio, prima ad passionem futuram tentatio, prima victoria fuit.
C

Stratagema Mori.

Apud Sur. in vita eius tom. 1.

Prima Mori tentatio & victoria.

Ioan. 16. Tract. 105 in Ioannẽ.

CAPVT. XVI.

De eius incarceratione, variaque illic tentatione.

REIECTO & recusato, vt in præcedentibus dictũ est, vtroq; iuramento tam de primatu Regis, quàm de noua successione, Morus primum Abbati Westmonasterienſi ad aliquot dies in custodiam datur; sed mox in carcerem turris Londinensis coniicitur, ad perpetuos carceres damnatus. Bonis quoq; ac fortunis omnibus spoliatus. Quàm primum verò in carcerem turris Lõdinensis cõiectus esset, & in arctissima custodia positus, scripsit carbone paruum Epistolium ad filiam suam Margaretam, quod hic propterea subiiciã, vt intelligat Lector quanta animi alacritate primum illum carceris horrorem, & squalorem su-
D stinuerit: *Charissima filia, ego, laus Deo, rectè valeo, corpore sanus, animo tranquillus, rerúmque mundanarum non plus appeto quam habeo. Deum precor, vt vos omnes lætificet in spe vitæ æternæ. Quæque ego iam dudum de bonis æternis vobiscum omnibus communicare statueram, multúmque desideraueram, ea Deus diuino suo Spiritu mentibus vestris, vt instillet precor: quod eum facturum spero, idque multo viuacius quàm vllus sermo meus auribus instillare potuisset: qui & vobis benedicat, vósque omnes conseruet. Scriptum carbone per amantissimum vestri patrem, qui in suis precibus quibuscunque tandem illis nullius vestrum obliui scitur, neque liberorum vestrorum, neque nutricum, neque maritorum vestrorum, neque improbarum quas habent vxorum, neque etiam improbæ vxoris patris vestri, neque cæterorum amicorum. Atqui ita deficiente charta, valete.* Post scriptum, *Det mihi Deus animum perpetuò fidelem, simplicem ac apertum, nec si alio sim animo, superesse me diutius permittat. Nam quod ad vitam diuturnam attinet, neque expecto, neque desidero (quod tibi sæpius, mea Margareta, me dixisse memini) sed eam abrumpere paratus sum etiam crastino die, si ita Domino videatur. Neque quenquam mortalium noui (Deo sit laus) cui velim mea causa, vel talitrum inferri. De quo quidem animo magis mihi gaudeo, quàm si vniuersum mundum possiderem. Cõmenda me improbo tuo Gulielmo, & alijs liberis meis, Ioanni quoque Harrisio amico meo, & cæteris quos ipsa bene nosti, sed præ cæteris omnibus improbæ vxori meæ, & Deus vos omnes conseruet, & seruos suos vos faciat atque custodiat.* Hæc ille in primo carceris ingressu, nec suorum oblitus, nec ita in suos

In operibus Anglicis pag. 1430. Prima Mori Epist. in carcere scripta.

Improbas per iocum vocat.

Charitas perfecta.

affectus, vt eorum præsentia magis quàm Dei obsequio delectaretur. Mox verò non ita multo A
pòst, vt varia tentatione affligitur (Rege omnibus modis id satagente vt hominem ad suam flecteret voluntatem) ita omnem illam diuino astipulante numine fortis Christi athleta fœliciter
1. Tentatio in carcere. superauit. Primum Margareta Ropera filia eius vnicè dilecta, & quam supra cæteros omnes amauit, (vt ex præcedentibus satis apparet) illum iam in carcere positum hortatur, seu vero vultu, seu ex composito (certè ab illo vero vultu res accepta est) vt iuramentum illud præstare non grauaretur, quod tam multi per totam Angliam magni & docti & pij viri præstitissent. Hæc illi tentatio tam grauis erat, vt his planè verbis ei rescriberet: *Nisi iam dudum*
In operib. Anglicis pag. 1431. *à satis longo tempore animus meus in hac causa (diuina opitulante gratia) plane firmus ac stabilis constitisset, tua profecto lachrymabilis Epistola, filia dulcissima, non mediocriter eum labefactasset; certè vehementius eum concussisset, quàm cætera omnia qualia non pauca eadémque terrore & horrore plena hoc in loco subinde audio. Sed nihil eorum ita me perculit, nec eum mihi dolorem attulit, sicut illa tua epistola, in qua videbam charissimam mihi prolem verbis valde flebilibus, id mihi persuadere velle, quod à me fieri nullo modo posse, ipsa salutis meæ necessitate sic cogente tottes & tam disertè aliàs respondit. Tuæ ergo epistolæ argumentis non est quod respõdeam. Non enim dubito quin memineris, quàm sæpe tibi dixerim, causas & rationes huius facti mei (sine quibus explicatis tuis litteris respondere nequeo) me nulli mortalium vnquam explicaturum. Hac igitur in re, mea Margareta, nihil aliud possum, quam vt sicuti me multum rogas vt tui animi sententiam sequar, sic te vicissim plurimum rogem atque obsecrem, ne id amplius me roges; sed ijs quæ prius tibi hac in re sæpenumero respondi*
Mortis metum quomodo vicerit. *contenta esse velis. Incredibilis mihi dolor est, multoque ipso mortis nuntio grauior (mortis enim timorem, Deo* B
sit laus, timor gehennæ, spes æterni gaudij, & Christi passio magis ac magis quotidie imminuunt) quũ intelligo generum meum teque filiam meam charissimam atque vxorem meam dulcissimam, alios que liberos meos & amicos meos innoxios, magnum propter me in discrimen vocari, magno imminentium malorum metu concuti. Quæ sanè à vobis remouere quum penes me non sit, nihil aliud possum quàm vt soli Deo rem vniuersam cõmittam. Nam in manu Dei cor Regis est, & sicut diuisiones aquarum quocũque voluerit impellit illud. Hæc ille, quæ facile ostendunt quam grauem tentationẽ querula illa filiæ suæ dulcissimę Epist. fortissimo. Confessori attulit, maximè tali patri tam suorum amanti, tam tenerè diligenti; vt ex superius dictis manifestè constat; quanta etiam spiritus fortitudine illum à se reiecerit planéque deuicerit. Alia Mori in carcere tentatio fuit, eiusdem filię Margaretæ sermo cum eo habitus. In quo
2. Tentatio in carcere. sermone prudens fœmina quasi in persona aliorum omnia in medium adfert, quæ contra hanc solius ferè Tho. Mori recusationem à magnis & paruis dicebantur. Non erit abs re ea hic breuiter commemorare, quæque singulis Morus piè ac prudenter responderit, huc transcribere. Sic enim tum factum ipsum Mori per se manifestè pium ac sanctum, contra cauillationes tamen & iudicia mundi defendetur, tum etiam contra similes casus qui non rarò in Rep. con-
Obiectiones contra Mori constantiam. tingunt, lector instruetur. Capita igitur obiectionum hæc sunt, omnia à Margareta proposita. C
1. Primũ, vir tantopere Regi deinctus, tot honoribus ab eo donatus, &c. Regiæ voluntati si quis
2. alius maximè obtemperare tenetur, nisi vbi clarè & perspicuè diuino mandato cõtradiceretur.
3. At hac in causa (quòd secundò obiiciebatur) ita generalis est totius regni consensus, tot & tan-
torum virorum, vt vix videatur credibile illos omnes Deo repugnare velle. Tertiò videat iterum atque iterum ne vnius Roffensis Episcopi iudicium sequatur, aut vnius eius voluntati se
4. obstringat. Quartò qui hoc iuramentum præstiterunt tales, ac tanti sunt, Episcopi, Doctores, Pastores, Religiosi, Nobiles & Illustres, ac Prudentissimi viri, vt non solum, non temerè vel absque periculo salutis, eorum iudicio homo laicus, & non nobilissimus accommodare se pos-
5. sit, verum etiam quòd accommodare debeat. Quintò & postremò quum in plenis regni comitijs publico omnium ordinum consensu & authoritate sancita res sit, existimant omnes, ad eius decreti publici confessionem & approbationem etiam in conscientia eum teneri. Propter has ergo causas alij temerè & inconsultè, alij periculosè, alij denique improbè & pertinaciter Morum agere clamitabant, qui pene solus hoc iuramentum præstare detrectauerit. Ad hæc sin-
Ad 1. gula hoc fere modo respõdit Morus. Ad primum neminem certe in vniuerso regno Anglicano iuramentum hoc libentius præstitisse quàm ille præstiturus erat, idque quia Reg. Maiest. se mul-
tis nominibus deinctissimum agnouit, si id faciens Deum grauiter non offenderet: *Neque* (in- D
Pag. 1428. in Epist. ad Cromvvel. quit) *leuiter aut perfunctor etiam hanc expendi, sed per totos annos septem à quo tempore. Rex ipse contra. Lutherũ scripsit,* (*cuius in lib.* 1. *omnium aduerti primatum Rom. Pont. de iure diuino esse*) *in hanc rem incubui, Patres omnes, tam Græcos quam Latinos quos habere potui lectitando; qui omnes à D. Ignatio, Ioan. Euang. discipulo vsque ad modernos* Doctores, *ita in hoc Primatu tanquam à Deo ordinato consentiunt; resque ipsa per Concilia generalia sic confirmatur; vt in contrariam partem nihil vnquam tale legere potuerim, vnde cõscitiæ meæ tuto consultum putarem, sed potius vnde in certissimo damnationis periculo versari cernerem si Primatum esse de iure diuino negarem. Quod tamen si negari posset, non video an illud nobis quicquam commodaret. Illud enim certissimum est Primatum hunc vt minimum totius orbis Christiani consensu stabilitum esse, & ad schisma vitandum introductum, continuáque annorum fere mille, vt minimum successione roboratum. A tempore enim D. Gregorij Magni anni iam penè mille effluxerunt. Quam autem totus orbis Christianus vnum sit corpus, non video qua ratione vnum aliquod membrum sine totius corporis consensu, à communi capite possit recedere. Quod autem ad Regis in hoc articulo offensionem attinet, etsi hæc mea sit semper quæ fuerit de Papæ primatu sententia, tamen in libris meis vernaculè contra hæreticos scriptis Papæ potestatem haud ita multum defendo. Tametsi enim loquor interdum de Rom. Pont. tanquam de supremo Ecclesiæ capite iuxta communem*
Cur primatum Rõ. Pont. abnegare nolnerit.

omnium

A *omnium Christianorum loquendi morem, tamen id argumentum nusquam premo, nusquam studiosè confirmo. Sed ab altera parte quum in confutatione mea contra Tindallum incidisset locus de primatu Rom. Pontif. eumque prolixè tractassem, ad eius confirmationem omnia quæcunque inueneram collegissem, quum eo tempore de futura inter Rom. Pont. ac Regem tali dissentione qualis nunc est exorta nihil diuinarē; quum paulo post animaduerterem res ad huiusmodi discordiam tendere, totum illud quod de primatu scripseram resecaui, ipsamque confutationem absque illa disputatione in lucem dedi. Ex quo satis liquet quàm noluerim in hac primatus quæstione Regem offendere, quomodocunque ille mihi persuasissimus esset. Nunc vero hoc mihi proposito iuramento in arctum me compingi video, vt aut Regem necessario offendam, aut Deum: aut maximis me hic in mundo periculis exponam (quæ tamen omnia diu præuidi & præcogitaui) aut æternæ damnationi obnoxium me reddam.* Ad secundum respondit se aliorum conscientias nullo modo scrutari aut iudicare velle, *Multa*, inquit, *multos possunt ad hoc iuramentum pellicere. Alii vel vt placeant vel ne displiceant, & displicendo vel in fortunis vel in corpore luant, iurare possunt aliter sentientes, vel certè derepentè nouam sibi conscientiam formantes. Quod quidem absit à me longissimè vt de quoquam existimem qui iurarunt. Melius de illis confido. Si enim talia quemquam mouerent, nemo me citius moueretur* (vide insignem viri sancti humilitatem) *vt qui neminem putem ita fragilem ac meticulosum, quàm sum ipsemet. Alii fortasse huiusmodi sibi conscientiam formare poterunt, qua putent Deum illis hoc non imputaturum, quia metu id faciunt, non ex*
B *animo; & coacti non sponte. Alii sperant fortasse se huius abnegationis pœnitentiam acturos, atque ita rebus suis saluis veniam à Deo consequuturos. Alii postremo hoc sibi forsan persuadent, Deum omnino non offendi, quicquid ore dicant, quando animus integer est, & ab omni errore vacuus. His ergo me periculis exponere non audeo, neque tales cogitationes induere tutum existimo.* Ad tertiam illam obiectionem respondit nihil habere probabile, tum quia Roffensi necdum vocato aut audito ipse prior recusauerat, tum etiam quia Dominus Roffensis paratus erat plusculum aliquid illius iuramenti admittere, & certo quodam modo, aliter quàm ipse vnquam voluerit iurare. *Denique*, inquit, *etsi virum illum ita reuerear, vt planè ei parem in toto hoc regno non esse existimem, seu prudentiam, seu eruditionem, seu spectatissimam pietatem spectes, tamen nec ad illius, nec ad alterius cuiusquam particularis nutum conscientiam meam formare velim.* Quarto sic respondit; *Etsi omnes in hoc regno docti, prudentes, boni aliter sentiant (quanquam facile fieri potest, vt multi ex illis non idem sentiant quod iurando sentire videntur) tamen in aliis orbis Christiani partibus non pauciores sunt qui idem mecum sentiant. Ex iis autem qui ante nos vixerunt, aut omnes aut pene omnes eiusdem sententiæ mecum fuere. Vt taceam de sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ac patribus, qui idem plane docuerunt atque senserunt: non omnes dico & singuli, sed certè tanto numero, vt vehementer optem meam animam eodem quo illi sunt loco ac statu esse.* Ad quintum atque postremum respō-
C dit; *etsi leges ciuiles ac locales obligent subditos sub pœna temporaria atque interdum etiam sub æterna, tamen nemo tenetur iuramento asserere omnes tales leges legitimè esse ac rectè institutas. Nemo etiam legi illi ciuili aut regali obedire tenetur, quæ rationi aut pietati aduersatur. Sed & in dogmatibus adhuc in Ecclesia dubiis & controuersis, de quibus ipsi docti & sancti inter se dissentiunt salua fidei compage, qui alterutram tenet sententiam (verbi gratia, circa Conceptionem B. Virginis, eam non esse cōceptam in peccato originali) nec contra illam quam tenet vlla lege iurare cogi potest, quia hoc esset contra conscientiam iurare, nec vt conscientiam suam mutet, & contrariam induat vlla lege locali aut regionali cogi potest, quia talia determinatè credenda præscribere solius est Concilii generalis aut legislatoris vniuersalis. Iam vero in his quæ planè sunt in alteram partem determinata per Concilia generalia aut Ecclesiæ consensum vnanimem, contra illa sentire, loqui, conscientiam sibi formare nulla cogente lege potest, qui Christianus est & saluus esse vult: vtcunque multi & docti id faciant, & suo exemplo alios ad se pertrahere conantur.* Sic ad singula obiecta variaque tūo hominum de eius facto iudicia Thomas Morus respondit, quæ ab eius ore accepta Margareta filia ad sororem suam D. Alingtonii viri equestris vxorem scribit: nosque ex Margaretæ Epistola, aliisque ex locis operum Anglicorum in hunc locum transtulimus & congessimus.

Iam vero quum Margareta ista (vt in eadem adhuc Epistola copiosè refert) animum patris sui aliis quibusdam modis non tam ad malum tentasset, quàm de constantia & fortitudine pertentasset, ad ea tam piè ac sapienter respondet Morus, vt veri Martyris animum, & ad quæuis pro veritate subeunda promptissimum facile agnoscas. Ea hoc loco breuiter commemorabo,
D vt lector intelligat, quanta pietate, integritate, sapientia in tota hac causa Thomas Morus vsus fuerit: quàm nihil temerè, vanè, pertinaciter aut obstinatè ab eo actum sit, non nisi re tota grauissimè & exactissimè perpensa, non vt solus saperet, non vt Regem offenderet; sed prorsus ne Deum offenderet. Margareta quum omnia sua argumenta diluta cerneret, *Attamen*, aiebat, *vehementer metuo ne hæc res in maximas te, mi pater, angustias, & in acerbissimos dolores coniiciat. Nam & dudum D. Secretarius amicus vester integerrimus vos monuit, Comitia parleamentalia necdum esse finita.* Quibus verbis mortis periculum patri proponebat, ne videlicet in ipsis Comitiis Thomas Morus nominatim condemnaretur. Sic enim in Comitiis Anglicanis non raro fit. Ad hæc ille respondit, omnia etiam extrema à se esse præcogitata, nec quicquam illi tam graue posse accidere, ad quod ferendum animo se & voluntate dudum non comparauerit. *Etsi*, inquit, *nec lex vlla in me ferri potest quæ iusta sit, iniusta autem nocere non possit, nisi simul iniuriam faciat; etsi profecto bene confidam Deum non permissurum, vt Rex ipse princeps ita bonus & prudens tam multa & tam diuturna fidelis sui ministri obsequia ita retaliet; tamen quia ista accidere possunt, omnino Christi consilium secutus sum, sedensque sumptus omnes computaui, quos in hanc turrim conseruandæ animæ meæ, expendere necesse habui: nihilque non præcogitatum reliqui, neque hactenus, quacunque proposita mihi acerbitate, ab eo quod dictat mihi con-*

Ad 2. Pag. 1440 b. *Christiana Charitas.*

Humilitas Pa. 1437. b.

Ad 3. Pa. 1437. a

Roffensis laus.

Ad 4.

Pag. 1439. *Ad 5.* *Quatenus leges locales approbandæ.*

Pag. 1440

Pag. 1441.

Pag. 1442. *Regis ingratitudo.*

ſcientia, recedendum putaui. Ad hæc iterum Margareta. *At vero, mi pater, aliud eſt rem aliquam cogitando decernere, aliud rem ipſam de facto exequi: aliud animo futurum præuidere, aliud rem exiſtentem cernere. Quod ſi vero quum ad rem ipſam ventum eſſet (quod Deus auertat) aliter tunc forte faceres, quàm nunc faciendum iudicaſti, metuo valde ne eo tunc tempore nimis hoc ſerum foret. Serum, ait Morus, mea Margareta? Precor Deum ſi aliter vnquam faciam, vt illud mihi nimis ſero contingat. Certiſsimè enim ſcio, certam hoc mihi perniciem fore, ſi vnquam hunc animum mutem, ſi, inquam, ex metu aut formidine malorũ mutem. Itaque Deum ex animo precor, vt talis mutatio nunquam mihi bene cedat. Quanto enim hic grauiora patiar, tanto vt minimum in altera vita leuiora feram. Quid? quod ſi nunc exiſtimarem fore vt poſtea deficerem, metuque correptus iurarem, attamen malim interea ex hac recuſatione aliquid durum & acerbum pati.* Humiliter de ſeipſo ſentit. *Sic enim facilliorem mihi reſurgendi à lapſu gratiam à Deo ſperarem. Et quamuis, mea Margareta, bene mihi conſcius ſum, eam fuiſſe vitæ meæ anteactæ prauitatem, vt plane merear à Deo deſeri, tamen non deſinam in eius immenſam bonitatem ſemper confidere, optimeque ſperare; quod quemadmodum hactenus ſanctiſsima eius gratia mihi vires ſubminiſtrauit, omnia animo contemnendi opes, redditus, ac vitam ipſam, potius quàm reluctante conſcientia vt iurem; ipſique Regi eam benignam mentem ſuggeſſit, vt hactenus ſola me libertate priuarit (qua certe vna in re ſua Maieſtas maius mihi beneficium contulit, propter ſpiritualem animæ meæ profectum, quem inde me conſequi ſpero, quàm in omnibus illis honoribus & bonis ſic antea erga me accumulatis) ſic eadem gratia vel Regis animum ita moderabitur, vt nihil in me grauius ſtatuat, vel mihi eas perpetuo vires dabit, vt quantumcunque grauia patienter (fortè & libenter) feram.* Fiducia in Deum. Maximũ Regis erga Morum beneficium. *Quæ mea patientia cum meritis acerbiſsimæ paſſionis Dominicæ coniunctа (quæ quidem meam omnem tolerantiam infinitis paraſangis, & merito & modo excellit) mitigabit debitas mihi in purgatorio pœnas, diuina largiente bonitate, aliquãtulum etiam mercedis in cælo augmentum dabit. De Dei bonitate diffidere, mea Margareta, nolo, vtcunque me debilem ac fragilem perſentiam. Imo ſi in eo me terrore & conſternatione cernerem, vt iam iam lapſurus viderer, meminero tamen D. Petrum vnico venti flatu, ex modica fide, ſubmergi cœpiſſe, faciamque quod ille fecit. Chriſtum compellabo, Domine, ſaluum me fac. Spero enim quod extendens manum ſuam apprehendet me, nec ſubmergi patietur. Quod ſi vero Petri partes adhuc vlterius me agere permitteret, planeque præcipitem cadere, iurare & abiurare (quod pro ſua miſericordia Deus longiſsimè auertat, potiuſque damnum mihi quàm commodum ex eo lapſu creet) ſpero nihilominus fore, vt oculo miſericordiæ pleno me reſpiciat, ſicut Petrum reſpexit, meque denuo erigat, vt de nouo veritatem confitear, & conſcientiam exonerem; pœnamque & pudorem prioris abnegationis fortiter perferam. Denique, mea Margareta, illud compertiſsimum habeo, quod abſque mea culpa Deus me non deſeret. In omni itaque ſpe & fiducia me illi totum committam.* Fiducia in Deum. Totum ſe Deo committit. *Si propter peccata mea me ſinat perire, ſaltem Iuſtitia eius in me laudabitur. Spero tamen & certiſsimè ſpero quod clementiſsima eius bonitas animam meam fideliter cuſtodiet, facietque vt miſericordia eius potius quam Iuſtitia in me commendetur. Sis ergo bono animo, mea filia, neque de me admodum ſolicita, quicquid mihi in hoc mundo contingat. Nihil contingere poteſt, quod Deus non velit. Quicquid autem ille vult, vtcunque nobis malum videatur, eſt tamen re vera optimum.* Sanctiſsimũ pectus. Hæc ad ſuam Margaretam in carcere Morus. Videas in his verbis & facile recognoſcas, non ſolum virum ad omnia toleranda paratum, ſed (quod multo amplius eſt, ipſiuſque fortitudinis atque adeò aliarum omnium virtutum fortiſſima cuſtodia) virum humilem, de ſeipſo humillimè ſentientem, diuinæ ſeſe voluntati in omnibus conformantem virum iuſtum, ſanctum, virum ſimplicem, rectum & timentem Deum.

Has ergo (quas puto omnium difficillimas fuiſſe) circa perſuaſiones, ſcrupos, timores dulciſſimæ filiæ ſuæ, tentationes quum ſuperaſſet, ſucceſſit altera non modica. Præter Epiſcopum Roffenſem, vnicus ex inferiori clero, Nicolaus V Vilſon Theologiæ Doctor, vir grauis, prudens, eruditus, & quo Rex plurimum vtebatur. Moro etiam ipſi familiariſſimus, & in examine diuortii atque primatus coniunctiſſimus, iuramentum eo die recuſauerat, quo, vt ſupra dictum eſt, à toto clero illud exactum fuerat. Hic vir poſtea in carcere flexus, & mutatus, iamque iuraturum ſe pollicitus, antequam id faceret, ſcribit ad Thomam Morum, an ille idem facturus eſſet, percontatus. Illi in hæc verba reſpondet Morus, *Quod à me flagitas an iuramentum hoc tandem præſtare velim, meminiſſe potes quum vterque foris liberè ageremus, me nec animi tui ſententiam vnquã exploraſſe, nec vt mea à quoquam exploraretur pati voluiſſe. Neque enim ego vnquam alicui me factioni adiungam, nullius ego partes tuebor; ſed ſuam vnicuique conſcientiam relinquens, meam ſolam curabo, ne qua in re offendat. Poſtquam tibi iam viſum eſt, iuramentum illud ſuſcipere, fauſtum id tibi fœlixque ſit. Nemini vnquam mortalium ne iuraret diſſuaſi, nemini ſcrupum aliquem hac de re inieci.* Quarta tentatio. Pag. 1443. Ex epi. ad Doct. VVilſonũ. Hæc ille. Doctore autem iſto adhuc acrius reſponſum vrgente latiſſimè denuo reſpõdet Morus, ea fere omnia repetens, quæ vel in Epiſtola ad Th. Cromvvellum, vel in illo cum Margareta ſua ſermone habito dixerat, noſque ſup. retulimus, vbi inter cætera ait, *Ego nullo modo mihi id arrogare velim, aliorum vt conſcientias diſcutiam, fidem, & eruditionem diſcernam. Circa aliorum conſcientias curioſus non ſum. Meam ſolius diligenter curo. Et profecto in mea curanda, parcat mihi Deus, ſatis ſuperque quod agam inuenio. Videor mihi vitam iam diuturnam egiſſe: diu multum adhuc viuere nec ſpero nec opto. A quo tempore carcerem ſum ingreſſus, ſemel atque iterum mortis in meipſo ſententiam acceperam: & profecto, ingenuè dicam, eius rei expectatio incredibili me perfudit gaudio. Nec tamen obliuiſci poſſum, magnam à me & prolixam rationem reddendam. Sed in Domino confido, & in merito paſſionis filii eius: precorq; vt eum mihi animum donare ſemper velit, quo cupiam diſſolui & eſſe cum illo. Non poſſum enim dubitare, quin gratus admodum ad eum veniet, qui vt veniret, diu multumque concupiuit. Sed & id quoque mihi perſuadeo: quicunque ad Deum peruenturus eſt, eum hoc enixè deſideraturum, prius quàm eò poſſit peruenire.* Pag. 1445. Sapienter dictum. Hæc ibi Morus diuinæ admodum

dum

A dum ac ſapienter philoſophatus, tantum abeſt, vt tanti viri exemplo & lapſu quicquam fuerit deterritus, aût è ſtatu ſuo deturbatus, etſi profecto homini laico tanti Theologi exemplum, non modico ſcandalo eſſe potuiſſet, ſi de vulgo laicorum Morus fuiſſet, ac non ſupra τὸν λαὸν.

Multas adhuc in carcere alias tentationes ſuſtinuit fortiſſimus Morus, partim Rege, partim amicis, partim etiam inimicis id ſatagentibus, vt vel ad eius vitam conſeruandam, vel ad ipſorum deſideria adimplenda (quos peſſimè habebat vnum quaſi hominem, & talem, hoc ab omnibus ferè ſuſceptum iuramentum recuſare) Morus cederet. Sparſus igitur non obſcurus rumor eſt, & ad Mori aures ſtudio perlatus, forè vt ſi pertinax perſiſteret, cogatur Rex nouam in eum legem, conſidente adhuc Senatu, ferre. De quo rumore & noua tentatione ſeu terrore potius ſic ad filiam ſuam Margaretam ſcribit. *Equidem impedire nequeo quo minus talis lex feratur. Cæterum illud certiſsimè compertum habeo, quod ſi vi huiuſmodi legis morte afficerer, innocens coram Deo morerer. Ego vero quicquid talis lex inferre poteſt, iam dudum præcogitatum & præmeditatum habeo. In qua cogitatione mea etſi, dilecta filia, magnam vim ſenſualis partis, magnam carnis pugnam ac rebellionem ſenſi (ignoſcat mihi Deus) maioremque doloris & mortis metum quàm qui Chriſtianum in huiuſmodi caſu deceret; tamẽ, laus Deo, exitus huius pugnæ fuit victoria ſpiritus, fide atque adeo rationis lumine ſpiritum adiuuante, atque dictante, ex morte innocenti lucrum non damnum reportari. Sed & ipſius mortis violentæ in tali cauſa ſuſceptæ deſpectum iſte carcer me magis ac magis quotidie docet. Etſi enim aliquid præſentis vitæ ex tali morte minuatur, at compenſatio infinita eſt, quod tanto citius cæleſti gaudio perfruitur. Et quamuis doleat multum quum ſanus quis moritur, neminem tamen adhuc noui qui ægrotans ſine dolore moriatur. Sed & illud ſcio, quandocunque hora mortis naturalis aduenirет (quæ hora ſemper incerta eſt & forè craſtina) pro magno beneficio tunc haberem, ſi violenta morte vi huiuſmodi legis ſublatus fuiſſem. Ipſa itaque ratio me docet ineptam eſſe illam mortem horrere, qua defunctum me fuiſſe poſtea exoptarem. Poſtremo violenta mors multis aliis caſibus accidere poſſet, æquè acerba ac dura, vbi minor eſſet apud Deum gratia, & maius animæ ac ſalutis periculum. Quas ſane ob cauſas, etſi olim mortis memoria me valde terruerit; nunc certe non terret quicquam. Nec tamen meæ fragilitatis ſum immemor, ſed Petri lapſum intuitus, id vnum quotidie Deum ſupplex rogo, vt hunc in me animum perpetuum & conſtantem eſſe velit. Poſtremo, mea Margareta, (vt intimum cordis mei arcanum tibi aperiam) ego me totum diuinæ voluntati reſignaui; vt ex quo in hunc locum veni, nunquam adhuc Deum rogauerim, vt ex hoc me carcere eripiat, aut à morte conſeruet, ſed id de me faciat, quod eius diuinæ voluntati prorſus videbitur: vt quæ melius videt quid mihi expediat, quàm ego videre poſſum. Sed nec optaui aliquando domi meæ eſſe, ex quo huc veni, ex aliquo domus ipſius deſiderio aut voluptate: ſed id vnum aliquoties optaui, vt amicos aliquando conuenirem, maximè vxorem & vos, quorum cura mihi incumbit. Quod ipſum tamen, quia aliter Deus diſpoſuit, eius omnino ſanctæ voluntati committo, lætus interim & exultans in Domino, quod intelligam vos domi meæ tam ſuauiter & tranquillè agere, tanta cum charitate & tranquillitate ſimul viuere.* Hæc ad illius legis rumorem Margaretæ filiæ ſcribit Morus, magis certè ne illa cum familia turbaretur, quàm de ſeipſo ſolicitus. Ad has tentationes acceſſit alia vexatio & grauis obiectio, qua ei dicitur, ideo non niſi obſtinato & pertinaci animo hæc omnia eum facere, pluribus videri, ipſique adeo Regi, quia toto hoc tempore quo carceri mancipatus fuit, nullas ad Regem litteras ſcripſerit, nihil ab eo gratiæ aut veniæ ſupplex petierit. Ad hanc obiectionem reſpondit in litteris ad pium quendam ſacerdotem: ſe hactenus id non feciſſe non ex vlla animi obſtinati peruicacia, ſed potius ex humilitate, & illa quam Regi defert animi ſubmiſſione ac reuerentia. Maximè quum non videat quid in hac cauſa ſcribat abſque maiori ſuæ Maieſtatis offenſione, cui videlicet perſuaderi non poteſt, quod ex conſcientia & Dei timore hactenus iuramẽtum detrectet: ſed qui contra ſibi perſuadet ſolam obſtinationem huius recuſationis cauſam eſſe. Quam ille opinionem nec per litteras Regis animo eximere, nec ea manente aliquid apud Regem ſcribendo proficere ſe poſſe ſperauit.

Quinta tentatio. *pag. 1447.*

Magnam carnis pugnam ſenſit & vicit. *Rationes pro contẽptu mortis in iuſta cauſa.* *1. 2. 3.*

4. Oratione ſe cõfirmat.

Reſignatio ſui.

Sexta tentatio.

pag. 1450.

Venit porro ad Morum in carcere non ita diu ante mortis latam ſententiam Richardus Riche Solicitator Regius Generalis vir nobilis, ſpecie quidem amicitiæ, ſed vt rei exitus cõprobauit, animo accuſandi. Totus enim ſermo inter eos habitus libello Actoris Regii contra Morum ad verbum inſertus fuit. Quum igitur multis verbis cum Moro ageret, vt regni legibus ſubſcriberet; inter alia ſic Morum premebat. Quid ſi, inquit, in plenis regni Comitiis ego Richardus Riche, communi decreto, & ab omnibus approbato, Rex Angliæ declararer, ſimulque proditor patriæ, & læſæ Maieſtatis decerneretur qui Richardum Riche Regem eſſe negaret; nunquid conſenſus tuus, quum ſis Angliæ ciuis, per hoc decretum nõ obligatur? nunquid noh crimen eſſet Regem à Parleamento declaratum non agnoſcere? Ad hoc reſpondit Morus, in tali caſu conſenſum eius obligari. Sed, inquit, hic tuus caſus quem ponis leuis eſt. Ego tibi grauiorem proponam. Quid ſi in plenis regni Comitiis decerneretur Deum non eſſe Deum? Nunquid tu Richarde Riche interrogatus an Deus eſſet Deus, propter decretum. Parleamenti negares? Cui Richardus reſpondit: hoc nullo modo negarem, quia caſus iſte plane impoſſibilis eſt. At poſtquam caſum ita ſublimem mihi proponis, en tibi alium mediocrem. Non ignoras Regem noſtrum decreto Parleamentali declaratum eſſe ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ in terris Caput. Quare huic decreto non æquè morem geris & conſenſum præbes, ſicuti in caſu à me propoſito te morem geſſurum dixeras? Cui Morus. Latum, inquit, & euidens diſcrimen eſt. Rex enim authoritate Parleamenti creari poteſt & priuari poteſt, & omnes Angliæ ſubditi obedire tenentur. At nullo regni decreto Eccleſiæ Anglicanæ caput Rex declarari legitimè poteſt,

Septima tentatio.

Diſceptatio Solicitatoris Regii cum Moro in carcere.

quum extra regnum Angliæ cæteri omnes Reges ac principes ab huius generis primatu abhor- A
reant. Sed & huic Regis prærogatiuæ omnes alię Christiani orbis prouinciæ contradicunt. Ec-
clesiæ quippe præesse,& causas Ecclesiasticas cognoscere,fidei ac religionis res est, non regni
ac Reipublicæ. Hæc ad illum Morus,saltem vt in libello Actoris refertur. Qui etiam si verus
sit,nihil in Moro aut morte aut reprehensione dignum continet; sed assertionem tantum libe-
ram verę & orthodoxæ sententiæ:quam quia nusquam antea fecisse legitur,non ita fortasse ex
omni parte verum libellus dicit. Vtcunque sit, ab isto Solicitatore Regio egregiè solicitatum
fuisse Thomam Morum,vano tamen & irrito labore,ex libello constat. Quum nihil horum om-
nium Morum frangere,perterrefacere,aut vel minimum commouere potuisset,mittitur in car-
Octaua tentatio per vxorẽ. cerem vxor,quæ viri animum pertentatura,verbisque blandis & illecebris fœmineis pectus for-
tissimum emolliat,aut ad aliquã suorũ commiserationem inflectat. Venit,salutat, orat obnixè
ne illam,nę liberos,ne patriã & vitã qua multis adhuc annis frui poterat,pro derelicto haberet.
Cũ hæc apud eũ occineret,& de vitæ prolixitate sæpius inculcaret; & quàm diu, mea Aloysia
(inquit Morus)frui hac vita potero?Tum illa. Totis viginti annis,mi vir,si Deus ita voluerit. Vis
ergo,ait Morus,vt æternitatẽ viginti annis cõmutem? Næ tu imperita es mercatrix mea vxor.
Nam si annorũ aliquot millia diceres,aliquid tu quidẽ diceres:sed tamen ad æternitatem quid
essent?Sic ille vxorculæ persuasiones non minus lepidè quàm grauiter excussit. Istud vero om-
nino lepidum,& tamen animi in re grauissima ac aliis difficillima plane tranquilli & cordati. B
Quum multi magni viri ad illum in carcere ventitarent seu sponte sua, seu (quod verisimilius
est) à Rege submissi (neque enim ita facilis ad Turris Londinensis captiuos patet accessus) in-
Tentator ridiculus. ter alios vnus,ad aliquod à Moro extorquendum magis vehemens quàm prudens, quum sæpe
& identidem moneret,rogaret,obsecraret,ne sic propositi tenax esset, vt sententiam mutaret,
vt animum flecteret;nec tamen in tota oratione de causa vel diuortii vel iuramenti propositi
verbum diceret;Morus seu iocari volens seu ab hominis importunitate liberari cupiens,seu de-
nique modum illum loquendi & agendi rudem & inciuilem notans,ei grauiter & serio respon-
dit.Equidem domine mi,fatebor quod res est.Rebus meis omnibus bene perpensis & conside-
ratis ego consilium mutaui meum,planeque aliter facere instituí quàm decreueram.Ille bonus
vir his auditis,nec quicquam amplius aut interrogans aut expectans,vbi hoc se responso lætis-
simum ostendit,vtque in eadem bona sententia firmus persisteret, monuit; festinus ad Regem
accurrit,eique renunciat Morum sententiam suam mutasse. Rex vbi id audiuit facile credens
quod libenter optabat, certior tamen optati fieri cupiens,redi,inquit,ad Morum: & me plurí-
mum gaudere dicito quod tandem aliquando ad animi nostri sententiam suam deflexerit : ve-
rum hoc vnum me amplius velle, vt animi ac propositi sui mutationem scripto complectatur
atque confirmet;vt qui ex hac eius reluctatione scandalum passi sunt, ex eius nunc retractatio-
ne ædificentur. Rediens igitur in carcerem ad Morum qui hoc beatum nuncium ad Regem C
imprudens detulerat,verba ac voluntatem Regis Moro renunciat. Quibus ille auditis,magno-
pere attonitus;apud Regem ergo , inquit, fuisti? & mea verba inter nos duos hic habita Regię
Maiest.retulisti? Quidni (respondit alter) referrem, quæ sciebam suæ Maiest. fore gratissima?
At,ait Morus,mea verba melius debueras intelligere,priusquam ea cuiquam alteri,nedum Re-
gi referres. Quasi vero (replicat alter) non clarè quid dixeris intellexerim, te videlicet rebus
omnibus bene perpensis sententiam tuam mutasse. Plane (inquit Morus rem ridiculam feci-
sti. Ego enim sententiam & mutaui & me mutasse tibi familiariter dixeram, dicturus cætera si ser-
monis finem expectasses;sed de grauissima hac causa iuramenti mihi oblati nec sentẽtiam mu-
taui,nec tu mihi es loquutus, nec ego intellexi. Qua ergo demũ in re alia (subiunxit alter) sen-
tentiam mutasti tuam?Dicam tibi sincerè,respondit Morus. Scis me tota hactenus vita ex quo
in Aula versatus sum,barbam perpetuo rasisse more cęterorum qui vel Regi à consiliis sunt,vel
alioqui ius in Repub.dicunt. Atqui iquum hæc mihi (vt vides) plurimum in carcere excreue-
rit,decreueram plane satis diu ad supplicium iturus barbam radere,ne alio quasi vultu apud no-
tos apparerem,quàm solitus essem. Nunc autem mutaui plane consilium , voloque vt barba
idem discrimen subeat quod Caput. Confusus alter, vbi Regi quod res erat (vrgebat enim mã-
datum Regis) renunciasset,commotus Rex : enimuero ait , sic suis nos dicteriis hic ludit sem- D
per? Ac sic quidem in carcere variè ac multum tentatus ac pertentatus Morus fuit : hilaris ni-
hilominus semper ac iucundus:quam ob causam,quotidie fere in carcere psalmos solus cane-
bat , maximam & perpetuam animi sui tranquillitatem ea in re declarans iuxta illud Iacobi:
Iac.5. *Aequo animo quis est? psallat.* Denique filiæ suæ Margaretæ,fide sanctè interposita affirmauit, nul-
lum se vnquam à Rege maius beneficium accepisse quàm carceri ab eo mancipatum fuisse,pro-
pter incredibilem spiritualem profectum quem in eo se percipere sperabat. Sed & in carcere
lusit quosdam rythmos Anglicos,de ludibrio fortunæ,quos hic Latinos damus.

In fortunæ

A

In fortunæ ludibrium.

Blanda quid arrides? Noſtris fortuna ruinis
Cur noua promittis fœdera, ſpeſque nouas?
Non tua fucato frons exporrecta nitore
Nos iterum fallet. Sat potuiſſe ſemel.
His ego iactatus cæleſtem adnauigo portum.
Succedit lætis dira procella tuis.

In operib. Anglicis. pag. 1432.

Aliud.

Te fortuna diu, rebus mihi læta ſecundis,
Vt dominam colui. Tu mihi Numen eras.
At nunc auerſo poſtquam rapis omnia vultu,
Non pleno fraudes execrer ore tuas?
Eſt tamen hoc vnum cur te, fortuna, bearim,
Quòd facis iſta meis otia carminibus.

Pag. 1433.

B

CAPVT XVII.

De duplici eius examinatione in carcere facta.

C VVM vnus in Anglia Morus eſſet, qui & authoritate præcipuus, & gratia apud Regem maximus, & integritate vitæ optimus, & eruditione ſummus, & à rebus in Repub. geſtis celeberrimus haberetur; ſimulque ex ordine laicorum ſolus qui diuortium & primatum Regis probare nollet; vt idcirco in vnum Morum omnium tunc oculi coniicerentur, dici non poteſt, quantopere contenderit Rex, illum hominem quouis tandem modo in ſuam ſententiam pertrahere. Quæ & quanta aliquot præcedentibus annis Rex cum eo in hunc finem molitus fuerit, quanta tentauerit, quot viis & modis hominis animum ſolicitarit, ex iis quæ iam in ſuperioribus dicta ſunt, facile lector animaduertit. Attamen quum illorum nihil ex voto ſuccederet, bis ad eum in carcerem miſit delectos ex ſupremo Senatu viros, qui eum rurſum hac de re conuenirent, eiuſque conſenſum ſi qua fieri poſſet extorquerent. Quid in gemina illa miſſione egerint, quo modo ſe, quàm prudenter, piè, fortiter Morus geſſerit, hoc nunc loco commemorabimus. Morus enim quæcunque in carcere cum eo geſta erant, dilectiſſimæ filiæ ſuæ Margaretæ ſemper per litteras communicabat, partim ad eius totiuſque familiæ conſolationem, partim etiam ad veram rerum geſtarum inſtructionem, propter falſos qui de eo paſſim tunc ſpargebantur rumores. Quum ergo circa medium Aprilis anni 1534. in carcerem primo coniectus Morus fuiſſet, non præſtito quod ei delatum fuit iuramento, iamque toto anno integro, nec carceris tædio, nec amicorum precibus, nec tam varia & frequenti tentatione vinci poſſet, tandem menſis Maii die 7. an. 1535. venerunt ad eum in carcerem à Rege deſtinati, quinque ex Senatoribus regiis, Secretarius, Aduocatus, Solicitator & duo doctores iuris: quibus conſidentibus & vocato ad ſe Moro, qui etiam ſedere iuſſus, ſtetit tamen, Secretarius dux verbi ſic eum affatur. Quum nuper in comitiis regni ſeu parleamento, decretum quoddam emanarit, in quo decernitur Regiam Maieſt. eiuſque hæredes eſſe ſemperque de iure fuiſſe, & eſſe in perpetuum oportere, ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ poſt Chriſtum in terris Caput; voluit nunc ſua Maieſtas, vt Ampliſſimi viri Senatores Regii præſentes, tuam de hoc decreto opinionem, ſententiam, ac iudicium cognoſcerent. Cui ſic reſpondit Morus. *Equidem ſperabam ſuam Maieſt. nunquam id mandaturam, vt huiuſmodi quæſtio à me peteretur, quum iam à principio motæ quæſtionis huius, ego ſubinde ac ſæpe ſuæ Maieſt. meam hac de re ſententiam, aperte & ingenuè declarauerim; ſicuti etiam tuæ dominationi, D. Secretarie, & verbo & ſcripto pleniſsimè feci.* (Nempe in Epiſtola ad hunc Secretarium Thomam Cromvvellum, vt ex ea paulo ſuperius prolixè recitauimus.) *Nunc autem ego certe omnes huiuſmodi cogitationes depoſui, nec de Regum aut Pontificum titulis diſputare amplius velim. Regiæ autem Maieſt. fidelis ſubditus ſum & ſemper ero; eiuſque memoriam in meis orationibus quotidie habeo, ſuorũque omnium, & veſtrarum Amplitud. qui ei à Conſiliis eſtis, adeoque totius regni. Nec me aliter rebus immiſcere volo.* Ad hæc Secretarius: Regia (inquit) Maieſt. hoc tuo reſpõſo minimè videtur fore con-

In operib. Anglicis. pag. 1442.

D

Oſtendit examen & ſuperuacaneum & importunũ eſſe.

Blanditiis pertentant

tenta,sed explicatius aliquid & plenius à te responderi volet. Addebat quoque Reg. Maiest. A clemẽtem esse principem non immitem;qui etsi aliquam interdum in subdito suo pertinaciam videret,ea tamen emendata & submissione facta,ad ignoscendum promptissimus sit. Quod ad te autem attinet (Domine More) gestit imprimis sua Maiest.vt libertati tuæ redditus inter homines,vt prius,in mundo conuerseris. Quibus verbis ad emolliendum animum factis sic breuiter & fortiter respondit Morus: *Quod ad mundum attinet,non me amplius ei immiscere vellem etiã si totus mihi daretur mundus.* Ad rem ipsam autem respondit vt prius,se rebus & curis sæculi nuncium remisisse,deinceps vero de passione Christi (quam propterea in carcere diuinè exposuit) & vita futura meditari velle. His dictis recedere ad tempus iubetur. Moxque denuo vocato, in hunc modum loquitur Secretarius. Etsi ad perpetuos carceres damnatus hic agas, Domine More ,non tamen desinis esse Regi subditus,nec ab obediẽtia Regi debita propterea liberaris. Dic igitur nobis quid tibi videatur. An existimas Regem non posse à te exigere quæ decreta parleamentalia statuerunt,idque sub eisdem pœnis quæ in eis decernuntur?Respondit Morus se id negare non velle. Infert Secretarius.Sicuti ergo sua Maiest. clementem se erga eos ostendet,quos obsequentes videt;sic è diuerso,legum rigorem in eos adhibebit quos pertinaces sentit. Sed & hic tuus agendi modus,aliis animum addere videtur , qui se in hac causa pertinaces præbent. His verbis iam minacibus quia blanda prius non commouerant,respondet Morus,se nemini occasionem præbere hanc vel illam sententiam sustinendi,se nemini vnquam super hac B re consilium dedisse,nemini quicquam in alterutram partem persuasisse. Denique *quæcunque* (inquit) *me pœna maneat,aliud facere nequeo. Regiæ Maiestatis fidelis subditus & precator assiduus sum, pro sua Maiest.suisque omnibus & pro toto regno quotidie preces ad Deum fundo. Nemini male volo , nihil mali dico,nihil mali cogito,sed omnibus bene precor. Hæc mihi si ad vitam conseruandam non sufficiunt , equidem diutius viuere non exopto.Sed & iam morior:atque ex quo in hunc locum veni ita proximus morti aliquoties fui, vt infra vnam horam me migraturum existimarem. Neque propterea (Deo sit laus) contristatus vnquam fui ; sed contra vbi spem mortis elapsam vidi,multum indolui. Quare miserum meum corpusculum ad mandatum Regis est. Vtinam mea mors illi proficiat.* His dictis Secretarius intulit,vir Mori secundum carnem (vt videbatur certè) amicissimus. Recte igitur: In illo decreto nihil est quod reprehendas. Est ne in aliis decretis aliquid quod displicet? Voluit nempe hic amicus eius vt saltem non improbare videretur,etsi probare nollet:vtque silentium eius tacita quædam approbatio indicaretur aut certè simularetur:qualem beneuolentiam circa senem Eleazarum quidam Principis Antiochi ministri exercere voluerant. Cæterum Morus ingenuè & apertè sic respondit. *Mi Domine,quicquid siue in hoc siue in aliis statutis atque decretis mihi non probandum videretur ; non velim ea vllo verbo reprehendere,nec omnino aliquid dicere.* Quibus auditis benignè Moro respondit Secretarius,quicquid coram illis Morus dixisset,nullum ex eo præiudicium ei futurum. Regi tantum eius responsum referrent, vt quid suæ Maiest. videretur,diceret. Atque hic fuit primæ C in carcere examinationis exitus. Sic Senatores re infecta redierunt. Morus de animi sui constantia ac fortitudine nihil remisit. Veritatis confessionem nec ad punctum deserere voluit. Mensis Iunii proximè sequentis die 3.alius ad audiendum in carcere Morum denuoque pertentandum Amplissimorum virorum consessus fit. Mittuntur à Rege ad Morum , Archiepiscopus Cantuariensis,Cancellarius regni,Dux Suffolciæ,Comes Viltoniæ,& Cromvvellus Secretarius. Illis considentibus,Secretarius dux verbi refert,& quidem fidelissimè,quid in priori conuentu cum Moro actum fuerit, quid ille responderit , quid Regi retulerint. Regia autem (inquit) Maiestas hoc responso tuo,Domine More,minimè contenta fuit:quin plane existimat hunc modum agendi vestrum magnam in hoc regno offensionem gignere,multum detrimenti adferre:sed & animo te esse obstinato ac in Regem maleuolo : denique debere te ex officio erga eum tuo, tanquam subditum suæ Maiestati perspicuè & determinatè ei respondere , videaturne tibi hoc decretum rectè constitutum an secus,eamque ob causam,vt hoc à te officium exigerent,nomineque Maiestatis Regiæ ad respondendum te cogerent, Amplissimos & summos hos viros huc venire voluit. Quare aut agnoscere debes,Regem rectè atque legitime supremum esse Ecclesiæ Anglicanæ in terris Caput,aut tuam animi maleuolentiam plane prodere. Cui sic respondit Morus. *Ego nullam in me video animi maleuolentiam, ideoque nullam possum pro-* D *dere. Quod ad rem autem ipsam attinet,aliam responsionem dare nequeo,quàm quæ à me prius data est,quãque dominus Secretarius iam retulit. Magno certe animi dolore afficior,quod huiusmodi de me opinionem malam sua Maiestas conceperit. Cæterum si quis forte me apud Regem falso detulisset, cui ad momentum Rex fidem haberet,dolorem profecto vel vno tantum die Regem de me male sentire. Verum si certo mihi constaret fore,vt die crastino alius quispiam tota veritate Regi explicata,meam illi innocentiam probaret, eius sane crastini expectatione me interea solarer. Ad eundem planè modum etsi nunc vehementer doleam suam Maiestatem ita male de me interim existimare,tamen aliud huic malo remedium afferre nequeo, quàm vt hac me certa spe interea consoler,diem aliquando venturum in quo animi mei innocentiam & integritatem diuina iustitia Regi totique mundo patefaciet. Quamuis autem frigida hæc & parua consolatio cuipiam forte videatur, eo quod interea nocere mihi grauiter posset hæc Regis indignatio,tamen Deo gratias ago , eam esse conscientiæ meæ integritatem & innocentiam in hac causa,vt pœnam quidem aliquam mihi Rex inferre valeat , nocere tamen nequeat. Certo enim cognoui me nulla erga Regem praua affectione esse ; sed à principio huius controuersiæ,sinceriss imè semper cum Rege egi:primum quidem & ante omnia Deum præ oculis habens , postea Regẽ; idque*

Mundo superior.

Minis perterrent.

Innocentiã suam clarissimè demonstrat.

2.Mach.6

Pag.1453. Secunda examinatio.

Maleuolentiæ in Regem arguitur.

Defensio Mori.

Vide responsum egregiè piũ atque ingeniosum.

Pœna quæ iusto infertur non nocet.

A *idque iuxta Regis ipſius præceptum mihi à ſua Maieſt. diſertè datum, quum primum ad ſuum me ſeruitium vocauit.* Hac Mori reſponſione audita, Dominus Cancellarius pariterque D. Secretarius illud iterum vrgebant, poſſe Regem vi legum eum cogere, vt certi aliquid reſponſi det, quo prædictum decretum vel approbet, vel improbet. Cui eorum allegationi ſic reſpondit Morus. *De Regiæ Maieſt. authoritate ac potentia hac in re diſputare nolo; quidve in præſenti caſu legitimè facere poſſit vel non facere, nihil nunc definiam. Attamen, ſaluo meliori iudicio, talis coactio mihi paulo iniquior videretur. Caſu enim quo illi decreto mea conſcientia reluctaretur (quanquam reluctetur ne an non reluctetur, nihil nunc dicendum arbitror) dum interea contra id decretum nec dico nec facio quicquam, iniqua res mihi videtur vt cogar nihilominus, vel contra conſcientiam illud diſertè approbare cum animæ meæ detrimento, vel improbare iuxta conſcientiam cum certo corporis detrimento. Si ergo in vtroque eſt periculum, & ſi iſta lex per modum gladii verſatilis qui vtrinque porrectus ſecat, ſe habet, dura mihi conditio videtur vt illa mihi nihil vel verbo vel facto contradicenti porrigatur.* Contra hanc reſponſionem ſic inſtabat Secretarius. Cum Cancellarius eſſes, hæreticos, fures, & alios malefactores magna cum prudentia, induſtria, diligentia examinaſti. In illo autem examine, ab hæreticis (niſi fallor) illud diligenter quærebas (ſaltem ita quærere & interrogare ſolent Epiſcopi) an crederent Papam eſſe Caput Eccleſiæ, & huic interrogato diſertè reſpondere cogebantur. Cur ergo non liceat Regi & interrogare, & ad reſpõdendum cogere, de ipſius primatu, poſtquam lege publica primatus ille ſtabilitus nunc eſt? Ad hoc

Oſtendit Regis inæquitatem.

B reſpondit Morus (proteſtando ſe nolle in contentionem aliquam deſcendere, aut ſuas partes contentioſè defendere) inter hæc duo diſcrimen quoddam eſſe. *Illo enim* (inquit) *tempore quo hæreticis talis interrogatio proponebatur, non in hoc tantum regno, ſed & in toto orbe Chriſtiano Rom. Pont. Primatus pro re certa & indubitata agnoſcebatur. Quod autem nunc in hoc regno decretum eſt, in aliis orbis Chriſtiani partibus pro falſo habetur.* Cui diſtinctioni obiecit Secretarius, æquè hodie capitis pœnã luere qui huic decreto obſiſtunt, atque tunc igne conſumpti ſunt qui alterum negarunt. Ad vtrumq; igitur vt reſpondeatur, æquè compelli poſſe. Ad quod iterum reſpondit Morus. *Poſtquam (vt in cauſa præſenti) nemo ſic vnius regni lege in conſcientia tenetur, vbi totius orbis Chriſtiani lex in materia fidei contrarium dictat, quemadmodum lege totius Chriſtianitatis obligatur, etiamſi in certo aliquo regno lex aliqua localis in contrarium feratur; ratio obligandi vel non obligandi ad reſpondendum in huiuſmodi, non pendet ex differentia pœnæ capitis & pœnæ ignis temporalis, ſed ex differentia pœnæ capitis & ignis æterni.* Hæc Mori reſponſio magnam inter Senatores & ipſum altercationem peperit, & modo hic modo ille multa, ſed parum ad rem contra obiectabat: quæ idcirco Morus in Epiſtola ad filiam ſeſe prætermittere aiebat. Tandem aliud illi iuramentum exhibent, quo iuret ſe ad omnia interrogata veraciter reſponſurum, quæ Regis nomine, & perſonam Regis concernentia, ei proponerentur. Ad

Iurare, pro primatu cogi quis poteſt non contra Primatum

Cauſa, non pœnæ paritas leges facit æquè legitimas.

C quod reſpondit Morus, ſe plane decreuiſſe, nunquam in vita amplius iuridicum aliquod iuramentum præſtare. Hic fere omnes vna voce reſponderunt, in hoc demum illum verè obſtinatum ſeſe oſtendere. Omnes enim (inquiunt) in Camera iudiciali aliiſque per Angliam tribunalibus hoc iuramentum ſine vlla difficultate præſtant. Quibus ille reſpondit hoc ſane ita ſeſe habere. Cæterum, inquit, non ſum ita rerum ignarus, quin facile coniiciam qualia mihi ex parte interrogata proponentur. Perinde igitur duco ea ab initio reiicere & recuſare quàm poſtea. Ad quam Mori reſponſionem, Non male conieciſti, ait Cancellarius. Nam & illa qualia ſunt videbis. Duo ergo tantum erant interrogata. Prius vtrum decretum parleamentale de Regis primatu aliquando vidiſſet. Poſterius, vtrum illud decretum legitimè & rectè factum ei videretur an non. Sic igitur iuramentum iſtud penitus recuſauit. Atque hic fuit ſecundæ in carcere adeoque poſtremæ examinationis exitus. Ex his facile perſpicere lector poteſt, tum quanto

Aliud iuramentum offertur.

Prudenter recuſat.

ſtudio Rex vt vnum Morum ſuę impietati ſuffragari cogeret incubuerit, quam multa & varia tentauerit, quam nulli arti aut labori parſerit; tum ab altera parte quanta conſtantia, prudentia, moderatione, pietate pro veritate non prodenda Morus dimicauerit. Regis ſtudium, quanti ille Morum fecerit, oſtendit. Mori virtus quanti merito faciendus erat, docet. Sed & quanta &

Innocentia Mori.

D tita examinatio demonſtrat. Quia nullum morte dignum crimen viro ſancto inhæſit; diu multumque examinãdo, aliquam criminis notam ei impingere, alicuius criminis reum peragere ſtudent. Quia ſola recuſatio iuramenti necdum vlla lege ſtabiliti, ſed ſola voluntate Regis exacti ſatis iuſta mortis cauſa non videbatur, nec contra legem Morus in carcere deliquerat, aliquam ſaltem reprehenſionem legis extorquere conãtur. Vt videlicet tanquã hoſtem & aduerſarium legum publicarum puniant, quem approbatorem habere non poterant, & tacere non permitterent. Quanquam ſic extorta reprehenſio quam non in vulgus ſparſit, non ſponte effutiuit, non acerbè protulit, non arguens aſſeruit, ſed iudice vrgente, Rege poſtulante extorta fuiſſet, quam quæſo criminis notã aut ſuſpicionem habere potuit? Morus tamen pro ſua prudentia, vt ſuã innocẽtiam clarius tueretur, vt Regem quam minimè offenderet; nec improbare legem vult, Regem reueritus; nec approbare, Deũ timens. Hæc fuit viri pietas, prudentia, fortitudo. His tamen omnibus ita conſtitutis quia Regis ira placari non potuit, cui contradicere capitale fuit, ad mortem vir innocẽs per fas nefaſq; poſtulatur. Id quo tandẽ modo, quo fuco, quo prætextu à parte Regis; qua pietate, qua fortitudine ex parte Mori factum fuerit, nunc explicabitur: ſi illud vnum lectori prius indicauero, hoc finito examine, Morum arctiſſimè ſtatim concluſum fuiſſe, vt hominem videlicet damnationi proximum. Sic incluſus facile proſpiciens quod futurum

erat, ſcribit carbone ad integerrimum ſuum amicum Antonium Bonuiſium mercatorem Ita- A
lum familiarem Epiſtolam perelegantẽ, de fideli amicitia in rebus aduerſis præſtita magnas gratias agens: Quam ſanè hoc loco inſeruiſſem, ſi in operibus Mori Latinis iam excuſa non extaret.

CAPVT XVIII.

De accuſatione & condemnatione Thomæ Mori.

POSTQVAM in carcere Morus per quindecim fere menſes arctiſſimo in loco, & in quo grauiſſimorum criminum rei aſſeruari ſolent, amicorum & familiarium ſuorum acceſſu plerumque & multò maiori temporis parte negato, egiſſet; nec tam variè, tam diu, tam potenter tentatus; ſemel atque iterum examinatus; vt cõſcientiæ ſuæ integritatem violaret, impium regni decretum approbaret, ipſam denique veritatem orthodoxam vel minima diſſimulatione proderet, induci vnquam potuerit; tandem Cal. Iunii an. 1535. è carcere ad tribunal regium toto regno celeberrimum in palatio VVeſtmonaſterienſi educitur, per Aduocatum regium iuridicè accuſandus. Citabatur ad cauſam capitis in eo loco dicendam Morus in quo paulo ante Iudex ſumma cũ poteſtate & incredibili totius regni gratulatione ſederat. Ibat baculo innixus tam longam viam, non tam ætate, quàm graui ægritudine in carcere debilitatus, nihil tamen perturbationis vultu præ ſe ferens. Recitabatur contra eum longa & perplexa accuſatio, tam longis verborum & ſententiarum ambagibus contexta, vt Morus ipſe, quo nemo memoria magis valuit, palam teſtaretur ſe vix tertiam partem eorum quæ ſibi obiicerentur memoria comprehendere potuiſſe. Quæcunque enim contra ſceleratiſſimum hominem dici poterant, quæcunque in proditorem patriæ, & legum omnium euerſorem, conferebantur in vnum, vt videlicet quum ad omnia quæ proponebantur reſpondere non poſſet, apud aſtantes quidem & præſentes ſuſpicio ſaltem aliqua grauis de Moro iniiceretur, ipſe autem Morus ad rem quod reſpõderet vel multitudine verborum obrutus, vel rerum obiectarum magnitudine attonitus, vel toto orationis perplexitate turbatus, omnino non haberet. Sed tota Aduocati regii oratio, id vnum contendebat, hoc vnum agebat, vt probaret nouum Senatus decretum de Rege ſupremo Eccleſiæ Anglicanæ capite à Thoma Moro procaciter & proditoriè reiici. Ad hoc probandum recitatur duplex illa in carcere per Senatores Regis facta examinatio, quam vtramque C
ſupra poſuimus. Proferebatur colloquium cum Richardo Riche habitum, quod etiam totũ iam ſuperioribus inſeruimus. Addebatur, quod in carcere conſtitutus ad Roffenſem litteras ſcripſerit, in quibus aſſereret, hoc nouum decretum inſtar eſſe gladii ancipitis qui ab vtraque parte ferit. Si enim decretum approbas animam, ſi improbas, corpus in diſcrimen vocas. Veterem quoque querelam de ſecundis nuptiis Regis odioſè replicabat. Ex his concludebat Morum decreto regni hoſtiliter aduerſari, Regis poteſtatem abnegare, læſæ Maieſtatis reũ eſſe. Accuſatione peracta, priuſquam reſponderet, Cancellarius qui Moro ſucceſſerat, & Nortfolciæ Dux hũc in modum reum compellarunt. En vides, Domine More, ex his quæ prolata ſunt quæque inficias ire non potes, te grauiter in Regiam Maieſt. deliquiſſe. Attamen ſi reſipiſcere velis hancq; animi tui pertinaciam deponere, & ſententiam mutare, veniam à Regis clementia te conſequuturum ſperamus. Hic rurſum videlicet adblãdiebatur ſerpens antiquus, cum illo ſuo, *Nequaquam moriemini.* Sed ad hæc Morus vir fortis in bello & ſciens pugnare cum antiquo ſerpẽte. *Ampliſſimi viri, magnas quidem ex animo huic humanitati veſtræ gratias ago; Deum tamen omnipotentẽ enixius oro vt in hac orthodoxa qua ſum ſententia ita me confirmet vt vſque ad mortem in ea perſeuerem.* Vides quàm præſenti animo, nec ciuilitatis officium prætermittit, & Deum ſolicitè inuocat, & cauſam principalem fortiter tenet. Tribus quaſi verbis tria facit officia, humanitatis, pietatis, fortitudinis. D
honeſti ciuis, pii fidelis, & nobilis Cõfeſſoris. Hæc paucis præfatus, ad defenſionem ſuã deſcendit. *Cæterum*, inquit, *recolenti mihi accuſationis factæ prolixitatem & obiectorum grauitatem, metus ſubit, ne nec ingenium mihi ſuppetat, nec memoria, nec vlla orationis vis, qua ſingulis reſpondeam, ita grauem ex ægritudine in carcere contracta (qua necdum liberatus ſum) corporis debilitatem ſentio.* Tum iuſſu Iudicum allata eſt ſella in qua ſederet. Vbi conſediſſet, inſtitutum ſermonem hunc in modũ proſequitur *Quatuor, niſi fallor, ſunt totius accuſationis capita. Singulis ordine reſpondebo. Quod primo loco obiicitur me animo maleuolo ſecundis iſtis nuptiis Regis noſtri ſemper aduerſatum fuiſſe; ingenuè fateor me has nuptias ſemper apud ſuam Maieſt. improbaſſe. Nec eſt animus aliud hac de re dicere vel ſentire, quã quæ hactenus dixi & ſenſi: ipſa mea conſcientia idẽ mihi ſemper dictitãte. Quã profectò conſcientiam meã Regiam Maieſt. celare nec volui, nec debui rogatus. Neque hac in re vlla læſæ Maieſtatis ſuſpicio hærere poteſt. Sed è diuerſo, ſi rẽ tantam à principe rogatus, vnde & Principis honos & regni tranquillitas pendebat, ad gratiã magis quã ad veritatẽ loquutus fuiſſem, verè eius quod nũc obiicitur, reus fuiſſem, maleuolus, perfidus ac proditor. Sed & ob hoc delictum meum (ſi Principi roganti veritatem dicere delictum eſt) grauiſſimus iam dedi pœnas, omniũ bonorum proſcriptionẽ paſſus, & perpetuo carceri addictus, in quo menſes iã prope quindecim exegi. Alterũ eſt accuſationis*

caput

Hæc Thomæ Mori accuſatio & defenſio à variis authoribus refertur à Reginaldo Polo Card. in lib. de vnit. Eccl. à Nicolao Card. Capuano inter Epiſt. Principum per Belleforeſt. Gallicè verſas; ab Eraſmo, à G. Courino Nucerino, à Philippo Montano, in libellis de morte Thomæ Mori Lutetiæ & Antuerpiæ an. 1536. Rurſum tentatur blandis pollicitationibus.

Morus pro tribunali cauſam dicit. Quatuor accuſationis capita. Ad 1. cap.

A *caput & præsenti negotio proprium, me violati decreti Parleamentalis pœnæ obnoxium esse, eo quòd iam in carcere detentus animo maleuolo, perfido, ac proditorio Regiæ Maiestati debitum honorem subtraxerim, quin in eo decreto Regi decernitur: nouum videlicet titulum quo Ecclesiæ Anglicanæ supremum in terris caput declaratur. Subtraxisse autem & negasse hanc nouam prærogatiuam dicor, eo quod à domino Secretario aliisque suæ Maiestatis Consiliarijs bis in carcere rogatus quæ mea esset de hoc decreto sententia, nihil aliud responsi dare voluerim, quam ad me hanc legem siue iusta sine iniusta sit nihil pertinere, quem & occidisse ciuiliter iura dicũt, nec tum respondere de legibus deberem, quibus ipse amplius non vterer. Deinde vt maximè ad me pertineret, me tamen nec facto vllo nec dicto commisisse, vt illam improbare viderer; ideoque iure condemnari ea lege non posse, contra quam nihil à me factum dictumve obijci posset. Me igitur in posterum de Christi Saluatoris acerba passione, deque mea ex hac vitæ migratione (aliis curis reiectis) cogitare velle. Hanc certè meam tunc responsionem agnosco. Sed aio hac mea responsione legem hanc seu decretum minimè violari, aut crimen aliquod capitale committi. Neque enim hæc lex vestra, aut totius mundi leges in solum silentium animaduertunt, sed dictum aliquod factumve vindicant. De occultis enim solus iudicat Deus.* Hic sermonem Mori (premere enim videbatur) Aduocatus Regius interpellat. Verum, inquit, si nullum neque dictum neque factum habemus quod tibi obiiciamus, at silentium certè habemus, & illud quidem malæ tuæ mentis signum, malitiæque certum argumentum. Nemo enim toto regno subditus bene
B erga regem affectus de hoc decreto interrogatus, suam sententiam categoricè dicere recusabit. Ad hæc Morus. *Meum silentium nec vllæ malæ mentis signum est, quod ex aliis argumentis multis deprehendere sua Maiestas potuit, nec legis vestræ aliqua improbatio conuincitur. Iudicium magis est assentientis potius legi quàm aduersantis animi, idque peruulgato Iurisperitorum verbo confirmatur, quo dici solet. Qui tacet, consentire videtur. Quod autem de boni subditi officio infertur exemplo omnium in Anglia subditorum, plane iudico boni subditi officium esse (nisi sic velit esse bonus subditus vt sit malus Christianus) magis obedire Deo quàm hominibus, maiorem conscientiæ & animæ suæ seruandæ curam habere, quàm cuiuscunque alterius rei. Maximè quum huiusmodi sit conscientia (qualis certè mea est) quæ nihil offendiculi, scandali & seditionis nihil, principi suo pariat. Sanctè enim affirmo me nemini vnquam mortalium conscientiam hãc meã aperuisse.*

Venio nunc ad tertium accusationis caput, quo arguor contra Constitutionem hanc & legem Parleamentalem impegisse, malitiosè molitũ esse, proditoria machinasse, & perfide practicasse (sic enim accusatio loquitur) eo quod ad D. Roffensem Episcopũ octo paria Epistolarũ in carcere scripserim, quibus aduersus hanc legem eum hortatus fuerim & ad illud improbandum animũ ei addiderim. Equidem vehementer optarim eas Epistolas hic proferri ac recitari quæ me vel cõuincerent vel liberarent. Cæterũ quando illæ, quemadmodum prædicatis, per Episcopum exustæ sunt, non grauabor ego earũ veram sententiam commemorare. In earum quibusdam de priuatis nostris
C *negotiis agebatur, pro vetere nostra amicitia ac familiaritate. In vna quadã continebatur responsum meum ad Episcopi litteras, quibus scire cupiebat, quid & quo pacto de hac noua cõstitutione Senatoribus Regijs in carcere responderã. Ad quod ego nihil aliud rescripsi, nisi me iam meam composuisse conscientiam; componeret ipse suam. Ita me Deus amet & hanc animã meam seruet; vt ego nihil aliud in illis litteris scripsi: Deo teste sic & non aliter se rem habere affirmo. Non est igitur ex hac parte aliquid contra legem vestrã morte dignũ à me perpetratum.*

Quartum & postremum obiectum mihi crimen est, quod quum de hac lege in carcere examinarer, dixerim eam esse gladio ancipiti similem, cui contradicere capitis, cui assentiri animæ detrimentum esset. Cuius generis responsum quia & D. Roffensis dedit, arguitur hinc perspicuum esse, conspiratum inter nos fuisse. Ad hæc respondeo me illa verba non nisi conditionaliter in carcere coram amplissimo Senatu protulisse. Hoc videlicet modo. Si in vtroque est periculum, siue probem siue improbem hanc legem, ideoq; gladij ancipitis ad instar est, qui vtrinq; porrectus secat, dura mihi conditio videtur vt illa mihi nihil vel facto vel verbo contradicenti porrigatur. Hæc mea tunc fuit oratio. Quid & quo modo responderit Episcopus nescio. Si illius ratio cum mea congruebat, id nequaquã accidit ex vlla inter nos conspiratione, sed potius ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine. In summa pro certo habetote, me nunquã cuiquam mortalium aduersus hanc constitutionem fuisse loquutum: etsi fortasse ad benignã Regis clementiam aliquid de me falso fuerit delatum. Hæc fuit Thomæ Mori contra prolixam accusationem, verbis odiosam & grauem, re inanem, veritate vacuã, perspicua & breuis responsio, iusta & sancta defensio. Qua peracta quum nihil contra tantã veritatis & innocentiæ lucem
D quod replicaret, Aduocatus Regius haberet, solo *Malitiæ* verbo per totum tribunal perstrepente, cuius malitiæ argumentum non factum dictumve aliquod, sed silentium ponebatur, aduocantur duodecim viri quorum est ex gentis nostræ more de capite omnium cognoscere & interloqui. Iubentur isti super accusatione facta, quæ illis in scripto datur simul consultare: postea que de eo pronunciare, an Constitutioni Parleamentali prædictæ Thomas Morus malitiosè non obstiterit. Hi quum per horæ quartam partem recessissent, cito reuersi (neque enim magna deliberatione opus fuit, vbi non ex causæ æquitate, sed ex Principis voluntate interloquẽdum fuit) pronunciant, Gilty: hoc est, reum mortis. Neque enim isti duodecim viri vllam suæ interlocutionis causam aut rationem adferunt, sed vno vocabulo, vitam vel necem pronuntiãt. Illud enim, *Non liquet*, hic locum non habet. Fuerunt autem isti duodecim viri nobiles, sicuti ipse Morus; Duo equestris ordinis, duo armigeri, reliqui octo generosi seu simpliciter nobiles. Cuius enim ordinis reus est, eiusdem deleguntur à Iudice duodecim viri. Nomina singulorum & cognomina possem hic apponere; sed propter tam infame iudicium, satius duco prætermittere, & honestissimarum familiarum nominibus parcere. Accepto duodecim virorum verbo, Iudex qui Cancellarius erat, mortis sententiam in hæc verba pronuntiat. *Visum est nobis, Thomam Morum opera & ministerio Gulielmi Bingston Shyreui, ab hoc loco in carcerem Turris Londinensis reduci, &*

Ad 1. cap.

Nulla lex silentium punit.

Silentium Mori non fuit maleuolum, sed necessariũ.

Ad 3. cap.

Nec ipsi Roffensi suam mentem aperire vult.

Ad 4. cap.

Roffensis & Mori responsio eadem prorsus.

Duodecim viri interloquuntur.

Sententia contra Morum.

ab eo loco per medium ciuitatis directè vsque ad furcas de Tybourne trahi, super illas furcas ibidem suspendi, A
adhuc spirantem in terram ex furcis demitti, ibi euisceran, viscera ipso viuente comburi, inde caput amputari. corpus in quatuor partes secari, caput cum partibus eis locis poni quæ Rex postea designauerit. Hæc est illa præclara sententia contra Thomam Morum prolata. Hæc est solius silentii pœna. Hæc hominis de Rege & Republica optimè meriti, hoc solo nomine quod conscientiæ suæ prospectum voluit, condemnatio. Hæc est fideliſſimi Consiliarii, quia fideliter Regi seruiit, quia nefariam libidinem approbare noluit, quia turpiter adulari recusauit, egregia remuneratio. Non malè Paulus Iouius Henricum Regem hoc vno facinore Phalaridis æmulum vocat. Nam quod hæc teterrima sententia non nisi in maximè facinorosos ferri solita, in aliam postea mitiorem mutata est,
In Elogiis titul. 89. vt sola capitis truncatione occumberet, de more potius & consuetudine Regum Angliæ, qui viros aut genere aut dignitate illustres non nisi eo modo tollunt, quàm de aliqua Regis clementia profectum fuit. Neque hoc beneficium vlli videri potest, nisi forte quale latronum est, qui vitam illis dedisse se aiunt quibus non ademerint. Quare & ipse Morus quum ad eum allatum esset Regem pro sua clementia benignè cum eo agere velle, quia non nisi capite truncaretur, hanc, inquit, Regiam benignitatem ab amicis meis omnibus Deus auertat. Sed de hac re plura postea. Nunc sententia mortis prolata, quid Morus, vel dixerit vel egerit, explicandum est. Vbi sententiam Iudex pronunciasset, Morus vocationis suæ ad Martyrium iam certior (hactenus enim dubitans an hac eum vocatione & gratia Deus donaturus esset, apertè quod sentiebat dicere recusauit) vultu constanti & intrepido sic orsus est. *Age, quãdo sum condemnatus, quo* B
iure nouit Deus, ad exonerandum conscientiam meam, de vestra iam Constitutione liberè eloquar quod sentio. Ego quum viderem statum huius regni eo ferri, vt necessario inuestigandum esset qua ex origine Pontificis Romani potestas dimanaret, fateor me toto septennio animum studiumque meum in hanc causam intendisse, nec in vllo hactenus Doctorum quos Ecclesia probat scriptum reperire potui, hominem laicum, status Ecclesiastici caput aut fuisse aliquando aut esse vllo modo posse. Hic Cancellarius Mori sermonem interrumpens,
Nobilissimæ veritatis cõfessio ait. Ita scilicet, tu vnus Domine More, omnibus aliis vis haberi sapientior, aut conscientiæ magis integræ, omnibus, inquam, Episcopis, tota nobilitate, atque vniuerso regno. Ad quæ Morus. *Domine Cancellarie, ego contra vnum Episcopum quem pro vestra parte profertis, proferam centum, sanctos & orthodoxos qui meæ sententiæ subscribunt: & contra vnum Senatum vestrum, qui qualis fuerit, Deus nouit,*
Vnius regni authoritas ridicula oppositio. *habeo mihi suffragantia omnia totius orbis Christiani Concilia ab annis plus mille celebrata: & contra vnum Angliæ regnum stant ex parte mea omnia totius orbis Christiani regna.* Hæc grauissima Mori verba quibus ridiculam & leuissimam Cancellarii interpellationem iusto authoritatis pondere subuerterat, non ferens Nortfolciæ Dux qui sic nobilitate vt alter dignitate primus omnium post Regem erat, sic Morum alloquitur. *Nunc vero, More, perspicuam nobis facis tuam animi maleuolentiam,*
Ignaua obiectio. Cui statim Morus. *Inclyte Domine, vt hæc loquar, non vlla incitat maleuolentia, sed iusta me cogit neces-* C
sitas, qua conscientiam meam in loco iudicij exonerare debeo. Testis est Deus qui solus scrutatur corda & renes, non alio me animo hæc esse proloquutum. Porro quod ad rem ipsam attinet, hoc etiam adiicio.
Circa Constitutionem hanc vestram in hoc grauiter peccatum esse, quod quum vos, amplissimi viri, Regni proceres, diserte professi sitis, & iureiurando vosmet obstrinxistis, nihil vos vnquã cõtra sanctam Ecclesiam molituros, hanc nihilominus legem tulistis, vos in hoc regno soli, citra consensum reliquæ Christianitatis, quæ totius
Totam Senatum ac nobilitatem grauiter redarguit. *Ecclesiæ vnitatem, pacem, & concordiam dissoluit; quum nemo nesciat Ecclesiam vniuersam vnicũ, integrum, & indiuiduum corpus esse, ideoque in iis quæ ad religionem spectant, sine communi & generali consensu nihil statui debere. Atqui non sum nescius quæ sit potissima cõdemnationis meæ causa. Illa sanè quod nouas has nuptias nunquam approbare voluerim. Verumenimuero, hoc nunc tempus discordiarum, hic locus dissentientium opinionum est. Confido autem, diuina bonitate ac misericordia fretus, fore vt quemadmodũ Paulus Stephanum persequutus est vsque ad mortem, & tamen iidem nunc vnanimes agunt in cælo, sic plane nos qui nũc discordes sumus in hoc mundo, & de eisdem rebus aliter sentimus, in futuro sæculo concordes, & cum charitate perfectæ vnanimes futuri simus. Hac spe fretus, enixè Deum precor, vt vos omnes conseruet, ipsumque imprimis dominum Regem, eique bonos semper consultores dare dignetur.* Hæc vltima fuerunt ad illud tribunal celeberrimum Mori verba, ab his qui astiterunt excerpta, & olim Lutetiæ, recenti rei memoria, ty-
Orat pro persecutoribus suis. pis excusa. Verba certè nobilissimo Christi Martyre digna; quia & veritatem fortiter cõfitetur, D
& latam sententiam nulla indignatione prosequitur, & (quod caput est) dum Stephani meminit Stephanum imitatur, orans pro persequutoribus suis. Nec orans tantum, sed & caput totius mali digito demonstrans, dum Regi bonos consultores exoptat. Fundi enim nostri vel totius terræ potius calamitas hæc erat quod malis consiliis Rex aurem præbuit. Regi de nouis tunc nuptiis nihil planè cogitanti VVolsæus Cardinalis per interpositam personam pri-
Schismatis Anglicani ortus, mali Consiliarii & ignaui Episcopi. mus mortalium suggessit. Homo ambitiosus videns se Papatu quem ambiebat excidisse, Caroli Imperatoris commendatione (quam certo sibi promittebat) frustratus, tum vt de Carolo se vindicaret, tum vt cum Rege Galliarum nouas amicitias faceret, curat de primis nuptiis iam per annos 20. sine scrupo continuatis scrupum iniici: vt illis solutis, cum sorore Regis Francisci Galli & Henrico Rege nouas fabricaret. Sed malum consilium consultori pessimum. Nouæ nuptiæ non iam cum Galla, sed cum Bolenia, VVolsæi primum posteaque totius status Ecclesiastici & religionis in Anglia interitus fuit. Quod si eo tempore sicut Tho. Morus sic cæteri Consiliarii regii, si sicut Ioannes Roffensis Episcopus sic cæteri Episcopi, ex fide & conscientia rem tractassent; si quod verè sentiebant Regi respondissent, si non ad

gratiam

A gratiam,ſed pro eo quod veritas poſtulabat & conſcientia cuiuſque dictabat locuti fuiſſent; nec illæ infauſtiſſimæ nuptiæ tam horrendas clades ac ſtrages in Anglia dediſſent,nec nouus ile & antichriſtianus Regis titulus vniuerſam in Anglia religionem peſſundediſſet. Concludit igitur Thomas Morus ſuam pro tribunali defenſionem,non ſolum vt nobiliſſimus veritatis orthodoxæ confeſſor, & propugnator diſertus, ſed etiam vt prudentiſſimus Regis Conſiliarius.

CAPVT XIX.

De iis quæ condemnationem & beatam viri mortem interceſſerunt.

B SERMONE finito, vel potius per Iudices interrupto, (neque enim viri grauiſſimi & diſertiſſimi ſapientiam ac libertatem magis ſuſtinere poterant, quam S.Stephani orationem liberrimam obdurati Iudæi)abducitur è Iudicii loco & ad carcerem reducitur Morus,ſecuri de more prolata,condemnationis indicio. Hic vero miſerandum planè & ipſa condemnatione mirabilius accidit ſpectaculum, Ioannes quidem Morus, vnicus Mori filius, patri è iudicio redeunti ad pedes prouoluitur, benedictionem paternam flexis genibus nec ſine lachrymis petens. Verum illud vt genti noſtræ vſitatiſſimum minus mouit:etſi pater per litteras poſtea (quas ſuo loco inferemus) hoc filii ſui officio eo tunc tempore ac loco plurimum ſe oblectatum fuiſſe ſcribat. Cæterum quum paulo extra Iudicii locum progreſſus Morus eſſet,ecce tibi filia eius Margareta Ropera (ſic vnicè patri chara,vt vel ad eius ſolum aſpectum ſi nihil in Moro ſupra hominem fuiſſet,vehementer commoueretur,vt ex præcedentibus ſatis liquet) non turbæ tantum ſe immiſcet patrem viſura aut ei valedictura,ſed pectore pluſquam virili & acerrimis amoris ſtimulis incitata,per mediam populi turbam,perque ſatellitum arma ſemet iniecit,& ad parentem penetrauit. Quum & mulier eſſet,& natura cum primis verecunda,tamen & metum & pudorem excuſſerat vel impotẽs animi dolor,vel (quod magis credo) immenſa dilectionis vis. Accedens enim in chariſſimi patris collum ruit,& arctiſsimo complexu aliquandiu tenuit,nihil aliud locuta quam, *Ah mi Pater.*

A patre damnato filius benedictionem petit.

Margareta Mori filia ruit in amplexus patris.

C Mouit ſtipatores tametſi duros hoc ſpectaculum. Sed Morum ipſum talis filiæ in tali articulo, tam expreſſa charitas,tam valida dilectio,tam fortis & imperterritus amor, quo tandem modo non ſolum commouere,ſed etiam nonnihil è conſtantiæ ſtatu dimouere potuiſſet, niſi diuina quædam vis,qua mortis ſententiam nihil exterritus excepit,(imo ea excepta & fortius loquebatur & agebat conſtantius) nunc quoque mentem eius occupaſſet,ne quid naturę cederet, aut de conſtantiæ gradu vel minimum moueretur?Cum enim generoſiſsima mulier,digniſsima tali patre filia,ſecum omnes naturæ dotes afferens,omnia pietatis ſigna,omniaquæ in liberis iucũda eſſe parentibus ſolent, eo in loco quo vix vlli viro patere aditus videbatur, prius penè in ſinu patris hæſit, quàm aduenientem pater vidiſſet; quales doloris ſtimuli quàm acres patris animo eſſe poterant, talis præſertim patris,qui quum omnium ſuorum natura amantiſsimus eſſet, præcipuo tamen amore Margaretam dilexerat? Quas vero doloris faces ei admouiſſe par eſt, quum aliquandiu in eius complexu nihil effari valens adhæreſcebat?quas quum inde vix auellebatur? Quæ vero tormenta iam & cruciatus animi,cum ſemel auulſa,iterum eadẽ pietate percita,eodẽ cum impetu rediit,& vi maiore ægrè abſtrahi potuit? Quanto hic robore animi opus erat,quanta conſolatione illi,cui ipſa naturæ conſolatio dolores omni morte grauiores obiiciebat?Atqui ſic his omnibus reſtitit Morus,vt prorſus inuictus dici poſsit. Ita voce, vultu, geſtu

D oſtendit ſe omnes naturæ inſultus ſuperaſſe,& omnia quæ infra cælum dolorẽ facere hominib. ſoleant viciſſe.Nihil enim de oris conſtantia & grauitate remittens, filiæ reſpondit *ſe quæcunque pateretur,etſi innocens pateretur,Dei tamen voluntate pati;illum arcana pectoris ſui noſſe. Proinde ſuam ipſa pietatem ad Dei voluntatem accommodaret,& maximo tolerantiæ bono in patris caſu vteretur.* Hæc ille in primo congreſſu. Nam quum ſecunda vice poſtquam decem aut duodecim paſſus digreſſa reuertiſſet,colloque iterum inhæſiſſet,nihil quidem dixit,ſed tacenti lachrymæ erũpebant,vultu tamen à conſtantia nihil dimoto. Id tãtum abeunti mandauit,vt Deum pro anima patris deprecaretur.Fuit porro & altera eius filia non natura,ſed educatione Margareta Gyge D. Clemẽtis poſtea vxor,quæ illum ſimiliter eodem tempore amplexa & oſculata fuit. Sed & filius quoque Ioannes accepta patris benedictione,oſculum quoque dedit,& accepit.Hi omnes poſtea atteſtati ſunt,ex ore Mori quum illum oſcularentur,miri odoris fragrantiã ſeſe hauſiſſe. Certè ad hunc ſuorum lamentabilem concurſum,ad hos amplexus & oſcula,non ſolũ ex populari turba permulti,ſed & ex ipſis ſatellitibus aliqui erant,qui à lachrymis ſibi temperare non poterãt. Id quod certè mirum non eſt,quum (vt Cardinalis Polus ſcribit.) *Externi homines qui Morum nunquam nouerant,tantum dolorem ex eius morte acceperunt tamen,vt quum quæ de ea ſcripta circumferebãtur legiſſent,lachrymas tenere non potuerint,hominique externo non alia re quàm fama ſibi noto illachrymarint.*

Inuictum Mori pectus.

Mori verba ad filiã.

Externi Mori mortem cum lachrymis exceperunt

* Romæ scripsit. *Ac mihi planè * tanto interuallo hæc de illius morte scribenti, qui non tam multas priuatim amoris causas cum eo habui; sed virtutis potius & probitatis ergo, quodque patriæ vtilissimum esse scirem, eum amaui & colui, sic tamen (testis est mihi Deus) inuito lachrymæ oboriebantur, vt scriptionem maximè impedirent, & ipsas sæpè litteras delerent, vt vix vltra progredi possem.* Hæc de seipso Cardinalis Polus. A

De vnitate Ecclesiastica li. 3 Reductus ad carcerem Morus, grauiorem in via quàm in Iudicio tentationem expertus, & victoriam maiorem adeptus; sciens quia hora eius veniret vt transeat de hoc mundo ad Deum, quarto post condemnationem die, qui fuit Iulii quintus & feria secunda, postremam suam epistolam carbone scribit (neque enim calami copia fuit) ad suauissimam & charissimam filiã suam Margaretam Roperam: quam ex Anglico in Latinum versam (quia postremum est quod Morus scripsit, virique sancti spiritum, humanitatis tamen non oblitum redolet) hic subiiciam.

Vltima Mori Epistola ad Margaretã Roperam. *Benedicat tibi Deus, dilecta filia, & marito tuo, & puerulo tuo, & tuis omnibus, & meis liberis vniuersis, & omnibus ex sacro fonte susceptis, atque amicis omnibus. Commenda me, quum commodum fuerit, filiæ meæ Cæciliæ, quam vt Deus consoletur precor. Benedictionem illi meã impartio, omnibusq; liberis eius; & roga illam vt pro me precetur. Mitto illi strophiolum. Sed & virum eius generum meum vt Deus consolari velit, precor. Filia mea Dancæa habet imaginem illam in pergameno depictam, quam per te mihi dedit domina Coniers. Nomen eius dorso inscribitur. Dic illi me multum rogare vt illam imaginem tu remittas eidem dominæ in memoriam mei, vt pro me oret. Vehementer probo Dorotheam Coly:* (hæc postea vxor fuit Ioannis Harrisij Secretarii Thomæ Mori, estque adhuc hodie Duaci superstes.) *Sis precor illi benenola & fauens.* (Erat quippe Margaretæ Roperæ pedissequa, & sæpius ad carcerem missa à Domina sua intercurrebat, deferens munuscula Moro.) *Scire velim vtrum hæc illa sit de qua ad me scripsisti. Sin minus, faueas quantum potes illi alteri afflictæ, atque etiam Ioannæ Alanæ filiæ meæ.* (Hanc sic vocat, quia Margaretæ Roperæ altera pedissequa erat, & apud Morum educata) *Benignè quæso ei respondeas. Hodie enim apud me solicitauit, vt tibi eam commendarem. Multum tibi sum, mea Margareta, molestus. Sed malè me haberet, si diutius quàm die crastino. Est enim vigilia sancti Thomæ Cantuariensis* (cuius videlicet Translatio septima Iulii in Anglia Catholica, & alibi extra Angliam celebrari est solita) *& Octaua sancti Petri. Cras itaque vehementer gestio ad Deum migrare. Esset enim dies mihi valde conueniens. Nunquam mihi magis placuisti, quam quum postremo vice osculata me es. Multum enim delector, quum dilectio filialis & pura charitas huius mundi ceremonias non expectat. Vale charissima filia, & ora pro me. Ego pro vobis & omnibus amicis vestris orabo, vt suauiter in cælo nos mutuo conspiciamus. Ago gratias de liberalitate vestra. Mitto nunc filiæ meæ Clementi* (hæc erat Margareta Gyge vxor Ioann. Clementis Doctoris Medici) *lapidem eius arithmeticum: simulque illi & filiolo meo è fonte suscepto, omnibusque eius, diuinam benedictionem & meam impartio. Saluta quæso meo nomine, quum oportunum fuerit, filium meum Ioannem Morum. Placuit mihi vehementer bona eius indoles.* (Nempe quia ex iudicio exeunte patre benedictionem eius petierat.) *Benedicat illi Deus, eiusque vxori optimæ, filiæ meæ; cui velim vt impensè faueat, quod & merito facere debet. Quod si possessionum mearum hæres fiat, videat ne meam voluntatem in eo quod sororem eius Dancæam concernit, violet. Denique Augustino & Thomæ* (erant hi Ioanni Moro filii iam nati) *& qui nascentur ab illis, benedicat Deus.* In hac Thomæ Mori postrema Epistola facile agnoscas & spiritum planè diuinum ac nisi cœlestia sapientem; & animum prorsus tranquillum, nullaque perturbatione agitatum; & denique hominem suorum non immemorem, sed qui ad vltimum vsque spiritum non minus boni patris, quàm fortissimi Confessoris officium faciat. Spiritus eius planè diuinus, nihil nisi benedictiones loquitur. Omnibus suis & singulis bene precatur. Quasi alter Iacob filiis ac nepotibus suis, non è lecto, sed è carcere benedicit; & gratias spirituales impartit. Omnium quoque se precibus commendat ex spiritu humilitatis & timoris Dei, quem ad vltimum vsque vitæ halitum, tanquam certissimum reliquarum omnium virtutum custodem, retinuit. Sed nunquid ille spiritus prophetiæ fuit, & quædam familiaritas cum Deo, quod diem mortis suæ in hac Epistola prædicit? *Malè*, inquit, *me haberet; si vltra diem crastinum molestus tibi essem.* Et certè in illo crastino passus est. Sed quare illum crastinum, magis quam perendie aut ex sequentibus diebus aliquem Morus sibi ad mortem destinauit; nisi quod id quasi diuinitus reuelatum accepit? Quare in hunc quartum post condemnationem diem has postremas literas distulit? Nam post condemnationem Margareta filia quotidie ad patrem suum Dorotheam mittebat; nec carceris custos, Mori amicus, accessum aliquando prohibuit. Sed non nisi quarto post die suis omnibus valedicit. Non nisi quintum diem passionis suæ diem fore prædicit. Certè illud constat, hunc diem Morum vehementer exoptasse, siue illum prænouerit, siue singulariter à Deo expetierit. *Esset*, inquit, *ille dies mihi conueniens.* Et quare? quia dies ille Translatio erat sancti Thomæ Cantuariensis, etsi non publicè festus, tamen in Ecclesiis magnopere celebratus: erat quoque Octaua Sancti Petri Apostolorum principis. Rectissimè igitur hunc sibi diem Morus optauit; suauissimè hunc suo Martyri diem Deus concessit: in quo & Patroni eius cuius nomen gerebat, & sancti Apostoli pro cuius primatu sanguinem fundebat, celebris à fidelibus memoria fiebat. Illo enim die magis eos ad intercedendum pro se propitios, optimus Catholicus Morus habiturum se non dubitabat, in quo die Catholici omnes eorum intercessionem communibus votis expetebant: edoctus videlicet celebritatem Sanctorum hunc finem & fructum habere, *vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam hic agimus in terris.* Has Ecclesiæ voces optimè tenuit Morus, vir vocatione laicus, sed vitæ totius sanctitate & innocẽtia

Diem mortis prædicit. B

Spiritus Mori diuinus. 1. 2. 3.

Cur eum mortis suæ diem Morus exoptauit. *In Liturgia Catholica.* C D

Ecclesiasticus.

A Ecclesiasticus. Si enim ideo sancti honorantur vt pro nobis intercedant, non dubium quin quo tempore magis ab Ecclesia honorantur, eo tempore maiorem intercessionis fructum Ecclesia percipiat. Multum igitur desiderauit Thomas Morus (*& desiderium cordis eius tribuit ei Dominus*, quod & de Martyribus canit Ecclesia) eo die dissolui & esse cum Christo, quo die vt eo fœliciter peruenirent, à Sanctis qui magis ei peculiares patroni erant, magis se adiuuandum & commendandum sperabat. Quis fidelis orthodoxus in die patroni sui certius & fidelius auxilium à Deo non expectet? Quis nescit Hispanos in die S. Iacobi (qui patronus est gentis) & confidẽtius pugnare, & admirabiles victorias esse sæpe consequutos? Sic Angli & Galli quum Catholica tota gens erat, in festis Sanctorum Georgij & Dionysij magna sæpe & præclara facinora edebant. Non igitur immerito in Translatione glorioſa S. Thomæ Martyris, patroni sui, transferri quoque ex his tenebris ad lucem, & Martyr fieri Thomas Morus voluit. Porrò pro Christo moriturus quis non optaret ipso Natalis, aut Passionis, aut Resurrectionis, aut Ascensionis Christi Seruatoris die, mortem oppetere? Certe multos in Martyrologijs legimus ipso Resurrectionis & Passionis Dominicæ die à persecutoribus ethnicis trucidatos & nobili Martyrio perfunctos esse. Atqui S. Petrus Ecclesiastici ordinis ac status primus ac Princeps à Christo institutus est. Pro huius in terris primatu (quem *totius orbis Magistrum* vocat Chrysostomus Hom.
B 55. in Matth. *totius Ecclesiæ gubernacula suscepisse* scribit Damascenus in orat. de Transfigurat. Domini, vterque Græcus: quem Henricus in Anglia D. Petro eripere sibique sacrilegè vendicare ausus est) Thomas Morus capitis supplicium luiturus & nobilissimam confessionem facturus, quidni in Octaua S. Petri vt id fieret, merito exoptaret? Optauit igitur, & *voluntate labiorũ eius non fraudauit eũ Dominus*: quod vt de omnibus martyribus canit Ecclesia, ita singulariter de martyre Moro cantare poterit. Hunc spiritum seu prædictionis propheticæ, seu certe familiaritatis cuiusdam diuinæ hæc postrema Mori Epistola loquitur. Tranquillitatem animi omnia Epistolæ verba loquuntur: in qua sic de rebus varijs amanter disponit, ac si non in carcere damnatus, & eras moriturus, sed domi suæ liber & aliquò profecturus disponeret. Postremò suorum immemor non est ad exemplum Christi qui in ipsa Cruce, matris suæ curam dilecto discipulo demandauit. Vna cum hac Epistola postrema misit ad filiam Margaretam Cilicium suum cũ flagello, panno vtrumque obuoluens; quo in suum corpus disciplinam exercere solebat. Certus quippe de crastino Martyrio (non à Rege aut iudicibus, aut custode monitus, neque enim hoc fieri solet nisi sub vesperam sequentis diei, sed vt iam dictum est) vel diuinitus admonitus, vel bonitati diuinæ confidens; certus de fine certaminis & glorioſa victoria, arma pugnæ spiritualis deposuit & tela remisit; ne sane in aliorum quàm clarissimorum suorum manus venirent; &
C vt illum suum occultissimum mortificandi modum externos celaret: postremò ne in carcere relicta vel affectatæ sanctitatis & hypocrisis suspicionem, vel contumeliæ & irrisionis occasionem darent. Atque hæc de ipsa condemnatione Mori, déque ijs quæ eam sequuta sunt hactenus.

Dies patronis magis propitius.

Sapores Rex Persarum vno Passionis Dominicæ die 100. Christianos variis tormentis sustulit. Sozom. li. 1 cap. 9.

Henrici sacrilegiũ.

Tranquillitas mentis post condemnationem.

Cilicium & flagellum cur remittit.

CAPVT. XX.

De beata morte & illustri Martyrio Thomæ Mori.

D THOMAS Morus accepta mortis sententia & ad carcerem reductus Cal. Iulij an. 1535. se ad mortem proximam componit, nihil plane animo consternatus, nihil turbatus, sed totus non modo tranquillus (vt iam ostensum est) verum etiam plane hilaris more suo ac iucundus vt mox ostendetur. Interim tamen timorem Dei nunquam deponens (*beatus enim homo qui semper est pauidus*) postremis illis diebus in carceris sui angustijs linteo totus obuolutus, ad instar cadaueris in terram deponendi, mirificéque seipsum flagellans obambulat. O sanctum virum qui tanta, tam innocenter tamdiu passus, sic tamen in seipsum seuerus est ac si atrocissima flagitia per totam vitam delicatè & luxuriosè viuens perpetrasset! Væ nobis delicatulis qui fastu turgidi, inuidia liuidi, auaritia sordidi, luxuria fœdi ac spurci, nihil tamen vel pro Christo, vel pro nobis ipsis durum & asperum sustinere volumus. *Sed regnum cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quod optimè sciens Thomas Morus, vsque ad vltimum vitæ diem seuerus in seipsum esse & vim sibi ipsi facere voluit. Nempe optimè sciebat strenuos in agone cursores quo propius metam attingunt, eo alacrius & celerius currere. Quum iam dies mortis vel vitæ potius Moro aduenisset, educitur ex carcere in planitiem castri seu turris Londinensis, iam propter diuturni carceris squalorem, vt præter morem barbatus idque prolixè, ita facie pallida ac macilenta, crucem rubeam manu gestans, oculis in cœlum elatis, veste seruili & vilissima indutus. Quum enim in honesta veste procedere voluisset, togãq; de camelot induere quam ei in carcere Bonuisius donauerat, tum in amici gratiam, tum vt eam togam carnifici daret, fecit custodis, vel auaritia, vel improbitas, vt serui sui togam, vilissimi panni quem

Prouer. 28 Præparatio ad mortem

Matth. 11.

Vili veste indutus ad patibulum procedit.

nos griſeam vel friſeam vocamus, indutus prodiret, vir tantus, tam celebris, tantis dignitatibus perfunctus. Sed fuit hæc veſtis Thomæ Moro verè nuptialis veſtis: vel quia Chriſto pauperi in ea aſſimilatus, vel quia ad nuptias Agni & Calicem Chriſti bibēdum in ea properauit. Thomæ Mori ad locum ſupplicij exeuntis viuam effigiem egregie fabrefactam oſtendit olim mihi Margareta Gyge Ioan. Clementis vxor, quæ morienti adfuit, & mortuum cum alia Margareta ſepeliuit: & iuxta illam quam vidi effigiem prodeuntis geſtum ac vultum deſcripſi. Tranſeuntis mulier quædam vinum obtulit, quod recuſauit dicēns; *Chriſtum in ſua paſſione non vino ſed felle potatum fuiſſe.* Alia quædam mulier magnis clamoribus cum interpellans de chartis quibuſdā ſuis quas dum Cancellarius erat, apud eum depoſuerat, hoc reſponſum accepit: *Bona mulier; quod ad chartas tuas attinet, habe quæſo ad vnius horulæ patientiam. Tunc enim à chartarum tuarum curis, reliquoque omni onere, Regia Maieſt. pro ſua bonitate me penitus liberabit.* Denique ab alia adhuc mulierecula interpellatus, quæ grauem ſibi ab illo Cancellario iniuriam factam exclamabat (ſiue ſeriò hæc diceret, ſiue ſubornata) grauiter reſpondit: *Tuam cauſam optimè memini, & ſi nunc mihi in illa cauſa ferenda ſententia foret, non aliter prorſus pronunciarem.* Fuit eodem tempore qui conſilij & orationis cauſa ad eum in media turba accurrit, de quo ſupra diximus. Cap. 6. Ad patibuli locum quum ventum eſſet, theatrum conſcenſurus, manum cuidā porrigens, iuua me quæſo (inquit) ad conſcenſum hunc. In deſcenſu nemini moleſtus fuero. Vbi conſcendiſſet, verba ad populum

Confeſsio Mori vltima.

facturus à prætore prohibetur: vnde breuiſſime dixit: *Ego fratres, conteſtor me & fidelem Regi, & ſeruum Dei, & in fide Catholica moriturum.* Hæc quidem ille, ſed qui vnus erat toto regno Regi fideliſſimus: vnus ſeruus Dei maximus & innocentiſſimus: vnus non tantum in fide, ſed etiam pro fide Catholica morituru. His dictis, vtróque genu flexo, Pſalmum 50. *Miſerere mei Deus*, clara voce recitauit, ſicuti Roſſenſis canticum illud: *Te Deum laudamus.* Roſſenſis enim diuina exultatione repletus totus lætus ac gaudens ad patibulum feſtinauit, abiecto ſenectutis ſuæ baculo,

Spiritus Roſſenſis & Mori.

& eodem die quo pati debuit, in lecto ſecuriſſimè vſque ad horam bene matutinam dormiens, & lac pro ientaculo petens, Morus ſpiritu humilitatis & timoris plenus, pœnitentiæ precem non laudis Canticum recitare voluit. Vterque ſpiritus Deo placuit & à Deo fuit. Nam & *fructus ſpiritus gaudium eſt* teſte Apoſtolo, & *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, teſte Dauide. Quamquam

Gal. 5. Pſalm. 50.

neque ſancto timore vacuus erat Roſſenſis, neque ſancta lætitia deſtitutus fuit Morus. Recitato enim Pſalmo & finita prece alacriter ſurgens primum carnifici veniam de more petenti, & oſculum chariſſimum porrexit, & angelotum aureum dedit, & ei hæc verba dixit: *Tu mihi hodie maius beneficium præſtabis, quàm mortalium quiſquam aut hactenus præſtitit aut præſtare poterit.* Illud vnum tua cauſa doleo ceruicem tibi tam curtam præſcindendam, vt metuam ne non te poſſis

Charitas Mori in carnificem

commodè & cum honore tuo expedire. Sed & antea rogauerat filiam & alios amicos, vt ſi qua in re poſſent carnifici ſuo gratificari, id omnino facerent. Denique quum velare eum carnifex

Beata mors

vellet, ego (inquit) meipſum velabo: móxque linteo ipſe ſuo quod ſecum detulerat faciem obuoluit, & lubens ac rectiſſimè Caput trunco impoſuit, quo ſtatim reciſo, anima in cœlum euolauit; & qui conſpectu hominum ſeipſum priuauit oculos ſibi ſuos obuoluens, in conſpectum Dei & Angelorum repente peruenit. O beatam animam vnico capitis ictu ad cœleſtia & ſempiterna gaudia tranſlatam! Iam tunc experiebaris More, veriſſimum quod ſæpius antea dicere ſolebas, Non difficulter fieri poſſe vt capite toto quis minuatur, nihil tamen lædatur. Capite minutus iaces: ſed in quo læſus es, qui breui dolore perfunctus temporalem vitam, quæ ſeni & valetudinario longa eſſe non potuit, cum ſempiterna commutaſti: Infami morte, hominum iudicio ſublatus es. Sed quid tibi detrimenti acceſſit, qui non cœleſti tantum gloria, ſed immortali apud homines virtutis tuæ fama perfrueris? A tuis chariſſimis ad momentū diuelleris. Sed quomodo id tibi moleſtum eſſe potuit, qui certò confidis eos propterea in perpetuum tibi fœlici ſocietate iungendos? Honoribus & fortunis ſpoliatus moteris. Sed quid hoc tibi nocuit copioſiſſima mercede iam in cœlo donato, niſi de eo quis ambigat quod ipſa veritas de Mori ſimilibus

Matth. 5.

dixit: *Gaudete & exultate quia merces veſtra copioſa eſt in cœlo.* Et ſic quidem Thomas Morus pro veritate Primatus Pontificij, pro vnius Supremi Eccleſiæ Capitis aſſertione, (à quo ſane Primatu & Capite ſupremo, pax, ordo, & vnitas totius Eccleſiæ dependet; quo Capite ſublato omnibus hæreſibus aperitur ianua, & lupi liberè in ouile graſſantur: quod vel vnius Angliæ exemplū cęteras gentes docere poteſt) carcerem primum & bonorum rapinam paſſus, pòſt etiam mortem ipſam fortiter oppetijt. Sic ille omnibus ſuis laboribus defunctus, beatus in cœlo regnat; in terris verò non à bonis tantum ſed ab ipſis etiam improbis celebrem laudem adeptus eſt: eius mortem omnibus vt indigniſſimam deplorantibus; nemine prorſus (niſi forte qui impio Regi adularentur) factum probantibus. Nam & Rex ipſe Henricus quum ad eum perlatū eſſet, ſumptum iam eſſe de Thoma Moro ſupplicium (forte autem tunc alea ludebat) totus attonitus, eſt ne (inquit) iam de eo actum? Illis qui nuncium perferebant affirmantibus, Annam ſuam Boleniā quæ iuxta conſidebat reſpiciens, Tu (inquit) huius viri necis cauſa es. Móxq; è loco conſurgens & in cubiculum ſeſe proripiens, amare fleuit. Fuit certè Regi Henrico Thomas Morus à prima fere ætate charus. Inter ætatem vtriúſq; non adeo magnum diſcrimen erat. Morus ſeptem annis maior natu. Quum Rex anno ætatis 18. ad regnum peruenisſet, Morus eo tempore pulchro epigrāmate Regiæ inaugurationi gratulatus fuerat. Rex vt erat ipſe bonis litteris, atque philoſophiæ impensè deditus & in illis plus quam mediocriter inſtitutus (neque enim primogenitus patris

Rex Henricus ſublatum Morum deplorat.

Morus Regi chariſſimus.

fuit,

A fuit, sed Arturo fratri seniori superstes regnum obtinuit) ita doctos & litteratos mirè dilexit. Morus igitur quinto aut sexto regni anno, quum adhuc Londinensis esset Syndicus, ad legationes obeundas à Rege assumitur, nec ita multo post in Consilium Regium cooptatur. Viginti igitur & amplius annis (nam anno Regni 27. Morum è medio sustulit) Regi vixit ita charus, ita fidelis, ita per varios honorum gradus continuò euectus, vt nemo magis. Eius igitur mors ita violenta & fœda, & contra omnem iustitiam illata, non potuit non in tam longa, tam fideli, tam officiosa amicitia, etiam ipsi tyranno non displicere. Sed vicit amor Boleniæ carnisque immensa cupido. Rex enim, vt multi asserunt, voluit Morum in perpetuo carcere viuum asseruare. Sed Anna Bolenia conquiescere non potuit, donec vt altera Herodias, Thomæ caput resectum videret. quo tamen illa spectaculo non diu gauisa est. Nam ante vnius anni circulum reuolutum, eodem in loco quo passus est Morus propter iustitiam & innocentiam, decollata est illa propter adulterium & incestum. *Anna Bolenia occisi Mori causa*

Sed nunc priusquam ad alias de Thomæ Mori morte non nostras, sed exterorum querelas veniamus, quid de Capite & corpore sancti Martyris actum fuerit, commemorabitur. Caput iussu Regis ad pontem Londinensem palo affixum est, vbi per aliquot dies, fere per integrum mensem mansit, donec propter alia capita affigenda (Rex enim Henricus vbi semel primos digitos cruentauerat, vsque ad humeros alieno cruore se intinxit) quum illud deponendum, & in B flumen subiectum proiiciendum erat, Margareta Ropera ad omnem rei bene gerendæ occasionem intenta, diligenter ad hoc tempus inuigilans, corrupto pecunia carnifice cuius erat capita deiicere, patris sui Caput quod ipsa cum alijs diligentissimè obseruauerat, recuperauit. Erant signa adeo certa Capitis, vt nemo qui eum cognouisset in vita, non cognouisset post mortem. Non tantum ex defectu vnius dentis quo viuus carebat, verum quia tantò pene pulchritudine facies conspicua erat atque dum viueret. In quo illud mirabantur sui quod pili barbæ præ canicie prius albescentes, in abscisso capite velut rufi apparebant. Hoc caput à Margareta Ropera quam diu viueret, diligentissimè asseruatum est, aromatibus curiosè conditum: & hodie adhuc apud aliquem suorum custoditur. Corpus defuncti à Margareta Ropera cum altera Margareta Clementis coniuge in sacello D. Petri quod in ipso Castro Londinensi est, sepultum fuit, carceris custode hoc permittente. Contigit autem circa sancti corporis sepulturam quod meritò miraculi speciem habere potest. Margareta Ropera eius diei summo mane peragrabat sanctissimas Ecclesias, & eleemosynas pauperibus plena manu distribuebat, iámque omnibus elargitis, cum post sumptum de patre supplicium ad carcerem properaret paternũ corpus sepulturæ mãdatura (quod ei custos promiserat sub beneplacito Regio quod facilè impetratum fuit) exhaustis iam loculis, præ festinatione nec nouas acceperat pecunias, nec syndonem quo corpus in- C uolueretur secum tulerat. Itaque mire tristis ac solicita quid faceret, monetur ab ancilla Dorothea (Harrisij post vxore) vt de proximo linteum accipiat. Quomodo (inquit) id faciam quum nihil pecuniæ reliqui habeam? Credent tibi, ait ancilla. Quanquam (inquit Margareta) longè à domo absim, nec his hominibus nota existam, tu tamen vade & periculum facito. Ancilla prudens & cauta ad vicinam tabernam deflectens postulat quantum sufficere potuit: de precio cõuenit. Mox velut quærendæ pecuniæ causa manum in peram misit; eo animo vt diceret præter spem sibi euenisse quò minus adessent pecuniæ; sed si crederetur sibi se quàm primum id quod conuenerat à domina sua allaturam & reddituram. Ecce autem quũ certò ancillæ constaret nihil se prorsus pecuniæ habere, tamen iam in pera iustũ syndonis precium reperit, nec vno terũcio plus minúsve, quàm eo tempore ex pacto solui oportebat. Hæc mihi Dorothea ista adhuc superstes & hic Duaci agens sæpius & constanter retulit. Accepto igitur non sine miraculo syndone, duæ istæ Margaretæ cum ancilla alterius Dorothea, corpus sepulturæ honestissimè mandarunt. Camisia in qua passus est, sanguine eius tincta à Margareta Clementis vxore asseruata est, quæ mihi totam aliquando & integram ostendit, & bonam eius partem dono dedit; siue illam à principio altera Margareta concesserit, siue quòd (ea multo citius defuncta) post eius obitum acceperit. *Caput Mori à Margareta filia seruatum.* *Corporis sepultura.* *Syndonis precium miraculosè inuentum.*

D Atqui non ita multo post in totam Mori familiam ira Regis desæuijt. Alicia vxor de proprijs ædibus expulsa, & pensione sola 20. librarum annua illi assignata (reliquis omnibus ad Morum pertinentibus fisco Regio addictis) in ipso pago Chelsey satis tenuem egit vitam. Margareta Ropera coram Consiliarijs Regijs conuenitur, accusata quòd caput patris quasi reliquiæ loco asseruaret, quódque libros & scripta eius adhuc penes se retineret. Quæ respondit se caput paternum recuperasse sepeliendi studio, ne piscibus esca foret: scripta & libros vix alia se habere quam quæ iam typis excusa essent; exceptis perpaucis familiaribus Epistolis, quas ad sui consolationem vt seruare permitteretur, supplex rogauit. Opera amicorum dimissa fuit, quũ sola ex fœminis (quæ in familia Mori multæ erãt) vexata fuisset. Viri ad vnum omnes, Ioannes Morus, Ioannes Clemens, Gulielmus Roperus, Ægidius Heron, Ioannes Dancæus ob iusiurandum reiectum in carceres coniecti sunt. Cęterum omnes tandem, alius alio serius aut citius, magnorum virorum studio dimissi sunt. *Sæuitur in familiam Mori.*

Sed nunc ad ipsum Morum redeamus. Huius viri mors quum solus ex laicis esset, & maximæ dignitatis atque existimationis vir, qui Religionis tunc primum in Anglia labefactari cœptæ causam vsque ad sanguinem tueretur, exemplo illo suo plus quàm credi potest, genti nostræ *Mori martyrium quam illustre.*

profuit. Neque enim vel tot Carthusianorum Patrum atque aliorum Monachorum, neq; ipsius A
Roffensis sanctissimi & doctissimi licet Episcopi mors (etsi non minus haud dubiè coram Deo pretiosa) sic populum & omnes hominum ordines commouit, sicut vnius Mori. Cæteri omnes quum ex clero essent, clericalem statum aliquo humano affectu defendere potuisse, hominibus male suspicacibus videri poterant. In Moro nihil tale suspicari quisquam potuit. In cæteris sola pietas & eruditio sacra elucebat. In Moro præter notissimam pietatem & innocentiam, prudentia rerum agendarum, legum Britannicarum peritia, plurimi & ampliſſimi gesti in Republ. Magistratus eminebant: hominisque tanti in tali causa constantiam, mirificè commendabant. Certè eius viri fama, & illustris martyrij memoria quantam nobis pueris in Anglia celebritatẽ habuerit, quos ad Catholicam amplectendam & retinendam fidem stimulos addiderit, & ego optimè recordor & mecum innumeri testabuntur. Morus profecto quũ viueret sapientiæ laude sic excelluit, vt oraculum Angliæ haberetur, non tantum in causis forensibus quando ius dicebat, sed etiam in duabus istis causis grauissimis, diuortij Regij, & Primatus Pontificij. Nec id tantum quum libertate gauderet, honoribus in Rep. floreret; sed etiam vinctus, & in carcere quum esset, omnes ab illo pendebant. Ad illum laici, ad illum Presbyteri, ad illum VVilsonus Doctor, ad illum Ioannes Episcopus Roffensis per litteras miserunt; vt mentem ac iudicium eius his de rebus explorarent. Henricus Rex quanto studio, quo conatu, qua contẽtione egerit vt vnum Morum in suam sententiam pertraheret, præcedentia declararunt. Certe Germi- B
nius Gardinerus vir nobilis & doctus ac laicus, quum octo annis post pro eodem Primatu Pontificio Martyrium subiret, in loco supplicij nullam aliam apud populum rationem afferre voluit, cur ipse in illa causa mortem oppeteret, quàm quia Carthusianorum pia simplicitas, Roffensis Episcopi incredibilis doctrina, Thomæ Mori singularis sapientia eum vt hoc faceret admonere videbatur. Innumeri exemplo Mori in fide & obedientia Rom. Ecclesiæ perstiterunt; multi capitis discrimen adierunt. Certe Pastor ipse Parochialis Tho. Mori, D. Larke, ad ouis sui exemplum, nobili quoque martyrio perfunctus est, vt nostri Annales testantur. Ac de Mori quidem vita, rebus gestis, ac beata morte hactenus. Corporis statura mediocris erat, bona ac iusta.
Corporis habitus. Complexio ad phlegmaticam accedebat. Colore albus & subpallidus fuit. Facies ei læta, aspectus hilaris, ac delectabilis: vultus venustus ac generosus Senatoriam grauitatem repræsentans. Oculi glauci, mediocres, non nimium micantes sed amicabiles. Frons lata. Capilli recti non crispi, colore subnigri & subflaui. Ceruix ei breuis & crassa. Nutriuit comam more Senatorum, & magnorum tunc temporis magistratuum. Hic habitus, hæc qualitas corporis fuit, vt qui eum viderunt nobis prodiderunt.

C

CAPVT. XXI.

Clarorum & Doctorum virorum de Thomæ Mori nece iudicia.

NON abs re fore iudicaui, si quid extra Angliæ fines viri docti, & celebres de Thomæ Mori morte iudicauerint, hunc in locum adferrem. Reginaldus Polus S. R. E. Cardinalis Romæ tunc agens quum hæc in Anglia prima ferueret persecutio, in libris ad Henricum Regem pro Ecclesiasticæ
Lib. 3. vnitatis defensione de exterorum querelis circa hanc Thomæ Mori iniquissimam mortem, sic per apostrophen ad Angliam scribit: *Tuus Anglia, Pater, tuum decus, tuum columen, in conspectu tuo innocens ad supplicium ducebatur: tuus quidem natura filius, conditione ciuis, verùm beneficijs Pater, qui plura paterni in te animi signa ediderat quàm vllus vnquam indulgentissimus pater in vnicum & charissimum filium: sed nulla re magis tibi parentem ostendit quàm ipso exitu; qui tua præcipue causa, ne salutem tuam proderet, vitam amiserit. Quare si quod in historijs Græcorum de Socrate legitur, quem iniquo apud Athenienses iudicio circumuentum, vt nũc* D
apud te Morum, morte affectum esse constat; cùm aliquando post in theatro quo populus ad spectacula conuenerat, ex tragœdia quadam recitaretur; Interfecistis, Interfecistis virum omnium Græcorum optimum, *statim ad illa verba, tam acerbam recordationem Socratis omnium animos subijsse, (quamuis Poëta cum illa scriberet nihil minus quàm de Socrate cogitasset) vt totum theatrum gemitu & lachrimis impleretur: ex quo paulo post, populi iussu sit in authores mortis quæsitum: & qui inueniri potuerint, occisi sunt; reliqui exilio mulctati: statua etiam Socrati publicè in foro proposita: si igitur illi causam habuerunt cur eodem tempore & iusto odio in authores sceleris & misericordiæ in hominem innocentissimum ac virtutibus clarissimum incenderentur, cum illa quæ dixi modo verba in theatro recitarentur; quanto nunc iustiore & odio & misericordia commoueri debes ciuitas Londinensis, quæ eadem illa verba non domi in theatro tuo semel ab aliquo histrione casu prolata, sed omnibus iam Christiani nominis locis à grauissimis viris, tum cum maximè serio loquuntur, tibi sæpius exprobrata excipere cogeris. Interfecistis, interfecistis hominem omnium Anglorum optimum.* Hæc Polus; qui propter generis nobilitatem (ex Regio Anglorum stemmate natus) & propter vocationis suę dignitatem, & propter excellentem eruditionem, ac deniq; propter virtutem

Autem & probitatem, ac morum incredibilem gratiam ac suauitatem, summis in Europa viris notus & gratus quum esset, plurimorum & maximorum virorum de Mori morte iudicia facilè potuit cognoscere, nullo modo voluit fingere, aut simulare. Quod etiam exempla subiecta perspicuè confirmabunt. Erasmi verba primum proferemus, qui etsi tacito suo nomine hæc scripsit (adhuc enim in Anglia amicos habebat quos retinere cupiebat) tamen stilus & modus scribendi apertissimè clamant authorem illum esse, maximè cum in Epistolis eadem fere, sed sparsim scripserit: *Illud satis constat Morum & Rossensem nulla in Regem maleuolentia peccasse, sed simplici sinceráque conscientia (si errauerunt) errasse. Hoc sibi penitus persuaserant, hoc medullitus infixum habebant, sanctum, pium, Regi honorificum, regno salutare esse quod tuebantur. Silere cupiebant si licuisset: sed patienter ac placidè mortem exceperunt, Regi regnóque bene precantes. At in atrocibus etiam criminibus magnam culpæ partem excusat simplex ac pura conscientia, animúsque non lædendi sed bene merendi cupidus. Tum apud efferas etiam nationes frequenter eximiæ virtuti præstantique doctrinæ honor est habitus. Platoni apud Æginetas iuxta ciuitatis constitutionem capite plectendo, profuit Philosophi cognomen. Diogenes impune penetrauit in castra Philippi Regis Macedonum, ad quem pro exploratore adductus libere exprobrauit Regi insaniam, qui non contentus suo Regno, semet coniiceret in periculum ne perderet omnia. Non impunè tantùm sed etiam cum munere dimissus est, non ob aliud nisi quod esset Philosophus. Quemadmodum Monarcharum in eruditos benignitas plurimum honesti nominis illis conciliat, ita durius tractati plurimum inuidiæ conflant illis. Quis nunc non execratur Antonium qui Ciceronem ferro peremit? Quis non detestatur Neronem qui Senecam occiderit? Nec minimum gratiæ decessit Octauij Cæsaris nomini qui Ouidium apud Getas relegauit. Quum Rex Galliarum Ludouicus XII. Regnum adeptus pararet diuortium cum Ludouici Regis XI. filia, res displicuit quibusdam bonis, ex quibus Ioannes Standock, & huius discipulus Thomas in concione nihil aliud dixerant, nisi Deum orandum esse, vt Regi inspiraret bonum consilium. Quæ apud populum dicuntur ad seditionē spectant. Et hi deliquerant aduersus Regis edictum; Rex tamen nihil aliud quàm vertere solum iussit; nec quicquã ademit facultatum. At idem negotio quod agebat confecto eos reuocabat. Hac moderatione Rex ille & suo consuluit instituto, & grauem inuidiam euitauit: quod vterque esset Theologus; vterque sanctitatis opinione commendatus. At Thomæ Mori mortem deplorant, & ij quorum instituto pro viribus aduersabatur. Tantus erat hominis in omnes candor, tanta comitas, tantáque benignitas. Quem ille, vel mediocriter eruditum ab se dimisit indonatum? Aut quis fuit tam alienus de quo non studuerit bene mereri? Multi non fauent nisi suis. Galli Gallis, Germani Germanis, Scoti Scotis. At ille in Hibernos, in Gallos, in Germanos, in Scotos amico fuit animo. Hæc naturæ benignitas sic Morum omnium animis penitus infixit, vt non fetus ac parentem, aut fratrem plorent extinctum. Ipse vidi multorum lachrymas qui nec viderant Morum, nec vllo officio fuerant ab eo affecti. Ac mihi quoque dū hæc scribo nolenti ac repugnanti lachrymæ prosiliunt. Quot egregias animas vulnerauit illa securis quæ Mori caput amputauit?* Hæc Erasmus. Nam paulo post oblitus fabulæ personã planè prodit his verbis: *Proinde mihi gratulantibus quod talem haberem amicum in tanto rerum fastigio collocatum* (Morum videlicet Cancellarium Regni Angliæ) *respondere soleo non prius illi de dignitatis accessione me gratulaturum quàm iuberet ipse.* Hæc iam in sua persona Erasmus, vt non sit dubium totum hoc scriptum Erasmicum fuisse. Nam de amicitia aliqua inter Morum & G. Courinũ Nucerinum, vel P. Montanum nusquam aliquid reperi, vel audiui. Ioannes Cochlæus Theologus in Germania doctissimus, statim post Rossensis ac Mori martyrium scripsit pro eis defensionem contra Richardum Sampsonem Anglum, qui Regis causam tuebatur: contra quem etiam suos libros in defensionem vnitatis Ecclesiasticæ Cardinalis Polus edidit. In eo libro Cochlæus inter alia plurima quæ in Mori laudes effusè scribit, sic de morte habet: ad proceres, & Consiliarios Henrici Regis sermonem conuertens, quibus quàm ipsi Regi maluit Mori necem imputare: *Quid laudis, aut fauoris consequi potuistis ex ea crudelitate quam in Thomam Morum exercuistis? vir erat humanitate, moribus, affabilitate, facilitate, facundia, prudentia, vitæ innocentia, ingenio, doctrina cunctis, tum notus & laudatus, tum amabilis & admirabilis, dignitate præterea supremus Regis Iudex & Regi proximus, conspicuus, in Republica maxima cum laude ab adolescentia vsque versatus, splendidis legationibus functus, atque in senectam iam vergens canescente capite venerandus. Qui honorificè impetrata à Rege missione, priuatim domi vixit cum vxore, filijsque & nepotibus, nullius criminis rens vnquã, ac ne suspectus quidem, nemini molestus, nemini grauis, omnibus præstò, mansuetus & comis. Hunc consuluistis rapi, è domo sua, è dulcissimo rectè piéque Philosophantium contubernio, ob nullam aliam causam, nisi quòd impietates vestras iustificare nollet, obsistente sua conscientia, & timore Dei, animæque suæ salute. Creditis ne illud facinus vestrum vlli ætati aut sexui placuisse, aut vnquam placiturum esse? Non fiet: Vobis ipsis plus nocuistis, quàm illi: vos ipsos enim feciſtis homicidas, & reos sanguinis innoxij in perpetuum. Illum verò & Deo cunctisque cœlorum exercitibus, & hominibus acceptissimum, laudatissimúmque effeciſtis Martyrem, Deo sine fine viuit & regnat. Vos hanc reatus & infamiæ maculam nunquam delebitis. Scriptum est enim, Ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit Consiliarios in stultum finem, & Iudices in stuporem. Baltheum Regum dissoluit, & præcingit funem renes eorum.* Hæc hactenus Cochlæus. Huic adiungam Paulum Iouium Episcopum Nucerinum scriptorem celebrem, qui in Elogijs Doctorum virorum de Thoma Moro eiúsque iniquissima morte sic scribit: *Fortuna impotens, & suo more instabilis, infaustáque virtuti si vnquam superbè & truculenter iocata est sub Henrico nuper 8. in Britannia immanissimè desæuijt, prostrato ante oculos Thoma Moro, quem Rex paulò ante præclarus eximiæ virtutis admirator ad summos honores extulerat: vt inde eum fatali oborta insania mutatus in feram, crudeli mox impetu præcipitem daret, quod ipsius furentis tyranni nefariæ libidini, vir omnibus religionis, atque iustitiæ*

Erasmi querela. In libello P. M. ad Casparem Agrippam apud Ioan. Stelsium Antuerpiæ an. 1536. de morte Thomæ Mori. Idem libellus Basileæ per Episcopium excusus an. 1563. authorem præfert G. Courinum Nucerinũ Philippo Montano scribẽtem. Barbari tyranni doctis pepercerunt. Mori mortem etiam aduersarij deplorabant. Morus in omnes benignus. Ioan. Cochlæi querela.

Iob. 12.

In Elogijs titul. 89. Pauli Iouij de Mori nece iudicium.

numeris longè optimus atque ſanctiſſimus adulari noluiſſet. Dum enim ille vxorem repudiare, pellicem inducere, filiámque (Mariam) magno probro abdicare properaret, Morus ſcrinij Magiſter, pietatis ac innocentiæ ſuæ reus, cauſam ad tribunal dicere coactus, impio iudicio ita damnatus eſt, vti latronum more teterrimo ſupplicij genere necaretur, nec fas eſſet dilacerata membra propinquorum pietate ſepelire. Sed Henricus, vel hoc vno facinore Phalaridis æmulus, eripere non potuit, quin ad ſempiternam inuſitati ſceleris memoriam, Mori nomen in Vtopia perenni conſtantiæ laude frueretur. Hæc Paulus Iouius, qui etſi genus mortis aliud deſcribit, quàm quod Morus ſuſtinuit, tamen non aliud refert quàm quod ſententia lata complectebatur vt ſupra oſtenſum eſt, vbi etiam cur in mitiorem pœnam ea mutata ſententia fuerit, diximus. Nunc Eraſmo Belgæ, Cochlæo Germano, & Paulo Iouio Italo, Gulielmum Paradinum Gallum adiungemus, vt quaſi ex omnibus Chriſtiani orbis prouincijs, de fœda & infami Thomæ Mori occiſione, indicium proferatur. Scripſit ille afflictæ religionis Britannicæ exegema. In eo libro ſic ſcribit: *Iam in alterum annum Anglicæ turbæ, acſimultates proceſſerant cum menſe Iulio Ioannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus Londinum in vincula traducitur: quod diuortium, quodque recens legem in Pontificatum latam damnare videretur. Eius conſilij particeps fuit Tho. Morus vicecomes Londinenſis, vir linguarum litterarúmq; omnis generis ſupra aulicorum captum peritia clariſsimus, ac moribus inculpatiſsimus. Ij quum Deo potius quàm hominibus obſequendum putarent, atque in ea ſententia obfirmaſſent animum, à qua nec precibus, nec præmijs, nec pollicitationibus, multo minus propoſitis mortis terriculamẽtis diduci diuellique vnquam potuere, damnati ſunt capitis: quod ſupplicium conſtanti animo vtérque ſubiere.* Hæc ille. Longum eſſet ex alijs authoribus quę in hanc ſententiam ſcribuntur, in hunc locum adferre. Certè quotquot de rebus horum temporum ſcripſerunt, Thomæ Mori iniquiſſimam mortem grauiter deplorant: Rouerus Pontanus Germanus in Indice ſuo rerum memorabiliũ: Laurentius Surius copiosè ad annum 1535. Ioannes Fontanus in hiſtoria noſtri temporis Gallicè cõſcripta copiosè quoque. Onuphrius Patauinus in Paulo tertio. Nicolaus Cardinalis Capuanus in litteris Principum Gallicis. Ioannes Secundus Hagienſis Næniam ſcripſit de morte Thomæ Mori, quæ ad manus meas non peruenit. Addã his omnibus Catholicis ſcriptoribus (vt Carionem & Sleidanum taceam qui etiam de Thoma Moro honorificè loquuntur) hominem alienę & aduerſæ religionis Ioannem Riuium Atthendorienſem, qui & de Regis crudeli facto, & de Thomæ Mori laudatiſſima pietate in hæc verba ſcribit: *Qui in Principis aula verſatur, eum quæ in rẽ fore Principis perſuaſum habet, libera conſcientia potius in medium adferre, ſi quando adhibitus in conſilium fuerit, quàm ad gratiam loqui atque auribus blandiri, neque aut laudanda vituperare, aut crimine digna laudare oportet, etiamſi forte magno ipſe in metu ſit, ne aut vtilia ſuadentem, aut liberè conſulentẽ non gratia modo non excipiat, ſed maneat etiam pœna.* Et paulò pòſt exemplo Papiniani nobiliſſimi Iureconſulti adducto, qui defendere parricidium Antonini Imperat. iuſſus, mori fatius eſſe duxerit, quã impium illud reclamante conſcientia defendere facinus, ſubiungit: *Talis & noſtra memoria nuper ille ſingulari vir & doctrina, & ſanctitate præſtans, atque vnicum patriæ ſuæ decus & ornamentum Th. Morus, qui quoniam in nouum matrimonium Regis Britannici, aliam, repudiata vxore priore, ducere vxorem cupientis cõſentire, contráq; animi ſententiam comprobare noluit: primum in vincula conjectus, vir optime & de Rege ipſo, & de tota Britannia meritus, poſtquam quod rectum ipſe & fas piúmque ducebat, optimæ mentis ſuæ conſciẽtia fretus ad extremum pertinaciter tueri pergeret, ab impijſsimo parricida, & deterrimo crudeliſsimóque tyranno eſt ſupplicio affectus. O inauditam hoc ſæculo immanitatem! ô ingratitudinem atque impietatem Regis ſingularem, qui virum integerrimum & ſanctiſsimum, & cum eiuſdem ipſius, tum gloriæ atque vtilitatem patriæ ſtudioſiſsimum, qui recta & honeſta ſuaderet, diſſuaderet contraria, tam diu ſqualore carceris macerare, & conficere, ac nullius demum ſceleris compertum ac deuictum, nec innocentem modo, ſed & prolixè de ipſo meritum, & Conſiliarium denique vnum omnium fideliſsimum (heu nefas) morte mulctare ſuſtinuerit. Hæccine tandem præmia Rex, hanc gratiam fidei ac beneuolentiæ erga te ſuæ? Hunc ex ſeruitio fideli fructũ vir optimus, hoc operæprecium refert: Te verò beatum & æternæ iam compotem fælicitatis atque ſalutis, More, qui capitis prius ſubire periculum, quàm aliquid contra conſcientiam probare; ac pluris denique facere ius & æquum, fas & pium, quàm vitam ipſam malueris. Sed dum hac mortali vita orbaris, ad veram & immortalẽ migras. Ex hominum conſortio dum tolleris, in diuorum numerum referris.* Hæc Ioannes Riuius homo plane Lutheranus, in hac tamen cauſa propter omnibus notiſſimam Th. Mori innocentiam, Regiſq; barbaram in eum crudelitatẽ, veriſſima narrans. Non eſt opus vt ego his aliquid addam, aut vel Th. Mori laudibus, vel Regis Henrici iuſtæ reprehenſioni quicquam adiiciam. Nemo Anglus Catholicus: vel verius, vel acrius vtrúmque efferre potuit, quam fecit hic Germanus Lutheranus. Sed tanta veritatis vis, ea pietatis lux, & iuſtitiæ claritas eſt, vt etiã ab alienis adeóq; aduerſarijs diſſimulari aliquando nequeat. Illud poſtremo loco ponã quod à fide dignis accepi, nobiliſſimũ in hac cauſa & ſempiterna memoria dignum teſtimonium. Carolus V. Imperator, Princeps non minus iudicio acer, quam bello fortis & fœlix, audita Roffenſis & Mori nece, Thomæ Elioto tunc Henrici apud eum legato hæc verba dixit: *Ego ſi in meis Regnis duo huiuſmodi lumina haberem, quamlibet munitiſsimam ciuitatem potius periclitari ſinerem, quàm me illis priuari, nedum iniuſtè tolli permitterem.* Hæc ille. Præſtantiſſimi Principis præclarum Elogiũ fuit. Et verò res loquitur, cauſa mortis iniquiſſima, genus infame, Mori patientia admirabilis, pietas, eruditio, aliæque virtutes incomparabiles loquuntur, fœlicem tam nobili Martyrio Morum, infamem tali iudicio Hẽricum. Certè Henrici Regis crudele factum (ſepoſita facti iniuſtitia manifeſta) tria magnopere aggrauant. Primum quia ob eam legem Morum interficit, quam nec dicto nec facto læſit:

Sup. ca. 18.

Pag. 20. Lugduni apud Turneſium an. 1555.

Lib. 9.

Ioan. Riuius lib. 2. de conſciẽtia.

Ioan. Riuij Lutherani de Mori morte querela.

Henrici 8. iuſta reprehenſio.

Caroli V. Imperat. iudicium.

quæ

A quæ religionis cauſam non Reip. politiam concernebat (in qua qui conſcientiæ cõſulebat ſuæ, non in Regem rebellis, ſed vt plurimum homo meticuloſus iudicari poterat) quam deniq; ſic approbare recuſat, vt tamen non improbet, vel cæteros qui eam approbant damnet. Quo certè animo vtcunque diſſentiente nihil potuit eſſe innocentius, magis integrum & ſincerum nihil. Secundo qui talem virum tantæ eruditionis, virtutis, integritatis, tanti ingenij: ea morum ſuauitate & lenitate præditum, omnibus charum, nemini noxium è medio ſuſtulerit: Hoc etiam in fonte aliquam veniam merebatur: & perpetui carceris damnatio grauis fuiſſet pœna. Tertio qui virum de ſe, de regno, de religione ea quam Rex ipſe colebat, optimè meritum: qui tot & tãta Regi obſequia, maxima cum laude ſua maxima Regis voluptate præſtitiſſet, tot annis Conſiliarium, toties Legatum, tam varijs muneribus functum, ſummo denique magiſtratu geſto, decollauerit. Rurſum ab altera parte Mori ſic ſublati gloriam & immortale decus multa ſunt quæ augent & amplificant. Primum quòd in cauſa diuortij Regij vtcunque contra Regem ſemper ſenſit, tamen apertè, ingenuè, cãdidè, integerrimè ea in re cum Rege ipſo ſic egerit, vt nec ipſe Rex offenderetur, aut ſaltem offendi videretur. Secundo quod iam ex vna recuſatione ſpoliatus bonis omnibus, & ad perpetuos carceres damnatus nouóque iuramento vexatus, nec dicit nec facit quicquam. Potuit certè dixiſſe & vere ac fortiter dixiſſe, legem hanc nouam eſſe in

B Deum impiam, in Sedem Apoſtolicam rebellem, in totam Eccleſiam ſacrilegam, in populum violentam, in ſeipſa abſurdam. Nihil horum dicit, ſed nec improbat omnino. Solum tacet, ne conſcientiam lædat. Tertiò quod varia & grauiſſima patiatur, amplæ fortunæ rapinam, honorũ ampliſſimorum iacturam; familiæ dulciſſimæ contubernium, vxoris, liberorum, & vndecim nepotum: libertate denique tota, ac vita ipſa priuatus. Quarto quod cur hæc patiatur, nulla alia fuit cauſa quàm purus Dei amor, & offenſæ diuinæ timor. Qua mente nihil ſanctius eſſe potuit. Quinto quod in cauſa nunquam antea controuerſa, & abſque vllo ferè exemplo, veritate tamẽ magno ſtudio explorata & fide firmiter fundata, Mori non recuſat. Sexto quod ſolus ille ex Senatoribus Regijs Regi veritatem dicere, non ad gratiam loqui, non adulari, non ſuum Principem fallere, honores vero non ſolum non ambire, ſed nec collatos cum animæ ſuæ periculo retinere voluerit. Hæc omnia Thomæ mori candorem animi ſingularem, modeſtiam longè maximam, innocentiam clariſſimam, fortitudinem heroicam, pietatem admirabilem, conſtantiam verè Chriſtianam, integritatem laudatiſſimam manifeſtè loquuntur.

Regis crudelitas ex tribus oſtenditur.

1.

2.

3.

Tho. Mori martyrium multis modis illuſtre.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

Habes, amice & candide Lector, quæ de Thomæ Mori viri clariſſimi & præſtantiſſimi vita, moribus, rebus geſtis, atque illuſtri Martyrio, colligere potui & collecta deſcribere. Deus patet

C miſericordiarum, afflictiſſimæ genti noſtræ, in horrendo ſchiſmate & ſub hæretica tyrannide, triceſimum (vno minus) nunc laboranti annum, merito ſanguinis dilecti filij ſui, & tot in Anglia Martyrum, atque imprimis Thomæ Mori, ſanctis precibus; clementer tandem propitiari dignetur; & ad communem Catholicæ Eccleſiæ gremium aberrantem reducere: Cui ſit omnis honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

FINIS.

A

EPITAPHIVM THOMÆ MORI, QVOD PAVLO POST ABDICATVM CANCELLARII MVNVS ipse sibi composuit, & sepulchro suo in parochiali sua Ecclesia affixit.

B

THOMAS Morus, vrbe Londinensi, familia non celebri, sed honesta natus, in litteris vtcunque versatus, quum & causas aliquot iuuenis egisset in foro, & in vrbe sua pro Shyreuo ius dixisset, ab inuictissimo Rege Henrico octauo, (cui vni Regum omnium *gloria prius inaudita contigit, vt fidei defensor, qualem & gladio se & calamo verè præstitit, meritò vocaretur) adscitus in Aulam est, delectúsque in Consilium, & creatus Eques, Proquæstor primùm, pòst Cancellarius Lancastriæ, tandem Angliæ miro Principis fauore factus est. Sed interim in publico regni Senatu lectus est orator populi; præterea legatus Regis nonnunquã fuit, aliàs alibi; postremò verò Cameraci, comes & collega iunctus principi legationis Cuthberto Tonstallo, tum Londinensi, mox Dunelmensi Episcopo; quo viro vix habet orbis hodie quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi inter summos Christiani orbis monarchas rursus refecta fœdera, redditamque mundo diu desideratam pacem, & lætissimus vidit, & legatus interfuit.

** Sed hanc totam gloriam infame schisma & tyrãnis subsecuta penitus obtenebrarunt*

Quam Superi pacem firment, faxintque perennem.

C

In hoc officiorum, vel honorum cursu quum ita versaretur, vt neque Princeps optimus operam eius improbaret, neque nobilibus esset inuisus, neque iniucundus populo; furibus autem, homicidis, Hæreticisque molestus; Pater eius tandem Ioannes Morus Eques, & in eum Iudicũ ordinem à Principe cooptatus, qui Regius concessus vocatur, homo ciuilis, innocuus, mitis, misericors, æquus & integer, annis quidem grauis, sed corpore pluscuã pro ætate viuido, postquam eò productam sibi vidit vitam, vt filium videret Angliæ Cancellarium, satis in terra iam se moratum ratus, lubens migrauit in cœlum. At filius defuncto patre cui quamdiu supererat comparatus, & iuuenis vocari consueuerat, & ipse quoque sibi videbatur, amissum iam patrem requirens, & editos ex se liberos quatuor, ac nepotes vndecim respiciens, apud animum suum cœpit persenescere. Auxit hunc affectum animi subsequuta statim velut adpetentis senij signũ, pectoris valetudo deterior. Itaque mortalium harum rerum satur, quam rem à puero penè semper optauerat, vt vltimos aliquot vitæ suę annos obtineret liberos, quibus huius vitæ negotijs paulatim se subducens, futuram posset immortalitatem meditari, eam rem tandem (si cœptis annuat Deus) indulgentissimi Principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetrauit: atque hoc sepulchrum sibi, quod mortis eum nunquam cessantis adrepere quotidie commonefaceret, translatis huc prioris vxoris ossibus, extruendum curauit. Quod ne superstes frustra sibi fecerit, néve ingruentem trepidus mortẽ horreat, sed desiderio Christi lubens oppetat, mortémque vt sibi non omnino mortem, sed ianuam vitæ fœlicioris inueniat, precibus eum, Lector optime, spirantem precor, defunctúmque prosequere.

D

SEQVVNTVR VARIA DOCTORVM

virorum Epigrammata in laudem Thomæ Mori.

Variæ virtutes Mori: per Authorem.

Est virtutis amans, cui nulla scientia cordi est.
Sunt litteris clari, quos virtus non tamen ornat.
Est qui vtrumque tenet; tractare at publica nescit
B *Munera. Sunt hæc qui fæliciter omnia possunt:*
Sed quibus infauste res tota domestica currit.
Inuenias alium cui sint hæc omnia: at idem est
Moribus insuauis, seuerus, durus, agrestis.
Hic sectatur opes, alius conquirit honores,
Et maculat multas hoc vno crimine laudes.
Est qui hæc cuncta tenet, vitio quoque purus ab omni:
Sed moriens latet, atque obscura morte quiescit.
Vnus erat Morus, nulli 1. pietate secundus,
Ingenio, 2. litteris clarus, qui 3. munera gessit
Maxima: qui 4. contẽptor opum, 5. cõtẽptor honorum,
6. Familiam & proles rarà virtute gubernat.
C *7. Candidus & suauis Regi populoque iucundus.*
8. Martyrio illustri concludit cuncta beatus.
Virtutum fuit hęc Encyclopedia *Mori.*

Varia eruditio Mori: per eundem.

Vis scire in litteris, quis, & quid esset
Thomas *ille* Morus *decus suorum?*
Orator fuit elegans, disertus.
Festiuus fuit & Poëta suauis.
Non Græcum secus ac Latina callens,
Nec callet modo; sed tuetur illa
Linguarum haud secus Aduocatus acer,
Quàm legum fuerat Britannicarum.
D *Scribendæ historiæ artifex peritus.*
Res gestæ satis hoc docent Richardi
Anglorum grauis & feri tyranni.
Quantus Philosophus, docere possunt
Leges Vtopiæ recens repertæ.
In sacris litteris Patrúmque libris
Quid Morus valuit, probant labores
Quos contra hæreticos domi forisque
Scribendo tulit: hos libris Latinis
(Sunt testes Pomeranus & Lutherus)
Illos vernaculis piè refutans.
Ingens è quibus edidit volumen:
Anglis fructiferum, elegans volumen.

Nec vult dogmatibus vacare ſolis;
Sed per quos pietas ſaluſque mentis
Augmentum capiat, dedit libellos.
Angli quos auidè legunt libellos.
Nec quicquam vtilius legi fatentur.
Qui pro dogmatibus legenda ſcripſit.
Dat pro dogmatibus caput ſecuri.
Hic maior calamus, liberque maior:
Hunc poſteritas librum reuoluat.

Nominis ἀπολογία: per eundem.

More, nec es Maurus, quod vox ſonat Anglica Mori,
Nec fatuus, quod vox Attica, μώρος habet.
Scilicet infauſti correxit nominis omen B
Et vigor & candor maximus ingenij.

De Rege Henrico 8. Roffenſi & Moro: Eiuſdem.

Cur bonus in prima florens Henrice iuuenta,
Impius in tenebris vltima fata trahis?
Nempe quia extincti duo maxima lumina regni,
Roffenſis Phœbus, Cynthia Morus erat.
Præfuit ille ſacris; terrenis præfuit iſte
Extinctis, pereunt ſacra, prophanaſimul.

Iani Vitalis Itali. C

Dum Morus immeritę ſubmittit colla ſecuri,
Et flent occaſum pignora chara ſuum:
Imò, ait, infandi vitam deflete Tyranni.
Non moritur, facinus qui graue morte fugit.

Ioannis Secundi Hagienſis.

Quis iacet hic truncus? cuius caput enſe reciſum eſt
Quæ natat in tetro ſanguine canicies?
Hic eſt ille Thomas Morus. Sic fata rependunt
Triſtia multa bonis, & bona multa malis.
Quæ circumſiſtunt diuæ lugubre cadauer? D
Diua tenax veri: ſancta Fides. Nemeſis.
Quarum prima fuit cauſa & fuit altera mortis.
Vltrix iniuſtæ tertia cædis erit.

Aliud eiuſdem.

State viri. Fortè hos cineres nouiſſe iuuabit,
Hunc tumulum Morus colla reſectus habet.
Ille decus regni quondam & nunc dedecus Angli
Quod tulerat talem, quod modo ſuſtulerit.
Illi vt ſalua foret pietas, pridem Aula relicta eſt,
Salua vt perduret, vita relicta modo eſt.

A *Fide Thoma, quantám nolles vindicta paratur;*
Regalesque tuis Manibus inferiæ.

Iacobi Exerichi Hiſpani.

Henricus Morum gladio iugulauit iniquo;
Tam dignum vita quàm fuit ipſe nece.
Mortuus ille tamen viuet per ſæcula cuncta.
Poſt mortem virtus viuere ſola facit.

Iacobi Latomi Belgæ.

Quid tibi cum Moro tali indigniſsima ciue
B *Anglia? quid pergis dicere inepta tuum?*
Tu ferro inſontem, nec ſimplice morte, Catonem
Perſequeris: tuto nec licet eſſe pium.
Proinde ſile. Nam quo maculam tibi demeret iſtam.
Ipſe ſibi patriam condidit Vtopiam.

Gentiani Heruetí Aurelianenſis.

Quod capiti quondam Ciceronis roſtra fuere
Hoc eſt pons capiti, More diſerte, tuo.
Ducentes Angli ſuſpiria pectore dicunt,
Doctior & melior nullus in orbe fuit.

Ioannis Vultei Remenſis ex lib. 2. Epigrammatum.

C *Hic ſitus eſt Thomas Morus, tuus, Anglia, vates,*
Turba poetarum quem cecidiſſe gemit.
Dum Regum docte metuendos admonet enſes,
Illum carnificis Rex iubet enſe mori!
Illum Amor & Charites deflent, deflentque Camænæ,
Nec damnum credit, qui ſapit, eſſe leue.
Gallia quid poſsit, teſtiſque Britannia; teſtis
Italia, & ſemper Græcia teſtis erit.

Maximiliani VVignacurtii Atrebatis.

Quæ fuit integritas, quæ vis, quæ copia fandi,
D *Quæ mens, More, tibi; ſat tua ſcripta docent.*
Qui Chriſti fuerit transfixum pectus amore,
Tradita teſtantur ſat tua membra neci.
Scilicet vt miris vixiſti dotibus auctus,
Te decuit miro pectore More mori.
Vita tibi fuerat fœlix: fœlicior at mors.
Aeterno vitam munere quę peperit.
Ordo tuus per te micat vno lumine: ſed ſunt
Inſtar multorum lumina multa virum.

A

Ioannis VVhite Epiſcopi Vintonienſis in Diaco-
ſio martyrion.

Quin etiam partes vulgato codice noſtras
Propugnat Scriptor maximus Vtopiæ.
Feſſus ad Authoris melius te ſcripta remitto.
Rarus in orbe liber: nec tamen Vtopiæ eſt.
Illius ſimiles, imo multo meliores
Inuenies libros, Lector, at Vtopiæ.
Et Mori ſimiles, imo multo meliores
Scriptores videas, Lector, at Vtopiæ.

Alani Copi Londinenſis.

B

Quis viuente velit Thoma non viuere Moro?
Quis Moro nolit ſic moriente mori?

Aliud eiuſdem.

Mortuus an Morus qui ſic in mortis agone
Vixerat, vt mors ſit victa coacta mori?
Imo piis morum meritis nunc viuit & orbi,
Et pura mentis religione, Deo.

Ioannis Fouleri Briſtolienſis ad
effigiem.

C

Effigiem quamcunque tui ſic fingimus. At non
Tam facile eſt mores fingere, More, tuos.
Quam vellem pictor mihi tam perfectus adeſſet
Pingere qui verè poſſet vtrumque ſimul!
Tum quoque qui vitam totam moreſque referret
Ille magis multo doctus Apelle foret.

Henrici Hollandi Vigornienſis S. Theologiæ
Licentiati.

Ergo quid? ad noſtros Siculi venere tyranni?
An terris noſtris Africa monſtra dedit?
Num furit hic Gotthus, dum Symmachus atque Ioannes.
Amittunt charum morte furente caput?
D
Dum iacet Albinus, dumque vrbe Boetius alma
Expulſus Ticini triſtia fata gemit?
Sęuit Alexander magnus? Clitumque fidelem
Enecat? & vitam Parmenionis habet?
An Nero ſanguineus noſtris dominatur in oris
Atque tibi vitam Senneca docte rapit?
Hoc facit Henricus, quod tunc Nero peſsimus egit,
Dum te More necat, dum tua colla ſecat.
Senneca morte perit, quia vult Nero, tu quoque More
Dum vult Henricus, ſpicula mortis habes.

Arbitrium

A *Arbitrium pro lege fuit, quod Senneca luxit,*
Arbitrium, quod te More perire facit.
Vt non est mirum, si sic Nero tollat amicum,
Qui matrem fato sustulit ante suam;
Sic non est mirum, si Rex te More necaret,
Qui ferus in matrem sæuiit ante suam.
Non mirum est, aliis si vipera sæua noceret,
Cum propriæ matri vipera sæua nocet.
Henrici mater sancta est Ecclesia Christi,
Hanc prius afflixit, quàm tibi More, nocet.
Et quia communem nolles pessundare matrem,
Fata sub immitti Rege cruenta subis.
Quod genus hoc monstri? cur sic Rex barbare frendis?
B *An quia vult matri parcere, Morus obit?*
Non licet ingenuis natis defendere matrem?
An scelus est veram non violare fidem?
Scilicet Henrico placuit proportio praua:
Non parcit membro, dum premit ille caput.
Qui grauiora patrat, non ille minora timebit
Et scelus audaces ad mala plura facit.
Culpa trahit culpam: comitatur abyssus abyssum,
Pœna est peccati pessima culpa sequens.
Cum Rex legitimæ fecit diuortia sponsæ,
Venit & ad thalamos Anna Bolena suos;
Cum Rex Volsęum rerum de cardine mouit,
Fecit & afflicta sorte perire virum;
Cum Rex schisma nouum deformi crimine fecit
C *Sedis Apostolicæ debita iura negans.*
Cum Rex Pontificem præscripsit, iusque Papale,
Non passus libros nomen habere Papæ;
Cum Rex in sacris voluit caput esse supremum,
Assumpsitque sibi Pontificale decus;
Cum Rex lege noua sacratas diruit ædes,
Soluit & è claustris quos pia vota ligant?
Cum Rex diuorum spolians opulenta sepulchra,
Lusit imaginibus diua Maria tuis;
Cum Rex damnauit clerum de crimine falso,
Presbyteros mulctans Pontificesque suos;
Cum Rex omne malum fecit, tunc More, necaris.
Horrebas oculis tanta videre mala.
D *Virtus sic Moro placuit, quod viuere nollet*
Si non virtuti viuere posse detur.
Dum pietas floret, floret quoque Morus; at illa
Quam primum cœpit spreta iacere, iacet.
Rex pius in summis hunc pro pietate locauit.
Impius afflictum pro pietate necat.
Moro vita fides. Nam dum manet illa, manebat
Stante fide stabat: qua pereunte perit.
Vita sibi pietas: pietate cadente cadebat,
Quàm pius est Morus pro pietate cadens!
O Rex debueras insigni parcere Moro,
Rara auis est Morus sic super astra volans.

O Rex si multos homines tua sceptra regebant, A
At multos Moros non tua sceptra regunt.
Millibus è multis vix Morus cernitur vnus
Tam doctus, prudens, tam bonus atque pius.
Quanta labe tuum regnum populumque notasti,
Quum ferit insontem barbara plaga Morum?
Quis tibi persuasit tam clarum tollere sydus,
Quæ mens, quæ ratio, consiliumque fuit?
Quę tua religio parili sic iure necare
Igne Lutheranos Catholicosque cruce?
Hoc liber ille tuus promiserat ante Leoni?
Hoc titulus, regno quem dedit ille tuo?
Defendis ne fidem veros tollendo fideles?
Custodem legum legibus ipse necas?
Iustitiam ne colis iustos feriendo securi? B
Iudicium ne facis iudicis ora premens?
Consilium curas, & Consiliarius iste,
Maximus absque vllo crimine morte perit?
Incidis neruos, vt corpus fortius esset?
Extinguis lumen, clarius vt videas?
Vt sit perfectum, scindis de corpore membrum?
Euulsis oculis cernere fronte cupis?
Ecquis arare solet terram non vsus aratro?
Aut sulcare ferum, sed sine naue fretum?
Et tamen ista facis, dum Morum funere tollis,
Quem nullus sana tollere mente velit.
Sed frustra speras tenebras offundere Moro.
Morus vbique volat docta per ora virum. C
Fortior Henrico Stapletonus; penna securi,
Illa mori fecit: viuere penna facit.

Aliud eiusdem.

Quæris Aristides cur pulsus ab vrbe fugatur?
Altera non causa est, quàm quia iustus erat.
Quęris cur Socrates truculenta venena bibebat?
Id fuit in causa, vir fuit ille bonus.
Quæris cur magnus fuit ille Boetius exul?
Nempe quod ille bonus, veriloquusque fuit.
Quęris cur Morus submittit colla securi?
In promptu ratio est: optimus ille fuit. D

Aliud eiusdem.

Quando tuam mortem recolo, celeberrime More,
Tunc venit in mentem Tullius ille meam.
Ille fori lumen facundo clarus ab ore.
Tuque fori lumen, tuque disertus eras.
Ille pater patrię, patrum decus atque Senatus,
Tuque pater patriæ, tuque corona patrum.
Dum furit Antonius, fatis occiditur ille:
Dum furit Henricus, tu quoque fata subis.

Dum cadis

Dum cadit ille, ſua cu m lingua Fuluia ludit,
Dum cadis ipſe, tua morte Bolena canit.
Dum perit ille, caput roſtris affigitur illis.
In quibus hic cauſas dixerat ante ſuas.
Dum peris ipſe, tui capitis damnaris in aula,
In qua pro regno dicere iura ſoles.
In multis ambo ſimiles, par laus manat ambos,
Diſpar at in multis gloria, diſpar honor.
Dicitur vt Cicero Romanos vincere ſcripto,
Morus ſic Anglos puriloquente ſtylo
Plurima ſcribebat Cicero, ſic plurima Morus,
Plura tamen Mori quàm Ciceronis erant.
In multis vicit Ciceronem Morus: in ipſo
Vicit ſubiecto materiáque libri.
Vicit in ingenio: quis par in acumine Moro?
Vicit doctrina, iudicióque graui.
Vicit honore loci: nam Cancellarius iſte
Vno anni vnius Conſule maior erat.
Vicit in ardenti veræ pietatis amore:
Vicit & in mortis nobilitate ſuæ:
Morus erat vates feſtiuo carmine ludens.
Inſigníque potens arte Poëta fuit.
Morus erat Iuriſprudens vix maior in orbe:
Philoſophus ſummus ſi quis in orbe fuit.
Morus erat cuſtos legum, princépſque Senatus,
Supremus Iudex, conciliíque caput.
Nec latuit Morum diuini pagina verbi,
Sic ferit hæreticos: ſic tegit ille fidem.
Morus erat ſpeculum vitæ, fideíque patronus
Inſignis: Martyr denique Morus erat.
Tindallus, Frithus, Barneſius, atque Lutherus
A Mori calamo vulnera magna ferunt.
Non ſat habet ſcriptis tales confundere peſtes,
Sed pia confirmat ſanguine ſcripta ſuo.
Plura quid hic dicam? vix hæc bene ſingula dixi,
Vincor ab ingenio More diſertè tuo.
Londinenſe decus, decus Oxonienſe fuiſti:
Vrbs fuit illa parens, iſta magiſtra fuit:
Tu decus Angligenum, regalis tu decus Aulæ,
Tu decus Europæ, tu decus orbis eras.
Tu monſtrum ingenij: miracula ſunt tua dicta,
Deliciæ iuuenum, deliciæque ſenum.
Obruor ingenti magnarum pondere rerum:
Laus Mori noſtro carmine maior erit.
Qui minor eſt Moro, non nouit pingere Morum:
Hoc ſi quis poterit, tu Stapletone facis.

FINIS.

INDEX RERVM

MEMORABILIVM QVAE

IN HOC QVARTO TOMO

CONTINENTVR.

A.

ABrahæ obedientia promptiſſima 70
Abſurditas hæreticorum hodie 859
Abſurditas negligentiæ noſtræ 363
Abſurditas peccati in Chriſtiano 102
Abundantia iniquitatis 101
Abutentibus gratia, vita abreuiatur 495
Acceptio perſonarum 517
Acceptio in manus quid ſignificet 799
Accipitris renouatio 236
Actio gratiarum propriè Dei cultus 452
Adam ſimilis arundini vento agitatæ 15
Adorare in ſpiritu quid 747
Aduentus Chriſti ſecundus terrore plenus 539
Adulatores 513
Adorationis duo genera 748
Duæ cauſæ honorandi arcam fœderis 877
Æternitatis conſideratio 86
Æternæ pœnæ grauitas 108
Affectus Chriſti erant omnes deliberati & liberi 794
Agros relinquere propter Chriſtum quid 369
deAmando Deo ſuper omnia 169
Amare terrena monſtrum naturæ 171
Amare quod ſuum eſt 408
Ambitio inquieta 312
contra Ambitionem 454
Ambitionis vitium 29
Ambitionis ſtultitia ibid.
Ambitionis temeritas 30
Ambitio ſimia charitatis. ibid.
Ambitioſi excuſatio 312
Amicitia triplex 412
Amicitia Dei 283
Amicitiæ diuinæ beneficia 284
Amicitiæ conditiones 485
Amicitiæ Dei fructus ibid.
Amatorum mundi ſtupor 396
Amor mundi fallax & vanus 373
Amoris Dei incitamenta 181
Amor Dei ſuper omnia 169
Amor pecuniæ anguſtus 120
Amor Dei animam nobilitat ibid.
Amor Dei animam omnibus bonis ditat ibid.
Amor Dei maximè vtilis 408
Amor ſui idololatriæ ſpecies 171
Amor ſui bellum gerit cum Deo ibid.
Amor ſui & ſui effectus diuerſi ibid.
Amor Chriſti ad nos venientis 222
Amor Dei effectus magis quam affectus 283
Amor Dei erga peccatores ſaluandos 328
Amor Chriſti erga ſingulos 329
ſolus Amor amore rependitur 400
Amoris Dei neceſſitas 408
Amor Dei rationi maximè conſentaneus 408.
Anglo-Caluiniſtarum fœdum iuramentum 665
Anglicana perſecutio 11
Anglo-Caluiniſtarum barbara impietas 520
Anglo-Caluiniſtarum ieiunium 160.
Anglicana perſecutio tyrannica 482. a D. Gregorio prædicta ibid. 45
Animabus morientium inſidiatur Diabolus 287.
Angeli & ſancti cognoſcunt noſtra 617.
Animi fortitudo & fiducia 286.
de Angelorum cuſtodia 910.
Animus à Deo auerſus 473.
Arianæ hæreſi feneſtram aperit Caluinus 778.
Antiquitas veræ doctrinæ nota 580.
Aquæ conuerſio in vinum transſubſtantiationis documentum 576.
Aquilæ renouatio 235.
Antiquitatis teſtimonia pro templorum ornatu 797.
Apes docent officium erga Reges 519.
Apoſtolorum fides vacillabat 579.
Apoſtolicum ſumma poteſtate miſſi 903.
duodecim Apoſtolorum myſterium 904
Armatura contra hoſtem Diabolum 102.
Aſcenſio Chriſti non repugnat præſentiæ in Euchariſtia 608.
de Aſſiduitate orandi 53
Auditores maleuoli veritatem perſequentes 513

D. Auguſtini doctina prædeſtinationi hæreticæ contraria 528
Authoritatis Eccleſiæ deffenſio 755
Authoritas Eccleſiæ docentis 754
Authoritas Regum cur non in terris maxima ſicut Eccleſiæ 755
Attentio feruens audiendi verbum Dei 131
Auarus Chriſti hoſtis 429
Auarus vmbræ comparatur 428
Auaritia radix malorum 428
Auaritiæ dolum 428
Auari ieiunium 160
Auaritia & ambitio diaboli cultus 166
Auaritia 314
Auarus crudelis 348
de Audiendo verbo Dei 191
Audire verbum Dei ſignum hominis Chriſtiani 194
Auditores otioſi qui 132
Auditores infructoſi qui 133
Auditores duri & incorrigibiles 134
Authoritas Eccleſiæ circa feſta Sanctorum 827

B.

Bachanalia deteſtanda 150
Bacchica declamatio Caluini 816
Baptiſmus radix non cauſa proxima beneficiorum per Chriſtum 863
Per baptiſmum incorporatio quantum valeat 863
poſt Baptiſmum relapſi pœnitentia ſanantur non ipſo baptiſmo præterito 862
poſt Baptiſmum peccata non remittuntur per baptiſmum 861
de Baptiſmo paruulorum in fide Eccleſia non ſua propria 860
Baptiſmus Ioannis 564
Baptiſmus Ioannis ex tribus oſtenditur 565
Hæreticorum turpiſſimus error circa Ioannis baptiſmum 564
Paruulos aliena fide Credere vt baptizentur 860
Barbaries Anglicanæ hæreſis 857
Barbara impietas Anglo-Caluiniſtarum 520
Barbara crudelitas Elizabetæ Angliæ Reginæ 17
Beatæ Virginis documentum 69
Beatæ Virginis honor & excellentia deffenditur 769
B. Virginis honorandæ præceteris plures cauſæ concurrunt 969
Illius ſingularis amor probatur 770
Beata quia mater filii Dei ibid.
B. Virginem laudans mulier cur reprehenditur à Chriſto 771
B. Virginem cur Catholici prædicant 771
Patrum voces in eius laudes ibid.
Benedictio menſæ 199
Benedictio ciborum ibid.
Benedictio creaturarum 621
de Benedictionis ceremonia 863
Beneficiorum Dei meditatio 113
Beneficia Dei priora fiduciam dant preſentibus 198
Beneficentiæ mercedes 201
Benignitas Dei triplex 125
Benignitas Dei 309
Beza verba Scripturæ expungit 802
Beza & Caluinus circa ſcripturæ partes diſſentiunt 751
Beza Caluino contrarius 768
Beza Caluini ignorantiam corrigit 694
Beza contra doctrinam Euangelicam pugnat 622
Bodinus Politicus refutatur 785
Bona terræ momentanea 166
Bona terrena non dantur à Diabolo 166
Bona Eccleſiaſtica conſanguineis non deferenda
Bonorum operum neceſſitas 118. & 358
de Mercedis Bonorum operum qualitate 125
Bonorum cohabitatio malis vtilis 106
Bonos in medio malorum conſeruat Deus 107
Bonorum operum certa merces 113
ex Bonis præſentis vitæ coniiciuntur futura 129
ſummum Bonum aut Deus eſt aut quiſque ſibi 171
Bonitas Dei in malis tollerandis 105
Bonitas Dei non tentanda 165
Boni paſtoris officium 248
in ſola Bonitate Deo ſimiles eſſe debemus 297
Bonorum cœleſtium 310
Boni perſeuerantia 348
Boni occaſio non præmittenda 495
Boni Prælati officium in docendo 516
Bona retribuit iuſtitia Dei non ſecus ac mala 585
In Dei bonitatem fiducia 525

C

Caiphæ prophetia non fuit extraordinaria 791
Caluinus fingit deſcēſum Chriſti ad inferos & qualem 814
Caluinini declamatio Bacchica 816
Caluinus & Beza circa Scripturæ diſſentiunt 751
Caluini criminationes in totam Eccleſiam 736
Caluinus ſub Papiſtarum nomen totam antiquitatem flagellat 717
Caluinus canis rabidus 678
Caluinus Euangelio contrarius 698
Caluinus egregiè lupum agit 625
Caluinus corrumpit hiſtoriam Euangelicam 698
Caluinus Chriſti verba peruertit 670
Caluini procacitas in ſummum Pontificem retunditur 715
Caluini vox impiiſſima in Chriſtum 751
Calamitatum publicarum cauſa proximi 510
Caluinus hæreſi Arianæ feneſtram aperuit 779
Correptio neglecta 465
Caluinus egregiè lupum agit 623
Caluinum facit Deum legiſlatorem ridiculum 653
Caluinus Chriſto contradicit 646
Caluinus ex ſcriptura quam pro ſe adfert refutatur 653
Carnalis libidinis violentia 317
Caluinus Sodomita 749
Carnis libido 316
Caluino nunquam placuit voluntatem Dei facere 756
Caluinianæ doctrinæ precipitium 756
Caluinus Apoſtolos in ordinem cogit 762
Caluinus ſanctorum poteſtatem reſtringit 762
Caluiniſtæ quales filii Dei eſſe volunt 777
Catena vitæ iuſtorum 175
Caluinus niſi viderit non credit 763
Caluinus ſuum iudicium patrum Conſenſui anteponit 765
Caluino Beza contrarius 768
Caluinus Eccleſiam ſtuporis arguit 773
Caluinus Paulo contradicit 775
Caſtitatis donum non vanè præſumitur 778
Certitudo gratię qum ponunt hæretici ſcripturis repugnat 774
Cæcitas mundanorum 311

Index.

Cæcitas peccatorum 155
de Candelarum ceremonia 832
Cœlestium rerum amor. 177
Cœlestia appetenda 173
Cœlestium bonorum fastidium 310
Ceremoniæ Iudaicæ quo sensu vmbræ fuerunt 747
Ceremoniarum vnus 833
Cautiam Ecclesiæ 265
Cœlestia quærentibus temporalia non deerunt 435
Cœlestia cur non appetuntur 435
Cauillationes Iudaicæ & hæreticorum hodie similes 602
Causis partialibus totus tribuitur effectus 731
Causæ morborum peccata 469
Causæ tres neglectæ correptionis 465
Causæ seruandæ vnitatis Ecclesiæ 606
Causæ ferendæ contumeliæ 209
de Causis luxuriæ 318
Censura Ecclesiastica probatur 733
Causæ cur humiles exaltentur 392
Ceremoniæ Ecclesiasticæ cur adhibentur 748
Ceremoniæ externæ Deo gratæ 603
Ceremoniæ sacramentales 644
Celebratio festorum 450
Charitas cur vestis nuptialis dicta 486
Charitatis commendatio 826
Charitatis remuneratio 467
Charitas quomodo ædificat 836
Charitatis exempla 301
Charitas est testimonium inhabitantis spiritus-sancti 822
Charitas quæ aliorum sunt quærit non sua 218
Charitatis perfectio 463
Charitas fraterna Cordialis 509
Charitatis commendatio 612
Charitas facit impleri mandata ibid
Charitas non Deo gratos facit & iustificet 613
Charitas affert augmentum gratiæ ibid.
Charitas facit filium Dei & templum Spiritussancti 614
de Christo adorando in Eucharistia 831
Christus ipse arrogauit 820
Christus cùm mittit suam mittendi authoritatem aliqat. 819
Christi affectus erant omnes deliberati & liberi 794
Christus in vltima nocte triplicem Cænam peregit 799
Christianorum hominum voces 784
Christus iram Dei timere non potuit 810
Christus quomodo semper exauditus 813
Christus personam nostram quomodo in cruce gessit 814
Christus humanos affectus liberè suscepit 765
Christus ignoratur in medio Christianorum 30
Quomodo Christus hodie nescitur ibid
Christus vnus mediator non excludit Sanctos 610
de Christi gratia & mandatorum facilitate 43
Christi passio redimit à seruitute peccati dupliciter 43
Christus in horto quid metuerit 808
imitatio Christi Christianis necessaria 52
Christus quibus dormiat 91
Christus in necessitate inuocandus 92
Christus optimum fermentum 141
Christus ardenti in nos amore ad suam, cur Christus mortem deprecatus fuit 809
Passionem accessit 148
Christus erga nos amor 52
Christianus non est qui prædicatione verbi non flectitur 134
Christus cur ieiunauerit 161
Christi in nos Benignitas 221
Christus per sua humilia cognosci vult 240
Christi in nos dilectio 247
Christi cura Pastoralis ibid.
Christi labor Pastoralis pro ouium salute. 247
Christi cognitio omnibus necessaria 253
Christi cumulentissima in nos dilectio 254
Christum damnationem timuisse dicit Caluinus 807. 199
Christi nomen 274
in Christo omnia salutis remedia 323
Christi erga peccatores amor 325
Christi misericordia inefabilis 226
Christi amor erga singulos 329
Christianorum gloria 477
Christiani Catholici fratres vterini 509
Christiani populi propria dilectio 510
Christus perpetuus aduocatus sed quibus 561
cur Christus discrimen ponit in dono Dei non in voluntate humana 588
Quomodo solus Christus audiendus 598
Cogitationis peccata 471
Cogitationes facilè implicant ibid
Christus per se redemit per spiritum-sanctum sanctificauit 741
Ciborum benedictio 199
Cineri homo assimilatur 84
Cogitationes Deo patentes 449
de Condinandis iniuriis 300
Condonandi iniurias necessitas 301
Collatio veterum cum Christo 326
Concionis & mensæ discrimen 332
Confidentia in Deum 196
Confessio animæ scopa 245
Confessio codex rationaruis ibid.
Concordia impiorum contra veritatem 513
Coniugii impedimenta 316
Consortia mala fugienda 415
Consuetudo hæreticorum deponandi sacras scripturas 597
Contemptus aliorum 384
Complacentia suipsius vana 382
Conuiuiorum lubrietas 65
Conuersio æquæ in vinum transubstantiationis documentum 576
Confessionis sacramentalis necessitas 241
Confessionis necessitas 242
Confessio sacerdoti facienda ibid.
de frequentenda confessione 244
Confidentiæ suipsius punitæ exempla 434
anima Confessio ab Ecclesia præcepta non excusata à frequentatione ibid.
Consolatio spiritussancti quibus detur 265
Consolatio iustorum 175
Conscientiæ examen 367
Consanguineis Ecclesiastica bona non deferenda. 68
Consortia bonorum 246
Consuetudo peccati 135. & 395.
De contritione 896
Conuersio tentationibus plena 158
Contumeliæ pacem turbant 343
Contumeliæ & maledicta æquanimiter ferenda 209
Contumelia cur Deo displiceat 344.
Cooperatio nostra in Dei beneficiis 71
Contemptus mundi 264
Contritio Cordis pœnitenti necessaria 388
Corda durissima Deus mollit 137
Cordis duri indicia 135
Cordis tristitia excutienda 261
Cordis custodia 427

Index.

Cooperatio & obedientia noſtra 419
Conuerſatio benigna cum amatoribus 448
Cor humanum quomodo Deus dirigit 708
de Crapula & ebrietate voluptatum fontibus. 143
Cras vox Diaboli 121
Creaturæ à Deo motæ effectus etiam naturæ ſuæ contrarios producunt 759
Creaturarum amor excæcat 156
Creaturarum benedictio 621
Creaturarum operatio non abducit homines à Deo 759
Crudelitas barbara Elizabetæ Angliæ Reginæ 17
Crucis & paſſionum Chriſti gloria 240
Crucis ſigno hæretici contradicunt 567
Crucis contemptus ad crucifixum contemnendum manu ducit 568
ſignum Crucis in ſacramentis 568
ſigno Crucis ſeſignare Religio Chriſti annorum propria 568
Crucis ſignum in Cœlo. 679
Crucis ſignum cur à fidelibus frequenter conſpiciendum 679
de ſanctæ Crucis ad oratione 856
Cur Crucis ſignum honoratur ibid.
Cruces materiales honorantur ibid.
Crucis ſignum vbique ibib. illius efficacia 856
Cultus voluntarius 231
Cultus Dominicæ quid doceat 451
de Cultu & veneratione externa ſanctorum aut reliquiarum 604. de earundem contactu 667
Cura viduarum 441
Curioſitas & incredulitas 499
Cuſtodia oculorum 319
Cuſtodia cordis 427

D.

DAuidis Georgii hiſtoria. 889
Declamatio Bacchica Caluini 816
Deus ſolus quomodo audiendus 336
Deus in templo facilius exauditur. 639
Deus in templis habitat 640
Deus facit velle & perficere adiuuando 708
Deus in cordibus impiorum quomodo regnat. 709
Dei opera laude proſequenda 528
Dei honor, obſequium, cultus 519
Dei gratia omnibus parata 508
Deus minatur ne percutiat 506
Deus amore noſtro digniſſimus 409
Dei miſericordia imploranda 417
Deo ſoli ſeruiendum 424
Deus Dominus noſter proprius 421
Deus facit velle & perficere adiuuando 708
Dei inſolens Epitheton 2
Dei benignitas triplex 125
Dei bonitas in malis tolerandis 105
Dei bonitas non tentanda 105.
Deus quot modis tentatur 165.
Dei iniuria feruenter vindicanda 168.
Dei beneficia priora fiduciam dant preſentibus 198.
Dei munera vt eum diligamus 288.
Dei amoris irritamenta ibid.
manere Deum in nobis quid. 285
Dei benignitas 309
De diligendo Deo 367
Dei prouidentia circà ſalutem noſtram 479
Dæmoniaci quoad animam 180
Dæmonici corpore propter leuia peccata 181
Dæmoniacorum peccata 180
Dæmonium mutum qui habeant 181
Dæmonium ſurdum qui 182
Dæmonium cæcum qui ibid
Dænarius diuturnus qui 118
Derelictionis diuinæ nullus metus in Chriſtum Cadere potuit 808
Deſertum Ioannis 563
Deſcenſus Chriſti ad inferos qualem Caluinus fingit, eſſe non potuit 814
Detractio & lingua maledica 324
Externa corporis deuotio deffenditur 643
De deuotione voluntaria 57
Dilata pœnitentia vſque ad mortem periculoſa. 497
Dilationis detrimenta 495
Dilectio fraterna neceſſaria ad ſalutem 663
Dilatatio pœnitentiæ mala 336
Dilectionis Dei præceptum explicatur 652
Diligentia circà animæ ſalutem 416
Diaboli odium quale 427
Diaboli odium neceſſarium 427
De iudicio & poteſtate Diaboli 267
Diabolus inimicitiæ cauſa 511
Diaboli poteſtas imminuta 267
Diaboli pignus 187
Diaboli poteſtas ex Dei permiſſione 180
Diabolus oſtendit gloriam ſed non moleſtias diuitiarũ & honorum 167
peccatores Diabolo ſeruiunt 168
Diabolum vincendi modus ibid.
Diaboli poteſtas ſuper corpora & animas hominum 179
Diabolus otioſos oprimit 160
Diaboli vigilantia 101
Diabolus hoſtis capitalis 102
Diabolus noſtra ignauia vincit 103
Diaboli fallacia 121
Diabolus noſter 162
Diabolus occaſionem tentandi captat 163
Diabolus excæcat fallaciis ſuis 155
Diabolus hoſtis noſter 162
Difidentiæ peccatum 197
Diues ſpinetum eſt 142
Dilectio inimici quomodo intelligenda 695
Diuitiæ quot modis ſunt ſpinæ 139
Diſtractiones affectatæ 271
Diſtractionum author Diabolus 271. remedia. ibid.
Dilectionis efficacia 282.
Docti ab audiendo verba non excuſantur 195.
Dilectionis diuina firmitas 285.
Dilectio cauſa ſalutis 696.
Diſcrimen concionis & menſæ 532.
Diſcretionis ſpiritus in quibus ſit 613
Dominorum in ſeruos cura 84
Diſciplina vereris Eccleſiæ 380
Diſpoſitiones ad remiſſionem peccatorum in adultis neceſſariæ 787
Diffidentia in Deum 433
Deo diffidere quam abſurdum. 434
Diffidentia in Deum peccatorum cauſa 435
Doctoribus duo libri neceſſarii 459
Doctores mali 458
Diuitiarum bonus vſus Theſaurus 692
Dominicæ cultus quid doceat 451
Dominicis diebus miſſa cur audienda 452
Doctrina D. Auguſti praedeſtinationi haereticae contraria 588
Doctrina praedicationis ab haereticorum corruptelis vindicata 587
Doctrina non ſcripta 609. & 706
Dogmata Proteſtantum negatiua 870
Quibus dormiat Chriſtus 91
Dormire quid ſit 98
Donum Caſtitatis non vanè preſumitur 778.
Duri ad miſericordiae opera ad faciles fidei naufragiũ. 220

Index.

E.

Ecclesiæ fides à Christo commendata 821
Ecclesiæ docentis authoritas 754
Ecclesiæ cur & quomodo parendum 755
Regum authoritas cur non in terris maxima sicut Ecclesiæ 755
Ecclesiæ authoritatis deffensio ibid.
ecclesia suam ipsius authoritatem necessariò demonstrat 767
veteris Ecclesiæ accusatio 743
Ecclesiæ & Synagogæ lata differentia 676
miracula Catholicæ Ecclesiæ deffenduntur. 677
Ecclesiæ Catholicæ perpetuitas 581
Ecclesiæ moderatio in ieiuniis. 594
Ecclesiæ potestas in remittendis peccatis 605
de vnitate ecclesiæ 606
causæ seruandæ vnitatis Ecclesiæ ibid.
veteris Ecclesiæ disciplina 380
Ecclesia perire non potest 93
Ecclesiæ ieiunium 160.
ecclesia sponsa & eius vitia 477.
Ecclesiastica docendi potestas 583.
Ecclesiæ testimonium generat fidem 611.
Ecclesiæ magisterium circa fidem 615. circa leges morum ibid.
Ecclesiæ auctoritas circa festa sanctorum 817.
Ecclesiastica bona consanguineis non deferenda 68.
Ecclesia vera semper visibilis 673
Ecclesia non errans est Ecclesia vocatorum 673
Mulier in desertum fugiens quo modo ad Ecclesiam pertinet 674
Ecclesia lux mundi 675
Ecclesia ciuitas supra montem posita 676
de vniuersali & conspicua Christi Ecclesia 847
Electionis certitudo in hac vita nulla 778
Electionis argumentum non fides sed perseuerentia. 775
Eleemosinæ meritum & sanctorum patrocinia. 636
Eleemosina viaticum in mundo thesaurus in Cælo 368.
Eleemosinæ retributio 302
Eleemosinæ retributio temporalis. 303
Eleemosinæ retributio spiritualis 304
Eleemosinæ retributio æterna 305
Eleemosinæ semen 306
Eleemosinarum retributio æterna 367
Elizabethis Angliæ Regina barbara crudelitas 17.
Elizabetha Anglo-Caluinistarum Idolum 484.
Emmanuel nobiscum Deus, quot modis 477.
encomia Patrum de B. Virgine 901.
Epistolæ Indicæ & Iaponicæ 11
Erasmi libri morales damnati 111
Erasmus de asini vmbræ, exemplum auditoris vagi. 132
Tres impii hæreticorum errores ex negata peccatorũ distinctione 420
Ethnicorum Religio Politicos condemnat 785
Euangelica opera laboriosa 584
Euangelio credere quid 728
de sacra Eucharistia 87. 72. 73. 74. 75. 76. & sequent.
se Exaltare quid 389
Excusationes non miserendi 443
Examen conscientiæ 364
Excessus multus in Dei amore 460
Exempla gratitudinis 420
Exempla iustorum damnant impios 266
Exempla charitatis 305
Exemplum perseuerantiæ 349
Exempla prudentiæ filiorum Iucis quoad fortitudinẽ 365. quoad actum bonum 366
Exemplum retributionis 368
Exempla maiorum 438
Exempla confidentiæ suiipsius punitæ 434
Exempla iustitiæ Dei in persecutores fidei 483
Exempla venerationis nominis Iesu 829

F.

Fallax vanus mundi amor 373
Fauoris mundi inconstantia. 28
Fermenta esse debemus aliis 114
Fermentum optimum Christus 114
Feruor colendi Deum 224. & 232.
Feruor spiritus signum filii Dei 224
Feruor impiorum in malo 225
Feruor verbi audiendi 331
Festorum dierum discrimen 206
Festorum celebratio 450
de Festorum celebratione 571
dissententes hæreticorum sententię de Festorum celebratione 572
Fides quę saluos facit non est sola 636
cur Fidei salus tribuitur 657
aliena Fides prodest ad salutem 658
de Fide excolenda 109
Fidei incrementum & eius effectus 111
Fides omnes intellectuales virtutes superat 111
Fides est granum frumenti ibid.
Fides Euangelica humanis omnibus disciplinis excellentior ibid
Fidei Constantia contra Iussa principum 16
Fides operum bonorum ferax 112
multa peccata Fidem excutiant ibid.
Fides persecutione roboratur. 154
Fides in quauis persecutione retinenda 536
Fides quouis peccato non amittitur 580
Fides Apostolorum vacillabat 579
Fides sola saluum non facit 590
noua Fidei vocabula 610
nemo ad Fidem cogendus, nisi &c. 626
firmitas Fidei ex duobus consistit 612
ecclesiæ testimonium generat Fidem 611
Fides in Euangelio à Christo laudata qualis fides 655
specialis Fides nullos saluos facit in Euangelio 655
Fides non est fiducia, nec super coniunctam habet fiduciam 656
vera Fiducia quae 526
Fides iustificans Caluini argumento refellitur. 996
Fides qualis à Christo laudata 705
Fides implicita à Caluino contra seipsum agnita 705
Fides aut non querenda aut quomodo 712
Fides penitentiae radix, quae & quomodo 725
Fide iustificari quid 728
Fides sola non facit ouem Christi 776
Fides Ecclesiae à Christo commendata 821
Fidei obedientia 834
Fiducia in Dei bonitatem 525
Fiducia in Dei misericordiam 468
Fiducia recta. 351.
de Fiducia in Deum 335
Fiduciae virtus 237
de Fiducia in Deum 93
de Fiducia in Dei prouidentiam 163
Fiduciæ duplex virtus 198
Fiducia à tentatione & præsumptione discernitur 198
Fiducia piorum propria 199

Filiorum lucis prudentia 365.366
Fixus amor in Deo 461
Fœminarum deuotio 229
Fœdum iuramentum Angli-Caluiniſtarum. 665
Formicæ ſapientia 123
Fœdus nouum non ſancitur ſola mendúcatione aut potione ſpirituali 803
Firmitas Eccleſiæ Chriſtianæ 884
de Fortitudine ſpiritus contra falſum 16
Fortitudo Spiritus contra peccatum 15
Fortitudo animi contra difficultates virtutis. 133
Fraterna dilectio neceſſaria ad ſalutem 658
Fratri iraſco nulla ex cauſa licet 341
de Frequenti repetitione annunciationis angelicæ. 837
Fuga gloriæ 401
duo Fundamenta hæreticorum contra cultus Eccleſiaſticos 57
Futurorum obliuio 372

G.

GAudia iuſtorum 260
Gaudium in duo 262
Gaudij fundamenta timor & amor 263
Gaudia mundi nulla, ſunt triſtitiæ fundamenta. 263
Gaudia mundi 158. caduca & falſa ibid
Gaudium mundi impunita nequitia 158
Gaudium Cæleſte 308
Gehennæ vox vnde 86
Gehennæ ſimilis luxuria 321
Gehennæ timor 360
Gloria Chriſtianorum 477
Gloria iuſtorum 175
cur gloriam non pœnam Chriſtus oſtendit. 175
Gloriæ expectatio virtutis ſtimulus ibid.
Gloriæ fuga 401
ad Dei Gloriam laudanda virtus. 403
duo Genera adorationis 748
Gradum pro fratribus 66
Gradus tres oſtentationis 385
Gratiæ certitudo quam ponunt ſecretici ſcripturis repugnat 774
Gratia Dei præueniens expectant volentem. 707
Gratiæ Dei diſcrimen antè hominis lapſum,& poſt. 708
Gratia in homini lapſo potentior non tollit liberam electionem 708
Gratiarum actio propriè Dei cultus 452
Gratia Dei inuocanda 398
de Chriſti Gratia & mandatorum facilitate 43
Gratiæ Dei abuſus 266
Gratia Dei neglecta condemnat 266
Gratiæ vox audienda 446
Gratia Dei omnibus parata 508
Gratia Dei cur à praua voluntate non vincitur 731.
de ſemine Gratiæ 96
Gratis & miracula Chriſti non procedunt à voluntate Dei abſoluta 731
Gratia Dei cur ſemper non ſortitur effectum. 730
Gratitudo animi 81.& 419
Gratitudo debita Paſſionis Chriſti beneficio. 255
Gratitudinis exempla 420
de Gratia Chriſti 835
Guloſi ieiunium 159
Guſtus Spiritualis 399

H.

HEctoris Pinti laus 136
Hæretici obſeruatores Phariſiaci 651
Hæreticorum maledicentia 601
Hæreticorum incredulitas. 600
Hæreticorum conſuetudo de prauandi ſacras ſcripturas 597
Hæreticorum ſycophantia 601
Hæreticorum hodie ſcandalum 11
Hæreticorum perſecutio atrociſſima 276
Hæretici cauendi 353
Hæreticus hoſtis ocultus 353
Hæretici hodierni doctrinam Baal tradiderunt 354
Hæretici moderni veteribus audaciores 334
Hæreticorum libros non eſſe legendos 355
Hæreticorum fructus 359
Hæretici pro concione refutandi 548
Hæreticorum miracula. 536
hæretici hodie corruptores verbi Dei 563
Hæreticorum hodie turpiſſimus error circa Ioannis Babtiſmum 564
Hæretici illudant ſcripturis 564
Haereticis Chriſtus poſitus in ruinam 567
duo Hæreticorum fundamenta contra cultus Eccleſiaſticæ 570
HæreticorumImpiæ obſeruationes 575
Hæretici ſunt eradicandi 582
Hæreſis morte punienda 582
Hæreticorum voces Diabolicæ 595
Hæritici per Scripturas decipiunt ibid. cur 596
Haereſes omnes ex ſcripturis malè intellectis 596
Hæretici hodie ſeipſos glorificant 602
Hæreticorum iuſta punitio 617
Haeretici ſcriptum verbum flagitant, ſed illud pro ſuo arbitratu corrumpunt 62.
Hæretici cauendi 623
Hæretici veniunt non mittuntur 623
Hæretici hodie quot modis lupi rapaces ſub veſtæ ouium ibid.
Hæretici cur Eccleſiam non audiunt 601.
Hæreticorum fructus proprii 633
Hæretici obſeruatores Phariſaici 651
proprii Hæreticorum fructus duplices 633
populus cognoſcere poteſt Hæreticum ex fructu falſæ doctrinæ 633
Hæreticorum profana pectora 703
Hæretici querunt quod querere non debent ſed credere 711
Hæreticorum ſententiæ varię de Eccleſiaſtica cenſura 732
Hæretici nullo modo audiendi 737
Hæreticus non eſt legitimus teſtis veritatis 737
Hæreticorum impia doctrina contra efficaciam ſpiritus ſancti 740
Hæretici hodie Samaritanis ſimiles 746
Hęreticorum vetus praxis ad Catholicum deprauandum 751
Hæreticorum actiomata in vanum iactata 760
Hæretici verba inſtitutionis Cænæ corrumpit 800
certitudo hæretica quam ſcelerata 776
Hæretici hodie plus ſibi arrogant quàm Chriſtus ipſe arrogauit 820
Haeretici hodiè fecerunt ſeipſos peccatorum piſcatores. 820
Haereticorum vocatio tribus modis defenſa 820
Hæreticorum falſa pax 812
Homini proprius locus Deus eſt 408
cur errant Hæretici 834
Hæretico cur tales permanent 836

Index.

Hęretici B. Virginem ſine ſenſu & iudicio Angelo reſpondiſſe fingunt 842.
Hæreticorum ſenſus Chriſtus non aperit 846.
Hæretici detrahunt Chriſti Paſſioni 849.
Honores quanto maiores eo maiora mendatia 201.
Honorum huius mundi inſtabilitas 227.
Honor Dei obſequium & vultus 519.
Honor Chriſti contra Caluinum deffenditur 699.
Honor B. Mariæ deffenditur 702. & 769. & probatur 770.
Hora mortis cur incerta 498.
Humilitatis virtus 31.
Humilis exaltatur 31.
Humilis ſapiens ibid. humilis magnanimus. 32.
Humilitatis neceſſitas 42.
Humiles quomodo maximè capaces gratiæ 41.
Humilitatis documentum 48.
Humilitatio ſui 84. 336. & 456.
Humilitatis ſtudium 223.
Humilitas in ipſis honoribus maximè ſeruanda 223.
ſuperbi & Humilis diſcrimen 336.
Humilitatis ampliſſima merces 391.
Humilitas quoad ſeipſum 391.
cauſæ cur Humiles exaltentur 392.
Humilitas duplex 456.
Humiliatio ſui idoneum facit ad dignitates 457.
Humilitas ad videndum neceſſaria 834.
Hypocriſis & varia eius genera 337.
Hypocriſis ſuperſtitioſa 338.
Hypocritæ & viri boni iudicium diſcrepat 307.

I

IActantiæ Impietas 385.
Ieiunium opus meritorum 690
Ieiunij Caluiniani impietas 689.
Ieiunia repetita deffenduntur 642.
Ieiunia & orationes ſunt Dei 570.
de Ieiunio quadrageſimæ 591.
cauſa Ieiunij quadrageſimalis inſtituti 591.
Ieiunij cauſa & fructus 593.
præceptum Ieiunij non eſt doctrina dæmoniorum 593.
moderatio Eccleſiæ in Ieiuniis 594.
Ieiunium ſub præcepta temporis D. Auguſtini 594.
Ieiunium quadrageſimale 159.
Ieiunium cum oratione 56.
Ieiunium multiplex 159.
Ieiunium auari 160.
Ieiunium Manichæorum ibid.
Ieiunium Phyloſophorum ibid.
Ieiunium Guloſi ibid.
Ieiunium perfectum 161.
Ieiunium Eccleſię 160.
Ieiunium Anglo-Caluinianum 160.
de laudibus Ieiunij 594.
Ieiunium Caluinianum victus moderatus 689.
Chriſtus quomodo triſtitiam in Ieiunio prohibet. 689.
Ieroboæ ingratitudo 501.
de nomine Ieſu 827.
Ieſu Naue nomen, cur non honoratur 828.
cur Ieſu nomen, non Chriſto, veneramur 828.
nominis Ieſu venerationis exempla 829.
miſterium nominis Ieſu ibid.
nomen Ieſu nomen Dei ibid.
proprietatem nominis Ieſu ibid.
Ignorantia rerum diuinarum cauſa peccatorum 278.
Ignauia in cauſa Religionis 364.
Illiberalitatis vindicia 352.
Impedimenta virtutis 154.
Impedimenta coniugij 316.
Impiorum omnia in malum vertuntur 483.
Impij tentationes non ſentiunt 159.
Impiorum tabernacula 176.
Impiorum labor 333.
Impudentia hæreticorum 585.
cur ſoli immiſericordes ſeuerum ſubibunt Iudicium 368.
Incarnationis dominicæ admiranda nouitas 47.
Incarnationis Domini triplex miraculum 48.
Incarnationis Domini triplex beneficium ibid.
Incarnationis dominicæ beneficium 475.
Inconſtantiæ in bono cauſæ 15.
Incredulitas hæreticorum 600.
Incredulitas cauſa non videndi miracula 730.
Infernales penæ quales & quantæ 489.
Infernalis pœna Pſeudo-Chriſtianorum 489.
Inferni pœna cur nunc minima mouet 491.
de Inferni pœnis 86.
Ingratitudo noſtra 309.
Ingratitudo quantum nefas 509.
Iniuria Dei feruenter vindicanda 168.
Ingratitudo & negligentia circà ſalutem 479.
Iniquitas omnis Idololatria eſt 169.
Inhumanitas erga proximos 507.
Inimicorum dilectio pura & excellens virtus 510.
Inimicitiæ cauſa diabolus 57.
Inobedientium pœna 62.
Indignitas mortis Chriſti naturaliter eum turbare potuit ſemel animo ſuo librè propoſita 809.
Infirmi in fide quomodo firmandi 836.
Iniquitatis abundantia 101.
de iniuriis condonandis 300.
Iniurias condonandi vtilitas 301.
Inſtitutionem liberorum natura parentes docet 496.
Inuidiæ malum 183.
Inuocatio ſanctorum defenditur 610.
Ioannis deſertum 563.
Ioannis Baptiſmus 564.
Ira & odium proximi 340.
Iraſci fratri nulla ex cauſa licet 341.
Iram Dei theſaurizare quid. 376.
Iræ tumultus 427.
Ioſephi perſecutio 89. Illius mercedes ibid.
Iudæi quærunt Chriſtum in ſcripturis & non inueniunt 710.
Iudæos vt Deus amouerit 534.
Iudæis factæ gratiæ 532.
Iudæi relapſi quoties reconciliati 533.
Iudæorum ſuperſtitio 450.
Iudæorum vitia in cultu Sabbati 451.
Iudæorum caſtigatio 534.
Iudæorum excidium vltio diuina 535.
Iudęorum & hæreticorum hodie Chriſtum in ſcripturis fruſtrà querentium comparatio 710.
Iudæ proditor inſignis politicus 785.
Iudex inexorabilis 3.
Iudicia peruerſa 183.
Iudicij extremi tenor 2.
Iudicij examen. 3.
Iudicij ſententia ibid.
Iudicij hora incerta 4.
Iudicium Dei cur incertum ibid.
Iudicij timor vtilis 5.
Iudicij extremi expectatio certa ibid.
Iudicium impiorum terribile 108.
de Iudicio & poteſtate diaboli 267.
Iudicium temerarium 298.
Iudicij temerarij remedia 299.
Iudicium vſurpatum ibid.
non Iudicandi & non condemnandi præmium 300.
Iudicium hypocriticum 306
hypocritæ & boni viri iudicium diſcrepat 307.
Iudicium Dei contra iraſcentes 341.
Iudicij extremi apparatus 538.
Iudicium extremum terribile 540.
de Iudicio extremo 559.

diuini Iudicij terror ibid. peccatoribus terribilis 560
eiusdem rigor 561
Iudicialis potestas remittendi peccata 605
Iuramentum fœdum Angli-Caluinistarum 665
Iust-ficatio non est sola peccatorum remissio 643
Iustitia imputatiua refellitur 611
Iustitia Dei retribuit bona non secus ac mala 583
Iustitia Dei contra persecutores fidei 483
Iustitia Dei contra peccatores 374
Iustitia bonorum operum deffenditur 642
Iustitia Dei quæ 648
Iustorum lætitia non tollitur sed mutatur 350
Iustorum solatia 350
Iustitia ex lege quomodo opponitur
Iustitiæ fidei 653

L

cur LAbor circa diuitias voluptas videtur non labor 167
Labor impiorum vanus 333
Lachrymæ peccatorum remedia 370
Lachrymæ Magdalenæ pœnitentis erant non gratias agentis 781
Lætitia iustorum non tollitur, sed mutatur 350
Laudes B. Virginis 891. & 893
Laus virtutis alios extimulat 402
Laus virtutis comes 13
Laudare caritatis est ibid.
Laudare virtutem vtile est & necessarium 14
Laus Hectoris Pinti 136
Legislator verus Christus 694
Legis quomodo Christus interpres 695
Lex conuicit homines suæ infirmitatis non damnationis 653
Liberalitatis fructus 200
de Liberi arbitrij cooperatione in conuersione ad Deum 589
Liberum arbitrium probatur 590
Liberi arbitrij cum gratia Dei cooperatio 707
Liberum arbitrium deffenditur 824. cur illud negant hæretici ibid.
Libertas anima Ecclesiæ 956
Libido carnis 316
vagæ Libidinis turpitudo 317
Libidinis carnalis violentia ibid
Libri hæreticorum non legendi 355
Libri duo Doctoribus necessarij 459. lignum crucis Dominicæ quam prætiosum 857
Litteralem sensum verborum Cœnæ tenendum esse 800
Locus homini proprius, Deus est 408
Lotio pedum quare in Ecclesia seruatur 816
Ludibria mundi despicienda 527
Lutheri scandalum 11
Lutheri salus quot modis quæsita 761
Lutheri progressus quomodo semper in pejus proficiebat 761
de Luxu vestimentorum 17
causæ cur Luxus vestimentorum Deo displicet 18
Luxus vestimentorum causa & origo multorum malorum 19
Luxus ad vanam gloriam destinatur 21
Luxus modum non tenet 197
de causis Luxuriæ 318
turpiloquium Luxuriæ causa 319
Luxuria gehennæ similis 321
Luxuriæ exempla 321

M

MAgdalenę lachrymæ pœnitentis erant non gratias agentis 781
Magisterium Ecclesiæ circa fidem 615. circa leges morum ibidem.
de tribus Magis tribus regibus 830
Maiorum exempla 438
Maledicentia hæreticorum 601
Malus magister dupliciter onerat 9
Malus doctor suum processum facit 9
Mali tolerantur propter bonos 105. 106
Malorum tolerantia, vt emendentur 105
Mali tolerantur, vt compleantur electi 107
Malorum præmeditatio 275
Malorum Radix auaritia 418
ad Malum omnes iuuant 466
Manasses oratio 388
Mandatorum Dei suauis executio 43
de Mandatorum Dei facilitate 43
Mandatorum obseruatio necessaria 361
Manere Deum in nobis quid 285
Manna verus cibus, sed non verè cibus 873
Manichæorum ieiunium 160
Manuum impositio necessaria ceremonia 852
Martyrium D. Thomæ cantuarienſis 950
B. Mariæ honor deffenditur 702
Martyrium B. Petri Romæ 816
Materiæ sacramentales instrumenta gratiæ 756
Meditatio operum & beneficiorum Dei 45
Meditationis vis in corpus redundat 46
Meditationes quotidianæ Societatis Iesu 46
Meditationis maturinæ virtus 45
Menditatiuncula de incarnato filio Dei 47
Meditatio beneficiorum Dei 113
vnum extra nos credendi medium 755
Meritorum diuersitas 854
de Mercede & merito bonorum operum 585
Merces bonorum operum vita æterna 700
Merces humilitatis amplissima 391
de Mercedis bonorum operum qualitate 125
Mercedis expectatio virtutis stimulus 127
Merces beneficentiæ, cur non semper retribuitur 201
Merces ingens parui laboris 260
Mercenarium opus quale 629
Mercenarius quis 249
Mercenarius duplex ibid.
Miracula D. Thomæ Cantuarienſis Episcopi 971
de Miraculis sanctorum in Ecclesia Catholica 599
Miracula hęreticorum 536
Miracula Catholicæ Ecclesiæ deffenduntur 677
Miracula an rectè à Nouatoribus postulentur 752
Miracula à nouis hæreticis iustè petuntur ibid.
Misericordia Christi ineffabilis 326
Misericordiæ opera proximo exhibenda 347
Misericordia Dei imploranda 417
Misericordiam à Deo petere quanta res sit 418
Misericordia erga afflictos 442
Misericordia pauperibus debetur 444
Misericordiæ tempus 560
Maxima Dei misericordia pœnitentiæ motus requirit 724
Missio sacerdotum 473
Moderatio Ecclesiæ circa ieiunium 594
Modestia seruanda 8
Modestię Ethnicorum exempla 218
Morborum causæ peccata 469
Mors D. Thomę Cantuarienſis Episcopi Anglis vtilissima 948
Mortificatio testimonium spiritus 813
Morientium animabus insidiatur diabolus 287
Mortis memoria 439
Mortis hora cur incerta 498
Mortis expectatio 512
ad Mortem necessaria præparatio 531
Mortis Christi beneficium 254
Mors Christi prętium Redemptionis nostræ 806
Mortis Christi indignitas naturaliter eum turbare potuit semel animo suo liberè proposita 809
Mulier in desertum fugiens quomodo ad Ecclesiam pertinet 674

Mulierum opera facta ad fidem conuersio 230
Mulierum constantia 232
Mundi ludibria despicienda 577
Mundi gaudia 258
Mundi fauoris inconstantia 28
Mundi negotia otia sunt Deo 122
Merces certa bonorum operum 123
Mundi pax 184
Mundi gaudium impunita nequitia 258
Mundi gaudia caduca & falsa 258
Mundi amor fallax & vanus 373
Mundi amatorum stupor 396
Mundus mare vitreum 480
Mundus mare magnum 481
Munera Dei vt eum diligamus 281

N

Necessitas feruens audiendi verbum Dei 131
Necessitatibus abutitur diabolus 163
Necessitas à cupiditate quomodo distinguenda ibid.
Necessitas reconciliandi 345
Necessitas bonorum operum 118. 358. 584
Necessitates proximorum iuuandæ 394
Necessitas amoris Dei 408
Negligentiæ nostræ absurditas 363
Nemo ad fidem cogendus 616
Nolle venire maximum peccatum 478
de Nomine Iesu 827
Nomen Iesu Naue cur non honoratur 828
cur Iesu Nomen, non Christi veneramur 828
exempla venerationis Nominis Iesu 829
Nomen Iesu nomen Dei ibid.
misterium Nominis Iesu ibid.
proprietates Nominis Iesu ibid.
Nouitas doctrinæ hæresis arguitur 580
Nouum Testamentum seu fœdus non sancitur sola manducatione aut potione spirituali 803
Nuptiarum filij Dei dotes 476
Nuptiarum carnalium & spiritualium comparatio 476
Nuptialis vestis quæ 485
Nuptialis vestis perpetuò gerenda 486
cur charitas dicitur Nuptialis vestis ibid.

O

Obedientia voci Ecclesiæ debita 834
Obedientia fidei 834
Obedientię spiritus non discretionis populo fideli necessarius 757
Obedientię exacta & sola fides, duo extrema 703
Obedientia Radix sola fides non est 703
Obedientia principibus debita 518
malis principibus Obediendum 519
Obedientia sine respectu personarum 61
Obedientia Abrahæ promptissima 70
de perfecta & integra Obedientia 69. & 70
Obiurgatores pauperum 368
Obliuio futurorum 372
Obliuio causa non perseuerandi 349
Obsequium Dei & cultus 519
Obsequendi voluntas mandatis Dei est via ad credendum 756
Obsequium voluntarium Dei 332
Obseruatio mandatorum necessaria 361
Obseruatores maleuoli 448
Occasio boni non pretermittenda 495
Occasio peccati fugienda 396
Odium proximi 340
Odium diaboli quale 427
Odium diaboli necessarium ibid.
Odium peccati primus modus pœnitentiæ 724. 725. & 726
Officium duplex Spiritussancti 614
Officium Prælatorum Ecclesiæ 716
Omnes Deum laudare & colere oportet 226
Omnes ad pietatem æquè tenentur 227
Omissionis pœna duplex 359
Opera pœnalia ad salutem necessaria 743
bona Opera in scripturis non præscripta 745
bona Opera causa salutis sicut mala exitij 700
Opera Euangelica laboriosa 584
Opera Dei laude prosequenda 528
Opera misericordiæ proximo exhibenda 413
Operum bonorum necessitas 358. 619
de Operum genere 119
Opera in excolenda vinea 119
Operum bonorum certa merces 123
de mercedis bonorum Operum qualitate 125
de Operibus misericordiæ 219
Opera misericordiæ proximo exhibenda 347
mala quędam Opera proprij hęreticorum fructus 634
Opera supererogationis quæ 646
bona Opera necessaria ad salutem 654
gloriari in bonis Operibus interdum laudabile 642
Operatio creaturarum non abducit homines à Deo 759
Orandum in templis 380
Oratio quomodo voluntatem ex mala bonam facit 731
Oratio cum ieiunio 56
de Orandi assiduitate 53
Orationis partes fides & obedientia 76
Orationis virtus 269
Orationis conditio, petere bona & salutaria 269. in statu gratiæ ibid.
Oratio plus accipit quàm petit 277
Oratio fidem exercet 173
Oratio illuminat ibid. est armatura contra tentationes ibid. consolatur in aduersis ibid.
Oratio Manassis 388
Ordo in Ecclesia seruandus 377
Ornatus Templorum deffenditur 795
Ostentatio boni operis 384
Ostentationis gradus tres 385
Ostentatio sui vana 413
Ordo propagandi Euangelij 850
Otiosè audire quàm res perniciosa 133
Otiositas malorum Radix 122
Ouem perditam quomodò Deus quærat 328
Ouium Christi proprietates 251
Oues electæ vnde constare possunt 775

P

PApa non est Pseudo-Propheta 792
Pastoris boni officium 248
Parabolæ vis de iniquo Iudice 272
Paucitas saluandorum 491
Pax donum Christi 238
Pax cum Deo ibid.
Pax conscientię ibid.
Pax confidentiæ ibid.
Pax cum proximo ibid.
Pax cum proximo natura docet 240
Pax vera 487
Pax Dei & pax mundi 488
de Pace Christi 186
de Pace cum Deo & proximo 184
Pax falsa impiorum 185
Pax mundi 184
Patrum voces in laudem B. Virginis 771
Pax nulla vera absque bona conscientia 822
Pax falsa hæreticorum 822
in eis quæ Dei sunt parentes recognoscere non debemus 576
Parentum cura de liberis 496
Parentum officium circà curam liberorum 59
Parentum honori Dei cultus præferendus 59

Index.

Parentum cura erga liberos 8
Pastorum & Patrum cura ibid.
Passio Christi redimit à seruitute peccati dupliciter 43. eiusdem fructus 843
Passionis Domini memoria expellit peccatum 149. est vtilissima ibid. reficit laborantes 150. contra tentationes valet ibid.
duo Passionis Christi beneficia occultãt hæretici 627
Patientia ad virtutes exequendas necessaria 146
Patientia virtutem nobilitat 147
Patientia vita iusti ibid.
sanctorum Patrum sorores sanctimoniales 230
Pauperibus debetur misericordia 444
de Paupertate spirituali 10
Pauperum obiurgatores 367
Peccatum amentem facit 446
Peccati Remorsus 401
Peccatoris sensus cur amittitur 400
Peccati status & turpitudo 399
Pœnitentiæ dilatatio 376
Pœnitentia peccatoris 329
Pœnitentis conuersio illustrior 330
Peccati consuetudo 395
Peccata aliena & publica sunt deflenda 371
Peccata deflenda 370
Peccati consideratio duplex 341
Peccatorum discrimen 620
Peccati mortalis vox 334
Peccatum iræ 217
exempla detestantium Peccata 207
Peccatum res trictis & acerba 206
Peccatum res turpis & vitiosa 205
Peccatum saporem gloriæ tollit 205
Peccati recidiua 188
Peccatis nostris nostra mala imputanda 469
Peccati in Christiano absurditas 102
Peccantium multitudo aggrauat 106
Peccata multa fidem excutiunt 112
Peccatorum distinctiones 620
Peccata dæmoniacorum 180
Peccatum in Spiritumsanctum quale 184
Peccatum pœnitus extirpandum 187
Peccatum diffidentię 197
Peccati turpitudo & enormitas 201
Peccatum noxium & damnosum 204
Peccatum vnum cur perdat cum non nisi ex multis virtutibus sit salus 205
Peccatum animæ decorem aufert 205
Peccatum quid 471
iustitia Dei contra Peccatores 374
Peccatores sunt arundines vento agitatæ 15
Peccatorum cæcitas 155
Peccatorum piscatores 820
Peccati debitum 503
Peccatoris status miserrimus 504
Peccati status cur non timetur 504
Peccatores seipsos vendunt diabolo ibid.
Peccatorum obstinatorum pœna 505
Peccati pericula timenda 505
Peccatoris reconciliatio perfecta cum Deo 506
Peccata dimissa quo sensu repetantur 508
Peccatum dicitur Lepra 578
Pœnitentia remissionem peccatorum semper prȩcedit 726. prȩcedit fidem 727. est necessaria dispositio ad iustificationem 728
Pœnitentia in Euangelio quid significet 566. est necessaria peccatorum remissioni 728
D. Petrus inconsideranti ardoris falsi accusatur 698
de illius primatu 880
D. Petri verba explicantur 813
Pecunia debita quatenus repetenda 508
de Peregrinatione ad loca Sanctorũ & eius causæ 561
Persecutores fidei 481
Persecutio Anglicana à D. Gregorio prædicta 482
iustitia Dei contra Persecutores fidei 483
Pharisęus in suis operibus gloriatur, cur reprobatur 642
Perseuerentia in oratione 499
Perfectio charitatis 463
Persecutionem fugere licet 218
Persecutiones Ecclesiæ 276
Persecutio hęreticorum atrocissima 276
Persecutio Ecclesiæ vtilis 277
Persecutio ferentibus vtilis 277
Pharisaicum ieiunium 160
Pharisaica vana gloria 340
Phylosophorum omnium vox 124
Phylosophicum ieiunium 160
Phylosophia humana vox laboris 333
Pignus diaboli 187
D. Petri prerogatiuæ 618
Pinnaculum templi quid 165
Piorum fiducia propria 199
Pœnitentia nunc perfectior quàm in veteri lege 242
Pœnitentiæ prædicatio necessaria 36
Pœnitentiæ virtus 235. est via ad Christum 563
Pœna omissionis duplex 359
de Pœnis inferni 86
Potestate non est semper vtendum 218
Potestas diaboli super corpora & animas hominũ 179
Potestas diaboli ex Dei permissione 180
Prædicatores adolescentuli 32
Preces veterum non fundabantur in Christo 274
Preces non intellectus placent Deo 603
Prædicatoris officium 26
Præceptum ieiunij non est doctrina dæmoniorum 593
Prȩcepti vtilitas de imitatione 297
Prędestinationis doctrina ab hæreticorum corruptelis vindicata 587
Præsentium amor inordinatus 176
Prȩlaturos affectus non prohibetur à Christo 715
Præmium non iudicandi & non condemnandi 300
Præsentia semper cogitanda 449
Prȩlati boni officium in docendo 516
Probatio fratrum 90
Prodigalitas cauenda 200
Principibus obedientia debita 518
malis Principibus obediendum 519
Professionis Christianæ profectus 49
Potestas Ecclesiæ ad Reges non pertinet 665
Politicorum actiomata 486
Politicorum hodie verba ex ore paganorum 487
Politici hæreticis deteriores 488. ethnicis peiores ibid.
Politicus & hæretico & Turca deterior 459
Politicorum proprium 491
Præparatio ad mortem necessaria 531
Prophanatio Templorum 378
Profanatio Sabbati Christiani 453
Prophetæ non acceperunt personas 519
Potestas Ecclesiæ in remittendis peccatis 605
Potestas iudicialis remittendi peccata ibid.
triplex Promissio veritatis 609
Proximus quauis data occasione iuuandus 453
Proximi dilectio 462
Proximi amor apud Ethnicos 463
Proximus propter Deum diligitur 464
Proximorum cura 465
Prouerbium, Simia erit Simia etiamsi purpura induatur 50
Prouidentia Dei circà salutem nostram 478
Prouidentia Dei non dormit 90
Prouidentia Dei circà salutem hominum 217
Prouidentia Dei erga suos 196
Prouidentia Dei circà necessaria 346
Prouidentiæ Diuinę exempla 347
Proximorum necessitates iuuandas 394
Prudentia hominis Christiani 345
Prudentiæ filiorum lucis exempla 365. 366
Proximus propter Deum diligendus 411

Proximus qui ibid. quomodo diligendus ibid.
Pseudo-Christiani 485
Pseudo-Christianorum pœna infernalis 489
Phariseorum discursus politicus quàm cæcus fuit 782
Politicorum voces 783
Politicus pro homine Christiano habendus non est 783
Politicus quouis malo Christiano deterior 783
Politicus Christianitatem exuit 783
Politici athei 783
Politici Christo per omnia contradicunt 784
Politici filij huius sæculi sunt 784
Politici Samaritanis similes 785
Pilatus politicus 785
Pusillanimitatis vitium 39
de Purgatorio 923. 924

Q

Quadrageſimale ieiunium 159
Quibus dormiat Christus 91
Quomodo vnus denarius & multas mansiones 853
Quomodo Christus est vnus mediator 855
Quot modis tentatur Deus 165

R

Radix malorum auaritia 428
Ratio reddenda omnium 362
Regnum Christi in Ecclesia 848
Reges Anglorum cur libertates Ecclesiasticas violant 945
Regum authoritas cur non in terris maxima sicut Ecclesiæ 755
Recidiua peccati frequens 50
Recidiua peccati 188
Recidiuans quatuor hostes habet 190
Recidiuatio quàm graue peccatum 190
Recidiuantium ingratitudo 508
Recuperata magis delectans quàm seruata 330
Reconciliatio fraterna non differenda 344
Reconciliandi necessitas 345
Reconciliatio peccatoris perfecta cum Deo 506
Relinquere agros propter Christum quid 369
Religionis ignauia in causa 364
Remedia contrà distractiones 271
Remissio peccatorum in Ecclesia 658
Remorsus peccati 401
sanctarum Reliquiarum cultus deffenditur 699
Remuneratio charitatis 467
Reprehensio medicamentum salutis 499
Resurrectio necessaria per Christum quæ 51
Resurrectionis Dominicæ fructus 234
Resurrectio spiritualis 234
Retributio æterna eleemosinarum 367
Retributionis exemplum 368
de Reuerentia externa 75
Reuerentia externa corporis 521
Reliquiarum veneratio 604
Rigor extremi iudicij 561

S

Sabbati obseruatio spiritualis non litteralis 451. Iudæorum vitia in cultu Sabbati ibid.
de Sabbato gloriari non debemus, sed in eo, Deo gratias agendæ 451. qua pietate Sabbatum obseruandum 452
Sabbati Christiani profanatio 453
Sacerdotis reuerentia 79. & 419
Sacerdotem non reuereri peccatum 81
Sacerdotem reuereri populo est vtile ibid.
Sacerdotis reuerentia facit populum docilem ibid.
Sacerdotibus negata reuerentia facit eos minus vtiles ibidem
Sacerdotis vita ædificatiua 322
Sacerdotium honorandum 473
Sacerdotum missio ibid.
Sacerdotalis potestas per se honoranda 474
Sacerdotalis authoritas 647
Sacerdotum impietas 787
Sacramentales materiæ instrumenta gratiæ 758
Sacramentorum & Sacramentalium virtus 706
Sacramentales ceremoniæ 644
Sacrificium altaris habet Ecclesia 621
Salire in vitam æternam quid significet 739
Salutationis Angelicæ vsus 838
Saluandorum paucitas 491
Salutis conditiones nullas admittunt hæretici 778
Sanctorum patrocinia 706
Sancti non sunt vocandi mortui 704
Sanctitas simulata 338
de Sanctorum miraculis in Ecclesia Catholica 599
Sanctorum innocentia deffenditur 610
Sanctorum patrocinia in hora mortis 720
sanctificatio per creaturas 644
Sanctificationem imputatam docet Caluinus 742
de Sanctorum veneratione 917. 18. 19. 20. 21. 22. & seq.
Satisfactiones pœnitentium non repugnant redemptioni per Christum 716
Scandalisari in Christo quid 10
non Scandalisari in Christo quid 11
comparatio Samaritani schismatis cum hodierno schismate 746
Schismata deffendit Caluinus ipse schismaticus 678
Schismatis hodierni impia deffensio 721
Scribæ quomodo audiendi & ab eorum fermento cauendum 714
Scripturæ sacræ ad intelligendum difficiles 845
de Semine gratiæ 96
Sensus peccatoris cur amittitur 400
Sensus scripturarum spectandus non littera 597
Sepultura Religiosa 442. & 650
Seruire Deo quid & quale 426
Signo Crucis hæretici contradicunt 567
Signum Crucis in Sacramentalibus 568
Signo Crucis se signare Religio Christianorum propria 568
Signum Crucis in Cœlo 679
Signum Crucis cur à fidelibus frequenter conspiciendum 679
Sinus Abrahæ locus subterraneus & medius 718
Sinonis concilium dant Politici 788
Solatia iustorum 350
Solatiis permixtæ sunt tribulationes iustorum 256
Solicitudo vitæ 430. quare prohibeatur 431
Solicitudo verbum suffocat 137
Solicitudines tribus modis suffocant semen 137
Solicitudo terrena quot bona opera impediat 139
Solicitudo noxia tribus modis 432
Spei & fiduciæ virtus 137
Spinę tribus modis suffocant semen 137
Spiritussancti consolatio quibus datur 265
Spiritussanctus cur datur 282
Spiritussancti consolatio triplex 278
Spiritus promissionis quis 476
Spiritussancti duplex officium 614
Spiritus discretionis in quibus sit 623
Spiritussancti aqua vitæ fontana 738
quomodo Spiritussanctus tollit sitim 738
Spiritussanctus cur aquæ comparatur 739
Spiritussanctus aquam fœcundat 740
Status & turpitudo peccati 399
Spiritus obedientiæ non discretionis populo fideli necessarius 757
Spiritus Dei facit vocem hæretici odiosam 869
Successio Sanctorum à Christo declarata 866
Superbia cur grauissimum peccatum 41
Superbia dæmonium vexatione curanda 42

Superbi & humilis discrimen 336
Superbiæ cum aliis vitiis comparatio 383
Superbi proprium 384
Superbiæ pœna 389
Superbus diuina intelligere non potest 836
Superstitionis crimen defenditur 699
Sycophantia hæreticorum 601
Synagogæ & Ecclesiæ lata differentia 676

T

TAlenta Dei homini data 503
Templa in honorem B. Virginis 906
Templorum ornatus defenditur 795
antiquitatis Testimonia pro templorum ornatu 795
de Templis Christianorum & eorum vsu 638
in Templo sanctiùs quàm extra colitur Deus 638
Deus in Templo faciliùs exaudit 639
Deus in templis habitat 640
Templum sacrificij locus 641
Templorum profanatio 378
in Templis orandum 380
Templorum eadem nunc ratio quæ olim 702
Temporis dispendium 20
Temporalium rerum amor 321
Tempus misericordiæ, tempus iustitiæ 560
Tempus latitantis mulieris in deserto longum esse non potest 675
Tentationi non credendum 153
Tentationes necessariò ferendæ non quærendæ 158
Tentatio necessaria 158
Tentationis diaboli astutia 162
quot modis Tentatur Deus 165
de sancto Thoma Cantuarensi Archiepiscopo 944. de causa sui martyrij ibid.
Terror diuini iudicij 559
de Thomæ Apostoli amore erga Christum 938. de eius incredulitate ibid. illius confessio 939. sui Apostolatus monimenta 941
nouum Testamentum seu fœdus non sancitur sola manducatione, aut potione spirituali 803
Tituli glorioſi B. Virginis defenduntur 907
Timor gehennæ 360
Traditionum Ecclesiasticarum contemptus ex Pharisæorum responsione non sequitur 734
Traditionum Pharisaicarum ab Ecclesiasticis discrimen 734
Pharisæorum crimen circà Traditiones suas 735
Trahi à patre ad Christum quid significet 709
de Tribulatione iustorum in hac vita 6. & 86
Tribulatio fidei & charitatis probatio 7
Tribulatio amoris diuini signum ibid.
Tribulatio virtutis perfectio ibid.
Tribulatio patientiam operatur 87
Tribulatio ad maiorem Dei amorem excitat 89
Tribulatio vertitur in gaudium 95
Tribulationes Iustorum 256. sunt virtutum exercitia 257
Tribulationes iustorum sunt solatiis permixtæ 257
Tribulatio ad pœnitentiam trahit 444
Tribulatio pro ratione subiecti operatur 470
Tribulatio peccatoribus necessaria 470
Tribulatio ad Deum adducit 493
Tribulationi auxilium adiungitur 530
Tristitia cordis excutienda 161
Tristitia propter peccatum 162
Triumphus Caluini ante victoriam 885
Tropum in verbis Christi quàm variè hæretici ponunt 800
Tumultus iræ 427
Turpiloquium luxuriæ causa 319
Turpitudo vagæ libidinis 317
Turpitudo & status peccati 399

V

VAna sui existimatio fugienda 15
mundanæ existimationis Vanitas 24
Vanus impiorum labor 333
Vanus & fallax mundi amor 373
Vana suipsius complacentia 382
Vana sui ostentatio 413
Vasa & Ecclesiastica ornamenta 898
de Veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia 871
Veritas toti Ecclesiæ communis non priuatę 609
Veritas in Ecclesia 609
triplex promissio Veritatis ibid.
Verbo prædicationis non generatur certitudo salutis 663
de Veneratione externa Sanctorum aut reliquiarum 604
de Verbo adorandi 666
Verbum cui credidit Centurio quale 695
Verbum Dei est propriè verbum prędicatum non scriptum 589
Verbum Dei omne præsidium 335
Verbum Dei retinendum & ruminandum 145
de Verbo Dei audiendo 191
Verbum Dei audiendum necessariò 193
Verbum Dei audire signum hominis Christiani 194
docti ab audiendo Verbo Dei non excusantur 195
Verbi audiendi feruor 331
Vestis nuptialis quæ 485. perpetuò gerenda 486
Vestis nuptialis est charitas 659
Veteris Ecclesiæ disciplina 380
Veterum preces non fundabantur in Christo 174
Vestis nuptialis quid significet meritò quæritur 660
Viduarum causa 441
Viæ peccatorum atque iustorum 165
Vindictæ illiberalitatis 352
Vinea Satanæ quæ 126
Violentia libidinis carnalis 317
B. Virginis laudes 892. 93. & seq.
B. Virginem laudans mulier cur reprehenditur 771
B. Virginem cur Catholici prædicant 771
Patrum Voces in laudem Virginis ibid.
B. Virgo defenditur 572. 573. 574. & 769
B. Virginis virtutes 575
B. Virginis honorandæ præ ceteris plures causæ concurrunt 769. illius singularis honor probatur 770. Beata, quia mater filij Dei ibid.
cur B. Virgo gratia plena 839
Virtus laudanda 13
laus Virtutis comes ibid.
laudare Virtutem vtile est, & necessarium 14
Virtutis via laboriosa 38
Virtutis inutilis causæ 77. 78. 79
Via virtutis & gloriæ ardua 172
nulla Virtus suo lapide caret 133
Virtutum tribulationes sunt earundem exercitia 257
Virtus liberalitatis 352
Virtutis laus alios extimulat 402
Virtus laudanda ibid. ad Dei gloriam 403
Visitatio Dei qualis 377
Vita D. Thomæ Cantuarensis Episcopi 937
Vita & Martyrium Thomæ Mori Angliæ Cancellarij 988
Vita Sacerdotis ædificatiua 312
Vitæ exemplaris efficacia 114
Vitæ solicitudo 430
Vita præsens mora quædam perpetua 512
de austera Ioannis Vita 563
Vita æterna & merces est & gratia 586
Vltio Dei contrà ingratos 532
Vltio diuina in sacrilego 899
Vmbræ comparatur auarus 428
de Vnitate Ecclesiæ 606
causa seruandæ Vnitatis Ecclesiæ 606

Index.

Vocatio hæreticorum tribus modis deffensa 870.
de Vocatione legitima prædicatorum verbi 851.
Vocatio legitima Ministrorum 792.
Vocatio ad salutem non sufficit 422.
Vocatio virtute tuenda 321.
Vocationis nulla certitudo 85
Voluntas obsequendi mandatis Dei est via ad credendum 756.
cur Voluntas Dei volens omnes saluare, in omnibus non est efficax 588.
Voluntarium Dei obsequium 332
Voluntas praua cuique perditionis causa 477.
cur Christus discrimen ponit in dono Dei non in voluntate humana. 588.
de Voluptate carnali 141.
Voluptas tyrannus animæ 142.
Voluptates fallaces ibid.
Voluptatum corruptela 143.
Voluptatum fontes crapula & ebrietas 143.
Voluptas virtutis maior quàm vitii 350.
Voluntas humana in Christo duplex 794.
bona Voluntas quæ 812.
Voluntas Dei congregãdi peccatores, qui tamen non congreguntur 825.
Vox omnium Phylosophorum 124.
Vox gratiæ audienda 446.
Voces hæreticorum Diabolicæ 595.
de Voto Virginitatis 840.
Votum viduitatis ex Apostolo probatur 842.

Z

ZElus iustorum contra peccata 104.
Zelus iustorum contra impios 508.
Zizania quæ in Euangelia 105. 6. 7. 8.

FINIS

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

LVTETIAE PARISIORVM.

Sumptibus { Roberti Foüet, Nicolai Buon, Sebastiani Cramoisy. } Via Iacobæa.

37

30

37

Signat.ª Top.ª
Est. 30
Tab. 1ª
Núm. 12

Optatiani

2918
2560